BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12/
13/S
/2

20. J.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
3 H
6

12
15.
3
14

THEOPHILI

BONETI

MERCVRIVS

COMPITALITIVS

SIVE

INDEX MEDICO-PRACTICVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MERCVRIUS COMPITALITIVS

SIVE

INDEX MEDICO-PRACTICVS

Per Deciſiones, Cautiones, Animadverſiones, Caſtigationes & Obſervationes

IN SINGVLIS AFFECTIBVS

Præter Naturam

ET PRÆSIDIIS MEDICIS,

Diæteticis, Cheirurgicis & Pharmaceuticis

Ex Probatiſſimis Practicis, Priſcis & Neotericis depromptas

VERAM ET TVTAM MEDENDI VIAM OSTENDENS

Acceſſit Appendix

DE MEDICI MVNERE.

OPERA

THEOPHILI BONETI D. M.

BIBL. SS. IO. & PA. DE URB.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GENEVÆ,

Sumptibus LEONARDI CHOVËT, & Socij.

M. DC. LXXXIII.

Ex libris recessus SS. Ioann. et Pauli de Urbe 1887

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO

DOMINO

DOMINO

EDVARD HYDE

COMITI A CORNBVRY &c.

OFFERO Tibi Mercurium, non illum equidem qui animas ſub triſtia mittit Tartara, ceu viæ qua itur ad Orcum ducem, ſed qui animas Orco, ut Poeta loquitur, evocat: Sive verius, datum ſalutis humanæ cuſtodem, morborumque, quibus vulgo laborat mortalium genus, depulſorem ſtrenuum ac fidum: Neque vero id novum Tibi, veterum Sapientiæ non initiato ſolum ſed propemodum myſtæ, Aegyptios certe, hoc eſt Græcorum duces, omniſque veterum doctrinæ ac Religionis primos myſtagogos ſub Mercurij nomine ſua nobis venditaſſe inventa, præclaraſque quibus gens illa quon-

¶ 3

dam inclaruit, omnium artium ac ſcientiarum faces haud ignoras: Sed quid antiqua illa & anilia propemodum dixerim reputo? Verum id hodie mihi favente Bono Genio liceat, COMES PER ILLVSTRIS, ut ſub Mercurij hujus Compitalitij ſtatuâ, non facundiam Tibi meam, qualem vel Aegyptium, vel Græcanicum illum Hermetem decuit, & quæ in me nulla eſt, ſed devotum animum cultumque Tibi tot nominibus debitum approbem: In eam me ſpem erigit cum mihi coram conteſtata Tua pluribus documentis humanitas plane ſingularis, tum læta illa Tua ac generoſa indoles, Et quod ingrato ſilentio premi non debet, jucunda in Vrbem noſtram animi Tui propenſio, quam aliquot annorum apud nos mora abunde declaraſti: Tuam hanc præſentiam gratulantur ſibi omnes ad unum cives, mirantur que in Te Ingenium capax, acutum, ſolers, Judicium acre, ante annos maturum, Memoriæ vividam vim, motus Animi celeres, expeditos, rerum Prudentiam velocem, Mercurij facundiam, Sed & Naturam prodigam in decernendis beneficijs, quæ Te præſtanti corpore, & ſupra ætatem (nondum quippe quatuor expletis luſtris) firmo eſſe voluit: quo robore donatus in equeſtribus exercitijs, gymnaſticis & athleticis, quæcunque Nobilem decent, longe omnibus excellis: Indolem hanc

ad

ad ſublimia quæque aſſurgentem, & jam à teneris ingentes animos anguſto in corpore cum Te verſare animadverteret ILLVSTRISSIMVS COMES A CHARENDON, Parens Tuus, non ignarus quod doctrina vim promovet inſitam, Præfectum morum Tibi conſtituit NOBILISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM DOMINVM HAMILTON, antiquo gentilium ſtemmate Illuſtrem, qui avitam gloriam propria virtute & eruditione cumulans, non tantum Muſas omnes arctiſſima familiaritate ſibi devinxit, ſed & Machaonia caſtra perluſtravit inque Medicinæ adyta penetravit: Hoc duce virtutum cumulus in Te eluceſcit, Pietas inſignis, teſtes ſunt Aedes Sacræ, quarum frequentiſſimus es cultor: Teſtis liberalitas & pronus in miſericordiam animus: Bonitate placere geſtis omnibus, pates omnibus, vultu ad gravitatem & comitatem ſimul compoſito: Mitte jam alia quæ Te undiquaque ambiunt ac ornant decora, Gentem Tuam Regum adfinitate præfulgidam; Avum Britanniæ quondam non Mercurium ſolum, ſed Palladem, ceu Sapientiæ juxta ac Eloquentiæ Præſidem, Regiorumque Conſiliorum fidum internuntium: Neque Parentem Tuum hic appello, cujus probitate incoctum pectus, humanitatem incredibilem, doctrinam, in omni ferme ſcientiarum genere ſingula-

rem, indefeſſum in excolenda eruditæ antiquitatis elegantia, ac adornanda præſtantiſſima librorum ſuppellectile ſtudium certatim prædicant qui Fortunatis in inſulis Veſtris ad nos ſubinde emigrant: PATRVVM Tuum iidem affatim celebrant, legationibus ſplendidiſſimis aliunde jam clarum, ſed quem inter præcipuos hodie Regiarum curarum adminiſtros læta, & bene de ſuis rebus ominans colit ſuſpicitque Britannia, Sed non id Mercurij Compitalitij munus in hos ſe diffundere campos, Tuum erit COMES ILLVSTRISSIME, eum quanquam rudem dicendi, aut promiſcuis omnium vſibus deſtinatum, Tuo patrocinio, Tuaque benevolentia in poſterum amplecti, Vale.

Dabam Genevæ 4. Idus Ianuarij
Anni M. DC. LXXXII.

Tuæ Generoſitatis obſervantiſſimus,
Tibique ad omnia obſequia paratiſſimus

THEOPHILVS BONETVS.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM.

MERCVRII ſtatuam in compitis olim collocatam fuiſſe, re-
ctæ viæ indicem, deerrantium reductricem ab antiquis proditum eſt;
Viatorem & Medicum eadem nonnunquam ſors manet, & uterque
ſæpe in bivio anceps

ſtat, & incertus neſcit ſibi qua ſit eundum.

Duce itineris non raro opus eſt qui cui viæ inſiſtendum ſit oſtendat:
ſæpe hæc directa eſt & tamen in avia ducit: Humanæ ſcilicet mentis ea eſt imbecil-
litas ut etiam in ijs quæ oculis manifeſta ſunt caliget, nedum in obſcuro vacillet.
In Medicina tamen facienda, *inquit Galenus*, cautio adhibenda ne quid temere fiat, «
nam præter quam quod non mediocre periculum hæc res neglecta affert, magnum «
etiam dedecus parit: Neque enim lateres, lutum, ligna, *ait Idem comment. 1. aphor. 1.* «
Lapides, tegulæ, coria, artis Medicæ ſicut aliarum ſunt materia, in quibus multifa- «
riam, citra cujuſquam offenſam, licet quid poſſis experiri, & circa eam materiam «
ad theorematum meditationem & confirmationem verſari, quod in lignis fabri li- «
gnarij faciunt, in corijs coriarij: ligna enim & corium ſi male tractando labefactave- «
rint nullum inde cuiquam inde imminet periculum: In corpore autem humano «
ea tentare quæ non ſunt experientia comprobata periculo non vacat, quum teme- «
rariæ experientiæ finis ſit totius animantis internecio: Multa ergo animadvertere «
Medicum jubet *Hippocrates 2. Prorrh.* hominis mentem, & mores, & corporis vires: «
Eveniunt in his multa quæ dubios reddunt Medicos, & ubi ambiguum illis unde initium
curationis ducant: Similitudines præterea in morbis ſæpe imponunt, & errores pa-
riunt atque difficultates, docente *Hippocrate lib. 6. Epidem. 8.* ἀγαθῖαι αἱ ὁμοιότητες πλάναι
ἢ ἀπορίαι: In morborum ſcilicet curatione, ut & in totius artis cognitione, artificioſæ
conjecturæ, quibus multum innitimur, perſæpe fallunt: &, ut *ait Galenus*, multa ſæpe- «
numero ſibi fingit Ratio quæ eludit deinceps Experientia. *Hinc tantillus error præbet* «
occaſionem errandi in infinitum, inquit *Averroës*: Erroris declinandi occaſionem præbe-
re videtur *Methodus medendi*, à Via nomen ſortita, quæ ex *Indicationibus* qua iter inſti-
tuendum ſit oſtendit; Hanc tanti olim fecit *Hieron. Capivaccius*, ut ipſo judice alio du-
ce Medicus Medicinam facturus indigere non videatur: Narrant *Polonum, Apollinari lau-
rea in Patavino Lyceo* donatum, patrios lares repetiturum, ſecreta quædam remedia ab ip-
ſo poſtulaſſe, hocque reſponſum habuiſſe, *Lege meam methodum & habebis mea ſecreta*: At
quantum ipſe *Capivaccius* ſuæ methodi rigidus obſervator fuerit oſtendit ipſius praxis
Medica, aliaque opera, ubi plurimos adnotat errores experientia & uſu duce ipſi mani-
feſtos, non à Ratione revelatos: Ipſe *Galenus*, qui primus viam ſtravit, *primus methodi me-
dendi* conditor fuit, in univerſalibus Medicum ſubſiſtere vetat, ſed ad ſingularia deſcende-
re jubet: Quis enim præceptorum multifidam varietatem ſe vere indagare poſſe ſpe- «
ret citra exercitationis conſtantiam? *ait Hippocr. l. de Præception.* qui ideo Artem eſſe cen- «
ſet longam, quia à ſpecifico tantum affectu indicationes deſumendæ ſunt: Exiſtimare «
ait Galenus 3 meth. med. c. 3. communem quandam eſſe omnium hominum curationem, «
ut ſtupidiſſimi methodici putant, extremæ eſt dementiæ: Medicum opus in particula- «
ribus verſatur, & per particulares exercitationes artis cognitio ſolida comparatur: Lon «
gum ad ſcientiam vel artem iter per Præcepta, breve & efficax per Exempla, *ait Seneca.* «

Præfatio ad Lectorem.

Facile quidem cognoſci poteſt quid rhabarbarum ſit, quid καῦσις, quid τομὴ, at in praxi quemadmodum accommodare in uſum accerſenda ſint, quando purgandum, quando uſtio, quando ſectio convenit, non adeo obvium, nec tam facile intelligi poteſt Cui, Quando, Quomodo decernenda ſint, ob circumſtantiarum varietatem & mutationes „ diverſas in quas corpora incurrunt: Scire quid fieri oporteat magna res non eſt, ſed „ quibus rationibus id efficias, id vero ſcire artificium eſt, *ait Galenus lib. 6. method.* „ *med. cap.* 2.

Imo & quorundam idiocraſia varia eſt; abditum quid, quod nullis ſenſibus patet, nul„lis notis compertum ſit: quæ difficultas *Galenum* fatigans hanc illi vocem expreſſit, Si „ ego internoſcere poſſem cujuſque idioſyncraſiam, me talem eſſe putarem qualem *Aeſ-* „ *culapium*, aut *Apollinem* fuiſſe mente intelligo. Revera qui artem Medicam facere intendit methodo tantum fultus, illi ſimilis eſt qui unico chartæ Geographicæ ductu orbem terrarum peragrare contenderet, aut navigationem maritimam ad Indos ſola pyxide nautica fretus inſtituere, nullo præterea itineris indice; Multa occurrunt invia, ſylvæ, montes, ſcyllæ, charybdes, quæ properantem remorantur, & in pericula conjiciunt: Nec majores progreſſus facturus viæ duce deſtitutus quam ſi unico crure incederet; Vtroque fulcro opus eſt ſi recta pergendum; Ratione quidem, quæ in methodo, quaſi in charta Geographica, Indicationes oſtendit, & ſcopos ad quos collimandum: Prævia debet eſſe illius notitia, cujus nutu qui late ſe pandentem Medicinæ campum decurrunt, ſingula adminiſtrant, diſponunt, vagos animos per inextricabilem & confuſam rerum multitudinem in ſemitam reducunt, agendorumque occultum modum patefaciunt: Hæc ſi abſit omnis Medicina eſt incerta, fluctuans, dubia: Sine hac medicamenta ſunt inſtar gladij in manu furioſi, alias manus Dei futura ſi dextre in uſum flectantur, dicebat olim *Herophilus*: Hæc morbus impugnandus ſit necne oſtendit, Si agendum, quid, quantum, quando, ubi & quomodo; Hæc curationem variare docet pro morborum indole, cauſarum varietate, ſymptomatum ingruentium urgentia, partium afflictarum diverſitate, Imo unum eundemque affectum in diverſis individuis, & partibus obſeſſis aliter atque aliter curare docet. Vt ut vero ſit Rationem hæc & ſimilia dictare, in ſubſidium tamen advocanda eſt Experientia, ordine Naturæ prior, poſt Medicinam enim inventa eſt Ratio, non poſt Rationem Medicina, quæ ſuos natales Experientiæ debet: Rationis magna eſt dignitas, titubat tamen niſi adſit alterum crus, Experientia, ſenſuum adminiculo fulta, ſub quos quæ cadunt fallaciæ obnoxia non ſunt, nihil dubium, nihil ambi„guum relinquunt: Ratio vero in ijs neceſſaria eſt quæ illos ſubterfugiunt. Eorum præ„terea quæ contraria qualitate ſunt methodus eſt, eorum vero quæ tota ſubſtantia ſunt „ adverſa methodus non eſt, ſed omnia per experientiam ſunt inventa, *inquit Galenus lib. ad Thraſib.* Sin ab hac inventis adſtipuletur Ratio, hæc inconcuſſæ ſunt fidei: quæ ſi invicem repugnaverint, Experientiæ potius adhærendum; non cuicunque tamen: Diſcrimen enim inter πεῖραν & ἐμπειρίαν ſtatuendum; Ecquid enim vulgatius inter Medicos quoſdam, vix ſacris initiatos, quam ad propriam experientiam provocare, eamque teſtem adducere? hæc ſæpe in duobus tribuſve facta in alijs fallax eſt, nec ea pendet ab una vel altera hiſtoria, ſed à multorum exemplorum repetito actu: Qui uni vel alteri exemplo ſtat Empiricus dicatur, vel Periclitator, ſi artem experimentis non vera experientia „ exerceat: Non eſt Experientiæ fidendum, *inquit Galenus 3 aphor.* 10. quia quamvis „ idem ſæpe vidimus, non poſſumus dicere, Sic ſemper erit. Neque ex ijs quæ ſemel aut „ bis homo vidit, debet pronuntiata Medica conficere. Certa Experientia nonniſi ab erudito, periti, limato iudicij Medico, & qui ſæpius viam Medicam triverit expectanda eſt.

Seris venit uſus ab annis.

„ Experientia, *docente Galeno libro de optima ſecta*, eſt ejus quod frequenter & eodem mo„ do viſum eſt comprehenſio & memoria: Neque vero Medici, quamvis artis præcepta „ perceperint, *ait Cicero* 1. *de Offic.* quicquam laude dignum ſine uſu & exercitatione con„ ſequi poſſunt: Ad hanc vero Prudentia maxime requiritur, (*Senectutis* fere comes, *ait* „ *Idem lib. de Senect.* ut temeritas florentis ætatis) quæ ex *Ariſtotele* 1. *ad Nicomachum* 8. non tantum conſiderat id quod abſolute & univerſim bonum, ſed & id quod ſingulis, huic vel illi bonum eſt: Medicorum enim eſt non τὸ καθόλου tantum, ſed etiam τὰ καθ' ἕκαστα, non univerſale ſolum ſpectare, ſed & ſingularia.

Illud

Præfatio ad Lectorem.

Illud enim *Senecæ* perpetuo memoria verſandum, Quid fieri ſoleat, quid oporteat, in univerſum & mandari poteſt & ſcribi: tale conſilium non tantum abſentibus ſed & poſteris datur: Illud alterum, quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo ſuadebit, cum rebus ipſis dellberandum eſt.

Quo vero jure ſolius Rationis ductu incedet Ars, quę à veteribus inter στοχαστικὰς, conjecturales, repoſita eſt? quæ ſcilicet non perpetuo & ubique fine potiuntur, utut artifices periti ſint & ad amuſſim eas exerceant: Non ſicuti cæteræ artes, *ait Hippocrates lib. de Arte*, tractabilem habet rerum materiam, Medico ſubjacet corpus non uſquequaque obediens, rebelle, intractabile: Plurima incidunt quę artis eventum incertum & dubium, artemque adeo ipſam conjecturalem reddunt: Adeo, *judice Celſo l. 2. de re Medica*, in re Medica perpetuũ non eſt quod fieri debet tamẽ perpetuũ eſt id quod ſequi convenit. His in ſalebris quãdo ambulat Medicus, *Hipp.* alios in conſilium adſciſcere jubet *libro de Præcept.* Non in decore ſe ille geret Medicus qui, cum in anguſto illi videantur apud ægrũ res præſentes, maxime illi imperitia tenebras offũdente, alios inſuper accerſiri juſſerit, ut collatis amice rationibus hiſtoria ęgri recte perveſtigetur, & illi mutuã operã conferant in auxiliorum copiam; Nam in afflictionis vehementia & aſſiduitate, incrementa ducente affectu, ob conſilij inopiam, plurima ad rem præſentem commoda effugiunt: Revera inutiliter aut ſupervacue inſtitutę non ſunt Medicorũ Conſultationes, cum omni copiæ inſit inopia, *inquit Senex*, Vtut enim Medicus & eruditione & experientia ſit inſtructus. remediorum quinetiam ſylva abundet, attamen & ipſe homo eſt, decipi poteſt, errare, labi, & in ſumma ἀτοπία aliquando etiam ἀτοπίαν pati, propter ſingularium circa quæ verſatur incomprehenſibilem varietatem: Et vulgo dicimus, In opere Medico duo lumina acutius videre vno, ait *Zuvingerus commmentar.* in citatum librum. Quoniam varietas rerum quaſdam etiamnum animadverſiones deſiderat, utile eſt ſcire unemquemque quid & quando maxime caveat, *inquit eleganter Celſus.*

In Conſilium autem adhibentur aut ſocij, aut qui ſcriptis conſignarunt quæ in exercitio & praxi Medica ſingulare deprehenderunt circa privatos ægros, & offerunt nobis notitiam mediorum quibus hic vel ille ſanitatem adepti ſunt; neque ſemper ab vno morbo, verum complicatis, contrarijs vel oppoſitis, quo ipſo vniverſalia præcepta in particulari ſubjecto ad vſum trahuntur: Inter illos qui hac in arena deſudarunt eminet *Ludovicus Septalius Mediolanenſis*, qui Cautiones & Animadverſiones Medicaş edidit, in quibus, *ut ipſus inquit*, veluti mores artis & quotidiana diſciplina continentur; Tantæ præſtantię vt *Ioh. Rhodius* in Ciſta Medica *Thomæ Bartholini*, jubeat praxin Medicam initurum non modo e. s lectitare, ſed tam alienis quam proprijs obſervationibus ſenſim augere: Hoc ſtimulo percitus ante decennium Cautiones & Animadverſiones Medicas, ex *Gulielmi Ballonij* operibus erutas, eademque ſerie qua *Septalij digeſtas*, titulo *Phari Medicorum* emiſi; omnino præſenti in opere prętermiſſas quod altera editio, tertia parte auctior, & elegantioribus typis propediem prelo committenda ſit: *Septalium* quoque ipſum omiſi, necnon & laudatũ *Rhodium*, qui Analecta & Notas prętantiſſimas, ex plurimorum quoq; Medicorum penu deſumptas, lacunas in Sepralio impleturus edidit: Verbis parcus hic, ſenſu & virtute dives, breviſſimis quaſi punctis res perſtringens & per capita tantum attingens; quas fuſiori oratione dare, & cujuſmodi apud authores occurrunt conſultius duxi, ipſo fere intacto; ne librum immenſæ vtilitatis, ex eorum qui compendia quęrunt manibus excutere velle viderer; Ea huc illaturus quæ ex lectione plurimorũ authorũ congeſſi Indicis forma donavi, & alphabetica ſerie digeſſi, prętantiſſimos viros ſequutus *Ioh. Andream Schmitzium, in ſuo Medicinæ Practicæ compendio*; & *Thomam Burnet, in Theſauro Medico Practico*, non vulgatam morborum juxta partes humani corporis diſpoſitionem, quo citius Medico in conſpectum veniant quæ diſquirit. Negabunt nonnulli gratias habere opus hoc, Alij mutilum eſſe objicient; Vtrumque conceſſerim, dummodo operi ſua conſtet vtilitas, non in tyronum ſolum gratiam extructo, ſed quod eruditi ipſi forte non reſpuent: Collectanea hæc ſunt, quæ iudicium ſi non ſapiunt, ſaltem diligentiam, quam *Seneca* maximum etiam mediocris ingenij ſubſidium pronuntiavit: Vtilitate vero & novitate Opus ſe commendat, quod recentiorum Anatomicorum inventa facem methodo medendi artulerint, eamque illuſtriorem fecerint, è quorum penu non pauca huc invecta; Non exigua certé lux illi affulſit à detecta circulatione ſanguinis, ab inventis Ductu thoracico, Lymphaticis vaſis, Salivaribus &c. Adde

his Chimicorum induſtriam medicamenta & tuta, & ſalubriora & gratiora ſubmini„ ſtrantem ; Chimia liberaliſſima practicæ felicitatis diſpenſatrix, humanum genus „ multis beneficijs ornat, beat, illuſtrat, Naturæ abdita eruit, *inquit Rolfinccius Diſſertat. Chimicarum prima.* Apparatum porro hunc è plurimis institui, ſuum cuique reddens : Obſervationes nullo ſignatæ nomine è diario meo huc irrepſere : Vitio vertent nonnulli quod mutuatitia fere tantum huc intulerim, ſed ſi plurimi authores evolvantur eos aliena vitula araſſe conſtabit ; Multis diſplicent *Mercati* operoſa volumina hinc inde conſarcinata; hic quippe, obſervante *Iulio Guaſtavinio lib. 2. locor. in Med. ſelect.* multa ex *Iacotio*, *Fernelio*, *Salio*, pauciſſimis immutatis, omnia ex *Brudo Luſitano* exſcripſit : *Lazarus Riverius* praxim ſuam ex *Sennerto*, *Thoma à Veiga*, *Salio*, *Varandaeo*, *Zecchio*, *Ioh. Hartmanno*, *Enchiridio Medico Practico* & alijs conſtruxit. Symbolum porro ſimili inſtitulo contulere nonnulli, Medicorum errores indicantes, *Cardanus*, *Sanctorius*, *Lazarus à Soto*, *Mercatus*, ex quo *Augerius Ferrerius* Caſtigationum Medicorum volumen deprompſit, ſibi aſſumens : Juſtitiæ eſſe credidi ſuum cuique reddere, Neque operis inſtitutum aliter potuit abſolvi : De Librorum ſcriptoribus hoc judicium fert *Maximus* apud *Cedrenum*, *Libri*, ait, *ideo ferme ſcribuntur, ut vel propria memoria, vel aliorum commodo, aut utrique ſimul conſulatur : quandoque etiam ad lædendos alios, Vel ingenium oſtentandum, vel quod neceſſitas ita poſtulat.* Laude certe digni qui ſibi aliiſque ſtudent, & publico commodo invigilant, ſicuti temeritatis ſæpe pœnam luunt qui gloriæ inhiantes dubiæ judiciorum aleæ ſe exponunt : Omnium vero maxime de re literaria bene merentur qui quæ vſu magiſtro didicere alijs minime ſubtrahunt ſed publici juris faciunt, ſeroque vſu edocti, & quid facto opus ſit, & quid quiſque vitet, vel ſparſim operibus commiſcent, vel peculiaribus tractatibus emittunt : Non omnia poſſumus omnes, hic explicando, ille corrigendo, alius conſulendo valet. In medium proferat quiſque quod poteſt, juvet aut re, aut opera, aut conſilio ; Operam meam utut exiguam contuli, in qua nihil pompæ datum, vſui omnia, cui iſtæc apta ſi cenſueris laboris ſuſcepti me non pœnituerit. Vale.

INDEX

INDEX TITVLORVM
ET
AFFECTVVM.

Prior numerus paginam indicat, Poſteriores articulum deſignant.

LIBRI I.

ABORTUS 1. item 39.1.577.III.IV.V. 579.VII. VIII. IX. 904.XI. 643.XX. XXI.
Abceſſus. 3. 417.VI.970.lxxxII.
Abſceſſus tunicati. 635.
Achores. 725. 944.II.
Vide *Vlcera capitis manantia.*
Affectio hypochondriaca. 376.
Vide *Hypochondriaca affectio.*
Agonia. 9.
Alopecia. ibidem.
Alvi fluxus. 139. item 219.395.X24.490.
Vide *Diarrhoea.*
Ictericus. 115.
Alvus adſtricta. 10. item 847. 147. 584.1. 803 XIII. 783. 803.XIII.
Ambuſta. 127. item 175. IV. 946. XXV. 723. xl.
Amygdala. 633.
Anchilops. 8.
Aneuriſma. IX. item 743.XXXVII.
Anaſarca. 361.
Angina. 13. item 222. 133. III. 583. I. 926. XXIII. 944.II. 928.lVIII. 946.XXIII. X72.III. 255.III. 416. I.
Angor. 210.213.
Anorexia. 17. item 210. 548. 393. 557. xlv. 954. V.954.XXIV. 265.xlv. 712. VIII.
Ani affectus. 18. item 313.XIII.
Procidentia. 394.
Rhagades. 18.XI.
Anthrax Vide *Carbunculus.*
Aphonia. 19.
Aphthæ. Ibidem. item 395. 718. XVII.
Apoplexia. 20. item 395. 577. III.
Appetentia nimia. x6.
Depravata. 36 Vide *Pica.*
Dejecta, Vide *Anorexia.*
Apum punctura. 26. item 684.
Arſenicura. 171.XXX.
Articulorum dolor vagus. 207.XXXIX.
Arthritis. 20. item 222. 602. 693. 780. 782. XXVI. 907. XVIII. 931.VIII. 898.IX. 888.VIII. 785.X. XIV. 793.IV.X. 791.XVII.
Aſthma. 596. item 222. X23. 317. III. 954. XXVII.
Atheroma. 635.
Atrophia. 45, item 519. 396. 605. I.
Aurige. 387. Vide *Icterus.*
Aurium affectus. 45. item 644.
Dolor. 45.
Inflammatio. 45. item 395.
Tinnitus. 45. item 125.lXIII.
Purulentia. 45.
Surditas. 451. Vide *lib.*18.
Axillarum fœtor. 48.
Fiſtula. x98
Tumor. 635.

LIBRI II.

Balbuties. 49.
Barrachium. 440.
Brachiorum affectus. 49. item 796.XXX.
Atrophia. 143.XXVII.
Dolor. 49. item 145.VI.319.XVI.
Tumor. 49. item 797.XXXVI.
Contractio. 49.
Febris. 223.
Motus impeditus. 945.X.
Bronchocele. 51.
Bubo. 51. item 904.XI. 255.IV. 793.X.
Peſtifer. 52.
Venereus. 52. item 442.
Bubonocele. 54. item 350.390.
Vide *Hernia.*

LIBRI III.

Cachexia. 56. *item* 790. 768. xvii. 907. iv. 793. x. 816. i. 105. i. 221.
Calcis pedum dolor. 144.
Calculus renum. 57. *item* 422. 489. 427. xxi. 594. xii. 831. xviii.
Calculus veſicæ. 63. *item* 412. 425. xx. 743. xxvii.
Vrethra. 64. *item* 421.
Cancer. 69. *item* 316. i.
Canities. 73.
Capilli. ibid.
Tinctura. ibid.
Deſtuvium. ibid.
Capitis affectus in genere. 74. *item* 46. i. 88. 59. lxiv. 496 xv, 926. lxxx. 946. xxv. 794. xii. xiii. 481. xc.
Conſuſio. 92. 2. viii. 93. 3. viii. 15. xxix.
Dolor. 81. *item* 210. 160. iii. 912. xxviii. 920. lvii. 930. iii. 898. ix. 265. xliv. 929. ci. cii. 928. 96. 779. ii. 793. i. 211. iv. v.
Effractura. 92. vi.
Fiſſura. 91. vi.
Fractura. 92. 3. vii.
Depreſſio. 97. xxx.
Intemperies. 74. *item* 660. xxxii. 749. xxxiii.
Vulnera. 91. *item* 749. xxxiii. 660. xxxii.
Carbunculus. 99. *item* 255. iv. 253. ii.
Cardialgia. 101. *item* 210. 211. vi. 225.
Cardiacus morbus. 102. iv.
Cartilaginis xiphoidis depreſſio. 727.
Caruncula Vrethra. 422. 536.
Carus. 431. x.
Caſus ab alto. 942. iii.
Catalepſis. 102. *item* 431. x.
Cataphora. 616.
Catarrhus. 102. *item* 144. 225. 395. 530. 602. 838. 938. xii. 946. xxv. 554. xxviii. 756. xxix. 729. xiv. 933. 145. vi. 780. viii. 286. i. 786. viii. 785. xiv. 800. v. 793. i. ii. 946. xxv.
Suffocativus. 954. xvii.
Cephalea. 82.
Cerebri inflammatio. 396.
Apoſtema. 428.
Eryſipelas. 412. lxxxv.
Cervix inclinata. 130. ii xiv.
Cheilocace. 426.
Chemoſis. 79. xxxvii.
Chloroſis. 110. *item* 220.
Cholera. 112. *item* 194. xxvii. 730. xvii. 813. xi.
Cicuta. 684. *item* xxx.
Cinnabaris. 684.
Claudicatio. 395.
Clavi pedum. 635. *item* 79. xxxvii.
Coccygis depreſſio. 462. xi.
Cœliaca affectio. 115. *item* 692.
Colicus dolor. 115. *item* 226. 704. 390. 433. 519. 485. i. 966. xxvii. 803. 10. xiii. 793. 410. 804. xx. 804. 31. xxxvi. 802. vi. 824. xxxv. 789. 5. ix.
Colica ventriculi. 693.
Colica hyſterica. 126.
Columella. 316.
Coma. 616.
Vigil. 627.
Combuſtio. 127. *Ambuſta.*
Conceptio læſa. 619. v.
Concoctio læſa. 376. *item* 604. 692.
Condyloma. 18. v.
Contractio, Convulſio, Convulſivi motus. 129. *item* 395. 51. iv. 121. iv. 131. ii. 127. i. 950. xv.
Contuſio. 160. *item* 408. 68. 745. iii.
Capitis. 395.
Articulorum. 462.
Contractura pedum. 130. xii.
Convulſio flatulenta. 130. 17. xxviii.
Cordis affectus. 131.
Vide *Cardiaca, Alexipharmaca.* lib. 19.
Palpitatio. Vide lib. 15.
Tremor. 516. *item* 590. i.
Vermiculi. 131. ii.
Coryza. 102. *item* 80. xlii. 88. lviii.
Coſmetica. 910. iii.
Coxendicus dolor. 419.
Criſta. 18. v.
Cruditas nidoroſa. 774.
Cutis affectus. 316. *item* 947. ii.

LIBRI IV.

Deglutitio læſa. 132. *item* 612. vii.
Delirium. 133. *item* 210. 304. 228. 211. vii.
Dentium affectus. 133. *item* 717. ix.
Dolor. 133. *item* 125. iii. 930. iii. 794. xii.
Caries. 133.
Mobilitas. 133. i.
Depilatoria. 75.
Diabetes. 136. *item* 297.
Diarrhœa. 139. *item* 224. 395. 490. 151. xxv. 515. xxxiv. 194. xvii. 195. xvii. 729. xv. 983. 905. xii. 264. xliii. 147. i. 783. 210. ii. 211. iii. 219. liv. 220. lv. lvi. 227. i. 682. lxx. 982.
Dolor. 144. *item* 210. 117. 442. 773. 806. 838. 319. xvi 115. i. 475. lxxvi. 947. ii. 949. ix. 950. i. 49. iii. 903. viii.
Dolores à partu. 583.
Dracunculi. 395. *item* 402. xxx.
Dyſenteria 146. 607. *item* 210. 228. 277. lvi. 272. iii. 905. xii. 804. xxi. 846. iii. 220. lvi.
Dyſenteria hepatica. 156.
Dyſpnoea. 596.
Dyſuria. 158.

LIBRI V.

Ebrietas. 160. *item* 87. xlviii.
Ectropium. 511.
Ecchymoma. 160. *item* 945. xv.
Elephantiaſis. 426. Vide *Lepra.*
Empyema. 164.
Enterocele. 351.
Ephialtes. 394.
Epilepſia. 166. *item* 230. 546. xxiv. 966. xxvii. 898. ix. 801. 792. v.
Gravidarum. 577. iii.
Epilepſia puerilis. 395.
Epinyctides. 238.
Epiphora. 174. *item* 770. iiii. 779. ii.
Epiplobubonocele. 351.
Epulis. 310.
Eryſipelas. 174. *item* 231. 318. v. 946. xxv. 416. i. 981. xc.
Eſſere. 231.
Exanthemata. 176. *item* 269. 272. 318. xiii. 317. xii. 946. xxv. 904. xi.
Excreſcentiæ. 178. 18. vi.
Excretio purulenta. 178. *item* 733. viii.
Exoſtoſis. 511.

LIBRI VI.

Faciei rubor. 318. 21. xii. 317. xiii.
Fames nimia. 232. xxvi.
Imminuta, ibid.
Vide *Anorexia.*
Depravata. 26.
Vide *Pica.*
Faſcinatio. 395. *item* 684. 777.
Faucium affectus. 510. xiii. 222.
Inflammatio. 510.
Febris in genere. 179. *item* 774. 442. xxv. xxvi 491. viii. 588. xviii. 901. i. 774.
Putrida in genere. 182. *item* 271.
Continua putrida. 191. *item* 271. 838. 588. xx. 184. iv. 909. xvii. 842. xxv.
Intermittens in genere. 200. *item* 181. 838. 826. x.
Febrium ſymptomata. 210. *item* 373. lv. 987. cv.
Febris Alba, Amatoria. 221. *item* 110. 220.
Algida. 221.
Ampulloſa. 251.
Anginoſa. 222.
Anglica. ibidem.
Anheloſa. ibidem.
Ardens. 191. *item* 183. iii. 191. i. 915. xxxvi. 9. xvi xxx. 898. ix. 809. ix. 846. iv.
Arthritica. 222.
Aſthmatica. 223.
Anxioſa. ibidem.
Brachiali. ibidem.
Cataroſa. 224.
Capitalis. 224.
Cardiaca. ibidem.
Vide *Syncopalis.*
Catarrhalis. 225.
Colica. 226.
Colliquans. 226. *item* 220. xv.
Culicuaris. 227.
Delira. 228.
Dyſenterica. ibidem
Ephemera, 228. *item* 940. xxvii. 205. xvi.
Epiala. 229.
Epileptica. 230.
Erratica. 230. *item* 49. xi.
Eryſipelatoſa. 230.
Eſſeroſa. ibidem
Famelica. 232.
Hæmorrhagica. ibidem.
Hæmoptoica. 232.
Hectica. 232. *item* 13. xv.
Hemitritæus. 236.
Horrifica. ibidem.
Hungarica. 237.
Infantium. 395.
Lactea. 271.
Laſſitudinaria. 238.
Leipyria. ibid.
Lenta. 238. *item* 395.
Maligna. 240. *item* 834. 949. viii. 763. 12. 785. xv. 809. xvii. xviii. 794. xviii. 836. xix.
Octona. 251.
Pemphygodes. ibidem.
Peripneumonica. 251. *item* 270.
Peſtilens, Peſtis. 252. *item* 838. xcix. 100. 188. xxvi. 190. xxiiii. 950. xv. 781. xii. 793. vi. 843. xlii.
Petechialis. 269. *item* 240. 267. 250. xxxvii. 245. xxvii.
Phlegmatica. 279.
Pleuritica. 270.
Puerperarum. 271.
Pulicularis. 271.
Quartana. 273. *item* 858. xxxvi. 898. ix. 980. lxxxviii.
Quintana. 279.
Quotidiana. 279. *item* 276. xviii. xix.
Rheumatiſmi comes. 282.
Scarlatina. 283.
Semitertiana. 236.
Singultuoſa. 283
Siticuloſa. 284.
Sputatoria. 284.
Sudatoria. 284. *item* 222. 230.
Suffocans, 284.
Syncopalis. 285.
Symptomatica. 287. *item* 232. 271.
Synochus putris. 289.
Imputris. 228.
Tartarea. 290.
Tertiana. 290. *item* 181. 858. 182. v. 183. iii. 207. xxii. 203. xi.
Torminalis. 226.
Tuſſiculoſa. 297.
Verminoſa. ibid.
Vomitoria. ibid.
Vietica. ibid.

Fiſtulæ. 298. *item* 6. xvi. 7. xxvii. 18. iv. 721. xxvii. 298. vi. xvi.
  Lacrymalis, Ægylops.
Fluor muliebris. 390. *item* 957. ii.
Fluxus ſanguinis. Vide *Dyſenteria.* 145.
  Colliquativus. 142. *item* 12. xiii. xv.
  Virulentus. 142. xiv.
Fœtus mortuus. 547.
Fracturæ. 302. *item* 303. 7. xlix. xxxi.
  Cranij. 91.
  Patellæ. 302.
  Tibiæ. ibidem.
Frigus internum, Febrile. 80. xlii.
Frontis vulnera. 91.
Fulmen. 303.
Fungi. 637. *item* 635. 684.
Fungi in vulneribus cerebri. 304.
Furfures capitis. 576.
Furor. Vide *Mania.*
  Uterinus: Vide *Mania.*

LIBRI VII.

Gangræna. 305. *item* 100. xii.
Ganglion. 310. *item* 635.
Genu tumor. ibidem.
  Dolor. 144. *item* 145. vi. vii.
Gibboſitas. 310. *item* 395. 397. iii.
Gingivarum affectus. 311. *item* 601. i.
  Epulis. 311.
Glandula. 622. i.
Glans imperforata. 536.
  Vlcera. ibidem
Gonorrhœa. 300. 311. 455. lxxv. 538. xvii. xviii. 893. i. 831. xviii.
Gravedo, Coryza.
Gravidarum affectus. 577.
  Vide *Prægnantium affectus.*
Gurgulionis affectus. 316.
  Longior. ibidem
  Tumidus. ibidem
  Vlceratus. ibidem
Gutta roſacea. 492. *item* 318. ii. 319. xii. xiv. 317. xii.
Gutturis vlcus. 233. iv.

LIBRI VIII.

Habitus vitia. 317. *item* 393. 945. vi. x
Hæmoptyſis. 320. *item* 607. 232. 784. ii. 849. i.
Hæmorrhagia. 326. *item* 210. 232. 735. 849. 922. lxiv. lxv. 929. 102. 932. ii. 784 ii. 783. 849. i. 682. lxxv.
Hæmorrhoides. 335. *item* 801. 378. iv. 143. xi.
  Profluvium. 335. *item* 804. xviii.
  Tumentes. 335. 336.
  Dolentes. ibid.
  Cæcæ. ibid.
  Excreſcentes. ibid.
Hemicrania. 81. *item* 929. 101.
Hepatis affectus in genere. 34. *item* 837. 886. 439. 121.
  Atonia. 342.
  Dolor. ibid.
  Fluxus hepaticus. ibid.
  Inflammatio. ibid.
  Inflatio. ibid.
  Intemperies. ibid.
  Obſtructio. 342. Vide *Obſtructiones lib.* 13. *Aperientia, Præparantia.* l. 19. lib. 19.
  Scirrhus. 342.
  Vlcus. ibid.
  Vomica. ibid.
Hernia. 350. *item* 54. 390. 391. iii. 392. xiv. xvii.
  Varicoſa. 351.
Herpes. 318. xli. 319. xv. 317. xii.
  Hirudo degluttita. 732.
  Anum ſubiens. 28. vii.
Humeri dolor. 144.
  Arthritis. 145. iii.
Hydrargyrum. 684.
Hydrocele. 351.
Hydrocephalus. 357.
Hydrops Anaſarca. 361 *item* 56. 947. ii.
  Aſcites. 363. *item* 210. 439.
  Thoracis. 357.
  Tympanites. 374. 372. xli.
Hydrops. 940. xxi. *item* 793. x. 829. 5.
Hydrophobia. 359. *item* 316.
Hypercatharſis. 375. *item* 865. 729. xv. 883. xcvii.
Hyperſarcoſis vlceroſa. 511.
Hypochondriorum affectus. 375.
  Obſtructio. 375. *item* 489.
  Inflammatio. 704. xvii.
  Tumor. 375.
  Dolor. 125. *item* lxv. 779. ii.
Hypochondriaca affectio. 376. *item* 467. 487. iii. 858. xxxviii. 877. xlix. 475. xxxviii. 486. vii. 776. i. 785. x. 793. ix. 789. viii. 829. vi. 649. xv. 220.
Hyſterici affectus. 605. *item* 957. ii. 803. x. 803. x.

LIBRI IX.

Icterus. 387. *item* 928. 96.
  Albus. 110.
  Niger. 387.
Ileus. 390. *item* 119. xxi. 80. 3. x.
Impetigo. 393. *item* 317. 418. i.
Inappetentia. 393. Vide *Anorexia.*
Incubus. 394.
Infantium affectus. 394. *item* 538. xiii.
  Regimen. 394. *item* 752. 790.
  Ani procidentia. 399.
  Aphthæ. 399. *item* 29.
  Apoplexia. 400.
  Atrophia. 400. *item* 45.
  Aurium dolor, Inflammatio. 402.

Catar-

Catarrhus. 402.
Claudicatio. ibidem.
Convulſivi motus. ibidem.
Dentitio. 403.
Diarrhœa. 404.xlvii.
Dorſi vertebrarum quaſſatio. ibidem.
Epilepſia. ibidem.
Febres. 405.
Hernia. 406.
Hydrocephalus. 407.item 357.
Imperforati. 408.
Labiorum affectus. ibidem.
Linguæ frænum. ibidem.
Lumbrici. 413.
Maculæ, Nævi. 409. item 807.
Obſtructiones. 409.
Otis inflammatio. 411.
Pavores. ibidem.
Reſpiratio læſa. ibidem.
Scabies. ibidem.
Vide *Scabies.* lib.xvi.
Scrofulæ. 412.item 621.
Seiriaſis. 412.
Suffocati infantis ſigna. 596.
Tuſſis. 412.item lib.17.
Tibiæ varæ. 413.
Variolæ. *Vide* lib.xviii.
Ventris dolor. 413.
Tumor. ibidem
Vermes. ibidem.
Vide lib.xviii.
Vigiliæ. 414.
Vmbilici tumor Inflammatio. 415.
Vomitus. ibidem.
Inflammatio. 416. *item* 492. xi. 488. xii. 961. v. 560. iv. 931. viii.
Inguinis tumor. 6,5.
Dolor. 418.
Ischiadicus dolor. 419. *item* 18. iii. 32. xxv. 720. xxvi. 909. xviii. 145. vi. 779. xii. xiv. 793. x. xii.
Iſchoria. 422. *item* 543. 313. ix. 170. xix. 546. xxiv. 831. xviii.

LIBRI X.

Labiorum affectus. 484. xviii.
Fiſſura. 395.
Cancer, vide *Cancer.*
Tumor cruſtaceus. 395.
Labro ſulcium. 416.
Lactis abundantia. 465.
Coagulatio. 684.
Lagophthalmus. 511.
Laſſitudo. 783. *item* 246. xxxii.
Lateris dolor, *Pleuritis.*
Lepra Arabum. 426.
Græcorum. 428.
Lethargus. 430. *item* 180. ii.
Pulmonum. 540.
Leucophlegmatia. 56.
Lienis affectus. 432. *item* 639. xlvii. lxxxiii. 176. xvii. 898. ix. 967. xii.
Tumor. 349. xxxvii.
Dolor. 171. xxxiii
Lienteria. 439. *item* 115.
Linguæ affectus. 440. *item* 210.
Ardor. 440
Batrachium. 490. *item* 440.
Craſſities. ibidem
Frænum. 396.
Balbuties. 41.
Paralyſis. 440.
Tumor. ibidem
Vulnus. ibidem
Fiſſura. 19.
Lipothymia. 519.*item* 646.
Lochia ſubſiſtentia. 586.
Nimia. ibidem.
Loquela impedita. 440.
Lues Venerea. 441. *item* 73. 511. liii. vii. viii. xiii. 319. xiii. 86. xxxvii. 89. liii. 315. xxv. 129. 6. 512. xlii. 513. vi. 501. iii. 144. xviii. 930. l. 939 xvi. xvii. 898. ix. 235. ix 248. xxxv. 801. *item* 660. xxx.
Lumbago. 456. *item* 795. x.
Lumborum affectus. 456.
Dolor. 456. *item* 930. i.
Seroſa diſtenſio. 546.
Tumor. 615.
Lumbrici. 396. *item* 458. 403. xliii. 400. xxvii. 130. xii. 131. ii.
Lupia. 310. *item* 635.
Luxatio. 461. *item* 301. 414. xlviii.
Coccygis. 462.
Femoris. ibidem
Humeri. ibidem
Spinæ. ibidem
Vertebræ. 13.

LIBRI XI.

Macies 464. *item* 45. 232. 396. 748. 400. 910. xx.
Macula. 396. *item* 611.
Malacia. 26.
Mammarum affectus. 465. 7. ii.
Cancer. 736. xix. 465.
Eryſipelas. 465.
Inflammatio. 465.
Incrementum. 465.
Oedema. 465.
Scirrhus. 465.
Tumor à lacte. 635.
Strumoſus. 465.
Mandibularum agitatio. 130. xiii.
Mania. 467. *item* 546. xxiv. 898. ix. 207. xii.
Maraſmus. 232.
Mediaſtini empyema. 165. xi.
Melancholia. 469. *item* 85. 865. 938. xii. 898. ix. 980. lxxxviii. 836. xviii.
Meliceris.
Memoriæ, Mentis læſio. 476. *item* 785. xiii.
Menſes muliebres. 477. *item* 752. lxxxvii. xlix. 863. lvii.
Decolores. 478.

Fluor nimius. 479. *item* 557. 957. II. 758. XIII. 917. xlviii. 915. xxxvi.
Stillicidium. 487.
Suppreſſio. 481. *item* 57. v. 957. ix. 962. xii. 783. xiii. 220.
Meatagra. 929. *item* 102.
Meſenterij affectus. 487.
Obſtructiones. 487. *item* 221.
Dolor. 487.
Inflammatio. ibidem.
Vlcera. ibidem.
Mictio difficilis. 489.
Sanguineus. ibidem.
Mola. 489.
Morbilli. 490. *item* 668.
Morum. 511.
Muſculorum affectus. 491. *item* 375. I.
Contractio muſc. abdom. 130. xiii.
Ruptio. 491.
Inflammatio. 488. xii.

LIBRI XII.

Nævi materni. 396.
Nati affectus. 492. *item* 929. ciii. 928. xcvi.
Cancer. 492.
Coryza. 102.
Deciſus. 492.
Hæmorrhoides. ibidem.
Lichen. ibidem.
Tubercula. ibidem.
Eryſipelas Phlegmone. ibidem.
Rubor. ibidem.
Vlcus. 170. xxviii.
Narra. 485. *item* 71. xii.
Nephriticus dolor. 485. *item* 594. 1. 888. 9. 785. xv. 793. iv.
Nephritis falſa. 126.
Nervorum affectus. 486.
Punctura. ibidem. *item* 130. x.
Vulnera. ibidem.
Nigror digitorum. 318. x. 317. xii.
Noctambuli. 487. *item* 607.
Nodi calloſi. 635.
Nodus. 455. lxxiii.

LIBRI XIII.

Obeſitas. 488.
Obſtructiones. 489. *item* 396. 775. 379. x. 382. xxvii. xxxi. 383. xxxi. &c. 390. xv. 901. i. 962. xii. 485. xxiv. iii. iv. v. vii. ix. 400. xxviii. 406. liv. 437. xxvii. 888. xxxviii. 856. xxi. 854. v. 776. xii. 777. xvii. 794. xi. 232. xxii. ii. 838. vii. 664. i.
Arteriarum levium. 589.
Oculorum affectus. 495. *item* 851. 929. 103.
Ægilops. 8.
Amauroſis. 494. *item* 798. xxxiii.
Anchylops. 494.
Chemoſis. 79. xxxvii.
Dolor. 493.
Epiphora. 174.
Gutta Serena. 494.
Inflammatio. 493.
Nyctalopia. 506.
Ophthalmia. 493. lxxix. xxxvii. 104. viii. 962. xii. 931. xi. 789. ix. 793. i. 794. xii. 980. lxxviii.
Strabiſmus. 621.
Suffuſio, Cataracta. 494.
Cicatrices, Macula. ibidem.
Phlyctæna. ibidem
Procidentia. ibidem
Viſus imminutio. ibidem
Odoratus læſio. 510.
Oeſophagi obſtructio. 133. ii.
Oedema. 635. *item* 944.
Omenti tumor. 395. *item* 510.
Opium. 838.
Opiſthotonus. 130. xv.
Oris affectus. 510. xxxi. 136. xxvii. 926. lxxxii. 610. i.
Ardor. 442.
Diſtorſio. 510.
Inflammatio. 396. *item* 510.
Vlcera. 19. *item* 395. 442. 510. 399. 979. lxxxvi. e.
Orthopnæa. 596.
Vide *Reſpiratio læſa.* lib. xv.
Oſſium affectus. 511. *item* 455. lxxvii.
Cancer. ibidem
Caries. ibidem, *item* 606. iv.
Humeri dolor. 144.
Sacri. ibidem
Calcis pedum. ibidem
Genu. ibidem
Ozæna. 492.

LIBRI XIV.

Pædarthrocace. 635.
Palati excreſcentia. 178.
Prolapſus. 510.
Sinus calloſus. 615.
Palpebrarum affectus. 515. *item* 500. xlvi.
Contractura. ibidem
Ectropium. ibid.
Cordiolum. ibidem.
Lagophthalmus. 516.
Prolapſus. 515.
Pſilloſis. 516
Morum, Grando, Calculus. 515. ii
Tubercula. ibidem
Verruca. 516.
Vulnera. 515.
Palpitatio cordis. 516. *item* 779. ii.
Paralyſis. 519. *item* 106. xx. 945. xl. 785. xiii. 799. i.
Spuria. 120. xxxiii.
Lingua. 400. i.
Paraphimoſis. 536.
Paraſtatarum tumor. 551.
Pareſis. 804. xxxvi.

Paro-

Paronychia. 525. *item* 773. II.
Parotides. 526. *item* 904. XI. 247. XXXIII.
Partus. 526. *item* 957. III. 986. XCVI.
Pectoris affectus in genere. 530. *item* 752. 838. 757. VI. 946. XXII.
Ardor. 210. *item* 211. VIII.
Dolor. 534.
Sinus. 615.
Vulnera. 535.
Pediculi. 547. *item* 609. X.
Pedum affectus. 536.
Dolor. 79. XXXVII.
Fœtor. 117. XII. 783. XIII.
Sudor. 536. *item* 785. VII.
Tumor. 635. *item* 792. III.
Clavi. 79. XXXVII.
Penis affectus, 536.
Calculus. 64.
Caries. 536.
Caruncula. 422. *Idem* 536.
Flacciditas. 536.
Gangræna. 537.
Glans imperforata. 536.
Vlcera glandis. 536.
Veſicula cryſtallina. 536.
Præputii adſtrictio. 536.
Perinæi Fiſtula. 298.
Inflammatio. 422.
Peripneumonia. 540. *item* 231. 270. 540. 558. 915. XXXVI. 272. III. 783. 782. II.
Pernones. 543.
Peſtis vide *Febris Peſtilens.*
Phlegmone. 416.
Phrenitis. 543. *item* 210. 914. XXXI. 225.
Phtheiriaſis. 547.
Phthiſis. 547. *item* 210. 232. 104. XI. 940. XXV. 793. I. VI. 664. XI. XVI.
Phimoſis. 536.
Pica. 577. XXVI.
Pilorum milio. 634.
Pleuritis. 517. *item* 270. lxviii. 125. lxiii. 492. XI. 583. I. 926. lxxx. 915. XXXVI. 920. lvi. lviii. 910. XXXVI. 272. III. 776. VII. 825. III.
Podagra. 26. Vide Arthritis.
Pollutio nocturna. 311. *item* 851. X.
Polypus narium. 492.
Pneumatocele. 351.
Porrigo 576. lxxxvi. XXVIII.
Præcipitatum. 684.
Prægnantium affectus. 577. *item* 832. 865. 957. VII.
Præputii adſtrictio. 536.
Hydrocele. 536.
Pruritus. 582.
Pſilothra. 73.
Pſora. 317. I. 427. II. 793. X.
Ptiloſis. 516.
Puerperarum affectus. 582. *item* 568. xli. 522. XXIV.
Puerperia. 586.
Pulmonum affectus in genere. 794. XIII.
Inflammatio, *Peripneumonia.*
Obſtructio arteriarum. 589.
Tumens. 540. I.
Vomica. 589. 576. lxxii. 65. X. 164. XVI.
Vulnera. 535.
Ptyaliſmus. 606. 668.
Pulſus intermittens. 590.
Purulenta dejectio. 178.
Puſtulæ faciei. 48. IV. XIV.
Puſtula. 231.
Pylori tumor. 693.

LIBRI XV.

Ramex. *Hernia.*
Rabies. 316.
Rachitis. 591. *item.* 395.
Ranula. Vide *Lingua.* lib. 10.
Raucedo. 592. *item* 19. 942. I. 793. III.
Renum affectus. 593.
Calculus, *Vide.* lib. 3.
Dolor. 595.
Imbecillitas. 595.
Inflammatio. 594. 606 VI.
Intemperies calida. 594.
Nephritis, Vide *Calculus.*
Prolapſus. 595.
Vlcus. 593. 851, VI. 888. IX.
Renuntiatio. 596.
Reſpiratio læſa, 596. *item* 222. 376. 396. 385. 57. 569. xlv. 179. I.
Rhagades. 18. VI.
Rheumatiſmus. 602. *item* 282.
Rigor. 210.
Ructus. 604. II. 731. 232. XVII. xliii.
Rupta. 574. 161. VIII.
Ruptio flatulenta. 604.

LIBRI XVI.

Salacitas. 605.
Salivatio morboſa. 606. *item* 668. 672. XXII.
Sanguinis fluor. 607. 146.
Sanguinis ſputum. *Hæmoptyſis.* 607.
Sarcocele. 351.
Sarcoma. 635.
Scabies. 607. *item* 627. 396. 319. XIII. 318. VIII. 898. VIII. 907. XII. 791. IV.
Venerea. 116. lxix.
Scirrhus. 69. 635. 455. lxxiii.
Scorbutus. 609. *item* 327. 485. 596. 727. 49. I. 388. VI. 144. XVII. 612. XXXV. 486. VII. 776. X. 829. VI.
Scorpio. 654.
Scrofulæ. 621. *item* 412.
Scroti gangræna. 611.
Tumor. 635.
Secundinæ ſubſiſtentes. 586.
Singultus. 612. *item* 210. XII. IX.
Sitis. 613. *item* 210. 211. X. XI.
Sinus. 615. VII. XXVIII.
Somnus p. n. Sopor. 616. *item* 210. 22. IV. 950. XV. 246. XXXII.
Somnambuli. 617. *item* 487.
Spaſmus. 129.
Sphacelus. 305.
Spina ventoſa. 513. VIII.

Sputio ſalſuginoſa. 618
Steatoma. 635.
Sterilitas. 618. *item* 790. 911. xxiv. 798. xlii.
Sternutatio. 621. *item* 169. xv.
Strabiſmus. 621.
Strangulatio. 385. lvi.
Stranguria. 621.
Strumæ. 621. *item* 412.
Stupor. 625. *item* 987. 105.
Sudamina. 231.
Sudor nimius. 626. *item* 210.
Pedum. 536.
Suffocatio. 637. *item* 376. 385. lvi.
Suffocatio Hyſtericæ. 639. *item* 577. iii.
Surditas. 644. *item* 45. 933. vi
Syncope. 616. *item* 225. 912. xxix. 529. xiv

LIBRI XVII.

Tabes. Vide *Phthiſis.*
Aſthmatica. 548. 554. xxxiii.
Pectorea. 591.
Coxaria. 720. xxvi.
Talpa. 635. *item* 455. lxxiii.
Tendinis punctura. 130. x.
Teneſmus. 631.
Terror. 632.
Teſtium affectus. 632. *item* 351.
Abſceſſus. 632.
Cancer. 632.
Occultus. 632.
Inflammatio. 632.
Vlcus. 632.
Tetanus. 129. iv. vii. 130. xv.
Teſtudo. 635.
Thoracis affectus. 530.
Vide *Pectus.* lib. 14.
Fiſtula. 298.
Tibia tumor. 635.
Tinea. 725.
Tonſillarum affectus. 633.
Induratio. 633.
Inflammatio. 510.
Tumor. 633.
Tophi. 442.
Tremor. 634.
Trichiaſis. 634.
Tubercula. 635.
Pulmonum. 589.
Tumores p. n. 635. *item* 7. xxv. 8. xxxv. 943. 945. viii. 946. xxvi. 794. xii.
Tuſſis. 662. *item* 210. 297. 396. 490. 942. i. 490. 225. 682. lxxii.
Convulſiva. 412. lxxxviii.

LIBRI XVIII.

Vari. 317. 318. vi.
Varices. 666.
Varicoſa Hernia. 351.
Variolæ. 668. *item* 49. xxvii. 959. xiii. 898. ix. 272. iii.
Venena. 684. *item* 597. 171. xxx. 728. xi. 793. ix. 841. xxiii. 253. ii. 155. vi. 911. xxiv. 265. xxviii.
Venereæ lues. 441.
Vide Lues Ven. lib. 10.
Ventriculi affectus. 692. *item* 210. 838. 598. xvi. 754. iv. 811. i. 211. xii.
Ardor. 697. *item* 181. x.
Adſtrictio. 692.
Colica. 693.
Concoctio læſa. 383. xxxvi. 534. 774.
Dolor. 143. xxv.
Intemperies. 592.
Hectica. 693.
Inflatio. 692.
Laxitas. 729. xiv.
Inflammatio. 692. *item* 405. liii.
Palpitatio. 692.
Ventris dolor. 704. *item* 155. l.
Vide colica. lib. 3.
Tumor. 396. *item* 413. xcii.
Venus languida. 605. *item* 777.
Verbera. 705.
Vermes. 458. *item* 396. 247. 395. 519. 590. 637. 662. 133. ii. 171. xxxiv. 570. xlviii. 590. 2. 682. lxx.
Verrucæ. 705. *item* 511.
Vertebra luxatio. xiii.
Vertigo. 474. xxvi. 779. ii.
Vertigo. 706. *item* 87. 45. xlviii. 491. i. xxxi. 929. 103. 933. ii. 898. ix.
Veſicula glandis cryſtallina. 536.
Veſicæ affectus. 709.
Dolor. 126. *item* 793. x.
Calculus. 603.
Inflammatio. 709. *item* 422. xv. vi.
Tumor. 423. vii. 12.
Vlcera. 709. *item* 595. xix. xx.
Veternus. 430.
Vigiliæ p. n. 710. *item* 210. 396. 773. xxxvii. 76. x. 841. xxii. 265. xliv. 774. xvii. 809. xix. 842. xxiv. xxv.
Vlcera. 713. *item* 298. 6. xvi. 20. ii. 7. xxviii. 2212. 322. xi. 154. xliv. 958. v. 950. xv. 898. ix. 770. vii. 797. xxiv. 795. xx. 666.
Capitis manantia. 725. *item* 985. xxxviii.
Cancroſum. 9. v. 316. i.
Gingivarum. 310.
Glandularum. 713.
Maxillæ. ibid.
Manus. ibid.
Menti. ibid.
Naſi. 170. xxviii.
Pedum. 713.
Digiti pedis. 713. *item* 606. 5.
Subcutaneum. 161. x.
Tibiarum. 721.
Vmbilici tumor. 396.
Inflammatio. 396.
Abſceſſus. ibid.
Vnguium vitia. 726.
Volatica. 727.
Volvulus. 390. Vide *Ileus.*
Vomitus. 727. *item* 200. 297. 396. 557. 75. v. 76. xiv. 582. xxix. xxx. 802. xcvii. 250. 212. xiv. 623. vi.
Vomitus ſanguinis. Puris. 732. *item* 113. vii.
Vrethra calculus. Vide *Penis* lib. 14.

Vrina

Index Titulorum.

Vrina ardor. 621. *item* 949. vii.
Incontinentia. 733. *item* 486. xxvi.
Profluvium. 136. *item* 297.
Rubra. 701. lxi.
Suppreſſio. 725. *item* 422.
Vteri affectus. 734. *item* 88. 57. lx. 126. 804. xvi. 618. i.
Abſceſſus. 734.
Cancer. 734.
Fluor uterinus. 479.
Fungus. 734.
Hydrops falſus. ibid.
Inflammatio. ibid.
Inflatio. 734. *item* 957. iv.
Furor uterinus. 304.
Obſtructiones. 664. xi.
Procidentia. 734.
Scirrhus. 734.
Vulnera. 738. *item* 895. vi.
Abdominis. 738. *item* 735. 536. viii.
Articulorum. 738.
Brachii. 738.
Capitis. 91. *item* 738.
Vide *cap. vulnera.*
Colli. 738.
Contuſum. 161. ix.
Manuum. 738.
Pectoris. 738.
Pedum. 738.
Sclopetorum. 744.
Tendinum. 738.
Vulnerum hæmorrhagia. 749. xxxii
Vivo an mortuo ſint inflicta. 566.
Vulvæ abſceſſus in alis. 734.
Caro ſpongioſa adnata. ibidem.
Criſta. 18. v.
Tuber ingens. 734.
Verruca. 734.
Vvula. 316.
Inflammatio. 795. xiv.

INDEX LIBRI XIX.

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigat. Obſervat.

In Præſidiis Medicis.

ABſorbentia. 276. x. xi.
Acidulæ. 752. *item* 56. iii. 33. 20. xxviii. 318. xi. 381. xxv. xxvi. 390. xv. 107. 30. 110. 49. 114. xviii. 118. xxv. 429. ix. x. 324. xxxii. 115. lxvi. 595. xvi. 150. xiv. 368. xiv. 488. xiii. 580. xx. 474. xxvi. 625. xxii.
Adſtringentia. 756. *item* 151. 18.
Alexipharmaca. 758. *item* 244. xx. 684. xii. &c.
Alterantia 797. *item* 946. xviii. 234. ix.
Anodyna. 773. *item* 912. xxviii. 781. iii.
Aperientia. 775. *item* 492. x. 372. xli. 490.
Apophlegmatiſantia. 78. *item* 27. xxxi. 81. xvi.
Vide *Caputpurgia.*
Aphrodiſiaca. 777. *item* 881. xlviii. xlix.
Arteriotomia. 778. *item* 74. iii. 83. iv. v. 544. v. 194. xv. 475. xxxi. 708. vi.
Attenuantia. 776. ix.
Arthritica. 780. xx.
Balnea. 782. *item* 141. xvii. 228. i. 38. xliii. 87. xlviii. 78. xxxiv. 384. xl. 235. xxi. 392. xix. 321. x. 109. xl. 120. xxxiii. 431. viii. 313. xiv. xvi. 485. xxiv. 428. x. 500. iv. 151. xv. 495. v. 576. xxi. 580. xviii. 188. xxix. 524. xxix. 48. xxiii. 576. ii. 234. x. xi.
Caputpurgia. 786.
Cardiaca. 758. 787. *item* 195. xxi. 214. xxxi.
Carminantia. 788. *item* 801. 379. xiii. 122. xlviii. 664. xviii.
Cauteria. 789. *item* 84. xviii. xix. 86. 36. ix. vii. 77. xxii. xxiii. 84. 86. xxxvi. 9. vii. 100. vii. 104. x. 105. xi. xii. xiii. 439. xxxvii. 502. lvi. 368. xvi. 468. ix. 717. ix.
Cephalica. 799. *item* 497. xvii. 496. xv.
Chalybs. 492. x. 777. xxiv. 148. vi. 491. iv.
Chirurgia infuſoria. 800. *item* 349. xxxviii. 468. ii.
Clyſteres. 801. *item* 59. viii, x. 87. xxxiii. 117. xiv. 118. xxii. 119. xxvii. xxix. 120. xxxviii. 121. xliv. 195. xix. 153. xxxvi. xxxvii. xxxviii. 579. xii.
Coſmetica. 806.
Cucurbitulæ. 806. *item* 45. i. 75. iv. 379. xiii. 117. xiii. 118. xviii. 544. vi. 188. xxv. 240. vi. 679. li.
Diæta ægrotorum in genere. 809. *item* 967. xxxvi. 276. xvi. 110. l. 108. xxxiv. xxxv. 109. xli. 570. xliv. 448. xxxi. xxxii. 580. xvi. xvii. 181. i. 2. xiii. xiv. 620. x. 175. l. 219. li. &c. 218. xlv. 224. 979. lxxxvi.
Diæta Febricitantium in genere. 818.
Diaphoretica. 815. *item* 758.
Diuretica. 826. *item* 775. 61. xxix. xxv. xxvi. 423. viii. 125. lix. 447. xxvi. 783. 473. xvii.
Emmenagoga. 832.
Vide *lib* xi. *Menſium ſuppreſſio.*
Emollientia. 945. xii.
Epomphalia. 148. iv.
Errhina. 786. *item* 108. xxxiii.
Flatus diſcutientia. 833.
Vide *Carminantia.*
Fotus. 945. x.
Fonticuli. 789. *item* 109. xliv. xlv. xlvi. xlvii. xlviii.
Frictiones. 833. *item* 106. xxiii. 169. xiii. 663. vii.
Gargariſmi. 523. xxiv.
Glandes. 134.
Grumos ſolventia. 834.
Hæmorrhoides aperientia. 834. *item* 474. xxvii.
Hepatica. 837.
Vide lib. 6. Hepatis Aff.
Hirudinum admotio. 435. *item* xii. 834. 474. xxvii.
Hypnotica. 838.
Vide *Narcotica.*
Inuſtiones. 114. *item* xvi. 404. l. 399. xviii. 165. xxiv. 405. l. 166. xxviii. 134. iii. iv.
Lac, Lactis ſerum. 845. *item* 382. xxviii. 383. xxxxiii. xxxix. 60. xviii. xix. 68. xxvi. 110. 48. 456. xix. 553. xxvi. xxvii. 233. vii. 595. xvii. 148. vii. 141. ix. 234. xiii. 474. xxvii. 148. vii. 614. iv. 227. i.
Lenientia. 847. *item* x. 595. xviii.
Ligaturæ. 849. *item* 546. xxi.
Lotiones. 80. xliv. 78. xxxiv.
Maſticatoria. 108. xxxiii.
Vide ſupra. Caputpurgia.
Narcotica. 773. *item* 838. 75. viii. 322. xix. 118. xxvi. 119. xxvii. 120. xxxi. 121. xlvi. 122. xlix. 124. 123. 125. lviii. 127. 546. xx. 150 xv. 124. v. 215. xxxi. xxxii. xxxiii. 141. x. 181. x.
Nephritica. 850.
Nervina. 781. ii. iii.
Ophthalmica, 851. *item* 493.
Præcipitantia. 774. *item* 771.
Præparantia Humores. 851. *item* 377. iii. 767. 775. 489. 87. xliv. 374. x. 788. ii. 789. v. 117. x. 195. xxi. 196. xxvi. 488. iv. 204. xv. 153. xiv. 572. xli. 474. xxviii. 471. ix. 229. viii. 973. lxv.

Ptarmica

Piarmica. 787. *item* 78. 27. xxxi. 169. xv.
Purgatio. 864. *item* 86. xli. 378. viii. 38. xvii. 76. i. xvi. 318. xiii. 99. 3. 103. iii. 398. xii. xiii. 121. xlv. 156. 583. ii. 952. viii 623. iii. 214. xxxi. 715. iii.
Purgxnua. 886. *item* 378. viii. 121. xliv. 149. viii. 152. xvviii. 136. 367. x. 449. xxxvii. 450. xxxvii. 472. vii. 471. v. 486. iv. 491. v.
Reſolventia. 945. xii. *item* 776. vii.
Salivantia. 897. *item* 86. xxxv. 393. 125. lxii. 413. lvi. 522. xxi. 33. xxix.
Sanguinis millio. 900. *item* 85. xxv. 319. xv. 50. ii. iii. 49. ii. 57. vii. 76. xi. 77. x. 319. vi. 82. i. 83. iii. 255. iii. 269. i. 273. i. 275. xiii. xiv. 389. x. 99. ii. 114. ix. 122. xvi. 402. xxxvii. 406. liii. 128. i. 129. vii. 541. viii. 544. ii. iii. iv. 543. i. 561. viii. 488. vii. 417. vi. 155. liii. 495. viii. 136. xxvii. 365. v. 445. i. 180. iv. 670. vi. 661. xliii. 777. ii. 640. i. 191. i. 189. xxxiii. xxxiv. 152. ii. 193. vii. 194. xiii. 954. xxvi. 949. x. 457. i. 147. i. 491. viii. 252. 247. xxxiv. 208. xxxi. 606. vi. 209. xxxiv. 210. ii. 482. iii. iv. 212. xviii. 632 710. iv. 229. xvi.
Scarificatio. 255. iv. *item* 316. iii.
Serum Lactis. 845. *item* 107. xxviii. 138. xviii.
Setaceum. 373. liv. *item* 745. iv. 174. v.
Sinapiſmi. 432. xiv. *item* 949. xi.
Splenetica. 932.
Stomachica. 934.
Vide lib. 18. Ventriculi affectus.
Stomatica. 511. ii.
Vide lib. 13. *Oris affectus.*
Sternutatoria. 787.
Vide Ptarmica.
Stillicidium. 933. *item* 107. xxix.
Sudorifica. 935. *item* 87. xlv. 77. xvii. 80. xlii. 267. xlvi. 107. xxviii. 121. xliii. 284. xv. 449. xxxvii. 363. viii. 447. xxvi. 938. xii. 522. xx. 215. xxiii. 973. lxv.
Suffitus. 106. xxv. *item* 401. xxiv. 430. iii.
Tabaci. 81. xlii.
Suppdikoiia. 119. xxix.
Suppurantia. 942.
Therma. Vide *Balnea.* 77. xix. *item* 80. 43. 107. xxx. 429. vii. 430. xiv. 533. xxii. 520. x.
Thoracica. 942.
Vide Pectus. lib. 14.
Topica. 854. viii. 376. v. 946. xi. 945. 14. xvi. 246. xviii. 711. ii.
Vesicatoria. 947. *item* 100. x. 109. xlviii. 244. xvii. 243. xvii. 245. xxvi.
Vomitoria. 950. *item* 86. xlii. 176. xvi. 38. xvii. 274. vii. 389. vii. 121. xli. 195. xviii. 213. xiv. 187. xvi. 246. xxxii. 214. xxxi.
Vaporarium. 384.

LIBER XX.

DE MVNERE MEDICI. P. 962 &c.

ERRATA GRAVIORA.

Pagina	51.	Articul.	I.	Lege	*caro hebes*
			III.	adde	*adacturum minatur.*
	64.		I.		*medicamentis atteri.*
			Ibidem.		*ex cepa alba.*
	86.		XXXV.		*ἀνακάθαρσις.*
			XXXVI.		*Vidi curatam cephalaeam.*
	93.		IX.		*comprobavi , Illi.*
	96.		XXVI.		*ſine raſura ſanat.*
	112.		II.		*aſtuantem.*
	119.		XXVI.		*addenſatis.*
	120.		XXXIV.		*aquea materia.*
	123.		XLIX.		*pauciſſima iſta.*
	125.		LXVI.		*inſinuantes alias.*
	127.		II.		*à qua ſumit originem , curatione pendet*
			Ibidem.		*pone aures & temporibus.*
	129.		IX.		*tota cervix.*
	131.		XVIII.		*adſcripſere flatus.*
	133.		IV.		*oris moleſtiam.*
	140.		IV.		*allatus §. 2.*
	146.		XII.		*diacalcith.*
					pingued. humana.
	148.		VII.		*hac vel illa morbi.*
	149.		VII.		*ait Tomo 1.*
	165.		VII.		*ſinus nennihil.*
	248.		XXXV.		*reficiunt enim corpus.*
	251.				*Febris octona , morbum mariti,*
	217.		XLIV.		*qua abſtergunt adhibentur.*
	227.		I.		*immerito ad libitum.*

INDICIS

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum & Obſervationum Practicarum.

LIBER PRIMVS.

De Affectibus à litera A incipientibus.

ABORTVS.

SYLLOGE.

Non debet excitari ad morbos gravidarum curandos. 1.
Sanguinis ſimplex excluſio ab eo qui dignoſcatur. 2.
Cauſarum diſtinctio juxta tempora geſtationis fœtus. 3.
Symptomata illum conſequi ſolita Medici providentiam requirant. 4.
Per crebream Sanguinis miſſionem *præcautio.* 5. 6.
Saphenæ *ſectione aliquando præcavetur.* 7.
Fonticuli *ad præſervationem an conducant.* 8.
Emplaſtra *admota diutius non detinenda.* 9.
Quando adſtringentibus, *quando* laxantibus *locus.* 10.
Inſtans non ſemper accelerandus, exemplo revocati. 11
Vbi imminet calida adſtringentibus addantur. 12.
Adſtringentia aliquando lurabis tantum admovenda. 13.
Inferius admota tutiora quam aſſumpta. 14
Vino abſtinendum. 15.

I. GRAVIDAS multis gravibúſque obnoxias eſſe affectibus, chronicis acutiſque, quotidiana demonſtrat obſervatio, qui ratione graviditatis periculoſiores redduntur, & curatu difficiliores, maximè acuti, ut febres, pleuritides. Mulierem gravidam aliquo acuto morbo corripi lethale eſt *Aphor.* 30. *lib.* 5. duplexque [illegible] ex *Gale*[illegible] periculum, unum a febre fœtum int[illegible]ente, alterum ex tenui diætæ, quæ morbis acutis competit, ſed nocet gravidis, tum ob neceſſitatem majorum remediorum, venæ ſectionis & purgationis. Sed quidam temerarii, ſi periculum nutritum timent, abortus provocationem conſulunt, Eſt autem *Abortus* naturali partu magis doloroſus & periculoſus, ob violentam divulſionem præcocis illius fœtus unde plurimæ pereunt, quædam evadunt, ſed non abſque gravibus ſymptomatis: majúſque periculum eſt ſi fœtus grandior, ut ſeptimeſtris, octimeſtris, aut mulier ipſa languida, debilis, ut ſi morbis acutis periculoſis conflictetur: Ipſa mulier alias ſana nunquam ſine periculo abortit: quædam quoque ſunt tam pertinaciter fœtum retinentes, ut nullis vexatæ remediis potuerint fœtum excutere: Propterea pernitioſum eſt conſilium eorum qui in morbis acutis abortus provocationem ſuadent, 1. in multis id facile non eſt: 2. nonniſi remediis periculoſis & frequenter repetitis fieri poteſt, qui morbos acutos exacerbant pejoréſque reddunt. 3. Nec id tutum eſt, cum abortus ipſe ſit periculoſus & lethalis affectus, ut oſtendit experientia; nam aphoriſmo ſuperius laudato, gravidas acuto morbo corripi lethale eſſe dicit *Hippocrates*, ob febrem, ob tenuem victum, & periculum abortus: afflictionem autem addere afflictæ malum: ſæpe interempto ejuſmodi remediis fœtu mater perit. 4. Ipſe partus naturalis ſæpiſſime multos morbos non levat, multo minus abortus ullum morbum, præſertim acutum, curabit, potius augebit; niſi fœtus jam mortuus ſit, qui neceſſario debet excludi. Non tamen ab auxiliis neceſſariis abſtinendum, ut phlebotomia & catharſi, quæ ſæpe abortum præcavent; qui ſi interdum ſequatur, non remediorum probe adminiſtratorum culpa eſt, ſed aut morbi acuties, omnibus remediis ſuperior, aut matris fœtúſve debilitas & mors. Hippocrates in ſuo juramento, pollicetur ſe nulli fœminæ medicamentum *φθόριον* daturum: Medici eſt non perdere ſed conſervare quantum fieri poteſt. *Primiroſius de vulgi Erroribus lib.* 4. *cap.* 53.

II. Oportet Obſtetrices eſſe diligentes, nam interdum contingit ut fœmina utero gerens expellat per uterum ſanguinem copioſum, & imprudentes Obſtetrices imaginantur fœminam commiſiſſe abortum, quod tamen falſum eſt, non enim factus eſt tunc abortus ſed imminet, dum imminet prohibere oportet, quod fit adſtringentibus, ſi autem factus eſt laxantibus occurrendum, Quare Obſtetrices diligenter intueri debent materiam quæ egreditur, an ſit ſanguis, an caro, an genitura, an fœtus: quia dum

ſit abortio cum aqua, facile conſpiciunt an ſit fœtus abortus necne. *Capivaccius Pract. lib. 4. c. 8.*

III. Notanda eſt ſententia *Serapionis*, Vult is ſi 1. aut 2. menſe fiat abortus, fieri a flatu divellente, aut præpoſtera matris agitatione, tenues fibras dirumpente. Si fiat mediis menſibus, cauſam eſſe mucores & humores acetabula uteri laxantes, In poſtremis utplurimum fieri ab inopia alimenti, aut uteri anguſtia.

IV. Uxor N. Abortum paſſa eſt, quo ſecundinas primum cum multo ſanguine excrevit, unde ſumma virium imbecillitas; ſedato profluvio die ſequenti fœtum exclusit IV. menſium, poſtea convaleſcere viſa eſt & mediocriter purgabatur, attamen fœtor inſignis & cadaveroſus apparebat in iis quæ purgabantur. Die 7. febre intenſa correpta eſt, & placentam carneam (jecur uterinum) excrevit, admodum fœtentem, atro ſanguine plenam, unde poſtea ſenſim convaluit. *Domina N.* cum gravida eſſet à quatuor menſibus, abortum paſſa eſt, & fœtum cum membranis excluſit, unde libera credebatur: attamen febre intenſa poſtmodum laborabat, cum horrore frequenti & animi defectibus; tum purgamenta fœtidiſſima cum thrombis & caruncúlis excernebat, die 7. placentam illam excrevit, eamque fœtidiſſimam, unde melius habere cœpit, ac ſenſim convaluit.

Hæ duæ hiſtoriæ docent purgamenta uteri, fœtorem cadaveroſum referentia, utplurimum ſignificare aliquam ſecundinarum portionem in utero reſtitiſſe. *Riverius cent. 1. Obſ. 61.*

V. Mulier tres Abortus conſequentes variis geſtationis temporibus paſſa, Iam à duobus menſibus gravida, patiebatur dolores circa umbilicum & lumbos, abortum minantes. Ab admotis duobus empl. lumbis & umbilico, ex maſſa empl. pro fracturis & diſlocationibus, melius habuit ad tempus, ſed poſt dolores reverſi: Vocatus ego, advertens mulierem juvenem & ſanguineam, venam ſecari jubeo, unde intra paucas horas à doloribus & metu abortus liberata, ſanguis erat valde ſeroſus: ad præcautionem do rhei pulver. ℥j. cum juſculo, iterandam ſemel in ſeptimana per menſem: Symptomata illa acceſſerant eo prorſus tempore quo menſtrua pati conſueverat extra graviditatem. Tertio deinde graviditatis menſe eadem ſymptomata redierunt, & V.S. ſtatim liberata eſt, IV. itidem V. VI. VII. & VIII. iiſdem ſymptomatibus periodice recurrentibus iterata eſt venæ ſectio, & ſtatim liberabatur: ultima venæ ſectio celebrata fuit octo diebus ante initium noni menſis, cum eodem fructu, & in fine noni peperit filium bene habitum atque vitalem, ſed pallidiuſculum. *Idem centur. 2. Obſ. 53.*

VI. Non utique quaque Hipp. verum quod ſcribit Abortire mulierem gravidam ſanguine miſſo, niſi forte id intelligat de ἐλιγαίμοιν aut imbecillioribus. Multæ plethoricæ frequenter abortiebant quæ à vena ſecta fœtum ad nonum uſque menſem fœliciter retinuerunt. Ejuſmodi mulieribus ſuperfluus ſanguis ſi non demitur, vel ſequitur abortus, [illegible] à ſanguinis ubertate vaſorum oſculis, vel fœtus præ nimia mole [illegible] in lucem prodit, his repetita ſang. miſſio confert a ſecundo menſe, vel potius à 4. ad 7. Idem. Conſultare circa ea quæ ac[illegible]unt inprimis oportet, & tanquam in talorum jactu, prout cecidit, quomodocunque ratione [illegible] habere [illegible], negotia diſpenere jubet *Plato* [illegible] Repub. [illegible] cum remedium aliquando non prohibit, ad alterum ſtatis indi optimum erit conſilium. Cum prægnantem mulierem quinto menſe viſitarem Abortui proximam, quæ quinquies prægnans abortum ſemper paſſa fuerat, conſiderando primo quod nihil juvarent remedia adſtringentia, tum interna, tum topica, alias ab aliis medicis adminiſtrata, ſecundo, quod ſanguis maxime redundaret, ſecta fuit vena cubiti, non ſaphena, ne fieret Abortus, & tunc, nono menſe peperit filium vivum & vitalem. *D. Panarolus Pentec. 1. Obſer. 5.*

VII. In gravidis ad Abortus præcautionem V.S. ex uſu eſſe novum non eſt, at in partibus inferioribus celebrari noviſſimum eſt: Fœminæ binæ robuſtæ, cum per totum geſtationis tempus menſtruas purgationes paterentur, fœtum uſque ad maturum tempus reſervabant, ſed cum purgatio in alia graviditate deficeret, abortum fecere, Quæſita ſcaturigo mali, quæ in ſanguine menſtruo ſuppreſſo, copia fœtum obruente, ac uteri vaſorum uteri oſcula aperiente, & naturam ſtimulaſſe ut ante tempus fœtum expelleret: Illis iterum gravidis factis, ſuppreſsâ menſtruâ purgatione, ſangnis miſſus è cubito, abortus tamen 5. & 6. menſe contigit: Anova conceptione me vocant, à 2. menſe ad 5. ſingulis menſibus è talo ſanguinem exhaurio: ſic dempta particulari plenitudine uteri, vel copiâ ſanguinis, ad eum fluentis, ad originem fluxionis revocata, feliciter nono menſe ter pepererunt. *Zacutus Pr. Adm. l. 2. obſ. 160.* Vide *Epiphanium Ferdinandum* hiſt. 13. ubi exempla adducuntur.

VIII. Abortum ex vitioſis humoribus ad uterum à toto corpore confluentibus, pravâ qualitate aut copia fœtum necantibus, aut acetabula relaxantibus, frequenter concitari notum eſt. Quædam fœtum trimeſtrem, ſeptimeſtrem, lacerum tamen, & omni putrilagine infectum, multoties enixa, celebratis validiſſimis auxiliis, nullo alio præſidio quam cauterio excitato in brachio aut crure feliciter pepererunt: hoc ad fluxionis originem exerce: hujus ope, ante conceptionem adaperti, fœtus ſanos legitimo tempore pepererunt. *Idem ibid. obſ. 159.*

XI. Circa Emplaſtra admoveri ſolita hoc animadvertendum, ea non diu eſſe geſtanda, ſed per intervalla removenda: alias diutiùs lumbis hærentia calorem renibus imprimunt, ut hinc dyſuria & urinæ ardor exoriatur, vel calculorum, arenularum, aut interdum ſanguinis mictus ſequatur. *Riverius Pract. lib. 15. c. 17.*

X. Si jactu fiat excluſio, imprimis animadvertere oportet an actu excludatur fœtus, an vero ne intempeſtive excutiatur metus ſit; Dum enim actu excluditur, cum *Avicenna* abſtinendū ab adſtringentibus, & oportet uti laxantibus, ne, quod fieri non raro ſolet, relinquantur in utero membranæ, vel excrementa prava tempore puerperii, unde ſi adſtrin[illegible] utemur, peribit ſine dubio fœmina: ob id [illegible] improbat adſtringentia, proponit ſuffumigium ex bdellio, hyſſopo, origano & ſinapi, unde & [illegible]cluditur fœtus, & excrementa expurgantur feliciſſime. Si fœtus non ſit mortuus, neque tamen excludatur, ſed immineat abortus, & fœtus regrediatur, tunc eſt ſaluberrimum uti adſtringentibus, quo[illegible] bene [illegible] efficitur ut mulier non abortiat, ſed [illegible] conſervet. *Capivaccius lib. 4. cap. 8. Heur[illegible] m.m. cap. 7.*

[illegible] Mulier x[illegible]j. hebdomade impregnationis, cereviſiæ coctura abſtens, ſimulque plenior[illegible] imprudentia [illegible], abortum [illegible] fecit, ruptis membranis & exitu [illegible] molientе: Toſte Empiricus præſens, huic [illegible]o incurrere ſatagens, juſſit ſine mora manu [illegible]tate reponendum fœtum: capite igitur gravidæ declivi, elatiſque cruribus, obſtetrix ſubtili manuum opera embryonem prodidurum intruſit,

truſit, ſtatimque, peractâ operatione, in lecto compoſuit matrem, ut fœtus repoſitus ſolitum locum repeteret, fluxere tamen lochia ad tertium diem: Ad membranæ ruptæ generationem ſuaſit idem congreſſum cum marito: hinc retentus fœtus juſto tempore deinde fuit excluſus, adhuc ſuperſtes. *Thomas Bartholinus Centur. 4. hiſtor. 57.*

XII. In ingravidatis, ubi non ita præceps periculum adeſt, emplaſtra ſtringentia ventri admoveri non debent, ne paſſionem uteri intercipiant, ſed lumbis & oſſi ſacro apponantur. *Heurnius, l. 1.*

XIII. Cautio ſit ut ſtringentibus & roborantibus remiſceas calida quædam, ne uterus enervetur; junge maſtichen, mentham, abſynthium. *Idem.*

XIV. Obſervabile tutiora eſſe ea remedia quę inferius admoventur quam ea quæ per os ſumuntur, maxime ſi adſit febris putrida, hæc enim uſu adſtringentium increſcet. *Idem.*

XV. Vinum nam bibendum, pellit enim fœtum. *Hartmannus Pr. Chymiat.*

ABSCESSUS.

SYLLOGE.

Apertio quando naturæ committenda, vel arte paranda. 1. a.
Interni curatio. ſi in ulcus abierit. 1. b.
An perfecta ſuppuratio expectanda ante apertionem. 2.
In partibus nervoſis ferro an cauſtico aperiendus. 3.
Puris vix exeuntis extractio. 4.
Pus ſimul totum non educendum. 5.
Abſceſſus quando ſcalpello, quando cauſtico potentiali aperiendus. 6. 10.
Simplex ſectio non ſemper ſufficit. 7.
Aperitionis neceſſitatis demonſtratio. 8.
Sectio interdum ampla facienda. 9.
An cauſticis aperiendus. 10.
Apertio non eo uſque differenda donec faſtigietur tumor. 12.
Expectata ſpontanea apertionis damna. 13.
Reſolutione interdum pus abſumitur. 15.
In articulis mature aperiendus. 17.
Fibrarum ſitus notandus in apertione. 18.
Nervoſa corporis ut non obſtruenda. 19.
Cavendum ne nudati nervi refrigerentur. 22.
Abſceſſus non premendus ad exitum faciliorem puris, ſi proximum exitui. 23.
Ventres quando ferro aperiendi. 20.
Qui ſunt inter muſculos abdominis cito aperiendi. 21.
In iis ſpontanea eruptio puris non expectanda. 24.
Abdominis hydropem mentientes. 25.
In mammis apertio ſpontanea non ſemper expectanda. 26.
In ſpina curatio. 27. 28.
Abſceſſuum ab ano curatio. 29.
Ineuntis præcautio.
Latentis dignotio. 31.
Antimonialium medicam. præſtantia in pure promovendo. 32.
Latens in lumbis profunda apertione curatus. 11.
In genis quomodo eructandus. 14.
Abſceſſus κατ' ἄκρον & κατ' ἀπόστασιν quando curandi, quando non. 16.

I. a. VLcus poſt Abſceſſum relictum plane ac plene curatur aſſumptis in dies Antimonio diaphoretico, Bezoart. minerali, vel quovis alio magis efficaci & fixo medicamento ex Antimonio parato, cujus Elixir, Magiſterium, aut quinta Eſſentia ſi habeatur, mirabilia, pleriſque licet incredibilia viſa, non tantum in hoc malo periculoſo, & curatu difficillimo, ſed & ſimilibus in quovis viſcere aliquando repertis, curandis præſtabit. *Franc. Sylvius Prax. med. c. 53. lib. 1.*

I. b. *Abſceſſu ad ſuppurationem converſo ne differas apertionem, ait Avicenna 3. 4. tract. 1. cap. 29. nam plura damna ſequuntur ex pure diutius in parte retento.* *Guido* autem tractatu de Apoſtemat. jubet expectare ut natura apertionem moliatur, *Nam apertio, ait, quæ fit à natura melior eſt quàm quæ ab arte; hæc enim immodicam puris copiam gignere ſolet, & in ulceribus excitat ſorditiem:* Sed niſi *Guidonem* intelligas de abſceſſibus internas partes occupantibus, vix ejus doctrina cum principum cohærebit: Revera abſceſſuum apertio à natura inſtituta indolens eſt, quæ meliorem locum quam Chirurgus eligit; univerſaliter tamen accepta propoſitio accipienda non eſt, quia ſi eo uſque differatur apertio, plura & irreparabilia ſequuntur damna, oſſis nempe corruptio, cutis in viridem colorem infectio, & tardior ad valetudinem regreſſus *Severinus.*

II. Peritiſſimorum ſententia eſt Tumores non ante perfectam ſuppurationem eſſe aperiendos, quia aliàs necroſin pars incurrit, crudo exiſtente humore, cui natura formam puris inducere conatur: Demum, dolorem præſertim augebit apertio, novum humorum confluxum ciens; Exceptiones tamen patitur hæc regula, 1. Ubi calor nativus debilis, ac metus eſt ne doloris vehementia, aut vigiliæ parti necroſin inducant, priuſquam omnis humor puris formam induat: Ideo *Celſus* lib. 7. cap. 2. *Si pus maturuit, in alis quidem & inguinibus raro ſecandum eſt: Item ubicunque mediocris abſceſſus eſt: item, Quoties in ſumma cute vel etiam carne vitium eſt, niſi feſtinare curantis imbecillitas cogit:* Firmat *Rhaſes* 3. continent. cap. 2. 2. Si puris inſit ea copia cui natura dominari nequeat, *Avicenna* 3. 4. *tract. 1. cap. 27.* 3. Quum materia eſt craſſa, alte ſita, incuneata, *Vide Avicen. loco citat.* 4. Si membrum ſphacelo tentari incipiat, *Avicen. ibid. cap. 25.* 5. Cùm abſceſſus malignitatis particeps eſt: mala enim qualitas naturam opprimit, ni maturè incidas. 6. Quando abſceſſus eſt in vicinia membri principis; pus namque coërcitum tetro vapore illud feriet, cum palindromes metu. 7. Si ſit circa juncturas, quia cohibitum pus ligamenta exedit. 8. Cùm eſt ſuper oſſa, nervos, tendines, articulos. Sic Hippocr. lib. 2. de morb. *Quæ prope digitos accedunt, ante integrum maturationem aperienda ſunt, ne in corroſionem oſſis & perforationem procedant.* Digiti enim, qui exangues, parvi, à fonte caloris remoti, corruptione facilè tentantur, quia minùs reſiſtunt. Ideò non audiendus *Celſus* lib. 7. cap. 2. *Inter nervos ultima expectanda maturitas eſt, quæ cutem extenuet, eique pus jungat, quo propius reperiatur.* Sic & abſceſſus qui perinæum obſident, jubente Hippocr. lib. de Fiſtulis, *Primum igitur cum tale quoddam tuberculum naſcens fuerit crudum, quam citiſſime ſecare oportet priuſquam ſuppuretur ad rectum inteſtinum.* 9. Si ſit

in adenoſis partibus, hæ enim ad malignas putredines pronæ ſunt, ac quia nihil refert partes adeo ignobiles etiam dilacerari.

III. *Celſus* cap. 2. lib. 7. ferro aperiri jubet, *Si altius malum eſt, conſiderari debet nervoſusne ſit is locus an non: nam ſi ſine nervis eſt, candente ferramento aperiri debet: at ſi nervi juxta ſunt, ignis alienus eſt: in his periculum eſt ne vel diſtendantur hi, vel membrum debilitent, neceſſaria verò opera ſcalpelli eſt.* Albucaſis autem lib. 1. de cauterijs, jubet apertio ut fiat cum cauterio: quod ſic & imminens hæmorrhagia arceatur, & pars à pravis ſymptomatis defendatur, quæ nervi puncturam ſubſequi ſolent ſi ſcalpellum in uſum veniat: Ignis certè, ex Hippocr. nervis eſt inimicus, ſcilicet ſi profunde imprimatur, aliàs partes quas attingit roborat.

IV. Miles ſauciatus in pectore nullum ſanguinem reddidit per dies ſeptem: conſilio Chirurgi emplaſtrum vulneri admotum, quod magnam potus quantitatem eduxit: Alius tumore ad ſuppurationem verſo premebatur, quò non, ut decebat, aperto, & in tempore, videbatur in aleâ vitæ, concentrato & occultato pure, quod attraximus beneficio ſequentis emplaſtri: ℞. *reſina pini recentis, clara & odorata* ℔ j. *olei laurini & terebinth. an.* ℥ ij. *gumm. elemi* ℥ iv. primò oportet reſinam & gummi in pelvi manere donec miſceantur, poſt addere terebinthinam & oleum; omnia ſimul bulliant iterum; tum demum per linteum craſſius transcolentur: extendatur portio ſupra alutam, fiat Emplaſt. vulneri apponendum, mutandum hyeme ſemel in die, æſtate bis, mirabilia videbis: perforetur in medio inciſuris duabus aut tribus longis, ut pus attractum faciliùs effluat. *P. Pachequus in obſervationibus Riverio communic. obſerv.* 54.

V. Errant qui Apoſtema cum copioſo pure & duritie ſecant, & permittunt ut ſtatim totum egrediatur: deberent doloris demulcendi gratia permittere ut ſolùm puris aliqua portio egrederetur: pus enim coctum dum relinquitur, detergit & ſecat materiam quæ efficit duritiem, & eam diſſolvit & liquat: Nullum medicamentum locale tanti eſt in duritie inflammationis auferendâ, quanti eſt pus: quinimo dum pus totum evacuatur, materia quæ relinquitur poſt ſubit duritiem & aliquando redditur incurabilis: ſic duri & ſcirrhoſi evadunt tumores, ut nec reſolventibus, nec mollientibus poſſint ſuperari: non ab illis, quia tenue abſumunt, unde quod relinquitur lapideſcit: non ab his, quia humor durus debet ſecari & attenuari ad minima, quod ab emollientibus externis fieri non poteſt, ſed a pure tangente rebellem humorem: pus enim eſt efficiens proximum & ejuſdem ſpeciei, quod unicè ſecare & attenuare poteſt. *Sanctorius meth. l.* 15. *c.* 9.

VI. Quia plerumque in Abſceſſuum apertione comperio hunc Chirurgum Lanceolam, alterum Cauterium potentiale eligere, & longe præ alio extollere, rem paucis declarabo 1. Cauterium potentiale hoc habet commodi quod ægros puſillanimes nullo pavore percutiat, & quòd dolorem timentibus non admodum ſit doloroſum, præſertim ſi hodie ſatis decantata remedia adhibeas; nam calx viva Hollandico ſaponi commixta profunde ſatis carnem corrodit, & multo lenius quam Patri Corroſivum holóſericum; verum hoc habet incommodi 1. quod prout cutis & corpora infirmiora vel firmiora ſunt, etiam multo profundius corrodat quam ſit neceſſe: in altero enim cutim & muſculos ad ventris cavitatem uſque corroſiſſe, & altero proceſſum peritonæi, & vaſa ſeminaria in eo ſita, inſanabili modo læſiſſe experientia comperi. 2. Corroſivum illud ſe etiam ulterius ad longitudinem & latitudinem extendit quam quidem deſideras, præſertim ſi ſub axillis, in inguinibus vel articulis collocari debeat, nam quamprimum incaluerit profluere incipit, imo emplaſtrum tuum defenſivum parum curabit. 3. Neceſſario aliquot horarum ſpatio indiget, antequam operationem ſuam perfecte abſolvere queat, ſed plus temporis in hoc quam iſthoc corpore deſideratur: verum hoc tibi humor non ſemper permittet, præſertim ſi ſit malignus. 4. Cruſta, quam induxeris, non ſtatim decidit, & humoribus ſiè veſtigio exitum præbere ſtudeas, Lanceola tamen eſt utenda: Quam prudenter circumſpexeris, incommoda hæc non evitabis. Contra vero Lanceola hoc habet incommodi, quod plurimi ægrorum eam reformident, quaſi dolorem moveret, ſed timor ſilentio eſt anticipandus, & dolor ſanè non eſt magni momenti: Interim à Lanceola hæc expectabis commoda, 1. Lanceola apertionem tam longam & profundam efficere potes, quam morbus & tua curioſitas requirat. 2. Statim habes materiam, & patiens relevatur. 3. Materia reliqua, & nondum concocta maturias ad concoctionem movebitur, naturæ idoneis medicamentis, tam internis quam externis opem ferendo. 4. Atque ita fiet ut ſtillationem diuturnam non habeas, nam ſtillatio ſi naſcatur, certus ſis culpam hujus rei penes te eſſe ſitam: Rationem ſi deſideres hanc accipe, omnes ferme tumores qui ſe poſt aures, in cervice, ſub alis & in inguinibus produnt, ex induratis glandulis, & ab humoribus præter naturalibus valde penetrativis originem trahunt: omnes hæ glandulæ propria circumveſtiuntur tunica, quæ ſi a Lanceola, ſive medicamentis cathæreticis lædatur, neceſſario ſtillatio ſequitur: nulla enim glandula ſe ipſam, aut ſuos humores tunica aperta conſervat: & hæc ſtillatio tamdiu durat uſque dum tunicæ foramen curatum, vel tota glandula in auras diſſipata ſit. *P. Barbette Chirurgia, part.* 1. *cap.* 12.

VII. Error eſt eorum qui, licet Abſceſſus ſint ampli, tenuſcute faſtigiati, & in locis affluxui minime paratis exſtent, unica ſemper & ſimplici ſectione ſunt contenti, pluribus & compoſitâ abſtinentes, quaſi non ſuus eſſe debeat modus ſingulis, & magni quidem ut parvi, & e mortui, diſcoctive, ut exporrecta cute faſtigiatique abſceſſus ſint tractandi; Meminerint *Celſi, Pauli & Avicennæ*, qui varios diſſectionis modos ſtatuerunt & neceſſarios oſtenderunt *Severinus Medic. Effic. p.* 93.

VIII. Notanda hic ergo inſcitia quorundam, qui adſtruunt naturam partium gaudere proprio integumento, quod ſi detrahatur non ita ſuas vires conſervaturus eſt calor; Hujus ſuperſtitioſæ providentiæ ſic oſtenditur vanitas: Nempe verum eſt naturam ſatagere ſervandis involucro partibus, ſed cùm iſtæ ſanæ atque integræ fuerint, porro iſtarum eſt conſervatio non corruptarum: Cortex enim putridi pomi pu... etiam integer, putridam omnem medullam & grana contegit & conſervat: An autem ut vitium augeatur, cortex huic uſui integer ſervatur, & nihil diſcinditur aut aperitur? haud aliter ſi cutem pro contegendo vitio non attingimus ſcalpris, & ipſum nutrimus dum non aperimus: Sic in Noſocomiis ulceroſorum Chirurgiam faciens, ſæpiſſimè ſub detectis recenter ulceribus automatis, quæ vix eſſatu digna videbantur,

comperi

comperi tendines putreſcentes & abſcedentes: Quod argumento eſſe debet, cum primùm molleſcit vitio cutis, inſecandum eſſe, medicamentiſque rei accommodatis fovendum. *Severinus ibidem.*

IX. Monet *Aquapendens* ne Vomica in ſecandâ ſectionem ſic ampiam faciamus, ut deinde vix poſſit cutis ſubjectis muſculis agglutinari, & ob hanc difficilis muſculorum motus eveniat: Verum aut nulla eſt hæc animadverſio, aut ſenſum hunc habet, ut non muſculos etiam attingat ſectio: Ita etiam fieri poſſet ut ſimul cum cute coaleſcerent ſaneſcendo, verum utcunque non ita certus eſſet muſculorum motus: enim verò cedit ſemper cutis, quare timidior in ſecando videtur. Sicut & ſuperſtitioſus fuit In Bubonis Venerei curatione, quando monet ne ſerrum altius immittatur, quod ictis glandulis mors à veſtigio conſequeretur, &c. Equidem haud illud aio ut fiat dilaniatus, ſed ut ne punctio alioqui fiat, neque etiam placet: multis id evenit (ſi quidem ampli ſinus perfunctoriè fuerint cæſi) quod ſcribit Hipp. 1. Epid. 6. de languente ob ſinus ulceris mortuo, *Huic ſe ampla ſectio facta fuiſſet, aut altera & tempeſtiva, ſervari potuiſſet. Idem ibidem.*

X. Neque illorum etiam laudo conſilium, qui frigidâ animi moderatione cauſticis rem agunt: at multa ſunt quæ in his damnari poſſunt, primum eſt incommoditas, quod nedum quidem ſecundum membri longitudinem, & qualem in formam apertionis extenditur pyroticorum vis: Sed præterea latum amat excurſum: unde eſt etiam (res a medente ſummo ſtudio vitandæ) quod dolores acerbos & ſævam inflammationem concitat partibus, tum quibus medemur, tum proximis, augent affectus affectibus: Poſt hæc longiore eſcharæ caſu, ſeráque partium detectarum reſtitutione, minimè felicem ſuam proferunt opem: At ſectio ſi nacta ſit adminiſtratorem peritum, & minus breviúſque affligit, & ſuam ſtatim affert opem optatam; & ſecundum lineam exarans cutem, hinc atque hinc, noxam aliquam non inducit, *Idem ibidem pag.* 94.

11. Iuvenis dum ex Cinecij montis faſtigio ad radices deſcendit, repentino impetu cecidit ſupinus, intercepto enſis capulo ſub nothis coſtis & renę ſiniſtro, quod lumbos non leviter contudit atque obtrivit. Ingens ibi paulò poſt exortus dolor, cum varijs ſymptomatis, ſine ſenſibili febre: Nullus in affecta partę livor aut tumor, ſed plana omnia: ingens humorum vis ex toto ad ſiniſtrum muſculum, pſoas dictum, confluxerat. & ibi in anguſtijs concluſi abſceſſum effecerunt: A quodam Medico ut nephriticus habitus, multa aſſumpſit quæ calculum deturbare valerent. Ad *I. Griffonium* adductus eſt, qui ſimiliter affectum non ita pridem curaverat, ſignificavítque puri concluſo exitum parandum; alias imminere perniciem, diſrupto ad interiora, abſceſſu & in abdominis cavum effuſo pure: Commiſit ſe Chirurgo juvenis, primáque cura fuit ut materia, quæ univerſam lumborum regionem occupabat, in eius locum, adhibitis potenter ex alto trahentibus, convocaretur, ubi ſcilicet & præcipua vaſa pauca eſſent, & motus inſtrumenta minus inter operandum lædi poſſent: quod poſtquam ſtylo argenteo, partem identidem pertentans, ex doloris ſenſu aſſequutum ſe vidit, illico ad latus ſiniſtrum, qua tertiæ lumborum vertebræ novaculâ iguitâ vulnus inflixit, profundum certè quantum digiti indicis longitudo ex vola prominet, ſicut ex penicillo poſtmodum injecto conjicere licuit: Tum nihilominus duobus digitis in idem illud vulnus intromiſſis, quò patentior fieret exitus, pus ex eo copioſum effluxit: Poſito verò vacuationi modo, turundam argenteam indidit Chirurgus, qua unguentis purgantibus & detergentibus illita ad aliquot menſes uſus eſt; tandem cicatrice obductum vulnus, ut fiſtulolum nihil aut dehiſcens relictum ſit. *Fab. Hildanus, cent. 1. obſerv.* 63. Monet idem in talibus profundis vulneribus & ulceribus, cavitati alicui internæ proximis, thoracis, aut imi ventris, ab injectionibus quæ ſyphone fiunt planè abſtinendum, ne pars aliqua injectionis vacuum ſubeat, ubi gravia ſymptomata excitaret cum ægri periculo.

XII. Notandum Tumores qui lentè ſuppurantur, non faſtigiari, neque extrorſum exporrigi, horum igitur ad inciſuram acumen ne expectatu. *Severinus Eff. chir. p.* 94.

XIII. Quadragenariam innuptam vidi, laborantem abſceſſu pone aurem ſiniſtram: cum circa xiv. morbi diem ad pugni magnitudinem excreviſſet, & materia planè eſſet præparata, ſed ob duritiem cutis diutiùs retenta, viam deorſum ſibi parabat. Tum advocatus, inveni abſceſſum ſponte ante aliquot horas ruptum, è quo nihil aut parùm effluebat; ipſa verò paucis poſt diebus obiit, prægreſſis febre, leipothymiâ, aliiſque ſymptomatis. Hinc conſtat in hujuſmodi abſceſſibus, ſive ſint in emunctorijs, ſive in viciniâ, non expectandum donec ſponte erumpant, quod confirmat hiſtoriâ trimeſtris pueri abſceſſu circa humerum dextrum laborantis, cujus cùm materia plus ſatis eſſet digeſta, renueretúrque apertio, pus, ſubſidente paulatim tumore, ſenſim in imum ventrem & genitalia deſcendit, ubi extincto calore nativo gangrænam produxit. *Fab. Hildanus, centur.* 1. *hiſt.* 39. & 81. Similem propè caſum vidi anno 1660. in pago *Couſſiſe*, Ditionis Bernenſis prope Grandiſonum, Rev. D. *Bourgeois*, Eccleſię Paſtor, vir athletici habitus, genio indulgens, ſanguinis miſſionem, ſibi aſſuetam quò plethoram minueret, autumno omiſit: hyeme ſequenti ingens illi oboritur phlegmone in ſumma dorſi regione; cujus causâ ne quidem ſacta venę ſectio. Advocatus ego cum Chirurgo excoctum abſceſſum, præ maturitate, vidi, & inanem appreſſis digitis: Juſſi Chirurgum gladiolum admovere, quod ſine ſenſu ægri factum, ſphacelus enim jam partem invaſerat, magnáque carnis fruſta ſine ſenſu ablata: pus purum & copioſum expuebat, ſine tamen febre, leipothymia, aliove graviori ſymptomate, cum robore virium, appetitu quoque ſalvo, εὐθυμίαν enim reperi, nihil minùs quàm de obitu cogitantem, quod uxori ſignificavi, à qua tanquam delirus exceptus fui: valedixi itaque ægro, Neocomum Helvetiorum ubi tunc faciebam medicinam, repetiturus, ſed vix exactis tribus horis revocor, ſuppetias moribundo laturus, qui paucis poſt horis è vitâ diſceſſit.

XIV. Si humor aliquis *Genas* occupat, caveat Medicus ne tumor fiat aut rumpatur, ſic enim à cicatrice deformarentur. At cùm non rarò diſſipantia maturent, & maturantia diſſipent, ob qualitates ſimiles, fieri poteſt ut præter intentionem Medici ſuppuratio fiat. Si ergo jam facta eſt, trahat humorem peccantem medicamentis debitis, vel introrſum ad os, vel ad illam partem, quæ ſub mento eſt, ad commiſſuram maxillarum: vix enim ſerunt cicatricem in genis mulieres. *Walæus meth. med. pag.* 159.

XV. Puella annorum 8. *Tumorem phlegmono-*

ſum & œdematoſum ſatis exiguum paſſa eſt, in parte externa mandibulæ inferioris dextræ: Ego metuens ne à cicatrice facies fœdaretur, antequam ad abſceſſus apertionem venirem, reſolutionem priùs tentare decrevi, *Guidonem* ſequutus, qui dicit aliquando apoſtemata ſupputata reſolutione finiri. Ad cujus exemplum *Paræus* Mercurio crudo, cum emplaſtro diapalma ſubacto, talem abſceſſum curavit. Hunc ego imitatus dicti Mercurij ℥j, cum empl. diapalma ℥j. admiſcui, & tumori ſupputato admovi, qui intra quatuor dies omnino reſolutus: Ad materiam ſuppuratam reſolutione diſcutiendam, ſequentes conditiones neceſſariæ ſunt 1. ut ſit pauca quantitate 2. tenuis & ſeroſa, 3. cutem & corporis ſuperficiem occupet, 4. ſit in corpore robuſto, juvenili & mollis carnis, 5. tempus ſit æſtivum. *Dyoniſius Pomaret apud Riverium, obſ. 1.* vide *Hollerium de mat. Chirurg. lib. 2. cap. 1.*

XVI. Abſceſſus quidam aliorum affectuum medela ſunt, ut fiſtulæ, hæmorrhoides &c. qui nonniſi magna cautione curari debent, ne perniſioſum quid contingat: Non tamen omnes tam cautâ curatione indigent, ut qui non fiunt decretoriè, ſed prorſus ratione ſymptomatis, omnino inutiles: Sed neque omnes qui fiunt aliorum medela, niſi fiant medela, ut fiſtulæ: Si enim febris aliqua terminatur in bubonem, aut parotidem, nemo cunctatur curare, nullo (ſi fieri poſſit) relicto veſtigio, etſi profectò abſceſſus ille febris medela fuerit. Sed quidam ſunt abſceſſus qui affatim ex morbo aliquo facti illum ſuſtulerunt, Alij qui non ita, ſed conſuetudine quadam aſſiduè aliquid ex præſtantioribus partibus accipiunt, aut vacuant, & hi ſunt medela morborum, ut fiſtulæ, id eſt aſſiduè aliquid detrahentes excrementi, & ita ab alijs morbis præſervantes: definitio autem horum abſceſſuum, diuturnitas eſt, fiunt enim diuturni, quod natura jam conſuetudinem eò mittendi comparaverit: Igitur in omni diuturno abſceſſus, ſive ſit cum evacuatione, ut ulcus, fiſtulæ, hæmorrhois; ſive etiam ſine ea, ut vetus podagra, videndum eſt quomodo cures; plurimi enim eorum qui tali morbo multis jam annis laborarunt, ſolent in nephritidem, aut aſthma, aut aliquam apoplecticarum paſſionum incidere, ut contra multis fieri vidi ex epilepſia, aut alio cerebri magno morbo, nephritidem, & ex hac podagram, Tales igitur abſceſſus, cùm jam ſunt inveterati, etſi cum evacuatione non ſint, dico eſſe aliorum morborum medelam, ut fiſtulas: Quare ſæpe curari prohibeo, aliquando etiam fieri ſuadeo, juxta præceptum Hippocr. 6. Epid. 3. *Quibus in morbis facti decubitus liberant, eoſdem ſi ante fiant prohibent. Valleſius, comm. in c. l. p. 657.*

XVII. Noxæ ex dilata nimium apertione *Abſceſſus*, exemplum dat adoleſcens, cui cùm ſuppuratum anno jam cubitum, ad ſpontaneum uſque diſruptum diſtuliſſet Medicus, articuli lædendi timore, ſic inde læſus ut & brachium totum contabuerit, & motus omnis facultas adempta fuerit, & longo poſt decubitu marcidus occubuerit. Non legerat quod ait Avic. l. 4. fen. 3. tr. 6. c. 27. maturè, id eſt, ante maturitatem perfectam, aperiendos in articulis abſceſſus. *Severinus Effic. med. pag. 94.*

XVIII. Situs fibrarum bene notandus, nam obſervavimus imperitum Barbitonſorem Abſceſſum frontis per tranſverſum aperuiſſe: feliciter quidem curatus Abſceſſus, ſed æger oculorum beneficio privatus, coactus fuit poſt emplaſtris elevata tenere ſupercilia: Satius eſt ſimiles abſceſſus naturæ relinquere, quam impeſitis manibus eorum inciſionem concedere: Vide Galenum 4. de Administr. anatom. c. 1. *Rolfinccius Differt. Anatom. lib. 3. cap. 10.*

XIX. Aperta vomica membranæ, nervacea, corporea, & alia ſemiputria occurrunt, quæ nec intempeſtivè reſcindenda ſunt, molliter priùs vellicare oportet: at ſi nec ſequuntur, molliter illaqueare convenit, ut vel ſponte ſua excidant, vel nulla vi & leni tractu revellantur: atque omnino ſua eſt putredini maturitas, eáque expectanda eſt: alioqui nova inflammationis & convulſionis pericula creari ſolent: Itaque ſemiputria illa molliter commovenda ſunt, matura enim facilè concedunt, cruda reſtitant, dolentque ſi majore vi pertrahantur. *Hollerius l. 2. de mat. Chirurg. c. 1.*

XX. In collectionibus ventris quæ inter peritonæum & inteſtina latent, ſive ex jecore, ſive ex alia parte diffuſæ ſint, Eraſiſtrato primùm, deinde alijs Medicis, placuit detrahi pus ſectis inguinum locis, ubi videlicet Ilia terminantur, inciſa etiam peritonæi membrana, ut quæ ſine periculo dividatur & facile cicatrice claudatur: Idque confirmant quod in hydropum paracenteſi, & chirurgia ramicis inguinalis, nullo ægri periculo ea fiat. Sed hoc tentandum magis, ubi deſperamus ut ne natura poſſit intro pus effuſum vel per urinas vel per inteſtina tranſmittere, id quod integris viribus naturæ aliquando, quaſi naturæ miraculo, contingere certum eſt. *Hollerius lib. 2. de mat. Chirurg. c. 1.*

XXI. Matrona de dolore magno e regione ventriculi, aliquantum ad latus dextrum, conquerebatur; Ego tactu Tumorem, ad latus lineæ albæ, ſub muſculo recto apprehendi, quamvis exterius nihil appareret, Suadebam ut cutis & muſculus uſque ad Abſceſſum incideretur; ſpretum conſilium, quod nullum indicium Abſceſſus ipſis conſpicuum eſſet; non diu poſt ad interiora ruptus eſt abſceſſus. In vacuum ventris defluxo humore, de novo exorta eſt febris, leipothymia, & dolor magnus ſub umbilico, paucis poſt diebus mors. *Vir quadragenarius* robuſtus, ex contuſione tumorem ſub regione hepatis contraxerat; inveni ipſum febre, ardore magno, nauſea, & alijs ſymptomatis laborantem: adhibui diligentiam ut in halitum reſolveretur materia, tandem inter peritonæum & muſculos abdominis materia confluxit, & abſceſſum excitavit, qui exterius vix percipi poterat, Abſceſſum incidi, pus fœtidum effluxit, ulcus per aliquot menſes apertum ſervavi, tandem ſinus factus. *Fabricius Hild. Epiſtola 55.*

XXII. Sub natibus nervus eſt, qui ſi juxta ſuppurationem præciditur, aut nudatus violatur frigore, ſubjectum crus ſtupidum relinquit. Cuidam ad flexuram natium, quà in femur deſinit, cojit abſceſſus, expurgata ſorde detectus nervus eſt, qui frigore perculſus univerſum crus ſtupidum reliquit. *Hollerius Inſtit. Chir. l. 2. c. 1. & l. 3. c. 1.*

XXIII. Si puris parum adeſt, nil nocet omne effluere quod aptum eſt, paratúmque ut effluat, omiſſa preſſione forti vel diutina, multis Chirurgis familiari, à qua nunquam obſervavi aliquid commodi eveniſſe ægris, ſæpius multum incommodi: Quoties autem in loco ab apertione remotiore pus hæret, aut ſinuoſo duntaxat ductu ad locum apertionis fertur, toties licet, convenitque partium preſſione blanda ipſum propellere foras. *Sylvius de le Boë.*

XXIV. Vidi mulierculam cujus abdomen ſaxo durius erat, ſub muſculorum tamen idea ac charactere, Empl. juſſi admovere de mucilag. rubicundior cum evaſiſſet locus, ac cum cedere videretur aliquantulum, juſſi pertundi, ſatiſque altum infligi vulnus, erupit magna copia puris, evaſit: Muſculi abdominis craſſiſſimam membranam habent, quæ niſi pertundatur, nunquam fere ſponte erumpere poterit pus: Vidi præterea non ſectos illos Tumores in ſaxa abjiſſe, totúmque meſenterium in ſaxum fere inde commigraſſe. *Heurnius comm. ad aph. 7. ſect. 6.*

XXV. Puer *Tumore ventris* laborans hydropicus cenſebatur, & cum umbilicus valde promineret, apertio tandem facta eſt, ex qua puris laudabilis octo vel decem libræ profluxere, ſicque omnino curatus eſt. Advertant tyrones in pueris frequenter tales abdominis abſceſſus generari, qui hydropem mentiuntur, & ſi mature ab artifice aperiantur, ægros à certo interitu plerunque liberari. *P. Eſtanove obſervat.* 2. Puella ventris tumorem patiebatur ab octo menſibus, cum doloribus aſſiduis, quibus ad extremam maciem perducta fuerat, hydropica ab omnibus cenſebatur, Ego ventrem diligenter explorans, abſceſſum latentem inveni intra muſculos epigaſtrij, eúmque cauſtico potentiali aperio, unde xv. aut xx. libræ puris laudabilis effluxere intra plures dies, ſicque ægra perfecte curata eſt. *Idem obſervat.* 3.

XXVI. Tumores inanimatum ſuppurati ſæpius ſponte rumpuntur, interdum vero ſpontanea abſceſſus ruptura, ob ſitus profunditatem puriſque craſſitiem, longius protrahitur quam doloris vehementia jam perpeſſi, & adhuc durantis, vires debilitatæ concedunt, & tunc neceſſe eſt apoſtema aperire ſcalpello, quod tamen pueri & fœminæ difficulter admittunt; Quare Chirurgus dextræ manus indici annulum aureum (Tab. 14. fig. 14.) adhibeat, & inſciis ægro & ad ſtantibus, quaſi aliud acturus abſceſſum, ſcalpelli (c) annulo abſconditi, acumine incidat. Hæc decipiens ratio aperiendi apoſtemata, non tantum in abſceſſibus mammarum, ſed & reliquarum partium, cum patientes timidi ſcalpellum recuſant, obſervari debet. *Sculte-tus Armam. Tab. 36. fig. 1.*

XXVII. Cuidam Apoſtema ingens in ſpina dorſi obortum, Barbitonſor ſcalpello id aperuit ſupra affectam partem; quæ niſi compreſſa nihil liquoris emittebat; hinc ſtagnans materia oſſa corrodendo fiſtulam excitavit: Doctor *Foſſius* cauterium potentiale affecto loco imponi jubet, apparuerunt poſt eſcharam oſſa nigra, quibus abraſis, & nitori reſtitutis, vulnus curabatur ſarcoticis & emplaſticis: reſiduum adhuc erat punctulum, aciculæ caput vix ſuperans, ex quo ſanguis liberalius fluxit, nec ante ſextum diem ſiſti potuit, túmque inducta cute convaluit æger. *Bartholinus centur. 3. hiſtor. 65.*

XXVIII. Quinque Abſceſſus mihi videre contigit Dorſum occupantes, juxta ejus ſpinam, qui ex materia frigida ſenſim collecta genito fuerant, ſine dolore aut inflammatione, & partis colore nullo modo mutato; molles erant tumores, œdematis ſimiles, pugni magnitudinem fere adæquantes, ex ijs tamen adapertis pus laudabile effluebat. Tres priores lethales fuere, intra trium aut quatuor menſium decurſum, cum ulcus ex abſceſſu aperto relictum ſinuoſum admodum evaſerit, ex eóque continuo magna puris copia effluxerit, unde corpus univerſum exhauſtum & in atrophiam converſum eſt, licet multis remedijs ulcerum curatio fuerit tentata. Quartus curatus fuit inciſionibus magnis in dorſo factis, quibus omnes ſinus detecti ſunt, mox fotibus ex aqua catapultarum, aliiſque topicis, ulcera ſanata ſunt. Interim tamen cauſæ antecedenti providebatur frequenti evacuatione, & uſu decocti ſudorifici. Quintus denique curatus eſt ſine inciſione, ſed magna apertione facta per cauterium potentiale, mox deterſione ulceris per injectiones ex decocto catapultarum, & fotu ex eodem, ac denique valida compreſſione partis cum faſcijs & ſplenijs, & valde adſtringentium emplaſtrorum continua admotione in ambitu ulceris. Interim vero cauſæ antecedenti providebatur remediis prædictis. *Riverius centur. 2. obſervat. 96.*

XXIX. Advenit nudatis carne partibus, velut genu & articulis, abſceſſuum quoddam genus quod κατὰ λέπιν appellavit *Galenus* 3. de comp. med. ſ. g. *Abſtractum autem* nos Latine dicemus; in his ſæpenumero fit ut aperti ſponte, anguſto atque exiguo quodam oſculo, vix oculis pateant, quos curant omnes vulgo ceratis duntaxat impoſitis, nil ultra providentes aut facientes: ſub qua ipſa curatione ſic proficitur, ut & nimium diu protrahatur ulceris obductus, & ſæpe etiam virium ſerpat: Eas ob res expedit ſemel certam, quæ ad finem evadat, curationem inſequi, quæ, meo quidem judicio, non eſt alia quam ut cutis, qua foramen extat, ſecundum rectos angulos inſecetur, atque amplietur ſit ulcus, ut medicamentorum digerentium atque expurgantium ſua ſit via: Ita ſanavi plurimos, qui coaliturum in dies ulcus exile ſperantes, ejus tamen rei progreſſum aut initium nullum unquam viderunt. *Severinus Med. Effic. pag. 97.*

XXX. Prohibere ne Abſceſſus matureſcat & compleatur, perſæpe loci natura nervoſi muſculoſique poſcit, quominus ſcilicet motui incommodetur, aut corruptionis ulceriſq; inſanabilis diſcrimen videatur. Quod autem hac in re comperi narrabo, Adoleſcens jam alias abſceſſus, vocatos frigidos, quos cicatrices amplæ teſtatæ ſunt, feminibus & cruribus paſſus, qui jam ex phymate in poſteriore tibia ſupra malleolum augeſcente mirum in modum torquebatur, auxilijs impoſitis linimentorum & pharmacorum, quæ cum rite allata, cum diæta & phlebotomię, parum levaſſent, conſilium fuit, abſceſſus præſertim vitandi gratia, ferro crudum tuberem adaperire; quod cum confidenter facio, alta, & ſecundum longitudinem corporis inflicta plaga, primum quidem mediocriter doluit, mox vero non pauco effuſo ſanguine conquieſcere viſus eſt ſic, ut tumore doloreque ſublato ulcus brevi obduxerimus. Quam rem narravi, ob vanum timorem attractionis in ſecando, quàm tantopere cauſantur & averſantúrque noſtri. *Severinus Medic. Effic. pag. 97.*

XXXI. Si dolor aliquam corporis partem occupet, & ibi pus contineri ſuſpicio ſit, ſudante ægro, præcipue circa vultum, & dolore permanente, certiſſimum habendum pus in illa parte dolente colligi, unde licet non mutetur color partis, tamen aperienda eſt ut evacuetur, experientia comprobante.

XXXII. Inter omnia quæ puris excretionem moveant vel promoveant, præfero ac commendo Antimonialia medicamenta, quippe quæ obſervavi ſæpenumero habere inſuper vim corrigendi noxas corpori à pure illatas, quin novam pu-

ris productionem impediendi, poſtquam non minus corporis humani quam auri purificationi ſervit antimonium, ritè tam præparatum quam adminiſtratum. *Fr. Sylvius Pract. lib. 1. c. 15. §. 43.* Ejus continuam ex ſanguine corrupto generationem ſiſtit Antimonium diaphoreticum, & quodvis aliud ex antimonio paratum medicamentum arcanum; & imprimis Balſamus ex ipſius floribus artificioſe confectus, valet & Balſamus ſulphuris aniſatus, &c. *Idem §. 44.*

ÆGYLOPS, ANCHYLOPS.

SYLLOGE.

An curandus per perforationem oſſis, vel uſtionem. 1.
Curatio abſque ferro & igne. 2.
Orti a tumore tunicato curatio. 3.
Setacei ope curatus. 4.
Ulcera cancroſa circa canthum majorem orta quomodo curanda. 5.
Quando ferro aut medicamentis curari debet. 6.
Ad cauteriſationem quo metallo utendum. 7.
In Anchylope reprimentibus & ſuppurantibus quando locus. 8.

I. QUamvis omnes Medicinæ & Chirurgiæ ſcriptores variam præſcribant curationem Fiſtularum lacrymalium, Ego tamen quædam à me obſervata proponam, licet ab aliorum methodo non aliena, Sanavi itaque puellam ſeptem annorum, ab incunabulis fiſtula laborantem: ſecui fiſtulam ipſam, & quia puella non ferebat diutiùs hanc operationem, oſque erat corruptum, quod ſimplici propterea ſectione abradi non poterat, coactus fui illi adhibere cauſticum, mixtum cum unguento ex betonica, & paulatim fiſtulam dilatare, quo totum os corruptum eradi poſſet: quo ſublato, applicui ſupra os ſuperſtes filamenta arida, quouſque caro laudabilis ab ipſo excrevit, præmiſsâ tamen digeſtione medicamentis propriis: poſtmodum ſupra labia vulneris ungu. ex tuthia, ſarcotici loco, propter continuum ichoris fluxum ad angulum oculi; tandem induxi cicatricem cerato ex diachalcitide, filamentis tenuiſſimis aridis. Quâ methodo multos curavi, Quanquam occalleſcente ſinu, libentius inuſtionibus cum ferramento candente utar, ſi ægri admittant: utpote quæ callum non modo atterant, partemque ipſam roborent, ſed etiam citiùs ſeparent os corruptum; Quicquid ſentiant aliqui, perforandum ſcilicet os, quò materia illa purulenta per nares effluat, & cicatrix exterius obducatur, qui tamen fruſtra ſunt, quia os perforatum inurendum, ex illorum ſententia; quò foramen melius pateat præbeatúrque exitus puri. At quando os eſt corruptum, omnino removendum, cum alioqui fiſtula non poſſit ſanari neque ad cicatricem deduci exteriùs, atque ita hæc curatio futura ſit palliativa: præterquam quod hujus perforationis alius non ſit uſus, quàm ut os perforatum & inuſtum citiùs abſcedat, cujus loco natura carnem priùs aliquam generat, quę progreſſu temporis evadit calloſa & dura inſtar oſſis, qui curationis finis; quia cutis cum carne ſubjecta, quę ab ipſo oſſe excreſcit, cum ipſa coaleſcit, atque ita fiſtula ſanatur; non vero foramine ſuperſtite, ex quo continuò emanat materia purulenta, cui antea patebat exitus ex angulo oculorum, per foramina, puncta lacrymalia dicta: progreſſu ſiquidem xx. aut xxx. dierum circiter, os inuſtum & perforatum abſcedit, unde foramen obſtruitur à carnè ex ipſo pullulante. Graviter proinde errant qui exiſtimant perforationem hoc commodum præſtare ut materia per os effluat, licet hujus ope os perforatum citiùs abſcedat: Obſervandum tamen, non eſſe perforandum os niſi præſente maximà ipſius corruptione, quæ perveniat uſque ad cavitatem internam ipſius naſi: ſola ſiquidem ejus ſuperficie corrupta, aut alterata, ſat fuerit partem læſam ſcalpro abraſorio abradere, dum pars cutis coaleſcat oſſi, quod tamen fieri non poteſt niſi ſanum fuerit. Ejus autem corrupti & ſcalpro exciſi hoc vobis fuerit indicium, cùm ſpatio x. aut ad ſummum, xij. horarum caro illi accreverit, quod nonniſi facta abraſione contingit, coaleſcente fiſtula. Quod ſi poſt abraſionem nulla caro ſuccreverit, os corruptum adhuc ſubeſſe pronunciandum, quod proinde denuo abradendum, quouſque hæc ſigna omnino non appareant. Qua ratione feliciter, ſemper, & tutò ſanavi fiſtulas lacrymales, non ſolùm puerorum ſed & adultorum. *Petrus de Marchettis Sylloge Obſervat.* 22. Ubi os eſt corruptum opus eſt igne actuali, docebo autem modum eo utendi abſque periculo. Paretur cannula ferrea, in qua imponatur ſtylus ignitus triangularis, munito oculo defenſivo; uratur autem locus non ſemel aut bis, ſed uſque ad deſquammationem oſſis. Ego in eo caſu per xxx. dies continuos uti coactus ſum aduſtione bis in die. *Hercules Saxonia prælect. Pract. parte* 1. *cap.* 221.

II. Ex defluxione capitis ad canthum oculi ſiniſtri tumor enatus juvenculæ, quo preſſo ſerum ex oculis fluxit; poſtea perforato, ut videbatur, ad nares uſque oſſe, purulenta per nares materia fluxit: caput cephalicis pilulis prius expurgavimus; mox ad humiditatis depluentis exiccationem collyrium inunximus, omnia ſine ferro priùs experturi, ne facies deformaretur: demum cauterium potentiale illi naſi parti applicuimus, ubi nullum a muſculo oculi orbiculari periculum: poſt eſcharæ caſum caro in fundo adeo luxuriavit, ut præcipitato aliquoties inhibere fuerimus coacti, ſæpiúſque ea carne creſcente, cauſticis repetitis curatio fuit retardata: tandem exſiccantibus in auxilium advocatis, oſque mundantibus, ſed ſine ferro aut igne, ab Aegineta præſcriptis, quum per nares nihil puris vel ſeri prodiret, carne ſana oppletum fuiſſe oſſis carioſi foramen animadvertimus, fiſtulámque obturatam, unde vulnus conſolidatum, cicatrice ſubtili inducta. *Thomas Bartholinus Centur. 5. hiſtor.* 85. Si os carioſum iuveneris, quantum fieri poteſt deregendum eſt, poſt euphorbium ſubtiliſſimè tritum copioſè inſperge, quo nil præſtantius in oſſibus carioſis. Nec terreat acrimonia, euphorbium enim noſtrum adiacentem carnem non adurit. Præmitti tamen velim Setaceum, quod tanti eſt momenti ut inveteratam fiſtulam lacrymalem ſine hoc præſidio vix curari poſſe in aliquibus obſervaverim. Nec quicquam tentandum niſi Setaceum priùs ad tempus aliquod fluxerit, materiámque ad fiſtulam decumbentem ad ſe traxerit. *Fabritius Hildanus centur. 6. obſervat.* 3.

III. Eſt alius *Ægylops* à lento humore & pulti ſimili plerumque cyſti incluſo, genitus, qui nonniſi apertione tumoris, ſcalpello vel cauterio poten-

tenciali, & tunicæ ablutione curatur, denuum ne recidat affectio, cauterij igniti, quo eſchara inducatur, admotione, qua delapſa imponitur alumen uſtum, terebinthina exceptum, ad perfectam uſque ſanationem. *Enchiridij Med Pract. p.* 88. Hoc tuberculum, quoddam ſolis medicamentis curari nequit, Volſellæ dentibus apprehenſum, in fundo circumciditur ſcalpello, ita tamen ne ſimul tota abſcindatur caruncula illa ſpongioſa, quam non ineptè lacrymarum frænum appellant: ei namque ablatæ ſuccedit perpetuus illarum effluxus, ſeu incurabilis Rhyas, &c. *Senlsetus Tab.* 31. *Armament.*

I I I I. Ea frequenti oculorum inflammatione, capitiſque dolore, Fiſtulam lacrymalem obortam in matrona a a x. annos nata, ſetacei beneficio curavit *Hildanus centur.* 4. *obſervat.* 19.

V. Fiunt & interdum in hac parte ulcera cancroſa, quæ nonniſi uſta parte, & maximè venis & arterijs ad vivum, & penitus aduſtis curantur: Sic enim tutiſſima fit curatio ſine recidivæ metu, quia his vaſis uſtis non fit amplius nova defluxio. *Enchirid. Medic. Practica. pag.* 89.

V I. Speciem quandam contradictionis apud Galenum reperio, nam 5. K. T. caput 2. dicit *Ægylopa* non manuariæ operæ ſed medicamentis ſecundum genus ſubjici: At in Introduct. cap. 18. ægylopas ad os uſque excidi ſcribit, & ferramentis candentibus aduri: Quoſdam autem loco ferramentorum candentium terebra os forare uſque ad nares: Dic pro *Galeno* Ægylopas alios eſſe ſimplices abſceſſus, alios in fiſtulam abiiſſe cum oſſis vitio: hi ferro ſolo curantur, illi pharmacis: Hinc taxandi qui Ægylopa fiſtulam oculi dicunt. Neque enim proprie eſt fiſtula, nec ſemper neceſſe ut in fiſtulam tranſeat, ut experienter Trincavella. *Plempius Ophthalmogr. l.* 5. *c.* 3.

V I I. Pro *Aegylopis* uſtione præferrem & ego, cum Medicorum probatioribus, cauterium actuale potentiali vocato: Cæterum cur illud ex auro potius fieri præcipiunt quam ex alia materia? Nam & ex ferro commode parari poſſe videtur, imo fortaſſe commodius, etenim ineſt ferro confeſſa adſtringendi poteſtas, hoc in caſu non parum expetenda: Deinde aurum ſi fortiter igniatur, liqueſcit; ſin mediocriter, nihil facit: *Iohann.* tamen *Montanus*, ſummus Medicus, aurum vel æs eligit in conſilijs ſuis: quia ex ferro fit major aduſtio, & profundior cicatrix quam teneræ particulæ hic objectæ ferant. *Plempius ibidem.*

V I I I. In curatione difficultas eſt circa Reprimentia & Suppurantia, nam utraque fiſtulæ periculum inferre videntur: illa quidem repellendo humorem ad profundas partes; hæc vero putrefaciendo: nihilominus aliquando utrumque agendum neceſſario. Ubi fluxio tunc primum incipiat, angulo antea n... laborante, reprimentia conveniunt, nam ſi antea nunquam laboraſſet hic locus, profundæ partes ſunt robuſtæ, itaque repulſio potius fiet ad latera quam ad profundum: At ſi fiat inflammatio procedente jam morbo, hoc in caſu nullomodo convenit repulſio: Aliquando oportet uti ſuppurantibus, quando natura jam ſuppurationem inchoavit, & humor eſt ſanguineus & copioſus, & illa non poteſt vitari, qua facta, etſi imperfecte, aperiendus abſceſſus. *Saxonia Pral. Pract. Parte.* 1. *cap.* 20.

AGONIA.

Agoniſantes quomodo recreandi.

Videntes Medici enata Hippocrat. ſigna lethalia, deſerunt ægros, ne ſe, artem, & medicamenta proſtituant: Sed non deſerundi, quin omnia adhibenda quibus vita prolongari poteſt. Novi namque plures ſemi-mortuos, à Medicis derelictos, per exilia remedia reſtauratos, Dicam quod ſentio, In corde, quod eſt ultimum moriens, extinguuntur ſpiritus vitales varijs modis, 1. E nimio ſanguinis æſtu, hos juvant potiones refrigerantes, epithemata pectoris 2. alij moriuntur dum ad cor non affluit pro circulatione continuanda 1. vel novus chylus, aut ob alimentorum expulſionem per dyſenteriam, vomitum, aut vitio vaſorum meſenterii, aut ſi per debitos ductus ad cor non meat, his prodeſſet transfuſio ſanguinis humani vel vitulini in venas. 2. Si ſanguis qui per venas revehi debet, grumeſcit & coagulatur, idque varie ex varijs morbis, in tabe, maraſmo, febribus; Lympha, ſeu ſerum utile, deficit in ſanguine: hos ſublevat ad tempus balneum cal. quod congulationem diluit: In Tartareis morbis, ut ſcorbuto, &c. viſcidus fit ſanguis carens ſpirituoſis partibus, incraſſatur; tales ægri incipiunt mori ab extremis partibus; hos juvant quoque balnea calida, potiones ſpirituoſæ coagulationem impedientes: in talibus mortuis arteriæ ſunt flaccidæ, venæ turgent: 3. Multis cordis motus obruitur per catarrhos ſuffocativos, quatenus pulmones (per quos ſanguinis circulatio ex uno cordis ventriculo in alium peragitur) & vaſa reſpirationis per viſciditatem frigidam obtuuntur: In latus ponantur ægri, ut pituita per os effluat, collo calidum pulmentum, capiti & cervici calida arena imponatur; Quia Apoplectici ex tali pituita ventriculos cerebri opplente moriuntur, parum proſunt cucurbitulæ ad cranium, & veſicatoria ad cervicem, ſi apophlegmatiſmi non ſufficiunt, e naribus extrahatur viſcida materia, elevatum caput ægri leviter concutiatur, ad promovendum materiæ deſcenſum: In Agone, ubi cum ſibilo jam exilis erat via reſpirationis, ſeptuagenario profuerunt calida pulmenta, & arena collo & pectori admota, & hauſtulus vini ſpiritus tepidi cum oleo amygd. Si larynx & trachæa craſſo glutine incruſtentur, proſunt liquores nitroſi & abſterſiones manu chirurgi. *Ex miſcell. cur. anni* 1671. *obſ.* 159.

ALOPECIA.

Gradatim procedendum in admotione remediorum.

Tria remediorum genera parari debent, Debilia, quæ in uſu ſunt morborum ini-

tijs & in levioribus affectionibus, in regionibus calidis, corporibus delicatis, ut puerorum, mulierum & nobilium: mediocria in mediocribus, & robuſtiora in robuſtis & antiquatis affectibus: Hanc diſtinctionem ſummo ſtudio in hoc inſtituto ſervandam docuimus, ut duo, qui committuntur paſſim, errores vitentur, cutis ſcilicet ulceratio ab acribus medicamentis, & humiditatis nativæ partis abſumptio à ſiccioribus, quæ ſolent calvitium immedicabile inducere: Ea ratione inſpiciendus ſæpe locus affectus, ut noſcamus num medicamentum admotum debilius vel acrius ſit, nam debile nullam, aut longo tempore actionem in corpore efficit: fortius vero immodice nimiſque præcipitanter id præſtat. *Rondeletius Pract. l. 1. c. 1.* Vide *Sennertum cap. 4. l. 5. Pract. parte 3. ſect. 2.*

ALVUS ADSTRICTA.

(Vide *Lenientia lib.* 19.)

SYLLOGE.

Multiplex laxandi ratio pro diverſitate cauſarum. 1.
Lubricantium abuſus noxius. 2.
Quando exhibenda. 5.
Salſa an moveant. 3.
Vina laxativa prima menſa ſumpta, an tuta. 4.
Clyſteres purgantibus præferendi. 6.
Efficacia olei amygdalini hauſti. 7.
Solvitur pedibus decocto malactico immerſis. 8.
Tartari emetici uſu ſoluta. 9.
Mercurio crudo aſſumpto. 10.
Nixus vitandus. 11.
Clyſteribus in quibus ſollicitanda. 12.
Pituitæ excluſioni nimis non ſtudendum. 13.

I. Si alvus laxanda, ad cauſas reſpiciendum; Si eſiccata ſit, nec aloë, nec ſcammonium, nec alia purgantia eſhſbebit Medicus, ſequntus *Hippocrat.* 2. de m. m. *Si ſtercus educere voles*, inquit, *nullum pharmacum bibito, ſed alijs utere, nam præter hoc quod nihil ob id magis efficient, plus ad inteſtina trahent.* Si caliditas conſtrictionis eſt cauſa, clyſteribus indentur mucilagines ſeminis lini, cydoniorum & pſyllij: eo modo denſa & corrugata laxantur, dura emolliuntur, inteſtinorum calor halituoſus evadit; Si horum facultas pigra, languida, ſtupida, ad motum invita excitabuntur acribus clyſteribus, à quibus pinguia, addi ſolita, demes, ne hebeſcat eorum vis: Si Alvus non dejiciat eo quod jecur bilem non gignat, cave à rhabarbaro: Si à flatuum copia, languidi ventriculi effectu, dabitur potius hiera quam caſſia: Si à paucitate alimenti, plenius hoc exhibeatur, quo fæcum copia redundet, βάρος enim & δῆξις cauſæ ſunt quæ expultricem movent: muſculorum abdominis imbecillitatem (qui ad fæcum excretionem quoque concurrunt) accuſat *Sennertus* in Epitome Inſtitut. Ideo puerperis Alvus οὐκ ἀνάγκην dejicit, non tantum à diuturno decubitu, ſed debilioribus redditis ab eniſu muſculis: Hic fruſtra adhibentur Laxantia, vel ſimiles cibi; convenientior eſt terebinthina nebulis involuta, vel aloe, vel rhabarbarum, quibus præter vim ſtimulantem, levis ineſt adſtrictio; vel actioribus enematis alvus ſollicitanda: Quidam melancholicus alvum habebat valde adſtrictam, ut interdum per ſex aut ſeptem dies non dejiceret; illi incommodo medebatur ſumendo duabus horis ante cœnam pruna cocta cum earum decocto, quibus addebat vini valde lymphati cyathum ſemis, cujus mediam partem ſumebat ante pruna, alteram iiſdem aſſumptis, ſic alvus commode laxabatur, ac multo efficacius quam ex ſolis prunis fieri conſuevit *narrante Riverio centur. 3. obſervat. 6.* Matrona quinquagenaria querebatur ſibi aluum ne à vehementiſſimis quidem pharmacis commoveri, Inteſtinorum calorem & ſiccitatem ſuſpicatus, μελάνθριξ enim erat, hirſuta, habitus virilis, ab exhibitis Electuarij lenitivi drachmis ſex, ſemihora ante cibum, ſuperhauſta ſeri lactis libra, id conſequuta eſt quod fortiora præſtare non valuerunt, aliquot enim elapſis horis effuſe laxata eſt alvus: Sic per lenia præſtiti, quod prior Medicus per δραστικὰ non potuit.

In *Alvo adſtrictiore* cum flatibus conjuncta, & torminibus moleſta, cum tunc viſciditati humorum, in flatibus abeuntium, Aciditas ſoleat eſſe comes, utendum imprimis Sale volatili oleoſo cum opiatis permiſto, cæteriſque aromaticis omnibus, flatúſque ſimul diſcutere aptis: Sin ſola *excrementorum* alvi ariditas ſumma moleſtiam creet in ipſorum excretione, humectanda emolliendáque erunt excrementa priuſquam excernantur, & quidem vapore, aut applicatione per pannum laneum ſpongiámque decocto emolliente imprægnatam: ſic enim quodammodo emollientur fæces, atque facilius excernentur: Quin unguento emolliente illinendum abdomen, quo fæces emollitæ facilius excernantur; Ante paucos dies ad perſonam primariam vocatus, reperi infantem quatuor annorum, ad ſummum valetudinarium, cui fæces alvi tertia demum hebdomade excerni ſolebant, & interim plurimum in ſcybala craſſiora indurari, quin eadem per abdominis muſculos diſtincte tangebantur, & ipſorum magnitudo explorabatur, nec niſi cum ſumma moleſtia, & non raro ſanguinis effuſione, ac univerſi corporis ſudore expellebantur, cui ab unguento emolliente aliquoties jam cum facilitate intra octiduum prodiere alvi fæces: Non ſemel obſervavi Enema ex lacte vaccino paratum, addito tantillo mellis roſatis, plurimum profuiſſe in tali caſu; nam ratione Lactis temperabatur aciditas, flatibus illis fere comes; quin eodem laxabantur quodammodo & molliebantur ipſa excrementa. *Sylvius de le Boë Appendic. Tractat.* 5. §. 141. 142. & 143.

II. Lubricantibus, ut pomis, prunis, aut alijs fructibus ſæpe ac multum ſubducendæ alvi gratia uti minime rectum eſt; relaxant enim ventriculum, quod cum fit nulla concoctio proba effici poteſt: Si quidem tum ventriculum probe coquere cibum ſumptum docemur, cum is corrugatur atque in ſeſe contrahitur, totamque maſſam amplectitur atque continet donec coquatur. *Crato Conſilio tertio apud Scholtzium.*

III. Diſcrepantes ſunt authorum ſententiæ de *Salſis* an alvum moveant: *Dioſcorides* libro quinto cap. 23. de vinis ſcribens cum aqua marina factis, & de vino è flore ſalis ait ad purgandum multò efficacius eſſe quam vinum aqua marina temperatum: *Celſus* lib. 5. cap. 24. vinum ſalſum præſcribit, quia corpus movet. Hippocrates libr. de A. A. & L cis, ubi de fontanis aquis tractat. *Sed enim fallantur homines*, inquit, *circa ſalſas aquas, propter imperitiam ſane, & quoniam illis alvi dejectionem moliri opinantur. hæ verò alvi dejectioni maximè adverſantur, crudæ enim & incoctiles ſunt, quare alvus ab ipſis potiùs ſtringitur quam eliquatur.* Quæ dicta experientiæ refragantur, cùm aquæ ſalſæ alvum cieant, ut Tertullianus: At *Hippocrates* non negat, nec ignorat aquam ſalſam alvum ciere, ſed quaſi id confirmans, ait, falli per imperitiam homines, quia illis perinde ac alimento, ſcilicet parva copia, & cum cibo aſſumptis, alvi dejectionem moliri opinantur: nam ſi ut medicamentum, copioſè nempe ſumatur, purgabit: Si exiguâ copiâ, & cum cibo, ſiſtet; quia tales aquæ crudæ ſunt & coqui nequeunt: quod & de omnibus medicatis aquis verum eſſe experientia teſtatur: Ita vinum ſalſum, niſi largè ſumatur, ventrem potius ſiſtere quàm mollire aptum eſt: Sal ipſum; modicè aſſumptum adſtringit; ſi plus juſto, ventrem laxat, vellicat enim expultricem, ventre præſertim excrementis referto. Pro complexionum quoque varietate ſalſa vel movent vel adſtringunt alvum, quibus enim ventres calidi, ijs à dulcibus & limpidis aquis, non item à ſalſis, cientur: quotquot verò pituitoſi ac molles, ij à ſalſis turbantur, non autem à dulcibus tum aquis tum cibis: quod diſertè pronunciat Hippocrat. eodem libro. *Quorum*, ait, *quidem ventres duri ſunt, & ad hoc ut comburantur idonei, ijs quidem dulciſſima proſunt, & leviſſima & ſplendiſſima: Quorum vero molles ventres, & humidi & pituitoſi ſunt, ijs duriſſima, crudiſſima & ſubſalſa conveniunt, ſic enim reſiccari maximè poſſunt.* Dubium oritur quod Hippocrat. dicat humidas, molles & pituitoſas alvos ab aquarum ſalſarum uſu reſiccari, non autem laxari? Ita profectò eſt, nimirum longo earum uſu, abterſis humidioribus excrementis, mucoſâ colluvie expiatâ, & exſiccatis roboratiſque inteſtinis, alvus ſtringitur: durante verò uſu, & dum pituita alvus ſcatet, ſemper alvus dejicitur. *Sinibaldus Antiph. pag.* 150.

IV. Vina ſolutiva in prima menſa quidam præſcribunt, quorum tamen frequentior uſus ſuſpicione non vacat, duplici præſertim nomine, 1. quia cum ex ſenna, & alijs electivè purgantibus conſtent, materiam à toto ad ventriculum attrahunt, 2. quia chyloſin interturbare, & humores crudos ad inteſtina præcipitare poſſunt; quorum pars aliqua hæreret in venis meſaraicis, obſtructiunes factura. *Sylvaticus cent.* 3. *conſ.* 69.

V. Alvum pruna movent, præſertim ſi prandium non ſtatim, ſed interjecto aliquo ſpatio ſumatur, & ipſa ſola comedantur: Hæc enim communia laxantium omnium præcepta meminiſſe oportet, ex *Galeno* 2. de alim. fac. Ratio eſt quia abeunt in ſubſtantiam corporis quod pura pharmaca non ſint, ſed habeant aliquid alimenti: hinc qui mannam &c. quatuor aut quinque horis procul à cibo dant, perpetuo ſine fruſtrantur. *Angenius.*

VI. In magnis obſtructionibus alvi apertionem difficilem eſſe in multis ægris obſervavimus: illud certè ſilentio mihi non prætereundum eſt, quod nobis aliquoties in praxi occurrit, ut cùm alvus potionibus purgantibus probè vacuata videretur, & excrementa liquida egererentur, tamen excrementa alia, & ſicca, eáque plurima in inteſtinis nihilominus ſubſiſterent, & novam obſtructionem, repetitoſque dolores excitarent: Vocatus ad quendam ex colica laborantem, cùm potionem purgantem dediſſem, ac eâ purgatus multa liquida egeſſiſſet, tamen neque ventris gravitas, neque dolores ſunt remiſſi, Itaque clyſterem injicio, qui eduxit magnam copiam excrementorum exiccatorum & induratorum: Unde, conjicere facile potui potionem eduxiſſe quædam liquida excrementa, ſed molem induratorum excrementorum educere non potuiſſe: Utile verò eſt in ejuſmodi inteſtinorum affectione, primò alvum per clyſterem unum atque alterum lenire, ac poſt purgantem potionem præbere, quæ ſi vel operari tardius videatur, vel pauca educit, denuo clyſter infundi poteſt ad obſtructionem expeditius ſolvendam. *Octhens apud Schenckium.* In curanda duriore alvo, præſtat plures ex ordine clyſteres reiteratos admittere, quam vel unam qualemcumque, etiam lenem potionem aſſumere: καθαρτικὸν unum cum judicio adhibitum in colico dolore, una reſolvit clava quod vix attingent clyſteres: præcipuè in colico dolore à fæcum obſtructione ſupra valvulam. *Rolfincaius.*

VII. Aliquando à fæce indurata dolores colici, & plurima ſymptomata oriuntur: Ægrum novi qui tumore quodam duro in parte ſiniſtra ſub ſplene, ſpatio duorum annorum valdè opprimebatur: Medici unctionibus & fotibus illum continuò tractarunt ſine ullo beneficio, tandem ſupervenientibus alijs ſymptomatis interijt: Facta apertione cadaveris, invenimus cauſam antiqui illius tumoris eſſe ſtercus duriſſimum: Deinde cauſam cur aliquando ille miſer excerneret per alvum globulos quoſdam virides & duriſſimos, invenimus, Fæx enim ob pondus deorſum gravitans ſecundùm aliquam portionem convertebatur in globulum, qui quotidie vi enematis excernebatur, & deinde ob incendium magnæ arteriæ, quæ prope erat, iterum nova fæx illi maſſæ adjungebatur & exſiccabatur: Ex præcognitione dicti caſus, alios ſimiles non paucos ſanavi oleo amygdal. dulc. ad ℥ ij. menſis curſu quotidie ſumpto, quatuor horis ante cibum. *Sanctorius Art. Parv. c.* 94.

VIII. Pedes in decocto malactico continendi, ut enim ad adſtringendam alvum laxam adſtringentia plantæ pedum admoventur, & adſtringente fotu tibiæ abluuntur, ſic eadem ad tardam alvum ſolvendam fotu emolliente ablui poſſunt. *Encheir. Med. Pract.*

IX. Quandam contumax alvus tantum non ad incitas redegit, ne quicquam hoc ſolicitis, ſive per os, ſive per anum adhibitis

proficientibus perſtat obſtructio per duas & ultra ſeptimanas pertinaciter: Venter tumore intumeſcit duro, cum calore p. n. gravioribúſque ſymptomatis: duro igitur nodo durum quærendum eſſe cuneum arbitratus, niſi *Tartari emetici* gran. vj. ex aqua pingui non lapita aſſumenda, applicato ſimul ſuppoſitorio: hinc ſequuta diu expetita alvi ſolutio ἄνω καὶ κάτω debili quidem hinc exiſtente ægro, ſed paulo poſt integre ſano. *Ehrenfored Hagendornius Miſc. curioſ. anni 73. Obſervat.* 16.

X. Virgo laborabat obſtructionibus irreſolubilibus. Pharmacopæus, multis tentatis, deſperatus deſperatæ porrigit ℥ ij ß. Mercurij crudi; quo facto magno impetu copioſiſſima ſucceſſit evacuatio, ægraque poſt paucos dies priſtinam adepta ſanitatem. *Sam. Ledelius miſc. cur. anni* 167.. *Obſ.* 225.

X I. Novi virum qui intra duarum vel trium ſeptimanarum ſpatium ſemel tantum alvum exonerabat, & ſemper tanto nixu ut etiam ſanguis e naribus proſiliret: Multi *Ficinum* derident, lib. de ſan. ſtudioſ. monentem in excernendis excrementis non nimis intendendum niſum, ob apoplexiæ vel epilepſiæ metum: Quantùm tamen fortior ejuſmodi, poſſit niſus exemplum ſuperius oſtendit, Neque, ut mihi videtur, mirum, & venas & arterias in plexu choroide (cujus particula ad cerebri ventriculos fertur) ex tali conatu rumpi vel comprimi, & cerebrum in anguſtum comprimi, ſicque affectus illos induci. *Ph. Salmuth. cent.* 3. *obſ.* 26.

X I I. Fæces prope jecur & ventriculum in clatiore & ampliore coli parte coacervantur; cumque corpus ſit perſpirabile, ſi quando pigra fuerit alvus, ſtercoris tetro fœtore languet ventriculus, appetitus proſternitur, cor effœminatur, & cerebrum oppletur ac opprimitur; tunc nihil meliùs quam enematis alvum colluere. *Riolanus in Anthropogr.*

X I I I. Pituita in ventriculo genita facit ad feliciorem alvi expulſionem, niſi enim humida ſint & lubrica inteſtina, difficilis excretio eſt: hujus rei neceſſitatem intelligimus ex quibuſdam colicis, quorum inteſtina clyſteribus, fomentis, medicamentis omnis generis ita ſunt excocta, ut corij inſtar ſint; in his alvus non facit officium niſi πρὸς ἀνάγκην. *Riolanus in Encheirid.*

X I V. Salſamentis veteres uſi ſunt, & a nobis magno incommodo ægrorum intermittuntur: nam certum eſt ea ſalſamenta non ſolum pituitam incidere, dejicere, & ita alvum movere, ſed & ventriculum vehementer roborare, coctionem juvare & appetentiam excitare; Verum cum pruritus corporis adeſt, ab ijs abſtinendum. *Crato.*

ANEURYSMA.

SYLLOGE.

Natura & curatio. 1.
Purgatione ſanatum. 2
Premendo ſanatum. 3.
Apertio raro tuta. 4.
Præcautio poſt inciſam arteriam venæ vice. 5.

NUnquam potui non ſuper quomodo rupta interna & craſſa arteriæ tunicâ, integrâ remanente externâ, tenuiſſimâ & araneorum telis ſimili, (quod placet *Sennerto*) Aneuryſma poſſit generari, cùm ejuſmodi tunicarum diſtinctio omnino ſit à rei veritate aliena: Sed duplicem agnoſco generationis modum, Unum à cauſa externa, alterum ab interna: Externa eſt vulnus arteriæ ab imprudente Chirurgo factum; conſolidatur enim ſuperficie tenus arteria, ſed non tam firmiter quin ſanguis impetuosè irruens in imbecillem tunicæ partem, in eam tumorem non attollat: Interna cauſa eſt apertura, ſeu anaſtomoſis arteriolæ, è qua ſanguis egrediens in ſpatium ſeu interſtitium muſculorum, denſatur in thrombum, qui ſenſim adauctus, magiſque per moram excoctus, in carni formem maſſam tranſit, muſculis haud abſimilem, quæ & reperitur concava, & in ſui centro copiam nigri concretique ſanguinis copiam continet: Hæc autem à me non dicuntur niſi ſuffulto experientia, per diſſectionem hujus affectus acquiſita Venetijs anno 1643. confirmata a Cl. Bogdano obſervat. Med. 8. Sicut autem prior caſus adſtringendo comprimendoque tumorem ſanari poteſt; ita ſecundus caſus curationem vix admittit: niſi quis velit comprimendo arteriam, cutemque dividendo globum carneum auferre, arteriámque diſruptam ſarcoticis adhibitis nova carne replere. *I. Van Horne Microtechn.* §. 26. Vocatus cum Chirurgo ad curandum Aneuryſma, venæ ſectionis occaſione genitum, protinus ea quæ præter rationem ad emolliendum tumorem adhibita fuerant, rejecto; quod ejuſmodi émollitionem ac ſuppurationem gangræna pariſque ſphacelus & corruptio ſequatur &c. *Herſtius Tom.* 1. *lib.* 9. *obſ.* 1. Pars affecta ſæpiſſimè, ob arterias carotides, collum eſt; Obſervavi tamen illud in brachijs & genubus: cauſa eſt humor acris, ſeroſus, bilioſus, internam arteriarum tunicam erodens, inò & externam craſſiorem, imò & viciniora ſibi oſſa: Chirurgi, artis propriæ ignari, abſceſſum judicant, eoque aperto ſcalpello, moriuntur ægri illico, in eorum præſentia. Tumor ab initio ſtatim comprimendus, humórque acris repellendus, utrúmque commodè fit per tenuem laminam plumbeam: Pauperem hoc modo palliativè curavi, ut xv. poſt anno ſuperſtes ſit: Tumor erat ſupra genu dextrum, ovi gallinacei magnitudine. Quidam volunt ut ſanguis affluens intercipiatur, arteriam ſupra & infra aneuryſma ligando, illúdque poſtmodum excidendo curare; ſed hoc remedij genus dolorificum nec tutum: mallem ego vitæ conſervandæ ergo brachium vel pedem amputare. Pauperrimi cujuſdam aneuryſmate extincti cadaver diſſecuimus, videbamus ſanguinem copioſum, tam ſeroſum quàm grumoſum, tunicas arteriarum utraſq; eroſas & claviculam ſiniſtram maxima ex parte eroſam. *P. Barbette Practic. lib.* 2. *c.* 3.

II. Quidam ob ſcabiem ex humore melancholico ortam, ſibi venam baſilicam incidi curat, ac arteria ſimul compuncta eſt, unde paulatim aneuryſma exortum, cui cum ſpatio menſis, & ultra, multa fruſtra adhibita fuiſſent, imo quidam vix brachium ſervari poſſe ſignificaſſent, ad me venit: deprehendo tumorem magnitudine ovum anſerinum adæquantem, pallidum & utcumque durum, in quo pulſatio non tantum digito percipiebatur, verum etiam oculis conſpiciebatur: Ego precibus commotus curationem ſic inſtitui, Inſtituta 1. victus ratione, applicatóque tumori duro empla-

ſtro

ſtro noſtro de Cicuta; injecto enemate, & pro digeſtione humoris melancholici exhibito Iulapio, Purgans exhibui, quod cum violentia quadam humores noxios interne & ſuperne eduxiſſet & expurgaſſet, ſpiritum & ſanguinem in aneuryſmate contentum ad interiora adeo revocavit, ut altera die nulla nobis nec appareret nec ſentiretur pulſatio, Tumor quoque multum imminutus conſpiciebatur, unde tum ſequens empl. applicui, *R Empl. diachalcit.* ℥ij. *pulv. maſtich. roſ. rub. myrtill. rad. ſymph. ana* ʒj. *Ol. roſ. q. ſ.* Poſtea pulvillum, aut potius nodulum ex linteo multoties reduplicato formavi, & tumori impoſui, faſciaque firmiter ligavi ut tumor reprimeretur, & ſanguinis vitalis ex ipſa arteria in exteriorem membranam dilatatam influxus impediretur, atque his remediis brachium in integrum reſtituerum. *Fabricius Hild. cent. iij. obſ. 44.*

III. Quidam pupugit acutiſſima cultri acie arteriam manus ſiniſtræ, inter pollicem ac indicem, cujus ſanguine ſubſultim proſiliente, per adſtringentes emplaſtrum in tempore inhibito, coaluit ſtatim magis externa quam interna arteriæ tunica, quæ manſit hians, ac a ſe invicem ſejugata, elevata propterea à vitali ſanguine uſque eo externa ipſius membrana, ut degeneraverit in verum aneuryſma, cum pulſu perenni ac dolore in vicinis nervis exiſtente. Pulſatilem hunc tumorem vix digito depreſſeras, quin ſanguis protinus regurgitaret ad venas, & aneuryſma videretur ex toto ſublatum, quod tamen acturum ſub conſpectum venit iterum, ubi vel minimum removeremus digiti. Non deerant Chirurgi qui arteriã hanc ſectã manifeſtim ſatagebant ferro ignito adurere, ſed crudelior fuiſſet medicina quam morbi natura requireret, ac proinde periculum potius factum per adſtringens emplaſtrum, a plumbi lamina arctioreque vinculo ita depreſſum, ut expulſo ex tumore ſanguine, & conſtricto convenienter vulneris hiatu, faciliùs coiret, agglutinareturque interior laceræ arteriæ tunica, cujus coalitus etiam ſequutus fuit ante menſem quintum, relicto duntaxat prope cicatricem exiguo nodulo, qui tamen tandem etiam evanuit, antequam ex toto deſineret aneuryſma. *Tulpius cap. 16. lib. 4. Obſer.*

IV. Fœmina filium ſeptennem baculo ad ſiniſtram capitis partem, qua carotidũ tranſitus eſt, graviter percutit, unde tumor pulſatilis avellanæ nucis inſtar, primo nigricans, digitis cedens, ſtatim oboritur, & octidui ſpatio in tantum augetur ut dimidiam capitis partem à ſutura ſagittali, per tempora & frontem ad oculos uſque occuparet: Conſulti Medici, anceps remedium certiſſimo vitæ diſcrimini præferendum cenſentes, ſcalpello tumorem aperiunt, ſanguiniſque confertim profluentis parte quadam dempta, quadam vero arcta ligatura & ſtringentibus cohibita, dum crebro id agunt, inſequentibus diebus ſanum puerum reddidere brevi: vel quod in tenellis omnia tenera ſint & coalitu facilia, vel quod arteria læſa os ſubjectum habuerit, ut arctiſſime potuerit comprimi ad conſolidationem: hinc arterias temporum & frontis feliciter aperiri poſſe aſſerit *Riolanus Fil. Enchir. pag. 332. Ioh. Michael. Febr.* Aneuryſmatis lætum exitum pauci ſpectarunt, adeo ægre ferunt arteriæ habenas ſibi laxari: nonnunquam tamen naturæ robur virium ſuperat, arcta ligatura, miraculi inſtar ſubinde patentem hiantemque arteriam conſtringit, ſed operæ eventum in minoribus arteriis tantum experimur, In majoribus enim, quia tunicæ craſſæ, facile non rumpuntur, niſi à vehementi cauſa, nec ſupiuræ conſolidantur, propter perpetuum ſpirituoſi ſanguinis affluxum, quotidie increſcit Aneuryſma: facilius quoque in arteriæ tunica dilatata, quam prorſus rupta ſperata conſolidatio ſuccedet: denique à ſanguine quoque ſeu calidiore, adeoque ad impetum promptiore: ſeu frigidiore vel craſſiore, ad motum ſegni, pars curationis dependet vel interitus: Lethale aneur. vidimus in juvene ex læſo femore, nec mirabamur, quia arteriam magnam cruralem ruptam in apertione vidimus, unde in tantum tumorem femur excreverat, quaſi prorſus ſcirrhoſum, ut non tantum ea copia ſanguinis ex aperto poſt mortem femore effunderetur, qui tres menſuras noſtras impleret, ſed ex ſinibus inter muſculos vaſtos efformatis, ſanguineum grumoſum forma & magnitudine parenchyma hepatis maximi referentem extraheremus: In illo vivo nec ſectio tuta erat aut poſſibilis, propter magnæ arteriæ, & intra muſculos occliteſcentis ingentem rupturam, nec ligatura ſufficiens. *Bartholinus cent. 3. Epiſt. 54.* Chirurgum tyronem moneo ne temere Aneuryſmata, niſi forte exigua, & in parte ignobili, nec inſignibus vaſis prædita aperiat: hanc potius curationem aggrediatur, Cutis ſuper incidatur dum pateat arteria: patefacta ipſo ſcalpello undiq; a circumſtantibus partibus dividatur, ipſi retorta & incurva acus introrſum filum trahens ſubjiciatur, ligetur, hinc abſcindatur: intorti fili lapſus ex ſeſe expectetur, dum natura abſciſſæ arteriæ oras regenerata carne obducat, debinc reliquum curationis ſimplicium vulnerum modo obducatur. *Pareus.*

V. Chirurgus ſanguinem miſſurus cuidam febre cõtinua laboranti, non venam ſed arteriam aperuit: Adſtans inſignis *Garcias a Lopès*, Medicus Hæbreus Burdegalæ, permiſit ſanguinem ad libras duas & amplius effluere, imo ad ſyncopem uſque ſupervenientem, eo conſilio ut exhauſtis ex parte vaſis, minor eſſet arteriæ pulſatio, quæ conſolidationi impedimento fuiſſet: hinc appoſito, cum ſplenio, nummo argenteo, additâque arcta ligatura, poſt octiduum ſoluta, æger aneuryſmatis periculum evaſit; à febre poſt tam profuſam ſanguinis vacuationem liber, ſuperſtite tamen diuturna virium debilitate.

ANGINA.

SYLLOGE.

An in omni vena ſecanda. 1.
Larga ſit S. m. ſed partita. 11.
Menſibus ſuppreſſis aut fluentibus qua vena ſecanda 3.
An ex liberali S. m. metus decubitus in pulmones. 2.
An morbo urgente à Raninarum ſectione *inchoandum.* 4.
Acutiſſima Iugularium *apertione ſanata.* 5.
Scarificationibus *colli.* 21.
Suppurata ſectione *in collo* 27. *a.*
Dolo abſceſſus aperiri 28. *b.*
Canina cucurbit. *ſcarificata ſub collo admota curata.* 14.
An bronchotomia *admittenda.* 9.
Cavenda ſi pulmo ſimul inflammetur. 22.
Aperta vomica cavendũ ne pus infra deſcendat. 23.
Noxa pertinax funiculo *in brachio curata.* 24.
A luxata vertebra *an cucurbitula ope ſanatus.* 10

An initio purgandum. 16.
An vomitus *ciendus*. 17.
Eodem die ſanguinem mittere licet & purgare 15.
An Gargariſmi *utiles*. 18.
An calidi vel frigidi eſſe debent. 19.
Ex aqua vita utilitas. 6.
An omni laxantia admovenda. 20.
An nidus hirundinis *utilis*. 8.
Per clyſteres nutritio fieri poteſt ablata deglutitione. 13.
A ſolidis deglutitis ſuffocationis periculum, adeſt ſi vomitum cieant 12.
In maligna ſpecificis *locus* 25.
Somnus *cavendus* 26.
Menſibus ſupervenientibus curata. 27. *b*.
Notha affectionis hypochondriacæ ſoboles. 28. *a*.

I. AN in omni vena ſecanda? Negatiua videtur probabilis ex ſententia *Meſuæi*, qui interdum medicamentum præmittendum eſſe ſtatuit, tunc temporis potiſſimum ubi materia peccans ſimul cholerica vel phlegmatica eſt, propterea quod materia cholerica ſubtracto ſanguine per V. S. magis ebullire & effervelcere, phlegmatica vero cruditatem majorem inducere ſoleat: Imo, ſi verum quod dicit *Avicenna*, melius eſſe ut remaneat virtus in corpore, & per evacuationem materia peccans ſubtrahatur, omnino ſequitur in Angina, ab inflammatione cholerica vel phlegmatica, ſanguinem in principio non eſſe mittendum, cum hac ratione virtutis quædam imbecillitas ſequatur, & cholera vel phlegma non primo vacuentur, ut pote quæ materiæ potius purgationem quam V. S. indicent: Sed contrarium cum plurimis defendimus, quod ſcil. in omni Angina, ſive ſanguis cum cholera, vel phlegmate, ſive ſolus peccet, initium à V. S. ſit faciendum, modo nihil repugnet, quia initio ſtatim eo reſpiciendum ut affluxus humorum ad partem affectam inhibeatur, quod commodum V. S. fieri poteſt, revellendo videl. materiam affluentem à parte affecta: Ut enim in aliis inflammationibus ſanguis mittitur, non reſpectu illius materiæ quæ jam actu apoſtema in parte quadam producit, ſed præſervationis ergo, ratione materiæ adhuc affluentis, & inflammationem augentis, ita etiam hic V.S. initio preſcribimus, ne affluentibus humoribus major fiat inflammatio, & conſequenter præſens ſuffocationis periculum immineat. *Gr. Horſtius. Problem Dec. 4. Quæſt. 4.*

II. Ad animi vſque deliquium ſanguinem mitti plurimi præcipiunt, quia affectus præceps eſt, ſuffocationis periculum inducens, ita enim *Avicenna*. *Si autem debilitari non incipit, tunc oportet ut ſine ceſſatione extrahatur ſanguis, quo uſque appareat ſyncope fortis &c.* Nititur ergo *Avicenna* viribus præſentibus cauſam conjunctam & antecedentem hac ſubita vacuatione extrahere, quare cum tota materia confeſtim educatur, metus non eſt ne ad pulmonem fluxio decumbat: Poſſe autem cauſam inflamm. conjunctam s. m. beneficio educi probat *Galenus* 2. acut. 10. dum in pleuritide copioſe ſanguinem fundit, ita ut pro rubro lividus, & conculcatus in phlegmone ſanguinis, & ob nimium partis calorem adustus extrahatur. *Zacutus Practic. Medic. hiſt.* 74. Cum Angina ſit morbus acutiſſimus, & uno interdum die hominem de medio tollat, magna remedia ſumma cura & diligentia vſurpanda ſunt: Ideo quacunque diei hora vocetur Medicus, ſanguinem ſtatim detrahat, e directo partis magis affectæ, ad ℔j. ℔iß. ℔ij. quantum vires ferre poterunt: In hoc enim remedio præcipua ſalutis ſpes conſtituenda eſt: Non tamen una vice magna illa ſanguinis copia detrahenda eſt, ne æger in animi deliquium incidat, ex quo non exiguum vitæ periculum emergeret, ſed partite & per aliqua intervalla, tertia nimirum aut quarta quaque hora *Riverius Praxeos lib. 6. cap. 7.*

III. Si occurat mulier anginoſa cui menſes deficiant, aut quæ menſes prope diem expectet, vel actu habeat, quid tunc agendum? Nolo vos imitari illos qui ſecant ſuperiores, nam tunc ſtatim ſecandæ inferiores: hoc docet *Trallianus* lib. 4. c. 1. docet ratio, Nam huiuſmodi miſſione non tantum fit revulſio, ſit etiam naturalis purgationis eductio & conſuetæ, quæ maxime inflammationem juvat: Quod ſi ſtrangulatio negotium faciat, ſectis venis inferniis, tuto poteſtis aperire venas ſub linguâ, nam hæc miſſio non retrahit ab utero, non trahit à toto corpore, ſed partem inflammatam evacuat. *Saxonia Præl. pract. c. de Angina.* Sin autem Angina ſit firmata, & plures partes habeat factas, & vitæ periculum minetur, obſervata tunc morbi ſævi natura, licet vitium à ſuppreſſis menſibus oriatur, & vel actu fluentibus menſtruis, fas eſt venas tundere ſuperiores, ut quam breuiſſime ſanguinem & revelamus, & evacuemus à loco phlegmone obſeſſo, licet rite menſtrua procedant: Hæc tamen ſervetur lex, ut alternatim fiat ex brachio & crure phlebotomia: Sic enim & utero mandamus, & parti inflammatæ opem præſtamus, evocatis etiam eo tempore menſibus per cucurbitulas infernis partibus adhibitas, frictiones, ligaturas &c. quò ſanguinis irruens deorſum trahatur; Adde cephalicæ ſectionem minus ſurſum evocare menſtrua quam baſilicæ, quæ cum inferis magis communicat: *Valeriola* 5. obſ. 10. in pleuritide poſt partum ſæva, poſt tertium diem ritè fluentibus menſibus, ſanguinem è baſilica, omnibus reluctantibus, feliciſſimè miſit. *Fernel.* 2. meth. 8. poſt partum, ritè procedente menſtrua purgatione, ob ſolum febris ardorem è gibbero ſanguinem exhauſit &c. *Zacutus Hiſtor. Princ. Medic. libr. 1. quæſt. 46.* Fœminæ poſt dies à partu (ritè fluentibus lochiis) nullo apparente tumore externo, ſtrangulationi proximæ, neglecta indicatione menſtrui, cephalicam utriuſque lateris incidere jubeo, poſt duas horas, leoninas: cum his vix levaretur, cucurbitula tandem bis in occipitio ſcarificata, revixit. *Idem ibid. obſervat. 57. vide* Salium *in* Altimatum *cap. 46.*

IV. An urgente Angina ſectio venarum ſub lingua ante alias vacuationes aliquando poteſt fieri? SI ſuffocationis periculum immineat, quid agendum niſi à parte proxima ſanguinem detrahere, qui committit affectionem gravem? Neque timeas humorum confluxum, quia ſatius eſt hac facta phlebotomia ægrum à mortis periculo defendere, & aliquid cum periculo tentare, quam ſpe omni adempta certò perire. *Zacutus Prax. hiſtor. lib. ij. cap. ij.* Vir quinquagenarius protinus decumbens, circa mediam noctem adeo vehementer angina corripitur, ut nullum amplius verbulum proferre valeret: accercitus barbitonſor, venam ſublingualem aperiens ægrum mox in ſaluberrimum ſtatum reſtituit. Hanc ſublinqualium ſectionem non ſemel, ſed ſecundo & tertio, prout neceſſitas exigit, & ſuffocatio vrget, iterandam eſſe ſcribit *Saxonia. Rolfincius conſil. v. lib. iij.*

V. Antiqui in deſperata venas iugulares aperiebant, quod remedium, licet a recentiorum plurimis etiam comprobatum, noſtris fere temporibus obſolevit, quod periculoſum, ſed male cenſeatur, (*vide l. 19. tit.*

de

de Sangu.miſſione §.) Refert *Trallianus* l.4.c.1.plures anginoſos earum venarum apertione à ſe curatos eſſe, Et *Zacutus* obſer. 89. lib.1. Pr. adm. refert hiſtoriam cujuſdã Hiſpani,qui hujus auxilij beneficio ab acutiſſima angina liberatus eſt.*Riverius Prax. lib.6. cap.7.* Curandum habui anno 1675.menſe maio. Du.*Dionyſium Bordier* Genevenſem, virum robuſtum, Angina correptum, cum febre acuta, quanquam reſpiratio & deglutitio ſat faciles eſſent, brachij venæ apertæ fuerant, unde ſanguis putriſſimus ſed ſine levamine effluxit,ſectæ quoque abſque ſolatio raninæ: ſecta vero Iugulari è directo lateris magis dolentis, rivuloſe effluxit ſanguis omnino putris, ſed citiſſimo & manifeſto auxilio: quanquam malum in peripneumoniam deſierit,à qua iterata phlebotomia,& anacatharſi procurata,brevi emerſit.

VI. Humores in carne hærentes, qui plane extravaſati ſunt, ob craſſitiem fluere non poſſunt: fluxiles ergo reddat Medicus medicamentis calidis: Si angina laborans initio affectus ſpiritu vini ſe gargariſet,omnis gutturis inflammatio ceſſabit trium horarum ſpatio. *Walausm.m.p* 112.

VII. Angina ſi ſit pituitoſa,valet intus & extra nidus & ſtercus hirundinis: bilioſa autem acrium medicamentorum uſu exaſperatur: pituitoſos humores, coquit & diſcutit,ſuperfluamq; exiccat humiditatem.

VIII. An Nidus hirundinis uſum præſtat? Quidam improbant, vt *Mercurialis*,quod ea vis non nido ſed avi ſit inſita: at conceſſu avem peculiari illa vi donatam eſſe,nido tamen deneganda non eſt,quam habet à pullorum excrementis ſale multo refertis, Nec reijciendus ob terræ vim repellentem, quod facit Pereda.non enim omni terræ vis repulſoria ineſt; nec ſola expetitur, ſed ratione ſtercoris admiſti,quod acre & diſcuſſorium, cujus acrimoniam terra temperat; ideo accommodatiſſimum diſcutiendis tumoribus, præſertim faucium & gutturis,eſt remedium, maximè ſi avis peculiari vi contra anginam pugnet.

IX. Rariſſimè in uſum ducitur Bronchotomia infamiæ metu, cum æger peracta operatione occumbit: præterea in periculoſiſſima angina pulmones frequenter afflicti ſunt & humoribus referti, unde ſuffocatio contingit; quo in caſu operatio inutiliter exercetur: Exempla tamen non deſunt eorum quibus feliciter ſucceſſit:Exercuit Celeberr.*Renatus Moreau* in Hortulano,dein in milite, qui à morbo & vulnere convaluerunt,ſuperſtite levi vocis,in hoc,raucitate: Vulnera ejuſmodi cito coaleſcere oſtendit Clar.*Tulpius* obſ. 50.l.1.Terrent ſæpe res inexpertæ, quæ in vſum ſemel revocatæ eadem ſecuritate admittuntur,qua peraguntur facilitate, quod de jugularium venarum apertione,jam familiari, & calculi extractione confirmatum: Modus adminiſtrandi talis eſt,Æger, reclinato quantum fieri poteſt in poſteriora capite, in ſedili collocetur: famulus à tergo ſtans corripiat utrinque colli anterioris cutim, Chirurgus vero per longitudinem ſecet cutim cum inſtratis muſculis è regione aſperæ arteriæ, non longè à ſcrobiculo juguli, atque latiore phlebotomo ſpatium inter cartilagines dividat, & foramini facto indat tubulum argenteum leviter incurvum & alatum: hac via ſpiritus ad pulmonem it & redit,donec inflammatione reſoluta,aut ad ſuppurationem perducta,reſpirandi per fauces libertas reſtituatur.*I.Van Horne Microtech.*§.17.

X. Non deſunt qui in ea Anginæ ſpecie,quæ ex colli vertebrâ intro luxatâ ſuboritur, cucurbitulis utantur, rati luxatam vertebram earum ope ad extra trahi poſſe,quod expreſsè vetat Hippocr.lib de articul.*Quin etſi magna cucurbita affigantur, attrahentes nimirum gratia verticulorum intro,epentium,magno hoc mentis errore contingit: propellunt enim magis quam attrahunt, & neque hoc animadvertũt,hi qui ipſas affigunt: quanto enim magis ipſas quis adegit,tanto magis repandi fiunt hi quib. affiguntur,cute ſimul ſurſa coarctata.*

XI. Id mentio nolo prætermittere in Angina,& difficili reſpiratione parciſſime eſſe ſanguinem mittendum, licet affectus copioſiorem expoſtulet quantitatem. Ratio potiſſima eſt,quia periclitaretur laborans animi deliquio,quo nihil eſt in his affectionibus deterius, quamobrem ubi id timemus, tutius eſt parce & per intervalla ſanguinem mittere quam unum fugientes periculum in aliud gravius conijcere.*Mercatus de indicat.Med.c.4.*In huc remedio præcipua ſalutis ſpes conſtituenda eſt: non tamen unâ vice magna illa ſanguinis copia detrahenda eſt,ne æger in animi deliquium incidat,ex quo non exiguum vitæ periculum emergeret, ſed partite & per aliqua intervalla, tertia minimum aut 4.quoque hora: ſ. m. autem adeo eſt neceſſaria ut à nullo contraindicetur: *Zacutus* Pr.adm.l.2.c.135.gravidæ ſeptimeſtri,anginâ lævâ correptæ, ſepties una die miſit ſanguinem,unde liberata.*Riverius Pract.l.6.c.7.*

XII. Si in Angina ex moleſtia medicamenti concitetur vomitus,non ita velox ſtrangulationis imminet periculum, ſi liquidum fuerit veluti ſi ſolidum, Pilulæ enim & boli dum vomitu alliduntur,confertim & valido impetu ad anguſtias oppreſſi ab inflammatione,tranſitus majus afferunt periculum, unde aliqui hac ratione repente ſtrangulati ſunt, ut accidit hic Patavij cuidam mulierculæ laboranti anginâ,quæ devoratis bolis aliquot caſſiæ,& vomitu excitato,à moleſtia medicamenti,ſtatim ſtrangulata interijt:*Trincavella Pract.l.5.c.7.*

XIII. I.*Tzengius* Monacham quandam habuit præ manibus,quæ apoſtema in gula habebat,quod xx. primum die perruptum fuit,ut demum cibum tunc deglutire potuerit: injecerat ſubinde clyſterem ex lacte dulci, vitellis ovorum incoctis: Idem *Amatus* de anginâ occupante laryngem & œſophagum docet, quod per clyſteres iniecta juſcula nutrire valeant,Idem Celſus affirmat & alij: *Foreſtus obſ.30.in ſcholio lib.15.* Nos Religioſam in ſynanche per ſpatium novem dierum clyſteriis ſolis vivam ſervavimus,& ab ægritudine incolumis evaſit. *Braſſavolus comm.ad aphor.15.ſect.2.*

XIV.*Benivenius* cuidam angina latente,ſtrangulante affecto,& jam conclamato,incidit locũ altioribus plagis ſub ipſis maxillis,& etiam ſupra collum,unde ſanie multa prorumpente,illum a morte ad vitam revocavit.

XV. In periculoſa feſtinandum eſt, Veteres eodem die & ſanguinem mittebant,& medicamenta exhibebant.Ego ſane(inquit *Trallianus* l.4.c.1.)novi me cum uſus valde vrgeret,venam mane aperuiſſe,diluculo linguæ ſubiectas ſecuiſſe, & veſperi ex cremore ptiſanæ lacrymam ſcammonij exhibuiſſe, atque ita laqueum ex inflammatione ortum vix potui diſſolvere: Et alium quendam novi me, poſtquam duorum brachiorum in cubito venas ſecuiſſem, repurgaſſe ſequenti die non expectato. *Pet.Foreſtus obſ.13.lib.5.*

XVI. Detracto ſufficienter ſanguine ad purgationem veniendum eſt, quæ ſequenti die uſurpanda,non expectata humorum coctione, quia morbus non dat inducias: imò ſi morbus admodum urget, venæ ſectio & purgatio eadem die celebranda eſt, quod feciſſe ſe refert *Trallianus* l.4. c. 1. *Riverius* l.6.c.7. Cujus decreto ſtandum, anginæ fortiſſimæ initio, validiſſimum medicamentum exhibentis, quod licet commoveat,alteret, *perturbet,calefaciat, & noceat, non* ob id in conclamato caſu *improbandum, nam melior eſt nova quam mors*, ait Gal.12. meth. ult. & minus damnum majori utilitate eſt compenſandum, 2.aph.24. Ad purgandum autem impellit urgens neceſſitas, quia ſi ſanguinis miſſio, cæteraque auxilia ex tempore facta, non conferunt, quid peragendum ſu-

pereſt niſi partem affectam per alvum, unaq; totum, dato cathartico exonerare; nam tardare noxium, quia vehemens eſt ad partem affectam confluxus. *Zacutus Medic. Princ hiſtor. l.1. hiſtor. lxxv.* Sed quid ſi humores fluentes crudi ſint? hic enim materia non turget, quæ ad certum locum fertur; turgent enim humores cum vagabundo motu feruntur; adeſt præterea initium morbi, quo tempore purgare interdicit Hippocr. 1. aph. 22. An excludit ab ea regula Hippocr. fluxiones vehementes, ob quas potius revellendum quam vacuandum; præcavendum potiùsquam curandum, ſcopum dirigendo non in humorem fluxum ſed fluentem? Ita ut inviolata maneat ſententia Hippocr. de rat. vict. in acut. *Quicunque ea quæ inflammata ſunt ſtatim initio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, ij de intento quidem & inflammato nihil hauſerunt, non enim remittit affectio quæ adhuc cruda eſt.* Vel cum *Sennerto*, dic humores, Anginæ cauſam, turgentium conditionem referre, qui errabundi à natura expellantur, nondum ſubadſtentes: ac licet ſi certam partem inclinent, vago tamen motu ferantur, unde novo impetu aliam invadere poſſunt, quod tranſitus anginæ in pleuritidem & peripneumoniam teſtatur: Nam ſæpe fit ut febris præcedat anginam, vel ſimul invadat, & materia, peculiari naturæ motu, humores vitioſos trudere conantis, ad fauces pellatur. Si autem inflammatio præcedat, neque ea ab humoribus vitioſis, à corpore protruſis, ortum habeat, ac demum febris ſequatur, non multum ſolatij à purgatione expectandum, ni forte metus augmenti phlegmones, ex novo humorum affluxu ſuccedat: Eo in caſu eligantur talia purgantia quæ humores jam efferatos amplius non agitent & febrem augeant, caſſia, manna, tamarindi, &c.

XVII. *Riverius* in pituitoſa ad *Vomitoria* tranſit, imò vehementia, ipſam aquam benedictam, quam ad ℥ij. exhibitam mira præſtare, ait, morbumque ut plurimum intra horas duas diſſolvere: adde quod cum nullo ingrato ſapore prædita ſit, pitiſſando facile ingeratur, quod cæteris medicamentis negatum, quæ uno hauſtu ſorbenda; ideo ut plurimum anginoſi purgari nequeunt, donec ex parte meatuum libertas reſtituta: Emetici beneficio liberatorum exempla duo affert in obſervat. Centur. ij. Obſ. x. & xxiv. Sed tutius eſt vomitoria & antimonialia proſcribentium conſilium, quod ſecurè ea exhiberi non poſſint in morbo ad ſuffocationem prono. *Trincavellus* enim l.5. c.7. refert fœminam aſſumpta caſſia, ſequutoque vomitu, ſtatim ſtrangulatam interiiſſe.

XVIII Sunt qui ad repellendum humorem influentem imperant gargariſmata ex auſteris, acerbis, guſtui non ingratis: Eorum tamen uſus in hoc affectu mihi ſuſpectus eſt, quia partes inflammatæ quiete indigent, gargariſmate autem guttur & fauces commoventur: Ergo aut ab iis abſtinendum, aut certè ore tantum citra ullam agitationem contineri debent, idque reſupino corpore, ut partem affectam contingant. *Enchirid. Med. Pract.*

XIX. *Galenus* & ſequaces in qualibet anginæ ſpecie, ab initio & frigidis, & adſtringentibus gargariſmis utuntur, contra præceptum Hippocr. 4. de rat. vict. in acut. verſ. 72. qui calidos actu gargariſmos præſcribit: Errant, non conſiderantes hujuſmodi medicamenta in Angina, à pituitoſa materia dependente, certam & celerem ſuffocationem inducere, cum hæc repellentibus non cedat, ſed craſſior reddita, & parti infixa magis, diſcuſſioni ineptior & promptior ad ſuffocandum reddatur: In ea vero quam acris & tenuis materia parit, etſi non adeo pernicioſa ſint, plus tamen lædere quam prodeſſe poſſunt; nam cum materiam à capite deſcendentem ſurſum repellere non poſſint, neceſſe eſt eam, vel ad interiores muſculorum gutturis partes compulſam, vel ad pulmones, morbum deterioris conditionis reddere: Melius eſt conſilium Hippocr. quem antiqui omnes ſequuti ſunt, ut videre eſt 6. de comp. Medic. dum in qualibet anginæ ſpecie, & omni tempore, à repellentibus abſtinendum cenſuit, ſemperque & rarefacientibus & diſcutientibus utendum, quo materia facilius & per ſputum educi, & ad exteriora converti & diſcuti poſſit: Nec fluxionis augmentum ex eorum uſu timuit, cum huic occurri poſſit & venæ ſectione & purgatione, aliiſque remediis humorem fluentem reſpicientibus: Et ſi aliquando adſtringentium portionem præfatis medicamentis admiſceri voluit, materia tenui exiſtente, id non repellendi gratia ab eo factum eſt, ſed ut eorum vi ſiccante partis laxitatem nimiam vitaret, & minueret tumorem, ideo eorum uſum non magis initio quam aliis temporibus probavit, ut patet ex lib. 2. de morb. ſect. 1. verſ. 24. *Martianus comm. in prædictum locum pag. 308.*

XX. In nulla admovenda ſunt repellentia foris, etſi *Rondeletius* utiliſſima in principio judicet ſi Medicus vocaretur, futuraſque defluxiones præcognoſceret; aſſerens in ſe, & anginam, & ad fauces defluxiones prohibuiſſe nucibus cupreſſi ſupra partem appoſitis: ſed foras evocantia conveniunt, dolorem mitigantia, inflammata diſcutientia & concoquentia: Ab hoc autem remedio cautio fit ubi peſtifera angina in vitio eſt, nam illa humectam vim reformidat, Et de hac loquitur *Trallianus* ubi ſcribit, vitanda eſſe cataplaſmata quæ tantum laxant: huic cataplaſma ex nido hirundinis peculiariter dicatū eſt: Moneo in hac anginæ ſpecie ut maximum ſtudium adſit mitigandi dolorem mollibus medicinis: quare ſi pungat calidiſſimus dolor, accipies aq. roſat. lib. ß. caphuræ gr. iij. & cum ſyr. roſar. f. gargariſmus, *Heurnius c. de Angina.*

XXI. Anginà caninâ cum fœmina corriperetur nullo apparente tumore, magna cum violentia reſpirans, nec ulla præſidia prodeſſent, tandem eodem die quo omnia ob procraſtinationis periculum acta ſunt, ſub mento ſcarificata cucurbitula ſummo fuit auxilio. *Zacutus Pr. adm. l.2. obſ. 94.*

XXII. In illa Anginæ ſpecie in qua laryngis muſculi inflammati ſunt, Cynanche dicta, ægro ſuffocanti reſpiratio Laryngotomiæ ope reſtitui poteſt, Operatione morbo minus periculoſa: Circumſpectione nihilominus hic ſumma opus eſt, ne ſi aliæ quoque partes, Pleura, ſcil. Pulmo, Gula, &c. inflammatæ, aut jam pure repletæ, irritus ſit labor, & calumniandi anſam præbeat, Omnibus igitur bene conſideratis operatio hoc modo aggredienda. Reclinetur aliquantum caput, quo in conſpectum magis prodeat trachæa, annulique ejus cartilaginei à ſe invicem magis recedant: Incidatur deinde cutis ſecundum longitudinem laryngis uſque ad foveam: Hæc utrinque miniſtri digitis diducatur, quo oculis Chirurgi occurrant muſculi duo longi ſternohyoidei, cultro ligneo, aut oſſeo à ſe invicem parum removendi: mox larynge ſeſe exhibente, ſectio in ea fiat ope phlebotomi, loco inter annulum cartilaginē 3. & 4. medio, Sedulo cavendo ne cartilagines ipſę lædantur. Flatu prodeunte, cultellum aufer, vulnerique fiſtulam argenteam infigito, bene proſpiciendo ne longior juſto poſticam trachææ partem attingat, unde tuſſis continua: Suffocationis periculo ceſſante, quod die 3. aut 4. plerumque contingit, vel ſaltem contingere oportet, fiſtula ablata vulnus ordinario modo ſecundum artem curetur, nam ab aliis non differt. *Barbette* Anat. Pract. p.m. 130.

XXIII. Aperta vomica cavendum ne pus influat in Pulmones aut ventriculum, ob periculum alterius affectus, ſed illud eſt diligenter ore reiiciendum, tumque ad deterſionem valet frequens gargariſma ex aqua mulſa, &c. *Chalmeteus Enchir p* 113.

XXIV. *Quidam angina notha laboraverat, & ſæpe recrudeſcebat affectus*, quia ſemper aliquid tenue ad prædictas partes confluebat, ideo fontanellam in altero brachiorum aperiri juſſi, qua tanquam cum ultimo præſidio rem tentavimus, & ad ſalutem integram, Deo auſpice, laborantem reduximus. *Mercurialis conſult. med.* 2.

XXV. In Angina ſymptomatica febris malignæ, nihil attentandum priuſquam ingens æſtus fuerit mitigatus, corpus evacuatum, alteratum & partes à veneno fuerint præſervatæ.

XXVI. Deinde Somnus, ut in omnibus internis inflammationibus, ſic in hac quoque remis & & velis fugiendus eſt; nam juxta Medicorum principem, ſanguis in ſomno magis intro repit, unde humorum defluxus ad partem affectam augeri poſſet. *Henr. Petraus in Noſol. Harmon.*

XXVII. Matrona quinquagenaria ſquinantiam habuit phlegmaticam, totam gulam intus & extra occupantem, tumor extra magnus apparebat, deglutitio & loquutio impediebatur: tangens locum ſenſi materiam in profundo, unde novi quod prius ſuffocaretur quam apoſtema interius vel exterius rumperetur, & locum palpans cum digitis, inveni maturam materiam, inter mentum & epiglottum, pluſquam in alio loco congregatam, & evitans nervos & vaſa, vulnus ibi feci profundum, per quod de corrupta materia magnam partem extraxi, relicta parte magna Tunc ægra leviorem habuit anhelitum, & timor mortis diminutus, &c. *Lanfrancus Chirurgia doct.* 2. *tr.* 3. *c.* 5.

XXVII. *a.* Fœmina menſtruis rite fluentibus angina correpta, eſpirationem & deglutitionem impediente: huic 1. clyſterem laxantem præſcripſi & 1. m. e brachio ad ℥iv. poſtridie enema fortius inditum, venæ ſub lingua inciſæ, & cucurbit. ſiccæ interius femoribus admotæ, quæ & die ſequenti iteratæ: Sanguine ſat educto cucurbitulas removi, & gargariſmum præſcripſi, eximium in omni periculoſa angina, cum adhuc eſt in principio augmenti, ſi fauces inflammatæ ſæpe colluantur. *℞. Pulv. ſinapi* ℈iß. *aceti ex vino acerr.* ℥j. *aq. plantag.* ℥iij. *ſacch. albiſſ.* ℥ij. *m.* qui Gargar. ſpatio horar. 14. partim humores repellendo, partim reſolvendo patientem morti proximam liberavit. Valet & Gargariſmus *Riverij* cent. 4. obſ. 76. præſertim in oedematoſa. *Scultetus Armam. obſ.* 40.

XXVIII. Vir eruditus, ſanguineæ temperici ad aduſtam vergentis, Angina notha corripitur citra febrē, aderat deglutiendi difficultas & conſtrictionis circa fauces ſenſus: multa ad importuni affectus ſedationem molitus eſt, ratus defluxionis e cerebro eſſe ſobolem, quamquam illius ſiccioris plurima eſſent indicia: Pilulis crebro caput expurgatum, diætam hidroticam & diaphoreticam (erat enim Medicus) ſibi præſcripſit, ſacculis, emplaſtris &c. caput exſiccare allaboravit, uſus apophlegmatiſmis errhinis, imo pyroticum inio admotum, omnia fruſtra: Tum temporis Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum cauſa acceſſeram, Affectus διαγραφὴν ad me tranſmittit, exhibendam Medicis aliquot celebribus: In conſilium ſeorſim adhibiti Excell. Dom. *Carolus Buvardus*, Ludovici xiij. Medicus primarius, Dom. *Curaeus de la Chambre*, Magni Cancellarij Medicus & Dom. *Harduynus de S. Jaques*, Noſodochij Charitatis Medicus: Hi perſpecta ægri temperie, affectum omnino ſympathcum eſſe pronuntiarunt, a fumis ex hypochondriis elatis, ſummam camini partem, ſcil. oeſophagi, afficientibus oriri, providendum eſſe atrabilariorum humorum temperationi & excluſioni, ſeidula, Monentes præſcripſerunt, chalybeatorum uſum, fonticulum in alterutra tibia, occludi jubentes imo occipitio inuſtum, admoveri hirudines ani margini, & quæ humorem atrabilarium domare valent: Paruit æger, qui paulo poſt & à paſſione hypochondriaca, ſimul & anginoſa liber fuit.

XXVIII. *b.* Vxor N. plethorica, intenſiſſimos patiebatur faucium dolores, tonſillæ ita erant tumefactæ ut ne guttulam potuerit deglutire, omniaque aſſupta reiiceret per nares, Inſtitui venæ ſectionem, uſus ſum cataplaſmatibus & gargariſmatibus, quartoque morbi die malum exploraturus bacillo, abſceſſum vidi ſupputatum: placuit mihi inhumanius cum illa agere, eodem bacillo abſceſſum rupi, unde cum ſtatim melius haberet, riſit & laudavit probam fraudem. *P. Barbette Prax. Med. l.* 2. *c.* 1.

ANOREXIA.

SYLLOGE.

Pro varietate cauſarum varia ſit curatio 1.
Alimenta ſint actu frigida. 2.
Iejunium aliquando indicendum. 3.
In gravidis curatio. 4.
A bile excitatæ curatio 5.
A pituita. 6.

I. Foemellæ ægris adſtantes nihil æque poſtulant quam hujus vitij ſublationem, verum illi ſignum ſanitatis pro cauſa habent, hinc ſæpe cogitur Medicus Appetitum provocare: Proſternitur 1. quia vires non ſunt integræ, & ſanguis non bene coquitur. 2. quia ex priori cauſa, ob admiſſos tenues humores *humor acidus* ſegregari non poteſt: (hoc videmus in iis in quibus per arterias, ſimul cum *humore acido* noxij humores in ventriculum effunduntur, quod ſæpe fallit Medicos, qui cauſam in intemperiem ventriculi referunt,) vel quia deficit, vel quia corrumpitur & nimis eſt tenuis: Quod *Appetitus proſtratus humoris Acidi* vitio ſit adcribendus, hoc inde apparet, ſi ab acidis ſumptis malum levetur: melancholici, qui poſt acidorum uſum bene appetunt, raro evadunt: Appetitum proſtratum ab humoris acidi vitio pendentem emendamus acidis, & videmus ferme omnibus morbis acida convenire, exceptis thoracis: Spiritus vitrioli ob admixtum ſulphur vires ſuas amittit, convenit acetum, pomum arantium & citrium, ſed ſæpe peccatur in nimia quantitate, hinc ob eroſionem ventriculi incidunt in crebras oris ſpuitiones, ſaccharum additum vires infringit: Tempus exhibendi, in ſtatu, declinatione, ante prandium, non ante coenam, ne ob excitatum appetitum plus cibi ſumant, & ita perferendo morbi inſultui, qui ſemper ſub nocte gravior eſt, ac concoctioni impares evadant, ſemina pomorum citri & arantiorum ſimul commedenda ſunt, ob vim cardiacam: Appetitus qui à virium debilitate oritur, raro curatur, niſi vires a cauſa frigida conſumptæ ſint, tunc eidem calida & aromatica proſunt: In ſenibus, ob debilitatem non appetentibus, interna calefacientia non æque proſunt ac externa, illa enim in his corporibus exſiccatis majorem faciunt ſiccitatem: Exterius convenit oleum macis, cruſta panis tuſta, vino malvatico irrorata. *Walaus m. m. p.* 145.

II. In omni *Inappetentia* dentur alimenta actu frigida & parva quantitate, propinentorque inſcio ægro quantum fieri poteſt: utantur pane aſſo vel exiccato diu in aere, vel utantur placentis bene ſiccis, bene fermentatis & non nimis ſubactis. *Rondeletius pract.lib.2.cap.*14.

III. Cum quis conqueritur ſe nunquam cum *appetentia* accedere ad cibos, conſultum erit cogere ut jejunet quouſque appetat, nam ptiſario parit appetitum: Sic cum quis capere non poteſt ſomnum, coactus vigilare, & ſtando nictare, antequam ei permittatur decumbere, ſolet in ſedentarium & profundum ſomnum incidere. *Valleſius 6. Epid.ſ.*4.

IV. *Inappetentia* in non gravidis purgatione potius quam venæ ſectione tollitur, oritur enim à cacochymia in ventriculo & toto redundante: In Prægnantibus potius medetur ſanguinis miſſio, quod fiat a ſanguine retento ab ipſo graviditatis initio. *Riverius.*

V. Quia *Bilis* ob calorem dejicit Appetentiam, ad mundandum ventriculum dari debet decoctum tamarind. prunorum acid. & ſebeſten, cum ſyr. roſ. & rheo, In craſtinum medicamenti, duabus horis ante paſtum, bibant aquam frigidiſſimam, niſi ventriculi imbecillitas, aut aliud quid prohibeant, utantur pro condimento acidis, guſtent & aliqua ſalſa &c. *Rondeletius l.c.*

VI. Quod ſi *Pituita* fuerit in cauſa, poſt vacuationem optimum eſt dare acida, ſed cum detergentibus & ſalſis, nam quæ propter dulcedinem detergunt, ſatiant & inflant, unde non proſunt affectui niſi multum aceti addatur, ut parum dulcia videantur. *Idem. Vide Symptomata Febrium lib.6. §.*50.

ANI AFFECTUS.

SYLLOGE.

Prolapſi *reducendi ratio.* 1.
A nimis adſtringentibus abſtinendum. 2.
Sphincteris reſolutio *decocto ebeni curata.*3.
In curanda Fiſtula *Sphinctere parcendum.*4.
Condylomatum *curatio per compunctionem.*5.
Criſtarum *curatio per exciſionem.* 6.
*Hirudinis ingreſſa revocatio.*7.

I. CVrationis medium proponam, quod primo intuitu quidem riſu dignum videtur, ſed quod in *Ani Prolapſu* valde conducit: Nates patientis extenſa manu quinquies, aut ſexies, aut pluries verberato, quo muſculi ani levatores inteſtinum rectum ſtatim in priorem ſedem attollant: Sed antequam hiſce verberibus excipiatur æger, inteſtinum rectum oleo roſatum & myrtillorum circumlinire neceſſe eſt. *Barbette Chirurgia cap.* 9.

II. In curatione *Ani exitus* abſtinendum à nimium adſtringentibus, ne hiſce alvum difficiliorem reddendo, & proin conatum majorem excitando illius prolapſum potius promoveamus quam impediamus. *Platerus.*

II. Matronæ à febre malefica convaleſcenti, excrementa alvi invitæ exibant, ob debilitatū calorem nativum, malum nullis ceſſit remediis, tandem ſudoribus excitatis cum ſucco ebeni ad xx. dies, fæces retinuit, juvante hoc Empl. *oſſi ſacro admoteq.* ℞. *Empl. viper. conſort. Vigonis, g. tacamah. aa.* ℥ß. *Ol. laur. angel. caſtor. de coſto, amſ. tereb. reſin. de piper aa.* ℨß. *cum cera f. Empl.* Olim Balneis naturalibus lanavi recti inteſtini reſolutionem in ſene. *Zacutus Pr. adm. l.2. Obſ.*167.

IV. Reprehendit *Riolanus* Anthropogr. lib. 2. omnes fere recentiores Chirurgos in curandis *Fiſtulis*, quæ frequentiſſime in Ano generantur, ipſumque muſculum ſphincterem permeant, & aliquando ſupra ipſum progrediuntur, nam aſſerit muſculū ſphincterem totum ſecari poſſe, quoniam inquit, inciſum hoc inteſtinum facile conſolidatur, nam dum caro eſt uniri debet; Hanc conſolidationem proculdubio nos quoque fatemur: negamus conſervari poſſe facultatem conſtringendi, ex quo fit ut fæces contineri non poſſint, ut ego ſæpius obſervavi, & præcipue in quodam ſutore, cui muſculus ſphincter totus ſectus fuit per tranſverſum, & denuo unitus, fæces tamen exibant tenues eo inſcio, craſſas vero ſentiebat, ſed eas comprimere non poterat, nec aliunde hoc eveniebat niſi quia totus muſculus ſectus fuerit, Et *Aquapendens* l. 3. de vlcer. c. 12. dicit ſcindere debemus muſculum ſphincterem, obſervando tamen ne totus ſcindatur, ſed aliqua ſaltem portiuncula ſemper integra remaneat, ne fæces involuntarie exeant: Non eſt igitur ſecundum *Riolanum* totus incidendus muſculus, ſed ſemper aliqua portiuncula (quantumvis minima) integra eſt ſervanda, ne facultas conſtringendi in totum amittatur. *Domin. de Marchettis Anat. lib.*3.

V. *Condylomata* (Ani tubercula à nodis digitorum ſimilibus dicta) & venientibus ſuperne ſalſis ſeroſiſque ſanguinis affluxibus irritantur, & indoleſcunt: His moleſtiis eximendis, nil melius expertus ſum quam facto ſuppunctu vacuationem humoris multi Vinitor melancholicus, gracilis habitus ſed proceri, ſæpe accedentibus his doloribus præſentaneum reperit remedium in horum tuberculorum ſcalpro perpunctione. *Severinus med Eff. p.*82.

VI. Plures *carnea Excreſcentia* mulieribus & puerulis, apud Romam agentibus, circa Anum enaſcuntur, quas nonnulli criſtatas hæmorroides appellant, quibus rhagades aſſociantur: Pro quibus curandis carneis excreſcentiis, cum plures plura machinati ſint, nos, variis tentatis præſidiis, nullum ſecurius huc uſque invenimus remedium quam eas forcipibus incidere: inciſis enim, paucis poſtea derelicta veſtigia curantur. Sed Rhagades unguento de plumbo, & aliis apprime exſiccantibus extirpantur: *Criſtas* autem dictas quidam aqua ex rebus apprime conſtingentibus, ut alumine & tartaro ac ſublimato confecta eradicare, veluti alij argentariorum aqua forti, ſed prior curationis via ſecurior eſt, quum parvum dolorem, & ſymptomata fere nulla ſecum trahat, ut experientia longa comprobatum habemus. *Amatus cent.2.curat.*87.

VII. Quidam cum ano hirudines ſibi apponendas curaret, una Chirurgi digitos ſubterfugiens, per inteſtinum rectum ingrediens altius penetravit: Ego ſtercus bovinum ſiccum, modice calidum, irroratum prius cimicum pulvere (cuius loco caſtoreum optimum) ano admovere impero, cujus fumo, & clyſtere ex ſolius cæpæ ſucco confecto, ipſa ſemimortua cum fæcibus eſt ejecta. *Zacutus M. P. pag.*7.

APHONIA.

APHONIA.

SYLLOGE.

Cauterio in ſutura coronali curata. 1.
Gonorrhœam ſequuta, fonticulis in inguine factis deſinens. 2.

I. CVm cauterio in Sutura coronali celebrato curavi mulierem quæ ſeptem annis fuerat ſine voce. Nec valuerunt mihi euacuationes, unctiones, & alia remedia ad cutæ perfectionem, donec prædictum cauterium fecit opus: Nam antequam illud cauterium clauderem, mulier habuit claram vocem: perdiderat enim vocem ex antiquo catarrho à capite deſcendente. *Lanfrancus tr.* 3. *doct.*3.*cap.*18.

II. Ruſticus medicamentorum impatiens, diuturna virulenta gonorrhoea laborans, mali pertæſus ſæpe genitalia & circumſitas partes, ad compeſcendum fluxum ardoremque urinæ mulcendum, gelidiſſima aqua abluebat: hic reſtricto humore Aphonos factus: Nullis remediis conferentibus, in inguinibus fonticulis excitatis, mananteque inde ſanie vocem amiſſam recuperavit. *Zacutus Pr. adm. obſ.* 105.l.1.

APHTHÆ.

(*Vide libr. IX. Titul. de Infantium Affectibus.*)

SYLLOGE.

Cauſa & Curatio 1.
Curatio differt a cæterorum ulcerum curatione. 2.

APhthæ omnes ortum habent ab Acido peccante, & quidem ut plurimum ab inferiis partibus per ventriculum ac œſophagum ſaſſurgente; rarius cum ſaliva in os deducto: hinc ſemper indicant *Aphtha Acidum acre* in corpore peccare, & ejus rationem habendam exactam, non tantum propter ipſas, os occupantes Aphthas, verum etiam propter Acidum in corpore exiſtens, atque alias noxas producens, aut producturum, à quo majus vitæ periculum quam ab ipſis Aphthis, quæ anguſtando fauces, atque reſpirationem & deglutitionem impediendo, vitæ poſſunt inſidiari: Ipſarum ergo curatio conſiſtit in ſequentibus 1. In Acidorum humorum, Halituumve ad os delatorum (atque non tantum totam ipſius ſuperficiem, verum œſophagi quoque tunicam internam rodentium, atque ulceuſcula infinita producentium) *correctione ac emendatione.* 2. In notatorum humorum, correctorum, *diminutione aut expulſione.* 3. In eorundem, & halituum *Productione* nova *impedienda.* 4. In partium affectarum liberatione, Aphtharumque *maturatione* ac *caſus promotione*, 5. In partium liberatarum *mundatione ac conſolidatione.* Quamvis autem multi non attendant ad peccantis *Acidi correctionem*, quoniam confuſa fuit hactenus apud Medicos Acrium notitia & doctrina, uno Acrimoniæ nomine duntaxat ipſis noto, jam tamen duplici, ac quidem ſibi contrario Acri a me patefacto, & aliquot annis jam plurimorum experientia confirmato, attendendum tum ad *Acris* utriuſque vim & noxas quotidianas, tum ad ejuſdem correctionem optimam: Inter plurima vero quæ ſolent alterutrum, quin utrumque *Acre* corrigere ac temperare, laudatur merito in curandis Aphthis omne *acidos ſpiritus concentrans*, & quidem blande, inter quæ ſunt *Oculi cancri, margarita, coralia, creta alba, ſanguis drac. lapis hæmat,* &c. quæ pro Aphtharum, adeoque *humorum acidorum* imprimis tunc peccantium diverſitate poſſunt eligi, cæteriſque præponi e. g. quoties ob *aciditatem ſummam* non tantum exulceratur, ſed *finditur* quoque lingua, cum partibus ſimul affectis, unde ſanguis quoque effunditur purus, convenient præ aliis *lapis hæmatites & ſanguis draconis*: Vbi ſine tali aciditate Linguæ occurrunt Aphthæ, ad temperandam corrigendamque Aciditatem, conducent præ aliis *Oculi cancri* & *margarita*, tanquam concentrantia blandiſſima, quæ hactenus juvant quatenus aciditatem noxiam demulcent franguntque, Conducit & *Bezoarticum* minerale: Eoſdem humores, quantum fieri poteſt, correctos diminuunt ac educunt *hydragoga*, quoniam ſub ſeri forma reperiuntur omnes *humores Acidi* puriores, quos ſicut aliis humoribus, pituitæ & bili conjungi confundive non eſt mirum, ita ſpecificis additis ſimul educi non abſurdum: Hinc eſt quod in curandis infantum Aphthis, tam frequenter uſurpamus ſyrupum de *cichoreo cum rheo*, quia ſcil. in conſenſum tracta eſt ſimulque Bilis corrupta, ab Acido acriore facta æruginoſa; Ne nunc dicam omnes humores educi à quibuſvis purgantibus, licet putem etiam à certis medicamentis facilius & uberius educi humorem hunc vel illum præ aliis: *Humorum Acidorum productio* ſicut pendet imprimis ab uſu alimentorum, condimentorum medicamentorumve Acidorum, ut & ab Aere frigido, Animive moerore aut terrore, ita eadem productio impeditur tum abſtinendo ab illis, tum uſurpando magis *oleoſa*, *ſive pinguia & ſpirituoſa*, fruendo aere ſereno & æſtuaore, Animum recreando rebus gratis & acceptis: *Halituum* autem *Acidorum proventus*, ſicut debetur effervescentiæ factæ ab Acido valde acri & potenti, ita idem impeditur correcta, aut impedita notata effervescentia vitioſa, tum per ea quæ Acidum illud potens, & valde acre potenter concentrant, tum per ea quæ alias idem obtundunt: Concentrant potenter *Acidum Acre*, *creta*, *ſanguis draconis*, & ſimilia: Obtundunt *Acidum Acre Pinguia* & *oleoſa*, ſed imprimis *Opium* omniaque *narcotica*, quo referendum, cæteriſque præferendum quodvis *ſulphur metallicum* aut *minerale fixum* redditum, præ quo nihil expertus ſum hactenus quod tam utiliter, h. e. tam blande, tam certo, tam cito, imo tuto cohiberet vitioſas effervescentias: *Partes affecta Aphthis* liberabuntur ipſarum *maturatione* ac ſpontaneo *caſu*, per medicamenta *Acrimoniam Acidam* ipſis coniunctam blandiſſime *temperantia*, quin eandem *in ſe alliciencia*: Inter hæc laudatur merito *Raparum* in aqua coctarum, vel aſſatarum *ſuccus* expreſſus, cui ſaccbari aliquid addi ſolet: etſi minus requiratur ubi aſſantur, cum qui tunc prodit ſuccus, ſyrupi tenuioris conſiſtentiam æmuletur & ſaporem: Hoc ſucco colluunt & gargariſant ſæpius os & fauces ægri; vel eundem in ore tantillum retentum ſenſim deglutiunt, quod ego præfero, quia non tantum os partesque in ore contentæ hoc fruantur beneficio, verum totus inſuper œſophagus, imo ventriculus,

qui non minus afficiuntur Aphthis atque partes in ore occurrentes, id quod inprimis locum habet in Infantibus, à quibus expectari nequit collutio & gargariſatio, Adde quod cum ab iſto ſucco temperetur blande ac efficaciter Acidum hic peccans, in ipſis quoque inteſtinis tenuibus corrigatur & obtundatur idem, ſicque ejuſdem aſcenſus ſurſum impediatur, citiuſque malum hoc ſuperetur, Vſurpantur quoque ſyrupi varij, *violar jujubinus ſolut, de liquiritia, &c.* quos eatenus conferre puto, quatenus aciditatem noxiam leniter obtundunt ſucco plantarum mucilaginoſo, ex quo parantur, ſive decoctione, ſive ſola contuſione, ac expreſſione: Præ multis aliis hic laudo *Ovi vitellum* conquaſſatum, & aq. roſac dilutum, cum tantillo ſacchari, Ille enim in ſe allicit humorem acidum in ore nocentem, ſicque partes affectas paulatim liberat, promovetque Aphth. caſum: Vſus ſit qui *raparum ſucci:* Commendatur à quibuſdam cereviſia, incoctis ficubus conciſis: obſervavi tamen quibuſdam fuiſſe ingratam ob ſummam glutinoſitatem: Dum ita dicuntur *maturari Aphthæ*, h. e. paulatim à partibus ſubjectis & male affectis ſecedere, nova ſuccreſcit ſub ipſis cuticula, eaſdem partes tegens: quamvis autem illa tunc ſponte, ac beneficio laudatorum medicamentorum ſoleat ſubſequi, promovebitur tamen uſu *ſyrupi de roſis rubris, melle roſat.* & ſimil. quin terræ pingues, *Bolus arm. Terra lemnia, &c.* cum aq. plantag. in pollinem tritæ, addito pauco ſaccharo, ore poterunt contineri, & curatio ultima, ſive *Conſolidatio* feſtinari. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 1. c. 5. §. 50. & ſeq.*

II. Hoc notandum, cæterorum ulcerum curationem promoveri quando paulatim exſiccantur, & minus humoris ex ipſis prodit, Aphthas contra curationis ſpem facere quando ipſæ ſunt humidæ, atque multum humoris effunditur ex ore, ptyaliſmum mentiens, tunc enim citius & facilius ſolent curari Aphthæ: Unde ſicut ad cæterorum ulcerum curationem laudantur medicamenta humorum acrimoniam, ſed Acidam, temperantia, mox exſiccantia, ita contra curandis Aphthis conducunt medicamenta, lenientia quidem, Acidamque acrimoniam temperantia, ſed ſimul humectantia & madefacientia. *Idem Append. Tract. 10. §. 285. & 286.*

APOPLEXIA.

SYLLOGE.

An ſanguis mittendus. 1.
Fotus *quando venæ ſectioni præmittendus.* 2. *b.*
Non omni competit 6.
Intempeſtiva noxa. 18.
Jugularium venarum apertiones utilitas. 2. *a.*
Apopl. ſanguinea, vena in utroque brachio ſimul aperta, curata. 16.
Rite fluentibus menſibus ſectione cephalica curata. 3.
Cucurbitulæ *ubi admovendæ.* 10. *a.*
Efficacia admotæ cucurbitulæ ſincipiti. 25.
Sectio ſincipitis *cutis utilis fuit.* 24.
Veſicatoriis *ſanata.* 23.
Succuſſatio, & ad ambulandum ſollicitatio *quando locum habent.* 7.
Pilorum vellicatio, Digitorum complicatio, Extremorum frictio, &c. *an locum habent.* 12. *b.*
Apoplexia levis à ſanguine flatulento curata 23. *b.*
An Purgandum 21.
Vehemens Purgatio convenit. 22.
An Vomitus *excitandus.* 4.
Vehementi emetico ciendus. 5.
In paroxyſmo quando promovendus. 8.
Clyſteres *ſint acerrimi.* 9.
Primus ſit leniens ſine acrimonia. 11.
E vino ne parentur 10.
Suppoſitoria *frequenter ſubiiciantur.* 13.
An Ptyaliſmo *poſſit ſolvi.* 20. *b.*
Oleorum ſtillatit. & ſalium volatilium *efficacia* 20.
Apophlegmatiſmi *ex Hieris reiiciendi* 14.
Acetum iis immiſceri non debet. 15.
Errhinis *tempeſtive utendum* 12. *a.*
Ptarmica, *aut Extremorum* ligaturæ *an clyſteribus acribus præmittenda.* 17.
An Ptarmica utilia 28.
Aquis Apoplecticis *caute utendum* 29.
Magnis antidotis *non ſemper locus* 30.
An Iuſtitus *utiles.* 31.
Reprimentia *non conveniunt.* 27.
Febris *an excitanda ad curationem, Aut ſuperveniens an extinguenda.* 26.
Apopl. negligentius curata, e levi in lethalem tranſit. 19.
Qualis ſitus *debetur.* 32.
Deſperati non omnino deſerendi 33.

I. VEnæ ſectionem quod attinet, à Practicis mox fere ac ſemper in apoplecticis inſtitui ſolitam, utique ad humorem à cerebro removendum inſtitui nequit, Quæritur proinde an in Apoplexia a pituita orta inſtitui commode queat, cum inſtituatur plerumque, & ſi queat, cur inſtituatur, aut ſaltem inſtitui debeat? Aliud profecto eſt, ſi in ullo caſu Medico, certe in hoc, Practice decidere difficultatem, aliud Theoretice: Theoretice dico, à Medico ſecundum theoriam Medicam, qualis ex Inſtitutionibus vulgo petitur: Practice vero, ſecundum ea quæ in Praxi, extra & ultra theoriam, quotidie occurrunt obſervanda circa ægros, de quibus Theoretici ne γρῦ quidem: Unde omnino arbitror Practice conſiderari & decidi debere hanc Quæſtionem, in Medicina Apoplecticis rite facienda maximi momenti: Neque enim in ægris Apoplexia correptis, ad ſolam Apopl. i. e. abolitum ſenſum & motum eſt attendendum, verum inſuper ad ſummum, in quo verſantur vitæ periculum; Sed ex abolito ſenſu & motu non pendet proxime mors, Apoplecticos pleroſque tollens, verum à ſuffocato igne cordis interno, & quidem ob ſanguinem, ex deficiente cordis, arteriarum, cæterarumque reſpirationi & ſanguinis motui inſervientium partium motu, in ſanguinis ventriculis reſtagnantem, & ignem internum opprimentem atque extinguentem: Quamvis autem ob deficientem in univerſo corpore animalem motum, deficiat tandem in corde quoque, & reſpirationis organis eorum motus, partim naturalis, partim animalis, atque idcirco reſtagnet in corde & vaſis ſanguis, quoniam tamen hoc vitium tam cito tolli nequit, ut ſimul præcaveatur Ignis interni ſuffocatio, arbitror omnino ex Arte, licet pleriſque forſan veram ejus cauſam & rationem ignorantibus, atque in hac re Empiricis duntaxat inſtitui Venæ ſectionem, ex qua ſponte effluente ſanguine, via aliqua & locus paratur, in quem recipi queat ſanguis in cordis ventriculis

eorumque

eorumque vicinia collectus, & internum ignem, vitæ vinculum, extinguens: Sanguine autem ſic quodammodo imminuto, recreatur & reſuſcitatur quaſi langueſcens ignis, qui tum diutius præſtolari poteſt integram ſui liberationem, à libero animalium ſpirituum ad motus organa motu pendentem: Quapropter judico prudenter, & ex arte, poſſe, imo deberi in omni Apoplex. inſtitui venæ ſectionem, & pro ægrorum conſtitutione, ſanguiniſque copia in vaſis exiſtente, ſatis largam ſanguinis evacuationem: ſic enim diutius durabit æger, & facilius ſuperabitur ipſa Apopl. uti hoc confirmat Experientia, ſine qua neſcio an quis conſocius peccare metuens facile ſit conceſſurus in ſenibus, & pene decrepitis, venæ ſectionem: Ubi autem ideo eam vix audet inſtituere Medicus; ſuadent periti, nec male, ut tunc ſcarificationes inſtituantur, aut ſaltem applicentur cucurbitulæ ſcarificatæ, ut potè venæ ſectionis vicariæ: Inſignis eſt *Celſi* de V. S. in hujus Apoplexiæ ſpecie locus, lib. 3. cap. 27. *Si omnia membra*, inquit, *vehementer reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat: Aliud curationis genus vix unquam ſanitatem reſtituit, ſæpe mortem tantum differt, vitam interim infeſtat: Poſt S. M. ſi non redit & motus & mens, nil ſpei ſupereſt, ſi redit ſanitas quoque proſpicitur. Franc. de le Boë Sylvius Prax. lib. 2. cap.* 22. Cum Apoplexia, ex recentiorum ſententia, Hippocrat. doctrinæ conſona oriatur ob ſanguinis impeditam circulationem, vel, ut ille loquitur, ob ſanguinis *στάσιν*. Non, ut vult *Galenus*, propter oppletionem ventriculorum cerebri; tota ſalutis ratio in celeri materiæ è capite revulſione & retractione conſiſtit; neque enim ullum remedium dari poteſt, quod tam citò & repente humores à cerebro avertere, & aliunde derivare, imò & vacuare valeat quàm venæ ſectio, ideo eam cunctis alijs præſidijs in curatione Apoplexiæ præferimus, ferèque in omnibus individuis, ſive plethorica fuerint ſive non, convenire ſtatuimus, Et res loquitur ipſa plurimos Apoplecticos ſola ſanguinis per venæ ſectionem detractione reſtitutos & integrè ſanatos eſſe: ſi quidem dempto in brachio ſanguine, is etiam qui in jugularibus vaſis exiſtit deorſum rapitur, cui ſuccedit portio materiæ in ſinubus hærens, quæ licet ſæpius pituitoſa ſit; non tamen abſque ſanguine reperitur, ſed cum eo moveri & revelli poteſt: & ea de cauſa, ſi nihil aliud grave obſtiterit, largam in apoplecticis ſanguinis miſſionem inſtituimus, quæ ad ſuperiores humores ſe extendat eoſque loco dimoveat, eandémque bis vel ter nonnunquam & in utroque brachio repetimus, quò venæ utrinque exinanitæ potentius ex jugularibus humores trahant & deorſum revellant: Neque virium imbecillitas adeo metuenda, quæ hic oppreſſæ ſunt non diſſolutæ: Quoad refrigerationem corporis, & incraſſationem humorum, ob quam nonnulli venæ ſectionem rejiciunt, nullius momenti eſt, nam in apoplexia nil magis quàm materiæ è capite revulſio & averſio urget, unicéque laborandum ut hæc citiſſimè fieri poſſit, cui indicanti ſubitò ſatisfacit venę ſectio; unde plus commodi è cauſæ morbificæ tranſlatione, quàm incommodi ex corporis refrigeratione, quæ poſt emendari poteſt, ſperandum &c. *Gr. Nimmanni Tract. de Apopl. pag.* 217. Recentiores in ſanguine mittendo faciles, in alijs caſibus, in Apoplexiâ, in qua venæ ſectionem adeo neceſſariam indicavit *Hippocrates*, ut omnibus indiſtinctè adminiſtranda veniat; hi eam penitus formidantes, miſeros patientes prius interire permittunt quàm venam ſecari velint, & ſi quando ea uti cogantur, in quantitate adeo exigua ſanguinem educunt, ut inde læſio potiùs quàm utilitas ſequatur, refrigerationem ex venæ ſectione timentes, ac ſi morbus ex ſimplici intemperie dependeret, non à materiæ, quę qualiſcunque ſit, nullo alio præſidio, eo cito, evacuari poteſt quàm venæ ſectione. *Proſper Martianus comm. in v. 43. lib. 4. de Vict. Acut.* Vide apud *Dodonæum* in obſervat. Medic. cap. 8. exemplum mulieris fortiſſimâ apoplexiâ laborantis, liberatæ per V. S. bis eodem die inſtitutam: Apud *Hildanum*, Hiſtoriam viri apoplexiâ extincti, à ſuppreſſa conſueta hæmorrhagia, cui ab obitu largus ex ore & naribus ſanguis manavit. Centur. 3. obſerv. 11. & 12. *Zacut. Prax. adm. lib. 2. obſervat.* 104. *& lib. 1. Hiſtor. Medic. princ. Hiſt.* 10. *&* 33.

I I. *a. Venas linguæ* quidam aperiri volunt, quod vix præſtari poteſt, quia Apoplectici os diducere nequeunt; Ex venis narium ſcalptis vix tres, aut quatuor ſanguinis guttæ manant: Alij malunt eas quæ in medio fronte coeunt, ſed & hæ, & quæ ſub lingua ſunt, quia à Jugularibus internis vel externis oriuntur, præſtat Jugularem externam ſecare anguſta plaga, metu hæmorrhagiæ: hæ autem venæ in Apoplecticis ſatis ſunt conſpicuæ: *Rondeletius cap. de Apoplexia*: Poſtquam ſecta in brachio vena univerſalis plenitudo imminuta, partes præcipue affectæ ſublevandæ ſunt, ad quod præſtantiſſimum eſt præſidium venarum *Jugularium* apertio, à quibus, ob earum magnitudinem, affatim ſanguis profunditur, quo reſtagnante cerebrum gravabatur; & pulmones hoc onere detracto minus premuntur, ac parciore affluente ſanguine, facilius quem continent deponunt in arterias & ſiniſtrum cordis ventriculum, ac tandem liberiore reddito ſanguinis fluxu, coagulatio impeditur, obſtructiones ſolvuntur, functiones animales ſenſim reſtituuntur: Circa earum apertionem experientia ſuffragatur rationi, eóque facilius eæ venæ tundi poſſunt, quod cum in hoc affectu tumidiores ſint, nulla opus eſt ligatura, quæ hîc poſſet eſſe noxia; quæque eam ob cauſam poſt earum apertionem non eſt arcte adhibenda, ſed vulneri imponendum eſt emplaſtrum Galenicum. *Fr. Bayle Tractatu de Apoplexia cap.* 11.

I I. *b.* Quando non adeſt plethora, ſed humorum acrium ingens copia, melancholiæ ſcilicet acidioris multitudo, aut exaltatio eam induxit, quod indicant dolores prægreſſi, fomenta V. S. præmittere jubet *Hippocr.* nec abs re, cum enim venæ inflammentur ac exſiccentur, anguſtioréſque fiant, & ſanguis ſenſim concreſcat, ſi ijs occurratur per fomenta emollientia, calefacientia, attenuantia, ſanguis facilius fluet, ſuóque rapido motu quod concreſcere incipit, à dilatatis & mollioribus factis vaſis capillaribus, abſterget, ſi ſtatim poſt fomentum, aut in ipſo fomenti uſu, vena ſecetur: alias metuendum eſt ne per ſectionem venæ tenuior ſanguinis portio effluat, craſſiori & coagulari incipiente relicta, quæ mox exhibendi cathartici effectum impediat: Fovendum autem eſt præcipue caput, cum in eo maximum immineat à coagulatione periculum; deinde hypochondria: ſed & fomenta, & V. S. in ipſo ſunt morbi principio uſurpanda, dùm adhuc ſunt elevati ſpiritus. *Idem.*

I I I. Juvencula in veram Apoplexiam, cum menſtrui effluvio, incidit; pluribus celebratis auxilijs, ego neglecta indicatione quæ à menſtruo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

fluente actu deſumitur, ob urgens periculum, tactis crurum frictionibus, & cucurbitulis femoribus appoſitis, octo horarum ſpatio quaterè cephalica copioſè ſanguinem mitto, a quo præſidio convaluit. *Zacutus Princ. Med. Hiſtor.*

I V. Sæpe accidit facultates eſſe ita oppreſſas ut *Purgantia* in actum minimè deducantur, atque adeo etiam nihil operentur, quod mali ominis eſt, & ita affecti ut plurimum pereunt: *At quia*, juxta Celſum, *Quando hujuſmodi tempeſtates ingruunt, remedia etiam cum temeritate rapienda ſunt*, & omnino periculum in hoc morbo aliquid periclitari permittit, nam, ut *Serenus* habet, *Medici hac potiora putant quam dulci morte perire*, Et, ut idem *Celſus*, *multa in præcipiti periculo rectè fiunt qua alias eſſent omittenda*; Ideo propoſitis remedijs non proficientibus, ad ea quæ ex antimonio parantur licet tranſcendere, prætertim ea quæ minus vehementia ſunt, qualis eſt Aqua benedicta, ex croco metallorum compoſita, quæ per ſuperiora & inferiora expurgans, tantam pituitæ copiam non ſolum è ventriculo partibúſque inferioribus, ſed etiam e cerebro educit, ut hac vacuatione interdum ægri liberentur, & bona fidè teſtari poſſum, me virum Nobilem ter intra biennium ab apoplexiâ hoc ſolo remedio liberatum vidiſſe: Etſi autem nonnulli uſum vomitoriorum improbent in hiſce affectibus, tamen experientiæ magis fidendum, quæ nos docet quotidianis experimentis pueros comate affectos Sale vitrioli vomitivo promptius & tutiùs quàm ullo alio remedio liberari. *Riverius.*

V. Hic advertendus eſt frequens error in exhibendo vino emetico, ignticuloſi enim illud in minori dozi ad ℥ j. ſc. aut ʒ j. ß. ad ſummum præſcribunt; expectatóque effectu fruſtrati medicamentum accuſant infamantque; quod in adultis & robuſtis debet ad ℥ iij. circiter exhiberi ex infuſione Sennæ. *Franciſc. Bayle Tractat. de Apopl. cap. 11.*

V I. Vix ullus Practicorum eſt qui non V. S. ſuadeat in Apoplexia Sanguinea: An autem in omni, ut Clar. *Nymannus* opinatur, dubito; Ille enim propter ſuam hypotheſin, qua omnem Apoplexiam Sinuum concurſu obſtructo fieri probat, tantus eſt in decantandis laudibus venæ ſectionis, quæ cum non in omni Apoplexia locum habeat, quod probavi, venę ſectionis par & perpetua utilitas in dubium vocabitur: Parum V. S. conferre, occupatis arterijs vertebralibus & carotidibus à corporibus fibroſis clarum eſt: Eadem ſors manebit apoplecticos quibus Torcular oppilatum eſt, cum nonniſi à ſimili corpore penitus obturari poſſit: Neque etiam V. S. conveniet ſero intra ventriculos & cavitatem cranij effuſo, cum hac proxima cauſa non tollatur, vires vero, alias fractæ, amplius debilitentur: A rupto vaſe oboriente Apoplexia, res conclamata eſt, tum quia ſanguinis copia intra ventriculos & ad baſin effuſa, arte educi non poteſt: tum quia ibi permanens, in grumos convertitur: In ea quæ à ſero, intra ſubſtantiam effuſo, venæ ſectio potius per accidens proderit quam per ſe, quatenus nimium, propter ſutum ſanguinem, turgeſcentia ſeri & ſanguinis compeſcitur, propterea non ſola hunc affectum abiget, ſed præterea neceſſaria erunt illa quæ ſerum, ſubſtantiam medulloſam irrigans, abſorbent & evacuant: Venæ ſectio autem in Apoplexia ab obſtructione arteriolarum ſubita, plures ob cauſas prodeſt, nam primum ſiſtitur ſanguinis præternaturalis impetus, qui plerumque hujus obſtructionis occaſio eſt, & minore copia ad cerebum properat, dum e. g. è brachij vena emiſſo ſanguine, non parva portio per axillares, ad reſarciendum illum qui V. S. effuſus fuit, brachia petit: Deinde reliquo ex corpore, atque ex cerebro ſanguis haud cunctanter ad cor, ob V. S. illo privatum, feſtinat, depauperato opem laturus: Cor vero ſanguinis mole, qua ante & in ipſo paroxyſmo oneratum erat, levatum, refluum ad ipſum ſanguinem alacrius, decentiore ordinę, & cerebro ſalutari futura quantitate, propellit, qui obſtructionem facientem, ac medulloſæ ſubſtantiæ moleſtum eluit, atque in venarum capillamenta, extremis arteriolis conjuncta, protrudit: *Wepferus Exercit. de Apoplexia p.* 218.

V I I. *Agitationem corporis*, non purgato corpore, in pituitoſa & ſanguinea Apoplexia improbat *Foreſtus* lib. 10. Obſervat. 74. cum magis ab ea humores commoveantur, imo omnino caute inſtituendam monet: Quod cum in Sene Bokello l. c. neglectum fuiſſet, miſſellus æger Medici imprudentiam morte luit. *Nymannus* de Apoplexia cap. 39. meminit ægro, intempeſtiva tali agitatione, mortem ſubitaneam acceleratam fuiſſe: Succuſſatio corporis in fœmina, de qua *Foreſtus*, malo pullulante, non præmiſſis alijs, ſubito ſalutifera fuit, quæ alijs, ſi non exitioſa fuiſſet, ſaltem alias nocuiſſet, malúmque exacerbaſſet: Profuiſſe autem ſuccuſſio hæc, & ad inceſſum coactio, ideo videtur, quia agitato corpore agitabatur ſanguis, qui ad validiorem motum incitatus, pauxillum illud quod obſtructionem iam faciebat, & amplius facturum erat, ex arteriolis excuſſit, atque in venulas & ulterius perpulit, unde aliqua ejus portio, ſubtilior ſcilicet & ſpirituum animalium materia, per poros in ſubſtantiam cerebri tranſſudare potuit, illáque primum iterum incedere valuit: Poſt inceſſum copioſiores poſtea ſucceſſerunt ſpiritus vitales, omnes conatus adhibente natura, agitatione excitata, ut medulloſæ ſubſtantiæ ſuggerantur; ab inceſſu quoque ſanguine non parum incaleſcente, ſubtilioréque reddito, promtior capillamenta & poros permeare valuit: Sin à ſeroſa humiditate, intra medulloſam ſubſtantiam effuſa, paroxyſmus iſte originem duxiſſet, non tam cito deſiiſſet, & alia ſymptomata, ſopor, vertigo &c. adfuiſſent, Imo deambulando magis intra medullam adacta, paralyſin genuiſſet. In alia etiam Apoplex. à diverſa cauſa profecta, vix tantum valuiſſet: Sive enim ab obſtructis carotidibus & vertebralibus: ſive ab oppilato torculari à corporibus pituitoſis, ſive à ſanguine extra vaſa profuſo efficiatur, tum efficaciora poſtulantur. *Idem Exercit. Apoplex. pag.* 214.

V I I I. In Apoplexia utrum *Vomitoria* in ipſo ſtatim paroxyſmo tuto exhiberi poſſint an ſecus? dubium, *Foreſtus*, Platerus, Sennertus, Septalius negant, Quomodo enim, inquiunt, obſtructio nervorum principij in cerebro, à pituita viſcida & frigida facta, Apoplex. juxta Galenicorum effatum cauſa, à Vomitorio poteſt averti? cum potius tunc temporis illa inſtituta magis nocerent, eo quod æger in hoc motu ſe ipſum adjuvare neſciret, nec ſe erigere poſſet, ſed potius ſuffocaretur: Quid, quod alias hujus evacuationis vi humores à toto ad ſuperas convolent partes, caput repleant & affectum conduplicent? Verum enim vero, cum totius cerebri ſubſtantia, non autem tantum principium nervorum in apoplexia patiatur; eo quod ſenſus non ſolum externi ceſſent cum motu, ſed & interno-

remorum ſenſuum & facultatum principum læſio adſit, cujus cauſa proxima quidem ſit obſtructio, à viſcidiſſimo & quaſi glaciali, adeóque contumaciſſimo excremento, hoc ſane nonniſi vehementiſſima commotione reſolvi & protrudi poteſt, id quod nulla melius ratione quam generoſo remedio, Vomitum ocyſſime provocando, impetrabitur; Per hunc enim vehementiſſimæ commotionis impetum ſeditio quædam, ac quaſi tumultus in toto corpore & omnibus ejus partibus effic̃aciſſime excitatur, inquit *Cl. D. Langius in Animadverſionib.us MS. in Ioh. P. Fabrum*: Natura alio ac funeſto quaſi ſopore ſepulta reſcitatur, eáque ad arma ſic cogitur, & hoſtile hoc excrementum, valde commotis & concuſſis partibus viſceribúſque pariliter commovetur, atque ex voto tandem exturbatur, ut ſic natura ab infeſtiſſima, vel glaciali hac humorum viſciditate, hactenus graviſſime oppreſſa, una cum viſcerum meatibus pertinaciter obſtructis rurſum ſui juris fieri queat: Quod vero vehementer commoto ventriculo confeſtim quoque in conſenſum trahatur, & conſimili vehementia vellicetur aut concutiatur cerebrum, non tantum ex communitate nervorum recurrentium, qui à cerebro oriundi orificio ventriculi inſeruntur, Anatomicis tam famigerata, verum etiam ex interiore ventriculi tunica fortiter convelluntur, neceſſario quoque tota cerebri & ejus membranarum, nervorúmque inibi exorientium œconomia contremiſcit quaſi & lancinatur, adeoque facta hac irritatione ſpiritus ad redintegrationem motus & actionis ſuæ exſtimulantur: Ipſe *Avicenna* commendat in cauſa pituitoſa; approbant *Aëtius*, *Ægineta*, *Euſtachius Rudius* libr. 1. Practic. 10. *Domin. Leo* multis modis juvare exiſtimat, *Lazar. Riverius*. ait ſe noviſſe Nobilem qui intra biennium ter ſe liberavit ab Apoplexia infuſo croci metallorum: *P. à Caſtro* in m. m. his ultra ſpem plurimos ægrotantes deploratos ſe refeciſſe ſancte aſſirmat, & mirum in modum pulverem Algeroth commendat: Singularia quoque proponit J. C. Claudinus Empir. Ration. pag. 349. Notandum tamen primo, ſi omnes thoracis & abdominis muſculi vel affecti vel reſoluti ſint, ſuſpectum eſſe vomitoriorum uſum: 2. Ante illorum uſum ſi validus ſit pulſus, æger non admodum ſenex, & ſanguineæ apoplexiæ ſigna adſint, poſt redditos clyſteres ex utraque cephalica ſecandam eſſe venam: 3. Si æger jam à vomitoriorum uſu paululum ad ſe redierit, ut aliquid iterum deglutire poſſit, Purgantia ei eſſe propinanda, ut vitioſi humores in cerebro collecti deorſum rapiantur & evacuentur: aut ſi à reliquis partibus tranſmiſſi itidem revellantur & educantur. *Frider. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 9.*

I X. In Apoplexia, inquit *Walæus*, tam acres interdum *Clyſteres* e colocynthide præſcribere neceſſum eſt, ut ipſum ſanguinem eliciant: Nihil obeſt, vita enim ſervanda erat, & damnum hoc facile reparari poteſt: idque eo totius peragitur ſi Apoplexia ex copia ſanguinis retenti fuerit ſuborta: Nec enim novum eſt in doctrina *Galeni* Morbos morbis curari, qui vel illis ſuperveniunt, cum commoditate ſumma à natura excitari, vel ab Arte inducti: qua etiam ratione juvit clyſter ex mutia paratus in dolore auchæ, licet ſanguis per inteſtina fuerit ſubſequutus: Vide *Zacutum* Med. Practic. hiſt. 31. *Rhaſin.* lib. de Mirab. curis. Fæces tamen alvi per emollientem prius debent educi, ne fortiter agitatæ fœtorem mittant ad cerebrum. Gr. *Horſtius*. Tam autem ante, quam poſt venam ſectam adhibere licet: Si urgeat neceſſitas mittendi ſanguinem, poſtponi poteſt clyſter. *Sennertus.*

X. *Clyſter* è vino nunquam parandus, quia è ventre vapor vini quam citiſſime tollitur. *Rondeletius*, *Zacutus.*

X I. In *Enematum* acrium exhibitione notetur cautio, quod primus clyſter fortia attrahentia recipere non debet, quia non convenit à partibus diſtantibus trahere, dum fæces adhuc copioſæ in inteſtinis continentur, quas primum per emollientia & laxantia purgare convenit, antequam è remotioribus membris attractio tentetur: Etſi vero partem affectam non contingant, è remotioribus tamen tandem locis attrahere certum eſt; alvi enim excretis ſubductis, conſecutionis ratione vitioſi ſucci ſuperiorum partium ſubſequuntur. *Horſtius Prob. Dec. 2. Quæſt. 7.*

X I I. *a.* Narium tunicæ, ſumme ſenſilis, vellicatio pituitam egregie elicit, vel ſine impetu ex naribus ſtillantem, & per oculorum lacrymas emanantem, vel impetu quodam per ſternutationem, quæ ſi in Apoplecticis ſuperveniat, bonum eſt ſignum: Non tamen violenta hæc concitatio in ſopore, priuſquam jam parum materia evacuata ſit, erit tentanda, ne humor cerebrum adhuc replens concuſſus illud opprimat, aut in nervorum initium ſubito delatus, convulſionem aut reſolutionem pariat, quod in apoplecticis (cum non aliter ſanentur niſi paralyſis ſubſequatur) haud metuitur. Illinantur ergo nares eadem illinitione qua palatum. *Platerus.*

X I I. *b.* Non poſſum quin occaſione data, quædam auxiliorum genera, à quibuſdam commendata, ſimul examinem, An ſcilicet utilitatem aliquam afferant in Apoplexiæ cura, nec ne, Et primo quidem commendatur *Pilorum, & in cruribus præſertim, vellicatio*, quæ cum careant ſenſu ægri, plane ridicula mihi videtur, neque enim ad ullam omnium Apoplexiæ cauſarum emendationem, vel hilum afferre poſſit; Ejuſdem farinæ eſt *Digitorum complicatio, & narium prehenſio*, quæ cui bono eſſe queat, non video: *Corporis* autem concuſſio, niſi prono corpore, ut facilius ſic queat effluere humor peccans, præter damnum evidens nil conferet ægro, (Vide inferius) Sic *Extremorum frictiones cum aceto & ſale, ut & Ligatura*, nihil proderunt in ulla Apoplexia, (vide §. 17.) Satius proinde eſt à talibus, quæ nullum uſum habent, nullum ægro afferunt commodum, abſtinere. *Sylvius de le Boë. l. c.*

X I I I. *Alvus ſollicitanda* eſt tum ad revulſionem, tum ad ſopitas facultates excitandas; idque immiſſis in podicem acribus clyſteribus & ſuppoſitorijs, cum ægre aliàs dejiciant: Hæc cum egregie irritent, & cito parari poſſint, ac clyſmata ob torporem non retineant, valde conveniunt, ſæpéque reiteranda; in quibus adurentia etiam, cum hoc ſenſu ſint ægri, nocere minime poterunt. *Platerus.*

X I V. *Hieræ* aliáque Electuaria purgantia, palato aliqui ſed ſine fructu & incommode affricant: quorum loco ſatius eſt confectione Anacardina, quæ nonnihil inflammat, uti. *Platerus.*

X V. Palatum fricamus pituitam elicientibus, ea tamen quantitate & forma ne ſi in aſperam arteriam incidant, ſuffocent. ℞, Sem. ſinapis, piper. long. ſtad. pyret. pulveriſata excipiantur mell. ſucco rutæ & raphani, f. Litus, Acetum quod addunt omittimus, quia acrium vires retundit, ut videmus in cœpis & raphanis, ſi cum aceto edantur. *Platerus.*

X V I. Juvenem pleni habitus, præcipitavit redundans capitis ſanguis in ſubitam ac gravem apoplexiam, cum tremore, aphonia, ac ſtertore; tribus periculoſiſſimis hujus morbi comitibus; quorum vehementia mature quo infringeretur, emittebatur illico ſanguis in brachio dextro, ſed eo lenius fluente quam ut ſatisfaceret morbi magnitudini, exſolutum fuit utique eodem ferro & brachium ſiniſtrum: quo bipartito fluxu aliquandiu continuante, remiſit evidenter ſtertor, traxit commodius ſpiritum, & recuperavit brevi priſtinam ſanitatem. *Tulpius cap. 7. lib. 1. Obſervat.*

X V I I. An Apoplectici prius ſternutamentis, aut extremorum ligaturis, quam clyſteribus acribus excitandi? Prius videtur probabile, quod materia potius ad remotiores partes quam ad propinquiores ſit revellenda: Tum etiam quod illæ ſint adhuc fortiores, adeóque medicamentorum actiones citius actuare queant: Adde quod cerebrum, aliàs debilitatum, per ſternutationes ob debilem virtutem vix irritetur, ut inſurgat ad res noxias expellendas: Et poſito quod ſternutationes vim ſuam exerant, minime tamen particularis ejuſmodi evacuatio, ſine præmiſſa univerſali inſtituenda eſſet, quia alias ex reliquo corpore materia peccans ad laborantem partem, cerebrum videlicet, magis attraheretur: *Horſtius Problem Dec. 2. q. 7.*

X V I I I. Mulier Hebræa, cum continuos 40. dies de more gentis jejunaret, inde debilis facta eſt; cæterum cum poſtea mali ſucci cibarijs veſceretur, multum humorem pituitoſum exaggeravit, ex quo cerebri cavitates occluſæ ſunt, ad quas privatio ſenſus & motus ſequuta; pro quibus recuperandis multa illico facta ſunt, & ad cauterium in ſutura coronali deventum, unde aliquantum ad ſe rediit, ſed Medicus inſcius ad eam juvandam præſens ſanguinis ℥ viij vel x. extraxit, unde mors brevi ſupervenit. *Amatus cur. 23. cent. 4.*

X I X. Quidam Apopl. correptus frictione, motione, ſ. m. excitatus eſt; ſequuta febris continua ſatis mitis, ſed cum delirio: negligentius curatus, neque exſpuens quæ in pulmonem defluebant 9. die a febre, 10. ab apopl. extinctus eſt. *Hollerius libello curat. §. 29.*

X X. *a.* *Cucurbitula* cum ſcarificatione admoveantur, non humeris, dorſo, aut fontanellæ, ut Arabes volunt; quia illic nulla vena eſt inſignis quæ in cerebrum perveniat: ſed prope jugulares, & quaſi ſub mento, ſi poſſunt adhærere. Hæc enim topica remedia ſic adhibenda ſunt ut per venas fiant, non ſolùm in partem ægram pertinentes, ſed & proximas & amplas, ſi partis conſtitutio id permittat. *Rondeletius.* Hypochondrijs alij cucurbitulas applicant, quo humor à capite trahatur, Sed ſi initio id fiat, maximam noxam inferre poſſunt, muſculi enim abdominis intenduntur; unde difficilior reſpiratio: Admovet quidem Aetius, at non in paroxyſmo. *Zacutus.*

X X. *b.* Nonnunquam finitur Apoplexia *oris fluxu* phlegmatico, qualis lue venerea laborantibus poſt inunctiones mercuriales accidit. *Sennertus.* Interdum per ſalivationem ſolvitur, lympha craſſiore ſic expurgata vi naturæ: *Barbette in Praxi:* Per excitatam ſalivationem curatam, aſt levem, vidimus, nulla remanente paralyſi, aſt pro tempore tantum, nam ſuperfuit ſtupor quidam partium. *Deckers in notis.*

X X. *c.* Non negligenda ſunt ab initio ipſo intus aſſumpta, effervеſcentiam ſanguinis quæ augent, ſpiritus refocillant, calorem deficientem ſuſcitant, præſertim poſt V. S. in plethoricis, in reliquis tum ante, tum poſt: præſtantiſſima ſunt maxime ſpirituoſa, & quæ ſale volatili abundant; cujuſmodi ſunt Aquæ apoplecticæ multiplicis generis, ſpiritus vini tartariſatus, olea ſtillatitia anisi, roriſmar. ſalviæ, caryophyllorum & ſimilium, cum aqua aliqua cephalica: Magnam imprimis & repentinam conferunt utilitatem ſales volatiles è corporum concretione ſeparati depuratique, cujuſmodi ſunt ſales volatiles ſalis ammoniaci, fuliginis, ſanguinis, cornu cervi, inter quos primas obtinet ſal volatilis viperarum: Sales illi citiſſime totam ſanguinis maſſam pervadunt fluidioremque reddunt, acidorum vim infringunt, ſanguinis grumos diſſolvunt. *Bayle Tract. de Apoph. c. 11.*

X X I. Quibuſdam ſuſpecta eſt *Purgatio* duplici nomine, primo, quod ſtante cruditate nefas ſit purgantia exhibere, juxta *Hippocrat. & Galeni* ſtatuta: At proprie dictam cruditatem, quæ purgationem prohibeat, abeſſe hic certum eſt; Si tamen humoris craſſi ſuſpicio ſit, attenuantia purgantibus remiſceri poſſunt; præparationi enim integræ vacare obſtat magnitudo morbi, cum periculi imminentis præſentia. 2. Purgationi obſtat modus quo purgantia in ventrem pervenire poſſint, negata deglutiendi facultate, & cum ſuffocationis metu, validum ergo præbeatur medicamentum, & in minima quantum fieri poteſt doſi, ut trochiſci alhandal, diagridium vel ſcammonium, cum caſtoreo, ex præcepto *Tralliani*, *Rondeletius* præbet ʒ j. pilular. cochiar. diſſolutarum. *Ex Sennerto.* Cum præcipua Apoplexiæ cauſa ſit melancholia qualitate, aciditatis ſcilicet exceſſu aut acerbitate peccans, evidens eſt humorem illum cum à natura ſit alienus, ſui evacuationem indicare, eóque magis quod periculum præſens eſt, nec datur etiam multo tempore ab aciditate ad benigniorem & ſpirituoſam, aut balſamicam naturam reductio: multóque magis adhuc indicatur purgatio ſi cacochymiæ melancholicæ pituitoſa conjungatur: Nec poſt ſanguinis miſſionem, ſublata e toto aut e cerebro plethora, majorem patitur dilationem purgatio, quam venæ ſectio poſt Apoplexiæ invaſionem, niſi vires dejectę ad refectionem moram poſtulent, Quapropter ſine ullo temporis delectu Purgatio eſt quam citiſſime præſcribenda; Niſi enim ſtatim fluidiore reddito ſanguine per venæ ſectionem, & obſtructionibus cerebri & pulmonum ex parte ſolutis, aut earum augmento prohibito, dum adhuc elevati ſunt ſpiritus, exhibeatur catharticum, ſenſim progrediente ſanguinis coagulatione, tam pertinax effici poterit partium ſanguinis, & humorum ipſi permixtorum inter ſe cohæſio, ut omnem purgantium vim eludant: imo poterit purgantis ad partes potiſſimum affectas diſtributio, aut omnino, aut ſaltem ex parte, vijs per coagulationem ſanguinis anguſtioribus factis prohiberi: *Franc. Bayle Tract. de Apoplexia c. 11.*

X X I I. Nec qualecunque eſt exhibendum medicamentum, ſed vehemens, tale enim indicat humoris peccantis natura, ſanguinis diſpoſitio, & ipſe locus affectus: Ad primum ſpectat aphor. 9. ſect. 4. *Melancholicos vehementer purgabis per inferiora:* nec enim movetur melancholia niſi mochlico medicamento à reliquis humoribus divellatur: Sanguis vero concreſcens, aut ad concreſcendum proxime diſpoſitus, non facile contenta dimittit, ſed valido indiget fermento ut fervеſcat, & partium ſecretionem patiatur: Denique, cum non e ventriculo & primis vijs educendus ſit humor,

mor, ſed e tota ſanguinis maſſa, & potiſſimum e cerebro, neceſſe eſt ut per totum corpus purgantis vis diffundatur, & integra ad caput perveniat, quo nunquam pertinget purgans debile. *Idem.*

XXIII. *a.* Sexagenarius ebrius delapſus, occipite contuſo, oſſe tamen calvariæ integro, vera & forti apoplexia correptus fuit: omnibus deſperantibus curationem tentavi; valide concutio, clyſterem acerrimum injicio, cum acri glande evoco cum inſigni vacuatione; toti capiti raſo cataplaſma ex fimo columbino, euphorbio, pyrethro, ſinapi applico; hinc multæ magnæque veſicæ aſſurgunt, unde aquæ flaviſſimæ exeunt; poſtridie ſpecier. hieræ diacolocynthidos ℥ ij. caſtor. ʒ. ß. rutæ ℈ j. cum aq. antapoplect. propinavi: cucurbitulas humeris cum ſcarificatione applicui: veſicis capitis non ampliùs fluentibus, novas in nucha & vicinia, ſed ſolis cucurbitulis excito: additis alijs præſidijs ad ſanitatem rediit. *Heers Obſervat.* 21. Vide *Hiſtoriam integram l. c.* & *Zacut. Prax. adm. libr.* 1. *obſervat.* 32.

XXIII. *b.* Admodum ſenex quodam morbi Apoplectici genere ſæpius tentabatur, Quidam Medicus quietem imperabat, ac tantum ſuadebat remedia reficientia, Ego contra clyſteres & ſanguinis miſſionem, Interdum vocem poterat mittere: Quærebat ex filio quiſnam bombardas juxta ſe exploderet, Doceo inde plenum flatuum eſſe ſanguinem qui caput opplet: Vicit igitur mea ſententia, ſuique potior, Sanguis detractus erat admodum fervidus ac mire ſpumeſcebat, tardius in vaſculo gelabatur. *C. Victor Schneiderus lib. ſpecial. de Catharris pag.* 168.

XXIV. In Apoplexia curanda optimum eſt ſanguinem per ſectionem cutis in ſincipite factam mittere, & hoc præcipuè ubi hujus occaſio ſit ex cauſa ex qua caput incaluerit, indéque & attraxerit & receperit ab inferioribus partibus materiam ad hunc morbum cauſandum aptam. *P. Salius comm. in textum* 47. *lib.* 2. *de Morbis.*

XXV. Cucurbitula magna ſummo vertici commodum adhibetur, cùm ex ſinu falcatæ duræ meningis ſanguinem attrahere, obſtructiones aperire, cerebrúmq; in ſe ſubſidens nonnihil levare valeat; Quo opportuno remedio Fracaſtorius olim Monialem virginem ſe reſtituiſſe meminit, tunc temporis ubi prehenſus ipſemet Apopl. leviori primum, manum ſæpius vertici admovens applicandum remedium innuebat, quanquam, adſtantibus eundem non intelligentibus, morbo invaleſcente ſub noctem expiraret. *Horſtius in Probl.* Vide *Iaſonem cap.* 17. *de Morb. cerebri.*

XXVI. Si febris continua (intermittens enim mortis præſagatrix) ita ut par eſt, comitetur, nullo alio præſidio indiget: Si debilior, malum auget: ſi potentior, vires dejicit: Non enim aliam apopl. febris curat quàm eam quæ ex ſanguinis refrigeratione, crudis humoribus, & flatulento ſpiritu oritur: hîc verò prudentia Medici præſentis requiritur. *Crato. in conſil.*

XXVII. Licet quæcunque materia in principio ſit reprimenda, cum tamen Apoplexiæ principium uno oculi ictu pertranſeat, cum fiat ſubito (nam ſanguis ſuperabundans adeo replet vaſa, ut ſpiritui animali tranſitus per ea, & ad inferas partes deſcenſus prohibeatur, hincque craſſeſcit & coaleſcit, difficulterque effluit:) Ideo reprimentia, refrigerantia, adſtringentia non conveniunt, quia magis conſtipabunt & conſtringent materiam, cùmque impingent in vaſibus ipſis, quàm quod eam poſſint a proprio conceptaculo excludere & repellere; Utendum potius his quæ laxare poſſunt: quorum ope ſanguis, in loco affecto firmatus, poſſit evacuationibus, revulſionibus, derivationibus cedere: Iſta autem laxantia ſint moderatè calida, tum quoad caliditatem actualem, tum quoad potentialem: prævalet omnibus balneum aquæ dulcis & embrocha. *P. Salius de Affect. part. c.* 2. In pituitoſa autem Apoplexia, atque ea quæ fit à vapore narcotico, certum eſt non convenire reprimentia, quod ab eorum uſu & pituita & vapor cerebro magis impingerentur.

XXVIII. Quanquam humor eam efficiens per *Ptarmica* excuti non poſſit, cùm humor in ventriculis non contineatur, in uſum tamen poſſunt trahi, quia nihil non tentandum in graviſſimo & periculi pleno affectu, quò materia poſſit concuti & loco moveri, Suſpecta tamen ſunt & noxia ante expurgationem, quia agitatione capitis & pectoris major fit affluxus humorum.

XXIX. An *Elixir vitæ*, *Aqua Apopl.* &c. initio conveniunt? Si a ſanguine ortum habet Apopl. vel humores alij illi immixti ſint, noxiæ ſunt illæ aquæ, humorum fuſione; unde ulteriùs gravatur caput: Si à vaporibus narcoticis ſpirituúmque animalium vitio, aut à pituita ſanguini non admiſta, commodè exhibentur corporis conſtitutione frigidis, & ſenibus, cùm nullus in his talibus metus ſit ne humores fuſi in caput rapiantur: Inſignis enim his aquis vis ineſt humores frigidos diſſolvendi flatúſque diſcutiendi, calorem nativum & facultatem languidam ſuſcitandi, cerebrum roborandi, ſpiritus reparandi, præterea minimâ mole magnam vim obtinent ac leptomeriâ omnia pervadunt: præcedat tamen corporis expurgatio, quò tutò in uſum veniant: Cavendum quoque ab ijs monet *Sennertus* quando malum à causâ externâ & violentâ ortum ducit.

XXX. Sunt qui Theriacam aut Mithridatium bibendum exhibent, magno quidem errore, quoniam in illis, tametſi diu ſervatis, vis opij non omnino perit, Ut taceam conſtare ex multis quæ adſtringunt, quorum, quamvis retuſa, facultas ſuſpecta eſt, quoniam humor morbi cauſa cerebri corpus imbuit, & altiùs impingitur his medicamentis: accedit quod hæc calida multos vapores in caput efferunt, ſicque malum augent, ut & omnia odorata, ut moſchus, ambra: quia cerebrum ſuaves odores avide haurit & excipit, præſertim cùm malè affectum eſt: concedi tamen poſſunt illæ antidoti corpore purgato ad robur cerebri, Satius eſt dare caſtorei ℈ j. aut ij. quod quia injucundum minùs ferit cerebrum. *Rondeletius.*

XXXI. Aliqui *ſumigia* parant, ſed parùm probari debent, quia in habentibus difficultatem ſpirandi periculoſa ſunt: Satius eſt vel rutam, vel caſtoreum, vel galbanum ad nares apponere *Rondeletius.* Suffitum ex ſuccino ſtatim factum quidam vehementer probant, rationibus veris eos deſtitui ſatis oſtendere eruditi Medici poſſunt. *Crato.*

XXXII. Quæſtio eſt de ægrotantis ſitu, nempe utrum mox in lecto reponi vel an non extra eum aliquamdiu detineri debeat? Nonnulli poſterius hoc religioſe obſervant, nec ſine ratione, quia nimirum in lectu major ad ſomnolentiam propenſio eſt, atque ſanguis propter ambientem ſtrati calorem magis efferveſcens, & uberius inflagrans, plus materiæ recrementitiæ uſque in cerebrum affectum ſuffundit; E contra, dum æger tenuiter veſtitus in cathedra locatur, ſanguis tardius fluit, atque

vaſa ſubſidentia ad humores ἐξ [illegible] reſorbendus, potius quam ad eos illuc mittendos aptiora videntur: Quare ſi patiens ſatis robuſtus fuerit, expediat fortaſſe per 6. aut 8. horas, donec materiæ morbificæ fluxio prætereat, & ſanguinis curſus phlebotomia, aliiſque remedijs ſedulo adhibitis ſedatior fiat, tum extra lectum manere; Imbecilles autem, & qui tenellæ ſunt conſtitutionis quamprimum periculi, mox cubili committantur ægri, ſive in lecto ſive extra ipſum; ſitus non ſit ſupinus, ſed capite non nihil erecto, ac ad latus modo unum modo alterum inclinato. *Willis cap. de Apopl.*

XXXIII. Qui ſiderati mox pulſu & reſpiratione privantur, & paulo poſtea infrigidati animam exhalaſſe videntur, non ſtatim lecto eximantur, aut Medicis adminiſtrationibus deſtituantur: Porro quamvis vitæ ſpes nulla affulſerit, nonniſi poſt tres aut quatuor dies ſepulturæ mandentur: quippe tales aut ſponte, aut remediorum uſu nonnunquam reviviſcunt: quod certe evenit non propter calorem vitalem denuo in corde cauſcitatum (namque hic non penitus diſperiit) ſed quatenus materie morbificæ cerebello diſcuſſa, vel evaporata, cordis motus, tanquam horologij ponderibus appenſis redintegratur. *Idem.*

APPETENTIA NIMIA, DEPRAVATA.

SYLLOGE.

Pinguibus *non abutendum ad ejus ſedationem.* 1.
Narcotica *prudenter exhibenda.* 2.
Purgatio *non confert.* 3.
Picæ *curatio per hidroticorum uſum.* 4.
Per Salia volatilia. 5.
Malacia *hæmorrhoidum fluxu ſanata.* 6.

I. FAmem nimiam compeſcunt pinguia, lenta: Iis tamen magis initio locus, dum vomitum provocare volumus: poſtea vero dum vomitus urget, omittenda: Simul in horum uſu cavendum ne is ſit nimius, & æger in contrarium affectum deducatur: proinde cùm melius incipit habere, pinguia, & quæ concoctioni reſiſtunt omittenda. *Sennertus.*

II. *Narcotica* verò cautè uſurpanda, ac fortia vitanda, ſicut infuſio Solani furioſi cum vino facta, quæ potu ſubitò omnem appetentiam cibi, etiam in ſummè famelico evertit: Vinum tamen potens, & ſpiritus vini, uſurpari poſſunt, quæ, juxta *Platerum*, non tam calefaciendo quàm ſtupefaciendo famem tollunt, ſicut & Theriacam & Mithridatium eadem vi narcotica caninam appetentiam ſedare cenſet. *Idem.*

III. Nulla *Purgantia* præſcribo in Fame aucta, quia nulla ſunt mihi hactenus nota, quæ humores acidos educant blandè; Súmque præterea edoctus per experientiam multiplicem, irritati quidem, non item, niſi cum ſummis torminibus & noxa majore quàm fructu, evacuari acidos in corpore humores. *Fr. de le Boë, Sylvius Pract. l. 1. c. 2.*

IV. Juvat etiam in hoc affectu *ſudores* quandoq; blande *movere*: Cavendum autem ne integumentis obruantur ægri, quin ſatius nullum quam violentum prodire ſudorem, poſtquam humores vitioſos emendante corrigúntque ſudorifera, licet ipſos non expellant. Præfero autem ſemper liquida & ſpirituoſa craſſioribus, licet antimonialia, ut ut ſicca, ſint hic optima, antimonium puta diaphoreticum, bezoart. minerale &c. *Idem ibidem.*

V. Cum pro appetitæ rei diverſitate diverſiſſima exiſtat *depravata Fames*, in genere duntaxat propenam hic ejus curationem, quæ conſiſtit in ſanguinis cæterorúmque humorum purificatione ac emendatione, qua reſtituta ſponte evaneſcit Pica: Comperi autem hactenus præ aliis medicamentis omnibus conducere Salia volatilia, quod lente atque blande menſes quoque moveant, quorum ſuppreſſorum cauſa Picam frequentiſſime produci notum: Optima vero Salibus volatil. utendi ratio eſt, ſi ad plures pauciorèſve guttas, prout debiliora ſunt vel potentiora, bis terve aut ſæpius in die aſſumantur ex vino vel alio liquore conveniente, ac præſertim inter prandendum vel cœnandum, quo alimentis juncta impediant eorundem corruptionem, à vitioſa ſaliva expectandam, quin ſalivam ſenſim emendent, ſicque alimentorum fermentationem ſimul læſam paulatim reſtituant. *Id. Prax. lib. 1. cap. 2.* Vide *Barbette Pr. lib. 4. cap. 1.*

VI. Scabie fœdatus *Malacia* trimeſtri cruciabatur: Oborto hæmorrhoidum fluxu, ſine alijs præſidijs, die ſecundo ex morbo evaſit: Nimirum materia in venis hærente nervi ventriculi afficiebantur, qua ſubtracta, æger liberatus fuit à moleſtia: Ex quo manifeſtum eſt in hoc affectu materiam non ſemper impingi nervis. *Rhodius centur. 2. Obſervat. 57.*

APUM PUNCTURA.

Ab ijs excitatus dolor Veſicatorio ex cantharidibus ſedatus.

QUendam examen Apum ſubito invaſit, unde facies intumuit, & undique rubebat cum maxima doloris impatientia, Partes compunctæ illinuntur theriaca; fit fotus ex eadem aqua vitæ diſſoluta, qua dolores aliquantulum mitigati, & tumor faciei imminutus: poſt locis magis dolentibus admotæ cæpæ contuſæ; Item lac ficulneum, Inunctiones ex oleo ſcorp. Matthioli: Doloris acerbitas remedia ſæpe mutare cogebat, quæ per duas horas cótinuata, & exhibito alexipharmaco, dolores in omnibus fere partibus ceſſarunt: adhuc tamen infeſtabat dolor acutiſſimus in auris ſiniſtræ cartilagine, qui prædictis remediis ſedari non potuerat; Animo revolvens non ſolum apes parti admotas venenum attrahere, & dolorem ſedare, ſed etiam alia muſcarum genera, exiſtimavi Cantharides conferre poſſe, quod inter muſcas referantur, & quod potentiſſime trahant. Et cum Empl. veſicatorium officinatum magna cantharidum copia conſtet, ex eo paratum empl. cuti admoveo, quod horæ quadrante dolorem omnem ſubmovit, veſicis non excitatis ob exiguam moram. *Riverius obſ. 14. cent. 3.*

ARTHRITIS, PODAGRA.

SYLLOGE.

Arthritis & Podagra cauſis & curatione differunt. 1.
Cauſa aliquando calida, aliquando frigida. 2.
Humor arthriticus aliquando malignus. 3.
Fit aliquando ab intemperie ſine materia. 4.
In curatione ad quid maxime attendendum. 73.
Podagra ſuperanda generoſa & extraordinaria requiruntur. 13.
Podagricus ſanatus pedibus ſtipiti ligneo affixis. 14.
Pedum forti colliſione. 80.
Non eadem medicamenta macilentis & obeſis conveniunt. 76.
Quorum arthrit. ſuſcipienda curatio. 59.

Medi-

Medicus ſylva remediorum inſtructus ſit. 60.
Podagra deſinens ſuſpecta ſit Medico. 81.
Articulorum exſiccatio affectionis hypochondriacæ ſoboles. 82.
An Sanguinis miſſio *conveniat.* 6.
Ejus utilitas. 9.
In inveterata obeſt. 10.
Paroxyſmus arthr. repetita ſ. m. curatus. 78.
Venarum in pede apertio, Cucurbitularum & Hirudinum admotio, an tentanda. 11. 12. 77. 61.
Præcautio per Scarificationem *pollicum manuum.* 79
Fonticuli *an conducant.* 15.
Species Podagræ ſolis Veſicatorijs *cedens.* 5. 44.
An Vomitus *initio paroxyſmi.* 8.
Cur utilis. 19.
An Purgandum. 7.
Solida forma quando conducit. 16.
In paroxyſmo a forti purgante abſtinendum. 18.
Tumultus a purgante excitatus quomodo ſedandus. 20.
Quando purgandum circa morbi initia. 22.
Violenter purgantia crebro ſumpta nocent. 21.
Elect. Caryocoſtinum quibus utile. 20.
Hermodactyli an utiles. 17. 23.
Caſſia noxia eſt. 24.
An purgandi & vacuandi arthritici aſſiduitate. 25.
An liceat uti Diureticis. 26.
Valeat in Scorbutica *vaga.* 29.
Acidulæ *an concedenda.* 28.
Curatio per Ptyaliſmum *an admittenda.* 30. *a.*
An Urinæ *potus utilis.* 33.
Alterantia *in paroxyſmo data qua vi agant.* 63.
An Sudorifica *conducant.* 27. *a.*
An in curatione utilia. 31. *b.*
An valent Sudorifica ex antimonialibus. 30. *b.*
Arthriticus decocto ligni curatus. 84. 85.
Saſſafras noxium. 31. *a.*
An Lactis uſus *ſalutaris ad præſervationem.* 36.
Præparantia *in præcautione qualia.* 37.
Tabaci *uſus an utilis.* 27. 2.
Narcotica *ſumpta an utilia.* 50. 41.
Antipodagricorum *virtus unde pendet.* 32.
Antipodagr. varia. 34. 35. 58.
An ſecurius in medicamentis Chimicis. 42.
An Topica Anodyna *utilia.* 38.
Efficax in materia acri. 47.
Utilitas Narcoticorum *admotorum.* 51.
An repellentium *uſus tutus.* 39.
An refrigerantium. 40.
Acetum quando conveniat. 52.
An oleoſa & pinguia. 49.
An articuli Topicis roborandi. 48. *a.* 54. 86.
Spiritus ſalis armon. admoti virtus. 48. *b.*
Vinaceorum *uſus non ſemper tutus.* 57.
Conſolida quomodo tuto admovenda. 53.
Topica diſcutientia *qualia eſſe debent.* 55.
Topicorum roborantium *natura.* 54. 86.
Reſolventia *particulis ſalinis conſtent.* 45.
Emplaſtra in declinatione qualia eſſe debent. 46.
Thermæ *arthr. noxia.* 62.
An Balnea *prodeſſe poſſint.* 43.
Calidarum uſu quandoque exaſperatur. 64.
Tophorum *diſſolutio an poſſibilis.* 65.
Eorum eductio manus opera an tuta. 66.
Medicamentis eductis. 67.
Uſu zarzæ diſſoluti. 68.
Plumbo diſcuſſi. 69.
Portionis humoris in articulo reſtibilis diſſipatio 56.
Victus *pauci alimenti confert.* 70.
Diæta efficacior medicamentis. 72.
Vini *abſtinentia non omnibus conducit.* 74. 75.
Vinum antipodagricum. 34.
Exercitium quando competit. 71.
Arthritidis vaga Scorbuto ſuccedentis curatio, 82.

1. A*Rthritidis* ſigna hæc peculiaria ponit *Hippoc.* l. de affect. ſect. 3. 1. Dolores articulorum cum calore ſatis inſigni : non in ijs ſolùm, ſed & toto corpore, ut manifeſtè febricitare ægri videantur : 2. Species dolorum, qui in prima ſtatim invaſione ſunt acuti, licet aliquando molliores fiant. 3. Horum ex uno in alium articulum tranſitus : In his tribus Arthritidis eſſentia cōſiſtit, quæ eam à Podagra diſtinguunt : nam in hac calor adeo evidens haud perſentitur ſtatim ab initio, ut in arthritide, niſi poſtquam humor in venulis corruptus ad partes exteriores tranſmiſſus fuerit; Et ratio diverſitatis inde oritur, quia in Podagra morbus eſt in venulis & intimis partibus, in Arthritide verò extra, & ad ſuperficiem magis conſiſtit : 2. in Podagra dolores, ſaltem a principio, non ſunt adeo acuti, idque ratione materiæ, quæ in arthritide tenuior eſt & acutior : quæ quidem diverſitas materiæ, poteſt etiam eſſe cauſa cur dolor calorem adjunctum majorem habeat in arthritide quam in podagra : Et ideo Arthritis inter morbos acutos habetur; Podagra verò inter diuturnos numeratur l. 1. de morb. v. 52. nulla Arthritidis mentione facta, utpote morbo acuto, non diuturno : Tandem progreſſus doloris ab uno articulo ad alium utramque diſtinguit, quia licet aliquando dolores podagrici ab uno articulo in alium tranſeant, id paulatim fit non ſubitò, ut in arthritide, in qua dolor ſæpè in ſummo vigore conſiſtens ſtatim ceſſat, & alium articulum invadit : At podagra ſenſim deſinit in uno articulo, antequam in alium progrediatur : niſi ob materiæ copiam, perſtante priore dolore, novus in altero articulo excitetur : idque evenit, non ſolum ex diverſitate materiæ, quæ calidior eſt & tenuior in arthritide, ſed etiam ex loco à quo movetur ad articulos: Cauſas Arthrit. ait *Hipp.* eſſe bilem & pituitam, cùm commotæ ad articulos decubuerint: Ubi nota, humores dictos ad articulos ferri, non aliqua peculiari corporis parte tranſmittente, ſed à toto corpore: in quo, ſi abundet, ſuperveniente aliqua cauſa quæ illum agitet, ad articulos fertur: Et in hoc etiam Arthritis à Podagrâ differt, in quâ materia morbifica non à toto, ſed ab aliquo membro principali pellitur ad articulos : & hæc cauſa præcipua eſt cur podagra longe gravior ſit morbus arthritide, & curatu difficilior : Et cur hæc plerumque perfectè curetur, nec repetat in poſterum, quod podagræ cenſetur proprium : *Quæcunque enim morbi* (Hipp. l. de nat. hum.) *a validiſſima parte ad quandam debiliorem tranſierint, difficulter ſolvuntur :* Cùm ergo hujus naturæ ſit Podagra, non mirum ſi eius curatio difficilis ſit : Et eò magis, quia non eſt facile invenire quæ ſit ejus origo, cerebrum, an jecur, aut alia pars nobilis; quâ ignorâ podagram ſanare omnino impoſſibile, cùm prius ſananda ſit pars mandans : Ad Podagræ igitur generationem concurrit primo vitium partis principis, quod materiam morbificam generat, congregat aut diſponit: 2. Diſpoſitio articulorum ad ſuſcipiendam fluxionem, i.e. imbecillitas quædam, quâ abſente podagra non fit, ſed morbi congeneres, & per intervalla repetentes, ut colici dolores, epilepſia, aſthma, vertigo, hemicrania, nephritis præſertim : Altera differentia horum duorum affectuum, reſpectu materialis cauſæ, eſt quod ad generationem arthr. bilis & pituita tantummodò concurrunt, ex Hipp *In podagra verò ulterius accedit ſanguini*[illegible] *inm*, Ait

enim, *Et eſt quidem hic morbus Sanguinis in venulis, à bile & pituita corrupti:* Ex quibus colligimus præfatos humores, bilem inquam ac pituitam, à viſcere principaliter affecto, per venas ferri ad articulos: in quorum venulis, ſi ſanguinem ad corruptionem diſpoſitum inveniant, illum corrumpentes, dolorem inducunt: Sin minus, dolorem excitare non ſolent, quia vaſa ſunt capacia, & niſi fiat diſtenſio, aut humores extravaſentur, continui ſolutio non fit proxima doloris cauſa: De utriuſque curatione agens Hipp. inquit, Conducunt autem & huic eadem quæ morbo articulari, Et convenientiæ ratio eſt, quia omnia reſpiciunt materialem cauſam, bilem ſcil. & pituitam confluentes ad articulos: De Podagra verò tractans, hæc ſubjungit, *Si verò in digitis dolor relinquatur, venas paululum ſupra articulis nodum inurito, urito autem cum lino crudo:* Hoc remedium non proponit in arthritide, tum quia in hac hujuſmodi doloris reliquiæ non ſolent permanere ob humoris tenuitatem, & quia non adeo intimius latitat, ut in podagra: Tum quia doloris perſeverantia articulorum ſummam debilitatem notat, quę non melius quàm uſtione corrigitur: malámque diſpoſitionem partis tollere poteſt, ob quam ſanguis in ea contentus ad corruptionem diſponitur, in qua Podagræ eſſentia conſiſtere videtur &c. *P. Martianus comm. in cit. loc. p. 170. Ubi quantum diſcrepent Hipp. & Galen. circa naturam & curation. eorum affectuum oſtendit.*

II. Fallitur ſæpe Medicus putans cauſam eſſe calidam, v. ſi dicat, Calidis juvatur, ergo frigida eſt? Cùm per apertionem pororum calida refrigerari queant, 2. Frigidis dolor ſedatur, Ergo calida? Quia frigida ſenſum tollunt, non cauſam. 3. Dolor eſt intenſus, ergo calida? Quia frigida ob virus malignum idem poſſunt. 4. Color eſt citrinus, ergo fit à bile? Quia multa pituita pauciſſima bile tingitur. 5. Febris adeſt, urina flammea? ergo, Quia vigiliarum & doloris ratione febris oriri poteſt. *I. A. Schmitzius Enchir. p. m.* 18.

III. Nob. mulier ex tumore vix ciceris magnitudinem æquante, ſub iſchij ſiniſtri parte externa, dearticulatione perdolenter multos jam annos ægra erat: Me præſente eam dolorificus paroxyſmus invaſit, derepente vociferari cœpit, corpus huc illuc temere jactare, à Dæmone habitam dixiſſes: Duravit illi is paroxyſmus horæ fere quadrantem: eo exacto calor ingens eam habebat, totum corpus ſudore diffluebat, cum tanta laſſitudine ut ne vel minimum digitum movere poſſet. In eam itum eſt ſententiam, ut dolenti loco affigeretur cauterium potentiale: poſt eſcharæ lapſum defluxit valde atra & virulenta ſanies, quæ doloris omnis & ejuſmodi morbi in poſterum ceſſationem attulit: Super ſimili prorſus malo, ſed brachium dextrum occupante, conſuluit me uxor N. Simile monſtrum ſimili remedio debellatum fuit, Ergo non à ſola articulorum imbecillitate doloris Arthritici acerbitas cauſam habet; ſic enim continuus & ſemper ſimilis ſibi eſſet dolor: non à ſimplicis humoris intemperie; nihil enim in reliquis, quotquot ſunt tumoribus ſimile contingit, Sed à venenata maligna, occulta & inexplicabili materiæ qualitate: *Paræus lib. 17. cap. 2.*

IV. Fiunt in articulis dolores ab intemperie ſine materia, qui etſi rari ſunt, quia tamen mihi experiri contigit, quibus adverſum remedijs uſus ſim, viſum eſt aperire: Mihi in ſtudio occupato, venticulus per bibliothecæ anguſta rimarum clanculum ſubiens, coxam ſiniſtram percutit, tandem ſtudendo laſſus, cum primum ſurrexi progreſſurus, ſtare in pedes non potui, tanta erat doloris, ſine ullo tum tumore aut humore, qui quidem cerni poſſet, acerbitas: itaque coactus ſum lecto me tradere, revocatóq; in memoriam quod frigus nervis planè inimicum, mihi dolorem illum creaſſet, depellere id tentavi frequenti linteorum calidiſſimorum appoſitione; quæ etſi contractu ſuo ſanas partes, dolenti & perculſo loco vicinas, veſiculis inde ſurgentibus amburerêt, vix tamen illic ubi defixa erat doloris acerbitas, ſui ſenſum faciebant, tanta erat & tam firmiter fixa intemperies: Variorum thermaſmatum vi tandem contumaci illa temperie, cum per 24. horas me detinuiſſet, præclare ſum defunctus. *Idem lib. 17. cap. 18.*

V. Aliquando ab excrementitia quadam materia, ſed tenui adeo & ſubtili ut oculorum ſenſum fugiat, excitatur doloris Arthr. alia ſpecies: Fuligo quædam eſt, accenſarum candelarum fungis, ſeu atræ illi uligini, quæ cohibito ad objectum aliquod corpus lampadũ ardentium fumo, cogitur & concreſcit, ſimilis, quæ virulenti ſeri admixtione infecta, quoq; verſum pervadit, nunc in illis articulis extremos dolores ciens, niſi illi exitũ affectanti aperiatur via corniculis, cucurbitulis, veſicatorijs, cauterijs aut alia ſimili arte. *Id. ibi.*

VI. Convenientiſſima eſt *Sanguinis miſſio*, ſi illius penuria non adſit, & humor pituitoſus non abundet, quia ab humoris in articulos fluentis motu, ſanguis exagitatur & quaſi ebullit, & à dolore in partem affectã trahitur, ideo illius revulſio neceſſaria eſt: Detrahatur ſtatim à morbi initio, & unicâ vice ſi vires ferãt: hoc pręoculis ſemper habendo copioſam detractionem, ubi licet, morbum maximè abbreviare ſi ſtatim ab initio celebretur, partitis ſaltem vicibus: *Riverius c. de Arthr.* Hoc habet peculiare ſanguinis abundantia quod copioſiorem expoſtulat vacuationem, quam non ſolum citra virium jacturam ferre poteſt, imò longè vegetiores ſanguine miſſo apparent, quod in aliorum humorum redundantia non ita evenit: fundendus autem primo mali acceſſu à diſtantioribus partibus à parte affecta: At ſi vitioſos ſuccos abundantiores eſſe conſtiterit, tunc propius ad partem affectam accedere erit opus, & venas non lõgè diſtantes tundere, vel ſaltem eas quæ majorem habent communionem: Cujus rei ignoratio, & frequentior ſanguinis detractio in quovis dolore, non parvum damnum arthriticis attulit: Quod ſi habitualis jam fuerit affectio, non plurimum innitendum eſt, quovis dolore accedente, in ſanguinis detractionibus, ne natura debiliori facta crudorum copia ſuccreſcat: Nec impellere debent febres ſuccreſſentes, ceſſant enim hæ cum fluxione, niſi alterius naturæ ſit febris. *Mercatus.* Quod de venæ ſectione dixi, non intelligi debet de arthritide quæ ex aquoſa pituitâ à capite defluxus principium ſumpſit: nam ut hic prodeſſe nequit, ita comperi adminiſtratam ſæpius obfuiſſe: Novi qui cum aliàs à quolibet paroxyſmo expediti eſſe ſolerent, poſt venæ in acceſſione ſectionem, cuidam articulos ſecti membri ad motum impeditos relictos: alteri ex paroxyſmo ſimili relictos in articulis tophos: neque id mirum, nam ſpiritibus & calore nativo in pituitoſo corpore à ſanguinis miſſione diminutis, gravatóque, majori iſta humoris attractione, membro, quæ ad articulos confluxerat pituita, non potuit feliciter excoqui & abſumi. *Solenander lib. 4. conſ. 24.* In ſanguinea cum rubet locus, & calor ac dolores ſunt vehementiores, ratio ſuadet ut lateris affecti vena cubiti initio ſecetur, idque in multis optimo ſucceſſu feci, quieſcere enim malum ac affluxum humorum ceſſare animadverti. *Crato apud Scholtzium conſ. 239.*

VII. *Purgatio* quàm primùm & in ipſo paroxyſmi initio inſtituenda eſt, ſic enim fluens & fluxurus humor ab articulorum vijs avocatur, & ad inteſtina attrahi-

trahitur: In iſta autem purgatione duo notatu digna obſervanda ſunt, a Solenandro, Practico inſigni, pluries annotata, Primum eſt; Ut purgatio illa fiat, non blandiori aliquo & lenitive medicamento, quo humores magis commoventur quam vacuantur, & in articulos præcipitantur, unde dolor & tumor acerbior ijs ſæpe ſolet ſuccedere, ſed aliquo ex fortioribus, quod humorem commotum evacuet & ab articulis avertat: Alterum eſt, ut exhibito medicamento, artus ſupra genua & cubitos obvolvantur aliquo defenſivo, quò humor fluens, ſi quis aſſumpto medicamento commotus eſt, intercipitur, ut minùs minoreque impetu in articulos decumbat: Conficit unguentum ex bolo, malicorio, balauſtijs, radicibus biſtortæ, tormentillæ, roſis, albumine ovi & aceto, quod inductum tænijs vel faſcijs admovet: vel ſimplici poſca intingit. *Riverius cap. de Arthritid. Bayrus*, Excellens *Practicus, ipſo paroxyſmi initio validum purgans cum ſucceſſu exhibebat.* Purgandum ſtatim initio non expectata coctione. Plerumque commodè adhibetur purgatio, ſcilicet ſtatim inchoantibus vel imminentibus doloribus, antequam ijſdem, ut & vigilijs, aut febre aucta vires debilitentur: Neque enim coctionem aliquam expectare, aut præparationem præmittere opus eſt, quod ſuperiorum ſæculorum plerique Medici fecerunt, quia humores jam ante in motu ſunt, tenues, & torgentium naturam referentes, quos, ut moleſtos, à ſanguine natura ſecernere nititur: Et unicum purgans exhibitum plerumque minus ventriculo nocet quàm toties repetitæ digeſtivæ potiones, quæ ventriculum reſolvunt & labefactant, ut auctis poſtea cruditatibus, major ad articulos affluxus fiat. *Sennertus de Arthr. cap. 5. Sennertus* bene docet humorem illum qui ad articulos tumorem facit, (quo facto dolor intenſus mitigatur) non eſſe præcipuam arthritidis cauſam, cum dolor maximus præcedat tumorem, qui dolor utique ab humore jam antea præſente tenui, acri, mordaci oritur: reliqui autem humores tumorem facientes, rapiuntur tantùm cum illo tenui ad partem aliàs dolentem: Ideo ſi initio paroxyſmi podagrici ſtatim purgaveris, videbis huncce tumorem poſt dolores, ut abſque prægreſſa purgatione, non tam grandem futurum, & paroxyſmum mitiùs afflicturum, citiúſque finiturum, parte ſcilicet materiæ ad alvum derivata. *Hoeferus lib. 5. cap. 1. Herc.*

VIII. Quoties *Vomitus* inſtitui poteſt, commodiſſime inſtituitur, quoniam ab inteſtino duodeno, & loco ubi in hoc inteſtinum ſeſe exonerant folliculus fellis & Pancreas, ad ventriculum via eſt breviſſima: Hanc autem viam, & vomitiuuem, curandæ Arthrit. utilem eſſe non ſemel comprobavit experientia, per quam conſtat uno vomitorio non tantum paroxyſmum arthr. fuiſſe mox ſublatum, verum inſuper novi ortum in longum tempus delatum. Id contigit bis Dom. N. jam ſeni ac debili, cum ſucceſſu felici, quamvis vomitio accideret cum ſummis anxietatibus: Hoc experimento confirmatur focus à me creditus, ſcil. Pancreas, una cum tenui inteſtino: Dentur autem Vomitoria tantum facilibus: Inter illa laudo præ cæteris omnibus Antimon. ſi bilis præcipue peccet, ubi pituita, Mercurial. *Sylv. Tract. 8. App. §. 154. &c.* Utilis, eſt *Vomitus* ijs qui facile vomunt, quia breviore viá humores vacuat, atque adeo non ita metus eſt ut ad partes affectas ruant: blanda ſint vomitoria, quæ tantum partes ventriculo vicinas vacuant; Si enim vehementia ſint, & à venis humores trahant, eoſdem ad articulos præcipitare poterunt: *Riverius* Nudius quartus ſiniſtrum genu invaſit furia illa, ſed ſequenti die ſumpto infuſo granorum quatuor croci metallorum, paulatim hoſpitio ſuo pulſa fuit. Vide quam efficax ſit Vomitus ab initio, dum materia morbifica adhuc eſt in motu: Id ante hac in alijs quoque podagricis maximo cum ſucceſſu expertus ſum, Nemini tamen unquam crocum metallorum auſus ſui exhibere, ſed extracto meo corticum eſulæ contentus fui. *Hildanus cent. 6. Obſ. 84.*

IX. S.m. in corporibus plethoricis, in ijs quæ laute & opipare vivunt, mero indulgent, præcautionis gratia nunquam prætermittenda: Vere & autumno brachij venæ ſundantur; in melancholicis reſerentur vaſa hæmorrhoidalia; mulieribus cieantur menſes ſi ſubſtiterint. *Galen.* intrepide aſſerit præſens eſſe auxilium in maximis doloribus, præcipitibus fluxionibus, & ingentibus inflammationibus: Hæc tria ſi ſimul concurrant primo podagræ inſultu, quis eam abnuerit pro neceſſitatis urgentia? Hujus remedij cum tanta ſit præſtantia, an aliud vel certius vel minus dubij eventus decerni poterit? Annon urgẽtibus doloribus purgationi ꝑ ætereundum? *Th. de Mayer.* Tract. de Arthr. p. 94. *Gal.* S.m.l. de ea c. 8. & 10. commendat, etiam citra plenitudinem, quinimo & *Paulus* in pituitoſioribus & atrabilarijs. *Forest. conſ. 67. cent. 4*

X. In arthritide recenti, aut non multum inveterata, & præterim in conſtitutione calidiori, circa morbi initium celebrata, V.S. ſæpe juvamen cõfert: verum in morbo habituali, nec non temperamento frigido, ac ætate ſenili, plus obeſſe quam prodeſſe ſolet: quatenus ſanguinis & ſpirituum haud nimis efficatorum vigorem deprimit, abſque materiæ morbificæ diminutione. *Willis cap. de Arthritide.*

XI. Sunt qui Podagra laborantibus, ſingulis menſibus *Venas ad pollices pedum* aperiunt: idque aliquoties repererunt, & novi qui id cum commodo fecerint: Neque ratione hoc inſtitutum carere videtur: Solet enim natura vitioſos humores maximè ad extremas corporis partes & venas protrudere, præcipuè eas ad quas aſſuevit fluxionem concitare: Ideo cum credibile ſit naturam in podagra laborantibus, Tartareos illos humores majore copia ad venas in pollicibus pedum, quàm alias partes mittere, vena ibi aperta ij commodè evacuantur: Neque ea evacuatione vires valde dejici poſſunt, modò non ſit nimia: Et favere huic ſententiæ etiam id videtur, quod *Coſtæus* in Avic. l. 3. fen. 22. tract. 2. c. 5. ſcribit, ſe vidiſſe quendam, cui facta à Medico in crure uſtione, atet planè humor effluxerit, copioſus & frequens, quo deinum evacuato ſedata affectio prorſus fuit. Alij in eundem uſum plantis pedum, ſingulis menſibus, ante novi-lunium, cucurbitulas ſine ſcarificatione apponunt. *Sennert. l. de Arthr. c. 7.* Hoc tamen medicationis genus improb. *Crato* Conſ. l. 4. f. 407. *Scio*, inquit, *quoſdam exiſtimaſſe ſe juvamentum ſenſiſſe ſi aliquoties in anno, non tamen doloribus affecti, venam ſecarent in pede, vel cucurbitulas adhiberent: verum quam facti ſint miſeri, memini;* Etſi enim materia, quæ affluxit reſidua, ſic evacuari poſſe videatur, affluens tamen non præcavetur: ſed potius ita debilitatis articulis, violentior fiet novi humoris receptio, & per conſequens vehementior paroxyſin. *Hoeferus Herc. Med. l. 4. c. 1.* Hæc eventus diverſitas morbi variam indolem innuit, a varietate hominum naturæ, temperiei & excrementorum in ijs collectorum profectam: quo fit ut quod uni prodeſt alteri ſit noxium: Ea de causâ Medico remediorum ſylva in promptu eſſe debet, ut ſi unum ſucceſſu careat, ad aliud tranſeat: Vel dic Infelicem ſucceſſum, quem notavit *Crato*, cauſam habuiſſe quod topicis iſtis ægri

uſi ſint, non præmiſſis univerſalibus vacuationibus, quæ ſi præceſſiſſem, ea incommoda non ſubſequuta eſſent. Hirudines & cucurbitulas ſupra dolentem partem, magni uſus fuiſſe in Podagra fideli ſe ſæpius experientia didiciſſe teſtatur G. *Caldera* lib. 1. Illuſtr. & Obſerv. Medic. 22. *Hennius* Tractat. de Hirudin. Obſervat. 23. Podagram calidam hirudinum appoſitione curavit, Quadragenarius, ait, fluxionibus podagricis aliquoties tentatus, in dextra pedis planta ruborem quendam cum intolerabili dolore ſenſit: Certus ego quod paulò ante *per epicraſin ſufficienter evacuatus fuiſſet, adhibita ſimul venæ ſectione mediana*, quatuor hirudines, ad circumferentiam ruboris, venarum evidentium veſtigijs, paulò ad latus affectæ partis, appoſui: quibus bene trahentibus, & poſt caſum earum ſanguine craſſo ſatis largiter fluente, ex tempore ſedatus eſt dolor graviſſimus: Niſi ſequi velis *Paracelſi* ſententiam, qui ea Synoviæ ebullitione, hoc eſt, ebullitione humoris in articulis contenti, arthritidis cauſam deducit, non concurrente fluxione, quo in caſu talia juvant. *Vide Sennertum tract. de Arthr. quæſt.* 8. *Iac. Auberium Progymn.* 50. *in Fernel. de abditis. Douynetum Apolog. l.* 4. *c.* 3.

XII. *Aëtius* Tetr. 3. ſerm. 4. c. 24. ad Podagræ præcautionem etiam venarum quæ ex ſupernis in pedes deferuntur exciſionem laudat, eodem modo factam, ſicut varices in cruribus exſcindi aliquando ſolent: Verum, ut rectè monet *Aquapendens*, n. Operat. Chirurg. Varicum extractio & exciſio non modò aſpera eſt & difficilis, ſed etiam plerumque difficulter ſuccedit, ob ſanguinem effluentem: Præterea, partes inferiores ex venarum exciſione facilè contabeſcere poſſunt: Inſuper, etſi hæ venæ exſcindantur, tamen parum commodi inde ſperandum eſſet; Si enim vitioſi humores in corpore congerantur, & ad pedes fluere ſint conſueti, via ipſis occluſa, ad partem aliquam nobilem ferri, & affectum alium periculoſiorem excitare poſſunt. *Sennertus cap.* 7. *de Arthritide.* Adde vix viam influentibus humoribus eo modo præcludi poſſe, cum *fluxiones* per arterias plerumque fiant.

XIII. Podagræ ſuperandæ efficacia remedia deberi ſanatorum demonſtrant exempla: Conſtantinopoli Turca (referente oculari teſte fide digno D. *Arlaud* Horologiopæo Genevenſi) podagricus confirmatus, ob delictum quoddam, pro more Gentis XXV. arundinis ictibus in plantis pedum plectitur; ad aliquot dies uſu pedum privatur, ſed in poſterum à Podagra immunis vixit: Immutatio diætæ ad id valet: Plurimis, & mihi olim notus Dom. *Franchet* Pontarlienſis Burgundus, qui patria exul, anno 1636. ob Suecorum in Burgundiæ Comitatum excurſiones, ſumma bonorum privatus, victum parare ſibi coactus fuit dorſuaria corbe humeris impoſita, emporia & nundinas frequentando; quo vitæ genere uſus in poſterum à podagra immunis vixit.

XIV. Patiens erat hoſpes publicus, Medicus quidam Nob Eques, qui pactus 300. floren. ſanationem promiſit, & recepto autographo curam aggreſſus eſt: Patiens juſſus eſt pedes imponere trunco ligneo, Aderant fortes ſervi Nobilis qui ſedentem tenerent, Ipſe Nob. malleo ferreo inſtructus ſex clavis affixit pedes ligneo trunco, moxque miſerabiliter clamantem ægrum reliquit, & ſe in equos conjecit: Interim crebro exploratus eſt num morbus fuiſſet reverſus, Cognitóque jam elapſo trienio non rediiſſe, ipſe repetiit hoſpitium, & jocatus cum hoſpite cognovit de ſanato morbo: Itaque chirographum produxit, & ſe Medicum fuiſſe oſtendit, popoſcitque ſoltrum: contentus hoſpes, licet crudeliter tractatus: Equidem tamdiu pavit cum ſuis donec trecenti floreni eſſent conſumpti. *e Deringius cent.* 2. *Epiſt.* 46. Vide *Sennerti* judicium de hac cura *Epiſtola ſequenti.*

XV. *Spigelius* de Arthritide, *Cauteria* ſeu *fonticuli* à multis in huc caſu commendantur: ſi caput una laboret, brachio ſiniſtro infigantur, cruris verò internæ parti, vel ſupra vel infra genu, ſi jecoris adſit caliditas: In utroque loco commodè ponitur, ſi à pituita & bile oriatur, ut plerumque ſolet, & jam ſæpius hominem invaſerit: In dolore coxendicis, cruris ejuſdem lateris externæ parti infra genu inuritur: Multi ſupra articulum fonticulo facto, ac aliquamdiu deinde aperto, ſanitatem priſtinam ſunt adepti: Admoto etiam ijs cauſtico parti internæ poplitis, qui gonagrâ moleſtabantur, ab acri fluxione liberati ſunt, evacuata per ulcus ea materia. *Mercurialis lib.* 4. *c.* 1. Ubi hæc remedia non proſunt, quid agendum? Statim ad alterum modum extrahendi materiam, ſcilicet ad cauteria, eſt deveniendum: *Idem cap.* 2. Quod ſi etiam hæc non contulerint, quid agendum eſt? Omnes, & præſertim Hippocrat. recurrunt ad ignem, quia quos morbos non ſanant alia remedia, ſolet ſanare ignis, *I. Nevius in conſ. Cratonis* 14. Lætor cauteria feliciter cedere, neque dubito inpoſterum idem expectandum eſſe, præſertim cùm ſtupor & ſpaſmus remiſerint, & ſerum notabili excernatur quantitate: *Thomas Eraſtus part.* 4. *diſp. anti Parac.* meminit cujuſdam Chirurgi feliciſſimi, *Andreæ Peruſini* Romani, qui quampluſimos Podagricos per cauteria ſeu fontanellas curavit: Impreſſit ægris cauteria ſub genubus & humeris quatuor. J. *Riolanus* coxarijs applicat cauterium 4. digitis infra genu, in exteriori tibia, quam præfert parti interiori, quia vena malleoli exterior Iſchiadica nominatur, *Abr. Seiler in Epiſt. Cratonis* 10. Cùm videam in hoc malo præſtantiſſima auxilia parum aut nihil prodeſſe, nihilominus perſuadeo uſum cauteriorum multum profuturum: ichor enim, præbens influxui occaſionem, pedetentim inanitur, & ſic articuli à ſuis moleſtijs liberantur: Antequam autem applicentur cauteria, operæ pretium erit prius mundificare corpus, & primum experiri uſum in pedibus: Quod ſi iſta ad dolores podagricos ſopiendos non ſatisfacient, etiam brachiis erunt adhibenda. *Crato conſ.* 221. *a cæteris Medicis diſſentit, nec podagricis conferre poſſe aſſerit, ſic inquiens*; Quod verò ad cauteria attinet, cùm materiam Medici non tenuem tantum, ſed mixtam, craſſam atque ſalſam eſſe fateantur, quid ijs proficimus? Pauca materia, eáque tenuis per fonticulos iſtos, ut appellant, evacuatur; cùm iſta podagrici maximè abundent, imò craſſa materia podagram gignere non poſſit, niſi tenuis illa & ſeroſa, tanquam vehiculum adſit & inflammationem excitet, Hoc verò, ſi tota per cauteria poſſet evacuari, nihil convenientius podagricis eſſe fonticulis iſtis judicarem, Verùm cùm videamus quam exigua pars effluat, atque illud quod effluit non tam ad curationem quàm præſervationem morbi faciat, quorſum ob parvum atque incertum commodum magna incommoda ſubeunda? Verùm dicat quicquid velit *Crato*, ſuam ipſi relinquo opinionem, praxis mea contrarium me docuit, omnibúſque ac cunctis qui arthritico inſultu uno aut altero vexati fuerunt, nec thermas adeundi occaſionem habuerunt, conſulo ut fonticulum ſibi imprimi patian-

tiantur, per hanc enim non tenuis tantum, ſed & craſſa materia excernitur ſimul, ut ocularis inſpectio hoc dat: ac quamvis ea ſit pauca quæ pro vice omittitur, tamen quia quotidie evacuatur, non pauca ſed multa meritò dici poteſt: quotidie enim nova peccans generatur, quæ & ſimili intentione evomitur, jugiter ſcilicet, atque ſic morbi fomes, podagricorum dolorum inſultus cauſans, abſumitur: Et profectò ſi ullus eſt morbus qui hoc remedio curari poteſt, revera eſt podagra ſeu arthritis, Gutta dicta, eò quod inſtar guttæ deſcendat pedetentim genita: Si itaque paulatina hujus affectus generatio exiſtit, paulatim evacuans auxilium opportunum: At ſi materia ſit copioſior quam quod unus fonticulus eandem poſſit abſumere ac evomere, alius adjungendus: Porrò hæ fontanellæ non tantum inſerviunt præſervationi, ſed & curationi, quatenus intemperiem alterant; Aſt qui has inſitas habent, ſi non utantur optima diæta, etſi ſint quamplurimæ numero, nec curantur, nec præſervantur, ut & illi quibus nodoſa eſt & tophacea podagra. *Glandorpius Gazoph. cap.* 16.

XVI. An ſolidioris formæ conveniunt medicamenta in Arthritide bilioſa? Affirmativam tuentur qui exiſtimant in omni arthritide, quandò damus purgantia, ea præſcribenda eſſe quæ ex longinquis partibus trahunt, quod præſtant ſolida potius quam liquida: Contra vero formam pilularum hic minus convenire aiunt reſpectu materiæ peccantis, nempe bilis, quæ liquidis tutius purgatur quàm ſolidis: deducta enim aliqua bilis incertioris quantitate ad ventrem, magis torquet ægros ſua acrimonia & ſiccitate, unde requirit purgantia quæ etiam humida ſint & actu & poteſtate, quantum fieri poteſt: Huic difficultati reſpondeo quod oportet diſtinguere arthritidem: Si conjunctum habeat ſymptoma doloris acerbiſſimi, tunc oportet poſt lenients, & leviter purgans primas regiones, dare aliud medicamentum quod ex articulis vel longinquis partibus educat; Ubi vero non eſt magnus dolor, qui etiam externis leniter placandus eſt, potius validioribus erit opus, ſive ſint in potione, ſive in pilulis: Sed ſi in forma ſolida capiantur medicamenta, poſt unam vel alteram horam aliquid juris alterati cichorio, endivia, lactuca, cucurbita ſuperbibi poteſt: Extat in bilioſæ arthritidis magnis doloribus nobile purgans, quod à nonnullis datur in omni genere arthritidis, ſtatim initio ad ſiſtendam fluxionem à ʒ j. ad ʒ j ß. ſummo mane, e jure carnis pingui, Fallopio familiare ℞ hermodactyl. turpethi ana ʒ iij. diagrid. ʒ j ß. zinzib. ʒ j. maſt. his ʒ ß. ſacch. ʒ ß. ſacch. ℈ vj. M. f. pulvis. Ejuſdem farinæ eſt Caryocoſtinum *Beyſt. Spigelius de Arthr. p. m.* 80.

XVII. Obſervandum vero eſt quod ego nunquam, ubi præſervari debent ab arthritide ægri, in purgationibus utor ijs in quibus ingreditur hermodactylus, Non enim opus eſt educere humores ex ijs partibus in quas adhuc nil decidit (niſi antiqua & nodoſa ſit arthritis, quæ per frequentes acceſſiones ſuos habet dolorum recurſus) & ideo ſimus contenti ijs quæ venas & caput, ſi conſentit, purgant, poſt leves purgationes. *Idem ibidem. Fortis Conſult.* 66. *cent.* 4.

XVIII. Aliqui hic tempore acceſſionis abſtineri volunt à præſcriptis validioribus medicamentis, & nonniſi levioribus eſſe faciendam purgationem, vel validioribus in minori quantitate, & rectè, Nam fortes purgationes humorum copiam inſignem à partibus ignobilioribus & externis trahunt ad partes nobiliores & internas: Unde contigit aliquando nonnullos, ab inſigni purgante in febrem ardentem malignam incidiſſe atque funeſtam, mirantibus amicis morbi periculum, in quo ſolet eſſe nullum. Idcirco in arthritide bilioſa caute eſt purgandum (& ut nonnulli rectè monent) tempore acceſſionis inſtantis oportet neceſſario leniſſimo medicamento ad conſtringendum dato, ut triphera Perſica, quæ leniſſime evacuat citra agitationem humorum, uti quæ re non irritetur fluxio: Atque eo etiam aſſevero me plurimos blandis medicamentis, ſæpe tepefactis & temperatis, vel non multum calefacientibus, curaſſe feliciter quos defluxio in pedes & alias partes detinuerat, ut cum proba victus ratione uterentur, non amplius malum redierit: Nec mirum, non enim eum humorem qui jam in articulos influxerat per purgantia tollere curavi, Etenim natura ſua ſponte, levioribus medicamentis paulatim ab onere & multitudine pravorum humorum, qui ſunt in venis & prima corporis regione, allevata, inſurgit ad expulſionem reliquorum ſua vi expultrice, quam paulatim per omnem corporis viam molitur, per ſudores & halitus factos per cutis poros (quibus etiam diſcutitur materia in articulos fluxa) Per urinas, unde videmus eos qui à ſuo paroxyſmo incipiunt convaleſcere copioſius mingere quam conſueverant: ubi vero morbus incipit, minus mingunt quam potus requiſit) Per inteſtina, in quæ maxima humorum pars per venas iterum depellitur, quæ ſi multa ſit, & confertim fluat, alvi ſequitur fluxus; ſi vero modicè confluit, non ſequitur, ſed à medicamento facile depellitur, & ideo non ſunt ſemper vel ſingulis diebus præbendæ purgationes, etiamſi ſit corpus cacochymum, ut in omni arthritide fere eſſe ſolet, ſed ſingulis fere quatuor diebus, vel pluribus, ut denuo bilioſa, ac etiam pituitoſa materia, ex alijs corporis partibus ad ventrem confluxa per venas, ibi iterum colligatur in prima regione corporis: Quod autem natura vim quandam ſingularem ſemper habeat, expellendi pituitam & bilioſa excrementa per alvum ex omnibus corporis partibus, probatur exemplo recens natorum, qui cum nondum quicquam comederint, copioſiſſima excrementa pituitoſa, bilioſa atque aduſta, in ventre, dum adhuc eſſent in utero matris, collecta, ab omnibus corporis partibus per duos vel plures dies expellunt. *Idem Ibidem.*

XIX. *Vomitus* Podagræ prophylacticum præſtantiſſimum eſt, qui poteſt provocari emeticorum ope in inſigni humorum colluvie; ubi juncturæ admodum laxæ & morbus præ foribus eſt, atque ubi podagricus ſuæ ſpontis eſt, præceptis Medicis non auſcultat, ſed genio in valetudinis incommodum plerunque indulget: Eſt vero vomitionis aliud genus, utiliſſimum minúſque moleſtum: Cujus ratio ut teneatur, ſciendum Arthritidis originem, non à jecore aut cerebro repetendam, ſed à ventriculo, primam cauſæ materialis ſcaturigine, quæ poſtmodum inde per univerſum venoſum genus diffunditur. Ex Arabum conſilio inebriari ſemel in menſe convenit, quod non indecens eſt, modo non ſuum natura inundatur, & ratio ſuperſtes maneat; Quadrat id præceptum in helluones, qui omnia ſine diſcrimine ingerunt; Semel ij, aut bis in menſe ventriculum ultra conſuetudinem infarciant, quibusvis promiſcue ingeſtis cibis, præſertim pinguibus, ſuperhauſto qui libuerit ſolito liberalius, liquore; ſic ſaburrati per horam quieti ſtent, demum ſemihoræ ſpatio lente deambulent, tandem digito faucibus indito, ventriculum ad ſubverſio-

nem ſollicitent & ingeſtorum excretione, ac ſimul congeſtarum mucilaginum, illius parietibus jampridem affixarum, quæ a paſtu ad provocatum uſque vomitum alimentis ſeſe immiſcuerat, ab aſſumptis liquoribus & potu dilutæ. *De Mayer in Tract. de Arthritide p. 16. & 26.*

XX. *Bayrus*, Medicus Italus, laudibus extollit *Caryocoſtinum* ſuum, cujus ſimplicia cum maxime calcant, ejúſque operatio paulo vehementior ſit, vix utile puto ſiccis corporibus, ſed tantum ſumme frigidis & humidis: Et quanquam aſſerat ſeipſum podagra ad extremum afflictum, eo ſumpto dolore urgente, ſemper libertatem pedum fuiſſe reſtitutam, ita ut ſolus, nemine fulciente, ſellam perforatam adire valuerit; pie illi fidem adhibeamus, Medico quippe docto, ſeni & experientiſſimo, conſtat tamen vel nonpurgandos podagricos vigentibus doloribus, vel id ἀσφαλῶς faciendum, aliter commota camarina malum ingraveſcere certum eſt: Præcavebitur id damnum ſi ea ipſa die, qua aſſumptum purgans, exhibeatur hora ſomni laudani dozis: quo pacto orgaſmus humorum ſedatur, figuntur ſpiritus, tandem, imminuta cauſa, mitigatur malum, priſtinæque libertati reſtituitur natura. *Idem pag. 36. & 49.*

XXI. Quæ vehementer purgant, etſi videantur prodeſſe, maximopere tamen afficiunt corpora, cum humidum radicale & calorem naturalem affligant, & membra ipſa coctionis valde debilitêt, ut paulo poſt non minus excrementorum intus colligatur quam purgatione ademptum ſit; quare & à medicamentis talibus, & Medicis inductis cavendum eſt. *Crato.*

XXII. De *Purgatione* circa morbi initia res valde controvertitur, dum Medici quidam a catharſi omni, ante paroxyſmi declinationem aut finem religioſe abſtinent? Alii, è contra, circa morbi initia purgantia fortiora conſtanter exhibent, & non raro cum bono ſucceſſû. Diſcriminis ratio potiſſimum in hoc conſiſta videtur, nempe quod Arthriticis quibuſdam humorum ac vaſorum continentium conſtitutione & tono adhuc firmis, atque articulis nondum debilitatis, quoties ſanguis & liquor nerveus à pharmacia perturbantur, haud ſtatim ſuperfluitates corum & recrementa in morbi mineram præcipitantur: quin ex medicamento irritanti ſimúlque incitanti obſequêntia, ex arteriarum oſculis in cavitates inteſtinorum emulgentur, ac interim vaſa inanitata materiæ morbificæ quandam partem retrahunt aut reſorbent: Secus autem in conſtitutionibus teneris & debilitatis, à leviſſima medicamenti commotione, utriuſque humoris purgamenta in locum arthriticum decidunt: Quibus itaque purgatio convenit, cum medicamento fortiori & elaterio inſtitui debet. *Willis cap. de Arthritide.*

XXIII. *Frambeſarius* etſi *Hermodactylorum* uſum in Arthritide in dubium vocet, ipſe tamen improbare eos non videtur, in his præſertim ſubjectis quæ obeundarum actionum neceſſitatem habent, ubi ſcil. ſubitaneo auxilio opus eſt, Etenim, *inquit*, intra biduum obeundis muneribus idoneos faciunt Hermodactyli: *Eoſdem probat Platerus*, modo eligantur Bulbi veri, qui reſiccari ad nos feruntur, albidi, non rugoſi, modice duri, tundique faciles, ruſique candidum pulverem efficientes; cavendo à Colchic. ſtrangulatario, cujus bulbi ſiccati rugoſi ſunt, & foris intuſque nigricant vel obſure rubeſcunt: Ex his pilulas confectas merito rejicit *Iulius Cæſar Arcantius in conſ. Scholtzij a. 198.*

XXIV. In Arthritide non temere danda *Caſſia*, nam pars ejus in nutricatum abit, & ita laxas partes reddit & fluxionibus obnoxias. *Heurnius meth. M. l. 2. c. 22.*

XXV. Articulis circumfunditur glutinoſa humiditas, ad faciliorem motum a natura conceſſa, qua conſumpta coguntur ac in unum compinguntur articuli, unde ad motum inepti & inhabiles redditi, dolore ex quocunque leviſſimo motu cruciantur: Tales articulorum dolores in conſtitutionibus ſiccioribus Hip. 3. aph. 16. fieri ait, qui ad arthritidem revocandi, ſi eo nomine omnem articulorum motum impeditum, cum dolore, audiamus; imitati Hip. qui l. de affect. int. Coxendicum dolorem a ſimili cauſa oriundum eodem nomine donavit, ac eum qui a materia Iſchium occupante naſcitur. Medicus has curaturus affectiones, iſtas indicationes habebit, ut amota omni cauſa externâ & præcedente, tentet naturalis ejus humiditatis regenerationem & humectationem partis: An autem dum hæc peraguntur, vel purgandi ſint medicamento electivo patientes, ut docet Hipp. vel acres clyſteres, quos imperat, injiciendi, dubium eſſe poteſt: Ego autem hujus ſum ſententiæ, ut in tanta articulorum exſiccatione omne evacuationis genus noxium ac ſuſpectum ſit; niſi forte ratione exſiccantis cibi, quali habitantes in Oeno uſi fuerant, hæc affectio inducta fuerit, aggregata ex malo victu, copia pravorum & terreſtrium humorum, qui exturbandi, & ante articulorum laxationem excludendi erunt; quod tamen caute agendum, metu majoris exſiccationis. *P. Salius Diverſus de aff. particul. c. 17.*

XXVI. Convenire videntur *Diuretica*, quia ſcribit Hipp. 4. aph. 74. *Quibus timetur abſceſſus ad articulos, liberantur urina multa & alba*: & in fine lib. de Humor. *Urina craſſa alba, qualis Archigeni familiaris erat, liberat ab abſceſſu.* Objicies locum 2. Prorrh. *Urina craſſa cum alba ſubſidentia indicant articulorũ dolores*, Reſp. Etſi doctiſſimis quibuſdam Medicis ſuſpecta ſit hæc ſententia dicam potius velle Hipp. craſſa lotia prænuntiare dolores artuum ſi reſtitent, aut reddantur in tenuia, craſſiori humorum ſubſtantia intus in vaſis relicta, quæ poſt in artus varios decumbat: unde cuidam articularibus doloribus per intervalla obnoxio, dum incipiente malo craſſa multum & copioſa ab eo mingeretur urina, prædixi dolorum ſævitiem & minorem & breviorem omnino futuram quàm ante, ut revera contigit, Scribit enim Philotheus comment. citatum aph. *In partes diviſa materia, citiſſima fit morbi ſolutio.* Non mihi ergo diſplicet placidorum diureticorum uſus, præſertim ſi patientes ſimul ſunt Nephritici &c. *Crucius de Quæſitis p. 13.* Refert *Foreſtus Vaſtelliam Penſionariam Mechlinenſem*, cùm in lecto decumberet ex doloribus articulorum, ut nullum membrum movere poſſet, bibiſſe cereviſiam calidam, in qua radix lappæ majoris cocta erat, quâ epotâ, cùm nullis remedijs à Medicis curari poſſet, plurima minxiſſe alba inſtar lactis, & ita a doloribus liberatum fuiſſe. *Foreſtus.* Circa Hidrotica quæritur num præcautionis cauſa in uſum ducenda, ac num accenſenda præſidiorum numero quæ ad præſervationem requiruntur? Reſp. vix in illum cenſum venire poſſe, eo quod Arth. cauſa materialis cum ſtatuatur humor ſalſus, qui ſuavis copia fruatur, ab eóque temperetur, hic ſudorificorum vi ſi nimium diffluit, ſerum illud ſalſum acrimoniam majorem & vim induit, vehementiúſq; operationem ſuam exſerit: Ea tamen non improbo, imo author ſum ut plethorici qui crebris ante paroxyſmis occupati fuere, plurimáſque ἀποστάσεις & fluxiones in articulos paſſi ſunt, quorum ideo robur infringitur, motuſque inepti evadunt, hidrotica in uſum ducant; hac arte corpus in actiones minus ſegne evàdit, imo agilius fit, à detracta portione ſeri exuberantis, articulóſque madefacientis: unde poſtmodum

modum locus commodius eſt remedijs, tum præſervationis, tum curationis gratia uſurpanois, adeo ut ex accidenti & ſecundario id auxilium concedi queat ad præſervationem, etſi in ſe conſideratum primatio non admittendum. *Th. de Mayerne conſ. m.s. de Arthrit.*

XXVII. *a.* Noſtri ſeri & lactis vice *Decocta varia* exhibent, attenuantia, calefacientia, exſiccantia, & quæ humores acriores reddere ac diffundere poſſunt, conſtant enim ex Gaiacu. China, Saſſafras, quorum virtutes quantum conveniant cum ſero & lacte judicent lectores. *Martianus* Averſionis tamen & vacuationis gratia hidrotica videntur in uſum duci poſſe, ſic enim ſeroſa materia per habitum corporis diſcutitur; præſertim ſi temperata ſint, ne ebullitio humorum major contingat, febris abſit & ſqualidior viſcerum conſtitutio, arthriticis alias familiaris: Sudores admodum probat *Crato* conſ. 240. *Ego & experientia multiplici, & ratione adductus, raſuram cornu cervi optime ligatam in petia, & impoſitam potui, certum habeo & urinam provocare, & corpora, modo ad id proclivia ſint, facile ad ſudorem diſponere, ſi præſertim mane in lecto ſe contineant & membra foveant, quod qui faciunt, a podagrâ ferè liberi ſunt; nam cùm craſſi humores abſque ſeroſis non poſſint fluere, optima eſt præſervandi ratio in victu ſeroſorum copiam evitare, & ſi in corpore cumulentur, per ſudores & urinas tempeſtivè educere. Mercatus* ea concedit præcautionis gratia, non doloribus vigentibus aut incipientibus; veritus articulorum laxationem & emollitionem, ac humorum fuſionem, quorum licet aliquid ad cutim divertatur, veriſimile tamen eſt eorum partem ad dolentes & infirmos articulos delatum iri.

XXVII. *b.* *Tabacum* an Arthr. præſervativum? Paucis reſpondeo medicamentum eſſe efficaciter ſerum in capite ſuperfluum educens, maſticatorii forma uſurpatum, errhini, ſuffumigij; quod reliquum corpus occupat valide per inferiorem alvum aut ſuperiorem excindens; At vehementiſſimum eſſe remedium, quod & in ipſa operatione, & ea peracta, verenda invehit ſymptomata, cujuſmodi ſunt vertigo, nervorum tremor, debilitas totius, cerebri commotio, & alia: Sin à varietate operationum illius Arthriticis beneficium aliquod expectandum eſt, id potius vacuationis gratia ſuccedere quam aliunde pendere exiſtimandum: Si qui tamen facile tolerant, & jampridem familiaris uſus eſt, nec ſine commodo, ab illius uſu illos non arcebo, præſertim temporis præſentis habita ratione, hyeme enim & udo cœlo tutius uſurpatur, etſi me judice melius ſibi conſulant qui eo carent. *Th. de Mayerne dicto conſ.*

XXVIII. *Aquarum mineralium* potum data opera mittendum cenſeo, cum experientia mihi ſit compertum eas non exturbari extra corpus, non accedente motu, (à quo ad pedes præcipitari poſſunt) neceſſario aliqui ut faciliùs permeent. Secundò, Ab aquarum omnium uſu copioſo ſuperſunt ſemper in corpore ſeroſitates, quibus abundant ferè arthritici. *Sylvat. conſ.* 84. & 8. *cent.* 3. Arthr. tamen bilioſ. acidulas vitriolatas & refrigerantes plurimum conferre aſſerit *Riverius*, ita ut earum uſu plures ab ea immunes per longum tempus evaſerint, quod de præſervatione andiendum, & ijs qui ſoluto paroxyſmo pedibus uti poſſunt. *Heer.* de Acid. Spadanis p. m. 87. purgatiſſima requirit corpora ad earum uſum, quod ex intempeſtiva exhibitione arthrit. alieno tempore excitatam ſæpe viderit; alias ſerum expurgando, quod in articulos lapſum membranas tentat, prodeſſe poſſe videntur. *Fortis conſ.* 69. *cent.* 4

ſ.

Aquas B. Virginis aſſumendas ſuadet, quæ cum cæteris acidulis temperatiores ſint, ideo nec ventriculo obeſſe poſſunt, cum ferro careant, ſed pauci ſalis participes ſint: nec caput tentent, quia minimum ſulphuris habent, Et viſcera teneique mundando roborent. ob aluminis copiam; atque adeo, experientia teſte, Podagram aut articulares dolores non excitent, ſicut reliquæ acidulæ facile ſolent.

XXIX. In *Arthr. vaga ſcorbutica* proſunt *Diuretica*, nihil enim magis ſeroſas humiditates, fermento Scorbutico contaminatas, quæ Archeum ad dictum affectum ſollicitant, per urinas expellit; Cum primis ſint ſpecifica antiſcorbutica, id quod illorum effectus ſatis docet, nam ab illorum uſu quæ prius clara, turbida redditur. *Frid Hoffmann. m. m. l.* 1. *c.* 12.

XXX. *a.* Cum Arthr. generatio debeatur, tum articulorum imbecillitati, tum feroci materiæ ſalſuginoſæ & acutæ affluxui & copiæ, quæ eò fertur, vel decubitu, vel attractione, vel orgaſmo, duo quoque erunt curationis ſcopi, materiæ morbificæ evacuatio, & affectarum partium corroboratio: Illius generatio impedienda, genitæ fons exhauriendus, impediendus orgaſmus, materia autem partibus contenta diſſolvenda diſcutiendaque, & partes demum affectæ corroborandæ: Nullus vero inficias ibit pro Arthr. curatione *Mercurium* adhiberi tuto poſſe, ſed Quæſtio eſt num crudo, an rite præparato, num artificiali, num naturali utantur? Crudum qui adhibent, & eum quidem qui ex plumbagine, Saturno & Biſmutho conflatur (quo fere Empirici, tum ob pretij vilitatem, tum quod veram veri Mercurij ſignaturam ignorent) & ex eo inunctiones Mercuriatas additis, prout lubet, aromaticis, calidis & pinguibus concinnant, tantum abeſt ut Arthr. ea unctione ſubleventur, ut potius prava ſymptomata peſtiſcant, ob malignam & frigidiſſimam Mercurij illius plumbaris qualitatem, nervoſo generi infeſtiſſimam: ut licet forte in inunctionum præparatione verum & genuinum Hydrargyrum adhibeant, cum tamen ſæpe venenatis aliorum metallicorum ſubſtantijs impregnetur, non mirum ſi ea quoque ratione imprudenter adhibitus, ſuam quoque malignitatem nervis, ligamentis, tendinibus communicet: Addo quod Mercurius crudus tota ſubſtantia nervoſis partibus ſit infeſtiſſimus: Quod ſi e vero & genuino hydrargyro, artis Hermeticæ ingenio, vel oleum dulce Mercurij, vel ſpiritum illum fragantem, quem Mercurij liquorem, ſeu ardentem aquam Mercurij vocant, per Salis arm. fixi oleum præparemus, eóque tophos nodúſque podagricos, gypſeámque & tartaream materiam, juncturis firmiter adhærentem, debita ratione, præmiſſiſq; præmittendis inungamus, non dubitandum quin felix ſequatur ſucceſſus: Cum enim ſpiritus ille rite præparatus penetrantiſſimus ſit, uſque adeo ut corallia & uniones facili negotio in liquorem agat, nullomodo diffidendum quin & materiam tartaream juncturis affixam mollire, reſolvere, in fluxilem liquorem agere, ſicque tandem evacuationi aptá reddere potis ſit. *Cl. Deodatus apud. Hildanum cent.* 4. *obſ.* 82. *Hydrargyroſeos infauſtum eventum vide ibid.* An *Salivatio*, (quæ eſt evacuatio univerſalis) conveniat circa initia paroxyſmi Arthr. ♃ ſi nullam me ejus rei habere experientiam, nullam quoque mihi ſuccurrere rationem quæ ejus uſum hic ſuadeat, ſed plures quæ diſſuadeant: Neque enim in pleriſq; mox cieri poteſt Salivatio, ſed poſt aliquot demum dies, quo nomine inepte hic inſtitueretur: Adde quod lente procedat, hic vero opus eſt evacuatione celeriter ac brevi abſolvenda; Accedit quod ſi quis illam nimium promovere ſtudeat, in evidens vitæ diſcrimen ægrum conji-

ciat. Non negaverim tamen in quibuſdam pituita multa, eáque viſcida, gravatis Arthriticis utilem quandoque fore, at non in ipſo paroxyſmo, verum tempore libero, & ubi conſtant vires, dummodo alia tunc non negligantur, verum cæterorum humorum ſimul peccantium ratio habeatur exacta: Salivationem à mercurialibus medicamentis excitari notiſſimum, & vix ab alijs: quamvis non ſemel obſervatim Salia volatilia levem excitaſſe ſalivationem, minime gravem aut moleſtam, qualem ſolent producere mercurialia, cum gingivarum, genarum, linguæ exulceratione & profunda, & nonnunquam periculoſa. *Sylvius de le Boë Tract.*8. §.171. *& ſeq.*

XXX. *b.* Non nego quin prædictis *Hidroticæ ex Antimonialibus* commodum addantur, ut in alijs morbis id ipſum obſervamus, ubi antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, ſulphur auratum diaphoreticum, & ſimilia magno cum fructu ſæpius uſurpantur: Novi Chymiatrum periſſimum, qui pro ratione naturarum, præmiſſis præmittendis, appropriatam primò purgationem inſtituit Electuario ſequenti, quod ℞. fol. ſennæ, turbith. gumm. hermodactyl. dacrydij correcti, oſſium human. calcinator. an. ℥ß, f. pulvis minutiſſimus, adde ſacch. ℥ i j ß. diſſolve ſacch. in aq. fœnicul. ſubjice carbones ignitos, & quando ebullierit pulverem paulatim admiſce ad formam Electuarij; Poſtea Pilulas exhibet ex diverſis mineralibus operoſa præparatione confectas, addito extracto Theriacæ, quibus per aliquot dies ſudorem provocat, etiam ipſo paroxyſmo affligente, qui feliciter hoc modo diſcutitur. *Horſtius lib.*8. *Obſervat.* 4.

XXXI. *a.* Lignum *Saſſafras* non debet ingredi compoſitiones quæ ad arthritidem præſcribuntur, quam potius auget quam ſanat. *Claudinus.*

XXXI. *b.* *Sudores* à quibuſdam (in curatione) celebrata vomitione & purgatione laudantur; revera ſi calor deferbuerit, ac maxima ſymptomatum pars deſierit, utiliſſimum foret quod reliquum eſt materiæ in habitu corporis per ſudores aut inſenſibiliter exhaurire, ut promoveatur ſanatio, diſſipetur tumor, relaxetur pars, fiátque agilior & motui aptior: hic vero cauto opus eſt, periculum enim imminet ab hidroticis intempeſtive datis, ne amplius incaleſcant partes, fixius reddatur ſal partibus impactum, fiátque difficilior inde egreſſus, aut concretio in tophos inſuperabiles facilior: Si ergo humor paroxyſmum committens ſat ſit tenuis & mobilis, qui unico impetu exhauriri poſſit, nulla fæce ſuperſtite, aut tartarea materia, cujus maxima pars per ſudorem evadere queat, porrigantur ea, ſed leviſſima ſint, ex decocto chamædryos aut bardanæ, adhibito eo regimine per quod remedium utile evadat, periculi plenum alias futurum. *Th. de Mayerne Tract. de Arthritide MS.*

XXXII. Medicamenta *alterantia*, à veteribus *Arthrit. Antidota* dicta, egregij ſunt uſus, & longo tempore, una cum exacta circa ſex non naturalia regimine aſſumpta, juvamen ſæpe magnum præſtant: In hoc ſenſu medicamenta *Sale volatili* aut *Sulphure balſamico* prædita, quatenus nempe hæc ſalem fixum exaltant, illaque acetoſum reducunt, præcipua habentur: inſuper amara & adſtringentia, uti herbæ chamædrys, chamæpytis, centaurium, rad. gentianæ, ariſtolochiæ &c. (ſi quidem experientia duce in hoc morbo comprobantur) hac ratione utilia eſſe videntur, quod pepſeos & chylificationis munia adjuvant, atque fæculentias ſalino fixas, ne in ſanguinem ferantur, cohibent: *Willis c. de Arthr. p. m.* 526

XXXIII. Non ita pridem apud nos vulgo inoleverat ut Arthritici uno quoque mane *Urinam* propriam biberent, quod nonnullis commodo fuiſſe memini: Cujus juvaminis ratio videtur eſſe, quod urinæ latex ſalinus, ſanguinem denuo pertranſiens, particulas ſalino fixas, prius in articulos deferri ſolitas, ſecum ad renes deduceret: Quamobrem hæc methodus, ſi quando affectum arthriticum ſublevat, plerumque nephriticum auget, quod ex ſequenti hiſtoria conſtat: Vir Doctiſſ. cum crebris dolorum, vomitus & cruentæ mixtionis paroxyſmis per plures annos graviter obnoxius vixiſſet, tandem remedijs ſequentibus &c. conſtanter uſus, Nephritide fere immunis, abſq; graviori quopiam inſultu ſupra ſeptennium vixit: Curationis methodus, ſine pharmacia quavis, hæc fuit, Vino & Pomaceo abſtinens, pro potu ordinario Allam tenuem, ex Braſio avenaceo confectam, bibebat; porro ſemel in hebdomada mane cepit hauſtum ejuſdem Allæ ad libram circiter unam, cum pulv. oſſium ſenelorum cochl. iij. in eo diſſolut. Horum uſu intra paucos menſes morbo calculari valedixiſſe viſus, mox arthr. laborare cœpit, ejuſque paroxyſmis gravioribus per totam nephritidis vacationem ſubinde infeſtabatur: Itaque torturæ ita crebræ, ac fere continuæ pertæſus, ex conſilio amici urinam propriam unoquoq; mane bibebat, cujus uſu intra menſem unum aut alterum doloribus arthrit. paulo minus plectebatur, ſed mala vice affectus nephriticus recrudeſcere cœpit, & brevi poſtea urinæ ſuppreſſio totalis ſucceſſit, quę virum Ven. e medio ſuſtulit: Cadavere aperto, illius ren dexter abſumptus erat: Siniſter intra cavitatem & ductus magnam ſabuli & calculorum aggeriem continebat. Videtur quod cum ſanguis & ſucci nervei particulæ coagulativæ, nempe ſalino fixæ & acetoſæ, primo in renibus cocuntes affectionem nephriticam diu excitarent, poſtea ſupra dicti pulv. uſu ſalinæ uſque in corporis habitum protruſæ, & non facile redditæ, in articulis ſeminium arthriticum congererent, renibus interim fere ſalvis: Tandem vero eum ab urinæ propriæ potu minera ſalina in renes reduceretur, morbus articularis in nephritin exitialem commutabatur. *Willis cap. de Arthrit. p. m.* 529.

XXXIV. Qui operoſam, licet tutam, curationem reſpuunt, ſubſtituatur illi *Vinum ſolativum*, quo ſumma felicitate plures à Podagra vidimus præſervatos: Eadem enim ratione qua Podagra paulatim fit, eadem prorſus uſu hujuſmodi vini eliminatur & extirpatur: ℞. Chinæ opt. ℥iij. lentiſci e Chio ℥ij. rad. garyoph. ℥j baccar. junip. m. j. hermod. ℥iij. f. ſennę rec. ℥v. polyp. ℥iij, turbith. el. agar. ana ℥ij. cinn. el. ℥ß. vini conſueti pro menſæ uſu, ſitulam unam in omnia, & fiat infuſio per iij. dies: Cujus vini bibatur cyathus primus ad menſem mane & ſero: Quo deficiente, repetatur eadem infuſio, ut ſufficiat 40. diebus: Sumitur autem bis in anno, vere & autumno, incipiendo primis menſis Martij diebus, ſicut & Septembris, ut excrementa hyeme & æſtate congeſta paulatim e corpore educantur, antequam à natura ad articulos tranſmittantur. *Fortis cent.* 4. *conſult.* 73.

XXXV. Extant apud *Al. Trallianum & Plinium Valerianum Antidota*, quibus in totum liberari promittunt, Ea mane quinque vel ſex horis ante cibum debent aſſumi per annum, cum optimo vitæ regimine. Sed in cauſa calida nil magis puto convenire, experientia edoctus, quam pulverem fol. cichor. ſylveſtris, menſe Maij collectorum & in umbra exſiccatorum: Ejus datur ʒj. vel ℈ij. cum jure carnis pulli non ſaliti, mane 4. horis ante prandium, & veſperi cum vadit dormitum, vel cum cœna parca, vel abſque cœna: Hoc vidi in biliosa podagra incipientes jam fluxiones ita ceſſaſſe, ut mitior paroxyſmus redierit &

brevio-

breviori tempore duraris, duobus vel 3. diebus continuis aſſumpto. *Spigelius de Arthritide p. m. 84.*

XXXVI. Podagricos per continuum uſum *Lactis* curari quidam aſſerunt; De ejuſmodi cura ſic Medicus quidam. Non gravabor (inquit) Secretum, quod exiſtimatur pro Podagra curanda unicum eſſe edicere, quod aliquibus Bruxellis & alibi veritatis indicium ac curationis fuit: Quod Vir. Clar. *Peſcier* ſumma cum felicitate, alias Profeſſor in Gallia, palam fecit, quod primo intuitu ridiculum, attamen altiori ſpeculatione veritatis lumen eluceſcit; Inhibetur itaque tali modo affectis omnium ciborum compoſitio, ac ſolummodo Lactis uſu, ſeu recenter emulcti, ſeu tepidiuſculi ebibiti, vel etiam levi ebullitione cocti, contenti debent eſſe: quod quidem non ſine prævia purgatione levi, debet eſſe remedium, ſed etiam per menſes aliquot continuandum, ac annos: Quoad lactis verò electionem, ſeu Vaccinum, ſeu Caprinum ſumas, nullam Medicus ille ponit diſtinctionem, quam alias *Gal.* ſolet, & alij, conficere: Nec veretur primis diebus aliquid carnis elixæ permittere, cum pane in lacte cocto, prout ægri vires tolerare videntur, ac denique nullo alio potu quam lactis debet æger ſitim extinguere, cui ſeu ſaccharum, ſeu mel adjicias, ne corrumpatur, non abs re futurum exiſtimo: Notandum tamen in hoc lactis uſu venit, quod ſtomachus labefactetur, aliquibus alvus ſolvatur, alijs urina promoveatur, unde accidentia iſta Medico erunt compeſcenda: Lactis quantitas determinari non poteſt, ſed pro tolerantia & conferentia virium & ægri limitanda. Omni octiduo, alvo non fluente, purgetur patiens Rhabarbaro, vel cum paſſulis, vel alio vehiculo adhibito: *Hæc Medicus ille.* Alij aliter hanc curam deſcribunt: Quod ſi quæras quid hac de re ſentiendum ſit? Reſp. Lacteam hanc curam rationibus ſuis non deſtitui, atque exiſtimo per continuũ ac diuturnum Lactis uſum, totius quaſi corporis habitum immutari; Et quoniam Podagra morbus eſt Tartareus, Salinus, credo viſcera ſimili tartareo miaſmate infecta, ſanguinemque ſalino excremento impregnatum, medicamentoſo hoc alimento abunde temperari, demulceri & obtundi, donec tandem diuturnitate ſuaviſſimi & ſimplicis alimenti, ita attemperata & quaſi renovata fuerint omnia, ut calor non amplius extraneus, non amplius ſylveſtris, ſed naturalis, domeſticus, mitis in nobis redundet, nutriatúrque ſanguine & ſucco alibili, dulciſſimo, modo tamen viſcera non ita inquinata ſint ut correctionem adhuc aliquam admittant. *Ariſtoteles* 3. hiſt. Anim. 20 Lac ex triplici ſubſtantia conflari docet, Butyroſa, Caſeoſa, Seroſa, ita quidem ſimul commixtis, ut *Galenus* 3. de alim. facultat. c. 15. atteſtetur Lac optimum, omnium fere ferculorum optimi ſucci alimentum eſſe: Quid igitur mirum ſi Lac etiam Podagricis proſit? Cum & partes lactis ſingulæ, ſingula fere arthriticorum ſymptomata peculiari qualitate reſpiciant, Pars butyroſa pinguis (ob quam epiceraſticum Lac vocavit *Galenus* 1. Simpl. 13. viſcerum humorúmque acrimoniam blandiſſime demulcet, & Salium coagulationem prohibet: Pars Caſeoſa (cujus ratione emplaſticam vim Lacti Ideiro 10. ſimpl. cap. proprio tribuit) ſua terreſtri pinguedine tartari podagrici obtundit ſævitiem: Seroſa denique (quam cap. de Sero Abſterſoriam vocat, frigida & humida eſt, ſaltem quoad temperamentum prædominans, unde Serum viſcera magis contemperat, alia in corpore latentia paulatim ſolvit, abſtergit, & tandem, alvo obtemperante, paulatim per ſeceſſum vel urinas expellit: Atque adeo improbabile non eſt continuum Lactis uſum Podagricis quibuſdam prodeſſe poſſe: Interim perpendendum Lac non prodeſſe iis qui *deſtuxionibus*, catarrhis multum obnoxij ſunt, ut *Matthiolus* comm. ad *Dioſcoridem*, de Lacte, explanat, quia vaporoſum eſt; Idem *Calculoſis* obeſſe, ait *Galenus* 3 de alim. fac. 15. quia iis materiam Caſeoſa ſua ſubſtantia præbet, qualem in ſe plurimam habet Lac Vaccinum, utpote craſſiſſimum: *Lac ventriculo* frigido & phlegmatico vitandum, quia in eo aceſcit, *Galenus* aphor. 64. 5. *Flatulentis, quibus ilea murmurant &c.* eſſe malum *Hippoc.* l. c. quod Lac ſo ſe flatulentum eſt, ut vult *Galenus* de Alim. fac. l. c. In plurimis *ait*, Lac in ventriculo vertitur in flatus, ſuntque pauciſſimi quibus id non accidat: *Lac* quoque *Nervorum vitiis laborantibus* reſpuendum, *Dioſcor.* l. 2. c. 64. quia vaporoſum fluxiones in nervos auget; Id & *Hepaticis* noxium *Dioſcor.* l. c. monet, quia ſi calidum Epar, facile corrumpitur, unde obſtructiones augentur, hinc febres, in iis præcipue qui pluſculum de illo aſſumunt, atque omni exercitio carent. Si autem Lac hæc nocumenta affert, equidem Lactis hanc curam, iis quo enumerata concurrunt, omnia vel ſeorſum, ſuadere non auſim: Neque etiam mihi perſuadeo quod ſymptomata, quæ diætæ huic lacteæ ſupervenire ſolent, facile præcaveri poſſint, ſi præſertim æger ſenili ætati proximus ſit, à pluribus annis arthriticus, ſedentarius ſit, copioſo cibo aſſuetus ſit, viſcerum dyſcraſia laboret &c. Ut taceam mirari aliquem merito, cur inter caprinum lac & vaccinum nulla fiat ab Authore diſtinctio, quam tamen de *Alim. fac.* l. c. fecit exacte *Galenus*, ubi *ait* Lac quod ſeri habet plurimum, etiamſi ſemper eo utare, nihil penitus affert periculi; quod vero hujuſmodi humiditatem habet exiguam, caſeoſam autem craſſitiem multam, omnibus qui ipſo multum utuntur eſt periculoſum: Interim non deſunt ſagaciores quidam, qui dubitant an potius Lactis uſus, vel an exquiſita & ſimplex victus ratio, diutiſſime continuata, Podagricis emolumentum præſtet majus? Nam uti temulentus Bacchus, & liberalior Ceres hanc abortivam prolem, Podagram dico, infelici conjugio procreant, Ita hominis corpus ab omni impuritate facile præſervant ſobria abſtinentia & abſtinentes ſobrietas: Multos morbos, *ait Seneca Ep.* 95. multa fercula fecere, inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus quam ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & ſemper, qualis in ipſa ebrietate, titubatio: *Borellus* cent. 3. obſ. 11. Narrat integra per annum ab omni potu abſtinentia Podagricum liberatum: V. de *Tarantia* ait podagricum quendam quoties imminere paroxyſmum ſentiret, ab omni cibo & potu abſtinentem, ſola inedia fuiſſe liberatum: M. *Gatinaria* Vini abſtinentia à podagra liberatus, diutiſſime ſanus ſupervixit; Adeo verum eſt, Abſtine, & efficies quod Medicina nequit:

Ego *Vt quid tandem ſentiam, dicã*, Neminem exinde ſublevatum exacte, qui hoc remedio uſi ſunt, Ego quidem novi, Omnes enim, vel doloribus recenter ingruentibus, denuo ab hac cura deſiſtere coacti ſunt: Vel podagricos dolores intercurrentes lubentius tolerare, quam perpetuam & moleſtiſſimam ſuſius lactis tolerantiam ſuſtinere maluerunt: Profecto, ut verum fatear, duo propemodum ſunt quæ me ab hac tam ſtricta Lactis cura deterrent, Inappetentiæ ſc. periculum, & morbus magnus, Nam, quid ages ſi poſt continuatam aliquot menſibus lacteam curam, febris, vel morbus aliquis magnus, cum virium jactura, ægrum prehenderat? illico à lactis uſu deſiſtendum eſſe, dices, recte: Quid ſi autem ventriculus tanto tempore lacti aſſuetus, omne aliud ciborum genus reſpuat, aut diſ-

ficillime ſuſtineat? atque adeo imbecillis patiens viribus prius deficiat quam ad alia aſſuefacta natura iterum refocilletur? Vel quid ſi continuata hac lactis cura ventriculi tonus eouſque labefactetur, ut paulatim extincto, vel immutato ſtomachi fermento oaturali, omnimodus ſubſequatur illius languot, vel univerſalis omnium inappetentia? ex qua corporis ſucceſſiva emaciatio, tabes, ac proinde proximi interitus periculum. Mature iterum, inquies, à lacte abſtinendum: Scio, at vero ſi ventriculi labefactatio, in principio hujus curæ plerilque, aut ſaltem multis ſuperveniens, æſtimari debeat tanquam ordinaria, nonne meliora ſemper ſperans æger, facillime eo uſque deſtruetur, donec ventriculum adeo pertinaci confidentia deſtructum, ad ſanitatem reducere impoſſibile aut certe difficillimum ſit? Scio profecto fuiſſe aliquos, poſtquam diu ſtrictiori lactis curæ ſeſe ſubjecerunt, atque etiam melius exin habere videbantur, magno tandem aliquo morbo ex improviſo deprehenſi cito interierunt: His argumentis ego quidem motus, nulli unquam ſuaderem ut intermiſſo omni cibariorum genere, huic lacteæ methodo ſe ſolum ſubjiceret: Suaderem potius ut mediam quiſque viam & ſecuram magis ingrederetur, hoc potiſſimum ordine inſtitutam, Lactis uſus tempore matutino rite adhibeatur, In prandio carnis, aliarumque rerum totalis & diu continuata abſtinentia non ſervetur, ſed potius plura alia, parca licet manu, indulgeantur, quæ cum lacte analogiam habeant; Naturam pro neceſſitate & rerum circumſtantijs corroborare queant, ſtomachi tonum conſervent, inappetentiam arceant; idcirco pulli, gallinæ, capones ſolo lacte & furfuribus outriti, caro vitulina &c. ova tremula, oryza, panis levis in lacte coctus, pulmentacea hordeacea concedantur: In cœna eadem non prohibeantur, longe tamen parcius ſit quam prandium, niſi pro ratione circunſtantiarum, ægro conſultius ſit ſolius lactis in cœna uſum ſubinde admittere: In potu ab omni vino (in cujus abſtinentia plurimum poſitum eſt) abſtineat æger, ſolo lacte contentus, vel aqua ſimplici, vel cum China, Lentiſco &c. cocta: Et hæc methodus longe ſecuriſſima mihi videretur, dummodo parca, & ita inſtituta foret ne in prandio varietas ciborum corruptelam, & ſatietas cruditatem cumularet, Et in omnibus diligens reſpectus haberetur ætatis, regionum, temperamenti, conſuetudinis, ac præcipue individualis cujuſcunque conſtitutionis. *Fr. Ignatius Thiermair conſ. l. 1. cap. 4.* Inter alterantia locum non infimum vindicat Diæta ex Lacte, nempe ut patiens per tres aut quatuor menſes nullo alio alimento utatur: mane & veſperi lac recens emulctum bibat, circa meridiem, & alijs temporibus comedat cum pane albo, hordeo aut farina avenacea coctum: Novi quoſdam ab hoc victus genere inſigne juvamentum accepiſſe; alios vero à lactis uſu multo deterius habuiſſe & arthritide nullatenus curata, viſcerum obſtructiones magnas & cacochymiam contraxiſſe: Itaque methodus iſta ſine prudentis Medici conſilio & obſervatione ſedula utrum conveniat necne, haud temere ineatur, *Willis cap. de Arthrit.* Hippoc. poſt purgationem ſerum coctum & aſininum lac præbet, ad humorum reliquias exturbandas, & ſimul & ſemel acrimoniam ac tenuitatem corrigendam; cujus gratia facilius ad articulos fluit: Et hæc intentio eſt tanti momenti ut hac ſemota non fiat morbus: Hac enim ratione non generatur Podagra in mulieribus, niſi menſtrua defecerint, per quæ humor ille non expurgatur; nec eunuchis, nec pueris, in quibus temperamenti ratione hujuſmodi humor non gignitur in corpore. *Pr. Martianus comm. in v. 37. ſ. 2. lib. de Affection.*

Non eſt novum Podagricorum remedium *Lac*, ſed ab *Hippoc.* l. de Affectib. 30. & 31. propoſitum; Præterea neque *Galenus* 3. de alim. fac. 15. reprobat Aſininum ad tophos diſſolvendos, cui *Aëtius* quoque adſtipulatus eſt: Sed accedit experientia rationibus & authoritatibus præferenda: Liceat itaque hujuſmodi adducere ſolutionem: Pro Podagræ medela conſideranda veniunt 1. Curatio, 2. Præſervatio: Curatio, vigente Podagra, Præſervatio, imminente: Pro curatione lac propoſuerunt magni viri, ut quod poſſit tumores duros atque tophaceos propria pinguedine humectando emollire, & ita præſentem Podagram abolere, ut obſervari ſolet in ſiccis obſtructionibus, cæteriſque tumoribus duris, eóque facilius cum tophi cauſa efficiens ſit qualitas calida & ſicca, ut voluit *Aëtius*: Sicut materialis humor lentus ac glutinoſus, vel craſſus: Unde nil mirum ſi aſſeruerit Galenus quod calida arthritis, ſeniori adveniente ætate, reſolvi poſſit: At ſi de Præſervatione loquamur, cum cauſa materialis, humor ſcilicet lentus vel craſſus à lactis uſu produci & adaugeri poſſit, ſi abſit tumoris tophacei præſentia, qui à lacte humectationem & emollitionem deſideret, noxam ne abſque beneficio afferat metuendum. *Raimund. I. Fortis conſultat. 73. cent. 4.*

Et ut ex proprijs obſervationibus aliquid hic inſeram, dum medicinam facerem Neocomi Helvetiorum, anno 1663. Quatuor Podagrici, ex præſcripto Medicorum Pariſienſium Lactis uſui ſe addixerunt; ſed infeliciſſimo ſucceſſu, ex erroribus forſan in illius uſu commiſſis: Primus fuit Nobilis Friburgenſis, nomine *Fégle*; cui vix xv. dierum immunitas à paroxyſmis podagricis, Hic lactis beneficio per novem menſes liber fuit, adeo ut B. Virgini, quæ in Friburgenſium Ditione Fanum habet, vota ſolverit: Sed exiens annus, accedente levi morbo, lethum Nobili intulit: *Secundus* fuit Illuſtr. & Generoſiſſ. Dom. de *Mollondens*, Proprinceps Neocomenſis 63. annos natus, bilioſiſſimæ conſtitutionis, quamobrem competere videbatur uſus lactis: Huic primis diebus grumeſcebat in ventriculo, qui illi æſtuabat, adeo ut pene totus chylus in ſpumeam ſalivam reſolveretur; ſed aqua hordei dilutum aſſumens (ſic præſcribente Medico Pariſienſi) concretionis periculum declinavit, at paulo poſt Nephritis, à qua hactenus immunis vixerat, ſequuta eſt: Ventriculi vero robur adeo diſſolutum eſt, ut nihil cõcoqueret: poſt febribus crebro tentatus, tandem anno 1664. à duplici Tertiana abreptus eſt: *Tertio*, Nobiliſſ. Domino *Rudolpho Camerario*, Principis Quæſtori, à pueritia podagrico, felicior fuit exitus: Huic ab uſu lactis, ſed pinguiſſimi, nec ebutyrati, adeo intumuit abdomen, ut hydropicum ſe crederet. Sed vividus & floridus vultus aliud mihi perſuaſit, ventris ſcil. tumorem à ſuppreſſi, preſſi, aut coagulati copia lactis pendere, id quod oſtendit curatio, nam per iteratas purgationes, interjectis aperientibus, & excretiones caſeoſas, menſtruo ſpatio ſanus factus eſt: *Quartus* fuit Rev. & Nob. Dum. *de Mommolin*, Paſtor Eccleſiæ S. Blaſij (altero ab urbe milliari ſitæ) cui lactis uſus Iſchuriam falſam, (inanis quippe veſica) 17. die lethalem intulit.

XXXVII. Præparantia humores totum ſpectent, non autem articulos: quorum præſervationi eſt incumbendum, cum nullam præſentem materiam concludunt: alioquin enim materiam potius ad eoſdem perducerent: *Fortis conſ. 66. cent. 4.*

XXXVIII. Quamvis à quovis *Topicorum* genere injuria immineat, à *Repellentibus* quidem, metu recurſus humorum ad partes nobiles, augmenti doloris, iis retrulis ad intima, & concretionis eorum in articulis. Suſpecta ſint Diaphoretica, impulſis ulterius ad partem humoribus, & reſolutis partis tenuibus: Anodyna, partium relaxatione, & Narcotica, ob debilitatem quam pariunt: Illa tamen maximè neceſſaria ſunt, quia Dolor, ſymptoma graviſſimum, vires deiicit, humores ad partes affectas trahit; vigilias inquietudinemque inducit, viſceribus calidam intemperiem & æſtum ſanguini, appetitum deiicit, concoctionem in ventriculo, & hæmatoſin in jecore vitiat: hinc augmentum humoris vitioſi & cauſæ morbificæ, hinc aſcenſus multorum vaporum ad caput & obſtructionum generatio in viſceribus, à quibus tandem varia ſymptomata, præſertim calidi nativi labefactatio prodeunt. Præterea uſu Anodynorum partes relaxantur, & humor, qui ante profundas articulorum partes obſidebat, ad exteriores & ambientes allicitur, unde arthritici dolores, qui ante partis tumorem vehementiſſimi erant, ea intumeſcente miteſcunt. Sed ſumma in eorum uſu cautio requiritur, prudentiſque medici conſilium, qui & tempus morbi & materiam perpendat, Nam quæ in principio dolorum & affluxus proſunt, non conveniunt ſtatui, nedum declinationi aut fini: igitur & ob intempeſtivum uſum, & materiæ varietatem ſæpe quod unum juvit, alteri obeſt. Adde quod frequentior uſus localium anodynorum fluxionem averſit, & materiam facilius in tophaceam cogit, ut hoc nomine topicis quibuſlibet abſtinere multi conſultum judicent. Non igitur dolorem ſedare ſatis eſt, ſed id ita fieri debet ne a medicamento parti plus mali accedat quam a morbo. Aliquid enim admirabile, atque prodigij ſimile, in hoc morbo latere recte pronuntiat *Fabricius Hildanus*, Quod remedium hodie utiliter uſurpatum cras dolorificum ſit in uno eodemque ægro: Quod medicamentum humero aut cubito, coxæ vel genu admotum dolores ſedabat, extremitatibus admotum idem non præſtitit.

XXXIX. Fluenti in partem humori *repellentia* quidem debentur, ex lege methodi, at in caſu præſenti ſola, & ſine aliorum admiſtione uſurpata damnanda ſunt; nam ſi humorum in partem influxum omnino impediant, metus eſt ne palindrome facta ad partes internas, periculoſi affectus ſequantur, aut alium articulum occupent, aut tophacea evadat arthritis & immedicabilis, quod periculum maximè imminet in arthritide à materia frigida. Cavendum præſertim monet *Hildanus* ab alumine in fotibus, lavacris &c. propria experientia edoctus, qui paroxyſmo ſolutus, & à defatigatione ex itinere tumore œdematoſo affectus, à fotu ex radicibus, herbis & roborantibus, addito alumine, dolore vehementi vexatus fuit, quem eius cauſa ſuperveniſſe arbitratus eſt, quod ante & poſt eodem fotu, abſque alumine, uſus ſit cum fructu: Eorum præterea vi humor influxus intimius impingitur, unde doloris maior acerbitas: Si tamen ab humorum affluxu, præſertim calid. & initio vix tolerandi doloris diſcrimen ſequatur, aliqua repreſſio conceditur (cum nimia laxantia humores advocent) modo vaſis adhuc concludantur, anodyna reprimentibus addantur, & præcedant univerſalia. Hac abſente conditione *abſtinere ſatius* eſt & *Galenus l. de nat. hum. comm.* 2. à partibus ſtare, *Nam non rars, inquit, cum in morbo particulari & podagra artus humores peterent, & illinc repulſi principem aliquam partem invaſiſſent, morte mox conſpexi hominem affectum eſſe, unamque reſtare ſpem ſalutis ſi ad artus retrahere eos valeamus. Rondeletius* ſemper repellendum ab initio vult, excepta arthritide quæ criſin ſequitur, at admotis repellentibus, non ſupra partem tumidam, cui admovet mitigantia & ſtænantia, ſed paulo altius verſus emunctorium, & in parte interna magis quam externa, quia ibi plura ſunt vaſa majora & magis expoſita, illa enim materiæ tranſitum prohibent, quæ decurrens in medio muſculi, dolorem non facit, ubi ſubſtitit in articulo, ob illius ſtricturam & ſenſum, illum inducit: monet *Soleander* propria experientia fretus inutilia eſſe reprimentia in Arthr. quæ ex aquoſa pituita à capite defluente ortum ducit.

XL. *Hippocrates* ante univerſalia dolores ſedari jubet localibus, quæ noſtri ante evacuationem totius adeo formidant: ſed id non eſt novum Hippoc. qui cognoverat quam periculoſæ eſſent purgationes in vehementia doloris exhibitæ, ut patet ex 4. acutor. verſ. 396. Dolores autem ſedari jubet actu frigidis, in arthritide ac podagra 1. quia actualem Arthritidis fervorem compeſcunt, humoriſque acrimoniam in utroque morbo vigentem, ac fluxibilitatem remittunt, ejuſdemque activitatem & in agendo vehementiam obtundunt, a quibus doloris ſenſus omnino provenit: 2. frigefactoria, calidum innatum affectæ particulæ roborando, ad humoris expulſionem coctionemque aptius reddunt: 3. calli generationem circa articulos prohibent, quam quidem calefactoria ſæpe adjuvant, partes humoris tenuiores in halitum digerendo, & quod craſſius eſt aſſando torrendoque, eadem ratione qua oxymel ſputum viſcoſum facere annotavit Hippocr. 3. acut. v. 65. Scio contrarium credi à vulgaribus, qui cavent uſum frigefacientium actu in podagricis & aliis articulorum doloribus, ſed decipiuntur, nam licet frigidum æque induret ac calidum, durities tamen quæ à frigido provenit, in caſu noſtro non concreſcit in tophos, quia proprium humidum adhuc conſervat, licet a frigore conglaciatum, quod tandem calido ſuperveniente liquatur, priſtinamque mollitiem recuperat: at verò quæ indurantur à calido proprio humore privantur, calore ipſum abſumente & in halitum digerente, ut durities introducatur quæ non facile tollitur, qualis eſt durities tophorum, quam podagricorum articuli contrahunt: hac ratione bilioſus ſuccos, licet tenuior pituitoſo, circa articulos concluſus, facilius concreſcit & concaleſcit in tophum, ut ex Hippocr. colligitur lib. de int. affect. v. 58. ſect. 3. ubi de tertio Typho tractat. Quarto frigefactoria in his morbis præſtant calefactoriis, quia pars illorum ope roborata, non ita facile fluxionem in poſterum recipit: Taceo ſtuporem, *quem refrigerantia inducunt, ut teſtatur lib. de humid. uſu verſ. 105. Tumores in articulis & dolores ſine ulcere, ac podagricos, & convulſa, plurima ex his frigida affuſa multa levat, ac extenuat*, & dolorem torpefacit, Torpor autem moderatus dolorem ſolvit; quia fortaſſe hujuſmodi remedium ſub præſcriptis frigefactoriis non comprehenditur, quæ mitius refrigerant quam ut ſtuporem inducant, & ideo dixit, Plurima ex his frigida affuſa levat, non omnia quibus frigefactoria communiter conveniunt: frigida ergo hoc modo affuſa non omnibus adhibenda, ſed juvenibus ac mediocriter carnoſis, in quibus calidum Innatum partis non ita facile extinguitur, doloriſque vehementia viget. Vulgus humoris repulſionem ad interiora ex hoc remedio timet, quod

tantum abeſt ut id præſtet, quod eam potius incraſſando prohibere poteſt. In arthritide igitur & podagra dolor à principio ſedandus eſt medicamentis actu frigidis, quæ tamen potentia reſpiciant humorem prædominantem: unde ſi bilis præſtet, medicamenta actu potentia frigida erunt, ſi pituita, actu frigidis utemur, quæ tamen facultate mediocriter calefaciunt ac attenuant. *Pr. Martianus comm. in verſ. 37. ſect. ij. lib. de Affection.*

XLI. Interdum neceſſitate urgente *Narcotica* exhibenda ſunt, nam & fluxionem ſiſtunt & dolorem atrocem mitigant: Ex his Theriaca recens erit opportuniſſima, & ſæpe iterari poterit ſine periculo ad ℥.ß vel ℥.j. cui utiliter ad fluxionem cohibendam tantillum Boli admiſceri poterit: hujus tamen loco Laudanũ opiatum ſubſtituere licebit. *Riverius Pract. lib. 16. cap. 1.* Ego in maximis doloribus Laudano ſemper cum fructu uſus ſum. *Fabritius Hildanus centur. 6. 85.* Cenſet *Sennertus* exhibita Narcotica dolorem facilè ſedare, at cum motum humorum ad partes externas impediant, aliquid incommodi excitare poſſe: Cui refragatur *Walæus* in meth. med. qui opium inter ſudorifera & ad ambitum pellentia primas tenere cenſet, imò quod Theriaca, quod Mithridatium ſudorem moveant, id à ſolo opio obtinere: cum hæc duo Electuaria abſque opio parata ſudorem prorſus non moveant: Admota Narcotica, cum ſtupidiorem partem reddant, non ſolum præ cæteris dolorem compeſcunt; ſed & quia calore ſuo, quo conſtant, humorem ſimul reſolvunt, proderunt, tutoque, nec ita cum periculo, uti creditur, uſurpantur, vel per ſe, aut cæteris anodynis, aut reſolventibus permiſta. *F. Platerus Tomo ij. cap. 17.*

XLII. Medicamenta quæ multum calida ſunt & tenuia, qualia *Chymica*, non poſſunt niſi obeſſe, imò perniciem afferre calidioribus præſertim temperaturis: humidum enim primigenium, ſimilaribus quibuſque particulis, roris inſtar inhæreſcens, calidi innati fundamentum primaque ſubſtantia, quæ pinguis & veluti oleoſa exiſtit, etiam in iis qui valde obeſo ac præhumido habitu ſi ſæpius uſurpentur, quam cito abſumunt ac diſſipant: Ideo *Galenus* 5. & 6. de ſanitate tuendâ tradit medicamenta omnia, impensè calida & ſicca, ac tenuia, illis maximè vitanda qui Arthriticis doloribus & calculis gignendis obnoxij ſunt. *Crucius de Quæſitis pag. 20.* Initio hoc affirmo me inunctiones Chymicas toto pectore averſari, idque iſtis rationibus adductum facere, primum quia ejuſmodi medicamenta calori naturali non ſunt proportionata: itaque ut vim afferant naturæ, vel eam lędant neceſſe eſt: 2. Quod ſulphur & Mercurius metallicorum nulla arte ita planè corrigitur, ut naturæ conveniens reddi poſſit. 3. Quod violentum naturæ inimicum ſit, neque Medico, qui naturæ ſubſervire debet, uſurpandum. *Crato apud Scholtzium Conſ. 121.*

XLIII. Authores non contemnendi *Balneum* conſulunt, quos niſi prudenter interpreteris, in mille errata incides: *Ætius* fomenta & balnea mille modis parari iubet, & deinceps alij, verum ſi quis eorum verba & mentem callere velit, reperiet facilè podagricum affectum, h.e. debilitatem articulorum, neque rurſus humoris ubertatem, curari poſſe balneorum adminiculo, ſolvuntur enim humores, effœminantur articuli, etſi reſolutoria aut adſtringenti vi polleant; nam prævalet aquæ humiditas, & tepor aut calor ad humorum fuſionem & articulorum laxationem, viribus aquæ mineralis, aut alterius medicamenti, ad reſolvendũ. Quò fit ut credã fugiendum uſum, niſi in his doloribus qui per intervalla repetunt, cũ jam inclinant, quo tempore ſale, nitro, ſulphure aut vinaceis utendũ, non aliis: ſicca enim balnea utilius porriges quam humida; omnia tamen inclinante malos, ad cõtetendas reliquia nam ubi cauſa integra eſt, omnia & ſingula adverſiſſima exiſtũt: *Mercatus Pract. lib. 4.* Idem judicium de Thermis fieri debet: *Solenander ſect. 4. conſ. 25.* his cautionibus Balneo utitur, Extra Paroxyſmos, præſervationis gratia adhibeatur, ex decocto ligni iuniperini quia non ſolum affectos artus roborare valet, ſed etiam ex univerſo corporis habitu noxium humorem diſcutit, & evacuat: ac remiſſionis tempore, corpore vacuato, quando etiam nullum interim viſcus affectum eſt: munitis interim iam, & à balneo ſtatim, ægris partibus defenſivo aliquo, ex pulvere boli Armenæ cum ovi albumine ſubacto, vel ſimili, quod faſciis inductum brachiis ſupra cubitos, cruribus ſupra genua obvolvitur: Licebit etiam poſca, cui roſæ, muſcus quernus, incocta ſint, intingere, expreſſaſque faſcias partibus prædictis circumdare. Accipiatur lignum juniperi recens, dempto cortice, ſecetur minutim, ſegmentorum magna copia incoquatur aquæ: Inde fit balneum & inſeſſus: A balneo decumbendum, continandus uſus ad liquot dies: quercinus muſcus, verbaſcum, herba paralyſis, & ſimilia roborantia nervos adijci poſſunt, cum ſale: ab Alumine cavendum monet Hilanus ſupra Balnea autem arte parata prohibet *conſ. l. 1. ſect. 5.* quia lotio in temperata aqua nimis corpus humectãt, licet calefaciat, In tepida humectatur & refrigeratur corpus inutiliter: Calidiore excrementa retinentur ac diſtlari prohibentur, humores liquantur, ſoluti in pedes decumbunt, &c.

XLIV. Quidam etiam ea commendant quæ ad *Phœnigmos & Veſicatoria* uſurpari ſolent, atque anodynis miſcent: ſcribit *Trallianus* quendam ſolo ſinapi cum ficulus ſiccatis miſto, in magnis doloribus, à frigidu humore ortis utentem, dolore liberatum fuiſſe: nonnulli raphanum agreſtem comminutum commendant, & vidi quibuſdam profuiſſe: coquatur parum, acrimonia ſi metuitur. *Sennertus.* Inepta eſt differentiarum arthr. cum humorum ſpecie collatio, quod etiam ſenſu ipſo comprobatur: Quidam mihi affirmavit vidiſſe ſe in podgrà tenuem & ſeroſam materiam profluxiſſe, phœnigmo paulò infra locum affectum cum ſolo cortice ſecundo viburni minutim ſcalpto. *Donynetus Apol. l. 4. c. 4.*

XLV. *Topica reſolventia, & deſiccantia,* non ejuſmodi requiruntur quæ tantum poros aperiunt, ut ſerum evaporet & ſanguis circulationi reddatur, prout in phlegmone aut œdemate, attamẽ quoniam tum particulæ ſalinæ iſtis mineræ arthriticæ ſalinis oppugnandis deſtinatæ, eas aut amplectendo foras educant, aut præcipitando ab efferveſcentiis dolorificis ſupprimunt, Quamobrem in hoc morbo cum fotu aut cataplaſmate ex chamæmelo, malva, althæa. ſem. lini & fœnugr. parum aut nihil juvaminis præbent, imo partes nerveas relaxando ſæpius officiunt: Salis armoniaci aut marini, nitri, vitrioli, calcis vivæ, & ſimilium diſſolutiones, aut liquores ſtillatitij, in aliis tumoribus aut doloribus ſemper infeſti, maximi emolumenti eſſe ſolent: Hujuſmodi liquores in paroxyſmis parti dolenti applicandi, à Quercetano, Crollio, Hartmanno varij præſcribuntur, experientia comprobati. *Willis cap. de Arthrit. p. 524.*

XLVI.

XLVI. In paroxyſmi declinatione ad *partem corroborandam*, atque materiæ morbificæ reliquias diſcutiendas Emplaſtra utiliter adhibentur, quæ tamen non omnia indifferenter omnibus, verum his magis, illis minus calida conveniunt: Pleriſque autem maxime efficacia eſſe ſolent ea quibus minium, lithargyr. mercurius, aliaque mineralia aut ſalina inſunt: Nobis præcipue in uſu eſt Empl. ex minio, ceruſſa & ſapone cum oleo coctum, vel quod ℞. Empl. de minio p. ij. *Paracelſi* p. iij. m. *Willis.*

XLVII. Cum materia ſalſa & acris graves dolores in partibus, quas exulcerat, inducit, ad contemperandum & leniendum illam, pulmentum ex rad. althææ in pulverem redactis, atque in lacte decoctis, loco dolenti admoveatur, Quantum valeat res oſtendet. *Crato.*

XLVIII. Topica quod attinet, de iis non laboro, perſto enim in ea, cum *Piſone*, hæreſi, (ſi modo hæc opinio hæreſis eſt) præter meritum in affectibus ex humorum tranſmiſſione natis, articulos culpari, quaſi ob laxitatem & cavitates humores aliunde dejectos prompte admittant, fruſtra igitur de articulorum roboratione cura ſuſcipitur: Impediatur ſeri proventus, tollatur ejus abundantia, arthritis vel nunquam vel rariſſime, & mitiſſime ſaltem recurret. *M. Doringius inter Horſtii conſil. v. lib. 12.* Qui de roboratione cogitabit, advertat non ſolum fruſtra, ſed etiam noxie uſurpari, niſi materia antecedens & fluxurus humor ſollicitè auferatur: alioqui vel influxum non impedient, vel ſi obtineant, ad partes nobiles retroceſſus cauſa erunt, graviorumque malorum: Nec aliqua articulorum, ait. R. *Fortis conſ. 76. cent. 4.* corroboratio eſt omnino negligenda, licet de hac non adeo ſollicitos nos eſſe oporteat, cum hujus cauſa viderit *Gal.* 2. de Nat. hum. 5. excrementitios humores nobiliores partes obſediſſe & quamplurimos occidiſſe: Sat itaque fuerit aliquando manibus ſpiritu ſalis perfuſis articulos perfricare: vel linim. ex oleo nuc. moſch. & ſpir. ſalis, Cum cenſuerit *Aretæus* nil aliud eſſe articulorum imbecillitatem quam inſitam in iis frigiditatem.

XLVIII. *b.* Quæ tamen dolores Podagricos ſedant, non eoſdem repellendo, ſed materiam morbificam reſolvendo, illa rejicienda non ſunt, ejuſmodi laudat *Mauritius Hofmannus Clavis Schroder. p.* 352. ſpiritum ſalis ammoniaci ſalſum urinoſum, anatice cum ſpiritu lilior. convallium, item ſpir. arthrit. mixtum, Cum enim, *ait*, Podagræ primordia ſint ab humiditate hoſtili ad corporis ambitum delata & artus moleſtante, in quibus Podagræ character Archeum, digeſtionum præſidem afficit, hic ſpiritus autem cum ſit ſalſus volatilis, & omne ſalſum extinguat acidum, fit ut Podagrici inde notabilem levaminis ſentiant effectum: Cum plumaceolo loco dolenti podagrico aliquoties eſt illinendus.

XLVIII. *c.* Quidam cum doloris arthriticis correptus torqueretur, & conſulentibus Medicis ut calidis decoctis & ſiccis uteretur, in peius rueret, ab alio Medico admonitus, ut e converſo humectantibus & refrigerantibus ſeſe muniret, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt: Multoties Medici aliqui in hoc errant, videntes enim aliquem doloribus articulorum torqueri, ſtatim confugiunt ad zarſam parillam, ad lignum ſanctum, & ſimilia calida & ſicca, abſque eo quod inveſtigetur recte prius cauſa morbi, quæ cum ſit aliquando calida, ſicut in hoc caſu, indiget contraria curatione. *Panarolus Pentecoſte 3. Obſ. 23.*

XLIX. *Olea & Pinguedines* à plurimis uſurpantur: ſed cum inflammatio, quæ in membris arthritide laborantibus contingit, ad eryſipelatis naturam accedat ut plurimum, pinguia illa plus nocere quam prodeſſe non raro poſſunt, cum poros obſtruendo humorem noxium intus cohibeant & ita dolorem augeant. In quibuſdam tamen corporibus oleum roſaceum & ſimilia convenire poterunt, ſaltem cum aliis permixta: quandoquidem pro variis humorum naturis varia conferre ſolent. *Riverius.* Idem de oleis reſolventibus dicendum eſt, quæ poros cutis occludendo liberam diaphoreſin præpediunt, unde caloris augmentum; adde quod ſubſtantiæ tenacitas interiora ſubire non patiatur, nec proin latitantes humores aggredi queat: Quod de oleis per retortam deſtillatis non intelligendum, quæ tenuitate partium facile penetrant, humoreſque tartareos & acres adoriuntur & reſolvunt.

L. Vbi fluxio vehemens eſt, doloreſq; intenſi, nihil gratius & utilius eſt ad ſomnum (qui vacuationem omnem cohibet excepto ſudore) acceſſendum, nec quicquam æquiparandum venit *Laudano*, cujus 2. 3. aut 4. grana poſſunt præberi hora ſomni, imo pluribus ſucceſſive noctibus. Per quietem humores concoquuntur, natura vires reſumit & inſurgit hoſtem ſuperatura: Alia proſtant ſomnifera, Laudani ſuccedanea, ſed iſtud cæteris palmam præripit. *Th. de Mayerne Tract. de Arthritide pag. 41.*

LI. Medicorum maxima pars contra *Narcoticorum & ſtupefacientium* uſum inſurgit, eaque impugnat; eo quod non deſint alia præſidia tutiora, quorum ope doloris vehementia deliniri poſſit: ac ſatius ſit, ex ipſorum mente, ejulatus non compeſcere, quam ægrum enervem reddere per ejuſmodi medicamenta; Lepidum ſane & plauſu excipiendum excuſationis genus? quaſi vero per ea adeo inſignis imbecillitas partibus & ægro inuri queat: Revera intus aſſumpta narcotica, ſi dextre in uſum non flectantur, damni non ſunt expertia, quippe quæ intempeſtive data in cerebro congelationem quandam, ut ſic dicam, pariunt, ſpirituumque pene [illegible], non mediante refrigeratione, ſed fixatione, quæ ſulphuris luxuriantis in ejuſmodi remediis ſoboles eſt, unde inducta immobilitate ſpirituum animalium, illorum influxus inhibetur, hinc mors per ſuffocationem ſequitur: ſed ſi viget atrox dolor, ab ejuſmodi remediorum admotione nihil quicquam ſimile pertimeſcendum, cum certum ſit dolorem, vel una die urgentem, majorem nervis inferre labem & debilitatem, quam ſtupicorum admotionem ſex dierum ſpatio in uſum ductam: Supponamus vero inde ſtuporem aliquem in partibus ſuperſtitem manere, mille proſtant remedia eam labem eluere valentia, qualia ſunt balnea, fotus, emplaſtra, laconica, & alia, quæ brevi id tempore præſtant: adde his narcoticum innoxium evadere ſuæ antidoto adnexum, Omnes prope auctores, in vehementia doloris podagrici hyoſcyamum in uſum ducunt: Ad opium alij aſcendunt: Si ſplen multum induruit, cicutam illi innoxiè apponimus: Imo & illud oculis utili-

ter ſuperimponitur, cerebro proximis: Ego autem non vereor, comprobante felici eventu, utramque illam plantam cataplaſmatis forma, addita caſſia, camphora, croco, ſpermate ceti & axungia humana admovere, quæ præſtantiſſimum anodynum eo in affectu. *De Mayerne. Tract. de Arthr. p.41.*

LII. *Acetum* Podagricis calido fotu cum ſulphure auxiliatur, *Dioſcorid.* Acetum inflammationes articulorum a bilioſo humore factas extinguit: At ſi ſuper arthriticorum frigido (ut non parum ſæpe gypſeam naturam meditatur) humore ponatur, compinget adhuc materiam magis, & porum facit ἐν τῷ πῶς, nervos præterea lædet, articulos e ſedibus ſuis convellet. *Scaliger Exercit.*132.

LIII. *Anonymus* in *Dodonæum* Belgicum author, refert *radicem Symphyti* ſuccoſam, & recens ex terra erutam, ad ſcobinam deſcobinatam, ac cataplaſmis forma partibus podagricis, doloribus obnoxiis applicatam, ſæpicule viſam eſſe illico mitigaſſe dolores: ſed dubius ſum animi an ſine aliis anodynis, ſed (citra pinguium aut oleorum uſum) excellentiſſimam in radice & ſpecificam exſiccandi citra motium facultatem, ex parte temperare valentibus, tuto Arthriticis applicari poſſit recens radix, quippe quæ ſuo glutine, aut ferrumine ita conſtringit partes, ut ſiccando repellere videri queat: aut certe citra omnem alterationem circulationem ſanguinis ita prohibeat, ceu faſcia poplitibus circumligata, aut ichtiocolla aut viſco inducta; Certum enim multos Agyrtarum occidere multos, dum cataplaſmatis & empl. repellentibus vtuntur, nam ſi vera illa aurea *Galeni* ſententia, ſcil. Videre nos Podagricos mori tum ſi humores influentes repellantur ad viſcera, aut ſi viſcera tam ſint debilia ut humores ad ſuperficiem pellere nequeant, utique ſi diu ſupereſſe Podagrici diſcupiunt, diureticis, & viſcera roborantibus opus eſt, à repellentibus omnino abſtinendo: Rectius ergo arthr. conſulent, non qui id ſtudent ſolum ut quovis modo cito, ſed quoque ut tuto iis medeantur: quibuſcum, in multorum commodum, familiare mibi catapl. à *Sonnerio* acceptum do ℞. rad. conſol. maj. ℥iij. alth. ℥ij. ebuli ℥ß. h. abrotani m.j. hyper. man. ij. flor. chamom. m. iij. ſambuc. m. iv. ſem. fœnugr. ℥ij. lini ℥iv. incid. contund. f. ſ. a. cum aqua ſambuc. Cataph. *S. Pauli Quadrip. Botan. p.*274.

L IV. Deſinentibus paroxyſmis familiaris eſt uſus Emplaſt. *Diachalciteos*, quod revera innoxium eſt, ſed exigui ſolatij, Proſtant meliora, qualia ſunt Empl. de hermodactylis, de minio magiſtrale, vocant Empl. Sandicis, Gummi Caranna ſpiritu vini diſſolutum, ut & Tacamahaca ſingularis ſunt afficaciæ, Empl. betonicæ &c. Qui enim inſultus arthriticos ſuſtinuere, admittere neceſſe habent remedium, quod ſiccandi vi roboret partes nervoſas, quarum tonus & temperamentum nativum per ſimilia conſervari poſtulat: *Ægineta*, doctus Medicus, podagricorum articulos linimento ex ſale & oleo perfricat: Conducit id mitigatis doloribus, ſed præſtantiſſimum eſt ad eos præcavendos: Paratur oleum ex violis luteis, quod optimum evadet additione florum verbaſci: Ejus uſu Medicus Ducis *Bullionæj* eam articulorum firmitatem nactus eſt, ut cum podagra per xxx. annos fuiſſet infeſtatus, ac totidem ſupervixiſſet, decem ante obitum (centeſimum prætergreſſus eſt) æque firmo incedens talo viſus ſit ac ſi nunquam eo affectu tentatus fuiſſet. *De Mayerne Tract. de Arthr. p.*44.

L V. Maxima pars eorum qui podagricis auxiliares manus porrigunt, *Cataplaſmatis* inepte utuntur, unde plus damni, poris cutis occluſis, quam commodi accedit: Reſerandi potius ij, & in id elaborandum qua foras evocetur id lixivium, quod ſal, doloris parens, imbibit dum ſub forma eſt liquida: Ideo ſciendum materias ſalinas, acidas & mobiles, ſimul permiſtas, ſeſe mutuo temperare: ab iiſdem podagricos dolores ſedari. Hinc lixivia e cineribus caulium, ſarmentorum, cinerum clavellatorum, tartari, ſimilibuſque ſalibus alkali, in mitigationem doloris concurrunt, maxime ſi vitriolica admiſceantur, in quibus latet anodynum ſal & ſulphur, potenti diſcutiendi vi præditum: Vitriolum album in aqua ſtillatitia caulium diſſolutum &c. *De Mayerne Tract. de Arthritide p.*39.

L VI. Si portio humoris articulos pedum adhuc obſideat, eoſue laxos reddat, cujus ref ſignum dolor in motu perdurans, cum ſimplex imbecillitas inpotentiam quidem, at non dolorem inferat: reſolutio ideo ejuſdem humoris partis roborationem præcedere debet, bine ℞. ol. nunc. moſch. expr. ʒij. quintæ eſſ. roriſmar. ℈j. ſpir. ſalis ℈ß. m. f. Balſamus, cujus doſis ad piſi molem in vola manus articulis confricandis. *Ferris conſult.*73. *cent.*4.

L VII. Ad articulos roborandos, & reliquias humorum in iis diſcutiendas, commenmendatur *Vinaceorum* uſus, de quibus libellum conſcripſit *Alsimarus*: Diſtinctio tamen temperamentorum adhibenda, & humorum conditionis: qui ſi acres, fervidi, ad ζύμωσιν & excandeſcentism proni, noxia potius quam utilia futura ſunt: Illuſtr. Dom. de *Mollondins*, Propriuceps Neocomenſis, bilioſiſſimæ temperiei, cuius feruorem nec ætas ſexagenaria retundere potuit, ab eorum uſu protinus vertigine & febre tentatus fuit, ſimulac pedes in cadum iis plenum immerſit, à Vinaceorum ſcil. calore ſanguis in pedibus calefactus, mediante circulatione, feruorem cordi & cerebro ſimul induxit.

L VIII. Ad Arthritidem præcavendam, ejuſque radices in viſceribus latentes extirpandas, quidam Practici commendant vſum *Antipodagricorum* per annum exhibitorum, quibus multos in integrum reſtitutos fuiſſe pronuntiant: De calidis autem iſtis medicamentis notandum, ea non ſolum calidis naturis non prodeſſe, ſed etiam immedicabiles reſolutiones aut alia incommoda inducere: ideoque ſumma cum præmeditatione eſſe uſurpanda. *Riverius. Alexander* ad materiam pituitoſam proponit medicamentum efficaciſſimum quod vocat Diacorallium, ℞ *Coralli* (*non noſtri marini, quod adſtringit, at hic aperientibus opus*) *i. e. anagallidis* ʒij. *hac inſignem vim habet attenuandi & abſumendi humores pituitoſos, adde myrrhæ* ℥iv. *quæ valde detergit & ad remota penetrat, caryophill.* ℥ß. *rhapontici* ℥i. *quod mirabiliter detergit, Folij* ℥ß. (*raro reperitur*) *eius vice, nardi Indicæ* ʒvj. *vel* ℥. *rad. Paeon.* ℥j. *ariſtoloc. rot. longæ an.* ℥ij. *ſpica nardi* ℥iv. *fiat pulvis tenuiſſimus, doſis ad* ℈j. *ſummo mane, ante cibum per* 6. *horas, cum tepida* ℥v.

Medica-

Medicamentum hoc calefacit, ſiccat, attenuat, detergit, incidit pituitam, calefacit ligamenta; ob odorata reſtaurat ſpiritus: Quia plus juſto eſt calidum, exhibetur cum tepida, ne nimium corpus exurat & melius penetret: Quotidie exhibet per 100. dies intermittit dies 30. rurſum exhibet 100. dies, iterum intermittit 30. poſtea rurſus exhibet, non quotidie, ſed diebus alternis, per 160. dies: Hodie hoc medicamentum non eſt in uſu, unde mirum non eſt Arthritidem curari non poſſe, quia antiquorum præcepta non obſervantur: Exhibetur per 100. dies, quia indicans diu perſeverat: 30. diebus intermittitur, ob virtutem; quâ roboratâ rurſus exhibetur: denique ratione indicantis & virtutis rurſus exhibetur alternis diebus: Locum ſaltem habet in dolore pituitoſo, vetuſto & non tophaceo; datur per 6. horas ante cibum, quia nequit eodem tempore & cibum regere & adeo efficax medicamentum. Diacorallium omnibus anteponendum eſt, Ad eundem tamen ſcopum facit Terebinthina Cypria & Caſtorium *H. Capivaccius Pract. l. 5. c. ultimo.*

L IX. Si Podagricus nullam internarum partium habet debilem, ſed ob debilitatem articulorum, ex occaſione ortam aut nativam, ut fortè hæreditariam, talis eſt, Imperiti omnino Medici ſit incuratum eum relinquere, cum liceat illi, mediocri præmiſſa evacuatione, reſolventia primum, deinde corroborantia admovere. *Valleſius meth. med. lib. ij. cap. 13.*

L X. In omnium remediorum uſu hoc unicè annotandum eſt, ut à juvantibus & lædentibus ſumatur indicatio, & quandoquidem variæ ſunt hominum naturæ, varia temperamenta, & varij generis excrementa in iis colliguntur, unde ſumma in morbis varietas oriri ſolet, ideo quod uni prodeſt alteri ſæpe eſt inutile: quod maximè uſu venit in Arthritidis curatione, eâque ratione unicuique Practico medicamentorum ſylva habenda eſt, ut ſi unum fruſtra tentetur, ad aliud confugere poſſit, ea ſemper eligendo quæ rationali methodo magis conſentanea videbuntur. *Riverius.*

L XI. *Vulnerare articulum* actu podagricum omnino periculoſum eſt: Exemplum in Tubicine quodam Cæſareo, qui annis ab hinc aliquot à Chirurgo improvido ulcus ad maturitatem tendens exiſtimante, in pollicis alterutrius pedis lancetta vulneratus eſt, aqua pauca cruenta effluente: hinc ingens dolor, ulcus gangrænoſum, & ſeceſſus oſſis ejuſdem articuli: tandem medij anni ſpatio, pollice ſemi-perdito, æger convaluit quidem, podagra nihilominus ſtatis temporibus redeunte. *Horſtius lib. 4. cap. 1.* Nobilis quidam ſenex, ſed bono corporis habitu, cum quadam die in digito pedis minimo dolore arthritico graviter laboraret, ipſemet ſcalpello tuberculum perforavit, hinc inflammatio, ſphacelus, tibiæ amputatio, nihilominus mors poſt operationem. *Hildanus Centur. 1. Ep. 8.*

L XII. Cum ſit gravis inter Medicos concertatio, An *Thermæ* in arthriticis, & podagricis affectibus conveniant? etſi proſtent exempla quibus ſalutares, & in oppoſitum, quibus noxiæ & plane lethales, Ego adhibita iſta diſtinctione ſtatuerem quod Affectus illi contingant, vel per defluxionem, vel per congeſtionem: ſi per hanc, ex imbecillitate partium collecta materia articulis ſit impacta, ex cauſa frigida, ad eam reſolvendam ac diſcutiendam, & artus corroborandos, Thermæ videntur proficuæ. Sin vero per illam, & ex cauſa calida, ſunt pernicioſæ: Etenim cum materia potulenta cum cibis ingeſta, ad chyli diſtributionem inſerviat, exin ab *Hippocrate* ὄχημα τῆς τροφῆς, vehiculum alimenti dictum, ſeroſitas illa ad parandum chylo craſſiori, qui alias per venas anguſtas tranſire non poſſet, commeatum dicata, ubi ſuo munere perfuncta non amplius in venis remanere debet, quia ſeparata à maſſa ſanguinea, per venas emulgentes tracta ad renes, & per ureteres ad veſicam delata, excernenda; Sin vero cunctetur, & in venoſo ac arterioſo genere ſubſiſtat, in dies magis accumulata, vel ſua ſponte repagulo ſoluto dimanet ac profluat, vel copia aut inimica qualitate irritata Natura expellat, eam ad extremos artus præcipitando: Exin humores illi ſeroſi ac ichoroſi turgeſcentes in vaſis internis, circa regionem hepatis, lienis aut meſenterij diu retenti, remoram obiiciente vel obſtructione, vel imbecilliore facta attractrice, Renum tandem impetu quodam, velut aperta catarracta, ad extimas partes ſolent deſpumare: Qui ad hunc modum ſunt diſpoſiti, Thermæ haud carent periculo duplici nomine, vel dum humores illi vitioſi attenuati & fluxiles redditi ad membra externa amandantur, vel ab externa lotione articulis adſtrictis, defluxio humorum intercepta ſe inſinuare nequeat quin retrocedat, & ad partem aliquam principem ſe recipiat: *Aug. Thonerus lib. 4. Obſerv. 2.* Infauſtæ fuere, referente Ch. *Guarinonio*, *Octavio Spinolæ*, qui poſt earum uſum paulo poſt interiit peripneumonicus: Clar. Dom. *Greg. Horſtio*, qui ſolatium quæreus in Thermis Bollenſibus, febre maligna correptus eſt cum mictione cruenta, Exinde infert *Thonerus*, Podagræ curam non conſiſtere in externis præſidiis, partes recipientes corroborando & exſiccando, quin potius in corroboratione viſcerum coctioni inſervientium, & membrorum mittentium. *Zacutus Prax. adm. l. 2. obſ. 173.* earum uſum exemplo & rationibus urget, citra diſcrimen.

L XIII. In paroxyſmo arthritico proſunt *lapidum, oſſium & teſtaceorum*, nec non vegetabilium acrium pulveres, quæ morbi hujus Alexiteria dicta, particulas quaſque ſubjugant, eaſque iis effervescendo quaſi mortificant, & demum ſubjugatas per urinam aut ſudores foras eliminant. *Willis.*

L XIV. Quidam cum doloribus arthriticis correptus torqueretur, & conſulentibus Medicis ut decoctis calidis & ſiccis uteretur, in pejus ruerer, admonitus ab alio Medico, ut è converſo humectantibus & refrigerantibus ſeſe muniret, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt: Multoties Medici in hoc errant; videntes enim aliquem doloribus articulorum torqueri, ſtatim confugiunt ad zarzam, ad lignum, & ſimilia calida & ſicca, non inveſtigata prius morbi cauſa: quæ cum ſit aliquando calida, indiget contraria curatione. *Dom. Panarolus Pentec. 3. obſ. 23.*

L XV. Ridendum ſe præbet qui *Tophorum* diſſolutionem pollicetur, nam ſi induruerint, tale quid tentare laterem lavare eſt: Sed materia exiſtente adhuc viſcida, crederem non omnino eſſe impoſſibilem, ſi modo naſciſcamur remedium quod illam ſubeat, ac ſimilitudine cum illa conveniat; Tale eſt Sal Armoniacum, tam nativum quam artificiale, imo compoſitum ex fuligine & urina animalium: Sed ſal urinæ volatile, crebris depuratum

ſublimationibus viribus ſuperat alia remedia: Partium poris ſufficienter reſeratis, vel balnei ope vel Laconici, aut ad lixivij vaporem parati ex fæcibus aut ſcoriis flavis Reguli Antimonij (cujus ſulphur potentiſſime attrahit, nec minori vi diſſolvendi pollet) Accipiatur ſal vrinæ, miſceatur cum optimo vini ſpiritu, ex hac miſtura fiat fotus: Oleum arſenici digerit & ad ſuperficiem allicit, nec remedium extat hoc in opere æquiparandum, ſi tantillum eius miſceatur cum butyro maiali vel alia pinguedine, leviterque inunguntur artus: Diſſipantur aliquando ejuſmodi Tumores exſudante materia quadam viſcida, pinguedinem referente, & ſæpe exoriuntur puſtulæ aqueas guttas fundentes, non ſecus ac ova igni expoſita: Cardo vero circa hujus remedij uſum in hoc vertitur, ne feſtinatio quæratur: ejus enim effectus perſæpe xij demum vel xv. &c. die ſe exſerit: Quidam, ut *Darinus*, apertionem partium circa articulos per ruptoria moliuntur, & ante factam ullam concretionem utiliter veſicatoria admovent: Ego autem in ea ſum ſententia priorum conſilium ſupervacaneum eſſe, atque eum qui mali cauſam antecedentem per remedia intus aſſumpta impugnarit, externis facile poſſe carere, vel ſaltem à dolorificis hiſce abſtinere, cum iniquum ſit afflictionem afflictio addere: *Th. de Mayerne Tract. de Arthritide p.* 47.

LXVI. Materia ubi non ſequitur, artificio, id eſt, oſculo convenienti facto per cyathiſcum, extremum cochleare ſpecilli detrahatur, omniſque gypſea ſubſtantia exhauriatur: Si nec omnino mundus videatur locus, medicamentis valde detergentibus mundetur: Ad hunc modum N. tophos chiragræ, ad ovi uſque magnitudinem excreſcentes excuſſimus: verum uſu venit interdum in ubertimum loci initum, exiccatumq; & roboratum etiamnum ignem advocemus, neque felicius liceat aliter rem perficere. *Severinus* med. *Effic. p.* 133. Cum *Tophi* quaſi lapideſcunt, ac eorum materia gypſea effecta eſt, vel hiatus facit, ſolum emplaſtrum Palmeum ſufficit, aut *Paracelſi* majus, vel ex Sapone, addito pauco mercurio dulcificato, deinceps enim facile eruuntur lapides fruſtillatim: at vero ſi ſponte nodi non dehiſcant, ut id artificio fiat author non fuerim: etſi enim ab aeris occurſu colliqueſcant ſalia, eorumque is diſſolutionem promoveat, eóque pacto melius videantur exhauriri, atque è corpore educi, id tamen tatum habendum eſt colliquationem illam, aut diſſolutionem, fermenti tantum vires obtinere in augmentum, ulterioremque humorum in parte fermentationem promovendam, eamque aptitudinem humoribus illuc confluentibus inferri; adeo ut auſim aſſerere dictam fermentationem magnetis munus obire, ad perpetuam ſuperſtitis materiæ attractionem in partem, ejuſque converſionem (media ejuſmodi exaltatione, ex mixtione & occurſu aeris contingente) in ſalia acria & corrodendi vi prædita, paulatim omnia ad oſſa oſque abſumentia, quibus cariem inducunt, unde affectus fere inſanabilis evadit, non ſecus ac in cancroſis contingit, ſcrofuloſis, aliiſque malignis ulceribus, curationem pene omnem reſpuentibus, ſi quando in ulcus eruperint *Theod. de Mayerne conſ. de Arthritide m. ſ.*

LXVII. *Tophus*, cum ſit tumor durus, requirit auxilium quod molliat, fundat, diſſolvat, ſecet humorem & tophum in minimas partes dividat, In hunc uſum ſæpe uſus ſum empl. ex teſtis cochlearum uſtis cum acri zytho, ſi deſit hoc, utere oxycrato, hoc præſidio grandines duriſſimas ex podagricorum tophis ſæpe extraxi. *Zacutus. Pr. adm. lib.* 2. *obſ.* 185.

LXVIII. Me ſæpe cum hoc Herculeo morbo citra fructum fuiſſe luctatum confiteor, hanc tamen nodoſam aliquando debellaſſe libenter conteſtor decocto Rubi viticoſi, quem nonnulli ſmilacem aſperam eſſe opinantur: nam, ut ait *Fallopius* l. de morbo Gall. c. 43. *Sarza eſt regina in hoc, ſi enim abſumit tophaceos tumores, quanto magis lardaceos?* licet enim præſidium triviale ſit, eſt tamen nulli ſecundum, juxta eundem l. de Tum p. 11. c. 2. nam mire duros tumores & ſaxeos diſcutit & emollit. *Zacutus Pr. adm. l.* 2. *obſ.* 187.

LXIX. Cruciabatur gravibus tormentis, tunc à manu, nunc à pede, decumbente de novo materia in tophum, robuſtus quidam ruſticus, qui varia tentaverat, in vanum tamen, auxilia: Tandem bractea plumbea ſubtiliſſima per menſem ſuper tophum impoſita, ille omnino evanuit. Nam, ut *Averroes* lib. 5. colliget, c. 43. *Laminatum plumbum ſubtiliter, & ſuperpoſitum nervo torto & groſſo, diſſolvit & rectificat, & hoc quod diſſolvit, ſignificat quod habet virtutem diſſolutivam.* Diſſolvit autem & emollit, ob multam ſulphuris & argenti vivi portionem cum eo commixtam. *Zacutus Pr. adm. l.* 2 *obſ.* 187.

LXX. Sunt magni Medici qui uſum braſſicæ ſingulariter commendant, & laborantibus podagra, tunc cum adeſt dolor, ſolam braſſicam edendam ſuadent: Hoc quidem certum eſt, quo victus parcius alimentum præbet, eo ſalubriorem eſſe; Itaque Podagricis cavendum à gallinarum & caponum carnibus, quia multi ſunt nutrimenti & copioſum ſanguinem generant. *Crato.*

LXXI. Ambulet Podagricus per cubiculum ſaltem, licet motio dolore non careat, motui enim ſuccedit calor partis, & materiæ attenuatio atque reſolutio: Ita conveniet exercitium præcautionis loco, ſed moderatum: *Paulus* quippe l. 3. c. 75. dicebat quod Præcavet ciborum detractio & exercitium quantum ſufficit. *Foreſtus conſult.* 73. *cent.* 4.

LXXII. A *vino* proculdubio, & omnibus quæ tartarum illud, acutoſque humores ſuppeditant, abſtinendum erit: Et cum ego olim articulorum doloribus vexarer, & varios ea de re authores legerem, in eo omnes conſentire animadverti, In arthritidis curatione, plus ſpei in bona diæta quam in medicamentis ponendum eſſe. *Sennertus Epiſt.* 1. *cent.* 1.

LXXIII. Parti mittenti, ne vitioſos humores generet inprimis proſpiciendum, potius quam de Topicis cogitandum: aliquando fomes in hepate & hypochondris hæret, à quibus capiti & articulis materia communicatur. *Idem ibidem.* Præcautionis momentum omne in eo poſitum, cum ut ſeri proventus impediatur, tum humorum ebullitio arceatur: *Crato* Epiſt. 52. hæc habet, Ego in recta victus ratione & abſtinentia; item lotionibus capitis & ſudoribus, totam rationem præcautionis poſitam exiſtimo.

LXXIV. A *vino* an omnes abſtinere queant, propter venericuli vitium, haud liquet: Tenent me vehementer ſenioris Woyſſelij & Sundeeii defunctorum exempla: Cum enim hi à vino primum, mox & aliis potibus ſpirituoſis abſtinuiſſent, eo tandem

miſeriæ

miſeriæ devenerunt, ut leviſſimum etiam potum, præ dolorum metu, vix attingere auſi fuerint. Interim vino vel Rhenano, vel Auſtriaco utor: Nec facile ſequor Medicorum Glogovienſium morem, qui ventriculi cauſa Vngaricum podagricis concedere dicuntur: Abſynthites Eugalenus in hoc caſu valde commendat, cujus conſilium ſequi animus eſt. *Sennertus Epiſt. 2. Cent.* 1. Id tamen perpendendum, vinum plus tartareæ materiæ habere quam reliqua vegetabilia, ideoque niſi illud tartareum accurate in prima & ſecunda coctione ſeparatur, ſanguini poſtea permiſtum arthritidem parit: Non autem ſeparatur cum imbecillitas aliqua, vel intemperies eſt in viſceribus, quam in omnibus arthriticis reperiri puto. *Idem Cent. 2. Ep.* 32. 47. Vini uſum ablegandum quod attinet, dico & hoc antiquitus obſervatum fuiſſe: Ægineta namque dicebat quod *Si per totam vitam a vino abſtineant, liberantur*: Et *Rhaſis*, Ego *vidi relinquentes potum vini ſanatos*: Quod contingere putamus quia tophi à materia tartarea fiunt, ut multi crediderunt cum Paracelſo, quæ materia à vino maxime generoſo manat: Nihilominus nos oportet diſtinguere Podagræ differentias, à cauſa deſumptas & à ſubjecto; Etenim licet Podagra quæcunque ex ſanguine, à pituita & bile corrupto producatur, attamen modo pituita, modo bilis prædominari poteſt. Et quidem ſi bilis, aqua; ſi pituita, vinum potius conveniet, Præterea, ſi patientis, totius, & jecoris temperies ad calidum & ſiccum vergat, habituſque corporis gracilior fuerit, cum ventriculi robore, aqua potius quam vinum ex uſu videbitur: At ſi contra pituita prædominetur, totiuſque temperamentum ad humidum vergat, & podagræ minera in ventriculo deliteſcat, vinum erit aqua præſtantius, præſertim in regionibus calidioribus: In Hiſpania ſiquidem aquæ potus facilius quam vini ab omnibus, nedum à ſolis podagricis toleratur, atque magis expetitur: Omitto quod aqua longe magis quam vinum excrementitia ſit. *I. R. Fortis conſultat.* 172. *cent.* 4.

LXXV. A *vino* podagricos, & articularibus morbis obnoxios prorſus arcendos eſſe quidam Medici cenſent: At quorum ætas, & ventriculi firmitas ea eſt ut ſine vino valetudinem ſuſtentare poſſint, nihil accommodatius valetudini facere arbitror: ſed ſi hoc facere non licet, abſtinentiam iſtam graviora valetudinis incommoda ſequuntur. *Crato conſ.* 253. Damno qui vini uſum prohibent in aſſuetis, quia talis mutatio vel repente facienda eſt, vel ſenſim; utroque modo improbanda mihi eſt, quia, ut affirmat *Hippocr. Plurimum & repente vacuare, aut explere, aut calefacere, aut frigefacere, aut quomodocunque aliter corpus movere, periculoſum*; Et præcedenti aphor. *Quæ longo tempore aſſueta, etſi deteriora, minus his quæ ſunt inſueta moleſtare conſueverunt*, Quod ſi convenit ad inſueta permutari, id non quavis in ætate, ſed ſolum in iuventute faciendum eſt, Arthritis autem plerumque in conſiſtente ætate conſtitutos & ſenes occupat Deinde in hoc mali genere cruditas maximè vitanda, quam maximè parit aquæ potus & vini abſtinentia *Crucius de Quæſitu pag.* 12.

LXXVI. Multa obeſis proſunt quæ macilentis obſunt, ut mihi; Fugio acida, & nimium uſum carnis, quæque urinoſas in ſanguine partes exaſperare aut reſtagnationem cauſari valent, nam ad ſudores vix moveor: Id quoque ſentio quod bilis debilior (quia ſanguis non fervidus) non impregnat chylum eo ſale volatili, ut maſſa ciborum decenter fermentata, purum ſanguinis & lymphæ liquorem præbeat abſque cruda viſciditate (quam Tartarum dicunt) facile in morbos articulorum degenerantes: Ideo utiliter ſumo Extr. zedoariæ, enulæ, centaur. (aſſafras, & alia in tenui cereviſia: Veſicatoria, ad genu præſertim, & ubi ſpaſmus concurrit, valde & celeriter tollunt noxiam materiam, ſed ne quid nimis: Defectu Thermarum, quas omnibus præfero, expertus, uſurpo cum fructu balnea ſimplicia, quæ contracturas impediunt. D. D. N. *In miſcell. cur. anni* 1671.

LXXVII. Cum anno 1665. Conſul quidam Hafniæ ſecunda vice Podagra corriperetur, & præſertim pollex dextri pedis ea affligeretur, venis dorſi pedis valde tumentibus, juſſi acturum illi incideretur vena ad locum affectum, & tanto impetu proſilit ſanguis quanto vix ex mediana: Cui poſtea ſequens cataplaſma applicui, ingentique miraculo ab omnibus doloribus liberatus eſt, ita ut tridui ſpatio in publicum citra ullum incommodum iterum prodire potuerit. Rſ. H. boni Henr. rec. ſine flor. man. iv. flor. ſamb. camom. ſicc. ana m. ij groſſe conſcinde, coque in ſ. q. aq. ſambuc. ad pultilag. adde gummi carannæ ℥ß. camph. ʒß. m. f. l. a. Catapl. *S. Pauli Quadrip. Botan. claſſ. 3. Tit. Bonus Henricus.*

LXXVIII. Nobilis ſanguinei temper. enſarcus, gonagra a tribus diebus laborabat; ſtatim ſanguinem ad ℔ j mitti jubeo, qui cum valde impurus apparuiſſet, poſtridie iterum ſ. m. ad parem quantitatem præſcribo, qua ſe multum recreari ſenſit, ſanguine priori ſimili educto: 3. demum ſanguinem detraho ad ℥ x. poſtridie medicamentum ex ſeuna & rheo in decocto convenienti cum diaphoen. & ſyr. roſ. propino, quo bene omnino habuit: Simile in duobus aliis mihi contigit, eodem temperamento & habitu donatis, in quibus ſ. m. ter aut quater repetita in ipſo initio affectum penitus ſuſtulit, oxycrato fovendo partem affectam, & poſtea illinendo oleo roſaceo. *Franc. Chomel Obſ.* 9.

LXXIX. Matrona pro præcautione, ſeu præſervatione à chiragra & podagra, ſingulis menſibus utrumque pollicem, tam manuum quam pedum, circa radices unguium ſcarificare ſolebat: In eum finem conjunx N. Cucurbitulas ſcarificatas pedibus applicabat. *Ioh. Iunſiſchenius* vero aſſerebat jamdiu ſe ex eadem laboraſſe, niſi baculo innixus, ſummo conatu incedendo, præludia illius avertiſſet, vel potius conſumpſiſſet: Quod & de me vere affirmare poſſum, alius enim certe in lecto decubuiſſet: Ego vero in deſpectum doloris circum curſitavi, & motu illo materiam potius evaporare feci quam ſedem ibi figere permiſi: *Ph. Salmuth Cent.* 3. *Obſ.* 46.

LXXX. Podagra diu male habuit Chirurgum Genevenſem, *Ludov. Noel*, cadaverum diſſectorem luratum, qui anno 1678. nonagenarius fere obiit: Hujus paroxyſmo podagrico prehenſi, furtim ingreditur ædes fatua mulier, nomine *le Maiſtre*, quæ ægri utrumque pedem arreptum violenter mutuo allidit, nec deſinit donec in auxilium venirent qui tortricem domo expellerent, Exinde à podagra omnino immunis vixit, per xx. & amplius annos, nullo remedio uſus.

LXXXI. Non raro Articulares dolores in nephriticos faceſſunt: *Thomas Willis Parte 2. de Anim. Brut. cap.* 14. Arthriticum novit qui ab urinæ potu, à qua juvamen accipiebat, paulo poſt in lethalem nephritidem incidit: Ex Hippocr. dolor colicus in arthritidem commigrat, *Cui inteſtinum*, ait 4. 6. Epid. *in dextra parte dolebat, arthriticus fiebat, & quietior*: Silvaticus conſil. 86. cent. 3.

obſervavit arthritidem in ſæviſſimum ventriculi dolorem ſolutam: loco conſ. 49. cent. 2. Cuidam aſthmatico & hypochondriaco, thermas ſulphureas præſcribit, quo, ſi poſſet, in articulos fluxionem revocaret: Ex conſ. 70. cuidam dolore ventriculi laboranti, & podagræ hæreditariæ obnoxio, frictiones totius imperat, manibus inunctis, & fonticulum femori inurendum, Cum, *inquit*, ex duobus malis minus ſit eligendum, podagricorum ſcil. dolorum renovatio: Item conſ. 74. Sexi 70. annorum, dolori ventriculi periodico, poſt dolores hæmorrhoidales & articulorum vexato, levius ducens podagra & hæmorrhoidali dolore, quam ventriculi dolorifica afflictione conflictari, podagram potius revocandam cenſet; in eum finem ſaphenæ apertionem ſuadens & fonticulum in femore, imo & pedum lotiones, *Iterum conſ.* 77. In alio eodem ventriculi quoque dolore affecto, in uſum duci jubet balneum univerſale aquæ dulcis: non nocebit, *inquit*, licet dolores articulares adſint, ex duobus enim malis minus eſt eligendum: *Gaſp. Hofmannus in Inſtit.* probaturus fluxionem per vaſa fieri, Videmus, ait, Podagricos mori tum ſi viſcera tam ſint debilia, ut humores ad ſuperficiem pellere non poſſint; Galenum 2. de nat. hum. ſequutus, qui Tum podagricos mori ait, ſi humores influentes repellantur ad viſcera: Ergo ſalutaris illa metaſtaſis procuranda: Ipſe *Galenus* 2. de Nat. hum. 5. ait ſemper melius eſſe contriſtantes ſuccos à nobilioribus ad ignobiliores partes detrudere, Vidimus enim ipſos repulſos ab articulis ad principem partem hominem occidiſſe: tunc itaque unica ſpes eſt ipſos ad articulos revocari, *Forus* Conſult. 29. cent. 4. In metu phthiſis à ſuppreſſa podagra, crebras pedum lotiones in aqua calente ſuadet, & frictionem articulorum manibus inunctis oleo biliaceo cum ſinapi & nitro. *Vide Obſ.* 181. *l.* 2. *Pr. Adm. Zacuti.* Quando Podagrici conſummati de aliis affectibus queruntur, v. gr. colica, aſthmate, palpitatione cordis &c. nolim Medicum talia ſymptomata alio referre quam ad ipſam materiam podagricam, ſic abundantem ut articulos ſolum afficere amplius non poſſit, ubi imprimis accedit expultricis debilitas: Confirmatur hæc opinio à poſteriori hinc, quia medicamenta hiſce affectibus alias proficua adhibita nihil vel parum juvant: ceſſant autem cruciatus tales cum tartarus podagricus ebulliens per ſe quieſcit, vel ad articulos iterum derivatur, natura monſtrante viam, *H. Hæferus Herc. med. l.* 4. *c.* 1.

LXXXII. Quidam poſt genæ ſiniſtræ paralyſin, licet corpore robuſto & obeſo, in tantam tamen articulorum incidit exſiccationem, ut omnium oſſium cervicis, dorſi, brachiorum &c. motum exaudiverim, & exacte diſtinguere potuerim: Memini alias febr. ardentibus ita exſiccari in emaciatis articulos, ut ſonitu ſe prodant, at hic nulla febris, nulla macies: Re pretiius examinata, comperi hypochondriacum eſſe, murmura ventris ſentire & fere fauces ſiccas eſſe: forſan articulorum humiditas fuit intercepta, propter detentam lympham in obſtructo meſenterio: Cognito affectu facilem curandi viam inveni: obſtructiones meſenterii reſeravi flatus diſſipavi, roboravi viſcera, & exterioris humectantibus tantum profeci, ut nec articuli ſicci ſint impedimento, nec hypochondria murmurent: *Bartholinus Hiſtor.* 11. *cent.* 3.

LXXXIII. Sutoris uxor conquerens de omnium membrorum laſſitudine & frigiditate, quam ſenſerat cum dolore intercedente punctorio & fixo, in ſuris & dorſo, ſuperveniente etiam hemicrania ſiniſtri lateris, multa expertitur medicamenta: Sæpius mihi meditanti quid in talibus morbis commodiſſimum, dum *Paracelſi* tartarum e venis & arteriis tenuibus coagulatum reſolvere & expellere conatur ſpecificis ſic nominatis, vel tart. vitriolato, vel bezoartico minerali, aliquando ſed parum voto reſpondentibus, propterea ad ſpecifica, acidum ex parte repellentia, præcipitantia, bilemque alterantia confugi: Igitur ægrum recipere *herb. centaur. man. ij. abſinth. man. j.* horum bene inciſorum manip. dimidium coquere cum lacte, & infuſa cerevisia lactis coagulum facere, deque ſero percolato, m. & v. hauſtum unum juſſi ebibere: continuatum tribus ſeptimanis potum varia ſymptomata ſubſequebantur, per totum vagus dolor, brachia, pedes, latera, dorſum, tandemque caput occupans cum vertigine: Præſcriptis Pil. ℞. *m. p. aloephangin.* ℈j *rhei gr. xij reſin. Gialap. gr. iv.* ex vicibus alvus ſoluta, cum euphoria, ceſſavit dolor: deinde continuans ægra dictam potionem 14. diebus, denuo purgata, D. G. ſanitati reſtituitur: Poſſum æſtimare me iis medicaminibus plus opinione profeciſſe apud ægros: Qui majoris momenti medicamenta deſiderat, inveniet in hujuſcemodi caſibus non leve ſubſidium ex ſequenti ℞ *cinnab. nat.* ℈β *pulv. oc. cancr. conchar. ana gr. xv. laud. op. gr. iij. m. F. Pulvis* pro una doſi, qui aliquot vicibus propinatus ægrum maxime alleviabit. *And. Cnoffelius miſcell. cur. anni* 1676. *obſ.* 84.

LXXXIV. Baro arthritide totius corporis, libera ſaltem ſpina, corripiebatur, etiam vix xix. annum attigiſſet, Prognatus parentibus erat arthriticis; Decocto ligni curabatur. *Ph. Salmuth cent.* 3. *Obſ.* 74.

LXXXV. Adoleſcens Anglus, rari habitus & coloris fuſci, à ſæviſſimis articulorum doloribus cum febre lenta, & purulentis alvi dejectionibus, febre nonobſtante, *I. Prevotus* dexteritate curatus fuit pertinaci hypocauſti & decocti uſu: *Cardanus* in vita ſua cap. 6. memorat ſe à podagra perſanatum: *Rhodius cent.* 3. *obſ.* 77.

LXXXVI. Sicut cavendum ne criſin vel [illegible], vel per *ſudorem*, v. g. hæmorrhagiam futuram, intempeſtiva epithematum applicatione impediamus, imo ipſiſſimam naturæ (quam ubique bene agentem ſequi debet Medicus) intentionem, unquam repellamus, ubi id non licet, Sic minus eadem in uſum vocanda in articulis afflictis, præterquam nervina: Hinc aquæ articularis, ad extra, ad podagram, niſi talia ſint, & quidem provide ſelecta, confortantia, vix laudem vulgo ipſis tributam merentur: quin imo certum eſt epithematibus, vel in genere topicis illis ſæpe numero humores illapſos, & vapores, quandoque impingi partibus, ut ægrius ibidem ſortiantur, nec in vaſa refluant, cum articuli manifeſta noxa & ſæpe ἀνωδυνία. Adeoque cavendum eſt ne illum ſenſum triſtem dolorificum auferre volumus, una motu privemus neceſſario debilem jam alias partem, quæ ſane non minima inter alias cauſa eſt, cur tot arthritici & podagrici contractura partium afflictarum corripiantur, cur nodos & tophos conſtanter contrahant, & malum immedicabile reddant: Nimirum ultra vulgus, ultra ægros ſapere decet Medicum, nec vel illos plus indulgere quam medendi ſelectior methodus, vel urgens uſus expoſcit, nec ſuperſtitioſa medicamentorum accumulatione officioſum ſe præſtare. *Wedelius de medicam. compoſ. extemp. p.* 173.

ATRO-

ATROPHIA.

SYLLOGE.

Particularis cucurbitularum ope ſanata. 1.
Univerſalis vomitum & aperientia aliquando requirit. 2.
Spaſmodica curatio. 3.
Poſt veſicantia admovenda Emplaſtica. 4.

I. TRia fuere veteribus *Cucurbitularum genera*, vitrea, ænea, cornea; quorum priora utebant per ignem, poſteriora citra illum ſolo oris ſuctu: Quæ cornea cucurbitula, licet nobis fermè in deſuetudinem abjerit, plurimi tamen etiamnum fit Indis, ſub torrida zona habitantibus: Juvenis inde reverſus donavit me tali cucurbitula, cujus periculum aliquando quidem facturus, ſelegi mihi brachium ab atrophia conſumptum, cui impoſui has cucurbitulas, loco picis ac reſinæ, quibus legimus in ſimili neceſſitate uſum fuiſſe antiquitatem, etiam remotiſſimam: Attrahunt autem hæ cucurbitulæ potenter, & abducta apriſſime cute, elevant venas & arterias, præ macie in ſe collapſas: quibus iterum adapertis, commeant denuo quocunque ſanguis & ſpiritus: quorum indeſinens affluxus, niſi quotidie ſubiret in locum eorum quæ continenter ex corpore decedunt, non ſolum non aleretur, ſed emaceraretur neceſſariò membrum tali vitio infectum: cui maciei nihil profectò ſalutarius hacce cornea cucurbitula: præſertim ſi adigatur dextrè juxta curſum venarum arteriarumque illuc nutrimentum ac vitam deferentium. Experimentum feci in juvenis brachio exarefacto; illius ſuctu tantum caloris ac ſanguinis ad cutis extrema attractum vidimus, ut exſuccum brachium & aleretur iterum & adipiſceretur denuo priſtinum vigorem. Modus hic eſt, Applicata parti cucurbitula hac cornea, ſpiritus per exile foramen ore educendus, mox feſtinanter digito id occludendum. *Tulpius lib.* 3. *obſerv.* 49.

II. Atrophiam *Evacuationes* acres non tollunt ſed exaſperant: Quare ſi colluvies viſcera gravat, præſertim ventriculum, lenes ex aqua benedicta vomitus ſunt imperandi: Ejus enim hæc vis peculiaris eſt, ut non tantum ſaburram eliminet, ſed etiam ventriculum ad concoquendum inſtiget: unde poſt aq. benedictæ uſum, ſemper videmus appetitum, etiam dudum quaſi ſepultum, revocari & augeri: hoc itaque auxilio prudenter inſtituto multum initio curationis proficitur: deinde humectantia imperanda ſunt, ſed quæ ſimul obſtructiones viſcerum expediant: Tartarus ergo vitriolatus cum decocto paſſularum, & ſyrupis violarum & ſimil. ſumptus illas ſolvit. *Hartmannus prax. Chymiatr. c.* 285.

III. Puer XI. ann. a prima infantia per plures dies ſæpius immanem patiebatur cephalalgiam: erat habitus gracilioris, facie pallidus, tandem in omnimodam incidebat atrophiam, cum ſudoribus nocturnis & continuis ejulatibus, ob ingentes ſcapulæ ſiniſtræ, ad præcordia & verſus hypochondrium ejuſdem lateris tendentes dolores, mox pungitivos, mox contractivos, ſeu ſpaſmodicos: accedebat irritum tuſſiendi deſiderium, cum anguſtia & ſpirandi difficultate, à quibus thoracis & ſcapulæ contractiones augeri videbantur, hinc erecto corpore in lecto ſedere cogebatur, manu ſemper tenens jam ſcapulam, jam hypochondrium ſiniſtrum, ob continuum dolorem ſpaſmodicum: Medicorum unus pulmones accuſabat, lienem alter, plurimi hecticam ſuſpicabantur: Tandem ad ultimam maciem redactus, feliciter curatus deſtillato ex brodio gallinæ cum herbis chamædr. centaur. min. flor. in quibus latet vis antiſpaſmodica à paucis obſervata, & aliis: Sane non erit difficile prædictorum ſymptomatum ortum & cauſas, ſecundum fundamenta Williſiana, à ſpirituum animalium & ſucci nervoſi anomaliis, ſpaſmodicam contractionem partium nervoſarum in ſcapula & thorace inducentibus, derivare, omiſſis viſcerum coctioni inſervientium dyſcraſiis, ab omnibus hactenus accuſatis. *I. Iac. Waldſchmid. miſc. cur. anni* 72. *Obſ.* 236.

IV. Si attrahendi nutrimenti gratia adhibentur *Veſicantia*, hinc conveniunt emplaſtica, ne tranſpiret iterum quod in uſum partis & vigorem appulit, ut poſt frictiones & inunctiones, ea commendatione *Hartmanni* Pr. chimiatr. c. 13. §. 4. Adhibetur commode radix ſymphiti in aq. fontana decocta, & forma cataplaſmatis membris adhibita. *G. W. Wedelius de S. m. F. p.* 61.

AVRIVM AFFECTVS.

Vide *Surditas lib.* 16.

SYLLOGE.

In dolore *Vomitoria an* Purgantia *conveniant.* 1.
An repellentia *admovenda* 2.
An levibus ſemper utendum 3.
Medicamento ex cepa *Fabricini an ſemper locus* 4.
Dolor ingens Purgationi *non topicis ceſſit* 15.
Opiata *an uſurpanda.* 16.
Ab indica glande narcotica mors 17.
Dolor inflammatorius *cucurbitulis ſanatus* 11.
An in Inflammatione *reprimentia* 5.
An Acetum & Oxyrrhodina fugienda 6.
Narcotica an poſſint infundi. 7. 16.
Phlegmone ſæva hirudinibus curata.
Medicamenta actu calida an infundenda 8.
An apophlegmatiſmi derivent 15. *b.*
Apoſtematis *rupti curatio* 13.
Intruſa *educenda non natura committenda* 12.
Hirudo *ex aure educta* 14.
Tinnitus *curatio Chirurgica* 18.
Auribus nihil inſtillandum 19.
Purulentia *cohibita, lethifera* 20.
Regulæ generales in curatione 21.
Humectantia an adhibenda 9.
Liquor ex auris profundo quomodo alliciendus 22.
Aqua ſpirituoſa oleis præferenda 23.

I. VOmitoria an purgantia conferunt in Aurium doloribus? Vomitus videtur convenire juxta Hippocr. aphor. 4. 18. *Dolores ſupra ſeptum transverſum qui purgatione opus habent ſurſum verſus purgationem exigunt*, & præceptum lib. de loc. in hom. n. 55. *Morbi ea parte qua proximi ſunt, educendi ſunt; & qua parte ſingulis exitus quam proximus eſt, extrahendi.* Expreſſè lib. de affect. 6. 3. Vomitum commendat. *Si in aures inciderit dolor, conducit mulſa calida lavare, & auribus fomentum adhibere, & ſiquidem ad hæc ceſſerit pituita de capite attenuata, & dolor ceſſaverit, ſufficiant hæc, Sin minus omnium optimum pharmacum fuerit quod potu exhibitum ſurſum pituitam

purgat: Libro verò de locis in homine n. 20. purgationem commendat vomitumque damnat, *Si per hoc dolor non ſedetur, frigefacientia a natura frigida infundantur, & medicamentum potandum præbeatur quod ſeceſſum deorſum faciat, ſurſum autem non, quandoquidem vomitus non auxiliatur.* Nec deeſt ratio, quandoquidem cum vehementia peragitur ea vacuatio, corpus & humores concutiens, ab inferis ad ſuperna humores alliciens: agitato præterea, compreſſo & calefacto capite, liquantur ſucci qui ad aures debiles decumbunt. Contradictionem ſic ſolvit Martianus, *Curationis diverſitas, inquit, a natura humoris morbum efficientis omnino pendet: Si enim calidus & tenuis fuerit, vomitus non conducit, quia cum hujuſmodi humor in partibus inferioribus ſedem habeat, ubi generatur, verbi gratia in hepate, a quo ad caput aſcendit, vomitu inducto ejuſdem aſcenſus facilitatur, unde ad partes ſuperiores majori impetu fertur: his accedit ejuſdem levitas, cujus natura eſt ſurſum ferri magis quam deorſum: E contra vero materia frigida exiſtente, quia hæc in partibus ſuperioribus ſedem habet, purgationi per inferiora non facile cedit, nimis enim remota eſt via per quam expurgatur, juxta aphor. 4. 18. Materia igitur frigida, & pituita in cerebro peccante, vomitus præferendus eſt, nec timenda eſt ex vomitus vehementia capitis repletio, quia cum materia ſit craſſa, non facile ad ſuperiora elevatur: Hæc igitur conſiderans Hippocr. lib. de loc. facto de humoris peccantis natura periculo per medicamenta calida auribus impoſita, materiamque calidam eſſe certior factus, damnavit vomitum, purgationem per inferiora imperans: lib. autem de Affect. pituitam peccare ſupponens, vomitum magis probat.*

II. An Repellentia admovenda? Audiendum hic Arculani decretum 9. ad Almanſorem, *Antequam fiat repercuſſio obſerventur hæc, Non ſit materia critice expulſa, Non ſit venenoſa, Non ſit furioſa, Non ſit plurima, Non immediate a cerebro expulſa, Non valde tenax & craſſa: Non paulatim congeſta, Non fluxa ad partem extrinſecam auris: Quippe hæc omnia repellentiam uſum interdicunt, prterquam quod ad cerebrum repellere non caret ſuſpicione:* Oxyrrhodina valida, *inquit Zecchius*, in autem inſtillanda ſuſpecta ſunt, quia ab horum uſu periculum ne defluxus humor, & etiam confluens, in cerebrum refluat per nervum auditorium.

III. An levia medicamenta ſemper admovenda? Levia medicamenta inſinuare videtur partis præſtantia, ſenſu exquiſito donatæ & Principi continuæ: quare *Galenus* 7. method. Partibus acute ſentientibus nec confertim nec ſemel valentibus auxiliis medetur, ſed mitibus ſenſim adhibitis: Ipſe tamen lib. 3. κατ'. τ. iis dolentibus valentibus pharmacis utitur, chalcitide, nitro, porri ſucco, urina caprina &c. ſcilicet cum doloris cauſa ſunt frigidi & craſſi humores, qui ope eorum medicamentorum attenuantur & excalefiunt, ſimulque flatus inde ſuſcitati diſſipantur: Ab iis autem abſtinet cum dolor inflammationis ſoboles eſt.

IV. Multi practici ad demulcendos aurium dolores, à quavis cauſa pendentes, indifferenter *Ben. Victorii Faventini* emplaſtro ex cepa utuntur, inſigni interdum cum laborantis incommodo, quando præſertim dolor eſt in principio, & à calido pendet humore: ubi verò doloris cauſa frigido morbo accepta fertur, vel inflammatio ad ſuppurationem tendit, remedium feliciſſimo cum ſucceſſu adminiſtratur. ℞. Cæpæ ſub ignitis cineribus excoctæ n. j. butyri recent. ℥ij. ol. chamæmel roſac. an ℥j. croci ℈ j. m. tepidum admove, *Zecchius conſult. 62.*

V. An Reprimentia uſurpanda in earum inflammatione? Potenter repellentia quidam repudiant, metu refluxus humoris in cerebrum, ob præceptum generale in inflammationibus partibus principibus proximis, reprimentia fugienda eſſe: Saxonia autem Prælect. pract. part. 1. cap. 21. hunc diotiſmum adhibet: Conſiderandum, ait, an inflammatio ſit in meatu exteriore & tympano, an potius in nervo interiore? Si fuerit in meatu exteriore, ſequendum Galen. conſilium 3. de comp. per loca, c. 1. ut ſcilicet medicamenta non adhibeantur neque per injectionem, neque per inſtillationem, ſed tantum per levem quandam infuſionem: addo evaporationem & litum, illa autem dolorem augent: infunduntur autem ol. violaceum, aut roſaceum; lac muliebre vel ſimplex, aut cum ſucco plantaginis &c. Sed ubi inflammatio ſit interna, his reprimentibus acetum utiliter permiſcetur, juxta Galen. loco citato, quia præbet penetrationem: Neque audiendi ſunt recentiores quidam, uſum reprimentium his in caſibus reprobantes, quod materia repercuſſa in cerebrum vel alias nobiliores protrudatur partes, *Nullum majus periculum homini incumbere poteſt quam magna ipſius nervi auditorii inflammatio;* Videatur Hippocr. 3. Prognoſt. Itaque reprimenda eſt omnino materia.

VI. An Acetum & oxyrrhodina fugienda? Acetum noxium videtur, quia ſi ex Hippocr. 3. acut. 39. eſt ὑστεραλγές, potiori jure aures offendet, partes nervoſas, exangues & ſicciores utero: At Galenus 3. κατ'. τόπ. non renuit acetum roſaceo commixtum, *Moderata inflammationes, ait, & non pulſatiles, etiam per hujuſmodi pharmaca curantur, quale eſt acetum cum roſaceo tepefactum, utriſque diligenter ſimul commixtis*, quod idem libr. 3. meth. cap. 12. aſſerit. Nam acetum refrigerat, repellit, penetrat, & roborat, quo pacto partem à vehementiore inflammatione defendit: Reverà acrimonia nervoſas partes ferit, ideo ſincerum in aures infundendum non eſt, ſed roſaceo permixtum, minimaque quantitate, innoxium evadit, retuſa ſic ejus acrimonia, atque hebetiore reddita vi penetrante, unde mitigatio doloris, bilioſique humoris ferocia domatur. Adde quod acetum non adeo frigidum eſt ut perhibetur, cum, Galeno confitente, contrariis facultatibus conſtet, ex putredine quippe calorem aliquem nanciſcitur; ac proinde tanta vi adſtrictoria donatum non eſt, nec eo frigore ut nervos pungat; auriumque purgamenta incraſſet & reprimat.

VII. Opium *Galenus* auribus infundi jubet, illudque *Paulus* & alii lacte diluunt: quod ſi, inquit *Avicenna*, accidat nocumentum ex uſu narcoticorum, adminiſtra caſtoreum poſt illud ſolum: De iis ſic *Faventinus*, Et cave à medicamentis narcoticis, ne ſui frigiditate ſtupefaciente auditus inſtrumentum corrumpant: attamen non ex toto negligo eos, ubi inquam certificaremur ægrum præ vehementia doloris auctum moriturum, haudquaquam ea exhiberemus: Sed cum majus juvamentum ſit ægrum à nece liberari, quam ſit nocumentum quod ei accidit ex ſurditatis proventu, ideoque ea dari quandoque fas eſt, cum etiam adhuc non docti ſumus, ut ex iis adhibitis narcoticis ſenſus auditus deperdatur, & ſi forte is labefactabitur, non deficient medelæ quibus Dei auxilio reſtituetur: Quidam opio torrefacto utuntur, at id penitus tritum prope nullius eſt utilitatis ad dolorem ſedandum: Demum quæ in aures inſtillantur ultra *Tympanum* tendere nequeunt, at ſi non penetrant, non potetunc

tunc

runt dolentes interiores partes tam varias tam diſſitas afficere, Tum opium eſt ſenſui Auditus peculiariter infenſum. *Schneiderus.*

VIII. Medicamenta actu calida an infundenda? Actu calida requirit auris conſtitutio frigida, quæ a contrariis facillime læditur, quæ etiam anfractus aurium vix ſubeunt, frigore viam ſibi ipſis præcludentia: Ideo *Hippocr.* l. de Affect. n.3. & lib. de loc. §.10. *Gal.* 3. de loc. calida ſeu tepida volunt eſſe quæ ad leniendum dolorem & æſtum utut maximum, temperandum apponuntur: Quod vero *Gal.* 3. K. T. frigidam auri aliquando infundi *ait*, id ex aliorum mente refert, vel vehementia doloris inductus, majoriſque metu periculi id efficit.

IX. Veteres à maximè humidis & maximè frigidis cavent: *Archigenes* enim fomentum adhibiturus ad vehementes dolores utitur ſulphure vivo in aquam inſperſo, Exprimantur, *ait*, vehementer ſpongiæ auribuſque apponantur, facillimè enim ab humore ſolvuntur & laxantur. Ideo apud *Galenum* ſæpe acetum miſcetur medicamentis aurium, ſaltem inter ebulliendum, non ad majorem ſolum penetrationem, ſed etiam ad exſiccationem. Cæterum in quo dolore timetur convulſio, non eſt excuſatio, inquit *Avicenna*; à mollificativis, ideo butyrum adhibet, ſed antiquum & Galen. utitur unguento ex adipibus. *Rubeus in Celſi lib.6. ſect.* 3. Ad pus autem movendum, in aures non oportet uti valde humidis, ut in aliarum partium abſceſſibus, quia conſervanda auris temperies, frigida ſicca. *Enchirid. med. pract.* 33.

X. Iuvenis bilioſus & fortis ſæuâ adeo aurium inflammatione laborabat, ut in horas moriturus ſperaretur: Cum nulla auxilia juvarent, & de Narcoticis cogitarent Medici, intra aurem immittendis, ſolo hirudinum retro aures ſuctu miteſcere cœpit; nam impoſitis quatuor juxta aurem ægram, ſanguine ubertim extracto, cœpit loqui, obdormivit, & paucis abhinc celebratis à morte liberatus. *Zacutus Pr. M. Hiſtor. cap. xiv.*

XI. Memoranda Senis ſententia lib.2. Epid. ſect. 6. *Ad auris dolorem cucurbitam affigito*, ſummam attulit opem miſero cuidam, qui ex auris dolore atroci malè habens & moribundus, nec ex ullis remediis utilitatem percipiens, cucurbitula ſcarificata, juxta aurium glandulas applicita, levatus eſt, extracto enim copioſo ſanguine, inflammationeque reſolutâ, ſanus evaſit. *Zacutus Prax. admir.* 1.64.

XII. Quomodo res extraneæ ex auris meatu eximendæ ſint, *Fabritius Hil* docet cent.1. obſ.4.5.6. Idem cent. iij. obſ.4. ceraſi nucleum naturæ beneficio per ſuppurationem rejectum obſervavit in puero: Quæ curatio etſi ad votum ſucceſſiſſe videatur nunquam tamen hac methodo utendum indicat, ac naturæ opus plane relinquendum, quod multa variaque ſymptomata ex ſuppuratione harum partium oriri ſoleant: Cum enim ductus auris exquiſitiſſimo ſenſu ſit præditus, facile ob doloris vehementiam humores affluunt, atque membranam tympanum corrumpunt, inde ſurditas. Nonnunquam quoque os, quod exigua tantum membrana inveſtitum eſt ex hujuſmodi ſuppurationibus cariem contrahit: Carnem item fungoſam ex ductu auris à ſuppuratione exortam eſſe, & fungum ſcirrhoſum procreaſſe contigit: Diligentia itaque adhibenda ut quicquid extranei auribus infixum eſt protinus extrahatur.

XIII. Ad ruptionem Apoſtematis in auribus commendat *Ionſtonus* ſuccum ranunculi, verum hic non facile vſurpandus, quia fortior eſt & corroſivus, ſed pro eo ſubſtituendus ſuccus ſemper vivi cum lacte muliebri. *Fred. Hofmannus m.m.p.*298.

XIV. *Hirudo* quum caſu in ductum auris cujuſdam irrepſiſſet, ſanguine aurem externam perfudit *Severinus*, quo revocata hirudo fuit, & aurium latebras reliquit: Alias artes ex auribus evocandi vel enecandi vermes, vide apud *Oribaſium* lib. 4. loc. affect. cap.39.40.

XV. N. inexplicabili *Dolore auris dextra* affligebatur, inſomnis, ac vix delirium effugit: humor quidem primo fluebat ex aure, ſed poſtquam Chirurgus emplaſtrum applicaſſet, & linteaminibus aurem munivisset, deſiit fluxus, non remittentibus doloribus: Medicus acceſſitus opij uſum ſuadet, unde ſomnus duarum horarum cum inſomniis, redeunte mox dolore: Tandem meo conſilio ſumpſit pilulas ex *M.P. Ruffi & Extracto rhei*, continuis quatuor diebus mane & veſperi, cum euphoria, remotis emplaſtris & linteaminibus: Pus incipiebat fluere copioſe, ſucceſſit levis purgatio ex *Pulv. rad. Gialap.* ℈j. cum *ejus reſina gr. v.* acuato, & ſic poſt tres ſeptimanas reſtitutus æger. *Alius* tali dolore gravi aurium infeſtabatur, unica nocte cum horrendiſſimo dolore capitis noctem totam inſomnem ducebat, quid ageret neſciens: Hic ſepoſitis omnibus externis (exemplo erat alter) ſtatim conſilio meo confugit ad has Pil. ℞. *Extr. hellor. n. cum ſpir. vini facti* ℈j. *maſſæ Pil. Ruf.* ʒß. *reſinæ Ialap. gr.* vj. *m. f. Pil. pro ij. doſib.* A prima doſi ſedibus quatuor motis cum alleviatione doloris, altera die ſecundam aſſumpſit, unde ſex ſedes: A meridie incipiebat fluere ex aure, fluxus autem cum euphoria 14. diebus continuavit, & æger reſtitutus eſt: *Alius* dolorem auris dextræ ſenſit graviſſimum per 5. vel 6. dies, ut ſibi mortem vellet conſciſcere: Applicantur multa topica abſque fructu, dantur *laudani op. gr. iiß.* omni veſpere, unde dormit cum alleviatione patiens, denuo ut prius urgente dolore, effectu medicam. expirante: Poſt aliquot dies tumor prope aurem exſurgit, qui ſcarificatus naturalem locum dolor mutavit, ad aure enim divertit ad lumbos, hinc tendit ad regionem renum, deinde in ſiniſtro genu ſe figit: Sudoriferis attenuatus ad carneam auris ſubſtantiam repit, ab aure iterum ad gulam tranſit; interea fluit pus ex aure, ſequuntur leipothymiæ, mors: *Ex his itaque recenſitis caſibus quilibet colliget externa applicata, circa hunc affectum potius damnum inferre quam prodeſſe, & tutius eſſe ſequi naturæ ductum, & quo vergat ducere, quam topicis figere quod ad volatilitatem videtur eſſe progenitum: Experientia etiam teſtatur plus poſſe unica die in talibus caſibus Medicum perficere internis ſpecificis materiam diſcutientibus, quam topicis repellentibus, quæ plus ab extra impediunt quominus materia peccans ad effluxum diſpoſita ſuo fine potiri queat.* Andreas Cnoffelius *miſc. cur. anni 1676. obſ.* 83.

XVI. Errhina, Apophlegmatiſmi, ſeu Maſticatoria ſunt nullius uſus ad *Inflammationem aurium*: humor enim non auris meatu in palati ſpatium patente, ſed vaſculis ad os & fauces pertinentibus emittitur, Eſt ſanguinis ſerum quod allicitur: nunquam maſticatoria iſto aurium itinere pus aut ſaniem devocare poſſunt, ac æger ipſe, moto aurium pure, medentes edocet maſticatoriis nihil niſi tenuem, lentum quidem humorem cogi exſpuique, hic impurior eſt interdum maſſa ſanguinea non emundata. *Conr. V. Schneiderus l. de Catarrhis ult. pag.* 177. At conceſſo in aurium inflamma-

tione non conducere, nec pus illorum ope elici, in cæteris aurium affectibus inutilia eſſe non inferendum, cum patens ſit meatus à palato ad auditus organum.

XVII. *Auris dolore* cum lancinaretur quidam tribus diebus, nec juvarent auxilia, Medici conſilio ad provocandum ſomnum, ſopiendumque dolorem, ſuppoſuit opiatam glandem; ſed cum hic ex vigiliis & dolore debilis eſſet, nativo inde calore extincto, ſupremo ſomno correptus obiit. *Zacutus obſ. 67. lib.*1.

XVIII. An in *Tinnitu* perforandá maſtoidis apophyſis, ut detur exitus ſpiritibus ibi tumultuantibus? An tympani craſſities impedit tranſpirationem, ac proinde flatus non poſſunt erumpere? An ad extremitatem canalis auricularis poſt molares dentes, conducet ſinapi, vel anaſtomotico aliquo liquore partem illam confricare? *Riolanus in Encheir.*

XIX. Ne leviſſimum quidem medicamentum Auri inſtillandum, defluit enim facile liquor ad membranam tympani, ſed ob anfractus ductus auris denuo effluere non poteſt: quare turundas ex carbaſo & goſſypio fabricare, earumque tantummodo apices medicamento imbuere & auribus infigere ſoleo: Gravius errant qui utrique auri, eodem tempore, acre medicamentum inſtillant, quám in unum tantum ductum: ægro enim in latus collocato infuſus liquor effluit, quod contingere nequit in unum tantum infuſus liquor. *Hildanus vide Zvvelfernmin appendice ad Phamacop. Aug.*47.

XX. Cum quidam *Vlcus fiſtuloſum* in aure ſiniſtra pateretur, ex quo ſanies plurima efflueret, Medici illius fluxum retinere voluere, contra meam opinionem: nam ego à cerebro defluere dixeram: Cum quidam Phyſicorum eſſet me percontatus unde tanta ſanies deflueret, cum ſinus ille non fuiſſet tantæ capacitatis, quo quidem retento quaſi repente mortuus eſt, adeo præſto mors fuit, Et poſt mortem, ne viſus eſſem mentiri, plurima ſanies ab auribus & naribus effluxit, ut oſtenderet materiam retentam fuiſſe in cerebro, quam ſi foras eduxiſſent talis caſus minime contigiſſet: *Marianus Sanctus Barolitanus comm. in Avican.*

XXI. 1. Medicamenta quæcunque auribus immittuntur ſint tepida, non intenſe calida vel frigida, nam ſanguinis expertes cum ſint, facile ad cognatam ſibi intemperiem flectuntur. *Heurnius* a. Nova medicamenta non imponantur niſi auris à ſorde præcedentis medicamenti optime expurgata ſit 3. Vna vice tres vel quatuor guttas immittere ſufficit. 4. Poſt medicamenti in aurem immiſſionem æger ſuper aurem ſupinam jaceat. 5. Immittenda ne valde unctuoſa & viſcida ſint, talia enim in aurium anfractus penetrantia vix iterum recte extrahi poſſunt, ideoque quæ forma evaporationis & ſuffumigiorum adhibentur, ſpirituoſa medicamenta & deſtillata commodiſſima ſunt: *Sennertus.* Monendi tyrones Chirurgiæ ut in curandis Aurium affectibus liquores convenientes blande potius inſtillent quam per ſiphonem auricularem violenter immittant, ne membrana tympani rumpatur, & incurabilis auditus gravitas ſubſequatur. *Scultetus Armament. Tab.*36. Topica non applicentur niſi prius adhibitis univerſalibus, præcipue ſi affectus gravis, & corpus pravis ſuccis refertum. *Fabritius Hild.* cent. 3. obſ. 1. Videndum ne medicamentum ſit acre, quia meatus auris pars eſt valde ſenſibilis, hinc dolor, affluxus humorum &c. *Idem.*

XXII. Liquorem, pus, vel ichorem e profundo auris extrahes ſi ſpongiam aqua betonicæ madefactam, iterumque fortiter expreſſam, ductui auris infixeris, & ægrum in latus male affectum collocaveris, ſic enim ſpongia liquidum quidvis abſorbebit, ſed frequenter mutanda & lavanda ſpongia. *Idem.*

XXIII. Quidam naturæ melancholicæ, 50. annorum, per aliquot ſeptimanas, perquam moleſto aurium tinnimento exagitatus, paucorum dierum ſpatio liberatus aliquot guttis ſpir. cephal. Anhalt. cum bombace inſertis: Deprehendi illius effectum multo præſtantiorem in cerebro roborando, & flatulenta ac vaporoſa materia reſolvenda, quam oleor. ſtillatiorum, qui e nimio calore magis officiunt. *Thonerus lib. 2. obſ. ult.*

AXILLARVM FOETOR.

Fontanellis in cruribus apertis evanuit

Cuidam cum humiditas virulenta & terra ex axillis ſudoris inſtar emanaret, ob habitualem viſcerum intemperiem, ſpurcum humorem in dies gignentium, ipſum cauteriis cruribus excitatis curandum prædixi, ſanie inde emanante, & humore ad inferas partes diſtracto, intra paucos menſes ſanitatem obtinuit. *Zacutus Pr. Adm. l. 1. obſ.* 102.

INDICIS
MEDICO-PRACTICI,
SIVE
Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum & Obſervationum Practicarum.

LIBER SECUNDUS.

De Affectibus à litera B incipientibus.

BALBUTIES.

SYLLOGE.

Balbi ob excedentem humiditatem caute purgandi. 1.
Non omnes fiunt ob excedentem cerebri humiditatem. 2.

I. QUIBUSDAM Balbis imbecillis eſt lingua ob intemperiem humidam totius corporis vel cerebri; Et quibus lingua humeſcit, eiſdem plerumque & alvus, eſt eadem membrana quæ veſtit ventriculum & linguam: Hanc igitur ob cauſam cum titubat lingua, diarrhϾ metum afferet: quaſi dicat *Hippocr.* talia corpora caute purganda ſunt, ne præcipitentur in fluxum, *Heurnius comm. in aphor. 32. ſect. 6.*

II. Traulorum affectus conſiſtit in conformatione & nequaquam in intemperie: Sunt enim in media palati regione, id eſt in quarto oſſe ſuperioris maxillæ, in illis omnibus quos huc uſque viderim qui hanc literarum *R* exprimere non poſſunt, duo foramina, quæ nullomodo adeo aperta & obvia inveniuntur in ijs qui illo affectu careant; Ergo cauſa immediata, quæ poſita ponet, erunt duo illi meatus aperti, & affectus erit in conformatione; Similiter obſervamus juxta dentes foramina, (omnibus ijs tamen ab ortu naturæ congenita) majora, per quæ pituita ſtillans, vel irrigans linguam in parte illa anteriori, blæſam loquutionem facit, unde Balbi & ſemilingues fiunt: Nec propterea dicendum eſt Balbos fieri à capite pituitoſo, vel à cerebri humida intemperie: quia in qualibet valde ſicca cap. intemperie tanta colligi poteſt pituita, quę procumbens per illam partem, irrigare linguam & balbos facere poſſit. *Santlorius meth. lib. 3. cap. 9.*

BRACHIORUM AFFECTUS.

(Vide *Dolor lib. 4.*)

SYLLOGE.

Brachij dolor ouperiſto curatus. 1.
Tumor V. S. ſequutus lethalis, ob ſanguinem miſſum ex oppoſito. 2.
Tumor curatus, ſuccedens V. S. impuro corpore facta. 3.
Contracti curatio. 4.

I. SCorbuticus dolor ſuperlativum gradum meretur, ratione ſalis ſcorbutica malignitate infecti, ad corroſivam qualitatem accedentis: Aurifaber ſcorbuticus in Brachio dextro, ſummo & lancinante afficiebatur dolore, cibum & ſomnum ſubtrahente; præſcripſi varia nullo emolumento, tandem ſequens ſacculus dolorem omnem ſuſtulit, ℞. milij non excortic. man. iij, ſal. comm. man. j. flor. chamom. h. abſynth. an. m. j. furf. tritici man. ij, calefiant in tigillo, indantur ſacculo & imponantur calide. *Got. Chriſt. Winclerus miſc. cur. anni 76. obſ. 94.*

II. Juuenis fortis & robuſtus, cum febri corriperetur, & Medicus illi in brachij curvatura mediam venam incidi ad ſanguinem detrahendum curaret, bene habuit, nam ſanguis rubricans optime fluxit, ſed interjectis duobus diebus, quum brachium plus juſto exerceret, circa eandem brachij curvaturam dolere cœpit, & brachium ipſum per univerſum tumeſieri, cum quibus riguit, & poſtea febricitavit; quæ omnia advertens Medicus, bis ſanguinem ex altero brachio, nonniſi lividum & nigrum admodum extraxit: Sed non ob hæc detumeſieri brachium cœperat, aut ab eo levabatur, imo in dies hæc augebant, & æger ipſe pejus ſe habebat, quia fortiter febricitabat, & non dormiebat, qui magi

cum dormire volebat, circa cor maxime dolebat, & anguſtiabatur: quæ vero topica medicamenta brachio admota fuere, non ſatis percepi: demum cum hunc inviſerem, primo occurſu ejus faciem longe à naturali conſidero: Secundo ejus virium robur dejectum & proſtratum, per pulſationes arteriarum cum difficili reſpiratione noto: Tertio, brachium huic peramplum, cum manu, ad furculam uſque tumens erat, cum quibus prædictas cordis lancinationes patiebatur: Cæterum, cum brachium hoc perample, ut ſaccus tumeret, circa quod color ſubalbidus erat, & in eo quum digitus comprimebatur, cavitas perdurans fiebat, propoſitum fuit an intra brachium hoc pus latitaret an non: demum cum ſic male afficeretur, & fere ſyderatum brachium eſſet, ad apertionem confugimus; quia inde commodum abſque noxa ulla ſequi augurabamur: Protinus ergo candente ferramento, loco à nobis ſignato, brachium aperiri fecimus, ex quo puris aut ſaniei vice aqua quædam alba fluxit; ſuperpoſito vero maturante emplaſtro, facto emiſſario, intra ſex horas ex eo materia quædam ſubrubra, pauca, male morigerata effluxit, quam in totum contempſimus, alioqui ſolliciti de nova altero in brachio apertura, à qua facta candente quoque ferramento, nihil præter aquam illam albam exire conſpeximus: At vires imbecilles cum eſſent, nullum alterum ferentes remedium, cum deploratum dimiſimus, qui ſequenti die objiit. Quum poſt ſectionem venæ, hoc eſt à cephalica & jecoraria in brachij curvatura exortæ, nonnullis intermedijs diebus brachio inflammatio hæc, cum ingenti tumore & dolore orta eſſet, proponitur an ex nervi punctura, qui venæ medianæ ſubjacet, originem traxerit, an potius ex confluxu materierum malignarum, intus in corpore latitantium pullularit; contendebant autem nonnulli inflammationem hanc ex punctura nervi ſubjacentis venæ prædictæ originem trahere, cum morbus ſui initio levis erat, nollam ſævitiam aut malignitatem prætendens: At vulneratius acriter ijs renitebatur, quia quę puncto nervo debentur huic inflammationi deerant: Nam *Paulus*, ubi de nervis vulneratis agit lib. 4. cap. 54. ita inquit, Nervis vulneratis, aut punctis, ex ſentiendi quod obtinent acumine, inflammatio & dolor immodicus accedit, quare & convulſiones, & febres his oboriuntur, quibuſdam & delirium, ob nervos cerebro continuos: Interim vero in alijs quoque affectæ particulæ locis inflammationes, & abſceſſus ſuper ipſum nervum vulneratum, quod cohæreat, ſolent accidere: Hæc *Aëtius*: Quæ cum ex toto brachio hujus Juvenis non reſpondeant, quia nulla unquam in eo apparuit convulſio, ſequitur quod non ob nervum punctum, ſed potius ob vitioſos in corpore contentos humores, raptum ad brachium habentes, inflammatio & dolor cum febre ortum traxere: Hæc erat eorum contentio, At nos, utcunque ſe res habeat, ſanguinis miſſionem ut ſatis in hoc caſu laudavimus, ita ex adverſo brachio factam multum vituperavimus, cùm ea pede potius ea molienda erat, ut ſuadet *Aëtius* ſerm. 14. cap. 27. quo, ex *Galeni* mente, de nervis punctis agit, At vero, *inquit*, ſi vires validæ fuerint, & nihil impedierit, corpus univerſum per venæ ſectionem evacuetur, ſervandáque eſt in evacuando locorum affinitas, ut dextrâ manu ſauciata dexter malleolus; ſiniſtra ſiniſter inciſdatur: Et vice verſa, dextro crure vulnerato, ſubalaris vena dextræ manus, ſiniſtro ſiniſtræ, rectitudine ſervata ſecetur, & cætera, Quæ proculdubio nonniſi cum magno judicio, & longa experientia obſervata ſunt dicta: Vidi autem ipſe non ſolum hunc, ſed plures alios, quibus ſimili in caſu ex contrario brachio vena fuit ſecta, e vita diſcedere: Hujus vero cauſa eſſe videtur, quod ſauciatis ijs nervis malignitas quędam veneno perſimilis oboritur. Cæterum mirum in modum quoque taxandi ij Medici, quod non primo illico die locum ſectum & agglutinatum jam, amplum & inagglutinatum reddiderint, ut ſaltem per eam apertionem ſanioſi humores effluerent, jubente ſic *Galeno* 3. *m.* 7. ſimulque ut medicamentorum vires ad ægrotum nervum permeent, Et 6. m. m. qualia medicamenta deſiderentur docet, dicens, Vulnerati nervi curatio medicamenta poſtulat quæ & tepidum calorem excitent, & valenter ſiccent, tum quæ ex ſubſtantiæ ſuæ natura & attrahendi vim habeant, & tenuium ſint partium: Cæterum advertant Medici, quod quando cutis ſuper punctum nervum interpoſita eſt, quia forte jam agglutinata, tunc nervus euphorbij vim & aliorum fortiorum medicamentorum ferre poteſt: Si tamen nervus punctus cute diviſa & aperta oſtendatur, vel nervus ipſe non eſt punctus, ſed per directum cæſus ſit, & nudus conſpiciatur, tunc medicamentorum præpotentium vires non fert: hoc enim Medicus inſtructus documento facile curationem adimplebit, ea quæcunque putrefaciunt abnegando, velut tepentem aquam. *Amatus Curat.* 35. *Cent.* 3.

III. Quidam Cacochymicus, maximíſque obſtructionibus viſcerum obnoxius, quinquageſimum annum prætergreſſus, cum non purgato corpore, & abſque ulla neceſſitate & conſilio Medici, cephalicam in cubito dextro ſibi tundendam curaſſet, ſequenti die exortus eſt dolor circa locum inciſionis, obtuſus, quo ſenſim aucto & vehementiore facto, maxima ſeroſorum humorum ſequuta eſt affluxio; Advocatus cum eſſem, totum brachium ab humero uſque ad apices digitorum incredibili modo intumefactum reperi: Inflammatio quoque aderat cum puſtulis, velut in herpete puſtuloſo, e quibus ſeroſus & acris humor copioſiſſime effluebat, Inquietudines aderant, appetitus & virium proſtratio, febris, dolores, imo metus gangrænæ: Curationem tamen ſic aggreſſus, Inſtituta optima victus ratione, alvum, quę adſtricta, ſuppoſitorio ſubduxi: Poſt cœnam nonnihil laudani cum aq. cinnam. & conf. alkermes exhibui; Poſtera die infuſionem rhei. agar. & ſennæ, additis drachmis aliquot Elect. Diacarth. ſed vix ſemel alvum ſubduxit Potio illa; Ideo die ſequenti ℥ j. Pilular. cochiar. & de hermodactyl. cum granis aliquot trochiſc. albandal & diagr. dedi, Brachio quæ dolorem leniunt, calorem nativum refocillant, excrementitios humores abſumunt, & putredini reluctantur applicui: Demum Apozemate per dies aliquot, ad reſerandas obſtructiones viſcerum, uſus ſum, & per intervalla lenitivo noſtro phlegmagogo, hydragogíſque expurgatus cum fuiſſet, integre reſtitutus fuit: Hinc patet quam periculoſum in impuris & pravis humoribus refertis corporibus quicquam movere: Quare *Galenus* 4. m. m. Vulnera non ſolum propter partis affectæ præſtantiam, aut propter ipſorum magnitudinem, verum etiam propter ægri impuritatem atque cacochymiam, magna diju-

dijudicanda eſſe recte cenſuit, Videmus enim ſæpiſſime ex minimò vulnere, imo ex acaro, graviſſimos & lethales ſuboriri affectus; Ex toto corpore humores ad partem læſam, veluti ad cloacam confluunt, caloremque nativum iſtius partis deſtruunt, variáque ſymptomata excitant. *Fabritius Hildanus cent. 4. Obſerv. 71.*

I V. Illuſtris N. annum 45. circiter agens, Brachio contractus, extractum granorum acanthalidis, pulpæque colocynth. ſylveſtris ad xv. dies accepit: Cujus beneficio illic concreti humores diſſoluti & expulſi fuere; Pars interea extrinſecus hoc decocto fovebatur, ℞ malvæ, violar. calament. camom. melilot. ana. man. j. coquantur cum pede bovino in aqua & vino. *P. Poterius Centur. 1. Curat. 79.*

BRONCHOCELE.

SYLLOGE.

Ejus cauſa non eſt ſimplex, nec curatio. 1.
Deſinens tuberculo ſponte diſrupto. 2.
Admoto cauterio actuali. 3.
Cauteſectione abſtrahenda. 4.
Si medicamenta inefficacia, ad inciſionem, vel ſetaceum recurrendum.

I. BRonchocelen definit *Celſus*, quod ſit Tumor in collo ſeu cervice, inter cutem & aſperam arteriam, quo, modo caro hebes, modo humor aliquis, melli aquæve ſimilis, includitur: *Platerus* cauſam ſtatuit flatum, ſub cutem membranámque generalem cuti ſubſtratam, adnexámque in colli anterioribus, irrumpentem: collectionis autem aëreæ eò loci cauſam eſſe laxationem, ſeu avulſionem cutis cum membrana illa, quæ eò loci craſſior eſt, & rubicundior quam alibi, a ſub[illegible] aſperæ arteriæ muſculorúmque colli anteriorum ſedibus, ſpatiúmque illic efficientis, in quod, ob fugam vacui, aer ſeu flatus è vicinis locis irrumpens, illud non ſolum implendo, cutem membranámque in tumorem elevat, ſed & continuatione diſtendens in univerſum adauget, unde nomen rectè acceperit tumor, quod Bronchocele, quaſi Ruptura, ſeu hernia gutturis appelletur: Cauſam autem avulſionis membranarum, ſtatuit eſſe conatum vehementem, qui fit dum ſpiritu retento excrementa, vel foetum partu excludere nituntur: Utraque ſententia verum obtinet, quanquam *Sennertus* vix veroſimile credat ſolum flatum diuturnum malum procreare poſſe: Prioris quidem ſpeciei exemplum vidi anno 1660. in ancilla meâ, *Petronella Deſinod*, obſequiorum fidelitate memoranda, quæ phtiſica, cum hydrope pectoris & abdominis obiit: huic per morbi decurſum ſummè excreverat Bronchocele, quæ à decennio collum illius deturpabat, Novacula juſſi tumorem dividi: Caro ſuberat glandulosa, multo circumfuſa & madida pure, quod è pectore & pulmonibus illuc redundaverat: Poſterioris exemplum habui in matrona nobili, quæ à conatu parturiendi, ſpiritúſque cohibitione id vitium ſubitò contraxit, ac per biennium geſtavit, ſponte tandem abſque medicamentis, atque ullis reliquiis diſſipatum. Siccantia commodè ad illius affectus curationem præſcribi oſtendit exemplum baiuli Carbonarii, Genevenſis, cui collum, eò tumore obſeſſum, caput craſſitie æquabat: ex continuâ autem carbonis verſatione, & geſtatione, atque ejus pulveris inſpiratione, liberationem omnimodam obtinuit, jamque illi, quaſi bovi, è collo palearia pendent. Egregie valet, & merito commendatur, dum malum adhuc eſt recens, Pulvis *Arn. de Villanova* ℞. *ſpongiæ mar. paleæ mar. oſſis ſepiæ, piper. longi & nigri, z. z. cinnamomi, ſalis gemmæ, pyret. gallar. ſpong. bedegar ana.* ℥j. omnia terantur, excepta ſpongia mar. quæ comburi debet, & cinis ejus prædictis commiſceri, ac omnia cribrari: de hoc ſæpius interdiu & noctu in ore teneat, quotidie ſæpe & parum ſumatur: Inter Localia diſcutit hoc *Aetij*, quod habet *Calcis vivæ. ammon. bdellij, teſtæ clibani uſtæ, æruginis, ſulphuris vivi, ana part. æq.* cum aceto tertio, & axungia aut terebinth. excipito ac imponito: Valet & Ungu. *Valeſci* ℞, *euphorbij* ʒj. *ſulphur. ſandar. ana.* ʒß ceræ & olei q. ſ. f. Ungu. quo ungatur collum, & ſuperponatur Emplaſtr. ſuperius poſitum: Nos enim (inquit ille) in bonis ab uno anno incipientibus per viam reſolutionis, ut immediate dictum eſt, operati fuimus, & inde honorem habuimus, & utilitatem conſequuti ſumus.

I I. Cuidam, nomine *Blandin*, ob Bronchocelen mirum in modum tumebat Collum; Supra illam enatum dolorificum Tuberculum, quo ad ſuppurationem deducto per peritum Chirurgum Genevenſem, *Stephanum Dentand*, multóque pure ad plurimos dies manante, ſubſedit omnino tumor, citra recidivam.

I I I. Bajulus Carbonarius Fabrum ferrarium, ferrum candens, acutum ſuper incude verſantem, importunius ad ſolutionem pretii empti ſacci carbonibus repleti urget; Ille operi intentus, poſt iteratas comminationes ſi ab opere ulterius diſtraheretur, ſe ferrum in Bronchocelen adacturum, Pergit nihilominus baiulus, unde ita percitus Faber ferrum candens per tumorem traiicit: Concidit Carbonarius, & fuga ſaluti conſulit Faber, ſed ille rite tractatus à combuſtione & tumore liber evaſit.

I V. Dubitare licet an Bronchoceles materia contineatur inter muſculum latum & cutem, an ſub muſculo lato tota ſit abſcondita, Nam ibi collecta materia non poteſt extrahi, quia ſpatiis muſculorum inſinuata: Si extra pateat, poterit ſanari & eradicari: A flatu ſolet incipere, qui diſtendit ſeparatque cutem à membrana carnoſa, vel ipſe muſculus latus à ſubjectis partibus ſeparatus. *Riolanus Encheir. p. 304.*

V. Quod ſi affectus medicamentis minime ceſſerit (inter quæ laudat *Aëtius* bdellium melli mixtum, & calcem vivam axungiæ ſuillæ mixtam; Caprinum ſtercus in aceto liquatum: lixivium cum melle plurimum agitatum &c.) ex *Rogerij* conſilio admovendi ſunt duo Setones, ut ſenſim humor defluat, ac quod ſupererit medicamentis erodentibus paulatim eſt abſumendum, veluti pulvere aſphodelorum & ſimilibus: Denique, ſi venis, arteriis & nervis implicata non fuerit, inciſione debet extrahi cum cyſti, quemadmodum de glandulis diximus, & à nobis ter aut quater jam factitatum eſt: *Chalmeteus p. m. 119.* Si autem cum iſtis non curatur, nec reſolvitur, tunc ad Putrefactiva aut Exedentia veniendum eſt, Nam ut dicit *Galenus* 14. Artis. parv. Cura Bocii ſit cum *reſolutivis*, aut cum *putrefactivis*, aut cum *Chirurgia*, nempe ferro, Et dicitur ibidem quod putrefactiva & corroſiva

cum multo tempore operantur, & cum hoc ſunt moleſta membris, & infirmis, & cruciatum afferunt, Bonum ergo eſt ut ſuperficie tenus incidantur, & cum ſacculo, ſi fieri poteſt, extrahantur, & ſi aliquid de ſacculo remanſerit, ut ibidem ponantur corroſiva (*eximium hic butyrum antimonij*) & putrefactiva, poſtea mundificativa, & carnis curativa, & vulneris ſanativa poni poſſunt: At cauſticis ſumma cutis cum ſuperiecta tunica caeditur, quo facto, ſive humor eſt, profluit, ſive quid denſius, digitis extrahitur, tum, Ulcus ſub linamentis ſaneſcit. *Valeſcus*: Sed hæc cura eſt ſemi-Chirurgica, & minatur periculum fiſtulæ, Verum cura quæ perficitur Chirurgia, educendo inciſione materiam in tumore contentam, & hæc brevior eſt, ſed difficilior, & quæ raro bonum finem ſortitur: *Rogerius* autem jubet fieri duos Setones cum ferro ignito, unum ſecundum longitudinem Bocii, alium ſecundum tranſverſum, & iubet eos bis in die moveri, donec ſit totum evacuatum, Sed hoc magis, (teſte *Valeſco*) videtur habere locum quando aquoſa materia continetur in ſacculo, vel alia pituitoſa quæ poſſet fluere. *Foreſtus Obſervat. Chirurg. libr.* 3. *Obſerv. ult.* Imminutam Bronchocelen, præ mole ſuffocationem mini tantem, à compreſſione & coarctatione aſperæ arteriæ, vidi anno 1663. in uxore Dom. Capitanei *Roln*, Neocomenſis, ope ſetacei inferiori parti tumoris meo conſilio affixi.

B U B O.

S Y L L O G E.

Digerentia ſint valida. 1.
Maturatio potior digeſtione. 2.
Peſtiferi *curandi ratio.* 3.
Unguentum Mercuriale lethiferum fuit. 4.
Reſolutio aut apertio non in omni neceſſaria. 5.
Tuta curandi ratio. 6.
In Venereo *an & qua vena ſecanda.* 7.
Suppuratione non reſolutione curandus. 8.
In gravida qua vena ſecanda. 9.
Mature aperiendus. 10.
In Maligno *defenſivis in ambitu utendum.* 11.
Empl. de Vigo cum Mercurio noxium. 11.
Simplex a maligno qui diſtinguatur. 13.

I. NOtandum quod digerentia, quæ adhibentur, debent eſſe fortiora quam in aliis inflammationibus, cum glandulæ ſint partes frigidiores, ignobiliores & exquiſitum ſenſum non habeant.

II. Si tumor non digeratur, in pus mutandus & Bubo maturandus, id quod plerumque tutiſſimum eſt: niſi enim hoc fiat, quod ſæpe obſervavi, poſt temporis aliquod intervallum novus Bubo, vel in eadem, vel in alia parte exoriri ſolet. *Sennertus.*

III. Medici Tigurini libellum de *Peſte* ediderunt, in quo *Bubonis peſtilentis* curationem hactenus inuſitatam proponunt, vid. ut cutis ſub Bubone digitis aut forcipe elevetur, acu candenti perforetur, & foraminis radix hellebori nigri imponatur: Mallem tamen acu bene ſcindente quam ignita cutem perforare. *Hildanus Centurat. 6. Obſervat.* 30.

IV. Sunt qui Ungu. ex hydrargyro corpus inungunt, ignari frigidum & humidum calamitoſam veneni labem cum humore intro regerere, mortemque inferre contaminatis viſceribus, quod multis uſu veniſſe adnotavi. *Sigonius* D. M. hoc remedio in ſeipſo uſus ad digerendum peſtilentem inguinis Bubonem, illico vires proſtratas ſenſit, brevique bubone deliteſcente occubuit. *Palmarius de febre peſtil. c.* 24.

V. Quoſdam *Bubones Peſtiferos*, cum præ duritie nullis remediis ceſſiſſent, naturæ tandem reliquimus, præcipue cum patientibus nullum negotium inter eundem, aut dolorem, aut aliud vitæ periculum crearent: Non enim cenſeo omnes tales tumores neceſſario aperiri debere, cum natura longo temporis tractu optime eos digerere poſſit: ubi contra forte periculum ulceris inſanabilis per intempeſtivam & violentam apertionem cauſaretur: hæc tamen omnia pro re nata, adhibito judicio ſunt tractanda. *Gregorius Horſtius Obſervation.* 33. *libro ſeptimo ex Fingerleno.*

VI. *Bubones peſtilentiales*, quoties licet, diſcuti debent, ac ſi diſcuti nequeant, ad maturationem ac ſuppurationem deduci: Iiſdem autem medicamentis quibus alij Glandularum Conglobatarum tumores curari ſolent, inſtituenda curatio, attendendo ſemper ad venenum peſtilens, cujus cauſa cæteris addenda ſemper quæ huic conducant, Theriaca, Mithridatium, & ſimilia: In hunc finem Oleum e C. C. deſtillatum, aliaque Sale volatili oleoſo conſtantia vulgo notis admiſceri poſſunt: Unguent. Martiatum, cum Theriaca miſtum, ad diſcuſſionem obſervavi præſtantiſſimum, ut & Emplaſt. diachyl. cum gummatibus promovent ſuppurationem: Niſi dolor vehemens urgeat, nollem præcipitari Bubonum *ſcarificationem*, multo minus ipſis adhiberi *Veſicatoria*, vel *Cucurbitulas*, Ubi autem grandes ſunt Bubones, ardenteſque, viribus adhuc conſtantibus, ferre poſſem tum *Cucurbitulas*, tum *Scarificationes*, nunquam autem *Veſicatoria*, à quibus quid boni expectari poſſit, aut unquam ſequatur, hactenus animadvertere non potui: Dolores enim qui tunc augentur, una cum ardore ſummo & Eryſipelatis ſpecie, nil commodi afferre poſſunt Aegris, jam morbi vehementia plus ſatis debilitatis; Blandis autem medicamentis forinſecus applicatis, temperatur acrimonia humoris, quoties in Bubonibus exiſtit, quin ſenſim promovetur cura, dummodo interna convenientia non negligantur, à quibus non parum promoveri poteſt Bubonum diſcuſſio, ut & ſuppuratio: Quamprimum ſuppurati ſunt Bubones, apertio accelerauda vel ſcalpello, vel ruptorio, licet ſcalpellum præferam, In apertum Bubonem, cum felici ſucceſſu impoſui Balſamum ſulphuris, terebinthinatum & aniſatum, una cum Unguento Baſiliconis & Theriaca: huius enim ope brevi abſolvi ulceris mundationem: Quinimo eiuſdem Balſami ope conſolidatio felicius ac citius evenit; ſuperimpoſito ad cicatricem accelerandam Emplaſtro diapompholigos aliove ſimili. *Franciſcus Sylvius de le Boë Appendicis ad Praxin Tract.* 2. §. 677. *& ſequ.* *Bubo Peſtilens* ſequenti modo

do à me tractari ſolet, primo ſtatim tempore Veſicatorium applico, etiamſi tumor adhuc non ſit inſignis magnitudis, Cucurbitulis neglectis, quas ideo quod dolorem febrémque cauſent, bonos æque ac malos humores alliciant, totúmque ſanguinem adhuc magis alterent, omnino reiicio: Veſicæ poſt horas vij. viij. aut plures diſſectæ, *emplaſtrum magneticum arſenicale* imponi curo: Huius ſane virtus tanta eſt hoc in caſu, ut nobilius eo nullum mihi innotuerit, quod cuivis adhibenti patebit, Deſcriptio eius apud *Hartmannum* cap. 245. §. 20. & 21. Illis hiſce viribus præditum reperi, ut cuti duriori impoſitum ne minimam quidem eſcharam producat, interim malignos humores tam egregie extrahens, ut Bubo iuglandi ſimilis iiij. aut v. dierum ſpatio prorſus tollatur: Verum hoc non ſemper tam citò ſuccedit, & hæc cauſa eſt quare neceſſitas ad humores ſubito evacuandos ſæpenumero veſicam prius excitari deſideret: Imò in corporibus robuſtioribus nequaquam eſcharam producit, niſi veſicatorij ope cuticula non ſolum, ſed etiam cutis quædam particula corroſa prius fuerit: at vero in pueris corporibuſque tenerioribus, cruſtam, nullo veſicatorio præmiſſo, per ſe excitare poteſt: Cruſta hæc vera veneni extracti ſedes eſt, quare mediocriter craſſa reperitur, cute ſuperficialiter tantum corroſa, quod profectò conſideratione dignum: Nam hæc, uti exiſtimo, ratio eſt cur multo citius ſeparetur quam aliæ cruſtæ arte excitatæ: horis enim xxiv. aut xxxvj. effluxit, ſolius ſpatulæ auxilio, nulla præcedente ſcarificatione, abſque ullo, aut ſaltem non inſigni dolore auferri poteſt, ſi emplaſtro tuo Antipeſtilentiali, quocunque etiam utaris, unguent. Baſilici aut Theriacæ aliquid addideris: Separationem alias eſcharæ egregie promovet hoc Unguentum ℞. *mellis virgin. axungia anatis ana* ℥ j. *fuligin. camini* ʒ vj. *Terebinthin. Argentinenſis* ℥ j. *vitellor. ovor. n. ij. Theriac.* ℈ iij. *Olei ſcorp. q. ſ. m. f. unguent.* Quod ſi Tumor cruſta prima ablata non ſufficienter ſit imminutus, Emplaſtra Arſenicali magnetico ſecundam & tertiam excitabis, & deinde uti antea procedes, Ulcus tandem conſolidato emplaſtr. de minio, vel alio ſiccante & cicatriſante, ſed ne nimium ad conſolidationem feſtinato, ne humor venenoſus, & in corpore adhuc hærens, novum morbum & tandem mortem producat. *Barbette Tract. de Peſte p. m.* 191.

VII. Si *Bubo* fuerit *Venereus*, in inguinibus, non eſt facienda ex ſupernis V. S. nam periculum eſſet ne ſurſum materia morbifica traheretur; Novimus quoſdam qui *Bubone* recenter apparente, poſt V. S. & purgationem inciderunt in contumacem morbum *Italicum*, ne dicam perpetuum: Verum ſi Bubo nullam habet ſpem ſuppurationis, cum plures pertranſierint dies, & dolor, & tumor non increſcant, tunc tuto poteſt mitti ſanguis ex infernis, nam retrahitur infra materia, & propter adventum calidioris ſanguinis ad *Bubonem*, facile quandoque ſuppuratur; Verum ſi ſuppurantibus diu uſurpatis res e voto non ſuccedat, tunc libere poteſt e brachiis vena ſecari, & pharmacia adhiberi. *Epiphanius Ferdinandus hiſtor.* 17. Bubone tamen initiante approbat S. M. *Zacutus*, negat enim ab ea naturæ motum impediri, cum exanthemata cutaneóque abſceſſus facilius erumpant hoc auxilio celebrato: faciendam eſſe cenſet V. S. cum adſit inflammatio, Et eius ope detracta humoris copia, ipſe redundans ad extimas minúſque præcipuas corporis partes, naturæ potentis factæ auxilio, detruditur: Poteſt quoque, ex eodem, in brachio vena ſecari, *Medic. Princip. lib. primo, Quæſt.* 39. quando alius iungitur affectus, qui ex propinquiore loco vacuationem poſcit: Si enim inguinum tumor febrem putridam excitet, continuam & mali moris, ob vitium maſſæ ſanguineæ impreſſum (unde inflammatio interna fieri poteſt) cuius ſoboles ſit Bubo in inguine, Quis dubitet, *ait*, e gibbero (quo e loco maxime proximo humor ducatur, præoccupetur febris augmentum, & humorum decubitus in partem principem impediatur) mitti debere ſanguinem? Si Bubone recenter apparente, poſt venæ ſectionem & purgationem in contumacem, aut perpetuum morbum inciderunt, ut refert *Ferdinandus*, id potius Purgationi adſcribendum venit, quæ ex omnium conſenſu fugienda eſt, quam venæ ſectioni; aut ſi hæc in criminis ſocietatem venire debeat, de largiori & excedente intelligendum eſt, à mediocri enim retroceſſus humorum non contingit. Vide *lib. 17. tit. de Sanguinis miſſione* §. 23.

VIII. In iiſdem, cum motus vehementia humores careant, nulla revellendi ſupereſt neceſſitas, quin potius præſtat ad locum affectum totum humorem trahere, ut in peſtilentibus quo tota veneni vis per bubonem expiret: nam cum aliter fit, graviora ſymptomata gravioréſque morbi pullulant: Quo fit ut mihi ſemper perſuaſerim eos graviter errare qui in his reſolutionem tentarunt; Nam licet tutior vacuandi modus, in his tamen gravioris mali ſæpe cauſa eſt; Si quidem in reſolutionibus ea ſolum materia quæ intra bubonem continetur evaneſcit: quo fit ut cum nihil materiæ peccantis in toto corpore, & præſertim in partibus circa jecur, & jecore ipſo, minuatur (ut in ſuppuratis bubonibus fieri ſolet, per quos univerſi corporis materia defluit & expurgatur, ita ut purius ſuperſit deinceps corpus) quod materia intus relicta alopecias, puſtulas, talpas graviſſimóſque dolores concitet: Qua ratione conſultiſſimum eſſe cenſeo in his omnibus ſuppurationem tentare, tanquam huius peſſimi affectus præſens remedium. *Mercatus de Indic. Medica l. 1. cap. 4.*

IX. Utero gerens carnoſa & robuſta *Bubonem in inguine* paſſa eſt ingentem, cum vigilia, laſſitudine, ſiti, febri vehementiſſima: Vocati Medici S. M. ex Saphena neceſſariam dicunt, ſed quia ſeptimeſtris erat, ex brachio fieri volunt: Renuunt Chirurgi, nam hic humor eſt veneficus ex *Fernelio* & aliis: Ego libenter e talo cruorem exhaurio: quam vacuationem in hoc caſu, & bubone peſtifero, & in gravidis partui propinquis ſalubrem eſſe uſus me docuit: quia detracta humoris virulenti copia, & avocatis ad minus præſtantes partes venenoſis vaporibus, fœtus alacrior redditur, & cauſa tumoris conjuncta extrahitur: Hinc celebrata ea vacuatione, tumor ſubſedit & natura ſuperior facta humorem

concoxit, & in pus vertit, quare ab abſceſſu & febre liberata eſt, & nono menſe, uſa decocto ſmilacis aſperæ, feliciter peperit, *Zacutus Pr. Adm. l. 2. Obſ. 139.*

X. Qui Bubones ex craſſis, lentis ac frigidis fiunt humoribus, difficulter ſuppurantur magnámque curam requirunt; quandoque enim natura ut ejuſmodi materiam ad externam cutem pellat, cum potens non ſit, inter peritonæum & muſculos remanet, hinc vapores continuo ad hepar mittit, aliquando ſinus maximos variáque ſymptomata infert, materia enim iſta labe inquinata ad hepar recurrit, maſſam ſanguineam aliáſque partès inficit: Cuidam Bubone in dextro inguine laboranti, & apertionem differenti, materia illa maligna ad nervum coxam moventium quartum, omnium maximum defluxit; inde dolor coxendicus vehemens & continuus, cui acceſſere convulſiones, febris continua &c. hinc ſumma macies & debilitas: Multa adhibita interna & externa, ſed fruſtra, Bubo enim vix exterius apparebat, inguen ſolum prædurum erat: dolor fere nullus, a coxendici enim vehementia obſcurabatur, Tandem cauſtici beneficio ruptus eſt Bubo, e quo ſpatio 6. aut 7. dierum ultra x. libras puris exiit: vix tandem thermarum Piperinarum beneficio evaſit: *Hildanus centur. 5. Obſervat. 65.*

X I. Emplaſtr. de ranis cum Mercurio qui utuntur, aſini in hac arte ſunt impudentiſſimi audaciſſimique, nam venenum ad interiora propellunt, & ægrum in ſummum periculum conjiciunt, uti nos ſcriptores & experientia manifeſte docent. *Barbette Tractat. de Peſte.* Vide §. 4.

X I I. Si Bubonis maligníoris ſuſpicio ſit, ex colore viridi, aut nigro & ſtammato, cujuſmodi fiunt ab humore melancholico per adultionem in atrabilarium converſo, craſſo & rebelli, adeo ut ex ejus copioſiore in partem influxu gangrænæ metus ſit & necroſis; tum repellentibus circum abſceſſum loca munienda erunt, minimè verò abſceſſus ipſe. *Paræus l. 21. c. 31.*

X I I I. *Bubones* ſicut oriuntur à Sanguine in Glandulis Conglobatis ſtagnante, & ad Inflammationem tendente, ita prout illi conjuncta eſt *Acrimonia*, vel *Salina*, vel *Acida*, peculiarem ſui malignitatem oſtentant: A pituita quidem ſanguini conjuncta *Bubones* oriuntur magis Oedematoſi; à Bile vulgari magis Eryſpelatodes: ab humore vero auſtero magis duri ac Scirrhodes: ab acrimonia vera rodente *maligni*: quæ tamen acrimonia non raro temperatur, tum ab ipſo ſanguine, tum à pituita ipſi admiſta, unde malignitas & acrimonia rarius ex ſolis Bubonibus deduci poteſt, ſed ex alijs fere comitantibus ipſos ſymptomatibus. Et in *Peſte* quidem ex anthracibus & maculis nigricantibus; In *Lue* vero *venerea*, ex gonorrhoea, partium genitalium ulceribus cancroſis &c. Soli proinde *Bubones*, cum nunquam ſint *Luis* ſigna diagnoſtica, ex illis quoque ſolis ejuſdem eſſentia peti non poteſt, verum ex alijs hos concomitantibus ſymptomatibus: Niſi quis velit *Bubones venereos* non extendi ſecundum cruris longitudinem, ſed potius in obliquum, atque imitari vaſorum ſpermaticorum ſitum, ſicut nonnulli docent, qua in re tamen puro ex præjudicio magis quam ex accurata obſervatione id aſſerere, dum exiſtimant Glandulas diverſas in Peſte affici atque in Lue venerea: niſi eveniat forſan ut, cum plures ſint circa inguina glandulæ, in Lue venerea illæ præ alijs afficiantur quæ vaſis ſpermaticis ſunt viciniores, tum præparantibus dictis, tum deferentibus, poſtquam per illa virus aſſurgit, & partim univerſæ ſanguinis maſſæ, partim partibus vicinis, & ipſis adeo glandulis ſe inſinuat & ipſas inficit: *Sylvius Appendicis ad Praxin Tractat. 3. §. 133.*

B U B O N O C E L E.

(Vide *Hernia.*)

S Y L L O G E.

Bubonocele Bubonis venerei ſpecie imponens. 1.
Mature reprimenda inteſtina. 2.
Lethalis. 3.
Num Puella à Bubon. curata, ſi nupſerit, ſterilis ſit futura.

I. RUſticus Bubonocele laborans Barbitonſorem acceſſit, qui venereum Bubonem cum exiſtimaret, ſectionem ſuaſit, quam miſer admiſit, ex qua cum fæces erumperent, illico in lipothymiam prolapſus eſt: Ego vocatus, ſtatim digito compuli inteſtinum, applicato ovi albumine cum ſanguine draconis, atque linteo quadruplicato compreſſione facta, arctius nonnihil conſtrinxi quatuor dies, à quibus cerato ad Herniam Aquapendentis uſus, ſpatio x. dierum ſectæ partes coaluerunt. *Marchetti Obſervat. 55.*

I I. Matrona quadraginta annorum, à multis annis Enterocelæ obnoxia, cum illi aliquando in inguinis cavitatem, quam ſibi formaverat inteſtinum, delapſum eſſet, nec ſtatim retruderet, exortus eſt dolor, poſt vomitus cum conſtipatione alvi; interim cauſam, prolapſum ſcilicet inteſtinum celans, tandem ſtercora ipſa ore rejecit. Ego die x v j. morbi vocatus, cauſam indagans, in dextro inguine tumorem, pugni magnitudine, durum & doloroſum reperi: lethalem affectum pronunciavi, quod portiuncula inteſtini corrupta eſſet: Ope fotuum inteſtinum quidem repulſum, & excrementa multa excreta, ac ſimul portio inteſtini ſemiputridi digitum longa, unde ægra nonnihil levata; ſequenti tamen die, quæ fuit x i x. morbi, obiit: Facilis fuiſſet curatio ſi ab initio cauſa morbifica Medico cognita fuiſſet: ſed imprudens verecundia lethi fuit cauſa: Præter hanc mulierem, nullam herniâ extinctam mihi videre contigit: pars enim affecta in mulieribus non facilè admittit ut dilatatio atque ſinus magnus ab inteſtino efformetur, ut in viris. *Fabritius Hildanus centur. 6. Obſervatio 37.*

I I I. Fœmina quadraginta annorum curæ meæ olim ſubjecta, ex oneroſa ſitulæ aqua plenæ geſtatione, de dolore inguinum conqueſta eſt. Huic ſucceſſit Bubonocele ſiniſtri lateris, quæ brevi poſt rupta tunica protupit, ex qua pro-

profluxerunt omnia alimenta aſſumpta & lumbrici: Vulnere conſolidato remanſit Bubonocele, ſed cum dolore ventris diu perſeverante, flatibúſque continuis aggravato: Urgebant maxime illi quando decumbebat, redeuntibus nempe ad interiora inteſtinis; Exiſtimavit animalculis impleri ventrem, huc illuc libere divagantibus, Ego vero tactu percepi flatibus, ex obſtructione aliquot dierum, deberi hoc tormentum, cui matutinis quoque horis vomitus ſuccedit; Injecto clyſtere, ſublata obſtructione, ſedatiſque doloribus, recurrebat tamen per vices ſolitus tumor ſenſibilis cum murmure, quúmque in abdomen ſe recondit, murmure præſente valde cruciabatur: à tormentis vero libera erat quando ad exteriora magna ſua mole relabebatur: Antequam reponi inteſtina commode poſſent, futuriſque malis provideri, auctor fui ut diſcuſſis flatibus, inteſtina diſtendentibus, expurgarentur fæces, putredinis fomes: Lumbricos enecandos & educendos remedijs huic peſti dicatis. Cæterum procraſtinatis remediis, doloris vehementia, miſera objit. *Bartholinus cent. 1. hiſt. 5.*

IV. Quæritur, Nunquid puella xxij. annorum, nubilis, ſtatura mediocri, bonæ habitudinis, ſi nupſerit ſterilis ſit futura, ob *Herniam inguinalem*, probe tamen curatam? Et, ſi non ſit futura ſterilis, nunquid etiam ob eam cauſam in partu periclitatura ſit? Videtur mihi quod ob eam ſolam cauſam non erit ſterilis, quia illa inciſio. non pervenit ad matricem, aut collum ejus, nec ad membra generationi deputata, ut conſtat ex *Aëtio*, lib. 16. cap. 103. Ideo cum membra jam dicta in tali operatione non lædantur, nihil obſtat quin concipere poterit: Et cum cicatrix in puellula trium annorum, cum ab Hernia curaretur, jamdudum coaluerit, & recte ſit curata, non rumpetur, & per conſequens ubi conceperit, ob hoc non periclitabitur in partu: Non tantum ratione id conſtat, ſed etiam experientia, cum tales mulieres & proles conceperint, retinuerint, & feliciter ſine periculo pepererint. *Pet. Foreſtus lib. 28. obſervat. 56.*

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER TERTIVS.

De Affectibus à litera C incipientibus.

CACHEXIA, LEUCOPHLEGMATIA.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *an & quomodo juvet.* 1. 7.
An Saphena ſecanda ſi fiat a ſuppreſſione menſium. 5.
Purgatio *nocet.* 4.
In melancholica frequentius purgandum. 2.
Acidulatum *uſus.* 3.
In quibus hidrotica *conveniunt.* 6.
Vitio renum inducta 8.
A vitio vaſorum lymphaticorum. 9.
Leucophlegmatia *excitata ab inunctione Mercuriali, per urinam ſoluta.* 19.

I. VENÆ *apertio* per ſectionem nonnunquam locum habebit in ejuſmodi Cachexiis, ſi hepatis adſit obſtructio & plethora, quia forte ſic moto ſanguinis fluxu, eóque concitato, humores in hepatis vaſis infecti, una cum ſanguine nonnihil cedent, maxime vero ſi Cacochymia ſimul adſit in ſanguine, ad eam exhauriendam conveniet: Hæmorrhoidum apertio per venas meſaraicas revellendo, tum in hepatis, tum lienis, tum venarum meſaraicarum obſtructionibus plurimum proderit, tum etiam Cacochymiam illic collectam educendo. *Platerus.*

II. Cum non facile in ſudores abeat craſſus & fœculentus humor melancholicus, frequentior *Purgatio* in hac Cachexia quam in pituitoſa neceſſaria eſt: Hæc enim vel citra Catharticorum opem tota fere concoqui poteſt & ſiccantibus medicamentis abſorberi: Craſſamentum vero melancholicum, in venis aut in arteriis Lienis collectum, ut ſenſim coquitur, ſic ſenſim catharticis demi poſtulat. *Encheirid. Med. Pract. p.* 170.

III. Quidam inſignis potator hepar adeo accenderat, ut continuo etiam jejunus, vel ſtatim in menſæ principio, vix dum guſtato cibi morſello, bibere cogeretur, quod certum ſubſequuturæ tandem hydropis ſignum eſſe in multis obſervavi, ab hepatis nimia exſiccatione, calore & tandem fiſſura, dependente, cujus præludia in facie ejus *cachectica* apparebant: Quia *acidas aquas* bibere cupiebat, quod reliqua reſpueret remedia, eas interdum Griesbacho, ubi illarum ſcaturigo eſt, advectas, domi aſſervabat, & quando vino nimium incaluerat, ſitis præternaturalis inde contractæ ſedandæ gratia, eas bibere aſſuetus, conſilio meo uſus, & ut ad fontem harum aquarum proficiſceretur conceſſi, quas ea ratione biberet qua & alij ſolent, injunxi: Hac rationi & illi, & aliis ſimili intemperie hepatis laborantibus *Aquarum acidarum* uſus profuit; Quibus abutitur vulgus, eas in pleriſque morbis deſperatis prodeſſe exiſtimans, atque menſuratim bibens, unde partes naturales, & nervoſum genus, cui acida nocent, lædunt; Pectori quinetiam, & proin tuſſientibus & ſuſpirioſis, ſumme noxia eſt: Artificiales aquas acidas quandoque paravi. (*Vide lib.* 19. *tit. de Acidulis* §.) quas in iiſdem affectibus & Cachexia propinatas dedi, quibus & profuit. *Platerus Obſervationum lib.* 3. *pag.* 608. *Aquarum atramentoſarum acidarum* naturalium, ad aliquot ſeptimanas continuatus potus, ad calorem hepatis corrigendum magnam affert utilitatem, ſi mature, antequam hydrops ingruat, aquáque eam in pedibus & ventre concervetur, hic fiat: nam ea jam e venis excidente, cum illius copiam augeat, amplius minime juvabit, ſed potius tumorem in hydrope augebit, ſi præſertim, uti tunc fere fit, parum mingant, interim tamen multum bibant, quod proin pluribus nocuiſſe deprehendimus: *Idem Praxeos lib.* 3.

IV. Cachecticis *Purgantia* nullomodo danda, cum ab iis lædi Epar & bilis fermentum debilitari certiſſimum ſit, ſed Lenientia paria hiſce repetita poterunt: id enim agit debile agens reiteratum,

quod fortiter agens ſemel, & cum minori periculo: Hunc errorem noſtros errare ſæpius deprehendo, ut à vehementiſſimis quoque purgantibus non abſtineant in Cachecticis, adeoque præmaturo committunt funeri corpuſcula longiore vita digna. *Fridericus Hofmannus m. m. libr. 1. cap. 7.* Volunt nunnulli ægroti ob levem illam quam ſentiunt allevationem, in dies ferme purgari, ſed hoc peſſimum illis eſt, & cito moriuntur, cum inde maxime lædi viſcera certiſſimum ſit. *Idem lib. 2. c. 6.*

V. Medici malè progrediuntur in curanda multorum Cachexia, dum ſtatim ab initio, nulla humoris præparatione, nulla viarum obſtructarum rarefactione facta, menſes ſuppreſſos ſectione ſaphænæ promovere conantur: Non enim prius natura ſanguinem per uteri venas deponit, quam calor inſitus priſtinum recuperaverit vigorem, abſumptæque ſine magna ex parte cruditates, quibus peractis ad ſectionem venæ in malleolis, & remedia menſes promoventia veniendum: fere enim fit ut concoctis cruditatibus & totius corporis œconomia reſtituta ſponte revocentur ſuppreſſæ vacuationes naturales. *Enchir. Med. Pract.*

V I. *Sudorum perfuſio* uſu decocti *Gajacini*, in æſtuario aut lectu, Cachexiam profligat: ſed in Bilioſâ admodum moderato calore ſudor in vaporario ciendus: in Melancholicâ paulò intenſiore, in Pituitoſâ intenſiſſimo, id eſt quem citra virium defectionem æger ferre poteſt. Hæc cura debetur Cachexiæ quæ puellis, aut fœminis ex mœrore vel crudorum uſu, vel potu frigidæ accidit, non vero in quibus natu maioribus, ex immodico uſu vini meracioris, hippocratici, moſchatellini, ſalsorum, piperatorum, & ſimilium calefacientium & ſiccantium uſu generatur: In hac enim hepar cùm ſit calidiſſimum & ſicciſſimum, ſitque in prima & ſecunda regione, nimirum in venis hepatis, lienis, meſenterij, & in venis arteriiſque maioribus, magna copia humoris atrabilarij, balnea potius quàm vaporatium ex uſu ſunt, calidum enim & ſiccum hepar humectari poſtulat, non exſiccari: humor enim atrabilaris calidorum uſu & ſudorum profuſione excandeſcit & irritatur. *Enchirid. Med. Pract.*

V I I. Cachexiæ aliquando neceſſaria eſt *ſanguinis miſſio*: quam in me expertus ſum, cùm ex quartana febre cachexia urgeret, ut ab hydrope non parùm timerem: certè nullo alio auxilio reſtitutus fui quam crebrâ venæ ſectione, ita ut decem dierum ſpatio quinquies mihi ipſi venam aperuerim, ſanguine primo fœdiſſimo exeunte, ultimo puriſſimo, qui meta fuit detractionis, quod & in pluribus aliis probavi. *Botallus lib. de curat. per ſ. m. vide plura titulo de Sangu. miſſione. An Cacochymia conferas.*

V I I I. Obſervatione dignum Cachexiam originem habuiſſe ex renum ulcere in calculoſis, cùm purulenta materia, ob ureterum obſtructionem, in renes regurgitans, & ſanguinem inficiens, totum corporis habitum inquinavit. *Sennertus.*

I X. Sæpiſſime evenit corpus humanum tumidum, turgidum & languidum evadere, & tunc Medici meticuloſitas, nullis rationibus innitens, nonnunquam mala quædam prædicit; Verum ſudoriferis interne & externe adhibitis, brevi temporis ſpatio commodiſſime curari poſſunt; Cauſa hujus mali originem non habet ex intemperie atque debilitate illarum partium quas Veteres Nobiles appellarunt; Diſtingui etiam facillime ab hydrope poſſunt, quem partes dictæ inducunt: licet enim ægrotantes valde tardi & laſſi ſint, nulla tamen cordis anxietate premuntur, liberrime & ex amplo pectore reſpirant, & abdomen non admodum intumeſcit: In facie & artubus materia aquea in primis colligitur, & quod ſi digito comprimantur partes tumidæ, experientia docebit partes tantopere non eſſe repletas quam in vero hydropo, unde etiam inflationem hanc flatibus, veram cauſam ignorantes adſcribere ſolent: Vaſa lympharica compreſſa, rupta, aut alio modo obſtructa, ſic ut naturalis lymphæ motus impediatur, malum hoc inducunt. *Barbette Anat. Prattic. cap. 14.*

X. Quum N. lue Venerea & hydrocele affectus inunctione Mercuriali ab utroque morbo evaſiſſet, *Aldr. de Aldrighettis* fœminam ſtatæ ætatis validam, leucophlegmatia tumentem, eodem exemplo ſimiliter illiniri juſſit: urina copioſe prodiit, ſine ulla ſalivatione; colli tamen qualemcunque dolorem perſenſit, integre convaluit. *Rhodius cent. 3 obſ. 9.*

CALCULUS RENUM.

SYLLOGE.

Quæ vena ſecanda. 1.
Purgans *quando exhibendum.* 2.
An caſſia conveniat. 3.
Purgantibus in præcautione diuretica addi non debent. 9. b.
Purgantia fortia an conveniant. 14.
Clyſteres *anodyni ex quibus conſtare debent.* 9. a.
Alvum lubricent. 10.
Ex lacte compoſiti calida ne admittant. 11.
Eorum parva ſit quantitas. 23.
Vomitus an excitandus. 12.
Diuretica *quando exhibenda.* 4.
Cibis non miſcenda. 24.
In præſervatione quando ijs locus. 29.
Lithontripticon *qualitates.* 15. 25.
A mitioribus inchoandum. 26.
Uſus continuandus. 5. a.
Iis emollientia addenda. 28.
Nimis ne ſint calida. 5. b.
Abuſus cavendus. 6.
Componendi ratio. 8.
Non quoties arenula in urinis apparent, ijs utendum. 13.
An ſpiritus terebinthina conveniat. 7.
Attenuantium *uſus non ſemper neceſſarius.* 21.
Uſus eorum continuandus. 5. a.
Calculo e renibus exturbato quid deinceps agendum. 30.
Nephritidis cum vomitu ſanguineo curatio. 34.
Si comes cruenta mictio quid agendum. 36.
Lenientes & mollientes clyſteres *utiliſſimi.* 41.
Lac aſininum *an conducat.* 18.
Tabide actu calculoſo an conveniat. 19.
Juſculum piſorum an concedendum. 32.
Adſtringentium *uſus juvat.* 31.
Iecur potius quam renes oportet refrigerare. 27.
Narcotica *proſunt.* 23.
Refrigerantia, *præſertim in ſenibus, ſæpe obſunt.* 20.

Aquæ thermales *noxia*. 45.
Unguenta *refriger. obſunt*. 35.
Et totus repetit. 22.
Refrigerantia externa quibuſdam inutilia. 37.
In præſervatione Balneum *ſuſpectum*. 38.
Diæta *qualis*. 16.
Ad præſervationem valet hauſtus tepidæ ante cibum. 17.
Fonticulus *in crure utiliſſimus*. 44.
Nephrotomia *an poſſibilis*. 42.
Nephritidis in arthritidem tranſitus ſalutaris. 43.
Nephritis colica ſpecie fallens. 40.
Vrina quando inſpicienda. 40.

I. HIppocr. 6. Epid. venam in poplite incidere jubet, ut & libr. de oſſium naturâ. *Galenus* contra 6. aphoriſm. 36. ſanguinem è brachio detrahendum jubet, plethora ſi ſubſit, & dolor vehemens, ac ſi recens ſit affectus, & rectè, Si enim à toto humores ad renes confluunt, id remedium eligendum quod eos revellat, quale eſt venæ ſectio in ſuperis partibus, Si inveteratus ſit affectus, aut præceſſerit venæ ſectio cubiti, tunc locus eſt inciſioni poplitea: Hirudines quoque ani margini admotæ ſunt utiliſſimæ, juxta aphot. 6. 10.

II. Diligenter animadvertendum eſt, *Purgans* medicamentum non eſſe exhibendum priuſquam dolor fuerit aliquantulum remiſſus; nam dolore valde urgente catharticum exhibitum, etiam vehemens, ſæpe non purgat, quia tunc temporis omnes partes ſeſe contrahunt & medicamento non opitulantur. *Riverius Pract. l.* 14. *c.* 1.

III. Quidam in Calculoſis commendant Caſſiam, induſtrium tamen Medicum admonitum velim quod quidam peſſimè ex ejus uſu ſe habuerint, malúmque adauxerint: Quidam apud me queſtus eſt quod ſemper ab ejus uſu ardor urinæ ſequeretur: *Petrus Pigray* Chirurgiæ l. 7. c. 4. Calculoſis Caſſiam malè conducere ſcribit. Cuidam in febre continua exhibita Caſſia ad ℥ i j ß. tantum urinæ profluvium concitavit, ut per tres dies continuos urinam adeo fervidam emiſerit, ut ſingulis vicibus filum ferreum candens per virgam traduci crederet. *Fabritius Hild. lib. de Lithot. cap. ult.*

IV. *Diuretica* ut in curatione morbi neceſſaria ſunt & opportuna, ad diſturbandam è renibus arenam & calculum, ita in præcautione & ſecunda valetudine ab illis abſtinendum, ne dum urinam provocant, aſſueſcant aperire eas vias, & aditum ad renes patefacere, quo omnes qui in corpore gignuntur crudi pravíque humores, illuc tendant, & materiam præbeant arenis calculíſque gignendis: *Rubeus in Celſum lib.* 4. *cap.* 10. A Diureticis medicamentis, & quæ calculos pellere ſolent, abſtinendum diligenter moneo, niſi enim illud factum fuerit, verè calculoſus efficietur: *Crato apud Scholzium Conſil.* 146. Ubi metus adeſt à calculo, tum urinalia medicamina obſunt, ad præcautionem, ſed in paroxyſmo auxiliantur, fuſis ac emollitis ductibus quibus exitus illi pateat; nam in diexodo inſeſſu, fotu, litu utimur, non in generatione. *Heurnius method. ad Prax. lib.* 2. *cap.* 12. Qui utuntur in Calculoſis Diureticis calidis errant, primo quia ea ſecum ferunt excrementa & aperiunt meatus: ſecundo lapidem detrudunt, inæqualem & aſperum reddunt. Ne renes aut veſica aſperitate læderentur, ſagax & prudens natura cum mucoſa & lubrica pituita induit, ne partem viventem vellicaret; diuretica magnum detrimentum afferunt, quia Calculum circumventum viſcoſa pituita denudant, qui ob aſperitates adeo pungit, ut poſt breve deinde ſpatium ulcus exitioſum efficiat, unde crucia ſymptomata: Circulator quidam miſero calculoſo valentiſſima diuretica porrexit, quæ moverunt lotia fæculentiſſima, abraſa viſcida pituita quæ calculo tanquam pulvinar erat: illico melius habuit; at paulo poſt nudus calculus & aſper veſicæ parietes exeſit & terebravit, unde mox facto ulcere, eóque gangrænoſo, mortem, qua violentiorem nunquam vidi obiit. *Sanctorius meth. Vit. Err. l.* 13. *c.* 4. Vide *I. B. Montanum conſult.* 93.

V. *a.* In uſu medicamentorum Calculum frangentium & expellentium, obſervandum eſt non ſemel ea aut bis eſſe uſurpanda, ſed pluries, donec viæ obſtructæ fuerint reſeratæ: dum autem exhibentur, renes & veſica foveri debent balneis, fotibus, unctionibus, catapl. quo facilius operentur: nec non liquores aliqui tenuium partium, quale eſt vinum album vinoſum, propinandi viciſſim, & uſurpanda interna emollientia, laxantia & vias lenientia, ut viæ magis laxentur, & aliorum remediorum acrimonia temperetur. *Riverius.*

V. *b.* Quæ Calculos attenuant ſine calore vehementi, ea præclarè ad ſanitatem faciunt: nam quæ fervidiora ſunt, abſumunt tenues partes, ac relictis craſſioribus indurant lapidem, & novas materias accerſunt ad renes & veſicam ex toto: Sint igitur potius tenuia frigida. *Heurnius.*

VI. Quidam in retentione & interceptione Calculi in ureteribus, pulverem lithontribon dictum, aliáque vehementia commendant, quę ante expurgationem totius multos vitióſos humores à ſuperioribus ad renes pellunt, unde calculus non ſolùm magis magíſque ureteribus impingitur, ſed & inflammationes internæ gignuntur, ipsáque mors ſequitur, quod expertus ſum. *Fabritius Heldanus.*

VII. An Spiritus Terebinthinæ convenit in Calculo Renum? Confert, eſt enim medicamentum reſolvens, altè penetrans, quodque inſignem virtutem obtinet in viſceribus purificandis, tartaro collecto reſolvendo, & per vias urinæ pellendo: præmitti tamen debent lenitiva purgantia, antequam ad continuum & quotidianum uſum illius veniatur: quamvis in uſu ipſius Terebinthinæ in ſubſtantia non ſemper hoc requiratur, ut pote quæ & ipſa vim alvum ſubducendi poſſidet, præſertim ubi cum rhabarbaro pulveriſato miſcetur, juxta deſcriptionem *Cratonis* apud *Scholzium* conſ. 152. Convenit præterea per caliditatem temperatam, quâ membris coctioni dicatis amica eſt, quâ de causâ calculoſis convenit, quatenus concoctiones juvat, ut materia peccans eò meliùs à ſanguine ſeparetur; Videatur apud *Amatum* centur. 1. curat. 63. hiſtoria monachi, qui ſingulis matutinis, per menſes aliquot, jejunus terebinthinam nucis magnitudine degluttiens, à Calculo & Podagra liberatus eſt, irritis cæteris remedijs. *Gr. Horſtius Prob. Dec.* 8 *qu.* 1.

VIII. Annotavit *Gainerius* obſervandum eſſe primo, ut ſociemus Penetrantia remedijs Calculo dicatis, ut cinnamomum, nucem myriſticam, Secundo tale addamus quod remediorum vires firmet, quò integris viribus calculum feriant, ut maſticen & gummi; 3. ut leptomeriam habeant qua pervadant: 4. acrimoniam obtondens addatur; ut roſa, liquiritia, ſemen lini. *Heurnius.*

IX. *a. Crato* conſilio 136. ſimplex Veronicæ decoctum præfert omnibus alijs generoſioribus internis

internis medicamentis contra Calculum, *Uſus*, ait, *clyſteris ex ſolo decocto Veronicæ cum ſaccharo, magis quam ulla medicamenta per os ſumpta proderit: In decoctum, vel adeps vervecinus ad renes, vel cuniculi, vel capi adjiciatur, ut ita lubricitatem faciat, ſi iſta non ſunt ad manus, parum butyri rec. addatur.* Obſerveut ergo Medicinæ candidati, non ſemper multorum ſimplicium farragine opus eſſe ad parandos clyſteres. Ipſius ſanctè teſtari poſſum, ſæpiſſime plus commodi & levaminis percepiſſe multos ægros, ſive colicis paſſionibus, ſive nephriticis doloribus torros, ab uſu ſimplicis clyſteris ex lacte vaccino & ſaccharo parati, in quo ad exemplum *Cratonis*, vel Veronicam, vel flores Chamomillæ, non Romanæ, ſed vulgaris, Romana temperatioris, quàm ex alijs majoris apparatus clyſteribus, verbi gratia, ex pulegio, origano, ruta, calamintha &c. confectis, cùm callda illa ſæpe exagitent flatus diſcutiendo, unde ingraveſcit dolor, qui proprie dictis anodynis mitigatur. *S. Pauli Quadrip. Botan p.*512

IX. *b.* Nephritici debent habere aliquod medicamentum familiare, quo excrementa per inteſtina ducantur, nam qui alvum habent lubricam, & diarrhoeis vexantur, arenulis & calculo non laborant; dummodo tamen medicamenta non componantur cum diureticis: Hoc dico, quia plures hoc tempore ſunt, qui habeot formulas quaſdam medicamentorum quæ alvum ſubducunt, & ſimul facultatem diureticam obtinent: Quando eſt ſermo de medicamentis materiam divertentibus, nullo eſt opus diuretico, Et propterea etiam illi male agunt qui præſervationis tempore, & ad revulſionis ſcopum, utuntur caſſia: Caſſia enim dejectoria eſt & diuretica, propterea in hunc finem divertendi non eſt accipienda, & in hac parte accipio *Valleriola* ſententiam 6. Enarrat. &c. *Saxonia loco cit.*

X. Non ſpernendum *Cratonis* conſilium eſt, qui vult clyſteribus contra Calculum remiſcendum eſſe adipem vervecinum ad renes, vel cuniculi, vel capi, quo lubricitatem faciat: ſecus enim ſi fecerimus, cum lac ipſum valde butyroſum ob florem ſuum ſit, ſaccharum abſtergit ſordes recti inteſtini, atque ita idem exſtimulat ut alvum dejiciamus, quæ ſi pinguibus non lubricetur, ſiſtitur eadem, unde dolores & nephritici & colici iterum ingraveſcunt, Si recenſiti adipes ad manus non ſint, minime errabunt qui butyrum recens, vel oleum amygdal. non rancidum clyſteribus remiſcent. *Pauli ibidem.*

XI. Aſt minime ſubſcribendum ijs, qui ex lacte paratis, etiam alia varia ſimplicia, præter ſimplicem veronicam, vel præter ſimplices flores chamomillæ, addunt: Cum lactis nativam temperiem, & in eo deliteſcentem vim anodynam multis iſtis ſiccis ac calidis corrumpant. *Idem ibidem.*

XII. An in hujuſmodi affectu *Vomitus* conducit? Multi ſunt artis iniati qui ad præcautionem laudant, ut materia tartarea expellatur antequam vel ad renes, vel veſicam derivetur: In ipſo paroxyſmo alij admittunt, quia natura per nauſeam vomitúmque viam monſtrare videatur: Hippocrat. 6. Epidem. poſt vomitum æruginoſum levius habere dixit: Meo judicio vomitus ad calculi expulſionem, vel arenularum, eodem conatu confert quo ad pellendum fœtum, nempe turius vehementi commotione, & muſculorum abdominis compreſſione. Diligenter vero cavendum ne pron itcue vomitus excitetur ijs qui ferendo non ſunt, adeóque morbus morbo audatur: Mihi veſicam dolenti id remedium ſuaſit *Severinus*, ſed fere pleureſin etiam paſſus: Dom. N. ejuſdem conſilio, vinum antimonio infuſum feliciter ſucceſſit, qui athleticee exinde vixit. *Thomas Bartholinus Cent.* 1. *Epiſt.* 55.

XIII. Arenulæ non ſubſidentes in urinâ, ſed lateribus matulæ adhærentes, non ſignificant calculoſam diſpoſitionem, ſed jecoris excedentem calorem: *Spigelius* ajebat ſe in venis ſanguinem aliquando competiſſe arenulis refertum: Sed neque ſubſidentes arenulæ neceſſariò calculum indicant, at interdum ſolam cauſam materialem calculi, nam multi à calculo liberi has excernunt, diſpoſitio tamen ad calculum innuitur: Arenulas portò ſolitas eſſe apparere, & poſtea ſupprimi, & dolorem ſentiri, & urinas evadere albas & tenues, indicio eſt illas in calculum compingi: eademque excerni cum dolore & ſtranguria, ſignum eſt calculi. *Plempius in Inſtitut.* Arenulæ quæ gignuntur in venis permiſtæ ſunt cum urinâ, & in enæoremate & in hypoſtaſi. Quæ verò in renibus, ureteribus & veſica, ſtatim facto lotio reſideut. *Epiphan. Ferdenandus.* Non rarò arenulæ proveniunt ab humorum aduſtione; quæ in epate ac venis fit, & illæ vitri parietibus adhærent, nec in fundo ſubſident, ut illæ quæ a renibus proveniunt: præterea digitis contritæ diſſolvuntur, & ſalinam ſubſtantiam referunt, cùm aliæ digitis non cedant & diſſolvi nullomodo valeant: ac denique cum hujuſmodi arenulæ ſalinam habeant ſubſtantiam, in calidâ urinâ diſſolvuntur, neque ullo modo in ea apparent, dum ea adhuc calida eſt; poſtquam verò refrixerit, coaleſcunt & matulæ parietibus adhærent, non ſecus ac cryſtalli Tartari, qui in aqua calente diſſoluti, dum illa refrigeratur, concreſcunt & vaſis parietibus adhærent; ita ut valde ſimilis ſit hujuſmodi arenularum & cryſtalli Tartari natura. *Riverius.*

XIV. In Nephritide, licet vehementibus medicamentis, quale eſt peplium, ad lapidis commotionem præcipiat Hipp. tutius tamen exiſtimo eſſe lenientibus uti, quæ partea potiùs dilatent, quàm vehementioribus uti, quæ ad partem affectam forté majorem humorum copiam alliciant; Quare ſicut in præcautione levioribus eſt utendum, Ita idem in curatione exiſtimo. *Mercatus de Præſid. l.* 1. *c.* 6.

XV. Solvuntur Calculi omnes, quales Ego ſaltem hactenus offendi, in ſalis petræ aut nitri acido ſpiritu, Unde concludo à Spiritu acido, qua tali, non poſſe expectari calculorum coagulationem, Ergo ab alio, illi, ex parte ſaltem, ſubcontrario: Quod ſi quis varia conſideret quæ concretionem naturalium rerum promoveant, reperiet Auſteris eam vim ineſſe, unde ab illis Glutinoſitas & tenacitas rerum fluidarum produci ſolet; quibus ſi jungantur terreæ Salinæque volatiles partes, aliquid calculi non multum abſimile exſurget: Propendeo itaque in hanc ſententiam, concreſcere materiam terream, & Salinam volatilem Glutinoſæ junctam, Humoris auſteri ope in calculos; Infringitur autem coagulantis Auſteri via

ab Acido acri, quale in ſpiritu Nitri reperitur. *Fr. Sylvius Prax. lib. 1. cap. 55. §. 50.* Ubi grandiores prodeunt arenulæ, urinæ fundum petentes, calculorumque productionem inchoantes ac foventes, uſurpanda ſunt, præter ſalia volatilia oleoſa, quæ calculos queunt ſolvere, Inter quæ locum primum merito tribuimus Spiritui nitri, cum in ipſo tam facile & tam manifeſte diſſolvantur & diſtringantur calculi: Poteſt autem commode in potu ordinario, cerevisia, vino, juſculis &c. ad levem aciditatem ſpiritus nitri admiſceri, atque ſic diutine uſurpari, cujus effectum egregium mirabuntur omnes. *Idem* §. 91. & 92.

XVI. In cibo & potu, cum inde materia arenularum & calculi exordium ſumat, ut illius generationem præcaveamus; moderatio etit adhibenda, boniſque ſucci cibi in uſu eſſe debent, in primis verò temperatis cibis aſſueſcere debent, & proin ſalitis leviter & parciſſime uti, nam à vehementer ſalſis omnino abſtinere, uti & à terrenis & ſiccis, cum ab illis materia hujus terreſtreitatis deveniat, præcipua curationis eſt regula: veluti & à vehementer acribus & calidis, cum ab ijs arenulæ in calculum coagmententur, renes ſiccentur & incaleſcant: Ideo ſalſamenta omnia, & aromatizata potius quam ut in crudis, glutinoſis, & quæ pituitam gignere perhibentur, prohibendis laboremus, cum hæc ſuccum craſſum, qui obſtructiones parit, quidem gignant, verum in terreſtrem materiam converti, niſi alia permiſta ſit terreſtreitas, minime poſſint. *Platerus.*

XVII. Illud nunquam memoria excidat, nihil præſtantius pro arcendis tenuum calculis eſſe quam aquam tepidam; vel jus pulli gallinacei, aut vituli, vel vervecinæ carnis, quinque vel ſex unciarum menſura, immediatè ante cibum, mane & veſperi, modicè calidum potum. *Zecchius conſult.* 13. Quò renum ingens calor remittatur, tanquam recurrentis nephritidis efficiens cauſa, laudo uſum aquæ limpidę excoctæ tepidæ, ſex vel ſeptem unciarum menſura, ante omnem cibum, bis, vel ſaltem ſemel in die: Nihil enim adeo renes à recrementis vacuos & temperatos reddit: igneus enim calor ipſorum aquæ tepore tandem extinguitur, ita ut in poſterum calculos procreare nequeant. *Idem conſult.* 17.

XVIII. Sunt qui putant Aſininum lac convenire Calculoſis, quod omnia lactis genera ſubtilitate & ſeroſitate ſuperans, vim potiùs aperientem quam obſtructotem poſſidet: Sed ſi à caſeo generetur Calculus, in præparatis corporibus; Si lac omne ex tribus ſubſtantijs conſtet, caſeo, ſero & butyro; ac proinde quæcunque participant caſeo, ejuſdem facultatem retinent, magis ac minus, prout multum aut parum in illis caſeoſa abundat ſubſtantia, conſequens eſt ab illius uſu poſſe procreari calculum, etſi non tam facile ac à craſſiori lacte: Verum quidem lac plurimi ſeri, aliquando viſceribus prodeſſe magis, ob ſeroſam ſubſtantiam, quâ detergit, quam obeſſe caſeoſam, quâ deberet obſtruere, imò obſtructionibus mederis, quod accidit in lacte camelarum recenter fœtarum, quod confert valde hydropi, ut ait, *Avicenna* l. 2. c. 442. Sed huic lacti id accidit ratione paſcui, cùm camelæ veſcantur tithymalis, chamelæa & ſimilibus, a quibus lac vim ſolutivam acquirit, & ob ſerum maximè detergens: Lac autem humanum & aſininum maximam habent ſimilitudinem, eſtque utrumque media quadam ratione particeps caſei: humanum autem lac procreare calculum oſtendunt *Galenus* lib. 6. Epid. ſect. 3. comm. 15. & *Avicenna* lib. 3. fen. 18. tr. 2. c. 16. *Galenus* quidem 6. de ſanit. tuend. lac aſininum calculoſis concedit, ſed pro præſervatione, atque remotione eorum incommodorum quæ lapis in corpore, dum expellitur, ſolet relinquere, ſcilicet ulceris in inſtrumentis quæ urinæ expulſioni famulantur, exulceratis ijs in tranſitu ab aſpera calculorum ſubſtantia aut magnitudine; & ſiccæ intemperiei, introductæ ab extenuante victu, vigilijs, vacuationibus, doloribus: hanc aſininum lac corrigit humectando, refrigerando, nutriendo, ulcus emendat abſtergendo, dolorem mitigando, glutinando: *Aëtius* quoque id admittit, ſed poſt factam ſectionem in collo veſicæ, extractúmque lapidem; Videantur cap. 5. 8. & 10. lib. 11. Dico autem quod per ſe non poteſt lac aſininum detergere expurgareque arenulas: quia ſerum non expurgat renes & veſicam ratione propria, cum hoc munus pertineat propriè ad uretica medicamenta: Ex accidenti autem poteſt, ingenti ſcilicet quantitate exhibitum, qua per urinæ vias effluens, ducat ſecum excrementa uniuſcujuſque generis quæ invenerit, modò egrediatur per vias urinæ, & in corpore non retineatur: nam ſi retinetur, nec expurgatur per urinarios meatus, utilitatem aliquam afferre non poterit: Alius etiam eſſet modus exhibendi, permiſtum ſcilicet cum ureticis, antiquorum conſuetudine. *Gr. Horſt. Augenius Tomo* 1. *lib.* 2. *Epiſt.* 1. *qui fusè agitat hanc quæſtionem.*

XIX. Tabido ægro exiſtente, ſi indicatio adſit rumpendi aut minuendi calculum, convenire nequit lac aſininum, quia non frangit neque minuit lapidem: Nec convenire poſſunt in hac materia medica Calculi extirpatio & Tabidi corporis curatio; poſtulat enim Tabes ut in corpore diu admodum contineatur lac ipſum, ut ſolidas partes omnes humectet, foveat, refrigeret: Sed calculus exigit ut quantò citius per meatus urinarios expellatur, quia detentum graviſſima inferret incommoda. *Idem ibidem.*

XX. Errant Empirici qui *refrigerant* miſeros ſenes nephriticos, qui ſunt calore exuti, præbentes aquas thermales, ſerum lactis, quia credunt exceſſum caloris neceſſariò concurrere ad productionem calculi: Objiciunt neceſſariò calorem conſpirare debere ut tenues partes reſolvantur, craſſæ relinquantur: Sed modicus calor, temporis ſpatio, lentorem illapſum poteſt cogere & denſare, ut patet ex Gal. 6. Epid. 3. 15. *Calor, ait, vel mediocris ad hanc cogendam materiam ſatis eſt, ſi quidem in calidis aquis, ſponte ſcaturientibus, etſi tepidiores ſunt moderatis, concreſcere tophi conſpiciuntur.* Sic in veſica, quæ longè frigidior eſt renibus, tum ob ſubſtantiam nerveam, tum ob cavitatem, quam ſubit aër poſt mictionem ne detur vacuum, lapides concreſcunt. *Sanctorius meth. vit. Err. l. 3. c. 7.*

XXI. Errant quoque qui ſemper *attenuantibus & incidentibus* utuntur, quaſi arenulæ fieri non poſſint ſine repletione craſſorum humorum: Et quaſi non inveniantur bilioſiſſimi homines, qui ſanguinem & alios humores tenues habeant, qui lithiaſin patiantur. Cenſemus enim in omni vivente eſſe poſſe tantam craſſitiem humorum, quæ ſi in renibus moretur, lapillum efficiat: atque in homine non pituitoſo tantam eſſe pituitam, quæ unum lapillum efficere poſſit. *Sanctorius meth. l. 3. c. 7.*

XXII.

XXII. Nimis abunde in coagmentatione lapidoſa, ureteras ac renes contundente, Forum uſus initur: præſtaret repetitis vicibus, ac ſeſquihora, vel duabus horis interpoſitis, repetere decoctum ex aq. fœnugr. ſemin. malvæ, chamæmeli decocto &c. ob incommoda quæ calidæ abuſus infert ab *Hippocr.* recenſita aphor. 16. ſect. 4. *Heurnius comm. in cit. aphor.*

XXIII. In Nephritico affectu notandum *Clyſteres* minori admodum copia quam in aliis affectibus eſſe præſcribendos, ne copia inteſtina diſtendendo, circumvicinas partes affectas premant, doloremque exaſperent. *Zecchius conſult.* 50.

XXIV. In calculo tam Renum quam Veſicæ, *diuretica* frangentia calculum longè à cibo, aut jejuno ſtomacho propinanda ſunt, & ſi fieri poteſt, corpore prius purgato, quia diuretica citiſſime feruntur ad renes, & ſecum rapiunt cibum crudum & non concoctum, ſic magis gravant renes & veſicam, & augent materiam calculi: Perperam igitur faciunt cum decoquunt quidam cum carnibus radices petroſelini, vel aliud diureticum, & decoctum illud ſumunt in prandio vel cœna. *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. c. 12.*

XXV. *Diuretica* lithontriptica primo ſint apta in urinam mutari, ut ſcil. locum affectum tangant, inquit *Helmontius* 2. habeant in ſe poteſtatem ſolvendi repagula calculi 3. poſſideant illud in proprietate ſpecifica. 4. ſint ſubtilia ut quaquaverſus eant. 5. amica ſint naturæ, ne ſcilicet cuncta pervertant. 6. ne valde calida ſint, Potius ea offerenda quæ vi abſterſiva ex alkali volatili & acido conſtant, & blanda ſua acredine viarum urinalium ſordes incidunt ac repurgant, tum quæ ſuavi fragrantia ferientia renes, fraciditatem ſerruenti inhibent, adeoque occaſionem calculo præcludunt: tum quæ renum dolores demulcentia animoſiores ad expellendum nociva eos reddunt, crocus, caſſia & rheum, purgandi vi ſpoliata. *Idem Ibidem.* Quod de ſpiritu vitrioli in calculis renum & veſicæ obſervavi, referam, Duplicis generis ſunt Diuretica, altera aperitiva, altera Inciſiva: Aperitiva trahunt materiam ad renes, qui ſi ſint affecti, ſunt admodum ſuſpecta, quia trahimus materiam ad partem affectam; Sed Inciſiva non deferunt materiam ad renes, ſed tantum incidendo ſubtiliant, & ita ſubtilis reddita materia per renes egreditur: hinc oritur, ut ſemper feliciſſime ncor, quod ſi in principio ad comminuendos lapillos, vel incidendum humorem craſſum, ſpiritum vitrioli exhibendum propono, cito felicem exitum video: ſpiritus vitrioli enim, quamvis ſit diureticus, tamen tantum incidit, ex qua ſubtiliatione, materiæ dum exeunt, urina copioſa apparet aliquo modo, & revera diureticum eſt per accidens, non quod deferat aliquid ad renes, ſed quia materia, dum nullum habet impedimentum, facili negotio egreditur, Et fruſtra fit poſt 3. vel 4. diem id quod poteſt fieri in prima, abſque eo quod dolor prorogetur, cum magno ægri nocumento, uſque ad 3. vel 4. expectandum enim eſt ut præcedant vacuationes univerſales, quæ in hoc caſu non ſunt neceſſariæ in principio, cum poſt commodiſſime, tranſacto dolore, fieri poſſint. *Panarolus Pent. c. 3. obſerv. 41.*

XXVI. Quorum tamen Diureticorum delectus habendus eſt, ut primo mitiora uſurpentur, & magis temperata antequam ad acriora veniatur, quæ epatis ac renum Archæum accendunt. *Hofmannus Ibidem.*

XXVII. Ubi notandum quod refrigerantia cataplaſmata & inunctiones prius ſunt applicanda Epati quam Renibus, quando ab illo provenit renum caliditas, ſeu quando peregrinum quoddam Sal, ex digeſtione epatis natum, renibus irrepſerit mediante ſanguine, tunc incluſum hoc, quia non vitale, Archeo moleſtum, ex maturitate temporis incaleſcit, hinc provenit iſte renum calor. *Idem Ibidem.*

XXVIII. Diuretica autem non ſemel aut bis, ſed pluries ſunt uſurpanda, donec viæ obſtructæ fuerint reſeratæ: Dum autem offeruntur, Renes etiam & Veſica externis ſuvendi ſunt, quo facilius operentur; & uſurpanda ſunt juxta vel per ſe, vel cum decoctis diureticis mixta, interna emollientia, laxantia & vias lenientia, ut viæ magis dilatentur, & aliorum remediorum acrimonia temperetur: Iuvant autem humectantia, non quatenus amplificant ureteres, ſed in quantum ſpaſmum criſpationis demulcent *Idem Ibidem.*

XXIX. Præſervationis tempore licet à Diureticis abhorreant *Averr.* & *Nicolaus*, exhibentur tamen à *Paulo* & *Avicenna*, ſed cum diſtinctione: timet enim *Avicenna* diuturnum uſum diureticorum, ideoque dicit per interpolatas vices eſſe danda, nimirum dum opus fuerit aliquam materiæ portionem, in renibus hærentem, detergere & evacuare. *Fortis. conſult.* 88. & 98. *cent.* 3.

XXX. Ejecto calculo, licet mali nihil ſit reliquum, attamen ego ſoleo duobus aut tribus poſteris diebus perfectam abſterſionem & renum munditiem procurare, præbendo bolum terebinth. noſtræ, lotæ in aqua malvæ cum pulvere liquiritiæ, ſuperbibita emulſione ſeminis melonum, extractæ cum aqua malvæ aut hordei, ſed dilutam. *Idem. conſult.* 96. *cent.* 3.

XXXI. *Trallianus* probat myrrhum gratia evacuationis calculi: dubitatur tamen qua ratione tuto uti queamus medicamento hoc adſtringente ad expellendum calculum. Hic facultatibus conſtat contrariis, non ſolum enim adſtringit, ſed etiam acrimoniam quandam habet admiſtam, *Gal. cap.* 18. *l.* 2. *de Aliment fac.* propter partes quaſdam tenues & calidas. 7. *de ſimpl.* in fine, Hinc *Dioſcor.* myrrhum urinam ciere tradit: Interim notandum adſtringentia contra calculum & urinæ difficultatem adhiberi, tum conjuncta diureticis, ut hæc in renibus eo diutius detineantur: tum per ſe aliquando ſola, ut renibus debilibus robur addatur. *Capivaccius.* Ego à magnis Practicis audivi pleroſque pati hanc carnificinam ob flaccidus Renes; hinc uſus adſtringentium invaluit, ſyrupi limon. cum aqua equiſeti &c. *Hofmannus* 2. *de medic. offic. pag.* 310. Cum non niſi calidi renes gignant calculos, & vero illi diureticis validioribus valde debilitentur, mirum non eſt uſu ſpongiolæ, Bedegar dictæ, roburari inde renes, ut pellendo calculo aptiores ſint. *Idem ibidem pag.* 74. In curatione calculi ſi bene diſtingueremus remedia, pauciores haberemus calculoſos: Qui enim perpetuo utuntur propriis dictis diureticis,

præcipue non purgatis primis viis, adducta ad locum affectum materia calculoſa, malum faciunt pejus: Quanto melius illi qui, præſervationis quidem gratia, ſingulis annis quadrantibus everrunt primas vias dictas, deinde utuntur lactè amygdalino per aliquot dies: Pro curatione autem ante omnia leniter purgant, poſtea utuntur diureticis improprie dictis frigidis ſcil. quæ tonum reddunt renibus, ſyr. de limonibus, chamamelino &c. cum aqua florum pruni ſylveſtris, fragariæ, equiſeti, florum violarum, malvæ, althææ, linariæ, plantaginis &c. quorum quædam adſtringunt, & diuretica non ſunt: quædam diuretica ſunt, propter ſubſtantiam aqueam: *S. Pauli Quadrip. Botanici, Claſſe 2. voce Cynosbatos, ex Caſparo Bauhino.*

XXXII. Qui Calculis Renum urgentur, illis juſcula parentur ex piſis, ſeminibus aniſi, fœniculi, baccis juniperi &c. condienda: Quod autem quorundam nephriticorum dolores ejuſmodi juribus exaſperentur, alij contra ab iis præſerventur, utrumque ratione non caret: Sciendum namque ſolum illos ab eſu Piſorum juſculi ſorbilis male habere, quorum renum pelvim obſedit Calculus, muco lento obductus, quem dum Piſorum juſculum quaſi defricat, abſtergendi ſua facultate, aſperi illi calculi vreteres pungunt, unde dolor & ſimilia ſymptomata, quæ ſextum par nervorum cerebri in conſenſum trahunt: Sic quoque ſæpe ipſa terebinthina, qua non præſtantius ullum adverſus calculum & urinæ difficultates (etiam illas quas fœda lues cauſatur) remedium eſt, quandoque exacerbat nephriticos dolores: Alios vero idem Piſorum juſculum, & præſertim eos à nephriticis ſymptomatis præſervat, quibus necdum mucus lentus, viſcidus ac tenax, in renibus lapidefactus eſt, vel quibus arenulas aut minutulos lapillos pellit, renibus non ulceroſis: Atque ita utriſque hiſce non ſolum, ſed omnibus quoque licebit ſecuris eſſe a flatulentia Piſorum. *S. Pauli Quadri. part. Botan* p. 435.

XXXIII. Maxime proſunt Narcotica, quia renes, ſeu ureteres, à calculo continuo irritantur, & ſi à narcoticis motus ille inhibetur, ſimulque fibræ laxantur, calculus eo facilius deſcendere poteſt. *Frid. Hofmanus m. m.* p. 437.

XXXIV. Quidam incidit in dolorem gravatiuvm lateris ſiniſtri ſub nothis coſtis, ſubſequente vomitu ſanguinis copioſiſſimo, quotieſcumque incurvabatur redibat adeo ut virium imbecillitas non levis exinde ſequeretur: Iudicavit D. D. *Moebius* calculum grandiorem latitare in ſiniſtro hypochondrio, & ejus ex motu ſanguinem extravaſari in tanta copia, fundi in ventriculum, & demum vomitu rejici: Calculum pellentia non audebat præſcribere, ne vaſa recluſa magis aperirentur, & ex majore ſanguinis vomitu de vita periclitaretur: Dabat itaque C. C. calcinatum, in brodio carnis non ſalito ad tres dies: Exterius locum dolentem fovere iubebat fol. malvæ, flor. chamæm. ſem. lini coctis: Et ſic ceſſabat vomitus ſanguinis, lapis movebatur ad dorſum, & demum ad veſicam, hærebat in collo veſicæ, excitans immaniſſimos dolores: Ibi dabat ſuum ſal anodynum in decocto malvæ; circa lumbos & pudenda fol. malvæ, ſem. lini in lacte cocta apponenda ſæpius calide mandabat, pudendis interius cum ol. lilior. alb. inunctis, Et ſic intra ſex horas lapis inſtar fabæ magnus excludebatur, & æger D. G. reſtituebatur. *Fred. Hoffm. m. m.* p. 353.

XXXV. Mos eſt tum veterum tum recentiorum Medicorum, renum regionem, quo ingens eorum calor remittatur, vel roſaceo vel ſantalino unguento refrigerante illinere: Quod quidem ſuſpectum mihi ſemper viſum eſt nonnihil, quia refrigerantia & adſtringentia extrinſecus admota ſupervacanea excrementa magis compingunt. *Zecchius conſult.* 17. Generalis præſervationis à calculo duo ſcopi ab *Hippocr.* monſtrantur, quorum primus intemperiem renum conſiderandam præſcribit, alter ut caro renum denſa & dura reddatur mollior atque laxior: qui ſcopus per humectantia atque relaxantia, quo materiæ ex qua fiunt calculi, tranſitum præbeat, obtinetur: multi Medici hunc ſcopum putant ſe attingere dum foris ungu. roſatum & ſimilia adhibent, atque interdum etiam magnopere iis ægri juvantur: Verum ſi intra corpus ſumantur ea, quæ primum in victus ratione materiam calculi imminuant, deinde ſuaviter eam educant, atque deinde renum intemperiem corrigant, & laxiores eorum carnes reddant, præclarè iis conſulitur. *Crato apud Scholtz. conſ.* 144.

XXXVI. Si præſente calculo renum ſanguinem copioſum & frequenter æger mejat, ſicque contrariæ perducere Medicæ intentiones, in anguſto res fuerit; difficillimum enim eſt in arte remedium invenire quod oppoſitas edat operationes, aperiat nimirum & adſtringat, frangat & cogat, atque adeo, cæteris omnibus miſſis, ad remedium, Sacrum ab Ariſtotele dictum, erit illico confugiendum, nimirum ad aquas Thermales, in quibus emineat Vitriolata vis, quibus nullum, præſenti caſu, nec tutius nec præſtantius excogitari poteſt, nec uſurpari remedium: Tales enim aquæ validiſſime & efficaciſſime expellunt, & propterea lithontripticæ ſunt, at ratione vitrioli ſanguinem ſiſtunt, præterquam quod omnia viſcera roborando, hepar & renes valde refrigerant. *Foris conſult.* 95. *cent.* 3.

XXXVII. Refrigerantia externa renibus apponenda in pingui & carnoſo corpore inutilia ſunt, ut quæ ad partem affectam penetrare non poſſint, & partes externas denſando calorem potius adaugere nata ſint. *Idem.*

XXXVIII. Sunt qui præcipiunt Balneum aquæ dulcis, quod tamen ſuſpectum habeo, ut nimis laxans: cujus loco inungantur renes ungu. Roſac. Meſues & infrigidante Galeni, applicitis foliis nymphææ. *Idem. conſult.* 98. *cent.* 3.

XXXIX. In motu corporis exercitium decens, rectoque tempore ante cibum factum, in arenulis exturbandis, quæ otio alioquin facile ſubſiſtunt, plurimum juvat: Ob quam & cauſam, poſt motus corporis arenulas copioſius & frequentius, quam mane poſt ſomnum, cum urina reddi expurgarique, & proinde eo tempore, ſi illas diiudicare recte velimus, inſpiciendas quoque eſſe experientia comperimus. *Platerus.*

XL. Novi quandam quam plures Medici Colico dolore laborare confirmabant: Ego autem prima viſita-

viſitatione (quia per ſtupebat & alia ſigna calculi erant) calculum judicavi, quod tamen aliis multis argumentis falſum eſſe dicebant: atque ita ego ablegatus fui, ipſi vero in curatione permanſerunt, continueque calida & ſicca adminiſtrarunt, donec vitam cum morte permutaret: Diſſecto corpore magnus lapis in rene ſuo inventus, atque ego meo honori reſtitutus. *Gerardus Bergenſis de artic. & renum morb. curat.*

XLI. In Calculi cura magna opus eſſe cautione exempla plurima monent: Nam fortia diuretica ſæpe non tantum dolorem magis augent, violenter moto calculo & non promoto, ſed ſanguinis etiam mictum excitant, meatus urinarios excoriant, interdum etiam calculos anguſtis meatibus impingunt, imo convulſiones & epilepſias excitant, violenter calculo impulſo & non expulſo, quod obſervatum: Itaque nos eos qui grandes calculos in veſica habuerunt, ſolis lenientibus & emollientibus clyſteribus à doloribus liberavimus, ut per multos annos, abſque evidenti moleſtia acceſſionum calculi dolorum degerent: Nec hoc mirum videatur, cum emollientes & abſtergentes clyſteres mucores calculo ferè ſemper conjunctos abſtergant, & ſenſim educant, & meatus urinarios ab obſtructione liberent: arenulas etiam una educant, ac urinæ apertas vias præbeant: Id in me expertus ſum ante annos aliquot, cum dolorem in dextris iliis vehementiſſimum incurriſſem, ſolis clyſteriis mollientibus, ter uno die ſumptis, eum diſcuſſi, ſolutis arenulis, & materia viſcoſa craſſa conjuncta etiam abſterſa, ac per dies aliquot cum urina continuo educta: ac tantum iis lenibus auxiliis, in mundificandis urinariis meatibus effectum eſt, ut ab eo tempore nunquam in talem dolorem inciderim. *Oetheus apud Schenckium.*

XLII. Lithotomia renum ab *Hippocr.* indicatur lib. de int. affect. 1. 15. *Ubi vero intumuerit, & extuberarit, ſub hoc tempus juxta renem ſecato, & extracto pure, arenam medicamentis urinam cientibus curato*; Ex quo patet lithotomiam renum antiquis cognitam fuiſſe: *Avicenna* etiam hujus mentionem facit, ſed hanc cum *Bacchanello* impoſſibilem puto, quoniam oporteret penetrare per muſculos, per dorſum, per oſſa magna, per nervos & arterias, & venas magnas: Earum ſectio credimus quod poſſit adminiſtrari, cum juxta *Hippocr.* ren intumuerit & elevatus fuerit, vel quando ſuppuratus fuerit: In hoc enim caſu Natura ſibi parat iter, & hoc modo ſecti convaluere, ut refert *Schenckius ex Coelio* &c. Et ego quoque aliquando in juvene obſervavi, cui per abſceſſum in lumbis ſponte apertum duo calculi cum pure egreſſi ſunt: Sed in alio caſu impoſſibilem omnino credimus: Optima eſſet ſi tuto poſſet fieri, ſed ad impoſſibilia nemo tenetur. Sed ſi hoc fit à Natura, ergo fieri poteſt ab arte? Reſpondeo plurima recte fieri a natura, quæ ab arte nequaquam; exemplum habemus in hydropicis, in quibus ſponte ortis in tibiis ulceribus ſanitas eluceſcit, ſed ſi ulcera arte parantur, corrumpuntur & mors ſupervenit. *Dom. Panarolus Pent. ult. obſervat.* 42. *Ambroſius Parens* Chirurg. magnæ lib. 24. cap. 16. refert quendam Nobiliſſ. Meduneenſem, calculo renali laborantem, capite damnatum, à Magiſtratu facta poteſtate, Medicorum Pariſienſium in gratiam ſectum fuiſſe, calculumque evulſum, atque obducto vulnere ſanatum, & ſupplicij factam gratiam: Sed ſi hæc operatio fiat in lumbis e regione renum, cum præſenti magno diſcrimine conjuncta eſt, quod eo ſit pervadendum per muſculos dorſales, nervos, arteriam aortam & venam cavam, cum ſyncopes & mortis periculo: Quod ſi vero per ilia tentetur, inteſtinis diductis, parata ad renem via, licet quidem ab illa levius impendeat periculum, quod advertit *Rouſſetus de partu* cæſareo, confluxus tamen ſanguinis in cavitatem abdominis eo non vacat, teniſque cicatrix difficillima eſt, ut has ob cauſas vel non ſit tentanda, vel præmiſſo ſaltem prognoſtico interitus. *Bea. Silvaticus.* cent. 3. conſult. 55.

XLIII. Conſulo, quando cætera non proſunt, retrahatur materia ad articulos, facillimus enim eſt tranſitus doloris nephritici in arthriticum, & hujus in illum, eſtque minus malum arthritico tentari quam nephritico, dolor enim articularis propter moleſtiam in vitæ diſcrimen non adducit, ſed nephritis, & veſicæ calculus, propter multos labores, & eos quidem indeſinentes, miſeros patientes necant: Itaque diverratur materia ad articulos frictionibus, balneis frequentibus, inunctionibus calidis, ſinapiſmis & veſicantibus. *Saxonia Prælect. pract. pag. ij. cap.* 36.

XLIV. Miror Medicos pro præſervatione à calculo renum, cauteria omnibus affigi non præſcribere, quo ii ſpirent calore igneo affecti, eoque excrementa deponant per venas; multos ſic à ſævo cruciatu liberavi, multos in recenti malo ex toto liberavi. *Zacutus M. P. lib. 2. hiſt.* 94.

XLV. In calculo non ego probarem aquas thermales, nam ſi ſint frigidæ, calorem quidem jecoris renumque remittunt, ventriculo tamen obſunt: Si autem ſint calidæ ſiccæque, plus ſiccitate obſunt quam caliditate proſunt ventriculo. *Capivaccius in conſ. Scholzij conſ.* 154.

CALCULUS VESICÆ.

SYLLOGE.

Medicamentis an atteri poſſit. 1. 19.
Qua vi alia agant. 3.
Diuretica *aliquando utilia.* 20.
Lenientes & mollientes clyſteres *utiles.*
Aqua per catheterem immiſſa an frangere valeant. 4.
Signa ſunt dubia, nec ad lithotomiam properandum. 5.
Sæpe latet ob pravam veſicæ conformationem 6.
Caro in collo veſicæ calculum mentiens. 8.
Cum inditur catheter, non violanda membranula ad oſtium colli veſicæ ſita. 21.
Lithotomiam qui facilius ſuſtineat, ubi grandis calculus an parvus. 2.

Membrana inclnſus an avellendus. 9.
Ejus eductio non impoſſibilis. 17.
Errorum qui præcedunt operationem correctio. 10.
Eorum qui eum ſequuntur. 12.
Quis locus & modus commodior ad eductionem. 11.
Operatio inſtitui debet cum Luna in Scorpione verſatur. 14.
*In canicula facta funeſta.*23.
Minoris apparatus ad admittenda. 24.
*Sectio amplior parva præferenda.*25.
Cautio in mulieribus. 16.
*In muliere per uncum eductus.*22,
*In urethra ſubſiſtentis eximendi ratio.*13.18.27.
*Inciſio hypogaſtrij an admittenda ad eductionem.*7.
Dyſuria comitis mitigatio in ſenibus. 15.
Si accedat ardor urinæ lac noxium eſt. 26.
Cautio in eductione calculorum in urethra hærentium. 27.

I. AN Calculus Veſ. medicamentis alteri poteſt? multi in totum negant, multi frigide affirmant: Ego cum Galeno, Hippocrate, Dioſcoride, Rhaſe, Avicenna & infinitis claſſicis authoribus ſtatuo (qui præſcribunt multa ſimplicia & compoſita, a tenuitate, ab aciditate, ab aſperitate & vi diuretica agentia) quod dentur lapidem frangentia veſicæ: Quid repugnet non video, cum æque detur ſal reſolvens quam coagulans, & virtutes rerum non ſint abnegandæ in plantis, herbis & lapidibus: videmus etiam aquam mollem cavare lapidem continuatione, ferrumque vi ſimplicium erodi, necnon dari ſimplicia lapides emollientia, cur non & frangentia? Legimus *Philagrium* ex *Aëtio* l. ij. curaſſe veſicæ calculum ſanguine hirci cum paſſerculo trogloditico permiſto: Ieſuitam Romæ curaſſe filium Typographi millepedibus ritè præparatis: *Rhaſin* lib.9. curaſſe vetuſtum veſicæ calculum ſuis pilulis, quibus *Horatius Augenius*, ipſius Pater, & alij Medici, multos curarunt calculoſos: Si præſcripti authores medicamenta commendarent, & non haberent talem vim, quid agerent in tam gravi negotio quam ut humanum deluderent genus, quod de Hippocr. nefas eſt dicere? qui ex Macrobio nunquam alios nec ſeipſum fefellit? *Ioh. Freitagius apud Gr. Horſtium lib. 4. obſ.* 45. *Bartholomæus Turrianus* in Jatrob. lib. 4. f. 269. veſicæ calculum jam ſectioni deſtinatum, fregit propinato pulvere cryſtalli: vel potius ſubſtantia ejuſdem reſolubili: cujus liquoris etiam meminit *Th. Muffetus* de jure & præſt. Chymicorum: fit autem Cryſtallus ſolubilis, ſi vel minimum novies in fornace figuli calcinetur, tunc abit in friabilem ſubſtantiam, & in cella poſitus liqueſcit olei Tartari inſtar: vel lapis cryſtalli ignitus ſepties extinguatur in aqua vel ſpiritu urticæ minoris: Veſicæ calculus comminuitur emplaſtro ex cepo alba cocto pectini impoſito, teſte *Ioh. Pravono.* Si ergo extant hiſtoriæ nonnullorum Calculo laborantium per medicamenta curatorum, præcipua experiunda ſunt remedia, antequam æger periculoſiſſimæ ſe ſubmittat aleæ: Nota quidem eſt *Gul. Laurembergij*, uſu aliorum a magno calculo liberati, & *Hor. Augenij* in alio ægro hiſtoria; Sed talia exempla non faciunt regulam · poſſibilitatem convincunt tantum, quam neque nos negamus: ignotæ ſimul ſunt aliæ circumſtantiæ arenoſæ fuerunt hæ coagmentationes, non ſiliçeæ: Nullum itaque veterum diureticorum genus in hoc vel ſimili caſu probare poſſumus ſi calculus ſit magnus, durus, & lapidem æmuletur, imo neque ſic inhibere poſſumus ejus augmentum: ampla eſt loci diſtantia, & viæ per quas tranſire debent, multæ; ſi debilia ſunt, vires amittunt priuſquam ad vias urinæ perveniant, ſi fortia, ex toto corpore materiam ad veſicam deducunt; imo hæc magis nocent, nam acrimonia ſua & tenuitate auferunt & abluunt lentorem & pituitoſam illam materiam, quæ muci inſtar calculo ſolet adhærere, ipſique pro ſtragulo eſt: hac ablata, ille aſperior redditur, dolores intenſiores excitat, & veſicam magis lædit: Expertus eſt idem æger noſter, qui biennij ſpatio uſus diureticis, nihil emolumenti percepit, ſivé adhibita fuerint chimica ſive Galenica, imo potius majores dolores quotidie perſentit: Idem expertus eſt trium Imperatorum Medicus *Crato*, qui in dolore renali à diureticis iis quæ calculum pellunt ſerio abſtinendum ſuadet, Eminent. Cardinalis *Cornarius*, contra ſententiam *Mercurialis*, cum calculo laboraret, & difficultate mingendi torqueretur, nolens obedire Medicis diſſuadentibus, profectus fuit ad thermas quæ per urinas evacuabant, illis ſumptis, dolore exacerbato, mortuus eſt. *Rolfinccius lib. 9. conſ. 9.*

II. Cum parvi fuerint lapides, frequentius collum veſicæ ingrediuntur, urinam prohibent, ulcera & dolores atque ardores ingentes inferunt: majores verò quieſcunt in fundo; vel, ſi aliquando aſcendant, urinam non prohibent, ideo minus moleſti ſunt quam parvi. Quare non libenter accipio *Pauli* ſententiam, ſcribentis eos qui magnum habent veſicæ lapidem, ſectionem melius ſuſtinere quam illos qui habent parvum: eo quod illi qui magnum habent calculum, doloribus & inflammationibus frequentibus ſunt aſſueti: Ego experientiâ obſervavi, & ratio illud perſuadet, minores calculos plus moleſtiæ inferre quam majores: imò hi aliquando multo muco obliti adhærent veſicæ, ut ideo una ex parte magis periculoſi ſint, ex alia minus: magis, quia educi non poſſint niſi laceretur veſica: minus, quia immobiles jacent, ideo ex concuſſione neque pruritum neque frequentem mictionem faciunt, neque amplius urinam impedire poſſunt: Quod in duobus N. expertus ſum, quorum uterque diuturno vexatus veſicæ calculo, cum multis & gravibus ſymptomatis, adhærente eodem calculo ipſi veſicæ, vitam per multos annos ſine moleſtia duxerunt. *Saxonia Prælec. Pract.*

III. Mercatus 4. claſſes medicamentorum calculum frangentium conſtituit, atque in tertia recenſet ea quæ impropriè lapidem frangere putat, & abſtergendo tantum, atterendoq; ſuperficiem hoc prodeſſe dicit: Et talia docet eſſe omnia quæ ſua aſperitate abſtergunt & veluti atterunt, duo enim corpora aſpera ſimul colliſa atteruntur: huc pertinent lapides ſpongiæ, lyncis, cinis corticum ovorum &c. Talium uſum quidam reiiciunt quod vix veriſimile ſit lapidem in veſica atterere poſſe, illæſis partibus intermediis: At notandum talia non integra exhiberi, ſed in ſubtilem pulverem comminuta, imo ſoluta & in magiſteria redacta, ubi non minus efficacia eorum à ſpiritu ſalino pendet, intima lapidis ſubeunte, atque in minima eum ſolvente, Non ſecus ac ab aquis fortibus metalla & mineralia, ab aceto corallia, margaritæ & ſimilia ſolvuntur: Quo fit ut uſus ejuſmodi medicamentorum repudiandus non ſit *Sennertus.*

IV. Sunt quidam in ea opinione, quæ à ratione aliena non videtur, aquis per catheterem in veſicam immiſſis lapidem frangi poſſe. Nam cum iſtæ aquæ nihil alterentur, & virium nihil amittant in tranſitu, ſicut medicamenta quæ aſſumuntur, ſed rectà in veſicam ad Calculum penetrent, vim ſuam in eum integre exercere poſſunt: licetque extra corpus humanum in lapidibus è veſica extractis, vel excretis prius harum aquarum vires experiri. *Cardanus* has conditiones in his aquis requirit, ut lapidem atterant, & ut veſicæ ſint innoxiæ: commendatque ille aquam ex cinere ſcorpionum, petroſelini, radice bruſci, lapidibus cancri, ſtercore columbino, parietaria, mavultque talem aquam parari ex pluribus ſimul miſtis quam ex uno ſimplici. *Sennertus.* Deceptores indicat *Rolfincius* cont. 3. l. 9. qui injectionibus per ſiphonem aliquid effeciſſe gloriantur. *Zecchius* inanes judicat eas injectiones.

V. Novi quendam qui per ſeſqui-annum à Medicis ut calculoſus curabatur, cum ſigna pathognomonica adeſſent, pondus ſeu gravedo circa pubem, ſtrangoria, dyſuria, procidentia ani, pruritus glandis, &c. Proficiſcitur ille in Gallias lithotomo ſe ſubjecturus, Ubi Lutetiæ per duos menſes hæreret, ac vino meraciori uteretur, tertio menſe, integras per 40. ſeptimanas ingentem materiæ plane argilloſæ copiam per urinam excrevit: Et ex eo tempore optime ſeſe habuit, neque tantillum amplius ſenſit: ſaltem potu diuretico, e. g. vinis dilutioribus poſtmodum uſus fuit. *Ph. Salmuth. cent. 1. obſervat.* 25.

VI. Rara eſt veſicæ prava conformatio, quæ tamen accidere poteſt, & diligenter notanda in explorando calculo, ſi quando præſentibus ſignis omnibus pathognomonicis, cathetere is non deprehendatur, Nam in quibuſdam duplex veſica inventa, in aliis ſepto membraneo diviſa, *Riolanus Anthropogr. lib* 2. *cap.* 14.

VII. Occurrit & alius calculum extrahendi modus, Digitis in anum immiſſis Chirurgus calculum verſus anteriora ventris detrudit, mox per foramen ſecundum fibrarum ductum in muſculo recto ſupra os pubis factum, ope lapidilli aut forcipis calculum extrahit: Hoc modo ſi procedat operatio, urinæ ſtillicidium nunquam eſt metuendum, & præterea amplior calculo educendo conceditur locus: Sed interim per ſe periculoſa atque moleſta hæc eſt operatio: nam ſi labia vulneris in veſica facti, haud uniantur muſculis abdominis, exulceratio veſicæ ſequitur; quæ non tantum inſignem dolorem movet, ſed & ipſo calculo incurabilior habetur: *Barbette Chirurgia part.* 1. *cap.* 26. Calculi ex inguine ſectionem laudat *Rouſſetus* ex *Franco* quodam, à quo ſectio illa *Franconiana* dicitur, in pueris præſertim: Nec Hildano diſplicet in grandioribus calculis, qui ad perinæum perduci non poſſunt, minori enim cum dolore ac periculo hæmorrhagiæ ibi extrahi: Veſicæ conſolidatio illum non terret, quia fibras carnoſas habet, quarum beneficio calor ejus innatus fovetur & vulnera curantur: Vulneratæ veſicæ feliciter curatæ proſtant exempla: Et cum ipſe ventriculus uterusque ſine damno & vulnerentur & ſanentur, quid in hac veſicæ ſectione periculi ſubeſſe poſſit non video ſi exercitata manus acceſſerit. *Bartholinus cent.* 4. *Epiſt.* 21.

VIII. Sæpe decipimur ſpecie calculi, ut in Nob. Viro, poſt urinæ cruciatum in octavum menſem, ambigentibus Medicis & Chirurgis de calculo, adhibitis fruſtra remediis, tandem apertio facta ut ſolent lithotomi: liberatus omnino dolore, non invento calculo, ſed carne in collo veſicæ, quæ paulatim conſumpta eſt convenientibus remediis. *Scholiogr. ad cap.* 50. *lib.* 1. *Holler.* An Chirurgia in perinæo ob calculi ſolum eductionem tentanda ſit, vide *Riolani* Encheir. Anatom. ſub finem: Inſtitutæ feliciter exemplum, ob iſchuriam cito lethiferam, niſi præſto fuiſſet id auxilium à carunculis magnis veſicæ oſtium obſidentibus, vide Anatomen noſtram Practicam lib. 3. ſect. 24. obſervat. 13. in Appendice.

IX. Summe nocet veſicæ urinariæ Calculus ipſi adnatus, quem ſive tollas ſive relinquas perinde occidis ægrum: Talis periculoſæ accretionis exemplum licuit videre in cadavere, cujus veſica continuit calculum membrana involutum, & fibris tam ſtricte veſicæ tunicis alligatum, ut vix inde avelleretur ſine manifeſta dilaceratione: Miſero cuidam lithotomus ademturus Calculum, extraxit ſimul & ipſam veſicam, utpote calculo tot & tam tenacibus vinculis accretam, ut nequiverit ulla arte ab eo ſeparari: Viderint itaque hic lithotomi quam facilè decipiant ipſos candela cerea; & quam parum fidendum penicillo ferreo, tentandi gratia in veſicam immiſſo: quippe renitens durities eſt ipſis infallibile præſentis calculi indicium: At calculus ſua tunica obductus, nec reluctatur tactui, nec percuſſus edit ſonitum, quocirca non credendum ſolis hiſce experimentis, ſed vocanda in ſubſidium alia ſigna: Sed quid faciet lithotomus inveniens ejuſcemodi calculos inciſa jam urethra, & dilatato ritè veſicæ collo? tollet an relinquet? tollet ſequaces & relinquet reluctantes? Neque enim omnes involucro incluſi adnaſcuntur veſicæ, ſed quidam illutum fluctuant liberè, prodeuntque non minus facilè ac ſi nulla tegerentur membrana, quod quidem vidi in duabus mulieribus: Quod ſi verò veſica ſit male conformata, ſive ob membraneum ſeptum eam dividens, quod vidit G. Bauhinus, ſive ob ἄκρον adhærentem, ut in Ill. Caſaubono, ſive ob membranas ipſius complicatas, & pubis oſſi arctius accretas quam ut poſſit ſectio inſtitui ſine evidenti veſicæ offenſa, qualem huius partis ſitum equidem aliquando obſervavi in quodam ſectioni jam deſtinato, tum non minore circumſpectione opus erit, uti videre fuis in exemplo hic inſerto, in quo ingloriam certè operam collocaſſet lithotomus, niſi perterritus à perverſo hoc veſicæ ſitu, ſuſtuliſſet prudenter manum de tabula, Latitabat namque hic calculus tam perplexo errore (ut docuit Anatome) contortæ huic veſicæ implicitus, ut ne ipſus quidem Æſculapius eum inde exemiſſet ſine manifeſto vitæ periculo: Cujuſdam quoque veſica continuit duos calculos à corrugatis ipſius tunicis tam arctè circumdatos, ut præter illos vix unciam recepiſſet liquoris &c. *Nic. Tulpius lib* iij. *Obſervat.* 5. *&* 6. *vide Schenckium l.* 3. *p m.* 471.

X. Multa vulgaribus lithotomis, in eductione calculi, committi ſolent errores, primus eſt cum ægro diebus proximè præcedentibus, ac toto curationis decurſu, liberum vitæ genus permittunt, nec diætam nec præparationem præmittunt, unde multa in

commoda, imo mors, ſequuntur, quia à corpore plethorico aut cacochymico omnia ad locum affectum confluunt: præcedat ergo diæta, præparatio, purgatio &c. 2. Exiſtimant quidam rem acu ſe tetigiſſe, ubi ægros ante inciſionem antimonio, mercurio vitæ &c. purgant, At iſta violenta vires & calorem nativum debilitant, unde æger plerumque ab operatione ſuccumbit. 3. Quidam aliquot ante operationem diebus mane & veſperi plenum hauſtum potionis ex decocto radicum ononidis, ſeminum milij Solis &c. exhibent, quò calculus ad collum veſicæ pellatur; at multa damna inde manant, multi enim humores à toto ad vias urinarias feruntur, unde poſt inciſionem periculoſa ſymptomata, inflammatio, gangræna, ſpaſmus, mors &c. Quare benignæ tantum potiones purgantes exhibendæ, quia ſi purgantia per alvum ſimul etiam per ureteres purgare poſſunt, quanto magis electivè trahentia, quæ quoque vim diureticam obtinent, præſtabunt? *Fabritius Hild. c. 23. de Lithot.*

XI. Tria ſunt loca propoſita ab authoribus per quæ educi Calculus poſſit, 1. Orificium veſicæ (ut fit in mulieribus) per quod teſtatur *Alpinus* lib. 3. cap. 14. in Ægypto ſe vidiſſe, dilatata per flatum urethra, in viris eductum fuiſſe calculum. 2. Ea pars hypogaſtrij, quam pubem vocamus, latiore vocis acceptione: quem locum commodum eſſe cæteriſque præferendum probat *Rouſſetus* lib. de Partu Cæſar. c. 7. poſtquam audiviſſet eum ſemel feliciter ſucceſſiſſe Petro Francuni, qui tamen ipſe hunc modum improbat: 3. Ordinarius, & hactenus apud omnes receptus locus, in viro & puero, eſt Perinæum: utitur autem Pariſienſis lithotomus Collot, atavis editus lithotomis, Apparatu magno, in cujuſcunque ætatis ægris, quia cenſet intruſione digitorum in anum, ut & abdominis violenta compreſſione (qualis in pueris ex veteri formula ſolet adhiberi) non ſolùm excitari ſummos dolores, ſed præterea inflammationem & gangrænam dictarum partium: Hoc teſtamur ij qui aliquando experti ſunt explorationem calculi per digitos in anum immiſſos, etenim apertè pronuntiant nec ſectionem, nec calculi extractionem, tam fuiſſe ipſis dolorificam quam ejuſmodi explorationem: quanto magis hoc dicendum de puerulis, in quibus hæ partes admodum molles ſunt & anguſtæ *I. Van Horne Microtech. p.* 151.

XII. Lithotomi calculo educto in plurimos ſæpe incidunt errores, qui emendatione egent, Nonnulli vulnus una aut altera ſutura, quo citius coaleſcat, adducendum exiſtimant: male autem faciunt 1. quia neque turunda, ut par eſt, immitti, neque ſanguis in veſica collectus, unde multa ſymptomata, ſiſti poteſt: 2. notum ab extracto calculo ſæpe ſupereſſe arenulas, phlegma, ſanguinem concretum, pus &c. quæ non exempta multum nocent 3. talia abſint, certum tamen veſicam tamdiu afflictam, tempore egere ad expurgationem craſſi & viſcidi phlegmatis quod quotidie generat: at id per hiatum vulneris fieri neceſſe eſt; nam cum meatus urinarius longus exiſtat & anfractuoſus, ideo per illum, debili præſertim vi expultrice, vacuari nequit: eo autem humore in veſica retento, perfecta ſanatio ſperari nequit: 2. Multi lithotomi ægrum ſtatim ab operatione in ſemicupium (cui herbas quidem appropriatas incoquunt) conjiciunt, ac per dimidiam horam detinent, doloris leniendi gratia, & corporis, inter inciſionem aliquomodo refrigerati, calefactionem: At ſic metus imminet hæmorrhagiæ, reſeratis vaſis) quam excipit leipothymia & imbecillitas, quæ una eſt è cauſis mortis poſt operationem; ſic peccant contra aphor. 5. 23. Demum à balneo multum ſurſum emittitur vaporum, altera leipothymiæ cauſa: Huius præterea proprium eſt attrahere, unde magna humorum copia e ſuperioribus, præſertim lumbis, jam ab operatione commotis, quaſi vi deorſum trahitur, hinc tumor, intemperies, aliaque ſymptomata ſubſequuntur, laxatis uſu balnei omnibus vaſis & meatibus, adeo ut humores excrementij omnes ad vulnus confluant, ſanationemque impediant: 3. Lithotomi quidam uſum Turundarum rejiciunt, nervoſque omnes ad citam conſolidationem intendunt: Citò quidem debet mederi Medicus, ſed & tutò, at ſecuritas abeſt ſi collum veſicę per dies aliquot à lithotomia apertum non tenetur turundarum beneficio, non mundata veſica ab arenulis & phlegmate, quæ denuo concreſcunt ob empyreuma relictum & inflammationem in veſica; unde malum poſterius priore pejus, ſuccedit quippe facillimè gangrena: 4. Notandus error famigerati Chirurgi, qui ſcribit ſat eſſe, ſi extracto calculo, vulnus linteo mundo operiatur, utinam ſatis vulneri mederi, deterſione & conſolidatione qua pollet, modo, addit, nulla ſuperveniant ſymptomata: Et rectè, quomodo enim ſymptomatis, dolori, tumoribus, inflammationibus &c. vulnera contuſioni juncta ſequi ſolitis, occurres? quin ſi ea præcavere vis, & mortem certo ſequuturam, turundis apertum tene vulnus, alias cum tumore ita coaliturum, ut nec urina, nedum humores viſcidi, ſanguis, pus, ab inciſione reſidua, effluere queat: adde quod remedij vicem ſubire nequit urina, à dolore, calore p. n. & febrili acrimoniam & vim corroſivam nacta: Experti norunt cohibitam urinam cauſam exiſtere præcipuorum ſymptomatum lithotomiam ſequi ſolitorum: prudens ergo Chirurgus facilem illi paret exitum cannularum & turundarum ope. 5. Non levior quorundam error qui veſicam ab impuritatibus, phlegmate, arenulis &c. crebris potionibus traumaticis, mundare ſatagunt, hinc vulneris integram ſanationem expectantes: At has ad veſicam uſque trajicere quis credat, aut emolumenti aliquid afferre, cum nec, ipſo Galeno teſte Artis med cap. 96. diuretica, quanquam leptomeria prædita, eo uſque pertingant? an veriſimile potiones traumaticas, quæ exſiccant & adſtringunt, eo penetraturas. 6. Sunt qui ſtatim ob operatione pulvillum, vino calido imbutum, tanquam ſingulare præſidium, non initio ſolum, ſed toto curationis decurſu admoueant, inde lenitionem doloris, affluxus humorum repulſam, ſanguinis cohibitionem ac ſuppurationem ſperantes: At ſanguinis fluxum vinum, natura calidum & acre, non ſiſtet, ad quod opus medicamenta frigida & ſicca requiruntur: dolorem verò non mulcebit, nedum ſuppurationem promovebit, pote calidum, & acrimonia vulnus vellicare potius quam leniſe natum, quod muneris calidis ſolum & humidis, omniſque acrimoniæ expertibus conceſſum *Hildanus.*

XIII. Ubi Calculus exiguus è veſica in urethram propulſus, urinæ exitum intercludit, triplici modo eximitur, Scalpello, Unco, Suctu: Ferro, quantum licet, parcendum monet *Hildanus*, quod ſemper in loco inciſo cicatrix dura, meatus urinarii dilatationem impediens, remanet, unde interceptio calculi ſupulterum generi, qui novam ibidem inciſionem, vel loco proximo requirit, cui vulneri fiſtula ſæpe ſuccedit. At ſi calculus prope glandem hæret, intrepide ſecandum, quod in carnoſo colis fine minor & mollior ſuccedat cicatrix,

quàm

quam medio membranarum ductu. Quò tamen non deveniẽdum niſi, irrita aſſumptione diuretica, ſimulque mollientis potionis laxantiſque balnei inceſſu. Ab unco exaſperatio imminet lævis urethræ tunicæ, cujus vicem ſupplere poſſunt *Paræi* l. 17. c. 4. parvæ terebræ, vel *Hildani* tenaculum. Suctu tutiſſimè eliciuntur Calculi etiam aſperrimi, judice *Tulpio*; quanquam improbet *Hildanus*, quod ſic contrahatur potiùs quam dilatetur meatus urinarius, alliciaturque humorum & ſanguinis copia ad penem, à quibus mali augmentum. Quarta ratio ab Ægyptiis invecta, de qua *Alpin.* de eorum Med. iij. cap. 14. Inflatio ſcilicet colis per oris ſpiritum, conſtricta ejus parte quæ ventrem ſpectat, ſic dilatata vrethra calculo exitus patet, ſi ſit exiguus, reſtitat enim major. Nonnunquam ſolius catheteris beneficio elicitur; cuius periculum, ait *Tulpius*, non ita pridem facturus Lithotomus, eo ſolo perduxit lapidem veſicæ, æquantem nucleum olivæ, ultra medium urethræ: quò loci vbi hæreret furtius, inciſionis ope ſubtus factæ feliciter eductus eſt. *Vide Bartholinum Epiſt. 5. cent. 4.*

XIV. Sectio lapidis veſicæ nullomodo eſt facienda Luna exiſtente in ſcorpione (juxta præceptum *Ptolemæi* in centiloq. c. 20. Membrum ferro ne percutito, dum Luna ſignum tenuerit quod membro illi dominatur) ut inter cæteros accidit cuidam Religioſo, qui hoc tempore ſectus obiit: Cum enim tunc Luna humiditate maxima impleat pudenda cum partibus propinquis, quæ inferiori loco poſita alluvieni ſuperiorum coguntur recipere: utique ſi ſecentur, putredini facillime ſunt obnoxia, & mors in promptu eſt. *D Panarolus Pent. 3. obſ. 11.*

XV. In ſenibus provectis, qui laborant dyſuria crudeliſſima ex grandiore calculo, qui non poteſt extrahi ſine manifeſtu vitæ periculo, ut vitæ miſerias demulceamus, perinæum eo modo ſecatur, ut fit in extractione calculi, & canaliculo foramen apertum tenetur: quandiu vita prorogatur, canaliculus turunda obturatur, & ſpongia applicatur ad recipiendum ſtillatitium ſi quod ſit: Dum cupiditas meiendi urget, removetur turunda, poſtea reponitur, atque ita crudelitas micturitionis in calculoſis mitigatur. *I. Riolanus Encheirid. Anat. l. 2. c. 3. Zecchius conſultat, 58. vide Angen. Epiſt. 2. lib. 4. qui eam operationem Avicennæ adſcribit.*

XVI. Medicos moneo extremitatem colli veſicæ exteriorem non eodem in cunctis fœminis loco apparere, Enimvero pluribus ea ſupra cervicis uteri anguſtias exteriores ſub nympha conſpicitur; paucis introrſum in ſuperiori parte pudendi latet: quare hujus dilatione opus eſt, ſi quid in eam immittendum quacunque occaſione fuerit: Ejus verò meatum collumque, integrum uſque in veſicam, eatenus organo dilatante commodè extendi poſſe, ut magnum digitum non difficulter intro admittat, meminiſſe operæ pretium eſt, ſi fortaſſis huc calculum impingere, vel alias neceſſitatis occaſione requirere tantam dilatationem contingat. *Wierus Obſervat. p. 95.*

XVII. Etſi calculi inhærentes fixique vix avelluntur, ac major pars laborantium moritur, curatio tamen non eſt impoſſibilis, cum obſervetur quotidie multos fuiſſe ſanitati reſtitutos: in quorum numero vidi quendam à quo duarum vnciarum lapis fuit extractus, cyſti incluſus, quod admodum infrequenter contingit. *Angonius Epiſt. 2. lib. 4.*

XVIII. Difficilius in viris quam mulieribus, ſi parvus fuerit lapis, extrahi poteſt: nulla tamen vis facienda, quia veſica membrum eſt ſenſibile, atque pudendum quæ vbi multum agitantur, nervorum diſtentiones, & mortales excitant inflammationes, ut contigit *Vetto* qui cum lapidem haberet in meatu virgæ impactum, magna vi & labore extrahendum curavit: hinc laceratum membrum concepit inflammationem ac ſiderationem, unde mors: Tentanda ea operatio ubi lapis admodum parvus, quique facile permeet, Si ſic non cedat, ad ſectionem veniendum. *Fonſeca de Calculo. lib. 2. c. 10.*

XIX. Veſicæ calculum vix medicamentis comminutum quiſpiam vidit, ait *Guarinonius* conſ. 300. Ego tamen puero xij. ann. calculum veſicæ comminui, & fruſtillatim expuli unico hoc medicamento, ℞. *Semin. violar. purpur.* ℥ß. *aqu. fragar. ononid. alkek. ãã. q. ſ. f. l. a. Emulſio, adde aſſellor. pr.* ʒj. *ſang. hirc.* ℔ ij. ʒß. *ſpec. Lithontr.* ℈j. *ſpir. tereb.* ℈ß. m. detur ſæpe cochl. ij. Fruſtula excrevit ſatis magna & ad nigredinem vergentia, ita ut cortex unus alteri ſuperductus videretur. *Geo. Chriſt. Wincklerus In miſc. cur. anni 76. obſ. 102.*

XX. Præmiſſis præmittendis ad aliquod efficax diureticum eſt neceſſario deveniendum, quod non ſolum renes abſtergendi atque abluendi, verum & affatim ad veſicam confluendi facultate polleat, ut calculum dimovere & ejuſdem cavo innatare veluti cogat, ut facilius illius collum ſubeat, & vel expellatur, vel volſella à perito Chirurgo iterum extrahatur: Neque ab hoc opere nos deterret *Avicenna* & fere omnium Medicorum præceptum, quod nimirum in veſicæ calculo diureticorum uſus ſit prorſus vitandus, quod ſcil. eum veluti mucilaginoſa tunica exuere, ac proinde cruciatus atrociores & ſæviores inferre poſſint, Si quidem objectio locum haberet ſi de præſervatione ageretur, quæ à veſica diverſionem exigit; verum dum agitur de curatione, nimirum de calculo exiguo adhuc inum exturbando, conveniunt diuretica, imo validiora, antequam validior factus non amplius veſicæ collum ſubire, minuſque urethram penetrare poſſit. *Forius conſult. 13. Centur. 4.*

XXI. Intra urethram, ſupra carunculam, extremitates vaſorum ejaculantium claudentem, membranulam inſtar valvulæ circumtenſam, ad orificium colli veſicæ deprehendes, quæ ſeminalis humoris refluxum in veſicam prohibet, vel ne circa locos iſtos guttulæ ſeminis hæreant, Hæc membrana obſervanda introducto ſtylo, ne dilaceretur, nam facile effringitur immiſſo cathetere in veſicam, aut cereolo, ad curationem carnoſitatis. *Riolanus Anthrop. lib. 2. cap. 28.*

XXII. Calculum non in viris tantum, ſed etiam in fœminis concreſcere certum eſt: Monialis quædam xij. jam die urinam non reddebat, quod vrinæ iter calculo obſtrueretur, quò etiam materia multa confluxerat: quare cum neque ænea fiſtula, neque medicamentis aliis vinci malum poſſet, inſolitum alioquin, ſed tamen opportunum conſilium capiens, uncum calculo iniicio, ne ſcilicet concuſſus iterum in veſicam revolveretur: Tum ferramento, priori parte retuſo, calculum ipſum percutio, donec ſæpius ictus in fruſta comminuitur: & tunc omni qua potui diligentia, ne quid intus omnino læderetur, uncum ipſum pariter & ferramentum reduco, ex quo ſimul urina atque calculis emiſſis, ſtatim ſanata eſt mulier. *Ant. Beniven.*

XXII. *a.* Experientia conſtat in obſervando ægros, & ſecando mortuos, atque his ſimilibus laboribus, Aegri in quibus aut imminuta, aut ſuppreſſa eſt urina, diligenter intromiſſione ſyringis ſunt tangendi; partes enim illæ ſæpius tactæ facile læduntur, Sæpius quoque veſica ſanguinis grumis repletur, ut mortem etiam inferat. *Dom.Panarolus pentec.* 2. *obſerv.* 20.

XXIII. Ineunte Auguſto anni 1675. lithotomiæ ſe ſubjecit peritiſſimus Chirurgus Genevenſis, Franc. Sabourin, Picto: Ante aliquot menſes oppidum Divo Claudio ſacrum, ad quem via aſperrima, per rupes & confragoſa loca petierat, unde incaluere renes, primaque mali occaſio nata eſt; dehinc enim arenas eminxit, & formati in veſica calculi indicia habuit: Proprio inſtinctu aquas vice comiteoſes per tres ſeptimanas ebibit, unde renum fervor remiſit, ſed acrius urgere veſicæ innatus calculus incepit, deterſo ſcil. muco qui illum plerumque obvolvit, atque ut minus moleſtus ſit efficit: Præ impatientia Lugduno accerſit exercitatiſſimum Lithotomum Labutte, comite Peritiſſimo Chirurgo Maſſonneau: Lithotomus operi manum admovet, ſed prædicto periculo ob tempeſtatis conditionem, quanquam nulli æſtus toto anno fa elgáverint, & Sol ubique officii oblitus videretur: teſtis meſſis in Auguſti finem protracta, & vendemia ad Novembrem: Rite ſucceſſit operatio, illico enim occurrit lapis ovi columbini magnitudine, amygdalæ forma, aſper, ſine vi exemptus: mors nihilominus ſeptima ſequitur die (concitata in perinæo & ſcroto gangræna) infauſto illi ſideri adſcripta: Quod equidem non nego, ſed maximam partem exitû facili lapidis exitui imputandam reor, quatenus ſcilicet parcior ſanguis, pro ratione ægri temperamenti, qui plethoricus erat, e vulnere exiit: Nam ſtatim ab ἐγχειρήσει pro more admotum cataplaſma adſtringens ſanguinem intus repreſſit, qui in veſica plurimus concretus & niger repertus eſt, unde necroſis partibus vicinis inducta.

XXIV. Hiſce temporibus apud Lithotomos vulgares uſitatiſſimus calculum extrahendi modus eſt per *Apparatum parvum* dictum, Ægro, ut par eſt, ligato. Chirurgus indicem, ſeu medium ſiniſtræ manus digitum in anum immittit, dextra vero inferiorem ventrem fortiter, deorſum verſus, veſicam deprimit, Non tamen nuda manu venter comprimendus, ſed linteum molle multiplicitet reduplicatum, vel ſtuppas in manibus contineat; quoniam ventre hac ratione manu compreſſo, muſculos ſæpenumero offendi atque contundi contingit, unde dolor, tumores, inflammationes &c. ſubſequuntur, Repertum igitur digito in anum immiſſo Calculum, ad collum uſque veſicæ protrudit, tumque inciſionem ſupra calculum inſtituit, eumque digitis in anum immiſſis foras propellere conatur: Quod quidem non nullis, præſertim quando parvus eſt calculus, feliciſſime ſuccedit, ſin minus, reliquum hamulis peragunt: Quam periculoſa autem ſit operatio iſta, ſapiens quivis colligere poterit, ubi perpenderit quod in ea Chirurgus facile partes collo veſicæ adjacentes, vel ipſum collum, imo quandoque etiam ipſum veſicæ muſculum perfodere poſſit; unde t. quidem ingens hæmorrhagia, ob venarum eo in loco concurrentium, & periculoſos ſanguinis fluxus concitantium multitudinem: Deinde etiam verendum eſt ne æger urinam retinere nequeat, aut fiſtula i. parte affecta remaneat: Obſervatum etiam quod in operatione illa veſica ipſa, eo quod evacuata in ſe collabitur, imo etiam inteſtinum rectum ſimul vulneratum, adeoque diſſectum fuit, ita ut lithotomus ipſe digitum ſuum, ut *Petrus Francus* teſtatur, novacula offenderit, tumque urina per inteſtinum rectum, & vice verſa, alvi fæces per vulnus effluxerint: Illud porro in ea operatione notandum, quod ſi ſorte contingeret ut Chirurgus in inciſione partes transfoderet, quomodo ſe gereret? An ob dolorem proprium ab operatione deſiſtere, opuſque imperfectum relinquere cogeretur? Quamvis igitur modus iſte à veteribus quibusdam adhibitus fuerit, Chirurgo tamen ſuadeo ut diligentiorem examinet &c. *Hildanus lib. de Lithot. cap.* 13. Dictis ex obſervatoricina mea addi poſſunt, quod calcolus, licet membranis veſicæ fuerit incluſus, digitis ad collum uſque veſicæ compelli queat, & ſi ſupra hunc fiat inciſio, incurabile excitetur ulcus: Quod etiam calculus magnus ad veſicæ collum non protrudatur niſi violentiſſima abdominis compreſſione, cui facile gangræna & ſphacelus inteſtinorum & veſicæ ſuccedit. *Scultetus Armam. Tab. xli.* Difficultates quæ in hac ſectione occurrunt vide apud *Bartholinum* Epiſt. 19. *cent.* 4. Hanc tamen bis feliciſſime peractam vidi in uno eodemque puello, à peritiſſimo Lithotomo Dom. *Covillard* Montælimaticoſi: Eduxit is anno 1655. calculum ovi columbini magnitudine, breviſſimo temporis ſpatio, ita ut tota Chirurgia abſoluta ſit intra id ſpatium quod recitandæ orationi Dominicæ ſufficit: Anno elapſo idem puellus, ob mineram petrificam in renibus ſuperſtitem in idem malum recidit; Exercitatiſſimus Chirurgus, digitis in anum intruſis, prædixit novem latere in veſica calculos; hos in cumulum ad locum ſectioni deſtinatum, congerit, qui novaculæ ſubſtrati, peracta inciſione educuntur prædicto numero, quidam fabæ, alii piſi magnitudine: Sed ob calculoſam in renibus & veſica diſpoſitionem puellus tabidus anno ſequenti interiit. *Vide Horne microt. p.* 152.

XXV. Operatio, dummodo peritam manum ſortiatur, in patiente, alioquin boni habitus, & integratum virium, ſemper eſt tutiſſima, ea lege ut fiat potius amplior quam anguſtior, cum non ſatis conſtet de calculi magnitudine: Si enim fuerit anguſtior, dilacerantur partes in extractione calculi, atque ita ſuborto ulcere febris quandoque interitum accelerat. *Silvaticus conſ.* 59. *cent.* 3.

XXVI. Ad lapidem conterendum quidam dicunt Lac quam opportuniſſimum, quoniam humore quidem ſqualſori lapidis adverſatur, tepore autem tum cjus frigori, tum calori lapidem procreanti, quibus nominibus Lac omnibus ſit anteferendum. Ego vero nulli Lac præbendum cenſeo, cum nihil earum virium habeat quæ ad frangendum lapidem poſſunt eſſe idoneæ, nempe eum qui ex arenulis conflatum eſt, quod incidentium vi tantum diſſolvi poteſt; Cæteris vero omnibus etiam lac poſthabendum, cum non ſit tutum; fere fit ut quæ viribus præſtent, ea ſolum cum periculo agere videantur: quæ vero parum viribus valent, etiam minimum periculi præ ſe ferant: In lacte tamen contra evenit, ut cum nihil efficaciæ habeat, ſummum tamen periculum contineat; nam ſicuti viribus efficacibus caret, ſic materiam lapidi augendo maxime idoneam ſubminiſtrat, quod ratione, authoritate & experimento nobis certiſſimum eſt: Ratione, quoniam cum Lac, ex ſanguine natum, terrenæ & glutinoſæ multum naturæ optime commixtæ habeat, unde facile concreſcat ſi à calidioris ventriculi calore torrefiat, quoniam partibus ſuis levioribus tenuioribuſque in nidoroſum fumum evadit,

ſero

ſero autem in ſalſum liquorem (ſic enim aquæ ferè torrefactæ & pituitæ evenit, & eo facilius ſero) caſeoſis autem & terrenis, glutinoſiſque ſui partibus aliis in craſſamentum quoddam degenerat, lapidi perquam idoneum; Credo non eſſe ignotum vobis quam firmiter jungunt tabulas opifices materiarij ipſo caſeo calci adjecto; hæ itaque lactis partes, quæ in ſe ipſis tandem, dum calor evaneſcit, concretæ, facilius lapidis formam ſubire poſſunt: Authoritate Galeni confirmatur, lib. de cibis boni & mali ſucci: Experimentum idem oſtendit, nam viſa ſunt eorum corpora, qui dum ex lapide ægri eſſent, & ardori urinæ auxiliaturi lac quotannis ſumpſiſſent, alios ab uno in plures lapides inciſiſſe, alios è parvis in maximos, pluribus corticibus conflatos. *Guarinonius Conſultat.* 300.

XXVII. Calculi in urethra veretro ſubtenſa, ſi exſcindendi ſint, nec aliter extrahi poſſint, digitis ſupra infraque probe firmandi ſunt, nec poſt vulnus factum dimittendi donec proſiliant, aut volſella extracti fuerint: Si enim dimittantur, vulnus urethræ à cute incubua ita occultatur, ut amplius reperiri nequeat, ob convexam urethræ ſuperficiem, & cutem ipſi laxe incumbentem. *I. Iac. Wepferus in Miſc. cur. anni* 1672. *Obſ.* 167.

CANCER.

SYLLOGE.

A ſcirrho quomodo diſtinguatur. 1.
Medicamentis non irritandus. 2. 9. 23.
Curationis difficultas unde pendet. 9.
Aliquando non attingendus. 20.
Curatio ſit tentativa. 6.
Purgatio *frequens noxia.* 24. 25.
Quomodo inſtituenda. 15.
Sanguinis miſſio *eſt neceſſaria.* 16.
Cardiaca *potionibus vulnerariis præferenda.* 26.
An repellentibus *utendum.* 4. 5.
Dolor narcoticis *aliquando mitigandus.* 8.
Non ſemper juvant. 23.
Doloris ſedatio per carnis pulli admotionem. 20.
Arſenico & ſublimato *non incautè utendum.* 3.
Efficacia laminæ plumbeæ *admotæ.* 14.
Mercurio leviter obducatur. 17.
Curatio per medicamenta & ferrum. 7. 6.
Ob occultum ſi membrum reſecandum, ligatura ubi inſtituenda. 25.
Sine Topicis proba diæta multum valet. 21.
Parvus & occultus medicamentis reſolutus. 26.
Labii cancer *inſtrumentis aqua fortis madefactis non exſcindendus.* 10.
Forfice non attingendus. 18.
Sectione detractus alibi reviviſcens. 19.
Mamma medicamentis curatus. 22.
Mammæ cancer *quâ auferendus.* 11.
Sectio mammarum cancro, quomodo ſanguis ſiſtendus. 13.
Non ſemper acus trajectio neceſſaria. 12.
Recens augmento prohibitus purgationis ope. 15.
An in eo repellendum. 5.
Occulti rara ſpecies. 19.
Phlegmone mamma cancrum referens. 24.

I. C*Ancer* à ſcirrho difficulter diſcerni poteſt, niſi ita, Si nempe leniens & emolliens medicamentum impoſueris tumori, & poſt duas vel tres horas illum imminutum vel ablatum videris, ſuſpicio nulla eſt de Cancro: Si verò tumor non ceſſit, ſed in ſpongioſam ſubſtantiam excrevit, Cancer certò eſt, *Valeus meth. Med. pag.* 11.

II. Id ſanè obſervatum eſt duplex in *Cancro* venenum eſſe, unum putrefactivum, alterum corroſivum: Si ei admoveas calida ac humida remedia, quæ pus promovere ſolent in apoſtematibus ac ulceribus pepaſmi capacibus, inde in altam putredinem degenerabunt, cunctaque vicina putrilagine contaminabunt: Quod ſi illam foeditatem Cauſticis caſtigare volueris, ſurget alterum quod in Cancris venenum eſt corroſivum, ac vicina cuncta exuret: *Heurnius comm. ad aph.* 38. *ſect.* 6. Matrona 50. annum prætergreſſa, ſubſiſtentibus menſibus tuberculo ad pupillam dextram correpta fuit, ab initio duro & indolente: annis aliquot poſt cum accreſceret & dolorem inferret, Chirurgum in conſilium adhibuit, qui emollientia & pus moventia per menſem ferè integrum cum adhibuiſſet, paulatim aucto dolore ruptum eſt tuberculum, quod mox in malignum, dolorificum, foetidumque ulcus tranſiit, quod ipſi lethale tandem fuit. *Fabricius Hild. centur.* iij *Obſer.* 87. *Vide ibidem alia exempla & cent.* 1. *obſ.* 89. Cancer occultus latet ſæpe diu ſine offenſa, ſed irritatus exedit cutim: eaque, ſive ſponte, ſive curantis imperitiâ, adaperta coercetur deinceps nullis repagulis, ſed inſtar ſævientis feræ, depaſcitur quicquid obvium: Et quo liberius exhalat vapor illi incluſus, eo impenſius quoque affluit humor tumorem adaucturus: ad cujus intima ſi quidem penetret circumfluus aër, à tunicis antea excluſus, inſequitur illico & major putredo, & uberior partis affectæ luxuries: quam ſi ſatagas vel ferro vel acribus inhibere medicamentis, idem facis ac ſi primo vere coneris ruſus in gyrum redigere, quem ſemel diſſolueris conglomeratarum araneolarum globum: Filia *Geropii Becani* tulit in ſiniſtris temporibus quinquaginta amplius annos durum ac inæquale carcinoma, ſed ſine ulcere ullave gravi noxa: verum increſcente paulatim dolore & pruritu, impoſuit tumori improvidè neſcio quæ adurentia medicamenta, quibus cutem erodentibus, degenerabat brevi in carcinoma ulceratum. *Nic. Tulpius lib.* 1. *Obſerv.* 47.

III. *Septica*, nonnihil repreſſa crebra lotione ex portulacæ ſucco, limonum, ſolatri, aut ſempervivi, ulli ulceri adhibenda ſunt, debentque cerato leni permiſceri parva copia, & in parte quæ à principibus procul abſit: majore enim copia, nec repreſſa, in ulceribus cordi propinquis, ut in mammæ cancro, illa præſertim, arſenicum & ſublimatum, mulierem diebus ſex ſuſtuliſſe notavi, perinde ac ſi id hauſiſſet, horis circiter tribus ab inſperſo pulvere, vehementi rigore concuſſa, vomitione mox tentari coepit, & crebris animi defectionibus corripi, cum pulſu languido; quæ dein ſenſim aucta, oborto extremarum partium frigore, & facie reliquoque corpore ſupra modum intumeſcente miſere illam jugularunt. *Fernelius meth. med. l.* 6. *c.* 18. Cave ne medicamenta *Fedronis* adverſus cancrum uſurpes, conſtant enim ex arſenico: at arſenicum exitioſum eſſe medicamentum in cancroſis affectibus certum eſt: Non igitur audiendus *Penotus*, qui lib. de vera præpar. & uſu med. Chymic. medicamentum ſuum ex arſenico conflatum ad aſtra extullit: At optimus vir ab aliis ſeductus fuit, nec ejus unquam periculum fecit, uti nec *Philippus Mullerus*, quem in myſteriis & miraculis Medicis deſcribit: Fraudis & erroris origo inde eſt *quod*

Theodoricus & *Lanfrancus*, quos ſequutus *Guido*, Cancrum diſtinxere in Cancrum apoſtema & Cancrum ulcus; Cancer apoſtema, eſt affectus ſic dictus *Hippocrati*, *Gal. Avicenna* & aliis, rationalibus Medicis & Chirurgis: Cancer vero ulcus, (ſic vocat *Guido*) eſt quando ab ulceribus aut vulneribus, irritatis ab acribus medicamentis, aduruntur & commoventur humores pravi, melancholici, trahunturque à toto & membris vicinis cum in locum, ubi putreſiunt, caleſiunt, acrimoniam & veneficam qualitatem induunt, unde augmentum malæ diſpoſitionis, & fit cancer: Hæc *Guido*: Sed talia ulcera, quamvis maligna, & plerumque contumaciſſima, Cancri tamen non ſunt, nec cum Cancro vero confundi debent, cujus contumacia omnium ulcerum malitiam multum ſuperat: Porro in Cancro ulcere, vel potius ulceribus pravis & malignis, Pulvis ſive arcanum Medici Norimbergici, uti & ungu. meum eſcharoticum convenire in multis expertus ſum, at in vero Cancro minimè uſurpandum. *Fabritius Hildanus cent. vj obſervat.* 82.

IV. Si in parte affecta materia peccans ſit in aliqua exigua quantitate, tunc nullum eſt inconveniens ut *pars corroboretur*: quia roborata parte, id exiguum quod relinquitur à natura facile reſolvitur: *Preceptum id colligitur ex Galeno 14. meth. cap. 9. ubi ait Initio cancri* eſſe repellendum ad partes principes excrementum, ſi modicum ſit; Quia niſi ſubito repellatur, humor melancholicus ſtatim diſtendit venas, quibus extenſis cancer redditur incurabilis: Quod verò ita ſit, patet ex *Galeno 6.* aph. 38. ubi ait radices cancri eſſe venas quæ diſtenduntur ab humore melancholico: quæ venæ niſi auferantur, Cancer curari non poteſt, *Sanctorius lib. de Rem. Invent. cap.* 15.

V. Præſcribenda videntur *Repellentia* in Cancro mammarum, ad intercipiendam majorem fluxionem, ſi obſervemus intumeſcere indies partem affectam, indicio continuæ fluxionis, quæ alio repellenda videtur, parſque affecta ſub-adſtringentibus roboranda, ne adeo ſit opportuna fluxioni recipiendæ: Ex alia parte habemus Hippocr. præceptum, *Cancros occultos melius eſſe non curare*, Imò, ſi ex Galeno Parotidibus conveniant evacuantia potius quam repellentia, ne materia ad cerebrum trudatur, quantò magis abſtinendum ab his in tumore Cancroſo Mammillæ, cordi proximæ: Quare ſtatuo, quod ſi eſſemus in principio morbi fiente, tunc non eſſet abſtinendum à levioribus quibuſdam repellentibus, permixtis cum levioribus digerentibus, In quem uſum uti ſoleo oleo roſato complero, agitato in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo ad mediocrem conſiſtentiam: hujus enim linimenti beneficio non ſemel ſuperavi cancros incipientes, repulſa & reſoluta materia peccante: Ad validiora autem repellentia, neque in principio deveniendum erit, quia denſata magis ſpongioſa mamillarum ſubſtantia, ſanguis non tarò recurrit ad uterum, ubi generatur Cancer: Neque in progreſſu, quoniam accelerant exulcerationem. *Silvaticus conſ. 33. centur. 2. Mammarum cancer* poteſt abſcindi ſi parvus ſit & altas radices non gerat: Si magnus eſt, & materia jam collecta ſit & putrefacta, ſatius eſt materiæ exitum dare quam materiam illam putrefactam relinquere: nam experientia didicimus materiam illam graviſſimos dolores inferre, qui poſt apertionem mitigantur: Adde quod ex diſſectione novimus thoracem repleri ſero ſanguineo nimio uſu repellentium, quod anno 1553. cuidam contigit, qui priuſquam moreretur laboravit magna anhelandi difficultate, nihil aut parum expuebat, tandem poſt obitum repertæ ſunt in thorace ſeri amphoræ quatuor: Quod accidiſſe puto propter laminam illam plumbeam quam ſemper geſtabat, & medicamenta fortiter refrigerantia & repellentia quibus uſus eſt, etiam poſt ſuppurationem: argumento eſt ſanguinem reſudaſſe in pectus, quia tumor maximus erat, qui deminuit, & longè minor factus eſt poſt uſum illorum remediorum. *Rondeletius Pract. lib. ij. cap.* 23.

VI. Carcinomata, ſeu cancri, ſi curandi ſine radicibus, nulla alia ratione curari poſſunt, quam ulcerati quidem, uſtione: non ulcerati, ſectione: Nam eſſe aliquos qui curari poſſint, conſtat ex Hipp. lib. 7. Epid. de eo cui carcinoma in faucibus exuſtum eſt, ac per eum ſanitati reſtitutus: Alios qui neque poſſint neque debeant, quod ut *Celſus* dicit, concitentur & increſcant, donec occidant: Differentia vero non eſt in morbi ſpecie, ſed ſucci qualitate: nam in ipſis atræ bilis ſpeciebus, ſunt aliæ aliis acriores aut mitiores: Si ergo ex aliis ſymptomatis agnoveris eſſe adeo acrem homini atram bilem, ut levi de cauſa plurimum exacerbetur, fortaſſe ne tangere quidem audebis: Sin autem ad terreſtris aut ſanguineæ melancholiæ naturam atra bilis, quæ homini ineſt, ex aliis ſentiatur vergere, tentabis cauſticis urere: ac ſi res incipiat bene cedere, procedes feſtinanter ad ignem, præcipue ſi malum ſit in parte quam facile ac brevi depaſcere poſſit morbus, cujuſmodi ſunt fauces: in talibus enim, etſi non ſatis certus ſis an ſuccus poſſit ferre id auxilium, tentabis etiam cum periculo urere: quia neglecta curatione, facillimè exedetur, etiam à ſucco non omnino immiti, Tentabis ergo vel cum periculo curare morbum certò interempturum: Quam ob cauſam *Celſus* lib. 6. cap. 15. jubet ulcera cancroſa in ore aduri, ſi medicamenta non proficiant: Erit verò, ex ejus ſententia, aduſtis imponenda lenticula donec ſaneſcant. *Valleſius lib. 7. Epid pag.* 898.

VII. Cancer & medicamentis & ferro tollitur: Ferrum præſtat medicamentis, nam erodentia & acria faciunt dolorem, hic affluxum copioſiorem, convenit tamen interdum cura illa, ubi eroſio fieri debet in interſtitiis digitorum & inguine, in his enim ob tendines & membranas ſectio nimis dolorifica eſſet: Inter medicamenta cauſtica eſt *Fernelii* holoſericum & acetum: alii melius utuntur lixivio ſaponis, cocto uſque ad conſiſtentiam: Arſenicum, quod nonnullis placet, mihi diſplicet: Ne in vicinia excitetur inflammatio, admove circumcirca defenſivum: Sic equidem medicamentis Cancer auferri poteſt, verum melius ſecatur cultro aut ferro: Hæc ſectio aut ſubita eſt, aut fit pedetentim: Sic vidi ego cancrum ex mamma celeriter ſectum, ut illo ſpatio operationis vix tria verba proferre potuiſſem: verum quando cancer ad magnam molem pervenit, tum non utilis eſt hæc ſubitanea ſectio, multum enim bonæ carnis adimitur, magnumque fit foramen, ex quo liberius ſpiritus egredi poſſunt, vireſque magis debilitantur: hoc

in

in cavu, pro virium refocillatione, cataplaſmata vino madefacta admoventur : In minore & parvo Cancro, excepto eo qui in labiis eſt, ſectionem ſimul & ſemel facere audemus, ſed omne abſumendum eſt, ideo Medicus partem affectam & adjacentes 1. digitis probè contrectet, & exploret an integrum, quod peccat, auferri poſſit : Cancer ſemel exciſus non raro redit 1. quia non totus fuit exciſus, ob timorem ægri aut Chirurgi : 2. quia arteriæ, quæ ſanguinem hunc vitioſum emittunt, ob minores illas arterias in parte affecta diſſectas, plus quam antea ſanguinis continent, ideoque apertæ ſanguinem illum in aliam partem eructant, unde novus Cancer : 3. Quia tanta latet in corpore malignitas, ut ſemper de novo Cancer ſuccreſcat : Cancer ex carne facile ſcinditur; difficulter (poteſt tamen fieri) in membrana & tendine, modo hæ duæ partes ita comparatæ ſint ut integræ auferri poſſint : hinc Cancer qui muſculos intercoſtales occupat, ob pleuram omnibus coſtis appoſitam, ſecari nequit. Omnium difficillimè cancer in oſſe ſecatur, hinc Cauterium hoc vitium poſtulat. Cancri ſectio non fiat in diſtantia magna, ut in gangræna moris eſt : imo ſi fieri poteſt, nihil de bona carne abſcindamus. *Valens Method. med. pag.* 128.

VIII. Immaniſſimus aliquando eſt dolor, qui nullum quieti & ſomno locum relinquit, unde cogimur non raro ad *Narcotica* recurrere, quæ in hoc affectu, propter intenſum humorum fervorem, minus nocent, Et vidimus nos mulierem cancro in Mamma laborantem, quæ ſingulis noctibus, per quatuor menſes, laudani grana tria vel quatuor innoxie, & cum maximo ſolatio ſumebat : *Riverius Pract. l.* 15. *cap.* 10.

IX. Nullus fere affectus hodie in Chirurgia occurrit, in quo majores committantur errores quam in cancro, Quæris cauſam? Morbus, ipſiuſque eſſentia, ipſis non ſatis perſpecta eſt, & in curatione axioma illud Medicorum *Contraria ſunt contrariorum remedia*, nimis religioſe obſervant : Dum enim tumorem vident duriſſimum, emollientibus & reſolventibus (contra mentem *Galeni*) duritiem illam emendare ſtudent; poſtea cum in ulcus degeneravit tumor ille, labia prædura eſcharoticis & erodentibus abſumunt, ſorditiem & fœtorem ulceris Aegyptiaco & ſimilibus corrigunt, quæ omnia quam ſint abſona & pernitioſa exempla multa oſtendunt. *Fabritius Hild. cent.* 6. *Obſ.* 81.

X. Quamvis nulla peculiaris operatio debeatur *Labio* quod Cancer occupavit, quam quæ debetur aliis partibus cancro obſeſſis, nimirum ipſius mali, una cum parte cui inhæret, extirpatio, tamen monendi ſunt mihi Tyrones, modum ab Aquapendente deſcriptum, ut hæc ſcil. fiat per acutam monetam, aut lignum durum ſubinde in aqua forti madefactum, omnino improbandum eſſe, cum ab ejuſmodi liquore irritetur carcinoma. *Van Horne michrot. pag.* 120.

XI. *Mammæ Cancer* interdum occultus, interdum ulceratus & manifeſtus eſt : præterea aliquando in una parte hæret malum, aliquando integra mammilla afficitur, imo interdum latius ſerpit, & occupat glandulas ſub axillis: A talibus manum abſtineto, fruſtranea enim curatio eſt, qualem etiam eſſe docet frequens experientia quæ per medicamenta ſanitatem promittit : Nulla ſane hic alia cura eſt quam heteroclita, ait *Aquapendens*, quæ una cum morbo etiam partem affectam tollit, quæ frequentiſſima eſt operatio; Nimium quoque eſt meticuloſus *Hieronymus*, quod velit primo dolorem auferre, & ſanguinis profuſionem impedire, nam & dolor eſt momentaneus, & exiguæ arteriolæ diſſecantur : *Idem pag.* 135.

XII. In operatione primo per mammillam traiiciuntur cruciatim duæ acus, aut etiam duplex funis, Non ſemper tamen duplici dolore acuum trajectionis torquenda ægra, ſed interdum ſola manu ſiniſtra apprehenditur carcinoma, quando videlicet illud latis eſt mobile: Hoc eodem modo auferre convenit Nattas inſignes in aliis quibuſvis corporis partibus exortas. *Idem pag.* 137.

XIII. Non ſunt autem adurenda vaſa diſſecta, ſed imponenda medicamenta ſanguinem cohibentia. *Idem ibidem.*

XIV. Non contemnendum auxilium Cancris non ulceratis venit ex *lamina plumbea* argento vivo oblita, nam teſtatur *Galenus* plumbum ulceribus malignis & inveteratis eſſe utile remedium : quin & hujuſmodi laminas plumbeas hydrargiro oblitas, malignis ulceribus, quæ reliquorum remediorum vires eludunt, velut quoddam alexipharmacum eſſe, quo ipſorum cacoethia dometur & abſumatur, teſtis eſt Guido : Id remedii genus cum aliquando præſcriptum eſſet Dom. M. cancro, quod nucis juglandis magnitudinem æquabat in mamma ſiniſtra obſeſſæ, non quidem perſanavit, ſed tamen incremento malum prohibuit : Itaque ejus tandem pertæſa, cum ſe Medico cuidam, promptam ſanitatem audacter promittenti, tradidiſſet, vitæ diſpendio experta eſt quam eſſet damnoſa, quæ reliquorum ulcerum more ſuſcipitur curatio : Nam Medicus, procul abjecto illo remedio, remollientibus, calefacientibus & attrahentibus uſus, in tantam molem crevit tumor, ut præ diſtenſione mamma ſe ruperit mediam, unde oborta hæmorrhagia effræni, in Medici ſinum miſella animam depoſuit. *Paræus lib.* 6. *c.* 30.

XV. *Galenus* fatetur cancroſum tumorem in *mammilla* cujuſdam mulieris ortum ſanaſſe valenter & crebro illi atram bilem *expurgans*, in vere & autumno. 4. aph. 47. Nec diſſimili curatione nos quoque Nobiliſſ. quandam Comitiſſam à carcinomate mammam occupante liberavimus. *H. Moutnus.*

XVI. Non eſt quod dubitemus de *Sanguinis miſſione* iterum atque iterum repetenda: adeſt enim vitium in ſanguine, ab eodem vitiato tumor dependet : Et licet cacochymia elective purgantibus potius expurgetur, ubi tamen ſanguis calidus, exuſtus, melancholicus in toto adeſt, placuit ſemper *Galeno* 3. de loc. aff. 7. & ad Glauc. 11. imo & *Hippocr.* ejuſdem copiam per venam ſectam imminuere; quod eo magis convenit ſi fervor in parte percipitur & rubor, ignis accenſi, nondum tamen cineris indicio. *Fortis conſult.* 86. *cent.* 4.

XVII. Occultus Cancer dextram *mammillam* Matronæ invaſerat, biennio exacto in manifeſtum tumorem attollebatur : Conſultus Medi-

Theodoricus & *Lanfrancus*, quos ſequutus *Guido*, Cancrum diſtinxere in Cancrum apoſtema & Cancrum ulcus; Cancer apoſtema, eſt affectus ſic dictus *Hippocrati*, *Gal. Avicenna* & aliis, rationalibus Medicis & Chirurgis: Cancer vero ulcus, (ſic vocat *Guido*) eſt quando ab ulceribus aut vulneribus, irritatis ab acribus medicamentis, adurantur & commoventur humores pravi, melancholici, trahunturque à toto & membris vicinis eum in locum, ubi putreſiunt, caleſiunt, acrimoniam & veneficam qualitatem induunt, unde augmentum malæ diſpoſitionis, & fit cancer: Hæc *Guido*: Sed talia ulcera, quamvis maligna, & plerumque contumaciſſima, Cancri tamen non ſunt, nec cum Cancro vero confundi debent, cujus contumacia omnium ulcerum malitiam multum ſuperat: Porro in Cancro ulcere, vel potius ulceribus pravis & malignis, Pulvis ſive arcanum Medici Norimbergici, uti & unguentum eſcharoticum convenire in multis expertus ſum, at in vero Cancro minimè uſurpandum. *Fabritius Hildanus cent. vj obſervat.* 82.

IV. Si in parte affecta materia peccans ſit in aliqua exigua quantitate, tunc nullum eſt inconveniens ut *pars corroboretur*: quia roborata parte, id exiguum quod relinquitur à natura facile reſolvitur: *Præceptum id colligitur ex Galeno 14. meth. cap. 9. ubi ait Initio cancri* eſſe repellendum ad partes principes excrementum, ſi modicum ſit; Quia niſi ſubito repellatur, humor melancholicus ſtatim diſtendit venas, quibus extenſis cancer redditur incurabilis: Quod verò ita ſit, patet ex *Galeno 6.* aph. 38. ubi ait radices cancri eſſe venas quæ diſtenduntur ab humore melancholico: quæ venæ niſi auferantur, Cancer curari non poteſt, *Sanctorius lib. de Rem. Invent. cap.* 15.

V. Præſcribenda videntur *Repellentia* in Cancro mammarum, ad intercipiendam majorem fluxionem, ſi obſervemus intumeſcere indies partem affectam, indicio continuæ fluxionis, quæ alio repellenda videtur, parſque affecta ſub-adſtringentibus roboranda, ne adeo ſit opportuna fluxioni recipiendæ: Ex alia parte habemus Hippocr. præceptum, *Cancros occultos melius eſſe non curare*, Imò, ſi ex Galeno Parotidibus conveniant evacuantia potius quam repellentia, ne materia ad cerebrum trudatur, quantò magis abſtinendum ab his in tumore Cancroſo Mammillæ, cordi proximæ: Quare ſtatuo, quod ſi eſſemus in principio morbi fiente, tunc non eſſet abſtinendum à levioribus quibuſdam repellentibus, permiſtis cum levioribus digerentibus, In quem uſum uti ſoleo oleo roſato completo, agitato in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo ad mediocrem conſiſtentiam: hujus enim linimenti beneficio non ſemel ſuperavi cancros incipientes, repulſa & reſoluta materia peccante: Ad validiora autem repellentia, neque in principio deveniendum erit, quia denſata magis ſpongioſa mamillarum ſubſtantia, ſanguis non rarò recurrit ad uterum, ubi generatur Cancer: Neque in progreſſu, quoniam accelerant exulcerationem. *Silvaticus conſ. 33. centur. 2. Mammarum cancer* poteſt abſcindi ſi parvus ſit & altas radices non gerat: Si magnus eſt, & materia jam collecta ſit & putrefacta, ſatius eſt materiæ exitum dare quam materiam illam putrefactam relinquere: nam experientia didicimus materiam illam graviſſimos dolores inferre, qui poſt apertionem mitigantur: Adde quod ex diſſectione novimus thoracem repleri ſero ſanguineo nimio uſu repellentium, quod anno 1553. cuidam contigit, qui priuſquam moreretur laboravit magna anhelandi difficultate, nihil aut parum expuebat, tandem poſt obitum repertæ ſunt in thorace ſeri amphoræ quatuor: Quod accidiſſe puto propter laminam illam plumbeam quam ſemper geſtabat, & medicamenta fortiter refrigerantia & repellentia quibus uſus eſt, etiam poſt ſuppurationem: argumento eſt ſanguinem reſudaſſe in pectus, quia tumor maximus erat, qui detumuit, & longè minor factus eſt poſt uſum illorum remediorum. *Rondeletius Pract. lib. ij. cap.* 23.

VI. Carcinomata, ſeu cancri, ſi curandi ſint radicitus, nulla alia ratione curari poſſunt, quam ulcerati quidem, uſtione: non ulcerati, ſectione: Nam eſſe aliquos qui curari poſſint, conſtat ex Hipp. lib. 7. Epid. de eo cui carcinoma in faucibus exuſtum eſt, ac per eum ſanitati reſtitutus: Alios qui neque poſſint neque debeant, quod ut *Celſus* dicit, concitentur & increſcant, donec occidant: Differentia vero non eſt in morbi ſpecie, ſed ſucci qualitate: nam in ipſis atræ bilis ſpeciebus, ſunt aliæ aliis acriores aut mitiores: Si ergo ex aliis ſymptomatis agnoveris eſſe adeo acrem homini atram bilem, ut levi de cauſa plurimum exacerbetur, fortaſſe ne tangere quidem audebis: Sin autem ad terreſtris aut ſanguineæ melancholiæ naturam atra bilis, quæ homini ineſt, ex aliis ſentiatur vergere, tentabis cauſticis utere: ac ſi res incipiat bene cedere, procedes feſtinanter ad ignem, præcipue ſi malum ſit in parte quam facile ac brevi depaſcere poſſit morbus, cujuſmodi ſunt fauces: in talibus enim, etſi non ſatis certus ſis an ſuccus poſſit ferre id auxilium, tentabis etiam cum periculo utere: quia neglecta curatione, facillimè exedetur, etiam à ſucco non omnino immiti, Tentabis ergo vel cum periculo curare morbum certò interempturum: Quam ob cauſam *Celſus* lib. 6. cap. 15. jubet ulcera cancroſa in ore aduri, ſi medicamenta non proficiant: Erit verò, ex ejus ſententia, aduſtis imponenda lenticula donec ſaneſcant. *Valleſius lib. 7. Epid. pag.* 898.

VII. Cancer & medicamentis & ferro tollitur: Ferrum præſtat medicamentis, nam erodentia & acria faciunt dolorem, hic affluxum copioſiorem, convenit tamen interdum cura illa, ubi eroſio fieri debet in interſtitiis digitorum & inguine, in his enim ob tendines & membranas ſectio nimis dolorifica eſſet: Inter medicamenta cauſtica eſt *Fernelii* holoſericum & acetum: alii melius utuntur lixivio ſaponis, cocto uſque ad conſiſtentiam: Arſenicum, quod nonnullis placet, mihi diſplicet: Ne in vicinia excitetur inflammatio, admove circumcirca defenſivum: Sic equidem medicamentis Cancer auferri poteſt, verum melius ſecatur cultro aut ferro: Hæc ſectio aut ſubita eſt, aut fit pedetentim: Sic vidi ego cancrum ex mamma celeriter ſectum, ut illo ſpatio operationis vix tria verba proferre potuiſſem: verum quando cancer ad magnam molem pervenit, tum non utilis eſt hæc ſubitanea ſectio, multum enim bonæ carnis adimitur, magnumque fit foramen, ex quo liberius ſpiritus egredi poſſunt, vireſque magis debilitantur: hoc

in

in cuu, pro virium refocillatione, cataplaſmata vino madefacta admoventur: In minore & parvo Cancro, excepto eo qui in labiis eſt, ſectionem ſimul & ſemel facere audemus, ſed omne abſumendum eſt, ideo Medicus partem affectam & adjacentes 2. digitis probè contrectet, & exploret an integrum, quod peccat, auferri poſſit: Cancer ſemel exciſus non raro redit 1. quia non totus fuit exciſus, ob timorem ægri aut Chirurgi: 2. quia arteriæ, quæ ſanguinem hunc vitioſum emittunt, ob minores illas arterias in parte affecta diſſectas, plus quam antea ſanguinis continent, ideoque apertæ ſanguinem illum in aliam partem eructant, unde novus Cancer: 3. Quia tanta latet in corpore malignitas, ut ſemper de novo Cancer ſuccreſcat: Cancer ex carne facile ſcinditur; difficulter (poteſt tamen fieri) in membrana & tendine, modo hæ duæ partes ita comparatæ ſint ut integræ auferri poſſint: hinc Cancer qui muſculos intercoſtales occupat, ob pleuram omnibus coſtis appoſitam, ſecari nequit. Omnium difficillimè cancer in oſſe ſecatur, hinc Cauterium hoc vitium poſtulat. Cancri ſectio non fiat in diſtantia magna, ut in gangræna moris eſt: imo ſi fieri poteſt, nihil de bona carne abſcindamus. *Valens Method. med. pag.* 128.

VIII. Immaniſſimus aliquando eſt dolor, qui nullum quieti & ſomno locum relinquit, unde cogimur non raro ad *Narcotica* recurrere, quæ in hoc affectu, propter intenſum humorum fervorem, minus nocent, Et vidimus nos mulierem cancro in Mamma laborantem, quæ ſingulis noctibus, per quatuor menſes, laudani grana tria vel quatuor innoxie, & cum maximo ſolatio ſumebat: *Riverius Pract. l.* 15. *cap.* 10.

IX. Nullus fere affectus hodie in Chirurgia occurrit, in quo majores committantur errores quam in cancro, Quæris cauſam? Morbus, ipſiuſque eſſentia, ipſis non ſatis perſpecta eſt, & in curatione axioma illud Medicorum *Contraria ſunt contrariorum remedia*, nimis religioſe obſervant: Dum enim tumorem vident duriſſimum, emollientibus & reſolventibus (contra mentem *Galeni*) duritiem illam emendare ſtudent; poſtea cum in ulcus degeneravit tumor ille, labia prædura eſcharoticis & erodentibus abſumunt, ſorditiem & fœtorem ulceris Aegyptiaco & ſimilibus corrigunt, quæ omnia quam ſint abſona & pernitioſa exempla multa oſtendunt. *Fabritius Hild. cent.* 6. *Obſ.* 81.

X. Quamvis nulla peculiaris operatio debeatur *Labio* quod Cancer occupavit, quam quæ debetur aliis partibus cancro obſeſſis, nimirum ipſius mali, una cum parte cui inhæret, extirpatio, tamen monendi ſunt mihi Tyrones, modum ab Aquapendente deſcriptum, ut hæc ſcil. fiat per acutam monetam, aut lignum durum ſubinde in aqua forti madefactum, omnino improbandum eſſe, cum ab ejuſmodi liquore irritetur carcinoma. *Van Horne michrot. pag.* 120.

XI. *Mamma Cancer* interdum occultus, interdum ulceratus & manifeſtus eſt: præterea aliquando in una parte hæret malum, aliquando integra mammilla afficitur, imo interdum latius ſerpit, & occupat glandulas ſub axillis: A talibus manum abſtineto, fruſtranea enim curatio eſt, qualem etiam eſſe docet frequens experientia quæ per medicamenta ſanitatem promittit: Nulla ſane hic alia cura eſt quam heteroclita, ait *Aquapendens*, quæ una cum morbo etiam partem affectam tollit, quæ frequentiſſima eſt operatio; Nimium quoque eſt meticuloſus *Hieronymus*, quod velit primo dolorem auferre, & ſanguinis profuſionem impedire, nam & dolor eſt momentaneus, & exiguæ arteriolæ diſſecantur: *Idem pag.* 135.

XII. In operatione primo per mammillam traiiciuntur cruciatim duæ acus, aut etiam duplex funis, Non ſemper tamen duplici dolore acuum trajectionis torquenda ægra, ſed interdum ſola manu ſiniſtra apprehenditur carcinoma, quando videlicet illud ſatis eſt mobile: Hoc eodem modo auferre convenit Nattas inſignes in aliis quibuſvis corporis partibus exortas. *Idem pag.* 137.

XIII. Non ſunt autem adurenda vaſa diſſecta, ſed imponenda medicamenta ſanguinem cohibentia. *Idem ibidem.*

XIV. Non contemnendum auxilium Cancris non ulceratis venit ex *lamina plumbea* argento vivo oblita, nam teſtatur *Galenus* plumbum ulceribus malignis & inveteratis eſſe utile remedium: quin & hujuſmodi laminas plumbeas hydrargiro oblitas, malignis ulceribus, quæ reliquorum remediorum vires eludunt, velut quoddam alexipharmacum eſſe, quo ipſorum cacoethia dometur & abſumatur, teſtis eſt Guido: Id remedii genus cum aliquando præſcriptum eſſet Dom. M. cancro, quod nucis juglandis magnitudinem æquabat in mamma ſiniſtra obſeſſæ, non quidem perſanavit, ſed tamen incremento malum prohibuit: Itaque ejus tandem pertæſa, cum ſe Medico cuidam, promptam ſanitatem audacter promittenti, tradidiſſet, vitæ diſpendio experta eſt quam eſſet damnoſa, quæ reliquorum ulcerum more ſuſcipitur curatio: Nam Medicus, procul abjecto illo remedio, emollientibus, calefacientibus & attrahentibus oſus, in tantam molem crevit tumor, ut præ diſtenſione mamma ſe ruperit mediam, unde oborta hæmorrhagia effræni, in Medici ſinum miſella animam depoſuit. *Paræus lib.* 6. *c.* 30.

XV. *Galenus* fatetur cancroſum tumorem in *mammilla* cujuſdam mulieris ortum ſanaſſe valenter & crebro illi atram bilem *expurgans*, in vere & autumno. 4. aph. 47. Nec diſſimili curatione nos quoque Nobiliſſ. quandam Comitiſſam à carcinomate mammam occupante liberavimus. *H. Moninus.*

XVI. Non eſt quod dubitemus de *Sanguinis miſſione* iterum atque iterum repetenda: adeſt enim vitium in ſanguine, ab eodem viciato tumor dependet: Et licet cacochymia elective purgantibus potius expurgetur, ubi tamen ſanguis calidus, exuſtus, melancholicus in toto adeſt, placuit ſemper *Galeno* 3. de loc. aff. 7. & ad Glauc. 11. imo & *Hippocr.* ejuſdem copiam per venam ſectam imminuere; quod eo magis convenit ſi fervor in parte percipitur & rubor, ignis accenſi, nondum tamen cineris indicio. *Forstis conſult.* 86. *cent.* 4.

XVII. Occultus Cancer dextram *mammillam* Matronæ invaſerat, biennio exacto in manifeſtum tumorem attollebatur: Conſultus Medi-

ctus *laminam plumbeam* imponi, continuoque geſtari ſuaſit, alternis diebus mercurio leviter oblinitam; ſequutus exemplum *Galeni*, *Guidonis Parei &c.* Aſſiſtentium vero culpa evenit ut laminæ plus damni quam commodi attulerint: crevit interea cancer, & ad ſuppurationem pervenit, unde uſus laminæ improbatus, Rupto ex ſe tumore ceſſarunt nonnihil cruciatus, ſed vehementiores mox redierunt, & pungitivi in omnem dimenſionem aucto cancro: Admirationem meretur quod ex carcinomate mercurius ſenſim, & ſatis magna copia, extillarit per laminam olim imbibitus, qui vicinas partes ſuo ſplendore inumbravit, imo ex ſcapulis integra cute exſudavit: Auream ego laminam imponi juſſi, quam mercurius ſequi ſolet, & ulceri turundam auream: *Bartholinus cent.* 1. *hiſtor.* 7.

XVIII. Addam Clar. *Sculteti* animadverſionem, forficem, ad abſcindendam particulam *Labii* Cancro affectam, valde eſſe incommodam, Ratio eſt, quia ſemper in parte aliquid mali relinquitur, unde fit ut iterum repullulet, quod bis ſe expertum ait in uno ſubjecto. *Idem pag.* 38. *vide Scultetum obſerv.* 48.

XIX. Senem 84. annorum laborantem *Cancro exulcerato in labro inferiore*, magnitudine medii ovi gallinacei, curavi, novacula incidente radicitus reſecans, ſanguine cum impetu erumpente; quem ad decem circiter uncias data opera effuſum, ſine ulla inuſtione, at goſſypio tantum uſto, pulveribuſque adſtringentibus firmavi: poſt digerentibus uſus optimum pus manavit, indicio totam cancri ſubſtantiam eſſe ſublatam: Poſtmodum unguento ex ceruſſa camphorato, ducto in plumbeo mortario, ſpatio x x dierum cicatricem induxi: Sed triennio poſt novus cancer in faucibus ſubortus, ex quo brevi obiit: præter opinionem meam, & omnium, cum veriſimile non eſſet ex ætate humorem melancholicum aduſtum iterum ſuccreſcere poſſe, novi Cancri in alio loco cauſam: Firmabat opinionem, quod viderim mulierem 70. annorum, cancro ulcerato naſi laborantem, cui idem ungu. præſcripſi, potius ad dolorem ſedandum quam curationis cauſa; quæ tamen præter ſpem, menſis ſpatio, nullo alio remedio adhibito, fuit perfectiſſimè ſanata; Virum quoque 40. annorum laborantem Cancro ulcerato labii inferioris, magnitudine ovi palumbi, eodem modo (ſectione) ſanavi; addita præparatione & purgatione humoris melancholici, cancro tamen in nulla alia parte corporis ſuborto, ut propterea aliquando non ſit omnino abiicienda ſpes ſanationis iſtorum morborum. *P. Marchetti Obſervation.* 29. & 30.

X X. Nob. foeminæ tota pars faciei dextra Cancro, eoque ulceroſo, obſeſſa fuit diutiſſimè: hæc cum variis auxiliis, à Medicis Italis, Gallis, Germanis, Hiſpanis, peritis uſa eſſet, tandem vulgari hoc Barbitonſoris remedio ſanata eſt: Pullos gallinaceos in partes tenues & latas concidebat, quas ſæpiuſcule commutando interdiu adjuvebat parti affectæ: Utuntur alii carnibus pullorum columbinorum. *Mauritius Cordæus com.* 7. *in lib.* 1. *de morb. mul. Hipp.*

X X I. Novi nonnullas mulieres cancros in *mammillis* habentes, ſolo bono vitæ ordine, abſque ullo medicamentorum Topicorum irritamentu, per longum vivere tempus, ita incolumiter ac ſi nullum paterentur morbum *Amatus Centur.* 3. *curat.* 32.

XXII. Matronæ ann. 51. bilioſæ & melancholicæ, poſt menſium ſuppreſſionem, obortus eſt in parte inferiori *mamma* ſiniſtræ tumor ſubdurus & oblongus: paulò poſt in parte inferiori ejuſdem mammæ, tumor alius exiguus & rotundus, qui intra paucos dies foveam effecit in eadem parte, exiguam & ſine dolore, quæ ſenſim increſcens, intra biennium dimidiam ferè totius mammæ partem ad interiora retraxit: Judicatum hunc affectum ad cancri occulti naturam accedere, Cum enim maxima ſit humoris atrabilarii natura, & varietas, fit ut ab illis humoribus variæ formæ ejuſdem ſpeciei morbi contingant: volgo humor melancholicus aduſtus, Cancrum efficiens, craſſus eſt & tumorem durum producit, qui tandem acrimoniam nactus partem ulcerat, & ulcus inſanabile producit: In hoc caſu autem humor ille tenuis eſt, ideo tumorem perexiguum efficit; Sed præterea humor ille malignam quandam diſſolventem qualitatem habet, quâ partis ſubſtantiam colliquat & abſumit, qualem habent ſalia erodendi & ulcerandi vi prædita, talia ſunt ea ex quibus cauteria potentialia componuntur: aliis vis eſt diſſolvendi duriſſima corpora, ex quibus ſunt aquæ fortes, lapides & metalla diſſolventes, imò acetum lapides diſſolvit, cutem tamen non erodit: Sic in microcoſmo generantur ſalia ſimilibus facultatibus prædita, quæ humoribus permixta admirandos effectus producunt; Ita in hoc caſu, humor partem mollem & ſpongioſam ſenſim diſſolvit & abſumit, ita ut fovea quotidie incrementum ſumat: Affectus judicatus incurabilis, cui cura palliativa tantum deberetur, ne pars ulceraretur, inducta majori acrimonia &c. *Riverius cent.* 4. *obſ.* 57.

XXIII. Notandum in hoc morbo, quod accidit aliquando ut Cancer non ſanetur, nec augeatur, & tunc nihil moliri oportet violentum, niſi inſtituere victus rationem, & purgare bis in anno: quod etiam Hipp. præcipit in Cancris malignis & feris, qui à quovis medicamento exacerbantur; qui in partibus ſunt profundis, & qui radices habent auctas, licet ſint in ſuperficie, & qui doloroſi admodum ſunt. *Fonſeca conſult.* 43. *Tom.* 1. *Vide Tulpium l.* 3. *c.* 47.

XXIV. *Magius* ad Nob. quendam, qui *Tumorem in mammilla dextra* habebat, quem quidam Cancrum eſſe arbitrabantur, vocatus, hunc phlegmonem potius, cum diuturnus non fuiſſet, eſſe judicavit: Prius ergo farina tritici in aqua & oleo communi, ut Gal. docet, decocta, tumorem iſtum maturavit, poſtea cum ſigna maturationis apparerent, ferro apervit; Quo facto ſincerum pus eiicit: Senſerat autem ante ſectionem intus quaſi palpitationes quaſdam, quod itidem tumorem iſtum Cancrum non eſſe arguebat: Tandem digerentia adhibens, terebinthinam cum ovi vitello mixtam, ægrum ſanitati reſtituit. *Schenckius.*

XXV. Si *manus* &c. *Cancro occulto* eſt affecta, abſcinditur in parte ſana, ad capita radii & cubiti: At ſupra inciſionis locum faſcia cubitus non ligandus, ut ſanguis infectus ex vaſis effluat, ne retentus cubitum diſtendat. *Scultetus Armam. Tab.* 54.

XXVI. Villica mihi monſtravit *Tumorem in ſiniſtra mamma*, qui à ſuppreſſis menſibus nullis remediis, ſed ſola ſectione extirpari poſſe videbatur,

habebat enim omnia *Cancri* ſigna, *Duritiem* tandam, quæ, ut certiſſimum ſignum, digitis prementibus non ceſſit, *dolorem acutum*, *rotunditatem*, *inæqualitatem*, *lividitatem*, *calorem*, *vaſorúmque* in ambitu nigriſcantium *protuberantiam*: Propoſitam Chirurgiam patiens recuſavit, *Cancrumque* medicamentis externis attingere, præter *Hippocratem Amatus* etiam cent. 3. curat. 32. prohibuit: Attamen quia quoſdam novi, qui ſelectorum remediorum uſu à cancris occultis, & nondum magnis, fuerunt liberati, patienti dedi potionem melanagogam ℞ *confect. Hamech* ℥ vj. *extr. helleb. nig.* ℈ j. *crem. Tart.* ℈ ß. *decoct. flor. & fr. q. ſ. miſce.* Et doloribus in dorſo ingruentibus, e ſaphena ſiniſtri pedis ℥ v j. ſanguinis eduxi: dein corpus, ab attabilariis humoribus quaſi tinctum, decocto magiſtr. expurgavi, ℞. *aqu. fluviat.* ℥ x v i i j. *hordei int. purgat. man.* j. *bulliant in vaſe obturato uſque ad crepaturam. hordei, adde fol. borrag. cichor. beton. card. ben. ſonchi ana. man.* j. Iterum bulliant ad remanentiam ℔ x i j. abjectis herbis in colat. infunde per x x i v. horas *fol. Senn. ſ. ſ.* ℥ j ß. *pulpa colocynth. in petia ligat.* ʒ i j. *rad. polypod. qu* ℥ iij. *hellebor. n. prep.* ℥ ß. *Ireos florent. Agar. crudi ana.* ℥ j. *uvar. paſſ.* ʒ v j. *ſemin. aniſi* ʒ j, *Infuſa per dictum tempus ebulliant ad dimidiam liquoris conſumptionem, & in fine ebullitionis addantur cinnam. opt.* ʒ i j. *nuc. moſch. inciſa* ʒ j, *colatura dividatur in* v i i j. *doſes*, *quarum una pendeat* ℥ v i j. Poſt exquiſitam corporis expurgationem, Tumori mammæ duro applicui ceratum *Ioh. Praveotij* ℞. *far. milij* ℥ j. *ol. roſar. completi & in mortario marmoreo ducti* ℥ j. *pulv. plumbi crudi* ℥ ß. *virga aur. ſonchi, ſolani ana.* ʒ i j. *cera nova* ℥ i j. ʒ v j. *reſina pini* ʒ x. *m. & f. Ceratum*, quod trimeſtri ſpatio tumorem reſolvit: Interim cum menſes, per biennium jam ſuppreſſi, nullis medicamentis internis promoveri potuiſſent, Patienti in utriuſque femoris parte interna inuſſi fonticulum, ea intentione ut inter curam *Cancri* materia peccans ad inferiora revelleretur, quos, tumore reſoluto, per annum apertos detinuit, ne humores in corpore denuo collecti aliam partem offenderent: Anno elapſo, mulier infelix, quæ ſibi ipſi ſaniſſima videbatur, fonticulos conſolidavit, & exin de novo tumore in mamma dextra conqueri cepit, quo per ferrum radicitus extirpato, repetiit decocti magiſtri uſum, & ambos fonticulos renovavit, quos ad vitæ terminum geſtare juſſi. *Sculteius Armam. Obſ.* 46.

XXIII. Narcoticorum uſus non uſque bene ſuccedit, hoc facit morbus propter tenuitatem humorum, Ea enim non omnes humoris partes incraſſant, ſed tantummodo craſſiores. *Frid. Hofmannus m. m. p.* 437.

XXIV. Volunt nonnulli ob levem illam quam ſentiunt alleviationem, in dies ferme purgari, ſed hoc peſſimum [illegible] eſt, & cito moriuntur, cum inde maxime lædi [illegible] certiſſimum ſit. *Idem p.* 440. Vide §. 55.

XXV. Purgatio ab initio, ſi forte per hanc incrementum Cancri retardari poſſet, pro ratione redundantiarum in corpore, potius inſtituenda quam ut eam tantum melancholicis humoribus educendis, ſicuti communiter ab iis qui atram bilem illius cauſam eſſe cenſent: fit, accommodemus quæ quidem, cum corpus durum rectius tractetur, hoc nomine potiſſimum nonnihil juvabit, cum alioquin venenatam Cancri cauſam auferre nequeat; Sicuti vero venenum aliud, ut quod luem veneream efficit, purgationes ſæpe continuatæ & magnæ è corpore propellunt, quod in Cancro affectis, ſumme debilitatis corporibus, facere minime tutum eſt, nec ſi fieret prodeſſet. *Platerus Tomo* 2. *p.* 724.

XXVI. Cordialia, imprimis ea quæ venenis reſiſtunt, meo videre plus in hujus veneni viribus retundendis quam aliis humoribus accommodata proderunt: Suntque hæc potiſſima inter ea quæ in hoc caſu propinamus, potiúſque quam Potiones Vulneratiç uſurpãda: quas tamen in ulcerato cancro aliqui, ut omnia in morbo deſperato tentent, exhibere jubent, eáſque quæ ex pyrola & hedera terreſtri cum vino decoquitur, plurimi in cancro mammillarum aliíſque faciunt. *Platerus.*

CANITIES.

Canitie emendanda.

Canitiem ſi tardare, aut volumus obſcurare, quod calfaciendo, ſiccando, adſtringendo, immutando fieri commode poſſit, cavendum ne apoplexiam, epilepſiam, catochen, catarrhum periculoſum, aut mortem ipſam cauſemus. *Knoblochius comm. in aphor. pag.* 466.

CAPILLI.

SYLLOGE.

Cautio in uſu pilos tollentium. 1.
Oleis ad Tincturam *quomodo utendum.* 2.
Defluvium Venereum *adſtringentibus non eſt cohibendum.* 3.

I. Depilatoria quædam horrido algore perfuſa ſunt, quo materiam piliferam à cute arcent: Cautio adſit in horum uſu, ne puellæ pubi admoveant hæc dum jam fluxuri ſunt menſes, nam ad viſcera palindrome fieret nocui ſanguinis, Nec frigidius cerebrum hæc feriant, maxime cum eluceat in his hyoſciami & opii vis. *Heurnius.*

II. Obſervabile illud quod notat *Avicenna*, falluntur, *inquit*, qui oleis immixta remedia illinunt; nam non pervadunt niſi cum his conſocientur quæ traiiciunt ſe, ut acetum & vinum. *Idem.*

III. Si in morbo Gallico pili defluant, non debemus curare ut pili detineantur, quod quidam faciunt admotis adſtringentibus, oleo maſtichino, roſis, ladano, myrrha, hæc enim in cauſa ſunt ut morbus Venereus ſæviſſimus fiat, quia ſuccus vitioſus impactus radicibus capillorum adhuc magis figitur, & lues illa in corpus retrocedit: quare poſt evacuationem totius & capitis, cum bibunt decoctum guaiaci, Luna augeſcente capilli abradendi, & his avulſis quotidie caput ſequenti unguent. ungendum, renaſcuntur enim pili celerrime & admodum firmi. ℞. Pulver. corticum guaiaci, abrotani uſti, vel radic. cannæ ana. ℥ ß. decoct. guaiaci ℥ i j. olei garyoph. unguentar. ℥ j. olei amygd. ℥ ß. cum vini albi ſubdulc. ℥ j ß. f. decoctio in duplici vaſe per 12. horas. *Capivaccius.*

CAPITIS AFFECTUS IN GENERE, INTEMPERIES.

(*Vide Cephalica lib. 19.*)

SYLLOGE.

In ejus affectibus qua venæ aperiendæ. 1.
In frigida intemperie cum pituita *S. m. quando facienda*, 2.
Arteriotomia *an conducat in affectibus à ſanguine*. 3.
Vena inter pollicem & indicem digitum apertio nihil habet ſingulare. 11.
De Sanguinis miſſione ad circulationis leges. 20.
Cucurbitulæ *revulſionis ergo ubi admovenda*. 4.
Vomitus *an conducat*. 5. 14.
Purgantia *valida eſſe debent*.
Phlegmagoga *in quavis intemperie jungenda*. 25.
Pilulæ *quo tempore exhibenda*. 16.
Non melius caput vacuant cæteris medicamentorum formulis. 13.
In Calida intemperie *caute purgandum*. 15.
In Intemperie cum atra bile *qualia purgantia danda*. 26.
Errhina *& apophlegmatiſmi quomodo juvant*. 46.
Ptarmica *vehementia nocent in levibus affectibus*. 27.
In defluxionibus ſumme utilia. 31.
Errhina *quibuſdam noxia*. 49.
Apophlegmatiſmus *potens*. 48.
Fumus Tabaci *an noxius*; 47.
Diæta hidrotica *ſæpe inutilis ad curationem frigidæ intemperiei*. 17.
In Humida intemperie *Decoctum debet eſſe ſudorificum, nec ſolum diaphoreticum*. 41.
Decoctum ſudorificum *nocet aliquando* 42. *a*.
Syrupi alterantes *quando porrigendi*. 6.
In affectibus gravibus zarza *efficax*. 45.
Opiatæ *ex quibus debent confici*. 8.
Intemperies frigida *à cauſa interna inducta, quomodo emendanda*. 42. *b*.
Aquæ vitæ *non ſemper tuta*. 9.
Fonticulus *in ſutura coronali an proſit*. 22.
Cauteriorum *multitudine ægri non fatigandi*. 23.
Acetum non omne convenit in oxyrrhodinis. 24.
Adſtringentia *non ſemper conveniunt*. 39.
In Intemperie calida *an calida admota juvant*. 7.
Lotiones capitis *quibus cautionibus facienda*. 34.
Non omnibus utiles. 44.
Utiliores Thermis. 18.
An in Intemperie frigida Thermæ.
An in Intemperie cum bilioſo humore *uſurpanda* Reſolventia.
Thermæ *inutiles ſi per conſenſum laboras*. 19.
Fotus humidi *in intemperie cum pituita noxij*. 30.
Metaſyncritica *quando admovenda*.
Suffitus *an utiles*. 29.
Emplaſtrorum *nuchæ admotorum efficacia*. 35.
Quamdiu eadem ſupra caput detinenda. 36.
Frictionis *utilitas & ratio*. 32.
Raſio & Tonſura *confert*. 21.
Topica cordi *admota conferunt*. 10.
Suppedaneorum *utilitas*. 37.
Alvi obſtructio capiti obeſt. 12.
Coriandrum illi utile. 33.
Cucuphæ *odorata ſæpe nocent*. 50.
Nimis calida, frigida aut adſtringentia caveat ne ingrediantur. 51.
Conveniunt tantum in eſſentialibus affectibus. 52.

I. QUænam *vena in capitis affectibus aperienda* ſit, non idem ſentiunt Medici, Omnino autem diſtinctione opus eſt, & quid leges evacuationis ex toto, quid revulſionis, & ex parte affecta evacuationis requirant attendendum: Etenim initio morbi non ſolum ad caput, ſed etiam ad totum corpus, & partem à qua fit affluxus ſanguinis, reſpiciendum, & ita venæ ſectio inſtituendaut capiti proſimus, non noceamus, id eſt, ſanguinis affluxum ad caput prohibeamus: Ideóque initio talis vena aperienda, quæ ſimul ſanguinem abundantem poſſit evacuare, & à capite revellere, Nullo modo vero vena in ipſo capite in principio aperienda: Sed ſi proveniat plenitudo ab hepate & partibus ad illud attinentibus, & ſit in toto corpore, vel interna vel mediana ſtatim aperienda: Si vero à menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione ſanguinis abundantia, & capitis morbus proveniat, conſideranda erit quantitas ſanguinis abundantis, & morbi capitis hinc dependentis magnitudo, Etenim, ſi ſanguinis copia ſit minor, & morbus det inducias, venas in pede primum, & quidem ſæpius ſi opus ſit aperire licet, cum venæ hæ & ſanguinem minuant, & revellant; ſi quidem vena ubicunque aperta ſanguinem minuere poteſt: Cum vero hæ venæ in pedibus, ut minores, ſanguinem tardius evacuent, ſi magna ſit ejus copia, & morbus vehemens, ac præſens propterea auxilium requiratur, in cubito vena externa ſeu mediana primum aperiri poteſt, hinc deinde danda opera ut naturalis fluxus iterum concitetur: Si vero in toto nulla, vel non magna ſit ſanguinis abundantia, affluxus tamen ejus ad caput metuatur, ſtatim cephalica aperiri poteſt: Tandem vero & corpore evacuato, & fluxu ceſſante, niſi malum ceſſet, vena in capite aperiri poteſt. *Sennertus Pract. lib. 1. p. 1. c. 8.* Vide §. 20.

II. *In frigida Intemperie cum pituita Sanguinis miſſio* quando locum habet? Illius quidem ratione, ac pituitæ congeſtæ non quadrat, at ſi reliquo in corpore redundantis ſanguinis notæ adſint, conſentiat ætas, caleat hepar, poterit detrahi; Hoc enim modo & vaporum ad caput exhalatio impeditur, & ſuperfluum alimentum demitur; ut Natura poſtea quicquid crudum & pituitoſum in ſanguine eſt facilius & exactius concoquere poſſit, & medicamenta poſtea tutius uſurpentur. *Idem cap.* 10.

III. An *Arteria* in affectibus capitis à ſanguine *ſecanda*? Veteres ubi ſanguis calidior & fervidior ad caput fertur, & in eo abundat, & ſæpe diuturnos capitis dolores, vertiginem, & alia mala diuturna, quæque alijs remedijs non cedunt, excitat, ad *Arteriarum* ſectionem, tanquam præſentiſſimum remedium accedere ſolebant: Et quidem in temporibus, infeſtantibus oculos fluxionibus calidis; poſt aures vero in vertiginoſis maxime, & qui diuturnis doloribus capitis ac ſpirituoſis affliguntur: Experientiáq; comprobatum eſt, poſt varia diu fruſtra tentata remedia,

remedia, hoc auxilii genus tandem profuiſſe: Pleriquc hodie eam tentare metuunt. 1. Quod noſtris Chirurgis ratio eas ſecandi non ſit cognita, 2. Quod difficile ſit erumpentem ſanguinem compeſcere; 3. Quod etſi ſiſtatur, aneuriſma tamen fiat: At periculum & hæmorrhagiæ & aneuriſmatis vitari poteſt, ſi arteria tota præcidatur, alias difficulter ſanguis ſiſti arteria ſecta poteſt: Sed nec plane impoſſibile eſt, etſi tota non diſſecetur, ſed ut vena aperiatur, ſanguinem ſiſtere, modo deligatio recte fiat, neque ea cito ſolvatur, ut *Paræus* Chirurg. l. 16. c. 4. docet, qui in diuturnis capitis affectibus à ſanguine fervido, tenui, vaporoſo, iſtam ſectionem non ſolum in ſe ipſo, ſed & in aliis, feliciter & cum commodo inſtituit; Verum niſi aliis omnibus fruſtra tentatis ad hanc ſectionem non accedendum.

Diligenter etiam perpendendum quibus in caſibus ea neceſſaria ſit: Pleriquc ſtatuunt id tentandum eſſe cum certi ſumus cauſam in arteriarum ſanguine ſpirituoſo eſſe, idque ex arteriarum pulſu vehementiore & calore ad tactum dignoſci, idque etiam verum eſſe credimus, Etſi enim objiciat *Theod. Collado*, primo aliquem dolorem capitis ac oculorum pulſatilem, etiam materia fluente per arterias exteriores non requirere remedium hoc, imo id ſi adhibeatur malum eſſe, Secundo, In aliquo affectu, cujus materia fertur per venas & arterias internas, arteriotomiam utilem eſſe; At male carpit *Hollerium*, neque enim hic per dolorem pulſatilem, cui ſingulare remedium eſſe dicit arteriotomiam, proprie dictum intelligit, proprium partium inflammatarum, ſed eum qui fit ſine inflammatione, à ſanguine arterioſo flatulento, ob quem arteriæ in temporibus vehementius pulſant, & tactu calidiores percipiuntur, qui dolor ſæpe tam pertinax eſt, ut niſi ſecta arteria vix tolli poſſit. *Sennertus cap.* 8. Vide *lib.* 19. *tit. de Arteriotomia.*

I V. *Cucurbitulæ* revulſionis gratia ubi adhibendæ? *Platerus* Tract. 2. cap. 3. ſcribit Cucurbitulas colli lateribus, ſummo humero, ſcapulis, brachiis, coxis, ſuris, natibus quoque applicandas, ſenſim à ſuperioribus verſus inferiora cucurbitularum applicatione procedendo, repetendóque eodem, vel etiam ſequentibus diebus, adhibita poſtmodum ſcarificatione, ſi validius à parte trahere velimus: Nos diximus Cucurbitulas ſcarificatas, venæ ſectionis vicarias, primum lumbis, deinde ſcapulis & brachiis, tandem cervici imponendas eſſe: Verum nulla hic repugnantia, Nos enim tantum de cucurbitulis ſcarificatis loquuti ſumus, quas merito primo partibus remotioribus applicamus, *Platerus* vero & de ſcarificatis, & de non ſcarificatis loquitur, Et non ſcarificatas primo loco propinquo applicat, hinc ſenſim remotiori, ubi demum & ultimo ſcarificationem adhibet, atque ita non ſcarificatis ſaltem ſanguinem verſus locum ſcarificatum [illegible] cit. *Idem ibidem.*

V. *Hippocrat.* 2. Epidem. ſect. 6. v. 36 pro Capitis repletione tollenda *Vomitum* proponit, quo feliciter & citò expurgatur: Idque vomentes ſciunt, quibus dum evomunt, ab ore, oculis, naribus humores magna copia erumpunt: Unde 4. Aphor. 18. *Affectiones ſupra ſeptum tranſverſum, quæ purgatione egent per ſuperiora purgari ſignificant.* Et lib. de loc. v. 173. ſect. 2. *Fluxione ex capite fluente vomitus conducit.* Valeant ergo illi qui vomitum in capitis affectibus adeo formidant, caput inde magis repleri exiſtimantes: Quia etiamſi caput in actu vomitionis aliquomodo repleri videatur, nihilominus quia talis repletio eſt vaporum, qui ceſſante vomitu ſtatim evaneſcunt, à vomitu caput repleri dicere non poſſumus. *Martianus comm. in eum locum.* Vide *Willis* Ph. rat. pag. 56.

V I. In omnibus Affectibus Frigidis Capitis obſervandum eſt ut dentur *Pilulæ* illico poſt clyſterem, ante aſſumptionem ſyruporum; nam ſyrupi calidi humores ventriculi ſecum trahunt ad venas, unde ſequitur obſtructio. *Rondeletius lib.* 1. *cap.* 21.

V I I. Ad Calidam capitis Intemperiem an calida admota valent? A recentioribus, Chymicis præſertim, id tentatum, qui in cauſa calida vini ſpiritum ſubtiliſſimum extra adhibent, quo pori aperiantur, fervidique ſpiritus ſubſtantiæ ſimilitudine trahantur; idque locum habet in calida intemperie à cauſa calida inducta, non in omni, quod efficaciter præſtat Camphora, ratione ſimilitudinis calidos vapores evocans, non, ut vulgò perſuaſum, partim tenuitate aliis medicamentis viam ſternens: calidam enim eam eſſe Medici, rei evidentià edocti, optimè ſtatuunt. Pari ratione membris frigore conſtrictis nix & aqua frigida adhibentur, combuſtis non frigida ſed calida; ſic humiditates abſorbet cochlearum caro extra admota.

VIII. In præſcribendis *Opiatis* major eſt obſervanda cautio quam vulgus facit, omnes enim opiatas ea odoratis faciunt, non revocantes in memoriam quæ ſcripſit *Hippoc.* de odoratis: Odorata enim muliebria ducunt, & capitis gravitatem faciunt, ut 3. κατ' τόπ. *Gal.* indicat, capite de croco & myrrha: Parandæ igitur erunt opiatæ ad capitis affectus, ut in epilepſia, doloribus capitis & vertigine, ea calidis exſiccantibus, vel conſumentibus materiam, citra ullam effumationem; In quibus parandis hic ſervabitur ordo 1. Igitur recipiantur quæ nullo modo odorata ſunt, deinde quæ parum admodum odorata ſunt, quales ſunt cineres odoratorum & aliorum quæ natura ſua ſunt inodora, ut corallum, cornua, oſſa, lapides, & ſemina quædam pauco odore prædita, ut lactucæ, portulac. papav. coriandri. Conſervæ præterea nonnullæ, quæ non multum odoris habent, ut conſerva violar. capilli v. ſalviæ, anthos, quæ paulo majorem ſpirant odorem: Conſerva ſtæchados nimis caput tentat: myrobalani conditi caſſiam olent, ob id lavandi. Pulveres omnes, dicti capitales, ambram vel moſchum recipiunt, aut crocum & alia fumos excitantia: In morbis itaque qui per effumationem fiunt, non ſunt dandi; aut, contra vulgarem conſuetudinem, ante cibum, ut effumationem impediat cibus ſupra ingeſtus; ſic vidimus multos dolores ſedari ingeſto cibo: Eandem ob cauſam tremulos & vertiginoſos ſumpto cibo meliùs habere experimur. *Rondeletius de Medic. compoſ. pag.* 999.

IX. Cerebri temperies naturalis cum ſit maximè moderata, ideo magna cautione tum interna, tum externa remedia adhibere capiti oportet, ne ejus nativam temperiem imprudenter mutantes, nobiliſſimo huic membro gravem noxam inducamus: Quarè non probanda eorum audacia qui tantum *Aquis vitæ* dictis, ea calidiſſimis rebus confectis tribuunt, ut omnes capitis morbos earundem aquarum uſu tum præcaveri, tum curari poſſe aſſerant; non cogitantes pleroſque capitis morbos potius ex calidis cauſis quàm ex frigidis naſci; præſertim in iis qui, vel in juvenili

vel in virili ætate conſtituti ſunt, conſueviſſe: Accedit quod in Germania noſtra ea ſit plerorúmque victus ratio, ut vix ſit centeſimus quiſq; qui non plethoram capitis particularem colligat: unde accidit ut ſi tali *Aquæ vitæ* uſus imperetur, ea, cum tota vaporoſa ſit, caput ſtatim petat, & humoribus variis repletú conturbet, ac vel ad epilepſiam, vel ad apoplexiam diſponat, vel ad catharros periculoſos: Quod verò ſententia hæc experimento non careat, inde intelligi poteſt, quod ij apoplectici quibus aquæ iſtæ vitales propinatæ ſint, ferè omnes moriantur aut deterius ſe habeant, id quod ſæpe obſervavi, & ab aliis obſervatum animadverti. *Oethaus apud Schenckium.*

X. Maximam *conſenſionem cordis cum cerebro* exiſtere Anatomici affirmant, & ipſa experientia oſtendit: Cor enim ſpiritus vitales cerebro ſuppeditat, atque in deliquiis animi cerebro ſtatim noxam communicari notum eſt, ſic ubi cùm cerebro noxa accidit, cor quoque conſentit: itaque epilepſias cordis quoque tremor conſequitur, communicata quoque cordi ea malignitate quæ cerebro negotium faceſſit: Quæ cum ita ſe habeant, non inutile erit in maximis cerebri noxis cordi etiam topica confortantia imponere: ſed experimentis etiam rem confirmabimus: Ego ex febre maligna, quæ me etiam in lethargum præcipitarat, revaleſcens, facili de cauſa in Vigilias ſubitò omnes vires dejicientes incidere conſuevi: quare cum aliquando in ſummo vitæ diſcrimine verſarer, ac vigiliis non tantum cerebri facultatē, ſed & cordis vires atteri ſentirem, Epithema cordiale cordis regioni applicavi, ac poſt ad capiendum ſomnum me compoſui: epithematis verò vi ad cor ipſum penetrante, illúdque roborante, ſenſi veluti radium quendam à corde ad cerebrum aſcendere, ac mirificam capiti levationem afferre, poſtea ſuavis ſomnus obrepſit: Idem experimentum aliis profuiſſe poſtea obſervavi. *Idem ibidem.*

XI. Invaluit apud vulgus opinio plurimum prodeſſe *venæ quæ eſt inter pollicem & indicem* ſectionem; at nullus ramus ex cephalica ad manum tendit, omnes propagines ſunt baſilicæ vel communis, ideo futilis hæc opinio. *Sennertus.*

XII. In ſingulis morbis Capitis *ventrem laxum* ac fluidum eſſe conducere plerique teſtantur, ſed cauſas legitimas pauci explicant: Ego verò ventris occluſionem perniciosam eſſe cenſeo, non præcipuè ratione materiæ in inteſtinis retentæ, quæ uſum remediorum neceſſarium ſæpe impedit, ſed ratione vaporum ab illa materia retenta, & à reliquis humoribus inferiorum partium, perpetuò ſeſe elevantium ad ſuperiores corporis partes & maximè ad caput: Etenim ab ijs vaporibus efficitur ut dum continenter caput, alioquin afflictum, afficiunt, non ſolum copiâ illud prægravent, ſed & pro diverſo ſuæ qualitatis modo animales ſpiritus perturbent & corrumpant, unde capitis mala omnia ſunt graviora, & ſępe nova ſymptomata capiti inducantur: quin etiam occluſa alvo, & reliquarum partium inſtrumenta, & flatuoſi humores, denegato inferioribus partibus tranſitu, ſurſum feruntur, & caput totum periculoſo impetu replent: Itaq; in omnibus capitis morbis ventrem apertum eſſe imprimis prodeſt. *Oethaus apud Schenckium.*

XIII. Multorum quoque eſt ſententia per *Pilulas* efficacius quam per Potiones aut, Bolos Caput depleri, quia fortius a diſtantibus trahant, ob diutiniorem in ventriculo moram: Id quidem certum Pilulas efficaciter caput purgare, & id non à forma, at à fortibus medicamentis, e quibus conſtant, obtinent: Error ex falſa hypotheſi ortum habuit, purgantia ſcil. in ventriculum ingeſta, è toto illuc vitioſos humores allicere, quod falſum, (aliàs enim epomphalia, aut manibus verſata purgantia, naribúsve admota nequaquam purgarent) cum id præſtent ſui aliquid in corpus transfundendo, à quo humorum commotio & fermentatio exoritur, ad quam; laceſſita expultrice, humores cum purgante in alvum præcipites agente, ſequitur excretio. *Sennertus.*

XIV. In Capitis affectibus *Vomitoria* virtute ſua non carent, In Cephalalgia *Iaſon* iis commendat qui ad eam proclives ſunt, & ubi materia confluit ad ventriculum, ut fit cum per conſenſum ventriculi caput debilitatur: Verum nec *Gattinaria*, nec alij Practici de ijs mentionem faciunt: *Arculanus* omnino ea averſatur, quem etiam ſequitur *Foreſtus* l.9.Ob.15. Si quis difficulter vomat, *inquit*, licet ad ventrem materia conflueret, tunc omnino prohibemus vomitum, quia caput repletur & magis offenditur: Quamvis facile vomentes vomitus quoque juvare credatur, tamen ex ventre materia ad caput tendit: In Lethargo *Mercurialis* ea damnat, & *Foreſtus* lib. 10. Obſ. 9. magis clyſteres cōmendans, quia, juxta Oribaſium, revulſio facienda eſt deorſum ubi ſucci ad ſuperiora, ſurſum vero ubi ad inferiora vergunt: Verum vomitoria revellunt, non ſolum à partibus inferioribus, ſed & ſimul à ſuperioribus: notum enim eſt quod revelluntur humores, non qui jam ſunt in parte affecta, ſed ij qui ad partem aliquam fluunt, aut fluxuri ſunt: qua ratione cavetur & prohibetur ne pars affecta humoribus affluentibus repleatur: *Sennertus Inſtitut. p.m.* 1508. Proinde Vomitoria quæ evacuant ventriculum, ramos Portæ, hepar & lienem, revulſione præcavent ne humores in dictis partibus reſtagnantes, vel ad ſuperiores, vel inferiores devehantur partes. *Alexand. Benedictus, Pract. fol.* 243.

XV. Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat; calefaciunt enim caput pharmaca purgantia, & ad caliditatem febrilem, accedente ea quæ in medicamento eſt, Inſaniam facit, ait *Hippoc. lib. de loc. in hom.* Quæ mihi videntur admodum rationi conſentanea, ac proinde, ſive homo vehementer febricitet, & præcipuè ſecundum partes ſuperiores, ſive caput inflammatione tentatum ſit: ſive periclitetur tentari, ſive phreniticus ſit, ſive magnum habeat ulcus, quod poſſit non ſine periculo irritari, devito pharmaca quoad poſſum: Certò ſciens his magnopere tentari capita, Indicat id ſomnus, qui iis qui expurgantur mox ingruit: Si poſſum, clyſteribus acrioribus & tenui victu contentus ſum. *Valleſius 2. Epid. 6. p. m.* 225.

XVI. *Paulus* lib. 7. cap. 4. ſcribit eos qui veſperi *Purgans* exhibent, aut à cibo, noxam inferre alimenti corruptione, minorique quam par ſit facta vacuatione: Confirmare videtur ratio, quia ſic interrumpitur concoctio, vitiatur alimenti *διάδοσις*, medicamentum imperfectè agit, retuſa ejus ab alimento purgandi vi: Sed repugnat experientia, qua teſte Pilulæ à coena exhibitæ Caput optimè expurgant citra recenſita damna, ut oſtendit J. R. *Saltzmannus* apud *Hildanum* centur. 3. Obſervat. 72. Incidi, *ait*, non ita pridem in *Damaſcenum*, inque ejus aphoriſmum, quo ſi a capite, vel alia aliqua remotiore parte, purgare volueris, pilulas poſt cibum exhibere jubet, Cum eo autem pugnat methodus noſtra medendi, quæ purgantia, præſertim quæ elective talia dicuntur, jejuno ventriculo, vel ſi fortiſſima ſint præſumpto ſaltem aliquo brodio propina-

pinare ſuadet : Rationes hic non addam, Experientia vero hoc *Damaſceni* præceptum confirmat, ſæpius enim à primariis noſtris Medicis Pilulæ poſt coenam in ejuſmodi caſibus, foeliciſſimo cum ſucceſſu exhibentur, quos & ego ſequutus jam ſæpius etiam exhibui, Et, ut verum fatear, in expurgando cerebro ab humoribus ſuperfluis nullum præſentios remedium hactenus obſervavi, Et, quod mirum eſt, multo minore doſi exhibentur quam quæ mane ieiuno ventriculo degluriuntur : Sumûntur autem una, vel duabus horis à levi coena, ſuperdormiendo; Circa 4. 5. vel 6. matutinam operatio ſubſequitur, lenta, & citra ullum grave ſymptoma, nauſeam ſcilicet, vomitum, dejectionem appetitus, ventris tormina & alia, & reiterantur plerumque aliquoties ſubſequentibus, vel alternis veſpertinis : atque hac ratione plures ex parva doſi jam fuerunt purgati, qui ante dupla, mane exhibita, & jeiuno ventriculo commoveri non potuerunt.

XVII. Sæpe credulitaſne ægrotorum magis, an temeraria ſtoliditas atque audacia Medicorum accuſanda ſit cogito, dum omnes morbos *Potionibus ex decocto Gajaci* & *Salſæ* extirpari poſſe arbitrantur. Illud affirmo niſi eiuſmodi affectiones à morbo Gallico deveniant, non modo nihil decoctum vel Ligni, vel Salſæ prodeſſe, verum ea incommoda valetudinis interdum afferre quę ad extremum ſpiritum uſque gravia ſunt. *Crato apud Scholtzium conſ.* 59.

XVIII. *Lotiones Capitis* (modo conſuetudo aliud non ſuadeat) plus caput iuvant, & minori periculo adhibentur quam Thermæ : Sunt quidam in ea ſententia Lotionibus frequentibus caput debilitari, Ea vera eſt de firmo capite, & non aſſueto ad lotiones; de infirmo autem, & ſordes expurgare aſſueto, minime verum: Lavandum vero æſtivis temporibus mane, niſi ſit frigidior & humidior aura, hybernis ante coenam. *Idem Conſ.* 59.

XIX. Cum non tam per conſenſum quam primario affectu Caput laborat, non video quomodo lotione prodeſſe *Thermæ* poſſint; Ac licet ſit fortaſſe aliquis conſenſus, tamen eæ divertere tantum vapores impetentes, non intemperiem, niſi per Ducciam (ita vulgo ſtillicidium ſeu embrochas vocant) corrigere poſſunt; Tales autem Thermas & actu & potentia calidas eſſe oportet, ut materiam diſcutere, & temperiem corrigendo robur parti addere poſſint: Cúmque affectus totius erit capitis, & plura ſenſuum organa afficiet, vel catarrhus toti capiti communis erit, neceſſe erit ut bregmati, ubi ſuturæ coeunt, & cranium eſt rarius faciliorque penetratio, inſtilletur; Quod ad caliditatem attinet, inprimis commendantur Thermæ Sulphureæ : quod ad penetrationem Nitroſæ. *Idem conſ.* 59.

XX. Circulatio ſanguinis docet quomodo ſit ſuccurrendum capiti laboranti, Nam ſi ſanguis per Carotidas tantum aſcendat ad cerebrum, & deſcendat per Jugulares, E vena ſæpius ſecta in brachiis plurimum proderit: atque cucurbitulæ cruentę ſiccæ, ac frequenter admotæ ſummis humeris, collo & inio, frictiones duræ artuum ſuperiorum & inferiorum etiam conferent, ad revulſionem, derivationem, atque vacuationem partis affectæ: *Riolanus Anthropogr. in fine l.*6. At experientia teſte plurimos affectus cephalicos, dolorem præſertim, promptius & citius ſedat Saphenæ ſectio: quam baſilicę, medianæ aut cephalicæ: ratio forte quærenda ex eadem ſanguinis circulatione, quod ibi venæ cum arteriarum oſculis apertius conjungantur, hinc ſanguis arterioſi naturam adhuc referens educatur : Eadem & Salvatellæ in manibus ratio poteſt reddi, de cujus efficacia nemo dubius eſt.

XXI. *Pili* in morbis capitis & oculorum *abraduntur* in multos uſus, 1. Ut melius applicentur & penetrent medicamenta, nam Pili has operationes impediunt: Docet id *Gal.* 13. meth. c. 22. Commodius etiam fuerit, ſi & cum frictione id facias, aut Tonſis capillis, aut plane abraſis &c. Quare etſi corpus tunc ſit impurum, & ea ratione confluxus humorum ad caput & oculos ſit verendus, tamen in phrenitide, aliiſque Capitis affectibus, vel etiam initio, ob maius periculum evitandum, ob cauſam dictam eſt exercenda, quia utilitas maior eſt quam noxa : In Ophthalmiæ fine, iam depoſita plenitudine, & univerſalibus auxiliis adminiſtratis, utilis eſt Tonſio, quæ ſi non iuvat, Raſio exequenda : In initio vero præſtat aliquando eam conſulere ægris, ſi ii aſſueverint frequenter pilos removere. Quare cum conſuetudo ſit ſervanda eos, prolongari non permittemus, alioqui increſcet morbus, & dolor capitis opprimet vehementius. *Zacutus.*

XXII. *Fonticulus in ſutura coronali*, per Cauterium inurendus, à quibuſdam præſcribitur, ac ad humores e cerebro, & integumentis eius exterius avocandos evacuandóſque commendatur, Hoc quamvis nonnulli in familiari habent praxi, pluribus tamen minus feliciter ſucceſſive comperi, adeout multos Fonticulos ita in ſummitate capitis excitatos occludi præceperim, atque hoc non ſine ratione æque ac experientia edoctus; quippe ſanguis verſus locum, ubi recrementa ſua deponere aſſuefactus eſt, fæculentias plures transfert, eaſque in tota vicina, ac potiſſimum in parte affecta (utpote debiliori & magis ſuſceptibili) deponit, unde ſæpius morbum augeri potius quam ſanari contingit : Ob eandem rationem, nempe ad humores à capite interiori ad extra derivandos, alii in Bregmate ſupra ſuturam coronalem, aliique in Occipite, circa initium lambdoidis Fontanellas excudunt, Verum eadem contra hæc ac priorem manet exceptio : Multo certe rectius materiam morbificam, πεϱὶ τὴν ἐγκέφαλον deponi ſolitam, Fonticulus in Brachio anticipat, in crure revellit, & paulò infra caput excitatus eam inde derivat : Hinc ad graviores cerebri, aut meningum affectus, infantibus ac pueris, foveam nuchæ incidimus; adultis ac ſenibus cauteria ex utroque ſpinæ latere, inter homoplatas, excitamus, ibidemque duas fontanellas, plurium piſorum capaces, cum magno ſæpe commodo procudimus : Quoad foramina pone aures inciſa, vel inuſta, aut ſetaceum lobo eius carneo trájectum, rarius hæc emolumento, ſæpius vero moleſtiæ fuiſſe obſervavi; in quantum ſcil. ſolutio continui in his locis facta, ichorem nec multum, nec diu profundit, Etenim fovea, aut foramen, quamvis piſo aut pilula oppleta, cuticula invitis omnibus ſuccreſcente obducetur. *Willis.* Cephaleæ pertinacia ejuſmodi fonticulo curatæ exemplum vide *in miſcell. Cur. anni* 1672. *Obſerv.* 81.

XXIII. *Avicenna* l. 3. fen. 1. tr. 2. c. 33. ad interceptionem vaporum qui per arterias cum ſanguine arterioſo aſcendunt, proponit *Inciſionem arteriarum in temporibus*, vel Aduſtionem earum per cauteria, modumque, & ea quæ in tali operatione neceſſaria ſunt, pluribus deſcribit, Et præcipit ut tria cauteria ſupra medium capitis applicentur, ut è cerebro humores extrahantur, duo ſuper tempora, quibus via humoribus & vaporibus ab inferioribus ad

ſuperiora aſcendentibus intercipiatur, unum in nucha ſeu poſteriore capitis & colli parte: At non ſine cauſa in comm. addit *Iacob. de Partibus*, Cum pleriſque ægri vix ſuaves Medicinas admittant, quis toties ſe uſtulari ſinet? Ideóque conſulit ne Medicus tot cauterijs uti attentet, niſi inſtanter ab ægro & amicis poſtulentur: cum incertum ſit an eorum uſu malum ſit ceſſaturum, & metuendum ſit ne ſanatis ulceribus malum recrudeſcat.

XXIV. In omnibus Capitis affectibus per conſenſum commendatur *Oxyrrhodinum*: Sed in Aceti electione addimus, hoc attendendum eſſe ut in bilioſa & calida materia, & ubi vigiliæ urgent, acetum minus acre (hoc enim caloris particeps eſt) eligatur; aut ſi acre ſit, minor ejus portio admiſceatur: Si autem materia ſit craſſior, acri & copioſiori uti licet. *Sennertus.*

XXV. Notandum illud quod *Galenus* lib. 1. *κατ' τόπ.* cap. 2. monet, In omni capitis morbo, à quocunque humore fiat, admiſcenda eſſe phlegmagoga.

XXVI. In intemperie capitis cum atra bile purgantibus ſemper aliquid humectans admiſcendum: Nec *purgantia* præſcribenda niſi corpus prius humectatum fuerit.

XXVII. *Ptarmica* in uſum ſi veniant, gratia deonerandi cerebrum in intemperie ejus cum pituita, abſtinendum à vehementioribus, ut pulvere hellebori albi, radicis lilii convallii & ſimil. ob ingentem quam efficiunt in cerebro agitationem, veterno tantùm aut apoplexia detentis convenientem; ſatis ſit fibram radicis in nares immittere iterúmque extrahere.

XXVIII. Si totum *Caput* ſit *purgandum* paulò valentiora ſint pharmaca: Si partem aliquam ejus, ut *oculos, nares &c. paulo debiliora:* juxta præceptum *Hippocrat.* libr. de locis, Medicamenta caput purgantia, quæ quidem fortia ſunt, à toto capite ducunt; quæ verò debilia, ab oculis; & hinc à vicinis naſo partibus.

XXIX. Quidam *Suffitum aromatum* commendant ad ſiccandum & roborandum cerebrum: alij damnant, quia fumis replent caput. Meſue litem hanc componit: *Moderatus uſus aromatum*, inquit, *prodeſt cerebro, quia illud deſiccat & roborat: immoderatus verò nocet:* Mallem dixiſſet, aromata immodica nocere capiti, ut odorem moſchi: moderata vero (ut ambræ griſeæ odoratum frequentem) plurimùm juvare: Notavit *Sylvius* nihil æque prodeſſe Epilepticis. *Iohann. Riolanus met. Med. lib. 1. cap. 1.* Notandum ex *Galeno* aphor. 28. 5. non convenire præſertim in affectibus *πνευματώδεσι* capitis; in his enim ſemper conjuncta gravitas, quam adaugent: nam calida omnia ſuperiora facilè petunt, fumis caput opplent, humores fundendo graves catarrhos excitant: Advertenda etiam eſt conſtitutio; quorundam enim capita tam facilè replentur, ut quilibet odor dolorem inducat: Temperati ſuffitus fiunt ex ſuccino puriore: minus grave eſt, atque optimè ſiccat roboratque cerebrum, gummi Animæ.

XXX. In Capitis intemperie frigida, ſunt qui *Fotibus* humidis & *Lixivio* utuntur, quibus cum ſpongiis caput abluunt; Sed ab his abſtinendum cenſeo, quia defluxiones excitant: Præferendum fomentum hoc ſiccum, omnibus naturis, ætatibus & ſexibus accommodatum, quod attenuat, calefacit, reſolvit, frigidam intemperiem emendat & roborat ℞. *milii* ℔ j. *ſal. comm.* ℔ß. *fol. ſalviæ, roriſmar. lavend. majoran. ana. pug. j. ſemin. aniſ. fœnic. cumin. ana.* ʒ ij. *baccar. lauri* ℥ j. his in ſartagine torrefactis, & ſacculo concluſis, ſiccetur & confricetur calidiſſimè Caput per ſeſquihoram: magis efficaces ſunt ſi raſis Capillis applicentur. *Enchetr. Med. Pract.*

XXXI. Nonnulli putant *Ptarmicorum* uſu fluxum humorum à capite in pectus potiùs augeri quàm revelli, nec iiſdem niſi extrema neceſſitate urgente & præmiſſis generalibus utuntur: Sed ipſi, ut exiſtimo, graviter falluntur, cùm in defluxionibus magnis ſuffocativis, & ſubitò ſupervenientibus, commodè admodum & feliciter exhibeantur: Natura enim hujuſmodi canales dicavit cerebri vacuationi, quam ars imitata promovet ita, ut aperto & libero tranſitu, curſus ſeroſorum humorum per eandem viam expediatur & revellatur: *Avicenna* uſurpat ſternutatorium quoddam vaporoſum, paratum ex aceto fortiſſimo, in quo diſſolvit parùm caſtorei, cujus vapor ſternutationem vehementer prolicit. *Quercetanus Pharm. Dogm. reſtit. c.* 18. Vide *Zecchium Conſ. 72. p. m. 691.*

XXXII. *Frictiones* partium externarum laudantur, fugienda vero frictio capitis quæ illud replet vaporibus, nedum vacuat: Præcedant eam vacuationes univerſales, poſt fiant hoc modo, primo fricetur collum & brachia fortiter, & ſpina dorſi, tandem femora & crura, ultimo caput; tunc enim non eſt periculum de attractione vaporum vel fumorum ad caput, cùm jam facta ſit diverſio ad partes longinquas; Hoc modo fieri poteſt cerebro prius evacuato: fiat frictio cum panno calido & aſpero in aliis partibus à capite, in capite vero cum panno non multum calido, ſed ſufficit ſiccum eſſe, at non calidum, nam panni calidi frictio multum diſſolvit, hoc in epilepſia, apoplexia, catarrho aliiſque capitis affectibus obſervandum, incipiendæ ſemper frictiones à collo, ſenſim ad inferiora deſcendendo uſque ad tibias & pedes. *Rondeletius Practic. Med.* 77.

XXXIII. Ad ſupprimendos vapores è ventriculo aſcendentes in caput *Coriandrum* dari notum eſt: Quidam tamen ejus uſum improbant, quod naturâ ſua caput maximè petat, nedum prohibeat aſcenſum vaporum, cum potiùs ſecum eos ad caput ducat, imò delirium, ex *Dioſcoride* inducat: Verum quidem id ſi immodicè ſumatur, caput petere, quod illi cum croco, nuce moſchata, thure &c. commune, moderatè tamen ſumptum ob id non rejiciendum, præcipuè præparatum: Vaporoſum enim illud & volatile, ut loquuntur Chymici, quod eſt in coriandro, quodque caput immodicè ſumptum veneni inſtar lædit, ab aceto figitur & corrigitur, ut utile evadat ad coctionem juvandam, cor & cerebrum mundandum fiat remedium, quod experientia teſtatur. *Sennertus Pract. lib. 1. part. 1. c. 7.*

XXXIV. In *Lotionibus Capitis* tria ſunt obſervanda, videlicet ut, contra communem morem, caput ita in occiput declinet ut oculi ſurſum aſpiciant: Saponis loco amygdalæ amaræ tritæ uſurpentur, & ne calidioribus pannis, neve nimia commotione caput pluſquam par ſit incaleſcat. *Zecchius Conſult.* 27.

XXXV. Pro Epilepticis, aliiſque Capitis affectibus, *Emplaſtrum* ex gummatibus *in nucha* geſtatum prodeſt, quod magno levamine expertus eſt, conſilio Empirici, Vir quidam Nob. Sive quis vaporum calidique ſanguinis ad caput impediat aſcen-

ſum, ſive quod vellicantes humores à nervorum principio abſumat: Tria ſucceſſivè imponuntur, ſingula donec ſponte excidant, in nucha relinquenda, quod ad aliquot hebdomadas protrahitur, deinde calida aqua locus abluendus, ut aliud applicetur: Sic temporibus utrinque & fronti emplaſtra ex tacamahaca, caranna &c. impoſita, a dentibus, oculis &c. depluentes humores intercipiunt, viaſque in venis adſtringunt. *Bartholinus Centur. 5. Hiſtor.* 25.

XXXVI. Damnat illorum morem *Sanctorius* l. 4. meth. Vit. Err. cap. 5. & 13. qui *Cerata & Emplaſtra* tam diu relinquunt donec ſponte cadant, quia nihil ab aſſuetis emolumenti: Sed ubi adſtrictione opus eſt, & interceptione, non ſine detrimento ſæpius mutantur. *Idem ibidem.*

XXXVII. *Topicorum plantis pedum ſubditorum* in Capitis affectibus efficaciam rariſſima obſervatione ſum confirmatutus: Ab hinc aliquot annis juvenis Danus, ex longinquis & tranſmarinis peregrinationibus redux, ex mutata diæta graviſſimam ophthalmiam, aut χήμωσιν potius, bulbis oculorum prominulis, & palpebris inverſis patitur, nec lucem, nec ullum ventilatum aerem ferre valens &c. ita ut gliſcenti eóque pertinaci huic malo neque Ego, neque Chirurgus, artis peritiſſimus, commodum ullum invenire poſſemus remedium, ſed coacti fuerimus extrema illa capeſſere quæ ult. aphor. Hippocrat. commendat, quamvis nec æger quicquam levaminis ex omnibus iis perciperet: Quare ego cogitare mecum, aut prognoſi eſſe relinquendum ægrum, ob ſacram Hippocr. authoritatem, aut expedire ex ejuſdem decretis ut medelam hujus χημώσεως alia aggrederer via: Inquiro ergo ſolicitius & ſagacius in priorem ægri diætam, & fari mihi ille duriſſima quæque, & modo non fractum multo labore in Candia. cum militis peditis ſtipendia apud Venetos faceret, ſeſe eſſe paſſum: Ingenue quoque faſſus eſt nunquam ſe contaminaſſe iis vitiis quæ fert adoleſcentia, & quibus alij Venerei nepotuli omnium nationum iter facientes fœde polluti quandoque redeunt, ceu canes cauda truncati: Cum ergo moribus intaminatis juvenis inter alia quoque conquereretur de inſigni pedum æſtu, præ quo ſomnum capeſſere non poſſet, porro ex illo quæro ſugax an diuturnus eſſet ille dolor, & an recens an vetus? & diuturnum & veterem aſſirmavit: Quæro ergo, an ne termini ex quo coepiſſet primum recordari poſſit? ac ſeſe haud poſſe aiebat: his ego non acquieſcere, ut veram ex illo hujus ſive morbi ſive ſymptomatis cauſam exſculperem, quare cum inter alia quoque mihi retuliſſet ſe magnis itineribus & ſumma celeritate peditem Patavio contendiſſe Hamburgum, & quidem ſe ſpatio quinque ſeptimanarum hoc iter pedeſtre confeciſſe: Suſpicabar ego intemperiem pedum facere ut juſto calidior ſanguis, citra tamen febrim, vel cauſaretur iſtam ἐγχύμωσιν, vel certe foveret. Hinc animo allibuit meo experiri quantum ſolers ratio opitulari practicis ſtudiis poſſet, ſeu, quantum Anatomia inutilis quandoque ab authoribus appellata, vel quam videtur *Galenus* 4. Anat. adm. c. 1. Cavillatoriam, reſpectu utilis appellare, conferre practicæ Medicinæ ſtudiis valeret, ſeu, Num circulatio ſanguinis tantùm in Ophthalmia hac curanda quantum in ἀγρυπνίᾳ præſtare poſſet: parui ergo *Hippocrat.* effato l. de loc. nempe *Morbos vetuſtos primum recentes eſſe faciendos*, id eſt, ut ego olim accepi, de novo novis urgendos eſſe remediis commodis, haud aliter ac ſi novi paroxyſmi inſultus accideret, & tentavi medelam hujus ἐγχυμώσεως: quin cum Idem dicto loco præcepit, *In morbis quos quis minime cognoſcit, medicamentum vehemens potius exhibendum &c.* quod præceptum inſtar Ariadnei fili ſequutus ſum: Præmiſſis ergo univerſalibus, ægro huic emplaſtrum imperiale Jac. *Fabricij*, cujus egregias vires in mitigandis doloribus podagricis aliquoties comperi, commendo; Sed quia in hoc individuo nuda intemperies calida ſine materia pedes obſediſſet, Emplaſtri hujus unciæ uni, Nitri præparati & Gummi Carannæ ana ℥ ß. remiſcui, & ſpatio quinque vel ſex dierum non ſolum intemperies illa pedum correcta eſt, ſed quoque caſu inveni contra clavos pedum remedium; Etenim cum plantæ pedum horridæ & ſtipatæ hinc inde eſſent clavis innumeris, accidit ut ab uſu hujus nitrati emplaſtri emarcuerint ad unum omnes: Vindicatus ergo hac methodo juvenis ab enormi ophthalmia, quæ ipſum xi. ſeptimanis detruſum in tenebricoſiſſimum cubile lecto affixerat, qui in hunc uſque diem (triennium effluxit ab eo tempore) ne quidem leviculam ταραχὴν paſſus eſt: Sileant ergo deinceps qui proterve ſanguinis circulationem negant: Maxime cùm auguror fore ut venientibus annis Medicis facem ad multos abſtruſos morbos, imo vel formæ dictos, prælucea: Sed hic hoc Problema enodandum, Cur vulgo illa credantur prodeſſe Capiti quæ pedibus applicamus, imo indignemur ſi quem nudis pedibus ſtantem aut ambulantem: necnondum iter facimus, ubi aliquem peregrinantium conſpiciamus ſuper ſtrato dormire ocreatum? Ratio in promptu, quia applicatis calidis aut frigid. &c. pedibus aut eorum plantis, ſanguis ob anaſtomoſes venarum & arteriarum hic numeroſas ocyus alteratur, qui dein alteratus, interveniente circulatione, ad caput ipſum defertur: Sic carpo applicata cauſtica vel tollunt, vel mitigant febrim: tollunt ubi fermentum febris, quod jam venas ſubiit, una cum ſero effluit, puſtula ad carpum excitata: Mitigant ſolum, ubi quidquam hujus remanet? Alterantia vero alterando ſanguinem frigefaciunt, quod fit ubi verbi gratia nitrum in aqua lactucæ ſolutum, vel limonii mali pulpam carpo applicamus: Qui ergo valetudinem curabit, is optime ſibi conſulet ob anaſtomoſes modo dictas, ſi manus & pedes probe adverſus aëris injurias præmuniat, vitetque objecta & præſertim frigidiſſima: Quidam, inquit Celeber. *P. Marquardus Slegelius*, occupatus in evertenda glacie, ferreo inſtrumento utens, ſubito animo defecit, frigore ex manu ad Cor tranſmiſſo: Adde circa has extremitates, manus & pedes, excrementa plura quam alibi colligi: hinc manus ſordeſcunt; pedes ſordibus propemodum virulentis incruſtantur &c. *S. Pauls Digreſſ. de Febribus malignis p.* 83.

XXXVIII. An in intemperie cum humore bilioſo *Reſolventia* in uſum ducenda? R. Indeclinatione morbi locus eſt diſcutientibus, eadem ratione qua in inflammationibus, quæ concedit *Galenus* 1. ad Glauc. 15. & alibi. Eorum uſu intemperiem augeri quidam cenſent; at materiam calidam diſcutiendo, cenſendum eſt potius ea refrigerare ex accidenti: Neque metus eſt attractionis, cum præmiſſis univerſalibus & repellentibus in uſum ducantur: Humor bilioſus quidem, tenuitatis ratione, facile exhalat, in capite tamen craſſitiem ut acquirat facile fieri poteſt, teſtirentque ejus reliquiæ, quæ diſcutientium ope indigent.

XXXIX. Cùm materia aliunde affluit, excu-

ti debet, aditúque prohiberi: hoc fit frigidis craſſis, attamen vehiculo conſociatis: Illud cavendum ne hic *ſtringentibus frigidis* utantur, ſed potius oleo roſato completo; abſit rhodoſtagma: Nec etiam convenit uſus Adſtringentium ubi obſtructio adeſt capitis, quæ facile huic materiæ ſe iungit, eáq; eorum uſu increſceret, maximè dum urente febre ſurſum fertur ad caput ſuccus: Nec ſtringentibus caput fatigandum, dum ſe in pulmones uberrima effundit materies: Sin nec copia gravis, nec fœditate contaminata illa fuerit, licebit eam à capite repellere, non tamen adſtringentibus: Quâ verò copiâ ac efficacia hæc admoveri debeant, doloris vis, pituitæque ubertas, & capitis denſitas à ſtructura indicabunt. Sed adſit cautio, ne occipitio adhæreant olea frigore imbuta, nam nervorum initio & ſpinalis medullæ principio bellum ea indixere. *Heurnius Cap. de Cephalalgia.*

XL. *Diſcutiendi vi prædita* nemine diſſentiente adminiſtrantur, modò materia amplius non confluat: ſed de medicamentis Acribus alia eſt ratio, nam *Galen.* 2. de compoſ. ſ. l. c. 1. 2. & 3. verba faciens de medicamentis metaſyncriticis, ait fuiſſe antiquorum inſtitutum indifferenter illis uti, ſe tamen non admittere eorum uſum in intemperie calida, neque materia calida: Ac 6. de tuenda val. 9. ſcribit, In capite calido medicamentum ex thapſia & fimo Columbino minimè convenire: Ego tamen puto hæc tuto adminiſtrari poſſe, ſervatis quibuſdam conditionibus, quod etiam comprobavi experientia: 1. regula eſt ut humor ſit calidus, ſed in capite exiſtat potiùs per affluxum, quam genitus ibi ob intemperiem calidam: 2. Ut humor jam fluxus ſit, non amplius in fluxione: 3. Ut ſit in partibus capitis profundis intra cranium; 4. Ut jam in capite ſit confirmatus, neque aliis ceſſerit remediis: His ſervatis, puto *Galenum* quoque admiſſurum hæc; ſi quidem ipſe in phrenitide, ubi jam eſt fluxa materia, iis utitur, ut & in lethargo 13. meth. 21. & 2. ad Glaucon. Vult materiam etiam calidam inflammationis, ubi jam eſt fluxa, calidis auxiliis eſſe evocandam: Ipſe c. 13. l. 5. meth. utitur medicamento ex thapſia, ſinapi & fimo columbino, in capite calido cum catarrho ſalſo. *Saxonia Prælect. Pract. p.* 14.

XLI. Toto & capite expurgatis Humida Intemperies corrigenda; in quem finem nihil efficacius atque tutius in arte *Decoctis cum ſudoribus*: Decoctum enim ſine ſudore quotidie caput magis implet, & intemperiem adauget, liquando atque fundendo humores in toto redundantes, qui fuſi, ſi ſudoribus non educantur, ſurſum petunt, Caput implent & in eodem morantur, unde ex uſu decocti ſine ſudore caput ſemper in deterius labi obſervamus. *Fortu Conſult.* 12. 13. *cent.* 1.

XLII. *a.* In Capite repleto, debili, cum apoplexiæ metu, damnat *Idem* cent. 1. Conſult. 58. *Decoctum cum ſudore*, quanquam exſiccatio neceſſaria, veritus ne liquatæ totius & capitis humiditates præcipites in cerebri ventriculos ruant, ſicque inferant Apoplexiam. Quare libentius aliquo decocto, non valde liquante, & caput quidem exſiccante, ſed & calidum innatum fovente, ac materiam nervis impactam diſſipante præſcribit, materia potius ad centrum per urinam, quam ad circumferentiam per ſudorem (præſertim hyeme) derivata, ex lentiſco, ligno roriſmar. viſco qu. & modico ſaſſafras in jure columbi parato, præmiſſa terebinth. cum ſale ivæ arthrit. & theriacali.

XLII. *b.* Quoties ab externo frigore aëris, aquæ aut nivis, male fuit affectum caput, ſive *Gravedo* ſimul fuerit producta; ſive animalium ſpirituum defectus imprimis urgeat, toties obſervavi feliciter ac brevi curari ægros, ſi quam citiſſime fieri poteſt foras propellatur iterum quicquid penetravit in caput, aliáſve corporis partes noxam ipſis afferens, idque per Sudorifera ſemel, aut, quod præfero, ſæpius & partitis vicibus aſſumpta, ſed ſpirituoſa & volatilia: quippe quæ non tantum alterant corriguntque frigoris, aliorúmque ipſum comitantium malorum cauſam, verum emendant quoque noxam in corpus continens contentúmque introductam: In hunc finem formulam commendo ſequ. ℞. *aq. fumar. fœnicali ana.* ℥ij. *theriacal. ſimpl. vel alterius aromat.* ℥j. *ſpirit. ſalis ammon. gutt.* xx. *olei garyoph. gutt.* iij. *bezoart. min.* ʒß. *laud. op. gr.* ij. *ſyr. papav. errat.* ℥j. *m.* Hujus medicamenti cochlearia duo ſumat æger, atque mediocriter tectus expectet ſudorem, quem facilitabit, exoptatúmque experietur, ſi ſemper poſt horam dimidiam tantundem ipſius aſſumpſerit, donec erumpat ſudor, tunc enim rarius & parcius eo utetur; uſurpando ſubinde aliquid juſculi puri, aut cum tantillo vini ei admiſti, quo vires recreentur, & ad ſudorem diutius ferendum aptiores reddantur; Nihil enim æque iuvat ipſos ac ſudor aliquandiu blande prolectus, quod me docuit ſæpius Experientia: Quoties ab *interno frigore*, aut febrili, aut alio abſque febrili paroxyſmo ſubinde homines corripiente, ſpirituum animalium ſecretio naturalis & ſufficiens impeditur, toties ſimili Sudorifero, rite uſurpato, nunc citius, nunc tardius prodeunte ſudore, reſtituitur citius tardiúſve deſiderata ſpirituum animalium ſecretio, humanæ fœlicitati tam neceſſaria: Hujus námque, aut ſimilis medicamenti, & ſpirituoſi, & volatilis, & aromatici ope cum ſudore, aut inſenſibili tranſpiratione, diſcutiuntur diſſipantúrque halitus & flatus noxium frigus, quin ſenſuum ſtuporem, motúſque torporem producentes: Quotquot urgente tali, externo internóve frigore, ſanguinem mittunt, aut per vomitum ſeceſſúmve mali cauſam putant ſe educturos, in vitæ, graviorum ſaltem malorum, periculum conjiciunt ægros, ſicut hoc non ſemel vidi factum &c. *Sylvius Praxeos Med. lib.* 1. *cap.* 1. §. 31. *ad* 36.

XLIII. Cum non tam per conſenſum quam intemperiem inductam in cerebro ſymptomata emergunt, non video quomodo prodeſſe lotione poſſint *Thermæ*: Ac licet ſit aliquis conſenſus, tamen *Thermæ* divertere tantum vapores impetentes, non intemperiem, niſi per Ducciam corrigere poſſunt: Tales autem Thermas & actu, & potentia calidas eſſe oportet, ut materiam diſcutere & temperiem corrigendo robur parti addere poſſint: Cum vero affectus eſt totius capitis, & plura ſenſuum organa afficiuntur, Catarrhi etiam omnes toti capiti communes ſint, neceſſe erit ut bregmati, ubi ſuturæ coeunt, & cranium eſt rarius faciliórque penetratio, aqua inſtilletur: quod ad caliditatem attinet, inprimis commendantur Thermæ ſulphureæ, Quod ad penetrationem, Nitroſæ: Si itaque bene temperatæ ex utraque minera Thermæ eſſent, forſan prodeſſe poſſent, Et, forſan, ſcribo, quia nihil exploratí in tali affectione de uſu Thermarum habeo: *Crato.*

XLIV. *Lotiones Capitis* arte præparatæ plus caput juvant, & minori periculo adhibentur quam Thermæ: Sunt quidam in ea ſententia Lotionibus frequentibus caput debilitari: Ea vera eſt de fir-

imo

mo capite, & non aſſuet ad lotiones, de infirmo autem, & ſordes expurgare conſueto, minime verum. Lav[illegible] dum e o æſtate mane, hyeme ante cœnam [illegible] in die pedes quoque abluendi. *Crato.*

XLV. Non raro ſucceſſum vidi ex *decocti Salſæ* aſſumptione in affectibus gravibus Capitis, non ex Gallicana ſolum [illegible] ue contractis, dico doloribus aut abſceſſibus, quæ tolli ratione alia potuerunt nulla, ne Guaiaci quidem ipſius decocto, niſi hoc uno remedio; Verum etiam in doloribus aliis capitis diuturnis, catarrhis ac defluxionibus, ad quas Salſa hæc peculiariter facere animadverſa eſt. *Iul. Alexandrinus apud Scholtzium p.* 498.

XLVI. *Errhina & Apophlegmatiſmos* indicari aiebant Veteres ab excrementitiis humoribus in ventriculis & ſubſtantia cerebri collectis: Recentior ætas cenſet, non humores ibi collectos ab iis per nares & palatum evacuari, Nec quæ evacuantur eſſe excrementa nutritionis in narium mæandris, & palati fauciúmque membranis acervata, ſed nonnullorum arbitratu, bilioſos, pituitoſos, melancholicos & ſeroſos, partim ex arteriis, ex toto corpore, partim à ductibus ſalivalibus eo derivatos humores, Indicantur hae ratione à cacochymica impuritate ſanguinis, ſero plurimo diluta, ut caveatur ejus influxus in cerebrum, & ulterior cum circulato ſanguine permiſtio, adque nobiliores partes delatio. *Rolfinccius meth. Med. ſpecialis p.* 605.

XLVII. Illorum non poſſum probare ſententiam qui *Tabaci* uſum valde noxium eſſe cenſent, cum obſervaverim omnis generis homines, tenues, craſſus, bilioſos, pituitoſus, aliósque nihil incommodi inde percipere, niſi ob immodicum uſum: ſic omne immodicum vertitur in vitium: *L. Mercatus* ſummis extollit laudibus, & variis in morbis commendat: Quibuſdam perniciolis videtur uſus, Primò, Quia naturæ contrarium eſt, nam ſurſque déque purgat vehementer, at purgantia naturæ ſunt inimica: Secundò, Cum quis primò eo utitur, Vertigines ingruunt, animi defectiones, ſudores frigidi, quæ ſunt malignæ qualitatis indicia: Hæc quidem vera dum in corpus ingeritur, ſed quando ſolo ſuffitu aſſumitur, nec ultra fauces pervadit, cerebro prodeſt caliditate ſua humores pituitoſos vacuando: Cum igitur oſtendat experientia ſine noxa à plurimis ſumi, cur illi repugnandum ſit rationem non video: Cenſendum tamen primo, Moderatum debere eſſe illius uſum: Secundò, Magis convenire craſſis, pituitoſis, catarrhoſis, ob calfaciendi & ſiccandi vim: Verùm etſi calidi, tenues, melancholici moderatè utantur, non multum nocere ſolet; vix enim quiſquam adeo emunctæ naris eſt, qui ſæpe plurimis ad cerebrum aſcendentibus vaporibus non infeſtetur: Nec vidi quenquam magnopere illius uſu exſiccatum: Et miror eos qui ſcripſerunt eſſe narcoticum, denegare tamen illius uſum ca[illegible] & bilioſis cum tamen narcotica illis magis quam pituitoſis conveniant. Tertio, Quamvis multis conſumptis & extenuatis profuiſſe ſciam, minus tamen illis convenire credo quibus tabes ex rheumate contigit, quod in pulmones allicit. Quartò, Peccant qui illo utentes identidem potant; à potu enim cerebrum vaporibus repletur, quibus diſcutiendis non ſufficit fumus *Tabaci*. Quinto, Obſervent qui huic fumo aſſueti, ne temere abſtineant, niſi ſimul temp[illegible] ratam obſervent [illegible]iætam, aliàs ſentiunt ſibi ex humorum abundantia caput corpuſque gravari, quos ante fumus *Tabaci* exhauriebat, plurimáque vitia pullulare: Unde ſenibus, & quibus natura frigidior ventriculus, conſulendus illius uſus, etſi inaſſueti fuerint: Eos enim à Podagra variiſque affectibus frigidis præſervare poteſt. *Primiroſius. Error. Pop. lib.* 4. *cap.* 32.

XLVIII. *Tabaci extractum* cum aqua vitæ paratum, ad piſi magnitudinem linguæ impoſitum, magnam pituitæ copiam elicit: Molem ne excedas, alias vomitum excitat moleſtum ſi in ventriculum illabatur. *Riverius.*

XLIX. Ab *Errhinis & Ptarmicis* in his cavendum eſt quibus naſus ad radicem constrictus eſt, videndumque eſt ne acris materia capitis illac deducatur: nam inde contingit ut exeſo naſi initio, è naſo loquantur & vox vehementer vitietur: *Hollerius obſervat.* 3. Suſpecta etiam Caputpurgia ubi caput acribus humoribus abundat, metus enim exulcerationis palati, multò magis ubi jam exulceratum: crebrò tunc purgandum &c. *Mercatus.*

L. De *Cucuphis*, *Pileolis &c.* notandum, quæ ex odoratioribus parantur facilè caput ferire, nec ab omnibus ferri: Id quod non ſolum de moſchatis per ſe valet, verum etiam in genere de graveolentibus, etiam odore grato, enormi & eminenter tali; ſi quidem hæc dolorem capitis inferunt, & ſpiritibus motum turbulentum inducunt: Valet enim & hic, Omne ſenſile excellens lædere ſenſus, Unde aliquoties vidimus, præſertim in initio, non potuiſſe continuato uſu geſtari tales pileolos citra [illegible]. *Wedelius de Med. c. ext. p.* 202.

LI. Nec etiamnum calidiora nimis, nec nimis frigida & adſtringentia ſint ingredientia, Illa quidem ne liquent nimis, fundant & in vaſa præcipitent materiam, exitum à natura conſuetum affectantem, ſic oleo ſuccini intempeſtive bregmati applicato, febris ex catarrhu periculoſiſſima orta eſt: De Adſtringentibus cavendum, ne potenti adſtrictione cerebrum lædatur, & detineantur motus humorum. *Idem.*

LII. *Cucupha* maxime conveniunt in eſſentialibus cerebri malis; Id *alterant* & *roborant*, ne recipiendis defluxionibus & impuritatibus tam promtum ſit, *Diſcutiunt* tum halituoſas fuligines lymphæ confuſas, tum exundantes humores ſeroſos: *Intercipiunt*, & maxime quidem ex adſtringentibus conſtantes, non tam quod caput ſit fons primus & origo omnium catarrhorum, quod tamen volebant veteres, ſed ſaltem quod non ſit penitus immune, ut volunt recentiores: hinc catarrhos depluos remorantur: hinc in poros cerebri ruituram lympham retinent, & defluxionibus omnis generis obicem ponunt. *Idem p.* 206.

CAPITIS DOLOR.

SYLLOGE.

Non omni convenit Sanguinis miſſio. 1.
Aperta Saphena ſedatus. 2.
Hemicrania pertinax, aperta vena inter pollicem & indicem curatur. 3.
Quando locus arteriotomiæ, *& quomodo juvat.* 4.
Ejus ope ſanatus. 5. 23.

Sectione venæ frontis curatus. 10.
Contumax ſecta vena in cantho oculorum ablatus. 11.
Hirudinum *admotio efficax.* 9.
Cucurbitulis *ſcarificatis capiti admotis ſanatus.* 20.
Uſtio & Sectio *cutis aliquando ex uſu.* 13.
Ad Inuſtiones *aliquando deveniendum.* 24. *b.*
Cauteria *capiti impreſſa an utilia, in vel juxta locum dolentem.* 19.
Vſtione temporum ſanatus. 24.
Cranij perforatione *ſublatus.* 14.
Auriculæ *pertuſione deſinens.* 25.
Fonticulis *in brachiis cedens.* 26.
Sævus excitato fonticulo in ſumma manu curatus. 18. *b.*
Inveteratus Veſicantibus *internis coxis admotis.* 17. *a.*
Veſicatorio *capiti admoto deſineas.* 27. 71.
Hemicrania *inveterata extractione dentis curata.* 24. *c.*
Frigida admota ſanata. 39.
A Lue Venerea ortus dolor ſtillicidio curatus. 23.
Contumax à mercurioia cerebro retento. 15.
Contumax ſetacei ope deſinens. 65.
A Lue ortus Empl. de Vigo ſanatus. 37. 54.
Diuturnus ſaccharo roſaceo ſedatus. 16.
Hemicrania granatorum eſu ceſſans. 32.
Dolor ſedatus ab admoto ventriculo cerato. 31.
Gravis, noctu ingraveſcens, cauſtico usio admoto deſinens. 29.
A verme excitatus ſuffumigiis auribus exceptis curatus. 30.
Cephalæa curata admoto cauſtico potentiali ſupra arteriam temporalem. 36.
Pertinax oborta porrigine deſinens. 38.
Arteria carpi aperta. 21.
Terebratione ſincipitis. 24. *b.*
Dolor inter caput & pedem reciprocus, cucurbitula hæc impoſita deſinens. 28.
Cephalæa exciſione Calvariæ ſanata. 33.
An occipitis terebratio conveniat. 34.
Setaceum quando fonticulo præferendum. 66.
An omni purgatio. 7.
Purgantium *magna ſit quantitas.* 41.
Vomitus *an conducat.* 6.
Non ſemper convenit in dolore per conſenſum. 42.
Odorata Clyſteribus *non indenda.* 43.
Juſcporum *magna exhibeatur quantitas.* 44.
Syrupi *ex aceto an cephalææ melancholicæ.* 8.
Diuretica *caidam utilia.* 46.
Non omni hidrotica *conveniunt.* 45.
Vtilia ſunt ſi exortus ab externo frigore. 47.
An vinum *in dolore a frigore & pituita competat.* 64.
Cui ſpeciei capitis Lotiones *conveniunt.* 48.
Nitri *admoti utilitas.* 49.
Emplaſtra *nimis calida ne ſint.* 56.
Linimenta *minus utilia.* 51.
Fotus *calidi nocent, Ex frigida utiles.* 52.
Euphorbium ſuſpectum. 53.
In eſſentiali repellentia *nocent.* 56.
Narcoticis *quando locus.* 69.
Hydrargyrolis *noxia.* 35.
Oxyrrhodina *nec omni admovenda.* 68.
Acetum in topicis quibus non conducit. 55.
Aqua cephalica exterius admota ſæpe noxia. 40.
Lac *in omni an noxium.* 65.
Diuturnus roborantibus potius quam vacuantibus cedit. 12.
Non omni ab utero exorto Caſtoreum *utile.* 57.
Cum alterius partis affectu invaleſceat non ſemper curandus ut ſympathicus. 60.
A frigore excitato omnis vacuatio nocet. 58.
Cum frigoris interni ſenſu curatio. 59.
A vitio ſucci nervei curatio. 61.
A vitio ſucci nutritii. 62.
Ex Lue orti curatio. 63.
Metaſyncritica *quando admovenda.* 70.

I. H*Ippocrates* in Dolore capitis à cacochymia pendente, quæ & coctione & purgatione curatur, à S. M. abſtinet, ut conſtat è lib. 3. de morbis v. 14. quia ab hac refrigerato cerebro coctio prohibetur, hinc ſumma ægri læſio, quam percepit *Halicarnaſſenſis*, de quo 7. Epid. ſect. 2. v. 462. *Halicarn. autem hyeme dolebat, & caput non mediocriter, erat autem annorum circiter 50. vena ſecta eſt, læſum caput, evacuatum & perfrigeratum, non enim facta eſt ſuppuratio, phreniticus factus eſt, & mortuus.* Cum enim evadere ex hoc morbo æger non poſſit niſi, ut ait *Hippoc.* humor ex aure eruperit, V. S. hujuſmodi eruptionem impediendo mortem inducit: Quæ recentiores Medicos, in ſanguine mittendo adeo audaces, adnotare vellem. *Pr. Martianus comm. in v. 34. lib. 3. de morbis.* Capitis dolor vel eſt per idiopathiam, vel per ſympathiam à ſubjectis viſceribus, humorúmque æſtu & evaporatione: Dolor per eſſentiam, cumulata in cerebro cacochymia, frigidáve colluvie, purgationem poſtulat; alter per ſympathiam ſ. m. Sic 5. Epidem. *Mulier in Pheris, cui caput circumcirca dolebat multo tempore, & nullus poterat quicquam opis afferre, neque cum caput purgaretur, melius autem habebat cum menſes illi facile prodibant, hæc cum caput circumdolebat, ſubditiis bene olentibus ad uterum appoſitis juvabatur.* En dolor per conſenſum ab utero, qui ſolo ſanguinis effluvio & ſubditis odoribus miteſcebat: Sic 2. *de morbis.* In doloribus capitis, qui fiunt cum venæ ſuperevomunt in caput ſanguinem, nullam purgationis mentionem habet, ſed ſolius ſanguinis miſſionis beneficium recenſet. Lib. autem de *Affect.* de dolore per idiopathiam loquens, *Dolores incidunt à pituita, quum in capite mota cumulata fuerit*, ideo ſi dolor fugari debet purgandam fore pituitam; Et 2. *de morbis*, cum capitis repentinum dolorem propoſuiſſet, cum vocis interceptione ac ſtertore, in ſola purgatione curationis cardinem reponit: Cæterum, quod in capitis dolore per ſympathiam à fervente aliquo viſcere, aut ebulliente humore, phlebotomia non pharmaco opus ſit, innuit *Hippocrat.* lib. de locis, *Febrienti caput ne purgato, ut ne furioſus fiat, calefaciunt enim caput pharmaca purgantia, & ſane ad caliditatem febrilem accedens ea quæ in medicamento eſt, inſaniam facit.* Talis enim capitis dolor per accidens eſt, a calore febrili, ideo capiti non purgatione, quæ inſaniam pareret, conſulendum, ſed iis quæ febrem ipſam primario jugulent, inter quæ primum locum habet phlebotomia. *Sibbaldus Antiphon. lib. 3. Ant.* 15.

II. Quidam dolore capitis immani per totius conſenſum tenebatur, aperta dextra ſaphena ſublatus ea capitis parte dolor, idemque poſt altera parte ad votum ſucceſſit. *I. Rhodius cent.* 1. *Obſervat.* 73.

III. Nec ſilendum præſens hemicraniæ pertinacis remedium, à *Spigelio* in ſemet ipſo aliiſque exploratum, Inciſio venæ quæ inter indicem pollicémque excurrit. *Idem Obſerv.* 50.

IV. Conſidere nos *Arteriotomia* tum vere debemus, ubi per exteriores ductus ſpirituoſi ſanguinis eſt excurſus; quo tempore, quave occaſione, & forte fortuna factas harum conciſiones profuiſſe legimus: Prodidit *Mengus Faventinus* l. de ægrit. cap. de Cephalæa, dum foeminæ veteri dolore capitis afflictatæ per ſcarificatum partis medetur arteriam forte diſciſſam, & plurimo effuſo ſanguine, certam opem attuliſſe: Verum enim vero ubi per intima vaſa decurrit idem, nil ferme fructus profert ea ſectio, *Galeno* in oculorum laborantium curatione id confirmante 3. de loc. cap. 8. *Severinus Medic. Effic. pag.* 40. Arteriotomiam à veteribus in magno pretio habitam è modernis nonnulli adhibent &c. *De ea vide lib.* 19. *de Arteriotomia.* §. 9. *& Tit. præced.* §. 3.

V. Quidam dolens graviter ex capite, ob impetum ſanguinis vitalis eo converſum, adhibuit quidem plurima remedia, at fermè incaſſum; ſed emiſſo tandem ſanguine ex temporibus, convaluit ex toto: Erat autem is colore floridus, ſed ſubſtantia adeo tenuis ac levis, ut inſtar ſpongiæ ſero ſuo innataret: ſuperficies verò illius non minus glabra ac ſplendicans, ac ſi tecta fuiſſet à tela pingui: reliqua autem textura tam erat rara, ut vix attingeretur a cultri acie quin protinus diſciſceret in varias partes: *Tulpius libro primo cap.* 48. Quinquagenarius à duobus annis dolore capitis acutiſſimo, partem dextram à ſummo vertice ad tempus ejuſdem lateris occupante, qui recurrens ter vel quater in anno, ægrum lecto affixum tenebat, ac in deſperationem fermè adducebat ſine febre, ſiti, aut phlogoſi, ſed cum inſigni pulſatione ejuſdem temporis: Multis fruſtra tentatis ad arteriæ temporis inciſionem devenio, urgente dolore; ſanguis cum impetu ac ſaltu exilit ad ℥v: dolor intra dimidiam horam ſublatus eſt, nec reverſus. *Pachequus in obſervation. Riverio comm.* Pulſantibus arterijs dolor ſolùm eſt in exterioribus, quod Medico diligenter notandum. *Rhodius cent.* 1. *Obſerv.* 76. Vide *Pareum l.* 16. *c.* 4. *Severinum Med. Effic. p.* 47.

VI. *Vomitus* an conducit? Reſponde affirmativè cum *Galeno* 2. κατ' τόπ. *Avicenna* Tr. 2. cap. 29. quando per conſenſum ventriculi concitatur: ſic enim hic *Vomitus eſt ex iis in quibus non ſit juvamentum in curis ægritudinum capitis, niſi ſit per communitatem materiei in ſtomacho*, Qua ratione levis vomitus bis in hebdomada provocandus: Si verò ſit per proprietatem cerebri, nocivus eſt. *Zacutus Pr. Hiſtor. l.* 4. *c.* 1. *Conſentiunt plerique authores: Martianus probat ex Hipp. capite eſſentialiter affecto convenire*, vide *Gregor. Horſt. decade* 2. *qu.* 1.

VII. An omni *Purgatio* concedenda? *Rhaſes* purgat & in bilioſo & in ſanguineo, quod tenuis pars ſanguinis facilè in bilem faceſſat: *Avicenna* in dolore ab inmateriali capitis intemperie genito præcipit, ut ab ardore Solis, vel febrili æſtu, quò de[illegible] calido humore refrigeretur caput: Idem purgatione utitur in Cephalæa frigida inmateriali, ut purgato frigido humore caput calidius reddatur. Purgat idem præſervationis cauſa imminens fluxionis periculum quando cunctat dolor, declinaturus. Animadvertendum monet *Hollerius* Perioche 2. in dolore qui à flatibus excitatur, num flatus ab alimento generentur, an à materia: Nam ſi ab alimento, fruſtra eſſe purgationem, ſi a materia, diſtinguendum jubet, nam ſi pauca & ſolo capite incluſa, alijs remedijs deduci debere: Si multa, vel etiam toto corpore collecta, purgandum ait. Sed ſi craſſa & frigida, incidentibus & præparantibus prius præparandam: quæ ſi tota poteſt concoqui, & pura dulcis eſt, non egere pharmaco dicit: ſi ſalſa, putris, aut corrupta, neceſſariò purgandum eſſe.

VIII. Si melancholia frigida ſicca exſuperat, noxium eſt *Acetum* &c, ſyrupi ex eo concinnati, ut è 2. radicib. cum aceto, oxymel ſimplex, &c. etſi humoris craſſitiem attenuent: abdicatque *Hippoc.* 3. ad cur. ab eo nigra aiens fermentari, attolli, & multiplicari: Non nocet autem ſi atra bilis exuſta, calida, & acris, & potiſſimum a bile torrida genita ſit: Quomodo *Paulus* lib. 3. cap. 14. in melancholia morbo aceti quantitatem [illegible] orbiculam poſt omnem cibum porrigit, ubi jam dormire velit æger: naturam enim amaræ bilis retinet, quam *Hippocr.* loco citato, diſſolvi [illegible]ciſcereque ait [illegible], cùm ab aceto in ſublime attollitur. *Zacutus.*

IX. Fidiſſimo experimento à me compertum eſt in ipſis temporibus x. aut xij. *hirudines* circulariter ſinpunere; ſic enim extracto ſanguine limoſo & multo, ægri a ſævo cruciatu redduntur immunes, & eſt ſecurius arteriotomia auxilium. *Zacutus Prax. admir. lib.* 1. Notandum x. aut xij. cum aſſigere, quò tota materia morbifica exhauriatur, non duas vel tres, ut vulgo, *Riverius.* Vide *Miſc. Cur. anni ſexti, Obſ.* 9.

X. Adoleſcens carnoſus & rubicundus, truculento per multos annos premebatur dolore in toto capite: Flatui craſſo, & humoris pituitoſi copiæ adſcriptum malum; ideo multa uſurpata, fruſtra, remedia. Ego à calidiſſimo ſanguine tetento, calido, acri ortum habere credens, aperta cephalica, admotis cucurbitulis, tandem bis ſecta in fronte vena, dolorem denuo nullum eſt expertus; *Zacutus ibidem.* Notandum eam venam bis ſectam fuiſſe, unde innuitur primam ſectionem ſatis non profuiſſe: cùm tamen Practici noſtri rarò eam ſectionem repetant ſi prima vice non ſucceſſerit. *Riverius.*

XI. Quædam cephalæa diu concuſſa, ſola ſectione venæ quæ per angulos oculorum excurrit, curata eſt: hæc vena conſpicua evadit ſi collum modificè, & axillas validè conſtringas: Proponitur ejus ſectio ab *Avicenn.* 4. 1. c. 20. *Zacutus Prax. adm.*

XII. In dolore diuturno plus præſtat caput frequentiùs *roborare* quam pertinaciter vacuantibus inſiſtere: Ideo conferent pulveres, cucuphæ & alia topica; magis tamen probantur pulveres, quia virtus pilei non ita cerebro communicatur, & ex ſorditie ejuſdem dolor excitari poteſt. *Riverius.*

XIII. In dolore capitis ſæpe ſanies ſubeſt inter cranium & pericranium: molliter digito contingendus locus, ut ſi quid illic puris, intelligatur; multò magis ſi fixus illic dolor eſt, aperiendus locus: Nam ſæpe ſanies aperto loco defluit, & liberatur, atque metus eſt ne os corrumpatur: Si qua illic vena eſt, aperiri vel ferro reſcindi debet, niſi admodum ſit inſignis. In intolerabili cruciatu capitis, qui & aſſiduus ſit, nec alijs cedat remedijs, ferro & igne utendum eſt: fruſtra enim pharmaca,

cucurbitulæ, topica, &c. comperta ſunt, quia hectica quædam capitis intemperies atque infirmitas adeſt. *Hollerius Obſervat. Singular.* 3. & 1. Sectionis feliciter inſtitutæ exemplum vide apud *Schenckium p. m.* 16.

X I V. Juvencula dolore capitis ultra annum veluti perforante ac fixo mirè cruciabatur: Medicus, quod erat, ſuſpicatus aliquid membranis incumbere, bono eventu cranium terebrâ tentandum cenſuit: ipſo enim aperto puris foetidi guttula, via æquans milii granum excidit, Neque ex eo dolor unquam moleſtus fuit. N. acerrima plurium annorum cephalæa ab ictu conflictatus, quina cranij perforatione, quâ refrigeratis denſatiſque membranis, caput obtuſioris ſenſus factum eſt, planè convaluit. *Ioann. Rhodius centur.* 1. *Obſervat.* 69. & 70. Dolor capitis ſæviſſimus ea lue venerea, ſine gummate, in ſeptuagenario, repetita terebratione ejuſdem (quæ detexit os totum corruptum, unde effluxit magna copia puris) ſedatus, & recurrens per magna intervalla, cum gravibus quandoque ſymptomatis, tandem eodem præſidio omnino ſanatus. Villicum dolore capitis immani, ex lue venerea, correptum, decrevi terebrare ubi gravior dolor, altera ſcilicet parte; facta terebratione, tribus aut quatuor poſt diebus coepit dolor miteſcere, qui progreſſu ax. dictum fuit omninò ſanatus. Quandam laborantem Hemicrania ſæviſſima terebravi, quæ convaluit dum foramen patuit; quo paucos poſt dies obſtructo omnino, in eandem delapſa eſt affectum. *Marchetti. Obſervat.* 18. 19. & 20. Senex per triennium immani capitis dolore torquebatur, hic terebrationi capitis ſe ſubmiſit, quæ in ſincipite ſupra frontem, parte dextra, facta fuit, & brevi convaluit: Forte materia vaporoſa caput petens, quæ egreſſum non habens dolorem excitabat, patefacto aditu quotidie egrediebatur. *Panarolus Pentec.* 5. *Obſervat.* 25. Ab hoc præſidio, *Calvariæ* ſcilicet *per trypanum apertione* nihil emolumenti expectandum credit *Willis* cap. de cephalalgia; Profecto mihi non conſtat, *ait*, quid certi ex Calvaria, ubi dolet, aperta expectare licebit; Si abſceſſus ibi latet, hæc unica eſſet curationis via, verum iſte affectus ſoporoſos, aut convulſivos lethales inferre, potius quam cephalalgiam auferre ſolet: Si *phlegmon*, aut *puſtula*, vel *eryſipelas* diploen occuparit, neſcio an tumores iſti, nudo aëri expoſiti, facilius evaporent, vel utrum remedia iiſdem nudis applicata aliquid efficiant necne: Quod ſi dolores propter meningas *tuberculis*, aut *tumore ſcirrhoſo*, vel *calloſo* obſeſſas oriuntur, apertionem cranij parum aut nihil profuturum ſentio.

X V. Mulier nimis nota capitis dolore atrociſſimo laborabat, vago & noctu præſertim ingraveſcente, quem venereum eſſe ſuſpicatus ſum; quod præterea adeſſent ſpontaneæ corporis laſſitudines, deſidia, torpor ad motum, interdum gravis auditus cum tinnitu aurium &c. ſed præſertim quod frictiones & pilulas mercuriales multoties uſurpaverat: credidi ergo dolorem à mercurij, cerebrum impetentis & obſidentis maligna qualitate produci: indito ergo utrique nari nummo aureo circumvoluto, & per horas aliquot detento, uterque albicans extractus, ac mercurio tinctus apparuit: alter nummus ore detentus eodem modo albicans eductus, carbonibuſque injectus priſtinum colorem recepit: hocque remedio aliquoties iterato dolor capitis ſublatus. *S. Iacos in obſ. River. com.*

X V I. Nobilis Patavina ſolo uſu ſacchari roſacei veteris, à diuturno multorum annorum capitis dolore oborto ex bile, tandem liberata fuit, mitigata ejus acrimonia & repreſſa exhalatione cerebro infeſta, roſa enim refrigerat & adſtringit. *I. Rhodius cent.* 1. *obſ.* 71.

X V I I. *Sylvaticus* invaleſcentem diu capitis dolorem, veſicantibus coxarum interiori parti admotis ſuperavit. *Iohann. Rhodius Obſervat.* 72. *centur.* 1.

X V I I I. Juvenis robuſtus, cum à biennio truculentum pateretur capitis dolorem, parte dextra, excitato fonticulo in manu dextrâ ſummâ, inter indicem & pollicem, parte externa, omnino ſanus factus: ob viciniam enim cum carpo, ubi ramus cephalicæ excurrit, humorem peccantem è capite promptius exhaurit, ab affectâque parte quàm longiſſimè revellit. *Zacutus Prax. adm.* Fonticulus inter pollicem & indicem admotus alijs experimentis comprobatus eſt, & rebellem capitis dolorem curavit. *Riverius de cap. dolore.*

X I X. Auxilium iſtud Chirurgicum, pro cephalalgia præſertim immani ac inveterata decantatum, ſolet eſſe *Fontanellarum* in varijs corporis partibus inuſtio aut inciſio: Extra dubium eſt has in *brachijs* aut *cruribus* excitatas, & minus incommodas eſſe, & nonnihil emolumenti afferre, in quantum ſcilicet morbi fomitem ex parte ſubtrahunt, & longe à locu affecto avocant: Porro *Fontanella* in *nucha*, atque *ſetaceum in cervice*, etiam in *auricula*, vel prope eam; item clavus ex radicibus elleboraſtri auriculæ perforatæ infixus, in quantum ſeroſitates multas evacuant, aliáſque verius emunctoria, ſcilicet glandulas iuvitant, ſæpe cum emolumento adhibentur. At vero plurimus ſermo, & major expectatio eſt, de Cauterijs loco dolenti, aut prope eum affixis, ita ut fontanella ampla ſupra capitis verticem, aut juxta ſuturarum commiſſuras excitentur: Si praxeos hujus fructum à ſucceſſu metimur, parum & raro commodus, ſæpius vero infauſtus apparebit; Quippe nullum ego per ejuſmodi cauteria ſanatum, atque multos cephalalgicos inde deterius habuiſſe novi: Et quidem ratio hoc plane dictitat, nam ubicunque fontanella inuritur, illuc humor ſeroſus è tota maſſa ſanguinea, & per conſequens e toto corpore affluit, ac uberius ſæpius aggeritur, quam ut per emiſſarium illud conſtanter exeat; quapropter circa fontanellas, phlegmones, puſtulæ, varijque humores paſſim oriuntur: Quid igitur minus ſuſpicari volumus, quam quod cauteria juxta capitis locum dolentem applicata, ibi materiam morbificam plus congeri faciant? *Willis cap. de Cephalalgia*, Approbat *Heurnius*, firmat exemplo *Zacutus in Pr. Adm.*

X X. Mulier dolore capitis acerbiſſimo per dies a i j. laboraverat: præſcripti à Medicis clyſteres, purgatio, venæ ſectio in brachio, adhibiti pulmones arietum; malum reſtiit: applicitis tandem parti dolenti *cucurbitulis*, largior ſanguinis copia ſcarificatione profluxit, cui ſiſtendæ aſperſi cineres nigri ex linteo combuſto, dolore mox ceſſante. *Velſchius Sylloges Obſervat.* 10.

X X I. Exercitatiſſimus vixit Patavij Arteriotomus, qui ad vehementes & pertinaces capitis dolores curandos, conſilio Medicorum arterias carpi ſæpiſſime incidit feliciter, emiſsâque ordinata ſanguinis quantitate vulnus inſtrumento, (*Sculteti Armam.* Tabul. 32.) tam exacte comprimit ut ne guttula ſanguinis efflueret.

XXII.

XXII. In urbe Momphi *I. Veſlingius* iuvenem Turcam vidit immenſo capitis dolore excarnificatum, curatum ab alio ſat magno clavo ferreo candente muſculum temporalem adurendo, ſaliva ſale imbuta deinde illinendo, qua ratione empyreum à ſtatim ablatum referebat: At muſculi temporalis inuſtiones caute adhibendas docebat M. A. *Severinus* Chir.eſſic. parte 2. Angiologiæ. *Velſchius Sylloges obſerv.* 11. Vide *Poterium* obſ.8. cent.8.

XXIII. Quidam pertinaci capitis dolore torquebatur, *Silvatici* conſilio *ſtillicidiis* tandem aquæ calentis ſulphureæ, ad decimum quartum diem, malum omnino devictum. *Ioh. Rhodius cent.* 1. *obſ.*75.

XXIV. *a.* Matrona diuturno & acerbiſſimo dolore ſiniſtra parte capitis vexabatur, ante annos quatuor, ſpatio ſex menſium, vehementi dentium dolore ſiniſtræ maxillæ laboraverat, cui ceſſanti dolor capitis eadem parte ceſſaverat: Cognovi hinc hemicraniam ex corruptorum dentium radicibus ortum traxiſſe; quatuor enim dentes ſuperioris maxillæ eroſi, eorumque radices profundius cohærebant, quibus extractis pleniſſime convaluit. *Fabritius Hildanus cent.* 2. *obſ.*10.

XXIV. *b.* Contumaciſſimos exteros dolores ab intemperie frigida cum materia, vehementioribus medicamentis cum non poſſem ſuperare, conjectura facta, vel pericranium, vel unà cum pericranio os ab ea materia malè affectum, ad Vſtionem veni felici cum ſucceſſu, in qua ſemper obſervavi ut candenti ferro facta uſtio uſque ad os, (quod plurima ſemper ſcatens humiditate inveni) profundè penetraret: aliquando verò os ipſum carioſum reperi, quo diſquaminato, omnis conquievit dolor: Uſtio hæc non in occipite, vel ſincipite ſupra ſuturam coronalem, qualis à multis ratione diverſionis fieri ſolet, ſed vel in dextra vel ſiniſtra capitis parte, prout hæc magis quam illa dolore cruciaretur, feliciter à me tentata eſt: Vt autem cognoſcant qua ratione deprehendatur os, integrà exiſtente cute, carioſum eſſe, adeant Hippocr. lib.2. de morbis, ubi monet in tali caſu cutim de capite alia atque alia parte diſcedere: i.e. cutim ad tactum ab oſſe ſeparatam perſentiri, quod ſignum maximè animadvertendum, cum ſit certum cariei oſſis indicium. *Salius Diverſus Annot. in Altimar. cap. xi.* Si adhuc non cedat morbus, adurendus eſt locus dolens, non ad ſuturam coronalem, non ſupra ſinciput, ſed in parte ſiniſtra (vel dextra) dolente, in qua inurenda duo cauteria, vel cruſtæ inducendæ: Quod remedium in doloribus capitis antiquis omnium præſtantiſſimum videtur, etiam in affectionibus calidis, ubi alia medicamenta non conferunt; materia enim imbibita non aliter diſſipari poteſt: unde *Arculanus* Deum teſtatur nullum aliud remedium præſtantius eſſe in confortando cerebro, & corrigendis ejus pravis diſpoſitionibus, ſive per eſſentiam ſive per conſenſum fiant, præcipuè tamen in affectibus frigidis. *R. à Fonſeca Tom.2. conſult.63.*

XXV. Mulier paſſa dolores frontis & ſuperciliorũ aliquot annos, tandẽ quidam fricuit & vellicavit laxiorem partem auriculæ quoad appareret venula, ea particula ſilicis, ex quo excutitur ignis, inciſa, profudit ſanguinem nigerrimum, atque ab eo profuſione ſanguinis ſanata eſt. *Solenander conſ.*15.§. 15.*ſect.*5.

XXVI. Nobilis xxx. annor. dolore capitis cum catarrho in pectus delabente, tuſſi continua, totiuſque extenuatione per multos annos laboravetat: huic utrique brachio *Cauterio potentiali* cum applicuiſſem, à dolore capitis primo, deinde à reliquis quoque ſymptomatis omnino liberatus fuit: Plurima ejuſmodi exempla afferre poſſem. *Fabritius Hild cent.*4 *obſ.*71.

XXVII. Quendam infeſtabat acerbiſſimus capitis dolor, invadens ac diſcedens quotidie ſtatis horis, qui dolor periodicus durabat ad diem x i v. quamvis non omitterentur requiſita remedia, uti neque cucurbitulæ ſcarificatæ, vel veſicatoria occipiti admota, à quibus poſtremis auxiliis vidimus non tantum hunc ægrum, ſed etiam alios plurimum emolumenti percepiſſe. *Tulpius obſer.l.*1.*c.*13.

XXVIII. Mulierem excruciavit acerbiſſimus dolor, proſerpens cum manifeſto caloris ſenſu, modo à pede in caput, modo ab hoc in pedis pollicem: in quem ubi deſcendiſſet, juſſimus illico cucurbitulam illic imponi, ad eliciendum volaticum illum ſpiritum, qui tam pernici curſu permeaverat quotidie corpus univerſum, eoque extracto vidimus illico ceſſare reciprocos iſtos circuitus & ægram liberatam. *Tulpius obſerv. lib.*1.*c.*33.

XXIX. Quidam deploravit apud me ſuam ærumnoſam vitam, ob pertinacem inſomniam, quam gravis capitis dolor ei annum jam vertentem intuliſſet, qui tactu exacerbaretur & de nocte ingraveſceret: Cum caput contrectaſſem, ac ſtagnantem ſub cute humorem deprehendiſſem: doloris præterea acerbitas pervicaxque inſomnia ſuſpicionem alicuius cacoethias iniiceret, Ex adverſo autem cum hominis jam viridi ſenecta ſanam quidem integram, & ab omni inhoneſti morbi labe alienam noſſem, temperies vero ejus atrabilaris, vitaque perpetuæ apricationi expoſita ob oculos obverſaretur, tum ſane humorem tumoris illius cauſam continentem, aqueum illum quidem, ſed acri & bilioſo perfuſum ichore ſum ſuſpicatus: Cum autem omnia incaſſum tentaſſet, actutum poſtico occipiti cauterium inuri curo: Dictum factum, aqua virore quodam inſigni, & bili praſſinæ finitima ubertim per plures dies dimanante ſanitatem adeptus eſt. *C. Piſo de colluvie ſeroſa p.*51.

XXX. Ruſticus adiit matronam de graviſſimo capitis dolore conquerens, conſilium dedit ut myrrham electam carbonibus candentibus imponeret, & fumum tecto capite auribus exciperet, quod cum bis terve cubitum ſe conferens feciſſet, tertia nocte vehementer ejulavit, & maritum e ſomno excitavit, qui accenſa candela uxorem erexit, & vermem quendam in aure hærentem vidit & vi extraxit: ita mulier à doloribus eſt liberata. *Ioh. Francus apud Schenckium p.m.*167.

XXXI. Vidit ſedatum contumacem dolorem capitis ex cerato ventriculo impoſito *Cardanus Artis parv. p.* 111.

XXXII. *Fr. Bonardus* Profeſſor Patavinus narrabat ſe hemicraniam vaporum aſcenſu ſubortam, pane in ſucco granatorum intincto, & exhibito intra triduum percuraſſe. *Velſchius Sylloge obſ.*12.

XXXIII. Nob. Hiſpanus cum implacabili dolore capitis afflictaretur, nullis remediis levatus, conſultum iri ſibi credidit ſi qua malum infeſtabat

vis ſcalpri alte adigeretur, donec vitium inveniretur: Qua ſic apertura capitis & calvariæ confecta, neſcio quis in cranio tumor & viror, ſub ipſo vero increſcens caruncula fungi modo reperta eſt, quibus vitiis, & putrilagine deterſis, liberatus à malo vir integre fuit. *Severinus Med. Eff. pag.* 137.

XXXIV. Notabis in baſi cerebri ſerum vel ſanguinem effundi in ſummis doloribus capitis inflammatoriis, quæ dum exitum quærunt per cavitates aurium, dolores acutiſſimos excitant, qui ad dementiam & mortem præcipitant: An in iſta deſperatione liceret terebra perforare occipitis alterutrum latus, ut detur exitus humori ſuperfluo, putri, & corrumpenti cerebrum? *Riolanus Encheir. p.* 249.

XXXV. *Salivatio* per Mercurium inducta, ſi forſan recte ſuccedat, morbos nonnunquam difficiles, & plane Herculeos, aliiſque remediis omnino ſurdos tollit: quatenus nempe operatio hæc ſanguinem & ſuccum nerveum, alioſque humores longa ἀγκαθάρσει penitus expurgat, fermenta quævis exotica deſtruit, ſalium ac ſulphurum enormitates ſubigit, quin & materiam morbificam ubivis impactam aut ſtagnantem exagitat, ac ſæpe foras educit: Attamen hæc Medicina periculo non vacat, in quantum ſcil. Mercurius enormis factus, & ſecum ſeri acerrimi, & quaſi venenati, copiam ingentem ducens, in partes nobiles, ac præſertim ἐγκέφαλον, cum appendicibus medullari ac nervea, aut pulmones & præcordia impetuoſe irruens, iis noxam indelebilem, & quandoque lethalem infert: Quapropter in cephalagia veteri ac graviori, diſcrimen ſubeſt ne fibræ indiſpoſitæ, à Mercurio cum ſero multo & corroſivo eos pervadente, plus irritentur, inque majores ſpaſmos & corrugationes dolorificas agantur: porro ne ab ingenti humorum in caput raptu cerebrum invadatur, & proinde, quod nimis crebro accidit, affectus ſoporoſi aut convulſivi acceſſantur. *Willis* cap. *de cephalalgia*. Quidam ad inveteratos capitis dolores, poſt unam aut alteram vacuationem, ad Hydrargyrum confugiunt, quo caput & cæteras partes dolentes ungunt: Hi etſi dolorem interdum tollunt, cauſam tamen ſemper augent, cerebrumque magis refrigerant & humectant *Encheir. Med. Pr.* Sunt qui emplaſtrum de Vigo cum mercurio commendent, quod multis pituitoſis humoribus per ſputa evacuatis inveteratos capitis dolores interdum finire viſum eſt. *Ibidem: Riverius cap. de cephalalgia; Hollerius Perioche* v. Terrorem incutit multis πολὺς μαγκαγὴ, in excogitandis diſſuaſoriis rationibus occupatis: Sed inanem hunc metum diſcutit experientia: Cephalæa gravi laborans, & miſerrime afflictus, inunctus ſub noſtro regimine convaluit, nulla venereæ luis oneratus nota. *Rolfinccius meth. ſpecial. pag.* 164. In Dolore capitis à lue venerea orto, concedit *Willis* loco ſupra citato, In reliquis improbat, adductis exemplis aliquot infelicis ſucceſſus.

XXXVI. Vide Cephalæam diuturnam admoto *cauſtico potentiali* ſuper arteriam temporalem, deciſa enim eſchara nullus ſanguinis fluxus accidit, quia ſub ea nova caro emergit, qua vaſorum oſcula teguntur: Alia ratio eſt hæmorrhagiæ vulneribus accidentis, quæ cauterio actuali admoto, vel cathæreticis vix ſiſtitur, Eſchara enim ab iis inducta tenuior eſt & citius excidit, ideo non intercidit ſufficiens tempus ad novam gignendam carnem: A cauterio autem potentiali inducta ſolidior eſt, tardius ſecedit, ac novæ carnis regenerationi ſufficiens concedit tempus. *S. Formius obſ.* 31.

XXXVII. Immani capitis dolore juvenis robuſtus, noctu præſertim premebatur, uſque ad aurium radices penetrante: Cum malo impuriis concubitus occaſionem dediſſet, Medici expurgantibus, ſudorificis & hydrargyro, ſed fruſtra debellare conantur, Eò in caſu ſatius duxi anceps remedium experiri quam nullum, Mercurialia ergo unguenta ſuper totum caput, & ad aurium radicem (quas terebra perforari dicebat) ter apponi jubeo: Dolores remiſſi, febris ſedata, nulla viſus aut auditus ſequuta noxa; Licet ergo Medici id vetent, tamen cum eo miſeriæ ventum eſt ut cætera non juvent, tunc coacti neceſſitate, vetuſtiore morbo facto, ne humor virulentus in capite ulcera, talpas, oſſium cariem & alia damna inducat, ad rigoroſa remedia oportet devenire. *Zacutus Pr. Adm. obſ.* 139.

XXXVIII. Non poſſum non meminiſſe ſalutaris illius Porriginis, quæ N. liberavit officioſe ab inveterata cephalæa, expulſa per inſenſibilia cutis ſpiracula viſcida pituita, adhærente inſtar glutinis capillorum radicibus, & producente paulatim veram porriginem: Diſcant hinc Medici naturam imitari, & obſervare cum judicio quantopere ex uſu ſint cum ſternutamenta in tempore mota, tum ulcera capiti mature inuſta: natura quippe dux optima. *Tulpius obſ. l.* 1. *c.* 32.

XXXIX. Obſervavi quendam cum xl. annos laboraſſet hemicrania, fruſtra aliis adhibitis remediis, conſilio Medici *frigida* ſæpius *laviſſe frontem*, atque inde perſanatum, niſi quod materia derivata in œſophagum, & illic concreſcens, prohibebat deglutitionem: Quia tamen cerebrum frigidum eſt & membrum princeps, à frigidiſſimis metuendum, aut cum judicio utendum: Cæterum topica quæ repellunt, tepida admoventur ubi materia frigidior & crudior: frigida ubi materia calida & bilioſa. *Scholiogr. ad cap.* 1. *lib.* 1. *Hollerij.* Ab ejuſmodi remedio, temere à Chirurgo præſcripto in virgine xx. circiter annos nata, raræ texturæ & debilioris conſtitutionis, vidi ophthalmiam inductam, cum metu cœcitatis, viſu debili hactenus ſuperſtite, Totum autem ſincipur elotum fuerat.

XL. Id cognitum quoſdam Empiricos omnis generis dolores capitis ſuis *aquis cephalicis, ſeu vita*, tollere ſe poſſe temere polliceri; unde multi ad perpetuos capitis cruciatus deducti: Novi Nobilem adhuc juvenem, qui ex ferventis ſanguinis ebullitione, graves capitis dolores patiens, cujuſdam ſuaſione totum caput aqua vitæ fortiſſima perfundens, fere in inſaniam imperito hoc conſilio præcipitatus eſt. *Otthans.*

XLI. Major quantitas medicamentorum danda eſt in dolore, tum quia humores ſurſum moventur, ut deorſum revellantur, tum quia ſenſus minus eſt exactus in partibus, ob ſpirituum reſolutionem aut retractionem: *Rondeletius cap.* 7. Pr. Dum vehementiore flagrat à dolore caput, cuncti humores,

quia

quia anarthopni, non facile à pharmacis catarrhopoi fiunt, quare aliqua vi vividiore opus eſt, ut purgatio votis reſpondeat. *Heurnius.*

XLII. Cum per idiopathiam dolor capitis fit, non temere, dum caput vehementer dolet, *vomitus* proritandus, cum per validum illum, qui vomendo fit, conatum, ſanguine, ſpiritibus, humoribuſque ad caput impulſis, capite concuſſo dolor exacerbetur: niſi huc extra paroxyſmum in quibuſdam ad excrementorum proventum impediendum concedatur. *F. Platerus Pract. Tomo. 2. c. 3.*

XLIII. *Clyſteres* in dolore capitis non admittant quæ caput replent, ut cuminum, fœnugræci ſemen, nitrum & alia odorata. *Ætius.*

XLIV. In dolore capitis, & febribus quoque, non ſimus nimis parci in exhibendis *ſyrupis* & potionibus: ſed in adultis ad ℥x. potiones ex *ſyrupis & aquis deſtillatis* mixtas exhibeamus, cum in minori quantitate ad omnia membra & caput facile non penetrent. *Mercatus.*

XLV. In capitis dolore eſſentiali *Sudorifera* quidem non conveniunt, dum materia ſeroſa morbifica magis magiſque inde ſurſum ad caput movetur: In ſymptomatico autem magis neceſſaria ſunt, præcipue ſi hypochondria fomitem ſubminiſtrent, aut ſcabies intro repulſa fuerit: Id quod & in vertiginis curatione probe eſt uſurpandum. *Frider. Hofmannus m. m. lib. cap. xi.*

XLVI. In eo qui fit ex ſeroſis humoribus *Diuretica*, ad educendos illos qui ad caput raptum habent, magnarum virium ſunt, dum eoſdem ſecum per ſanguinis maſſam circulandos derivant: poſtquam enim diuretica cum chylo ad cor, inde per arteriam aortam cum ſanguine in totum corporis habitum deferuntur, attenuatam noxiam materiam, tartaream, arenoſam, ſcoriaſque fæcales ſalinas ad meatus urinarios deducunt. *Fr. Hofmanus m. m. lib. 1. cap. 12.*

XLVII Quoties ab externo frigore aëris, aquæ, nivis male fuit affectum caput, ſive *Gravedo* ſimul fuerit producta, toties obſervavi fœliciter ac brevi curari ægros, ſi quam citiſſime fieri poteſt foras propellatur iterum quicquid penetraverit in caput aliaſve corporis partes, ipſis noxam afferens, idque per *ſudorifera* ſemel, aut, quod præfero, ſæpius & partitis vicibus aſſumpta, ſed ſpirituoſa & volatilia: quippe quæ non tantum alterant corriguntque frigoris aliorumque ipſum comitantium malorum cauſam, verum emendant quodque noxam in corpus continens contentumque introductam: E. g. ℞. aq. ſumat. fœnic. ana ℥ij. theria. ſimp. vel alterius aroma. ℥j. ſpir. ſal. armon. gtt. xx. ol. garyoph. gtt. iij. bezoart. min. ʒß. laud. op. gr. ij. ſyr. papav. err. ℥j. m. dentur cochlearia duo, expectando ſudorem, & poſthoram dimidiam tantundem &c. *Sylvius de le Boë p. m. 400.*

XLVIII. *Galenus* ad coquendam calidæ aquæ fotu cruditatem, temulentos altero die lavare, & a balneo ſomnum capeſſere jubet: Non tamen in quavis Cephalæa *lavacris* uti ſuadet, ſed quando caput citra febrem incaleſcit, tum Lavare, & a balneo lactucis veſci, & ptiſanam ſorbere præcipit: Quando vero a putridis in ventriculo humoribus flatulenti vapores ad caput exhalant, ac vertiginem commovent, tum balnei uſum penitus diſſuadet. *I. Langius Epiſt. 3c. lib. 1.*

XLIX *Nitrum* ſingulari vi figendi ſpiritus furibundos præditum intolerabiles aliquando *Capitis dolores* ſiſtit: Mulier ann. 42. habitus gracilis, ſicci, temperamenti bilioſiſſimi & alvo adſtricta, pleriſque à cibo in facie & volis manuum moleſtiſſimas incaleſcentias ſuſtinet: Tractavi illam hactenus ſolo victu refrigerante & humectante, & cum tempus fluxus menſtrui appropinquat (tunc capitis & ventriculi dolor intolerabilis vehementer infeſtant) cum decocto hordei Nitrum (ut pote vi figendi ſpiritus præditum) depuratum in ſatis magna quantitate aſſumere juſſi: quibus tantum effectum ut paroxyſmus hoc menſe non redierit. *Fr. Ignat. Thiermair Conſ. 9. lib. 2.*

L. *Emplaſtra* commodiſſimi ſunt uſus, & maximum ſæpe commodum exhibent, hæc non impenſe calida ſint, quæ humores ad locum affectum plus attrahant, ſed modice diſcutientia & corroborantia: Præſcribere ſoleo Empl. de minio, vel diaſaponis, cum ſubdupla proportione Empl. *Paracelſi*, parti dolenti taliæ applicandum. *Willis.*

LI. *Linimenta* ex oleis & unguentis, crebro licet uſurpata, minus efficiunt; in quantum, ut opinor, ea fibrarum tonos, ſi altius penetrarint, magis laxant, proinde ut materiæ morbificæ incurſibus magis pareant; Inſuper cutis poros infarciunt, quo minus effluvia evaporent. *Idem.*

LII Ob eandem rationem *Fotus* calidi è decoctis aromaticis, aliiſve cephalicis parati, officiunt ſæpius quam proſunt in quantum humores verſus partes affectas, attrahunt, ſimulque poros & meatus aperiunt quo promptius admittantur: Propterea item eſt quod Capitis Balneatio, ſive Embrocatio per antliam intra thermas calidas, cephalalgicis non melius cum ſucceſſu adhibentur, Cum e contra multis utile fuit tempora, frontem & ſincipue, quovis mane & veſperi, frigida perſundere: imo totum caput omni aurora per antliam aqua frigida embrocare, aut ſaltem intra vas profundum aut puteum immergere. *Idem.*

LIII. In *Localium* uſu cavendum omnino medicamentum ex *Euphorbio*, à compluribus indifferenter uſurpatum, quanduquidem Euphorbium 4. ordine excalefacit, quo fit ut exulceret, ruborem inflammationemque inferat: quare Galen. 2. de Med. local. tali utebatur medicamento in hemicranicis, ex frigido pituitoſoque humore: Quo circa eius loco unum occurrit, quod citra calorem redundantem omnem humorem doloris cauſam ex alto etiam mitiſſime evocat: conficitur autem ex cochlearum carnibus in mortario contuſis, ac ad lænorem redactis, cum modico thuris in pulverem redacti, atque etiam portiunculæ myrrhæ, cochlearum enim caro omnem ſuperfluum humorem ab intimis ad externa evocat. *Zecchius Conſult. 56.*

LIV. Nobilis Lue Venerea laborans, inter cætera ſymptomata tum immani capitis dolore comprehenſus fuit, ut ſingulis diebus circa veſperam non delectaverit modo, ſed & tam ſævis convulſionibus, animique deliquiis ita conſtrictus fuerit, ut potius de morte quam de ſalute cogitarent adſtantes: quod crudele ſymptoma nullis penitus medicamentis internis cedere voluit, donec tandem Empl. ranarum cum Mercurio temporibus adplicatem, ubi miraculi inſtar dolor ille penitus intra dimidiam horam receſſit, ac nunquam deinde rediit. *J. F. Trembler in Epiſt. Barthol. cent. 3. Sp. 55.*

LV. In *dolore capitis ab æſtu* valent ſucci è portulaca, ſempervivo, umbilico ven. & aliis ejus naturæ; ſed hæc recentia eſſe oporteret, nondum æſtate duriora & ſine ſucco: In liquoribus acetum, ſed interdictum pueris & mollioribus corporibus. *Hollerius Perioch. 2.*

LVI. *Repellentia* in dolore eſſentiali locum non

habent, quia dolor eſt eſſentialis, Et licet aliquam tenuioris excrementi portionem caput a toto ſuſcipere poſſit, majus tamen damnum conſtringendo, & reſolutionem inhibendo, quam emolumentum repellendo afferre poſſent. *Fernel. conſul. 7. cent. 1.*

L VII. *Capitis dolores ex utero Caſtoreum ſedat*, inquit Hipp. lib. 7. Epidem. Et lib. 6. *Iuxta ſincipus maximi dolores, & quicunque alij ab utero oriuntur*: Iam vero mala quæ per compaſſionem fiunt tolli curatione eorum quæ primaria ſunt, & eam legitimam eſſe eorum curationem, res eſt notiſſima: Caſtoreum vero ad uterinas paſſiones (eas dico quæ antonomaſtice appellantur Vterinæ, quales ſunt præfocationes, ſive ex ſuppreſſione ſanguinis, ſive ſeminis, ſive ex flatu fiunt) commendatur uno ore à Medicis omnibus. Hippocr. in lib. de morb. mul. crebram eius facit mentionem: In eum uſum lib. 2. caſtoreum aut conizam præſcribit: Itaque Caſtoreum epotum ſoluit dolores capitis ex utero, quia ſoluit uteri morbos quos ſolet dolor capitis comitari, ſuppreſſiones ſcil. menſtruorum, & ſeminis retentiones, & ſuccorum quorumcumque frigidorum, ac flatuum: Neque vero ſolet omnes paſſiones uteri, ſed frigidas, inflammationes enim & eryſipelata potius augebit; Quare cum ob uteri inflammationes poſſit etiam dolere caput, conſtat non omnes dolores capitis ex utero ſedare Caſtoreum, ſed eos qui ob frigidas paſſiones, quales eſſe præfocationes ex utero affirmat Galenus. *Valleſius Epid pag. 805.*

L VIII. Partulam deſiderari extremam cerebri cerebellique ſubſtantiam, quo per ipſam penetret coleturque quaſi ſanguinis pars maxime ſpirituoſa, probare videtur frigus aeris, aquæ niviſve caput vehementer afficiens, a quo non tantum gravedo, ſed parcior quoque ſpirituum animalium productio ſequi ſolet: Quotquot autem urgente tali externo frigore ſanguinem mittunt, aut per vomitum ſeceſſumve mali cauſam ſe putant educturos, in vitæ, graviorum ſaltem malorum periculum conjiciunt ægros, ſicut hoc non ſemel vidi factum à viris in librorum lectione, quam ſymptomatum ægris obvenientium obſervatione magis verſatis. *Sylvius de le Boë p. m. 402.*

LIX. Frigus internum capitis arbitror ego fieri à frigus parientibus halitibus, una cum ſanguine ad caput delatis, & partim ſanguinem quidem auſteritate ſua ceſſioni partium ſpirituoſarum ineptum reddentibus, partim cerebri ſubſtantiam externam compingentibus, poroſve ipſius ſinuoſos anguſtantibus, ſicque parti ſanguinis maxime ſpirituoſæ tranſitum, ex parte ſaltem denegantibus: Tunc ſudorifero (ſicut §. 47.) locus, cujus ope diſcutiuntur habitus & flatus moleſtum frigus producentes: noxium autem, ut & præcedenti, ſanguinem mittere, aut vomitum ſeceſſumve movere. *Idem Ibidem.*

L X. Fieri poteſt ut capitis affectus, ſeu alterius loci, cum alterius partis aut loci affectu invaleſcat, & cum eo levetur, nec ideo ab illa parte per conſenſum afficiatur: nam poteſt accidere ut ex eodem foco, & eodem ne fonte, materia in partes diverſas ſimul influat, & in parte mittente nullus dolor, nec aliquis affectus innoteſcat aut percipiatur: ut *Hippocr.* adnotavit accidiſſe Agelii filiæ 6, Epid. 3. 4. cui cum doleret coxendix aſthmate premebatur, & dolore levato ſedabatur etiam ſuſpirium: Et cum nullus daretur conſenſus inter coxam & pectus, ſuſpicari par erat ab eodem loco in utramque partem humorem confluere, & eodem etiam tempore diſſipari: Iam confluxio eſſet à cerebro, jam ab utero, Et ideo cum duo effectus ſimul incidunt, oporter diligenter attendere an a capite, an ab alio loco ſit conſenſus: Licet *Galenus* in hujus ſentent. comm. dicat tuberculum in pectore mulieris ruptum eſſe, & inde expurgata anacatharſi materia, hoc aſthma quieviſſe, ſed levi conjectura: nam in enixa potius ſuſpicari ſpar eſt ab uteri ligamentis coxendicem, & aſthma à pectoris cum utero conſenſu proveniſſe, & maxime non bene lochiis expurgatis, quæ utrumque affectum producebant, Vtrumque accidens etiam quieviſſe lochiis expurgatis: Etenim parturientium uterus omnium malorum occaſio & radix, & maximus genitalium cum pectore conſenſus: *Caſpar Caldera Illuſtration. & obſervat. Med. viij. lib. ij.*

L XI. *Liquor nerveus* Intra meningum aliarumque capitis partium fibras aggeſtus, modo incongruitate propria, qua acris, aut alias degener fibris improportionatus evadit; modo qua cum alio humore, ſc. nutritio aut ſeroſo illuc affluente efferveſcit, partes continentes vellicat, inque ſpaſmos aut diſtentiones dolorificas irritat, Quando ita eſt morbificus, vel in tota maſſa peccans capiti præ diſpoſito affligit noxam: vel ex ſe ipſe intons intra fibras affectus pervertitur, ac ita ſecundario morbificus evadit: Cujus tunc curatio à partium continentium reſtitutione dependet, nempe ſi fibrarum debilitates, aut contorinationes læſæ emendentur, humor eas irrigans ſtatim culpa vacabit: Interea ſi idem in tota maſſa degener, maiorem capiti ad dolorem præparato noxam impertit, ejuſmodi medicamenta & methodus adhibeantur, quibus iſte ad debitam craſin redactus fibras iſtas blande trajiciens parum aut minime irritet: In quem finem nec purgantia fortiora, nec phlebotomia larga aut crebra conveniunt, utpote quæ ſanguinem & humores exagitant viteſque atterunt, proindeque Nerveo liquori peccanti majorem acrimoniam imprimunt: Attamen blanda ſolutiva, & parca ſanguinis detractio interdum ex uſu erunt, quo viſcera detergeantur & maſſa ſanguinea nonnihil expurgetur, & medicamentis aliis melius ſucceſſuris via ſtruatur, Pharmaca autem quæ Liquorem nerveum, capitis membranis ab eo moleſtari ſolitis magis amicum & benignum reddunt, ejuſmodi ſunt quæ vulgo cephalica perhibentur, quorum ſcil. particulæ raris activæ, ſimulque tenues & ſubtiles, ſanguinem abſque turgeſcentia aut tumultu trajiciunt, dein liquori nerveo ſe inſinuantes, eum blande actuant, ductuſque nerveos adeo explicari faciunt, proinde corpora quæque tum ſenſibilia tum motiva liberius ut ſpiritus animales irradient, eaque ſine deliquiis, ſpaſmis aut diſtenſionibus anomalis inſpirent. *Willis cap. de cephalagia.*

L XII. Interdum *Succus nutritius* cephalalgiæ periodicæ cauſa exiſtit, in quantum ſcil. iſte ſanguini ſuffuſus, & non rite aſſimilatus, ob particulas diſcordes, ei turgeſcentiam infert, proinde ut cruor in caput ebulliens exuvias ſuas in meningas, aut illarum partes quaſdam prædiſpoſitas ingerat, fibraſque adeo in ſpaſmos dolorificos irritet: Ob hanc cauſam novi plures, poſt variolas, morbillos, aliaſque febres aut ægritudines, quibus ſanguinis maſſa viciari ſolet, cephalalagiæ quotidianæ obnoxius fuiſſe, videlicet totidem à paſtu horis, modo citius modo

tardius

tardius, primo ruboris in facie ſuffuſio, dein capitis plenitudo & dolor eos infeſtabant, Inſuper à vini potu, aut alimentis turgidis cotoeſtis gravius plectebantur: morbi acceſſio ab aſſumptis magis aut minus diſtare ſolet, prout chymus, aut paulo poſt primum in cruorem ingreſſum, aut poſt aliquantulam in eo moram turgeſcere incipit; Poſt totius proviſionem, remedia quæ ſanguinis craſin reſtituant, cujuſmodi inprimis ſunt antiſcorbutica & chalybeata, maxime proficiunt. E. g ℞. *conſ. fumar. tanac. lujul. ana.* ℥ij *pulv. ari compoſ.* ℥iij. *ebor. ocul. canc. corall. ppti an.* ʒiß. *pulv. ſant. citr. & aloës, ana* ʒß. *vitr. mart.* ʒj. *ſal. abſynth.* ʒiß. *ſyr. de 5. rad. q. s. f. Elect. da m. v. ad magnitud. caſtan. ſuperbibendo liq. ſeq.* ℥iij. ℞. *aq ſol. ari, verbena, flor. ſambuc. ana.* ℥vj. *aq. limac. lambr. magiſtr. aa.* ℥ij. *ſacch.* ℥j. *m.*

LXIII. Quidam lue venerea infectus, curatus fuit per diætam ſudorificam & litu ex hydrargyro, unde per aliquot tempus à morbo immunis viſus eſt: poſtea vero idem affectus recurrit, & iterum curatus eſt decocto ſudorifico per aliquod tempus uſurpato, ac deinde ſuſſitu cinnabaris iterum perfecte curatus viſus eſt: Poſtea tamen tentari cœpit gravi Cephalæa ſiniſtram capitis partem obſidente, quæ in mutationibus tempeſtatum, ac præcipue ineunte autumno, graviter eum excruciabat, & in eodem loco Clavi inſtar ſemper infixa permanebat. Multa remedia tentata ſunt fruſtra, Nos ſtatuimus gravem illam Cephalæam ex reliquiis Luis non perfectæ curatæ procedere: Cauſam tamen illius proximam & immediatam, aut ſaltem foventem & augentem illum dolorem, præter virulentiam veneream, eſſe vel humorem acrem ac mordentem, ad eam capitis partem confluentem, vel ipſum Mercurium in parte congeſtum, vel cariem in oſſe capitis contractam: Ut harum omnium cauſarum haberetur ratio, 1. præſcripſimus evacuationem univerſalem per ſang. miſſionem, & purgationem per apozemata ad iv. dies: deinde diætam ſudorificam ex decocto ligni guajaci & ſalſæ ad 30. vel 40. dies; Sæpe enim lues quæ hydrargyro curari non potuit, longo uſu decocti ſanatur: Et ſi cephalæa ab humoribus tantum virulentis, membranas vellicantibus oriatur, ſola diæta longiori curari poterit. Si vero decocto diu uſurpatu non ceſſerit, videndum erit num Mercurius in parte collectus ſit, quod interноſci poterit, ſi globulus ex foliis auri confectus in ſiniſtram aurem profunde immittatur, & poſt aliquam moram in parte albicans extrahatur, ſignum erit adeſſe Mercurium: Idem tentari poterit contegendo emplaſtrum cephal. foliis auri, & parti dolenti imponendo: Si enim albeſcat aurum, ſignum erit adeſſe Mercurium, qui paulatim extrahetur, ſi lamina aurea tenuis ſupra partem dolentem continuo geſtetur, & globulus aureus ſolidior frequenter in aurem immittatur: Si neque hoc præſidio ceſſet dolor, aperienda erit pars & terebello perforanda, ſæpe enim ab acribus humoribus & virulentis corroditur cranium, eique caries inducitur, cute integra remanente: Et licet caries non appareat, trepanum tamen ſæpe confert, educendo materiam virulentam ſupra meninges cerebri collectam. *Riverius cent. 2. Obſervat. 91.* Vide obſ. 13. Simeonis lacus anocxam.

LXIV. Verum exhibendum ſit *Vinum* in curatione doloris ab intemperie frigida & pituita facti, diſſenſus eſt inter authores: Hippocr. lib. de aff. agens de dolore capitis, ex pituita, ut apparet, de Diæta ita ſcribit: *Victus ſit ſorbitio, & potus aqua, vinum autem non exhibeatur donec dolor ſedetur; quum enim calidum exiſtens caput vinum attraxerit, dolor fortior evadit.* *Galenus* 1. ad Glauc. 3. cum vinum concedat in ephemeris, prohibet ſi dolor adſit capitis, Et 2. de comp. med. 1. in dolore capitis ex frigore, diſerte vinum prohibet; ut & Serapio, Halyabbas, Avicennas, Rhaſis: Atque hæ ſunt quæ vinum prohibent authoritates, ſunt autem & aliæ eorundem virorum quæ illud præcipiunt: Hippocr. 2. Epid. 6. *Si ex crapula caput doleat, vini meraci heminam bibat: ſi vero aliter caput doleat, panem quam calidiſſimam cum vino meraco edat.* Idem 6. aph. 31. Dolores oculorum meri potum ſolvere ſcribit, Et cur non etiam capitis? *Rhaſis* 1. cont. *Cum accidit*, ait, *Soda alicui exiſtenti in omnibus diſpoſitionibus ſuis ſano, detur ei panis madefactus in vino puro &c.* *Galenus* 2. loc. c. 1. cum ad dolorem capitis ex ebrietate & meri potu, aquæ omnino potu utendum eſſe dixiſſet, ſubdit mox. *Si vero moderate habeant, & aquam bibere non poſſint, permittendus eſt iis potus aquoſus ex aquoſis vinis.* Eodem capite, in dolore a bilioſo humore balnea temperata præcipit, unctiones & potum dilutum, ut & in dolore qui fit per conſenſum epatis aut ſtomachi. Paulus l. 3. cap. 4. in dolore ab intemperie frigida vinum ſubtilius propinandum jubet: Aëtius l. 6. c. 43. ad cephalæam & hemicraniam, morbi qui ſi vetuſtiores ſint cum pituita infeſtare ſolent, vinum dat album, tenue, & non valde vetus, nec valde odorum: Trallianus lib. 1. de dolore ex frigida intemp. *His ſi vinum tenue dederis, aut aliud quoddam extenuans calefacienſque, non nocebis, nam omnia ipſos juvant quæcunque mediocriter extenuare & calefacere poſſunt.* Non diſſentiunt *Halyabbas*, *Avicenna*, & plurimi è recentioribus: Pro conciliatione, conſiderandum primum tum morbi & cauſæ qualitas, tum vini facultas, mox ſi quid ex iis contraindicet: Morbus propoſitus frigidus eſt & humidus, cauſa itidem, nimirum pituita: illa igitur calefacientia & exſiccantia poſtulant: Symptoma, i. e. dolor, per ſe nec hæc nec illa, ſed anodyna: Videndum igitur utrum ex iis ſit Vinum quæ calefaciant & ſiccent, Si enim tale, ratione cauſæ & morbi convenit, veluti remedium & contrarium: ejuſcemodi autem eſſe vinum validum & generoſum ſatis manifeſtum eſt, At vero, inquis, de vino hic quæro non ut remedio ſed alimento aut ejus vehiculo: At non multum intereſſe arbitror utro modo accipiatur, cum idem & medicamentum & alimentum ſit, datur enim in medicina cibus: Vinum tamen, de quo loquimur, generoſum, haud mixtum, ſane vix potui ſit aptum, mixtum autem, jam viribus amiſſis, non ſit quale propoſuimus, medicamentum, & in debiliſſimi naturam quodammodo tranſiicit: De eo igitur jam quæritur, an in propoſito caſu conveniat: Sane ſi illud ſenſibiliter refrigerat, de quo Gal. xi. lib. de cib. boni & mali ſucci, ſcil. oligophorum, non faciet ad morbum, nec ad cauſam, quæ excalefacientia poſtulant: Si aut immoderate eſt calidum, ſicut ponitur l. e. m. m. c. 6. ubi oligophori multæ ſpecies

habent, quia dolor eſt eſſentialis, Et licet aliquam tenuioris excrementi portionem caput à toto ſuſcipere poſſit, majus tamen damnum conſtringendo, & reſolutionem inhibendo, quam emolumentum repellendo afferre poſſent. *Fortis conſul.7.cent.1.*

LVII. *Capitis dolores ex utero Caſtoreum ſedat*, inquit Hipp. lib. 7. Epidem. Et lib. 6. *Iuxta ſincipue maximi dolores, & quicunque alij ab utero oriuntur*: Iam vero mala quæ per compaſſionem fiunt tolli curatione eorum quæ primaria ſunt, & eam legitimam eſſe eorum curationem, res eſt notiſſima: Caſtoreum vero ad uterinas paſſiones (eas dico quæ antonomatice appellantur Vterinæ, quales ſunt præfocationes, ſive ex ſuppreſſione ſanguinis, ſive ſeminis, ſive ex flatu fiant) commendatur uno ore à Medicis omnibus. Hippocr. in lib. de morb.mul.crebram eius facit mentionem: In eum uſum lib.2. caſtoreum aut conizam præſcribit: Itaque Caſtoreum epotum ſoluit dolores capitis ex vtero, quia ſoluit uteri morbos quos ſolet dolor capitis comitari, ſuppreſſiones ſcil. menſtruorum, & ſeminis retentiones, & ſuccorum quorumcumque frigidorum, ac flatuum: Neque vero ſolet omnes paſſiones uteri, ſed frigidas, inflammationes enim & eryſipelata potius augebit; Quare cum ob uteri inflammationes poſſit etiam dolere caput, conſtat non omnes dolores capitis ex utero ſedare Caſtoreum, ſed eos qui ob frigidas paſſiones, quales eſſe præfocationes ex utero affirmat Galenus. *Valleſius Epid pag.*805.

LVIII. Patulam deſiderari externam cerebri cerebellique ſubſtantiam, quo per ipſam penetret coleturque quaſi ſanguinis pars maxime ſpirituoſa, probare videtur frigus aeris, aquæ niviſve caput vehementer afficiens, a quo non tantum gravedo, ſed parcior quoque ſpirituum animalium productio ſequi ſolet: Quotquot autem urgente tali externo frigore ſanguinem mittunt, aut per vomitum ſeceſſumve mali cauſam ſe putant educturos, in vitæ, graviorum ſaltem malorum periculum conjiciunt ægrus, ſicut hoc non ſemel vidi factum à viris in librorum lectione, quam ſymptomatum ægris obvenientium obſervatione magis verſatis. *Sylvius de le Boë p.m.*402.

LIX. Frigus internum capitis arbitror ego fieri à frigus parientibus halitibus, una cum ſanguine ad caput delatis, & partim ſanguinem quidem auſteritate ſua ceſſioni partium ſpirituoſarum ineptum reddentibus, partim cerebri ſubſtantiam externam compingentibus, poroſve ipſius ſinuoſos anguſtantibus, ideoque parti ſanguinis maxime ſpirituoſæ tranſitum, ex parte ſaltem denegantibus: Tunc ſudorifero (ſicut §. 47.) locus, cujus ope diſcutiuntur habitus & flatus moleſtum frigus producentes: noxium autem, ut & præcedenti, ſanguinem mittere, aut vomitum ſeceſſumve movere. *Idem Ibidem.*

LX. Fieri poteſt ut capitis affectus, ſeu alterius loci, cum alterius partis aut loci affectu invaleſcat, & cum eo levetur, nec ideo ab illa parte per conſenſum afficiatur: nam poteſt accidere ut ex eodem loco, & eodem met fonte, materia in partes diverſas ſimul influat, & in parte mittente nullus dolor, nec aliquis affectus innoteſcat aut percipiatur: ut *Hippocr.* adnotavit accidiſſe Agelii filiæ 6.Epid.3.4. cui cum doleret coxendix aſthmate premebatur, & dolore levato ſedabatur etiam ſuſpirium: Et cum nullus daretur conſenſus inter coxam & pectus, ſuſpicari par erat ab eodem loco in utramque partem humorem confluere, & eodem etiam tempore diſſipari: Iam confluxio eſſet à cerebro, jam ab vtero, Et ideo cum duo effectus ſimul incidunt, oportet diligenter attendere an a capite, an ab alio loco ſit conſenſus: Licet *Galenus* in hujus ſentent. comm. dicat tuberculum in pectore mulieris ruptum eſſe, & inde expurgata anacatharſi materia, hoc aſthma quieviſſe, ſed levi conjectura: nam in enixa potius ſuſpicari par eſt ab uteri ligamentis coxendicem, & aſthma à pectoris cum vtero conſenſu provenniſſe, & maxime non bene lochiis expurgatis, quæ utrumque affectum producebant, Vtrumque accidens etiam quieviſſe lochiis expurgatis: Etenim parturientium uterus omnium malorum occaſio & radix, & maximus genitalium cum pectore conſenſus: *Caſpar Caldera Illuſtration. & obſervat. Med. viij. lib. ij.*

LXI. *Liquor nerveus* intra meningum aliarumque capitis partium fibras aggeſtus, modo incongruitate propria, qua acris, aut alias degener fibris improportionatus evadit; modo qua cum alio humore, ſc. nutritio aut ſeroſo illuc affluente efferveſcit, partes continentes vellicat, inque ſpaſmos aut diſtentiones dolorificas irritat, Quando ita eſt morbificus, vel in tota maſſa peccans capiti præ diſpoſito affligit noxam: vel ex ſe ipſe intons intra fibras affectus pervertitur, ac ita ſecundario morbificus evadit: Cujus tunc curatio à partium continentium reſtitutione dependet, nempe ſi fibrarum debilitates, aut conformationes læſæ emendentur, humor eas irritans ſtatim culpa vacabit: Interea ſi idem in tota maſſa degener, maiorem capiti ad dolorem præparato noxam impertit, ejuſmodi medicamenta & methodus adhibeantur, quibus iſte ad debitam craſin redactus fibras iſtas blande trajiciens parum aut minime irritet: In quem finem nec purgantia fortiora, nec phlebotomia larga aut crebra conveniunt, utpote quæ ſanguinem & humores exagitant vireſque atterunt, proindeque Nerveu liquori peccanti majorem acrimoniam imprimunt: Attamen blanda ſolutiva, & parca ſanguinis detractio interdum ex uſu erunt, quo viſcera detergeantur & maſſa ſanguinea nonnihil expurgetur, & medicamentis aliis melius ſucceſſuris via ſtruatur, Pharmaca autem quæ Liquorem nerveum, capitis membranis ab eo moleſtari ſolitis magis amicum & benignum reddunt, ejuſmodi ſunt quæ vulgo cephalica perhibentur, quorum ſcil. particulæ ſatis activæ, ſimulque tenues & ſubtiles, ſanguinem abſque turgeſcentia aut tumultu trajiciunt, dein liquori nerveo ſe inſinuantes, eum blande actuant, ductuſque nerveos adeo explicari faciunt, proinde corpora quæque tum ſenſibilia tum motiva liberius ut ſpiritus animales irradient, eaque ſine deliquiis, ſpaſmis aut diſtenſionibus anomalis inſpirent. *Willis cap. de cephalagia.*

LXII. Interdum *Succus nutritius* cephalalgiæ periodicæ cauſa exiſtit, in quantum ſcil. iſte ſanguini ſuffuſus, & non rite aſſimilatus, ob particulas diſcordes, ei turgeſcentiam infert, proinde ut cruor in caput ebulliens exuvias ſuas in meningas, aut illarum partes quaſdam prædiſpoſitas ingerat, fibraſque adeo in ſpaſmos dolorificos irritet: Ob hanc cauſam novi plures, poſt variolas, morbillus, aliaſque febres aut ægritudines, quibus ſanguinis maſſa vitiari ſolet, cephalalagiæ quotidianæ obnoxios fuiſſe, videlicet totidem à paſtu horis, modo citius modo

tardius

tardius, primo ruboris in facie ſuffuſio, dein capitis plenitudo & dolor eos infeſtabant, ſuſuper a vini potu, aut alimentis turgidis comeſtis gravius plectebantur: morbi acceſſio ab aſſumptis magis aut minus diſtare ſolet, prout chymus, aut paulo poſt primum in cruorem ingreſſum, aut poſt aliquantulam in eo moram turgeſcere incipit; Poſt totius proviſionem, remedia quæ ſanguinis craſin reſtituunt, cujuſmodi inprimis ſunt antiſcorbutica & chalybeata, maxime proficiunt. E. g. ℞. *conſ. fumar. tunic. lujul. ana.* ℥ij *pulv. tri compoſ.* ℥iij. *ebor. ocul. cunc. corall. ppt. an.* ʒiß. *pulv. ſant. citr. l. aloës, ana* ʒß. *vitr. mart.* ʒj. *ſal. abſynth.* ʒiß. *ſyr. de 5. rad. q. s. f. Elect. da m. v. ad magnitud. caſtan. ſuperbibendo liq. ſeq.* ℥iij. ℞. *aq. fol. ari, verbenæ, flor. ſambuc. ana.* ℥vj. *aq. limac. lumbr. magiſtr. ana* ℥ij *ſacch.* ℥j. *m.*

LXIII. Quidam lue venerea infectus, curatus fuit per diætam ſudorificam & litu ex hydrargyro, unde per aliquot tempus à morbo immunis viſus eſt: poſtea vero idem affectus recurrit, & iterum curatus eſt decoctu ſudorifico per aliquod tempus uſurpato, ac deinde ſuffitu cinnabaris iterum perfecte curatus viſus eſt: Poſtea tamen tentari cœpit gravi Cephalæa ſiniſtram capitis partem obſidente, quæ in mutationibus tempeſtatum, ac præcipue ineunte autumno, gravius eum excruciabat, & in eodem loco Clavi inſtar ſemper infixa permanebat. Multa remedia tentata ſunt fruſtra, Nos ſtatuimus gravem illam Cephalæam ex reliquiis Luis non perfectæ curatæ procedere: Cauſam tamen illius proximam & immediatam, aut ſaltem foventem & augentem illum dolorem, præter virulentiam veneream, eſſe vel humorem acrem ac mordentem, ad eam capitis partem confluentem, vel ipſum Mercurium in parte congeſtum, vel cariem in oſſe capitis contractam: Vt harum omnium cauſarum haberetur ratio, 1. præſcripſimus evacuationem univerſalem per ſang. miſſionem, & purgationem per apozemata ad iv. dies: deinde diætam ſudorificam ex decocto ligni guajaci & ſaliæ ad 30. vel 40. dies; Sæpe enim lues quæ hydrargyro curari non potuit, longo uſu decocti ſanatur: Et ſi cephalæa ab humoribus tantum virulentis, membranas vellicantibus oriatur, ſola diæta longiori curari poterit. Si vero decocto diu uſurpatu non ceſſerit, videndum erit num Mercurius in parte collectus ſit, quod internoſci poterit, ſi globulus ex foliis auri confectus in ſiniſtram narem profunde immittatur, & poſt aliquam moram in parte albicans extrahatur, ſignum erit adeſſe Mercurium: Idem tentari poterit contegendo emplaſtrum cephal. foliis auri, & parti dolenti imponendo: Si enim albeſcat aurum, ſignum erit adeſſe Mercurium, qui paulatim extrahetur, ſi lamina aurea tenuis ſupra partem dolentem continuo geſtetur, & globulus aureus ſolidior frequenter in narem immittatur: Si neque hoc præſidio ceſſet dolor, aperienda erit pars & terebello perforanda, ſæpe enim ab acribus humoribus & virulentis corroditur cranium, eique caries inducitur, cute integra remanente: Et licet caries non appareat, trepanum tamen ſæpe confert, educendo materiam virulentam ſupra meninges cerebri collectam. *Riverius cent.* 2. *Obſervat.* 91. Vide obſ. 13. Simeonis ſacos annexam.

LXIV. Vtrum exhibendum ſit *Vinum* in curatione doloris ab intemperie frigida & pituita facti, diſſenſus eſt inter authores. Hippocr. lib. de aff. agens de dolore capitis, ex pituita, ut apparet, de Diæta ita ſcribit, *Victus ſit ſorbitio, & potus aqua, vinum autem non exhibeatur donec dolor ſedetur; quum enim calidum exiſtens caput vinum attraxerit, dolor fortior evadit.* *Galenus* 1. ad Glauc. 3. cum vinum concedat in ephemeris, prohibet ſi dolor adſit capitis, Et 2. de comp. med. 1. in dolore capitis ex frigore, diſerte vinum prohibet; ut & Serapio, Halyabbas, Avicennas, Rhaſis: Atque hæ ſunt quæ vinum prohibent authoritates, ſunt autem & aliæ eorundem virorum quæ illud præcipiunt: Hippocr. 2. Epid. 6. *Si ex crapula caput doleat, vini meraci heminam bibat: ſi vero aliter caput doleat, panem quam calidiſſimum cum vino meraco edat.* Idem 6. aph. 31. Dolores oculorum meri potum ſolvere ſcribit, Et cur non etiam capitis? *Rhaſis* 1. cont. *Cum accidit,* ait, *Soda alicui exiſtenti in omnibus diſpoſitionibus ſuis ſano, detur ei panis madefactus in vino puro &c.* *Galenus* 2. loc. c. 1. cum ad dolorem capitis ex ebrietate & meri potu, aquæ omnino potu utendum eſſe dixiſſet, ſubdit mox. *Si vero moderate habeant, & aquam bibere non poſſint, permittendus eſt iis potus aquoſus ex aquoſis vinis.* Eodem capite, in dolore a bilioſo humore balnea temperata præcipit, unctiones & potum dilutum, ut & in dolore qui fit per conſenſum epatis aut ſtomachi. Paulus l. 3. cap. 4. in dolore ab intemperie frigida vinum ſubtilius propinandum jubet: Aëtius l. 6. c. 43. ad cephalæam & hemicraniam, morbi qui ſi vetuſtiores ſint cum pituita infeſtare ſolent, vinum dat album, tenue, & non valde vetus, nec valde odorum: Trallianus lib. 1. de dolore ex frigida intemp. *His ſi vinum tenue dederis, aut aliud quoddam extenuans calefacienſque, non nocebis, nam omnia ipſos juvant quæcunque mediocriter extenuare & calefacere poſſunt.* Non diſſentiunt *Halyabbas*, *Avicenna*, & plurimi è recentioribus: Pro conciliatione, conſiderandum primum tum morbi & cauſæ qualitas, tum vini facultas, mox ſi quid ex iis contraindicet: Morbus propoſitus frigidus eſt & humidus, cauſa itidem, nimirum pituita: illa igitur calefacientia & exſiccantia poſtulant: Symptoma, i. e. dolor, per ſe nec hæc nec illa, ſed anodyna: Videndum igitur utrum ex iis ſit Vinum quæ calefaciant & ſiccent, Si enim tale, ratione cauſæ & morbi convenit, veluti remedium & contrarium: ejuſcemodi autem eſſe vinum validum & generoſum ſatis manifeſtum eſt, At vero, inquis, de vino hic quæro non ut remedio ſed alimento aut ejus vehiculo: At non multum intereſſe arbitror utro modo accipiatur, cum idem & medicamentum & alimentum ſit, datur enim in medicina cibus: Vinum tamen, de quo loquimur, generoſum, haud mixtum, ſane vix potui ſit aptum, mixtum autem, jam viribus amiſſis, non ſit quale propoſuimus, medicamentum, & in debiliſſimi naturam quodammodo tranſierit: De eo igitur jam quæritur, an in propoſito caſu conveniat. Sane ſi illud ſenſibiliter refrigeret, de quo Gal. 11. lib. de cib. boni & mali ſucci, ſcil. oligophorum, non faciet ad morbum, nec ad cauſam, quæ excalefacientia poſtulant: Si autem moderate eſt calidum, ſicut ponitur l. 6. m. m. c. 6. ubi oligophori multæ ſpecies

memorantur, nec tale ad morbum, vel cauſam erit accommodatum, At ratione ſymptomatis (doloris) quid dicendum? Is profectò anodyna proprie dicta requirit, quæ in primo gradu ſunt calefacientium, cum tenuitate partium: Generoſum profectò, antiquum & vinoſum vinum non eſt ejuſmodi, calidum enim & ſiccum vehementius eſt, non ergo erit anodynum, niſi forte magnâ copiâ ſumptum ſomnum arceſſat, quo dolores omnes levantur: Oligophorum autem meritò tale cenſeri poſſit, ab eoque dolores ſedari, quod & expreſsè ſcribit Gal. cap. 11. lib. de cib. boni & mali ſucci, *Quemadmodum fulva, quæ potentia calida ſunt, ſtatim caput, replent ſic oligophora, præter id quod nihil nuquam noxa afferunt, etiam juvant, ſedant interdum doloribus parvis quibuſdam, quos contenti in ventre humores procreare ſolent: Nam cum caput non ſolum tunc doleat cum ipſum proprio affectu laborat, ſed etiam ob ventriculum qui humorum vitioſorum vapores tranſmittat, hujuſmodi dolor vini pauciferi potione ſanatur, cui pauca adſit adſtringendi vis.* Id tamen non ut ad dolores qui ventriculi vitio aliquando, ita etiam ad eos qui primaria affectione in capite fiunt, æque valeat; in parte enim dolore vexata tale auxilium recipi neceſſe eſt, ut effectus ſuos edat, quod in capite fieri per eum modum vino non liceat: Non igitur ratione ſymptomatis ut ſufficiens auxilium conveniat, Convenit e igitur dicendum generoſum, vetus ac vinoſum, quod excalfacit & exſiccat, ad morbum & cauſam, quæ frigida & humida ſunt, quo conſilio à Rhaſi & Paulo fuit propoſitum: oligophorum verò & imbecillius, quod tamen calefaciat, juvat etiam licet non æque: Vtro autem utendum? Sanè generoſum, eo quo dixi nomine magis accommodatum videtur, quod tamen timent aliqui ne impetu feratur ad caput: Sanè ferri ad caput vetuſti & generoſi vini vapores eſt manifeſtum, ſubtilis enim & calida ſubſtantia ſurſum facile aſcendit, rapiens & ſecum vehens quæ proxima ſunt, unde repleri caput contingit: Id verò eſt quod volumus, nimirum illud ferri ad caput, quod caput eo tempore juvat: ſi enim excalefieri & ſiccari caput morbo frigido laborans poſtulat, profectò calefacientia & ſiccantia eò delata medicina ſunt, tales autem ſunt illi vapores, & eo nomine proſunt: Sed cum, ex *Galeno*, nullum ſit generoſum præſidium quod noxam aliquam in ſe non contineat, Medici eſt tum metiri tum judicare: Igitur uum generoſum & calidum vinum proſit, ut diximus, nocet ſanè ſi immoderatè ſumatur & majori menſura quam ferri poſſit & concoqui: Sic enim adeo non excalefacit & ſiccat, ut refrigeret & humectet & ejuſdem qualitatis morbos procreet: Vbi enim non concoquitur, abeunte ac evaneſcente vi & ſpiritu vini, qui ipſius forma eſt, materia relinquitur frigida & humida, morbi cauſam augens: Igitur pro capitis robore admetiendum eſt, ut non plus offeratur quam recipi & concoqui poſſit: Sic autem nec mentem ferit, nec dolorem creat, quod nec excedentem intemperiem foveat, morboſam potius, quæ adeſt, ſanans; nec ſolutionem continui ullam efficiat, vi naturæ & capitis domitum atque concoctum: Ab oligophori autem viribus debilioribus ut minus periculi, uſuſque tutior eſt, ita minus commodi & auxilij ad morbum & cauſam: *Hippocr.* libro de Affection. vinum quidem prohibet, ſed capite calido exiſtente, quod cum pituitæ præſentia fieri nihil vetat: excalfit enim pituita quoque; ejuſmodi autem caput à vino maximè læditur, quippe à caliditate ipſius primum magis incaleſcit, & intemperatum redditur, ex quo augetur dolor: tum vino haud concocto, humida illius materia accreſcit, unde capite magis repleto, ob diſtenſionem & alias cauſas augeri dolorem neceſſe eſt. Galenus l. 1. ad Glauc. in febre Ephemera non concedit vinum cum adeſt dolor capitis, quia ſub illa febre à materia calida & ſubtili obtinetur caput, & ab eadem dolore afficitur, qui à vini caliditate facilè augeretur: Verba ex 2. de com. Med. non Galeni ſed Archigenis ſunt, qui exiſtimauit, ſicut & Arabes, validum & vinoſum vinum (hoc enim ſemper, ubi vinum ſimpliciter dicitur, intelligendum eſt, illudque aquæ haud miſtum, tale enim proprie & eſt & dicitur vinum) elatis calidis, acutis ac ſubtilibus vaporibus caput ferire, nedum calefaciendo, tum continuum diſſolvendo, dolorem creare: id verò non ita fit ſemper, ſic enim abſque capitis dolore nunquam bibi poſſet: multò autem minus contingit ubi ei reſiſtit intemperies frigida, vini caliditatem reſtringens: Sanè multâ copiâ ſi hauriatur, aut ea quæ concoqui haud poſſit, in calidioribus quidem naturis & morbis, caliditate primò feriens dolorem creat, ſed in dolore frigido initio levamen potius quam noxam affert, contrariam oppugnans intemperiem: poſt verò abeunte caliditate, ac frigida & humida remanente materia, ab eaque diſſoluto continuo, dolores augentur: Hic autem ſicut de dolore capitis à pituita a nobis potiſſimum allata ſunt, ita in omni etiam alio capitis morbo frigido, ac multò magis valere quilibet intelligere poteſt. *Guaſtavinius loc. ſelect. parte 2. c. 19.*

L X V. Quadragenarius phlegmaticus dolore capitis tam acerbo tamq; immani laboraverat, ut ne minimum ſtrepitum ſufferret, adeo vt ex ingredientium cubiculum greſſu cultellum cerebro infigi videret: Multa fruſtra adhibita, tandem ego ei *ſetaceum* adbibendum ſuaſi, quod adeo feliciter ſucceſſit, ut in dies manifeſtam doloris mitigationem ſenſerit, Tandem elapſo ſemeſtri Setaceum coaleſcere permiſit, cui ſubſtitutus fonticulus in brachio &c. *Heldanus cent. iv. obſerv. 7.*

L X V I. Si dolor capitis ſit ratione pericranij, tutius eſt pericranium quam fontanellam aperire, *Mercatus.*

L X V I I. Quando in aphor. 64. ſect. 5. *Lac* dare capite dolentibus prohibet, de eo non intelligit quod purgationis gratia in notabili quantitate exhibetur, id namque proprie loquendo non eſt Lac dare, ſed potius lacte purgare, Sed de eo quod refectionis & alterationis gratia datur. *Vide infra. lib. xix. tit. de Lacte.*

L X V I I I. Non in omni dolore capitis *oxyrrhodinum* imponendum; Abſtine 1. cum catarrhus iungitur, admota enim frigida deſtillationem augent, humoremque ad inferiores thoracis partes exprimunt, ſiccitate ſua: Concedit tamen *Trallianus* ſi originem habeat à vehementi capitis æſtu, humores à toto cucurbitulæ inſtar trahente, quo pacto juvant ablatione cauſæ. 2. Cum craſſorum humorum copia, aut vaporum, dolorem parit, quo in caſu oxyrrh. plus obſtruendo nocent quam repulſione juvant. 3. Si dolor fuerit criticus; criticum eſſe iudica ſi in diem criticum per febres incidat, ſi pepaſmi ſigna præceſſerint: Si tamen criſis per vomitum futura eſſet, impune poſſunt admoveri, alias ſi hæmorrhagia inſtet, retrudendo mortem inferes. 4. Nocent

ſi lan-

ſi ſanguis, vel alius humor capiti ſit valde impactus, tunc enim digerentia in uſum ducenda ſunt, de conſilio *Galeni* 13. m. m. 6. 5. In dolore maligno, aut ex ictu animalis venenoſi contracto; potius venenum ad extima trahentibus alliciendum & evocandum.

LXIX. Cum capitis dolor atrox adeo eſt ut de vita periclitentur ægri, naſcetur tunc indicatio *auferendi ſenſum*, magna tamen cautione, cum cauſam morbificam non abſcindant: ſed labentibus viribus, doloribus & vigiliis, ac delirij periculo incumbente, tantiſper dolori occurremus, quo firmentur vires, horum meta ſit virium robur; à mitioribus auſpicandum, & primo foris, deinde intus eorum uſum admittemus: Cautio adſit ne Opium ſuturæ coronali imponatur, plurimum enim illi ſubeſt cerebrum, ac facilis eo aditus, ſed potius temporibus, naribus & fronti, quamvis *Rhaſes* etiam portiunculam auribus immittat: Sedatis doloribus, & evictis vigiliis ungatur locus oleo chamomillæ, nucis moſchatæ &c. quo eluatur opij vis. *Heurnius.*

LXX. *Galenus* l.2.de comp.medic. ſ.l. cap.1. 2. & 3. verba faciens de *medicamentis ex alto trahentibus*, ait fuiſſe antiquorum inſtitutum indifferenter illis uti, ſe tamen non admittere illorum uſum in intemperie calida, neque materia calida, utilia tamen eſſe ſervatis ſervandis oſtendit *Saxonia*, vide ſupra tit. de capitis affect. in genere §. 40.

LXXI. Puella ſeptem annorum a duobus menſibus gravi dolore capitis tentabatur, circa frontem & ſupercilia, ſingulis prope horis recurrens, ita acutus ut cultro caput ſibi aperiri cuperet: Ea paroxyſmo epileptico è vivis erepta, in cerebri ſubſtantiam & ventriculos effuſus ſeroſus humor repertus: Virgo quædam cum ſimili dolore diu cruciata fuiſſet, à Chirurgo totum caput, deraſo capillitio, *Veſicatorio* contectum eſt, inſtar cucuphæ, & veſiculis excitatis magna ſeroſi humoris copia effluxit, & ita liberata eſt. *Riverius cent.* 1. *obſ.* 37. Quod antiqui *phoenigmos & ſinapiſmos* frequenter adhibuerint, & hodierna in praxi eſt contra atrociores cephalalgias, veſicatoria toti modo occipiti, modo ſincipiti applicare; Siquando à calidioribus hiſce topicis levamen ſucceſſit, hinc fuit quod per adminiſtrationes iſtas ſeri acrioris copia ingens à parte affecta excerneretur. *Willis.*

CAPITIS VULNERA.

SYLLOGE.

In capitis contuſionibus *ad cutis incisionem non ſtatim deveniendum.* 2.

Contuſionis *capitis in pueris, cum vel ſine vulnere, curandi ratio.* 8. 15.

Cranij depreſſio *in adulta citra fiſſuram.* 29.

Cucurbitulæ admotione reducta. 30.

Cap. Vulnera ſimplicia *an ſananda per agglutinationem, an per carnis regenerationem.* 1.

An cranio fracto, cute vero integra, hæc ſecanda. 3.

Fracturæ cranij *latentis dignotio.* 4.

Vulnus poſticæ partis capitis, cum depreſſione oſſis *&* contuſione, *ſine terebratione ſanatum.* 5.

Ad cranij perforationem non veniendum temere. 21.

Fracturæ cranij, *dignotio ex eo quod æger nuces frangere poſſit, aut non, dubia.* 31.

Rima cranij capillaris *non ſemper eget trepano.* 32.

Parva cranij fiſſura, *nec penetrans, modiolum reſpuit, ſicut & magna ac ſatis hians.* 33.

Non omne vulnus dilatatione eget. 34.

Fractura ſine trepano curata. 35.

Trepano aliquando locus, etſi cranium non fractum. 36.

Vulnus cap. xx. ſeptimana per trepanum curatum. 37.

Cranium x1. ob morbi feliciter perforatum. 23.

Terebratio aliquando repetenda. 22.

Cranij effractura *quando oſſium detractionem poſcit.* 6.

Effractura oſſa caute removenda, etiam præſente depreſſione. 7.

An abſtinendum à terebra ubi utraque lamina fiſſa. 40.

Cranij oſſis pars involucris adhærens, non reſcindenda ſed reponenda. 9.

Excisa modioli pars, ſimul cum hoc non educenda. 10.

Rima *cranij quamdiu deradenda.* 11.

Penetrans nec dilatationem vulneris, nec trepanum ſemper poſcit. 12.

Sectio pericranij *quando requiritur.* 13.

Pericranij ſectio non ſemper cruciformis eſſe debet 14.

Muſculi temporalis ſectio non ſemper lethifera. 24.

Meninge dura nudata alias ſiccantia alias humectantia imponenda. 25.

An cranium fiſſum ſtatim & ſemper radendum. 26.

Dura meninx an ſecanda ut ſanies exeat. 28.

In perforatione cranij prima diploës non tranſgredienda, cum elevatio facienda. 16.

Elevatorium tripleides ſuſpectum. 17.

Officula latentia vulnerum curationem protrahunt. 19.

Frontis vulnera *an ſuenda.* 20.

Præpropera capitis vulnerati conſolidatio ſuſpecta. 18.

Cur Florentiæ vulnera ut plurimum lethalia. 27.

Capite ulcerato aut vulnerato perniciosa purgatio, *præſente febre.* 38.

Calor ambiens nimius inimicus. 39.

Capitis levia vulnera non negligenda. 41.

Officula a cranio abſcedentia ut non detrahenda. 42.

Quamdiu differenda cranij perforatio. 43.

Simplicia vulnera, *integro cranio, aperire periculoſum.* 44.

Rimæ *profunditas quomodo inquirenda.* 45.

In terebratione ſanguinis exitus non ſemper expectandus. 46.

I. AN capitis vulnera ſananda per Suturam, an per Carnis regenerationem? Præſtantiſſimi Chirurgi ſuturam omittunt, ne cohibita ſub ſutura ſanies, pericranium & cranium corrumpat, hinc dolor & alia ſequantur; demum ob metum pericranij læſionis in ſuendo, quod offenſæ expers non eſſe veriſimile eſt ſi cutis tota inciſa eſt: Ineptè autem ſutura carnis generationi opponitur, ac curatio per agglutinationem & ſuturam pro eodem habentur, non enim agglutinatio cutis capitis, quæ longius tempus requirit, ſine carnis generatione contingere poteſt, quam puris generatio præcedit: quare in ejus, quæ in pus abiit, locum nova ſuccreſcat, neceſſe eſt: Chirurgus ergo primo id intendat ut vulneris labia per deligationem committat,

additia neceſſariis medicamentis, reliquum naturæ credens. *Sennertus.* Vulnus capitis ex ſola & ſimplici cutis inciſione ad pericranium, abſque hujus detrimento deductum, unitur aut Sutura, aut medicamentis Agglutinantibus, aut Carne de novo genita impletur: Poſterior curandi modus priori tutior videtur, quia cute per integrum inciſa, ferè impoſſibile eſt quin ob contiguitatem etiam pericranium lædatur. *Scultetus Armam. Tab.* 29. §. 1.

II. Ad vulnera, quæ ultra pericranium non pertingunt, curanda, Chirurgi plerumque indocti accerſiri ſolent, quibus illud familiare eſt, ut vulnera omnia quæcunque in capite fiunt, magnâ crucia figurâ inciſâ, adaperiant, & (ut illorum verbo utar) manifeſtent atque cranium detegant, quo an fractum inciſumve fuerit, cognoſcant: Ex quo errore multa ſequuntur incommoda, 1. enim curatio tardior ac longior efficitur: nam ſecundum artem curata 8. vel ad ſummum x. die bene haberent, quamvis quantitate magna eſſent; contra iſti vix altero vel 3. menſe interdum curant: Præterea vulnus ad Cranium uſque aperientes, ægrum invitæ diſcrimen conijciunt, quippe non rarò exiguam oſſis partem, aëre frigido tentante corruptam, extrahi hoc modo curatis neceſſe eſt, quod quidem neque corruptum alias neque inciſum fuerat: Nec rarò evenit ut non ſuperficies modo, ſed ipſum os totum ſecundum craſſitudinem corrumpatur. Cuidam vulnus in dextra capitis parte, nullam rupturæ ſignificationem exhibens, in crucem tribus digitis quadratam dilatatum fuit: ex quo evenit ut non modo detecta cranij pars, ſed multo etiam major undique portio corrupta fuerit. *Franciſcus Arcæus lib.* 1. *cap.* 1. Si contingat ex aliquo ictu incidere patientem in mentis alienationem, cum privatiône ſenſus & motus, niſi alia ſymptomata ab *Hippocrate* enumerata accedant, nullum periculum vitæ imminet, ac proinde prætermittenda quæcunque operatio, ſectio ſcilicet, & perſoratio ipſius calvariæ: vidi ſi quidem aliquos, ex prolapſu aut ictu læſo capite, apparente ſolo hoc ſymptomate, ſequenti die omnino liberatos. *Marchetti obſervat. x v.* Talis Contuſio mirabili ſucceſſu curatur pellibus recens mactatorum animalium, præſertim canis vel muris; illæ enim, dum adhuc calent loco contuſo adhibitæ, & per xx. aut plures horas relictæ, tumorem egregie diſcutiunt: agninam præfero, facile parabilem, cui par digerendi facultas. Hoc uno, & expertiſſimo remedio, multos pueros & adultos curavi &c. *Scultetus Armam. Chir. Tab. x x i x. paragr.* 14. *Cattierus obſ.* 7.

III. An Cranio fracto ſub cute. integra, hæc incidenda? Refert *Vidus Vidius Peruſinum*, Chirurgum celebrem, longo uſu obſervaſſe eos magis ſervari qui, ſine cutis inciſione, partim lenientibus, partim ſiccantibus medicamentis curantur, quam quibus cutis inciditur & os aperitur: atque hic longè aliam eſſe rationem cranij fracti nudati quam cute intecti docet: Etenim ſi cranium detectum ſit, ſi abſque ſectione relinquatur, humor qui ſupra membranam cerebri delapſus eſt, a calore qui exſpirat diſcuti non poteſt; quare putreſcens hominem jugulat: ubi verò cutis integra eſt, calor non exſpirat, ideo ſaniem digerere & oſſa ſolidare poteſt: quod in aliis etiam fracturis, quæ carne & cute teguntur, quotidie cernimus. Concedi poteſt hæc ſententia, ſi pauca ſanguinis copia ſub cranium effuſa ſit; ſi nullum os fractum membranas pungat ſi cranium fractum cerebrum non comprimat: A ſi ſangvinis copia ſubeſt; ſi partium ſubditarum corruptio à pure metuitur; ſi membrana ab oſſe fracto, vel depreſſo, pungatur aut comprimatur, ex Pauli, Celſi, ac plerorumque Chirurgorum mente, cutis ſecanda eſt ut fractura pateat, & reliqua quæ debent, commodè peragi poſſint: Talia enim vitia natura emendare non poteſt, dato autem ſaniem per cutem exhauriri poſſe, oſſicula tamen & ſquammæ in profundo hærentes non ita facile extrahuntur. *Sennertus.*

IV. Quidam caſu retrorſum ab alto, quaſi omnino mortuus remanſit, nullus tamen tumor nec cavitas apparuit: quare D. Pimpernelle & D. le Iuif conſilio, cataplaſma ex farina fabarum admotum fuit toti capiti, deraſo capillitio: Et quoniam res urgebat, cum æger loquelam amiſiſſet, ut citius cataplaſma exſiccaretur, lintea calida admovenda cataplaſmati curarunt, ſex horarum ſpatio: exſiccato eo & remoto, figuræ fiſſurarum cranij latentium optime delineatæ perceptæ: cataplaſma enim non deſiccatur in locis fiſſurarum & fracturarum: fiſſura ergo magna in medio crotaphiti muſculi apparuit. *P. Borellus centur. ij obſ.* 20.

V. Puella quædam cum ex ſcala decidiſſet, & parte capitis poſtica impegiſſet in lapideum gradum, inſignem depreſſionem oſſis paſſa eſt, cum contuſione tantum: cum vero parentes non concederent ſectionem, nec operationes neceſſarias, ſed medicamenta duntaxat applicarent ad inflammationem & contuſionem, præter ſpem à natura fuit ſanata, ſuperſtite tamen inſigni depreſſione oſſis. Non proinde metuendum admodum pueris hoc modo contuſis, ob mollitiem cranij. *Marchetti obſerv.* 5. *In Pueris depreſſum cranium quomodo elevandum vide apud Paræum lib.* 10. *c.* 5. *Fabritium Hild. cent.* 2. *obſ.* 5. *& lib.* 6. *obſervat.* 39. & hujus cenſuram apud *Scultetum* Tabul. 32. In Depreſſionibus puerorum, ſine rima & ſævis accidentibus, ab omni Chirurgia abſtineo: circa depreſſionem autem capillos abradi curo, & pellem agni calidam, cum decenti ligatura, adhibeo; aliam applico ſi prima non ſatis ſit, Si fovea tactu parva, diſcuſſo tumore, deprehenditur, ceratum diapalma Galeni ſubſtituo &c. *Idem ibidem.*

VI. Notandum eſt nunquam *Trypanon*, nunquam *Vectem* oſſi penitus fracto applicanda eſſe, ne ipſius compreſſione ſubjectæ lædantur membranæ: Ergo oſſi quidem ſano applicabuntur ea, ſed quam fieri poterit, proxime fracturam, ut cranij quam minimum eximatur, ne cerebrum oſſeo ſuo operculo denudatum noxam contrahat: Nec verò Effracturas, ut nec Fiſſuras, ſi longius proceſſerint, perſequeris uſque ad extremum, contentus ſaniei exitum procuraſſe, & id oſſis avulſiſſe quod membranas pungebat; Callo enim genito & ſuppoſito, cranij, ut & reliquorum oſſium, fracturas natura reſarcire ſolet: in quem finem illa, providentia ſingulari, geminas cranij laminas alimentaria quadam & ſanguinea materia infarcivit, ut hac tanquam medulla oſſis jacturas repararet: Ejus rei nuper patuit veritas in ſervo. D. Grolo, gravi mulini pedis calcitratu Effracturam in coronali oſſe paſſo: Id ipſe cum intelligerem, trigona ſectione cutem muſculoſam eo conſilio parte illa diviſi, ut terebram liceret admovere: Sequenti die ergo terebrato oſſe, cum de illo extrahendo cogitarem, imo ipſum jam terebra diviſum avellere conarer, Enormem effracturæ productionem, ex oſſis ſub manu vacillantis mobilitate cognovi; à media enim fronte uſque ad minorem

rem oculi canthum protendebatur: Itaque extrahendi & conſilio & conatu miſſo, ægro ſatisfactum putavi, ſi os ipſum depreſſum erigerem altius, ſic enim non jam craſſæ meningi comprimendo moleſtum erat, & concluſis materiebus per diviſionem ſerra factam exitus patebat: quo factum eſt ut tandem convaluerit, niſi quod inde altero lumine, quod ad fracturam [illegible]ar, orbatus eſt. *Paræus lib. 9. c. 6.* Aliquando ſectione admittit Ecfracturam noſter Hippocrates de ea accipiendum eſt cujus fruſta acuta membranam vellicant ac urgent, quam noſtri vocant *Embarrure:* In quo quidem affectu tutum ſane, ut dixi, ſtatim os ſcalpris excforiis excidere, aut ſaltem fruſta membranam urgentia ferramentis ad id accommodatis extrahere neceſſe eſt. Quod in cranij Ecfractura filioli Nob. feliciſſimè ceſſit, cujus cum bregmatis os ad nummi aurei latitudinem effractum eſſet, fruſtaque oſſis membranam pungerent, ſtatim illa detrahenda curavimus, ut etiamnum ſuperſtes incolumisque vivat Dei beneficio. *Veſtinianus comm. ad lib. Hipp. de vuln. cap.*

VII. *Carpus capite de ſignis oſſis pungentis panniculos & cerebrum hæc habet,* Quod cranium nutriatur à venis duræ matris, ego vidi experientia in quodam puero anno xij. qui fuit percuſſus a mulo cum pede, & cranium erat fractum ad quantitatem hoſtiæ magnæ, & intra per groſſitiem unius cultelli compreſſum & undequaque ſeparatum: Viſo oſſe depreſſo, cum inſtrumentis aptis volebamus elevare totaliter illud, ſed in elevatione vidimus unam notabilem venam ruptam, a qua multa ſanguinis quantitas exibat, in qua cognovimus periculum magnum, & dimiſimus os, quia retinebat ſanguinem, cogitando illud deinde ad tempus removere, & curando vidimus os ſemper eſſe vividum, nec aderant mala indicia, & ſic proceſſi poſtea in cura, & vidi os à lateribus mediante *borosbors* conſolidari, & dimiſi os, & ſic perfectè ſanatus eſt, & alios vidimus prius & poſterius quos relinquo narrare: *Hujuſmodi venis*, quibus nutritur cranium, laceratis, eas interius retrahi contingit, ab eiſdemque ſanguinem manare, qui putreſcens, nulla in oſſe manifeſta labe conſpecta circa initia, tandem ſævis ſymptomatibus ſubortentibus, neci tradatur æger: Fieri præterea poteſt ut quamvis venæ non dirumpantur, ex vehementi tamen ictu & concuſſione, plurimus intra venas ipſas ſub cranio latitantes evocetur ſanguis, ſanguineque in parte anguſta conculcato & retento, nec debite expurgato, ex mora & prohibita diſſlatione, calorem extraneum concipiente ſuboriatur inflammatio, ad quam mortem ſubſequi contingit, quamvis leviſſimum vulnus conſpicientium oculis ſeſe offerat. *Marc. Donatus l. 5. c. 4. hiſtor. mir.*

VIII. Exiſtunt perſæpe in pueris ſeptennio minoribus *Contuſiones*, ſimiles omnino jis vitiis quæ in æreis vaſis conſpicimus, ita ut cute illæſa, & poſteriore etiam cranij tabula minimè rupta, prior tamen perſæpe lædatur: namque ejus oſſis per ætatem teneritudo quandoque in cauſa eſt, ut nonnunquam cranium illæſum, ſæpe etiam læſum & ruptum deprimatur, & pelliculæ cerebrum ambientes rumpantur: Nuper puer quadriennis nobis curandus fuit oblatus, quem lignea porta è feneſtra decidens graviſſimè percuſſerat, juxta commiſſuram coronalem, ex quo ictu utrumque os, atque utraque etiam membrana rupta ſunt, atque etiam cerebri pars ter per totum curationis ſpatium emiſſa eſt: Sanatus tamen eſt puer citra vulneris manifeſtationem, & ſine ulla oſſium jactura, neque ultra xx diem dilata eſt curatio: Ad hujuſmodi autem compreſſiones in puerorum capitibus curandas, nulla vulneris majori (quam ipſo caſu facta eſt) manifeſtatione fuerit opus: & ſi nullum vulnus factum fuerit, nihil eſt aperiendum, quamvis omnia oſſa læſa comminutaque eſſe cognoſcantur: Atque hæc tutiſſima ratio curandi ejuſmodi vulneribus erit: nam quicquid contra quam diximus vulgo fieri ſolet, id certiſſimum habet periculum: Hujus autem curationis hæc ratio eſt, Si contuſio nullum manifeſtum vulnus oſtenderit, prima curatione hoc remedio utimur. ℞. *ol. roſar. chamom. an.* ℥ß. *ol. myrth.* ℥j. *ovi unius album cum vitello, cum parte aliqua farina fabar. & hordei ana & myrtill. pulv.* ℥j. omnia miſce ad modum emplaſtri, idque ſub contuſo loco ponatur, Poſtera vero die aliud emplaſtrum adhibemus, loco tamen prius novacula abraſo. ℞ *Sordities alvear. apum, aut cera nova ſordida, mell. comm. pulveriſ.* ℥j *lap. hæmat. pulver.* ʒß *lap. pumic. cymini, abſynth. furfur. comm. aa.* ʒij. *m. ad ignem & f. Empl.* loco depreſſo imponendum, ſanore etiam ambitu duorum digitorum: [illegible]ita hujus empl. vis eſt, ut intra xij dies oſſ[illegible] contuſa compreſſaque tollat, nullumque ad eam rem medicamentum efficacius eſſe puto: Quod ſi præter oſſis depreſſionem & rupturam, vulnus etiam fuerit, principio ovi albo & vitello ſimul agitato curandus eſt, additis petiis mollibus atque tenuibus, ſtupa, pulvillis, quibus vulnus regitur: poſtera autem die utemur balſamo à nobis ſæpe commendato: Vulnus autem hoc eviter ex pluma inungendum eſt, cujus præſtantiſſima virtus facilè hoc in genere etiam perſpicietur: mire enim concoquit, emundat, carnemque inducit: liquefactum autem eſſe oportet, non nimis tamen, ne quid æger uratur, aut ne quid de medicamenti vi calore decedat: (Illud vero maxime eſt cavendum ne quod omnino os extrahatur, quamvis omnia comminuta eſſe conſtiterit) filis autem ſiccis vulnus operiendum eſt, neque iis nimium preſſis: ſuper hæc vero id, quod modo deſcripſimus, emplaſtrum eſt addendum, calidum quidem illud, quod profectò magna cum curantis voluptate & admiratione, ſine ullo diſcrimine, omne pus, quod intus conficitur, exſugit, & compreſſa quoque oſſa breviſſimè tollit, in eumque reſtituit qui ſecundum naturam fuerat ſtatum: Poſſumus enim tuto affirmare nobis hac & aliis curandi rationibus frequentiſſimo experimento uſis, ſemper ex animi ſententia ſucceſſiſſe, & Dei auxilio multos è graviſſimis vulneribus liberatos teſtari poſſumus. *Arcæus de cur. vuln. l. 1 c. 6.*

IX. Notandum eſt, quod ſi contingat ictu valido, & ingenti vulnere oſſis portionem ſic exciſam eſſe penitus, ut à reliquo cranio omnino diſtracta, pericranio tantum & cuti muſculoſæ pendula hæreat, haud a pericranio avellendum eſſe, & tanquam inutilem abjiciendam, ſed ipſam ſuo loco & ſtatui reſtituendam, callo mox genito, oſſis velut cicatrice naturæ vi glutinandam, ut eſt à *Celſo* adnotatum; Hujus rei veritatem certa experientia in Capitaneo Hydron non ita pridem comprobavi, ſi oſſis coronalis portio media, tres digitos longa lataque, enſe valido ſic exciſa erat, ut jam vicinæ oſſeæ non cohæreret ſed vix pericranio & cuti muſculoſæ adhærens in faciem inverſa procu[illegible] ac craſſam meningem oculis ſubjiceret: itaque ipſam à ſua cute avulſam parabam abjicere, niſi Hippocraticum illud præceptum in mentem veniſſet, quo cautum eſt cerebrum op[illegible] ſuo examinare & nudum relinquere: quare ſanguinem, qui in craſſam meningem, cujus motum oculis erat percipere, exciderat, primo

quoque tempore abſterſi, oſſis provolutam portionem ſuo loco reddidi, & ex ſuperna parte ſutura tribus punctis adacta acu ſtabilivi: atque quo reliquæ ſaniei pateret effluxus, interjectas vulneris rimas lioamentis complevi: hac arte factum eſt ut etſi eodem illo tempore multis aliis & ingentibus vulneribus corpus confoſſum haberet, per Dei tamen miſericordiam convaluerit: Exemplo certiſſimo nihil neque cranij, neque pericranij, ac ne muſculorum quidem cutis quicquam, niſi poſceute neceſſitate abiiciendum, multo vero minus ut cerebrum ſuis operculis nudum maneat, committendum. *Pareus l. 9. c. 7.*

X. Chirurgus modiolis cranium perforans non imitetur *Glandorpium*, qui perforando pergit donec exciſa pars cranij trypano adhæreat; ſed ſi oſſiculum ferè exciſum vacillare incipit, vecte debiliſſimo immiſſo, voſtellæ dentibus extrahat *Scultetus.*

XI. Si os detectum ab aëre ambiente, vel alteretur tantum, vel etiam nigreſcat, tunc demum undique abradendum, vel ad mutationem coloris, vel donec ſanguis ex eo dimanet, quando ſcilicet apparet pus bonum & vulnus deterſum: Hoc tempus ſi obſerver Chirurgus, unica vice deraſum, pulveribuſque cephalicis inſperſum, & filamentis aridis tractatum os, altera poſt deraſionem die carne obtectum inveniet, Neque enim audiendus eſt *Iac. Berengarius*, qui l. de tract. cranij c. 41. ſingulis diebus os ſuperficialiter raſpatorio abradere præcipit, quia deraſio dicto tempore peracta eſt ſufficiens: ante tempus vero debitum inſtituta ſæpius repeti debet, non ſine ægri periculo, quia hac ratione ferè ad diploidem paulatim devenit raſpatorium: Timidiores deſquammationem oſſis alterati naturæ negotio relinquunt, ſed curationem protrahunt. *Scultetus Tab. 29. par. 3.*

XII. Si *rima cranij penetrans* ſatis lata eſt, ut per eam pus liberè poſſit expurgari, neque perforatio cranij, neque dilatatio vulneris violenta, quæ ſcalpello fit, locum haber, Vnde animadverſione dignos rectè judicat *Chalmetus* l. 2. Enchir. c. 14. qui non tantum in parva cranij fiſſura (tametſi non penetrat) ſed etiam in magna, quæ ſatis hiat, audacter trypanum adhibent: quo errore non mediocri curatio in longiſſimum tempus protrahitur, cum ſummo ægri damno & famæ Medici naufragio. *Scultetus tab. 29. par. 7.*

XIII. Idem exiſtimo judicandum de quodcunque vulnus capitis ſcalpello dilatantibus, cum tamen ſectio unicè inſtituatur quando cranium vel trypano perforandum, vel ſcalpris abradendum haud ſatis eſt detectum. Quid tunc agendum ubi vulnus capitis cum fiſſura magna ſcalpellum & trepanum reſpuit, docet *Scultetus* parag. 6. confirmans exemplo cujuſdam, cui in ſiniſtro ſincipitis latere fractura tam erat lata, ut ei digitus index facile imponi potuiſſet; cui fracturæ duræ matris phlegmone jungebatur, quæ tamen præmiſſis univerſalibus, ex olei roſati linteolo ſerico tepide admoti & Hippocratis cataplaſmatis diligentiſſimo uſu poſt triduum evanuit.

XIV. Sine ratione procedunt illi, qui in quibuſcunque vulneribus capitis *ſectionem* inſtituunt *cruciformem*: Si vulnus ſincipitis parti dextræ vel ſiniſtræ inflictum ſit, Chirurgus id in triangulum dilatare debet, ut trypanum, ſi forte neceſſarium, tuto poſſit adhiberi: Facit ſectionem triangularem, quia cruciformem ſutura coronalis, & dexter temporum muſculus prohibet. Triangulum quærit in dextro ſiſſi cranij latere, ut ibi trypanum (quod latus ſiniſtrum ob ſuturæ coronalis viciniam reſpuit) citra noxam poſſit uſurpare: Sectionem incipit à fronte, ne fibras muſculi temporalis evitandas tranſverſim incidat. *Idem Tabula 27.*

XV. *Cranium* in pueris *ſub integra cute*, & citra diviſionem oſſis ita *depreſſum*, ut vel intuentibus vel tangentibus fovea tantum mediocris (quam ſcilicet nulla prava ſequuntur ſymptomata) appareat, *Pareus* l. 9. c. 5. Cucurbita communi in ſitum naturalem optimè reducit: *Hildanus* cent. 2. obſer. 5. eundem in finem excogitavit duo præſidia, Cucurbitam corneam, & ſingulare emplaſtrum: quibus nihil conferentibus ad ſectionem cutis integræ, & elevationem oſſis depreſſi, per ſuam quoque ſingularem terebram veniendum eſſe cenſet: Quæ duæ poſtremæ operationes in pueris, meo judicio, neque Neceſſariæ, neque Fructuoſæ videntur; Non ſunt Neceſſariæ, quoniam depreſſiones in pueris magnæ, quæ ſcilicet cerebrum ejuſque ventriculos comprimunt, quo minus animales ſpiritus elaborati, elaboratique in totum corpus pro ſenſu & motu diſtribui poſſint, incurabiles ſunt: quia tam magnæ mitioribus præſidiis (quæ Hildanus initio validioribus præmittenda exiſtimat) non cedant, & pueri compreſſo valde cerebro citius intereunt: Non Fructiferæ ſunt in depreſſionibus puerorum mediocribus, quia 1. teſte Hippocr. vulnera capitis ſimpliciſſima, vel ex ſola cutis inciſione, Medico negotium faciunt & ægris periculum afferunt: augebitur autem abſque omni dubio dictum periculum & negotium, quando præter cutim ex inſtituto inciditur etiam pericranium & os. 2. Dum elevatorium centro depreſſionis infigitur, fovea facile increſcit. 3. Cum torcular cranio adhuc tenero & molli ad diploidem uſque vi quadam debeat infigi, certè timendum erit (quia inſtrumenti triploidis torcular [illegible] non eſt) ne diploidem, ſeu internam cranij tabulam perforet, & cuſpide membranam craſſam lædat. 4. Os tenerum aëri exponitur, unde nigredinem concipit, quæ corruptionis certa nota eſt: hæc autem corruptio ſi naturæ ſeparanda relinquitur, paulatim interiora verſus ſerpit, & cura cum pueri periculo valde producitur: Qui vero os cranij puerilis, ſuperficialiter ſaltem corruptum, ſibi ſcalpris abradere proponunt, illi incrementum foveæ expectent. His rationibus commotus, ab omni Chirurgia abſtineo, & crebra experientia ſuffultus, circa depreſſiones tantum capillos abradi curo, & pellem agni adhuc calidam loco contuſo, cum decenti ligatura adhibeo, inunctis partibus vicinis, collo præſertim & temporibus, oleis adſtringentibus, ad præcavendam inflammationem & humorum affluxum &c. *Scultetus Armam. Chirurg. Tab. xxix. Paragr.* 15. Vide I. Cæſ. Arant. in append. comm. ad lib Hipp. de vuln. Botallum cap. 17. de vuln. ſclop.

XVI. Monitos velim Chirurgos ne in perforatione Cranij elevandi, diploidem ſi fieri poteſt tranſgrediantur: Secundi enim tabulati, quod non adeo craſſum, ſed valde friabile, perforatio aſperitatem in cranio relinquit, quæ poſtea cerebrum pungendo, dolorem aliaque ſymptomata excitat. *Fab. Hildanus cent ij obſ. v.*

XVII. Ad Cranium elevandum Chirurgi Elevatorio in formam Triploidis fabricato utuntur, At cum incommoda nonnulla in eo obſervaverim, aliud longè commodius excogitavi: 1. Suffulcra Elevatorij antiquorum, tripedis vel bipedis, ut in ambitu vulneris & prope ipſum collocemus neceſſe eſt, qui plerumque inflammatione, tumore & dolore afficitur. 2. applicatio valde difficilis, tria enim

suffulcra

ſuffulcra impediunt ne torcular commode in medio infigatur. 3. Illius ſtructura valde difficilis, quam vix quiſquam ex pictura aſſequetur; at noſtrum quilibet rudis fabricabit: applicatio illius minimè eſt laborioſa; omnibus introceſſionibus cranij, in quacunque capitis parte conveniens &c. *Delineationem vide apud Fabricium Hildanum cent. 3. obſ. iv.*

XVIII. *Carolus Philippi* Hiſpaniarum Regis filius, per gradus delapſus graviſſimum vulnus in capite accepit: Vocati Chirurgi vulnus obligant, conſolidationique vulneris intenti, ſanici effluxum negligunt, Itaque caput totum tuberis inſtar intumuit, & apoplectico ſimilis puer aliquandiu jacuit: Tum demum Philippus Veſalium ſecum adducit, qui in deplorato unicam ſpem in ſectione pericranij poſitam affirmans, data ſibi poteſtate à Philippo, tuber decuſſatim aperuit, & pus fœtidiſſimum ſenſim evacuavit: Rediit igitur ad ſe puer, tanquam è profundo ſomno excitatus. *Schenkius.*

XIX. Admirantur quandoque Medicinam facientes, vulnerum capitis quorundam ſanationem nimium in longum protrahi; quod ex oſſis portiuncula ad intra latitante provenire obſervatum, quæ niſi amoveatur nunquam ſanatio ex voto ſuccedet, quod nos non ſemel obſervavimus, & Carpenſis per hæc verba teſtatur, *Quia oſſa ut plurimum ſunt frangibilia & vitrea, & fiſſura notabili facta in cranio penetrante ad intra, aliqua fruſta oſſium cadunt ad profundum ſupra panniculum, & notabilia ſunt quia majora, i. e. cum majori fractura in ſecunda tabula, i. e. in inferiori quam in ſuperiori, & pungunt ſive gravant panniculos: Et Medicus in ſimilibus debet ſerrare lateraliter cranium, fiſſuram ampliare, & os illud extrahere, quia aliter non curatur talis diſpoſitio: Et hanc caſam habui notabilem in quodam, qui ſteterat per annum cum magno fruſto oſſis ſub oſſe, & vulnus erat notabiliter longum & conſolidatum totum, niſi quod extrema vulneris nunquam potuit conſolidare & perfecte claudere; & ibi erant duo parva orificia à quibus reſudavit ſanies ad minus per ſex menſes: Superveniens ego aperui totum vulnus ſecundum longum, & dilatavi ſecundum latum, & ſerra amovi partem lateralem cranij, & inveni fruſtum longum & groſſum ſupra panniculum, quod extraxi, deinde mundavi panniculum, & brevi ſanavi eum, & adhuc vivit in bono ſtatu. Marc. Donatus hiſt. mir. l. 5. c. 4.*

XX. *Vulnera frontis* nonnulli per ſuturam conjungi debere docent, ut deformitas vitetur, idque ideo quod 1. ſtatim ſutura ſicca adhiberi non poſſit, quare ſuendum cenſent vulnus, & 2. & 3. die ſuturam removendam, & glutinum adhibendum putant: At hoc modo deformitas non vitatur, puncta enim ſemel facta conſpiciuntur, nec ſutura uſque ad vulneris conſolidationem durat: Nec refert etſi in prima deligatione ſutura ſicca non adhibeatur, ſufficit ſi in ſecunda id fiat. *Sennertus.*

XXI. Quando inſtituenda ſit cranij perforatio docet *Aquapendens Chirurg. l. 2. c. 8. Perforatio, ait, facienda eſt cum hæc duo adſunt, 1. ſi timetur materiæ deſcenſus, 2. ſi non abunde detur exitus materiei: Contra ſi rima ſit patens, aut ſi fractura non penetret totum os, ac adſit contuſio, ut nullus ſit metus ſaniei intus contentæ, non eſt perforandum cranium, nec fruſtra meninx duræ aëri exponenda.* Notandum ſi rima, aut ſedes inſtrumenti deſcenderit uſque ad meditullium, non ſufficere abraſionē, ſed omnino deveniendum eſſe ad terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate; hac ratione, quia materia purulenta ex labiis vulneris ad meditullium defluens per ejus vaſa, ad membranam etiam penetrat: inter quam & cranium congeſta, patienti mortem infert: quod in pleriſque obſervavi, qui propterea adminiſtrata perforatione omnes convaluerunt. *Marchetti Obſervat.* 15.

XXII. Quidam capite vulneratus parte dextra, vulnus totum cranium & membranas ipſas penetrabat, adeo ut fruſtulum laminæ vitreæ, ubi ferme vulnus deſinebat, pungeret membranas & cerebrum ut, præter alia ſymptomata, hoc adeſſet proprium, paralyſis in brachio oppoſito & lingua: Præter communia medicamenta, ſequenti die terebravi cranium in media vulneris parte, nullo tamen juvamento; ut proinde novam terebrationem tentare ſtatuerim, ſed fruſtra: Tandem alias duas molitus ſum perforationes, certior factus læſas eſſe membranas, & cerebrum à fruſtulo aliquo oſſis vellicari, quod compertum: in ipſa ſiquidem operatione impegi modiolo in oſſis fruſtulum, quod volſella apprehenſum eduxi, cui annexa erat portio membranæ piæ & cerebri, unde vix media poſt hora motum linguæ & brachij recepit, vixitque diu incolumis. *Marchetti obſ.* 5.

XXIII. Sexagenarius in bregma ſiniſtrum percuſſus fuit cum cranij fractione & depreſſione: ad eum vocatus die x. morbi ſub veſperam, ardenter febricitantem, delirantem & ἄφωνον reperi: facto prognoſtico curam aggreſſus, cutem & pericranium in formam crucis incidi, cranium denudavi: ſequenti die oſſiculis nonnullis, quæ à prima tabula ſeparata erant, detractis cranium perforavi &c. Sic qui pro deplorato habebatur feliciter evaſit. *Fabricius Hildanus cent. 4. obſ. 4. Poſt annum ab accepto vulnere feliciter perforatum fuiſſe cranium aſſerit Paulus l. 6. c. 50. Vulneris per trepanum curati 29. ſeptimana exemplum dat Scultetus Armam. Chir. obſ.* 13.

XXIV. Negat muſculum Temporalem impunè poſſe ſecari *Marchetti* Obſervat. 15. quoties vulnus aut contuſio fuerit cum fractura oſſis, eo quod plerique ſic vulnerati moriantur: imo ſolam rimam in oſſe ſubjecto muſculo temporali repentinæ mortis cauſam fuiſſe aſſerens: Non deſunt tamen exempla ſectionis feliciter inſtitutæ, *Cattierus* Obſerv. 9. refert quandam fœminam juvenem in menſæ angulum impegiſſe, & contuſionem in eo muſculo expertam, abſque vulnere, unde aphona evaſit cum gravibus ſymptomatis: Chirurgum *le Large* ea retuliſſe ad illius muſculi contuſionem ejuſque fibrarum dilacerationem, ac pericranij hunc muſculum involventis compreſſionem: dubitantem tamen an fractura oſſis ſubeſſet, inciſionem parvam ſecundum fibrarum ductum feciſſe, hinc paulo poſt febrem cæteraque ſymptomata ſedata eſſe, exſudante ſanie acri, quæ partem exquiſitiſſimi ſenſus vellicabat. Et *Borellus* cent. 2. obſ. 20. narrat de Comite Brevienſi, qui ex caſu ab alto fiſſuram magnam circa medium illius muſculi paſſus erat, in eo D. *le Iuif*, contra doctrinam authorum, ſectionem in muſculo inſtituiſſe, nulla fibrarum ratione habita, id quod ſæpius in aliis ſe feciſſe aſſeveraverit; facta, ait, ſectione, arteriæ ſanguinem in altum fundebant, qui pulveribus adſtringentibus, & linteis carptis repreſſus, oſſe autem nudato apparuit oſſis ſquama ſatis magna prominens, quam dictus *le Iuif* ſpatula violenter extraxit, dicens non alio trepano opus eſſe, cum illud trepani locum obtineret, inde copioſus ſanguis effluxit protinus, a quo effuſo cerebrum urgebatur, ac vacuato ſtatim loquela rediit, poſtmo-

&c.

dum firma ſanitas, *Vide exempla apud Riverium in obſervat. comm. ab O. Aymar. obſ. 4. A. Formio obſervat. 19.*

XXV. Meningi duræ nudatæ quando ſiccantia, quando humectantia imponenda ſint dubium, Revera cum humectantia & ſiccantia è diametro ſibi adverſentur, multum intereſt hæc an illa in uſum veniant: Vtuntur quidam ſpiritu vini, vel ſolo vel melle roſaceo, aut terebinthina &c. additis, his rationibus nixi, quod ulcera omnia ſiccari velint, quod olea nervis infeſta ſint, & nervoſis partibus qualis eſt meninx; quod frigida jiſdem non minus noceant, quale eſt roſaceum uſurpari ſolitum. Humectantibus quidam utuntur, alij roſaceo, alij ſanguine columbæ inſtillato, quod temperiei ſimilitudine nativum calorem foveant, fluxiones arceant, dolorem, fluxionis cauſam leniant: Ad dilucidationem, Vulneris, corporis, & regionis examen habendum: Si membrana illæſa ſit, inflammationis & doloris expers, alba, cephalica ſicca uſurpanda; tali in caſu mel roſatum cum guttis iv aquæ vitæ feliciter imponi poteſt: Sin dolor & inflammatio metuantur, ac membrana non læſionis expers; commodiſſimum eſt oleum roſaceum omphacinum, ob levem adſtrictionis vim frigusque modicum, quibus inflammatio præcavetur & ſuppuratio cito promovetur: Regionis habita ratione, *Meges Sidonius*, Iſide ſolo utebatur in capitibus Perſarum, duriſſimis & robuſtiſſimis, Itali nonniſi duplo roſaceo addito uti audent: Corporum conſtitutionis reſpectu in mollioribus & humidioribus, ſufficit ſolum roſaceum, In ſiccioribus, qualia ſunt nautarum, agricolarum, adultiorum præſertim, quibus criſpum capillitium, addenda reſina abjetina vel oleum hyperici: Sic æſtate utilius oleum roſaceum, hyeme eadem reſina. Tanti fecit corporum diſtinctionem I. *Griffonius*, referente *Fabritio Hildano*, ut non veritus ſit uti ſyrupo ex unguento Aegyptiaco, liquidiſſima ſcilicet parte quæ ſupernatat, non ex filamentis quidem eo imbutis, potuiſſet enim ad partes ſanas defluere, ac gravia parere accidentia, ſed pictoris penicillo eo intincto ſuperficiem leniter illinens: In uſum autem adhibuit in Helveto robuſto, cui cerebri membranæ manifeſta putredine ſeu corruptione infectæ erant, quæ ſtatim ejus ſyrupi ope cohibita fuit: Monet autem idem *Fabritius* talibus remediis parcè utendum, ac deſiſtendum ſtatim ubi repreſſa morbi vehementia: Graviterque barbitonſores nonnullos increpat quod oxymel in capitis vulneribus, detectiſque membranis uſurpent: ab aceti enim acrimonia gravia accerſuntur ſymptomata, dolor inſignis, hinc ſtatim membranarum inflammatio, febris, ſpaſmus &c.

XXVI. *Celſus* lib. 8. c. 4. ait in omni fiſſo fractoue oſſe, protinus antiquiores Medicos ad ferramenta veniſſe, quibus id exciderent: multòque melius eſſe ait ante emplaſtra experiri quæ calvariæ cauſa componuntur. Sed plerique Celſum non ſequuntur, quia iniquum cenſent expectare ſymptomata mala, quo deinde illis occurratur, nempe ut intendatur febris, vigiliæ accedant, apoſitia majoreſque dolores, & ob periculum ne os fractum niſi radatur, nigreſcat: Quod ſi cranium detectum tantum, abradendum eſt, jubente *Galeno* de Tumor. p. n. c. 2. quantò magis fractum? idque quam primum agendum, quoniam in fracturis pus colligitur & poteſt os inflammatione tentari: dum autem abraditur, non colligitur pus, quia poteſt detergi & videtur quam altum ſit vulnus. At *Celſi*, viri Chirurgiæ peritiſſimi, ſententia non omnino reiicienda ſi regionis ratio habeatur; certum enim in quibuſdam terris ſecura eſſe capitis vulnera, ac à natura oſſa, ut aliarum partium, ſic capitis abſque omni raſura, conſolidari: Teſtantur fiſſuræ longius procedentes, quas ad extremum inveſtigare jubet *Galenus 6. m.m. 6.* ac natura ſine raſura ſana: Vulneris ergo conditio diligenter perpendatur, cujus labra ſi aſpera non ſint & inæqualia, ſi graviorum ſymptomatum ſequela non metuatur, res naturæ permittatur atque medicamentis, ut pulveribus cephalicis, res tranſigatur: Raſuræ contra non parcendum ubi vulnus inæquale & aſperum, ac ubi gravia accidentia imminent: facilè autem ex ſignis ab eo traditis judicaveris morbus in pejus an in melius vergat, nec ſemper ad 7. vel 8. uſque diem res naturæ committenda, & graviſſima ſymptomata expectanda, ſed, eodem monente, quid ſub prima curatione & primis ſtatim diebus fiat attendendum. *Sennertus.*

XXVII. Ipſo eventu ſæpius veriſſimum deprehendi, cum in Noſocomio Florentino praxim exercerem, ex xl. quos uno anno habuimus in capite etiam leviter vulneratos, vix quinque evaſiſſe: frequens enim hoc ibidem eſt ut leviſſimæ capitis plagæ mortem inferant, cujus rei certum indicium habetur ſi vulneratus ſtatim in terram cadens vomere incipiat: hoc enim meningas & nervos compati oſtendit: crediderim fortaſſe ex nimia, & penè ſuperſtitioſa curandi diligentia hoc evenire, qua vulneratum ſtatim ab hominum conſortio ſeparant, venam ſecant, præparant humores, purgant: non ſpernenda quidem intentione, interim tamen ſiti & fame ferè enecant, ſola panatella exhibita: in vulnere perpetua putrefactione deſudant, lumenque penitus arcent, quibus vel ſolis naturam debilitare poſſunt: Ipſi tamen aëris ſubtilitati adſcribunt, quod ſanè ut negari non debet, ita reliqua an tantopere conveniant cuivis judicandum relinquo: Vt ſæpe multa fiunt negligenter, ita interdum quædam etiam cum cura citra neceſſitatem. *I. V. Rumlerus obſ. 76.* Hanc curandi rationem Neapoli uſitatam damnat *M. A. Severinus Chirurg. Trim. part. 2. c. 21.*

XXVIII. Dubitatur an ſecanda ſit dura meninx, quò exitus pateat ſaniei ſupra piam & cerebrum collectæ: quia illa puncta convulſionum certum immineat periculum, ac proinde mortis: quod tamen nullum cenſemus factis duabus terebrationibus oſſis, & patefacto uſque adeo foramine, ut longa ſectio fieri poſſit ſupra duram membranam: & quidem hac ratione, quia magna vulnera capitis, quæ non ſolum ſecant membranas, ſed etiam cerebrum, ſanantur: quando igitur certo conſtat materiam inter utramque meningem collectam eſſe, tunc tuto poſſumus devenire ad hanc operationem, utcunque periculi non expertem, cum alioqui nullo adhibito remedio certa mors immineat, atque ex Celſo præſtet anceps remedium experiri quam nullum. *Marchetti obſern. 14.*

XXIX. Quoties in adultorum capitibus apparet fovea aut depreſſio, certiſſimum ſtatuitur ſignum calvariæ diviſionis, quod verum niſi in iis quibus natura mollius dedit cranium: Hoc confirmavit ancilla, quæ xxx. ætatis anno vas aqua plenum ſupra caput geſtans, de ſcala decidit in ſincipur ſiniſtrum, cui tumefacto Chirurgus pellem agninam calide applicuit: Altero die remota pelle, & fovea digitis percepta, depreſſionem cranij & neceſſariam cutis diviſionem indicavi, qua conceſſa, integram cutim ſcalpello in crucem incidi, ſtatimque oculis & ſpecillo rotundo deprehendi parvam,

& in

& in exteriore lamina minime fiſſam depreſſionem: Obligato vulnere, de interioris laminæ integritate dubius, quia caſus ab alto fuit vehemens, modiolorum operam propoſui, quam patiens admittere noluit: Facto itaque prognoſtico quod hæc depreſſio, lamina interiore fiſſa, citra cranij perforationem tuto curari nequeat, Ea vero integra exiſtente patiens minori cum periculo ſanari, vulnus per xij. dies apertum detinui, quod, cum nec unicum appareret accidens, vel interioris laminæ rimulam, vel aliqualem cerebri læſionem arguens, per ſecundam intentionem curavi digerentibus, detergentibus, incarnantibus & epuloticis. *Scultetus Armament. Obſ.* 20.

XXX. In multis cranij depreſſio curata eſt admota, poſt unam vel alteram phlebotomiam, ſupra depreſſionem cucurbitula cum multa flamma, addita interdum inciſione, & multis interdum ſcarificationibus, & interdum ſine illis: Quidam lapide percuſſus eſt ſupra os parietale ſiniſtrum, & pro mortuo derelictus, ſanguis ex ore & naribus excernebatur, ægre loquebatur nec oculos aperiebat: locum cranij depreſſum tantillum digitis premendo nauſea ſtatim excitabatur; Raſionem præcepi, & cucurbitæ ſatis magnæ applicationem cum multa flamma, quæ licet partibus ſanis & ſolidis inniteretur, inſignem dolorem ægro inferebat: Poſtquam cucurbitula avulſa, & inciſio facta ſupra partem affectam, atque iterum admota cucurbitula, ſolatium inde maximum, ne dum dolorem conſequutus eſt, unde loqui cœpit & adſtantes agnovit: Et quanquam per cucubitulas ſanguinis ℥ vij. vel viij. eductæ eſſent, ſanguinem tamen poſtridie iterum educi jubeo, ſicque paucis poſtmodum diebus convaluit: *D. Des Grandprés, Obſervat.* 3. *apud Riverium*.

XXXI. Notandum quod ad Fracturam cranij cognoſcendam, non ſufficiat ut æger frangat nuces vel oſſicula alicujus fructus, quando non adeſt depreſſio cranij, quæ poſſit velamina cerebri pungere, atque adeo dolorem inferre gravem: Quidam enim acinace ſauciatus fuit in poſteriore capitis parte cum læſione oſſis occipitis, cujus interna oſſis fiſſi ſuperficies poſt obitum corrupta reperta fuit: hic tamen potuit frangere nuces, avellanas & juglandes, oſſicula etiam ceraſorum & malorum perſicorum, nec unquam conqueſtus de vel minimo capitis dolore. *Scultetus obſerv.* 19.

XXXII. Dum Chirurgus tentative ſcalptis operatur, Si invenerit rimam quæ ſecundam quoque laminam penetret, eam ſcalpris (quoniam tunc ſcalpra membranas cerebri facile poſſunt offendere) nequaquam delere tentet, ſed relicta omni Chirurgia medicamentis procedat exſiccantibus, quibus ſolis ægri ſæpe curantur: nec enim ſi mature inſtituitur deraſio, timendum eſt quin natura reſolvat eam materiam, quæ proculdubio per rimulam in parva quantitate ad duram matrem deſcendit: neque etiam dicta membrana, poſt cranij deraſionem, aliquid per rimulam in ſecunda lamina remanentem denuo recipit, quoniam excrementa vulneris filamentis quotidie aridis exſiccantur: Quod ſi rimam in ſecunda lamina inventam gravia comitentur ſymptomata, quæ copiam collectæ materiæ arguunt, cranium incunctanter trypano perforetur. *Scultetus Armam. Tab.* 29. §. 5.

XXXIII. Animadverſione ac reprehenſione mihi dignus videtur eorum error. qui in parva cranij fiſſura, tametſi non penetrat: Vel etiam in magna, & quæ ſatis hiat, modiolum ita admovent ut quo quis majorem cranij partem ademerit, eo maxime glorietur, quaſi vero opus aliquod inſigne ac præclarum effecerit: Adeo enim ſunt pleriqae ignorantes, & in artis operibus ita cæcutiunt, ut non videant hac ratione vulneris curationem in longiſſimum tempus protrahi, atque ægrum in multorum ſymptomatum diſcrimen adduci, Quod hac ratione facilius cerebrum ab aere alteretur, denique afflicto ea de cauſa mortis imminere periculum. *Chalmeteus Enchirid. pag.* 219.

XXIV. Idem exiſtimo judicandum de quodcunque vulnus ſcalpello dilatantibus, cum tamen ſectio unice inſtituatur cum cranium vel trypano perforandum, vel ſcalpris abradendum haud ſatis eſt detectum. *Sculterus Armam. Tab.* 29. *paragr.* 7.

XXXV. Trepanum fracto contuſoque cranio imponimus, ut partim os depreſſum elevetur, partim ut pus vel ſanguis in dura meninge ſtagnans facto foramine evacuetur: Sine Trepano tamen pus evacuatum vidit *Petrus Marchettus*. Juvenis ex feneſtra prolapſus cranium contudit, unde convulſiones aliáque ſymptomata: Cutis facta inciſione, per cranij poros pus exſudavit, ſicut per cutem ſudor ſolet. Puer cranio contuſo ſanguinem per nares, os, & aures emittebat: Trepanum mater refugit: neglectu puero poſt 30. dies, abſceſſu in capite orto & inflammatione, pus ex naribus copioſe effluxit, Vocatus demum *Marchettus* apertionem cranij trepano feliciter quidem abſolvit, ſed quia 30. dies exceſſerat, mortuus tandem eſt puer, quum quartus dies ex *Hippocr.* non ſit expectandus in cranij hujuſmodi vulneribus, Alia ſoli coelique noſtri frigidioris eſt ratio, quæ exactum Hippocratici coeli tempus non æque ſervat, nec generoſas iſtas Chirurgias admittit: Frigidior aër inflammationem citam retardat, & corpora robuſtiora depreſſa cranij oſſa, juvante natura, per ſe, conceſſis induciis, elevat. Vidi enim profundas cranij contuſiones, ſine Trepano in urbe noſtra reſtitutas, ſolo Emplaſtro magnetico, & de Betonica applicito. *T. Bartholinus cent.* 2. *hiſt.* 41. Somnambulo ætatis conſiſtentis, non exigua corporis mole prædirus, æſtate 1673. ex ſecunda ædium contignatione in ſtraturam ſiliceam, non pleno caſu in caput ruit, ſed præcipuum impetum truncus corporis primo ſuſtinuit, alias vix omnium actionum animalium abolitionem & præſentiſſimam mortem evaſiſſet, interea tamen etiam graviter caput alliſit, quia cranium fiſſum fuit, non ſine ſanguinis intra cranium effuſione, quæ perpetuus fiſſuratum comes eſt: Itali, aliíque locorum calidiorum incolæ, protinus trepanum arripiendum ſtatuiſſent, idémque Excell. Domin. *Burgouuerus* facturus erat, niſi æger & adſtantes ab auxilio his in locis inſolito, & vel ſolo nomine pleriſque terrifico abhorruiſſent, ipſiuſque conatibus obſtitiſſent: Itaque alijs remedijs ſanguinis ulteriorem profuſionem intra cranium prohibere, & jam extravaſatum abſumere annixus eſt: Venæ repetita ſectione ſanguinis copiam imminuit, Totum dorſum oleo diſcutiente inunxit, Truncum pelle arietina adhuc à recenti detractione calente involuit: Capiti ſacculos cephalicos in vino coctos adhibuit, Vinum denegavit, Propinavit decoctum C. C. Sanguinis motum à caſu, & à grumis hinc inde in toto habitu incendium capientibus perturbatum, & impetuoſiorem factum cohibuit, venáſque ſanguinis quantitate aliqua detracta quaſi famelicas reddidit, ut avidius effuſum reſorbuerint; quorſum etiam pertinuit victus tenuis & refrigerans: Exhibita

Tinctura Traumatica, & foris applicitis ſacculis herbis cephalicis farctis, & in vino coctis, ſanguinem extravaſatum in grumos abiturum, ac putrilagine ſua graviora damna allaturum, ita diſpoſuit, ut vel vaſa ſanguifera, vel glandularum poros denuo ſubintrare potuerit: Idque fecit non ſine felici ſucceſſu, nec ſine exemplo, cum etiam ab aliis, citra cranij perforationem, idem non raro ex voto præſtitum ſit: Sanguinem extravaſatum in auras tenues abiviſſe, & halitus inſtar evanuiſſe credere nequeo, obſtitiſſet enim cranii craſſities, & duræ meningis denſitas, ob quam pertinaciſſime etiam aquam meram in hydrocephalis detinet, ut nullo ingenio, citra inciſionem, periculi pleniſſimam, auferri poſſit: Quotidie obſervamus in tenellæ ætatis puellis tumores in fronte, ad dimidij ovi gallinacei magnitudinem, ex forti alliſione aſſurgentes, & atro-liveſcentes à ſanguine ſuffuſo, protinus admoto ferro frigido ſubſidere, aut, repercuſſione hac in principio neglecta, applicito carnis calefactæ fruſtulo, paucarum horarum intervallo, citra manifeſtam evacuationem evaneſcere: *Ioh. Iac. Wepferus Tractat. de Apoplexia pag.* 340. Vide exemplum inſigne *Fractura cranii citra Trypani opem curata, in Ioh. Dan. Horſtii Obſervation.* 1.

XXXVI. Quamvis ferramenta plerumque adhibentur Calvariæ vel fractæ, vel fiſſæ, conveniunt nihilominus nonnunquam etiam integræ, præſertim ſi metus ſit diſruptarum venarum: Educitur quippe hac ratione non tantum ſanguis effuſus, ſed impediuntur ſimul inflammatio, putredo, delirium, febris, aliaque ſymptomata. *Tulpius lib.* 1. *Obſervat.* 2.

XXXVII. Quidam in ſincipite accepit vulnus, quod Chirurgus, ob ſymptomatum abſentiam intra xiv. dies per primam intentionem curavit (anno 1629. menſe Septembr.) Curatus venit Ulmam anno 1639. menſe Martio, de ſummo totius capitis dolore, vertigine, caligine, & paralyſi dextri brachij conquerens. Huic ego, ob magnam fiſſuræ cranii ſuſpicionem, poſt xx. à læſione ſeptimanam, ſincipitis cutim & pericranium ſcalpello in triangulum incidi, vulnúſque, ſeparato ab oſſe pericranio, impoſitis filamentis ſtegnotico imbutis ſufficienter dilatavi: Die xiij. Martij ſubſiſtente ſanguinis fluxu, cranium fiſſum reperi, & illud ad latus rimæ anguſtiſſimæ bis trepano perforavi, & utriuſque foraminis interſtitium ſerrula verſatili excidi: Evacuata materia, quæ paulatim per rimam cranij ſupra duram cerebri matrem deſcendit, dicta ſymptomata ceſſerunt, & æger menſis ſpatio unius ſanitati reſtitutus. *Scultetus Armam. obſ.* 13.

XXXVIII. In capitis ulceribus ego non tantum non moveo expurgatorium vomitum, ſed ne purgationem quidem pharmaco per os ingeſto facere ſoleo, præcipuè ſi tempus anni calidum ſit, ſed ſi poſſum clyſteribus acrioribus, & tenui victu contentus ſum, timens quod lib. de loc. in Hom. dicitur, *Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat, calfaciunt enim caput pharmaca purgantia, & ad caliditatem febrilem accedente ea quæ in medicamento eſt, Inſaniam facit*: Quæ mihi videntur admodum conſentanea: ac proinde ſive homo vehementer febricitet, & præcipuè ſecundum partes ſuperiores; ſive caput inflammatione tentatum ſit, ſive tentari periclitetur; ſive phreniticus ſit, ſive magnum habeat ulcus, quod poſſit non ſine periculo irritari, devito pharmaca quoad poſſum, certo ſciens his magnopere tentari capita: Indicat enim id ſomnus qui iis qui expurgantur mox ingruit. *Valleſius comm. in ſect.* 6. *lib.* 2. *Epid. p.* 225.

XXXXIX. Non reticendum cenſemus imperitorum Chirurgorum quorundam communem erratum, qui hyberno tempore, ut ambientis frigiditatem vulneribus adverſam arceant, non ſolùm thalamos maximè calefaciunt, ſed multis linteis faſciiſque laborantium capita obvolvunt: Imò vidimus qui ignitas teſtas capiti ſuperpendentes in medicatione adhibent; unde ex leviſſimis vulneribus capitis mortem ſubſequi quandoque videmus, ſi quidem frigidi vicinia evitanda, ſed moderatè id faciendum, dicente *Hipp.* l. de off. Med. Quod niſi faſciæ & panni tenues ac læves injiciantur, calor in parte & inflammatio movebitur: Et lib. de Fract. cum inflammationem timet, cavet à multitudine faſciarum & linteorum. *Marcellus Donatus Hiſtor. mir. l.* 5. *c.* 4. *Horne Microt.* §. 3. *ſect.* 2.

XL. Communis eſt opinio, ſi Cranij lamina utraque fiſſa ſit, cranium aperiendum eſſe, ut ſaniei exitus pateat: Quidam tamen medicamentis extra appoſitis potiùs quàm ferri opera opus eſſe cenſent, 1. Quia per medicamenta nihil ampliùs deſtruitur, quod fit manuum opera, ſed quod fractum ſtatim reficitur: 2. Cranij apertionem ſæpe inflammatio & alia ſequuntur: 3. Inflammatio membranarum cerebri medicamentis tantum, non manuum opera ſanatur. 4. Dantur medicamenta ſagittas, ſpinas &c. extrahentia, nedum ſaniem. 5. Plurimi ſolis medicamentis ſanati: At id quidem verum ſi certò conſtet cranium nec effractum, nec depreſſum eſſe, nihilque eſſe quod cerebrum lædat, ſique ſaniei parva ſit copia, quod ſymptomata oſtendunt: At ſi ſanies paulò ſit copioſior; aut a cranio cerebrum membranæve lædantur, nullomodo omittenda ſectio, ſatiúſque eſt prævertere ſymptomata, quæ ſuccedentia operationem & difficiliorem & periculoſiorem reddent. *Sennertus.*

XLI. Miles ceſtra duobus repertis ictibus in occipite percuſſus & humi proſtratus fuit, hinc ſemimortuus delatus: Incruentum erat vulnus, nulla cranij aut fiſſura, aut evidens depreſſio: Elapſis novem ſeptimanis, cum & expeditè loqui & ingredi valeret, nullóſque ex contuſione dolores ſentiret, jámque diſceſſum decreviſſet, noctu ſalvus, ut omnibus videbatur, ſomnum atque quietem capiens, ſubitò in ipſo ſopore extinctus eſt: Aperto capite, ne minima in cranio rimula, neque ullum leviſſimæ depreſſionis veſtigium aderat, at in percuſſæ parti ſubjecta cerebri ſubſtantia, ad digiti craſſitiem enormis, & ad ventriculos cerebri adfuit putredo: Hac obſervatione notent Chirurgi, ut nullas capitis percuſſiones, etſi partes cerebrum continentes illæſas invenerint, leves judicent: In iis nunquam indubitatam ſalutem promittant: nullóſque, in diæta præſertim, errores concedant, ſed potius arte cauta, & prudente diffidentia ægros ita tractent, quò ſacræ noſtræ artis vera lumina exiſtant. *Scultetus Armam. Chirurg. Obſerv.* 8. *Mortis ſequuta a neglecta caeca cranij fractura exemplum vide apud Langium Epiſt.* 5. *lib.* 1.

XLII. Fœminæ caput graviter contuſum fuit ab aſſere, ac à Chirurgo diviſa cutis & caro ad os uſque, pericraniúmque abraſum unà cum oſſis ſubſtantia aliqua: vulnus diu relictum apertum, nec ulla oſſis fracti indicia: cúmque os tandem abſcederet, portio quædam oſſis, quæ ſeparabatur, vi ablata fuit à Chirurgo, mox ſangvis reſudare viſus, hinc febris acuta, tandem mors, *Cattierus Obſervation.* 8.

Cùm

Cùm oſſis teſta vel ob contuſionem, vel ob aëris injuriam abſceſſura eſt, ſatis eſt ſine Chirurgia pulverem inſpergere quem κεφαλικὸν vocant : Subcreſcente autem carne ex plaga expelletur exſiccata, atque emortua teſta, reſolvetúrque à reliquo oſſe, quod vivit & humidum eſt ; Id quod N. evenit, huic ex caſu contuſa calvaria eſt, poſt 40. autem diem ampla admodum atque inſignis teſta è reliquo oſſe reſoluta eſt : hanc Chirurgus parvo negotio ex plaga ejecit, curaverat autem aſſiduè hominem, me authore, medicamentis illis quæ ad fracturas Calvariæ à veteribus componuntur ; ex toto autem hominem liberavit. *Vidus Invior. lib. 6. cap. 3. de cur. membr.*

XLIII. Secunda, vel ad ſummum 3. die (præſertim cum duram matrem acutum pungit oſſiculum) à læſione, dum vires adhuc conſtant, admovendum trypanum : poſt triduum enim, & quamdiu adeſt aut imminet inflammatio, modiolorum uſus eſt periculoſus: Nec audiendi ſunt qui juxta *Paulum* æſtate diem 7. hyeme 14. expectant, quia perforatio tunc inſtituta ſerum præbet auxilium, vires enim ſunt debiles, & ſuſpicari licet cerebri pa. iculos à materia delapſa jam eſſe infectos : *Scultetus Tab.* 29. §. 6.

XLIV. Quantum ſimplicibus Capitis vulneribus, in quibus cranium læſum non ſit, loci ad aperiendum conſuetudo vulgata, tum nocumenti, tum mora ad ſanandum afferre poſſit, præter alia exempla hoc unum confirmat, quod in *I. G.* editum eſt, qui altero dente ligonis obliquè, at non graviter percuſſus in dextra capitis parte, ſuper os quod laterale dicitur : Huic imperitus Chirurgus vulnus adaperiens vehementer auxit, crucemque tribus digitis quadratam incidit, & cranium ſatis pro arbitrio detexit, deinde multos dies digeſtivis & oleo uſus eſt ; ex quo evenit ut non modò detecta Cranij pars, ſed multo etiam major undique portio corrupta fuerit, quam extrahere opus fuit : Homo autem jam Divino beneficio & mea opera bene habet. *Arcæus de curandis vuln. lib.* 2.

XLV. Chirurgus rimam quo uſque pervadat exploraturus, ex conſilio *I. C. Arantii*, fuligine Typographorum potius utatur quàm atramento ſcriptorio, ob chalcanthi mordacitatem. *Scultetus Tab.* 29. *paragr.* 4.

XLVI. In quibuſdam locis cranium eſt ſimplex, tenue & pellucidum, abſque meditullio, Vnde falluntur Chirurgi nonnulli, qui in abſtractione laminæ primæ putant tamdiu ſecandum & pungendum donec ſanguis exeat. *Th. Bartholinus Anat. Reform. libello* 4. *cap.* 5.

CARBVNCVLVS.

SYLLOGE.

Vena *an* ſecanda. 1.
Quæ vena aperienda. 2.
Purgatio *an competat* 3.
Valentibus non purgandum. 5.
Attrahentia *quando admovenda.* 4.
Deliteſcens quomodo revocandus. 6.
Eſchara a cauterio inducta cito removenda. 7.
Peſtilentis *curatio.* 8.
Somnus *non admodum noxius.* 9.
Veſicatorio *curatus.* 10.
Rarus Vigiliis tantum ſanabilis. 11.
A gangræna quomodo dignoſcendus. 12.

I. ETsi ſanguis ille fervens, a quo oritur *venæ ſectione* ... adus non tamen in omni temere eſt uſurpanda, ... locum habet, præſertim in non peſtilenti, de quo eſt in *Galeni* 14. method. m. cap. 10. & aliorum authorum qui ad animi deliquium uſque ſanguinem mittendum cenſent, pronuntiatum ac ... piendum : In peſtilenti verò Carbunculo nihil facilè tentandum, quod vires, quarum maxima in peſte & peſtilentibus febribus habenda eſt ratio, deiicere poſſit ; inter quæ primum eſt venæ ſectio ad animi deliquium inſtituta, quæ humorem naturæ maximè amicum, & vitæ theſaurum præſtantiſſimum, cum ſpiritibus evacuat : Imò ne quidem interdum erumpente carbunculo peſtilenti venæ ſectionem tutò ſatis inſtitute licet : Nam cùm interdum non mox in primo inſultu peſtis atque peſtilentium febrium, ſed ſæpe poſtea quarto, aut aliis diebus erumpat carbunculus, venæ ſectionem tum vires non ferunt, quæ jam à morbo ſunt dejectæ, & pugnam cum morbo inierunt. *Sennertus.*

II. Cavendum autem ne dum ſanguinem evacuamus, illum ſeu ad membrum nobile, ſeu per membrum nobile ducamus & trahamus, ne id ejus malignitate afficiatur : ideo ea vena aperienda, cujus opera potius ſanguis verſus partem affectam trahatur quam ab ea retrahatur : quare ſi is fuerit circa caput, axillas, vel in pectore, ſecanda eſt in brachio vena ejuſdem lateris maximè vicina: Si infra epar, vena malleoli vel poplitis ejuſdem lateris. *Idem.*

III. Cum *Sanguinis miſſione* pravi humores vix evacuari poſſint, purgatione opus eſſe nonnulli cenſent, qua pravi humores evacuentur, ne calidum innatum ab iis ſuffocetur & extinguatur, ac natura poſtea expulſionem rectius moderari poſſit, neque copia affluentis humoris pars affecta corrumpatur : Verum omnino metuendum eſt ne purgante humor, quem natura conatur ad externa pellere, ad interna trahatur : Et præcipuè in peſtilenti hoc metuendum, In non maligno tutius inſtitui poſſe videtur : verum cum febris conjuncta ſit, & quidem acuta, cruditas materiæ id plerumque prohibet : & vix datur carbunculus in quo non aliquid malignitatis adſit, ideôque tutiùs per alexipharmaca materia maligna ad ambitum corporis protruditur quàm purgantibus ad anteriora trahitur. *Sennertus.*

IV. Facta *Sanguinis miſſione*, mox pars affecta ſcarificanda, & quidem plagis ſatis profundis, ut ſanguis corruptus & venenatus, qui niſi ex parte mox vacuetur, vicinas corrumpit, evocetur : licet quoque loco ſcarificato cucurbitulas vel hirudines apponere : Si tamen magno impetu humor affluat, attrahentia non ſatis tutò adhibentur, cum metus ſit ne copiosè affluente materia dolor vehementior fiat, unde vigiliæ, febris &c. augmentum. *Sennertus.*

V. Elapſis duobus à venæ ſectione diebus, Catharticum exhibeto : id vero imbecillum non valenter purgans eſto, ne immoderata fiat humorum agitatio, quam expertus ſum maximo eſſe detrimento, ac propemodum exitioſam. *Chalmeteus Enchir. p.* 15.

VI. N. tempore peſtis circa anum cruciabatur *anthrace peſtilenti*, magno & nigro, qui quoniam interiora petens omnino evanuit, patienti mortem certiſſimam minatus eſt : Pro

retractione inſtrumenta optimè ignita alternatim ano admovi (ita tamen ut anus non irritaretur ferramentorum contactu, ſed tantum ignis vim perſentiret, ad bonam ægri tolerantiam) donec anthrax ad pristinum locum retraheretur: retracto, eſcharam induxi ferramento, & appoſui cataplaſma, quod bidui ſpatio eſcharam removit, ℞. Saliis comm. ℈ß. piper. ℥j. caric. pingu. n. iij. fol. rutæ vir. m. j. fermenti vet. & acidi ℥j. m. omnia in mortario marmoreo diligentiſſimè : bis in die appoſitum. *Adrian. Spigelij* majores habuerunt id pro ſecreto : Eſchara retracti anthracis ſublata, ulceri ſuper filamenta carpta applicui ungu. citrinum, quod vim habet digerendi, attrahendi, carnem generandi & venenis reſiſtendi : *Vngu. Citrinum* hoc eſt, ℞ Succi Nicotian. ℥vj. ceræ citrin. recent. ℥iv. reſinæ pini ʒiij. terebinth. ℥ij. ol. myrth. q. ſ. ſ. ungu. molle : Id deſcribit *Aquapendens* Operat. Chirurg. cap. 20. *Scultetus Armam. Chir. p.* 1. *pag.* 28.

VII. Si qui ſunt qui ſcarificationem ferre nolunt, aut ſi medicamentis *carbunculus* cedere nolit, atque corruptio, nigredo &c. augeri videantur, ad cauteria ſtatim accedendum, cum in minima mora ſit periculum : Potentialia autem non ita tuta ſunt, cum cruſta ab iis inducta tardius decidat, atque ita impediatur exhalatio humoris corrupti & maligni : Actuale tutius habetur, quod calor & ſiccitas ignis putredini maximè reſiſtat, partes ſanas præſervet à putredine & à profundo trahat : Nec remedium adeo grave putator, cum æger id vix ſentiat, quia caro mortua eſt, & finis urendi eſt dum ex omni parte ſenſus doloris eſt : Habet tamen & id incommodi quod cruſtam inducit, quæ & ipſa impedimento eſt ne materia maligna & venenata exhalet : Si quis ergo eo uti velit, caveat ne cruſta inducta impediat exhalationem humoris maligni, ideo removenda eſt vel xxiv. horarum ſpatio, non humectantibus & ſuppurantibus, à quibus putredinis imminet periculum, ſed iis quæ valde detergunt, exſiccant, putredini reſiſtunt, & fibras, quibus cruſta adhæret, abrumpunt : *Fabritius Hildanus* hoc Unguent. utitur ℞. farinæ orobi, rad. ariſtol. rot. irid. Florent. vincetox. ana ʒß. Theriacæ ʒij. cum ſ. q. mellis roſat. ſ. Ungu. *Angenius* hoc laudat ℞. Miſy, vel vitriol. ʒij. mell. opt. ℥ß. axungiæ porci ʒ. ij. m. Malim talibus medicamentis ad cruſtam, quam plerunque carbunculus contrahit, quàm cauteriis uti, quia non ſimplex adeſt putredo, ſed humor malignus. *Sennertus.*

VIII. Curatio *Anthracis Peſtilentis* exigit ut quam primum Suppuratio promoveatur, exitioſáque mali propagatio inhibeatur : Ad hoc præſtantius medium nullum inveni cauterio actuali, quod etiam Chirurgis plurimis valde arridet, Sed quibuſdam hæc operatio nimium crudelis videtur, & ex perverſa miſericordia ejus vim magis ſentientes quam ipſi ægri, cauterium potentiale aut veſicatorium eligunt, quo utroque etiam utor, quoties aut fortia ſatis videntur, aut medio alio uti non licet : Sæpius enim multiſciorum adſtântium voluntati obtemperare cogitur Medicus, etiam cum damno ægri. *Barbette Tractat. de Peſte pag.* 197. Carbunculi curabuntur *ſiſtendo ſerpentem* partium vicinarum *mortificationem*; *ſeparando partem mortificatam*; *mundificando & conſolidando ulcus relictum* : Nil hactenus novi quod potentius, & certius citiúſque ſerpentem carbunculorum *mortificationem* ſiſtat quam *Butyrum Antimonij* : Si circumcirca illinatur parti affectæ, ad miraculum enim tunc ſiſtitur partium omnium corruptio ſerpens, ac omnia depaſcens : Huic proximum cenſeo *magnetem Arſenicalem*, ex partibus æquis arſenici, antimonij & ſulphuris paratum, & emplaſtris convenientibus immixtum : cujus ope ad ſui ſeparationem diſponitur pars corrupta : quod idem præſtat quoque *Butyrum antimonij*, cum non ſiſtat tantum veneni peſtilentis progreſſum, at inſuper partes ab ipſo corruptas ſeparet à ſana ; Partes à Carbunculo peſtilenti ſeparatas *mundificat* efficaciſſime *Balſamus ſulphuris* omnis, & imprimis *aniſatus*, una cum *ungu. tetrapharmaco*, & baſiliconis vocato miſtus, & ulceri applicatus : Mundificatum ulcus *conſolidant* idem *Balſamus* & alia Emplaſtra vulgo nota. *Sylvius de le Boë Append. ad Pr. Tr.* 2. *in fine.*

IX. In Carbunculo ſevere prohibetur ſomnus, quod per eum ad interiora virus rapi credatur, cum tamen ad exteriora in ſomno calorem vergere, ex calore & ſudore quo dormientes citius afficiuntur, conücere liceat, ut non neceſſe ſit adeo ægros à ſomno multis diebus ſæpe, uti facere vidi, impediendo tantopere affligere & debilitare. *Platerus Pract. lib.* 2. *p.* 714.

X. Puer annorum quatuor *Carbunculo* afflictus, à triduo integro, in media fronte, cum tumore rubicundo, in medio nigerrimo; tota facies valde inflata erat : Jubeo primum ad eum ſixandum, cauſticum inuri parti nigricanti, & imponi eſcharæ unguentum Baſilicum cum Theriaca, oleo ſcorpionum Matthioli & vitello ovi ; toti verò tumori cataplaſma de Arnogloſſa: præter venæ ſectionem iteratam, & cardiaca, Veſicatorium cervici admotum; ſequenti die febrem valde imminutam, tumoris inflammationem remiſſam & omnia mitigata invenio : Notandus hic veſicatorij uſus, quod magnam humoris virulenti portionem derivans, præcipuam partem curationis feciſſe credibile eſt : ideo in omni uſurpandum cenſeo, & parti viciniori admovendum : Defenſivum ex bolo non adhibui, ob noxam repellentium in affectibus faciei. *Riverius centur.* 4. *obſerv.* 9.

XI. In urbe Rupecurvenſi, prope Caſtra, frequens eſt morbus, *Malvat* vocatus, qui ſpecies *Carbunculi* eſt, quo niſi ix. dies inſomnes traducant, jugulantur ; Interim circa carbunculum inſtituitur ſectio, & cucurbitulæ admoventur, tandémque unguento baſilico curantur : Contrahitur proculdubio morbus à veneno in lanis ovium contagio mortuarum latente ; omnes enim incolæ lanificio operam dant ; ideo tantùm in facie vel manibus & pauperioribus accidit : Vigiliæ autem omnibus modis excitatæ conferunt, quia ſomno, hujus mali comite, concentratur verſus cor venenum. *Petrus Borellus centurat.* 2. *obſervat.* 12.

XII. Diſtinguitur à Gangræna, non ſenſu partis, qui utrobique perit, ſed ſcarificatione loci : Si enim profundè inciſa carne nigreſcit, nec ſpumam aut tabum eructat, ſed ſicca permanet, cum interna duritie, Carbunculus eſt. (*Samuel. Cleſſius ad Gregorium Horſtium libro ſeptimo Obſervat. decima tertia.*) Cujus præcipua pars, quæ morbo denominationem dedit, & ita in carbones quaſi converſa videtur, quare ſenſus penitus expers eſt, & ſphaceli modo tractatur, aut medicamentis aut ferro ſiderationem circumſcribentibus

tibus & limitantibus: alia tamen curatio Gangrænæ debetur, quia non raro fit ut gangræna corrigatur, & pars in ſtatum naturalem reſtituatur vacuatis vacuandis, & admotis iis quæ partem à putredine vindicant.

CARDIALGIA.

SYLLOGE.

Aliquando ſanguis mittendus. 1.
Legitima curatio. 2.
Si complicata febris quid agendum. 3.
Roborantia quando ori ventriculi debent admoveri. 4.
Roborationi ventriculi magis quam vacuationi ſtudendum. 5.
Adſtringentia & incraſſantia quando locum habent. 7.
Diæta. 6.

I. S*Anguinis miſſio* locum non habet, cum bilis peccat ſincera, tribúſque tantum caſibus admittitur, præſente jecoris intemperie calida, fervidiſſimum ſanguinem producente, ex quo neque carnoſa, neque adipoſa ſubſtantia progigni poſſit: Sic apud *Hippocrat.* 5. Epidem. Vir in Oeniade vehementiſſimis ventriculi doloribus correptus, ſecta vena in utraque manu, & ſanguine copioſe educto, liberatus fuit; Secundo, Quando ichor ſanguineus à jecore, vel à toto in ventriculum irruit, ex conſueta aliqua hæmorrhoidali evacuatione. Tertio, Quando provenit à ſuppreſſis menſtruis. *Fortis conſult.* 68. *cent.* 2.

II. Legitima & propria Curatio, eſt cauſarum ablatio, hoc ordine peragenda, Ingruente acceſſione Vomitus ſtatim provocandus *Galeni* exemplo 6. in 6. Epidem. comment. 5. qui vel oleo ſimplici, vel aquæ miſto vomitum ciebat, Nos jure carnium ad ℥ vj. cum oleo amygdal. & Julap. acetoſo ana. ℥ iij. Concitato vomitu perdurans acceſſio ſignum exhibet bilis craſſioris ventriculo adhærentis, ideo exhibendum Julapium ad ℥ iv. vel v; & hora ab hoc aſſumpto, niſi ſponte vomitus iterum procedat, exhibeatur oleum amygdal. recens ad ℥ vi. ita enim inciſa materia, & deterſa à Julapio, & attenuata per vomitum aut per alvum facilius educetur. Nec ullum metum injiciat Julapium acetoſum, bilem ſiquidem id in pituitam, & pituitam in bilem vertit, ut docet *Avicenna:* Statim vero à vomitu, morſu ſedato, aliquod adſtringens & roborans extrinſecus *Galeni* conſilio apponendum. Ita vero procedendum Præſervativis auxiliis, materiam iterum imminuendo, bilis fervorem & febrilem calorem contemperando, eandemque à ventriculo revellendo, atque in progreſſu intercipiendo, oſque ventriculi roborando: Curativis vero modo dolorem anodynis, vel etiam narcoticis demulcendo; modo laxantibus, vomitúmque cientibus materiam bilioſam educendo, uſque dum Cardialgia & febris imminuantur atque omnino auferantur. *Fortis conſult.* 68. *cent.* 2.

III. In Cardialgiâ cum febre aliquando provocandus vomitus, aliquando non: Et aliquando magis expedit vel per internas partes purgare, vel humoris acrimoniam obtundere. Si exiguus fuerit affectus, aut mediocris, vires tamen validæ, humorum purgatione prætermiſſa ex ventriculo, corroborantibus & obtundentibus utendum eſt: In magno affectu, obtundenda eſt acrimonia, & ſimul ex ventriculo purganda: mitigatáque Cardialgia corpus univerſum vacuandum, aut venæ ſectione, aut purgatione; prout affectus natura videbitur poſtulare: Hanc dubitationem movit *Galenus* 1. ad *Glaucon.* c. 14. *Age enim*, ait, *Si quis febricitet, & adſit plethorica diſpoſitio, verum ex recentibus cruditatibus ſit, & morſum ſentiat, affliatímque os ventriculi: vel etiam ſi humorem aliquem malum evomuerit, & in hujus tranſitu non parum fuerit offenſus, adeo ut graviter ſe habeat atque anxiè, nunquid hic ad febrem reſpicientes, ſolam multitudinem vacuare tentabimus, quod alioquin ſine moleſtia faceremus? Vel potius ori ventriculi providebimus: deinde vero poſtquam circa hoc melius ſe habuerit, univerſum corpus, quantum res ipſa expoſcit, vacuabimus? Mihi quidem ita agendum videtur. Multies itaque vidi, qui ita affecti erant, quoſdam interiiſſe, nonnullos ad extremum periculum fuiſſe perductos, cum Medici eos tentare curaſſent, antequam os ventriculi corroboraſſent.* Hæc *Galenus*: Hinc patet Cardialgia vigente vacuationem totius non eſſe moliendam, ſed roborato ventriculo, humoris acrimonia hebetata, ad purgationes poſthac veniendum: Tantum potuit hæc obtundendæ bilis acrimoniæ indicatio, ut *Hippocr.* 4. acut. in acuta febre, oris amaritudine præſente, futurum ſymptoma veritus, lac aſinæ coctum dederit. In acceſſione hæc agenda ſunt: in tempore autem intervalli, ſedato jam ſymptomate, ad ordinariam curationem veniendum: Ubi verò magnus fuerit affectus, omnia ſimul agenda ſunt, ventriculus ſcil. expurgandus, roborandus, & acrimonia obtundenda: Dubium tamen de via per quam purgatio tentari debet, De vomitu *Gal.* ſic loco cit. *Qui vero*, ait, *ex vitioſis humoribus os ventriculi mordentibus diſſolvuntur, hos, poſt aqua calida aut hydrelæi potum, fac evomere: quod ſi difficulter evomant, prius concalefacere oportet quæ os ventriculi circumſtant loca, & manus, & pedes; quod ſi neque hoc modo poſſunt evomere, digitos aut pennas immittendo, irritare oportet: Quod ſi neque ſic evomant, rurſus his oleum calidum, quam optimum inveniri poteſt, exhibeadum: Solet enim ſæpius oleum non ſolum ad vomitum irritare, ſed etiam ventrem molliorem facere; eſt autem hoc non parum bonum præſentibus rebus: quare niſi ſponte accidat, arte procurandum eſt, præcipuè vero & appoſitis hoc tentandum eſt facere: hæc ille*: Ubi proponit remedia pro acribus & mordaciſſimis humoribus expurgandis; quæ ſimul obtundant acrimoniam, ac purgent, non ſolum per vomitum, ſed & alvum leniendi vim habeant; Aqua & oleum humectant, leniunt, obtundunt, Oleum pro hac intentione optimum eſt, nam aliquando vomitum promovet, aliquando alvum ſubducit, imò utrumque facit, verum quia non roborat, potius laxat, idcirco abſinthii comam exhibet melicrato incoctam: ac tandem omnibus modis expurgata copia ex ventriculo & inteſtinis, corroborationi dat operam adſtringentibus, intus & extra: Hæc curandi ratio a ſuperiori differt, in qua ſupponit leviorem affectum quam ſit animi defectus ob morſum oris ventriculi: nempe Cardialgiam per circuitum invadentem, quæ tempore intervalli ſaneſcat: Hic verò ingentem affectum ponit, nempe animi deliquium; Vult ergo *Galenus* in ſuperiori curatione, ut conſti-

mato ore ventriculi, accedamus poſtea ad vacuationem totius, venæ ſectione, aut purgatione, hic autem nullam ejus vacuationis mentionem facit: deinde ſupra ſolam adhibendam providentiam circa oſtium ventriculi voluit: hic verò mitigationem, vacuationem per vomitum, per inteſtina, & roborandi rationem explicat: Quæ igitur cauſa diverſitatis hujus? haud equidem alia, niſi quod cardialgia, omniſque ventriculi morſus, magis obtundentibus & alterantibus corrigendus eſt, quàm vacuantibus irritandus: Ubi autem urgeat neceſſitas iiſdem utendum, ſed ipſo in genere mediocribus, quæ ſimul obtundant, à locóque purgent, quemadmodum in caſu propoſito à *Galeno*, cum ſcil. animi deliquium expectatur aut eſt præſens. *Hor. Augenius Tom. 1. Epiſt. l. 6. p. 128.*

IV. *Celſus* lib. 3. c. 19. In cardiaci morbi curatione indicationem primam eſſe ait ſupra præcordia imponere quæ reprimant Cataplaſmata: Secundo, Sudorem prohibere: Ob id graviter à nonnullis reprehenditur, quia cum hic morbus originem ducat, quandoque à ſola humoris acrimonia, in ſtomacho exiſtentis, quandoque, præter eam, à prava & venenoſa qualitate, tamen priuſquam humor peccans vomitu aut dejectione pungetur: vel ſi evacuari non poterit, eius acrimonia retundatur, & prava qualitas ſuperetur, ori ventriculi adſtringentia adhibeat medicamenta, quibus magis conſtipatur materia, rebelliórque vacuationi & alterationi redditur: Imò *Galen.* 1. ad Glauc. 14. dum pravus humor adhuc in parte læſa continetur, tantum quæ os ventriculi circumſtant loca, & manus & pedes, initio jubet concalefacere, ad laxandam partem affectam, & ad facilius provocandam ac divertendam materiam: Quæ quidem omnia ut vera ſunt cùm morbus præbet inducias, & locus hujuſmodi remediis eſſe poteſt: ita cum ſpes in ancipiti, & vires labant (qui locus eſt Celſi, in qua corpus immodico ſudore digeritur, & exigui imbecillé(que pulſus ſunt) ſtatim ad roborantia currendum, ut præcipit ibidem *Galen.* (vide locum integrum ſupra) Adde quod quæ adſtringunt, primùm roborant os ventriculi, deinde verò in cauſa ſunt quòd id valentius redditum, ad fundum detrudat noxios humores qui prius ſurſum ferri conſueverant: quibus inferius delabentibus, ac inferiorem ventriculi meatum ſtimulantibus, tandem fit eorum expulſio per inferiora: *Rubeus comment. in loc. citatum.*

V. *Galenus* 1. ad *Glaucon.* quærit num evacuationi materiæ magis, an oris ventriculi roborationi ſit incumbendum? Reſpondet multos ſe vidiſſe defunctos, alios ad extremum periculum perductos, cum Medici eos magis evacuare quam corroborare tentaſſent.

VI. *Hippocrates* mulierem Cardialgia, qua citra intermiſſionem vexabatur, liberavit polenta, inſperſo ſucco mali Punici, & ſemel in die cibum exhibens. Sed ſi dolor ille ex frigore erat, quo pacto ille potuit ſuccus mali Punici utilis? Si vero calidus, cur μονοσιτίην iniunxit? nam qui ita affecti ſunt nulla re magis læduntur quam jeiunio, uſque adeo ut niſi ſummo mane cibi aliquid capiant ante conſuetum prandii tempus, linquantur animo, aut ſaltem gravem morſum ſentiant, atque nuſquam melius habeant quam cum plenus cibis venter eſt, quibus bilis imbibatur & adſtrictus ventriculus non recipiat: Certe affectus ille erat fluxio calidorum, & qui ita affecti ſunt, debent cibos accipere, neque exigua quantitate, neque tenues, quia tales vitiantur & augent cacochymiam: Si vero accipiantur multi & craſſi, liberant à fluxione & coquuntur: non tamen poſſent coqui multi & pluries accepti, à ventriculo præcipue male affecto: proinde ſemel & copioſe paſci debent; Sed quia neque longum intervallum ſine omni cibo poſſunt tranſigere, uti debent mane & veſperi cibis quibuſdam levibus & medicamentoſis, ut polenta cum ſucco mali Punici: Itaque *Hippocrates.* non vocat hic μονοσιτίην unicam deguſtationem cibi, ſed unicum prandium, ut conſilium ſit ſemel bene prandere, & aliis horis aliquid medicamentoſi, quod replere corpus non poſſit, deguſtare, ut ſi conſulas primo mane accipere micam panis ex vino diluto, per hyemem; ex ſucco Punici mali, æſtate, & cœnæ tempore polentam cum illo ſucco, aut aſſum pyrum. *Valleſius ſect. 2. Epid. lib. 2.*

VII. Perdurante cardialgia, & valde minorata materia, ad intercipientia humores ad ventriculum decurrentes tuto deveniri poterit, duabus horis ante acceſſionem (ſi febris adiuncta ſit) præbenda: ſunt autem adſtringentia & incraſſantia, ut ℞ *margarit. præparatar.* ʒj. *terra ſigill. vera* ℈ß *aquæ ſcorzoneræ* ℥iiij. *vini granat.* ℥ij, da ſæpe ex cocleari, *adde tincturæ corallor. gutt.* v. Si ſit maligna, da theriacam recentem cum margaritis. *Fortis.*

CATALEPSIS.

SYLLOGE.

Vermibus excluſis ſanata. 1.
Vinum an concedendum. 2.

I. PUellæ quæ octavum nondum compleverat annum, in febre ardentiſſima ſomno primum, deinde intentis oculis *Catocho* correpta eſt, diebus 7. continuis nihil hauriendo præter jus pulli in quo portulaca decocta fuerat, jacuit pallida, muta, ſine ſenſu & motu, graviter reſpirans: In ea ſuprema filiæ deſperatione mater ex melle glandem in alvum ſubdidit, qua ſine ſordibus 42. vermes in globi modum extulit, & ſtatim ad vitam rediit: ex iis ventris animalibus caliginoſi vapores cerebri ſenſus omnes comprehenderunt. *Benedictus lib. 1. c. 26. de cur. morb.*

II. *Galenus* 3. ſimpl. catalepticis extra acceſſionem concedit malvaticum, cuius exemplo *Amatus* permittit creticum, atque plerique aquam infenſiſſimam putant, quia à frigiditate ſiccitatem ſuperari ſupponunt: At ubi contra ſe res habet, vinum quidem concedatur, caute tamen ob ſiccitatem, ſitq; album, tenue, aquoſum, & potius ſalvia, vel roremarino medicatum. *Fortis conſult. 34. cent. 1.*

CATARRHUS.

SYLLOGE.

Caput ſæpe eſt inſons, neque remediis vexandum. 1. 13
Multi morbi perperam illi adſcribuntur. 5.
Non uno modo curandus. 7.
Concoctioni attendendum potius quam vacuationi. 8.
Cerebri intemperies non ſemper accuſanda. 18.
A frigore excitatus medicamentis non eget. 43.
An conveniat Sanguinis miſſio *in frigide.* 2.

Quando

Quando ſiſtendus. 9.
Purgatio *quando inſtituenda.* 5.
Si ſalſus ſluat ad pectus purgandum. 16.
Si phthiſin minetur validè purgandum. 17.
Vomitus *aliquando conducit.* 4.
In Suffocativo *quando utendus.* 6.
Suffocantivi cura. 32.
Revulſiones *&* derivationes *ubi inſtituendæ.* 33. *a.*
Vacuationibus & revulſionibus non diutiùs inſiſtendum. 19.
In ventriculum delabenti an Errhina *&* Maſticatoria. 33. *b.*
Cauteria *parum proſunt ſi decumbit in partes internas.* 44.
Conducunt in frigido. 45.
Ubi imprimenda. 10.
Inuſtiones *ſincipitis an tutò fiant.* 11.
Salſus cauſticis inter duas ſcapulas admotis cohibetur. 12.
Setaceo *in nucha adhibito.* 46.
Fonticuli qua Lunæ ratione inurendi. 47.
Sinapiſmi *in calido an conveniant.* 48.
Quando ruit ad pectus aliquando Veſicatoriis *locus.* 21.
Becchica *tempore defluxionis nocent.* 15.
At abuſu dulcium *pertinaciùs decumbit in os.* 24.
Calido *an* Acidulæ & Thermæ. 11. 30. 49.
An ſerum lactis. 28.
Guaiaci decoctum &c. *non ſemper ſalubre.* 27.
An febris ſit medela. 26.
Decoctiones *noxiæ.* 14.
Balnei *uſus.* 42.
Stillicidium *an calido conferat.* 29.
Lotiones capitis *aliquando utiles.* 31.
Suffitus *quando proſunt.* 25.
Ceratorum *ad ſiſtendum uſus periculoſus.* 22.
Frictiones *capitis noxiæ.* 23.
Inunctiones *in omni noxiæ.* 48. *a.*
Ungu. Hoſtii *cautè utendum.* 48. *b.*
Non ſemper tenuem victum *requirit.* 34.
Siccans victus an ſemper utilis. 35.
Vinum *an concedendum.* 36.
Qualis forma decubitus *&* ſitus capitis. 37.
Caput mediocriter tegendum. 38.
Somnus *non debet eſſe brevis in calido.* 39.
Exercitium *partium inferiorum ſalubre.* 40.
Venus *an utilis.* 41.
Catarrhi *in pectus decumbentis curatio.* 50.
Pertinacis in partes externas defluentis curatio. 20.
Os interius exulcerans non ſemper Luis ſoboles. 52.

I. GAleni teſtimonio conſtat 2. de diff. febr. cap. ultim. aliquando nihil pati caput, ſed ſolum ſanguine vitiato fieri *Catarrhum:* Non ergo abſolutè dici poteſt Catarrhum eſſe vitium capitis. Confirmatur, quòd ſubjecta viſcera, vel ſæpiſſimè totum, præbere poſſint fomitem Catarrho, capite manente prorſus illæſo; quia Catarrhus modò exoritur à corporis plenitudine, modò à ſubjectorum viſcerum calore, & demum à capitis imbecillitate, ut ex *Galeno* colligitur ad *Glauconem* cap. 15. Dum ergo ſubjecta viſcera copioſis ſcatent excrementis, in Catarrhi productionem conſpirant; vel quia longo temporis tractu ſunt malè diſpoſita, vel quia in prima coctione error commiſſus, veluti dum venter refertus eſt excrementis, quo in caſu poteſt eſſe ſalvum: Errant ergo qui auxilia capiti tantum per conſenſum læſo admovent, ſtillicidia, lotiones &c. cum ſubjecta viſcera ſint curanda. *Sanctorius method. vit. Err. libro primo cap.* 26. Non rarò humores excrementitii a partibus inferioribus ad cerebrum ſublati, Catarrhos efficiunt & motum acquirunt præter naturalem, obſtructis meatibus ordinariis per quos expurgari ſolebant, Et tunc temporis opportunè curatur Catarrhus apertione viarum, ſimulque blanda & continua purgatione per juſcula aut alia decocta ad multos dies inſtituta. *Riverius Pract. cap. proprio.*

II. Aliquando in deſtillatione frigida à *Sanguinis miſſione* incipiendum eſt, cum adeſt a plenitudo, communis vel determinata, eáque notabilis. Id verò faciendum cùm materia decumbit in pulmonem & thoracem ſuffocationis metum, peripneumoniæ, talis pleuritidis aut anginæ inferens. *Saxonia in Practic. Prælect.* Sanguinis miſſio non convenit quia ſtrictiores reddit humores: itaque niſi pulmones, vel latera malè afficiantur, aut mammæ doleant, ſola Purgatione utendum. *Joubertus.* Una è quinque conditionibus id optimè monſtrat 1. Natura & qualitas fluentis materiæ; ſi fluxio, calida, acris, cum impetu fertur, detrahe, quod noſces ſi ſanguis tuſſiendo ejiciatur cum ſputo ſemi cocto, quod ex mora contracta ad coctionem conſtet exceſſionem feciſſe: 2. Si fluxio feratur in partem à cujus læſione immineat vitæ periculum, cunctandum non eſt ſanguinem mittere; Item 3. Si corpus plenum ſit, Et 4. Si febris continua adſit, nec non interpolata, dum ex putredine oriatur; alias ab ephemera catarrhi ſolutio expectanda: 5. Mittendus eſt dum fluxio impetuoſe dilabitur, ac ſi impetus adeo celer & ſubitus ut ſpuitioni locum non cedat; divertitur enim natura quò minus ad partem affectam mittat. *Mercatus cap. propriô. Rhaſes* vult ſecari venam in Catarrho, ſi poſt appoſitum pannulum capitis, paſſio nec tollitur, nec imminuitur: Reſpicit is ad Catarrhum calidum, in quo materia pellitur à capite refrigerato à cauſa externa refrigerante; nam novit in principio capitis frigiditatem quandoque vincere ſanguinem, ſi ſit remiſſa, ut cedat pannis calidis, nam ab iis brevi tempore uſurpatis, non caleſit caput, ut ſanguis trahatur, ſed ſolum frigiditas tollitur: & ſuperata frigiditate malum ſuperatur, hoc eſt expreſſio materiæ Catarrhalis ceſſat: Aliquando capitis frigiditas à ſanguine vincitur, ſi frigiditas ſit ita impreſſa ut pannis calidis non cedat, unde paſſio nec adimitur nec minuitur: ideóque neceſſarium eſt ea adhibere medicamenta quæ magis calefaciant quàm panni calidi: & tunc ſi ſanguis abundaret, traheretur in caput; Cúm ergo ſanguis magis poſſit quàm capitis frigiditas, primùm erit ſecanda vena. *Capivaccius.* Quia ſæpiſſimè accidit ut Medicus incidat in Catarrhos præfocativos, exiſtente plenitudine & incipiente materia figi in aliquo membro nobili, ſtatim ſecanda eſt vena. *Claudinus Tract. de Catarrho.*

III. *Purgatio*, dum aliquod imminet vel ſuffocationis vel phthiſis periculum, poteſt etiam ægrotantibus adhiberi, nulla præmiſſa præparatione, quicquid in oppoſitum ſentiant ij qui verentur ne hæc purgantia agitent humores & ducant ad locum affectum. Quæ ratio nullius momenti mihi videtur, nam hanc ob cauſam internis locis patientibus nunquam liceret uti purgante, ne locus patiens motam ſuſciperet materiam. *Saxonia Prælect. Practic.* Circa uſum purgantium nota, primo convenire ea ubi præſens eſt materia purganda in toto, quoniam ex quar-

mato ore ventriculi, accedamus poſtea ad vacuationem totius, venæ ſectione, aut purgatione, hic autem nullam ejus vacuationis mentionem facit: deinde ſupra ſolam adhibendam providentiam circa oſtium ventriculi voluit: hic verò mitigationem, vacuationem per vomitum, per inteſtina, & roborandi rationem explicat: Quæ igitur cauſa diverſitatis hujus? haud equidem alia, niſi quod cardialgia, omniſque ventriculi morſus, magis obtundentibus & alterantibus corrigendus eſt, quàm vacuantibus irritandus: Ubi autem urgeat neceſſitas iiſdem utendum, ſed ipſo in genere mediocribus, quæ ſimul obtundant, à locóque purgent, quemadmodum in caſu propoſito à *Galeno*, cum ſcil. animi deliquium expectatur aut eſt præſens. *Hor. Augenius Tom.* 1. *Epiſt. l,* 6. *p.* 128.

IV. *Celſus* lib. 3. c. 19. In cardiaci morbi curatione indicationem primam eſſe ait ſupra præcordia imponere quæ reprimant Cataplaſmata: Secundo, Sudorem prohibere: Ob id graviter à nonnullis reprehenditur, quia cum hic morbus originem ducat, quandoque à ſola humoris acrimonia, in ſtomacho exiſtentis, quandoque, præter eam, à prava & venenoſa qualitate, tamen priusquam humos peccans vomitu aut dejectione pingetur: vel ſi evacuari non poterit, eius acrimonia retundatur, & prava qualitas ſupcretur, ori ventriculi adſtringentia adhibeat medicamenta, quibus magis conſtipatur materia, rebelliórque vacuationi & alterationi redditur: Imò *Galen.* 1. ad Glauc. 14. dum pravus humor adhuc in parte læſa continetur, tantum quæ os ventriculi circumſtant loca, & manus & pedes, initio jubet concalefacere, ad laxandam partem affectam, & ad facilius provocandam ac divertendam materiam: Quæ quidem omnia ut vera ſunt cùm morbus præbet inducias, & locus hujuſmodi remediis eſſe poteſt: ita cum ſpes in ancipiti, & vires labant (qui locus eſt Celſi, in qua corpus immodico ſudore digeritur, & exigui imbecilléſque pulſus ſunt) ſtatim ad roborantia currendum, ut præcipit ibidem *Galen.* (vide locum integrum ſupra) Adde quod quæ adſtringunt, primùm roborant os ventriculi, deinde verò in cauſa ſunt quòd id valentius redditum, ad fundum detrudat noxios humores qui prius ſurſum ferri conſueverant: quibus inferius delabentibus, ac inferiorem ventriculi meatum ſtimulantibus, tandem fit eorum expulſio per inferiora: *Rubeus comment. in loc. citatum.*

V. *Galenus* 1. ad *Glaucon.* quærit num evacuationi materiæ magis, an oris ventriculi roborationi ſit incumbendum? Reſpondet multos ſe vidiſſe defunctos, alios ad extremum periculum perductos, cum Medici eos magis evacuare quam corroborare tentaſſent.

VI. *Hippocrates* mulierem Cardialgia, qua citra intermiſſionem vexabatur, liberavit polenta, inſperſo ſucco mali Punici, & ſemel in die cibum exhibens. Sed ſi dolor ille ex frigore erat, quo pacto eſſe potuit ſuccus mali Punici utilis? Si vero calidus, cur μονοσιτίαν injunxit? nam qui ita affecti ſunt nulla re magis læduntur quam jejunio, uſque adeo ut niſi ſummo mane cibi aliquid capiant ante conſuetum prandii tempus, linquantur animo, aut ſaltem gravem morſum ſentiant, atque nuſquam melius habeant quam cum plenus cibis venter eſt, quibus bilis imbibatur & adſtrictus ventriculus non recipiat: Certe affectus ille erat fluxio calidorum, & qui ita affecti ſunt, debent cibos accipere, neque exigua quantitate, neque tenues, quia tales vitiantur & augent cacochymiam: Si vero accipiantur multi & craſſi, liberant à fluxione & coquuntur: non tamen poſſent coqui multi & plures accepti, à ventriculo præcipue male affecto: proinde ſemel & copioſe paſci debent: Sed quia neque longum intervallum ſine omni cibo poſſunt tranſigere, uti debent mane & veſperi cibis quibuſdam levibus & medicamentoſis, ut polenta cum ſucco mali Punici: Itaque *Hippocrates.* non vocat hic μονοσιτίαν unicam degustationem cibi, ſed unicum prandium, ut conſilium ſit ſemel bene prandere, & aliis horis aliquid medicamentoſi, quod replere corpus non poſſit, deguſtare, ut ſi conſulas primo mane accipere micam panis ex vino diluto, per hyemem; ex ſucco Punici mali, æſtate, & cœnæ tempore polentam cum illo ſucco, aut aſſum pyrum. *Valleſius ſect.* 2. *Epid. lib.* 2.

VII. Perdurante cardialgia, & valde minorata materia, ad intercipientia humores ad ventriculum decurrentes tuto deveniri poterit, duabus horis ante acceſſionem (ſi febris adiuncta ſit) præbenda: ſunt autem adſtringentia & incraſſantia, ut ℞ *margarit. præparatar.* ℥j. *terræ ſigill. veræ* ℈ß *aquæ ſcorzoneræ* ℥iiij. *vini granat.* ℥ij, da ſæpe ex cocleari, *addo tincturæ corallor. gutt.* v. Si ſit maligna, da theriacam recentem cum margaritis. *Fortis.*

CATALEPSIS.

SYLLOGE.

Vermibus excluſis ſanata. 1.
Vinum an concedendum. 2.

I. PUellæ quæ octavum nondum compleverat annum, in febre ardentiſſima ſomno primum, deinde intentis oculis *Catoche* correpta eſt, diebus 7. continuis nihil hauriendo præter jus pulli in quo portulaca decocta fuerat, jacuit pallida, muta, ſine ſenſu & motu, graviter reſpirans: In ea ſuprema filiæ deſperatione mater ex melle glandem in alvum ſubdidit, qua ſine ſordibus 42. vermes in globi modum extulit, & ſtatim ad vitam rediit: ex iis ventris animalibus caliginoſi vapores cerebri ſenſus omnes comprehenderunt. *Benedictus lib.* 1. *c.* 26. *de cur. morb.*

II. *Galenus* 3. ſimpl. catalepticis extra acceſſionem concedit malvaticum, cuius exemplo *Amatus* permittit creticum, atque plerique aquam infenſiſſimam putant, quia à frigiditate ſiccitatem ſuperari ſupponunt: At ubi contra ſe res habet, vinum quidem concedatur, caute tamen ob ſiccitatem, ſitq; album, tenue, aquoſum, & potius ſalvia, vel roremarino medicatum. *Fortis conſult.* 34. *cons.* 1.

CATARRHUS.

SYLLOGE.

Caput ſæpe eſt inſons, neque remediis vexandum. 1. 13
Multi morbi perperam illi adſcribuntur. 5.
Non uno modo curandus. 7.
Concoctioni attendendum potius quam vacuationi. 8.
Cerebri intemperies non ſemper accuſanda. 18.
A frigore excitatus medicamentis non eget. 43.
An conveniat Sanguinis miſſio *in frigide.* 2.

Quando

Quando ſiſtendus. 9.
Purgatio *quando inſtituenda.* 5.
Si ſalſus fluit ad pectus purgandum. 16.
Si phthiſin minetur validius purgandum. 17.
Vomitus *aliquando conducit.* 4.
In Suffocativo *quando ciendus.* 6.
Suffocativi cura. 32.
Revulſiones & derivationes *ubi inſtituendæ.* 33. *a.*
Vacuationibus & revulſionibus non diutius inſiſtendum. 19.
In ventriculum delabenti an Errhina & Maſticatoria. 33. *b.*
Cauteria *parum proſunt ſi decumbit in partes internas.* 44.
Conducunt in frigido. 45.
Ubi imprimenda. 10.
Inuſtiones *ſincipitis an tuto fiant.* 11.
Salſus cauſticis inter duas ſcapulas admotis cohibitus. 12.
Setacco *in nucha adhibito.* 46.
Fonticuli qua Luna adeo inurendi. 47.
Sinapiſmi *in calido an conveniant.* 48.
Quando ruit ad pectus aliquando Veſicatoriis *locus.* 21.
Becchica *tempore defluxionis nocent.* 15.
At abuſu dulcium *pertinacius decumbit in os.* 24.
Calido *an* Acidulæ & Thermæ. 11. 30. 49.
An ſerum lactis. 28.
Guaiaci decoctum &c. *non ſemper ſalubre.* 27.
An febris ſit medela. 26.
Decoctiones *noxia.* 14.
Balnei *uſus.* 42.
Stillicidium *an calido conferat.* 29.
Lotiones capitis *aliquando utiles.* 31.
Suffitus *quando proſunt.* 25.
Ceratorum *ad ſiſtendum uſus periculoſus.* 22.
Frictiones *capitis noxia.* 23.
Inunctiones *in omni noxia.* 48. *a.*
Ungu. Hotſtii *caute utendum.* 48. *b.*
Non ſemper tenuem victum *requirit.* 34.
Siccans victus an ſemper utilis. 35.
Vinum *an concedendum.* 36.
Qualis forma decubitus & ſitus capitis. 37.
Caput mediocriter tegendum. 38.
Somnus *non debet eſſe brevis in calido.* 39.
Exercitium *partium inferiorum ſalubre.* 40.
Venus *an utilis.* 41.
Catarrhi *in pectus decumbentis curatio.* 50.
Pertinacis in partes externas deplnentis curatio. 20.
Os interius exulcerans non ſemper Luis ſoboles. 52.

I. GAleni teſtimonio conſtat 2. de diff. febr. cap. ultim. aliquando nihil pati caput ſed ſolum ſanguine vitiato fieri *Catarrhum:* Non ergo abſolutè dici poteſt Catarrhum eſſe vitium capitis. Confirmatur, quòd ſubjecta viſcera, vel ſæpiſſimè totum, præbere poſſint fomitem Catarrho, capite manente prorſus illæſo; quia Catarrhus modò exoritur à corporis plenitudine, modò à ſubjectorum viſcerum calore, & demum à capitis imbecillitate, ut ex *Galeno* colligitur ad *Glauconem* cap. 15. Dum ergo ſubjecta viſcera copioſis ſcatent excrementis, in Catarrhi productionem conſpirant; vel quia longo temporis tractu ſunt male diſpoſita, vel quia in prima coctione error commiſſus, veluti dum venter refertus eſt excrementis, quu in caſo poteſt eſſe ſalvum. Errant ergo qui auxilia capiti tantum per conſenſum læſo admovent, ſtillicidia, lotiones &c. cum ſubjecta viſcera ſint curanda. *Sanctorius method. vit. Err. libro primo cap.* 26. Non rarò humores excrementitii a partibus inferioribus ad cerebrum ſublati, Catarrhos efficiunt & motum acquirunt præter naturalem, obſtructis meatibus ordinariis per quos expurgari ſolebant, Et tunc temporis opportunè curatur Catarrhus apertione viarum, ſimulque blanda & continua purgatione per juſcula aut alia decocta ad multos dies inſtituta. *Riverius Pract. cap. proprio.*

II. Aliquando in deſtillatione frigida à *Sanguinis miſſione* incipiendum eſt, cum annexa plenitudo, communis vel determinata, eâque notha. Id verò faciendum cùm materia decumbit in pulmonem & thoracem ſuffocationis metum, peripneumoniæ, tabis pleuritidis aut anginæ inferens. *Saxonia in Practic. Prælect.* Sanguinis miſſio non convenit quia fluxiliores reddit materias: itaque niſi pulmones, vel latera male afficiantur, aut mammæ doleant, ſola Purgatione utendum. *Joubertus.* Una è quinque conditionibus id optimè monſtrat 1. Natura & qualitas fluentis materiæ, ſi fluxio, calida, acris, cum impetu fertur, detrahe, quod noſces ſi ſanguis tuſſiendo ejiciatur cum ſputo ſemi cocto, quod ex mora contracta ad coctionem contter excitionem feciſſe: 2. Si fluxio feratur in partem à cujus læſione immineat vitæ periculum, cunctandum non eſt ſanguinem mittere; Item 3. Si corpus plenum ſit, Et 4. Si febris continua adſit, nec non interpolata, dum ex putredine oriatur; alias ab ephemera catarrhi ſolutio expectanda: 5. Mittendus eſt dum fluxio impetuoſe dilabitur, ac ſi impetus adeo celer & ſubitus ut ſpoliationi locum non cedat; divertitur enim natura quò minus ad partem affectam mittat. *Mercatus cap. proprio.* *Rhaſes* vult ſecari venam in Catarrho, ſi poſt appoſitum pannulum capitis, paſſio nec tollitur, nec imminuitur: Reſpicit is ad Catarrhum calidum, in quo materia pellitur à capite refrigerato à cauſa externa refrigerante; nam novit in principio capitis frigiditatem quandoque vincere ſanguinem, ſi ſit remiſſa, ut cedat pannis calidis, nam ab iis brevi tempore uſurpatis, non calefit caput, ut ſanguis trahatur, ſed ſolum frigiditas tollitur: & ſuperata frigiditate malum ſuperatur, hoc eſt expreſſio materiæ Catarrhalis ceſſat: Aliquando capitis frigiditas à ſanguine vincitur, ſi frigiditas ſit ita impreſſa ut pannis calidis non cedat, unde paſſio nec adimitur nec minuitur: ideòque neceſſarium eſt ea adhibere medicamenta quæ magis calefaciant quàm panni calidi: & tunc ſi ſanguis abundaret, traheretur in caput; Cùm ergo ſanguis magis poſſit quàm capitis frigiditas, primùm erit ſecanda vena. *Capivaccius.* Quia ſæpiſſimè accidit ut Medicus incidat in Catarrhos præfocativos, exiſtente plenitudine & incipiente materia figi in aliquo membro nobili, ſtatim ſecanda eſt vena. *Claudinus Tract. de Catarrho.*

III. *Purgatio*, dum aliquod imminet vel ſuffocationis vel phthiſis periculum, poteſt etiam ægrotantibus adhiberi, nulla præmiſſa præparatione, quicquid in oppoſitum ſentiant ij qui verentur ne hæc purgantia agitent humores & ducant ad locum affectum, Quæ ratio nullius momenti mihi videtur, nam hanc ob cauſam internis locis patientibus nunquam liceret uti purgante, ne locus patiens motam ſuſciperet materiam. *Saxonia Prælect. Practic.* Circa uſum purgantium nota, primo convenire ea ubi præſens eſt materia purganda in toto, quoniam ex quar-

to acut. 85. non in omni Catarrho utendum veratro, cum interdum ſoli capiti ſit proſpiciendum, ubi nimirum materia non peccat in toto: Secundo, Dum purgantia exhibentur, ſemper ſupponi debere coctionem materiæ educendæ, ſaltem in tuto; nam cum in præcipiti deſtillatione ſupponatur materiam peccantem pro maiori parte à toto ad caput propulſam eſſe, ut ad partem imbecillem, videtur colligi poſſe quicquid in toto remanſit, id eſſe coctum & victum: nam ſi excrementa aliqua prava fiunt in corpore, eâque ſeparata à bonis ſuccis, pro maiori parte ad partes imbecilles tranſmittuntur, proinde tanquam cocta vacuari poſſunt: hac de cauſa *Galenus* 1. loc. 2. adoleſcenti alopęcia laboranti, ſimul ac eum viſitavit, colocynthidem dedit: Sed, An etiam licet in Catarrho frigido materiam ab initio citra præparationem purgare? aliquis inde confirmaverit, quod ſi eſſet copioſa, & moveretur ad pectus vel ad fauces confertim, eo modo quo poteſt, immineret certè periculum ſuffocationis & aſthmatis, cui nonniſi purgando ſtatim obviam iri queat: verùm, ſi purgans detur, quia materia hæc ob lentorem & craſſitiem contranititur medicamento, facilè fieri poteſt ut agitetur, atque præcipitata in partes dictas, mala illa pariat, aut graviora in cerebro, quare clyſteres acres ſubſtituendos credo. *Claudinus Tractat. de Catarrho.* Si plenitudo cogat nos vacuare corpus, utendum iis quę aliquam adſtrictionem relinquunt. *Rondeletius.*

IV. Si Catarrhus admodum contumax fuerit, ad *Vomitoria* confugiendum eſt, quæ illius materiam potenter eradicant: *Riverius. Veratrum dare his oportet, quibus à capite fluxio fertur. Hippocr.* 4. acut. 302. Per veratrum dare, ea tantum purgatio intelligenda eſt quæ fit per vomitum: certum enim dum veratri ſimpliciter fit mentio, album perpetuo eſſe intelligendum, quo ad ſuperiorem purgationem frequentiſſimè utebatur antiquitas: Lib. et. de loc. in h. ſ. 2. v. 133. Fluxione à capite fiente vomitum convenire teſtatus eſt, & ratio eſt, Quia partes ſuperiores, ubi morbi radix viget, inaniuntur; humorúmque fit revulſio, qui deorſum ruentes partibus inferioribus morbos faciunt. *Pr. Martianus commentar. in eum locum. Vide ſupra. tit. de Cap. affect. in gen.*

V. Omnium Catarrhorum cauſa ſunt cruditates, *Crato*, Et impuritates non tantum ob vitium primæ & ſecundæ coctionis, verum etiam tertiæ, quæ unice ob partium quarumlibet debitam nutritionem fit, cujus depravationis quoque cauſa eſt Archeus à cauſis externis laceſſitus, & proinde munia appropriatæ digeſtionis negligens: Certum enim eſt axioma, ubi alimentum, ibi quoque excrementum, & ubi nutritio, ibi quoque excrementorum ſegregatio, vel, ſi ea nutrix langueat, eorundem collectio: Non ergo neceſſe eſt ut ad Catarrhos & humorum deſtillationes tam anxie refugiamus, cum quælibet pars, ſi infirmitate quadam laborat, propria ſua excrementa præter naturalia manifeſto congerere valeat, eo modo ut *Helmontius* expoſuit. *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. c. 21.*

VI. In *Catarrho ſuffocativo Vomitoria* multorum inſtar æſtimantur remediorum, quod iis opportune datis, cauſa tum antecedens educatur, tum ipſa continens, Pulmonum intruſa bronchiis extrudatur: Notandum tamen ſi vitium in tota maſſa ſanguinis hæreat, & per arterias cum ſanguine humores vitioſi mixti magno cum impetu ad pulmones ruant, fermento quodam exotico concitari, ut Suffocationis periculum impendeat, quemadmodum ſæpę in ſcorbuto & malo hypochondriaco uſu venire ſolet, tunc Vomitoria non juvare ſed venæ ſectionem. *Frideric. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 9.*

VII. Magna cautela & diſtinctione in curationibus Catarrhorum opus eſt; Tractandus enim aliter calore nativo deſtitutus ſenex, perpetua cruditate laborans: Aliter fervidus juvenis, qui ſero bilioſo facile fermentante abundat: Aliter quorum viſcera diſtemperata, capútque præhumidum hanc proluviem creant: Aliter qui ex crapula & cruditate hæc otia ſibi ipſis faceſſunt: Aliter Catarrhus in principio, dum humores incaleſcunt, fermentantur, moventur; Aliter ceſſante ebullitione tractandus, Aliter demum reſpiciendo materiæ qualitatem, quantitatem, & motum incedendum erit. *Franc. Ignatius Thiermair. lib. 2. conſ. 1.*

VIII. [illegible] concoctio & maturatio eſt illorum ſubſtantiæ & qualitatum moderatio, aut adæquatio, quæ præcipue fluxus curat & maturat, Proinde *Hippocrates* de Veter. Medic. Fluxiones, *inquit*, omnes quas propter humorum acrimonias & intemperantias ego fieri ſentio, reſtituuntur & curantur ubi temperatæ fuerint & coctæ, id eſt, craſſiores redditæ: ut in Ophthalmia ardor oculorum & phlegmon ceſſat, quum fluxiones fuerint concoctæ, & craſſiores factæ, & lemæ, id eſt, oculorum ſordes ſublatæ fuerint: Fit autem concoctio ex permiſtione, temperaturáque mutua, quaſi coctura, *Et ſubdit.* Quinetiam fluxiones in fauces decumbentes, ex quibus raucedines fiunt, anginæ, eryſipelata, peripneumoniæ, omnes hæ primum ſalſæ humidæ acreſque deſcendunt, in quibus morbi firmantur: ubi vero craſſiores factæ, & maturiores fuerint, & ab omni acrimonia liberatæ fuerint, tunc & febres, & quæcunque ex Catarrhi defluxu oblæduntur ſolvuntur; Nec tamen initio medicamentis irritandæ ſunt ante concoctionem, ut ait *Plutarchus libello ad Apollonium*; Neque, *ait*, optimi Medicorum ad copioſos humorum affluxus ſtatim medicamentorum auxilia afferunt, ſed ſinunt gravitatem phlegmonis per extrinſecus inuncta ipſam per ſe matureſcere, quoniam tempus omnia matureſcere ſolet: Id non tantum in corporum morbis, ſed in animi quoque affectibus verum eſſe *Oceanus* apud *Æſchylum* tradidit, qui Jovem non in primo iracundiæ fervore, ſed poſtquam iram concoxerit orandum & compellandum eſſe Prometheo ſuadet. *I. Langius Epiſt. 160. lib. 2.*

IX. Magna religione ad *ſiſtentia* veniendum; niſi enim gravia urgeant ſymptomata, ſiſtentibus non utimur ante humorum purgationem ac eorum revulſionem: attamen ſi ita effundat ſe humor in pulmones, ut graviſſimam tuſſim, vigilias, metum ſuffocationis aut exulcerationis acerrima vi afferat, illico & ante purgationem ſiſtimus hunc effrenem motum: Studendum ut ſiſtentibus noctu & à coena utamur; quæ enim inſedit jam ſpiritalibus partibus materia, debet expectorari: ſed noctu eò fertur maximè, nam ſomno ſucci intro repunt. *Heurnius.* Quæritur an Catarrho ſiſti debeat, nefas enim eſt noxium humorem in principem partem, caput, regeri, & meatus, per quos evacuatur, occludi? At nolumus præcludere vias, ſed humorem tantum incraſſare ut facilius excludatur, ne majus malum afferat. *Enchir. Med. Pract.* Vide *Bruele* cap. de Catarrho p. 168.

X. Dubitatur num fluxionis compeſcendæ cauſa, *ſinciput vel occiput inurendum* ſit? Quidam

dam uſtionem juxta ſuturam coronalem magis probant, quod per hanc partem capitis, omnium laxiſſimam apertiſſimamque, vis ignea in cerebrum latè profundeque promptius pertundatur: ac aperta ea parte cutis cerebri excrementa per hanc commiſſuram efferantur, inuſtæ cutis cruſta detracta, & ulcere ſervato aperto; Aliis altera uſtio magis arridet, quod collecta in capite excrementa ob ſitum decliviorem commodius per ulcus in occipitio factum vacuari poſſint. Ego diſtinctione hac utor, In fluxionibus quæ à capite feruntur duplici conſilio caput urimus, vel exſiccandi, roborandique cerebri juſto humidioris gratia, vel deſtillationis præcipitis ſiſtendæ, in oculos, fauces aut thoracem irruentis: qua ratione nos cum *Avenzoare & Paulo* Sinciput liberius inurendum mandamus, quia & ratio hoc perſuadet, & *Gal.* in hunc uſum medicamentum rubificans in nobili Romana anteriori capitis parti admovendum præcepit: Vel talis uſtio adhibetur, ut cruſta poſtea abjecta, ulcus ea in parte apertum diu detineatur (Cauterium appellant) per quod cerebri excrementa ſupervacanea ita deriventur, ut à ſubjectis partibus nobilioribus avertantur, Tunc uſtio (ut emiſſarium diu geſtandum in occipitio) conducibilior videtur, præſertim declivioris ſitus ratione. *Zecchius conſ.* 18.

XI. Fiat *Cauterium actuale in ſutura coronali*, & candente ferro, uratur locus uſque ad pericranium, & ſtatim imponatur ſtuppa intincta in ovi albumine cum aqua roſatum in aceto: deinde ad viij. horas imponatur butyrum contuſum cum folio caulis, & ſic mane & veſperi locus emplaſtretur donec decidat eſchara: quo facto indatur tormini granum ciceris, & ſupra folium hederæ, ſicque diu detineatur locus apertus: hoc enim remedio multos actu phthiſicos priſtinæ ſanitati reſtitui: Etſi autem videri poſſit abominandum medicamentum, tamen tutiſſimum eſt, & ſine aliqua noxa adhibetur, cum quo etiam plurimos Catarrhos ad thoracem delabentes compeſcui. *Helidæus de Paduanis Conſil.* 80. *apud Scholtzium.* Cauteriorum commodus uſus eſt ob perennem materiæ generationem, ex partis fracta oeconomia; imprimatur id capiti ſenſim cum ſtilo tentando: Nam commodè capiti inſerri debent, alioqui damno eſſe ſolent, ut prudenter monuit *Montanus* conſ. 36. ubi ait, *A cauteriis capiti adhibendis, etenim ſi viderim in his magnos effectus, abhorreo, nam rarò commode ea poſſe fieri ſcio, & ut bene fiant, magnum ſemper adeſt periculum, Et vidi ego Venetiis puellam, & Patavii adoleſcentem, utrumque à Catarrho non deſperatè, ab admotis cauteriis miſerè periiſſe, cum tamen à præſtanti Chirurgo & ſine dolore fierent: Hujus cauſam exiſtimo fibras illas duræ matris tranſeuntes meatus cerebri, & alligantes cerebrum cum nervis commixtis, quæ ſunt valde ſenſibiles, unde facta aduſtione ad os uſque, illæ partes facile læduntur, unde ſpaſmus: Præterea ſunt quædam capita quæ habent ſuturas valde largas, per quarum commiſſuras majores etiam duræ matris portiones tranſeunt, quæ proin facile læduntur: Si tamen hæc bene imponantur, ita ut non adurantur nervi, proſunt*: Sed inde eſt periculum, propterea *Galenus* non meminit cauterij, ſed veſicatorii, ubi de pulmone periculum eſt. Arabes potiorem cauteriis fidem dedere: ſed illico agendum, periculi plena hic eſt mora. *Heurnius cap. proprio.* Tutum illius uſum judicat *Claudinus Reſponſ.* 3. ſi hæc obſerventur 1. an Cerebrum per eſſentiam & ſua culpa afficiatur; alias iniquum eſt ſi in Catarrho, ait *Vincentius Alſarius* lib. 1. de morb. cap. 9. qui ab hepatis calidiore intemperie proficiſcitur, caput uſturæ ſupplicium luat quod non deliquit; adderetur ne continens Catarrho materia: 2. Ut initiora prius tententur, pulveres, cucuphæ &c. 3. Ut diu apertum non detineatur, ne alia ſequatur noxa, atque aliud in cervice vel brachio ſubſtituatur: Adde ex *Caſalpino* 5. Artic. Medic. cap. 41. Ne in membranam cerebri, cum periculo Phrenitidis (quod vidit *Zecchius* conſultat. 1.) tranſcurrat vis ignis exurentis, funiculo accenſo, ut in nervoſis locis conſuevit *Hippocrates*. *Agitatam fuſius quæſtionem videre cui lubet, adeat Fienum lib.* 7. *de Cauter. cap.* 22. *Julium Caſar. Claudinum Reſponſ.* 3. *Severinum Pyrotechn. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 11. *Apparatum vero & modum imprimendi apud Scultetum Tabulis* 3. *&* 30. *Van Horne Microtechn. ſect.* 2. *part.* 1. *paragr.* 2. *Glandorpium Tract. de Caut. cap.* x 1.

X I I. Vidi ægrum xxxx. annorum, bilioſum, macium, laborantem Catarrho acri & ſalſo à capite in pulmonem delabente a quatuor annis, cui ab initio curationis applicui duo *Cauſtica inter duas ſcapulas*, ſpina dorſi intermedia, latitudine duorum digitorum; juſſique ut ſemel in hebdomada cucurbitula ſuperponeretur: quod remedium tantum præſtitit, ob ſeroſitates quæ in magna copia ſingulis vicibus educebantur, ut integram curationem illi ferè adſcripſerim. *Io. Marſin ad Riverium Obſerv.* 6.

X I I I. A *Cauteriis* ſeu potentialibus, ſeu actualibus, in ſutura coronali nil niſi damnum ingens expectare poteſt Medicus: quamvis enim commendentur ab *Aëtio, Avicenna, Ægineta*, nihilominus ea approbare non poſſumus: Nititur hæc commendatio veteri hypotheſi, Cerebrum eſſe fontem Catarrhorum, quæ tamen nunc expiravit. *Rolfincius conſult.* 1. *lib.* 5. Non generatur Catarrhus in cerebro eò quod excrementa privata & publica ibi congregentur, eaque defluant ad nares vel fauces: Pauca cerebrum habet excrementa privata; publica ab *Argenterio* excogitata, ex toto corpore ad idem confluentia, nulla, nec humida, nec vaporoſa: figmentum eſt cerebrum eſſe inſtar cucurbitæ, aut alembici, aut inſtar tecti domus, quod vapores excipit; aut inſtar mediæ aeris regionis, in qua ex terra aſcendentes vapores condenſentur, inſtarque pluviæ aut nivis in microcoſmum decidant: Occaſionem horum Catarrhorum præbet totum corpus: hoc per arterias ſanguinis atomos impuras, antequam ad cerebrum perveniat, aut in membranam naſi, aut faucium deponit: Imbibunt & tranſudant membranæ hæ atomos has hoc modo: Arteriæ, ex parte etiam venæ, in ſpongioſis naſi & faucium carnibus araneorum telæ inſtar divaricantur, & roris in modum tranſſudant, eo modo quo alimentum, & liquor in ollis novis fictilibus: Catarrhus hoc modo penetrans, dum à membrana non alteratur, tenuis defluit &c. *Idem ibidem. Plura qui volet, legat. ejus Differtat. Annium lib.* 6. *cap.* 50. *& Schneideri volumina v. de Catarrhis.*

XIV. Error eſt recentiorum qui ad fluxiones *Decoctionibus ex aqua* utuntur, cum conſtet quæcunque ſub forma potus aſſumuntur, etſi facultate ſint ſicca, humiditatem tamen ſemper augere in corpore, præſertim ſi inter cibum aſſumantur. *P. Martianus comment. in v.* 123. *lib.* 1. *ſect.* 3. *de morb. mul.*

X V. In Catarrhi deſcenſu, qui vehementem tuſſim plerumque excitat, initiò vehementer irritantia nocere notum eſt: Verum etiam illud diligenter advertendum eſſe à me notatum, ne noctu aut veſperi, tempore decubitus, irritantia & *ſputum vehementer moventia* ſumantur: id enim ſi fit, tum commotione materiæ ſomnus impeditur, & ſæpe periculum ſuffocationis excitatur, dum tuſſiendi conatu vehementi mota materia repente inferius præcipitatur: quare, ut & ſomnus promoveatur, & Catarrhi materia per quietem coquatur ac incraſſetur, & vires capitis magis firmentur, proderit decubitus tempore vel ſaccharum roſaceum, vel aliud quiddam ore continere quod humores incraſſet, & ab omnibus irritantibus tuſſim abſtinere: Si tamen ſomni tempore peracto ſputum facile efficientibus opus ſit, adhibeantur moderatiora, ne nimis commota materia defluens moleſtiam evidentiorem concitet & Catarrhorum delapſus augeatur. *Oethem apud Schenck.*

X V I. *Catarrhus ſalſus* ſi fluit ad pectus, non hæſitandum in uſu *purgantium*, *Gal.* enim & ipſe 5. meth. 14. purgationis cauſa exhibuit Pilul. ex aloë, ſcammoniu, colocynth. agar. bdellio, & gummi arabico: quorum tamen tutior fuerit uſus, ſi incepta evacuatione bibendum detur ſerum caprinum præpar: aut aqua hordei ad ℔ i j. vel i i j. Purgant tenuem materiam, non expectata coctione, Elect. de ſucco roſat. diaſcbeſten ſolut. Troch. de violis cum ſcammon. &c. *Fortis Conſult.* 14. *cent.* 2.

X V I I. Viſceribus & ſanguine contemperatis, innoxie *Pilulæ capitales*, bis ſaltem exhiberi poterunt, ex cochiis ſimpl. aureis & maſtich. compoſitæ: Si quidem *Gal.* pilul. validiſſimas ex aloe, ſcamm. coloc. & agarico admiſit, etiam in ulcere pulmon. 5. meth. 14. Semper tamen aut ſero, aut aqua hordei, a pilulis, epotis, ad viſcerum exſiccationem & incaleſcentiam inhibendam. *Fortis Conſ.* 18. *cent.* 2.

X V I I I. Aliquando cerebrum temperatum eſt, Catarrhorum tamen ferax, ob meatuum, per quos excrementa in nares expurgat, anguſtiam, vel nativam vel adſcititiam: hinc cum ejus excrementa per debitos canales non effluant, in cerebro aucta per alias vias deſtillationes efficiunt: quod patet iis quibus inter dormiendum nares reſonant, & ore hiante dormiunt. *Zecchius.*

X I X. Omnibus morbis à Catarrho natis hoc accidit ut quo magis ſtudemus *vacuationibus & repulſionibus*, eò magis irritemus humores: Quæ cauſa eſt? Non eunt humores quo nobis placet, ſed quò via patet; argumento ἀφύλῳ viarum laxitatem morbum eſſe proximum: Cur ergo utimur talibus? ut imminutis humoribus malum fiat brevius. *Hofmannus in Inſtit.*

X X. N. 55. annor. temperamenti cal. & hum. poſt multos in victu errores, maximè animi curas, ſtudia, meri potum, parentibus natus catarrhoſis, correptus erat deſtillatione à capite in dextram partem totius corporis, cum quadam immobilitate linguæ, brachij & tibiæ ejuſdem lateris, qui tamen affectus omnes convenientibus remediis ceſſerunt, remanente quadam gravitate & ponderis ſenſu in brachio dextro & tibia ejuſdem lateris; impediente quò minus munia ſolita obiret: Conquerebatur etiam de quadam imbecillitate capitis, ita ut cum ſurſum vel deorſum, dextrorſum aut ſiniſtrorſum caput aut oculos converteret, turſúſque caput in naturali ſitu componeret, ſtupidus quaſi atque attonitus remaneret, imò nonnunquam titubaret: Harum cauſa licèt cauteria geſtaret in inio & brachio dextro, nullum tamen inde fuit emolumentum, Incaſſum quoque aquis Plumberianis uſus: Huic *Prevotius* fauſto ſucceſſu conſuluit vina medicata, uſum Terebinthinæ cum Caſtoreo: decoctum buxi, Chinæ, viſci querni, lentiſci cum ſalvia & chamæpyti: Theriacam præterea cum ſaccharo roſaceo; & inter externa, liquamen anſeris cum ſpiritu roriſm. panno coccineo applicandum, poſt ſtillicidium ad nucham. *Velſchius obſ.* 14.

X X I. Ad prohibendum Catarrhum deſcendentem in pectus, aliquando neceſſe eſt ut *Veſicetur totum caput*, quò diſſolvatur Catarrhus, ut exeat extra cutem & non fluat ad pulmonem, quod nonniſi calidiſſima efficiunt, quæ afficiunt virturem, calefaciunt totum corpus: ideo timoroſum in febribus talia calida adhibere capiti: Quorum vice velim ut tunderentur capilli uſque ad cutim, & velim imponere pulveres (ex quo non poſſunt cauſtica probare) ex ſandaracha, maſtiche, roſis, quæ non calefaciunt vehementer, ſed exſiccant & confortant caput ne deſcendat materia. *Montanus Conſult.* 145.

X X I I. *Cerata* capiti admota retinent fluxionem uſque ad tempus, poſtea tota materia repente decidit, unde repentina ſuffocatio: per duos aut tres dies manet, quia ſuſpendit Catarrhum, interim multiplicatur, & in termino duarum horarum ex repentina deſcenſione ſuffocantur. *Montanus.*

X X I I I. In pervicaci capitis deſtillatione probo *Capitis Fotus*, aſſiduo uſu ex ſacculis, milio, furfure, ſale, & maiorana imbutis, ſed ſine frictione, ex linteis calentibus, ut calor in profundum ſubeat, & humorem concoquat: In Catarrhis enim capitis frictionibus nequaquam utendum eſſe nemo eſt qui ignoret. *Zecchius conſ.* 10.

X X I V. Interdum ex minus dulcibus *Formulas fluxiones inhibentes* parari oportet, ob ægri guſtum, aut quia dulcia nimis detergendo, & celerando defluxionem excitent; Ut nos aliquando pro Cardinale à Turnone paravimus ex acacia aliiſque acidis & minus dulcibus, ex quibus magnam percepit utilitatem: Foramina enim illa quæ poſt uvulam ſunt, per quæ pituita expurgatur, laxa ſunt, & continuo fluit per ea pituita: Conſtringenda itaque pars ea eſt: Omittantur autem ſpica, quæ ingrata, & cinnamom. tenue, quod excitat defluxiones: *Rondeletius p.m.* 984.

X X V. Nonnulli *Suffitus* improbant *Hippocr.* aphor. 28. 5. nixi: at ſi purgato corpore, venîſque totius habitus pravis ſuccis calidis minimè ſcarentibus in uſum veniant, refrigerato cerebro aliquando conducere certum eſt, qualia ſunt è nigellæ ſemine, thure, ſaccharo, aceto calente, pulvere ſtiracis cum ſaccharo & parum ſuccini albi: Huc refer Tabaci fumum, qui phlegmaticorum humorum copiam in os prolicit, de quo *Heurnius* lib. 1. meth. ad praxin, *Mira vi*, ait, *ſuffitu admiſſa prædita eſt Nicotiana, etenim mira ubertate ore ac naribus pituitam evocat: arida folia carbonibus igne candentibus injiciuntur, ac fumus excipitur ore hiante, ex infundibuli anguſta fiſtula: totum enim cerebrum pervadit, & in aures eadem arte infertur, & quoque uterum: Id affirmare poſſum hanc herbam peculiari ratione cerebro dicatam eſſe, facilèque eò viam affectare ac id ab omni inquinamento eluere &c.* Frequens verò ejus fumus naturæ vim infert, corporibus præſertim juvenibus & biliofis; ut frigidis & humidis nimis cerebris, quæ madore & pituitâ diffluunt, conducit; Inter cautiones, præcipua ſit, ut ad neceſſitatem, non ad libidinem uſurpetur, parcitas adſit & modus; purgetur priùs totum & caput ſternutatoriis &c. vehemen-

hementes autem Suffitus damnat *Crato apud Scholtzium*, quos Catarrhoſis cavendos eſſe ait, & quibus caput eſt infirmum: Italorum improbans morem, qui ſtuppam cannabis vel lini, vapore thuris calefactam, aut ſuccini &c. ſuturæ coronali imponunt; offendere aſſerens, materia Catarrhi cohibita, ubi ſcilicet copioſa eſt, ac præſertim ſi caput eſt calidum. Ne autem caput gravent, extra conclave linteamina &c. ſuffiantur.

XXVI. In Catarrho *pituitoſo* temeritatis ſit à *febre* excitata auxilium petere, non tentata prius alia curatione per evacuationes, remedia incidentia, coquentia & aperientia; præcipuè ſi hominem eſſe cognoveris ex iis qui non ſolent leviter febricitare: Eſt tamen etiam aliquando veniendum ad febrem. *Valleſius meth. Med. l. 2. c. 13.*

XXVII. Nihil nocentius in deſtillationibus adhiberi poteſt, quàm ea quæ humores attenuare ſimpliciter poſſunt: quod notare vellem recentiores, qui in frigidis deſtillationibus ad *Gaiaci* & aliorum attenuantium decoctum tam libenter confugiunt, non animadvertentes ex horum uſu deſtillationes in dies augeri, quas concoquentibus, & mediocriter incraſſantibus curandas eſſe *Hippocr.* docet &c. *Martianus comm. in verſ. 14. ſect. 6. lib. 2. Epidem.* *Diæta Sudorifica an conveniat* vide *Tr. de Sudorificis lib. 19.*

XXVIII. *Serum caprinum*, pro ſuperanda diſtillatione calida, quidam Medici proponunt: at noxium indico, quia etiam ſi refrigeret, humectat tamen; &, quod magis refert, caput ipſum vſque adeo replet, vt deſtillationibus obnoxii ex vſu ſeri incurrant dolores articulares. *Saxonia Præl. Pract.* Acidulas ſero caprino præfero, Serum enim humectandi facultate pollens non poteſt non augere fluxiones. *Silvaticus conſ. 93. cent. 1.*

XXIX. Dubium eſt an *calido ſtillicidium* conducat? Per diſtinctionem ſic ſolvitur: In calido materia morbifica in thoracem vel actu fluit, vel imminet ne fluat: Si actu fluat, prohibens præſens eſt materia, ut peccat ſecundum motum; ideo prohibet medicamentum actu frigidum: nam hujus vi augeretur vitium materiæ in motu, ſi quidem materia actu fluens in pulmones, per medicamentum actu frigidum magis flueret: Si autem immineat ne materia fluat, tunc materiæ motus non prohibet, quoniam non eſt præſens: quare quod prohibet, cùm neceſſariò ſit præſens, eſt thoracis debilitas: Ob id *Aëtius* probat ſtillicidium actu frigidum, niſi thorax facilè offendatur: id eſt, dum ita eſt imbecillis, ut promptè ſuſcipiat nec expellat: id eſt, dum thorax eſt vel humidior, vel laxior. *Capivaccius.* Quidam, vt *Aëtius*, proponunt ſtillicidium ex actu aqua frigida; Alij ex calida actu; Alii ex calida potentia, ſive actu frigida ſit, ſive actu calida: Nos ſic rem decernimus, In Catarrho calido fluente ad partes thoracis, poteſtate calida, acria & exulcerantia neceſſariò admoveri debent, frigidis omiſſis, ex quorum vſu materia promptius in pulmones laberetur: At vero obi nullus eſt materiæ in pulmones defluxus, ſed tantum corpus fuerit calidum, corrigere intemperiem, & reliquias materiæ digerere opus eſt lotionibus vel fomentis, & epithematibus potentia frigidis, actu verò potius calidis. hac ratione conſueverunt Medici uti ſtillicidio ex aquis ferratis acidis. *Saxonia in Prælect. Practic.* Vide *Silvaticum centur. 1. Conſultat. 93.*

XXX. Exhiberi poterunt in calido *Aquæ Thermales* frigidæ Villenſes, vel Ficoncellæ xij. vel xv. diebus, ad lib. x. vel xij. dum enim per urinas tranſmeabunt, deobſtruent, jecur refrigerabunt & caput, quod inde deſiccabitur: Nec metus eſt in caput exhalaturas, quia caliditas hæc actualis & accidentalis non durat, potentialis autem frigiditas vires ſuas imprimit. *Silvaticus conſ. 93. cent. 1.* Videant verò omnes quibus hepar calidius eſt, & defluxionibus ad pectus obnoxij, ne thermis Valeſianis utantur, (aut ſimilibus) excalefacto enim hepate protinus vapores multi ad caput mittuntur, unde defluxiones ad ſubiectas partes augentur. *Fabr. Hildanus cent. 5. 82.*

XXXI. Obſervavi in iis civitatibus quibus diſtillationes à capite ſunt familiares, qualis Roma eſt, mulieres ex ſola *capitis lotione* à doloribus, qui à diſtillatione à capite ortum ducunt, ſtatim liberatas eſſe: ab ea enim capitis pori aperiuntur, per quos evaporationes, quæ à cutis denſitate retinentur, unde deſtillationis materia augetur, exhalare poſſunt, humorúmque acrimonia mitigatur, quæ eſt cauſa ut fluxio perduret & dolorem inducat. *Pr. Martianus in verſ. 14. ſect. 6. lib. 2. Epidem.* Lotiones ex decocto frigidarum ac ſiccantium herbarum, cum in abſterſione pleramque peccetur, parum probo: Verū cum vel conſuetudo, vel neceſſitas ſequitur, lixivium in quo folia roſarum rubearum, & folia myrthi ſint cocta, adhiberi poteſt, modo poſtremo aqua frigida caput abluatur, & pannus calidus fumigatus pulvere roſatum atque ſtirace applicetur. *Crato apud Scholtzium conſ. 21.*

XXXII. Qui frequenter defluxionibus laborant, in *Catarrhum ſuffocantem* interdum incidunt, qui non minùs periculoſus eſt quam Apoplexia: Sanguis verò, de conſilio Medicorum, ſtatim mittendus, frictiones in ſpatulis, collo, brachiis, item ligaturæ fortes faciendæ: Veſicatorium apponendum ſupra commiſſuram coronalem ex fermento, cantharidibus & aceto: loch de ſcylla cum oxymelite & ammoniaco dandum, ſi materia craſſa eſt, vel, ſi tenuis, ad pilulas de cynogloſſa (tamen ne ℈j. in doſi excedamus) perveniendum: Hæc ideo moneo, quia in ſubitis morbis ſæpe animi Medicorum ita conſternati ſunt, ut de remediis cogitare nequeant. *Crato.* Sæpe Medicus incidit in Catarr. Suffocativos, circa quos moneo, ut exiſtente plenitudine, & incipiente materia figi in aliquo membro nobili, ſtatim ſecetur vena: præterea ad thoracis dilatationem, & pro dilatando anhelitu, ſuper vertebras thoracis imponatur cucurbitulas ad hæc, & ad diverſionem, partibus carnoſis ſcapularum pariter cucurbitulæ alligantur: Sic enim plures evadunt, quemadmodum plures pereunt, ſi cum aliis remediis materiam agitantibus procedatur. *Claudinus.*

XXXIII. *a.* Cum per eſſentiam & primario in capite Catarrhus generatur, *Revulſiones & derivationes* fiant partibus ſuperioribus, brachiis, occipiti, ſincipiti: nam ſi inferna partes irruentur, deſtillatio promptios in thoracem deſcendit: Contra verò, ubi aſcendit Catarrhus vel à toto, vel à partibus inferis, congruæ ſunt revulſiones circa crura, ſive ſint cucurbitulæ ſcarificatæ, ſive non: Vulgus plantas, pedum allij ſucco fricat. *Saxonia.* Obſervandum dum humor fluit, & nihil in parte firmatum eſt, nec humeris, nec collo cucurbiculas eſſe alligendas, ut quidam volunt; nec ligandas aut aſperius fricandas partes exteriores, id enim auget defluxionem & ad partem affectam humores trahit: Satius fuerit capiti raſo cucurbitolas admovere, ſi modo poſſint adhærere, & fluentis humoris impetum ſiſtere: Poſtquam vero conſiſtit fluxio, expedit derivare ad partes vici-

nas, vel ab interna parte ad externam, & tum cucurbitularum uſus circa illas partes utilis eſt. *Rondeletius lib. 3. cap. 1.*

XXXIII. *b.* Catarrho in ventriculum influenti an *Errhina* & *Maſticatoria* conveniunt? Si ſuſpecta ſunt in diſtillatione è capite in thoracem, erunt quoque ſi in ventriculum decumbãt, patentiſſimus enim meatus à naribus in palatum, & inde in os, unde in ventriculum per gulam facillime perveniet: at cum attracta per palatum in os materia facile per ſputum, antequam ventriculum ſubeat, evacuari poſſit, eorum uſus non formidandus: Alia eſt ratio de Catarrho in membra ſpiritualia incumbente, ſi quidem furtim ſæpe irrepens, & inſenſibiliter per omnes aſperæ arteriæ partes in pulmones defluit, ita ut per ſputum foras detrudi tunc minime poſſit. *Zecchius conſult. 72.*

X X X I V. Videntur omnes convenire *tenuem victum* omnibus competere; hæc tamen ſententia univerſaliter non eſt intelligenda: Initiis quidem eſt accommodatiſſimus, ſed vacuato jam corpore; & inedia v i j. vel v i i j. dierum non modo fruſtra, ſed & cum periculo injungitur; ratio eſt, quia calor naturalis ex defectu alimenti marceſcit, ideo coctio non poteſt fieri: Accedit in Catarrhis calidis bilem fieri magis acutam & mobilem, confluere ad ventriculum, & caput replere: itaque poſt v i j. diem deſiſtant à victu admodum tenui: In frigido autem Catarrho tenuis victus vſque ad tertiam diem mirabiliter confert, & compeſcit, quaſique illico extinguit imminentes deſtillationes, ut propterea ſcribat *Heurnius* ſe dum abſtinuiſſet triduò à potione, deſtillationem ſtatim ſanaſſe: Cæterum ubi in longius tempus protrahitur, tenuis victus ratio non convenit: Itaque, quicquid alij ſentiant, conſulo vt non tantum moderatus præbeatur cibus, ſed etiam poſt incrementum potus vini concedatur. *Saxonia in Practic. Prælect.* Conſideratione digniſſimum eſt inedia fluxiones moveri & augeri, & concoctionem morbi impediri; cum tamen nihil adeo à Medicis celebretur quàm cibo & vino fluxiones augeri, inediâ & aquâ cohiberi (ego morbos omnes pendentes ex fluxione à communi cibandi ratione excepi) & concoctionem morbi cibo prohiberi, ac proinde morbo conſiſtente in ſummo vigore, & parum ante illum detrahere *Hippocrat.* jubet, ut natura vacet concoctioni morbi, quæ eo tempore magis viget: Sed etſi hoc ita ſit, nihil faciendum eſt nimis: pleraque enim facta nimis, per accidens afferunt noxas, quas cum mediocritate ſuſcepta nata ſunt prohibere: Inedia ſolet morbi concoctionem promovere, ea ſi tanta ſit ut elevèt ſomnum, hanc ob cauſam eam impedict. *Valleſius commentar. in libr. de Acut. pag. 86.*

X X X V. *Siccans victus* videtur conveniте ex lege contrariorum, cum Catarrhum faciat abundans humor: Sed quænam eſt cauſa materialis Catarrhorum? multitudo humoris, pituitoſi, craſſi, tenacis, & frigidi; Expende nunc num victus ſiccans futurus ſit contrarius; nam multitudini debetur vacuatio; craſſitudini attenuatio: lentori deterſio ſeu inciſio; frigiditati calefactio: Multitudinem non tollet vacuatio quam facit victus ſiccans, quoniam per hanc tenues tantum humores ac ſeroſi evapotantur; craſſi contumaciores fiunt: Neque hic humores attenuabit aut abſtergebit; nam calor in humores agens, eum primo abſumit qui in halitum tranſmutari facilius poteſt, ſegnius in craſſum lentúmque, qui primus abſumendus venit, cum morbum faciat & augeat: Neque calor hic utilis qui exſiccante victu comparatur, nam calor omnis ubi non habet in quod agat, humidum radicale adoritur: Inutilis ergo ſiccans victus, & quod corpus fraudet alimento, & quod contumaciores reddat humores. Non diverſa ſanè ratione fiunt fluxiles tenaces humores in corpore, quàm artificum gluten, quod liquidum fit, non aridis ſed liquidis: *Galenus* de eorum quæ pulmonem obſident expectoratione agens, libro de atten. vict. rat. Non incidenda tantum, ait, aut calefacienda quæ è pulmone educi debent, ſed moderatè etiam humectanda, ne ſiccentur ſputa, ac lenta reddantur: atqui non aliter attenuandi humores qui ad caput feruntur quàm qui ad pulmones. Corpora quidem, in quibus humores frigidi, craſſi ac lenti abundant, ciborum tenuantium uſu levari, ait ibidem *Galenus*, Sed ea ſententia à corporibus ad humores transferenda non eſt, qui non actu ſiccis attenuandi ſunt, ſed ſorbitionibus quibus incidentia incoxerint, actúque liquidis. *Botallus de Catarrho cap. 10.*

X X X V I. In cujuſcunque Catarrhi principio, ſive calidus, ſive frigidus exiſtat, à *Vino* abſtinendum eſſe cenſeo, quia magnam habet vim caput implendi & evaporandi; licet non exigua ſit differentia vinorum in eo quod magis & minus conſiſtens: In calida quidem deſtillatione, abſtinendum uſque ad remiſſionem ſymptomatis, in frigida verò, donec ab humorum excrementitiorum copia perpurgatum fuerit corpus; atque tunc primum utendum eſt oligophoro, aquæ mixtione refracto & contemperato; aut exhibendus poſt vinum ſtatim aquæ potus, Hippocratis conſuetudine, qui ad corrigendum vini generoſi robur, (ita enim ille loquitur) aquam ſtatim ſuprabibendam conſulit. *Horatius Augenius Epiſt. & Conſult. lib. 3. cap. 3.*

X X X V I I. *Situs Capitis* convenientis electio, ſpectat vel materiæ ad caput aſcenſum, vel ejus è capite in ſubditas partes delapſum: Quoad aſcenſum, certum eſt, cum humores ſponte propria gravitate deorſum ferantur, difficilius in erecta figura quam decliv ì caput petituros, quod facile quiſque in propria manu, ſi pendulam teneat, experiri poterit: quanquam aliter *Mercuriali.* Ariſtotelem ſequuto, viſum, cenſenti figuram erectam vaporum & humorum aſcenſui favere, quod concedendum eſſet ſi ij liberè in corpore, inſtar vaporum in aëre vagarentur, at in homine ſimilitudo non valet, quod ij valorum ductum ſequantur: hinc *Oribaſius* decubitum à pedibus altiorem organa ſenſuum replere ait. Deſcenſum Catarrhi quod ſpectat, indubium eſt humores capite contentos, in erecta figura promptius, iuvante innata gravitate, deſcenſuros: hinc, ſi partes Catarrhum ſuſcipientes graviuſquam caput tranſmittens afficiantur, declivis huic ſitus detur: Sin commodum in caput redundet, quod ſe in ignobiliores partes onere liberet, altum ſubſternatur pulvinar: Monente autem *Celſo* lib. 4. c. 4. ſi adſit difficultas ſpirandi, quod ſæpe in deſtillatione accidit, caput in lecto ſublime habendum eſt.

XXXVIII. Mulieres Catarrhos geminant dum volunt frigidum caput *Integumentorum* multitudine contegere; calefactum enim cucurbitulę inſtar è ſubjectis partibus attrahit. *Enchir. Med. Pract.*

X X X I X. *Somnus*, quicquid ſentiat Salernitanorum ſchola, in Catarrho calido debet eſſe prolixior: refrigerat enim, tenuem incraſſat & concoquit, idcirco à fluxione prohibet, *Saxonia Præl. Pract.*

XL. *Exercitatio* partium infernarum omnium maximè eſt neceſſaria, nam propter hanc cauſam textores & textrices minus abundant catarrhis quod pedes frequenter exerceant. *Idem ibid.*

XLI. Morbis quidē a pituitâ utilem *Venerem* ſcribit Hipp. 6. Epid. pituitæ copia teliccata, ubi virea adſunt: inde tamen inferre no licet catarrhoſis conducere, uti nec ex Timocharis hiſtoria, cui ait deſtillationem acceſſiſſe hyeme, maximè in nares, Et cum Venere uſus eſſet, reſiccatas fuiſſe: Reſiccatæ quidem illi nares, ſed inde pravè elicitur morbum ſanatum, cum ſubjungat Hippoc. ſucceſſiſſe laſſitudinem, calorem, capitis gravitatem, affectus catarrho pejores. Saxonia Hippocratis ſententiam catarrhis calidis aptandam cenſet.

XLII. *Balneum aquæ dulcis Avicennas* probat in calido & frigido: Si ſit præſens & frigidus, improbat ante maturationem: In calido probat, quia materia cedit, non autem in frigido, quia craſſa frigida, viſcida: Si catarrhus imminet, prohibet, quia movet materiam: dum autem uſurpatur debet ſudare, nam ſic materia vitioſa vacuatur & retrahitur ad ambitum. *Capivaccius.* Pleno corpore, & deſtillatione adhuc cruda, non convenire cenſeo, quia fundit: alias revellit à capite & modice digerit. *Fortis.*

XLIII. Interdum nec copia nec qualitate peccantes humores, ſolum occaſione frigoris denſantis partem, optimis viribus munitam, promptè exprimuntur, qui alias longiori temporis curſu expellerentur: Qui vellet partem mittentem hoc modo diſpoſitam medicinis tractare, poſſet patientem in malam valetudinem trahere: Nos vidimus aliquando optima valetudine præditos, ob aërem frigidum, aliquorum dierum curſu deſtillatione cerebri fuiſſe vexatos, qui intra breve deinde ſpatium abſumpta materia, quæ non poterat contineri ob denſatas particulas ab externo frigore, ſaniſſimi conſervarentur, quia pars mittens undequaque ſana erat: Empirici dum ii præſcribunt lotiones, ſtillicidia, cucurbitulas, & alia id genus pro curanda parte mittente, quæ omnino ſana eſt, in manifeſtum errorem labuntur. *Sanctorius meth. vit. Err. l. 10. c. 2.*

XLIV. *Fonticuli* aliquando proſunt, aliquando inutiles ſunt: Ut ſcias quando utiles ſunt, conſideranda eſt deſtillationis conditio, Materia enim fluit, aut per interiores partes, aut per externas: Interior fluxio vix quidem ex ejuſmodi emiſſariis aliquod effatu dignum recipit commodum, quia viæ accommodatæ non adſunt, per quas materia ab internis ad externas partes poſſit demandari: Ob id laudare nunquam potui cauterium in cruribus, brachiis, occipitio, in aſthmate, orthopnoea, tuſſi, empyemate, ac aliis ejus generis deſtillationibus: experientia enim comprobavit frequenter laborem inanem extitiſſe: At magnum certè naſcitur commodum ex cauterio in externis deſtillationibus: Ea verò ſunt quando humor ſupra pericranium cumulatus diſtillat in maxillas, dentes, extimam cutem, omnes articulos: Emiſſarium loco commodo factum intercipit fluxionem, quandoquidem humor ex illo foras educitur, neque ad affectum locum pervenit: *Horat. Augenius Epiſtol. lib. 3.* Catarrhi in pectus decumbentis, fonticuli in brachio ope ceſſantis, vide exemplum apud *Hild cent. 4. obſ. 41.*

XLV. In *Catarrho frigido* maximè convenire *cauterium* cenſeo: Statuamus materiam frigidam ſub pericranio cumulari, eamque à natura expelli per inferiores partes, cur hanc revellere non poterit cauterium? ſi deorſum tendit, cur in origine fluxionis facto emiſſario ſurſum retrahi non poterit? cur ita non impedietur motus deorſum? At ſi in ſubſtantia ... i humores frigidi continentur, eos quidem ... ſurſum attrahere ob diſtantiam majorem, ac oſſis impedimentum, vix poteſt: at magna facilitate vapores & cum ... & copioſius vacuabuntur ex fonticulo, quam ... antequam ... integra vacuarentur: atque hoc quidem eſt revellere materiam fluentem, nam bona illius portio gignitur ex vaporibus, aut aliunde capiti tranſmiſſis, aut in eo genitis, qui ſi vacuantur antequam in humores pituitoſos & frigidos convertantur, catarrhum ſanabimus majori ex parte &c. *Horat. Augenius Epiſt. lib. 3. pag. 416.*

XLVI. Ego *Catarrhum in palatum fauceſque* prolabentem feroциſſimum, peſſimaque ſymptomata minantem, nulliſque remediis cedentem *Setaceo in nucha* compeſcui, domui, malitiamque ejus refrænavi, Eo ad aliquot menſes geſtato, poſt vero ſanitati reſtituto ægro, cauterium in brachio ſiniſtro, aut etiam in femore dextro ad plures dies non improbandum. *Claudinus Conſ. 15.*

XLVII. Cum *Fonticulum* ideo excitemus, ut tam humorum motum eo alliciamus, quam inde evacuemus, præſtabit utique tale tempus in ejus apertione ſeligere, quo humores ſuapte ſponte eo ferri conſuevere: ſecus enim ſi fiat, humores ægre eo alliciuntur, atqui hoc fit in novilunio: Sic Hortulani ſurculos ſtipitibus inſerturi, novilunium ſeligunt, quia tunc temporis è ſtipite ſuccus alimentarius abundantius influit, ac ſurculi cum ſtipite coalitum germinationemque promptius promovet. Nimirum Luna, humorum domina, influxum illum ejuſque effectus moderatur: contra quæ decreſcente Luna, aut paucis ante novilunium diebus ſeruntur vel plantantur, tardius creſcere ſolent: Hanc forte rationem eſſe crediderim quod multi Fonticuli citra notabile emolumentum geſtantur: Triennium eſt cum fœminæ cuidam Fonticulus parandus erat, Ex communi cum D. *Franco* conſilio creſcentem Lunam ſelegimus, Et ecce Fonticulus non tantum à primo initio, ſed & hodie etiamnum probe fluit: *M. Dorilgius in Sennerti Epiſt. cent. 1. Ep. 53.* Quo tempore Fonticulus excitetur, ſive nimirum creſcat, ſive decreſcat Luna, non multum intereſſe putes: Mihi tamen ob rationem nuper ſcriptam, & ejuſdem illuſtrationes, tempus creſcente Luna multo videtur competentius: Nec refert quod Luna decreſcens ex eo appareat utilior, quod tunc minor ſit metus nimij affluxus humorum, atque hinc oriundæ inflammationis: Niſi enim corpus probe fuerit per univerſalia præparatum, & nimia humorum copia imminuta, tunc profecto non minus quam ſub Lunæ incrementum de prædictis incommodis inſtabit periculum: Et licet aliquod dictum ſpatium requiratur prius quam eſchara decidat, ipſeque fonticulus ſufficientem profunditatem acquirat, majus tamen momentum in eo poſitum eſſe arbitror, ut tale tempus ſeligamus, quo protinus humores ad locum affectum aſſueſcant: Namque & hic locum illud mereri videtur, A teneris aſſueſcere multum eſt. *Sennertus Epiſt. 55. cent. 1.*

XLVIII. *Inunctiones* à *Tralliano* propoſitæ, tanquam inutiles in frigido, ſuſpectæ in calido, omittendæ: *Rubificantia* ex ſtercore columbino & ſtaphiſagria appoſuit *Galenus* felici ſucceſſu in catarrho calido, 3. meth. 13. ad impetum fluxionis revocandum & divertendum, non vero ad cauſam tollendam, unde *Trallianus* male cum

K

arguebat; Nobis tamen ab hiſce duobus medicamentis abſtinendum exiſtimo, cum in omnibus non ſit conceſſum eum imitari, præterquam quod tutiora quidem ſunt in frigido, ſuſpecta tamen in conſenſum ab infernis partibus habentibus: *Aëtij* quoque eadem eſt ſententia, qui ipſi *Galeno*, 6. de ſan. tu. 9. contrarium ſtatuenti adſtipulatur: Quare tutius erit ad evacuantia, revellentia, alio divertentia & intercipientia in principio devenire, potiſſimum vero nulla urgente neceſſitate, nullaque apparente excretione cruenta, prout in matrona Romana: Ceratum tamen exſiccans, vel Pulvis ſuturæ coronalis Inſperſus non negligendus: Non deſunt qui occipiti quinetiam, imo & ſuturæ coronali cauteria inurunt, a quibus tamen abſtinendum, ſuadeo in materia & intemperie capitis calida, & ubi conſenſus ejuſdem ab infernis partibus, quod ferme dixerim de Setaceo. *I.R. Fortis conſult.14.cent.2.*

XLVIII. *b.* Bregmati adhibetur in catarrhis *Vnguentum Horſtij*, ex gummi Elemi in oleo ſuccini ſoluto, ſed videndum ne hiſce calidioribus materiam ſeroſam, à natura illuc motam, in vaſa præcipitemus, & febrem aliaque mala excitemus, id quod à nonnullis factum meminimus cum periculo. *Wedelius de Medic. comp. pag.* 181.

XLIX. Capite exſiccato, & quodammodo pulmonibus ipſis, eorundem exſiccatio atque roboratio perficienda *aquis ſulphureis*, per os aſſumendis ad dies xij. cum vehiculo dejectorio: Nullum enim præſtantius in arte dari poteſt remedium, Quod tamen nonniſi prius exſiccato capite convenire poteſt, cum id ipſum petat, impleat & fundat, ſicque diſtillationes augeat; cum tamen capite exſiccato, nullo alio incommodo ipſum validius adhuc exſiccet. *Fortis cent.2.conſult.13.*

L. *Calligeni* (lib. 7. Epid.) 25. annum agenti Catarrhus accidit & tuſſis multa: educebat cum violentia quod effluebat, nihil infra manebat, annis 4. perſeveravit: helleborus non conferebat, ſed modicus cibus, & corpus macerare, panem comedere, abſtinere acribus, ſalſis, pinguibus, ſucco ſilphij, oleribus crudis, deambulare multum: lactis, potus non contulit, ſed ſeſamum purum cum vino molli bibere: Hinc conſtat catarrhum non tam eſſe natum ex multitudine excrementorum in corpore toto, aut etiam in cerebro, quam ex intemperie propria cerebri, ita ut non tam excrementa intemperiem facerent, quam ipſa intemperies excrementa: Si enim prima morbi cauſa excrementa fuiſſent, expurgatio contuliſſet, at vero quia prima cauſa erat intemperies, atque intemperatum cerebrum, ex proprio alimento, quod male commutabat, ſibi gignebat materiam diſtillationis, non conferebat helleborus, ſed abſtinentia à cibo & præ inedia gracileſcere: nam ita detrahebatur alimentum cerebro, in penuria vero ejus minus erat quod diſtillaturum redundaret, & cerebrum inedia ſiccabatur, atque ita eveniebat intemperiem humidam cerebri emendari: Porro lædebatur à calidis, ab acribus, ſalſis & pinguibus, quia talia præter calorem habent qualitates exaſperantes ſpiritus vias, & moventes tuſſim: acria enim pungunt, ſalſa extergunt & rodunt, pinguia κόρυζαν inducunt: Lædebatur à ſucco ſilphij, qui eſt acer, calidus, & flatuoſus, hinc calefiebat & replebatur caput, atque ob id diſtillatio magis fluebat: Lædebant cruda olera, quia ab his craſſus vapor & caput replens elevatur: Lactis potus non conferebat, quia caput dolentibus noxius eſt eadem autem ratione etiam quibus citra dolorem facile repletur, quare catarrhoſis vitandus; Conferebat deambulatio multa, ſicca enim cauſa eſt: ſubaudi vero, & tempeſtive, ſi quis enim ita affectorum mox deambulet, lædetur multo plus quam ſi moveatur nunquam: Iuvaſſet itidem frictio, & vigilia non omnino nimia: Cibus erat panis, cibus ſane mediocris omnibus modis, & noxa carens, niſi ingeratur multus: Pro potu vinum nigrum, quia, arbitror, ſuccos minus facit fluere quàm albũ; Suſpectum verò mihi hoc eſt, quia replet multo magis quam album, & per urinam ac ſudorem minus vacuat: Iuvatus vero eſt potione ex vino molli, & ſeſamo puro & crudo: Vinum molle dulce eſt Hippocr. conferens tuſſiculoſis, & iis qui indigent facili excreatione, ut etiam ſeſamum, ob blandam illam muccaginem quam habet. Quæ potio ad thoracis paſſiones accommodatior quam ad catarrhum ex cerebri intemperie: parum certe cerebrum juvare potuit, juvabat vero faciens ut nihil maneret infra ejus quod flueret. *Valleſius comment. in locum citatum.*

LI. *Inunctiones* à *Traliano* propoſitæ, tanquam inutiles in frigido, & ſuſpectæ in calido catarrho, omittendæ. *Fortis.*

LII. Solent aliquando à Catarrho fauces, gurgulio, nares, palatum & propinquæ partes ita exulcerari, ut Medicum non immerito in ſuſpicionem trahant latentis malignitatis e lue venerea contractæ: quapropter circumſpectus ſit oportet, ne & ſibi & ægro infamiam contrahat. *Hoeferus Hercul. Med. p.* 32.

CHLOROSIS.

SYLLOGE.

An ſanguis mittendus. 1.
Quæ vena aperienda. 2.
Diaphoretica *tarde uſurpanda.* 3.
Chalybs *varie præparandus juxta partium affectarum diverſitatem.* 4.
Quæ ejus præparatio maxime utilis. 8.
An Tartarum vitriolatum *conveniat.* 12.
Aperientia *non uſurpanda ante totius vacuationẽ.* 5.
Saccharata *nocent.* 6.
An exercitium *conveniat.* 10.
An abſurda quæ appetuntur concedenda. 11.
Efficacia conſerva artemiſiæ. 12.
An connubium *utile.* 8.

I. S*Anguis mittendus* eſt in malo recenti, & quod à ſanguine ſuppreſſo duxit originem, antequam malignam induat naturam, ſuppoſito virium tenore & ſanguinis copia: Alias affectus in pejus rueret, ſi jam radices fixit, ſi corpus refrigeratum, ſi pituitoſi & crudi humores potius quam ſanguis redundant. *Author Enchir. Med. Pract.* Licet Hippocr. clare de virgin. morbis, proponit S. m. Omitti tamen debet ſi ſanguis jam in cacochymiam abiit, & crudi humores prædominantur, ſi ventriculus affectus eſt, & calor nativus non ita viget. *Fortis conſ.52. cent.* 2.

II. *Vena brachij* ab initio erit aperienda, quamvis menſtrua ſuppreſſa fuerint: Si enim ex pede ſanguis tunc temporis detraheretur, majores fierent venarum uteri obſtructiones, aucta earum plenitudine. *Riverius cap. de Chloroſi.*

III. Ad *cachexiam* intenti, carnoſam partem depurantia, & à pravis humoribus vindicantia adminiſtranda

miniſtranda forent], *diaphoretica* ſcil. ſenſibiliter evacuantia, & inſenſibiliter digerentia: cui intentioni ſatisfacere poterit ſudor, præmiſſo convenienti decocto, vel viperini pulveris diuturnus uſus: Verum quoniam uteri venas aperire, menſtrua provocare, & univerſum corpus per vias illas naturæ proprias atque conſuetas expurgare, potiſſimus noſter debet eſſe ſcopus, ideo ne a centro divertantur ad circumferentiam humores, hac poſthabita intentione, hyſtericorum aperientium & menſes moventium uſus erit prius uſurpandus *Fortis ibid.*

IV Cum maximè in hoc affectu utilis & neceſſarius ſit *Chalybs*, hic attendendum an Venæ circa ventriculum & in meſenterio, an verò Epar aut Lien magis obſtructa ſint: Si enim ventriculi propria vaſa præcipua obſtructa ſunt, chalybs craſſiore modo præparatus exhibendus, & vomitum moventia admiſcẽda, vel vomitus ante uſum chalybis, vel diebus intermediis provocandus eſt: Ita enim vitioſis illis humoribus vomitu rejectis, facile viſcera convaleſcunt: Si autem humores in locis ventriculo vicinis hærentes, ad penitiores partes obſtructione laborantes deferantur, morbus inde gravior redditur. Si verò Epar præcipue obſtructum ſit, chalybs ſubtiliter præparatus exhibendus, atque medicamenta Epatica, & quæ per alvum evacuant, nullo vero modo vomitum moventia admiſcenda: Liene affecto ſplenetica medicamenta addenda. *Sennertus.*

V. Ante uſum *ſyruporum attenuantium & aperientium repurgentur* viæ communes, ventriculus nimirum & inteſtina, ab excrementis & humoribus crudis. Ne idem nobis contingat quod Medico cuidam, qui cum vellet provocare menſes uſu aperientium & attenuantium ſyruporum, deduxit mulierem ad paralyſin. *Rondeletius lib. 1. cap. 31.* Ventriculus primo inaniendus potione ex manna clarif. vel el. leuit. cum Tartaro, hinc ad primarum viarum præparationem veniendum, repetendo alterutrum dictorum: Inde meſenterij & lactearum obſtructiones attenuantibus, aperientibus & evacuantibus ſunt curandæ: Ad accuratam vero ventriculi & inteſtinorum deterſionem aqua Terrociana tribus diebus offeratur: Cacochymia a ſanguine per epicraſin auferenda, præparatione atque frequenti expurgatione; neque febricula pertimeſcenda, in hoc enim caſu cautæ omnino incumbendum, habita febris perexigua ratione: Tribus hiſce purgantibus ſumptis, totum venoſum genus ab impuritatibus defæcatum eſſe fidendum non eſt, quare repetenda purgatio, quæ aperiendi quamquevim habeat. *Fortis lib. de Febr. p. 43.*

VI. In uterinis affectionibus & hypochondriacis, cum non multum conferant *ſaccharata aut melliſa*, ideo in præparatione humorum ſucci herbarum deputati decoctionibus erunt infundendi. *Fortis conſultatione 62. cent. 2.* Idem ſuccos per arenam tranſcolat ut puri fiant.

VII. Pro contumacibus obſtructionibus auferendis, principem locum obtinere *Chalybem* Medicorum ſchola profitetur, qui tamen nec nimis trituratus ſit, nec nimis ignitus: Prior enim in argentum vivum degenerat, tuncque vomitum provocat, & alvum turbat: Poſterior privatur ſuo ſulphure & mercurio, qua ratione evadit crocus martis potius adſtringens quam aperiens: Quare in hoc caſu convenientiſſimus erit crocus martis cum acido ſulph. paratus. *Fortis.*

VIII. Vulgata eſt opinio virgines valetudinarias ſi *viro copulentur* meliorem valetudinem conſequi, & ſanè accidit interdum ut quæ virgines pallidæ & decolores fuerint, ſi nubant vegetæ fiant, & ſolitum faciei & corporis colorem acquirant: contra comperitum quaſdam poſt nuptias non convaluiſſe, ſed in peiorem ſtatum conjectas fuiſſe: Ideo diſtinctione opus, etenim ſi ex menſibus vel ſemine retento valetudo illa adverſa ortum habeat, tutiſſimum eſt virginem marito jungere, ita enim & ſemen retentum evacuatur, uterusque expurgatur: Si verò in viſcere aliquo, præcipuè epate vel liene, aut etiam toto corpore, vitioſa aliqua diſpoſitio adſit, illa veneris uſu non tollitur, ſed potius augetur, & vitioſi humores in toto corpore abundantes ad uterum alliciuntur & in eo obſtructiones excitant, unde febres diuturnæ & alia mala excitantur. Accidit etiam ut cum in talibus ſanguis ſit vitioſus, nec ſemen bonum generetur, nec fœtui probum alimentum ſuppeditetur, inde fœtus debiles, partus laborioſi, molæ, abortus &c. oriantur, Tales ante conjugium primò curandæ; aut ſi morbus incurabilis ſatius eſt innuptas manere. *Sennertus.*

IX. An Tartarum vitriolatum in iſto affectu competit: Affirmativam tenemus, eo quod talia medicamenta conveniant quæ frigidos ac viſcoſos humores incidant, attenuent, cruditates concoquant, obſtructiones aperiant, & materias adhærentes abſtergant, quæ omnia eminentiſſime inſunt Tartaro vitriolato: Etenim ſi Tartarum per ſe conſideratum vim aperiendi & abſtergendi non levem poſſidet, multo magis hoc vitriolato concedendum eſt: (Vide Tit. de Obſtructionibus §.) Notandum tamen in hoc morbo temere ad uſum hujus medicamenti & protinus procedendum non eſſe, ſed primò primas vias per lenientia præparandas eſſe: quo peracto ſemel atq; iterum, repetitis evacuationibus levibus, ad illius uſum deveniendum eſſe, ita tamen ut pro diverſitate naturâ illius ſcrupulum integrum, vel dimidium, cum appropriatis aquis deſtillatis vel brodiis, quibus convenientes radices & herbæ immaceratæ &c. fuerint, bis ſingulis diebus exhibeantur, hinc materia præparata interdum per dilutum rhei expurgetur, & reſolvatur. *Gregor. Horſtius cent. Probl. 9. Qu. 5.*

X. An *Motus & exercitatio* debent præſcribi morbo virgineo laborantibus? Ex otio æque ac ex motu damna emergunt: ex otio quidem, quia anſam dat cruditatum congeſtioni, unde mali augmentum: Ex motu, præſertim vehementiore, excitata ſic cordis palpitatione, ſuffocationis periculum ſæpe inducente: agitãtur quippe humores crudi, è quibus vapores ad cor elevantur: adde quod exercitationi ineptæ ſunt chloroſi laborantes, quibus corpus torpet & vires languent, accedente difficili anhelitu: At ſicut morbo progreſſo locum non habet, ſic priuſquam augmentum capiat, ut & ad declinationem cum vergit, omnino utilis eſt, ſolicitatur ſcilicet inde calor in viſceribus languidus, coctio melius perficitur, jovatur alimenti *diſtributione*, viſcerum obſtructiones aperiuntur, humoribus motus conciliatur, medicamentiſque via pateſcit: Modus tamen tenendus eſt, ac vacuationes generales præmittendæ.

XI. *Abſurda* quæ appetuntur an concedenda? Gravidis indulgere aliquando licet, quod cibi pravi, quos appetunt, remedij vices teneant, aut quod majus emergat damnum iis negatis, ſtigmatis ſcilicet in fœtu impreſſio: virginibus verò res ejuſmodi pravæ & abſurdæ nocent, quod malū inde foveatur & augeatur, nec a talibus, puta calce, creta, cineribus, tritico, quicquam emolumenti corpori accedat, aut cauſæ morbificæ decedat: Triſtitia orta à negata re optata momentanea eſt, at damnum ex talium uſu ortum diuturnum eſt. *Sennertus.*

XII. Quædam Chloroſin per decennium, cum menſium ſuppreſſione erat paſſa, nec chalybe curari potuerat: aſſumpta *conſerva Artemiſiæ* per xxx. dies, ſuperbibendo aquam ſtillatiam ſabinæ, in qua per noctem rhabarbarum maduerat, ſana facta eſt. *Zacutus Prax. adm. l. 2. obſ. 99.*

De Chalybeatorum uſu vide Tit. de Obſtructionibus lib. 14.

CHOLERA.

SYLLOGE.

Aliquando ſanguis mittendus. 2.
Gravidæ ſi accidat an vena ſecanda. 9.
Vomitoria *an exhibenda.* 1.
Purgantia *valida præſcribenda.* 13.
Humoris impetum coercentia quomodo exhibenda. 14.
Caute adſtringendum. 10.
Humida à ventriculi phlogoſi ortum ducit. 12.
Hidroticis *quando locus.* 15.
Laudano *quando utendum.* 11.
Curatio per epicerastica *aſſumpta & iniecta.* 16. 17.
Cucurbitularum *utilitas, & adſtringentium jecori aut lieni admotorum noxa.* 3.
Sæviſſima curata. 6.
In ſeptuagenario. 5.
Ab hauſtu vini ingrati excitata. 18.
Oxycrata ſanata. 4.
Epidemica curatio. 6.
Sanguinea. 7.
Per narcotica purgantibus miſta. 8.

I. AN Vomitoriis locus? *Hippocr.* 5. Epid. virum Athenienſem Cholera laborantem dato helleboro ſanavit: lib. autem de *Affect.* curationem per *Potiones humectantes*, & per *balnea calida* abſolvendam vult, quo ſi quid noxium in ventriculo ſit, facilius evomatur, & ut alvus inferna promptius ſecedat, quia ſi evacuaveris violenter, h. e. humorum reliquias ſi vacuare volueris per medicamenta purgantia, evacuatio tam per ſuperna quam per inferna violenta ſequetur, unde æger debilitatus periclitabitur. Contradictio ſolvitur hac diſtinctione, Cum ex crapula & potationibus oritur, ut ſupponitur in præſenti caſu, quia morbi cauſa, (cibaria corrupta) in ventriculo reſidet, nec vitium aliquod totius concutit, ad medicamenta purgantia non eſt confugiendum, quæ humores trahunt à toto, ubi nullum eſt vitium, nam educeretur quod educi non debet, factaque humorum agitatione confluxus ad ventriculum augeretur, debilem ex morbo, & ab aſſumpto medicamento non mediocriter læſum: Quum verò morbus à bilis copia & aliorum humorum dependet, qui ad ventrem confluentes & ſurſum & deorſum ſymptomatice erumpant, tunc eorum totalis purgatio quam citius procuranda eſt, ducendique ſunt per regionem minus periculoſam, qualis eſt contraria illi per quam majori impetu feruntur ſponte. In viro Athenienſi medicamentum forte, & ſurſum purgans dedit, quia humores morbum foventes in toto peccabant, & majori impetu deorſum quam ſurſum ferebantur. *P. Martianus comm. in v. 12. ſect. 2. lib. de Affect.* Cum inteſtina magis affecta eſſent quam ventriculus, vomitoria expurgatoriis præſtabant, ut totius corporis evacuatio, & à parte præcipuè affecta revulſio fieret: Id enim eſt quod in ventris affectionibus maximè timemus, non poſſe expurgari corpus niſi per partem affectam: vitandum ergo id eſt quam maximè poteſt, atque ſi ventris partes non æque laborant, per eam movendum quæ laborat minus: multo ergo magis in dyſenteria vomitoriis utendum eſt. *Valleſius lib. 5. Epid.* Hippocrates Athenienſi porrexit helleborum, ac licet methodus probatiſſima mihi viſa ſit, medicamentum tamen non probo: tutiora quidem & utiliora exiſtunt quæ longe mitius vomitum moveant. *Mercatus lib. 3. Pract. c. 8. quem vide de hac quæſtione:* Graviter peccant qui ſcammoniata, elleborum, & colocynthidem in hoc affectu exhibent; ab his enim excitatur hypercatharſis, quam ſequitur convulſio (*huic affectui familiaris*) ſyncope, mors. *Enchir. Medic. Pract.* Adde his *Oribaſij* lib 7. c. decretum, *Si ciborum corruptio per initia tibi appareat, & æger nihil fere per ventrem & vomitum excernat, ſed nauſeet vellicetur que, tunc exhibere conabimur quæ promovere vomitum largius poſſunt, qualis eſt mulſa, quæ & alvum & vomitum incitare poteſt.* Si ſedari nequeat vomitus (*inquit Sylvius de le Boe. l. 1. c. 15.* ob humores copioſos in corpore exiſtentes, atque vi ſurſum exitum affectantes, Vomitorium blandum exhiberi nihil vetat, additis ſubinde quæ humores ſimul temperent, nimiamque ipſorum effervescentiam quodammodo ſedent ac compeſcant, ipſiſque adeo neceſſitate urgente opiatis, ſed quantitate parva, e. g. *℞. oxyſacch. vomit. ℥j. laudan. op. gran. ſemis vel 1 aqu. menthæ q. ſ. miſce fiat Hauſtulus.*

II. Cohibito vomitu & alvi fluxu remediorum uſu, viribuſque aliquantulum inſtauratis, ægri à periculo liberati videntur, quod non ſolum adſtantes ſed & Medicos interdum fallit, ſymptomata enim poſt unum aut alterum quietis & intermiſſionis diem fortiora ac vehementiora reſurgunt, & ægrum à priori inſultu valde debilitatum de medio tollunt: Cui ingenti periculo occurrendum eſt, non ſolum vires inſtaurantibus & humoris fervorem mulcentibus, quæ etiam ſedato inſultu continuari debent, ſed præcipuè venæ ſectione, quæ ſanguinem illum torridum & æſtantem revellit & maximè contemperat; eaque ſemel, bis terve erit iteranda, ſi vires à prima vacuatione nullo modo debilitatæ ſed potius recreatæ appareant: Quidam in ipſo inſultu, etiam valde proſtratis viribus, venam ſecant, quas dicunt eſſe oppreſſas non exolutas: at id cum periculo, nam quidam à vacuatione è medio ſublati ſint, non ſine remedij opprobrio: revera quædam oppreſſio adeſt, ſed nec exolutio negari poteſt: ſatius ergo ſit primò impetum cohibere, mox pacatis ſymptomatis ad venæ ſectionem confugere. *Riverius.*

III. In hoc morbo multum iuvat *cucurbitula* inter umbilicum & ſtomachum affixa: retinet enim quod in ventriculo neceſſum eſt manere, ſive cibus ſive medicamentū fuerit, humores retrahit & ventriculum firmat: Sed ſi vomitus, vel morbi choleræ excretio fiat ab hepate, ſupra hepar ponenda eſt: ſin à liene, ſupra lienē, ſi materia ſit retinenda: Nec probo eorū conſilium qui Iecori aut Lieni, cum humores in ventriculum reiiciunt, admovent adſtringentia remedia; ſic enim partes conſtringendo vim illis addunt, ut fortius ſua propellant excrementa: Utilius itaque eſſet ventriculum adſtringentibus roborare, ne excrementa recipiat, & impoſita lieni aut hepati cucurbitula inde erumpentes humores retrahere. *Rondeletius.*

IV. Mulier

IV. Mulier correpta eſt Cholera morbo menſe Iulio circa meridiem, & ad veſperam uſque vigeſies alvum depoſuit, cum graviſſimis doloribus inteſtina & ventriculum infeſtantibus, ita ut ſequenti etiam vomitu premeretur, multoſque humores acres & bilioſos excer[illegible]t: Veſperi accerſitus, dum alia remedia pararentur, conſulo ut ægra *oxycrati* cyathum aſſumeret, cuius adeo efficax fuit operatio ut vomitus & alvi fluxus ſtatim ſedatus fuerit, & alia remedia uſurpata non fuerint, dicti ante ægrâ ſe teſtituram. *Riverius Centur. 4. Obſervat. 8.*

V. Septuagenarius gravi Cholera morbo correptus 4. præcipue remediis intra ſeptem dies liberatus eſt, *clyſtere e lacte, confectione hyacinthina; conſerva roſarum & vitellis ovorum; fotu ventriculi* adſtringente & roborante cum ſacculis in vino rubro maceratis, Iulepo ex decocto plantaginis & portulacæ, cum ſyrupo cydoniorum & confectione de hyacintho mane & ſero exhibito, Et Laudano, cujus granum j ſingulis noctibus in iulepo diſſolvebatur. Pro miraculo eſt habita hæc curatio in tam provecta ætate. *Riverius centur. 4. obſervat. 53.*

VI. Anno 1564. antequam peſtis Nemauſum adoriretur, graſſatus eſt morbus Cholera vocitatus, multos intra quatuor dies interficiens: at qui primis morbi insultibus auxilium petebant, fere omnes hac methodo evadebant: Cum ſatis evomuiſſe ægros conijciebam, mivam cydoniorum aromaticam, vel ſimplicem ſi febris intenſa erat, veſperi duabus horis ante cœnam propinabam ex cochleari, omni proſcripta potione, aut ſaltem parciſſima conceſſâ, etſi ſiti inextinguibili ægri torquerentur; Potio enim vomitum & alvi fluxum adauget; unde mors inevitabilis ſequitur, Torpori & Convulſionibus tibiarum oleo chamæmelino calente ſuccurrebam: Vomitui & Alvi fluori, embrochis ex oleo nardino, maſtichino, cydoniorum, totius ventris regionē irrigabam, ſuperaſperſis pulveribus coriandri, maſtiches &c. Opiatam etiam ſumebant ex conſerva roſarum, myrobalanis conditis, pulvere margaritarum, corall. rub. eboris, cum ſyrupo de ribes & cydoniorum formatam: Interdum, ubi vires validæ, morbi initio, theum in ſubſtantia exhibebam; non poſthabitis epithematis cardiacis. Sic ferè omnes ſanitatem adipiſcebantur: In pueris tali fluxu, aut colliquativo, emaciatis, æſtate præſertim, iniectis maxime clyſteribus, partim roborantibus, partim reficientibus vti ſuadebam. *Obſervat. 26. centur. 4 Riverij obſervationum addita.*

VII. Laterarius quidam, cum ad vxorem nouiter nuptam quotidie circa meridiem diſcedendo à fornace, quæ duobus ferè milliariis erat longe, proficiſceretur, accidit aliquando media æſtate, dum ipſam nimio libidinis ardore accenſus cognoſceret, ut copioſiſſimè per vomitum & ſeceſſum ſanguis excerneretur, quia calor & motus ora venarum aperuiſſent: nec alio nomine illum morbum quam Choleram ſanguineam appellarem: cum ſanguine enim ad xij circiter libras ejecto maxima aderant ſymptomata, nempe pulſus deperditio cum deiectione virium; facies hippocratica, ſudor frigidus & jam deſperatus erat. At propinatis cum vino granatorum lapidis hæmatitis ℈iv. ſtatim ſanatus eſt, magna omnium admiratione. *Dom. Panarolus Pentec. 2. obſerv. 11.*

VIII. Vbi à doloris vehementia periculum imminet, ad *Narcotica* confugiendum, quibus prudenter exhibitis, admirandus non raro ſubſequitur effectus: Nonnulli ea cum purgantibus miſcent, ut ſimul & dolor ſedetur, & materia peccans educatur. Laudat F[illegible]ctus hoc [illegible] ℞. diaphoen. ℥ß. philonij Rom ℈ij. cum aq. [illegible] camomillæ f. pōt. *Riverius Pr. l. 9. c. 11.*

IX. Si Chol[illegible] morbo tentaretur gravida mulier, ſeptimeſtris vel octimeſtris, eſtne tuta *vena ſectio*? Si in non gravidis eſt ſuſpecta, ne vires per magnam inanitionem attritæ & exolutæ magis diſperdantur & facile [illegible], multo minus in gravida, quæ copio[illegible]am & immodicam vacuationem ex venis perpeſſa eſt, Quoniam eſt abortiva, dum fœtum ſuu genio defraudat, & matrem ſuis opibus depauperat, *Sic mederi gravida periculoſum & arduum*, Nam ſi in viro, & muliere non gravida, improbatur ab omnibus Practicis, multo magis repudianda in gravida ſeptimeſtri vel octimeſtri, Nam parca manu facta inutilis; quid conferret vaſculum unum ſanguinis detracti ad compeſcendum orgaſmum humorum & febrem extinguendam, cum ſanguis ſoleat fluere pigro lapſu, & guttatim atque pauxillimus educatur? *Riolanus Encheir. Anat. lib. 2. cap. 36.*

X. In morbis hujuſmodi quibus evacuationes ſunt conjunctæ ſunt, tuta neque ſine magno periculo tentatur *Adſtrictio*, antequam copia excrementi vacuata ſit, Quum ergo evacuationes videntur pro eſſe ſatis copioſe, & neque virtus adhuc labaſcit plurimum (ferendæ enim ſunt aliquæ debilitatis notæ ob ſymptomata) neque cohibendum neque provocandum eſt, ſed occurrendum ſolum aliis ſymptomatis: Sin autem jam videtur proceſſiſſe pluſquam pro excrementorum in corpore abundantia; aut pluſquam pro virtute facultatis, ſiſtendum mox: Sin autem irritatio, dolor & anxietas ſit major quam pro magnitudine evacuationis, & evacuatio minor quam pro multitudine excrementorum, expurgandum eſt, ut copiâ affatim vacuatâ, valeas occurrere ſymptomati, quod in nimia expulſione eſt. Verum quia ſymptoma vel à principio urget, & irritatio nunquam per hunc morbum omnino tollitur, neque cum expurgamus ſymptoma negligere, neque cum cohibemus irritantis ſucci obliviſci debemus: ſed expurgantibus debemus admiſcere aliquid adſtringens, & adſtringentibus aliquid abſtergens, aut aliquid mordacitatem hebetans, aut alternare iis uti. *Valleſius comm. in libr. 5. Epidem. p. 467.*

XI. Diligenter eſt animadvertendum, quod ſi non acceſſerit Medicus, niſi poſtquam æger vomitu ac dejectionibus, ad horas aliquammultas continuatis, puta decem vel duodecim, fuerit exhauſtus, & jam, frigeſcant extrema membrorum; hoc, inquam, caſu, omiſſis aliis quibuſcunque auxiliis, recto curſu ad ſacram huius morbi anchoram, Laudanum intelligo, confugiendum eſt, quod non tantum exhibendum eſt urgentibus ſymptomatis, ſed etiam ceſſantibus vomitu ac diarrhea, mane & ſero quotidie repetendum, donec priſtinas vires æger, ac ſanitatem tandem receperit. *Sydenham obſervat. de morbis Acut p. 241.*

XII. *Cholera humida* præceps eſt ac copioſa bilis excretio ſurſum deorſum: à p[illegible]ngui ventriculi proficiſcitur, quæ ſedatur refrigerantibus & adſtringentibus tam ſimplicis quam admotis, potiſſimum uſu aquarum Spadanarum, & laudano prudenter exhibito: Abſti[illegible] [illegible] cordiacis & ſtomachicis pulveribus calidis, quia irritant & vellicant ſtomachum. Medici Pariſie[illegible] [illegible] avata manu, etiam deficiente pulſu, ad [illegible]ndum periculum gangrenæ ex ſuffocato calore ventriculi. *Riolan. Encheiridii l. 2. c. 23*

XIII. Non citra perniciem fluxio *adſtringentibus* cohiberi poteſt, nec eadem variis catharticis promoveri: Graviter ergo peccant qui ſcammoniata, elleborum & colocynthidem in hoc affectu exhibent: Ab his enim excitatur hypercatharſis, quam conſequitur convulſio, ſyncope, mors. *Enchir. Med. Pract.*

XIV. Effrænatum bilis motum coerceor Iuſep roſatum miſtum cum ſucco granatorum acidorum: Syrupi cydoniot. myrtillorum, roſatum & ſimiles; qui non debent diſſolvi in aquis, ne magis relaxentur ventriculi tunicæ, corroborandæ potius & adſtringendæ, ſed ex cochleari ſumuntur. *Encheir. Med. Pract.*

X V. Si metus ſit malignitatem ultra primam corporis regionem ſeſe jam penetraſſe, pro meliori impreſſæ malignitatis diſcuſſione, hidrotica cum alexiteriis intrinſece aſſumere convenit. *Sennertus Pract. lib.3. p.1. ſ.2. c.13.* Sed ſimul adſtringendi vim habere debent, qualia terra ſigillata, c.c. uſtum & præparatum.

X VI. Choleram patiebatur fæmina cum ſuratum convulſione conjunctam, Curata 1. abſtergentibus deinde incraſſantibus, roborantibus, & adſtringentibus: Inter cætera tria profuere, 1. cryſtallum præparatum, quo vel unguentis permiſto, vel iuri avis aut caſtrati, rhodoſaccharove inſperſo utebatur: 2. Cucurbitula magna bene ignita regioni ventris ſæpius impoſita. 3. Uſtio in humeris, cujus vi diſtracta natura fluxus ceſſavit omnino, quod auxilium in conclamato fluxu eſſe optimum uſus edocuit. *Zacutus Prax. adm. l.2. obſ.16.* Alia ſanata fuit, (inter alia præſidia) ſyrupo de meſpilis, qui prærogativas in ſiſtendis fluxibus obtinet mirabiles, & lactis vaccini chalybeati potu. *Obſerv. 17.*

X V I I. Sedula mentis applicatione, & multiplici experientia edoctus, quod ſi hinc acres iſtos humores, fomitem morbi, catharticis expellere conarer, idem agerem atque is qui ignem oleo extinguere ſatagit, cum cathartici vel leniſſimi operatio, omnia magis perturbaret, & novos inſuper excitaret tumultus: Et ſi ex adverſo medicamentis narcoticis, aliiſque adſtringentibus in ipſo ſtatim limine primum humoris impetum compeſcerem, dum naturali evacuationi obſiſterem, & invitum humorem detinerem, æger, inimico viſceribus incluſo, bello inteſtino indubie conficeretur: Has, inquam, ob cauſas media mihi via inſiſtendum eſſe duxi, ut partim ſcil. humorem evacuarem, partim etiam diluerem: Morbum itaque hac arte, mihi à multis retro annis comperta ac comprobata, toties quoties in ordinem coegi: Pullus tenerior in tribus circiter aqua fontanæ congiis elixatur, adeo ut carnis ſaporem vix perceptibilem liquor referat: hujus decocti capaciores aliquot cyathos æger tepide haurire jubetur, eodemque tempore bona ejuſdem quantitas pluribus enemaris ſucceſſive injiciendis inſervit, donec qua à per ſuperiora, qua per inferiora tandem omne juſculum abſumptum, ac denuo rejectum fuerit: Ita ventriculo inſigni liquoris quantitate ſæpius onerato, atque, ut ſic dicam, ſubverſo, ac reiterata Enematum injectione, humores acres vel foras eliminantur, vel retuſa acrimonia ad debitam temperiem revocantur: Exantlato hoc eluvionis penſo, quod tres vel quatuor horas ſibi vendicat, medicamentum aliquod paregoricum curationi colophonem imponit: Mihi hoc crebro in uſu eſt ℞. *aqua paralyſ.* ℥i. *mirabilis* ʒj. *laudani liqu. guttas xiv.* cujus loco Narcoticum quodvis officiale ſuccenturiari poterit. Atque hæc, quam propoſui, diluendi humores via, multo tutius ac expeditius, quam quæ vel per evacuatoria, vel per adſtringentia vulgo inſtituitur, periculoſiſſimo affectui occurrit, quippe cum ab *illis* tumultus concitatior & ferocior evadat, ac omnia ſuſque déque evertantur. *hæc* e contra hoſtem in mediis viſceribus detineant, ac ex advena plane reddant inquilinum: ut taceam protracto in longitudinem morbo, præter periculum ex ejuſmodi mora, qua in maſſam ſanguinis tandem humores vitioſi irrepunt, atque mali moris febrem facile accendunt, etiam ægris graviſſimi mali tædium procreari. *Sydenham Obſervat. in morb. Acutis p.239.*

X V I I I. Vir Nob. ex vino ſibi ingrato liberalius hauſto, bilem ſinceram ἄνω ϗ κάτω, ſumma nauſea ab omnibus eſculentis adeo retinebatur, ut & mentio ſaltem panis & carnis everteret ventriculum: Vocabat tandem, cum ſingulari deſiderio julepi alicujus refrigerantis & ſitim ſedantis teneretur, aquam fontanam cum ſyr. rubi idæi vitriolato correctam propinabam: Potus erat gratiſſimus, ſed tamen fermentationes ventriculum & inteſtina diſtenſione ventoſa vexantes non placabantur: parabatur emulſio ex amygd. dulcibus cum decocto rad. c.c. & rad. ſcorzon. Placebat & hæc palato, fermentationes tamen diſtenſione dolorifica moleſtæ, & hinc vomitiones & dejectiones bilioſæ nequaquam ſopiebantur, etiamſi pro ventriculo roborando adhiberetur ſcutū ſtomachale: Quin anxietas inclinante die tantopere urſit, ut appellandum eſſet ad laudatiſſimum laudanum, cujus grana duo in pilulis deglutita noctem donabant placatiſſimam, redeunte diluculo vomitus meræ bilis ſequebatur, cum εὐφορίᾳ tamen: hauriebatur hinc tantillum conſummati e capone, ut ſitim intolerabilem liceret potu ſolari, offerebatur paulo poſt hauſtus novus & alter emulſionis: poſt horam fere rediit anxietas cum dypnæa ſuffocationem minante, qualis nunquam atrocior: Interim aquæ ſimplicis hauſtum optavit æger, facile conſenſiſſem, æſtimans ætatis florem & affectum bilioſum, Sed cum adſtantes hoc quid inſolitum, & ventriculo inſueto funeſtum reformidare ſoleant, utrique parti ſatisfacturus, aquam quidem naturalem ſuaſi, ſed medicam, Acidulas nimirum Egranas: Interim ut moræ tædium ſolarer, acidulas laudavi Sileſiacas: appellentibus iis, appetitui mox ſatisfecit hauſtus ſumme proficuus: poſtridie viſitanti mihi laudabatur nox quietiſſima, acidularum guſtus tam palato quam ventriculo gratiſſimus, & initium reconvaleſcentiæ lætiſſimum; perſtitit hæc ſpes, adeo ut à meridie daret dormitionis licentiam: Octiduo tranſacto ſignificatur mihi valetudinis reparatio, niſi quod reſtaret humorum qualiſcunqoe efferveſcentia & ſitis: urgebam reſponſoriis Acidularum continuationem: Hac methodo, ſed auſo periculoſiore, in febribus bilioſis, diarrhoeis, dyſenteriis, alpium Helveticarum incolæ ſcribuntur bibere glaciem: *Sigiſm. Graſſius obſerv. xcix. miſcell. curioſ. ann. 4. & 5.* Borellus cent.2. Obſervat.27. ait ſe mulierem curaviſſe ſolo aquæ communis potu, & admotione Cerati ſantalini regioni ſtomachi.

COELIACA

COELIACA AFFECTIO.

(Vide *Lienteria lib.* 10.)

Cognitio & Curatio.

VBi pro aſſumptorum alimentorum quantitate, nimia copia excernuntur per Alvum ſecreta, cum neceſſario pars utilis ſimul pereat, videndum an pro Lienterico, an pro *Coeliaco*, aliove affectu habendum ſit illud vitium: Nam ſi paulo poſtquam aſſumpta ſunt iterum excernantur alimenta, & Lienteria adſit, quoniam alimentorum mora & retentio neceſſaria in ventriculo læſa eſt, & quidem Ventriculi male affecti, & aſſumpta mox iterum excludentis culpa, is aut roborandus, aut ab irritatione moleſta liberandus, medicamentis tum acres humores temperantibus, tum eoſdem, ſi redundent, evacuantibus: Quod ſi alimenta moram quidem neceſſariam nectant in ventriculo, ac ſufficienter & rite in eodem fermententur, conſtituantque maſſam pultaceam, quæ talis quoque per alvum excernatur, adeſtque ea *affectionis Coeliacæ* ſpecies, quam *Alvi fluxum Ictericum* appellari poſſe autumem (ob chyli alvinatumque fæcum ſecretionis defectum, & quidem ob bilis vel abſentiam vel inertiam, Vide *Sylvij Idea Prax.* lib. 1. cap. 10.) ut hoc malum curetur, & nimia Alvi dejectio minuatur, promovenda erit ac reſtituenda dicta ſecretio, & quidem per *amara aromatica*, quippe quæ Bilem Inertiorem, aut parciorem, acuunt vel augent, illius talem vices ſupplent, & ſic malum ſatis grave, ac ægros ſenſim conficiens curatur: Quod ſi non quidem pura puta Alimentorum fermentatorum maſſa pultacea excernatur, ſed cum ſecreto ac innatante ipſi chylo permiſta vel confuſa, quæ *altera* eſt *affectionis Coeliacæ ſpecies*, quoniam tunc impedita eſt chyli per cruſtam inteſtinorum panneam tranſcolatio in lacteas venas; ſive illa ortum habeat à pituita orificia ipſius obducente, ſive conſequatur eadem Cruſtæ conſumptionem, abraſionemve, atque cicatricem vias illas impedientem, uſurpanda erunt medicamenta Pituitam iſtam incidentia, abſtergentia, evacuantiaque; Nam cicatricem tollere, atque cruſtam deperditam reparare, Arti denegatum eſt. *Sylvius de le Boë Append. ad Prax. Tract.* 5. §. 239. *&c.*

COLICUS DOLOR.

SYLLOGE.

Clyſteribus *non pertinaciter inſiſtendum.* 1.
Clyſter moram quomodo evocandus. 2.
Cur aliquando inefficaces. 3.
Lacrymæ non ſunt immiſcendæ clyſteribus. 4.
Clyſteres parum juvant ſi regionem ſupra umbilicum vexet dolor. 38.
Efficacia terebinthina in clyſteribus. 39.
Clyſteres aliquando minus efficaces ſuppoſitoriis. 29.
Oleorum uſus in clyſteribus 15.
Clyſterum ex fumo. Tabaci vis. 22.
Acres non injiciendi ſi fiat à fæcibus induratis. 37.
Carminantibus quando locus. 23.
Ad nothum euporiſti. 5.
Aliquando valide purgandum. 6.
Purganti aſſumpta ratio cohibendi ne evomantur. 7.
Aliquando noxia. 8.
Hiera pic. non ſemper tuta 40.
Quædam purgantia ſunt ſuſpecta. 9.
Folle inflanda inteſtina ut ſubeat clyſter. 44. *b.*
In biliolo *qualia purgantia conveniunt.* 30.
Cautio in diaphoenici uſu. 44.
Cum purgantibus narcotica utiliter miſcentur. 45.
Comes tumor a pituita congeſta purgatione curandus. 19.
Vomitus *aliquando utilis.* 41. 42.
Per gradus in medicamentorum uſu procedendum. 17.
Attenuantia *valida eſſe non debent.* 10.
Syrupi præparantes, *ſine diluto exhibendi.* 11.
An ſpiritus ſalis conveniat 12.
Clyſteres ex oleis ſine decocto conveniunt 14.
Qui a pituita vitrea non ſolis calorificis curandus. 20.
Aniſi *decoctum utilius ejus oleo ſtillatitio.* 21.
Colica à bile *calorificis exaſperatur.* 49.
Colica à pituita *temperatis aliquando curanda.* 50.
Ψυχρῷ ποτῷ ſedata. 51.
Per frigida intus & extra curatio. 52.
Colicæ nothæ *vinum infeſtum.* 32.
Colicæ biliolæ *indicationes curativæ.* 49. *a.*
Vomitus *levis quando convenit.* 49. *b.*
Purgatio *qualis convenit.* 49. *c.*
Narcoticum *purgationi quando præmittendum.* 49. *d.*
Eam debet ſemper ſubſequi. 49. *e.*
Repetendus illius uſus. 49. *f.*
Ab illo ſæpe initium ducendum. 49. *g.*
Recidiva quomodo præcavenda. 49. *h.*
Debilitas ſuperſtes quomodo emendanda. 49. *i.*
Diæta ſit tenuis. 49. *k.*
In omni ſpecifica *medicamentis addenda.* 43. *c.*
Narcotica *an omni conveniant.* 26.
Uſurpanda dum vires conſtant. 27.
Exhibitionis ratio in colicis doloribus nothis. 53.
Non omni tempore exhibenda. 46.
Narcoticis mitigatus dolor bilioſus. 51.
Pertinacis à pituita *curatio.* 54.
Curatio alia regularis alia coacta. 55.
Si pituita intra tunicas concludatur, fortia initio vitentur. 47.
Flatus diſcutientia quando adhibenda. 48.
Salia volatilia flatus gignunt & ſolvunt. 55.
Eadem pituitam viſcidam optime præparant. 56.
Spiritus nitri in diſcutiendis flatibus efficacia. 57.
Per Salivationem *quandoque curatur.* 62.
Guajaci *vis ad domandum rebellem.* 16.
Vino Guajacino ſuperatus. 46.
An acidulæ *uſurpandæ.* 23. 66.
Diuretica *commode exhibentur.* 59.
Hidrotica *& Balnea dubij eventus.* 33. 65. 68.
Diaphoreticorum *uſus.* 67.
A calidioribus admotis aliquando exaſperatur. 60.
Ventris conſtrictio per cingulum non juvat. 24.
Balnea *an utilia.* 68.
Interdum aliud eſt quod dolorem facit, aliud obſtructionem 28.
Colica *ex* tecto *orragogis curata.* 34.
Periodica affectis *in* uticulis *orta.* 35.
Pleuritidis ſpecie imponens. 36.
Scorbuticæ *peculiaris curatio debetur.* 70.
Ab occluſione pori cholodochi orta, ejus reſeratione curanda. 61.
Colica luis venereæ ſoboles. 62.
Doloris hypochondriaci, colico ſimilis curatio. 63.
Urina rubra, febris comitis non ſemper index. 43.

Cauſtice ventri affixo deſinens. 64.
Sanguinis miſſio *quando locum habet.* 69.
Cucurbitulæ *uſus.* 18.
Cui ventris loco admovenda. 13.
Specificum ſi flatus intra membranas concludantur. 43. *b.*

I. Κ*ατωτερικὸν* unum cum judicio adhibitum in Colico dolore, unâ reſolvit clavâ quod vix decem attingent *Clyſteres*, præcipuè in Colico dolore à fæcum obſtructione ſupra valvulam. *Relfincius Meth. l.* 5. Obſervatum eſt cum æger quidam trigiota Clyſteres ſine fructu accepiſſet, alium Medicum mannæ ℥iß cum olei amygdalarum dulcium ℥ij in juſculo gallinæ pingui exhibuiſſe, & ægrum dolore liberaſſe. *Riverius Pract. cap. prop.*

II. Sæpe injecti *Clyſteres* ſurſum non aſcendunt, præcluſis ſcilicet viis ob tenſionem à flatibus excitatam: acciditque ſæpiſſimè ut injecti plures clyſteres intus ſubſiſtant ac penè ſuffocent: Itaque ſi uno aut altero clyſtere, aut etiam tertio, alvus nihil deponit, glande acertima revocare præſtat quam majore clyſterum copia ventrem diſtendere. *Enchirid. Med. Pr.*

III. Errant rudiores dum in Colica prodeunte à materiâ vitreâ, proponunt *Enemata* diminutæ virtutis & improportionata, ut quod fit ex chamæmelo, anetho & laurino oleo, admiſta hiera: quippe in colicis levioribus ſolum aliquid poſſunt, in contumaciſſimis cauſas auferre non poſſunt: iterata injectio horum clyſterum non eſt tanti, ut hoſtilem humorem evincere poſſit: indicatio aſſiduæ repetitionis non ſumitur ab actione indicantis vehementis, ſed à præſentia: ideo repetitio diminuta nunquam poterit inſignem vim indicantium demoliri, quia vis & præſentia genere differunt: Valentiora enemata in colica paſſione omnium contumaciſſima, fiunt ex decocto carminativo, in quo ℥iß trochiſcor. alhandal & centaureæ minoris manipulus ebullierint, & ex oleo amygdalino dulci, quod pharmacum contemperat. *Sanctorius meth. vit. Err.* Dom. N. dolore Coljco vero corripitur, injicitur clyſter, quo nihil operante advocor, invenio eam ex doloris gravitate clamantem: præſcribo clyſterem ex decocti emollientis libra una, diaphoenici ℥j aquæ bened. ℥iv. quo dolor omnino quievit, & ægra multa pituitoſa, cum multis flatibus excrevit. Ego ſimili dolore vexatus, neque clyſtere emolliente, carminante & laxante admodum levatus, ſimili clyſtere curatus ſum, ita ut ſtatim eo injecto dolor omnino quieverit, quamvis nonniſi poſt duas horas rejectus fuerit. *Riverius Obſerva.* 12. *cent.* 2. Fortiores *Clyſteres* dandi ſunt, neque verendum eſt de attractione ad partem, quia vis injectionis, ob inteſtinorum obſtructionem altius non poteſt penetrare, neque attrahere humores: Quod à Galeno dictum fuit de revulſione vel averſione facienda per partem contrariam, hoc de inflammatione dictum fuit, non de aliis affectibus partium, quæ meatus apertos habent ad evacuationem faciendam ſufficientes. *Rondeletius lib. de Medic. int. pag.* 893. *Caſtoreum & Euphorbium*, ſi perſeveret dolor, neque moveatur ſuo loco, ad id conferunt, & præſens extremumque eſt remedium, nam qui caſtoreis ex vino bibunt gr. vj. & vini parum, cito curantur, Euphorbium etiam infunditur eadem quantitate & alia. *Idem pag.* 855.

IV. *Lacrymæ* periculoſæ ob lentorem, nec indendæ clyſteribus, nam aliquando adhærent & non poſſint repelli, & occidunt, ut ex morte Nobilis Viri Gubernatoris Monſpeſſuli D. Gaudeti, id nobis fuit compertum: nam Pharmacopola officio Medici cum fungi vellet, inſciis Guilberto, Griffio & Falcone, qui illum tractabant, injecit ſagapenum, ammoniacum & alia diſſoluta; quibus immiſſis ſubito & repente mortuus eſt. *Idem Ibidem.* Turbith. colocynth. & agaricus pulveriſata, & in panno ligata decoqui debent. *Idem.*

V. Mulier Nob. graviſſimo dolore coli cum teneretur, ut nihil aliud ad manum eſſet, *Vinum hippocraticum* injiciendum curavi, & paulo poſt curata fuit: Ruſticus qui vinum emerat aromatites ex melle ad hilaria celebranda, curatus fuit: vina autem hæc ſaccharum vel mel. ad deterſionem; hippocraticum vero cinnamomum, piper, zinziber, grana paradiſi recipit, quare non debet eſſe mirum ſi his remediis curetur: Curavi alium ruſticum brodio, quod ex allio contrito in mortario: & oleo fit, nam quæcunque inciduot & attenuant, diſcutiunt, ob id curant, ut eryſimi decoctum. quo multos curavi, quod etiam ex vino efficaciſſimum eſt remedium: In his clyſteribus vinum nunquam prætermitti debet, quia concoquit materiam, ſedat dolorem flatus diſcutiendo, & quodammodo reficiendo: eligendum autem vetus & tenuium partium: *Idem ibidem.*

VI. Exiſtimo aliquando *Purgantia* valida eſſe neceſſaria: nam hæc dum plerumque connectuntur, Dolor & Alvi adſtrictio inſignis, ut neque Clyſteres validi, neque lenitiva, etiam ſi copioſa, poſſint alvum ſubducere: Quid igitur tunc agendum? eſtne expectandus volvulus? ſi in volvulo, in quo vires imbecilliores, nemo purgantium uſum recuſat, cur ut ab hoc præſerventur patientes, non præſcribentur purgantia? profectò conveniunt, ſed in materia frigida: Qui abſtinendum cenſent, ut *Fuchſius*, ajunt *Galenum* ſcripſiſſe nunquam trahendos ad partem affectam humores, ſed id nullius eſt ponderis, quod in ea parte via eſt per quam attracti humores excerni poſſunt: *Fuchſius* addit neque *Paulum* neque *Aëtium* aliis medicamentis uſos quam mitioribus, Et recentiores hunc purgantium uſum introduxiſſe: Sed deceptus eſt, quia fortè legit *Pauli* & *Aëtij* tantum ſententiam de materia calida non frigida: nam *Paulus* loquens de frigida, proponit catapotia accipientia euphorbium, ſcammonium: *Aëtius* in eodem caſu laudat Hieram *Archigenis*: Quod ſubjungit hunc uſum eſſe à Practicis acceptum, oſtendit illum aut non legiſſe, aut oſcitanter, *Arabes*, qui utuntur Diaphoenicone, Elect. Indo, Hieris magnis, Pilulis validis, Et ego, ut ingenue dicam, uno die plures Colicos ſanavi hoc medicamento, ℞. Diaph. ℥ß. ſpec. hieræ ʒiij m. f. Bolus. *Saxonia.* Solve ſic Quæſtionem, Dolore valde urgente mitiſſimis ſolum vacuandus humor: ceſſante, aut mitiori facta fluxione, valida ſunt imperanda, ut rebellis craſſuſque humor vi attenuantium medicamentorum inciſus & coctus educi poſſit: Nam ſæpe accidit febris, ut notat *Coſtaus* in Avic. 16. 3. tr. 4. c. 1. concalfacto jecore ex potionibus, fomentis & clyſteribus, quæ deinde negotium faceſſit, expectantibus Medicis concoctionem & verentibus purgationem: *Zacutus Princ. Med. pag.* 344.

VII. Si ob vomitionem aſſiduam *Cathartica* retineri nequeant, apponatur umbilico, ſeu infimo ventri, ampla cucurbitula, ibique remaneat per horam unam ſi fieri poteſt: aut in balneo ſumatur catharticum, hac enim arte retinetur. *Enchirid. Med. Pract.*

VIII. *Avicenna* fen. 1. tract. 4. c. 1. ait quod Colica aliquando contingit ob meatum felleum occluſum

cluſum qui it ad inteſtina, tunc enim impeditur tranſitus bilis, unde non irritatur expultrix inteſtinorum, & per conſequens retinentur fæces & ob moram dureſcunt: Et quia colon inteſtinum eſt omnium maximum & imbecillum, colligit magnam fæcum copiam, & poſtquam eſt obfarctum & onuſtum, intenſus dolor gignitur, qui non tollitur medicamentis ſolventibus, quia attrahunt novam materiam, unde major fit humorum obfarctus, hinc major dolor, neque tollitur hiera vel cæteris ſiccantibus, quia magis ſiccantur & dureſcunt fæces: neque tollitur clyſteribus, quia clauſum eſt colum inteſtinum, ſed ſolum tunc eſt fidendum oleo amygdalino dulci ad lib.ß. per os ſumpto *Santlerius meth. l.3. c.9.*

IX. Fugienda ſunt *Cathartica* nimis violenta, ut elleborus, antimonium. Sed nec Caſſia, quamvis leniter purget convenit, quia flatulenta eſt. *Enchir. Med. Pr.* Manna flatulenta eſt, eam non probo in colicis: Ne des Mannam, Rhabarbarum, vel Sennam, præſertim in potionibus, niſi prius bene roboratis inteſtinis. *Crato Epiſt.* 141. *apud Scholzium.* Si à pituita eſt, ea primum ſic expurganda eſt, ut ſimul flatus, qui plerumque adſunt, digerantur; Ex purgantibus dari agaricus, mechoacanna, vel elect. diacarth. debet cum decocto aniſi, fœnic. dauci; Vitare autem rhabarbarum & myrobalanos, itemque ſennam & caſſiam oportet, priora quod adſtringant, poſteriora quod flatum generent. *Hartmanus Praxis Chim. cap.* 146. §.11.

X. Circa uſum attenuantium accipiendum eſt Galeni conſilium 12. Meth. 7. ſcilicet ne præſente copioſa materia valida attenuantia vel intrinſecus vel extrinſecus omnia accipiantur, nam humorem attenuatum in flatum vertunt, ſicque dolorem augent: Hanc ob cauſam in conſultationibus meis ſæpe dixi flatum à calore fieri, non modo magno, ſed etiam imbecilli, e. g. ſi pituita multa abundet, tunc enim flatus gignuntur. *Saxonia in Prael. Pract.*

XI. Præbeantur ſyrupi ſine diluto, oxymel ſimplex vel compoſitum, admiſto etiam ſcyllitico, ſyr. de betonica, de mentha: Nam ſi dilutum ex calorificis conficiatur, flatum augebit. *Idem ibid.*

XII. Cum cauſa antecedens ſint vel craſſi & pituitoſi humores, intra coli membranas ſubſiſtentes; vel materia flatulenta; vel inflammatio coli, vel acer mordaxque ſuccus, quæ cauſæ aliquando miſcentur, ſi morbus diuturnior eſt, ubi frequenter una cum craſſitie materiæ, iungitur etiam acrimonia flatulenta cum inflammatione; quam ob cauſam, juxta Hermeticos, *[illegible]* ex mucilagine Tartarea, ſtypticis & acetoſis ſpiritibus permixta producitur: Ideo aſſeritur ſpiritum ſalis optime convenire, præmiſſis præmittendis, tum quod attenuandi reſolvendi ſimulque potestate polleat, peccantes humores corrigat: tum etiam quod diſcutiendi vi flatulentam materiam digerat: adde quod materiam putreſcentem alteret & humores à putredine præſervet: Imò vi aperiendi cauſam morbificam diſponit, ut eo citiùs natura ab eadem ſeſe liberet: tandem quatenus fervidas & ſulphureas exhalationes deprimit, ſeu ſiſtas reddit, catenus optimum anodynum exiſtit: Nec timendum ne calefaciendi vi nimis liquet & fundat humores, quod movet Gal. 12. meth. 8. Aut ne penetrandi vi peccantes humores magis exacerbet, cum eximium calorem abeſſe conſtet, eo quod hydropicis exhibitus ſitim extinguat, nedum generet, Ac potius ferocientes ſpiritus conſumat & colligat quam irritet. *Greg. Horſtius Dec. 6. Probl. 1.*

XIII. *Galenus* incantamenti inſtar Colicam e flatibus curari ait (probante Cratone) ſi cucurbitula magna, cum multa flamma, ventri ad umbilicum admoveatur. *Nota, Ad*, non *Supra* umbilicum, ne forte ſyncope oriatur ob commercium vaſorum umbilicalium cum corde: Sicut homo neceſſario interit ſi circa umbilicum excoriatur, quamvis alias vivere poſſit totus pelle privatus: ſupplicij genus Ægyptiis familiare.

XIV. Sunt qui in colicis raro decoctis, ſive per alvum, ſive per os, utendum cenſent, quod quamvis qualitate proſint, ratione ſubſtantiæ noceant, ideo præſtare Clyſteres confici ex ſolis oleis vino potenti mixtis E. g. ol. Iunip. ℥ß. malvatici ℥x. *O. Heurnius in Fernelium.*

XV. Cum morbus invadit tria illa concurrere ſolent. 1. Obſtructio alvi, propter aridorum ſtercorum copiam 2. Siccitas inteſtinorum, cum qua ſæpe coincidit renum obſtructio & caliditas, ſiccitatem illam fovens: Interdum etiam purgationes nimis crebræ vias poſt ſe reſiccant, præſertim cum tenues materiæ expurgantur relictis craſſis. 3. Affluxus humorum ea vetus augens flatus, Hoc rerum ſtatu, cum colo ſupra ab humoribus, infra à ſtercoribus obſtructo, flatus nec erumpere aperte, nec ob craſſitiem per occultos meatus tranſpirare poſſunt, oritur miſerabilis illa inteſtinorum diſtenſio, præſertim ſi arida ſimul ſint inteſtina. Hic protinus aliqui feſtinant ad flatus diſcutiendos, adhibent fomenta, dant diſcutientia &c. quæ ſanè in colica leviori faciunt quod debent, ſed in vehementi plurimum nocent, diſſolvendo pituitam in flatus: Habent ea ſuum locum, ſed prius neceſſe eſt vias inferiores aperiri, & ſiccitatem inteſtinorum emendari: Ad hoc maxime idonei clyſteres lenientes, mollientes, & ſi viſcida materia adſit, etiam incidentes & abſtergentes, quibus inſiſtendum donec obſtructio à retentione fæcum exorta tollatur: Cur autem non recipienda ſint olea in clyſteres, non video, cum lubricent inteſtina eaque emolliſint: Multò magis metuo ſiccitatem, quæ non uſurpatis oleis relinquitur: Quædam cum præ doloribus colicis jam exſpiraret, ſanata eſt ſola emollitione inteſtinorum exſiccatorum: Impoſui rete caſtrati calefactum in lebete, & antequam illud cõſequeter, appoſui vitrum cum lino incenſo, inducias inde quærens in dolore: Emollitis inteſtinis, ſtatim excrevit plurimum pituitæ vitreæ, & multum etiam bilioſiorum humorum, unde contra ſpem convaluit: Hinc apparet quanta res ſit emollitio inteſtinorum in colica, quem in uſum olea indi ſoleant: Galenus cum ex phlegmate vitreo inteſtina ipſi velut terebra perforarentur, iniecto per clyſterem oleo rutaceo copiam pituitæ vitreæ excrevit & convaluit, &c. *G. Hofmannus apud Scholtzium. conſ.* 173.

XVI. Cum ægri non levaretur dolor medicamentorum uſu, neque is niſi admodum difficile movere ſe poſſet, in hanc ultimam devenimus deliberationem ut decoctum ligni Hujaci, corticiſque ejuſdem præberemus, in quo parum fœniculi tantum incoctum eſſet: quod magis ſi alia admiſceantur medicamenta illius vires infringant quam ſublevent: cum potius qualitate quadam occulta agat quam manifeſta, ſi accuratè animadvertere voluerimus: deinde ſi, ut ſperabam futurum, febris ceſſaret, quod tertia pars vini decocto adderetur, eo modo illud coquentes & præparantes qui nobis,

magis ægri ſaluti opportunus viſus, illoque & manè & ſero pro ſerapio & potu utentes, licet non ita tenuem victum decreverimus inſtituere, ac ſi non ita diutino morbo affectus fuiſſet, quamvis antea largiore, quam par erat, victus ratione uſus fuerit: quo quidem remedij genere ab omni morbo incolumis factus: Qui niſi quidem ſubito ab illius aſſumptione convaluiſſet, majorem ſanè corticis menſuram addidiſſem, cum efficacior ille ſit, experientia teſte, & in pleriſque etiam aliis videre licet, ut ſunt raphani, citri, ellebori, capparum, & multorum aliorum cortices: neque ad alia tranſiiſſem, ſed per aliquot dies expectaſſem, cum hujus medicamenti talis ſit natura, ut poſtquam etiam ſumptum fuerit ad multum tempus vires ſuas exerceat: *Aloyſius Mundella.*

XVII. Ubi parum nos clyſmatis proficere cernimus, ad potiones, & ea quæ extra admoventur deſcendemus: prima igitur potio facile parabilis ex diacymino erit, vel electuario de baccis lauri ex forti vino calido, vel meraciore mulſâ: Secunda ex nuce moſchata trita & vino cretico calido. 3. ex caſtorei ℨj. cum vino ſimiliter. 4. eſt terebinthinæ potus. 5. ſalſatum & ſuphurearum aquarum. 6. lupinum ſtercus quod in ſpinis pependit. 7. galerita avis, obſonij vice in albo jure. 8. c. c. uſtum in olla & in pulverem redactum, epotum. ℈j. pondere. 9. Ius galli veteris, incoctis carthamo, polypod. turbith, hyſſopo, ſemin. dauci, anethi, ameos, ſale gemmæ, aromatibus: clyſteres ex eo decocto interdum parando: Nos concocta materia & parata, diacatholicone uſi ſumus & diaphœnicone utiliter, & aliquando galli jure, & aliis remediis quæ non multum calefaciant. *Leon. Iacchinus.*

XVIII. *Cornea cucurbitula* plurimi fit ab Iodis ſub torrida zona habitantibus: qui curaturi juvenem dolore colico laborantem, infudere primum ore clyſterem, mox applicuere abdomini cucurbitulas corneas: quarum ſpiritu, per exile foramen, ore educto, occluſere feſtinanter cavum id digito, cum et cuti firmiter inhereſceret cucurbitula, tum ad eliciendum flatum inteſtinis moleſtum: quem certè feliciſſimè huic juveni hac ratione ſubduxere Barbari. *Nic Tulpius lib. 3. cap. 49.*

XIX. Nonnunquam accidit ut pituita, in colo inteſtino congeſta, in tumorem attollatur, qui ſpecie externa turgidus, Medicos in errorem inducit, & curationes eorum eludit: nam conſpecta tumoris duritie, protinus ad emollientia decurrunt, iiſque inſiſtunt, cum curatio vertenda eſſet ad ablationem cauſæ, h. e. ad pituitæ ex inteſtinis eductionem; Ac tes tandem loquitur ipſa, deducta aliqua pituitæ parte tumorem ipſum deſidere & minui: Vide apud *Fernelium* hiſtor. de legato. *Caroli Qu. G. Hoſmannus apud Scholtz. Conſ. vj.*

XX. Expendere oportet Pituitæ vitreæ frigiditatem non ſolum eſſe doloris occaſionem, ſi quidem diu ibi perſiſtens eum non valuit inferre: quò fit ut non ſolis calorificis ſedetur, ſed ex motu prodeat dolendi occaſio: nam dum quieſcunt humores illi inteſtinis affixi, dolorem nullum inferunt, donec moti vim inferant ſubito & affatim in naturam ipſam, ac per conſequens dolorem; quod manifeſtè conſtat, nam ſubito ab evacuatione humorum ceſſat dolor: qui ſi ſola fieret alteratione, nec ſubito invaderet, neque ſubſideret, cui uſui præſtant ea clyſteria quæ protinus evacuandi pituitam efficaciam habeant ſimul cum caliditate: Nam quæ ſolum calfaciunt plus ſolent humorem movere, ac per conſequens graviores dolores inferre: Adde quod prædictus humor per inteſtinorum venas & poros ſolet tranſſumi, & inter inteſtini tunicas congregari, idque ſenſim; Verum cum ad quantitatem eo devenerit notatu dignam, neceſſe eſt divelli tunicam atque diſtendi, ac dolorem inferre, tanto quidem majorem, quanto magis à ſe flatus produxerit, quos facile nec pellere natura nec diſcutere poſſit, qui ibi violenter detinentur, frigidi humoris contactu denſatis tunicis. *Mercatus de Ind. Med. lib. 1. cap. 3.*

XXI. Obſervat *Heurnius decocto aniſi* ſe fœlicius colicos dolores ſanaſſe quam eius ſpiritu vel oleo: Idem quoque ſæpe obſervavi, quoniam decoctum vires aniſi omni ſui parte imbibit: olei autem guttulæ tres vel quatuor, partem quam primum attingunt efficiunt potentiſſimè, ſed vires ſuas ulterius non diffundunt: *Primeroſius Error. Pop. l. 4. c. 3.*

XXII. In Colica præſentiſſimum auxilium reponendum in *Clyſteribus ex fumo Tabaci* immiſſis, ait *Bartholinus* cent. 4. Epiſt. 92. Quid valeant expertus eſt Genevæ ante paucos annos Pharmacopœus peritiſſimus D. *Pucanus*, qui Ileo à fæcibus obstructo Colo graviter laborans, nec ullis præſidiis alvus ſolvi cum poſſet, ne quidē deglutitis globulis, uno plumbeo, altero aureo, imo ipſo hydrargyro ad ℥iij. exhibito, tandem inſufflato in anum per fiſtulam vulgarem Tabaci fumo, alvus commota eſt, aliquot ſcybala excluſa, atque aliis congruis accedentibus remediis, ad ſanitatem redij.

XXIII. Notandum de *Carminativis*, hos majores ſæpe ſolere excitare cruciatus ob ſiniſtram adhibendi rationem &c. *Galenus* 14. meth. cap. 7. *Vide lib. 19. tit. de Clyſteribus.*

XXIV. *Cingulum*, quo arctè venter conſtringatur, à nonnullis adhibetur, verum nullius eſſe uſus, quin dolores potius augere quam minuere putamus: compreſſo enim ventre, colon quoque arctatur, materia autem flatuoſa magis renititur, unde dolor exacerbatur. *Rolfinc. conſ. 3. lib. 7.*

XXV. In *Colica phlegmatica & flatulenta* locum non inveniunt Acidulæ: inteſtina quippe refrigerant, doloremque conduplicant: Et quia ob conſtipatam alvum tranſitum non habent, ventrem diſtendunt, & cruciatus augent. In bilioſa concedi fortaſſis poſſunt, cæteris paribus i. e. alvo aperta & ventriculo exiſtente tali, ut earum potum tuto & facile ferre queat. Scribit enim Galenus 6. de loc. aff. c. 2. nauſeam & vomitum in colica urgere, & longè quidem vehementius quam in nephritide, ægroſque pituitoſa & corrupta vomere: rapitur enim ventriculus, affectis inteſtinis, in conſenſum. *Sebiſius de Acidulis Sect. 2. diſſert. 2. §. 44.*

XXVI. Ubi anodyna nihil proficiunt, & dolor vehemens admodum eſt, ut ſyncopes vel vitæ periculum immineat, ad *Narcotica* accedendum, quæ uſurpantur commodius in mordaci & acri humore, non quod refrigerent, ut vulgo creditur, ſed quod humoris acrimoniam mitigandi, eum incraſſandi, morſumque & motum ejus inhibendi etiam vim habent: In frigidis autem & craſſis ac lentis humoribus Opiata ita commoda non ſunt, cum cauſam morbificam deteriorem & curatu difficiliorem reddant: Et quamvis quia frigidis humoribus Colicam

patiuntur,

patiuntur, initio aliquid commodi inde percipiant, poſtea tamen dolores majores fiunt, humore ipſo craſſiore & ad motum magis inepto reddito, tunicíſque inteſtinorum magis addenſatus. *Sennertus.*

XXVII. Hoc tamen circa *Narcoticorum* uſum monendum, ut cum iis opus eſt adhibeantur dum vires adhuc conſtant, nam ſi viribus jam proſtratis, & ubi fere morti vicinus eſt æger, uſurpentur, non ſolum nihil proſunt, ſed ægro etiam interitum accelerant & cum ſenſu vitam auferunt: Deinde per clyſteres talia iniiciantur cum decocto convenienti, & clyſtere infuſo æger in latus dolens recumbat. *Idem.*

XXVIII. Non ſemper illa ipſa materia quæ dolorem excitat, etiam obſtructionem parit: ſed quandoque diverſa: Flatus enim copioſus, cum excrementorum retentione affluens, & continuum ſolvit, doloremque parit, & obſtructionem generat: Dum vero flatus non eſt ita copioſus, fæces verò ſunt induratæ, aliud eſt quod dolorem excitat: compertum enim eſt ſæpiſſimè alvum ad multos dies fuiſſe obſtructam, & fæces retentas ſine dolore colico: accedentibus poſtea flatibus demum colicam excitatam fuiſſe. Si ergo à fæcibus alvi induratis, reliquis fæcibus & flatibus exitum præcludentibus fiat colica, uſurpanda ſunt emollientia, & poſtea actia expultricem irritantia. *Sennertus.*

XXIX. Quod vero G. *Fallopius* lib. de Medicam. Purgant. cap. 28. refert *Rufum* damnare *Clyſteres* in torminibus ventris, ideo quia magis diſtendunt inteſtina, & velle loco eorum uſurpemus *Glandes* &c. hoc paradoxon haud facile attendent Practici: attamen *Rufi* hæc cautela quandoque in aliquibus individuis admittenda videtur: Sic cum Perilluſtr. D. N. vehementi colica corriperetur, egoque illi ex pulegio, calaminthia & ſimilibus clyſterem parare meditarer, faſſus mihi eſt ſe uſum clyſterum ferre non poſſe, cum plerumque iis ſibi exacerbarentur dolores, contra eos ſibi mitigari à ſuppoſitorio: Imo ſe quoque obſervaſſe ajebat quod ſi quandoque ab uſu clyſterum dolores mitigarentur, eos tamen facile recrudeſcere, nec inducias ultra biduum aut triduum ſibi concedi: at ſi ſuppoſitorium intruderetur, non ſolum incantamenti inſtar id ſopire paroxyſmi tempore intolerabiles dolores, ſed quoque ſe ab uſu illius per 5. vel 6. menſes ab omnibus torminibus vindicari: Quæro anne ſpecimen vel exemplar ipſi eſſet ſuppoſitorij quo uti conſueviſſet? ac id mihi communicavit. ℞. *mellis crudi* ℥j. *trochiſc. alhandal* ʒß. *olei ſtellat. cera* ℈ß. *ſalis gemmei* ℈ij. *coque mel ad ſpiſſitudinem ut digitis tractari poſſit, additis ſpec. & ſale. f. Suppoſitoria*, Atque hæc in gratiam Medicinæ candidatorum afferre placuit, qui ſubinde in praxi illorum Hipp. noſtri recordabuntur, ubi non illico miteſcunt ſymptomata, *Cum quis omnia recta ratione facit, neque tamen pro ratione ſuccedit, non eſt ad aliud progrediendum, ſi manet quod ab initio viſum eſt:* Verum enim vero regerat Medicinæ candidatus, in veterum Græcorum, Hippocr. præſertim & Tralliani lectione verſatus, probetque ex his authoribus non ſolum Clyſteres, ſed etiam ipſum flatum in inteſtina arte intromiſſum mitigare dolores & ventris tormina, imo ſervare ægros vitæ periculo expoſitos &c. Unde inferre, ſive contra *Rufum* ſive *Fallopium* poteſt, vanum eſſe illum metum de Clyſterum uſu, & penitus intercidere illud paradoxum, quo defenditur, Quia inteſtina a clyſteribus diſtenduntur, Ergo damnandos eſſe clyſteres in torminibus ventris, Textus autem in Hippocr. duo inſignes occurrunt, & prior ex lib. 3. de morb. ſect. 5. In quo ex inſtituto de cura Volvuli agitur, & adverſus eum varia ſubſidia adducuntur, ubi inter alia hoc conſilium dat. *Quod ſi*, inquit, *recuſet, fiſtula ad propendulum utriculi petiolum adalligata & inflata, multus flatus immittendus, ac tum ventrem tum inteſtinum contractum diſtendat, deinde extracto folle, infuſum per clyſterem iniiciendum. Poſterior textus illi conſimilis lib. de affect. ſect. v.* hic eſt *Quod ſi clyſterem recuſet, fiſtula ad propendendum utriculi petiolum adalligata & inflata, multus flatus immittendus, inteſtineque & ventre per flatum diſtento, detracta fiſtula confeſtim clyſter iniiciendus*, quem ſi admiſerit, alvum demittet & convaleſcet: Ejuſdem quoque Trallianus lib. 5. cap. 10. eſt ſententiæ in colicis, qui ex ſtercoris duri obſtructione dolent, ceu quibus eadem quæ Hippocr. præcepit remedia adhibet, qui ibidem modum aut encheireſin longe apertius quam Hippocr. nos docet, Cujus beneficio folle fabrili in anum flatus aut ventus intromitti debeat, & quidem tum temporis ubi nihil aſſumptis antidotis ac injectionibus magnum quod præſtari potuit: Sane hæc & ſimilia ex Hippocr. obiicenti, Reſpondendum per ipſum Hippocr. qui 1. aph. 6. inquit. *Ad morbos extremos, extremam ad unguem curationem praclare facere:* Quæ verba ita accipio, ut non ſolum Acuti, ſed Acutiſſimi morbi, & omnino lethales ſub extremorum, morborum, ſeu, ut Gal. loquitur, ſummorum nomine, ſeu ultra quos non ſunt alij, intelligendi veniant, quibus annumeratur Iliaca paſſio, aut Volvulus Iliacæ paſſionis ſpecies, Vide in hanc ſententiam *Hofmanni* Inſtitut. lib. 3. cap. 47. Quaſi Hippocr. dixerit, Volvulus conclamatum & extremum eſt malum, ergo recte conſules ægro ſi extremam curationem non protollas, ſed eandem urgeas, aut pericliteris, juxta Galenum 5. m. m. 15. Egregium monitum practicum, Qui ubi moriendum prorſus ægrò eſt, alieniſſimum à ratione cenſet à mitioribus inchoaſſe medelis: Abſit ergo inſimulemus Hippocr. inſcitiæ, aut quaſi illum fugerint illa incommoda quæ ſive à clyſtere, ut ita dicam flatulento aut pneumatico, ſive etiam folle fabrili in anum intruſo, ægros manent, aut quæ *Fallopius* una cum *Ruffo* ab omnibus clyſteribus ægris inferri timet: Sed contra aſſerendum Hippocr. probe noviſſe omnia illa, aſt præcepiſſe ex duobus malis, ægro in vitæ periculo conſtituto, minus eſſe eligendum, & præſtare hoc in caſu anceps quam omnino nullum remedium: Seu pneumaticum clyſterem, aut ipſius follis flatum, noxium quidem eſſe inteſtinis, ceu quo magis magiſque, ut obſervat *Rufus*, diſtenduntur, lancinantur, excruciantur, ſed ſolum punctum quaſi temporis, inteſtina, ſed ita ut ea diſtentio inteſtinorum alvum torpidam ſolicitet, ac ſcybala adhæſu tenaciſſimo velut ab ipſis inteſtinis, vel inteſtina a ſcybalis divellat, quæ poſtea natura excernere potis eſt. *S. Pauli Quadri part. Botan. p. 461.*

XXX. *Colico dolori Bilioſo* qualia Purgantia conveniunt? Mitigato aliquantulum dolure, expreſſio Rhei in aque cichorij, cum ſyrupo roſaceo exhibenda erit, & frequenter repetenda, donec tota humorum ſaburra vacuata fuerit: Si purgatio iſta benignior morbo eradicando non ſufficiat, confugiendum erit ad mercurium dulcem, qui aliquoties exhibitus cum purgantibus diagrydiatis, curationem abſolvit: Quibus ſuſpectum eſt diagrydium, ſolus exhibeatur mercurius dulcis in pilulam efformatus cum conſerva roſarum, ſuperhauſta infuſione ſennæ & rhabarbari, addita manna & ſyrup. roſaceo *Riverius*.

XXXI. Interdum doloris atrocitas uti cogit *Narcoticis*, Philonio Romano diſſoluto in clyſtere, vel in bolo, vel diſſoluto in decocto conveniente. *Rondeletius* parat pilulas ex opio, myrrha, caſtoreo cum mithridatio: Sed his Narcoticis temerè utendum non eſt. *Enchirid. Med. Pract.* Dn. *Dorres* vidua ſumma duritie & tenſione abdominis totius à multis annis laborans, unde per intervalla dolores atrociſſimos, colicorum inſtar patiebatur, eodem dolore corripitur, multò atrociori quam antea, circa noctem: Vocatus Pharmacopæus duos clyſteres iniicit ſine ullo fructu, quamvis eorum vi multum purgata fuiſſet: Vocatus ego mane præſcribo pilulam ex laudani gr. v. & intra horam dolor penitus quievit nec amplius rediit. *Riverius Centur. 3. obſ. 12.*

XXXII. *Mindererus* ſcribit ſe multis riſui fuiſſe quod *Vinum* Colica laborantibus interdixerit: cum tamen ipſe expertus ſit omnes tales ſpuria paralyſi immunes evaſiſſe: Concedi tamen poteſt Hiſpanicum confortationis, non potus gratia: Auſtriacum ſolum ſufficit ad generandum colicam, vel ſaltem ad tartari illius deliteſcentis ebullitionem. Cruditatis ſignum commune dat vinum bibitum, quod in iis qui Colicos patiuntur dolores ſtatim aceſcit. *Hoeferus Hercul. Med. lib. 3. cap. 5.*

XXXIII. Iis qui tali colica laborant non concedendum *Balneum*, plerumque enim in iis viſcera calidiora ſunt, hinc magis calefiunt & dolor augetur: deinde in affluxu illius materiæ, quæ prius colicam generavit, antequam nervi afficiantur, replentur prius muſculi, ita ut animalem ſpiritum, motus & ſenſus opificem primarium, recipere nequeant, vel, etiamſi recipiant, officio tamen fungi non poſſint ob effœtam & debilem conſtitutionem, quam augent balnea, adeoque iuvant ad deteriorem metaſtaſin, juxta aphor. 5. 16. Si autem omnia fruſtra tentata fuerint, & dolor non ceſſaverit, nihil obſtat quin ægrum in balneum ducamus, & metaſtaſin ſtudio inducamus, quia ſic materia morbifica à nobilioribus ad ignobiliores partes transfertur, ubi locus non eſt evacuationi, morbus nimirum gravior per mitiorem curandus: Paralyſis enim ſpuria ſuccedens ſucceſſu temporis per ſe evaneſcit, vel idoneis remediis pellitur. *Hoeferus Herc. Medic. lib iij. c. 5.*

XXXIV. Superato catarrho quidam colicam paſſus eſt ſatis moleſtam, quæ circa veſperam incrementum ſumpſit: ante invaſionem, ab aſſumpto cibo per vomitum aliquot libras rejecit aquæ limpidæ, ſine chyli craſſioris admixtiune: Cauſa colici doloris mihi viſa eſt chyli craſſities, quæ liquidi ſeri defectu, quum libero curſu per inteſtina ferri non poſſet, tormina concitavit: Presbyterum novi colicis doloribus divexatum, qui ſupervenien-te vomitu aquæ à materiæ ſanatus fuit: unde hydragogorum uſus non raro advocandus in colicis torminibus, quorum beneficio ſæpe per alvum liberavi ægros. *Bartholinus cent. 5. obſ. 58.*

XXXV. Puella bimula ordinatis doloribus torquebatur circa inguina, ut nec cubans, nec ſedens, nec ſtans, nec ulnis geſtata dolorum requiem ſentiret: redibat iſte dolor ſtatis vicibus, à decima veſpertina ad XII. interjecto tempore diurno nocturnoque ſana erat, tertio paroxyſmo finito, nulla manifeſta criſi apparente, poſtea immunis vixit: vermium nulla fuere indicia: Flatulentam igitur colicam fuiſſe nullus dubitavi, in muſculis potius abdominis deliteſcentem quam in colo, alvus enim ex voto reſpondit: Inunctione abdominis ex oleo abſynthii & cumini deſtillato, & exhibita theriaca in aqua cornu cervini, ſublevavi ægram. *Idem hiſtor. 59.*

XXXVI. Dom. *Puri*, Neocomenſis Helvetius, octogenarius, ſed pro ætate robuſtus, gravi dolore lateris ſiniſtri correptus acceſſit Chirurgum vicinum, qui Pleuritide eum laborare exiſtimans ſanguinem demit, unde exacerbatio doloris: Ejus filius, urbis Paſtor digniſſimus, urinam deferens à me conſilium petit, Quæro num forte Pater vinum recens deguſtaverit (menſis erat November) quod eo anno, 1659. maturitatem nullo modo adeptum erat: Annuit ille, addens dolorem infra coſtas eſſe, nec uno loco conſiſtere: Fatalem illi fore ſanguinis miſſionem prædixi, revera triduo poſt obiit omne remedium reſpuens.

XXXVII. Digni ſunt reprehenſione qui in *Colica a duro Stercore* prodeunte, illico acribus clyſteribus utuntur, & calidis fotibus vel inunctionibus, quæ omnia magis conſtipant & exſiccant: docet enim Gal. prius emollientibus, & deinde acribus evacuationibus incedendum. Ego incidens in ægrum, cujus alvus à duro ſtercore erat conſtipata, & dolorem ventris patiebatur, exhibui prius ℥x. olei amygdal. & die ſequenti juſſi enema ex oleo & hiera iniiceretur: unde excrementa ab oleo liquata vi hieræ ſunt educta: In tali colica multos magnis doloribus liberavi, ſpatio 24. horar. exhibens 30. uncias ol. amyg. dans manè x. veſperi alias x. ſine diluto, & ſequenti diluculo x. Hæc olei quantitas certò pervenit ad locum dolentem, inungitque omnia inteſtina: nullum alium cibum interea exhibens, quia oleum ſatis nutrit: minor quantitas inefficax eſt. *Sanctorius art. part. c. 44.*

XXXVIII. Si malum ſupra umbilicum eſt parum juvant *Clyſteres*, ut vero ſemper periculoſius inteſtina ſupra umbilicum quam infra laborant, ita Clyſteria injecta, dum obſtructiones in ſuperioribus partibus ſunt, parum materiam attingunt, & ſæpe uſurpata hoc incommodum afferunt, 1. quod ſegniorem expultricem reddunt, & efficiunt ut alvus nonniſi irritata ſeſe exoneret, 2. quod iſtæ impulſiones ſubitæ materiæ enematum, vel nimis calidæ vel frigidæ, temperamentum inteſtinorum lædunt: 3. quod nullum enema applicari poſſit, quin non ſimul multi flatus intrudantur. Doloribus tamen urgentibus, cum pilul. &c. per ſuperiora, crudis exiſtentibus humoribus minime tuto exhibeantur, neceſſario ad uſum enematum deveniendum. *Crato conſ. 169.*

XXXIX. Si *Enemata* mitiora non facile redduntur, aut ventrem non laxant, quæ magis irritant, atque humores arteriolarum oſculis exprimunt,

exprimunt,& quaſi emungunt, adhibeantur: magnum iuvamen ſæpius contuliſſe novi Enema ex terebinthinæ Venetæ ℥ß. induta ſit: cujus ratio videtur, quod terebinthinæ particulæ balſamicæ inteſtina confortant, ac inſuper à ſanguine venoſo acceptæ,& cum eo per totum corpus circulatæ, urinas movent: ita ut lotium à tali clyſtere ſæpe copioſius ſuccedat,& ſemper odorē violaceum reddat. Forſan etiam particulæ terebinthinæ ubique diffuſæ materiam morbificam aut ſtagnantem movent, aut acetoſam, aut alias degenerem ad craſin meliorem inclinant. *Willis.*

XL. Licet *Galenus* 1. ad *Glaucon.* 4. *Colicam à mordacibus ſuccis* ſtatim hiera picra ſanaverit, Ego tamen Hiera nunquam auſus fui uti ante humorum contemperationem; Quare ſtatim caſſia exhibenda, & nocte ſequenti clyſter iniiciendus ex lacte, & flore caſſiæ ad humores contemperandos Fortis *conſult. 93. cent. 2.*

XLI. *Vomitio*, ſi congruat, in hoc caſu nonquam omittatur, qua nempe viſcerum emunctorii à inanita, ſanguinis & liquoris nervei recrementa, ſecus materiam morbificam auctura, uberius excipiant: inſuper & plexus nervei, parteſque omnes ſuccutiantur adeo, ut nihil in mineram morbi ceſſuri tum ibidem ſtagnare aut aggeri ſinatur. *Willis*. Rever. N. Colicæ graviſſimæ obnoxius, manibus contractus, ſæpius per os ingeſtis, & per clyſmata evacuato corpore, cum non minus dolor recurreret, cum valida compreſſione abdominis, exin conjectura ſub hypochondriis deliteſcere copiam craſſiorum humorum, tantam anguſtiam & recidivam patientium; Contuli me ad Emeticum, obtuli Diatari *Fernelij* ℥iij cum hydromel. ℥.v. ad revellendam materiam per vomitum; Vix unius horæ intervallo poſt vomere cœpit, non continue ſed per intervalla: ingens copia humorum phlegmaticorum rejecta, ut non una matula repleta; tandem cloaca illa emundata vomitus deſiit, nec dolor amplius rediit, ægro prius macilento poſt obeſiore facto: Multi paſſim monachi in ſuis clauſtris, colica compreſſiva, contracto interius ventre cum violentia laborantes, quæ tandem in convulſiones epilepticas, in ſepulchrum deſcendunt, qui in vita conſervari potuiſſent exhibitis emeticis, cum craſſi illi ac tenaces humores intimius impacti, nulla alia ratione commodius averruncari queant, Sed cum vomitica adſtantibus terrorem incutiant, & Medicum etiam formidoloſum reddant, hinc rarior illorum uſus. *Auguſtinus Thonerus obſervat. 2. lib. 6.*

XLII. Plerique perſuaſum habent non aliunde quam à calore *urinas* tingi poſſe, qui tali in colicis doloribus apparente, temere ad febris curationem confugiunt, neglecto coli dolore, quem etiam augent Quod ſi autem iſti legiſſent quæ *Galenus* ſcribit 1. ad *Glauconem*, non potuiſſent ignorare etiam urinas a cruditate, & in frigidis morbis rubicundas quandoque eſſe: Nam ubi de Quotidiana febre agit, quæ crudorum humorum ſoboles eſt, ſic ſcribit, In Quotidianis aut albæ, aut tenues, vel craſſæ, vel turbolentæ, aut rubræ urinæ apparent. Addit in comment. Akakia rubras fieri, obi per imbecillitatem jecoris aut venarum, ſerum aut rubra ſanies cum urina emittitur. *Dodoneus obſerv. cap. 31.*

XLIII. Specificum, & quidem extremum, quo quidem uſus ſum feliciter, eſt mixtura hæc, ℞. ſpiritus vini ʒj. ſpiritus nitri ℈ß. ad ʒß. aquæ fontis ℥iij. Sumat, & bene tectus ad ſudandum ſe componat, quietumque contineat, Quieſcere enim vel inprimis opus, quamvis difficile ſit; Valet hoc potiſſimum quum flatus ſunt inter membranas concluſi. *Ioh. Hartmannus Prax. Chim. cap. 146. §. 1.*

XLIII. *c.* A quacunque cauſa dolor Colicus extiterit, ſemper iis quæ offeruntur miſcenda ſunt quæ propria facultate adverſus eum valent, cujuſmodi ſunt pulvis inteſtinorum lupi, vel ſtercoris ejus, & aqua ex fimo junioris bovis diſtillata: quæ & per ſe uſurpata conveniunt, ſi nempe pulvis prior in vino detur ad ʒj. Vel poſterior cruribus & pectini alligetur, vel aqua bibenda porrigatur ad ℥j. *Idem. §. 20.*

XLIV. *a. Elect. Diaphœnicum* eximium eſt ad dolorem Colicum, exturbat enim pituitam lentam & craſſam: ſed debet fieri ex dactylis maturis, quibus ſatis adſtrictionis ad ſcammonij correctionem: Ex Galeno enim 1. ad Glauconem, abſynthium calid. & ſicc. non convenit in pituitoſis affectibus ob adſtrictionem: Eadem de cauſa vino potius quam aceto macerandi. *Rondeletius.*

XLIV. *b.* Si à *fæcibus diu retentis & induratis* eſt, iniiciatur primò Clyſter emolliens, & ingrediatur patiens in balneum aquæ dulcis, cui incoctæ ſint herbæ emollientes, Poſtea purgans detur validum. Quod ſi his nihil proficitur, tolle inflentur inteſtina, ut diſcedant à fæcibus, & mox ſubiiciatur clyſter validus, cui immiſtus ſit ſal gemmæ a ʒj. ad ij. *Hartmannus Praxeos lib. 2. cap. 46. §. 19.*

XLV. Si una *cum Purgantibus Narcotica* in ſummis doloribus commiſcere eſt animus, hac medicandi ratione triplex conſequimur commodum; pituitam ipſam expurgamus, flatum diſcutimus, & dolorem ſopimus, qua ſane nulla commodior feliciorve curandi via in gravioribus his doloribus excogitari poteſt. *Fienus Phyſiogr. cap. 19.*

XLVI. *a* Cavendum interim unicè ne *opiata* præbeantur niſi prius idoneis evacuationibus corpus perpurgatum ſit, & aliquot horis ante paſtum, jejuno ſtomacho, nec non in extremis doloribus, & cum alia anodyna ſine utilitate ſint adminiſtrata. *Fienus Phyſiogr. c. 19.*

XLVI. *b.* Balneator Viennæ poſtquam tribus anni quadrantibus graviſſima diſcruciatus fuiſſet colica, plurimaque perperam adhibuiſſet, malumque acidularum uſu exaſperari videretur, imo ejuſdem uxor juvenis etiamnum eodem affectu nuper defuncta fuiſſet, idem fatum horrens, me acceſſit, Hæc toto corpore convelli cœpit, ita ut ominarer materiam ad nervoſum genus tranſlatam Paralyſin inducturam, hoc nobis mali faceſſeret; Convulſionibus per medicamenta ſedatis, Vinum Guajaci, ex *Amati* cent. curat. 32. præcepto, pro eliciendo ſudore, per quinque dies ordinavi, & ex toto reſtitutus fuit: Sine dubio colica fuit à pituitoſis humoribus flatuum ſeminariis, inteſtina occupantibus, qui à vino iſto diaphoretico liquefacti & per ſudores reſoluti ſunt: Interſiciebantur quandoque laxativa. *P. de Sorbait. Ephem. German. anno 3. pag. 487.*

XLVII. Frequenter dolor graviſſimus excitatur a *Pituita & humoribus craſſis & viſcidis*, non in cavitate inteſtinorum, ſed intra coli tunicas contentis, *Galen. 12. m. m. 7.* In tali colica, alvo prius aperta, pituitam attenuantibus, fundentibus, diſcutientibus utendum jubet, iis tamen non inſigniter calidis, ne materia ſubitò reſoluta flatus

multiplicentur,& materiam ad excretionem parantibus, ac denique evacuantibus: Clyſteres fortes ab initio, atque iterati, nocent potius quam proſunt, materia agitata quidem, ſed ob ejus ineptitudinem non vacuata, naturaque labefactata: Per os leniora quoque exhibeantur: Ab Agarico abſtinere jubet *Avicenna* ob metum vomitionis. *Sennertus.*

XLVIII. *Succi* iſti *frigidi & craſſi*, intra tunicas inteſtinorum concluſi, incidendi & concoquendi ſunt, & quidem ejuſmodi medicamentis calidis quæ non plus reſolvunt quam digerant, ſed quæ flatus diſcutiendi ſimul vi polleant, in quorum cenſu Galenus *Allium* habet, Etſi enim nonnulli putant flatus gignere *allium*, *tamen rectè Gal.12.m.m.8. Allium*, inquit, omnium planè eduliorum flatus maxime diſcutit: habet enim manifeſte excedentem calorem,& qui pituitoſum humorem non gignat, ſed manifeſte ei repugnet. *Idem.*

XLIX. Noli illorum ſententiæ inconſiderate accedere,qui ſolis *calidis* medentur cuicunque colico dolori, Reſpice attente ad oblati morbi cauſam, Mulieri colon vidimus tam libere bili flavæ innatans, ut licuiſſet eam cochlear inde eximere. Quam bilis affluentiam frequentius hoc loco quum animadvertant Anatomici, veriſimile eſt eam tranſſudare paulatim per tunicas folliculi fellis, huic inteſtino quam aliis viciniores: Quare male ſibi conſulunt qui præ nimio ſtudio validius comprimunt Iecur, exprimit quippe prona hæc flexi corporis incurvatio bilem; quæ ut interdum pungit ac vellicat extimam, ſic inſinuat ſeſe nonnunquam inter utramque ipſius tunicam, excarnificans tam miſere ægrum hac ratione obſeſſum, ut millies eoportet mori antequam eo felicitatis devenerit. *Tulpius obſ.lib.2.c.37.*

XLIX. *a* Cum ſingula *Colica Bilioſa* phænomena affectum hunc ab acri aliquo ſive humore, ſive halitu, e maſſa ſanguinea in inteſtina excuſſo, naſci aperte doceant, Indicatio curativa primaria mihi hæc eſt,ut ſcil. evacuetur dictus humor, tam Antecedens in venis, quam Continens in viſceribus concluſus, Altera vero ab hac, ut Anodynorum uſu & compeſcatur humorum eo tendentium impetus,& mitigetur immitiſſimus humor, *Sanguinem* itaque e brachij venis paulo liberalius *educi* (ſi nempe id fuerit hactenus intermiſſum) & poſt horas tres vel quatuor *Anodynum* exhiberi curo: Poſtero die *catharticum* aliquod *lenitivum* præſcribo, interpoſito die uno repetendum, ad tertiam etiam nonnunquam vicem,pront humoris reliquiæ plures mihi videntur, aut pauciores: *Sydenham obſervat. in morb Acut.p.295.*

XLIX. *b.* Obſervandum eſt autem, quod ſi malum hoc, ſive fructibus horariis nimis avide ingeſtis, ſive alij cibo cuicunque *δύσπεπτῳ* originem ſuam debeat, unde ſcil. ſucci pravi corruptique primum in ſanguinem tranſmittebantur, atque ea eodem poſtliminio in viſcera, Rebus inquam ſic ſtantibus, *ventriculus* ante omnia *eluendus* eſt Lacte cereviſiato affatim hauſto, & per vomitum rejecto, quo exantlato, Anodynum propinandum eſt: ſequenti autem die primum vena ſecanda, & in cæteris eo, quem jam docuimus ordine procedendum eſt *Idem.*

XLIX. *c.* At vero cum & doloris vehementia, & vomituritio, ob quam inteſtina ad inverſionem quaſi feruntur, Catharticorum operationi obſiſtant, intendendæ ſunt eorundem vires, neque Leo ſubtere excipiendus, fruſtra enim mitius catharticum exhibueris, niſi forte æger alvo ſit facile ſolubili, quod diligenter inquirendum eſt: Cum enim hujuſmodi medicamen viam ſibi facere per inteſtinorum canales non valeat, æger ab eo læditur magis,dum, ſcil. ab eiuſdem inefficaci agitatione & vomitus & dolor augentur: Potio Cathartica Lenitiva ex *infuſione Tamarind. fol Sennæ* & Rhei, in qua diſſolvi poſſunt *Manna & ſyrupus roſac.* catharticis aliis anteferenda, cum humores minus exagitet & commoveat, Cum tamen ſive ob ægri averſationem medicamenti formæ liquidioris, ſive vomituritionem, in ventriculo retineri vix queat, Pilulæ neceſſario in ſubſidium vocandæ, inter quas Cochiæ mihi præ cæteris ſemper placuere,utpote certiſſimo pede quam cœperunt, viam inſiſtentes, tum in hoc caſu, tum in aliis pleriſque, *Idem p.296.*

XLIX. *d.* Ubi vero tanta eſt ſive ventriculi debilitas, ſive etiam vomituritio, ut nec Pilulæ poſſint detineri, ibi remedium primo *Anodynum* impero, & paucis horis elapſis *catharticum*, eo temporis ſpatio interjecto, ut catharticum à narcotico tanto diſtet intervallo, ut ab eo non vincatur & pereat; eas autem in ventriculo moras trahat, quæ ad vim purgativam eidem communicandam ſufficiant, ut ſuam demum exerat operationem ceſſante altero: Licet catharticum, modo id fieri poſſit, diu poſt anodynum rectiſſime propinatur, cum etiam ad horas xij. ab hoc aſſumpto, alvus iſti ægrius reſpondeat,atque nonniſi operoſius ſolvatur. *Idem p.297*

XLIX. *e.* Cum autem hic, uti in aliis pleriſque morbis, in quibus indicantur Narcotica, catharticum ſemper dolorem intendat (ſaltem finita jam operatione, qua quidem vigente mitius nonnunquam cum ægro agitur) idcirco ſolenne mihi eſt *Anodynum* ingerere ubi primum capitavit cathartici *ἐνέργεια*: Quale quidem mane & ſero etiam quotidie hauriendum impero, ſpatio ſcil. omni inter Purgationes medio,quo certius dolorem conſopiam, donec catharſis debite fuerit celebrata. *Idem.*

XLIX. *f* Peractâ *catharſi*, humorum orgaſmum compeſcere (quod jam ſolum reſtat agendum) *anodyno* mane & veſperi jugiter exhibito,contendo, quod etiam ſæpius aliquando eſt repetendum: nec unquam mihi contingit dolores vehementiores poſſe ſedare, niſi doſi largiori & reiterata: quæ enim alteri malo debellando par eſſet, ab hoc evincitur violentia doloris remedij vim frangente, Tutiſſime autem repetuntur Narcotica urgente hujuſmodi dolore,non item ubi ille defecit, quam ob rem doloris indicium ſequutus *Narcotica* repeto,donec vel ceſſaverit ille,vel admodum fuerit mitigatus: eo nihilominus interjecto temporis ſpatio,ut compertum mihi ſit quid a doſi præcedente ſperari debeat antequam alteram ſuperaddam: plerumque vero,niſi ubi ſumme urget dolor, paregoricum mane & ſero ebibitum ſufficiet: Anodynum mihi familiare Laudanum eſt liquidum,cujus hæc eſt deſcriptio: ℞. *Vini Hiſpan* ℔j. *Opij* ℥ij. *croci* ℥j. *pulver. cinnam. & garyophyll.* ana ʒj. *infundantur ſimul in MB. per duos aut tres dies, donec Liquor debitam conſiſtentiam acquirat*; Ejus guttæ xvi. in Aqua cardiaca ſtillatitia ſolvuntur,vel augetur doſis pro doloris magnitudine. *Idem.*

XLIX. *g* Simpliciſſima hæc methodus, qua primum humor peccans Venæ ſectione & Purgatione evacuatur, deinde Narcoticorum ope conciliatur quies, ſemper mihi feliciſſime ceſſit præ aliis quæ mihi hactenus innotuere omnibus: Cum *Enemata carminantia*,eo fine injecta ut humores acres extermineut, crabrones irritent tantum, & concitato

humorum.

humorum tumultu diuturniorem reddant morbum: Hic autem in primis animadverti volo, quod licet tam phlebotomiam quam catharſin huic ſedandi methodo neceſſario eſſe præmittendam affirmavero, nonnunquam tamen, re ita poſtulante, ea utraque omiſſa a *Paregoricis* ordienda tela eſt, E.g. vbi ob prægreſſam ægritudinem aliquam, Evacuationes copioſiores non ita diu ante *Colica* adventum fuerint inſtitutæ (non raro etiam ob viſcerum debilitatem, maxime ſi accedat major caloris gradus à vino, vel ſpirituoſo liquore alio immodice hauſto, qui nuper alio convaluere morbo, in hunc præcipitantur) hoc, inquam, in caſu non modo non neceſſarium, ſed & noxium eſſe cenſeo alia inſuper adjiciendo cathartica novos excitare tumultus, atque omnia denuo perturbare: Illud jam taceo, quod in hoc affectu æger ut plurimum, prius quam conſulatur Medicus, repetito Enematum uſu inteſtina ſatis proluit, ita ut partim hac de cauſa, partim ob diuturniorem morbi moram, Narcotica fere ſola in uſum videantur revocanda. *Idem.*

XLIX. *h* Quandoquidem autem Dolor hic præ cæteris quibuſque ea ſua natura recidivus ſit, omnis ei reverendi anſa, Anodyno bis quotidie ad aliquot dies exhibito, præſcindenda eſt: Quod ſi, quoties intermittitur Narcoticum, dolor ſubinde ſe crudeſcat (ut nonnunquam fit) nihil à me hactenus excogitari potuit quod ad perſanandum ægrum ita certo faceret atque *Equitatio*, vel in curru vectio, Anodyno interim mane & ſero propinato: Hujuſmodi enim exercitiis materia morbum committens in corporis habitum deducitur, ſanguis perpetua agitatione comminutus de novo quaſi depuratur, ipſaque demum inteſtina, caloris nativi excitatione, haud parum corroborantur ac refocillantur: Nec pudet fateri me dicto exercitio in partes adſcito morbum hunc, cui alio quovis modo evincendo par non fui, plus ſemel penitus expuliſſe: Neque vero illud tentandum eſt, niſi poſt evacuationes debitas ſufficienter celebratas: neque ab eo niſi poſt dies aliquammultos deſiſtendum. Et ut, quod res eſt loquar, non in hoc tantum caſu, ſed in morbis aliis chronicis quam plurimis, hoc genus exercitij nunquam non cum uberrimo fructu uſurpatum memini, modo quis in illo improbius perſeveraret: Si enim nobiſcum reputemus ventrem inferiorem, in quo diſponuntur organa ſecretoria, hoc maxime exercitio vibrari, eaque ſuccuſſationibus aliquot mille uno in die exagitari ſolere, facile credemus eadem ſuccum quemlibet recrementitium ibi impactum ope dicti exercitij poſſe excutere, & (quod majoris adhuc momenti) validiori iſta caloris nativi excitatione ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in ſanguine depurando rite defungantur. *Idem.*

XLIX. *i* Obſervatione conſtat quod ubi hic morbus minus perite tractatus diutiſſime fatigaverit, ita ut viſcera elangueſcerent, atque æger extrema jam macie atque debilitate tantum non eſſet confectus, In hoc inquam caſu liberalior ſive *Aqua Epidemica*, ſive *Mirabilis*, ſive alius demum cujuſcunque, qua ſanus maxime delectabatur, uſus, hoc tempore eundem ultra ſpem omnem juverit: hujus enim ope pauciſſimæ vitæ caloris nativi ſpirituumque reliquiæ excitabantur, & fermentum præternaturale, viſceribus adhærens, & novis paroxyſmis fomitem ſubinde miniſtrans, à liquoribus magis ſpirituoſis extinguebatur. *Idem.*

XLIX, *k* Porro ut in morbi curatione, ita etiam eodem jam depulſo, *Diæta Tenuis* adhuc aliquamdiu eſt obſervanda; Cum enim morbus hic ſeciduam præ aliis omnibus affectet, atque interper idem ſibi delegerit præcipua coctionis inſtrumenta, (viſcera intelligo jam ab eodem infirmata) vel leviſſimus hujus generis error malum haud leve confeſtim apportabit: Quocirca tam in hoc quam in cæteris omnibus viſcerum affectibus, cibi δύσπεπτα cane pejus & angue ſunt vitandi, & qui conceduntur εὔπεπτα, ea tantum quantitate ſumendi quæ ad vitam ſuſtinendam poſſit ſufficere. *Idem.*

L. Colici doloris à *pituita & flatibus* ſuborti præcipua indicia ab exteris deſumuntur, Illique ſedando & curando pituitam educentia, & flatus diſcutientia, calida omnia cum tenuitate partium, uſurpantur. Temperiei tamen corporis potiorem eſſe rationem habendam, & ætatis, quam cauſarum illarum, pituitæ ſcil. & flatuum, oſtendit recens hoc exemplum, Ante biennium, Vir. Nobil. Dom. de *Mommolin*, Sereniſſimi *Principis à Longavilla* in Principatu Neocomenſi Quæſtor, ſtrigoſus, temperie, ut videbatur, frigidus & ſiccus, ſenili prudentia in iuventute donatus, ætatis annorum circiter 35. Colico dolore frequenter laborabat, paucas inducias concedente, adeo ut vix bidui intervallum intercederet, Multos is Medicos in conſilium adhibuit, quorum cura in id incubuit, ut crudus humor, frigidus & humidus alteraretur, concoqueretur, excluderetur, flatus diſſiparentur, intemperies ventriculi & inteſtinorum frigidior ad calidiorem deduceretur, illiſque tunus reſtitueretur: Diætæ & remediis Vir. Nobil. diligenter auſcultabat, nec quicquam delinquebat, dolore tamen ferociente, nequicquam mitigato: Tunc temporis à Sereniſſi. Principe. Legatus mittitur ad ſubditos, Comite Nobili *Akakia*, Pronepote celebris *Akakia*, Medici Pariſienſis, plurimis cómentariis in *Galeni* aliquot libros inſignia: Hic perſpecta Nobil. Quæſtoris corporis conſtitutione, alteri & contrarię viæ inſiſtendũ judicavit, morbum non calorificis & exſiccantibus, ſed temperatis & humectantibus impugnandum dixit, pituitæ & flatuum generationem æque intemperiei calidæ & ſiccæ ventriculi ac inteſtinorum ſobolem eſſe, ac frigidæ: Si vellet a moleſto & frequenti dolore liberari, remediis hactenus uſurpatis valedicendum eſſe, ſoliſque indulgendum temperatis & mulcentibus: in id apprime utile eſſe continuũ uſum juſculi vel pulli gallinacei, vel carnis vituling inſulſi, cum vini abſtinentia, vel ſaltem ſumme diluti potu: vix paruit per triduum Nobil. Quæſtor quin à dolore omnino liber evaſerit, integerrima fruens ſanitate. Vide quæ in id adducta ſunt de concoctione læſa à calidiore jecoris intemperie, lib. 18.

LI. Pharmacopœus annos xl. natus retulit mihi ſe per multos annos colico dolore vexatum, nullum aliud remedium inveniſſe præter *hydropoſiam*, & quamdiu in ea perſeverabat, prorſus incolumem permanere, quoties vero ad vini uſum redire voluerit, intra biduum eodem affectu correptum eſſe: Meo judicio non à bile ſimpliciter colicus dolor à bile excitabatur, ſed majori parte ab humore melancholico, humori bilioſo permixto, cum dictus Pharmac. temperamento melancholico à prædominio prædi tus ſit: Cum autem melancholia jugiter à liene in ventriculum effundatur, aciditate ſua vinum aſſumptum inficit, & ita vinum confeſtim in ventriculo aceſcit, ac morbi cauſam auget: Si vero humor bilioſus morbi cauſa exiſteret, ab aquæ potu quidem corrigeretur, ſed vini uſu tam cito affectum non ſuſcitaret, quia vinum bilis qualitates tam cito non inducit ſicut melancholiæ, qualenus facile aceſcit non amareſcit: Conjectu-

tam auget, quod dictus Pharmac. cum paroxyſmo colicæ corripitur, acida per vomitum rejecit, non autem amara. *Riverius cent. 4. obſ. 49.* Teſtari poſſum me ſæpius obſervaſſe iis quibus cibi in ventriculo aceſcunt, omnia remedia irrita fuiſſe quamdiu vinum potarent, eo autem dimiſſo e veſtigio ſanatos fuiſſe, Et vice verſa, quibus os amareſcit, aquam admodum inutilem inveni, & nihil magis eis contuliſſe quam merum in pauca quantitate aſſumptum. *Martianus comm. in v. 434. lib. de vet. Medicina.*

L II. Medicus quidam, referentibus *Paulo* l. 3. c. 42. & *Auicenna, Colicos dolores nothos*, jampridem in comitialem morbum & æſtuum reſolutionem deſinentes, cibis poteſtate & actu frigidis multoties, licet ἀλόγως curavit: Quod tamen & prunorum recentium, nec non uvarum largiſſimo uſu feliciter ceciſſe *Oethaus* in obſervat. teſtatur. *Matt. Martini de morbis meſent. p.* 114. Expedit & quandoque per ſuperiora bilem, & acres calidoſque humores, aquæ egelidæ, & nonnunquam corpore rite expiato, frigidæ potu iterato compeſcere: Vel in qua ſarmenta vitium recentia, ſuccoque nativo prægnantia, mediocriter comminuta, balnei maris igne probè ſint excocta. *Mercatus, Galenus* 12. meth. 7. quendam colicam patientem, æſtatis tempore, ſitibundum, ſolo aquæ frigidæ potu ſanavit, cui ſubſcripſit quoque *Ætius*: Quorum exemplo ego quoque Venetiis Medicinam faciens, ſæpius in colicis paſſionibus, feliciſſimo ſucceſſu gelidam propinavi. *Fortis conſultat 93. cent. 2.* Quibusdam in ſummis anguſtiis, ex *Iulij Alexandrini* conſilio, non diſplicet aqua frigida ventri, linteis triplicatis admota: conſtat enim ex illius uſu dolorem illico remittere: qui tamen, niſi mature occurratur, in paralyſin, materia fortius repulſa, & nervorum origini impacta, ut plurimum tranſire conſuevit. *Martini ibidem. Taranta & Crato*, viri celebres, ſecreti loco habent gelidam aquam affatim ventri affuſam: quod tamen ex *Hippocr.* 5. aph. 25. habent: nam frigida large affuſa corpore inducto dolorem ſoluit: *Fortis cent. 2. conſult. 92.* Id tamen ſoluta alvo, & fæcibus laxatis atque evacuatis tutius fieri poterit. *Idem conſult. 93.* Apud *Zacutum* Prax. adm. obſ. 25. lib. 2. Adoleſcens bilioſiſſimus Empl. ex nive ventri impoſito curatur.

LIII Sin iſthuc vehementia doloris pervenerit, ut aliis relictis ſcopis, iiſdem opus ſit advigilare, utile fuerit uti *Narcoticis*, quæ frigiditate, & reſtuo ſenſu malum corrigere poſſunt, iiſque ſumptis & admotis: habita tamen ubivis illorum in quantitate, qualitate, modo utendi, tempore, & ſubjecto, cui ſunt adminiſtranda, proviſione: corpori ingerenda admiſcentur purgantibus, potionibus, clyſteribus: Singula tamen hiſce requiſitis prædita eſſe convenit 1. ne ad partes principes effrænatius propetando virtutem enervent. 2. probe ſint correcta, 3. ut ſpiritus roborent, virtutumque omnium vitalium, hepaticarum & ſtomachicarum roborantibus ſint permiſta; Nulla etiam alia, præter virium robur, iſtorum ſit meta, Nimirum ut ceſſantibus doloribus vires recolligant ægri, morbo fiant pares, & ſufficere curationis ſpatio valeant: Ideoque bis terve ſatis fuerit in exigua quantitate exhibere, quam ea copia quæ poſtea iteſita ſit propinare. Sedatis autem doloribus, placatiſq; vigiliis illico removeantur, ne cauſæ morbificæ promovendæ inſerviant: ſedatoque dolore frigus eluatur, fovendo locum oleo chamæmelino & conſervis temperatioribus aſſumptis. *Martini de morbis meſent.*

L IV. *A Clyſteribus* medela ordienda ℞. decoct. malv. mercur. parietar. flor. chamom. betæ ℔j. mellis roſ. ſol. ol. chamom. ana. ℥iij. vitell. ovor. num. ij. m. ſine ſale: Si non ſuccedat evacuatio, repetatur alius ex ſolis oleis, quem detineat Patiens tota nocte: Quod ſi nulla fæcum evacuatio ſequatur, Leniens aliquod præbendum: quoniam vero plura Lenientia ſæpe fruſtra exhibita fuiſſe vidimus, ideo ut tutiſſimum medicamentum, pluties à nobis expertum, mannam pinguem proponimus ad ℥v. in jure cinnam. alterato diſſolutam: ſua namque pinguedine, humectatione, & partium ſubtilitate, laxat, penetrat, & fæces emolliendo expellit: Cui ſi forte alvus non cedat, exhibeatur ol. amygd. ad ℥viij. uſque ad integram libram. Expedito inteſtino fæcibus, pituita tenax eſt præparanda, melle roſ. ſimpl. & oxymel. addita aq. vitæ aniſ. aut juniper. vel etiam aq. cinnam. Præparata vero evacuetur hiera picra Gal. ad ʒj. cum elect. lenit. reform. Quod ſi interim alvus rurſus adſtricta fuerit, tale præbeatur medicamentum ℞. Elec. diaphœn. ʒß. ſpec. hieræ ſimpl. ʒij. Philon. Rom. ʒß. m. f. Bolus. Sedato namque dolore, melius & facilius laxantur inteſtina & excrementa eiiciuntur, Quod ſi perſiſtat affectio, repetenda eſt præparatio hoc modo, ℞. Decoct veronicæ, commendatæ à Cratone, menthæ vir. ab Ætio, rad. Impera. ℥v. olei zedoar. gtt. v. m. pro ſyrupo: zedoaria enim adverſus vitream pituitam potentiſſima eſt: Inde validioribus repetatur Purgatio, quicquid dicant Maſſaria & Septalius, iis enim uti licet ſedato aliquantiſper dolore, minorata materia, eademque ſatis præparata. Quare præbeatur eſſentia trochiſc. alhandal, vel ſpiritus vitæ aureus Rulandi; quæ ſi præſto non fuerint ℞. Elect. Diaphoen. ʒij. Pil. aloephang. ʒj. trochiſc. alhandal, caſtor. ana gr. iij. m. *Fortis conſult. 92. cent. 2.*

L V. *Flatus* potenter ſimul & blande diſcutiunt præ aliis multis *Salia volatilia*, ſed *oleoſa*, In quorum uſu aliquid obſervavi notatu dignum, produci nempe ab iiſdem flatus, quoties in ventriculo aut inteſtinis hæret pituita viſcida, ſed flatus mox eorundem vi diſſipabiles ac erumpentes, aliterve diſparentes: Unde arguimus flatus ex humoribus in corpore vitioſis ortos, & plus minuſve viſcidos ſenſim a dictis ſalibus diſcuti poſſe & aboleri, quod ipſa etiam confirmat experientia. *Sylvius de le Boë. Prax. lib. 1. c. 14. §. 59.*

L VI. In eorum uſu id quoque notabile, Pituitam viſcidam ſenſim ab iiſdem incidi ac emendari, adeo ut quicquid fere ad ſui curationem tum flatus ipſi, tum ipſorum materia deſiderabant, id omne poſſint *praſtare Salia* hæc *oleoſa. Idem ibid.*

L VII. Flatus diſcutiunt *Aromatica* pleraque, ex quibus Olea poſſunt deſtillari, ſemina præſertim: Palmam interim cæteris præripit Spiritus Nitri, omnibus modis utilis, dum & pituitam & bilem corrigit, Flatuſque in ſui generatione impedit, & genitos diſſipat. *Idem cap. 7. §. 27.* Flatus diſcutit, ad ſubſidendum ſaltem cogit, novumque ipſorum exortum impedit. *Idem c. 4. §. 6.*

L VIII. Si forte omnibus peractis recrudeſcat affectio, curatio duplex eſſe poterit, Coacta ſcil. & Regularis: Coacta locum habet atrociſſimis doloribus urgentibus, Anodynis, imo & Narcoticis perficienda; unde *Gal.* 12. met. 1. ait, *Licet ego omnium maxime ab uſu graviter ſopientiũ abhorream, ea tamen in Colico vehementiſſimo exhibeo.* Quod repetit 3. per loca 1. *Cogente dolore ſtupefacientibus neceſſario utor*: Ad quæ tamen devenienduum non eſt, niſi poſt alia

medicamenta

medicamenta ſucaſſum adhibita: *Dolores enim ſedant, ſed diſpoſitiones non ſanant.* 2. ad Glauc. 8. Hinc Ætius conſiderat ſtupefacientia calidis humoribus magis conferre, frigidis vero nocere, quia illos cogunt atque incraſſant, & valde refrigerant, Ita Trallian. & Paulus ſcripſerunt quod a ſtupefacientibus humor frigidus craſſior, & ad motum ineptior evadit, inteſtinorum tunicæ denſiores redduntur, & tandem aucta diſpoſitione morbus prorogatur: Quare nobis anodynis utendum, miſſis quoad fieri poteſt Narcoticis. *Fortis conſultat.* 92 *cent.* 2.

L I X. *Diuretica* multo commodius exhiberi ſolent quam ſudorifica, à quibus cum ſanguis funditur, ejuſque ſeroſitates copioſe præcipitantur, inde morbi fomes præſcinditur, atque maſſa ſanguinea inanita, partem materiæ morbificæ excipit, propterea ut reliquiæ ejus facilius diſcutiantur. *Willis* vide §. *66.*

L X. Cavendum ne *calidorum* tum intro ſumptorum, tum admotorum uſu, humores exuratur & inflammationem excitent. *Enchir. Med. Pract.* Obſervavi in quibuſdam conſtitutionibus & temperamentis, Epithemata ex calidioribus, aut calidius applicata, dolores exacerbaſſe potius quam leniviſſe: Quare in his caſibus ex re fore videtur fotus ex ſolutionibus nitri, vel ſalis armoniaci, aut aliis liquoribus chymicis, prout in doloribus arthriticis, quandoque (uti Septalius refert) ex aqua pura pura frigida inſtituere. *Willis.*

L X I. Fit aliquando anguſtia in ſacculo illo qui à poro felleo deſcendit ad inteſtina, quæ tranſitum bilis impedit, unde non irritatur illorum expultrix, & per conſequens retinentur fæces & ob moram dureſcunt; Et quia colon inteſtinum eſt omnium maximum & imbecillum, colligit maximam fæcum copiam, & poſtquam eſt obfarctum atque onuſtum, intenſus dolor gignitur, qui non tollitur medicamentis ſolventibus (ut putant Empirici) quia attrahunt novam materiam, unde major fit humorum obfarctus, & per conſequens major dolor: Neque tollitur Hiera, vel ſimilibus, quia magis ſiccantur & dureſcunt fæces: Neque clyſteribus, quia clauſum eſt colon inteſtinum, ſed ſolum tunc eſt fidendum oleo amygdalino dulci, ad ſemilibram per os aſſumpto *Sunclorius methodi lib. 3. cap. 9.*

L X I I. In *Colica diuturna*, cum remedia quævis alia parum vel nihil iuvatum, ſæpius novi medicamentum hoc, ſemel aut bis exhibitum cum maximo ægri levamine Salivationem moviſſe, Etenim, ſi quando materies morbifica in plexibus nerveis, aliiſve circa abdomen locis uberius aggeſta, & penitius impacta, per alia medicamenta dimoveri nequit, particulæ mercuriales ſeſe quaquaverſus explicantes eam facile diſſolvunt & in minutias dividunt, eaſque huc illuc varie diſpellunt, & tandem prorſus diſſipant: Quamobrem in colica diuturna ac pertinaci, Salivationis mitioris ergo nonnunquam feliciter exhiberi poſſunt. *Willis.*

L X I I I. *Fallopius lib. de morbo Gallico* c. 100. notavit Aurium tinnitum gallicum cerebri affecti ſignum manifeſtum, quod in hoc morbo compatitur, ſi fides habenda *Fernelio*. *Rondeletius* l. de morbo Italico obſervavit dolorem ſterni, qui pleuritidem ſæpe Medicis repræſentat: Vidi dolorem Dentium Gallicum: *Colicum dolorem* bis notavi, *ab obſcœno concubitu* ſubortum, qui citra ullum prævium ſymptoma invaſit, Is nec colicis præſidiis, nec ſudorificis, niſi Mercurialibus unguentis ſuccubuit. *Zacutus Prax. adm. l. 2. obſ. 24.*

L X I V. *Vena ſectio* commendatur in *Colica Biliosa*, interdum & in pituitoſa, cum metus eſt ne doloris atrocitate ſanguis incaleſcat, febriſque generetur. *Author. Enchetr. M. P.* Si febris adfuerit, ſtatim celebranda: ad colici vero doloris, qui in paralyſin degenerat curationem, non omittenda eſt ab initio morbi phlebotomia, eaque purgationi præmittenda, eaque ſæpe iteranda ſi ſanguis prava qualitate infectus apparet, aut ſi dolor rheumatiſmi particeps videtur. *Riverius.* Quatuor potiſſimum caſibus convenire videtur, 1. quidem in affectu inflammatorio, 2. præſente febre, 3. ſi colicæ ictetitia ſupervenit, 4. ſi in contumaci & diuturno dolore copioſum calidorum humorum affluxum metuamus. *Fortis conſult. 95. cent. 3.*

L X V. Non raro *dolores hypochondriaci*, præſertim in temperamentis calidis & ſiccis, & habitu graciliori, à nobis obſervantur, *Colicos amulantes*, quorum *Fernelius* ſe primum authorem prodidit, Colicos illegitimos appellans, in peritonæo, ſeu membranis ſedem habentes: quod tamen cum aliis pluribus callidus deprompſit ab Hippocr. qui in Coacis hæc habet, *Quibus dolores hypochondriorum, hepatis & partium circumſtantium, hi ſi* ſanguis excernatur, ſanantur, ſi non, moriuntur, quia metus eſt inflammationis. *Fortis conſult. 73. cent. 2.*

L X V I. In *Colico* dolore *Notho*, ex cenſu reſolventium externorum ſunt Acidulæ, non quidem evacuationis, ſed vitioſam intemperiem corrigendi gratia, moderatius hauſtæ, dummodo non adſit hydropis, aſthmatis, ſuppurationis, aut viciati alicujus viſceris ſuſpicio, & ventriculi aquam hanc digerere non valentis inſignis percipiatur debilitas, *M. Martius de morbis meſent. p.* 114. In Colica diuturna ac pertinaci, cui adſunt temperamentum, ac viſcera fervidiora, Acidulæ purgantes, vel ſerum lactis cum ſyr. Violac. ſæpe magno cum levamine propinari ſolent: utrique enim liquores, ubi congruunt, copioſius epoti, ſtomachum ac inteſtina æſtuantia refrigerant, eaque à ſpaſmis & corrugationibus dolorificis contracta, aut flatibus convulſive extenſa ſtatim ſolvunt & laxant: inſuper, onde potiſſimum, ut opinor, juvant, particulas ſalinas, alterius indolis, mineræ morbificæ inſinuantes, alias hujus incolas ſalinas & irritativas edomant & ſubigunt, eaſque per catharſim excitatam ſæpe foras educunt. *Willis cap de Colica.* Præ cæteris quibuſcunque remediis Acidulæ minerales ferratæ, æſtivo tempore per menſem epotæ, juvamen maximum conferre ſolent: Verum cum iſta propinantur, ſedulo cavendum eſt ut bene & celeriter per urinam ac ſedes reddantur: ne forte ſi in corpore diutius morantur, in caput aut pedes incurrendo, uti crebro aſſolet, vertiginem aut podagram inducant. *Idem ibidem.*

L X V I I. In paſſione colica *Diaphoretica* & *Sudorifica* non ſunt negligenda, cum obſervatum ſit a *Car. Piſone* ſect. 4. de morbis infimi ventris à colluvie ſeroſa capit. 2. Sæpiſſime dolores hoſce à ſudoribus ſpontaneis maxime quieſcere, & averti diſcutiendo flatus: Sæpe & ſponte naturæ critico motu bilis, colici doloris cauſa, ad externam cutem protruditur, abſceſſu univerſali: Videatur *Caſtrenſis lib. Quæ ex quibus.*

LXVIII. *Balnea & ſudorifica* in doloribus colicis paſſim ſolent præſcribi, attamen quantum obſervationi noſtræ conſtitit, rarius cum fauſto ſucceſſu: quippe hæc ſanguinem & humorem nerveum exagitando, eos plus adhuc materiæ in mineram colicam deponere, quin & materiam ibi depoſitam magis effervеſcere & ferocire faciunt, eamque perraro integre diſcutiunt, *Willis*.

LXIX. Magnas, cum ulceribus diuturnis, in tota ventris regione erumpentibus, ex quibus per intervalla fœda emanabat illuvies, immani colico dolore erat oppreſſus, Cum enim Gallica ſcabie à multo tempore eſſet tentatus, Mercurio unctus ab ea ſanus evaſit, at remanentibus in ventre puſtulis ulceroſis, ab eis nec ſudorificis auxiliis, nec fonticulis in crure adapertis, & aliis auxiliis conſaneſcere potuit, donec, ex conſilio Chirurgorum, per totum ventrem ungu. ex hydrargyro, parato quater unctus fuiſſet, vix tertia facta innuctio, cū ad interiora reſtagnante humore, ſævi exorti ſunt per totum ventrem dolores, ſupprimitur urina, cum ſiti, anxietate &c. Plurimis factis citra levamen, cucurbitulæ tres profunde ſcarificatæ ventri admoventur, quo auxilio cum aliquantiſper leniretur dolor, remedium eſſe neceſſarium rati ſumus, quod ex profundo violenter attraheret, quare cauteriis quatuor latis bene ignitis, in circuitu umbilici ventrem inuſſimus, nec conſilium ſpem fefellit, nam poſtea ſale & aceto abluta ter in die, tantam humoris copiam citrini ex ſe effundebant quotidie, ut dimidiam libram poſſet æquare, qua ſorditie triduo emanante æger, etſi viribus proſtratus, ſanus remanſit, & poſtea optimo victus regimine, decocto ſimilacis aſperæ pro continuo potu, alvoque blande, conſetuę ope, depoſita, ab ulceribus & dolore eſt præſervatus. *Zacutus Prax. adm. obſ. 31. lib. 2.*

LXX. Nulla propemodum affectio citiorem Medicinæ epem poſtulat, quam quæ in ſcorbuto frequenter accidunt, *Colica & ventris tormina*: contra hæc mala clyſteres varij generis, fotus &c. adhibentur, Opiatorum uſus hic valde neceſſarius deprehenditur: Certè in hoc caſu illud *Riverij* præſcriptum, ut catapotia purgantia cum laudano admixta exhibeantur, maxime locum habet; nempe à ſomno concitato, ac alvi ſolutione ulteriori proritata, non raro paroxyſmus ſolvitur: Cæterum pulveres teſtacei, aquibus ſales acetoſi imbibuntur aut figuntur, cauſæ morbificæ profligandæ plurimum conducunt. E. g. ℞. Pulveris ocul. cancri, teſtarum ovorum aā. ℥iß. margar. ℥j. f. Pulvis pro iv. dozibus, dandus cum radic. & ſemin. bardanæ decocto, ſexta quaque hora. *Willis*.

COLICA HISTERICA.

Deſcriptio & curatio.

FOeminarum nonnullas vexat *Affectus Hyſterici* ſpecies quædam, *Colicam bilioſam* ita ad unguem referens, tam doloris acerbitate quam ſitu, cum etiam humoribus coloris flavi viridiſque vomitu rejectis, ut mihi tractanda veniat, ne à quopiam pro jam dicto morbo hæc habeatur.

Quæ habitu corporis laxo crudoque ſunt mulieres cum hoc malo præ cæteris conflictantur, quæque alio aliquo Affectu hyſterico iam pridem laboravere, aut (quod ſæpenumero fieri ſolet) quæ à partu difficili ac laborioſo ob natum infantem grandiuſculum, qui vires & naturam maternas nimis exhauſit, vix evaſere: Regionem ventriculi, nonnunquam & paulo inferiorem, dolor haud paulo mitior quam in paſſione Colica Iliacâve primum obſidet, quem vomitiones ſequuntur enormes, nunc viridis materiæ, nunc vero flavæ: His ſuccedit (quod ſæpe obſervavi) major animi dejectio deſperatiove quam in morbo alio quocunque: Poſt diem unum alterumve faceſſit dolor, qui poſt paucas ſeptimanas revertitur nihilominus ſævius quam antequam ſolveretur paroxyſmus: *Icterum* quandoque ſatis ſpectabilem comitem ſibi adſciſcit, intra dies pauculos ſponte evaneſcentem: Ceſſantibus jam ſymptomatis omnibus, ubi ægra ſibi ſatis valere videatur, leviſſima animi commotio, ſive ab ira, ſive à dolore ea fuerit excitata (quibus hoc in caſu promptiſſime afficiuntur fœminæ) dolorem fere revocat, quod etiam & de ambulatione, & de alio exercitio quolibet præmature nimis ſuſcepto dicendum eſt, cum ab hujuſmodi cauſis elevenṭur vapores in habitu corporis laxo atque imbecillioris *Vapores* cum vulgo dico, cum ſive iſtiuſmodi ſint, ſive *Convulſiones* particularom partium, utrovis pariter modo ſolventur φαινόμενα: Hi Vapores, ſive Convulſiones hæ, ubi hanc illamve corporis regionem invaſerint, pariunt ſymptoma ei quam invaſere, parti accomoda: ac proinde licet unum atque eundem ubique morbum faciant, pleroſque tamen quibus miſeri cruciantur affabre ſimulant: quod vel ex hoc liquet Affectu, qui cum partes *Colo* adjacentes inſederit, Colicam bilioſam ad amuſſim imitatur: Neque minus id patet in multis aliis corporis partibus eodem modo tactis e.g. nonnonquam *Renum* alterum dolore vehementiſſimo afficit, unde vomitus immanis, atque etiam per ureteris ductum perſæpe delatus, *Calculum* ſimulat, & cum ab enematis, aliiſque medicamentis lithontripticis, & calculo exturbando dicatis exaſperatur, uno eodemque tenore diutiſſime affligit, ſubinde etiam (præter morem ſuum, cum per ſe omni vacet periculo) ægram ad plures dedocit: Vidi inſuper & ſymptomata ab eodem prognata, quæ *veſica calculum* omnino referebant: Non ita diu eſt à quo excitabar noctu, ut Comitiſſæ mihi vicinæ, dolore in veſicæ regione admodum violento, & urinæ ſuppreſſione derepente correptæ conſulerem: Cum ego illam affectibus hyſtericis variis obnoxiam certò ſcirem, atque ex eo auguraret non iſto eam quem putabat, laborare morbo, Enemata, quæ parabat ancilla iniici non patiebar, ne ab iis creſceret morbus: at horum loco, atque emollentium, V. g *ſyrupi de althæa* &c. quæ adferebat Pharmacopola, *Narcoticum* exhibui, quod ſymptoma illud illico compeſcuit. Neque ſane vel una aliqua pars corporis ab hujus mali inſultibus penitus eximitur, ſive interna fuerit ea, ſive externa, ut ſunt fauces, coxæ, crura, in quibus omnibus dolorem excitat intolerabilem atque, ubi diſceſſerit, teneritudinem quandam quæ tangi recuſet, perinde ac ſi carnes multo verbere fuerint remollitæ.

Quemadmodum autem quædam ad *Colica hyſterica* hiſtoriam pertinentia obiter tradidi, ne ſcil. illa pro *Bilioſa* falſo haberetur, ita & quædam etiam alia ἐν παρόδῳ attingam, ad ſymptomatis, doloris qui eam comitatur, curationem facientia: Curatio enim radicalis, quæ morbum ſublata cauſa tradit, alterius eſt ſpeculationis & loci.

Venæ ſectio, & repetitæ purgationes, quæ in *Colica bilioſa* incipiente apertiſſime indicantur, hic locum non habent niſi in caſu infra dicendo: Docet enim experientia, & exaſperari dolorem, & invaleſcere

leſcere ſymptomata alia omnia, à tumultu, quem iſta cient, adjuta: atque adeo plus ſemel animadverti Enematum, vel leviſſimorum repetitionem, continuam ſymptomatum ſeriem invexiſſe: Experientiæ ratio etiam adſtipulabitur, quæ morbum hunc a ſpiritum potius ἀταξίᾳ, atque inordinato motu, quam humorum vitio aliquo produci dictabit, ſi expendamus nempe circumſtantias illas, quibus utplurimum originem ſuam debet, Hujuſmodi ſunt magnæ atque indebitæ ſanguinis profuſiones, motus animi, uti etiam & corporis, violentiores & alia id genus: Quæ omnia remedia illa jubent proſcribenda a quibus major ſpirituum perturbatio poſſit excitari, atque eorum loco *Anodyna* eſſe uſurpanda, licet viridis, ac pravus materiæ vomitu rejectæ color, contrarium indicare videatur, Subtilior enim eſt ac minutior colorum ſpeculatio, quam ut evacuationibus, quas ipſo facto nocentes deprehendimus, authoritatem conciliare valeat: Nulluſque dubito morbum hunc (licet acerbiſſimum dolorem, nullum tamen vitæ diſcrimen apportat) ob errores hoc nomine cómiſſos, lethalem ſæpenumero evadere: Adde quod ſi quis Emeticum vel fortiſſimum hodie propinaverit, ut ſcil. eam, quam putat, morbi mineram exhauriat, ægra poſtero die materiam æque viridem, aut pravi alterius coloris, atque erat prior illa, evomet.

Obſervandum eſt tamen, eam quandoque ſanguinis atque humorum copiam reperiri, quæ Narcotici operationi eouſque obſiſtat, ut quamlibet ſæpe repetatur orgaſmum tamen cohibere nequeat, niſi ſecta prius ægræ vena, aut alvo ſubducta, quod in fœminis temperamenti magis ſanguinei, atque viraginibus, mihi ſubiit notare: Si ita res habeat, vel phlebotomia, vel catharſi, forte etiam utraque, Anodyno via aperienda eſt: Celebrata enim harum utravis, Narcoticum, quod prius ſumma licet doſi exibitum nihil quicquam profecit, jam etiam in mediocri doſi effectum obtinebit cui deſtinabatur, Raro autem hoc contingit, neque tum reiteranda ſunt hæc remedia: Quibus præmiſſis, ubi iis opus fuerit, in Anodynis ea methodo, quam in Colica bilioſa propoſuimus, exhibendis progrediendum eſt, quæ crebrius parciuſve ſunt ingerenda pro doloris recedentia ratione: Quæ quidem methodus præſens atque inſtans vehementiſſimi doloris ſymptoma tantum reſpicit, cum non hic loci illam, qua morbi cauſæ occurritur, tractandam ſuſceperim. *Sydenham l. c. pag.* 304.

COMA VIGIL.

SYLLOGE.

Narcotica utiliter exhibentur. 1.
Idiopathico alia curatio, quam ſympathico debetur. 2.

I. COma Vigil raro morbus ſolitarius, ſed plerumque ſymptoma eſt, aliiſque affectibus, ut febri, phrenitidi, lethargo, & ſimilibus ſuperveniens: quapropter methodum therapeuticam peculiarem non poſtulat, at vero tantum opus eſſe videtur ut remediis primario indicatis adjungantur alia cephalica, quæ nempe hæc cerebri meteora, quaſi nubes & fulgura diſpellant, vel ſi utraque ſimul (*vigiliæ vel ſomnus*) exterminari nequeant, ipſum medicamentum unius partes foveat, quo iſte ſuperior factus, mox alterum vincat, adeo in ſomnolenta vigilia, aut perfectum ſomnum, aut perfectam Vigiliam accerſere conveniat, Enimvero in hoc caſu Narcotica ſæpe bono cum ſucceſſu exhibui. *Willis de An. Br. part. ii. c.* 5.

II. Curatio Comatis vigilis idiopathici iiſdem inſtrumentis perficitur quibus phrenitis & lethargus curari conſuevit, & ſi magis ad phrenitidem deflectat, illius remedia magis adhibentur: Si vero magis ad lethargum inclinet, ejuſdem remedia magis uſurpantur: Sympathici vero Comatis curatio à febris malignæ, a qua ſumit originem: Peculiariter tamen remedia vapores illos à cerebro revellentia in principio ſunt uſurpanda: Et ſi quid cerebro infixum videatur, derivatio per apertionem venæ frontis, aut hirudines pone aures, & cathæras molienda erit. *Riverius. Prax. lib. 1. cap.* 3.

COMBVSTIONES.

SYLLOGE.

Curatio an debeat fieri per refrigerantia. 1.
Remedium ſanans abſque cicatricis veſtigio. 2.
Veſica an ſtatim aperienda 3.
Internus ardor extinguendus. 4.

I. QVidam ex trito Medicorum axiomate, contraria contrariorum ſunt remedia, Ambuſta refrigeranda, & proin ambuſtis partibus ſtatim refrigerantia eſſe imponenda cenſent, verum ex vulgari, ſed falſa opinione, hæc ſententia ortum habet, nimirum Ambuſtionem eſſe ſaltem alterationem & qualitatis calidæ inductionem, cum tamen ipſe ignis, ejuſque atomi parti ambuſtæ communicentur, & empyreuma, ut omnes conſiteri neceſſe habent, inducatur: Quid enim aliud eſt empyreuma hoc quam minimæ ignis particulæ quæ in ambuſtam partem ſeſe penetrarunt? & ipſa experientia docuit frigidis ambuſtiones non curari, ſed iis ſummopere, igneis particulis in penitiora retruſis, dolorem augeri, inflammationes, imo gangrænam & ſphacelum excitari; calidis vero, quæ empyreuma evocant, prodeſſe: unde etiam vulgo notum eſt partes ambuſtas non frigidæ immergendas eſſe, ſed potius igni parumper admovendas; attractionem vero facit ſimilitudo, atque ignis externus intrinſecum & inuſtum à ſe parti ignem foras evocat, ut loquitur *Paræus*, *Sennertus Pract. l.* 5. Si à Combuſtione ignea oriatur convulſio, curabitur illa eliciendo foras, & temperando æſtum parti communicatum, atque immutando emendandoque partes tam continentes quam contentas ab igne vitiatas: Eliciunt æſtum igneum pinguia, utpote vera ignis pabula; Inter omnia autem commendatur oleum nucum iuglandium, & ſeminum rapæ: Temperant eundem æſtum addita illis oleis acida, ſale lixivioſo fracta, qualis eſt ſolutio ceruſſæ, aut minij cum aceto ſtillatitio parata: Aciditas namque aceti frangitur plumbo in ceruſſam vel minium mutato, unde dulceſcit acetum: hoc acetum plumbo impregnatum & edulcoratum, ſi concutiatur cum oleo quovis, evadet mixtura inſtar linimenti: craſſeſcit ſcilicet oleum ab acido ſpiritu aceti per plumbum dulcificati: Dum autem Linimentum hoc applicatur, & ignis reliquiæ in hoc oleum penetrant, frangitur amplius ejuſdem vis ab aciditate juncta: Partes autem vitiatæ ab eodem igne corriguntur & emendantur, in primis ſpiritu acido pinguedini juncto: cum enim ignis externus partium corporis

pinguedinem & oleoſitatem primo aggrediatur, illa conſumpta, ſal eorundem lixivioſum, illa temperari ſolitum, evadit acrius, evaneſcente ſimul cum pinguedine ſpiritu acido, Unde patet utrumque & oleum, & acidum ſpiritum reparandum & reſtituendum, quo temperetur ſalis lixivioſi acrimonia: Utrumque autem in prædicta concurrit mixtura, in qua oleum copioſum reperitur, idque acido ſpiritu, ſed fracto, temperatum: Quo fit ut ſal in parte combuſta retorridum non efferveſcat ad occurſum ſpiritus acidi, ut pote fracti, verum ab ipſo blande corrigi queat, & ad priſtinam temperiem reduci: Atque hæc modo dicta non tantum in Ambuſtione convulſionem excitante, locum habent, verum in quavis: His enim & ſimilibus remediis non ſemel curavi Ambuſtos. *Sylvius de le Boe Prax. Med. l. 2. cap. 23.*

II. ℞. album. ovorum n. ij olei roſar. ℥ij. miſce diligenter, poſtea panniculus albus lineus, vel ſericeus, raræ texturæ iſto linimento madefactus parti ambuſtæ imponatur, & nunquam auferatur donec malum ſanatum ſit, ſed quotidie bis aut ter ſaltem, linteum iterum illinatur & madefiat: quarto die elapſo, loco albuminum ovorum vitelli eorum ſumantur, & ita uſus continuetur donec videatur nova cuticulæ regeneratio fieri; tunc vero forfice paulatim de die in diem, ubi nova cuticula generata fuit, panniculus abſcindendus donec totus ablatus ſit; quo ablato nullum veſtigium læſionis apparebit. *Omnibonus Ferrarius Artis Med. Infant. l. 4. c. 25.*

III. Veſicæ & puſtulæ ſi eleventur, nec tamen malum gravius, non ſtatim aperiendæ, ſi enim ſtatim aperiantur, ob cutem denudatam dolor excitatur, & curatio tardius perficitur, ſed tertio demum die, ubi cuticula regenerari jam incipit, aperiendæ, non vero diutius apertio protrahenda, ne humor contentus acrior fiat & cutem erodat. *Sennertus.*

IV. Interius ardor reſtringi una poteſt, uti ſpiritum ſalis ſummopere in hunc finem commendat *Digby* tract. de Pulv. ſympateth. ceu egregium quaſi balſamum. *Wedelius.*

CONTRACTIO, CONVULSIO, CONVULSIVI MOTUS.

SYLLOGE.

Quando ſanguis mittendus. 1.
Non omni purgatio *convenit.* 2.
An febris excitanda. 3.
An frigida perfuſio valet. 4.
Calorificis quando locus. 5.
Frictione mercuriali ſanata. 6.
Apertio venæ dorſi in Tetano. 7.
Univerſalis medicamenta ſingularia deſiderat. 8.
Diuturna & rigiditas membrorum curata. 9.
A punctura nervi vel tendinis poſt venæ ſect. curatio. 10.
Curatio obſtipi capitis. 11.
Contracturæ a vermibus curatio. 12.
Convulſionis abdominis curatio. 13.
Rara ſpecies medicamentis luem curantibus ſedata. 14.
Convulſionis; Tremoris *ex fumo hydrargyri curatio.* 15.
Sæva dextræ ſalvatellæ ſectione curata. 16.
Flatulenta *ebeni decoctio.* 17.
Poſt partum ferris candentibus ſanatur. 18.

I. Ut ſcias quando in Convulſis *ſanguinis miſſio* requiritur, diſtinguendum eſt ſitne corpus humoribus plenum, febre tamen carens, vel febrem ſibi comitem adduxerit ſimul cum torpida refrigeratione: Aut rurſus corpus excarne exiſtat & vacuum excrementis. Sic dum febris præfuit, aut ſuccreſcit ob humorum & prohibiti effluxus abundantiam, ſanguis quidem mittendus eſt, non tamen ſemper mox ab initio: quippe differre oportet donec denſa cutis aperiatur, ac humores vi & efficacia caloris febrilis liquentur, attenuentur & fundantur, alioqui læſuram ſpectabis ſanguinis detractionem, nam hæc eſt potiſſima ratio ob quam vulgus veretur refrigeratis ſanguinem mittere: Cæterum dum pleno accidit corpori, dubitandum non eſt à ſanguinis detractione eſſe auſpicandum, nam quantumvis refrigeratio præceſſerit, conſtat hæc corpora convelli, quod quotidianus effluxus prohibitus ſanguinem fundat, repletionemque majorem efficiat, & ſubinde convulſionem: prætterquam quod niſi corpus prius vacuaveris, non ſine periculo topicis auxiliis uteris. Media igitur incedendum via, ſanguiſque protinus parce mittendus, ut dum torpida refrigeratio magis urget (in qua Hippocr. in Coacis ſanguinis detractionem vetat) etiamſi febris ſuccreſcat primo mali acceſſu calorificis auxiliis utendum, quibus humores frigore concreti, ſpiritu & calore extortes, ob id velut immobiles facti, ad priorem & nativum ſtatum redeant, ut per venæ ſectionem libere poſſint fluere. *Mercatus.*

II. Convulſiones quæ citra phlegmonen ollam internam, aut ulcus, ex redundantia ſuccorum fiunt, *Pharmacis* ſolvi poſſunt, verum quæ poſt ardentem febrem, aut phrenitidem, aut evacuationem ullam copioſam, aut inflammationem internam, aut ex ulceribus fiunt, nulla re magis læduntur; nam evacuatione ſiccat nervos, & mala qualitate irritat pharmacum: Ex febre autem ardente aut evacuatione ſunt ſicci nervi: A vulneribus qui convelluntur, ſunt velut phlegmone tumentes: phlegmones autem crudæ læduntur ea agitatione quam pharmaca cient, & vacuationibus non cedunt: Memini certè cujuſdam, qui cum à phrenitide convulſivis jam motibus teneretur, me invito, ſuaſu alterius, pharmacum accepit, & paulo poſt, nulla ſequente vacuatione mortuus eſt. *Valleſius 5. Epidem. 476.*

III. Hippocr. Aph. 57. 4. convulſionem ſupervenient febre curari dixit, & lib. 2. Epidem. ſect. 5. Si puerperis ſpaſmus ſuperveniat, febrem excitare jubet, quod audiendum de ſpaſmo ex repletione, quæ puerperis familiaris, uti non inutilis febris, ut quæ humores abſumat & nervus ſiccet: At cum febrem ſemel accenſam (quam Arabes Ephemeram concedunt) ita moderari non liceat ut limites non tranſiliat, (levis enim inutilis) ac morbum ſolum impugnet, naturæ non noceat, de aliis præſidiis cogitandum, in puerperis quidem de ſanguinis miſſione, quæ tutius fiet, quia eſt citra putredinis ſuſpicionem, quam febris inducere apta nata eſt: adde majori virium robore opus eſſe ad febrem ferendam quam venæ ſectionem.

IV. Hip-

IV. *Hippocr.* 5. aphor. 21. &c. 3. de Morbis Largam perfuſionem cum aqua frigida probat media æſtate, in Tetano ſine ulcere, quod *Galenus* ad alias Convulſionum ſpecies accommodat, ope ſcil. caloris nativis intro coacti, abſumentis morbi materiam, aut per concuſſionem corporis, excuſſo humore nervis adhærente: *Paulus* improbatum ait eſſe à poſteris hoc remedium: à *Valeſco* tamen de *Taranta* uſurpatum eſt l. 1. cap. 21. qui duos Tetano laborantes hoc modo curavit. Ægrum a quatuor viris erectum tenere juſſit, & 24. urceos aquæ ſupra collum & omnia inferiora membra perfudit, & ſtatim collocavit ante ignem & poſt reſquihoram inunxit, à collo ad ultimam vertebram & lumbos ac brachia, unguento dialthææ, martiato & Agrippæ ac oleo caſtorei, poſt juſculum pulli propinavit, hinc uterque hoc modo convaluit.

V. *Calida* non conferunt *Convulſioni factæ ab apoſtemate*; Neque illi quæ efficitur à duritie relicta in fine apoſtematis, quia ſic craſſi humores lapideſcunt: Nec illi quæ ex aura calida vel motu fit: relinquitur ergo ut conveniant factæ à crudis & pituitoſis humoribus alimentalibus, non crudis & coctioni ineptis; quos calida duriores efficerent: quod explicat Galenus 2. aphor. 29. ajens febrem curare convulſionem factam ab humoribus glutinoſis & frigidis, quibus nutriuntur: tales enim vi calidorum liqueſcunt, & partem in ſudorem & vaporem abeunt, partim in ſubſtantiam nutriti: crudi verò & vitrei calorificis in tophos & ſcirrhos abeunt: Errant quoque qui in convulſione facta a pituita alimentali utuntur calidis, quia ſpreta methodo non ponderant cauſam & urgens: ſæpe enim fit ut virtus nervorum ſit adeo debilis, ut magis poſſit in indicando ſui cuſtudiam, quam poſſit cauſa pituitoſa ſui ablationem: ait enim Gal. 5. aph. 2. calida reſolvere ſubſtantiam nervoſam: Sæpe experientia nos docuit convulſos ex repletione frigidorum humorum, uſu calidorum fuiſſe interemptos. *Sanctorius meth. V. E. l.* 15. *c.* 8.

VI. Vir militaris ex ictu tormenti bellici vulnus accepit in brachio dextro, quo totum brachium abſciſſum eſt: Eo curato ſucceſſit quædam convulſionis ſpecies, qua retrahebatur caput verſus partem dextram, & mandibulas frequenter agitabat, Multos in conſilium adbibuit, & cum forte ei occurriſſem, & mihi ſua incommoda narraret, in mentem venit aliquod virus venereum intus latens, hunc affectum forſan poſſe producere: ajebat enim ſe priuſquam vulneratus fuiſſet, gravem gonorrhœam paſſum eſſe, quæ tamen curata prorſus fuerat: Ideo conſului remedia luis experiri: præmiſſis ergo purgatione univerſali & diæta ſudorifica, frictiones ex unguento mercuriali celebravi, a quibus ptyaliſmus provocatus eſt, & poſt tertiam diem ptyaliſmi contractiones illæ & convulſiones deſierunt, neque amplius eo malo æger conflictatus eſt. *Ozias Aymar apud Riverium obſerv.* 10.

VII. In Tetano aliiſque colli convulſionibus ſecari venam, quæ in prima dorſi vertebra conſpicitur clara, ait *Rondeletius* l. 1. meth. c. 37. Confirmat *Mercatus* l. 1. Pract. c. 15. in convulſione ex craſſis viſcidiſque humoribus orta, qua ſciſſa ait, per derivationem à collo, quicquid humoris pituitoſi muſculos convellit, extrahitur: At obſcura ea vena eſt ob exilitatem, dignitateque cedit axillari. *Bartholinus cent.* 4. *hiſt.* 33.

VIII. Quod ſpectat ad therapejas rationem in genere, pro Convulſionibus admirandis adhibendam, non facile erit aut remedia morbis his Herculejs paria, aut curationis methodum certam, & crebris experimentis comprobatam aſſignare, præterquam enim quod caſus iſti ſimiles raro occurrunt, inſuper obſervare eſt quod eadem medicamenta, quæ huic ægro hoc tempore profuerunt, alteri, aut eidem alio tempore adhibita, nihilum juvarent: Cujus ratio videtur eſſe, quod morbi cauſa in ſucci nutritij dyſcraſiis conſiſtit, qui liquor non uno ſemper eodemque modo pervertitur; verum a multiplici ſalium ac ſulphurum combinatione, indolem varij moris ac generis morbidam adipiſcitur, eamque ſubinde commutat: Quare in graviſſimis ejuſmodi affectibus medicamenta haud vulgaria, & ex Pharmacopoeis deprompta, ſed magiſtralia & pro re nata, juxta ſymptomatum admirandorum apparentias præſcribantur: Vomitio levis, purgatio & phlebotomia imprimis celebrari, ac aliquoties, prout opportunum videbitur, iterari debent; Quoad medicamenta autem ſpecifica, ac in caſibus iſtis appropriata, cum præcipua indicatio fuerit *Succi nervoſi* crafin emendare, plurima tentare, & ab effectu eorum virtutes rimari liceat, itaque experiri fas ſit quid remedia ſale volatili aut armoniaco prædita efficiant: In hanc rem ſpiritus & ſales c. c. ſanguinis, fuliginis, flor. & ſpir. ſalis armon. aſſumantur: His nihil juvantibus, ad chalybeata deveniendum eſt, tincturæ & ſolutiones corallij ac antimonij præbeantur: Cujuſmodi medicamenta in tali doſi & forma, & tam crebro exhibeantur, ut ex iis alteratio quædam toti ſanguini & ſucco nervoſo inducatur: Porro, ſi talibus deerit ſucceſſus, ad alexipharmaca, quæ contra venena & malignitatem humoribus impreſſam juvant, procedere oportebit: veriſimile eſt quod ejuſmodi medicamina, quæ demorſis à vipera, aut cane rabido, etiam quæ contra aconita & toxica ore ſumpta prodeſſe ſolent, etiam in convulſionibus ſupra dictis ex uſu eſſe poſſunt; Vide & methodum Gr. Horſtij in tract. de morbo convulſivo epidemio. *Willis Pathol. cerebri c.* 9. Adde his cinnabarina, quorum efficaciam exaltant *Hofmannus* in clavi Schroder. contra Epilepſiam & quoſvis graves cerebri nervoſique generis affectus p. 291 &c. ubi deſcriptio ſpecifici cephalici D. Ioh. *Michaelis* p. 293. *Wedelius in* Pharmac. &c.

IX. *Gaſpar de Roulla* jacebat jam per annum integrum Contractus in lecto, ſed ſupremis quinque illius anni menſibus totus immobilis, non pedem, non caput aut brachium movere poterat, neque aliud quicquam: præter dolorem enim ingentem membra ut lapis rigida obduruerant, & erat media hyems: Conſtat hunc à me intra 40. dies plane ſanatum, ſtupore maximo eorum qui illum viderant: Hunc ſic curavimus, Abſtinuimus ab omnibus inunctionibus, quorum uſu maximè, non rectè præpurgato corpore, in tantam morbi magnitudinem devenerat: Miſimus ter ſanguinem, quamvis maxima cum difficultate, quod brachia contracta eſſent nec poſſent extendi: induruerat enim, velut ſaxum aut lignum totua cervix, crura, dorſum & brachia: Sed & dum curarem ſæpius de ſalute deſperavit, adeo ut à cura me deſiſtere vellet, primis enim xxv. diebus non allevatus eſt vel minimum, Sanatus autem eſt cura Mareſchalci, ſed ut dixi, ter miſſo ſanguine, non ſolum ob morbi magnitudinem, ſed etiam quod ex vitæ ratione, & ipſo morbo, conjectarem totam ſanguinis congeriem corruptam eſſe: Nec fefellit me ulla ex parte de hac re judicium factum; ſiquidem totus, qui exiit ſanguis, putridus erat; remanſit

tanti mali veſtigium, collum obtortum. *Hier. Cardanus.*

X. Quoties *particularis convulſio* habet ortum à nervi tendiniſve punctura, ſicut aliquando id per Chirurgi imperitiam, præcipitantiam, vel infortunium, animumve turbatum in venæ apertione fieri notum, toties quam citiſſime oleum terebinthinæ calens, cum vini rectificato ſpiritu in vulnus mittatur, ſicut cum optimo ſucceſſu in *Carolo* IX. *Galliarum Rege* factum ſcribit *Paréus* Chirurg. l. 9. c. 38. Id infortunium ſubiit uxor mea anno 1669. etſi peritiſſimus alias Chirurgus venam ſecuiſſet; nimis enim profunde adacta lanceola in medianá, ſubſtratum tendinem ſimul pupugit; paucis poſt diebus ſequuta brachij rigiditas & inobedientia ad motum, hinc contractio & nodus, ſeu Ganglium: Ex conſilio cujuſdam, cui annui, excepit ſtillicidium ſanguinis è vena colli equi ſecta manantis, unde paulo poſt explicare brachium valuit: ſuperſtes nodus diſcuſſus ab admoto deſuper emplaſtro ex gummi Elemi. *Vide Nervorum Affectus lib.* 12.

XI. Puero ab ineunte ætate, obſtipo capite, inclinabat cervix in humerum ſiniſtrum, ob adſtrictum curvatumque alterum muſculorum ſecundi illius paris vinculum quod cervicem cum capite antrorſum flectit, qua deformi immobilis ac tranſverſi capitis figura, nullis auxiliis deinde ad ſtatum naturalem reducta, conſultum fuit G. *Straten*o ut tranſverſim præcideretur tenaciſſimum illud vinculum, quod caput tantopere in humerum contorqueret: Factum fuit curationis initium à cruſta, per lixivium coctum, cuti inuſta, deinde vero directum ſcalpellum ſupra claviculæ os, ab aure verſus jugulum, at tardius certe, ob cruſtæ lentitudinem, ac timidius, propter venarum arteriarumque jugularium viciniam, quam natura tendinis ac nervorum requireret; quibus iccirco magis punctim quam cæſim læſis, ſequebatur protinus vehemens cervicis, faciei, ac brachiorum convulſio, quæ tamen brevi iterum evanuit, adacto penitius ſcalpello, & præciſo animoſius integro, qui in vitio erat muſculo: cujus amputatio capiti actutum reſtituit integrum erectioris figuræ uſum, ac libertatem ſeſe quocunque locorum movendi; qua tamen ne abuteretur, circumpoſitæ capiti fuere variæ faſciæ, quibus deinde, ob vulnus brevi conſolidatum, amotis, permanſit tamen aliquandiu inveterata illa inclinatio in latus affectum, adeo difficile eſt longam corrigere conſuetudinem: Quiſquis vero deinceps ancipiti ac periculoſæ ſubjicieris aleæ, ne deſperes iterum fieri poſſe quæ ſemel facta ſunt, ſed ſcitu tria præcipue vitanda, & 1. quidem, ne cruſtam cuti inuras, ut pote quæ adeo non profuit dolori, ut potius multum nocuerit cum viſui tum incidenti ſcalpello. 2. ne improvide ſecando magis jugules quam cures ægrum. 3. danda opera ne identidem, ac interpolatis vicibus, ſed ſimul ac ſemel, attamen caute, integrum muſculum præcidas, in quo potiſſimum hujus curationis momentum: quæ certe animadverſio ut Chirurgo ex fama, ſic ægro non parum ex uſu erit. *Tulpius l.* 4. *c.* 57.

XII. Puer quinque annorum ad 4. uſque annum bona erat uſus valetudine, circa initium quinti male ſe habere cœpit, cum virium & caloris nativi jactura, tandem febris lenta, & ventris tumor eum invaſit, quibus ſubſequuta *brachiorum*, præprimis autem *Pedum Contractura*, ita ut neque ſtare neque ambulare amplius poſſet: Cauſam hujus metamorphoſeos lumbricos eſſe ratus, curam, præeunte *Reverio* cent. 1. obſ. 16. ad debellandos eos inſtituendam duxi, quod & feliciſſimo ſucceſſu præſtiti, & una vice ferme triginta; ſequentibus diebus, partitis tamen vicibus, ſupra xl. expuli, adeo ut puer brevi tempore deinceps ſtare & ambulare potuerit: *Melchior Fribe m. cur. anni* 72. *obſervat.* 63.

XIII. Raro *contrahuntur* homini abdominis nervi, attamen frequentius quam animadvertant Medici nonnulli, confiſi quemcunque ventris dolorem vel fieri à bile acri, vel ob ſpiritum intendentem inteſtinum colon: verum inæqualis ventris diſtenſio, & adſtricta rigidorum muſculorum contractio, arguunt ſatis perſpicue nervos magis quam inteſtina pati: Matronæ coacervavit frigidus & humidus ventriculus crudioris copiæ copiam, quam quamvis exhaurirent medicamenta, inſinuabat tamen ſeſe ſenſim in ſenſiles illos nervos quos ſpinalis medulla diſpergit, cum per membranam ventrem ſuccingentem, tum per muſculos illi proxime incumbentes. Quibus à cruda hac materia obſeſſis, excarnificabat ipſam inſignis abdominis convulſio, præſertim ſi foret gravida, & noctu; Qui tamen urgens dolor vix unquam ipſam deſeruit niſi expurgata rite cauſa, per rad. mechoac. vel diſcuſſo acri ipſius vapore, utique & ſpiritu præcordia diſtendente, ſive per mithridatium ſub noctem potui datum, ſive per clyſterem ante tormentum hoc mature infuſum. Quæ curandi ratio evincit hanc convulſionem originem ducere ex cruda ac flatulenta pituita. *Tulpius obſerv.* 22. *lib.* 3. vide *Hafſletterum dec.* 5. *obſ.* 1.

XIV. Dom. N. ictu tormenti bellici brachio privatus eſt, Eo curato, & vulnere omnino conſolidato *Convulſionis* ſpecie correptus eſt, qua retrahebatur caput verſus partem dextram, & mandibulas frequenter agitabat, ita ut lintea continuo intra dentes habere cogeretur: omnium opinio fuit in extremitate oſſis, a tormento bellico præciſi, aliquam eminentiam acutam adeſſe quæ nervum aliquem feriret: Operatio celebrata nihil profuit: Mihi in mentem venit aliquod virus venereum intus latitare, ac cum æger paſſim alias ſe eſſe gonorrhoeam confiteretur, præmiſſis purgatione univerſali & diæta ſudorifica, frictiones ex ung. mercuriali celebravi, à quibus ptyaliſmus provocatus eſt, poſt quem tertia die contractiones deſierunt. *Ozias Aymar. obſ. x.*

XV. Quidam fumum ex ſtanno fuſo exhalantem ore & naribus cum exciperet, ſubito *Opiſthotono*, & inde Tetano correptus eſt graviſſimo, adeo ut nec os aperire nec quicquam deglutire poſſet: D. *Brambachius* aquam cardiacam Palmarij vi quidem infundere jubet, ſed gula tranſitum ei denegat; Clyſteres quoque præſcribit, ſuffitus ex ſulphure (hoc nimirum argenti vivi alexipharmacum putans) inſtituit, itemque inunctiones nuchæ ex appropriatis, ſed omnia fruſtra, hora enim xx. moritur: Sic & Aurifaber quidam cum thoraces argenteos deauraret, fumumque minus caute obſervaret, tremore omnium membrorum corripiebatur, & ſolius aquæ theriacalis ſtapedianæ uſu, fruſtra aliis tentatis, perfecte reſtituebatur. *Ph. Salmuth. cent.* 3. *Obſ.* 39.

XVI. Sæva accidentia à bile æruginoſa oriuntur, quæ à vehementi aduſtione oritur: Juvenis excarnis, cum vigiliis corpus maceraret in pruritum incidit, cum mordaci calore in jecoris regione: poſt duos menſes *Convulſione* quatitur immani: Malum ab interna-

intemperie calida jecoris emanare tacitum fuit, omnia tentantur, tandem ſang. miſſioni ea dextra ſalvatella ſuccubuit morbus: hæc V. S. incantantium inſtar ea *Gentilis* comm. in *Avicennam cap. 24. Lacumus Prax. adm obſ. 43. lib. 1.*

XVII. Anglus ex brevibus intervallis *Convulſione flatulenta* premebatur: poſt varia auxilia, quæ mucoſum vacuarent humorem & robur tenti nervos, ſolo *Ebeni* decocto ad xl. dies, cujus vi copioſus ſudor proliciebatur, convaluit. *Idem obſ. 44.*

XVIII. Fœminam quatuor ex partu horis, ſuppreſſo omnino menſtruo, dolor corripit in utroque genu, tibiis, cruribus & plantis pedum, cum nervorum rettactione ſumma: Medici cauſam adſcripſere flatui, craſſo, tenaci, & maligno, nervorum initiis adhærente: Sanguinem mittere ex talo vetabat partium debilitatus calor nativus, & humoris ex toto in partes inferas præceps delapſus: V. S. in brachio, cum lochiis retentis, erat abſonum: Purgationi nullus erat locus, Injecti ergo clyſteres, hirudines ter appoſitæ in ſede; adhibiti fotus, litus: Cum omnia fruſtra eſſent ad cauterium actuale acedo: ſed cùm toti pedes dolore eſſent concuſſi, & in ipſorum profundo vis mali ſita eſſet, & illis unum ſolû cauterii apponere eſſet inutile, totos à genu ad ſummos digitos, novaculis ignitis bene ignitis cauterizare ſatius viſum eſt: hinc poſt duos dies factis eſchatis, ichore livido emanante dolor & reliqua ſymptomata deſierunt. *Idem obſerv. 45.*

CORDIS AFFECTVS.

(Vide *Palpitatio. lib. 14 Syncope lib. 17. Et lib. 19. Cardiaca.*)

SYLLOGE.

In cura morbi calidi calida medicamenta conveniunt. 1.

Vermiculorum cordis curatio. 2.

I. Licet in *Ægritudinibus frigidis cordis* abſolute conveniant calida, in calidis tamen non ſimpliciter expetuntur frigida, ſed calida illorum temperativa: Ratio eſt, quia cum volumus permutare complexionem calidam, non ſumus contenti infrigidantibus, propterea quod ſubſtantia cordis conſtat innata caliditate, quæ minimè extingenda, ſed corroboranda eſt. Hinc maxime vitium conſervatio reſpicitur in præſentia, cum cor vitæ, caloriſque ſit officina: Licet ergo reſpectu morbi frigidi indicentur, nihilominus partis affectæ reſpectu, calidis opus eſt temperatis, non exceſſivis. Hinc ergo medicamenta cordialia, quamvis calida ſint, nunquam negligantur in Cordis affectibus. *Conciliator Enucleatus* §. 196.

II. *Vermiculos & in corde & in capſula* ejus gigni extra dubium eſt, mulibus hic virginibusque familiaris eſt: Noſcitur tum ex puncturis & doloribus cordis, tum ex lumbricis excretis vel non excretis: Signum diagnoſticum eſt convulſio. In curando nihil aut parum poſſunt cordialia, ſive vulgaria, calida aut frigida: Initio, antequam convulſiones adſint, aliquid poteſt lap. bezoar, ſi cû ſale tanaceti, aut dictamni Cretici vulgarive detur à gr. 4. ad 8. Cura Specifica eſt talis, Expurgantur t. lumbrici per hoc, ℞. Mercur. vivi purgati & mortificati cum ſaliva jejuni, vel ſucco limonum temperati uſque ad ℈j, conſer. roſar. ℥ß. benzoes pulver gr. ij. Quod ſi quis ſumere timeat, tollum ʒj. vel ij. infundat aquæ frig. per noctem, & defundat mane bibatque: vel aquam ex cæpis allioque diſtillatam ad ℥ij. vel iij ſumat: hæc enim lumbricos certò ſi non expellit, ſaltem interficit. Lumbricis quidem excretis, ſed convulſionum paroxyſmis recurrentibus (quod certiſſimum, ſignum vermiculi cordialis deprehenditur) extracta ſpecifica exhibeantur, ut allii, raphani ſylv. & naſturtij aquat. ſingulorum pondere ℈j. ex brodio vel juſculo in quo raphanus ſylv. fuerit præmaceratus: Ab hac cura citiſſimè curantur: Extracta ſi ad manum non ſint, omnium ſucci & pari menſura miſceantur, & cochlearia ij. aut iij. omni mane, Sed & idem præſtant eorundem ſales titè parati. *Hartmanus Pr. Clymiatr. c. 111.*

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER QVRATVS.

De Affectibus à litera D incipientibus.

DEGLVTITIO LÆSA

SYLLOGE.

Alienorum Deglutitorum, vel in æſophago ſubſiſtentium, aut ventriculum ſubeuntium medela. 1.

Oeſophagus obſtructione liberatus 2.

Deglutire non valens, injectionibus in os factis ſuſtentatus. 3.

Læſa ob fauces ulceratas ſanatio. 4.

Cannula quando utendum ad cibi, permeare non valentis intruſionem. 5.

1. QVæ contra naturam deglutiuntur, aut in ventriculum deveniunt, aut in œſophago ſubſiſtunt: Prioris exemplum hoc eſt, Virgo 18.ann. inter comedendum deglutit aciculam æneam, cuſpide primum κάτω tendente, quæ in œſophago hærens immanes dolores creabat: cum per annum integrum, multis tentatis, in hoc ſtatu permanſiſſet, ſuatu noſtro detruſa eſt in ventriculū acicula per candelam ceream ſartorum, eam quotidie bis terve leniter intrudendo, inunctam prius oleo amygd. dulc. quod ſine dolore fuit, & hinc brevi ad ſtomachum delapſa, hactenus nihil moleſtiæ exhibuit amplius.

Fœmina cum licitando merces quaſdam groſſum ore contineret, illius oblita, de oblato libo comeſtura, eandem ſimul invita deglutivit. hinc dolor gravativus ventriculi & ſapor cupreoſus: Conſultus, cum emeticum ſuis de cauſis propinare dubitarem, juſſi lubricantibus & pinguibus ſedulo uti, & propinavi ſpiritum ſalis rectificatum bis de die ad gtt. vj. vel ix. unde ſenſim, & ſenſim imminuto pravo ſapore, mox & triſtis ſenſatio deſiit; Hic contingit quod *Theophraſtus* lib. de Igne pag. 142. *Ventrem numiſmata liquare.* Spiritus autem acidi ventriculo adeo non nocent, æris vero & argenti vitriolum evocando atterunt pondus, ut dehinc facilius per inteſtina exire poſſit.

Puer 12. annor. Imperialem hiſpanicum capſ-ratum dimidium, ori inditum deglutiit, qui in œſophago ſubſtitit, Chirurgus extractionem magno ſtudio intendit, ſed fruſtra omnino, ut coactus fuerit ad ventriculum eundem adigere, quo, non ſine magno labore, facto, traumaticis & paregoricis mucilaginoſis œſophago dolenti, & tantum non vulnerato proſpectum fuit, hinc adhibita pinguia, lubricantia, purgantia, alia, abſque omni tamen affectu. Æger interim, ſimul atque receptus eſt ventriculi capacitate nummus, optime, præter dictos dolores œſophagi, & deglutitionem difficilem, habuit, nec in hunc uſque diem quicquam inde moleſtiæ ſenſit, per ix. annos firmiter ſede ſua incluſo manente argento.

Puellus trium ann. cum orbiculos duos æneæ catenæ, unciæ unius longitudine ori ingeſſiſſet, incaute eos deglutivit, qui cum adhuc in œſophago hærerent, præ doloribus valde clamavit, hinc vero ſimul ac in ſtomachum delati fuerunt, non eſt viſus pejus habere, quin vegetus edit & bibit, Solliciti parentes quotidie excrementa omnia perveſtigarunt per aliquot ſeptimanas, ſed fruſtra, ac nil penitus invenere, ut firmiter concluſerint abſumptos fuiſſe ſenſim & ſenſim in ſtomacho: quin nec excrementa à naturali ſtatu receſſiſſe viſa ſunt: Puer adhuc vivit ſaniſſimus.

Puer

Puer 5. ann. cum plumbum panno ſignaculi loco affigi ſolitum, itidem deglutiiſſet, dolore graviſſimo, priuſquam ad ventriculum delaberetur, prægreſſo, curatus fuit acero ſtillatitio propinato, cum prius vitæ ipſius timerent parentes: nihil tamen de iſto, ſatis lato tamen & craſſo excerni fuit obſervatum, ſed etiamnum optime valet; Optimo vero conſilio ſtillatitium acetum propinatum fuit, quod compagem Saturni ſolvendo illum in ſaccharum commutat. *G. Wolfg. Wedelius miſc. cur. anni* 1672. *Obſervat.* 141.

II. Famelicus pedem ſuillum elixum comedens, ejus fruſtulum cum oſſiculo in oeſophago ſubſtitit per biduum, Chirurgus filum ferreum oblongum in apice ad formam hami duplicavit, ac penitiſſime in oeſophagum demiſit, cujus unco fruſtum illud pedis arreptum eſt, & magna vi ab oeſophago avulſum foráſque extractum. *Riverius centur.* 3. *Obſervat.* 71.

III. Quidam Angina vera correptus, ita arcte occluſum habebat ab inflammatione ſuperius orificium ventriculi, ut nihil omnino deglutire poſſet: Dum remedia uſurpabantur, ut copioſas ſanguinis miſſiones aliáque remedia ferre poſſet, ad vires reficiendas immiſſus fuit catheter in oeſophagum, & ſyringa catheteri aptata, per quam juſcula in ventriculum demittebantur, tum etiam alia remedia, quorum ope à morbo liberatus. *Riverius cent.* 3. *Obſervat.* 72.

IV. Quidam conſuluit me dicens ſe Lupis in naſo vexari, (lupos vocant Flandri ſordes illas mucoſas in naribus concretas, quas acicularum capitibus nutrices infantibus educunt) Inſuper fauces moleſtia affici, quæ ad medium auris ſiniſtræ pertingeret, Deglutire etiam vinum cum dolore: Dixi videri mihi Guttur vlcere affici, illique prius quam naſo conſulendum, cum ſpeculo oris fauces diduci paſſus eſſet, totum palatum, maximámque vvulæ partem immani vlcere obſideri obſervamus: Ab illo auris pependiſſe moleſtiam nemo Anatomes gnarus ignorat: Aqua primum Fallopii vlcere faucium deterſo, cum lentius curari ſibi videretur, D. D. Nollens ſtatim ſecretiſſimum remedium pollicitus, butyrum antimonii diſtillatum admovit. Hoc ego primo intuitu deprehendi, quia ad minimum liquoris contactum in niveum pulverem vertebatur: Sanè hic magnam in vlceribus Gallicis, carie & ſimilibus vim habet, brevique percurat, vt & in hoc paruit. *Heers Obſ.* 28.

V. Cùm ægri deglutire nequeunt, Cannula inmittenda intra gulam, vt fiat cibariorum deglutitio: ſed quando adeſt inflammatio in illa parte, nimis irritatur, ideo conſulo vt non, niſi maxima vrgeat neceſſitas, ad cannulam hanc confugiatis: probo magis vt paretur aliquod inſtrumentum ad modum fiſtulæ, quod imponatur prope œſophagum, & præterea adſit veſica munda, repleta potu nutriente, & hæc veſica ſit appoſita fiſtulæ, vt in clyſteribus fieri ſolet, poſt impetu quodam veſica comprimatur, vt etiam cum impetu potio illa deducatur in œſophagum: quoſdam deperatos ob famem fiſtulæ hujus beneficio reſtitutos vidi. *Capivaccius l.* 1. *cap.* 53. *Pract.* Vide *Angina*.

DELIRIUM.

SYLLOGE.

Cibo exhibito ſedatum. 1.
Verminum excluſione deſinens. 2.

I. D. N. ancilla in delirium incidit, adeo vt neſciret planè quæ diceret: ſtatim adſtantes exiſtimantes eam morbo graviſſimo detineri, multa facienda curarunt, Sed poſtquam accepit cibum curata eſt ſubitò: hæc enim a ſolâ inedia, quam per triduum, neſcio cur, ſibi ipſa præſcripſerat, procedere falſa eſt. *Petr. Borellus Obſervat.* 87. *cent.* 3.

II. Puella apud Seriam duodecim annorum incidit in Paraphrenitidem à vermibus, & ſubitò, quæ paulo poſt ceſſavit. *Ex Ioh. Bauhini Obſervat.*

DENTIUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Dolor *non uno modo ſedandus.* 1.
Ejus cauſa purgationibus fere tantum cedit. 2.
Calorificis ſæpe exaſperatur. 11.
Narcoticis *an utendum in dolore à flatu.* 5.
Ad ejus ſedationem pyrotica & intercipientia *ubi admovenda.* 3.
Periodicus inuſtione vaſis humorem deferentis curatus. 4.
Genuinorum eruptionem præcedens quomodo ſedandus. 12.
Repellentia *non ſemper locum habent.* 25. *a.*
Gargariſmis quando acetum addendum. 26.
Adſtringens empl. temporibus quando admovendum. 23.
Non ſemper ceſſat evulſo dente. 24.
Mors ab impoſito dolenti & carioſo Philonio. 17. 21.
Vena in palato apertione ſanatus. 27.
Cauteriſatione Cartilaginis auris. 28.
Arteriæ antitragi apertionis in vehementi dolore efficacia. 25. *b.*
Dolor apertione Saphenæ curatus. 34.
Olei vitrioli uſus ad præſervandos a carie. 15.
Carioſos *non emendat.* 16.
Cariei *affectus quibus implendus.* 6.
An carioſi evellendi. 29.
Aqua forti non tangendi. 30.
An Cauterio adurendi. 20.
Cariei *correctio.* 31.
Nutantes *igne retinendi.* 8.
Longiores tremuli, ſuperflui reſectione confirmantur. 25. *a.*
Non ſtatim eximendi. 13.
Præſertim in ſenibus. 14.
Cum pueris excidunt radices conſervandæ. 10.
Cautè evellendi. 19.
Quibus cautionibus. 7.
An in vicem evulſi alter ſubſtitui queat. 9.
A reſectione longioris mors. 18.
Dentifricijs quando locus. 32.
Fungus enaſcens in alveolo evulſi, extirpandus. 33.
Ab evulſo vi hæmorrhagia ingens. 22.

I. D*Olent Dentes* vel propter flatulentum ſpiritum incluſum ad radices eorum, qui ſedatur decocto herbarum calidarum cum vino: Item Theriaca diſſoluta cum vino: Aut propter calidorum humorum affluxum, quibuſcum admiſcentur frigidi, dolor quidem minus vehemens eſt, ſed quædam intervalla quaſi habet, ſæpe ta-

men recurrit; Iſta autem miſcella humorum (ſicuti etiam in podagrico dolore accidit) facit ut interdum remedia probatiſſima malum non jam mitigent quàm augeant, niſi Medicus probe naturam humorum, a quibus dolor excitatur cognoſcat, & ad affectionem præſentem remedium contemperet: Accedit altera cauſa, quod in hoc malo, ſicuti in cæteris omnibus quæ à fluxione pendent, ea remedia quæ in augmento valent, jam conſiſtente fluxione nihil proſunt, multò minus iſta initio convenient; Id cum animadvertunt imperiti, ſæpe à ſuis experimentis, (niſi ea ſint Narcotica, quæ ſemper dolorem tollunt, verum nunquam ſine noxa illius partis quæ dolet, vel vicinæ) falluntur. *Crato apud Scholzium conſ.* 75.

II. *Dentium dolor* per plures dies aliquando exercuit me, appetente præſertim prandij conſueto tempore, quo ſcilicet ventriculus cibis vacuus vndequaque è reliquo corpore ſuccos ſequi pronos ſolet allicere: Ejus levandi ergo cum purgans aſſumpſiſſem, ſtatim everſo ſtomacho aquam ad libram vnam & amplius, eamque ſinceram & puram reddo, tanto cum ſucceſſu, ut poſtea vel decem annis prorſus immunis vixerim. Quo edoctus experimento, quicunque deinceps apud me conqueſti ſunt de Odontalgia, ſemper author fui vt neglectis iis remediis quibus volgi os colluitur, primo quoque hydragogum ſumant, quod votis ſemper reſpondit. *Car. Piſo de colluvie feroſa lib.* 2. *c.* 3.

III. In maxilla ſuperiore arteria perreptat antitragum auris: ibi vritur, & huic loco, atque ſupra tempora, emplaſtrum adſtringens admovetur ad venas fluxionis intercipiendas: Arteria in maxilla inferiore prope angulum repit, & vbi pulſat vrenda: vel admovenda topica in dolore Dentium maxillæ inferioris. *Riolanus Enchir. l.* 4. *c.* 8.

IV. Ad *periodicam doloris exacerbationem* curandam & præcavendam *Spigelius* Scolopomachærio candente eam anthelicis partem, quæ ſuperiorem tragi immediatè contingit, feliciſſimo ſemper ſucceſſu incidit, vulnúſque deinde iterum conſolidavit. Hac nova Chirurgia ille ramulus arteriæ carotidis, qui ab auris anthelice ad dentes pertingit, tranſverſim inciditur, ita vt, intercepto humorum affluxu, dolor non amplius revertatur: Præſidii vim in ſe primum expertus eſt author poſt in aliis. *Scultetus Armam. Chir. Obſ.* 28.

V. *Narcoticis* vti in *Odontalgia* neutiquam conſultum mihi videtur, nimium enim congelatur & inſpiſſatus flatus, nec aliud congelando efficimus quàm quod leve ſolatium in difficiliorem affectum abeat: verum ſi intolerabilis immenſúſque dolor ægrum percoquat, coactúſque ſit Medicus eo remedij genere naturam conſolari, ſuadeo vt narcotica vis calefacientibus refringatur, vtque eadem opera & ſymptomatis & cauſæ rationem habeamus, quod ita optime fiet; ℞. pyreth. piper. an. ℈j. opii ℈ß. illiga linteo, vt ad h. 2. vel 3. infund. in acetum acerrimum & ſuper dentem applicentur: vel ℞. ſem. hyoſciam. ſtaphiſ. pyret. an. ℈j terantur in pulv. tenuiſſ. cujus ℈j. m. cum aceto fortiſſimo, & fiat pil. quæ ſuper dentem teneatur unius horæ ſpatio: Mirificè quidem dolorem conſopit, nec eſtatu dignam intemperiem procreat, tamen ſi ſolis reſolventibus doloris acerbitatem lenire, ſi id fieri poſſet, magis pro voto eſſet. *Fienus Phyſographia c.* 14.

VI. Alimentorum, & præſertim dulcium, portio in cavo dentis retenta, putreſcit, atque ſic *dolorem* infert, vel *foetorem* & *eroſionem* auget: Quare & ratione & experientia optimum reperies dentis cavum implere, ne quippiam ingrediatur quod partem illam ſenſilem contingat: repletur verò maſtiche manu & mollita: nam ſi apponuntur quæ dura ſunt, dolorem excitabunt: Sunt qui cera opplent; ſed, meo iudicio, male, quia vim emolliendi habet, præſertim ſi recens fuerit: Si tamen ea velimus uti, admiſcebimus ſalem vel alumen, vel aliud quod ſiccet & adſtringat, præſertim ſi dens madeat: Vel ceram albam potius, ut quæ ſiccior eſt, ac vim quandam adſtringentem obtinet à præparatione: vel rubram, quæ ob cinabrium dentes præparat ut faciliùs evellantur vel confringantur: viridis tamen magis laudanda eſt, quæ vehementer ſiccat ob æruginem: poſt hæc ſiccantibus alijs erit vtendum, ne ea quæ dentes extergunt tandem eos acrimonia ſua erodant: Si putredo adſit, adde myrrham; ſi foetor moſchum, aut goſſypium in quo moſchus aſſervatur: abſtinendo in obnoxiis dolori capitis, aut vertigini, quia odoribus læduntur. *Rondeletius l.* 1. *c.* 83.

VII. Cavendum ne *Dens evellatur* eo tempore quo fluxio ruit, aut caput dolet, aut tumet gingiva, aut dolor atrox ſentitur: Et monendus Chirurgus ne violenter & affatim, uno ſcilicet ictu, dentem evellat, ne violentam extractionem ſequatur maxima cerebri concuſſio, & oſſis maxillæ diruptio, quam ſæpe magna hæmorrhagia, febris & interdum mors ſequitur. *Riverius Prax. l.* 6. *c.* 1.

VIII. Multis advenire ſolet *Dentium infirmitas & vacillatio*, à deſtillatione acri: Omnes autem vulgo medentes tractant hoc malum ſtypticis ſolis, quæ vix proficiunt: Vnicum præſidium eſt ignis, indicatum ab *Hippocrat.* l. de aff. n. 5. & à *Rhaſe*, qui ferro ignito dentium radices exurunt: Clavo cupreo *Gariopontus*: quod à nullo factitatum video, à me in docentis comprobatum; & in dolore dentium finiendo & iis vacillantibus retinendis: Hic exponam ferramenti formam, quod appenſum longo ſtylo, eſt ſemidigitum latum, Duos tranſverſos oblongum, ſed recurvum, quatenus convexitati dentium bene coaptari queat & ritè congruere: Cæterum illud adverti debet hanc Chirurgiam opportunè primum langueſcentibus partibus eſſe experiendam, cum jam dentes à radicibus exoluti fuerint, vix quicquam uſtione proficiſci. *Severinus Med. Effic. pag.* 296.

IX. Volunt perſuadere quidam Medici, ut faveant Normano Odontagogo, in locum *avulſi Dentis* poſſe alienum, alveolo inſitum, peræque tenaciter hærere, reddique ſimilem aliis dentibus, qui poſtea gingivarum carne veſtiatur, maſticationique inſerviat: At qui conſiderabit Dentes vitam habere, venulas, arteriolas & nervulos recipere, ſentire, dolere; vinculis adſtringi & firmari, nunquam id affirmabit. *Riolanus Enchir. l.* 4. *c.* 8. Vide *Parenm l.* 16. *c.* 22.

X. Dentes in infantibus, ſive ſponte, ſive ob violentiam aliquam *excidunt*, modo radices remaneant, ſponte renaſcuntur: Quare cavendum, ne cum pueris dentes caſu, atque aliquo ictu effringuntur, quæ reliqua eſt portio eruatur; ſed accuratiſſime radix ipſa, quoad ejus fieri poteſt, ſervari debet, in ea enim, velut in ſemine quodam, ipſius dentis regenerandi ſpes reſidet, eáque radicitus evulſa, dentes non amplius, vel rariſſime renaſcuntur. *Columbus l.* 1. *c.* 10

XI. Remedia *Dentium doloribus* mitigandis deſtinata pleráque calida exiſtunt: ſed uſus artis oſtendit pleroſque tales dolores ex acri ſanguine aut deſtillatione calida proficiſci: Itaque caute agant Medici, ne communi opinione decepti calidiſſi-

diſſimis ſuis collutionibus ægris majorem moleſtiam exercent, quàm levationem doloris efficiant. *Oethaus apud Scenckium.*

XII. Genuini ſunt illi qui primum ante pubertatem Venerîſque uſum hominibus, cum maximis ſubinde cruciatibus prodeunt: Id quod Medici parum obſervantes, aut alios dentes evellunt, aut humorum vitio os infeſtari ſibi perſuadentes, ægros cataporiis aut aliis id genus pharmacis obruunt, cum dolore affectis nullum levi gingivarum ad poſtremum dentem ſcarificatione, ac interdum oſſis pertuſione, præſentius remedium afferri poſſit: Id quod ipſe etiam modò experior, cui hæc ſcribenti 32. dens, ætatis meæ 26. anno ſuccreſcit: Atque id etiam permultæ calvariæ arguunt, in cœmeteriis occurrentes, in quibus poſteriores illi dentes veluti in cavea quapiam adhuc latitant, quibuſdam ſuæ baſis apicibus os tenuiſſimum perforantes. *Veſalius de hum. corp. fabr. l. 1. c. 2.*

XIII. Si lapſus aut ictus violentia *Dentes commoti labant*, minimè eximendi ſunt, ſed reſtituendi, & ad proximos, qui bene hærent, vinciendi, tempore enim in ſuis alveolis confirmantur; quemadmodum expertus ſum in *Antonio de la Rue* veſtiario, cui pugionis capulo cum maxilla fracta eſſet, & tres dentes concuſſi, ac ferè ſuis alveolis excuſſi, reſtituta maxilla, redditi ſunt ſuo loco dentes, & filo duplici cerato que proximis advincti; de cætero expreſſis ac colatiis, ſimilibúſque juſculis hominem nutrivi, adſtringentia gargariſmatá ex nucibus cupreſſi, myrtillorum & pauco alumine in oxycrato incoctis concinnavi, eáque ore verſare juſſi, his artibus perfeci, vt mox illi æquè facilis eſſet atque antea in omnem dentium partem manſus. *Paraus lib. 22. c. 67.*

XIV. Duo eruto dente obierunt, ob multitudinem ſanguinis, ſed alter eorum erat decrepitus: in alio fuit vas ſatis amplum in radice dentis & laceratio magna. *Cardanus de cauſ. & ſign. morb. pag.* 155. Bunoniæ dentarius in foro publico cum in ſene detraheret dentem, ſubito extinctus eſt. *Pet. Foreſtus lib.* 14. *Obſervat.* 4.

XV. Inter omnia quæ *Dentes præſervant a putredine, & dealbant* maxime, commendatur oleum vitrioli ſi cum aqua miſceatur, cum puræ & integræ carni ſit innoxium, & corruptum ſaltem tollat: Vituperant autem qui verum illius uſum ignorant: qui vero vti ſciunt, feliciter in magnis morbis, non tamen omnibus adhibent; nam gutta vna vel altera, ſaccharo, vel melle roſaceo admiſta, mirifice detergit dentes, & gingivas putridas cum vlceribus oris plurimum juvat. *Crato conſ.* 75.

XVI. Si Oleum vitrioli vel ſulphuris *Denti carioſo* imponas, interim caries non caſtigatur, ſed dens ad ſui vſque radicem eroditur, Spiritus enim illi admodum penetrant. *Fabritius Hild. cent.* 4. *Obſ.* 95.

XVII. Dentium *doloris* vehementiam Patritius Venetus impoſito oleo opiato quodam ſopiturus, ſomni fratri, morti, ſe tradidit. *Alex. Benedictus lib. 6. cap.* 13.

XVIII. Monialis quædam *Dentem*, quem habebat præ aliis *longiſſimum*, quum ad deformitatem vitandam ſecari curaſſet, ſtatim convulſa & epileptica concidit, In parte autem dentis abſecta nervi veſtigium apparebat. *Gaſp. Bartholinus in Inſt. anatom.*

XIX. Quidam Lutetiæ dum Dentem evellit, ſimul & partem maxillæ, & vi mos dentes extrahit, hæmorrhagia ſequitur periculoſa: Vocatus in jus Chirurgus liberatur, quia inventi Dentes non inſeri, ſed omnino maxillæ contigui. *Hollerius Obſerv.* 31. Refert *Sennertus* ſe meminiſſe in puero dentem incaute extractum, & proculdubio in extrahendo nervum læſum: Hinc fungum enatum totum os oppilentem.

XX. *Cauteria* admittit *Hollerius*; *Sennertus* vix tutum uſum, ob exquiſitum ſenſum nervorum, tutum credit, metuens ne partes aliæ, cerebrum in conſenſum trahantur: Nunquam tamen noxam exinde natam animadverti; metus tantum ne vicinæ partes, labia &c. adurantur, hac præcautione adhibita tuto ferrum candens cavernæ inditur; Chirurgus pedem patientis pedi ſupponat, quem hic premat, quo ille ferrum illico retrahat ſi forte læſerit.

XXI. Quidam cum pluribus diebus *dolore dentis corroſi* concuſſus vehementer, multis adhibitis, levari non poſſet, amicorum conſilio intra dentis cavum indidit Philonium Perſicum, quo admoto ſtupidus veluti, ſequuta auditus gravitate extinctus eſt. *Zacutus Prax. adm. l.* 1. *Obſ.* 86.

XXII. Quidam cum *dentis dolore* premeretur, illum violento concuſſu ferri eduxit: extracto eo, ex dilacerata arteria gingivæ ſubdita, copioſa ſequuta hæmorrhagia, quam nulla glutinantia & ſtyptica cohibere potuerunt: ego locum pulvere gummi arabici implendum monco, hinc poſt tres horas fluxus reſtrictus. *Idem Obſ.* 90. In alio compeſcuit *Galenico* empl. ex aloe, thure, pilis leporinis exacte tritis & cum albo ovi mixtis. *Obſ.* 91.

XXIII. Confluit materia ad *dentes*, *doloris* cauſa, vel in membranas maxillarum & alveolorum dentium: vel ad nervulum in radice dentis, & membranam hujus internam nerveam, vel in ipſum corpus dentis è capite: Et quidem in ſuperiorem maxillam per angulum oculi majorem, in inferiorem per venas temporum: Et principium hujus fluxionis plerumque eſt è capite, nonnunquam tamen & ex inferiore corpore, epate, liene &c. *Sennertus.*

XXIV. Si affectus fuerit in gingivis, dolor non removebitur dentis avulſione: Si in nervo, dolor exempto dente interdum ceſſat, cum materia antea concluſa exitum jam habet, tenſióque remittit; Aliquando remanet, quando materia nimis craſſa & lenta nervo adhæret. *Avicenna.*

XXV. *a.* Arteriolæ à carotidibus in auriculam procedunt, quarum major quædam antitragum & anthelicem percurrant, ſuperioremque maxillam conſcendens ſingulis Dentibus ſanguinem vitalem ſuppeditat, cum quo ſæpe acres humores eodem defluentes acerrimæ odontalgiæ cauſa ſunt, quam artificioſe in anthelice diſſecta hac propagine multoties mirabiliter ſedatam fuiſſe vidimus; quod etiam bene notatur à *Banhino*: & refert *Riolanus* ſe Pariſiis virum vidiſſe, qui per illam curationem magnum quæſtum faciebat; qualem virum & in Geltria vidimus de *Diemerbreck*, *An. l.* 5. *c.* 13.

XXV. *b.* Dentes ut reliqua oſſa fibrillis conſtant, ſed duriſſimis & maximè compactis, ſecundum illorum longitudinem exporrectis: per inſenſibilia & exiliſſima illarum fibrillarum interſtitia excurrunt ab imo ad ſummum ſubtiliſſimæ alimenti particulæ, ad Dentium radices per arterias delatæ: Si quacunque de cauſa ſuccus ille alimentarius fiat tenuior, eiúſque particulæ majori quam decet impetu ferantur, haud facile hærent, ſed ſuperatis obicibus vltra

debitos terminos excurrunt, ſicque cum quod de dentis craſſitie continuo effluvio decidit, non reſarciatur, dens neceſſario fit gracilior, cúmque alimentum ulterius excurrat, ſecundum fibrarum ductum, dens ſecundum longitudinem creſcat: Ea de cauſa vt huic Dentis gracilitati occurratur, remedium optimum eſt dentem lima decurtare, donec fiat ſolito brevior, ſic enim quod extra dentem non poteſt excurrere alimentum, intra breviora ſpatia cohibitum dentis craſſitiem auget: Ita ſolent agricolæ arborum ramos amputare, vt truncus craſſior fiat & validior, retento intra ipſum ſucco nutritio, qui in ramos amputatos fuiſſet diſtributus: Non ſolum contingere poſſe videtur nimius ille alimenti in dentibus excurſus, ob ipſius tenuitatem, & partium quibus conſtat agitationem, ſed etiam ob fibrarum, quibus dens conſtat, laxitatem, quæ accidere poteſt ſi alimento per aliquod tempus parcius affluente ſingulæ fibræ fiant graciliores, vel poteſt idem alimentum, partis aut affluentium humorum vitio, corrumpi. *Franc. Bayle Problemat.* 57.

XXV. *b.* Cautione in *Repellentibus* adhibendis opus eſt, præcipue ſi maxillis applicentur, nam licet ſi materia in ipſum dentem ſaltem fluat, repellentes oris collutiones ſine periculo applicentur, tamen ſi materia ſit copioſior, & ita ut etiam maxillas occupet, repellentia, præcipue maxillis, non tuto applicantur, cum materiam intro ad fauces repellere & ægrum ſuffocare poſſint. Ita refert V. de Taranta Medicum quendam, cum dolorem haberet dentium molarium cum inflatione maxillæ, appoſuiſſe ol. roſaceum cum acero, unde angina lethalis ſequuta ſit. *Sennertus.*

XXVI. Ubi Gingivæ ſimul ſunt affectæ, acetum, monente *Aëtio*, tanquam hoſtilis gladius fugiendum eſt, ob mordacitatem qua gingivas erodit; Alias in dolore dentium, citra gingivarum inflammationem, ſive nervulus denti ſubſtratus, ſive corpus dentis doleat, *Galen.* in aceto medicamenta præparare jubet, & repellentia & diſcutientia: etſi enim dentibus per ſe nocet, tamen repellentibus admiſcetur, quia penetrando eorum vim auget; Diſcutientibus etiam, & ob penetrationem, & quia inciſoria vi diſcuſſionem juvat.

XXVII. Palati venarum exteriorum in vitiis capitis & faciei, maxillarum, dentium, gutturis, & oris aperiendarum quidam meminerunt. *I. à Ketham* in Faſcic. Medic. ſcripſit hiſtoriam de muliere, quæ dolores acerbos Dentium perpeſſa, medicamentis repellentibus & aliis non adjuta, tandem hac phlebotome mirabiliter eſt levata: Sunt autem, *inquit*, hæ venæ manifeſtæ, quæ tamen præmiſſa cephalicæ ſectione, ac materia jam digeſta, non vero cruda, ſunt aperiendæ. *Severinus Med. Effic. p.* 56.

XXVIII. Sola cartilago quæ in aure per tranſverſum extenditur, cauterizata, ſolet Dentium dolorem removere. *Lanfrancus.*

XXIX. De *extrahendo dente* non ſatis convenit inter veteres Medicos, quanquam magna pars vitioſum & corruptum extirpandum credidit: *Eraſiſtratus* non temere extirpandum putat, ejúſque rei teſtimonium adducit, quod apud Belgas, in templo Apollinis, ὀδοντάγρα, forceps dentarius, plombeus ſuſpenderetur, quo ſignificaretur non eſſe tollendum dentem niſi vacillet, ut plumbeo forcipe excludi poſſet, id eſt, nulla vi: Qui, ſi qua parte carioſus fuerit & vitioſus, vitium ſcalpro arreratur, relinquatur quod eſt ſanum, Ac revera non temerè evellendus eſt, ſed ſi corruptus, totus tabidus, vacillans, ſi nervi ſubjecti inflammatio, à qua periculum immineat: Sic enim excluſo dente liberatus nervus non apprimitur, ſed tranſpirat & remedia convenientia admittit: In corruptela videndum quanta ea ſit: aliquando enim ſuperficialis eſt, aut externa parte incedit, tunc pars quædam deciditur lima, radice incolumi. *Hollerius Perioche* 5. *Valeſcus de Taranta* non facile admittit Dentium extractionem, primo, Ob maſticationem, ſecundo, Quia Dente vno evulſo ſequatur fluxio ad alterum, & ſic continuo Dentes extrahendos eſſe, donec tandem homo ad ſolas offas & pulmenta redigatur, Verum etſi hoc ſuo modo concedi poſſit in dolore dentium à fluxione, & ubi per vaſa pluribus dentibus communias materia affluit, Tamen in dentibus corruptis, & præcipue ubi ex iis exeſis emanans ſanies in maxilla tubercula vel ulcus excitat, nulla alia curandi ratio eſt quam ſi Dens extrahatur: neque tum metus eſt ne vicinus dens corrumpatur, cum talis corroſio non ſit à fluxione recenti, ſed quæ jam diu ſæpe præteriit. *Sennertus.*

XXX. *Rondeletius* aquam fortem in cavitatem dentis carioſi immittit, quod tamen vix tutum puto, cum ab ea & vicinæ partes, & nervus denti infertus facile lędi poſſint. *Sennertus.*

XXXI. Infinitos in hoc coeli tractu videmus *dentium doloribus* excarnificatos, ob dentes corroſos & cavos: Ego cavitatem dentium terebinthina impleo, & cauterio actuali dentem inuro, feliciſſimo cum ſucceſſu. *Petr. Pachequus Obſervation.* 65.

XXXII. Contra *Dentium nigredinem* commendantur cinis Tabaci, Roriſmar. radix polypod. in aceto & ſpir. ſulph. macerata, rurſus exſiccata, quibus dentes fricantur, farina ſilicum. lapid. pumic. s, Oſſa ſepiæ piſcis cum corall. vel C. C. vſtis &c. Notandum tamen vbi tartarus dentium deeſt, medicamenta hæc non quottidie eſſe vſurpanda, quia Dentes mirum quantum abſumunt. *Frid. Hofman. m. m. l.* 1. *c.* 19

XXXIII. Interdum *Fungus oſſeus*, ex alveolo dentis enatus, ita excreſcit vt os repleat, tandémque ſuffocet, niſi provideatur per exciſionem & uſtionem. *Riolanus Encheir. p.* 309.

XXXIV. Uxor N. complexionis ſanguineæ, facie rubicunda, ingenti dolore dentium exagitata, conſilio cujuſdam Medici Ulmenſis, ſedens in ſolio aquarum calidarum, venam ſaphenam in pede dextro ſibi incidi curavit, ſanguinem ad animi vſque deliquium effluere permittens, cum ſubitaneo levamento. *Auguſt. Thonerus Obſerv.* 5. *lib.* 2.

DIABETES.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *non convenit.* 1.
Vomitus *quando conducit.* 2.
Purgatio *eſt utilis.* 8. 19.
Diuretica *an probanda.* 18.
Sudorifica *ſuſpecta.* 16.
Succedaneum ubi non operantur. 17.
Narcotica *utilia.* 7.
Adſtringentia *non ſemper conveniunt.* 10.
Nimia noxia. 13.
Curandus tonum ſanguini reſtituendo. 14.

Qui-

Quidam à refrigerato jecore oritur. 6.
Curatio in adoleſcente. 11.
In ſpurio non refrigerandum. 12.
Cydonia mala generant Diabetem. 5.
Balneum *an utile.* 4.
Potus non denegandus. 15.
Brevi curatus. 3.
Cito medendum. 9.
Cura Sylviana. 14. *a.*

I. SCribunt omnes ſi morbus ſit in principio *ſecandam eſſe venam*, Sed notandum affectum hunc cùm primum incipere videtur eſſe jam in ſtatu: quando enim potus non immutatus educitur, multò antea venæ totius corporis & jecur fuerunt inanita & exſiccata, ſed patientes non poſſunt principium & augmentum cognoſcere, quia hæc attractio eſt opus naturale, & dum ſit in venis tantum jecoris, eſt ſine ſenſu indigentiæ, propterea corpori moleſtiam non infert. Et cum eſt in ſtatu, tota humiditas ſeroſa quæ in venis, jecore & ventriculo continebatur, jam eſt abſumpta; alioquin neque ſitis, neque attractio rei potulentæ impermutatæ fieret: at verò in hoc caſu corpus jam eſt gracile, exſiccatum; Sanguinem mittere venis jam exſiccatis conſultum eſſe non duco: Neque quis objiciat evacuato ſero relinqui ſanguinem in venis, fateor relinqui ſanguinis portionem, ſed ubi deficit ſerum, neceſſario deficit & ſanguis nam ſerum ideo admiſcetur ſanguini, ut illum in omnes corporis partes diſtribuat; Tolle ſerum, tollitur diſtributio: adde quod cùm magna pars ſanguinis fiat ex re potulenta, ſi id quod bibimus ſtatim excernimus per lotium, non poteſt verti in ſanguinem: Itaque in vero Diabete numquam convenit ſanguinis miſſio, quicquid dicant alij. *Saxonia Prel. Pract.*

II. Si in ventriculo pituita ſalſa contineatur, quæ ad renes delata affectionem augeat; aut ſi biliosi ferantur ad ventriculum humores, quò ij divertantur à renibus *Vomitus* poteſt concedi, ex aqua hordei cum ſucco raphani, pulvere aſari aut ſimilibus, aliàs vomitus provocatus, ex ſententia *Aëtij*, largâ aquæ potione, ſtatim ab ipſo potu, inutilis eſt, quippe ſubita aſſumptio & rejectio os ventriculi tantùm refrigerabit & humectabit, ac nihil educet, nedum vis ad renes primariò affectos perveniet. *Idem.*

III. Vir 30. ann. poſt largiorem vini potum Diabete corripitur, cum calore intenſiſſimo, ſiti vehementi, urinæ profluvio tanto ut potum ultra triplum per urinam redderet, die æque ac noctu: At poſt venæ ſect. & ex frequenti uſu Tinct. corall. decocto plantag. præſertim miſturæ illa quam *Fr. Sylvius Prax.* lib. 1. cap. 30. §. 183. pro temperanda ſucci Pancreatici volatilitate habet, intra xv. dies malum remittebat. *A. Hermannus comm. miſc. Cur. anni* 1672. *Obſ.* 183. Vide §. 14. *a.*

IV. *Balneum aquæ dulcis* poteſt convenire, humectat enim corpus jam reſiccatum, præſertim ſi vi refrigerante donatum ſit: Mineralis autem & exſiccantis facultatis, nequaquam; in maraſmum enim ægrum promptè duceret; præſertim ſi ſit temperiei calidioris. *Saxonia.*

V. Memoratu dignum de Cydoniis, frigida & adſtrictoria facultate præditis, quod ſcribit *Paſcalius* in ſua Praxi, c. 50. ex eorum uſu *Alfonſum*, Neapolitanum Regem in Diabetem incidiſſe. *Saxonia.*

VI. Procedit aliquando ex nimia j[illegible] rigeratione, Et hoc animadvertite, quia à [illegible] notatum eſt, quod ſciam; Ratio perſuadet, nam ſi fiat hydrops, cur non poſſit fieri Diabetes? quando Jecur aquam gignit poteſt æque tranſmittere in renes ac in capacitatem abdominis. *Saxonia Prel. Pr.*

VII. In Diabete *Narcoticorum* uſus ſalubris, quia refrigerat, incraſſat humores tenues, motum impedit, ſomnum evocat; *Aëtius* adhibet augeſcente affectu, ſed non eſt extra rem vigente morbo exhibere, præmiſſis præmittendis. *Hagenius Tomo* 1. *Epiſt.* *l. l.* 12.

VIII. *Matthæus* ix. ad *Almanſ.* formidat *Pharmaca*, imò mitiſſima, ut roſaceum ſuccum, veritus ne ſucci acres ad renes, vi medicamenti tracti à renibus, eo tempore fortiter trahentibus, rapiantur: At ſi Diabetes à bilioſo acríque ſucco fovetur, cur mitia purgantia reſpuenda ſunt, quæ corpus non agitent, quod mitia non efficient: Et quanquam moverent, non ob id erunt rejicienda, nam juxta *Galen.* aphor. 24. *Non propter febrem purgationem adhibemus (hanc enim ſcimus ſua ratione nocituram) ſed ob humores illam facientes: Quare majorem oportet ex noxiorum humorum vacuatione fieri utilitatem, quam (id quod neceſſariò conſequitur) ex purgantibus medicamentis detrimentum.*

IX. Statim medicamenta exhibenda, quia homines ſæpe ob ſummam totius, præſertim hepatis, renum, generiſque venoſi caliditatem, in Tabem deducit; Ruſticum eo poteſt febrem ardentem correptum refrigerantibus & humectantibus, additis adſtringentibus & roborantibus, curavi, Inter alia emplaſtro quo totum corpus involuebatur. *Knoblochius in Aphor. p.* 409.

X. *Adſtrictoria* conveniunt, quo vaſa dilatata adſtringantur, ſed tantum morbo progreſſo, & quia retentrix etiam labefactatur: Arabes iis utuntur nulla notata temporis diſtinctione, noxia tamen futura ſunt initio, cum renes noxiam materiam adhuc contineant, & quia ſiccitatem augent, renúmque attractricem: latius eſt tunc temporis attemperantibus uti, & modice humectantibus. *Mercatus.*

XI. Ex urinæ profluvio primum me ipſum, poſt filiam adoleſcentem, & quotquot in manus venerunt, curavi, cùm in aliorum manibus omnes perierint, etſi primarii exiſtimarentur: Cum verò quendam coram aliquibus illorum una ferme die ſanaſſem, qui jam pene per menſem curatus non ſolum nihil profecerat, ſed pene interierat, admirabantur: Abſtinebam à purgantibus, Illi dabant: Abſtinebam à pinguibus, Illi ad eorum uſum hortabantur: Dabam uvas paſſas, admittebant, lentes non admittebant niſi inviti: Calidis utebar, Illi frigidis: Renibus adſtringentia imponebam, Illi verebantur ne concluſa vis aqua redondaret ad viſcera principaliora: Plumam detrahebam, hi non meminerant: Lavabam ſæpe pedes, & hoc negligebant: Vinum dabam album, id jure non convenire dicunt: Prohibebam à cibo exercitationem, ſomnum injungebam: hæc duo ſolum cum illis fuere communia præcepta: Cæterum poſt hæc inveni ad hujuſmodi affectum auxilium præſtantiſſimum, ſuccum radicis ejus quem ravanellum vocant, quo liberavi N. laborantem ex caſu ab equo ſanguinis mictu, paucis admodum diebus. *Hieron. Cardanus.*

XII. In ſpurio, per tranſmiſſionem, à refrigerantibus cavendum. *Capivaccius.*

XIII. Multum *adſtringentia* interius & exterius cavenda propter exſiccationem. *Mauh.*

de Gradi. Metuenda enim hectica: Ad ſpinam nimis frigida & adſtringentia reſpirationem offendunt. *Rondeletius.*

X I V. *a.* Si à Sale volatili, eóque *Acri*, aut forinſecus aſſumpto, admiſſóve, aut quocunque demum modo in corpore noſtro ſecreto, ac exiſtente, producatur Diabetes, vtique curatio ejus conſiſtet in prædicti Salis volatilis Acrioris contemperatione, tum per *Oleoſa*, Emulſiones puta hordei, amygd. dulc. ſemin. papav. albi, melon. cucumer. &c. per lac dulce vaccinum, ovillum, caprillum, humanum, aſininum &c. Tum per *Acida*, ſed per ſalem volatilem contemperata, ſpiritum ſalis dulcem &c. miſcendo illa cum potu conveniente, juſculis &c. non item cum prædictis Emulſionibus, aut Lacte, cum ab omni acido concreſcere ſoleant. *Fr. Sylvius Append. Tr. v. §. 339.*

X I V. *b.* Præcipuam & maxime crebram Diabetis cauſam in ſanguinis Miſtione Diſſoluta nimis & laxa conſiſtere credimus: ac pari ratione *διάρροιαν* minutam & debitó pauciorem in ſanguinis Compage nimis ſtricta: Si inquiritur cauſa hujus compagis laxæ & diſſolutæ, inque ſeroſitates deliqueſcere aptæ, dicimus hujus, ſicut & lactis, fuſionem ex eo procedere, quod cum in maſſa ejus ſales diverſæ indolis conveniunt & aſſociantur, reliquæ particulæ ſalinis (quæ eas ab invicem ſejungunt, & in mixtione continent) liberatæ ſtatim in partes ſecedunt: Plane autem conſtat maſſæ ſanguineæ particulas ſalino fixas & volatiles naturaliter ſemper ineſſe, quibus ſi quando ſal acidus, ſeu ſinore potitus, ſatis ubertim accedat, prædictam affectionem facile excitabit: Hinc eſt quod vinum Rhenanum &c. & liquores acidi epoti, *διάρροιαν* copioſiorem provocant: propterea item in quibuſdam valetudinariis, quorum ſanguis ſale acido abundat, medicamenta ſale fixo aut volatili prædita urinam movere ſolent. Pharmaca Adſtringentia proprie dicta, nimirum auſtera, acerba, & ſtyptica, quæ viſcerum fibras corrugando, inque ſpatium brevius contrahendo, vim illorum expultricem & excretoriam ſiſtunt, proindéque *ἄνω ἢ κάτω* catharſim impediunt, etſi vulgo præſcribi ſolita pro diureſi cohibenda, parum aut nihil efficiunt, quippe horum virtus in maſſa ſanguinea nihil valet, atque illa ad renes & veſicam minime pertingit: Quare in Diabete fruſtra eſt quod cortices granatorum, balauſtia, fructus meſpilorum, rad. tormentillæ & ſimilia præſcribuntur, uti ratio hoc dictitat, ita experientia confirmat: Quæ autem maxime juvare deprehenduntur, atque hypotheſi noſtræ ſatis exacte quadrant, Alia ſunt quæ ſalium combinationes, & conſequenter ſanguinis fuſionem, impediunt, cujuſmodi ſunt quæ vulgo incraſſantia dicta particulas viſcoſas & glutinuſas habent, quæ in maſſam ſanguineam admiſſæ, particulis eius actiuis pertinaciter adhærent, eáſque diſſociant, & ne mutuo inter ſe, & cum ſalinis aliunde ſuffuſis combinentur inhibent, *Alia* quæ ſalium accretiones diſſolvunt, proindéque ſanguinis miſtionem reſtituunt, cujuſmodi ſunt alterius indolis Salina, quæ ſali acido cohærere, ipſumque adeo à combinationibus, intra ſanguinem initis, avocare apta exiſtunt, uti imprimis ſunt medicamenta ſale fixo, nec non volatili ac alchaliſato prædita: Præter bina hæc primaria Antidiabeticorum genera, extat aliud ſecundarium, ſcilicet hypnoticum, quod ſç. œconomiæ animali ſufflamen ponendo, regimen vitale multo ſedatius, proindéque cum minori ſanguinis fuſione, aut ſeroſi nutritiique humoris præcipitatione peragi facit. *Willis Pharmac. Rat. cap. 3. ſect. 4. ubi curati exemplum.*

X V. Sitis eſt cavenda, *Tilemannus aphor.* 105. Imo bibenda liberaliter aqua frigidiſſima, providendo ne calor nativus nimio potu obruatur: *Duretus in Hollerium l. 1. c. 53.*

X V I. Arabes laudant uſum medicamenti *Sudorifici*, vt divertant materiam à renibus in ambitum corporis. Sed hæc operatio mihi ſuſpecta, Etenim vel in corporis ambitum ducere volunt ſeroſitatem jam in jecore contentam, aut rem potulentam nuper ebibitam: Serum perfectum non poſſunt educere, quia in venis non adeſt, cum ſint exſiccatæ: In jecore non fit, igitur attrahent rem immutatam, potulentam ſcilicet: In jecore enim ſerum non retinetur; ſed multo deterius eſt potiones immutatas diſtribui in omnes venas & habitum corporis quam per lotium ſtatim educi. *Saxonia Prælect. Practic. part. 2. cap.* 34. Præmiſſis lenientibus &c. Sudores prolectari ſolent à quibuſdam in balneo tepentis aquæ, licet hoc tempore melius in lecto cucurbitis aqua plenis id ſuccedat, Aliqui vero præbent decoctum pentaphyli & chinæ, *Verum conſultius duco ut ſumpta ʒj. cornu C. Philoſoph. præparati bibat, juxta Paulum, copioſam gelidam aquam, & ſtatim in lecto calido cooperiatur æger, cucurbitis ad latera aqua calidiſſima repletis. *Fortis conſult. 1. cent. 4.*

X V I I. Si *Sudor* facile non procedat, & patiens ab æſtu tum ſtrati, tum cucurbitularum divertat, ad *incraſſantia, contemperantia* & *adſtringentia*; imo cæteris non juvantibus ad *narcotica*, deveniendum: Atque adeo in uſum revocetur *lac coctum*, de quo *Zacutus* affirmat ſe deploratos ſanitati reſtituiſſe ſpatio vnius menſis, potu lactis aſinini chalybeati, & Philonio Romano vel Perſico per intervalla ſumptis. *Fortis.* Facta deterſione opus eſt refrigerare & demulcere humoris acrimoniam, Id præſtat uſus lactis aſinini. *Saxonia.*

X V I I I. Præmiſſa revulſione & evacuatione per alvum, *quædam diuretica*, frigida & humida, ſubinde abſterſoria & epicæraſtica conveniunt: Sunt hæc primo ſerum lactis, in quo, vbi opus eſt abſterſione, incoquatur hordeum cum cortice capparum & ſiliquis fabarum: Si opus majore abſterſione, addatis etiam amygdalas amaras, aut lupinos, aut ervum, nam hæc valenter detergunt: facta deterſione refrigeranda & mulcenda humoris acrimonia: Reprobant quidem omnes quæ urinam movent, frigida & calida, Sed ſi ſunt affecti renes, ſalſo & acri humore imbuti, qui fieri poteſt vt impacta materia expurgari poſſit niſi vrinam moventibus vtamur? *Galenus* quidem 13. method. cap. 12. prohibet ea affectis renibus, ſed hoc tantum intelligit, non eſſe ducendos humores qui alibi ſunt in illum locum; Nulli tamen docuit impactum humorem per eundem locum non eſſe ducendum. *Idem.* Sic vomitum vomitus curat, excitatum ab impacto ventriculo humore; Sic diarrhœam purgatio ſiſtit.

X I X. In Diabete exquiſito, per attractionem lotij facto, *Caſſia* confert, *Capivaccius*, At clyſterem lenienti per os exhibito præfert *Matth. Iradi.* Is tamen refrigerans non ſemper conducit, *Capivaccius.* Tamarindi quantitate mediocri conveniunt, omiſſis pulver. diureticis. *Idem.* Manna

&

& dulcia quævis omittenda, quæ in calidis affecti-bus in bilem vertuntur, *Theodor. Baronius de Oper. meteuds lib. 2. cap. 5.* Myrobal. citrini potos adſtringunt, & ſoluto ventre exaſperant viſcera, ideóque poſt integram coctionem primum conveniunt. *Idem.*

DIARRHOEA.

SYLLOGE.

Alvi fluor imperfectus an juvandus. 5.
An purgandum. 6.
Temere non ſiſtendus. 1.
An Vomitu *curandus.* 2.
An ſanguinis miſſione *ſiſti poſſit.* 3.
Tori interdum conſulendum. 22.
An ſemper adſtringentibus *admotis ſiſtatur.* 18.
An ſine adſtringentibus ſiſti poſſit. 7.
An per frigida admota poteſt cohiberi. 19.
An narcotica *admovenda.* 10.
An Balneum *ſiſtat.* 17.
Quando ſiſtendus. 24. *b.*
Diaphoreticis *quidam curandus.* 23.
Biliosi an Lac. 9.
An ubi ſpumoſæ dejectiones *capitis ſemper ratio habenda.* 8.
Diarrhoea cerebralis, *aut Vomitus, an detur.* 29.
Sinapiſmo *capiti adhibito ſanatur.* 28.
Meſenterici *curatio.* 4.
A meſentericis vaſis ortis, & illi qui à lacteis, non eadem debetur curatio. 11.
In colliquativo fluxu *ad cauſam præſertim reſpiciendum.* 15.
In fluxu colliquativo non utendum purgantibus adſtrictionem relinquentibus. 12.
Fluxus ille adſtringentibus non curandus. 13.
Fluor malignus *aliter ac vulgaris curandus.* 14.
Scorbuticus *adſtringentibus non curandus.* 16.
Aperientibus fluxus curatus. 24. 4.
A ventriculi tono diſſoluto quomodo curandus. 25.
Bilioſus *ſemicupio ſedatus.* 26.
Ex debilitate unius brachij ortus, roborantibus ſanatur. 27.
Cum tuſſi complicati curatio. 31.
Cum lue Venerea. 32.
Sanguineus *non omnis cohibendus.* 30.
Potu aquarum mineralium *cohibitus.* 20.
Confectio kermeſina ſuſpecta. 21.
Ab acidis & dulcibus cavendum. 33.
Venus *quibus conveniat.* 34.
Adſtringentes cibi præaſſumpti an adſtringant. 35.

I. CAſus qui contigit *Stimargi uxori, quæ poſt ventris perturbationem paucorum dierum, cum multum curaſſet ſiſtere, abortum fœtus quadrimeſtris ejecit, & à corruptione ſana facta immunis*, Nos admonet quantum periculi eſſe ſoleat in ſiſtendo alvi profluvio: Ea mulier cum utero gereret, meritò multa & prava excrementa collegerat primis menſibus, unde factum eſt ut proxima quarto menſi, alvi profluvio corriperetur; quod quidem magnum erat abortus periculum: nam niſi ſiſteretur, irritatione inteſtinorum, utero vicinorum, aut ſubtracto foetu alimento, abortus imminebat periculum: atque hoc forte timore Medicus aliquis ſiſtendum omni ratione curavit, & cum nondum eſſet purgatum corpus, hoc enim evenit, nam converſa ſunt excrementa ad uterum: Quoniam verò non minus eſt periculum niſi ſiſtatur antequam nimius fiat, conſiderare cautè oportet in omni fluxu, an movendus magis, an permittendum ut fluat: Scopi vero in hac conſultatione ſunt Conferentia, Tolerantia, & Modus fluendi: nam ſi cum conferentia & tolerantia bene fluit, permittendum tantum: Si cùm illis tamen lentè fluit, Movendum: Si ſine illis, Siſtendum. *Valleſius lib. 2. Epidemion. ſect. 2. Intempeſtivè ſuppreſſa diarrh. exemplum vide apud Fernelium Pathol. l. 6.*

II. Si communicetur materia à ventriculo, vel primario humorem gignente, vel a cerebro inſcipiente, convenit *Vomitus*, revellitur enim materia, & vacuatur per locum decentem, juxta aphor. 6. 15. Vomitoria autem non debent oleoſa eſſe aut pinguia. Si materia in meſaraicis continetur, non ſunt tentanda, quia ex *Hippocrat.* & *Galen.* 4. aphor. 12. quæ in inteſtinis ſunt vomitu non debent excludi: at materiæ iſtæ aut continentur in inteſtinis, aut in venis magis diſtantibus a ventriculo quàm ſint inteſtina: at hæc fluxu laborantia debilia ſunt, ideo ſuſcipient fluxionem & fluxus augebitur: Deinde quæ in venis continentur, ſive lienis, ſive ſimæ jecoris, aut alijs propinquis partibus, neceſſariò putria ſunt, calida, corrupta, quæ ſatius ad inteſtina ignobilia quam ad os ventriculi nobile & ſenſile ducere. *H. Saxonia Prælection. Practic. part. 2. cap. 18.*

III. Etſi videtur in hoc affectu formidabilis *vena ſectio*, tamen prodeſt interdum, ubi bilis efferata per alvum educitur, quæ calida & ſicca jecoris intemperie perpetuo nova gignitur, *Enchiridij Medico Practici pagina 254. cap. de Diarrhoea*; Si Diarrhoea contingat cum ſanguinis redundantis indiciis & robore virium, phlebotomia initio celebranda eſt: at ſi febris adfuerit, ſanguis detrahendus etſi nulla plethora appareat. *Riverius.* Si fluxus fiat exiſtente plenitudine aut cacochymia in venis communibus, hic labor eſt, nam primo omnia adſtrictoria ſunt ſuſpecta, quòd prohibeatur fluxio à parte nobiliore ad ignobiliorem, cohibita enim materia in venis communibus, febris & putredinis certum periculum imminet: Secundo, Purgantia nocent, quia jam alvus plus juſto fluit, quæ ſcilicet materiam alimentalem, quæ in ventriculo & inteſtinis continetur, ſecum ducit: Nec tertio conveniunt vomitoria, primo, Quia priuſquam ea materia trahatur ad ventriculum, pervenit ad inteſtina, quæ utpote jam debiliora fluxionem prius quàm ventriculus ſuſcipient: ſecundo, Illicitum eſt per partem adeo ſenſilem humores ducere. Ego in hac venarum plenitudine ante omnia laudo aliquam ſanguinis miſſionem, primo, quia partem materiæ ſimul cum ſanguine educit, ſunt enim humores omnes ſimul mixti: ſecundo, Revulſio fit ab inteſtinis ſine periculo, neque enim materia quæ vacuatur, in alium locum transfertur, quod pleræque revulſiones faciunt: Tertio, Hæc venæ ſectio expugnat cauſam augentem ipſum humorem, qui confluit ad inteſtina; nam in plenitudine adeſt intemperies calida & humida, venæ autem ſectio refrigerat & ſiccat: ideo *Galenus* 7. method. x. in omnibus fluxionibus ad ventriculum, inquit corpus aut vacuandum (ſcilicet per ſanguinis miſſionem quam contra diſtinguit a purgatione) aut purgandum. *Idem* 5. method. 3. in fluxibus alvi ad revulſionem

de Gradi. Metuanda enim hectica: Ad ſpinam nimis frigida & adſtringentia reſpirationem offendunt. *Rondeletius.*

X I V. *a.* Si à Sale volatili, eóque *Acri*, aut forinſecus aſſumpto, admiſſóve, aut quocunque demum modo in corpore noſtro ſecreto, ac exiſtente, producatur Diabetes, vtique curatio ejus conſiſtet in prædicti Salis volatilis Acrioris contemperatione, tum per *Oleoſa*, Emulſiones puta hordei, amygd. dulc. ſemin. papav. albi, melon. cucumer. &c. per lac dulce vaccinum, ovillum, caprillum, humanum, aſininum &c. Tum per *Acida*, ſed per ſalem volatilem contemperata, ſpiritum ſalis dulcem &c. miſcendo illa cum potu conveniente, juſculis &c. non item cum prædictis Emulſionibus, aut Lacte, cum ab omni acido concreſcere ſoleant. *Fr. Sylvius Append. Tr. v.* §. 339.

X I V. *b.* Præcipuam & maxime crebram Diabetis cauſam in ſanguinis Miſtione Diſſoluta nimis & laxa conſiſtere credimus: ac pari ratione *διούρησιν* minutam & debitó pauciorem in ſanguinis Compage nimis ſtricta: Si inquiritur cauſa hujus compagis laxæ & diſſolutæ, inque ſeroſitates deliqueſcere aptæ, dicimus hujus, ſicut & lactis, fuſionem ex eo procedere, quod cum in maſſa ejus ſales diverſæ indolis conveniunt & aſſociantur, reliquæ particulæ ſalinis (quæ eas ab invicem ſejungunt, & in mixtione continent) liberatæ ſtatim in partes ſecedunt: Plane autem conſtat maſſæ ſanguineæ particulas ſalino fixas & volatiles naturaliter ſemper ineſſe, quibus ſi quando ſal acidus, ſeu ſluore potitus, ſatis ubertim accedat, prædictam affectionem facile excitabit: Hinc eſt quod vinum Rhenanum &c. & liquores acidi epoti, *διούρησιν* copioſiorem provocant: propterea item in quibuſdam valetudinariis, quorum ſanguis ſale acido abundat, medicamenta ſale fixo aut volatili prædita urinam movere ſolent. Pharmaca Adſtringentia proprie dicta, nimirum auſtera, acerba, & ſtyptica, quæ viſcerum fibras corrugando, inque ſpatium brevius contrahendo, vim illarum expultricem & excretoriam ſiſtunt, proindeque *ἄνω* & *κάτω* catharſim impediunt, etſi vulgo præſcribi ſolita pro diureſi cohibenda, parum aut nihil efficiant, quippe horum virtus in maſſa ſanguinea nihil valet, atque illa ad renes & veſicam minime pertingit: Quare in Diabete fruſtra eſt quod cortices granatorum, balauſtia, fructus meſpilorum, rad. tormentillæ & ſimilia præſcribuntur, uti ratio hoc dictitat, ita experientia confirmat: Quæ autem maxime juvare deprehenduntur, atque hypotheſi noſtræ ſatis exacte quadrant, Alia ſunt quæ ſalium combinationes, & conſequenter ſanguinis fuſionem, impediunt, cujuſmodi ſunt quæ vulgo incraſſantia dicta particulas viſcoſas & glutinoſas habent, quæ in maſſam ſanguineam admiſſæ, particulis eius activis pertinaciter adhærent, eáſque diſſociant, & ne mutuo inter ſe, & cum ſalinis aliunde ſuffuſis combinentur inhibent, *Alia* quæ ſalium accretiones diſſolvunt, proindéque ſanguinis miſtionem reſtituunt, cujuſmodi ſunt alterius indolis Salina, quæ ſali acido cohærere, ipſumque adeo a combinationibus, intra ſanguinem initis, avocare apta exiſtunt, uti imprimis ſunt medicamenta ſale fixo, nec non volatili ac alchaliſato prædita: Præter bina hæc primaria ἀντιδιαβητικῶν genera, extat aliud ſecundarium, ſcilicet hypnoticum, quod ſç. œconomiæ animali ſufflamen ponendo, regimen vitæ multo ſedatius, proindéque cum minori ſanguinis fuſione, aut ſeroſi nutritiique humoris præcipitatione peragi facit. *Willis Pharmac. Rat. cap. 3. ſect. 4. ubi curati exemplum.*

X V. Sitis eſt cavenda, *Tilemannus aphor.* 105. Imo bibenda liberaliter aqua frigidiſſima, providendo ne calor nativus nimio potu obruatur: *Duretus in Hollerium l. 1. c. 53.*

X V I. Arabes laudant uſum medicamenti *Sudorifici*, vt divertant materiam à renibus in ambitum corporis. Sed hæc operatio mihi ſuſpecta, Etenim vel in corporis ambitum ducere volunt ſeroſitatem jam in jecore contentam, aut rem potulentam nuper ebibitam: Serum perfectum non poſſunt educere, quia in venis non adeſt, cum ſint exſiccatæ: In jecore non fit, igitur attrahent rem immutatam, potulentam ſcilicet: In jecore enim ſerum non retinetur; ſed multo detectius eſt potiones immutatas diſtribui in omnes venas & habitum corporis quam per lotium ſtatim educi. *Saxonia Prælect. Practic. part. 2. cap.* 34. Præmiſſis lenientibus &c. Sudores prolectari ſolent à quibuſdam in balneo tepentis aquæ, licet hoc tempore melius in lecto cucurbitis aqua plenis id ſuccedat, Aliqui vero præbent decoctum pentaphyli & chinæ, *Verum conſultius duco ut ſumpta ℨ j. cornu C. Philoſoph. præparati bibat, juxta Paulum, copioſam gelidam aquam, & ſtatim in lecto calido cooperiatur æger, cucurbitis ad latera aqua calidiſſima repletis. *Fortis conſult. t. cent.* 4.

X V I I. Si *Sudor* facile non procedat, & patiens ab æſtu tum ſtrati, tum cucurbitularum divexetur, ad *incraſſantia*, *contemperantia* & *adſtringentia*; imo cæteris non juvantibus ad *narcotica*, deveniendum: Atque adeo in uſum revocetur *lac coctum*, de quo *Zacutus* affirmat ſe deploratos ſanitati reſtituiſſe ſpatio vnius menſis, potu lactis aſinini chalybeati, & Philonio Romano vel Perſico per intervalla ſumptis. *Fortis.* Facta deterſione opus eſt refrigerare & demulcere humoris acrimoniam, Id præſtat uſus lactis aſinini. *Saxonia.*

X V I I I. Præmiſſa revulſione & evacuatione per alvum, *quædam diuretica*, frigida & humida, ſubinde abſterſoria & epiceraſtica conveniunt: Sunt hæc primo ſerum lactis, in quo, vbi opus eſt abſterſione, incoquatur hordeum cum cortice capparum & ſiliquis fabarum: Si opus majore abſterſione, addatis etiam amygdalas amaras, aut lupinos, aut ervum, nam hæc valenter detergunt: facta deterſione refrigeranda & mulcenda humoris acrimonia: Reprobant quidem omnes quæ urinam movent, frigida & calida, Sed ſi ſunt affecti renes, ſalſo & acri humore imbuti, qui fieri poteſt vt impacta materia expurgari poſſit niſi vrinam moventibus vtamur? *Galenus* quidem 13. method. cap. 12. prohibet ea affectis renibus, ſed hoc tantum intelligit, non eſſe ducendos humores qui alibi ſunt in illum locum; Nulli tamen docuit impactum humorem per eundem locum non eſſe ducendum. *Idem.* Sic vomitum vomitus curat, excitatum ab impacto ventriculo humore; Sic diarrhoeam purgatio ſiſtit.

X I X. In Diabete exquiſito, per attractionem lotij facto, *Caſſia* confert, *Capivaccius*, At clyſterem lenienti per os exhibito præfert *Matth. de Gradi.* Is tamen refrigerans non ſemper conducit, *Capivaccius.* Tamarindi quantitate mediocri conveniunt, omiſſis pulver. diureticis. *Idem.* Manna

&

& dulcia quævis omittenda, quæ in calidis affectibus in bilem vertuntur, *Theodor. Baronius de Oper. meiendi lib. 2. cap. 5.* Myrobal. citrini potos adſtringunt, & ſoluto ventre exaſperant viſcera, ideoque poſt integram coctionem primum conveniunt. *Idem.*

DIARRHOEA.

SYLLOGE.

Alvi fluor imperfectus an juvandus. 5.
An purgandum. 6.
Temere non ſiſtendus. 1.
An Vomitu *curandus.* 2.
An ſanguinis miſſione *ſiſti poſſit.* 3.
Toti interdum conſulendum. 22.
An ſemper adſtringentibus *admotis ſiſtatur.* 18.
An ſine adſtringentibus ſiſti poſſit. 7.
An per frigida admota poteſt cohiberi. 19.
An narcotica *admovenda.* 10.
An Balneum *ſiſtat.* 17.
Quando ſiſtendus. 24. *b.*
Diaphoreticis *quidam curandus.* 23.
Bilioſo an Lac. 9.
An ubi ſpumoſæ dejectiones *capitis ſemper ratio habenda.* 8.
Diarrhoea cerebralis, *aut Vomitus, an detur.* 29.
Sinapiſmo *capiti adhibito ſanatur.* 28.
Meſenterici *curatio.* 4.
A meſentericis vaſis orti, & illi qui à lacteis, non eadem debetur curatio. 11.
In colliquativo fluxu *ad cauſam præſertim reſpiciendum.* 15.
In fluxu colliquativo non utendum purgantibus adſtrictionem relinquentibus. 12.
Fluxus ille adſtringentibus non curandus. 13.
Fluor malignus *aliter ac vulgaris curandus.* 14.
Scorbuticus *adſtringentibus non curandus.* 16.
Aperientibus fluxus curatus. 24. *a.*
A ventriculi tono diſſoluto quomodo curandus. 25.
Bilioſus *ſemicupio ſedatus.* 26.
Ex debilitate unius brachij ortus, roborantibus ſanatur. 27.
Cum tuſſi complicati curatio. 31.
Cum lue Venerea. 32.
Sanguineus *non omnis cohibendus.* 30.
Potu aquarum mineralium *cohibetus.* 20.
Confectio kermeſina ſuſpecta. 21.
Ab acidis & dulcibus cavendum. 33.
Venus *quibus conveniat.* 34.
Adſtringentes cibi præaſſumpti an adſtringant. 35.

I. CAſus qui contigit *Stimargi uxori, quæ poſt veneris perturbationem paucorum dierum, cum multum curaſſet ſiſtere, abortum fatus quadrimeſtris ejecit, & à corruptione ſana facta evaſit*, Nos admonet quantum periculi eſſe ſoleat in ſiſtendo alvi profluvio: Ea mulier cum utero gereret, meritò multa & prava excrementa collegerat primis menſibus, unde factum eſt ut proxima quarto menſi, alvi profluvio corriperetur; quod quidem magnum erat abortus periculum: nam niſi ſiſteretur, irritatione inteſtinorum, utero vicinorum, aut ſubtracto foetu alimento, abortus imminebat periculum: atque hoc forte timore Medicus aliquis ſiſtendum omni ratione curavit, & cum nondum eſſet purgatum corpus, hoc enim evenit, nam converſa ſunt excrementa ad uterum; Quoniam verò non minus eſt periculum niſi ſiſtatur antequam nimius fiat, conſiderare cautè oportet in omni fluxu, an movendus magis, an permittendum ut fluat: Scopi verò in hac conſultatione ſunt Conferentia, Tolerantia, & Modus fluendi: nam ſi cum conferentia & tolerantia bene fluit, permittendum tantum: Si cùm illis tamen lentè fluit, Movendum: Si ſine illis, Siſtendum. *Valleſius lib. 2. Epidemion. ſect. 2. Intempeſtivè ſuppreſſa diarrh. exemplum vide apud Fernelium Pathol. l. 6.*

II. Si communicetur materia à ventriculo, vel primario humorem gignente, vel a cerebro inſcipiente, convenit *Vomitus*, revellitur enim materia, & vacuatur per locum decentem, juxta aphor. 6. 15. Vomitoria autem non debent oleoſa eſſe aut pinguia. Si materia in meſaraicis continetur, non ſunt tentanda, quia ex *Hippocrat. & Galen.* 4. aphor. 12. quæ in inteſtinis ſunt vomitu non debent excludi: at materiæ iſtæ aut continentur in inteſtinis, aut in venis magis diſtantibus a ventriculo quàm ſint inteſtina: at hæc fluxu laborantia debilia ſunt, ideo ſuſcipient fluxionem & fluxus augebitur: Deinde quæ in venis continentur, ſive lienis, ſive ſimæ jécoris, aut alijs propinquis partibus, neceſſariò putria ſunt, calida, corrupta, quæ ſatius ad inteſtina ignobilia quam ad os ventriculi nobile & ſenſile ducere. *H. Saxonia Prælection. Practic. part. 2. cap. 18.*

III. Etſi videtur in hoc affectu formidabilis *venæ ſectio*, tamen prodeſt interdum, ubi bilis effera per alvum educitur, quæ calida & ſicca jecoris intemperie perpetuo nova gignitur, *Enchiridij Medico Practici pagina 254. cap. de Diarrhoea*; Si Diarrhoea contingat cum ſanguinis redundantis indiciis & robore virium, phlebotomia initio celebranda eſt: at ſi febris adſuerit, ſanguis detrahendus etſi nulla plethora appareat. *Riverius.* Si fluxus fiat exiſtente plenitudine aut cacochymia in venis communibus, hic labor eſt, nam primo omnia adſtrictoria ſunt ſuſpecta, quòd prohibeatur fluxiu à parte nobiliore ad ignobiliorem, cohibita enim materia in venis communibus, febris & putredinis certum periculum imminet: Secundo, Purgantia nocent, quia jam alvus plus juſto fluit, quæ ſcilicet materiam alimentalem, quæ in ventriculo & inteſtinis continetur, ſecum ducit: Nec tertio conveniunt vomitoria, primo, Quia priuſquam ea materia trahatur ad ventriculum, pervenit ad inteſtina, quæ utpote jam debiliora fluxionem prius quàm ventriculus ſuſcipient: ſecundo, Illicitum eſt per partem adeo ſenſilem humores ducere. Ego in hac venarum plenitudine ante omnia laudo aliquam ſanguinis miſſionem, primo, quia partem materiæ ſimul cum ſanguine educit, ſunt enim humores omnes ſimul mixti: ſecundo, Revulſio fit ab inteſtinis ſine periculo, neque enim materia quæ vacuatur, in alium locum transfertur, quod pleræque revulſiones faciunt: Tertio, Hæc venæ ſectio expugnat cauſam augentem ipſum humorem, qui confluit ad inteſtina; nam in plenitudine adeſt intemperies calida & humida, venæ autem ſectio refrigerat & ſiccat: ideo *Galenus* 7. method. x. in omnibus fluxionibus ad ventriculum, inquit corpus aut vacuandum (ſcilicet per ſanguinis miſſionem quam contra diſtinguit a purgatione) aut purgandum. *Idem* 5. method. 3. in fluxibus alvi ad revulſionem

inquit ducendos humores eſſe ad uterum, quod ipſum eſt quod docuit 7. method 11. fluxiones aliquando ad ventrem ferri ob ſuppreſſos menſes aut hæmorrhoidas, aut membrum mutilatum, aut aliam ſuppreſſam excretionem: quo in caſu fluxus curatio eſt revocatio menſium, apertio hæmorrhoidum, brevi conſuetæ ſuppreſſionis revocatio. Ideo *Avicenna* 16. 3. tractat. 2. cap. de Diarrhoea ex vitio Lienis, ait ſi opus fuerit miſſione ſanguinis in hac Diarrhoea, mittendum eſſe, ſi licet in hac, quidni & in bilioſa & atrabilari cum plenitudine totius? Objicitur *Galeni* locus ad Glauconem 14. & alter 4. acutor. 116. *Fluente alvo ſanguinem non detrahes, nam ſi poſt detractionem perſeveret fluor, virtutem proſternes &c.* Sed ibi loquitur de febrium accidentibus, inter quæ eſt fluxus alvi, qui ſi incipiat cum febribus ipſis, neque ego facile ſuadeo ſectionem venæ, cum natura in febribus ipſis, ſive critico modo expellat, non eſt impedienda; ſive ſymptomaticè, non eſt irritanda: Sed extra febres alia eſt ratio, cum non ſit neceſſe id fieri critico modo; ſed, vt nunc ſupponimus, natura deponente plenitudinem totius corporis (quæ continuò fovetur à calida & humida temperie) in hunc imbecillem locum, vt ſi plenitudo non minuatur, ſi temperies non alteretur, nunquam ceſſaturus ſit fluxus. *Saxonia Prælection. Practicar. pag. 243. Vide fusè de hac quæſtione differentem, & affirmativam adſtruentem, plurimiſque exemplis confirmantem Botallum lib. de curatione per ſanguinis miſſionem cap. 4. Zacutum de Medic. Princ. hiſtor. lib. 2. hiſtor.* 81. *ubi exemplum juvenis bilioſâ diarrhœâ laborantis ſalvatellæ ſectione curati &c.*

IV. Diarrhoeæ à materia in meſentericis vaſis contentâ difficile eſt mederi: huic neque conveniunt vomitoria, neque adſtrictoria, neque diuretica, neque revellentia ad ambitum corporis. Non Vomitoria, ob rationes allatas §. 81. Non Adſtrictoria, nam ſi materia prava & corrupta jam circa venas iſtas eſt collecta, ea fluxionem impedient, ac in parte vel tumorem, vel obſtructionem aliquam excitabunt: ideo 13. meth. 14. prohibentur initio inflammationis jecoris adſtrictoria, ne retentis humoribus inflammatio augeatur. Non Diuretica, quod videtur paradoxon, quia *Galen.* 5. meth. 3. & 13. meth. 11. Docet *laborantibus inteſtinis humores ducendos eſſe ad urinas*, & ob aphor. vltimum 4. ſect. Rationem ſumo ex *Galen.* 7. meth. 11. qui univerſalem tradens rationem curandarum fluxionum, docet *nunquam eſſe deferendos humores a partibus minus momentaneis ad magis momentaneas*: E prioribus ſunt inteſtina, quæ ampla, & copiam qualitatémque humorum abſque inſigni moleſtia ferre conſueverunt: E poſterioribus, Jecur, venæ, renes, veſica, quæ omnes anguſtis viis præditæ, ut & colluvies, & acrimonia, aut calculos, aut vlcera, dyſuriam, aut ſtranguriam gignere poſſunt. Et eò præſertim quod humoribus vltra gibbam jecoris partem exiſtentibus, datum eſt inteſtinum ipſum tanquam locus ad purgationem accommodatus: Neque ducendi hi humores ad ambitum corporis, cum non poſſint eò migrare niſi per jecur & venas communes, partes momentaneas: Neque ferenda plurimorum ſententia; qui locis à quibus fluxio incipit, quanquam nobiles fuerint, ad revulſionem cucurbitulas adhibent, vt ſi à jecore fit fluxio, jecori, ſi à liene, lieni; ſic enim non modò retinetur materia ibi congeſta, ſed & è propinquis nova allicitur. Quid igitur agendum? Tria ſunt præſtanda, Primo, Vacuanda eſt materia per alvum, clyſteribus aut medicamentis adſtrictoriis: Secundo, Si tenuis ſit & calida, incraſſanda & refrigeranda, Tertio, Expugnandi morbi ob quos generatur. *H. Saxonia Prælection. Practic. capite de Diarrhoea.*

V. *Galenus* 1. ad Glaucon. 14. generalem videtur conſtituiſſe regulam, quod ſi fluxus non fuerit pro multitudinis ratione, nil innovetur; aiens illos qui aliquid tentare voluerunt, vel ſanguinem mittentes, vel alvum ſubducentes, in graviora pericula patientes conjeciſſe. Huic axiomati non acquieſco, ſed rem per quaſdam concluſiones dirimo. Prima eſt, Fluxum verè ſymptomaticum, licet imperfectum, nunquam eſſe juvandum: propriè ſymptomaticus fluor ille eſt, in quo educitur materia quæ morbum non facit, quæ longè eſt à morbi natura aliena, at cum non ea excernuntur quæ morbum faciunt, morbum non juvant & vires deiiciuntur: hinc *Galen.* aphor. 47. *Excretiones quæ morbum non juvant ſemper ſunt exitiales*: Et quia fit magna ex parte ut ejuſmodi excretiones accidant morborum initiis, hinc factum vt *Galen.* pluribus in locis excretiones tunc factas, vt inutiles & pernitioſas, nec admittendas, nec juvandas cenſeat. Sed datur excretio, etiam in principiis, quæ morbo eſt proportionata, in quo talia dejiciuntur qualia oportet, hæc vocatur ſymptomatica ratione temporis, non eſt talis ratione excretis, quia talia deiiciuntur qualia oportet: Hæc igitur ſi imperfecta, juvari poterit, monente *Galen.* comment. 5. 3. in 1. Epidem. quò in loco cum videret *Hippocrat.* 5. die laviſſe caput Meroni, ut ſanguinem è naribus imperfectè fluentem juvaret, ſcribit hoc exemplo nos docuiſſe *Hippocrat.* excretiones imperfectas etiam in principiis eſſe juvandas: quod & ratio ſuadet è *Galen.* 1. aphor. 23. ſumpta, *Sicut qualitas qualitati, ita quantitas quantitati reſpondeat*: Ideo cum talia dejiciuntur qualia expedit, quanquam initio, dummodo imperfecta ſit, purgatione adjuvari debet, Confirmatur, Si initio licet materiam turgentem educere, materia turgens non tantum eſt illa quæ ad excretionis loca movetur, & tamen nullomodo educitur; ſed etiam eſt illa quæ tendit ad excretionis loca, & incipit excerni, ſed non quantum expedit: igitur omnino eſt juvanda: Ad *Galen.* qui prohibet hæc fieri, dico prohibuiſſe illam, quia ſuo tempore benigna remedia & facultate adſtrictoria prædita non inveniebantur, quæ nobis hoc tempore conceſſa, ac tutò adminiſtrari poſſunt, Tertia concluſio: Si excretio critica fuerit, ſed imperfecta, aut fit in die critico principali, cum omnibus ſignis optimæ criſis; tunc licet imperfecta videatur, non eſt tamen juvanda: fieri enim vix, ac ne vix quidem poteſt, quin natura cum omnibus optimæ criſis ſignis, in die decretorio præcipuo integram faciat excretionem: Si autem dies decretoria principalis non ſit; aut omnia criſis ſigna abſoluta & perfecta non adſint, tunc conſiderandum vtrum adſit aliquid periculi fluxionis materiæ ad partem principem, quæ vel faceret, vel augeret inflammationem; quo in caſu, etiam die critico, licet nobis naturam juvare: Ratio eſt, cum enim non omnia adſunt perfectæ criſis ſigna, & quo tempore fit evacuatio, incipiunt augeri ſymptomata, indicium eſt plus materiæ fluere ad partem nobilem quam ad vias excretionis, ideóque juvanda natura: Quod ſi nihil vrgeat, permittatis ut tranſeat dies criſis, in ſequenti natura juvetur, iuxta *Hippocrat.* & *Galen.*

cor-

ſilium 1. aphor. 21. *Saxonia Prælection. Practic. cap. 18. part. 2.*

VI. Alvo ſolutæ interdum *Purgantia* damus, ad excuſſionem materiæ inteſtinis affixæ, expultricem irritantis, non item præſcribitur ad vacuationem affluentis materiæ; ſed a naturæ infenſis Pharmacis abſtine, ne ad centrum à circumferentia humores ducantur. *Idem.*

VII. Ubi humor melancholicus abundat, qui ſiccus eſt, adſtringentia omnino inepta ſunt; humor enim noxius inde auctus fluori materiam præſtat; quare potius incraſſantibus & refrigerantibus occurrendum eſt: Quod præceptum non in hoc caſu tantum obſervandum eſt, ſed etiam in quolibet alio alvi fluxu, quotieſcunque atræ bilis præſentia ſuſpecta eſt. In quam ſententiam obſervatio me compulit, anno elapſo habita in muliere Vicentina, quæ cum dyſenteria unà cum febre laboraret, poſtquam ſero cocto ad purgandum exhibito, & ablutionibus per clyſteribus repetitis materia peccans non parum imminuta fuit, ubi ad adſtringentia deventum eſt, ab illis evidenter læſa eſt: nam præterquam quod fluxus nulla ex parte remiſſus eſt, & febris non parum exacerbata, ſapor auſterus ori adeo infixus eſt, ut de hoc magis conquereretur quam de quovis alio ſymptomate: hoc autem contigiſſe cognovi quia atrabilario temperamento donata erat, quare adſtringentibus omnino dimiſſis, ſorbitionibuſque incraſſantibus, & attemperantibus medicamentis adhibitis, ſapor ille moleſtus non longè poſtea ab ore evanuit, fluxúſque & febris tandem ceſſarunt, & perfectè ſanata mulier. *Prosp. Martianus comment. in verſ. 122. lib. 4. Acut. Hippocrat.* lib. 4. Acut. verſ. 122. *Si alvus humida fuerit ac colliquans, & mens turbata, & ægri pigre ad interrogata reſpondeant &c.* quæ melancholica ait eſſe, tunc ſorbitiones frigidiores & craſſiores præſcribit, & potiones ſiſtentes, vinoſiores magis quam adſtringentes; Potiones hæ, ut ſecundum qualitates nullum exceſſum habent, ita ut intenſas humorum qualitates retundere poſſint, Sic virtute diuretica eoſdem humores ad vias urinæ derivando, ipſi fluxioni occurrunt, adſtringentia verò exſiccanti facultate eos acriores reddunt: Et ſi atra bile participant, eorum generationem adjuvant: Quæ autem urinas provocant pro fluxibus alvi curandis, ubi adſtringentibus non datur locus, convenientiſſima ſunt. *Idem ad verſum* 128. *Si vinoſiores potiones quadrent, quod ad vias urinæ humores deducant. cydoniorum uſus, ſucci præſertim, aptus videtur; quibus, præter vim adſtrictoriam, diureticæ adeo inſignis eſt ut, teſte Puſculio cap. 50. ſuæ meth. Alfonſus Neapolitanus Rex ex uſu eorum in Diabeten inciderit. At vero Alvum Siſtentium hæc diſtinctio obſervanda,* Quæ ſiſtunt alvum duplicia ſunt, quædam adſtringendo id faciunt, quædam citra adſtrictionem, occurrendo fluxus cauſæ: velut ſi fluat alvus ob acrimoniam aut ſalſuginem ſuccorum, Quæ extergent, tollendo quod inteſtinis hæret, ſolent ſiſtere, & ſorbitiones obtundentes eas qualitates, ut quæ ſine ſapore craſſæ ſunt, velut mazæ multa genera Si ob ardorem urentem, unde fluxus colliquativi, aqua nive refrigerata poteſt ſiſtere alvum: Si ob multitudinem ſuccorum influentium in alvum, in partem aliam derivantia, ut diuretica: quin & purgantia ſæpe ſiſtunt alvum, affatim vacuata copia & ſiccata alvo. Hæc ſiſtentia ſunt ex accidenti, quæ ſæpe tutius opitulantur adſtringentibus, hic enim, ubi materia vacuata non eſt, maligna præſertim ſi ſit, periculoſiſſima ſunt. *Valleſius comm. in eum locum pag. 202.* Vir quidam robuſtus, bi..., æſtate media correptus eſt diarrhoea bilioſa, valde vigente cum ſiti intenſiſſima: præſcripſi illi ſal. prunel. ... in potu ordinario, tum etiam in julepis ex aqu. lactuc. & portulacæ iter in die ſumendis & intra 24. horas convaluit. *Reverius centur. 1. obſ. 53.*

VIII. Si a cerebro diarrhoea oriatur, dejectiones ſiunt ſpumoſæ, *Hippocrat.* 7. 30. aphor. At huic ſigno ſolitario non fidendum, ulterius diſquirendum num cerebrum alias læſionis notas gerat, Si Catarrhus adſit, ſi ſurditas, inſignis capitis gravitas vel dolor, in ſomnum inclinatio, præſertim ſi noctu magis quam de die alvus feratur: Poteſt enim pituita de cerebro defluere nullis admiſtis flatibus, à quibus ſpumæ origo: Demum humores in ventriculo & inteſtinis contenti flatuum miſcellam admittere poſſunt, apparentibus poſtmodum ſpumoſis excrementis, ſed illæſo capite, quod proinde medicamentis non fatigandum.

IX. Prohibet *Hippocrat. Lac, malum* eſſe aſſerens *quibus bilioſæ ſunt dejectiones* 5. aphoriſm. 64. quia facile ventriculi ardorem & cacochymiam ... ciet, ventremque ſolvit: In diarrhoea tamen & d... ... tia a multis in uſum ducitur, atque ipſo *Hippocrat.* 7. Epidem. numero 7. Diſcordiam tempera *Galenus* 2. de ſimpl. medicam. facultat. 12. & 13. *Unumquodque, ait, temperantium medicamentorum ubi valentius evaſerit humoribus mordicantibus, morſum eorum retundit. verùm ſi aut valentioribus facultatibus, aut multis pauculum mixtum fuerit, unà & ipſum corrumpitur aliisque cacochymiam ſucci que malignitatem; quamobrem protinus evacuandi ſunt qui ab iis quæ temperandi naturam habent irritantur atque exaſperantur, utpote qui multo nec facile mobili corruptione ſint repleti:* Sic ſane Lac frequenter, ſiuuliſque ſumptum fuerit, aliis aceſcit, aliis in nidorem vertitur, priuſquam probe concoctum corruptionem temperet: in quibus utique primum maxima cacochymiæ pars vacuari debet, atque inde ſumendus chondrus, ptiſana, lac & alia. *Vide tit. de Dyſent.*

X. *Avicenna* ſcripſit maximè conferre Narcotica, quod craſſiorem reddunt materiam ac partem refrigerent, & ſomnum concilient doloremq; ſedent: His tamen non utendum ni neceſſitas nos impulerit: viget autem ea in corpore calidiore, & aere ferventiore, & in fluxu ab acri materia: his miſcebimus roborantia, ut caſtoreum, crocum, xylo aloën, quare Philonium laudatum eſt remedium, periculoſius alioqui uſus eſt opii: Meminit *Avicenna* quendam interiiſſe inferius admoto opio: Ad ſecuritatem faciet hæc uſus ſeries, primo, utemur fotis, hinc ſuppoſitorio inferemus; tandem, vincente malo, per os. *Heurnius method. ad prax. lib. 2. cap. 11.* Filius D. N. poſt febrem tertianam diuturnam alvi fluxu corripitur, ita vehementi ut intra triduum vires omnino proſtratæ fuerint & de vita periclitaretur, vocatus ego præſcribo Rhei triti ʒj. quâ multo peius habuit: ſequenti die hora ſomni bolum ex maſtiches & terræ ſigillatæ ana. ʒ ß. laudani gr. iv. alvus cohibita eſt, non tamen dormivit, ſequentibus diebus alvum deponebat tantum bis aut ter, & intra paucos dies omnino convaluit. *Riverius centur. 2. Obſervat. 20.*

XI. Venarum lactearum nullus eſt truncus, ſeparatæ in cavam hepatis partem inſeruntur, ne ipſarum tam facilis foret obſtructio: ideoque fluores alvi humorales manant ab Epate, ſive melancholicis intemperatis, vel ſordibus inquinatis: Fluores craſ-

ſiores à venis lacteis prodeunt, ex corrupto chylo: Utriuſq; profluvij eadem curatio per ecphractica & expurgantia craſſos humores: ſed in fluore venarum meſaraicarum liquidiore, etiam roborantibus interduio vtendum: huicque fluori potius convenit venæ ſectio & vomitorium quàm alteri fluori venarum lactearum. *Riolanus Enchir. Anatom. lib.* 2. *cap.* 18.

X I I. An in *fluxibus Colliquativis* conveniat (ſicut nonnulli celebres viri arbitrati ſunt) exhibere medicamenta, purgantia quidem, ſed quæ viarum adſtrictionem relinquere poſt evacuationem apta ſint, id nos doceat medendi ratio & recta methodus: Cum enim eductę per tales fluxiones non ſint ſuperfluitates ab humoribus ipſis, vel a partibus ſolidis deciſæ; ſed ſint, vel humores ipſi, vel ſolidæ partes quę colliquantur, nemo ambigat vllomodo evacuandum eſſe, ſed cauſis colliquationis tantum eſſe incumbendum aſſerat: Evacuatio enim per pharmacum tentata, nec materiei colliquatæ, (cùm natura eam ſponte educat) debetur; nec à colliquanda indicatur, cum vera in hoc affectu ea ſumenda ſit indicatio quæ colliquationem inhibeat: quàm tamen colliquationem, non tantum non inhibere, ſed eam augere ſolvens poterit: Quod quam periculoſum exiſtat, dicant qui audacter hoc tentantes in præcipitem caſum ęgros deduxere. *P. Salius l. de Febre peſtil. c.* 24.

XIII. Nec quoque in his *adſtringentium* medicamentorum vſus probatur; quia ſi ea materia, quæ per colliquationem expreſſa, ex toto prava exiſtit, ad intra ægri corpus retineatur, retenta majorem quàm excreta læſionem inferre poſſet: hæc enim prætetquam quod continuè ſui pravitate febrem ipſam foveret, etiam ex retentione iſta deterrimam conſequeretur qualitatem: unde & morbum augeret, vel ad cor & cætera principalia membra facilè motum caperet: quare materiei jam genitæ tota ipſi naturæ, ut eam ſponte excludat, evacuatio dimittatur, cauſiſque colliquationis à Medico, quantum licebit, incumbatur: *Idem ibidem.*

X I V. Inter varias fluxuum alvi differentias recenſendus *Fluxus Virulentus* ſeu *venenatus*; qui ſi communiter tractentur omnes ex inopinato moriuntur: Differt à reliquis, non ſpecie aut forma, ſed cauſa tantum & more, quia ea eſt venenata, hic malignus: Ergo diarrhoea poteſt eſſe venefica, lienteria, dyſenteria & fluxus hepaticus in genere & in ſpecie: hinc *Galen.* 4. aph. 21. mentionem faciens illius fluxus qui vagabatur in peſtilentia ſui temporis, inquit excrementa fuiſſe, vel flava aut rufa, tandem que nigra. In curatione notandus eſt ipſe fluxus, à veneno ſeparatus, a. venenum ipſum: huius ratione duobus ſolum opus eſt auxiliis, Trahentibus in cutem & Alterantibus: illis nihil præſtantius, 1. Quia fit decens revulſio ab intro ad extra: 2. Quia trahitur venenum in partem ignobilem, ſcilicet cutem: Obii. Si in fluxibus curandis adſunt ſcopi deſumpti à materia, à cauſis & affectionibus, abſque veneno, Si etiam adſint ſcopi à veneno deſumpti, cuinam primò incumbendum? Hic contemplari oportet modum & morem fluoris: nam ſi hic videatur eſſe velocis motus, quod docebit conſtitutio; & præterea ſit valde malignus, ſtatim pugnandum contra venenum: Si fuerit chronicus & minus malignus, vt det aliquas inducias, primò communibus ſcopis ſatisfaciendum: Attrahentia trabunt vel a tota ſubſtantia, vel caliditate: priora omnia ſunt venenata, quæ ita corrigenda vt apta ſint ad attrahendum, non ad corrumpendum corpus. Caliditate trahunt Veſicantia, quæ primum locum tenent: convenientia etiam in fluore colliquativo, acri, calido; Sed cauſa colliquationis inquirenda, & caloris: nam veneno, præter cauſam occultam, ineſt etiam vis calefaciendi, colliquandi, putrefaciendi, vt ſi venenum non ſtatim educatur, fruſtra omnia adhibeantur: Igitur in fluore calido & colliquativo, modò ſit cum veneno, licet vti veſicantibus, ſinapiſmis, balneis aquę calidę, frictionibus, inunctionibus, cucurbitulis. Alterantia pariter agunt occulta vel manifeſta qualitate: ex illa alia calida, alia frigida; vbi materia fluens, cauſæ & morbi perpendantur, ſi omnia ad calidum conſpirent, quod in venenatis fluxibus maxima ex parte obſervabitis, agendum alexiterijs frigidis, cornu Unicornu, Cervi, margaritis, bolo Arm. ſucco citri &c. Nota in fluxu venenato magnam eſſe debere quantitatem remediorum, ſæpiúſque repetitam. *H. Saxonia Præl. Pract. c.* 25. *p.* 2.

X V. *Fluoris Synthectici* (qui fit cum natura humores retinere nequit, ob debilitatem ex temperamenti immutatione) curatio ſtat in reſtitutione ejus: ſic plures ex calore languentes frigidæ potus ſanat: quibus & proſunt deambulationes per loca frigida, & edulia frigida, citra adſtringentium vſum: Contra ijs qui frigida intemperie laborant, prodeſt meracum, & alimenta calidis condita: frictiones calorificæ & inunctiones, quibus item adſtringentium vſus noxius. *Mercatus de Præſ. m.*

X VI. *Diarrhoea inveterata*, quæ *Scorbuticis* frequenter accidit, haud quaquam adſtringentibus ſiſti debet, nec etiam alterantibus, nec antiſcorbuticis quibuſvis facile curatur: Acidulæ ferro aut vitriolo imprægnatę huius affectus remedium optimum exiſtunt: his ſuccedunt artificiales aut med. chalybeata, quæ inſigniter juvant: crocus martis recte pręparatus cęteris omnibus iure pręfertur. *Willis.*

X VII. Dum alvi fluxus tollitur vſu *Balnei*, tollitur per revulſionem: *Galen.* enim de rat. victus 58. ait, *Quibus plura per alvum ſubducuntur, Balneum ſiſtit: qui vero ſupra modum alvum adſtrictam habent, balneandi non ſunt.* Ratio eſt, quia Balneum revellit à corporis centro: Nos propterea non ſemel antiquos fluxus ſanavimus Balneo, quos multi ut incurabiles reliquerunt. *Sanctorius de Remed. invent. cap.* 16. Aliquando correptus ſum diarrhoea bilioſa, tanta acrimonia prædita ut anum eroderet dyſuriàmque pareret, tranſlata materiæ portione ad vrinas: dyſenteria erat in procinctu: ingreſſus tepidum ſemicupium, illico liberatus ſum. *Riverius centur.* 2. *Obſervat.* 69. Sed debet eſſe cautio ne cacochymia major ſit quam vt à balneo verſus peripheriam revelli poſſit: eliquatis enim ſuccis, laxatiſque & humectatis inteſtinis, ac vaſis ad ea pertingentibus, ſolvetur alvus effuſiùs.

X VIII. Cum eſt *adſtringendum*, oportet fortiter & tenuibus conſtringere, ut ad partem illam inteſtinorum facultas adſtringens penetret: nam ſi conſtringantur partes externæ tantum, fluxus major fiet. quæ enim conſtrictio ſit à muſculis epigaſtrij, excretionem auget, vt *Gal.* ad Glauc. obiter annotavit: ob id oportet talia eſſe tenuium partium, vel acetum miſceri, vt facultas deſcendat ad partes illas profundas: Ego ſæpe in talibus medicamentis ab aliis præſcriptis, ſolo addito aceto, fluxum ventris compeſcui. *Rondeletius cap. de diarrhoea.*

X I X. *Hippocr.* lib. 2. Epidem. ſect. 3. meminit diarrhoeæ ægrotantes quadam tempeſtate infeſtantis, quæ neque alimentis, neque medicamentis ſiſti ullomodo poterat, cui potius medendum videbatur

batur præter rationem, ac remedijs quodammodo contrariis cum quibuſdam non permulta [illegible] dimoderatiora prodirent ſi frigido in loco ſabulum ſtrato ſuppoſito. Id caſu quodam contigiſſe aliquibus ægrotantibus dicerem, qui dum morbi impatientes, modo [illegible], modo illuc ſe jactarent, modoque in lecto, [illegible] extra jacerent, minus dejecerunt. Quod omnino præter rationem eſſe videtur, quandoquidem frigus [illegible] erat & incedet, ac proin fluxum augere natum: Id autem non præſtat quando ſenſim progreditur, ut in propoſito caſu, ob modum quo [illegible] rebantur: Ex his colligimus refrigerationem [illegible] ius toti corpori ſenſim & leniter adhibi[illegible] primò per caloris mitiuris intro repulſionem, inde verò ſubſequenter per actualem frigiditatem ipſius remedij internum æſtum temperari: quare, quotieſcunque per refrigerantia interius aſſumpta id aſſequi non licet, per ea quæ actu frigida exterius admoventur id procurandum erit: Quod quidem remedium in diarrhoea ex colliquatione præſtantiſſimum exiſtimo. *Marianus comm. in eo loc. ubi vide plura.*

XX. Quidam nobilis conſilium à me petiit pro alvi fluxu ab octo annis infeſtante, quo quiuquies aut ſexies in die ac nocte dejiciebat, bilioſa & pituitoſa: Contraxerat malum in caſtris ex prava diæta, non inde multum debilis, color faciei ruber erat: potis thermis *Balerucanis* per ſex dies, alvi fluxus omnino fuit cohibitus, ita ut deinceps per octiduum nunquam noctu ſurrexerit. Eadem in alvi fluxu duorum menſium, cum ulcere recti inteſtini, eundem præſtitere effectum. *Riverius cent. 2. Obſ. 47. & 49.*

XXI. Confectionem *Alkermes* vitandam monet *Rondeletius*, cum ſuſpicio eſt de fluxu ventris, ob admiſtum ſcilicet lapidem Lazuli.

XXII. *Mercurius diaphoreticus*, per aliquot dies ad gr. xij. exhibitus, omnes corporis impuritates aufert, quæ contumaces in eundem alvi fluxus parere conſueverunt, *Riverius cap. de Diarrhoea.*

XXIII. Sæpe obſervavi Alvi fluxum perniciosum, ex quo æger ad interitum ruere videbatur, in febribus malignis [illegible] potentioribus *Diaphoreticis*, magna doſi exhibitis, quaſi momento cohibitum fuiſſe, qualia ſunt bezoart. minerale cum C. C. uſto & præparat. Theri[illegible]a A. cum ſpir. vitrioli &c. *L. Riverius de Febr. peſtil. p. m. 144.*

XXIV. *a.* Quinquagenario octo aut decem diebus venter citra febrem copioſe profluxit: huic ſi fluxus per ſe, aut medicamentorum ope forte ceſſabat, [illegible] dyſpnoea tumebat venter, ſi laxabatur, liquida excernens & flatulenta melius habebat: Cum febr[illegible] ſuperveniſſet, contabeſceret corpus, & mu[illegible] ad [illegible] tentur, cum aperientibus curare propo[illegible] [illegible] patere tur oppilativum, hepar enim o[illegible]ne laborabat, cujus cauſa ad partes nutriend[illegible] um non perveniebat: Aperientia & diuretica [illegible], quorum uſu cum aliquantiſper venter conſtringeretur, chalybis uſu ad xx. dies exhibiti omnino fluxus ceſſavit. *Zacutus Prax. adm. Obſervat. 21. lib. 2.* [illegible]io praxeos meæ curandam habui Lotricem, *Claudiam* dictam, quæ ex ſuſcepto frigore in ſimilem diarrhoeam, aut potius coeliacum fluxum incidit: chyloſæ enim apparebant dejectiones, & urinæ tenues; hæc uſu juſculorum aperientium ex cic[illegible]ibus rubris, rad. petroſel. apij intra octo dies ſana facta eſt, & uſu tabell[illegible] ex aromat. roſ. ras. eboris & t. c. cum ſacch. & aq. cinnam. parātatum, ac litu ex ol. cappar. abſinth. hyper. [illegible] bu[illegible]

XXIV. *b.* Te[illegible] non ſti[illegible]gendum, nam, ut ait *Ce[illegible]* lib. iv. *[illegible] ducere alvum ſæpe pro valetudine eſt, at ne c[illegible] rivus dum febris abſit, & intra [illegible] num diem ad conquieſcat, purgatur enim corpus, & [illegible] intus l[illegible] ſum erat utiliter e[illegible]undiur: [illegible] rum [illegible] tenus p[illegible] culoſum eſt: interdum enim tormina & [illegible] excitat, viresque co[illegible].*

XXV. Frequens eſt morbus ventriculi in *dilatatione* & [illegible]ione, tam in ſanis quam ægris, dum juſculis, & potu frigi[illegible] & hu[illegible]do liberali adeo diſſolvitur ejus tonus, ut fluor alvi inde ſequatur, qui tribuitur corruptioni a[illegible]menti ab intemperie fervida ventriculi, vel obſtructioni m[illegible]ſaraicarum; quod tamen ſymptoma ſæpe ref[illegible]endum ad ventriculi nimiam laxitatem, cui roborantibus & adſtringentibus conſiſtendum. *Riolanus Encheir. l. 2. c. 23.*

XXVI. Paucis [illegible]bus ab affectu nephritico correptus ſum *Diarrhoea bilioſa*, tanta acrimonia prædita, ut anum erod[illegible] ardoremque urinæ concitaret, tranſlata ma[illegible]: portione ad urinas, Dyſenteria erat in procinctu, Ingreſſus ſemicupium epidum illico liberatus ſum. *Riverius centur. 2. Obſervat. 59.*

XXVII. Quendam alvi fluxu pertinaci laborantem multi Medici [illegible] itritis auxiliis tandem *Averrhoes* lib. 4. Coll. cap. 5. percepit unum ex ægri brachijs alio frigidius, & macrius. Cui malo occurrens, & artificiola conjectura morbi cauſam inquirens, in eam venit ſuſpicionem, ut crederet brachij illius extenuati & frigidi facultatem eſſe læſam, adeo ut nec attrahere alimentum, nec id retinere aut concoquere poſſet; quo dato, natura illud licet futurum, brachii alimentum, tanquam oneroſum remittebat in alvum, ex quo continuo fluxu, cum timor eſſet ne depauperato calore nativo vires in dies reſolverentur magis, curationem tandem incepit ab ea parte quæ erat primario læſa: Intemperie ergo frigida diuturna brachium affectum commode alimentum ad ſui nutritionem attrahere non poterat, Ergo brachium calefieri debebat & roborari. *Zacutus.*

XXVIII. Quidam a fluxu longo vexatus, apud *Rhaſin* lib. [illegible] ſuorum aphor. Multa remedia incaſſum expertus eſt, unde cum is cognoviſſet quod poſt ſomnum fortius vexabatur a fluxu, perpendit cauſam ægritudinis eſſe humorem calidum acutum, à cerebro deſcendentem, & cum ad ſtomachum veniebat, fluere cogebat: Cum vero patiens excitabatur, fluxu carebat & ſputum aſſiduum habebat: Præcepit ergo ut caput raderet, & ut ipſum cum ſinapi & moſcho fricaret, & ſanitati poſtmodum fuit reſtitutus: Duplex enim curandi ratio inſurgebat, prima quæ caput reſpicit, præcavendo quominus hoc generet excrementa, quam complent roborantia capiti admota, quæ non ſolum vigorare cerebrum nata ſunt, ſed ſuperfluum humorem diſcutere queant: Secunda, Quæ ventriculum roboret, & evacu[illegible] quicquid in eu receptum: Quoniam vero habitualis cerebri intemperies, quæcunque ea ſit, difficilius curari conſuevit, ideirco hanc compl[illegible]vit author curandi rationem: Cum enim humor nec[illegible]ſſario ex cerebri debilitate debeat regigni, melius [illegible] jam genitum, facto ſinapiſmo in capite, [illegible], ulceribus excitatis quorum ul[illegible] puris [illegible] vacuetur, in inteſtina confluxurus, quam hoc non celebrato ægrum gravioribus

periculis exponere: nam ex acri deſluente humore inteſtinorum exulceratio timeri poteſt: Miraberis cur Rhaſis in fluxu acuto & calido, conſulat applicationem calidorum, irritantium facultatem, humores acriores reddentium, & fluxui aptiores, inflammantium, caput ſuapte natura calidum exaſperantium? Dic ejuſmodi juvare, quia acris hujus defluxus cauſa erat capitis debilitas & refrigeratio, cui, ceu cauſæ primariæ, nonniſi calidis applicitis potuit occurrere, evocato humore ad externas partes: *Ex Zacuto. M. P. H. lib.* 1. *hiſt.* 77. *Vide infra* §. 29.

XXIX. Quidam ſæpius à cibo, noctu quoque, nunc tenuiorem, nunc craſſiorem humorem evomere conſueverat, caput dolebat ac erat grave, Viſum tantam vim pituitæ de cerebro venire, varia remedia vſurpata, tandem etiam ſetaceum, at fruſtra, Aperto corpore fiſtula ſtomachi inveniebatur: Eo in caſu verticem etiam quidam inurunt, quod præſidium quam triſte tam eſt ſupervacaneum: Eo non curantur ægri, ſed macerantur, & quidem communi inveteratóque errore illius opinionis, cerebrum quotidie liquore pituitæ ſe complere, iſtumque aliquando in ſtomachum evomere: Atque ſi cerebri humores hac via defluerent, eum cutium cauteria bregmatis inhibere haud poſſent, nam talem humorem (ita vulgaris fert opinio) emittunt venæ cerebri intimæ, quas ea cauteria haud tangunt, nec exinanire queunt, nec tangere: Si qui perſanati iis creduntur, diarrhoeam aut vomitum quidem paſſi ſunt, minime cognomento Cerebralem. *Schneiderus l. de Cancr. ſpec. p.* 439.

XXX. Febris malignæ ardentis qua decumbebat N. die 7. & 10. fluxus alvi magno cum fœtore tam ingens ſupervenit, ut ſeſquihoræ ſpatio ſupra xxxviij. libras excretus fuerit per alvum ſanguis niger, Ex quo æger ſibi reſtitutus: Natura nempe ſanguinem circa jecoris cavitatem corruptum depoſuit, facultate excretrice admodum valida, Ideoque in Diarrhœa cruenta nequicquam animum deſpondere convenit. *Rhodius centur.* 2. *Obſervation.* 85.

XXXI. Si alvi profluvium tuſſim junctam habeat, abſtinendum eſt ab adſtringentibus: Verum cum medicamenta adſtringant vel per craſſam, vel per viſcidam ſubſtantiam, dum adeſt tuſſis, admittuntur adſtringentia quæ viſcidam habent ſubſtantiam, vt eſt tragacantha, farina amyli, ſymphitum, plantago. *Capivaccius.*

XXXII. Dum homo correptus eſt Lue, & adeſt alvi profluvium, prodeſt ſalſa parilla, china & antidoti recentes; tunc enim non deſiſtendum à ſalſa, quia malum pendet à virulentia venerea: Formula hujuſmodi ſit ℞. ſucci ſonchi depurati ℥ij. pulver. ſalſæ ℥j. tragac. ʒß. ſpec. e ſantal. ʒß. miſce & f. Boli: Hoc medicamentum virulentiam veneream, ſeu profluvium inde dependens alterat. quia autem ſonchus & ſalſa aperiunt atque laxant, pro corrigenda bazi, & præſertim zarza, permiſceamus ʒß. ſpec. vel tria-ſant. vel tragac. *Idem.*

XXXIII. Cavendum à *dulcibus*, hæc enim quia calida & humida, reddunt materiam fluxilem, & laxam: potiſſimum ergo nocent quando fluxus fit a calida materia in corpore calido: Nec vtendum iis quæ recipiunt acetum, & potiſſimum ab acri & copioſo aceto eſt abſtinendum. *Idem.*

XXXIV. Venerem nonnunquam diuturnum alvi fluorem exſiccare credidit *Ariſtot.* 4. Probl. 18. nec non *Paulus* & *Aëtius*, at locum non habet præſente nativi caloris imbecillitate. *Forest conſult.* 91. *cent.* 2.

XXXV. Adſtringentes cibi præaſſumpti an adſtringunt? Adſtringentia quædam alimentoſa ante cibum aſſumpta alvum conſtipant, à cibo autem adhibita eandem laxant, id quod à fibrarum conſtrictione deduci ſolet; quatenus enim ante cibum dantur, pylorus roboratur magis; quando poſt illum, per accidens, conſtrictis ventriculi parietibus, magis laxatur: Valet id in ſpecie de cydoniis; Ex quo etiam patet non commodè adhiberi quoque ipſa medicamenta adſtringentia cum cibo. Quin obſervavimus per accidens etiam in teneriotibus & laxioribus texturæ, quoad ventriculum & inteſtina, hominibus, à pulvere quoque ſtyptico alvum laxatam. *G. Wolf. Wedelius de Simpl. Med. fac. p.* 42.

DOLOR.

SYLLOGE.

Dolor calidis & frigidis admotis ſanatur. 1.
Oſſis ſacri *vehemens cauſtico admoto.* 2.
Externus purgatione ſedatus. 3.
Humeri *acerbiſſimus placatus.* 4.
In Calca pedum *admotione cauſtici potentialis.* 5.
Varii exteriorum partium, à Catarrho *non ſunt.* 6.
Ab admoto dolenti Genu *narcotico mors.* 7.
Sævus genu *dolor admoto vngu. ex hydrargyro curatus.* 8.
Fonticulo infra inguen aperto. 9.
Ex lapſu curatio. 10.
Ex defluxione. 11.
Vis Balſ. Peruviani. 12.

I. HAc noſtra ætate affectus plurimos, & vitiorum moleſtias curare conſueverunt indiſcriminatim frigido, ex ovi aquata, quod frigidum eſt & adſtringens etiam, quibus vtriſque qualitatibus vlceris opportunitati pugnat: debent nimirum ea quæ levatura ſunt dolorem laxare, atque album ovi modis omnibus adſtringit, quare incommodum apparet, tum ipſum, tum omnia frigida: calidum verò omne juvans, & benefaciens, & dolores leniens: *Fabio Columna* tuberculum *Onosiδes*, Carbunculi formam præ ſe ferens, ex ſummo femore natum, cum ego curans non ſemel qui inerant, & ſinus, & oras callo inæquali ſtipatas reſcidiſſem, doloris acerbitatem, quæ ſectis evenire neceſſe fuit, non alia ratione ſopivi quam torridis lateribus ex panno applicitis, & uſu calidi: *Quidam* cum vlcere carcinode linguæ, parte ſuperiore hujus tuberoſa afflictaretur, ut neque verbum formare poſſet, argenteo cochleari igne calefacto, per me ad dolentem locum impoſito, & dolorem omnem continenter abjecit, & libere loquutus eſt. *Severinus Med. Eff. p.* 154.

II. Homuncio annos natus 40. dolorem atrociſſimum paſſus erat per duos menſes in *parte inferiore Oſſis ſacri*, Unde in maniam incidit: fruſtra varia vſurpata; Ego cucurbitulam vnam admovi parti dolenti, alteram paulo inferius, ſupra natem,

profundis ſcarificationibus, unde multus ſanguis quo deterſo iterum cucurbitulas admovi ſupra loca ſcarificata, & ſanguis iterum multus profluxit, Æger à dolore liberatus videbatur, tamen ſequenti die magnum caulticum inuſſi loco dolenti ſupra ipſas ſcarificationes, idque ibi detinui per XXIV. horas, ita ut eſchara capitonis latitudinem æquaret & ad os uſque penetrare. Eſchara deciſa ulcus ad cicatricem perductum eſt & æger à tanto malo liberatus. *Sam. Formius ob. 3. apud Riverium.*

III. D.N. ſubito correptus eſt *doloribus vagis atrociſſimis*, nunc crura, nunc genua, tibias aut pedes, nunc lumbos diſcruciantibus. Medicus ſanguinem mittit ad V. vaſcula intra horam, & dolore non remittente dat pilul. ex laudano, qua dolores conſopiti fuere uſque ad meridiem ſequentis diei: Iis recurrentibus pari acerbitate, Ego præſcribo Bolum ex Diaprun. ſolut. ʒß. jalap. ℈j. etiam noctu ſumendum, quam inſomnem alioquin & cum atrocibus doloribus traducturus erat: Purgatus eſt decies circiter, nam dolores illi admodum imminuti, & brevi poſt omnino diſcuſſi: Erat vir quinquagenarius atrabilarius: multis ante animi pathematis agitatus. Ideo conjeci hos dolores provenire à ſeroſa materia tenuiſſima & acerrima, quæ huc illuc velut orgaſmo ferretur, eamque cito purgante eſſe educendam. *Riverius cent. 2. Obſ. 52.*

IV. *Fernelius* cap. de Arthrit. ſcribit, Humeri arthritis dolore quidem inſignis, non tamen, ut neque Iſchias, tumore, rubore, vel calore manifeſta: Hos dolores iter faciens, & corpus frigore ſæviente non ſatis muniens expertus ſum: *Eſt dolor atrox brachij* motum impediens, illudque tanquam vinculo corpori alligans: Vſus ſum tali cataplaſmate, quod profuit, ℞. boli vulg. cretæ ana. ℥ß. ol. roſ. ℥j. acet. roſ. ʒvj. flor. lactis q. ſ. m. ſuper prunas, adde croci ʒj. applicetur calide cum ſtupa cannabina bis in die: aliquando addidi pulv. rad. conſol. major. & ol. chamom. Animadvertendum autem dolore ceſſante brachium aliquando tabeſcere, ideo fotus, ungu. & emplaſtra convenientia adhibenda ſunt, muniendo pelle leporina &c. *Franc. Hildeſius apud Schenckium. p. 632.*

V. Cuidam in ipſa *calce pedum* adeo acutus, vehemens & continuus cum febre exortus eſt dolor, ut neque nocte neque die quieſceret, corpus per ſeceſſum vacuatum fuit, & in primis per vomitum, revulſionis gratia: Vena ſecta in brachio, anodyna omnia ſine ſucceſſu applicata, Pars affecta vix in tumorem elevata erat, ob denſitatem ſcil. cutis, tandem loco dolenti cauterium potentiale applicatum, poſt horas aliquot novacula ſeparata eſchara, guttula una aut altera ichoris exſtillavit, dolor mox ceſſavit, Vlcus poſt caſum eſcharæ per aliquot dies ſervatum apertum fuit, & pulvis præcipitatus inſperſus. *Fabricius Hild. cent. 3. obſ. 98.*

De inflammatione plantæ pedis, vide ibid. obſerv. 11.

VI. Ex Lymphæ, per vaſa ſua in corporis habitu diſtributa & obſtructa, hinc rupta, effuſione in partes vicinas producuntur Dolores varii, & Tumores quoq; Catarrhis vulgo adſcripti: Inter quos haud poſtremum locum tenent qui partem brachij ſuperiorem uſq; ad humerum ipſum occupant, & quandoque collum ſimul affligunt: Ad quos iam referendi qui dolorem Iſchiaticum mentiuntur, atque inceſſum impediunt, in natibus hærentes. Horum dolorum quidam patiuntur partes affectas veſtimentis multis tegi & ab ipſis incaleſcere alij à tegumentis exacerbantur, unde quoque difficilius cedunt & curantur quam priores. Oriuntur fere ab externo frigore, partes illas prius ad ſudorem uſque calefactas, ac in ſomno ſæpius denudatas penetrante, atque poſt coagulatam in lymphæ vaſis pituitam, obſtructionemque in ipſis, mox & ruptionem factam, pro lymphæ diverſitate Dolores varios, & variis duntaxat medicamentis cedentes producente: Quæ namque acidior eſt lympha, dolores magis rodentes, atque aromaticis oleis & unguentis cedentes parit: Quæ vero magis eſt ſalſa muriatica, dolores minus aromaticis oleis & unguentis auſcultantes parit: Prævenitur eorum vaſorum obſtructio, cavendo ne corpus nimium incaleſcat; hoc ſi caveri nequeat, ne thorace denudato idem mox refrigeretur, ac per conſequens pituita fuſa, & quaquaverſum diffuſa, potenter in vaſis variis, ergo & lymphaticis, concreſcat & coaguletur. Curabitur eadem obſtructio, ſi quantocyus, quando locum habuerint cauſæ ipſius memoratæ, atque metus eſt ne malum fuerit productum, aſſumatur ſimul ac ſemel, aut vicibus partitis, ſudoriferum attenuans & incidens: Vaſa Lymphatica rupta, poſtquam obſtructione fuerint liberata, conſolidabuntur ſponte, ſicut obſervamus evenire in vaſis ſanguineis, cum conglutinandi vi præditum ſit cujuſvis partis alimentum proprium, quippe plus minus tenax & viſcoſum: Dolores in artubus, ac præſertim brachij parte ſuperiore orti, atque noctu maxime moleſti, poſtquam humoris ſeroſi redundantia, ſi quæ adſit, fuerit hydragogis & ſudoriferis quoque diminuta, tolletur illinendo partem affectam ſequente linimento ℞. ungu. *Martiati*, *ol. lumbric. ana.* ℥ß. *Succini* ℈j. *m.* Quod ſi dolores ab hoc linim. vel ſolis tegumentis augeantur, ſequenti utendum ℞. *ung. Popul. Nervini ana.* ʒij. *ol. lilior. alb.* ʒiij. *m.* Quod ſi dolores iidem coxendicem affecerint, & imprimis partem ſpinæ inferiorem ita occuparint, ut vix erigi queat corpus & ad motum deduci, præſtantiſſimus erit Balſamus ſulphuris terebinthinatus, ſi paucis eius guttis pars affecta illinatur, quo ſæpius una nocte curavi homines miſeros. *Fr. Sylvius Prax p. m. 480. &c.*

VII. Quidam immani *Genu* dolore vexatus, ab emplaſtro ex foliis hyoſciami, rad. mandragoræ, cum aceto & opio conſtructo, nullo alio adjecto calido medicamento quod frigidorum efficaciam corrigeret, poſt applicationem dolore ferocius invaleſcente, genu liveſcente, reſolutis viribus, ſuperveniente gangræna e vita diſceſſit. *Zacutus Pr. adm. l. 2. obſ. 174.*

VIII. In multis morbis, præter *Gallicum*, hydrargyrum adminiſtrari, teſtatur Avic. l. 2. tr. 2. c. 47. Quadragenarius cum immani *Genu* dolore affligeretur, à frigido humore ſuborto, quia medicamentorum vim ſæpius contempſerat, Empl. ranino, triplicato mercurio partem inunxit: Aliquantiſper remiſſus eſt dolor, Ego, ut certior fierem num aliquando luis venereæ primordia eſſet expertus, ab eo inquiro, negat obnixe, non deſino tamen hydrargyrum, extinctum prius, & commixtum cum oleo laurino, ſtirace & terebint. unguenti forma apponere, mirum, dolor omnino quievit. N. go in eo, in multis morbis aliis, non Gallicis, applicando ſis meti-

culoſus: nam reſoluit duritics, dolorem ſedat, flatus diſcutit & tenacem humorem mira efficacia abſumit. *Zacutus Pr. Adm. l. 2. obſ. 175.*

IX. Quidam ob aſſidua ſtudia & labores, defluente humore à capite in dentes & ventriculum, per multos annos harum partium acerbos dolores tulit: Poſtea truculento *Genu* dolore oppreſſus, ita contabuit ut nec igne miteſceret malum: Tandem lavacro ex ſimplicibus cephalicis & narcoticis, additis ſulphure, alumine, ſale nitro, ſtercore caprino, columbino in vino coctis, additis ol. vulpino, de caſtoreo, lumbricorum & Balſamo, levatus, Cum poſt tres menſes fluxio ex habituali capitis intemperie in coxam irrueret, pluribus applicitis, nullo alio potuit omnino conſaneſcere quam fonticulo excitato infra inguen, in parte domeſtica: cuius ope humor, qui e capite in genu confluebat, eſt vacuatus: quare intercepta fluxione in poſterum alacriter vixit. *Zacutus Pr. Adm. l. 2. obſ. 176.*

X. Mulier ex *lapſu, circa coxam* intenſo dolore moleſtata decumbebat, Inunctio ex oleis nullum levamen afferabat: Ego Empl. de meliloto cum forte ad manum haberem, linteo extenſum juſſi applicare ſub noctem: Hora matutina ægra ſola ſurgere potuit, & menſæ aſſidere, cum ante ne minimum commovere quiverit: Idem in aliis ex caſu dolentibus ſæpius cum commodo admotum. *Thonerus Obſerv. 1. lib. 4. p. 201.*

XI. Cum eadem fœmina immenſo *dolore circa ſcapulas*, per totum brachium dextrum decurrente, ex *Scarificatione* profundiore cauſata, ſcalpello altius impacto moleſtata, aliis non juvantibus ℞. *Olei lumbric. terr.* ℥ß. *pingued. taxi, vulpis aā* ʒij. *m.* Inungat loca ſcarificata, Brachium autem inungat calide aq. diſt. hirundinum cum caſtor. Idem p. 201.

XII. Cum eadem illa ingenti *dolore brachij* dextri, die noctuque exagitata, ab humero incipiente, per totum brachium ſe extendente cum tumore, nec id elevare poſſet, paucis diebus dolor ſopitus & tumor reſolutus, ℞. *Empl. diaca ulcth.* ℥j. *melilot.* ℥ß. *m. linteo extende.*

Virgo *dolore brachij dextri* diſcruciata Empl. de gum. tacamahaca, alutæ ext. applic. eadem die liberata, prout complures alij ex cauſa non calida.

D. N. intenſo *dolore lumborum* à defluxione moleſtabatur, ℞. *Medull. panis albi, lacte vacc. maceratí, poſt trajectis per cribrum aneum, addit. (vitell. anor. & butyr.) rec.* ac ſequ. oleo, ℞. *Ol. chamam. aneth. lilior. alb. aā* ℥ij. *lumbric. terr.* ℥ß, *de quibus adde q. ſ. pro una vice, cal. linteo applic. Illico levamen ſumſit.*

Vidua 70. ann. dolore *lumborum* intenſo ℞. *ungn. dialth. anodyn. aā* ℈ij. *pingued. cunic.* ʒiß. *ol.* ſcorp. ʒij. m. Illico dolor placatus.

In dolore *brachiorum* & *pedum* ſæpius proficuum deprehendi ſtercus vacc. rec. cum ol. roſ. compl.

Gravida dolore in *cruribus* quaſi convulſivo agitata ℞. *ol. hirund. cum caſtor.* ℥j. *aq. theriacal. cephal. ſpir. lilior. convall. aa.* ℥ij. *m. calide unge*, cito convaluit.

Fœmina immenſo totius *brachij dextri* cruciatu, à ſummo ad imum uſque infeſtata cum ejulatione ℞. *ol. lumbric. terr.* ℥ß. pingued. cran. human. taxi *aā.* ʒij. *m.* confeſtim reſtituta.

Nobilis à chronico *brachij* dextri dolore liberatus empl. oxycroc. appl. multis aliis fruſtaneis.

Duo primates haud levi *humerorum dolore* diu infeſtati, tandem hoc uſurpato remedio, ſcil. facta inunctione ſmegmatis diſſoluti in aqu. vitæ.

Fœminæ acerbo *pedum dolore* laboranti hoc profuit. ℞. *ungu. alabaſtr. anod. aā.* ℥ß. *olei lumbric.* ʒij. *campb. gr* ij. *m.* Idem p. 23.

XIII. In omnibus *doloribus nervoſarum partium* mitigandis & propulſandis, a cauſa frigida prorſus, & à contuſionibus concitatis, Balſamus Peruvianus palmam habere videtur, ob amicam & peculiarem facultatem nervos corroborandi, & materiam inhærentem reſolvendi: Mulier ex ſiniſtri lateris paralyſi, ſat acerbo dolore per totam ſpinam dorſalem, in Genu & *digitis pedis* ſiniſtri exagitara, iis motu quaſi ſpaſmodico moleſtatis, tribus vel quatuor inunctionibus factis, immunis ab omni moleſtia reddita: Mercator dolore iſchiatico ſat gravi divexatus, aliis ungu. fruſtraneis, balſamo illo locum affectum calide inunxit, magno cum ſolamine.

Virgo in manu dextra ex fuſo punctim læſa, à Chirurgo vulnere curato, cum dolor infeſtaret, & oleorum inunctio irrita eſſet, Balſamo illo illita reſtituta.

Cum ego ex *contuſione manus dextra* moleſtiam ſentirem, ultra menſem durantem, vix trina inunctione ceſſit. *Idem pag. 204.*

DYSENTERIA.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *aliquando neceſſaria.* 1.
Si ſit a menſibus ſuppreſſis qua vena ſecanda, 43.
Vomitus *ſæpe utilis.* 2.
Emetico curata. 44.
An Purgandum. 3.
Quid agendum ubi purgatio neceſſaria renuitur. 4.
Locum habent vere purgantia, non ſolum lenientia. 31.
Rheum *an torreſaciendum.* 28.
Quando exhibendum. 33.
Aliquando eſt noxium. 34.
Exhibendi modus. 35.
Tamarindorum *utilitas & correctio.* 32.
Caſſia an conveniat pro alvo lemenda. 8.
Curatio Sylviana *epidemica biloſa.* 54.
Clyſteres *maxime utiles.* 29.
Abuſus pinguium *noxius.* 0. 4.
Adſtringentibus *caute utendum.* 24.

Reſil-

Refrigerantes *non temere iniicienda.* 25.
Adſtringentibus quibus cautionibus utendum 16. *a.*
Aridorum & pulverum uſus ſuſpectus in illis. 17.
An in deſperata cauſtica *infundenda.* 20.
In iis utentur opiata. 40.
Abſtergentes *cauſæ uſurpandi.* 38.
Detergentium gradus. 36.
Cautiones circa eorum uſum. 37.
Alvi adſtrictio *ſuperſtes quomodo tollenda.* 16. *b.*
Adſtringentium *uſus ſuſpectus.* 41.
Siſta pituita ſalſa *cauſæ adſtringendum.* 10.
Pulverum glutinantium & adſtringentium *uſus pilulis aut bolis præferendus.* 5.
Chalybeata *an conveniant.* 6.
Curatio per frigidæ potum. 30. *b.*
Intempeſtive ſuppreſſa damna. 46.
Efficacia Balſami Peruviani *in* deſperata. 32. *a.*
Lactis *uſus an ſalubris.* 7.
Narcoticis *prudenter utendum.* 15.
Laudani *noxa.* 42.
Diureticis *quando locus.* 26.
Sudorifica & Bezoartica *aliquando utilia.* 27.
Aquæ naturales *quomodo utiles.* 14. 45.
Spiritus vitrioli *noxius.* 12.
Saccharo & melle *parce utendum.* 11.
Confectio kermeſina an utilis. 9.
Ceræ uſus internus utilis. 47.
Mundificantia *ulceri proportione reſpondeant.* 19.
Nucis moſchatæ utilitas & correctio. 13.
Acidulis *curata.* 51.
Oleorum *uſus noxius.* 35.
Topicorum *utilitas.* 18.
Balneis & inſeſſibus *an locus.* 29.
Incruentæ *curatio.* 50.
Epidemica deſcriptio & curatio. 54.
Diæta *qualis eſſe debet.* 22.
Quales cibi conveniunt. 48.
Potus *conveniens.* 49.
Scortatio turpis *an medeatur, ex Hippocr.* 23.

I. S*Anguinis miſſio* à pleriſque indubium revocatur, 1. quia neque à *Galeno* neque ab Arabibus de ipſa fit mentio, 2. quia fluente alvo ſanguis non eſt detrahendus, 3. ne bilis effrænis fiat: At, *Trallianus & Aëtius* ſanguinem mittunt, quos alij ſequuti, & merito, quia dum adeſt indicans & permittens, ſanguis omnino mittendus eſt: Indicans, ſanguis ſubſtantia, quantitate & motu peccans, Permittens, virium robur, Ad argumenta. 1. nihil concludit, 2. dictum *Galeni* fluente alvo &c. plures ægros occidit quam ſervat, inquit *Valleſius*; Dum enim vacuatio eſt alterius evacuationis curatio, omnino permittenda eſt, non autem quando critica fuerit: 3. Acres & bilioſi humores prohibent quidem quantitatem ſanguinis, at non eductionem omnino. *Fortis conſult.* 96. *cent.* 2. Alij reiiciunt S. M. quod bilis potius quam ſanguis peccet, 2. quod ad ulceris curationem nihil faciat, 3. quod vires dejectionibus crebris debiles, vigiliis ac febribus, ulterius deiiciat, 4. quod alvo fluente nefas ſit ſanguinem detrahere, ex *Galeno*: At peritorum ſententia eſt præſente febre, & inteſtinorum phlegmone (ulceri ut plurimum annexa) ſanguinem initio morbi demendum eſſe, antequam vires amplius à profluvio atterantur; phlebotomiæ enim ope humores acres, & ſanguis ad inteſtina irruentes, revelluntur: phlegmones hinc metus tollitur, dolor ſedatur, febris extinguitur, hepatis fervor ſedatur ac mala diatheſis tollitur. Ad rationes, 1. ſanguis non ſemper ut cauſa principalis peccat, ſed vel adiuvans, vel ut ſine qua non; quibus vitiis occurrit ſanguinis miſſio. 2. S. M. revellit humores ad locum ulceratum fluentes. 3. initio celebranda eſt, priusquam vires magis minuantur. 4. Cuidam alvi fluori nocet V. S. & ei qui vires jam valde dejecit; huic nequaquam, initio inſtituta: Eius utiliter in uſum ductæ vide exempla apud Botallum l. de Sang. miſſ. cap. 4. §. 5. 7. 8. 9. 10. 17. & cap. 32. §. 5. *Altimar.* c. 24. *Amatum & Valeſcum de Taranta*, *hic, Valde* ſenex inquit, *dyſenteria à tribus menſibus miſere torquebatur, vocatus in conſilium, reluctantibus omnibus aliis Medicis, juſſi venam aperiri, mox convaluit. I. C. Claudinus* Reſponſ. 5. ait. ſe jurato affirmari poſſe, in Dyſenteria ſui temporis Epidemica, cumplures hoc præſidij genere ſervaſſe & citius ſanitati reſtituiſſe.

II. Quibus ſuſpectus *Vomitus*, ij Hippocr. ſententia in Coacis nituntur, *Dyſentericis*, inquit, *vomitio bilioſa ortu grave malum*: At illic de ſpontaneo vomitu agitur, revera malo, quod ſymptomaticus ſit, indomiti humoris indolem notet, viſceris inſigne vitium, retentricis imbecillitatem, ac ventriculi coaffecti læſionem: Vomitus autem artificio inductus convenire poteſt, ſi æger ſit nauſeabundus, & humores in ventriculo ſtagnent, fit enim revulſio à parte affecta: Ipſe Hippo. l. de affect. n. 2. Vomitum conſuluit, *Huius* ait, *ubi purgaveris caput, pharmaco utere in potu exhibito, quod ſurſum pituitam purgat.* &c. iunge aph. 15. 6. Hunc ſequitur *Amatus* centur. 2 curat. 44. in ſcholio, *Si ad inteſtina corrivantem bilioſum & acrem humorem, dyſenteriam gignentem; Medicus per ſuperiora retrahere poſſet, & eum per vomitum vacuare, dubio procul ineptum eſſet, & contra Galeni præcepta per inteſtina, ulceribus ſcatentia, materiam ducere, at cum hac Medicus non ſic aſſequi poſſit, tametſi tentare pro viribus debeat,* conſequens eſt *medicamentis purgatoriis, id efficiat*: Confirmat *Mercatus* his verbis, *Alio humores transferes, ſanguinis miſſione purgatione, vomitibus, maximè in ſalſa pituita, nam hac via diuturnas dyſenterias curari conſpeximus.*

III. Quorſum *expurget* quis in dyſenteria, annon trahat ad partem affectam excrementa? Certè, Læſerit ergo interim? haud dubie, tamen præſervat expurgatio multos à maligna dyſenteria, tempeſtivè extrahens multam copiam ſuccorum: quia multo magis exulcerantur inteſtina, paulatim in ea excrementis influentibus, quam affatim per ea effluentibus multis: itaque expurgatio non tollit periculum quod à ſuccis ipſis impendet, ſi quidem hos trahit ad inteſtina, ſed quod à mora & lenta fluxione: proinde ſi expurgandum in dyſenteria eſt, præpropere faciendum, quia ubi multum proceſſerit malum, fruſtra ſuſcipietur: Neque tamen hoc curationis genere in omni dyſenteria utendum, temeritatis enim aliquid habet excrementa omnia eò vocare, quò, cum magno hominis malo ſponte confluunt, ſed tunc ſolum cum maligna dyſenteria imminet, adeo ut non videatur mediocris alia curatio, quæ detergentibus & adſtringentibus agitur, poſſe eſſe ſatis: *Valleſius lib. 2. ſect. 6. Epidem.* Quæ occaſio Purgandi ſit, brevi dicam, Aut in dyſenterico eſt cum cacochymia magna exulceratio

nondum magna : aut cum exulceratione magna, cacochymia exigua : aut utraque, cacochymia dico & exulceratio, exigua, aut utraque magna : Si primum, expurgari debet : ſi ſecundum, minime, ſed urinas, & ſudorem, & vomitum provocandum, & inſtandum localibus, interius & exterius, pro ulcere curando. Si tertium, ne tunc quidem opus eſt purgatione, neque localibus admodum, ſed bono victu & facili ad alias evacuatione, derivatione: Si quartú, inſanabilis eſt: facies aut nihil, aut omnia tentandi gratia, velut in re deſperata: Tales enim etiam curationes aliquando profuerunt; nec diſplicet illud *Celſi*, ſæpe quos ratio non iuvit, temeritas adjuvat. *Idem comm. in lib. 4. Epid. in Leambij hiſtoria.*

IV. Qui à medicamentis *Purgantibus* alienus fuerit, vel qui aliquam ob cauſam iis uti noluerit, illico tamen ventris fluxus conſtringi minimè debet; per aliquot dies inteſtina iuſculis carnium recentium, caſtratorum, gallinarum &c. abluere præſtat; quibus admiſceri poterit oleum olivarum, vel amygdalarum dulcium, aut butyrum recens inſulſum : talia juſcula multum nutriunt, abluunt & mundificant inteſtina, dolores mitigant, addito uno vel altero ovi vitello : poſtquam tres aut quinque dies æger juſculis uſus fuerit, tandem ad ea quæ fluxum conſtringunt confugiat. *Hildanus libello de Dyſenteria cap.* 8. Quidam Neotericus ſuadet orificium ventriculi & ventrem ſupra umbilicum unguento de arthanita inungi, vel orificio ventriculi exterius radices ellebori albi imponi : at periculum eſt ne vis medicamenti cutem & partes muſculoſas penetret, antequam ejus operatio expectetur : Porro, abdomine hujus medicamenti acrimonia & violentia imbuto, eoque per ventriculum & inteſtina diffuſo, operationes violentæ ſequuntur, quas ſiſtere in Medici poteſtate non eſt : demum unguenti illius ingredientia caliditate & acrimonia ſumma ſuſpecta ſunt, maximaque vi operationem peragunt. *Idem ibidem.*

V. Non improbo *adſtrictorios pulveres*, ſeu roſarum, ſeu acaciæ, aut balauſtiorum : quod ſi quis morſum timeat, terram Lemniam aut Samiam recipiat, aut cornu cervi uſtum: Exſiccant ſine morſu & moderate adſtringunt : Confido magis in his pulveribus quam in pilulis aut bolis, quos aliquando in Dyſenteria integros & immutatos deiici in excrementis vidi. *Saxonia Prælect. Pract.*

VI. *Aqua, Lac & Vinum chalybeata* non planè reiicienda ſunt, cum, ſeu ſpiritus aliquis coagulans, & humores fluidos ſiſtens, ſeu ſcoria quædam adſtringens liquori communicetur : Extinctionem tamen hanc cum Platero moderatam eſſe volumus, neque nimis ſæpe fieri; cum certum ſit, ſi multum de ferri ſubſtantia aſſumatur, alvum turbari, imò ſi copioſius ſumatur, vomitum quoque citari : Et omnino parcius chalybs in dyſenteria exhibendus, eſt quam in cachexia vel viſcerum obſtructione, cum adſtrictione ſolum aliqua, non aliis chalybis effectibus hic opus ſit : Neque diſtinctio inter chalybem recentem, & ſæpius ignitum locum habet : partes ferri, quæ in prima ignitione liquori communicantur, ſaltem movendi vim alvum habent : ſed quia chalybs homogeneæ naturæ eſt, omnes ejus partes eandem vim habent : & quo plus de ejus ſubſtantia liquori communicatur, eo magis alvum vel vomitum movet : Neque etiam aquam primam abiicere opus eſt, niſi forſan chalybs non purus ſit, ſed quandam rubiginem extra contraxerit : hæc enim cum aquæ in extinctione communicetur, eam abiicere non incommodum eſt : Monendum & hoc puto, liquores illos chalybeatos recentes paratos uſurpandos eſſe, præcipue ſi chalybs ignitus ſæpius in iis extinctus ſit : chalybis enim ſubſtantia principio, & ſtatim ab extinctione, ſcoriarum ſaltem naturam retinet : ſi verò diutius in liquore illo maneat, in rubiginem quaſi mutatur, & tum vim potius alvum turbandi, vomitumque ciendi, ac humores fundendi quam ſiſtendi habet : cujus rei indicium præbent Vina chalybeata, quæ ad obſtructiones epatis & lienis exhibentur, quæ ſi copioſius ſumantur, & alvum & vomitum movent : Non enim ſtatim poſtquam chalybs in vinum injectus eſt exhibentur, ſed in ſole vel loco calido aliquot diebus agitantur, ut chalybs melius reſolvatur. Si autem quæratur de croco Martis, & chalybe præparato in dyſenteria exhibendo, eum crocum Martis uſurpandum potius cenſeo qui ſolius ignis & reverberationis beneficio paratus eſt : Is enim nondum adeo vitriolatam naturam adeptus eſt, ſed ut eam acquirat, alia adhuc reſolutione opus habet, ideoque adſtringendi potius quam alia vi pollet : Reliquæ præparationes chalybis omnes, ſive ſint chalybis præparati in vino vel alio liquore infuſiones, ſive per aquam fortem, ſpiritum vitrioli, ſulphuris, acetum deſtillatum, ſolutiones, omnes jam vitriolicam naturam ſapiunt magis, & croci hoc modo præparati aliquid de liquore ſolvente participant, talemque aceti & aquarum fortium ſibi univerunt : Et proinde, etſi quandam adſtrictionem habeant, & propterea in cachecticis viſcerum laxorum tonum roborent, tamen quia vis aperiendi, humores fundendi & liquandi, ac ſi copioſius ſumantur, alvum turbandi & vomitum ciendi in iis prævalent, in dyſenteria locum non habent, ſed potius in viſcerum obſtructionibus & cachexia : Cum enim præparationibus iſtis partes omnes, in quas alias vitriolum reſolvi poteſt, ſeparatæ non ſint, ſed inſtar vitrioli à terra craſſiore ſeparati, & parum calcinati ſeſe habeant, & propterea in iis adhuc ſpiritus vitrioli cum ſale mixtus ſit, non mirum eſt ſi & aperiant, interdum etiam vomitum & alvum moveant, cum ſalis vitrioli maxime proprium ſit alvum movere : Et ſi omnino Crocum martis hoc modo præparatum exhibere liceat, doſis omnino ſit minor, ne acrimonia inteſtina vellicet, aut vomitum cieat, ac alvum turbet, quod Empirico illi apud *Foreſtum* l. 4. obſ. 4. in ſcholio, accidit. *Sennertus cap. de Dyſent: Quæſt. ult.*

VII. Cum alii *Lactis uſum* probent, alij proſcribant, certum eſt alias proſpero ſucceſſu alias infelici exhibitum fuiſſe; hinc *Amatus* cur. 44. centur. 2. ait veneni aliquando inſtar ſe habuiſſe. *Hippocr.* ipſe multis noxium aſſerit 5. aph. 64. *Saxonia* contra in Præl. Pr. ſe eo non ſolum dolores ſuſtuliſſe, ſed & incipientes dyſenterias ſine alio auxilio ſanaſſe teſtatur. Neque rationes deſunt, nam lac imprimis bilis fervorem ſedat, acrimoniam retundit, ac viſcerum æſtum mulcet : quâ infra purgat, bilioſam colluviem deturbat : Sed hæc vel illa præparatio, aut hoc vel illa morbi conſtitutio ſalubre aut inſalubre efficit : Tribus è ſubſtantiis conſtat, Caſeoſa, qua præcipue nutrit, ac ulcerata inteſtina glutinat : Pingui, quâ dolorem levit, digerit oblinit

inteſtina

inteſtina ac adverſus acres humores munit, ſeroſa, quæ abſtergit & mundificat: multis ergo nominibus utile eſt, vices ſimul alimenti & medicamenti ſuſtinens: Ejus tamen uſus cautionibus quibuſdam circumſcribendus eſt: primis ergo diebus crudum ac recens mulctum in uſum veniat, quo bilis deorſum trahatur, ſic jubente Aëtio: Morbo progreſſo, ut fluxus ſiſtatur, præparatione opus habet, ac ſerū cui vis detergendi, tunc temporis inutilis, donatum, decoctione velauti, ſilicum aut chalybis extinctione, abſumatur, ita ſimul pingues ac igneæ partes, in bilem tranſire pronæ, aut alvum movere, diſſipantur: Quid immerſio chalybis conferat, vide ſupra: Quod ſi prohibentia ab Hippocr. 5. aph.64. propoſita ſymptomata, dyſenteriam comitentur, capitis dolor, hypochondria μετέωρα, βορβορύζοντα, febris valida, bilioſa colluvies affatim fluens, a lacte abſtinendum, aut aquæ pluvialis quarta pars affundenda, ac à levi decoctione id exhibendum, modico mellis, ne in ventriculo computreſcat, permiſto: Ita præparatum, ex plurimorum ſententia, præſentibus illis impedimentis, innoxiè præbetur. Nuta maximam cacochymiæ partem purgantibus ante illius uſum excludendam eſſe. *Her. Augenius* tutiſſimum exhibendi modum, quique nunquam fefellerit, eum eſſe ait quem proponit *Aëtius*, quo tamen ad purgationem non utitur primis diebus, quod ſuppetant purgantia tutiſſima, lactis uſu tutiora: Laudat vero in progreſſu, affuſa, inter coquendum, quartâ aquæ parte; idque per tres dies: per tres alios dies lac ad tertias, vel etiam dimidiam partem decoctum exhibet; imo donec duæ partes abſumantur: fatigante febre, admixta aqua pluviali, omne incommodum corrigi ait *Tomol.* 1. *lib.*10. *p.* 239. *Epiſt.*5. Lac præbeatur non obſtantibus bilioſis dejectionibus, aut febricula, modo bilis majori parte expurgata ſit, præterquam quod tollitur incommodum ſi decoquatur vel cum aqua plantag. vel extinctis lapidibus aut cylindris candentibus; facultate enim imbuitur exſiccante & corruptioni reſiſtente, febricula autem, ſi non vehemens, lactis exhibitionem non prohibet: hoc enim conceditur ab *Hippocr.* 5. aphor.57. iis qui non valde multum febricitant. Idem 7. Epid. Critolai filio, cui febris, & alvi dejectiones bilioſæ, qui ſanatus, exhibuit. *Fortis conſult.93.cent.2.*

VIII. Quæritur a quibuſdam an *Caſſia fiſtula* in uſum ducenda ſit pro alvi lenitione? Repugnant quidam, quia leniens ſit & humida, ſic nata potius augere fluxum & morbum quam ſanare: accedit quod ſcribit Meſues, nocere eam iis qui imbecilla habent inteſtina, tandem addunt tutiora hoc tempore extare medicamenta: At pleraque commoda a Caſſia expectare poſſumus, quæ ab aliis non haberemus, eſt enim medicamentum leniens ſed non ex iis quæ liquidiorem materiam faciunt, fæces enim duras excernit: Præterea, ut inquit Meſues, frangit calorem & acrimoniam ſanguinis ac bilis, eorumque inflammationes, mulcetque phlegmonis dolorem, præſertim interiorum partium, inflammatio autem ferè ſemper adeſt, modò parva modo magna, quia in omni ulcere adeſt: Si enim ab Hippocr. & Galeno laudatur lac, probari multo magis hæc poteſt, præſertim ſi aliquid addiderimus quod exſiccet, cujuſmodi eſſe poſſunt ſemina plantaginis, cornu cervi uſtum, & alia Dicitur autem inteſtinis obeſſe, quia humida eſt & lubrica, quod nihil mali facit in dyſenteria, in quà potius ob bilem & acrimoniam inteſtina ſunt exſiccata & exaſperata, quare prodeſſe poteſt, præſertim quia quaſi loricam inteſtinis facit, & ab vlceribus ſordes leniendo detergit: quæ eo magis evenient, ſi ob exſiccationem ulcerum addamus pulveres ſiccantes, & medicamenta ſiccantia, qualis eſt ſyrupus roſaceus (*adde tamarindos frigidos & ſiccos*) & caſſia in minori quantitate exhibeatur. *Rubeus in Celſi lib. 4.c.15.*

IX. Ego ſanctè affirmare poſſum nihil præſtantius *Conf. Kermeſina* me unquam reperiſſe, etiam in ipſis infantulis dyſenteria laborantibus: ſuſpecta quidem quibuſdam ob lapidem lazuli, acrimonia quadam & vi purgante præditum; Quoad vim purgantem, Meſues à ʒiß. ad ʒij. exhibet, Braſſavolus ad ʒj. An verò confectio ex illo facta, in tam exigua quantitate qua exhibetur, alvum movere poſſit, patebit ex compoſitione, Confectionis ʒj. grana duo cum dimidio circiter lapidis lazuli habet: In præſcribendis autem medicamentis dozim ʒß. vix unquam excedo: hinc non video quomodo tantula quantitas alvum movere poſſit: De acrimonia lapidis audiatur Ioubertus, *Lapidis cyanei lotione contentus eſt author, primo aqua dulci poſt triturationem, idque tricies, quaſi terendo, ſemperque innovando aquam, & poſtremo decies enim aqua roſacea: Nos aute lotionem uſtum eſſe volumus, ut cathartica vis omnis abſumatur, ea ſuperſtite qua exhilarare & cor recreare creditur, abſumptis forſitan aut repreſſis vaporibus melancholicis. Fabritius Hildanus centur.6.obſer.23.*

X. In *Dyſenteria ex pituita ſalſa* à capite defluente, cautè agendum circa adſtrictoria remedia: cum enim hujuſmodi dyſenteriæ ultra 14. & plures dies protrahantur, non deſunt ex Medicis qui putant ultra 14. diem adſtrictoria tuto adminiſtrari poſſe: Sunt autem in magno errore, Dyſenteria enim ex pituita ſalſa tamdiu perdurare poteſt quamdiu capitis intemperies, ſalſam pituitam gignens, eandemque ad inteſtina demandans: Itaque elapſo anno duos curavi ægros, qui in ophthalmiam, & contumaciſſimos dolores articulorum inciderant ex importuno uſu remedij adſtrictorij, adminiſtrati in dyſenteria ex pituita ſalſa. Igitur in hoc caſu revellendus potius eſt humor ad nares, ad occiput aut ſincipur, cauteriis, ſinapiſmis, aut cucurbitulis: alteranda cerebri intemperies, tunc adſtringentibus utendum. *Saxonia Prælect. Pract. cap.proprio.*

XI. Etſi *mel* abſtergendi vim habeat, & à *Dioſcor.* & *Gal.* in ſordidis atque profundis ulceribus laudetur, quia tamen tenuium eſt partium, & facilè in bilem vertitur, nec non alvum ſua acrimonia ad excretionem irritat, ipſius uſus debet eſſe modicus: Multum præterea ut ipſi aquæ admiſceatur, coquatur, & continuò deſpumetur, vult Gal. ſic enim acrimoniam deponit, neque ita alvum irritat: Ex ſaccharo, finum non eſt eligendum, in depuratione enim additur lixivium ex calce viva confectum, à qua acrimoniam acquirit, ita ut ſitim exciret, ſanguinem adurat, bilem gignat & caput gravet. *Bauhinus Tract. de Medic præparatione:* Eligatur ergo ſaccharum miſcellum, Gallis *Caſſonnade dictum.*

XIII *Nux moſchata* ob diverſas facultates in hoc malo utiles valde commendatur; Terreſtri enim ſubſtantia adſtringit, roborat viſcera, exſiccat, cicatricem inducit; oleoſa ſubſtantia dolores lenit, inteſtina oblinit, ne ab humorum acrimonia lædantur: aromatica qualitate hepar & ventri-

culum ac ejus orificium roborat, flatus diſcutit: Vbi ob febrilem calorem aliquid mali ab ejus caliditate metuitur, ſtupis cannabinis involuta, ſub cineribus calidis leniter torrenda, vel potius aſſanda; non vero, ut vulgo fieri ſolet, in lamina ferri candente torrefacienda, cum non ſolum oleoſa pars hoc modo pereat, ſed aduſtione quoque acrimoniam facile acquirere poſſit: *Sennertus.*

XIV. Remedium mihi frequentiſſimum, & feliciſſimum, pluribus etiam Medicis notum & conſuetum, non reticendum eſſe duco, quod eſt adminiſtratio *Aquarum naturalium potentia refrigerantium*. ex his enim duo, & præcipuè in dyſenteria bilioſa, habemus, alterum refrigerationem jecoris; alterum (quoniam ſunt hæ aquæ quoquo pacto adſtringentes) quod prohibendo fluxum, dant tonum viſceribus & faciunt ad curam ulceris: Harum tamen non indiſtinctus ſit uſus, non enim tutum eſt has exhibere ubi materia peccans multa ac copioſa in corpore abundaverit: nam ſi talis materia vi hujus medicamenti intercipiatur, alterum duorum ſequetur, ſcilicet, vel quod hæc eadem materia retenta ad alias partes convertetur, & inde fient aliquando ægritudines lethales, converſa hac ad nobiliora membra: aut ſi non ad nobiliora, ſed ad minus nobilia vergat, morbos quidem minus lethales, graves tamen prodit: vel detenta hæc materia acrior redditur, in majorique mole cumulatur, unde quandoque majori impetu poſtea ruens, eſt in cauſa deterioris dyſenteriæ: quare uſus talium aquarum erit cum pro parte evacuata materia in minori erit mole, quo tempore opportunum erit has exhibere, cum ex his tum & refrigerationem jecoris, & viſcerum robur, & fluxionis interceptionem, & ulceris ſanationem tutò habere poſſimus: Quod ſi à Dyſenteriæ principio, nec copia excrementorum adſit, nec eorundem pravitas inſignis appareat, tuto etiam tunc temporis exhiberi poterunt, mihique ſæpe fuere in uſu, qui adeo felicem harum thermalium aquarum adminiſtrationem habui, ut his oportune exhibitis, nunquam aliud pro curatione dyſenteriæ efficacius remedium deſideraverim: teſtorque me his aquis adminiſtratis fere nunquam ſpe concepta fruſtratum eſſe: Vtor autem aqua Inneidulenſi, eam exhibendo & in potu & in ciborum præparatione & etiam medicamenti loco, in uſu clyſteriorum adminiſtrans: Maximam autem ventriculi rationem habeo, quem ſemper roborare, defendere contra frigus aquæ, procuro; ſi ſummè debilis ſit, prætermitto. *P.S.Diverſus Notis in Altimar.c.76.*

XV. Illud memoriæ mandandum, quod medicamenta omnia quæ ex *opio, hyoſcyamo, mandragora*, aut *nigro papavere* cōponuntur, ob id ſuſpecta ſunt, quia licet ſomno dolorem levare videantur, ideoque ventrem firmare, tamen humores in unum collecti poſtea ſine intermiſſione deiiciuntur; capiteq; gravato, ac viribus labefactis ventrē deterioris cōditionis reddunt; quare vitentur iur juxta Trallianū, niſi fortè maximè urgeat doloris aut vigiliarū neceſſitas, tunc enim ad Philoniū Perſicū, aut Romanum veniendum, quod tamen innocentius clyſteribus immiſcetur. *Zecchius conſult.37.* Opiatorum ritè præparatorum inopia, Narcotica hactenus ſuſpecta reddit, at Laudani, debitè compoſiti, felix in pluribus morbis uſurpatio, Narcoticorum uſum abrogare vetat: *Narcotica per os aliquando exhibita*, ait Riverius in Pr. *mira præſtant, dolorē ſedant, fluxum cohibent, ſomnum conciliant, & ſic quoque vires reficiunt: at multò erunt utiliora ſi adſtringentibus & roborantibus miſceantur*: Quo fructu in uſum duxerit teſtantur ejus obſervationes 44.84. centur. 2. & 24.centur.iij.& 87.cent.4. Ejus efficaciam oſtendit Horſtius l.xt. obſ. iij. *Quæ tormina*, inquit, *non tantum, ſed etiam dejectiones excedentes ſanguinis, nunquam non etiam laudabilis, dyſenteria generent, notum eſt, quibus plures naturæ debitum ſolverent, niſi per opiatorum uſum iiſdem ſuccurreretur: quod anno ſuperiori Nobilis fœmina confirmavit, quæ judicio adſtantium ad extrema redacta per grana 3. vel 4. laudani noſtri ſic refecta fuit, ut brevi poſt ſanitati reſtitueretur.*

XVI.*a.* Ut præpropera & nimius *Adſtringentium* uſus noxius eſt, cohibito intēpeſtive humorū fluxu, durataque alvo, unde perpetua ferè ejus adſtrictio & ſiccitas ſuperſtes eſt, ſic tempeſtivus omnino neceſſarius, quo reſtibilis ῥωμαλέως δέξβευς tollatur, & retentrix, cujus infirmitas alvi fluxum fovet, roboretur. His autem conditionibus iis utendum, 1. monente Cratone, ante ſeptimam diem in uſum ne veniant, neque intus neque foris, priuſquam ulcera inteſtinorum probe abſtergantur. 2. alias frigida, aliàs calida eligantur, obſervata humoris indole. 3. refrigerantia calidis & coctionem roborantibus corrigantur, aſſiduo enim fluxu ventriculi & inteſtinorum calor minutus eſt, index eſt excrementorum cruditas. 4. parca doſi at crebrò exhibeantur; priùs, ne fluxus citius ſiſtatur, ac quo medicamentorum vis facilius ſuſcipiatur à natura: poſterius, ne à fluentibus humoribus abripiantur priuſquam vim exſerant. 5. à lenioribus & imbecillioribus ſemper initium fiat, dato ſolo dyacydonio, aut miva Cydoniorum compoſita. *In genere notandum* ait Hartmannus, *nullam ſubito reprimendam & retinendam eſſe, niſi forte in Phthiſicis & Peripneumonicis.*

XVI. *b.* Hoc unum, illudque maximi momenti, minimè omittendum, Dyſentericis interdum fæcalia recrementa in multos dies retineri; tum quia dolores & vigiliæ, morbo huic familiaria ſymptomata, impenſe ſiccant: tum quia adſtringentia medicamenta, quibus ad compeſcendum fluorem utimur, pigram alvum ita reddunt, ut fæces maximo cum laborantium incommodo diu retineantur, licet cruentam ſaniem ab ulcere manantem ſæpius venter deiiciat, quod quidem à nemine hactenus fuit obſervatum: quare hoc in caſu ex temporum intervallis, vel laxantibus clyſteribus, vel medica mento alvum blandè ſubducente per inferna vacuandum. *Zecchius conſult.37.*

XVII. Monendum in dyſentericorum *Clyſteribus*, liberalius aridis non utendum, qualia ſunt *ſanguis draconis, corallium, trochiſci albi Rhaſis* & *de ſpodio*, nam dolores majores concitant, & ſæpe novam fluxionem: quod ſi quis talibus uti velit, unguentum album Rhaſis, aut unguentum ex pompholyge, vel ea quæ ſicca ſunt *& lenta eligere*, *ut bolum armenam, terram ſigillatam, amylum* &c. Mercatus de Iudicat.lib.1.c.31.

XVIII. Inutilia quidam judicant *Topica*, quod eorum vis cutem, muſculos abdominis alioſque obices traiicere non valeat, imò noxia, expreſſione ab iis facta humorum in ambitu exiſtentium, ad inteſtina: Galenum teſtem adducunt, qui 1. ad Glauc. c.14. quò magis cutis denſata fuerit, eò magis fluxum augeri aſſerit. At his experientia opponenda, quæ ſæpe oſtendit ab eorum uſu fluxum ſuppreſſum

fuiſſe:

fuiſſe : Error eſt metuentium humorum ad inteſtina confluxum per vaſa exteriores abdominis partes perrepantia, illac enim iis via non eſt ſed per meſaraica, quæ adſtringentium vi conſtricta humoribus tranſitum negant : Galeni autem mens eſt, ubi à toto habitu (conſtrictis poris cutis) humores corriguant, alvi fluorem poſſe contingere, atque ea de cauſa refrigerandos eſſe : Circa uſum tamen monendum in obeſis, ab iis parum opis expectandum eſſe, quod penetrare nequeant atque ſ͡ɀuu iis dandum, acetum ſcilicet, aut vinum album, ne craſſitie partium vias ſibi ipſis præcludant, aut frigore nimio actuali vel potentiali : Notandum quoque, ea Actio, non innoxie ea adhiberi in dyſenteria à bilis acredine genita, & in cancroſis ac malignis ulceribus, quod aquoſam partem abſumant, mordaci relicta *Senn.*

XIX. Urget ad prohibendum *Balnea & Inſeſſus Hippocr.* authoritas, qui 3. *de rat. vict. in acut. t.* 39. Fluente alvo balneum non concedit, quia fundit & liquat ſuccos, ac laxat & humectat inteſtina : Revera ubi excrementis corpus ſcatet, atque alvus ſponte effunditur in fluorem, ad corporis ambitum illa revocanda non ſunt, ne ibi cohibita malitiam ulteriorem acquirant, poſtea majori impetu & periculo ad inteſtina ruitura, vel morbum graviorem excitatura : Si autem humorum ſarcina ex parte corpus levatum ſit, ac à fluoris pertinacia periculum immineat (effuſione utilium ſimul & inutilium ſuccorum) intrepidè humores inteſtina petentes ad habitum retrahe, ope Inſeſſus, ſi modo is actu frigidus non ſit, quippe qui denſata cute humores intro pelleret ; at actu ſi caleat, ii ad habitum allicientur, dolores lenientur, ac adſtrictoria vi fluxus ſiſtetur. Annexus quoque totius marcor, ulceris inteſtinorum ſuccedaneus, vel ſolus balnei uſum inſinuat; præſertim ſi calor hecticus jam ſit impendens, quandoquam ab ulcere foveatur, qui balnei tantum efficacia extingui poteſt? Hac tamen lege Inſeſſus in uſum ducatur, ſi fomenta, cataplaſmata ac reliqua topica inefficacia fuerint; At ſi dyſenteria ſit maligna, ſi febris putrida juncta ſit, nemini non patet ea balnei uſu plus detrimenti quam beneficij acceſſurum.

XX. *Galenus* 4. aphor. 26. tres dyſenteriæ gradus ſtatuit, quorum tertius eſt cum inteſtinorum partes adeo magnæ excernuntur, ut ipſæ carnis appellationem mereantur; qui caſus deſperatus eſt, niſi ad valentiſſima fiat tranſitus : ubi enim corruptionis partis metus imminet, neceſſitas ad uſum eorum quæ putrilaginem abſumant impellit, Suadente *Galeno.* l. 9. de compoſ. medic. ſ. l. 2. & 9. de ſimpl. med. *facul.* c. 5. ſequitur *Avicenna* & alii : Firmat exemplo *Rhaſes* : Quidam, inquit, nomine Ginazir clyſteravit Notarium cum pulvere citrino, in quantitate aur. pond. 1. admixto in ℥j. ol. roſ. crudi : unde præcepi ut clyſterizaret eum cum ſublimato : Dixit quod reverſus eſt fluxus de centum ſellis ad decem ; & convaluit per decem dies ; deinde rediit paſſio, & per eandem curam iterum convaluit. Increpat tamen veteres *Rondoletius* qui hæc per clyſteria infundere impetant, quum in reliquas inteſtinorum partes æque agant ac in ulceratam, At quum ex acerrimo humore maligno viſcera erodantur, & aliæ partes exulcerentur, ex multorum obſervatione ; præſtat in conclamato morbo cauſtica, ad inducendum cruſtam, infundere, correcta tamen & macerata, ac exigua quantitate, quia major eſt utilitas quam noxa; & hæc melior quam mors : Inter præſidia autem à Græcis propoſita, quæ non ſine delectu in uſum ducenda ſunt, numerantur trochiſci Fauſtini, Andronis & Paſionis, aliiſque : In iis *Fauſtini* ſunt adeo vehementes ut uſum diſſuadeat *P. Salius Diverſus*, notis in *Altimar.* c. 84. Trochiſcos autem *Andronis* valde probat, aſſerens ſe his feliciter in pluribus pravis & depaſcentibus uti. Dyſenterici clyſteribus ex lacte chalybeato, diſſolutis arſenici gr. iv. & iij aluminis, ſanati exemplum vide apud *Zacut. prax. adm. l.* 2. *obſerv.* 20.

XXI. An ad omnem dyſenteriam convenit *Vinum auſterum?* reſpondeo ad eam ſolum valereque accidit ea primigenia affectione laborantibus inteſtinis, ut in coacervatione putris pituitæ conſentaneus eſt vini auſteri uſus : Non convenire illi quæ fit ex hepatis inflammatione cum febre, cujus febris focus eſt hepar : quia, ut ait Hippocr. hæc vini & carnis abſtinentia curatur, ſoloque ptiſanæ & ſyrupi violati uſu : Ruſus in critica dyſenteria ſenum non exhibebis hoc vinum : Nec in dyſenteria quæ eſt ex anadrome lumborum, quia in hac bilis eſt ſegregata à ſanguine. *Heurnius comm. in text.* 7. *l.* 2. *de rat. vict. in acut.*

XXII. Quia curaturi Medici conſilium non ſolum in præſentem ægri ſtatum, ſed etiam in futurum dirigendum, ſciendum quod licet dyſenterici a *victus tenuis*, inediaque prioris diebus ea uſu ſit, progrediente tamen tempore ex doloribus, vigiliis, atque deſidendi frequentia cum vires deiiciantur, paulo plenius poſtea ægrum nutrire expedit : hunc in uſum ſtillatitia ex carnibus, cum ſimplicibus adſtringentibus aſſatis : vel juſcula in quibus carnes contabuerint, conſummata vocant, tunc utiliter propinantur. *Zecchius conſultat.* 37.

XXIII. *Impudens ſcortatio* difficultati inteſtinorum medetur, ait *Hippocr.* 7. Epid. ſub finem: quod abſurdum, ut pleríque intelligunt, in morbo qui ſuapte natura vires deiicit : Potuit fortaſſe, ut in illis temporibus, in quibus, ut ait Cicero lib. 1. de nat. Deor. cap. 10. concedentibus antiquis Philoſophis, adoleſcentulis delectabantur ; potuit, inquam, in tanto vitiorum cæno, caſus talis fuiſſe quem notaverit Hippocrates &c. *Rubeus in Celſum l.* 4. *c.* 15.

XXIV. *Adſtringentia clyſteria* non æque tuta ſunt ac *Porsonos*, quapropter clyſteribus admiſcere quæ adſtringunt, neque temere, neque cuiquam tentare licet, cum preſſius quæ erodunt, eis adhibitis, adhæreant inteſtinis, majoremque ſubinde exulcerationem & majores cruciatus concitent : Audiatur Galen. lib. 9. c. 5. κατ. τ. *Si ulcera ſint inflammationis expertia, idem genus ablutionum erit accommodatum, verum vis adſtringendi erit parum intendenda, non tamen multo major eſſe debet, quandoquidem in his quaque adſtrictio modum excedens, mordicationem affert, & ulcus provitat, & eo adigent ut vel inflamentur vel humectentur. Mercatus Pract. l.* 3. *c.* 11.

XXV. In omni ventris fluxu, una cum excrementis caloris nativi effluit plurimum, unde ventriculum refrigerari, & facultatem concoctricem labefactari contingit : Nec dubitandum in dyſenteria, quin crebra refrigerantium clyſterum injectione, per inteſtinorum continuitatem ventriculus quoque impenſius refrigeretur : quod & flatuum multitudo, & cruda excrementa declarant : Ideo veteres dyſentericis medicamentis adſtringentibus calefacientia, & concoctoria addebant, abſynthium, menthам, caſtoreum, maſtichen &c. vel quæ nativum calorem frigidis extingui prohiberent. *Aug. Ferrerius caſtigationum cap.* 26. *ex Mercato cap. de Dyſenteria.*

XXVI. Quemadmodum in Dyſenteriæ curatione, revellendi gratia, utimur frictionibus & ligaturis partium ſuperiorum ; ac ſimiliter quærimus

elicere ſudores & provocare aliquando vomitum; ita etiam juxta *Galeni* doctrinam, humores noxios per vicina loca, *lotio deducendo* ſamulantis, irritare expedit; ſed cavendum ne periculum unum accerſat alterum; duplex enim inde impendet, primum à Celſo notatum l. 4. c. 15. *Si ea quæ urinam movent conſequuta id ſint, in aliam partem humorem avertendo, proſunt. Si non ſunt conſequuta, noxam augent: Itaque ſubjungit, niſi in quibus promptè id facere conſueverunt, non ſunt adhibenda.* Alterum periculum eſt ne loca & vaſa uretera, multò inteſtinis anguſtiora, convocatis ad illa ſuccis acrioribus, abradantur & ulcerentur, ſicque dyſuria dyſenteriæ ſuccedat: Præcavent periti pericula, diuretica longè à morbi initio exhibentes derivationis ergo, acciſaque multitudinis humorum parte, præſcriptiſque, non verè diureticis, ſed cum frigiditate & humiditate lenientibus: Lumbricos terreſtres in id commendat *Hildanus.*

XXVII. In Dyſenteria maligna & epidemica, *bezoartica & ſudorifica* multum poſſunt, compertum enim eorum uſu, vacuata materia, dyſenteriam ceſſare, ideo mox ab initio, & dum reliqua fiunt, humoris peccantis natura advertenda eſt: ſi enim is malignus ſit, ut in dyſ. Epidemica, fruſtra laboratur reliquis medicamentis, niſi ſimul, & quidem ſtatim initio, alexipharmaca exhibeantur. *Riverius pract. c. proprio.* Cum intus adminiſtrantur frigida ſtyptica, extra adhibenda quæ poros dilatant ac ſudare faciunt: *Savonarola:* In id enim incumbendum ut acres vapores, qui in venis extremis continentur, liberè expirent: vide Fabritium Hild. l. de Dyſent. c. 10.

XXVIII. Nonnulli conciſum *Rhabarbarum* in taleolas, in ſartagine aut lamina ferrea, ſupra carbones candentes parum torrefaciunt; at ſic ad purgandum inefficax evadit, (purgandi vi uſtione exolutâ) acrimoniamque acquirit: Non ſunt imitandi, *inquit Rondeletius l. 2. c. 20.* Medici quidam noſtri temporis, qui ſolent purgare hoc modo, Rſ. *Rhei* torrefacti ʒj Myrobal. citr. torrefactor. ℈ij aquæ plantag. ℥ij ſyrup. de roſis ſiccis ℥j. addunt etiam ſemen naſturtij: peccant enim, tum quod humorem vitioſum retinent nimis adſtringentibus; tum quod ſemine naſturtij, & reliquorum aſſatione, medicamentum reddunt acrius ob empyreuma: adde etiam quod vis rhei & myrobalanorum exolvitur uſtione: Initio ſoleo quandoque dare fortem expreſſionem rhei, deinde rheum in tota ſubſtantia: Si ſebris magna fuerit, aut ardor vehemens, addimus pulpam tamarindorum, vel ſemina berberorum, ad obtundendam bilis acrimoniam: Datur rheum infuſum potius quam in ſubſtantia, vel aſſum, ut à venis aliquid trahat, cum ſyrupo roſ. laxat. *Rondeletium* ſequitur *Platerus* & alij, de aſſatione rhabarbari, morbi initio, non adeo ſolliciti, qui potius viribus potiùm integris meritò ſuadent, quia ſic materia peccans melius eliciatur: quod ſi neceſſitas iteratam rhei exhibitionem poſtulet, atque adſtrictio neceſſaria ſit, eo in caſu leviter torreri poterit.

XXIX. In ſectione quamplurimorum dyſentericorum, ſanguis in inteſtinis tantum craſſis obſervatus fuit: cur autem in craſſis ſolum, & non in tenuibus, nulla alia ratione crederem, quam quod humor corrodens in ſuperioribus inteſtinis facillimè fluit, unde non poteſt fieri excoriatio & corroſio, ut accidit in craſſis, præcipuè in colo, ubi ob anfractus maximè ſtagnans morbificus humor, ſupra modum corrodit tunicas: Ideo clyſteres abſtergentes, aquaſque Thermales optimas judicarem, ſicut inveni: habita tamen, & non neglecta cauſæ morbificæ ratione. *Panarolus Pentec. 1. obſ. 9.*

XXX. In fluxu Dyſenterico ſtatim ab initio *Clyſteres ex decocto capitis vervecini* multi adhibent, quo ulcera ſordeſcere dubium non eſt, quod ad cacoethiam & nomas plane ducit: ſatius eſt ab abſtergentibus auſpicari, & paulatim ad adſtringentia & glutinantia gradum facere: pingues enim ſymptomatis tantum cauſa, id eſt doloris, in uſum veniunt: Id notat Gal. 12. meth. *In Dyſentericorum dejectionibus, ubi vehementer rodunt, vel tragi ſuccum, vel hircinum ſevum, vel roſaceum ceratum per inferiora infundimus: quibus utique præſidiis ipſa exulceratio inteſtinorum non ſanatur, maxime ſi putreſcens aliquid habeant, ſed viros interim conquieſcunt: atque id eſt contra ſymptoma inſtare, morbo ad id tempus neglecto.* Quo ſermone non ſolum reprehenduntur qui purè pinguibus utuntur, ſed & qui ſevum hircinum, ubi dolor non infeſtat, cæteris admiſcent; ſed & qui ſevum ſiccare putant. *Augerius Ferrerius Caſtigat. c. 25. Pinguium* cenſui vitellos ovorum adſcribe, a quibus, & pinguibus, inflammatio augetur. De ſevo monet Crato in Analogiſmo, ne unquam abſque oleo Medici utantur.

XXX. *a.* Sequuta evacuatione, mox *alteratio, & bilioſorum humorum contemperatio* procuranda; quæ tantæ eſt efficaciæ in Dyſent. curatione, ut in admirationem traxerit *Amatum*, quod juvenis quidam Dyſentericus, ſine Medici conſilio, ſolo gelidæ potu ſanatus ſit: At nobis ceſſat admiratio, Obſervantibus *Celſum* 4. 15. aquam frigidam Dyſent. curandæ, ut remedium optimum propoſuiſſe: Sed hic locum habent decocta herbarum, & ſucci, ſerum, Thermales aquæ, lac: Rſ. *decoct. endiv. lactuc. violar. plantag. portul.* ℥v. *ſucci depur. plantag. portul. ana* ℥j m. pro ſyr. detur per quinque aut ſex dies, vel ℞. *aqu. lactuc. nymph. plantagin. ana* ℥iij *ſemin. papav. alb.* ʒij *m. f. Emulſio*, cui adde *ſucci cydonior.* ℥j *diamarg. frig.* ℈j m. pro ſyr. & ſic pro aliis. A ſaccharo nempe abſtinendum omnino, prout & à melle. *Fortis conſult. 93. cent. 2.*

XXXI. *Galenus* 2. ſimpl. 12. & 14. irridet *Herodotum & Dioclem*, qui quovis tempore dyſenteriæ *adſtringentia* convenire crediderunt: imo profitetur illi intempeſtive ſuppreſſæ melancholiam, inſaniam, pleuritidem &c. ſuccedere poſſe, Opus eſt igitur humorum expurgatione & diminutione; Nec nos deterreat Avicenna, *Solvere ventrem ſupra ventris ſolutionem, timoroſum eſt,* Id enim ſolum locum habet in fluxu ventris critico, qui, ex Hippoc. ſinendus: at in dyſent. fluxum fluxu ſanare ipſe jubet; Et cum à toto detruditur materia bilioſa, non ſolum de lenientibus, verum & de purgantibus cogitandum, à Valleſio, Maſſaria damnatis, ſed forſan in principio, quo & ab ipſo Galeno 13. meth. 12. prohibentur, ſicut probantur ab eodem & exhibentur, ſedato fluxionis impetu ad inteſtina; 4. enim acut. comm. 180. Cacochymiam valido medicamento affatim expurgat. *Fortis conſult. 96. cent. 2.*

XXXII. *a.* Duas virgines conſiſtentis ætatis, per aliquot dies, diverſo tempore Dyſenteria exercuerat doloroſa valde, ob exulcerata à bile flava, pituitæ ſalſæ permixta, inteſtina; materia primo abeunte copioſa, frequenti, liquida, varia, pinguedine poſt modum quadam permixta, quam carunculæ, ſeu portiones quædam veluti carneæ, manifeſte in excretis conſpicuæ inſequebantur; Ambæ tamen liberæ evaſerunt ope mea adjutæ, Inter alia ſalutaris admodum fuit *Balſamus Peru-*

vianus

vianus liquidus, ad inteſtina exulcerata à fæcibus acribus, putridiſque vindicanda ac conſolidanda, clyſteribus permixtus: Singularem quoque nobiliſſimi exotici hujus liquoris virtutem ſum expertus, tum in immoderatis Diarrhoeis, tum in dejectionibus cruentis, quando reliqua parum proficerent. Et ſanè admirandus fuit ejus effectus in adoleſcente qui atrociſſimis ventris torminibus ſæviter torquebatur, prodeunte cum excrementis valde foetentibus ſaniosa materia, inteſtinorum ulcerum indice: Mitigari autem illa nullo pacto poterant, uſque dum clyſterem ſequentem infudi, atque inſuper iſtius Balſami, cum nucleis piscis diſſoluti ℈ß. addito ſyrup. e cortic. arant. ʒij. & ſacch. clarif. ℥ß. exhiberi curavi: Clyſter erat talis ℞. *rad. torment. ſymph. ā ā. ℥ß. h. plantag. burſ. paſt. equiſ. menth. rub. ā ā. m. ß. fl. roſ. rub. balauſt. anthos ā ā. p. j. ſem. ſumach ʒij. coq. in q. ſ. aq. fontis. In col. ℥viij diſſolve ſacch. Thom. ℥ß balſ. Peruv. cum vitello ov. ſolut. ʒj. ſucci plantag. r. expr. ℥ j. m.* Cum patiens mox levamen ſentiret, poſt bihorium iterari juſſi. *Lucas Schroeckius Ephem. Germ. anno 3. pag.* 126.

XXXII. *b* Si valde progreſſa ſit dyſent. & febricula adſit, cautiſſime procedendum in uſu *purgantium*: Ideo ſtatim caſſiæ ℥vj, cum ℥iij pulpæ tamarind. præbendæ erunt, quibus ſuperbibendæ ſeri caprini *ppti* ℔j: Neque verenda cum *Foreſto Tamarindorum* aciditas, tanquam ulcus irritans, quoniam cum a flore caſſiæ, tum à ſero reſtringitur, ut conſideravit Heurnius, atque interim adſtringit & exſiccat ulcus. *Fortis ibid.*

XXXIII. *Ioh. Matthæus Faber* inter varias & doctas obſervationes notatu hanc dignam habebat, In longis *Diarrhoeis Dyſenteriisque* inteſtina inſtar aranearum tenuia reddita eſſe, quare in cura ejuſmodi ſymptomatum tempus diligenter attendendum eſſe; Initio enim purgationem per Rheum inſtitui poſſe exiſtimat; Si autem fluxio diu duraverit, à ſiccis ejuſmodi purgantibus abſtinendum cenſet: Sed ſi forte Medicus, indicatione illa innixus, curam ſic velit abſolvere, tamarindos, ſy. roſac. in id ſufficientem eſſe, alias ſiccitatem augeri, morbum morbo addi.

XXXIV. Dyſentericus fluxus non ſtatim eſt *ſupprimendus*, ſed humor qui inteſtinis adhæret, eaque erodit & exulcerat, abſtergendus & evacuandus ſtatim, antequam inteſtina gravius lædantur, & major exulceratio ſequatur, id quod commodius fieri non poteſt quam Rhabarbari beneficio: Notandum tamen, ſi vitioſi humores nimium ſint fermentati, & orgaſmo ferantur, ac metus ſit ne ex leviſſimo laxativo irritentur, ac majori cum impetu ad partem affectam ruant, Rhabarbarum non prodeſſe, ſed aliquando ægros in certam perniciem præcipitare. *Frid. Hofmannus in Schroders Pharmac p.* 626.

XXXV. *Angenius Rhabarb.* in aqua plantaginis per noctem macerat, mane, facta levi expreſſione, infuſionem abjicit, ſubſtantiam ex ſyr. roſ. ſol. vel ſimili, ex ſero felici ſucceſſu præbet, ſic rhabarb. caliditatem & trahendi vim hebeſcere ait *Septalius* animadv. lib. 7. n. 92. Rhei uſum improbat ob igneas ejus partes, & quod in ſubſtantia ſumptum, tunicis inteſtinorum & ulceribus adhæreſcens, dolores pariat implacabiles: At nullus unquam ea de cauſa rheum ſuſpectum habuit: partes autem illæ igneæ, quas metuit, ſunt in ſucculenta parte, quæ facile à ſubſtantia ſeparatur, ſi inde aliquid incommodi metuatur: Dolores autem illi implacabiles, potius ſunt à bilis acrimoniâ quam a rhabarbaro: Neque ipſi aſſentior, ſcribenti mediocriter torrefactum vehementius & minore doſi purgare quam integrum, cum certum ſit vim purgantem in ſubtili & volatili parte conſiſtere, quæ etiam tritura aliqua ex parte diſſipatur, *Sennertus*. Rheum vehementi uſtione omnem vim purgandi amittit, & empyreuma contrahit: ſi vim ejus magis adſtringentem deſideres, in uſum accerſas partem remanentem poſt tincturæ ejus extractionem, cum aqua cichorij vel plantag. *Frid. Hofmannus Clavis Schroderiane p.* 627.

XXXVI. *Detergentium Clyſterum* tres ſunt gradus, Primus eſt eorum qui parantur ex mulſa cum aq. hordei, & melle roſato: 2. ex aqua ſalita, Tettucciana vel montis Falconis, quæ ſal gemmea eſt, addito pariter melle roſ. 3. Ex muria, addito etiam Aegypriaco, ſi ulcus ſordidum adſit atque depaſcens: Et licet de Muriæ uſu dubitatum ſit, exemplo illius Medici qui ceparum uſu (Galen. 12. meth. 1.) & clyſteribus ex muria omnes dyſentericos curabat, & convulſionibus interficiebat, amethodus enim fuit: attamen in depaſcente & putrido ulcere, non ſolum muria, ſed cauſtica quoque conveniunt, ita conſulente Gal. 9. per loca. 2. ſi calloſum quoque fuerit; Caute tamen & muria & cauſtica ſunt infundenda, tribus nimirum obſervatis conditionibus, 1. in viribus valentibus, 2. nonniſi narcoticis commiſtis, more Galeni, 3. ut clyſteres non detineantur ultra horam, ut monet Aetius. *Fortis conſultat.* 83. *cent.* 2.

XXXVII. Circa omnium *Clyſterum* uſum nos obſervare ſolemus materiæ redundantiam in detergentibus & abluentibus, paucitatem in exſiccantibus, mediocritatem in epiceraſticis, & temporis brevitatem in cauſticis, Atque tandem ſucceſſivum eorundem uſum, adeo ut detergentem ſequatur ſtatim exſiccans, indeque anodynus, ſi dolores urgeant. *Idem ibidem.*

XXXVIII. De *Clyſteribus Abſtergentibus* monet *Septalius* §. 98. lib. 7. Medicos qui initio Dyſ. ſæpe mucoſitatibus quibuſdam apparentibus ad abſtergentia confugiunt, in errore verſari, quia mucoſitas ejuſmodi adventitia non ſit, nec p. n. à natura indita ut muniantur inteſtina à bile quæ cum fæcibus in dies evacuatur: Ideo curam adhibendam monet ut mucoſi & vitioſi humores, à capite aut ventriculo defluentes ad inteſtina, ab ejuſmodi mucoſitate diſtinguantur, quam à præternaturali diſtingui putat, quod hæc frequentius cum pinguedine conjuncta eſſe ſoleat, & cum raſura aliqua interioris tunicæ, atque tunc non ſolum eſſe abſtergendum ſed potius incraſſandum pinguibus & viſcidioribus injectis: At cum nulla ſit in inteſtinis pinguedo, falſum hoc eſt ſignum, quo muſcoſitatem naturalem à pituita p. n. diſcernere jubet: Et raro mucus ille naturalis copioſius excernitur, nec ita craſſus eſt ut pituita vel pus quod in dyſent. dejicitur: Et abſtergentes clyſteres, qui initio injiciuntur, raro tam acres ſunt ut inteſtina abradere, & naturalem iſtam mucoſitatem ab iis abſtergere poſſint, ſed abluendo potius inteſtina, ac detergendo bilem, præcavent ne ab ea inteſtina abra-

dantur, Non inutile tamen fuerit poſt abſtergentes clyſteres, eos qui ex emplaſticis medicamentis componuntur, quique internam inteſtinorum ſuperficiem contra affluentis humoris morſum & acrimoniam oblinunt, uſurpare, quomodo omnia ea quæ metuit Septalius præcaventur, *Sennertus.*

XXXIX. Si ulcus adſit profundius, vel ſordidius, non ſolum *abſtergentia* uſurpanda ſunt, ſed & mundificantia ulcus, implentia & glutinantia: mundificantia autem mitiora ſemper uſurpare oportet, præſertim ubi exulceratio exigua eſt, ne fortiorum uſu humores, ſua natura mordaces, acriores ac deteriores reddantur, & temperies ac calidum nativum inteſtinorum lædatur. Si exulceratio ſuperiora occupet, mitioribus quam in inferioribus utendum: Si ab eorum uſu dolor exaſperetur, reddito clyſtere alius ex lacte, dolorem leniens, injiciatur. *Idem.*

XXXX. Nonnulli in Dyſentericis *Opiata Clyſteribus* indunt, ſed male, *Minadous* enim, Patavinus Doctor, obſervavit omnes illos qui de conſilio medicorum opiatis uſi fuere clyſteribus, mortuos eſſe; Ratio eſt, Quod ulcera inteſtinorum ab opiatis putridiora & ſordidiora redduntur. *Frid. Hofmannus m. m l.* 1. *cap.* 10.

XXXXI. Dyſenteriæ *D. Pilonus* nunquam *Adſtringentibus* medebatur, quia obſervavit omnes quibus ita ſiſtebatur, vel in recidivam incidiſſe, vel febrea & pleuritidem: Nec ſudoriferis utebatur, quod calorem membri tranſmittentis augere putaret; ideoque lenientibus tantum & V. S. morbum curabat. *Velſchius.*

XXXXII. *Thomas Minadous*, Medicus & Profeſſor Italus, ſe obſervaſſe aſſerit omnes Dyſentericos, quibus ex conſilio Medicorum *Laudanum opiatum* oblatum, defunctos: poſt eorum uſum ulcera magis putrida & ſordidiora reddita, ex longiore mora materiæ purulentæ & noxiorum humorum: Iſtud admonitum maneat alta mente repoſtum pro cautela. *Aug. Thonerus lib.* 3. *obſervat.* 10.

XXXXIII. Matronam ex ſuppreſſis menſibus Dyſenteria corripuit: Pro ejus curatione, dubitatum inter Medicos ex qua parte ſanguis hauriendus: nam ſi e cubito vacuas, menſtrua retrahis, licet dyſenteriæ occurras revellendo ſurſum: ſi talum ſeces, & ſi ad originem fluxionis revellis, naturam & ſanguinem deorſum præcipitas & fluxum auges, *Mercatus* in ingenti plethora cubitum ſecat; in contrario caſu talum tundere jubet, ſed inepte, nam in grandi plenitudine, aut paulo ſuppari, ſemper ſaphena ferienda, quoniam plenitudinem demit, menſtrua provocat, & ſuperas partes evacuat, quæ exhauſtæ ab inferis ſugunt, & fluentem ad inteſtina ſanguinem ſurſum revellunt: Sic celebrata eſt vacuatio in fœmina hac, quæ poſtea abſtergentibus infuſis, & rhei uſtulati uſu melius habuit. *Zacutus Pr. adm. l.* 2. *obſerv.* 19.

XXXXIV. Adoleſcens xx. annos natus circa finem Auguſti 1643. laboravit dyſenteria per xx dies, quam nullo remedio oppugnare conatus eſt, donec ad Xenodochium deductus ſumpſit ex præſcripto Medici ſalis vitrioli ʒ j, in aqua diſſolutam, multa evomuit pituitoſa & biliosa, ſicque facta eſt revulſio humoris ad inteſtina defluentis, & hoc ſolo remedio curatus eſt. *Riverius cent.* 3 *obſ.* 9.

XXXXIV. *a* Dyſenteria tribuenda tum Bili abundantiori & acriori (aëris æſtui debitæ, ſicut alias plerumque ab eadem ortum habet Diarrhoea biliosa) tum Succo pancreatico acidiori, partim à ſimilium nimio uſu & abuſu, partim à ſubſequente menſe Novembri frigore acri, orto: In Dyſent. namque ulcerantur exeduntur que inteſtina: fitque tum ſanguinis, tum maxime puris excretio copioſa: unde à tali cauſa producantur quæ inteſtina exedere, atque ulcus excitare apta eſt nata, Ergo ab humore acido: Quotquot proinde à ſola Bile, quoquomodo per ſe corrupta & acriore facta, Dyſenteriam deducunt, toto coelo errant: poſtquam *ſal lixivum bilis* acerrimum factum, gangrænam quidem tum alibi, tum in tenui inteſtino excitabit, nunquam ulcus; Eſt enim ulcus Acidi, non Lixivi effectum: unde niſi Acidus, & quidem Acris humor jungatur Bili, nunquam efficietur ab ipſa Dyſenteria, quam ſolam humor valde Acidus & Acer ad inteſtinum delatus producet: Hinc quoniam illud acidum auctius ortum habuit, nunc a medicamentis acidis, perperam & nimia quantitate uſurpatis, Nunc ab aëris frigore ſummo, menſe Novembri valde urgente, illi Curandæ conduxerunt. 1. Vitatio aëris frigidioris & Acidi; 2. uſurpatio medicamentorum Acidum concentrantium & abſorbentium, *Corallior. Margar. Ocul. cancri, Creta*: quin ad eroſa inteſtina, & vaſa conſolidanda citius, *ſangu. dracon. lapid. hamat.* &c. 3. Eroſorum inteſtinorum Abſterſio & Conſolidatio per *Enemata ex lacte bub. Tereb. Venet. ovi vitello & melle roſ. parata*, & ſemel aut iterum injecta, quin tamdiu in corpore retenta quamdiu commode fieri poteſt, quo illa mora plus commodi afferatur ægris. In quem finem interne poterunt uſurpari *Theriaca rec. Diaſcord. Fracaſt. &c. Sylvius Append. Tract.* 10. §. 296. & 772.

XXXXV. Dum humores bilioſi diminuuntur, eodem tempore humorum contemperatio nunquam omittenda, & ulceris ratio habenda: Utrumque vero præſtare poſſunt *aqua Thermales* acidulæ ferratæ; Inter quas nos ſæpius Villenſibus uſi ſumus feliciter, primis diebus cum vehiculo dejectorio, ſyr. roſ. ſolut. cum decocto Tamarindorum pulpæ, ad ulceris deterſionem & exſiccationem, Mox cum diuretico, nimirum ſpiritu vitrioli, quarum uſui inſiſtendum x. vel xij diebus. *Fortis conſult.* 93. *cent.* 2.

XXXXVI. Satis indicat *Galenus* contra *Herodotum*, quantum noceat intempeſtivus *adſtringentium* uſus: Supprimitur quidem declinante morbo, & ne materia in partem nobilem verſa injuriam afferat, imperantur adſtringentia miſtis aromatibus, & iis quæ urinas moveant: ſic enim diverſo humore ad urinas, ulcera celerius poſſunt ſaneſcere: Et quantum licuit cognoſcere experientia, alios vidi ſuppreſſa intempeſtive dyſenteria in epilepſiam incidiſſe; alios in pleuritidem, Cuidam quoque converſa materia ad manus, fœdam denſamque ſcabiem confertim invexit: Nonnulli medicamentis adſtringentibus ſic adſtricti, ut inde ſiccatis inteſtinis, vix quarto quoque die poſtea dejecerint. *Hollerius in Coacas pag.* 876. Anno 1659. vagata eſt in Helvetia dyſenteria epidemia, Ea prehenſa uxor cujuſdam nomine Bedoz, in pago Courcelles, ditionis Necomenſis, Illico ad adſtringentia confugit, quorum uſu ſuppreſſa, ſed recurrentibus

[illegible]ibus humoribus ad genu dextrum, id tumidum ad mo[illegible] uſque remanſit.

XLVII. *Cera* in pomo aſſo vſus multum laudat[illegible] & medicamentum hoc hodie non infrequens Valleriolæ lib. 3. obſer. 4. innotuiſſe puto. Etſi aut[illegible] Se[rapio] ſcribat Ceram non eſſe ex medicamentis quæ corpus ingrediuntur, ſi tamen ii odorate ſu[illegible]tur [illegible] habet emplaſticam qua agglutinare u[illegible] int[illegible]orum, & lentore ſuo lenir[e] poteſt: Dio[sc.] [l.] 2. 76. cam dyſentericis in ſorbi[illegible] d[illegible] dicit: Etſi vero putat Valeriola vim ce[illegible] re[illegible]ina ulcerata pertingere non poſſe, q[illegible] aſſi[c]ie ſua & emplaſtica vi in primis hæreat p[illegible]s, glutinis modo ſeſe affigens, tamen quo m[illegible] id fiat, pomum aſſatum facit cujus ſubſtantiæ [illegible] minima permiſcetur, quæ ipſi loco vehiculi eſt: Malum cydonium eligit Valeriola, ut ſimul adſtrictoriam & glutinatoriam vim idem medicamentum habeat, ſed forte Pomum convenientius eſt, quod aptiſſimum vehiculum eſt ad ceram per inteſtinorum gyrum deduc[e]ndam. *Sennertus.*

XLVIII. *Cibi* ſint *ſimplices*, facilis coctionis; qua in re vulgus ſæpe peccat, qui dyſentericis cibos duriſſimos & difficilis coctionis exhibet, modo vim aſtringendi habere videantur, atque ita cruditates & malum auget. *Sennertus.*

XLIX. Quantum ad *Potum*, parce bibere præcipuum auxilium eſt: *Paulus* & *Aëtius* aquam pluvialem præbent, in qua fructus [a]ſtringentes ſint decocti, præſertim ſumach; acetoſa, plantago, ſed hæc nonniſi æſtucis convenit. In noſtris regionibus uti is eſt cerevitia pura: Amatus Luſit. cent. 2. Obſervat 46. refert Iuvenem bilioſum, cum bilioſis dejectionibus, vigente æſtate, dyſenteria affligi cœpiſſet, cumque Medicorum conſilio deſtitueretur, copioſiore aqua frigida uſum, atque inde ſanitati reſtitutum fuiſſe; Quod tamen nonniſi in regionibus calidis, tempore calido, & bile valde abundante, imitari licet: Vbi vires deficiunt, vinum adſtringens rubrum, aqua fontana ſi opus ſit, in qua chalybs vel aurum ignitum extinctum ſit dilutum, aut in qua plantago cocta ſit, vel macerata commendatur: Et cum facultas coctrix hic laboret, vini uſus ſæpe utilis & neceſſarius eſt, cumque hac ipſa dyſenteria epidemica aliquot bene ceſſiſſe obſervavi. *Sennertus.*

L. Quamvis Dyſent. vox alvi fluxum cruentum denotet, ſalva tamen etymologia liber nomen iſtud morbo huic Londinenſi applicare: Quotannis fere circa Autumnum ventris tormina, cum fluxu, increbeſcunt: ſedes aquoſæ, & quaſi limpidæ cum ſubita virium proſtratione exiſtunt: Pro curatione hujus morbi nulla evacuatio juvabat, quinimo phlebotomia, vomitus & catharſis nunquam non nocebant, verum remedia tantum fere cardiaca, eaque calidiſſima, (ſcil. ſpiritu, ac ſulphure aut [ſal]e volatili abundantia, commoda fuerunt. in tantum ut ſpiritus vini cum ſaccharo parum deflagratus [r]emedium populare, & quaſi epidemicum fuerit, atque ſeu[illegible] fere proficuum, etſi in altera cruenta indifferenter uſurpatum ſæpe noxium deprehenderetur. *W[illis] Pharmac. rat. ſect. 3. cap. 3.* vide ib. morbi hujus ætiologiam.

LI. *Galenus* 4. de A[ff]ec. [c]omm. 4. de Dyſenteria loquens, *Pleri[que] Medici* ait *neglecto jecore ſolum medentur ulceri inteſti[n]orum & ægrum tandem præcipitant.* O quam in conſi[milibus c]aſe noſtratum plurimi procedunt, dum in omni dyſenteria, impetu communis opinionis abrepti, eligunt clyſteres loricantes, qui vix ad ultimum inteſtini coli aſcendunt: Vlcus tamen vel in tenuibus, vel in medio coli, vel in confinio cum cœco erit: Similiter ſpreto jecore utuntur per ſuperiora loricantibus, quæ efficiunt obſtructiones, unde jecur magis incenditur. *Santlorius de remed. inventione cap.* 14.

LII. Nobiliſ. Domina Dyſenteria, nullis cedente remediis, in autumno diutiſſime torquebatur. quam cum viderem à bile flava ardentiſſima foveri, acidulas propinavi, & illico priſtinæ ſanitati illam reſtitui. *P. de Sorbait Miſc. Cur. anni* 1672. *Obſ.* 72.

LIII. De *Oleis* elegans eſt locus apud *Minderetum*. Med. milit. p. 246. Olea, *ait*, curioſe excludenda pluribus de cauſis 1. quia conſolidationem impediunt, capeſcunto à venæ ſectione deſumpto, ſi enim a mediſ[illegible] vena iterum aperienda fuerit, pro impedienda conſolidatione phlebotomo [i]nunt oleum, ne ſtatim coaleſcat inde actum vulnus: Idem quoque fit in cucurbitinis, & verum eſt ſane ulcera inde reddi ſordida, quæ ii potius egent deſiccatione, & teſte *Galeno* c. 3. m. m. c. 2. eadem ulceribus ſunt inimica, ut vinum amiciſſimum: 2. quia omne oleum, excepto lini, papaveris, cannabino & amygdal. quæ id minus poſſident, aliquid acredinis habet ſecum, quod demonſtratur ſi v. g. gutta vna olei olivarum inſtilletur in oculum, inde enim acredo excitatur, citri & limonum ſucco contra moleſta. *Wedelius de m. comp. ext. p.* 87.

LIV. Ventris Tormina ſine dejectionibus initio Auguſti 1669. invadere cœperunt, & excurrente eo Autumno *Dyſenterias*, quæ cum iiſdem ingrediebantur, æquabant numero: Nunc cum rigore horroreque aggreditur hic morbus, quos ſequitur totius corporis calor (ut in *Febribus* ſolenne eſt) atque hunc, brevi poſt tormina ventris, iſta vero dejectiones, Sæpe vero nulla antecedit Febris præſenſio: Dejectiones *mucoſæ* ſunt omnes, non ſtercoroſæ, niſi quod nonnunquam ſtercoroſa interponitur, idque ſine dolore inſigni: Mucoſis hiſce dejectionibus intertexuntur ſanguinis quædam lineamenta: Interea temporis æger, ſi vel ætate floreat, vel cardiacorum ope incaleſcat, febricitat lingua ſubalbida quadam mucilagine denſe obtita, & ſi fuerit vehementius excalefactus, nigra etiam atque ſicca: Proſternuntur admodum vires, diſſipantur ſpiritus, nullum non adeſt *Febris male moratæ* indicium: Non dolores tantum ſummos, atque ægritudinem affert hoc malum, ſed niſi perite tractetur, ingens etiam in vitæ diſcrimen ægrum perducit: Cum enim jam imminutæ caloris vitalis, ac ſpirituum copiæ, a crebris dejectionibus ante exhauriantur quam peccans materia poſſit e ſanguine exturbari, & extremorum frigore ſuperveniente, à morte periclitabitur æger. Cum fieri poſſit ut variæ enaſcantur *Dyſenteriarum* ſpecies, ut ſunt variolarum & Epidemicorum aliorum, diverſis conſtitutionibus propriæ, proinde medendi methodum in aliquibus diverſam ſibi ſuo jure vendicant: Vt ad *curativas Indicationes* procedamus, cum varia quæ huic morbo accidunt ſymptomata diligenter penſitaſſem *Febrem* [e]um eſſe (ſui ſcil. generis) *in inteſtina introverſam* de[p]rehendis, cujus ope humores calidi atque acres in maſſa ſanguinea contenti, atque

eandem exagitantes, per arterias meſentericas in dictas partes deponuntur, unde à vehementiori ſanguinis, atque humorum eo contendentium impetu, patefactis vaſorum orificiis ſanguis per ſedem effunditur: Interea temporis, importuno inteſtinorum niſu, quæ omnem adhibent operam ut humores acres continuo infeſtantes expellant, mucus iſte, quo naturaliter obducuntur, ſingulis ſedibus, nunc parcius, nunc copioſius, una egeritur: Proinde ultro Indicationes ſe offerre videbantur, ut primum acres iſtos humores ſecta vena immediate revellerem, quo facto inſuper reliquam maſſam contemperarem, Tum etiam dictos humores per cathartica ſubducerem: Quo primum ergo accerſebar die, *venam cubiti tundendam* ſuaſi, Eadem nocte & *Paregoricum* propinavi, & ſequenti aurora *Potionem* hanc *catharticam lenitivam*, mihi familiarem ℞. *Tamarind.* ℥ß. *folior. Sennæ* ʒij *Rhei* ʒiß. *coque in ſ. q. aquæ, colatur.* ℥iij *diſſolve Mannæ & ſyrup. roſar. ſolut.* ãã ℥j *m. f. Potio*: Hanc Electuario cuilibet, cum Rhei pauca quantitate, parato ſoleo præponere; Licet enim Rheum choleræ, atque acrioribus quibuſque humoribus evacuandis ſit dicatum, attamen niſi *Mannæ* aliquid, aut *Syrupi roſacei*, vel aliud ejuſmodi ea quantitate admiſceatur ut ad pleniorem catharſin aſſurgat, non admodum conducit.

Quandoquidem vero ſatis obvium eſt Catharctica etiam leniſſima, & tantum ἐκκοπρωτικὰ, ventris tormina intendere, ſpirituum etiam dejectionem, atque ἀταξίαν univerſalem ægro inferre, adventitio nempe illo tumultu quo ſanguinem & humores commovet inter operandum, Eapropter ſolenne mihi eſt *Paregoricum* temporius aliquando ſubiicere quam poſt cathartica conſuevimus, hora ſcil. pomeridiana quacunque, modo Catharticum ſuo defunctum munere videatur, quo ſcil. quem concitavi motum denuo ſufflaminare valeam: Deinceps ad duas adhuc vices dictum Catharticum præſcribo, alternis ſcil. diebus hauriendum: Paregoricum etiam poſt ſingulas purgationes, quo ſupra monuimus tempore: Hoc inſuper diebus à Purgatione vacuis, tam mane quam ſero exhibendum curo, quo ſcil. ſymptomatum ferociam debellem, atque inducias impetrem, dum cum humore peccante exterminando mihi res eſt: Poſt venæ ſectionem & catharſim ſemel celebratam, Aquam Cardiacam è temperatioribus ſubinde deguſtandam conceſſi. Anodyno autem utebar, *Laudano liquido*, (*deſcriptionem vide lib.* 3. *tit. de Colica Bilioſa.* §. 49. *ſ.*) guttis nempe 14. vel 15. in aqua qualibet cardiaca, pro dozi una: Laudata methodus omnibus, quæ mihi hactenus innotuere, in hoc morbo vincendo facile palmam præripuit, qui perraro ultra tertiam Purgationem duravit.

Quod ſi morbus præfractior his non cederet, dictum *Paregoricum* ægro exhibui ſingulis diebus, mane & hora ſomni, donec omnino convaleſceret; nec vel minimum quidem incommodi à tam frequenti medicamenti Narcotici repetitione mihi adhuc videre contigit (quantamlibet noxam inde ſequuturam comminiſcantur inexperti) licet plures noverim qui in morbo contumaciori idem ad ſeptimanas aliquot continuas quotidie uſurpaverint.

Hac methodo etiam tractandæ *Dyſenteriæ* in genere, Obſervandum autem, quod cum primo quæ ingrediebantur anno, indolis magis ſubtilis ac ſpirituoſæ eſſent quam quæ ſequentibus annis infeſtabant, idcirco non ita prompte parebant Catharticis medicamentis, atque illis quæ tam ſanguinem diluebant contemperabantque, quam acres iſtos humores qui ex eo inde in fiſtulam inteſtinalem excernebantur: Quamobrem primo autumno, quo *Tormina ſicca* & *Dyſenteria* invadebant, methodum ſequentem conſtanter ad utrumque morbum abigendum adhibui, eventu ubique adſtipulante, donec appetente frigore eandem etiam, anno eodem, minus efficacem eſſe ſentirem, atque annis ſequentibus, cum jam magis à ſubtilitate recederet morbus, prorſus inutilem.

Ita vero proceſſi, Si Aeger ætate florens *febricitaret*, cubiti venam tundendam præcepi, atque elapſa hora una vel altera, eundem affatim ingeſto liquore diluendum, ut in *Cholera morbo* tractatum, (*vide lib.* 3. *tit. de cholera* §. 17.) non vero, ut illic, juſculo è carnibus pullorum, aut lacte cereviſiato, at Lactis ipſius ſero, quod eadem qua illic copia frigide propinandum, tepide vero inferius iniiciendum curavi, nec ſaccharo adjecto, nec alia re quacunque: Tormina & Dejectiones ſanguine permiſtas, rejecto jam quarto Enemate, ſemper evaneſcere animadvertebam: Hoc labore exantlato, & tranſmiſſo ſero lactis omni, quod duarum triumve horarum ſpatio fiet, ſi diligenter operam navaverit æger, lectulo protinus eum commiſi, ubi brevi ſponte ſua in madorem ſolvebatur (à ſero lactis ſanguini immixto) quem ad horas 24. continuari jubebam: nihil interim concedens præter Lac crudum paulo tepefactum, quo etiam utebatur ſolo ad dies tres vel quatuor poſtquam è lecto ſurrexerat: Si vel ob lectuli, vel Lactis uſum nimis mature intermiſſum recidivam pateretur æger, eadem veſtigia denuo reperenda erant. *Sydenham de morbor. Acut. curat. ſect.* 3. *cap.* 3.

DYSENTERIA HEPATICA.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *quando utilis.* 2.
An Purgandum. 1.
Ubi obſtructiones junctæ quibus remediis reſerandæ. 5.
Antiquus ſinor calefacientia poſtulat. 4.
Narcotica *aliquando tuto poſſunt exhiberi.* 11.
Dulcia *an conveniant.* 12.
Clyſteres cur juvant. 5. *a.*
Pulveres *quando aptiores aliis remediorum formulis.* 3.
Cochleæ *an utiles.* 12.
Acidulæ *ferreæ & aluminoſæ utiles.* 9.
Efficacia Philon. Rom. in legitima. 7.
Per frigidæ potum *curatio periculoſa.* 8.
A Calore excitata Balneum *confert.* 6.
Specifica quædam remedia. 5. *b.*
Spurius fluxus a legitimo diſtinguendus 9. *b.*

I. QUamvis nullus vacuationibus locus eſſe videatur, cum fluxus immodicus ſui tantum cohibitionem indicet; *Rheum* tamen vel ſolum, vel cum myrobalanis exhibitum, quomodo in dyſenteria, interdum prodeſſe poterit, quia hepar roborat: idque imprimis ſi quædam impuritates dejectionibus permixtæ videantur: Imò verò nonnulli

nonnulli ægrotantes rhei ℈ j. cum conſerva roſar. in multos dies exhibito, liberati ſunt. *Riverius.* Quod ſi poſt ingentes ſanguinis prodeat profuſiones, licet cacochymiæ appareant ſigna, plurimum purgandum non eſt; quia cacochymia illa potius eſt ex defectu ſanguinis, reliquos humores compeſcentis & corrigentis, quàm ex alicujus ubertate & malitia: quo tempore alimentis & debita victus ratione rem agere potius oporteblt quàm purgationibus. *Mercatus Pr. lib. 3. c. 14.* Vide §. 9. *a.*

II. In *fluxu ſanguinis hepatico* improprio, qui fit ex robore expultricis irritatæ à copia, ſecanda vena cubiti, ſi neque menſes, neque hæmorrhoides ſint ſuppreſſæ, quo in caſu *aperienda vena inferiores*, provocandi menſes & hæmorrhoides: Quoad materiam vel bilioſam, vel atrabilariam ſpectat, etiamſi ex calida jecoris intemperie fiat, vel rarò, vel nunquam Sanguinis miſſion convenit; quia in fluxu hepatico, etiamſi calor abundet exterius, deficit tamen innatus, & miſſio ſanguinis hunc defectum auget: Altera eſt cauſa, quia Sectio venæ ducit humores, qui tantum citra jecur ſubſiſtunt, in ipſas venas; *Galenus* autem ſummopere abhorret à venæ ſectione, cum humores in jecore exiſtentes in venas deduci poſſunt: Neque aliam ob cauſam præcepit *Galenus* 3. de loc. affect. 7. In melancholicis, dum ſecatur vena, inſpiciendum eſſe ſanguinem, qui ſi ruber fuerit, ſtatim claudendam eſſe venam, quia voluit nos monere ſuccum melancholicum in jecore contentum, ſed in venas non diſtributum, non poſſe vacuari per ſectam venam: & quia hi humores abundant potiſſimum circa concavam jecoris partem; neque enim adeſſet fluor alvi niſi natura humores ad concavam partem depelleret: Docuit *Galen.* 7. meth. 11. & 13. meth. 16. humores in cava Jecoris parte exiſtentes per alvum eſſe educendos. *Saxonia in Practic. Prælect.*

III. In *valde humida Intemperie* ſatius eſt uti *Pulveribus* quam alia remedii forma: vel ſi quid præter pulverem præbendum ſit, habeat etiam vim refrigerantem & ſiccantem, in qua claſſe eſt ſuccus ribes, granatorum, limonum, arantiorum acidorum, berberorum. *Idem ibidem.*

IV. Cum *fluor antiquus* fuerit, remediis frigidis admiſceantur quædam calida: nam ubi adeſt jecoris imbecillitas, adeſt defectus calidi innati, licet abundet adſcititius. Igitur innatum calorem conſervare oportet, vel abſynthio, vel ſpica, vel cal. aromat. refrigerantibus addito. *Idem ibid.*

V. *a.* Si adſit obſtructio ſimul cum caliditate, aperienda eſt vel temperatis, vel refrigerantibus, nunquam intermiſſis vacuantibus, per intervalla repetitis: In tali caſu nil præſtantius rheo maturo, exhibito ſingula hebdomada ſemel aut bis ad ʒ j. cum roſaceo ſaccharo; qua unica materia auxilii ſcio plures hepaticos ex obſtructione ſanatos. *Idem ibid.*

V. *b.* Clyſteres hic parum proſunt, cum hepar affectum ſit; Attamen ex lacte chalybeato, vel decocto leniter adſtringente, interdum injici poterunt, ne inteſtina nimium relaxentur. *Riverius.*

V. *c.* Fit *Syrupus* præſtantiſſimus ex Tinct. roſar. facta cum aqua roſar. & ſacch. roſac. Commendantur Paſſulæ majores, vel Corinth. quia hepati amicæ, magna copia cum ſemiuibus comedendæ; vel in mortario marmoreo contundendæ: Eximius ſyr. corall. at præſtantior illius tinctura: Succus ex tenerioribus ſurculis urticæ, per ſe ad ʒ ij. val cum aqua & aceto exhibitus mane per triduum, fluxum ſiſtit, & ſanguinem corruptum purificat. *Idem.*

VI. *Balneum* in ea quæ à calore ortum ducit, confert, humoribus ad cutem revulſis: etſi enim ad præſens fluxum augeat, in poſterum tamen attemperando jecur, & ad cutem revellendo prodeſt, maximè ſi humores, ad vitam utiles, cum ſummo virium diſpendio excernantur: *Hippocrat.* quidem 3. de vict. acut. 59. Eos non lavandos monet qui alvum in morbis plus juſto humidiorem habent, ſed is de fluentibus excrementis loquitur, quæ ad univerſum corpus revellere non decet, ubi ijs redundat: Sic in redundantia crudorum ſuccorum à Balneo abſtinet *Galenus* 4. de ſanit. tuend. 5. quod eos agitet, per corpus diſtribuat, atque in venas trahat: *Paulus* contra lib. 7. cap. 7. & *Avicenna* 4. 1. cap. 7. In fluxu utilium humorum, à quorum nimia vacuatione labaſcunt vires, Balnei uſum ſuadent.

VII. His addimus, quod ſi cruentus alvi fluxus contumax fuerit, ut præſtantiſſimum remedium à *Galeno* proponitur *Philoninm Rom.* iterum, vel etiam tertio per intervalla exhibendum, licet Ipſe 8. per loca 7. eodem ſemel tantum exhibito hepaticam Intemperiem ſe ſanaſſe profiteatur. *Fortis.*

VIII. Vir robuſtus, quadragenarius, dyſenteriâ, aut potius fluxu hepatico, correptus fuit: Multum enim pituitæ & ſeroſi humoris ad inſtar aquæ, in qua caro recens mactata fuit, excrevit, abſque tamen difficultate & dolore: Ex ſuaſu cujuſdam, jejuno ventriculo, hauſtum magnum aquæ nivis liquefactæ, frigidiſſimum bibit: Eadem die fluxus ventris imminutus fuit, & die ſequenti plane ceſſavit: In conſilium adhibitus, manifeſtam duritiem tenſionémque e regione hepatis inveni; juncta erat dyſpnœa, dolor ventris, appetitus proſtratus, artuum laſſitudo; Aliquoties illum purgavi, ventrem inunxi, & vinum ex radicibus, herbis &c. præſcripſi, unde meliuſcule habuit, Quid vero poſthac contigerit, reſcire non potui. *Hildanus centur.* 4. *Obſervat.* 43.

IX. *a.* Nobis experientia compertum *Aquas Thermales*, & *Villenſes* potiſſimum, egregie huic morbo mederi: facultate enim pollent, ratione ferri & aluminis, quibus conſtant, & jecur refrigerandi, & ſubadſtrictione roborandi; Præterquam quod in diuturnu hujuſmodi fluxu legitimo diureticorum uſus magnopere conferre ſolet: Præbeantur itaque primis diebus dejectoriæ, reliquis autem diureticæ, 1. ſçil. præmiſſo ſyr. roſar. ſol. cum decoctione pulpæ tamarind. poſtea ſucco limon. vel ſpiritu vitrioli, qui præter diureticam vim ſubſtantiam jecoris denſare & cogere, nec non ſanguinem quodammodo ſiſtere poterit; in quorum uſu ad 15, imo 20. dies fuerit pergendum. *Fortis conſultat.* 61. *cent.* 3.

IX. *b.* Vetus ac *legitimus fluxus* Hepaticus hunc peculiariter habet characterem, ut in eo dejectiones liquidæ ac ſeroſæ, & loturæ carnium ſimiles appareant, ab hepatis imbecillitate procedens, ob quam ſanguificatio non recte perficitur, ſeu ab intemperie malignori, calidum & humidum nativum partis vitiante, Datur præterea *Fluxus ſpurius*, qui à ſimplici intemperie, ſine ullo humidi primigenii vitio procedit; à qua quidem intemperie ipſa facultas non læditur, ſed tantum illius opus corrumpitur, ita ut loco puri ſanguinis, impurus & corruptus proveniat; vel bonus ſanguis in pravum degeneret, cum in legitimo nunquam bonus & laudabilis ſanguis in hepate generetur: Corrumpitur autem, vel impurus

redditur ſanguis, aut ex permixtione bilis flavæ; aut atræ, alteriuſve cujuſdam materiæ impuræ: vel ex diuturniori in hepate, locisve vicinis mora, ob quam craſſior redditur, aut aduritur, vel etiam putreſcit: Vel ob vitium Lienis fæculentam ſanguinis portionem non trahentis: Et in hoc ſpurio Fluxu ſanguis interdum craſſus, interdum niger, interdum varijs humoribus, diverſis coloribus infectis permixtus excernitur: *Curatio* hujus Affectus perficitur remedijs hepar roborantibus, Ejus intemperiem corrigentibus, fluxumque cohibentibus, Et quia longe frequentius, atque vt plurimum à calida intemperie ducit originem, ideo huic imprimis intemperiei curatio aptanda, Cum ille qui a frigida intemper. oritur, diuturnior eſſe ſoleat, ac rariſſime contingat, & eandem cum hydrope curationem deſideret. *Riverius lib.* 10. *cap.* 8.

X. In dyſenterico fluxu, à calore Hepatis nimio, *Narcotica* vtilia ſunt, calorem enim viſcerum immodicum attemperant, incraſſant, ſomnum movent, cujus ope fluxiones omnes cohibentur: Neque obſtant vires dejectæ, quæ horum vſu amplius infringuntur, nam modica quantitate exhibenda ſunt, ac ritè correcta, ſic minus nocebunt fluxus perſeverantiâ. *Zacutus.*

XI. In eo qui fit à *frigiditate & innati caloris defectu*, rerum dulcium vius videtur noxius, quia cum à debilitate jecoris mucoſus & lentus ſuccus redundet, adſintque ea de cauſa obſtructiones, dulcia inutiliter offeruntur, quæ difficulter coquuntur & natura obſtruunt: *Galen.* 13. method. 13. dulcia omnia inflationem jecoris & lienis maximè producere aſſeverat: Ea de cauſa multi mel dulciaque omnia, obſtructo jecore, deteſtantur: Ex adverſa parte innoxia videntur, quia *Galen.* 8. *κατ' τόπ.* 7. Uvam paſſam in eo affectu mirè commendat, quod roboret hepar, aliquatenus concoquat crudos humores; *Idem ibidem* mel commendat, ob vim extergendi, vrinam ciendi, & aperiendi: Quare cum mel & dulcia concoquant crudos ſuccos, roborent, nutriant, & jecur calefaciant, damnanda non videntur: Adde quod tunc ex vſu ſint cum præceſſit vacuatio lentorum crudorumque humorum, Si ante offerantur, cacochymiam augent dictas ob cauſas: nam vacuata cauſa, ex mente *Avicenna* 14. 3. tr. 1. c. 20. conveniunt hepati, quod impinguatur ijs, & magnificatur & conſortatur: Si enim hæc mediocrem obtinent dulcedinem, ſuccos craſſos non gignunt, jecur roborant, vt ſunt paſſulæ exacinatæ: Sed ſi dulcia vtilia ſunt, cur vinum dulce damnatur? Dic quia præ majori tenuitate, citiſſimè ob dulcedinem attractum, penetrat & rapitur ad viſcera, ſuccos craſſos & lentos ſecum deferens. *Zacutus Prax. hiſt. lib.* 2. *cap.* 14.

XII. A proprietate juvantia duo ſunt celebratiſſima, *Cochlearum & jecoris Lupini* vius; Cochleas tamen *Galen.* l. de cibis boni & malc ſucci, c. 4. craſſo ſucco conſtare aſſerit: At cum has l. 8. lec. loc. c. 8. ex antiquorum mente ad hepaticos laudet, non eſt quod illas repudiemus, ſic enim ille ex mente Aſclepiadis, *Scripſit & ex cochleis pharmacum Hepaticum Aſclepiades hujuſmodi, Cochlearum trium carnem valde probe tritto, & affuſis vini nigri cyathis tribus, calfacito & bibendum dato: Videntur autem hæc juxta totam ſubſtantiam efficacia eſſe, non ſolum vnam aut alteram qualitatem &c.* Deinde in fluxu hepatico optimæ ſunt limaces, quia ſommè deſiccant, vt notavit *Galen.* 11. ſimpl. *At cochlearum caro prius in mortario contuſa, ac poſtea ad laverem redacta, omnium valentiſſimè deſiccat partes ſuperfluo humore gravatas, adeo vt conveniat hydropicis: quare roborant, deſiccant, nimium humorem per alvum fluentem coercent:* Argumento eſt, quod ſi totæ cum teſtis ritæ imponantur, & toti ventri aquam intercutem laborantium, & in articulorum tumoribus, ægrè quidem divellantur: Quantum ad tenacitatem attinet, quæ ventriculo gravamen afferre videtur, præparationis modum ita exquiſitum docet *Galen.* eo loco, vt nihil amplius de lentore & tenacitate ſit verendum, miſcet enim gallas & piper, qua ratione dyſentericis & alvi fluxui vtiles ſunt. *Zacutus Prax. hiſtor. l.* 2. *c.* 14.

DYSVRIA.

SYLLOGE.

Varie medendum juxta cauſarum diverſitatem. 1.
Vomitus *convenit.* 4.
Clyſterum *utilitas.* 9.
Caſſia *aliquando ſuſpecta.* 8.
Diuretica *aliquando noxia.* 2.
Aliquando vtilia. 6.
Quando conveniunt. 10.
An in frigida cauſa exhibenda. 5.
Oritur interdum à defectu humoris vrinæ ductum rigantis. 11.
Interdum a ſitu veſicæ mutato. 3.
A glanduſo corpore nimis reſiccato. 7.

I. SExagenarius multos annos vehementi dyſuria laboravit, cauſam alij in veſica, alij in renibus collocarunt; Eo tamen ex apoplexia mortuo nihil vitij in renibus aut veſica repertum, ſed hepar duriuſculum: ita vt manifeſtè conſtaret id vitij ortum eſſe ex nimia acredine humorum defluentium ad veſicam; vrinæ enim ſatis tinctæ erant & puræ: Quidam ex hoc morbo tandem periit, huic inventus lapis in veſica pendens ℥ i j ß. cum magna renum putredine, fuit admodum venereus. *I. Heſſus apud Schenckium.* In curandis ſenibus, dyſuria aut ſtranguria laborantibus, videndum vt in illis excrementa fuliginoſa ac ſeroſa perſpirent: Videndum quoque num Catarrhus aliquis à cerebro per ſpinam in veſicam decumbat; hic enim divertendus eſſet. Vidi quendam, qui cum dyſuria laboraret, tandem excreto per vrinam humore albumineo dyſuria liberatus eſt: hic erat declinantis ætatis; quantò ergo magis fieri poſſit dyſuria in ſenibus ab illo humore? *Hollerius aphor.* 31. 3. Laborat quidam Dyſuria, huic tota die fluit materia purulenta, à paraſtatis proculdubio. *Bauhinus apud Schenckium:* Interdum materia alba & lactea ea copia emittitur, vt dimidiam matulæ partem, vbi ſubſedit, occupet: Cauſa eſt tum debilitas ventriculi, chylum male elaborantis, tum renum debilitas, ad quos cum lacteæ quædam veniunt, chylum aquoſiorem ſtatim excipientes, hinc vbi renes debiles chylus tenuis, nec a ſcoriis ſalſis tartareis ritè liberatus, per eas allatus, ſimul cum vrina tranſit in veſicam: fœminis, & temperamento frigidis, malum familiare: Convenit pulvis ſtomach. Querc. addita

tunica

tunica interiore ventric. gallinæ, vſus vini *Hippoc.* Extra Linim. vngu. ſtomachica. *Hofmannus.*

II. Monendi in vrinæ Ardore tyrones, ne conniventibus oculis cauſas hujus mali inſpiciant: decipiuntur enim paſſim credentes ex veſicæ calculo oboriri, vnde Medicinas comminuendis calculis accommodatas miſeris ægris præbent, quod in eorum perniciem vertitur: augetur enim per ea medicamenta, quæ calida facultate ſunt prædita, vrinæ acrimonia: vnde vlcus aut in renibus, aut in veſica generari neceſſe eſt, ideo jugi cruciatu torqueri qui in tam impias carnificum manus inciderunt: vt cuidam meo tempore contigit, qui initio remedia neceſſaria fugiens, poſt empiricorum omnia remedia admittens, in diabeten lapſus eſt lethalem. *Paſchalius Pract. c.* 50.

III. *Situs veſicæ* interdum *mutatur*, dum laxatur ea peritonæi portio qua includitur ac paululum devolvitur, quod meiendi difficultatem affert, niſi manu relevato hypogaſtrio. *Riolanus Encheirid.*

IV. Præſtantiſſimum præſidium eſſe *Vomitum* in mictione ardenti, & viri docti ſcribunt, & ipſa experientia ſæpius me edocuit. Vomitus enim humores bilioſos ex hepate & venis meſaraicis potenter revellit & evacuat: à mitioribus autem incipiendum. *Fabritius Hild.* 6. 52.

V. *Altimarus* præſcribit quæ *calfaciendi* ac *vrinam ciendi* vim habent, Scordii & artemiſ. decoctum, hyſſopij. pulegij &c. *Salius* in notis, cap. 97. Iſta, *inquit*, licet calefaciant, ducunt tamen copioſam materiam ad locum affectum, qui cum ſit debilis, & male poſſit excernere, magis ex hac materiæ copia affligetur: Diſtinguit *Horſtius* Probl. 9. dec. 9. Ubi cum frigida intemp. ſimul pituitoſi ſucci redundant, talia minime danda, niſi præcedant præparantia & cathartica.

VI. In Dyſuria, poſt pituitæ evacuationem, fortiora *diuretica* exhiberi poſſunt: Cum enim hæc & ſtranguria, ardorque lithiaſi familiares, non aliunde quam a vi acerrime hoſtili in lotio, partibúſque illi inſervientibus, lapis cancrorum diurericus optime corrigit. *Helmontius tract. de ſede Animæ ad morb.* §. 25.

VII. Quidam difficulter vrinam mittebat, iis arefactis adenibus quæ paraſtatæ vocantur Variciformes, nec niſi pondere vrinæ ingenti exonerabatur veſica: ſicque perfundi eas partes vnctionibus, atque vniverſum corpus inſtaurare juſſi, & ita libero vrinæ meatu, ſanitati reſtitutus fuit. *Al. Benedictus l.* 24. *c.* 3.

VIII. Corpus vt per intervalla *Vacuetur* neceſſe eſt: fiet id medicamentis lenientibus & blandè purgantibus; à fortibus enim humores accenduntur, & ardor vrinæ augetur: Caſſia hic ab omnibus authoribus cæteris præfertur: verum in quibuſdam ægris poſt caſſiæ vſum dolores adauctos fuiſſe obſervavi: Idem prodidit *Pigræus* Chirurgiæ l. 7. c. 4. *Hildanus centur.* 6. *Obſervat.* 52. Videatur *Ballonius* Epidem. lib. 2. pag. 190. *Horſtius Obſervat.* 43. *l.* 4.

IX. Ad contemperandum dolorem & ardorem *Clyſteres ex Lacte* puro, vel cum mucilaginibus admixto, ita efficaces eſſe conſueverunt, vt quoſdam viderimus ægrotantes qui in diuturnis doloribus ex hoc ſolo remedio, & ſemicupio, levamen acceperint. *Riverius cap. prop.*

X. Oleaginoſa quædam materia ſenſim exſtillanda rigat Urethram, in viro, & vaginam in muliere: hujus defectu vrina acrior lædit vrethram, nec poteſt libere effluere: plurimi liberali victu humectante, ſemicupio, & oleo amygdalar. per ſyringam injecto in vrethram ſanati fuere. *Riolanus Ench. lib.* 2. *cap.* 5. Vide *Zacutum Pr. Adm. lib.* 3. *Obſervat.* 74.

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER QVINTVS.

De Affectibus à litera E incipientibus.

EBRIETAS.

SYLLOGE.

An iterato vini potu diſcutiatur. 1.
Medicamento Teſtibus admoto diſcuſſa. 2.
Balneo ad crapula medelam quando locus. 3.

I. EX præcepto Scholæ Salernitanæ, *Si nocturna tibi nocet potatio vini, Hoc mane rebibas & eris tibi medicina*: Quamvis autem id remedium repugnare videatur communi curationis Medicæ fundamento, contraria contrariorum debere eſſe remedia; atque *Hippocr.* Repletionem inanitione curari dicat 1. aphor. 3. Diſtinguendum tamen inter ea quæ fiunt per accidens & ea quæ fiunt per ſe: Repletio revera repletionis remedium non eſt, at juvat quatenus facultatem calorémque nativum excitat, hinc materiæ morbificæ ab eo conſumptio contingit: Natura enim novi alimenti acceſſione coctionem aggreditur, quam ante perficere non valuit. Crudum quidem ſuper ingeſtum nocet, ſi copia ventriculi vires ſuperat, paucum autem naturam officij admonet, ac ad coctionem perficiendam ſollicitat: *Hellerius* de morb. int. lib. 1. cap. 3. vini noxam iterata potione ſolvi ſtatuit, quatenus noxam vini, vi calfaciendi & ſiccandi, vinum conſumit; Eadem ratione quâ dolores oculorum, à craſſis vaporibus ortos, meri potione ſanari ait *Hippocr.* Cautionem addit A. *Villanovanus* comm. in citatos verſiculos, præceptum ſcilicet locum non habere cum ebrietas calefactionem corpori induxit. quia tunc temporis vini iterata potio ſit ignis igni additamentum.

II. Cuidam poſt largius epotum vinum Hiſpanicum, è ſcamno delapſo & pro mortuo jacente, ſempervivi ſucco, acero acri, nitróque noſtrate miſtis, ſcrotum, adeoque totum pudendum involutum: Sic ebrietas, gravedine tamen capitis relicta, minimo tempore diſcuſſa. *Heer Obſerv.* 19.

III. *Galenus* ad concoquendam cruditatem, temulentos altero die lavare, & à balneo capeſſere ſomnum jubet: Non tamen in quavis cephalæa id ſuadet, ſed cum caput citra febrem incaleſcit, tum lavare, & à balneo veſci lactucis, ac ſorbere ptiſanam præcipit: Quando verò à putridis in ventriculo humoribus flatolenti vapores ad caput exhalant, ac vertiginem commovent, tum balnei uſum penitus diſſuadet. *Langius lib.* 1. *Epiſt.* 30.

ECCHYMOMA.

SYLLOGE.

Pinguia *non admovenda.* 1.
Suppurantibus *caute utendum.* 4.
Non expectanda perfecta ſuppuratio. 5.
Spontaneum quomodo curatum. 2.
Si cutis violata, ea munienda ante cataplaſmatis admotionem. 3.
Magnum in capite reſolventium uſu ſanatum. 9.
In lateribus, ventre, dorſo quomodo curandum. 6.
Circa coſtas quomodo tractandum. 7.
Curatio per ſectionem. 11.
Semi contritæ partis curatio per ſectionem. 12.
In ilio ſiniſtro curatio. 8.
Mature non exhauſta in ulcera ſinnoſa deſinunt, ſectione curanda. 10.

1. BAlneatores *Contuſionibus membrorum* applicant medicamentum inter empla-
ſtrum

ſtrum & cataplaſma medium, ex adſtringentibus, conſumentibus, exſiccantibus, tendines & nervos roborantibus v. g. farina fabarum, rosarum volatili, bolo Armena, ſymphyto majori cum album. ovi ſubactis: *Horſtius* qui non abſurdum eſſe ait, in principio contuſi membri, etiam articulatione carentis, talia applicare, cum materia ſcilicet adhuc effluit: Tunc enim potentius illa affluens exſiccādo abſumitur, & repellendo impeditur: Si verò unguenta vel olea adhibemus, obturantur cutis & pori, quò minus id, quod exhalare debet, poſſit: Alias, ſi levior eſt contuſio, initio nihil præſtantius ad leviter repellendum & diſcutiendum linteo madefacto cum aq. roſarum & album. ovi conquaſſato, calide applicato: vel ſi cutis ſola compreſſa, inungatur ſtatim medulla ſuilla, Sanabitur cito ſine macula. *Heiſterus Here Med. l. 5. c. 1.*

II. Sexagenarios, conſtitutionis pleniſſimæ, de fluxionibus capitis conqueſtus, ſubſequente nocte ſubitaneam cephalalgiæ remiſſionem obſervat: Ex improviſo toto brachio ſiniſtro, ejuſdémque lateris regione ſuperiori ſaturatè rubente ſanguineo colore, ſine omni dolore & inflammatione infecto: Vocatus *Ecchymoſin* eſſe ſtatuo, ab interna cauſa, natura copiam ſanguinis, apoplexiam ex plenitudine minantem, ad externas partes pellente: Pedetentim autem digerentibus, ac minimè repellentibus, affluxum hunc diſſipandum eſſe pronuntio: qua ratione rubicundus color 1. livorem aliquem, poſtea flavedinem acquiſiturus ſit, non ſecus ac ecchymoſes relictas à V. S. à natura quoque diſſipari vidimus: Hac de cauſa far. ſecalinam cum pollinc fabinæ, flor. chamom. meliloti &c. comprehenſam, quotidie bis applicari juſſimus: adhibitis interius iis quæ plenitudo requirebat: Puellus ſex menſium aliquoties Epilepticis convulſionibus prehenſus, tandem inſtantibus aliquomodo paroxyſmis, ſubito ſimilem Ecchymoſin circa ſiniſtram palpebram ac genam patiebatur, quo ipſo levatus quaſi, & in cæteris melius habere videbatur: Hic à liquidis, utpote ob actualem frigiditatem, quam promptè naſciſcuntur, repellendi facultate præditis, abſtinendum diximus, fomentationibus ſiccis digerentibus rem aggrediendo, queis pedetentim etiam, ſicuti in priori diſſipatio facta fuit. *Gr. Horſtius lib. 9. Obſ.* 11.

III. Ante *Cataplaſmatum* admotionem cautio adſit, ut ſi integra cutis non ſit, primùm tenue linteolum unguento roſato vel populeo, vel de rutia illitum imponatur, hinc cataplaſma. *Heurnius lib. 1. meth. ad Pr.*

IV. Si modis omnibus obtineri non poſſit *reſolutio*, & ſupputationis notæ adſint, ea juvanda eſt: In *ſuppurantium* tamen uſu cautio adhibenda, & ex ijs nonniſi moderata adhibenda: facilè enim hac in re ſi quid peccetur, ulcus ſordidum & putredo in parte excitari poteſt.

V. Hoc cum viderent recentiores quidam Chirurgi, admonent, ut cum animadvertimus *Contuſionem in Apoſtema* mutari, non expectetur perfecta ſuppuratio: nam ſi pus quod ex ſanguine concreto generatur, detineatur diutius in loco affecto, multa mala, ut febres, dolores & inſignem putredinem excitare, partéſque vicinas, nervos & oſſa corrumpere poteſt, unde poſtea ulcera κακοήθη, & fiſtulæ non raro originem ſumunt. Neque etiam admittunt illa emollientia & ſuppurantia emplaſtra & cataplaſmata, cum iis facilè putredo &c. excitari poſſit. *Sennertus.*

VI. Imprimis hoc obſervandum cenſent, ſi in *Lateribus*, *Ventre*, *Dorſo*, *Contuſio* facta ſit: tum enim diligenter attendendum an 3. 4. 5. die in loco, in quo contuſio facta eſt, tumor cum dolore oriatur & in dies augeatur, ac dolor pulſatilis excitetur, ægerque tactum ejus loci non bene ferat, in circumferentia rubedo aliena appareat, reſpiratio fiat difficilis, calórque aliquis ſe prodat in corpore: nam cum hæc appareant, licet nullus in partibus externis appareat livor, pus colligi & apoſtema excitari indicio eſt: quare ne pus ad interiora ſeſe convertat, cuniculos agat & partes interiores erodat, ægróque hoc modo mortem, aut diuturnos morbos acceſſat, locus maturè aperiendus eſt, aperto ſiquidem loco facilè pus effluit: Emollientibus & ſuppurantibus vix aliquid proficicenſent. *Sennertus.*

VII. Notandum quoque quod *Paraus* monet, in *Contuſione* muſculorum, imprimis circa coſtas, carnem intumeſcere & quaſi mucoſam evadere, ut ſi comprimatur, aërem flatulentum reddat, cum tenui quodam ſibilo, digitorúmque impreſſorum maneat veſtigium: hinc in illo loco, quod caro, ab oſſibus abſcedens, reliquit ſpatio, purulenta ſanies colligitur, à qua coſtarum fit ſyderatio: hoc ſi accidat, maturè malo occurrendum, & pars arctiſſimè conſtringenda deinde oxycrenceum, vel diachylum iteratum, aut ſimilia digerentia adhibēda.

VIII. Nobiles in rivulo aqua ſeſe mutuo conſpergebant, in his unus vehementius ſe commoverat, hinc dolor ingens ilij ſiniſtri, tandem *Ecchymoſis* iſthic loci ſpithamæ longitudinis, latitudinis v. digitorum, quæ omnino rupta vaſa aliqua indicabat: unde cura Ruptorum inſtituta per unguent. herbaceum ad intra & extra, pulverem ad caſum, pimpinellæ, necnon oxycraceum; brevi dolor ceſſavit, & ſanguis concretus exhalavit. *Phil. Salmuth cent. 1. Obſervat.* 68.

IX. Mulier 50. ann. à caſu *Vulnus Contuſum* in capite accepit, ita ut tumor ex ſanguine extravaſato, ovi gallinacei magnitudine ortus fuerit: præmiſſis præmittendis de tumoris apertione aut ſuppuratione cogitavi, juxta aphor. 5. 20. Ad hoc concurrebant materiæ copia, ætas, cutis duritíes, hyems: Quod inciſionem renueret, ſuppurationis autem dolores aliáſque moleſtias vitarem, reſolutionem tentavi: 1. Partem affectam aqua calente per ſemihoram fovebam, poſt partem novacula radebam, adverſis pilis, ut pori magis aperirentur, & ſordes pari hærentes probe abſtergerentur: tandem ol. liliot. & chamæmel. p. æq. applicabam, ſuperpoſito cottone ſuffitu aromatum imbuto & calente, ſic tumor præter ſpem omnino reſolutus. *Riverius in Obſervat. communic.*

X. His qui medendi vitiis exterioribus ſunt exercitati, ſæpe occurrunt *Ulcera*, quæ *ſubtus cutem* aliquantulum decolorem & perparum exaſperatam latitant perfracta unitate, quæ in cacochymicis, aut cachecticis, ſuſpicionem ſui exhibeant doloroſam, ac talium quę poſſint aut pervaſionis in cavitatem, ſi is locus ſit, aut obſeſſionis ac teredinis oſſium, aut in muſculos & nervos putridi laceſſitus, & tum ſi hæc, tum articuli ſubjecti ſint, aut detrimenti mutilationiſque metus, aut imbecillitatis perpetuæ; Quæ etiam prudentis eſt prævertere, quippe corruptionis admiranda vis eſt ſi diutius inſideat vitium, Vidi enim ſub ſuperſtite cute, nedum etiam abſceſſum non paſſa, male curatos glomeres emarcuiſſe carnis, itemque lacertorum integros toros, tendinum longos funiculos &c. quin etiam ſolida oſſa ſuum amiſiſſe rigorem, ac nativum, ex ingenito concretóque ſub ipſis adipe nitorem: Præclara ejus rei ſe obtuleré exempla,

Quod enim admirabile quidem ſit in virijs exactè putridis, multo admirabilius eſt in *Contuſionibus* & *Ecchymomatis*, quibus, ſi quidem in nervoſas partes inciderint, principio non exhauſtis neque abſorptis per medicamenta, carnibus & vaſis aliarúmque partium fibris tum contritu languentibus, cum ſuo effuſo ſucco vitioſum quippiam ceperitis, oſſa quæ circumſepiuntur, puſillo calore atque exili ſuo vigore non defenſa, aſſiduo contagio pariter inficiuntur, temperamentóque ſuo ſenſim eaura nigreſcunt, quæ abſolutæ ſideratonis extremum eſt indicium: Ejuſmodi fuit caſus N. cujus manus baculo contuſa, cum *Ecchymoma* perperam curatum ab aliis, jam in abſceſſum tranſmigrans à nobis apertum fuiſſet, apertam ſuam late diffuſam putredinem oſtendit, magnoque circumſuſcitato tumore, nonnullum nobis curandi negotium obtulit, vſque dum oſſa phalangis nudata & atra comparuiſſent: Sanatus autem eſt ab abſceſſu oſſium longo labore. *Severinus Med. Eff. p.* 107.

XI. Sæpe videris e *Celliſu ad carnoſa corporis loca* facto, ad intercapedines botum e vaſis expreſſum abunde ſanguinem, quem digitorum advertorum contrectatu fluctuantem, ſuppurationum inſtar facile diſcreveris, vnde cogitandum eſt qua ratione exhauſeris Abſceſſus, non ſemper eventus proſperi materiam. Diſcutientibus quidem longum opus, & abſorbentibus vocatis medicamentis etiamnum difficile, efficaci vero feſtinæque Chirurgiæ facile: Hoc eſt ſi ſcalpium, aut interdum etiam phlebotomum latioris cuſpidis, in cutem defixeris: ſic enim, & expreſſu aliquo adjecto, fiet vt grumoſus ſanguis mirum in modum exiliat: Quæ res eveniu in Aurigà, qui ex calce mulæ ſuggilatum, atque exatumeſcens & dolens impenſe brachium ſuperius medendum obtulerat, fine curationis feliciſſimo. *Severinus Eff. Chir. p.* 97.

XII. Solet etiam *Celliſo corpore* exigua parte findi cutis, quod vbi incidit, non alienum eſt ſcalpello latius aperire, niſi muſculi nervique juxta ſint, quos incidi non expedit: vbi ſatis diductum, medicamentum imponendum eſt. *Celſus Med.* 5. *c.* 26. Hanc *Celſi* ſententiam damnat *Fallopius*, quia cutis ſervit tegmenti vſu, producitque teſtimonium *Galeni*, perhibentis non vnum experimentum de agglutinata etiam nigricante cute: Verum aliud & longe diverſum eſt cutem ſemilaceram, & aliquomodo diſruptam diſcindere, vt melius ſcilicet relaxari poſſit; aliud eſt contegentem os abſtrahere; atque aliud eſt etiam capitis, aliud aliarum communiter partium cutem diſſecare: Quippe caput, vt quod cavum & imbecille, mire ſubjacet externis injurijs, alia vero membra non item. *Severinus Med. Eff. p.* 98.

EMPYEMA.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *quo in caſu locum habet.* 16.
Leniter aliquando Purgandum. 15.
Diureticis & hidroticis *utendum.* 17.
Abſceſſum *intra* rumpentia *tuta non ſunt.* 19.
Expectorantia *pro puris varietate varia ſint.* 18.
Decoctorum reſolventium & exſiccantium *uſus noxius.* 13.
Earum antiballomenon. 14.
Utrum Lac ex uſu. 27.
Foribus *dominis non inſiſtendum.* 20.
Quod medicamentis, quod paracenteſi curandum.
Paracenteſis *periculi plena etſi rectè facta.* 1. 4.
Virium robur ad eam ferendam unde æſtimandum. 2.
Pus univerſum ſimul & ſemel exhauriendum. 3.
Mature exercenda. 12. 21.
Morbi initio non facienda. 5.
Rite adminiſtrata tuta eſt. 22.
Locus aperiens legitimus. 23.
Non idem eſt in omnibus. 9.
Cautio circa ſectionis locum. 7.
Apertio in coſtis fieri poteſt. 25.
Uſtio ſectioni, & viciſſim, aliquando præferenda. 8. 24.
Apertione facta aliquando pus nullum egreditur. 26.
Paracenteſis *ſuccedaneum.* 6.
Pus intra mediaſtinum incluſum, perforatione ſterni educendum. 11.
Si pus propria tunica continetur, ubi tumor eminet ſectio facienda. 10.
Puris collectionis ſigna & eductionis ratio. 28.
Apertio per cauſticum potentiale omnium certiſſima. 29.

I. P*Aracenteſis* magis eſt periculoſa quàm vulgò creditur, cum enim pulmo ſemper lambat internam thoracis ſuperficiem, & ab eadem in exſpiratione admodum parùm recedat, vix poterit ſcalpelli aciem idem effugere: deinde non poterit commodè pus exire: Tandem ſi pus prodeat, probabile mihi ſit ex ipſo pulmone, poſt vulneratam ejuſdem tunicam, provenire: quæ cauſa eſt cur rarò optatum ſcopum Medicus conſequatur, ſed æger plerumque paulò poſt intereat. *I. Van Horne Microtechn. p.* 2. §. 18.

II. Vires ægri niſi bene aut mediocriter conſtent, intermittenda erit *Paracenteſis*, ne ægro mortuo diffametur alias præſidium nobiliſſimum & tutiſſimum: Metiuntur autem Medici vires conſtantes plerumque ex pulſibus, qui tamen Medicos in hoc caſu decipere poſſunt, cùm materia in thorace ægri, adhuc ſatis validi, pulſus faciat virium debilitatem denunciantes, vt pote parvos, celeres, frequentes & inordinatos: Certiſſimum tamen virium, ſi conſtant, ſignum eſt, cum ægri vel ſedere, vel ambulare poſſunt, hócque aut naturæ beneficio valentis, aut ſcipionis alicujus ſubſidio. *Scultetus Tabul.* 35.

III. Emittatur Empyematis materia *paulatim & pluribus vicibus*, quotidie ſç. ad ℥ vj. ſemel vel bis prout ægri vires ferunt: ſi enim qui ob confertim, & vnica vice emiſſam materiam, viribus exhauſti non moriuntur, ob ſubitaneam tamen naturæ mutationem certe maius priori empyema expectare debent; Natura enim, ſi aſſueta ſibi materia univerſim & ſimul tota evacuatur, ad correctionem vacui ſubitò exorti, tranſiuiitſe multos ex reliquo corpore humores, adeo vt Empyema & maius, & deterius priori oriatur. *Scultetus Tab.* 35.

IV. Lateris ſuppurati *inciſionem* frequenter vidi inſtitutam, interdum quidem proſpere, ſed pluries infeliciter, ſive quod adimat pulmoni motum, ſive quod tamdiu plerumque continuet vt vix id ſufferant vires, vel corporis totius, vel pectoris ſolius; cuius viſcera vſque adeo inſinuat frigidus ac indigeſtus aër, vt raru evadant mortem quibus hac via pus elicitur. *Tulpius Obſ. l.* 2. *c.* 4.

V. *Hip-*

V. *Hippocr.* Ep. 7. Text. 9. *Hydropicos in thorace θᾶσσον ſecare oportet, Tabeſcentes vero ἥσσον urere.* *Interpretes utrumque vocabulum verterunt, iterum: ſed θᾶσσον hic* minus ſignificat, quaſi dicat Hippocr. *Hydropicos minus cito, Tabeſcentes vero citiſſime ſecundos uni urendos eſſe.* In hydrope thoracis non opus eſt ut ſtatim ab initio morbi fiat operatio, quia materia ſeroſa ſenſim colligitur in thorace, & tunc nocere incipit cum partes reſpirationi dicatas quantitate nimium aggravat: At tabeſcentibus & empyematicis purulentam materiam, rupta vomica, unico quaſi tractu colligentibus, ſtatim thorax aperiendus, 1. Ne ipſi ſuffocentur a puris copia, pulmonum dilatationem impediente, 2. Ne in ipſorum pulmonibus, aliave thoracis parte, ob puris acrimoniam ulcus oriatur, quod aut nullius, aut difficillimæ eſt curationis. *Sculietus Tab.* 35. *Armum.*

VI. Cæteris non conferentibus, cum jam ſectionem thoracis meditarer, jamque tricesimus dies à *Vomica* rupta præteriiſſet, deveni ad *fumum* Tabaci, qui ſumendus more uſitato per fiſtulam: & ad ipſius decoctum calidum cum ſaccharo, à quo fuit ſequuta mira puris excretio per tuſſim & in multa quantitate, bisque tantum uſurpatum: ℞. fol. Tabaci ℥ j. bulliant in aquæ dulcis ℔. j. ad caſum medietatis, adde in fine folior. malvæ, brancæ urſinæ & violar. Cola & da ſæpius. *Epiph. Ferdinandus.*

VII. In ima interiore parte coſtæ ſinu nonnihil excavantur, quo nervum, arteriam & venam intercoſtalem ſuſcipiunt: Hic ſinus in Empyicorum ſectione maxime conſiderabilis exiſtit, nam vo ce cavendum ne dicta vaſa intercoſtalia lędantur: Hoc *Bartholinus* ſcribit evitari poſſe ſi ſectio fiat à ſummo ad imum: Sic etiam olim nos docebat *Otho Heurnius*, qui ad iſtam ſectionem requirebat cultellum ab uno latere acutum & ſcindentem, ab altero obtuſum, eumque ita immitti volebat ut pars obtuſa reſpiceret inferiorem ſuperioris coſtæ partem, id eſt, prædictum ſinum, inferior vero acuta deorſum adigeretur, ad ſummitatem coſtę inferioris: Verum uſus & experientia docent totam illam doctrinam eſſe magis theoricam quam practicam, nam in homine vivo coſtæ à ſe invicem tantum non diſtant, ut cultellus tranſverſus ab infima parte ſuperioris ad ſummitatem inferioris coſtæ immitti commode poſſit: Ac proinde, ut dicta vaſorum læſio evitetur, ſoleo jubere ut Chirurgus ſectionem faciat in parte ſuperiore coſtæ, ſecundum eius longitudinem, non aſcendendo ad coſtam ei deſuper proximam: Dicunt nonnulli hoc modo fibras tranſverſas muſculorum intercoſtalium nimis diſcindi, quaſi vero illę illęſæ manerent in priore ſectione: Fibrę illorum muſculorum ſunt omnes obliquę, & interiores decuſſatim accumbunt exterioribus, ita ut quocunque modo ſectio inſtituatur, fibrarum illarum læſio evitari minime poſſit; quę etiam non eſt magnopere metuenda, cum in hoc caſu vulnus non magnum infligatur, & uſus doceat illud poſtea facili negotio rurſus conſolidari: nam tali modo hanc Chirurgiam multoties feliciter adminiſtravimus. *De Diemerbroeck Anatom. lib.* 9.

VIII. Pro diverſitate materiæ, quę nunc tenuis eſt, nunc craſſa in thoracis cavo colligitur, modus operandi variat iuxta *Paulum* & *Hippocr.* qui in craſſa collectione pectus ſectione, in tenui vero vel ſectione, vel uſtione aperiendum eſſe cenſent: Recentiores tamen periculoſæ veterum uſtioni & perforationi haud immerito præferunt ſectionem, quam minorem faciunt in hydrope thoracis, maiorem in ſuppuratis, & maximam in materiæ craſſæ ſeu pituitoſæ collectione. *Scaliger Tab.* 35.

IX. Ad *Locum* quod attinet, ubi ſectio hæc eſt molienda, de illo non parum inter ſe diſcrepant docti, & hujus rei ratio facile excogitari poteſt. Nam aliquando diaphragma in illo homine altius aſcendit quam in alio, adeo ut hoc ſit cauſa ſit quare prolapſi in diaphragma humores in altero ſubliniores quàm in alio reperiantur: 2. Quidam habent pectus protuberans, quidam vero planum, quod etiam multum mutationis exhibet: Præterea pulmo ſæpius tam firmiter pleuræ cohæret, ut pus non facile in diaphragma poſſit dilabi, quare non bene feceris, ſi infimum circa diaphragma locum elegeris; Et quandoquidem tum in hoc, tum in aliis tumoribus, locus excelſiorus ſectioni maxime idoneus cenſeatur, non eſt impoſſibile ſi morbus Chirurgos impulerit nunc hunc, nunc alium pro loco convenienti eligere. Hac de cauſa *Hippocr. Guido &c.* pectus inter 3. & 4. coſtam ab inferiori parte numerantes aperiunt; *Fienus, Riverius &c.* inter 4. & 5. *Vidius. Aquapendens &c.* inter 5. & 6. qui locus ipſis, & etiam nobis, omnium tutiſſimus videtur; nam ſectionem ſi altius inſtituas, pericardium, & inferius, diaphragma læderetur, uti triſtiſſima huius rei exempla nobis fidem faciunt: Verum in turbida hac diſcordiæ ſcriptorum aqua, ſigna jam propoſita te in tutiſſimum portum impellent. *Barbette Chirurgia* Part. 1. cap.

X. Hic etiam obſervandum eſt Empyema aliquando in propria contineri tunica, & hinc fieri ut ſe externe ſua protuberantia prodat, & tunc a Latinis *Vomica Pulmonis* appellatur: quo in caſu tunicæ diſruptionem ne expectes ſpontaneam, nam poſtea pus quaquaverſum fluens, multo difficilius ex thorace hauritur, ſed prima ſe data occaſione apertionem facito, neque alium locum quam prominentiorem tumoris partem eligito. *Idem ibidem.*

XI. *Mediaſtinum* in homine tam magnam non habet cavitatem quàm in canibus aliiſque animalibus: contingit nonnunquam purulentam materiam poſt inflammationem, intra duas ejus membranas colligi, quæ per pulmones eiici non poteſt: Trepano itaque hic ſternum perforare cogimur, quo ſic per foramen factum, penicillorum, ſpongiæ, aliorúmque inſtrumentorum ope, pus educi queat. *Idem Anatom. Practic. lib.* 3. *part.* 3. *cap. ult.*

XII. Id imprimis conſiderandum an morbi facti indicia certa ſint vel dubia: In priori caſu *pharmacia* haud multum opus erit, ſed tantum corpore præparato, illico ad *lateris apertionem* procedatur: Itaque ſi à pleuritide, aut peripneum. aut à ſanguine poſt vulnus intus ſuffuſo, puris aut materiæ purulentæ, vel ſanguinis intra cavitatem thoracis fluctuatio, cum ſputo nullo aut diminuto percipitur, non opus erit ut medicamentis maturantibus, aut expectorantibus amplius immoremur; verum ad paracentesin deveniendum, in teneris & meticuloſis cauterium imprimis inter 6. & . coſtam applicato. Quod ſi morbi hujus indicia minus certa, ac prorſus dubia ſint, ad ſectionem haud cito nimis ac temere procedatur: In aliquibus enim materiam purulentam, cum inſigni dyſpnœa & pectoris gravitate expuentibus, paracenteſin fruſtra, imo noxie celebratam fuiſſe novi: Expectorantibus ergo, vacuationem per urinas & ſudores blande moventibus, fruſtra uſurpatis, ad paracenteſin procedatur. *Willis.*

XIII. Per *Decocta exſiccantia* atque *reſolventia*, inſenſibilis tentari ſolet purulentæ materiæ exſiccatio atque conſumptio, à quibus cùm majus ſit metuendum detrimentum, ob maciei & febris incrementum, quam juvamentum, pauca materiæ portione conſumpta, ideo id genus remedii hoc caſu, jure merito omittimus:

XIV. Cuius loco libentius *Aquas ſulphureas*, ſi præſto ſint, & dejectorias & diureticas, pluribus diebus exhiberemus, ad pulmones exſiccandos, & materiam ad utramque viam perducendam: Harum vero inopia, in uſum ducatur decoctio radicis helenii, liquir. & chinæ quoque, ſi bona haberi poſſit; parata in aqua ſtillat. farfaræ, pulmonat. & capilli ven. addito ſpiritu tartari & terebinth. ad ℈ß. pro qualibet vice; cui quoque præmitti poterit bolus ex ſale urinæ, butyro ſulphuris & terebinth. efformatus. *Forestis conſult*. 41. *cent*. 2.

XV. De exhibitione *Pharmaci* quid ſperandum, cum materia peccans per ſputum tantummodo educi queat? At *Hippocrat*. lib. de int. affect. Purgat per lac equinum, & aliquando per aſininum: Trallianus autem præter hæc, in nonnullis etiam caſibus, caprinum & bubulum probat, & jure ſanè, quoniam ex lacte habemus corporis vacuationem, & refrigerationem ac humorum contemperationem, quæ omnia in ſuppuratis deſideranda ſunt; corpora enim puriora minùs laborant, humores contemperati minus lædunt, & habitu refrigerato febres minùs affligunt: Quare laudo tale purgationis genus, ſed ad hoc copioſum lac, ſicut ad ℔ iij. vel iv. dandum eſt: Sed quod ſingulis diebus faciebat *Hippocrat*. hoc agamus nos interpolatis vicibus: Quod ſi lactis uſus non placeat, vel æger id renuat, ad hanc eandem purgationem recipiamus uſum mannæ, caſſiæ, ſyrupi violati ſolutivi & ſimilium, quæ evacuare, refrigerare ac contemperare apta ſint. *Pet. Salius Diverſus comment. in Text*. 7. *lib*. 1. *de morb*.

XVI. Si *inflammatio in ſuppurationem* commigret, ſit copia multa, acris & cruda, & facta diſruptione ſanguinolentus humor per tuſſim excernatur, viréſque valeant, tunc ſanguinis miſſio revulſionis gratia, utilis eſt, ne ad partem tam præſtantem, ob dolorem, calorem & ebullitionem, attrahentem ex univerſo, humores in ipſam poſſint confluere, qui alium affectum excirent, primario morbo peiorem: Si verò ſuppurata vomica verum Empyema conſtituit, tunc vires validæ eſſe non poſſunt, quia puris fœtor, acrimonia & malignitas ſpiritus reſolvunt, vitalem facultatem labefactant, naturales vires enervant, quare eo tempore ſanguinis miſſio penitus fugienda. *Zacutus Pr. Hiſtor. c. xi*. Nec minus erit noxia ſi ſuppuratio materiæ defluxionem aut congeſtionem ſequatur, qualis fieri ſolet ex Catarrhis in thoracem decumbentibus: Vel ſi materia ad ſuppurationem deducta, non certo loco concluſa, ſed thoracis cavo contenta exiſtat, aut in aſperis pulmonum arteriis; ſui enim exclusionem indicat, non ſanguinis: Alias ubi ſuppurationem præceſſit inflammatio, ſymptomatáque urgent, pure nondum erumpente, locus eſt illius miſſioni.

XVII. *Urinalia remedia* potenter iuvare ſolent; nam Catarrhus is qui ad pulmones illabitur, ibique putreſcit, non ſolum ducit originem à capite, verum interdum excluditur à toto venarum ambitu in partem imbellem: huic itaque promptè remedio eſt ſudor & urina: quare decoctum radicum Chinæ cum ſcabioſa, & aliis pectori urinæque dicatis rebus proderit. *Heurnius*.

XVIII. Materiæ expectorandæ in delectu medicamentorum habeatur ratio, Si enim pus fuerit bilioſum, acre & erodens, eligenda quæ acrimoniam mitigant & leniunt; hordeum, iuiubæ, paſſulæ &c; Si pus non acre ſed craſſius ſit, attenuantia & incidentia uſurpanda, hyſſopus, tuſſilago, radix enulæ &c. *Sennertus*.

XIX. Si non rumpatur *Abſceſſus* Practici imperant ut dentur quæ diſrumpere poſſunt, Sed illa non perveniunt ad partem affectam: Melius eſſet medicamenta ſyncritica lateri apponere, quæ ad extra traherent, & poſtea ferro vel cauterio aperire, ut materia extra expurgetur, non intro rumpatur, nam ruptio interna periculoſa eſt ob ſuffocationis periculum, & poſt ruptionem materia commodè vacuari non poteſt: Pulmone exulcerato fiunt Phthiſici & moriuntur. *Rondeletius lib*. 2, *cap*. 15.

XX. *Externa Expectorantia* non ſunt negligenda, muſculique thoracis liberandi ſunt à tenſione & duritie, inunctionibus & fotibus: his tamen diutiùs inſiſtendum non eſt, ne muſculorum robur, hic maximè neceſſarium, diſſolvatur: & laxitatis cauſa fluxionibus iterum excipiendis opportunus thorax reddatur. *Idem*.

XXI. Ad omnes ſuppuratos, ſive in thorace, ſive in alvi regione pus collegiſſent, utebatur *Hippocrates Uſtione*: atque cum uſtiones non erant ſatis, ad ſectionem penetrantem veniebat. Et ſanè mihi perſuadeo hanc curationem futuram multis utiliſſimam ſi tempeſtivè adminiſtraretur: Nunc verò paucis, aut vix ullis eſt auxilio, quia aut non fit aut omnino tardius multò quàm oportet; partim quia ipſi Medici, quaſi magna ſint hæc, formidant: partim quia ægri nolunt obedire, niſi cum ſe mori apertè jam vident, tunc verò ſero obediunt: tempeſtivus verò horum uſus eſt cum adhuc ſunt ægroto vires quæ ferant. *Valleſius libro quinto Epidem*.

XXII. Commendat *Paracenteſin Hippocrates* 6. aphor. 27. & calculo probat *Galenus*, nec præter rationem, vulnera enim thoracis per ſe lethalia non ſunt, & materiæ purulentæ commodior exitus non patet: Ita ut variæ molitiones, ad puris vacuationem, per veſicatoria, aut, ut vult *Paulus*, per varias inuſtiones in cute inſtitutas, quò ad externos muſculos materia alliciatur, ſupervacaneæ ſint, ob temporis diſpendium, quod virium jactura ſequitur; Experientia veterum & recentiorum hac arte plurimos fuiſſe conſervatos palam facit. Exemplum illuſtre habet *Marchettis in Sylloge Obſervat*. 44. Nobilis, *inquit*, Patavinus ex Pleuritide non expurgata incidit in Empyema: tanta puris copia in cavitate thoracis concluſa, ut iterum & tertiò per diem incideret in leipothymiam ſyncopi proximam. Propoſui ſectionem inter 5. & 6. coſtam, ab omnibus authoribus laudatam, atque propria experientia ſæpiſſimè felici ſucceſſu adminiſtratam, quam ſequenti die mane inter 5. & 6. coſtam inſtitui (quibuſdam improbantibus metu læſionis vaſorum intercoſtalium) immiſſa tutunda craſſa ſatis, quæ foramen patens ſervaret, quam ſub veſperam eduxi, ac ſimul tres, & quod excedit, puris libras, à quibus N. à leipothymia convaluit: quem poſtmodum curavi, prout alioqui vulnera thoracis, educta ſcilicet quotidie materia purulenta, atque immiſſa, in vulnus, paucis poſt diebus, cannula plumbea, per quam tota ſanies penitus exhauſta: qua demum educta, ad cicatricem tandem vulnus ſpatio 28. dierum adduxi.

XXIII. De *ſectionis loco* magnus ſententiarum conflictus eſt, eligentibus aliis interſtitium quartæ ac quintæ; alijs verò tertiæ & quartæ coſtæ: ſed poſterior ſententia præponderat evidenter, educendo convenientiſſimè quicquid diaphragmati negotium paſſit: Sed diſpar eſt vivi ac mortui hominis ratio; quippe in viventibus elevatur diaphragma multò altius quàm in mortuis: ſed in diuturna ſuppuratione languet, vel potius emoritur tantopere vis expultrix, ut multò facilius expellat onus ſuum per viam declivem quàm ſublimem: vidi id aliquando valetudinarium publicum in homine verè infelici, cui viventi nihil puris ſubduxit ſuperior, ſed plurimum ſectio inferior, poſt mortem inſtituta. *N. Tulpius lib. 2. Obſervat. 5.* Ioſin per neceſſe eſt invenire diſtantiam latitudinis, Si enim verſus dorſum ſectio inſtituatur, craſſities muſculorum dorſalium, multitudo tendinum, & nervorum à ſpina egreſſus, periculum oſtendunt: Si anterſum pectus verſus, metuendum ne diaphragma lædamus: aut, ſi hoc evitemus, ne materiam (ob acclivitatem diaphragmatis) commodè expurgare queamus, vtpote quæ verſus poſteriora deſcendit: Hos vt effugias ſcopulos, ſume filum, & metire à mucronata cartilagine vſque ad apices vertebrarum ſpinæ: hoc dein divide in tres partes, & quo loco duæ tertiæ fili partes (à ſterno incipiendo) pertingunt, ille verus erit paracenteſeos, locus. *Io. van Horne Microtech. p. 1. §. 18.* *Paulus* lib. 6. cap. 44. inter coſtam 5. & 6. numerando à ſupernis, *Hippocrat.* verò lib. 2. de morbis, inter coſtam 7. & 8. a ſupernis etiam numerando, thoracem aperit: Is quidem loco allegato ad paracenteſin denominat interſtitium coſtæ 3. & 4. ab vltima, infernè ſurſum numerando: quia tamen is ipſe xij. vt tactu difficilem, haud numerat, ſuúmque numerum ab xj. incipit excluſivè, locus ejus coincidit cum interſtitio quod eſt inter coſtam 7. & 8. Ille *Pauli* locus in quibuſdam ferè rectam & perpendicularem lineam cum papilla mamillarum facit: *Hippocrat.* eligit eminentiam, ſeu flexuram coſtarum, ad vitandos tamen muſculos nervoſos, non ſuper illam, aut retro verſus dorſum, ſed paulo anterius verſus ſternum apertionem ſuam inſtituit: Videtur quidem in hoc *Hippocrat.* loco periclitari diaphragma, in nullo tamen verſatur periculo, quia materiæ copia depreſſum, vbi coſtis adhæret, tam altè non deſcendit vt ſcalpello lædi poſſit: In quo latere collecta ſentitur materia, in illa paracenteſis molienda eſt: Si igitur in parte dextra, in latere dextro aperiatur thorax; Si in ſiniſtra, ſiniſtro: ſi in vtraque, vtroque: Ex recenſitis locis certè optimus eſt Hippocraticus, eo quod pus, aliáve materia in pectore collecta, ob decliviorem apertionis ſitum meliùs effluat quam in Paulino: Paulinus tamen non ſimpliciter contemnendus eſt, ſi quidem re paulò diligentius conſiderata in latere dextro locus Pauli Hippocratico præferendus videtur, quia hepar gibba ſui parte diaphragma ſurſum pellit: In latere ſiniſtro, ſi administranda fuerit apertio thoracis, quia diaphragma ob humiliorem lienis ſitum minus aſcendit, & copia materiæ ad inferiora truditur, eligendus eſt locus, vel Hippocraticus (vnde *Hippocrat.* lib. 2 de morbis ait *Optandum eſſet vt in ſiniſtra parte materia evacuanda ſemper decumberet*) vel ille qui inter Paulinum & Hippocraticum mediam occupat ſedem: In vivis namque non ita altè aſcendit diaphragma vt inde mortuis: His igitur in locis thorax aperitur ſine læſione vaſorum, pericardij, pulmonum, mediaſtini & diaphragmatis. *Scultetus Tabula 35.* Duo in loci electione adminiſtranda ſunt, primò vt operatio tutò inſtituatur, id eſt, nihil in thorace (vnde ægro aliquod periculum imminere poſſit) violetur, pericardium ſcilicet, pulmones, diaphragma, venæ & arteriæ, aut nervi: Secundo vt per locum, in quo ſectio inſtituitur, pus commodè vacuari poſſit. *Sennertus cap. prop.* Vidi qui thoracis muſculum inter quartam & quintam coſtas ſectus (quanquam ego ſemper maluerim, longa experientia edoctus, inter quintam & ſextam fieri, vel potius infra membranam quæ ſextam internè veſtit, ipſum pericardium omnino perſecuit, vnde leipothymia correptus, redeunte poſtridie Chirurgo, mortuus inventus eſt: Vidi alium foramen in extra parte feciſſe, tam capax vt faciliimè tres meorum digitorum illi immitterem, vnde & vena azyga & aliæ ſectæ, vt miſer inter Chirurgi manus expiraverit. Vivit etiam nunc Leodii Sutor, qui a perito Chirurgo, me jubente, cum animam ageret ſuffocandus a nimio pure, inter 4. & 5. ſectus: vigeſimo poſt die intra ſextam ſecari debuit, túm que brevi convaluit. *Henricus ab Heer Obſervation. 22.*

XXIV. *Sectio* probatur magis vbi conjectatur pus non eſſe malignum, nec partes puri circumſtantes putredini eſſe obnoxias: at vbi pus pravum & malignum exiſtat, ſuſpicandúmque ſit de corruptione partium internarum, pus ipſum continentium, præferatur Uſtio. Uſtio autem non vnica, ſed duplici peragitur ratione: aliàs enim fiunt inuſtiones plures in pluribus thoracis exterioribus partibus, non ad educendum ſed ad exſiccandum pus: aliàs autem vnica fit vſtio, in loco eodem ſectioni opportuno, non ſuperficialis & cutanea, vt in primis inuſtionibus, ſed profunda, & quæ penetret ad intra thoracis cavitatem, & vſque ad pus ipſum, quod fieri poteſt per ſecantem gladiolum ignitum: Prior inuſtionis modus eſt eligibilior in ſuppuratione incipiente, & non progreſſa, quoniam magis ad præſervationem facit, exſiccando, quàm ad puris eductionem, evacuando: Secundus autem modus in facta ſuppuratione & puris collectione magis convenit, quoniam in hac præſtantior eſt indicatio evacuandi quàm exſiccandi. *Salius comment. in tom. 6. lib. 1. de morb.*

XXV. Si coſtæ ſunt robuſtę & latæ, & non exiguæ, in ætate provectiori, tunc ipſam *Coſtam Perforarem terebello*: & hæc eſſet operatio tutior reliquis operationibus, nam vaſa ex inferiori parte oriunda nihil patiuntur, nam in media coſtæ parte fieret foramen, & ſanies liberè exire poterit; & fiſtulæ non impenderet periculum, quamvis ſanies per annum integrum exiret, & tandem pulmo & thorax minus ab aere externo patiuntur: hanc operationem innuit *Hippocrat.* lib. de int. affect. tutiſſimam, quia ſanguinis fluxus non timetur. *Epiphanius Ferdinandus hiſtor. 32.*

XXVI. Monendi ſunt Lectores ſæpe hanc operationem ex arte inſtitui, nullum tamen percipi puris egreſſum, quia illud hæret, non ſupra diaphragma fluctuans, ſed incluſum ſacco cuidam, efformato à connexione pulmonis cum ſuccingente membrana. *I. van Horne Microtechn. p. 2. §. 18.* Civis Caſtrenſis Empyemate diu detentus fuit, tandem natura ſagax puri exitum quærens, tumorem in latere produxit, quo percepto Medicus aperturam juſſit: qua facta, nihil manavit contra ſpem; quare æger relictus, vt vires repararentur, ſupra latus ægrum (quia in ſano quieſcere nequeunt ob puris copiam mediaſtinum gravantis) dormivit, at in ſomno omne

dus exivit; Et cùm ſe curatum eſſe teſtaretur æger, quia levabatur reſpiratio, ſubitò mortuus eſt: Moniti hic ſint Chirurgi ut nunquam ſine turunda abſceſſus apertos relinquant, quoniam licet nihil ab illis erumpat in operatione, tamen quoniam materiam non attingunt, pus viam ſibi quærens, foramen proximum invenit, & ſic defectu turundæ exit totum, & mors ſequitur ſubita. *Petrus Borellus Obſervat. 72. centur. 1.* Si vulnus præter intentionem anguſtius fuerit factum, aut materia craſſior extiterit, tunc vel illud ſcalpello falcato, qui in extremo habet obſtaculum argenteum, ſufficienter dilatandum: vel hæc mulſæ ſimplicis injectione per ſiphonem attenuanda & educenda: Ego tamen in ſummo ſuffocationis periculo vulneris dilatationem, quæ citò & tuto fit, longè præferrem mulſæ injectioni, quæ non diminuta priùs injectionis materia, pectoris anguſtiam proculdubio adauget. *Scultetus Tab. 35.*

XXVII. Recuſant *Lac* aliqui, quia eſt craſſi ſucci, pus incraſſat, & excretioni contumacius reddit: & cum tota ſpes curationis ſit in repurgatione puris, magis amant uſtionem vel ſectionem: Sed ſi affectio diuturnior ſit, imbecilles vires, febrilis calor vigeat vehementer, tabeſcat æger, maxime ſi copiam non multam puris thorax contineat, tunc ſalubre præſtat commodum lactis uſus, præſertim aſinini, quod cum tenuius ſit, pectus à pure repurgat, ipſius ſordiciem abſtergit, extenuatum corpus reficit & humectat atque incraſſat. *Zacutus.*

XXVIII. Cum os aliquod, aut partes illi hærentes dolore afficiuntur, & vacuato expurgatóque corpore, & adhibitis idoneis medicamentis, quanquam reliquo corpore videatur æger ſeſe habere melius, & ſecundum ipſam adeo partem juvatus; ac ſi quid tumoris carnei, aut inflammationis ſublatum ſit, dolores tamen durant, ac rurſum augentur, & corpus debilitatur, quod vel ob dictam cauſam cum febricula fiet, vel etiam ſine ea (ut erit pars) ob aſſiduum dolorem merito Chirurgus ſuſpicabitur corruptionem ſubeſſe & pus, parabítque auxilia ad eam affectionem neceſſaria; Ea porro, ut ex *Hippocrat.* innumeris in locis accepimus, præcipue *lib. de int. Affection.* ſunt duo *Uſtio* & *Sectio*: nam medicamenta ſola raro in his ſunt ſatis; *Uſtio* præterea eſt duplex, aut enim eſt penetrans uſque ad ipſum pus, ut ſimul ſit uſtio & ſciſſio, velut ſi cultello aut ſtylo ferreo ignito pungas aut ſeces: Aut eſt *Inuſtio*, hoc eſt, Uſtio vulnerans ſuperpoſitam cutem, & cruſtam gignens, non penetrans tamen: Priori uſtione, non minus quam ſectione, educitur affatim pus, Inuſtione non ita, ſed ulcuſcula fiunt, ut per ea natura demittat ea quæ ad internam partem colligebantur; aut etiam quæ collecta erant paulatim exudat interna expurgans. Proſunt etiam *Inuſtiones* ſiccando ac firmando partes, quum ſunt humidæ & laxæ, ac intercludendo viam fluxionibus, nimirum cicatrice durantur conſtringuntúrque partes: Hinc fit, ut cum educere pus quod in alto eſt volumus, ſectione uti debeamus: ſi pus malignum non ſit, nec pars putredini opportuna, ſolo inciſorio: Sin autem ſit, ferro candente, quia ignis cohibet & extirpat putreſcentiam: *Inuſtione* vero uti tunc ſolum debeamus, quum fluxio nondum in pus mutata ſubeſt, aut mucores adſunt & laxitates partium, velut ligamentorum in dolore coxæ, & aliis articularibus: Aut niſi forte quum ſectionem non audemus facere, etſi alioqui eam petat morbus, velut ſuppuratis intra thoracem jubet: *Hippocrat.* dicto libello ſectionem facere penetrantem, qua pus effluat (nimirum id conſulens quod morbus petit) Alij tamen inuſtionibus in ſpatiis intercoſtalibus contenti ſunt, qui ſcilicet magnitudinem auxilij, & difficultatem in debili jam ægro reformidant. *Valleſius comm. in lib. 5. Epid. p. m. 462.*

XXIX. Hoc quod jam proponam, etiamſi anceps ac dubium ſit remedium, tamen loquacitate relicta, longe præſtantiſſimum eſt, Supra diaphragma, inter 4. ac 5. coſtam, muſculi thoracis intercoſtales, *Cauterio* admoto *Potentiali* adurenda ſunt, donec ſatis lata eſchara oriatur, quod ſpatio circiter trium horarum fiet, dein iſtud ſatis lato vulnere pertundendum eſt, & hoc eo opus eſt, ne ſi ſine tali cauterio inciſio fiat, vulnus nimis cito coaleſcat, & citius quam neceſſe eſt; ſed oportet ut labiis longiſſimè à ſe diſtantibus invicem (quod in rotundo vulnere fieri certiſſimum eſt) facilior exitus puri ac amurcæ iſti fiat. Sed curandum ne pus confeſtim exeat, virium habita ratione: hoc remedio aliquos miraculi inſtar curatos vidi. *Bontius Medic. Indorum cap. 13.*

EPILEPSIA.

SYLLOGE.

An mittendus ſanguis *in paroxyſmo.* 1.
In gravidis vena ſectione in pede curanda. 10.
Quæ vena aperienda. 9.
Sæva copioſa ſang. miſſ. *curata.* 5. 39.
Præſervatio per frequentem Saphenæ ſectionem. 26.
Aperta vena in lepore naſi acta fluentibus menſibus curatur. 27.
Gravida nonimeſtris epil. correpta hirudinibus ſedi admotis curatur. 4.
Poſt partum ſæva hirudinibus interna uteri parti admotis curata. 25.
Hæmorrhoidum *fluxu repreſſa.* 40.
Arteriotomia *ſanata.* 8.
Cauteriis, Veſicatoriis &c. *quando locus.* 54.
Setacei *ope extincta.* 36. 38.
Fonticulo in brachio. 37.
Per conſenſum orta curatio, ſectione in parte facta e qua prodit aura. 32.
Terebratione cranij *curata.* 20.
Ex ulcere *naſi antiquo occluſo orta, fontanella in tibia curatur.* 28.
E Pollice *ſuſcitata, cauſtico illi admoto receſſit.* 6.
Frictiones *in paroxyſmo utiles.* 13.
Concuſſiones, frictiones, *ne violentiores ſint.* 14.
Repetitis Purgationibus *utendum.* 12.
Vomitus *aliquando conducit.* 11.
In paroxyſmo an illi locus. 30. *a.*
Si Vomitus *ob* Convulſionum *inſtantiam cieri nequit, quid agendum.* 30. *b.*
A ſæva quidam præſervatus ope vomitus. 23.
Per Stibium *curata.* 24.
Cur non Diuretica *apta.* 31.
Superveniens Febris *non ſemper extinguenda.* 44.
Ptarmicis *in paroxyſmo locus eſt.* 15.
Suffitibus *caute utendum.* 16.
Narcotica *an conveniant.* 19.
Oxyrrhodina *an admovenda.* 18.
Si ſit ab utero odorata *non admovenda.* 53.
Cephalica *calida non omnia conducant.* 45.

In

In præparatione *humorum non ad ſolam pituitam reſpiciendum*. 52.
An Ligni decoctum *conveniat*. 48.
An Guaiacum ſit lignum Heracleum *Rulandi*. 2.
Pæoniæ *facula ineſficax*. 41.
Cinnabaris & Antimonium *cujnam ſpecies conveniunt*. 42.
Olei ſuccini *ſuccedaneum, ob fœtorem rejiciendi*, 46.
Ab vtero orta quomodo à cæteris diſtinguenda. 3.
Per conſenſum à ventriculo, *medicamentis exaſperata, ceſſatione ab iis deſinens*. 2.
Vermium *per anum excluſione ſoluta*. 34.
Spleneticorum *uſu curata*. 33.
Uſu oxycrati. 43.
Nata ex hypochondrij dextri & meſenterij obſtructione. 71
Ex vrinarum anadrome canthar. ope curatur. 29.
Epileptici *ſucco nicotianæ curati*. 22.
Cranii humani *an aliquis vſus*. 49.
Vini *abſtinentia ad præcautionem magni momenti*. 51.
Apium *an noxium*. 17.
An Coſtus *conducat*. 50.
Curatoria & præſervatoriæ indicationes. 47.

I. EPilepſiam à ſanguine fieri ex *Hippocrat*. 4. acut. tom. 23. luculenter probat *Petrus Salius Diverſus* lib. de affectib. partic. cap. 3. Cauſam ſtatuit irruptionem ſanguinis ad partes ſuperiores, cerebrique vaſorum affatim factam repletionem, qui cum naturæ ſit, gravis, & qualitate forſan etiam moleſtus, Epilepſiam cauſat, inſurgente natura ad ejuſdem propulſionem & diſcuſſionem: Vocat *Hippocrates*, eo loco illam ſanguinis ſuppreſſionem, τῶν φλεβῶν ἀπολήψιας, In Epidemiis, ἐμπεφραγμένας αἱμοῤῥοΐας, ſanguinis ſuo impetu exondantis ac intumeſcentis ſuppreſſiones interpretatur *Fœſius* in Oeconomia: Per quas circulationem interruptam innuit *Hippocrat.* ipſi cognitam, vt patet ex lib. περὶ τροφῆς, *In pilos alimentum, & in vngues, & in extremam ſuperficiem ab internis pervenit: & ab externis alimentum ab extrema ſuperficie ad interna pervenit.* Ab hac vaſorum repletione cum in extinctionis periculum eat nativus calor, ob multitudinem ſuffocationem minantem, non aliud tanto periculo antevertendo præſidium indicari videtur, quam larga ſanguinis detractio: *Salius* dicto loco, Epilepſiæ hinc genitæ eandem curationem aſſignat quàm apoplexiæ, à ſimili cauſa oriundæ, ſanguinis ſcilicet copioſam, ex interna brachii dextri vena eductionem, juxta *Hippocratis*, citato loco, ſententiam: Vix tamen hodie, ait *Sennertus*, in ipſo paroxyſmo id ſuadeat & tentet quiſquam, cum nec commodè tunc inſtitui poſſit venæ ſectio, nec, ſi poſſet, tutò ac cum vtilitate (ejus judicio) fieret: ob maximam naturæ cum cauſa morbifica pugnam, ſummè tunc oppreſſæ, teſte reſpirationis læſione, aliarumque actionum, ob interruptum ſpirituum animalium influxum: Temeritatis certe notam incurreret Medicus, ignominiæ pœnâ luiturus, ſi æger occumberet, facta venæ ſectione dum is in paroxyſmo eſt: *De vena ſectione in paroxyſmo facienda bene diſtinguere Experti eſt Doctoris*, ait Paulus Barbette in Praxi. *In paroxyſmo levem venæ ſectionem aliquando profuiſſe, ad conciliandum nempe ſanguinis (ab acido auſtero coagulati quaſi) motum: aliàs ſemper ferè & in ipſo, vt & extra paroxyſmum, venæ ſectionem inſtitutam adeo nocuiſſe, vt graviores in dies poſt venam ſectam paroxyſmi redderentur, obſervavimus, & nobiſcum varij Practici*, inquit *Franciſcus Deckers Not. in eum locum*, *Hippocrat.* 2. Epidem. 5. ejus eſſe videtur ſententiæ vt in ipſo paroxyſmo ſanguis mittatur, τάμνειν τὰς ἔσω τοῦ ἀγκῶνος ἢν μεγάλη ἡ νοῦσος ἐν τάσει ἐοῦσα: Secabis venas interiores ſi magnus morbus in Intenſione eſt: Tutum videtur Zacoti conſilium, *In præcipiti caſu, ægróque conclamato, ſi ex ſanguinis vbertate enata ſit Epilepſia, ſanguis mittendus, ſi cætera conſentiant; Et licet auxilium dubium videatur, quia ægrum acceſſionum vehementia confractum debilitat, & naturam diſtrahit & interturbat, ne imminentibus acceſſionibus reſiſtere deinceps poſſit, tamen ſi ex ſanguinis copia excitaretur, ſatius eſt ſarcinam levare, & confluxum humoris avertere phlebotomia ope, quam ſpe omni adempta laborantem certo perire: quare cunctandum non eſt à communi, vel cephalica vena ſanguinem exhaurire, dummodo in intervallo inter acceſſionem & acceſſionem celebretur. Praxis hiſtor. lib. 1, cap. 6.*

II. Sunt qui *lignum Guaiacum* pro *ligno Heracleo Rulandi* habent, ducti tum ſimilitudine nominis, tum quod ſæpius decocto ligni hujus vſus fuerit in iiſdem affectibus, in quibus extirpandis oleum profuiſſe gloriatus eſt: *Quercetanus* contra è ligno Buxeo deſtillatione extrahi putavit: alii ex Pino malunt; alij ex larice arbore, hac potiſſimum ratione quod oleum *Eraclium*, totidem literis inverſum *Laricеum* ſonet: Nos, inquit *Cloſſæus*, quamvis non neſciamus Heraclinum Rulandi oleum parari ex ligno Coryli per deſcenſum, atque inde conſervam illius anti-Epilepticam confici, non ſolùm hoc argumento quod nuces *Avellanæ* ab antiquis *Heracleoticæ* fuerint vocatæ, ſed præcipue quod *Valentinus Rulandus* ſcribens ad *Fabritium Hildanum, Obſervat.* 84. *centur.* 3. manifeſte ſpiritum & oleum deſcenſorium ligni Corylini Heraclinum appellet: Quamvis, inquit, hoc ita ſit, tamen pro eo appoſitiſſime oleum ligni S. ſubſtitui conſtanter aſſerimus: habet enim eaſdem vires & facultates, eoſdémque effectus edit liquor acidus Guajaci, quos & quas oleo ſuo corylino attribuit ille: Accedit quod, experientia teſte, ſpecificæ liquorum proprietates in deſcenſoria deſtillatione pereant per aduſtionem; quibus igne depaſtis, elevatur ſpiritus vitriolicus fixior, una cum oleo fœtente & gummate, ſive reſina, quæ vt copioſæ inſunt lignis omnibus, ita agendi potentia & virtute non multum à ſe diſcrepant, *Gregorius Horſtius Problem.* 9. *Decad.* 2.

III. Puer quidam ſingulis quindecim diebus Epilepticus concidebat, Per affectum capitis hoc fieri præſtantiſſimi Medici crediderunt; Sed quò plura pharmaca exhibuerunt, eò affectus magis crevit: Ita vt in xxiv. horis paroxyſmos haberet plures 150, leves tamen, quia parva commotio capitis cum bulla, circa fræna labiorum aderat: vnde tamen cognoverunt morbum eſſe, non per affectum capitis, ſed per conſenſum à ventriculo: quare cum illum pharmacis exagitare deſiſterent, & roborarent, puer egregie convaluit. *Trincavella lib.* 1. *conſ.* 25.

IV. Gravida nonimeſtris, carnoſa & juvenis, ex coſueta hæmorrhoidali vacuatione diu ſuppreſſa in graviſſimam incidit Epilepſiam, qua ceſſante melancholicum patiebatur delirium. Hæc præter acria enemata, & partium inferiorum diverſiones, & ſectas in vtroque talo venas, nonniſi hirudinibus ſedi ter applicitis convaluit & feliciſſime peperit. *Zacutus Pr. adm. l.* 1. *Obſ.* 19.

V. Mulier 24. ann. robuſta, & ſanguine plena, horribili Epilepſia corripitur: multis tentatis, metuens ne in apoplexiam rueret affectus, ceſſante acceſſione cephalicam aperio, hinc octavus paroxyſmus multo mitior apprehendit: Iterum copioſius alterius brachij cephalicam tundo: his celebratis vacuationibus, & enematum acrium vi large exonerato alvo, à tanto malo evaſit incolumis. *Zacutus Prax. adm. lib.* 1. *obſ.* 21. Anno 1675. Nobilis puer Bernenſis, ex terrore panico ſæviſſima Epilepſia corripitur, rubebat facies & tumebat: cum paroxyſmus jam ad tertiam horam eſſet protractus, ex conſilio meo & D. D. *Crameri* aperta cephalica brachij ſiniſtri, vnde tanto impetu erumpebat ſanguis, vt intra xx. horæ partem totum exhaurire licuiſſet: Illico remiſit paroxyſmus, ſanúſque citra recidivam poſtridie factus. In eo ferrum candens paulo ante fuerat admotum. *Hippocrat.* 2. Epidem. ſect. 5. Si magnus morbus in intentione eſt, ſecare venas Interiores jubet. *Vide Rhodium Obſervat.* 64. *lib.* 1. Puella xij. annor. Epilepſia frequenter corripiebatur, Pleuritide autem ea correpta pluries ei ſecta fuit vena, & ab eo tempore Epil. nunquam paſſa. Inde collige efficaciam S. m. in eo morbo. *Riverius centur.* 4. *Obſervat.* 38.

VI. Quidam *Pollicis ſiniſtræ manus* tremorem diu habebat, hoc ceſſante (aura venenata inde ad cerebrum aſcendente) illico Epilepſia corripiebatur: cum ſæpius hoc vitium eum corriperet, multis irritis tandem cauterio actuali (ad priſcorum morem) pollici laboranti appoſito curatus eſt, nam ex vlcere ſanioſus ichor manavit copioſe. *Zacutus Prax. adm. lib.* 1. *Obſervat.* 22. Vide *Mercurialem conſ.*61. *Tomi* 1. *Schenckium lib.*1. *Obſervat.*196. *Hoechſtetterum decade* 4. *caſu* 7.

VII. *Ben. Silvaticus* malum excitari obſervavit perfricato *hypochondrio* dextro, quod longa obſtructione tentatum. Adoleſcens è meſenterio Epilepticus, poſt acceſſionem inſigni copia fœtidiſſimas alvi fœces depoſuit, vacuato miræ colluviei excipulo convaluit. *Rhodius lib.* 1. *Obſ.* 56. *&* 61.

VIII. Juvenis xxv. annor. morbo Sacro ſingulis menſibus invadi ſueto, arteria temporum altera per me ſecta, jam quatuor lunis immunem ſpes erat fore, cum ipſe meri potu, ſibi familiari, morbum revocavit. *Vir* 43. annor. frequentes inſultus ſentire ſuetus, ſublata *ab infima* reſpondente *manu* ad frontem vſque aura, Cui ego morbiferæ halituoſæ cauſæ facta conjectura, eo quod rufus & impendio vinoſus, arteriam frontis ſecui, detracto ſanguinis plus triente. Sed vinculo ſoluto, ſanguis manavit multus, à qua tamen fortuita vacuatione poſt longos dies belle habuit, vt liber à morbo videretur. *Alphonſus* N. per omnia melancholicus, qui vel ab ineunte ætate noveno aut quindeno, denis, vicenis, trigeniſque diebus morbi vim ſuſtinebat, levis cujuſdam auræ modo, ex infimo brachio lente ſe attollentis ad ſuperiora: plurimum autem reſectis venis in fronte micantibus levatus. *Severinus Med. Eff. p.* 46.

IX. Si *Epilepſia* fiat per *primarium cerebri affectum*, & aliqua plenitudo ſanguinis in capite appareat: vel in toto corpore plenitudo ſanguinis adſit, quæ vel ad producendam, vel fovendam Epilepſiam faciat, viréſque permittant, commodiſſime in cubito vena aperitur, quá ſanguis vacuatur, & a capite derivatur: Si verò Epilepſia fit per conſenſum ab vtero, ac menſtruorum ſuppreſſione, vel à ſuppreſſis hæmorrhoidibus, venæ in cruribus aperiendæ ſunt, vt & ſanguini motus ſuppreſſus concilietur, & materia à capite revellatur. *Sennertus.* Quum verò totus humor in capite fuerit impactus, tum à venis ſub linguâ & frontis eſt extrahendus ſanguis, appoſitis cucurbitulis dorſo, imò occipiti. *Zacutus Prax. hiſt. lib.* 1. *cap.* 6. Locus pro præſervatione vena crurum eſſe debet, ex *Galeno* lib. de Sangu. miſſ. cap. 10. Si tamen in toto niger ſanguis abundat, dubitari poteſt num prius ex brachio, cum Aetio, mox ex ſaphena educendus. Dic, ſi ætas xiv. annum exceſſerit, ex brachio primum, ad craſſum ſanguinem educendum, ne ad vteri venas irruat: ſecundo ex pede: Si xij. annum non ſuperat; quia repetitam ſanguinis miſſionem tolerare non poteſt, is ideo è ſola ſaphena educatur. *Fortis conſult.* 43. *de Epilepſia ab vtero, Cent.* 1.

X. Fœminæ plures, in vltimo graviditationis menſe conſtitutæ, *Epilepſia* ſæviſſima *ab vtero* ſunt correptæ: optimo erant corporis habitu prçditæ, aderat febris non ignava, a fervente ſanguine in vtero retento, excitata: Ex decreto Medicorum ſanguis è gibbero demitur: binæ, revocato ad ſuperna ſanguine, ſubitò apoplexia periere: reliquæ ingraveſcente in peius Epilepſia, ſævitie acceſſionum ſunt extinctæ: plures aliæ Epilepſia acutiſſima prehenſæ; ſecta iterum atque iterum in talo vena, citra abortum feliciter pepererunt. *Rondeletius* in gravidis Epilepticis non formidat applicare cucurbitulas in inguinibus, Nonimeſtris gravida Epileptica hirudinibus ſedi applicitis curatur, & feliciter parit. *Zacutus Med. Princ. hiſt. l.* 1. *Obſervation.* 26. *&* 27. *& Prax. adm. l.* 1. *Obſ.* 27.

XI. *Septalius* neminem *Vomitu* ſublevatum ſe vidiſſe ait, omnes autem gravatos animadvertiſſe: adſtipulatur ratio, quod vomitus caput jam affectum amplius concutiat: Id autem verum vbi cerebrum primaria affectione laborat, aut ubi fomes in aliqua habitus corporis parte deliteſcit; illinc quippe id præſidium nihil elicit: conſentiente experientia, quæ infauſtum ſemper eventum ab exhibitis mochlicis, alvum ſupra infráque turbantibus exhibuit: Sin Epilepſia primos natales in ventriculo, partibúſve vicinis habuit, humórque, ejus cauſa, ad eum facilè corrivari poteſt: ſi ægri natura ad vomitum prona ſit, detrimentum exinde aliud ſubſequi non poteſt, præter levem capitis concuſſionem, brevi ceſſaturam.

XII. Notandum eſt *Purgantia vſualia* in frequenti vſu habenda, nempe ſemel aut bis in hebdomada, Et per plures menſes Purgationes eſſe continuandas; imò ad fortiora interdum purgantia eſſe tranſeundum, juxta præceptum *Maſſariæ*, qui hinc fieri dicit quod Epilepſia raro curetur, quod Medici ſemper in levioribus hæreant. Hac ratione Chymici purgantia vſualia vſurpare ſolent, quæ à remotiſſimis humores trahunt: Si ab hujuſmodi remedijs felix eventus ſperandus eſt, ille imprimis pendet à Mercurio per ſe, vel cum auro calcinato, in furno arenæ longo ignis regimine: probè cavendo ne qua illius portio cruda adhuc & volatilis maneat, quæ

ſummam vehementiam medicamento conciliaret, alioqui ſatis blandè purganti ii cum pilulis coch. aut ... rum extracto aliquo phlegmagogo pondere granor. iv. vel v. detur. *Laz. Riverius.*

XIII. *Frictiones in paroxyſmo* improbat *Eraſtus*, quod a loco affecto non retrahant, ac quia ſtupor membrorum earum vim non admittat: At ea de cauſa in uſum ducuntur quo ſenſus ſopiti ad officium revocentur, quod validæ in ſcapulis, brachiis, dorſo & cruribus, cum pannis aſperis inſtitutæ ſumma efficacia præſtant: Id præterea emolumenti accedit quod ab iis partes calefiant, humoresque ſimulque eo alliciantur; hinc vaporum ſurſum repentium ad inferiora, ob partes frictione attritas, fiat retractio, ad quam ſenſuum reſtitutio ſequatur.

XIV. Quod nonnulli *affectos erigunt*, eorum *brachia* & *crura à motu convulſivo penitus cohibent*, vel in hoc vel illo ſitu conſtringunt: porrò, quod ſternutatoria naribus inſlant, & cardiaca fortiora ori ingerunt, aut cucurbitulas & ſcarificationes adhibent, aliiſque adminiſtrationum modis caducos aſperius tractant & paroxyſmi motem interturbant, hujuſmodi inquam praxis ſæpe perperam inſtituitur, quoniam hoc modo duplex naturæ moleſtia, alia nimirum a morbo, aliaque non levior adſtatoribus & miniſtris infertur; cum longè præſtiterat paroxyſmo, juxta morem ſuum tranſire permiſſo, laborantes una tantum plaga abſolvi. *Thomas Willis Pathol. cerebri c. 3.*

XV. Epilepſiam *Sternutatoria* & ciere & propellere poſſunt, Prius patet exemplis eorum qui continuato ſternutatoriorum pulverum uſu (in ſcotomia, auditu difficili &c.) Epilepticos motus induxerunt; alterum ex eorum efficacia, quod caput levent, & diſcutiant ipſi moleſtum inſidens: Hoc loco & occaſione, quod obſervavi ſæpiſſime in Epilepticis recenſebo, ſcil. ſternutatio modo præcedit Epilepſiam, modo ſequitur: Sive, vidi in aliis priuſquam paroxyſmus ingrueret, aliquot ſternutationes, & eas quidem ſatis frequentes, 20. 30. 40. ſæpe præceſſiſſe, idque uno vel altero die, imo horis, ut etiam lactis calidi applicatione mitigare eaſdem neceſſum fuerit, ſubſequente poſtmodum ingrato & inviſo morbo, quatenus nempe quod acrimoniam ſuam in meninges interius vibrat, & cerebri hinc tectum concutit, per conſenſum ad exteriores quoque partes, ipſoſque narium nervos pervenit, ac à natura quaſi excutitur, ut hoc ſe liberet infauſto malo: In aliis vidi paroxyſmum finitum hac ipſa exploſione & excretione ſaltim intentata, quatenus reliquum, quod ſubigere poteſt natura, ad extimos fines eliminare, citra vellicationem majorem alio amandatur & exploditur: unde patet quantum natura in hoc morbo patiatur, & quam ſui provida ipſam abhorreat. Hinc cum duo ſi faciant idem, non idem ſit, Medicum quidem decet eandem adjuvare, ita tamen ne noceat, adeoque provide admodum his ipſis utendum v. g. 1. mitioribus, fortiora enim abhorret, & ipſa ſponte fortius impellitur, coacta quaſi & invita ... it. 2 Cephalica quæ ſimul ſuavi εὐωδίᾳ caput roborant. Vel herrina ſint, ut pulvis flor. lilior. conv. caſtor. ambra. 3. ſi æger abundet humoribus, nec adeo εὐαίσθητος ſit, quo caſu facili negotio malum inducitur a quovis irritante. 4. ſi magis in paroxyſmo affligat, & obſervetur ἀναισθησία, vel detentio functionum principum, quã convulſivus motus, 5. adeoque ad evacuationem in paroxyſmo vel ejus declinatione: Hinc eſt quod C. *Aurelianus* negat ſternutatoria convenire Epilepticis. *Wedelius de S. M. Fac. p. 210.*

XVI. Tetris Odoribus nonniſi urgente neceſſitate uti permiſerim: præſtat enim paroxyſmum produci ac ſenſim ſolvi quam odoribus fœtidis caput complere ac gravare, atque cerebri ſpirituumque ſubſtantiam computrefacere: Iis ergo locus non ſit niſi producto ad plures horas paroxyſmo, & tentatis prius fruſtraque levioribus remediis. *C. Piſo de morb a colluvie ſeroſa part. 2. ſ. c. 7.* De lapide Gagate maximè controverſia eſt, Dioſcorides enim hujus ſuffitum ſonticum morbum deprehendere, hunc excitare ait: idem aſſerunt *Trallianus, Aëtius, Plinius, Celius & alij, In contraria* cunt Avicenna, *cum ſuffumigatur ex eo Epilepticus*, confert eis, & Meſue, Oleum ex Gagate Epilepticis &c. ſaluberrimum. C. Piſo eximie commendat, *Ejus odor*, inquit, *præſentiſſimum eſt remedium, ut in pluribus expertus ſum, & in famoſa illa virgine Gallia Maturina, quæ pro mortua a Medicis etiam habita, hujus lapidis primo olfactu e lecto reſtituta, alacris extemplo præter ſpem ad menſam aleamque cucurrit.* Sed a ... controverſia diſtinctione Epilepſiæ, valet enim hic ſuffitus in ea quam ſuſcitat vapor ab utero elatus, nam graveolentium ea vis eſt ut hyſtericas diſcutiant affectiones, ſi naribus admoveantur: Ab aliis verò cauſis genitam tetro odore ſuſcitat. *Vide Zacutum P. Hiſt. p. m. 186.*

XVII. A multis diſceptatur an *Apium* Epilepticis ſit noxium, per Apium autem *Petroſelinum* intelligendum eſſe nullus dubitabit qui Plinij locum l. 20. c. 11. legerit, & *Galenum* 2. de alim. facult. hoc enim verum eſt apium hortenſe & domeſticum antiquorum: noſtrum quippe Paludapium eſt, ſeu apium paluſtre: Plinius loco citato ait in puerperio ab eo cibo comitiales fieri qui ubera hauriunt: Avicennas è cibis præcipuè apium rejicit, quod innata proprietate Epilepſiam ciear: prohibent & alij hos ſequuti: Obſtat *Iacchinus*, *Galenum* opponens, qui in conſilio pro puero Epil. Apium concedit. Et à tot doctis prolata ſententia pro figmento habenda non eſt, experientiæ proculdubio innixa, quæ cõſulenda eſt: Quibus innoxium fuit, ij ad Epilepſiam proni non fuerunt, aut ut condimento tantum, non ut cibo, uſi ſunt; ſic Galenus in eo conſilio, deguſtare ſaltem permittit, ſicut & ſmyrnium, a quibus tamen caput repleri ſcribit: citati autem veteres de eo in cibum aſſumpto verba faciunt. *Ex Sennerto.*

XVIII. Solus *Rhaſes* l. 9. c. 8. Oxyrrhodinorum meminit in *Epilepſia a ſanguine* nata, qua de cauſâ à cæteris omnibus prætermiſſus eorum uſus; qui præterea ſuſpectus, quod humorem intro magis trudãt: At nõ indiſtinctè in omni iis utendũ, iis quippe locus tantũ eſt cũ calidus humor mordaxve vapor veneficave qualitas aliunde elata cerebrum petit, nam eorum ope roboratum cerebrum, quæ affluunt, repellit: alias in uſum traducta, primariâ affectione cerebro laborante, noxam non ſolatium allatura ſunt: Emplaſtra ea gumminibus cum in finem nuchæ affixa commendat Clariſſ. *Bartholinus* hiſtor. 25. cent. 5.

XIX. *Stupefacientia* nervos, quia ſenſum ipſorum obtundendo faciunt ut cum irritantur moleſtia afficiantur, minimeque ideo convellantur, ſi leviora ea iis in gravibus & periculoſis convulſionibus nentur, ... profuiſſe ſæpe ſum expertus: quo nomine Theriacam &c. convenire exiſtimo, & quia venenatam Epilepſiæ vim infringit, & quia nervorum exquiſitum ſenſum obtundit, ideoque exhiberi potius quam ut nervoſum

genus roboret. *Platerus lib. de funct. læſion. p.* 77. Curatio, A paroxyſmo liberetur æger, quod fit ſi quam primum ingruit pil. una laudani opiati, cum quarta parte olei camphoræ ſumatur. *A. Schmitzius in Enchir.* Narcoticorum uſus utilis eſt & noxius, bene diſtinguere experti eſt Doctoris. *P. Barbette.*

XX. *Adr. Spigelius* memoravit Nobilem unde viginti annorum ſæpius epilepſia conflictatum, quum à gravi de ſcalis lapſu *Aquapendens* cranio terebram admoviſſet, numquam ex eo malum percepiſſe: Proinde hoc auxilium ad melancholiam in cerebro confirmatam non abs re probat *Rondeletius*, licet periculoſum exiſtimet *Foreſtus. Rhodius Obſerv.66.lib.1.*

XXI. Adr. *Spigelius* catellum meliſium Epilepſia confectum aperuit, cujus inteſtina vermibus cucurbitinis ac tæniis ſcatebant. *Idem obſerv.59.*

XXII. Plures viri ſæviſſima Epil. correptos, *ſerapio* ex melle & ſucco folior viiid. *Nicotianæ* parato curatos, quo lambitivi modo, belle prius purgato corpore, tribus horis poſt cœnam, xl. dierum ſpatio aſſumpto, unciarum trium quantitate uſi ſunt citra recidivam. *Zacutus Pr. Adm. lib.* 1. *obſ.* 23.

XXIII. Pro curanda Epileptica acceſſione nocentiſſimum eſſe *Vomitum* monet *Septalius* l. 6. caution. n. 50. At in præcautione generoſiſſimum eſt auxilium: Quidam Epilepſiam ſæviſſimam, ab ſtomacho concitatam, ex intervallis patiebatur: hanc præcedebant rugitus in ventre, ſputum multum, craſſū, tenebricoſa vertigo, Triennio expertus fuerat innumera citra utilitatem auxilia; Vomitoriū ex ℥iv. decocti Nicotianæ ſiccæ, adiecta ℥j. olei amygd. præſcribo, cujus ope bis & ter ciebatur alvus, plurimam pituitam lentam & mucoſam vomitu excernebat; hinc toto anno à morbo immunis evaſit. *Zacutus Pr. Adm l.1obſ.24.*

XXIV. Baiulus vehementiſſima tentatus Epilepſia plurima per annum tentavit auxilia, ſed citra utilitatem, nam ſæpius in menſe paroxyſmus invadebat: hic aſſumpto quater in vino ſtibij recte calcinati ſpiritu, vacuataque pituita tenaci, cum plurima atrabilarij humoris copia per utrumque ventrem, à tanto vitio ſecurus eſt factus. *Zacutus Pr. Adm. l.1. Obſ.31.*

XXV. Poſt partum, *aura venenata ab uteri ergaſtulo* aſcendente, e ſuppreſſo putrefactoque menſtruo elevata, funeſtos venenoſoſque morbos oriri oſtendit *Galenus* 3. Epid. ſect. 3. comm. 73. Fœmina ex hac cauſa in truculentam Epil. lapſa eſt, cum ob urgens periculum bis ſecta eſſet ſaphena, quia purgatio poſt partum omnino erat minuta; & alia revellentia in infernis partibus ad originem fluxionis in eodem die eſſent celebrata, tandem impoſitis tribus hirudinibus internæ parti uteri, filo appenſis, exhauſta larga ſanguinis copia melius habuit, & inſultus epilepticus conquievit. *Idem obſerv.* 26.

XXVI. Quadragenarius robuſtus & rubicundus ex intervallis graviſſimis acceſſionibus epilepticis premebatur, Remedia multa contra pituitoſum humorem ſumpſit, at *ſanguine e talo* extra acceſſionem ſingulis menſibus emiſſo, tranſpiratis vaſis, vacuataque copia, & diſtracto ſanguine ad diſtita, impoſterum bene habuit: Recte ergo author lib. de cur. rat. per ſ. m. *Convulſibus morbis obnoxios ex arteribus eſſe vacuandos, quam præſervare ab imminentibus morbis voluerimus.* *Zacutus ib. obſ.20.*

XXVII. Iuvencula quadrata in gravem Epilepſiam lapſa, prægreſſa ſcotomia: menſtrua acceſſionis tempore rite fluebant: hæc vacuationibus inferiorum partium levari non potuit: urgente vero affectu, poſt cucurbit. ſcarificatas dorſo admotas, venæ frontis ſectionem, tandem ſectione facta in lepore naſi revixit. *Idem obſerv.30.*

XXVIII. Mulieri ſeptuagenariæ in *lepore naſi*, tribus quibuſque menſibus *ulcus* repullulabat *ſordidum*, virulentum humorem emittens; fœditatis pertæſa, poſt xviij annos unguentum diapomphol. admovet, Non pertranſivit dies quin præcedente immani cap. dolore, Epilepſia læva quateretur; qua liberatur illico ſecta cephalica, balano acri, & crurum dolorificis vinculis; Cum tamen ſuppreſſa antiqua vacuatione per menſes ſex quaſi fatua evaſiſſet, purgationem cephalicam impero, qua non conferente, & ipſa narrante quando ichores per ulcus apertum manabant, primo die ſentire ſe elevari humorem à partibus inferis, & excitari ardorem in regione pubis, ad originem fluxionis revocare humorem ſtudui, ſicque factis fontanellis in cruribus parte domeſtica, mananteque ſanie, ab Epilepſia & ulcere antiquo liberata eſt. *Idem obſ.32.*

XXIX. Quidam *Iſchuria* obnoxius, ex gelidæ potu in eam recidit, urina ſeptem diebus ſuppreſſa, putrefacta, vaporeque putrido elevato in Epilepſiam incidit, Quum jam diſſeminato ſero per habitum ſimilis cachectico eſſet, dato ſcrupulo Cantharid. ppt. cum oleo amygd. calculum cum mucore multo, & aquæ ℔iv. excluſit, ſicque ab Iſchuria & Epilepſia liberatur. *Idem obſervat.35.*

XXX *a.* In Epileptico paroxyſmo dubius eſt *Vomitoriorum* ſucceſſus, Improbat omnino *Septalius* lib.6.n.5. Nec valet ſi per conſenſum ventriculi fiat, aliud enim eſt curare Epilepſiam ante acceſſionem, aliud in ipſa acceſſione, in hac negamus ob allatas à *Septalio* rationes: de illa autem nihil eſt quod moveamus, ſed cum *Zacuto* potius commendamus, qui in Praxi Adm. lib. 1. obſervat. 24. Epilepticum vomitus ope præſervavit. Num in morbis ſupra jugulum Vomitus ſit ex uſu, licet humores ad caput deferri videantur, affirmative reſpondet *Sennertus*.lib.22.Antept.cap.4. *Fridericus Hofmannus m.m lib.1.c.5.* Alia ratio eſt cum venenum, e. g. cicuta, intra ventriculum admiſſum Epilepſiam producit: Vomitoria enim, ex ſententia *Septalij*, non tuta forent, Ita namque ille, *cave ne in paroxyſmo Epileptico vomitum provoces, vidi aliquos in invaſione hoc tentantes, ſcriptorum quorundam authoritate ductos, præcipitem in mortem aliquos duxiſſe, ex violento enim illo motu magis repleto capite, ac concitata materia in capite exiſtente, ad perfectam obſtructionem faciendam deducunt, quæ apoplexia ſequi ſolet.* Cl. D. *Freder. Hofmannus* lib. 1. cap. 9. quoque illa improbat, etiamſi Epilepſia per conſenſum ventriculi fiat, & licet extra paroxyſmum concedere videatur, vix tamen ex illorum mente poterunt exhiberi, cum paroxyſmi vel continui ſunt, vel breviſſimis intervallis invadunt. Verum hæc tanti non ſunt ut Vomitoria prohibere poſſint, nam *Septalij* ſententia quamlibet Epilepſiam periodicam reſpicere videtur, etiam illam cujus fomes intra cerebrum reconditus eſt. deinde mihi videtur falſa, & jam à plurimis exploſa opinione, illam ſcil. oriri obſtructis cerebri ventriculis, commotiſque humoribus a violenta agitatione, etiam capitis, à vomitoriis facta, ventriculos cerebri penitus facile

obſtrui & apoplexiam acceſſiri: Præterea dum Vomitoria ad Cicutam v.g. ex ventriculo excutiendam exhibentur non inveteratæ Epilepſiæ, aut quæ alias radices egit, ac jam plurimis paroxyſmis ægros defatigavit, ſed recenti opponuntur: Denique cauſam proximam & primariam e ventriculo eliminant, qua ſublata Epileptici inſultus protinus aut paulo poſt imminuuntur, ac brevi penitus ceſſant: Atque hoc vomitorum in hoc caſu neceſſitatem & fructum, non ſolum ratio ſuadet, ſed quoque experientia probat: ex enim puellas, quæ uno eodemque tempore cicutam devoraverant, atque inde vehementibus & diuturnis paroxyſmis epilepticis prehendebantur, Vomitus protinus vindicavit: dum pueri duo, qui ſimul eam ingeſſerant, quibus vomitus, quamvis ad illum ſtimulabantur, non promotus fuit, ob vehementiam & diuturnitatem paroxyſmorum epilepticorum extincti fuerunt, qui proculdubio liberari potuiſſent à morte, ſi radicum cicutæ excretio, quam natura moliebatur, vomitoriis facilitata ab artis Medicæ perito tempeſtive fuiſſet: *Santorellus* antipr. lib.21.cap.10. huic ſententiæ favet, ac ſumpto per os veneno vomendum ſuadet, & tutiorem illorum uſum dicit, & magis commodum quia promptius venenum extrudatur: Vomitus tempeſtivi *Arſenico* inglutito profuerunt duabus puellis & duobus pueris: Iuveni ex *Fabro Lynceo* hiſtor.12. item *Mercurio ſublimato* ingeſto: Et nemo non Practicorum, ſuíque deque habitis convulſionibus, vomitoria commendat, & ſi caſus ferat, illa propinat poſt aſſumpta venena: atque uſus docuit quo citius dabantur celeriorem & firmiorem valetudinem reſtituiſſe, ſi vero properatum fuit ad alexipharmaca, acceleratam fuiſſe mortem, aut morbum cum ſymptomatibus prolongatum, ut cuidam contigit apud *Timæum* lib.7.caſu 4. *Wepferus Tract.de cicuta aquat.p.*319.

XXX *b*. Si propter Epilepſiam à Cicuta (*veneno*) excitatam, diutius continuantem, aut breviſſimis intervallis paroxyſmis increbeſcentibus, evacuationem ſeu expulſionem ex ventriculo moliri non liceat, Præſes ſyſtematis nervoſi à tumultibus iſtis avertendus, & aberrans in viam reducendus erit, illis quæ in paroxyſmis epilepticis, & hyſterica ſuffocatione vulgo dicta adhiberi ſolent, qualia ſunt quæ ſenſus veluti ſopitos expergefaciunt: Naribus admoveantur acrimoniam aliquam ſpirantia, ex h. ſatureia, pulegio, ruta, majorana, hyſſopo, flor. lavendul. ruta, ſem. angel. rutæ, leviſtici, ſinapi, baccis lauri, juniperi, piper. garynph. aſa fœt. caſtor. & ſimil. parata, in nodulum ligata, ac aceto aut vino madefacta, Balſam. & oleum ſuccin. rutæ: præſtans ad hanc expergefactionem eſt ſpir. ſalis Armon. urinoſ. quem Exc. D.D. *Sylvius* ſemper ſecum geſtaſſe aiunt, ut in repentinis huiuſmodi caſibus ad manum eſſet: Hujuſmodi topica naribus quidem admoveo prope, neutiquam vero illis nares inungo, aut profondius indo, cum ceſſante paroxyſmo illita, aut intruſa, diu poſtea illis moleſtiſſima didicerim: Admoveantur naribus cremiæ ſulphuratæ, explicentur conſtricti digiti à viro robuſto, ſuppoſitoria acria introdantur, indatur clyſter acris, dentes diducantur, &c. *Idem pag.*324.

XXXI. In Epilepſia (& vertigine) ſi à *toto* cumprimis materia ſuggeratur, hac prius imminuta, commode humorum reliquias Diuretica per urinæ vias expurgant, præſertim ſi ſit ſympathica, nec inveterata, & hujuſmodi diuretica ſint naturæ, quæ obſtructiones una aperiant, mineram reſolvant & educant, qualia Spiritus Antepilepticus Hartmanni, Spiritus vitrioli volatilis, qui peculiari facultate contrariatur. *Frid. Hofmannus m.m.lib.*1.*cap.* 12.

XXXII. Illud M *Gattinaria* ſilendum non eſt, qui *particulam, ex qua Epileptica ſurgit aura*, & excoriat, & quærit, quo malus humor exitum inveniat: quæ confirmata res eſt ab ipſo per experimentum, cujus rei producit hiſtoriam.

XXXIII. Iuvenis xv. ann. doluit *ex Pube*, poſt converſo doloris impetu verſus latus ſiniſtrum, illico male habuit Lien, & ex ipſius conſortio Cerebrum, in vehementiſſimos enim morbi comitialis inſultus incidit, qui preſſa regione lienis ſolo digito invadebant: Inter plurima auxilia nihil præponderavit vel vino chalybeato, vel veratro nigro, a quorum uſu ejecit continenter tantum atræ bilis, ut tandem ad ſe redierit. *Tulpius obſerv.lib.*1.*cap.*9.

XXXIV. Obſervavi in Epileptica mirandas *vermium formas*. biberat ſitibunda in itinere, veniens ex Italia, ſæpiuſcule de obvia ſibi aqua avidiſſime: graviſſima erat Epilepſia, cum totius corporis tumore & tetro colore: ab antepilepticis non juvabatur; tandem ab exhibitis pilulis meis mercurialibus, uſu repetito, multiformium vermium copiam rejecit; quamprimum hi hoſpitio ſuo rejecti, paroxyſmi quoque epileptici deſiere. *Bartholinus hiſt* 7. *cent.*4. Idem cent.6.hiſt.20. affert exemplum juvenis convulſionibus ſæpe tentati, cui à deturbatis aſcaridibus meliori curſu cura proceſſit.

XXXV. Interdum accidit ut cum ingruente paroxyſmo natura cauſa morbifica ſtimulata, per venas & arterias, malignam materiam expellere conatur, vis partium principum adhuc fortior ei occurrens, eam in loca ignobiliora & remotiora, crura & pedes, detrudat, ubi dolor & tenſio percipitur, donec tandem cumulata vires acquirat, & vel per eaſdem vias, vel per venas & alias vias ad cerebrum ferrur, Epilepſiamque excitat: unde ſæpe Medici dubij redduntur an illa Epilepſia ſit per conſenſum uteri, an verò crurum & pedum. *Sennertus. Exemplum vide apud Brunnerum conſ* 14. & 15.

XXXVI. Hoc remedij (*Setacei*) genere, *Hollerij*, Medici undiquaque doctiſſimi, decreto, adoleſcentem quendam, xx. annos natum, morbo caduco, cujus inſultibus ante crebro prehendebatur, liberavi: derivatis, ut credere par eſt, illa arte ichoribus mali fomitibus. *Pareus lib.*9.*c.*24.

XXXVII. Decrevi aliam *Fontanellam* aperire in brachio ſiniſtro, quia intellexi morbum adeo diuturnum factum jam exiſtere in cerebro, quod certum erat ipſum ſemper his ſuccis abundare, quibus purgationes per ventrem non videbantur ſufficere: Quod præſidium ejus fuit poteſtatis, quod deinceps rarius in acceſſiones incideret, & cum hoc erant mitiores, adeo ut aſſiſtentes crederent integram ſanitatem eſſe adeptam. *Mercatus conſ.* 3.

XXXVIII. Hortulani cujuſdam ab *humore calido herpeti ſanato* ſucceſſit Epilepſia, quæ, brachij ſetaceo inſerta hellebori radice, *Spigelij* conſilio, fuit curata: *Rhodius* Obſerv.62. cent.1. Hellebori tamen radicem vulneri inſerere non ſemper tutum, nam humoribus attractis dum creſcit dolor, vires nonnunqnam collabaſcunt, mea & aliorum obſervatione. *Idem Analectorum p.*621.

XXXIX. Puer octennis ob *Plenitudinem* Epilepſia correptus, omnibus auxi ij fruſtra tentatis, ſanguine tandem e vena cubiti aliquoties in menſes educto convaluit, ob ſummam corporis mutationem ab hoc præſidio: Quod tamen vix admittendum, præterquam in morbo per conſenſum cum genere venoſo, & ſanguine plurimum fervido. *Rhodius cent.*1.*Obſ.*64.

XL. Nobilem ætatis medicæ, melancholicum, ab epilepſia libetavit *Bene. Silvaticus* apertis quovis mente venis hæmorrboidibus. *Idem obſ.65.*

XLI. Hoc obſervent Medicinæ candidati *ſemen Paeonia radice* eſſe gratius,quare pultibus infantium hoc commiſcetur; contra Enematis radicem eſſe convenientiorem: Pulveratam radicem fæcula ſatius eſt uſurpare,nam in fæculis præparandis ſimplicium vires menſtruo affuſo diluuntur, imo, æque ac magiſteria, calci inutili ſimilia redduntur,vel adſcitiias a menſtruo imbuunt.

XLII. Medicinæ etiam candidati ſibi dictum putabunt, ubi ſi ea ſententia & ex voto, Deo benedicente, Epilepſiæ mederi velint, ea vegetabilium numero *Paeoniam marem*, repertu raram: Ex animalium,Caſtoreum aut Hirundines, Ex Mineralium Vitriolum ſibi commendata, ceu ſpecifica habeant: Laudabunt quidem alij maximopere uſum cinnabaris,antimonij,ſed ubi per conſenſum vermium Epilepſia moleſta eſt, alias mea eſt ſententia haud eſſe Epilepticis conveniens medicamentum. *S.Pauli Qu.Bot.cl* 2. De ejus viribus contra Epilepſ. vide Fr. *Hofmannum* Cl.Schrod.p.291. *Wedelium* Pharmacop.139.& alios.

XLIII. Ancilla Epileptica uſu *oxycrati* liberata eſt,cujus cyathum ſumebat mane ſingulis diebus,& ante tempus invaſionis acetum putum: Curato morbo doloribus artuum correpta eſt, qui uſu Thermarum curati ſunt. *Riverius cent.4.obſ.*10.

XLIV. Puella Epilepticis Convulſionibus ſæpe corripiebatur: quidam fucum ſubeſſe ratus,& ſimulari morbum, fraudem detecturus carbones ignitos in volam epilepticæ congerit: ægra nihil ſentiens omne carbonum incendium pertert! Hinc tantum in vola manus ab igne excitatum vulnus, ut Chirurgus ſpatio menſium vix potuerit perſanare: Interea febricula invadit,qua accenſa convulſivi motus poſtea ceſſarunt: Recte enim *Hippocr.* in *Coacis* & 2. aphor.26. Convulſioni febrem accedere melius indicavit,quia frigidos lentoſque humores in nervis factos attenuat & diſcutit,ſicut *Galenus* commentatur. *Bartholinus cent.ij. hiſtor.*68.

XLV. *Robur addentia nervoſo generi* appropriata ſunt remedia,quæ ex capitalibus & arthriticis ſimplicibus parantur,quæ cum nervoſum genus, ut validius iis quæ ipſum moleſtant reſiſtere poſſit, novis quaſi viribus inſtruant, non incommode cæteris,quibus in Epilepſia utimur medicamentis,addi conſueverunt; Verum non ea mente aut intentione, ſed quia à pituita cerebrum obturante epilepſiam fieri crediderunt, non tantum hæc appropriata nervis calida,ſed & quæ, ut pituita craſſa incidi attenuarique poſſit, calidiſſima ſunt in curatione epilepſiæ plerumque remedia adhibuerunt: Quæ tamen nos, ſi ab Irritatiône nervoſi generis Epilepſia fiat, quia magis corpus accendit, uti eam hiſce minime ſanari videmus, ſic magis irritare, illiuſque receſſiones promovere & exacerbare experti cognovimus, proin & hæc, niſi in frigida & humida conſtitutione corporis,vel quando alia inſuper proprietate, qua venenis aut huic affectui reſiſtunt inſtructa, plus illa prodeſſe quam calore obeſſe poſſe, vel comperimus, vel à fide dignis accepimus, non temere alias adhibenda arbitramur. *Platerus.*

XLVI. *Oleo ſuccini* uti ſolitus in Epilepticis, convulſis, vomicoſis, qui à lapſu in thoracem catarrhi, purulenti facti erant,cum non ægris tantum, ſed & aſtantibus odio eſſe notarem, faſtidiumque à pleriſque ob fœtorem nimium, ſive ſitu foris, ſive intus tabella, vel pilulis vel quovis modo uterentur,jam ab aliquot annis Balſamum illi Peruvianum, optimis ægrorum rebus ſubſtitui: Scio Chymicos jam corrigere illud, teteritatemque odoris illi auferre repetita poſt lotionem deſtillatione: Cæterum lotione illa plurimum enervari, minimumque opis præſtare comperi: Quare Peruviano potius,vel ex Syria allato naturali Balſano utendum puro, dum oleum ſuccini validum ſine fœtore diſtillare doceamur. *Heer Obſervat.*17.

XLVII. In morbi hujus *Therapeja* à vulgari methodo recedere cogimur: enimvero dogmaticorum præſcriptiones,quibus fere tantum per cathartica materiam morbificam educere ac penitus eradicare conantur,in caduco parum aut nihil proſunt, imo frequenter obeſſe ſolent: Novi quoſdam inſignes Practicos, omiſſa penitus intentionum therapeuticarum ſerie, ad remedia quædam empirica, abſque ulla totius proviſione ſe recepiſſe: Hujuſmodi praxis licet interdum feliciter ſuccedat, ea tamen multo certius propoſitam curationem aſſequeretur, ſi per alia itidem pharmaca, corpore rite præparato, impedimenta quævis ſummoverentur: Quare circa morbi Comitialis medelam Indicationes erunt vel Curatoriæ,quæ paroxyſmum reſpiciunt,vel Prophylacticæ,quæ morbi cauſam ſpectant. Quantum ad priorem, Evacuantia generalia vix locum habent: id vero quod potiſſimum incumbit eſt Spiritus animales nimis efferos & volatiles figere, necnon eorum exploſiones inceptas ſupprimere: in quos fines duo remediorum genera præcipue conducunt.ſcil.1. quæ ſpiritus animales efferari & exilire aptos reprimunt, & velut ſuffitu quodam iis ingrato repellunt, inque ordines ſuos cogunt: quod medicamenta ſale volatili & armoniaco, aut etiam ſulphure vitriolico prædita efficiunt: Cujuſmodi ſunt ſal & Oleum ſuccini, ſpirit.Sanguinis, C. C. fuliginis, tinctura Caſtorei &c. hæc enim intus ſumpta, aut naribus admota, ſæpe levamen conferunt, quin & malos hujus morbi ſpiritus, non ſecus ac apud *Tobiam* fumus e felle piſcis combuſto dæmonem abigere creduntur: 2.Spiritus Animales ab exploſionibus obeundis avocantur aut inhibentur,cum illi in opera quædam ipſis aſſueta alliciuntur & occupati renentur: quare urgente paroxyſmo Frictiones per totum corpus adhibitæ & continuatæ ſæpe juvant. Maxima vero Medici cura circa *Prophylaxin* verſatur, ut cauſa morbi ſublata, ſeu radice præciſa, fructus omnes emareſcant, Medicamenta huic intentioni requiſita ad duo hæc capita præcipua reduci queunt 1.ut morbi fomes immediate à ſanguine vitioſo, aut ſucco nervoſo, atque mediatius à viſceribus primiſque viis ſuppeditatus præcidatur. Dein 2 ut mala cerebri, & ſpirituum ejus incolarum diatheſis,quæ nempe Epilepſiæ peculiaris eſt, tollatur. Quoad prius *indicatum*, hic vomitoria, purgantia, alterantia, venæ ſectio, cauteria &c. locum habent, quatenus viſcerum & humorum impuritates ab iis ſubducuntur, ac dyſcraſiæ emendantur; Et quanquam Epilepſiam ſanent, attamen hæc impedimenta tollunt, naturam erigunt, atque ad hoſtem aggrediendum excitant, etiam præparant vias, ut ſpecifica certius vires ſuas exerant. Quod ſpectat ad remedia ſpecifica, quæ quidem ſola, licet non ſemper, Epilepſiæ cauſam attingere perhibentur, quandoquidem hæc ſine quavis ſenſibili vacuatione, aut etiam perturbatione in viſceribus aut humoribus

ſubſe-

ſubſequente aſſumuntur, mirum eſt qua agendi virtute in hoc morbo juvare ſoleant: Si conjecturæ locus, cum Epilepſiæ procatarxin in copula heterogenea, ſpiritibus cerebri incolis accreſcente, eoſque ad exploſiones præternaturales incitante conſiſtere aſſeruerimus, ſequetur ea quæ talem cauſam expugnant, aut tollunt, eius natura eſſe, ut cerebrum corroborando, eiuſque poros conſtringendo, copulam iſtam excludant, ſpiritusque intra cerebri meatus ſitos degentes, eorum copulam exuendo ita figant, & quaſi conſtipent, ut minus plius in exploſiones irregulares apti & proni fuerint. ſimili forſan ritu ac cum pulvis pyrius cum ſulphure tritus, aut ſpiritu vini irroratus, virtutem ſuam fulminantem amittit. Et revera hujuſmodi proprietates, nempe alterum, aut ſimul utramque in pleriſque antepilepticis detegere licebit, nam Pæonia, viſcus quercinus, ruta, lilium conv. cum multis aliis, manifeſta quadam adſtrictione pollent, ut veriſimile ſit eorum particulas unus ſumptas, adeoque ſanguinis aut ſucci nervoſi vehiculo ad cerebrum delatas, poros ejus nimis laxos & apertos ita contringere & occludere, ut in poſterum materiæ morbificæ aditui minime pateant: Porro, quoniam hæc concreta *ἀναθυμίασιν* quaſi ammoniacam, ſive diſſipativam ſpirant, idcirco eadem ſpiritus animales depurare, & copula heterogenea exutos figere & corroborare dicuntur: hæc virtus ſpirituum depurativa, a ſale armoniaco procedens, in remediis quæ ex mineralium animalium familiis petuntur, qualia ſunt cranii humani, ſanguinis, ſuccini & corall. præparata, cruceſcit, ſicut alia adſtrictoria in vegetabilium partibus & præparatis potior exiſtit. *Willis*.

XLVIII. Affirmamus cum *Facchino*, & aliis, *ligni decoctum* non ſolum convenire, eo quod maxime ſit reſpiciendum ad cauſam antecedentem, qua proxima fovetur & ſuſtentatur: Illa autem frequenter conſiſtit in cruditatibus in puritatibus, in toto, aut cerebro, utero, ventriculo &c. collectis, quæ inciſionem, attenuationem, ſolutionem, expurgationem per urinas, alvum, ſudores &c. adeoque ſui abſumptionem indicant: his enim, tanquam ſubiectis & cauſis antecedentibus remotis, removetur quoque vis illa noxia cohærens, qualitas ſcilicet maligna, quæ exaltata, vel per evaporationes excitata, alias Epilepſiam producit, Plurimum vero decoctum ligni S. reſpectu præſentis indicationis inſervit, quatenus incidendo attenuandoque cauſam ejuſmodi antecedentem reſolvit, detergendo evacuat, & ſudores commovendo maſſam ſanguineam defæcatam reddit, non ſine roboratione viſcerum, ob amicam adſtrictuſiam vini ſibi connatam: Nec tantum ad eradicationem cauſæ proficuum eſt Guaiaci decoctum, ſed & ejuſdem ſpiritus acidus & oleum ad ſedandum & edomandum ipſius inſultum plurimum valet. Notandum de hidroticis, cõvenire ea præmiſſis generalibus, 2. ipſum Guaiaci decoctum, pro diverſitate natura ſubjecti, cum appropriatis morbifi æ cauſæ præparandum: eo præſertim reſpiciendo ne inter decoquendum ſpiritus exhalent. *Greg. Horſtius Decad.* 2. *Probl.* 9.

XLIX. Superſtitioſum & nefandum remedium judicat Craniomhumanum *Eraſtus* in Antiparacelſicis: *Paracelſum* vero cum inanem obſervaret exhibitionem, ne ſuperſtitioni quid decederet, oſſiculum quoddam in capitis vertice commentum eſſe ait, in certis tantum capitibus reperiendum. At quamvis multa de multis remediis inaniter circumferantur, à ſuperſtitioſorum tamen cenſu hoc eximendum eſt, cum ſaltem denegari illi facultas nequeat quam oſſibus in genere adſcribit Galen. 11. de ſimpl. Medic. facult. ubi ſe noviſſe quendam refert oſſa combuſta potui exhibentem, inſcientibus quid biberent, ac multorum tum Epilepſiam tum arthritidem curaſſe: Efficacia verò ſpiritus è cranio eliciti, ad Epilepſiæ puerilis curationem, certiſſima eſt, ſi guttæ 5. aut 6. adultioribus plures præbeantur, ut & ſalis volatilis qui in diſtillatione liquoris hujus a cranio colligitur: Vide *Reuſneri* obſ. 154. in Epilagm. *Velſchii*: De oſſe triquetro vide *Hildan.* Epiſt. 65. *Th. Bartholinum Anat. reform.* l. 4. c. 5. & alios, De hujus viribus ſic *Schroderus* i. Pharmac. Laudatur præcipuè os triquetrum temporum, ceu peculiare Epilepſiæ ſpecificum.

L. *Coitus* an concedendus? Si ab humorum redundantia ſit, ſiccatione & vacuatione conferre poteſt, Venus enim morbis a pituita utilis: Si a cerebri debilitate, ſemper erit noxia, debilitatem majorem allatura, cum Venus cerebro bellum indixerit.

LI. Novi quoſdam juvenes ab hoc morbo curatiſſimos, qui cum vino abſtinere nollent, incurabiles evaſere: norunt omnes Epilepſiam maximè nervos tentare: *Vinum* autem, cum in omnibus qui imbelli ſunt ventriculo, & cerebro imbecillo, aceſcat, acetum autem nervis bellum indixerit, hinc facilè colligent Epileptici quantopere vinum venereumque fugere debeant: accedit quod ex Ariſtotele & Averroe Epilepſia fiat ut ſomnus h. e. à vapore, quare vaporoſa omnia, præſertim vina fortia fugienda. *Heer Obſerv.* 24.

LII. Etſi pleriqu in *præparatione & purgatione humorum* ad pituitam, quod ab ea Epilepſiam fieri credunt, reſpiciunt, tamen tutiſſimum erit conſiderare quis humor, vel plures etiam miſti abundent, & ad eos curationem dirigere, cum humores tales vitioſi cauſas ejuſmodi malignas foveant, & earum naturam facilè induant, *Sennertus*.

LIII. Si ab *utero* ortum ducit, notandum medicamenta ſuaveolentia exhibenda non eſſe, cum & caput gravent & paroxyſmum concitent. *Sennertus*.

LIV. P. *Merenda* ſcribit in admodum vehementi, exiguo intervallo ſæpius repetente, nec remediis cedente, ſe plurimos per admota collo prope ſcapulas rubrificantia medicamenta, donec veſicæ excitarentur, brevi temporis ſpatio ad priſtinum ſanitionis uſum frequenter perduxiſſe & ab acceſſionibus liberaſſe, qui deinde decenti curatione ad integram ſanitatem perducti fuerint: Nota autem ea, ut & cauteria, & ſetones circa caput, admittenda tantum ſi morbus cerebro ſit eſſentialis; ac demum poſt purgationem, niſi affectus urgeat *Iacotius*.

EPIPHORA.

SYLLOGE.

Cobibentibus *lacrymas non utendum ante capitis expurgationem.* 1.
Collyria *aſperitate careant.* 2.
Veſicatorij *ſincipiti admoti efficacia.* 3.
Non eodem modo curanda, ſi per vaſa externa feratur, ac ſi per interna. 4.
Setaceum *ubi affigendum.* 5.
Olei vitrioli *uſu in encanthin cancroſam abijt.* 6.
Iecori aliquando conſulendum. 7.

OBturantibus pharmacis non utendum dum magnus eſt & copioſus humorum fluxus, nam tunc intercepta vi medicamenti, & quaſi infarcta eâ copiâ humoris, aut majorem dolorem excitat, aut exulcerationem ob acrimoniam facit: Itaque tunc adhibenda, cum aut aliquâ ex parte vacuatus fuerit humor, aut non magnus illius fluxus fuerit: alioqui id efficient quod *Galen. 4. κατ. τόπ.* c. 1. ſcribit, *Poteſt pompholix lota, ut & etiam ſpodium & amylum, ſimul & moderate humores exſiccare, ſimulque ne per tunicula evacuetur ea quæ in magnis ipſorum venis ſuperflua humiditas continetur prohibere. Rubens in Celſum l. 6. ſect. 6. p. 220.*

II. *Collyria* nullam in ſe aſperitudinem habeant: namque hujuſmodi noxia ſunt, quamvis curioſè terantur, naturam ſuam amittere non poſſunt, nunquam enim ut ſuccus diluuntur, ſed cum etiam ad ſummam ſubtilitatem perducta ſunt, tamen quaſi pulverulenta neceſſe eſt maneant, quæ oculorum partes velut configunt, & moleſtiorem concitant Epiphoram ſi ab initio adhibeantur: Cum verò pluribus diebus quis vexatus fuerit, & perſeverantia humoris, atque pituita glutinoſior reddita fuerit calore oculorum, tunc proderunt collyria ex rebus metallicis, nam tunc facilius ea oculi ferent, modò exulcerationis expertes fuerint. *Heurnius c. de Epiphora.*

III. In contumaci affectu *Veſicatorium* Sincipiti admotum prodeſt: Narrat *Foreſtus*, obſ. 11. lib. 11. de vetula, cui oculi lippientes, lacrymantes, ſanioſi, ſummè dolêtes & prurientes veſicatorio ſolum admoto, ex canthárid. fermento & melle, cæteris irritis, curati ſunt: Matronam ſexagenariam, à ſex menſibus ophthalmicam, curandam habui, quæ nullis remediis proficientibus ſanata fuit intra horas xxiv. admoto ſincipiti Empl. cephalico Schroderi: mero autem nunquam voluerat parcere per totum decurſum morbi.

IV. *Fernelius* lacrymarum fluxos originem è ſyncipite & ſummo vertice ducit, in quo humorem extra calvam, & ſubter cutem congeri cenſet, quem per pericranium in adhærentem membranam deſtillare, hinc per oculos foras excidere vult. At omnino cred nd m ex internis fluxionem oculorum ſæpe oriu du re, quod *Paulus* expreſſit, & *Rhaſes* ait fluxionem hanc facile curari ſi per venas exteriores feratur, difficulter ſi per intrinſecas veniant lacrymæ. *Plemplius Ophth. l. . c. .*

V. In ded ulo ibus & lacrymationibus oculorum, nullu potenti , omnium conſenſu, remedium quam *Colli ſetaceum*: Vult autem *Hildanus* hoc figi inter 2. & 3. vel etiam inter 4. & 5. colli vertebram: *Aquapendentis* & Italorum morem potius ſequendum duco, figentium inter 2. & 1. vertebram. Quod enim demiſſius poſitum eſt, doloriſice geſtatur, ob continuum appulſum collaris & thoracis: Cur vero *Duretus* comm. in *Hollerium* tranſfigi cervicis cutim in longum, κατ' ἴξιν potius quam in tranſverſum jubeat, equidem ignoro: Itaque à conſueto modo non cenſeo recedendum.

VI. Cuidam ex fluxu lacrymali, per *Oleum Vitrioli* intempeſtive ſuppreſſo, uſque eo luxuriavit glandula à narium parte oculis adpoſita, ut ejus excreſcentia cooperierit non tantum malam, ſed degeneraverit quoque in perniciosiſſimum carcinoma, quod tentavit quidem filo comprehendere, & ferro convenienter exſcindere Chirurgus, ſed acquiſiverat jam tum eam malignitatem tumor, ut vix potuerit attingi quin protinus profunderet plurimum ſanguinis, ac proinde neceſſe fuit ſolis lenientibus uti, quibus dilatum ægri exitium magis fuit quam ablatum: Viderint itaq; illi quibus acria medicamenta in frequenti uſu, quam facile committatur error, nulla arte deinceps emendabilis. *Tulpius Obſ. l. 1. c. 29.*

VII. Gignuntur aquoſi humores non ſolum à frigida & humida cerebri, ſed etiam à calida & ſicca jecoris intemperie, à qua multa ſurſum evaporatio in caput fertur, atque ibi in aquam convertitur: Epiphora ab ea cauſa genita (cujus ſigna ſunt lacrymæ acres, calidæ, quæ dolorem, ruborem inferunt, palpebraſque interdum & canthum minorem exulcerant) non curatur niſi hepatis & ſanguinis fervor temperetur. *Enchir. Med. Pract. p. 136.*

ERYSIPELAS.

SYLLOGE.

Malignæ qualitatis adjunctæ ratio habenda. 1.
Sanguis mittendus. 2.
Præcipue ſi faciem obſidet. 11.
Purgatio *ſub finem tantum conveniat.* 12.
Topicis *caute utendum.* 4.
Ad ſuppurationem *aliquando poteſt perduci.* 8.
In partibus mollibus ſuppurantia renuit. 10.
Cavendum ne ulcus ſuccedat. 13.
Topica refrigerantia *crebro innovanda.* 15.
Somnus *cavendus ſi faciem invadat.* 5.
Coriandrum *quando utile.* 3.
Topicum expertum. 9.
Quidam obnoxius, ab uſu meri immunis factus. 16.
Sanguiſugæ *in Vlcerato valet.* 7.
Tibiæ ulceratum *illitu ſpiritus vitrioli ſanatum.* 6.
Puſtularum *curatio per* punctionem. 17.
Frequenter faciem invadens, Fonticulo *facto in brachio deſinens.* 18.
Oleo inunctum gangrænam accerſit. 18.
Aqua ſpermatis ranarum quomodo utendum. 10. *a.*
Exulcerati *curatio.* 11. *a.*

I. VUlgo creditur à bile flava habere ortum; at è recentioribus quidam potius ex ſanguine tenui deducunt: nam 1 color potius ſanguinis quam bilis indicium eſt, qui ruber eſt, cum pallidus aut flavus eſſe deberet, ut ex Icterо patet: 2. etſi calor ſatis vehemens ſit, non adeo tamen eſt acer, ac in affectibus a flava bile ortis, unde nó tam frequẽter exulceratur ut herpes & alij tumores ea bile nati, Et cum exulceratur, id non tam ex ipſius natura eſt quam ex tranſmutatione: 3. rarius obnoxij qui calido & ſicco temperamento ſunt, macri, fuſci, nigri, quod bili flavæ generandæ accommodatiſſimum eſt, ſed potius ſanguinei, obeſi, carnoſi, rufi + carnoſæ partes, femora, crura, facies, collum, mammæ & juniles

crebrius

crebrius quam aliæ afficiantur, 5. plerumque invadit affectus ab anno 30 ad 40, quo tempore plurimum ſanguinis corpori ineſt. Non tamen in plethoram ſimpliciter, ſed potius depravatam & peculiarem ſanguinis qualitatem, quæ à partis ejus tenuioris putrefactione & corruptione provenit, cauſa referenda: maligna enim illa qualitate natura ſtimulata humorem vitioſum ad ambitum corporis pellit, cujus ſignum eſt quod invadit hoc malum ut peſtilentia, qui malum antea non ſunt paſſi, exiſtiment ſe peſtifera ſe corripi, donec affectus aliquo in loco ſe prodat: Hinc vulgò uſitatum, ubi paroxyſmus invadit, & roſa emicat, medicamenta aſſumere quibus naturæ motum adjuvant, & materiam ab interioribus ad exteriora excutiunt, theriacam aut mithridatium, vel aquam aut rob ſambuci exhibere: hæc medicamenta ab initio uſurpata probantur ubi humorum copia non urget, alias tutius eſt cauſam antecedentem tollere. *Sennertus lib. de Febr. 3. cap. 15.*

II. *Celſus* imprimis *phlebotomiam* commendat, quem Paulus lib. 4. ſequitur: *Galenus* 14. meth. & 2. ad *Glauconem* ab ea alienus videtur: At rationem potius quam authoritatem ſequor, Eſt enim morbus acutus, cui citò occurrendum, ex inflammationum genere, à ſanguine tenuiori aut ejus ichore, eoque ferventiſſimo, Sed in tanto fervore quis audebit phlebotomiam omittere, aut ad alia præſidia, ea relictâ, confugere, cum ea revellat à parte fluxione tentata, vacuet, tranſpirationem juvet, & bilioſum ſanguinem, ut jacet in venis, promptiſſimè educat: Si occuirat Eryſipelas ſincerum, à ſola bile pronatum, quale fingit Galenus, ac ſi bilioſa cacochymia in habitu corporis redundet, metu cholericorum ebullitionis, dimittatur venæ ſectio.

III. *Coriandrum viride* cum farina hordei appoſitum, optimum eſt medicamentum, ſed non ab initio, ſiquidem eſt calidum, quod amaritudo indicat, etſi participet de aqooſa humiditate: Gal. invehitur in Dioſcor. qui ait id cum pane aut polenta curare eryſ. Id autem non facit ab initio, ſed in fine, cum frigidus eſt affectus. *Fonſeca conſ. 44. tom. 1.*

IV. Antiqui & plurimi Chirurgiæ ſcriptores adhibent valde *refrigerantia*, ipſam quoque aquam frigidiſſimam, imo etiam adſtringentia & ſtupefacientia admiſcent, ut hyoſciamum, mandragoram, opium, cicutam: Verum hanc vulgatam curam, non ſine ratione & experientiæ ſuffragio reprehendunt recentiores: cum enim materia Roſam excitans acris ſit, malignitatis non expers, ſi illis valde refrigerantibus, adſtringentibus & repellentibus ejus exitus prohibeatur, ad interiora regreditur, & membra nobilia & interiora occupat cum vitæ periculo hinc phrennis ab eryſipelate in capite repercuſſ[illegible]c. Deinde per hæc materia in ipſa parte affecta concluditur, unde putredo & ſuppuratio, quam gangræna ſæpe ſequitur: Quod cum ex Græcorum & Arabum curatione non raro acciderit, monent illi ut p[illegible]s hactenus refrigeretur, quo calor remittat, ac æger f[illegible]eatur ſe non tam inſignè calorem ſentire, cum caloris rubicundi in lividum tranſmutatione: Sed facile fieri poteſt ut antequam ſatis cautionis hic adhibeatur talia pericula jam præſto ſint, Quare res non multum aliter ſe habere videtur quam in ambuſtis: ſi enim membrum ambuſtum aquæ frigidæ immergatur, nihil aliud agitur quam quod calor concluditur cum doloris & augmenti periculo: Commodius calida admoventur quæ cutem laxent, poros reſerent, ſeroſos humores in puſtulas erupturos, reſolvant: Eodem modo hic & illa intemperies in parte tollitur, non ſolum ſi per contraria illi obviam eatur, ſeu imprimis ſi cauſa tollatur. *Sennertus l. 2. de Febr. c. 15.* Prohibetur hic uſus humidorum, nam promptè refrigerantur actu, quamvis potentia poſſint calefacere, atque ideo repellendi vim nanciſcuntur: præſtant itaque fomentationes ſiccæ, digerentes: Hinc fit quod ſi per incuriam ægri, initio Eryſipelatis, morbum non cognoſcentes lavent, ilic ſummè exacerbetur & in tumorem attollatur, dolorque geminetur. Nihilominus legitur apud *Horſtium* t. 2. p. 448. Thermarum applicationem nihil nocere; loquitur autem de thermis Bollenſibus, quæ vim attrahendi & digerendi habent magis quam repellendi: *Hoeferus Hercul. Med. l. 5. c. 1.* Ab vnctuoſis & vim emplaſticam habentibus, imprimis à narcoticis cavendum, acrea enim vapores exhalant, qui ſi intus detinentur, interdum partem corrumpunt. *Crato apud Scholtzium Conſ. 190.* Noſtratibus in more eſt ſi Eryſipelate corripiuntur, ut partem affectam rubentem inungant cum oleo laurino, cum pauxillo Mercurij vivi commixto, quo medicamento morbum longiorem reddunt: dum enim oleum illud cutem laxat, eryſipelas ſemper magis ac magis ſerpit, ita ut & totum corpus ſubito invadere videas, niſi malo huic ita prævenias, nempe loco oleo illinito circumponea pannum lineum, aqua tepida madefactum, qui cæteras partes defendit. *Valens Meth. med. pag. 8.* Humores in carne hærentes, ſi planè extravaſati ſunt, ob craſſitiem ſuam fluere non poſſunt: fluxiles ergo reddat Medicus medicamentis calidis: Sic Eryſipelas in initio Sp. Vini applicatione tollitur. *Idem p. 112.* Exemplum Eryſip. in ſcirrhum abeuntis ab uſu refrigerantium, vide apud Galenum 2. ad Glauconem.

V. De *Somno* hoc tenendum, cum crura vel tibias Eryſipelas occupat, ſomnum mediocrem convenire: cum verò faciem, à ſomno, quantum fieri poteſt, temperandum. *Crato conſ. 291.*

VI. Quendam *Eryſipelate tibia ulcerato* laborantem curabat Illuſtr. Veſlingius prius purgato corpore, tangendo aliquoties ulcus cum plumâ ſpiritu vitrioli imbuta: Ajebat acres liquores illos Chemia prolectos, ulceribus malignis & ſerpentibus ideo admoveri, ut corrodentes humores quodammodo mitigentur & vis illorum refringatur, exemplo ſalis Tartari & ſpiritus vitrioli, quorum utrumque acerrimum, & mutua in ſe invicem actione, mixtura medicamentum haud parum benignius producat. *Velſchius Obſervat. 86.*

VII. Sacro igni, mulieris melancholicæ crus exedenti, optimè profuit *ſanguiſuga*, eliciens ex proximis venis fervidum aduſtumque illum ſanguinem qui perennem fomitem pervicaci ulceri hactenus ſuppeditaverat: quo extincto facillimè ceſſit reliqua moleſtia ſoli pani aquæ immacerato. *N. Tulpius l. 4. cap. 13.*

VIII. Quamvis in Eryſipelate pus movere pertimeſcit Hippocr. 7. aph. 20. dicens Ab Eryſipelate putredo aut ſuppuratio malum, Ne quis tamen exiſtimet nuſquam eſſe tutum in Eryſipelate pus movere, atque intelligat hanc ſententiam tantum damnate id pus quod ex carnis corruptione, ab Eryſipelate generaliter appellato, prout à flava bile naſcitur, ut vulgus exiſtimat, fit. Namque experientia compertum eſt rarò Eryſipelas ſuppurari: At humores qui ex ſola flava bile ſuboriuntur, qualis Herpes eſt, & ejus ſpecies, nunquam citra periculum, ab Hippocr. prædictum, ſuppurantur: præter id quod ſuppuratio carnis illius à flava bile exeſæ & putrefacta eſt, non ipſius bilis quæ nequit uſquam ſola

uppuratis, neque adhuc in venis concoqui. *Mercatus de Indic. Medica lib. 2. capit. 11.*

IX. Uſu *Linimenti ſimplicis*, oondum rancidi, & frequenter immutati; innumeratá extremorum Eryſipelata feliciſſimè curavi: non neglectis univerſalibus & refrigerantibus internis: In hujus defectu nihil præſtantius oleo amygdal. dulc. ex aqua ſolatri, in phiala vitrea, novies loto, quo frigidè inungitur pars affecta, donec calor vehemens minuatur: Alij commendant balſamum Saturni oleo lini paratum, & ſæpius pluma illitum. *Linimenti ſimpl. deſcriptio ℞. Succi Solatr. recens expreſſi, ol. roſac. ān. ℥ xx, coque ſ. a. ad conſumptionem ſucci, colaturæ adde lithrg. aur. ceruſſæ ān ℔ j m. f. ſ. a. in formam unguenti. Sculteius Armam. Chirurg. obſ. 68.*

X. *a.* Vidimus *Eryſipelas genæ dextræ* emplaſticis ſuppurantibus tractatum in gangrænam abijſſe: Iterum vidi Chirurgum necaſſe hominem Eryſ. podicis correptum jis emplaſticis: cauſa eſt 1. quia detinentur vapores acerrimi: 2. quia genæ, mamillæ nates, ob mollitiem facile nativo calore privantur: Vbi igitur vires robuſtæ, & humores calidi, veniant in uſum digerentia non ſuppurantia. *Sanctorius Meth. vit. Err. l. 8. c. 15. Vide Hildanum cent. 1. obſ. 82.*

X. *b.* Nonnullis *aqua ſpermatis ranarum* ad extinguendum ignem ſacrum familiaris eſt, ſed malo ſæpe ſucceſſu, Eſt enim nimis frigida, quia habet in ſe mercurium cum ſaturnina quadam proprietate conjunctum. Itaque repercutiens quidem eſt, ſed gangrænæ, aliorumque gravium ſymptomatum cauſa manifeſta, Præſtat vero ejus aliquid cum decocto myrrhæ & olibani ex vino & aceto miſcere. *Hartmannus Prax. cap. 271. §. 4.*

X. *c.* *Eryſipelas ulceratum* feliciter curavi, methodo à *Rulando præſcripta Cent. 1. Cur. 43.* Quidam annos natus 63. patiebatur exulceratum Eryſipelas, pedes corripiens, magno dolore ac tumore: 1. ſic expurgavi corpus ♃. *ſyrup. roſ. Mont.* ℥ j *extr. Eſula* ʒß. *decocti pector.* ℥iß. *m.* Lotio pedum. ♃. *roſar. man. iv. plantag. man. iij bulliant aliquantiſper in aqua q. ſ.* Pedes extractos, ac molli linteolo abſterſos & ſiccatos, bis quotidie ſeq. ungu. inungebar. ♃. *lithargyr.* ℥iij *ungu. popul. ceruſſæ abluta, Infrigid. Galeni ana* ℥ß. *olei roſat. compl.* ℥ j. In mortario omnia bene ducantur donec fiat ungu. *Hartmannus ib. Naſturtium aquat.* in Eryſip. ſingulare eſt. *Idem.*

XI. Quanquam de S. M. dubitari ſolet, cum *Galenus* 14. meth. 3. neceſſariam non eſſe dixerit, eam tamen non reprobavit, ubi autem faciem invaſit, de hac dubitari non poteſt, ſi quidem phlegmonoſum ſit, & præterea in capite, quo caſu *Celſus* 6. 26. & *Paulus* ſanguinem educebant: Ideoque ſanguis iterum atque iterum ex inferioribus & ſuperioribus venis educendus. *Fortis Conſul. 95. cent. 1.*

XII. Licet *Galenus* 13. m. m. videatur purgationem electivam approbare, ad hanc tamen valde caute deveniendum eſt, nonniſi in declinatione, ne agitentur humores, & in partem affectam irruant: quare poſt ſeptimum præberi poteſt Elect. de ſucco roſar. cum caſſia, & ab eo ſerum ad libras. *Fortis ibid.*

XIII. Interdum accidit ut ſi non rectè curetur, & *poros obſtruentia*, ne humor diſflari poſſit, intempeſtivè adhibeantur: aut humorum affluxus nimius fiat, puſtulæ interdum, imò majores veſicæ in parte affecta excitentur, è quibus ruptis ſanies aquoſa effluit, parſque poſtea exulceratur, & niſi rectè tractetur, affectus in diuturna & cacoethe ulcera, præſertim in cruribus, imò in gangrænam ſæpe degenerat: Quod ſi accidat, refrigerantibus, ſiccantibus & adſtringentibus opus eſt: imprimis hic utile eſt unguentum diapompholigos, cui ſi libet aliquid Sacch. Saturni addere licet. *Sennertus.*

XIV. Ruſticus *Eryſipelate phlegmonode in ſiniſtra manu* laborans, ſibi inunxit per aliquot dies manum & brachium oleo roſaceo, unde dolores, inflammatio &c. ingraveſcebant, ita ut tandem gangræna correpta ſit tota manus: Ex quibus perſpicuum eſt oleum maxime inflammationibus adverſari, quod innuit *Galenus* 15. de ſimpl. *Hildanus Cent. 1. obſ. 82.* Anno 1668. uxor Lanij Geucvenſis, dicti *Bourdillat*, faciem eriſypelate obſeſſam eodem oleo inunxit, hinc foediſſima ac denſiſſima cruſta, lacteæ ſimilis exorta eſt, quæ prope gangrænam acceſſivit: Ab oleoſis & pinguibus omnino abſtinendum jubet *Fortis* conſult. 95. cent. 1. ut quæ partis fervore excalefacta magis inflammare poſſint.

XV. Errant qui dum Eryſipelati *apocrouſtica*, & cætera *refrigerantia* ſemel vel bis in die applicaut deberent ſane dum pars aliqua ardore deflagrat non bis, ſed decies in die ſuperlinire: tum quia topica quanto minus conſueta ſunt, tanto magis alteraut, & per conſequens juvant; tum quia ſingulis horis partes affectæ, ob perpetuos humores fluentes recandeſcunt; novo indigent refrigerio. *Sanctorius Meth. V. E. l. 4. c. 13.*

XVI. D. N. 25. annum agens ſæpe afficiebatur *Eryſipelate in tibiis*, cœpit bibere *vinum* multo meracius ſolito, & pauciſſimæ aquæ permixtum: ab eo tempore nunquam eryſip. affectus eſt, & bene habet licet 4. aut 5. anni effluxerint: Cauſam eſſe exiſtimo quod à vino roborata facultate expultrice materia eryſipelatis expellitur per alvum, urinas vel inſenſibilem tranſpirationem. *Riverius cent. 2. Obſerv. 41.*

XVII. In *Eryſipelatum hydatidis*, quæ vi ſuccorum ichorumque acrium & ſervidorum erumpere conſueverunt, præcipit *Fallopius* etiam principio ſuppungendum, illo etiam addito, ut loco ad effluxum humoris proclivi ſit cuſpis adigendus: Quæ opera & nobis placet, ſed ut acu aurea vel argentea rem adminiſtrari malim: Sed & illud ſcire licet, has non ſuppungi leviter, ſed etiam forfice reſcindi, quo nihil relinquatur ejus ichoris, qui folliculo retentus particulam contactu labefactare queat. *Severinus Med. Off. p. 82.*

XVIII. Virum novi xxxv. circiter annorum, Senatorij ordinis, bilioſi temperamenti, cujus faciem ſæpe invadebat ſanguis bilioſus, qua ſinde oedematoſo tumore perpetuo foedabatur, diſcuſſis tenuioribus partibus humoris: Ex Medicorum conſilio multa auxilia tentata ſunt, juſculorum alterantium uſus, ſeri lactis, acidularum omnia incaſſum: Suaſi *fonticulum in brachio* (in crure dextro excitatus fuerat, ſed citra fructum) quem, urgente Chirurgo (cujus uxor in ſimili caſu beneficium experta erat) admiſit, neque deinceps ab anno 1673. ad hunc uſque 1679. morbo illo occupatus fuit, ſubſidente omnino vultu, oedematiſque veſtigiis omnibus diſcuſſis.

EXANTHEMATA.

SYLLOGE.

Aliquando licet purgare & venam ſecare. 2.
Quando purgationi locus. 4.

Poſt

Peſtilentiæ tempore cordi epithemata non admovenda. 3.
Sine febre orta ſolius diæta ope evaneſcentia. 1.

I. MOnialis nulla prægreſſa febre, nec ulla vitium imbecillitate, nulliſque aliis ſignis ex more apparentibus, ſubito *exanthematis* correpta eſt toto corpore, neque tum quicquam mali præterea ſentiebat: hæc abſque ullo medicamento ſola *diæta* convaluit: Crediderim quod morbus Luna decreſcente obortus eſſet, naturam potius menſtruo illius motu adjutam excrementa, quæ pauca erant, ad circumferentiam propuliſſe, eamquam inſenſibilem tranſpirationem moliri voluiſſet; ſi quidem puſtulæ non ut in aliis totæ rubentes conſpiciebantur, ſed ex nigredine quadam quodammodo vireſcebant: *Rumlerus* obſervat. 45. Quo rarius hæc obtingere conſtat, eo rarius quoque haberi debet benigna eſſe & ſola victus ratione percurari: Occulta ſi quidem malignitas merito ſuſpecta illa reddidit. *Velſchius in notis.*

II. *Galenus* 2. in 6. Epid. 30. expendens Simonis hiſtoriam, cui lata apparuerunt Exanth. dixit etiam in hoc caſu convenire *purgantia* & *vena ſect.* Non quidem ad evacuandam materiam ad cutem tranſmiſſam, ſed ad tollendam humorum ſuperfluitatem, in venoſo genere exiſtentium, antequam topicis evacuetur materia ad cutem tranſmiſſa, *Silvaticus Cent.* 1. *conſ.* 14.

III. Ubi *peſtifera Exanth.* efflore ſcunt, cordi imponi non debent *Epithemata*, ne fiat palindrome ad partem nobiliſſimam, cujus officio vita carere nequit. *Heurnius Meth. ad Pr.*

IV. Non levis eſt difficultas An in morbis in quibus aliquid in cute efflore ſcit, primo effloreſcentiæ impetu, & in motus principio, aut quovis alio tempore, ſit *medicamento Purgante* utendum? Nonnulli perterriti copia humoris vitioſi in febribus malignis, cum maculæ erumpere incipiunt, temere ad expurgans confugiunt: conſpicientes enim ſanguinis detractiones non ſufficere, ſed accidentia adhuc creſcere (& non tato ſanguine non ſufficienter miſſo, quod utilius foret) ad Purgans confugiunt, ut videantur magnis morbis magna auxilia opponere: urgens ſic periculum cenſentes poſſe ſe vitare, poſthabentes retroceſſum lethalis materiæ ad viſcera, majuſque beneficium ex purgatione ſperantes, dempta ſcil. humorum copia urgente & gravante, quæ coctionem non expectat: Seducti iidem *Galeni* decreto, qui in curatione, puſtularum *Simonis* non negavit purgante utendum: Ut veritas eluceat, Sciendum cutis Effloreſcentiarum triplicem eſſe differentiam: Nam quædam fiunt natura a malitia humorum plurimum & ante tempus irritata: quæ coacta ac præcavens ne humores in membrum princeps irruant, ordinem conſuetum, ac citra coctionem, evertens, lethalem humorem a ſe pellit; Hujus cenſus ſunt variolæ, morbilli, eryſipelata, & maculæ febrium malignarum: Quædam rurſus fiunt natura etiam pellente, cæterum benigniorem materiam, & quæ febrem interius non concitat: qualis naturæ ſunt Gallicæ puſtulæ, & ſcabioſæ Simonis eminentiæ, & reliquæ aliæ, quæ ſeſe exonerante venarum facultate, per cutem ad modum ſcabiei erumpunt. Item aliæ ſunt quæ ex ipſius carnis, ſeu tertiæ regionis vitiis, ob depravatum alimentum, in cute efflore ſcunt, ut in impetigine, vitiligine, ſcabie, pſora, pruritu: Ex qua differentia ſequitur quod id quod ad cutem pellitur, vel fit ex perniicioſa humoris, febrem lethalem concitantis conditione: vel ob copiam vitioſi humoris, ſolum alitioni inepti, ſive in venis præſit, ſive in carne vigeat: Item, Id quod per cutem erumpit, vel in carne & cute impactum exiſtit, puſtulas ac tumorem efficiens: vel ſolum cutem fœdat calore, tenuitate, ac morboſitate maxima affectum|concitat in cute, præcavens majorem in viſceribus: Quibus præmiſſis, Statuendum In nulla cutis defœdatione incipiente, & in ipſo eruptionis impetu; Sive maligna ſit materia, ſive ſecus, utendum eſſe purgante: Idque præcipuè obſervandum in maculis febrium malignarum, morbillorum aut variolarum, neque adhuc poſt completum tempus apparitionis in variolis & morbillis: Cæterum aliquando, ratione urgentiſſimi periculi, in febribus malignis (quia adhuc ipſis apparentibus magna humoris pernitioſi copia: & febris pergit in augmentum) poſt impetum eruptionis, & continuato naturæ motu ad extima, frictionibus & cucurbitulis, purgare nonnunquam licebit, licet id rarò & cum præmeditatione faciendum, At in aliis cutis fœditatibus, quæ in variolis & morbillis degenerant, neque initio, neque poſt completum eruptionis tempus, neque uſquam purgandum eſt: quia humores, qui febrem concitarunt, ſunt qui degenerant in variolas, & ob id ceſſat protinus febris quæ cutem fœdavit, licet ex ſupputatione alia ſubſequatur: In eryſipelate tardiſſimè, quia in his omnibus mobilis admodum eſt materia: Cæterum ſi quod in cute apparuit, (ſive eryſipelas, ſive morbillus, ſive variolæ, aut maculæ malignæ fuerint) ſubito retroceſſu deliteſcit, intróque vertatur, protinus purgandum erit, antequam in membrum princeps irruat, more turgentium humorum: Verum in certis eruptionibus ſcabioſis, quales in *Simone* Hipp. obſervavit, & in reliquis ejuſdem cenſus, quia impactæ ſunt carni & cuti, & ex craſſa materia, quæ lentiſſimè moventur, cum tibi viſum fuerit licebit expurganti medicamento uti, non tamen in ipſo eruptionis initio & impetu: Nam permittere oportet naturam finire inceptum motum, & poſtea quovis tempore purgandum: quia quod remanet intus, ut in dies magis ac magis generatur, ita & evacuari deſiderat: quia nec tota materia ſimul eſt, neque expellitur, ſed expellenda remanet citra ſuccenſionem ac febrem quæ coctionem deſideret, aut ob urgentiam expellenda ſit, ſed in impetu ipſius motus nequaquam: Quippe ſtatutum eſt apud prudentes, adhuc in evacuationibus, quas neceſſario oportet compeſcere, impetum irritationis & concitationis naturæ errantis permittere, antequam compeſcere incipias: nedum in his evacuationibus quas natura melioris gratia ex humore lethali movet à membris præcipuis ad ignobilia. In qua re, ratione & experientia ducti ſapientiores, verentur naturam ab incepto munere expulſionis purgante dato revocare; quem motum ſecurius ſit mille modis juvare, cucurbitulis, ſcarificationibus &c. quippe ex violentia quæ infertur in naturam, medicamento trahente ad viſcera, contra naturæ motum ad externa, plurimum labaſcit, defeſſa ex correpugnantia: Præterea ex retroceſſu vereri oportet decubitum ad principes aliquod membrum, Nihil enim lethalis turgentia eſt quam prædictus retroceſſus ab intimis & à cute, contra motum naturæ ab intimis ad extima: Nec quoque eſt in poteſtate medicamenti commotum

humorem neceſſario ad inteſtina pellere. *Mercatus de Indicat. Med. l.1. c.6.* Vide Habitus corporis vitia, §. lib. vij.

EXCRESCENTIÆ.

SYLLOGE.

Excreſcentia carnis in Palato *curatio.* 1.
In labio ſuperiore. 2.
In ſcapula extirpatio. 3.

I. IN *Palati* anteriore parte, retro dentes inciſorios, foramen adeſt ex palato in narium amplitudinem, venula atque arteriola, una cum tunica palatum ſuccingente, deſinens: Ex hoc foramine Matronæ naſcebatur excreſcētia carnea, inſtar fungi, ex qua ſanguis copioſe fluxit etiam ad levem linguæ contactum, ac ad nucis juglandis molem tandem pervenit: Vſa prius Pil. *Aquapendentis* aliquoties, quæ caput optime purgant, & bona diæta, Excreſcentiam medicamento ex ſpir. vitrioli, ſucco portul. & tinctura roſarum tetigi & diminui; denique inſtrumento ad polypum reſiduum extraxi; ſic ſpatio x. dierum ſanata. Ante mali invaſionem per biennium inſignis dolor & gravitas auditus adfuerat. *Scultetus Armament. obſ.* 35.

II. Anus inſpiciendum præbet *Labium* quod mirum in modum excreverat: in medio labio ulcus fuerat, ex eo principio caro fungoſa ortum habuit: Sectionem anus recuſat, conſulo ut tumorem cum ſetis equinis fortiter apprehendat & indies arctius adſtringat; facit, ſed magno dolore, multis noctibus inſomnibus, tandem decidit caro ſuperflua; adhibitis ungu. conſolidantibus convaleſcit anus. *I.D. Wincler Miſc. Cur. anno 76. obſ.* 37.

III. Virgo Nobiliſ. cum jam per aliquot annos *Excreſcentiam carnoſam*, fungum referentem, in *ſcapula ſiniſtra* foviſſet, abſciſſioni propoſitæ annuit: Ejus craſſities circa ortum trium digitorum erat: Chirurgus filo ſericeo contorto excreſcentiam conſtringendo tam diu tractavit, emplaſtris etiam idoneis circumpoſitis, ne aliquid mali emergeret cavit, ut tandem trium ſeptimanarum, & quatuor dierum ſpatio à corpore feliciter ſeparata, & nova cute ſuperinducta, virgo à moleſtia iſta (quæ ponderavit ℔ iij civiles & ℥ xij) liberata: Aliquoties ob dolores graves hoc opiatum datum ℞. ſyrup. papav. ℥j laudani op. vino diſſoluti gr. iij aq. cinnam. cordial. ℥ ß. m. *Idem.*

EXCRETIO PVRVLENTA.

Excretio puris à colo ulcerato pro meſenterica habita.

SOlum inteſtinum colon præ cæteris obnoxium eſt Exulcerationi quæ pus producit, quod multi manare putant à meſenterio ulcerato, & infeliciter utuntur purgantibus medicamentis & clyſmatis, quæ magis irritant foventque malum & adaugent: Quia extremitas coli juncta inteſtino recto carnoſior eſt, ibi abſceſſus dolorifici generantur, qui pure excreto ocyus ſanantur quam ſi à meſenterio prodeant. *Riolanus Encheir. lib. 2. cap.* 17.

INDICIS.

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER SEXTVS.

De Affectibus à litera F. incipientibus.

FEBRIS IN GENERE.

SYLLOGE.

Diviſio ordinaria non omnes ſpecies comprehendit. 1.
Dantur Febres ancipitis naturæ. 3.
In affectibus quorum comes eſt non ſemper vena ſecanda. 4.
An in omni, ſaltem minorandi cauſa, ſanguis mittendus. 5.
Nitri *efficacia in extinguendo febris ardore.* 6.
Stercoris ſuilli vis anti febrilis. 7.
Balneorum *uſus an conveniat.* 8.
Curatio, per Alexipyreta. 9.
Per Narcotica. 10.
Febris artificio excitata ad curam quorundam morborum. 2.
Febres epidemicæ aliquando invadunt citra humorum vitioſorum in corpore præſentiam. 11.
Non perpetuo quidam febricitantes in lecto debent detineri. 12.
Non omnis febris ſolutionem per ſudores exigit. 13. 14.

1. IN ea ſum ſententia veteres ſcriptores non omnium *febrium genera differentiaſque* aſſequutos eſſe: Ego quartam à nemine hactenus obſervatam, à me inventam proponam: Ea autem eſt febris Continua uniformis, ſine ulla exacerbatione, thoracis Pulmonumque immodicum calorem citra putredinem conſequens: calor autem hic ob aëris inſpirati inopiam, anguſtiæ vaſorum culpa, pulmones invadit: Quiquidem immodicè excalefacti, geminam ob cauſam febrem in corde, dein in toto habitu excitant, Tum quia conceptum calorem cordi immediatè communicant, tum quoniam aërem quantumcunque frigidum inſpiratum ita excalefaciunt, ut cordi pro naturæ præſcripto refrigerando minimè ſufficiat: hinc aſſidua febris, quæ nec Ephemera nec Putrida, nec Hectica propriè dici poteſt: qua affecti aſthmate non intervallato, ſed aſſiduo laborantes teneri non ſemel tantum animadverti: Si quis hanc febrem in Hecticam impropriè dictam, ex viſcere præcipuo male affecto ortam referre velit, non à ſcopo declinabit, modo hujus generationis modum ab aliis non adhuc minimè obſervatum intelligat. *Zecchius conſultat.* 52. Nob. infans febre corripitur putrida continuaque, cum ſenſuum omnium hebetudine, inquietudine, implaciditate, motibus convulſivis, nauſea continua, externarum partium frigore, licet internæ urantur, calent enim thorax & hypochondria, arida lingua nigraque eſt: Morbi acutiſſimi cauſa obſcura erat, niſi a parentibus ſignificatum fuiſſet duobus diebus ante morbi primum inſultum, à Chirurgo, parentum juſſu, ad tollendum linguæ impedimentum, ſectum fuiſſe linguæ frænum: ab hoc opere pronum ſitum non datum fuiſſe infanti: unde ſtatim conjeci ſanguinem è loco vulnerato in ventriculum præcipitatum, ibique putrefactum, morbi & ſymptomatum commemoratorum cauſam fuiſſe: nec feſellit opinio: oleo enim amygdalino dulci ad ciendum vomitum propinato, ſanguinis concreti purulentique notabilem copiam evomuit, hinc ſtatim remiſit febris ceſſaruntque ſymptomata. *Idem conſultat.* 41. *Sennertus præter* ephemeras, continuas primarias vel ſymptomaticas, & intermittentes, certum quoque genus admittit, quod provenit v. g. a vermibus, lacte corrupto in ventriculo infantium, ſanguine concreto

extra vaſa putreſcente, qualem comitatur aliquando hydrops: Addo ego illam febrim quæ ex pituita degiurita in ventriculo putreſcente oritur. Tales febres lente progrediuntur, quia cum materia longè a corde abſit, tardiores & pauciores fuligines ad illud mittunt, hecticaſque mentiuntur. *Hoeferus in Hercule Med. l. 6. cap.* 1.

II. Si Lethargicis febris ſuperveniat, Lethargus ſolvitur: Quod ſi febris ſponte non accedat, licet eam arte facere inungendo pulſibus oleum è ſcarabæis lucanicis factum, ad modum olei ſcorpionum: Sic enim certo experimento febris excitatur Ephemeram æmulans, & altero ſtatim die diſparens. *Hoeferus Hercul. Med. l. 1. c. 6.*

III. Febres quædam, tum aſſiduæ tum intermittentes, artis uſu notantur quodammodo *ancipites*, quas neque in *Ephemeras*, neque in ullum *Putridarum genus* certò referre poſſimus: quædam enim ultra diem tertium excurrunt, ac eodem interdum die ſæpius exaſperantur, idque aut dum cibus conficitur, aut ſub veſperam, nullam intermiſſionem puram ſortitæ, blandæ quidem, & quibus laborans vix ſe teneri putat, pulſus tamen celeritate ac frequentia, laſſitudine, corporis gravitate aut exolutione, interdum etiam gravioribus ſymptomatis conſpicuæ: Quædam verò ad puram intermiſſionem deductæ, ſine horroris ſenſu, leviter ut dixi, aut dum concoctio fit, aut ſub veſperam, aut quavis occaſione recrudeſcunt; Ejus generis nonnullæ à vehementiore pruritu, à ſcabie, à furunculis, ab externis abſceſſibus, & ab acri deſtillatione fiunt: nonnullæ etiam à cruditate indomita, vel à bile citra putredinem efferveſcente, vel a ſemimalâ humorum qualitate, quæ aut primam aut alias corporis regiones obſideat: hæc enim vitioſa illorum qualitas media quædam ad putredinem via eſt, in qua plerumque affectio ſubſiſtit: Quocirca ejus generis febres omnes, aut tenui refrigeranteque victu ſuſtuli, ſub quo natura qualitatis vitium ſola emendaret: Si victus parum profuit, huic inſuper aut venæ ſectionem aut purgationem accommodavi, quibus brevi eſt ſolutio ſequuta. *Fernelius Meth. curand. febr. cap.* 6.

IV. Recentiores Medici in quolibet affectu, modo febris adſit, ad ſanguinis miſſionem veniunt, contra mentem Hippocr. qui S.M. ob febrem adeo timuit, ut ſæpe ejus gratia à ſ. m. abſtinendum eſſe exiſtimaverit: Sic ſect. 3. Coaca. 79. *Dolores circa latus in febribus conſiſtentes, venæ ſectio lædit &c.* & 2. Epid. ſect. 5. v. 10. *Si ulcus fuerit, internas venas ſecato, ſi non febricitet:* Et intra v. 18. *Quicunque derepente voce deſtituuntur, ſi ſine febre fuerint, his venam ſecato.* Coacat. ſect. 2. v. 72. *Quibus derepente, dum ſine febre ſunt, hypochondrij & cordis dolor &c. ſolvit V. S.* Ratio ex eo dependet, quia febris non ſolum bilis præſentiam atteſtatur, quando febres omnes, diariis exceptis, ex bile originem habere credidit Hippocr. l. de Nat. hum. v. 272. ſed eam fervere indicat: Quare in hoc caſu propter febrem ſ. m. plurimum lædit; Tum ratione ſigni, quia bilem vigere ac ferveſcere indicat: Tum ratione cauſæ, quatenus humores per v. ſ. tenuati, à febrili calore eo uſque tenuantur, ut ſanguis totus ferè in bilioſum ſuccum tranſmutetur; quando bilis nihil aliud eſt quam ſanguis attenuatus & immodice excoctus, ſive accenſus à calore: Et hæc ratio eſt cur illi quibus ſanguis fluxit immodicè, à febribus bilioſis corripiantur: quod notavit Hipp. l. 2. de morbis mulier: Quæ omnia attendens prudens ſenex V. S. adeo ſuſpectam habuit in febribus putridis (has febres ex bile vocat) ut pro earum curatione nullibi eam admiſerit. Quam Hipp. doctrinam aliter excepit Galen. qui illud axioma conſtituit, Saluberrimum eſſe in omni putrida Sanguinem mittere; quem ſequuntur recentiores, qui in omni morbo ſanguinem mittunt quoties adeſt febris, tanquam hæc præcipuum ſit indicans S. M. *Martianus comm. in Coac. 79. ſect.* 3.

V. An in omni febre, ſaltem minorandi gratia, *Sanguis Mittendus? Galenus* 2. aph. 29. annuit, dum enim *Hippocr.* inchoantibus morbis movendum præcepit, h. e. vacuandum, præcipue de ſ. m. intelligit: Idem in omni putrida v. ſ. commorat. 11. meth. 15. Ex quo loco tamen non inferas in omni febre particulatim ſanguinem eſſe mittendum, plurimæ enim ſunt in quibus ſanguinem mittere minimè expedit, quum ſcil. urina aquoſa extiterit, aut quum citrina igneaque ſit, ex *Avicenna* 1. 4. tr. 2. c. 7. Solum enim ſenſus eſt quod in omni febrium genere ſanguis mitti debet, ubi cum humore peccante plenitudo aliqua fuerit adjuncta: copioſa quidem, ſi plenitudo fuerit ad vaſa: minorans vero, ſi plenitudo fuerit ad vires, ut parte materiæ detracta natura reddatur potentior ſupra reſiduum: Si vero neutra fuerit plenitudo, aut impedientia adfuerint, aut defuerint aliqua quæ ad ſanguinem mittendum adhortantur, ſanguis detrahendus non eſt. *Zacutus pr. h p.* 570.

VI. *Nitrum præparatum* contactu linguam frigoris ſpecie imbuere ſolet, quam ob cauſam in ardentiſſimis febribus, de graviſſimorum Medicorum conſilio, & experientiæ teſtimonio, ad reſtinguendum calorem utiliſſime uſurpatur, quippe exhalationes Sulphureas comprimit ac compeſcit, *M. Doringius apud Heldanum Epiſt.* 79. Præfertur autem Nitrum ſine ſulphure depuratum, quod ea præparatione refrigerandi vi exuatur. *Vide Symptomata febrium.*

VII. Nob. per ſex menſes intermittente Tertiana laborabat, remedia à Medicis præſcripta nihil proficiebant, Monachus Dominicanus conſultus dari ſibi petit libram lenis ſpiritus vini Rhenani, in eoque infundit ſtercus ſuillum, quod in pera attulerat, digerit per horam, inde colat per linteum cum expreſſione forti; Colatum una vice ſumendum propinat, qui inde in ſudorem lapſus egregie ſodat, hinc abiit febris: Idem experimentum in aliis nunquam fefellit, etſi recidiva in aliis contigerit. *Al. Hermannus Cummenus Miſc. Cur. anni* 1672. *obſ.* 120.

VIII. *Balnea* non conveniunt æque febribus, legitur quidem hinc inde apud veteres Balneum aquæ dulcis commendatum in febribus, verum id hodie plane exolevit, unde etiam *Galenus* inter contra-indicantia balneorum refert horrorem: Neque in aliis acutis locum habent Balnea, quia facile nocere poſſunt, unde pediluvia ſomnifera quoque pro ſomno ciendo in malignis male ut plurimum cedere confitentur, rarefacto inde magis ſanguine & ad cor delato, unde malignitati facilis eſt victoria. *Wedelius de M. C. Ext. p.* 10.

IX. Febrium diſtinctionem cauſa Fermenti febrilis, quæ ex diverſis elevatur ſubjectis, parit: In *Intermittentibus* enim cauſa occaſionalis in primis hæret viis, ventriculo ſcilicet, inteſtinis, & reliquis adjacentibus partibus: *Ardentium*, proprie ſic dictarum, continet ipſa ſanguinis

mala,

maſſa, quæ vel aliunde corrupta, maligna & venenata eſt, vel inteſtinorum gerit bellum: *Continuarum paroxiſticarum* ſubjectum inhæſionis, ſeu viſcera, velut in meſenterio, pancreate, vel in aliis organis ſanguinis elaborationi & defæcationi deſtinatis. In harum autem omnium ablatione potiſſima cura dirigenda eſt ad magis urgens, nimirum ad *Ebullitionem ſanguinis*, quæ paroxyſmum febrilem gignit ſedandam & impediendam, Id quod tamen immediate nec venæ ſectione, nec purgantibus, hoc eſt virium diminutionibus, peragetur, ſed *Specificis anti-febrilibus, materiam febrilem præcipitantibus, diaphoreticis vna & diureticis*. Cui indicationi inſerviunt in *Febribus intermittentibus*, *ſimplici & duplici Tertiana*, quædam quæ, vel fundendo & exagitando ſanguinem, fermentum febrile præcipitant, & ſic paroxyſmum febrilem impediunt, ex quorum cenſu ſunt *Sal C.C. vel viperinum fixum, Sal abſinthij, Spiritus ſalis ammoniaci, Sal anti-febrile rubr. & album D. Mœbij, Tinctura Bezoartica D. I. Michaelis. Lazar. Riverius* ante paroxyſmum *Tertianæ intermittentis* ſequens offert, ℞. *aquæ cichor.* ℥ iij. *Salis abſinth.* ʒß *ſpiritus ſulphuris* ℈ j, inſequente ſudore per horam, *Cent. 1. Obſervation. 20. 26. In duplici Tertiana Poterius* exhibet *Salis centaur. min.* ʒß. *cum ſpir. vitrioli gutt. v. in aqua appropriata: Præ reliquis Martialia in hiſce Febribus vtramq; adimplent paginam:* Quædam *Alexipyreta* in dictis febribus *ſanguinem figendo & conſtringendo* acceſſionem febrilem compeſcunt, qualia ſunt *ſuccus plantaginis, pulvis radic. tormentillæ, C.C. vſtum & præparatum, alumen &c. in vino exhibitum. Fr. Hofmannus m. m. p.* 368.

X. Non deſunt etiam qui ad minuendum, vel Inhibendum paroxyſmum *Opiata* exhibent, non ſolum in *Intermittentibus* febribus, ſed etiam in *malignis* ſi magna adſit ſymptomatum vehementia, in morbi principio vel augmento illa alexipharmacis mixta ad aliquot grana propinant, eo quod illorum virtute narcotica & coagulante ferventes fuligines, cordi infeſtiſſimæ, figantur quaſi, & materia febrilis maligna compeſcatur, vt Natura à malignis humoribus & ſpiritibus non laceſſita, recollectis viribus alexiteriorum virtutem facilius ſibi applicet; Cui ſententiæ ſubſcribit *Zacutus M.P. 61. lib. 1. Riverius Tract. de febre Peſtil. p. m. 136. Poterius cent. 2. curat. 49.* Qui in febre ardenti, cum vehementiſſimo ardore ventriculi, potum Cardiaco narcoticum præſcripſit. ℞. *ſpec. diamargaritus frig.* ℈ j. *ſyrup. de papav. n.* ℥ j. *aq. acetoſæ* ℥ vj. *ſucci citri* ℥ß. *m. pro vna doſi*, quæ finita actione repetenda: *Iiſdem diebus*, inquit *Poterius*, *alios febre ſimili, cum iiſdem ſymptomatibus, ejuſdem potionis cardiacæ vi & beneficio feliciter ſanavimus. Quo argumento Medicos quoſdam timidos, Opiatorum vſus & facultatis ignaros monere volo, ne futili ſuo ratiocinio pellecti ejuſmodi medicamentorum vſum reformident.*

Verum, quemadmodum nullum præſidium temere eſt aggrediendum, ſed circumſpecte omnia tractanda, ne in ſuſpicionem audacis vel imperiti Medici incurramus; ita & in *Opiatorum* adminiſtratione eandem obſervemus cautelam: In *Febribus* quidem *intermittentibus*, ſi major materiæ febrilis pars jamdum quodammodo conſumpta, & obſtructiones fuerint ſublatæ, exantlatis aliquot paroxyſmis, non facile Opiata, & alia inde parata remedia, rite præparata, in minore doſi cum ſpecificis anti-febrilibus, aperientibus & incidentibus permixta, hora vna & dimidia ante paroxyſmum exhibita, nocere poſſint, teſte *Riverio de Febribus, p. m.* 84. At in *ardentibus febribus* longe alia ratio eſt, in quibus fermentum febrile malignum & venenatum ex corpore eliminari cupit, & ſpiritus vitalis ſeu Archeus, ſub illius tyrannide gemens, eventilationem flagitat, non autem fixationem, aut quandam congelationem, vnde & ab ejuſmodi Opiatis narcoticis febris non ſolum non curatur, verum etiam gravius quandoque, magno ægrorum damno & periculo, malum accerſitur, dum nihil aliud agunt quam vt facultatem expultricem ligent, obſtructiones pertinaces creent, materiam febrilem in corpore retineant, eámque ad expulſionem magis contumacem reddant, vt hæc poſt modum collectis viribus, vel gravius exurgat, vel ipſa etiam ſtamina vitæ abrumpat. Anno 1659 Quidam cum Catone, cum Vigilijs continuis, per octiduum laboraret, pro Vigilijs corrigendis laudani Opiati grana aliquot circa veſperam aſſumpſit, ſed fixata inde materia febrili, ſuffocatis ſpiritibus, & inflammata facultate expultrice, ciſis fuit impedita, & pro naturali æternam acceleravit criſin: *Poterij* allata quod concernit, ſciendum eſt primo, hunc affectum fuiſſe febrim ſymptomaticam, ab inflammatione ventriculi dependentem. Secundo, Syrupum de papavere in comparatione cum alijs narcoticis, mite eſſe remedium. *Idem ibidem.*

XI. Cum ſpecificæ morborum Popularium differentiæ, nominatim Febrium, arcanæ annorum conſtitutioni innitantur, incaſſum deludant illi quotquot diverſarum Febrium rationes à cauſa morbifica in humano corpore aggeſta deducunt; nam liquido patet quemlibet, pancratice licet valentem, ſi certa quædam loca adeat, febre ibidem graſſante, intra dies aliquot laboraturum: Vix autem credibile ſit, manifeſtam aliquam mutationem ab aëre præfati viri humoribus tam brevi impreſſum iri: Neque minus difficile eſt generales regulas Febribus hiſce debellandis accommodare, & certos aliquos limites figere, quos vltra citráque progredi, aut in iiſdem conſiſtere non liceat, In hac itaque tam ſpiſſa rerum caligine, nihil mihi prius eſt quando novæ Febres graſſari incipiunt, quam cunctari paulisper, & adeo magna præſertim remedia nonniſi ſuſpenſo pede ac tardius procedere: diligenter interim illarum ingenium atque morem obſervare, quibus itidem præſidiorum generibus ægri juventur vel lædantur, vt quamprimum bis repudiatis, illis vtamur. *Sydenham Obſervat. in Acut. p.* 18.

XII. Multiplici experientia aſtipulante, ſcio ægris optime ſolere vertere, in Febribus ſcilicet omnibus quæ inflammationis intenſioris ſunt participes, vt non ſemper lecto incarcerentur, ſed quotidie lecto abſtineant, ſaltem ad aliquot horas; vel ſi id vetat major debilitas, veſtes ſaltem inducere, & ſupra lectum cubare, capite paulo elatiori: quantumlibet autem ægris id conducat, animadvertendum eſt tamen eoſdem ſi diutius quam par erat pro vna vice à lecto abfuerint, declinante præſertim morbo, in dolores vagos, qui in Rheumatiſmos deſinere poſſint, nonnunquam de facili incidere: nonnunquam etiam ſuperficiem corporis Ictteritia deturpari: quæ ſi cui contingant, lecto addicendus eſt, quo apertis cutis ſpiraculis commode

diſſlari poſſint iſtiuſmodi particulæ, quæ malorum alterutri fomitem præbent; Hoc vero ad diem unum vel alterum tantum, ſudore non provocato: Hujuſmodi autem accidentia oppido rara ſunt, nec niſi in febris declinatione comparent unquam, quo tempore, cum jam morbus mitior eſt, longe tutius ægro permittes ut in lecto aſſidue decumbat quam vel initio, vel in ſtatu; quinimo per hoc tempus id magis confert ad materiam febrilem digerendam, quæ, ſi æger maturius lecto affigatur, magis efferatur atque incenditur: A circum-ambiente enim augeſcere calorem certum eſt, idque omnino fieri eſt neceſſe ſi in lecto continuo æger ſe contineat.

XIII. Hic ſi quis objecerit talem methodum minus expedire, eo quod Evacuationi per ſudores, qua materia febrilis jam concocta eliminanda omnino erat, officiat: Reſpondeo nihil agere contra ſententem, niſi prius argumentis confecerit hujuſmodi evacuationem omni Febri deberi, quod ita haud in proclivi eſt: Docet enim Experientia, non autem Ratio, quænam Febrium ſpecies per diaphoreſin, quæ per catharſin &c. ſit exterminanda, Quinimo eſt cur arbitremur dari quaſdam Febrium ſpecies, quas Natura methodo ſibi peculiari, ſine viſibili aliqua evacuatione ablegat, reducendo ſcilicet in ſanguinis maſſam, eique aſſimilando materiam illam morbificam quæ cum eodem minus quadrabat: Qua ego nixus ratione, ſæpenumero tam in hac Febrium ſpecie, quam alijs, mox à primo inſultu, totóque ſanguine nondum inquinato, eaſdem in ordinem redegi, imperato tantum lactis cum aqua potu, eiúque carnium, & juſculorum e carnibus interdicto, permiſſis interim & exercitij conſueti vſu, & aura liberiore, nulláque prorſus evacuatione vel ſemel inſtituta.

XIV. Quod ſi demus Naturam non alia methodo quam per Diaphoreſin morbum vincere poſſe, annon eos volumus Sudores, qui morbo jam fatiſcente prorumpunt, & à prævia digeſtione fluunt, non vero iſtos qui primis morbi diebus protruſi, ab interrupta furentis naturæ œconomia naſcuntur? Hujuſmodi, opinor, ſudores non erunt promovendi, at compeſcendus potius tumultus ille cui ortum ſuum debent, hujuſmodi autem ſudores multas Febrium ſpecies, licet non omnes, ſolent comitari; Neque enim ſum neſcius quaſdam Febrium ſpecies ejus eſſe indolis vt in [illegible] ſudorem hunc criticum ſibi poſtulent, Tales ſunt particulares Intermittentium paroxyſmi; magna item & frequentiſſima Naturæ Febris, ab illa pendens conſtitutione quæ ad Intermittentes Epidemice producendas unice facit: In his enim, ſi cui methodo inſiſtatur quæ non eo tendit vt materia morbifica digeratur primum, dein per ſudores eliminetur, augebitur morbus: quocirca nullæ hic evacuationes locum habere debent, niſi quatenus morbi impetum primis diebus, quibus aggreditur, ſufflaminare valent, ne inter medentium operas æger fato ſuccumbat quin & febris Peſtilentialis cauſa, cum tenuiſſima ſit & per quam ſubtilis, vel primis morbi diebus ſudoribus diſflari poteſt, ſuffragante vbique experientia: Iſtis autem in Febribus, in quibus ordinario ſymptomatum ductu, & ſi ſuo genio uti permittantur, nuſquam videmus naturam materiam morbificam, jam præparatam tempore præfinito evacuare ſolere, neſcio an non plus ſatis temerarius is fuerit qui ſudore provocando vim morbo inferre cogitet, atque ægrum ea ſola methodo reſtituere, Cum, ut docet ſenex, *Repugnante Natura irrita ſint omnia*. Atque illud quidem vſu vedere autumo in Febre hac particulari (*Vide tit. de Febre capitali* §. 2.) de qua hic agimus, quam, multiplici experientia edoctus, ſatis ſcio ſine ſudoribus fugari poſſe: Ægrum etiam, dum eoſdem importunius ſollicitamus ſæpe nulla cogente neceſſitate, in manifeſtum vitæ diſcrimen conjici, à materia morbifica ſurſum in caput lata: Attamen neque in hac febre, neque in alia qualibet, vel ex eis quæ ſudore critico ſolvi non ſolent, ſi forte hujuſcemodi ſudor morbo jam imminuto ſponte ſupervenerit, quem ex ſymptomatum omnium remiſſione debitæ concoctionis ſobolem eſſe arbitramur, Medicorum prudentiſſimus quiſque eum contemnet; Vbi vero non ita ſponte exit, qui certo ſcire poſſumus an non hominem e medio tollemus, dum humores regimine & cardiacis calidioribus ad ejuſmodi ſudores diſponere nitimur? Quo vero cunque modo hæc ſe res habeat, mihi abunde conſtat ſolam Febrem calorem eum ſecum afferre, qui materiæ febrili ad coctionem præparandæ poſſit ſufficere, neque eo intenſiorem à regimine fervido forinſecus accerſendum. *Sydenham Obſ. in Acutis p.* 324.

FEBRIS PVTRIDA IN GENERE.

SYLLOGE.

An Sanguis mittendus. 1.
Qaa quantitate. 2.
An in febribus bilioſis conveniat ſang. miſſ. 3.
Quo tempore morbi venam ſecare liceat. 4.
Sanguinis miſſio *in plenilunio facta conducit.* 5. 6.
An in vniverſali principio competat Evacuatio. 7.
Purgantia *an initio conveniant.* 8.
In Acutis dies xiv. *non ſemper apta* Purgationi. 9.
An purgandum *in Acutis.* 10.
Purgandi *indicatio ex* Pulſu. 11.
Non purgandum *abſentibus coctionis notis.* 12.
Hydragoga *noxia.* 13.
In febribus à bile & pituita ad vtramque humorem reſpiciendum. 14.
Soluta per criſin Febre abdomina purgandum. 5.
Autumnales *exactam requirunt purgationem.*
In diuturnis *ad antimonialia & mercurialia recurrendam.*
Rhei & Mytobalanorum *correctio in bilioſis.* 21.
Ad ciendum Vomitum *non utendum oleo.* 16.
Oxymelitis *vſus febres non accendit.* 15.
Aa idoneum ad praeparandos humores craſſos. 19.
Acida *in febribus bilioſis nunquam omittenda.* 20.
Spiritus Vitrioli & Sulphuris *magni ſunt vſus.* 22.
Diaphoretica & Hidrotica *febrium ſunt Specifica.* 23.
Quomodo in vſum ducenda. 24.
Cucurbitularum *utilitas.* 25.
Epithemata *non omni tempore admovenda.* 26.
Hypochondrijs, *nec ſolum jecori & cordi, applicanda.* 27.
Spina aa illinenda vnguentis refrigerantibus. 28.
Balneis *an locus.* 29.
An Obſtructiones viſcerum *perpetuo accuſanda.* 30.

Affectus

A... ns quam cauſæ aliquando potior habenda ratio. 31.
Senes & juvenes non æquali refrigerio indigent. 32.
Ad diverſitatem anni temporum, potius quam ægrorum diverſam temperiem reſpiciendam, Vos de Febrium A... indole. 33.
Habenda etiam ratio diſcriminis unius anni ab alio. 34.
Diſtinguendum inter Miaſma & Fomitem. 35.
I... onicis procuranda ſolutio per Abſceſſum.

... rſerunt ab Epidemica, *temperantia in victu ... debent.* 16. *a.*
I... ebris Potui *non indulgendum.* 17.
... qui a ſincera bile febricitant frigidæ potius noxiæ. 18.

I. QUæſtio maxima eſt apud Medicos ſitne Medicos *Sanguis mittendus* in omnibus Febribus Putridis: Dubium oritur ex *Galeno*, qui vult optimum eſſe ſanguinem mittere in Febribus, non Continuis modo, ſed & in omnibus quas putreſcens humor parit, modo vires & ætas conſentiant; Sed premitur illa ſententia maximis dubitationibus, Primo, Sive indicatio petatur a plethora, multæ dantur Putridæ in quibus nulla eſt plenitudo: Sive petatur a morbi magnitudine, multæ Putridæ non ſunt magnæ; non igitur in omnibus vena ſecanda: Secundo, Ipſe *Galenus*, nec tertianæ, nec quotidianæ phlebotomiam idoneam cenſet, nec quartanæ, niſi cum ſanguis exit niger & fæculentus, ſi vero flavus tenuiſque emanat, ſupprimendum jubet: Tertio, Si febris ex frigido humore fiat, cui bono vena ſecabitur? Quarto, Febrium intermittentium materia eſt mera cacochymia, eaque extra vaſa conſiſtens, unde vacuari venæ ſectione commode non poteſt; Nec febri competit, quatenus febris, ſic enim omni conveniret; nec quatenus putrida, nam nec putredo, nec obſtructio venæ ſectione proprie curantur, ex xj. methodi: Varia afferuntur ad ſolutionem, Dicere autem poſſumus *Galen.* intelligendum eſſe, non de omnibus Febribus quæ in ſingulis individuis contingere poſſunt, ſed de omnibus generibus Putridarum, nam v. g. etſi Quotidiana in Sempronio venæ ſectionem non poſtulet, in Titio tamen ob alias cauſas eam admittet: ſic de Quartana ſentiendum eſt, ut nullum ſit genus Febrium cui venæ ſectio adverſetur: Unde lib. ad *Glaucon.* in Febribus continuis ſanguinem mitti vult, Si rubor tumorque major ſit quam pro conſuetudine, modo vires & ætas conſentiant. Alias non video quomodo ſervari queat *Galeni* ſententia, ſanguinem mitti debere in omnibus, non ratione plenitudinis, nec quia humores ſanguini permiſti ſunt, ſed quia obſtructio illis remedijs tolli debet, quibus ante venæ ſectione uti non eſt tutum; quia 8. method. cap. 4. Si obſtructiones tollere ante venæ ſectionem tentes, eas magis impinges. *Primiroſius lib.* 2. *de Febr. cap.* 9.

II. Quantitas vix certo definiri poteſt, ſed Medici judicio relinquitur, Spectandúmque an ſolus ſanguis peccet, exuperetque quam plurimum, an cum eo reliqui humores: Si ſolus peccet, copioſe detrahendus, ſolent enim vires eſſe robuſtæ. Monet tamen *Celſus* ſatius eſſe venæ ſectionem bis iterare, quam ſemel affatim detrahere; toties que iterare jubet *Argenterius* donec urinæ craſſities & rubedo adſuut; dum enim craſſa rubráque permanet urina, indicat plus eſſe ſanguinis quam natura vincere poſſit: Si reliqui humores peccent, diſtántque plurimum à natura ſanguinis, ſintque a ſanguine ſecreti; tunc aut nullomodo, aut parce detrahendus ſanguis. Quod ſi ſanguini permiſti fuerint in venis, vel ſanguis cacochymiam foveat, tunc mitti copioſius debet, habita ſemper ratione virium, non tantum præſentium, ſed etiam futurarum. *Idem ibidem.*

III. Licet plures ſanare quam occidere vulgatiſſimum illud axioma *Galeni* 11. method. 15. *Saluberrimum eſſe in febribus putridis ſanguinem mittere* exiſtimari poſſit, attamen ego quidem ſemper, ſed multo magis proxime præteritis annis non ita obiter & inconſulto, ſed nonniſi matura deliberatione obſervandum duxi: Sæpe namque in indicantis cognitione hallucinantur, Permittens accurate expendentes, ſed Prohibens negligentes, neque facile perſuademur ſanguinem per venam ſectam educere in Febribus Tertianis, Continuis, ſub cane, in temperamentis calidis & ſiccis, præcedentibus laboribus, dum vires præſentes conſtare videntur: quod Tertianæ exquiſitæ non ſint veluti Ardentes, & tamen, ſicut *Ardentes* (4. Acut. 1.) *fiunt cum æſtivo tempore venæ exſiccatæ ad ſeſe biliosos humores attraxerint*, ita Tertianæ, ſeu duplices Tertianæ, in temperamento calido & ſicco, poſt immodica exercitia, æſtivo tempore, ab Ardentibus parum deſinunt, ſapiúntque earum naturam, ut dicebat *Galenus* 8. de Decr. 6. unde ſæpiſſime venæ ſectionem & ſangu. miſſ. non indicant, quin potius reſpuunt, utpote productæ non ſolum à flava bile, verum & a vitellina; quinimo lethales à praſſina & æruginoſa: quę bilis ſpecies in continuis, non ab aliorum humorum miſtione, vel aſſumptorum uſu, ſed ob ipſius bilis majorem uſtionem produci ſolent, quæ proinde craſſiores redditæ, non exſiccationem ſed humectationem poſtulant: unde ſang. miſſ. ſemper deteriores evadunt, ſi potiſſimum tempus caniculare accedit, cum conſtitutione valde calida & ſicca: Quibus omnibus hoc ſingulare addamus; quod morbi occaſio fuerit totius corporis tranſpiratio prohibita, ex obſtructione à frigido ambiente producta, quæ aliquam prohibentis vim obtinet: Occaſio vero morborum ſit ex *Hippocrates* 2. Epidem. ſect. 2. ſpectandæ, qua neglecta nos hic Patavij non ſemel vidimus & nuper Nob. Patientem, poſt natationem in frigida, vel diuturnam moram in frigido ambiente, ſecta vena frigidos toto corpore derepente evaſiſſe, & ante ſeptimum eſſe extinctos: Alios etiam obſervavimus, poſt cucurbitulas toti affixas, & exhibita diaphoretica, ſecta neceſſario vena ob viſcerum inflammationem, ſequenti die obiiſſe. quod accidiſſe putamus quia hac ſæviſſima tempeſtate venæ majores à ſanguinis miſſione inanitæ, & magis exſiccatę, bilioſorum excrementorum copiam ad ſe trahant; adeo ut aut humorum quantitati, & pravitati, aut eryſipelaceæ inflammationi ſuccedat Græcorum Leipyria, & nativus calor extinguatur aut ſuffocetur. Verum neque permittens, nimirum ſuturum virium robur adeſſe poteſt, in temperamento calido & ſicco, poſt immodica exercitia, bilioſis humoribus redundantibus, in ſicciſſima tempeſtate annique temporis conſtitutione. Quare Ego ita decerno. Quod bilioſa corpora, pauco ſanguine à natura donata, anni ſicciſſima & ferviđiſſima

tempeſtate ſanguine magis non priventur, facillime enim ducuntur ad biliosorum ebullitionem, vt notabat *Avicenna*, Sed diaphoreſis aperta ſervetur, & refrigerantibus ac humectantibus febricitantes curentur: Nec niſi totius corporis poroſitatibus occluſis frequentes cucurbitulæ parvæ incidantur: vel aliqua inflammatione interna ingruente, ſecta vena modice & caute valde ſanguis mittatur, Nec interim potus miſeris ægris à rigidioribus Medicis interdicatur: *Galeni* vero præceptum 1. de de diff. febr. 8. de ſanguine mittendo in putridis ad vlteriorem putredinem inhibendam, rariſſime locum habere in his febribus, quarum putredo ad ſiccitatem tendit, & in exuſtionem deſinit, arbitramur. *Fortis Conſultat.* 51. *cent.* 2.

III. *a.* Sanguinis miſſionem in pleniluniis factam plurimum prodeſſe vidimus, nam tunc ob Lunæ vim humores ebulliunt, & fluxilior fit ſanguis: quo remedio tunc facto plures levatos, alios curatos teſtatur *Zacutus*. Et ipſe in Religioſo, ac inſtante paroxyſmo duplicis Tertianæ, curationem ſubſequutam vidi. *Riverius centur,* 4. *Obſervat.* 83.

IV. Magni momenti eſt noſſe Qua morbi parte, ſeu occaſione, liceat ſanguinem in Febribus extrahere? Dicimus in Acutis febribus tutiſſimum eſſe primis diebus ſanguinem mittere, antequam natura moveat, coquat, conficiátque humores: ac eſſe à ratione alienum ingraveſcentibus ſymptomatis, properantéque morbo ad judicationem, ſanguinem extrahere, quod timidis quibuſdam Medicis contingit: qui perterriti ſymptomatum vehementia, deceptíq; vrinæ colore, ignorantes id eſſe ex naturæ pugna cum morbo ortum, ſanguinem eo tempore mittunt, cum laborantium diſpendio: Protinus ergo ſanguis mittendus incipiente morbo, antequam critica accidentia superveniant: Quod ſi quapiam de cauſa id facere non licet, tranſactis primis diebus, non ſemper ſuperſedendum à S.M. niſi dum criticæ vacuationes inſtant, quæ etſi maxima invehant ſymptomata, non ob id tamen ad eam nos cogere debent, etſi ante miſſus non fuerit, aut urina rubicundior apparuerit: In alijs verò accidentibus, & alijs morbi temporibus, alienum eſt ab omni ratione à S. m. ſuperſedere? Ratio potiſſima eſt, quia eo tempore natura, etſi materiam aggrediatur, pugnámque cum morbo ineat, nequit tamen aut proficere, aut optimè morbum ſolvere, præ nimio onere preſſa, quod ſanè onus, quovis etiam tempore, tutius eſt deponere, quàm ſinere laborantem miſerè in perniciem tendere, præſertim cum quod ſanguinis ſupereſt, nec potu aquæ, nec purgante aut aliter auferri poteſt: Monſtrat enim quotidiana experientia levatam hoc onere naturam, promptius quàm antea nequiverat coctionem conficere, vrinam mutare, pulſum ex intermittenti in continuum & ordinatum vertere: Ideo non immerito *Gal.* de Sang. miſſ. c. 20. dixit, *Vſque ad* 20. *diem ſanguinem licere extrahere*: Quod quidem præceptum non minus in acutis & continuis febribus, quàm in diuturnis & interpolatis, ipſa rei ratio intelligere ducet, etſi tutius primis diebus id efficiatur: Verum neceſſitas deonerandi naturam cogit nos potius id aggredi extra debitum tempus, quam timor turbationis naturam retrahat à neceſſaria vacuatione: Majus enim periculum imminet ex effræni plenitudine in acutis morbis, quos citò bревíque tempore finituros ſperamus, niſi protinus auferatur, etiamſi paulò tardius debito ſit, quàm naturæ turbatio quæ ex ſanguinis miſſione intempeſtiva oriri poteſt: Quare poſthabito ruſtico timore, dum recrudeſcere vrinam præ nimia plenitudine cognoſcimus, pulſum intercidere, reſpirationem citatam eſſe, præſertim non prægreſſa ſufficienti vacuatione, audacter ſanguis mittendus: Nam qua ratione cruditas, & ventriculi acutus ſenſus, & alia pleraque ſanguinis miſſionem remorantur, & Ars in his caſibus eam permittit fieri adulto jam morbo, non capit intellectus qua ratione, dum ob aliquod aliud inconveniens prætermiſſum fuit debitum vacuationis tempus, mitti deinceps non poſſit: præſertim cum majus ſæpe in periculum inducit morbus perperam initio curatus, quàm hi qui ob juſtam cauſam poſcunt procraſtinatam ſanguinis miſſionem: Ob id præſentibus, aut inſtantibus criticis accidentibus, ſanguinem non mittis: In alijs verò temporibus, aut accidentibus, poſcente vſu, & facultate conſentiente, liberè id facies: In reliquis verò ſat eſt inſpicere & robur, & venarum plenitudinem, aut periculi imminentiam: Sic in Interpolatis febribus quovis tempore mitti poteſt ſanguis, præterquam in Duplici Tertiana, cujus initio id fieri neceſſe eſſe docet *Gal.* quia bis febribus frequenter comes it plenitudo; ac ne vires onere deficiant, ut quæ diu ſunt cum morbo pugnaturæ, mox à principio ſanguinem extrahere tutius eſt, licet temporis tractu id ſecundo efficere non ſit abs re; quin potius ſæpe vtilius eſt, præſertim dum malum ex crudis humoribus ortum duxit; quos in morbi proceſſu natura fortaſſe in ſanguinem mutavit. Qua potiſſimum ratione in Pituitoſis febribus à principio ſanguinem mittere non oportet: nam quò morbus à principio recedit, & coctionem ſuſceperat, quod coquitur & ſuperatur venas irruit, & plenitudinis ſæpe in medio curſu morbi eſt cauſa: quare commodius eo tempore ea deponitur quàm initio, ubi crudorum humorum copia corpus inundat. *Mercatus de Præſid. Med. c.* 2. *lib.* 1.

V. Soluta per criſim febre, materiæ morbificæ reliquiæ purgatione auferendæ, præcipue ſi per ſudorem aut hæmorrhagiam contigerit, his enim vacuationibus tenuior tantum materiæ morbificæ portio educitur, craſſior verò relicta novum concipit incendium & recidivam efficit: ſola itaque criſis quæ fit per alvi fluxum ſolet eſſe ſecura: cui tamen non ita fidendum vt ab omni purgatione prorſus abſtineamus: ſordent enim adhuc præcordia & affluens alimentum corrumpunt, unde aut recidiva oritur, aut alterius morbi cauſa: Satius ergo ſemel aut iterum blando cathartico reliquias omnes ita abſtergere, vt omnis recidivæ metus, omníſque alterius morbi occaſio tollatur. *Riverius lib.* 17. *cap.* 1.

VI. Soleo ego mox ac febris aliqua videtur produci, & ex craſſis ſuccis pendere, eſtque laborioſa, ſi quæ pars ignobilis dolet aut doluit, in eam abſceſſum vocare: Sin nulla talis ſit, omnes partes adenoſas fovere calente oleo, aut etiam alia inunctione convocante: nam quibus cum juxta naturam morbi deberent erumpere, hęc manent interius, vel non ſatis erumpentia, etſi incęperint, vt cum fiunt abſceſſus minores quàm ut proſint, vel ne tentantia quidem erumpere, celerrimæ & certiſſimæ ſunt recidivæ: nam ſi abſceſſum ſuccorum natura facere non potuit, multò minus vacuationem: quæ verò relinquuntur in morbis, recidivas faciunt. *Valleſius comm. in ſect.* 1. *lib.* 2. *Epid.*

VII. Medicos Florentinæ Etruſcorum Academiæ, ſaltem aliquos, audio *Evacuationes* lenitivas, *minorativas* dictas, in principio febrium univerſali, materia morbi indigeſta, concordi ſuffragio abdicaſ-

ſa,

& *Galeni* teſtimonio prorſus condemnaſſe, nempe quod harum frequentia ægri tabeſcerent, & fruſtra ideo macerarentur, cum in morbi principio nulla per concoctionem ſit humoris noxij facta ſequeſtratio, Medicus fruſtra illius excretionem pharmacis moliri videtur, cum *Hippocrat.* concocta non cruda medicari oportere edixerit, niſi turgeant ſed longe præſtare inciſivis alterantibus & aperitivis quam pharmacis vti, Et ob id *Hippocr.* præcipue in febribus fortibus medicamenta alvi dejectoria vetuiſſe aiunt: Sed horum dogma à veris febres curandi *Galeni* methodo longe diſcrepare paucis docebo, Noſti ea corpora febribus eſſe maxime obnoxia, quæ pravi, crudi, viſcoſi, aut putridi humoris redundantia onerantur: hæc enim in viſceribus venarum & meatuum obſtructiones, obſtructio putredinem, hæc autem febres vt genuinam ſobolem producit: Si igitur obſtructionibus detergendis, nondum evacuata conſtipationis cauſa incubueris, periculum erit ne commota humorum redundantia meatus magis infarcias & impingas: Si vero alterantibus, frigoriferis calorem febrilem extinguere voles, periculum erit ingens ne humores putridi copia ingroſſata intra viſcera detineantur, majoreſque obſtructiones aut abſceſſus pariat: In hanc, *inquit Galenus* 9. m. m. conſilij ambigui inopiam deveniunt Medici Eraſiſtratæi, qui non ſtatim à principio corpora vacuarunt; Et ne arbitreris *Galenum* hæc tantum de evacuatione quæ per venæ ſectionẽ fit ſtatuiſſe, & eam quæ pharmacis fit diſſuaſiſſe, ſed vtramque evacuationem in initio morborum competere, teſtimonio *Hippocrat.* probat. 2. aphoriſm. 29. Dum morbi inchoant, *inquit*, Si quid videtur movendum move; cum vero conſiſtunt ac vigent melius eſt quietem habere; In expoſitione hujus aphoriſmi *inquit*, Circa initia morborum curabilium majora oportet afferre remedia, qualia ſunt venæ ſectio, nonnunquam vero & purgatio, quæ in morbi ſtatu non competunt, in quo concoctiones maxime fiunt: vt igitur hæc citius eveniant, melius eſt circa principia evacuare, quo minore jam facta materia, facilius natura eam poſſit concoquere: nam vt ignis ſub nimia congeſta lignorum ſtrue, ſic calor naturalis, digeſtionis opifex, ſub nimia humorum copia ſuffocabitur, quam ſi in principio pharmaco aut phlebotomia diminueris, tum natura reliquum facilius concoquet, & coctum in fuliginoſas digeret exhalationes, per ſudorem, vrinam, ſeceſſum, & emunctoriorum abſceſſus excernet: At *Hippocrates* medicamenta purgatoria tantum in febribus continuis & vehementioribus, vt ſynochis, vetuit; in quarum principio & nos V.S. pharmacis longe præferimus, Nemo igitur inficiabitur pharmaca redundantis & noxij humoris dejectoria, in principio febrium vniverſali maxime conferre; quibus niſi putridi humoris copiam ademeris, tum non modo tantam crudi humoris copiam calor naturalis concoquere non poterit, ſed præcipue in ſtatu morbi & declinatione, reſoluta per calorem febrilem & ſudorem ſubtiliori humorum ſubſtantia, fæculentior pars derelicta, fungoſam & raram hepatis & lienis ſubſtantiam ita infarciet & obſtruet, vt tandem vtroque viſcere, vel altero, ſcirrhis obſeſſo & indurato, hydrops, aut crurum oedema, febrem excipiat, Quod tunc maxime accidet ſi alterantibus frigidis, citra evacuationem lenitivam aut evacuativam, uſus fueris, quæ materiam plus ingroſſant quam reſolvunt: Quare & in febribus interpolatis nimis diu frigidæ potu vtaris diligenter caveto. *I. Langius Epiſt.* 40. *lib.* 1. Vide *Epiſt.* 41.

VIII. Concocta medicari, ait *Hippocrat.* Coctio autem tantum fit in ſtatu, cui ſuccedit declinatio, in qua tantum videtur purgandum: etſi enim morbus ſolutus videatur, purgandum tamen recidivæ metu: Cocta autem ſunt purganda, quia materia ſequax eſt, deinde naturæ motus ſequendus, quæ primum coquit, ſeparat, dein purgat: Ex his quidam negant eſſe vnquam initio purgandum. Quidam purgationem diſtinguunt in Eradicativam & Minorativam, quæ partem tantum materiæ demit; dicúntque hanc initio convenire poſſe, priorem autem perfecta coctione: Sed in harum vacuationum explicatione non ſatis conſentiunt: Quidam Minorationem deridant, aut, ſi detur, negant eam ante coctionem convenire: Alij eam adhibent, Quæ partem materiæ morbificæ ſubtrahit; Eradicativam purgationem, quæ vniverſum humorem: At ſi ita eſt, rarò ea purgatione vtemur: etſi enim interdum quando humor paucus eſt, unico dato cathartico totus vacuari poteſt, tamen id rarò contingit, cum ſæpius cogamur catharſin iterare; nec ſatis tutum ſit eam purgationem aggredi, quæ, præterquam quod non ſemper ſuccedit, corpus præterea in multa pericula conjicit: Sed quid dicent de Epicraſi quæ paulatim tantum humores concoquit & expurgat? Præterea purgatio inſtituitur in morbis ad eorum curationem, vnde purgare tantum in declinatione, curato ſcilicet morbo, aut inutile eſt, aut ſaltem id non fit ad curationem, ſed tantum ad præcavendam recidivam, quæ à priori morbo diſtincta eſt: demum per blanda & minorantia pharmaca, ſed ſæpius repetita, vniverſum humorem morbificum ſæpe expurgamus, ut apozematis in plures dozes inſtitutis: & violentis pharmacis, aut ſemel tantum, aut minore dozi exhibitis, partem tantum educimus: vnde confundi poſſunt iſtæ duæ vacuationes, ſi minorando, vt loquuntur, eradicamus, totúmque humorem vacuamus. Aliter igitur iſtas purgandi rationes explicandas cenſeo, ut Eradicativa illa ſit, Quæ humorem morbificũ totum educere apta eſt, ſive id vnica dozi, ſive pluribus exhibita præſtat: vt rheum vniverſam bilem, quæ tertianam committit, purgare aptum eſt, ſi ſæpius exhibeatur: Minorativa, Quę non ipſum humorem morbificum, ſed quoſlibet humores in primis vijs latitantes educit, ita vt hujuſmodi medicamentum natura ſua nunquam morbum ipſum curet, cum natura ſua nullam morbi partem ſubtrahat; Dixi, *naturâ ſuâ*, quia etſi Minorativum (quod idem cum leniente facio) promiſcuè quoſlibet humores, non hunc illumve ſeorſim, vacuet; Fieri tamen poteſt vt humoris morbifici portio quædam iiſdem in viis lateat, quæ vna cum reliquis à cathartico expurgetur: Et ſic, tum apozemata noſtra in plures doſes præſcripta, tum *Galeni* Epicraſin ad Eradicativam purgationem reducemus: In id enim ſunt inſtituta, ut humores morbificos ſeorſim funditus educemus, ſicque morbum ejúſque radices à corpore evellamus: Id confirmatur ex purgatione materiæ turgentis, quam omnes fatentur initio Eradicativè purgandam: id autem rarò, imò fermè nunquam fit, ſemel tantum exhibito cathartico, ſed ſæpius repetito: Unde concludere licet, etſi primo exhibito purgante vniverſus humor vacuatus non fuerit, Eradicativam tamen purgationem fuiſſe inſtitutam: His ſic explicatis ad Quæſtionem venio, Sit Prima Concluſio, Minorans vtiliter initio morbi datur, tum quia pri-

mam regionem purgat, cujus impuritas morbum poteſt fovere; cum quia alias nec venæ ſectione, nec aperientibus tutò uti licet: Secunda, Medicus interdum regulariter operatur, interdum coactè: Regulariter non debet initio purgare, quia humores crudi, etſi, poſſint eſſe tenues, & parati ad expulſionem, à reliquis tamen ſecreti non ſunt, viæque non ſolent eſſe apertæ: Coactè poteſt purgare initio, primo, Ubi materia turget, ſecundo, Cum venenata eſt & peſtilens; putridum enim ſtatim è corpore pellendum ne reliqua inquinet, *Galen. 4. de tue. valet.* 3. Concluſio. Non licet ante concoctionem perfectam purgationes repetitas, per apozemata &c. inſtituere: cum enim natura coctionem intendat, iſtis purgantibus interturbatur, nec purgatio ſuccedit, ſed ſequuntur incommoda recenſita à *Galeno aphoriſm.* 22. 1. huc ſpectat aphor. Concocta medicari non cruda. 4. Concluſ. Non ſemper expectanda perfecta ad purgationem concoctio, ſed ſufficit qualiſcunque: Ideo licet initio & augmento, vbi concoctio incipit apparere, catharſin inſtituere, quod plurimi volunt, *Fernelius* & alij: vt enim humor coquitur per partes, ita & per partes vacuatur: quod apparet in febribus longis, vbi alternis purgantibus & præparantibus vtuntur Medici, quod tutò facere licet, quia ſuppetunt benigna medicamenta, febrem non accendentia, humoréſque non agitantia. *Primiroſium lib. 2. de Febrib. cap. 9.*

IX. Quicunque à febribus fortibus corripiuntur, bis medicamenta purgatoria dare non oportet donec remiſerit febris: ſin minus, ſaltem non intra xiv. dies. *Hippocr. lib. de Purgant.* Hic locus quamvis præceptum contineat vtiliſſimum & neceſſarium, multis tamen errandi occaſionem in medicamentorum purgantium vſu præbet, exiſtimantibus *Hippocrat.* purgationem probare maximè in acutis morbis, die xiv. tranſacta: Nam ea elapſa ſtatim ad purgationem deveniunt, nullo habito reſpectu neque morbi temporis, neque humorum diſpoſitionis; vnde ſæpius in ipſius morbi vigore, & dum natura coctioni intenta eſt, pharmaco ægrum perdunt: Ut ergo præceptum hoc juxta *Hippocrat.* mentem obſervetur, tria veniunt conſideranda, primo *Hippocrat.* prohibere pharmaca in febribus fortibus, toto eo tempore quo calor iſte viget; ratio eſt, quia carnes à calore febrili impenſiùs calefactæ pharmacum ad ſe alliciunt, & nihil purgat; hinc à caloris vehementia prohibetur purgatio: quæ quia in acutis tantum reperitur, quorum terminus dies 14. eſſe conſuevit, ideo ſubjungit, *Sin minus non intra quatuordecim dies*, quaſi dicat; Si hujus caloris febrilis vehementię remiſſio non ita conſpicua fiat, & purgatio neceſſaria videatur, ſaltem 14. diem præterire permittendum eſt, ſic enim certus eris febrem remiſiſſe, etiamſi non adeo manifeſte ad ſenſum appareat; nam febris vehemens & acuta, vltra dictum tempus produci non ſolet quin aliqua ex parte remittatur: quare 14. die tranſacta purgatio admittitur, non alia ratione niſi quia eo tempore febrem remiſſam eſſe rationabile eſt: alioqui ſemper viget eadem ratio ob quam prohibetur purgatio, calor ſçilicet vehemens pharmacum ad ſe alliciens, vnde purgatio impeditur, febriliſque calor augetur. Secundo, Notandum, quia *Hippocrates* jubet expectari donec dies xiv. tranſacta ſit, ſupponit numerationem dierum eorum inchoandam ab ea die qua febris vehemens & acuta eſt facta; vnde ſi febris ab initio talis fuit; à prima die horum computatio facienda eſt: ſin minus, ab ea die qua febris vehementiam & acutiem contraxit. Tertio, Notandum *Hippocrat.* die 14. tranſacta permittere purgationem, ſi alioqui neceſſaria videatur; non tamen imperare omnino vt adminiſtretur; nam aliquando ſuperflua eſt eo tempore; aliquando multa concurrunt quæ eam impedire poſſunt. *Martianus comm. in eum locum.*

X. *Mundella* Epiſt. 10. & 22. *Purgationes* à febribus acutiſque morbis omnino excludit, aſſerens *Galen.* lib. 26. meth. Med. nullam de pharmacis mentionem feciſſe: multiſque rationibus eorum vſum impugnat: Ipſo verò eo libro *Galenus* expreſſis verbis purgationis in febribus meminit, Tanquam igitur, *ait*, in ijs corporibus quæ non vivunt ac putreſcũt, primum quantum eorum jam computreſcit, ſeparant, dein ei quod reliquum eſt, in frigidum aërem ſublato perſpirationem refrigerantem moliuntur: ita quoque & putredinem, quæ in vivis eſt, ſanabimus, ſçilicet id quod jam corruptum eſt omni ratione vacuantes; Et eodem lib. cap. 10. *dicit*, Quæ obſtruunt, deterſa diſſectáque ſunt, per alvum, vrinas, ac ſudorem ea vacuare tentandum: Et quidem ea purgatio eſt, Vel perfecta & eradicativa, facienda vbi materia turget, aut vbi valde peſtilens eſt, ita vt ſi movetur in corpore, periculum ſit ne totum corpus violetur: Vel imperfecta & minorativa, locum habens initio, cum febres adeo ſunt acutæ vt periculum ſit turgentiæ humorum & decubitus in partem nobilem: Aut cum corpus plenum eſt, nec tamen ob aliud obſtaculum ſanguinem mittere licet. *Mercurialis lib. 5. cap. 18. de Febribus.* Vide *Zacutum Medic. Prax. hiſt. lib. 1. Quæſt. 31. & Prax. hiſtor. lib. 4. c. 17.*

XI. *Purgationes & Vomitus* prohibentur à Pulſu nimis citato & violento; etiam ab humili & depreſſo; quippe dum ſanguis nimis fervet, vacuatio parum conducit; tum quia quod noxium eſt minimè ſecernitur, tum quia vires dejiciuntur: cum vires ſunt fractæ, pharmacia eas magis proſternit: Cum ergo Medicus vacuationem ἄνω vel κάτω meditatur, prius pulſum exploret. *Th. Willis l. de Feb. cap.* 10.

XII. *Hippocrat.* prohibet *pharmaca* dari quibus Coctionis notæ in Vrina non ſunt, *Si enim*, *ait* l. 4. de rat. vict. acut. *quid circa ventrem moveas, vrina non coquetur, ſed ſine ſudore & ſine judicatione febris multum tempus durabit.* Contra prorſus quàm vulgus expectat Medicorum, qui cum vrinæ cruditas durat pluſquam vellent, mox expurgant, putantes fore vt minore facta materia, poſſit natura melius ſuperare reliquum, die ſexto purgantes vt judicationem melius exequatur natura: At falluntur, tunc enim ſolum redditur evacuatione potentior, cum vacuatio rectè agitur & ſecundum artem, dempta copia ſanguinis per ejus emiſſionem: alioqui nihil eſt quod concoctiones & judicationes magis poſſit impedire: nam non vacuantur quæ vacuari oportet, ſed bonorum ſuccorum maxima pars extrahitur, pravi commoventur ſolum, commotione interturbatur retentio, quâ ſublatâ neceſſe eſt concoctionem tolli, & hac ſublata, idoneam expulſionem & judicationem. *Valleſius comment. in dictum locum.*

XIII. Quæ ſeroſitates tantum educunt *Pharmaca purgantia* duplex incommodum afferunt, 1. Quia humores peccantes non educunt, ſed commovent tantum, vnde crudiores & ſæviores redduntur. 2. Quia fit vacuatio minime peccantium, contra aphoriſm. Si qualia Purgari oportet &c. unde

æger

æger ſit debilis ; Præterea ſero educto, quod præſentia ſua humores quodammodo retundit, cæteri ſæviores redduntur, vnde febris non parum exacerbatur : id enim ex 4. de morbis, ſect. 2. v. 113. febrili calori infeſtiſſimum, & febri maxime reſiſtit ; unde experientia docet, quoties dejectiones aquoſæ fiunt, ſemper febrem exacerbari magis : Ejus naturæ ſunt manna, & fortaſſe etiam roſarum infuſio. *Martianus comment. in v. 90. lib. de Loc.*

XIV. In febribus a bile & pituita natis nunquam ſolide bilis, neglecta pituita, elidi debet : nam ab ardore bilis tepeſcit pituita : Novimus quibus tota corporis œconomia ad phlegma nutabat, à diuturno multoque vſu rhabarbari & mannæ, apoplexia objiſſe, nam ſeſe mutuò ſucci frænant. *Heurnius meth. l. 2. c. 25.*

XV. *Oxymel* neque refrigerat, neque calefacit, ſed acetum & aquam recipit, quibus mel inflammari prohibeatur : itaque detergendi & aperiendi beneficium citra caliditatis notam præſtat : quò miror eruditis aliquot perſuaſum eſſe oxymelite, propter mel, febres accendi ; Quod *Galenus* nunquam dabit, qui hoc vno remedio putridarum omnia genera efficaciter tolli poſſe crediderit, vt nec continentes, nec continuas, licet ardentes, exceperit. Hoc autem ætatibus naturiſque omnibus vtiliſſimum eſſe tradit. & aceti diminutione ſalubriter parari, vt neque radat, neque tuſſes excitet, neque nervoſa lædat. *Angerius Ferrerius Caſtigat. capite xiij.*

XVI. *a.* Peſſime faciunt Medici imperiti, qui non oleum febricitantibus exhibent tantum, ſed & antimonium : Novi quendam Medicum qui Oleo vſus eſt in muliere febricitante, quæ poſtea relaxato ventriculo nihil retinere potuit. *Foreſtus lib. 2. cap. 10.* Ad provocandum vomitum in febribus oleum ſimplex, vt & alia pinguia ſunt vitanda, tum quod ventriculi fermentum magis magiſque obtundant, laxent etiam ; hinc appetitum proſternant, qui potius tuoc temporis eſt ſervandus. *Fred. Hofmannus m. m. l. 1. cap. 9.*

XVI. *b.* Ego aliquando veriſſimum deprehendi quod dicit *Fernelius* de corporibus cacochymicis, quibus purgatio neceſſaria eſt, eámque reſpuendo alimentis potius quam remediis ſeſe reficere conantur, Non ſe, *inquit*, ſed ſuam ipſi intemperiem alunt : Sic enim Natura, cum ſit paucis contenta, ita ſuas functiones melius perficiet, nec putreſcunt crudi humores in ventriculo collecti, aut aliunde illapſi actiones illius deſtruunt : Omnes quotquot à popularibus febribus anno 1651. evaſerunt, temperantes erant, Et quicunque recidivam paſſi ſunt (omnes autem fere patiebantur) hoc contingebat propter cibum largius quam par erat ſumptum, licet etiam in minore copia, & alimenta facilis coctionis ac laudabilis ſucci ſumere viderentur. quod certe omnes fere ægri fatebantur invito appetitu. *Riverius cent. 4. Obſervat. 98.*

XVII. In quovis *Putridæ febris* initio ſevere *Potu* interdicendi ægri, indulgendum vero manifeſtis jam concoctionis ſignis ; hanc enim moratur prius exhibitus, Ea vero apparente recreatur facultas, diluuntur ſucci, ac ad expulſiuitem diſponuntur. Augendus ergo Potus morbis ad vigorem tendentibus, contra minuendus Cibus : quod vt Arti congruum, ſic ægris gratum, quos ſuis vexat in incrementis febrium, cius faſtidium occupat. Nota valere præceptum in morbis non pendentibus à decubitu humoris in certam partem, v. g. Pleuritide ; Tunc enim Priſana augenda, Cum os madeſcit & procedit expectoratum, atqui tunc adeſt vel inſtat vigor. *Valleſius 1. Epidem.*

XVIII. Ij qui a ſincera bile febricitant, à *frigida potu* prohibendi non ſunt ; Ejus enim ſpecci alteratio, vitio potius eſt quam putredo ; In talibus ergo auxilium ab attemperatione potius expectandum quam à concoctione. *Idem ibidem*

XIX. An *Oxymel* in febribus pro præparandis humoribus craſſis vtile ? Reſpondet *Trallianus l. 5. cap. de Diaria ex obſtruct.* non recte conceſſum pro præparandis humoribus craſſis per adustionem, ſed per cruditatem : quum enim ſunt craſſa per adustionem redduntur tenuia ſi ea rebus tenuibus diluas & humidis : hac ratione lutum aqua permixtum tenue redditur, & bilis, vitellina aſſatione reddita, potione frigida & humida tenuis evadit & liquida, Craſſa vero per cruditatem, aut humoris craſſi permixtionem, qualis eſt vitellina bilis in tertiana notha, fiunt tenuia rebus calefacientibus, attenuantibus ſubſtantiæ craſſitiem, & incidentibus lentorem : qua ratione viſcidam pituitam, & craſſam oxymelite & rhodomelite incidimus & attenuamus.

XX. *Acida* in febribus bilioſis nunquam omittenda, quia amara dulcificantur per acida, quæ ſi ſint in gradu ſuo intenſo, vt ſpiritus vitrioli aut ſulphuris, ipſius aloës amaritudinem delent ; bilis autem flava ſuo amarore exuta mortua eſt. *Riverius.*

XXI. Vulgus Medicorum temere *Rheum & Myrobalanos* vſurpat, cum hæc bilioſis morbis ſint adverſiſſima, niſi vi adſtrictoria ſpolientur, vt ſi coquatur rheum, vel infundatur in aqua endiviæ, leviter exprimatur, miſceatúrque alijs detergentibus & lenientibus. *Rondeletius.*

XXII. *Spiritus vitrioli & ſulphuris* magnus eſt vſus, ob inſignem refrigerandi, aperiendi vim, putredini reſiſtendi, inflammabilitatem humorum prohibendi & ſitim ſedandi ; In pleuritide tamen, peripneumonia, hæmoptoe, phthiſi, cæteriſque pulmonum vitijs (niſi à craſſa pituita vaſa illorum obſtruente ortum habeant) ventriculi inflammatione, dyſenteria, ſanguinis mictu, renum & veſicæ vlceribus, plurimum nocent. *Riverius Practic. lib. 7. cap. 2.*

XXIII. In Febribus cum natura materiam febrilem, & in Intermittentibus in particulari declinatione, & in Continuis, in declinatione vniverſali, ſpontaneo auſu & motu ſæpius per *ſudorem* exterminare ſoleat, & vix aliqua febris ſine ſudore integre finiatur ; nec vllus febricitantium perfectam ſanationem ſibi facile polliceri queat qui ſudare non poteſt, monente *Sennerto* l. 2. febrib. c. 8. & *Helmontio* lib. de febr. cap. 9. §. 18. Medico inde facile eſt conjicere Naturam ducendam eſſe qua ſponte vergit, id eſt, *Diaphoretica* ſola eſſe febrium appropriata & ſpecifica remedia, niſi interna vna inflammatio adſit : Cum enim fermentum febrile inviſibiliter & odore tenus, vel inſtar apothecæ nos ingrediatur, vt totam ſpirituum & actionum vitalium oeconomiam invertat, vtique illud poteſtativam per diaphoretica eliberationem & eventilationem ſpiritus vitalis, ſub hujus tyrannide gementis, & ſic auxij, omnes functiones interturbantis indicat : Sine bezoarticis, inquit *Timæus* de Febrib. p. m. 351. raro febris aliqua perfecte & ſine recidivæ metu curatur. E contra illorum recto vſu ſæpe paroxyſmos plane tollitur, diſcuſſo ſcilicet, & e corpore prorſus expulſo in quinamento illo, quod a paroxyſmo relictum humores reliquos iterum corrumpit : Adeóque moderno tem-

pore non amplius opus habemus communi illo, admodum prolixo ac periculoſo, per ſyrupos, emulſiones, julepos aliáque ſaccharata, curandi in febribus hactenus vſu recepto proceſſu: Divina enim munificentia jam largiter ditavit genus humanum medicamentis ſingularibus, quibus omnis febrium auſcultat cohors: Unica falce, inquit *Helmontius* de Febrib. cap. 16. amputatur omnium febrium cauſa occaſionalis: Id remedium eſt Sudoriferum, quod incidit, attenuat, reſolvit, liquat, abradit, & ſimul abſtergit cauſam occaſionalem, vbicumq; demũ ea extiterit.

XXIII. *a.* Quoad tempus, ſciendum quod Sudorifera, niſi vim humores à maſſa ſanguinea ſegregandi & ſeparandi vna habeant, in morbi principio, cruda adhuc exiſtente materia adhibere, non liceat, ſed potius coctio vel declinatio morbi eſt expectanda: Quod ſi autem ejuſmodi ſint quæ coctionem juvent, & humorum in maſſa ſanguinea ſeparationem & expulſionem promoveant, audacter exhibere licet, Sic in principio febrium peſtilentialium, & aliarum malignarum, talia non ſine magno exhibemus fructu: In intermittentibus, hora vna & circiter ante febrilem acceſſionem commode propinamus, quemadmodum etiam in continuis tempore apyrexiæ: Hæc tamen primo ſint *ſpecifica anti-febrilia* temperata, non nimis calida, quæ materiam febrilem non ſaltem agitent, ſed etiam promoveant & evacuent, alias de loco movebitur, non diſcutietur, & alibi novum quaſi fermentum febrile diſſeminabitur, multiplicabitur, & febris ipſa duplicabitur: Ideoque dicta ſpecifica, præter moderatam ſuam temperiem, hujus debent eſſe affectus vt materiam febrilem figant, & per ſudorem & vrinam expellant, Naturæ æmula, vnde paroxyſmus profligabitur, fermentum febrile, paroxyſmum cauſans, tolletur, & corpus ventilabitur: Deinde hiſce omnibus diuretica aperientia, & abſterſiva temperata etiam ſunt intermedianda: &, ſi primæ viæ vitioſis ſcateant humoribus, ſemper prius ſunt expurgandæ, Tertio, Profligato paroxyſmo tum demum methodica curatione cauſa febrilis occaſionalis eſt removenda, & recidiva præcavenda.

XXIV. Demum obſervandum vt *Sudorifera*, & in primis *alexiteria*, ſint ſufficientia, & materiam non ſaltem agitent, ſed etiam è corpore expellant, debent nimium contendere cum morbo in magnitudine & contrarietate: Nam niſi ſudent ægri poſt ſumpta medicamenta ſudorifica, plerumque vehementius poſtea ægri decumbunt: Ideóque ea moderatione ſunt aſſumenda, vt nec præ nimia copia corpus oblædant, neque præ exiguitate à deleteriis vincantur. *Galen.* 5. ſimpl. 18. Et non ſemel tantum, ſed quoties opus eſt repetantur, vnica enim ſudatio totam materiam ſemper exhaurire nequit, imprimis ſi humores etiam ſuperflui redundant, tunc præcedat diminutio certum eſt: Humorum hæc exuperantia facit vt Sudorifera ſæpe iſtus neque attenuare neque digerere poſſint. *Frid. Hofmannus m. m. lib.* 1. *cap.* 11.

XXV. Non deſunt qui in Febribus verean tur *Cucurbitulis* ſcarificatis vti, exiſtimantes majorem poſſe concitare calorem attractionis vi: Ego tamen exiſtimo ob eandem cauſam majus in febribus præſtare beneficium, nam calorem & fuliginoſa excrementa ab internis partibus ad externas evocant: Eo igitur fit vt partes interiores facilius eventari poſſint, ac maximum inde ſuſcipiant præſidium: Sic in malignis febribus, præſertim in his in quibus in cute maculæ apparent, vnicum eſt præſidium: Nam cum major ferè curationis pars in hujuſmodi, conſiſtat in extinctione venenoſorum ſpirituum, in correctioneúe aut extractione ad extimas partes, hæc vltima ſolum perficitur hoc præſtantiſſimo auxilio, præſertim dum è regione cordis in dorſo adhibentur: ſicuti dum caput periclitatur delirio aut phrenitides, prope cervicem, aut in brachiis prope humerum. *Mercatus de Præſidiis Medic. lib.* 1. *cap.* 4.

XXVI. *Epithemata* in putridis ante declinationem non temere admoveri debent, nam cor illa ſyſtole & diaſtole, qua perpetuo micat has fuligines, pellit, tu retines has? Certe cutem denſando, quam alioquin trajiciunt fuliginoſa excrementa: inde putredo major & febris acrior, quia criſis impeditur: Cauſos tamen & Peſtilentes excipe, nam cogimur interdum in Cauſis, noxis putredinis neglectis, & obſtructionis, ad ardoris extinctionem in vigore nos totos convertere: At in Peſte non ſolum in ſtatu, verum & per initia, cor roborare ſtringentibus & repellentibus à venenatis halitibus tueri conſilium eſt. *Heurnius meth. lib.* 1. *Augerius Ferrerius Caſtigat. Med. Pract. cap.* 23.

XXVII. Non ſolum autem cordi & hepati, ſed etiam vniverſæ hypochondriorum regioni refrigerantia adhibere vtiliſſimum eſt: Illa enim non ſolum pepaſmum promovent, ſed & viſcerum intemperiem emendant, & impediunt ne partes principes in maraſmum incidant: *Teſtibus* quoque commode adhibentur, ob conſenſum qui illis intercedit cum partibus principibus. *Riverius Pract. lib.* 17. *cap.* 1.

XXVIII. Qui *ſpinam* Putrida laboranti vnguento refrigerante *illinit*, materiam quæ foris pelli debet, repellit & in interiora retrudit: Cutem etiam denſatam, vel obſtructam, nova refrigeratione condenſat, & tranſpirationis meatus præcludit: Sic putredo augetur, & febris vehementior efficitur, ſimul reſolutioni materiæ & ſudoribus via præcluditur. *Ang. Ferrerius Caſtigat. cap.* 28.

XXIX. Antiqui ad Putridarum curationem frequenter *Balneis* vſi; frigidis in vehementiſſimis, tepidis in declinatione febrium, coctionis notis præſentibus. Verum jam in deſuetudinem venerunt, atque ſolum vſurpantur cum febris protrahitur; aut cum corpus ſquallidum & marcidum occupat, in hecticam vergens. *Iac. Hollerius comm. ad aphor.* 12. 2. ait Balneum putridis febribus non convenire, niſi vacuatâ vel concoctâ putredine: *Conciliator* differ. 173. ita ſentit, In febre putrida cum apoſtemate, à Balneo quidem penitus abſtinendum, ne materia commota copioſius ad locum debiliorem transferatur, at aliter ſeſe rem habere in ejuſmodi febre ſimplici: hæc enim tunc erit in declinatione, materia jam digeſta: & ita communiter præcipitur Balneum, propter intentionem aperiendi pororum cutis anguſtiam, & materiam evacuandi, quia totum corpus mediante cute per Balneum evacuatur: Nos cum eodem *Conciliatore* in præſcriptione Balnei tria eſſe perpendenda dicimus, primo, Ut febris abſque horrore ſit, quia febris eodem generatur & augetur: Secundo, Ut nulla pars principalis imbecillitate quadam affecta ſit, cum alias humores per Balneum reſoluti in eam recipiantur. Tertio, Vt in primis vijs humorum & contentorum cruditas omnis abſit: Quod ſi verò materia fuerit indigeſta, Balneum humectativum tantum, ac temperate calefactivum (minimè verò reſolvens) convenit, Quod in quartana ſæpius præſcribitur, tunc temporis ubi

ceu-

crudus humor adhuc peccat: Diverſo igitur modo Balnea proſunt & nocent. *Gregorius Horſtius Exercit. 4. de Febr. Putrid. curat. Quaſt. x.*

XXX. Ut primum vnus è popularibus Medicis febris curam hodie ſuſcipit, palpatis *hypochondriis* proponit *hepatis & lienis obſtructiones*, quæ putredinem & febrem efficiant: hinc ſtatim Apozemata ad internas viſcerum obſtructiones parat: At ſi *Galenus, Avicenna*, aliique authores conſulantur, omnes vno ore putridæ febris cauſam putredinem eſſe aiunt; putredinem verò ad tranſpirabilium excrementorum retentionem rejiciunt: retentionis verò & impeditæ tranſpirationis cauſam eſſe dicunt obſtructionem & conſtipationem meatuum cutis: Nec viſcerum obſtructiones adducunt, niſi forte & hæ concurſu quodam affectuum cæteris cauſis conjunctæ fuerint. Remedium ferè ad eas vnum eſt, Apozemata ſcilicet ex radicibus, herbis, ſeminibus &c, aperientibus interjectis clyſteribus, purgantibus; admotis Epithematis &c. Dicimus nos veteres ſecundum rationem egiſſe, qui vacuata multitudine, craſſos lentóſq; humores, meatibus cutis inſarctos, attenuârent ac detergerent, de viſcerum impedimentis nihil ſolliciti, niſi forte eorum affectus ſocij eſſent: Sublatis autem cutis obſtructionibus libera redditur tranſpiratio, per quam putredo ceſſat, & febris paulatim deficit: Deſinant itaque Medici tam proclivea eſſe ad aperienda viſcera, neglectis interim cutis obſtructionibus, ad quas febres putridas referri diximus: Nec ſingularibus illis Apozematis viſcera irritent, ſed in relaxandis aperiendíſque cutis meatibus intenti ſint: Iis ergo omiſſis vtendum mulſa, oxymelite, aut apomelite, remedijs veteribus tritis, ad tenuandos tergendóſque craſſos & lentos, qui cutem obſtruunt, ſuccos: Si quis caliditatem timeat, parentur dilutiſſima, ex aquis cichorii, endiviæ &c. *Augerius Ferrerius Caſtigat. c. 14.*

XXXI. Etſi, ex methodi legibus, cauſa omnis prius quam affectus reſcindenda ſit, accidit tamen interdum vt adeo intenſo incendio æger detineatur, vt pernities immineat niſi cito obviam eat Medicus: Ex Aperientibus autem, cauſæ oppoſitis, quorum plurima ſunt calida, ea debent in vſum duci quæ id citra inſignem calefactionem præſtent: Hinc *Avicenna lib. 4. Fen. 1. Tract. 2. cap. 7.* Sciatis, *inquit*, quod febris quandoque tantæ eſt vehementiæ vt regimine cauſæ vti non liceat, ſed extrema refrigeratione indigeat: Plerumque vero vis cauſæ ſuperior eſt, ea ergo temperatio adhibeatur vt remedia quæ febrem oppugnant, cauſam non augeant.

XXXII. Communis eſt medentium vſus, ratione firmatus, qui in ſene æqualiter febricitante cum juvene, non æqualia infrigidantia propinant: Nam etſi æqualia morbo ſint applicanda contraria, tamen ob virtutis debilitatem ſunt adhibenda remiſſiora. Si enim juveni æqualiter febricitanti, medicamenta frigida propines vltra ſuum naturale temperamentum, ei non nocent, imo tum ob ætatem, tum ob febrim prodeſſe ſolent, quum eorum vis fortis exiſtat, & idcirco ad gradum corrumpendi naturam non perveniunt, imo ipſam ad mediocritatem perducunt, quod ſenibus ob radicalium frigiditatem evenire non poteſt: Ob hanc cauſam gelidam juvenibus dare expedit, ſenibus vero nequaquam, *9. meth.* 5. quia in auxiliorum applicatione, ſive alterantia ſint, ſive vacuantia, non ſolum morbi magnitudinem attendere oportet qui præſidium expoſtulat, verum virtutem reſpicere eſt neceſſe quæ ipſum debet tolerare; Si ergo vires ob debilitatem tantum auxilium non ferunt, quantum morbus efflagitat, minus hac de cauſa applicandum quam morbi cauſa deſiderat. Quare ſeni febricitanti exhibebis quæ præterquam morbo auxilientur, vires etiam intimas lædere nequeant, etſi cum juvene æqualiter febricitet; illi, vt debiliori, frigida & humida auxilia remiſſiora ſunt exhibenda. Si enim *Avicenn. 1. 4. tract. 2. cap. 39.* in Tertiana timet refrigerationem vltimam, quanto magis in ſene, quia frigidus eſt natura ſuapte. *Zacutus Med. Pr. H. p. m. 705.*

XXXIII. In medela febrium diverſitas quæ *ex ejuſdem anni tempeſtatibus differentibus*, atque etiam *ex vnius anni ab alio diſcrimine* ſuboritur, non minus animadverſione digna eſt quam ea quæ naſcitur ex varijs ægrotorum temperamentis: Et ſane inter præcipuas cauſas cur febrium medela vſque adeo fluctuet, virûmque etiam doctorum conatus tam male cedant, hanc enumerandam exiſtimaverim, quod Practici ſuas obſervationes, quas ex felici vnius pluriumúe febrium, in hac vel illa anni tempeſtate, curatione inſtituerunt, febrium omnium, in quavis tempeſtate, vel quovis anno, medelæ ſolent accommodare, id quod æque periculoſum judico, ac ſi Medicus diverſas ægrorum temperies, ſingulis peculiares, non reſpiciat, ſed eandem omnibus, in eodem morbo medicinam promiſcue exhibeat: Primum, vt de variantibus medendi rationibus, quæ diverſarum anni tempeſtatum febribus ſunt accommodatæ diſſeram, expendendum eſt, licet alia aliunde inter febres diſcrimina concedi poſſint, eas tamen præcipue ſecundum ſubjectam materiam, cui febrilis inhæret commotio, diſcrepare; iſtam vero materiam ſecundum diverſam ſanguinis diathesin, prout ea ab hac vel illa anni tempeſtate inducitur, diſcrimen ſuum nanciſci. Ea quippe febrilis commotio, quæ tempore verno contingit, in ſanguine naſcitur, omnibus ſuis ſpiritibus vegeto; autumnalis vero in ſanguine, à prægreſſæ æſtatis calore, ejúſque vi atque effectibus ad pauperiem redacto: Ac prout accidit febrem, pro duarum iſtarum tempeſtatum vicinia, vel diſtantia, ſanguinem invadere, ita morbus magis vel minus de fermentationis, ad hanc vel illam pertinentis, natura participat; Hiſce conſentanea ſunt quæ in praxi noſtra obſervamus, nempe, *cæteris paribus*, febres *autumnales* magis cæteris periculoſas, pejoríſque notæ ſymptomatibus ſtipari, quam *vernales*, cum decocti ſint atque abſumpti magis in ſanguine ſpiritus autumnali tempore, quam verno; quæ cauſarum vna eſſe videtur quod evacuationes, maxime ſanguinis, (qui non modo ſpirituum vehiculum eſt, ſed & penu) adeo ſint in autumno damnoſæ, quamvis prodeſſe ſoleant tempore verno; Atque forſan ab illa degeneratione, quæ ſanguini crebro in febribus autumnalibus, præcipue ex præmemorata ſpirituum paupertie accidit, ſæpius venenata illa naſcitur ſanguinis qualitas, quæ non modo iſta mali moris ſymptomata febrim comitantia, ſed nonnunquam etiam febrim ipſam progignit: natura quippe vehementer ab ea irritata contra ipſam inſurgit, neque alio conſilio novam hanc ebullitionem auſpicatur, quam vt malignitatem dictam eliminet; vnde potius incumbit Medico illam alexipharmacorum ope expugnare, quam evacuationibus & medicamentis refrigerantibus febri reſiſtere, quam videtur in aciem produxiſſe natura ad venenatam perniciem debellandam: Inſigne hanc in rem exemplum ſuppetit in Peſte, quæ febri deſtituta multo eſt pericu

loſior quam ſi eandem haberet comitem; & ſane quævis malignitas, quæ ſanguinem adoritur, ſi ipſe ex ſe non valet ciere ebullitionem, vel ſi quidem valet, impeditur quo minus id præſtet, neceſſario vel lethalem, vel diuturnum morbum reddit; lethalem quidem, quando illa tota ſubſtantia contraria naturæ, humanam temperiem abdita proprietate corrumpit deſtruitque: diuturnum vero, quando licet natura ſua, & occulta agendi ratione apta ſit corpori magnopere nocere, illúdque ſenſim conterere, ſubito tamen interficiendi vim non habet: Interim malignitatem aliquam, quæ alias ex pravitate ſua neceſſario mortem inferr, eſſe poſſe ſalutarem, vbi ſanguinis datur ebullitio ad eam eliminandam, peſtis ipſa aliquando teſtatum facit: ac vbi nulla eſt ejuſmodi ebullitio, ad illam vniverſim & quaquaverſum expellendam, ibi proinde morbum diuturnum reddi, itidem patet in Scorbuto, Lue venerea &c. Ut ad rem revertar, obſervavi in febribus *autumnalibus ſanguinem* qualiumcumque febricitantium *mittendum* eſſe parce, non adultorum vero, vel ætatis florem egreſſorum, nequaquam: *Medicamenta refrigerantia* exhibentur cum periculo, niſi febris nimium exæſtuet, ac æger ſit juvenis: Valde neceſſaria *Vomitio*, vbi vomendi fuit propenſio: At in febribus *Vernalibus ſanguis* qualiumcumque *mitti* poteſt moderate, hominum ætate florentium, copioſe; *Clyſteres* & medicamenta refrigerantia valde proſunt, quando juvenis eſt æger, nec declinat febris, nec prolixa ſanguinis miſſio præceſſit: *Vomitio*, vbi vomendi fuit proclivitas, non abſolute neceſſaria, ſatis tamen commoda; Nec vomitorij omiſſio diarrhœam plane infert in febris declinatione: Nunquam hactenus obſervavi ventrem durum, vel pedes tumefactos, excepiſſe febres vernales; poſt autumnales vero admodum frequens eſt vtrumque, maxime vbi copioſe miſſus fuerit ſanguis; vel in puerili ætate conſtitutus ſit æger, vel etiam ætatem vegetam exceſſerit.

XXXIV. Secundo, Vt de eo porro inter febris diſcrimine loquamur, quod ex quorundam annorum ab alijs differentia oritur, proindéque de medelis ad ipſas eo nomine pertinentibus, notandum eſt differentiæ illius inter vnius & alterius anni febres rationem dari ſemper ex cauſis manifeſtis non poſſe, quandoquidem ſæpe fit vt vnus annus ſit epidemicus quoad febres (non peſtem ſolum) nonnihil malignitate ordinaria minores, vbi rationem aſſignare non poſſumus ex alimentorum vitio, neque ex inferioribus exhalationibus in aëre putreſcentibus, neque ex temporum tempeſtatumque inordinatis atque inæqualibus mutationibus, in calidum & humidum vergentibus; ſed iſtam conſtitutionem malignæ & inexplicabilis aëris perniciei ſobolem eſſe fateri cogimur: Neque minus difficile hic eſt certam aliquam atque determinatam curandi rationem proponere, quæ diſcrimini febrium, ex annorum varia temperie dependenti accurate reſpondeat afferre; Verum tamen quæ nobis ſeſe obtulerunt hæc attente obſervantibus paucis exponere non gravabimur, In febribus igitur *Autumnalibus*, quæ in conſtitutione Epidemica, atque in anno quo morbi autumno peculiares, (e. g. quartanæ, tertianæque maligniores) ſolito maturius, puta menſe Junio, vel Julij initio occurrerint, venæ ſectio magno periculo non vacat: Id quod in Autumno anni (de quo jam loquuti ſumus) veriſſimum eſſe experientia teſtata eſt, tunc enim temporis maximam partem lethifera viſa, eſt præſertim in primo Autumno, niſi forte ægri in ipſo ætatis vigore conſtituti, ſanguinis jacturam quodammodo ferre poterant, quo quidem in caſu, tametſi mortem non intulerit, morbum tamen longum, ac periculi pleniſſimum, atque ſymptomatibus ſæviſſimis ſtipatum ſunt experti: Ego certe ab alijs evacuationibus pericula paria ſeſe obtuliſſe non memini, atque ſpeciatim ab illis quæ per *Emetica* fiebant, quales plerumque tum in illa, tum etiam in ſimilibus aliis conſtitutionibus malignis, exitum ſatis felicem habuerunt: Verum, vt vt hæc ſint, jamdudum didici oportere vt Medicus hac in re pro re nata conſilium capiat, h. e. pro temporum, atque ægrorum temperie praxin ſuam ſubinde mutando, vel leviter flectendo, huic ſcenæ, tot diſcriminibus variegatæ, commode quantum fieri poteſt inſerviat: Illud interim affirmare poſſum, generalem illam methodum jam traditam (quantum quidem ego hactenus obſervatione attenta conſequi potui) febrium omnium curationem ſuo ambitu commode ſatis complecti, licet non ignorem ſubinde varias anni tempeſtates, atque ipſorum annorum varietates, prohibere quo minus certos aliquos limites figere poſſimus, quos vltra citraque progredi aut conſiſtere non liceat: Præſtiterit certe, quando febres graſſari incipiunt, diligenter illarum impetum atque morem obſervare, quibus etiam præſidiorum generibus ægri leventur vel lædantur, vt quamprimum his repudiatis illis vtamur: Quod ſi illud fiat, exiſtimo reapſe aliquando facto periculo, compertum iri medendi rationem hactenus expoſitam quam minimum a ſcopo aberrare: Ad me certe quod attinet, rariſſime ab illa mihi deviandum ſenſi, vel in caſibus malignis, quibus egregie accommoda eſt, quod fermentationem debitam ſuſtineat (Naturæ optimum organum) cujus ope omnem materiam venenatam, in ſanguine latitantem, expellit atque amolitur. *Sydenham meth. cur. febres p. 41. & ſeq.*

XXXV. Diſtinguendum neceſſario inter *Miaſma* & *Fomitem*: Tolle μίασμα & [illegible], fomes febrem per ſe non gignet: atteſtatur huic doctrinæ communis praxis, quoti enim quotidie nobis offeruntur curandi, qui citra febrem magnam, non in venis a cava tantum oriundis, ſed meſaraicis etiam, & primis vijs, cumularunt cacochymiam, duritie inſuper alterutrius, vel vtriuſque hypochondrij ſimul afficiuntur? Fomitem hic amplum eſſe, ſed deficere ſolum μίασμα febrile nemo non confitebitur: Poſt febres diuturnas conſequi cachexias & hydropes, extincta jam febre, res eſt admodum vulgaris. Non præter rationem ergo inter *Fomitem* & *Miaſma* diſtinguo, Illud per Sudorifera expellendum, hic per Purgantia & Venæ ſectionem præcidendus, obſtructionéſque, ſi quæ in viſceribus hærent, reſerandæ: De vſu autem Purgantium initio exhibitorum, ſic ſentio, *Miaſma* putridum & febrile purganti non æque ac Sudorifero, & Epithemati, vt ſic vocem, magnetico cedit: purgantibuſque, præſertim vehementioribus, humores nimium commoventur & perturbantur; e quorum vtroque hæc conſequuntur nocumenta, Per illud enim relicto μιάσματι febrili, putredo latius ſerpit, ipſaſque deinceps intenditur febris & prolongatur: Per hoc vero μίασμα humoribus penitius imprimitur, & ſubtractis tenuioribus, (hæc enim ad expulſionem aptiora) craſſiora vaſis arctius impinguntur, atque obſtructiones adaugentur, febriſque nihilo citius remittet, quin labefactatis inde viſceribus, & novis ſubinde coacervatis humo-

humoribus malum ſæpenumero malo aggravatur: Talis eſt experientia, quę dudum docuit febr. Quartanas nimiis & violentis purgantibus ſæpe exaſperari potius quam jugulari &c. Ad μίασματ@ ergo ſubtractionem omnis diligentia primario intendenda: ſubtrahetur vero id eo facilius quo cœperit recentius, vires magnas nondum acquiſierit, humoribus altius immerſum non fuerit, eoſque impenſius inquinaverit, aut etiam viſcus aliquod obſederit. Cum ergo, vt ex dictis liquet, μίασμα illud vel per Sudoriferum ad intra exhibitum, vel Epithematis foris applicatum, præ alijs fere omnibus optime ejiciatur, talium certe vſus nullomodo rejiciendus, ſed quam ocyſſime inſtituendus erit. *Doringius ad Sennertum in hujus Epiſt. 45. cent. 1.*

FEBRIS CONTINVA PVTRIDA.

SYLLOGE.

In Ardente *ſemper* mittendus ſanguis. 1.
Quando iteranda Sanguinis miſſio. 2.
Ad animi vſque deliquium an mittendus ſanguis. 3.
De vena aperienda in febribus bilioſis. 7.
Quibuſdam Continuis noxia ſanguinis miſſio. 20.
Vena ſectio aliquando ſatis fuit, vt purgatio fuerit inutilis, & viciſſim. 8.
Ab intempeſtiva & largiori Sanguinis miſſione Ardens *exacerbata.* 9.
In ſummo Ardentis *ſtatu aliquando* Sanguinis miſſio *convenit.* 12.
Non omnibus ſanguis mittendus. 7. *a.*
Qua vena eligenda. 13.
Arteriotomiæ *vtilitas in* Ardentibus. 15.
Incidentibus *ante totius vacuationem locus non eſt* 13.
An Purgandum *initio morbi.* 4.
Perperam eligitur ſexta dies ad purgationem. 5. *a.*
In Acutis *dies ſexta non ſemper apta eſt* purgationi. 5. *b.*
In Cauſo *quomodo* purgandum *juxta* Hippocrat. 10.
In illo alteratio *ſufficit aliquando citra* purgationem. 11.
In Ardente Spuria *leve* purgans *quando dandum.* 16.
Rheum *correctum tuto poteſt exhiberi.* 6.
Emetica *quando locum habent.* 17. *a*
Quo tempore morbi exhibenda. 17. *b.*
Tumultus ab ijs excitatus in humoribus ſedandus. 17. *c.*
Si Emetica & Sanguinis miſſio *ſint ex vſu, hæc præmittatur.* 18.
Enemata *quando neceſſaria.* 19.
Qualia eſſe debent. 22.
Cardiacis *quando locus.* 21.
De Frigidæ potu. 24.
In Ardentibus *refrigerantes* Potus *magna doſi exhibendi, nedum deneganda.* 35.
Adſtringentia *& plurimum frigida in Cauſo noxia.* 25.
Syrupi & Saccharum *parce exhibeantur.* 26.
Emulſionibus *quando locus.* 27.
Frigefactoriæ potiones *ex* Hippocr. 28.
Febris extinctioni *non nimis ſtudendum.* 21.
In Ardentis *curatione* Acida *neceſſaria ſunt.* 33.
Oxalidis *ſuccus quando præbendus.* 23.
Saccharum Saturni *caute aſſumendum.* 31.
Epithemata, *& cætera refrigerantia, adhibita cautione admovenda* 29.
Balneum *cui ſpecies magis convenit.* 33.
Eius ſuccedaneum. 36.
Edulia adſtringentia & frigidiora noxia. 32.
Somnus *concedendus.* 14.
Protractæ & diuturnæ Continuæ *curatio.* 30.
Hypochondriorum *cura in* Acutiſſimis *habenda.* 34.
Elect. Dioſcordij *idoneo tempore exhibiti efficacia.* 17. *c.*
Continuæ Epidemicæ *bilioſæ curatio* Sylviana. 38.
Cauſi legitimi *Diæta qualis.* 39.
Cauſi a pituita ſalſa *Diæta.* 40.
Si huic fluxus alvi jungatur, plenior ſit victus. 41.
In maligno Cauſo Sorbitiones attractoriæ *conveniunt.* 42.
Nimis infrigidantia edulia aliquando nocent. 43.
Vtriuſque Synochi Diæta. 44.
In Synocho Putrida *quando locus* Potui. 45.
In hac largior ſit victus quam in impurri. 46.
Edulia ex oleribus refrigerantibus in Synochis *nocent.* 47.
Adſtringentia *cibis an commiſcenda.* 48.
Hepata gallinaceorum *toſta non exhibenda in Continuis.* 49.

I. A*Vicenna* in febre *Ardente* & *Tertiana continua Venæ ſectionem* prohibet, niſi vrina cruda rubraque fuerit: metuens ne bilis magis ferveat, cujus frænum ſanguinem eſſe dicit: Verum à ſapientioribus exploditur hæc ſententia, cum hujuſmodi febres hæmorrhagia ſæpe à natura ipſa judicentur, tum phrenitidas interdum aliaſque inflammationes producant: Denique, cum ſangu. miſſ. potenter refrigeret, ebullitionem potius cohibet quàm excitet, cum non ſolus ſanguis, ſed bilis etiam cum eo permixta educatur; ita vt in ea maſſa, quæ ſupereſt in venis majoribus, eadem maneat ſanguinis ad bilem proportio quæ priùs inerat: Imo vero cum vena ſecatur, ſi vegetæ ſint ægri vires, & ſanguis confertim erumpat, ſolus putris & naturæ moleſtus excutitur, remanente in venis puriore, quod a paucis authoribus eſt annotatum, quamvis in vſu practico paſſim obſervetur: Si enim ſanguis è vena guttatim effluat, puriſſimus eſt, quia motu proprio egreditur: at ſi cum impetu erumpat, impurus & putris apparet, natura deteriorem maſſæ ſanguinis partem expellente: Parcius tamen ſanguis mittendus in naturis bilioſis admodum, æſtate media, & ſub canicula, quam in alijs naturis & temperiebus. *Riverius Practic. lib. 17. cap. 1.* Signo ex vrina ab *Avicenna* propoſito fidendum non eſt: nam interdum in Ardente vrina nulla admiſti ſanguinis ſigna habet, vbi phrenitis aut adeſt, aut imminet, & tamen ſanguinem mittere tunc maximè neceſſarium eſt. Hic tamen conſiderandum quidam volunt, fieri Cauſon interdum ex bile in venis partium, vt ventriculi, pulmonis, jecoris, putrefacta: tunc veretur *Capivaccius* ne per venæ ſectionem humores ex illis venis ad majores attrahantur, ſicque morbus reddatur pejor; quaſi verò id timendum ſit. Videmus in inflammationibus viſcerum tuto ſanguinem mitti, etiamſi is è venis effluxerit; aut quaſi ejuſmodi ardens non ſit deterior ea quæ ex bile in magnis vaſis putrefacta

oritur; tum demum ſi attrahuntur humores in majora vaſa, eorum tamen portiu vacuatur, corpus refrigeratur, deinde natura commodius reliquum ſuperat. Quod ſi cauſam Ardentis, ab *Hippocr.* l. de vict. Acut. allatam retineamus, ſcilicet fieri eam vbi venæ reſiccatæ attraxerint ad ſe bilioſos ichores, in ea nunquam erit vena ſecanda: qui enim ab inanitione morbi fiunt, ij non inanitione ſed repletione curandi. *Primroſius de Febr. l. 3. c. 4.*

II. Si ad vacuationem *Sanguinis miſſio* neceſſaria eſt, eodem die inſtituenda: Si revulſionis cauſa, diverſis: nam vbi vacuandum, præſertim in Acutis, ſubitò corpus in alium ſtatum transferendum eſt: Tum ſæpe accidit vt morbus mox principium percurrat, vt poſtea venæ ſectione non ita commodè vti liceat: In revulſione verò reſpicimus ad motum humoris, qui rectius fit ſi diverſis vicibus, & intervallo interjecto, natura contrario motui quaſi aſſueſcat: intervallo enim temporis ſanguis in partes effuſus regurgitat in venas, & iterata venæ ſectione vtiliter extrahitur: Iterandam eſſe venæ ſectionem intelligimus, ſi ſanguis primo detractus valde putris fuerit, ejúſque in venis copia ſupereſſe videatur: Imò vero licet ſanguis ab initio purus, ac minimè corruptus appareat, non tamen deſiſtendum eſt ab illius detractione: quin potius ea continuanda eſt donec impurior & corruptus appareat: Et certè hic locum habet præceptum *Hippocrat.* l. de vict. Acut. de Pleuritidis curatione, vt ſcilicet ſanguinis detractiones continuentur vſque ad coloris mutationem: vt ſi ab initio corruptus educatur, continuetur vacuatio donec purior appareat: Et contra, ſi ab initio laudabilis prodeat, eo vſque educatur donec impurus & corruptus educatur: Eſt tamen quædam diverſitas adhibenda in vtroque caſu, ſi enim ab initio ſanguis laudabilis educatur, iteratio debet fieri ex eadem vena, vt ſanguis putridus in profundo corporis reſidens, citiùs educatur: Si vero ab initio ſanguis putridus educatur, ex altero brachio ſanguis eſt detrahendus, & conſequenter ex vtroque brachio alternandæ ſunt phlebotomiæ: Si verò ſymptomata demonſtrent putredinem ſubeſſe in inferiore ramo venę cavę deſcendentis, vt æſtus & dolor lumborum, vrinæ rubor & craſſities, poſt duas aut tres venæ ſectiones in brachijs celebratas, è ſaphena ſanguinem mittere conveniet, eámque vacuationem bis aut ter repetere. *Riverius lib. 17. cap. 1.*

III. Vult *Galenus* in vtraque Synocho *ſanguinem ad animi deliquium* educi, quod remedium tum ratione, tum experientia inniti aſſerit 9. meth. 4. namque corpus in contrarium ſtatum deducitur, ab animi deliquio refrigeratum, cui ſuccedunt alvi dejectio, vomitus ſudorelque: quoniam natura humoris noxij vacuatione recreata, facilius reliquum pellit: Alijs remedium hoc ſuſpectum eſt, volúntque *Galenum* animi deliquium non includere, ſed excludere; cum tamen manifeſtè ſcribat loco citato, ſe de induſtria ſanguinem mittere quoad æger animo deliquerit, includens non excludens leipothymiam: Libro de phlebotomia duos ægros recenſet *Galenus* quos liberali hac vacuatione perſanavit, triáque illius commoda recenſet, 1. Totius refrigerationem. 2. Alvi purgationem, biliſque vomitum. 3. Sudorem mollem toto corpore manantem: Eodem tamen libro tres ægros narrat qui nimia ſanguinis miſſione mortui ſunt, Et 9. method. tria incommoda recenſet tantæ vacuationis, 1. Ne repente vacuato ſanguine moriantur: 2. Ne poſt breve tempus, nondum finito morbo & proſtratis viribus id accidat: 3. Ne ægritudo diuturna permaneat, aut cachexia, aliave pernicioſa diſpoſitio introducatur: Præterea non videtur animi deliquium menſura idonea venæ ſectionis, tum quia quidam adeo ſunt animoſi, vt plures ſanguinis libras conſtanter ſine deliquio ferre poſſint: Alij ſtatim ante ſufficientem ſanguinis vacuationem animo linquuntur: Tum quia etiamſi ex larga vacuatione ſuccedat animi deliquium, nihilominus tamen repeti etiam venæ ſectio poteſt, vt ſæpius experientia comprobatum eſt: Habebam nuperrimè ægrum Synocho laborantem, cui quinquies ſanguis miſſus fuit ſatis abunde, tandémque ex vacuatione animo deliquit, nec ſucceſſerunt vomitus, dejectiones, ſudores, vt vult *Galenus*; hæc enim perpetuò non contingunt: illi tamen cum vrina rubra & craſſa permaneret, ſanguis ſequenti die miſſus fuit iterum ad vncias ad minus decem meliúſque habuit: Ex quo conjiciendum leipothymiam non eſſe terminum quo educendi ſanguinis quantitas debet æſtimari: Abſurdum eſt, *inquit Thriverius* in aph. ægrum ad eum ſtatum deducere quem Medici reformidant, contra quem perpetuò pugnant: *Hippocrates* terminum bonæ vacuationis ægri *εὐφορίαν* conſtituit, at animo delinquere & facile ferre contraria ſunt. Non vero terreri debet Medicus ſi quando largæ ſanguinis profuſioni ſuccedat leve deliquium: Satius eſt tamen ſequi recentiorum conſilium, ſanguiniſque miſſionem iterare, etiam ſæpius, donec indicationi ſatisfactum ſit, quam ſimul & ſemel tam abunde vacuare, quia periculoſa eſt ſubita mutatio, nec vires eorum ſatis perſpectæ eſſe poſſunt, cum quibus antea non ſumus verſati: *Primiroſius lib. 3. cap. 1.* In *Ardente & Tertiana continua Valleſius* 7. controv. voluit mittendum eſſe ſanguinem ad animi deliquium, authoritate *Galeni* 3. aphor. 23. vbi docet in febribus Ardentiſſimis tam copioſè eſſe mittendum: 2. Venam ſecat *Galenus* vt refrigeret, ſed Ardentes omnium maximè egent refrigerio: Alij volunt *Galenum* per Ardentiſſimas febres intelligere tantum ſanguineas, vt ipſe explicat. 9. meth. & de cur. rat. per ſangu. miſſ. Nec tantum ſanguinem mittere vt refrigeret, ſed vt plethoram & humores vacuet: Mihi videtur tamen *Galenus* etiam Ardentes febres complecti, tum quia generaliter in ardentiſſimis febribus hoc remedium celebrat, non ſunt autem ſynochi ardentiſſimæ: cum quæ Ardentes vocantur ſynocho ſint fervidiores: vnde quamvis inter calidiſſimas febres ſanguinea ſit referenda, tamen Cauſos ſemper fervidior haberi debet: Deinde addit poſt hujuſmodi vacuationem ſubſequi ſudores, vomitum, alvi dejectionem interdum; quæ ſpontaneæ vacuationes magis conveniunt Ardenti quàm ſanguineæ, quæ ſola plethoræ imminutione videtur poſſe ſanari: Præterea in ſummis doloribus eandem vacuationem commendat, certum autem eſt horum plurimos & maximos eſſe à bile: Maneat igitur ratum, non tantum In Synocho, ſed etiam in Ardente ſanguinem ad animi deliquium ex *Galeni* ſententia mittendum, aſſerentes iterum tutiorem eſſe repetitam vacuationem. *Idem cap. 4.*

IV. Maximè controvertitur apud authores an *Purgantia initio Continuarum Putridarum* exhibenda ſint: Quod diſſidium, miſſis diſputationum ambagibus, ita componendum eſt, Ratione materiæ febrem putridam continuam immediatè producentis, quæ in venis majoribus continetur, Purgatio-

gatio-

gationem initio non convenire, niſi ea turgeat, i.e. ita exagitetur à natura, irritata ob pravam ejus qualitatem, eámque expellere conante, ut inde excretioni magis diſpoſita ſit: & ex illa turgentia metuendum ſit ne in aliquam partem nobiliorem irruat: Quod tamen, quia rarò contingit, ut plurimum illius concoctio expectanda eſt, antequam per medicamenta purgantia ejuſdem vacuatio ſuſcipiatur. Ratione verò materiæ in prima regione contentæ, ſi plurima adſit, quæ febrem augeat, naturam gravet, eámque à materiæ in venis contentæ coctione avertat, purgantia altero à venæ ſectione die exhiberi poterunt, ſed leviora, quæ primam tantum regionem evacuent: Humorea autem vitioſos & excrementitios in prima regione, id eſt ventriculo, inteſtinis, meſenterio, aut circa præcordia redundare cognoſcimus ex nauſea, oris amaritudine, ſiti, dolore ſtomachi, aut alterius partis in ventre inferiori contentæ, alvi fluxu, aliiſque ſymptomatis, quorum ratione aliquando Purgatio ipſi venæ ſectioni præmittenda. *Riverius lib. 17. cap. 1.*

V. Vulgares Medici, *Hippocratem* imitati, qui *Cydis* filio ſexta die alvum movit, omnes ægrotos qui continuis febribus tenentur, die ſexta *Pharmaco purgant*, ut magna noxij humoris pars detrahatur, antequam prælium, quod dies ſexta afferre ſolet, superveniat: verum id non eſt faciendum incautè neque temere, intereſt enim quæ ſit morbi conſtitutio: Nam ne acutis quidem omnibus eſt ſeptima iudicatoria, ſed aliis xj. aliis xiv. aliis etiam xxvij: Scire oportet an turgeat materia, an non urgeat multitudo, an ſit aliqua concoctio, an ceſſaverint principii fluxiones, an ſecus: His omnibus perſpectis, iuxta communes præceptiones expurgandum erit, aut ſecus, non ſexta ſolum die, ſed & quinta, & quarta, & tertia, aut etiam prima, ſi res ferat. *Valleſius lib. 7. Epidem.* *Andreas* febre acuta laborans, ſexta die mercurialem accepit expurgationis gratia, & alvus bene quidem deiecit, nihil tamen iuvatus eſt, quin potius ſeptima deterius habuit: Optimum ſanè exemplum læſionum quas infert purgatio ſuſcepta intempeſtivè & ante materiæ concoctionem: nimirum febres auget, & ex ſimplicibus duplices, & ex intermittentibus facit continuas; etiamſi alvus fluat, & purgatio iis qui adſunt videatur rectè ſucceſſiſſe: quin etiam eò aliquando magis homo læditur, quò purgatio videtur abundantius facta, quia colliquatione fiunt tales deiectiones: Et vidi multos mox ab intempeſtiva expurgatione incidere in tabem: uſque adeo vitari debet vulgaris praxis eorum qui die ſexta omnibus febricitantibus pharmacum tribuunt, cum tamen ea die perpaucis poſſit utiliter dari: quia pleriſque acutè laborantium ſexta die finitum eſt, aut iam finitur principium, tempus verò concoctionis nondum venit: circa hæc autem tempora rarò, aliquando tamen urgentiæ gratia, expurgamus. *Idem ibid.*

V. *a.* In Acutis dies decima quarta non ſemper apta purgationi, (Vide §. 8. *tit. de Febre Putrida in genere.*)

V I. Quidam Rhabarbarum rejiciunt, quia calefacit: tum etiam mannam & ſyrupum roſaceum, quia dulcia cum ſint facile in bilem vertuntur: verum cum aquis vel decoctis refrigerantibus Rhabarbarum infuſum, vel Manna, aliáque diſſoluta, nullum afferre poſſunt incommodum, præcipue ſi in dictis decoctis addantur Tamarindi, ad hunc uſum maxime commendati, vel pulpa eorum ſimul exhibeatur. *Riverius lib. 17. capite 1.*

V I I. *a.* De vena aperienda in Febribus bilioſis. (Vide *tit. de Febre Putrida in genere paragr. 17.*)

V I I. *b.* Quoties mihi cum ægris res eſt, quorum ſanguis, vel per ſe imbecillior exiſtit (uti fere in pueris, vel juſta ſpirituum copia deſtituitur, ut in ætate decliviore, atque etiam in iuvenibus diuturno morbo confectis) à *venæ ſectione* manum tempero; Enimvero ſi phlebotomiam his imperarem, ſanguis etiamnum citra ejuſmodi imminutionem plus ſatis debilis, deſpumationi ſuæ obeundæ prorſus impar redderetur, unde totius maſſæ perverſio, ac proinde fortan ipſius ægri interitus ſequeretur, (quemadmodum ſi cerevisiæ, aut alius cujuſvis muſti fermentatio intempeſtive ſiſtatur, liquores illi vitium plerumque contrahunt) Quippe particularum, quas ſemel exterminare cœperit, quæque, dum reliquæ cruoris maſſæ æquabiliter inmiſcerentur, putræ extiterant, jam vero putredinem deterrimam acquirere, & cæteros humores gravi inquinamento inficere habiles evaſerint, conſortium natura amplius ferre non poteſt; Quanquam haud me latet ægros temeraria ſanguinis miſſione mulctatos, convenientium Cardiacorum uſu aliquando ſervari, ſanguinémque ad tenorem deſpumationi ſuæ peragendæ idoneum reſtitui poſſe, ſed præſtiterat plagam non infligi quam ſanari; Attamen ubi in contrariæ indolis ſanguinem incido, qualis in juvenibus athletico habitu, & temperamento ſanguineo præditis reperiri conſuevit, primum in curatione locum phlebotomiæ attribuo, quę, præterquam in caſibus quibuſdam, ſine ſalutis periculo hic omitti nequit: Nam alias non ſolum, pę nimia ſanguinis ebullitione, phreniridum, pleuritidum, aliarúmque id genus inflammationum periculum imminere; ſed pę copia etiam impeditio omnimoda circulationis, & totius maſſæ quaſi ſtrangulatus conſequeretur. *Sydenham pag. 19.*

VIII. Qui *Febrem acutam* curandam ſuſceperunt, ſtatim ab initio vel *Venam ſecant*, & poſtridie *Purgant*: vel minorativo primum uſi, poſt ſanguinem mittunt; At *Hippocrat. Galen.* cęteriſque injuriam faciunt, quibus frequens eſt altero tantum pręſidio, pacata curatione, morbos propulſare: Sic *Hippocrat.* 2. acut. Pleuritide aſcendente ſanguinem tantum detrahit; eadem, deſcendente purgatione ſolum utitur: Et lib. 4. in primo Cauſo venam non ſecat, ſed aut vomitu, aut clyſtere, aut purgatione miti contentus eſt: In altero mittit ſanguinem, ſi magnus fuerit morbus cum virium robore: *Gal.* in methodo ſola ſanguinis detractione continentes & continuas ſanat, nec purgationem adhibet, niſi magna cacochymia adjuncta ſit. Quod & erudita poſteritas diligenter obſervavit: *Imò* ſępe accidit ut poſt V. S. purgans, alioqui neceſſarium, ob virium reſolutionem, quam tum ex ſanguinis detractione, tum futura medicamenti agitatione veremur, omittatur, ſubſtituatúrque tertio quoque die clyſter, juxta *Hippocrat.* & *Galen.* conſilium: Interdum virium metu ſanguinem non detrahimus, ſed purgamus tantum, licet morbi ratione V. S. locus ſit. Non ergo ſemper huic purgatio adjungenda, quaſi alterum ſine altero inutile ſit aut inefficax: multis ſatis fuit inedia; multi, ſpontanea diarrhœa; aliis ſang. miſſio; non paucis ſola purgatio: quibuſdam

ſoli clyſteres : quæ conjunctim adhibita vires reſolvunt. *Aug. Ferrerius caſtigat. cap.* 19.

IX. Mulierem vidimus, quæ cum pleniori & obeſo eſſet corpore, & in Ardentem incidiſſet febrem, uſa cujuſdam imperiti Medici conſilio, ſanguinem ex vena copioſum emittit; quo ſtatim graviter afflictata, in multò deteriorem prolapſa eſt valetudinem: nam ut in tenuioribus magis ſanguis, ita & in plenioribus caro abundat: Nos igitur, cum ad mulierem vocati eam ſummo in diſcrimine videremus, alias omnino obſervationes adhibendas cenſuimus, eas videlicet ad quas dirigi curantis conſilium debet: quare defectam dudum virtutem omni genere auxilii reſumo, donec redeuntibus viribus materiam, quam exuberare cognoveram, medicamento deponendam cenſeo: quod cum ex frigidioribus rebus ægræ exhibuiſſem, illico extincta eſt febris, & mulier, de cujus funere jam cogitabatur, ritè curata convaluit. *Benivenius de Abd. c.* 58.

X. *In Cauſi ſecunda ſpecie, à pituita ſalſa* in venis maioribus æſtuante, *Hippocr.* 4. de Vict. acut. *Sorbitiones attractorias* dari jubet, i. e. Subducentia pharmaca ſorbitionibus miſcere: Quare ſicuti in priore (quam parit bilioſus ichor per venoſum genus diſcurrens, & præſertim per venulas exteriores) purgationem tentavit primum clyſtere, deinde lacte aſinino, quia materia tenuis exiſtens, & ad motum concitata quolibet levi remedio ſubduci poterat; ita in hoc, in quo humor peccans eſt Salſa pituita, & longè craſſior, purgatio per eadem ſubducentia fieri non poterat, unde neceſſe eſt medicamentum dare quod purganti facultate humores trahendo educat: verum ne fortitudine & vehementia lædat, in ſorbitionibus illud exhiberi jubet: hoc enim pacto, per ſorbitiones humoris peccantis ſalſugo retunditur; ſiccitas à febre inducta corrigitur: prohibetur non parum ea quam purgans inducere ſolet, & corpus tandem ſimul & ſemel reficitur: Per facultatem verò medicamenti injecti humor noxius ex parte educitur, à qua vacuatione ſublevata natura facilius morbum iudicare poteſt: Has vero ſorbitiones exhiberi voluit quoties alvus ſponte non ſecedit nequaquam ſi lubrica fuerit, quia ejus ſolutio à natura potius quàm ab arte expectatur. *Martianus comm. in v. 20. cit. libri.*

XI. In *Cauſo* aliquando ſola alteratio ſufficit citra purgationem. Vide *Tit. de Tertiana* §. 21.

XII. In ſummo febris Acutæ impetu Sanguinem mittere ægrum jugulare eſt, dicebat *Celſus*, Conſilium eſt particulare non præceptum univerſale: In ſummo ardore febris, cum permittentia adſunt, periculum impendet vel cerebro, in vigiliis, doloribus, deliriis, interdum non eſt non neceſſarium ſanguinem demere, ob flabellationem & refrigerium ſanguinis, ſæpius per perſpirabiles redeuntis & remeantis venas: Ardentes implacabili furore ſævientes, & graviora minantes, exleges tum ſunt, & vel in ſtatu admittunt: Periculum effreni plenitudine, illud quod ex intempeſtiva evacuatione, ſupergreditur. *Rolſincius methodi Med. p. m.* 358.

XIII. *Sanguinis detractio* in *Putridis continuis* locum habet, tum ut cauſa morbi minuatur, tum ut accidentia mitigentur, Cauſam minuet, ſi vena aliqua patens generalis in brachio aperiatur, ſanguiſque inde extrahatur, Quod certe primarium in hiſce febribus, (cum cauſa in ſanguine & venæ cavæ ramis lateat) eſt remedium, cum & una cum ſanguine putredinis portio evacuetur, ſicuti manifeſte talem fere initio dum effluit prodire videmus, natura ad extremitates portionem aliquam huius cauſæ febrilis in venas majores cutaneas, quæ & eo nomine tumidæ ſunt, iis in locis ubi maior eius eſt copia protrudente: quod & cum talem venam mox primo ictu effluere ſolere viderem, occaſionem mihi præbuit talem potius venam, quæ hæc materia turgeret, eligere, quam diſcrimen aliquod inter brachii venas, cum uno in loco omnes à cava vena iuxta iugulum prodeant, facere: *Platerus.*

XIII. *a.* Meminiſſe oportet in Continuis febribus, ubi ſuſpicio eſt de potorum obſtructione, ante totius evacuationem incommoda eſſe quæcunque *aperiunt & incidunt. Brudus de victu Febr. lib.* 3. *cap.* 9.

XIV. *Somnus*, qui à multis toto febris tempore quo calor ad exteriora vergit, ne per eum ad interiora rapat, improbatur, concedendus quia admodum vires reficit: Verum cum calorem per ſomnum ad externa potius quam interna rapi, quod ſomni tempore plus calere & ſudare ſoleant, ſatis oſtendat, eóque nomine, uti & quod ſitim ſedet quoque proſit, non neceſſe erat hoc quod potius juvat metuere, & ob id à ſomno eos arcere, ſicque magis debilitare, cum nec per ſomnum natura ab officio, quod tunc magis concoctioni ciborum intenta ſit, cum minus tempore ſomni, ut alibi oſtenſum eſt, (*Quæſtione* 24.) concoctio fiat, revocetur, ſed naturæ vis in morbi cauſa elaboranda, minime cum dormiunt, quieſcat. Interim tamen in ipſa febris exacerbatione ſatius eſt à ſomno abſtinere. *Platerus.*

XV. Ex optavit *Heurnius* ut in febribus Ardentibus alicubi tuto *ſecarentur arteriæ*, quia vaſculum iſtius ſanguinis magis refrigeraret quam decem venoſ generis, Et *Idem comm. ad aphor.* 23. *ſect.* 1. In febre Hungarica ſtillante ſanguine è naribus rubicundo profuiſſe, ſi aliquantulum ab arteria eductus fuiſſet ſanguis: ſed quis audeat? doctiores quæſo, *inquit*, hac de re judicent.

XVI. In *Ardente ſpuria*, apparentibus manifeſtis coctionis ſignis, nimirum febre declinante, aliquod leve *purgans* exhiberi poterit, audacius quam in legitima, Et in hac potiſſimum exiſtimarem *Hippocrat.* propoſuiſſe ſorbitiones attractorias; ita ut attrahenti pharmaco ſorbitiones miſceamus, vel ſtatim poſt medicamentum eas præbeamus, ad calefactionem nimiam & exſiccationem evitandam: *Fortis l. de Febrib. p. m.* 10.

XVII. *a.* Si quis quærat, quo tempore Febris velim exhiberi *Vomitorium*, dico in ipſo plane febris initio, ſi quidem optio daretur, Emeticum propinarem; ita enim fiet ut ab horrendis illis ſymptomatibus, ea humorum in ventriculo, locíſque vicinis delitescentium illuvie ortum ducentibus, ægrum præmuniamus; Imo vero & fortaſſe in ipſis quaſi incunabilis opprimamus morbum, qui alias cum ægroti periculo grandeſcet ac longævus evadet: nutritus nimirum dictis illis humoribus, qui vel ſubſtantia ſua in penitiores corporis partes tranſmiſſi cum ſanguinis maſſa commiſcentur, vel ea ipſa mora peiores facti, atque venenata pravitate inquinati, ex foco ſuo jugiter pertranſeunt; ſanguini malignam auram afflabant: Huius rei Cholera morbus exemplum nobis exhibet, fit enim aliquando ut intempeſtiva opera vomitum in illo morbo cohibere ſatagentes, (ſive illud laudano fiat, ſive adſtringentibus medicamentis) eo cohibito nonminus periculoſam malorum catervam invehant, Humores enim acres corruptíque, quorum excluſionem tantiſper permittere oportuerat ut ſatis evacuarentur, hoc pacto repulſi

pulſi, vires ſuas & ſævitiam in ſanguine exercent, febremque accendunt, quæ vt mali moris, & gravibus ſymptomatis ſtipata eſſe ſolet, ita niſi propinato emetico tolli via poterit, etiam ægro iam ne quidem vomiturienti: Quod ſi nobis, vt ſæpe fit, ſero acceſſitis non licuerit Emeticum propinando ægrotum ſaluti ſub febris initium conſulere, certe tamen convenire cautum mauerim vt quovis morbi tempore id fiat, modo vires eo vſque morbus non attriverit vt Emetici vim ferre iam amplius nequeant; Equidem ego die febris xij. vomitum imperare non dubitavi, etiam cum æger vomiturire deſiiſſet, neque ſine fructu, eo namque Diarrhœam ſiſtebam, quæ ſanguinem in peragenda deſpumatione impedivit: quin & ſerius idem facere minime dubitarem, niſi vitium attritatum ratio prohiberet. *Sydenham Tract. de Febrib. p. 24.*

XVII. b. Veſperi jam celebrata *Vomitione*, ſemper illud ago ut tumultum ab Emetico in humoribus excitatum conſopiam, & quietem conciliem, ideóq; ſub noctem, vel hora ſomni paregoricum quempiam hauſtum exhibere jubeo, E. g. ℞. *aqu. papav. rub.* ℥ij. *aqu. mirab. & ſyrup. de mecon. ana.* ʒiij. *ſyrup. papav. errat.* ʒß. *m. Hauſtus.* Idem.

XVII. c. At ſi vel ob copioſam ſanguinis jacturam, quam curationis decurſu paſſus eſt æger, vel ex vomendi frequentia, dejectionibúſque ab Emetico hoc factis, vel ex præſenti ejuſdem ἀτονίᾳ, vel ex ejuſdem debilitate, vel ex Febris jam declinantis vetuſtate, nullum jam ſupereſt in poſterum concitandæ nimiæ ebullitionis periculum, tum metu procul habito, vice hauſtus præſcripti, *Diaſcordij* ſatis largam dozin, vel impermixti, vel aquæ alicui cardiacæ ſociati exhiberi jubeo: Præclarum ſane medicamentum, modo ea quantitate exhibeatur quæ remedij potius quamtuli menſuram impleat. *Idem pag. 25.*

XVII. d. Poſt Sang. miſſ. ſedulus inquiro nunquid ægrum vel vomitus, vel inanis aliqua vomendi propenſio ſub febris initium interturbaverit: Id ſi contigerit, omnino Emeticum præſcribo, niſi vel ætas tenella, vel inſignis debilitas prohibeat: Sane id propinare, ubi iſtiuſmodi prægreſſa vomendi proclivitas, adeo eſt neceſſarium, ut niſi humor ille expellatur, in ſentinam complurium malorum difficilium ſit abiturus, quæ cruces figent Medico toto medicationis tempore, unde non leve periculum: Ex horum præcipuis & maximè ſolitis eſt Diarrhœa, quæ ut plurimum in defervescentia febris conſequitur, quoties Emetica, ſi neceſſaria, omiſſa fuere: In febris quippe progreſſu, ubi malignum in ventriculo humorem nonnihil ſubegerit natura, & ad inteſtina amandaverit, illa ab acri humore, ex hoc fonte perpetim ſcaturiente, uſque adeo corroduntur, ut non poſſit non ſequi Diarrhœa, eò periculoſa, quod æger jam morbo debilis factus enervatur ulterius; & præterea in febris declinatione, quo tempore contrahere ſe ſanguis, ac vim ſuam exſerere debebat ad deſpumationis officium peragendum, penitus præpeditur hac emiſſione. Sæpius autem obſervavi Diarrhœa ſemel oborta, medicamenta adſtringentia vel nihil vel parum admodum conferre, intro vel extra uſurpata. Notavi nihilominus in febribus quæ ineunte vere graſſantur, omiſſionem vomitorij, etſi talis vomendi propenſio præceſſerit, Diarrhœam neceſſariò non inferre, quam tamen alia quavis anni tempeſtate infert; ideo tunc non adeo neceſſarium, etſi proficuum, illius uſum arbitror. *Sydenham lib. de Febrib. pag. 21.*

XVIII. Illud notandum, Si ægri conditio Sanguinis miſſionem & *Emeticum* poſtulaverit, illam hujus exhibitionem præcedere debere, alias enim dum vaſa ſanguine diſtenta ſunt, periculum imminet ne ex violentis illis vomendi conatibus, vel rumpantur vaſa Pulmonum, vel cerebrum lædatur, effuſo cum impetu ſanguine atque affuſo, adeóque æger apoplexia correptus pereat. *Idem pag. 23.*

XIX. Perpendendum quoque utrum evacuationibus prægreſſis non obſtantibus, ſanguis etiamnum adeo exæſtuet, ut illius effervescentiæ limites adhuc ponendi ſint: quo in caſu, ut vitentur pericula inde imminentia, poſtridie *Emetici Enema* præſcribo, idémque repeti pro re nata jubeo; quo ſæpe fit ut ſanguine nonnihil ventilato, fervor ejus [illegible] ſcatur: Niſi S. M. repetere ſemel atque iterum cogamur, ob temperamentum admodum ſanguineum, ætatem florentem, aut ſanguinis inflammatoriam diſpoſitionem à vini nimio potu inductam: Prædictos autem caſus ſi exceperis, fervorem illum Enematum ope ſatis reprimemus: Quare ſi ſanguis nimium æſtuet, alternis diebus Enemata injici jubeo, adque ad 11. diem vel circiter: Si tamen magna vis ſanguinis miſſa fuerit, vel æger ſit ætate provecta, tunc nulla præſcribo, etſi ſanguis multum efferbuerit, Certum enim eorundem uſu ſanguinis vim minui, tonúmque ejus, (ut ita dicam) relaxari, eatenus quidem ut naturę opus, in ſenibus præſertim, interturbetur atque impediatur. *Idem pag. 27.*

XX. Quidam poſt intermittentes Autumnales, febribus continuis, expurgationis in præcedentis morbi fine defectu, corripiuntur; His ſi ſanguinem miſeris, periculum eſt ne ſedimentum illud, quod prægreſſa fermentatio depoſuerat, in maſſam ſanguineam reſorbeatur, nováſque turbas excitet: Tunc S. M. loco *Clyſteribus* utor ad diem uſque 11. modò æger ſit juvenis ac fermentatio nimis exaltata. *Id. de Feb p. 28.*

XXI. *Cardiaca* quod ſpectat, quoniam uſu mihi compertum eſt ea properè nimis exhibita non contemnendam noxam inferre, ideo curæ mihi ſemper eſt ea non offerre initio, niſi æger ex profuſis vacuationibus languidus, vel ætate fuerit provectus: morbi autem die xij. negotio tunc ad ſecretionem vergente, medicamentis calidioribus liberalius indulgendum cenſeo, modò metuendum non ſit ne febrilis materia in partes principes agatur: Nam hoc tempore quò magis calefecerim eò magis concoctionem acceleravero. Neque aſſequi poſſum quid ſibi velint Medici, cum ſua præcepta toties ingeminant de remedijs ad promovendam coctionem adminiſtrandis; At interim eodem ipſo tempore medicamenta imperant quæ febrim ipſam temperare poſſint: Profectò febris ipſa naturæ inſtrumentum eſt, quo partes impuras à puris ſecernit, quod initio morbi non adeo manifeſtum; apertius in ἀκμῇ, apertiſſimum in declinatione; quod indicant urinæ. Materię febrilis concoctio nihil aliud ſignificat quàm peccantis materiæ à ſana ſeparationem, hanc igitur ut acceleres, non ſatagendù neſcio quibus attemperantibus, ſed febris effervescentia tandiu permittenda eſt quamdiu ſalus ægrotum paſſa fuerit: cum autem finem ſpectat atq; declinationem, ſecretione jam conſpicua, tunc calidioribus illam à tergo inſequemur, ad rem celerius ac certius perficiendam: Atque hoc ipſa eſt febrilis materiæ concoctionem promovere, cum evacuationes & refrigerantia moram nectant & curationem impediant, quod à me ſæpius obſervatum. Si fermentatio ſatis progrediatur, deſpumatio circa diem xiv. peragetur; At ſi refrigerantia qualibet ſerius adhibueris, atque ita eorū ope effervescentia ſuſſlaminetur, non niſi febris ad diem xxj. imò lógius excurrat. *Sydenh. Tr. de Feb. p. 30.*

XXII. Circa *clyſteres* notandum & initio mor-

bi & toto decurſu iniiciendos eſſe, ſingulis vel alternis diebus, ſi alvus liberè non fluat, ex decocto emollientium & refrigerantium: In febre tamen intenſiori ſatiùs eſſe olea non addere quia facile inflammantur: 2. Circa *Refrigerantes*, in decocto vnius, ſempervivi maioris ſquammas iij vel iv tantum eſſe præſcribendas, quia potentiſſimè refrigerat, & maiori copia vſurpatum inteſtina labefactare poſſet. 3. In omni biliosâ febre Clyſteres non *actu calidos, ſed* levem tantum teporem adeptos eſſe iniiciendos. *Riverius.*

XXIII. In acutis febribus *oxalidis ſuccus* promiſcue exhibetur, & horis & diebus quibus natura ſæpius criſes movere ſolet; Quam conſuetudinem probare minime poſſumus, tunc enim adhibenda ſunt pauca & cocta, ne ab officio natura avocetur: ſic ſi vnica tantum vncia, aut ſemiuncia adhiberetur dicti ſucci probe cocti, & per ſe purificati, cito in actum deduceretur, & natura tantopere ab his minime lęderetur, nec eos averſaretur. *Peterius Pharmac. pag.* 373.

XXIV. Vt eſt auxilium optimum & iucundiſſimum *Frigida potio*, Ita etiam & periculoſiſſimum & maxime poſitum in occaſione; Non enim vtcunque febris vrat, & ægrotus ſitiat, ac multum ſibi poſſe bibere videatur, offerenda eſt frigida: multis enim hæc habentibus oblata primum quidem iuvare viſa eſt, ob intemperiem quam extinxit, deinde verò cauſa fuit vt denuo excitaretur alia febris, & maior & contumacior priori, quod oblata, cum adhuc materia morbi erat cruda, eius & concoctionem & diſcuſſionem prohibuerit: aliis etiam incurabiles paſſiones, & pro inflammationibus brevi reſolvendis, indiſſolubiles humores manere facit: Alios vna aliqua parte læſos, reliquum vitæ miſere fecit tranſigere, quoſdam etiam vita repente privavit, naturali ſimul cum igneo calore extincto: Neque igitur phlegmonem quampiam internam habentibus, neque niſi cocta materia, neque niſi robuſtis, & ſecundum partes omnes internas, præcipuè nobiles, abundantibus naturali calore offerenda eſt: Ego proinde raro febricitantes ad copioſum frigidæ potum cogo, ſed cruda adhuc materia, aut phlegmone viſcera obſidente, abſtinere iubeo, quantum citra tabeſcentiæ periculum poſſunt. *Valleſius lib.4. Epid.* Non admodum tamen arcendi ab aqua ſunt ii qui ex ſincera bile febricitant: Eius enim ſucci alteratio vſtio eſt potius quam putreſcentia: quare cum concoctio non ſit contraria uſtioni, vt putreſcentiæ, in talibus ab attemperatione expectandum *auxilium eſt potius* quàm à concoctione, quare aquâ largiùs vtendum. *Idem libr.* 5. Obſolevit id remedii genus hoc ævo, cum à præpoſtero frigidæ vſu tot & tanta immineant pericula, ac exhibendæ occaſio tot ſit circumſepta conditionibus, è quibus vnâ violatâ, non auxilium ægro futura ſit aqua, ſed pernicies: Satius itaque ſit abſtinere, aut ſi magnitudo æſtus febrilis eam expoſcat, permittente conſuetudine, alterâ naturâ, ſpiritu vitrioli corrigere, eius hauſtum ad ℥x. vel xii porrigendo: ab ea enim interdum ii prodeunt effectus quos *Galenus* aquæ ad ℔ iij vel iv exhibitæ adſcribit, ſine metu periculorum ex tanta copia emergentium: Illius enim ſpiritus maximus in febribus vſus eſt, vtpote quæ maximam attenuandi, incidendi, obſtructiones aperiendi, ſitim & inflammationem extinguendi vim habeat; Ob eum aqua viſcera pervadit, nec moratur in hypochondriis, vt aqua frigida ſimplex, ſed aquis mineralibus & acidulis effectu ſimilis evadit, quæ magna copia hauſtæ, citò excluduntur, obſtructioneſque ſimul efficaciter reſerant: cautè tamen procedendum ſi ſuſpicio ſit quædam læſionis pulmonum, rupturæ vaſorum, aut internæ exulcerationis. Aquæ vitium alii emendant incocto cornu cervino, ob vim diaphoreticam inſitam: Alii Nitri præparati additione, quod ſecat & attenuat craſſos humores: Vide apud *Benivenium & Hildanum centur.* 3. 48. obſerv. exempla mortis ſequutæ frigidæ potum, etiam dextrè adhibitæ.

XXV. Ne *adſtringentibus* in *legitimo Cauſo* vtatur Medicus, neque plurimum frigidis, ſi quidem & fluxu ſanguinis & ſudore vt plurimum ſolvitur: Talia autem vtrique terminationi obſtant, multò minus eis licet vti in non Legitimo, ſi quidem humor huius febris difficilis eſt coctionis; à frigidis quippe craſſa & glutinoſa pituita gignitur, quare abſceſſu ſolet hæc febris terminari, vt ait Galen. 4. de rat. v. *Mercurius lib.* 1. *de* Præſid.

XXVI. Notandum *Syrupum violaceum, alioſque dulciores* ſolos non eſſe exhibendos, tum quia laxant ſtomachum, tum etiam quia antequam in venas penetrent, ventriculi calore in vaporem calidum convertuntur, qui poſtea ſitim intendit, Idcirco aliquid ſyrupi cuiuſdam acetoſi ſemper admiſcendum, vt facilius penetrent in venas, & magis calori febrili reſiſtant. *Riverius.* A ſyrupis & conſervis in peſte, febribuſque omnibus, & dyſenteria conſultò abſtineo, ſacchaxo enim facile bileſcente, febri fluxuique diſenterico pabulum præberi certo ſcio. *H. ab Heers obſervat.* 22. *Galenus* xi. meth. dicit in Synochis plerumque deterius curari divites quam pauperes, cuius etſi ipſe alias rationes aſſerat, certum eſt qui in his febribus ſæpe ſyrupos, conſervas, alia ſaccharo medicata ſumpſerūt, ad plures abiviſſe: Nimis facile bileſcit ſaccharum & mel, ſicque febrem febriuoque ſymptomata auget: Expedit ergo ſuccis herbarum recentibus, aut in vſum ſiccatis vti, præeuntibus nobis Maſſaria, Bucephalo, aliiſque Italorum doctiſſimis. *Idem obſervat.* 5.

XXVII. Iulepis gratiores ferè ſunt *Emulſiones*, tum maximè vſurpandæ vbi febris ſiccam viſcerum intemperiem habet comitem, vel catarrhum tenuem, vel pulmonis & partium ſpiritualium phlogoſin; *Riverius.* Perpendendum monet *Martianus* comm. in lib. 2. de Diæta 164. quod de ſemine Cucumeris ait eo loco Hippocr. humectare & vrere ob pingue & oleoſum: Inde concludit errare recentiores qui talibus ſeminibus refrigerandi gratia vtuntur: quia ſi cucumeris ſemen vrit, quia pingue, multò magis melonum ſemina id præſtare poterunt, quorum caro, omnium conſenſu, minus frigida eſt quàm cucumerum. Illo ergo iudice, eorum vſus in Ptiſana & Emulſionibus minime tutus erit in febribus, & potiſſimum vbi vehementia caloris vigeat.

XXVIII. Nob. *febre continua* laborans tribus diebus ita viribus exhauſtus fuit, vt vitæ exitum timuerit: neſciebat ipſe præſenti aliquo remedio inextinguibilem *ſitim* compeſcere, ardoremque mitigare. Erat in caſtris, vbi quies & cura deficiebant, ſibi ipſi procuravit remedium: Iuſſit bonam quantitatem favi mellis virginei adferri, & ſex ſtoffos aquæ, quæ invicem mixta vno hauſtu abſque intermiſſione ebibit, dormivit, maxime ſudavit & convaluit. *And. Cneffelius miſc. cur. anno* 76. *Obſ.* 86. Ex *frigefactoriis potionibus*, quas Hippocr. lib. 4. de morbis, in febr. ardentibus præſcribit, prima eſt quæ ea favorum ſiccorum heminarum duarum menſuram aquæ habet: Compoſitio habetur apud *Galenum* 2. de Fract. 1. 29. & lib. 4.

de

de ſan.tu. Favos electos, & nequaquam vitiatos, expreſſo melle in ollam mundam aq.fontanæ puræ & dulcis injiciebat & macerabat, eatenus decoquendo quoad nulla ſpuma fieret: Vide comm. *Salij* in dictum Hippocr.lib.pag.340.

XXIX. *Epithemata & Innunctiones* ad cerebrum, cor & hepar uſurpari ſolent, cum ad ſtatum aut declinationem pervenit febris. Prius quidem adeo tutum non eſt refrigerare admotis: ut potius verendum ſit ne per *ἀντιπερίστασιν*, ex cutis conſtipatione, in viſceribus ignis magis accendatur. Sed neque protſus aliis temporibus, mea ſententia, (niſi forte in declinationis proceſſu) conveniunt; quia fuliginum hic certè copioſiſſimarum, liberam diſſipationem prohibeant, itaque febrem foveant diutius: Et placent quidem ægrotantibus ipſis appoſita, quandiu ſenſum frigoris exhibent, atqui paulo poſt nocent, calore ea concluſione ardentiore facto: Præſtaret, arbitror, capiti raſo, thoraci, hypochondriis, admovere pipiones, catellos, pulmones animalium &c. quò fuligines eliciantur, unde refrigeratio multò convenientior fit. Verum enim verò nonnunquam adeo vehemens æſtus infirmum debilitat, ut niſi aliquantum indulgeas mitigando ardori etiam per admovenda, peſſima invadant ſymptomata, quæ ſane curâ, non regulari vocata, præoccupare ſatius eſt: licet enim paulo poſt noxam leviorem illatam emendare. *Joubertus Med. Pract. lib.* 2. *cap.*5. In Ardentibus experientia comperi nihil utilius ardorem pulmonum & thoracis obtundere, nam cum pulmones minus calent, aerem attractum minus calfaciunt: obtunditur ergo humidis & frigidis, cum febris corpus exiccat, & caloris acrimoniam auget ſiccitas: Ex humidis igitur parantur, quæ a me primum inventa, ex oleis ſcilicet & aqua hordei mundati, leviter cocti, ne ſuo lentore obſtruat, & eventationem prohibeat, ſicque fiat error peior priore: fiunt etiam ex decoctione quatuor ſeminum frigidorum majorum, vel ex cucurbitæ decoctione & aliis &c. *Rondeletius Tract. de Med. Externis p.*108. Epithemata refrigerantia hepari & univerſæ hypochondriorum regioni admovere utiliſſimum eſt: illa enim non ſolum pepaſmum promovent, ſed etiam viſcerum intemperiem emendant, & impediunt ne partes principes in maraſmum incidant. Teſtibus etiam refrigerantia, ob conſenſum quem habent cum partibus principibus, utiliter adhibentur: Ob eundem conſenſum cum toto, manuum & pedum refrigerationes juvant, nec excrementorum difflationem impediunt, pauca enim ex illis partibus diffluunt, ideo majus ex refrigerio juvamentum quam nocumentum emergit. *Riverius.* Nota quod frontalia die critico, 4. ſcilicet & 7. tollenda, ne hæmorrhagiam è naribus, quæ ardentem febrem ſolvere conſuevit, impediant. *Enchirid. Med. Pract.*

XXX. Si febris protrahatur, *Purgatio* erit identidem repetenda, interjectis præparantibus & concoquentibus, donec tota minera ſublata ſit, ad vitandam recidivam: Hoc tamen præceptum reſtrictione eget, Si enim poſt repetitas plures purgationes febris lenta perſeveret, quæ ægrum ſenſim abſumat, & in tabem præcipitare videatur, optimum erit purgationes intermittere, & febrem ſola victus ratione, alterantibuſque remediis oppugnare: contingit enim aliquando ubi prava quædam eſt viſcerum affectio, diuturnitatis febris cauſa, ut quamdiu medicamenta exhibentur, tamdiu morbus perſiſtat, fatigatur enim Natura, quæ deinde vires reſumens morbi cauſam concoquit, & concoctam expellit. *Riverius.* Si fermentatio ſanguinis rite præceſſerit, fiet omnino materiæ morbificæ deſpumatio intra tempus conſuetum: At ſi remedia refrigerantia, vel enemata ſerius exhibita fuerint, multo longius excurret febris, præcipue in hominibus grandævis, male curatis: ad quos quandoque acceſſitus, poſtquam febri per xl. dies & amplius laboraverant, nihil non expertus fui quo deſpumationem ſanguinis inducerem, ſed nempe uſque adeo debilitatus erat ſanguis partim ſenio, partim enematibus & medicamentis refrigerantibus, ut neque cardiacis neque ullis aliis corroborantibus ſcopum meum aſſequerer, ſed vel febris vitium ſuarum tenax permanebat, vel etſi adeſſe videretur *ἀπυρεξία*, vires ægrotum admodum erant proſtratæ, & tantum non emortuæ: Aliorum autem remediorum ſucceſſu fruſtratus, alio conſilium vertere ſæpe coactus fui, cum ſucceſſu non vulgari, nempe adoleſcentulorum vivum vegetumque calorem ægris applicando, Nec eſt quod quis miretur hac methodo, licet inuſitata, ægrum tantopere corroborari, Naturamque debilitatam juvari, ut ſemet a materiæ ſecernendæ eliminandæque reliquiis exoneret; cum proclive ſit intelligere inſignem effluviorum vegetorum copiam, à ſano & vegeto corpore in corpus ægri exhauſtum transfundi: neque unquam comperi iteratam calentium linteorum applicationem ullatenus id præſtare valuiſſe quod modo præſcripta methodus præſtitit, ubi calor applicatus tum magis eſt humano corpori congener, tum ſimul blandus, humidus, æqualis perenniſque. Atque hæc ratio ſpiritus & halitus, forſitan balſamicos, in ægri corpus tranſmittendi, ex eo quo ipſe illam adhibui tempore, licet aliena primum videretur, ab aliis cum ſucceſſu felici fuit adhibita &c. *Sidenham Tract. de Febr. p.* 39.

XXXI. *Saccharum Saturni* nonnulli in febribus ardentibus, & dyſenteria à gr. iij ad xv. exhibent, Verum ejus uſus non ita tutus, virilitatem enim adimit. *Sennertus.*

XXXII. Cavendum à plurimum *frigidis eduliis* (niſi dum caloris ſævitia, poſthabitis aliis malis id expoſcit) Nam hæc & humores incraſſant & vias arctant: atqui tota curandi ratio in fervoris humorum extinctione conſiſtit, aut bullientes humores per corpus hæc tranſpirare docet: nam febris remiſſio ex ferventium humorum tranſpiratione fit, quam moliri poſſumus, aut pororum apertione, aut æquali humorum minutione: quo fit ut nimis frigida & adſtringentia in victus ratione (ſecus ſe res habet de potu) omnino à ratione & uſu aliena ſint: quare ante judicationem iis non oportet uti nam ſæpe contingit criſes fieri infeliciùs, natura ex frigiditate obtuſa & poris ferè occluſis, *Mercatus.*

XXXIII. *Avicenna*, de cura Cauſi agens *balneum Ardentis nothæ* utilius ait eſſe quam exquiſitæ: *Galen.* 3. acut ult. Ardenti ex pituita talia advertiſſimum eſſe dicit: Conciliabis adverſos ſi dixeris præſcribi balneum, vel ad temperandum ardorem, & fervorem humorum ſedandum, vel ad humoris reliquias diluendas: Exquiſitæ ardenti balneum frigidum quadrat, ante & poſt coctionis ſigna, concedente ipſo Galen. 11 ad Glauc. cap. de

R 3

Tertian. Exq. Cauſo autem notho deſtinatur ab Avicenna calidum balneum, ſalſa enim pituita, ejus cauſa, pertinacius reſolvitur, balnei ideo modico calore egens. *Fortis l. de Febr. c. de Ardente ſpuria.*

XXXIV. In febrium Acutiſſimarum & pernicioſarum curatione hoc diligenter advertendum, rariſſimè eas fieri ſine interna & peculiari viſceris cujuſdam affectione, & plerumque inflammatione, quare nunquã omittenda cura hypochondriorum, capitis, thoracis, uteri, renum & veſicæ, ut omni ratione inveſtigemus quæ harum partium inſigniter laboret, & ei, quoad fieri poteſt, ſubveniatur. *Riverius.* Mox ego ac uſtionem maximam in febricitantibus intueor, ſi phlegmones internæ ſigna, quæ diligenter inquiro, non apparent, de aliqua tamen tali affectione cogito, etiam eo curationis rationem dirigo &c. Vix unquam occurrit ulla earum febrium quæ vehementer ardent, ut per quas lingua exuſta eſt, & per quas exeunt de ventre torrefacta, quin aliquod internorum viſcerum præcipuè ſpatiatur, phlegmonen, eryſipelas, aut ſaltem phlogoſin, ſentiunturque hæc duritie, tumore, dolore, aut calore inſigni in ea regione qua viſcus locatum eſt. *Valleſius 3. Epid. t.*

XXXV. In Febre Ardentiſſima ſi *Iulepi*, aliique *Potus refrigerantes*, aut denegantur, aut parca dozi exhibeantur, corpus à calore febrili exſiccatur, & areſcit, unde non parum damni ægris imminet: Talia enim quæ ad humores præparandos exhibentur, non ſunt de natura eorum quæ in minima dozi vires poſſident maximas, ſed contra cum agant qualitatibus primis & ſecundis, niſi in quantitate proportio adfuerit inter humorem alterandum & medicamentum, fruſtra illud præſcribitur; ſi quidem ſi non ſuperat humorem, ab ipſo ſuperatur & corrumpitur: Copioſius ergo & ſæpius præbeantur, eoque audacius ſi coctio præceſſit, Naturales enim vacuationes criticæ per ſudorem, alvum, vomitumque ſic juvantur. *Primiroſius Error. Popular. lib. 4. c. 40.*

XXXVI. *Balneum* eſt Ardentis febris tertium præcipuum remedium, ex aqua dulci, malva, violis, lactuca, nenuphare alterata paratum: tepidum initio, pro reſolutione acrium humorum, ulceroſam laſſitudinem cauſantium: frigidum in fine adminiſtrandum, licet robuſtis corporibus, æſtivo tempore, frigidum quoque ſtatim & ſemper permittat Galen. 2. meth. 9. Sed quoniam Balnei uſus hiſce noſtris temporibus jam obſolevit, Capiti, Cordi, Iecori, Renibus & Teſtibus refrigerantia apponenda ſubſtituantur. *Fortis l. de Febr. c. de Ardente legitima.*

XXXVII. Licet *Maſſarias* reprobaverit *Acida*, ut adſtringentia, forſan non cognovit quod ſtypticorum alia ſunt craſſæ ſubſtantiæ, ut pontica & auſtera, ſorba, corna, & hujuſmodi alia adſtringentia, Alia tenuioris, ut acida, ſuccus citri, limonum, acetoſæ, vitriolata omnia: hæcque non adſtringentia ſed aperientia ſunt, quæ ideo potionibus refrigerantibus, imo & aperientibus immiſceri poſſunt. *Fortis lib. de Febrib. p. 8.*

XXXVIII. Ad febris *Continua* conſtitutionem requirimus ut ejus cauſa Vel in ipſis vaſis ſanguinem vehentibus, ipſoque adeo ſanguine, ipſiuſque partibus multifariis, Vel in tali corporis parte alia conſiſtat quæ continuam cum dicto ſanguine, ipſoque adeo corde habeat commercium, ſed ita ut illud nonniſi in totum impediri poſſit ac interrumpi, nec certis temporibus ab internis cauſis (quod Intermitt. febribus evenire ſolet) denuo reſtitui: Addimus Sanguinem nunc ab externis, nunc ab internis cauſis poſſe ita affici, ut continuam producat Febrem: Inter cauſas externas iſtius Epidemicæ notavimus Aërem valde tunc æſtuantem, atque tam per cutis poros quaquaverſum, ergo ad ſanguinem quoque penetrantem, quam in Pulmones inſpiratum, ibidemque ſanguini junctum, nec ipſum ſecundum naturam effervеſcentem blande iterum temperantem, verum eidem partes ſuas & igneas & Salinas volatiles communicando ipſum nimium diſſolventem, liquantem & rarefacientem, ſicque vitalem in corde Effervеſcentiam, cum aucto calore plurimum vitiantem, atque febrem continuam producentem: Inter Internas cauſas culpavimus *Bilem* ab iiſdem aëris partibus, igneis & ſalinis volatilibus, ſed acribus, & acriorem & volatiliorem & abundantiorem factam, ideoque tam in tenui inteſtino, quam corde ipſo effervеſcentiam vitioſam, & quidem cum calore notabili conjunctam, ideoque ſine dubio Febrilem excitantem: Qui neceſſario ex maſſa ſanguinea univerſa paulatim corrupta producti ſunt humores varij, multifarie vitioſi, non tam dici poſſunt cauſa febris Continuæ tum urgentis, quam ſymptomatum variorum multifarie Ægros diverſos vexantium, Curatio proinde Continuæ, qua talis, conſiſtere debuit 1. in Ære vitioſo vitando vel corrigendo: 2. In Bile Acriore temperanda, Volatiliore figenda, & Abundantiore minuenda, 3. in Effervеſcentia vitioſa, & quidem cum notabili & moleſto calore conjuncta moderanda, compeſcenda, & ad temperiem naturalem reducenda, 4. In Sanguine nimis ſoluto blande coagulando, nimis rarefacto condenſando, & nimis æſtuante refrigerando, aliterve vitiato ad integritatem laudabilem reducendo. *Fr. Sylvius Append. Tract. 10. §. 692. & ſequ.* Quamvis autem in Febris noſtræ curatione, nullam fecerimus ſanguinis ex aperta vena miſſionis mentionem (quia illa omnino carere poſſumus, & abſque illa plures fuerunt feliciter curati) non eſt tamen illa hic contemnenda, cum præſertim utilis fuerit temperando ſanguinis æſtui, ac præveniendæ in plethoricis ſuffocationi: Vtilis ergo fuit in plethoricis, utilis in juvenibus, in conſuetis, in æſtum magnum patientibus, in eam deſiderantibus, atque ex imaginationis formæ vi commodum inde majus percipientibus. *Idem §. 726.*

XXXIX. *Hippocrates* in *Cauſo legitimo mulſa cocta & aquoſa* quantum æger voluerit concedit, hocque potu ægrum ad criſis horam ducit; id quod manifeſtum eſt ex eo quod in hunc modum ſcribit 4. de v. Acut. Et ſorbitiones, *inquit*, niſi dies judicatorij tranſierint, non dabis: Subaudies cum *Galeno*, ſi virtus eſſe robuſta videatur ægri: Quod ſi de ejus viribus non fidas, ut ſolo potu perdurare poſſit ad criſis horam, aut etſi in præſenti virea conſtent, times tamen futuram imbecillitatem, aut quia raro habitu eſt, aut conſuetus eſt multum ingerere, talem exhibebis victum, Hordeum plenum, album, utroque cortice exutum, coque in aqua fontis, quæ aut coctione, aut mora longa reſidentiam fecerit, ſitque hordei pars, aquæ xx, bulliat tam diu ut infletur hordeum & rumpatur (*Hic Potus erit ægri victus, ubi virtus erit robuſta, ſine imbecillitatis metu*) linteo raro ſuſcipito, fortiterque exprimito, ita ut totam hordei medullam exire facias, hanc multa aqua hordei miſceto ut tenuis fiat ſorbitio, & cum pauco ſaccharo exhibeto, Syrupi Acetoſi acris ſi tantum miſceas, ut aliquid aceroſi

habeat

habeat dicta ſorbitio, optimum cibum huic febri efficies. *Brudus de victu Febr. l. 3. c. 1.*

XL. Si *Cauſus a materia pituitoſa Salſa* fuerit, *craſſiori Victu* alendi ſunt ægri, nempe ſorbitione tenui, Potus non erit ijs victus idoneus: quare ſorbitionibus in hunc modum uteris, ſi virium adfuerit robur, habitúſque talis ſit ut non facile corpus effluat, parceque ſit aſſuetus vivere ſecunda valetudine: Sorbitionem ea hordei medulla, cum ſyrupo acetoſo, eo quo ſupra dictum eſt modo præparato: Hunc victum (& ſimiles) intellige iis convenire qui maligno Cauſo non laborant, qui noſcuntur ex aſſidua extremorum frigiditate: Iis ergo qui Cauſo a pituita Salſa laborant, ſorbitionem dato ex hordeo, aut ex mica panis ter loti, bona ſyrupi acetoſi quantitate injecta, ita ut palato effatu dignam referat repræſentationem: Quod ſi facultas debilis fuerit, aut futuræ imbecillitatis ſuſpicionem præſtet corporis habitus, aut conſuetudo, aut ſi alvus ab initio liquida fuerit, corpus abſumens, præbeatur victus ex pullo pingui cocto ad lentum ignem, additis prunis & hordeo præparato, cum mali granati acidi granis quantum manu capere poſſis. *Idem cap. 2.*

XLI. Cæterum ſçire oportet *Cauſum* cum à *Salſa pituita* generatur, ſi cum alvo ab initio perturbata fiat, vires naturæ multum abſumere: quapropter *victu craſſiori* eos indigere qui hujuſmodi Cauſo laborant, præſertim ſi habitu ſint raro & aſſueti multum edere: Natura ſiquidem hujuſmodi Cauſo laborantis, ſymptomatum pravitate, & humoris contumaci reſiſtentia, coctrici facultati repugnantis exolvitur. *Idem ibidem.*

XLII. Prudentiſſime *Hippocrat.* in *Maligni Cauſi* curatione *Sorbitiones attractorias* miniſtrare jubet; 4. de rat. V. acut. h. e. vult ut Sorbitiones attrahenti pharmaco miſceamus: pharmacum enim ſorbitione mixtum melius nuncupare non potuit, nomen ab utroque ſimplici compoſitum efficiens: Sic *Galenus* in phlegmones jecoris curatione, cortice hellebori in ptiſana, mercuriali & filicula utitur, Idque non vulgare præceptum eſt in vehementi febre aut maligna; Nempe cum purgatio admodum neceſſaria ſit, timeátque Medicus invalidis ægri viribus, conſulte aget ut cum pharmaco uti velit, id ſimul cum ſorbitione ægro offerat: Sic enim pharmacum minus commovebit, minuſque calefaciet & exſiccabit, quæ omnia in vehementi febre aut maligna fiant, diligenter obſervandum eſt: Pharmacum præterea ita exhibitum vires naturæ minus exolvit: In febre maligna aut peſtilenti optimus fuerit exhibendi pharmaci modus, quo nullus alius certior, minorique damno. *Idem cap. 3.*

XLIII. Nonnulli Medici in *Cauſo medullam cucumeris, citrulli*, alii lactucam, portulacam, alii lac amygdal. ſcariolam cum aceto, aut agreſta, vel ſucco berberorum, aut acetoſitatis citri, utrique Cauſo concedunt; Sed quantum adſtringentia adverſa ſunt legitimo Cauſo, tantum frigida potentia Notho; quod ex hoc maxime intelliges, *Legitimus Cauſus* fluxu ſanguinis aut ſudore ſolvitur, ut ex *Hipp.* diſcimus, Quæ autem potenter nimis frigida ſunt, cum ea quæ adſtringunt, utrique obſtant terminationi: Quod *Notho* non conveniant ea quæ potentia valde frigida ſunt, ratione manifeſtum ſit, Humor ſi quidem hujus febris difficilis coctionis eſt, idque maxime ob id quod frigida, glutinoſa & craſſa pituita ſit quæ hanc febrem generat, quapropter abſceſſu ſolet hæc febris terminari, ut à *Galeno* 4. de rat. v. ſcriptum eſt, quare omnia quæ potentia frigida valde ſunt, huic febri incommoda eſſe quivis percipiat: At quæ adſtringunt, niſi ſymptomatis gratia exhibita, utrumque Cauſum perniciosum aut dyſcritum efficiunt. *Idem cap. 4.*

XLIV. *Utriuſque Synochi Victus forma* ſimilis eſt ei quam Cauſo convenire diximus; Cum enim uterque febris ſit nullas habens intermiſſiones, indicat ægrum Potu fore nutriendum Et quia hæc febris raro accidit cum imbecilli facultate, aut calido & ſicco temperamento, neque habitu raro, ob id ſolum in hac febre de conſuetudine quæremus; quem ergo parvo vivere in bona valetudine ſçieris, ſolo Potu nutrire oportet. *Idem cap. 5.*

XLV. In *Synocho putreſcente* obſervandum eſt ante miſſionem ſanguinis, aut ventris ſubductionem, aut clyſterem, bono temporis intervallo exhibendam non eſſe aquam hordei, ut docet *Hippocrates. Idem.*

XLVI. Non prætermittendum eſt in hoc *Synocho a putredine*, paulo ſolidiorem debere eſſe *victum*: nam diſpoſitio ex corruptione humorum, indicat ciborum adjectionem, ex *Galeno* aph. 8. Natura inſuper citius labitur à febre & putredine ſimul invadentibus quam ea ſola febre. *Idem.*

XLVII. Noſtri juniores Medici cibos ex cucurbitis, ſpinachijs, lactucis, portulacæ virgulis, citrulli medulla conficiunt in *Synochis febribus*, At hæ cum valde acutæ ſint, natura eas diu ferre non poteſt; cito enim fit criſis, qua aut natura vincit, aut vincitur, ut ſcribit *Galenus* 1. *ad Glauc.* Summa ergo diligentia curare Medicus debet ne aut humoris, aut corporis vias ad criſim indiſponat: Victus autem ex frigidis herbis potius efficere hoc valeat quam humoris igneam qualitatem refringere, aut ſitim ægri ſedare, quæ alioquin magna aquæ frigidæ quantitate uno hauſtu ebibitæ vix ſedatur: In Continentibus igitur febribus verendum eſt ne victus ex hujuſmodi refrigerantibus valde herbis, aut mortem, aut pravam criſim inducat, ad fluxum ſanguinis e naribus, & ad ſudores corpus laborantis & humores ſimul indiſponendo. *Idem cap. 6.*

XLVIII. Eſt qui (*Avicenna*) *jujubas & lentes* "com aceto, & cum granatis, & cum ſumachiia "concedat, quando intentio eſſet ingroſſare ſangui- "nem, aut cum natura eſſet nimis mollis: *Et ſubdit* "Et ſi ſit aliquod horum per quæ conſtrictio ore- "tuatur, ſçilicet ne ventrem ſtringat, frangatur "ejus conſtrictio cum ſiraloſt, & prunis, & cibetur "tunc cum cibo facto de cucurbita & herba ace- "toſa: Et convenit olus frigidum factum de aceto- "ſa, endivia & lactuca. Sed forſan contra hæc quis "objiciat, Quodnam magnæ dignitatis commodum in Continenti febre ea ſanguinis ingroſſatione ſequitur, Ut ejus gratia ſumach condimentis miſcere auſus fuerit in Synocha febre? Videtur tamen duplici de cauſa id conceſſiſſe, nempe aut ingroſſationis, aut ſymptomatis gratia, ut cum alvus liquida præter modum fuerit: At ingroſſandi ſanguinis gratia haud quaquam rectum eſſe opinor, Nam prudentis Medici non videtur eſſe in fluxione quæ à toto, aut ab aliqua parte in aliam fit, bilioſum ſanguinem craſſiorem reddere cum iis quæ valde adſtringunt, ne ſuperfluum humorem fluentem in parte aliqua majoris forte momenti detineamus, Aut ne id quod in parte affecta eſt magis impingamus, In Synocha vero febre ſanguis fervens in altum tumet, more aquæ ebul-

lientis in olla; huius fervorem, igne non remoto, compeſces ſi igneam qualitatem ab aqua remittas; id efficies aut aqua frigida iniecta, aut ſi os teſtæ diſcooperias, vt aëris refrigerium capiat; Sic in Synocha, aut potu frigidæ ferventem humorem compeſcere oportet, aut conandum vt per corporis poros ebullientes fumi libere tranſpirare poſſint, hæc enim via ad ſalutem certior eſt, nam febris remiſſio ex afferveſcentium humorum tranſpiratione fit, quæ duplici arte fieri poteſt, nempe cum aut pori totius aperiuntur, aut humores æqualiter minuuntur, docente *Galeno* in m. m. Adſtringentia autem, ex quibus vnum viribus valeos eſt rhus, tantum abeſt vt perſpirationes liberas efficiant, vt eas prohibeant corpora conſtringendo: nam e triplici cauſa prohibitæ tranſpirationis vna conſtrictio corporum eſt: Ex iis igitur manifeſtum eſt rhoen, & cætera adſtringentia, nimis eſſe continuis febribus infeſta, eo quod tranſpirationes, quæ remiſſionis febris ſunt cauſa, prohibeant: Symptomatis gratia vti poſſumus iis quæ potentia mediocria ſunt. *Ibidem.*

XLIX. Sunt qui *aſſa Gallinaceorum hepata*, poſt ſorbitiones, laborantibus febre continua exhibent, quod minime probo. Nam cibus longum in laborantium ventriculis immoratur, Quod non parva occaſio eſt vt ob id corrumpatur: prætetea hepar aſſum inter cibos exſiccantes numerandum eſt, quapropter febricitanti non convenit, cuius argumentum eſt ſitis quam excitat. *Idem cap.* 8.

FEBRIS INTERMITTENS
IN GENERE
SYLLOGE.

Paroxyſmorum tempora diſtinguenda. 1.
Vernales ab Autumnalibus natura & curatione differunt. 2.
Vernalium indoles. 3.
Curandi ratio. 4.
Autumnales *ſunt pertinaces.* 7.
Curativæ indicationes. 8.
In tenella ætate Autumn. curatio naturæ committenda. 9.
In provecta earum curandi ratio. 10.
Emetica quando locum habent. 11.
Iis extinctis, etſi purgatio neceſſaria, ad eam non feſtinandum. 12.
Acceſſionem febrilem an inhibere liceat. 13. 19.
Emetica, purgantia, & vena ſectio, quo pacto juvant. 14.
Methodus curandi Sylviana. 15.
An in illis ſemper neceſſaria vena ſectio. 16.
Sudoris movendi neceſſitas. 17. 23.
In cura potius ad pituitam obſtruentem, & ſucci Pancreatici vitium attendendum, quam ad humorum diverſitatem. 18.
An ab initio febris Paroxyſmi poſſint inhiberi 19.
Vomitus *in contumacibus confert* 20.
Salivatio *quando movenda.* 21.
Sudores moventia *quomodo in vſum ducenda.* 23.
Curatio Empirica per antifebrilia *&* corticem Peruvianum 24. 27.
Per ſpecifica purgantia. 25.
Quomodo agant alexipyr. 27.
Ad illa non deveniendum impuro corpore. 28.
Febrilis efferveſcentia diverſimode coercetur. 26.
Pericarpia *aliquando periculoſa.* 29.
Indicationes curativæ ex VVilliſio. 30.
Durante frigore febrili an venam ſecare *liceat.* 31.
Aliquando in ipſo paroxyſmo licet venam ſecare. 32.
Purgans *exhibitum ante paroxyſmi invaſionem, febris curam accelerat.* 33.
An ex vrinis purgandi *&* ſanguinem mittendi *indicatio recte deſumatur.* 34.
Venam *quo tempore* ſecare licet. 35.
Vomitus *initio paroxyſmi quando ciendus.* 36.
Antimoniata & mercurialia *admodum juvant.* 37.
In Autumnalibus *exacte purgandum.* 38.
Intermittentes rite non curatas pejores ſequuntur affectus. 39.
Quædam curata per vini & ſalis exhibitionem. 40.
Per Aquæ vitæ hauſtum. 26. 41.
Per Laudanum opiatum initio paroxyſmi. 42.

I. QVo naturam febrium Intermittentium atque genium coniectura ſaltem aſſequamur, advertendum eſt in Paroxyſmo hæc tria ſpectanda eſſe 1. Tempus *Exhorreſcentiæ*, 2. *Ebullitionis*, 3. *Deſpumationis*: Quoad *Exhorreſcentiam*, ego illam exinde oriundam arbitror, quod materia febrilis, quæ nondum turgeſcens à maſſa ſanguinea vtcunque aſſimilata fuerat, iam tandem non ſolum inutilis, verum & inimica naturæ facta, illam exagitat quodammodo atque laceſſit, ex quo fit vt naturali quodam ſenſu irritata, & quaſi fugam mulita, *rigorem* in corpore excitet atque horrorem, averſationis ſuæ teſtem & indicem: Eodem plane modo quo potiones purgantes à delicatulis aſſumptæ, aut etiam toxica ineaute deglutita, horrores ſtatim inferre ſolent, aliaque id genus ſymptomata: Natura itaque hoc pacto irritata (vt ad tempus *Ebullitionis* tranſeam) quo facilius hunc hoſtem à ſuis cervicibus depellat, fermentationem aggreditur, ſolennem nempe machinam qua in febribus, aliiſque quibuſdam morbis acutis vti conſuevit, cum ſanguinis molem ab inteſtinis inimicis liberare conatur: Huius enim Efferveſcentiæ beneficio diſiunctæ illius materiæ peccantis partes, quæ ſanguini æquabiliter admiſtæ fuerant, aggregari quodammodo incipiunt, atque adeo leviori opera ſubigi poſſunt, vt ad deſpumationem opportunæ evadant: *Deſpumationis* nomine nihil aliud ſignificatum volo, quam materiæ febrilis iam ſubactæ, & quaſi devictæ, expulſionem ſeu ſeparationem: atque illud quod ſeparatur, partim (vt in aliis liquoribus cernere licet) florum, partim fæcum rationem & ſortem obtinet: Redit autem Paroxyſmus, quia nempe febrilis materia nondum tota emigravit, ſed quemadmodum apum embrya ſtatis temporibus ſenſim ſuccreſcunt, ita latens hæc materia pro typorum ratione denuo caput efferr, ac novum negotium naturæ faceſſit, idem ſtadium decurrens quod ante oſtendimus. *Sydenham Tract. de Febribus p.* 69.

II. Febrium autem Intermittentium quædam *Veris* ſunt, quædam *Autumni*: Quamvis enim in tempeſtatibus intermediis nonnullæ oboriuntur, quoniam tamen illæ & minus frequentes ſunt, & ad prædictas reduci poſſunt (illas nempe quibus magis appropinquant) ideo illas ſub duobus his generibus complectar: Et quidem vſque adeo neceſſaria eſt hæc febrium diſtinctio, vt niſi in praxi eandem ſedulo contemplemur, neque de earum duratione

progno-

prognoſtico aliquo rite facto quicquam pronuntiare, neque commodo regimine ægrorum corpora curare poterimus, habita tum tempeſtatum, tum naturæ febrium diverſæ ratione: Verum quidem eſt febres utriuſque tempeſtatis ingenium non plane diſſimile nanciſci, ſive modum ſpectes primi inſultus, qui cum horrore primo incipit, mox in calorem erumpit, ac tandem per ſudorem ſolvitur, ſive typorum diſcrimina, quorum reſpectu quædam *Tertianæ* ſunt, tum vere, tum etiam autumno, Interim tamen non dubito quin febres iſtæ tota ſua natura, ſive eſſentialiter diſtinguantur. *Idem p. 72.*

III. Atque ut de *Vernalibus* primo dicam, illæ omnes vel *Quotidianæ* ſunt, vel *Tertianæ*, & ut ocyus vel ſerius ingruunt pro vario tempeſtatis apparatu: Nam per frigus brumale ſpiritus concentrati, vires in ſuo receſſu ſibi acquirunt, quos appropinquantis poſtea ſolis calor jam vegetos evocat, qui cum viſcidis humoribus (minus tamen viſcidi ſunt quam quos in Autumno prægreſſi fervores excoxerunt, ac torrefecerunt) commiſti, quos durante hyeme natura in ſanguinis maſſa congeſſerat, dum avolare nituntur, implexi detinentur, & quaſi irretiti, adeóque vernam hanc ebullitionem concitant: Eodem plane modo quo vaſa cereviſia repleta, atque in cella frigida diutius repoſita, ſi igni admoveantur tumultum ſtatim concipiunt, & liquor ad volatum pronus eſt; Sanguis hoc modo affectus purgationem ſui molitur, atque ſpirituum volatilium ope negotium hoc ſat cito peragit, niſi forte nimia viſcidorum ſuccorum vi inſtructus fuerit, qui fermentationem cœptam remorentur: & licet hoc ipſum accidat, Effervescentia tamen verna raro continua ſuique ſimilis manet, verum diſſilire, atque in diverſos quaſi paroxyſmos ſolet findi: Sanguine enim opulentis hiſce ſpiritibus jam turgido, natura negotium ſuum quaſi præceps aggreditur, & quarundam partium ſecretionem, ad modum perfectæ ſolutionis per paroxyſmos particulares peragit, priuſquam univerſali ſeparatione defungatur: Atque hæc ratio non inidonea videtur quod verna tempeſtate, præſertim illa quæ æſtatem propius attingit, paucæ febres continuæ occurrant, (niſi forte conſtitutio fuerit Epidemica) fermentationes enim tunc temporis obortæ, vel ſubito conſopiuntur, vel ad intermiſſionem properant; vel denique partes humorum ad ſeparationem proniores, præmature & cum vi quadam alio transferuntur, ex quo mox anginæ, peripneumoniæ, pleuritides &c. ſuccreſcunt, deſinente potiſſimum vere caput exerentes: *Idem pag. 73.*

IV. Has itaque Febres Intermittentes variis modis, & quidem optato cum ſucceſſu aggredi licet, uti mihi non infrequenti obſervatione abunde conſtitit: Nonnunquam *Emeticum* tempeſtive propinatum, ut nempe ante paroxyſmum, ut negotio ſuo defungi poſſit, feliciſſime ſucceſſit, præſertim ſi largam *Diaſcordij* dozin poſt finitam emetici operationem exhibueris, immediate ante paroxyſmi inſultum: Eſt ubi ſanitatem videas inſtitutam per *Diaphoretica*, quæ ſudorem in paroxyſmi ſolutione obortum promoveant, ægro interim optime ſtragulis cooperto: id quod tantopere ac tamdiu faciendum eſt quamdiu vires ægri patientur: Atque hoc in veris intermittentibus, præcipue *Quotidianis* ſæpe obtinuit: Humoribus enim in hac tempeſtate non admodum craſſis exiſtentibus, ſolutio, alias imperfecta futura, in perfectam adoleſcit, quod quidem in Autumno nunquam accidit: Quid quod *Clyſteris*, in diebus intermittentibus, per triduum, vel quatriduum exhibiti beneficio Tertianas aliquando curaverim? Veruntamen ſi ob phlebotomiam, liberaliori manu celebratam, quo tempeſtas ipſa parum cautos inclinat facile; vel ob ægri debilitatem antecedaneam, ſpiritus illi qui ſubito ad deſpumationem ſe accingerent, pauperiores facti minus valeant, accidere poteſt ut hujuſmodi febres vernales Autumnalium diuturnitatem æmulentur; Sed ſane non ſolent illæ eo uſque durare, quippe quæ vel ſua ſponte deſinant, vel leviori remediorum ope facile in fugam vertantur. *Idem pag. 74.*

V. Intermittentes autem *Autumnales* non tam levi opera ſe amoveri patiuntur: Si Autumnalis conſtitutio fuerit Epidemice, circa Junium adultum ſolent invadere: Sin minus Auguſtum præſtolantur & Septembris initium, hi ſubſequentibus vero menſibus rarius occurrunt: Cum earum ingens aliquod agmen ſimul primum invaſerit, obſervare licebit earum paroxyſmos plerumque una eademque diei hora contingere; acceſſionibus nunc prævertentibus, nunc poſtponentibus, ſimili plane modo atque eodem tenore, niſi quod accidere queat ut ordo ille medicamentis adhibitis, quæ retardandi vel præcipitandi vi pollent, in quibuſdam corporibus immutetur, vel pervertatur, Typorum ratione, vel Tertianæ ſunt, vel Quartanæ: atque de Quartanis quidem illud merito affirmari poteſt eas genuinam eſſe Autumni ſobolem: Utræque profecto ea affinitate connexæ ſunt, ut ſæpenumero vicem permutare, ſaltem ad tempus, deprehendantur, mox fortaſſis ad priſtinum genium rediture: Sed Tertianæ vernales nunquam Quartanarum typos induunt, cum toto cœlo à ſe invicem diſtinguantur: Neque porro obſervavi unquam hac tempeſtate Quotidianam contigiſſe, niſi quis Tertianam duplicem, vel triplicem, Quartanam hoc nomine cenſuerit ἀκύρως appellandam. Has autem Febres intermittentes hoc modo fere originem ſuam nanciſci arbitror, Nempe anno progreſſo ſanguis etiam pro rata proportione exaltatur (haud ſecus ac vegetabilia quævis augmentis atque declinationibus ſuis eundem curſum tenent) donec ad ἀκμὴν ſuam ultimúmque vigorem pervenerit: hinc parallelis motibus cum tempeſtatibus anni pergens, eo declinante relaxari tandem & ipſe incipit, ac tum præcipue cum ab accidentali aliqua cauſa promotus fuerit, puta ſanguinis immodica jactura, frigore admiſſo, cibis crudis atque excrementitijs, balneorum uſu intempeſtivo &c. Jam ſi ſanguis in hoc decidentiæ ſtatu conſtitutus, eo uſque prolabatur ut œconomiam ſuam tueri, atque præſenti ſorte fortunas ſuas tueri nequeat, Natura novum conſilium meditata eo tandem inclinat, ut novam quandam texturam effœtæ maſſæ præparet, adeóque novas res molitur, id nimirum agens ut partes ſanguineæ molis, quæ fermentationi magis inſerviunt, quam commodiſſime ſeparentur: Atque huc ſpectat Ebullitio mox inducta, qua liquorem ſanguineum quandoque valde degenerem corripiens, febris inde oriunda mali moris eſſe ſolet, & malignis atque horrendis ſymptomatibus pleniſſima: Illud utcunque accidit, ut ſanguis ſpiritibus ſuis magnam partem exutus, & ab æſtate præcedenti plurimum exuſtus, ebullitione ſua nonniſi tardiſſimis motibus defungatur, ſuæque deſpumationi longiſſimum periodum poſtulet: *Idem pag. 76.*

VI. Jam vero ut manifeſtum evadat quam difficulter hæ febres curationem admittant, hoc loco perpendendum eſt *Continuarum* hujus tempeſtatis, atque *Intermittentium*, diſcrimen in eo maxime verſari quod Continuæ conceptam ſemel effervescentiam συνεχῶς, uno eodemque tenore perficiant, Intermittentes autem partitis vicibus, ac diverſis temporibus eadem defungantur: Interim in utriſque fermentatio Naturę ductu peragitur ſpatio horarum c c c x x x v j. aut circiter: neque enim citius aut tardius maſſa ſanguinea in humano corpore ordinatio repurgatur, ſi negotium naturæ permiſeris, haud ſecus ad Pomatium ſuam, vinum atque cereviſia ſuam ac peculiarem habet periodum qua depurentur: Quamvis autem in febribus Intermittentibus ſanguis nonnunquam (ut in Quartana contingit) ſex menſium ſpatio deſpumationem ſuam moliatur, ac tandem perficiat, non tamen (ſi recte calculum ponas) plus temporis in eadem abſolvenda impenditur, quam quod in Continuis impendi naturaliter ſolet: x i v. enim νυχθημέρα, ſive dies naturales, efficiunt horas c c c x x x v j; tribuendo nempe horas quinque cum dimidia cuilibet paroxyſmo Quartanarum, habebis in Quartana valorem x i v. dierum h. e. horarum cccxxxvi: Iam ſi quis dixerit Quartanam, v. g. (eadem enim reliquarum intermittentium ratio ſubintelligenda eſt) ultra ſex menſium ſpatium aliquando excurrere, antequam periodum ſuam abſolvat, Reſpondeo idem etiam non raro in continuis febribus ſpectari, quæ ſæpe ultra dies x i v. protrahuntur: In utroque nimirum caſu, ſi effervescentiam (præſertim circa febrium finem) rite atque ex ordine decurrere ac ſuſtineri vegetam curaveris, deſpumatio intra prædicti temporis ſpatium, h. e. x i v. dierum, aut c c c x x x v i. horarum peragetur: Quod ſi vero effervescentiam illam, ſeu fermentationem refrigerantium medicamentorum, aut clyſterum uſu tunc temporis (ſcilicet verſus febrium declinationem) importune inhibueris, & quaſi frænum illi injeceris, mirum non eſt ſi in longum evagentur, ordine quippe naturæ perturbato: namque hoc modo relaxatur quodammodo ſanguinis tonus, unde ſe ad deſpumationem accingere cum affectu nequit, imo vero in corporibus debilibus & effœtis idem aliquando vel ſponte accidit, niſi cardiacorum ope naturam in illis languentem adjuveris, quo ſanguini deſpumando par ſit. *Idem pag.* 77.

VII. His poſitis, mirum non erit ſi illis non aliam medendi rationem ſuperſtruant, quam quæ in febribus continuis ad deſpumationis debitum opus rite perficiendum adhibenda videtur, cum nimirum illæ à continuis nullo diſcrimine ſejungantur, ſi ordinem ſpectes quo natura earundem materiam expellere ſolet, ſcilicet per effervescentiam certa periodo comprehenſam: Etſi quod ad earum ſpeciem, atque naturæ proprietatem attinet, illas & & continuis, & à ſe invicem plurimum differre non diffitear: Itaque vel methodum qua ſe natura liberare ab hoc morbo ſolet, caute ſollicitéque obſervando, indicium ſumere oportet quo fermentationem obortam acceleremus, atque ita ad ſanitatem ægros perducamus: vel in cauſam ſpecificam penetrando, danda erit opera ut remedijs efficacibus ac ſpecificis morbo obviam eatur: Ab horum altero indicationes ſumendæ ſunt, Ego utramque viam ingreſſus aliquando fui, atque illæſa verecundia profiteri poſſum, non ſine ſumma cura atque attentione animi, ſed nondum eam felicitatem adeptus ſum ut Autumni febres intermittentes certa aliqua praxi, atque medicandi ratione tollere poſſim, antequam ſtatas illas fermentationes peregerint, utcunque moleſtum hoc febricitantibus videatur, qui eouſque ſanitatem ſuam expectare inviti coguntur: Revera autem ſi quis reperiatur qui, ſive methodo aliqua certa, ſive remedio ſpecifico adhibito febrium harum intermittentium curſum non ſolum inhibere, ſed etiam omnino abrumpere novit, exiſtimo eum omni jure teneri ut rem patefaciat, Ego autem rem illam ut ſatis difficilem arbitror, ita etiam periculoſam eſſe non dubito: Cujus rei exemplum luculentum à pulvere illo, quem *Jeſuitarum* appellant, ſumere licet; quamvis enim Pulveris illius uſu fermentationem ad præſens inhibere poſſumus, materia tamen adhuc reſidua, quæ fermentando diſſipari debet, intra breve temporis ſpatium vires ſuas redintegrat, novúmque bellum naturæ indicit: Novi Quartanam per aliquot annos duraſſe, dum hujus pulveris repetito uſu ſubinde interturbaretur: Imo quoſdam pulvis ille immediate ante paroxyſmum exhibitus è vita ſuſtulit, etſi inficias ire nolim hujuſmodi medicamenta in febrium harum declinatione prudenter & caute adhibita aliquando profuiſſe; imprimis vero ſi tempeſtate quoad iſtos morbos minus Epidemica uſurpentur: *Idem p.* 80.

VIII. Verum tamen, etiamſi ex iis quæ nunc annotavimus vix aliqua ſpes ſanitatis ocyus reſtituendæ nobis affulgeat, Medico tamen docto & ſagaci locus relinquitur, qui ſanguinis debitam depurationem procuret, quo vel intra limites a natura definitos ea peragatur, atque etiam ut ſymptomatibus illis occurrat quę in hoc morbo contingere ſolent ac ſupervenire: De hac re igitur paucis, & quatenus illius natura fert, breviſſime dicam, utrumque genus eodem capite complexus, quod eadem fere medicatio utrique, Tertianæ ſcilicet & Quartanæ conveniat. *Idem pag.* 82.

IX. Si itaque harum Febrium alterutra correptus æger, vel *infans* ſit, vel *ætate floreat*, convenit omnino (quantum ego hactenus edoctus ſum) nihil medicamentorum quorumvis ope, aut aeris, ac diętę mutatione moliri, Nihil hinc enim mali natum huc uſque intellexi, ſi modo totam rem naturæ permiſerim: Id quod ego non ſine admiratione, præcipue in infantulis, ſæpe obſervavi, ſanguine namque depuratione ſua defuncto, febres illæ ſponte ſua evanuerunt. Quod autem e contrario ſi vel ſtrictiori aliquo vitæ regimine utaris, vel medicamenta purgantia ſubinde adhibeas (adhiberi ſcil. ſolent eo prætextu ut obſtructiones expediantur, atque humores in primis vijs ſtabulantes exturbentur) vel ſi, quod præcipuum eſt, in conſtitutione Epidemica V. S. celebretur, fiet ut morbus in longiſſimum tempus procurrat, atque interim ut ægri mille ſymptomatibus, iiſque periculoſiſſimis exponantur. *Idem ibidem.*

X. Si vero febricitantes *provectioris ætatis* ſint, ex utroque morbo, non ſolum diuturnitatis, verum etiam ipſius mortis grave periculum imminet: Hic itaque Medicum illud agere oportet ut naturæ ſuppetias ferat, eámque illis adminiculis ſublevet quibus ad negotium ſuum peragendum opus habuerit: Certe enim in effœtis corporibus, niſi fermentatio cardiacorum, & diætæ corroborantis beneficio ſuſtineatur, illud accidet ut ægri incertis ac fruſtraneis paroxyſmis divexati debilitentur, atque morbus eouſque duret donec languida prius natura, graviore aliquo paroxyſmo correpta,

repta, ad ebullitionis tempus pertingere non poſſit, adeóque in ipſo exhurreſcentiæ tempore diem ſuum obeant ægroti: atque hoc in ſenibus non raro uſu venit, qui longa Catharticorum ſerie debilitati fuerunt, imo (ut aliquando viſum eſt) in ipſo vel primorum paroxyſmorum rigore penitus defecerunt, cum exhibito cardiaco ſatis forti ſaltem ad tempus aliquod ſuſtineri potuiſſent: Cum ſanguis tempus illud exegerit quod ad deſpumationem ſuam perficiendam requiritur, neceſſarium eſt ut *Provectioris ætatis ægri* eodem ipſo tempore, vel paulo antea, inſignem aliquam aëris mutationem ſubeant; ſive (quod potius optandum eſſet) in calidiorem aliquam regionem commigrando, ſive modo ſaltem locum in quo primum hoc morbo correpti ſunt. Mirum ſane eſt quantum valeat hæc aëris mutatio ad morbum hunc prorſus abigendum; Interim ut ante hunc temporis articulum aër mutetur, non tantum non neceſſarium eſt ad ſanitatem ex hoc morbo reſtituendam, ſed & minus convenit; etiamſi enim quis in regionem quantumcunque Auſtralem & calidam migraverit, ſanguis tamen ejus in morbido hoc motu ſemel conſtitutus, depurationem ſuam ut peragat neceſſe eſt, quod quidem beneficiū fruſtra expectabitur ab inuſitato novóque aëre, priuſquam procedente atque adulto jam ſanguinis motu ſanitatis recuperandæ capax fuerit: Inſignis ergo illa aëris mutatio tum demum adeunda eſt cum primum æger à paroxyſmo liberari poteſt, e.g. in Quartana, quæ primum in Autumno invaluit, non citius aër mutandus eſt quam circa Februarii initium: Interim ſi æger mutare locum vel nolit, vel commode nequeat, oportebit ut hoc ipſius temporis articulo forti aliquo medicamento utatur, cujus eæ ſint vires, ut uno quaſi ictu langueſcentem illam depurationem potenter promoveat, &, ſi fieri poteſt, perficiat: Ad hanc rem conſulerem ego ut Elect. de Ovo, vel Theriacæ Andron: ℥ʒß. in aq. cœleſtis, vel aq. vitæ cōmunis ℥ij. diſſoluta exhibeatur: Id quod à me cum ſucceſſu non infeliciūn morborum hujuſmodi declinatione factum eſt: Licet agnoſcam calidiora hæc citius exhibita, vel morbum duplicare, vel in febrim continuam permutare, quod ab alijs jamdudum obſervatum eſt: Idem in juvenibus hoc morbo detentis poteſt fieri, cautela adhibita: Ut autem in puerili ætate idem fiat, non tantum non convenit, verum etiam periculo non vacare pridem obſervavi. *Idem pag.* 82.

XI. Notandum eſt in horum morborum principio, (Tertianæ præcipue) nonnunquam contingere ut Effervescentia in juvenibus ac robuſtis eouſque adaugeatur, ut merito tutius exiſtimes ingruenti tempeſtati occurrere quam rem totam Naturæ committere. Hæc autem commodiſſime fiet Emetico in die aliquo intermiſſionis propinato; Illud enim medicamentorum genus pleriſque Autumnalibus morbis appſime convenit, & ſymptomatibus illis præcavet quibus iidem in vigore ſunt obnoxii, Verum hoc facto res tota naturæ permittenda eſt; Quandóque autem accidit ut præ vehementia Effervescentiæ atque motu effero, Tertianæ Autumnales (in juvenibus præcipue) depuratione ſua ante deſtinatum tempus defungantur, adeóque poſt paroxyſmos non multos evaneſcant, opere nempe naturæ præcipitato, Quartanæ autem non tam citopede curſum ſuum peragunt, niſi forte æger eodem morbo jam antea defunctus fuerit. namque in hoc caſu, licet paroxyſmis aliquot exerceri poſſit, Medicus tamen rei conſcius fidenter morbum illum ſubito evaniturum prædicere poterit, quod obſervatu dignum eſt, *Idem pag.* 85.

XII. Sublato morbo æger ſedulo *purgandus* eſt, ea purgationis enim defectu poſt morbos Autumnales morborum magna vis ſubnaſcitur: Diligenter autem attendendum, ſi ceſſantibus paroxyſmis cito nimis purgationem aggrediaris, periculum eſſe ne illi redeant, nimirum ex tumultu quem Cathartica, etiam leviora, in humoribus excitare ſolent. *Idem pag.* 88.

XIII. *Acceſſionis febrilis inhibitio* inſtituitur per remedia quæ *ſanguinis fermentationem* ſiſtunt; Licet autem hoc remedium empiricum, à methodicū & valde infidum apud Medicos audiat, certum tamē has febres hoc modo ſæpenumero curari, cum pharmaca non omnino profuiſſent, Qualia ſint & quo ritu abſque veneficū ſuſpicione iuvamen præſtent *Vide ſupra §. 27. iii. de Febre Putr. in genere*: hic ſolum animadvertimus horum uſum poſt pharmaca & V. S. ſi opus ea fuerit, eſſe maxime proficuum; & niſi hæc rite præmittantur, iſthæc altera raro paroxyſmum inhibere. *Williſ de Febr. c.* 4.

XIV. Ut ſanguis ad temperiem naturalem reducatur, Vomitoria, Venæ ſectio, & Purgatio magni ſunt uſus, præcipue ſi in morbi initio celebrentur: Juvant *Vomitoria*, tum quatenus ventriculum expurgant, ut coctio primæva melius perficiatur, indéque chylous nutritius pro materia ſanguinis purior ſuppeditetur, tum præcipue quatenus bilem e meatu choledocho copioſe exprimendo cyſtin felleam inaniant, ut exinde bilis e maſſa ſanguinis plenius eluttietur, adeoque ſanguis à recrementis ſalis & ſulphuris aduſtis depuretur: *Vena ſectio* ſanguinem refrigerat & ventilat, ut propterea minus torreſiat, aut præaſſetur, atque liberius ſine aduſtionis periculo in vaſis circuletur. Item *Purgatio* bilem e vaſis felleis, & conſequenter e cruoris maſſa uberatim emulget, & proritando exprimit: In hunc finem (ſcilicet cruoris reductionem) conferunt digeſtiva, acetoſa, attemperantia, quatenus ſanguinem fundunt & alterant, ejúſque fervorem attemperant: Vomitus autem, Purgatio & venæ ſectio, niſi ab initio ſtatim celebrentur parum opis præſtant, imo ſæpius obeſſe ſolent, dum enim ſanguis ſpiritu vitali pollet, ejus mala diathesis facili negotio corrigi aut emendari poteſt: quare ſi bilis circa initia copioſe emulgetur, aut cruor eventilatur, ad craſin naturalem reducitur; poſtea tamen in morbi progreſſu (ſpiritu jam plurimum exhauſto, atque ſale & ſulphure nimium exaltatis) ſi ejuſmodi evacuationes adhibentur, ſanguinis craſin plus debilitant, Ideóque obſervatione conſtat, ab his remediis ſero admotis febrem raro aut vix omnino curari: Novi ego verno tempore quoſdam ſatis integra valetudine fretos, ab emetico fortiori præcautionis gratia ſumpto, & evacuationem violentam cientem, e veſtigio in tertianam incidiſſe; Atque alios à febre hac aliquandiu curatos, cum purgationem pro exterminandis materiæ febrilis reliquiis fortiorem inirent, illico recidivam paſſos: In promptu erit dicere mineram morbi prius ſopitam hoc modo à pharmaco ex ſuſcitari, & in actum deduci: attamen ſi recte rem hanc conſideres, potius dicendum videtur quod à pharmacia fortiori ſanguinis craſis plurimum lædatur, cúmque prius fuerit in dyſcraſiam bilioſam pronus,

ut ſuccum alibilem ægre aſſimilet, à cauſa hac evidenti illico magis degeneret, ut protinus nutrimentum in materiam fermentativam perverterit, adeóque diatheſin febrilem ſuſceperit. *Idem ibidem.*

Curatio Sylviana.

XV. QVia *Febrium Intermittentium*, qua Intermittentium, cauſa nobis eſt conſtituta *Succus Pancreaticus*, ob Ductuum ſuorum lateralium, à pituita in ipſis coagulata, productam obſtructionem, factus ſtagnatione *acidior*, *acriorque*, hinc poſt perterebratam obſtruentem pituitam in Tenue inteſtinum delatus, ibidémque vitioſe cum occurrente *Bile*, atque *Pituita inteſtinali* effervescens, mox cum iiſdem quavis demum forma uſque ad dextrum cordis ventriculum ſerpens, ac in eo non tantum acrimonia ſua, vel flatulentia, cor irritandu frequentiorem pulſum excitans, verum inſuper vitalem effervescentiam, ipſámque ſanguificationem modis variis alterans & turbans, tum plurima ſymptomata variis in locis proferens: Curatio illarum abſolvetur, Si primo, *Pituita obſtruens*, plus minuſve *glutinoſa* & *coagulata*, incidatur ſolvatúrque, quin inde, loco nimirum peccans, removeatur, & ad tenue ſaltem inteſtinum deducatur, aut in totum è corpore educatur. Secundo, *Succi Pancreatici Aciditas* & *Acrimonia* aucta temperetur & corrigatur: Tertio, Ejuſdem ac bilis effervescentia in tenui inteſtino vitioſa impediatur aut emendetur. Pituita obſtruens inciditur Aromaticis & ſale volatili quovis, ſed ita præſertim uſurpatis ut corpus univerſum ſimul incaleſcat, quo vis medicamenti quaquaverſum diſperſa pertingat quoque ad ipſum Pancreas, ejúsque Ductus laterales, Locúmque adeo affectum & morbi focum, Quæ conducunt imprimis Pituitoſis & Melancholicis: Exempli loco eſto Miſtura ſequens, aliquoties in die ad cochleare vnum aſſumenda: duabus vero tribuſve ante novi paroxyſmi adventum horis, ad cochlearia tria vſurpanda, calorem corporis, vel motu, vel tegumentis, vel igne balneóve blande ſimul augendo, etiam uſque ad ſudoris mediocris eductionem, ſic enim plus præſtabit, & nonnunquam febrem feliciter tollet, *℞. aquar. petroſelini* ℥ i j *fœnicul.* ℥ j. *theriac. ſimpl. vel vitæ Matthioli* ℥ j ß. *ſalis volatilis ſuccini* ℈ j. *ſyrup. card. ben.* ℥ j. *miſce.* Quoties ægri conſtitutio obſervatur Bilioſa, uſurpari poterunt ſolventia, incidentiáque acida ℞. *aquar. fumar.* ℥ iij. *ſalis armoni. vel tartar. vitriol.* ʒ j. *antimon. diaphor.* ʒ ß. *ſyrup. fœnicul.* ℥ j. *miſce.* Quoties ſimul pituitoſi & bilioſi humores in eodem abundant ægro, ex binis modo laudatis ſubcontrariis parari poterunt hæ Miſturæ ℞. *aquar. card. ben. cichor. ana.* ℥ j ß. *theriac. ſimpl. aceti ſtillat. ana.* ʒ v j. *ocul. cancr. pulver.* ʒ ß. *ſyrup. V. radic.* ℥ j. *m.* Si obſtruens pituita non fuerit valde glutinoſa, una ſæpe ſudatione tali ſolvitur in totum obſtructio, deduciturque ipſius cauſa in tenue inteſtinum, & curatur febris: Poteſt in corpore pauca pituita, ſed copioſiore bile ſcatente, tribus quatuorve ante paroxyſmi reditum horis, Vomitorium exhiberi, cujus ope non tantum bilis redundans, ſed ſimul pituita obſtruens, ad tenue inteſtinum, hinc ad ventriculum, & tandem per gulam & os expellitur, febrísque ſic jugulari dicitur: In quem finem ſæpe uſurpavi cum ſucceſſu *Sapam Vomitoriam*, ex antimonii vitro à me paratam, & alia ex antimonio, hic præ aliis omnibus conveniente, ſimiliter paranda medicamenta: Idem præſtabunt ſubinde Purgantia per alvum; ſed additis ſemper quæ ſimul incidant & educant pituitam viſcidam e. g. ℞. *maſſa pilul. fœtid. mai.* ℈ ß. *troch. alhand. Mercur dulc. ana. granor. v. olei ſuccini gutt. ij. m. f. Pilul. numero v.* Hæ iiij. aut v. ante futurum paroxyſmum horis aſſumantur, corpuſque blande moveatur: Aucta ſucci Pancreatici aciditas & acrimonia temperabitur feliciſſime Salibus volatilibus, & aromaticis omnibus, non neglectis opiatis: Conveniet proinde miſtura ſupra propoſita ex *aquar. fœnicul. petroſelin. &c:* quæ erit magis efficax ſi eidem addantur *laud. op. grana i i j. olei garyoph. gutt. i j.* 3. Ejuſdem ſucci Pancreatici & Bilis effervescentia vitioſa, impedietur, corrigetur ſaltem, laudata modo miſtura, præſertim ob Opium, oleoſitate ſua utrumque Acre mire leniens ac temperans: Atque ex paucis hiſce formulis facile quivis junior Practicus alias excogitabit pro re nata: *Sylvius de le Boë Prax. Medic. libro primo cap.* 30.

Pituitam glutinoſam ſolvunt ubique & incidunt tum Acida, tum Aromatica, & Salia volatilia: Eadem ipſam in notatis Ductibus ſolvent, *ſi eo deferantur*: Deferuntur citius & potentius quævis medicamenta, ſi fuerint Evacuantia, vel Evacuantibus juncta, Id enim videtur peculiare in *Evacuantibus* per Vomitum, Alvum, Vrinas, Sudores & Salivationem, quod in ventriculo ac inteſtinis longam non nectant moram, ſed, niſi impediantur ab humoribus & alimentis, cito pergant in venas lacteas & cor, hinc quaquaverſum cum ſanguine: In noſtro vero caſu, *Febribus* ſcilicet *Intermittentibus*, obſervata ſunt longo rerum uſu præ omnibus alijs facillime ad cauſam ipſarum ſuperandam conducere *Sudorifera*, quorum ope ipſi plebei curant Intermittentes.

Videntur autem idcirco præ alijs conducere *Sudorifera*, quoniam ſudor non excitatur niſi commoto ſimul ſanguine univerſo, qui tunc quoque fit ſolito fluidior, unde cum ipſo quaquaverſum facilius, & citius, & abundantius feruntur quævis ſanguini immiſta, Ergo & medicamenta Pituitæ ſolvendæ deſtinata.

Quemadmodum vero Pituitam ſolutura medicamenta imprimis Sudoriferis ſunt copulanda, ita medicamenta eandem loco illo motura, præferuntur tam *Purgantia* per *alvum* quam *Vomitoria*: Eſt enim brevis inde via ad tenue inteſtinum, hinc ad ventriculum, quo ſurſum expellatur illa pituita, & ſæpe uno Vomitorio juguletur Tertiana, pituitæ non valde tenaci aut copioſæ originem ſuam debens: Sic ordinaria & facilis eſt humoribus, ad tenue inteſtinum delatis, via deorſum, imprimis quando eo detruduntur à Purgantibus: Sic & Ego ſæpiſſime obſervavi Sudore, Vomitu & Alvi dejectione cito tutóque curari Intermittentes, ac præſertim Tertianas, quippe quæ omnium facillime curantur, utpote ortum plerumque habentes à leviori Obſtructione, h. e. à pituita minus tenaci Ductus notatos obſtruente: Ad ſolvendam igitur & fluidam reddendam Pituitam Ductus dictos obſtruentem, conducunt præ aliis omnibus *Sudorifera*, ex Aromaticis

ticis & Salibus volatilibus, ut & Acidis ſubtilioribus parata, & ſæpius quovis tempore aſſumpta, etiamſi non urgeatur ſemper ſudor.

Ad eandem ſolutam loco inepto removendam conducunt 1. eadem Sudorifera, ſed non diu ante paroxyſmi adventum aſſumpta, corpore ad ſudorem promovendum rite conſtituto. 2. *Vomitoria* & *Purgantia* per alvum, quatuor aut circiter horis ante proxyſmi adventum aſſumpta quo interea temporis Humor, prius Sudoriferis fluidior factus; ad exitum amplius præparetur, ſicque una cum ſtagnante ſucco exturbetur ac e corpore eliminetur: 3. *Succum Pancreaticum*, mora & ſtagnatione *Acidiorem* factum, mitigant & temperant efficaciſſime *Salia volatilia*, cæteraque *Aromatica*, quippe quæ quaquaverſum penetrant faciliſime, nec tantum notatam infringunt *Aciditatem* auctiorem, verum inſuper pituitam incidunt ſolvuntque obſtruentem, ſicque diverſis nominibus conducunt: Quia talia volatilia puriora, nec oleoſa, nullum æſtum, ſæpius in paroxyſmorum augmento excitari ſolitum & moleſtum, foveut augentve, quod de Aromaticis non poteſt dici, cum ab ipſis non parum ſæpe augeatur Æſtus febrilis.

Quapropter in medicamentorum, febribus intermittentibus curandis convenientium delectu, attendendum eſt imprimis ad cujus-vis Ægri conſtitutionem naturalem ac præternaturalem, Humoreſque adeo in ipſo magis abundantes ac peccantes, Et magis adhuc ad ſymptomata cum ipſo paroxyſmo febrili excitari ſolita, & præſertim ad frigus & calorem, utpote moleſtiſſima ægris.

Summa ſane eſt *Volatilium Salium efficacia*, ſed & inſuper *vis* eorundem maxime *tuta* eſt & *innoxia*; quæ de variis plantarum partibus, & medicamentis ex iis paratis non ſemper dici poteſt, quippe quæ manifeſtiorem, ac ſæpe moleſtum in nobis producunt calorem, ut de frigore nunc nihil addam, quod ſimiliter à vegetabilibus excitatur frequenter, non item à Volatilibus animalium ſalibus, ſed minime Oleoſis, qualia parari poſſunt facillime. Ex quibus amplius patet *Salium volatilium* in curandis *Intermittentibus* utilitas, quippe quæ ſola pluribus ſatisfaciunt indicationibus, & quidem 1. Solvendæ pituitæ obſtruenti, ut & eidem Loco movendæ. 2. Succo Pancreatico temperando Acidiori facto, quod poſtremum non fiet ab Acidis, ut ut ſpirituoſis: Diximus antem ad Intermittentium febrium curationem requiri. 3. ut *Effervescentia febrilis, tam in tenui inteſtino quam corde compeſcatur, ſedetur & corrigatur*, id quod in ſpecie faciunt *Anodyna* & *Narcotica*, ſive Opiata, (*vide ſupra tit. de Febre in genere* §. 10.) ut & alia quævis ad illorum naturam vergentia, qualia ſunt *ſulphura mineralium metallorumque fixa*, & ideo nunc *Anodyna*, nunc *Narcotica* dicta: Eatenus vero *Effervescentiam vitioſam*, & propter *Acidum auctum* nimiam, compeſcunt corriguntque Anodyna, & in primis Narcotica, quatenus potenter, licet blande quoque, *Acidum illud* Acrius infringunt, tam ſui olei quam ſui ſalis volatilis opio inexiſtentis ratione Multum autem Opiatis præſtant *Sulphura mineralium metallorumque fixa*, quoniam operationem habent blandiorem & ſunt narcotica vi deſtituta, Somnum tantum blandiſſimum inducentia, neutiquam Stuporem, utut majori uſurpentur quantitate, quod de opiatis vere dici non poteſt: Illa vero addi poſſunt cæteris medicamentis ad *Febres intermittentes*, qua tales, curandas ſemper laudatis, & aliis ad ſymptomata comitantia mitiganda tollendave.

XVI. Dubium autem videtur hic movendum, *An in Febribus Intermittentibus, qua talibus, inſtitui debeat Sanguinis eductio?* poſtquam plures ipſam urgent, quin ad ipſam, veluti ſacram febrium quarumvis rite curandarum anchoram confugiunt, exiſtimantque non fuiſſe curationem adhibitam debitam, ſi neglecta fuerit S. M. Verum ipſorum aſſertum falſo nititur fundamento, Febrem ſcil. omnem conſiſtere in Calore in Corde, hinc & corpore univerſo nimium aucto: Quod licet obſervetur in pleriſque Acutis & Ardentibus febribus habere locum, non eſt tamen univerſaliter ac ſemper verum, poſtquam non tantum occurrunt in Febribus Intermittentibus, quin Continuis quoque, tempora, quibus tantum abeſt ut deprehendatur Calor nimium in corpore auctus, ut contra Ægros tunc urgeat frigus, non tantum leve, aſt ſæpe numero algentiſſimum, & ad horas plures ipſos crucians: Ne nunc loquar de *Febribus* vere ac ſemper *Algidis*, ac frigus continuum patientibus: Quoniam vero ſecundum eorum præceptum, Uno abſurdo dato multa abſurda ſequuntur, non mirum ſi hic quoque proceſſerint perperam in Ægrorum ſuorum cura Medici, falſo illi innixi fundamento ac principio: Quamvis enim multi Febrientes optime habuerint a vena ſecta & Sanguine miſſo, non ſequitur tamen omnibus idem remedium eſſe utile: cum præſertim haud infrequentia occurrant exempla eorum quibus non tantum inutilis, ſed plane noxia extitit ſanguinis extractio: Ex quo genuino, & quidem contrario experimento, vere tantumque concludi poteſt, aliquando conducere, aliquando nocere in curatione febrium, non tantum Intermittentium, ſed Continuarum quoque, ſanguinis eductionem: Quapropter Medicorum, ſi Rationales haberi volunt, intereſt intelligere rationem cur aliquando proſit, cur aliquando noceat in Febrium curatione ſanguinis diminutio, ut præceptum formari poſſit, quando venæ apertionem inſtituere liceat, quando eandem omittere debeat Medicus: Ut proinde de hoc quæſito aliquid certi concludam, non dubito aſſerere, poſtquam non ſemper profuit, verum nocuit non raro venæ in Febribus Intermittentibus adminiſtrata ſectio, ſanguiniſque miſſio, ipſam Interm. Febri, qua tali, non competere, aſt certis duntaxat ſymptomatibus, huic vel illi febri Intermittenti copularis conducere, atque hactenus conferre: Sed inſtabit ſanguinis humani effuſor prodigus, non ſemel unica venæ ſectione, largaque ſubinde ſanguinis eductione, curatam Febrem intermittentem, ideoque aptum fuiſſe ipſi curandæ auxilium ac remedium? Cui reſpondeo, multos affectus leves ſponte curari, ſola Diæta rite inſtituta, unde non mirum ſi præter ſanguinis evacuationem commodam in plethoricis, laudabilis obſervetur Diæta, curari nonnunquam febrem Intermittentem, quam ſola potuiſſet curare laudata Diæta. Hæc vero curat ſæpe Febres Intermittentes leviores, quæ conſiſtit 1. in *Alimentorum* paucorum, facile fermentabilium, ac præſertim liquidorum, Sudorique mediocri promovendo conducentium aſſumptione: 2. In *corporis motu* aliquantum vehementiore, &

quidem ad ſudoris eruptionem uſque. 3. in Aëre calidiore, atque corporis tegumentis variis ſudorem blandum promoventibus: Quibus omnibus ritè obſervatis, nec pituitam obſtructionem facientem, aut facturam augentibus, facile à ſucco Pancreatico hactenus potentiore facto ſolvitur Pituita obſtruens, quin eadem ſudore levi accedente propellitur in tenue inteſtinum: Non mirum proinde ſi aliquando, ubi levior eſt Febris Intermittens, Ubi adeſt plethora, Ubi modo laudata ex parte ſaltem obſervatur Diæta, curetur in principio talis Febris, evacuato per venam ſectam ſanguine: Quæ curatio minime miſſo ſanguini debetur, ſed mutationi laudatam Diætam imprimis conſequenti: Non negaverim tamen promoveri à dicta Venæ ſectione iſtius Febris curationem, quoties adfuit plethora, & Paroxyſmis copulatus calor ardens, nam tantum tollitur ejus ope periculum ſuffocationis, extinctioniſque ignis vitalis à nimio ſanguine, vaſa ita opplente, ut eidem in corde rarefacto deſit ſpatium quo excipiatur, imprimis quando durante calore febrili acuto idem ſolito magis rareſit; verum minuitur quoque in ſanguine incendium noxium, Hæc vero pericula præveniuntur inſtituta in tempore V. S. eductoque ſanguine ſatis multo: quin facile ſuccedit tali evacuationi ſudor, curandis Intermittentibus ſemper utilis, præſertim quando fit cum ægri levamine, atque ipſam fert idem facile, & ipſi confert. Videtur proinde ſanguinis eductio non per ſe, ſed per accidens tantum convenire, non ſemper, aſt aliquando tantum in Febrium Intermitt. curatione.

XVII. Dixi convenientem eſſe Intermittentis febris curationi *Sudorem*, poſtquam omnibus notum eſſe poteſt, imo debet Medicis, malum ſignum eſſe quoties in Febrium Intermitt. paroxyſmis nullus prodit ſub finem, h. e. in declinatione, Sudor: ſolent namque Febres tales eſſe diuturnæ, ſicut contra breves quarum paroxyſmi ſinguli deſinunt cum ſudore, dummodo talis tunc inſtituatur Diæta, quæ nec impediat iſtum ſudorem, nec quosvis humores vitioſos in corpore foveat augeatve. *Fr. Sylvius Append. Tract. X. §. 667. & ſequ.* Vide §. 13. & 14. tit. de Febr. in genere.

XVIII. De Quotidianarum, Tertianarum, Quartanarum &c. cura hoc monemus, poſtquam ipſas non tam humoribus diverſis, pituitæ, bili &c. quam Pituitæ obſtruenti, ſuccove Pancreatico diverſimode ſe habentibus adſcribimus, non tam eſſe attendendum ad recurſus uniuſcuiuſque intervallum, quam ſymptomatum comitantium, & frigoris præſertim caloriſve diverſitatem: quamvis enim e. g. Tertianæ ut plurimum contingant æſtate, ætate juvenili, & maxime bilioſis, unde habenda jure ratio bilis, non deſunt tamen Tertianæ, quæ urgente gelu ſenes pueroſve corripiunt, in quibus ſcatet pituita, quo caſu ſi quis ad bilis temperationem aut eductionem attenderet, toto cœlo erraret: nam ſicut in pleriſque æſtus magnus, bilis effectus, obſervatur, ita in nonnullis nullus vel paucus æſtus obſervatur, pro cujus præſentis vel abſentis varietate cura varianda: Attendendum ergò ſemper ad humores quoſvis, quovis modo in corpore ſimul peccantes, cum ipſi cauſa ſint cur pituita obſtruens magis vel minus ſit acer, ac proinde paroxyſmus in omnibus ſuis variet circumſtantiis & ſymptomatibus, Quoties namque bilis habet in corpore dominium, toties pituita erit minus viſcoſa, ſuccuſque pancreaticus minus acer, ideóque facilius citiuſque curabitur hactenus febris, dummodo curetur ritè: Quoties autem pituita in corpore humoribus dominabitur cæteris, toties obtuſiores erunt & ſuccus pancreaticus & bilis, adeóque pituita ipſa obſtruens magis glutinoſa, unde ſegnius, licet ſatis facile curabitur illa febris, leviora fere habens omnia ſymptomata: Quoties tandem *acidum* redundans humoribus cæteris præcellit, toties bilis erit magis fracta & iners, pituita vero nunc glutinoſior, & imprimis quando ad auſteritatem vergit acidum: nunc fluidior & ſeroſior, præſertim quando acrius exiſtit acidum, & bilis parti ſalinæ penitius junctum, atque una cum pituita fluidiore ſerum efformans ſalſum, ſed muriaticum, Unde tum ſegnius tum difficilius tunc curabitur febris: Qua ratione autem procedendum ex ſupra dictis colligat Lector &c. *Idem. ibidem. Vide Append.* tract. x. §. 654. & ſequ.

XIX. Non deſunt qui ad minuendum vel inhibendum paroxyſmum *opiata* exhibent (Vide §. 10. tit. *de Febre in genere*) Ex altera parte ſunt etiam qui ſtatuunt febrium intermittentium paroxyſmos ab initio non ſtatim eſſe profligandos, ſed illarum acceſſionem ad tempus aliquod eſſe permittendam, Hinc febris incœpta, ſi intra modicum tempus finitur, vulgo dicitur medicina potius quam morbus; nam hac ratione ſanguinis impuritates deflagrant, viſcerum obſtructiones expediuntur, & revera totum corpus ventilatur; ita ut à materia quavis excrementitia, & naſcentium morborum ſeminario prorſus liberetur: Verum hoc ex parte concedimus, ſi ſcilicet intra modicum tempus finitur, ſi vero diu protrahitur, plurimarum ægritudinum, & diuturnæ invaletudinis cauſa exiſtit: hinc enim ſanguinis maſſa ſpiritu vitali plurimum ſpoliatur, & inſtar vini nimis fermentati vapeſcit; interim partes ſalinæ & terreſtres nimis exaltantur, quare Icteritia, ſcorbutus, hydrops, aut cachexiæ aliæ hanc febrem ſero curatam excipiunt; Quemadmodum enim domus ab extrinſeco aliquo incendio invaſa, facilius à combuſtionis periculo liberatur quam ſi jam interiora receptacula depaſcat Vulcanus luculentus, ſic quoque facilius eſt febres à corporibus humanis à principio arcere, quam poſt quam Febres jam interiorem viſcerum œconomiam, invaſerint; Et ex fermentatione depurativa humorum, ſi modum excedat, facile etiam corruptiva fieri poteſt *Frid. Hofmanus m. m. pag.* 371.

XX. *Vomitus* febribus logis & contumacibus unicè confert: Teſtatur *Galenus* 1. *ad Glaucon.* quoſdam ſolo vomitu fuiſſe perſanatos. Nonniſi autem præmiſſa ſ. m. tuto exhiberi multiplici ægrotantium damno innotuit: hac enim neglecta quoſdam repetente coecos redditos obſervatum eſt, alios ſanguinem vomuiſſe, nonnullis venam in oculis diſruptam. *Velſchius Obſervat. 8. in Syll.*

XXI. In Febribus [illegible] locum habent, ſi putridę, benignę, intermittentes: hujus curationis nullā habemus experientiam, licet per criticā ſalivationę ter vel quater ardentes vitæ ſunt terminatæ ad ſalutem: Obſervavere tamen alij in Quartana profuiſſe.

Rol-

Kolfinccius meth. gen. l. 6 ſect. 3. c. 1. In uliginoſa noſtra Hollandia tertianæ plerumque, ceu fidiſſimæ cives, febres etiam vehementiſſimas. *Tulpius lib. 3. cap. 4.*

XXII. Intermittentibus febribus non conducunt *Diuretica* niſi cum immundicus præceſſit potus. hic enim continens intermittentium cauſa, in prima corporis regione collectus commodiſſimam viam in alvum, non in venas majores, renes aut veſicam habet, per quam expurgetur: At cum non in prima ſolum corporis regione, ſed etiam in majoribus venis magna adeſt ſeroſorum & crudorum humorum copia, ea regio diureticis commode exoneratur, Adde quod ea viſcerum obſtructiones ſolvant, & craſſos humores attenuant, ut vel hoc ſolo nomine, ſi modò acriora non fuerint, valde ſint profutura, ſed non ante 4. acceſſionem in Tertiana legitima, ante 7. in notha ſunt uſurpanda, idque prius antegreſſis multis purgationibus: Quibus neglectis, ſi Diureticis æger utatur, excrementitij humores e prima corporis regione in ſecundam transferuntur & pro intermittente fit continua. *Enchir. Med. Pract.*

XXIII. Vix febris aliqua integrè niſi *Sudore* finitur, Et nemo febricitantium perfectam ſanationem ſibi facile polliceatur qui ſudare non poteſt: Atque inter cauſas febrium *ἀδιαπνευστία*, ſeu tranſpiratio impedita, potiſſima cauſa eſt, atque ſola ſufficere poteſt ad febrem inducendam, aliæque cauſæ ſine hac vix febrem inducere poſſunt. De *ſudoriferis* autem notandum ut ſufficientia ſint, & materiam non ſaltem agitent ſed etiam è corpore pellant, nam niſi ſudent ægri poſt ea ſumpta, plerumque vehementius poſtea febricitant: Deinde ut non ſemel ſaltem, ſed quoties opus repetantur: unica enim ſudatio totam materiam ſemper exhaurire non poteſt, ſed ſi in ea ſubſiſtatur, agitatur potius materia quam ut perfecte vacuetur: Et natura per ea repetita eſt aſſuefacienda ut ipſa ſponte & ſemper, quod excernendum eſt excernat, unde ſi recte non exhibeantur ſæpe febres ſimplices duplices evadunt. Vulgus ſæpe quamprimum paroxyſmum aliquem febrilem ingruere ſentit, mox ſudoriferis utitur, quod nec Medici quidam improbant, cum experientia teſtetur ingruentes febres hoc modo præcaveri. In omnibus tamen corporibus tutò non exhiberi, & nonniſi in principio uſurpari rectè puto: nam ſi colluviei magna ſit in corpore copia, vel putredo & humorum corruptio jam aliquouſque progreſſa ſit, vix aliquid proficiunt; niſi quod Rulandum in centuriis facere videamus, fortioribus ſudoriferis aliquoties continuatis materiam diſcutere animus ſit. *Sennertus de Febrib. l. 2. c. 8.* Vide ſupra Tit. de Febre in gen. §. 13. & 14

XXIV. Remedia *Empirica* quæ febres intermittentes curant, ea ſunt quæ ſine quavis vacuatione paroxyſmum ingruentem arcent, intus ſumpta, vel exterius ubi pulſus præcipuè micant applicantur, regioni cordis, carpis manuum aut plantis pedum præcipuè alligantur: Effectus ratio in hoc conſiſtit, quod eorum uſu ſanguinis cum materia febrili turgeſcentia ac fermentatio inhibeantur: nimirum à pharmaco circa vaſa alligato, corpuſcula quædam, ſive effluvia, ſanguini communicantur, quæ ipſius particulas valde figunt & conſtringunt, aut fundendo & exagitando velut præcipitant: utroque modo ſpontaneus ſanguinis fervor impeditur, non ſecus ac cum frigida ollæ ebullienti inſtillatur, aut veluti cum acetum aut alumen cereviſiæ novellæ & fermenteſcenti infunditur, illico fermentatio ceſſat, & liquor novum ſaporem & conſiſtentiam acquirit. *Interius aſſumpta eo tendunt* ut habitualis paroxyſmorum habitudo abrumpatur, *quod ſi conſequimur*, natura ſe recolligit & priſtinum valetudinis ſtatum proprio niſu facile recuperat. Atque hujuſmodi intentio licet a vomitoriis, paulò ante acceſſionem exhibitis, interdum perficiatur (hæc enim motum ſanguinis febrilem, [illegible] alium huic contrarium ciendo, non rarò ſiſtunt) tamen hæc indicatio longè certius peragetur iis medicamentis quæ non omnino è viſceribus evacuant, verum ſanguini aut fixationem quandam, aut materiæ febrilis præcipitationem præ ceteris inducunt. Quos curandos ſuſcepi, præ illis [illegible] omnino aut ſolutivo, tribus horis ante paroxyſmum, epithemata carpis admovi, ſimulque pulverem febrifugum in vino generoſo propinavi [illegible] ægros in [illegible] lectum in levi diaphoreſi detineri juſſi: raro evenit quin prima aut ſecunda vice hoc [illegible] acceſſus febrilis inhiberetur, & eodem *remedio aliquoties iterato tandem* morbus integrè ceſſaret: Hic de cortice *Peruviano, China Chinæ* alias dicto, celebri *ἀλεξιπυρετῷ* quædam dicenda: Vulgaris exhibendi modus eſt ut hujus in pulverem triti ℥j, vino tenui aut generoſo, in vaſe cooperto per duas horas infundantur, ac dein ingruente paroxyſmo, ægro intra lectum compoſito, liquor cum pulvere propinetur: hæc potio non raro imminentem acceſſionem tollit: ſæpe tamen iſthac ſoluto more habita, proximè ſuccedentem præcavet: Utcunque prima ſive 2. aut 3. periodo paroxyſmus inhibetur, atque morbus curari viſus ſit, intra xx. aut xxx dies redire ſolet: dein pulvere rurſus exhibito, pro temporis circiter ejuſdem ſpatio morbi inſultus denuo præcludatur, atque hoc ritu novi plures quartana laborantes toto autumno & hyeme acceſſiones febriles tantum rariores pertuliſſe, hoſtemq; ita in procinctu detinuiſſe, donec vere ineunte, tempeſtatis anni, & alius pharmaciæ ope, ſanguinis diatheſis in melius alteretur, adeoque affectus iſte ſenſim evaneſceret: Qui ea ratione crebras inducias quartanæ procurabant, alacres & vividi ad negotia quævis expediti degebant, cum ſecus enerves & pallidi in languorem & vitioſum corporis habitum redigerentur: vix unus è centum hoc remedium incaſſum tentavit: Non tantum in febre Quartana, verum in aliis intermittentium ſpeciebus cum fructu adhibetur: Sed qui hoc pharmaco tantum eas ſuppriment, medicinam doloſam inſtituere videntur: hujus verò uſus tantum erit opportunus cum paroxyſmorum aſſiduitate nimia ægrorum vires plurimum atteruntur, induciæ hoc ritu procurantur quo natura ſe recolligat, & deinceps hoſti potentius adverſetur. *Willis de Febr. cap. 6.*

XXV. Aquam ſale tartari impregnatam *febrifugam* vocavit *Riverius*, Sal tartari, & ſpiritum ſulphuris infundebat cum Sennæ ʒj vel ℥j, aliquando radicis Jalapæ ʒß. in aqua fontis ſola, aut decocto appropriato: Sic Febres diuturnas intermittentes, & ipſam Quartanam curabat: Idem *Calomelanos* nomine donavit Mercurium dulcem ſexies ſublimatum, qui certe laudabile, nec unquam noxium efficit catharticum, dozis ad ℈j, cum reſinæ Jalapæ [illegible] vel ſcammonij ℈ß, quorum dozis minui vel augeri poteſt, Et nunquam alium niſi optatum ex hoc remedio vidiſſe ſe effectum in caſibus innumeris, & omni ætate aſſerit Centuria 4. obſerv. 97. Vide & cent. 3. obſerv. 54. & ſequ.

XXVI. Præterea quæ vitioſam Effervеſcentiam, per efferveſcentium actium contemperationem coercent & compeſcunt, Anodyna & Narcotica, ſulphure & oleo abundantia, utilia quoque ſunt ſpirituoſa & Aquea; Illa quidem dum utrumque acre demulcent, (alkulinum & acidum) Hæc dum utrumque diluunt & enervant, quod pluribus experimentis non ſemel oſtendimus verum eſſe: Hinc eſt quod non raro cum ſucceſſu laudabili exhibeantur ægris Febre intermittente corripiendis, ipſe *vini ſpiritus* & *aqua varia* cum vini ſpiritu paratæ, qualis eſt juniperina, theriacalis &c. obſervandum autem hic opus eſſe circumſpectione, cum non omnibus æque conducat vini ſpiritus qualiſcunque datus; nec facile, niſi iis quos frigus moleſtius & gravius infeſtare ſolet, ſit dandus: Uti commode ſolent exhiberi Acetum ſtillat. aliave acida, quibus gravis ſolet adeſſe calor: denique utraque ſimul miſta, quibus & frigus & calor ſolent eſſe moleſta. *Sylvius de le Boe Tract. 7. append.* §. 106.

XXVII. Specifica febrium locum præcipuè habere videntur in Intermittentibus: Eorum quædam figunt cauſam morbificam, non ſolum narcotico ſulphure, vel, ut aliis placet, ſale, ſed etiam reſolvunt & conſtant ex opiatis, Alia præcipitando, abundant ſale fixo, & fermentationem ebullitionemque ſiſtendo: Talia ſunt lapides gammarorum: Alia agunt per *διαφόρησιν*, & ſudore commoto antifebrilem ſuam exſerunt vim: Sunt eorum quædam interna, ante paroxyſmum exhiberi ſolita, una vel altera hora, proſuntque imprimis in corporibus non adeo impuris: Niſi enim focus univerſalibus ſit exhauſtus, atrociſſimam parere poſſunt offenſionem: vulgaris notitiæ eſt Pulvis ex card. ben. fol. ad ʒß. ex cochleari vini calidi ſumptus: Quædam ſpecifica antifebrilia agunt Evacuando, quale illud *Riverij* in appendice Centuriat. *Rolfinccius de Febrib. c.* 103.

XXVIII. Etſi hoc in more poſitum multis; ut incidentes in febres Intermittentes, neglectis tum venæ ſectionibus tum purgationibus, ſtatim ad curas illas experimentales, quibus paroxyſmi recurſus inhibetur, accedant, ſed memini ex hac negligentia quoſdam in varios abſceſſus, impetigines, icterum hydropi junctum, colicam & dolores inſanabiles incidiſſe. *Oetheus apud Schenckium.*

XXIX. Quia Febre detenti potius ad Agyrtas quam ad Medicos recurrunt, hanc hiſtoriam affero, quo *Pericarpiis* nemo utatur; Senator quidam febre detentus ſibi Pericarpium applicari permiſit, è ſinapi, pipere, aceto, fuligine, &c. confecto, quo in brachio inflammatio producta eſt, cui gangræna ſucceſſit, quæ vix curata fuit *Petrus Borellus cent. 2. Obſ. 9.*

XXX. Intentiones (ut mihi videtur) curativæ Febrium Intermittentium videntur eſſe hujuſmodi, 1. Sanguinis ad temperiem naturalem reſtitutio, 2. Depravationis ſucci nutritij præcautio. 3. Fermentationis febrilis, ne paroxyſmus ſuſcitetur, inhibitio. Circa *primam* Vomitoria, Venæ ſectio, & Purgatio magni ſunt uſus, præſertim ſi morbi initio celebrentur. *Secunda* intentio, exacta Victus ratione perficitur. *Tertia*, per remedia quæ ſanguinis fermentationem ſiſtunt: Licet autem hoc remedium empiricum, amethodicum & infidum apud Medicos audiat, tamen mihi compertum eſt has febres hoc modo ſæpenumero curari cum pharmaca non omnino prodeſſent, ſi modo in uſum veniant poſt pharmaca & venæ ſectionem. *Willis Tract. de Febrib. cap.* 4. De alexipyretis vide §.

XXXI. An tempore frigoris febrilis, aut quando alias undecunque univerſum corpus valde friget, Sanguis quoque valde frigidus exiſtat, ego ſaltem non poſſum determinare, qui nunquam eo tempore ſum auſus ſanguinis eductionem præſcribere, atque tunc ſanguinem eductum contingere potui, quod teſtari poterunt qui non dubitant eo tempore quoque Venam ſecare, ſanguinemque mittere. Hoc ſi fiat, & tunc ſanguis obſervetur frigidus, non puto facile Medicum prudentem ad ſimilem venæ apertionem venturum, cum per ipſam quoque minuatur ſanguinis calor, augeaturque proinde in ipſo frigus, quo nihil nocentius, & ad vitam tollendam præſentius ac potentius, cum calore namque conſiſtit vita, uti cum frigore mors. *Sylvius de le Boë. m. m. lib.* 1. *cap.* 6. §. 23. & 24.

XXXII. Si quid agitur metu ipſius paroxyſmi, à quo forte timeas ægrum non evaſurum, aut non ſine læſione inemendabili, vel ſymptomatis alicujus quod in eo valde urgeat, conſtat tunc agendum maxime cum urget; velut ſi ad revocandum calorem, qui per invaſionem ita reconditur ut timeas ne nunquam homo recaleſcat, frices, foveas extrema &c. aut ob dolorem ingentem: aut ſolum febris magnitudinem ſanguinem mittas, differendum non eſt ad remiſſionem, quia timemus ne nunquam ſine illis remediis ventura ſit. *Valleſius meth. Med. lib.* 10. *cap.* 3. In putridis intermittentibus, Tertianis & Quartanis, etiam in ſtatu ſanguis mitti poteſt. *In ſummo febris impetu ſanguinem mittere, ægrum jugulare eſt*, ait *Celſus*, ſed in ſummo ardore febris, cum periculum impendet vel cerebro in vigiliis, doloribus, deliriis, interdum non eſt non neceſſarium ſanguinem demere, ob flabellationem & refrigerium ſanguinis, ſæpius per perſpirabiles redeunti & remeanti venas: Ardentes implacabili furore ſævientes, & graviora minantes, exleges tunc ſunt, & vel in ſtatu admittunt: Periculum ex effræni plenitudine, illud quod ex intempeſtiva evacuatione ſupergreditur. *G. Rolfinkius l. de Febr. cap.* 81. Mortis ſubſequutæ ad ſ.m. factam in acceſſione, vide exemplum apud *Zacutum* Pr. adm. lib. 3. obſ. 56.

XXXIII. Si in Intermittentibus quibuſcunque apparente aliqua, etſi non perfecta, in Urinis coctione, die paroxyſmi purgans dederis ita ut effectum ante paroxyſmi invaſionem compleat, (horis ſcil. 4. aut 5. antequam paroxyſmum adventurum putas) videbis febrem poſt illum paroxyſmum non amplius reverti, ſed prorſus tolli quaſi incantatione quadam: Probavi jam ſæpius, & in pluribus, ſemper eventus reſpondit: In Tertianis poſt tertium aut quartum paroxyſmum, hoc facio: in Quotidianis tardius; in Quartanis tardiſſime & vix ante xxx. diem. *Petrus Monavius in Conſiliis Scholtzij Epiſt.* 212. & 248.

XXXIV. Medici omnes ex *Urinis* cruditatis coctionis notas ſumunt, ſed certe fallax prorſus eſt quæ inde ſumitur conjectura, quia febrium Intermittentium cauſa non eſt in venis majoribus, in quibus, ut & renibus & veſica; urinæ concoctionem naniſcuntur, ſed in prima corporis regione: Enimvero urinæ malæ in intermittentibus ſignificant multa excrementa, e prima corporis regione per acceſſionem in venas majores irrepere, quæ

ſanguinem

ſanguinem corrumpunt, unde metuendus tranſitus intermittentis in continuam, ex raptu humoris è prima corporis regione in venas majores; at minime oſtendunt quam crudus aut coctus ſit humor qui in meſenterio, veſica fellis, hepate, & liene delitescit: Sæpe autem ſecunda & tertia acceſſione tinctæ admodum videntur urinæ, cum biliosa ſanies e primis ſedibus in venas irrepit, unde multi Sanguinis miſſionem perquam neceſſariam eſſe contendunt, quaſi incenſus ſanguis eo remedio reſtringi poſtulet, cum tamen bilis detractionem per alvum, & obſtructionum reſerationem potius demonſtret: Neque enim detracto ſanguine morbi focus expurgatur, nec bilis in eo ferocantis fervor extinguitur: contra enim, niſi adſit plethora, quam ſolvere expediat exinanitis vaſis maioribus, maior humoris excrementij biliosi è prima regione in eas fit attractio, unde intermittentis in continuam fit tranſitus: Ergo urinæ croceæ & rubræ, aut crudæ, aut aliter vitioſæ in intermittentibus, docent ineſſe in primis ſedibus tam copioſum humorem excrementitium, ut multa ejus portio in venas & reliquum corpus per acceſſiones transfundatur, qui niſi repetita purgatione vacuetur, metus ſit ne intermittens continua fiat, aut diuturna. *Enchirid. Medico Pract.*

XXXV. Quorundam Arabum ſententia receptum eſt ut in Intermittentibus V. S. vel plane intermittatur vel in proceſſu morbi tantum fiat: Sed innumeris experimentis cognovimus eam opinionem ad curandas febres minus accommodatam eſſe: nam uſu multorum annorum experti ſumus eos fere omnes, quibus ante tertium paroxyſmum vena ſecta fuit in Tertianis, ab acceſſionibus febrilibus maturius fuiſſe liberatos: ſed illos quibus poſt hoc tempus id auxilium adhibitum fuerit, etiam tardius adiumentum ſenſiſſe: Nec ratio deeſt, quod præſente plethora, quæ raro abeſt in noſtrorum hominum corporibus, mora, & neglectione evacuationis, omnia fiunt deteriora: Quod verò in intermittentibus febribus materia vitioſa tota extra vaſa majora venarum conſiſtat, (ut quibuſdam placet) dubito ſane an id cum iis quæ in ejuſmodi febribus evidenter apparent conſentiat. *Iac. Oethaus apud Schenchium.*

XXXVI. Dicet quis, Qui per febres vomunt initio paroxyſmi his lenior illa evenit, ſemper igitur *vomendum*? ℞. interdum metum ſyncopes incumbere cum pravior materia ventriculum vellicat, id ſentit cor; Quare ita hæc re tractanda, Si miteſcat à vomitu febris, vomat: quod ſi ante in ſyncopen inciderit cum vomeret, ante paroxyſmum clyſmis potius ſubducatur materia morbifica, ac roborantia ventriculo admovebimus, ne ruentem à jecore accipiat materiam. *Heurnius meth. lib. 2. cap. 11.*

XXXVII. Notandum quod in omnibus Intermittentibus diuturnis ad *Antimonialia* & *Mercurialia* confugere liceat; latet enim illorum fomes cum alibi tum maximè in meſenterio: unde niſi uno è dictis medicamentis, quæ penetrare per omnia ſolent, educantur, vix unquam fomitem ſectè expelles, niſi longo tempore. *Hartmann Prax. Chymiatr. c. 244. §. 19.*

XXXVIII. Incredibile dictu quanta morborum vis ex purgationis defectu poſt febres autumnales ſubnaſcatur: ideo ſublato morbo æger ſedulo purgandus eſt: quandocunque enim Tertianam aut Quartanam paulo provectioris ætatis hominibus accidiſſe vidi, atque purgationem etiam omiſſam, certò prædicere potui periculoſum aliquem morbum eoſdem poſtea adurturum, de quo tamen illi nondum ſomniaverant quaſi perfectè ſint ſanati. *Sydenham Tract. de Febr p. 87.*

XXXIX. Intermittentes ex fundamento non curatas vagus articulorum dolor aliquando ſequitur: quod in virgine obſervavi, quæ per tres ſeptimanas intermittente Tertiana laboraverat: qua ſua ſponte remittente paulo poſt recidivam gravem patiebatur, cum tantis externarum partium vagis doloribus, ut impotentia manum pedumque ſæpe concuteret: Cui aliter ſuccurrere non potuimus quam præmiſſis vacuantibus, & menſium excretionibus promotis, convenientia ſudorifica præſcribendo, quibus convaluit. *Greg. Horſtius Obſervat. 20. lib. 1.*

XL. Auriga quidam non paucos febre diuturna febricitantes, aut alias male affectus, hauſtu vini exhibito, in quo manipulatis prius diſſolviſſet, liberavit: per vomitum & dejectionem purgati ſunt magna cum violentia qui hauſerunt: Quidam à diuturno capitis dolore, & febribus Tertianis nothis, poſtquam diu eas ſuſtinuiſſent, hac ratione convaluere: Sed multi alij quibus intempeſtive exhibuiſſet fuiſſet pharmacum, aut debiliores extitiſſent, graviſſime hinc offenſi fuere, imò nonnulli interierunt. *Eraſtus Quæſt. de Purgant.*

XLI. Quidam Medicus in vomitus fluxu, & intenſa febre, ægro derelicto à Medicis, & jam jam moriituro, dedit ℥iij aq. vitæ, & ita mutata diæta de frigido in calidum, ſumptis cibis & vino odorato, interpolatis horis, reſtitutus intra triduum convaluit. *Soleaander ſect. 5 conſ. 15.*

XLII. Cum Somnus naturalis initio acceſſionum febrilium ſit noxius, an idem de arte excitato dicendum? Plurimas febres intermittentes, præſertim quartanas, poſt præparationes & purgationes debitas, cum tartaro vitriolato, extracto hellebori, antimonio diaphoretico &c. auxilio *Laudani Opiati* ſublatas fuiſſe teſtatur Amicus quidam: quem effectum ſua ratione non carere ſtatuit: cum enim *inquit*, in omnibus Intermittentibus, contumaciter perſeverantibus, ſit inquinamentum aliquod putredinale, quod poſt ſingulas acceſſiones in foco relinquitur, & novo paroxyſmo repetente incandeſcit, cum fluxione vel per venas vel per totum, fit ut ſi Laudanum alexipyreton duabus tribusve horis ante invaſionem detur, omnes ardores deinde mitigentur, fermentationes humorum ſiſtantur & fluxiones in ſingulas partes coërceantur, ſicque febris una cum dilatione ſua penitus intercipiatur: Huc forte quadrat quod apud *Petronium* reperitur, ubi *Quartilla* inquit, Ipſa quidem ea nocte vexata tam periculoſo inhorrui frigore, ut tertianæ etiam impetum timerem, & ideo medicinam ſomno petij: *Greg. Horſtius Probl. Decad. 1. Quæſ. vj.* Si malū nun receſſit poſt vacuationem electivam, omnino Philonium ante paroxyſmum præberem: hoc ſanè non ſolum ad tertianam notham deturbandam, ſed etiam dolores demulcendos commodum erit. *Abr. Seyller apud Scholtziam Epiſt. 3.* Hippocratem Narcoticis uſum in quartana, quo motus humorum compeſcatur, diſgregatio eorum prohibeatur, quæ proxima *ipſi febris eſt cauſa, conſtat ex lib. 2. de morb ſect. 2. verſ. 206. Seminis hyoſciami magnitudinem milii, & mandragoræ tantundem, & ſucci ſilphij trium fabarum magnitudinem in vino &c. Vide Martiani comment. in cit locum. Platerus* obſerv. l. 1. p 17. *Tertianario* dedit ante paroxyſmum ſyrup. de papavere.

FEBRIVM SYMPTOMATA.

SYLLOGE.

In Æſtu febrili *cave per externa refrigerandum.* 1.
In Alvi fluxu *an ſanguis mittendus, aut purgandum.* 2.
Peſtilens an cohibendus. 3.
Initio morbi excitatus ſiſtendus 52.
Cholerici, intermittentibus febribus ſupervenientis ſedatio. 18.
Qua arte compeſcendus 38.
In Acuta febre ſola diæta repreſſus. 53.
Aſtringenti cibo & potui quando locus 54.
Alia ſit curatio ſi debilis retentrix, alia ſi irritata expultrix. 55.
Appetitui dejecto *quomodo ſuccurrendum.* 50.
Olivæ & piſces ſaliti an revocando ſemper conveniant. 51.
Angor *quomodo arcendus in Tertiana exquiſita.* 19.
Capitis dolor *quando & quomodo mitigandus.* 4. 21. 4.
An in omni Oxyrrhodinum conveniat. 20.
Ab eo abſtinendum in die critico. 21.
In hemitritæo ſaphenæ apertione ſanatus. 5.
Cardialgiæ *an conveniat Sanguinis miſſio.* 6.
In Delirio *febris malignæ comite, ſuſpecta oxyrrhodina.* 7.
Dolorum *variorum & anxietatis ſedatio.* 42.
Dyſenteriarum dejectionum, *à febris curatione pendet.*
Frigus febrile *quomodo mitigandum.* 41.
Hæmorrhagia *quomodo ſiſtenda.* 36.
Hydropis *ſuccedentis curatio.* 40.
In Linguæ *nigredine valet nitri uſus.* 22.
Raninarum ſectio an conferat. 17.
In ejus, & totius ariditate, potu abſtergente non utendum. 44.
Vbi præſens ejuſmodi ariditas cibo & ſorbitioni locus non eſt 45.
Siccitas à bile quomodo emendanda. 47.
In Pectoris ardore *actu frigida non admovenda.* 8.
Phthiſis ſputiæ *febribus quibuſdam accidentis curatio.* 39.
Phrenitidi *Febribus ſupervenienti an narcotica.* 32.
Ante narcotici exhibitionem purgandum. 33.
Rigoris *mitigatio.* 23. 24.
Singultus *medela.* 37.
In febribus peculiarem cauſam agnoſcit. 9.
Sitim *tolerare nocet.* 10. 39.
Non una ratione ſedanda, ſed pro ſoci diverſitate. 49
Eam intendunt, non leniunt, ſaccharata. 11.
Illi conſulendum in paroxyſmo. 25.
Potuum varietas ex Hippocrate. 46.
Aqua communis, vel diſtillatis quando utendum. 48.
Somnus *arte excitatus minus nocet quam naturalis.* 28.
Initio paroxyſmi in Tertiana non convenit. 27.
Sudores *alij ſupprimendi, alij ſinendi, alij ſollicitandi.* 16.
A vitio ſanguineæ maſſæ, in declinatione febrium ortorum curatio. 57.
Tuſſis *mitigatio* 35.
Ventriculi *ratio habenda.* 12.
Vbi orificij illius adeſt debilitas, nullus evacuationi locus priuſquam id confirmetur. 26.
Symptomatum circa illum moleſtorum curatio. 30.
Vigiliis *per tuta remedia ſuccurrendum.* 13. 34.
Laudanum conducit, & plurimis aliis ſymptomatis. 15.
Vomitus *in malignis cohibitio.* 14.
In paroxyſmo Tertianæ pilulis aloeticis ſedatus. 29.
Symptomatum *quam morbi quando major habenda ratio.* 43.
Cautiones in uſu medicamentorum ex Pulſu *ſumendæ.* 31.

I. NOb. N. ardentiſſima febre correptus, refrigerationis cauſa vetulam adſtantem ſitulam frigida plenam apportare rogavit, quo facto manus aquæ immerſit, & cum incendij æſtum deliniri extinguique animadverteret, diutius ita retinuit, his tandem extractis, nigredo ambas livida deturpat cum ſenſus privatione: anxiè laboratum pro calore nativo revocando, ſed incaſſum omnis labor, vitam enim & digitos pro delectamento refrigerationis amiſit. *Horſtius lib. 9. Obſer.* 23. Mulier nequiens bibendo febris ardentis reſtinguere incendium, colluit os frigidâ adeo effuſe ac frequenter, ut nullis monitis pateretur ſe deterreri a gratiſſimo hoc algore; perſtrictis adventitio hoc frigore palati gutturiſque venis ac arteriis, ac inſpiſſatis vaporibus, ſuppreſſiſque adeo ſpiritibus ad cerebrum viam affectantibus, labaſcit ipſi non tantum mens, verum contractis etiam nervis incidit tandem in inevitabilem mortem. *Tulpius l. 4. Obſ.* 10.

II. Aliqui tenent quod in *febrientibus* cum *Alvi fluore* nunquam ſit ſanguis mittendus, vel pharmacum exhibendum, quamvis vacuatio non ſit præ multitudinis ratione: Alij dicunt quod ſi natura non integre moveat, utrique remedio locum eſſe: Vtraque ſecta errat, à fundamentis Galeni deflectens: quia moveat natura integrè vel non, poteſt fieri ut modo conveniant modò non: ratio eſt, quia indicantia magis indicant quam prohibentia prohibent: modò prohibentia magis prohibent quam indicantia indicant: E.g. ſit aliquis febre correptus cum alvi fluore, & periculo ne ob alvi fluorem robur cadat, tunc haud dubiè prius attendendum viribus: Si vero febris illa admodum eſſet maligna, & fluor non eſſet præ multitudinis ratione, tunc ſi metus eſſet ne malignitas furioſe obreperet cor in cor ſeu cerebrum, cum certo mortis periculo, tunc haud dubiè magis urget furioſa malignitas, quam timor ne cadat virtus ob medicinam vel ſ.m. quo caſu, ſi verum quod ei quod magis viget ſit attendendum, coacti utrumque præſidium admittemus. *Sanctorius meth. vitand. error. l. 15. c.* 12. Cum alvi profluvium intermittentem febrem comitatur, multi à purgatione abhorrent, ſed tantum abeſt ut illud purgationem dehortari debeat, ut etiam illam accelerandam inſinuet: nam vel crudum eſt & lientericum, vel billioſum, vel cruentum: crudum parcè bibendum hortatur, ac rheum poſtulat, a quo deterſis crudis humoribus, & roborato ventriculo, facile fluxus conquieſcet: Cruentum, ejuſdem Rhei uſum poſtulat, quo expurgetur acris & mordax bilis inteſtina rodens, Billioſum, ſeu ſymptomatice fiat, ob multitudinem humorum & agitationem, ſeu naturæ pellentis robore, vacuationem arte factam requirit, ut

detracta

detracta oneris parte, reliquum natura facilius concoquat. *Enchirid. Med. Pract. pag.* 384.

III. In *Alvi fluxu*, febri peſtilenti ſupervenienre ſiſtendo, prudentia neceſſaria eſt: Si cohibeatur præpoſterè, materia venenata intus cohibetur, vires deiicit, ægrumque perdit: Sic procedendum, Si ita moderatus ſit ut vires non deiiciat, cohibendus non eſt, ſed clyſteribus roborantibus tantum moderandus: Si immodicus ſit, vires admodum deiiciens, colliquativus eſſe conſuevit, & audacter cohibendus: quod ſumma efficacia præſtabit theriaca recens ad ʒß. vel laudanum opiatum ad gr. ij vel iij. Sæpe obſervavi alvi fluxum perniciosum, ex quo æger ad interitum ruere videbatur, potentioribus diaphoreticis magna dozi exhibitis, quaſi momento cohibitum fuiſſe: fugato ſcilicet veneno, quod inteſtina aliaque viſcera vellicando fluxum illum ſyntecticum efficiebat. *Riverius lib. 17. c. 1.*

IV. *Ad Dolorem Capitis* narcotica nonniſi maxima urgente neceſſitate præſcribenda, & reliquis non conferentibus, Oxyrrhodina &c. ne inſtaure criſi in uſum ducantur, alias motus naturæ interturbaretur & criſis impediretur. *Enchirid. Med. Pract.*

V. Quidam febre bemitritæo correptus fuit cum *capitis dolore* graviſſimo, eoque continuo: quatuor phlebotomiæ inutiliter in brachiis celebratæ, at intra horam ſublatus eſt ſanguinis miſſione ex malleolo dextro, in fine diei ſextæ uſurpata: Videant hic tyrones quam bona fiat revulſio à capite per ſaphenatum apertionem. *Riverius centur. 3. Obſ. 40.*

VI. *Cardialgia* duplex eſt, una quæ fit à ſanguinis ichore in venis coacervato, cum alias per venas podicis evacuari conſueviſſet: de qua Galen. 1. Prorrhet. ſect. 3. aph. 38. Altera quæ fit ab humore, & præſertim bilioſo, quem aliquando venenatum eſſe ſcribit idem t. ad Glauc. 14. Qua ſtante diviſione dico, quod etſi ratione febris eſſet ſecanda vena, nihilominus prius cardialgiam reſtringere oporteret, nam hac præſente, & ex bile facta, non adeſt indicans nec permittens, quia non fit à ſanguine, & virtus languet: accedit quod humorum acrium, in ventriculo exiſtentium, ad venas fieret attractio, unde majus malum. Quod ſi cardialgia fiat ab ichore ſanguinis, etiamſi ratione hujus adſit indicans, abeſt tamen permittens: nam in omni cardialgia virtus eſt imbecilla, cum ſit dolor, cui qualitas dolorifica vehementer infeſta conjungitur, ut hinc ſæpius ſyncope cardiaca ſuboriatur: At quia ichor ſanguinis, qui ſolitus erat per hæmorrhoidas expurgari, retinetur, ideo in febre cum hoc ſymptomate, à tali cauſa, non erit inconveniens venas podicis aperire, per eas enim ſanguis eductus vires non adeo infringit: An verò ceſſante cardialgia, & febre adhuc perſeverante, ſectionemque venæ exigente, liceat ſanguinem mittere, ſi quis quærat? Dico, quod ſi ex toto cardialgia, cauſa extirpata, fuerit finita, proculdubio ratione febris, viribus permittentibus, vena ſeccari poteſt: Quod ſi ceſſaverit cardialgia, nec Medicus ſit certus an reviviſcere debeat, quia cauſam adhuc latitare dubitet, cautè admodum agere debet & ab ea potius abſtinere: Hinc patet hoc in caſu Medici dexteritate opus eſſe: quia etſi viribus nunc valentibus ad utum deducatur, ægri tamen pro majori parte poſtmodum perduntur, aut vix ad ſe redeunt, accedente denuo card. ut ſæpius obſervavi: Egò verò ſemper à V. S. abſtineo, & feliciter ſuccedit curatio. *Claudinus Reſponſ. ix.*

VII. Febribus malignis ſi ſupervenit *delirium, aut capitis dolor*, repellentia fronti admota, & oxyrrhodina ſuſpecta, quia venenatorum vaporum omni arte diſſlatio procuranda, non intus cohibendi: ideo leviora prius admoveantur. *Enchir. Med. Pract.*

VIII. Quæ in magno *Pectoris ardore* admoventur, juxta *Tralliani* præceptum, rarò frigida, quia intus calorem repellunt, nec tepida: quia laxant, ſed actu calida, potentia verò frigida eſſe debent. *Ibid.*

IX. *Singultum* in febribus nonnunquam ſequitur intemperatum refrigerantium uſum julepotum: quomodo affectos, inconſulta temeritate Medicorum, plures vidi: idque ſymptoma, contra omnium opinionem, vini potu ſuſtulimus. *Lemnius.*

X. Accuſatione digni noſtrates Medici, qui ægros febricitantes in opportunas iri macerant; non paucos enim inaui *ſitis tolerantia* perdunt: *Langius lib. 1. Epiſt. 20.* Quidam eandem ferè legem in omnibus febricitantibus ſervant, nimirum cavent magnoperè à frigidæ potu, quam ob cauſam anno 1649. infinitus propemodum ægrorum numerus è vivis ſublatus eſt: cum tamen febres eſſent continuæ, cum mixtione diverſorum humorum, & præcipuè bilis, non tamen ſolæ: qui cum ſiti maxima torquerentur, exuſti obibant: Sectis cadaveribus, ventriculus, cor, pulmones, & reliqua viſcera tanquam exuſta apparebant, quapropter refrigerando & humectando miſeros ægros ſanitati reſtituimus. *Panarolus Pentec. 4. obſ. 8.*

XI. Plurimi ægris, magna *ſiti* ferè enectis, proponunt plurima ſaccharo condita, ut conſervas ex acido citri, jujubas, quæ licet ſine ſaccharo ſuam fortè arcerent, ſaccharo tamen inſſtæ impoſſibile eſt ut ſitim auferant: Mulieres vident, & ſciunt pueri quod ſaccharum intendat ſitim; ſatius eſſet nihil ſumere, quia lingua non polluta iis dulcibus, aliquot horarum ſpatio minori tentaretur ſiti. *Sanctorius Meth. vit. Err. lib. 13. cap. 3.* In febribus omnibus à ſyrupis & conſervis conſulto abſtine, ſaccharo enim facilè bileſcente, febri pabulum præbetur. *Heer obſerv. 22.*

XII. In febribus *Ventriculi* ratio & cura ſingularis habenda: debilitatur enim is aliquando ſupra modum, ut inde nata cruditas novam præbeat febri materiam: Tum utiliſſimum, Sennerto teſte, bis in ſeptimana, id quod crudum eſt in ventriculo & primis viis, ex alimento vomitu vacuare; quo remedio pertinaciſſimæ febres felicius quam ullo alio remedio tolluntur: Nihil obſtante quod lien quartanæ, hepar tertianæ febris ſedes ſtatuatur: nam & ſic vicina ipſis materia vacuatur, ipſaque viſcera à cacochymia liberantur: hinc fit quod vulgus febres putridas ſubinde curet aſſumptione vini adusti, piperis &c. quæ omnia febrili calori fomentum quidem præbent, ventriculum tamen confortant cruditateſque abſumunt. *Hoeferus Hercul. Med. l. 6. c. 1.*

XIII. Cum alias ſæpe, tum ſemel intra diem quintum, obſervavi duobus febrientibus *narcotica* data, in necroticis Medicorum culpa abiiſſe, & qui requiē ſempiternam ſopore æviterno ligati conceſſerunt. H. ab Heer Obſer. 5. In febribus proderit pudibunda & aures abluiſſe: quia hæ partes nervoſæ refrigeratæ & humectatæ cerebro communicant. Nam, ut calx cum humectatur fumat, ſic membra hæc ardore febrium ſiccata & calfacta,

effumant mitem & benignum vaporem quo conciliatur ſomnus. *Rondeletius de Med. Extr. pag.* 1123.

XIV. *Vomitus* interdum *febre maligna* correptos ita devexat, ut omnia injecta ſtatim rejiciant: Et quamvis ſitis, & linguæ ſiccitas & nigredo adſint, nullum tamen potulentæ materiæ genus ferre poſſint, ſed omnes julepos, emulſiones, ptiſanas, aquam etiam ſimplicem, ſtatim poſt aſſumptionem evomant. Huic ſymptomati graviſſimo ſtatim medetur quaſi miraculo ſal abſynth. ad ℨj in ſucci limonum recentis cochleari exhibitum, ut experientia didici. *Riverius Pract. lib.* 17. *c.* 1. *ſect.* 3. *Vide exemplum cent.* 1. *obſ.* 15.

XV. Febricitantes hæc præſertim ſymptomata vexant, *Dolor, Vigilia, Vacuationes immodica:* Materiæ *Indicatorum* variæ ſunt: omnibus tamen palmam præripit laudatum opij medicamentum: in quo ſi juſta obſervetur dozis, & temporis occaſio, error committi poteſt nullus. Sin deliretur, contingere poteſt quod nouiſſima ipſi imputetur debilitas. *Rolfinccius de Febr. c.* 106. In febribus continuis *per vigilia & inquietudine*, viribus ferè diſſipatis, ad uſum laudani opiati rectè me ſæpius acceſſiſſe memini: Teſtis eſt juvenis, qui deſperatus ob virium lapſum, hoc modo ſomno provocato priſtinam ſalutem recuperabat, diſſipatis impetum faciendo ſpiritibus invicem recollectis. *Greg. Horſtius lib.* 10. *obſ.* 3.

XVI. Si conſultus Medicus an expediat ægrum, qui *ſudare* incipit, pannis contegi ac ſudare quietum; an contra ventilatione & motu ſudorem prohibere debeat; conſiderans q; ſudorem calidum eſſe, atque ex toto incipere fluere, dubius tamen, ita ut ſit, principij morbi & diei, neque morbo ſatis cognito, iubeat ægrum, ſtragulis neque additis neque detractis, in quiete contineri, & ſudare tantiſper ſini: Dubius cum ſit, reviſere ægrum debet, & obſervare an angatur plurimum? an difficilius incipiat ſpirare? an pulſus languoris quandam ſpeciem præ ſe ferat? ſi quid ſuccedat tale, moveri illum jubeat ac flabello ventrilari: Si nihil horum adſit, dicatque ſe potius ſublevari quam premi, procedat non unam aut duas horas ſed multas etiam, ſumptis interim, ſi res plurimum protrahatur, juſculis ad refectionem: Si contra non ſolum angatur, & pulſu a debilitatem indicet, ſed etiam linquatur animo, aut extenuetur ſecundum faciem, non ſolum ventilatione occurrat, ſed & obturante aliquo illinet corpus, ut ol. myrtbino, inſperſo pulvere myrth. balauſt. &c. Signa autem exſolventis & ſyncopalis ſudoris ſunt dicta, & poſtremò eum refrigerari, & ſecundum frontem & jugulum in grandes guttas concreſcere, excavari oculos, liveſcere faciem & ungues: hæc cum adſunt, haud longè ab ea abeſt ſyncope & mors. *Valleſius Meth. Med. l.* 2. *cap. ultimo.*

XVII. Raninarum ſectionem *ad Lingua nigredinem* nulli unquam ſuaſi, etſi Barbitonſores interdum ſuadeant: Et quid illa præſtare poſſit, præſertim ubi nulla adeſt angina, ſed ſaltem lingua ſcabra & nigra ob ardorem in viſceribus, non video: Tollatur æſtus ille in viſceribus, ſymptoma hoc facile ceſſabit. *Sennertus Epiſt.* 28. *cent.* 1. Admittit tamen *Franc. de le Boe Sylvius, Praxeos lib.* 1. *cap.* 30. Febris, *ait*, puniceo nigricantem Linguæ, Fauciumque colorem, caloremque aridum comitem habens, curabitur, ſi præter univerſalia, iſti febri ſatis ardenti convenientia, in ſpecie uſurpentur ea quæ huic oris partium ardori, ariditati & vitiato colori obſervata ſunt conducere, inter quæ laudantur præſertim gargariſmi ex decocto h. Prunellæ (quod nomen ipſi ab hoc effectu inditum ajunt) conducit quoque ut plurimum apertio *venarum raninarum*, & quidem quoties tumere obſervantur, atque Anginæ inſtantis, vel vigentis ſignum præbent: Nam novum non eſt huic affectui copulari Anginam.

XVIII. Qui febribus intermittentibus bilioſis & malignis laborant, præſertim duplici tertiana, ob multitudinem materiæ bilioſæ furentia in *Choleram* incidunt, recurrente paroxyſmo, cujus impetum ſi non frenaveris, moritur æger intra duos aut tres paroxyſmos: Quidam ab Orci faucibus horum ope rediit: Ut craſtinam tempeſtatem averterem, juſſi panarellis craſſiuſculis & gelatinis recreari, ut frænum inijceretur humoribus ſequenti die ſævituris: Epithemata & opiatas præſcripſi ex conſerva roſar. bugl. borrag. myrobalam ſacch. conditis, margaritis: tribus vero horis ante paroxyſmum Clyſterem hunc mirabilem injiciendum curaui, ſine quo ni fallor, actum erat de ægro. ℞. roſ. rubr. m. j. coq. in iuſculo. cap. & pedum vervecis, In colat. ℔j. diſſolve theriac. rec. ℥ij. vitell. ov. n. j. f. clyſter, quem retinuit ad reditum uſque paroxyſmi, qui alvi fluxum reduxit, ſed minorem multo: Huic methodo inhærens multos deploratos ſervavi. *P. Pachequus obſ* 4. *in Riverij obſervat.*

XIX Ad *Angores* arcendos panem lotum, frigida agreſta aſperſum offerebat ante acceſſionem *Areteus*: *Trallians* vero experimentum temerarium quodammodo mihi videtur, qui hora una ante acceſſionem pepones impenſe refrigeratos comedendos offerebat, mox ſtatim frigidam copioſam propinabat, atque ſe frequenter acceſſionem præcaviſſe, dum aliis ſudor, aliis copioſa bilis per alvum fuit excreta. *Fortis cap. de Tertiana feb. exquiſita.*

XX. An in omni *capitis dolore* Oxyrrhodinum ſemper imponendum? Sæpiſſime non eſt admovendum 1. quando cum dolore catarrhus jungitur, frigida enim impoſita capiti humorem in inferiores thoracis partes exprimunt ſiccitate ſua, diſtillationem adaugent: niſi catarrhi cauſa ſit vehementiſſimus ardor, cucubitulæ inſtar à toto ad caput humores trahens, tunc etſi oxyrrhod. noceat expreſſione ſua, juvat tamen auferendo cauſam, ut ait *Trallianus*: 2. Quando capitis dolor ex multitudine craſſorum humorum aut vaporum ortum ducit, ex *Avic.* 1. 3. tr. 2. cap. 10. 3. Si ſanguis vel alius humor valde ſit in capite impactus, tunc enim reſolventia ſolum ſunt ex uſu: 4. ſi dolor capitis ſit malignus, aut ex ictu animalis venenoſi contractus, tunc enim dilatare meatus cutis oportet, rarefacientibus, ut veneni vis in ambitum corporis evocetur. *Zacutus P. hiſt. p.* 612.

XXI. *a. Capitis dolorem*, durante calore febrili quandoque maxime urgentem, deducimus præſertim ab acrimonia ſalſa lixiva, hinc obſervavimus eundem ceſſiſſe imprimis Emulſionibus, ſæpius a nobis laudatis, quas ſcimus acrimoniæ omni, ſed maxime ſalſæ temperandæ conducere; Conveniunt tamen hic non tantum anodyna, ſed narcotica quoque. *Sylvius de le Boe Append. Tract.* 9. § 01.

XXI. *b. Frontalia* die critico. 4. ſcil. & 7. & 14. tollenda, ne hæmorrhagiam e naribus, quæ Synochum imputrem ſolvere conſuevit, impediant. *Ench. Med. Pract.*

XXII. Symptoma febrium ardentium frequens eſt *Lingua nigredo & ſiccitas*, cum inflammatione vehementi, propterea quod æſtus febrilis immodicus, una cum acribus vaporibus ex inferioribus partibus exhalet, & in ſpongioſa linguæ ſubſtantia promptiſſime ſuſcipiatur, cui concurrentibus defluxionibus ſcabritiem ac nigredinem inducit: Auſtriaci & Hungari, ubi talia ſymptomata faucium ſæpiſſime occurrunt, ob ardentiſſimarum febrium frequentiam, ut ſingulare & ſpecificum remedium Trochiſcos é nitro, cum floribus ſulphuris præparato, in aqua diſſolvunt, quam non tantum copioſe bibunt ad febrilem æſtum extinguendum, ſed etiam eadem gargariſmi forma, pro linguæ ſcabritie & nigredine corrigenda utuntur, non propter frigidū atem quandam elementarem, heterogenea cum homogeneis coagulantem, quæ hoc loco fingi nequit, ſed propter aciditatem armoniacalem & vitriolatam, quæ corpora diſſolvere, & ſpiritus ferocientes compeſcere & coagulare poteſt. quod ex mercurij præparatione, aliiſque rerum naturalium motationibus faciliime demonſtraretur: Vulgaris illa Salis prunellæ (ut notat *S. Cloſſæus*) cum ſulphure præparatio, ad prunellam, aliosque externos affectus poteſt ſufficere: ad internos autem uſus, & febres cauſonides minus prodeſt, contra eorum ſententiam qui Salpetræ tum demum ad Medicinam belle paratum eſſe contendunt ſi ſcil. quater ad minimum cum ſulphure detonet, totieſque filtretur & coaguletur: Aiunt enim ei ineſſe crudos ſpiritus, qui niſi exhalent & diſſipentur, ventriculo non levem noxam ſint allaturi: Sed non animadvertunt ij, totam petræi lapidis ſubſtantiam ejuſmodi ſpiritibus firmis & ponticis abundare, quos ſi crudos appellent, non multum repugnavero: per hanc detonationem autem tantum abeſt ut corrigantur, quin una cum ſulphure ſubtiliores, & refrigerio aptiores partes in auras avolant, & ſi conflagratio illa diu duret, tandem nihil aliud ſit reſtiturum quam ſal amarum, fixum & poroſum, calefaciendi & ſiccandi virtute præditum: id quod illis divinare non erit difficile, qui Cerberi hujus Chymici ſpiritum per injectionem particularum ſulphuris evocare didicerunt: Itaque totum artificium in depurgatione hujus ſalis conſiſtit, atque in legitimo exhibendi modo: Cape igitur Salis petræ nitidioris q. p. funde in crucibulo igne mediocri: poſtea projice in lixivij communis barbitonſorum bonam quantitatem, (ſit autem & hoc utcunque calens, aliquo roſiſſet in faciem) fac in eo diſſolvatur, filtra & evapora ad medias, dein repone in frigido, & ad fundum congregabuntur cryſtalli puriſſimi, qui bonitate & elegantia ſecundos & tertios ſubſequuturos longe antecellunt, hos ſepara, & denuo in aq. roſar ſolve: Ex alia parte etiam tantundem ſacch. in aqua cordiali, vel eadem, ſolutiones confunde & coque ſ.a. ut in cella colligantur cryſtalli, quorum uſus eſt ad ℥ß. vel ℈ij in priſana vel decocto pectorali ſic enim palati ſenſum effugiunt: Alias ſi in aquis ſtillatitiis exhibeas cryſtallum minerale, urinoſum & mordicantem ſaporem perſentics, qui ventriculo moleſtiam parit. *G. Horſtius in Probl.* Vide § 17.

XXIII. Ut D.D. *Ol. Borrichius* Tertianam exquiſitam lagenis aqua calente ferventibus, corporique hinc inde circumdatis, & ſudorem excitantibus plane ſuſtulit, Ita nos anno 1674. conjugem N. primis menſibus ingravidationis, Rigore & Frigore totius corporis inſolito aliquoties correptam, indeque valde debilitatam, per lagenam aqua calida plenam, plantis pedum ſuppoſitam, poſt ſudorem copioſe erumpentem ab eodem ſymptomate liberavimus. *Simon Schulzius in m.c. Anni 1676. obſ.* 140.

XXIV. Nonnulli vehementius *Rigoris* initio eum qui conflictatur in Balneum deducunt, in quo etiam calidiores herbæ incoctæ fuerint. At certe, ne quid in eo peccetur, néve calor acrius invaleſcat, commodiſſimum fit ventriculum atque præcurdia fovere, fervefacto jure calidarum ſtirpium, ut menthæ, abſynthij, rutæ, origani, chamæmeli & anethi, cum aniſi & fœniculi ſemine, cui etiam vini albi paululum ſit adjectum: concalefacta febris origine horror ſæpe diſcutitur, ſimulque melior fit præcordiorum ſtatus. *Fernelius lib de Febrib. cap.* 12.

XXV. In paroxyſmo, poſtquam rigor deſiit, Potu, ut fere fit, non adeo arcendi ſunt ægri, cum, ſicuti & *Fernelius* teſtatur & *Ioubertus*, æger calore accenſus & ſitibundus, ſi diutius ſitim perferat, & ſic incendio non ſubveniatur, eo facilius corporis colliquatio, calore ſolidas corporis partes invadente & depopulante, ſequatur. Et ſudores quoque, qui à potu materiam deſumunt, hac ratione impediuntur, qui frigido potu copioſoque promoventur. *Platerus. Vide de Diæta Febr. & in genere. lib.* 19.

XXVI. *Galenus* 1. ad Glaucon. cap 4. vetat ſi quis febricitet, & adſit plethorica diſpoſitio, verum ex recentibus cruditatibus ſit, ac morſum ſentiat, afflictumque os ventriculi, Vel ſi etiam humorem aliquem malum evomuerit, & in hujus tranſitu non parum fuerit offenſus, *Multitudinis vacuationi attendere*, ſed prius *ori ventriculi* providere jubet: Multos *ait*, ſæpius vidi qui ita affecti erant quoſdam interiiſſe, alios ad extremum periculum fuiſſe perductos, cum Medici eos vacuare tentaſſent antequam os ventriculi corroboraſſent. Ventriculi quippe os in putridis febribus cruditatibus repleri experientia conſtat, cum enim præter naturalis calor in cauſa ſit ut ventriculus male conficiat alimentum, ſit hinc ut crudum ſuccum gignat flatuque plenum. Deinde ſæpiſſime in febribus contingit humorem acrem & mordacem in ventriculi os confluere e jecore & venis, qui ipſum vellicat & ad vomitum ſtimulat: In hoc ſtatu ſi adſit plethorica diſpoſitio, nec purgans exhibendum, nec venæ ſectio imperanda, antequam ventriculi os roboremus: non illud, nam 1. crudi humores tenaciter impacti ventriculo, citra magnum damnum initio purgari nequeunt, 2. Ex concurſu humorum, qui attractione medicamenti ad os ventriculi convocantur, aucto novo fervore & morſu, anxietas, ſyncope, imminere ſolent: Non venæſectio, quia is innatum ventriculi calorem debilitat, & ad crudi præexiſtentis coctionem, & biliosi mordentis impetum frænandum & attemperandum ineptum reddit, unde humores crudiores redduntur: hic enim eos præſentia ſua, calore & benignitate fovebat: Hæc eſt cauſa ob quam Gal. xiij meth. 3. in febre ſyncopali ſanguinem non emittit nec purgat, Vide 4. de ſanit. 4. c. 5. 2. quia venæ inaniæ ſectionis vi crudum humorem rapiunt è ventriculo febremque con ſuplicant · At quæres. Cur ſi in præſentia crudorum humorum ſanguis non eſt mittendus, Gal. lib. de cur. rat. per ſ. m. cap. 11. iis io quibus crudorum copia inerat, ſanguinem bis

velter exhauſit? Quia ij non valde alieni erant à natura ſanguinis, in cujus abſentia nullo modo eſt vena ſecanda, imo purgatio exhibenda: Adverte autem Galen. inhibere ſolum purgationem fortem & violentam, quæ ab ambitu ad centrum humores convocet, non eam quæ à ſolo ventriculo leniter ſupra vel infra eos educat, quæ rationi & experientiæ conſona eſt: Sed qua de cauſa roborantibus ventriculum prius curare intendit, quæ vi adſtringente humores arctant & reſolutioni ineptos reddunt? Dic Gal. roborantia int. & externa conſuluiſſe, quæ ſi applicentur flaccido debilique ventriculo, & crudorum mordaciumque ſuccorum copia gravato & lancinato, tantum abeſt ut noceant, ut potius ventriculo roborato, & horum ope vegetiori facto, melius præexiſtentes humores coquantur, attenuentur, dividantur, expulſioni reddantur paratiores, & fluxu i à toto impediantur: Iterum, Quomodo recentes cruditates ventriculi morſum facere queunt ſi acrimonia carent? Dic, recentes crudos humores morſum facere poſſe cum ſunt bilioſi, acres & mordacitatis participes: hos autem vocari crudos patet ex Gal. 2. acut. comm. 44. *Bilioſa cruda ita appellavit*, nam quod à natura devictum ac ſuperatum non eſt, crudum eſt, ſive frigidus ſive calidus humor, ſive etiam excrementum ſit &c. *Ex Zacuto &c.*

XXVII. Quibuſdam *Somnus initio paroxyſmi* convenire videtur, eo quod ſit recreator corporum & redintegrator virium: quod melioris concoctionis author dicatur: at vero tempore paroxyſmi requiritur virtus intenſa & fortior, quod tunc temporis materia peccans commota attenuanda ſit, reſolvenda ac diſcutienda, ut eadem hoc modo tandem abſumpta, paroxyſmi finis eo citius ſubſequatur. At negativa potius ſtatuenda, quod vigilandum ſit in ipſa acceſſione, eo quod ſanguis & ſpiritus, adeóque calor nativus verſus interiora per ſomnum moveatur, qui tamen motus contrarius eſt illi quo virtus naturalis in paroxyſmo materiam diſcutere & ad exteriora transferre conatur: Concentratus enim calor per ſomnum internam humorum efferveſcentiam majorem, adeóq; febrem vehementiorem efficere poteſt: Finita tamen acceſſione ſomnus non improbatur, ubi poſtea debilitatis viribus per morbi & naturæ pugnam egregie ſuccurrit. *Horſtius Probl. Decad. 1. Quæſt. 6.*

XXVIII. Cum *ſomnus* naturalis initio acceſſionum febrilium ſit noxius? quæritur an idem de *arte excitato* ſentiendum ſit? Plurimas febres intermittentes, præſertim Quartanas, poſt præparationes & purgationes debitas, cum tartaro vitriolato, extracto ellebori, antimonio diaphoretico, &c. auxilio laudani opiati ſublatas fuiſſe teſtatur amicus quidam meus, quem effectum ſua ratione non carere ſtatuit: Cum enim inquit, in omnibus intermittentibus contumaciter perſeverantibus, ſit inquinamentum quoddam putredinale, quod poſt ſingulas acceſſiones in foco relinquitur, & novo paroxyſmo repetente excandeſcit cum fluxione, vel per venas, vel per totum, fit ut ſi laudanum alexypyretum duabus tribuſve horis ante invaſionem detur, omnes ardores deinde mitigentur, fermentationes humorum ſiſtantur, & fluxiones in ſingulas partes coerceantur, ſicque febris una cum dilatione ſua intercipiatur. *Idem ibidem.*

XXIX. Levi tertiana laborabat quidam, *paroxyſmus cum vomitu* ita erat moleſtus, ut vel ſola recordatione incideret in animi deliquium. Duarum horarum intervallo ante paroxyſmum exhibitæ pilulæ aloeticæ in majori doſi, (quam ℈ß) officium faciebant alvi lenitione in paroxyſmo, ut brevi liberatus fuerit. *Rolfinccius Meth. pag. 456.*

XXX. In febre putrida circa *ventriculum* & primas vias, toto morbi decurſu moleſtiæ & inordinationes, uti ſunt nauſea, vomitus, inappetentia, apepſia, diarrhoea, oris & linguæ ſcabrities, ſapor amarus infeſtare ſolent: hæc ut plurimum humoribus in ſtomacho prius congeſtis, ibidemque putreſcentibus attribuuntur, at prætereà quod chyli recrementa nimio calore perafſata, in materiam noxiam degenerant: non raro ejuſmodi accidentia eveniunt, eo quod ſanguinis & nervoſi ſucci, dummodo efferveſcunt, purgamenta & ſordes intro feruntur, atque intra viſcerum membranas depoſita ſpaſmos cient, etiamque humoris vitioſi, & valde infeſti colluviem faciunt: Sæpius obſervavi quod circa febrium initia ſanguis efferveſcens, cum ægrotum commodo recrementa ſua uſque interius deponeret, ubi licet magnæ moleſtiæ circa primas vias acceſcerent, tamen efferveſcentia propterea fuit mitior, pulſus moderatus, & urina laudabilis: atque hoc modo febricitantes cum victu tenui, & lenium ἐκκοπρωτικῶν uſu brevi convaleſcebant. Sin vero in hoc caſu, pro exſtirpandis humoribus, vehemens catharticum adhiberem, præpedita iſthac naturali cruoris purgatione, ſtatim febris intenſa, cum urina rubicunda & turbida, pulſu alto, vigiliis, aliiſque horrendis ſymptomatis evaſit: Etiam non raro poſt morbi ſtatum, hujuſmodi luſtratione interiori materia aduſta & excrementitia à cruore ſecernitur: Hinc aliquando diarrhoea, interdum cruſtacea oris & gutturis oblinimenta ſuccedunt, quare circa accidentia quæ in primis viis contingunt cautione opus eſt, ne dum iis occurrimus naturæ pervertamus motum: & dum has partes contra materiæ morbificæ incurſum munimus, ne perperam in cruoris maſſa eandem occluſam ſervemus. *Willis de Febribus cap. 10.*

XXXI. In exhibendis medicamentis cautiones & regulæ non levis momenti e *Pulſu* deſumuntur: *Purgatio & Vomitus* prohibentur à pulſu nimis citato & violento, etiam ab humili & depreſſo; quippe dum ſanguis nimis efferveſcit, evacuatio parum conducit, tum quia quod noxium eſt minime ſecernitur, tum etiam quod à perturbatione vires nimis debilitantur. cum vero ſpiritus ſunt fracti, & vires dejectæ, pharmacia eas magis proſternit, & quandoque magis exſolvit: Quare cum Medicus evacuationem ἄνω vel κάτω meditatur, prius Pulſum exploret, & hos motus aggrediatur ſolum modo cum natura eſt fortis & ſedata, ut una medicamenti operationi vacare, & viribus poſſit ſufficere. Nec minori circumſpectione opus eſt in *Diaphoreticis & Cardiacis*, quæ ſi in febrili paroxyſmo adhibentur, cordis motum prius violentum nimis intendunt, & ſæpiſſime ejus robur frangunt. Etiam cum Pulſus valde languidus ſit, ſi cardiaca calida & validiora adhibentur, (ut cum exilis flamma fortiori ſpiritus afflatu urgetur) facile vita extinguitur, quare vulgaris obſervatio eſt, quod Cardiaca non raro mortem accelerant, eo quod cor rem nimis exagitando, vires citius atterant: Adhuc maxima opus eſt

cau-

cautela & pulſus directione in exhibendis *Narcoticis*, hæc enim (quia ſpiritus vitales nimium feroces extinguendo & figendo opus ſuum perficiunt) ſi in pulſu debili, aut vacillante uſurpentur, aut ſpiritus vitales diminuendo, eos morbo omnino impares reddunt, aut eos nimis ſuffocando ſomnum perpetuum accerſunt: Quare in pulſu languido, inæquali, aut formicante *cane pejus & angue opiata vitentur. Willis l. de Febr. cap.* 10.

XXXII. Si æger vel calidiora medicamenta nimis proſpere atque intempeſtive ſumendo, vel calido nimis temperamento ſua natura fretus, in *Phrenitidem* prolapſus fuerit, morbo & ſymptomati opera danda erit, id quod fiet narcoticum aliquod in largiori paulo doſi exhibendo; Quamvis enim febre vigente quæ narcotica vi prædita ſunt non omnino proſunt, neque deſtinatum à Medico ſcopum feriant, tamen opportune, & in declinatione morbi adhibita, præclaros edunt effectus; antea vero prodeſſe non poſſunt, partim quia fermentationem vi atque impetu procurrentem ſiſtere nequeunt, etiam in maxima doſi exhibita; partim vero peccanti materiæ, tunc temporis maſſæ ſanguineæ æquabiliter admiſtæ, neque verſus ſeparationem adhuc vergenti, ab adhibito hujuſmodi medicamento manus injicitur, adeoque depuratio illa, tantopere expetenda impeditur: Ideoque ut rem certiſſimam pronuncio, Laudanum, vel alia quævis Narcotica, in principio, augmento, vel ſtatu morbi, ad ſymptoma hoc levandum, vel non prodeſſe omnino, vel, quod ſæpe accidit, etiam obeſſe; Verum in ejuſdem morbi declinatione eadem mediocri doſi adhibita non ſine ſucceſſu uſurpari: Semel equidem narcotico die morbi xij. uſus ſum, nec fruſtra, citius autem nunquam proſpere exhibitum novi: quod ſi illius uſum ad xiv. uſque diſtuleris, tanto magis proficuum evadet, ſeparatione nempe perfectiori tum facta: Neque vero hæc mora, tametſi forte adſtantes perterrefaciet hoc ſymptoma, mortem ſtatim ſub infert, cum ſæpe obſervaverim hanc rem plerumque inducias ferre poſſe ac ſolere, donec ad narcotica deſcendere fuerit opportunum, ſaltem ſi caveatur ne cardiacis, calidiſque medicamentis adhibitis, intemperies cœpta accendatur uberius, in quo caſu ægri ſubito pereunt. *Sydenham methodi cur. febres pag.* 51.

XXXIII. Illud hic addere placet, ſi ſymptomata hoc eouſque inducias ferat, ut æger ante ſumptum Narcoticum commode purgari poſſit, medicamentum illud tanto felicius effectum ſuum editurum; quocirca imperare ſoleo Pilul. cochiar. mai. ℈ij. in aq. beton. diſſolut. atque hoc x. vel xij horis ante narcotici exhibitionem; Neque metuendum eſt à tumultu illo quem calidior illa maſſa Pilular. alias excitare ſolet, ſubſequentis enim narcotici vis penſabit illas turbas, & quietem ſuaviſſimam blandiſſimamque inducet. *Idem pag.* 52.

XXXIV. Quod ſi *Vigiliæ* ultra febrem exſtant, ceſſantibus aliis ſymptomatibus, obſervavi linteum in aqua roſar. immerſum, & frigide ſincipiti ac temporibus applicatum, plus quam Narcotica quævis prodeſſe. *Idem.*

XXXV. Sæpe accidit per totum febris decurſum *Tuſſi* moleſta ægrum divexari, nimirum commota vehementer tumultuante ſanguinea mole, omnibus jam ad ſeditionem ſpectantibus, ſic ut humores quidam ſoluti, diffluenteſque e maſſa ſanguinis per vaſcula pulmonaria, vel etiam per diapedeſin in tracheæ membranam interiorem, teneriorem atque exquiſito ſenſu præditam, transferantur: hinc Tuſſis oboritur, quæ primo ſicca eſt, quoniam tenuis adhuc materia vim expultricem eludit, mox craſſeſcit atque expectoratu difficilis evadit, & quod ſenſim febrili calore torreatur, hinc fit ut ſuffocationis metu percellatur æger, utpote cui vires deſunt ad viſcidam materiam eliminandam: Ego in hoc affectu raro alio aliquo medicamento utor præter ol. amygdalarum dulcium, recenter expreſſum, niſi forſan acciderit ut æger oleum penitus averſetur, tunc enim vulgaribus pectoralibus opem ferre conamur: Illud vero becchicis anteponendum cenſeo, quod cum neceſſe ſit hæc liberalius & majori quantitate exhibere, modo prodeſſe velimus, hoc pacto ventriculum, jam debilem, & ad nauſeam proclivem oneramus, nonnunquam etiam eadem opera præpedimur ne reliqua eodem ipſo tempore tranſigenda procuremus: Nec vero aſſequor, aut experientia edoctus ſum, cur ab uſu hujus olei abhorreamus, fac enim illud ſua natura calidum eſſe & inflammabile, calor tamen ille non eſt tantus ut aliunde non abunde penſetur, præ cæteris enim manifeſta vi pectori conducit, aperitque vias ac lenit, adeoque expectorationem promovet, qua (præſertim ſi copioſior acciderit) tum exoneratur ſanguis à moleſto humore, commode jam excreto, tum eadem opera nonnihil refrigeratur, adeoque me non admodum male habet ſi quando viderim ſymptoma hoc intercurrere, cujus beneficio etiam non parum ægro accidit beneficij: Illud unicum moneo, una eademque vice non eſſe tutum totis cochlearibus hoc oleum exhibere, periculum enim eſt ne & ventriculo nauſeam, & alvi fluxum inducamus; parce itaque, ſed frequenter interdiu noctuque propinandum, quo non ſolum facta expectoratione Tuſſim lenimus, verum etiam ægri attritas vires blando nutrimento nonnihil ſolabimur. *Idem pag.* 58.

XXXVI. Fit nonnunquam ut *Hæmorrhagia narium* ſuperveniat, ſive quod medicamenta nimis calida morbi initio fuerint exhibita, ſive quod ebullitio non ſatis coercita fuerit, ægro nempe vel in ætate florenti conſtituto, vel anni tempeſtate coadjuvante; Hoc ſi fiat, nec admodum juvabunt ea quæ ad ſiſtendum ſanguinis motum vulgo fieri conſueverunt, v. ſ. ligaturæ, medic. adſtringentia, agglutinantia, ſanguinis acrimoniam temperantia, &c. quamvis enim pro Medicorum conſilio ac prudentia his vel illis uti liceat, in eo tamen cardo vertitur ut idoneo aliquo medicamento ſanguinis ebullitioni frænum imponatur, quod ſiſtat figatque illius impetum: Verum quidem eſt, ſi ſymptoma ſeorſim ſiſtatur, ea quæ

enumeravimus, V. S. præſertim, accommoda ſatis eſſe, nec ego dubitarem iiſdem uti, ſed nempe ſymptomatis hujus cauſam (ſi ſaltem V. S. exceperis) non ſatis attingunt, quam profecto non majori ratione per prædicta tollere, quam ſi gladio ignem extinguere ſatageres. Ego itaque in hoc caſu, fruſtra aliis tentatis, tale quidpiam adhibere ſoleo ℞. *aqu. portulac. papav. errat. aã. ℥iß. ſyr. de meconio ʒv. ſyr. paralyſ. ʒß. m. f. Hauſtus.* Nolim autem hæc ita intelligi, quaſi hæmorrhagiam quamlibet ita ſtatim curari velim, quin potius illa ſæpe permittenda eſt, atque ægro plurimum prodeſſe poteſt, partim nimiam ebullitionem reprimendo, partim etiam critico aliquando morbum ſolvendo; Atque revera parum proderit huic ſymptomati ſanatin prædictum aptare priuſquam illud aliquantiſper excurrerit, vel etiam priuſquam vena in brachio ſecta fuerit: Illud diligenter advertendum eſt hanc ipſam, atque immodicas hæmorrhagias, peculiare illud obtinere quod quam primum illæ quomodocumque ſedatæ fuerint, niſi leniens aliqua purgatio celebretur, metus eſt ne recidivam æger patiatur, proindeque purgandum erit, quamvis (ſi febris tempora ſpectentur) ſerius aliquanto id fieri ſoleat, atque debeat niſi ſymptoma hoc acciderit. *Idem. p. 60.*

XXXVII. Obſervavi ſæpe *Singultum* ex turbis ac tumultu ab aſperioribus medicamentis in ventriculo lociſque vicinis excitato ortum ducere: quibus ſedandis, atque in priſtinam pacem reducendis, cum naturæ vires non ſuffecerint, fit ut ingens periculum immineat: Cura ergo dirigenda ut quod natura per ſe nequibat, arte perficiatur, *Diaſcordium* igitur latga dozi exhibens, nempe ad ʒij, à ſcopo meo non aberravi, cum ſem. anethi, aliiſque ſpecificis. *Idem.*

XXXVIII. Si in morbi hujus decurſu *Diarrhœam* obortam conſpexeris, quæ accidere tunc ſolet cum vomitorij exhibendi prætermiſſa eſt occaſio, Dico in hoc caſu convenire ut quovis morbi tempore (niſi vires contra indicent) Emeticum exhibeatur, etiamſi iampridem illa ad vomendum propenſio præterierit. Quia autem, hac de re (*tit. de Febribus Continuis* §. 17. *a.*) actum eſt, illud hic adnectam quid facto ſit opus, ſi exhibito licet Emetico nihilominus *Diarrhœa* ſupervenerit: quod tamen rarum eſt, niſi in febre ſymptomatica, ubi vomitorium hoc ſymptoma non ſolum non impedit, ſed quandoque creat: Eo in caſu, præ quibuſvis adſtringentibus, profuit hic clyſter ℞. *cortic. granat. ℥ß. roſar. rub. pug. ij coque in lactis vacc. q. ſ. in colatura ℔ß. diſſolve Diſcordij ʒiij.* Non ſuaſerim ut majori quantitate iniicias, adeoque fluxum alvi, quem conſopire animus erat, ulterius provocet. Obiicies magis è re videri ut, præſertim declinante morbo, diarrhoeam permittas potius quam ſiſtas, cum nonnunquam critica ſit morbumque ſolvat? ℞. me non inficias iturum fieri aliquando ut febris per hanc portam viam ſibi faciat atque effugiat, verum illud rarius accidit quam ut illius ſpe quicquam moliamur; Nunc autem id addendum ad genuinam ſanguinis depurationem, non tantum neceſſariam eſſe illam quarundam partium ſecretionem, quæ per fæces fit, ſed requiri etiam ut ſecernantur aliæ, tanquam flores, id quod in etiam aliis liquoribus opulentis atque heterogeneis quotidie cernimus; Itaque ſi *diarrhœæ* nimium indulſeris, mediam ſolummodo depurationem, tantopere expetitam procurabis, atque etiam forſan quod poſtremo loco reiiciendum erat, primo excernetur: Fateor equidem ſeparatione illa per flores jam facta (quæ ſenſim & ſine ſenſu peragi ſolet, plerumque paulo pleniori diapnoe, potius quam ſudore manifeſto) *diarrhœam*, ſi forte acciderit, periculi non multum interminari. Sciendum tamen eſt illam tum non aliunde accidere quam quod purgatio, ſubducendis fæcibus dicata, non opportune exhibita fuerit, qua quidem fæces mora ſua, fermenti alicujus maligni morem adeptæ, inteſtina jam ad excretionem irritant ſtimulantque; ut omittam dicere liquidiſſimam illam excrementorum conſiſtentiam (tali enim forma plerumque viſuntur) ſatis indicare ea pro critica morbi ſolutione habenda non eſſe. *Idem pag. 63.*

XXXIX. Accidit interdum, maxime in ſenibus, ægrum, febri jam curata, & corpore jam ſatis ſuperque purgato, nihilominus valde debilem eſſe, & quandoque tuſſi, interdum ſcreatu, magnam glutinoſi, viſcoſique phlegmatis copiam expectorare. Quod ſymptoma non tantum ægro terrorem iniicit, ſed & ipſi Medico, præſertim minus cauto impoſuit, eumque in opinionem induxit quaſi affectus iſte *Phthiſi* viam ſterneret, licet obſervaverim ego raro non adeo periculoſam eſſe; Hoc in caſu ægrum iubeo vinum Malaganum annoſum, vel Falernum, ſive muſcatum, cum pane toſto ei immiſto bibere, quod craſin multum, prægreſſa æſtuatione, ſanguinis debilitati (proindeque nuper ingeſtorum ſuccis aſſimilandis imparis) corroborans, ſymptoma illud pauco admodum dierum ſpatio abigit, ut crebra mihi conſtat experientia. *Idem pag. 58.*

XL. Sæpe accidit *Hydropas*, ſi ſedulo poſt febres Autumnales intermittentes purgatus non fuerit ſupervenire: Verum illi facile aperientium & catharticorum ope ſanantur, ſi quidem recens affectus fuerit. Neque mihi moleſtum eſt, quoties hinc natum morbum audio, atque intelligo, nempe de rei exitu omnia bona tunc temporis animo concipiens. Nonnullos enim uſu Apozematis ſequentis, vel ſine admiſtione hydropi magis appropriatorum ſanavi, ℞ *rad. rhab. monach. ℥ij. rad. aſpar. bruſci, petroſ. & polypod. querc ana. ℥j. cortic median. frax. & tamar. ana. ℥ß. fol. agrimon. ceter. & cap. vener. ana. man. j. ſenna mundat. ℥iii. vini albi opt. ℥jß. agar. troch. ʒij. ſemin. fænicul. ℈iv. coque in aqu. font. ad ℔jß. In colat diſſolve ſyrup. cichor. cum Rheo, & magiſtr. ad melanch. ℥jß.* Dozis ℔ß. ſingulis matut. per triduum, Et reperatur quoties opus fuerit. *Idem p.* [illegible]

XLI. Halitus flatúſque ex humoribus in inteſtino tenui produci poſſe ex concurſu *pancreatici ſucci, bilis* & *pituita* docuimus, ſed copioſius ac urgentius incipientibus febrium intermiſſ. paroxyſmis, ut & iiſdem ad augmentum tendentibus, imo vigentibus: quamvis pro temporibus illis varius varij ſoleant attollii halitus flatuſve, prout ſcilicet nunc hic nunc ille dominium tenet humor, quod notum

iis

ij qui ad querelas ægrotorum attendunt, obſervantque ipſarum circumſtantias plurimum ſæpe inter ſe diſcrepantes. Incipiente namque paroxyſmo, & vigente frigore qui attolluntur Halitus, magis ſolent eſſe auſteri, acidi, & glutinoſi, quemadmodum qui calore incipiente, aut vigente, quaquaverſum propelluntur, ſubtiles magis ſunt æſtuantéſque, atque ad inclinationem uſque ac Sudoris eruptionem valde angentes: unde diverſis quoque diſcutiendi ſunt ſinguli medicamentis: quemadmodum enim conducunt incipiente ac durante *Frigore* ſalia volatilia & ol. aromatica, & in ſpecie garyophyll. ſic vigente æſtu præferendus Nitri ſpiritus, tum purus quam dulcis potui admiſtus, à quo ſimul promovetur exoptatus Febrientibus ſudor, paroxyſmum ſolvens, dummodo non ſit nimius, viréſque exolvens: Ubi vero ſalſum halituum metus eſt, propter ſimiles jam in præcedentibus paroxyſmis obſervatos, bonum eſt longo ante paroxyſmi adventum tempore aſſumi, quantitate parva, medicamenta illis corrigendis diſcutiendiſque, atque adeo præveniendis accommodatiſſima; quorum ope obſervavi ſemper habuiſſe melius ægros, atque paulatim ſuperaſſe anxietates inexplicabiles: *Sylvius de le Boë Appendic. Tractat.* 10. *paragr.* 598. *&c.* Oportet Medicum ad ſymptomata cum ipſo febrili paroxyſmo excitari ſolita attendere, & præſertim ad *Frigus* & *calorem*, utpote ægris moleſtiſſima: Et in his agnoſcet quivis ſummam Salium volatilium efficaciam; inſuper vim maxime tutam & innoxiam, quæ de variis plantarum partibus, & medicamentis ex iis paratis non ſemper dici poteſt, quippe quæ manifeſtiorem, ac ſæpe moleſtum producunt in nobis calorem; Ut de frigore nunc nihil addam, quod ſimiliter à vegetabilibus excitatur frequenter, non item à volatilibus animalium ſalibus, ſed minime oleoſis, qualia parari poſſunt facillime: Quin Salia volatilia puriora, nec oleoſa, nullum æſtum ſæpius, in paroxyſmorum augmento excitari ſolitum & moleſtum, fovent augentve, quod de aromaticis non poteſt dici, cum ab ipſis non parum ſæpe augeatur æſtus febrilis. *Idem Tract.* x. *Append.* §. 666. 667. & 668.

XLII. Ubi *Dolores* graves exercent ægros, ubi *Inquietudo* ex humorum agitatione in ipſis deprehenditur, ſolent ad Opiata & Narcotica, tanquam ad ſacram anchoram recurrere prudentes Medici; quod fit quatenus omnia Narcotica & anodyna ſulphure abundant, cujus vis eſt omne acre, tam acidum quam lixivioſum temperare, id quod infinitis experimentis Medicis comprobari poteſt: Hinc eſt, meo ſaltem judicio, quod circa febrium Intermittentium, à vitioſa effervescentia ortarum, initia exhibita Narcotica & Opiata, Theriaca, Mithridatium, Diaſcordium, &c. Febris vehementiam minuant compeſcant, & quandoque ſiſtant, quod norunt etiam plebeij. *Idem Tractat.* 8. *paragraphus* 104. 105. Vide ſupra *paragr.* 13.

XLIII. Manifeſtum eſt ex *Hippocrat.* 1. de rat. Vict. qui pleuritico valde ſitienti aquam conceſſit, ut cum ſymptomata ad eam magnitudinem deveniunt ut in morbum addant, aut vires naturæ ſolvant, ab eis potiorem ſumendam eſſe victus indicationem: danda nihilominus eſt opera ut ea miniſtremus quæ aut morbo, ſi fieri poſſit, conveniant, aut ſaltem non ſint incommoda. Sic enim *Hippocrat.* loc. cit. *Ubi autem dolor aliquis vexaverit, oxymel bibendum dabis, hyeme calidum, æſtate frigidum: Quod ſi multa ſitis fuerit, melicrato utendum & aqua:* Ratio id ipſum ſuadet, ut non a ſymptomatum quacunque magnitudine, ſed ab effatu digna curationis ſcopus mutandus ſit; nam cum ſymptomata morborum effectus ſint, ablatione cauſarum evaneſcunt; ſin effatu digna ſint, indicationem curationis præſtant: Eorum autem magnitudo definienda eſt, cum alicuius p. n. diſpoſitionis ſunt cauſa, quæ aut morbo addat, aut naturæ vires exolvat: Quæcunque horum eveniat ſymptomatis magnitudinis cauſa, juſto tunc ſymptomata victus rationem & curativam indicationem ſuppeditant: Ut Pleuritico parum ſitienti, oxymeli, aut melicratum, quæ ipſe morbus exegerit, offeres: Quod ſi multa ſiti vexetur, non iis quæ morbum & ejus cauſam reſpiciunt, ſed iis quæ *Sitim* mitigant uteris; nam multa ſitis ſputum exſiccat, & morbum incoctilem reddit, febriſque calorem auget, quapropter melicratum & aquam exhibebimus, indicatione à ſymptomate ſumpta, nam aqua morbi gratia exhibenda non eſſet, ob id quod doloris maturationi adverſa eſt: Sic ergo ſymptomatum magnitudo definienda eſt, ut ab ijs ratio curationis & victus indicationes ſumantur: Cæterum hujuſmodi ſymptomata ad dictam magnitudinem cum perveniunt, hoc eſt vicem habent cauſæ ad morbū relata, aut urgentis, aut cauſę ſine qua non morbus curari non poſſit, vicem habent; quapropter potior eſt quæ ab ijs ſumitur indicatio quam à morbo, ut ex dogmate de complicatis affectibus colligitur. *Brudus de victu Febr. l.* 3. *c.* 27.

XLIV. Omnium maxime quæ *Sitim* vincunt Aqua frigida eſt; Secundo loco eſt Aqua hordei, Tertio, Syrupus violaceus multa aqua dilutus: Aqua Zucari multoties noſtri recentiores utuntur; Sed conſiderare diligenter oportet ne in vehementi Linguæ, totiúſque corporis ſqualore utamur ea, nec abſtergente ulla, Nam talia corpus ſiccius reddunt, ut me olim docuit experientia. In Anglia Hiſpanum puerum periodica febre laborantem inviſi, habitu gracili, & præter modum ſqualido: Ejus lingua præ nimio ſqualore arida victa modum erat, ut vix loqui poſſet, indomitamque ſitim patiebatur: Frigidam puero exhibere mihi viſum eſt, zucarumque impoſui ut aquarum craſſitiem corrigeret: Cumque à potu frigidæ non levaretur ſitis, vitio aquæ illud tribuens, aquam diſtillationis bugloſſæ, utpote in qua nil craſſum eſt, cum ſaccharo miniſtravi, Cumque à copioſo & crebro illius potu ſiccior etiam evaderet, intellexi tandem in vehementi ſquallore nimium adverſa eſſe quæ abſtergendi facultatem habent, ex eo quia corpus & humores ſicciora reddunt; nam quæ abſtergunt adhibetur, quam ſi lintea ſordida abſque aqueo humore ſapone deterſorio unguento diligenter perfrices ut ſordes detergeas; quanto enim plus deterſorij adhibueris, eo minus perficies, nam ſordes magis & tenacius impinges, Oportet enim lintea aqua prius macerare, ut ſordities, quam abſtergere cupis, humecta fiat; ſic fœminæ diutius lintea in aqua macerari permittunt, rem in illis uſu monſtrante: Cum igitur homini corpora vehementer exſiccata ſunt, cavendum eſt ab uſu abſtergentium, non ſunt enim eo tempore

abſtergendi humores ſed potius humectandi, at cum humectos ſatis reddideris, abſtergentibus ſecure uti poteris; ſic docente *Hippocrat.* lib. 1. de Vict. Acut. *Danda Sorbitionis quantitas hoc obſervabitur modo, nempe ſi morbus ſiccior quam ut quippiam exiſtimet fuerit, non multum dare oportet, ſed prabibere ante ſorbitionem vel mulſam, vel vinum, utcunque magis conveniet:* *Galenus* in expoſitione ſigna commemorans quibus cognoſcitur ſiccus affectus, ita ſcribit, *Et ſane*, inquit, *ſuperfluitatum nihil excernere, ſiccorum omnium morborum nota eſt; Non immerito igitur* Hippocrat. *humectamentum aliquod ante ptiſanam aſſumi jubet &c.* *Idem cap.* 28.

X L V. Nec ſolum ea quæ abſtergunt in dicto affectu fugienda ſunt, verum & quicunque cibus & ſorbitio. Nam ſolo Potu humectante utendum eſt in iis quorum Linguæ, totúmque corpus ultra modum arida ſunt: Si enim iis cibum aut ſorbitionem dederis, partes ſorbitionis, quæ craſſioris ſunt ſubſtantiæ, ventriculi tunicis præ nimia earum ſiccitate adhærentes, à febrili calore devrentur potius quam coquentur; Non aliter quam cibus ollæ adhærens comburi ſolet, humore aqueo deficiente. Hæcque fuit mens *Hippocrat.* loc. c. ſupra, cum morbo ultra modum ſicco exiſtente, ante ſorbitionem præbibere mulſam vel vinum ægros jubet; Volens in tali affectu ſolo potu humectante prius nutriendos eſſe laborantes donec ariditas ſolvatur, deinde ad ſorbitiones devenire. *Idem.*

X L VI. Sunt autem quatuor de quibus agit libro de Vict. Acut. *Aqua hordei, mulſa, vinum, oxymel*: In ſicco affectu nec oxymelitis, nec aquæ hordei mentionem fecit; prius, eo quod nimis inciſivum eſt ſicco affectui non convenit: Poſterior, prout potus eſt, parum nutrit ob tenuitatem: Mulſæ autem & Vini meminit, tanquam eorum quæ magis nutriunt & humectant: Electionem vero alterutrius Medico relinquit, ac ſi intelligat in ſicco affectu poſſe aliquando alterum lædere, & eorum alterum convenire; Si enim à bilioſo humore, ob ejus indomitam qualitatem, ſiccus eveniat affectus, vitanda magnopere eſt Mulſa, Vinum vero exhibendum, quod citra abſterſionem inciſionemve humectat, & vires naturæ miniſtrat: Quod ſi à nimis craſſo humore, coctrici facultati repugnante, morbus ſiccior evadat, mulſa potius quam vinum miniſtranda eſt; tum ad humoris extenuandam craſſitiem, tum ad humectandum corpus, plus enim humectat mulſa quam oxymeli: *Idem.*

X L VII. Sed & illud certo ſcimus quod ſiccitas, quæ Linguæ & toti corpori advenit, ob bilis ardentis qualitatem, multo validior eſt, quam quæ à craſſitie ſola humorum provenit: quare recte ſupra (*paragrapho* 44.) additum eſt in ſiccitate vehementi vitandam aquam Zuccari, & quę abſtergendi vim habeant, potúque ſolo humectante utendum eſſe. *Idem.*

X L VIII. In Febribus quæ à cauſa calida ortum habent, abſque pituitæ mixtione, æſtate præcipue, aquæ communis uſus amplectendus eſt; Cæterum latere non oportet, ubicunque crudi humoris, de pituitæ genere, coctionem quærimus, ut febri medeamur, magis lædere potum aquæ deſtillatæ quam aquæ naturalis: Illa quidem, ſi frigida offeratur, duplici nomine infrigidabit, actu & potentia: magis præterea penetrat in corporis interiora, ratione qualitatis igneæ: Unde ab aquis hujuſmodi magis pati nativum calorem quam a naturali manifeſtum eſt: quapropter in cauſa frigida, & iis qui alicujus interiorum viſcerum imbecillitatem patiuntur, vitandas eſſe diſtillationum aquas opinamur. *Idem.*

X L I X. Non prætereundum Sitim quandoque à Ventriculo, quandoque à Jecore, & Pulmone, & Renibus evenire poſſe, ut à *Galeno* in lib. de loc. Affectib. ſcriptum eſt: Quæ à pulmone ortum habet, aqua hordei cum ſyrupo violar. ſedatur: Ab hepate, aquis deſtillatis frigidis; A ventriculo, potu frigidæ, A renibus, aqua decoctionis liquiritiæ compeſcitur. *Idem.*

L. Patiuntur Febricitantes aliquando *dejectionem Appetentiæ*, ut eorum corpora areſcant atrophia: Cúmque multiplices habeat cauſas, nullus cibus ſimpliciter commendandus eſt ad eam inducendam: Non ſolum intemperies oris ventriculi eam dejicit, ſed & humor quicunque ſit, qui aut ſenſum oris hebetet, aut conſtrictionem partium ejus prohibeat: Intemperies autem ut plurimum calida eſt, cum utraque contrarietate ſicca & humida, humori conjuncta, & abſque eo: Cum *caliditas & humiditas* cauſa ſunt, cappares cum aceto, conditæ olivæ, & jus lentium proſunt: Sed cum *ſiccitati* conjuncta eſt *caliditas*, Aqua frigida maxime iuvat, niſi quid prohibeat, lactuca, cucurbita, melones & qua de cauſa æſtate his prius ad menſam vtimur, vt calorem & ſiccitatem ventriculi reprimamus, vnde ab iis noſmetipſos ad cibos promptiores ſentimus: *Dejicitur* etiam *Appetentia ob defectum conſtrictionis partium oris ventriculi*: huic contraria diſpoſitio eſt quam quidam *ventriculi remollitionem* aut *relaxationem* dixerunt: Ortum habet ab humore pituitoſo diu ventriculo inſidente, & ejus tunicas irrigante, cuius meminit *Galenus* 7. m. m. ubi in remedium huius vitii *abſynthii* potionem concedit: hæc relaxatio ſuperficiem ventriculi lævem reddit, vnde *appetentiam* deiicit; hæc enim aut ſenſus exaſperantis rei eſt, aut ex eo naſcitur, quamobrem abſynthium recte appetentiam inducere dicitur: nam ſua ſiccitate laxum ventriculum corrigit, amaritudine & adſtrictione lævem eius ſuperficiem exaſperat; quare cùm ob relaxationem ventriculi deiicitur appetentia, abſinthio vtemur; *Piſces* quoque *Salſi* in id efficaciſſimi.

Fit & aliquando vt *humor crudus ventriculi tunicis diu inhærens* faſtidium inducat: quæcunque ergo hunc excernendi, & ventriculum exaſperandi vim habent, Appetentiam proprie inducere dicuntur, ob id quod vt plurimum à dicta cauſa naſcuntur *cibi faſtidia*: Talia ſunt in calidis *Allium & Cepa*: Allium ſiquidem excernendi vim habet, ventriculúmque mordet, & exſiccat, ex *Dioſcoride*: Vanum eſt quod de eo dicitur, ſtomacho ſolum eſſe, & cibi faſtidia inducere, nam experientia quotidiana ſcimus adverſus flatum non leve remedium eſſe, & appetentiam excitare, aſſentiente *Galeno* 4. de rat. Vict. Quicunque igitur à crudis humoribus, diu ventriculo inſidentibus, cibi faſtidium patiuntur, Allio in ſucco vuæ acerbæ, aut acetoſæ macerato efficaciſſime vtentur: Sed & *Cepa* expurgandi vis ineſt, ex *Dioſcoride*, ventriculumque mordet, qua de cauſa appetentiam excitat: quicunque igitur ob

caloris defectum, aut ob debilem expultricem, obdormientem oris ventriculi ſenſum habent, hácque occaſione cibum faſtidiunt, cepa cruda vti ſ. et vti poſſunt, cum aqua, ſale & pipere in tenues laminas, incisa: *Sinapi* etiam cum aceto & pane contuſum ſenſum ventriculi acriorem reddit. *Petroſelinum* cum cibo coctum, citra eam quæ à manifeſtis ſu... itur qualitatibus actionem, appetentiam excitat: ... um item cum aceto & pane contuſum mirum ... modum prodeſt. *Idem cap. 29.*

L I. Ex *Arabibus Unus* ita ...ioit, *Ex-eis quæ ... runt illis quorum appetitus proſtratus eſt propter debilitatem ſicut convaleſcentium, aut propter materiam humidam viſcoſam, eſt ut comedant ..., & aliquod de piſcibus ſalitis.* Sed ſicut Olivæ lætioni ſunt iis quorum ventres humido & viſcoſo humore abundant, ita & *Piſces Saliti* convaleſcentibus iis qui ob debilitatem cibum faſtidiunt, Nam, juxta illius Medici ſententiam, propter ſanguinis penuriam iis dejicitur appetentia, vt convaleſcentibus accidit, *inquit*, aut iis qui evacuantur plurima evacuatione: Vtriſque cum cibum faſtidiunt, piſcium ſalitorum vſum potius incommodo fore quam adjumento opinor: Sed neque olivæ conditæ hos meliores reddunt. *Idem ibid.*

L I I. *Fluxus ventris* ſi ſtatim inter morbi initia eveniat, ſiſtendus ideo videtur eſſe, quia eo tempore vi morbi potius quam naturæ regulariter agentis evenit, hinc neceſſe eſt vt ex eo labor & virium jactura ſequantur; quarum enim natura per ſe ipſam author eſt effluxionum, non morbi initio, ſed poſt criſin fiunt: Roborare igitur Naturam, à morbi violentia oppreſſam expedit cibo craſſiori quam pro morbi acuminis ratione, nam ſymptomati illud indulgendum eſt; vt ſi *Socratem* ponas Cauſo laborare cum alvo liquida, non potu ſolo, (quem victum alias expoſcit) ſed ſorbitiuncula ex ptiſanæ cremore hunc nutries, Sic jubente *Hippocr.* lib. 4. de Vict. Acut. vbi de Cauſo abhorgit; Sic ergo manifeſtum eſt ex *Hippocrat.* & *Galeno*. quibuſcunque in febribus alvus ab initio liquida eſt, craſſiori victu febricitantes quam morbi acumen expoſcat alendos eſſe; nam vt plurimum huiuſmodi ventris fluxus, inter morbi initia evenientes, ſi permanent, corpus abſumunt contabefaciuntque; quamobrem colliquantium febrium indicia ſunt & effectus. Quod à *Galeno* lib. 4. de Vict. Acut. in expoſitione illius, *Quibus alvus per febres* &c. ſcriptum eſt in hæc verba, *Nam vt cætera omittam, cum alvus liquida eſſe poſſit, tum propter phlegmonem, tum propter contabefacientem colliquantémque febrem, frigida potus phlegmonæ contrarius eſt &c.* Objicies illud *Hippocr.* lib. 2. de rat. Vict. *Ingens ſi quidem malum eſt, ſi ob laborem morbique acumen imbecillitati porrexeris quis potum vel ſorbitionem?* Reſp. dupli... imbecillitatem in febribus contingere poſſe, alteram quæ ex ſola ſpiritus ſubſtantiæ reſolutione fit, de qua intelligendus *Galenus*. loc. c. cum dixit, *Ob dolores ſæpius ægri ſine pulſu ſunt, animique deliquia incurrunt, & nullo pacto queunt moveri:* Alteram vero ex defectu materiæ ad eorum generationem, quam tetigit loco citato, *Sunt autem*, inquit, *quibus non ob hæc virtus offenditur, ſed ob vaſorum quomodolibet factam evacuationem:* De primo imbecillitatis modo intellexi: *Hippocrat.* cum dixit, *Ingens ſiquidem malum &c.* vbi oſtendimus ex mente *Galeni*, qui laborantibus huiuſmodi imbecillitate cibum exhibent, maximum operari malum: Eos vero qui ob defectum materiæ ad generationem ſpiritus ſub... moto... ſunt, cibari quam celerrime oportet; Imo ſi quis tenui victu hos alat, non parum lædet: In febribus autem quæ cum alvo liquida imbecillitates fiunt, eas partim ab evacuatione illa ortum habere ſuſpicari Medicum æquum eſt: quare quantum evacuatio occaſionis dat, eo magis tenui victui parcendum eſt, & craſſiori indulgendum. *Idem cap. 39.*

L I I I. Sed non abs re fuerit mulieris curationem referre, quæ ardenti febre correpta eſt, Alvus perpetuo liquida erat, vigilias patiebatur, & ventriculi immoderatum ardorem: dejectiones febrilem æſtum non extinguebant: Huic aquam hordei ſolum propinandam alii perſuadebant, morbi namque acumen craſſiorem victum non expoſcere judicabant: Alii medicamentibus peracuti morbi vim compeſcere melius eſſe: Alii immoderatum ventris profluvium iis quæ adſtringunt ſiſtendum exiſtimabant, ea de cauſa quia nullum ex eo ægrotans levamen perciperet, Mea quidem prævaluit ſententia, vt nec adſtringentibus ventris fluxus cohiberetur, nec ad vlla medicamenta tunc adeſſe occaſionem, nulloque alio opportunius vti poſſe remedio quam craſſiori, pro morbi ratione, victu laborantis naturam roborare; poſſe ſiquidem eo modo citæ alvi ſymptoma minori ferre incommodo: quare craſſa ſorbitione ex pull. gallinaceæ, convenientibus herbis temperata, mulierem per aliquot dies nutrivi, nullo alio vtens remedio, Sic quidem illa acutum morbum evaſit, ipſo victu competenti: Vnde collegi in febre acuta, cum ventris fluxu immoderato, ſaluberrimum eſſe id ſolum Medicum curare vt naturam craſſiori victu roboret. *Idem.*

L I V. Sed quando *adſtringente cibo & potu* vtendum ſit deinceps conſiderandum eſt: In acutis febribus morbi cauſam effectricem extra corpus pellere modis omnibus damus operam, cum autem aliqua evacuatio ſponte evenit, etſi intempeſtive fiat, ideo ſiſtenda non eſt, quia noxii humoris ſuperabundantis excerni portionem ſuſpicandum eſt, Et ſi in hujuſmodi intempeſtivis alvi dejectionibus multum eius quod vtile & naturæ conveniens eſt evacuari certo ſciamus, non ob id alvum citam compeſcere oportet, nam maius ex retentione pravi humoris ſolet incommodum ſequi, aucta febre, & increſcentibus ob id ſymptomatibus, robur virtutis devorantibus, quam ſit imbecillitatis damnum, quod contrarium operantes vereri poſſent; quare conſulentes febri, & ejus ſymptomatibus, fluxum ventris non ſiſtimus, virium robori craſſiori victu providentes: Intelligendum tamen eſt quod in ſolo eo, qui ob liquefacientes febres fit fluxu, ſorbitiones frigidiores & craſſioris ſubſtantiæ offerimus, potúſque qui adſtrictoria participant facultate, vt liquefactioni plus obſtent, non vt alvum ſiſtant: quod enim jam diſſolutum ex membris eſt à violentu febris incendio, retinere intra corpus conſilium non eſt: Ob id *Hippocrat.* cum in libris de Rat. vict. multis in locis meminiſſet fluxus alvi in febribus, ſemel tantum potus adſtringentis, & craſſiori ſubſtantiæ ſorbitionis meminit: Nempe cum alvus liquida fuerit & liquefaciens, *Videtur mihi*, inquit, *Sorbitiones frigidiores & ſpiſſiores offerendas eſſe, & potus qui ſiſtant vinoſiores vel etiam adſtringentiores*: In reliquis autem ... quando purgationem adhibere ſuadet, tantum abeſt vt fluxus eos inhiberi conſulat, Vt in eo, *Liquidæ*

dam alvum habenti &c. præterea in eo, *Sorbitiones attractorias* &c. quandoque pedes calefacere jubet ceromatis & faſciis obvolvens, ita vt reliquo corpore frigidiores non ſint. *Idem.*

L V. Cæterum ſcire oportet omnem Ventris Fluxum à duabus evenire cauſis, nempe à noxa facultatis expultricis aut retentricis: Ubi ab irritata expultrice fit, fluxum adſtringentibus compeſcere haud tutum eſt, in morbis præſertim acutis; Cum vero ab imbecillitate retentricis, cibo & potu adſtringentibus cohibenda eſt, in omni febre & in omni morbo: In colliquantibus igitur febribus, ob id quod liquefactio retentricis imbecillitatem, magis quam expultricis fortitudinem aut irritationem arguit, non immerito *Hippocrates* craſſiores ſorbitiones frigidioréſque, & potus qui ſiſtant, vinoſiores adſtringentioréſque miniſtrare jubet: Quibuſcunque igitur in morbis alvus liquida ob retentricis imbecillitatem fiat, adſtringenti cibo & potu vti oportet, à ſymptomate potius quam à morbo ſumpta indicatione. *Idem.*

L VI. Febri, Autumno 1675. epidemicæ, Dejectiones Dyſentericæ ſuperveniebant, quandoque & Diarrhœa, Iſtas ego ſtatim perſpexi ſymptomaticas fuiſſe huic febri, non vero, vt in conſtitutionibus quibuſdam Originales & primo ortas: quo non obſtante, cum morbi cauſa in ſanguinis maſſa clauderetur, Venæ ſectionem ea indicabat; quæ quidem, propinato etiam poſt narcotico ad duas vices, ſymptomati huic debellando par erat. *Sydenham Obſervation. in Acut. pag.* 334.

L VII. Haud raro accidit in Febribus, convaleſcentibus, ijs maxime quos illæ diutios maceraverant, nec niſi poſt longas magnáſque evacuationes tandem dimiſerant (præſertim ſi invalidiori eſſent corporis habitu) vt noctu in lecto cubantes incaleſcerent primum, mox *Sudore* diffluerent, à quibus vehementer infirmabantur & vires tardius recipiebant, nonnulli etiam præcipitabantur in tabem: Cum ſymptoma hoc non aliunde naſci exiſtimarem quam à ſanguine, ob morbum contumaciorem, eo vſque depauperato debilitatóque, vt ſuccos quos recenter advectos nequiret aſſimilare, per ſudores ejicere moliretur, ita affectis author ſemper fui, vt ſingulis auroris noctibuſve, cochlearia tria quatuorve vini malacenſis annoſioris haurirent, cujus vſo ægris vires creſcebant jugiter, & ſudores evaneſcebant. *Sydenham Obſerv. in Acut. pag.* 335.

FEBRIS ALBA

Seu

AMATORIA,

(Vide *Chloroſis lib.* 3.)

Deſcriptio & Curatio.

HAnc Febrem, *Hippocrates* libro de Virginum morbis *Erroneam*, non ſine ratione, alij *Albam Ikteritiam* nuncuparunt: Albi namque & frigidi humoris plurima ſymptomata indicium præbent; primo ſi quidem menſtrua ſuppreſſa, in juvenili ætate, temperamento calido & humido, nativum calorem ſuffocando in toto frigiditatem induxerunt, non parum ad id conſpirantibus obſtructionibus in meſenterio & vtero, forſan etiam in cava Iecoris, quæ naturalis caloris ventilationem prohibentes, ejuſdem ſuffocationem fovent, vnde ſymptomatum plurima frigidam intemperiem atteſtantur.

Hujus affectus Virginei Cauſa Primitiva fuit intenſa meditatio hujus Virginis, qua avocato calore nativo & ſpiritibus à ventriculo, cruditates genitæ fuere, obſtructionum in venis lacteis & meſentericis origo, unde ortus affectus hypochondriacus, & de ventriculo male affecto & hypochondriorum rugitibus querelæ: inquinata quin etiam maſſa ſanguinea, quæ craſſior reddita, nec vteri venas ſtatutis temporibus libere permeans, ac in iiſdem ſtabulans obſtructiones in vtero quoque congeſſit, & menſtruam purgationem diminutam reddidit; quibus adauctis perfecta corundem ſuppreſſio ſubſequuta fuit, *Sanguis enim effluxum non habens*, inquit *Hippocrat.* lib. de Virginum morbis, *præ multitudine reſilit in cor & ſeptum; quando vero hæc repleta fuerint, cor ſtupidum fit, deinde ex ſtupiditate torpedo, poſtea ex torpedine delirium apprehendit; ſicut enim aliquo longo tempore deſidente, ſanguis ex coxis & femoribus depreſſus, in tibias & pedes torporem inducit; à torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec ſanguis ad ſeipſum revertatur* &c. *Revertitur autem celerrime, cito enim propter venarum rectitudinem refluit, & locus corporis non eſt periculoſus; at ex corde & ſepto tarde refluit, venæ enim obliqua ſunt, & locus periculoſus, & ad delirium ac inſaniam paratus, quum enim hæ partes repleta fuerint, & horror cum febre ingruit*, quas Febres erroneas appellant: *His autem ita ſe habentibus, præ adaucto calore inſanit, præ caligine timet atque formidat; præ compreſſione circa cor ſtrangulationem & præfocationem patitur; præ ſanguinis malitia animus mœrens & anxius, malum attrahit*: Nos vero addamus quod totum, non ſolum cacochymicum, ſed cachecticum quinetiam redditur, vt paret ex colore totius vitiato, virium languore, palpebrarum ac pedum intumeſcentia.

Verum,, nec à ſolis menſtruis ſuppreſſis, Sed à retento quoque ſemine malum hoc provenire poſſe innuere videtur *Hippocrat.* dum Virgines liberari aſſerit ſi aut viro cohabitent, aut menſes ſuboriantur; præſertim ſi Virgines temperamenti ſint calidi & humidi & boni habitus.

Ut ab hac Febre vindicetur patiens, maſſa ſanguinea purificetur neceſſe eſt, & ad laudabiliorem ſtatum redigatur, Ideo primo, Ventriculi & primarum viarum expiatio præmittenda. Secundo, Meſenterii & Lactearum Obſtructiones reſerandæ. Tertio, Totius venoſi generis cacochymia eſt auferenda. Quarto, Incipienti Cachexiæ inſuper proſpiciendum. Quinto, Menſtrua hyſtericis aperientibus ſollicitanda, Ac tandem Viſcera roboranda.

De *Sanguinis miſſione* ſicut dubitari non poteſt, cum hic peccet copia, ſubſtantia & motu,

moto, ita præſenti in caſu curæ agendum circa quantitatem, jam enim ſanguis in cacochymiam deciderit. Et licet *Hippocr.* doceat quod huius affectus curatio ſit ſanguinis detractio, id tamen jubet in principiis eſſe faciendum, antequam totum corpus cacochymum, & minus adhuc cachecticum reddatur: vnde in diuturna & confirmata oppreſſione, *idem 1. de morb. mul. 10.* ventrem ſurſum atque deorſum purgat, quoniam cacochymia non ſanguinis miſſione ſed purgatione tollitur: Hinc à copio a diarrhœa *Ancilla 4.* Epidem. reſtituta fuit: Locus autem ſit jecoraria dextra, vt detrahatur non ſubtrahatur ſanguis, priuſquam vteri obſtructiones reſerentur & perviæ venæ reddantur, Tunc enim & ſaphena aperiri poterit, ſanguinem educendo tantum tatione motus; Interim *Cauterium* coxæ inurendum.

Pro *Ventriculi* exinanitione, Potio cum manna clarif. vel Electuar. lenit. cum Tartaro; Ad primarum viarum præparationem Oxym. ſimpl. mel. roſat. ſimplic. ana ℥ j ß. aqu. cinammon. ʒ ß. m. pro uno ſyrupo, & ſic pro alijs V. mox repetatur alterutrum jam dictorum medicamentorum:

Inde Meſenterii & Lactearum Obſtructiones attenuantibus, aperientibus, & evacuantibus ſunt curandæ; Præparans ita paretur. ℞. *Succi cicher. depur.* ℥ i j. *ſucci borrag.* ℥ j. *tartar. vitriol. gran. x. decocti cicher. borrag. endiv. pentaph. petroſel. agrimon.* ʒ v m. pro ſyrup. cui præmittatur *Oxymel dilutum ad* ʒ i j. quibus dies decem inſiſtendum, Atque medio intervallo præbeatur hoc ℞. *Pilul. de tribus cum rhab. de hiera cum agar. ana* ℈ i j. *Elect. Lenit.* ʒ v j. *m. f. Bolus.* Decem vero tranſactis diebus ℞. *Elect. Cathol.* ʒ i v. *roſat. Meſues* ʒ i j. *Pilul. de Tribus* ℈ j. *m. f. Bolus*, quibus tranſacta hora ſuperbibat jus hordeo alteratum, vel aquam hordeaceam.

Cacochymia à ſanguine, per epicraſin auferenda, præparatione, atque frequenti purgatione. Neque febricula pertimeſcenda, In hoc enim caſu cauſæ omnino incumbendum, habita febris perexigua ratione: Præparationi autem diebus x i j. inſiſtendum, ſed quarto quoque die Purgans præbendum: ℞. *Decoct. epith. Meſues* ℥ v j. vel ſi Bolos mavult. ℞. *Extr. Senna* ʒ j. *helleb, n.* ʒ ß. *Elect. lenit.* ℥ ß. *m. f. Bolus*, Quibus ſuperbibat ſerum depuratum, *Veratrum* quippe *vim in ſe obtinet valde exurentem.*

Tribus hiſce *Purgantibus* aſſumptis, totum venoſum genus ab impuritatibus defæcatum eſſe ſidendum non eſt, Quare repetenda Purgantia, quæ aperiendi quoque facultatem habeant: ſyrupi forma præſcribenda, cujus ʒ i j. quotidie præbeantur in ſemicyatho vini albi, perſiſtendo in uſu ad dies x x.

Hinc ad *Cachexiam* intenti, carnoſam partem depurantia, & à pravis humiditatibus vindicantia, adminiſtranda forent, Diaphoretica ſcilicet, ſenſibiliter evacuantia, & inſenſibiliter digerentia: Cui intentioni ſatisfacere poterit Sudor, præmiſſo convenienti Decocto, vel viperini pulveris diuturnus vſus: Verum quoniam vteri venas aperire, menſtrua provocare, & univerſum corpus per vias illi naturæ proprias atque conſuetas expurgare potiſſimus noſter debet eſſe ſcopus, ideo ne à centro divertantur ad circumferentiam humores, hac poſt habita intentione, hyſtericorum aperientium & menſes moventium vſus erit prius vſurpandus:

Ad vteri contumaces obſtructiones reſerandas Chalybis vſus ab omnibus extolli ſolet, & præſertim Potabilis M.D. cujus vis ut ad uterum perveniat vehiculo indiget: Paretur itaque Decoctum, quod & id præſtandi, & totum exſiccandi facultatem obtineat. ℞. *Salſæ opt.* ℥ j. *gaiaci pingu. rad. gentian. ligni ſaſſafr. ana* ʒ ß. *aqu. ſtillat. cicher. capill. ven. artemiſ. ana* ℔ j. *m. fiat* infuſio per horas x x i v. poſt bulliant ad conſumpt. dimidii; ſervetur colatura pro ſecundis vicibus, ſummo mane exhibenda, cui addantur chalybis pot. M. D. guttæ x. aquæ ſabinæ cochl. j. vel olei ejuſdem gutt. v. Cujus loco præmitti poteſt Bolus ex Troch. de myrrha ℈ j. ſalis artem. gr. v j.

Extrinſecus quoque venarum apertio procuranda, non peſſariis aut injectis, ſed ſutis admotis, parato Fotu per ſpongiam magnam vteri regioni admovendo: poſt illinendo oleo lilior. alb. aromatizato, Inſeſſiones quoque in Aquis medicatis efficaces.

Hyſtericis ſymptomatibus occurrentia eſſe potetunt *Aqua theriac. cum aq. totius citri: Oleum ſuccini ad gutt. i j. in aqua cinnam. Theriaca media atatu, vel Triphera ſine Opio, cum aqua pulegii aut matricar.*

Tandem viſcera roborabunt *magna Antidoti, ſales theriac. ſal. abſinth. mentha*: Vinum ad mentiam roremar. ligno Indico, ſaſſafras, medicatum ſit. *Ioh. Raim. Fortis Tractat. de Febribus p. m. 42.*

FEBRIS ALGIDA.

Natura & Curatio.

FEbres Algidæ obſervantur nonnunquam, non tantum Frigore præſertim, ſed Frigore tantum moleſtæ, adeo vt aliquando, & frequentius levis, aliquando & rarius nullus ſequatur calor: Tales in Noſocomio Academico habemus, ita manifeſtas, vt non tantum incipiente, atque augeſcente, ſed & vigente ac declinante, imo ceſſante paroxyſmo, moleſte vbique frigerent, nunquam teperent, minus calerent vſlibi ægri.

Ortum ſuum debent Succo Pancreatico acidiori, & Pituitæ ſatis copioſæ ac viſcidæ juncto, Bile interim exiſtente valde inerti.

Frigori, cæteriſque ſymptomatibus ipſam comitari ſolitis, conducet miſtura hæc. ℞. *Aquar. petroſel.* ℥ i j. *fœnicul.* ʒ j. *Theriacal. ſimpl. vel vita Matthiol.* ʒ j ß. *ſalis volatil. ſuccini* ℈ j. *ſyrup. card. bened.* ʒ j. quæ erit magis efficax ſi eidem addantur *laudani Opiati gran. i v. olei garyoph, gutt. i j.* Quo nihil obſervavi hactenus æque frigus temperare: Poteſt autem quamdiu febris angit, terve, quaterve in hora dictæ miſturæ, aut ſimilis, cochleare vnum aſſumi ab ægro *Sylvius de le Boë Praxeos lib. 1. cap. 30.*

FEBRIS ANGINOSA.

Deſcriptio & Curatio.

QUolibet anni tempore aggreditur, maxime tamen illi quod ver atque æſtatem interjacet, juvenes præ cæteris, & temperamento ſanguineo præditos: Rufos etiam, quod non ſemel obſervavi, præ reliquis omnibus: Rigent, horrentque mox à primo morbi inſultu, ſequitur Febris, & paulo poſt dolor & Faucium inflammatio, cui niſi mature ſuccurratur, æger ſtatim nec deglutire valet amplius, nec ſpiritum per nares ducere, ſed cum ſenſu quodam ſtrangulationis præcluduntur Fauces, ab inflammatione uvulæ & tumore tonſillarum, laryngis;

Sanguinem cum primis copioſe è brachio detraho, mox ex ranula vtraque; dein partes inflammatas melle roſac. ſpir. ſulphuris tango: mox Gargariſma ſequens, ore, ſine vlla agitatione detinendum donec incaleſcat, præſcribo ℞. *aqu. plantag. roſar. rubr. & ſperm. ranar. ana.* ℥ *i v. album. ovor. in aquam agitatione redact. n. iij. ſacch. cand. alb.* ℥ *i j.* Emulſionem quoque vt in morbo laterali præſcribo: Sequenti mane, niſi febris & dolor remittant, venam in brachio rurſus ferio, catharſi in diem poſterum rejecta: Si vtraque hæc minuantur, Catharticum Lenitivum ſtatim exhibeo, quod poſt ſanguinis miſſionem præ aliis omnibus neceſſarium, experientia teſte: Si forte, etiam poſt Catharſin febris & ſymptomata bellum minentur, iterata venæ ſectione perdomanda ſunt: Lectulo interim per horas aliquot quotidie abſiſtat, cum huius tepor tum febri, tum reliquis ſymptomatis vires addat:

Animadvertendum autem, quod iſtiuſmodi Anginæ, quæ *Febris*, mihi *Stationaria* dictæ, ſymptoma tantum eſt, illa ipſa methodo curari amat quam Febris ea ſibi vendicat, ac proinde vel per diaphoreſin, & cutis ſpiracula exterminanda eſt, vel per aliam qualemcumque methodum, quæ febri primariæ, cui inhæret, debetur. *Sydenham Obſervat. in Acut. ſect. 4. cap. 6.*

FEBRIS ANGLICA.

(Vide *Febris Elodes & Sudatoria.*)

Nec Sanguinis miſſio, nec purgatio convenit.

PRo evacuatione, ſanguis nullomodo convenire poteſt, eius namque miſſio non educit venenum & vires reſolvit: Et licet in peſte Aſiatica *Galenus* ſibimet ipſi per ſcarificationes libram ſanguinis contraxerit, acutiſſima tamen non fuit affectio illa, prout febris hæc: ideo neque audiendus *Avenzoar*, qui phlebotomia juvenem illum à febre peſtilenti liberavit: Sunt quoque qui medicamentis purgantibus ſtatim ab initio venenum expurgare etiam feliciter tentarunt: Sic *Matthiolus* narrat ſe plures liberaſſe antimonio cryſtallino, in vino albo infuſo; quod certe genus remedii tunc admitti poſſet ſi humores veneficos in corpore, non in ventriculis dignoſcere poſſemus: verum quoniam incerta valde hæc conjectura, nec vires ſatis conſtant tanto remedio ferendo, ideo omittendum, conſiderantibus veneficos humores facilius per ſudorem quam per alias vias evocari atque excerni poſſe, in hac præſertim febre, quæ ſudorem potius expetere nobis ſignificat: quæque exacerbatur atque citius patientes interficit ſi Medicus ſudorem cohibere tentaverit. *Fortis.*

FEBRIS ANHELOSA.

Natura & Curatio.

FEbres *Anheloſæ* à difficili & anheloſa reſpiratione nomen habent, & mire miſereque, cum vel ſine cordis palpitatione ægros angunt: Has obſervavi non ſemel cum abdominis diſtenſione, atque præcordiorum anxietate incipientes, pulſu mox exiſtante parvo, debilique ac frequentiore, frigore ac dolore lumborum regionem ſimul vrgente: Quod ſi tunc flatus, vel ſurſum per ructus, vel deorſum per crepitus aliqui erumperent, paroxyſmus exiſtebat levior, ſin minus gravior: nam poſtquam per vnam pluresve horas duraverat illa diſtenſio & anxietas, ſenſim vtraque minuebatur, atque ſimul reſpiratio difficilis, & anhelatio ſumma excitabatur, & quidem tanta vt corpus vel minimam ſui agitationem motumve ferre non poſſet, Pulſu ſeorſim maiore magis quam robuſto exiſtente, ac continuo frequentiore, vna cum venis vbique valde turgentibus, quæ extra paroxyſmum erant exiguæ ac vix conſpicuæ: Anhelatio hæc aliquando gravius, aliquando levius, diutius vel brevius angebat, vnde nonnunquam Præfocationi hypochondriacæ convenientia medicamenta ſimul vtiliter vſurpabantur, Tandem vero madore magis quam ſudore ſolvebatur paroxyſmus, donec novus accederet, rarius quotidianus, crebrius tertianus. Has (*vt & Præfocantes, de quibus infra*) halitibus, ſed minus auſteris, modo ſimili ex ſucco pancreatico minus auſtero, ſed pituitæ viſcidæ in tenui inteſtino concurrente miſto eductis, & ideo magis flatulentis acceptus puto referendas, è quibus facile ſymptomata enumerata poſſunt deduci & ſatis commode explicari: Anxietas illa anheloſa, cum eandem, aſt leviorem agnoſcat cauſam, medicamentis curabitur minueturque ſimilibus, tam inſtante paroxyſmo, quam incipiente, ſæpius minore quantitate vſurpatis. *Sylvius de le Boë Praxeos l. 1. c. 30.*

FEBRIS ARTHRITICA.

Natura & Curatio.

AD Catarrhales Febres revocant aliqui Practici *Arthriticas*, quoniam exiſtimant ortum ſuum debere catarrhis arthritidem; Quoniam vero ego judico vna cum ſanguine per arterias deferri ad articulos humorem diverſum arthritidem parientem, omnino diſtinguendas exiſtimo Arthriticas febres a Catarrhalibus: Cæterum quoniam ſatis accurate obſervare

ſervare potui ex fideli ægrorum narratione Arthritidis ortum & progreſſum, toties quoque notavi ipſam vna cum febre Synocha vel Intermittente ſtiliſ productam; vnde novis redeuntibus intermittentis febris paroxyſmis, non parum augebatur arthritis, donec aut in continuam mutaretur, aut ceſſaret ſponte, tolleretur ve arte intermittens, perſeverantibus nihilominus articulorum doloribus: *Arthriticas febres* quatro in ſucco Pancreatico ita corrupto, vt articulis potiſſimum ſit infeſtus, ſive *acrimonia* ſimul, quod frequentiſſimum, inſigni præditus *bilem*, cum qua vitioſe efferbuit, vna ſecum eo deducat, & dolorem atrociſſimum producat; ſive *minus acer*, atque pituitam viſcidam, non item bilem acrem offendens, ab eadem aſſumptâ plurimum obtundatur, atque tumore œdematoſo quam dolore acuto affectæ partis motum potius impediat: Vbi notandum ſæpe in dies, alternîſque diebus qui repetunt, paroxyſmos febriles nullo vel notabili, vel moleſto frigore, caloréve, aut potius levi capitis dolore, ac ſubinde ſiti ægros vrgere, concurrente pulſu aliquanto frequentiore, atque minore primum, deinde aliquanto maiore, ex quibus quoque paroxyſmus novus notatur, exacerbatis poſt aliquot demum horas doloribus arthriticis, & quidem ita vt, quamvis tardius citiuſve ipſi ex parte iterum remittant, non tamen in totum intermittant, verum ſublato licet paroxyſmo febrili perſiſtant nihilominus articulorum dolores, nunc graviores, nunc leviores, donec tandem aut ſponte aut arte diſcedant. Arthritidis, febres Intermittentes comitantis, curatio conſiſtet Primo, In ſucci Pancreatici emendatione vniverſali. Secundo, In bilis perſe, aut per accidens vitioſæ correctione aut eductione, Tertio, In Pituitæ qualiſcunque ſimul peccantis alteratione aut diminutione, Quarto denique in articulis affectis, tam contra futurum dolorem muniendis, quam præſente ac vrgente dolore liberandis &c. *Sylvius Prax. Medic. lib. 1. cap. 30.* vbi vide *reliquam curationem.*

FEBRIS ASTHMATICA.

Natura & Curatio.

NOn infrequentes ſunt febres *Intermittentes Aſthmaticæ*, à comite Aſthmate nunc graviore, nunc leviore ita dicendæ, In quibus itidem abdominis anxietas & diſtenſio præcedere ſolet, atque illis ſemittentibus difficilis reſpiratio & vere aſthmatica ſequi, quæ vna cum paroxyſmo vt plurimum ſatis diu, & aliquando ad vnum vel plures dies durante minuitur, & tandem ceſſat, nonnunquam illo ſublato perſeverat: Hujuſmodi Aſthmaticam febrem vidi xiv. die aliquando recurrentem, atque per plures dies vicibus ſingulis ægrum ſatis moleſte afficientem, ni convenientibus & quoad anxietatem, & quoad durationem, minueretur medicamentis. Aſthmaticas febres, meo judicio, producit Pituita viſcida in tenui inteſtino reperta, & a ſucco Pancreatico, febrilem paroxyſmum excitaturo ſoluta, quin vna cum ipſo ad cor ac pulmones delata, ibidem hærens, atque ſtertoroſam reſpirationem proferens, dum multi paucíve flatus ſimul ex ea parte prodeunt, & paroxyſmum graviorem aut leviorem, longiorem aut breviorem faciunt. Aſthma Intermittentis febris comes curabitur, poſt humoris pituito glutinoſi inciſionem, vomitoria aliquot ante paroxyſmum futurum horis & quandoque die ipſum præcedente aſſumpta, ac præcipue in facile vomentibus: Poſſunt enim alias phlegmagogis potentioribus ac efficacioribus (qualia ſunt Mercurialia omnia, colocynthis, hermodactyli) per alvum evacuari per epicratin. Quoad humores pituitoſos, è capite nonnunquam tunc ſimul delabentes, atque aſperam arteriam implentes, conducent eadem phlegmagoga, ſæpius minore quantitate, vna cum incidentibus, pituitámque corrigentibus vſurpata, & imprimis forma Pilularum: Quoad Halitus flatulentos, Aſthma tam frequenter, ſi non in totum producentes, magnopere ſaltem augentes, convenient omnia quæ tum illorum materiam impediunt, tum eoſdem productos diſcutiunt ac diſſipant. *Franc. Sylvius Prax. l. 1. cap. 30.*

FEBRIS ANXIOSA.

Purgatione ſanatur.

FEbris *Anxioſa* ea eſt in qua, vt ait *Galenus* l. 7. aph. 56. Ægri accubitum non ferunt, ſed jacendi figuram evariant, quia ſemper aggravat eos: Quidam ob humorem turgentem, malignum, huc illuc irrequieto modo, nunc pectus, ventrem, nunc præcordia vellicantem, febrem valde malignam patiebatur cum anguſtia multa; nam humor hic turgidus ægri quietem interturbat, cor pungit, concuſſo totum animal commovetur & anxiatur: Huic ægro, præter alexipharmaca, venæ ſectio adhibita (nam cum furente humore multa ſanguinis portio in venis erat commixta: Hac facta, quum cacochymia etiam juxta ventriculum eſſet, quod à pravis mordebatur humoribus, unde Anxietas, Et vomitus infeſtaret inanis, idcirco attracto à prima regione ad venas ichore, febris eſt exacerbata, quod innuit *Avicenna* 4. 1. cap. 20. *& cave ne ægrum ad cholericorum ebullitionem perducas*: quamobrem levibus clyſteribus pugnatum eſt, ſed cum his humor tunicis ventriculi immerſus non cederet, purgatione exhibita ſuccubuit. *Zacutus Prax. Admir. l. 3. Obſ. 17.*

FEBRIS BRACHIALIS.

Sicut cæteræ febres curanda.

M*Artin Genger* in dextro brachio certe admirandam Febris monſtrabat ludibrium; Totum brachium dextrum circa horam 7. matut. primum frigore maximo corripiebatur, ad tactum etiam perceptibili, reliqua corporis parte naturali calore participante: Circa horam circiter 8. rigor & tremor quaſi digitorum & manus conſpiciebatur, tandem tribus horis elapſis calor præter naturalis vrgens totum brachium quaſi excandefactum reliquit: Durabat febris vſque ad xij. continuabat jam ſexta ſeptimana: Notabile hoc erat, vomitus ſæpius comitabatur febrem, & punctiones circa mammillam dextram ſentiebat, qui tamen emplaſtro de Santalo cedebant: Curata iſta febris æque tali methodo & via ſicut alii febricitantes. *Andreas Cnoffelius in miſc. cur. anni 1672. p. 361.*

FEBRIS CACATORIA.

Cauſæ & Curatio.

OBſervantur quoque Febres alvi dejectione mul-ta, vel frequenti, & quandoque ſimul tormino-ſa, diverſo acceſſus tempore ægros valde moleſtan-tes ac debilitantes, ideo *Cacatoriæ* vocandæ, aut *De-jectoriæ*: Bili quoque, ſed minus volatili & magis a-cri, ad ſucci pancreatici acceſſum adhuc acriori fa-ctæ, hinc & poſt ſolutam inteſtinalem pituitam ipſa inteſtina mordenti, & ad contentorum propulſio-nem deorſum irritanti & cogenti omnino puto aſſi-gnandas, Eas curabunt omnia figentia bilem, & ad potenter effervescendum ineptam reddentia, uti ſunt quævis auſtera, ipſam inſpiſſantia & coagulantia, ut & opiata ipſam obtundentia, ſimul juncta, & partitis vicibus exigua quantitate ſæpius uſurpata, e. g. ℞. *conſerv. roſ. rub.* ℥ij. *Diaſcord. Fracaſt.* ℥ij. *conſ. hya-cinth.* ʒj *terræ ſigill.* ℈j. *ſang. draconis* ℈ß. *m. f. condit.* Sunt autem hic præferenda medicamenta forma ſic-ciore parata, quoniam humida diluunt nimium bi-lem, ſuccúmque pancreaticum, eorúmque excitant effervescentiam potius quam ſiſtunt. *Sylvius de le Boë Prax. Med. l.* 1. *c.* 30.

FEBRIS CAPITALIS.

SYLLOGE.

Natura & Curatio. 1.
Conſtitutio Epidemica. 2.

I. NOn omnium Febrium ſedes in ventre inferiore quærenda, ſæpe enim par-tibus quibuſdam, vt Capiti, Lieni, Pulmonibus &c. inoſita obſtructio, aut impactus mordicus humor, aut corruptio contracta eſt, vnde febris Cephalica, Lienoſa, Pulmonaris oritur &c. Febrium arden-tium focum *Hippocrates* in Capite videtur con-ſtituere; *Si in ardente febre*, ait 1. Prorrh. 18. *Soni-tus aurium cum caligine, proveniátque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant.* Hunc lo-cum explicat *Galenus* de febre ardente cujus focus eſt in cerebro, ob collectam in eo bilem quæ in-flammationem ibi excitat: Ejuſmodi febris, præ-miſſis generalibus, iis curanda quæ ſpecialiter ca-put onere levant; apertione venarum narium, ju-gularium, admotione hirudinum temporibus, fron-ti, retro aures, arteriotomia &c. Anno 1678. æſtate vagatæ ſunt ejuſmodi febres pro malignis à pleriſ-que Medicis noſtratibus habitæ, quod calor in toto mitis eſſet, Capitis autem repleti ex ſymptomatis cephalalgicis, paraphoricis, cataphoricis eviden-tes erant notæ: Plerique evaſere quibus mature apertæ jugulares, aut ſupervenit hæmorrhagia; qui-buſdam, his neglectis, uſurpatiſq; tantum bezoarti-cis, ab obitu cruor naribus, ore, imo auribus erupit.

II. Circa initium menſis Julij 1673. quædam Fe-bris ſpecies eſt vagata, quæ mox ab ingreſſu ſocia habebat ſymptomata, quæ indicia haud obſcura da-bant maiorem & ſpirituoſam magis tunc eſſe inflam-mationem quam vbi morbus magis adoleverat; Prætereа quæ Febribus vniverſis ſunt communia, febrem ſequebantur iſtam, Vtplurimum afficiebatur æger *Dolore capitis* & dorſi ſatis atroci, *Stupore* item, Eminebat & affectus quidam *Comatis* haud diſſimilis, quo correptus æger obſtupebat delira-bátque, imo ad ſeptimanas aliquot dormitabat non-nunquam, nec niſi valido clamore expergiſcebatur: Convaleſcentis *Caput* ad dies aliquot *debile* atque infirmum, nunc verſus hanc partem, nunc illam nu-tabat, aliáque aderant ſigna quæ Caput plurima fuiſ-ſe paſſum oſtendebant: Quandoque non tam dor-mitabat æger, quam tranquille delirabat: Autumno 1675. febris hæc per Dyſenteriam ſibi fugam quære-re, nonnunquam & per diarrhœam affectabat: Cu-rationem quod attinet, nihil mihi potius fuit quam oculos ad *Iuvantia & Lædentia* attendere: *Atrox Capitis dolor*, propenſioque quam habebat hic mor-bus ad dolores lateribus infigendos, tum etiam ſan-guis Pleuriticorum ſimilis, me ſtatim edocebant in-flammationem haud mediocrem huic Febri ſubeſſe, nec tamen eam ferre poſſe largiorem iſtam evacua-tionem quæ Pleuritidi convenit: Sanguis enim poſt primam, aut ſecundam ſaltem vicem detractus glu-tinis colorem, quo tegebatur ſuperficies, protinus amiſit, nec repetita adhuc V. S. levabatur æger, niſi forte morbus in Pleuritidem veram tranſiret, quod nonnunquam accidebat poſt regimen juſto calidius: Cum vero & experientia & exemplo à repetita phle-botomia deterreret, licet clarum eſſet Febrem hanc haud parum inflammatoriam fuiſſe, nihil jam reſta-bat, quo ejus calor reſtingui poſſet, præter Enemata ſæpius repetenda, & medicamenta refrigerantia; At præter hos affectus inflammationem aperte proden-tes, illud *Stuporis* phænomenon, febri huic familia-re, omnino indicabat continuo repetenda eſſe Ene-mata, quibus materia febrilis, quæ ita prompte ca-put petebat, ab eo diverteretur; quin & venæ ſectio-ni repetitæ, quam ægre tulit propria hujus morbi natura, ſubſtituebantur illa, atque ejus penſabant defectum ſanguinis fervorem placide ac ſenſim con-temperantia, & cauſam eliminantia morbificam: Porro judicabam *Emplaſtra Epiſpaſtica* ſatis am-pla, cervici poſteriori applicita, in hac febre potius ex uſu fore quam in aliis, quibus materia febrilis haud ex æquo caput tentabat: Etenim à cruciatu & fervore vehementibus, quos dicta Epiſpaſtica parti cui imponuntur ſolent imprimere, materia quæ ſe-cus in caput aſcenderet, in locum affectum corri-vatur: His, & regimini, ad eundem refrigerandi ſan-guinis ſcopum facienti, tandem morbus quaſi natu-raliter ſponteque ſua cedebat, quantumlibet ſæviret ſi methodo ab hac diverſa eum quis aggrederetur, quod mihi ab experientia liquebat: morbi enim acie per ebullitionem prægreſſam jam retuſa, atque ægro ἔξω βέλους conſtituto, & à ſymptomatis violentiori-bus quæ ab eo pendebant, ſecuro, nihil prius erat quam ut morbum ſuo uti genio, & quaſi ſenſim de-flagrare, ac ſuis viribus mere ſineremus: quod mi-hi ſemper ceſſit melius quam evacuationem qualem-cumque violentiorem hoc tempore moliri: Ægro interim carnibus interdixi, cereviſiam vero tenuem ad libitum conceſſi: Reſtabat & aliud, quod quia multiplici experientia ſtipulante ægris optime ſo-lebat vertere, in deſcribendo hujuſce morbi re-gimine mihi minime prætereundum fuit, nempe vt æger quotidie lecto abſtineret, ſaltem ad horas aliquot: vel ſi id vetaret maior ejus de-bilitas, veſtes ſaltem indueret, & ſupra lectum cubaret capite paulo elatiori: Etenim cum ma-gnum illum impetum, quo Febris in Caput fere-batur, & inflammatoriam ſimul ſanguinis diatheſin contemplarer, ſubiit mihi in mentem ægrum à corporis poſitura nonnihil emolumenti capere poſ-ſe, ſi nempe ea talis fuerit vt à circumambiente nullatenus augeretur calor (quod omnino fieri neceſſe eſt ſi in lecto jugiter ſe contineat) nequa-

ſan-

ſanguinis in Capitis arcem tendentis impetus promoveretur, cum illinc cerebri fervor intendatur, proindéque ſpiritus animales calefiant atque exagitentur, a quibus & vehementior cordis vibratio & febris augmentum.

Præfatam methodum, per venæ ſectionem atque enemata, feliciſſime ſuccedere comperiebam, eam vero, quoties a Diaphoreticis laceſſeretur, non ſolum anomala, malique moris ſymptomata, ſed etiam dubium ſemper exitum habuiſſe: Interea eminebat tacitum illud Delirium, quod licet nonnunquam ſponte ſua ortum viderim, a nimia Curantium diligentia in provocandis ſudoribus male poſita, ut plurimum invitabatur; Hoc enim pacto materia morbifica, quæ in hac febris ſpecie ſudoribus moram gerere recuſabat, vehementer exagitata in caput tandem elevabatur, cum ingenti ægrorum diſcrimine.

Stuporem (pueris maxime familiarem) vbi primum ingredientem morbus, edomare non potui, licet nullum non lapidem moverem repetitis venæ ſectionibus, in brachiis, cervice & pedibus, veſicatoriis, cucurbitulis, enematis, diaphoreticis omnis generis &c. in partes adſçitis: tandem ſtatu, poſt ſanguinem è brachio eductum, epiſpaſticum cervici applicatum, atque enemata duo vel tria é lacte & ſaccharo injecta primis morbis diebus, nihil quicquam amplius moliri, niſi quod ægrum & a carnibus, & a liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque arcerem: Ad naturæ methodum interim attendebam, cujus ego veſtigiis inhærens ſymptoma hoc ſuperare tandem diſcerem: morbus interim cui invigilabam tuto, licet tarde, recedens, tandem evanuit: Huic itaque methodo inſiſtendum mihi eſſe duxi in febribus quas deinceps tractavi vniverſis: Illud ſçio ex diligenti obſervatione, quod in hac febre dictum ſymptoma, poſt vſurpatas vacuationes generales, V. S. dico & enemata, ſolo tempore feliciter ſolebat vinci.

Huic Febri, at rarius, *Phreneſis* ſupervenicbat, in qua æger inſomnis dies noctéſque agebat, nulla ratione poterat regi, intra paucos dies illum tollens niſi inflammatio cohiberetur; Atque hic mihi ſuppetias præ cæteris tulit *Vitrioli ſpiritus*, quem poſt Ven. Sect. atque Enematis vnius alteriuſve injectionem, cerevitiæ tenui inſtillatum pro potu ordinario conceſſi: qui intra dies paucos & ſomnum conciliabat, & ſanitatem, ſuperatis ſymptomatis, ægro reddebat; quod quidem nulla alia methodo efficere valebam: atque hoc reiterata ſæpe experientia abunde mihi conſtabat. *Sydenham Obſerv. in Acut. p. 317. &c.*

FEBRIS CARDIACA.

(Vide *Febris Syncopalis.*)

Deſcriptio & Curatio.

CArdiaca occurrunt Febres Intermittentes, inexplicabili ſæpe intolerabilique circa ſuperius ventriculi orificium dolore comitatæ, atque hoc præterrim ſymptomate graves, ſive vomitus ſimul concurrat, ſive abſit; aliquando Epidemicæ: Eas parit Succus Pancreaticus ſtagnatione ſua corrodentem vim nactus, imprimis quando bilis concurrit acris, atque potens contingit ex ipſorum confluxu efferveſcentia, vnde halitus acerrimi ad ſuperius ventriculi orificium aſſurgentes ipſum acriter mordent ac rodunt.

Cardialgia tam acerba curabitur imprimis Opiatis, quæ pro cæterorum ſymptomatum ſimul concurrentium diverſitate medicamentoris diverſis ſunt addenda, quoniam vtrumque acre, mali cauſam, demulcent: Sumantur ſæpius & quantitate minore, donec obtineatur quod quæritur. *Sylvius de le Boë Prax. lib. 1. cap. 30.*

FEBRIS CATARRHALIS.

SYLLOGE.

Deſcriptio & Curatio. 1.
A meſenterio orta. 2.

1. NOviſſimæ æſtatis calorem immodicum hyeme inſequente æquè intenſum gelu excepit: erat tellus nive obtecta; Borea jugiter ſufflante vſque ad Calendas Iunii: Durante hyeme ſtatus erat mediocriter ſalubris: Circa finem Aprilis anni 1658. derepente emicuit affectus qui quamplurimos vna corripuit, vt in quibuſdam oppidis vnius ſeptimanæ ſpatio pluſquam mille homines ſimul decumberent: Symptoma huius morbi pathognomonicum, & quod primo ægros invaſit, fuit Tuſſis moleſta cum ſputo copioſo, nec non catarrho in gulam, palatum & nares decumbente: aderat etiam intemperies febrilis; cum calore & ſiti, inappetentia, laſſitudine ſpontanea, & dolore gravativo in dorſo & artubus: Erat ea febris in nonnullis remiſſior, vt foras obambularent; in aliis intenſior, cum ardore, ſiti ingenti, vigiliis, raucedine & aliis ſymptomatis: Hujus morbi origo & formalis ratio in duobus præcipuè fundantur, quod nimirum una contigerint Sanguinis efferveſcentia ſolito major, à tempeſtate verna inducta, Simulque magna pororum conſtrictio, à tractu temporis præcedaneo, nimis impensè frigido excitata, vt ideo ſanguini in vaſis efloreſcenti haud liberum concederetur ſpatium; Res ita ſe habuit, ac ſi vinum fervere incipiens vaſis ſtrictim occloſis imponeretur: námque hac ratione, tum vaſa, tum liquor, diſperdi periclitantur. Ventum autem Borealem producendis Catarrhis aptiſſimum eſſe, præter *Hippocrat.* teſtimonium, experientia communis ſuffragatur: Quoad ſymptomata huic morbo adjuncta, à ſanguine plus efferveſcente, nec ſatis eventilato inducebantur; hinc in pleriſque, tenuioris cruoris parte excalefacta, ac reliquo cruore ſolummodo in confuſionem acto, *Synochus Simplex*, ſive plurium dierum inducebatur: In nonnullis vitioſa ſanguinis diatheſi, aut malo corporis habitu præditis, in putridam & lethalem tranſiit. Tuſſis cum catarrho, hanc febrem comitata, ab humore ſeroſo, ob tranſpirationem præpeditam, diu in ſanguine coacervato, & dein, efferveſcentia oborta, arteriolis intus dehiſcentibus, magis exſudante, originem traxit: cum enim pori conſtringuntur, ſeroſitates in ſanguine ſuperfluæ, exterius evaporare ſolitæ, propiori ſanguinis luſtratione,

in pulmones ſuffunduntur: quare à frigore ſuſcepto, h. e. à tranſpiratione extus præpedita, tuſſis, vt plurimum concitatur: Quoad *Therapeiam* attinet, Quando hic morbus levius infligitur, eius cura vt plurimum naturæ relinquitur, etenim hæc febris, cum ſit tantum *Synochus ſimplex*, intra paucos dies per diaphoreſin judicari ſolet: Quare à ſudore copioſo, plerumque circa tertium diem aut quartum, calor ac ſitis, laſſitudo ac dolores gravativi ſedantur: deinde tuſſis diutius protracta poſtea paulatim remittitur: Affectus altiores radices ſi egerit, juxta leges in putrida obſervandas, ſanetur. at cum hoc diſcrimine, vt quoniam tranſpiratio præpedita, & humoris ſeroſi in pulmones ſuffuſio in culpa ſunt, ideo diaphoretica & thoracica crebrioris ſint vſus, hæc enim ſeri è vaſis intus exundantiam cohibent, ipſamque aut poros reſerando foras convehunt, aut à cruoris ſinu præcipitando per ductus vrinarios amandant: Auxilia ergo quæ nunc crebra experientia in hoc morbo opem præcipuam contuliſſe vulgo perhibentur, Sunt diaphoreſis, ſive provocatio ſudoris, & ſanguinis miſſio: Etenim vaſis hoc aut illo modo depletis, tum immodica ſanguinis effervescentia, tum ſeri exuberantia cohibentur. *Thomas Willis lib. de Febr. cap.* 16.

Catarrhales Febres vocat *Sylvius de le Boë Pr. Med. l.* 1. *cap.* 30 à catarrho, non tantum ad Pulmones, verum ad alias quoque partes ruente, atque vna cum paroxyſmo febrili moto ac ceſſante, humor námque novus non delabitur ad partes extra febrilem paroxyſmum; qui verò jam defluxit, non recedit aut deſerit partem affectam, licet deſinat febrilis paroxyſmus. Debentur autem humoribus in capite paulatim collectis, atque ab intermittentis febris cauſa, eo delata, ſolutis, & ad ſui deſtillationem & defluxum quaquaverſum commotis: Catarrhi vna cum febrili paroxyſmo ad ſui delapſum concitati, prout materia conſtant diverſa, & partes diverſas afficiunt, medicamenta deſiderant diverſa: In genere corrigenda eorum qualitas vitioſa, minuenda eorum copia, & corroborandæ partes ab ipſis affici ſolitæ: Catarrhi proinde craſſi & viſcoſi attenuandi & incidendi aromaticis; Seroſi vero & ſalſi temperandi oleoſis & opiatis: Evacuandi craſſi phlegmagogis, ſeroſi hydragogis: Corrobandæ partes affectæ, afficiendæve, contra pituitam viſcoſam & craſſam per aromatica ipſis grata: contra Serum ſalſum per glutinoſa; tum externa tum interna.

II. Recte dicebat *Galenus* 6. de Sanit. tu. 9. quod deſtillationibus obnoxii in multos & varios morbos proni ſunt, pro variarum partium imbecillitate: Cerebrum enim dum ipſum de ſeipſo plurimum liquefecit (lib. de Catarrh. 17.) ſi pulmones à natura invalidos patientes ſortiti ſint, ſi id à prægreſſis febribus imbecillum ſit redditum, & catarrhali materiæ producendæ idoneum (vnde *Galen.* 3. de ſympt. cauſ. 4. dicebat, Catarrhum fieri dum cerebrum, vel nimis perfrigeratum, vel nimis æſtuans, debile redditur, & ita male concoquit, & plurima excrementa gignit, quibus retentrix facultas cedere cogitur, vnde neceſſario fluxio ad inferiora concitatur, quæ ad pulmones delabens tuſſim excitat.) Aliquando longe maior catarrhi quantitas per oeſophagum in ventriculum & meſenterium illabitur, quam per tracheam in pulmones: In meſenterio autem hæc diuturno tempore detenta nec ventilata, calorem putrefacientem frequenter concipit, & febrem excitat, non parum ad putredinem adminiculantibus obſtructionibus, accedente ad eas catarrhali defluxione quæ eas fovet: A partibus autem infernis naturalibus vapores; tum per venas, tum per ſpatia in caput ferri non eſt dubitandum, necnon cruditates à toto venoſo genere, qui circulus eſt ab *Hippocr.* deſcriptus habitus: Nec cui mirum videatur febrem hanc, putridam at non humoralem dici debere, ſiquidem alimenti aquoſum ſputum, & ſeroſitates à cerebro deſtillantes, *Galen.* excrementitias humiditates, & nunquam pituitam appellare voluit, quod ſit ſuccus à ſanguinis perfectione declinans, Cerebralis vero ſuccus, ſive impropria pituita, tertiæ coctionis ſit excrementum, & ideo inter humores pituitoſos recenſeri non debet: Sed dantur quoque aliæ febres putridæ, non humorales, vt quæ ab interno aliquo vlcere procedunt, Omnes tamen proprie *Symptomaticæ* dicendæ: Ad harum curationem primo, Primæ viæ mundandæ. Secundo, Obſtructiones aperiendæ, Tertio, Calor febrilis moderate contemperandus. Quarto, Venoſum genus & caput leniter expurgandum. Quinto, Capitis humida & calida intemperies remittenda: & tandem Deſtillatio omni arte a larynge & oeſophago divertenda. *Forest l. de Febribus.*

FEBRIS COLICA,

Vel TORMINALIS.

Deſcriptio & curatio.

FEbres *Colicæ* aut *Torminales*, à torminibus ventris graviſſimis, ejuſdemve diſtenſionibus mire angentibus, & una cum intermittentis febris acceſſu accedentibus, ejuſdémque diſceſſu diſcedentibus denominandæ ſubinde viſuntur Febres; Fiunt à ſuccó Pancreatico ſtagnatione ſua tum acriore tum auſteriore facto, atque acrimoniam ſuam nunc in tenuia, nunc in craſſa quoque inteſtina exercente: Cum quo ſi concurrat pituita viſcida, & Bilis mediocriter ſaltem acris, flatus excitantur, qui una cum inteſtinis abdomen diſtendant, & colicum dolorem importunum febris comitem pariant. Iis febribus conducet miſtura ſequens ℞. *Aquæ menthæ* ℥ij. *vitæ Matth.* ℥j. vel ℞. *Tinctur. cinnam.* ʒß. *olei garyoph. gutt.* vj. *ſyr. cochlear.* ℥j. ſubinde coch catim aſſumatur. *Sylvius de le Boë Prax. Med. l.* 1. *cap.* 30. Vide & *cap.* 14. §. 45.

FEBRIS COLLIQVANS.

(Vide *Febr. Symptomata* §. 52. 53.)

S Y L L O G E.

Lactis Chalybeati *uſu curata.* 1.
An ad præcautionem frigida exhibenda in maligna. 2.
Quando exhibenda. 3.
Diæta. 4

I. *Hip-*

I. HIppocrates 4. Acut. textu 43. *Si venter liquidus ſit & colliquans, ſorbitiones frigidiores craſſioréſque exhibendas eſſe jubet, potúſque qui ſiſtant*: Juvenis ob ardorem viſcerum nimium, & aduſtionem humoris, febrem patiebatur cum extenuatione & liquida alvo, Colliquantem vocant: nam excernebat is bilioſa, ſincera, ſpumoſa, pinguia, fœtida: Medici conſulunt attemperantes clyſteres, abſtergentes, ſiſtentes; Cum vero internæ partes flagrarent incendio, illas ceratis & epithematis roborant, Cui velut tabido, & valde cacami, ob fluxum, febrem, maciem, lac chalybeatum eorum vnus conſuluit, alio renuente: nam ſi hic pernitioſiſſimus humor, cum fœtore inſigni cohibeatur, horrenda ſymptomata & mortem inferet: Si autem *Hippocrat.* l. c. ſiſtentia propinat, hoc præceptum non eſſe magni *Hippocratis* aſſerit; At hic cum ignoraret quanto intervallo diſtent ſiſtentia, quæ *Hippocrat.* exhibuit, ab adſtringentibus, merito ad libitum doctrinam *Hippocrat.* ſic pejerare auſus eſt; nam hæc, *quarto ſimpl.* 78. incraſſant, adſtringunt, contrahunt, meatus denſant, repellunt, partéſque diſtantes colligunt, vinciunt. 4. K. T. 5. Siſtentia vero dicuntur quæ tam adſtringendo quam attemperando motus humorum firmant & cohibent: His Medicus acquievit, Lac propinatur, ſed quoniam hoc in corpore impuro cacochymiam auget, exhibetur ptiſana ex hordeo prius toſto parata, addito ſucco plantag. aut roſatum: expurgatur corpus myrobal. citr. & torrefacto rheo, deinde aqu. roſ. lotis; nam hæc medicamenta leniter devſta, miram propemodum vim obtinent in roborando & retinendo fluxu. Quare majori parte cacochymiæ vacuata, ex *Galeno* 2. ſimpl. 12. ad lac chalybeatum acceſſimus cum vtilitate ſummâ, nam ejus ope internæ partes ſunt attemperatæ, nutritum corpus, febris evanuit, reſtrictus fluxus, quod epiceraſticum apud veteres optimum eſt. *Zacutus Prax. Adm. lib. 3. Obſ. 24.*

II. Quoniam omnia ad vnicam colliquationem rediguntur, ideo huic incumbendum, non quidem frigida potione, quam propinabant *Aëtius*, *Paulus* & *Oribaſius* adverſus colliquantem, ſed potius remediis cogentibus, denſantibus, ſubſtyptica facultate præditis, qualis erit terra ſigilla vera, ad ℈ j. ſic & bolus Armena: pulvis item ſmaragdi ad gran. x. aut xij. omnia in aqu. plantag. & ſucco cydonior. exhibenda: Et vrgente neceſſitate ad Opiata gradatim erit aſcendendum, & primo quidem ad ſyrupum de papav. inde ad laudan. & tandem ad theriacam recentem cum margaritis reformatam. *Fortis lib. de Febrib. cap. de maligna à tota ſubſtantia.* In Colliquativa autem ardente, cui adſunt duo pathognomonica ſigna, Calor deurens & inexhauſta Sitis, frigidæ potio principem locum habere videtur, & ratio eſt, quoniam ardenti calore febrili, ſimúlque colliquanti remedio eſt. *Idem cap. de Colliquativa.*

III. *Galenus* omnes conditiones, ad frigidæ potionem requiſitas, ad tres redegit, vires valentes, ſigna coctionis, & ardentiſſimam febrem: quæ poſtrema conditio ſe habet loco Indicantis, Vires permittentis, Coctio prohibentis. Non apparentibus tamen etiam manifeſtis coctionis ſignis, frigidam ſtatim exhibeamus; exemplo *Averrois*, qui frigidam propinabat non expectata coctione: *Æger* ſi quidem, dicebat ipſe, mori poteſt ante coctionem exſiccatus: nos autem dicamus, colliquatus atque conſumptus: Præbeatur itaque, ſed non adeo copioſa ut poſſit calorem nativum obruere, ad ℔ ſcilicet v. vel vj. ſummum: ſequentibus vero diebus ſubſtituantur aquæ ſtillat. ex ſuccis herbarum refrigerantium. *Idem.*

IV. Victum infrigidantem, & modice adſtringentem ac craſſiorem quam pro morbi ratione eſſe oportet, docente *Hippocr.* 4. de rat. Vict. qui de Febrium curatione agens, cum alvo liquida abſumente & contabefaciente corpus, iis ſorbitiones frigidiores & craſſiores exhibendas docuit, Potúſque vinoſiores & adſtringentiores, delirio non obſtante, propinare jubet: Vnde colligimus eum eſſe victum exhibendum qui corporis diſſolutioni valeat ſubvenire; etſi in morbum aut eius ſymptomata addere videatur: Quæ autem diſſolutioni corporis obſtant triplicia ſunt, nempe quæ *corpus*, & quæ *humorem* reſpiciunt, & quæ utrumque; Ad primum ſpectant quæ multum præſtant corpori nutrimentum, & facilis ſunt coctionis: Quæ poteſtate infrigidant, ad ſecundum; Infrigidantia vero cibaria quæcunque adſtrictoria participant vi, ad tertium: Optimus igitur in Colliquantibus febribus cibus fuerit is qui nutriat, infrigidet & modice adſtringat, Sic panis infuſus in ſucco mali granati acidi convenit: Aqua frigida commodiſſimus potus & remedium eſt, utrumque reſpiciens, & corpus & humorem.

V. Sciendum præterea rectam Victus adminiſtrationem, & frigidæ potum præcipuum eſſe remedium, parumque auxilii præſtare medicamenta; Quare diligenter obſervandum ut boni ſint nutrimenti & facillimæ coctionis cibaria, quibus admiſcenda quæ refrigerare & parum adſtringere valeant: quæ enim inſigniter adſtrictoria vi pollent ex eo incommoda ſunt, quod cauſam morbificam intra corpus detinent, cum ad omnem evacuationem vias obſtruant. Optimus autem omnium, quem ſciam, eſt Ptiſana hordei, ſequenti modo parata: Duos pullus craſſos coquito cum tribus hordei excorticati pugillis, portulacæ uno; modicum antequam ab igne amoveas, immittito granorum mali granati acidi pugillum unum, ſinito ut coquatur tamdiu quoad rumpatur hordeum, & adjecto pauco zuccaro adminiſtretur iis quorum vires ob imbecillitatem laborant. *Brudus de Victu Febr. l. 3 c. 21.*

FEBRIS CVLICVLARIS.

Hirudinum ſuctu curata.

HVjus febris idea habetur apud *Hippocrat.* 2. Epidem. ſect. 3. *Fiebant*, ait, *in febribus æſtivis circa vij. viij. & ix. diem aſperitudines in cute miliaceæ, culicum morſibus maxime ſimiles, non valde pruriginoſa &c.* Hac vexabatur piſcator, qui poſt exercitium multum valde obriguit, reverſus domum febre ardente eſt concuſſus, cum lingua ſicca, nigra, cephalalgia; In 8. totum corpus puſtulis eſt obſeſſum, ac ſi a culicibus eſſet demorſus. In papulis iſtis ingens aderat rubedo cum pruritu ſummo, deinde veternoſus eſt factus, inquietus, delirus, Plenitudo depoſita phlebotomia, cucurbitulis: à ſudorifico oblato peius habuit: Cum in xi. eſſet, & humor in cerebrum rueret, & ille nec lenibus clyſteribus, purgatiunculis clementibus, aut cucurbitulis; aliove revulſionis genere diverti poſſet, ſolum hirudinum ſuctu ſuper mariſca, Coma remiſſum, febris decrevit, ceſſavit anguſtia, & paucis applicitis, æ. eſt ſanatus. Hæc enim animalcula ex profundo ſanguinem

ducunt ex *Avicenna* 4. 1. cap. 22. revellunt à corde; & fæculentum, citra virium diſpendium, ſanguinem, in quo magis radicatur venenum, promptiſſime exhauriunt: Culicaris autem febris à Pulicari tantum differt quantum culex à pulice. *Zacutus P. Adm. l. 3. Obſervat.* 14.

FEBRIS DELIRA.

Natura & Curatio.

QUemadmodum Synochæ, ita frequenter Intermittentes occurrunt *Febres Inſanæ* aut *Deliræ Vocandæ*; rarius quidem durante frigore, crebrius vrgente calore apparente Delirio: Quas febre, præſertim jam per ſe ſatis acri, ad occurſum tamen ſucci Pancreatici novum paroxyſmum febrilem patientis acrioti factæ tribuendas, cætera ſymptomata ipſa, fere comitantia evincunt. Curabunt quæcunque bilis acrimoniam, tum potenter, tum blande corrigunt temperantque, qualia ſunt imprimis Oleoſa, Emulſiones & opiatæ, intus & extra &c. *Sylvius de le Boë Prax. Med. l.* 1. *c.* 30.

FEBRIS DYSENTERICA.

Deſcriptio & Curatio.

INitio Autumni anni 1669. cum Dyſenteria ſæviebat & *Febris* quædam illi ſimillima quæ accidere Dyſentericis ſæpe ſolebat, vna exorta eſt, (Vide *tit. de Dyſenteria* §. 54.) quæ quidem non eos tantum quos jam ſauciaverat Dyſenteria, ſed ab illa prorſus immones pariter inceſſit; Ejuſdem enim vbique *προφάσεις*, ſeu cauſas manifeſtas & apparentes habuit quas Dyſenteria, Eadem etiam per omnia ſymptomata quæ Dyſentericorum febrem comitabantur, Ita vt ſi evacuationes per alvum Dyſenteria laborantium excipias, & quæ ab iſtis neceſſario pendebant ſymptomata dicta, Febris ejuſdem naturæ prorſus cum ipſis Dyſenteriis videretur, Hæc itaque *Febris Dyſenterica* mihi audiebat, Hæc nonnunquam cum alvi torminibus, ſed mitioribus ingrediebatur, vel iſta ad eam poſt accedebant, ſæpius vero nulla erant, &c.

Pro hujus *Febris curatione*, cum obſervaſſem phænomena *Febris Dyſentericorum* quamplurium eadem plane eſſe cum illis quæ hujus anni Febres ſoliarias comitabantur, conſentaneum mihi videbatur ſanatos iri ægros meos, ſi evacuationem illam quadamtenus imitarer, qua natura materiam illam corroſivam atque acrem, quæ & ipſius Dyſenteriæ, & ſupervenientis Febris cauſa continens eſt, ſolet ablegare: Ac proinde eadem ipſa methodo, tum quoad venæ ſectionem, tum repetitas purgationes & cardiaca Febrem hanc aggreſſus ſum, quam in Dyſenteriæ curatione ſupra (Vide *Paragr.* 54. *tit. de Dyſenter.*) Niſi quod paregorica purgationibus interjecta, non tantum non hic juvare, ſed & obeſſe deprehenderim, ſecus atque in Dyſenteria, cum ab his detineretur materia illa quæ catharſi eliminari debuerat, Pulticula avenacea, hordeacea, Panatella, & ſimilibus, ſub primis morbi diebus victitabat æger: Potus erat cerevisia tenuis parum tepefacta: Poſt celebratam vero ſemel iterumve catharſin, nulla ſuadebat neceſſitas pullorum carnibus, aut ſimilibus eupeptis ægro interdicere: cum hæc per purgationem medicatio ea indulgeat, quæ non poterant concedi ſi alij viæ inſiſteretur: Tertia vt plurimum Purgatio, interpoſito ſemper die, morbum abſolvit: neque tamen perpetuum id fuit, ſed aliæ inſuper nonnunquam inſtituendæ erant: Si febre jam pulſa fractiores adhuc eſſent ac magis effœtę ægri vires, atque is tardius convaleſceret (quod Hyſtericis frequentat accidebat) *Laudano* in parva dozi exhibito eaſdem reſtaurare, & ſpiritus transfugos ac diſſipatos in deſertas ſtationes revocare conabar: raro autem remedium illud repetebam, neque unquam præſcripſi niſi biduo triduove à poſtrema catharſi: Nihil vero æque ad renovandas vires, refocillandóſque ſpiritus faciebat, atque auræ vſus liberior mox ut Febris receſſerit. Anſam autem ad praxim hanc inſtituendam hinc arripui, quod naſcente ferme conſtitutione hac, ad Iuvenculam advocabar, febricitantem quidem illam, atque acerbiſſimo ſincipitis dolore fere enectam, aliiſque ſymptomatis quibus Febrem Dyſentericam onerari jam diximus: Hæc cum à me interrogaretur, & de modo quo Febris primum invadebat, & de ejuſdem duratione, faſſa eſt ſe à Dyſenteria à 14. retro diebus fuiſſe liberatam; cui ſive ſponte ſua diſcedenti, ſive medicamenti ope depulſæ, protinus dicta Febris ſucceſſit cum dolore capitis: Quibus ego me rectiſſime occurrere poſſe conjectabam, ſi Dyſenteriæ loco aliam evacuationem ſubſtituerem, ejus ſimillimam, qua præcluſa Febris oborta eſt, ac proinde methodo ſupra laudata eam reſtitui: Atque huic quidem ſe promptiſſime dedebant hujus Conſtitutionis Febres; In Adoleſcentibus, aliquando & in paulo provectioribus, Febris hæc caput nonnunquam petebat, vnde delirabant, non quidem vt in aliis febribus, phreniticorum more, ſed quaſi ſtupore, ad Carum proxime accedente, perculſi: Hoc illis præ cęteris accidebat, qui ſub morbi principio in ſudoribus quoquomodo extorquendis operam inauſpicato collocabant: *Sydenham Sect.* 3. 4. *Obſ. in morbus Acut.*

FEBRIS EPHEMERA.

SYLLOGE.

Balneum *an conveniat.* 1.
Ex cruditatibus *genita an* Diatrionpipereon. 6.
An potus *aqua calida.* 7.
An Synocho imputri *oxymel.* 8.
An frigida potio. 2.
Sine Sang. miſſ. *tuto curari non poteſt.* 5.
Sanguis *demendus ad animi deliquium.* 4
Ephem. ex conſtipatione cutis *hidroticis curanda.* 3.
Diæta Ephemerarum. 9.

1. AN *Balneum* in Febribus Ephemeris utile? Pro reſolutione ſciendum quod Balneum aquæ dulcis conſideretur reſpectu partium diverſarum, quarum *Galen.* l. 10. method. quatuor enumerat, 1. Aerem Balnei, cujus vi ſudor evocatur, 2. Solium aquæ calidæ, 3. Solium frigidæ, 4. Eam partem in qua Sudor detergitur. Cum autem Ephemerarum cauſæ ſint variæ ac diverſæ, notandum aërem Balnei calidum, iis Diariis convenire quæ ex cutis denſitate,

denſitate, meatuum obſtructione, vel glandularum tumoribus fiunt. Noxium vero eſſe iis quæ fiunt ex animi commotionibus, ex laſſitudine, fervore Solis & ſimilibus. Aquæ calidæ ſolium tutò magis adhiberi in omni Diaria: Solium frigidæ non ſine cautela eſt concedendum: Tandem ſudoris detractionem nulli non convenire. Foreſti limitatio tradita l.b.1.ob. 6. obſervanda eſt, quod omnia illa procedant de Ephemera quatenus talis eſt; vbi enim obſtructio[illegible]s, interna cruditates, nauſeæ, catarrhi [illegible] &c. concurrunt, à balneis abſtinendu[illegible]. Notandum quoque recentiores quoſdam Pr[illegible]s Balneis alia remedia ſubſtituiſſe, quod a[illegible] apparatus antiquis familiaris deſit: Ea præterea de cauſa, quod plerique in victu delinquan[illegible] hinc crudorum congeſtio corpora ad balneorum vſum ineptâ reddat. *Greg. Horſtius.*

II. Dubium an Potus frigidæ conveniat Synocho imputri, Sed notandum quando *Galenus* frigidam dari vetat, ante ſigna coctionis, de febribus putridis eſſe audiendum: in hac enim febre, putredinis experte, poteſt adminiſtrari, etiam initio, modo requiſitæ conditiones adſint, abſentia obſtructionum viſcerum, phlegmonis, ventriculi debilitatis &c. At, iuxta Riverium, cum obſoleverit hoc remedii genus, vixque liceat conditiones omnes obſervare, ac ex præpoſtero vſu damna emergant, ſatius eſt tutis rem agere;

III. Plurimi madidi pluvia in morbum incidunt, & in febrem continuam ſæpiſſimè, prohibita tranſpiratione, quæ febribus cacuandis valde eſt idonea. Poſt venæ ſectionem nihil inveni vtilius quàm decocto ſudorifico corpus relaxare ℞. ſalſæ par. ℥j ſemin. cardui ben. ℥ß fol. ſcabioſ. calendulæ an. m. ß. f. omnium decoctio, quam calidè hauriatur, addito vino albo, aut aquæ theriacalis guttis aliquot. Vidi multos Medicos qui nullo modo de ſudorificis cogitarant, videntes autem potionis noſtræ effectum, laudarunt illam. *P. Pachequus in Obſerv. Kar.* 61.

IV. Educatur ſanguis in Synocha vſque ad animi deliquium, quicquid dicat *Averroës* contra *Galenum* & *Hippoc.* ipſum, forſan non diſtinguens animi deliquium a ſyncope, vt diſtinxit *Galenus* 1. de S.m. cap. 12. dicens, Quod dum educitur ſanguis vſque ad animi deliquium, pulſus mutationi attentos eſſe oportet, ne ſyncopen incurrant: Hac evacuatione redundantis fervent is ſanguinis copia minuitur, totum corpus perfrigeratur, & ad naturalem temperiem deducitur, vnde ſublevata natura reliquum expellere & ſeparare valet. *Forus* 1. *de Febr.* *p.* 4. & 5.

V. Secundum Continentium febrium maximum remedium eſt Frigidæ potio, quam omiſit Galenus in curando juvene illo libero 9. meth. 5. quia ſola S. m. ſufficiens fuit: Hoc autem remedium ægro copioſa ſanguinis miſſione egenti pernicioſum eſſet, quia copiam intra corpus incraſſando, coerceret atque firmaret: Et calor innatus a multo & craſſo ſanguine veluti ſuffocatus, a frigidæ potu obrueretur: Cum tamen aliqui medici hæmophobi falſo crediderunt frigidæ potum eſſe remedium S.m. ſubſtituendum, licet ſine detractione ſanguinis adminiſtrari non poſſit: adeo vt V. S. ſine frigidæ potu admitti quidem poſſit, non autem frigidæ potus ſine præcedente ſang. miſſione. *Foreſt ibidem.*

VI. Carpit *Galenum*, *Trallianus* præſcribentem 8. meth. med. c. 5. *Diatrionpiper.* ſimplex, vbi alvu adſtricta alimentum crudum in ventriculo moratur: 4. autem de Sanit. tuenda, In ipſa etiam cruditate nidoruſenta, cum nec ratione febris vtile ſit; nec reſpectu cauſæ, quæ effectus eſt caloris interni: At Galeni ſcopus eſt co[illegible] medicamento, acrimonia donato, expultricem ſollicitare, quo corruptum alimentum ad alvum ſecedat; & quod crudum ſupereſt vberius concoquatur & digeratur; Præterea id purgato corpore exhibitum non nocet, quod calor in primis viis extinguatur, nec venas ſubeat, interea debilem ventriculum roboret. *G. Horſtius.*

VII. Notandum *Tralliani* remedium, Potum aquæ calidæ commendantis vbi ſitibus eſt in ſtomacho: eluit enim, abſterget, & ad inferiorem ventrem cibum propellit, ſpiritumque incenſum temperat, & melius remedium ſe non noſſe ait, Et revera eſt optimum. *Primiroſius de Feb. l.* 1. *c.* 5.

VIII. Suſpectum eſt quibuſdam Oxymel mellis ratione, cujus caliditas febricitantibus noxia videtur, quippe quod facile in bilem tranſeat: At revera contrario, quia quæ craſſa glutinoſaque ſunt diſſolvit, meatuſque obſtructos liberat: In eo præterea perpendenda omnia ex quibus conſtat, nec ſolum mellis qualitates examinandæ (quod à *Quercetano* Pharm. Dogm. c. 10. ſaccharo præfertur, vtpote purius ac detercatius; id enim dulcedine non correcta in bilem facile tranſit, & viſcidate viſcera obſtruit) ſed aceti quoque vitrioſata qualitas, juncta aquæ humiditati, mellis calorem ita retundit, vt vis detergens & aperiens ſine inſigni calore emicet: Morſus inteſtinorum, & tuſſis excitatio non *multum* verenda ſunt, ſi acetum modicum ſit. *G. Horſtius.*

IX. Diſcrepantes videntur Galen. & Avicenna in Diæta conſtituenda: Ille 10. meth. m. c. 3. probat alicam integram ex aqua calida, cum granis mali Punici: Hic cibum facilis coctionis, vt panem cum vino præſcribit: Sed notat hic Capivaccius l. 6. c. 11. *Galenum* ibi ad imminentem ſyncopen in ſtomacho bilioſo, Avicennam autem ad nutritionem totius corporis reſpicere.

FEBRIS EPIALA

SYLLOGE.

Qualis victus forma *obſervanda.* 1.
Euporiſto remedio curata. 2.
Aperientia cuiuſmodi conveniunt.

I. Decipiuntur qui credunt tenuiorem victum eſſe debere in Epiala quam in quotidiana ſimplici, cum tamen debeat eſſe omnino plenior, & ratio eſt, quia in quotidiana peccat pituita dulcis, quæ per vlteriorem coctionem in ſanguinem & nutritionem converti poteſt, quod de vitrea ſperandum non eſt: Eademque ratio eſt habenda in reliquis pituitæ ſpeciebus præter naturam. *Forus l. de Feb. c. de Epiala.*

II. Epialæ cauſam *Galen.* l. 2. de febr. 6. ait eſſe pituitam craſſam & amaram bilem, Ergo inſtar Tertianæ nothæ eſt curanda: Laborarunt quidam diu hac febre, qui nihil proficiens, auxilio hoc, cocto humore & vacuato corpore, fœliciter vſus ſum, ℞. *flor. chamam. pug. iij. comar. abſinth. Pontici* pug. ij. coque in lib. iij. aq. ad medias, colat. adde ſacch. ℥iv. ſumat ℥v. vel vj ſingulis diebus. De viribus vide *Galenum*, *Avicennam* & *Zacutus Prax. adm. lib.* 3. *obſervation.* 26.

Sylvius de le Boë Prax. lib. 1. cap. 30. Epialas iudicat eſſe duplices intermittentes, ſed vtraſque à ſucco Pancreatico acriore, bileque itidem acri productas, Et ita quidem vt continuo vnius frigus concurrat cum alterius ardore, atque prioris paroxyſmus novus, & frigus revertatur quando poſterioris calor incipit augeri: Medicamenta autem præſcribit ex prædictis ſubcontrariis compoſita, quæ ſimul pituitoſos & bilioſos humores, in eodem ægro abundantes reſpiciant. Exemplo ſit hæc miſtura, ℞. *Aqua card. bened. cichor. ana ℥ iß. theriacal. ſimpl. aceti ſtillat. ana ℥ vj ocul. cancri pulver. ʒß. ſyr. v. radic. ℥ i. miſce.*

III. Hoc proprium iis febribus ineſt, omnia nempe quæ aperiendo exſiccant iis febribus incommoda ideo eſſe quod materiam craſſiorem reddant, tenuioribus partibus in halitus digeſtis; cumque febrium, quæ calorem & frigus ſimul operantur, materias craſſos humores eſſe Medici aſſerant, fit vt qui ius cicerum, & muriam iis concedunt, febrientibus parum ſalubriter conſuluiſſe videantur? Rectius profecto fuerit iis uti, quæ humida exiſtentia abſtergere & incidere poſſint: *Brudus de victu Febric. lib. 3. c. 25.*

FEBRIS EPILEPTICA

Natura & curatio.

PVella decem annorum motibus convulſivis irritata fuit, cum moderata febre, ſed alyſmo implacido, vt nullibi conſiſteret, & maxime cardiaca ventriculi laceſſita: mox intra breve ſpatium accidens Epilepticum vidimus incepiſſe, contortis oculis & membris corporis vniverſi convulſis, cerebri potentiis oblæſis, & omni abolita pene ſenſatione, à quo valde delaſſata quievit, ſed non à dolore ventriculi: Mox illi vomitum imperavimus, vt ſi bilis æruginoſa, aut alia ventriculi os pungeret, & epilepſiam per conſenſum excitaret, ea excluderetur, Vomitus quidem concitatus, ſed infida levatione, nam protinus revertitur crudele accidens Epilepticum, cuius ingreſſum ægrota ſentiebat, ſemper implacida, ſed afflictionis cauſa in ventriculo perſiſtebat: ſic pariter alternatis ſymptomatis totam hanc egit diem, quorum ſævitiem oblinere curavimus frictionibus, ligaturis, cucurbit. mica panis ſucco agreſtæ imbuta; hæc omnia in febris acceſſione erant, quæ ad noctem parum levata, placidam illam egit, de morſu tamen ventriculi querebatur, vrina ad flavam declinabat, craſſa, moderate confuſa: *Poſtridie* iterum fraudulenter acceſſio, dolores ventriculi incipiunt clamoſi, epilepſiæ accidentia revertuntur, & ſic deinceps hora x. ſequentium dierum inceperunt reliquæ omnes acceſſiones, intermittenti tertiana periodo, vt merito illam dixeris duplicem Tertianam, cum vomitu pituitæ & bilis in principio, exurenti ardore, linguæ ſiccitate, oris amaritudine &c. *Febrem* dixi *Epilepticam*, non *Febrim* cum epilepſia, talem ab accidēte dictam, quod cum febre complicatur, non determinato tempore concitata, quod in Febre Epil. ſervat, quia eadem febris cauſa, eadem iniecta, & putredinis focus idem: nam præter cauſam fixam, focum determinatum habet, in loco, quo quadam veluti neceſſitate cum cerebro conſentit, in venis nempe quæ os ventriculi circundant; ibi enim ramus inſignis nervi à ſexto pari cerebro derivati: Conſenſum ergo Epileptici accidentis in hac febre, non tantum fuiſſe os ventriculi cauſam cenſemus, ſed ſingularem humoris apparatum, acerrimi nempe & mordacis, cuius appulſu cerebri & membranarum ſubſtantia vellicetur; focum autem peculiarem Febris in venis quæ os ventriculi coronant: Hanc Febrem ex talo ſanguinis miſſione repetita curavimus (non tantum vt fieret valentior revulſio, ſed quia in hypochondriis pravorum ſuccorum ſentinam, & fluxionis originem cenſuimus) hirudinibus hæmorrh. venis admotis, vnde mitiora accidentia; hinc vena in carpo ſecta, ob materiam iam capite receptam: frænati intus humores cordialibus aquis cum pulvere cryſtalli præparatæ, addita interdum ʒ j confectionis hyacinth. quibus febre reddita miniori protinus remiſit Epilept. accidens: hinc ſyrupo regio & Perſicor. repurgata ex ſingulari morbo evaſit. *G. Caldera Tribun. Med. pag. 225.*

FEBRIS ERRATICA.

SYLLOGE.

An nullus remediis locus donec conſtiterit, vt vult Hippocrates. 1.
Chalybis vſu curata. 2.

I. HIpp. l. 4. de vict. Acut. Inconſtantes febres vſque dum conſtiterint ſinere iubet; cum autem conſtiterint, occurrere victu, & curatione convenienti ſecundum naturam habita conſideratione: Scilicet dum non conſtant, non agnoſcuntur: ignorata verò morbi ſpecie, non poteſt curatio rectè ſuſcipi. Dices videri non ſatis tutum eſſe febres, quod inconſtantes ſint, ſinere, neque cibum tribuentes, neque auxilia aliqua porrigentes: At licet occurrere communibus auxiliis quæ multis morbis ſimul occurrunt: vt ſi dubites homo laboret quotidiana an tertiana duplici, ſive intermittente ſive continua, & robuſtus & flatente ætate ſit, nihil prohibet mittere ſanguinem, aperientibus vti & incidentibus, clyſteribus ſubducere fæces, vſque dum morbi idea innoteſcat &c. *Valleſius lib. de rat. vict. in acut. pag. 211. Quid medicus agere teneatur dum ignota eſt morbi idea, vide tuendo de eius officio lib.* 20. Hoc præceptum in omnibus febribus inconſtantiam præ ſe ferentibus non eſt obſervandum, ſed in iis tantummodo qui acutiem habent: quam conditionem non appoſuit Hippocr. quod hæc tractatio ad morbos acutos ſpectet: Obſervandum autem in morbis acutis, quia hi cum celeriter moveantur, non poſſunt diutius cum huiuſmodi inconſtantia permanere, ideo tutius eſſe (iuxta illud. In hoc te exerceto vt ſi non proſis, ſaltem non noceas) à remediis ſaltem generoſis aliquantiſper deſiſtere, quàm malè agendo ægros tantum in diſcrimen perducere. *Martianus comm. in v. 157. dicti libri.*

II. Erraticæ febres fiunt ex humore melancholico ob aduſtionem facto, & ex cineribus aliorum humorum, qui diſſormes ſunt, ita vt vna parte moveantur ad putredinem, alia ad motum ſint inepti, quia craſſi, terreſtres & fæculenti: In his licet ex præſcripto Hippocr. 3. Progn. 27. nullum ſit adhibendum auxilium donec conſtent, quia

quia occaſio cathartici captari nequit, tamen quia non ignoratur materia mali, præſtat humorem hunc craſſum corpore eximere, quam obſtructionibus adauctis, a quibus fere dependent, ægros naturæ relinquere, aliàs immùnes ſcirrhus lienis, hydrops &c. Quidam triennio hac febre oppreſſus, multis tentatis, ſolum chalybis uſu à febre & tumore liber evaſit. *Zacutus Pr. adm. l. 2. Obſ. 33.*

FEBRIS ERYSIPELATOSA.

SYLLOGE.

Deſcriptio & Curatio. 1.
Cum Peſtifera febre affinitatem habet. 2.

1. NVllam non corporis partem, idque nullo non tempore inceſſit hic morbus, ac præ reliquis faciem, exeunte præſertim æſtate; quo tempore ſæpe dum ſub dio verſatur, corripitur æger: Facies ſiquidem ex improviſo in tumorem attollitur, qui ſubito exortus cum calore ruboreque ſummis, deinde minimarum puſtularum ordine diſtinguitur, quæ aucta magis inflammatione in veſiculas ſubinde faceſſunt: Aſt vero quamcunque corporis partem obſederit, vt etiam quocunque anni tempore, rigor atque horror, niſi præceſſerint, huic ſe inflammationi vt plurimum adiungunt, ſitis, inquietudo, ac reliqua Febrium indicia.

Eſt & alia huius morbi ſpecies, licèt rarius occurrens: hæc quolibet anni tempore invadit, hac vt plurimum *ἀφορμῇ*, quod æger vinorum ſubtilium magis magiſque attenuantium potationi paulo liberalius indulſerit, aut liquoris ſimilis ſpirituoſi: *Febriculam*, quæ agmen ducit, mox excipit puſtularum per vniverſum fere corpus eruptio, quæ vrticarum puncturas referunt, & nonnunquam in veſiculas attolluntur, mox recedentes, tuberculorum more ſub cute ſe condunt, cum pruritu mordaciſſimo & vix tolerando.

Hic materiam peccantem ſanguini permixtam rite evacuandam, ſanguinis ebullitionem remediis illum contemperantibus ſufflaminandam cenſeo, eam denique quæ iam partibus impacta eſt materiam, avocandam diſcutiendamque: Hæc vt fiant ſtatim largam ſatis ſanguinis quantitatem e brachio extraho, qui pleuriticorum ſanguinem fere ſemper æmulatur: Die ſequenti blandam Potionem catharticam exhibeo, & hora ſomni (ſi frequentius paulo deiecerit æger, hauſtum aliquem paregoricum: Peracta catharſi partem affectam ſequenti Decocto foveo. ℞. *rad. althææ & lilior. ana.* ℥ij. *folior. malvæ, ſambuci, verbaſci ana. man. ij. flor. melilot. ſummit. hyper. & centaur. min. ana. man. j. ſemin. lini, fœnugr. ana.* ℥ß. *coq. in ſ. q. aq. ad* ℔. *iij.* coletur Liquor, & vſus tempore adde libris ſingulis Decocti *ſpir. vini* ℥ij. Stuphæ e panno laneo levis texturæ hoc decocto immerſæ & expreſſæ, calide admoveantur partis bis in die: A toto quotidie illinatur ſequenti mixtura ℞ *ſpir. vini* ℔ß. *Theriac. Androm.* ℥iij. *pulv. piper. longi, garyophyll. ana.* ʒij. m. charta emporetica hac mixtura madida parti circumvolvatur. Aeger hordeaceis, avenaceis tantum iuſculis vtatur, pomis aſſis: cerviſia tenuiſſima, & per horas aliquot ſingulis diebus à lecto ſibi temperet: Hac methodo tum Febris, cum alia ſymptomata citiſſime vt plurimum fugantur. Sin aliter, rurſus venam ſeco, quod & tertium nonnunquam fieri debet, interpoſito ſemper die vno, ſi prava nempe adſit ſanguinis diatheſis, & *Febris* intenſior: vt plurimum vero vnica venæ ſectio, & ſubſequens catharſis, ſi tempori adhibeantur, rem expediunt:

Quæ vrticarum puncturas, cum pruritu, refert ſpecies, pari modo eſt amolienda: niſi quod hæc remediis ad extra applicandis minus egeat. *Sydenham Obſervat. in morb. Acut. ſect. 4. c. 6.*

II. *Ignis Sacer.* apud iuniores medicos, *Febris* eſt continua, à ſanguinis parte tenuiori corrupta ac inflammata originem ducens, qua vt natura ſe liberet, eam in corporis partem aliquam exteriorem expellit, in qua tumor, aut potius (cum tumor aliquis notabilis non appareat) macula rubra, lata, diſperſa, quam *Roſam* appellant, oritur: Solvitur autem iſta *febris*, poſtquam vno atque altero die ægrum afflixit, critice per hunc tumorem, & proinde aliquando in Glandulis, ſub alis vel in inguinibus dolor, vt etiam in Peſte, fieri conſuevit: Et fere invadit hoc malum vt Peſtilentia, cum horrore & inſequente calore febrili, ita vt qui ante ipſum non ſunt paſſi, exiſtiment hac peſtifera ſe corripi, donec tandem in cute, aut alio loco ſe affectus prodat: Quibus accedit quod & maligni aliquid huic morbo ineſſe nonnulli ſuſpicantur, ac proinde curationem in ſudoriferorum atque alexipharmacorum vſu conſtituunt: Hæc quidem flamma vbi Ebullitionem commoverit, cuius ope particulæ ſanguinis leviuſculæ vitulatæ, ac quaſi ſyderatæ, brevi ſpatio foras ablegantur ſponte ſua, nec vlteriorem noxam molita extinguitur. *Idem ſect. 2. cap. 2.*

FEBRIS ESSEROSA SEV SVDAMINOSA

Curatio.

PVſtulas, Græcis & Celſo *Epinyctidas* dictas, *Eſſere* vocant Arabes, Galenus 3. aph. 21. Sudamina, dicitque eſſe Puſtulas in ſumma corporis parte hærentes, inſtar ulcerum cutem exaſperantes, ob multos ſudores vel bilioſiores, vel mordaciores, cutem mordentes, *Avicenna* intimius explicat, *Eſſere eſt puſtula parva, ſuperficialis ſicut veſica, & aliquantulum tendens ad rubedinem, & pruritum faciens & anguſtiam, eveniens ſubito, & accidit quandoque vt currat ab ea humiditas &c.* Vocati 4. medici ad curandos duos puerulos, quibus, cum febre valida, dolore totius corporis & laſſitudine, vna nocte puſtulæ hæ in ſuperficie corporis affatim apparuerunt, & ita increvere vt matutino tempore pueri ſcalpentes eas diſrumperent, à quibus emanavit tenuiſſimus ichor: Omnes varíolas prædixere, quare cubiculum obſerare iubent, pueros pannis rubris operire, & nullum auxilium præterquam frictiones in cute lenes celebrandas imperant, & quæ in curatione variolarum vſurpantur: Poſt eorum diſceſſum puerulis febris exardeſcit: pruritu vexati per lectum inſiliunt, & nova materia ad cutem confluente, aliæ repullulant puſtulæ, aliis reſiccatis: Cum in agone pueri eſſent, vocatus, præſentibus medicis, probavi neque eſſe variolas, neque ægros operiendos, imo eſſe puſtulas ex ichoroſo ſanguine, tempore æſtus, in corporibus præſertim bilioſis ſubortas: Nam variolæ nonniſi poſt longum tempus ab ortu ſuo emittunt pus aut humiditatem; ſubito non ſiunt,

nec ita ſubito accreſcunt; contraria obſervantur in Eſſere: deinde in hac priſtula, & venæ ſectio quolibet morbi tempore celebratur, & purgatio exhibetur, vt monuit *Avicenna*, In variolis ſolum initiu phlebotomia convenit, & purgatio non ita vtilis eſt, imo, vt Arabes dixere, in variolis debet alvus eſſe adſtricta: Ventilatum ergo eſt corpus ſanguine miſſu, julapiis, ptiſana, & leni ſolutivo vlceta ſponte ſiccata: Tu vero in opere practico hanc Eſſere curationem bene obſerva, in cuius præſagio & curatione primæ notæ medicos etiam deceptos novi. *Zacutus Pr. Adm. l. 3. Obſ. 16.*

FEBRIS FAMELICA

Cauſa & Curatio.

FAmelicas liceat eas nominare *febres*, quibus eſt coniuncta fames rabida & inexplebilis, adeo vt niſi concedatur exhibeaturque, durante licet paroxyſmo, cibus, in animi deliquium aliaque ſymptomata incidat æger. Eas deduco à ſucco pancreatico ob ſtagnationem aciditate graviore, potenti tamen prædito, quæ ad ventriculum vſque aſcendens, tum famem illam immanem, tum aliquando, ſi denegetur cibus, animi deliquium &c. inducat: Ad eam compeſcendam conveniunt omnia quæ acidum potentet infringunt concentrantque, Oculi cancri, margaritæ, corallia, creta &c. in pulverem duntaxat redacta, & miſturis alias conducentibus addita, vel ſeorſum ex alio liquore, vino, cereviſia juſculove, ad aliquot grana ſubinde, donec Fames minui obſervetur, exhibita. *Sylvius de le Boë Prax. lib. 1. c. 30.*

FEBRIS HÆMORRHAGICA, HÆMOPTOICA.

Deſcriptio & curatio.

DAntur Febres *Intercurrentibus* merito annumerandæ, quæ quoniam aliquo modo immediate abitum ſibi parant, & in hoc vel in illo ſymptomate deſinunt, vulgo febres non habentur, licet tales ab origine vere fuerint, atque Affectus ille, a quo morbus nomen mutuatur, Febris tantum ſit ſymptoma, quæ in illo demum terminatur. Impræſentiarum duas tantum, *Hæmorrhagiam narium*, ac *Hæmoptoen* perſtringam.

Hæmorrhagia narium quavis anni tempeſtate infeſtat, præcipue ſanguine præfervido, temperamento vero debiliore præditus; idque magis ætate ingraveſcente quam adoleſcente: Primo vt plurimum appulſu *Febris* præ ſe fert indicia, qua deterente ſibi per nares, qua data porta faciente viam, dolor & calor ſinciput adhuc torquent; Sanguis ad horas aliquot adhuc profluit, dein aliquandiu ſiſtitur, mox denuo erumpit, atque hæc viciſſim, donec tandem vel remediorum vſu, vel ſponte ſua, ob imminutam copiam deperditamque cohibitus, omnino ceſſat, ita tamen vt ægro ſingulis annis à recidiva metuendum ſit, ſi vel a liquoribus ſpirituoſis, vel alia occaſione qualibet æſtuare contingat.

Enim hic mihi ſcopus propono, vt ſanguinis fervor nimius, atque Ebullitio, vnde oritur dicta præter naturæ modum extravaſatio, frænis omnibus compeſcatur, eiuſque impetus alio vertatur: Eapropter frequenter venas brachii tundo, & ſanguinem liberaliter extraho, Pleuriticorum ſanguini colore ſemper reſpondentem: Victus rationem refrigerantem atque incraſſantem iniungo, vt Aquæ font. part. iij. lactis vnam ſimul coctas, & frigide hauriendas, pruna cocta, juſcula hordeacea, & ſimilia a carnibus abhorrentia: Lectulo item vt abſiſtat per aliquod ſpatium cottidie, moneo, tum vt nullo non die iniiciatur Enema leniens refrigeranſque, nec vel ſemel quidem omittatur. Hauſtu quin etiam hora ſomni paregorico e Diacodio cen catena conſtrictus ſanguinis furor coerceatur.

At vero quando hujuſmodi Hæmorrhagias non raro comitatur Lympha acrior, quæ ſanguini permiſta eius motum adjuvat, venarum orificia reſerando, præter revulſionem & refrigerationem, ſolenne mihi eſt catharticum blandius, vel in ipſius morbi ἀκμῇ propinare, cuius operatione finita Anodynum exhibeo præter ſolitum viribus auctum, & vbi ſymptoma penitus evanuerit, aliud demum catharticum.

Hæmoptoe etiam, quæ in æſtatis ac veris confinio homines calidioris temperamenti, vt minus robuſti, adoritur, & quorum pulmones minus recte valent, præ ſenibus item juniores, ejuſdem fere indolis cum hæmorrhagia eſt, cum & hæc quoque *Febris* ſit, quæ tam nomen quam eſſentiam exuit ſuam illa qua ſoluta eſt criſi, hoc fere tantum diſcrimine, quod in morbo *priori* ſanguis nimium agitatus in narium vaſculas, in *hoc* vero in pulmones impetum fecit: vtque in illo durante fluxu dolor & calor ſinciput jugiter lancinant, ita in hoc pectus vterque obſidet cum debilitate quadam: Quin & huc vitium eandem fere quam Hæmorrhagia methodum medendi ſibi vendicat, niſi quod catharſin minus ferat, à qua, præſertim repetita, æger facile in tabem conjicitur: At phlebotomia crebro celebrata, enema quotidie injectum, diacodium hora ſomni propinatum, diæta inſuper & medicamenta incraſſantia, refrigerantia, opus pro voto abſolvent. *Sydenham Obſervat. in morbis Acutis ſect. 4. c. vlt.*

FEBRIS HECTICA.

SYLLOGE.

Hectica dignotio. 1.
Tabificis ac marceſcentibus febribus aliquando competit ſanguinis miſſio. 2.
An victus *contrariarum qualitatum, ſcil. Lac, quod facilis digeſtionis, & Cancri, cochleæ &c. difficilis, ſit præſcribendus.* 4.
Vſum Lactis *prohibentia.* 5.
Lac ſtatim a balnei exitu non exhibendum. 6.
Serum lactis *poteſt concedi.* 7.
Efficacia juris parvæ pullæ. 8.
Frigidæ potus *cui concedendus.* 12.
In refrigerando modus eſto. 9.
Lactis vſus *in complicata cum putrida.* 13.
Balneum *frigidum antiquis vſitatum, non tutum.* 10.
Balnei ex hydrelæo efficacia. 11. 16.
Ex olivo. 24.
Qua arte innoxium fiat. 21.
Inunctio ſtatim ſequatur. 14.
Quot horis a cibo ineundum. 15.
Epithemata *pectori admota vtiliſſima.* 22.

Frigi-

Frigidus aer omni arte conciliandus. 13.
Hecticæ à ſemiputri viſcerum ſubſtantiæ *orta curatio.* 2.
Ranarum eſu curata. 17.
Putridæ complicata *Balneo curata.* 18.
In maraſmode Picationes *non conveniunt.* 19.
Lui venereæ connexa curatio. 20.

I. CVm initio facilis ſit curationis, vix autem dignoſcatur, ideo medicus attentus eſſe debet inveſtigationi ſignorum incipientis: *Sennertus* hoc proprium & inſeparabile tradit, Si vna vel altera hora à cibo ſumpto calor augeatur, & pulſus ad magnitudinem & velocitatem mutetur, ſine frigore, rigore, horrore, quæ putridis familiaria. Prioris ſymptomatis hæc eſt ratio, Hecticorum calor partibus ſolidis impreſſus eſt, vnde parum ab iis vaporis ſpecie excluditur: quicquid id eſt, acceſſione cibi humidi aut tenuioris alimenti, citò diſtributi, vaporibus augetur: hinc ſudor levis exprimitur, & ventriculus compreſſione quadam gravatur, vt cibum moleſtè ferat, calore nempe aucto vſque dum alimenti perfecta ſit anadoſis: At quia fieri poteſt vt in putrida, etiam non præcedente frigore, cibum aſſumptum aliqua ſequatur exacerbatio & caloris augmentum, ne erret Medicus in cognitione Hecticæ, horam cibi per triduum mutabit: ſi deinde calori idem accedat incrementum, firmatur Medici ſententia.

II. Species Hecticæ, ex labefactata ac ſemi-putri pulmonum, jecoris, aut alterius viſceris ſubſtantia frequenter occurrit: Nonnulli duos treſve annos febre lentâ conflictantur, quæ nonniſi cibo ſumpto ex pulſu innoteſcit: hæc ob invaleſcentem in dies corporis extenuationem & febris diuturnitatem, Hectica à quibuſdam putatur: ſed tamen victu humectante & refrigerante, purgatione his terve menſe repetita è ſyrupi de cichorio compoſito cum Rheo &c. & iis quæ impreſſum in viſceribus calidam & ſiccam intemperiem delent, curatur: Sic affectos malè habet non hectica febris, ſed prava quædam jecoris affectio, caloris & ſiccitatis particeps, obſtructionibus tum ipſius tum venarum meſaraicarum implicita: quæ obſtructio febrem lentam fovet, vnde fit vt alterata calida & ſicca hepatis intemperie, ejuſque obſtructionibus deterſis ſenſim febris evaneſcat; *Enchirid. medic. Pract.*

III. Tabificæ & marceſcentes febres, ſine tamen Pulmonis vlcere, curari interdum poſſunt, dum non ad extremum marcorem pervenerunt, nec vlla jecoris vel lienis durities eſt: A tali genere febris tabeſcere & conſumi videbatur vir in Oeniadis 5. Epid. n. ij. vt & illa mulier cui Galenus tribus diebus ſanguinem detraxit ad l. ij. cum dimidia. Ex his febribus aliquando etiam & nos curavimus miſſione ſanguinis, at purgationibus nunquam: Puellum xij. annorum ab hectica febre multorum menſium areſcentem, cum hydropis initio, repetita ſanguinis miſſione & alvi ſolutione per Sennam priſtinæ valetudini reſtituimus: Sanguis erat corruptiſſimus, ſubtus ſcilicet nigerrimus, non concretus, ſuperius pallidus & tenaciſſimus, qui triplo ſero innatabat: Marcidam febrem nemo felicius evaſit per S. M. Dom. N. *Ab ardente* dictum xx in hecticam abierat, quæ nocturnam & putridam febriculam, cum levi frigore accedentem, adjunctam habebat, hæ adeo hominem conſumpſerant, vt alterutrum crus juxta genu manu comprehenderet. Huic mitto ſanguinem ad ℥a fæculentiſſimum & maximè ſeroſum: Eo ipſo die febricula deſiit, perſeverante Hectica, quæ etiam hominem minus lædebat: Poſt octo dies detrahitur par modus ſanguinis ex altera parte, qui ſimillimus priori; febris ſenſim inclinatur & triduo poſt in totum reſolvitur. Impugnatur autem phlebotomia 1. quia Hippocr. & Galenus apertè non commendant. 2. corpora exhauſta infuſione potiùs ſanguinis egent quam eductione. 3. quia cacochymiâ abundant, cui purgatio deſtinatur: Ad 1. multa ſunt in Medicina à poſterioribus inventa: Ad 2. multa corpora areſcunt vitio ſanguinis, ſicut etiam alia eodem intumeſcunt, vt cachectica: vtraque ablationem ſuperflui poſtulant, quò poſſit vtile ſubſtitui. Ad 3. Humorum vitium venis concluſum per earum apertionem educendum. *Botallus l. de Sang. miſſione c.* 17.

IV. *Lac* ab omnibus præſcribitur, & meritò, cum hecticis debeatur alimentum facilis digeſtionis, quia calor nativus debilis: atque id quod ſiccitati caliditatique febrili obſiſtat, quale eſt lac: Sed ſi eæ dotes in eorum alimento requirantur, cur iiſdem cancri fluviatiles quoque præſcribuntur, qui difficilis coctionis perhibentur? ℞. Notandum hecticæ duplicem aſſignandam diætam pro diverſitate temporis; In incipiente enim victus requiritur craſſior & diuturnioris coctionis, etſi difficulter concoquatur, quia tunc temporis calor nativus adhuc fortior eſt, nutrimentum craſſius ſuperare potens: Si provecta ſit Hectica, hincque calor nativus, omnium coctionum parens, ſummè debilis, vitanda δύσπεπτα: exhibitis quæ ſine negotio conficiuntur, optimè ac citiſſimè nutriunt. Calor quippe ſolidis partibus impreſſus, de corporis ſubſtantia multùm abſumit, quam alimentis craſſis glutinoſiſque reparare ſtudendum, ſed quæ ſimul probi ſint ſucci; *Gr. Horſtius.*

V. Falluntur, aliquando rudiores, dum hectici primi vel ſecundi gradus hypochondriorum minimis obſtructionibus; vel levi putrida febre vexantur, lac omnino interdicunt: Nec vident quod interim lacte non exhibito, ſaltem in pauca quantitate, ad tertium gradum properant, vnde mors: Dicimus & nos cum Hippocr. 5. aph. 64. quod lac habentibus obſtructionem, & putridam febrem, exhibere malum ſit, Sed quod longè majus ſit permittere vt certo æger pereat: vrgenti enim magis attendendum quàm cauſæ: *Sanctorius meth. l. 15. c. 7.*

VI. Hippocr. 3. de vict. Acut. 54. ſcripſit. *Neque potu neque cibo ſaturatum lavare eſt æquum,* Ne cruda materia ex alvo in venas & habitum corporis rapiatur: Cur igitur hoc ævo Medici, modo lac aſininum exhauſtus æger biberit, ſtatim in balneum immittunt? reſpondebunt, vt rapiatur in habitum corporis: At nos, non aſſimilabitur, cùm non coctum fuerit: Rectius igitur poſt quatuor horas id fiet, Et dixit Hippocr. *Neque confeſtim a balneo ſorbendum, neque bibendum,* nam excitato calore, vis caloris attrahendi eripit occaſionem mitificandi. *Heurnius meth. ad Pr. lib. 2.* Galenus tamen 14. meth. c. 5. à balneo debilioribus; lac exhibet, Trallianus ptiſanam.

VII. In Hectica ſerum lactis etiam habere locum confirmare videtur Galenus, cum 10. m. m. c. 12. aſininum lac præ cæteris ait eſſe opportunum, quia ὀῤῥῶδες: Ergo ſerum magis conducit: *Rolfincius lib. de Febr. cap.* 100. Modo intelligo quare lac

hecticis debeatur, & quò ſeroſius eò ſit vtilius, proptereáque Aſininum cuicunque *Galenus* præmittit, non quia frigidius, hac enim de cauſa foret convenientior aqua, ſed quoniam in Hecticis conſumuntur partes ſolidæ, quas Serum, carum veluti nutrimentum, reſtaurat: Hoc enim non ſimplex alimenti vehiculum eſt, ut opinabatur antiquitas, ſed & ipſum nutrit; lentè enim admotum igni concreſcit, certiſſimum alimenti ſignum: cujus rei facto centies experimento, vidi ſemper ſerum ipſum non modò leviter incraſſari, ſed agglutinari fierique membraneum, hincque illico conjectavi ſero ſanguinis ſpermatica ali membra &c. *Hieron. Barbatus lib. de Sanguine & Sero pag.* 10.

VIII. Non eſt ſilendum Ius parvæ pullæ, omni pinguedine ſemotâ, ad ℥v. vel vj. immediatè ante cibum utiliter propinari, quo ſolidæ partes humectentur: Sic cœmentarij aqua parietem aſpergunt priuſquam calce incruſtent, quo hæc tenacius ac firmius hæreat. Ejus loco aquam quidam potandam imperant, ſed hæc inepta eſt ad partes ſolidas humectandas. *Zecchius conſult.* 28.

IX. In uſu Refrigerantium hoc obſervandum ne potentiora ſtatim & frequenter uſurpentur, calorem enim debilem poſſent extinguere: utilius autem eſt ſenſim quàm ſubito refrigerare: humectantia verò ſemper tutiora ſunt quàm refrigerantia, quia lentè perficiunt ſuas operationes. *Riverius cap. de Hectica.*

X. Inter remedia externa, Balneum aquæ dulcis primas obtinet; potenter enim refrigerat & humectat, partéſque externas relaxat vt promptius alimentum excipiant: Apud veteres vſus erat frequentiſſimus, qui jam obſolevit, nec ſatis tutus, metus enim ne frigidæ occurſu repentino corpus læderetur: Conſultius & compendioſius æger in balneum aquæ moderatè calidæ conjicitur, in quo morari debet donec ſponte tepeſcat & tandem refrigeretur: cum enim *Galenus* Balneum frigidum adeo neceſſarium exiſtimet, vt calidum ſine frigido inutile credat, eo pacto frigidæ vices ſupplentur: acceleratur refrigeratio frigidæ affuſione; ſed mora in frigido ſit parva. Nota vtilius humectantia effici incoctis emollientibus & refrigerantibus, hordeo, amygdalis contuſis &c. *Riverius.*

XI. Juvenis ex ardente febre in Hecticam lapſus, nec lacte, nec Balneo aquæ dulcis juvabatur: Tandem Balneo, olei admixta quantitate, reiterato convaluit: Id tenſas partes emollit, ſiccas & arefactas humectat; poros obſtructos & præ ſiccitate conniventes aperiendo, ad extimas partes & diſſitas alimentum trahit. *Zacutus Obſervat.* 35. *lib.* 3.

XII. *Galenus* aquam maxime commendat lib. de Marcore, & 10. meth. in prima ſpecie, in qua humor tantum efferveſcit, nondum abſumptus eſt, corpúſque adhuc, etſi calidum & ſiccum, ſanguine tamen abundat & eſt ſucci plenum: hujus enim vſu ſcribit *Galenus* ſe multos præſervaſſe à maraſmo & à tabe; hicque ſequendum *Alexandri* conſilium, qui frigidam dare præcipit poſt cibum, quantum ægro libuerit: Sed ſi ex febre putrida, humorum cruditate, aut præcordiorum inflammatione hectica contigerit, vitari debet aquæ potus, præſertim ſi vires ſint imbecillæ, inflammatio mediocris, coctióque nondum appareat: Sed in vehementiſſimâ maximeque vrgenti inflammatione, vt eryſipelaceâ, dari frigida poterit, extinguetur enim inflammatio, etſi morbus in longius tempus protrahatur: quod ſi putrida admiſta ſit, coctio expectetur: Sed in hectica quæ ardentibus ſuccedit, aut in ipſo maraſmo, cavendum a frigida, ne in excarni & imbecillo corpore calor nativus extinguatur, ſenectus præmatura accerſatur, quam ſenium ex morbo vocant, in quo calor nativus aut nullus eſt, aut exiguus; Ideo non refrigerantia, ſed calefacientia; humectantia & analeptica poſtulat. *Primiroſius lib.* 1. *de Feb. cap. ult.* Pro hectica primi gradus curanda duo generoſa remedia proponit *Galen.* lib. de Marcore, Frigidæ potum & Balneum: Diximus autem hujus hecticæ primi gradus remedia eſſe, quia Hecticæ initio multo magis vrget caliditas quam ſiccitas, cum non adhuc corpus exſiccatum fuerit, ac proinde refrigerantia potius quam humectantia indicentur; In progreſſu vero, quoniam augetur & invaleſcit ſiccitas, & corpus abſumitur, ideo tunc vice verſa humectantia magis quam refrigerantia conveniunt: quinimo à refrigerantibus eo ſtatu læduntur corpora graciliora, naturali calore deſtituta: vnde in progreſſu lactis vſum frigidæ ſubſtituemus: quod expreſſit *Galen.* lib. de Marcore dicens, Primis diebus frigida convenit, dum vires validæ & ſanguis copioſus in corpore exiſtit, non ſic in progreſſu: *Fortis.*

XIII. Tandem, vice decocti cujuſlibet (niſi Catarrhus copioſus, aut phthiſica pulmonum flacciditas adſit) ad Lactis aſinini vſum devenire non dubitarem, Et quoniam ab *Hippocrat.* febricitantibus prohibetur, quia bileſcere & ad nidoroſam corruptionem deciſcere poſſet, ideo tantum in acceſſione febrili erit ab eodem abſtinendum, & cæteris diebus præbendum, quod etiam concedit idem *Hippocr.* 5. aphoriſm. 65. ijs qui non valde multum febricitant, quod tamen de putrida intelligendum, de eius vſu enim in hectica quis dubitat? Nec obſtabunt obſtructiones, ſiquidem, ut ſiccæ, eaſdem emolliendo auferre poterit, cum nec caſeoſam, nec butyroſam ſubſtantiam ipſis coacervandis contineat: vnde Aëtius ad tophos diſſolvendos lac aſininum præbet, & nephriticos præſervandos, Et potiſſimum cum idem in quartanis, ab humore exuſto, etiam abſque vlla hecticæ ſuſpicione, lac aſininum aut caprinum, ab heminis tribus vſque ad ſex, purgationis cauſa propinaverit; quinimo & frigidum inſtante acceſſione ad heminas duas, tanti fecit ipſam exuſtionem. *Idem Conſult.* 57. *cent.* 2.

XIV. *Galenus* 10. method. 11. Balneum tepidum proponit in hecticæ progreſſu, ſicut tepidum, deinde vero frigidum, dum vires valde debiles & corpus gracilius ac emaciatum fuerit: Qui Balnei poſtremus modus, utpote tutior, à nobis eligi ſolet, nam humiditas aquæ tepore facilius inſinuatur, & detinetur ſi illico affatim ſuperaffundatur frigida: Demum poſt levem linteis mollibus & deterſionem & exſiccationem, inungimus oleo amygd. & violar. miſtis: toto abdomine vng. roſac. Meſ. illito: Præterquam quod à tepido Balneo facilior quoque redditur alimentorum diſtributio: Efficacius reddetur alteratum fol. malvæ, violar. nymph. &c. *Idem lib. de Febr. cap. de Hectica primi gradus.*

XV. *Balneum*, ut quod maxime totum corpus humectat, alimenti quoque diſtributionem valde adjuvat, ſi fiat cibo iam concocto, ſicut ſtatim à cibo parit cruditates, & à longa inedia vires diminuit: Quare tribus horis a lacte aſſumpto in Balneum duci poterit patiens: *Fortis lib. de Febrib. cap. de*

de Hectica ſecundi gradus: A Balneo autem dormiendum non eſt, ſed potius alimentum aſſumendum: Ideo *Galenus* 14. meth. 5. a balneo lac exhibet imbecillioribus. *Idem.*

X V I. Juvenis gracilis ex ardente febre in hecticam lapſus eſt, ſiccitatem morboſam conjunctam habentem; citra opem præſidia trita expertus eſt, tandem Balneo, admiata olei quantitate, reiterato convaluit. *Zacutus Prax. adm. lib. 3. Obſervat. 35.*

X V I. Habui Hecticum in curatione diu, qui tabidus nec balneo, nec lacte, nec alijs potuit reſtitui: Tandem ad Ranarum uſum (aquaticarum) acceſſi, ſtillatitiam aquam ex illis extractam in Balneo mariæ, cum ſyrup. violaceo permixtam, pro quotidiano potu bibendum obtuli, Eas elixas cum oleo, ſale, ſaccharo & ſalſamentis edebat: Sæpe utebatur jure albo, facto ex illarum carne contuſa, cum amygdalis, lacte, butyro, hordei farina, ſaccharo, vitellis ovorum, cinnamomo: Sic gubernatus æger, trium menſium ſpatio priſtinam recuperavit ſanitatem. *Zacutus Pr. A. lib. 3. Obſervat. 36.*

X V I I I. *Hectica cum putrida* complicatæ exemplum & ſigna tradit *Galenus* 10. method. m. quinto, & primo de Febr. cap. 10. Hanc cognoſcere laborioſum, maxime ſi putrida ex continuarum ſit genere: Curatio difficilis, nam Hectica refrigerantia & humectantia: Putrida reſerantia & abſtergentia expoſtulat: Difficilioris curationis ubi cum febre pituitoſa complicatur, ob diverſas indicationes, hæc enim calefacientia efflagitat, hecticæ contraria: Quidam Tertiana notha diu correptus, tranſacta acceſſione, cæteræ corporis partes temperatiores erant, arteriæ vero loca calidiora conſpiciebantur: Hic ob fixum in ſolidis calorem ſenſim extenuabatur, calor enim hecticus de novo introductus, ob durationem adeo ſe in ſolida inſinuaverat, ut abſumpta humiditate corpus tabeſceret: Ideo curavimus putridam purgatiunculis, aperientibus, & hæc acceſſione ceſſante, vel remiſſiori, propinavimus: Pro Hectica lac dedimus caprinum; obfuit multum, nam ex eo corrupto febris aucta, aphthæ in ore ortæ: quo abſtinentes Balneum conſuluimus, & interpoſitis duabus horis ptiſanam obtulimus: hinc ſanus evaſit, quod auxilium putridis febribus convenire oſtendit *Galen.* pluribus in locis: De curatione Putridæ cum Hectica Vide *Theodoſium Epiſt. 35. Zacutus Pr. Adm. lib. 3. Obſerv. 37.* Ejuſmodi febris complicatæ curatæ exemplum, vide apud *Riverium cent. 2. Obſ. 12.*

X I X. Quia difficillima in hoc caſu evadit alimentorum diſtributio, ideo Frictiones manibus oleo amygdal. inunctis, quatuor horis ab aſſumpto cibo adminiſtrari ſolent, corporis cutem manibus inunctis contrectando atque humectando: Ab aliquibus quoque Picationes inſtitui ſolent, quas nos reprobamus utpote nimis reſolventes. *Fortis.*

X X. Si contingit Hecticæ febri Luem complicari, curandum ſtatim ut Lues debelletur, quo febricula quoque, cum cæteris Luis ſymptomatis auferatur, antequam æger vere tabidus evadat: Et licet intentionibus implendis obſtet totius atrophia, difficultatem tamen, at non impoſſibilitatem id infert: Qualitas autem hujuſmodi cum ſit occulta, alexipharmaca requirit ut extinguatur, quæ tamen ſola non ſufficiunt, ſed exſiccantia præterea in manifeſtis ſint oportet; Nec validis purgationibus tolli poteſt, ut falſo quidam crediderunt, & longe minus laborantibus partibus ſolidis: Quare ad Guaiaci medullam, tanquam ad ſacrum & tutum alexipharmacum eſt confugiendum: quod licet calidum & ſiccum gradu ſecundo, oleaginoſum tamen & pingue, dummodo odorum, recens & nigrum ſit: cui addenda quoque ſalſa, ut quæ parum aut nihil calefaciat, & humores non modo congelatos verum & exſiccatos emolliendo, attenuet atque fundat: China quoque admittenda, cui tamen parum aut nihil fidimus, cum citiſſime eximias ſuas vires amittat: Nec ab horum uſu nos deterreat inſignis totius gracilitas, cum animos addant Cardanus, qui ſolo jure ex Guaiaco parato febrem gallicam duplicem tertianam curavit: Sed magis *Scholzius*, qui tabidum gallicum decocto gaiaci & ſalſæ ſanavit, prout hecticum alium *Solenander*, quod tamen noſtra non ſemel experientia confirmatum vidimus: De modo autem cogitandum cum ſudorem quoque, ad materiam putridam ſolidis partibus infarctam, attenuandam, emolliendam atque educendam neceſſarium exiſtimemus: Decoctum itaque primo paretur quod nutriendi facultatem obtineat, ℞. *Salſæ el.* ℥j. *medullæ gaiaci, chinæ rec. ana.* ℥ß. *aq. ſtillat. acetoſ. borrag. una.* ℔ j ß. *miſce f. infuſio per horas xxiv, deinde adde dimidium pulli junioris, bulliunt lente, & cum operculo, ad conſumptionem dimidij*: colatura ſervetur pro 2. vicibus, hora una ante ſudorem ſumenda, Inde ℞. *reſiduum, fol. rec. endiv. borrag. acetoſ. ana. man. ij. aqu. opt.* ℔ x i j, *pulli junioris dimidium, miſce bulliant ad conſumptionem quartæ*, deinde MB. diſtilla, ut fiat ſtillatum pro potu conſueto: Tranſacta unica hora à ſumpto cibo, ſedeat patiens in labello aqua cal. pleno, malva, meliloto & mercurial. ſive parietaria alterato, & linteis ſuperpoſitis cooperto: ita proliciatur ſudor ut minus gracilitate officiat, atque materia putrida, Lue infecta, ſolidis partibus inhærens, craſſefacta emolliatur atque liquetur, & ita mox facilius educatur in hypocauſto, quod v i i j. poſt diebus ſubire debet, exigua tamen ineo mora, prolecto potius in lecto ſudore, rurſuſque aliis viij. diebus tranſactis, ad labellum deſcendat, & alternatim ſic proſequatur ad 40. uſque diem: Sudandi modus iſte reſpicit gracilitatem corporis; & duplici ratione materiam infectam educendam: quæ ſi craſſa ſit reddita, humectatione eget ut dimoveatur, cumque & ipſa pituita craſſefacta ſit quoque humectanda, ut facilior ad motum & evacuationem reddatur, prout notavit *Trullianus* à *Galeno* edoctus; qui ideo anheloſis copioſum potum exhibebat: At quoniam putrida hujuſmodi infectio omnino exſiccationem indicat, ideo in hypocauſto ut alternatim ſudet patiens neceſſe eſt. *Fortis lib. de Febribus p. m. 76.*

X X I. Balneo ut melius aſſueſcat æger, vaporem primum experiatur linteo implicitus, & à quatuor robuſtis hominibus ſupra labrum detentus, eo ſitu ut facile reſpiret, & corpus reliquum bene obvolutum per lintei raritatem Balnei vaporem ſentiat: Quum id aliquoties repetitum fuerit, & intermedia quiete homo vires ſatis reſumpſiſſe videbitur, aquæ immergatur & in ea pro virium ratione moram trahat: Obſervent diligentiſſime miniſtri ut nulla corporis agitatione æger fatigetur, ſed ita molliter tractetur, ut nullus ei ſit labor dum, aut e lecto ſurgit, aut labrum (lecto proximum) ingreditur, aut ab eo exiens lecto ſeſe accommodat: Neque

opus eſſe video, hac præſertim ætate, ut in frigidum ſolium à tepido immittatur æger: quippe frigida nervos, non ſatis carne munitos peſſimè afficit; nec niſi carnoſis ac juvenibus, æſtate media, (quando affectui competit) unquam præſcribi debet: ſatius eſt corpus ſuaviter inungi oleo roſaceo aut nenuphatino. *Ioubertus lib.* 2. *Practic. cap.* 1.

XXII. In Hecticis experientia comperi nihil utilius Epithematis ardorem pulmonum & thoracis obtundere: nam cum pulmones minus calent, aërem attractum minus calefaciunt: obtunditur ergo frigidis & humidis; Ex humidis igitur parantur, quæ à me primum inventa, ex oleis ſcilicet, & aqua hordei mundati, leviter cocti, ne lentore obſtruat & evacuationem impediat; fit etiam ex decoctione quatuor ſemin. frigidorum, cucurbitæ decocto &c. *Rondeletius Pr. pag.* 1108.

XXIII. *Galenus* 10. method. cap. 8. æſtatis tempore, aëre exiſtente calidiori, ægrum degere præcipit in loco ſubterraneo, qui frigidiſſimus ſit, maximè perflatus & ad Septentrionem vergens. Quo ſolo remedio nos Hecticum, extrema macie confectum, intra menſem reſtitutum vidimus: Quando verò aër frigidiſſimus eſt, eum admittendum præcipit *Galen.* quatenus reſpirando attrahitur, ut qui calorem cordis maxime refrigeret; quamvis minime conferat qua extrinſecus ægrum contingit, ne tranſpiratio prohibeatur: Adverte tamen ſi Hectica fuerit ex ulcere pulmonis, aërem frigidum non convenire ratione ulceris, ſed temperatum in activis &c. *Riverius*,

XXIV. Pro *Balneo* oleum olivarum quibuſdam commendatur; Verum ſciendum eſt ſi adſit febris Lenta, hoc neqnaquam eſſe adhibendum, non modo enim nihil adjuvat, ſed & plurimum lædit: Cæterum in hectica febre, niſi putridam habeat conjunctam, prodeſſe nemo artis peritus ignorabit. *Fr. Hofmannus m. m. p.* 308.

FEBRIS HEMITRITÆVS. HORRIFICA.

SYLLOGE.

Præparatio *humorum qualis eſſe debet.* 1.
Inflammationi *ſæpe comiti quomodo ſuccurrendum.* 2.
Venæ ſectio *an conveniat.* 4.
Abſinthio *quando locus.* 5.
Victus ratio ſit accurata. 3.
In Horrifica *quo tempore remedia adhibenda.* 6.
Vero qua Diæta *conveniat.*
Olera *an conveniant.* 8.

I. IN *præparatione humorum* eo ordine eſt procedendum, ut prius præparetur & minoretur bilis, mox pituita; viciſſim tamen & alternatim, ut tantundem bilis quantum pituitæ, utpote æqualiter peccantes, præparentur atque evacuentur; Verum, quod potiſſimum eſt, non ſunt miſcenda ſimul, uno eodémque tempore, præparantia bilem atque pituitam, ac ſi miſti eſſent humores, ut in Tertiana notba fieri ſolet, Vtque decepti multi faciunt; ſunt enim hi diverſi atque contrarij, duobus in locis putreſcentes, quibus vno eodemque medicamento, ex calefacientibus & refrigerantibus compoſito, vtrumque præſtare minime poſſemus. *Fortis lib. de Febrib. p. m.* 27. Conducit præſertim Julep acetoſum, vtrumque humorem reſpiciens, vt quod bilem in pituitam, & hanc in bilem vertat. *Idem.*

II. Symptomata commonia ſunt inflammationes, internæ vel externæ; quibus, cæteris omnibus poſthabitis, eſt ſuccurrendum. Et ſi Internæ, revellentia, repellentia, & alterantia conveniunt, & ideo Sangu. miſſ. ſubſtypticorum appoſitione, & internis refrigerantibus opus erit; Si vero *Externa*, ex humorum metaſtaſi, aut criſi per decubitum à natura procurata, Sive materia, ex continuato decubitu diuturno, ad partem aliquam attracta, hæc quam maxime à Medico erit obſervanda, à diverſionibus abſtinendo, tum ſanguinis miſſione, tum medicamentis, præcipue purgantibus procuratis: ſed levioribus præparantibus, alterantibus & clyſteribus inſiſtendo; Interim Chirurgo partis recipientis cura incumbit, ne inflammatio in gangrænam migret, nativo totius & partis calore in febre diuturna imbecilli reddito. *Idem.*

III. *Victus ratio* non adeo facilis eſt, unde dicebat *Celſus*, quod ſub errore perpetam cibati ægri facile moriuntur: & ideo ſubdit, quod talis eſſe debet ut non incitet febrem, ſed longum ejus ſpatium ſuſtineat: Sic die alterius paroxyſmi copioſior cibus exhibendus, ſequenti vero parcior: memores quod error maior committitur in tenuiori quam in paulo pleniori victu: *Idem.* Fructus ratione corruptionis in ventriculo vitentur. *Gainerius de Febr.* Pariter lactuca, portulaca, cucurbita. *Idem.*

IV. *Venæ ſectio* parcè inſtituatur, ob copiam crudorum humorum in venis, & bilioſorum in primis viis: *Sennertus lib.* 2. *cap.* 20. Et ob morbi longitudinem. *Rudius.* Maxime ſi febris futura ſit acuta, niſi ventriculi cruditas, aut cibi plenitudo impediat. *Rondeletius.* Imo vires ſymptomatum vehementia ſic affliguntur, vt de venæ ſectione vix liceat cogitare, niſi ingens ſanguinis copia ſit, & ſymptomata parvi momenti: *Mercurial. lib.* 5. *cap.* 15. Venæ ſectione omiſſa ſuccorum ſubſtantia fervidior fiet, aut præ nimia plenitudine crudior. *Mercatus lib.* 6.

V. *Abſynthium* ne detur ante coctionem, quia nauſeam infert, humoribus in ventriculo commotis. *Rudius l.* 3. *c.* 33.

VI. Ex qualibet putredine rigores horroresúe excitari vbivis tradit *Galenus*: In ſuppurationibus Rigores accidere, *ait* 2. Progn. 58. & 2. aphoriſm. 47. In Progn. autem, *Malignis vlceribus, aut cuilibet putredinoſa affectioni, rigere & febricitare contingit*: Nec vero humores ſolum, ſed & vapores putridi rigere faciunt & horrere, 10. method. 4. Sic halitus maligni, acres, mordaces, à materia venenoſa elati, partes nervoſas pungunt, quos, utpote à natura alienos, hæc expellere ſatagens, pugnam movet, refugit & contrahitur, hinc horror, & à fortiori cauſa, rigor: Quare Medici acceſſionem horrificam putantes, in initio remedia prætermittunt, quum hæc inordinata horripilatio, à fervore & interna putredine profecta, etiam vigente febre affligens, illorum poſtea ignorantiam patefaciat: quo pacto hujuſmodi rigor in continuis accidens, humorum malitiam internam oſtendit, ideo auxilia in medio rigoris fervore adminiſtranda: ſi enim ea

præ-

præteremittas, ebullientibus ſuccis, venenata qualitate affectis, ægros, ſubortis venenoſis ſymptomatis, certo perire eſt neceſſe. Sic multos mori vidi, quibus initio morbi auxilia interdicta ob hanc cauſam, qui in augmento morbi, sæviente interna putredine, & victo interno igne, occubuere. *Zacutus Pr. Adm. lib. 3. Obſervation. 19.*

VII. *Hemitritæum Verus*, nempe Quotidiana Continua, & Tertiana interpolata Victum expoſcit ſubtiliorem quam qui febribus interpolatis convenit, craſſiorem vero quam continuis ab uno ſimplici humore, cum ſingularum qualibet longior ſit; Cumque naturæ duobus qualitate & ſubſtantia contrariis humoribus pugna ſit, viribus & tempore indiget ut ambos vincat: utriuſque igitur cauſa, nempe ut ad longum ſervetur tempus, & ut vires contra utrumque hoſtem habeat, ampliori opus habet alimonia: Oportet ergo aut ſimul ea miſcere cibis quæ peccantis humoris qualitates reprimant, & contrariarum ſunt qualitatum, aut cibis uti temperatis; Ea quæ alterum illorum ſolum reſpiciunt adminiſtrare non licet, nam utriuſque febris Medicus ſit ſollicitus oportet; *Cibum* dico *temperatum*, quia naturali calido ſolum patitur: hunc Hemitritæo laborantibus idoneum non eſſe ex eo intelliges, quod ſanguinem, qui ab eo in febribus generatur, vitioſæ fore qualitatis neceſſum ſit: Nam in Tertiana febre, ob bilis putreſcentis calorem & acredinem, pars effectiva ſanguinis extra naturalem temperiem eſt, nempe calidior & ſiccior: quapropter cibus temperatus, ob id quod a naturali calore ſolum patitur, nec particulæ intemperiem contrariis qualitatibus valet corrigere, eidem adhicietur, quare ſanguis qui ab eo generabitur calidior & ſiccior evadet, pro viſceris intemperie, qui ſtatim brevi momento in bilem vertetur: Simile judicium in febre quæ a pituita, corpus præter naturaliter humectum efficiente, ortum habet; quare miſcenda ſunt in cibo quæ contrariarum ſunt qualitatum, aut id accipiendum in quo utraque qualitas reperiatur, quod magis probo: quod ſi præter hæc ſociſſivum ſit, ante alia eligendum: Simplicium medicamentorum unum eſt Acetum, quod præfatis ſit facultatibus inſigne: Utrique enim convenit humori, partibus inſuper tenuibus præditum eſt, quibus incidit: ſin id cum abſtergente quopiam miſcueris, habebis id quod quærimus: Moderate abſtergentium Zucarum unum eſt, quod febricitantibus plus convenit: Quare mixtionem ex Zucaro & acri aceto, quam ſyrupum acetoſum Medici nuncuparunt, hemitritæo maxime convenientem eſſe putato, quo uteris in hunc modum: ℞. *thymi*, *petroſelini*, hordei ab uno cortice exuti ana. man. j. paſſular. enucleat. man. j. corticem unum raphani acris, ſalis parum, bulliant cum pulla craſſa q. ſ. Huius decocti accipito lib. t. ſyrupi acetoſi acris, ad palati tolerantiam, iterum bulliant quouſque miſceantur, dato ut bibat cum oportuerit, ex reliquo fac ſorbitionem, Hac utere ante acceſſionem vehementiorem, & in ejus inclinatione; in die vero mitiori eiſdem utitor, pullæque extremitates ægro miniſtrato. *Brudus de victu Feb. lib. 3. cap. 24.*

VIII. Quidam ex *Arabibus hemitritæum* patientem alit in die acceſſionis cucurbitis, ſpinachiis, atriplicibus & ſimilibus: ſed errat, quantum ſentio, duplici ratione, una ab ipſa *natura corporis* deſumpta; altera ab ipſo cibo: Hora qua natura intenta eſt ſeparationi, frigida non ſunt exhibenda cibaria, ne naturæ obſtent, & expulſionem periodicam, quæ ab internis ad exteriora fit, ad contrarium repellant, poróſque occludant, quorum cauſa paroxyſmus longior efficiatur, ut ijs qui diligenter cibariorum naturas, quid horis ſingulis valeant efficere ſcrutantur, manifeſtum eſt: Iis adde cibos qui ex oleribus parantur, corruptioni obnoxios eſſe, eo quod aquoſum generent ſanguinem, qui promptiſſime calorem extraneum concipiat: Prudentis conſilij igitur non eſt hujuſmodi cibos tunc miniſtrare, cum cauſa corrumpens validior eſt. *Idem ibidem.*

FEBRIS HUNGARICA.

SYLLOGE.

An arteriotomia *conveniat* 1.
Sanguis *an* mittendus. 4.
Purgatio *prudenter inſtituenda.* 2.
Frigida *an præbenda.* 3.
Cucurbitulæ *ubi admovendæ.* 5.
Die decretorio per temulentiam ſanata. 6.
Vomitoria *ipſo ſtatim initio exhibeantur.* 7.

I. OBſervavi interdum quædam excreta, mole parva, attamen vi magna fuiſſe, ac ægros liberaſſe: Id evenit quamplurimis dum peſtilens illa febris, quam Hungaricam appellant, graſſabatur anno 1572. Manabat ſanguinis ſubſtilium e naribus exiguum, verum illud erat purpureum roſeóque fulgore micans, merus namque ſanguis erat arterialis, nimia flamma incandeſcens; ita illi evadebant; Unde ſæpe mecum cogitavi non ſalutariter in his arteria aperiri poſſet, Sed quis audeat? Doctiores hac de re judicent. *Heurnius comm. in aph. 23. t.*

II. Quidam miſſo ſanguine, & apparente humorum turgentia, ad cor potiſſimum, *purgans* exhibent medicamentum, ut Electuar. de ſucco roſat. vel roſ. Meſ. cum flore caſſiæ, ſero copioſo ſuperepoto: Verum hoc magna indiget præmeditatione, ideo *Celſus* in huiuſmodi febre curanda dicebat, Non facile ſanguinem mittere, non facile ducere alvum, non cruciare vigilia, fame aut nimia ſiti convenit: Quod ſi purgans præbendum videtur, id fiat die ſecundo, aut ſummum tertio: primo, quoniam ultra ſecundum diem humores non amplius turgere ſolent: & præterea, quoniam progrediente putredine vires deficiunt, unde dicebat quidam, Cui vita cara eſt, tranſacto tertio die à purgatione, omnino à ſanguinis miſſione abſtineat: *Idem.*

III. Ubi viget effervescentis febrilis, *Celſus* in hiſce febribus frigidam quoque potionem præbebat, tranſacta tamen tertia die, & expectata aliqua humorum concoctione: Nos vero libenter eam omittimus, ob virium imbecillitatem, ac caloris nativi labefactationem, ob veneni præſentiam, qui facile obrueretur, Quæ præterea prohibetur à ventriculi dolore non ſine tumore: quare tutiorem cenſemus uſum aquæ rubio ſtillat. refrigeratorium. *Idem.*

IV. Monet *Celſus* 3. de re med. in hac febre, etiam cum aliqua temeritate remedia eſſe adhibenda, ſtatuitque optimum eſſe *ſanguinem mittere* ſi vires conſtent; adeſt enim plenitudo in venis, & natura a ſarcina exonerata, facilius quod reliquum eſt ejicit & vincit: Parcior tamen debet eſſe ſang. miſſ. ob veneni præſentiam, & habita futurarum virium ratione. Locus autem ſit vena pedis, ut fiat à capite revulſio, *Galen.* lib. de ſcarif. exemplo, qui in febre peſtilenti per crurum ſcarificationes libram ſanguinis ſibi mitti juſſit. *Fortis.*

V. Quarta transacta die convenire poſſunt *Cucurbitulæ* ſiccæ, quinimo & ſcarificatæ, ſanguine redundante & conſtantibus viribus: applicentur autem non ſolis infernis partibus, ut quibuſdam conſuetum, verum & dorſo, cum non ad profunda, ſed à profundis attrahant: Omittantur tamen ſi abſceſſus quiſpiam ad aliquam partem apparere inceperit: *Idem.*

VI. *Lucas* N. anno 1656. menſe Aprili Hungarica febre correptus graviter decumbebat, ſed cum à nobis Natura ejus fortis medicamentis idoneis adjuvaretur, quotidie majora concoctionis ſigna circa urinam animadvertimus; tum ille xiv. morbi die, hora veſpertina, à me petiit ut ipſi concederem hauſtum unum vel alterum vini Rhenenſis; cui cum, ut vino aſſueto, permiſerim, ille non tantum hauſtibus, ſed totis menſuris illud bibebat, & ita per tres dies exhauriebat, inde quaſi e crapula dies & noctes dormiendo, copioſiſſime ſudabat, & vix non ſudore diffluebat: experge factus interim vinum largiter ſorbebat, iterúmque ſomno ſe dabat, donec tandem morbi die xvij. viribus poſt ſudorem recollectis, eóque ceſſante, ad ſe rediit: Suffragatur nobis hac in parte D. *Sachſius* in Ampelographia, Non ſemper ægris denegandum eſſe vinum, modo abſque inſigni noxa fieri poſſit, ſi avide expectatur, cum in hoc gratia Medici conſiſtat: (Vide *tit. de Febrium Diæta* §. 12.) *Simon Schultzius Ephemer. German. anno 3. p.* 266.

VII. Quidam in febribus Hungaricis Infuſum croci metallorum in principio exhibent, antequam fermentum febrile ſeſe penitius inſinuet: Sed citiſſime per *Vomitus* curari volunt, cum in caſtris ex mala diæta ut plurimum ſuam trahant originem, Sed Medicus ſtatim in principio exhibeat neceſſe eſt. *Fridericus Hofmannus Clavis Schrod. p.* 301.

FEBRIS LASSITUDINARIA.

SYLLOGE.

Vacuandum *exactè.* 1.
Curatio *à nimio exercitio orta.* 2.

I. MAxima præcautio eſt in febribus gravioribus, difficiliſque judicationis, quales maximè ſunt Laſſitudinariæ, vacuare ſatis inter initia, Ne abſceſſus, qui in talibus, ſi facultas fortis eſt, meritò expectantur, poſt aures, aut ad articulos, aut aliam particulam, quam contigerit eſſe debilem, fiant adeo magni ut hominem interimant, cum videretur à morbo præcipue liberatus: aut partem corrumpant, ut nonnunquam oculum, aut manum, aut pedem: *Valleſius meth. Med. lib.* 2. *cap.* 13.

II. Multiplicem eſſe Laſſitudinis ſpeciem docet *Galen.* Earum cauſa varia, ſed manifeſta, quando à nimio labore excitatur: tunc enim ſpiritus incenduntur, attenuantur humores & igneas fuligines cordi communicant, Ob exercitium validum incidit quidam in ardentem febrem, ob quam Medici multoties venam ſecandam imperant: Accitus phlebotomiam vetui, refrigerantia obtuli, ſomnum & quietem procuravi: his celebratis febris ex toto remiſſa; Nam ut rectè *Hippocrat.* lib. de nat. hum. *Morbos quos fecit labor curat quies, & eorum contrarietas. Zacutus Pr. Adm. lib.* 3. *Obſ.* 21.

FEBRIS LENTA.

Oritur a mala Sanguinis diatheſi.

INter febres ſymptomaticas refertur quæ vulgo *Lenta* appellatur: qui hac laborant plus debito incaleſcunt, præſertim a paſtu, motu quovis aut exercitio: urina plerunque rubicunda eſt, ſpiritus ſunt debiles, & vires dejectæ, circa appetitum & ſomnum ſe mediocriter habent, tuſſi aut ſputo copioſo carent: verum in dies, tabidorum inſtar, & nec cauſa manifeſta emarceſcunt: Vitium plerumque adſcribitur obſtructionibus in viſcere quodam, cujus culpa alimentum non bene coquitur, nec ritè diſpenſatur: Videtur autem mihi quod hujuſmodi affectio immediate fundatur in mala ſanguinis diatheſi, qua in temperiem nimis ſalſam & acrem vergit, ideóque nutritioni & æquali circulationi minus aptus redditur: Etenim ſanguis in corde, non ſecus ac oleum in lampade, ſi particulis ſalinis nimium redundet, non placide & æquabiliter, ſed cum crepitu & magna partium evaporatione accenditur, quo quidem citius diſpenditur, & flammam nonniſi languidam & imbecillam exhibet: Quendam tali morbo defunctum olim aperui, in quo viſcera coctioni dicata ſatis belle ſe habuerunt, Pulmones vero erant exſucci & aridi, necnon materia ſabuloſa inſtar cretæ per totum obſiti: Non rarò item in hoc affectu meſenterium glandulis tali materia argillacea repletis obſidetur: Verum verò ſanguis ſalſior factus ejuſmodi viſcerum affectiones primò intulerit: vel an viſcerum dyſcraſia ſanguinem prius infecerit, incertum eſt: Probabile eſt quod alterutra affectio ab altera dependeat, & mali utriúſque cauſæ reciprocæ fuerint. *Thomas Willis l. de Feb. c.* 11.

FEBRIS LEIPYRIA.

SYLLOGE.

Curatio Hippocratica *per frigida admota eſt methodica.* 1.
Aliter curanda Leipyria Arabum, *aliter* Græcorum. 2.
An orta ab humore maligno frigida exhibenda. 4.
Sorbitio quando danda. 5.
Epithemata *cardialia noxia.* 2.
A ventriculo inflammatoria, cucurbit. parti admota curatur. 6.
Villus in Leipyria Arabum. 7.

I. HUjus febris curatio ab *Hippocr.* propoſita l. de Aff. v. 107. (*Hunc conducit,* ait,

ait, frigefactoria adhibere, & ad alvum, & forinſecus ad corpus, cavendo ne inhorreſcat) primo aſpectu ſatis inepta apparet, frigefactoria, h. e. medicamenta actu & potentia frigida exterius admoveri jubens, cùm noxia ſummè videantur æſtuantibus internis, & frigentibus exterioribus: ea enim exterius adhibita calorem intus revocant, unde morbus augmentum ſuſcipit: At hoc remedium ratione minimè caret: nam quoties biliosus humor in interioribus flagrans, extremorum refrigerationem facit, non autem caloris innati penuria, frigida exterius admota nihil obeſſe poſſunt; imò ſæpius repetita, vi refrigerandi internis partibus a parte poſt partem communicata, internum bilis fervorem extinguere poſſunt. Nec timenda eſt caloris retractio, quia hanc facit frigidum multum & confeſtim adhibitum, non quod paulatim admovetur & frigiditate non intenſa præditum, quale hoc caſu uſurpandum eſſe ſupponit, dum horrorem caveri præcipit: Experientia confirmare poſſum Præceptoris authoritatem: Obſervavi enim taliter affectos, quò magis calefactoriis ad naturalem ſtatum reducere procuramus, eo impenſius refrigerari: Præ aliis id vidi in N. quem ex febre ardente externis partibus ſummè refrigeratum, poſtquam adſtantes per totam diem pannis laneis, & pellibus pelliceis extremè calentibus, toti corpori adhibitis calefacere tentarunt, veſperi tamen frigidiorem quàm ante invenimus: ratio eſt, Quia ſi hujuſmodi refrigeratio ex penuria humidi ſubſtantifici & ſpirituum defectu proveniat, ſi dum calefactorijs ad ſuperficiem trahere & humidum & calorem intendimus, illum diſſipantes exhaurimus, quid mirum ſi corpus inde impenſius refrigeretur; & ſi hac ratione calefactoria lædunt, eo magis ſuſpecta erunt quæcunque plus diſſipare poſſunt quàm calefactoria, verbi gratia frictiones & cucurbitulæ, quæ ſunt in frequenti uſu pro curatione harum febrium. *Proſp. Martianus comment. in v. 107. lib. de Affectibus.*

II. Error eſt Medicorum qui ubi in febribus Continuis exteriora frigent, aut tepida ſunt, ſtatim abſque ulla diſtinctione ad cordialia confugiunt, epithemata &c. cordi admoventes, aliáque exhibentes quæ plurimum ſpirituoſæ ſubſtantiæ, cordis actionem roborando, producere queunt: Quæ quidem in refrigeratione extremorum, ab interno æſtu ſanguinem & ſpiritus ad interiora convocante, tantum abeſt ut quicquam auxilij præſtent, ut ſummopere lædant: quia ſi localia reſpicimus, in his dupliciter peccant, Primo, Quia calidis & actu & potentia utuntur, quæ & actu & potentia frigida eſſe deberent: Secundo, Quia his mediantibus copiam augent ſpirituum in partibus internis, quæ minuenda eſſet. Quia dum ſpiritus vitales per totum corpus diffuſi, vi caliditatis ad interiora convertuntur, ibi adeo abundant ut ſuffocationis caloris immineat periculum: hancque ſpirituum abundantiam manifeſtant pulſus magni & celeres, qui deficientibus iiſdem parvi, rari & intermittentes apparent: quare ſpirituum generationi incumbere in his, nihil aliud eſt quàm imminens periculum ſuffocationis ſpirituum vitalium in corde, ad certam calidi innati extinctionem perducere: quare ſpirituum vitalium generationi tunc ſolum incumbendum præfatis medicamentis quando ſpiritus deficiunt, quod cognoſcemus ex pulſu: Ideo dicta medicamenta cordialia tantummodo uſurpanda erunt in ea refrigeratione quæ ab immodica ſpirituum diſſipatione aut corruptione ortum ducit: *Idem commentario in verſum* 104. *ejuſdem lib.*

III. *Avicennas Leipyriam* inter Pituitoſas recenſet, utrum pituitæ vitreæ adſcribens, dum ab ea putreſcente vapores craſſi elevantur, qui nequeunt ferri ad exteriora & illa calefacere: Aut quia in partibus externis frigidi adſunt humores, qui à pituitæ in alio putreſcentis calore non poſſunt calefieri: In hujus curatione utitur ſyrupo aceroſo, oxymelite tum ſimplici, tum diuretico, ad humorem craſſum frigidúmque incidendum & præparandum: Purgat aloë, hiera, rheo; brevi, curationem Epialæ inſtituit: A *Galeno* inter ardentes recenſetur, eaſque malignas, fieríque dicit ab inflammatione vel eryſipelate interni alicujus viſceris: *Hippocrat.* quoque inter ardentes numerat: ſed quælibet ardens non habet hoc ſymptoma, at ea tantum quæ maligna eſt & peſtilens; *Galenus* malè ad phlegmonem vel eryſipelas viſcerum retulit, cum plurimas malignas febres viderim, in quibus exteriora tepebant, interiora ardebant, nulla tamen aderant ſigna & ſymptomata viſcerum inflammatorum: Duplex igitur meo judicio cauſa eſt hujus ſymptomatis, prima eſt, cùm hujus febris natura in maligna venenatáque qualitate conſiſtat ac putredine, ſitque omnis veneni proprium cordi inſidias ſtruere, natura ut partem nobiliſſimam tueatur, illíque ſuppetias ferat, undique ſanguinem ſpiritúſque ad cor partéſque nobilis tranſmittit, unde per accidens ejuſmodi refrigeratio ſequitur: Secunda cauſa eſt, quod febris hæc fiat ab humoribus valde putrefactis in præcordijs ſtabulantibus, qualis eſt bilis æruginoſa & ſummè putreſcens, cujus occurſum cum natura ferre non poſſit, conatur per vomitum & ſeceſſum eos evacuare, ideóque viribus omnibus id contendit, fitque inde humorum ad interiora concurſus: Hic addendam cenſeo peculiarem humorum malignorum proprietatem, ut potius ad interna vergant quàm externa. Curatio hic à ſangu. miſſ. auſpicanda eſt, præmiſſo clyſtere, deinde refrigerantibus ac cardiacis utendum, ut ſucco citri, limon. granat, Cataplaſmata ex farina hordeacea, cum ſucco ſempervivi ſimiliúmque refrigerantium ſubacta, hypochondriis applicentur & ſæpe commutentur: Demum eadem huic febri quæ ardenti malignæ curatio debetur, additis à proprietate malignitati reſiſtentibus: Notandum autem ex *Hipp.* 2. de morb. & l. de Aff. Solis ſorbitionibus utendum dum febris deſierit: in potu exhibendam mulſam dilutam, ſoliſque clyſteribus, non autem aliis catharticis purgandum antequam febris abierit. *Primiroſius l. 3. de Febrib. c.* 8.

IV. Alterantia quam maxime ab hac febre expetuntur, adeo ut *Paulus* & *Aëtius* frigidæ potum convenire aſſeruerint: non tamen initio, ſed in ſtatu, h. e. apparentibus ſignis coctionis: Et licet gelidam propinaverit *Aëtius* cuidam mulieri, non expectata coctione, erat tamen illa Leipyria impropria, ab eryſipelate ventriculi excitata, cujus proprium remedium gelidæ potum eſſe docet *Galenus* 9. meth. 5. Nos autem libentius in hoc caſu eligimus aliquod alterans, quod ſua quantitate calorem nativum obruere non poſſit, ſed qualitate vim refrigerandi & humectandi obtineat; cujuſmodi ſunt aquæ ſtillat. ex ſuccis aceroſæ, cichor. imo & anguriæ, quæ ad ℔ j ß. propinantur, additis tribus

aut quatuor unciis aqu. ſcorzoneræ: quæ potio v. aut vj. horis a febris initio erit exhibenda: *Fortu lib de Febr. cap. de Leipyria.*

V. Ut autem facilius calor ad externas partes feratur, aut ſaltem ne ab eodem adeo graviter viſcera ſuffocentur, aut affligantur, abs re non erit tribus horis ab initio acceſſionis date, non quidem jus ſem. citri alteratum, ut perperam fieri ſolet, nihil enim tunc quod alimenti naturam habeat eſt offerendum, ſed ℥ iij. aut iv. aqu. cordial. dentur, totius citr. ſcorzoneræ, & Saxon. potione alterante mox, ut dictum, exhibita, & ab ea, duabus aut tribus tranſactis horis, Sorbitione; nimirum ex jure alterato cichor. borrag. endiv. pentaph. & torment. additis ſyrup. de acido Citri & de ſucco limon. nec non convenienti portione juris alterantis. *Idem.*

VI. Internam in ventriculo inflammationem patiebatur robuſtus miles, qui ex potu generoſi vini vehementi dolore in regione ventriculi cruciabatur, cum vomitu bilioſo, lingua aſpera, pulſu duro, totius corporis algore, ut ſyncope correptus in horas moriturus videretur: Cum nullis auxilijs malum cederet, ad reſolutionem humoris in parte affecta contenti, cucurbitulam magnam cum multa flamma impono, eámque mediocriter ſcarifico: hoc levatus eſt dolor, febris remiſſa, evanuit delirium, & omnino ſublato dolore in declinatione expurgatus convaluit: Cum corpus exquiſitiſſime eſſet vacuatum, metus non erat de attractione humoris ad partem: Supra cor cucurbitulam imponit *Galenus* l. de rem. fac. par. c. 6. ſupra hepar. 13. l. m. m. c. 9. & lib. 11. cap. 11. Approbant *Aëtius*, *Avicenna*, *Rhaſis*, qui in pleuritide, aliiſque inflammationibus internis, vacuato corpore ad hoc præſidium tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. *Zacutus P. Adm. l. 3. Obſervat. 25.*

VII. Cum hæc Febris (*Leipyria Arabum*) ab uno ſimplici accidit humore, ut a pituita valde craſſa, quæ putreſcens exteriora non valet calfacere, aut ſuæ craſſitiei, aut levis putredinis occaſione, ad febres phlegmaticas, aut melancholicas, aut cholericas pro victu eliciendo recurrendum eſt: A ſingulis enim prædictorum humorum originem poſſe habere doctiſſimis viris placitum eſt; Unde bene dixit Arabs, Tu vero, *inquit*, non debes ad paroxyſmos reſpicere, nam poteſt eſſe quod ſit quotidiana, tertiana, & quartana, & quæ quinto & ſeptimo periodicant. *Brudus de Victu Febric. l. 3. c. 25.*

FEBRIS MALIGNA.

(Vide *Petechialis.*)

SYLLOGE.

Epidemicæ malignitas *in quo conſiſtat.* 1.
Iuxta varietatem cauſarum varianda remedia. 1. *a.*
Materiæ conditio variat curationem. 2.
An conveniat Sang. miſſio. 3.
Parca ſit in grandi malignitate. 6.
An maculis apparentibus ſecanda vena. 4.
Ad animi deliquium an ſangu. mittendus. 9.
Sanguinis miſſio *ſtatim facienda ob morbi fraudulentiam.* 13.
Venarum inferiorum *apertio utilior quam ſuperiorum.* 12.
Sanguis exiens floridus ulteriorem vacuationem non prohibet. 7.
Superveniens leipothymia Sanguinis miſſionem *non diſſuadet.* 8.
Vacuationis *per* hæmorrhoidas *utilitas.* 11.
Salvatellæ *ſectio.*
Cucurbitulæ *interdum citra* Venæ ſectionem *admoveri poſſunt.* 14.
Earum numerus non poteſt ſupplere vicem Sanguinis miſſionis. 10.
Aliquando ſunt noxia. 15.
Ubi admovenda. 5.
Laborans *Febre maligna hirudinibus anummis admotis ſanatus.* 16.
Ad delirium & phrenitidem vena frontis ſecunda. 25.
Veſicantium *utilitas.* 17.
Non ubique nec ſemper juvant. 26.
A Frictionibus *aliquando abſtinendum.* 27.
An Purgandum *initio.* 29.
Clyſteres *curent purgantibus.* 18.
Vomitoria *Purgantibus potiora.* 31.
Conveniunt maxime ubi ſopor accedit. 32.
Sudoriferorum *&* alexipharmacorum *utilitas.* 19.
Alexipharmacorum *diſcrimen penes uſum.* 20.
Unionum, gemmarum *&c. uſus an proſcribendus.* 21.
Diaphoretica *ob calorem non pertimeſcenda.* 38.
Caſpitatis ſanguinis circulatio medicamentis ſale volatili praditis eſt promovenda. 34. *a.*
Hidrotica, Salia, &c. *qua vi operentur.* 35.
Anti-febrilibus *quatenus fidendum.* 37.
Alexiteria *requiruntur cum ſanguis rutilus, ſero deſtitutus emittitur, malignitatis index.* 39.
Antimonium Diaphoreticum *qua vi agat.* 34. *b.*
Oxyrrhodinis *caute utendum.* 23.
Epithemata *noxia.* 28.
Pedum *calefactio aliquando utilis.* 22.
Topicorum *pedibus ſubditorum efficacia.* 36.
Vinum *aliquando concedendum.* 24.
Feb. malignæ *cum* parotibus *curatio.* 33.
Vomitus *ſupervenientis curatio.* 40.
Pulſum *caute contrectet Medicus.* 41.
Curandi ratio ſecundum Græcos *&* Arabes. 42.

I. CEnſeo ego malignitatem eam omnem quæ Epidemicis competit (qualiſcunque tandem fuerit ſpecifica ejus natura) particulis ac ſpirituoſiſſimis humorum, in humano corpore contentorum naturæ plus minuſve adverſantibus, conſiſtere ac terminari, quia ſolæ iſtiuſmodi particulæ humores ita ſubito alterare valent atque in *morbis* fieri videmus: Cenſeo item calidas illas & ſpirituoſas particulas aſſimilando maxime agere, cum ex naturæ lege quodlibet principium activum ſui ſimile procreare ſatagat, & quæ ei cunque obſiſtunt, ad propriam indolem inflectere atque accommodare: Ita ignis ignem generat, & maligno infectus morbo ſocium inficit, ſpirituum ſcilicet emiſſione, qui humores mox inficiendos ſibi aſſimilant, & in naturam ſuam perducunt trahuntúe: Hinc omnino ſequitur nihil eſſe prius quam ut dictæ particulæ ſudore eliminentur, hoc enim modo morbus confeſtim funditus extirparetur: At hic reclamat experientia, docétque hoc in omni malignitatis ſpecie fieri non poſſe: Quamvis enim in ipſa *Peſte* particulæ peſtilentiales, tum quod admodum fuerint ſubtiles, tum etiam quod ſanguinis partibus maxime

æ ſpirituoſis inſideant, diſſipabiles ſint, atque excitato ſudore non interrumpendo eiici queant, In aliis tamen Febribus, ubi particulæ aſſimilantes non in eam ſubtilitatem ſunt evectæ, atque etiam humoribus magis craſſis incorporantur, minera illa maligna non tantum ſudoribus diſſlari non poteſt, ſed ſæpenumero etiam augetur, quibus iſti ſollicitantur, Diaphoreticis: Quanto enim magis uſu calefacientium actuantur particulæ hæ calidæ ac ſpirituoſæ, tanto magis intenditur ea quam habent aſſimilandi facultas, quantoque etiam magis excaleſiunt humores iſti in quos agunt, tanto libentius in aſſimilantium caſtra migiant, earundem impreſſionibus cedentes; cum ex adverſo ratio dictate videatur, medicamenta illa quæ contrariæ ſunt naturæ non tantum particularum calidarum atque acrium vim inhibere, ſed etiam humores condenſare obfirmarque, quo ſpirituum morbificorum fortius ſuſtineant impetum, vel etiam frangant, Atque appellanda hic mihi venit experientia, qua magiſtra edoctus ſum, *& Purpureas Febrium maculas, & variolarum puſtulas nigras, eo promptius ſumpſiſſe incrementum quo magis caleſieret æger, Eaſdem vero pro ratione moderatoris regiminis, quod iis omnino debetur, decreſcere ſolere ac minui.* Sed qui ſit ut, cum malignitas in ejuſmodi particulis calidis ac ſpirituoſis conſiſtat, haud raro ita parca Febris ſigna conſpiciuntur, etiam in morbis ſumme malignis? Dico 1. in præcipua illa, & maxime inſigni malignitatis inſtantia, ipſa *Peſte*, abunde conſtat particulas *venenatas* ita ſupra modum ſubtiles eſſe atque aculeatas (præſertim ubi primum incipit graſſari) ut auræ ad inſtar ſanguinem pervadant, ac ſyderatis quaſi ejus ſpiritibus, nec in ebullitionem quidem illum attollant, unde æger ſine febre perit: At vero in mitiori iſto malignitatis gradu, qui in aliis Epidemicis reperitur, ſymptomata febrilia ita parum conſpicua redduntur, nonnunquam à confuſione in ſanguine atque humoribus excitata à particulis inimicis eorum in gremio concluſis; unde Natura quaſi oppreſſa non potis eſt ſymptomata illa magis regularia exerere quæ morbo competunt, at anomala ſunt *penè omnia* fere omnia ob œconomiam penitus everſam dirutamque, quo in caſu deprimitur ſæpe Febris, quæ obtinente genuino Naturæ ductu omnino vigeret; Quandoque etiam pauciora ſe oſtendunt Febris indicia quam pro morbi genio, ob metaſtaſin materiæ malignæ, vel in genus nervoſum factam, vel in alias partes corporis, vel etiam humores extra ſanguinis pomœria, dum turgeret adhuc materia morbum committens: Quicquid vero id fuerit, ne hariolari quidem poſſum quænam alia medendi methodus *Malignitati* qualicunque adhibenda ſit, præter eam quæ *Epidemice*, cui inhæret, debetur: Ita ut ſive Epidemicus de eorum ſit numero qui primo concoctionem materiæ febrilis, mox eiuſdem ritè diſpoſitæ eliminationem per ſudores ſibi quærunt; vel etiam eorum qui ab Artis præſidio viam ſibi aperiendam præſtolantur, in ſingulis his, inquam, generalibus *Malignitas* morbi comes, cum ipſo morbo ſtabit cadetque, pari uſa fortuna, & pari etiam paſſu recedens: atque ea conſequenti, quæcunque Evacuatio Febri in genere competit, eadem & malignitati debetur, quantumlibet evacuationes iſtæ ſibi invicem fuerint contrariæ: *Malignitati* itaque iſti quæ *Febres autumnales intermittentes* comitatur, ut & *Febrem continuam*, quæ ejuſdem eſt indolis, medebitur *Diaphoreſis*; quæ concoctionem ſubſequitur, ceu ejus effectum: *Variolarum* malignitati ſubveniet tempeſtive Abceſſulorum maturatio, atque ita de reliquis; in quibus omnibus peculiaris malignitatis ſpecies, iſtis præſertim modis ac methodo illa optime ſuperatur quibus libentiſſime cedunt peculiares iſti morbi ad quos illa ſpectat, ſive hac methodo procedendum fuerit ſive illa: Hoc mihi dictat ratio, niſi pro Iunone nubes; atque etiam huic Experientia jugiter ſuffragatur. *Sydenham Obſervat. in Acut. pag. 364.*

I. a. Variæ ſunt *differentia malignarum febrium*: neque poſſumus determinare a qua cauſa fiant, niſi diſtinguamus differentias, deinde ſigillatim inquiramus remedia: Valeant igitur Medici qui conantur afferre unam cauſam harum febrium, cùm tot ſint cauſæ quot malignitatis differentiæ: Medicus igitur ut inveniat remedium, cauſas ſpecificas prius debet invenire, & ex illis ſpecificum remedium. Invenio autem octo opiniones, & noſtra eſt nona, 1. eſt *Montani*, qui putat malignitatem febrium provenire ab humoribus putrefactis in corde. 2. eſt *Fernelij, Saxenia* &c. qui venenatæ qualitati adſcribunt. 3. eſt *Capivaccij*, qui cenſet fieri ab humoribus alimentariis putrefactis in corde. 4. *Fracaſtorij*, qui deducit à ſordida & profunda putredine: 5. *Augenij*, qui putat provenire à putredine cum corruptione: 6. *Euſtachij Rudij*, qui ait oriri à vehementi putredine, à veneno parum differente: 7. *Ioubertí*, credentis in iis & peſtilentibus ſanguinem putreſcere, in ceteris putridis tantùm accendi & inflammari. 8. Eorum qui arbitrantur fieri ab aliqua gangræna interna: 9. Eſt noſtra. Quod à qualibet ex iſtis cauſis poſſit fieri. Prima opinio poteſt defendi ex ipſo Galen. 1. diff. febr. 4. qui tenet febres peſtil. & malignas fieri ex humoribus putrefactis in corde: alias ex fuliginibus putridis extra cor, ſed petentibus ipſum cor. 2. opinio confirmatur ex Gal. 3. in 3. Epid. in hiſtor. ægri 4. qui ita citò mortuus eſt phreniticus ac ſi ſumpſiſſet pharmacum deleterium: Præterea, cum detur peſtilentia ſine febre, malignitas non ſemper à putredine fiet, nam quantò major eſt putredo, eò intenſior febris. 3. poteſt defendi, quia per feb. malign. confeſtim cadunt vires, quod ſignificat alimentum mutare formam, quæ mutatio per putredinem fieri ſolet. 4. 5. & 6. opinio defendi poſſunt cum *Galeno* multis in locis, præſertim 3. in 3. Epidem & 1. de diff. febr. cap. 5. vbi dicit malignas febres fieri à putredine: 7. opinio poteſt & defendi, quia etiam ſanguine putrefacto cadunt derepente vires: imò caſus virium character eſt malignæ febris: 8. probatur, quia nos non ſemel apertis cadaveribus à febre maligna interemptis, invenimus in hepate exiguam gangrænam omnino nigricantem: Eo in caſu obſervantur tria illa ſigna a Gal. propoſita 3. de præſag. ex pulſibus, 1. ſimilitudo pulſus cum naturali: 2. urinæ ſimiles urinis ſanorum 3. carentia febris, ægri judicio, ſed aliquod grave ſymptoma comes: *Sanctorius de rem. invent. c. 6.*

II. Etſi plerumque febris maligna cum exanthematis, ex ſanguine craſſo malignè putreſcente naſcatur, non tamen ſemper, ſed ut morbi alij plerique, differentiam accipit ex materia; eſtque aliquando pituitoſa, aliquando bilioſa, aliquando etiam atrabilaria, unde curatio variat: Atque aliquando non tam craſſorum quàm aerium adeſt redundantia, quod indicat uſtio & pervigilium (ſolent enim quibus admiſta pituita eſt, comate premi) In talibus

adverſiſſimum theriacâ uti, aut decoctis ex herbis calidis, quantumvis ſint alexipharmacæ, ut dictamni & ſcabioſæ, & cardui benedicti, quæ tamen in aliis ægris ſimili morbo laborantibus ſolent utiliter præſcribi: Sic Nicoxenum ait Hipp. uſum eſſe potu aquæ in qua farina craſſior macerata fuerat, ſucco mali Punici, decocto lentis frigido, lotura farinæ cocta & frigida, h. e. aquâ cocta, per quam colata ſit farina, & ea quidem poſt cocturam refrigerata: quæ potiones ad extinguendum fervorem & obtundendas acres qualitates videntur idoneæ, non tamen adeo ad incidendum & aperiendum, & diducendum in corporis habitum, quod ille morbus videtur deſiderare. *Valleſius 7. Epidem. p. m.* 878.

III. Maximè convenit *Sanguinis miſſio* ratione magnitudinis morbi, calidæ intemperiei, & putredinis: At in quantitate metienda ſumma prudentia neceſſaria eſt, cum ratione malignæ qualitatis potius noceat, ab ea enim facultas vitalis maximè labefactatur, & qui veneno aſſumpto ſanguinis miſſionem patiuntur, in exitium præcipitari ſolent, Ideo ſi venenata qualitas putredini prævaleat, minori copia ſanguis mittendus: ſi putredo magis, majori: Atque ita ſi ex morboſo apparatu præſertim, & putridis humoribus intra venas coercitis oriatur, iterari poteſt ſ. m. ſemel, bis aut ter, donec ſarcina humoris vitioſi in venis contenti exonerata ſit: idque imprimis ſi viſceris cujuſdam inflammatio adeſſe aut imminere videatur, quod non rarò ſolet contingere: Maturè autem & à morbi initio inſtituenda eſt ſ. m. Si enim malum progreſſum fuerit, & in totam maſſam ſanguineam malignitas diffuſa, non ſolum non confert, ſed etiam naturam maximè debilitat, ita ut authores plurimi tranſacta die quarta ſanguinem mittendum non eſſe cenſeant: Imo verò cùm in variis temporibus diverſæ ſint naturæ, ex diverſo malignitatis gradu ortę, ſedulò obſervandum quodnam ægri ex ſ. m. emolumentum capiant: Nonnullæ enim de ſynochorum genere, & in quibus intenſior eſt putredo, malignitas verò remiſſior, ſ. m. valde imminuuntur: Aliæ verò, quarum natura in una propemodum malignitate conſiſtit, ſecta vena magis pernicioſæ fiunt: Circa tempus & intervalla in v. ſ. iteranda, nota ut ſi morbus lentè procedat, ſanguinis detractiones accelerandæ non ſint, franguntur enim vires ante tempus, morbo toti non ſuffecturæ, Prout igitur morbus movetur, ſic tardius aut celerius ea celebranda eſt. *Riverius, videatur de hac quæſtione Horſtius Tomo ij. lib. I. Obſerv. 36. & Exercit. 4. De Febr. Quæſt. 12. ubi elenchus authorum qui ſ. m. probant.*

IV. Sanioribus Doctorum ſententiis ſancitum eſt maculis purpureis apparentibus, morbi initio, & iis diebus quibus venæ ſectio celebrari conſuevit, ſi antea ſanguis ſufficienter detractus non fuerit, etiam tunc temporis quantitate moderata eſſe detrahendum, neque ullum imminere periculum: cùm illa eruptio quæ fit initio morbi, critica non ſit ſed ſymptomatica, ex inſigni ſanguinis ebullitione & humorum malignorum ac putreſcentium fervore oriunda: atque adeo non poſſit impediri naturæ motus qui tunc temporis nullus eſt: Si enim corpore exiſtente plethorico, lotium craſſum ac rubrum emittente, exanthematum apparentium ratione habita ſanguinem non detraxeris, vix natura tantam humorum copiam ſuperare poterit, & periculum erit ne illi in partem aliquam irruant interiorem, in eaque pernicioſam inflammationem generent, Sanguis tamen eo tempore cautius & minori copia detrahendus, non ut venæ admodum inaniantur, unde retractio humorum ab [illegible]rioribus ad interiora poſſet ſuccedere, ſed tantum ut nimia earum plenitudo tollatur, quà dempta venæ novum ſanguinem non attrahunt, ſed in ſe concidunt, ac nonnihil laxantur & coarctantur, ut melius ſanguinem in iis relictum continere ac regere valeant, ſicque juvatur motus & expulſio naturæ ad ſuperficiem corporis; levata enim natura parte oneris qua premebatur, reliquum facilius expellit: Quod nobis in facienda medicina paſſim innoteſcit, dum ſæpe eadem die qua ſecatur vena in acutis febribus, imò paucis interdum poſt v. ſ. horis, copioſos ſudores, eoſque criticos ac ſalutares erumpentes conſpicimus; Imo verò quamvis valida ſatis eſſet natura ad totum ſanguinem redundantem regendum, cùm in corporibus plethoricis ſanguis plerunque craſſior eſſe ſoleat, & per ejuſmodi ecthymata tenuiſſima tantum ſanguinis portio exhalet, craſſior in venis remanens magis ac magis computreſceret, & longè periculoſiorem morbum efficeret: Conſultiſſimum tamen exiſtimo paulo poſt v. ſ. plures cucurbitulas admovere, ad motum ſanguinis ad exteriora juvandum: Paucis; Si initio morbi, & ante quartum diem id fiat, quo tempore eruptio critica eſſe non poteſt, ſi nullum inde levamen, ſed potiùs ſymptomata ingraveſcunt, v. ſ. nullo modo impedienda: Si poſt quartum & magna copia erumpunt, æger melius habet, & ſymptomata remittunt, v. ſ. loco cucurbitulæ admoveantur plures cum ſcarificatione, quò motus ad exteriora juvetur. Hæc autem de ſ. m. dicta intellige de ſacta in brachio, quæ confeſtim multitudinem imminuit: Aliquando tamen ſectio venarum inferiorum utiliſſima eſt, ſi vires impares ulteriori ſ. m. Utilis eſt præſertim in mulieribus, etiam extra tempus naturalis purgationis: utilis quoque ubi metuitur translatio humorum ad cerebrum: Conducit quoque apertio hæmorrhoidum per hirudines, quæ parvo fit virium diſpendio, facta interim ab interioribus viſceribus ſanguinis revulſione, ac præſertim confert melancholicis. *Riverius.*

V. Italorum mos eſt inferioribus partibus *cucurbitulas* admovere, ad veneficæ materiæ à corde ad diſtantiſſima revocationem: ſcapulis ac dorſo nequaquam, ne verſus cor adducatur ab aliis partibus: Sed in omnibus illis locis utiliter applicantur, incipiendo à partibus inferioribus, ob rationem dictam: quæ admotio cum venenatos humores & vapores non ſatis efficaciter à corde & partibus vicinis retrahat, ideo in ſcapulis & dorſo facta neceſſaria eſt, Audiatur Mercati de his judicium, *Conſultiſſimum eſt cucurbitulas ſcarificare quæ in dorſo è regione cordis affiguntur: Quod ſane inventum tantì ſæpe eſſe momenti uſus demonſtravit, ut anxietates, & pulſus inæqualitatem, ac alia ſæviſſima accidentia ab iis protinus ſubſidere viſum fuerit: quamobrem donec veneni accidentia quodammodo miteſcere ac ſuperſedere viſum ſit, ab iis deſiſtendum non eſt.*

VI. In *ſang. miſſione* opus eſt cautione, nam tanto pleniore manu ſanguinis extrahi debet quanto putredo venenum ſuperat: ac vice verſa, tanto parcius ille mittendus eſt, quanto venenum putredini præpollet: qua de cauſa liberaliorem phlebotomiam quandoque nocentiſſimam fuiſſe dictavit experientia, ita ut peſte, febris experte, laborantes, pariter ac illi qui venenum ebiberunt, Medicos exoptent ſanguinis, ut dicam, abſtemios. *Menjotus.*

VII.

VII. *Venæ ſectionem* non diſſuadet color ſanguinis extracti non fluidus, id namque contingit quod focus putredinis profundus ſit atq; anguſtus, puta exiguum venæ cavæ ſpatium occupet, ut vel inde probatur quod repetito ſæpius ſæpiuſque hoc remedio [illegible], ipſa quoq; morbi ſcatebra tandem exhauriatur, ſanguiſque putridus effluat. *Meajotius.*

VIII. Et, quod ſedulo notandum, mora febrili camarina aſſueverunt ægrotantes animi defectione corripi, ſed quæ Medicum in artis operibus exercitum ac detritum haud terrefacit nec dimovet ab incœpto. *Idem.*

IX. Hic autem aberratur à recentioribus quibuſdam Medicis, qui jubent *ſanguinem mittendum eſſe uſque ad animi deliquium*: mihi certe maximè ſuſpecta eſt hæc vacuandi ratio: 1. quia licet vires valeant in hac febre, non tamen ita valent ut ferre poſſint ejus generis vacuationem: 2. verò urget quod non expedit venenoſam materiam ad cutem demandatam rurſus in venas trahere, quod facilè fieret ob copioſam ſanguinis detractionem: Vices igitur debemus multiplicare, ac utentes iteratione tutiſſimè vacuabimus: fieri autem ter aut quater debet ſpatio duorum dierum, niſi quid impediat, aut ſaltem bis eodem die. *Hor. Augenius Tom. 1. l. 5. Epiſt. 1.*

X. Hic ſeſe offert error eorum qui ſtatim ad *Cucurbitulas* accedunt ſiccas, nonnulli etiam humidas adhibent, imò numeroſas adeo imponunt ut viderim ſupra xxv. in coxis, natibus dorſoque fuiſſe applicatas cum ſcarificatione cutis: Et quod deterius eſt, repetunt bis ac etiam tertio: Pernicioſam eſſe hanc medendi rationem multa ſunt quæ perſuadent, 1. quia ubi vires valent, & magnus ſit ex plenitudine morbus, neminem eſſe putaverim qui ſtatim non ſecet venam, ſi fuerit in artis operibus exercitatus: præſtat quidem prius incidere venam, mox, ſiquid ſupereſt, cucurbitulis abſolvere cum opportunum fuerit: Eſt prorſus, ut ſentio, impoſſibile tantam ſanguinis copiam, quantam detrahi poſtulat febris hæc perniciosiſſima, ex cucurbitulis vacuari poſſe: Hæ enim febres baſim habent in ſanguine craſſiori, eoque fervente: ac licet majori ex parte ſit bilioſus, eſt tamen craſſus in eo genere: at ex cute nonniſi tenuis & ichoroſus educitur: Deinde magna fit exolutio ſpirituum, quos conſervari expedit: quia nulla propemodum febris eſt in qua frequentiores contingant Syncopes & animi exſolutiones quàm in hac ipſa: ac poſtremo, cùm baſis ſit in majoribus venis, non poteſt vacuari uſu cucurbitularum. *Augenius ibidem.*

XI. Παράδοξον ſe propoſiturum ait *Aquapendens*, quod evacuatio per hæmorrhoidas magis conferat ad febres malignas curandas quàm venæ ſectio in brachio: Rationem ſubjungit, Cavæ enim majores propagines, in quibus materia peccans hæret, ſic deplen poſſunt: Addimus nos, dum ex arteriis ſedalibus trahunt, cor inde mirificè ſublevatum iri veriſimile eſt. *Rolfinccius lib. de Febr. c. 82.*

XII. Cenſeo ſanguinis vacuationem ex *inferioribus venis* longè præſtantiorem eſſe quàm ex ſuperioribus, præſertim ſi aut menſtrua reſtiterit purgatio, aut hæmorrhoidum ſolita vacuatio fuerit ſuppreſſa; poſterioribus enim hiſce caſibus nullam habet difficultatem: Verum etiam ſi defuerint, in ejuſmodi febribus obſervavi longè tutiorem eſſe poplitem aut malleolum incidendo vacuationem: Quia ſi à corde præſtat venenum revellere; ſi attrahere ad infernas ac imbecillas partes, nihi tutius excogitari poteſt? At, dicunt nonnulli, tanta celeritate non vacuatur multitudo ex inferioribus venis quanta ex ſuperioribus? Reſpondeo primùm me id facile non admittere, quia a vena cavâ æque diſtant venæ crurum & cubiti, ſi bene judico: 2. ponamus differentiam eſſe, admodum certe levis eſt & exigua: utilitas verò, ob dictas cauſas, longè major. *Idem.*

XIII. Statim in principio febris hujus generoſum hoc adminiſtrari debet præſidium, dum ſcil. vires vigent, & ſanguis nondum concepit corruptionem ac venenum: Imò hoc unum profiteor, nullam eſſe febrem in qua majori damno prorogetur auxilium: nec etiam aliqua febris eſt quæ fortè magis ignaros decipiat Medicos: Ubi enim prorogatur V.S. corrupto jam exiſtente ſanguine, obſervavi ſanationem ferè impoſſibilem reddi, ob ſummam virium imbecillitatem quæ ſtatim apparere ſolet ante vigorem morbi: Porrò ſi quiſpiam morbus eſt qui decipiat Medicos, hic præcipuus eſt cum febris hæc ab initio appareat adeo mitis, tum in calore tum in accidentibus, ut ignari contemnant ipſam: hinc verò poſtea repente mortis apparent ſigna: quam ob cauſam opus eſt artificem exercitatum eſſe, diligentem ac doctum. *Augenius.*

XIV. *Vena ſectio* prætermitti poteſt, quando vires fuerint imbecillæ & nulla adfuerit ſanguinis plenitudo, aut admodum exigua, & ex ſanguine tenuiori conſtiterit: Tunc, quia non datur poſſe jvacuari totum corpus venæ ſectione, hiſce contra indicantibus cauſis, cucurbitularum humidarum uſum admitterem: Ex quibus magna utilitate cacochymiam illam virulentam, ſanguine tenuiori permiſtam, vacuaremus. *Augenius.*

XV. Anno 1648. febres malignæ epidemicæ & purpuratæ graſſatæ ſunt, cum maxima clade, in quibus cucurbitularum ſiccarum admotionem frequentem valde profuiſſe, ac veſicantium mediis artubus & pone aures obſervavi ſæpe, etiam in deſperatis, & lethargo vel phrenitide detentis: At ſi nimius calor, vel impetus ſanguinis adeſſet, à cucurbitulis ſcarificatis erat abſtinendum, mortales enim fuerunt, ſed cardiacorum uſus fuit valde utilis. *P. Borellus cent. 1. obſ. 60.*

XVI. Curabam baiulum febre ardente & maligna detentum: Cum in maxima eſſet anxietate, juſſi hirudines ano admoveri: ſed an ex incuria miniſtri, an ex ignorantia ægri, applicatæ mammis fuere, quæ ſanguine repletæ concidentes, copioſæ ſanguinis miſſionis occaſionem dedere: accedens inveni hominem ex morbo convaluiſſe, huicq; remedio ſuccedentem ſanitatem adſcripſi. *P. Salius Diverſus comm. in tit. 22. lib. 3. de Morbis.*

XVII. Damnantur à quibuſdam *Veſicantia* 1. quod æſtum & incendium augeant, 2. quod interventu doloris vigilias inducant; 3. quod ſæpe impediunt motus naturæ criticos ad nares. ℞. ad 1. Inducunt ſolum calorem in externis partibus, quo ipſo internus minuitur: Ad 2. Vigiliæ & dolores per ſe adſunt: Ad 3. Naturam à ſalubri propoſito non divertunt, quia criticum nullum molitur motum: Revera autem ſunt neceſſaria 1. ut calor velut ſuffocatus ſublevetur 2. ut materia venenata circa cor exiſtens attrahatur. 3. ut materia [illegible], rapta ad cor & cerebrum, cum magnam habeat urgentiam & deliria inducat, pulſuſque proſternat, ad longinquas partes retrahatur. Hæc omnia præſenti auxilio præſtant veſicatoria. *Rolfincc. Conſ. 9. lib. 4.* Experientia edocti remedium in hoc caſu conveniens eſſe judicavimus, quod maximus internus æſtus deprehenderetur, exterioribus

interdum perfrigeratis: quodque ob malignas evaporationes ſanguinis æſtuantis ſymptomata gravia partium principum imminerent: Eo pacto ad exteriora fit revulſio, qua in parte Medicus naturam imitatur, quæ exanthemata, bubones & carbunculos in peſtilentialibus febribus ad partes externas transferre ſolet. *Horſtius l.1.obſ.30.* Potenter pravos ac venenatos ichores attrahunt & revellunt Veſicatoria variis partibus admota: Vulgo adhibentur poſteriori parti cervicis: hinc enim & materiam veneficam eliciunt, & à capite derivant, comatoſiſque affectibus, qui non raro in his febribus contingunt, percurandis inſerviunt: Attamen ubi maxima eſt malignitas totum corpus occupans, & ſæviſſima ſymptomata urgent, unicum non ſufficit, ſed plura admovenda ſunt: Soleo ego in maxima morbi ſævitia quinque locis admovere, cervici nimirum, utrique brachio, parte interiore inter cubitum & humerum, & utrique femori, parte etiam interiore inter inguina & genua, cum felici ſucceſſu. *Riverius. Qui plura volet conſulat Saxoniam, Maſſariam, Sanctorium Lelium à Fonte, Augenium & alios.*

XVIII. Ut *Enematum* injectio non initio ſolum morbi utilis eſt, ſed & toto morbi decurſu, ſi alvus ſponte non fluat, ut quotidiana excrementa exeant, ac quædam materiæ morbificæ portio ſenſim detrahatur, humoremque ad ſuperiora tendentium revocatio fiat, Ita noxia evadunt purgantibus inditis, cùm alui fluxus, huic affectui familiares, concitent: Vice fomenti interioris eſſe debent non remedij laxantis: Ac quamvis per morbi decurſum alvus liquidis feratur, non tamen ab iis abſtinendum, ſed modicè detergentibus & refrigerantibus utendum. *Idem.*

XIX. Dices, Qua ratione Medici, & præſertim Germani, ſtatim morbi initio, exiſtente humorum craſſitie & cruditate, exhibent *Potiones ſudorificas*, & ſanè cum manifeſto juvamine & allevatione ægrotantium? Reſpondeo ſcopum illorum eſſe ſolum ichorem ſanguinis, in quo tanquam præcipuo ſubjecto putredo fundatur, exhaurire: Cum enim ichor ille omnibus in venis, etiam capillaribus, una cum ſanguine, cui ob penetrationis neceſſitatem immixtus, & tanquam ductor & comes inſeparabilis eſt, ſtagnet, expeditiſſimè certè ſudorificis, ob ejus tenuitatem exprimitur, & per cutis poros extra corpus tranſcolatur: Sed non credas ſolis ſudorificis confidentes ob omni medicamento abſtinere &c. *Ioſeph de Medicis Cretenſis, apud Gr. Horſtium lib.1. Obſerv.*

XX. Alexipharmaca maximè varianda ſunt, & miſcenda pro vario malignitatis aut putredinis gradu, pro varia febris intenſione vel remiſſione, & varia ægrorum temperie, ſexu, ætate aliiſque circumſtantiis, Medici prudentiæ expoſitis: Hoc tantum monebimus, ubi febris vehementiſſima refrigerantibus & acidis præcipuè inhærendum; vitatis calidis & diaphoreticis, quibus locus ubi febris remiſſior & maligna qualitas præcipuum faceſſit negotium. Alexipharmaca tertiæ claſſis, Diaphoretica, ſcilicet & Sudorifica, nonniſi in ſtatu morbi & declinatione exhiberi debent, niſi venenata qualitas putredini prævalere videatur, eligendo quæ minùs calefaciunt: Horum autem varij ſunt gradus: alia enim calidiora, ut angelica, zedoaria, dictammus, theriaca, aqua theriacalis, quæ nunquam exhiberi debent ubi febrilis ardor maximè viget, ſed rantùm eo plurimum remiſſo, & malignitatis ſignis valde prævalentibus: Alia verò minori caliditate prædita ſunt, ut ſcabioſa, carduus benedictus, ulmaria, ſcordium, quæ tutiùs, etiam vigente febre, adminiſtrari poſſunt: Et hæc in uſu practico maximè diſtinguenda ſunt: Si magna ſit vehementia ſymptomatum, recens Theriaca convenire poteſt, ob vires opij adhuc vigentes, unde vehementia ſymptomatum temperatur humorumque fervor coërcetur: Ipſum etiam laudanum Opiatum ad gr.ij, alexipharmacis miſtum, præſertim morbi initio vel augmento, ubi theriaca ſuſpecta, multum prodeſt: vi enim narcotica & figente ferventes ſpiritus, cordi infeſti, coagulantur quaſi, & materia morbifica (quædum eſt in fluxu, perniciosiſſima eſt) ſiſtitur ac penè immota manet, hinc ut natura non laceſſita, collectis viribus, alexipharmacorum virturem facilius ipſi applicet. Medicus autem varia habere debet in promptu alexipharmaca, eaque per vices immutare, ne natura uni & eidem aſſidue uſurpato nimium aſſueſcat, illuſque vires remorat: Adde quod non una & eadem ſemper eſt veneni natura, ſed pro varietate corporum admodum diverſa, ita ut quod uni profuerit alteri non conferat. Si quando natura veneni malignitate oppreſſa & quaſi devicta, nihil prorſus agere, ſed vinctis quodammodo manibus collum ſubmittere videatur, fortiſſima quæque Diaphoretica, etiam majori doſi, exhibenda, ut conſternatæ cordis vires, quaſi ſtimulis quibuſdam, concitentur. Tuto aquæ theriacalis, aut bezoartica, & potentiora & majori penetrandi vi prædita (quæ etiam addita camphora intendi poterit) uſurpanda ſunt. *Riverius.*

XXI. Novatores hodierni *Gemmas, Margaritas, Corallium* & omnia cardiaca in univerſum ab uſu Medico præſcribere conantes, Et febres omnes, etiamnum malignas, ſola venæ ſectione & apozematis ſimpliciter refrigerantibus curantes, hoc ſaltem experimento, circa corallium & margaritas convincantur, quod illa in pulverem redacta, ſi in aceto, ſucco limonum, ſpiritu vitrioli aut aqua forti infundantur, omnem horum liquorum acrimoniam tollant: unde videre eſt eadem medicamenta intus aſſumpta, humorum acrimoniam & malignam qualitatem mulcere, & ad moderatam qualitatem reducere: Qui ſolutiones perlarum aut coralliorum, in ſucco limonium &c. factas deguſtatant, hoc probè norunt. *Reverius* Hic nonnullorum Medicorum ſutilitas redarguenda, qui vim margaritarum & coralliorum, ad dulcorandam, ut loquuntur, humorum feritatem, exinde jactitant, quod acetum peracta earum diſſolutione dulceſcat; patet enim ſalem, quo imbuitur diſolvens, margaritis uniti, ac liquorem relinqui quidem dulciorem, verum margaritas liquefactas ab adiuncto ſale adeo acres reddi, ut poſt præcipitationem accurata indigeant ablutione: Punamus igitur ſuccis ejuſmodi diſſolventibus ventriculum infici, ac poſt aſſumptarum margaritarum diſſolutionem, præſto eſſe in ventriculo alterum humorem reſpondentem oleo Tartari, quo ipſæ præcipitentur, ſal profecto iſtis diſſolventibus humoribus commixtus, miſſo, ut dici ſolet, menſtruo, unionibus copulabitur, atque unà cum illis labetur in fundum ventriculi, ſed inibi haud leviora quam prius movebit incommoda, quippe qui ſervata priori acrimonia ſedem ſolummodo permutaverit: At, quod imprimis notandum, tam alte decantata perlarum magiſteria, quemadmodum extra corpus à nullo amplius liquore etiam acerrimo ſolubilia

ſunt:

ſint ; ita haud dubie intra corpus à nullo humore et ut acri denuo diſſolvi queunt : Tandem nihil iſta omnia ad humores in venis longè a ventriculo commorantes. *Menierius Diſſertat.1. Vide Titul.de Cardiacis.* lib. *xix.*

XXII. Si accidit frigus extremorum, magnæ malignitatis eſt ſuſpicio & languoris facultatis, nam ut ... auræ atteſtatur ea frigiditas ,l Nimirum maligna putreſcentia ſuccorum in viſceribus, aut ulcera, vel inflammationes magnæ, doloreſve graves inteſtinorum, hæc omnia calorem ad interna cogunt accurrere & deſtituere externas partes · Hoc caſu maxima cautio eſt omni ratione curare ut calor quacunque ratione revocetur, & partes quacunque arte in calore aliis partibus æquali contineantur : Nam etſi frigus illud pedum cauſa non eſt morbi, ſed ſymptoma, tamen tollitur revocatione caloris, i. e. ſanguinis & ſpirituum : nihilque magis ex uſu eſt quam ea revocari, ob noxam illius ad interna concurſus, qui inflammationes & alias viſcerum affectiones auget, & ipſe calor conſtipatione illa ſibi ipſi ſuffocationis cauſa fit : Neque tamen proinde oportet frigida admoveri pedibus, ne calor urens in interna repellatur (in colliquantibus enim febribus corpori, quod eſt inter alas & inguina, melius admoventur) ſatis ſit ſi caveatur ne refrigerentur. *Valleſius in lib.3.de vict Acut p.*198.

XXIII. Notandum *Oxyrrhodina* minus convenire in febribus malignis quam in putridis ſimpliciter ; quia venenatorum vaporum diſſlatio omni arte procuranda, non autem impedienda : Ideo leviora repellentia admovenda, aut urgente ſymptomatum vehementia : ad uſum fortium ſi veniendum, diu hæc non detineantur. *Riverius.*

XXIV. *Vini uſus* in hac febre aliquando proficuus, inſigne enim eſt cardiacum & malignæ qualitati maxime adverſum : ſæpe tamen valde nocet intenſione caloris febrilis ; quare ægri temperies & morbi natura perpendenda : Si febris admodum ſit exigua, venenata qualitas intenſa, æger pituitoſus, lymphatum tuto & fœliciter exhibetur : In febre intenſa, bilioſo corpore, pernitioſum eſt vinum. Hæc à nobis obſervata infinitis experientiis, præſertim in febre purpurata qua Monſpelij graſſata eſt anno, 1623. à vera peſte ſolo bubone diſtincta : Ægris enim quibus pulſus erat parùm frequens, & pulſui ſanorum fere ſimilis, lingua humida, nulla ſitis, vinum exhibuimus felici ſucceſſu, illiuſque continuationem indicabat levamen inde emergens, & quod ex illius uſu febris non intendebatur, nec ſitis aut linguæ ſiccitas excitabatur : quibus contraria inerant, vino prorſus interdicebamus : Advertendum tamen primis morbi diebus vinum nunquam eſſe exhibendum, ne materiæ crudæ nimium exagitentur, ſed tantùm circa ſtatum, cùm malignitatis ſigna ſeſe magis exſerere incipiunt. *Riverius.*

XXV. Ubi ſufficienter per brachia ſanguis detractus, convenit *ſectio venæ frontis*, educto ſanguine ad ℥ vj : adhgantur etiam hirudines pone aures, quod remedium utile quidem eſt, ſed priori minus efficax, quia per hirudines tenuiſſima tantum ſanguinis pars educitur, cùm per venam frontis aliquando in phrenitide ſanguis impurior & magis corruptus educatur quam e brachio. *Riverius.*

XXVI. Quid præſtent in declinandis curandiſque malignis morbis, imo vero peſte ipſa Fonticuli. Ulcera, *Veſicatoria*, jam inde ab ævo *Galeni* cognitum fuit aliquatenus, dignum exactiore inquiſitione : Sub climate noſtro ubi humores plerumque craſſi & pituita ſegnes, aliquando præſens e *Veſicatorij* ſolatium notamus, præſertim ſi ante ſeptimum morbi diem applicentur internæ brachiorum cruruſque faciei, ſecundum proceſſum venarum ampliorum : Eſt tamen cum totis menſibus fruſtra admoveniur, imo toto quandoque anno nullum ab iis evidens auxilium : Ratio à diverſitate *μιάσματος* petenda videtur : quoties particulæ illæ malignæ non admodum firmiter cohærent, & tenacem non amplectuntur humorem corporis, excluduntur facilius veſicatorio, & virus fugax cum ſero prorumpente ſecedit : Quando autem in viſcida niduiantur materia, aut ipſæ mutuo facierum lævore ſibi arctius junguntur, ludunt fere veſicatum conatum : Sed quid internoſcendum ii quales ſe malignitas animant particulas ? temperamenti ratio impecta non ſufficit : enim vero adverti veſicatoria nonnunquam ſegniſſime pituitoſis oppido fuiſſe ſalutaria, contra bile tumentibus nil attuliſſe levaminis : Admovenda opportune, præſertim ubi exemplis conſtiterit aliis eodem modo & prope tempore laborantibus fuiſſe utilia : quod ſi fruſtrentur expectationem, perſiſtendum in alexipharmacis, quæ nihilo ſecius adhiberi ſolent. *Olaus Borrichius Actor. Danic. anno* 1676.*pag.*77.

Cum quorundam medicorum ſit cacoethia, ut in febribus malignis paſſim graſſantibus, ſi dolor capitis & delira infeſta, multum ſpei ponere ſoliti ſint in applicatione *Veſicatorium*, ut mihi conſtaret de ſucceſſu percontatus ſum quoſdam Chirurgos, ex quorum relatione mihi innotuit ægros pleroſque, quibus illa admota, defunctos : Et ſane plures ipſe novi qui ſic in tumbam ſepulchralem præcipitati : Juvencula plethorica, febre continua afflicta, cum dolore & deliriis, ex conſilio junioris Medici, prolixum inſtituentis de uſu veſicat. diſcurſum, à veſicatorio cervici admoto, paulo poſt vociferari cœpit & quiritari de ingenti capitis incendio, & poſtridie ſupervenientibus convulſionibus epilepticis vitam cum morte commutavit : Si lethargus aut ſopor ſuperveniat, ad excitandum, & materiam à capite revellendam haud reprobanda exiſtimarem, non autem in principio vel augmento, ubi omnia exardeſcunt & flagrant, & caput per conſenſum tantum inferiorum afficitur. Si unus vel alter evaſerit, id non tam veſicatoriorum ope contigit, quam naturæ, vel aliorum medicamentorum &c. *Auguſtinus Thonerus lib. 1. Obſ.*20.

XXVII. In adhibendis *Frictionibus* ad promovendam eruptionem periculatum in febre peſtilenti (etiam vehemente febre præſente neceſſarius) animadvertat Medicus an pure ſymptomaticè, an purè criticè, an medio modo ex ...ant : Si primò modo, nihil omnino movendum, quia ejuſmodi expulſio nihil juvat, ducente Galen. 4. aphor. 47. Si ſecundo, tunc diligenti Medici judicio eſt opus, quia, ut ibidem habetur, magna eſt ipſius latitudo & plures ordines : Itaque neceſſe eſt ut videatur an ea excretio magis criticum ſapiat an ſymptomaticum : id autem internoſcetur ex bonis & malis ſymptomatis, utra ſuperent, & ſigna cruditatis aut coctionis præſtent : conſideratis etiam viribus ægri, illiuſque facili difficilive tolerantia : ubi enim malis ſignis bona præſtant, & conſtant vires, majoraque ſunt concoctionis ſigna, juvanda erit : ubi tamen criticè fieret, ſed imperfectè, nempe aut in ſtatu aut declinationis initio, ipſa quoque erit omnino iuvanda, naturæque imbecillitas ope frictionum roboranda. *Rubeus in Celſum lib.*2.*c.*14.

XXVIII. In feb. malignis cavendum ab *Epithematis*; nam nulla ratione in venenoſis affectibus adhiberi poſſunt, & ob id tanquam à pernicioſo veneno ab eiſdem fugiendum eſt. *Mercatus tr.4. de cura feb. malignæ.* In febribus mal. cavenda omnino Epithemata, cordi quidem debita, frigida, quæ potius tepida applicanda: alias quippe metus eſt ne malignitate ad centrum à peripheria tranſlata & retropulſa, major noxa remedio inde reſultet: Hinc & ſacculi cordiales non æque præterquam ſpirituoſis liquoribus reſperguntur, ob metum repulſionis. *Wedelius de medic. comp. ex. p.170.*

XXIX. Plurimum inter Practicos controvertitur, Verum in Febrium malignarum initio *Purgandum* ſit? Multi negant, & ob *Hippocr.* præceptum, *Concocta eſſe medicanda non cruda*, Et quia in hoc morbo humores maligni à purgantibus nimis exagitantur, malignam qualitatem latius diffundunt, naturamque acriter ſtimulantes pernicioſos alvi fluxus inducunt: cum alioqui in hiſce febribus fluxus colliquantes familiares ſint, ut plurimum lethales: Alij contendunt tantam eſſe interdum pravorum ac venenatorum humorum copiam in primis viis, ut niſi purgante initio collatur, aut valde imminuatur, reliquam humorum maſſam inficiat, ut à natura, quantumvis alexipharmacis roborata ſuperari nequeat. Exiſtimamus nos hujus morbi initio quantum fieri poteſt à purgantibus abſtinendum, ob rationes ſupra allatas, & illuviem in primis viis ſtagnantem clyſteribus frequentibus potius quam purgante eſſe educendam: Si tamen tanta ſit in prima regione cacochymia, ut clyſteribus ſufficienter educi non poſſe videatur (quod præcipue contingit cum humores pravi in ventriculo redundant, tumque adeſt ſumma inappetentia, oris amaritudo, nauſea & vomitus, vel quando adeſt lumbricorum copia) utiliſſimum eſt tunc purgante eam educere, ut materia morbifica in venis contenta poſtmodum commodius edomari valeat, quæ quidem materia ante concoctionem educi non poteſt, & in illa tantum locum habet ſententia Hippocr. *Concocta &c.* Sed materia in prima regione contenta, & excrementorum illuvies nulla præmiſſa præparatione aut concoctione educi poteſt. *Riverius Pract. l.17. ſect.3. c.1.*

XXX. Aberrant qui fruſtra expectari *mitificationem humoris* dicunt, quæ nulla futura eſt, nam verum eſt quidem in maligna lethali materiam haud ſolum incoctam eſſe, ſed etiam incoctilem, propriaque culpa ac pervicacia τὸν ἐκ φύσεως κόσμον gratiam & ornamentum naturæ nunquam ſuſcipere; Sed in febre non lethali ſuccos malignos à natura utcunque coqui ac ſubigi indubitatum eſt, cum hujus victoria in humorum pepaſmo poſita ſit, ac variolæ ſuppurent, imo carbunculi buboneſque peſtiferi, ſi res ægri proſperæ ſint ac ſecundæ, ad maturationem perducantur, neque etiam Bubones Venerei naturæ gratiam detrectent: Purgatio autem in hiſce febribus, non mochlica ſit, ſed blanda, & ſi fas cum vulgo *βαρβαρίζειν*, *Minorativa*, quam ὑπηλάτικον vocant antiqui, ex tamarindis, pulpa ſiliquæ Ægyptiæ, foliis orientalibus, rheo, ſyrupo diarrhodon, ac è floribus mali Perſicæ, manna calabrina, ad expurgationem feroſæ immunditiei, per febres malignas ubertime luxuriantis, vixque licet ſennam, & rhabarbarum tranſcendere, aut ſaltem nonniſi exigua quantitate, magna urgente neceſſitate. *Mentorius Differt. de Febre maligna.*

XXXI. Præfiſcine dixerim, Omnes eos oleum camino addere qui *valida Purgantia* in febribus continuis, maxime vero ubi vel minima ſuſpicio malignitatis imperant, Conſulantur Medicinæ practicæ Doctores, illorumque obſervationes, & doceberis febri maligna laborantes ut plurimum inauſpicato purgari, vel perpauculos ex iis, qui ſiniſtre purgati ſunt, ſervatos eſſe, & quidem ob naturæ robur, obſervabis: Nec per rerum naturam aliter fieri poteſt, Quid enim Purgatio aliud quam artificioſa humorum turbatio & fermentatio? ut docet *Sennertus* Inſtit. Med. 5. cap. 11. Quid item febris ſynochos aliud, aliæque febres, quàm p.n. ζέσις aut ebullitio ſanguinis? Pulchrè ergo, ſed ſcil. per fermentationem purgantis ebullitioni ſanguinis medeberis? Contra cum omnis ſit movendus lapis ut gliſcentem in ſynocho, ob hanc ſanguinis ζέσιν, malignitatem ſopiamus: Rectius verò ægris conſulunt qui *Vomitoria*, uſu probata, nec nimis vehementia, habito delectu individuorum, à prima ſtatim morbi invaſione imperant. Quos inter primo loco prodeat *Rulandus*, qui c.6. de L. Vngar. docet, *Qui ſunt εὐέμετοι, & ad vomendum faciles, viriumque robore adhuc valentes, citius à fomite malignitatis liberantur, minusque periclitantur ſævitia luis vomitorio accepto; hoc enim exturbatur prava humorum congeries, at plurimum principium malignitatis peſſima (cardialgia pleroſque infeſtante, locuplete teſte) ſuſcitantium ſine magna virium jactura, minoreve humorum exagitatione, quam dejectoriis etiam mitioribus. Rulandum* ſequatur celeb. *Hartmannus* Prax. Chymiatr. p. m. 389. qui in febribus malignis curandis feliciorem modum invenire fas non eſſe dicit, quam quia vomitione incipit: Trium Imperatorum Medicus *Crato* conſ. 275. in eum finem flores antimonij albos commendat: Ego vero ingenue fateor me ut ſemper à primordiis praxeos meæ averſatus ſum Gillam *Theophraſti*, Mercurium vitæ, & ſimilia valida vomitoria, ita aqua Bened. *Rulandi*, necnon oxyſaccharo *A. Sala* cuo, tuto & iucunde cum tertianas, tum malignas febres ſæpius abegiſſe. *S. Pauli Digreſſ. de Febrib. malignis* §. 72. 75. & 76.

XXXII. Præſente nauſea, nec dejectoriis ſat proficuis, juxta ῥοπὴν humoris, arte concitetur *Vomitus*, quò non ſalùm primæ, ſed ſecundæ quoque & tertiæ corporis regionis impuritates emundentur. Nam ſi ventriculus, juxta maris facultatem dat omnibus, & ab omnibus accipit, *Hipp. 1. de Diæt.* Si mediante jecore univerſis corporis partibus copulatur, recipitque earum excrementa, juxta doctrinam Galeni, ac uno verbo, ſi totum corpus ac ventriculus συμπάσχει ex lib. 4. de morb. quis non videt partes omnes etiam remotiſſimas ab humorum vexantium ſarcina per ventriculum poſſe expediri? Nec immeritò obſervatum eſſe ab Ariſtot. 4. Probl. 7. ipſam laſſitudinem, etſi ejus materia per muſculoſum genus longiſſimè diſperſa ſit, vomendo ſedari: præſertimque ſoporati ægri ſumpto emetico evigilant, ſeu caraphora ſympathica fuerit, à plenis fumantibuſque præcordiis, ſeu idiopathica, cerebro humorum multitudine inebriato: dum enim lancinatur vomitorio ventriculus, cerebrum ſimul proritatur, ac communi quaſſatu atque ξυμμαχίᾳ humorum moles utrumque hoc viſcus opprimens excutitur; His rationibus concinit experientia permultorum febribricitantium, qui in carum, cæteris præſidiis inexpugnabilem jam delapſi, ea ipſiſſimet orci faucibus, citato vomitu, quaſi virgula divina revocati ſunt &c. Sed de Vomitorij delectu diſceptatur: Alij enim

ſtibium,

ſtibium, utut artificioſe præparatum, tanquam ſtygium traducunt: Alij in vino albo infuſionem, cen auguſtiſſimum artis Phœbeę Palladium venerantur, inquo ſpes inclinata recumbit: Hippocrates prociendo vomitu plurimum utebatur veratro albo, qui venenatus & [illegible], verùm cùm ejus caſtigatio poſteris fuerit inviſa, non eſt cur nobiliſſimum ejus [illegible], Antimonium, repudiemus &c. *Mentonus Diſſert.* r.

XXXIII. Anno 1623. poſt Monſpelij obſidionem, graſſata eſt per plures menſes febris admodum maligna, ex qua media ferè pars ægrotantium interibat. Peculiariter verò quibus ſuperveniebant *Parotides* (quod circa 9. vel x. morbi diem ſolebat contingere) omnes interibant: cum autem plures hujuſmodi vidiſſem, neque ullis alexipharmacis liberare potuiſſem, cogitare cœpi ideo cenſeri lethales Parotides, quod pars illa non ſit capax recipere totam materiam morbificam, quæ intus manens interimit, & ſupplendum eſſe naturæ opus: Ac quanquam ægrotantes pulſum haberent parvum & frequentiſſimum, ac pene formicantem, ut in agone mortis verſari viderentur, quæ etiam brevi ſuccedere ſolebat: attamen hanc Celſi ſententiam animo revolvens, *multa in præcipiti periculo rectè fieri quæ alias eſſent omittenda.* Et *Satius eſſe anceps remedium experiri* in uno aut altero, *quam* tot *ægros certo exitio relinquere*, ſanguinis miſſionem præſcripſi parcis vicibus, ob virium imbecillitatem, bis aut ter eadem die, & ſequenti die purgationem. Qua via omnes quibus hæc remedia adminiſtrata ſunt, feliciter evaſerunt, neque ullus deinceps interiit. *Riverius centur* 1. *Obſervat.* 43. *& Pract. lib* 19. *ſect.* 3. *c.* 1. Ego non gravabor dicere quid facere ſoleam in ægris quibus per febres malignas Parotides oriuntur, quandoquidem cenſeo multos ita eſſe ſervatos qui alioqui interiiſſent: Mox ac oriri incipiunt, partem, laxante oleo foveo, ut chamæmelino: atque ſi exire cunctentur, loco ipſi cucurbitulam affigo, ne abſceſſus ſit minor quam ut poſſit conferre: Vbi autem ſatis manifeſtus jam factus eſt, ſi brevi increſcat plurimum, mitto rurſum ſanguinem, ne ſit major quam poſſit ſuſtineri: mox vero durum adhuc tumorem, neque ulla ſuppuratione expectata, ignito ferro aperio: altera quidem in parte, ſi alteram ſolum obſederit tumor: in utraque verò, ſi utramque, & cataplaſma ſuppurans appono: Plerumque res cedit bene, nam brevi computreſcit cum inuſta eſchara tumor, & manare pus incipit, Et per id orificium caput & reliqua viſcera perpurgantur: Neque hoc debet cuipiam videri atrox, pars enim adenoſa per ſeſe quidem vilis eſt, quamque ob id licet ſecare, & urere, & utrumque contemnere. *Valleſius Epid. lib.* 7.

XXXIV. *a.* In febribus Malignis, ante *eruptionem Lenticularum* nonnunquam advertas febricitantium manus longe ultra carpum, vel pedes longe ultra malleolum, vel utraque, alieno & toti corporis diſſimili, aut diverſo, momentaneo ac fugaci colore colorari: quandoque vero manifeſte rubere, ac illi ægri tunc temporis de ingenti extremorum calore, frigida, vel cryſtallum aliquem poſcentes, conqueruntur, licet reliquum corpus non æſtuet inſigniter, quod ſane ſignum lethale eſt: Sed ſæviat adhuc magis calor, ac febrilis æſtus in illorum artubus, vireſque acquirat, tum bidui aut tridui ſpatio, febricitantium manus, ſcitra ullam aliam, manifeſtam cauſam tanta atrophia conſumuntur, quanta ſolet comparere in illorum manibus qui phthiſi contabuerunt; hos rarenter convaleſcere obſervabis, eos præſertim quibus extremi hi artus ita decolorantur ut liveant, luridi, helvi, gilvi, fœdique compareant: Cujus rei hanc do rationem, ſequutus Exc. *Spigelij* veſtigia, nempe *Complures ac luculentiores circa extremas partes venarum ac arteriarum anaſtomoſes eſſe ſolere, tanquam in partibus remotis a fonte caloris, & quæ propterea ſanguine calidiore ſpirituoſoque indigebant; Atque hinc fieri ut ſanguis qui ex manu evacuatur multo ſit pulchrior & rubicundior quam ille qui ex brachio, quod ſemper arterioſus hic ſimul vacuetur:* quarum anaſtomoſeon beneficio naturaliter admiranda illa Circulatio ſanguinis obitur: Quod ſi ergo hæc impediatur in his extremitatibus à p. n. febrili calore, veluti excocto, fibroſo, lentoque reddito ſanguine, ſtrigmentorum olei ſimili, qui non, *Vt capiunt vitium ni moveantur aquæ*, ita ipſius quoque ſanguinis in corpore humano tota ſubſtantia corrumpetur, cum vel in paludoſis locis, ſtagnis &c modo virides, modo nigras, modo rubras aquas ſeu colligi, ſeu corrumpi obſervemus, frequentiſſime autem omnium paludes & ſuggrundas, aut ſtillicidiis ſubjectæ ædium ligneæ partes, aut parietes intergerini calce incruſtati viveſcunt, ob pluviam ſale volatili graminum & ſimilium herbarum, Solis calore profecto abundantem, ſed & cæterarum corruptarum aquarum eadem eſt ratio: A ſale enim volatili terræ (qui enim eſt denegandus) ſed jam à calore Solis in paludibus corruptæ, variarum tinguntur, mentientes quaſi & falſo repræſentantes ferruginem, bolum Armenam, ochram: Ne ergo quoque in vivo corpore maligna febri laborantium, vitioſiſſimus ille & corruptiſſimus ſanguis livens apparebit, deperdito ſuo roſeo colore, neceſſario nitorem cutis in extremis manibus pedibuſve fœde fœdabit? Vbi ergo dicto modo ſanguis, ſeu ſanguinea maſſa à calore p. n. lenteſcit ita ut Circulatio ſanguinis, non dico omnino, ceſſet, ſed ex parte prohibeatur, duo quaſi phænomena eveniunt, & Vel occulta obſidentur nominatæ partes gangrena, & hinc vix ſalvantur ij quorum artus extremos manifeſtus & pertinax calor primo obſidet, qui mox inſignitè rubent, nigricant livent, quæ omnia adhuc ſuam latitudinem & gradus habent, & tunc ubi hæc præceſſerunt, non adeo impenſe ut antea utuntur ægri, aut non advertunt ſe uti, ſed falſo miteſcit calor blandiorque apparet; pulſus item apparenter melior, ſed falſo, quia ſanguis lentior & ad motum tardior, & quoque præſto adeſt mors: Vel momentaneus, facile evaneſcens, fugaxque alienus calor in extremis artubus febri maligna laborantium conſpicitur: Atqui hunc portendere fientem, aut futuram illam ſanguinis corruptionem auguror, quæ analogia eſt aut ſimilis ichori gangrænoſo, niſi Sal illud, & præſertim dictis in locis, à corde remotiſſimis, in ſanguinea maſſa fixum ex parte redditum, alexipharmacis v.g. C.C. precipuè preparato, itemq; raſura c.c. crudi, raſura unicornu Gronlandici, Sale volatili c.c. Sale viperino, urinæ, fraxini, ſuccini, aut ſimilium iterū volatile reddatur: Vnde celeberrimus ille Rulandus, ignarus quidem circulationis ſanguinis, nihilominus tamen in lue Vngarica apprimè ſalia chymice præparata commendat, aſſerens ſic exhibita tantum hic præſtare quantum ulla alia, quo fomitem illius latitantem expellant, inquiens *Quæcunque ſymptomata* demulcere ſategeris, corpus oppido confirmare recreareve laboraveris,

latentem lavabis, fonte intus adhuc latitante: His ergo alexipharmacis, ſeu ſalibus volatilibus adjuta natura valida, ſal illud in maſſa ſanguinea ex parte fixum, jam iterum volatile redditum, per arterias in venas amandat, unde non una inſignis lata macula, ſed complures & innumeræ, circulatione ſanguinis reſtaurata, ſudore univerſi corporis largo interveniente, comparent ac efflorеſcunt, de quibus Practici ambigunt ſymptomatice an per criſin excernantur: Ego vero eas quandoque pro copia & qualitate ſanguinis, ſerique corrupti, quibus corrigendis natura non ſuffecit, ſiniſtre excretas, mortemque ipſam portendiſſe: Eaſdem quoque per criſin, æque ac variolas & morbillos non malorum motum, erupiſſe ſæpicule obſervavi: Sunt vero recenſitæ illæ maculæ in febribus malignis effectus peſſimæ cauſæ, ſeu quæ arguit tantam in vivo corpore fieri ſanguinis corruptionem, ut fermentatio cauſetur ejuſmodi diacriſin aut apocriſin in maſſa ſanguinea, ut ſal volatile ſeſe in conſpectum det, quod aptum natum eſt de ſubjecto in ſubjectum tranſire, & per conſequens venenum eſt, & tota ſubſtantia agit, atque hæc eſt τὸ θεῖον Hippocratica, &c. *S. Pauli Digreſſione de Febribus malignis* §.52.& 58.

XXXIV. *Antimonium diaphoreticum* in Febribus malignis, Variolis, Morbillis, imo ipſa in Peſte, etiam à ʒß ad ʒj oblatum, miræ eſt efficaciæ: Sed unde hæc vis diaphoretica juxta vim ſuam adſtrictivam emergit? *Simon Pauli Quadr. Bot*, p. m. 225. ζέσιν, ſanguinis ebullitionem, ſiſtere aſſerit, non ut ſudores moveant adhiberi; quemadmodum enim longe ſatius eſt in ſcintillam expuere, ne exardeſcat, nec mox ingenti flamma integras depaſcat ædes, ſic conſultiſſimum frigidis ac ſiccis, (cujuſmodi eſt Antimonium diaphoreticum, item nec non rad. tormentillæ, biſtortæ, quæ adſtrictivæ & diaphoreticæ, bolus Armena, terra ſigill. c. c. uſtum, calx Antimonij &c.) prohibere ſanguinis incendium, ſive id inſequentem ζέσιν, quæſi modum excedit, ita ut turbata omnimode ſanguinis circulatione, ſanguis ἀμόρφως corrumpatur, nec is redire amplius ad habitum naturalem poſſit, ac corruptionem illam inſequatur contagium, quam plurimos e medio tollens, peſtis ea audit, cujus fomitem, ſeminarium, aut contagium denique, nonniſi aut alexiteriis aut ſudoriferis foras e corpore eliminabis. Sed hæc ratio nondum ſatisfacit, nam ſi hæc valeret, non tuta foret curatio, dum cauſa iſtius incendij ſeu ebullitionis hac ratione non tolleretur, & Opiata valentius idem effectum præſtare valerent; Imo unde ſudoris eruptio conſueta poſt enumeratorum Medicamentorum, diaphoreticorum frigidorum & ſiccorum uſum? Quapropter ſtatuo Antimonium diaph. prout & reliqua, non equidem ex illorum ſudoriferorum cenſu eſſe quæ vim attenuandi & reſolvendi craſſos humores obtinent, ſed talia eſſe quæ Naturæ æmula, vi ſua figendi & præcipitandi, à textura peculiari partium dependente, fermenta morbifica, vel ſalia volatilia ſulphurea, figunt & præcipitant, unaque tonum roborant, quo facto vis Archei tumultuans ſedatur, illud quod moleſtum eſt per ſudorem vel urinam, ex lympha vel maſſa ſanguinea exterminat. *Frid. Hofmannus clavis Schrod* p.303.

XXXV. Ne quis gratidem dicam ſcribat impingatque, quaſi nos ignari ſimus methodi medendi, quod cum calida ſiccaque intemperie, eaque ſatis inſigni, tactu quidem miti & blanda, febri maligna laborantes infeſtentur, ad ſudorifera, ad diuretica, ad ſalia denique (addo & largior illi hoc ultro, licet id univerſaliter verum non ſit hæc omnia eſſe calida) ſeu ad ſacram anchoram illico confugimus, febris cum frigida poſcat &c. Ego *Hofmanni*, cur nempe calidis medicamentis calidæ intemperiei morbi curentur, rationem ex illius de Medicam. Officin. lib. 2. cap. 128. petitam hic introducam, Quippe ea non ſolum in lue Venerea, cujus medelam loc. cit. pertractat, ſed in malignis febribus & multis aliis, Occultis morbis dictis, & in quibus τὸ θεῖον Hippocrat, cum (quod vocabulum complures perperam accipiunt) delitеſcere dicitur & creditur, locum habeat; Ibi poſt *Fallopium* in illos invehitur qui lignum Guaiacum, amarum & odorum, atque adeo calidum & ſiccum eſſe fatentes, tamen velint idem temperatiſſimum, & tam ſimile eſſe corpori noſtro quam ullum alimentum, ideo quod à ligni uſu cernant quoſdam corpulentiores fieri, *Qua contradictione conſtricti quidam*, inquit Hofmanus, *dixerunt Lignum hoc curare quidem Luem, ſive ex calidis pendeat humoribus, ſive ex frigidis ſubſtantia proprietate, ſive, occulta proprietate, conjunctos autem illi alios morbos manifeſtis qualitatibus. Sed revera hi multo magis decipiuntur. Si enim maxime ita eſt, ſi ſubſtantia proprietate curat ipſam luem, depoſuitne manifeſtas qualitates? Non dicent, ſpero: propterea problemata etiam manent indiſcuſſa cur calidum pugnet calido & ſiccum ſicco? Quod ſi tale eſt in morbis adjunctis, cur in ipſa radice non eſt? Sed & calidum, & humidam perfectéque & plus nutrit quam jus pulli conſummatum? Stat igitur hoc, Guajacum eſt calidum & ſiccum, & quomodo pellit morbum calidum & ſiccum? Diſcuſſis & abſumptis calidis & ſiccis humoribus*, (Ego addo, ejuſmodi apparere, aut ideo exiſtere calidos ſiccos, ob ſal, quo lue Venerea infectotum ſanguis neceſſario & extra controverſiam exuberantiſſime abundat, quia nempe contagioſa hæc illotum lues eſt) *quæ eſt refrigeratio per accidens: ita Rhabarbarum refrigerat purgatis ejuſdem generis humoribus. facit autem non ſine diſcrimine & abſque methodi legibus, abſque quibus qui tentarunt, inſigniter læſi ſunt: Tamen nutrit? reſpondet etiam corpus? Neutiquam nutrit, cum enim alimenti vox ſit paſſiva. hoc eſt ſit rei quæ vincitur, quis credat medicamentum tam calidum poſſe vinci & in ſubſtantiam alis poſſe converti? Tamen fiunt habitiores? Fateor, jam enim dixi per accidens fieri, diſcuſſis calidis humoribus, & expeditis viſcerum obſtructionibus quæ generationi ſanguinis obſtabant; Tamen, quam malus es Logicus qui non diſtinguas quod per ſe ab eo quod per accidens &c.* Summa autem hæc eſt, ex accidenti luem veneream, calidum & ſiccum morbum, curari calido medicamento, & quidem ligni Guaiaci & ſimplici decocto: Quod quoque in febri maligna & petechiali fieri, dum ſudoriferis, diureticis, & in ſpecie ſalibus utimur, affirmandum eſt, nempe acria hæc & calida ex accidenti iis prodeſſe. Cur? quia dum in ea, criſi nulla aut imperfecta interveniente, in ſanguinea maſſa jam ex parte

fixum

fixum redditum Sal, in manibus aut pedibus, aut potius anaſtomoſibus venarum ac arteriarum dictarum partium, & corde remotiſſimarum, liberam circulationem prohibet, ſalia iſta id volatile reddunt, quo vel attenuato, & volatili reddito, per ſudores, vel fixiori & veluti fuſo, ac ad vias urinarias, beneficio circulationis amandato, illa ipſa libere iterum officium ſuum facit, qua procurata, eluttiatur vere ſanguis & veluti ventilatur, non ſolum in dicta febri, ſed aliis morbis malignis & contagioſis: hinc ſanitas obtinetur & malignitas abigitur: aſt ubi in morbo hoc acuto, & febri maligna, natura adjuta non fuerit, tum demum quicquid ceſſante febri, aut ζέσιν in ſanguinea maſſa, corruptum eſt ac remanet, abceſſus & tumores varios variarum partium gignit. *Idem Ibidem* §.60. *&* 62.

XXXVI. Quando in continuis, imo quoque Malignis febribus, vbi *delirium* imminet, aut *Vigiliis* laborant ægri, *Plantis pedum topica* applicamus, quæ revulſionis gratia applicari perhibentur, næ hic magnis committitur fallacia cauſæ? Ea vero omnia tum calida, ſalibus ſuis abundantia, & valde tenuium partium, Columbæ vivæ diſcerptæ, haleces muria conditi diſſecti, raphanus, fermentum cum ſale, ſinapi &c. Hinc dictis in corporis extremitatibus, dum uterque venoſus & arterioſus ſanguis febrili calore exuſtus, gravior lentiorque factus eſt, libere circulari nequit, illa ipſa plantis pedum ſubdita, beneficio ſalium ſubtilium & volatilium quibus pollent, fixum illum ſanguinem ſerumq; attenuant liquefaciunt fundunt, & ſic ex accidenti, dum procuratur libera ſanguinis circulatio in pedibus, nec reſtagnare is in caput poteſt, ſomnus obrepit naturalis. *Idem Ibidem* §.62. *Vide Tit. de capitis affectibus in genere.*

XXXVII. Atque ut ſummo cum periculo in febribus Malignis inſtituuntur *Purgationes*, ſic notum tam illa medicamenta quæ adverſus febres, quam quæ adverſus venena commendantur, ſæpe ſibi è diametro eſſe contraria, Cur? Quia quædam *Antifebrilium* medicamentorum non per indicationes ſed per empeiriam inventa ſunt: atque cum modus corruptionis ſanguinis noſtri in febribus, & præſertim malignis & petechialibus variet, & veluti eludat ſolertiam Medicorum, hinc vſu venit ut cum intermittentes, tum maxime malignæ & petechiales febres, ubi ad antifebrilia & ſpecifica dicta perveniatur, uſque adeo curatu quoque difficiles ſint ut caſu potius quam ratione curentur; Cauſa autem, præter illam quam de ſanguinis corruptione attuli, hæc eſt, Quod febris nulla ſine fermentatione aut ebullitione exiſtat: Hinc ſi v.g. nux moſchata, alumen, tormentillæ pulvis, antifebrilis *Crollii*, ex longis teſtis cochlearum cum aceto vini paratus margaritæ, corallia, lapis Bezoar, pretioſi lapides & ſimilia febricitantibus propinantur, quandoque accidit ut febris deſinat, Cur? Quia ebullitio illa per ea ita ſiſtitur, æque ac ardorem ſtomachi uſu ſolius ſimplicis cretæ pulveriſatæ ſiſti novimus: At ſi ſimplicia hæc ad rationis ſtateram examinaveris, & exſiccando, & partibus ſuis terreſtribus id agere quod agunt, vero maxime videtur ſimile: Fruſtra enim illi ſunt qui putant hæc & ſimilia ideo propinari, vel ut per ſe ſudorem moveant, vel ut cor corroborent; in quo errore plurimi verſantur, quos refellit *Platerus* quæſt. therapeut. 91. Cum ergo ζέσις illa à febrili fermento excitata, in febribus malignis longe doloſior & occultior quàm in tertiana eſſe adverſatur, hinc quoque in ea longe fructuoſius recenſita ſimplicia ad fermentum illius figendum, aut ζέσιν ſiſtendam, quam in malignis febribus propinantur: hæ quippe occultius quidem ad ſtatum, attamen celerius properant: hinc quoque ocyus in illis quam in Tertiana, (inducias concedente nobis) ex visceribus fermentum febrile in venas, vel aliunde nobiſcum communicatum μίασμα contagioſum, ex capillaribus & cutaneis venis & arteriis in majores rapitur: & per conſequens, quia principium in malignis febribus velociter tranſigitur, parum vel nihil recenſitis antifebrilibus, exſiccandi vi ſolum præditis, quoque efficies: Segnius enim agunt quæ ſunt craſſarum partium quam ut febribus his reſiſtere ea queant: Quid quod hæc & ſimilia ex accidenti quoque ſolum Cordialia ſint applicanda? quanquam *Sennertus* vim illis cardiacam & alexipharmacam aſſignet: Meo vero arbitratu nihil aliud hæc & ſimilia agunt aut præſtant, quam quod ebullitionem ſanguinis concitatam ſiſtant ſi poſſunt: qua ceſſante ſanguinis circulatio in corde ſuum officium rite facit, & cor hoc in caſu aliis cordialibus non indiget, ſuppar ſibimet ipſi gignendis ſpiritibus: at ſecus ſi accidat, ac malignitas ſi acceſſerit, ſyncope cardiaca ſupervenire ſolet: De altera vero Antifebrilium ſpecie dicendum, quæ contraria ſunt prioribus, impenſe terreſtribus & ſiccantibus, & vulgo quoque magis quam dogmaticis Medicis uſitatiora, quæ hæc ſunt, Piperis ſell. genera, zinziber, vinum adultum, vinum abſinthites & ſimilia; quibus per empiriam quoque felicius tertianæ quam continuæ extirpantur, Cur? Quia ex accidenti ab uſu horum medicamentorum vomitus cieri, camatina vel ſaburra ventriculi ſub paroxyſmum commota, atque ita una fermentum febrile excerni ſolet, vel ratione robuſtiorum individuorum, per calida & diuretica hæc, idem fermentum ad vias urinarias deducitur, aut abripitur ocyus quam ut maſſam univerſam inficere poſſit; quæ contra in continuis febribus, & nullis induciis intervenientibus facillime corrumpitur: Si vero ad vias vrinarias fermentum & abripiatur, & turbidæ, male coloratæ, graveolentes urinæ mingantur, plerumque febris levamen ea portendunt: Hæc ergo cum ita ſe habeant, quis deinceps ubi vomitoriis locus non eſt, potius non eliget in febribus malignis diuretica & ſudorifica certa, quam ut vel ſexcenta incerta, antifebrilia dicta, eventu vel nullo vel dubio periclitetur? Quare celeberrimi *Rulandi* nunquam ſatis laudata ſolertia, magis ac magis confirmari meretur, quod in hiſce, & in ſpecie ſalibus, omne præſidium adverſus febres malignas collocare videarnt: Sic lapis prunellæ, aut ſal, præterquam quod ζέσιν ſiſtit, inſigne eſt diureticum: Balſamos ſulphuris, ζέσιν quoque ſiſtens, inſigne eſt ſudorificum: utraque vero adverſus peſtem & malignas febres decantatiſſima ſunt remedia: Hic vero lubet modum tradere, per quem, vel ſolius naturæ motu, in cute noſtra maculæ erumpunt, vel adjutæ alexipharmacis & ſudorificis, cutis noſtra iis obſeratur, iterumque emaculetur, Natura vel laceſſita, vel adiuta alexipharmacis, ſibi noxium, & tota ſubſtantia, plus minus, corruptum ſanguinem expellere pertentat; quod dum facit, vero fit mihi ſimile idem ſanguineæ maſſæ accidere, præſertim ad anaſtomoſes venarum & arteriarum, manuum pedumve, quod flumini frigore conglaciato acti ſoluta hyeme: Nam ut glacies tunc temporis Solis calore blando & miti liquefit, ita natura à febrili

calore inſpiſſatum ac lenteſcentem in venis, ac veluti ob ſalis copiam in extremitatibus manuum pedumve cnaleſcentem ſanguinem, beneficio ignis animalis, ſeu calidi innati, præſertim poſt morbi ſtatum deferveſcentis, nec amplius ita p.n. ut antea urentis morbum ſuperatura fundit, & ut torrens aut fluvius ſecundo flumine, rapide & fruſtatim glaciei fragmenta abripit, ita ſanguis in venis, ſalis p. n. fixi redditi portiunculas, quæ maculæ ſunt aut maculas conſtituunt: Unde non mirum ſi natura ab uſu alexipharmacorum aut ſudoriferorum, ea mineralium, vegetabilium, & præſertim animalium genere paratorum, ſalibus volatilibus abundantium magis vel minus, ſerius ocyus, ſenſim vel ἀθρόως, pro ſubjectorum diverſa temperie, petechias ratione coloris, magnitudinis, numeri denique variantes ad cutem protrudat, quas quidem *Rulandus* venarum capillarium extremitati affigi obſervavit; Sed quæ nihil aliud ſunt quàm ſal ſeri & ſanguineæ maſſæ, volatile factum, quod per poros cutis exſudans proxima & unica omnium macularum, parvarum & lenticularium, vel etiam magnarum & palmarium, in febribus malignis eſt cauſa, dum nempe id in cute effloreſcit, & iterum in ea figitur, uſque dum melioreſcente valetudine, id ſenſim per inſenſibilem tranſpirationem evaneſcit, vel etiam durante morbo aut febri, in atomos viſum effugientes reſolvitur, quas μιάσματα appellamus, & contagij proximæ ſunt cauſæ. *Simon Pauli Digreſſione de Febr. malignis* §. 74. 75. 77. & 78.

XXXVIII. Apud Germanos *Sudatoria* ſeu *Diaphoretica* magno in uſu ſunt, & *Paracelſus* in peſte & febribus malignis hoc remedium egregie laudat, & inter cætera aquam vitæ pluties diſtillatam, cum tali artificio ut medium phlegmatis relinquatur, quod ita probatur, mittendo ſcilicet aliquantulum iſtius aquæ in patina ſtannea, & appoſito igne incendatur; ſi poſt flammam nulla in patina pinguedo relinquatur, non amplius diſtilletur: Si vero relinquatur, rurſus diſtilletur quouſque nihil remaneat, & ea hæc detur ʒß cum ℥iv aquæ hordei calidæ: Nos in hanc intentionem uſi ſumus Elixir vitæ *magni Ducis*, deinde Eſſentiæ theriacalis ejuſdem in eadem quantitate ad gtt. ij: Nec eſt quod quiſpiam reprehendat uſum horum medicamentorum, ut valde calidorum, quia calor illorum facilè diſſolvitur & penetrat ad membra principalia, per ſudores labem humorum educit, præterea his utendum calidis poſt frigidorum aſſumptionem: nam febres malignæ & peſtilentes per vim ignis aliquando curari debent. *Fonſeca conſult.* 47. *Tom.* 1. In maxima virium ruina roborantia calida non multum metuenda ſunt, ut febris augmentum formidantes, ægrum ab imminenti mortis diſcrimine liberare nolimus, quandoquidem urgentioris perpetuo major habenda ratio: Refectis enim aliquantulum viribus cordis, quod roborantia calida plus æquo inflammarunt, refrigerantibus validis, ut ſale prunellæ, & ſpiritu vitrioli in julepis & potu ordinario permiſtis, poſtmodum contemperari poteſt: Hæc methodus à prudenti Medico obſervata, etiam in alexipharmacorum & ſudorificorum calidiorum exhibitione fœliciter ſuccedit. *Riverius*. Quoad medicamenta bezoartica, venenatam humorum qualitatem extinguentia, Theriacam, mithridatium, confectionem hyacinth. omnibus aliis citra omnem controverſiam præſtant: quæ licet nonnullis in peſtiferis febribus reprobentur, quia calida ſunt, obſervavi tamen horum uſu plus commodi quam incommodi comparari: Hinc *Galenus* lib. de Theriaca ad *Piſonem*, in malignis & peſtilentibus theriacam concedit: Cujus conſilium probo, modo febris non ſit de genere earum quæ maxime urunt. *Zecchius conſult. ult.*

XXXIX. Graſſantibus Epidemiis malignisque febribus, vel non iiſdem graſſantibus, ſi eductus ſanguis frigefactuſque colore diſſimilis non ſit optimæ notæ ſanguini, ſitque impenſe veluti rutilans, ad floris cardinalitij trachelij illius Indici colorem proxime accedens, imo propemodum ſuperans, perpauco ſero conſperſus, Mortem aliquammultis portendiſſe obſervavi aliquoties, aſtantibus & imperitis, ſibi ob roſeum hunc & coccineum colorem gaudentibus, ægro vero gratulantibus. Ego autem jam pridem condocefactus ſum, diffidens ſemper ejuſmodi ſuſpectæ ſanguinis bonitati, propinare in ejuſmodi caſibus ægris alterantia una cum alexipharmacis, & præſertim hoc decoctum raſuræ c. c. meæ deſcriptionis ℞. raſur. c. c. ʒß. rad. fœnic. contrayervæ, ſcorzoner. carlinæ ana ʒij ſemin. aquileg. fœnic. āā. ʒj zibebar. exacinat. ʒij coque in ſ. q. decocti hordei: ſub finem coctionis adde conſerv. roſ. rubr. ℥ij borrag. bugl. āā. ℥j. *Simon Pauli Digreſſ. de febr. Malignis* §. 11.

XL. Quidam *Purpurata febre* graviter laborabat ano. 1622. vomituque moleſtiſſimo urgebatur omnis materiæ potulentæ ſimul atque ebibita fuerat, ſola juſcula retinens: per quatriduum febris ſævierat cum ardore & ſiti ingenti, quæ potu non poterat ſedari: Interiora adeo exſiccabantur & adurebantur ut lingua ſummam nigredinem & ariditatem præ ſe ferret: Tam grave ſymptoma hoc leviſſimo remedio ſublatum ℞. ſalis abſynthij ℈j ſucci limon. recent. cochlear unum, mixta fuerunt in ipſo cochleari & exhibita: Statim vomitus ſedatus eſt, & àb eo tempore bibit quantum voluit, neque aliquid deinceps vomitu rejecit. *Laz. Riverius centur. 1. Obſ. 15.*

XLI. Cum manus pedeſque magis quam aliæ artuum partes excrementis tertiæ concoctionis, ſecundum naturæ aut circulationis motum ſcateant, quotusquiſque jam eſt qui non affirmabit credibile eſſe in febribus, & præſertim malignis, circa has partes maxime corrumpi humores: nec expedire Medicis aut adſtantibus maligna febri laborantium, manus ut contrectent juſto frequentius, aut eorum ſuis foveant diutius, niſi velint ſponte ſua contagio infici: Hujus vero rei hoc à me experimentum accipite, quod aliquoties pulſu in maligna febricitantibus explorato, meæ mihi manus ita prurire cœperunt ceu urtica Romana fuiſſent perfrictæ, quas domum reverſus ubi laviſſem, ecce de improviſo inſigniter & incredibiliter digiti intumuerunt, tumore unius quadrantis horæ ſpatio evaneſcente: *S. Pauli de Febr. mal.* §. 63. Simile quid hic ſum expertus anno 1669. quo epidemicæ fuere variolæ; Illis obſeſſæ Nobili Matronæ cum aſſideret uxor mea (ab iis hactenus immunis) de ſtatu ægræ clam aliquid monitura, in aliud cubiculum me ſubduxit, at vero dum me alloquitur, evibratas quaſi ea ore in faciem perſenſi aciculas, faciem vero & os præcautionis gratia mundare & abluere juſſi, cardiaciſque ſe munire, ſic impune præſentiam, per Dei gratiam, infectæ amicæ intimæ pertulit.

XLII. In iis peſtilentibus & malignis febribus curandis duæ habentur viæ, altera Græcorum, jubet enim *Galenus* aperire, vias reſerare, & totius corporis expiramenta patefacta habere, ut videre

eſt

eſt 2.de diff.febr. Altera Arabum, qui res frigidas & ſtypticas, ac conſtringi facultatem habentea potius concedunt: Nos optimam utramque viam tenemus, Donec namque peſtilentis febris caliditas viget & fervet, rebus frigidis, ſtypticis ac acidis utimur, ut putredo infringatur, coerceatur, nec amplius ſerpat: item ne hoc veneno lancinati ſpiritus brevi deficiant, ad quorum diſſlationem & reſolutionem vita amittitur & mors introducitur: Cæterum remiſſo hujus peſtilentis febris incendio, furoreve, tunc ad ea quæ aperiendi, & ſudorem evocandi facultates habent confugimus, *Amatus cent.6.curat.23.*

FEBRIS OCTONA.

Curatio

QVintanorum, *Sextanorum*, Septimanorum, *Octanorum* & *Nonanorum* circuituum meminit Hipp. 1. Epid. ſect.3. Ego febrem octonam in vxore N. obſervavi: In eam incidebat, vigiliis & curis ob morbum mari ſemeſtrem confecta: Affligebatur autem x. vel x1. paroxyſmis, iiſque non obſcuris & levibus, ſed ſatis manifeſtis atque gravibus, ſingulis octo diebus accurate redeuntibus: Vnde memor eorum quæ *Luſitanus* cent.7. cur.26. monet, quod ejuſmodi febris ob tarditatem motus ad quartanæ naturam potiſſimum vergat, tanquam quartanam hanc quoque curavi: Et cum menſes (qui & ipſi alias mœrori indulgentibus, & pigri, melancholici, quaſi deſides reddi ſolent) minus reſponderent, venam in talo ſecui, ſicque integræ ſanitati reſtitui. *Ph. Salmuth.Obſ.13.cent.3.*

FEBRIS PEMPHYGODES

SYLLOGE.

Balneo curatur. 1. *Alexipharmacis.* 2.

FEbrem *Bulloſam*, ſeu *Ampulloſam*, voco in qua totum corpus efflореſcit, quæ ab ſpiritibus attenuatis & excandeſcentibus, cum ſanguinis portione calidiſſima ad cutem tranſmiſſa, originem ducunt: Exiſtimo autem hanc febrem comitari Puſtulas illas quæ à Græcis dicuntur Exanthemata; Sic enim vocat Hipp.2.Porrh.ſ.2.t.25.& *Celſus* lib.5.c.28. *de Puſtularum generibus*, quo loco Puſtulas dicit oriri vernis temporibus circa totum corpus, aſperas, modo rubentes, modo cutis colorem non excedentes, ſimiles illis, quæ ex ſudore, vel ex viticis naſcuntur: Adde quod repullulant in modum verberis in humano corpore remanentis, priſci vibices appellabant: His puſtulis cum febre ingenti affectus quidam, cui ter ſanguis miſſus eſt, depoſita ſarcina, expurgatum corpus, refrigerantia adhibita, hinc remiſit febris, ſed hepatis ardor ita increvit, ut de novo, prurituin cute excitato, ulcera renaſcerentur, quæ nec ſero lactis, nec ſalvatellæ ſectione, aliiſve applicitis, præterquam balneo ſuccubuere: Sic *Simon*, cui latæ puſtulæ, non admodum pruriginoſæ per corpus eruperant, cum calida lavabatur, juvabatur, 6.Epid.2.t.50. *Galenus* in comm. Succi, ait, ad cutem vergentes per eam ſunt evacuandi, nam iterum ad intima corporis revulſio ipſi valde longinqua eſt, ut per alvum aut vomitum vacuentur. *Zacutus Prax.adm.l.5 obſ.15.*

II. Licitum erit ſequentem caſum ad *febres Bulloſas* revocare, quantumvis ampullæ non tantum fauces, ſed alias etiam corporis partes externas occuparint: Anno 1667. 25. Aug. Quinquagenarius vicino ſuo in tegenda domo nova ſuppetias fert: in culmine autem conſtitutus malignaque quadam aura perculſus, inopinato dolorem capitis graviſſimum cum calore p. n. conjunctum perſentiſcit: ſequente mane accerſitus, audio querentem de immaniſſimo capitis dolore, cum interiorum horripilatione: ad nobiliora bezoartica, cum præcipitantibus commixta, confugiendum ratus, & pro calore p. n. & fermento febrili compeſcendo, antimonium ad modum Poppij, debito modo calcinatum, cum oculis canc. pptis commixtum, ſingulis 4. horis in aq. ulmariæ exhibebam: Circa Solis occaſum refert vxor faciem mariti mirum quantum intumuiſſe; Cum vires conſtare ſcirem, continuationem pulveris impero, Aug. die 27. patientis fauces & faciem bullis adeo fœdatam deprehendo, ut vix cognoſcibilis eſſet, imo ipſe collum, manus, thoracem, & partes libero aëri expoſitas, bullis majuſculis, inſtar globulorum pueris ludentibus uſitatorum contectas monſtrabat: calor vero p.n. nonnihil remiſerat, ut & ſymptomata, ſic per uſum prædictorum remediorum intra octiduum convaluit: uſus quoque Iulapio ſambuci myrrhato, cum ſpir. Salis ſulphur. acuato. *Chriſtoph. Seliger in miſc.cur.anni 1677.obſ.56.*

FEBRIS PERIPNEVMONICA.

Deſcriptio & curatio.

SVb hyemis exitum, vereque adhuc naſcente, quotannis emergit Febris *Symptomatis Peripneumonicis* haud paucis conſpicua: Paulo habitiores ac craſſos præ cæteris aggreditur, virilem ætatem vel aſſequutos, vel etiam (quod ſæpius accidit) prætergreſſos, liquoribus ſpirituoſis (vini maxime ſpiritui) plus æqu. addictos: Cum enim in hujuſmodi hominibus ſanguis humoribus pituitoſis, brumæ tempore congeſtis, fuerit oneratus, atque idem ab ineunte vere in novum motum cieatur, Tuſſis hanc nacta occaſionem mox ſubingreditur, qua miniſtra dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt: quo tempore, ſi forte æger, nullo vivens conſilio, liquores ejuſmodi ſpirituoſos adhuc liberalius hauriat, craſſeſcente jam fere quæ tuſſim excitabat materia, & ab ea præcluduntur Pulmonum aditua, & Febris omnem ſanguinis maſſam depaſcitur: Primo febris inſultu nunc incaleſcit æger, nunc friget, vertiginoſus eſt, de capitis dolore conqueritur lancinante, quoties Tuſſis importunius fatigat: Poculenta omnia vomitu reiicit, nunc ſine tuſſi, nunc illa vexatus, urina turbida cernitur & rubens intenſe; ſanguis detractus Pleuriticorum ſanguinem refert: Anhelus ſæpenumero ſpiritum crebro ac celeriter ducit: Si moneatur ut tuſſim provocet, haud aliter dolet caput ac ſi in partes mox diſſiliret, (qua loquendi formula ægri ut plurimum loquuntur) dolet thorax omnis, vel ſaltem pulmonum coarctatio auribus percipitur, quoties tuſſit æger, Pulmone non ſe ſatis dilatante, præcluſis adeo ab intumeſcentia, ut videtur, meatibus vitalibus, unde intercepta circulatione, ſanguineque quaſi præfocato, nulla fere, præſertim in habitioribus, Febris indicia ſunt; licet accidere hoc etiam poſſit ob materiæ pituitoſæ copiam, qua horum ſanguis gravatus in plenam ebullitionem nequit aſſurgere.

In curanda hac Febre id mihi negotij dati ſentio, ut ſanguinem iſtum, qui ad Pulmonum & ſuffocationem & incendium facit, phlebotomia revellam:

Ipſos pulmones remediis pectoralibus deobſtruam atque eventilem, & Diætæ refrigerantis ope totius corporis calorem compeſcam: Cum vero *hinc* materiæ pituitoſæ ſaburra in venis contenta, Pulmonum inflammationi quotidie fomitem ſubminiſtrans, venæ ſectionem ſæpe repetitam videretur inculcare, *illinc* vero obſervatio, quâ facere potui, diligentiſſima, me doceret phlebotomiam ſæpius repetitam febricitantium iis qui craſſiore eſſent corporis habitu (præſertim ætatis florem prætergreſſis) peſſime ceſſiſſe, atque adeo ab ejuſmodi repetitione haud minus abſterreret, Catharſin ego crebriorem venæ ſectioni ſuccenturiabam, quæ ei ſatis recte ſubſtituitur in illis qui à largiori & iterata ſæpius phlebotomia abhorrent: Ad hunc itaque modum proceſſi, Sanguinem e brachio, in lecto, jacentis extrahendum præcepi, nec paſſus ſum ut ex eo ſurgeret ad duas treſve horas, cum omnis ſanguinis eductio, quæ univerſam corporis compagem labefactat quadamtenus concutitque, hoc pacto facilius toleretur; ita ut mitius cum ægro agatur, cum in lecto cubanti unciæ decem fuerint detractæ, quam ſi ſex ſeptemve tantum amiſerit poſtquam e cubili ſurrexerit: Die ſequenti Potionem ſequentem mane ſumendam propino ℞. *Caſſiæ extr.* ℥j. *glycyrr.* ℥ij *ficus pingues n. iv. fol. ſennæ* ℥iß. *agar. trochiſc.* ʒj, *coque in ſ.q. aqua, colat.* ℥iv. *diſſolve mannæ* ℥j *ſyr. roſar. ſol.* ʒß. Poſtridie ſanguinem ſecunda vice mittere ſoleo, atque interjecto die uno Potionem catharticam modo præſcriptam iterum exhibeo, diebus alternis jugiter repetendam, donec omnino convaluerit æger: Diebus à purgatione vacuis, Decocto Pectorali, Oleo amygdal. dulc. ac id genus aliis ut utatur conſulo: A carnibus & earum juſculo, maxime vero à liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque ægrum interim inhibeo; quorum loco ptiſanam ex hordeo & liquiritia (cereviſiam item tenuem, ſi eam efflagitet) pro Potu ordinario concedo.

Atque iſta quidem methoda vincenda erat *Peripneumonia* hæc *notha*, orta ab exundanti colluvie pituitoſa, in ſanguine aggeſta ob hyemis analogiam, in qua non tantum iterata venæ ſectio, ſed & catharſis etiam indicabatur, ſecus atque in vera peripneumonia, quam ego ejuſdem plane indolis cum Pleuritide eſſe arbitror, atque ab illa in eo tantum differre, quod Peripneumonia Pulmones univerſalius afficiat: Quin & utrique morbo pari omnino methodo medemur, Venæ ſectione ſcil. præ cæteris, & medicamentis refrigerantibus. *Sydenham Obſervat. in morbis acut. Sect. 4. cap. 4.*

FEBRIS PESTILENS, PESTIS.

SYLLOGE.

Peſtis eſſentia in quo conſiſtit. 1. 23. a. 23. b.
An Peſtis methodice curari debeat per Sang. miſſionem, purgationem &c. 2.
Sang. miſſio an in curatione *conveniat.* 2. a.
An in præſervatione à febre Peſtilenti. 5.
Quæ vena aperienda in curatione. 4.
Locus V. S. *in inflammationibus peſtil. internis.* 3.
Cautè inſtituenda in regionibus calidioribus, Abſtinendum in frigidis. 14.
In Febre peſtif. Saphenæ ſectio *utiliſſima.* 15.
Præſente Bubone *vena non ſecanda.* 16.
An purgandum. 7. 17.
Purgandum *in Bubone.* 18.
Peſte graſſante purgantia mitia ſint. 18.
Ea laborantes quando purgandi. 20.
An vomitus 6. 46. 47. 48.
Evacuantium utilitas & conditiones. 14. a.
In primis febribus peſtilentibus vehementia expulſiva calida noxia. 8.
Chimica medic. *calida quibus noxia.* 26.
Bezoarticus *lapis Occidentalis cur Orient. præferendus.* 27.
In Peſte an Bolus Armena. 29.
Theriaca *quando concedenda.* 9.
An tutus uſus ſpiritus vitrioli. 11.
Antidotus vera & propria nondum inventa. 41.
Uni alexipharmaco non fidendum. 33.
In lepu refrigerantibus hidrotica *addenda.* 22.
Sudoris detergendi ratio, & regimen hidrotico data. 25. 49.
Hidrotica *crebro exhibentur.* 24. 26. 47.
Cardiaca (*quæ acida eſſe debent*) *varianda.* 23.
Acidorum *in præcautione & curatione efficacia.* 23. a.
Antimonialia *ſumma ſunt efficacia.* 47.
An Amuleta *&c. ex Arſenico præſervent.* 32.
Allia *in præſervatione an admittenda.* 35.
Camphora *caute utendum.* 10.
Aromata *in præſervatione pernicioſa.* 36.
Narcoticorum *efficacia & modus exhibendi.* 30.
Medici Peſte affectos viſitantis methodus præſervatoria. 20. a.
Etſi remittant ſymptomata non in tuto eſt æger. 31. a.
Cauteriorum *ad præſervationem efficacia.* 12.
Quo tempore in uſum ducenda 13.
Frictio ex nitro *calidam externalis.* 42.
Salis & ſalitorum *uſus eximius in præſervatione & curatione.* 34. a.
Piſces ſaliti conducunt. 34. b.
Diæta 34. 34. a. 34. b. 34. c.
Vinum *in febre peſtil. an præbendum.* 28.
Suppoſitorium clyſteri præferendum ſi alvus adſtricta. 21.
Appetitus amiſſi reſtitutio quibus & quando procuranda. 45. a.
Caute fuga conſulendum ſaluti, 37.
Cadavera an contagioſa. 38.
Mortui cito ſepeliendi. 39.
Habitus Medici in peſtilentia. 40.
Cubiculum infecti quale eſſe debet. 31.
Formula ad aëris caſtigationem quomodo paranda. 45.
Curandi ratio. Sydenhamiana 46.
Vigiliis & dolori capitis an narcotica. 44.
In fluore alvi ab acidis abſtinendum. 43.
Peſtem curandi methodus Sylviana, 46. a.
Paucis remediis perficitur Peſtis curatio. 47.
Vomitoria hidroticis, *& hæc acidis jungi poſſunt.* 48.
Exhibito medicamento emetico & ſimul hidrotico, quomodo æger regendus. 49.
Dulcia in cibis vitanda. 34. c.
Peſtilens febris aliis contrariam curationem poſtulat. 36.
Quibus Tumores citra aliud ſymptoma oboriuntur, iis nulla medicatio debetur. 50.

I. Quoad

I. QUoad ad *morbi Eſſentiam* ſpectat, eam enucleate definire in me non ſuſcipio: Sed quoniam ſimilarium, omnium morborum ortus à qualitatum vel primarum, vel ſecundarum vitio (quod ſolum in hac rerum caligine nobis licet) deducere ſolemus, prope eſt vt credam *Peſtem* peculiarem ac ſui generis *Febrem* eſſe, quæ à particularum ſanguinis ſpirituoſiorum *Inflammatione* ortum ducit, utpote cujus naturæ ſubtiliſſimæ, pro tenuitate ſua, maxime proportionatæ ac adæquatæ videntur: Quod ſi ſubtilitate qua poteſt maxima pollet (vt in principio & ſtatu conſtitutionis epidemicæ) ſubito, & quaſi ex improviſo calorem nativum diſſipat, & ægrum è medio tollit: Cadaveribus interim, huius morbi ferocia tam ſubito extinctorum, maculis purpureis vndiquaque conſperſis, nempe fibris cruoris præ inteſtini conflictus violentia diſſilientibus, & compage ipſius prorſus diſſoluta: Atque hæc tragœdia præ huius quaſi flammæ ſubtilitate eximia, etiam ſine aliqua ſanguinis febrili ebullitione, vel alterius ægritudinis præſenſione ederetur: Secus quam vt plurimum accidit, vbi cauſa morbifica minus ſubtilis exiſtit, & quaſi obtuſiori telo vitam impetit. Verum eiuſmodi ſubitanea extinctio rarius occurrit, Etenim vt in aliis febribus plerumque rigor atque horror invadit primum, quem calor mox excipit, & tantiſper excurrit donec particulæ cruoris inflammatæ ad emunctoria amandentur, ac ibidem ad inſtar phlegmonum communium in pus vertantur: Iam ſi remiſſior adhuc ſit inflammatio Febres, quas Peſtilentes vulgo vocant, producere ſolet, vt in fine peſtilentis conſtitutionis ſæpe accidit, donec iſta febrium ſpecies prorſus diſpareat. At non modo febris præſentia, ſed & ſanguinis detracti color, qui pleuriticorum ac Rheumatiſmo laborantium ſanguinem plane æmulatur, huic ſententiæ ſuffragatur; & aduſta Anthracum facies, pyrotici actualis impreſſioni non abſimilis, Nec non Bubones ipſi, qui inflammationem æque ſolenniter excipiunt, ac eandem alii cujuſcunque generis tumores conſequi ſolent, vti & inflammationes pleræque in abſceſſum terminantur: Quin & anni tempeſtas, qua epidemica peſtis vt plurimum exoritur, ad hanc rem ſymbolum ſuum conferre videtur, Eodem enim tempore pleuritides, anginæ, aliæque inflammati ſanguinis affectiones populariter ingruere conſueverunt:

Sed perquirat hic aliquis, Si Peſtis in inflammatione quadam conſiſtat, qui fit vt medicamenta calidioris cenſus, qualia ſunt Alexipharmaca prope omnia, ad therapeian & prophylaxim tanto cum fructu vſurpantur? Cui reſpondeo illa duntaxat per accidens auxilium præſtare, nempe Diaphoreſeos, quam ſuſcitant, beneficio; quo particulæ ſanguinis inflammatæ diſſipantur, atque exterminantur: Quod ſi forte exhibita Sudores commovere non valeant (vt perſæpe accidit) mox ſanguinis incendium ab adſcititio calore magis efferatum eorum noxam palam proclamat: Prophylaxin etiam ad illam Antidotalium calidiorum vſum paſſim deprædicari ſcio, at quo emolumento adhuc probandum reſtat: Imo vinum liberalius ingurgitatum, aliáque fortiora præſervativa, ſtatis horis diætim aſſumpta, compl[illegible] alias ſalvi intactique veriſimiliter permanſiſſent [illegible] hunc effectum conjecerunt. *Sydenham Ob[illegible] morbis Acut. p. 132.*

II, An ratio curandæ *Peſtiferæ febris putredinalis*, ante vel poſt alexipharmaci vſum *vtramque* exigit *Evacuationem*, Et quæ *alteri eſt præmittenda*? Quum hæc duo problemata ita cohæreant vt alterum ab altero ægre divelli poſſit, ſimul dirimantur: Conſtat non modo plethoram & cacochymiam, ſed potius ipſam morbi magnitudinem, tam phlebotomiam quam purgationem & indicare & expoſcere: magnus vero aut levis morbus quivis trifariam dicitur, vel ob afflicti vlceris præſtantiam, vel ob affectus magnitudinem, quam ſymptomatum ſævitia indicant, vel ob eius malignitatem, vel virulentiam: Atqui cum *Febris peſtifera* primum cor infeſtet, veneni contagione particeps, horrendis ſymptomatibus, delirio, bubone, & anthrace æſtuet, ac triplici ratione non magnus modo ſed maiorum maximus dici debet, vtramque certe vacuationem expoſcere videtur: Atque hoc divi *Hippocratis* & *Galeni* præceptum, in omnium magnarum ægritudinum cura non eſt perpetuum, nam ſi quis venenoſorum animalium, vel telo virulento externe intoxicatus fuerit, tum horum curationis duplicem indicationem *Galenus* & *Damocrates* ſtatuunt, vel virus evacuando, vel alterando, Evacuationem vero non pharmaco, vel phlebotomia, ſed eorum medicamentorum ope fieri ſtatuunt quæ vi calorifica virus attrahant & eliciant, velut ſunt cucurbitulæ, cauteria &c. Altera vero curandi venena methodi indicatio in Alteratione conſiſtit, per medicamenta quæ vel qualitate, vel tota ſubſtantia ſunt veneno contraria. Has duas curandi virulentos morbos & Toxica rationes, dum peſtiferis medemur febribus quamprimum obſervandas conſulo: quippe cum omne venenum ex ſua genuina proprietate quam primum Cor, fontem & domicilium vitæ, petat, ac tum derepente per vniverſa corporis viſcera & molem diſpergitur, quid magis neceſſarium quam vt primum omnium Cordi cum his alexipharmacis, quæ qualitate aut tota ſubſtantia huic exitiali peſtis veneno repugnant, ſubſidium & opem feras? At ſi circa emunctoria cerebri, cordis, aut hepatis, id eſt, iuxta aures parotis, ſub axillis abſceſſus, in inguinum adenibus bubo, virtute expulſiva cooperante, erupetit, aut interim carbunculus in brachiis aut cruribus efferboerit, tum feſtinanter velut in vulneribus virulentis medicamenta quæ virus extrahant ad locum affectum applicato, & abſceſſum ante maturationem ſcarifica, aut aperi vel cauterio adurito, actuali vel potentiali, ſi patiens ignem vereatur, quæ ſua vi calorifica & ardente non ſolum noxios humores attrahunt, ſed etiam non raro factas ex his collectiones aperiunt: An vero præter hæc; hujus morbi noxij humores phlebotomia aut pharmacis ſint evacuandi, hic adhuc ſub judice lis eſt: Verum cum morbi cauſa intra venas ſanguini commixta commiſceatur, quid vetat x. vel xij. ab aſſumpto alexipharmaco, & finito ſudore, horis, refectis ante viribus, venam in eodem latere ſub abſceſſu vel anthrace, in competenti membri loco, ætate & viribus ſuffragantibus, incidere? quum phlebotomia non tantum infectos humores educat, ſed & obſtructiones aperiat fervorémq; febris remittat; Nec eſt quod vereatis humorum ad interna revulſionem, quum abſceſſus validis medicamentis attractoriis ſint cooperti, quæ revulſioni reſiſtunt: Unde *Gal.* & *Paulus* curam anthracis à ſectione venæ vſq; ad animi deliquium, excluſive tamen, inchoare ſuadent, quod nec ego improbo: An vero in cura hujus febris fortia purgantia æque competant, non

facile dixerim, quippe quum ea humores noxios magis conturbent, & per corpus diſpergant, & surſum per viſcera ad inteſtina revellant, roburque corporis diſſolvant, & venenoſa quoque qualitate participent, ac non raro dyſenteriam ventríque fluorem proritare ſoleant, qui alioqui huius febris peculiare, & ut plurimum lethale eſt ſymptoma, quo omnes fere in illa diuturna Romanæ urbis peſte correptos, quos bolus Armenus non iuvit, interiiſſe *Galenus* 3. Epidem. refert: Cæterum ſi alvus obſtructa ſua excrementa non deiecerit, quis clyſteris lenitivi vſum diſſuadebit? Et ſi morbus ſtatum exceſſerit, vt reliquiæ morbi extirpentur medicamen purgatorium ex rheo, agarico, caſſia, tamarindis, manna, obeſſe non poterit: perinde ac illa fortia, diagridium, colocynthis &c. quum venenum redoleant, prodeſſe non poſſunt: Multos de quibus etiam conclamatum erat, in hac peſtifera Lue hac methodo curavi, primo, ſi alvus aliquot dies ante morbi initium parum, vel nihil excreverat, cum glande impoſita, aut levi enemate eam exoneravi, poſtea alexipharmacum ſudoriferum exhibui, quod pro ratione ætatis & virium, ſudorem duas vel tres, aut etiam plures etiam horas promoveret: Cordi epithemata applicui; Et ſi abſceſſus vel anthrax eruperat, confeſtim emplaſtra quæ virus attraherent & emungerent, accommodavi; Tandem à ſudore hora ſexta, vel ſeptima, refectis tamen prius aliquo iuſculo viribus, venam opportunam ſecui: at non ab alexipharmaco, aliis ſingulis diebus, mane & veſperi, potagia alterantia, quæ ſua qualitate & tota ſubſtantia veneno morbi reſiſterent, calubni, & quoque cor confortarent, qualia ſunt quæ ex ſucco citriorum, limonum, arantiorum, acetoſæ & luiulæ, cum momento aceti & ſaccharo decocta conficiuntur: Ac in morbi declinatione, ſi appetitus edendi languebat, vt corpus tuto nutriri poſſet, ſanguinem a reliquiis contagionis pharmacis paulo ante commemoratis expurgavi, Poſtremo Chirurgis, ne Vlceris aut Carbunculi conſolidationem præcipitarent, Cocis vero vt præſcripto tempore commoda eſculenta & potulenta ægro ſuppeditarent edixi; qua curationis via ingens ægrorum numerus convaluit. *Ioannes Langius lib.* 1. *Epiſtol.* 18. Hinc patet eos errare qui ſolis alexiteriis contenti, omni ætati ea exhibent, ſine methodo, ſola nixi experientia, Nec omnem reſpuendam methodum, cum non vnam habeat *Febris Peſtilens* curandi indicationem, ſed geminam triplicemve, febris enim refrigerationem poſcit; putredo alterationem, vacuationem &c.

II. *a.* An *Sanguinis miſſio* conveniat in curatione Febr. Peſtilentis, in contrarias planè ſententias itum eſt, aliis Venæ ſectionem in Peſte ſuadentibus, aliis improbantibus: At neutra ſententia ſimpliciter admiſſa tuta cenſetur *Petro Salio*: meritò enim in vtraque invenit quod improbet: Qui enim ſolis alexipharmacis in curatione Febris Peſtilentis procedendum iudicant, repudiata prorſum ſanguinis miſſione ii ſolam, *inquit*, pernitioſam qualitatem attendunt; putredinem autem (ſeu fermentationem potius) nihili pendunt, cujus tamen in talibus caſibus maxima eſt habenda ratio: niſi enim hanc tollas, nec curari febris, quæ eſt putrida, poterit; hanc autem vix curare queas niſi multitudinem, quæ & obſtructiones cauſat & fovet, & quæ naturæ gravis eſt, minuas: Quare antidotos quidem exhibebimus, *inquit*, ad infringendam pravam labem, tamen tollendæ etiam putredini incumbemus, cuius cauſam removere conabimur, dum eventationem, exoneratâ naturâ & imminutâ materiâ, tentabimus: Eorum autem ſententia, *inquit*, qui in peſtilenti febre Venæ ſectionem admiterunt & laudaverunt, vereor, *inquit*, ne in perniciem humani generis invecta fuerit: Nimirùm perpetuæ veritatis hoc axioma eſſe cenſet, *Nunquam ratione peſtilentis affectus ſecandam eſſe venam*, Seu, *In febre peſtilenti Venæ ſectionem nullatenus eſſe admittendam*: Cæterum, cum aliquando onere levanda ſit natura, corpuſque eventandum, aliam viam præter Venæ ſectionem oſtendit quâ huic indicationi ſatisfacere abſque virium diſpendio liceat, ſcilicet per applicationem hirudinum venis hæmorrhoidalibus, vel per ſcarificationem partium inferiorum. Nos equidem ſentimus in Peſte genuina ac ſimplici Venæ ſectionem plerumque noxiam eſſe, ut pote quæ ſæpius peſtilent. febribus nocere quàm prodeſſe per experientiam frequentem deprehenditur, ſtatuamuſque præſidia illa, venæ ſectionis vicaria, commodius plerumque in peſte ſimplici adhiberi, Venæ ſectionem ipſam tamen in peſte coniuncta cum febre, aut peſtilentibus febribus ipſis, nequaquam in totum improbamus: Vbi enim corpus plethoricum eſt, ac à copia ſanguinis vel uires premuntur, vel diſpendium imminet, vel vbi febris adeſt peſti ſocia, aut ipſa Peſtil. febris affligit, ſecanda quandoque vena eſt, præſertim in aſſuetis, quando vicaria non videntur ſufficere, ſed non initio poſt alexipharmaca propinata, primámque duntaxat ſedationem peractam. Atque hic omnino *I. Palmarii* conſilium probamus cap. 23. Vbi ſic de Venæ ſectione ſtatuit, In Peſte quæ putridæ conſtitutioni implicita eſt, vnde capitis dolor, vigiliæ aſſiduæ, iactationes, ſitis, linguæ torrefactæ, moleſtæ arteriarum pulſationes, ingens præcordiorum æſtus, aliáque ſymptomata ab humorum fervore & putredine profecta inſunt: Si venæ humorum copia turgeant, ſanguinem mitti debere plus minus, vt fert vaſorum plenitudo, ætas, anni tempus, corporis habitudo & ſymptomatum ſævitia: modò vires valeant & morbi initio accitus ſit Medicus, ducaturque multò quàm in aliis febribus parcius. Ac iudice eodem. *Palmario*, ducendus eſt ſanguis, è pede quidem ac poplite, ſi Bubo protuberat in inguine aliâve parte infra lumbos ſita; E brachio verò, ſi in faucibus, aut axillis, aliiſve partibus quæ renes ſuperant, atque etiam in ipſis lumbis, idque ſemper ex eodem latere. Veluti rectè monitum ab eodem quoties Peſtil. febris imbecillitate virium, aut etiam ſyncope territat, à Venæ ſectione abſtinendum: Præterea quæcunque ſimplices ac legitimæ peſtes nulla putredinis ſigna in vrinis aut aliis excrementis oſtentant (ſeu quæ febres ſocias non habent) eæ, *Palmario* iudice, à Venæ ſectione abhorrent, quantumlibet ſæva vrgeant ſymptomata: In Peſte ergo, qua peſtis eſt, nil prodeſt venæ ſectio: at quâ à ſanguinis copiâ periculum imminet, dum quidem vires conſtant, ac aliæ circumſtantiæ non obſtant, ea minuenda eſt. *A. Deuſingius lib.* 5. *de Peſte cap.* 2.

III. *Manardus* in Peſte Peſtiferáque febri inferiorum partium vacuationi adeo fidit, ut vel in internis inflammationibus peſtilentibus, phrenitide, pleuritide &c. è *talo moliendam eſſe ſemper Venæ ſectionem* conſtanter aſſeveret *libro duodecimo Epiſt.* 5. Cum enim peſtilentialis, *inquit*, fuerit,

pleuritis,

pleuritis, quantò fieri poteſt longiſſimè à principibus membris ſanguis eſt detrahendus, quod melius per malleoli quam alterius loci venæ apertionem fieri credit *Galeni* loco niſus libro de Sanguinis miſſione cap. 7. ubi crurum venas ſecat in ſontico veniginoque morbo laborantibus; in quibus minus timendum ab humoribus ſurſum latis quam in peſtilentiali pleuritide: *Idem* 13. method. cap. 5. manu patiente ex cruribus ſecat venam: At errat eximius vir, nam ſi auxilia debent contendere cum morbo in magnitudine & celeritate, cur iis in affectibus præceps exitium minantibus, ex venæ non reſerabuntur quæ vitioſum ſanguinem à ſoco, profundoque corporis citiſſimè & revellere & vacuare queunt? quod certe præſtabit baſilicæ ſectio: Licet enim vacuationes ab univerſo animalium corpore fieri poſſint, tamen non ita celeriter atque ſimiliter ex omni vena fiunt; non ergo remotæ quætendæ venæ ubi locus particularis affectus: Præcautionis quidem gratia, in ſuperiorum partium affectibus ſectionem venæ in diſtantiſſimis partibus ſuadet, vel ubi affectus ſimplex eſt, vel venoſum genus occupat ſolum; at cum non revulſio ſolum, ſed & vacuatio in præcipiti periculique pleno morbo requiritur, ea tundenda vena quæ citiſſime à parte affecta pravum humorem eliciat: Recurſus humorum ad ſuperiora inanis eſt timor, motam enim non trahunt, nam velociter venæ ſectionis beneficio educuntur: Sic pus è fracta Pulmonis vomica innoxie per leves arterias ac ſiniſtrum cordis ventriculum tranſit: *Peſtilenti angina* (inquit *Ioſeph de Medicis, apud Horſtium libro primo Obſervation. ultimum ſub finem*) *fere enecatus in peſte quæ anno 1629. Amſtelrodami vagata eſt, tertio vel quarto die* (*tentaveram enim multa remedia*) *juſſi venam medianam dextri cubiti mihi ſecari & ſanguinis ſeſquilibram mitti, à qua cum nihil detrimenti, vel virium languorem percepiſſem* (*quamvis neque etiam morbi remiſſionem*) *ſequenti die tantundem ex altero brachio exhauriri imperavi: Quo ſolo præſidio, Deo annuente, totam virulentiam è corpore emiſi, atque hoſtem jugulum petentem profligavi: Quod ſalutare medicamentum plurimi poſtea adhibentes, ac mea veſtigia ſequentes, vere è mortis faucibus erepti ſunt.* Vide *Zacutum Princip. Medic. hiſtor.* 89. *lib.* 2.

IV. Suadet *Oribaſius* non venam ſecandam in *Curatione*, ſed *Crura ſcarificanda*: quod Ægyptiis in uſu, ubi Peſtis fere Endemia, teſte *Alpino*: Id recte fiet cum generali vacuationi operam damus, copioſe enim effluet ſanguis (novacula apud eos ſcinditur carnoſa trium muſculorum ſuræ moles, recto tramite; quatuor vel quinque vulnera ſatis profunda infliguntur, diúque ne coeant cavent, ita fœda expuitur eluvies) Et ita receſſit ille locus a corde ut non æquè id injuriam hanc ſentiat; Id etiam bene fiet ſi ad regionem cordis carbo conſederit, & ſanguinem eruitendum eſſe exiſtimaveris: Sin alias partes à corde diſſitas occupaverit ille, proxima à tumore pars erit ſecanda: Si carbunculi vel bubones ad inguina apparent, inferna ſecantur. Si in collo apparuerit, vena frontis pertundatur, vel narium venæ recludantur: vel externæ jugulares feriantur, aut ſub lingua vena reſerentur, & cucurbitulæ brachiis, ſcarificatio alia cervicibus præbeatur. Ex jam dictis rationibus (olui tamen ſidite) ferè auderem hoc aputeleuna inferre, Tumor malignus ultro obortus, ſi febrem anteceſſerit peſtiferam, in ſui principio, vegeta adhuc virtute, admittit validam venæ ſectionem, ex proxima ſibi venâ, ut venenoſa materia exhauriatur, febriſque futuræ metus arceatur: Sed tamen, ſi nullum putredinis ſignum alvi excrementum aut urina habet, vena non eſt ſecanda, etſi ſymptomata vigeant: Si verò hoc apoſtema conſectarium fuerit febri peſtiferæ, nocebit phlebotomia: Ergo antequam peſtifera ſit febris ſecare licet: Cum tamen à contagio naſcitur peſtis, ob venenoſam putredinem jam conceptam, à ſanguinis exhauſtione abſtinendum putarem. *Heurnius lib. de Febribus cap.* 19.

V. An Sanguinis miſſio competit in Febre Peſtilent. ad præſervationem? Ferè omnes ſcribentes, plethoram quoad vires (quia ea eſt à qua periculum corruptionis imminet) venæ ſectione tollendam docent: at hæc ſententia non ſemper & in omni caſu convenit: Hac autem diſtinctione veniat in uſum: Sub cœlo ſalúbri, vere & autumno admittatur; non item media æſtate vel hyeme; regionibus ac conſtitutionibus, calidioribus, frigidioribus: hinc corpus omnis refrigeratur, illinc nimis abſumitur, nec tutum eſt corpora ſana tunc vacuare: Si peſtilens aëris ſtatus fuerit, nunquam ob eam plenitudinem inſtituatur ſanguinis miſſio, quia plurimum exhaurit ſpiritus, humores commovet; facilius inſpiratus aër peſtilentem imprimit actionem: difficilius morbus, ſi ſupervenit, ſuperatur ob vires dejectas à ſanguinis miſſione. Nam ut qui poſt ſectam venam venenum hauſerunt, facilius id penetrat, difficiliúſque ſuperatur; Pariter ſani, qui ſub cœlo peſtilenti venæ ſectionem admittût, aeris pravam qualitatem facilius concipiunt, deterius habent, difficiliúſque evadunt: Adde quod talis plethora facile parciori ac tenuiori victu, lubricantibus alvum, mundificantibus ſanguinem exhauriri poteſt: Qui autem docuere ſecandam eſſe venam abundante ſanguine, vel errarunt, ſi loquuti ſunt de hac plenitudine; vel ſuperflui fuere, ſi de copia boni ſanguinis ſermonem habuerunt: tum quia ab hac febris peſtilens non impendet, tum quia bonum eſt ſanguinem abundare, cum ab hoc præſertim vita pendeat: Qui ſi redundet adeo ut vaſa diſtendat, licet conveniat venæ ſectio, tamen non eſt caſus noſter, quia hinc non febris peſtilens, ſed vaſorum diſruptio, caloris nativi extinctio &c. ſubſequi ſolet: Quamvis autem ſub cœlo peſtilenti plethora quoad vires venæ ſectione tollenda non ſit, tamen conſiderantes hujus Cauſas, aliquando admittimus aliquas hujus minutiones, ut ſi ob victus rationem ſuperfluus ſit, vel ſuppreſſam aliquam vacuationem; hac de cauſa in mulieribus laudo inferiorum venarum ſectionem, quæ quod minus quam ſuperiorum vires minuat, abſque impendente diſcrimine poteſt ſimul levare naturam menſéſque provitare: Idem dico de his quibus cohibitæ hæmorrhoides, aut ſuppreſſa hæmorrhagia conſueta &c. Ad quas tamen vacuationes nuſquam abſque nova & inſtante indicatione deſcenderem. *Petrus Salius Diverſus cap.* 20. *lib. de Feb. Peſt.* Etſi ſanguinis miſſio *μικρῶς* non exhauriat, in Putrida tamen feb. peſt. curanda & præcavenda, plurimum adjumenti afferre, modo tempeſtive fiat, fateor; In contagioſa vero, quæ per inſpirationem ſeminarii excitatur, etiam atque etiam, cum in virium conſervatione una ſpes ſalutis ſit, videndum ne quid temere & abſque ratione fiat. *Crato apud Scholiz. pag.* 1152.

VI. Confirmat experientia *Vomitum* vtilem eſſe in peſte, vbi morbus hic Epidemius famem ſequitur: vnde ſæpius etiam illa, quæ ſudoris gratia præbentur, initio, ob cacochymiam primarum viarum, vomitum movere ſolent: quod maximè confirmat vſus pulveris Saxonici, qui toties iterandus eſt donec *ventriculus per vomitum* à ſaburra peccantium humorum ſit liberatus: *Horſtius lib. 7. Obſervation.* 33. Quidam, cui demandata fuerat cura tertiæ partis vrbis peſte afflictæ, omnes ferè curavit vomitorio compoſito ex ʒ ij. cuiuſlibet vitrioli, mellis ℥ ij. & aqu. communis ℥ vj. ſimul mixtis, quod exhibebat ſtatim atque apparebant aliqua ſigna morbi imminentis vel præſentis: ita vt vix x. aut xij. obierint in ſuis partibus, cum in reliquis pauci evaderent: *Riverius centur. 4. Obſervat.* 99. Vide *Obſervat. commun.* 19. *à S. Iacoz. & à S. Formio Obſervat.* 37. 38. *Vomitoria* niſi mox in principio exhibeantur nauſeabundis ac ſatis robuſtis, nec dum capere poſſum qui vlli queant conducere. *Fr. Sylvius Tract.* 2. §. 617. Vide infra §. 46. 47. 48.

VII. Suſpecta eſt *Purgatio in peſtilenti febre*, tum ob virium imbecillitatem, tum quia celerrimè alvi fluor, iſque colliquans, accidit: Notandum vero huic ſemper non adeſſe: Vbi verò adeſt, ſive colliquans is ſit, ſive quia peccantem materiam natura tentet expellere, non vnam eſſe Medicorum ſententiam: Si quidem pleri que purgatoria quidem, ſed quæ adſtrictionem poſt ſe relinquant, exhibenda cenſent. Alij ſecus judicant, & iure, cum enim in hoc caſu ſint vel humores ipſi, vel partes ſolidæ quæ colliquantur, vacuatio per pharmacum, nec colliquatæ materiæ debetur, cum eam natura ſponte educat: nec à colliquanda indicatur, cum potius ſit ea inhibenda vacuatio: Neque vero quaſi cenſeam adſtringentibus eam inhibendam, quia ſi ex toto prava ſit, retenta, maiorem quàm excreta læſionem inferret, ſed laudo naturæ totam dimitti, dum Medicus cauſis colliquationis occurret: Si vero fluxus minimè fuerit colliquativus, ſed natura per alvum materiæ peccantis excretionem tentaverit, tunc, aut erit ſymptomaticus, & materia cruda ac prava: aut criticus, materia concocta: Si ſymptomaticus, aut mediocris erit, aut nimius, à quo virium imbecillitas timetur: Si mediocris, neque iuvandus, neque inhibendus, nam ſymptomatum, per ſe, nulla eſt curatio: Si nimius, cohibendus eſt cum his, quæ & materiam peccantem & morbum præſentem reſpiciunt: In quibus vero febribus Peſtil. alvus non fluxerit, Alii purgandum volunt, alii non: Ex affirmantibus, alii ſtatim initio morbi, alii nonniſi cocta materia: Qui initio, illud alii in turgente ſolum faciunt, alii etiam in quieſcente: Iterum alii vtuntur ſtrenuis purgantibus, alii lenibus: Qui initio purgant, quieſcente materia, verentur ne evadat turgens ac impetat membrum præcipuum: confirmant ex *Galeno* 5. method. 12. ſcribente in eâ peſtilentiâ, quæ ſuo tempore viguit, ex iis qui ſanati ſunt, nonnullos vomuiſſe, omnibus ventrem profluxiſſe: Addunt non expectandam criſim quæ fit in ſtatu vel declinatione, nam, vt ait *Galen.* 2. aphoriſm. 13. plures ad ſalutem criſes deſinunt, niſi forte peſtilens ſit cœli ſtatus: Adducunt etiam experimenta eorum qui in diuturnis peſtilentiis, innumeros ſanitati reſtituerunt pharmacis valentibus initio & augmento datis. Qui putant purgandum non eſſe, eò moventur quod magna ſtatim ab initio virium imbecillitas eſt; dein quia iuncta colliquatio, aut phlegmon interius, vbi obeſt plurimum purgans: ideo celebriores Medici, Græci Arabeſque, nullum de purgatione verbum fecerunt: Addunt alii omnem materiæ motum eſſe ad cutem, nec ad interiora abducendum: Hac in difficultate illud primo notamus, in his febribus multiplicem eſſe differentiam: Prima ſumitur à forma: alia enim peſtilens ſimplex, alia mixta: ſimplex eſt quæ ſine aliorum humorum putredine, ortum habet ex venenata materia putrente: Mixta, cum aliis etiam putreſcunt humores. Secunda, A Subjecto, nam venenata qualitas vel eſt in ſpiritibus, vnde Peſtilens Ephemera; vel in humoribus, & eſt humoralis: vel in ſolidis & eſt Hectica. Tertia, à materia, quia venenata qualitas hærere poteſt vel in bile, vel pituita, vel melancholia, vel ſanguine, quorum etiam humorum periodos ſervant. Quarta, à loco materiæ, vnde aliæ continentes ſunt, aliæ intermittentes: Continuarum materia, alia in venis eſt, alia in parte determinata: habemus enim ex *Galeno* febres ex cerebro affecto malignas eſſe; Item quæ à membranis cerebrum continentibus, & quæ à pulmone & corde affecto fiunt: Quinta, A gradu putredinis & venenatæ labis, cum in pleriſque febribus ingens ſit putredo, venenata autem labes exigua, in aliis contra: in quibuſdam vtraque magna; in nonnullis vtraque parva. Sexta eſt à ſymptomatibus, cum aliæ quietæ ſint, ita vt nulla ex parte ſeſe prodant, aliæ maxime inquietos ægros reddant, præſertim interius: colliquantes aliæ alvum, aliæ ſudo abundantes: aliæ cum maculis, aliæ ſine. His poſitis, dicimus in Peſtilent. Ephemera & Hectica, purgandum non eſſe; niſi ingens eſſet cacochymia, cum metu ne labes eò ſerperet: 2. Affirmamus non omnem materiam turgere, videmus enim eam ferè ſemper firmam ſtare vel in corde, vel circa cor, aut alibi. 3. Id verum vbi humores labe inquinati ſunt, ut ferè ſemper, neceſſariò parandas eſſe vias & materiam, ea coctione cujus eſt capax: quod certè accidere in iis peſtilentibus dicendum in quibus ægri convaleſcunt; cum nullus morbus abſque indiciis coctionis diſſolvi poſſit: 4. Cum in huiuſmodi febribus vires aut ſtatim concidant, aut paulò poſt, levioribus pharmacis vtendum eſſe patet, abſtinendo ab iis quæ veneni naturam ſapiunt, illiſque correctis: Quod ſi incendium eſſet, aut phlegmon interius, cum frigore partium externarum, periculoſa foret purgatio: at antequam ad eam frigiditatem perveniatur, conceditur ab *Hipp.* 2. de Vict. acut. 10. purgatio, vt initio pleuritidis ac peripneumoniæ videtur: niſi eſſet inflammatio in partibus naturalibus, vt ſtomacho, jecore &c. in quibus partibus tamen aliqua permittitur purgatio levis, tantum vt propinquas inflammationis partes vacuet: Quod autem materiæ motus ſemper ſit ad cutem, vt dicunt aliqui, id falſum, nam ex hiſtoria peſtilentiæ *Gal.* tempore, videmus materiam irrepſiſſe quandoque ad ſtomachum, unde vomitus, quandoque ad inteſtina, unde alvi fluor: imò vidimus aliquando ad inguina deſcendiſſe, ubi bubones; aliquando ad cerebrum iviſſe, & feciſſe putridos lethargos, comata, melancholiam; petiiſſe aliquando cor, & ſucceſſiſſe ſyncopes: interdum genitos fuiſſe ſubitos hydropum ſtatus: Vnde patet omnino utile eſſe eam vacuare, ne ad partes nobiles tendat: Hinc in *Hipp.* peſtilentiâ, 3. Epid. 3. t. 80, dejectiones alvi multos

us liberaſſe legimus: Nec obſtat quod labes ſit venenata, ſi quidem à *Dioſcoride* & alijs antiquis in curandis venenis generatim vacuari ſcimus. Eadem autem die in acutis purgandum dicit *Hippocrates* ſi materia turget, turget autem quæ ad exitum parata, nec firmam aliquam inclinationem ad vnam partem habet: at in febre peſtilenti maximam partem materia certo loco hæret, nec ad excretionem parata eſt, nec ad exitum properat: Sic *Galenus* 6. Epidem. 2. tract. 9. & alibi, In peſtilentia *inquit*, quibus alvi fluor initio accidit, his male ſucceſſiſſe; quibus in ſtatu, illi ſanabantur. Cæterum de criſibus, quas in hujuſmodi febribus malas accidere aiunt ex *Galeno*, atque idcirco vacuatione eſſe initio præveniendas, nihil eſt, quia peiores acciderent ſi cruda materia agitaretur pharmaco: præſertim cum bonæ etiam crises ſuccedant aliquando: Itaque dicamus vacuandum eſſe in febre peſtilenti, quia vt docet *Galenus*, in omni morbo magno vacuandum ſi vires & cætera permittant: hic autem morbus eſt magnus, ſuapte natura vehemens, occupans & oppugnans partem principem, cor ſcilicet, & cacoëthia. *Rubeus lib. 3. in Celſum c. 7.*

VIII. Febres malignæ, etſi multis exitioſæ, tamen tantiſper ſunt privatæ donec putredo eum gradum aſſequuta ſit vt morbida expiratio emanet, & ita contagioſæ fiant: hic gradus verò non eſt putredo amplius, at potius corruptio ſubſtantialis, quam ſeminarium contagij ſequitur, quod non a ſola putredine ſed maligna qualitate eſt, naturæ prorſus adverſa; ideoque niſi ſubito tollatur, hominem tollit: Ideo in his cavendum ne illico vehementia calida expulſiva, qualia in verè peſtilentibus dantur, ab inſpiratione ortis, quæ ſudoribus & diaphoreſi curantur, adhibeantur, cum ſola expulſio, & meatuum apertio ac corroboratio cordis ſatis ſit, & quæ putredini reſiſtant, niſi natura per exanthemata ſe exoneret, quo in caſu expulſiva, ſed non fortia, conveniunt; Ideo magnum errorem admittunt Medici, qui inter privatas & publicas, contagioſas & noncontagioſas nihil diſcernunt; ita vt ex privato peſtilenti morbo ſæpe publicus fiat, imperitiâ eorum qui putredinem augent, & naturam fortibus remediis debiliorem reddunt, (fiunt enim privatæ peſtilentes contagioſæ, cum putredo ad eum gradum pervenerit, vt morbidam exſpirationem, tota ſubſtantia, tanquam venenum, humanæ naturæ exitioſum habeant) certè natura cùm in morbo nihil expellit, nec abſceſſus vel exanthemata conſpiciuntur, quomodo Medicus naturæ miniſter id audebit, & illico ad expulſiva & ſudorifica (ut de calidis taceam medicamentis) in curatione feſtinabit? Vnde ſæpe iis qui non ſunt à peſtilenti ſeminario infecti, humores ad caput aſcendunt, vnde deliria, febris augmentum, & virium naturæ, ſolæ morborum medicatricis, diminutio; Etſi vero ſæpe ex hac cauſa petechiæ apparent, non ſequitur ideo ab infectione eſſe: quanquam vbi verè peſtilens conſtitutio, & ſeminaria in aere ſunt, omnes morbi malignitatem contrahunt. *Crato apud Scolzium pag. 1097.*

IX. *Theriacam* maximè convenire dico, ſed hac diſtinctione: Febris peſtilens, vel qualitate manifeſtâ, calore inquam, magis offendit quam occultâ, id eſt venefica; Eam indicat ſitis magna, lingua ſicca, ſcabra & nigra, calor ad tactum aliquando apparens (nam ſæpe hæ febres tactui mites) tunc Theriacam denegare ſoleo: Vel magis venenoſo quam calido vapore ægros affligit, quod ex ſupradictis abſentibus, præſentibus vero ſymptomatis, venenoſum quid redolentibus, diſtinguitur: tunc Theriacam magno cum fructu exhibeo: Vel tertio, ex æquo tum venenata, tum calorifica qualitates junguntur, quod noſco ubi accidentia & calidum & veneficum vaporem æque ſapiunt, ac Theriacam, caſtigatam tamen conſerva roſarum, violarum, acido citri &c. præſcribo. Quæ de Theriaca dixi, ea quoque de Mithridatica confectione intelligi volo. *Claudinus Reſponſ. 4.* Quod multi Theriacam cum thure & camphora miſcent, non poſſum laudare, cùm ſæpe gravatum ſit caput, ideo materia ab ea parte divertenda eſt. *Crato apud Scholtz. conſ. 274*

X. Vbi magni ſunt dolores Capitis vel ventriculi, & ægri non dormiunt, *Camphora* cautè adhibenda eſt: aliàs hæc reliquorum medicamentorum quaſi vehiculum eſt, facitque vt ea in totum corpus penetrent, peſtilentique veneno ſeſe opponant: non magna tamen copia ejus opus eſt, ſed duo vel iij. grana ſatis eſſe poſſunt.

XI. Rejicitur à *Ioanne Baptiſta Sylvatico* vſus *ſpiritus Vitrioli*, Primo, quia Vitriolum, teſte *Galeno* & *Dioſcoride*, erodentis & ſepticæ eſt facultatis, at tale medicamentum in morbo pernicioſo non tutum? Reſp. non omnia competunt ſpiritui quæ vitriolo: Non omne quod ex aliquo educitur retinet primigeniæ ſubſtantiæ naturam, non ergo eaſdem poſſidere poſſunt qualitates: præparatione multæ partes vitrioli à ſpiritu ſeparantur: Erodendi vim habet ſolitarius, non cum aliis miſtus, id commune illi cum aceto, ſucco limonum &c. Acidulæ a vitriolo efficaciam habent, vtiliter tamen bibuntur. Secundo, Crebrior vſus ſuſpectus, alias neceſſarius domando tanto morbo? Reſp. Nullum periculum ſi convenientibus liquoribus miſceatur. Tertio, Naturæ moleſtiam faciet, ab opere diſtrahet, cum efficax ſit medicamentum parva in copia? Reſp. Non magis impedit quam Medicus dum medicamentis cacochymiæ reſiſtit. Quarto, Medici calidiſſimum ajunt? Reſp. Caliditas corrigitur dum atomi ejus ſegregantur liquoris admiſtione, in ea proportione vt 100. atomi aquæ intermiſceantur x. vel xij. ſpiritus. Quinto, *Galenus* x. method. vitriolatarum aquarum vſum in febribus putridis ſuſpectum habet, quia cuti admotæ adſtrictionem pororum faciunt & corpori calorem impertiunt? Reſpond. Externum uſum rejicit, quia tranſpiratio ab iis impeditur. Sexto, Alia ſunt medicamenta tutiora putredinem impugnantia? Reſp. Tutum eſt medicamentum, juſta ſumptum menſura & cum judicio: Juvaminis infiniti teſtes, nocere pauci ajunt: Tutiora dati nondum evictum. 7. Adſtrictio nimia quę eſt in vitriolo, reperitur etiam in oleo, adſtringentia autem in febribus noxia? Reſp. Tanta non eſt quæ noceat, nulla potius ineſſe videtur: At non omnia acida adſtringunt, quin attenuant, detergunt, obſtructiones aperiunt: Conceſſo autem adſtringere, nil inde periculi, nam partes incidentes, tenuantes & deobſtruentes prævalent. Octavo, Etſi putredini reſiſtat, obſtructiones aperiat, & ſudores cieat copioſos, non tamen convenit in peſtilentibus febr. quia tutò non agit, cum per acrimoniam febrem augeat & naturæ vim inferat? Reſp. Sudorificam vim caliditati & tenuanti vi junctam noxiam negamus; vt ἰδρωτικῶν adhiberi non ſolet, ſed vt putredini reſiſtens, nec caliditate nocet ſi diluatur. Nono

Incerta eſt minera è qua eliciendus ſpiritus, ac Chymici quodnam eligere debeant non ſunt concordes. ℞. Conſentiunt commodum eſſe Goſlatienſe, Nobilius verò factitium quod ex marte vel venere paratur, nobiliſſimum Hungaricum: 10. Diſcrepantia eſt inter eos de eius forma; alii oleum, alii ſpiritum, alii aquam ſeu phlegma appellant. ℞. Diſtinctio inter hæc peritis Spagyrici eſt nota: Oleum vt plurimum craſſius eſt, nec vllum hic timendum periculum, x j. Præparatio dubium reddit medicamentum, nam vel citra additionem elicitur, vel alia adſciſcit, ſic neſcitur unde effectus, ℞. negotium illa nullum faceſſit ſive id ſolum, ſive cum aliis Vulcani examini ſubiiciatur &c. *Rolfinccius lib. de Febrib. cap. vltimo.*

XII. *Cauteria* ad præcautionem præclarè faciunt, plurimique clinici horum beneficio intacti, ac impunè peſti implicitos homines tractant: plurima hi ſibi inurunt: Sed ad curationem repudiamus, quia antequam beneficium edant, quod fit poſt x. diem, vi peſtis abripiuntur ægri. *Heurnius.* Laudamus poſt ſolennem totius corporis expurgationem, iis qui admodum cacochymi ſunt, tibias vel brachia ferro candenti inurere, vt aſſiduè pravi humores à viſceribus avertantur: Atque vſus nos docuit eos à peſte tutiſſimos reddi quibus ſcrotum ſetone transfixum fuerit. *Iobertus libro de Peſte, cap. 17.* *Galenus* 5. method. cap. 12. ſcribit in peſtilentiâ quadam ſui temporis illos omnes evaſiſſe quorum corpora vlceribus ſcatebant: Teſtatur *Mercurialis* ſe neminem vidiſſe peſte extinctum qui cauterium haberet; Vtilia ideo judicantur à Maſſaria, Mercuriali, *Nicolao Florentino, Fabritio Hildano Centur. 6. Obſervat. 92.* Brachiis cruribuſque inuſta, quò ichores per ea continuò effluant. Nequaquam verò tamdiu differenda eſt applicatio quouſque peſtis incrementa & vires acceperit, aliàs metus ne vlcus malignitatem & inflammationem concipiat: Conſultum ergo ſub ortum peſtis illa applicare: Sed cui loco? Quidam ſuris imponi volunt, ſic enim humores deorſum evacuari & majorem revulſionem fieri cenſent: Alii brachiis, quod tunc cordi viciniora, cui bellum indixit peſtilentia, unde humorum *præſtantior derivatio*: Diſſidium componit *Paræus* lib. 21. cap. 2. Primo quoque tempore purgatione & ſanguinis miſſione humores ad putredinem & peſtis ſemina concipienda aptos ſibi detrahent: duo ſibi vlcera, tanquam excrementitiorum humorum emiſſaria, quæ quotidie generantur, ſibi patientur, vnum in brachio dextro, paulò infra epomidem muſculum, alterum trium. ſub genu digitorum intervallo, parte externa cruris ſiniſtri.

XIII. *Herculanus* habetur omnium primus qui *Cauteria* peſtis tempore applicanda cenſuit, Hoc tamen remedium ab arte veterinaria videtur eſſe depromptum: *Columella* enim ut peſtem & contagium à bobus avertat, aures iubet perforandas cum radice conſiliginis, hellebori ſpecie: Quod in hunc vſque diem ab armentariis obſervatur: Quod autem ad tempus attinet, nequaquam tamdiu illorum differenda eſt illorum applicatio, quouſque Peſtis incrementa ſua & vires acceperit: Tunc enim Chirurgo magnopere timendum eſſet, ne vlcus malignitatem quandam & inflammationem conciperet, quod plerumque verum eſſe multi doctique Medici atteſtantur: Melius ergo conſultum fuerit ſub ortum peſtis jam graſſantis, & pernitioſos admodum ſuos fructus germinantis, eadem applicare. *Glandorpius Gazoph. cap. 16.*

XIV. *Venæ ſectio* Peſte laborantibus admodum noxia eſt: iis itidem qui à peſte præſervati volunt periculoſa: Venenum ſæpius ad dies aliquot, ſeptimanas aut menſes, in corpore extra vaſa deliteſcit, antequam per vſum ſanguinem commoventium medicamentorum ſeſe manifeſtet. Quod ſi venæ ſectione id ad contrahas, tuum eſt inquirere annon ſanguinis, ſpirituum, viriumque imminutio, te authore, cauſa ſit cur ſuffocetur cor hoſtémque fugare haud valeat: Medici quidam fide digni, & in arte exercitatiſſimi in locis calidis venæ ſectione, cautem & in initio inſtitutam mediorum antipeſtilentialium præcipuum ſemper fuiſſe referunt: Sed qui in hiſce frigidis regionibus eos imitabantur facile ab eadem abſtinebant, imo Medici noſtrates de venæ ſectione prorſus nunc ſilent. *P. Barbette Tractat. de Peſte pag. 173.*

XIV. *a.* Pharmaca circa Peſtis curationem ſunt vel *Evacuantia* vel *Alexiteria*, Priorum intentio eſt, ut latex ſeroſus in ſanguine, & humores excrementitii qui ſcatent in viſceribus, foras deturbentur, & una cum iis plurimæ venenati miaſmatis particulæ vbivis in corpore diſperſæ, Hæc autem tum Vomitoria & Purgantia, quorum vſus eſt rarior, & tantum morbi initio, tum *Diaphoretica*, quæ nullo non tempore, quoad vires tollerare valent, à Peſte indicantur, hæc enim plenius, & à toto ſimul corpore evacuant, quin & ſanguinem exagitando à coagulatione vindicant, & cum à centro vſque ad circumferentiam movent, fermenta venenata, necnon humorum & ſanguinis corruptelas procul à corde arcent, & hoſtem extra caſtra propellunt: Hæc autem medicamina, ſive catharſi, ſive diaphoreſi operentur, ejuſmodi ſint oportet quæ particulas habent miaſmati venenato potius quam ſanguini, aut ſpiritibus noſtris congeneres: Tale enim pharmacum varios corporis noſtri anfractus, cum viribus integris & illibatis pertranſit, & ob vtriuſque ſimilitudinem virulentam morbi materiam certius prehendet, illamque mutua partium adhæſione, qua natura irritata ducit, ſecum foras rapit: quare medicamenta, ſive Cathartica, ſive Sudorifica, præ cæteris commendantur quæ ex mercurio, antimonio, auro, ſulphure, vitriolo, arſenico, & ſimilibus parantur, quæ cum à calore noſtro minime ſubigantur, aut ſuperentur, contra virus Luis Peſtilentialis optima evadent remedia: hæc enim non modo ſuperflua potenter evacuant, ſed cum particulas valde fortes & indomitas exſerant, & quaquaverſus in corpore explicent, veneni fermenta hinc inde gliſcentia diſſipant, & à maturatione impediunt; & cum ipſa remedia, à natura inſuperabilia, neceſſe habeant per patentes corporis exitus amandari, quicquid extraneum & hoſtile occurrit vnà foras educunt. *Willis de Febribus cap. 13.*

XV. In febre Peſtifera *Sanguinis miſſionem ex inferioribus* eſſe tutiſſimam & vtiliſſimam multis de cauſis ex decreto veterum eſt ſancitum. *Galenus* peſte affectus ſcarificatione copioſa cruorum ab ea feliciter evaſit. Infinitos peſtiferis & maleficentiſſimis febribus curavi: Plures ſecta ſaphena, aut ſcarificatis cruribus evaſere quam illi quibus initio morbi Baſilica ſciſſa; nam ex illa parte vacuatio facta plenitudinem levat, diſtrahit halitus veneficos à corde, & ad partes diſtantiſſimas divertit, viſcera tranſpirat. *Zacutus Prax. Adm. lib. 3. Obſervat. 45.*

XVI.

XVI. Circulatio ſanguinis humores omnes venenatos pravoſque, qui vel a natura ipſa ejiciuntur, vel foris intro adveniunt, primo ſtatim tempore, ope medicamentorum attrahentium, ex glandulis ipſaque cute extrahi debere jubet, ne exiguo interjecto tempore ſanguis totus inficiatur, ipſumque cor obruatur ac vim patiatur. Satis hæc doceat quam periculoſum ſit venam ſecare, & corpus purgare in bubone peſtilenti & venereo, imo in vulneribus omnibus venenatis: quam contra neceſſarium ſit ſudorificorum attrahentiumque uſu materiam peccantem educere; Ac propterea circulationis ſanguinis doctrinam ſummæ utilitatis eſſe in arte Medica. *Barbette Anat. Pract. cap.* 14.

XVII. Circa *Purgationem* hoc 1. tenendum, nullo purgante, ut *Cratonis* verbis utar, ſeminarium peſtis ejici, niſi fortè magna naturæ commotione facta, quod fit ſatis periculoſe: nimirum, licet fieri poſſit ut natura fortioribus, ut ex antimonio & mercurio paratis irritata, humores vitioſos è corpore pellat, atque ita quod eos occupavit venenum ejiciat, indeque ægri ſanentur, id tamen ex accidenti fit in naturis robuſtioribus: ipſum verò purgans primario veneno peſtilenti non opponitur, ideo ſæpe talia purgantia plurimum lædunt, & humorum motu citato periculoſas & lethales vomitiones & diarrhoæs excitant; quare præſertim in alexipharmacis non in purgatione ſpes eſt, quæ ſi rectè adhibeantur, ſæpe purgantibus opus non eſt: Ideo duo perpendenda, 1. Diligenter corporis conſtitutio conſideranda, & quomodo ſumpto antidoto æger ſe habeat, qualiſque febris peſti accidit videndum: nam ſi corpus purum ſit, nec de febre aliqua putrida metus, ſola alexipharmaca ſufficiunt, atque unicè danda opera ut per ſudores peſtilens venenum ejiciatur ad corporis ambitum, ſicut ſæpe compertum eſt homines a peſte unico ſudore largiore liberatos fuiſſe: Si verò corpus cacochymicum ſit, & metuendum idem ferè periculum ex febre putrida atque à peſte, ſumpto alexipharmaco purgans exhibere inutile non eſt, ut pars aliqua materiæ, putredinem concepturæ, febremque auctura ſubtrahatur, quo natura reliquum faciliùs vincat. Deinde videndum An peſtis quæ graſſatur, magis ab aëris vitio aut contagio ortum habeat, an vero potius ab interno humorum vitio pendeat, ut fit poſt annonæ caritatem a. Si prius, purgatione opus non eſt, ſed alexipharmaca ſufficiunt, niſi forſan peſtis in corpus cacochymicum valde incidat, tum enim interdum purgatio inutilis non eſt, licet non peſtis ſed febris tantum putridæ ſequuturæ ratione: Si poſterius, Purgationem inſtituere non ſolùm utile ſed & neceſſe eſt: Nam ſi corpora pravis & corruptis humoribus ſcateant, purgandum, ne illi aliorum medicamentorum uſu inflammentur, aut ab humoribus corruptis venenum fortius evadat, ac ſeſe latius diſſeminet, aut humores illi copioſi agitati in nobilem aliquam partem irruant & inflammationem lethalem excitent, & omnino ne febris putrida periculoſa accendatur: unde ſi purgatio omittitur, licet peſtilentis veneni vires per alexipharmaca fractæ ſint, malum non rarò in alium non minus periculoſum morbum degenerat. *Sennertus*. Vomitoria & Purgantia minus univerſaliter diaphoreticis evacuant, & materiam malignam ſæpe concentrando intus deducunt, & viſceribus affigunt. *VVillis de Febribus cap.* 3. *Vide ſupra* §. 7.

XVIII. Quamvis & rationes & validæ & plures afferri poſſint, non exhibendum *Pharmacum ſolutivum in Bubone peſtilenti*, tamen quia neceſſarium eſt ut experimento multum adſcribamus, præcipuè in morbis periculoſis, & in his in quibus ars exerceri non poteſt, ideo in iſtis neceſſarium eſt ut experimentis fidamus: Quare ego incipiam ab experimentis aliorum, poſtea mea adducam: Habemus multos qui felici ſucceſſu teſtantur uſos fuiſſe Pharmacis, & ego moveor communi quadam opinione: Scioque tantæ authoritatis Bononiæ, Ferrariæ, Regii, & in patria meà fuiſſe *Iacobum Carpenſem* Chirurgum, ut ſuo tempore omnes alios Italos ſuperarit, quique in univerſa Europæ peſte, à 27. ad 31. annum, ſanavit omnes quos tractavit: Scioque ipſum exhibuiſſe Pharmacum ſolutivum in principio & augmento, robuſtiſſimum, dummodo morbus non eſſet in declinatione: Præter hoc habeo aliud experimentum *Gentilis* in 4. canon. Fen. 1. in quo loquens de medicamentis Purgantibus exhibitis in peſte, dicit quod ſuis temporibus Medici utebantur ſcammoniatis & validiſſimis medicamentis cum felici ſatis ſucceſſu, & plures ſanati ſunt: Adjungitur authoritas *Avenz.* qui lib. 3. Theiſir. Tract. 3. c. 4. exhibet medicamentum ſolvens, euphorbium continens ſatis copioſum, quo nihil validius ad calefaciendum & ſiccandum, Eſt enim calid. & ſiccum in 4. ſatis intenſo: Et Gentilis ipſe hoc idem teſtatur: Poſſum ergo ab authoritate doctorum horum virorum teſtari quod exhibendum ſit pharmacum ſolutivum in peſte, ſed ego addo proprium experimentum, cui magis fido: Exhibui xxx. vicibus pharmacum in proximè ſuperiori peſte. lv. anni, & paucos vidi obiiſſe: maxima pars bonum exitum habuit, dummodo bonam quantitatem humorum eduxerit medicamentum, nam ſi parva aut nulla educta fuit quantitas, malus ſucceſſit finis. *Gabriel Fallopius.*

XIX. *Purgationes* alterum Argum requirunt: nam ut in maligno hoc morbo nequaquam locum habent, ita in benignis aliquando ſummopere neceſſariæ ſunt: Verum hos rectè diſtinguere cujuſvis non eſt: Præterea etiam experimur peſte graſſante non eſſe licitum tam fortia aut acria medicamenta purgantia exhibere quam peſte non graſſante; nam præterquam quod ipſum corpus tam vehementia medicamenta non ferat, faciliime etiam dyſenteriam excitant. *Paulus Barbette Tract. de Peſte p.* 174.

XX. Peſte jam laborantibus *purgans* ante diem xiv. febre reliquiſque ſymptomatibus remittentibus, exhibere nunquam auſus ſum: Sunt qui Carbunculi ſuppuratione durante, aut Bubone necdum curato, eo utuntur, ſed eorum exemplum, quæcunque etiam commiſceantur *antipeſtilentialia*, ne imiteris. *Idem ibidem.*

XX. *a* Anno 1645 Peſtis (licet haud immanis) graſſaretur, D. *Henricus Sayer*, aliis hanc Spartam renuentibus, laborantes quoſcunque audacter inviſebat, iis pharmaca quotidie propinabat, Bubones & ulcera virulenta propria manu tractabat, atque ægrotantium plurimos ſanabat; ut ſeipſum à contagio muniret, antequam domos infectas adibat, ſolummodo vini generoſi hauſtum pleniorem ingerere, dein perambulatione ſua circa ipſum mortis limen peracta, idem antidotum repetere ſolebat; Ille autem intra breve ſpatium cum Duce quodam (cujus ſocietatem intùnc colebat) à Peſte correpto in eodem lecto auſus diſcumbere, ejuſdem morbi contagium ſuſcipit, nec profuere tunc Do-

mino quæ omnibus aliis emolumento fuerunt artes, quin cum magno ibi degentium luctu, ex eo morbo deſiderabatur: Circa alios Peſtilentiâ affectos hujuſmodi medendi methodum inſtituere ſolebat, ſi priuſquam Exanthemata aut Bubones exterius apparerent vocaretur, vt plurimum Vomitoria exhibuit, quorum præſcripta erant ex infuſione croci metàllorum, cum vitriolo interdum albo, ac interdum Romano: Vomitione finita, à diaphoreticis ſtatim exhibitis in ſudorem conjiciendos præcepit: & deinde, intervallis quibuſdam pro virium refectione conceſſis, vſque ad morbi declinationem diaphoreſin continuandam: Sin poſt ſtigmata apparentia ad affectos accerſeretur, Vomitione poſthabita, tantum ſudorificis inſiſtebat. *VVillis lib. de Febribus c. 13. Vide* §. 46.

XXI. Si æger ad aliquot dies *Alvi conſtipatione* moleſtetur, cum anxietate cordis, & ex purgatione ſolamen expectat? Anxietatis cauſa alvi obſtructio non eſt, ſed venenum ipſum, Itaque ſudorifera exhibere perge: Cor roborato, & de alvi ſuppreſſione non magnopere ſis ſollicitus: Quod ſi tamen molliorem eam reddere placeat, ſuppoſitorium vſurpetur, nam clyſteris vſus non adeo tutus eſt: multis hoc tempore nocuit, aliis parum profuit, malignitati interim nullo modo occurrens: Si vero neglecta hac admonitione, experientia rationibuſque confirmata, clyſterem injicere placeat, â ſcammoniatis abſtineas quæſo, præſertim in mulieribus aut virginibus menſtruis laborantibus *Barbette l. c.*

XXII. *Iulapia* valde neceſſaria ſunt, non tamen iis vbique & ſemper vti conceditur: nunquam ea niſi ſudoriferis additis præſcripſi, quod ſequentia declarabunt, Et hæc tutiſſima via eſt: Quod ſi enim ſimpliciter potione refrigerante vtatur æger, ſudore copioſe profluente, & ſudor ſæpius ad interiora regreditur, & venenum cordi communicatur, vnde tandem mors ipſa ſequitur. *Barbette Tract. de Peſte p.* 175.

XXIII. *Diaphoretica & Cardiaca*, præſertim Accida, hoc in caſu ſummopere neceſſaria, certiſſima ac proinde ſunt optima, nam ſanguini conſiſtentiam afferunt, & malignitatem expellunt, pituitam in ventriculo atque inteſtinis diſſolvunt, bilem, multorum malorum cauſam attemperant: Nihilominus varietas morbi atque ſymptomatum ea varie mutari deſiderant, cum alias haud præſtent quæ in morbo acuto præſtare debebant, *Idem ibidem.*

XXIII. *a* Venenum peſtilens, cum non tantum expelli debeat, at inſuper, ratione ſuæ *volatilitatis* & *acrimonia lixiva*, ſui alterationem ac correctionem h. e. *fixationem ac contemperationem* indicet, non ſine cauſa ſoliciti ſumus de materia remedii Indicati, atque *Salem*, imprimis *volatilem figentis*, *Acrem* autem *contemperantis*; cum inter *vegetabilia* vix vlla talia noverim quæ id præſtare poſſint, vt nec inter *animalia*, adeo vt ad *mineralia* forſan, tanquam ad ſacram anchoram cogamur recurrere: Inter quæ vnum forſan *Tartarum*, vel potius ipſius oleum deſtillatione paratum, ſed ob fœtorem, & alia plura, non ſatis commode in vſum revocandum: Inter mineralia vero *Sal Petra*, ſive Nitrum, plurimum poteſt ad ſalium volatilium fixationem: Quis enim ignorat Arſenicum, Auripigmentum, Antimonium, & ſimilia ſale volatili conſtantia, figi beneficio Nitri, tum crudi tum in ſpiritum acidum prius mutati? Poteſt id circo idem in Peſte vſurpari cum bono ſucceſſu: Præſtantiſſimum autem, atque altioris indaginis eſt *Sulphur minerale*, idque prius arte *fixatum*, cujus in figendo ſale volatili præſtantiam efficaciamque pauci obſervarunt: Illud autem omnibus commendo, & vt ex quocunque demum ſubiecto parare diſcant optimum conſulo: Habebunt enim & in Peſte, & in plurimis aliis morbis gratiſſimum medicamentum & excellentiſſimum: Non ſolum figere aptum ſalem volatilem, ſed eundem quoque Acriorem temperare. *Fr. Sylvius App. Tr.* 2. §. 560.

XXIII. *b* Omnia ſymptomata in Peſte obſervabilia, Salem lixivum, eundemque Acrem & volatilem peccare confirmant vel probant: Illud idem ex medicamentis, tum ad præcautionem, tum ad curationem, cum maximo ſucceſſu vſurpari ſolitis nunc oſtendendum: Quiſquis vero e medicamentis vſurpatis aliquid certi volet elicere, neceſſe habebit *Simplicia* duntaxat, vel ſaltem *minime compoſita* conſiderare: Ego ante novennium cum quotidie viſitarem plures Peſte affectos, præcautionis loco aliud non ſumpſi medicamentum quam vulgaris *Aceti* cochleare vnum, mica panis exceptum, & quidem mane antequam viſiterem ægros: Id genus remedii vſurpavi per octo menſes continuos, nec vnquam percepi toto illo tempore ab infectione noxam: Poſtquam vero, ſublato ſenſim hoc malo, deſiiſſem ab illo Aceto diutius aſſumendo, ſenſi poſtmodum aliquem capitis dolorem mihi contingere, quoties infectam ingrediebar domum, licet id ignorarem, nec tamen mihi metuerem: Novi equidem paucos potuiſſe meo exemplo Acetum per aliquot hebdomadas vſurpare, dum aliqui, ob peculiarem ſui conſtitutionem melancholicam, ne quidem per plures dies potuerint perſeverare in eius vſu: Solent alii vini Rhenani, aut cereviſiæ veteris, adeoque ſub-aceſcentis hauſtum mane aſſumptum commendare: Novi non deeſſe qui vini ſpiritum aut ſimplicem aut theriacalem laudent, ſed novi quoque multis ipſum fuiſſe noxium, quod de Acidis dici non poteſt, ſaltem ratione ipſius Peſtis: Laudatur quoque Elixir proprietatis, Spiritus ſalis, vitrioli, ſulphuris, ex pauca cereviſia vel vino aſſumendus. Laudantur etiam fructus acidi, mala citria, aurea, granata, ribeſia, &c. confortat quoque aceti ſpongia excepti odor, ſive fuerit Acetum ſimplex, aut aliquo aromate plantave aromatica impregnatum: Adeo vt ſi quis omnia in Peſtis præcautione efficaciſſima contulerit, comperiat pleraque Acida eſſe, aut cum Acidis parata: Vnde patere puto Acidum non tantum deſiderari contra Peſtis venenum, ſed ipſum imprimis ab eodem impeti ac impugnari: Quibus vero Acida meraca eſſe ſolent moleſta & gravia, iiſdem temperari poſſunt vini ſpiritu: Sic Salis ſpiritus ejus ope ita temperatur, vt omnis pene ipſius aciditas obliteretur, ſi ſæpius cum eodem cohobetur, nec tamen deſinit conducere in Peſte: Intereſt proinde vt in hoc caſu ita cujuſque temperamento ac conſtitutioni peculiari accommodentur medicamenta vnde nihil noxæ ipſis accidat, plurimum auxilii: In hunc finem variis modis ac formis concinnari poſſunt medicamenta: Poteſt quoque in hunc finem tum Tartarum crudum, tum ejus cremor, vt & ſal tartari vitriolatum, quovis modo ex juſculo, vino, cereviſia, Iulapio &c. vſurpari: Vno verbo, præ cæteris omnibus ad peſtis præcautionem conducunt Acida, modo cujuſvis naturæ maxime accommodato aſſumpta: Hæc cum veriſſima eſſe hactenus docuerit Experientia, non parum eu ipſo mea confirma-

tur

ex ſententia Impugnati à Peſtilenti veneno Acidum noſtrum, cui poſtquam nil magis obſervatur contrarium quam Sal lixivum, merito in Sale lixivo venenum conſiſtere iudicatur: Quoniam vero volax eſt idem venenum, atque valde efficax, idcirco idem in Sale volatili & acri conſiſtere iudicavi. *Fr. Sylvius Tract. 2. Appendicis* §.485. *&c.*

XXIV. *Sudorifera* bis ad minimum quovis die ſumantur, imo xxiv. horarum ſpatio ter viurpare magnopere conducet: Repetiuntur qui tempore ſex horarum effluxo novum ſudorificorum magno cum fructu exhibent: Nec eſt quod ab vſu horum medicorum facile deſiſtas, etiamſi tibi bene eſſe clamitet æger: brevi enim morbum vtrumque veſtrum decepiſſe conſtabit. *P. Barbette Tract. de Peſte p.* 38. In Peſte correptis qui ſpatio xxiv. horarum quater vel ſæpius Sudorem non excitat, parum ſane proficiet. *Rolfinccius meth. Gen. & part. p.* 576.

XXV. Sudor manans linteo calido abſtergatur, pectorique linteum ſimile imponatur, nam hactenus obſervavi induſia, aliaque linteamina, nonniſi cum damno mutari, ſed omnia humiditas nos aliquando cogit. *Barbette. l. c.*

XXVI. Obſervavi in peſte Bernenſi, quæ vagata eſt A. C. 1629. multis, ne dicam omnibus, ægris (quotquot mihi videre contigit) obfuiſſe, paucis profuiſſe *Eſſentias, Aquas, Elixiria & medicamenta* calidiſſima Pſeudo chymicorum: Ab iis enim corpora noſtrorum hominum, qui vt plurimum carne veſcuntur, lauteque & in otio vivunt (& proinde aut plethorici aut cacochymi ſunt) ad venenum recipiendum reddita fuerunt perquam idonea. *Fabricius Hild. cent. 5. Obſerv.* 29.

XXVII. *Lapidem Bezoar* in Peſte præſtantiſſimum eſſe cùm in me ipſo, tum in ægris meis non rarò expertus ſum: Duplex eſt, Orientalis & Occidentalis: Ille præfertur, modo genuinus fuerit: plerumque enim tam artificioſe adulteratur vt dolua vix cognoſci poſſit: Quare Occidentali libentius vtor, tam facile enim vt Orientalis adulterari non poteſt: cùm enim ex multis corticibus, ſive laminis conſtet, non video quomodo ars naturam faciei imitari poſſit: Superiori æſtate peſte correptus cum vxore, felici ſucceſſu Occidentali vſus ſum. *Idem ibidem.*

XXVIII. *Celſus lib. 3. c. 7. In Peſtilentium* febrium curatione *Vinum* calidum & meracius dare jubet: Quod in peculiari ac privata alicujus peſtilentiæ natura ab eo, vel ſuperioribus medicis, obſervatum fuiſſe putandum eſt: Quando noſtra etiam ætate plerique peſte ægrotantes, & ſanati reperti ſunt, qui vinum maxime appetiverunt, & maximum à vino commodum ſe accepiſſe teſtati ſunt. nullumque majus levamentum in ipſo morbi vigore dicebant ſenſiſſe, quàm cum vinum potabant: quod & medici ipſorum confirmatant, cùm alioqui, etſi vires & ſpiritus teſtituat, maximè noxium eſſe pateat ob caliditatem: Ideo *Galenus* in exhibendo bolo Armena, frigida & ſicca, diſtinguit diligentiſſimè ſitne febris, aut non: vtrum parva aut magna: Quod vero plerique medici ſcribant vinum ideo non dandum, quia venenum deducat ad cor, præcordia aperiat, & aditum patefaciat, hæc ratio non valet, quia aliàs in venenis non conveniret, cùm tamen *Dioſcorides* illud non modò permittat, ſed imperet, etiam liberalius ſumptum, contra ſerpentum morſum, & omnium ictus quæ refrigerando nocent: Quæ autem Peſtilentis febris natura potuerit eſſe in qua Celſus vinum laudaverit? Certè illa in qua multum veneni & parum admodum putredinis adfuerit; itaque in materia frigidiore: Poteſt enim aliquando in febribus peſtilentibus ita remiſſa eſſe putredo, vt ferè nulla ſit: pernicioſa autem & prava illa qualitas admodum intenſa: *Rubens in cit. locum.* Vide de vini vſu in Feb. maligna.

XXIX. Pro peſte an *Bolus Armenus* conveniat, quæritur, Si haberemus Galeni bolum, quem tantopere prædicat, ob exſiccationem ſine adſtrictione, nihil haberem prius: Sed noſter ille (quem rubricam Synopicam eſſe inter doctos jam convenit) exſiccat cum adſtrictione, quare ne periculoſus error committatur, abſtinendum cenſeo: vtemur ejus vice cornu cervi vſto. &c. *Montanus conſult.* 116.

XXX. Id Scio *Opii* vim contra peſtem præcipuam eſſe, teſtatur etiam ſolanum ſylvaticum, quod in peſtilentia porcorum efficaciſſimum eſt remedium, vt Tragus ſcribit, vim autem habet opii: *Geſnerus Epiſt.* 34. Opium nonniſi calidiſſimis antidotis addendum cenſeo, ſed tales fere ſunt quæ in peſtis curatione dantur; nam, vt alia omittam quæ opium diſertè recipiunt, nobilis ille Saxonicus contra venena pulvis, herbæ Paris, i. e. Aconiti primi *Fuchſii*, folia & fructus recipit, quæ non minus ſtrenuè quàm opium refrigerant; Summè autem antidotus illa etiam in peſte facit, vt audio ab expertis: Sed & Elect. de ovo recipit vomicam nucem, cui vim refrigerandi in quarto attribui video, dubito tamen adhuc. *Idem fol.* 32. Mirum autem hæc vtcunque peramara, minimè tamen frigida eſſe, ſicut & cocculos Levanticos: Hoc etiam mirum frigidiſſima hæc ſudorem movere, quod ſæpe obſeruavi. *Idem fol.* 33. Cum autem præfercoda mihi videantur remedia deſtillata, quòd ea citius penetrent; citiſſimâ autem penetratione opus eſt in hac lue, Soporifera tamen, vt opium & ſimilia, aliis diſtillandis non admiſcerem; tum quod ea nollem ad cor penetrare, tum quod deſtillata ea deteriora, & noſtræ naturæ nocentiora fieri mihi videantur; calida non item &c. *Idem fol.* 30.

XXXI. *Locus in quo æger decumbit* foramen apertum habeat ſuperius, vt halitus peſtilentes exeant, præſertim eo ſudante, Id foramen alternis aperiri poterit & claudi: cùm enim ſuffumigia idonea fient cum aq. roſar. camphorata, aliaque, claudetur aliquandiu locus, deinde rurſus aperietur. *Idem fol.* 30.

XXXI. *a* Si alicubi, certe in Peſte, affectu acutiſſimo & maxime fallaci, valdeque maligno, exacta habenda ægrorum ratio, ne quamprimum ſymptomata moleſtiora & ſenſilia videntur tantillum levata, putetur affectus quoque curatus: hic namque ſibi relictus, adeoque neglectus, cuniculos agit, atque ægros ex improviſo opprimit: Omnes proinde medicos ſerio monitos velim ne facile fidant Peſti, vtvt videatur aliquod ſymptoma prius ægro moleſtum ſublatum; latet enim ſemper anguis in herba, incautos inopinato indies tollens ac necans. *Sylvius de le Boe Append. Tr. 2.* §.318.

XXXII. *Amuleta ex Arſenico* plurimi commendant: & ſunt qui juratò aſſerant nullos peſte fuiſſe extinctos qui talia ad cordis regionem geſtarunt; *Fallopius* ait medicamentum tactum eſſe à Deo: Sed videndum, ait *Zacutus*, num experientia ſit bona; cùm enim multa in peſtis præcautione applicentur auxilia, videndum ad quæ ſit referenda ſalus: Ego tunc credam cùm videro hominem ad peſtem recipiendum aptum, cum peſtilen-

tibus converſantem, reprobo vtentem regimine horum ſolum antidotorum vi præſervatum: Bonâ tamen fide teſtari poſſum me anno 1600, in vaſta illa peſtilentia quæ Luſitanos, Cantabros &c. afflixit, plurimos vidiſſe peſte correptos: imò alios repente, velut fulmine ictus, emortuos, non ſine livore in regione cordis: in quorum parte læva iuxta cor, ſacculus plenus arſenico diu fuit geſtatus. Aliis hydrargyrum teſtæ nucis avellanæ incluſum placet: *Begninus*, Tyrocinii Chym. c. 13. ait quamvis in vicinia Iſtriæ ſingulis ferè annis lues peſtifera graſſetur, illam tamen ſemper immunem manere, copioſè autem ibi provenit Mercurius: vnde concludit Mercurium eſſe ſummum omnis corruptionis & putredinis alexipharmacum: Refert quidam ſibi notos eſſe quibus peſte per contagium correptis diſroptæ illo ipſo momento teſtæ, quibus incluſus Mercurius fuerit. Liberum cuique iudicium, *inquit Horſtius Decade* 10. *probl.* 9. hactenus reliqui: poſterioribus autem annis duplicia ſemper amuleta ordinavi, tam ex iis quæ balſamica & aromatica virtute roborant, quàm etiam ex arſenico, Mercurio & aliis, pro iis præſertim qui cum infectis ægris converſari coguntur præſcripſi; vbi etiam ex ſolo Mercurio, per fuſum Saturnum calcinato, experientiam habuimus non contemnendam ℥ij. iſtius pulveris in ſacculis coriaceis circa cordis regionem geſtatis, hoc obſervato vt in ſudore & balneo removeantur: Quare cum adhuc anceps de his experiētia, maxima ſecuritatis ſpes in alexipharmacis collocetur, iis adhærendo quæ fidâ experientiâ ante probata ſunt, cùm huic potiùs quam rationi fidem debeamus. *Vide de his Iordanum, Theodoſium, Montanum, Fallopium, Simonium, Saracenum & alios.*

XXXIII. Quamvis vnum remedium in quadam peſtilenti conſtitutione auxilium attuliſſe certum ſit, in alia tamen inutile fuiſſe compertum, quod veneni peſtiferi diverſitati adſcribendum: Hinc quidam rectè modò viperæ, cicutæ, napelli, modò dipſadis naturam æmulari dicunt: Videatur *Quercetanus* in Peſtis Alexicaco: Id ad curationem rectè inſtituendam perutile eſt, ait *Sennertus*, Hinc forſan, ignorato ſpecifico auxilio, tot centena hominum occumbunt, vulgaribus tantum antidotis, Theriaca, Mithridatio &c. exhibitis: ſpecifica ſcilicet peſtis natura non ante innoteſcente quàm plurimi interierint: cogente autem neceſſitate cognita in vſum ducantur: Vni ergo remedio non inſiſtendum, ſed varianda ſunt, quouſque certum & ſpecificum manifeſtum fiat:

XXXIV. Difficile eſt his febribus *Victum* præſcribere, Tenuis enim non convenit 1. quia eo exhibetur vt natura vacet circa materiæ morbificæ pugnam: at in peſtil. febribus id diligenter curamus vt bellum inter naturam & peſtilentem humorem caveamus: nam vt plurimum ex tali certamine natura vincitur: 2. victus tenuis & faciliimæ coctionis promptius à peſtilentis contagii vi quàm à natura vincetur: quapropter etſi id plurimum eſſet vtile & neceſſarium ob ſpirituum generationem, quos in hujuſmodi morbis maximè amat natura, cum hoc tamen non licet iis vti: Craſſa verò cibaria exhibenda non ſunt, quia à naturali calore, vtpote languido, vinci non poſſunt, etiam quia ſpiritibus materiam non ſuppeditant, & mali cauſæ addunt, licet neceſſaria ſint ob maiorem in corrumpendo reſiſtentiam: Qua ratione conſolo ea miſcere quæ ſpirituum maximam copiam præſtant, & facilioris coctionis ſunt, cum iis quæ peſtilenti contagio obſiſtunt: qualia eſſe conſtat quæ natura ſunt ſicca, & in altum corporis cita penetratione ſe inmergunt, exſiccantem facultatem toti communicantia; cum levi adſtrictione: Quare ſal & ſalſuginoſa omnia, præſertim quæ tenuis ſunt ſubſtantiæ, vt & acetoſa omnia mirè proſunt: Illa quidem febrem intendunt, at præſtat putredinem compeſcere, & ſubſtantiam potius reparare quam febrem nonnihil intendere: Nec præter rationem ſitim intendere, ea enim optabilis, indicat enim primò actionem ſenſoriæ facultatis oris ventriculi incolumem eſſe, æger ſitiens frigida delectabitur, & ipſam copioſius ingeret, quæ ſummum præſidium, *Mercatus de Præſid.* Quidam dicunt plena manu paſtum eſſe incuodum, periclitantur enim à virium caſu; nam, aiunt, ſcribit *Hippocrat.* 3. *Epid.* 3. 59. eos evaſiſſe qui ſtrenuè comedebant; Malè am hi ſentiunt, nam vires titubant, nec cibis pares ſunt: Et prædia virium hîc abſumuntur, non ab inedia, ſed a morbi pravitate, Et corpora impura quò plus alimenti aſſumunt eo pluribus damnis augentur: Et languet hic ventriculus, nec coquit, ergo non eget plurimo cibo: Nec ſervabantur, inquit *Galenus*, qui plurimum edebant, ſed qui moderatè, h. e. qui viriliter quidem comedebant, ſed ita tamen vt tenuem diætam non violarent: author eſt *Galenus* eos mortuos fuiſſe qui maluere mori quam comedere: vtantur ergo non multo cibo ſed pauco, peſti adverſo &c. *Heurnius l. de Febr. c.* 19.

XXXIV. *a Sal* in primis locum habere vſus oſtendit, quo corpora incorrupta ad longum tempus ſervat: In eo igitur iam dicta (*quæ ſupra* §. 34. *adducta ſunt ex* Mercato, *qui cuncta hinc deſumpſiſſe videtur*) percipimus, exſiccationem, penetrationem & adſtrictionem, Secundum locum habent omnia *Acetoſa*, ex quibus *Acetum* imprimis ſe offert, deinde ſuccus *arantii*, & ſuccus *mali granati* acidi: Ab iis *Amara*, ſed quia calida ſunt minus conveniunt: *Ova recentia* facillimæ ſunt coctionis, & ad generationem ſpiritus materiam præbent: Ne ergo in peſtilentem materiam convertantur, ea hoc modo exhibere conveniet, Ovum recens integrum immittito in aquam frigidam, mixtam cum aceto, ibique eſſe ſinito tribus horis, tandem ovum rumpito, & album extra mittito, ſucco arantii aut aceto albo capacitatem impleto; ſalis tantum addito vt mediocriter ſalſum efficias, coquito ſupra cinerem calidum, miſcetoque donec craſſum reddatur: Item *Perdicis*, Phaſiani, *Columbæ* iunioris viſcera effodito, eamque ſale condito, ita vt mediocriter ſalitam efficias; Eam ſic eſſe ſinito die vna in æſtate, aut duabus in hyeme: poſtmodum in eam mali citrei fruſta immittito, & petroſelini folia, vt quod inane in perdice eſt impleatur, eamque ad ignem lentum coquito: cumque humor intrinſecus extra erumpat, & perdix tota humecta fiat, ſuper eam ſal vndique inſpergito: Cumque mediocriter aſſa fuerit, humorem qui ab ea deorſum deſtillaverit digito excipito, experiteque an ſalſus ſit: quod ſi non, adhuc iterum ſal inſpergito, vt tandem ſuccus mediocriter ſalſus reddatur: Tamdiu ad ignem perdicem eſſe ſinito quouſque humor exſiccetur, poſtea ab igne remove, & in parva fruſta ſeca, & in linteum demittito, duobuſque in contrarium retorquentibus, pro viribus totus ſuccus extrahatur, quem ægro miniſtrato: Multum quidem nutrit, ſpiritus ſubſtantiam auget, ventriculum roborat, & peſtilenti infectioni valde obſiſtit: Idem e capo, aut pullo gallinaceo efficere poſſis:

ſis: Neque quis miretur nos & ovum & ſuccos ea carnibus, ſalſa ex conſulto efficere, Cum enim obiiciens animo volvat Peſtilentem febrem naturales privatim actiones corrumpere, nempe cordis, jecoris & ventriculi (vt ea vomitu, fluxu ventris, vrinis rubeis conturbatis, & ea inordinato pulſu oſtenditur) peſtilentemque infectionem citius iis partibus quæ humidiores ſunt communicari (humiditas enim peſtilentis contagii fomentum eſt) haudquaquam præter rationem eſſe ea quæ diximus exiſtimabit: quinimo ab ipſa rerum natura in id ducimur: Eas ſiquidem corporis partes quæ peſtilenti contagio affectæ ſunt, ſcimus p. n. humectas eſſe, actioneſque earum ob id reſolvi: quare vel cibaria ipſa natura ſicca eſſe oportet, aut ſi talia ob duram coctionem non conveniant, ſaltem cibis ea quæ exſiccare valeant ſunt miſcenda; Sal autem, vt diximus, omnium eſt efficaciſſimum adverſus omnem corruptelam, maximeque humano generi familiare: Quare ſalſa omnia huic febri convenire rationalis methodus docet: Neque ob id quod ſitim generant rejicienda ſunt &c. (vide ſupra §. 34) *Brudus.*

XXXIV. *b* Ad hæc in Peſtilenti febre diligenter proſpiciendum *eſt ventriculo*, vt id quod aſſumit æger retinere poſſit, alioquin neque virtuti vpitulari, neque morbo occurrere poſſimus: Quare eo me adduxit ratio, vt mihi perſuaſum ſit *Salitos piſces* iis fore ex vſu, ſi ſint ex iis qui facile coquantur: hos ſiquidem ventriculum valde exſiccare, roborare, appetentiam excitare, ſitim immoderatam inducere, ſubverſum ventriculum & nauſeantem componere certum eſt: Cum hæc ſcriptis mandarem, mihi relatum eſt Chirurgum ſenem in Anglia ſolitum eſſe piſcibus ſalitis, quos *herinches* (Galli *Anchoyes*) Angli vocant, peſtilentia laborantes feliciter nutrire: quorum ſi copia non detur, eorum loco ex parvorum piſcium genere vtitur, quod ſal & fumum melius recipiat: Cæterum oportebit ab eſu eorum ægrum monere vt à potu hora vna abſtineat, poſtmodum frigidam quantum hauſtu bibere poſſit dato: vſus hujuſmodi piſcium adverſus humiditatem tenuem corruptam in ventriculo efficaciſſimus eſt: Quantum autem hujuſmodi Piſces ſaliti ventriculum roborent, & nauſeantem reprimant, & appetentiam excitent, odor eorum declarat, quo non parum ventriculi appetentia elicitur: Qui ergo iis conſentit rationibus, iis vtatur aſſis, infuſis in aceto, aut in ſucco acetoſæ. *Brudus.*

XXXIV. *c Carnibus* autem *Sale conditis*, quibus Borealior Hiſpaniæ pars vtitur, ob id quia duræ ſunt coctionis, vti conſilium non eſt: Earum tamen ſucco, cum decenter aſſæ ſunt, vti melius erit; Spiritus abunde carnium ſuccus generat & ventriculum roborat: Proinde id ſummopere cavendum eſt ne eundem cibum toties offeramus vt eum faſtidiat æger: Quare oportet Medicum diverſa cibaria mente concipere, vt eorum ſingulis vtatur cum opportunum fuerit: Dulcia omnia, & vnctuoſa, & quæ calida ſunt & humida, diligenter cavenda ſunt: Lentes cum multo aceto, ſale, croco & petroſelino coctæ conveniunt &c. *Brudus de victu Febricit. lib. 3. c. 19.*

XXXV. *Allia* an conveniunt in Peſtilentia *Præſervationis* gratia & *Curationis*? Quoad *præſervationem*, ſi quis iis aſſuetus ſit in bona valetudine, haud dubio dimittenda non ſunt, nam imprudentis fuerit conſuetudinem in peſtilenti conſtitutione dimittere, cum ægrotandi occaſionem tunc temporis porrigere nefas ſit: Quod ſi ex iis fuerit qui alliis aliquoties vtatur, & quandoque non, neque capitis gravitatem, nec præter ſolitum ſe calidiorem ab eorum vſu ſentiat, huic concedenda fore, prout eis alias vſus eſt, cenſeo, præſertim hyeme: Exemplo ſint meſſores, qui æſtate ferventes ea vorant cum pane, vt minus ab æſtu offendantur & in ſudores minus ſolvantur; nam allii vi fortius obſiſtunt qui vtuntur quam qui abſtinent: Adde quod ab externo frigore idem corpora tuetur, & ei minus obnoxia reddit: hos effectus ſola qualitate non præſtant, ſed qua calidum roborant naturale, adeo vt à quavis cauſa corpus difficilius poſtmodum vincatur: Iis autem qui Allii vſi non ſunt, in peſtilenti conſtitutione incipere iis aſſueſcere tutum non eſt, vt nec calidis temperaturis, iis qui gracili ſunt habitu, pueris, imbecillibus, iis quorum facile digeruntur corpora: qui autem craſſo ſunt habitu, aut frigido temperamento, & difficulter in halitus ſolvuntur, hyeme, eos arbitror votum conſequuturos, Adde Allium, ex *Hippocr. & Galeno* 4. de r. vict. à crapula optime præſervare, quantum autem hæc corpora ad quamlibet impreſſionem externam diſponant, declarant malæ habitudines quæ iis exinde naſcuntur, Demum *Dioſcorides* magnas Allio vtilitates aſſignat contra aquarum mutationes, & præſervationis & curationis gratia: Porro, longa experientia ſcimus Allium naturale roborare calidum, appetentiam excitare, coctiones & reliquas actiones naturales acuere, cibumque corrumpi non ſinere, Horumque omnium contrarium corpora pati à peſtilenti febre, vnde ob dicta Allium cum cibis, ei qui *Febre Peſtilenti laborat* citra temeritatem miſcebimus: Quod ſi id exſiccare, vt ſcripſit *Dioſcor.* conſideres, in Peſtil. vero febre humiditatem pravam eſſe in ventriculo, à qua omnes ejus actiones corrumpantur, præſertim qua cibus coquitur, & ea qua retinetur, an rejicies ideo quod plus juſto calefacit? minime, cum minus mali patiantur laborantes à caliditatis quam à peſtilentis putredinis additione: Caliditas præterea Allii in terreſtri parte non eſt, vt caliditas rei amaræ, ſed in parte aquoſa, quæ ſtatim in habitus ſolvitur, ab internis ad externas partes ſtatim migrans; id quod in Peſtilenti febre non parum conducit: Objicies Hippocr. 4. de v. Ac. dicere Allium flatum parere, caliditatem in thorace, & capitis gravitatem cibique faſtidium; Nam contrarium aſſerit *Galenus* ipſa experientia edoctus; quinimo ait ſolvere capitis gravitatem ſi poſt evacuationem detur: Omnibus igitur febre Peſtil. laborantibus Allii virtutem in cibis miſcendam vt ſaluberrimum conſulo, vt exſiccatione ſua, naturaleque calidum roborando, corruptioni exitialiter graſſanti obſtet, Et vt quod corruptum eſt, aut per vias vrinæ, aut ſuo violento motu ad circumferentiales partes deſudat; Nec minus ſymptomatum ventriculi gratia, vomitus, ciborum abominationis; ſervata tamen & conſuetudine, & vehementia febrilis caloris, pro ætate, temperie, anni tempore. Nec ob aliquam qualitatem contrariam protinus rejiciendum, *Difficile enim eſt aliquid invenire quod citra læſionem magnifice proſit*, ait *Galenus*: Allii ergo caliditas coctione plurimum evaneſcit, tradente *Avicenna*; quare qui eo integro vti velit, citra aliam præparationem cum cibis id coquat: Si frangere quis velit, in acetum, aut ſuccum acetoſæ, die vna infuſum ſinat: Formidinem præterea pellere ajunt Allium, quæ peſtil. febre affectos ma-

xime concutit, ſpiritusque abſumit: *Idem cap.* 20.

XXXVI. Non obſcurum eſt ex præceptis medicorum intelligere, aliam fere in curatione Peſtil. febris methodum obſervandam ab ea quam in aliis febribus tradiderunt, Id quod ex cibis ſiccantibus, ex iis quæ adſtringunt, ex craſſo victu, & indulgentia ad pleniorem cibum & potum colligere eſt, Quæ omnia aliis in febribus diligenter prohibemus, vnde *Celſo* ſitim excitandam eſſe in hac febre recte viſum eſt: *Idem ibid.*

XXXVI. *a* Naribus adhibeatur odor aceti roſati & rutæ, vel in ore corties citri teneantur: Nam qui zedoaria & garyophyl. ſe munire volunt in præſervando plurimum ſibi nocent: *Crato. Conſ.* 268.

XXXVII. Quibus fugere expedit, caveant prudentiſſimè ne per aërem peſtilentem iter agere cogantur; ſiquidem multis accidit vt dum per cœlum peſtilens fuga periculum antevertere ſtuduiſſent, ad optatam regionem pervenientes illico morerentur; aut quia præter conſuetudinem feſtinantius iter agentes fatigantur & debiles evadunt; ſucci immodicè commoventur & turbantur, vnde ad noxiæ qualitatis ſuſceptionem fiunt paratiores: accedit ex labore frequentius & amplius reſpirandi neceſſitas, cujus ratione copioſior aer venenatus, qualis occurrit, excipitur: repentina præterea omnis mutatio gravis naturæ, Et non paucis plethora & cacochymia laborantibus humores ex itinere ſupra modum incaleſcunt, & ferventes pernitioſam induunt qualitatem: Qui autem ab infecto aëre ſe ſubtrahit, priuſquam patrium ſolum vniverſum ea calamitas occupat, in regionem ſitu ab ea diverſam vnde malum oritur, proficiſcendum erit, ſed lento gradu, metu conturbationis prædictæ. *Ioubertus l. de Peſte cap.* 10.

XXXVIII. *Fracaſtorius* ſeminaria Peſtis effundere negat cadavera, *Mortuum animal* ait l. 1. de contag. c. 12. *contagem eam non ſervat qua tenebatur vivens, quoniam ſeminaria contagionis vna cum calore innato extincta ſunt*, Idem ſentit Rondeletius l. de febr. *Diſſecuimus* inquit, *corpora mortuorum ex peſte, multis ſpectantibus ſtudioſis, ſine aliquo damno, praterea quod mortuo animali perit omne venenum*; venenum autem extingui mortuo animali aſſerit *Langius*: Revera ſi cadaver virulentiam proferre debet, caloris adminiculo opus habet, quo mediante vapor ad corpora vicina diffundatur: iſto autem ſi deſtituatur, contagioſum eſſe nequit: Veriſimilia quidem hæc, at ſi ex cadaveribus in prælio occiſis, nec ſepultis, peſtis oriatur (concedentibus omnibus medicis, qui ideo cremari volunt) quis contagioſa negaturus eſt? Deſit enim innatus calor, corpus actu frigidum ſit, expulſio fuliginum ab arteriis ceſſet; putreſcens tamen materia per tranſpirationem putridum efferet vaporem aerem infecturum: Indicium dat fœtor ingens, effumantis caloris vaporumque copiæ ſoboles, quam peperit ſordida in præcordiis putredo, emergens ex abſentia calidi nativi, ſingulas mixti particulas ante coercentis: Quod ſi vapores à cadavere elati aërem putredine inficiunt, an ab iiſdem corpora vicina intacta manebunt? Quod autem quædam corpora contagii vim non ſuſceperunt, pendet id ab eorum ineptitudine, *Nulla cauſarum*, inquit Galenus l. 1. de diff. febr. c. 4. *ſine patientis aptitudine agere poteſt*, Alioquiex iis qui peſte infectorum conſuetudine vtuntur, nemo illius vim poſſet eluctari. *Vide Ioubertum de peſte cap.* 3. *Capite.*

XXXIX. In Peſte, malignis & contagioſis morbis, vt protinus inhumentur cadavera recte quidem ſuadent Practici: Simile enim quiddam, inquit Lemnius, corporibus recens extinctis evenit quod cereis lychniſque ac funalibus, quæ accenſa nullam graveolentiam naribus offundunt; ac extincta, flammaque ſopita, terroque vndique fumantique odore cœnaculum complent: Verum neque id ſemper tutum eſſe, & hominem Chriſtianum minimè decere exempla teſtantur. *Fabritius Hildanus centur.* 2. *Obſ.* 95. *&* 96. *vbi multa exempla addu-cit funeri deſtinatorum reviviſcentium.*

XL. Chirurgos in Galliis memini ſæviente lue veſtem ſingularem induiſſe, non ex panno vel lana conſutam, cui veneni ſemina facile inhærent, ſed ex lino compreſſo & æquali, ſimplicem & glabram, quam deponunt ab ægrorum infectorum cura redeuntes: Idem artificium æmulantur Itali, & in nupera peſtilentia Romana, quæ anno c. 1656. vrbem vaſtavit, ſingulari habitu medicos ſuccinctos accepimus: Illis in ſiniſtris baculus non nodoſus, commercii cum infectis nota: Vultui larva cerea inducta prætenditur, & vniverſo capiti, ne capilli miaſmata imbibant. Paropia oculos muniunt, & naſus roſtro longius protenſo involvitur, vt alexipharmaca & benevolentia contineantur. Habitu hoc neceſſario, & tuto magis quam decenti Medici infectos inviſunt, & chirurgi ſecure bubones tractant, & exanthematibus fœdum corpus palpant: Sique eminentia hæc ſenſerint, ſingultu ſuperveniente, certum exitium prædicant, quod perpetuum mortis fuiſſe ſignum in peſtilentia noſtra magna anno 1619. Chirurgus in vrbe ad curandos infectos conductus mihi aſſeveravit. *Th. Bartholinus cent.* 5. *Obſ.* 7. His adde rem majoris admirationis, accenſis facibus, carbonibuſque bene ſuccenſis, qui manibus aſſiduo geſtentur ab his qui Peſtilentia correptos inviſent, eoſdem tutos à contagione reddi, *Marſilio Ficino authore. Epid. antidot. cap.* 24.

XLI. Peſtilentis veneni nullum alexiterium eſſe qui contendit, naturalis philoſophiæ principia ſubvertit, quibus omnia ex contrariis per contraria fieri, humanarumque rerum viciſſitudinem atque inſtabilitatem ex principiorum repugnantia & diſſidio pendere conſtat: Quum igitur peculiare peſtis remedium, propriumque venenatæ pernicie alexiterium adhuc in naturæ ſinu abditum deliteſcat, ad communia venenorum alexiteria, & ad cardiaca confugere neceſſe eſt. *Palmarius lib. de Peſt. febre c.* 17.

XLII. Cuidam febre peſtilenti correpto imperatæ fuerunt frictiones ex Nitro, à quibus tantùm ſenſit ardorem vt exclamaret ante diem ad mortem ſe rapi, quod & factum fuit. *G. Melichius. de Med. compoſit. p.* 319.

XLIII. *Alvi fluxus* in Peſte inſtantis plerumque mortis nuntius eſt: Non raro tamen vbi nec ſolus ſanguis excernebatur, nec materia ſanguinea, ſequentia profuiſſe expertus ſum: Abſtineat æger & medicus ab omnibus acidis ſalſiſque, magni alias in peſte vſus: ſimiliter & à potu liberaliore, ſitim valde vexantem quod ſi tolerare nequeat æger, ſumat mixturæ hujus cochleare j, 2. 3. ℞. *rad. tormentt.* ℥j. *flor. rubr. r. p.* j. *raſ. c. c.* ʒß. *ſemin. acetoſ. myrtillor. ana* ℥j. *coque ex aqua ferrata, Colatura* ℥ix. *adde conſ. hyacinth.* ℥j. *ſyr. myrth.* ℥j. *miſce.* Sola Theriaca multis quoque profuit, ſi ſingulis 4. horis particula ejus aſſumatur, vſque dum ʒj. abſumpta

pra uc : Encmata adſtringentia, exſiccantia atque emolucntia valde hic neceſſaria ſunt, imo quovis ſæpius die bis terve injicienda : Fæx vini albi aut magis rubri, abdomini calide illita profuit. *Barbette Tract. de Peſte p. 189.*

XLIV. *Vigiliæ* me nunquam ſollicitum reddunt, etiamſi primis tribus diebus continuæ adfuerint : Dolor ſæpius primo die imminuitur, altero tolerabilis eſt, 3. ſolo ſudoriferorum uſu prorſus ſublatus eſt · Opio vis eſt ſudorifica, Theriacam, Diaſcordium Mithridatium &c. magna ex parte conſtituit quæ etiam, me iudice, virtute ea ſudorem movendi haud pollerent, ſi eo deſtituerentur quo iam gaudent : Imo alexipharmacis ipſis ab autoribus annumeratur, cuius uſus ſingularis in omni maligna febri : Et certe haud crediderim medicamentum ullum reperiri, quod tam ſubito tantum levamen ægro afferre poſſit quam Opium, & de cuius etiam operatione certiora prædicere queant, quicunque frequenter & circumſpecte eo utuntur, quam de Opii : Parce nihilominus eo hoc tempore præter conſuetudinem uſus ſum, quia Somnus primis duobus aut tribus diebus valde ſuſpectus eſt : At vero ubi ad dies ſex vel ſeptem Vigiliæ tentaverint, cum virium conſumptione, valde profuit ſequens ſingulo quadrante, cochlearis quantitate aſſumptum, uſque dum in ſomnum inciderit æger : ſomnus eo producitur placidus & ſudor largus, ℞. *aqu. prophylact. noſtra* ℥ jß. *borrag.* ℥ j. *cinnam* ʒ iij. *conf. hyacinth.* ʒ j. *ſacch. perlat.* ʒ iij. *laud. Opiat. gran.* ij, *miſce.* Dicto itaque modo Opio uti poteris : Nec eſt quod hic vel audax nimis in corporibus cacochymicis, debilitatis, & ventriculo impuro præditis idem uſurpes; vel meticuloſior iuſto nullo in caſu id adhibere contentus, vires enim eius tibi ignotas eſſe evidentiſſime hoc modo declaras : Ad Laud. Opiatum antequam deveniam, Capitis dolorem ſequentibus mediis tollere ſtudeo: Apponatur cervini hedera terreſtris contuſa, Plantago itidem: Pedum plantis & volis manuum hoc aut ſimile, ℞. *fol. rutæ man.* jß. *fermenti acris* ℥ ij. *fimi columb.* ℥ j. *Salis comm.* ℥ ß. *aceti ſambuc. q. ſ. miſce f. Catapl.* vel, ℞. *boli Armena, terra ſigillat. creta vulgar. alba an* ℥ jß. *aceti calendula q. ſ. miſce applicetur ut præcedens*: Fronti quoque applicavi quandoque caryophill. pulverem, ſpiritu vini madefactum, Acetum enim nocere cenſeo. *Barbette Tract. de Peſte p. m. 185.*

XLV. Formulæ fiunt ad aëris peſtilentis caſtigationem, aër enim peſtilens dum attrahitur, in ore elaboratur, & horum medicamentorum ratione caſtigatur : Tales autem formulæ non uno eodemque modo parari debent : Nam ſi conſtitutio aëris peſtilentis ſit calida, ut æſtate, odoratis frigidis caſtigabimus, hyeme vero calidis odoratis : ℞. *roſar. rubr. flor. violar. nymph. ana.* ʒ j. *cortic. citr. ſicci & ſem. citri ana.* ʒ ß. *coriand. ſantal. citr. & albi ana* ℈ ij. *cum mucilag. gummi tragac. extr. cum aqua roſar.* fiant Formulæ · In hac compoſitione eligantur odorata minus calida, nam hæc tempore calido ephemeram excitare poſſunt : Omnes autem morbi tempore peſtis contagioſi fieri poſſunt & peſtilentes, Summopere igitur cavenda humorum commotio & agitatio : quia autem hæc deglutienda ſunt, parum boli addimus, qui inſpiſſando impedit humorum agitationem & infectionem. *Rondeletius.*

XLV. *a.* *Cibi Appetitus* proſtratus reſtituetur *Acidis*, quovis modo aſſumptis, & imprimis ſpiritu Salis dulci, ut & Elixirio proprietatis, aut cum potu ordinario, aut cum mixturis cardiacis. Ubi notandum, cum paucis ut plurimum vim ſuam deleteriam exerere ſoleat venenum peſtilens, non eſſe operæ pretium ut mox in principio de Appetitu reſtituendo ſit valde ſollicitus Medicus, quandoquidem ſuperato per Acida quoque veneno, idem ſponte quoque redit : quod ſi tamen ſegnius revertatur, prædictis ſæpius uſurpatis citius reparabitur. *Franciſcus Sylvius Tractat. 2. paragr. 621.*

Methodus curandi Febrem Peſtilentem Sydenhamiana.

XLVI. Quod ad harum Febrium Therapeian attinet, primus quidem locus *Indicationibus curativis* debetur, quæ eo in univerſum dirigendæ ſunt, aut ut Naturæ ductum in exterminando morbo accurate ſequentes, eidem ſubſidiariam porrigamus manum, aut ut Methodo, qua Natura in inteſtino hoc hoſte debellando uti ſolet minime fidentes diverſam ſubſtituamus: Si quis rogetat rem per Peſtifuga alexiteria geri poſſe? at dubium an auxilium quod præſtant manifeſtæ ipſorum facultati, qua ſudores affatim proliciendo ſimul materiæ morbificæ exitum aperiant, quam occultæ cuidam indoli, qua a Natura ad Peſtil. labis malignitatem delendam donata fuerint referri debeat : Quocirca, Intentionem illam priorem expendamus, quæ eo ſpectat ut Naturæ in materiæ morbificæ exterminatione ſuo more & modo auxilium ſuppeditetur, notandum in vera *Peſte* Naturam, neque aberrantem, neque coactam, per Abſceſſum aliquem in emunctoriis erumpentem, unde materiæ exitus pateſcit, negotium ſuum exequi : In *Febre* autem *Peſtilenti* dicta, mediante diaphoreſi per univerſam corporis ſuperficiem idem effici: Unde colligere eſt pro diverſa, quam Natura in utroque morbo præmonſtrat, via ac ordine, etiam diverſam medendi rationem inſtitui debere : Nimirum, ſi quis materiam veræ Peſtis, ope ſudoris amoliri ſatagat, is diverſæ à naturæ via inſiſtit, utpote quæ id per apoſtemata molitur : Contra vero qui aliàs quam per ſudores Febris Peſtilentis materiam eliminare tentat, is curſum inſtituit cum Naturæ ductu ſe junctum nequaquam convenientem : Cæterum in *Peſte vera*, quoniam idoneo ac certo remediorum genere naturalis morbificæ materiæ eiectio, i. e. *Apoſtematum eruptio*, promoveri poſſit nondum conſtat, Niſi quis forte victum corroborantem, atque Cardiaca ad illud conferre poſſe exiſtimet: quæ tamen multum dubitarem ne ægrum, iam iam plus æquo caleſcentem, in maiorem æſtum coniiciant : Certe ſudores in hoc caſu fruſtra eſſe competiſſimum habeo, quanquam haud inficior poſt magnos ſudores, ad trium quatuor horarum ſpatium productos, ac deinde abruptos, Tumorem ſe in conſpectum dare; quem ego à ſudore minime proficiſci arbitror; utpote quo urgente nullum appareat eruptionis indicium; finito quidem veluti per accidens conſequatur, nimirum cum iam aliquam ſarcinæ partem, quæ naturam plus ſatis gravabat, ſudores abſtulerint, ac corpus à cardiacis ad diaphoreſin ſuſcitandam propinatis vehementius incaleſcat: Verum quam fallax & infida ſit hæc peccantis materiæ per Apoſtemata à ſudoribus foras evocata exterminatio, teſtor funeſtos eorum exitus qui hoc modo tractati fuerunt, è quibus vix tertius quiſque medicationis ac morbi periculum evaſit : E contra vero multi, quibus laudabili ſitu Tumores eruperunt ſanitatem brevi recuperarunt : Verum lubricam

xime concutit, ſpiritusque abſumit: *Idem cap.* 20.

XXXVI. Non obſcurum eſt ex præceptis medicorum intelligere, aliam fere in curatione Peſtil. febris methodum obſervandam ab ea quam in aliis febribus tradiderunt, Id quod ex cibis ſiccantibus, ex iis quæ adſtringunt, ex craſſo victu, & indulgentia ad pleniorem cibum & potum colligere eſt, Quæ omnia aliis in febribus diligenter prohibemus, vnde *Celſo* ſitim excitandam eſſe in hac febre recte viſum eſt: *Idem ibid.*

XXXVI. a Naribus adhibeatur odor aceti roſati & rutæ, vel in ore cortices citri teneantur: Nam qui zedoaria & garyophyl. ſe munire volunt in præſervando plurimum ſibi nocent: *Crato. Cenſ.* 268.

XXXVII. Quibus fugere expedit, caveant prudentiſſimè ne per aërem peſtilentem iter agere cogantur; ſiquidem multis accidit vt dum per cœlum peſtilens fuga periculum antevertere ſtuduiſſent, ad optatam regionem pervenientes illico morerentur; aut quia præter conſuetudinem feſtinantius iter agentes fatigantur & debiles evadunt; ſucci immodicè commoventur & turbantur, vnde ad noxiæ qualitatis ſuſceptionem fiunt paratiores: accedit ex labore frequentius & amplius reſpirandi neceſſitas, cujus ratione copioſior aer venenatus, qualis occurrit, excipitur: repentina præterea omnis mutatio gravis naturæ, Et non paucis plethora & cacochymia laborantibus humores ex itinere ſupra modum incaleſcunt, & ferventes pernitioſam induunt qualitatem: Qui autem ab infecto aëre ſe ſubtrahit, priuſquam patrium ſolum vniverſum ea calamitas occupat, in regionem ſitu ab ea diverſam vnde malum oritur, proficiſcendum erit, ſed lento gradu, metu conturbationis prædictæ. *Iouberius l. de Peſte cap.* 10.

XXXVIII. *Fracaſterius* ſeminaria Peſtis effundere negat cadavera, *Mortuum animal* ait l. 1. de contag. c. 12. *contagem eam non ſervat qua tenebatur vivens, quoniam ſeminaria contagionis vna cum calore innato extincta ſunt*, Idem ſentit Rondelerius l. de febr. *Diſſecuimus* inquit, *corpora mortuorum ex peſte, multis ſpectantibus ſtudioſis, ſine aliquo damno, præterea quod mortuo animali perit omne venenum*; venenum autem extingui mortuo animali aſſerit *Langius*: Revera ſi cadaver virulentiam proferre debet, caloris adminiculo opus habet, quo mediante vapor ad corpora vicina diffundatur: iſto autem ſi deſtituatur, contagioſum eſſe nequit: Veriſimilia quidem hæc, at ſi ex cadaveribus in prælio occiſis, nec ſepultis, peſtis oriatur (concedentibus omnibus medicis, qui ideo cremari volunt) quis contagioſa negaturus eſt? Deſit enim innatus calor, corpus actu frigidum ſit, expulſio fuliginum ab arteriis ceſſet; putreſcens tamen materia per tranſpirationem putridum efferet vaporem aerem infecturum: Indicium dat fœtor ingens, effumantis caloris vaporumque copiæ ſoboles, quam peperit ſordida in præcordiis putredo, emergens ex abſentia calidi nativi, ſingulas mixti particulas ante coercentis: Quod ſi vapores à cadavere elati aerem putredine inficiunt, an ab iiſdem corpora vicina intacta manebunt? Quod autem quædam corpora contagii vim non ſuſceperunt, pendet id ab eorum ineptitudine, *Nulla cauſarum*, inquit Galenus l. 1. de diff. febr. c. 4. *ſine patientis aptitudine agere poteſt*, Alioqui ex iis qui peſte infectorum conſuetudine vtuntur; nemo illius vim poſſet eluctari. *Vide Iouberium de peſte cap.* 3. *Capite*.

XXXIX. In Peſte, malignis & contagioſis morbis, vt protinus inhumentur cadavera recte quidem ſuadent Practici: Simile enim quiddam, inquit Lemnius, corporibus recens extinctis evenit quod cereis lychniſque ac funalibus, quæ accenſa nullam graveolentiam naribus offundunt; ac extincta, flammaque ſopita, tetroque vndique fumantique odore cœnaculum complent: Verum neque id ſemper tutum eſſe, & hominem Chriſtianum minimè decere exempla teſtantur. *Fabritius Hildanus centur.* 2. *Obſ.* 95. *&* 96. *vbi multa exempla adducit funeri deſtinatorum reviviſcentium.*

XL. Chirurgos in Galliis memini ſæviente lue veſtem ſingularem induiſſe, non ex panno vel lana conſutam, cui veneni ſemina facile inhærent, ſed ex lino compreſſo & æquali, ſimplicem & glabram, quam deponunt ab ægrorum infectorum cura redeuntes: Idem artificium æmulantur Itali, & in nupera peſtilentia Romana, quæ anno c. 1656. vrbem vaſtavit, ſingulari habitu medicos ſucciactos accepimus: Illis in ſiniſtris baculus non nodoſus, commercii cum infectis nota: Vultui larva cerea inducta prætenditur, & vniverſo capiti, ne capilli miaſmata imbibant. Paropia oculos muniunt, & naſus roſtro longius protenſo involvitur, vt alexipharmaca & benevolentia contineantur. Habitu hoc neceſſario, & tuto magis quam decenti Medici infectos viſunt, & chirurgi ſecurè bubones tractant, & exanthematibus fœdum corpus palpant: Sique eminentia hæc ſenſerint, ſingultu ſuperveniente, certum exitium prædicant, quod perpetuum mortis fuiſſe ſignum in peſtilentia noſtra magna anno 1619. Chirurgus in vrbe ad curandos infectos conductus mihi aſſeveravit. *Th. Bartholinus cent.* 5. *Obſ.* 7. His adde rem majoris admirationis, accenſis facibus, carbonibuſque bene ſuccenſis, qui manibus aſſiduo geſtentur ab his qui Peſtilentia correptos inviſent, eoſdem tutos à contagione reddi, *Marſilio Ficino authore. Epid. antidot. cap.* 24.

XLI. Peſtilentis veneni nullum alexiterium eſſe qui contendit, naturalis philoſophiæ principia ſubvertit, quibus omnia ex contrariis per contraria fieri, humanarumque rerum viciſſitudinem atque inſtabilitatem ex principiorum repugnantia & diſſidio pendere conſtat: Quum igitur peculiare peſtis remedium, propriumque venenatæ perniciei alexiterium adhuc in naturæ ſinu abditum deliteſcat, ad communia venenorum alexiteria, & ad cardiaca confugere neceſſe eſt. *Palmarius lib. de Peſt. febre c.* 17.

XLII. Cuidam febre peſtilenti correpto imperatæ fuerunt frictiones ex Nitro, à quibus tantùm ſenſit ardorem, vt exclamaret ante diem ad mortem ſe rapi, quod & factum fuit. *G. Melichius de Med. compoſit. p.* 319.

XLIII. *Alvi fluxus* in Peſte inſtantis plerumque mortis nuntius eſt: Non raro tamen vbi nec ſolus ſanguis excernebatur, nec materia ſanguinea, ſequentia profuiſſe expertus ſum: Abſtineat æger & medicus ab omnibus acidis ſalſiſque, magni alias in peſte vſus: ſimiliter & à potu liberaliore; ſitim valdè vexantem quod ſi tolerare nequeat æger, ſumat mixturæ hujus cochleare j, 2. 3. ℞. *rad. torment.* ℥j. *flor. rubr. r. p.* j. *raſ. c. c.* ʒß. *ſemin. acetoſ. myrtillor. ana* ℥j. *coque ex aqua ferrata, Colatura* ℥ix. *adde conſ. hyacinth.* ℥j. *ſyr. myrth.* ℥j. *miſce.* Sola Theriaca multis quoque profuit, ſi ſingulis 4. horis particula ejus aſſumatur, vſque dum ʒj. abſum-

pta

peratur: Enemata adſtringentia, exſiccantia atque emollientia valde hic neceſſaria ſunt, imo quovis ſæpius die bis terve injicienda: Fæx vini albi aut magis rubri, abdomini calide illita profuit. *Barbette Tract. de Peſte p.* 189.

XLIV. *Vigiliæ* me nunquam ſollicitum reddunt, etiamſi primis tribus diebus continuæ adfuerint. Dolor ſæpius primo die imminuitur, altero tolerabilis eſt, 3. ſolo ſudoriferorum vſu prorſus ſublatus eſt. Opio vis eſt ſudorifica, Theriacam, Diaſcordium, Mithridatium &c. magna ex parte conſtituit. quæ etiam, me iudice, virtute ea ſudorem movendi haud pollerent, ſi eo deſtituerentur quo iam gaudent: Imo alexipharmacis ipſis ab autoribus annumeratur, cuius vſus ſingularis in omni maligna febri: Et certe haud crediderim medicamentum vllum reperiri, quod tam ſubito tantum levamen ægro afferre poſſit quam Opium, & de cuius etiam operatione certiora prædicere queant, quicunque frequenter & circumſpecte eo vtuntur, quam de Opii: Parce nihilominus eo hoc tempore præter conſuetudinem vſus ſum, quia Somnus primis duobus aut tribus diebus valde ſuſpectus eſt: At vero vbi ad dies ſex vel ſeptem Vigiliæ reſtiraverint, cum virium conſumptione, valde profuit ſequens ſingulo quadrante, cochlearis quantitate aſſumptum, vſque dum in ſomnum inciderit æger: ſomnus coproducitur placidus & ſudor largus, ℞. *aqu. prophylact. noſtra* ℥iß. *borrag.* ℥j. *cinnam* ʒiij. *conf. hyacinth.* ʒj. *ſacch. perlat.* ʒiij. *laud. Opiat. gran.* ij, *miſce.* Dicto itaque modo Opio vti poteris: Nec eſt quod hic vel audax nimis in corporibus cacochymicis, debilitatis, & ventriculo impuro præditis idem vſurpes; vel meticuloſior iuſto nullo in caſu id adhibere contentus, vires enim eius tibi ignotas eſſe evidentiſſime hoc modo declaras: Ad Laud. Opiatum antequam deveniam, Capitis dolorem ſequentibus mediis tollere ſtudeo: Apponatur cervivi hedera terreſtris contuſa, Plantago itidem: Pedum plantis & volis manuum hoc aut ſimile, ℞. *fol. rutæ man.* jß. *fermenti acris* ℥ij. *fimi columb.* ℥j. *Salis comm.* ℥ß. *aceti ſambuc. q. ſ. miſce f. Catapl.* vel, ℞. *boli Armenæ, terræ ſigillat. cretæ vulgar. albæ an* ℥jß. *aceti calendulæ q. ſ. miſce applicetur vt præcedens*: Fronti quoque applicavi quandoque caryophill. pulverem, ſpiritu vini madefactum, Acetum enim nocere cenſeo. *Barbette Tract. de Peſte p. m.* 185.

XLV. Formulæ fiunt ad aëris peſtilentis caſtigationem, aër enim peſtilens dum attrahitur, in ore elaboratur, & horum medicamentorum ratione caſtigatur: Tales autem formulæ non vno eodemque modo parari debent: Nam ſi conſtitutio aëris peſtilentis ſit calida, vt æſtate, odoratis frigidis caſtigabimus, hyeme vero calidis odoratis: ℞. *roſar. rubr. flor. violar. nymph. ana.* ʒj. *cortic. citr. ſicci & ſem. citri ana.* ʒß. *coriand. ſantal. citr. & albi ana* ℈ij. *cum mucilag. gummi tragac. extr. cum aqua roſar.* fiant Formulæ In hac compoſitione eligantur odorata minus calida, nam hæc tempore calido ephemeram excitare poſſunt: Omnes autem morbi tempore peſtis contagioſi fieri poſſunt & peſtilentes, Summopere igitur cavenda humorum commotio & æſtuatio: quia autem hæc deglutienda ſunt, parum boli addimus, qui inſpiſſando impedit humorum agitationem & infectionem. *Rondeletius.*

XLV. *a.* *Cibi Appetitus* proſtratus reſtituetur *Acidis*, quovis modo aſſumptis, & imprimis ſpiritu Salis dulci, vt & Elixirio proprietatis, aut cum potu ordinario, aut cum mixturis cardiacis vſurpatis: Vbi notandum, cum paucis vt plurimum diebus vim ſuam deleteriam exerere ſoleat venenum Peſtilens, non eſſe operæ pretium vt mox in principio de Appetitu reſtituendo ſit valde ſollicitus Medicus, quandoquidem ſuperato per Acida quoque veneno, idem ſponte quoque redit: quod ſi tamen ſegnius revertatur, prædictis ſæpius vſurpatis citius reparabitur. *Franciſcus Sylvius Tractat. 2. paragr.* 621.

Methodus curandi Febrem Peſtilentem Sydenhamiana.

XLVI. Quod ad harum Febrium Therapeiam attinet, primus quidem locus *Indicationibus curativis* debetur, quæ eo in vniverſum dirigendæ ſunt, aut vt Naturæ ductum in exterminando morbo accurate ſequentes, eidem ſubſidiariam porrigamus manum, aut vt Methodo, qua Natura in inteſtino hoc hoſte debellando vti ſolet minime fidentes diverſam ſubſtituamus: Si quis rogerat rem per Peſtifuga alexiteria geri poſſe? at dubium an auxilium quod præſtant manifeſtæ ipſorum facultati, qua ſudores affatim proliciendo ſimul materiæ morbificæ exitum aperiant, quam occultæ cuidam indoli, qua a Natura ad Peſtil. labis malignitatem delendam donata fuerint referri debeat: Quocirca, Intentionem illam priorem expendamus, quæ eo ſpectat vt Naturæ in materiæ morbificæ exterminatione ſuo more & modo auxilium ſuppeditetur, notandum in vera *Peſte* Naturam, neque aberrantem, neque coactam, per Abſceſſum aliquem in emunctoriis erumpentem, vnde materiæ exitus pateſcit, negotium ſuum exequi: In *Febre* autem *Peſtilenti* dicta, mediante diaphoreſi per vniverſam corporis ſuperficiem idem effici: Vnde colligere eſt pro diverſa, quam Natura in vtroque morbo præmonſtrat, via ac ordine, etiam diverſam medendi rationem inſtitui debere: Nimirum, ſi quis materiam veræ Peſtis, ope ſudoris amoliri ſatagat, is diverſæ à naturæ via inſiſtit, vtpote quæ id per apoſtemata molitur: Contra vero qui aliàs quam per ſudores Febris Peſtilentis materiam eliminare tentat, is curſum inſtituit cum Naturæ ductu ac ſene, nequaquam convenientem: Cæterum in *Peſte vera*, quoniam idoneo ac certo remediorum genere naturalis morbificæ materiæ eiectio, i. e. *Apoſtematum eruptio*, promoveri poſſit nondum conſtat, Niſi quis forte victum corroborantem, atque Cardiaca ad illud conferre poſſe exiſtimet: quæ tamen multum dubitarem ne ægrum, iam iam plus æquo caleſcentem, in maiorem æſtum coniiciant. Certe ſudores in hoc caſu fruſtra eſſe compertiſſimum habeo, quanquam haud inficior poſt magnos ſudores, ad trium quatuor horarum ſpatium productos, ac deinde abruptos, Tumorem ſe in conſpectum dare; quem ego à ſudore minime proficiſci arbitror; vtpote quo vigente nullum appareat eruptionis indicium; finito quidem veluti per accidens conſequatur, nimirum cum iam aliquam ſarcinæ partem, quæ naturam plus ſatis gravabat, ſudores abſtulerint, ac corpus a cardiacis ad diaphoreſin ſuſcitandam propinatis vehementius incaleſcat: Verum quam fallax & infida ſit hæc peccantis materiæ per Apoſtemata à ſudoribus foras evocata exterminatio, teſtor funeſtos eorum exitus qui hoc modo tractati fuerunt, è quibus vix tertius quiſque medicationis ac morbi periculum evaſit: E contra vero multi, quibus laudabili ſitu Tumores eruperunt ſanitatem brevi recuperarunt: Verum lubricam

atque aleæ plenam eſſe huius morbi per Tumores indicationem ex eo manifeſtum eſt, quod interdum Bubo, qui primum laudabiliter, ac cum ſymptomatum remiſſione protubesavit, poſtea ex improviſo diſpareat, eiuſque loco maculæ purpureæ, certiſſimi mortis indices, ſuccedant; cujus retroceſſionis cauſa magnis illis ſudoribus, ad eruptionem promovendam deſtinatis, iure tribuenda videtur, ut qui bonam materiæ partem, quæ tumoris molem infarcire ac ſuſtentare debuerat, aliovorſum per ambitum corporis diſtrahendo ac diſſipando diſſlaverint: Utut ſit, hoc ſaltem planiſſime conſtat, cæteris affectibus, à Dei O. M. benignitate, certam amoliendæ cauſæ morbificæ rationem, huic autem nonniſi lubricam & verſatilem adiunctam eſſe: Ex his ſequitur Medicum, qui in aliorum morborum medicatione Naturæ ductum ac propenſionem preſſim ſequi tenetur, hic eiuſdem auſpiciis renũtiare debere.

Quare cum minime ſecurum ſit in exterminando hoc morbo Naturæ veſtigiis inſiſtere, iam diſpiciendum venit qua arte *Secunda intentioni* ſatisfiat, nempe aliam, atque à naturali diverſam, ſolutionem aggrediendi. Hoc autem dupliciter fieri poſſe exiſtimo, ſc. vel per *Sanguinis miſſionem*, vel per *Sudores*: Priorem quod attinet, non ſum neſcius ſacram apud pleroſque audire *Venæ ſectionem*: Verum vulgi præjudicia parum moratus, primo quidem Medicorum, qui graſſante nupera lue in urbe perſtiterunt, fidem appello, Numquis eorum V. S. larga manu, ac repetitis vicibus, nec non Tumore nullo adhuc protuberante celebratam, Peſte laborantibus funeſtam eſſe animadverterunt? Paucam quidem, vel tumore iam conſpicuo, ſanguinis detractionem ſemper damnoſam eſſe neutiquam mirandum eſt: Siquidem cum mediocris tantum quantitas cruoris adimitur, hinc Naturæ, quæ tumori protrudendo totas intendit vires, rei adminiſtratio e manibus eripitur, nec interea alia ſatis efficax materiam morbificam evacuandi ratio ſubſtituitur: Apparente autem iam Tumore celebrata venæ ſectione, cum à peripheria ad centrum trahat, motui naturæ, qui fit à centro ad circumferentiam, inducit motum plane adverſantem: *Venæ ſectionem* autem in *Peſte* convenire complures, iique graviſſime Scriptores iampridem ſenſerunt, Verum qui totum curationis negotium in copioſa, qualem nos poſtulamus, ſanguinis detractione collocaverit, unus, quod ſciam, repertus eſt *Leonardus Botallus*, Medicus ſuperioris ſæculi celeberrimus, *Ego*, inquit, *nullam Peſtem eſſe puto cui hæc non poſſit eſſe ſalutaris ſupra omnia remedia, modo opportune & quantitate convenienti uſurpata ſit: ratus eam aliquando inutilem inventam fuiſſe, propterea quod aut tardius, aut parcius quam opus eſſet, aut quod utroque modo circa eam uſurpandam peccatum eſſet*: Et paulo poſt, *At in tanta timiditate, & parca detractione, qui fieri poteſt ut quis recte poſſit judicare quantum ea in Peſtilenti morbo prodeſſe valeat aut obeſſe: Non enim morbus pro cujus curatione requirebatur detractio ℔ iv. ſanguinis, in quo una tantum detrahitur, ſi hominem interficiat, ideo interficit quia ſanguis eſt miſſus, ſed quia non juſto modo miſſus eſt, nec forte etiam opportune*: Quæ omnia experientia confirmat, & ad curationum exempla deſcendit: Sed libet hic rei, in noſtra Britannia geſtæ, hiſtoriam oppido raram hic locî apponere; Cum inter belli civilis calamitates Peſtis etiam multis in locis graſſaretur, ac forte in Caſtrum *Dunſtur*, in Provincia *Sommerſetenſi*, aliquot præſidiariis cum macularum efflorefcentia derepente exanimatis, complures alios corripuiſſet, Chirurgus quidam, qui a longis in regionibus exteris peregrinationibus redux, tunc temporis ſtipendia inter alios faciebat, a præſidij Præfecto rogat ut ſibi liceret commilitonibus ſuis pro virili ſuccurrere; quo annuente, ſingulis ægris, ſtatim à primo morbi inſultu, atque nullo adhuc Tumore conſpicuo, Sanguinem ingenti copia detraxit, donec pedibus deficere inciperent, nam ſtantibus, ac ſub dio vena pertuſa eſt, nec aderant vaſcula quæ cruoris in terram effluentis menſuram definirent: hoc facto eos in tuguriula ſua ad decumbendum dimiſit: Et quanquam à venæ ſectione nullum omnino remedium adhibuit, tamen ex compluribus iis quos hoc modo tractaſſet, mirum dictu, ne unus quidem deſideratus eſt.

Huius autem Praxeos utilitatem etſi non mente tantum ac judicio aſſequor, verum etiam reipſa atque editis experimentis dudum exploravi, tamen Peſtilentis fermenti per *Diaphoreſin* diſſipatio, præ eiuſdem per V. S. evacuatione mihi multis nominibus arridet, utpote quæ nec ægrorum vires æque proſternat, nec Medicum infamiæ periculo obiiciat: Atqui & hæc difficultatibus ſuis non vacat, primo enim multis, ac præſertim calidioris temperamenti juvenibus, ſudores ægrius proliciuntur: cujuſmodi ægros, quo hidroticis fortioribus, ac cumulatiori tegumentorum pondere diaphoreſin conciere ſatagas, eo in manifeſtius Phrenitidis periculum adduces; aut, quod triſtioris adhuc ominis eſt, vana ſpe aliquantiſper lactatus, tandem pro ſudoribus *Exanthemata peſtilentia* elicies: Cum enim præcipua huiuſce mali labes in ſpirituoſiori maſſæ ſanguineæ parte reſideat, unde craſſiorum particularum exagitatio nonnihil languidior quam in aliis inflammationibus plerumque exiſtat, tenuior illa portio novi caloris acceſſione in maiorem rabiem acta, impetu demum facto omnes cruoris fibras, ultra texturæ modum diſtenſas, prorſus frangit ac comminuit, à qua fibrarum ſanguinearum diſſolutione *Macularum Peſtilentialium* cauſam petendam eſſe cenſeo: quippe non ſecus ac vibices à plaga fortiore in partem aliquam corporis muſculoſam inflicta, primo intenſius rubicundæ in cute efflorefcunt, ac brevi poſt tempore livorem aut nigredinem induunt: Deinde vero in corporibus, quæ ſatis prompte in ſudorem ſolvuntur, ſi diaphoreſis juſto præmaturius (nempe tota materia morboſa nondum penitus diſſipata) abrumpatur, Bubonum, qui laudabiliter quidem ſub finem ſudoris prodire inceperant, poſtea deterior evadit conditio; nam ſubducta, quæ eos in molem attollere deberet, materiæ parte, aut de facili intro remeant, aut ſaltem ad legitimos abſceſſus nunquam perducuntur (quemadmodum etiam in Variolis accidere ſolet, quoties æger per primos dies impenſius ſudavit) recepto autem denuo intra muros hoſte fetali, in ſanguine commotio excitatur, cuius opera eo, quo ſuperius innuimus modo, ſæpe ecthymata, imminentis lethi indicia foràs propelluntur.

Hunc autem ritum imminuendi liberalius ſanguinem (cui etiam Priſanæ ac Diætæ id genus refrigerantis uſus acceſſit) in multis ægris miro profectu continuari, donec tandem in nonnullorum tractatione ſolito ſucceſſu deſtitutus, præ adſtantium protervia, qui præjudiciis inanibus deſtituti, debitam ſanguinis quantitatem auferri non patiebantur, magno ægrorum malo, quibus (ſaltem dum in hoc cardine curandi ſcopus verſaretur) ſanguis aut

ſufficienti quantitate, aut non omnino detrahendus fuerat, inſignem obicem conatibus meis oppoſitum ſenſi, ac proinde alium à venæ ſectione huic morbo occurrendi modum reperiri, magnopere ex vſu futurum judicavi.

Primo, ſi quidem Tumor nondum protuberaret, ſanguinem pro ægri viribus, ac temperamento modice detraxi, quo facto Diaphoreſis, cuius alias ſollicitatio in nonnullis corporibus non modo ſummam habebat difficultatem, verum etiam maioris incendii, proindeque Ecthymatum purpureorum periculum minabatur, facilis erat atque expedita: Atque hanc ſanguinis jacturam, quæ vtut exigua alias graviſſimum incommodum attuliſſet, diaphoreſeos immediate inſequentis beneficium abunde compenſavit: Poſt venæ ſection. (quam in lecto celebrandam curavi, cum jam omnia ad Sudores proliciendos in promptu eſſent) ne vel minima interpoſita mora ſtragulis ægrum obtui, ac laciniam laneam ſincipiti alligari juſſi: quæ quidem capitis obtectio ad ſudorem ciendum plus proficit quam quis facile crediderit: Deinde ſi Vomitus non adeſſent, hæc & ſimilia hidrotica exhibui. *℞. Theriac. Androm. ʒß. El. de Ovo ℈j. pulver. è chelis cancr. compoſ. gr. xij. cochinell gr. viij. croci gr. iv. cum ſ. q. ſucci Kermes f. Bolus*, quem ſumat ſexta quaque hora, ſuperbibendo cochl. vj. ſeq. Julapii *℞. aq. card. bened. & ſcord. compoſ. ana ℥iij. aq. theriac. ſtill ℥j. ſyr. caryoph. ℥j. m.*

Quod ſi Vomitio interpellaret, vt in Peſte ac Febribus Peſtilentialibus ſæpiſſime accidit, medicamentum ſudoriferum tantiſper propinare diſtuli, donec ſolo tegumentorum pondere (niſi quod linteaminis pars ad colligendos halitus vultui ſuperinduceretur) ſudor promanare inciperet: Nam (quod quidem obſervatu ſumme dignum eſt) cum materiæ morbificæ radii verſus ambitum corporis ſeſe caporrigant, illico alvi profluvium & vomitiones, ab eiſdem introrſum reflexis, ac in ventriculum & inteſtina decumbentibus provenientes, vltro ſedantur; adeo vt quantacunque ventriculi ſubverſio præceſſerit, aſſumpta deinceps medicamenta probe retineantur, ac ad ſudores ex voto proliciendos conducant: Inceptam autem Diaphoreſin, hauſtibus zythogalæ ſalvia alteratæ, vel cereviſiæ cui macis aliquantulum incoxerit, ſubinde repetitis, ad naturalis diei ſpatium continuari præcepi, Abſterſione interim omni religioſe interdicta, imo nec infra xxiv. horas à ſudoribus finitis induſium, vtcunque madidum ac immundum mutari permitto; Id quod ſumma cautela obſervari velim: Quod ſi ſudatio anguſtiori temporis limite circumſcribatur, recrudeſcit illico ſymptomatum ſævitia, atque ægri ſalus, quam prolixior diaphoreſis extra aleam conſtituiſſet, in acie novaculæ relinquitur; Et profecto *Diemerbrochium*, alioſque nequeo ſatis mirari, quoties adverto eos tam levi prætextu ad diaphoreſin interpolandam adduci, vt ſcil. ægrorum viribus conſulatur; primo enim ægrum ſudore diffluentem viribus melius quam antea conſtare, nemini in huius morbi medicatione vel tantillum verſato non poteſt eſſe animadverſum; Quod me hac in re vſus atque experientia docuit palam propugnare non verebor, Multi, me authore, in 24. horarum diaphoreſin conjecti, tantum abeſt vt ſe exinde debiliores factos quererentur, quin potius quantum ſupervacanei humoris ſudando deceſſiſſet, tantundem novi roboris ſibi acceviſſe profiterentur: Circa horas autem aliquot poſteriores, non ſine ſtupore obſervavi erumpentem Sudorem quendam, priore illo, quem vis medicaminum expreſſerat, magis naturalem, genuinum, copioſum, quique multo plus levaminis afferret, plane ac ſi vere Criticus foret, ac totius morbi eradicativus: Porro in ſummo Sudoris vigore, juſculis ac ſorbilibus confortativis ægrum reficere, quid ſecum incommodi trahat non video, ideoque ad nihilum recidit illa objectio de virium ad longos ſudores perferendos impotentia: Videre autem eſt (quod hujus praxeos vtilitatem proclamat) quod quamdiu æger ſudore diffluit, bene ſe habere exiſtimet; neque minus ex adſtantium judicio res tota in vado conſtituta videatur: atqui quamprimum corpus areſcere incipit, ac ſudor abrumpitur, omnia in peius ruant, morbo quaſi poſtliminio redeunte:

Per horas a finitu Sudore xxiv. moneo vt frigus caute vitetur; induſium ſponte ſua in corpore areſcere permittatur, potulenta omnia calidiuſcule hauriantur, & zythogalæ ſalvia alteratæ vſus etiamnum continuetur: Inſequenti luce Catharticum exhibeo, Atque hac medendi ratione complurimis Febre Peſtilentiali correptis ſanitatem reſtitui; adeo vt ne vnus quidem ex eo morbo mihi deſideratus eſt poſtquam eandem exercere inceperam.

Verum vbi *Tumor* jam enatus fuerit, venam aperire, etiam in corpore ad ſudandum quantumvis habili, hactenus non ſuſtinui; veritus ne materia morbifica, in depleta vaſa confeſtim remeante, ſubitaneus ægri interitus deſtinatam diaphoreſin anteverteret: Nihilominus fortaſſe ſatis tuto adminiſtrari poterit phlebotomia, modo confeſtim ab ea peracta, ac nulla mora interjecta eliciantur Sudores, qui ad ſpatium ſuperius requiſitum producti, omnem Tumoris molem paulatim abſumere & diſſipare valeant; idque longe minore ſalutis periculo, quam ſi legitima apoſtematis maturatio, quæ in præcipiti affectu admodum incerta ac fallax exiſtit, ſerius expectaretur. *Sydenham Obſervationum de morbis Acutis ſect. 2. cap. ult.*

Methodus curandi Peſtilentem Luem Sylviana

X L V I. *a.* Quemadmodum ex ſymptomatum omnium Peſtem comitari ſolitorum examine, atque remediorum ipſius præcautioni inſervientium conſideratione lethalis pleriſque veneni naturam in Sale volatili & acri conſiſtentem deduximus (vide *Paragr. 23. a.*) ita idem ex eiuſdem curatione confirmatum iri putamus: Ut autem Methodica & Rationalis inſtituatur Peſtis curatio, conſiderandæ non tantum *Functiones*, quæ primario ac potiſſimum labefactantur, verum *Partes* quoque; tam continentes quam contentæ, quæ præ aliis tunc afficiuntur: Functiones ſunt potiſſimum vitales dictæ, & inter has, quæ Sanguinis mutationem in corde contingentem ſpectant, & à quibus vita proxime pendet: Inter *Contenta* igitur, vel *Sanguis* vniverſus, vel quædam ad Sanguinis maſſam producendam concurrentia, vel vtraque ſunt in Peſte male affecta: Inter *Partes continentes*, ſolidáſque, obſervamus tum Glandulas conglobatas, à *Bubonibus*, tum externam cutim cum partibus adjacentibus, à *Carbunculis & Maculis* corripi ac corrumpi: Sanguinem ipſum in Peſte plurimum immutari conſtat, quando ipſum conſiſtentiam ſuam ſæpenumero amittere, ac ſolito fluidiorem fieri affirmavimus: Cum autem ab

Acido ſucco ſanguini conſiſtentiam omnem accedere credamus, merito Acidum ſanguini admiſtum, admiſcendumve, præ cæteris contentis omnibus plurimum in Peſte pati & corrumpi concluſimus: Cum amplius à nullo tam potenter infringi, adeóque corrumpi Acidum oſtenderimus quàm à Sale lixivo, merito ab ipſo venenum Peſtilens nos deduxiſſe exiſtimamus: Denique cum hujus operationem velocem, ac vim acerrimam ad rationis trutinam expenderemus, Sal illud Lixivum & Volatile & valde Acre pronuntiavimus: Cumque inter omnes in corpore noſtro hactenus obſervatos Humores, Bilis ſola deprehenſa ſit participare de Sale volatili, exiſtimamus plane ſecundum rationem nos iudicaſſe, non raro ipſam vitiari à veneno peſtilenti, reddíque ſolito acriorem magíſque volatilem: Adeo vt venenum peſtilens Bili, tanquam humori ſibi maxime homogeneo, ſe jungat, illámque vitiet: in Acidum vero, tanquam in heterogeneum atque oppoſitum, vim ſuam exſerat, ipſumque potenter infringat & corrumpat: Venenum Peſtilens dico, quia ſaltem quantum plerique Medici ſtatuunt, haud in humano corpore generatur, ſed forinſecus ipſi accedit, atque aliis quoque poſtmodum per contagium communicatur: *Indicationes* proinde in peſtis curatione obſervandæ, petendæ ſunt primo ab ipſo veneno forinſecus in corpus admiſſo, atque tum Bilem inficiente, tum *Succum acidum* corrumpente ac infringente, tum Sanguinem ipſum colliquante, tum Partes ſolidas, per Bubones, Anthraces, ac Petechias deſtruente: 2. Ab ipſa Bile, à priſtina ſua integritate degenerante, atque Peſtilentis veneni naturam induente: 3. Ab Acido in corpore noſtro Succo, & fracto & corrupto. 4. Ab ipſo Sanguine liquato & conſiſtentia ſua deſtituto: 5. A Glandulis Conglobatis Bubones patientibus: 6. A partibus quibuſvis Anthracum virulentia correptis corruptíſque: 7. Ab vniverſa corporis ſuperficie multifariis Petechiis & maculis inquinata, & quandoque ſimul corrupta.

Primo, Ipſum *Venenum Peſtilens*, quatenus præter Naturæ leges in humanum corpus admittitur, reciprocam ſui ex eodem expulſionem indicat: Idem quatenus omnia in corpore occurrentia inficit, & à ſtatu laudabili in noxium mutat, ſui alterationem & correctionem indicat. Secundo, *Bilis*, quatenus à Veneno Peſtilenti Volatilior redditur & Acrior, ſui fixationem & contemperationem indicat: Tertio, *Succus corporis* Acidus, quatenus à Veneno Peſtil. Acrimonia eius Acida infringitur & corrumpitur, eiuſdem Aciditatis reparationem ac reſtitutionem indicat: Quarto, *Sanguis*, quatenus à Veneno Peſtil. conſiſtentiam ſuam amiſit, eiuſdem redintegrationem indicat. 5. 6. 7. *Bubonum*, *Anthracum*, ac *Petechiarum* peculiares Indicationes ſeorſim proſequemur, Nunc præmiſſorum Indicantium Indicata proponamus.

1. Venenum Peſtilens, cum frequentiſſime per cutis poros penetret ad Interiora, commodiſſime per eoſdem expelletur, adeóque per *Sudorifera*. Idem cum aliquando vna cum aëre forſan inſpiretur, atque Salivam tunc ſimul alteret ac corrumpat, quæ continue, deglutita in Ventriculo Nauſeam excitet, non incommode tunc *Vomitorio*, ex parte ſaltem, iterum è corpore propelletur: Ubi autem pars eius vomitione eiecta, reliqua cum aere ad Pulmones, mox & ſanguinem tranſiens prædictis Diaphoreticis convenientiſſime cum ſudore extrudetur denuo foras: Idem Venenum quatenus qualitate ſua noxia, quævis in corpore occurrentia vitiat & in peius mutat, & quidem qualitate ſua Salſa, Volatili & Acri, medicamento potenter figente, atque Acrimoniam demulcente corrigetur: Quoniam vero nil æque figendi demulcendíque vim habet ac Sulphur, ſed fixum, idcirco illa vis merito expectatur à quovis Sulphure ſimili, hoc eſt fixo & figente, metallico puta vel minerali. Secundo, *Bilis* Volatilior & Acrior à peſtilenti veneno reddita iiſdem quibus & illud medicamentis figetur denuo ac temperabitur: Tertio, *Succus Acidus*, à Peſtilenti veneno fractus & corruptus, reparabitur vſurpatione *Acidorum*, vniuſcuiuſque conſtitutioni ſingulari convenientium. Quarto, *Sanguis* conſiſtentiam ſuam perditam recuperabit aſſumptione Acidorum, non confeſtim, at per vices atque parva ſemper quantitate aſſumptorum, Poſtquam vero tam multa ſunt in Peſte curanda Indicationes, prudentis Medici erit illam remediorum materiam ſeligere, atque in vſum revocare, quæ quamplurimis ſatisfaciat Indicationibus, quo vna ſæpe fidelia plures dealbentur parietes, atque minime compoſitis medicamentis curentur Peſte infecti. *Franc. Sylvius Tractat. 2. Append.* §. 485. *& ſequ.* materiam Medic. vide *ibidem*.

XLVII. Si quis omnia quæ docuimus de varia in Peſte curanda Indicatorum materia Medica, inter ſe conferat, non ita difficulter obſervabit admodum paucis poſſe primariam Peſtis curam inſtitui medicamentis ſatis ſimplicibus, *Vomitoriis* puta, ſed Antimonialibus præſertim, *Sudorificis* multifariis, ac itidem antimonialibus præſertim: *Salem* ac *Bilem* nimis volatilem *figentibus*, inter quæ haud poſtrema ſunt *Antimonialia*: Salem Bilémque acriorem temperantibus, Inter quæ plura quoque ſunt Antimonialia: *Acidum*, & in ſanguine, & alibi *deficiens* reparantibus, quæ non deſunt in Antimonio, adeo vt ex vno, & forſan ſolo Antimonio, parari poſſint medicamenta omnibus ac ſingulis Peſtis Indicationibus ſatisfacientia: *Salia Volatilia* oleoſa, & ſudori movendo, ſimulque veneno peſtil. foras propellendo & Sali Bilíque nimis acri temperandæ conducent: *Acida*, & imprimis ex nitro paratus ſpiritus, Sali & Bili volatilitate nimia & acrimonia peccanti corrigendæ, vt & reſtituendæ ſanguini conſiſtentiæ, Acidóque in corpore inertiori reparando ſervient: adeo vt quivis ad ſummum triplicibus medicamentis opus habere videatur ad Peſtis curam internam fœliciter abſolvendam, & 1. quidem *Vomitoriis*, quoties ipſis locus concedi poteſt aut debet. 2. *Sudorificis*, ſed ſale volatili oleoſo imprimis conſtantibus, veneni nempe Acrimoniam ſimul temperantibus: 3. *Acidis*, quibus præferendus ſpiritus Nitri, Cum ſimul figendi vi ſit præditus, ſed Aqueis convenientibus diluenda ſunt pleraque, ne noceant.

XLVIII. Quinimo aliquando ſimul coniungi poſſunt Vomitoria Sudoriferis, & Sudorifera Acidis, vel ſaltem in medio Sudore mixturæ ſub-acidæ cochleatim exhiberi: Dico coniungi poſſe nonnunquam *Vomitoria Sudoriferis*, nam nil nocet illa ſimul aſſumi & ſimul operari, poſtquam non ſunt motus ſibi contrarii, ſed diverſi, per Vomitum & Sudorem. (Vide *lib. 19. tit. de Vomitoriis.*) In Peſtis ergo curatione tuto poteſt mox in eius initio, vrgente nauſea, & conſtantibus adhuc viribus, exhiberi Vomitorium ex Antimonio paratum, ſed quod ſimul vim habeat Sudorem movendi, Antimonium pura diaphore-

phoreticum dictum, ſed haud nimis fixatum, aut aliud præſtantius, cui tale ſuppetit, Vel poteſt cum quovis alio vomitorio Antimoniali conjungi aliud ſudoriferum, aut ex eodem antimonio, aut ex eadem materia paratum. *Idem* §. 593. *&c.* & 607.

XLIX. Hoc aſſumpto medicamento Æger ſe componat in lecto ad Sudorem promovendum, tegendo ſe mediocriter, h. e. tot veſtibus quot ſine anxietate poteſt ferre. Poſt horæ dimidium, ſi nec ſudor, nec vomitus vel alvi dejectio ſequatur, aſſumat juſculum, vel cereviſiam vel vinum calens, idque ſubinde repetatur, donec alterutra obſervetur evacuatio, eaque ſatis ſufficiens: Quod ſi poſt horam unam vel alteram neutra conſequatur, nil obſtat novum ægro exhiberi medicamentum, quin & vigentibus anguſtiis tertium: Illud enim obſervandum, niſi ab aſſumpto ſæpius medicamento, vel ſudorifero, vel vomitorio, ſequatur vel ſudor, vel vomitus alvique dejectio, aut tollatur, ſaltem minuatur cordis anxietas, plurimum periclitari ægrum: ſignum enim eſt venenum peſtilens aut copioſum, aut valde volatile, aut valde acre exiſtere in corpore, quare ſpes eſt in anguſto: Quod ſi contra ſurſum, vel deorſum fiat excretio, ſudor ſaltem copioſus profluat, cordis anxietas & nauſea minuatur, atque Pulſus major & robuſtior reddatur, bene ſperandum de Cura felici: Hæc autem ut feſtinetur, & finito ſudore, & ipſo adhuc durante, mixturæ cardiacæ & Acidis præſertim conſtantes, cochleatim & per intervalla brevia ægris exhibendæ ſunt; quo reſtituatur Acidum in ipſis fractum, Sanguiniſque ſua conſervetur reſtituaturve conſiſtentia, ſine qua diu ſupereſſe in vita homini nulli datum: Quandiu vero adhuc Peſtis vigentis ſignum in ægro remanet, tamdiu in *medicamentis Salem volatilem figentibus, acrémque temperantibus*, & *Acidum* reſtituentibus pergendum, ne venenum neglectum, ac ſibi relictum novas vires acquirat, & inopinato ægrum nimis ſecurum opprimat & e medio tollat. Hac certeratione & methodo feliciſſime Ægros multos curavi: At illa neglecta multos pereuntes vidi, atque non raro immorigeros, ac ſui negligentiores, quamvis fruſtra monui, ac meæ conſcientiæ ſic ſatisfeci. *Idem* §. 609. *& ſeq.*

L. Fit nonnunquam ut *Tumores* prorumpant, nec Febre, nec graviore aliquo ſymptomate prægreſſo: quanquam ſuſpicor rigorem & horrorem leviuſculum, ac minus perceptibilem ſemper præceſſiſſe: Quibus autem hoc obtingit, iis integrum eſt per publicas plateas pro libitu obambulare, ac communia vitæ munia, ſanorum more, ſpreta omni regiminis cura, obire. *Sydenham Obſervat. in Acut. p. m.* 126.

FEBRIS PETECHIALIS.

SYLLOGE.

An Exanthematis *erumpentibus* vena ſecanda. 1.
An purgandum. 2.
An Vomitus *ciendus*. 3.
Vinum *ſuat ſalutare* 4.
Indicatio eſt imperfecta. 5.

I. A Page ἀνομοίβων conſpectis in cute *Papulis* venæ ſectionem ſuperſtitiosè abhorrentes: Nam ut ſileamus naturam oneris parte levatam, majoribus auſis adverſus reliquias materiæ alacrius inſurgere, certiſſimum eſt cutaneas illas efflorescentias eſſe ſymptomaticas atque ἐκβράσματα ſive rejectanea ſanguinis æſtuantis, proindeque phlebotomiam expoſtulantis: At demus eas eſſe criticas, tamen ſine dubio criſis erit ἡμίῤῥοπος ſemiflua, & abſceſſus quaſi dimidiatus, morboque impar, quem adjuvare æquum eſt, eundo ſemitam naturæ, ἄγειν ᾗ ῥέπει διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων: Atqui idem eſt motus exanthematum & venæ ſectionis, E centro ad circumferentiam, è corporis penetralibus in ejus ſuperficiem; tantum abeſt ut aperta vena reflectat ſucci ad cutem evocati iterq; relegant: Annon enim inanitis per V. S. artuum venis, ſanguis è majoribus interioribuſque vaſis continuitate quadam illico affluit, vacuum locum repleturus? Quis igitur negare auſit à phlebotomia ſanguinem ferri, non foris intro, ſed intus foras? unde etiam in inflammationibus internis, item in moerore & timore improviſo vena ſtatim ferienda eſt, ad ſanguinis & ſpirituum in viſceribus collectorum explicationem: Et quanquam poſt phlebotomiam ſomnus interdum premat, ob diſſipatos ſpiritus quos natura reſarcire ſatagit, is tamen jure interdicitur, ne præſidium ſuo fruſtretur fine, nempe diffuſione ſanguinis ab internis ad externa. *Menjotius de Feb. maligna.*

II. Minimè eſt *Febri Ardenti cum maculis* congruens *evacuatio* per *ventrem*, tametſi aliquando etiam proſit: Vidimus certè nonnullos ita affectorum alvi fluxione liberatos, tamen multò melius, tutiuſque liberantur ſudore, quia avertuntur à viſceribus ſucci maligni: Dejectiones verò ita affectis multò ſæpius vidimus prodeſſe citatas pharmaco, quam ſponte fluentes: neque immeritò, quia in talibus natura extrorſum nititur; introrſum ergo ire ſponte ſuccos, magnæ ſignum eſt debilitatis; trahi verò pharmaco non item: quia quod a cauſa externa fit non debet imputari affectioni: Expurgare ergo inter initia plurimos horum juvit, atque adeo per totum morbum procurare ne alvus adſtricta ſit, quia nulla ratione melius præcaventur ſymptomata, à quibus omnes ferè hujuſmodi periclitantur: Tamen cum ſpontaneis dejectionibus ingruere hunc morbum, aut per alvi fluxionem judicari periculoſum eſſe, & dicta ratione, & plus ſatis jam longo experimento didicimus. *Valleſius lib. 4. Epidem.* Non expurgandum per ventrem eſt niſi magna ſuccorum multitudo videatur ſubeſſe, cujus non poſſis expectare per cutem diſcuſſionem. *Idem 6. Epid. ſect.* 2.

III. *Vomitus* in *malignis cum Exanthematis* univerſim ſunt inutiles, niſi forte pluſimum humoris in cavo ventriculi contineri ſentiatur, tunc enim licebit quod ibi continetur vomitu rejicere, præcipue ſi qui ægrotat vomat facile, alioquin ad vomitum cogendus nullus eſt, ne motus humoris, alioqui vitioſi, introrſum revocetur. *Valleſ. 6. Ep. ſ.* 2. Nimirum os ventriculi actionis ſenſus eſt, & cordi ac capiti vicinior quam ut maligni ſucci in illud debeant convocari. *Id. 7. Epid.* Curandam habui N. Virginem ann. 36. bilioſiſſimi temperamenti, anno 1659; huic in febre vehementi oborta ſunt ubertim exanthemata purpurea, rubra, livida: Variolis non laboraverat, tunc temporis epidemiis: quo momento exanthemata eruperunt, maxima acceſſit anxietas, cujus cauſam exprimere non poterat: bilem os ventriculi vellicare ſuſpicatus, cujus vomitui erat aſſueta, tepidam exhibeo; hujus potum paulo poſt ſequitur æruginoſæ bilis per os excretio, evaneſcentibus illico exanthematis, ſuccedentibuſque Variolis, quibus feliciter defuncta eſt.

IV. *Vini uſum* damnat *Galenus* 1. ad Glauc. c. 14. in febribus, præſertim ardentibus, & cum delirio: *Petechiali* febre anno 1659. populariter in vrbe noſtra graſſante, eo devenerat N. ut nulla ſpe ſuperſtite de vita eſſet conclamatum: Ille vero qui mori ſe intelligebat, miſſo ad Epiſcopum nuntio, ſupplex vini hauſtum expetit ante fatalem horam, quod illi illico conceſſum fuit largiore quam expetierat menſura: Poſt hauſtum vini Rhenani in ſudorem ſolutus quievit, & judicata eſt cum ſalute febris, quanquam aliquoties ob diætæ vitium recidivam poſtea paſſus ſit, innoxie tamen. *Bartholinus cent. 6. hiſtor.* 7. Pro vino acriter pugnat validis rationibus *Helmontius de Febr. cap.* 12. §. 7. vt etiam peſti concedat, Invitis Medicis in Petechiali febre vino convaluit *Cæſar Crivellarius*, ut fatetur cap. 22. de uſu vini in Acutis. Anno 1676. Burgi Seguſianorum febris maligna epidemia fuit, è qua plures interibant quam evaderent; lumbrici vivi ex omnium ore prodibant: Medicus periculum facturus quid citius illos interimeret, quoſdam oleo rigavit, alios ſucco citri, aceto, nec tamen necabantur; tandem vino aſperſi celerrime moriebantur; hinc audacior factus ægris vinum intrepide porrexit, quod deinceps illius febris alexiterium fuit gratiſſimum, unde omnes fere ſalvi evaſere.

V. Nunquam obſervavi in hanc vſque diem, naturam perfecte iudicaſſe hanc febrem expulſione facta ad cutem harum macularum, quod rationi conſonum: Nam ſi mineta hujus putredinis conſervatur in maſſa ſanguinis, qui fieri poteſt judicari febrem ex illis infectionibus cutaneis? certum illud eſt naturam non benè vacuare cum parum evacuat: Infectiones autem illæ admodum exiguæ ſunt, in relatione ad humorem corruptum & venenatum: Deinde materia efficiens infectionē longè tenuior eſt quàm ſit baſis putredinis, & certè minimè ad illius extirpationem ſufficiens: At maxima ſpes ſalutis in hoc affectu reponi debet in vacuatione ſanguinis ſtatim ab initio factæ: mox in vacuationibus alvi, ac in iis quæ fiunt per ſudorem, & aliquando etiam per urinas. *Augenius.*

FEBRIS PLEVRITICA, PERIPNEVMONICA.

Deſcriptio & Curatio.

CUm tempeſtas æſtatis ſimillima ad poſtremos uſque Octobris dies perſeveraret anno 1675, eam vero mox exciperet frigida & humida, *Tuſſes* ubique numeroſiores graſſabantur, quæ *Febri* ſternebant viam, atque in eam quam libentiſſime commigrabant: Interea, vt *Tuſſis* Conſtitutioni opitulabatur in febre producenda, ita etiam *Febris* occaſionem ex Tuſſi natam arripiens, jam *Pleuram* ac *Pulmones* haud aliter invadebat, ac caput invaſerat ſeptimana illa quæ harum Tuſſium exortum fuerat prægreſſa: Quæ tamen improviſa ſymptomatum mutatio nonnullis anſam præbuit (qui minus diligenter animum adverterant) *Febrem* hanc pro *Pleuritide eſſentiali*, aut *eſſentiali Peripneumonia* habendi, licet eadem omnino illa maneret, atque fuerat per integram hanc conſtitutionem: Et quantumlibet lateris dolor punctorius, dyſpnœa, color detracti ſanguinis &c. eſſentialem Pleuritidem ſubeſſe innuerent, non aliam tamen medendi methodum poſtulavit hic morbus, quam quæ febri huius conſtitutionis quadrabat, ab illa vero quæ veræ pleuritidi conveniebat, abhorrebat admodum: Adde quod Pleuritis, cum eſt morbus primarius, eo plerumque tempore anni ſoleat invadere, quod inter ver ac æſtatem ambigens, vtriúſque quaſi fibula eſt: Hic morbus alieno prorſus ſydere natus, pro ſymptomate tantum Febris, iſti anno propria quæ fuit, ducendus eſt, atque accidentalis Tuſſis ſobole.

Vt ad eam methodum rite procedam, quam hujus anni Tuſſibus deberi monuit experientia, Animadvertendum eſt Effluvia iſta quæ a ſanguinis maſſa per inſenſibilem tranſpirationem ablegari ſolent, à frigore cutis ſpiracula ſubito contrahente intro verti, & in Pulmones deponi, quos irritando Tuſſim mox excitant: Cúmque hoc pacto detineantur calidæ iſtæ & recrementitiæ ſanguinis exhalationes, quo minus per cutis poros exeant, *Febris* in ſanguinis maſſa facile accenditur: Vbi ſcilicet vel tanta eſt halituum copia vt pulmones iis eliminandis haud ſufficiant, vel calore adventitio, ſive remediorum, ſive regiminis juſto calidiorum, quaſi adiecto oleo ignis augetur, & qui in febrem jam erat plus ſatis erat proclivis, in eandem præceps agitur: Hac innixus baſi, ſi Tuſſis nondum Febrem, atque alia ſymptomata quæ vt plurimum ſe adjungere diximus, accerſiverat; ſatis eſſe arbitrabar ægrum a carnibus & liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque arcere: hortabar vt exercitiis vteretur moderatis & frueretur aura liberiore; Ptiſanam pectoralem refrigerantem ſubinde hauriens: Sufficiebant hæc paucula & ad *Tuſſim* perdomandam, & Febrim, aliáque ſymptomata prævenienda: Sicut enim abſtinentia à carnibus, & liquoribus ſpirituoſis, tum etiam refrigerantium vſu, ita contemperabatur ſanguis vt impreſſioni febrili ineptior eſſet; Ita etiam exercitii ope, fervida illa ſanguinis effluvia, quæ, quoties corporis pori à repentino frigore occluderentur, intro acta Tuſſim excitabant, via ſibi naturali ac genuina exhalabant opportunius, & cum bonis ægri rebus diſſlabantur: *Tuſſim* quod ſpectabat ſedandam, haud vacabat periculo Narcoticis atque Anodynis illam aggredi: Nec minus periclitabatur ſi quis liquoribus ſpirituoſis, calidiſque medicamentis idem moliretur, cum vtroque modo inviſcata, atque indurata Tuſſis materia, halitus iſti, qui à ſanguine placide ac ſenſim diſcedentes tuſſiendo in auras evaneſcerent, jam exitu negato, in cruoris maſſa præcluſi Febrim ibidem ciebant: Atque hoc ſæpenumero non paucis peſſime ceſſit, qui cum ſpiritu vini vſtulato, aliiſque calidis liquoribus Tuſſi obicem ponere niterentur, affectus Pleuriticos & Peripneumonicos invitabant: Nec minus hallucinabantur qui provocatis ſudoribus morbi causam exterminare volebant; etſi enim ſudores ſponte prorumpentes, haud raro præ cæteris quibuſcunque præſidiis cauſam morbificam expellere poſſint, liquet tamen nos, dum in iis extorquendis ſumus, ſanguinem incendere, & quem ſervare volumus ægrum letho dare poſſe.

Febri, & peſſimis ejus ſymptomatis rectiſſime occurrebatur V.S. in brachio, & Epiſpaſtico nuchæ applicato (Tuſſi enim ſuperveniebat capitis, dorſi, atq; artuum dolor) Clyſteres item quotidie iniiciendo: Ægrum interim monebam vt ſingulis diebus ad horas aliquot lecto abſiſteret, abſtineret à Carnibus, Ptiſanam aliquam &c. refrigerantem & lenientem ſorberet: Elapſo jam biduo triduóve, ſi nondum minueretur dolor lateris, ſed adhuc vehementer vrgeret, ſanguinem ſecundo detraxi, & vt in vſu enematum adhuc perſiſteret ſuaſi.

Dum hoc pacto ſpatium morbo concederemus, quo ſanguis calidas illas particulas, quæ in pleuram ac pulmones impegerant, ſenſim excuteret, ſymptomata univerſa placide ſolebant evaneſcere; cum qui morbum hoſtili quaſi manu aggrediebantur, ingenti remediorum molimine bellum inferentes, vel ſuos ægros amitterent; vel ſaltem phlebotomia ſæpius repetita, quam vel poſtulabat morbi genius, vel etiam tuto ferebat, eorundem vitam redimere cogerentur: Cum enim in vera Pleuritide venæ ſectio repetita omnem numerum abſolvat, ſolaque ad curationem ſufficiat (modo non obſtiterint medicamenta & regimen calidiora, quæ contra militant) ex adverſo in hoc ſymptomate ſatis erat ſemel vel ut plurimum bis venam ſecaſſe, modo ægro concederetur ut e lecto eaurgeret, & potu refrigerante uteretur: Nulla autem cogebat neceſſitas ſanguinem ſæpius educere, niſi ubi a calore foris accedente admodum intenderetur dictum ſymptoma: neque etiam in hoc caſu periculo id omnino vacabat: *Sydenham Obſervat. in Acut.*

FEBRES PUERPERARUM.

SYLLOGE.

Febris Lactea deſcriptio & curatio 1.
Febris Putrida. 2.
Febris ſymptomatica. 3.
Febris initium unde ordiendum, a partus die an febris invaſionis. 4.

1. PUerperarum tres veluti ſpecies Febrium recenſentur, *Febris Lactea, Putrida, aut Symptomatica*: *Lactea* oritur eò quod mammis lacte repletis & valde diſtentis, vaſa *ſanguinea* comprimantur, adeo ut cruorem illac confluum non facile tranſmittant: unde cruor in circuitu ſuo præpeditus, juxta totam ejus maſſam tumultuari incipit; & ſpiritibus inordinatè commotis, & penitus confuſis, efferveſcentiam concipit, Synochumque ſimplicem conſtituit: Aut quod lactis materia ſanguinem trajiciat, uteroque relicto, ad mammas ſubinde transferatur, cujus magna portio in cruoris maſsâ ſubſiſtat: quæ ſi quidem debitum ſucci nutritii penum excedat, adeoque tota aſſimilari nequeat, in ſuper partibus heterogeneis ſcateat, velut extraneum quoddam & non miſcibile, ſanguini moleſtiam creat, proque ipſo foras excernendo, efferveſcentia febrilis triduana impenditur: Febris hæc omnino naturæ committitur, & quamdiu lochia ſe rectè habent, ſine ope medica ut plurimum ſat feliciter procedit; quippe poſt efferveſcentiam ſanguinis, per 3 aut 4 dies peractam, aut ſudor copioſus, aut liberalior tranſpiratio hunc affectum ſolvit: Interea tamen circa lactis admiſſionem, notandum in iis quæ lactare nolunt, uſitatum eſſe primo aut tertio à puerperio die, ceteris modicè adſtringentibus (ut potè emplaſtro de minio &c.) totas mammas obtegere: ſic enim glandulosa mammarum ſubſtantia nonnihil conſtringitur, quo humorem lacteum illuc ſcaturientem minùs promptè ſuſcipiant: hoc tamen remedii genus cautè adhibere debet, ne ſi lac omnino excludatur, aut nimis confeſtim è mammis abigatur, in cruorem ſubito reſtagnans, ejuſdem inordinationem, febris putridæ ſive malignæ prodromum, inducat.

II. Circa curationem Putridarum febrium Medico difficile admodum incumbit penſum, quoniam puerperis pharmacia quævis non modò inutilis ac inſuper noxia apud vulgus habetur; quare Medici raro accerſuntur niſi cum remediis nullus relinquitur locus, & utilis operæ omnino præterit occaſio? Methodus autem medendi (non ſecus ac in morbis contagioſis) duplex debet inſtitui, Prophylactica & Therapeutica. 1. Licet hæc febris, quantumvis maligna fuerit, contagio minimè accerſatur, & accumbentibus nullus venenati miaſmatis ab extra ſuſcipiendi incumbat metus, attamen Puerperæ omnes indigenam habent virulentiæ mineram: quare iis exacto regimine opus eſt, quo nimirum a partu, ſine febris periculo, impuritates ſanguinis & humorum ritè expurgentur: Ideo hæc tria medicis inculcanda. 1. Exactiſſimam victus rationem imperari debere, nimirum ut juſculis avenaceis, modo ea cereviſiâ, modo ea aquâ, vino albo admixto, paratis, necnon panarellâ, aliiſque levioris nutricatus, per ſeptimanam ut minus, omnino veſcantur: Quia multùm inaniuntur, ideo iis crebrius ſorbere licebit, at nihil ſolidi aut fortioris alimenti exhibeatur: Etenim diligenter obſervavi quod has febres ſæpiſſime induxit præpropera carnium aut eſculenti lautioris comeſtio: quippe puerperæ, non ſolùm uti graviter vulnerati, verum ſicut in diſpoſitionem febrilem, ea perturbata ſanguinis crali & temperie nacti, tractari debent: apud ipſas enim cruor pridem nimium evectus, & velut impuro miaſmate tactus, pabuli cujuſvis ſulphurei acceſſu, citiſſimè flammam concipit.

Secunda poſt victum erit cura ne à frigore externo incautius admiſſo conſtipentur pori aut ſiſtantur lochia: etenim à leviſſima occaſione, immutato [illegible] modo, ſanguis prius efferveſcens inordinationes concipit: necnon uterus auræ afflatu tactus ſe contrahit, & vaſorum ora, quo minus lochia fluant obſerat; quare per quinque ad minus dies mulieres in lecto detineri omnino velim: Tertius reſtat ſcopus, ut facta leni ſanguinis proritatione lochiorum fluxus continuetur: Therapia à methodo in putridis uſitata longè recedit: Enimvero in iſta non expectandum eſt ut ſanguis incendio febrili tactus gradatim deflagret: dein recrementa aduſta in ſinu ejus ſenſim congeſta ſubigat, eademque criſi ſecernat: quin potius (ut in maligna fieri amat) quamprimum immodicè efferveſcit cruor, à remediis blandè diaphoreticis ipſum eragitari, ejuſque mixtiones heterogeneas & impuras foras eliminari convenit: quare inter vulgares, (idque haud perperam) in more eſt ſtatim ſudorifica exhibere: hoc ritu ſanguine eventilato ejus efferveſcentia ſedatur, necnon ob agitationem ejus lochia, cobiberi apta, in effluxum proritantur: Cùm itaque hac febre puerpera quædam primò afficitur, protinus danda opera ut ſanguini flagranti uberius detrahatur pabulum, per præſcriptam diætam, proſcriptis carnibus aut earum juſculis: Interea frigida quævis & ſtyptica æqua ſanctione arceantur: hæc enim ſanguinem figunt & conſtipant nimis, ejuſque expurgationem, valde requiſitam, tum per lochia, tum per tranſpirationem cutaneam, impediunt: quin potius, febre licet vigente, moderatè calida exhibeantur, decocta aut aquæ ſtillatitiæ florum calendulæ, fol. pulegii, artemiſ. rad. ſcorzoneræ, necnon pulv. bezoartici, ſpir. cornu cervi, ſaleis herbarum fixi &c. Si lochia ſiſtantur, ut eorum fluxus denuo cieatur omni modo eniten-

dum erit: Si alvus non reſpondeat, clyſtere emolliente blande ſubducatur: à protiratione fortiori cavendum, quia in puerperio, non ſecus ac in febre maligna, à copioſa dejectione, cum ſpirituum deliquio, vires ſubitò extolvi conſtat: Si quando, cum lochiorum ſuppreſſione, ſanguinis perturbatio inſignis, cum vomitu, ſiti & vigiliis adfuerit, ſæpe laudanum croco admixtum, felici ſucceſſu exhibitum novi: 2. Si non obſtante horum remediorum vſu febris vſque ingraveſcat, & cum pejori ſymptomatum apparatu ſenſim augeatur, vt præter ſanguinis inordinationes, cerebrum & nervoſæ partes percelli inceperint, medicamina, licet plurima cujuſque generis tententur, ſæpe minus poſſunt, quinimò in hoc caſu indicationes cum iſtis in ipſa peſte adhibendis ferè coincidunt: ſiquidem lochia aliquandiu ſuppreſſa haud facile, aut vix omnino, in magna ſanguinis & humorum confuſione reduci poterint, Ideo per diaphoretica citatiùs movere convenit: nimirum vt corruptelæ ſanguini & ſucco nervoſo impreſſæ, & ab vtero reſtagnantes, per ſudorem & tranſpirationem inſenſibilem quodammodo eliminari poterint: Quare hic pulveres & confectiones bezoarticæ, Spiritus c. c. aut fuliginis, tincturæ è coralliis aut margaritis conducunt: Vidi aliquoties hujuſmodi medicamentorum ope, in caſu deplorato, cum pulſu aliiſque ſymptomatis paulisper melius ſe habentibus, aliquantulum ſpei affulſiſſe, curatio tamen rarius ſucceſſit: quin cum iſte cardiacorum vſus remitteretur, cum pulſu debili, & diarrhœa ſtatim oborta, laborantes in lethum præcipites ivere. 3. Cùm adhuc in deterius res ægrotorum vergant, vt cum febre auctâ, pulſus debilis & inæqualis fuerit, ac crebri horrores & motus convulſivi in toto corpore, cum delirio aut ſtupore infeſtent, tunc Medicus, facto prius lethi prognoſtico, remediis paucioribus, iiſque ferè tantum cardiacis inſiſtat; & à S. m. ſcarificatione, veſicatoriis, aut cucurbitulis omnino abſtineat: tales enim adminiſtrationes ſolum odium & opprobrium accerſunt, vt propterea à fœminis quibuſvis malefici & crudeles habeantur.

III. Acuti *Puerperarum morbi nunnunquam ſymptomate quodam* inſigni, ſcilicet angina, pleuritide, peripneumonia, dyſenteria, variolis aut alius generis ſtipantur, & tunc temporis affectuum iſtorum appellationes ſortiuntur: cuncta hæc ſymptomata à ſanguinis coagulatione quadam & exinde ejus extravaſatione procedere arbitramur: Dum verò ſanguis extravaſatur in vnâ parte, ejus effluxus quilibet naturalis & criticus cohibetur in aliâ, quare periculum eſt ne dum cruor, aut in particulari aliquoque congelationis foco, aut vniverſum in tota ejus maſſa coagulari incipiat, protinus lochiorum dimanatio ſiſtatur, quod revera vt plurimum accidit, ideoque affectus iſti puerperis ſæpiſſimè lethales exiſtunt: Ex his *Angina, Pleuritis, & Peripneumonia*, ob cauſæ & curationis analogiam, vna conſiderari poterunt. Cùm puerpera qualibet harum afficitur, à primis ſtatim initiis enitendum erit vt ſanguis alicubi defixus, & extravaſari cœptus, circulationi reſtituatur, nec Apoſtema faciat, quoniam rarò admodum puerperæ, febribus iſtis ſymptomaticis correptæ, materiæ abſceſſu aut Sputo ſanantur, Quare remedia interna, quæ ſanguinem fundunt & à coagulatione liberant, erunt vſurpanda. Cujuſmodi ſunt imprimis diaphoretica Sale volatili referta, vt ſpiritus c. c. fuliginis, vrinæ, necnon ſales ipſi: item pulveres teſtacei & bezoartici, lapis prunellæ, decocta & Iulapia è vegetabilibus, menſes aut vrinam moventibus, quibus admiſceri debent vtero appropriata: non neglectis externè diſcutientibus: Interim ſanguinis impetuoſior motus & efferveſcentia immodica procul inde amandentur, & purgamenta ejus, quibus fieri poſſit modis, uſque inferius transferantur, frictionibus &c. Sanguinis miſſione, ſi ingens plethora in toto, & inflammatio valde acuta fuerit in parte: Sin verò neceſſitas vrgeat ipſam in brachio fieri; ab iſta, altera (ſi admitti poterit) in crura ſubſequatur: At monendum erit V.S. cautè admodum in his caſibus inſtitui debere; niſi enim juvamen præſtat (quod rarò contigiſſe novi) ſtatim, pulſu debiliori tacto, res ægrotantium in pejus ruit. *Dyſenteria* à ſimili ferè cauſa cum prædictis affectibus ortum ducit: verùm in hac, quia ſanguis extravaſatus illico profunditur, nec in corpore retentus illic moleſtiam facit, & plus adhuc corrumpitur; cumque hæc *διαίρεσις* via prope vterinum effluxum fiat, cumque poſtea non alio derivat, hinc minus ab hoc morbo quam à prædictis periculi timetur: Sæpenumero tamen hic affectus puerperis lethalis eſt, quia à dyſenteriâ ſanguinem attemperantia & modicè adſtringentia indicantur, hæc verò lochiorum fluxum inhibere nimis apta reperiuntur: quare in hoc caſu, donec puerperæ diutino fluore ferè ſatis expurgantur, alterius morbi curatio omittatur, & tantùm demulcentibus ſymptomatum ferocia compeſcatur: *Variolarum* indicationes non modo à ſupradictis diſſident, at ſibimetipſis contrariis ſtipantur: Etenim lochiorum fluxus modicè cohiberi poſtulant; interea tamen vt ſanguinis efflorceſcentia & blanda diaphoreſis continuari debeant; Cùm enim in hoc morbo fermentum venenatum duplex extiterit, & particulæ ſanguinis corruptæ in duplicem extrinſecus ferantur viam, cavendum eſt ne minor & anguſtior porta, materiam, aut totam, aut plus quàm extra mittere poterit, ad limen ſuum attrahat: Itaque ne lochia copioſius fluentia venenum, exterius efflorceſcere aptum, intus revocent, erit diæta nonnihil immutanda, atque imprimis ægrarum juſculis, quæ vi alexiteria, ſimulque adſtringenti pollent (vti ſunt radix tormentillæ & biſtortæ) incoquantur; Etiam pulveres, Iulapia, & tali virtute prædita, debitis intervallis exhiberi convenit, quin etiam in hoc caſu nullo modo fœminis indulgeatur vt carnibus earumque juſculo veſcantur, aut lecto exſurgant: at quiete tum animi tum corporis procuratâ, & diætâ ex iis quæ ſanguinem minimè exagitant imperatâ, res ferè in totum Deo & naturæ committatur. *Thomas Willis lib. de Febribus cap.* 15. & 16.

IV. Plurimum diſceptatur vnde hujuſmodi febrium initia computari debent, ſcilicet an ipſo partu, an ab ipſo febricitationis ſenſu: Attamen parùm intererit ſive hoc aut iſto modo hujus ſolutio ſtatuatur: Nam, ſi quidem hæc febris ſolita putridarum ſtudia haud æquabiliter decurrat, nec criſin habitura ſit, neque remedii catbartici vſum omnino admittat, non eſt vt de periodo ejus, aut menſuratione quoad dies omnino ſolliciti ſimus. *Idem.*

FEBRIS PVNCTICVLARIS

Cucurbitulis ſupra emunctoria ſcarificatis curata.

FEbris Puncticularis eſt continua, ardens male morigenata, cum diris ſymptomatis, ex interno

no fervore & prava humorum corruptione: Quibus autem ſignis Pulicares maculæ (vnde illi nomen) à pulicum morſibus diſtinguantur, dubium eſt; quidam dicunt ex ſævitie & malitia ſymptomatum hæc cognoſci facile poſſe: ſed puncticularia ſtigmata cum febre miti & benigna ſæpe apparent, & interdum citra febrim: Ego in dignotione facili experimento vtor, nam pulicum morſus appoſita farina lupinorum, aceto aut oxymelite ſubacta, ſtatim evaneſcunt: Peſtiferæ vero maculæ, quum à cauſa interna, eaque vehementi, ortum ducant, at magis radicata, nequaquam: Inſuper color morſus pulicum non eſt ſincere purpureus, ſed dilutus; puncticularum vero color eſt mere ruber. Hac febre torquebatur quidam, horrendis ſymptomatis affectus, oblata alexiteria, 5. die expurgatio mediocris, ſanguis emiſſus, cucurbitæ frequenter cutis applicitæ &c. Tandem die 17. Comatoſus factus, præ debilitate & ſævitie morbi interni æſtuans, e lecto inquietus ſurgebat: Applicatis omnibus auxiliis in xx. levari non potuit, tamen in inguinibus, & juxta alas affixis cucurbitulis ſcarificatis, febris eſt remiſſa, & paucis adhibitis omnino convaluit: *Hoc enim auxilio ego ſoleo, quum febris eſt laborioſa, & alias non cedit, ad partes ignobiles maleficum ſuccum convocare, ad quas natura ſæpe illum detrudere ſatagit cum vtilitate mira.* Zacutus Pr. ad m. lib. 3. obſ. 13.

FEBRIS QVARTANA.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *convenit.* 1. 19.
Frequens noxia eſt. 2.
Quæ vena aperienda. 3.
Sanguis poteſt mitti ab initio morbi. 4.
Paroxyſmi die vena poteſt aperiri. 5.
Salvatellæ *apertio prodeſt.* 12.
Contumax ſalvatellæ *ſectione in pede curata.* 13.
In rebelli quando ſanguis mittendus. 14.
Initio an Purgandum. 15.
An die paroxyſmi. 7.
Pituita ante humorem melancholicum vacuanda. 16.
Paulatim & crebro purgandum. 17.
Purgationis *nimiæ noxa.* 9.
Vomitoriorum *vtilitas & exhibendi ratio.* 7.
Decocto emetico, & hidrotico ſimul ſanata. 10.
Legitimæ calefacientia & tenuantia *ante coctionem conveniunt.* 11.
Spiritus vitrioli *vſus.* 22.
Decocti raparum efficacia. 27.
Sudor *Guaiaci decocto an ſollicitandus.* 28.
Theriaca *&c. intempeſtive ne exhibeantur.* 21.
Ptyaliſmo *ſublata.* 19.
Amuletis, narcoticis, febrifugis *an intercipienda.* 23. 38.
Enematis *aliquando ſanata.* 8.
Balnea *quibus & quando conveniant.* 25.
Succedaneam. 25. a
Fotuum *vtilitas.* 26.
Curatio Quartanæ à reliquarum qui differt. 16. a
Pituitoſi humoris habenda ratio. 16. b
Aurantia alimentis miſta feliciter operantur. 16. c.
Remediis induciæ dandæ. 29.
Formula remediorum immutanda 38.
A remediorum neglecto vſu pejor morbus & mors ſuccedit 35.
Iiſdem remediis quibus Lues venerea interdum curanda. 39.
Contumax quomodo ſuperanda in frigida intemperie. 31.
Si juncta alia febris, hæc prius curanda. 37.
Catarrho juncta curata in ſene. 18.
Diæta *non ſemper eadem pro varietate febris.* 32.
Salſamenta *an admittenda.* 33.
Errores in Diæta *quomodo liberent.* 34.
Terrore *incuſſo aliquando definit.* 24.
Transfuſione ſanguinis *curata.* 36.

I. NOn audiendi illi qui *Sanguinis miſſionem* non admittunt in Quartana, niſi illius redundantia per venarum turgentium aliaque ſigna apparuerit: perpetuo enim ab initio eſt plethora ad vires, niſi aliis febribus longis ſucceſſerit: Ac ſumma commendatione dignum eſt *Galeni* præceptum 1. ad Glaucon. quo vult vt ſi ſanguis primo detractus niger & impurus appareat, maior illius copia educatur ſi vero ruber & purus, parca manu detrahatur, neque amplius phlebotomia irritetur. *Riverius lib.* 17. *cap.* 10. Hoc autem præceptum etſi vt plurimum, non ſemper tamen verum, *nam*, vt ait Avicenna 1. 3. tract. 4. *Malenies incipit exire ſanguis tenuis, proceſſa vero evacuationis craſſus & niger*, quia ſanguis exiſteos in exterioribus erat probus, in interioribus corruptus, ac putredo in interioribus eſt recondita: Repetendam autem Sangu. miſſionem *Author Enchiridii med. Pract.* monet, cùm incaleſcentibus humoribus metus eſt ne ob cacochymiam è prima corporis regione in venas majores fiat humorum metaſtaſis, ac quartanæ ſuccedat aut continua, aut pleuritis, aut alius morbus: vel ne iidem in venis & arteriis lienis incaleſcentes & putreſcentes, inflammationem ejus accerſant, tuncque majori profectu mitti ait ſanguinem quàm per initia morbi. Sanguinis miſſionem liberaliorem inſtituit in ſpuria quàm legitima *Joubertus*, eo quod non perinde metus eſt à refrigeratione corporis.

II. *Botallus* contra *Galeni*, omniumque Medicorum placita, S. M. frequenter iteratam quartanam curare aſſerit, etiam quæ hydropem minetur, ſuamque ſententiam rationibus & exemplis confirmare nititur: Quæ tamen veluti paradoxa rejicienda eſt, cùm per refrigerationem, quæ toti corpori multo ſanguine detracto inducitur, materia morbifica craſſior & contumacior evadat. *Riverius.* Adoleſcens Quartanæ pertæſus cœgit Chirurgum plus ſanguinis ſibi detrahere quàm vel morbo conveniret, vel vires ipſius forent ferendo: quo temerario auxilii genere tantùm abeſt vt vel tantulum ſit imminuta, vt potius plurimum increverit, exhauſtiſque vitæ fontibus privaverit corpus colore, decoreque, relictis præcordiis inflatis, cruribus turgidis, ſtomacho infirmo, pertinacique ciborum faſtidio: manſitque perpetuò viribus adeo effœtis, vt etiam ex leviſſimis morbis incideret continuò in graviſſima ſymptomata: Noli itaque, quiſquis es, Quartanam, quæ neminem jugulat, temerè irritare: non feres id impunè, ſed reddes illam facilè deteriorem, *Nicolaus Tulpius lib.* 4. *cap.* 53.

III. Non brachii tantùm ſiniſtri venam tundemus, lienis gratia; verùm etiam dextri, cùm in hepate præcipuè vitii ſint, vel adhuc vtantur humo-

tes qui Quartanam Spuriam fovent: quare partienda erit S.M.ſic vt vno die aperiatur baſilica dextra & emittantur ſanguinis circiter ℥iv. ſequenti, ſi placet, ſalvatella ſiniſtra, *Ioubertus*. Hæmorrhoidum fluxus vtiliſſimus, & multi Quartanarii hac vacuatione liberantur, cùm enim venæ hæmorrhoidales ſint rami meſaraicarum, in quibus morbi hujus materia continetur, dum aperiuntur, cauſam hujus morbi vacuant: Quibus fluere nunquam conſueverunt, malleoli vena, poſt brachii phlebotomiam, vtiliter aperitur: vnde ſæpe febris mox ceſſat, vel citiùs deſinit, præſertim in mulieribus quibus menſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſunt, aut parcius fluxere: Apertio ſalvatellæ a plurimis rejicitur, ac non omnino negligendam cenſemus cum plurimis experimentis celebretur: Alii in ipſo Lunæ coitu aperiendam cenſent, alii inclinante Luna, duabus horis ante acceſſionem,& per tres vices, tribus acceſſionibus conſequentibus, quod nonnullis feliciter ſucceſſit. *Riverius. vide Exemplum in obſerv. comm à Pachequo obſ.* 47.

IV. Ridenda eſt eorum ſententia qui expectandam volunt concoctionem antequam ſanguis mittatur, quod tunc temporis fluxilior & tenuior ſit: melius enim concoquitur & præparatur ſi priùs quantitas illius imminuta fuerit *Riverius*.

V. Dies acceſſionibus vacui *Sanguinis miſſioni* opportuni ſunt: Nonnulli tamen ipſo acceſſionis die ſanguinem detrahunt,5 aut 6.horis ante invaſionem illius: quod ſatis commodum eſt,cùm tunc temporis humores moveri incipientes facilius educantur. Zacutus in plenilunio celebratam plurimum conferre ait; quod tunc ob Lunæ vim humor tertenus ebulliat, fluxilior ſit, promptiuſque vena ſecta educatur. *Idem.*

VI. Quanquam *Purgationem in paroxyſmo* probet Hippocr. de Affect. n. 17. audienda potius ejuſdem ſententia lib. 4. de morbis, vbi veteres Medicos reprehendit quod diebus imparibus purgarent: quia illis diebus humor movetur: vnde non mitum ſit corpori, à motu humoris perturbato, accedens novus ſe pharmaco labor, ægrum in certam perniciem præcipitet: Revera aliquid periculi in purgatione, cùm inceptam ſuperveniens horror intercipiat: fiatque in paroxyſmo humorum motus alius ab eo quem ciet pharmacum, vnde conturbatio ingens in corpore excitari poteſt. Sed ſi eam præſcribamus, non quidem inſtante paroxyſmo, ſed 5. vel 6. horis ante, ita vt eo ingruente peracta ſit vacuatio, proculdubio in ægri commodum cedet, quod humoris paroxyſmum inducturi pars reſcindatur, oneriſque parte natura levetur: Eligantur autem cathartica benigna naturam minimè exagitantia: Ita motum contrarium ei quem natura inſtituit non inducet pharmacum, quod aliis temporibus fiunt nec concurrant; ſupponitur enim purgatio peracta ante paroxyſmi adventum: Audiatur hic ſolidum *Fernelii* judicium, l. 3. c. 12. *Tranquillo die tutior purgatio, expeditior perturbato: quum enim morbus minus inſignis,& collectæ vires melius conſtant, facilius medicamenti vis & impetus tolerari poteſt: at quo die morbus exaſperatur, agitataque ejus materia in motu eſt, promptius detrahitur,* Et paulo poſt. *In febrium intermittentium quiete medicamentum tanto ante acceſſionem tempore offerendum quo poſſit purgatio compleri: per acceſſionem quippe materia non in alvum, ſed ſæpe in diverſum ruit, & plerumque acceſſionis vehementia purgatio ſubſiſtit: præſtat tamen ante acceſſionem quàm mox ab ea, & pridie quartanæ, quàm poſtridie medicamento uti.* Poſſunt tamen purgantia leviora hora vna ante paroxyſmi inſultum, ad eum cohibendum præberi, quæ naturam irritando potius quàm purgando humores revellunt: In id celebres pilulæ de Sagapeno *Crollii*, à Quercetano commendatæ,& Stockero in Empirica,quarum vna tantum exhibetur initio paroxyſmi, ad dies aliquot continuando, vis enim illis humores craſſos & tartareos diſſolvendi, nec ſolùm purgandi.

VII. Major & communior eſt Medicorum conſenſus in *Vomitoriis* initio paroxyſmi exhibendis, quia natura eo tempore ad eam vacuationem magis prona eſt: Nec dubium vomitum initiò paroxyſmi excitatum, & pluries, cùm paroxyſmi incipiunt repetitum, mitiorem, brevioremque morbum efficere. *Riverius*: Magno profectu vſurpantur Vomitoria, quæ propria febris Quartanæ ſunt remedia, maximè in iis naturis quibus Iecur & lien ſe in ventriculum exonerant, & nauſeam aut vomitionem acceſſionum initiis incitant: In id dabitur pulvis azari ad ʒj. diſſolutus cum vino albo, ea tamen cautione vt ſi ſemel datum febrem non ademit, ſemel in hebdomade repetatur, interjecta præparatione & purgatione. *Enchirid. med. Pract.* Per Vomitum vacuare convenit maximè ſi æger ad vomitum ſit pronus: quamvis enim humor melancholicus videatur potius per inferiora quàm ſuperiora expurgari debere, quia craſſus & terreſtris, tamen quia quartanarii ob coctricis debilitatem, & morbi longitudinem plurimos coacervant in ventriculo crudos humores, qui vomitu debent expurgari, ſic fomes ſubtrahitur quartanæ, quin etiam humor melancholicus a liene ſæpe regurgitat in ſtomachum, vnde commodè poteſt evacuari: *Saxonia* ſingulis fermè paroxyſmis vomitum movet ſummo cum fructu, & oſtendit experientia nihil eſſe hoc remedio vtilius: Vtebatur autem *Galenus* elleboro albo, primum cum raphano, deinde ſolo: At recentiores blandis ſuis vomitoriis vtuntur, vt oxymelite cum decocto raphani &c. Quod ſi valde robuſti ſunt patientes, Helleboriſmus *Heurnii* poterit in vſum vocari: Eſtque extractum hellebori albi per decoctionem paratum: Sed aut nunquam, aut ſaltem rariſſimè in vſum veniat: De tempore exhibendi, oportet *Avicennæ* conſilium ſequi, qui vomitum præſcribit à cibo & ante cibum: A cibo quidem facilius vomit æger, ſed minori cum fructu, Si vero ſit ad vomitum propenſus, ſatius erit ante cibum: ſic attrahit melius ex venis, quia emetici vis cibi permiſtione non hebeſcit: optimum igitur non ſemel ſed & ſæpius vomitoriis vti, & die intervalli ſi præbeatur, facilius à cibo vomitur, minorique cum moleſtia: ſed die paroxyſmi, quoniam humor facilè movetur & cibum dare noxium eſt,ſatius erit jejuno dare, ex Tralliani conſilio: vnde malè faciunt Angli qui potum plurimum hauriunt quando vomitoriis vtuntur in ipſo paroxyſmo,quod eſt valde nocivum, vt experientia oſtendit ſæpius inde paroxyſmos fieri graviores & longiores, ſtomachumque debilitari. *Primiroſius l.3.c.*10. Cùm in Quartana peccet ſegnis & craſſa materia, quæ commotioni medicamentorum valde reluctatur, ea eo tempore quo agitatur à natura, & à putredine alteratur, evacuanda erit: quod cùm ſit tempore exacerbationis, eo tempore etiam erit evacuanda; Quod & experientia ſuadet, nonnullos enim quartanarios per ellebori exhibitionem ſanavi: Subiecto tamen robuſto egemus,alias damnoſum eſſet medi-

camentum.

camentum. *P. Salius Diverſus comm. in text. 86 l. 2. de morbis.*

VIII. Si alvus ſit adſtricta, rectè adhiberi *Enemata* humectantia, ex decocto veronicæ & cardui bened. judico: ac verè aſſerimo me magni nominis virum ſolo uſu enematum (cùm alia remedia omnia aſpernaretur) liberaſſe, ſed hoc fit in illis qui initio paroxyſmorum tormina ventris ſentiunt. *Crato Conſ. 56.*

IX. Si ullus eſt morbus qui feſtinantem eludit Medicum, Quartana eſt, quæ criſes ſuas non per dies, ſed per menſes ferè molitur. Notanda eſt hiſtoria à *Borello* centur. 4. obſerv. 33. citata, Dn. N. *ait*, non ſemel Patris ſui mortem mihi enarravit, qui Medicorum nimiis purgationibus & phlebotomiis, dum quartana laboraret, periit, Morbus hic illis remediis exacerbatur, ac in duplicem aut triplicem mutatur, quare potius ad ſpecifica recurrendum. Narrat *Zacutus* l. 4. Prax. hiſtor. robuſtum quendam virum diuturnitatis febris pertæſum, ℥v. diaſennæ & tres confectionis hamech, die intermiſſionis aſſumpſiſſe in decocto melanagogo, ac 24. poſt horis occubuiſſe.

X. Cum vulgares Medicinæ methodos incaſſum adhiberi cernerem, virgini cuidam perilluſtri, curationem ſubitam quovis licet modo perficiendam exigenti, propoſui ut ſi à pharmaco minerali per aliquot dies *Oris fluorem* pateretur, inde morbum brevi profligatum iri ſperaret: Cum huic facile aſſenſiſſet, pharmacum ei mitius & omnino tutum exhibui, a quo ſputatio tantùm levior, eademque xij. die finita, ciebatur: A quo *ſalivatio* incepit, paroxyſmis ſtatim caruit: quibus verò temporibus accidere ſolebant, perturbationem in toto corpore cum cordis oppreſſione & leipothymiæ metu perſenſit: poſtea tamen ſputatione finita planè convaluiſſe videbatur: Cumque iterum poſt bimeſtre ſpatium hujus morbi leviores quaſdam acceſſiones pateretur, à pulvere emetico, bis aut ter exhibito, ſine recidiva integre curabatur. *Thomas Willis l. de Febr. cap. 6.*

XI. Duplex Quartana ſtatuenda eſt, *unagenita ab humore melancholico frigido*, vi ignei caloris torrefacto, quæ *Exquiſita* dicitur: Altera ab *humore atrabilario*, quæ aliis febribus ſolet ſuccedere, continuis vel intermittentibus, non integrè ſolutis, cui convenit ferè curatio Tertianæ nothæ: Ad prioris curationem *Galenus*, eumque ſequuti recentiores, calefacientibus & attenuantibus uti metuunt ante concoctionis ſigna & declinationem febris; quorum ſententiæ non poſſum accedere, nam præterquam quod eorum uſu, adjectis & repetitis catharticis & vomitoriis, incipientes, aut etiam jam diu graſſantes quartanæ, nullis ſignis coctionis comparentibus, profligari viſæ ſunt, ratio etiam edocet eorum uſum tunc eſſe tutiorem cum adhuc humores crudi ſunt, quàm cum his incaleſcentibus concoctionis ſigna elucent: data enim concoctionis ſignis jam comparentibus, niſi ſtatim ſuccedat vacuatio conveniens, hæmorrhagias, febres continuas, alioſque pravos affectus, in perniciem ægrorum concitant. *Enchirid. Med. Pract.*

XII. *Salvatella* apertio maxime prodeſt: Domina N. ſecta hora una ante paroxyſmum ſalvatella confeſſa eſt paroxyſmum multum imminutum fuiſſe, ſecunda vice ferme extinctum eſſe; poſt 3. apertionem omnino detuliſſe acceſſiones. *Petrus Pachequus obſerv. 47.*

XIII. Cum conſpicerem ſæpe, imo ſemper, Medicos in curanda Quartana oleum & operam perdere, *venam ſecui in talo*, hirudines mariſcis admovi, præmiſſa corporis providentia, conſuli nihil: Secui ramum Iſchiaticæ inter minimum digitum & vicinum, profui multum; nam ex duplici facta eſt ſimplex, ex ſimplici evaſerunt plures non quia ſanguis in pauca quantitate ex hac exili vena ad longinquum, vel craſſior fuit extractus, ſed quia annularis digitus in manu maximum cum viſceribus, & in pede cum liene & hepate obtinet conſenſum: *Zacutus Pr. hiſtor. p. 596.* Vel potius quia hæ venæ proximæ ſunt anaſtomoſibus arteriarum, educiturque ſanguis arterioſo non abſimilis.

XIV. Quartana ob humoris craſſitiem vix ſuccumbit, quare coacti Medici in acceſſione purgantia exhibent, ut rigore, motuque terreſtris humor attenuatus facile per utramque viam expellatur, quod expertus *Amatus* cent. 8. Obſ. 1. Ob cantationem felici eventu, quum morbus aliis non cedit auxiliis, in plenilunio, ex baſilica, aut ſalvatella læva, ſi vires non ita robuſtæ, ſanguinem demo; tunc enim ob Lunæ vim terrenus humor ebullit & fluxilior fit. Hoc remedio tunc celebrato plures levari, alii ab eo omnino immunes evaſere, Lunæ vis in inferiora omnibus nota &c. *Zacutus Pr. Adm. l. 3. Obſ. 32.*

XV. *Purgans* per initia non debet eſſe validum, nam cum Quartana clementer agendum initio morbi univerſali: quod humor, illius cauſa, cum ſit contumax & expulſioni rebellis, niſi abunde præparatus fuerit, a validis purgantibus irritatur, & irritatus ferocius exultat, & pro ſimplici duplicem profert: In initiis ergo antimonio locus eſſe non debet, nec ſimilibus. *Encheir. med. Pract.* Non ſemper tamen vereri oportet purgationes in initiis Quartanarum, nam ſi ex alio affectu non purgato ſuboriuntur, protinus purgare radicitus malum oportet, quod conſulit Hipp. 2. de morbis; Alias tanta religione quidam hic incedunt, ut purgandum omnino non eſſe afferant, quod obſervarint purgantia ne nihilum quidem prodeſſe, imo maſſam ſanguineam magis depauperando ſine medela vires ſæpe atterere, Præferentes quæ quod fixum eſt exaltant & volatiliſant, & in totâ ſanguinis maſſa *πεπασμὸν* inducunt, qualia ſpiritus ſalis Armon. flores ſalis Ammon. cum fæcula aronis, ſale tartari, ſpiritus ſalis marini volatilis &c.

XVI. *a* In eo Quartanarum curationem à cæterarum Intermittentium curatione differre ſtatuimus, quod in Quartanis requirantur medicamenta Pituitam glutinoſam efficacius incidentia, hinc & ſubinde minuentia, ſed diligenter uſurpata, donec paulatim ſuperata Pituitæ glutinoſitate ſolvi poſſint obſtructiones: Præter quæ, pro cæterorum humorum, ſimul plus minus peccantium diverſitate, alia ſunt præſcribenda medicamenta illis corrigendis, & quandoque ſimul minuendis convenientia: Quali methodo qui utuntur Medici, quali methodo qui auſcultant ægri, atque Diætæ rationem habent exactam, felicem intra ſeptimanas paucas experiuntur Quartanæ curationem, Sicut contrarium evenit quoties, aut ex præjudicio inveterato, aut ex contradicendi libidine contemnunt quæ aut ignorant, aut imitari nolunt Medici altum ſapientes; aut negligunt ægri moroſi, nec ſatis obedientes. *Sylvius de le Boë Tract. x. Append. §. 875.*

XVI. *b* Quoniam melancholici plerumque cruditatibus abundant, ideo atræ humorem me-

lancholicum pituitoſi eſt habenda ratio, qui a primis viis detrudendus, primo vomitu, ſecundo clyſtere, tertio leniente medicamento. *Fortis.*

XVI. c. Cæterum, *Alterantia* medicamina cibis immiſcere melius eſſe cenſeo quam ſi nuda exhibeamus, vt conſuevere triviales noſtri temporis Medici, quorum niſi quis ſyrupos, apozemata, diſtillationum aquas, electuaria, purgantia medicamenta exhibeat, ſe nihil bono Medico dignum feciſſe exiſtimat: Et hinc fit vt ex iteratione multiplici illa faſtidientibus infirmis, in ventriculo non rectè ad actum reducantur, quæ cauſa eſt vt infeliciter operentur: quapropter non ſolum non prodeſſe tunc temporis, ſed nocere certum eſt, cum multoties ob illa cibos faſtidiant infirmi & imbecilliores ideo reddantur: Quicunque igitur medicam artem ita exercent, eſt neceſſe vt multoties ægros lædant, præſertim ſi corporibus imbecillibus, & à longis ægritudinibus tabefactis obvient: Qui vero Hippocr. ſequuntur, & ejus 1. Epid. acquieſcunt conſilio, dicentis, *In hoc te exerceto vt ſaltem ſi non proſis ne quid noceas*, longe melius eſſe exiſtimabunt vt hujuſmodi corporibus, non tenuem victum, non medicamina alterantia ſic nuda offerantur, ſed iis quæ nutriunt, & bonum generant chymum, ea miſcere quæ paulatim valeant morbificas partium intemperies evertere: (*Hæc intellige* de Quartana quæ aliis morbis ſuccedit) *Brudus de victu Febricitantium cap. 17. lib. 3.*

XVII. Et ſi *Galen.* expreſsè non conſulat ſæpius *repetendas purgationes*, tamen non interdicit: Medici tamen hujus ſæculi eas omnino verentes plus juſtò timidiores fiunt; non enim eſt in quartanâ & quotidianâ, citra optimam rationem paulatinâ vti vacuatione, ſaltem tranſacto initio, quæ ſæpius repetita partem humoris jam cocti extrahat, atque ad coctionem reſidui viam ſternat, evacuatâ eâ materiæ parte quæ diſſlationem quodammodo impediebat: quare conſultiſſimum eſſe exiſtimo in legitimâ ſingulis menſibus adhibere confectionem hamech ſimplicem, aut diaſennæ debitam quantitatem &c. In hoc enim affectu, & ſpleneticis, minimè oportet copioſas efficere vacuationes ob humoris renitentiam, ſed ſervato conſilio *Hippocr.* l. 1. de morb. vt ſcilicet non leniſſimis ſolum medicamentis fiat vacuatio, ſed vehementioris addito modico: Parum nempe proſunt lenientia, niſi illis quid violentius admiſceatur, nam ſola citra vllam vacuationem potius corpus turbant: quod in omnibus melancholicis effectibus mihi eſt obſervatiſſimum: Verum ſi Quartana ex ſpuriis fuerit, in quibus pituitæ plurimum ob ventriculi vitium ſæpe redundat, vtiliſſimum credo bis in menſe vti pilulis ex hierâ cum agarico, vel ſimilibus. *Mercatus de Indic. med. c. 8.*

XVIII. *Andream Argolum*, Mathematicum inſignem, jam valde ſenem, & febris Quotidianæ genere (tum deſtillationibus longis, nondum tamen in conſuetudinem adductis, adulto jam vere) cum Illuſtri Veſlingio aliquoties inviſimus decumbentem, Ex qua non tam medicamentis quam abſtinentiâ deinde convaluit, Concoctione crudorum humorum hac calidi nativi roboratione procurata: Nec enim quicquam aliud quam pilulas aloëticas aloëphanginas dictas, & juſcula cichoracea acceperat: Rariora quidem ad noſtra tempora exemplo, ſed vett. inſtitutis optimè conformato, quibus ejuſmodi mediæ & Diæriti obſervationes vſitatiſſimæ erant. *Velſchius obſerv.* 5.

XIX. *Sangu. miſſio* omiſſa fuit à *Galeno*, quia neque adeſt indicans neque permittens, niſi adeſſet plenitudo in toto, tunc enim in omnibus febribus eam commendat Gal. dum ſc. apparet rubor non conſuetus, tumor in toto, venæ eminentes, quibus addit Avic. ruborem in vrina, omnia totius plenitudinem denotantia. *Fortis l. de Febr. p. 29.*

XX. *Sennertus* lib. 2. de febr. c. 19. præmiſſis præmittendis, ex *Pedemontano* ſingulariter commendat aſari pulveris ʒij. ea vini Cretici poculo vno, calide ebibendo horâ vna ante paroxyſmum, ſudorem tegumentis eliciendo: quo ceſſante, jubet ſumi ſalviam, rutam, burſam paſtoris ana p. j. contundi cum aceti parum, carpiſque alligari, 24. horarum ſpatio detineri, vnde febris ceſſatio contingit: Sic ſumptum azarum, præter ſudorem, vomitum quoque, ac ſub finem paroxyſmi, alvum etiamnum ciet.

XXI. Qui per initia impensè *calida, & multum extenuantia* dederunt, aut omnino ante morbi ſtatum, ex ſimplici quartana duplicem ſæpe, aut ſine dubio majorem ac difficiliorem; ea duplici verò triplicem, aut omnino duas ipſas difficiliores ac majores reddiderunt: Novi enim Medicum quendam qui tribus quartanis laboranti medicamentum ex viperis ante morbi vigorem dare fit auſus: deinde omnibus, vt par erat, adauctis, aſſidua febris ſucceſſit, quæ hominem jugulavit. *Galenus 1. ad Glauc. ij.* Colligere hinc eſt, quàm rectè in febribus, naturiſque bilioſis vetuſta Theriaca ac Mithridatium præſcribantur, aut ante morbi vigorem: Hanc tamen Galen. l. de Theriac. ad Piſonem concedit; quod melancholicis vitiis ſuccurrat atram bilem exhauriendo: Plurimi ſubſcribunt, excepto *Tralliano*, qui lib. 12. cap. 8. ſiccum morbum humectantibus potius quàm ſiccantibus expugnandum ait, quia concoctio calidi & humidi, potius quàm calidi ſicci effectus ſit: At meritò à Mercuriali impugnatur, cùm non omni tempore talia medicamenta à *Galeno* exhibita ſint, ſed præpurgato corpore, humoreque ex parte diſſoluto, ac, vt ita dicam, emollito: Apparentibus ergo coctionis ſignis, morboque cruditatis terminos egreſſo, præmiſſo die præcedente vomitu, ſuccum abſinthii exhibet *Galenus*: hinc duabus ante acceſſionem horis, theriacam cum liquore appropriato: quo remedio plurimos quartanam evaſiſſe aſſerit.

XXII. *Spiritus vitrioli* poſt inoculam concedi poſſe non negaverim, ad extenuandum magis atque diſſipandum melancholicum humorem, frigidum & ſiccum: quæcunque enim frigida & ſicca ſunt, à calidis & ſiccis tenuibus diſſolvuntur, vt inter metalla in auro & argento cernitur, quæ non calente aqua, ſed igne, calido & ſicco, tenuiumque partium diſſolvi ſolent, dummodo eo tempore medicamentum vſurpetur quo *Galenus* docebat, loquens de Theriaca & aliis, non vt concoquentia aut præparatoria, ſed vt melancholici humoris reliquias diſſipantia ac inſenſibiliter vacuantia. *Crucius de Quæſ. Cent. 4. p. 368.*

XXIII. Quamvis dentur remedia quæ *paroxyſmos ſiſtere* & febrim ſic occultare poſſint, h. e. impedire quominus natura ſuo deſtinato tempore, per ebullitionem humorum, purum ab impuro ſegreget & tandem vincat, periculoſa tamen ea ſunt, & plerumque ægrum in graviorem morbum deducunt, niſi ipſa ſimul evacuent, aut vacuantia, vt decet, præceſſerint. *Hoeferus Hercul. med lib. 6. cap. 3.* Narcotica equidem eximiam

vim

§. *hic & ſeqq. ad febrem Quotidianam referantur,*

vim habent ad cohibendum paroxyſmum. Sed niſi major humoris morbifici portio ante vacuata ſit, & obſtructiones plurimum imminutæ, noxam inferre poſſunt, cum humores vitioſos in corpore retineant, & obſtructiones alioſque morbos graviores generent. Attamen in exigua quantitate exhibita, & aperientibus incidentibuſque permixta, minus nocere poſſunt. *Laz. Riverius. Pr. lib.17.c.5.* Fuit noviſſimus annus Quartanarum ferax: remedia quæ ſæpiſſime opem contulerunt fuerunt ejuſmodi quæ paroxyſmum febrilem inhibent: etenim mala ſanguinis diatheſi à mutata anni tempeſtate nonnihil emendata, ſi modo habitualis paroxyſmorum conſuetudo abrumpatur, natura ſe recolligit: atque hujuſmodi intentio, licet a vomitoriis paulo antè acceſſionem exhibitis interdum perficiatur (hæc enim motum ſanguinis febrilem, motum alium huic contrarium ciendo, non raro ſiſtunt) tamen hæc indicatio (paroxyſmi inhibitio) longè certiùs, & quidem feliciùs, peragitur ejuſmodi pharmacorum uſu, quæ non omnino è viſceribus evacuant, verum ſanguini aut fixationem quandam, aut materiæ febrilis præcipitationem pro tempore inducunt: Quare quos curandos ſuſcepi, facta totius proviſione, interdum uſus emetico, interdum ſolutivo trib. horis ante paroxyſmum, epithemata carpis admoveri, ſimulque pulverem febrifugum in vino generoſo propinari, ac ægros intra lectum in levi diaphoreſi detineri præcipere ſolebam: raro evenit quin prima aut 2. vice hoc modo acceſſio febrilis intercipi∣etur, & dein eodem remedio aliquoties iterato, tandem morbus integrè ceſſaret: *Th. Willis l. de Febrib. cap. 6.* Quando pertinacior febris ægrum fatigat, plurimi ad incantationes & Periapta confugiunt, quæ pleriſque proſunt, febrileſque circuitus abſcindunt. Alia evidenti ratione & phyſica, vi adjutorum medicamentorum: alia ex ſola opinione, quando ſcilicet firmior aſſenſus & certa ſpes imaginationi adſtipulatur; etenim ſpiritus & calor nativus, præcipua animæ inſtrumenta, ab animo, tali imaginatione confirmata & roborata, excitari vegetioreſque redditi, naturalem vim ante languidam & ſopitam reſuſcitant, quæ deinceps obſiſtit morbo, qui ſi jam magna ex parte ſit fractus, ut in declinatione, facile expugnatur & prorſus deletur vi naturæ, quæ omnium morborum medicatrix: Per initia autem & incrementa morbi, cum materia copioſa & contumax, uſurpata, locum non habent, natura enim quamvis potens impar eſt ſuperandæ cauſæ morbificæ: Non ſunt itaque negligenda ejuſmodi, morbo ad declinationem properante, ac aliis medicamentis ex parte jam fracto. Alterum genus eſt eorum quæ phyſica ratione conducere poſſunt, carpis ſcilicet admota, quorum vis ad cor permeat, mediante ſanguinis circulatione (cui interruptæ febrium origo a plurimis aſſignatur) huiuſque ac materiæ febrilis turgeſcentiam & fermentationem inhibent: nimirum ab iis corpuſcula quædam ſive effluvia in ſanguinem tranſeunt, quæ ipſius particulas validè figunt & conſtringunt, aut etiam fundendo & exagitando velut præcipitant; utroque modo ſpontanea ſanguinis efferveſcentia impeditur, non ſecus ac cum aqua frigida ollæ ebullienti inſtillatur *Idem De Febrifugorum viribus vide Martianum comm. in lib. de Affectionib u verſ. 175. & 188. & comm. in v.206. ſect.2. lib.2. de morbis. Rolfinccium lib.de Febr.*

XXIV. Incuſſo *timore* hora paroxyſmi multi curatam viderunt: Id verò fit quia is alio impetu humores commovet, motu qui in paroxyſmis fit vehementiore, unde natura motus conſueti obliviſcitur: Accedit per eum non raro turbari alvum, ac dejici fæces, tum ex toto corpore tum præſertim ex Liene.

XXV. Conveniunt *Balnea aquæ dulcis*, quæ parum calidiora eſſe debent in Quartanis legitimis quam ſpuriis ab atra bile enatis, ita tamen ut copioſum ſudorem non eliciant: Nec probo eorum ſententiam qui ab initio, dum humor adhuc crudus eſt, balneum tepidum commendant: cùm verò concoctus, ut in ſtatu & declinatione, imponunt quæ calefaciunt, incidunt & attenuant: contraria enim curatio ineunda eſt, nam quò frigidior eſt, craſſior & crudior humor, eo magis attenuari & calefieri debet: quo verò calidior & ſiccior, eo magis humectari: Adde quod Quartana, quò ſtatui propior eſt ob materiam calidiorem, tenuiorem, & acriorem habet, vehementia tunc apparent ſymptomata, rigorem pro horrore ſortita: ideo niſi calefacientia & attenuantia diminuas, facilè eo tempore duplex aut triplex Quartana fiet: ideóque optimè fecerit qui quartanam legitimam in ſtatu, eo modo curat quo Tertianam ſpuriam in principio tractamus. *Enchir. med. Pract.*

XXV. *b.* Sunt qui *balneo* non ineptè utuntur, redundantibus potiſſimum in hac febre, cauſticis & melancholicis humoribus, parato ex aqua dulci, malva, lauro & calament. alterato, etiam ante manifeſta ſigna coctionis: Tempore autem frigido, balneo ſubſtituendæ univerſales frictiones, & inunctiones, oleo amygdal. cum quo vinum malvat. ebullierit. *Foreſt. Lib. de febr. c. de Quartan ſpuria.*

XXVI. Audivi a Medico excellentiſſimo, qui quartana confectus ferè, ab Empirico iſto modo eſt curatus: primum parti quæ initio paroxyſmi afficiebatur *Fomenta* adhibebat: proceſſu temporis quod materiam educeret: Diligenter enim obſervandum eſt quæ pars corporis in ipſa invaſione laborare videatur, eaque diligenter fovenda. *Crato Conſil. 256.*

XXVII. Multis diebus Quartana laborantibus ſolum *decoctum raparum* do: admonitus ſum de hoc Excell. *Geſneri* conſilio, qui ſcripſit ſe Abbatem quendam felicius rapis quam aliis medicamentis curaſſe: Mundentur ab exteriore cortice, coquantur, primum jus tempeſtive abjice, aliam aquam puram affunde, & donec diffluant rapæ coque, exprimè ſuccum accuratè, adde butyrum recentiſſimum abſque ſale cum ſaccharo: ſi flatulentus eſt æger, adjice garyophyllos leniter inciſos. *Crato conſ. 256.*

XXVIII. Sunt qui urgente febre *urinas & ſudores* movent, & ad id Gajaci decoctum dilutius imperant, cujus lib. ß. macerant in lib. xij aquæ, coquendo ad tert. verum ſuſpectus eſt Gajaci uſus in omni febre, quæcunque cauſa præceſſerit: Utiliter tamen ſudores in fine acceſſionis excipiuntur, qui quò copioſior, tardius recurrit paroxyſmus. *Enchirid. Medic. Pract.*

XXIX. Perſeverante morbo, cùm plerumque diuturnus ſit & pertinax, interdum quieſcere oportet, & à remediis per menſem aut circiter abſtinendum, ut interim natura diuturno eorum uſu fatigata ſeſe colligat. *Riverius.*

XXX. Nec perpetuo iiſdem remediorum formulis inſiſtendum, ne natura aſſueſcat, æger verò nimio eorum tædio afficiatur: tum quia a mitioribus

ad validiora tum purgantia tum aperientia tranſeundum eſt. *Idem.*

XXXI. Si eſt adeo contumax Quartana ut nec catharticis nec vomitoriis cedat, uſus ſit hujus aquæ ſtillatitiæ, quæ fit ex rad. gentianæ, cortice capparis, fraxini, rad. ariſtoloch. rot. mithridatio, theriaca, asaro, vino albo, concluſis in alembico vitreo, in MB. aqua elicitur, cujus ℥ij dantur in acceſſionis horrore, cum ℥ß. ſyrup. de epithymo ſeu de ſcolopend. Hæc aqua melancholicum ſuccum, frigidum & craſſum, côcoquit, attenuat, & ad purgationem & vomitionem præparat: videndum tamen ne hujus uſu calida jecoris intemperies, ſi inſit, exaſperetur, aut ſanguis exuratur: quare his ſolum conveniet qui frigido ſunt totius habitu: Idem judicium eſto de theriaca, caſtoreo, myrrha &c. *Enchir. Med Pratt.*

XXXII. Licet variæ de *Victus ratione* opiniones reperire ſit, ſemper mihi ut optimum conſilium probavi, in iis quæ ex aliis degenerarunt affectibus, craſſiuſculum victum porrigere: virtus enim præcedente febre fatigata tenui victu non eſt exſolvenda: in tali enim febre ſemper ab intemperie aliquod viſcus moleſtari comperimus, quo morbus fovetur & durat, quò fit ut duplex ſit ſanandi ſcopus, unus virtutem cuſtodire, ex præcedenti morbo languentem & præſenti fatigatam, victu eo qui virtuti urgenti debetur: alter verò alterantia medicamenta porrigere, quibus viſcera ad priſtinam reducantur temperiem, quæ miſceri alimentis debent: nam ſatius eſt quam ſi nuda exhibeamus: hac enim ratione viſcera ſimul renutriuntur, & ſimul quod præter naturam eſt aufertur: fugiendum igitur à ſolis medicamentis, & præſertim ab iteratione, quam non ſolum non prodeſſe tunc temporis ſed nocere certum eſt, cum multoties per illa cibos faſtidiant laborantes & imbecilliores reddantur, quo fit ut res improſpere ſuccedat: At in Quartana quæ repente & à ſe ipſa incipit, tenuem victum, ut pote qui facilioris coctionis ſit, uſque ad dies viginti, qui ſeptem periodos continent, probo. *Mercatus lib. de Præſid.* Scimus omnes Quartana detentos à morbi principio appetitum habere maximè dejectum, antequam ad ventriculi fundum melancholicus humor a liene tranſmittatur, cum ratione intemperiei febrilis, tum pariter ob redundantiam crudorum ſuccorum qui in primis viis abundant; quæ cruditates quò tenuior offertur cibus, eo promptius & citius abſumuntur, veluti ſi plenior, inde magis augentur, & ad venoſum genus demiſſæ obſtructiones ingeminant, ac febrem deteriorem efficiunt, ideo Avicenna vult ut uſque ad tertiam ſeptimanam victus ratio prætenuis inſtituatur. *Crucius de Quæſitu centur. 4. pag.* 370

XXXIII. In *victu* admittit *Galenus ſalſamenta*, ſinapi & piper; hinc orta quæſtio inter eum & *Trallianũ*: Ille t. ad *Glauc.* à frigidis & humidis ægros arcet; Hic unicè commendat: Nos dicimus quod ea quæ refrigerant & humectant humores craſſiores ac crudiores reddunt, ac fœculenta ſunt, ideo *Galenus* calida, tenuantia & ſalita laudat, hæc ſunt calida & ſicca, nam talibus opus erat: quæ enim à frigido ſicco congelantur, diſſolvuntur tum à calido humido, tum à calido ſicco, ut glacies: Hinc *Ariſtoteles* 1. *Probl.* quartanariis multum ignem immittendum eſſe ait. *Heurnius meth. ad Praxin lib.* 2. 2. *cap.* 10. Quartanas contumaces aliquando ceſſiſſe eſu *Harengorum ſalitorum* memoriæ proditum, quemadmodum & Quartanam datis ſalſamentis curatam obſervatum ab *Alexandro Tralliano lib.* 12. *cap.* 12. Ita *Corn. Celſus lib.* 3. *de Re Medica.* cap. 16. in vetere Quartana acres cibos admittit, & ſinapi cum vino Græco ſalſo propinat; Unde & *Ludov. Mercatus l.* 6. *de Putrid. febr. nat. & curat.* in quartanis ſalſamenta laudat: Non quod ſalituræ *Harengorum* uſum promiſcuum in ſic affectis probare velim (in bilioſis enim & aduſtis humoribus contraria adhibenda) ſed morbo ex craſſis, frigidis humoribus genito, iiſdemque ſtomacho oppleto, atque ubi Lienem multa urget obſtructio, apparente pepaſmo, corpore euſarco, aut certe frigido & humido: Ab uſu vero *Harengi ſaliti* potu, quantum licet, abſtinere ægros convenit, mandato *Tralliani*, quo vis ſalſamenti potentius in corpore operetur, hinc ſiti intoleranda exæſtuante vinum dilutum, quantum libet dare: Hiſtoriam affert *Trallianus* l. c. cujuſdam quartana laborantis ex terreſtri & frigido humore, hujus rationis victu liberatum, excreto per alvum humore exuperante, & liene, qui maximus ante erat, inde parvo reddito: Concedatur is victus ſi locus videatur, &, quod interdum fieri ſolet, ægri ſalſuram talẽ anxie deſiderent. *Neucranus de Harengo.*

XXXIV. Quidam liberati uſu copioſiore *piſcium ſalitorum, nucum, alliorum, ficuum*, aliarumq; rerum mali nutrimẽti, ex quorũ uſu alij quartanarij obeunt: Refert *Amatus* e duobus quartanariis unum prava diæta evaſiſſe, alterum obiiſſe: Diverſi eventus cauſa refertur, quod natura torpens excitatur per uſum prædictorum, excitata humorem, longo temporis tractu coctum & obedientem, per ſudorem, vomitum, ſeceſſum, aut inſenſilem tranſpirationem vacuat: Si contingat humorem non eſſe coctum & expulſioni paratum, inde mors ſubſequi ſolet. *Enchir. Medico Pratt.* Quidam annuam Quart. patiebatur, is neſcio cujus conſilio multos cibos ad ſatietatem devoravit, ad xx. inſuper vini meri calices ebibit: mane adveniante diffuſus per omnia membra ſudor, quo finito vomitu quicquid in cœna comederat reiecit, & cum eo pituitoſa plurima, unde conſequuta ſanitas: Poſt quatuor annos iterum invaſit Quartana, quam eodem auxilio, inter morbi initia, cruda adhuc materia, tollere credidit, Sed ante Solis ortum, eodem quo decubuerat loco, mortuus inventus eſt. *Benivenius de Abd. c.* 59.

XXXV. Rever. N. ſanguineus, annor xl. ex alia febre autumno in quartanam incidit: à qua ubi circiter vernum tempus nonnihil reſpiraſſet, huic, neutra adhuc valetudine freto, prædixit N. graviter quidem laboraturum, evaſurum tamen ſi à medicamentorum uſu caveret: Confiſus hic prognoſtico, opem Medicam tamdiu reſpuit donec à capite & finitimis partibus primum circa ſiniſtram ſcapulam decumberet humoris copia, qui neglectus, lento defluxu muſculos ventris ſiniſtros interſecuit, ubi excitata phlegmone, pus genitum copioſiſſimum putidiſſimumque &c. paulò poſt obiit. *Wierus lib. obſer.*

XXXVI. *Transfuſionem ſanguinis* primus *D. du Verney*, Anatomicus Regius, in canibus Lutetiæ expertus eſt, poſtea etiam in homine deſperato, qui Quartana per biennium laboraverat, qui immiſſo vitulino ſanguine, quaſi Medeæ arte recoctus, revixit, & melius habuit, quamvis non plane in integrum reſtitutus. *Caſpar. Bartholinus Thomæ Filius, In Actis Medicis ann.* 76. *obſ. p.* 87.

XXXVII. Si una cum Quartana iuncta febris lenta continua, aut altera febris erratica, ea impuritate viſcerum & ſanguinis corruptela nata affligit, non prius remediis propriis Quartanæ tentanda curatio quam pura & ſimplex ſit; primum enim &

ſanguinis

ſanguinis miſſione, & frequenti purgatione, & præparatione idonea, quicquid quartanæ curationem remorari poteſt circumcidendum. *Encheir. Med. Pract.*

XXXVIII. Quartanam diuturnam, præmiſſis ex arte univerſalibus, exhibita potione ex theriaca, ſpec. diapiper. & vino Creticu ſtatim in ictertum tranſiiſſe, curatamque vidimus; planè ad mentem Celſi l. 3. 16. Per hæc enim ſimiliaque corpus agitandum eſt, ut moveatur ex eo ſtatu quo detinetur. *Velſchius obſ.* 3.

XXXIX. Empiricum Pariſienſem plurimos quartanarios decocto radicis lappæ majoris, ſeu bardanæ, ex vino albo, magno curare ſucceſſu accepimus. Nimirum eadem quartanæ & luis venereæ quandoque remedia obſervantur: Sic illam cum tibiarum ulceribus hydrargyroſi curatam narrat *Gulielm. Ballonius* 2. Epid. p. 13c. *Velſchius obſ.* 4.

FEBRIS QVINTANA.

Curationis cautiones.

CVratio hujus febris ſimilis eſſe ſolet curationi Quartanæ, Nonnulla tamen peculiaria habet, 1. quod major in ea, intenſior & longior requiritur attenuatio & inciſio: minor vero & tardior humorum purgatio quam in quartana: quia humor ſicuti craſſior, ita paucior exiſtit. 2. quod vomitum commendat Avicenna die paroxyſmi, ex validioribus, modo æger ad vomitum fuerit pronus 3. Avic. proponit ſudoris provocationem in progreſſu, & balneum: Quibus tamen cautè utendum monet Arculanus, ſi quintanæ accedat ad hecticam propenſio: Tandem notandum quod Zacutus ſanavit puerum, per annum integrum quintana laborantem, decoctione eupatorij quotidie adhibita. *Fortis.*

FEBRIS QVOTIDIANA, PHLEGMATICA.

SYLLOGE.

Venæ ſectio *an & quando convenit.* 1.
Pituita quomodo Præparanda. 2.
Nimis attenuantia *initio ſuſpecta*, 3. 16.
Vomitoriis *quando locus.* 4.
Caute purgandum 8.
Perfecta coctio *non expectanda ad purgationem.* 9.
Aloë an competat. 10.
Curatio aliquando methodica eſſe debet. 7.
Chinæ, Guajaci *&c.* decoctum *quando convenit.* 6.
Allij *efficacia* 12.
Oxymel *an conveniat in* præparatione 15.
Syrupi attenuantes *prabendi ab initio.* 16.
Diæta qualis conveniat. 11. 18.
Vinum *non concedendum* 13. 17.
Cavendum ne alvus liquida fiat 14.
Nutriendi tempus, & quæ quantitas alimenti 18.
Venus *cur non conducat.* 19.

I. AN convenit ſin? nam nec à *Galeno Ætio* &c. probatur, *Actuarius* ex profeſſo improbat, cum enim humor ſit frigidus, crudus, à natura ſanguinis valde alienus, vires debiles, piaculum eſt cum ſanguine calorem nat. profundere; *Avicenna* non improbat ſi urina ſit craſſa & rubicunda, Gal. in omni febre putrida ſanguinem mittit, ſi ſit morbi magnitudo, & virium robur: Neque adeo metuenda eſt humorum crudorum copia, ſiquidem cum duobus prædictis non poſſunt adeo humores crudi dominari ut hoc auxilium prohibeant: Spectandum igitur num vires & ætas conſentiant, quod raro in exquiſita quotidiana accidit, quia ab humore crudo in ſenibus, pueris, anni tempore frigido, contingit, at v. ſ. corpus magis refrigerat, inde ſanguine vacuato humores recrudeſcunt, inde ait *Avicenna, Cave ne ægrum perducas ad frigidorum incrudationem, ſi igitur ex urinæ ſanguinis permiſtionem indices, fiat phlebotomia, alias non*, At non ſolet tunc eſſe Exquiſita, Raro igitur ſanguis mitti debet. *Primiroſius de Febr. l. 3. c. 5.*

II. Prout magis aut minus frigida eſt pituita, ita debent eſſe *Præparantia* calida & ſicca, fortiaque aut debilia attenuantia & incidentia: Salſam autem præparantia temperata debent eſſe in activis, & effectivè humida: quamvis enim ſpecie humida ſit hæc pituita, reipſa tamen ſicca eſt, ut aqua marina: caliditati adſtipulatur vis rodendi inteſtina: præterea, docente *Tralliano*, à calefacientibus & ſiccantibus attenuari nequit & diffundi, quin potius craſſitiem adipiſcitur, ut in ſale contingit.

III In hac febre levis *attenuatio* ab initio utilis eſt, qualis fit melle roſato, oxymelite ſimplici &c. fortior, ea quæ ſimul ſunt diuretica, ut ſyrupum de radicib. acetoſum compoſitum &c. Ante univerſalem per alvum vacuationem noxia eſt, quoniam obſtructiones augentur, deductis humoribus ad vias anguſtas, quanquam *Galenus* 1. ad Glauc. 12. diureticorum uſum, initio, præſcribat. *Vide* §. 16.

IV. Ventriculi peculiarem habendam rationem ab initio, atq; roborandum omnes jubent: quod conſilium ineundum eſt, ubi is vomitu exonerandus eſt, tunc enim temporis, ſi roboretur, ad vomitum ineptus fit: Sæpe autem contingit ut ſaburra humorum onuſtus depleri poſtulet: hinc ſumma vomitoriorum tali in febre utilitas: Diſtinctione ergo hic opus, ſi ab epate & venoſo genere materia præſertim ſuppeditetur, vomitoriis validis non nimis fatigandus ventriculus: At ſi hic pituoſos humores, febris fomites, generet, tunc commodè vomitus inſtituitur, quod facilis ad eorum exclusionem via ſit; nec ante de ventriculo roborando cogitandum.

V. Fotus circa viſcera naturalia conveniunt, ad eos tamen, ex *Trulliano*, non eſt deveniendum corpore pleno, ne fuſi humores à viſceribus calefactis trahantur, hinc inflammationes aut obſtructiones excitentur. *Fortis Tract. de Febribus.* Inter externa laudantur Fotus, ex decocto abſynthij, menthæ, roſarum, corticis citri, macis, galangæ, &c. Poſt Fotum ungatur oleo de nuce moſchata, anethino, nardino, de abſynthio, maſtichino, cum garyoph. nuce moſch. Tela araneæ imbuta his oleis applicetur ſtomacho: Sed, conſilio *Trulliani*, hæc calida non dentur ante coctionis ſigna & corporis purgationem, alias inflammationem pariunt, humoreſque attrahunt, ſicque viſcera reddunt imbecilliora, inquit Avicennas. *Primiroſius l. c.*

VI. *Zacutus Decoctum Chinæ & Gaiaci.* ad xxv dies exhibitum ait febres pituitoſas contumaciſſimas expugnare; Id licet à Medicis timeatur in hujuſmodi febribus, ob nimiam calefaciendi vim, maximè tamen commendatur ab Indicis Scriptoribus: Notandum tamen *Zacutum* in regione frigida & humida medicinam fecisse, ubi tutius remedia hæc uſurpari poſſunt: Ideo in aliis calidioribus, nonniſi in corporibus valde pituitoſis & cachecticis

exhibenda. *Riverius*. Non prætermittendum eſt Indicæ radicis Decoctum maximo iis fore remedio, Cujus ſi detur copia, unciam unam in lupinares, ſed multo ſubtiliores formulas ſciſſam, in 2. aquæ libris, in qua nocte ante eam maceraveris, coquito, ſequenti die ad lentum ignem ad medias ebullire permittito; Propinato in aurora quantum uno hauſtu bibere poſſit calidum, ſed ægri corpus prius fricare linteo aſpero oportet; A potu veſtimentis cooperiatur, & ſudet quantum pro virium ratione: Cubiculum perpetuo calidum, undique clauſum ſervare oportet: Nullus alter Potus melius ſudores ciet, partes inſuper ab humore aſſiduo laxas roborat, Sed iis qui jam ſunt imbecilli caute exhibendus eſt, quia plus juſto exſiccat. *Brudus de victu Febr. lib. 3. cap.* 10.
Timent medici in febribus diuturnis, aliiſque ex craſſiore bile ſubortis, *Decoctum Ebeni*, ſmilacis aſp. chinæ propinare, quod in his productis morbis pro admirabili auxilio conſuluere qui de Indicis aromatis ſcripſere: Ego poſtquam biennio cum Quotidiana luctatus, plura pro roborando ſtomacho, mucoſa pituita vacuanda celebravi, decoctum chinæ & Ebeni 24. dierum ſpatio exhibui: hac antidoto præter omnium ſpem æger convaluit: horum enim decoctum omnes complet indicationes quæ in vacuatione humoris crudi experimur. *Zacutus Pr. Adm. l. 3. obſ.* 30.

VII. In hac febre plures intentiones in conſiderationem veniunt: nimirum ut ventriculus humorum ſaburra expurgetur, viſcerum infarctiones liberentur, Infirmitates roborentur, atque una cum his dyſcraſia ſanguinis emendari queat, & acceſſiones febriles inhiberi poſſint, omni ope niti decet: Unde ob varias hujuſmodi intentiones longiori via ad curationem Proceditur: Præter vomitoria & purgantia, digeſtiva, deobſtruentia, quæ fermenta ſanguinis & viſcerum reſtituunt, & dyſcraſias corrigunt, erunt crebrò adhibenda: quare ſales herbarum fixi, eorundem extracta, ſpiritus mineralium acidi, ac interdum chalybis præparata optimè conducunt: Circa hæc media difficile incumbit penſum, cum ob multiplex malum ſimul plura ſint agenda, attamen ob paroxyſmi febrilis aſſiduitatem paucioribus ſaltem ægrotum vacat: In affectibus ita complicatis, licet methodi ratio poſtulat impedimenta primò amovere, & dein morbum ſanare, tamen hujuſmodi febrem in corpore cacochymico, pleriſque aliis affectibus ſtipatam, ſæpe ἀμεθόδως & empirico modo curatam novi: ſcilicet, poſt levem torius proviſionem, remedia febrifuga exterius applicata acceſſionem febrilem primò ſublevarunt, ut dein reliquis affectibus curandis, & medendi occaſiones felicius concederentur, Inviſi fœminam Illuſtrem, quæ cachectico corporis habitu diu prædita, poſt menſem à puerperio, languida, quotidiana febre corripiebatur, à cujus 6. aut 7. acceſſionibus vires in tantum erant proſtratæ ut lecto exſurgere nequiret, alimenti, licet tenuiſſimi, ne tantillum capeſſere, quin maximæ inde moleſtiæ ſtomacho crearentur: inſuper regio ventriculi, & hypochondrij ſiniſtri, erat tumore duro, renitente & immaniter dolente per totum obſita: præter enematum uſum, ob vires proſtratas, nullus vacuationi fuit locus: remedia quævis vel gratiſſima ventriculus averſabatur: In difficili hoc caſu, atque intra anguſtos medendi limites circumſcripto, pauca hæc conſului, nimirum ut bis in die ſumeret aquæ magiſtralis lumbricor. ℥ij Elixir. propriet gtt. vj. Inſuper fotum ventriculo adhibendum inſtitui, ex foliis abſynthii Pontici, centaurij, abrotani, cum radicibus gentianæ vino albo in vaſe cooperto incoctis: etiam ut poſt fotum placenta ex pane toſto, & eidem liquori intincta, ſupra ventriculi regionem geſtaretur Præterea epithemata febrifuga carpis alliganda curavi: atque his ſolummodo remediis die tertio paroxyſmo febrili caruit, & ab eodem poſtea immunis perſtitit, dein remediorum chalybeatorum uſu intra breve tempus integrè convaluit. *Th. Willis cap. 3. lib. de Febr.*

VIII. In *Lenta febre purgationes* vereri oportet, aut minutas & maxima cum cautione efficere, nam humor febris cauſa, per totum ad minimas uſque partes diſperſus eſt more naturalis humiditatis, cujus coctionem ac ſeparationem natura non curat, ſed eum ob mixtionem ad minima cum naturali humiditate ſervat: unde hos neque vacuatione ventris, aut fluxu ſanguinis ſanatos vidimus: Quinimo ſi ſponte aut à Medico alvus moveatur, deteriores redduntur, & vacuato bono ſimul cum malo, ſeparatione non facta, moriuntur, quare proba victus ratione potius quam medicamentis agendum. *Mercatus lib. de Præſidiis.*

IX. Hic dubium eſſe poteſt An *perfecta coctio ſit expectanda ante Purgationem?* Nam *Galenus*, *Paulus*, *Ætius* non niſi completa coctione evacuant, *Trallianus* & *Avicenna* laudant frequentes & repetitas purgationes per epicraſin, etſi humor non ſit perfecte coctus, Quam ſententiam merito amplectuntur quidam recentiores, nam, ut docet *Saxonia*, coctio maxime longa eſſe ſolet: deinde materia in tanta eſt copia, ut poſt coctionem unico non poſſit expurgari cathartico: Præſtat itaque levi apparente coctione, ſæpius & paulatim vacuare, nam propter longitudinem debilitantur ventriculus, hepar, hinc prima & ſecunda coctio male perficitur, quo fit ut & pedes & crura intumeſcant, imminetque aquæ intercutis periculum, quæ mala prædictis remediis frequenter repetitis præcaveri poſſunt, ut juſculis, quibus incoqui poſſunt rad. apij, fœniculi, adiantum &c. *Avicenna* laudat acetum & oleum: Acetum quidem confert, quia aperit, attenuat, ſed forte oleum minus prodeſt, quia laxat ventriculum, etſi hepati ſit amicum. *Primiroſius l. c.*

X. Quæritur num *Aloës* uſus in ea præſcribendus? videtur probabilis negativa, quod *Aloë* dicatur medicamentum cholagogum, at hic non bilis ſed pituita peccat, phlegmagogo potius excludenda, juxta aphor. 25. 1. Sed contrarium videmus in libris Practicorum, qui fere ubique hieram ſimplicem præſcribunt: Hiera picra, ait *Heurnius* 2. meth. c. 23. liquefacit & attenuandi vi abſtergit, & educit mediocrem pituitam, ſi *Gal.* credimus: qui aſſeruit pituitam purgare ſcammonium adjecto caſtoreo, nam calore ſuo fundit pituitam: Nota pro deciſione quæſtionis, quod Aloë ſit medicamentum & leniens & purgans; Leniens, prout in minori dozi exhibetur, qua ratione alvum laxat, & excrementitios humores ex prima corporis regione deiicit: Purgans verò, prout in majori dozi exhibita, bilioſos humores è remotioribus etiam partibus vi ſubſtantialis qualitatis occultæ attrahit & expurgat: Cum autem quotid. febris potiſſimum à pituitoſis humoribus, circa primas vias collectis foveatur & continuetur, quod vel maxime ventriculi imbecillitas conjuncta comprobat, ideo recte conceditur in cauſus Aloes, reſpectu ſuarum qualitatum manifeſtarum, quatenus calefaciendo & ſiccando extergit, diſcutit, primaſque vias purificat, non ſine ſingulari gratia quæ ventriculo amica eſt præ aliis omnibus evacuantibus, ut habet Gal. 6. ſimpl. *Gr. Horſtius Decade 2. Probl. viij.*

XI.

In febre pituitoſa cavendum eſt protinus à principio [illegible] poros aperiunt, præſertim ante corporis [illegible]: Cæterum ea tranſacta, cibariis alia [illegible] ttium admiſcere convenit, & alimentum [illegible] ctum & ſolidæ ſubſtantiæ, tamen po[illegible] idum, quale eſt quod ex aſſis carnibus [illegible] Quo fit ut more febris hecticæ cul[illegible] antur, præſertim quæ apud vulgus *latica* a[illegible] atur, victum qui maxime virtutem cor[illegible] au[illegible] poſſit poſcant: quia harum febrium ca[illegible] & [illegible] iditas per totum ad minimas uſque par[illegible] ra eſt & more humiditatis naturalis va[illegible] portet ergo totum id quod de humiditati[illegible] erfluum ſenſim abſumere, ciboque ſalu[illegible] ncere & præſtantiores inducere qualitates, [illegible] humoris conditiones, quibus corpus affectu [illegible] ac ſtevis everrant. Io cibis miſcere Allium ſua[illegible] quod febri huic accommodatiſſimum. *Mer[illegible] lib. de Præſid. Vit.* In febre phlegmatica, quam Arabes *Laticam dicunt* aut Latentem, humidi [illegible] i multum exolvitur, cibum ideo multi nutri[illegible] menti dare oportet: Corpus humiditate madefaciente & laxante affectum eſt, ab humore frigido & humido, ſed ob putredinem calido & ſicco affecto: Unde non aliter ab hac febre corpus quam pars aliqua ab occurſu aquæ ebullientis afficitur, unde Ebullientem hanc febrem nonnulli dixere, Cibum convenientem iis qui hac detinentur, actu frigidum & ſiccum eſſe oportet, potentia autem humidum: Hoc autem eſt ut humiditatem madefacientem exſiccet, & ut corpus ab humido jonato exolutum reficere valeat, ut laxa membra induret: Hoc autem difficile eſt in ſimplici invenire quare Sorbitionem iis ita parabis, Phaſianum, aut Perdicem, aut Hœdum (hæc enim ex carnibus optimæ iis ſunt) coquito cum radic. & corticibus citri, cauliculis atriſis cardui, ſimul coquantur ex jure, fiat ſorbitio cùm pane: Carduus humiditatem madefacientem, laxantem maxime removet, membrum laxum indurat, idque citra nativi humidi abumptionem; Adhæc aperit & urinam provocat, & in altum penetrat, quod ad hujus febris ſanationem expetendum eſt: humor ſiquidem ad minimas corporis partes eſt diſperſus: Unde craſſam urinam copioſamque, & ſudorem, duo eſſe hujus febris remedia ratione quis arbitrabitur: Nec prætermittendum ſolam hanc febrem ex humoralibus indigere victu qui maxime virtutem corporis augere poſſit, more hecticæ cul[illegible] de aſſimilatur.

XII. Nec ſilentio prætereundum eſt iis qui ita laborant, commodo eſſe in eduliis ſorbitionibuſue, præ ertim iis qui aſſueti ſunt, Allium ut ſimul bulliat immittere, nam prærogativam habet in roborando naturales facultates, corrigendoque damna quæ in iis a duarum qualitatum immoderantia fiunt, nempe à frigore & humiditate: Putridi inſuper humoris [illegible] cum per totum ſpargitur corpus, via [illegible] habet etiam facultatemque à centro ad circumferen. ampellendi: Veruntamen propter calorem & acrimoniam modicum in ſorbitionibus miſcendum eſt, macerare tamen prius oportet in [illegible] o acetoſæ. *Brudus de victu Febric. lib. 3. cap.* 10.

XIII. *Potus* iis conveniens ſit *vinum* album, [illegible] ferum, defæcatum, clarum, cujus ſumito partes [illegible] ſucci grana rotum medij ſaporis partis unius [illegible] aquæ in qua decocta eſt capillaris herba te[illegible] aut polytrichum, unam miſcero. Sed diligenter obſervare oportet ut vinum ſit maxime imbecille quod iis propinaveris: alias non parvæ iis læſionis erit. *Idem.*

XIV. Summa diligentia obſervandum eſt ne iis *alvus liquida* fiat, quin potius hujus contrarium, nempe aſtrictam alvum educere conamur iis quæ poros cutis aperiunt & ſudores movent. *Idem.*

XV. Inter *præparantia* laudat Galenus *oxymel ſimplex*, ſed quando conveniat dubium, ob variam lectionem verborum *Galeni* 1. ad *Glauc.* 12. *oxymelite*, inquit, *utitor*, quidam legunt [illegible], alij [illegible] &c. At nulla cauſa videtur cur oxymel ſimplex, vel aliud remedium ſimile, primis diebus exhiberi non poſſit, cum pituita, qua corpus ſcatet, attenuari, calefieri, incidi moderate deſideret; At quia id nocet ventriculo, admiſcenda erunt quæ ejus robur tuentur, ut rel roſar. quod ratione mellis abſterget, ob roſas adſtringet. *Primiroſius l.c.*

XVI. Eadem difficultas moveri poteſt de *ſyrupo v. rad.* & aliis incidentibus & attenuantibus; quia ut plurimum per urinas vacuant, Diureticis autem non eſt utendum in principio: At ſi iis non utamur humorem non præparabimus, cum omnia pituitam præparantia ferme ſint diuretica. Reſpondeo incipiendum eſſe a levioribus, minus calidis, minuſque aperientibus, ne ſi fortioribus utamur crudus humor in venas deducatur, obſtructioneſque plurimæ contingant: Præterea Diureticum poteſt fieri incitivum tantum variis modis. *Primiroſius l.c.*

XVII. Dubium eſt an *Vinum* competat, periculum enim eſt ne febris augeatur; concedunt tamen *Valeſcus* & *Averroes*, quia concoquit, aperit, urinam provocat, modo ſit album tenue; Etenim ſi calida conceduntur, ut cinnamomum petroſel. anitum, &c. quidni vinum, quod naturæ eſt magis amicum & familiare ac ventriculum roborat? Alij vinum quidem non probant, mirantur tamen cur Medici ab eo abſtineant, cum remedia vino calidiora interdum præſcribant, ut mulſum cum origano, thymo, aromatibus, quæ vino diluto & aquoſo ſunt calidiora; Alij id fieri reſponderent ob ſummam penetrandi vim quam vinum poſſidet, cum prompte in venas & arterias rapiatur, caputque vaporibus repleat: Sic Podagrici jubentur a vino abſtinere, cum tamen interea calidioribus utantur: At hæc vini incommoda minus percipiuntur in melancholicis & pituitoſis febribus ob humoris craſſitiem & frigiditatem, quare tuto tum vino, tum reliquis calidioribus utemur in his febribus. *Idem ibid. Vide* §. 1[illegible].

XVII. *Trallianus* lib. 12. cap. 7. in Quotidianis febribus, jecore aut ore ventriculi refrigerato, pituitoſo vomitu, ſalſamenta aliaque calidiora probat: humidus enim & frigidus ſtomachus diverſa extenuantia citra noxam tolerat; Auſus igitur, *ait*, ego quandoque ſum in quodam, qui quotidie febris acceſſionem experiretur, & pituitam vomeret, ſalſis uti, & piſce ſale condito qui Græcis [illegible] dicitur, item hydrogaru, porci decocti jure, & mirifice convaluit &c. Quo in caſu *Harengum* ſalitum præ cunctis aliis ſalſuris laudaverim, quod [illegible], & ſtomacho languenti minus gravis ſit, ſuccique bonitate ac gratia nulli facile cedat. *Paulus Neucrantz de Harengo p.* 76.

XVIII. Quatenus attinet ad *tempus nutriendi*, & *quantitatem alimenti*, *Celſus* triduo primo ab omni cibo jubet abſtinere, quæ erat Diatritariorum conſuetudo: *Avicenna* quoque primis diebus tenuem victum inſtituit, & ſola ptiſana contentus eſt, ſed poſt diem ſeptimum tranſit ad pleniorem

victum, quod adverſatur *Hippocrati*, qui jubet ægros in principiis morborum plenius, circa ſtatum vero tenuius nutriendos eſſe: Quod ſi pituita fuerit acida aut dulcis, tenuior victus imperandus ut à natura coquatur, ſi vero fuerit ſalſa, plenius, eſt enim coctioni inepta *Primiroſius l. c.*

XIX. Unum notandum eſt quod ſcripſit *Ariſtoteles*, *Coitum* morbis à pituita plurimum conferre, nocet tamen febri Quotidianæ: Eſt enim ſententia *Philoſophi* vera, quando calor innatus plurimus eſt fortis, ita ut ſpermatis emiſſione non debilitetur, & quando in corpore nec putredo adeſt, nec ad putredinem præparatio; Cum autem ægrotum corpora in pituitoſis corporibus, & calorem habeant debilem, & ſint putridis referta humoribus, atque ad ulteriorem putredinem valde diſpoſita, ipſis omnis Veneris uſus nocivus erit & exitialis. *Idem.*

FEBRIS RHEUMATISMI comes.

(Vide lib. 15. *Rheumatiſmus.*)

Deſcriptio & curatio.

Autumno maxime inceſſit hic morbus, hac ut plurimum occaſione, æger ſcil. ſive exercitio vehementiori, ſive alio modo excalefactus, mox repentinum frigus ſi admiſit. A rigore atque horrore orditur tragediam, quos ſtatim excipiunt calor, inquietudo, ſitis, & reliqua infœlix ſymptomatum caterva quibus ſtipantur Febres: elapſo die uno alteróve (eſt & ubi citius) æger atroci dolore, nunc in illo artu infeſtatur, in carpis, humeris, genubus præſertim, qui locum ſubinde mutans, viciſſim illos occupat, rubore quodã & tumore in parte quam poſtremũ affecit adhuc reſiduis: Primis aliquot diebus Febris, & ſymptomata jam memorata raro coincidunt: Febris auté ſenſim evaneſcit, manente dolore, quin & nonnunquã immanius ſęviente, materia ſcil. febrili in artus tranſlata, quod ſatis arguit Febris ipſa, ſæpius recrudeſcens ob materiam morbificam ab intempeſtivo externorum uſu repercuſſam: Morbus hic quoties à Febre ſejungitur, *Arthritis* ſæpe audit, quamvis eſſentialiter ab illa diſtinguatur, prout cuivis facilius conſtabit, cui uterque morbus intimius fuerit perſpectus: Si minus perite tractetur, non ad menſes tantum, ſed annos etiam aliquot, imo per omnem adeo vitam miſerum haud infrequenter diſcruciat, quamvis in hoc caſu non eodem ſemper vigore, ſed paroxyſmis quibuſdam periodice repetitis, adinſtar Arthritidis ſubinde laceſſit: imo vero fieri poteſt, ut ubi diu multumque vexaverint dicti dolores tandem ſponte deſiſtant, atque interim æger omni membrorum motu ad mortem uſque privetur, digitorum articulis quaſi inverſis, & protuberantiis, ut in arthritide, nodoſis, in interna magis quam externa digitorum parte ſe prodentibus, ſtomacho nihilominus valeat, & cætera ſanus vitam toleret:

Eſt & alia hujus morbi ſpecies, huc pertinens, *Lumbago Rheumatica* aptiſſime dicetur, *de qua lib. x. tit. Lumborum affectus* §. 6. Cum hæc utraque morbi ſpecies ab inflammatione videatur oriri, quod tum jam dicta arguunt phænomena, tum præſertim ſanguinis venæ ſectione educti color, ut pote qui pleuriticorum ſanguini tam eſt ſimilis quam ovum ovo, neque quiſquam reperiatur qui hos inflammatione laborare vel quidem dubitaverit: His ita ſe habentibus, cenſeo ego curationem non aliunde quam à phlebotomia debere ſumi, ſanguine interim contemperato, ejuſdemque nimio fervore repreſſo, tam medicamentis refrigerantibus atque incraſſantibus, tum etiam convenienti regimine.

Ac proinde ſtatim ſanguinis ℥ x è brachio lateri affecti mitti jubeo, & Iulapium refrigerans incraſſanſque præſcribo, de quo bibat ad libitum: Ad dolorem, cataplaſma è mica panis ſiliginei, & lacte croco tincto, ſæpe renovandum: Carnibus autem & earum juſculo prorſus interdico: Volo autem ut per horas aliquot ſingulis diebus lecto ſe abſtineat, cum calor, qui à jugi decubitu naſcitur, morbum promoveat intendatque. Die ſequente ſanguinis tantundem detraho, atque intercalato die uno alterové pro ægri viribus, tertio, deinde interjecto trium quatuorve dierum intervallo (prout ægri vires, ætas &c. ſuadent) quarto, atque ultimo ut plurimum Venæ ſectionem repeto: raro enim uſu venit ut ultra quartam vicem venam incidamus, niſi vel regimen juſto calidius præceſſerit, vel medicamina calidiora præter neceſſitatem fuerint ingeſta: Quin & Anodyna effuſionem ſanguinis miſſionem poſtulant.

Quamobrem, ut ut ſæviat dolor, per omnem decurſum religioſe ab his temperandum exiſtimo, cum illorum uſu figatur morbus, neque tam facile venæ ſectioni cedat: quæ ideo ob hæc ipſa medicamenta officioſe nimis exhibita, ſæpius quam erat opus celebranda eſt: Quid quod & in morbi ſtatu, neque eam quam titulo pollicentur ἀναλγησίαν valeant præſtare: interim diebus à phlebotomia vacuis Enema è ſaccharato lacte ſubinde injici curo, & ut omni ad dies minimum octo ab ultima venæ ſectione diligenter obſerventur horror; quibus elapſis potionem catharticam è lenitivis hauriendam præſcribo, & inſequente veſperi dozin paulo liberaliorem *Syrupi de meconio in Aqua flor. paralyſis*, quo ſanguinis orgaſmus, unde & recidivæ periculum, penitus reprimatur.

Notandum non adeo conſultum eſſe, quando Rheumatiſmus aliquot annorum diuturnitate altas egit radices, ſanguinem tam brevibus ac ſub ejuſdem primordiis fiebat, intervallis mittere, quin præſtate ſeptimanarum aliquot intercapedine repetitas illas venæ ſectiones determinare, quæ tandem vel penitus materiam morbificam averruncabunt, vel ſaltem eo conducent ut Fontanella in crurum alterutro excitata, & ſpiritu volatili D. D. *Goddard*, in vino canarino mane & ſero exhibito, reliquiæ ejus extirpentur. *Sydenham Obſerv. in morb. Acut. ſect. 4. cap. 5.*

FEBRIS.

FEBRIS SCARLATINA.

Deſcriptio & Curatio.

S*carlatina Febris* licet nullo non tempore poſſit oriri, ut plurimum tamen exeunte æſtivo ſe prodit, quo quidem integras familias, infantes vero præcipue infeſtat: Rigent, horrentque ſub initio, ut in febribus, qui hac afficiuntur, neque vehementer admodum ægrotant; poſtea cutis univerſa maculis parvis rubris interſtinguitur, crebrioribus quam multo latioribus, magiſque rubentibus, at non periode oniformibus ac ſunt illæ quæ Morbillos conſtituunt: Ad duos treſve dies perſiſtunt hæ maculæ, quibus demum evaneſcentibus, decedenteque ſubjecta cuticula, reſtant furfuraceæ quædam ſquamulæ, adinſtar farinæ corpori inſpertæ, quæ ad ſecundam aut tertiam vicem ſe promunt, conduntque viciſſim.

Cum hic morbus nihil aliud mihi videatur quam mediocris ſanguinis efferveſcentia, a prægreſſæ æſtatis calore, aut alio aliquo modo excitata, nihil quicquam molior, quo minus ſanguis ſibi deſpumando vacet, & materiæ peccanti, quæ ſatis prompte adjungitur, per cutis poros ablegandæ: Quamobrem tum hinc, & à venæ ſectione, & ab Enematum uſu mihi temperans (quibus remediorum formis facta revulſione, particulas ſanguini infeſtas cum eodem intimius permiſceri, & motum Naturæ magis congruum ſufflaminari autumo) tum ex altera parte ab exhibendis cardiacis, quorum æſtu impetuoſius forte exagitabitur ſanguis, quam pro pacata & leniſſa ſeparatione, in qua jam totus eſt, (quid quod & vehementior febris hoc fomite poſſit accendi?) ſatis habeo ut æger à carnibus in ſolidum abſtineat, & à liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque, tum ut neque uſquam foras prodeat, neque ſe perpetim lecto affigat: Cute jam penitus deſquamata, & ceſſantibus ſymptomatis, è re fore exiſtimo ut purgetur æger levi aliquo medicamento, ætati & viribus accommodo: Simplici hac & naturali plane methodo, hoc morbi nomen (vix enim altius aſſurgit) ſine moleſtia aut periculo quovis facillime abigitur: Cum è contra ſi plus negotij ægris faceſſamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel cardiacis aliiſque remediis ſupervacaneis, nimis docte (& ut vulgo dicitur) ſecundum artem, ſupra modum ingeſtis, morbus ſtatim intenditur, & æger non raro, nulla alia de cauſa quam nimia Medici diligentia, ad plures migrat. *Sydenham Obſervat. in morbis acut. ſect. 4. cap.2.*

FEBRIS SINGVLTVOSA.

SYLLOGE.

Curatio *Hippocratica*. 1.
Venæ ſectio *aliquando convenit*. 2.
Sinapiſmus *an conducat*. 3.
Opiata *quando locum habent*. 4.
Cucurbitulæ *admotæ ?* 5.

FEbris hæc de acutarum genere eſt, in cujus curatione animadvertant Medici, qui ex Hippocr. curatione permoti medicamenta valde calida, ſingultus gratia, in tali febre exhibent, ſi hæc ab eo uſurpantur ut humores ventriculi tunicis infarctos abſtergere valenter poſſint, in reliqua tamen curatione refrigerantibus illum uti, tum gratia febris, tum ut abſtergentium caliditas retundatur: nam & ptiſanam pro cibo, & aquam hordei pro potu, aut oxymelitis exiguum præbet: quare præter Hippocr. conſilium eſſet, & ægrotanti parum utile, ad ſudorem provocandum decocta calefacientia exhibere, quæ à Neotericis adeo facile recipiuntur: nam cum citò per venoſum genus diffundantur multum obeſſe ob febrem poſſent, & parum afferre utilitatis affectioni ſingultuoſæ ventriculi, qui, ut diutius in eo morentur medicamenta, formam ſolidiorem expoſcit: ideo Hippocr. ea exhibet in eclegmate, non in potu, ut ventriculo majorem opem ferat, nec cito ad venas perveniat, unde febrilis calor augeatur: præterea hujuſmodi decocta, poté actu humida, parum ſtomacho conducunt, ideo monet Hippocr. ut potus ſit exiguus, niſi ob ſitis vehementiam copioſius dare expediat, Vbi notandum Hippocr. contra auſteritatem Medicorum, qui ægros ſiti cruciari permittunt, tanti feciſſe accidentia, ut morbo dimiſſo ad eorum correctionem ſtatim devenerit, nam ob ſitim longiorem potum permittit, quamvis morbus pauciorem poſcat. *Martianus comm. in v. 229. l. 4. vict. acut.*

II. Mulier annor. xxx. corporis habitu craſſiori, cibis multis & craſſis aſſueta, ut oſtreis, caſeo, piſcibus, prope menſium defluxum febre corripitur continua, cum qua ſimul acceſſit ſingultus qui perpetuò adeſt. Quæritur an conveniat ſanguinis miſſio? quod non videatur in tanta humorum multitudine, & ob ſymptoma quod vires debilitat, Sed cum morbus magnus ſit auctus, adſint etiam calidi humores acres, & magna illius origo fuerit, ſanguis menſtruus ſuppreſſus, ſanguinem minuendum judico ex vena ſaphena &c. *R. Fonſeca conſult. 27. tom. 2.*

III. *Avicenna* Sinapiſmum proponit, qui convenit niſi obſtet calor febrilis, aut imminens inflammatio: Cucurbitula ſicca ventriculo impoſita, repetita, tanquam remedium ingentis profectus proponitur ab Ætio, ut quæ poſſit materiam impactam ventriculo ſuo calore attenuare, & motu deturbare atque dimovere. *Fortis l. de Febrib. p. 37.*

IV. Singultum contumacem reſpiciunt Opiata, quæ tamen in cauſa calida tutiora ſunt, ideo in frigida caute valde adhibenda: Philonium Rom. apud Galenum. 8. κ. τ. cap. 3. quam maxime commendatur, ſicut à nobis Theriaca recens, vel laudanum cum pulv. tormentillæ, in bolum reformanda. *Idem.*

V. Febrem Singultuoſam vocavit *Galenus* 4. acut. 69. quando per totum morbum ſimul cum febre Singultus exacerbatur: Eſtque ventriculi concuſſio, qua tunicæ ipſius id, à quo pertinaciter moleſtantur, excutere laborant: Singultu quidam vexabatur ita moleſto ac continuo, ut nec edere nec loqui poſſet, cum febre lenta, bilioſorum vomitu, & aphthis in ore: Cum omnia incaſſum fierent, cucurbitulam maximam cum multa flamma ſupra ventriculi regionem imponere, & deinde ſcarificare juſſi, quo auxilio celebrato, evaſit. *Zacutus Pr. adm. lib. obſ. 20.*

FEBRIS SITICVLOSA.

Natura & curatio.

A Siti valde importuna & inextincta ſic vocantur, non tantum & frequentius calore urgente, verum & frigore urgente, adeo ut licet continuo bibant ægri, nihilo tamen ſitiant minus; ægris & Medico ipſi negotium faceſſentes. Cauſam adſcribo ſali acriori in bile exiſtenti, cui ſi comes adſit oleoſitas multa, urget ſitis maxima durante calore: ſin eadem fuerit parcior, etiam vexante frigore, vis autem ipſius nocens manifeſtatur magis ad ſucci pancreatici, poſt ſtagnationē febrilem erumpentem occurſum, effervescentiamque vitioſam. Compeſcatur Sitis per Apozema ſequens ℞. *acetoſæ cum ſol. man. ij. ſol. fragar. violar. ãã. m. j. coque ex aq. hordei, ad colat. ℥xx, adde ſyr. acetoſ. citr. ℥iij ſpir. ſalis dulc.* ℈ß. m. Ad emendandam *bilis oleoſitatem* inflammabilem, ſequens uſurpetur. ℞. *rad. plantagin. ℥j ſol. ſemperv. mai portul. ãã. man. ij. coque ex aq. puræ, ad colat. ℥xx. adde ſyr. portul. ℥iij. ol. ſulph. per campan. q. ſ. ad gratum aciditatem.* Durante calore potus concedatur copioſior, at urgente frigore ſatis eſt aqua pura os colluere, atque ſatius ſitim fallere quam multum bibere: Iuvat & tunc lapis prunellæ potui additus. *Sylvius Pr. Med. l. 1. cap. 30.*

FEBRIS. SPVTATORIA

Natura & curatio.

O Bſervantur febres intermittentes, quas durante paroxyſmo Sputatio & ſalivatio gravis & moleſta comitatur, ideoque *Sputatoria* aut *Ptyalodes* nominandæ, quas ab eodem Succo Pancreatico deduco, ſtagnatione ſua ita vitiato, ut in paroxyſmi febrilis productione ad ſalivares glandulas copioſius deferatur, ſalivæ tum copioſiori materiam, cum fluidiori anſam præbeat. Has puto vix aliter curari poſſe quam ſuccum pancreaticum vel ad alvum, vel ad veſicam, vel corporis ſuperficiem, ante paroxyſmi adventum, aut eodem inchoante aſſumptis, deducendo ac educendo. *Sylvius Pr. Med. l. 1. c. 30.*

FEBRIS SVDATORIA.

(Vide *ſupra* Anglica.)

S Y L L O G E.

Natura & curatio. 1.
Vacuatione mitescit. 2.

1. NOn tantum ſinguli plerarumque intermittentium paroxyſmi deſinere ſolent ac ſolvi Sudore ægris utili, ſed nonnunquam durante bona vel maxima cujuſvis paroxyſmi parte ſudor multus & noxius, ideoque ſymptomaticus, ſæpius calidus, rarius frigidus, ex univerſo corpore, aut parte privata manant, *febres* conſtituit *Sudatorias*, quales etiam obſervantur Synochę, nomine *Sudoris Anglici* celebres: Illas ſucco pancreatico magis vola[illegible]i quam acri, & ideo ſanguinis maſſam ſolventi potius quam coagulanti certo adjudicandas Curatu difficiliores ſunt, nec niſi auſteris ceſſuræ: uſurpanda ſunt autem illa in pauco liquore ſoluta, & quidem tum ſæpius in die, tum quantitate parva, quo ſucci Pancreatici volatilitatem paulatim & continuo emendent, e. g. ℞. *Aq. plantag.* ℥iij. *cinnamom. aceti ſtillat. ãã.* ℥ß *ſyr. portul.* ʒj *corall. r. pulv.* ℈j. *m.* hæc miſtura cochleatim detur; ſi quis potentiorem vult, addet acaciam, aut ſuccum hypocyſt. ad ℈ß. vel j. *Sylvius de le Boe Prax l. 1. c. 30.*

II. Febris *Elodes* quaſi *paluſtris* dicitur, ſudans enim quaſi in palude immerſus videtur: *Æger* robuſtus, febre vehementiſſima detentus, copioſiſſimo oborto ſudore, calido, univerſali, in ſecundo morbi die erat cum æſtu & incendio multo: Medici ſudorem promovere tentarunt naturam *imitantes*, at perperam, cum enim ſuccenderentur viſcera, & hæc acutiſſima febris, & pernicioſa ex interna aliqua affectione profecta, gravatam & irritatam à copia & humoris prava qualitate naturam, oborto copioſo ſudore, attamen citra levamen ullum oſtenderet, ſanguinis miſſionem ſalubrem eſſe prædixi, Reclamant ipſi, dicentes cum *Galeno* 6. Epid. 2. 30. *Succos* ad cutem vergentes per eam eſſe vacuandos, quare ſudorificis inſiſtunt, At cum pejus haberet, affines in ſectionem quartam, illis renuentibus admittunt, Quater in 4. & 5. die ſanguis extractus, omni labe fœdatus, In 6. purgatio adhibita, quantum ope natura levata, regulato humore, & oborto ſudore, morbum in 7. finivit. *Galenus* in citato comm. hiſtoriæ *Simonis* ſic ait, *Sed forſan me dicere putabis nunquam purgatione per alvum in talibus utendum, Ego vero non id dico, nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia eſt, iis utiles eſſe purgationes didiciſti, priuſquam ita redundantem materiam aut purgatione quis eduxerit: ſi ſovens, h. e. calidis utens, ipſam diſcutere conetur, plus attrahet quam per cutem evacuabit &c.* quare hæ ſymptomaticæ evacuationes parviſaciendæ, quum ſint caſus p. n. catum quæ in corpore ſunt diſpoſitionum. *Zacutus Pr. adm. lib. 3. Obſerv. 18.*

FEBRIS SVFFOCANS.

S Y L L O G E.

Cognitio & curatio. 1.
Exemplum curata. 2.

I. OBſervantur aliquando Febres Intermittentes, à comite ſuffocatione hypochondriaca, vulgo Hyſterica dicta, cum paroxyſmo febrili gravius (& fœminas præſertim) afficiente, *Praefocantes* nominandæ, cum revera nonnunquam ægras tunc ſuffocent ac interimant, licet non valde graves ſimul exiſtant quoad cætera ſymptomata febres ipſæ

pſæ. Has tribuo Halitibus auſteris, à ſucco Pancreatico, ob ſui ſtagnationem auſteriore facto, in ſui cum bile efferveſcentia excitatis, nec tantum ad ventriculum & œſophagum, verum per lacteas venas, ductumque thoracicum, ad cor etiam & pulmones aſſurgentibus, atque in œſophago ſuffocationis ſenſum, in Pulmonibus autem ſuffocationem veram nonnunquam producentibus. Curabitur oleis aromaticis, & ſalibus volatilibus quibuſvis, ſed maxime oleoſis, ſed multis merito præfertur caſtoreum, ejuſque cum rectificato vini ſpiritu elicita Tinctura, & ſalis ammoniaci ſpiritus: Vbi frigus interne, vel externe urget, præ aliis omnibus laudo oleum garyophyll. ſtillatium, imo oleum terebinth. minus gratum, &c. *Sylvius de le Boë Prax. Med. l. 1. cap. 19. §. 70. 71.*

II. Nob. Domina annor. 16. ſub canicula vehementiſſima febre Tertiana, cum terrifico ſymptomate ſuffocatorio acerbe divexabatur, nam inſtante paroxyſmo ſpiritum jam efflare credebatur: Contingebat dirum hoc ſymptoma initio rigoris, in præcordiis validam & intenſiſſimam oppreſſionem præſentiente ægra, unde conjicere licuit illic mali fomitem delireſcere, Quapropter ſpecificum noſtrum ſtomachicum (*flores ſalis armoniaci, ex quorundam ſententia*) cum aqua cinnamomi exhibendum certa indicatione conjeci, idque non fruſtra, eo enim bis exhibito, cum antipyretо noſtro, febris & ſymptomata evanuerunt. *Pet. Poterius cent. 2. cap. 49.*

FEBRIS SYNCOPALIS.

SYLLOGE.

In Humoroſa *aliquando* ſanguis mittendus. 3.
An vomitus *provocandus.* 6.
An purgandum 2. 4.
Adſtringentia *quando danda.* 14.
Natura & curatio. 3. 6.
Fotibus *ventriculi quando locus.* 15.
Aër *qualis conveniat.* 16.
Somni *regimen & vigiliarum.* 17.
Vini *uſus.* 7.
Aquæ vitæ *quando locus.* 8.
Facies frigida quando aſpergenda. 9.
Frictiones *non in omni locum habent.* 12.
Adhibendarum cautiones. 13.
Mulſa ope curata. 1.
An in Minuta *Sanguis mittendus.* 5.
Tamarindorum beneficio curata. 18.
Victus ratio *in Humoroſa.* 10.
In Minuta. 11.

I. QVidam pro curatione hujus febris illico v. ſ. imperabat, Sed ego accitus illam omnino interdixi, nam humor lentus, frigidus, craſſus pituitoſus occupabat os ventriculi, unde cruditates, obſtructiones, putredines, & ea copia humoris pituitoſi calor naturalis erat valde minutus: quare, ut Fernelius ait, 2. de venæ ſect. 4. *Pituitoſa pituitudo minime poſtulat v. ſ. quum enim impenſe frigida ſit, ſ. m. averſatur, quæ magis cruditatem refrigerans ita conduplicat, vix ut unquam concoqui emendarique poſſit:* Æger ergo præter diætam, frictiones, calefactionem extremorum, cucurbitulas cum multa flamma, roborantia ventriculo impoſita, Mulſa uſu eſt curatus: hujus enim ope craſſi ſucci coquuntur, abſterguntur & vacuantur, nam non adſtringit, denſat, exaſperat, cum non ſit acris, imo meatus aperit, flatus diſſipat, crudum humorem coquit & in ſanguinem vertit, & frigidis nervoſarum partium morbis remedium eſt. *Zacutus Prax. Admir. l. 3. obſ. 23.*

II. Et ſi *Galenus* nullam commodiorem vacuandi rationem ſe inveniſſe ſtatuat quam quæ fit per frictiones, quod ægri purgationem non ſuſtineant, Quia tamen noſtro ſæculo multa innotuerunt medicamenta, quæ nulla vi naturæ illata alvum ſolum laxant, citra humorum qui in venis ſunt perturbationem, qualia ſunt mel roſat. ſol. cremor tartari, &c. præter clyſteres leviores, licebit iis uti. *Sennertus.*

III. Quanquam Galenus 12. meth. 3. ſanguinis miſſionē omnino renuat, quod ſine maximo virium diſpendio fieri nequeat, ſola vacuatione quæ per frictiones fit contentus, *Trallianus* tamen, cui adſtipulantur *Rhaſes & Averroes*, venam ſecandam conſulunt, ubi ſcilicet ſeminectus humor eſt, & abundat cum præſentia ſanguinis: At ſi valde ab hujus natura humores recedunt, frigidi ſint, crudi, hyeme, natura, regione, & ætate frigidis, ſi ſanguis paucus & bonus, omnino ſ. m. futura noxia eſt, quod ſic deducatur æger ad frigidorum cruditatem, ex Avicenna 4. 1. c. 20. Atque de hac ſumma cruditate explicandus Galeni locus: Alias ſ. m. imperare licere ubi humores non extremè crudi, conſtat ex lib. de ſ. m. c. 12. *Vbi multa*, inquit, *vacuatione eſt opus, verum vires ſunt imbecilliores, in his vacuationem partiri expedit, uti nimirum & me feciſſe vidiſtis in iis quibus ſuccorum crudorum copia inerat: nam pauco ſanguine detracto protinus melicratum exhibeo probe coctum, cum incidentium medicamentorum aliquo, ac ſic rurſus ſanguinem minuo, vel ipſo eodem, nonnunquam die poſtero, in quo rurſum exhibito propoſitorum medicamentum quodpiam, iterum de ſanguine quid aufero, ac rurſus tertio die ſimiliter bis.* Nam ut ignis lignorum viridium copia obrutus ſuffocatur, niſi aliqua detrahatur portio, qua dempta flamma emicat, idem judicium eſto de nativo noſtro calore, qui crudorum congerie marceſcit, niſi humorum ſuperflua ſarcina levetur, ope ſanguinis miſſionis.

IIII. *Syncopales Febres*, à Syncope ægros una cum febre invadente nomen ſortitæ occurrunt nonnunquam: Succo Pancreatico debentur, ſed ſtagnatione ſua volatilem magis quam acrem aciditatem nacto, Bile interim exſtente pauca vel inerte, unde idem abſque mora per lacteas venas verſus cor penetrans, non tantum quaqua verſum prorumpit, ac ſudorem frigidum excitat, verum ſanguinem quoque mora ita coagulat, ut ad tempus ſenſibiliter trajici non poſſit, nec proinde Pulſus obſervari, donec ceſſante hujus ſucci nocentiſſimi acceſſu paulatim aliquid virium recipiat bilis, atque videatur æger tunc à mortuis redire ad vivos. *Syncope* ut præcaveatur commendo hanc *Miſturam*, cochleatim per intervalla brevia aſſumendam ℞. *aquæ menthæ* ℥ij. *vitæ Matth.* ℥j. vel ℞ *Tinctur. cinnam* ʒß. *olei garyophyll. gtt. vj.* ſyr. cochlear. ℥j. detur aliquot ante paroxyſmum horis. *Sylvius de le Boe Pr. Med. l. 1. cap. 30.*

IV. *Galenus* in curatione hujus febris ab omni vacuatione abſtinet; ſed ſolum procurat humorum coctionem & attenuationem, partim revellendo per frictiones, quæ ſimul attenuant & vacuant: & quibus inungit oleo anethino, ad reſolutionem: nec ullam evacuationem tentat ſenſilem, niſi aliquando per clyſterem, vel exhibendo mulſam crudam & oxymel cum hyſſopo, ut attenuentur humores; nec aliud exhibet uſque ad 7. diem, quia ubi

adeſt pituita cruda, facile fertur inedia: Hanc curationem confirmat Hipp. 4. acut. 47. qui in febribus anxioſis, ubi æger quietem non invenit, & extrema ſunt frigida, nihil aliud exhibet præter oxymel aquoſum, nec ſorbitione utitur uſque ad declinationem: Contra Arabes, *Trallianus* & ſequaces, prædictam curationem reprehendunt, quod frictio leve ſit præſidium & longum: nec cum victu illo tenuiſſimo poſſit æger perdurare ad ſtatutum uſque morbi: quare judicant ſatius eſſe materiam paulatim vacuare, & ſenſim lenitivis pharmacis, Galeni tempore ignotis: Præterea plenius alendum, ptiſanæ ſucco cum pipere & pauco melle: nec abſtinendum vino, ad prohibendam & curandam syncopen: Pro deciſione dicendum tutiorem eſſe curam Gal. qui non vacuat niſi per clyſterem, nam ex pharmaco dato, etiam levi, commoto humore poteſt ſubito interire æger, & mortis culpa ægro tribuetur: Sed dum clyſteres iniiciuntur, æger non ſurgat à lecto, ne excitetur ſyncope, fiant in declinatione paroxyſmi, non ſint acres: quod ſi aliquid exhibendum eſt per os, id non per pharmacum, ſed per mulſam, oxymel, & ptiſanam cum melle miſtam adminiſtretur, Hanc curationem probat magnæ doctrinæ & experientiæ vir *Arculanus*, qui ait toto ſuæ vitæ curſu tantummodo 4. caſus hujus mali vidiſſe, 1. in quadam ſene, cui datum fuit pharmacum, & commota eſt ſyncopis adeo valida ut ferè perierit, & 4. die mortua eſt: reliqui tres erant juvenes, quorum alteri ſupervenit fluxus ventris cum frequenti ſyncope & virium debilitate, qui tamen ſervatus eſt: In alio ſupervenit ſudor, & cum eo tandem ſanatus eſt: in 4. fuit ſolum proceſſum clyſteribus & frictionibus, poſtmodum ceſſante ſyncope fuit datum pharmacum, & evaſit: Et ideo ego teneo, ait, *Arculanus*, quouſque durat ſyncope procedendum eſſe clyſteribus, qua in totum ceſſante, propinandum aliquod pharmacum leve. *R. à Fonſeca Conſ. 19. Tom. 1.* Cautiſſime in hoc magni momenti negotio procedendum, adeo ut ſi ſyncope toto paroxyſmo perſeveret, impoſſibile ſit medicamentum ſolutivum exhibere, qualecunque fuerit: ventriculo namque perpetuo afflicto afflictio addenda non eſt, alioquin ſtomachicæ ſyncopes irrevocabiles fiunt atque lethales, ut obſervavit Gal. 5. de loc. aff. 6. At ſi in acceſſionis declinatione cedat ipſa ſyncope, ut frequentiſſime accidit, prius roborato ventriculo, aliqua crudæ materiæ minoratio procuranda, clyſtere prius, mox etiam vomitu, ſi ad vomitum pronus ſit patiens: Interim attenuantia & concoquentia præbeantur, ut medicamentum leniens, ſi non ante quartam, paulo poſt tamen exhiberi poſſit: Exercitatum autem Medicum, vel ſaltem valde cautum, deſiderant hujuſmodi febres. *Fortis.*

V. Indicatione ſumpta à cauſa morbi, quæ bilis eſt in venis & in ventriculo contenta, imprimis evacuandus eſt & revellendus humor, qui veluti cauſa antecedens in venis continetur, quod per Sanguinis miſſionem optimè fieri poteſt, ex brachij dextri vena baſilica: Sed huic remedio obſtat Galen. 1. ad Glauc. 14. *Si quis febricitet eorum qui ſunt habitu pleniori, verum ex recentibus cruditatibus angorem quendam ſentiat ac morſum, utque os ventriculi affectum: vel ſi etiam humorum aliquem multum evomuerit, & in tranſitu hujus non parum fuerit offenſus, adeo ut graviter ſe habeat & anxiè, nunquid hic ad febrem reſpicientes ſolam multitudinem evacuare tentabimus? quod alioquin ſine moleſtia fecerimus, vel prius oris ventriculi providebimus, deinde poſtquam circa hoc bene ſe habuerit, quã contigerit totius corporis faciemus vacuationẽ: mihi quidem ita agendum videtur: Multos itaque vidi quo ita affecti erant, quoſdam interiiſſe, nonnullos ad extremum periculum fuiſſe perductos, cum Medici eos curare tentaſſent antequam os ventriculi corroboraſſent.* Propterea corroborandus eſt ventriculus intus & extra, & leniendus dolor; quod ſi ſuccedat, tunc mittendus ſanguis potius ex annulari manus dextræ quàm ex brachio. *R. à Fonſeca Conſult. 20. Tom. 2.*

VI. Per vomitum tentari poteſt vacuatio humoris in ventriculo contenti, ſed lenibus medicamentis, ex Gal. 1. ad Glauc. 14. exhibito oleo amygd. d. rec. ad ℥viij, cui adderem ad robur ℥ij ſucci citri vel limonis: atque ut facilius vomitus procedat, calefaciendo, juxta Gal. manus, pedes & os ventriculi: Hic tamen dubitationem facit Gal. qui l. c. à principio prohibet vacuantia medicamenta antequam roboretur ventriculus: rurſus in fine ſcribit eos qui ob vitioſos humores ad os ventriculi reſolvuntur, cogendos eſſe ad vomitum ex hydræleo, nec ullam roborandi ventriculi mentionem facit: ℞ quod ſupponit humores mordaces eſſe in cavitate ventriculi, non in tunicis impactos: 2. ubi prius roborandum ventriculum eſſe ſcribit ante vacuationem, intellige de inſigni vacuatione quæ fit per ſ. m. vel valido pharmaco, non de lenibus, quo in caſu etiam roborat ventriculum intus & extra. *Idem ibidem.*

VII. Omnium maxime ſpiritus revocat & vires reficit *Vinum*, ut pote quod quam celerrime nutrire dicat Galenus: citiſſime namque concoquitur atque diſtribuitur, quia minima indiget alteratione, unde maximum reparatorem hoc appellabat Avicenna: Vt jure merito Aretæus in ſolo vino refrigeratis ſpem vitæ reponat: Sit autem neque aqua frigida dilutum, quo uti ſolebat Galenus ad Glauc. neque meracum: Non primum, ob inſignem ventriculi imbecillitatem & frigidæ materiæ præſentiam: Non ſecundum ob febrilem calorem, metum inflammationis internæ: ſit inſuper nigrum auſterũ, & ſubſtypticum non generoſum, *Fortis* Vbi humores copioſiſſimi, ab eo abſtinẽdũ juxta. *Galen.*

VIII. Quandoque Syncope adeo diuturna atque pertinax eſt, ob crudi humoris copiam, frigiditatem, atque lentorem, ut poſthabito febrili calore ad validiorem attenuationem & calefactionem *Aqua vitæ* quoque uti cogamur, quæ ita paranda, ℞. fol. meliſſæ, puleg. major. anthos, roſar. rub. ana pug. j. garyoph. nuc moſch. macis, cardam. ana ʒj. oſſis cordis c. n. ij ſantal. citr. ʒij moſch. gr. v. præp. ſ. a. macerentur in ſ. q. vini albi opt. diſtillentur M. B. cujus cochlearia frequenter præbeantur. *Idem.*

IX. Mos invaluit ut in ſyncope fiat *aſperſio in faciem*, vel aqua frigida ſimpl. vel roſac. vel vino albo adſtringente, quam proponit Gal. reprobat Avic. Galenus quidem, in defectu ſpirituum, ut retrahantur in auxilium cordis: Avic. vero reprobat merito, cum à ſpirituum ſuffocatione pendet ſyncope. *Idem.*

X. *Victus ratio* valde tenuis ſit, ex Hippoc. Gal. nihil enim ab initio præter oxymel aquoſum offerebant, addunt tamen dum vires conſtent: Nos tribus primis diebus ſolam ptiſanam offeramus, ſecundis, addamus pulli inſtaurans, poſtremis, attenuata valde materia, ova recentia & pulli contuſa. *Fortis.*

XI. Ad

XI. Ad *Præſervationem* non requiritur alimentum tam ſubitò nutriens, velut in curatione, præſente ſyncope, ubi neceſſe eſt ad faciliorem penetrationem & nutritionem actu calidum dari: Si tamen aër fuerit calidus, ad præcavendum colliquationis humorum à caliditate periculum, 1. talem vel etiam 2. atque 3. vice actu frigidum exhibeatur, niſi ſyncope calidiora eflagitet, Et quidem majori copia, & frequentius, præſente lipothymia actu, quam ſyncope, quum in illa magis quam in hac vires diſſolvantur. *Caprilius*. Spirituum regeneratio procuranda odoribus, at quia eſſentia vitæ in ſolidorum temperamento quoque conſiſtit, ideo utraque integra conſervanda: Ideo partes ſolidæ quam celerrime inſtaurandæ, quæ enim longo tempore extenuantur corpora, lenté reficienda, quæ brevi breviter: Cum ergo odores ſpiritus non ſolida nutriant, ideo ſolidis, alimento, ſuccurrendum, & quidem potu, quia facilius impleri potu quam cibo. *Fortis*.

XII. *Galenus* in *Syncopali humoroſa* nullam aliam ſe inveniſſe ait vacuationem idoneam præter eam quæ ex *Frictione* paratur: at tunc tantum Frictiones convenire poſſunt, quando totius corporis habitus cruditate refertus eſt, non ventriculus tantum, aut unum aliud ex viſceribus, in quibus longe maximam crudi humoris portionem per hujuſmodi affectum contineri ſupponimus: hoc ſiquidem in caſu à Frictionibus nonnili fruſtra inanjuntur cæteræ partes, aut in eas perperam allicitur crudus humor, quem in viſceribus coqui præſtaret: Attamen licet utrumque præſtare, purgatione inquam viſcera primum inanire, ac deinceps tuto Frictione adhibita tumentem corporis habitum curare. *Ioubertus cap.19. lib.de Febr.*

XIII. Sed ne error aliquis committatur circa *Frictionum* uſum in hac febre, quæ nullum vel minimum errorem admittere poteſt, quinque ſunt conſideranda, 1. finis ob quem inſtituuntur, 2. quæ partes fricandæ, 3. quales frictiones eſſe debeant, 4. quo inſtrumento. 5. quamdiu. Primum quod attinet, frictiones facultatem emorientem excitant, 2. humores crudos & copioſos, ſpiritus & calorem ſuffocantes, a corde divertunt: 3. eoſdem humores attenuando ac reſolvendo diminuunt. 4. poroſitates aperiunt, ut facilius inſenſibiliter reſolvantur. Quoad ad ij. imprimis crura & coxas fricare oportet, ad inferiora trahendo, ut major fiat diverſio: 2. brachia & manus, à ſpatula incipiendo: 3. à collo ad ſpatulas, per latera: quoad iij. incipiendum à fortioribus, nam materia in principio frigidior & craſſior eſt, prout & poroſitates obſtructæ valde: unde Avic. uſque ad abraſionem cutis, nos autem uſque ad ruborem: in progreſſu vero, materia magis attenuata, leviores ſint. iv. fiant panno aſpero, fumigato potius ſuffumigio ex ligno aloës, moſcho & cinnam. ex Avic. vel cum Galeno, laxantibus oleis atque digerentibus: quibus nos & ſpiritum vini addi poſſe credimus. v. Licet Avic. jubeat perpetuo frictiones eſſe faciendas, vel cum ſomni exclusione, caute tamen agendum, ne ægri pereant fricantium inſcitia, ut obſervavit Trallianus. *Fortis*. Frictionum loco prodeſſe ait *Mercatus* cucurbitulas minutas frequentiores, ſine ſcarificatione, ut humor ad exteriora evocetur, & calor ſopitus poſſit excitari. *Pract.l.5.cap.16.*

XIV. *Adſtringentia* nun habent locum niſi corpore purgato, ob crudos humores in ventriculo contractus. *Rondeletius*.

XV. *Ventriculo fotus* illico primo die non adhibeantur, ſed præmiſſis frictionibus, materiaque magna ex parte concocta & evacuata, *Capivaccius*. Ventriculus nempe initio nunquam fovendus, ſed facta aliqua materiæ crudæ coctione, ne tum crudi humores ventriculum magis onerent. *Mercatus l.c.*

XVI. *Aër ſit* temperatus, ad calidum nonnihil inclinans, lucidus, purus, ſiccus. D *Liddelius lib.* a *cap.14.* non frigidus, *Heurnius de Febr. c.18.* Calidior enim ſuccos pituitoſos, crudus colliquat, qui poſtea cum præſentaneæ mortis diſcrimine partes principes petere poſſunt, frigidior corpora denſans, obſtructionibus adauctis viſcera gravat, *Caprilius l.a.*

XVII. *Somnus* immodicus crudos humores ad interiora revocat, ipſorum digeſtionem impedit: *Liddelius l.c.* viſcera graviora reddit, *Mercatus*. Sit ergo brevis, & ſyncopes tempore nullus. *Fontanon.* & *Heurnius*. Vigiliæ multæ vires debilitant, concoctionem impediunt. *Liddelius*.

XVIII. Billioſa febre correpta eſt juvenis, cum ſiti, amarore oris, nauſea, & bilioſo vomitu, ob quas cauſas facile in ſyncopen incidebat: cum nulla remedia proficerent, aquam decoctam cum tamarindis bibendam impero, & eorum pulpam cum ſaccharo in bolos redactam offero, ex qua, cum refrigerantibus decoctis commixta, clyſteria ex intervallis immitto: his x. dierum ſpatio celebratis febris eſt remiſſa, ſitis evanuit, ceſſavit nauſea & vomitus, & vacuato humore bilioſo per alvum, temperatiſque viſceribus a ſyncope factus eſt immunis. *Zacutus Pr.adm.lib.3.obſ.22*

FEBRIS SYMPTOMATICA.

SYLLOGE.

Multa Febres ſymptomatica judicata, ſunt eſſentiales. 1.
Symptomatica ab obſtructione viſcerum. 2.
Symptomatica vernalis ab occulta inflammatione *partium thoracicarum.* 3.
Lenta ſymptomatica à Viſcerum corruptione. 4.

I. ADvertendum diligenter (quod maximi eſt in praxi momenti, & à paucis animadverſum) non omnes perpetuo febres, quæ cum partium inflammationibus junguntur, eſſe ſymptomaticas, ſed quaſdam etiam eſſe eſſentiales, quibus inflammationes prædictæ ſuccedere ſoleant: Fit enim plerumque ut ſanguis corruptus, aut pravis humoribus refertus, poſtquam febrem excitavit, exagitetur à natura, & tanquam ſibi noxius expellatur ad partes debiliores, aut humori recipiendo magis idoneas, unde in iis inflammatio producitur, quæ febrem iſtam non efficit, ſed illi potius ſuccedanea eſt: Sic nobis frequenter in uſu practico videre licet ægros, ab initio febre continua laborantes per unam aut alteram diem, antequam dolor lateris & alia pleuritidis ſigna appareant: Sic multi tertio vel quarto die febris in phrenitidem incidunt; ſic arthritici fere omnes, antequam dolore, tumore & inflammatione articulorum afficiantur, febre continua per unam vel alteram diem laborare ſolent: Sic qui eryſipelate tentantur aliquandiu febre afficiuntur antequam id appareat: Id ipſum oſtendit urinarum diſpoſitio, quæ in hujuſmodi inflammationibus notas putredinis in venis contentæ manifeſte produnt: initio enim crudæ apparent, in progreſſu vero ſigna coctionis in dies increſcentis oſtendunt: Tum tan-

guis e vena admodum corruptus educitur, quæ non hærent ſi ejuſmodi febres eſſent tantum ſymptomaticæ, aut ab illis inflammationibus ſimpliciter dependentes. *Riverius Praxeos lib.* 14. *ſect.* 2. *cap.* 1. Vide *Platerum* in praxi, *Sennertum.* *Williſium* l. de febr. cap. 11. & inferius *lib.* 14. *tit. de Pleuritide.* Curatur eodem prorſus modo quo tumor à quo pendet, Et quamvis refrigerari & humectari febris poſtulet, à balneo tamen & aquæ frigidæ potu abſtinendum, quia balneum humorea commovet ad partem affectam, aqua frigida coctionem remoratur: Sed *Trallianus* ſcribit ſe frigidæ potu eryſipelata & febrem extinxiſſe, Et ſane in eryſipelate non nocet, ſed in phlegmone: *Ætius* vero Balneum prohibet, ſed poſt ſtatum & coctione peracta, frigidiſſimam aquam & multam imperat, cui *Paulus* conſentit c. 31. lib. 2. Vterque applicat præcordiis refrigerantia, ut lactucam, portulacam, intybum, ſempervivum, atriplicem, ſolanum, plantaginem cum pane trito, roſaceo & omphacio, ac ſæpe renovant ne incaleſcant: Hiſtoriamque narrat *Ætius* mulieris cujuſdam, quæ frigidis potibus ex diacodio, cum vino & aqua curata fuit, cum mors ferme inſtare videretur. *Primiroſius lib.* 3. *de Febribus. cap.* 14. §. 4.

II. Eſt & aliud genus Symptomaticarum Febrium, quod febrem Lentam, non acutam, complectitur, propterea non ex partis inflammatione aut eryſipelate, ſed vel obſtructione, vel viſceris alicujus putrefactione generatur. Obſtructio fit ex craſſis viſcoſiſque humoribus in aliquo viſcere latentibus, præcipue in Meſenterio, ob venarum exilitatem, quia eſt univerſi corporis veluti ſentina, Interdumque in Iecore, Splene, Pancreate, Ventriculo, imo & toto corpore, ut in cachexia pallidiſque virginum coloribus: Hi craſſi lentique humores cum putredinem ſortiuntur febres has ingenerant, placidas miteſque, nullo gravi ſymptomate infeſtas, ſed diuturnas, quas videtur ſub *Latica* nomine *Avicenna* intellexiſſe, atque ut in hecticis æger vix ſeſe febricitare percipit, tamen debilitatur & contabeſcit: Putredinis quædam veſtigia urinæ proferunt, pulſuſque nec magnus eſt nec vehemens ob virium imbecillitatem ſed tamen celer & inæqualis, vireſque ſenſim & ſine ſenſu labefactantur, ac quamvis eupepton, euchymon, polytrophon copioſumque ſumatur alimentum, corpus tamen eo non ſuſtinetur, ſed univerſa illius moles abſumitur & colliqueſcit: Oritur autem interdum per ſe, alias acutis febribus ſuccedit, quando humor intempeſtive refrigeratus, ita retunditur & incraſſatur ut quaſi pituiteſcat, nec facile deinceps aut concoquatur & ardeſcat, ſed ſolet febris ejuſmodi iterum redire ad priſtinam ferociam, accenſo ut prius humore: Igitur quando ex inſcitia Medicus, aut frigidæ potum intempeſtive præſcripſit, aut coquendi purgandive occaſionem neglexit, morbus acutus retulus in Lentam febrem hanc degenerat; Quoties igitur hujus febris ſuſpicio eſt, diligenter omnibus expenſis ſignis inveſtigandum quænam pars præcipue affecta ſit, morbique hujus fomitem contineat; ſæpiſſimè tamen, ut diximus, meſenterium affligitur ob humorum crudorum copiam quæ illic ſtabulatur, atque dejectionibus liquidis, chyloſis, ſubalbis cognoſcitur, quia non poteſt chylus obſtructis viis ad hepar deduci: Ad *Curationem*, humores crudi & craſſi incidi debent & præparari ſyrupis aperientibus &c. dein purgari, poſtea partes idoneis remediis roborandæ: *Celſus* cap. 19. lib. 3. *Nonnunquam*, inquit, *Lentæ febres ſine ulla remiſſione corpus tenent, neque ullo remedio, neque cibo locus eſt: In hoc caſu Medici cura eſſe debet ut morbum mutet, fortaſſe namque curationi opportunior fiet.* Ad id utitur balneo, aquæ multæ potu, inunctione ex oleo & ſale. Sed an per Lentam, febrem noſtram intellexerit ignotum eſt, quicquid ſit, non eſt temerarie hoc conſilium ſequendum, ne acuta febris ſuccedat ægro jam debili. *Idem.*

III. Verno tempore, præcipue vero anni tempeſtate quæ finem veris & initium æſtatis complectitur, Febris quædam tum temporis invadere ſolet, quæ tametſi pathognomonicis pleuritidis, aut etiam peripneumoniæ ſignis deſtituitur, ſymptomatis tamen rationem habet, inflammationis cujuſdam reſpectu circa partes ſpirituales alicubi deliteſcentis, nempe nullus adeſt lateris dolor, nulla inſignis reſpirandi difficultas; unde ſudam febrem adeſſe ſuſpicatus, illuc aliquando omnino propendi, ut ægros eadem methodo tractarem qua in medicandis febricitantibus uti ſoleo: Verum tamen poſtea mecum reputavi hanc anni tempeſtatem ejuſmodi febribus producendis inidoneam eſſe, quæ in continuitatem excurrant, Illæ enim vel ſua ſponte quaſi diſſiliunt, & in intermittentium claſſem ſe reponunt, vel in pleuritides, atque id genus alias inflammationes præcipites ruunt, & quidem poſtea attente emiſſum in hac ægritudine ſanguinem ſpectavi, qui pleuriticorum ſanguinem æmulari viſus eſt, ruborem etiam genarum adeſſe obſervavi, atque propenſionem quandam ad ſanguinem è naribus emittendum, etiam venæ ſectione prius celebrata, quin & tuſſim aliquam, & obſcuros quoſdam in partibus vitalibus dolores nonnunquam deprehendi; His igitur omnibus rite perpenſis, eo tandem deveni ut eadem omnino methodo mihi procedendum in hoc caſu decreverim, qua in pleuritide ſæpe cum ſingulari ſucceſſu uſus ſum, id quod feliciter atque è voto ceſſit. *Sydenham meth. cur. febres p.* 57. *Vide lib.* 14. *tit. de Pleuritide* §. 1.

IV. Eſt alia *Lenta ſymptomatica*, quæ non ex viſcerum obſtructionibus, ſed ex ipſorum putredine corruptioneque emergit, de qua *Fernelius*; Fit autem non ex humore ullo putri, ſed a tetra expiratione quam putreſcentia viſcera in cor (*potius à ſanie cum reduce ſanguine ad cor delata*) emittunt; Eſtque continua, & inſtar hecticæ mitis & lenta, ideoque illam hecticam plurimi volunt, qualis eſt quæ Pulmonum ulcus in phthiſicis ſequitur: Dignoſcitur quod ſenſim invaleſcit, multoque tempore procedit, aliiſque fere morbis ſuccedit, raro per ſe incipit, vacuationibus non miteſcit, & remediis potius exacerbatur, corpus ſenſim marcore conficit & extenuat, ſyncopenq; accerſit: In primo principio forſan ſiſti poteſt ne ulterius procedat, ſed in progreſſu ſanari non poteſt, ideo remedia adhibenda potius protrahendæ vitæ cauſa quam ſanandi ſpe; pars enim interna & princeps corrupta redintegrari non poteſt, nam putredo eſt interitus ſubſtantiæ, privatio, à qua ad habitum non datur regreſſus. *Primiroſius lib.* 3. *de Febr. c.* 4. Si quid auxilii ſperandum, quærendum in uſu balſami ſulphuris, præſertim terebinth. Decocti traumatici, ſper Antihectici *Poterij.* *Vide de hac ſpecie febris ſymptomatica tit. de Hectica* §. 2. *Aliam ſpeciem tit. Febris Lenta.*

FEBRIS

FEBRIS SYNOCHVS PVTRIS.

SYLLOGE.

Febris protinus *ſupprimenda* 1.
Sanguinis *excandeſcentia cavenda*. 2.
Naturæ *motus circa criſin attendendus*. 3.
Symptomatis *quomodo occurrendum*. 4.
In Febris *declinatione quæ diæta*. 5.
Cum criſis imperfecta quid agendum. 6. 7.
Re deſperata æger tamen non deſerendus. 7.
Nimis anxia ne ſit Diæta. 8.

I. Circa primum inſultum danda erit opera ut Febris protinus ſupprimatur, atque ſulphuris efferveſacti inflammatio inhiberi poſſit, cui venæ ſectio inprimis conducit; hoc enim modo ſanguis eventilatur, & particulæ calidæ nimis agglomeratæ, & incendio jam proximæ ab invicem diſſipantur, veluti cum fœnum exardeſcere aptum, ſi aperto aeri exponatur, ejus accenſio prohibetur: Inſuper tenuis inſtituatur victus, in quo nihil ſpirituoſum aut ſulphureum debet adhiberi: Viſcera & primæ viæ materiæ excrementitiæ ſaburra liberentur, quare enemata erunt ulus neceſſarii, quandoque etiam Vomitoria & lenia Cathartica, quibus aliquando tempeſtive & cum judicio adhibitis, febris inter ipſa ſtatim initia, detracto accenſionis pabulo extinguitur: quod ſi non obſtante hac methodo, incendium latius ſerpit, & ſulphureas ſanguinis particulas magis in dies & magis corripit, procuretur (qua fieri poſſit) ut ſine magno tumultu deflagratio procedat. *Willis de Febrib. cap.* 11.

II. Quare cum febris in augmento fuerit, ſi cruor nimis efferveſcat, & cum pulſu forti & vehementi vaſa plurimum diſtendat, ſi vigiliæ, phrenitis, aut dolor capitis immaniter urgeant, ſanguinis miſſio denuo repetatur, & tranſpiratio (quantum licet) libera procuretur; quare in lecto ut plurimum ægri decumbant, victus ſit parcus, ex alimentis admodum tenuibus: item potus tenuis & copioſus, ut ſanguis exardeſcens ſero uberiore diluatur. Enemata ſatis tuto & commode adhibentur; Cathartica autem, vel diaphoretica, & quæ ſanguinem nimis exagitant, eadem induſtria vitentur qua ventorum flamina ædibus incendio flagrantibus: quin potius Opiata & anodyna, quæ ſanguinem & ſpiritos figunt & conſtipant, erunt uſurpanda, Item Julapia & decocta quæ viſcera æſtuantia refrigerant, cruorem attemperant, & ſpiritus refocillant erunt crebro exhibenda: Liquores acetoſi vegetabilium, aut mineralium, necnon nitrum purificatum, quia ſanguinis æſtum cohibent, & ſitim extingunt rite conveniunt: Aquæ ardentes, ſpirituoſæ, pulveres cardiaci, & bezoartici (quamdiu morbus malignitate caret) procul habeantur: ſi modo ſanguis inæqualiter circulatur, & magis impetuoſe verſus caput quam pedes feratur, conducunt Epithemata ex tepidis animalium carnibus, aut viſceribus plantis pedum applicanda. *Idem.*

III. Quando febris in ſtatu eſt, diligenter attendatur naturæ motus, num ſit criſin facturа necne? quare nihil temere à Medico tentandum, Venæ ſectio, aut Purgatio omnino prohibeantur, poſtquam vero à ſanguinis deflagratione aliquatenus remittitur febrile incendium, & ſigna coctionis in urina apparent, ſi modo ſegnior ſit naturæ motus, diaphoreſis, aut levis purgatio procuretur, quæ tamen melius & tutius a Medico peraguntur, cum prius natura motu critico materiæ morbificæ ſecluſionem fuerit aggreſſa: Quod ſi omnia ſint cruda & perturbata, urina adhuc turbida, abſque ſedimento, aut partium ſecretione, ſi vires ſint languidæ, pulſus imbecillis, ſi griſis nulla, aut tantum irritata præceſſit, non ſine manifeſto vitæ periculo, aut ſudore, aut catharſi, evacuatio quævis tentatur; quin diutius expectandum eſt ut ſpiritus cruoris ſe recuperent, materiam excrementitiam & aduſtam aliquo modo ſubigant, & dein paulatim ſecernant; interim cardiaca temperatis vires refocillentur, immodica ſanguinis efferveſcentia (ſi adſit) inhibeatur, & debita ejus fermentatio inſtituatur: quod revera à corallis, margaritis, & ejuſmodi pulveribus optime perficitur, quæ quidem a viſcerum fermentis diſſolvuntur, & dein cum ſanguine fermenteſcunt, ejúſque motum imbecillem & vacillantem valde reſtaurant: Interim (natura laborante) obſtacula quævis & impedimenta removeantur, & præcipue excrementorum proventus, in primis viis congeſtus, crebro enematum uſu ſubducatur. *Idem.*

IV. Qua ratione aut methodo ſymptomata maxime urgentia tractari debent, non facile erit certis regulis præſcribere, quoniam ipſamet eadem aliquando protinus compeſci & ſedari, interdum citatius promoveri poſtulant, ac quorum major quiddam eſt, alio forſan tempore Naturæ erunt prorſus relinquenda: Horum nonnullis cum remediis demulcentibus & lenitivis, aliis vero cum pharmacia aſperiore & irritativa occurri poterit: Interea tamen præceptum in omnibus tenendum ſit, ut naturæ veſtigiis religioſe inſiſtatur, quæ ſi agat perperam, ejus inordinatio reducenda: Si recte ac vehementer nimis, refrænanda; ſi vero recte ac debito ſegnius aut debilius operetur, e re erit ut ejus nixus ope Medica incitetur atque adjuvetur. *Idem ibid.*

V. In febris declinatione, cum à criſi perfecta natura fuerit morbo ſuperior, res in vado eſt, nec multum negotij Medico relinquitur, ſolummodo reſtat exactam victus rationem proponere, ut ſine recidivæ metu cito vires ægri recuperent, Etiam leni purgatione materiæ febrilis reliquias exterminare conducit; Circa victum recidivæ ſcopulo ſæpiſſime alliditur, ſcilicet à præpropero carnium, aut cibi fortioris comeſtu ægri in febrem relabuntur; cum enim viſcera ſunt debilia, & alimenta (niſi admodum tenuia) non facile coquunt, cúmque & ſanguinis craſis ſit debilior, ut ſuccum nutritium fortiorem non aſſimilet, ſi alterutri quid offeratur improportionatum, iterum naturæ œconomia pervertitur, & omnia peſſum eunt; Quare a carnibus convaleſcentes, ut diu temperent, iiſque demum utantur nonniſi poſtquam urina fuerit ſanorum ſimilis, neque amplius a frigore turbatur, & quidem tum tutius erit a diluto carnium juſculo incipere, atque dein pedetentim ad alimenta fortiora aſcendere. *Idem.*

VIII. Cum a criſi imperfecta res in du-

bio verſatur, & adhuc ſub judice lis eſt, tunc Medico difficile penſum incumbit: Sedulo attendantur naturæ motus, & vires, num morbo prævalere incipiat, an eidem ſuccumbat: Si coctionis adſint ſigna, & vires conſtent, evacuatio lenis, & tantum per epictaſin erit celebranda: Interim ſymptomatis maxime vrgentibus cum remediis idoneis ſuccurratur, impedimenta quævis tollantur, cardiacis & recta victus ratione (quantum fieri poſſit) vires ſuſtententur: *Idem.*

VII. Cum à criſi aut mala, aut nulla, omnia in deterius vergunt, cumque de morbi curatione fere deſperat Medicus, eventom ejus ſuſpectum & valde timendum prædicat: Neque tamen nudo prognoſtico adeo fidendum vt reliqua omnia metus occupet; verum adhuc, quantum artis eſt Medicæ, pro ſalute, conclamata licet, conſulatur, ſymptomatis maxime infeſtis remedia adhibeantur; ſpiritus cruoris fere extincti cardiacis redintegrentur; Cum de ſanitate deſpondemus, quamdiu poteſt protelerur vita, & ſaltem euthanaſia procuretur. *Idem.*

VIII. In Synochis Febribus (cum ſemper hæ viribus robuſtis jungantur) tenuem licet porrigere victum, Sed poſtquam putredo inceperit, vlterius oportet laborantem alere, id expoſcente humorum corruptione, juxta *Galeni* decretum lib. 8. meth. & 1. aphor. 17. *Mercatus de Præſid. Medic. lib. 1. cap. 1.*

FEBRIS TARTAREA.

Curatio.

Febris *Tartarea* rara fit mentio apud Doctores, reperitur tamen imprimis in hypochondriacis, ex Tartaro hypochondriorum laborantibus, & typum *Quotidianæ continuæ* aſſumit; In his ſæpe, fermento febrili turgente, per motum ſymptomaticum & μίλδιον, vna ſcoriæ Tartareæ tum ad ſuperioris ventriculi partis vaſa præcipitantur, vnde lateris ſiniſtri dolor, nauſea, vomitus, ſingultus aut convulſio infeſtant; tum etiam ad inferiora detruduntur inteſtina, hinc variæ ſymptomatum oriuntur clades: Hoc in caſu ejuſmodi antifebrilia conveniunt, quæ juxta vim ſuam Diaphoreticam, etiam Tartarum reſolvunt & per vrinam expellunt: Cujuſmodi ſunt Salia antifebrilia, D. Moëbij Beznarticum martiale, ſpir. Salis tart. volatilis, Tinctura aperitiva Moëblj, ſpir. Martis cum decocto rad. Scorzoneræ, cichor. flor. geniſtæ &c. *Frid. Hofmannus m. m. pag. 374.*

FEBRIS TERTIANA.

SYLLOGE.

An vena ſecanda. 1.
An in Exquiſita. 8.
Tempus mittendi Sanguinis. 2.
Purgatio *an tantum poſt tertiam acceſſionem inſtituenda.* 3. 7.
Qua hora in Duplici purgans *dandum.* 6.
Syr. roſarum *ad* purgationem *ineptus.* 4.
Exquiſita *ſola alteratione citra* purgationem *ſanabilis.* 21.
Vomitoriis *ſolis aliquando cedit.* 5.
An citra ea Curari *nequeat.* 24. a
Legitimæ Vomitus *raro convenit.* 22.
Sudorifica *aliquando conveniunt citra* purgationem *præcedentem.* 9.
Spiritus ſulphuris *efficacia.* 23.
Noxa acidorum *vſu expagaata.* 10.
Abuſus juleporum refrigerantium *in* producta. 11.
Aperientium *nimius vſus noxius.* 14.
Frigidæ *Potus* Exquiſitæ *convenit.* 18.
Fermentum *ſuperſtes extinguendum per ſpecifica.* 12.
Prava viſcerum Diatheſis *ratio habenda.* 15.
Abſinthij decoctum *qua ratione juvet.* 19.
Diaphoretico *curata.* 24.
Curatio *per lagenas admotas.* 25.
Cautio *in* Epithematum *admotione.* 13.
Carpis applicata *non rejicienda.* 16.
Tenuis *debet eſſe* Victus *& parcus.*
Diæta *prudenter inſtituenda.* 17.
Æger *multitudine operimentorum extinctus.* 20.
Cibus *quot horis ante acceſſionem dandus.* 26.
Productæ *curatio.* 27.
Alimentum *ex* pane *conveniens.* 28.
Lentes *an concedendæ.* 29.
Carnium *vſus an concedendus.* 30.

I. Galenus venæ ſectionis non meminit in cura Tertianæ primo ad Glaucon. nec eum ſequuti *Paulus & Aëtius*: Solus inter Græcos Actuarius admittit l. 5. c. 19. *In omnibus*, inquit, *febribus ſanguinem mittere convenit, nam cum is poſt ſpiritum primus fervorem concipiat, & totum corpus afficiat, ſi aliquid ejus effluxerit multam caloris vna detrahitur: Et quamvis à flava bile fiat, tamen ſanguis, qui prompte ſuccenditur, ei materiam ſubminiſtrat; & cum vniverſum corpus permeet, illud calefacit: quare ſi quid ejus evacuatur, multa quoque febris defflatur portio: quare ſi ab inſenſili tranſpiratione febrientes opem ſentiunt, febrémque denſata cute magis accendi conſtat, an non melius ægris fuerit ſi humoris, qui eam in corpus diſtribuit, ſenſibilis fiat evacuatio? Sanguis igitur mittendus bis vel ter, & interdum ad animi deliquium*, Nec metuenda eſt bilis efferveſcentia, cum Arabibus, non minus enim bilis educitur quam ſanguinis, quia tenuior eſt: deinde vniverſum corpus, tum hepar, quod tertianæ fomes eſt, temperantur, quò fit vt deinceps pro fervidiori ſucco temperatiorem procreet; Tum etiam natura reliquum materiæ morbificæ concoquit expellitque facilius, criſiſque acceleratur, febriſque in ardentem mutatio præcavetur: Obſervandum tamen febrem hanc fieri æſtuoſo cœlo, quo tempore V. S. cautè eſt adminiſtranda: Ridiculum autem quod dicunt, *Galenum* omiſit S. M. ergo non debet fieri, Etenim ſi noxia eſt in hac febre S. M. quanta fuit in *Galeni* negligentia id non judicaſſe quod tanti eſt ad artem momenti? veriſimile eſt igitur id ſuppoſuiſſe, cum alibi docuerit in omnibus putridis venam eſſe ſecandam. *Primiroſius l. de Febribus.*

II. Arabes, authore *Avicenna*, venam non ſecant ante tertium paroxyſmum, quod experientiâ potius quam ratione niti videtur: Venæ ſectio, ſi quidem, ex præceptis *Galeni*, ſemper in principio celebranda quantum fieri poteſt: Cum

Cum enim hæc febris ſeptem circuitibus terminetur, poſt tertium paroxyſmum ſtatus vel adeſt, vel inſtat, quo tempore, ſecundum *Hippocrat.* nihil movendum: Itaque ſi venæ multo ſanguine turgeant, ſtatim ſanguis mitti debet: Quod ſi verò ſanguinis non adſit copia, ſequendum *Avicennæ* conſilium, quod experientia verum eſſe ſæpiſſimè comperi: Jubet autem *Avicenna*, vt ſi poſſibile ſit S.M. fiat ante quartum paroxyſmum: *Si poſſibile eſt vt phlebotomes vſque ad tres periodos, fac*, inquit ille: Ubi notandum quod obſervat *Gentilis*, eſtque veriſſimum, Tertianam exquiſitam primò incipere ab humore bilioſo qui ſanguini commiſtus non eſt; ſed poſtea in ſequentibus paroxyſmis vitiare ſolet ſanguinem, ideoque in primis paroxyſmis non eſſe neceſſariam S. M. ſed tantum in ſequentibus, quod cognoſcitur ſi vrina primò citrina & flava, poſtea tendat ad rubedinem: Si igitur mittatur ſanguis poſt tertiam acceſſionem, quoniam quarta proxima eſt, quæ ſtatus eſt morbi, ideóque omnium graviſſima futura eſt, id erit *Gainerii*, *Gentilis* aliorumque *Arabum* conſilio prædicendum, ne gravitatis illius morbi culpa in Medicum transferatur, *Primiroſius*. Cavendum in Tertianis ne primo intuitu, aut poſt primum ſtatim paroxyſmum, ſectio venæ inſtituatur, differt enim tum ſanguis nihil a ſano; & poſtea iteranda erit venæ ſectio, vbi ad univerſam ſanguinis maſſam diffuſa fuerit intemperies calida; quod iis non ita commodum accidit qui vel plethora nulla onerantur, vel debiliores ſunt: Obſervatum id in febre Tertiana paucis ab hinc annis in urbe noſtra ſæviente, primis ſtatim venæ ſectionibus emiſſum ſanguinem ſanorum ſimilem apparuiſſe, nullo ægrotorum emolumento; poſt ſecundum verò vel tertium inſultum ſaluti fuiſſe: *Th. Bartholinus cent. 6. hiſtor.* 42.

III. *Si Tertiana febris tenuerit, ſi quidem non omiſſis tribus invaſionibus quarta corripiat, pharmacum deorſum purgans bibendum date*, *Hippocr. 2. de morb. ſect.* 2. *v.* 194. Lib. autem de Affection. acceſſione quarta purgationem inſtituit, quæ in diem ſeptimam cadit: cauſam diverſitatis exprimit verbis, *Siquidem videbitur tibi non purgatus eſſe, quarta die pharmacum date: Si vere pharmaco non videbitur opus habere &c.* Quare purgandi ratio in febre Tertiana erit hæc, Si æger pluribus humoribus repletus in Tertianam incidat, quarta die purgari debet; periculum enim eſſet ne ob copiam humorum febris in continuam & acutam tranſmutetur: Sin minus, purgatio à principio non eſt neceſſaria, quia, vt citato loco dicebat *Hippocrat. Si a febre initio dederis, poſtquam purgatus eſt, febris repetit & rurſus medicamento opus habet:* Expectandum ergo quouſque morbi vigor pertranſeat, qui in Tertiana febre, quæ ſeptimum paroxyſmum non tranſcendit, ad ſummum in quartam acceſſionem cadit. *Proſp. Martianus comm. in verſ.* 173. *l. de Affect.*

IV. Syrupus roſarum pallidarum, etſi mitis ſit & gratus, quia tamen ſola excrementa ſeroſa detrahit, nullum locum habere poteſt in bilioſis febribus, niſi ſeroſo humore æger ſcateat: alioquin detracto ſero, bilis fræno, ſitis, ardor & ſiccitas magis efferantur: adde quod benignorum medicamentorum actionem ſic præcipitat, vt ea fine ſuo fruſtretur. *Enchirid. Medic. Practic.*

V. Humorum illuvies in ventriculo, meſenterio, & cavis hepatis contenta, bujuſmodi febres ſolet producere, quæ per vomitum aliquando educitur, cum catharticis pluries exhibitis deturbari non potuerit, annotante *Fernelio*: atque ita ſi initio paroxyſmi æger vomitibus torqueatur, naturæ motum rectè ſequetur Medicus: Chymici ad aquam benedictam tranſcendunt, quæ vt materiam in primis viis ſtabulantem feliciter vacuat, ita prudentem deſiderat Medicum, qui videat ne contumacès viſcerum obſtructiones adſint: *Riverius*.

VI. In Tertiana duplici difficile eſt horam exhibendi medicamenti eligere, cum non rarò iij. aut iv. tantùm horæ duobus paroxyſmis intercidant; qui interdum adeo longi vt alter incipiat antequam prior deſierit: commodior exhibendi hora ita eligenda eſt, vt in non ſubintrante in fine paroxyſmi exhibeatur, ea ad ſequentem paroxyſmum diſtantia, vt antequam ille invadat, operatio medicamenti abſoluta ſit: In ſubintrante autem, in declinationis principio, ſimulátque tantillum remittere incipit: Et in vtroque caſu tribus horis à ſumpto medicamento juſculum exhibendum eſt: ita tamen vt tres aliæ ſuperſint horæ à ſumpto juſculo antequam paroxyſmus invadat: atque adeo ſex horis ad minimum exhibendum medicamentum ante proximum paroxyſmum. *Riverius*.

VII. Licet *Hipp. l. de Aff.* pharmacum deorſum purgans exhibendum proponat tertia ſolum tranſacta acceſſione, cui ſubſcribit quoque *Celſus*, eo tamen vtebantur magni iſti Viri aliqua tantum coctione prægreſſa, cum noſtra lenientia & minorantia non cognoſcerent: quibus & in principio nonnunquam copiam bilioſorum humorum, cum tenues ſint, & ad expurgationem paratiſſimi, mira cum vtilitate educimus: Nec tamen ideo purgans ab initio exhibendum, vt perperam *Rhaſis*, quem carpit *Avic.* Et licet tenues humores purganti medicamento educi poſſe aſſerere videatur *Gal.* lib. Quos & Quando, intelligit tamen tenues, ſeroſos & aquoſos: Imo & nos neque poſt tertiam acceſſionem exhibere purgans audemus, niſi appareant manifeſta ſigna coctionis: tuncqúe rhabarb. infuſum vſurpamus, cum ſyrup. roſar. ſolut. ſuperhauſto ſero caprino, aut aqua hord. ad libras. *Fortis cap. de Tertiana exquiſita.*

VIII. Experientiſſimus *Platerus* omittit *Sanguinis miſſionem* in exquiſitis, aliíſque quæ à vehementi calore ob bilem magis adurentem excruciant, Et quia ſiniſtre vel temere inſtituta, rapta materia intra venam cavam, ex intermittente continuam facit: vel puriore ſanguine, ob exhauſtos venæ cavæ ramos, ex venis meſaraïcis retracto, is qui remanſit bilioſus putriſque, cujus frænum ſanguis erat, quo contemperabatur, magis ferocit: Unde plus in febribus venam aperiendo quam eam negligendo, (niſi hæc, quod gravius aliquod ſymptoma, vt ex ſanguine accenſo partium internarum inflammatio metuitur fiat) peccari obſervavit: Concedit interdum in plethoricis & cacochymicis: in *illis*, ſi ſumma plethora adſit, ex conſtitutione corporis, & vrinis admodum rubicundis & craſſis dignoſcenda, Etſi quoque permanens poſt febrem in corpore calor, non tamen febris adſit: In *his* ſcil. *Cacochymicis*, quia non tantum ſanguis venarum meſaraicarum eſt impurus, ſed & ille qui in venæ cavæ ramis continetur, vel antequam febris incepit, (facile enim impura corpora hiſce febribus corripiuntur,) vel febre jam vigente, vt tunc quoque aliqua illius portio educatur, venæ

ſectio, ne febris augeatur, aut nova accedat, conceditur, Etſi emiſſus ſanguis putris quoque appareat, longius fluere ſinitur, imo reiteratur. *Capivaccius* concedit ſanguinis miſſionem, quia bilis peccat in venis, vnde neceſſario ſanguis incaleſcit, hinc poteſt putreſcere, niſi immineat periculum *ebullitionis cholericorum*, quod tunc phlebotomia eſſet mortis cauſa; Imminet autem dum bilis putreſcit in venis, non totius corporis, ſed alicujus partis determinatæ, tunc enim poſt venam ſectam deducitur in venas communes totius, quarum ſanguis eſt imminutus: dum ergo bilis poſt venę ſectionem petit venas communes, miſcetur cum exiguo ſanguine qui reſtat, & ſic poſt V. S. major copia bilis reperitur in venis quam ante, vnde neceſſario fit ebullitio cholericorum. *Fortis* eam omnino prohibet, quia per eam in continuam, imo in ardentem abit; hanc enim, & exquiſitam tertianam, materia convenire ait, loco tantum differre: quod ſi in hac ſanguis detrahatur, inanitis venis, bilem à toto ad ſe trahet, vnde ardens ſequi poteſt, quæ fit cum æſtivo tempore venæ exſiccatæ ad ſe bilioſos humores attraxerint: hæc autem venarum inanitio & exſiccatio S. M. facillime induci poteſt in corpore cujus temperamentum, habitus, ætas, anni tempus, regio ſunt omnes conditiones exinanientes, ideo bilis per vniverſum diſperſa facillime à venis exinanitis attrahi poterit: Excuſari poteſt *Actuarius*, &c. ſi intelligant de Tertiana ab exquiſita recedente: Defendi non poteſt *Avicenna*, qui S. M. poſt tertiam acceſſionem exercet; quia conceſſo convenire S. M. peccat contra aph. 2. 29. Initiis morborum ſi quid videtur movendum move, quando conſiſtunt melius eſt quieſcere, neque concoctiones turbare: Sed ſtatus Exquiſitæ eſt circa tertiam acceſſionem, Ergo &c.

IX. *Hipp.* l. 2. de morb. in Tertiana, loco vacuationis ſudores ciere iubet: quod notandum, ſc. Non ſemper neceſſarium eſſe purgationem aut aliam totius evacuationem præcedere antequam balneum adminiſtretur, aut ſudorifica exhibeantur medicamenta, quod tam religioſè obſervant recentiores: Quare, quoties magnæ cacochymiæ non adſunt indicia in Tertiana, vigente morbo, ſudorifica tutò adhiberi poſſunt: Sed quæret quiſpiam, num ſemper balneum præcedere debeat? Cui reſpondeo, balneum neceſſarium eſſe quò corpus balneo rarefactum exudet facilius: alioqui non ſubſequente ſudore æger à ſudorifico excalefactus plus incommodi quàm vtilitatis percipere poſſet: verum quia noſtri ob inſuetudinem non facilè balneum tolerant, ideo in febribus à balneo tutius eſt abſtinere, & ejus loco humida evaporatione, ab aqua calente per fiſtulam à Caldario tranſmiſſam, corpus ad ſudorem diſponere, ſi hunc in diuturna febre provocare ſit omnino neceſſarium. *P. Martianus comm. in v. 194. lib. 2. de morb. ſect. 2.*

X. Nob. ann. 25. incidit in Tertianam notham verno tempore, Maio appropinquante Schalvvabacenſium aquarum vſum expetebat, quare eò ſe conferens, evacuatione præmiſſa, die intermittente, ſequenti die paroxyſmum per horas duas in lecto patiens, ſitibundus tandem acidularum aquarum ℔ j ß. ſenſim pro ſiti reſtinguenda bibit, atque mox bene coopertus ſudare incipit, brevi paroxyſmo in totalem intermiſſionem deſinente: poſt acidularum vſum continuando, ſenſimque ad majorem dozim aſcendendo, ſemel atque iterum aliquid invaſionis febrilis tempore paroxyſmi ſenſit; vbi ſemper declinante febre potionem acidularum convenientem aſſumendo, ſudorem provocavit, qua ratione, nullis aliis adhibitis remediis, febris totaliter interioiſit, vires languentes redierunt, ac priſtina ſanitas reſtituta fuit. *Horſtius lib. 1. Obſervat. 12.*

XI. Qui de cura febrium libros ediderunt, in Tertianis, aliiſque febribus intermittentibus, Julepos humectantes & refrigerantes præſcribunt, qualis febribus omni tempore refrigerantia ex vſu ſint: contra enim ſæpe diuturnitatis & contumaciæ febrium cauſa ſunt, cùm videlicet poſt ſeptimam acceſſionem humoris fervore repreſſo eorum vſus eſt: hi enim humorem magis impingunt, & caloris nativi, qui ſolus concoctionis humorum author eſt, robur atterunt: cum igitur in vetuſtatem degenerat, viſcerum conſtitutio ex facie totiúſque corporis habitu noſcenda: Qui firmo eſt corporis habitu, vegetúmque habet calorem, refrigerantium & humectantium vſum diu ſuſtinet innoxie, ac inde juvatur, ſi calidior eſt & ſiccior jecoris intemperies, acréſque & ſerini humores: contra verò ſi languidior eſt calor inſitus, & humores pituitoſi & melancholici, refrigerantibus & nimium humectantibus in longum protrahetur febris: Diſtinguere ergo convenit quibus in febribus calor & ſitis refrigerantibus ac humectantibus reſtingui poſtulant: quibus verò attenuante victu & potus abſtinentia abſumi; Crudi & craſſi humores victu tenui, potus abſtinentia, & concoquentium vſu, à calore nativo evicti, facilè difflantur & evaneſcunt, vel in corporis alimoniam cedunt: at humores calidi & acres refrigerantibus & humectantibus leniri poſtulant; ita tamen vt neque viſceribus, neque calori nativo vis inferatur. *Enchiridion Medicinæ Practic.*

XII. Quia in loco putredinis, in diuturnis febribus, inquinamentum quoddam, fermento ſimile, relinqui & produci ſolet, à quo humores, licet non adeo pravi, fermentantur & corrumpuntur: ideo ad hujuſmodi fermentationem delendam, humoréſque ſiſtendos, congruis præmiſſis evacuationibus, devenire licet ad Chinam Chinæ, in principio acceſſionis, cum vino malvatico exhibendam, modo & quantitate jam cuilibet Medicorum notiſſima. *Fortis.*

XIII. In acceſſionis fervore, ad ardorem leniendum Hepati admoveri poterunt Epithemata refrigerantia, ex aquarum cichorii, roſarum, plantag. aceto roſac. &c. Vide tamen ne hæ aquæ Hepati inſideant dum imminet ſudor: ejus enim eductionem inhiberent: *Enchirid. Med. Practic.*

XIV. Omni mane darem ſucci plantaginis depurati, cum vino, non potenti, ſed oligophoro ℥ j. Ita enim non ſolum apertionis habebitur ratio, ſed etiam membris naturalibus robur addetur; Quantum ventriculus & epar ſolis aperientibus labefactentur, ſi ipſorum vſus nimium continuatur, experientia abundè teſtatur. *Abr. Seyller Epiſtol. 4. apud Scholtzium.*

XV. Febris Tertianæ longitudo à calida & ſicca jecoris intemperie aliquando fovetur, quæ humorem bilioſum, novarum acceſſionum fomitem, continuò producit: Quod ſæpe obſervatur in multis, qui ſicco & ſqualido corporis habitu, omnino bilioſis, citra tenſionem viſcerum, & citra humoris copiam, per tres aut quatuor menſes, calidiori præſertim anni tempore, tertianam paſſi ſunt: his valida purgantia, valide aperientia & calefacientia

tia nocent: Sed victu refrigerante & humectante, julepis & juculis ſimili facultate præditis, tractandi ſunt: Et ſuperflui humores clyſteribus emollientibus & refrigerantibus, caſſia tamarindis, catholicone & ſyrupo roſaceo ſenſim expurgandi: ſed præſertim balnea aquæ tepidæ hic mira præſtant, calidam & ſiccam intemperiem viſceribus impreſſam extinguendo, quibus vtatur æger citra ſudoris profuſionem: Interdum etiam Tertianæ longitudo a prava quadam viſceris alicuius diatheſi, jecoris præſertim aut meſenterii dependet, quæ purgationibus, quantumvis repetitis, curari nequit, quia prava illa qualitas in viſcere remanet, humorem novum quotidie cumulat, qui acceſſiones fovet: quæ quidem prava qualitas diureticis, ſudorificis aliiſque reſolventibus aufertur: His facultatibus prædita ſunt, abſinthium, centaurium minus, carduus benedictus, dictamni rad. pimpinellæ, tormentillæ &c. ex quibus fiunt decocta perplures dies exhibenda ante acceſſionem. *Enchirid. Medic. Pract. & Riverius.*

XVI. Non omnino reiicienda ſunt ea remedia quæ vulgo carpis applicari ſolent: non ſolum enim hiſce vulgi opinio expletur quod pleroſque hiſce remediis ſanatos exiſtimet, ſed etiam aliquid præſtare poſſunt vires ſuas cordi communicando per arterias inſignes quæ ad carpos decurrunt. *Riverius*, vide *de his* §.24. ſit. *de Febre Interm.*

XVII. Contingit ſæpe ob *Victus* indexterum, vſum, vt ab acceſſione iterum incaleſcant ægrotantes; quod factum ſuſpicor quia diverſa vtuntur victus forma: nam die quietis caro præbetur, pulli &c. die acceſſionis lactuca aut quid tenuius; vbi error, ſi quidem eadem victus forma toto morbi tempore eſſe debet, etiamſi ab omnimoda inedia (qua in acceſſionibus vtimur) ad craſſius alimentum tranſire non detur; ſed parum ante integrum prandium quid tenuius porrigere oportet, cæterum conſulere ſemper vires decet: In Tertianis verò exquiſitis, cùm ingens ſit calor; ac cùm non ſit tanta meatus ac poros aperiendi neceſſitas, vt in continentibus, in quibus maior præeſt plenitudo, audacius licebit refrigerare: licet etiam in hoc modum ſervare oporteat ne in notham tranſeat: prodeſt enim iis panem præbere infuſum aqua cichorii per horas duas, ſuperſperſo ſaccharo & ſucco arantiorum, eſt enim præſtantiſſimum alimentum & medicamentum: Cæterum duplex illa ſiccitas, quarum altera poſitiva, ex bilis natura; altera verò privativa, ex ſanguinis conſumptione eſt, duplicis naturæ alimentum præſcribit; primum', non tenuem ac exquiſitam, vt multi falsò exiſtimant, ſed pulli carnem præbere oportet à qua facile reficiatur quod continuâ diſſipatione diſperditur: Secundum verò humidum, vti jus eſt, & ex oleribus plurima, quæ quod flavæ bilis actione exſiccatum eſt, humectent & refrigerent; fructuum autem horariorum, facilè corruptibilium, parcus ſit vſus: Fit autem vt ij qui vtraque die, acceſſionis & quietis, laborantes tenui victu nutriunt, in maraſmum (præſertim eos qui gracilis ſunt habitus) facile ducant, alios verò in notham Tertianam: quare, licet die acceſſionis minus ſit exhibendum, ejuſdem ſubſtantiæ ſit oportet. *Mercatus libro primo de Præſid.*

XVIII. *Aqua potus* Tertianis maximè convenit, quia bilis incendium apprimè reſtinguit, modò conditiones adſint quas requirit *Galenus* 9. & 11. method. & alibi: Ante coctionis autem ſigna exhiberi vetat, quod lentos humores attenuari & digeri prohibeat, imbecillas partes concutiat, nonnullis dyſpnœam inferat, convulſionem & tremorem: *Averroës* autem id tempus non expectat, quia æger interea extinctionis caloris nativi a febrili periculum ſubit: & quod damnum à frigida inductum minus eſt quàm ab incendio: à ψυχροποσία enim ſola morbi longitudo imminet, à caloris vehementia mors: præterea coctio nota eſt ſuperati morbi, extincto autem fervore, inutilis eſt aquæ potus: fervente ergo bile frigida tutò concedi poteſt: Ea vbi deferbuit, tranſactôque morbi ſtatu, inutilis futura eſt, quod humores ab aqua iterum incrudeſcant, obſtructionibúſque nova occaſio præbeatur, ac febris in longius tempus productioni, maximè in iis naturis quæ viſcerum obſtructionibus obnoxiæ ſunt, vt melancholicis.

XIX. *Galeni* artifitium quale fuerit in exhibendo abſynthio in Tertianis febribus ignorant multi; In curandis his hæc inter alias adeſt indicatio, expurgare copiam humoris biliosi per alvum & vrinas: alia, Corroborandi oſtium ventriculi à bile non parum laceſſitum: Hæc præſtat abſynthium, de quo *Galen.* 6. ſimpl. *Abſynthium adſtrictoriam & amaram, & acrem ſimul qualitatem poſſidet, excalefaciens pariter & extergens, & roborans & deſiccans: proinde bilioſos ventris humores per egeſtionem infernam propellit, ac per vrinas vacuat: magis autem quod in venis eſt bilioſum per vrinas expurgat, ob hac contentam in ventre pituitam oblatum nihil juvat;* Et *Dioſcorides* lib. 3. cap. 23. *Adſtringendi & calfaciendi vim habet, bilem expurgat quæ & ſtomacho & ventri inhæſit, vrinam ciet;* Datur itaque abſynthium ob cauſas haſce duas, ob Expurgationem bilis & Confirmationem oris ventriculi: Non obeſt quia calidum: non enim exhibetur ejus ſubſtantia, ſed ipſum dilutum in melicrato, vt dicebat *Galenus*; adde quod coma duntaxat maceratur; exigua nempe quantitas ad inducendam caliditatem: vt omittam, quod ſi obeſt quicquam, in relatione ad commodum, debet illud incommodum nihili fieri: Aberrant qui ſuccum propinant. *Augenius lib. 7. Tom. 1. Epiſtol. 8.*

XX. Non pauci juvenes atque robuſti in tertianæ ſimplicis & exquiſitæ acceſſione, trium horarum ſpatio, ab iis qui cauſam ſolam intuerentur, veſtibus multis extincti, & ſiti & ſudoribus exhauſti. *Fernelius meth. Cur. Feb. gener.*

XXI. In Exquiſita, Cauſo & aliis æſtuantibus febribus, citra aliam conſiderationem multi bilem purgantia exhibent, juxta præceptum *Hipp.* l. de Purgant. Bilioſis quæ bilem, pituitoſis, quæ pituitam expurgant, dato: At non omnes bilioſi morbi ex purgantibus ſunt tractandi, cum plures ſolis alterantibus & aliis præſidiis cedant: *Gal.* enim 2. de criſ. refert in tertianis bilem vehementer moveri, & per ſingulas corporis partes diſſeminari, ac delationis impetu per ſeipſam expurgari: hinc vacuandi indicatio nos adeo ſollicitos reddere non debet vt indicatio alterandi: in quibus tormina & alia ventris ſigna ad expurgationem moliendam deſiderat *Hip.* 3. de morb. ait enim, At ſi os non aſſuiatur, verum ad imum ventrem tormen irruat, pharmacum deorſum purgans dato. *Mercatus de Indic. Med. c. 6.*

XXII. Statim erit conſideranda facilitas materiæ educendæ, naturæque inclinatio: etenim ſi materia circa viſcera naturalia putreſcit, per vomitum aut per alvum: ſi in ambitu corporis, per ſudorem

educenda: Per Vomitum autem nunquam eſt educenda materia adeo mordax, ob oris ventriculi ſenſum exquiſitum, niſi quando natura co vergat, vt nimirum celerius è ventriculo educatur; & tunc vtendum aqua tepida, vel paretur Vomitorium epiceraſticum, ex jure pullæ malva alterato, additis oleo amygdal. & julapio acetoſo, omiſſis antimonialibus & valentioribus vomitoriis, à *Chymicis* propoſitis, & a *Sennerto* admiſſis: *Fortis capite de Tertiana Exquiſ.*

XXIII. Multis experimentis nobis innoteſcit plures Tertianas febres curatas fuiſſe ſpiritu ſulphuris cum aqua, in ſummo acceſſionis æſtu & vrgente ſiti exhibito, vnde copioſi ſudores provocabantur, à quibus non ſolum paroxyſmus, ſed etiam totus morbus integre ſolvebatur: In minori aquæ quantitate ſpiritus quantitas minuenda eſt, ne nimium aceſcat. *Riverius cent. 1. Obſ. 19.*

XXIV. Mulier 45. annorum ex inordinata diæta corripitur ſub finem Maij Febre tertiana, Ego relicta febri, ad acrioris ſalis in ægra redundantis ferociam coërcendam me accinxi, nec ſine ſucceſſu; poſtquam enim ſalis c. c. volatilis ℈ß. cum ſalis card. ben. gr. vj, & ſal. abſynth. gr. v. prima vice, idque hora vna ante paroxyſmum exhibui, iſte non tantum ad bihorium tardius, ſed & multo mitius invaſit ægram: vnde huic medicamento inſiſtentes, atque vbi illud ob ſaporem ingratum nauſeam excitare cœpit, cum pauxillo medullæ panis in pilulas id transformantes, ægrum ſanavimus. *Georgius Segerus miſcellan. Curioſ. anni 72. Obſervation.* 244.

XXIV. *a.* Vulgo increbuit opinio febrem Tertianam ſine *Vomitorio* vix ſanari poſſe, quare ſolent nonnulli medicaſtri, ſub neceſſitatis prætextu, quibuſcunque hoc morbo laborantibus (languidis & infirmis licet, non ſine magno vitæ periculo) pharmacum emeticum propinare & quos tali remedio omnino impares cenſent, tanquam non facile ſanabiles naturæ relinquunt: Verum (Vti mihi ſæpius experto contrarium ſatis conſtat) huiuſmodi praxis perperam inſtituitur: quin potius exiſtimo pro curatione febris Tertianæ, niſi in corpore robuſto, & ad vomitum facile proclivi, & cum contigerit ventriculum materia excrementitia aggravari, raro aut nunquam Vomitoria requiri, ſed vice hujus levem purgationem, qua humorum ſaburra blande ſubducatur, rectius ex vſu fore; quippe purgatio in hoc caſu idem præſtat quod vomitorium, nimirum vaſa choledocha evacuat, vt bile è ſanguine vberius exhauſta, dyſcraſia febrilis emendetur: Cum autem humor felleus in ventriculum exantlatus ſurſum educitur, gravis inde noxa ſtomacho infertur, ac inſignis perturbatio in toto corpore excitatur; ſin vero à leni cathartico humor iſte deorſum proritetur, ſine quavis moleſtia foras excernitur. *Willis lib. de Febribus cap. 4.*

XXV. Illuſt. fœmina corripitur Tertiana exquiſita, quæ præſcribo pertinaciter renuit, interea graſſatur malum, & octavo jam paroxyſmo invaleſcit ſingulis acceſſibus ferocius: aſſiſto paulum ante paroxyſmum nonum, & cum ore refutaret ingeſta omnia, jubeo lagenis, aqua calente ferventibus, ægram hinc inde circumdari, vt vel invita ad ſudorem componatur: Illa contra removeri lagenas jubet, nil ego clamore ægræ commotus, iubeo ancillas pergere mandata, & vel invitam cogere ad ſudandum, memor illius *Hippocrat.* 2. Epid. *Curandum vt in palleſcentibus excandeſcentia oriatur*, Quod ſi (inquiebam mihi) excandeſcentia procuranda vt ſanguis diffundatur per habitum corporis, & pallorem exturbet, exturbabit etiam fortaſſis febrim, ſolvétque inteſtinas obſtructiones, mali præſentis fomenta, Nec fefellit augurium, ceſſavit febris è veſtigio, & illa licet magnupere ferociente, quievit, nec vnquam poſtea reverſa eſt. *Olaus Borrichius miſcell. Curioſ. anni 1672. Obſervat.* 234.

XXVI. Cibandi tempus, apud veteres, erat tempus intermiſſionis: Apud *Avicenn.* novem horis ante acceſſionem: Apud nos, ſi patiens facile reſolubilis, annique tempus æſtivum, quatuor horis antefebris inſultum, vt à cibi præſentia etiam bili forte aſcendenti iter intercipiatur. *Fortis ibidem.*

XXVII. Si febris Tertiana ob malam ægri conſtitutionem, vel propter errata in victu, aut pharmacia commiſſa altius radices egerit, vt poſt diuturnam affectionem paroxyſmi vſque ingraveſcant, & cum viribus deiectis, ſiti, & æſtu fere continuis, inappetentia, vigiliis, pulſu debili, vrina rubicunda, & contentis valde ſaturata laborantes ſumme oblangueſcant, methodus therapeutica paulo aliter debet inſtitui; In hoc caſu primo enitendum erit vt ſanguinis dyſcraſia tollatur; quare alimentis ſolum tenuibus, vti ſunt juſcula hordeacea, aut avenacea, cum radicibus apertiivis incoctis (jure carnium omnino poſthabito) ægri veſcantur: enematum emollientium vſu (ſi opus fuerit) alvus lubrica ſervetur, inſuper (Catharticis omiſſis) medicamentis ſolummodo digeſtivis, quæ ſanguinem fundant, & ſeroſas impuritates blande per vrinas educant, necnon remediis confortativis, quæ viſcera corroborent, & ſpiritus refocillent, præcipue eſſe inſiſtendum videtur: In hunc finem Apozemata ex herbis & radic. leviter diureticis concinne parata, Item opiatæ ex conſervis temperatis, cum ſale nitri, aut herbarum fixo, cumque pulveribus teſtaceis, & ſpiritu Vitrioli admixtis, apprime conducunt: Quando ſanguinis craſis nonnihil emendatur, vt vrina ſit flavior & minus colorata, etiam ſomnus quietior, cum ſitis & æſtus remiſſione ſuccedat, tunc remedia paroxyſmum febrilem inhibentia vtiliter adhiberi poterunt; quare epithemata febrifuga carpis, aut plantis pedum applicentur; etiam pulvis è cortice Peruviano, aut ex ſuccedaneo ejus, aut etiam è corticibus fraxini, tamariſci vel gentianæ, cum ſalibus admixtis è vino albo propinetur: Poſtquam acceſſiones tolluntur, & ægri viribus conſtare, ac alimenta appetere, & aliquomodo concoquere incipiunt, purgantia lenitiva ex vſu erunt: vſque tamen à victu lautiori, aut carnium participe ægri abſtineant; atque non dubitandum erit quin abſque catharſi violentiori, aut phlebotomia, integram valetudinem propediem ſint recuperaturi. *Willis de Febr. cap. 4.*

XXVIII. Plures à Tertianis liberari, Juvenes & adultiores ætate, ſequenti cibo vidi, abſque pharmaco aut alia potione: oportet tamen diligenter advertere ne adſit pororum obſtructio, aut condenſatio, aut conſtrictio corporum: Quare in continuis febribus, à bile ortum habentibus, in quibus de pororum apertione ſolliciti ſumus, ante totius evacuationem exhibendus non eſt: A V. S. in continuis febribus ſecure exhibebitur. ℞. Panem album trium dierum, in ſubtiles partes planas dividito, & in aquam endiviæ infundito; acidum ſuccum arantij deſuper

exprimito,

exprimito, ſaccharum deinde addito, tantum vt dulcor & acetoſitas manifeſte in guſtu ſentiantur: Pane in hunc modum vtatur die tranquillo bis aut ter, & in maxima inclinatione paroxyſmi ante ſorbitionem, Magna huic cibo vis eſt in refrigerando biliosi humoris acuitatem; ventriculi præterea & jecoris immoderatum ardorem extinguit; robur eis addit. *Brudus de victu Febric. lib. 3. c. 11.*

XXIX. Hiſpanis multum in vſu eſt hic cibus, frigidus & aliqualiter exſiccans, *Lentes Hiſpanas coquito in aqua cum petroſelino, coriandro viridi, oleo, ſale & aceto, cum modico croci*, Febricitantibus quibuſcunque ſorbitionem ex Lentibus exhibent, exceptis Quartana laborantibus, Quos etſi nulla laude ob id dignos eſſe exiſtimem, ita eos non abſque erroris crimine qui Lentes omni prohibent ægro; Id ex *Galeno* 2. de t. v. aſſerentes, qui eas cibum hominum non eſſe dixerit, cum de Pleuritide ageret, in qua lentes prohibuit; Sed relicta Pleuritide, febricitanti febre Tertiana à cholera citrina certe convenient, ſi febris effectricem cauſam, & qualitatem in partibus derelictam conſideres: Cholera citrina, humor calidus & tenuis ſubſtantiæ eſt, maxime omnium humorum penetrans: Ius Lentium contrarias operatur qualitates, nam refrigerandi & inſpiſſandi vim habet: cholera inſuper citrina eam in quam incidit partem, totam ſua acuta penetratione macerat: Ius Lentium non ſolum partem cogit, vt minus prompte penetrationi fiat pervia, verum id quod humidum eſt tollit æquali ſua ſiccitate: Iis præterea qui ex hac febre immoderate ſudant, & non ob id alleviantur, non parum cibus ex lentibus confert: Quod ſi adhuc Lentes oculorum aciem obtundere, & ægre concoqui, & ſomnia tumultuoſa excitare ex *Dioſcoride* dicas, hæc omnia lentibus non eorum decocto tribuit: Hæc damna in Hiſpana lente non percipimus; ſtomachum male habere ex ea ſcripſit *Dioſcorides*, Hiſpana vero Lens ventriculum roborat & minimè inflat; Lens Italica major & candidior eſt, minor vero Hiſpana, calore ad rubeum vergente, nec tumultuoſa excitat ſomnia vt de ea proditum eſt; Et ſi quod vitioſæ qualitatis Hiſpanam habere contendas, à viridi coriandro caſtigatur: Vbicunque ergo humores corporis inſpiſſare, aut corporis particulas cogere citra calefactionem mens eſt, jus Hiſpanæ lentis in cibis recte porrigitur: quod ſi id cum petroſelino, coriandro viridi, oleo, aceto, ſale & croco paraveris, conficies cibum ad jam dicta convenientiſſimum, in paſſivis qualitatibus temperatum, in activis ad frigiditatem declinantem. *Idem ibidem.*

XXX. Ex Arabibus quidam in Tertiana pura à cibis in quibus eſt *caro* abſtinendum cenſent, imo aves parvas vetant vſque ad inclinationem vniverſalem febris. Et ſi quidem has in die acceſſionis prohibent, recte agere arbitror: quod ſi nec in die quietis vtendum eſſe aſſerant, non concedo: Tertianam puram ex Hippocr. aſſerunt intra ſeptem periodos iudicari, h.e. dies xiij. continere, terminum vero acutorum xiv. eſſe: omni autem morbo intra. xiv. dies iudicando tenuis victus debet exhiberi, Carnes igitur nullæ dandæ ſunt, quia tenuis victus limites tranſcendunt: Porro in ea febre bilis, vt pote nimium acris, membra plus juſto calefacere ſolet, exſiccare & corrodere: his vero ſymptomatibus ventriculum & jecur plus juſto affici, eorumque actiones imbecilliores ob id fieri certum eſt; quapropter victu facilis coctionis, qui contrariæ qualitatis ſit, nutrire eos oportet: Carnes vero cum non facile coquantur, & qualitate humori contraria non vigeant, ſed media, à ventriculo & jecore male parantur, vnde fit vt ad humoris morbum efficientis naturam bona earum pars convertatur: danda igitur quæ facillimæ ſunt concoctionis, & quæ humori qualitatibus contrariis vigeant, Hæc non in carnibus, ſed in herbis, fructibus, ſeminibus invenire eſt: At nos qui concedere ſolemus gallinaceum vnum aut duos, paratum cum hordeo, violis, endivia, hepatica, prunis, ſucco mali granati: hoc jus in febris declinatione exhibentes, poſitoque temporis intervallo ſorbitione ex pane in aqua endiviæ hora vna infuſo: in die vero quietis præter jus & ſorbitionem pulli, ægro indulgemus, arbitramur ſic jubentes recte conſulere; Nullum quidem alium ſalubriorem quis victum inveniat, quique magis naturam roboret, & corpus ad temperiem efficacius, morbifica qualitate everſa, reducat. Quod ita oſtendimus, In Tertiana pura duplex corpori ſiccitas advenit, altera poſitiva, qua bilis natura ſicca corpus afficit; altera ex conſumptione humiditatis naturalis à ſanguine ortum habentis, Vtrique ſiccitati ſubveniendum: Sed ſecundæ citius occurrere Medicum poſſe jure pulli, refrigerantibus herbis temperato, & ſorbitionibus ex eodem, quam herbaceo quocunque cibo, inde manifeſtum eſt, quod in ſanguinem bona illius cibi pars vertatur, minima ex oleribus & fructibus: Quod ſi mente concipias corporis cuivis minimæ particulæ conceſſam eſſe facultatem qua conveniens trahat, & moleſtiam eijciat, intelliges jus pulli, aut ſorbitionem ejus, quia humanæ naturæ magis familiaris eſt, multo magis humectare exteriores & interiores particulas: Adde quod cibus ex herbis & oleribus, cum minime ad ſanguinem laudabilem convertatur, jecoris gibbum tranſiens, ad vrinam demittitur, aut in habitum evaneſcit, vnde minimum eſt id quod converſum in ſanguinem humectare ſingulas corporis particulas poſſit: quare ſi vtrique velimus obſtare ſiccitati, non cibum ex herbis ſolum aut fructibus exhibebimus, ſed cum iis ſimul quæ bonum præbeant alimentum, indigenti naturæ opem ferentes, per hoc enim herbarum vires efficaciores erunt, cum ad minimas corporis particulas deferantur: quam autem facilis ſint coctionis jus pulli, aut ejus ſorbitio conſtat: Adhæc in inclinatione paroxyſmi, & ante acceſſionem, ex infrigidantibus herbis & cibis alendos ob id non eſſe febricitantes opinor, quod illæ febrilem caliditatem intro pellant, hi expulſionem naturæ retardent, quo in tempore infrigidantia & conſtringentia corpus miniſtranda non ſunt, ſed potius quæ a centro ad circumferentiam educant, vt naturam imitemur regulariter agentem: Hoc diſcimus à *Galeno* 8. m. m. qui à balneo ægro, ante acceſſionem, aquam in qua apium incoctum miniſtrabat: In die quietis pulli carnes exhibentes nihil peccabimus; nam à paroxyſmo præterito, & ab inſtante interſunt horæ xviij, quibus natura à labore præterito quieſcens, vires reſumpſit, vt pullum tenellum, rite coctum, coquere poſſit: ſupereſtque idem temporis intervallum ad initium inſtantis paroxyſmi, quo tempore metus non eſt ne paroxyſmus cibum adhuc incoctum offendat: quanto enim citius anticipatio fit, tanto & citius febris de-

ſinit in Tertiana pura: Adde quod cibi ex herbis & fructibus citiſſime putredinem ferventis humoris concipiant: quare rectè à Medicis in febribus prohibentur horæi fructus: Quod autem de numero dierum quibus judicatur Tertiana dictum eſt, nihil obſtat, formam enim victus a conſtitutione morbi & robore ægri deducimus, dicentes eum cujus virtus parum ob imbecillitatem vigeat, craſſiori victu quam morbi diſpoſitio expoſcat alendum eſſe: Dicimus inſuper iis qui raro ſunt habitu, & humores tenues habent, & naturæ ſunt calidæ & ſiccæ, ob id quod eorum corporum cito reſolvuntur vires, craſſiorem cibum exhibendum eſſe: vnde manifeſtum eſt Medicos, qui in Tertiana pura tenui victu febrientes vtraque die nutriunt, in maraſmum eos qui gracili ſunt habitu, & natura calida & ſicca deducere: Aut ſi alio ſint temperamento, ex pura notham Tertianam, adminiſtratione frigidarum herbarum & olerum, deducere: Quorum vtrumque Medico cavendum, ne morbum periculoſiorem aut diuturniorem efficiat; Quod ſi *ſiti* vexetur æger, multo ſane commodius fuerit ſi frigidam propines (ſi ea vſus fuerit) quæ multo magis ſitim ſedabit quam cibus ex refrigerantibus herbis. *Idem cap.* 12.

XXXI. An craſſiorem victum expoſcit Tertiana quam Quotidiana? Videtur craſſiorem expoſcere hæc quam Tertiana ſimplex, eo quod longior ſit, cumque craſſities victus, & ejus contrarium, à diſtantia ſtatus ſumenda ſint, ſit vt morbi qui brevius finiuntur magis tenuem poſcant victum, & contra: 2. Labores & ſymptomata majora cibum magis quam remiſſiora prohibent: Sed eos errare oſtendo triplici ratione, duabus ab ipſa febre, tertia à morbi cauſa, conjuncta & antecedente; Ponamus e. g. duos temperatura, ætate, habitu, &c. ſimiles, vnum phlegmatica, alterum cholerica febre laborare; poſitis cæteris paribus, præter febres & cauſas vtraſque earundem, Victus a virtute ſumitur, morbo non prohibente, vnuſque alimoniæ ſcopus eſt virtutis cuſtodia, vbi ergo virtus magis exolvitur, plus alimoniæ requiritur, vt ſervetur, quam vbi minus, ſi per morbum liceat: At in Tertiana plus exolvi virtutem quam in phlegmatica manifeſtum eſt; plus igitur in illa miniſtrandum eſt ſi per morbum liceat; at licet, nam vna integra die & nocte ſunt à morbo liberi ægri, & placide quieſcunt: In phlegmatica autem contrarium accidit, ita vt neque tanta fiat exolutio, neque tantum per morbum liceat, quotidie enim febre corripiuntur, & non raro prima adhuc non evaneſcente proxima ſubintrat: aut parum eſt id quo quieſcunt temporis, & id, quantumcunque eſt, abſque motione aliqua intrinſeca non eſt, incipiente ad inſtantem paroxyſmum diſponere; vnde fit vt neceſſum ſit febrientem alere priore febre adhuc non ſoluta; aut ſi id ſpectes, intra limites diſpoſitionis ad futurum paroxyſmum nutrias; cumque hoc deterius ſit, reliquum eſt vt primum ſit eligendum: at febre adhuc non evaneſcente, minus cibi & tenuioris dandum eſſe conſtat; plus & craſſioris, cum corpus ab ea liberum eſt, vnde fit vt tenuiori victu in phlegmatica vtendum ſit, craſſiori in cholerica, Demum, humorem pituitoſum vlteriori coctione in ſanguinem converti, & nutrire poſſe fama eſt, nam in hac febre detentis abundant pituitoſis excrementis ventriculus, inteſtina & meſaraica, quę reſolutioni cauſæ antecedentis & conjunctæ obſtant: Hæc nullo alio melius quam ſubtili victu conſumes: Quoad *antecedentem cauſam*, ob inæqualitatem ſubſtantiæ pituitoſæ, & qualitatis ejus diverſitatem, multo plus habet hic natura quod ſeparet, coquat & convertat, quam in cholerica, in qua ob cauſas contrarias æqualiter putredo concipitur: Hinc manifeſtum tenuiori victu alendos qui à pituita quam qui à bile febricitant; Iis adde, ob multitudinem materiæ, quæ vt plurimum in hac febre coincidit, cibum non parum obſtare ejus ſubtiliationi, inciſioni, & conſumptioni, In Cholerica vero, quantum ad bilioſi humoris ſinceri diſpoſitionem attinet, non ſolum cibum non lædere, verum & juvare, & ad reprimendam humoris acredinem, & ad inducendam humori nimis tenui craſſitiem debitam; Ad rationem allatam de *diſtantia & propinquitate ſtatus*, Sciendum non omni febri inſtituendam victus rationem penes ſtatus diſtantiam, ſed ſolum in iis quæ aut continuitate, aut ſymptomatum cauſa periculum intra dies aliquot vitæ afferunt; At Tertiana, præſertim exquiſita, citra periculum eſt, ex *Hippocr.* 1. Epid. quanto autem ab hac degenerat, mixtione phlegmatis cum bilioſo humore, non abſque periculo aliquo febris eſt; nam Quotidiana, ſive nocturna ſive diurna ſit, eo non vacat, vt ab eo diſcimus, quare ratione periculi quod in phlegmatica febre eſt, tenui magis victu eos qui ea detinentur alere oportet, ex Hipp. 1. de v. acut. *Quod ſi dolor aliquis, vel periculum aliquod comparuerit &c.* conſentit *Galenus*, qui aves, ova, piſces petroſos, gallorum teſticulos, &c. concedit Tertiana laboranti; At 1. ad *Glauconem* in Quotidiana victum incitivum dare jubet, talem autem minus nutrire quam prædicta, manifeſtum eſt: Ex iis recte quis colliget in Tertiana non pura, vbi bili pituita eſt admiſta, ſubtiliorem victum competere quam in exquiſita: Id quod docet Galenus l. 1. *In non certis Tertianis prohibere oportet magis, in quantum poſſibile eſt, ita vt neque ægritudinem augeamus, neque proſternamus patientis virtutem tempore ampliori affligendam*: Id pręterea ab eo percipimus, cum in huiuſmodi non certis Tertianis, ſingulis alternis diebus febricitantes ſolummodo agere jubet, quod in pura Tertiana non conſuluit: Ergo tenuiori victu febre phlegmatica affecti alendi quam qui à Tertiana detinentur. *Idem. c.* 12.

XXXII. Diæta in Tertiana debet eſſe tenuis & parca: quare vulgò dicitur Fames optimum eſſe hujus ægritudinis remedium: & communi conſtat experimento à parciori victu acceſſionem febrilem vltra tempus conſuetum ſæpiſſimè protelari: Duo ſunt imprimis circa victum obſervanda, 1. vt alimenta ſint tenuia, nihil exhibeatur ſulphureum aut ſpirituoſum: ſic enim conflagratio ſanguinis minoratur. 2. vt ingruente aut vrgente paroxyſmo nihil alimenti ingeratur: quare in jejunis paroxyſmus eſt levior & citius finitur *Th. Vuillis l. de Febr. cap.* 4. Circa victum recidivæ ſcopulo ſæpiſſimè alliditur, ſcilicet à præpopero carnium aut cibi fortioris comeſtu, ægri in febrem relabantur: cùm enim viſcera ſunt debilia, & alimenta, niſi admodum tenuia, non facilè coquunt: cumque & ſanguinis craſis ſit imbecillior, vt ſuccum nutritium fortiorem non aſſimilet; ſi alterutri quid improportionatum offeratur, iterum naturæ œconomia pervertitur, & omnia peſſum eunt: Quare à carnibus convaleſcentes diu ſibi temperent, iiſque demum vtantur nonniſi poſtquam vrina fuerit ſanorum ſimilis, neque amplius à frigore turbatur; & quidem tum

ſatius

ſatius erit a diluto carnium juſculo incipere, atque dein pedetentim ad alimenta fortiora aſcendere, *Idem cap. de Synocho putrida.* Victus ſolummodo tenuis & minime opimus inſtitui debet: edulia quævis ex carnibus animalium parata omnino vitentur, hæc enim ſulphure cùm abundent, ſanguini accenſo pabulum (velut oleum flammæ ſuffuſum) vberius præſtant: nihil præterea ſpirituoſum, vt vinum, cerevitia fortior, concedatur: quin decocta, aut juſcula avenacea, aut hordeacea, herbis refrigerantibus alterata maximo ſunt vſui; ſerum lactis pro libitu propinetur; etenim hac ratione cùm ſuccus alibilis admodum tenuis & aquoſus ſanguinis maſſæ convehitur, ſolutæ ſulphuris particulæ citius & cum minori tumultu deflagrant: etiam materiæ aduſtæ recrementa è cruoris ſinu faciliùs eliminantur. ſin è contra ditior & vberior nutricatus adhibetur, efferveſcentia cruoris inde plurimum augetur, & materiæ aduſtæ confuſione ſanguis magis inficitur, *Idem capite de febr. Epidemicis.*

FEBRIS TVSSICVLOSA.

Cauſa & curatio.

NOn tantum Aſthmaticas comitari ſolet Tuſſis; ſed alias quoque, à qua Tuſſi, præ aliis ſymptomatibus omnibus ægros valde tunc moleſtante, Tuſſiculoſas ipſas non incommode vocari poſſe duxi, mox enim atque ingraveſcit paroxyſmus, vrgere quoque incipit Tuſſis: rarius à flatibus, ſæpius halitibus, non tam viſcidis quam acribus; partim ſucco pancreatico, partim pituitæ inteſtinali, ſed acrioribus & mordicantibus adſcribendis, quoties illi ad pulmones pertingunt, ipſoſque irritando ad continuo tuſſiendum irritant & cogunt: Ejuſmodi Tuſſim curabunt quæ halitus acriores tum temperant tum diſcutiunt: Id autem faciunt opiata volatilibus oleoſiſque ſalibus juncta, ſæpius inſtantibus paroxyſmis quantitate parva vſurpata, quo felicius, citius, tutius certiuſque id præſtent, e. g. ℞. *aq. menthæ ℥iij. ſpir. carmin. noſtri ℨj. ſalis armon. g. xx. laud. op. gr. iij. ſyr. fænic. ℥ij. ß. m.* Sylvius de le Boë. Prax. l. 1. cap. 30. Vide ſymptomata Febrium §. 35.

FEBRIS VERMINOSA.

Curatio.

FIlia N. annor xij. febre continua laborabat cum alvi fluxu moleſtiſſimo, quo materias excernebat colore cineritio infectas, quales apparere ſolent plerumque in verminoſis affectibus: Injecti clyſteres detergentes ex rebus dulcibus, dati potus vulgares contra lumbricos, rheum pulverat. iteratum, ſed febris & alvi fluxus in deterius vergebant, Tandem præſcriptus ſequens Iulepus ℞. *rad.* acetoſ. cichor. gramin. ana. ℥j. fol. endiv. cichor. acetoſ. portul. & hyper. ana. man. j. ſcord. & abſynth. pontici ana. man. ß. flor. 3. cordial. ana. pug. j. coq. in aq. hordei ad quart. v. In colat. diſſolve ſyr. limon. ℥iv. ſpir. vitriol. gutt. aliquot ad levem aciditatem, fiat Iulep. pro iv. doz. m. & v. ſumendis: Intra illud biduum quo Iulepo vſa eſt, febris & alvi fluxus omnino quieverunt: Remedii efficacia pendet a vi ſcordii & hyper. quæ mirabili efficacia putredini & lumbricis, reſiſtunt, vt etiam veſtes a tineis & blattis defendunt: *Riverius cent. 1. obſ. 16.*

De hac Febre monet *I. R. Fortis Tract. de Febribus, pag. m. 31.* recte ſic poſſe vocari ſi Vermium, qui eam comitantur, copiam conſideremus, non vero quod a Vermibus febris ipſa procedat, ſiquidem vermes in febribus vt ſignum, non vt cauſa locum habent: Vrinæ, *ait*, ſunt pallidæ & tenues; pueris quidem conſuetæ, crudæ pituitæ indices: Pulſus inæquales, ob pugnam caloris febrilis cum pituitoſa materia gravante; & putridos vapores ad cor elevatos, à putrida minera, a vermibus inæqualiter commota; Lingua ſalivoſa, ſive copioſa ſaliva madens, à cujus præſentia oris ventriculi ſuctio atque corrugatio inhibetur, vnde inappetentia, nauſea; Hi vermes nonniſi à pituita excocta & putrefacta gigni poſſunt, vt ait *Galenus 5. ſimpl. 20.* dum probat amara neque facile putreſcere, nec vermes generare poſſe: Et licet in febribus quoque acutis, bilioſis ac malignis vermes generati videamus, nontamen à bilioſis & malignis excrementis, nec in eodem loco vbi putreſcunt generantur, ſed in primis viis, inteſtinorum ſcil. regione, ex pituitoſis & crudis excrementis: Pro hac Febre curanda, intentiones ſunt dirigendæ 1. ad febrem. 2. ad Vermes, non quia ſunt febris cauſa, ſed quod alia ſymptomata inducere poſſunt: Quare 1. materia pituitoſa attenuatione, inciſione & deterſione præparanda, 2. vacuanda. 3. calor febrilis temperandus. 4. partes producentes roborandæ: Vermes vero primus deturbandi atque necandi. 2. expellendi. 3. ſi irritati morſum aut aliquod aliud grave ſymptoma inducant, eorum ferocia mitiganda. *Vide lib. x. tit. de Lumbricis.*

FEBRIS VOMITORIA.

Cauſa & curatio.

A Vomitu, aut mox incipiente, duranteque adhuc frigore, aut mox inchoante, accreſcenteve calore, nunc continuo nunc per intervalla multum moleſto, febres Intermittentes occurrunt; *Vomitoria* dicendæ, tanto graviores quod plerumque inde non levantur ægri ſed gravantur magis. Cauſa eſt bilis valde volatilis, & quandoque ſimul acris, ad ſucci pancreatici affluxum, ipſumque conſequentem vitioſam efferveſcentiam multum agitata & ad ventriculum aſſurgens: id quod bilis nunc flava, nunc æruginoſa ſimul excreta confirmant: Tales febres optimè curabunt omnia bilem figentia, & ad potenter efferveſcendum ineptam reddentia, uti ſunt quævis auſtera ipſam inſpiſſantia & coagulantia, vt & opiata ipſam obtundentia. *Sylvius de le Boë prax. med. l. 1. c. 30.*

FEBRIS VRETICA.

Cauſa & curatio.

VReticas febres à ſucco pancreatico, ſed minus volatili quam Sudatorias produci ſum perſuaſus, poſtquam non tantum eadem eſt ſudoris quæ

vrinæ materia, verum ab externo frigore impeditus ſudor vrinas reddere ſolet copioſiores: Obſervantur verò febres intermittentes continua fere mictione, & quidem ſymptomatica, ægros infirmante, non critica & ipſos levante, quas proinde *mictu-rientes* aut *vreticas* vocaveris: His conducent medicamenta pro ſudatoriis memorata, poſtquam vtrarumque cauſæ gradibus tantum differunt. *Idem ibid.*

FISTVLÆ.

SYLLOGE.

Pertinaciæ cauſa. 1.
Palliativa cura aliquando licita. 2.
Non ſemper tentanda ſanatio. 14. 17.
Non omnes curationem admittunt. 6.
Vis aëris calidi & ſicci in iis ſanandis. 3.
Sub axilla *igne actuali curata.* 7.
Thoracis, *cum labe oſſis ſterni, inuſtione hujus non curanda.* 4.
Cum eroſione clavicula ſanata. 8.
Per Exedentia. 9.
In curatione ſyrupus Fallopii *efficax.* 11.
Helleboro non implenda. 12.
In maxilla *inferiore eductione dentis curata.* 5.
Mammæ *dextra exeſa.* 10.
Ani *quando curatione fucata eget.* 13.
Curatio per filum an tuta. 15.
Antiqua in ſenibus non curanda. 17.
Calli conſumptio per medicamenta, ſine igne actuali. 16.
Perinæi *potius conſervanda quam curanda.* 14.

I. Filia N. poſt acerbum lumborum dolorem incidit in moleſtam *Inguinis fiſtulam*, quæ perenni curſu corpus conſumpſit, & vt brevi exceſſerit e vita: Oſtendit anatome evidentem cariem in coſta ſpuria, emittentem continenter in ſubjectas carnes acrem ichorem; quibus eroſis prodiit fiſtula longa & anfractuoſa, eludens opem medicam: Eandem artis impotentiam videas in ani fiſtulis, quarum principium excutiit nonnunquam altiſſime, ſive ad lumbos, ſive ad thoracis vertebras, imo interdum ad ipſas ſcapulas: quarum inacceſſa caries, quo minus exploretur ſpecillo impedit tortuoſus ipſarum flexus; qui etiam remoratur clyſteres eluendo vlceri dicatos, excluditque manum exempturam os intus vitiatum: quo tamen minus mature ſublato tollitur immatura morte homo, & obſtat obnixe ne à Medico ſanetur fiſtula, à remotiore carie originem trahens: Cujus oras licet forfice diducas & amplies (quod tamen ad cutaneas ſumme vtile) operam nihilominus ludes, nec pervenies vnquam ad remotiſſimum ſinuoſorum flexuum initium, a quo deſcendunt tot ramuli, & tam frequentes rivuli per profundiores muſculos ac tendines, vt licet ſpecillum vel dexterrime immitatur in tortuoſam ejuſmodi fiſtulam, neutiquam tamen attingat, vel tollat cariem perennis vlceris cauſam. *Tulpius obſerv.* 28. *lib.* 3.

II. Fiſtularum curatio eſt duplex, vna ficta, falſa & palliativa, altera vera: *Palliativa* meminit Galen. lib. de Tum p. n. c. 4. & Avicenna 4. 4. tr. 4. c. ij. cum Fiſtula intus exſiccatur, extra conſolidatur, remanente interius ſinu; quod perficitur inditis huic medicamentis deſiccantibus, optima diæta, & ſuperfluorum in toto humorum expurgatione: Hoc pacto ſinus ad tempus concluditur, clauſo ejus orificio: ſed poſtmodum collecta in eo quapiam humiditate, formatur iterum abſceſſus reditque fiſtula; Falſa hac cura aliquando vſum me eſſe non diffiteor ad ægrotorum conſolationem: Purgato enim corpore, inſtituta tenui diæta, à turundis abſtinui, (quas diu fiſtulis ejuſmodi incurabilibus impoſueram) admovique ſpongiam novam aqua quapiam minerali imbutam & expreſſam, aut lixivio quopiam, aut aqua calcis: Hoc pacto occludebatur foramen exterius, adeo vt fiſtula ſanata videretur, ægris poſtmodum dimiſſis: Cura ejuſmodi aliquando ſucceſſu caruit, aliquando non, Ad curationem enim morborum externorum multum confert cutis integritas & incolumitas, per aperturam enim exſpirat calor naturalis, functioneſque partis naturales non obeuntur: Occluſo autem orificio, concluditur calor naturalis, tunc rite concoctionis munere fungitur, digerit & diſcutit excrementa: ita vt contingat aliquando ſinum occludi, quod aliter factum non eſſet, fiſtula remanente aperta: Fiſtularum ergo curatio palliativa non omnino repudianda: *Aquapendens Pentateuchi Chirurg. lib.* 3. *cap. xi.*

III. Cuidam ante 27. annos crus perfractum: vulnus non ita ſolidari potuit quin perpetuo ſtillicidio ichor inde emanaret, deſinente in *fiſtulam* plaga: Poſt annos aliquot Madritum legatur, neglecta propter negotia cura illa interiori corporis, advertit tamen elapſis aliquot menſibus ſtare ſerum inviſum, nec amplius profluere quicquam triennio integro: Vt rediit Hafniam paulatim aperitur fiſtula, & more veteri ſero quotidie madet ad annos aliquot: Iterum in Hiſpaniam negotiorum cauſa mittitur, rurſum coiit vulnus, nec toto ſexennio, quamdiu Madriti ſubſtitit, ſcaturit quicquam: Tandem redditus patriæ in paucis menſibus apertum rurſus foramen videt, quod hodieque nondum coiit, aëre Arcto humidiore reſerante quod Hiſpanus ſiccior occluſerat. *Simile quod notatum à DD. de Mayerne Tract. de Arthrit. conſ. de Phthiſi. Olaus Borrichius in Actis Danicis ann.* 76. *p.* 76.

IV. Nunquam deveniendum ad inuſtionem ipſius oſſis ſterni, quia non abſcedit aliorum more, quæ licet ex toto corrupta non ſint, ſed aliquatantùm parte, ſi inurantur, ſola illa labefacta abſcedit, ſuperſtite alia laudabili: quod non contingit oſſi ſterni, quod lentum ſatis non poteſt ita facilè in ſquamulas dirimi: quin potius inuſtione ad internam vſque ipſius partem pervadente, totam partem corruptam abſcedere neceſſe eſt, non quidem ſpatio xxx. aut xl. dierum, prout alia oſſa, ſed trium aliquando annorum; vnde conſulo vt nunquam os ſterni inuratis: obſervavi ſiquidem in multis non abſceſſiſſe, niſi 2. vel 3. annis exactis: vt propterea tutior & facilior ſit curatio per abraſionem. *Marchetti Obſerv.* 39.

V. Matrona defluxione ad dentes inferioris maxillæ diu vexata, nec dentem, ad quem catarrhus decumbebat, extrahi ſibi cum curaſſet, tandem circa radices ipſius orta inflammatione & dolore maximo, genitus eſt abſceſſus, quo exterius rupto, remiſit dolor: vlcus in fiſtulam degeneratum per annos xiv. apertum manſit: Curationem aggreſſus, ſuperiorem partem dentis, ad cujus radicem fiſtula erat, ad alveolum ferè vſque erolam inveni:

radi-

radicem dentis extraxi, poſt turundam vnguento m... ad calloſitatem abſumendam impoſui; eroſa calloſitate pulverem præcipitatum quotidie inſperſi, & empl. palmicum applicui, nec medicamenta mutavi ante perfectam vlceris ſanationem, quod intra menſem contigit: Radix autem dentis eroſa, inæquali, & materia quadam lapidoſa per laminas diſpoſita obducta erat. *G. Fabritius Hildanus centur. iij obſervat. 33. Vide Foreſtum Obſervat. 7. lib. 14.*

VI. Quædam curari non debent, ex Hipp. 6. Epid. 3. 39 & lib. de Humor. 3. Eæ ſcil. quæ corpus a ſuperfluis humoribus exonerant, ac ab aliis morbis præſervant: tales ſunt in locis inferioribus, antiquæ, a partibus principibus remotæ: Eæ claudendæ non ſunt, imò potiùs reſecandæ ſi occludi contingat. Plures vidi fiſtulas circa anum innoxiè tuliſſe per annos xxv. imò ſalubriter: Quædam præterea fiſtulæ curationem propria natura reſpuunt, juxta *Albucaſin.* lib. 2. cap. 88. quæ grandiores venas attingunt, arterias aut nervos, peritonæum, inteſtina, veſicam, dorſi vertebras, & coſtas; eæ tandem quæ articulationem aliquam obſident, manus aut pedis: nec enim medicamenta convementia admittunt. *Fabritius ab Aquapendente Pentateu. Chirurg. lib. 3. capite xi.* Non ſemel vidi *fiſtulas prope oculos* & circa *podicem* ſanatas, & inde perniitioſa ſymptomata & mortem fuiſſe ſequutam: vidi etiam exteriùs ſanatas, interiùs verò ſinum relictum, & præcipuè circa podicem, à quo ſinu ichores acres, per tranſumptionem pervenientes ad collum veſicæ, illa excitaſſe ſymptomata quæ in veſicæ calculo contingere ſolent: *Sauſlerius de Remed. praeſent. cap. 25. An ſint curandæ vide ſupra Tr. de Abſceſſibus lib 1.* De Fiſtularum ani curatione legantur obſervat. *Marchetti*, tract. propr.

VII. Quidam laboravit duabus *Fiſtulis profundis ſub axilla*; utriſque omnibus cum ſic curavi: vtramque fiſtulam ad fundum vſque (ad ſubjectas vſque coſtas penetrabat) inuſſi ferramento candente, abſque cannula, repetitis vicibus, donec omnino & æqualiter toto fiſtularum ſinu callus atteretur: eſcharæ verò detergendæ, turundis, primò longis & craſſis butyro illitis, poſtmodum digeſtivo vſus: pure apparente laudabili alias immiſi, inductas vnguento ex betonica, quas quotidie breviores paravi: quibus omnino remotis, pulvino ex linteolis ſub ali, compreſſa parte ligatura ſatis arcta, ſpatio viginti dierum ægrum omnino ſanavi, *Marchetti Obſervat.* 38.

VIII. Cuidam tumor erat cum fiſtula ſupra claviculam ſiniſtram, cujus orificium tam anguſtum vt vix aciculæ cuſpidem admitteret, *ante* ſemeſtre laboraverat febre per abſceſſum in illam partem judicata: Vlcus relictum apertum per iiij ſeptimanas, tandem conſolidatum, remanente tumore & duritie: Hæc cartarti præſcripſi vacuantia bilioſos humores, quibus abundabat, nam flava erat materia quam fundebat fiſtula: Demum Fiſtulam anguſtiſſimam dilatavi, non ferramentis inciſionis (*quibus non ſolum muſculus pectoralis, ex præcedentibus inciſionibus ſatis læſus, magis offenderetur verum etiam timor erat ne ut ſiniſtre adhibitis vaſa jugularia diſſecta, vel parum læſa, vitam cum ſanguine effunderent*) ſed turunda ex radice gentianæ ſiccata, filo alligata; Sequenti die eam ab ichore bilioſo tumefactam, & imo apice denigratam exemi, & ſpecillo ſinus qualitatem & coloris cauſam inquirens, oſſis claviculæ portionem aſperam reperi & mobilem: Poſt radicem priore craſſiorem immiſit, Inungens partes vicinas ad prohibendam imminentem inflammationem, 3. *die* gentianam iterum majorem intruſi, & ſic conſequenter, vſque dum foramen ſufficiens viſum: 6. *die* fiſtulam globulis ex ſpongia præparata factis, filo alligatis, implevi: 7. *die* iis remotis, fiſtula fuit ampliſſima, perquam oſſiculum extraxi & *die* ſubſiſtente ſanguine, oſſi ſanu & detecto pulverem hunc inſperſi, ℞. *rad. irid. flor. ariſtol. rot. penced. ana.* ℈ß. *euphorb.* ℈ß. *myrrhæ* ℈j. filamenta carpta & ſicca appoſui, donec firma carne fuit obductum: Vlcus ſacch. albiſſ. pulvere, (quod bilis acrimoniam mitigat) quotidie inſperſo deterſi; & Empl. diapalmæ ad cicatricem duxi: Duritiei relictæ admotum empl. oxelæum, cum linteo triplici, in vino decoctionis roborantium expreſſo, addita convenienti ligatura, vt reliquiæ diſcuterentur & novus humorum affluxus prohiberetur: Sic intra menſem & xiv. dies Patiens liberatur. *Sculteus Armam. Obſ.* 51.

IX. Adoleſcens 18. ann. in dextro latere habuit tumorem durum, qui ad ſuppurationem ductus a male tractatus in ſinum callulum ſeu Fiſtulam abiit: præmiſſis vniverſalibus, ad explorandam ejus quantitatem & qualitatem, orificium anguſtiſſimum medulla ſambuci admodum contorta dilatavi, adeo vt admitteret ſpecillum rotundum; quod blandè immiſſo ex corruptione aſperam coſtæ marginem tetigi: Ad conſumendum callum Fiſtulæ immiſi penicillum ex linteo convoluto, hoc vngu. imbutum. ℞. *pulv. ſemin. hyoſciami* ℈j. *alum. vſti; vitr. vſti ana.* ℈jß. *butyr. aq. plantag. ton q. ſ. m.* Extirpato callo, turundam linteam (cujus apicem decocto divino madefactum, euphorb. pulver. conſperſi, ad corrigendam coſtæ cariem: reliquum vero turundæ, ad calli regenerationem prohibendam, hoc vnguent. oblinivi ℞. *vnguent. de betonica* ℥j. *vnguent. ægypt.* ʒij. quotidie impoſui, donec coſta corrupta poſt duos menſes ſquamulas aliquot protruſerit, quibus exemptis turundam quotidie minorem, betonicæ vngu. infectam applicui, donec vlcus ſolida carne repletum cicatricem beneficio cerati Divini acquireret: *Sculteus Armam. Obſ.* 42.

X. Puerpera ex concretione lactis in mamma dextra paſſa eſt inflammationem, quæ reſolventibus nimiis indurata abiit in abſceſſum, hinc in fiſtulam cum callo anguſti orificii, profundam: Purgato corpore, fiſtulæ orificiū anguſtum turundis ex gentiana ſufficienter dilatavi, poſtea callum ſemel impoſita turunda linea & vng. ſeq. imbuta indita cõſumpſi, ℞. *mercur. præcip. alumin. vſti. vir. æris, ſalis nitr ana. p. q. album. ovor. agitat. q. ſ. m.* Fiſtularum callos cito (ſed in partibus præcipue nervoſis, & exquiſito ſenſu præditis non adeo jucunde & tuto) extirpat, Eoque conſumpto vlcus vng. ægypriaco mundificatum, vngu. de betonica incarnatum, cerato Divino conſolidatum, Tumoris duri reliquiæ cerato oxæleo reſolutæ: *Tumoribus ex lacte coagulato duris medetur Empl. ex ſpermaceeti Mynſichti.* Sculteus Armair. Obſ. 43.

XI. Quando vlcus eſt antiquum & fiſtuloſum; deveniendum ad mirabilem illum ſyr. Magiſtralem; ab Excell. *Fallopio* deſcriptum lib. de Vulnerib. c. 38. qui ad Thoracis qualvis Fiſtulas inveteratas plurimum feliciſſimo ſucceſſu conducit, Cujus hæc eſt deſcriptio, cui quoque Chinam addimus ℞. *rad. alth. fol. milleſol. marrub. artemiſ. lapat. cautinm*

valde virentium, pimpinellæ, cimarum rubi, rad. rub. tinctor. l.entæ fol. ariſtoloch. rot. fragar. matricar. centaur. min. matriſylva, beton. ſalvin, rad. garyophyll. ana. man. ß. thuris maſc. ʒß: *ſarcocollæ* ℥j, *ſem. plantag. muſor. foenic. cannabis ana.* ʒß. *croci, rhei, rhapont. centaur. mai. ana.* ℥ij. *vini albi odoriſ.* ℔. *vv. chinn* ℈vj, terantur omnia, infundantur in vino per xxiv. horas, bulliantque ſine aqua & colentur, adde mellis opt. ℔iv., iterum bulliat hoc decoctum cum melle vnica ebullitione; doſis ℥v. mane. *Epiphanius Ferdinandus hiſt.* 32.

XII. Quidam jubet Fiſtulam helleboro impleri, ſicque tres dies fieri; cum tamen ſemel id feciſſem in fiſtula ſpinæ dorſi, proxime cordis regionem, frequens accidit ægro leipothymia: Proinde id remedium minime tutum puto, maxime ſi fiſtula ſit in aliqua thoracis parte: *Chalmeteus Enchir. p.* 266.

XIII. Quando Ani fiſtula in inteſtinum penetrat, digitus oleo roſaceo illitus in anum immittendus, ac ſimul falceolus qui fiſtulam incidat: eoque digito in anum immiſſo ita ducatur falceolus vt non teneat in calloſam ſubſtantiam incidendo, venas hæmorrhoidas etiam ſimul incidat: Inciſio autem magis mihi probatur, quam calli detractio quæ fit ligatura &c. Animadvertendum vero ne callus in inteſtinum vltra quatuor digitorum longitudinem penetret: alioqui curatione tantum fucata erit vtendum; vel cum ad veſicam, vel os ſacrum pervenit, vltra ſphinctetem progrediens, ſiquidem incideretur ſphincter, atque ſequeretur involuntaria fæcum excretio: Tunc itaque vino decoctionis tapſi barbati quotidie bis fovebitur, ipſumque decoctum intro injicietur. *Chalmeteus Enchir p.* 295.

XIV. *Fiſtula Perinæi* ſi ex cauſa interna facta fuerit, nunquam perfecte ſanatur, obducitur quidem nonnunquam cicatrice, ſed facillime à cauſa aliqua interna recrudeſcit, ideo & quandoque, ſi ad tempus clauſa perſiſtit, gravia ſequantur ſymptomata: Sexagenario cuidam cum fiſtulam, poſt caruncuiam & vrinæ retentionem ortam, vix cicatrice obduxiſſem, æger vero poſt curationem iterum difficultate vrinæ aliiſque ſymptomatibus continuo fere fuiſſet vexatus, poſt menſes ſex à curatione fiſtulam aperire coactus fuit, vnde non tantum convaluit, ſed & 77. annum prætergreſſus eſt, Hinc diſcant ægri ne adeo de curatione harum fiſtularum ſint ſolliciti, ſunt enim via apta pro excretione multorum excrementorum, quæ beneficio naturæ ex epate, renibus, veſica & vaſis ſpermaticis eo extruduntur: hinc ægros ejuſmodi fiſtulis laborantes ab aliis gravioribus morbis vt plurimum immunes eſſe obſervavi: Vlcera in perinæo, quoties ad ductum vrinarium perveniunt, fere inſanabilia cenſeo, ob excrementorum quibus ſenes ſcatent, copiam, & excretricis debilitatem, ex venere vel aliunde ortam, adeo magnam vt vrinam, excrementitiis humoribus refertam, per anfractuoſum penis ductum expellere nequeat: In pueris & juvenibus de curatione non deſperandum. *Hildanus cent.* 5. *Obſerv.* 75.

XV. *Fiſtulam Ani* non penetrantem *Celſus* l. 7. c. 4. & ejus ſequaces, perrupto ejus fundo, vtramque fili ex ſerico contorti (ſericum tamen ſimplex & rubrum, ob tenuitatem & tincturam citius incidit & erodit) extremitatem colligunt, illudque parvo quodam & tranſverſo ligno arctiſſime ſtringentes, totum ſinum, ſeu amborum foraminum interſtitium, incidunt: Hanc tamen fiſtularum ani per filum inciſionem meritò rejicit *Aquapendens*, quia nimis tarda eſt, illique continuus dolor jungitur, nec locum habere ait niſi in iis qui ferrum expaveſcunt: Novam, & quæ *Celſi* recentiorumque Chirurgorum opiniones jungit, per ſyringotomi aciem & filum curationem proponit *Scultetus Tab.* 45.

XVI. Abſque Cauterio actuali, quod alii ad callos fiſtularum conſumendum, commendant, fiſtulæ penetrantes facillimè & tutiſſimè curantur, ſi ſyringotomo trajecto ſanguis ſiſtatur, hæmorrhagia prohibeatur, & callus hoc medicamento abſumatur ℞. Mercur. præcip. ʒß. mell. roſ. col. ʒß. Sphincter enim, ex Hipp. lib. de hæmorrh. tutò poteſt incidi, quovis modo, ſine læſione ſui officii, ſi ſaltem octava ejus pars relinquatur intacta, alias ſequeretur involuntaria fæcum excretio & hanc certiſſima mors. *Scultetus ibid.*

XVII. *Fiſtula* tamen *Ani* in ſenibus, ex antiqua fluxione ortum habentes, vt hæmorrhoides diuturnæ, tutò non curantur niſi, ante conſolidationem vulneris, femori inuratur fonticulus, 3. vel 4. digitis ſuprà genu in parte domeſtica, pro evacuatione materiæ quotidie collectæ, & per fiſtulam antiquam expurgari conſuetæ. *Idem ibidem.*

FLVOR MVLIEBRIS.

SYLLOGE.

A Gonorrhæa quomodo dignoſcatur. 2.
Non ſemper vterus culpandus, 4.
Venæ ſectio *aliquando conducit.* 9.
Ptiſana laxantis vſu intra menſem deſinens. 13.
Diuretica *non conveniunt.* 10.
An ſemper vtilia. 1.
Non omnis per diætam ſudorificam *curandus.* 6.
Adſtringentibus & roborantibus *opportune vtendum.* 12.
Cauſtica *ſibi is admovenda.* 11.
Catharticorum & Thermarum *vſu aliquando inducitur.* 8.
Mulieres emunctæ naris vt plurimum obnoxiæ.
Vterus roborandus. 3.
Malignus Medicis imponens. 5.

I. SVnt qui omnem *vterinum Fluorem* emendari poſſe contendunt diureticis medicamentis, ſed errant apertiſſime: diſtinguendæ ſunt cauſæ, & pro varia ipſarum conditione variæ inſtituendæ ſunt curandi rationes: Affectus hic aliquando originem habet vitio totius corporis, aliquando autem vteri: Cùm totum corpus malo habitu cùm cacochymia fuerit refertum, aut epar obſtructum, aut lien, aut ventriculus debilia, aut caput excrementa ſuppeditaverit, Tunc ex vtero fluxiones ejuſmodi fieri poſſunt: Contemplandum qui humores abundent, calidi an frigidi, & quomodo affecti ſint: Nam calidos indicat excrementum illud acre & adurens, vt quaſcunque partes attigerit excedat ferè, ac aliquando pruritum & vlcuſcula, aut ſimulas procreet cum ſenſu caliditatis, adde quod tetrum eſt & graveolens, quodque colorem luteum refert: Præſtabit hic meminiſſe temperamenti naturalis & acquiſititii, cauſarum prægreſſarum, habitus corporis, anni temporis: Frigidos humores contraria indicabunt ſigna: Fluente

te igitur utero ab hiſce cauſis, ubi calidi bilioſique humores abundaverint, hanc medendi rationem per uretica habeo maxime ſuſpectam: Quis enim putaverit calidum affectum calidiſſimis & admodum ſiccis auxiliis removeri poſſe: nam pone vacuationem ab ureticis factam aliquid prodeſſe poſſe, majus certe damnum erit ex adaucta qualitate: Sane corpora ejuſmodi, præmiſſis univerſalibus, ptiſana optimè præparata, additis ſeminibus frigidis majoribus ſoleo ad bonum ſtatum reducere: Atque in habitu gracili, cum humoribus acribus, lacte aſinino & caprino deſperatos jam à multis Medicis uterinos fluores ſanaſſe profiteor: Modus mihi peculiaris eſt; Quatuor primis diebus heminas duas exhibeo lactis, quo purgetur optimè totum corpus, & rurſus aliis quindecim heminas duas, ſed coctas: ſequentibus verò diebus, uſque ad 41. (quem curationis terminum abſolvere ut plurimum cognovi) chalybeatum lac dari jubeo: Auxilium certiſſimum ac ratum: At verò ſi frigidi humores extiterint, obſtructionéſque in viſceribus adfuerint; intemperies frigida totius aut principum partium adſit, quis negabit uretica artis ordine propinata? An aliquis ambiget quod vim habeant deobſtruendi, calefaciendi, incidendi, expurgandi? annon hiſce omnibus in propoſita materia indigere auxiliis ignorabimus? *Hor. Augenius l. 10. Tom. 1. Epiſt. 4.*

II. Sunt mulieres quæ cum Gonorrhœa virulentâ laborent, honeſtu nomine culpam prætexentes, fluore uterino ſe laborare mentiuntur, quod in utroque affectu ingens profundatur eluvies: Sed ex purulentiâ facile id affine malum diſtinguet Chirurgus, ac niſi ſalivatione ſudoribuſque citatis ſanari id non poſſe ſibi perſuadebit. *Pareus l. 23. c. 60.*

III. Utero aliqua tandem adhibenda corroboratio atque exſiccatio, licet enim uterus in profluvio muliebri per ſe non lædatur, progreſſu tamen temporis & ipſe labem aliquando gravem adeo ducit, ut ſuccedat etiam fluor muliebris ſimul cum profluvio, qui tunc ægre diſcerni poteſt. *Fortis.*

IV. Cauſa quæ corruptum humorem aſſiduo gignit, alias in utero, alias in principibus partibus conſiſtit: Graviter proinde hallucinantur qui omnium ex utero prodeuntium, quemadmodum & omnis ſuppreſſionis menſium cauſam, ab uno requirunt utero: Etenim quibus mulieribus viſcera refrigerata, vel obſtructa, vel ſcirrho dura, cruditates, malum habitum aut leucophlegmatiam invexerunt, corruptus humor in varias partes effuſus ſæpe in uterum procumbit, & illac decumbens corpus expurgat, quod aliis quibuſdam per renes aut alvum fieri contingit. *Fernelius Pathol. lib. 6. c. 15.*

V. Fluor mul. humoralis ſi malignus fuerit, & humor acris exulcerans, pravi coloris, periculoſus, interdum a virulenta, externa & contagioſa cauſa proficiſcitur: idcóque prudenter ea de re interrogandæ ſunt mulieres, ut fateantur morbum, nec imponant Medico ſpecie fluoris ordinarii, ſuo quidem damno, niſi culpam agnoſcant, vel referant ad maritum, quem accuſare potius oportet ſi levis ſuſpicio ſit, quam lædere mulieris pudicitiam. *Riolanus Enchetr. l. 2. c. 36.*

VI. *Hipp.* 2. de morb. mul. verſ. 116. inter fluoris uterini varias ſpecies *fluxum Fulvum* proponit, quo quæ excernuntur ſimilia ſunt ovo vitioſo & corrupto, quale eſt cum luteum & albumen invicem confunduntur, ex quorum permixtione fulvus quidam color oritur, qui bilem vitellinam indicat; Hunc fluxum curat ſic *Hipp.* Primo, Surſum veratro purgat; deinde deorſum, ut totum corpus à cacochymia liberetur. Secundo, Diætam conſtituit humectantem & attemperantem, quæ humores calidos & acres, mites & benignos reddat: inde medicamenta adſtringentia exhibet, quæ fluxum ipſum comprimant, diætamque in contrarium permutat: Si his morbus non cedat, ad priorem diætam ſe convertit, quam tamdiu ſervari jubet quouſque humorum acrimonia remittatur, quod ulcerum ſanatio, inflammationis ſolutio excretáque ipſa indicabunt: Tunc enim curationem per exſiccantia & adſtringentia abſolvit. Hanc curandi rationem confiderent recentiores qui oppoſito modo procedunt, primo enim diætam exſiccantem conſtituunt, decoctaque ejuſdem facultatis in potu exhibent: poſtquam verò hac curatione humores ſiccos, acres & mordaces ad ſummum acrimoniæ perduxerunt, ad contrariam ſe convertunt, totamque intentionem ad refrigerationem & humectationem convertunt: Non enim advertentes per medicamenta, quæ à principio exhibent, humida actu, & ſicca potentia, duplex peccatum ab ipſis committi: nam actuali humiditate humorum copiam augent, quæ potiùs imminui per evacuationes deberet: à facultate autem exſiccanti & calida eorundem humorum qualitas calida & acris intenditur magis, viſcerumque intemperies calida, ſi adeſt, augetur: atque hoc pacto morbo & ejus cauſæ ſuppetias ferunt: Cum verò poſthæc ad refrigerantia & humectantia ſe convertunt, alia duo errata committunt, nam corpus humoribus acribus repletum conſtipant refrigerantibus, humectantibus verò humores, per præcedentem exſiccationem in ſe coactos diffundunt, unde malum in dies in ægri perniciem adaugent. *Martianus comm. in cit. locum.*

VII. Arteriæ narium, ex parte etiam venæ, deponunt excrementitias humiditates in ſpongioſas narium & faucium carnes: ea enim vaſa in narium & faucium carnibus aranearum telæ inſtar, divaricantur, & roris in modum tranſſudant, non aliter quam aqua per fictiles ollas crudas adhuc & nondum incruſtatas. Sed qui fit quod multi parum vel nihil emungant? ℞. Paucos reperiri ea temperamenti moderatione beatos ut ſint ἀμυξώδεις, immunes ab excrementis: Siccitas hæc narium & palati non tam ſignum eſt cerebri temperati, ſed potius optimæ ad juſtitiam temperaturæ: Qui verò impuro ſanguine ſcatent, hujuſque vacuationis per nares aut palatum deſtituuntur beneficio, illi certè id impunè haud ferunt, ſed multis ſubjecti ſunt ærumnis aliis: Franciſcus Galliarum Rex ἀμυξώδης aurium ulceribus vixit obnoxius &c. Novimus matronas quibus gratioſo hoc arteriarum ad nares pituitam vehentium deſtitutis beneficio, continua a partibus hymenæo ſacris dependet ſtiria, albumque moleſtum eſt profluvium. *Rolfincim Diſſertat. Anatom. l. 6. c. 57.*

VIII. Mulieribus nunquam hunc fluxum paſſis, aſſumptis catharticis, natura eorum uſu ad alias excretiones moliendas excitata, ſuperveniſſe obſervavimus: multáſque dum thermis aliquandiu inſediſſent hoc vitium contraxiſſe, non ob contagium, ſed quod uſu earum continuo, ſicuti per ſudores natura excrementa deponit, ſic & per eam excretionem, eadem, maximéque quæ ob craſſitiem ſudore exhauriri nequibant, expellit. *Fel. Platerus Tomo 3. c. 7.*

IX. Cum hic fluor a cacochymia pendeat, & illa per *phlebotomiam* ad venas attracta, maſſam ſanguinis inquinare poſſit, nullus videtur V.S. locus: adde quod, cum in chronico hoc affectu vires valde dejiciantur, & corpus non rarò ad tabem perducatur,

V. S. amplius labefactandum & alimento fraudandum non videtur: Ita tamen decidetur, Quod ſi fluor iſte non ſit ſolitarius & purus, ſed ſanguini aliquomodo permiſtus & ſubrubet appareat, tunc celebrari poteſt V. S. Tum etiam ſi inſignior ſit jecoris caliditas, & bilioſi ſucci acrimonia huic fluxui coniuncta: In aliis verò caſibus, præſertim cùm affectus inveteravit, melius eſt à S. M. abſtinere. *Riverius Pratt. l. 15. cap. 4.*

X. Non minor eſt difficultas de *diureticis* an conveniant? illa enim non ſolum vrinas ſed & menſtrua provocant, calefaciendo & tenuando humores in venis contentos: Ab omnibus tamen authoribus probantur, & a *Galeno* ipſo, qui iis vſus in vxore *Boëthi*: Ratio eſt, quia Diuretica vrinas primariò provocant, menſea verò ſecundario & quaſi ex accidenti: deinde renes continuò ſeroſam materiam attrahunt, vterus verò excipit tantum: vnde credibile eſt maximam iſtarum humiditatum partem ad vias vrinæ profecturam. *Idem ibid.*

XI. Non malè conſulunt quicunque in *vterino profluvio Canteria*, in coxis, & ſubter genua, interna parte, imperant: ita namque hujuſmodi fluxum corrigi affirmant, dum ſeroſior illa materia ad crurum venas avertitur: valent præſertim ſi ſit inveteratum. Per *Galenum* 5. aph. 56. conſtat inter cauſas menſtruę purgationis impeditæ, quæ corporis totius vitio enaſcuntur, eam haud infimam eſſe quoties humores ad alias partes quam ad vterum inclinent: quemadmodum ipſe dicebat nonnullas excretiones, ſeu naturales, ſeu arte paratas, vti vlcera, ſanguinem ab vtero revellere ac derivare, inque alias partes transferre: Idem judicium eſto de vitioſis humoribus ad vterum decumbentibus: An non etiam ſçimus per *Hippoc.* quod mictio noctu plurima, exiguam fore dejectionem ſignificat: *Crucius de Quæſitis cent.* 14. *p.* 287.

XII. *Adſtringentia* nunquam adhibenda donec antecedens materia probè evacuata & derivata ſit: alioqui humores illi retenti ad partes nobiliores ruunt & graviora ſymptomata excitant; quemadmodum ſcribit *Galenus* vxori *Boëthi* contigiſſe, cui, ab vſu adſtringentium præpoſtero, venter intumuit, retentis ſeroſis humoribus qui ante evacuari ſolebant: Illud etiam advertendum, vt dum vtimur adſtringentibus materia antecedens aliò divertatur, illiuſque generatio prohibeatur. *Riverius ibid.*

XIII. Mulier quadragenaria diuturno *Fluore albo* laborans, poſt multa remedia fruſtra tentata, *Ptiſana laxante* per menſem integrum, ſingulis diebus vſurpata, protinus liberata eſt: Compoſitio talis fuit ℞ *Sennæ mundat* ℥j. *ſemin. coriand. præparati & liquir. raſæ ana* ʒjß. *aq. fontis, in qua tamarind.* ℥iij. *& ligni lentiſcini* ℥j. *bullierint, cyathum vnum*, infundantur frigidè per noctem, & colaturam capiat manè duabus horis ante paſtum. *Idem cent. 3. Obſerv.* 81.

FRACTVRÆ.

De Fracturis Cranii.

(Vide *Lib.* 3.)

SYLLOGE.

Nimis tarda non ſit deligationum ſolutio. 2.
Cortices arborum ferulis *ſubſtitui non debent.* 3.
In iis, & Luxationibus *nimis ſiccantia nocent.* 9.
Vſus Emplaſtri Oxycrocei *non ſemper tutus.* 4.
Vſus alimentorum *viſcidorum ad calli* generationem *noxius.* 5.
Lapis Oſteocolla *prudenter exhibendus.* 7.
Electio *illius lapidis.* 8.
In gravidis tarde adglutinantur. 6.
Callus *jam confirmatus frangi nequit.* 11.
Fractæ Patellæ *conglutinatio.* 10.
Tibiis fractis *conveniens ſitus dandus.* 1.
Emplaſtra *ne nimis tenacia ſint.* 12.
Nec vincula nimis arcta. 13.

I. IN *Fracturis Tibiarum* curandis nonnulli Chirurgi non levem committunt errorem, quum volunt tibiam erectam inſiſtere talo, vnde temporis progreſſu maior dolor percipitur in talo quàm in ipſa fractura, idque propter tendines magnos & nervoſos qui talo inſeruntur: dolor autem ille multos ad ſe trahit humores, qui in ipſa junctura, & ſpatiis inter oſſa pedis fracta atque ligamenta retinentur: Et quia ex hoc ſitu venæ & arteriæ comprimuntur, & proinde pars affecta ſuo calore quodammodo deſtituitur, neceſſariò condenſantur & refrigeſcunt hi humores in ipſa junctura & ſpatiis inter oſſa pedis: inde curata fractura pes nova afficitur moleſtia: ægrè enim & difficulter movetur junctura: ſequuntur & nonnunquam alia quam peſſima ſymptomata. Involuta ergo tibia faſciis, ſpleniis & ſtupis, & in capſola ad id apta collocata, is eligendus ſitus qui minimè ſit doloroſus: Itaque modò in hanc, modò in partem alteram collocanda eſt tibia, vt æger aliàs in hoc, aliàs in alterum decumbere poſſit: ſic enim multa accidentia vitabuntur. *Fab. Hildanus Cent. 1. Obſervat.* 93.

II. Ex tardiori ſolutione deligationum in fracturis multa accidiſſe obſervavi; Quidam æſtate brachium ſibi ad cubitum fregit: fractura ſoluta emplaſtróque ablato, brachium non ſolum tribus in locis ulceratum offenderunt, verum etiam tam fœtens ut hinc inde vermes, quales in carne putrida, conſpicerentur: decimo autem tertio demum die ablatæ fuerant ligaturæ. Vir decrepitus, ex equo delapſus, tibiam ſibi paulò ſupra malleolum fregit: quinto die ſoluta fractura puſtulæ multæ ac lividæ, gangrænam minantes, conſpectæ. Ruſticus pedem adeo ſibi fregit, ut à junctura ſeparatus ſit & mirum in modum contractus: negligentia eorum, quibus commiſſus, faſciis & medicamentis non mutatis, poſt dies aliquot dolore acerbiſſimo, inflammatione ac fœtore ſubortis, miſer ille extinctus. Ego quoque quum in ſolutione fracturæ cuiuſdam nobilis non ſatis diligens eſſem, ac à 14. ad 21. diem medicamenta minimè mutaſſem, callus adeo magnus procreatus eſt, vt inde maxima deformitas tibiæ ſequuta fuiſſet, niſi protinus callum repreſſiſſem. *Hildanus cent. 2. Obſervat.* 91.

III. *Cortices arborum* in fracturis oſſium loco ferularum in uſum receptas improbo: Nob. N. et ictu equi fracturam tibiæ cum vulnere contraxit, ego reponens fracturam, ſuaſu, aut iuſſu ægri, loco ferularum cortices recentes ſalicis applicueram: ſolutis faſciis impreſſio quædam in parte muſculoſa, haud longè à poplite conſpecta fuit, quæ empirico ſpecie alterius fracturæ impoſuit: Ego qui impreſſionem & foveam ratione corticum accidiſſe ſçiebam, totum crus & femur oleo roſaceo & myrtillorum inunxi, additis guttis aliquot aceti roſac. penetrationis gratia, quò influxi humores repellerentur: crus quoque à pede ad genu faſcia, decocto adſtrin-
gen-

gente madefacta, involvi: altera die ſolutis faſciis, nulla inæqualitas, nullàque depreſſio apparuit: Ab eo tempore cortices arborum, imprimis recentes, loco ferularum nunquam applicare volui; cùm enim exſiccantur, circa fracturam contrahuntur, dolores excitant, oſſáque nonnunquam ſuo loco dimovent. *Idem cent. 4. Obſervat. 98.*

IV. Vulgus Chirurgorum in fracturis, abſque diſtinctione, ſtatim ab initio, aut paucos poſt dies Empl. oxycroceum fracturæ applicare ſolet, quod non ſine ingenti periculo aliquando fit. Adoleſcens, tibia fracta, in manus barbitonſoris incidit: is repoſita fractura primo apparatu Empl. ex bolo armena, farina hordei & albumine ovi applicuit: tertio die ſoluta tibia oxycroceum admovit: eodem die exortus pruritus, & poſt dolor vehemens: poſt dies aliquot vocatus, tibiam inflammatam & puſtulis lividentibus refertam; paucis, gangræna infectam reperi. Periculoſus ergo vſus ejuſmodi emplaſtri, præſertim ab initio fracturarum & diſlocationum: eóque periculoſior quò corpus ægri bilioſius, calidius aut cacochymia refertum: eius enim ingredientia ferè omnia calida: hinc pars affecta caleſit, alliciuntúrque humores: meritò ergo à *Vigone* lib. 8. c. 16. Diabolicum vocatur, cuius ceratum maximè probo. *Idem cent. 4. Obſ. 99.*

V. Quadragenarium & bonæ complexionis hominem novi, cui in fractura tibiæ victus ratio præſcripta fuit ex viſcoſis, veluti pedibus, capitibus, & inteſtinis vaccarum, ovium &c. Curata quidem fuit fractura ſpatio 40. dierum, ſed paulatim in cachexiam incidit; jam ictericia, iam dolore renum aliorumque viſcerum laboravit, donec tandem hydropicus obiit. *Idem cent. 1. Obſ. 92.*

VI. Matronæ annor. 30. ſeptimum menſem graviditatis egreſſæ, ab equo ictæ, os tibiæ inter genu & talum in medio fractum fuit: fractura feliciter repoſita fuit, ſed maximas circa generationem calli habuimus difficultates, adeo vt 23. ſeptimana oſſa fracta adhuc vacillarent: Lapidem ſabuloſum, in fracturis oſſium adeo celebrem, per os exhibuimus, & fracturæ adhibuimus, nullo profectu: Tandem à 23. ſeptimana ad 30. callus genitus & fractura firmata fuit: Cauſa tarditatis generationis calli in fœtu, meo iudicio, quærenda eſt, qui alimentum, calli generationi deſtinatum, ad ſui nutritionem attraxit: præterea deficiente calore nativo in parte affecta, naturâ oſteocollam, aliáque medicamenta præſtantiſſima, de potentia ad actum traducere non potuit. *Idem cent. 5 Obſ. 87.*

VII. Lapidem oſteocollam ſingulari quadam vi generandi callum prǽditum eſſe certum eſt, quâ de cauſâ auſus ſum omnibus fractura affectis exhibere: At eo cautè & in ſenibus tantum, aut extenuatis, & quibus languet calidum innatum, vtendum: Nobili annorum 14. robuſto, ſanguineo, ambo focilia ad malleolum fracta fuerunt: fracturam feliciter repoſui, Oſteocollam exhibui & exterius applicui: 3. 7. 11. & 14. diebus ſolutis faſciis nulla excreſcentia aut deformitas calli apparebat: 20. verò cum faſcias ſolviſſem, invenio callum, præcipuè circa ſpinam tibiæ, adeo magnum & elevatum, vt perpetua inde deformitas ſequuta fuiſſet, niſi protinus ab eius vſu deſtitiſſem &c. *Idem cent. 1. Obſ. 90.*

VIII. Is qui extra terram reperitur nullius eſt momenti, qui verò in viſceribus terræ, optimus: Illi tamen inter ſe, ſive colorem, ſive formam ſpectes, vix diſtinguuntur; ac proinde qui venales circumferuntur, etſi non adulterini, nullius tamen efficaciæ: Statim ac eruitur, alter mollior eſt, friabilis & ſubcinericolor, per diem vnum aut alterum ſolum aëri expoſitus, paulatim indureſcit & albeſcit. *Idem cent. 3. Obſerv. 90.*

Femoris fracturam, non ſuperſtite claudicatione, methodum curandi vide apud Hildanum cent. 5. Obſ. 86.

IX. Cuidam genu *Rotula tranſverſim fracta*, vt partes à tendinibus ſurſum deorſumque traherentur: Cum perſanata iam omnia Chirurgus putaſſet, ægrotus tamen non citius erecto corpore ſtare & deambulare cœpit, quam rotula in duas partes denuo diſſiliret: Nimirum in luxationibus & fracturis, nimio ſiccantium vſu ſæpe vidimus ligamenta breviora reddi, & tendines contrahi, vt deinde motus non vno modo lædi ſoleat. *Velſchius in Mediomim.*

X. Incommodi non parum infert *fracta vel abducta Patella*, ſine cujus firmitudine diſſultat genu, non aliter quam janua dirupto cardine, Ad ſummam retinaculi cuiuſdam vices explet patella, qua pedis imbecillitate inceſſuſque, maxime vero deſcendendi aſcendendique detrimento laborans N. ex caſu fracta μύλη, neque multis iam menſibus coalita occurrit ad me remedii gratia, quod nullum aliud eſſe reſpondi, niſi adaperta cute refricarentur oræ fractarum oſſis vtrarumque partium, ac demum arctè conglutinandæ colligarentur, colligatæque ſufficienti tempore detinerentur: Quam curationem in N. cui ex igneo ſclopo fractum os genæ coalitum in tuber excreverat, exercitam comperi felicem. *Severinus Med. Eff. p. 141.*

XI. Fracturas non ritè coaptatas, & callo iam vnitas, frangi ineptè quidam præcipiunt, quâ parte callus iam concrevit, hoc prius emollito fotuum &c. laxantium ope: at ſi ſpatium temporis præterierit, iamque ille confirmatus ſit & induruerit, os potius ad latera calli quàm ipſe callus diſſiliet: Os quoddam fractum, & mirum in modum contritum, poſt menſes tres (ait *Hildanus*, tr. de vulnere graviſſimo) ab accepta fractura ad manus meas pervenit: In ipſo cum decoctionibus & fomentationibus, oleis & ſimilibus emollientibus experiri vellem an callus emolliri poſſet, multum ſed fruſtra laboravi: neque vllus, quamvis robuſtus, ambabus manibus frangere potuit.

XII. Cavendum in vſu *Emplaſtrorum contra Fracturam*, ea non omnino ac vniverſaliter tam firma tam tenacia & adhæſiva debére eſſe in infantibus, fœminis &c. ac alias, vti eo nomine Empl. contra Fracturam *Wirtzij* ex rad. vlmariæ laudatiſſimum eſt. *Wedelius de Med. comp. ext. p. 197.*

XIII. Cavendum vero in his ipſis fortioribus, ne vel ipſa vel ſuperaddita vincula nimis ſtringant membrum fractum, & adeo gangrænam vniverſaliter poſt ſe trahant, quod aliquoties obſervavimus: Hinc & in deligationibus harum fracturarum Chirurgi accuratiores monent vt ſpatium aliquod liberum relinquatur; ratio eſt, vt vaſa, venæ & arteriæ, quæ in hac concuſſione non potuerunt non contorqueri, vna non conſtringantur, & hinc interclusis ſpiritibus & ſanguini via ad internecionem partis conſpirare cogantur. *Idem.*

FULMEN.

SYLLOGE.

Fulmine tacti Curatio. 1.
Si Fractura *adſit oſſium quid agendum.* 2.

Eſchara *quomodo removenda.* 3.

I. IDibus Junii anni 1671. puella xv. ann. fulmine domo tacta concidit quaſi attonita, domeſtici eam vt mortuam tractant: In lectum collocata corpus denudo, & primo mamma tota cum aliqua intermiſta nigredine rubebat, ac ſi pulvere pyrio combuſtio facta fuiſſet; ſub mamma ſtriæ ſubfuſcæ in longitudine ſe acuminantes per tranſverſum ventrem ad pubem vſque penetrabant, quæ pilis privata & excoriata erat; aderant & ſtriæ in cruce ſiniſtro: Ad manum erat aqua aliqua apoplectica, cuius cochlearia duo infundo, ex quo ſtatim ad ſe redibat & ad interrogata bene reſpondebat, conqueſta de inſigni ardore faucium & dolore in parte læſa: Exhibitus ſtatim fuit pulvis Bezoarticus Anglicus ad ʒß. in aqua chærefol. ex quo bene ſudavit, & æſtus faucium diminutus fuit: hinc parti læſæ applicatur vngu. ex cremore lactis & ceruſſa, vnde inſigne dolorum levamen; cum autem febricula perſiſteret, data Emulſio ad ℥viij. ex ſemine papav. albi, aquilegiæ, milii & card. bened. cum ʒij. pulv. bezoart. Angl. Optime inde habuit, & febris ceſſavit: Mammæ excoriatæ cuticula Emplaſtro diaSaturni meo reſtituta. *Al. Hermannus Cummenus miſcell. cur. anni 1672. Obſ.* 182.

II. Si quæ oſſa fracta ſint, non illa vulgata Cataplaſmata adſtringentia vſurpanda, ne veneni evaporatio impediatur, ſed aliud ex *farina fabarum, lupinorum, radice angelica*, vincetoxici, folior. rutæ, ſcordii, theriaca; Idque ſingulis diebus renovandum, donec veneni vis victa & diſſipata ſit: Supra vero locum defenſivum apponendum, ne vapores venenati per vaſa ſurſum ad cor aſcendant. *Sennertus.*

III. Si Eſchara inducta ſit, ea ſcalpello mature removenda & tale Vnguentum admovendum. ℞. *Pulver. rad. vincetoxici, angelica ana.* ℥ß. *folior. ruta, ſcordii, ana.* ʒj. *theriaca* ʒij. *ſpirit. theriac.* ʒiij. *mellis roſac.* ℥ij. *miſce*: Vlcere mundato Pulvis hic ſanoticus inſpergendus. ℞. *radic. angelica, vincetox. ana.* ℥j. *myrrha, maſtich. thuris, fol. ſcordij an.* ʒß. *aloës ſocotr.* ʒij. *f.* Pulvis, qui irroretur ſucco *Nicotiana vera* & ſaniculæ, fiant Trochiſci. *Idem.*

FVNGI IN VULNERIBVS CEREBRI.

Corrodentibus non ſunt curandi.

MAgnam aliquando difficultatem pariunt in cerebri meningúmque vulneribus excreſcentiæ ſpongioſæ, *Fungi*, appellatæ, quæ fiunt duplici ratione 1. cùm exempta particula cerebri, & dura matre læſa, ſtatim humorea circa plagam affluunt, & externa frigiditate condenſantur, inque tumorem attolluntur: Secundo, Cum dura matre læſa, pia per flatum extenditur, ob cerebri calorem debilem, qui cum in materiam affluxam agere cupit, flatum excitat; Is fungus momento quaſi generatur, & tardiſſimè recedit: nullis autem corrodentibus vult attingi ſed mitè tractari v. g. ℞. *Betonic. cum toto, chamæmeli, meliloti, roſarum, majoran. roriſmar. ana. m. j. ſemin. aniſi, fænugr. ana.* ℥j. incidantur, & in linteum intertuum incluſa, coquantur cum aqua & vino, & ſic cooperiatur calidè vulnus & maior pars capitis, donec refrixerit: tunc linteis ſiccis abſterge vulnus, & ipſi, fungoque inſperge hunc pulverem ℞. *radic. garyophyllat. angelica, calam, aromatic. ana.* ʒß. *ariſtol. rotund. vrid. ligni gaiaci ana.* ʒij. *florum ſalv. ſummit. majoran. roriſmar. ana pug. j. f.* Pulvis ſubtiliſſimus, deinde ſuperpone Empl. de betonica &c. his fungus curari poterit intra 14. dies. *Hoeferus Herc. Med. l. t. c. 4. Coſmus Slotanus* Nob. iuvenem curandum habuit, cui cranium fractum, portióque quædam exempta fuit, vnde fungus exortus: ille, ægro ferè ab omni periculo libero, à curatione deſiſtere coactus, barbitonſori eum committit: hic contempto conſilio & medicamentis *Slotani*, nullâque habita ratione loci affecti, pulverem aluminis & vitrioli vſti inſperſit fungo: inde exortis dolore vehementiſſimo, febre acutiſſima, delirio & inflammatione, paucis poſt diebus obiit. *Hildanus Centur.* 1. *Obſervat.* 14.

FVROR VTERINVS.

Strenuè vterus refrigerandus.

SVmma curationis in eo conſiſtit vt vterus valde refrigeretur, Fidem facit hiſtoria ab *Harvæo* propoſita tract. de Partu Nob. fœminæ, à furore & melancholia vterina vltra decennium delirantis; cui, cum omnia fruſtra tentata eſſent, contigit vteri prolapſus, qui non fuit repoſitus donec à frigore externo illius intemperies deferbuiſſet, ſucceſſit res ex ſententia, brevique convaluit, atque vterus demum loco reſtitutus: Frequens ergo ſit vſus balneorum, aut ſaltem ſemicupiorum, incoctis foliis lactucæ, ſalicis, nymphææ, portulacæ, vmbilici veneris &c.

Crebra Venere extinctus, vide Titul. de Mania lib. xii.

FVRVNCVLVS.

Furunculus repellentia non admittit.

IN *Furunculo* curando tibi repellentibus minime erit vtendum, quod humor hujuſmodi tumorem efficiens ſit craſſus: Sed cum *Galeno* triticum ore ieiuno præmanſum in formam cataplaſmatis applicabis; vel empl. diachylum adipe anſerino vel gallinaceo diſſolutum: Vel Macedonicum ex *Aëtio*, quod plurimum huic affectui conferre ſum expertus &c. *Chalmeteus Enchir. p. m.* 13.

INDICIS
MEDICO-PRACTICI,
SIVE
Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER SEPTIMVS.

De Affectibus à litera G. incipientibus.

GANGRÆNA, SPHACELVS.

SYLLOGE.

Defenſiva *in omni locum non habent.* 1.
Imminentis præcautio ex Hippocrate. 2.
Narcotica *caute admovenda membris quibus immi-net.* 6.
Oleoſa & pinguia *ſuſpecta.* 7.
Arſenicum *non convenit.* 4.
Cauterium actuale, *etſi potentiali ſecurius, non ſemper locum habet.* 5.
Ab interna cauſa nata vix curationem *admittit.* 9.
Imminentis à punctura *medela.* 10.
Ejus quam parit maligna inflammatio. 11.
Sphacelus *à febre curationem reſpuit.* 12.
Gangrænæ *per cauſtica ablatio.* 13.
Siderata loca non cutis ſolum, ſed carnis ablationem poſtulant. 14.
Si vires amputationem *non ferant, quid agendum.* 15.
Chirurgus membri amputationem *nonniſi rogatus aggrediatur* 16.
Ad eam non properandum. 3.
Aliquando eſt inutilis. 8.
In ipſo articulo an fieri debet. 17.
Per Scalprum & Botalliana *non admittenda.* 18. *a.*
In parte mortua an viva fieri debeat. 23. *a.*
Præparatio *corporis præcedat.* 19. *b.*
Narcotica *an præbenda.* 20.
Æger *operatione facta ſedulo cuſtodiendus.* 23.
Hæmorrhagia *ſequens quomodo cohibenda.* 19. *a.*
Vinculum ſuperiori *parti injectum, abſciſſione facta removendum.* 21.
Pars nimis calidis non munienda. 22.
Abſciſſio *medii & annularis digiti quomodo peragenda.* 18. *b.*
Cautiones *circa* amputationem *manus* cancro *non* vlcerato *affectu.* 24.

I. IN Gangræna *ex affluxu ſanguinis & humorum*, quamdiu durabit fluxio, Defenſiva locum habent: Ea ceſſante, poſſunt intermitti, quò calidum innatum partem affectam penetrare queat: Sin corruptionis aliquod initium ſe exſerat, pergendum erit in eorum vſu, vt via præcludatur vaporibus, è putredine ſuſcitatis, partes nobiles impetentibus: In ea quam peperit intemperies frigida & humida, nulla præſeuti fluxione, iis non eſt locus, niſi proximè ſphacelus immineat, vt coërceantur vapores: Gangræna intemperiei ſiccæ ſoboles, penitùsque alimenti, Defenſiva planè excludit, ea enim adſtrictione ſua ſpiritus & nutritionis vias ad partes arctant & intercludunt: Sed ſi ſphacelus in procinctu, non repudiantur, quò vapores arceantur aditu ad partes principes, Sin originem debeat materiæ malignæ, corpori ingenitæ, ac ad extima protruſæ, iis nullus planè locus.

II. *Quæcunque Sphacelo corripiuntur, intercepta vena exulcerare & ſanare oportet. Hipp. ſect. 5. l. 2. Epid.* Id eſt, Non ſanatur aliter quam intercepta vena & exulcerata parte: Intercipi autem venam dicit, eam, aut eas, quæ ad partem gangrænà tentatam deferunt ſanguinem, in viâ, ſciſſione, vſtione aut laqueo intercipi: Exulcerate dicit, altiùs partem ſcarificare: Oportet ergo cum Gangrænæ notæ in parte incipiunt apparere, citiſſimè toti corpori proſpicere; & ſi qua vena videatur tumidior & nigricans, eam intercipere cauterio; ac morientes jam particulas altis ſcarificationibus vlcerare, aut vrere; aut partim exulcerare & excedentia medicamenta admovere, partim vrere: minora verò his inutilia in hac affectione ſunt. *Valleſius comm. in eum locum.*

III. Fermentum quod cerevisiæ calenti poſt v. vel vj. horas demitur, ſphacelum ſiſtit, experimento mulier-

culæ *Batavica*, quæ piſtori, cui crus ſequenti die amputandum erat, fermento ſuper illitum illico, non ſine Chirurgorum admiratione, naturalem cruri colorem conciliavit, continuatóque ejus per aliquot dies vſu, ab omni labe miſerum vindicavit: Imminentem ex frigore Gangrænam fæce cereviſiæ melioris extinctam in ancilla noſtra vidi. *Th. Bartol. cent. 5. hiſt.* 41. Quidam patiebatur Gangr. per totam noctem atq; de amputatione decretum per totam noctem partem fovit, in ſequentem diem, accedens Empiricus aq. in qua calx & creta alba decoctæ fuerant: matutinis horis gangræna apparuit prorſus ablata. *Riv. obſ. comm. p.* 74. Alii tibia amputanda erat ob gangrænam, poſt dolorem acerbiſſimum ejúſque inflammationem: de ruſtici conſilio arena humida tota tibia cooperta, ſæpéque renovata, ſic adeo levatus æger vt cum Chirurgi venerint, illum curatū repererint. *Borellus Obſ.* 65. *cent.* 3. Quidam patiebatur dolores intenſiſſimos cruris, ac eo pervenerat vt denigraretur cutis, ita vt jam ſphacelo affici inciperet, & Medici de ſectione ſolliciti eſſent; tandem ſupervenit Sacerdos, & totum crus, & maxime locum ex affectu nigricantem humectavit Elixir, ſeu aq. vitæ Juliani, & ſuper aſperſit pulv. myrr. & aloës ana: & linteum madefactum in dicto elixir imponebat pulveribus, ſuperinducta lata faſcia: deſiit dolor, & in loco qui niger factus erat excitatum vlcus, ex quo exempta plura fruſta oſſium, & his medicamentis conſolidatum; licet toto curationis tempore vinum meracum biberet. *Selenander ſect. 5. conſ.* 15. Mulier ex morbo diuturno gangrænam patiebatur in tibia, quæ cum eſſet adhuc incipiens, protinus ſublata eſt fotu diuturno cum decocto vulnerario ex ariſtol. rot. rhapont. zedoar. myrrh. aloë & vino albo, colat. addendo aq. vitæ in qua camphora diſſoluta: *S. Fermius Obſerv.* 23. *&* 24.

IV. *Arſenicum* nec purum & tritum, vt docet *Fallopius*, nec vnguento Ægyptiaco permiſtum tutò in Gangræna applicari poteſt: Eſt enim *Galeno* in numero ſepticorum & vſtoriam vim habentium: Audiatur *Avicenna*, *Putrefactiva eſt illa medicina, cujus proprietas eſt vt corrumpat complexionem ſpiritus pervenientis ad membrum, & complexionē humiditatis membri ejus cum reſolutione, ita quod non eſt conveniens vt ſint pars illius membri, & non pervenit ad hoc vt adurat ipſum, & corrodat & reſolvat humiditatem ejus: imo dimittit in ipſo humiditatem corruptam, in qua agit aliud à caliditate naturali, quare putreſit: Et hujuſmodi quidem exemplum eſt Arſenicum.* Gangrænæ autem cum ſit putrefactionis initium, à calido & humido, quæ ſimili vi agunt remedio eſſe non poſſunt. Quod ſi ad cauteria potentialia veniendum, vſurpentur parata ex fortiſſimo lixivio, è cineribus ſarmentorum & calce viva: hæc ruptoria tutò operantur & præſentiſſimè, levíque cum dolore, vix ad horulæ ſpatium perſeverante: contra arſenico cruciatur æger ad hor. 24, imò biduo, cum ſymptomatis graviſſimis. *Hild. de Gangr. c.* 13.

V. *Cauterium actuale*, ſcilicet ferrum ignitum, dignitate cauterio potentiali præponitur; 1. Quia actio ignis ſimplex eſt, omnis alienæ qualitatis expers, empyreuma tantum poſt ſe relinquens: Potentiali, præſertim arſenico &c. qualitas maligna ineſt: 2. Ignis actio determinata eſt, non item potentialis Cauterii: 3. Ob ignis vim momento operatur, potentiale tardè, vnde in Gangræna, morbo acuto, non convenit: 4. in Gangræna copia adeſt excrementitiorum humorum, medicamentum in ſummo gradu calidum requirens, quale ferrum ignitum: Arſenicum verò, etſi calidum, relinquit à ſe humiditatem corruptivam, ait *Avicenna*; 5. Pars Gangræna laborans, debilis & laxa, corroborans & ſiccans requirit, qua vi pollet cauterium actuale non potentiale: 6. Operatio potentialis tarda & dolorifica eſt, hinc affluxus humorum, dolor ab actuali inductus momentaneus eſt. Damnatur à *Vitezio* ea ſolum de cauſa, quod nervi à cauterio actuali lædantur contrahanturque: At exercitatus Chirurgus eum errorem non errabit, vt diſcrimen inter nervos, venas arteriáſque perſpectum: hæ cuti proximè adjacent, nervi profundius ſiti: ſed etſi contractio aliqua eorum immineret, certæ tamen morti præferenda eſt: In bilioſis tamen inflammationibus, natura calidis & ſiccis, cautè actuali vtendum, nec niſi ſumma vrgente neceſſitate: cauterii enim vi vlterius deſiccantur, maligniorésque evadunt: Sin eo vſque putrilago perducta, à dolorísque vehementia copioſè concitati humores, in vſum quoque duci poterit. Damnandum etiam in Gangræna ex intemperie calida ſine affluxu, vt & in illa quæ ex ſiccitate & penuria alimenti orta eſt; ſumma enim extenuatio & ſiccitas remedium impensè ſiccans non admittit, nec vſurpandum niſi amputatio membri neceſſaria ſit. *Idem.*

VI. Partibus malè affectis, tumentibus, & vitioſo habitu præditis, vel ob inciſionem illis adhibitam, vel ob quamvis aliam cauſam, præ nimio dolore, cum inflammatione, gangrænæ opportunis, *Narcotica* niſi admodum exigua copia, atque modicè calidis caſtigata, non ſunt applicanda: quod partis affectæ imbecillum calorem violando, gangrænam & tandem ſphacelum promoveant. *Zecchius conſ.* 20.

VII. De *Vigo* emplaſtris oleum roſac. chamæmel. & ſpicæ addit: Verum *oleoſa & pinguia*, poros obſtruendo & perſpirationem impediendo nocent. *Fabritius Hild.* A digeſtivis abſtine, vt puri reſiſtatur & putredini, quamvis vnguento ſuo digeſtivo vtatur *Hildanus* cum roſaceo confecto in gangræna celerrime totum corpus pervadente. *Hoëferus in Hercule Medico.*

VIII. Vidimus nos aliquos, quibus in *febre maligna* integri artus corrumpebantur, quorum deploranda erat conditio: Si ſectio non fiebat, corruptio brevi cæteras partes occupabat; Si ſecabatur, carnificina erat, & poſtmodum moriebantur, Tales incuratos relinquere ſatius eſt. *Panarolus Pentec. vlt. Obſ.* 48.

IX. *Gangræna ex inflammatione*, vel ex *refrigeratione externa producta*, longe facilius extinguuntur & curantur quam cum illius ſponte natum in corpore venenum cauſa fuerit: quippe in his nunquam ita ad extimas partes vel per ſe decumbit, vel illuc ex robore naturæ propellitur, quin ſemper relinquat in vaſis ſui radicem ac malignitatis aliquod miaſma: Ferrum in iis parum proficiet, quamvis enim poſt amputationem, ad extinguendas veneni reliquias, alexipharmacis pugnes, id tamen forte ſine fructu ages, adeo ſcilicet in his caſibus veneni ſpecies & individualis proprietas latet: Ignem ferro tali in caſu præſcrendum cenſeo: Si tamen contingat materiam illam venenatam à natura robuſta ad particulam quampiam propelli, quæ ferro poſſit reſecari, eo in caſu amputatio ſecurum remedium eſt, Id quod aliquando obſervavi Neocomi, in ancilla juvencula, cui erumpentibus Variolis, frigidæ tempeſtate ad colligenda in vineis ab inclementiori hera tranſmiſſæ, auricularis digitus

manus

manus dextræ gangræna fuit eadem die correptus ac feliciter extirpatus, citra ſuperveniens vllum ſymptoma: Diſpar fuit eventus anno 1675. menſe Auguſto, in puero octo annos nato, filio militis Prætoriani, cui male a variolis curato, materia venenata in Os, ſcilicet linguam, maxillam & buccam ſiniſtram decubuit, ac, excitato ſphacelo, dentes illius lateris excuſſi, 4. die morte ſuperveniente.

X. Luſitantibus invicem ſponſo & ſponſa, hæc ſtrophiolum acicula transfixum in ſponſum macilentum, veſtis interim laxiſſimis, projicit, qui punctim ita feritur vt ex acicula manui infixa ſtrophiolum dependeret: Paucis elapſis horis non ſolum ingens exoritur dolor, ſed quoque ſiniſtra adeo intumeſcit vt poſtridie Chirurgum acceſſeret, qui perterrefactus periculoſorum & inſolentium ſymptomatum vehementia me ſibi conſultorem & ſocium jungi optavit: Contrecto manum ægri, veſtigio aciculæ ei inflictæ nullo, manu integra jam ad carpum rigente aut inflexibili: Quæro ex eo ao recordari poſſet cui potiſſimum parti manus, inflicta eſſet acicula, ac indice dextræ demonſtrat locum, aut eam regionem qua tertium os metacarpii digitum annularem fulcit, aut ſuſtinet: quem cum pertento valde prætumidum extendere flecterève, Bone Deus vt ille exclamare frenderetve? interim videbar mihi videre veſtigium aciculæ, comparandum ad atomum aliquam Democriti, & quidem ea in parte manus qua digitus annularis, ac modo dictum os metacarpii articulantur, attamen non ipſo in ἄρθρῳ ſed infra eum aut circa, vbi ibi os & epiphyſis ibhua inter ſe conſervent: Nulla interim ſigna extravenati ſanguinis, ſed diſcolor, liveſcens, aut potius ἄχροι@- fugax color: Conſilio hic & ſubſidio opus erat, non proletario adverſus malum quod gangrænam portendebat: Quare hoc dedi, non expedire ſingulari hoc in caſu, vt quod adſtantes vrgebant, abiretur ad ſcorpionum oleum & ſimilia, ſed poſt largam venæ ſectionem (febricitabat enim impenſe & latis erat venia æger) pinguibus omnibus interdictis, decoctum partim anodynum, partim diſcutiens, partim nervoſis partibus gratum imperabam, ex æquis partibus vini Gallici & aceti vini, flor. ſambuci & camomillæ vulgatis odoræ, partibus quoque caſtorei, myrrhæ æqualibus ac tantillo camphoræ parabatur, in quo colato & fortiter expreſſo lintea imbuebantur, iiſque calidis manus circumvolvebatur: à cujus fotus vſu inſequente nocte omnia ſymptomata mitigabantur, ſic imminens gangræna depulſa. *S. Pauli Digreſſ. de Febr. malignis* §. 32.

XI. In *malignis inflammationibus* & Gangrænis non expectandum eſt ſerum auxilium, ex ſolis remediis vniverſalibus vocatis, tametſi hæc debeant topica antecedere; ſed citiſſimè veniendum ad ſectionem, vſtionem & ſiccationem maximam: Quin etiam conſiderandum an materia ſit venenoſa, tuncque à pharmacis abſtinendum, quæ cor verſus trahere poſſunt, niſi toto in corpore plurimum redundet: & vtendum miſſione ſanguinis, quam ita affecti poſſunt tolerare, & diaphoreticis, quæ ſimul ſint alexipharmaca, vtendum, moxque in ipſa parte ferro, igne & ſicciſſimis medicamentis conandum putreſcentiam exſtirpare: Nam hac ratione in peſtilentibus conſtitutionibus ſervantur plurimi. *Valeſius* 5. *Epid.*

XII. N. à febre ardente impenſe extorrefactæ, effudit ſe circa 70. ætatis annum tanto impetu peſtiferi morbi humor in brachium ſiniſtrum, vt facto initio à commiſſura humeri præcipitaretur vna nocte in immedicabilem ſphacelum, vſque ad extremos digitorum apices: Noli ò Chirurge ejuſmodi brachia inconſiderate incidere, ſatageus vel calorem in cutem denuo evocare, vel medicinæ locum facere, quod enim ſemel emortuum id nunquam redit ad vitam: Et licet malum videatur nonnunquam ſtare; ac ſcalpellum exigere, vitea tamen à maligna febre victæ, & pars ex toto vitiata, non patiuntur ſcindere, nedum abſcindere membrum hac ratione infectum: maturatea quidem mortem, ſed nihil interim juvares ægrum: Satius itaque circumſpecte potius mortem præſagire, & qua licet prorogare, quam non potes conſervare vitam. *Tulpius Lib.* 3. *Obſerv.* 48.

XIII. Nonnulli carnem mortuam prope ſanam ſcarificant, profunde vſque ad os, poſtea inſpergunt vulneribus pulverem ex arſenico vel ſublimato; aut vnguentum Ægyptiacum iodunt arſenico fortificatum, vt pars mortua à ſana ſeparetur: Verum quàm dira & ſæpe periculoſa ſymptomata inferat arſenicum & ſublimatum, eo quod in ſepticis cenſeatur medicamentis, notum eſt, ac proinde alienum ab hujus mali curatione: Alii cauterio actuali quod corruptum eſt adurunt, vſque dum dolor percipiatur in parte: verùm quam periculoſa etiam ſit hæcce cauteriſatio oſtendit *Fallopius*: Alii ſectione amputant corrupta, idque vel novacula vel ferra, aut modiolo vel ſecuri: Verum & hæc operatio quam violenta & crudelis ſit, ac proinde rationali Chirurgo indigna, ægris vero exitioſa, propter maxima quæ ipſam ſequuntur ſymptomata, docet Hild. de Gangr. & Sph. cap. 17. Hujus autem loco magis arrident ruptoria facta ex cinere ſarmentorum & calce viva: Nec minus bonum eſt butyrum antim. oleum calcis vivæ; hæc enim illico & ferme ſine dolore profundam gignunt eſcharam; & cùm nulla qualitate maligna prædita ſint, nequaquam partes principes lædunt, vt facit Arſenicum: Hæc autem prope partem ſanam carnis applicanda ſunt, nec neceſſaria eſt ſcarificatio carnis: per ſe enim ſatis valida ſunt & alte penetrant: Eſchara vero facta, non eſt ejus caſus expectandus, naturæ aut medicamentorum ope, ſed removenda aut ſeparanda eſt novacula, aut alio Inſtrumento idoneo. *Frider. Hofmannus m. m. lib.* 2. *cap.* 2.

XIV. Siderata jam loca corporis tractare quidam conſueverunt hodie leviter, ac perinde vt livores ſimplicesque collectiones & abſceſſus, quos ſi loco vno punxerunt ſic vt parum humoris effluxerit, ſatis videtur, voluntque inde periculis omnibus occurſum, vt polliceantur ſalvum hominem futurum: Ego vero velim exciſione, & vſque ad ſanas partes tractandas necroſes eſſe, quod plerique vel negligunt vel non advertunt. *Severinus med. eff. p.* 112.

XV. Quidam ambo crura dextri oſſa in medio fregit, cum vulnere, profuſione ſanguinis ad ſyncopen, & ſuperveniente ſphacelo. Pedem Sphacelatum *Exc. Petrus de Marchettis*, ob virium ex ſanguinis fluxu imbecillitatem, noluit reſecare, ſed ferramentis candentibus ſæpius adhibitis prohibuit ne putredo ſerperet; cordi interim proſpiciens: Tandem inſcio patiente partem demortuam novacula, in confinio vivi circumcirca incidit, quâ decidente, reliquum putredinis abſumpſit Cauteriis actualibus: ad removendam verò eſcharam vng. ægyptiacum ſimplex apponens, 3. poſt reſectionem die Chirurgus patienti, qui de inſigni dolore pollicis dextri pedis conqueſtus eſt, ſubtidens re-

ſpondit ſe mirari querelam de pollicis dolore ante triduum ſepulti: quibus verbis æger ita perterritus fuit, vt iis perceptis ſtatim in grave animi deliquium inciderit: ablata eſchara, muſculiſque, vt fieri ſolet, ſurſum retractis, oſſa fracta quatuor digitos tranſverſos prominebant, quæ filamentis quotidie aridis, & pulvere catagmatico diligenter tecta, duorum menſium ſpatio a ſanis ſeparabantur. Hinc collige quod ſi vires ægri ob vapores putridos, & antecedentem ſanguinis fluxum adeo debiles ſint vt certi ſimus eum in ipſa operatione defecturum, tunc abſtinendum eſſe à ſectione, quoniam magis excuſabile eſt ægrotantem relinquere quàm ipſum ſcienter occidere: Cùm autem nulla ſpes vitæ ſit reliqua niſi pars abſcindatur, id Chirurgo incumbit partem demortuam manè & veſperi ferramentis optimè candentibus quotidie tangere, ad imbibendos humores putridos, ne ſurſum verſus repat ſphacelus, ac cardiaca præbere &c. *Scultetus.Tab.*54.

XVI. Si pars in ſphacelum & necroſin inciderit, mox ſerta erit reſecanda ne pars ſyncera trahatur in ſimilem affectum: quanquam id ſummo cum periculo fiat, nam ſæpe in ipſo opere vel profuſione ſanguinis, vel animæ defectu moriuntur: Nunquam tamen tale quid aggredietur rationalis Chirurgus, niſi multis & crebris, cum familiarium, & amicorum eum ægrotantium pulſibus impulſus, ita vt magis invitus quam volens id aggreſſus videatur: *Chalmeteus Enchir. p.* 24.

XVI. *b* Si ſphacelus ſit ſupra malleolos, Tibia prope Genu eſt auferenda, quod enim relinquitur nullum vſum præſtat, imo magnum incommodum ægro adfert, cum ligneo crure ipſi vtendum eſt, nam pars otioſa in poſteriora vergit, adde quod in tendinoſa muſculorum, & excarni Tibiæ parte inſtituta ſectio, conſolidationem faciat longe difficilem. *I. Van Horne microtech. p.*188. *Qui alias ſectionem in carne ſana faciendam eſſe ſuadet, proxime tamen ad ægram, ſpatio vnius digiti tranſverſi, quia, inquit, certi non ſumus illud, quod relinquitur, malum, non ſe multiplicaturum, imo nullus fidem faciat os ipſum, quod carni ſubeſt, non eſſe altiori in loco corruptum.*

XVII. In hac Aphæreſeos ſpecie diſpiciendum eſt ante omnia de loco Amputationis: Hunc multi è recentioribus ſtatuunt ſatis commodum eſſe in ipſo articulo, quamvis communiter in praxi, vbivis fere locorum, contrarium ferè obſervetur: tum ob difficultatem quæ in ipſa ſectione occurrit, quia non tam promptè inveniri poteſt locus conjunctionis duorum oſſium, tum quia cicatrix tarde admodum & difficulter inducitur: *I. van Horne microt. p.*192.

XVIII. *a* Monitos velim Chirurgos Rationales, fideles, ne in abſciſſione manuum & digitorum, eos (niſi magna vrgente neceſſitate, vt infra dicetur) ſequantur, qui membrum in ſcamno collocant, & appoſito ſcalpro aut ſecuri, ictu mallei, carnem & oſſa, ſimul & ſemel, abſcindunt: Operatio hæc violenta eſt & crudelis, Chirurgo indigna, ægro planè cariioſa: Non enim ſolùm in hac operatione partes nervulæ & muſculoſæ ſupra modum contunduntur & conquaſſantur, verùm etiam oſſa ipſa ad proximam articulationem vſque, vt plurimum finduntur: hinc, etſi oſſa nullum habeant ſenſum, ratione tamen perioſtii dolores graviſſimi, aliaque ſuborientur ſymptomata, imo & nova gangræna: quæ quamvis omnia non ſupervenerint, vlcus tamen, & nonniſi maxima cum difficultate, ad cicatricem perducitur, idque ob maximam confractionem & contritionem oſſium, quæ hinc inde per carnes muſculoſas remanent, & ad tempus perioſtio adhærent: randem verò paulatim à natura rejiciuntur, Ex his manifeſtum quam ineptus periculoſuſque ſit modus abſcindendi membra quem proponit *Leonardus Botallus* l. de vulneribus Sclopetorum, Fiant duæ columnæ ligneæ, *ait*, ponderoſo cippo infixæ & vtrinque per longitudinem interius ſulcatæ: In inferna parte cippi infixus ſit firmiter latus culter, acie ſua ſurſum ſpectans, & alterius cultri, per ſulcum mobilis, aciem ſibi oppoſitam habens: Vbi detruncandum eſt membrum, ſuperior ille culter, plumbo oneratus, è ſuperiore parte deſcendit, aut malleo gravi adactus, carnem ſimul cum oſſe ſecat: Infelicis ſucceſſus exemplum vidi in juvene, cui cùm crepitu bombarbæ ſiniſtra manus perfracta fuiſſet, Chirurgo ſe commiſit: Is in ſcamnum collocata manu, ſecurim, qua ruſtici findunt ligna, parti, vbi abſcindenda erat manus appoſuit: deinde juſſit ponderoſo malleo ligneo tergum ſecuris fortiſſimo ictu percuti reverà manus vnico ictu fuit abſciſſa; nec ab initio gravia ſymptomata adfuerunt; poſt longum tempus tamen, & ingentes dolores evaſit: vlcus verò, difficulter cicatrice claudi potuit, ob oſſiculorum fractorum & comminutorum abundantiam, quæ menſtruales ferè moleſtias, novaque ſymptomata ægro paraverunt. *Fabr. Hildanus l. de Gangræna c.*17. Scultetus bono ſucceſſu manum ſcalpro amputavit.

XVIII. *b* In abſciſſione medii atque annularis digiti, ſi corruptio aut caries eo vſque pervenerit vt ad tertiam articulationem, ſive poſtbrachiale os, abſciſſio inſtituenda neceſſario fuerit, hactenus non exigua fuit difficultas; idque ob ſeptum digitorum (i. e. partem illam carneam quæ ſita eſt inter tertiam ſive poſtremam junctutam digitorum, & ſecundum articulum verſus, vti videre licet fig. 2. cap. 25. l. 1. Veſalii à litera R. ad D.) Tertio enim iterandus eſt ictus ſcalpri ſeu novaculæ: primus ictus digitum in poſtrema articulatione à metacarpo ſeparat: ſecundus & tertius ſeptum digitorum, ex vna atque altera parte digiti incidit: In hac operatione, tertiò repetita, ictu ſcalpri facillimè carnoſum aut membranoſum quid à ſcalpro intactum remanere, & operationem difficiliorem longioremque reddere poterit: Hæc perpendens; inſtrumentum excogitavi quo digitus, in extrema articulatione, vnà cum ſepto, ex vna atque altera parte, vnico ictu, facillimè abſcinditur: Eſt autem ſcalprum peracuminatum & alatum, cujus poſtica pars ſemicircularis, ejus eſt magnitudinis, vt cum oſſe amputando juſtam habeat proportionem: At etſi ante vſum ſcalpri & tenaculæ in abſciſſione membrorum improbaverim; in hoc tamen caſu, quia aliter fieri nequit, è duobus malis minus eligendum. *Idem ibidem cap.*19.

XIX. *a* Facta amputatione, ſi magna ſanguinis adfuerit hæmorrhagia (quod tamen, modo fortis inſtituatur ligatura, raro fit; adeo vt nonnunquam ad aliquot cochlearia non profundatur, aut ad tres quatuorve vncias ad ſummum) aliqui cauterio actuali vtuntur ad vaſa inurenda, & carni cruſtam inducendam: Sed metuendum eſt ne eadem decidente novus fiat ſanguinis fluxus, & antequam ad eum ſiſtendum advocetur Chirurgus, jam æger ad plures abierit: adde quod Paræus l. 12. c. 35. aſſerat dolores ingentes & convulſiones hoc modo excitari

citari

citari: quare idem ſuadet c. 31. & 33. tenacula vel volſella apprehendenda eſſe vaſa & acu transfigenda, adductoque filo deliganda: ſed optimo jure hunc modum improbat *Gourmelinus*, ſyntagm. artis Chirurg. p. 125. uti nos etiam cum Hildano rejicimus *Paræi* methodum deſcriptam c. 32. Cum 4. locis cutis fimbrias, acu & filo traductis, ad ſe invicem adducit & denudatum os obtegere ſatagit, ne ab aëre lædatur: Quorſum enim opus ægrum non profuturis carnificinis, excruciare? Longe felicius abſolvitur curatio ſi fungum, *Crepitum Lupi* dictum, in vſum ducamus: nimirum, vt in ſpatio, intra duo oſſa medio, portiunculas ejuſdem, pulveribus ſanguinem ſiſtentibus plenas, & ovorum albumine madefactas, applicemus: Imo ex eodem fungo excavato veluti ſcutellam conficiamus pulvere ſtegnotico repletam, cui tunc extremitatem membri immittamus: qui apparatus detinetur in ſitu beneficio cruciatim eam ambientis emplaſtri, defenſivi & glutinantis: quibus omnibus veſica bubula ſuperinducitur (donec hæmorrhagiæ metus tranſierit) tandem vero cruciata faſciatio inducitur &c. *I. van Horne microtech. p.* 2. §. 32. Interim per laudanum opiatum fervor ſanguinis ſiſtendus, *Hæferus Herc. med. lib.* 4. *c.* 10. Quidam ſupplicio adjudicatus, cùm antequam in 4. partes divideretur, manum vtramque in platea, in qua ædes ſitæ erant, vbi ſcelus commiſerat, illi carnifex amputaſſet, ne ea larga hæmorrhagia moreretur, hac ratione à ſubitanea morte præſervatus fuit: Carnificis vxor gallum gallinaceum vivum, interea cultro à podice verſus illius ſternum ſcindendo, aperiebat, & brachium mutilatum, ſtatim poſt ictum in hanc aperturam intrudebat, poſtea fune circumducta, alis complicatis, arctè ligabat, ſicque ſanguis in altum ſaliens repreſſus fuit, adeo vt nihil inde poſtea effluxerit, & vltra horam, donec interemptus fuit, non debilior factus ea mutilatione, vixerit. *Platerus obſervationum lib.* 3. *pag.* 772. Cùm equus cuidam mordicus digitum abſtuliſſet, ſanguinisque fluor, multis tentatis, non ſiſteretur, juſſi eum in pulli gallinacei vulnus, recentes juxta podicem ſecti, intrudere, & ſic quamdiu caleret retinere, fluorque ſtatim ſubſtitit. *Idem ibidem. Vide tit. de hæmorrhagia vulnerum. lib.* 8.

XIX. *b* Secandum cuidam erat crus, Chirurguſque jamjam operationem aggreſſurus erat: diſſuaſi ego, ob nullam corporis præparationem præmiſſam: Ego operi intereſſe nolui, ne conſenſiſſe viderer: Abeo igitur, Illi verò ſecant, te, vt arbitrantur, optimè peracta: accedunt ſtudioſi nonnulli, qui interfuerant, opus optimè ſucceſſiſſe referentes: moneo tertium vel quartum diem advertant: Tertia die mane vincula ob vehementem ſanguinis impetum rumpuntur, vaſa aperiuntur: hæmorrhagiam, priuſquam ſiſtit Chirurgus, pectus animam cum ſanguine fudit; *Phil. Salmuth. cent.* 1. *Obſ.* 80.

XX. Quidam ægro ante operationem ſoporiferum aliquod præbent, vt minus ſentiat dolorem patiens: At nos ea Guidonis ſententia abſtinebimus, ob pericula narcotica ſequi ſolita. *Fabricius Hild. cap.* 19. *l. de Gangræna.* Quidam ante membrorum amputationem ſemper exhibent Philonium Perſicum, metu hæmorrhagiæ, Et cum ſucceſſu quidem cùm ſit narcoticum: at Philonia vnico tantùm die valere notum eſt: quotidie ergo illud aſſumendum foret, cum magno detrimento: Satius verò eſt, ex Hippocr. ſententia, venam tertio vel quarto die ſecare. *P. Salmuth. ibidem.*

XXI. Solent nonnulli Chirurgorum vinculum ea ſuperiori parte amputationis in ſecundum apparatum relinquere, quò conſtringantur oſcula vaſorum, ſed perperam, id enim maximos continuoſque cruciatus excitat: hinc inflammationes, febres, vigiliæ, &c. attrahit enim cum impetu ſanguinem ac humores è toto in partem: Hac de cauſa primus apparatus, ſi vllomodo fieri poſſit, ad ſummum 2. aut 3. die removendus eſt: faſciæ enim & veſica bubula, vbi exſiccantur, dolores pariunt. *Hildanus ibid.*

XXII. Nonnulli ab initio linteaminibus ac culcitricis calidis ita ſolent obvolvere truncum, vt inde, magno damno ægrorum, incaleſcat, ſicque ſanguinem ac humores attrahat. *Idem ibidem.*

XXIII. Monitos hic velim juniores Chirurgos vt interim dum æger dormit, vigilans & diligens ipſi adſit miniſter, ne æger ob falſas imaginationes, quæ aliquando ſupervenire ſolent, truncum commoveat, iterumque ſanguis erumpat: Quod cuidam accidit, cui cùm brachium ad cubitum amputaſſem, ille vero tertia die, me abſente, brachium, quod minimè ſibi amputatum eſſe perſuadebat) extendere vellet aliquid apprehensurus, denuo aperta vena hæmorrhagia magna ſupervenit, quæ ipſum paucos poſt dies ſuſtulit. *Idem ibidem cap.* 23.

XXIII. *a* G. *Fabricius Hildanus* doctiſſimo tractatu de Gangræna & Sphacelo. c. 17. pluribus rationibus & authoritatibus probare conatur partem demortuam citò, tutò & jucundè abſcindi non poſſe ſi aliquid putridi relinquatur ferramentis candentibus abſumendum: Illæ tamen meo judicio non vincunt amputationem membri ſiderati, juxta *Aquapend.* inſtitutam, nunquam bene ſuccedere: multò minus demonſtrant hanc *Fabricianam* illi; quæ ſecundum veteres peragitur in vivis, poſtponendam eſſe, conſiderando amputationem membri ſiderati in loco ſano Jucunde fieri non poſſe, ſive novacula ſive cauterio cultellari partes oſſe molliores incidantur: Neque etiam Tutò, quia ſana vivaque pars ſub faſcia loris arctè conſtricta facili negotio emoritur: imò ſectio in parte ſana tam accuratè fieri nequit quin aliquando partes profundiores altiùs (quam exteriores viſui objectæ) corruptæ relinquantur: quod ſi fiet, vel nova ſectio erit inſtituenda, quæ eſſet horribilis, vel reliquiæ ferramentis candentibus, juxta *Aquapendentem*, comburendæ: Non Citò, quia majus temporis ſpatium requiritur ad extraheodas forcipe arterias filoque conſtringendas (*& ſi faſcia removetur, nonnunquam tale ſanguinis profluvium ſequitur, quod niſi & reliqua vaſa cauteriis actualibus tangantur, compeſci nequit*) quam ad vulnus ſtatim ferramentis ignitis inurendum: Ne dicam magis protrahi operationem, ſi poſt reſectionem, ab *Hildano* & veteribus præſcriptam, aliquid putredinis remanet; dictis tandem cauteriis abſumendum: vnde his rationibus ego adductus, & felici experientia fretus, reſectionem partis ſideratæ, juxta Patavinos & *Aquapendentem* inſtitutam (quæ etiam P. *Salmutho* cent. 1. obſ. 80. probatur) veterum rationi & modo amputandi non poſtponendam, ſed potius præferendam ſtatuo. *Sculietus Armament. Tabul.* 54.

XXIV. Manus cancro non exulcerato affecta abſcinditur in loco ſano, ad capita ſtil. radii & vlnæ, quibus carpum reſpiciunt: Notandum au-

tem, vt ſanguis adhuc infectus, quem vaſa vicina continent, effluere poſſit, tetentus anim cubitum afficeret, neq; cubitum ſupra inciſionis locum faſcia conſtringendum, neque partes molliores ſcalpello ignito, quod Barbari vocant Cauterium cultellare, incidendas eſſe. *Scultetus Armam. Tab. 53. fig. v.*

GANGLION.

SYLLOGE.

Ganglion, Lupia, *caute reſecentur.* 1.
Ad ſuppurationem non deducendum. 2.
Curandi ratio vetus & nova. 3.

I. SI Ganglium medicamentis nequaquam ceſſerit, ferro eſt reſecandum, niſi ſit in manibus aut pedibus; aut periculum immineat ob nervos, venas & arterias, quibus nonnunquam implicatur: Lupia quoque ſectione amputanda, vt & Glandula, Quemadmodum nos fecimus his diebus, etiam prope jugulares venas, ſucceſſu feliciſſimo. *Chalmeteus Enchir. p. 64.*

II. Ganglium interdum radices altius agena articuli motum impedit; maturate ergo occurrendum, quod præmiſſis decentibus evacuationibus molimur, topicis emollientibus & digerentibus, Cavendo quantum fieri poteſt ne ſuppuratio hic aliqua ſequatur, cum ea vel ſponta facta, vel incuria inducta, vlcera perverſa & ſæpe incurabilia ſecum trahat, à quibus nervoſæ hæ ſedes adeo interdum corrumpuntur, vt illius articuli motus deperdatur vel depravetur. *Platerus.*

III. Ganglia in quibuſdam partibus curantur ferro, aliis, vt pedibus & manibus, nonniſi cum periculo cultro vulnerantur: Ammoniacum ergo, aut aliud malacticum, admovendum, vt totum ganglium comprehendat, ſuperdanda plumbi lamina, eaque arctiſſimè conſtringenda alligandaque, vt nullomodo Ganglium divertat: Alii ſolam laminam alligant; atque, vbi dierum aliquot interjecta mora emollitum videatur, detracto plumbo & pharmaco, ſtatim pollicem dextrum ganglio infigea, reliquos digitos ambitu conſtitues, omnino premes, & quanta vi poteris ganglium vrgebis donec ſolutus diffluat: Hæc quidem veterum jam exoleta ratio eſt. Noſtri meliùs pediculum membranaceum, glandulas, venarum novam propaginem, vnde ganglium coit augeturque, annotant, viam ferro aperiunt, nudant omnia, filo vaſa intercipiunt, nervos declinant, pediculum, glandulas, venas, vnde nutritur vitium, ligant, ſiccant, tabefaciunt, vrunt, præcidunt, atque ea ratione quaſi radicem mali extirpant, vt ne poſtea nova regenerata ſuffectaque materia, novum ganglium renaſcatur: Quanquam hæc curandi ratio non ſine periculo eſt, ſi quidem & Ganglium magnum eſt, & eo loco vbi inſignium vaſorum nervorumque coitio fit: Subſunt quoque aliquando putrefacta corrupiaque vaſa, inſignes venæ aut arteriæ, quæ nudatæ ſanguinem effundunt, quem nemo ſupprimat, vnde æger paulò poſt extinguitur, Terebenthina, calx viva, adeps anſerinus, bene temperata ganglium diſſolvunt. *Hellerus Inſtitat. Chirurg. l. 3. c. 1.*

GIBBOSITAS.

SYLLOGE.

A cauſa interna orta, curatio. 1.
Depreſſarum vertebrarum elevatio. 2.
Aipδωσις muſculorum vitio orta, non oſſium, quomodo curanda. 3.
Febri ſuccedens reſolventibus curata. 4.
Ope thoracis ferrei reſtituta ſpina. 5.

I. GIbbus originem trahit ex ſpina dorſi, cum vertebræ è loco naturali extrorſum, aut ad latus recedunt, cui aliquando cauſa externa, ſed plerumque interna occaſionem præbet, præſertim cum humor aliquis pituitoſus circa eas colligitur: Humor hic oleis atque emplaſtris diſſipandi vi præditis auferendus, antequam vinculo ferreo, cujuſvis ægri corpori accommodato, quod prominet ſenſim in locum naturalem reducatur: Reductio hæc non adeo preſſione peragitur, quam vi ferri emolliente: Hæc cauſa eſt cur iam curatus æger vinculo alio, ad annum vnum pluresve, vti debeat, ne oſſa molliora iterum protuberent. *Paulus Barbette Anat. Pract. lib. 3. cap. 1.*

II. D. *Ranchinas* curavit luxationem ſpinæ Dorſi in Illuſtr. N. quæ contigit ex catarrho è cerebro in ſpinam decumbente, quo duæ vertebræ, in medio ſpinæ, luxatæ fuerant: Poſt vniverſalia vſus eſt ſoriculari Chirurgorum, quo comprimunt linrea complicata, capillorum tonſuræ deſtinata, tabularum vnum dorſo, alterum pectori admovens, ſed deſtitit ab vſu, quia pectoris compreſſio reſpirationem intercipiebat. Tandem vſus eo inſtrumento, cujus vſus in carrucis attollendis, dumviæ concavæ infiguntur (Gallicè *vn Criq*) cujus extremo circulari admovebat lignum aptandum vertebræ luxatæ, intermedio pulvinari lineo: alterum extremum hujus inſtrumenti parieti admovebatur, mox ægra firmiter circa ſcapulas continebatur, poſtea inſtrumentum blandè impellebatur, donec ægra amplius doloram ferre non poſſet, quo tempore ab opere deſiſtebatur; idque bis in die iterabatur, atque ita ſanſim luxatio illa perfectè curata eſt: *Riverius in obſervat. comm. pag. 101. Vide Hildanum cent. 5. obſ.*

III. Proceræ ſtaturæ Vir quidam Nobilis, xl. circiter annorum, ſic incurvabatur, vt ſilicernium potius nonagenarium quam id ætatis homo occurrentibus videretur: Adiit iſte varios, qui ſe vel diſlocata membra reſtituere, vel male conformata ad debitam figuram revocare profitentur, ſed irrito omnium conatu: Aegre id habebat hominem, & dum malo ſuo remedia quærit curioſius, me quoque adiit: Viſa eſt non tam ex oſſium quam muſculorum malis humoribus obſeſſorum vitio orta eſſe hæc mala corporis conformatio: Præparandis igitur & purgandis humoribus dum operam do, eaque fomenta adhibeo quæ iſti morbo cenſebam idonea, cœpit ille non præter ſpem, ſed opinione tamen mea citius ſe erigere, & intra ſex hebdomadarum ſpatium ita ſanari, vt corpus illud procerum rectum ſanumqua circumferret. Obſervatio hæc admonitio ſit, ne anatomia incautos decipiat, dum exiſtimant omnem deformationem externam ſolum ab ali-

quo interne diſtorto oſſe originem ſumere. *Theodorus Kerckeringius Obſervat. Anatom.* 45.

IV. Spinæ totius a ſummo ad imum inflexionem & ſcolioſin vidi anno 1668. in puero & puella, per decubitum humorum à febre factum: Adhibiti chirurgi reſtitutionem tentarunt machinis & thorace ferreo. Ego reſolventibus & roborantibus ſolis, iis reluctantibus, illam perfeci, diſcuſſo humore muſculos & ligamenta imbuente, eo per metaſtheſin [illegible]ulſo, necdum impacto.

V. [illegible]bbolo puero cuidam Nobili, cui ſpina dorſi extro[illegible] admodum excuberabat, in infantia thora[illegible]m ferreum, qualem armati ferre ſolent, ex lam[illegible] tenuiſſimis fabricatum, atque intus foriſque ne nimium illum premeret, pannis ſuffultum, inductum ut geſtaret, docui: Quo facto, cum eum integri anni ſpatio dies noctesque geſtaſſet, eique ſic aſſuevisſet ut non magnam inde ſentiret moleſtiam, ſenſim preſſa illa curvatura, ſpina iterum rectitudinem ſuam naturalem eſt adepta, poſteaque recto ſemper corpore incidens, procerus admodum eſt factus. *Platerus obſervat. lib. 1. pag. m* 164.

GINGIVARUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Earum ulcera *ſæpe à Dentis carie pendent.* 1.
Ab Epulide imprudenter reſecta, mors. 2.

I. AD abſceſſus Gingivarum majores, quos vocant Epulides, fortibus etiam opus eſt auxiliis, nam plerumque corrumpitur os, & malum ortum trahit ex radice alicujus dentis, & fit Fiſtula quæ mandibulam totam ſolet perforare: In quo caſu nunquam perficitur curatio niſi avulſione dentis corrupti, igne actuali foramini ipſius abſceſſus adhibito: Ego quendam curavi frequenti uſu olei ex chalcantho; nam tota corrupta caro gingivæ hujus olei uſu, & lotionum, quibus utebatur poſt [illegible] eum, fuit ſeparata, & os mandibulæ corruptum magnitudinis avellanæ ſponte exiit: *Saxonia Prælect. Practic. part.* 1. *cap.* 18.

Sæpe ulcera Gingivarum in Fiſtulas abeunt, unde radix [illegible]entis cariem contrahit, & tandem ulcus foras penetrat. & ſub mento, quod ulcus ſtrumam eſſe quidam falſo ſibi perſuadent: Hoc cum fit, evellatur Dens, ſic enim Fiſtula exſtirpatur, reprimitur Gingiva, & quod reliquum erit facillime curabitur, quia putridus dens ulcus illud fovebat. Vide *Celſum* lib. 6. cap. 13. *Enchirid. med. Pract.*

II. Mulieri habitus melancholici in gingiva inferiori externa *caro excrevit dura, quæ* paulatim in ovi molem excrevit, cum dolore & odore gravi, exudante indeſinenter: Adhibitum conſilium, unicum in inciſione remedium, quam tanta hæmorrhagia ſequuta ut e vita diſceſſerit. *Zacutus Pr. adm. l.* 1. *obſ.* 93.

GONORRHOEA, POLLUTIO NOCTURNA.

SYLLOGE.

Cauſa non ſemper in genitalibus ſubſiſtit. 1.
Pro diverſitate cauſarum varianda curatio. 2.
Seminis à pure & puruleta diſcretio. 3.
Virulenta *adſtringentibus nunquam curanda.* 8.
Adſtringentium *uſus ſæpe noxius.* 5.
Temere non ſiſtenda. 5. 4.
Semen extinguentia *non ſemper locum habent.* 4.
In virulenta *vena pedis ſecunda.* 6.
Venæ ſectio *periculoſa eſt primis menſibus.* 16.
In ſpuria hidrotica *diuretica potiora.* 7.
Diuretica *valent.* 9.
Virulenta *venere immodica aliquando ſiſtitur.* 10.
Muliebris, *à ſeminis copia, cruda non ſiſtenda.* 11.
Gonorrhœæ excitatæ ob orificium veſicæ ulceratum & abſceſſum renum frigidum curatio. 12.
Seminis emiſſio cruor ob ulcus recti inteſtini. 13.
Gonorr. diuturna Balneis naturalibus *curatur.* 14.
Venerea *cum lue, febre, & membrorum omnium contractione Ebeno curata.* 15.
Nocturna Balneo & aliis ſanata. 16.
Semen imminuentium *diverſitas.* 17.
Externa agentia ex plumbo efficaciſſima. 18.
Varianda ratione temperamentorum. 19.
Non omnia omnibus conveniunt. 20.
Cavendum ne noceant. 21.
Mercurialia *an juvent.* 22.
Externe Oleis & Ungu. *parum proficiunt.* 23.
Tinctura martis antiphthiſica abuſus noxius. 24.
Gonorrhœæ virulentæ *curatio Sylviana.* 25.

I. SCribit *Rondeletius* cap. 57. Gonorrhœam difficulter curari niſi cauſa cognoſcatur, additque ſe noviſſe nobilem quendam, qui ab abſceſſu frigido renum diu hoc morbo laboraverat, & multo ſemper habuerat deterius cùm ſemen extinguentibus, frigidis vel calidis, uteretur: Se verò inſtituiſſe contrariam victus rationem, & juſſiſſe ut biberet vinum generoſum, & veſceretur alimentis optimis exſiccantibus & non flatulentis, quo modo curatus eſt: Et omnino non ſemper cauſa gonorrhœæ hujuſmodi in membris genitalibus hæret, ſed interdum etiam in aliis partibus, vel toto corpore; unde idem ea quoque exhibere jubet quæ ventriculi cruditatem corrigant, *Sennertus.*

II. Tergemina Gonorrhœæ diviſio, nec *Galeno* nec aliis Medicis perſpecta ſatis: ſunt homines qui renum, hepatis ac vaſorum ſeminalium calore ſemen genitale copioſum & calidum concipiunt, quos non raro per nocturna inſomnia ad excretionem proritat: Hæc ſpecies (cui uterque ſexus obnoxius) ſi modum excellerit, vires corporis ad tabem uſque exhaurit, Altera Gonorrhœæ ſpecies producitur ex putrilagine phlegmatis, vel ſalſi, vel etiam crudi copia, quæ non raro cum momento genituræ permiſcetur, ac præcipue à cerebro, per ſpinam dorſi, lumbos & renes, & etiam ab hepate per venas, ac nervos, qui ex omni corporis parte ad pudenda vergunt, per vaſa ſeminalia ac cremaſteras coleis annexas ad uterum & penem defertur, à quo non ſine horum excoriatione ſenſim deſtillant: Hujus fomentum eſt ſanguis crudus ac impuris humoribus permixtus, quorum colluvies non, ut alii cenſent, ad veſicam, ſed ad uterum ac verenda defluit, ac per meatum ſpermatis in penem excernitur: Horum humorum antè & poſt menſes profluvium (tum enim facta ſanguinis in principio ebullitione copioſius erumpunt, quamvis etiam in medio temporis, in quibuſdam non ſubſiſtant) Græci in utroque ſexo Gonorrhœam, Latini vero in mulieribus Menſtrua pituitoſa appellant, de quibus Hippocr. 1. de

M.tul. At hoc quod idem 2. de morbis monet, memori mente depoſitum velim, Niſi, *inquit*, in hoc ea catarrhi & genituræ à capite per ſpinam dorſi defluxu, quem formicarum motu ſenſim delabi pleríque ſentiunt, caput & corporis molem bene expurgaveris, patiens maraſmo, quem tabem dorſalem appellant, marceſcet ac morietur: Quivtramque Gonorrhœæ ſpeciem iiſdem curare remediis volunt, errabunt; primæ namque quæ refrigerant, adſtringunt, ob vaſorum imbecillitatem, & ſperma exſiccant, ſunt ſalutaria; quæ plane huic ſecundæ ſunt noxia; quæ non adſtrictoria & ingroſſantia frigore indiget, ſed ob humorum cruditatem & putrilaginem, ſui per vomitum aut alvi dejectionem, ablationem indicat: qua methodo ſolis purgationibus, ac ſobria victus ratione, plures ſanitati reſtitui: Tertia ſpecies Gonorr. ea lue venerea, Virulenta dicitur, in qua principio, vigilanti pariter & dormienti, virus album aut ſubcitrinum e vaſis ſeminalibus ſine ſenſu deſtillat, ac non raro penis cannam exeſt: Hæc autem ſpecies non melius quam Guajaci decocto, aut ex hydrargyro vnguento curatur. *I. Langius Epiſt.* 5. *lib.* 2.

III. Nutent juniores Medici, à paucis enim obſervatum invenin Practicis, Semen, Pus, Pituitam, etſi ſæpe eodem candore in vrina ſe exhibeant, facilè tamen à perito ita diſcerni: Semen ab aliis ſeparatum circa ſumma nat conſtanter, nec ſidit agitatum, ne quidem in gonorrhœa: Pus & Pituita fundum petunt; Sed ad minimum motum Pus omnino diſſilit, vt pene viſum fugiat, vrinamque galactoidem exhibet: Pituita gyratur: Puriformia partim diſſiliunt, partim rotantur; cæterum vtraque, quieſcente lotio, ſtatim ſubſident, ſemine ſemper nante, niſi magnam à virulentia putredinem contraxerit: putredine enim ſubeunte, ab extraneo calore evaporato, & conſumpto aëre, gravius ipſum fieri neceſſe eſt, atque ideo fundum petere, eique, dum moveatur hærere. *ab Heers Obſ.* 18.

IV. Fit aliquando ob flatuum copiam, cruditates collectas, vel vigilias, vel vſum flatus generantium: quam ſi medicamentis ſemen extinguentibus ſiſtere coneris, multò magis provocaveris, cùm talium medicamentorum genus ſummæ frigiditatis ſit particeps, vnde augetur intemperies illius profluvii cauſa. *Rondeletius.*

V. Nec temere, nec protinus, aut vtcunque Gonorrhœam ſiſtere expedit, nam ſæpe viſum eſt eos qui ſtuduerunt hujuſmodi ſeminis profluvia importune & violenter ſiſtere, præſertim antequam corpus ab ſpurcitiis purgetur, bubonibus fuiſſe correptos, inflammatione teſticulorum, renum & lumborum doloribus, & mille aliis afflictionibus vexari: Quapropter priuſquam parti affectæ manus adhibeamus auxiliatrices, corpori vniverſo providendum eſt, ne nobis quid ſimile aut deterius contingat: Ea igitur erit potior medendi ratio quæ vnamquamque cauſarum illidat, initio ſumpto ab eà quæ potiſſima eſt: hæc namque retentricis facultatis vaporum impotentia exiſtit. *Mercatus.*

V. *a* Circa curationem ejus quæ ex *ſemine aquoſo* & *tenui* fieri dicitur, diligenter obſervandum an verum ſit ſemen quod effluit, etſi aquoſius, dilutius & crudius: An verò, quod *Langius* monet l. 2. ep. 5. humores corrupti & vitioſi, qui in corpore congeſti, ad partes genitales confluant, & per meatum per quem aliàs ſemen ejicitur, excernantur: ſicut interdum vitioſi humores in corpore cumulati per vterum, & menſea albos dictos, evacuari ſolent: In primo caſu iis vtendum quæ ſemen incraſſant, ſtabile reddunt & detinent: In ſecundo, non incraſſantibus & adſtringentibus vtendum, ſed vacuantibus, cacochymiam corrigentibus, & bonâ diætâ. Hinc *Langius* l. c. Autum dejetare ſolis purgationibus, ac ſobria victus ratione, plures ſanitati reſtitui. *Sennertus.*

VI. In proſtatis & veſiculis ſeminariis ſedes eſt *Gonorrhœæ virulenta*, quæ ſi intempeſtive ſuppreſſa fuerit, virulentia toti corpori communicatur, vel ad teſtes refluit, ibique tumorem facit: vel ſi extendatur ad perinæum, niſi mature repellatur, abſceſſum facit, eroditque vrethram: Non tutum e brachio venam ſecare, ſi ardor his in locis ſit levis ac ſine febre: potius e pede educendus ſanguis, qua ſaphena oritur juxta inguen, & partibus illis duos ramos impertit, ideoq; larga V.S. erumpentibus bubonibus potenter revellit: Pauci vel nulli, exceptis *Palmario & Fallopio*, ſanguinem mittunt e brachio, quod ſuſpectum, metu luis venereæ, ob refluxum virulentiæ in viſcera habitumque corporis. *Riolanus Encheir. l.* 2. *c.* 35.

VII. Hoc tempore quidam materiam in toto expurgandam, imo & divertendam cenſent ad vias vrinæ, *Galeni* forſan exemplo qui in vxore Boëthi diutius, poſt hydragoga, diureticis feliciter vſus fuit: atque adeo præbent terebinthinam noſtram, lotam aqua malvæ cum pulvere liquir. Verum in praxi ego ea diureticis nihil laudabile ſequutum vidi: nec terebinth præbeo, niſi in vaſorum & penis contractionibus & convulſionibus: Quare felicem curationem ſucceſſiſſe vidi materia ad ambitum corporis derivata, diaphoreticis & ſudoribus, decocti alicujus accommodati ope. *Fortis conſult.* 25. *cent.* 4.

VIII. Gonorrhœa vulgò ab omnibus ſtatuitur vitium vaſorum ſpermaticorum vi in excitatum: veriori ſententia *Virſungius* vlcus id potius proſtatarum exiſtimabat, non tam ſemen quam ſaniem & affluentes humores corruptos eructans: quod & copia materiæ ſatis oſtendit, ſæpe congii quartam partem excedens, & odor quoque cum colore, aliud quam ſemen referentes: imprimis cum diutiſſimè aliquando perduraverit: Vixit Patavii vir xxx. annis continuis ejuſmodi proluvie laborans: Ipſa præterea materiæ, vrinæ permiſtæ, ſubſtantia, à ſemine diverſum quid repræſentat, cùm fundum petere ſoleat: illius autem natura eſt in ſuperficie natare; & confuſa vrina, non tamen divelli: Imò cadaverum ſectio frequenter id comprobat, quà vlcera in Proſtatis talia deprehenſa, vt hac de re vix vltra liceat dubitare: videantur *Rondeletius* Pract. lib. 2. c. 9. *Palmarius*, 2. de lue c. 9. Fluxum autem menſes annoſque durantem, ſine corporis debilitate, in muliere, non gonorrhœam ſed catarrhalem vocandum cenſebat *Camillus Thomajus* Meth. cur. cap. 57. Nec multum diſſentiens *Veſlingius*, vnicum ritè curandi ſcopum ſæpius nobis commendabat, abſtergere & ſiccare potiùs quàm adſtringere: hinc ipſe plurimorum commodo conſ. malvæ, & decocto althææ cum terebinthina & pulv. rhabarbari feliciter vtebatur: Ejuſmodi Gonorrhœam Patavii curatam vidimus exhibitis bolis ex caſſia cum terebinthina & Mercurio dulci ea arte præparato: necnon emulſionibus ex ſemine cannabino, aliiſque refrigerantibus cum ſpiritu Terebinth. Injectionibus mundificantibus ex ſero lactis, cum præcipitato albo quatriduum continuatis; deni-

que

quæ … ta ex Theriaca veneti, extracto juniperi, … m … Martis … ata: Nec alia … quam ſiccandi intentione, decoctum … rices (genus eſt garyophylli montani) … G. Harduynus de S. Jacobo. Velſchius …

… Doctor quidam hujus urbis Gonorr. Virul. … ridibus feliciter curat, quas vino Rhe… infuſionem alio liquore temperatam pro… cum initio non ſine ſummo crucia-tu & … ne veſicę cutam abſolveret, miſcuit tan… ygdalarum dulcium, ſyrupo Fer-nel… pſi barbati, & intra triduum beneficio copi… lum ſuaviter tollit. *M. I. Matthiad ad … h. cen. 4. Ep. 55.* Infuſum cantharidum alibi lauda… norrhœæ virul. & Iſchuriæ remedium, c… in ſucceſſum non ſemel ipſe ſum exper-tus … otatione verò ne noceant Cantharides in-tegras eſſe ſumendas: ubi veſicis exulceranda cutis, ex… na abiicienda, in quibus benignior facultas lat…, quæ ſervanda ſunt in infuſo hoc, vias urinæ expurgaturo: legi uno modo miſtum infuſum, quam, quantum ego viderim, vel cruciatum vel exulcera-tionem veſicæ provocaverit, ut nec pinguioribus abſtergentibus opus fuerit. *Th. Barth ibid. Epiſt. 54.*

X. Venus immodica commendatur, ut lanc quibuſdam profuit, profuſa cum ſemine venenata labe, quæ nondum in ſimilarium partium ſubſtan-tiam altius penetraverat: Quia tamen undecunque humores in partem affectam rapit, & phlogoſin excitat, intermittenda eſt. *Enchirid. Med. Pract.*

XI. Si fœminæ uterus ex continuo coitu ſemi-ne repletus ſit, non concipit, niſi uterus tanquam depoſita ſarcina eiiciat: quod ſtagnans per longam, imò longiorem temporis uſuram immoratur: hinc quandoque oriuntur molæ, hydrops, ventoſitas uteri & fluxus, fluori muliebri ſimilis, cùm tamen non ſit: Neque etiam ſit Gonorrhœa, quam ſi ſemel pariuntur mulieres, inpoſterum ſterileſcunt, fruſtra tentatis omnibus remediis: Cognoſcitur hæc ex-cretio, frigida enim exit materia, & fit ſine dolore & corporis emaciatione: Fluxus porro ille ſuppri-mendus non eſt, imo ciendus. *Panarolus Faſciculo 1. pag. 211.*

XII. Quidam cum febre exigua laborabat Go-norrhœa, ſuccedente febre continua, quæ eum ex-tinxit: Reperta ſunt ulcera in orificio veſicæ & vici-nis partibus, nec tamen de his querebatur. *Ballonius Epid. l. 2. p. 160.* Alius ab abſceſſu frigido renum diu huc morbo laboravit, qui multo ſemper deterius ha-buit cum ſemen extinguentibus frigidis uteretur. Inſtitui contrariam victus rationem, juſſique biberet vinum generoſum, uteretur alimentis optimis ex-ſiccantibus non flatulentis & curatus eſt: Et ob tu-morem renum frigidum humores frigidos collige-bat, à quibus flatus multi colligebantur: hi vero di-latabant meatus ſpermaticos, diſtendebant & dila-tabant ſemen. Talibus qui ob flatus laborant dan-da ſunt diſcutientia, ſiccantia, parum alentia & quæ non multos flatus generant: convenit optima victus ratio, & medicamenta probam concoctionem pro-moventia. *Rondeletius Pract. cap. 57.*

XIII. Quidam Spadam … ir … potentiæ re-medium quærens, quia ad primum labiorum conta-ctum ſemen emittebat, ſed aqueum & ſero ſimil-limum, … um in corpore ſano id accideret, nec aliam cauſam invenirem, dixi videri mihi … um inteſtini recti ulcere laborare, inde vaſa ſemini præparando, & ejaculando neceſſaria, putri aura in auras afflata ſemen generare, quod longæ tenſioni colis & flori-do coitui non ſufficeret: mox encolpiſmum ex ſolo melle concinnatum imponi curo, ſtatimque multo pure craſſo oblitus reducitur, hinc vocatus Chirur-gus digito ſe medio ulcus & magnum & profun-dum ſentire. Cui cum medicamenta nihil evidenter manifeſto proficientia, ſeceſſit neglecta cura. *Henr. ab Heers obſervat. Med. x.*

XIV. Non raro ab inundante humiditate in univerſo corporis ambitu, & venoſo genere, Gonor-rhœam concitari, laxatis & imbecillioribus factis vaſis ſpermaticis compertum eſt, hac de cauſa labo-raverat quidam hoc morbo biennio, cui ut retineret ſemen, quod erat ſeroſum & incoctum, & excremen-titia humiditas exſiccaretur, plurimis præmiſſis, tan-dem Balneis naturalibus aluminoſis quinque … ra-tus eſt: hæc enim fluxiones ad partes infe… ac-commoda ſunt, ex *Galeno* 1. ad *Glauc.* 14. … ſuperfluum humorem abſumunt, adſtringunt, … n-tem ſuccum mire compeſcunt. *Zacutus Pr. Adm. lib. 2. obſ. 126.*

XV. *Th. à Vega* de diff. febr. com… 8. hæc ha-bet, *Sæpe creditur hectica quæ ab humore dependet, propter exiguitatem febris cum duratione, quod ſæpe accidit in habentibus morbum Gallicum, & interna ulcera, & obſtructiones: Quibus licet tenues ſint, non eſt timenda purgatio, & ligni exhibitio, ſi creditur juncta qualitas Gallica fovens febrem, frequentiſſimo curantium experimento: ceſſat enim febris quæ he-ctica credebatur, ablata cauſa, aut humoris, aut deleteriæ qualitatis &c.* Medicus in Gallicoſo ju-vene, contracto, extenuato, valde febriente, & viru-lentam Gonorrhœam diu experto, ſolum ob febrim ſudorifica auxilia, ex ebeno & ſmilace aſpera re-nuebat: at ejus febris, tabes, purulenti humoris per penem excretio aſſidua, ex venenata qualitate luis Gallicę, tanquã a prima origine, ſcaturiens, latius du-xi, non ſperta febre & emanciatione illius efficaciã cardiacis & à tota ſubſtantia operantibus retunderet: ſicque refocillatis viribus, refrigerantibus prius ex-hibitis, alternis diebus tum emollientia unguenta contractis pedibus & brachiis impuno, tum lenia expurgantia do: his per epicraſin celebratis ad ſu-dorifica accedo, primis tamen diebus decocto ligni in aqua endiviæ parato: in poſtremis, quum minue-retur febris, eam detraxi: hic æger l x x. diebus his remediis uſus, x x. diebus evanuit febris, x l. ceſ-ſavit effluvium, quinquaginta artus movere cœpit, l x. omnino contractio ablata: l x x. obeſior factus, totum negotium naturæ & victui commiſit, & pro præſervatione uſus Ebeni decocto convaluit. *Zacu-tus Pr. Adm. l. 2. Obſ. 128.*

XVI. Quidam conqueſtus eſt quod patieba-tur fluxum ſpermatis in ſomno vehementer, & in æſtate ceſſabat penes abundantiam ſudoris: unde feci ipſum ſequi balneum, & ceſſavit quod in eo nocivum erat, & feci poſt ſanitatem perfectam aſſiduare bonam diætam, & in totum curatus eſt à gonorrhœa. *Rhaſis lib. 24. contin. 3. c. 1.* Sed cum aquæ dulcis balneum enervet, relaxet, & ſic humidi-tate ſua retentricem debilitet, qua de cauſa Hippo. 3. acut. 59. id interdicit debilibus? & Galen. 11. meth. 20. in partium inferiorum imbecillitate denegat, quia movet, liquat humores, & apriores reddit ut in partem debilem procumbant, quo pacto *Rhaſis* balneum conſuluit? Dico eſſe intelligendum *Rhaſin* de Gonorrhœa orta ex ſeminis vitio in vaſis contra-cto, cum enim ſemen vitioſum eſt, acre, calidum & mordax, tunc vaſa excitat ad expulſionem, & cor-pus colliquat, cujus calorem balneum mirum in modum attemperat, & humorum fervorem com-

peſcit. Dic. 2. *Rhaſin* conſuluiſſe Balnea naturalia, quæ fluxiones retinent, 1. *ad Glaucon.* 14. roborant, nimiam humiditatem abſumunt & adſtringunt, 1. de ſan. c. 7. & præſertim aluminoſa, 4. *k.* *y.* cap. 5. 6. Balneorum loco ſudorifica ex ebeno; ſmilace aſpera & china ſunt ex uſu *Zacutus*.

XVII. Semen imminuentia, ſeu antivenerea, vel *ſeminis proventum imminuunt*, non tam ſubtrahendo alimenti quantitatem (quod equidem multum ad imminuendam Venerem facit) quam illius collectionem remorantia, ſive *conſtringendo*, unde ſaturnina interius principem habent locum, inprimis ſacch. Saturni per evaporationem paratum, quod intenſivum quidem dulcorem linguæ ſtimulat, revera tamen partibus aceti deſtillati, cum metallicis conjunctis concentrat quaſi ſerum (ex noſtra enim ſententia ſemen ſeri flos eſt ſubtiliſſimus) quo minus turgere, vel ad partes genitales, prætterquam minus vegetum, poſſit pertingere, unde evirat, copioſius ſcil. adhibitum idemque conſtringit: Hinc & tinctura Saturnina, vulgo antiphthiſica dicta, rectius ſtyptica & antivenerea audit. Tum *diſſipando* & *conſiſtentiam ſemini-formem deſtruentia*, difflationem ſpirituum procurantia, qualia inprimis ſunt camphorata, & inprimis *amaricantia*, unde abſinthiaca, aloetica ex parte huc ſpectant, ſic vitex, folia rutæ &c. Vel *ſtimulum, orgaſmum*, & acrimoniam tollentia: qualia inprimis *aquea*, refrigerantia, ut nymphæa, lactuca portulaca, emulſiones &c. Uti enim renum calor, vel ſanguinis potius, & ſeri vigor multum facit ad ſeminis conquaſſationem in teſtium pampini formibus canaliculis & poris, ita quæ calorem diluunt temperantque minus vigoroſum ſemen fœnerant: hinc ebrioſi, qui nimio potu obruunt corpus, ad generandum inepti ſunt. Tum *terrea*, quæ præcipitant & imminuunt motum ſanguinis, & conſequenter ſeminis, ſic ex vegetabilibus fragaria, agrimon. &c. terra ſigillata, corallia, bolus Arm. os ſepiæ, quod, ejuſque magiſterium, gonorrhœæ curandæ non inconſulto adhibetur, ſantala omnia &c. Tum *acida*, quæ obtundunt ſulphur vividum ſanguinis, & una glutinoſæ ſeminis *συςάσιν* impediendæ apta nata ſunt, hinc commendantur acetoſa omnia: Sic obſervavimus hepaticum rubrum, ſeu cryſtallos tartari vitriolatos & ſunt alatos in pollutione nocturna minuenda egregium tuliſſe auxilium: Cuidam ex familiari ſpiritus vitrioli uſu, quo infirmitatem ſtomachi corrigere allaborabat, pudendum una cum teſtibus exhauſtum & extenuatum fuit. Tum *nitroſa* & *mercurialia*, quatenus fluxile reddunt ſemen, ſic in genere nitroſa, quæ una invertunt ſulphur, unde apud *Timæum* quidam extreme libidinoſus tandem nitri exhibitione largiori talis eſſe deſiit: Mercurialia vero præter idipſum, ſal acidum intime poſſident acidulum, ſerum & ſemen fluxile reddens, nervos rerum gerendarum exhauriunt, & muſculoſis ac nervoſis partibus debilitandis parata ſunt; hinc mercurius dulcis in gonorrh. ſimplici & virulenta imprimis commendatur: Vel denique *media*, quæ motum ſeri alias corrigere & fluxiones ſiſtere apta nata ſunt, adeoque affluxum moderantur, acrimoniam mitigant, conſiſtentiam balſamica ſua vi integram ſervant, & vaſcula ſeminalia roborant, exulcerata, laxata & viroſa abſtergunt, & aliorſum divertunt, qualia quidem in univerſum debentur catarrhis, ſeu notis ſeri quibuſcunque fluctibus, v. g. ſuccinata; unde obſervavimus taliſmodi divertentia, v. g. eſſentiam ſuccini, cum bezoardica & anodyna maritatam, feliciſſime gonorrh. abegiſſe; quo pertinent & ſudorifera ex lignis &c. Notandum enim ſemen imminuentium claſſem late patere, ad caſtitatem inducendam facere, vitiis, fluxionibus & ichoreſcentiæ ſeminis deberi, unde conveniunt, ſelectu quidem adhibito, in gonorrh. omni, ſimplici pollutione nocturna, & virulenta, effræni libidine, imo ipſis fœminis fluore albo affectis. *Wedelius de ſ. m. fac. p.* 225.

XVIII. Ex prædictis exterius multa ad calorem temperandum faciunt, Ita fol. vitis, ſalicis, agni c. exterius ſubſternere quidam ſolent, folia nymph. quæ tamen ſunt minorum gentium: Præ aliis hic memorari merentur Saturnina, quæ ut intrinſecus veneri ſunt adverſa, ita & extrinſecus inſignem huic rei præſtant opem, hinc laminæ plumbæ uſitatæ, non ſolum ob frigiditatem nativam, ob quam repellunt & temperant, verum & quia magnetice quaſi acrimoniam ſalinam extrahunt, id quod inde licet deprehendere, dum quælibet pars affecta ſub plumbeo hoc tegmine ſemper madere ſolet, in quo ſudore ſal acre calorem inuendens continuo egreditur, & ſua acrimonia Saturnum ſolvere tentans viſibiliter adhæreſcit, quæ ipſa attractio ſalis copioſa fit beneficio Mercurij quo Saturnus abundat: Mercurius autem deperdite quaſi contubernium ſalinum amat, adeoque exhalationem procurat, & facta prius refrigeratione actuali potentialem inducit. *Idem.*

XIX. Variat ſemen imminuentium virtus ratione temperamentorum; ut enim in genere quodvis agens agit ſecundum receptivitatis modum, ita quando apud authores contraria occurrunt, v. g. viticem, rutam, mentham venerem imminuere eandemque laceſſere, ſemen imminuere & producere, effectus illi diverſitati corporum ſunt adſcribendi: Sic mentha recens venerem auget, ſicca minuit. *Idem.*

XX. Variat eadem horum vis pro ſeminis ſtatu & abſumptione ſimplici indicata, vel adſtrictione, Neque enim omnia omnibus conveniunt, Sic in pollutione nocturna refrigerantia acida, aquea & leniter ſtyptica conveniunt: In gonorrhœa ſimplici, acida & nitroſa, & lixivioſa, quicquid etiam in contrarium tradant Practici, magis vitanda: In virulenta mercurialia in principio, acida vero & nitroſa minus proſunt; nitroſa in libidine auferenda potentiora, in fluxu vero exulare debent: media fluxioni magis quam quieti debentur. *Idem.*

XXI. Imminuendo ſemen cavendum ne in alterum extremum vel contrarium ruamus: hinc & in genere abſinthiaca, ſaturnina, & alia recenſita, in maritatis & recens nuptis minus locum habent, largiori ſcil. quantitate propinata, Et in juvenibus, pollutione nocturna præſertim affectis, caute cum his eſt mercandum: Pollutio nocturna morbus eſt ætatis, unde imminui quidem ſemen, & ejuſdem ὀργασμός & acrimonia refrænari poteſt, ſed non extingui debet: Novimus ſenem ſeptuagenarium calidioris temperamenti, quià prima juventute pollutiones nocturnas in extremum uſque ſenium paſſus eſt, & nihilominus copioſa prole beatus eſt. *Idem.*

XXII.

XXII. Mercurialia fluxum ſeminis adaugent potius quam reſtrænant, ſibi ſcil. relicta fluxile magis reddunt ſemen, unde obſervavimus ab eorum uſu, ut & a purgantibus adhibitis, fluxum ſemper quaſi augeri, Ut ut igitur in principio gonorrh. virulentæ & ſimplici etiam ſpecie cum purgante datus locum habeat, v.g. mercurius dulcis, illud tamen magis fit abſtergendi, mundificandi & divertendi gratia quam adſtringendi, Unde ut commode hoc modo datur, quo ulcus veſicarum ſeminalium, quod à coitu impuro contracta acrimonia exortum eſt, mundificetur & ad conſolidationem aptetur, ita ſi quis his ſolis velit pergere, & rem exhaurire, fruſtra erit: Tunc enim præmiſſis ſcil. hujuſmodi, roborantia ex agrimonia, ſagaria, ſuccinatis & ſimilibus, quæ laxos poreres firmant, acrimoniam mitigant, & fluxilitatem coercent, commodius ſubiunguntur. *Idem.*

XXIII. Externis oleis & ungu. pro abſumendo & inhibendo ſemine non fidendum, Hæc ipſa enim tonum partium genitalium magis laxant, fluxumque adeo potius promovent quam remorantur, Unde ung. rof. *Meſues*, refri. *Galeni*, ol. hyoſcyami, & quæ alia ſolent commendari, habent quidem aliquando ſuum locum, lumbis præſertim inuncta, ast præſtat internis potius quam his inſiſtere, neque teſtes iiſdem ungendo profeceris, ut taceam olea calorem quoque partibus fœnerari. *Idem.*

XXIV. Tinctura vitrioli Martis Saturniſata, antiphthiſica vulgo dicta, feliciter noſtro experimento ſuccedit, ſi in via humida acetum ſtillatitium Saturniſatum, ſeu quod ex minio dulcedinem ſaturatam ſibi comparavit, affundatur vitriolo martis, vel integro vel pulveriſato, & hinc poſt aliquot dies certa proportione addatur ſpiritui vini: vel in via ſicca, vitriolo martis & ſacchato ſaturni ana affundatur acetum & Spiritu vini mixta. Ab hac Tinctura ſolent ægri ut plurimum pollutione nocturna laborantes, præſertim largiori & continuata dozi, perdere appetitum. *W. Wedelius de S. M. Fac. p. 100. & Pharmac. p. 131.*

XXV. Vbi *Gonorrhoea virulenta* ſola ægrum urget, nec ab ipſa infecta eſt adhuc ſanguinis maſſa, illi ſoli curatio adhibenda: Ubi vero ulterius ſerpſit malum, & ſanguinis maſſam totam ſimul infecit, tum præmittenda, conjungenda ſaltem univerſalis cura: Inſtituetur autem hujus Gonorrhoeæ curatio rationalis, ſi conſideraverimus conſequi eam ulcus in Proſtatis & veſiculis ſeminariis: Quamvis enim non negem ſolam iſtarum partium debilitatem, poſt nimium coitum non raro remanentem, poſſe Gonorrhoeam parere, multis ſæpe annis permanentem, nunquam tamen erit ulla Gonorrhoea virulenta, niſi acceſſerit quod non tantum ſemen, verum ſanguinem quoque, ad partium harumce nutritionem accedentem, corrumpat in humorem acrem ac virulentum, qualis effundi ſolet in Gonorrhoea venerea, & virulenta ideo dicta: Illud vero quod tum ſemen, tum ſanguinem ita corrumpit, partem quoque continentem plus minus corrumpet, ac proinde ulcus, qualecunque tandem, in ipſa excitabit: Pars igitur illud virus continens, cum præter Proſtatas, & Veſiculas ſeminarias nulla alia eſſe poſſit, merito dicuntur illæ, aut ſimul aut ſeorſim ſaltem, ulcere laborare: quod hic minime prætereundum, ubi hujus ſymptomatis curationem inſtituimus, quæ nunquam feliciter abſolvetur niſi ſublato ulcere, ac morbo quem ſequitur illud ſymptoma: In virulentæ ergo Gon. dogmatica curatione, cogitandum de ulcere illo qualicunque mundando & iterum conſolidando, atque cauſa ejuſdem corrigenda vel tollenda. Ulceris hujus cauſa eſt humor acris & virulentus coitu communicatus, & circa hæc vaſa ſpermatica hærens, ſanguinem ac ſemen corrumpens, atque poſt ipſius corrupti effluxum aliqua ſui parte in ſolidis & continentibus partibus exulceratis remanens, atque novæ materiæ affluentis corruptione nova tum ulcus tum fluxum virulentum perpetuans: Curabit ergo ea arte ac feliciter Gonorrhoeam virulentam, qui 1. Fermentum illud virulentum & acre, ulcus excitans foveníque, atque ſanguinem cum ſemine corrūpens correxerit, aut è corpore plane exturbarit. 2. Ulcus ab ipſo productum mundaverit ac conſolidaverit: Atque hiſce paucis indicationibus ſatisfaciunt medicamenta omnia, vulgo in Gonorr. Virul. curatione commendata, uti facile obſervabit qui hæc omnia mente attenta conſideraverit, quamvis pauci curam inſtituentes hæc omnia ſatis obſervent, unde non mirum ſi tam ſæpe nulla vel tardior contingat ejus curatio: Humorem acrem ac virulentum corrigunt Emulſiones variæ hic uſurpari ſolitæ; Decocta emollientia & lenientia dicta, ex liquirit. hordeo &c. Ipſa terebinthina ejuſque oleum, Balſamus Peruvianus, ol. de Copiva &c. 2. Eundem humorem Acrem virulentumque per vias urinæ exturbant eadem fere Decocta, Emulſiones, Olea, & ipſæ cantharides &c. dum vi diuretica prædita una cum urina extrudunt fermentum illud virulentum: Hæc autem medicamenta omnia ſi quis attenta mente conſideraverit, facile agnoſcet illa humori acido acriori temperando expellendoque convenire, ac proinde Gonorr. virul. ab ipſo pendere ac produci, quemadmodum ea omnibus Luis ven. ſymptomatibus id probavimus, nunc medicamentis huic Gon. curandæ convenientibus, & talibus uſu ſolo compertis confirmamus: Omnia certe quæ potentius alterant, humoremq; in Gon. Vir. corrigunt, ſunt vel Aromatica, vel ſaltem plus minus acidum temperantia, inter quæ haud poſtremum locum occupant *Oculi cancri*, in hoc affectu curando tam utiles, ac neceſſarij: *Methodus* ergo *curandi* conſiſtit partim in alteratione ac contemperatione humoris acris, ulcus in ſpermaticis vaſis & Glandulis tum patientis tum foventis, partim in ejuſdem plus minus contemperati expulſione cum urinis, proxima nempe via & commodiſſima: In quem finem uſurpari quoq; poſſunt decocta ſudorifica, in univerſali luis curatione laudata, Quippe quæ non tantum per ſudores, verum per urinas quoque humores peccantes expellunt, quinimo acres quoque acidos temperant: partim in *ulceris mundatione*, hinc & *conſolidatione*, tum per terebinthinam lotam, tum per eandem coctam, tum per ipſius oleum, tum per Peruvianum Balſamum, oleum de Copiva, balſamum ſulphuris multiplicem &c. Partim in earundem glandularum proſtatarum, & veſicularum ſeminalium, hoc maligno fluxu debilitatarum, *corrobo*ratione, per blande adſtringentia & aromatica, ſale ſaltem fixo & Acidum frangente donata, Caſtoreum, ſuccinum, myrrham, maſtichem, corallia, lapidem hæmatiten, laccam &c. interne aſſumenda, & ſimilia, Olea maſtichinum puta, & alia forinſecus circa perinæum uſurpanda: Atque tali methodo curabitur feliciter Gon. Virul. qua neglecta, vel non ſatis obſervata, redditur quandoque, ea parte ſaltem, incurabilis, ac præſertim ratione partis longo fluxu extreme debilitatæ. *Fr. Sylvius de le Boë Append. Tr. 3. §. 332. & ſeq.*

GVRGVLIONIS AFFECTVS.

SYLLOGE.

Tumido *inſperſio pulvernm aliqnando nocet.* 1.
Quando juvat. 2.
Ad excifionem elongati *non properandnm.* 3.
Cante exſcindendus. 4.
Vlceratus *cnm ſtudio curandus.* 5.
Imprndenter reſectus mortis cauſa. 6.
Pulveres gargariſmis præferendi. 7.

I. CVrandum eſt ne corpore exiſtente impuro, aut inflammatione & affluxu humorum tentata parte affecta, medicamentis calidioribus & erodentibus facile utamur; Vti etiam ſi maligna aliqua qualitas, ex humore atrabilario progenita, quæque cancrum ſapit adfuerit: Cancroſa enim ulcera à medicamentis erodeoribus exaſperantur irritanturque: In his potios medicamentum ex cineribus gammarorum, cum eorum menſtruo confectum applicarem: Vxor N. ab equitatiooe ſub ardenti ſole, catarrho ad Vvulam & fauces correpta fuit: Advocatus barbitonſor, cum Vvulam tumidam deprehenderet, pulverem ſumme calidum & acrem quotidie ter quaterve inſufflavit: hinc exorta inflammatione & abſceſſu periculoſiſſimo, non ſolum Vvula, ſed & cartilagines narium eroſæ fuerunt, ulceraque hinc inde in facie eruperunt: Matrona cum ob catarrhum Vvula relaxata ioflammataq; fuiſſet, & aqua regia indiſcretè applicata eſſet, ingens ſequuta eſt cum vitæ periculo inibi inflammatio: Ex pulvere piperis longi & croci, gulæ & faucibus inſperſo, angina periculoſiſſima ſequuta. *Hildann. Cent. 6. Obſerv.* 15.

II. Quod ſi ad formam acini degeneret, ac gurgulionem anguſtari ad ſupernas partes videris, tunc amplius refrigerantibus & reſtringentibus non eſt utendum, ſed diſſolveotibus mediocriter eſt pugnandum, ut gargariſmata ex ſola aqua calida; vel in qua ſit coctum aliquid fœnugræci ac fœniculi, & cum ſpatha, reſperſa pipere, cumino & fœniculo recentiſſimis eſt contrectandus: Nec piper hoc in loco eſt metuendum, nam plerumque uſurpatur ſolum feliciſſimo ſucceſſu ubi gurgulio flammeus eſt: unde plebei audent dicere, hoc argumento ſuffulti, piper potentiæ frigidæ eſſe, putantes calida tantum expelli à frigidis, ignari inflammationum præcipuam curam abſolvi à calidis, reſolventibus id quod parti hæret. *L. Botallus l. de Catarrho c.* 8. §. 16.

III. Non ſtatim eſt præſcindendus ac tennior ſit pediculus palleſcereque incipit, ſed tentandæ prius ſcarificationes, quæ propemodum emortuis partibus extemporaneam ferre opem conſueuerunt: nec enim unquam gangræna membrum ſuffocabit ſi hæ tempore ſint adminiſtratæ: At Vva conſtituta in gangrænam labitur, vel jam lapſa eſt: At cur id ſcarificare formidabis ubi ſpes adhuc reſtitutionis, quod amputare ſtatueris? *Idem ibidem.*

IV. Non nimis præcipitanter facienda abſciſſio, ſi ullo alio remedio poſſit ſanatio abſolvi, quod aliquando ex ejus ablatiooe & vox lædatur, aut tabes ſequatur, aut excitetur ſanguinis profluvium quod ægerrimè ſiſti poteſt. Antequam autem abſcindatur, videndum eſt qualis ſit figura & color: Non enim tangenda eſt ſi ſit rotunda inferiore ſui parte, & ſuperiore gracilis, veluti ex pedunculo pendente. Aut etiam ſi valde rubicunda ſit & veluti cruenta, i.e. guttis ſanguinis perfuſa, aut ſi dolorem inferat: talis enim ſi tangitur in carcinoma facilè tranſit: contra ſi tenuis ſit & oblonga, & ima ſui parte nec valde rubicunda, ſed albicans, tuto poteſt abſcindi, ita tamen ut id ſolum abſcindatur quod præter naturæ modum eminet: Non ita pridem à Chirurgo columellam compreſſam vidimus inſtrumento, Roſtro corvino dicto, ore ægri prius valde aperto, dein altera maou partem columellæ, quæ erat infra inſtrumentum, forcipe abſcidit, indeque nullus dolor, nulla inflammatio aut hæmorrhagia ſequuta eſt. *Enchirid med. Pract.*

V. Quantopere oporteat Medicos in Gurgulionis ulceribus curandis eſſe ſollicitos hoc exemplo fiet manifeſtum: Septem vidi ex hac cauſa Tabidos effectos occubuiſſe; præter plurimos qui illo corroſo & præciſo vocis inſignem læſiooem, aſthma &c. paſſi ſunt. *Zacutus Prax. Admir. l.* 1. *Obſ.* 18.

Inſtrumenta ad Vvulam abſcindendam vide apud Hildanum cent. 2. *obſ.* 21, *Thom. Bartholinum hiſt.* 88. *cent.* 2. *Scultetum Tabul.* ix.

VI. Presbyter habebat apoſtema in Vvula, cui alius presbyter abſcidit Vvulam totam cum forfice: qua abſciſſa, corpore patientis multum plethorico exiſtente, ſanguis & humores in tanta quantitate ad pectus defluxerunt, & ſequuta tanta pectoris & pulmonis strictura, quod patiens vix poterat anhelare, & finaliter non potuit ſpuere nec pectus purgare, & tertia die ſuffocatus mortuus eſt. *Valeſcus c.* 5. *l.* 3.

VII. Gargariſmata, etſi eadem eſſe debeant in ejus relaxatione qualia in gingivarum & faucium ulceribus, initio adſtringentia & repellentia, poſt reſolventia & exſiccantia, tamen ubi nulla eſt inflammatio pulverum uſus efficacior eſt, ſic enim potentius conſtringitur & exſiccatur. *Riverius.*

INDICIS

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER OCTAVVS.

De Affectibus à litera H. incipientibus.

HABITVS CORPORIS VITIA, Cutanei Affectus.

(Vide *Scabies lib.*15.*Coſmetica lib.*19.)

S Y L L O G E.

Habitus corporis vitiari poteſt illæſis viſceribus 8.
Parce vena ſecanda 1.
Impetigo fera *curationem Luis ſimilem poſcit.*2.
Retrocеſſio cavenda. 3.
Repellentibus quando utendum 4.
Hirudinibus partis admotis ceſſit. 5.
Varis *faciei deliteſcentibus, Paralyſis oborta.* 6.
Rubor pertinax faciei *vena frontis aperta curatur.* 13.
Guttæ roſaceæ *an Acidula.* 12.
Puſtula ulceroſa fontanellæ in crure cedunt 11.
Fonticulo in crure ſanata 15.
Herpeti *ſudorifica an conducant.* 9.
Admotione hirudinum curata Gutta roſ. 16.
Corroſivus *in tibia, adhibito ſtyptico in lethalem ventriculi phlegmonen deſinit.* 18.
Mundificationi corporis ſtudendum. 16. 4.
Exanthematis *an v. ſ. vel pharmacum.* 14.
Nigrores digitorum *ſuffitu deleti.* 10.
Pedum fœtori *caute medendum.*7.
In Doloribus externis, catarrho adſcriptis, convenit ſangu. miſſio, etſi cauſa ſit frigida. 15.

I. HIppocr. lib. de Humor. etſi Revulſionem in oppoſita parte jubeat fieri, excipit tamen *humores in Cutem effuſos*, quos intro revelli prohibet, quia Partes internæ externis ſunt nobiliores: præterea quia humores ſemel ad cutem effuſi malam ſuſcipiunt qualitatem, ita ut ſi interna petant ſint ſemper pernicioſi: Hoc præceptum præ oculis habeant Medici, dum morborum ſummam cutim infeſtantium curationi incumbunt, ne ſanguinem in ea copia mittant ut revulſionem faciant ad interiora, ne forte contingat quod Rev. N. qui ploraâ laborans, ſanguinem ſecta vena ad quatuor libras ſibi extrahi voluit: Vnde eo ipſo die facta per V.S. humoris in cute corrupti in venas majores revulſione, febre maligna correptus eſt quæ illum die 5. è medio ſuſtulit. Ego enim in hujuſmodi affectibus ſanguinem non mitto, aut ſaltem in minima quantitate, tum ratione prædicta, tum quia cacochymia potius viget quam plethora. *Pr. Martianus comment. in cit. loc.*

II. Medicus quidam *Impetigines feras*, aliis deſperatas, feliciter percurabat exhibito per 40. dies in jure pulvere ex zarzæ, rhabarb. & ſennæ p. æq. confecto, partique læſæ illito unguento ſolo ex ſuccis r Nimirum ejuſmodi vitia, Lui cognata, eandem curationem ferè poſtulant, quod olim I. B. Montanus monebat: Similes pulveres commendant alii, quemadmodum decocta quoque ex purgantibus & ſudoriferis permixtis N. *Maſſa* p. 1. Ep. 30. quem alij ſequuntur; quanquam improbent *Rondeletius*, *Sennertus* & *Chalmetæus*, qui iis nunquam vſi, quod minus commoda periculo non careant, ob motus contrarios; quos etiam purgationi ſub cane comparandos cenſet Ballonius l. 1. Epidem p. 41. Experientia tamen utilia oſtendit. *Velſchius obſerv.* 84.

III. Puer annos decem natus *Impetigine* affligebatur quæ ichoroſam materiam ſudabat: ſuccedente boreali conſtitutione ſuppreſſa eſt tota illa materia & in pulmonem converſa, quæ horrendum excitavit aſthma, quod deſiit recurrente ſtatim auſtrali conſtitutione. *P. Pachequus ad Riverium obſ.* 53.

IV. *Galen.* 14. meth. c. 17. loquens de *Herpete*, ait Si modicum excrementi repellatur ad partes

principes, hoc modicum non lædit, quia hoc à viſceribus reſolvitur, Ibi loquens de herpete Matronæ Romanæ, quæ nunquam ſanari poterat medicamento ex alga, niſi poſtquam Gal. clanculum in ſerum lactis ſcammonium iniecerit: cauſa eſt, quia non erat modicum quod ad partem læſam conſluebat: Repellentia ergo ante excrementi evacuationem ſemper nocent, niſi caſu quo illud ſit modicum. *Sanctorius de Remed. Inv. c. 15.*

V. *Sacro igni* mulieris melancholicæ crus exedenti, optime profuit ſanguiſuga, eliciens ex proximis venis fervidum aduſtumque ſanguinem, qui perennem fomitem pervicaci ulceri hactenus ſuppeditaverat: quo exuto, facillime ceſſit reliqua moleſtia ſoli pani aquæ immacerato. *Nic. Tulpius lib. 4. obſ. 13.*

VI. Quidam *Varis faciei*, ob hepatis caliditatem, parumper ſaltem infeſtatur, qui ſecundas celebraturus nuptias certis remediis illos abegit, paulo poſt arthritide primum corripitur, deinde paralyſis utriuſque brachij ſequitur ac brevi mors. *Ph. Salmuth. cent. 2. obſ. 35.*

VII. Aliquando *Pedum ſudores* mulieres mirificè torquent, quos cohibere nituntur: cui morbo facile veloxque remedium indicabo, nempe ſi in calceo lineo pulverem foliorum myrthi imponant, ſed advertendum ne in morbos pejores incurrant, quod ſæpius vidi: A pluribus morbis liberat iſta excretio, juvanda potius quam coërcenda. *D. Panarolus Pentec. 3. obſ. 16.* Nob. Germanus, Aulam Sereniſſimi Principis ſectatus, conſilium petit à Medico contra Pedum ſudorem & fœtorem: Hic udones indui jubet immerſos vino rubro in quo diſſolutum foret alumen, & ſimul pilulas ex aloe aliiſque præſcribit, cum Opiata ex exſiccantibus & diaphoreticis concinnata, quę corpus à putredine & humiditate ſuperflua immune tueretur: Inſigne præſtant & præſens juvamen udones, adeo enim pedum denſſatur cutis ut poſt hac nullus erumperit ſudor: Pilulæ vero & Opiata impares ſunt Medici ſcopo; Paucis poſt menſibus ſuccedunt leves leipothymiæ & inſolitæ vertigines: Sereniſſimi Principis Comes Genevam venit anno 1674. atque à me remedium quærit contra moleſta & periculoſa hæc ſymptomata: Non renuit Vir Nobiliſſ. præſidia quæ in priorem ſtatum deducerent: Præmiſſis univerſalibus, excitantur duo fonticuli in tibiis; Pedes per menſem abluuntur lixivio ex detergentibus & chalaſticis parato, pedeſtri exercitio frequenter utitur, eo pacto ſolenni revocato effluvio ſymptomata verenda deſierunt.

VIII. *Habitui corporis* peculiaris conſtituta eſt & reſpublica, & regimen, habet idem etiam ſuos morbos ab interiore regimine non dependentes: vocatur ὄγκος τῶ σώματος à Coo, & Galeno, Totius corporis moles: Ad eam pertinent arteriæ & venę ad muſculos & cutim pertingentes. Scabies cutanea ſæpe oritur viſceribus nihil peccantibus, quæ ſolis etiam curatur externis: Contingit etiam ferina ſcabie cutim infeſtari, dito manantibus tabo, & fomitem ſubminiſtrantibus arteriis, dum cum ſanguine fæces impuras advehunt, eæque à venis non receptæ & revectæ in poris relinquuntur. *Rolfincius Diſſert. Anat. p. 1283.*

IX. *a.* Scopus eſſe debet humores per centrum educere, totius enim corporis humores excrementitios ad circumferentiam per hidrotica ducere in particulari, non univerſali, affectu cutaneo, è re nobis non adeo videtur: facile namque affectus cruſtaceus, qui peculiarem & ignobilem partem obſidet, univerſalis totius corporis evadere poſſet. *Fortis.*

X. Angelica N. aliquot jam annis *Nigrores in digitis* manus, non ſine aliqua corruptione & unguium oſſiculorum deceſſu fuerat paſſa: frigidioris hæc conſtitutionis, ſegnis & torpida: Nigrores ſuffitu peti, atque eiuſdem cerato deleti ſunt illo anno: mox altero recurrentea, vulgaris cinnabaris ſuffitu ſunt omnino diſcuſſi, ſic ut non recurrerent amplius: *Severinus med. Eff. p. 195.*

XI. An *nimio Rubori faciei, tuberoſiſque & vultuoſis bibonibus.* Aquæ Spadanæ utiles ſint. &c. cum tubera illa, ſive puſtulæ, ut plurimum ab hepatis calore immodico pendeant, hæ autē aquæ hepar inſigniter calefaciant, ut patet in hydropicis, cachecticiſque & menſtruorum retentione laborantibus, quorum hepar frigere in confeſſo eſt, eoque ab his aquis concalfacto plurimos curati vidimus, certum eſt ſi quis diu has aquas biberit, rubicundiori & tuberoſiori quam in Spa venerit, vultu abiturum, ut in multis obſervavi: Cæterum cum tuberones illi bibacoli fere ſemper à ſanguinis aduſtione hepatis inſignem aliquando, alias minorem, meſaraicarum, obſtructionem contrahant, ad decem praeter propter dies, tuto acidos fontes potabunt, ut nimirum obſtructione aperientium horum fontium uſu ablata, frigidiorum auxilio, hepar ad temperiem revocent: *Heer p. m. 156.*

XII. Aliquando accidit *Rubor in facie* ex multitudine ſanguinis, qui defertur per venam magnam quæ eſt in medio frontis, & ſubito per intervalla ſpargitur per totam faciem, & illinc paulatim recedit, ſtatim tamen redit: Ill. Comitiſſa ob hanc cauſam me vocavit, & dum mecum loqueretur, ſtatim effuſus eſt ſanguis ex illa vena in totam faciem; Aſpiciens venam illam magnam in fronte ſanguine plenam, ſuaſi ut apertionem pateretur, feci ei radere capillus ſuper commiſſura coronali per latitudinem unius ſcuti, ſuper ipſa vena, dimittendo de capillis in parte ſuprema frontis, & ſub loco raſo, ne facies deformaretur, & in loco raſo ſuper prædicta vena feci applicare ruptorium, & dixi Chirurgo ut ſolum per horam ſuper dimitteret, quo poſt binorium remoto facta eſt tanta ſanguinis effuſio ut Chirurgi faciem fœdaverit; qui debebat comprimere venam à naſo ad vulnus, ut ſanguis qui ea erat in parte vacuaretur, & ſuper eum locum defenſivum apponere; Ipſe vero tertius, ſtatim vulnus compreſſit & ligavit, & ſanguis qui erat in loco prædicto deſcendit in naſum, qui inde intumuit, ſed appoſito emplaſtro ſanatus: Curato itaque vulnere, ſtante tota vena abſciſſa, ipſa remanſit libera, diſparente rubore &c. *Petrus Bayrus Pract. lib. 7. cap. 3.*

XIII. Geminę ſunt morborum conſtitutiones, una quorum eſſentia in facto eſſe ſubſiſtit, non amplius à cauſa præcedente dependens: de hac perinde ut pro catarctica nulla ſumitur remediorum indicatio, quoniam evanuit: Altera eſt quorum eſſe adhuc à generatione cauſæ præcedentis & efficientis dependet: ut virus ex canis rabioſi morſu conceptum, ac per corporis molem diffuſum diu deliteſcit, donec viſcerum & cordis naturam infecerit, tum ſubito rabies canina in hydrophobis emergit: Pariter menſtrui ſanguinis impuritas, quo viſcera embryonis cōcreta ſunt, ut puriore ejus parte fœtus alatur, aliquot annos intra viſcera latet, donec ejus contagione, ebullitione in ſanguine facta Variolas & morbillos producat: *Hinc patet* hos morbos, quorum eſſentia non amplius à cauſa præcedente dependet, nec amplius eorum materia in alto

corpo-

corporis ſanguini permixta præcordiis aut venis [illegible] d ad e [illegible] nā corporis molem naturæ viribus integre protruſa eſt, nec ſ.m. nec purgatio negere [illegible] aliqua [illegible] lius portio, aut contra naturam [illegible] corpore adhuc reliqua fuerit: Unde *Hippocr.* 1. aph. 2 [illegible] recte monuit, Quæ judicantur & recte judicata ſunt, neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere oportere. Has vero integras humoris noxij excretiones in his morbis plurimum accidere videmus quæ cum ſanguinis ebullitione oriuntur, ut eſt febris bubonum, ephemera, ſudor Anglicus, eryſipelas, puerorum exanthemata: & hanc ſanguinis ebullitionem, ut [illegible] cis & tumulto, ub aquoſa & cruda excreméta, vel [illegible] ſcentia, fieri conſtat: nam quum in omnium [illegible] aturalium ſuccis tria excrementorum genera [illegible] ineantur, unum terreſtre, quod in vino fæx eſt: aliud aëreum, quod dicto quoque flori in vinis reſpondet; tertium aquoſum & crudum, quod tempore aut calore ferveſcens, in humoribus & ſuccis ebullitionem facit, Sic quum puerorum viſcera, materno ſanguine nutrita & concreta, qui ob deſidem muliebrem vitam, & caloris imbecillitatem plus æquo aquoſior [illegible] coctus exſtit, quis non illius contagione & ſordibus tenerum pueri corpus conſpurcari & ſuperfluitatibus redundare credat? Quæ cum in maſſa ſanguinis, aut præcordiis, calore febrili incalverint, tum eas natura, velut muſtum ebulliens, fæces ad externa corporis eructat, unde Exanthemata fiunt: Sic quoque ſanguis in hepate, aut venis, utriuſque choleræ putredine effervescens, illius ſordes ad ambitum corporis expellit, unde in inguinibus Bubones, in aliis membris Eryſipelata, Serpigines, Anthraces & Phlegmones oriuntur, Et cum corpus per criſin à noxiis humoribus integre expurgatum fuerit, quod urina, ſanguinis ſerum, ſanorum lotio ſimilis facta indicat, tum fruſtra phlebotomia aut pharmaco ſanguinem purgaremus, & tum potius præfata morborum exanthemata, ac reliquiæ & ſymptomata facile externis remediis aut fomentationibus curarentur: Quemadmodum in illa diuturna peſte quæ Romæ *Galeni* temporibus ſæviit, His, *inquit lib.5.meth.* qui mortem evaſuri erant, puſtulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore conferti n erumpebant: eratque intuenti perſpicuum reliquias eas eſſe ſanguinis qui in febre putruerat, quas velut cinerem quempiam natura ad cutim truſiſſet, verum, *inquit*, medicamentis ad ejuſmodi exanthemata opus non fuit, cum ſua ſponte ſiderent: Sic quoq; ego Scabiem, & Crurum œdemata, cum poſt aliarum febrium, tum præcipue quartanæ febris, criſin oborta, ſponte exoleſcere, citra omne medicamentorum ſubſidium plus centies vidi: Quod ſi tum phlebotomia facta fuiſſet, aut pharmacum exhibitum, ingens fuiſſet periculum ne per eas venas, per quas materia morbi expulſa fuerat, rurſum ad interna viſcera retraheretur: nam & ſtomachus famelicus alimoniam viſceribus & membris tranſmiſſam, per eaſdem vias repetere, alioſque humores e viſceribus in ſinum ſuum allicere poteſt: At quum illa fœda cutis aſperitas, vulgo ſcabies dicta, ex impuro ſanguine cholerico, vel aduſto aut fæculento [illegible] ſalſi phlegmatis liquore permixto oriatur (qualem hepar ob ſuam dyſcraſiam, vel non raro ex eſculentis & poculentis mali ſucci producit) quem natura non confeſtim, ſed ſenſim cum corporis alimento citra ſanguinis ebullitionem ad corporis membra diſpergit, & illa ſua contagione inficit & alterat, unde fit ut ejus ſucceſſiva regeneratio non modo ab hepatis dyſcraſia, velut ab interna cauſa antecedente, [illegible] ſplenis, cujus [illegible] à membrorum co[illegible] hic opus eſt [illegible] dejectione ſanguis expur[illegible] patis intemperatura ſplen[illegible] tur corrigaturque: Et tandem [illegible] ne expurgato, operæ pretium [illegible] que corporis molem potionibus [illegible] ſeris, aut balneis thermiſve ſulphureis [illegible] ex hydrargyrio confectis exſicces, & ab hac [illegible] contagionis lue membra externa quoque [illegible] ces: Quandoquidem vero recentis morbi puſtulæ cum ſcabiei, præcipue feré, exanthe[illegible] magnam habent aſſinitatem, quam communia [illegible] uſque remedia arguunt, ac, præter externas contagionis cauſas, ambo ab interna corrupti ſanguinis & humorum infectione & ſordibus dependeant, quis obſecro etiam poſt expulſas ad corporis ſuperficiem puſtulas, ſanguinis per phlebotomiam & pharmaca evacuationem in utriuſque cura plurimum momenti habere inficiabitur? *Ioh. Langius Epiſt.15.& 16.lib.1.*

XIV. Iuvenis faciem *Puſtulæ ulceroſæ* deturpabát, ut metus eſſet ne in elephantiaſin abiret affectus; Cum malum a jecore excalfacto & retorrido, ob nimium piperis uſum, oriri intelligerem, multa tentaui ad id refrigerandum & roborandum, à quibus cum malum inſoleſceret, ut humor ex partium diuturna debilitate genitus ad imas contráriaſque corporis partes detraheretur, ſpirareque jecur, Fontanellam in dextro crure aperiendam curavi, ex qua cum impura ſordes emanaret, priſtinum faciei nitorem recuperavit. *Zacutus Pr.adm.l.1. Obſ.74.*

XV. Optimum in his caſibus, (Herpete &c.) ad mundificationem corporis præcipue reſpicere, ſæpe aut cacochymia, aut menſium ceſſatio ſuppeditare cauſam ſolet: Utrobique igitur faciendum quod res jubet: Præter quæ etiam ſudores ſunt neceſſarij. Quibus præmiſſis felicior à topico cura expectanda. *Hartmannus Pr.cap.27.§.2.*

XVI. Quemlibet *Dolorem contumacem*, corporis aliquam partem infeſtantem, ſine manifeſta inflammatione, vulgus Medicorum excludit ab ope miſſionis ſanguinis, eo quod affectus hi fiunt à cauſa frigida, defluente, inquiunt, à cerebro; Cui cauſæ ſubiiciunt non modo dictos dolores, ſed etiam *Tuſſes* omnes diuturnas, de quibus omnibus Medici ſe ſatisfeciſſe rogantibus ægris putant, cum dixerint dictus affectus eſſe catarrhos, à cerebro decumbentes in partes ſubjectas, quibus nullo modo propoſitum auxilium poteſt convenire, ſed purgationes tantum, & victus tenuis, & id genus alia: Qui cum Medici tum ægri decipiantur ipſa res docet & exempla. Dom. de *Varennes* annos natus lxxv. ad cervicem & humerum a multis menſibus detinebat dolor aſſiduus, & lentus, quem Medici frequenti purgantium uſu, & calefacientibus linibus curare ſtuduerunt: à quibus cum ille parum aut nihil levaretur, illi ſalutarem dixi ſanguinis miſſionem, Ille contra obiicit inconſuetudinem mittendi ſanguinis, ſenilem ætatem, inchoantem hyemem, morbum à frigidis humoribus & flatibus ortum: ſed morbi incremento & perſeverantia impulſus remedium admittit: mitti ſanguinem juſſimus ex brachio affectæ partis ad ℥x: poſt aliquot dies parem modum ex adverſo, cum maxima utilitate, tandem iterum ex altero, & ſic liberatus eſt: Non tamen interea contemplimus purgantium, & linimentum calefacientium & diſcutientium uſum: Simili contumaci *dolore*

principes, hoc modicum non lædit, quia hoc à viſceribus reſolvitur, Ibi loquens de herpete Matronæ Romanæ, quæ nuuquam ſanari poterat medicamento ex alga, niſi poſtquam Gal. clanculum in ſerum lactis ſcammonium iniecerit: cauſa eſt, quia non erat modicum quod ad partem læſam conſuebat: Repellentia ergo ante excrementi evacuationem ſemper nocent, niſi caſu quo illud ſit modicum. *Sanctorius de Remed. Inv. c. 15.*

V. *Sacro igni* mulieris melancholicæ crus exedenti, optime profuit ſanguiſuga, eliciens ex proximis venis fervidum aduſtumque ſanguinem, qui perennem fomitem pervicaci ulceri hactenus ſuppeditaverat: quo exuto, faciliime ceſſit reliqua moleſtia ſoli pani aquæ immacerato. *Nic Tulpius lib. 4. obſ. 13.*

VI. Quidam *Varis faciei*, ob hepatis caliditatem, parumper ſaltem infeſtatur, qui ſecundas celebraturus nuptias certis remediis illos abegit, paulo poſt arthritide primom corripitur, deinde paralyſis utriuſque brachij ſequitur ac brevi mors. *Ph. Salmuth. cent. 2. obſ. 35.*

VII. Aliquando *Pedum ſudores* mulieres mirificè torquent, quos cohibere nituntur: cui morbo facile veloxque remedium indicabo, nempe ſi in calceo lineo pulverem foliorum myrthi imponant, ſed advertendum ne in morbos pejores incurrant, quod ſæpius vidi: A pluribus morbis liberat iſta excretio, juvanda potius quam coërcenda. *D. Panarolus Pentec. 3. obſ. 16.* Nob. Germanus, Aulam Sereniſſimi Principis ſectatus, conſilium petit à Medico contra Pedum ſudorem & fœtorem: Hic udones indui jubet immerſos vino rubro in quo diſſolutum foret alumen, & ſimul pilulas ex aloë aliiſque præſcribit, cum Opiata ex exſiccantibus & diaphoreticis concinnata, quę corpus à putredine & humiditate ſuperflua immune tuerentur: Inſigne præſtant & præſena juvamen udones, adeo enim pedum denſſatur cutis ut poſt hac nullus erumperit ſudor: Pilulæ vero & Opiata impares ſunt Medici ſcopo; Paucis poſt menſibus ſuccedunt leves leipothymiæ & inſolitæ vertigines: Sereniſſimi Principis Comes Genevam venit anno 1674. atque à me remedium quærit contra moleſta & periculoſa hæc ſymptomata: Non tenuit Vir Nobiliſſ. præſidia quæ in priorem ſtatum deducerent: Præmiſſis univerſalibus, excitantur duo fonticuli in tibiis; Pedes per menſem abluuntur lixivio ex detergentibus & chalaſticis parato, pedeſtri exercitio frequenter utitur, eo pacto ſolenni revocato effluvio ſymptomata verenda deſierunt.

VIII. *Habitui corporis* peculiaris conſtituta eſt & reſpublica, & regimen, habet idem etiam ſuos morbos ab interiore regimine non dependentes: vocator ὄγκος τοῦ σώματος à Coo, & Galeno, Totius corporis moles: Ad eam pertinent arteriæ & venę ad muſculos & cutim pertingentes. Scabies cutanea ſæpe oritur viſceribus nihil peccantibus, quæ ſolis etiam curatur externis: Contingit etiam ferina ſcabie cutim infeſtari, dito manantibus tabo, & fomitem ſubminiſtrantibus arteriis, dum cum ſanguine fæces impuras advehunt, eæque à venis non receptæ & revectæ in poris relinquuntur. *Rolfincius Diſſert. Anat. p. 1283.*

IX. *a.* Scopus eſſe debet humores per centrum educere, totius enim corporis humores excrementitios ad circumferentiam per hidrotica docere in particulari, non univerſali, affectu cutaneo, è re nobis non adeo videtur: facile namque affectus cruſtaceus, qui peculiarem & ignobilem partem obſidet, univerſalis totius corporis evadere poſſet. *Fortis.*

X. Angelica N. aliquot jam annis *Nigrores in digitis* manus, non ſine aliqua corruptione & unguium oſſiculorum deceſſu fuerat paſſa: frigidioris hæc conſtitutionis, ſegnis & torpida: Nigrores ſuffitu peri, atque eiuſdem cerato deleti ſunt illo anno: mox altero recurrentes, vulgaris cinnabaris ſuffitu ſunt omnino diſcuſſi, ſic ut non recurrerent amplius: *Severinus med. Eff. p. 195.*

XI. An *nimio Rubori faciei, tuberoſiſque & vinoſis bibonibus.* Aquæ Spadanæ utiles ſint: a. cum tubera illa, ſive puſtulæ, ut plurimum ab hepatis calore immodico pendeant, hæ autē aquæ hepar inſigniter calefaciant, ut patet in hydropicis, cachecticiſque & menſtruorum retentione laborantibus, quorum hepar frigere in confeſſo eſt, eoque ab his aquis concalfacto plurimos curari vidimus, certum eſt ſi quis diu has aquas biberit, rubicundiori & tuberoſiori quam in Spa venerit, vultu abiturum, ut in multis obſervavi: Cæterum eam tuberoſi illi bibaculi fere ſemper à ſanguinis aduſtione hepatis inſignem aliquando, alias minorem, meſaraicarum, obſtructionem contrahunt, ad decem præter propter dies, tuto acidos fontes potabunt, ut nimirum obſtructione aperientium horum fontium uſu ablata, frigidorum auxilio, hepar ad temperiem revocent: *Heer p. m. 156.*

XII. Aliquando accidit *Rubor in facie* ex multitudine ſanguinis, qui defertur per venam magnam quæ eſt in medio frontis, & ſubito per intervalla ſpargitur per totam faciem, & illinc paulatim recedit, ſtatim tamen redit: Ill. Comitiſſa ob hanc cauſam me vocavit, & dum mecum loquerentur, ſtatim effuſus eſt ſanguis ex illa vena in totam faciem; Aſpiciens venam illam magnam in fronte ſanguine plenam, ſtati ut apertionem pateretur, feci ei radere capillos ſuper commiſſura coronali per latitudinem unius ſcuti, ſuper ipſa vena, dimittendo de capillis in parte ſuprema frontis, & ſub loco raſo, ut facies deformaretur, & in loco raſo ſuper prædicta vena feci applicare ruptorium, & dixi Chirurgo ut ſolum per horam ſuper dimitteret, quo poſt bihorium remoto facta eſt tanta ſanguinis effuſio ut Chirurgi faciem fœdaverit; qui debebat comprimere venam à naſo ad vulnus, ut ſanguis qui ea erat in parte vacuaretur, & ſuper eum locum defenſivum apponere; Ipſe vero territus, ſtatim vulnus compreſſit & ligavit, & ſanguis qui erat in loco prædicto deſcendit in naſum, qui inde intumuit, ſed appoſito emplaſtro ſanatus: Curato itaque vulnere, ſtante tota vena abſciſſa, ipſa remanſit libera, diſparente rubore &c. *Petrus Bayrus Pract. lib. 7. cap. 3.*

XIII. Geminę ſunt morborum conſtitutiones, una quorum eſſentia in facto eſſe ſubſiſtit, non amplius à cauſa præcedente dependens: de hac perinde ut pro catarctica nulla ſumitur remediorum indicatio, quoniam evanuit: Altera eſt quorum eſſe adhuc à generatione cauſæ præcedentis & efficientis dependet: ut virus ex canis rabioſi morſu conceptum, ac per corporis molem diffuſum diu delitescit, donec viſcerum & cordis naturam infecerit, tum ſubito rabies canina in hydrophobis emergit: Pariter menſtrui ſanguinis impurtias, quo viſcera embryonis cócreta ſunt, ut puriore ejus parte fœtus alatur, aliquot annos intra viſcera latet, donec ejus contagione, ebullitione in ſanguine facta Variolas & morbillos producat: *Hinc patet* hos morbos, quorum eſſentia non amplius à cauſa præcedente dependet, nec amplius eorum materia in alto

corpo-

[illegible]oris ſanguini permixta præcordiis aut venis [illegible] ſed ad externam corporis molem naturæ viribus integre protruſa eſt, nec ſ.m. nec purgatio neg[illegible] aliqua [illegible]ius portio, aut contra naturam [illegible] [illegible] o[illegible]ore adhuc reliqua fuerit: Unde *Hippocr.* s. [illegible]h. 2 recte monuit, Quæ judicantur & recte judicata ſunt neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere oportere. Has vero integras humoris noxij excretiones in h[illegible] morbis plurimum accidere videmus quæ cum ſanguinis ebullitione oriuntur, ut eſt febris bubonum, ephemera, ſudor Anglicus, eryſipelas, puerorum exanthemata: & hanc ſanguinis ebullitionem, ut [illegible] & multo, ob aquoſa & cruda excrementa, vel [illegible]centia, fieri conſtat: nam quum in omnium rerum naturalium ſuccis tria excrementorum genera contineantur, unum terreſtre, quod in vino fæx eſt: aliud aëreum, quod dicto quoque flori in vinis reſpondet; tertium aquoſum & crudum, quod tempore aut calore ferveſcens, in humoribus & ſuccis ebullitionem facit, Sic quum puerorum viſcera, materno ſanguine nutrita & concreta, qui ob deſidem mulierum vitam, & caloris imbecillitatem plus æquo aquoſior mini[illegible] [illegible] coctus exiſtit, quis non illius contagione & ſordibus tenerum pueri corpus conſpurcari & ſuperfluitatibus redundare credat? Quæ cum in maſſa ſanguinis, aut præcordiis, calore febrili incalverint, tum eas natura, velut muſtum ebulliens, fæces ad externa corporis eructat, unde Exanthemata fiunt: Sic quoque ſanguis in hepate, aut venis, utriuſque choleræ putredine efferveſcens, illius ſordes ad ambitum corporis expellit, unde in inguinibus Bubones, in aliis membris Eryſipelata, Serpigines, Anthraces & Phlegmones oriuntur, Et cum corpus per criſin à noxiis humoribus integre expurgatum fuerit, quod urina, ſanguinis ſerum, ſanorum lotio ſimilis facta indicat, tum fruſtra phlebotomia aut pharmaco ſanguinem purgaremus, & tum potius præfata morborum exanthemata, ac reliquiæ & ſymptomata facile externis remediis aut fomentationibus curarentur: Quemadmodum in [illegible]a diuturna peſte quæ Romæ *Galeni* temporibus ſævijt, His, *inquit lib.5.meth.* qui mortem evaſuri erant, puſtulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore confeſtim erumpebant: eratque intuenti perſpicuum reliquias eas eſſe ſanguinis qui in febre putruerat, quas velut cinerem quempiam natura ad cutim truſiſſet, verum, *inquit*, medicamentis ad ejuſmodi exanthemata opus non fuit, cum ſua ſponte ſiderent: Sic quoq; ego Scabiem, & Crurum œdemata, cum poſt aliarum febrium, tum præcipue quartanæ febris, criſin oborta, ſponte exoleſcere, citra omne medicamentorum ſubſidium plus centies vi[illegible] Quod [illegible] tum phlebotomia facta fuiſſet, aut pharmacum exhibitum, ingens fuiſſet periculum ne per eas venas, per quas materia morbi expulſa fuerat, rurſum ad interna viſcera retraheretur: nam & ſtomachus fam[illegible]licus alimoniam viſceribus & membris tranſmiſſam, per eaſdem vias repetere, alioſque humores e viſceribus in ſinum ſuum allicere poteſt: At quum illa fœda cutis aſperitas, vulgo ſcabies dicta, ex impuro ſanguine cholerico, vel aduſto aut fæculento, falſi phlegmatis liquore permixto oriatur (qualem hepar ob ſuam dyſcraſiam, vel non raro ex eſculentis & potulentis mali ſucci producit) quem natura non confeſtim, ſed ſenſim cum corporis alimento citra ſanguinis ebullitionem ad corporis membra diſpergit, & illa ſua contagione inficit & alterat, unde fit ut ejus ſucceſſiva regeneratio non modo ab hepatis dyſcraſia, velut ab interna cauſa antecedente, ſed non raro quoque ab obſtructione ſplenis, cujus officium eſt ſanguinem expurgare, & à membrorum contagione quoq; dependeat, proinde hic opus eſt ut non modo inciſa vena, crebra alui dejectione ſanguis expurgetur, ſed ut quoque hepatis intemperatura ſplenisque obſtructio detergatur corrigaturque: Et tandem corpore ſic prius bene expurgato, operæ pretium erit ut externam quoque corporis molem potionibus ex theriaca ſudoriferis, aut balneis thermiſve ſulphureis, aut unguentis ex hydrargyrio confectis exſicces, & ab hac concepta contagionis lue membra externa quoque vindices: Quandoquidem vero recentis morbi venerei puſtulæ cum ſcabiei, præcipue feræ, exanthematibus magnam habent affinitatem, quam communia utriuſque remedia arguunt, ac, præter externas contagionis cauſas, ambo ab interna corrupti ſanguinis & humorum infectione & ſordibus dependeant, quis obſecro etiam poſt expulſas ad corporis ſuperficiem puſtulas, ſanguinis per phlebotomiam & pharmaca evacuationem in utriuſque cura plurimum momenti habere inficiabitur? *Ioh. Langius Epiſt.15.& 16.lib.1.*

XIV. Iuvenis faciem *Puſtulæ ulceroſæ* deturpabát, ut metus eſſet ne in elephantiaſin abiret affectus; Cum malum à jecore excalfacto & retorrido, ob nimium piperis uſum, oriri intelligerem, multa tentaui ad id refrigerandum & roborandum, à quibus cum malum inoleſceret, ut humor ex partium diuturna debilitate genitus ad imas contrariasque corporis partes deferretur, ſpiraretque jecur, Fontanellam in dextro crure aperiendam curavi, ex qua cum impura ſordes emanaret, priſtinum faciei nitorem recuperavit. *Zacutus Pr.adm.l.1. Obſ.74.*

XV. Optimum in his caſibus, (Herpete &c.) ad mundificationem corporis præcipue reſpicere, ſæpe aut cacochymia, aut menſium ceſſatio ſuppeditare cauſam ſolet: Vtrobique igitur faciendum quod res jubet: Præter quæ etiam ſudores ſunt neceſſarij. Quibus præmiſſis felicior à topico cura expectanda. *Hartmannus Pr.cap.273.§.2.*

XVI. Quemlibet *Dolorem contumacem*, corporis aliquam partem infeſtantem, ſine manifeſta inflammatione, vulgus Medicorum excludit ab ope miſſionis ſanguinis, eo quod affectus hi fiunt à cauſa frigida, defluente, inquiunt, à cerebro; Cui cauſæ ſubiiciunt non modo dictos dolores, ſed etiam *Tuſſes* omnes diuturnas, de quibus omnibus Medici ſe ſatisfeciſſe rogantibus ægris putant, cum dixerint dictos affectus eſſe catarrhos, à cerebro decumbentes in partes ſubjectas, quibus nullo modo propoſitum auxilium poteſt convenire, ſed purgationes tantum, & victus tenuis, & id genus alia: Qui cum Medici tum ægri decipiantur ipſa res docet & exempla. Dom. de *Varennes* annos natus lxxv. ad cervicem & humerum à multis menſibus detinebat dolor aſſiduus, & lentus, quem Medici frequenti purgantium uſu, & calefacientibus litibus curare ſtuduerunt: à quibus cum ille parum aut nihil levaretur, illi ſalutarem dixi ſanguinis miſſionem, Ille contra obiicit inconſuetudinem mittendi ſanguinis, ſenilem ætatem, inchoantem hyemem, morbum à frigidis humoribus & flatibus ortum: ſed morbi incremento & perſeverantia impulſus remedium admittit: mitti ſanguinem juſſimus ex brachio affectæ partis ad ℥x: poſt aliquot dies parem modum ex adverſo, cum maxima utilitate, tandem iterum ex altero, & ſic liberatus eſt: Non tamen interea contempſimus purgantium, & litium calefacientium & diſcutientium uſum: Simili contumaci *dolore*

cervicis, cum capitis gravitate affectum Rev. N. Medici purgationibus & aliis remediis inutiliter curare laborabant, quem nos ter ſecta vena, ad ſeſquilibram ſanguinis pro una vice, percuravimus, contra ſpem & conſenſum aliorum medicorum. Non ſemper igitur in frigidis, aut à nobis creditis frigidis morbis, utilis eſt abſtinentia miſſionis ſanguinis, ſed adverſa: Quare in morbis contumacibus (quamvis fiant à materia frigida) funditus aut iniuſto parcius à S. M. abſtinere prudentis Medici nó eſt: cum certum ſit quamlibet corporis partē nutriri ab ea materia quæ in venis eſt, quæ quanto frigidior & craſſior fuerit, reliquum etiam eſt affectum, à dicta materia concitatum, graviorem & contumaciorem reddi: quam materiam dicimus partim minuendam miſſione ſanguinis, & partim etiam purgatione & attenuante victu, quo repurgata & renovata maſſa ſanguinis morbus curetur. *Botallus lib. de curat. per S. M. cap.* 12.

XVI. *Guttam rubidam, ſeu rubram, vocant Medici, quando cum maligno tumore facies intenſe rubeſcit, cum moleſtia ſumma.* Hoc vitio importune quidam vexatus multa expertus erat, quæ bilem torridam purgarent, & maleficam vim retunderent, ipſa ungenta mercurialia (quia luis ſuſpicio) Cum adeſſet in facie calida intemperies, optimum etiam affluens alimentum corrumpens, octo hirudines in facie apponendas curo, hinc ſanguine educto craſſo, fœdo & nigro, puſtulæ evanuerunt, nec affectus recruduit, cui exſiccantia & refrigerantia admota non erant ex uſu. *Zacutus Pr. Adm. l.* 1. *Obſ.* 75.

XVII. Incautus Medicus ad curationem *Herpetis* exedentis, crura & tibia depopulantis, in juvene robuſto, tempore verno natura ad extremas partes humorem biliosum propulſante, citra totius providentiam adſtringentia & exſiccantia, 1. levia ex pompholyge, deinde fortia ex alumine & ſublimato uſtis, parti ulceratæ impoſuit; vix ter remedium admotum quando coërcito humore, ſuborto in regione ventriculi immani dolore cum vomitu, febre, &c. ventriculi inflammatio exorta eſt, quare revocandum humorem ad partes inferas conſului, frictionibus, ligaturis &c. ſed nullis præſidiis juvantibus occubuit. *Zacutus Pr. Adm. l.* 2. *Obſ.* 178.

HÆMOPTYSIS.

SYLLOGE.

An vena ſecanda. 2.
Locus venæ ſectionis. 1.
Cucurb. ſecunda præſertim cum ſit à bile. 16.
Cucurbitularum *uſus* 3.
Fonticulorum *locus*. 40.
Mulieribus hæmoptoicis an provocandi menſes. 4.
Complicatæ cum pleuritide curatio. 38.
Ortæ à frigore peculiares debetur. 39.
Ligaturæ extremorum *inefficaces.* 14.
Grumos diſſolventibus *cauté utendum.* 9.
Vſus eorum. 42.
Poſca *quando exhibenda.* 18.
Narcotica *tutò poſſunt exhiberi.* 19.
Adſtringentibus *internis non diutius inſiſtendum.* 6.
Calida & tenuia iis adduntur. 21. 23.
Mala Punica *an commoda.* 7.
Acidulæ *quæ conveniunt* 29.
Ab iis quando cohibetur. 32.
Eclegmata *parum juvant.* 28.
Spirituoſa *& tenuia non proſunt.* 24.
Tinctura corallorum *ſuſpecta eſt.* 25.
Pulvis Scaligeri. 43.
Vrticæ ſuccus *an conveniat.* 26.
Olei lini *uſus.*
Non omni Amylo *utendum.* 17.
Galenica curandi ratio methodica eſt. 30.
Purgandi *methodus.* 31.
Cum affatim prodit ſanguis citius non adſtringendum. 41.
Sanguinis *converſio in pus procuranda.* 34.
Concreti ſolutio promovenda, vel concretio impedienda. 35.
Etiam curato malo in uſu remediorum perſiſtendum. 36.
Medicamenta unicuique individuo congrua quærenda. 37.
In inquiſitione cauſarum medicus ſit ſagax. 13.
Revulſionis ad diſtantiſſima pro præſervatione præſtantia. 11.
Externis adſtringentibus *non ſemper locus.* 5.
An Balneum *poſſit concedi.* 10.
Vis ſudorum *per ſtuphum ſiccum.*
Si ſit ab eroſione *vehementer ſiccantibus utendū.* 8.
Inedia *an utilis.* 20.
Victus tenuis & attenuans *nocet.* 22.
Qualis äër *conveniat.* 12.
Aquæ ſulphureæ *noxiæ cum cauſa eſt à capite.* 33.
Curandi ratio, ſi adſit ſimul ſanguis coagulatus. 44.
Decocta & ſyrupi ad conſolidandu vaſa & ſanguinem ſiſtendū minus conveniunt quam mixtura. 45.
Etſi nullus amplius ſanguis, aut Pus e pectore extundatur, à remediis tamen non deſiſtendum. 46.

I. GAlenus 5. meth. c. 8. internam cubiti *venam ſecat*, eamq; iterum ſequenti die ferit: *Trallianus* l. 7. c. 1. ſanguine è talo miſſo ſe plus profeciſſe ait quam è brachio; quòd fortior fiat revulſio: Meſues & Avicennas in præſervatione ſaphenam aperiunt, in curatione venam cubiti, & rectè; ubi enim materia jam affluxit, & adhuc copioſè fluit, ut inflammationis metus ſit, vena in talo ſecta nimis tardum affert auxilium, ideo cubiti vena ferienda; Si ex hepate venit ſanguis, dextri, autore Archigene: Si ex liene tumente, ſalvatella ſiniſtra; ut & eadem ſi ex thorace & pulmone fluat, ſi non magno impetu. In mulieribus autem menſtrui fluxus ratio habenda, cujus libertas multis commodis beat: Hic verò diſtinctione utendum: Cum ſtato tempore contingens utilis ſit, extra id vix conciretur, ſi hæmoptoicæ, ſuppreſſis menſibus vel non, ijſint in procinctu, Saphena pertundatur: ſic Medicus, naturæ miniſter, ei ſuppetias feret, revocatione ſanguinis ad uterum, quo pertinet aphor. 5. 32. Si diſtet menſium fluxus, diſtinctione iterum opus, nam ſi congeſti circa uterum ſanguinis indicia ſint, nec dum is ad pectus cum impetu irruat, è talo ſanguis ducatur: Si ad pulmones magno impetu influat; copioſior prætetea in uteri venis contineatur, inferiores & ſuperiores venæ tundantur: diſtante autem menſium fluxu, cubiti vena primò aperiatur, quæ aperta præſens auxilium allatura eſt, à venæ ſectione in Talo non expectandum. *Sennertus.*

II Vehemens eſt hoc vitium, nam prædium vitæ, ſanguis, effunditur: quare & prompto & valido remedio hic opus eſt, tale eſt *venæſectio*: Galenus emiſit ſanguinem in juvene, qui refrigeratis ſpiritus organis ſanguinem reiiciebat: Subſcribit Aretæus, Si ſanguine, *ait*, diſtentæ ſint venæ, in qualibet ſanguinis profuſione ſecentur, ſive ex fractura aut eroſione ſanguis profluit: conducit & cum rarefactio in

cauſa

ca eſt, ne copia ſiangatur vena: Si tamen, *ait idem*, *Æger* fuerit tenuis & inops ſanguinis, venam ne ſcindito: Monet quoque prudenter Trallianus, Omni modo, inquit, in cubito ſecanda vena: At ubi jam exſpuunt ſanguinem ab eroſione, vita ſ. m. nam exſuccum eſt horum corpus, & in tabem pronum. *Heurnius l. de morb. Pect. c. 6.*

II. Si vires aut ætas non admittant S. M. *Cucurbitæ* admoveantur natibus, lumbis (modò ab infimis partibus non prodeat ſanguis) vel hypochondriis, non pectori. Si ab orto, infernis: Qui cucurbitas jecori aut lieni ſine ſcarificatione admovent, id interdum bonis ægrotum rebus efficiunt, interdum cum calamitate eorum faciunt: Nam ſi ex ictu vel lapſu vas fuerit in his partibus ruptum, hincque naribus ſanguinem rejecerit per os aut nares, tu ſi id impedis, viſceribus phlegmonem acceſſes inſignem: Quod ſi in his vas fuerit recluſum, non autem ruptum, aut eroſum, tuto tunc cucurbitæ admovebuntur. *Heurnius ibidem.*

IV. Mulieribus ſanguinem ſpuentibus menſes provocari jubet Avicenna l. 3. ſen. 10. tr. 3. c. 6. Sanguis, *ait*, inferius reclinatur in mulieribus per provocationem menſtruorum in hora ſuâ: Audiendus verò is de provocatione menſium quæ fit ope frictionum partium inferiorum, cucurbitarum admotionis, imò ſaphenæ ſectionis: non de ea quæ fit internis medicamentis exhibitis: Ipſe enim ſibi contrarius eſſet, cum moventia (à quibus ſanguis incaleſcit, attenuatur, efferveſcit ac acrior redditur) ægris his interdicat.

V. Videndum ne dum prodeſſe cupimus, vehementer lædamus, Nam *Galenus*, *Maximè*, inquit, l. de conſt. art. c. 17. *ledere eos novi qui ſanguinem ex pulmone exſpuentibus adſtringentia per totum thoracem medicamenta in orbem circumponunt, nam præter id quod eorum facultas in pulmonem non penetrat, ſanguinem etiam, qui in thorace eſt, ad viſcera compellunt.* Idem ſentit l. 5. meth. c. 6. de frigidis citra adſtrictionem: Neque tamen hæc ita accipienda ut nunquam poſſint adhiberi, tutò enim poſt derivatam vel revulſam fluxionem poſſunt in vſum duci, ipſo annuente *Galeno* eodem loco, Ergo, *ait*, omnino, nec ſine diſcrimine, nec omni tempore, loca quæ circa particulam vnde ſanguis fluit, ſunt poſita refrigeranda ſuaſerim, imò poſteaquam in alia prius averteris. Noxia quoque adſtringentium admotio ſi ſimul anguſtia, aut compreſſio, ac quævis reſpirandi difficultas comes eſt.

VI. Si *Stringentium* vſu ſanguis in pulmone retentus inceperit putreſcere, da aperientia & reſolventia, quò prodeat ſanguis niger & putidus, ac poſtea mundum viſcus reddatur & glutinantibus curetur, *Heurnius c. 6. l. de morb. Pect.* Ubi ſpuit æger ſãguinẽ in tuſſi, urgẽt duę indicationes, nã ob reſpirationis neceſſitatẽ ſeſe expandere debẽt alę pulmonum, unde expectoratione opus eſt: ſed ſanguinis effuſio adſtrictioni pectoris ſtudendum eſſe ſuadet: his duabus, non ſine mirabili quadam proprietate, ſatisfacit ſyrupus myrtinus: addatur ſyrupus portulacæ quo craſſeſcat ſanguis *Idem. meth. l. 2. c. 8.*

VII. *Trallianus* l. 7. c. 1. in ſanguinem ſpuentibus ſe *lapide hæmatite* feliciter uſum *ait* cum ſucco polygoni: Sed dubitabis qui fieri poſſit, ut acida, de quibus loqui intelligo, proſint ſi ea aperiunt & incidunt: quoniam acida frigiditas ſubtilium eſt partium, ſic docente Galeno l. 4. de ſimpl. med. facult. c. 3. 7. 8. & 17. Dic eum de ſucco mali Punici cum nucleo aſſumpti eſſe intelligendum, hoc enim modo alvum ſiſtit, citra nucleum ſecedit & provocat, ut ait Hippocr. lib. de affect. n. 49. Solve a, dicendo Trallianum de ſucco mali Punici omnis acerbo intelligendum, qui cum acerbus ſit & intenſè auſterus, vehementer adſtringit &c. *Zacutus med. Princ. hiſtor. v. lib. ej.*

VIII. *Galen.* cap. 6. l. 5. meth. ait ſi Eroſio exigua ſit exhibendos Paſtillus *Andronis*, *Polydæ*, paſtillos è charta combuſta, qui habent vim abſumendi materiam fluxam & purulentam, c. 1. lib. 3. κατὰ τόπους, & conficiuntur è vehementiſſimis medicamentis, tũ ex aliis, tum è chalchanto: unde aliqui habent pro ſecreto oleum deſtillatum è chalchanto, cujus gr. j aut ad ſummũ ij exhibent cum aqua plantaginis: Medici noſtri his nunquã utuntur: dant ſaccharum roſatũ, bolũ Arm. aq. roſ. & omnes ægri moriuntur, quoniã niſi fiat exſiccatio ex integro, non eſt poſſibile tolli ſolutam unitatem: urget igitur maximè purulenta materia, quæ ſiccans indicat, ob id ſolis paſtillis utebatur Galenus: Soluta unitas indicat uniens ſeu adſtringens vehementer: Si igitur ſanguis fluat paulatim, magis poteſt quod indicat ſiccans, quam quod indicat adſtringens; quia ubi ſanguis paulatim fluit, ſoluta unitas eſt exigua, quare non multum poteſt; magis igitur poteſt quod indicat ſiccans: ſufficit ergo ſolis uti Paſtillis: At ſi ſanguis in magna copia fluat, & vitium producatur ex eroſione, primò oportet uti ſolis adſtringentibus, quoniam magis poteſt ſoluta unitas quam purulenta materia: ſoluta enim unitas magna eſt, cujus ſignum eſt magna ſanguinis profuſio, ideo magnum imminet periculum, & proinde niſi illico occurramus vehementer adſtringentibus, tanta poteſt fieri profuſio ſanguinis ut homo illico moriatur: Ideo Galenus 1. utitur ſolis adſtringentibus, 2. vehementer adſtringentibus & paſtillis, quia utrumque indicans eſt æquè vehemens, eſt præſens utrumque, nam eo tempore æqualiter poteſt materia abradens & ſoluta unitas, ideo cum adſtringentibus miſcentur paſtilli ſiccantes: Tandem utitur ſolis paſtillis, quia eo tempore ita imminuta eſt ſoluta unitas, virtute adſtringentium, ut occurrendum ſaltem ſit materiæ abradenti: propterea utitur ſolis, non deſpiciens tamen ſolutam unitatem. *Capivaccius Pr. lib. 2. c. 7.*

IX. Difficultas eſt de tempore exhibendi *grumos diſſolventia*, quippe quæ vaſa reſerent non claudant: Ad examen ergo revocandum utrum plus urgeat ſanguinis impetus, an ejus concretio: Si ruptura ſit vaſorum pulmonis, cum phlegmones metu, aut ſanguis impetu feratur, illico is ſiſtatur: illo autem retuſo ex parte, ſanguine ſcilicet minus affatim fluente, aut colore ejus non adeo florido exiſtente, grumos diſſolventibus locus eſt, poſt quæ ad glutinantia veniendum, vel ad ea quæ ex utriſque conſtant, e. g. oxymel & ſyrup. portulacæ cum bolo Armena: Sin hæmoptyſis vaſorum thoracis ruptionis ſuccedanea ſit, cum inde phthiſeos metus non immineat, ſanguis ante agglutinationem priùs expurgandus & diſſolvendus: Eadem methodus eſto, ejuſque concreti diſſolutioni incumbatur, ſi is ob ἀναςάμωσιν è pulmonibus efferatur, nec enim ullus inflammationis metus immineat: De iis quæ propinantur, monet *Aretæus* ut tenacia ſint, quò concretio ſuccedat: Inter hæc laudatur coagulum leporis, quod parca manu exhibendum, nam copioſa coagula interimunt, ait idem *Aretæus*.

X. *Galenus* 5. meth. c. 13. mulierem ex deſtillatione ſanguinem ſpuenti in *Balneum* duxit ac lavit: quod abſonum videtur, ſi de dulcis aquæ lavacro audiatur, hoc enim, eodem judice multis in locis, cum emolliat, vaſa dilatet, ſudat, liquetque ſangui-

nem ineptum videtur, quare id ad prouocandam hæmorrhagiam ut remedium ſtrenuum conſuluit l.3.de vict.acut.com.59. Imò nec frigidum conveniens videtur Benetto Theatri Tabid.p.87. Frigido lavacro, *inquit*, ſi immergatur hæmoptoicus, aut narium hæmorrhagia correptus, exinde malum incrementum ſumpſiſſe deprehendet: A calore verò ſuperficie tenus, vel extremorum intenſo, remedium: Id autem de momentaneo & parco intelligendum: Si enim frigidum ſit, largum & longum, eum effectum edere poteſt, hoc enim cutim cogit, contrahit, inſpiſſat ſanguinem, conſtringit & ad motum ineptum reddit: Galenus ergo ſequutus morem & conſuetudinem ſui temporis, in tale balneum deduxit mulierem.

XI. Novenni puellæ vlcus, parentum precibus inductus, *Spigelius* cùm glutinaſſet, ea paulò poſt exſpuit ſanguinem: In conſilium vocatus ille, ulcerato priùs loco fonticulum infixit, propinatoque ſimul decreto juvenculam non à rabe modo, ſed in meliorem ſtatum reduxit; quæ diu ſuperſtes fuit: Itaque ſedulo expendendus venarum & arteriarum conſenſus. *I. Rhodius cent.*1.*Obſ.*35.

XII. *Frigidus aër* vitandus videtur, tum quod ſæpe ejus efficacia vas aliquod in pulmonibus abrumpatur: tum quod tuſſiculam aliquam inducere poſſit, à quo vas magis dehiſcat: At revera à calido majus periculum imminet, quia dilatando fluxum augere poteſt: à diuturnitate autem fluxis major dilatatio: Tuſſicula autem quæ à frigido inducitur, ſpiritus cohibitione facilè ſedari poteſt: neque aër domeſticus tanto frigore ſtringit ut inde vaſorum ruptionis ſit periculum: cum tantùm effectum edere frigidus aptus natus eſt cùm plenitudo corpus obſidet, qua dempta nullum ſubeſt.

XIII. Imponit ſanguinis valida ſputio cum tuſſi bonis Medicis: vel à cunctis notis falſi exiſtimant eum à pulmone proficiſci, cum ex capite illabatur, vel jecore circumfluo ſanguine, ob ſolennem aliquam vacuationem interceptã, effundit Cava ſuam copiam in venam azygos, ac expectoratur. *Heurnius comm in aphor.*15.7. Quidam hæmoptoide magna à ſatis longo tempore detentus, nullis remediis levari potuit: conquerebatur autem tantummodo de fruſtulo quaſi carneo gutturi hærente, Tandem æger equum ferocem cùm conſcendiſſet, tuſſi tanta correptus fuit ut ejus vi hirudinem expulerit, unde ſubito ſanatus. *Borellus centur.*1.*obſ.*24. Multi Medici interrogant ægros nunquid in catarrho ſalſum aut acrem percipiant ſaporem; Si negant, ſtatim ij pronunciant ex thorace ac pulmonibus ſanguinem exſpui non potuiſſe: At refellit eos Galenus 4. loc. aff. 8. dicens pleroſque Tabidos factos ſputo apparente minime acri: Itaque fieri poteſt ut putris materia, ſed non acris, pulmonis vaſa putrefaciat, & eroſione conſumat, ut ſanguis excernatur. *Saxonia Prælect. Pract.c.*24.1. Prevotius copioſum Sanguinis ſputum obſervavit ſine tuſſi, cum quadam veluti exſpiratione: nimirum temperatę ſubſtantiæ ſanguis facilè, adeoque ſine tuſſi excernitur, non ſecus ac deſtillatio quandoque per aſperæ arteriæ cavitatem, non irrigatis lateribus ipſius, ſine tuſſi fertur. *Rhodius cent.* 2.*obſerv.*30.

XIV. Partes extremæ ſanguinem extuſſientium, ut & narium hæmorrhagia detentorum, non ratò incaſſum ligatæ fuere: Ejus tamen motum fricando, blandoque adhibito *calore* in exterioribus ſuſcitaſſe proficuum ſemper invenimos. *Bennettus Th. Tabidor. Exerc.*26.

XV. Hæmoptoicos, peracto per dies aliquot extravaſationis negotio, repetitis in ſtupha ſicca ſudoribus, non poſthabitis ſpecificis, ultra recidivæ metum perfectè ſanatos collocavimus. *Bennettus Th. Tabid. Exerc.*30.

XVI. Hipp.lib.de Humor. tria eſſe ait quæ ſanguinis miſſionẽ in cruenta ſpuentibus prohibent, Tẽpus anni, Pleuritis, Bilis. Aliquis enim credere potuiſſet tutò mitti ſanguinem poſſe quoties ſputa cruenta apparent, cum ex iis conſtet à ſanguine morbum eſſe, nec adhuc factam eſſe tranſmutationem quæ V. S. impediat: Primum impedimentum eſt in tempore æſtivo, in quo ſectionem venæ communiter cavebant antiqui pluribus de cauſis, præſertim verò quia eo tempore ſanguis tenuiſſimus eſt, ac humori bilioſo quam proximus: unde cum per V. S. adhuc magis attenuetur, periculum eſt ne calore æſtivo perſeverante totus ſuccus in bilioſum ſuccum tranſmutetur: Adde etiam eo tempore corpora plurimum diſſlari ac exhauriri à calore ambientis, ut V. S. ferre haud poſſe videretur, Quod ſi in omnibus morbis timendum eſt, longè magis id vereri oportet in ſanguinis ſputo: nam cùm ſit veriſimile vitium ſanguinis conſiſtere eo tempore, non in multitudine, ſed in prava qualitate, quæ ipſum tenuiorem & acriorem conſtituat, ſi ulterius per. V.S. attenuetur, ejus excretionem augeri potius quàm cohiberi neceſſe eſt: Quæ quidem rationes, quò magis vigent dum Bilis dominatur in corpore (quod erat ſecundum impedimentum) eò minus ſanguis mittendus eſt; non in ſputo ſanguinis tantũ, ſed etiam in quolibet alio morbo qui à bile originem habeat: aut teneat eum qui ſucco bilioſo abundet, ut mirũ nõ ſit ſi Hipp. in bilioſis nunquam auſus ſit ſecare venã. *Martian.com.in cis.loc.*

XVII. Vtile eſt *Amylum*, quia emplaſticum, vaſaque obturat hiantia atque humores craſſefacit: eſt enim ſuccus tritici, aqua prius macerati, deinde expreſſi: Ab eo autem abſtinendum quod ex furfuribus in aqua immerſis & expreſſis paratur, tale enim aperit potius & abſtergit: Peſſimum eſt quod, ut candidius evadat, calcem admixtam habet, ut pote inflammans, oraque vaſorum reſerans, potius quàm obſtruens. *Riverius.*

XVIII. *Galenus* & *Aëtius Poſcam* concedunt, ſolus *Averroës*, eam damnat, quod cùm fiat ex aceto aqua diluto, illius ratione cauſæ & affectui noxia ſit, concitans tuſſim, fluxionemque extenuatione ſanguinis augens: Revera priuſquam ſanguis in grumos concreſcat, non ineundus illius uſus ne pericula dicta incurramus, Ubi vero concrevit, atque hinc lethalia imminent ſymptomata, oxygenioris ratione habita exhiberi poteſt, modò tuſſis abſit, cujus cauſa tutius eſt uti coagulis, theriaca, diacurcuma cum aqua ſcabioſæ, decocto capilli venetis &c.

XIX. Si adſtringentibus, glutinantibus non ſiſtatur ſanguis, confugiendum eſt ad *Narcotica*, quę tenues humores incraſſant, ſomnum, qui fluxiones omnes cohibet, acceſſunt: Experientia enim docuit pilulas ex opio, in rem præſentem paratas, nullimquam fuiſſe noxias, modo illius quantitas ſingularitatis accommodetur, & nonnili validis naturis exhibeatur. *Enchirid. Med. Pract.*

XX. *Inedia* hæmoptoicis videtur noxia, quia affectui huic naturæ calidæ & ſiccæ ſunt præſertim obnoxiæ, quæ ſanguinem congerunt bilioſum & acrem, facilè effervecentem & ora vaſorum recludentem, talibus autem, ex Gal.10.meth.5. inedia adverſa eſt: Ab hac præterea corpora exſiccantur aph. 7.59 hinc vaſa ſiccata & indurata ruptioni, accedente fervore ſanguinis, parariora ſunt: Contra eadem utilis videtur, quia juxta Gal.lib.de V.S.c.3. Sanguis ciborum inopiâ areſcit & denſior ſeipſo efficitur,

eamque

caque ob cauſam ad fluendum inepta, deinde omnia ... dia revellentia adhibentur, frictiones, ligaturę, cucurbitulæ, ſanguinis miſſio, quò ſanguis à ſpiritualibus locis procul abducatur: negato autem alimento, aut parcius exhibito, natura indiga ſanguinem retinet nec ad thoracem tranſmittit: quare jure non plenus, ſed tenuis victus præcipitur, ni virium languor adſit, à fluoris diuturnitate contractus: aut calida & humida ſint corpora, vel febris comes ſit, unde negato humido alimentali tabes ſuccedere parata eſt: In his mediâ incedendum viâ, cibus non omnino denegandus, ſed parcus exhibendus, cujus vi vaſa humectentur, non indurentur ac fragilia fiant.

XXI. *Adſtringentia* omnia contrahunt ac denſant meatus, adhæc vinciunt ac continent partium ſibi invicem cohærentium ſubſtantiam, atque minus magiſque hoc pro adſtrictionis quantitate efficiunt: cæterum adſtringẽdo ac denſando ſumma corporis, quod adſtringitur, virtus illorum excluditur & in altum ire prohibetur: Ob quam rationem pulchrè nonnulli medicorum hujuſmodi pharmacis alia partium ſubtilium, & acri potestate prædita indere excogitarunt, à quibus veluti ductæ adſtringentium vires in profundum corpus perveniant. Verùm cùm ex locis circa ſtomachum, aut alvum, aut aliquod inteſtinum ſanguis effunditur, hujuſmodi pharmacorum miſtura opus non eſt. *Galenus 4. ſ. loc. c. 5. & lib. 7. cap. 4.*

XXII. *Victus ratio* ſicuti non valde tenuis eſſe debet, ita minime attenuans ſed valde incraſſans: Perperam enim opinantur cum Eraſiſtrato, victum tenuem his caſibus convenire in eum finem ut ſanguinis copia minuatur, ſic enim tenuior, bilioſior, effrænis magis & effluxui ſemper magis opportunus fit. *Fortis conſult. 17. cent. 2.*

XXIII. Circa curationem methodicam notanda eſt cautela *Pergameni* 4. m. m. & 7. de comp. med. κ. τ. ſcil. ſanguinem expuentibus quæ adhibentur medicamentis, miſcenda eſſe tum calida, tum tenuium partium exiſtentia, ut medicamenta adſtringentia diſtribui melius poſſint: hinc v. g. mel admiſcendum monet: Innuere vult non adhibenda eſſe pro ſiſtenda hac excretione terreſtris craſſioris ſubſtantiæ medicamenta, quæ ſolum conſtipant, anxietatem præcordiorum & reſpirationem difficiliorem pariunt, ſed quæ ſimul liberum aëri relinquunt motum, & quæ ſimul ſanguinem effervescentem refrænant. *W. Wedelius miſc. cur. anni 1671. obſerv. 43.*

XXIV. In Hæmoptoicis, & affectibus illis ubi adſtrictione, corroboratione indigemus *ſpirituoſa, attenuantia, aperientia, acria* ſuſpecta ſunt: *Incraſſantia* vero & *terreſtria*, quę non in ſpirituoſis, ſed in ipſa materia & ſubſtantia corporea conſiſtunt, videntur eſſe neceſſaria: Quare corallia in ſimilibus caſibus ſi quid agunt, præſtant illud terreſtri corporeitate ſua, qua moderate refrigerant & adſtringunt, ac forte inſuper virtute aliqua occulta, quæ tamen haud dubie toti ſubſtantiæ inhæret: Integra & ſubſtantifica medicamenta ſi à proprio corpore ſeparaveris, alienum ac diverſiſſimum non raro corpus induunt, atque adeo quæ prius profuerant prodeſſe nunc deſinunt, vel etiam nocere incipiunt. *Fr. Ign. Thiermair conſil. 4. lib. 2.*

XXV. Hinc judicium ferendum de *Tinctura Coralliorum*, in qua putant Chimiæ artifices eminenter vigere virtutem illam quę toti Corallio attribuitur, dum ſal purum ab impuro, & fæcibus ſuis liberatum longe facilius vires ſuas exſerit: Illi autem *Dioſcorides* l. 5. c. 97. aſſignat vim mediocriter refrigerandi, adſtringendi, ac contra ſanguinis rejectiones magnam efficaciam: De ipſius autem Tinctura audienda Ph. Grulingij ſententio in ſuo Floril. Hipp. &c. part. 19. c. 3. In coralliorum, margaritarum & lapidum pretioſorum præparatione attendendum ne quis decipiatur, & ſe Tincturam veram pro falſa & aliena habere putet, vel menſtruum obtineat: Sunt enim quædam Tincturæ, ut ex lapide Lazuli, quæ rubedine cum Tinctura Coralliorum certent: Et ſunt quædam menſtrua quæ ſua ſponte rubeſcunt: Sic ſpiritum vitrioli tinctum cum roſis rubeis pro corallina Tinctura exhibere quidam non erubeſcunt: Quamvis igitur Coralliorum ſic dicta Tinctura colorem ſæpe ſatis rubicundum habeat, & corallia in fundo relinquantur alba, hunc colorem tamen vel à ſale aceti, uti vult Sennertus; vel ſulphurea ſalis hujus parte, quæ facile ſpiritui vini ob cognationem ſe aſſociat, ut in Tinctura ſalis Tartari apparet: Vel per longam digeſtionem, cujus beneficio menſtrua plurima rubeſcunt, acquirit, & corallia, quæ poſt extractionem alba apparent, paulo poſt rubicundum ſuum recipiunt colorem, nec enim ſuum colorem amiſerunt, imo ex albis coralliis, & oculis cancri, ſimilibus menſtruis eadem Tinctura fieri poteſt: Obſervandum præterea in communioribus coralliorum ſolutionibus pro menſtruo accipi Spiritum mellis, qui ob acrimoniam ſuam etiam aurum aliquo modo ſolvit; hinc non video quomodo hic qualiſcunque Corallinus liquor, vel alius huic ſimilis, ex ſpiritu vini, ſalis tartari, aceti vel ſimilibus conſtans, prodeſſe poſſint: Hi enim intentionibus plerumque non correſpondent, non contemperant, non adſtringunt, non conſolidant, non ſiſtunt ſanguinem, ſed humores fundunt, acuunt, aperiunt, & ſubinde etiã largius & incõſideratius ſumpti accendunt, irrito faciunt, partes quas immediate attingunt acrimonia ſua non parum offendunt. Adde his Pharmacopœorum quorundam avaritiam nocivam, qui ut Coralliorum Tincturam augeant, ea cum ſaccharo in ſartagine miſcent, ad rubedinem uſque torrent, dein digerendo in aliquo menſtruo ſolvunt, & Tincturam non tam a coralliis quàm à ſaccharo torrefacto eliciunt: *Idem ibidem.*

XXVI. *Urticæ ſuccum* ad aliquot dies mane, tanquam experientiam quidam conſulunt: Sed non pauca remedij hujus veritatem mihi ſuſpectam reddunt; Et quanquam ſpecies, quæ plures ſunt, non determinetur, urentem communem intelligi credo: hæc vero 1. admodum tenuium eſt partium & digerentis naturę, unde, ex *Dioſcor.* aperit, urinam movet, obſtructoſque menſes mulierum egregiè pellit: 2. intrinſecus ſumpta facultatis eſt acris, abſtergentis, titillantis, 3. Semen in frequenti uſu eſt ad craſſorum viſcidorumque humorum, imo etiam puris in empyemate thoracis eductionem: 4. Illa & ſemen, ex Galeno, flatulentum quid obtinet, & Venerem ſtimulare dicitur: Si ergo Urtica adeo tenuium eſt partium ut aperiat, menſes urinaſque pellat, titillando alvum moveat, pruritum intus faciendo pectus expurget; Ob acrem flatulentiam Venerem excitet, Semen ob excedentem fervorem inter erodentia enumeretur, Quomodo ad uncias quatuor, per aliquot continuos dies ſuccus epotus hic prodeſſe poterit? Ego verò hæmoptoicis & empyematicis prodeſſe cenſeo, nempe quo ſanguis, in diu laborantibus, extravaſatus, in pectore coagulatus, vel qui in pus jam abiit, mature detergatur, expectoretur: Unde haud probabiliter dixerim Urticæ urentis ſuccum hæmoptoicis in principio, tanquam peculiare ſanguinem cohibens remedium, opitulari. *Idem ibidem.*

XXVII. Magnarum virtutum alias oleum Lini in peripneumonia commendatur, phthiſi, colica, maxime autem in pleuritide, adſtipulante *Geſnero* 1. Epi. 49. *Ego*, inquit, *multoties in iſtis pleuriticis doloribus nil melius expertus ſum quam oleum lini propinatum, hocque ſtatim reſpirationem facilitavit, ſputumque promovit*, proinde ſtudioſe aſſervatur apud nos ad ſolem depuratum, quæ clarificatio melior quam quæ per lixivium aut cepa aſſata: Ventrem eodem inungendo aut linteo imbuto tegendo, ventrem laxant, At nuſpiam obſervavi

quod conducat in *Hæmoptyſi*, ſub initium tamen anni 1675. viſitavi ſępius quinquagenariam, à longo tempore fluxum patientem menſtruum, non largum ſed continuum, jam vero catarrho ſatis moleſto divexabatur, cui, ex meo conſilio, medebatur *juſculo ex hedera terreſtri, charefol. pulmonar. matriſylva, liquir* &c. Aliquando ſummo mane ad illam vocatus, inveni cum ſtupore ultra menſuram excreti ſanguinis floridi, qualis è pulmonibus ſolet egeri, hunc inter 4. & 5. matutinam ſputo rejecerat, ſtatim curavi aperiri venam in brachio, & dedi tinctur. lap. hæmat. aliquot guttas in ſyr. de ſymph. *Fernel.* ſed redit circa veſperam ſputum, reſpuente omnia remedia ægra: Venit in mentem *oleum lini*, quod ipſi placuit, ſumpſit cochleare unum, ejuſque uſû per aliquot dies cõtinuando penitus cõvaluit: Credidi ex rupto vaſe pulmonum ortã hæmoptyſin, quod vi balſamica & emplaſtica olei lini conſolidatum: Non ſine ſucceſſu in aliis poſtmodum tentavi, data prius tinctura lapidis hæmatitæ. *Cat. Rayer m. c. an. 76. obſ. 209.*

XXVIII. Ut vaſis apertura claudatur, remedia adſtringentia & agglutinantia imprimis conveniunt: Horum præcipua in forma Linctus exhiberi ſolent, ita ut inter deglutiendum quædam ex iis particulæ, aſperæ arteriæ illapſæ, virtutem ſuam parti affectę immediatius communicent. Verum hæc *ἐνέργειας* ratio haud magni momenti eſſe videtur, quia medicaminum ipſorum efficacia potiſſimum, ac fere tantum, ſanguinis commeatu ad morbi ſedem pertingit: Quare non ſolum Eclegmata, ſed etiam decocta, pulveres & pilulæ, ex traumaticis & balſamicis, cũm fructu præſcribuntur. *Willis.*

XXIX. De ſputo ſanguinis referam quod vidi dum eſſem in Hetruria, & ad *balneum Villenſe*: Dico igitur quod plures ex potu illius aquę vidi ſublevatos à ſputo ſanguinis & præſervatos à phthiſi: ſed obſervavi unum ſcitu dignum, & eſt quod qui aquam illam potabant pro ſputo ſanguinis, & ſtatim aqua egrediebatur per ſeceſſum, non juvabantur ex potu talis aquæ: qui verò retinebant tres v. g. horas, & poſtea excernebant ipſam, non per ſeceſſum, ſed per urinam, ſummopere juvabantur: unde colligo, quod niſi aqua labatur per venas, non prodeſt excretioni ſanguinis nec præſervat à phthiſi: ad hoc autem ut tranſeat per venas, requiritur ut non ſtatim excernatur. *Gabriel Falloppius.*

XXX. A ſanguinis ſputo, antequam prorſus tabeſcerent, multos curavi ac liberavi: cura fuit qualis à *Galeno* deſcribitur l. 5. meth. hoc uno addito, quod ſuper renes lintea madefacta in ſucco plantaginis imponebã, quo auxilio curavi virũ prope ſeptuagenarium, qui libras ſanguinis ſupra decẽ enumerat &c. *Hier. Card.*

XXXI. Si ſanguis plurimum aqueus & ſeroſus ſit, ut plerumq; in omni hæmorrhagia contingere ſolet, *Rhabarb. pulver.* ℈j ſingulis diebus mane, hora una ante paſtum, à ſedata hæmoptyſi conveniet: Sic enim ſanguis expurgatis paulatim ſeroſis illius humoribus, priſtinam craſſitiem recuperare poterit: vel poterit idem Rhabarb. ſumi ad ʒj ſemel in ſeptimana: Alias purgantia hic plane exulare debent: *Caſalpinus in Catoptro Art. med. l. 6. 16.* Peractis quæ revulſionem & interceptionem ſpectant, ad evacuationem excrementorum deveniendum, Et licet Galenus exhibuerit valida purgantia, nos tamen ſolo Rheo immaturo, & cortic. myrobal. citricor. cum caſſia contentos eſſe decet; Imo ſola caſſia cum pulpa tamarind. quouſque ulcus omnino agglutinatum ſit: periculum enim alioquin foret ne humorum agitatione ſanguis rurſum erumperet, & ulcus à calidioribus medicamentis inflammationem contraheret. *Fortis conſult. 15. cent. 2.*

XXXII. Si emergat aliquod prohibens uſum diuturnum lactis ubi ſanguis rejicitur è pulmonibus, ad Aquas confugiendum, Inter quas proponuntur Beatæ Virginis, Villenſes & Nocerę, quę poſteriores mihi per placent, tutiores enim ſunt, quia non minerales, refrigerant, & adſtringunt, quia terra Samia earũ mineram conſtituit, nec ita caput tentant ut Villenſes: B. V. licet ab aliquibus proponantur, nullu tamen uſũ habent cũ [illegible] à capite diſtillatio malũ facit aut fovet, tale enim [illegible] phure egemus: Quanquam ſi rurſus erumpat ſang[illegible]is, ad Branduienſes aquas, tanquã ad ſacrã anchoram, [illegible] poſſit, in agro Mutinenſi ſitas, quibus peculiari[illegible] ſanguinis ſupprimendi prærogativa eſt, multo enim [illegible] ne conſtant, pauco ſale & minimo ſulphure, ide[illegible] frigidæ erumpunt. *Fortis conſ. 30. & 81. cent. 2.* Circa medium menſem Julium de aquis thermalibu[s] acid[ulis] exhibendis cogitamus, quæ non ſolum jecur, ren[es] & totum venoſum genus refrigerare, verum & ulcus exſiccare valide, atque vaſa roborare, neque ullo modo laxare poſſunt, & multo minus caput replere: In hunc finem proponuntur aquæ B. V. Patavinæ, quæ moderate quidẽ refrigerare ſolent, & hac quidem intentione ſæpius à medicis uſurpantur, verum ratione ſulphuris atque ſalis ſuſpectæ à nobis cenſentur, ut quæ procul dubio caput replere, & forſan etiam venas reſerare nec valde exſiccare poſſint: Quod ſi ratione [refri]gerationis tantummodo ſint exhibendæ, tutiores multo fuerint aquæ Nocerianæ, quia neque caput tentabunt, neque venas aperient, cum ſulphureæ non ſint, & ratione terræ Samiæ nonnihil adſtringant: Nos tamen quia eporis aquis in Pulmonum vitiis non parum tribuimus, & fidem non dubiam præſtamus, cum ex Hippocr. lib. de corde conſtet potus portionem ad Pulmones delabi, quod confirmat Galenus 8. de Decr. ultimo, Aquas, & quidem vitriolatas, ut pote præſtantiores, cęteris omnibus pręferendas cenſemus, quum refrigerãdi vi pollere apud omnes in confeſſo ſit: Adde quod vitriolum venas conſtringens, & ſanguinem ſiſtens, mirabile ſecretum eſt, ab Aquapendente primo, ſi non inventum, ſaltem obſervatum, de cujus inſuper valida exſiccatione non eſt quod dubitemus; præterquam quod nullomodo eędem caput tentare ſoleant, cu ſulphureę non ſint: Quare quomodo hæmoptoicis infenſus eſſe poſſit earum uſus non videmus, cum alioquin omnia adſtringentia & exſiccantia facultatem irritandi & tuſſim movendi habeant, ſicut iis contraria leniendis propterea ſi aliqui phthiſici ab aquarum harum uſu hæmoptoici obierunt, non in aquas, ſed facilius in alios errores, aut morbi magnitudinem potius cauſam referendam eſſe credimus: Sed quia inſignis ineſt ipſis aquis exſiccandi facultas, ideo poſt harum potum ad lactis aſinini, hinc caprini uſum deveniendum. *Idem conſ. 27. cent. 2. Sebiſius* l. de Acidulis, concedo tantum in ea hæmoptyſis ſpecie quæ fit à calido, acri ſanguine & fervido: quanquam nec neceſſarias judicet, cum incraſſatio aliis mediis obtineri poſſit.

XXXIII. Omnibus peractis cogitandum de *Pulmonũ exſiccatione*, atq; *vaſorum roboratione*, in quem finem Thermales aquæ, ſacræ ab efficacia dictæ, a quibuſdam uſurpantur, quibus nos quoq; ſubſcribimus, quæ tamen magna cautione ſemper eligendæ: Sulphureæ namque omnes, ut quãmaxime caput implentes, catarrhali fluxione laborantibus omnino prohibentur ab Andrea Baccio: Verum addimus nos, quod licet ſulphureæ aquæ pulmones poſſint exſiccare, ſint tamẽ hæmoptoicis infenſę & nonniſi in ſecunda Phthiſi *Hipp.* 1. in Epi. 57. ex flacciditate Pulmonũ tuto locum habere videntur: Cujus cauſa & Calderianas, & Maſini, hypochondriacis alióquin accommodatas, omitteremus, Et ad Acidulas potentia & actu frigidas deveniremus, quaſi eſt Engaddina apud S. Mauritium, à quarũ uſu non ſemel vidimus, non ſolum hęmoptoicos, verum etiam phthiſicos ipſos ſanitati reſtitutos; Sunt enim vitriolatæ, ideo ad ſiſtendum ſanguinem efficaciſſimæ, & ad ſiccandos Pulmones opportuniſſimæ, nec ut ſulphureæ & calidæ enaſcentes caput petunt: Ejuſdem facultatis eſſe feruntur ſcaturientes in valle Solis agri Tridentini. *Fortis conſult. 28. cent. 2.*

XXXIV.

XXXV. Sanguis idem in aſperam Pulmonum arteriam vndecunque delatus, ne ibidem coaguletur, hinc & corrumpatur, mox convenientibus medicamentis ſervandus ſolutus, vel iterum ſolvendus excernendusve. In quem finem multis aliis præferendi ſunt, vna cum Antimonio diaphoretico, Cancrorum oculi, pauco aceto ſtillatitio ex parte ſaltem ſoluti, & gratis additis aſſumpti, poſtquam omnem hic abſolvunt paginam, v. g. ℞ *aqu hyſſopi, fœniculi, ana.* ℥j. *vita Mathiol.* ʒj. *aceti ſtillat.* ℥ ß. *ocul. cancri* ʒ ß. *antimon. diaphoret.* ℈j *ſyrup. capill. ven.* ℥j *M.* Cavendum autem in calibus [illegible] ſtitutis Oculos cancrorum, aceto ſolutorum [illegible] pſentibus, ne ſyrupi ex mucilaginoſis paratis addantur, quales ſunt de Althæa *Fernelii*, Jujubinus, Violaceus, & ſimiles, quoniam mox, aut paulo poſt redduntur inde mucaginum adinſtar ſpiſſæ & ad vſum ineptæ, quod non facile fit ſi ex aromaticis parati vſurpentur ſyrupi, ac præſertim ſatis recentes, cum multi temporis tractu evadant viſcidiores. *Idem paragr.* 37. *&* 38.

XXXVI. Ubi ex Pulmonum affectu proprio ſanguis purus, vel in pus Corruptus tuſſi excernitur, maius vrget periculum, quare ad ipſius curationem magis feſtinandum, ne procraſtinando pereat occaſio, facile námque inficitur & corrumpitur, difficulter autem reſtauratur ſingularis Pulmonum ſubſtantia: Non deſiſtendum proinde ab vſu medicamentorum ſanguinis è ruptis Pulmonum vaſis effluxum ac corruptionem curantium, donec in totum ſit ſublatum malum: Quinimo auctor ſum, vt aliquandiu poſt curatum ad ſenſum affectum, perſeveretur in blandorū medicamentorum vſurpatione parciore, quo adverſus novi mali acceſſum roboretur pars ſemel affecta, ideóque facile iterum afficienda. *Idem* §. 39. *&* 49.

XXXVII. Quemadmodum vero alias ſemper, ſic & attendendum ſedulo ad medicamenta vnicuique individuo maxime conducentia, quo hæc cæteris præferantur, & quandiu proſunt, in eorum aſſumptione continuetur: Quamprimum autem minus proficere obſervantur, alia in eorum locum eorum ſubſtituenda, atque ſic ægrorum ſanitas modis omnibus promovenda. *Idem ibidem* §. 41.

XXXVIII. *Hipp.* 6. Epid. ſect. 3. t. 44. Impedimentum eſſe *ait* in cruenta ſpuentibus, tempus anni, pleuritidem, bilem: *Galenus* exponit quaſi hæc tria Sanguinis miſſionem impediant, nempe *anni tempus*, quia prope *canis ortum* à venæ ſectione cavemus: *Bilis*, quia bilioſis etiam venæ ſectio eſt noxia: Pleuritis, quia ſi hæc & hæmoptyſis jungantur, ſanguis mittendus eſt, juxta regulas Pleuritidis, non juxta regulas miſſionis ſanguinis. At hæc explicatio erronea eſt, quia, & ſub cane, & bilioſis hominibus venam ſecamus: numquid quoque non ſiunt æſtate plurimæ hæmorrhagiæ ſalubres? Reddi autem bilem effrænem evacuato ſanguine licet concedatur, hoc ſolo inſerviet vt moneamur moderatè, vbi peccat bilis, ſanguinem mittendum eſſe: Ratione Pleuritidis, quocunque ex latere ſecetur vena, nullum eſt impedimentum, ſemper enim ſanguinis ſputum rectè curabimus: Veritatem aſſequutus *Valleſius*, qui intelligit Impedimentum, non quod miſſioni ſanguinis, ſed quod curationi ſimpliciter obſtat: quaſi diceret *Hippocrat.* Cum qui ſanguinis ſputo laborat, tempus anni, aut valde calidum, aut valde frigidum, impedimento eſt quominus rectè curetur; quia vterque temporis exceſſus, frigus inquam & calor, ſputum cruentum auget, frigus rumpens, calor laxans: Bilis deinde expoſtulat vſum expurgantium, quæ aperientia ſunt & irritantia: Tandem pleuritis non aliter curari poteſt quam exſcreando: neque ſanguinis ſputo quicquam magis confert quàm thoracis quies, ipſo fatente *Galeno* 1. aphoriſm. 16. *Contraria*, inquit, *indigent curatione ſputum ſanguinis & pleuritis.* Porrò cum hæmoptyſis fiat vel per anaſtomoſin, vel per diæreſin, vel per diabroſin, vel per diapedeſin, omnium curationi hæc tria impedimenta obſunt: Anaſtomoſi primo, obeſt tempus anni calidum, vt etiam obeſſe poteſt fluxui qui fit per diapedeſin, laxatis omnibus meatibus & venarum oſculis, ſanguinéque reddito acriori & calidiori: Fluxui per diæreſin frigiditas nocet. 6. Epidem. ſect. 3. t. 14. Frigidum enim venas frangit & tuſſim movet, tuſſis concutiendo eaſdem rumpit: Secundum impedimentum *Bilis*, quæ corroſione ſua impedit curationem fluentis ſanguinis per diabroſin; nam quæ dabitur medela vbi adeſt cauſa quæ ſemper malum auget? Tertium eſt Pleuritis, quæ ſi cum hæmoptyſi contingat, impedimentum & porrigit & accipit, ita vt alia ſine altera curari nequeat: non loquor hic de ſputo ſanguineo, quod in pleuritide ſanguinea, ſicut flavum in bilioſa apparet, ſed de ægro, prius hæmoptoico, poſtea pleuritide prehenſo: Hi duo affectus ſeſe invicem augent, ac in curatione impediunt: Augent ſeſe invicem, quoniam pleuritis tuſſim facit, quæ ſpuentibus ſanguinem nocet: rurſum, ſputum ſanguinis partes thoracis debiles & ad recipiendum faciles reddit, inde copioſior pleuritidi materia ſuppeditatur: Impediunt ſeſe in curatione, pleuritis enim non aliter quàm expectorantibus curatur, vt oxymelite, aliàs a ſputo retento ſuffocatio imminet: quæ curatio contraria eſt ei quæ hæmoptyſi debetur, cui omnimoda quies convenit, nedum inhibenda tuſſis, quæ vaſa poteſt rumpere: Hic Medicus in bivio conſtitutus, *Galenus* 1. aphoriſm. 16. occurrendum eſſe ait ei quod magis vrget: Verum ego ei offerrem ægrum aliquem in quo vtrumque malum graviſſime vrgeret, in quo ab hæmoptyſi periculum immineret ne vita cum ſanguine funderetur: à pleuritide non expurgata, ſtrangulationis metus: hic Medicus conſilii inops. Dum hanc difficultatem mecum pervolutarem, occurrit inprimis poſſe aliquando vtramque curationem convenire, Nempe ſi materia pleuritidis ſit adhuc cruda ac tenuis, ſi ſimul ſanguis ob tenuitatem tranſſudet, aut ob acrimoniam ſibi exitum faciat, tunc enim tam Pleuritis quàm hæmoptyſis incraſſantia poſtulant: Pleuritis quidem, vt per ſputum facile educatur, quippe per impulſum educitur, videlicet tuſſim, qui commodius fit vbi aliqua eſt reſiſtentia; tenuis enim humor, ait *Galen.* 4. de loc. aff. cum ſublevatus eſt, inter tuſſiendum a ſpiritu divitius refluit: hæmoptyſis autem, ſi ob tenuitatem acrimoniamve accideret, nullo commodiùs fræno regeretur quàm conciliata craſſitie: Si verò materia pleuritidis, non ob tenuitatem, ſed ob viſciditatem reſiſteret, tunc quia non poſſumus ſputo cruento non nocere curatione pleuritidis, (incidentibus enim egemus) moderate id præſtandum eſt, nec niſi præhabito prognoſtico tentandum: quippe in hoc caſu res pene deplorata, non ita tamen vt deſerendus ſit æger ac prognoſtico relinquendus. *Step. Rod. Caſtrenſis l. de complexu morborum cap.* 22.

XXXIX. In ea quæ fit ob diſruptum vas aliquod à frigore, præter alia remedia, calfacientia & modicè exſiccantia dentur, vt contrarium affectum inducant ei quem adſtringens facultas induxit; nam etſi caliditas omnino ſit ſanguinis fluxibus adverſa, huic tamen caſui plurimum eſſe proficuam ratio ipſa docet: cui etiam adſtringentia medicamenta, vt quæ partem compreſſam preſſius comprimant, adverſiſſima eſſe ratio docet. *Mercatus de Præſid. lib. 1.*

XL. In ea quæ fit à pituita ſalſa è capite delabente, Cauterium vſurpari poteſt in ſutura coronali: In brachio non probo, ſic enim detraheretur materia è capite deorſum. *Bernardinus Paternus.*

XLI. Non valde adſtringentibus ſanguinis ſuppreſſio tentanda cum affatim è gula excernitur, ita enim ab illorum, & coagulantium vſu, extra venas concreſcit atque ſiſtitur in via, ſicque è veſtigio ſuffocare ſolet. *Fortis Conſultat. 25. Cent. 2.*

XLII. *Grumi ſanguinis* in principio ſunt diſſolvendi ne glutinatio impediatur, quod fieri poteſt oxycrato tepido, bis vel ter vna die ad ℥iij. vel iv: Sit autem iſta miſtum vt potu ſit jucundum, ne ob acetum tuſſim copioſius excitet: Si his nihil efficitur, ad fortiora veniendum, coagulum leporis, hœdi, oculos cancror. mumiam, ſperma ceti, antimon. diaphoreticum, Hæc exhibenda ſtatim ab initio, ſi malum proveniat ab ἀναστομώσει; Si autem à ruptura, primo eſt ſiſtendus fluxus, nám ille hic plus viget quam concretio, deinde Sanguis diſſolvendus.

XLIII. Siſtitur ſanguis pulvere *Scaligeri & Henrnij*, cujus ingredientia ſunt ſemen papaveris albi, hyoſcyamus albus, lapis hæmatites: Hujus autem vſus diu non eſt continuandus ob ſemen hyoſcyami, quod valde noxium. *Fridericus Hoſmannus m. m. l. 1. c. 21.*

XLIV. Sanguis vtiliter ex Pulmonibus per os nunquam excluditur, niſi quando metus eſt Suffocationis, quando in aſpera ſubſiſtit arteria coagulatus & grumeſcens: In hoc caſu prudentia eſt opus magna, ne præter ſanguinem in aſpera arteria ſubſiſtentem, alius eo feratur, & cum ipſo vita efferatur: Danda proinde tunc opera vt Sanguis coagulatus quidem diſſolvatur, & ad evacuationem aptus reddatur, Sed vaſa quoque aperta & rupta ſimul conſolidentur, ſicque novo ſanguini affluxuro via præcludatur; quin quo facilius hoc contingat, quoties licet Sanguis alio avertendus, imprimis quando concurrit plethora, vel ſola ſanguinis æſtuatio & motus in corpore ac per vaſa impetuoſus: Tunc igitur confeſtim vena in brachio aut pede aperienda, & ſanguis pro ſua vel abundantia, vel æſtu, vel motu diverſis copia ſufficiente educendus, adeo vt illam miſſionem ferre poſſit æger, nec valde inde debilitetur: Interim parandum medicamentum, quod & coagulatum ſanguinem blande diſſolvat, & aperta vaſa, ruptáve potenter conſolidet; Nec obſtat diverſum hoc & ſubcontrarium medicamentum componi & ſimul exhiberi: Sanguinem coagulatum blande ſolvunt Oculi cancrorum, Antimonium diaphoreticum, ſperma ceti, mumia &c. Vaſa conſolidant potenter *Sanguis draconis*. *Lapis hæmatites*, variæque plantarum partes vulgo notæ:

XLV. Quoniam vero ex plantarum partibus Decocta, & Syrupi præſertim, parari, & illa quantitate majore ſolent aſſumi, non ita commode in hoc præſcribentur exhibebunturque caſu: Vbi ſatius eſt minori vſurpare medicamenta mole ac doſi: quapropter quas aptiores comperi commendo præ aliis medicamentorum formis *mixturas*, cochleatim nempe aſſumendas, cum præſertim modo laudata medicamenta plurimum efficacia commode jungantur miſturis: Poſſent igitur in eadem miſtura componi oculi cancri & antimonium diaphoreticum, ſimiliáque, ſanguini draconis, lapidi hæmatiti, corallis & ſimilibus: Et quod miteris, proderit tale medicamentum utrique Indicationi, dum confuſi medicamenti partes diverſæ, ac vere confuſæ, tantum præſtant ſingulæ quod ab ipſis deſiderabatur: Sic poſſemus eodem medicamento, non tantum arte compoſito, ſed tali nobis à Natura quandoque conceſſo diverſos, imo contrarios effectus producere, quod magni faciendum in complicatis affectibus. *Sylvius de le Boë method. Medendi libro ſecundo capite decimo octavo.*

XLVI. Vbi ex Pulmonum affectu proprio Sanguis purus, vel in pus corruptus tuſſi excernitur, majus vrget periculum, quapropter ad ipſius curationem magis feſtinandum, ne procraſtinando pereat occaſio, hic, aut nullibi præceps: facile namque inficitur & corrumpitur, difficulter autem reſtauratur ac reſtituitur ſingularis Pulmonum ſubſtantia: Non deſiſtendum proinde ab uſu medicamentorum Sanguinis è ruptis Pulmonum vaſis effluxum ac corruptionem curantium, donec in totum ſublatum ſit malum; quinimo author ſum, vt aliquandiu poſt curatum ad ſenſum affectum, perſeveretur in blandorum medicamentorum vſurpatione parciore, quo adverſus novi mali acceſſum roboretur pars ſemel affecta, ideóque facile iterum afficienda. *Idem cap. 24.*

HÆMORRHAGIA.

SYLLOGE.

An ſiſti debeat, & Quomodo. 2. 53.
Temere *non ſiſtenda.* 36.
Iſchaima *varia vi agunt.* 53.
Interna. 54.
Externa. 55.
Canales, *ſeu vaſa* occludentia. 55.
Sanguinis miſſio *quomodo facienda.* 13.
Confertim ſanguis mittatur *non partitim.* 1.
Cucurbitulæ *cauta regioni jecoris admoveantur.* 4.
Supra pedes *admota efficacia.* 6.
Supra nucham. 14.
Supra ſcapulas *non omnino tuta.* 7.
Iuxta ignem non admovenda cucurb. 15.
Adſtringentia *vbi admovenda.* 19. 57.
Frontitopica *aliquando inutiliter admoventur.* 11.
Perfuſio capitis frigida *quando admovenda.* 49.
Collum linteo frigida madido *non circumvolvendum.* 50.
Topica adſtringentia *vaſis jugularibus non admovenda.* 22.
Nec Suturæ coronali. 24.
Ligaturæ noxiæ *potius quàm vtiles.* 35. 59.
Quæ ſiunt ad hæmorrh. à venarum vulnere *ortam ſins medica.* 16.

Eſcha-

Eſcharoticis *cante vtendum.* 58. 61.
Cauterio actuali *plantis pedum admoto deſinens.* 8. 3.
Pulveres in nates *cum cautela inſufflandi.* 51.
Suus ſuſpecti. 21.
Aqua ſtyptica naribus *indita minus efficax quam Turunda & Pulveres.* 23.
Ejus vix quovſque ſe porrigat. 48.
Turundæ *naribus indita qua ſunt inutiles.* 20.
Medicamentum *naribus inditum momento eam ſiſtens* 12.
Immerſione totius in frigidam *deſinens.* 9.
Pertinax vini *vſu cobibita.* 10.
Animi *deliquio ſuperveniente deſinens.* 37.
Timore incuſſo. 38.
Compreſſione *ſumminarum narium.* 32.
Antiſpaſmodicorum *vſu.* 33.
Colcothare *repreſſa.* 41.
Appreſſione *digiti.* 43.
Cauſtico. 43.
Arcanum ſanguinem *cohibens.* 40.
Remedia experimentis firmata. 52.
Vſus aquarum vitriolatarum *acin frigidarum eximius.* 28. 29.
Scorbutica *ſpiritu vitrioli cohibita.* 31.
Symphiti *radix aliorum admiſtione vim colleticam amittit.* 18.
Vis Laudani opiati. 5.
Narcotica *periculoſa.* 17.
Iſchæmia *cuinam ſpeciei magis conveniunt.* 56.
Obturatio narium *an probanda.* 60.
Ex arterijs *manantis ſanguinis ſiſtendi ratio.* 44. 46.
An earum ſutura ſit ex vſu. 47.
Sequuta membri amputationem *qua arte ſiſtenda.* 39.
Ferro candente tunc non ſemper ſiſtitur. 45.
Hæmorrhag. *a* nimia tenuitate ſanguinis *orta curatio.* 3.
Etiamnum ſalutari non aſſueſcendum. 25.
Qui facile tolerant. 27.
Sanguis erumpens etſi purus apparet ſæpe cacochymia infectus. 34.
Præcautio *per* Sanguinis miſſionem *&* purgationem. 26.
In lecto vel extra an detinendus æger. 30.

I. SAnguinis *miſſio* inter revolſoria remedia princeps eſt: Debet autem detrahi ſanguis larga manu & lato foramine. Omnes pene exiguo foramine & parva quantitate educunt, ſic melius fieri revulſionem cenſentes: Sed, vt ſanguini motus contrarius concilietur, vehementiori is motu agitandus, quia vehementior debiliorem rapit: ideoquò ampliori foramine, & magis confertim ſanguis effluit, eò citius profluens è naribus ſanguis abducitur: ita vt non rarò hæmorrhagia vehemens, venæ ſectione, hoc modo celebrata, ſine plethora, in inſtanti fuerit cohibita. *Riverius cap. de Hæmorrhag.* An vnâ vice, an partitis ſanguis mittendus? putamus ſi vnâ vice mittatur conducibilius forè ægro: confertim enim per venam ſectam dum effluit, citiùs revellitur e naribus effluxurus ſanguis. *Rolfinc. Conſ.* .. *lib.* 3.

II. Duplex eſt conſultatio, prima *An ſiſti debeat*, quæ difficillima, ſecunda *quomodo*; Non enim omnis ſiſti debet, ſed quædam ſiſti, quædam etiam juvari; quædam tantùm ſini, cum quædam valde ſalutaris, quædam perniitioſa: Certè ſi ob ictum aut caſum fluit ſanguis, cum ex cauſa externa procedat, non eſt periculoſum ſiſtere: quare mox adhibere licebit adſtringentia & moderatè frigida: niſi contigerit hominem plenum eſſe, tunc enim fiet ſanguinis miſſione, aut effluere ex parte ſinemus: Cum ob multitudinem fluit ſolum, non eſt quod ſiſtas, copia enim fluendo minuitur, & ſublata multitudine ſponte is ſiſteretur: niſi interim ruptum ſit vas inſigne; tunc enim opus erit emplaſtico & adſtringente, quale eſt *Galeni* medicamentum, omnium præſtantiſſimum: Cum fluit ob malignam qualitatem, vel ſolam, vel cum multitudine, tum eſt Medicus conſilii inops, quia habet res vtramque viam periculoſiſſimam: Si enim non ſiſtitur, ob impotentiam retentricis, quam irritatio facit, fluit vſque ad ſyncopen; cum præcipue qui valde cacochymus eſt non poſſit vllam magnam vacuationem ſuſtinere & citò deficiat: Si ſiſtitur, cum malignus ſanguis non poſſit aliqua in parte pacatus conſiſtere, capere ſolet impetum in partem aliquam internam, quam contingit eſſe debiliorem, vt ſeni cuidam, cui cum ſatis multum ſanguinis tenuiſſimi fluxiſſet (erat verò tota facie ὑπόχλωρος) & auxiliis idoneis fluxus cohiberetur, pleuritide superveniente mortuus eſt: Quid igitur in periculo adeo ancipiti agendum? Certè quod *Hippocrat.* monet 6. Epidem. ſect. 3. *Quum parum remiſerit, oportet incraſſare ſiccè; circa partem vero vtendum ſicce albo*, vt forte pulvere ex galla & alumine: *Parum remittendum* dicit, ſcilicet non ſtatim oportet ſiſtere ſed parum permittere vt fluat: Certe quacunque causâ, etiam externâ, fluere incipiat ſanguis, permittendum eſt fluere nonnihil, antequam ſiſtas: nam non ad plethoram ſolum, ſed & ad cacochymiam vtilis eſt aliqua ſanguinis miſſione & ob ictum & caſum ea fit; & ex quocunque vulnere recenti volumus mediocriter ſanguinem fluere: In cacochymiis autem, vt ſanguinis miſſiones parcè faciendæ ſunt, quia non habent vnde reficiantur, ita & ſpontaneæ fluxiones ſinendæ ſunt parum: Si cui ergo vides cum plethoræ ſignis ſanguinem fluere, ſine fluat donec ſponte ceſſet, etſi interim homo linquatur animo: Si verò cuidam fluat qui ſit ex pallido vireſcens, aut ſubpallidus, aut ex ſubpallido colore nigricet, cave ſinas multum fluere, aut vſque ad animi deliquium, nam tales maximo cum periculo linquuntur: Sed ſi non ſinis multum vacuari, quo pacto facies ne in partem aliam feratur? Certe *Incraſſando ſiccè.* Quod ſic explico: Evenit homines vtroque modo periclitari, & fluxu ſanguinis copioſo, & lento ac exiguo: novi enim mulierem cui plus quàm ſex menſes ſanguinis guttulæ continenter fluxerunt, atque cum tantum temporis ſpatium auxilium expectaret, nihil vtilitatis ex omnibus quæ Medicus moliebatur percipiens, mortua eſt. Vtroſque ergo curari oportet, & quibus affatim, & quibus paulatim fluit, eadem curationis ratione, præter id quod expoſcunt diverſæ indicationes: Sanè eſt his differentia quædam indicationum, communis cum aliis omnibus affectionibus, celerius affligentibus celerius occurrere, aliis verò lentius: Præter hanc & in ipſo modo occurrendi differentia eſt: nam in his quibus paulatim fluit, haudquaquam cenſeo permittendum vt paulatim fluat, ſed potius ſecta vena in brachio, aut crure, vt alia indicare videbuntur, ſanguis ille vacuandus eſt qui craſtina die fluxiſſet, ſi permiſiſſes: quia

cùm lentè fluat, ſi expectes, magis lædetur homo conſuetudine fluendi, quàm juvabitur vacuatione redundantis: Ob hanc ergo primam præceptionem videtur *Hippocrates* de fluxu conſertim facto agere: ſed quod ſequitur, *In aliis autem minus incraſſandum eſt, ſed medicamento ſicco albo vtendum, quale eſt galla & alumen,* de vtroque fluxu intelligi poteſt: In vtroque enim, ſive inquam paulatim, ſive confertim fluat, cùm ob corrupti & tenuis ſanguinis qualitatem fit, utile eſt uti craſſitiem inducentibus, & retundentibus ſanguinis motum: atque cùm præter hæc opus ſit localia admovere, quæ obturent, cenſendum eſt *Hippocrat.* intelligere ultimis verbis, *Localia*: prioribus, *accipienda per os*: Itaque dicit, *Incraſſandum ſiccè,* hoc eſt, utendum medicamentis & cibis ſiccantibus & craſſitiem afferentibus: Sunt verò quæ id præſtant duplicia, alia partium craſſitie aut adſtrictione, vt pultes ex amylo & lente, ſyrupus myrtinus &c. alia ſine craſſitie & adſtrictione tardant ſanguinis motum, ex accidenti quandam craſſitiem illi inferendo, refrigerando, aut refrigerando pariter & ſiccando: prioribus illis utimur ad fluxus lentos, poſterioribus ad repentinos: nam in copioſo ſanguinis fluxu, ſerum expectatur auxilium ex eſu amyli aut pyrorum: poteſt tamen tunc conferre potus aquæ gelidæ, aut decoctum pentaphylli, quo vtor frigidiſſimo: Vſus tamen craſſorum aut adſtringentium paulatim facit ſanguinem craſſiorem, & ita in paulatinis fluxibus auxilio eſſe poteſt: At talium vſus videtur noxius, quod obſtructiones faciat, vel præcedentes augeat, vnde multiplex læſio ſequi poteſt, atque ſi qua fortè expurgatione vtendum poſtea eſt, impedit: ob id, quoad fieri poteſt, vſum talium devito: neque vulneratis, neque fluxione laborantibus, permitto, præterquam ijs qui nulla magis cauſa id patiuntur quam ſanguinis tenuitate, quales maximè ſunt quibus corruptus: In his, niſi obſtructiones viſcerum manifeſtæ ſint, vti licet victu & medicamentis incraſſantibus: Magna verò pars victus ita inſtituendi, eſt potu vti parciſſimo, quia ſiccitas reddit craſſiorem ſanguinem: Si tenuitas ſit ſanguinis ſinè vlla obſtructione manifeſta, licet vti craſſis cibis, & cum craſſitie adſtringentibus, & cibis & medicamentis: Si verò vlla obſtructio ſit, ſatius eſt agere victu ſicco, ſine craſſitie, & medicamentis frigidis & ſiccis: Quod ſi viſcus etiam aliquod intemperie frigida laboret, abſtinebimus ab illis omnibus, ſolum vtentes victu ſicco, vt aſſis carnibus, bonis illis & tenuibus, & exiguo potu: ac ſi res exigat, dabimus potiones dictis contrarias, calidas ſcilicet ac tenues, vt aperiant: Totam verò ſpem collocabimus in aliis auxiliis, revellentibus ſcilicet, frictionibus, ligaturis cucurbitulis, tandem localibus: Ego ſoleo pulvillum facere ex galla, alumine, balauſtiis, cytinis, ſymphyto & maſtice, quem inſufflare jubeo in nares fortiter: evenit enim mox, ejus mixtione, ſanguinem concreſcere & vehementer venas obturari, eſt enim ipſe ſanguis fibroſus & obturans. *Valleſius comment. in eum locum.*

III. Ubi cauſa fluxionis fuerit *nimia ſanguinis feroſitas & tenuitas*, præter purgationem feroſæ humiditatis, opus eſt medicamentis calorificis & ſiccantibus, contra quam fieri conſuevit in cæteris omnibus fluxionibus, quæ refrigerationem requirunt: Ideo *Matth. de Grad. comment.* 35. ſcribit ſe curaſſe vſu Theriacæ fluxionem ſanguinis feroſi: Itaque non ſolum Theriaca, ſed etiam Mithridatium, & trochiſc. cypheos, & omnia aromatica ſanant hanc ſanguinis fluxionem. *Saxonia Prælectionem Practic. cap. 4. Heurnius lib. de Morbis ocul. cap.* 10.

IV. *Galen.* quinto method. & multi eum ſequuti, *Cucurbitulas regioni hepatis* applicari volunt, quod abſque periculo fieri non poſſe hiſtoria ſequens fidem facit, Aulicus quidam maxima hæmorrhagia narium laborans Chirurgum in conſilium adhibuit, Is præter alia ſubſidia cucurbitulas magnas ad regionem epatis applicuit: Sanguis quidem ſubſtitit, ſed inflammatio Hepatis ſequuta: Ego Hepati & Lieni medicamenta frigidiuſcula potius applicanda cenſeo, conſilio *Hippocr.* 5. aphor. 23. *In his unde ſanguis fluit, aut fluxurus eſt, frigido vtendum &c.* Præſertim ad loca vnde initium motus, niſi obſtructiones adſint, quæ inde magis impingerentur, vt hæc enim condenſant, conſtringunt, ſanguinémque minùs fluidum reddunt, ſic cucurbitulæ ſanguinem & ſpiritus cum violentia quidem retrahunt, ſed quia is in magna hæmorrhagia efferveſcit, atque vt plurimum in ipſo epate eſt in motu, facillimè ope cucurbitularum cum impetu ad epar trahitur ibique coërcetur. *Fabritius Hild. Centur.* 2. *Obſerv.* 47.

V. Hæmorrhagiæ tam interius, ad ebullitionem ſiſtendam, quàm exterius, cum aliquo liquore diſſolutum *laudanum opiatum*, & naribus attractum, præſentiſſimum eſt remedium: Viro cuidam hæmorrhagia ſymptomatica, à febre maligna, laboranti, ejus grana iij. cum conſerva roſarum feliciter exhibui. *Horſtius lib.* 10. *Obſerv.* 3.

VI. Vir generoſus Sanguinis narium profluvio cum extremè laboraret, nec remedia juvarent, Ejus vxor Cucurbitulas, quas hypochondriis admoveri juſſeram, ſupra pedes applicat, vnam ſupra dextrum, alteram ſupra ſiniſtrum &, dictu mirum, ſanguis præter ſpem ſubito reſtrictus eſt. *Foreſtus Obſ.* 14. *lib.* 13.

VII. *Cucurbitula Scapulis admota*, tum ſiccæ, tum humidæ, fluentem ſanguinem è naribus retrahunt: attamen non eſt vſquequaque tutum remedium, poſſunt enim à partibus inferioribus ad ſuperiores ſanguinem attrahere, & novo fluxui occaſionem præbere. Brachiis quidam admovent, ſupra muſculum bicipitem, quibus ſanguis ad nares profluens revellitur. *Riverius cap. de hæmorrh.*

VIII. Mulier gracilis & excarnis intra ſeptem dies ad xxx. libras ſanguinis effudit, irritis omnibus appoſito *cauterio actuali* in vtraque planta pedum ſanata eſt: Eodem præſidio magna ſanguinis excretio per os, ex venæ raninæ apertione, ceſſavit. *Zacutus Prax. adm. lib.* 1. *Obſ.* 72.

IX. Juvenis robuſtus & plethoricus, canicula vigente, cum vxorem arctius amplecteretur, hæmorrhagia maxima correptus eſt: multis fruſtra tentatis, cùm in periculo eſſet à ſanguinis fervore, immergi eum juſſi *in labrum frigida plenum*; ſic frigefacto ac inſpiſſato ſanguine fluxus paulatim conſtitit. *Fabritius Hildanus Centuria.* 1. *Obſervat.* 17. Domino N. cùm narium hæmorrhagia ſæpe vigeretur, ac de vita periclitaretur, curatus eſt oxycrato, cum panniis eo madidis toti ſpinæ admotis & ſæpe renovatis. *Petrus Borellus cent.* 4. *Obſervat.* 7.

X. Do-

X. Dominus N. vſque ad annum xxx. hæmorrhagiæ obnoxius, adeo debilitatus & emaciatus fuit, vt mors in propinquo eſſet: curatus tandem fuit vino moderatè ſumpto, abſtemius enim erat; ſicque ad viridem ſenectutem devenit: hepar enim nimio aquæ potu & ſanguinis effuſione non parum refrigeratum fuerat. *Borellus Cent.* 2. *Obſervat.* 87.

XI. Non ſemper ſanguis ex venis capitis fluit, ſed ſæpe e vaſis à tertio craſſæ meningis ſinu prodeuntibus gracilioribus, his dehiſcentibus maxima hæmorrhagia quandoque oritur: In tali profluvio non fronti, ſed vertici & ſuturæ cucurbitulæ … medicamenta adhiberi debent: *Bauhinus Th. Anat. lib. cap.* 8. In tali narium profluvio occipiti topica ſummovenda, per ſinus enim poſteriores ſanguis aſcendit antequam in tertium derivetur: Ideo *Hippocrates* Metoni occiput tepida fovendum juſſit, quò cruor liberalius manaret. *Sennertus cap. de Hæmorrh.* vide *Rhodium Cent.* 1. *Obſ.* 90. *Sanctorium meth. vit. err. l.* 5. *c.* 12.

XII. *Turunda ex fungo ἰχαίμῳ*, lato, plano, vulgari parata, narium cavitati vſque ad locum vulneris immiſſa, incantamenti inſtar ſiſtit & in momento omnes hæmorrhagias: ἰχαίμοις ſingularis hæc obſervanda, formatur inde turundula, hac obſervatione ut glabra pars interius vertatur, exterius ſpongioſa, pulverulenta: inferior pars filo lineo, quod inferius extra propendeat, leniter conſtringatur, inſpergatur pulvis ſingularis coctorum laterum: intrudatur ſenſim in nares; ſi ab ea impediatur reſpiratio, tum pennulæ anſerinæ fruſtulum in turundæ medium iodi & recondi poteſt, ſic vtrique ſatisfit. *Rolfincius conſ.* 2. *lib.* 3.

XIII. Ad ſanguinis ῥοὴν à naribus devocandam, quandoque expedit venam in brachio aut pede aperire: Quippe quò plus ſanguinis per arterias ad venæ ſectionis locum fertur, eò minuerit affluxus ejus ad nares: Attamen hæc adminiſtratio non uſque adeo ſemper juvat, quin effectus ejus contrarius nonnunquam accidit, cujus ratio eſt, quod vaſa ſubito & non ſatis depleta, humores incongruos prius ejectos, & intra poros ſtagnantes, denuo reſorbent, à quibus ſanguis illico in majorem turgeſcentiam eruptivam accietur. *Willis*

Venæ ſectionem in pede factam, ad ſiſtendam hæmorrhagiam narium, efficaciorem eſſe quam quæ in brachiis inſtituitur, nuperrimo exemplo, eòque repetito, didici: Præterito Martio anni 1681. Vir xxx. circiter annorum, bilioſus, raræ texturæ, febrem Quartanam ab æquinoctiali autumno præcedente ad vernale ſubſequens pertulit: hanc excepit duplex tertiana, cum tenſione hypochondriorum totiuſque abdominis, ac hæmorrhagia pertinaci, & ad omnia remedia rebelli; Miſſus fuerat ſanguis è brachio, aliaque præſtita, nec minus tamen profluebat; ab admotis anacollemaria redundabat in os, quem concretum & copioſum exſpuebat: Concidere videbantur vires, tum à prægreſſa febre, tum ab exhauſto ſanguine, vultuſque ſubſidebat decolor; At vero cum ardor in præcordiis eſſet moleſtus, pulſus plenus & validus, ac ſanguis ἀθρόως effunderetur, juſſi venam in malleolo maxime tumentem aperiri, vnde rivuloſe prodiit ſanguis; paulo poſt ſequutus ſomnus placidus (quo ante caruerat, quod veſpertinæ eſſent invaſiones febriles) ad noctem productus: dehinc hæmorrhagia ſimul cum febre omnino deſiit, vtraque ope miſſionis ſanguinis in pede facta defunctus: Ad ſuperſtites obſtructiones Pilulas aperientes præſcripſeram, quas non aſſumpſit, cum paucis poſt diebus, accedente diæta convenienti, nulla earum veſtigia apparuerint; adeo ut quarto poſt ſanguinis miſſionem die priſtinæ valetudini reſtitutus ſit: Alterum exemplum eodem tempore ſe obtulit in Juvene (cui nomen Fridericus) Illuſtriſſimis Comitibus a *Waldeck*, a ſerviciis, hypochondriaco; Et hunc male habuerat Quartana tota hyeme; Remiſſis frigoribus, quæ ad adultum Aprilem exporrecta ſunt, hæmorrhagia larga correptus fuit, ſanguis è nare dextra fundebatur: Huic ſalvatellam dextram aperiri curavi, è qua rivuloſe erupit ſanguis, hæmorrhagia non remittente; Linteis exceptus floridus videbatur, non loturæ carnium ſimilis, & ichoroſus: Juſſi & venam malleoli in pede dextro ſcindi: inde ſanguis ad vncias circiter ſeptem ſcutellis exceptus eſt, qui corruptionis evidentes notas dedit: Copioſus etiam in vas aquam continens effuſus eſt, quem cohibere, etiam detracta ligatura, vix potuit Chirurgus: Eventu, vt in priori caſu, ſimili, nam & hæmorrhagia ſuppreſſa, & febris:

Hinc collige indolem humoris Quartanam committentis, quem ſola redeuntis Solis vis edomare poteſt: Febrilis ille ignis tanquam in cineribus demerſus latet, qui accedente ejuſmodi flabello in flammam erumpit, ſed innoxiam, imo ſalutarem, ſuum enim tantum pabulum & fomitem depaſcit & abſumit, intactis ſolidis partibus cæteriſque humoribus: Id videre mihi licuit in Illuſtriſſimo, prædicti *Friderici* Domino, Juniore *Comite a Waldeck*, qui patienter & obſtinate Quartanam à menſe Auguſto præcedente paſſus eſt: Mira Ipſi cum medicamentis quibuſvis ἀντιπάθεια, Tandem cum adventante vere cachexiæ & leucophlegmatiæ in vultu ſigna ſe proderent, pauca prodirent lotia, plurimam hypoſtaſin tartaream in fundum vaſis deponentia, hydropem præ foribus eſſe prædixi: Territus ille Pilulas admittit, (à quibus minus quam a cæteris remediis abhorrebat, ex maſſa Pilul. de Sagapeno Camilli, cum Mercurio dulci concinnatas, ac Tartareis *Bontij*) & Priſanam laxantem, quam ſuperbibebat; vnde mira colluvies educta eſt; ac febris quæ è ſimplici triplex evaſerat, tandem iterum ſimplex, & paucis poſt diebus omnino deſiit: Succedente tamen tertia, ab omnimoda ἀνυπ…, die febre diaria, & hanc criſi; per alvum, vrinas & ſudores ſimul, quam omnimoda excepit ſanitas: Deflagravit ſcilicet à poſtremo hoc & miri incendio tota materia morbifica, Sed hæc περιεργάν.

XIV. Matrona Nob. ann. 59. intermiſſa ætatis decreſcentia ratione Venæ ſectione, ſubito enormi ſanguinis fluxu è naribus infeſtabatur, ſanguis quaſi vena ruſa emanabat: Præſcripſi epithemata refrigerantia & repellentia pro fronte et collo, at fluxus concitatior factus: Chirurgus turundis pulveribus ſanguinem ſiſtentibus imprægnatis narem implevit, at inde ſuffocationis periculum imminebat: iis remotis ſanguis enormiter effluxit: Deliquia animi venæ ſectionem diſſuadebant: Itaque ventoſam magnam prius hepatis regioni, mox & alteram nuchæ adhibeo, & confeſtim fluxus ſublatus: Id remedium aliis profuit; A ventoſa periculum initio hæmorrhagiæ. *Gottfr. Chriſt. Wanclerus Miſcell. cur. ann.* 76. *Obſervat.* 90.

DE …

X V. *Applicationem Cucurbitularum* ad ſcapulas & nucham præſtantiſſimum eſſe præſidium notum eſt, nonnunquam tamen in perniciem ægri adhibitam fuiſſe aliquando obſervavi; Plethoricus cum hæmorrhagia narium laboraret, & ex conſilio Medici cucurbitulas ad ignem ſibi applicandas curaret, adeo auctus fuit fluxus vt intra paucas horas ad aliquot libras ſanguis effluxerit: Vocatus jubeo vt illico à foco recedat, dorſum linimento refrigerante inungatur, ligaturas fieri brachiorum ad cubitum, & tibiarum ad poplitem, fronti linteum aqua & aceto imbutum applico, naribus pulver. meum lib. de Gangræna cap. 19. deſcriptum, turundis album. ovi imbutis impono: Ex his ediſcant tyrones in Hæmorrhagia omni corpus non eſſe excalefaciendum, nec dorſum linteis calidis fricandum, nedum igni exponendum. *Fabritius Hildanus Centur. 6. Obſervat.* 13.

XVI. Hæmorrhagiam Vulnera venarum ſequentem faſcia egregie ſiſtit, ſed nimis arcte conſtricta facile ſphacelum inducit.

XVII. In Hæmorrhagia *Narcotica* ſumma cum prudentia, & nonniſi cogente neceſſitate in vſum ſunt vocanda: Calorem enim nativum extinguunt, ſpirituſque ſigunt & congelant circa membranas cerebri, vnde Apoplexia, & interceptio vaſorum & vitalis ſpiritus inter cor & cerebrum. *H. Petraeus Noſol. Harmon. p.* 230.

XVIII. Chirurgorum candidatis ſingulare de *radice ſymphyti* hic loci revelabo ſecretum, cujus olim *Tragus*, ſed paucis ſolum meminit, nempe diſſolvitur ſiccata Symphyti pulverata radix in aqua tepida fontana, probe invicem agitanda, vſque dum à viſco ſymphyti lenteſcere ex parte aqua advertitur: Quod ſimpliciſſimum medicamen, cum adverſus hæmorrhagias, tum fracturas & luxationes artuum ſolertiores Chirurgorum multis aliis compoſitis anteponunt: Aſt ſi pulveratis his radicibus remiſcueris vel ovi albumen, vel bolum Armenam, illico grumeſcent hæc mixta, bolo conſumente, aut veluti imbibente τὸ κολλῶδες ſymphyti. *S. Pauli Quadrip. Botan. p. m.* 274.

XIX. Solus arterioſus ſanguis nutrit cerebrum, & per nares effluit: Propterea non tantum collo poſtico refrigerantia & adſtringentia ſunt admovenda, ſed etiam antrorſum ſupra carotidas arterias. *Riolanus Encheir. p.* 251.

XX. In nares *turunda* omnino non immittendæ, cum ad orificia vaſorum pertingere non poſſint: quarum loco per cannulam pulveres adſtringentes inſufflentur, parati ex chalcantho vſto, galla cõbuſta & putaminibus ovorum: ſic ſi præſto erit pulvis ex ſpongia nova, pice imbuta & combuſta, mirabilis à nobis compertus fuit. *Fortis Conſultat.* 92. *cent.* 1.

XXI. *Pulvis roſar. & myrtill.* per nares attrahendus mihi ſuſpectus eſt, prout & cæteri omnes, ob metum ſternutamenti, omnino vitandi; quorum loco extrinſecus potius interciliare ſpatium oleo Martis inungi poterit. *Idem Ibid.*

XXII. *Frigida Fronti*, ac *temporibus*, etiam *nucha*, vbi arteriæ vertebralem aſcendunt, *applicata*, vaſa conſtringi, & ſanguinis affluxum nonnihil reprimi aut repelli faciunt, Attamen male eſt quod nunnulli venis Iugularibus Topica infrigidantia adhibenda conſulant: ita namque ſanguis in recurſu tardatus, vberius è naribus effluet. Porro quod vſitatum eſt lintea, aut ſpongiam aceto madefactam, pubi & genitalibus applicare, haud alia ratione quam ligatio membrorum juvat, in quantum ſcil. ſanguinis venoſi refluxus impeditur. *Willis.*

XXIII. Inter liquida non modo prima, ſed inſtar omnium habetur *ſolutio vitrioli aqua fontana* facta: quidam hanc pro magno ſecreto, & certiſſimo ἰχαιμῷ venditant: Profecto eadem vulneri recenti applicata, quatenus vaſorum deſciſſorum extremitates corrugando occludit, ſanguinis fluxum cohibet ac potenter ſiſtit: Verum applicatio iſta in hæmorrhagia narium, vbi ſanguis ad arteriolarum oſcula dehiſcentia delatus, excipi debet à venis, quatenus has æque ac potius quam illas occludit, minus, ac ſæpe non omnino prodeſt, prout ſæpius expertum novi: At vero liquidum aqua nari injecta vaſorum oſculis non ſatis adhæret, ſed à ſanguine erumpente eluitur, priuſquam virtutem ſuam exerere poſſit, idcirco potius expedit vel pulverem ſtypticum inſufflari, vel Turundam aquæ vitriolicæ intinctam, aut per ſe, aut pulvere adſtringente imbutam ad naris ſummitatem intrudi: Ego ſæpe vtor, aut croco Martis, ad ſummam rubedinem calcinato, aut pulvere vitrioli camphorati, aut fuligine vitriolica de fundo cacabi ænei veteris deraſa, cujus pulverem in hoc caſu ſæpe cum ſucceſſu expertus ſum. *Willis.* Eſt ſane cur inventum laudemus in vulneribus cæſim inflictis, ſed in punctim non perinde experimur vtilem: Quin & in hæmorrh. narium compeſcenda ſæpe inutilem deprehendi, ſcilicet quoties ora vulneris vbique attingere licet, eſt ſuus ipſi honos, cæteroquin hebeſcere exempla docent. *Olaus Borrichius Acter. Danic, ann.* 74. *Obſ.* 45. Vide *Anat. Pract. lib.* 1. *ſect.* 20.

XXIV. *P. Caimus*, Profeſſor Patavinus, juvenl annor. 26. unius ac dimidii diei ſpatio ſanguinis xviij. libras è naribus fluxiſſe vidit: Monuitque remedia externa fronti neutiquam, ſed coronali ſuturæ applicanda, quandoquidem ſanguis è venis jugularibus, ſub eam ſuturam excurrentibus, erumpit. *Rhodius cent.* 1. *Obſ.* 90.

XXV. Num hoc opus naturæ ſit committendum, an potius (ut ego reor) medicam poſcit opem? Etenim, jacto firmo hoc fundamento quod exuberans & qualitate peccans ſanguis ſtatis temporibus deponi debeat, tutius ab arte quam à natura inpoſterum id præſtari poterit, Namque ſi *Galenus* de ſymptom. cauſis 6. hæmorrhoidalem evacuationem, naturali quam proximam, in uſum ducendam negat, etſi tempeſtive fiat, ſcilicet quando id quod contriſtat expellitur, quantò minus hæmorrhagiæ narium aſſueſcendum fuerit? Cum frequentiſſime accidat ut excreto ſanguine qui contriſtabat, probus quoque cum vitæ diſcrimine ſuccedat, venis nimium laxatis, & natura in operibus ſuis, vtpote cœca, modum non ſervante, unde & nativi caloris imbecillitas, à qua mox coctiones & nutritiones vitiantur, & in immodicis ſingultus quin etiam, convulſiones & animi deliquia tandem conſequuntur; Nec obſtat naturam morborum medicatricem & præſervatricem Medico eſſe anteponendam, quoniam tuta non eſt irritatæ naturæ operatio, quæ debitam menſuram vaſis apertis ſervare non poterit, prout Medicus. *Fortis Conſult.* 92. *Cent.* 1.

XXVI. *Galenus* quinto aphoriſm. 30. conſulebat ut ſanguinis profluvia præveniamus ſanguinis potiſſimum detractione ſub veris initium, quam ſi recuſent patientes ipſi, purgandi ſunt

medica-

medicamento omnes humores educente, ita enim ad libitum ſequitur humorum, ac ſanguinis potiſſimum eductio, cujus pravi per ſectam venam uncias bis per annum mittentes, probi libras lucrari poterimus. tuta enim non eſt irritatæ naturæ operatio quæ debitam menſuram apertis vaſis ſervare non poterit prout Medicus, qui præterea purgationes arte dum molitur, in conſuetudinem non ducet: etenim remiſſis intemperiebus partium regenerantium, eadem opera Medico purgandi, & naturæ improbum ſanguinem deponendi atque expellendi ceſſabit occaſio, quam nobis operantibus augmentum potius ſuſceptutam metuendum eſſet, ob arteriarum pulſationem conſueto fortiorem atque frequentiorem, in ipſo capite poſtremo obſervatam, naturæ gravius afflictæ & vehementius operantis indicio. *Fortis conſult. 92. cent. 1.*

XXVII. *Quibus ſanguis multus fluit e naribus ſi quidem decolorationes immoderata adſint, iis parum prodeſt; qui autem præ rubro ſunt colore, in iis non ita ſe res habet. Et quibus capita facile tolerant, prodeſt, quibus vero ſecus, minime. Hippoc. 6. ſect. 6. Epid.* Coloris illa ſublatio ſanguinis penuriam & ſuccorum in aliam ſpeciem mutationem ſignificat: quare ita affecti miſſione ſanguinis non juvantur: color vero ruber ſignificat abundantiam ſanguinis, quare ejus evacuatione juvantur: Quoniam autem non eſt ſatis ut evacuatio juvet, & eam affectio poſtulet, niſi etiam facultas ferat, conſiderandum etiam an habeat homo firmum caput an debile: Nam cum miſſio ſanguinis partes omnes, & omnes facultates quæ corpora noſtra regunt, poſſit debilitare, quæ omnium maxime penuriam ſanguinis perſentiſcit, caput eſt; quia eſt pars princeps & exanguis cerebrum, & ex ſanguine habet animalium ſpirituum refectionem: Qualia autem ſint capita quæ fluxum ſanguinis bene tolerent, explicat Hippocr. ſect. 1. lib. 2. Epid. dicens Capita firma eſſe magna cum magnis cervicibus; nam magnitudo & amplitudo partium, cum eſt cum bona figura, & bona partium concinnitate conjuncta, robur facultatis formatricis indicat: Ergo magnitudo capitis concinna, & cum idonea figura, ſignificat non ſolum animalis, ſed & naturalis facultatis robur: illlua, quia ejus facultatis origo eſt: hujus, quia ab ea eſt formatum: Si vero ambæ hæ robuſtæ ſunt, vitalis etiam robuſta, quæ calorem naturalem illis impertitur, calore enim aguntur omnia, & calor omnia dilatat. *Valleſius comm. in citata loca.*

XXVIII. Si pendet ab intemperie jecoris fervida, ea eſt corrigenda, In quem finem aquas Acidulas præ cæteris remediis eligendas cenſemus, & potiſſimum in Valle Solis agri Tridentini ſcaturientes, ſingulari prærogativa, quæ utpote vitriolatæ, præterquam quod jecoris & viſcerum calorem contemperate, vapores & ſanguinem ſurſum influentem ſiſtere poterunt; per nates quoque ductæ vaſa firmabunt: Reliquas omnes Acidulas, licet refrigerantes, calidas erumpentes, ſuſpectas, imo noxias habemus, vaporibus enim ſulphureis caput replent, humores ſurſum compellunt, verbo, hæmorrhagiam narium facilius excitare poſſunt. *Fortis Centur. 1. Obſervat. 91.*

XXIX. Aeſtate bibantur Acidulæ chalybeatæ per menſem, quibus in hoc caſu non datur præſtantius remedium. *Willis.*

XXX. Quæſtio eſt verum αἱμοῤῥαγοῦντας in, vel extra lectum detinere oporteat? Extra dubium eſt languidos, & crebræ hæmorrhagiæ obnoxios, niſi fortan tentaminis curativi gratia, excitandos non eſſe; quoad alios minus imbecilles ita ſtatuendum videtur, Quorum ſanguis ob poros conſtipatos non facile tranſpirat, atque à lecti calore incitatus iſte in turgeſcentias majores & eruptivas aptior eſt, expediet eos non tantum extra lectum, donec ſanguis effluet, manere, verum inſuper nonnunquam per applicationes externas, in toto corporis habitu, aut ſaltem in pleriſque membris infrigidandos eſſe: Quamobrem *Fabritius Hild.* narrat ſe quendam maxima narium hæmorrhagia correptum, poſt multa præſidia ordinaria incaſſum tentata, labro aqua frigida impleto immerſiſſe & ſubito curaſſe: Cum pari item ſucceſſu *Riverius* alium ſimili modo affectum, lecto exemptum, & ſuper marmoream in pavimento recumbere juſſum, linteis oxycrato madidis per totum corpus fovebat: Attamen hæc methodus non paſſim omnibus, aut omni tempore convenit, verum e contra, quorum ſanguis halituoſus, & poris apertioribus præditus, facile evaporat, & à calore moderato ambiente in ſudo [illegible] exolvi, & proinde ſedatius habere ſolet, eos intra lectum manere convenit, non modo dum ſanguis erumpit, ſed quandiu eruptio ejus ſubinde redire periclitatur; Profecto ob hanc rationem eſt quod plures hæmorrhagiis immanioribus obnoxij, durante æſtate, quando liberius tranſpirant, eo morbo immunes degunt: urgente vero frigore brumali, ob poros conſtrictos, inſultus eos magis crebros ac diros patiuntur. *VVillis.*

XXXI. Inter alia ſymptomata quæ ab affectu hypochondriaco & ſcorbuto producuntur, non minimum eſt hæmorrhagia narium crebrior: Scorbuticus 55. ann. variis ſymptomatibus ſcorbuticis afflictus, tandem & inſigni narium hæmorrhagia corripitur, quæ frequentius redeundo vires admodum frangebat, omnia erant fruſtra; ut igitur ſenſum ſanguinis nimis fluidum & acre temperaretur, ejuſdem à reliquo ſanguine διαχώρησις impediretur, propinavi ſpiritum vitrioli cum eſſentia violarum, pro aciditate moderanda mixtum: Dictum factum, hactenus per duos amplius annos perfecte malum emanſit: Alii bini hypochondriaci, cum alter ſingulo mane cum ἀναῤῥοπίᾳ humorum ex ventriculo, alter vage hæmorrhagiam narium pateretur, ab eodem medicamento auxilium ſenſere: In quartana vero, ad hydropen inclinanti, duplici, conjuncta narium hæmorrhagia, novis in dies paroxyſmis ebulliente ſanguine, non ita feliciter adhibitum medicamen, nihilominus ſenſim & ſenſim fluxus cruentus narium deſtitit: Adeo laus hæc debetur acidis, quod & ſanguinem coagulent nimis fluidum, & attenuent grumeſcentem, *G. Wolfg. Wedelius miſc. Cur. anni 72. obſ. 106.*

XXXII. *Fab. Bartoletus*, Profeſſor Mantuanus, retulit deſperatam narium hæmorrhagiam, ſe præſente intra medium horæ quadrantem quaſi miraculo cohibitam à cribellatio quodam, poſtquam digitis narium interſtitium validio niſu compreſſiſſet: Quin hæmorrh. vulneris deſperatam ſola pollicis appoſitione iterata repreſſam perhibet *Thuanus*. lib. 75. hiſtor. *Rhodius cent. 1. Obſ. 91.*

XXXIII. Nobilis ſanguinis eruptiones crebras & immanes, modo ea venis ſedalibus, modo ex naribus paſſus; poſt multas venæ ſectiones, uſum julepoxum, decoctorum refrigerantium &c. tandem uſu pulveris ſequentis, cujus dozin ſexta quoque hora cum julapio ſumebat, ℞. *pæonia mar.*

coralli rub. margarit. ana ℨj. eboris, ocul. cancri, lapid. hæmat. ana. ℨß. lap. prunell. ℨj. f. Pulvis, doſis ℨß. ℞. aq. ceraſor. nigr. ℥viij. meliſſ. cinnam. hordeati ana. ℥ij. theriacalis ℥j. ſyr. e corall. ℥iß. additis ligaturis quibuſdam locis ex ritu conſtanti, & ſubinde aliis pro data occaſione, tum ad ſiſtendos, tum ad intercipiendos vaſorum ſpaſmos, Sine vlla morbi recidiva brevi convaluit: Reperi enim affectionem mere, aut potiſſimum ſpaſmodicam fuiſſe, quippe cum ſanguis quotidie erumperet, pulſus erat debilis, extrema frigebant, & vaſa omnia, quaſi nimis inanita conciderant, Porro æger vertigine fere continua, ac cordis tremore, & ſubinde leipothymia, aut metu ejus afficiebatur: Profecto tantum aberat vt ſanguis ob plenitudinem, aut turgeſcentiam nimiam e vaſis erumperet, vt potius e contra rivus ejus admodum depreſſus & tenuis vix circulationis fluento ſuſtinendo par videretur; Attamen, quod res fuit, ſæpius in die perſentiſcebat in corpore ſuo aliquid, modo ſurſum modo deorſum ſub flatus ſpecie confeſtim obrepere, & plerumque motus iſtius tendentiam, ſanguinis è naribus aut hæmorrhoidibus effluxus ſequebatur; hinc vt facile concludere eſſet vaſorum ſanguiferorum fibras, quibus contrahuntur illa, motrices, ſpaſmo affectas, ſanguinis fluvium, vtut tenuem, illuc inordinate corripuiſſe, & ſubinde in eruptiones compuliſſe. *Willis.*

XXXIV. Sanguis per nares excretus ſemper purus apparet, quia guttatim effluit, ſic ſtatim refrigeratur: vnde impuriorum partium ſecretione non facta, puriores toti ruborem conciliant: Sanguis è brachio detractus, quia affatim effluit, calorem in vaſculo diu retinet, à quo partes impuræ ſeparantur, vnde fæculenta fundum petunt; bilioſa verò & pituitoſa ſupernatant, ideo ſanguis impurus apparet. Si ſanguis è brachio guttatim effluerer, purus appareret, quia concretio fieret illico, non ſecretio partium heterogenearum: Imo ſi ſanguis copioſè effluens pelvi latiore excipiatur, purus etiam apparet, quia citò refrigeratur, *Riverius è Zacuto Princ. med. hiſt. l. 1. qu. 33.*

XXXV. Vtuntur plerique Ligaturis hæ minus probantur, licet à Galeno proponantur 5. meth. 6. Ligatura enim cùm primùm ſolvitur caput implet, parteſque omnes ex quibus ſanguis fluit: is enim ſub ligatura retentus, vinculo ſoluto, effraenis factus, in imbecillem labitur locum: *Saxonia Pral. Pr. c.* 24. Ego non libenter ligaturis vtor, tum quod ſubjectas partes ſpiritu & calore influente privent, tum quod compreſſione muſculorum ſanguinem fluentem exagitare & impellere videantur. *Enchir. med. Pr.* Has iam olim exagitavit Aſclepiades, citante *Scribonio Largo. Vide Auger. Ferrerii caſtigationes, cap.* 27.

XXXVI. S. Clericus, ſanguineus & robuſtus, hæmorrhagiæ narium à juventute obnoxius, adultior factus metuens aliquod inde periculum, ad ejus præcautionem amuleto quodam appenſo fluxum inhibuit, vnde apoplexia correptus: 12. horis ab obitu ſanguis copioſè & è naribus & ore manavit. *Hildanus cent. 3 obſ. 11.*

XXXVII. Animi deliquii interventu (quo poteuter ſanguis & ſpiritus ad interiora retrahuntur) contumaciſſimam hæmorrhagiam curatam vidi in Illuſtriſſ. N. Hic remediis nihil proficientibus, ſe alvum velle deponere dixit, è lecto ſurgens animi deliquium paſſus, à quo excitatus, ſanguis multò minori fluebat impetu: & exhibito ſale prunellæ ad ℨß. in aqua frigida, ſtatim fluxus omnino cohibitus: Propoſitum id remedium jam ab Hippocr. 3. Epid. 7. circa quod notandum ait Galenus 5. meth. 5. tantùm convenire quando ſanguis effluit è venis quæ ad corporis ſuperficiem deſinunt: quando enim ab interioribus profluit, vt in hæmoptoë, menſium fluxu immodico, aut vulneribus partium interiorum, fluxum potius augebit, retractione caloris ad interiora, & ad eas partes à quibus ſanguis fluit. *Riverius cap. de hæmorrh.*

XXXVIII. Quidam hæmorrhagia correptus quam nulla remedia ſiſtere poterant, timore tandem magno ſubutto, ea ſuppreſſa: Iuſſi ad iram incitari, ac indignato craterem magnum frigida plenum in tergum cum ſtrepitu projici; hinc ſtatim timore obutto, ſanguis conſtitit. *Dom. Panarolus Pentec. 5. Obſ. 27.*

XXXIX. Quamvis pletique ſanguinem, ex brachiis aut pedibus reſectis fluentem, ferramentis candentibus ſiſtere ſoleant, pulveribus tamen potiùs adſtringentibus id faciendum notavit Paulus Marquardus Slegelius, quia venarum atque arteriarum extremis jam aduſtis, ſanguis tam facilè non inveniat viam ad motum, quem tanquam in circulo quodam obtinet, conſervandum, vnde gangræna oriatur: hinc factum vt ſuo tempore Pariſiis, in Noſocomio dicto *l'Hoſtel Dieu*, è quinque hominibus quibus brachia & tibiæ amputatæ, vnicus evaſerit, cui ſcilicet ignis non fuerat admotus, ſed pulvis D. Bonneto. Chirurgo Exercitatiſſimo familiaris, ℞. boli Armen. ſangu. dracon. gypſi, terræ ſigillat. aloës, maſtichis, gallar. vſtar. ana. ℥ij. boli vulgar. ℥iv. farin. volatil. ℥iij. pic. reſinæ, ſang. ℥ij. myrrh. ℨiß. f. pulvis. Nos tamen *Patavii vſtionem* feliciter vſurpatam vidimus. *Velſchius Obſerv. 93.*

XL. Profectò *ferri candentis admotio* ab ἀκροτηριασμῷ res horrenda eſt, quare remedium propono ſanguinis impetum, quaſi incantamento ſiſtens, Alumen ſolum eſt, e quo rotundulæ fiunt, & poſt membrorum extirpationem, eæ in magnarum venarum orificia intruduntur quantùm licebit; deinde ſpleniis multis admotis & pulveribus adſtringentibus res peragatur: Sic fuit alius qui vrnæ brachii ſanguinem ſiſtere non poterat, quam ego impoſito alumine conſtrinxi ſtatim. *P. Borellus. Centur. 4. Obſ. 50.* vide plura. tit. de Gangræna.

XLI. Iuvant *quæ eſcharam inurunt*, vt colcothar, cujus vnius præſidio Illuſtr. Princeps Auriacus à fatali ſanguinis profluvio revocatus fuit: Is cùm ſingulis diebus immenſam ſanguinis copiam profunderet, à vulnere quod venis jugularibus illatum fuerat, nullis auxiliis ab hæmorrhagia liberari potuit quàm ſtrepto, ex digeſtivo, vt ajunt, illito, ac pulveri colcotharis affatim involuto, quod vulneri intrudebatur; Voco colcothar vitriolum vſtum. *Henraius cap. de hæmorrhagia.*

XLII. Legi in hiſtoria Batava vulneratam jugularem venam in collo Celſiſſimi *Arauſionum Principis Gulielmi* primi, impoſito ſupra eam digito obturatam, ſanguiniſque ex eadem fluxum inhibitum fuiſſe: hoc artificium jam olim à M. Gattinaria propoſitum: vicem digitorum præſtare poſſunt ferramenta comprimentia. *I. van Horne Microtechn. §. 14.*

XLIII. Quidam cùm in paroxyſmu Epileptico, linguam, illic vbi venæ majores ſunt, mordicus læſiſſet, tanta hæmorrhagia ſequuta eſt, vt nullis remediis ſiſti potuerit, jamque viribus collapſis

mors immineret, Chirurgus inſignis Pilulam formavit ex lana, eamque in aqua [illegible] intinctam, ſtylo in vulnus & venam illic apertam penitius intruſit, paulo poſt ſanguine omnino ſubſiſtente. *Platerus Obſerv. l. 3. pag. m. 773.*

Hæmorrhagiæ exemplum à vulnerata grandi arteria in femore, per bonas ligaturam ſuppreſſa, vide apud Severinum Chirurgia Eff. acis part. 2. p. 51. An per arteriarum ſuturam poſſit cohiberi vide Zacutum med. Princ. l. 2. hiſt. 42. &c.

XLIV. Quidam vulneratæ carpi arteriæ argenteam ſuperligant monetam: ligatura tamen iſta, quam ſatis ſtrictam eſſe oportet (laxior enim ſanguinis profluvium neutiquam cohibet) valde periculoſa videtur, ob imminentem manus extremæ gangrænam, & huic facile ſuccedentem ſphacelum: hinc ſaluti hominum magis conſultum fore exiſtimo, ſi omnes Chirurgi (in fortuitis carpi vulneribus, aut arteriis ibidem ſtudio apertis), paratum habeant inſtrumentum ex variis e ferro laminis confectum, pluribuſque foraminibus perforatum, vt goſſipio & linteo induci, ac cubito inſtar manicæ adaptari, claudi atque aperiri poſſit: hoc vmbellata ſua cochlea, comprimendo fortiter vas inciſum, periculoſum ſanguinis arterioſi fluxum ſubitò ſiſtit: Meo tempore Patavii exercitatiſſimus vixit Arteriotomus, qui ad vehementes & pertinaces capitis dolores curandos, conſilio medicorum arterias carpi ſæpiſſimè incidit feliciter, et illaque ordinata ſanguinis quantitate, vulnus prædicto inſtrumento tam arctè compreſſit, vt ne guttula quidem ſanguinis efflueret, nullaque ex valida vaſorum compreſſione metuenda alias affectio ſuperveniret. Si itaque præter ſpem, aut Chirurgi aut ægri, ab imperitis & feſtinantibus barbitonſoribus, prope venam baſilica comes arteria ſecetur, vnde plerumque vel vita cum ſanguine aufugit, vel exoritur aneuriſma, quod malè tractatum mortis cauſa eſſe potest, ſuadeo vt præter remedium a D.D.Greg.Horſtio Chirurgic. obſerv. 1. propoſitum, arteriæ in flexura cubiti læſæ inſtrumentum, roſtro ad carpum ſimile, ſtatim adaptetur, quod arteriam comprimendo fluxum ſanguinis protinus ſiſtit & periculoſi aneuriſmatis generationem tutiſſimè prohibuit. Ego hujuſmodi defectu inſtrumenti, arteriis in cubito ex imprudentia læſis integrum, ſuoque lapideo cortice adhuc veſtitum nucleum mali Perſici, feliciſſimo ſucceſſu ſuperligavi: In Helvetia arterias temporum, caſu vel arte ruptas & inciſas, convexa parte corticis ligneæ, quam nux juglans habet, appoſita feliciter comprimunt. *Sculterus Tabula 18. & 55. Obſervatione 96.*

XLV. Cauterium actuale extremum eſt remedium, quod ſubito vrendo, ſi venas vel arterias, per quas ſanguis emanat, tangere poſſit, eum ſiſtit: Fitq; hoc ferro candenti pro ratione vulneris fabricato, & vel extremitate qua vrere debet, in acutiem, ſi in anguſtum locum immitti debeat, vt dentis evulſi ſpatium, vel globulum rotundum majorem minoremve deſinente; Vel lata ſuperficie in amplis vulneribus prædito: Qua ratione in membris abſciſſis vulnus lamina ardente vrere ſolent: Quod tamen parvo interdum ſucceſſu, præſertim ſi in ipſa partis carnoſa ſede ſectio facta ſit, perficitur cum venarum amputatarum & retractarum vſtio hæc orificia minimè, ſed ſolam fere carnem tangat, & in mora hac, antequam emplaſtra apponantur *magna fiat ſanguinis profuſio. Platerus.*

XLVI. *Si ex Arteriis ſanguis effluit*, medela difficillima eſt, 1. itaque impediamus V. S. ne ſanguis in arteriam fluat, ſic enim impetus ruentis ſanguinis cohibetur: deinde occludamus arteriam, in qua totius negotii difficultatis cardo vertitur, Locum enim quo arteria eſt, vel tangere poſſumus, vel non, Si tangere poſſumus arteriam, digito vel premimus & claudimus: Ita in hæmorrhagia narium, preſſa arteria jugulari carotide fluxui medemur; aut ſi ligaturam facere poſſumus, ad illam recurrimus: Si vero locum in quo arteria eſt, tangere non poſſumus, vtimur refrigerantibus in vaſis, adſtringentibus in carne: Sic *P. Borellus* cent. 1. obſ. 95. linteum frigida madidum teſticulis obvolvit, & à vena ſecta ſolo alumine aut colcothare tangit, cent. 4. obſ. 7. *Hartmannus* arteriam funiculo ſerico, ſi tangere poteſt, conſtringit, poſtea aperturam colcothare replet, ac decenti ligatura emplaſtro diaſulphuris in pluſculos dies cooperit: tandem vt omnis putredo arceatur, membrum affectum linteolis madidis, ex calido lixivio lapidis ſalutis infuſis, aliquando fovet. *Frid. Hofmannus, m m. lib. 1. c. 20.*

XLVII. An ad ſiſtendum ſanguinem arter. arteriæ ſutura eſt ex vſu? Quæſtioni reſpondet *Nicolus* ſerm. 7. ſum. 1. tr. 4. c. 33. negative, quia arteria cartilaginoſa eſt & dura, quo fit vt quamvis diviſa labia jungantur, non coaleſcant: hocque expreſſe ſenſiſſe Galenum affirmat in lib. 5. meth. cap. 3. *Neque enim fuere fas eſt arteria venave vulnus, veluti dixerunt qui nullam a vulneratæ partis ſubſtantia naturaque ſumi indicationem ajunt* &c. Sed obſtat *Guidonis* authoritas, in venis & arteriis ſuturam concedentis, quod veritatem obtinet ſi ſola arteria ſuatur, non autem conjunctim cum carne ipſa, ſicut ſuimus peritonæum cum ipſo abdomine: qua ratione ſi non per primam, ſaltem per ſecundam intentionem agglutinabitur, Ex quo patet ſolutio ad Nicoli argumentum. *Zacutus.*

XLVIII. Notiſſimus hodie *liquoris* illius *ſtyptici vſus*, quem Gallus ante triennium per Europam circumtulit: Eſt ſane cur inventum laudemus in vulneribus cæſim inflictis, ſed in punctim non perinde experimur vtilem: Quin & in hæmorrhagia narium compeſcenda ſæpe inutilem deprehendi: Scil. quoties ora vulneris vbique attingere licet, eſt ſuus vbique honos, cæteroquin hebeſcere quod ſequitur exemplum docet: Quidam in duello ſaucius ictum gladii excepit interna brachii dextri parte, paulo ſupra cubitum; penetraverat autem ferrum largo & profundo vulnere ad ipſam vſque alam, fiſſa quoque arteria: Chirurgus vulnus tractavit ad xi. vſque diem, quo improviſo tanta vis ſanguinis ſubito prorupit vt æger in deliquia ageretur: ideo ventum ad aquam ſtypticam, qua per aliquot dies ſubinde injecta ſiſtitur tandem ſanguis, ſed ſuccedunt ſpaſmi, tumores brachii & mors xviij. die: Aperto cadavere, deprehenditur arteria adhuc quidem aperta, ſed via quam gladius fecerat, circa arteriam grumis ab aqua ſtyptica genitis obſidetur, quo minus cruorem profundat &c. *Olaus Borrichius in actis Medicis Th. Bartholini annor. 1674. 75. & 76. p. 78.* In Hæmorrhagia narium vſurpatam vidi anno 1677. menſe Decembri, a qua conſtitit quidem ſanguis, ſed ſubſequentibus terrificis ſymptomatis: Virgo xviij. annos nata, filia Mercatoris Genevenſis nomine *Velatre*, incidit in febrem continuam, cuj intra xxiv. horas binæ exacerbationes aderant; ſecunda die acceſſit diarrhæa bilioſa, cum hæmorrhagia narium, e quibus libræ duæ ſanguinis ea die prodierunt, Tertia die

accerſitur, me præſente, intra horulæ ſpatium duæ ſcutellæ impletæ ſunt, quarum quæque unciarum novem erat capax: Aperiri jubeo venam brachii, anacollemata admoveri, collum linteis poſca madidis circumdari &c. Cum omnia eſſent irrita, & ſanguis rivuloſe flueret, Chirurgus turundam goſſypinam dicta aqua madidam in nares intruſit, unde ſuppreſſus quidem ſanguis, ſed ſucceſſit ingens capitis dolor, & gravedo inſignis ad imum frontem, febre ingraveſcente; ſed miſſo è talo ſanguine, cucurbitulis dorſo & lumbis admotis cum ſcarificatione: educto ſanguine hirudinum ope, fronti, infra auriculas & temporibus affixarum, deſiit xi. die febris, capitis dolor, & pulmonum oppreſſio, quæ his ſe adjunxerat, Hinc conſtat temere non ſiſtendam hæmorrhagiam, ac potius per revellentia quam ſtyptica.

XLIX. Caput non perfundendum frigida, niſi revulſiones præceſſerint, quibus ſanguis vel ad inferiora corporis, vel ad poſteriora capitis retrahatur, alioquin intro compulſus per refrigerantia, venæ, quæ in alto ſunt, implebit: Galenus 5. *meth. med. c.* 6. Itaque augebitur fluxus tum hac de cauſa, tum quod calor, per antiperiſtaſin intus collectus, ſanguinis motum & impetum adjuvat: Aut ſi ſanguis retineatur, convulſio, apoplexia, parotis, aut, ſanguine in aſperam arteriam procumbente, dyſpnœa ſequetur.

L. Quin & hoc ſuſpectum eſt quod vulgus linteum frigida madidum toti collo mox inter initia injicit: Etenim metus eſt ne viis inter cor & cerebrum præcloſis apoplexia aut ſyncope acceſſatur: *Sennertus.*

LI. Si pulvis aut liquor in nares immittendus eſt, os aqua frigida plenum teneatur, præſertim ubi medicamentum vim cauſticam habet, ne de hoc per palatum aliquid in os incidat: Sed & aliàs æger quoque ſupinus jaceat, reclinato priùs capite: Quod ſi naribus obſtructis ſanguis intus per gulam defluat, repurgatis naribus, ore frigidam etiam contineat. *Sennertus.*

LII. Ad Hæmorrh. etiam arteriis inciſis, nihil præſtantius inveni Empl. *Galeni* (cujus encomium vide apud *Zacut.* Pr. adm. l. 1. c. 85.) ex aloë, thure, pilis leporinis exactiſſimè tritis, & ovi candido permiſtis, quo vulnus impletur ad obturandas arterias: Quod ſi hoc pretioſiſſimo remedio non ſiſtitur, optimo ſucceſſu exhibeantur gr. iv. *ſpernioli compoſ. Crollii*, nec non circa collum (ob vulnus muſculi temporalis &c.) applicetur Empl. cujus mentionem facit *Ionſtonus* Id. med. l. 8. tit. 6. c. 2. ex argilla furnacea & aceto roſar. acerrimo compoſitum, faſciæ quatuor digitis tranſverſos latæ inductum, & quoties exſiccatur renovetur, donec ſanguinis fluxus conſiſtat: conſiſtit autem ſæpe poſt horam dimidiam, vel etiam citius mirabiliter: Hæc tria remedia annotare placuit, quia omnem deploratam hæm. ſiſtunt. *Sculteius Tab.* 29. *parag.* 11.

LIII. Præſuppoſito immoderata ſanguinis profluvia contingere, vel *mobilis* ipſius, *ſeu ſanguinis culpa*, vel *continentium vehentiumque vaſorum*, Dicimus Iſchaima vel ipſum reſpicere cruorem, interius quidem, quatenus v. g. tum *rarefactionem & ebullitionem inhibent*, ſeu *præcipitantia*, terrea omnis generis, ex coralliis, lap. hæmatite, ſpodio &c. ſeu *temperantia*, *aquea & refrigerantia*, aqua burſæ paſt. plantag. portulac. nymph. ſperm. ranar. phlegma alum. &c. ſeu *coagulantia & congelantia acida*, tinctura roſ. violar. ſpir. acidi: Sic aliquot curavimus ſcorbuticos, hæmorrhagia narium corripi frequenter ſolitos, ſolo ſpiritu vitrioli cum tinctura violar. maritato; acida enim obtundunt & invertunt volatiles & nimis mobiles particulas, figunt quaſi, concentrant & exundare prohibent (*vide* §. 31.) Tum *ichoreſcentem incraſſantia & adſtringentia*, quatenus ſeroſior eſt, acrior, fluxilior, unde à roborantibus partim & tonicis, partim fortiùs adſtringentibus & concentrantibus auxilium ſperatur: Sic omnes fere radices rubræ ſiſtunt ſanguinem, tormentilla, biſtorta, alkanna, Eximius pulvis Heurnij ad omnem, inprimis hæmoptyſin, ℞. *ſem. hyoſcy. albi, papav. a. ana.* ℥j. *lap. hæmat. corall. r. ana.* ʒß. *camph.* ℈ß. da mane & veſp. ʒß. addit quandoque terram Lemniam, & cum conſ. roſar. facit Electuar. Tum *ſigentia*, communia omnium fluxionum præſidia, laudanum opiat. &c. *Wedelius de* 5. *m. Fac. pag.* 531.

LIV. Exterius valent tum revellentia atque motum inhibentia in contrarium, Sic *v. S. in adverſa* parte inſtituitur ſæpe commode; ſic cucurbit. ſicca ad nucham applicatur, arcanum recentiorum remedium, fiunt ligaturæ extremorum &c. Tum *refrigerantia*, ſive actu talia, repellentia, ſive potentialia, uti oxycratum: *S. Pauli* Quadr. bot. p. 508. amylum mixtum cum bolo Arm. ovi albumine exceptum, inductum ſtuppæ lini carminati, tantæ longitudinis ut ultra coronalem ad glabellam aut naſi radices pertingat, ſi applicetur vertici ſecundum ductum ſuturæ ſagittalis, frequenti experientia hæmorrh. inhibere ait: Terror ſubitaneus, quatenus ſanguinem à peripheria ad centrum deſubito revocat: leipothymia ſuperveniens ſanguinem ſiſtit; Frigidiſſ. aquæ, aceti vel glaciei ſubita applicatio ad nucham: Tum *adſtringentia & comprimentia*, uti lapis hæmatites & alia; tam actuali frigore, quam potentiali conſtrictione à particulis martialibus terreiſve, manu vel ſub axillis detenta: Rad. ſpeudomelanthij linguæ aliquandiu ſubdita in leviorem tantum hæmorrh. cohibere novimus, non graviorem: Moneta aquæ frigidiſſ. prius injecta fronti arctè adalligatur, ad vaſa comprimenda & refrigerationem. *Idem.*

LV. *Iſchaima* quæ reſpiciunt canales & vaſorum oſcula, quibus quovis modo reſeratis neceſſum eſt abſolute ſanguinem ſibi relictum fluere, *Interius* quidem eadem ſunt quæ jam diximus conſolidantia, adſtringentia & glutinantia, *Exterius* verò tum *comprimentia*, licet enim compreſſio ipſa hiatus videatur momentaneum tantum afferre auxilium, qua ceſſante redeat proruptio, attamen hoc pacto labiis continuo compreſſis, natura conſolidationi invigilare poteſt, unde & ſatis commodum eſt remedium (*vide* §. 32.) Sic venæ ſectæ vulnus toto die ſolo comprimente ſpleniolo, ſic ſola deligatione aliorum vulnerum cruentationes, ſi modo accedere poſſit manus Chirurgica, tolluntur, Sic exemplum habet *Verulamius* hiſtor. nat. cent. 1. n. 66. per ſuccedentes pollices obturato orificio vulneris *Principis Auriaci* bidui ſpatio, ſaltem conſuetudine repreſſum fuiſſe, aliis irritis: quæ tamen conſuetudo citra conſolidationem hoc modo procuratam fieri non potuit: Sic arteriarum hæmorrhagiæ aliæ non poſſunt niſi ſola compreſſione curari principaliter: Tum *Inhibentia ſanguinem*, & conſequenter *obturantia*, quo nomine crepitus lupi celebris eſt, unde *Hornius* microtech. ſcribit, ſi tenax fuerit & molliuſculus,

lami-

laminatim diſſectus, ejuſque laminæ prelo ſint compreſſæ, ſufficienter quamque hæmorrh. ſiſtere poſſe, imprimis ſi pulvis ſtegnoticus aſperſus fuerit, Quidam apud *Greiſelgeam* cent. 1. ent. 42. pulvere teſtarum ovorum, e quibus pulli excluſi, curatus eſt, Tum *adſtringentia*; aquea, auſtera, acidula, ſic fungi betulini tamenta ad miraculum hæmorr. externam ſiſtunt, teſte *Crollio*, Tum *ſang. coagulantia & in craſſā quaſi redigentia*, glutinoſus enim eſt, vnde occurrens alteri erumpenti eundem demulcet & vaſa conglutinat, Exemplum vide apud *Platerum* Obſ. l. 3. p. 725. amputatis malefici manibus, brachio mutilato in vulnus galli gallin. recens factum intruſo, hæmor. penitus ſuppreſſa; Sanguis animalium calidus in dyſentericorum inteſtina clyſteris loco inditur: Sive *fortius cruſtam inducentia*, tum actualia tum potentialia: Hæmorrhagiam contumaciſſimam ſubſiſtentem vidit Willis vapore ſanguinis elabentis in ferrum candens excepto. {Sic cauteriſatio torrefaciendo ſanguinem, & vaſa criſpando ac occludendo, vltimum eſt remedium, *Vide* §. 48. Refer huc pulv. ſympateth. in quem ſanguis ſtillans hinc adſtrictionem producit, ſed in caſu tantum leviori: Vel reſpiciunt *Vias ſanguinis liberas*, vnde improprie ſanguinem ſiſtunt & mediate *Aperientia*, quæ circulationem ſanguinis impeditam in integrum reſtituunt, quæ ipſa in nimio fluxu menſium, & aliis hæmorrh. ſæpe deprehendimus proficua. *Idem.*

LVI. Hæmorrh. ſimplici magis conveniunt iſchaima, complicatæ ſecundum quid: Sic locum habent in hæmorrhagia narium, vulnerum, arteriarum, menſium, hæmorrhoidum, hæmoptyſi mictu cruento, dyſenteria &c. Sin conjungatur alius affectus ſpecialis, ille adhibitionem limitat, & ipſi proſpiciendum eſt principaliter: Sic dyſenteria, & mictus cruentus a calculo, propria quoque ſibi depoſcunt, non abſolute ſanguinem ſiſtentia & tigentia, habito nimirum ad calculum, & vt vbique ad alias quoque cauſas reſpectu, quibus dum ex debitis loculis ſatisfit, hæmorrh. quoque illa ſedatur, Quin nec omnibus ſanguinis fluxionibus eadem alio huc deberi conſtat, quam vbi indicant primario adſtrictionem, vti ineptum foret v. g. in pleuritide vel ſputo cruento, remotas ponere, Par ratio eſt aliorum. *Wedelius de ſ.m.fac.p.* 237.

LVII. Topica illis locis applicanda, vbi vel immediate id opus eſt, vel ſanguis magis refrigerari poteſt: Ibi enim contactu immediato, ſi poſſibilis eſt, orificia vaſorum & hiatus obturant, hic vero intimius alterando ſanguinis impetuoſum motum coercent, Sic, vt ſummatim id repetamus, applicantur bregmati, fronti, ſub lingua, nuchæ, naribus, collo, ſub axillis, hypochondrio dextro vel ſiniſtro, teſtibus, plantis pedum. *Idem.*

LVIII. Tandem hæmorrhagia pertinaciter obſiſtente ad Eſcharotica veniendum eſt, quæ venarum extremitates comburendo cruſtam inducunt, & ſanguinem inhibent: In iis tamen magna cautio adhibenda, quia dum eſchara decidit, vaſorum apertio plerumque renovatur & ſic fluxus redintegrari ſolet. Inter ea autem principalem locum obtinet vitriolum vſtum, quod præterquam quod eſcharam inducit, ad quemvis ſanguinis fluxum cohibendum eſt efficaciſſimum, *Riverius cap. de hæmorrh.* Cauſtica & corroſiva, vt Mercurius ſublim. arſenicum, aqua fortis, colcothar, non æque adhibenda, quia tum irritant vulneris parietes membranoſos, tum quoque maxima ſymptomata, mortemque adeo ipſam ſæpe inducunt; cogunt quidem initio venas & adſtringunt, ob partes quas habent ponticas, ſtypticas, ſed hinc corroſione, qua pollent, explicant, & cum parte communicant: Notabile tamen eſt horum quædam locum habere poſſe, leniora, vti colcothar, & aqua fortis quandoque, deinde magis tamen in minoribus vaſis & hiatibus quam majoribus: Denique id ipſum ad ferrum candens, quod nonnulli faciunt extendendum non eſt, quippe ignis, præter momentaneum illum contactum ceteroquin eſt innoxius, vel ſaltim nonniſi facile corrigendam notam poſt ſe relinquit. *Wedelius,*

LIX. Ligaturæ crudeles, ſanguinis impetuoſo motu conjuncto, inutiles, vt vt enim leniores iſtæ ligationes extremorum, & conſtrictiones frontis pro remorando aliquantum ſanguine & conſtringendis vaſis non ſint de nihilo, eoque nomine quoque frigida, vt lapides & ſimilia, præter effluvia quæ præſtant, arctius manu vel ſub axillis detenta commendare quis poſſet, attamen ſi in his excedatur, & gratia, quæ decet Medicum, deperditur, & tantum abeſt vt hoc pacto fluxus ſiſtatur, vt potius arctato ſpatio ferocius exundet: Legi de hoc dignus eſt *Heer* Obſ. 13. *Idem.*

LX. Referri huc quoque poteſt ipſa obturatio oarium fortior, per hanc enim illo caſu nihil amplius proficitur quam vt in os regorgitet cruor: hinc idem hoc eſt ac ſi quis fermentantis muſti vim orificio vaſis obturato velit reprimere: præſtat internum illum orgaſmum tollere ac præcipitare: quo ablato facilis eſt hinc occluſio. *Idem.*

LXI. Sunt quædam quæ in hæmorrhagiis ſiſtendis opem ferunt, v. g. acetum, ſpiritus vitrioli, quæ v. g. in hæmorrhagia faucium à venæ ſectione &c. contracta ſiſtunt ſanguinem: ſic & vitriolum album & alumen hoc paſſu proſunt, conſtant enim ſimul vi conſtipante: Acribus vero ſolis non eſt fidendum, vnde ſi quæritur *An cauſtica & corroſiva ad hæmorrhagiam ſiſtendam ſint adhibenda*, v. g. Mercurius ſublimatus, arſenicum? negat ſancte *Minderetus* Medic. militaris p. 319. quia 1. irritant vulnus, 2. maxima ſymptomata mortemque ipſam ſæpe inducunt: cogunt quidem ſæpe initio, *addit*, venas, & adſtringunt corroſivitate ſua, ſed poſtmodum corrodunt inſtar ignis infernalis. *G. W. Wedelius de m. ſ. fac. p.* 64.

HÆMORRHOIDES.

SYLLOGE.

Nimius Fluor temere non ſiſtendus. 1.
Sanguis vnde mittendus *iis* ſuppreſſis. 1: *a*
In nimio profluxio *ex inferioribus poteſt mitti.* 20. 31. *c.*
Tumentes *ſcalpello an aperiendæ.* 6.
An diuturnas *curando omnes ſint* ſupprimendæ. 22.
Quibus tuto ſupprimi *poſſint.* 21
Nimii fluoris curatio per Sanguinis miſſionem. 31. c.
Scarificationes, Cucurbit. Ligaturæ &c. nimium fluentes *non ſiſtunt.* 25.
Per cucurbitulas. 31. *d*
Non *ſolum ſanguis ſed & πῦον quid aliquando*

ex iis effluit. 8.
Qualis ſanguis effluit. 13.
Humores craſſi & atri quot funduntur, an ex Liene exit 31.
Deligatio, ſectio, uſtio an conveniant nimio Fluori. 9.
Fluxus diuturnus *ſinendus an ſiſtendus.* 12.
Chirurgia adurente nimius *repreſſus.* 15. 30.
Remedium ſiſtens. 11.
Corpori exacta preparatio debetur priuſquam ſiſtatur. 4.
Pilularum de Bdellio vis ad ſiſtendas. 10.
Per ſcalpellum cauſe aperiendum. 25. a
Ab omni ſanguine dolent, nec ſolum à melancholico. 17.
Dolentium & diſtentarum *per compunctionem curatio.* 25.
Latentium *curatio.* 26.
Ad ciendas noxii Clyſteres *acres.* 5.
Dolor *emporetico curatus.* 27.
Sedatus vena digiti minimi pedis aperta. 28.
Cæcarum dolor *fonticulo infra genu facto deſinens.* 29.
Fonticulorum efficacia in cœcis dolentibus. 16.
Cum dolent *ab elective purgantibus abſtinendum.* 18.
Remedia cur varianda. 19.
Narcotica *aliquando in vſum ducenda.* 31. b
Excreſcentium *curatio facilis & tuta.* 2.
Tumentium *abſq; dolore & phlegmone curatio.* 14.
Dolori *varie ſuccurrendum.* 23. a 34. a.
Fluor *à ſcammoniatis ſæpe irritatur & ſenuatis.* 32.
Tamarindi & ſyrupi roſar. ſuſpecti. 33.
Purgatio in nimio Fluore *quomodo inſtituenda.* 34.
Rheo abſtinendum. 35.
Fluori *non aſſueſcendum.* 3.
Ad ſiſtendas *eximium zarza decoctum, Et derivatio ad uterum.* 7.
Fluori obnoxiis *clyſterum abuſus noxius.* 24.

I. MEmini me *Annam*, e *Ducibus Cliven-ſium* prognatam, Illuſtriſſimam *Comitem à VValdeck*, graviſſimo Hæmorrhoidum, diuturnoque fluxu cruentem magna diligentia ſummoque nixu, quum viderem, viribus labefactatis, ſpiritibuſque diſſolutis ſummum diſcrimen imminere, profluvium obfirmaſſe; Verum cum illa inde primo die recreata, ſequentibus mirifice gravari, atque circa præcordia tumere atque inflari inciperet; Vocatus ſexto die, coactus venis recluſis profluvium rurſus movi; neque potui tuto & ſecure ſtringere, priuſquam corpori levibus vacuationibus, hepatique neceſſario aliis alterantibus atque corroborantibus proſpexiſſem: Itaque dextre hic agendum, ne volentes, quod dicitur, vitare Charybdim, in Scyllam incidamus, hoc eſt, proſpicientes minori malo, illud gravius conciliemus. *Solenander. ſect. 4. conſ. 20.*

I. *a* Cùm ſæpenumero nonminus ſit periculum ex nimium fluentibus quàm plus æquo ſuppreſſis, iis qui ex conſuetudine ſtatiſque intervallis eo modo repurgari ſolent, advertendum ne diutiùs quam conveniat ſupprimantur; Itaque *ſanguinis miſſio* utilis eſt, ex iis quæ in cruribus circa malleolum internum, aut ſub poplite ſunt venis: nam iis pertuſis provocantur ſuppreſſæ hæmorrhoides, docente *Gal.* l. de V.S. Quod ſi corpus non admodum gravatum appareat, nec ex ſuppreſſis iſtis illud adhuc periculum timendum videtur, providere tamen velit, & valetudini proſpicere, ne ex nimiùm ſuppreſſis malum aliquod generetur, profuerit præſervationis gratia venam aliquando in brachio alterutro aperire: nam ita hæmorrhoidis neceſſitatem, cauſa ſcilicet ejus profluvii aliqua ejus parte ſublata, antevertere, & naturæ in iis, certis vicibus, commovendis operam minuet: atque incommodum aliquod, quod evenire poſſit, vitabit. *Solenander ſect. 4. conſ. 20.* Pro curatione quidam docent ſecandam eſſe malleoli venam ex *Galeno*, quoniam hæc vena ſecta hæmorrhoides provocat: In qua re non ſit præceps Medicus, ſtante ſanguinis plenitudine, quia ex hac ſectione ſæpe maximo adeo impetu ruit ſanguis ad partes inferiores, & præcipuè locum affectum, vt inde pejor ſuccedat affectio; hincque viderim ego in tali caſu maximas ſucceſſiſſe inflammationes, & aliquando etiam gangrænas: Quare ſtante plenitudine, non ſecentur inferiores ſed potius ſuperiores venæ: Et hoc præcipuè ſervandum vbi ſit intentio tantùm leniendi dolorem non provocandi hæmorrhoides: vbi enim non ſit intentio provocandi eas, tutius eſt in omni caſu ſecare ſuperiores, & eo magis ſi eas cohibere volumus; *P. Salius Diverſus Ann. in Altimar. cap. 76.*

II. Medicamenta *adurentia*, *a Celſo & Paulo* propoſita, parum tuta: Mirifiſſima hic medendi ratio, Præmiſſo leniente, vaporare hæmorrhoides alternatim ſpongiis duabus expreſſis è lactis vaccini libra, chalybeati, in qua foliorum hyoſciami manipulus ſemis ad quartas ebullierit, additâ ſucci cydoniorum ℥j. perſeverante autem dolore vim ejus remiſſiorem deprehendi, ſi pro hoc fotu rad. althææ ℥j. folior. verbaſci m. ß. ex aquæ chalybeatæ percolatæ, vinique rubri ana. ℥viij. ad conſumptionem tertiæ coquantur, additis colaturæ expreſſæ ſucci hypociſtidis ʒij. & opii gr. v. Lamina candente mox admota cominus hæmorrhoides contrahuntur ac veluti corrugantur: quæ in ſuum repoſitæ locum, ne denuo procidant, annulo ferreo dextrè cohibentur: quem ſummi ingenii viro, Paulo Servitæ, plures magno commodo acceptum referunt: Annulum verò aluta vtrinque continet, quæ perinæum & clunes verſus faſciis quatuor ejus capitibus adſutis lineo cingulo innexis firmatur. *Ioh. Rhodius centur. ij. obſ. 94.*

III. *Galenus* hæmorrh. evacuationem, naturali quam proximam, in vſum ducendam negat. 6. de cauſ. ſymptom. dicens, Quod ſi tempeſtive fiat non eſt toto genere p. n. tempeſtive autem fit quando id quod contriſtat expellitur, & nihilominus, Evacuationi per hæmorrhoidas non eſt aſſuefaciendum, quoniam vterque exceſſus eſt periculoſus, ſive nihil fluant ſive nimis.

IV. In curatione quæ per medicamenta fit hepatis & lienis ratio habenda eſt, cum meſaraica vaſa viſceribus his inſerantur, præſertim ſi calidiora ſint aut debiliora: Solvendæ quoque obſtructiones viſcerum & venarum meſaraicarum, ſi huic malo dant originem: Et nos aliquando fluxum hunc contumacem pilulis ex chalybe omnino ſuſtulimus: Eodem tempore, præ cæteris omnibus, ſumma cura ſanguinis vitium emendandum, quod primaria fluxus cauſa videatur: qui ſi acer & bilioſus, infuſo rhei ſæpe reperito corrigendus eſt, Tamarindis præſertim, docente Mercuriali, ad compeſcendum miram facultatem habentibus, & decoctis & in ſubſtantia datis: quibus ſubſtitui poſſunt pruna noſtra acidula, frequenter ante alios cibos citata:

Si

Si calidus ſanguis & tennis, incraſſetur is & refrigeretur; ſi aqueus, deſiccetur: ſi multos, victus ſit tenuis: Nam fruſtra de ſiſtendo fluore conſilium ſuſcipitur, niſi totali origo tollatur prius: Notandáque hic hiſtoria *Solenandri ſect. 4. Conſ. 62.* Memini, *inquit*, me Annam ex *Ducibus Cliven ſium* prognatam, graviſſimo hæmorrhoidum diuturnóque fluxu curaviſſe, magna diligentia, ſummóque niſu, quia viderem viribus labefactatis, ſpiritibuſque diſſolutis ſummum diſcrimen imminere, profluvium obſtruxiſſe: Verum cum jlla inde primo die recreata, ſequentibus miré gravari, & circa præcordia tumere inciperet, revocatus ſexto die, coactus, venis recluſis, profluvium rurſus movi: Neque potui ſecure ſtringere prius quam corpori lenibus vacuationibus, hepatique neceſſariò aliis alterantibus roborantibus que proſpexiſſem. *Riverius.*

V. Ad provocandas hæmorrhoides proponuntur clyſteria vehementia & acria; ea non probo, cum ad ciendas hæmorrhoides non tantum faciant, quantum inteſtina & venas meſaraicas lædant. *Crato apud Scholzium, Conſult. 174.*

VI. Sunt qui gladioli cuſpide hæmorrhoides aperiunt, ſed quibuſdam immodice erumpit ſanguis, vix vllis remediis cohibendus: adde quod in cacochymia vlcus à gladiolo relictum cacoethes evadit: Præferendæ hirudines à limo ſuo depuratæ; ſed ante admotionem emolliente fotu cutis emollienda & attenuanda: ſic enim facilius partem vulnerant. Si recuſant partem roſtro vulnerare, ea ſanguine gallinæ illinenda eſt. *Enchir. Med. Pract.*

VII. Tandem ratione derivationis, & vt hepatis intemperies corrigatur, maxime quia hydropis erat initium, deveni ad decoctum ex Zarza parilla Hiſpana, cujus xv. aſſumpſit decocta. ℞. *Zarzæ ℥ij. infunde per 24. horas in 12. ℔. aq. fontis, bulliant ad medias: ſub finem adde fol. plantag. m. j. dozis ℥vj.* Hoc intemperiem hepatis corrigit, eſt diureticum, & menſibus muliebribus convenit, Et ſic in caſu noſtro deſiderabamus, vt ſcilicet fluxus hæmorrhoidalis comprimatur, & menſtrualis vacuatio fiat: vnde neſcio qua ratione hæc curatio per derivationem viſa fuerit ſuſpecta & perniicioſa Maſſariæ, Cum potius maxime conveniat in hoc caſu: Et ſi forte timeretur de aliquali caliditate, quæ eſſet in Zarza, quam paucam video, fuit ob id plantago adjecta: deinde hoc decoctum, corroborabat, derivabat, & nimiam ſanguinis humiditatem exſiccabat. *Epiphanius Ferdinandus hiſtor. 16.*

VIII. *Fernelius* lib. 6. de Part. morb. & ſymptomat. cap. 10. annotavit, quod quoque obſervavi, interdum è podice, ſine dolore & ſanguine, prodire mucoſas quaſdam & ſubalbidas ſordes, quas falsò quidam pro pure habent: Ille veluti limum ſæcemque ſanguinis melancholici eſſe putat, quam podicis venæ eructant interdum multo tempore poſt diuturnos ferè morbos melancholicos, diuturnamque equitationem: *Platerus* hoc eadem ratione fieri ſcribit vt in albis vterinis fluoribus: vt ſicut in illis per venas menſtruas, ſic hic per hæmorrhoidales natura ab alba illa materia, menſtruis albis tenacibus non abſimili, ſe repurgat: Et omnino non pus eſt illa materia alba, cum in ijs etiam prodeat qui nullo vlcere eò loci laborant, ſed ſanguis quidam craſſior in materiam talem albam & viſcoſam, albumini ovi non abſimilem mutatus. *Sennertus libro tertio Practic. capite de hæmorrh.*

IX. *Hippocrat.* lib. de vict. acut. & lib. de Hæmorrhoid. *deligationem, ſectionem & vſtionem* hæmorrh. proponit, vtcunque: quæ tamen operatio, tanquam laborioſiſſima & valde periculoſa, noſtris temporibus obſolevit: Maſſaria tamen hanc operationem vidiſſe ſe ſemel refert, cujus hiſtoriam proponere vtile eſt, cum ex ea operandi modus atque eventus conſtet: *Fridericus Corſicus* laboraverat primum dolore, deinde immoderata fluxione hæmorrhoidum, Et cum ille multa præſidia fruſtra expertus fuiſſet, tandem *Patavium* ſe contulit, vbi Medici communi conſenſu ſtatuerunt ſanguinem eſſe cohibendum manus operatione: Advocatus in id Chirurgus *Neapolitanus* qui hanc rem profitebatur: hæmorrhoides inciſæ, ligatæ & combuſtæ fuerunt: Summa operationis hæc eſt: Hominem primo accommodate vinciunt: deinde extrema capita hæmorrhoidum; quotquot illa fuerunt, ab inteſtino excarnant leviter & ſeparant, tum propria quadam acu forti, obducta filo, ſere ad extremum tota perſorant, & ſtricte obvinciunt conſuuntque, hoc pacto demum forcipe amputata venarum portiuncula, quæ ex ſutura ſupereſt, ignito ferro eam comburunt; Opus ſane dolorificum & faſtidioſum, à ligatura, ſectione & vſtione: *Federico* febris atque inſignis dolor ſupervenere, ſed nonnulla ſua præſidia adhibente Chirurgo, ille paucis diebus à febre, dolore, fluore, multis admirantibus, liber fuit. At prætermittendum non eſt eum, cum nimium ſibi fideret, neque ſolum prætermiſiſſet ſanguinis miſſionem & purgationem, imò & diætam probam, proximo anno febre peſtilenti obiiſſe: Vnde obſervandum præceptum *Hippocr.* aphoriſm. 12. 6. vt vna hæmorrhois aperta ſervetur: Niſi, juxta *Aëtium*, æger imminentia pericula victu frugali, exercitio, V. S. & purgatione cohibere malit.

X. *Pilulas de bdellio* rejicit *Rondeletius*, quod bdellio vero Pharmacopæi myrrham ſubſtituant, quæ ſanguinem movet: At illi propriam experientiam opponit *Solenander*, quâ ſibi compertum ordinario modo præſcriptas, effectum promiſſum præſtitiſſe, adeo evidentem vt de compoſitione non dubitet: Niſi ſiccantibus adjectis & aſtringentibus adſcribendus ille ſit.

XI. Ego invictos hæmorrhoidum fluxus illico conpeſcui aſperſo colcotharis (vitrioli vſti) pulvere. *Heurnius lib. de morbis ocul. cap. 10. Aphoriſm. 12. 6.*

XII. Videtur ſiſtendus *fluor diuturnus*, 1. Fluxus eſt toto genere p. n. 2. Reſolutione ſpirituum debilitatur natura. 3. Corpus inde refrigeratur & alimento fraudatur: Videtur non conſtringendus 1. Teſtimonio *Hippocr. 6.* aphoriſm. 12. 2. Metus eſt recurſus ſanguinis ad jecur & viſcera nobilia. 3. Occluſionem varia ſequuntur, præſertim quartana, & ex liene icterus, vt habet *Ioubertus* lib. de Quart. cap. 9. Pro reſolutione notandum, eum fluxum, quatenus fit ab expultrice coacta a ſanguine ſuperfluo & noxio, propriè & abſolute loquendo fieri p. n. quare eo differt à fluxu menſtruo, quod hic communiter ſanis etiam conſtitutionibus conveniat, quatenus natura provida probi ſanguinis redundantiam conceſſit, eandémque per vterum ablegare voluit, vt ſuo tempore fœtui inſerviret: Hine optime valentibus & conſtitutis hæmorrh. fluxus non accidit, nec procurari debet, vt ait *Solenander* ſect. 3. c. 20. Quibus autem peculiaris eſt, & per conſuetudinem naturalis, in iis ſingulari prudentia Medica ita

regatur, ne vel diutius ſupprimatur quàm corpori ſit vtile, vel copioſius humorem fundat quàm valetudinis præcepta requirant: Rectè igitur *Iacchinus* in 9. *Rhaſ.* c. 72. ait, Nunc permittendum eſſe, ſi per periodos recurrat, neque ſuperfluus ſit; nunc ſupprimendum, ſi vires lædat, vt inde concoctio vitietur & hydrops ſequatur. Imò notandum hic quod habet *Salvus Sclanus* comm. in Art. Med. Gal. l. 3. per hæmorrhoidas in multis morbis & febribus vacuationem fieri, per hirudines adhibitas, quæ affigendæ, non ſolum iis quibus aperiri ſolitæ, ſed & quibus vacuatio hæc inſueta, ſi conjectamur adustum ſanguinem redundare, quippe quæ corpus inutili iſto levat onere & morbos ſimul omnes arcet quibus melancholia præbet materiam, quos *Hipp.* lib. περὶ χυμῶν recenſet; Ad argumenta dicendum, Affirmantia concludere de fluxu laudabilis ſanguinis, in non conſuetis naturis, ſine periodis accedente, Negantia loqui de iis hæmorrhoïdibus quæ ſanguinem peccantem in naturis conſuetis, & neutrali quadam corporis conſtitutione præditis certis temporibus vacuant. *Gr. Horſtius Dec. 6. probl. qu.* 8.

XIII. Sunt hæ venæ non vnius generis, vt hactenus à multis creditum, ſed aliæ Internæ à Porta oriundæ, aliæ Externæ à Cava, quibus arteriæ hæmorr. ſociantur per quas humores vacuandi deferuntur. Internæ ſolæ veteribus notæ, tanquam in ſplenicis & melancholicis morbis commendatæ, & aperiri poſſunt circa podicem, vel iis hirudines admoveri; cum aliàs Portæ intus latentis rami nulli ad cutem exeant qui incidi queant: Differunt hæ 1. Ortu, nam internæ à Portâ, aliquando à ramo ſplenico, vnde vas breve: Externa à Cavæ ramo hypogaſtrico. 2. Inſertione, nam Interna inſeritur in recti inteſtini ſubſtantiam, Externa in muſculoſam ani ſubſtantiam. 3. Numero, interna vna eſt, externæ triplices. 4. Sanguinis contenti Qualitatibus; Internæ ſanguis craſſus eſt & niger: Externarum tenuior, rubicundior. 5. Vſu, internæ deplent Portam, & ſplenis obſtructiones juvant: Externæ Cavam, Epar, per accidens, primariò verò arteriam magnam, cor: imò earum vacuatio morbos ſanguineos curat, capitis, thoracis &c. quod & *Hipp.* in aph. monuit; hinc Internæ dicuntur cacochymiæ mederi, Externæ plethoræ. 6. Sanguinis profuſionis copia: Internarum fluxus non ita copioſus: Externarum adeo quandoque vt mors aut morbi graves ſequantur. 7. In externarum vacuatione non adeſt dolor & torſio ventris, aliquando etiam nullus dolor in ano, at in internarum fluxu affligit: 8. Internas arteriæ non comitantur, Externæ cum arteriis ad muſculos ani deſcendunt; hinc rectius dicuntur Vaſa Hęmorrhoidalia. *Thom. Bartholinus libello* 1. *cap.* 4.

XIV. *Tumoribus Hæmorrh.* ſæpiſſime dolor & calor jungitur: tunc medicamentis potius internis & externis tractandi ſunt quàm qualicunque Chirurgia exaſperandi: Inter externa eximium Linariæ vnguentum; Vide *Horſtium libro quarto Obſervat.* 42. & ſcrophulariæ radix recens collo appenſa. Si abſque doloris ſenſu & phlegmone intumeſcant, præprimis accipio ferramentum latum, optime ignitum, hæmorrh. ita adhibeo vt non ignis contactum, ſed ſaltem calorem percipiant, ad bonam ægri tolerantiam. In timidis hirudinibus aperio, & extracto ſatis ſanguine, ad robur partis, ſpongiam vino nigro auſtero imbutam & expreſſam admoveo. *Hippocrates* ad prædictam Chirurgiam requirit cauterium capite rotundo, ſeu ovali, præditum. Meo judicio hic magis probatur latum, quia eodem citius finitur operatio: Quando autem non ſaltem intumeſcunt, ſed vna quoque vel altera tumentium fluit, Ovale *Hippocr.* ferramentum præſtantius eſt lato: illud enim hęmorrh. ſanguinem cum conſerentia fundentes facile præterit: hoc verò tam fluentes quàm ſimpliciter tumentes indiſferenter quandoque exſiccat, non ſine magno patientis detrimento: quod ex animadverſionibus Spigelianis monere volui. Aliquando Hæmorr. internè intumeſcunt, ob altiorem tamen in inteſtino recto ſitum, nullo dictorum modo in conſpectum trudi, multò minus repetito ferri igniti, ſive lati, ſive ovalis, contactu curari poſſunt; Quid tunc medicamentis, etiam fruſtra vſurpatis faciendum? Nonne aliud auxilium ex Chirurgiæ promptuario repetendum? Imò certe? requiritur enim cannula omnino ſolida, quæ acto frigida, & albo ovi agitato tantum illita leniter ano immittatur, ac ſtylo ignito ſibi ſæpius intruſo calefiat, vt calefactas hęmorrhoides tam altè ſitas paulatim exſiccet. *Scultetus Tabula xxi. Figura v. & Tabul. xlv. Fig. ij. Armament. Chir.*

XV. Hęmorrhoidum fluxus quandoque tam pertinax eſt vt eum, facta etiam revulſione, medicamentis adſtringentibus ſiſtere nonnunquam impoſſibile ſit; Talem pertinaciam expertus ſum Venetiis in Nob. xxvj. annorum, temperamenti ſanguinei, tempore veris, laborante primum (antehac enim nunquam) hæmorrhoidibus externis nimium fluentibus: ad quem vocatus, cum nec ſanguinis miſſio, nec cucurbitulæ ſiccæ dorſo admotæ, nec ligaturę, nec medicamenta adſtringentia, interna & externa, quicquam conferrent, jamque de vitâ æger periclitaretur, juxta *Hippocr.* & *Aëtium*, contra Aquapendentem, venarum ſanguinem fundentium aduſtionem propoſui; propoſitam confirmavi aphor. 6. ſect. 1. & aphor. 6. ſect. 8. Patiens autem cum ſentiret mortem non longe diſtare, Chirurgiam admiſit: vnde domum feſtinans inſtrumentis me inſtruxi punctualibus ſeu ovalibus, quæ tertocedeos famulo, vt ea ignita redderet tradidi: quibus optimè ignitis, omnium venarum hęmorrhoidalium oſtiola ſanguinem fundentia ſigillatim tetigi, ipſiſque cruſtam induxi; à ſuperioribus aduſtionem incipiens, ne ſanguis ex intactis qui defluit, ferramenta ignita ante operationem extingueret: Sic Nobilis priſtinam conſequutus ſanitatem: Si natura antehac hæmorrhoides ſæpius aperuiſſet, & ad hanc ſolum partem ſuperfluum ſanguinem tranſmittere fuiſſet aſſueta, vnam intactam reliquiſſem, emplaſtris & adſtringentibus occludendam, ita vt ſponte vel arte facillime reſerari, & data quaſi porta ſanguis (qui in corpore in dies aggregatur, ſtatiſque temporibus vacuari ſolet) per eam expurgari poſſet, ad præcavendos illos affectus quorum meminit *Hippocrat.* 6. aphor. 12. & 6. Epidem. ſect. 3. text. 33. & 34. *Scultetus Armam. Ch. Tab. xliv.*

XVI. *Fonticulos in brachio* dextro, femore ſiniſtro, tandémque ad ſpinæ caudam quamprimum inuſtos proponit *Claudinus Conſult.* 95. Atque vt fonticuli magis magiſque proſint, pilas in iiſdem geſtari jubet ex pulvere ellebori nigri & agarici ſimpl. cum cera excepto paratos: Ego ſuo cura matronam habui honeſtam, quæ intenſiſſimis hæmorrhoid. cæcarum doloribus a multo tempore vexabatur, cui fonticulum ſubtus genu, in domeſtica parte excavavi, hinc cruciatus ſopiti, & rariſſimè niſi ex inordinata diæta infeſtarunt. *M. Glanderpius Gazophyl.*

zophyl. cap. 16. Vide *Zacutum Prax. Adm. l.* 2. *Obſervat.* 82.

X V I I. Hæmorrhoidalis dolor provenit à pravis humoribus, ad venas ſedis tranſmiſſis, non tantum melancholicis, vt credidiſſe viſus eſt *Galenus* lib. de atrabile 4. ſed & aliquando biliosis & pituitoſis, ex *Avic. Fortis Conſult.* 97. *Cent.* 2.

X V I I I. Dolores leniendi, & meo judicio ab elective purgantibus abſtinendum, ne magis humores exagitentur & incaleſcant, ac ad partem affectam perducantur. *Fortis ibid.*

X I X. Inter *anodyna*, primo ſedi adhibeatur fotus ex decocto lactucæ, malvæ, violar. hyoſciam. & papav. mox inunctio, vel injectio: Quæ tamen varianda, Cum quæ vni proſunt non omnibus prodeſſe obſerventur, quinimo nec quod vni profuit in hujuſmodi affectu perpetuo eidem vtile ſit. *Fortis ibid.*

X X. In *Hæmorrhoidum præt. natur. profluvio*, etſi vena aperienda ſit in cubito, eo quod quæ ad caput vergit fluxio, revelli poſſit vena in cruribus ſecta; quæ ad pedes vel ad anum, vena brachii ſecta: Si enim impetuoſius fluat per arterias ſanguis ad inferiores partes, ſecetur autem vena aliqua brachii, non poteſt, non minore impetu ferri ſanguis ad inferiora ob ſanguinis defectum, multo nempe ejus ex vena ſecta profluente: Et cum faciliorem babeat exitum qua vena eſt aperta, neceſſe eſt ſanguinem per illas arterias potius fluere quæ prompte deplentur per venam ſectam, quàm per illas ex quibus in venas minus impeditus eſt exitus: adeóque is qui per arterias deorſum ante fluebat ſanguis, vena brachij ſecta, non poteſt non curſu mutato ſurſum & in brachium per ſuperiores arteriarum ramos pergere: Notandum tamen ſi in hæmorrhoidibus jam inflammatio facta ſit, tunc potius in cruribus quàm brachiis inſtituendam venæ ſectionem, eò quod hic non tam ad humorem qui affluit reſpiciendum ſit, quam ad illum qui affluxit, & evacuatione & derivatione indiget. Vide *Gal.* l. cor. r. per ſ. m.c.18. & 13.m.m.c.6. & 11. l. 2. ad *Glauc.*c.2.

Sanguinis miſſio per venam ſectam tunc competet, ſi ob illius redundantiam in venis meſeraicis fluor nimius ille hæmorrhoidum proveniat, licet enim tunc ſanguis ab illis per venam apertam minime effluat, cum nullibi hæ venæ cutem attingant, quia tamen vena cava per eam aliquo pacto a ſanguine exhauſta, à meſeraicis ſanguinem rapit, eo pacto per revulſionem aliqua fit illius inde quoque evacuatio, præſertimque per largam aliquam è vena patente in brachio aut manu ſecta factam ſanguinis detractionem: vel etiam alicujus in crure aut pede apparentis & manifeſtę venæ ſectionem, è qua ſanguis extractus non hæmorrhoidum vti fluxum menſtruum concitat, cum hæ venæ cum hæmorrhoidalibus minime, vti vero cum iis è quibus menſtrua prodeunt, continuentur, & proin non attrahendo ſed, vti dictum, revellendo, per ſanguinis hanc emiſſionem hæmorrhoides hæ potius ſiſtantur quam commoveantur. *Platerus Prax. lib.* 3. *cap.* 5.

X X I. In viro cui a quatuor annis immoderatior factus eſt fluxus, adeo vt non modo id quod moleſtum erat ſupprimeretur, ſed ipſe quoque ſanguis probus, vitæ theſaurus, ejuſdem ſuppreſſionem molitus ſum, fabulis Medicorum illorum ſpretis qui hunc profluvio modum ſe ſtatuere poſſe dictitant, quaſi pro arbitrio, & cum opus fuerit, eundem excitare & ſupprimere penes eoſdem ſit; dum interim miſeros ægros in cachexias, atrophias, hydropes & interitum præcipitant; Nec minus deridendi qui *Hippocraticum* aut *Galenicum* dogma tueri ſibi perſuadentes, non melancholici & craſſi ſanguinis ſolum, in cujus gratiam ab initio natura excitare ſolet excitare hæmorrhoides, ſed probi quoque effluxum permittunt, prout progreſſu temporis ſæpiſſime contingit, imo ſemper, præterquam in paucis qui ſtatis temporibus moderate per venas ſedis expurgantur, & a quamplurimis morbis, ab *Hippoc.* enumeratis, præſervantur & vindicantur: Alij quin etiam inepti *Hippocrat.* interpretati ſunt, qui inveteratam hujuſmodi affectionem Chirurgica manu ſanare volentibus, vnam apertam ſervandam videtur præcipere aphoriſm. 6. 12. (quod tamen non facit lib. de Hæmorrhoid.) vnde ſuſpecta habent revellentia, incraſſantia & adſtringentia, quaſi facillimam putent hujus vacuationis ſuppreſſionem: Ego vero cum validis præſidiis parum, levioribus vero nihil profeciſſe in praxi obſervaverim, omnem medicamentorum apparatum ſuppreſſioni ejuſdem adhibeo, dummodo tamen non ſit moderata, periodica, & ſanguinis craſſioris ac melancholici, quæ ægris moleſta non eſt, cum levamen potius quam detrimentum ex illa percipiant. Cuius præſtantiſſimæ doctrinæ non me, ſed *Galenum* doctorem exhibeo, dum ait 4. aphor. 25. Sanguinem ſuperne efferri qualiſcunque ſit malum, interne verò per hæmorrhoides profluere bonum, quum nigra vacuantur, id eſt, quum hominis natura multum humoris huiuſmodi accumulat: alioquin temere non eſt vacuationi per hæmorrhoidas aſſuefacienda; quippe quæ vtrumque exceſſum periculoſum habeat, & quum vltra modum ſanguis excernitur, & quum ex toto ſiſtitur. *Fortis Conſult.* 100. *Cent.* 2.

X X I I. *Hippocrat.* 6. aphor. 12. Diuturnas curantib. niſi vna quæpiam ſervetur, periculum aquæ intercutem vel tabis impendere ait: Ideo non audiendus eſt *Aëtius* qui omnes ſanandas eſſe dicit; Nam ſi vera, inquit, fiat præparatio corporis ante ſanationem, & poſt illam debita victus ratio accedat, non erit timor tabis, aut hydropis, aut alterius majoris mali: quod ſi vna ſervetur, non dicetur curatio, & nihilominus affliget, quia prudentiſſimus ſenex, etſi omnia ita fiant quæ dicit *Aëtius*, tamen vult quod vna ſervetur: ſiquidem 4. acut. t. 126. vbi curationem proponit hæmorrhoidum, vnam, inquit, perpetuò relinques, poſtea purgabis elleboro, exercitetur deinde, & ſudet, & multum perfricetur: vomat ter in menſe, vinum fulvum bibat, auſterum, aquoſum & paucum; Quibus verbis docet modum evitandi pericula etiamſi vna ſervetur: Nec audiendi ſunt illi qui conciliant *Aëtium* dicentes, quod vbi fluxus eſt melancholicus, vna debet ſervari ſemper; vbi verò pituitoſus, tunc poſſunt ſanari omnes: ſi quidem ſanguis, qui per hæmorrhoidas venit, vel quantitate peccat, vel qualitate: quovis modo eveniat, niſi vna ſervetur, magnum imminet vitæ periculum, & licet vna ſervetur, multò minus affligit quàm plures. *Fonſeca Conſultat.* 27. *Tom.* 1. Medicus dogmaticus in æterna memoria habere debet vigentię ſcopum, qui omnes ſuperat; quare, fluit immodice ſanguis & diu, multum, ſuperque multum fluxit, ergo cohibendus, nam imminet mors repentina, vita enim ſtat in ſanguine, ſtatim igitur cohibendus, nam omnis ſanguinis excretio eſt toto genere p. n. & ſi repentina mors non ſequitur, ſequitur hydrops, cachexia &c. Quid igitur cunctandum vbi vires jam debiles ſunt effectę, ac notabilem læſionem perſentit

æger, & maxime quando exit ſanguis à venis externis in ano? Sunt enim prope anum duo rami venarum, alij interni, ſeu in tunicis inteſtini recti, à ramis Portæ orti, ab ipſo ſcilicet venoſo vaſe Lieni deſtinato, qui cacochymiæ & fæculenti ſanguinis ſunt vacuationes: Alij ſunt Externi, qui in muſculis ani ſunt, & à vena cava ducunt originem, qui plethoram evacuant, & ſanguinem purum & laudabilem: Si igitur ſuperfluus eſt ſanguis, & à venis externis ejectus, neque eſt niger, vt ille qui eſt à venis illis internis, tunc cohibendus eſt omni ratione ob ſupra dicta, Sed ſi ſanguis adhuc ejectus eſt multus, verum ab internis venis, & niger erit, quid agendum? An omnes venæ ſunt occludendæ, an vna aperienda? Si hic fluxus ſanguinis ſuperfluus ex internis venis, & niger, non eſt multorum annorum, neque naturæ adeo conſuetus (cum ea quę conſueta ſunt fere ſint naturalia) & initio conſiſtentis ętatis, poſſunt omnes claudi, ſi duas, vel tres, vel quatuor habuerit æger, vel etiam unam; Nam veriſimile eſt interna viſcera nullam contumacem & inſignem lęſionem, vel intemperiem contraxiſſe, & maxime ſi melancholicis morbis non laboraverit homo ille; dummodo tamen quotannis per intervalla, ab exquiſita & curioſa ratione victus, phlebotomia & pharmacia non abhorreat? E contra ſi hic fluxus eſt inveteratus, ac diu & diu occalluerit ſenectute, tum neutiquam omnes claudendæ, ſed una derelinquenda; nam non poterit quiſpiam tam curioſa ratione victus, phlebotomia & pharmacia inviolabiliter uti, quin in corpore reliquię humoris efferi melancholici regenerari, cum in chronicis morbis in viſceribus inſignes ſemper neceſſario fiant intemperies, ac rebelles & contumaces læſiones, quare ſine dubio major erit portio humoris melancholici, qui in dies poſtea regenerabitur, quam fuit artis efficacia vt totus evacuetur, cum ea eſt hominum conditio, & maxime temporibus noſtris, ubi multo majora fiunt errata in victu quam antiquorum temporibus, Et ſi *Hippocrat.* unam ſemper ſervandam voluit, cur tempore noſtro idem non faciendum? *Epiphanius Ferdinandus hiſtor.* 16.

XXIII. Obſervandum eſt peſſime illos errare qui *Cucurbitulas* in nimio Hæmorrhoidum à vaſis apertis fluxu, cum vario ac multiplici tractu à coxendice ad collum aut ſcapulas facto, ſpinæ dorſi applicant, arbitrantes ſanguinem hac ratione retractum iri: Cum tamen hoc modo, ſtante motu ſanguinis circulari, plus ſanguinis ad locum affectum alliciatur, & vaſa aperiantur, augendo ſanguinis fluxum in venis maioribus, qui poſtmodum concitatior ad cor factus, auget eius fluxum in arteriis. *Fridericus Hofmannus m. m. lib.* 1. *cap.* 20. Scarificationes, cucurbitulæ, ligaturæ, frictiones, licet revellendo in hæmorrhagiis aliis, in quibus è venæ cavæ ramis ſanguis promanat, competant, hic tamen cum neque ſanguinem è vena cava exhaurire, aut à meſaraicis alio eum derivare queant, parum proderunt. *Platerus* 3. *pag.* 570.

XXIII. *a.* Quia *Dolor* ſæpius negotium faceſſere ſolet, ob id illius diligentiſſime cura habenda eſt, Inſpiciendumque an pars cum inflammatione, vel ſolum cum calore & exarſione doleat; nam ſi primum, refrigerare ſolum ac laxare partem opus eſt; quippe ea quæ cum adſtrictione aut repulſu refrigerant ſummopere lædunt, niſi dolor cum fluxione ſit: Si acrimonia, ardor & dolor acerbius infeſtent, in ſemicupium deſcendere iubeto; moxque ulceribus, ſi quæ fuerint, hoc medicamen impone, ℞. *Olei roſarum* ℥ *iv. ceruſſæ* ℥ *j. lithargyr.* ʒß. *ceræ novæ* ʒ*vj. opii gr. iv. f. unguentum.* Quod ſi ne hęc quidem omnia prodeſſe videantur, *Narcoticis* uti oportebit, dummodo à ſedatione doloris partem vino calido, aut calida aqua abluas. *Mercatus.*

Pro hoc malo tollendo *Balſamum ſulphuris ad* ʒß. exhibeo, quo calido Hæmorrhoidas ſæpe, maxime poſt excretionem perunxit, N. ac ſtatim ab acerbiſſimo & odioſo iſto dolore liber ſanuſque factus eſt: Nam valet hoc *Balſamum* certo in hoc vitio, nec unquam fallit, ut experimenta innumera docuerunt. *Martinus Rulandus curatio* 87. *centur.* 1.

XXIV. Illis qui *hæmorrhoidali* obnoxii ſunt *fluori* obſunt clyſteres, imo frequens ac nimius illorum uſus fluxum hunc cauſare poteſt: Et nonnunquam ex regurgitante ſanguine horum vaſorum in inteſtinis ulcera patere.

XXV. *Hæmorrhoides* compungi multi ſanguinis affluxu diſtentas novum non eſt: *Maſſaria* ferro magis quam hirudinibus aperiendas ſtatuit: ubi ſcalprum aſperius videatur, præſertim pueris, mulieribus, uno verbo mollioribus, omiſſo ferro capitur hamuloſum pericarpium dipſaci cardui, ad illud globuli plumbei fruſtulum accommoda, quo certius impelli poſſit, ſic particulam feries, humore quantum opus eſt exhauſto: Tuto autem hanc rem modicam inferri teſtes plurimi. *Severinus Med. Eff. p.* 81.

XXV. *a.* *Cæcas*, ante earum apertionem quæ manu fit, imminuere conſulit vel copia ſanguinis ibidem jam fluxi, qui per majores venas imminui non poteſt, vel conſuetudo, quæ ſuppreſſa nunc eſt, vel grandioris affectionis per eas partes curatio, vel ipſarum hæmorrhoidum dolor & tumor, qui alioqui ſubſidere nequeunt: Id quod tentandum eſt facere per inſeſſiones, fotus, mellis appoſitionem pulveris zarzæ parillæ, imo ſucci cepæ, fellis porcini, ſucci ciclaminis &c. aſperiori linteo vel ficulneis foliis, poſtea vel inſeſſione aquæ calidæ, vel fomento calido laxabis cutim, donec quod ſatis ſit ſanguinis exierit, cavens ne fluxio ultra quam ſit pergat: Si tamen nimium neceſſitas urgeat, & corruptionis timor, vel doloris immanitas, aut majoris mali imminentia præſit, hirudines eiſdem præfigere oportet: Quod etiam facere potes *acutiſſimo ſcalpello*, & minutiſſimo facto foramine; quod caute & prudenter fieri debet, nam ſæpe major ſuccreſcit ſanguinis fluor quam opus ſit, aut compeſci facile poſſit. *Mercatus.*

XXVI. Hæmorrhoides venæ quandoque exterius prominent, non raro interius latent: fundunt ſanguinem quædam, aliæ non, ſanguinis excretionem præcedit aliquando dolor, ſæpe citra dolorem profluit, dolent vero etiam nullo ſanguine ſuccedente: Dolor tam magnus eſſe poteſt ut per ſympathiam veſica laborante urinæ ſuccedat ſtillicidium: Viro cuidam *Cæcæ ac interna hæmorrhoides* moleſtę erant: Medicus enemata adhibuerat, quibus ſalem & hieram pictam admiſcuerat, hinc dolor & inflammatio adeo intenſa; ut non minus quam hæmorrhoidum labor urinæ quoque moleſtum eſſet ſtillicidium, & cui prius adhibendum remedium foret, in deliberationem caderet: Huic autem mox olei violacei vncia in anum injecta bene fecit, dolore primum hæmorrhoidum, deinde & veſicę levato: Eodem vero poſtea aliquoties impoſito, omnis dolor

cito

cito conquievit. *Dodonæus cap. 50. Obſervat. Med.*

XXVII. *Gaſpar Scioppius* longi. Hæmorrhoidum doloribus cum fluxu vexatus, adhibitis fruſtra clariſſ. in Italia Medicis, Monachi cujuſdam Dominicani conſilio, cum ſua urina partem laviſſet, fumumque ſulphuris per ſellam excepiſſet, plane convaluit. *Velſchius.*

XXVIII. Vena quæ inter minimum & annularem digitum pedis excurrit, venæ ſaphenæ ſoboles eſt: Nos ſectæ ejus venæ beneficium experti ſumus in doloribus hæmorrhoidum ſopiendis, quibus & implacides dies, ac inſomnes noctes permultas duxerat N. *Severinus Med Eff. p. 65.*

XXIX. Ego ſub cura matronam habui, quę intenſiſſimis hæmorrhoidum cæcarum doloribus a multo tempore vexabatur, cui Fonticulum ſubtus genu in domeſtica parte excavavi, hinc cruciatus ſopiti, & rariſſime, niſi ex inordinata diæta infeſtarunt. *Claudinus Conſ. 95.*

XXX. Extrinſecus ſiſtunt folia verbaſci & plantaginis tuſa & appoſita: Inſeſſus in aqua cum alumine & aceto, in qua ebullierit ferri ſcoria. His non ſufficientibus ad ignem confugiendum, ferrum ſcil. ignitum immiſſum intra cannulam multis foraminibus perviam, quod remedium eſt *Hipp.* lib de Hæmorrhoidibus. *Forest.*

XXXI. Sæpe ex hæmorrhoidibus ſponte fluentibus humores craſſos & atros evacuari videmus: At ſciendum ſanguinem illum nequaquam ex Liene venire, ſed à plethora totius corporis in vaſa illa, utpote ignobiliora deponi, ubi ob moram facile in corruptionem & putredinem cadere poteſt, ita ut apoſtematis ſpeciem præ ſe ferat, & hæmorrhoides hę ex genere varicum videantur. *Walæus met. Med p. 86.*

XXXI. *a.* Sexagenarius *dolore* hæmorrh. moleſto conflictabatur, cum tumore & inflammatione partis, qui multis remedijs non ceſſaret: Præſcripſi fotum ex aqua roſar. in cujus ℥ vi. ſalis Saturni ʒj. diſſolvebatur; qui fotus plures in die iterabatur: Poſtmodum cataplaſma admotum eſt ex cepa alba ſub cineribus cocta, & cum butyro ſubacta partibus æqualibus: intra biduum inflammatio ſedata eſt & tumor magna ex parte reſolutus. *Riverius Obſerv. 38. Cent. 4.* Si vero ſine inſigni calore aut acrimonia, preſſæ aut tenſæ doleant, tum non utile eſt refrigerantia adhibere, ea enim afflatum impediunt, & impactum ſanguinem magis compingunt; ſed tum prodeſt laxantia diſcutientiáque admovere, quæ ſi præter iſtas facultates etiam habeant quod dolorem ſopiant, profutura ſunt magis: Hic convenit Semicupium in aqua mediocriter calida, quę incoxit rad. & fol. althææ, malvæ, rad. ſcrophular &c. inde abſterſus locus dolens illinitur oleo momordicæ, quod efficaciſſimum eſt, vel oleo ex floribus arboris Perſicæ, quo ego ſum in iſto caſu uſus magna cum laude. *Solenander Conſ. 20. ſect. 4.*

XXXI. *b.* Facit aliquando *Doloris* acerbitas ut *ſtupefacientia* adhibere neceſſarium ſit; Sic opium aliquando admiſcemus linimentis: Dextre tamen id agendum, ne podex Narcoticis refrigeratus non praeſtet officium: *Avicenna, Philonium Tharſenſe*, quod deſcribit, applicat: Ego ſæpenumero recentibus Theriaca vel Mithridatio admotis, & dolorem compeſcui, & ſiccata diſcuſsáque influxa materia tumorem ſuſtuli. *Idem.*

XXXI. *c.* Si *Profluvium* grave eſt, *internam venam* in brachio *ſecare* poterit, quod remedium expeditum eſt & efficax: Si Profluvium *diu duraverit*, viráſque attrivit, ne ſpirituum fiat ſubita eductio, partiri ſectionem in vices decet, ita & viribus minus incommodabitur, & revulſio fiet iteratis retractionibus evidentior.

XXXI. *d.* Sin nec ita impeditur profluvium, *Cucurbitulæ* ſine vel cum ſcarificatione affigendæ: Affixæ hypochondrijs, potiſſimum ſiniſtro, profluvium egregie retinent, illud præcipue quod ex venæ portæ ramo derivatur, Et ſcapulis primum, deinde lumbis admotæ, efficaciter fluxum retinent qui ex cavæ venæ propaginibus derivatur. *Idem.*

XXXII. Quidam a diuturnis hæmorrhoidibus (mediante tubulo & ſtylo ignito in anum immiſſis, ad exſiccandas internas & tumentes) tandem liberatus, toties recidivam paſſus eſt, quoties medicamentum purgans, quod ingrederentur vel folia ſennæ, vel ſcammonium, ore aſſumpſit: Quare illi interdixi uſum ſennatorum & ſcammoniatorum: qui inde ab acerbo hæmorrhoidum dolore per multos annos immunis ſaluberrime vixit. *Scultetus Armament. Chir. Obſervat. 76.* Vere & Autumno leves laudo purgationes, omiſſis omnium purgantibus medicamentis, ab Authoribus propoſitis, dum falſo innixi fundamento melancholicum & atrum ſanguinem expurgare contendunt ne ad venas ſedis detrudatur, non animadvertentes quod calefactione, agitatione, & motu violento purgantium medicamentorum effluxum, quem evitare intendunt, excitant potius, &, quod gravius, non atri ſed probi ſanguinis: Procul ergo purgantia, & ſola caſſia ſat nobis ſit, vel cum portiuncula myrobalan. addito ſecunda vice lenitivo. *Fortis Conſult. 100. Cent. 2.*

XXXIII. Solet præterea in hunc uſum uſurpari pulpa Tamarindorum, quæ tamen, quia dolores excitat, quos ſequi ſolet deſidendi cupiditas, nec obſtructionibus prodeſt, ſuſpecta: Neque potiones ex ſyr. roſar. violar. ſolut. quia nimio impetu ducunt humores ad locum affectum, ſuſpicione vacant. *Idem.*

XXXIV. Quæ humores purgant propinantur ſi ob bilis in ſanguine venarum melancholicam, aut alterius nimiam illuviei copiam immoderatius hæm. fluant. Ad præcautionem antequam hæ ſuperveniant, in illis qui hiſce obnoxij ſunt, frequenter & decenter purgando, proventum horum excrementorum, & ne illæ congerantur impediendo, idque medicamentis bili tam flavæ quam atræ, quam ex flava in atram degenerante potius quam fæce ſanguinis naſci putamus, expurgandæ dicatis, quod eo melius antequam illæ fluere incipiant perficitur, majoréque ſucceſſu, cum humores illi excrementitii, in primis hiſce vijs latentes, citius purgantibus datis à natura ad inteſtina propellantur. *Platerus.*

XXXV. Si propter obſtructiones aperientibus utendum, Rhabarbaro tamen uti non licet, ut quod venas ſedales reſerare aptum ſit. *Fortis Conſult. 63. Cent. 3.*

XXXVI. Unguenta Hæmorrhoid. minus conveniunt, quod dilatent magis folliculos venarum, ſorditiem ibi collectam, vel ſanguinem etiam floridum ſervidiorem exaſperent, tranſpirationem prohibeant &c. Vnde licet apud omnes adeo Practicos deprædicentur unguenta, & in ſpecie de Linaria in eo caſu, neſcio tamen quibus obſervationibus id confirmari ſcripſerint, ſiquidem aliquoties obſervavimus hæmorrhoidibus cæcis dolorificis minus id profuiſſe, quin potius dolorem fervorémque intendiſſe. *Wedelius de Med. comp. ext. p. 185.*

HEPATIS AFFECTUS IN GENERE.

SYLLOGE.

Conditiones *medicamentorum Hepati dicatorum.* 21
Hepatica *medicamenta nova adminiſtrandi ratio.* 38
Salvatellæ *dextra aperta utilitas.* 4.
Rheum *quando amma hepatis.* 22.
Illi, ut & ventriculo Olea Chymica *inimica.* 42.
Incaleſcit ab extrinſecus admotis ventriculum roborandi gratia. 32.

Atonia Hepatis, Hepatitis.

Amygdalæ *&* Piſtacia *an conveniant in frigida.* 1.
Hepatic æ *puella, extenuata & exſiccata curatio.* 2.

Hepatis Dolor.

Cur Sanguinis miſſio *juvat.* 3. 2.

Hepatis Inflammatio. Tumores.

Tumorum *inflammatoriorum differentia.* 3.
Copioſa Sanguinis miſſio *convenit.* 12.
Cucurbitulæ *cui loco admovendæ.* 13.
Quando illis locus. 16. b.
Purgàntia *quando conveniunt.* 14.
An cibis miſcenda. 15.
Ex *liquidis quæ convenientiora.* 17.
Topica *non ſemper eadem eſſe debent.* 16. 18. b.
Repellentia *interna qualia eſſe debent.* 19.
Sæva hirudinibus *ſuper partem admotis ſanata.* 20.
Tumor ſimplex, *ſeu* ὄγκος ἄνευ πάθους. 39.
Inflatio Scirrhi *ſpecie ſæpe fallit.* 37.
Eo Inflato *cante præparantibus & purgantibus utendum.* 28.
Cautiones *in uſu frigidorum, laxantium &c.* 28.
Suppurationi *nunquam incumbendum in inflammatione.* 18. c.
Saccharo Saturni *parce utendum.* 18. a.
Scirrhoſo *emollientia nocent.* 43.
Scirrhum *aufert Empl. de cicuta.* 44.
Sanguinis miſſioni *quando locus.* 44. b.
Topica *qualia eſſe debent in* Scirrho. 44. a.
Varianda materia remediorum. 44. c.

Hepatis Intemperies.

In calida frigidis non abutendum. 7.
Aliter agendum ſi ſit ſimplex, aliter ſi adſit bilis. 8.
In calidiore generoſa duo remedia. 31.
Opiatæ *ad refrigerium an conveniant.* 29.
Ceratum Santalinum *non tutum ad refrigerium ſi adſint obſtructiones.* 9.
In intemp. calida *utile eſt bibere concoct. per alia.* 11.
Serum *ad refrigerium aliquando chalybeandum.* 33.
Vngu. *refrigerantibus an* Opium *addendum.* 30.
Quis Decubitus *commodus.* 10.

Hepatis Obſtructiones.

Sanguis *quando mittendus.* 23. 39. a. 22. a.
Purgatio *cito inſtituenda.* 24.
Quomodo ſuſtinenda. 24. a.
Rheum *an ſemper & quomodo conveniat.* 25.
Vrinam *moventibus cauto utendum.* 26.
Deobſtruentibus tartarum reſolventia addenda. 27.
Aperientium *abuſus nocet.* 5.
In quadam ſpecie apozemata nocent. 24. b.
Debent exhiberi magna doſi. 6.
Obſtructiones *cavæ partis priuſquam gibbæ expedienda.* 34.
Cautiones *in uſu Aperientium.* 36.
Circa ſaccharum. 36.
Rheo *quando in ſubſtantia, quando infuſo utendū.* 35
Eſſentiæ *croci martis quando locus.* 28. a.
Obſtructiones *pro ſitu varie curandæ.* 39. a.

Hepatis Vlcus.

Curatio *per lateris apertionem.* 41.

Hepatis Vomica.

Tuto poteſt aperiri. 42.

I. ALtimarus Epaticis frigidis negat convenire *Amygdalas & Piſtacia*, 1. Quia quæ facile corrumpuntur non poſſunt iis convenire: 2. quod Oleaginoſa ſint, at frigida jecoris conſtitutio his maximè læditur, eò quod obſtructiones, quæ ut plurimum junguntur, ejuſmodi qualitate augeantur: 3. Quod promptè in bilem convertantur. Contra affirmativa potius defendenda, ex *Savanarola*, qui amygdalas inter alia medicamenta convenientia præſcribit: Confirmatur 1. Quia amygdalæ, præſertim amaræ, vim habent extenuandi, & craſſos viſcidoſque jecoris humores expurgandi, *Gal.* 2 de alim. fac. c. 22. & 30. ubi de piſtaciis idem affirmatur. 2. Juxta *Dioſcoridem* l. 1. c. 136. de mat. med. illæ & piſtacia urinam ciere poſſunt; at quæ urinam movent frigidis epaticis optimè conveniunt, à quibus & jecur roboratur & obſtructiones ſolvuntur. Rationibus *Altimari* ſatisfacit *Salius* in ann. c. 82. Ad 1. Negatur, eò quod amygd. & piſtacia difficulter concoquuntur: quæ autem difficulter conficiuntur, illa quoque difficulter corrumpuntur, quatenus omnis coctio alimentorum fit mediante corruptione, terminum à quo conſiderando: Ad 2. Ab humido oleagineo non admodum timenda eſt obſtructio, quia oleagineum accedit ad caliditatem: Ad 3. Nec nocent quod citiſſimè in bilem convertantur, quia nihil timendum in epate refrigerato, quod alimenta & medicamenta calefacientia & abſtergentia requirit, quod præſtant amygdalæ & piſtacia. *Gr. Horſtius Decad. 7. Probl. 1.*

II. In Puella quadam primum *Intemperies* erat *calida*, cujus ratione *Hepatica* dicebatur: erat *Extenuatio*, quæ in tabem tendere videbatur, aderat & *Siccitas ſolidorum*, quæ incrementum corporis tardabat: Cui ſuccurri etſi non poſſet, prohiberi tamen augmentum erat opus: Debuit ergo in complicato affectu ad cauſam reſpici: Ea erat *intemperies calida ſicca*, cujus ratione cum plurima bilioſa congeſta eſſent, ideo cœpi vacuationem medicamento, non calefaciente, aq. ſç. Villica, ſepties propinata ex arte: Purgationem ſequuta alteratio, quam per ſuccos eſſentiæ volui, cichorij & ſonchi: Cichorium viſceri gratiſſimum, & refrigeratione & abſterſione venarum hepatis, ut & adſtrictione, quam requirit: Soncho eadem vis, ſed plus refrigerans: Eorum ſuccum dedi cum ſacch. per dies x. atque remitti ſigna caliditatis omnia viſa ſunt: Diæta fuit refrigerans, uſus oxalidis lactucæ, portulacæ, intybi, prunor. ceraſor, melopeponum: Vitavi ſalſa, dulcia, pinguia omnia &

Extra admota cataplaſmata eorundem virium, ex farina hordei & ſuccis ſupra dictis: Illitiones ex cerato ſantalino &c. Demum ad extenuationem curandam acceſſi exhibito lacte: His adeo profecit vt & non modice carne repleretur, & colorem ſupra quam credi poteſt mutaret ad melius. *Iacchinus cap. 50. ad ix. lib. Rhaſis.*

III. *a Doloribus* variis, & variis à cauſis tentatur locus, a Flatu diſtendente incluſo craſſoque qui difficulter diſſolvitur, & nonnunquam reſolventibus fit intenſior ob majorem rarefactionem: aliquando copioſo, qui plus juſto diſtendat vel vaſa jecoris vel ipſius involucrum: nam in carne raro contingit adeſſe: Præterea ipſum concitat vel gravior cujuſvis partis ipſius visceris obſtructio, vel inflammatio, aut ſolutio continui. Si *Gravativus* fuerit dolor, arbitrandum eſt ei plenitudinem cauſam præſtare, maxime ſi tenſionis ſenſus accedat: nam licet tenſio ſoboles ſit flatuoſæ ſubſtantiæ, cum hoc tamen ſi gravitati adjungatur, longe certius plenitudinem arguit: quapropter ſanguinis detractione protinus vtendum eſt (nam ex hac cauſa concitati dolores ocyus inflammationem accerſunt) ſi plenitudinis totius ſigna ſub ſint: Verum ſi humores bilioſi, acres, mordaces commoti, aut in cavis jecoris partibus interclusi dolorem concitaverint, tunc quidem cautius & prudentius agendum eſt; nam facile auxilio importune adhibito affectio vitia eſt commigrare in inflammationem: quippe tunc licet ſanguis non abundet, mittendus tamen ex baſilica lateris dextri, tum vt viſceris calor mitteſcat, tum vero vt nihil ſanguinis, dolore concitante ad eam partem evocetur, quo citius fiat inflammatio: tum etiam vt expeditior ſublit ad expurgandos humores via: Quod ſane opus non confertim & ſubito, ſed paulatim lenteque & per vices fieri debet, ſubſiſtendo parum infra, quod membrum affectum ex præcipuis ſit, copioſamque vacuationem non admittat. *Mercatus.*

III. *b* Triplici modo Epar calidis repletum humoribus hypochondrium attollere ſolet in morbis acutis, 1. quando humores e propriis conceptaculis egreſſi per visceris parenchyma diffunduntur tumoremque conſtituunt durum ſimul & doloriſicum, qui propriè Inflammatio appellatur: 2. quando iidem humores vaſa epatis majora tantummodo replentes, diſtenſionem faciunt quandam, ob quam hypochondrium elevatur: 3. Cùm venæ omnes per epar diſcurrentes replentur adeo, vt tumorem tactu manifeſtum efficiant: Et ſicuti in his partes affectæ ſunt diverſæ, ita etiam & tumoris conditio & ſymptomata conſequentia varia ſunt, ac proinde varia curandi ratio: In primo enim humores tumorem conſtituunt durum & doloroſum, orbicularis plerumque figuræ. Cum vero iidem humores vaſa majora tantummodo replent id pluribus fit modis, quia aliquando ibi conſiſtentes, fervoremque ſive putredinem concipientes, febres acutas & malignas inducunt, licet tumorem nec oculis nec tactu conſpicuum in hypochondrio conſtituunt: Aliquando copia & motu tantummodo peccantes, dum ab infernis regionibus ſuperuas petunt, cumulatè irruentes in epar, venas ejus majores & proximiores, à quibus ligamentorum inſtar ſuſpenditur, ſupra modum replent, vnde breviores effectæ epar ſurſum trahunt, indeque hypochondrium elevatur: Quam tumoris ſpeciem hypochondrium revulſum vocat Hipp. Signum raptus humorum ad caput: Diſtinguitur tumor hic ab aliis, quia in ſuperiori parte magis ad coſtas apparet, & ſub eo vacuitas quædam perſentitur in parte vbi extremitas epatis naturaliter ſituatur: durities tamen in tumore non perſentitur, neque dolor: quia in epate non eſt affectio quæ ipſum lædat; aut in magnitudinem attollat; tactui tamen tenſio quædam perſentitur in parte tumeſcente; & tandem hæc affectio brevi tempore permanet, humoribus ad ſuperiora iter affectantibus: Si vaſa tandem per totum viſcus diſperſa calidis humoribus repleantur, fit tertius tumoris hypochondrij modus; qui & ipſe duplex eſt: nam vel ſimpliciter incaleſcunt ſucci, nec putredinem adhuc contraxerunt vel in venis putreſcunt: Si primo modo id ſurſum duplici modo fit, nam aut quieti manent, ſola copia prædicta vaſa diſtendentes, fitque tumor quem φλεβῶν ἔντασις i. e. venarum intentarum modò appellat Hippocr. vbi tumor quidem apparet, & oculis & ad contactum, ſed qui comprimentibus tactui non reſiſtit, non mollitie tantùm, ſed etiam quia materia tumorem efficiens compreſſa manu; cedit loco, ad proximiora recedens inſtar ſanguinis venam replentis, vbi digito comprimitur: quod quidem indicat ſolum vitium eſſe in repletione venarum, non in ſubſtantia ipſa, qui tumor citò & ſponte diſſipatur: Si verò iidem humores, eadem vaſa replentes, ob admiſtionem ſpiritus flatuoſi agitentur, idem tumor ſubmollis oritur, verùm cum pulſu aut palpitatione, de quo Coaca ſect. 2. v. 55. *Pulſus in hypochondrio cum tumultu, mentis emotorius eſt.* Si denique iidem humores vniverſa hepatis vaſa replentes putreſcant vlterius, oritur tumor qui diſtenſionem ſubmollem efficit, non admodum doloroſum, figuraque plerumque ſublonga; ad differentiam exquiſitæ Inflammationis hepatis; quæ facit tumorem durum & doloroſum, figuraque orbiculari circumſcriptum: Is tumor fit cum putredo omnes venas hepatis obſidet, & maxime ſi ipſæmet venæ inflammentur: atque Inflammatio eſt talis naturæ, vt nihil ſanguinis puri generari permittat; qui cum materia ſit generationis ſpirituum vitalium, vnde animales fiunt, hinc oritur delirium & phrenitis: ſubmollis vero eſt tumor, quia ſubſtantia viſceris, quæ primo tangenti occurrit, in naturali diſpoſitione & mollitie adhuc permanſit: durities vero ſive tenſio intimius perſentitur, vbi venæ majores repletæ & inflammatæ conſiſtunt. *Proſp. Martianus comm. in v. 348. lib. 4. Epid.*

IV. Mos eſt Medicis ferè omnibus in affectionibus Hepatis & Lienis, cum vacuationes alias tentaverint, ad ſectionem venæ illius quæ in extrema manu eſt, inter digitum auricularem & annularem, tanquam ad ſacram anchoram confugere, quæ tamen vacuatio multis in locis videtur a *Galeno* nunc in alios authores relata, nunc damnata. Videtur tamen is inclinare in ſectionem venæ cubiti, quaſi ea potior ſit, ac profecto meritò videtur ita ſentire, nam vena interna cubiti ad effundendum ſanguinem commodior eſt, quia amplior: paratior etiam ad vacuandum, quia affectæ parti vicinior: In rectitudine videntur pleriſque nihil differre, ſed omnino eſſe ſecundum eandem diametrum, & ſecundum idem latus: veruntamen revera hæc vena extremæ manus accepit iam aliquid, Communis & Externæ, quare videtur ad exinaniendum hypochondria incommodior facta; nulla ergo re vena hæc extremæ manus venæ internæ cubiti præſtare videtur: Atque ego olim ita cenſui, quia nulla cauſa ſuccurrebat

qua ea evacuatio poſſet eſſe accommodatior quàm quæ ex cubito: video tamen omnes qui Medicinam factitant hac ſ. m. vti, vt experimento comprobatiſſima: Nequa ſectio hæc commendanda ob neceſſitatem extrahendi tenuem ſanguinem, aut metum effundendi multos ſpiritus, quia amplitudo aut tenuitas venæ non tantùm confert quantùm ſciſſuræ ipſius tenuitas aut amplitudo: igitur facilius aſt vena interna cubiti educere tenuem ſanguinem, & ſpiritus interiùs continere, facta ſciſſione brevi, quàm venarum iſtam permutationem facere: Sed ſubeſt alia cauſa, certè Extremæ partes internarum ſunt emunctoria naturalia, non tamen quæque quarumconque, ſed earum cum quibus habent rectitudinem, velut extremæ manus hypochondriorum, dextra heparis, ſiniſtra lienis, atque membri cujuſque excrementa naturaliter vergunt in illius emunctorium, Et quò natura vergunt per loca conferentia, eò oportet duci: Ergo maximè expedit laborante Hepare venam ſecare in manu dextra, quia facilè trahetur quò ſecundum naturam conſuevit pelli; at non initio, cum magna eſt copia, ſed poſt alias vacuationes. *Valleſius controverſ. lib. 7. cap. 5.*

V. Diligenter attendendum vt ſemper iis quæ *obſtructiones* ſolvunt & attenuant nonnulla adſtringentia admiſceantur, ſubſtantia viſceris roboretur, & aperientia diutius hic detenta efficacius agant. Compertum verò eſt ex nimio & diuturno vſu aperientium epar non parum læſum fuiſſe. *Sennertus.*

VI. Digni reprehenſione ſunt qui ℥iß. oxymelitis exhibent: quæ exigua quantitas vix ventriculi fundum irrigat, partim detinetur in paristhmiis & poſt aſſumptionem exſpuitur, partim in oeſophago, quare antequam ad epar perveniat, ita abſumitur in itinere quantitas & ejus vis, vt neque materia prima oxymelitis ad epar veniat: Soleo ego ℥iv. & quandoque vj. oxymelitis quotidie dare, ſed diverſis horis, ſcil. ℥iß. ſummo mane, paulò ante prandium, & ante cœnam tantundem: ſi enim totum manè daretur, nimis læderet ventriculum: Ariſtot. imitatus, qui I. probl. 57. quærens cur febrientibus parum & ſæpe ſit danda potio, dicit multam præcipitem deferri, paucam tardè & profundè irrigare, vt pluvia quæ paulatim defluit magis humectat quàm quæ cum impetu. *Sanctorius Art. part. c. 95.*

VII. Hepar, nobile viſcus, magna cautione erit tractandum: neque enim ſuſque deque habendum quibus illud alteres remediis, vt ad ſymmetriam naturæ revoces; ſed videndum ne cùm calida intemperie æſtuat, eo frigore tincta admoveas, quo obſtruantur exiles hepatis venulæ: nam inde putredinis magna calamitas oriri poſſit, & ſeges ſpargi maximis febribus: Sint igitur infarctus liberantia quæ calorem modeſtè ſpirant & mitiora: eſt enim hæc pars tanta authoritate vt ejus officio vita carere nequeat: *Heurnius meth. ad Pr. l. 2. c. 6.* Ego quidem nimium & protervum vſum frigidorum ſuper hepate vito: quia id membrum, etiam cum ardet, labitur facilè in contrarium lapſum, manetque non tardò ſubjecto frigidum & ignitum, cinerum & carbonum more: Tamen quibus naturale robur in ea parte conſtat, & intemperie calida flagrat hepar, vtiliter admovetur oxyrrhodinum actu frigidum, vt infunditur in ſincipu: aut etiam cataplaſmata ex eo cum farina hordeacea, aut contuſis herbis parata, virtute æque atque actu frigida: atqui profectò hoc reperi peropportunum in ardentibus febribus cum ejus phlogoſi. *Valleſius meth. med. l. 3. cap. 9.*

VIII. Vbi Hepar incanduit æſtu, perpendendum erit num id à ſimplici intemperie, vel num adſit bilis: ſi bilis affluxerit, leniter aperientibus erit refrigerandum, ac leniſſimè ſtringendum, vt conſerva capillorum veneris, cum cichoraceis, bugloſſo, & ſeminibus frigidis majoribus. *Heurnius meth. ad Pr. l. 2. c. 6.*

IX. In refrigerando Hepate plus eſt periculi quàm in calfaciendo, 'Admiſcenda ideo quædam calida, ſumpta indicatione a viſ anguificandi, quæ calore perficitur: Fiant igitur refrigerantia cum quadam levi adſtrictione: nam poſt febres Tertianas refrigerare oportet, nec multùm conſtringere ob obſtructiones, vt in Ictero: Non leviter itaque peccant qui ceratum Santalinum vſurpant in hiſce cauſis, refrigerat enim & adſtringit non leniter: quare cùm refrigerare oportet citra magnam adſtrictionem, vngu. roſaceum ſantalino præſtat, quod ſi nimium conſtringat, violac. vel nenuphar. addemus. *Rondeletius de Medic. Ext. pag. 1049.* Omnino in calida jecoris intemperie abſtinendum ab iis quæ nimis refrigerant: quin potius leviter refrigerando laxanda cutis eſt, vt vapores tranſpirare queant. *Matthæus Martini de morbis meſenter. p. 306.*

X. Quibus Epar calidius obtigit, his dextri lateris decubitus inſalubris eſt, niſi minutus admodum fuerit & conſuetudine confirmatus. *Idem ibid. pag. 189.*

XI. Poſtquam cibus è ventriculo egreſſus fuerit atque coctus, vtile eſt bibere, præſertim bene coctam & defæcatam cereviſiam, ita enim ventriculus, vt teſtatur Avicenna, abluitur: inteſtina, quæ humido ab epatis caliditate exhauriuntur, humectantur, alvuſque laxa efficitur; chylus etiam in venas rectè penetrat, cùm potus nihil aliud ſit quàm nutrimenti vehiculum. *Crato.*

XII. Quam citiſſimè *ſecanda vena* eſt, & copioſus ſanguis detrahendus, non quidem ſemel & vniverſim, ſed partitè: neque priùs ab hac vacuatione deſiſtendum quàm præſens dolor hypochondrii quieverit, vel maxima ex parte ſit remiſſus: alioquin quod reliquum erit, vel in abſceſſum degenerat, vel in ſcirrhum immedicabilem: Moriuntur ferè omnes quibus aut parcè, aut poſt quintum diem ſanguis detrahitur: neque enim tertia ſanguinis detractio, quamvis copioſa liberat, ſi adhibeatur cum humor tenacius hepati impactus eſt, aut cum ad ſuppurationem vergit: Ideoque ſi primo aut ſecundo die ſanguinis quod ſatis eſt ducitur, intercipitur eâ phlegmone, modo reliqua remedia non negligantur. *Enchirid. med. Pract.* Si ſanguis in magna copia mittatur vnica die deſinit inflammatio, vt verè Medicus dicere poſſit ſe febrem jugulaſſe: Quod ſi hæmorrhoidos ſint ſuppreſſæ, aperiantur: Si menſes, & inſtet purgatio, aperiantur primò venæ inferiores, mox, durante malo, etiam ſuperiores. *Saxonia Prœl. Pract. cap. 24.*

XIII. Veteres in hoc affectu *Cucurbitulas cum ſcarificatione* hypochondrio dextro admovebant; à quibus abſtinendum cenſeo, quia illæ nihil ex affecta parte educunt, contra verò in eam humores è venis attrahunt, adeoque inflammationem augent: *Enchir. Medic. Pract.* Si nulli ea detur ſ. m. locus, adhibeantur cucurbitulæ, non tamen vt

aliqui

aliqui volunt, ſcapulis & dorſo: hoc enim eſſet inflammationem jecoris ad pulmones & cor ducere: apponantur igitur naribus & lumbis, *Saxonia Præl. Pract.*

XIV. In *Purgantibus* animadvertendum quænam jecoris pars ſit inflammata: Si pars gibba, non ſunt exhibenda, ſecundum *Avicennam*, ſed evacuantia per lotium: Si Sima, vtendum vacuantibus per alvum; aliàs debilis fiet natura, irritabiturque inflammatio: Quare ſi gibba eſt inflammata, dentur lenientia, non ſolventia; niſi fortè natura diminutè tentaret vacuationem per alvum; vnde apparentibus coctionis notis poterit natura juvari, non ante; nam ex 13. meth. qui inter initia purgant inflammationes reddunt pertinaciſſimas: Si inflammata ſit pars ſima probat *Galenus* c. 14. 15. & 16. l. 13. meth. carthamum, vrticam, radicem polypodii: poſſumus miſcere aliquid epithymi; & vrgente neceſſitate inquit *Galenus* ſe exhibuiſſe veratrum nigrum cum ptiſana hordeacea colata: Nos exhibere poſſumus rheum, ſi redundat bilis: agaricum, ſi inflammatio ſit pituitoſa: Si melancholica, ſennam, epithymum, polypodium, nigrum veratrum: vnde in praxi notandum ad valentiora aſcendendum eſſe, non in inflammatione bilioſa, ſed præſertim in melancholica, quia hæc poteſt degenerare in ſcirrhum, morbum incurabilem, *Capivaccius l. 3. c. 24.*

XV. Purgantia cum cibis miſta probat Galenus locis dictis, *Procedente, ait, tempore vbi phlegmone jam conquieſcit, licet per ventrem vacuare, ſi cavum afficitur, cnico cibis admiſto &c. & in qua modice alvum dejicimus: magiſque in remiſſionibus his ipſis audacius quam antea vtendum; cum vero quæ his ſunt valentiora, partim in ptiſana incoctis, partim in molliſſimum pulverem redactis: exhibenda verò & hæc ſunt, vel ex aqua: Ego namque filiculæ aliquid in ptiſana aliquando incoxi, & nigri veratri corticem.* Subſcribit Maſſaria l. 3. Pract. c. 13. dum inquit, *Digna eſt maxime annotatione ratio dandi medicamenta purgantia quam tenebat Galenus, qui ſolitus fuerat illa permiſcere cum cibis: idque dupliciter, vno modo ſimul coquendo alimenta & medicamenta: altero contuſis medicamentis, eorumque pulverem tenuiſſimum permiſcendo cum ptiſana vel aliis medicamentis. Quæ ſane vtraque ratio, cùm in aliis morbis, tum maximè in inflammatione jecoris videtur præſtantiſſima: nam cum cibo deſcendit è ventriculo, non tantum ille, ſed medicamentum quoque vna trahitur ad jecur, vnde veriſimile eſt facile admodum & minori labore expurgationem ſuccedere: Ac fortè id venit in mentem authori lib. de vict. acut. 4. text. 18. dum dicit Sorbitiones attractorias dandas eſſe. Quare mea ſententia optimum foret hanc medendi & purgandi rationem hoc tempore innuſitatam, ſuſcitare &c.* Improbatur quibuſdam, quia ſi cibis miſceantur purgantia, eorum ſequatur corruptio, & proin membra convenienti alimento deſtituantur: 2. quod præſcripta calida ſint, jecori inflammato maxime adverſa: At 1. ratio concluderet aliquid ſi ſemper & quotidie cum cibis medicamenta propinarentur: at vero non admodum obeſt ſi ſemel aut iterum aſſumpta alimenta non nutriant, quia & ipſa inedia vacuatio eſt: 2. etſi medicamenta a Galeno præſcripta vtcunque calida ſint, temperantur tamen admiſta ptiſana & ſimilibus.

XVI. In Topicis obſervanda forma, locus, magnitudo, tempus inflammationis, officium & ſitus partis: Forma quidem & Locus, quia ſi inflammatio fuerit Eryſipelacea & legitima, vel in parte concava, Præterea Tempus, quia ſi fuerit in principio principiante, ſine dubio conveniunt refrigerantia & actu & potentia: Sed ſi magna ſit inflammatio, aut ſit in gibba parte, refrigerantia actu & impermiſta ſunt omnino ſuſpecta, nam indurabunt inflammationem, quæ tandem in ſcirrhum degenerabit: Initio actu frigida in duobus tantùm caſibus admoveri poſſunt 1. ſi inflammatio ſit eryſipelacea, nam ex Galen. 13. meth. 8. in eryſipelate ſcopus refrigerandi ſuperat ſcopum digerendi, contra in inflammatione: Idem cap. 9. de reprimentibus in principio principiante agens, ait *Hæc partem vacuare, quia materiam adhuc in vaſis exiſtentem ad vicinas partes propellunt*: Sed vbi tranſierit id principium, & vbi inflammatio non ſit eryſipelacea, Reprimentia debent habere tres conditiones, 1. vt ſint actu tepida. 2. vt ſint miſta illis quæ ſunt tenuium partium & penetrationem habeant, vt acetum, aut ſuccus limonum & arantiorum: 3. vt habeant miſtionem eorum quæ partis robur ſervent. Nam ratione Situs, quia jecur eſt ſatis profundum (habet enim muſculos, peritonæum & alias ſuprapoſitas partes) ob id neceſſaria ſunt remedia tenuium partium: Ratione officii, ſervandum eſt robur quibuſdam remediis adſtrictoriis. *Saxonia Præl. Pract.* Graviter peccant recentiores dum toto ferè morbi tempore epithemata adhibent ex ſuccis, decoctiſque tum refrigerantibus tum adſtringentibus: unguentum ſantalinum inde apponentes, quod abſque vlla emollitione exſiccat, adſtringit & refrigerat, vnde humores impinguntur magis, & viſcus conſtipando, reſolutioni & diſcuſſioni ineptiores redduntur. *Pr. Martianus comm. in verſ. 151. l. 4. de vict. acut.*

XVI. *a Inflammatione* in gibba parte exiſtente, vbi non purgare (niſi copioſa admodum fuerit materia) ſed vrinam movere conſulit *Galenus ad finem 7. meth.* caute conſiderabis quid adminiſtrare, quando & quomodo oporteat: ſi quidem ex imprudenti *Diureticorum* adminiſtratione proculdubio majus ſequitur damnum, quam ubi recte adhibeas beneficium: quapropter ſi cogaris mox è principio (vacuato tamen corpore) his uti, tantum ea adhibebis quæ ſimul calorem attemperent & vrinas moveant, qualia ſunt melonum ſemina, cucurbitæ & ejus generis alia: Poſtea vero affectione cunte vel ad ſuppurationem, vel ad reſolutionem, ex valentioribus ſenſim & paulatim aliquid admiſcebis; velut eſt apii aut radicis ejus decoctum: Verum ſi magis naturam cognoveris ſuppurationem moliri, tis paratius uteris, donec jam aliquod ſuppuratum comperies, quo tempore tutius erit pus, aut purulentam materiam paulatim per vrinam expurgare; quam permittere eo collectionem pervenire quo ferro candenti opus habeat; tunc enim (aut ſi evidentius conſtiterit per reſolutionem majorem materiæ partem abire) ex diureticis ea adde quæ majorem habeant efficaciam, *petroſelinum*, *aſarum*, *nardum celticam*, *meum*, & reliqua hujus ordinis, quippe non æquum eſt ea excedere: Inclinante tamen affectu, ſive per reſolutionem, ſive per repulſum inclinet, ad ea quæ vias urinæ abſtergunt veniendum eſſe rei conditio conſulit, tunc enim decocto hordei & fœniculi cum ſaccharo & melle utendum erit: In omnium tamen adminiſtratione timari diligenter oportebit, majorem ne efficiant hæc pharmaca commotionem,

aut dolorem, vel majus incendium, quam quid vitioſum excernant aut per alvum vel per urinam: quippe tunc abſtinendum eſſe arbitror ab eorum uſu, & mitioribus utendum, donec ſenſim efficacioribus additis, citra turbationem & damnum eis uti poſſimus: nam indiſcriminatim adhibere, aut in adhibitis citra conferentiam aut tolerantiam perſiſtere, nec prudentis eſt Medici, nec citra damnum facies. *Mercatus.*

XVI. *b* Si Hepar non ſit infirmum, dum foras evocare materias nitimur, maxime fluxione ceſſante, tunc quidem maxime *Cucurbitulam* ſupra partem affectam cum ſcarificatione adhibebimus; ſi vereamur medicamenta tantum humoris reſolvere non poſſe, & iterum ſequenti die reiterata cucurbitula magni eſſe momenti aſſolet; non quidem, vt multi conſulunt, in principio, ob doloris vehementiam, quippe tunc majorem concitat fluxionem. *Idem.*

XVII. Alterantia exhiberi poſſunt, Serum aſininum, vel depuratum vel deſtillatum: Decocta cichor. endiv. acetoſ. ſonci, hepaticæ; Succi depurati atque filtrati, ſonci, endiviæ, in decocto præſcripto, Verum Aquas potius ſtillatitias, de ſucco cichor. endiv. acetoſæ, exhibere ſoleo ad ℔.ß. vel ij. cum vehiculo diuretico, Syr. de ſucco limon. Etenim decoctiones & ſucci diutius in ventriculo morantur, cum aliqua coctione egeant, ſicque refractis viribus refrigerantia ad hepar perveniunt: Serum vero depuratum non adeo facile permeat, Et deſtillatum igneam quandam qualitatem in deſtillatione acquirit, quæ Aquis, vt pote impenſius refrigerantibus, non inutitur nec conſervatur: Obſervanda autem Galeni 1. acut. 43. cautio, Ne quicquam actu frigidum exhibeatur, frigida enim partem denſant & crudos reddunt humores. *Fortis conſult. 57. cent. 3.*

XVIII. Contra *Hepatis inflammationem* prodeſt Tinctura mea parata ex Marte & ſaccharo Saturni in aqua plantaginis: Saturnus enim omnibus inflammationibus contrariatur: Cavendum autem ne nimis creber hujus ſit vſus: Externe idem miſceatur cum aq. plantag. roſar. fragorum ſ. v. vel ſolani: *Petraeus Noſol. harmon. l. 2. p. 211.* Si vis explorare vtrum in eo, vel parte quadam inflammatio adſit, annon, applica tepica calida: Si iſta pars ferat, nulla adeſt inflammatio: Sin autem non ferat, certo credas inflammationem adeſſe & inde ſubſequuturum abſceſſum: *Laz. Riverius Cent. 1. Obſerv. 51.*

XVIII. *b* Initio inflammationis Arabes ſolis repellentibus, ſucco portulacæ, ſolatri, roſar. ſantal. camph. oleo myrtill. omphacino vtuntur: Græci imponunt maſtichen, anethum, chamom. &c. diſcutientia: Conciliabis dicendo Illos contemplari initium morbi, quando pauciſſima humoris copia in parte inflammata eſt recepta, & plurima adeſt humoris fluentis & fluxuri; quo pacto timor eſt ne humor impetu magno in cor & ſpiritalia membra repulſus reſtagnet. Græci conſiderant principium ſimpliciter, quo tempore cum adhuc humor fluens ſit in parte contentus, tutius eſt repellentia mixta cum diſcutientibus admovere: Neque ea admovenda ſunt actu frigida, vel potentia frigidiſſima, nam indurant, meatum bilis obſtruunt, penetrare nequeunt, & fuligines ea inflammato jecore exhalantes retinent, quo calido cohibito effluvio febris augetur, excandeſcit jecur & inflammatio deterior fit. *Zacutus.* Vide *Mercat. Pract. l. 4. c. 2.*

XVIII. *c* Rimari diligenter quovis præſidio exhibito opus eſt, quo ſe vertat natura in debellando humore; quippe ſi ipſum reſolvere nititur, auxiliis profecto juvanda eſt quæ vim habeant id muneris exequendi: Si vero ſuppurare, raro & caute Medicus huic muneri incumbet; ac ſemper in reſolutione perſtandum, iis tamen auxiliis quæ non omnino naturæ actibus adverſentur: Quapropter cataplaſmatis quæ mixtas reſolvendi & ſuppurandi vires habeant, quale illud eſt quod Recipit, *mala cydonia purgata & contuſa n. ij. in aqua pluviali, & cum farina hordei & foenugr. f. Catapl.* Idem facito incoquens ea in abſynthij decocto. *Idem.*

XIX. Repellentia interna ſi ritè adminiſtrari debent, reſpiciendum ad inflammationis formam, locum, tempus, magnitudinem & partis officium: Formam, Nam ſi inflammatio ſit eryſipelacea aut legitima, audacter ſtatim initio utendum refrigerantibus: licet enim poſſint aliquam jecori obſtructionem inferre, nihilominus majus eſt periculum, cui occurrimus per frigidæ potionem, quàm damnum quod ſequitur; nam ſi non dentur hæc frigida, tabes ſequitur, aut abſceſſus: Locus, vel eſt pars ſima, tunc refrigerantia nullo modo debent eſſe adſtrictoria, ſi enim adſtringant locum affectum, indurabitur materia & conſtringetur porus felleus, & retenta bilis in jecore augebit inflammationem, vel gibba, tunc adſtringentia non improbantur, habent enim vim prohibendi fluxionem à parte gibba ad ſimam, ſicque illa ab inflammatione præſervabitur: Partis officij ratione, toti communis, permiſcenda robur ſervantia: Si inflammatio ſit pituitoſa vel melancholica, abſtinendum ab adſtrictoriis & admodum refrigerantibus. *Saxonia Prael. Practic.*

XX. Vir robuſtus & carnoſus Inflammatione Hepatis laboravit: tranſacto 4. die remiſit febris & ſymptomata leviora facta: at dolor ita truculenter ſævijt, vt febris denuo accreverit cum virium debilitate: variis tentatis, cum dolorem à ſanguine craſſo, præ caloris incendio aduſto ducere conjicerem, cucurbitulam ſcarificatam ſuper partem appoſui, à *Galeno* commendatam 13. meth. 19. vnde tantillum levatus: altero die appoſitis binis cucurbitulis ſiccis ſuper partem, & admotis quatuor magnis hirudinibus, à quibus ſanguis limoſus & craſſus extractus in magna copia, omnino à magno dolore ſalvus remanſit. *Zacutus Pr. hiſtor. l. 2. c. 13.*

XXI. Eorum quæ extergent meatus, tam in calida quam frigida dyſcraſia, hæ debent eſſe prærogativæ & conditiones 1. vt propter anguſtias viarum, Penetrent, veluti cyperus, ſquinantum, crocus, iris Florentina &c. 2. Aperiant, ceu marrubium, abſynthium arom. piſtacia, rad. petroſel. 3. Concoquant & leniant: paſſulæ, ficus, vinum granator. dulce, Rhenanum, oligophorum 4. Abſtergant, vti mel, ſaccharum. 5. Roborent, ceu eupatorium abſynthium, ſchoenantum, roſa, ſpica. 6. Præſervent à putredine, ceu caſſia lignea, calamus aromaticus, cinnamomum, myrrha, electrum, lignum aloës, Rhodium, & aromatum genus omne. 7. Siccent moderatè vt raſura cornu cervi, eboris. 8. A proprietate conferant, vti Rhabarbarum, hepar Lupinum, paſſulæ, cochlearum & limacum carnes: 9. tandem etiam Adſtringant, malignitatem corrigant, nec facilè corrumpantur. *Matthaeus Martini de morbis meſent. p. 309.*

XXII. Rhabarbarum eſt quidem vita Epatis,

ſed

ſed calidioris Epatis mors, quia calidum eſt & ſiccum ad tertium gradum: *Riolanus Pract.*

XXII. *a* Si *Obſtructio* vel in parenchymate Iecoris fuerit, vel in finibus vaſorum ejus, cum in primordiis ſanguinem redundare frequentius contingat, tum ob jecoris calidius intemperamentum, tum ob ſuppreſſam aliquam ſanguinis vacuationem, tunc ſanguinem vacuare expedit: Quod ſi in declinatione aut fine febriculoſæ alicujus affectionis malum oriatur, contemplari tunc oportet an æger potulentior juſto antea fuerit, aut jecur fervidum, aut ſanguis nimio æſtu attenuatus, vel affectio prægreſſa ex frigidioribus: Tunc enim conjectandum eſt, non ex jecoris nimio calore, ſed ex vberiori potius humiditate, ex potu nimio contracta, obſtructionem hanc ortum duxiſſe: quo tempore abſtinendum eſſe à ſanguinis detractione conſulit affectus, & cauſæ, ac occaſionis ratio: Verum ſi præcedens affectio calida fuerit, & æger potui non admodum deditus, conjectabile eſt morboſæ cauſæ humiditatem jecur præcalidum traxiſſe, quo tempore opportuniſſima eſt ex ſalvatella manus dextræ ſanguinis detractio (ſiquidem ex venis majoribus in præcedentis morbi curatione detractus jam ſit) vt attemperetur jecoris fervor, ſicut dum ex itinere, vel quovis alio labore præcalidum factum jecur, quicquid in ſanguine tenue eſt ad ſe traxerit, ex brachio: At ſi ſano homini, nulloque præcedente morbo prædicta obſtructio accidat, ex ſuppreſſa aliqua ſanguinis profuſione, vt pleriſque fœminis ex menſtrua purgatione cohibita contingere ſcimus; aut viris ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis, protinus quidem extrahendus ſanguis, ſi plenitudo magna ſit, ex brachio, & mox ex talo: aut ſi levior ſit abundantia, ex talo ſemel aut bis: Poſtea ſuppreſſam vacuationem revocare ſtudebis, ne ſanguine exuberante Iecur quod tenuius eſt ad ſe trahat, & moliatur hoc, & graviora mala quæ protinus ſequi ſolent. *Mercatus.*

XXIII. *Avicennas* dicit in Iecoris obſtructione eſſe ſecandam venam quando ſit antiqua: quod non ſuperficialiter intelligendum: nam ſi ſemper expectare vellemus donec antiqua fieret obſtructio, hæc certè ita augeretur vt valde eſſet periculoſa: Avic. ergo inſinuat vehemens in ſanguine peccatum: ideo ſi fiat obſtructio à ſanguine, non cedente levioribus præſidiorum materiis, vena eſt ſecanda. *Capivaccius l. 3. c. 20.*

XXIV. Laboret Hepar, ſive Lien *Obſtructione* humorum crudorum, tenuium & incoctorum ſeu ſcirrho, hunc affectum citò auferet Medicus ſi valida *Purgatione* materiam educit: quod ſi ex meticuloſitate, ob aphor. 22. 1. eam differt, tum vitioſi hi humores miſcent ſe toti maſſæ ſanguineæ ita vt poſtea longiſſimus oriatur affectus. *Walæus m. m p.* 8.

XXIV. *a* Si nulla mittendi ſanguinis fuerit occaſio aut cauſa, curandum eſt ſanguinem a ſpurcitia ſeroſi aquoſique humoris exuere, ea *Purgantia* porrigendo quæ ſeroſam humiditatem expurgandi vim habeant: Cui viui & ſeminis carthami ſuccum, & agat. ac rhabarb. dilutum profuiſſe experimento diutino didicimus: Quæ ſane exequeris per breve intervallum, tertio nimirum aut quarto quoque die: Nam hac lege purgare oportet Iecoris obſtructiones, eas maximè quæ in gibba vel cava Iecoris parte ſunt: nam copioſius purgare, vel ſtrenuè vel periculoſum eſt, cum per obſtructas cavitates majorem copiam permeare ſit impoſſibile; at in hac obſtructione, quæ non fit in viis ductuum, licentioſius aliquando vacuare licebit: Quod quidem vbi ſexies feceris, ad ea medicamenta quæ vim habeant evacuandi Iecoris humiditatem, & corrigendi ipſum vitium te conferes, & ſic ſex aut octo dierum ſpatio porriges ſummo mane confectionem de Iecore lupi in forma tabellarum redactam: pulverem etiam vel tabellas radicis chinæ & ruboicis cum duplo ſaccharo; vel diarrhodon cum pulvere ſchoenanti; trochiſcos rhabarbari cum modico dialaccæ cum ſaccharo: Et ſic per intervalla purgabis quod aquoſum eſt, & jecur ipſum roborabis, ac de abſtruere prædictis pharmacis ſtudebis: *Mercatus*: De hac obſtructionis ſpecie vide §. 22. a.

XXIV. *b* Fugiendum præterea eſt in hac obſtructione ab apozematis & potulentis medicamentis, vt quæ plus cauſam augere quam malum minuere nata ſint. *Idem.*

XXV. In vſu *Rhei* à pleriſque error committitur: Si à bile ſit obſtructio, probatur; ſi à pituita vel melancholia, nequaquam, præſertim quia pituita eſt tenuis: quod ſi peccet pituita craſſa, vel melancholia, nocebit, vacuat enim bilem, quæ ſui præſentia habet rationem materiæ ſanantis, cum ſua caliditate remittat frigus pituitæ & melancholiæ; attenuet etiam & quodammodo detergeat: Eſt alius error, cum hic morbus diuturnus ſit, præcipiunt Medici vt æger frequenter, i. e. ſingulis vel alternis diebus maſticet rheum & devoret: at malè, vacuatur enim bilis quæ non peccat, & intenditur obſtructio, quia non adminiſtratur in infuſione ſed in ſubſtantia, quæ ob craſſitiem intendit obſtructionem: Errant etiam qui præcipiunt mandendum cum paſſulis vt injucunditas tollatur: ſed hac ratione ejus ſubſtantia perducitur ad jecur, ad locum obſtructum; dulcia enim ſunt vehiculum aliorum, unde vaſa illa magis obſtruuntur: *Capivaccius lib. 3. cap. 20.*

XXVI. Curandi ratio quæ docet *Vrinas movere* commoda exiſtit, at non omnibus vrinam moventibus utendum, quæ enim multam aquoſam humiditatem gignunt, potius cauſæ augmentum præbent & obſtructiones augent: quare perperam in obſtructionibus quæ ſuperſunt ab acutis morbis, lacte ſeminum frigid. multi utuntur: quare iis tantum utendum arbitror, quæ vel à proprietate vrinas educunt, ut rheo & ſem. carthami, vel abſtergunt, ut terebinthina & chalybeatis medicamentis: nam quæ propriè uretica ſunt, ut quæ humores fundunt, quodammodo ſuſpecta videntur: licet utilia aliquando eſſe poſſint, quod ad ducenda alia pharmaca non parum profutura ſint. *Mercatus Pr. lib. 4. cap. 1.*

XXVII. Obſtructiones Hepatis, à quacunque cauſa profectas, expediunt quæ Tartarum ubicunque corporis natum reſolvunt: Sicut enim macrocoſmi, ſic & microc. obſtructiones à Tartaro fiunt: Iſtis vero accedant quæ communiter à Practicis præcipiuntur: Quamvis enim expedire negotium nequeunt, certa tamen vehicula ſunt quæ medicamenta deobſtruentia, i. e. Tartarum reſolventia, citiſſime ad locum affectum devehunt & ad operandum efficaciora reddunt: Itaque aquæ ſtillat. apozemata, infuſiones, ſyrupi &c. negligi non debent: Principes in hoc negotio partes tenet ferrum ejuſque præparata varia. *Hartmannus Pract. chymiatr. cap. 17. n. 28.* Ejus præparationes excogitatæ ſunt multiplices; ſed quo ſimpliciores eo

meliores : Martis ſcobs cruda a ℈ß. ad ʒß. quotidie bis terve ingeſta mirum quantum valeat in talibus affectibus. *Idem* §. 3.

XXVIII. *a* *Eſſentia croci Martis* (quæ fit ſi ejus ℔ ʒ. candens ſemel atque iterum extinguitur in malvat. ℔iv. ſic enim ejus eſſentia vitriolata vino communicatur : dozis ab ʒß. ad ℥ij. ex juſculo &c.) quia leniter aperit & adſtringit, tutius in fine, poſt alia aperientia exhibetur : præſertim quum præcedentium exhibitione alvus aliquibus cieatur vehementius : Eſt divinum alias Hepatis auxilium. *Idem* §. 6.

XXVIII. *b* In progreſſu, & prope finem *Inflammationis*, valent olea laxantia, ut amygdal. liliot. alb. chamæmel. Semper tamen omnibus laxantibus & reſolventibus adſtringentia aliqua commiſcenda, ne in *Attali* Theſſalici errorem incidamus, qui *Theagenem*, Philoſophum Cynicum, Iecoris inflammatione laborantem ſolis laxantibus enecavit. Obſervanda item *Galeni* 1. Acut. 43. cautio. Ne quicquam actu frigidum exhibeatur : frigida enim partem denſant & crudos reddunt humores. Obſervandum etiam quo natura vergat, materia enim, inflammationis cauſa, non ſolum inſenſibiliter digeritur, verum & ſenſibiliter, per alvum, ſi cava, per vrinam, ſi convexa pars laboret, ex purgari ſolet : Nos itaque naturæ imitatores eſſe decet : Hæc vera eſt atque legitima inflammationis cura, ejuſdem ſuppurationem omnino prohibens, ad quam ſi tranſeat, actum eſt de ſalute. *Fortis conſult.* 57. *cent.* 3.

XXIX. *Opiata* aliqui ad Epar refrigerandum, ut Philonium, ſed nullo ſucceſſu cum calida recipiat, exhibent. *Platerus.*

XXX. Vſitatum etiam *ungu. Roſaceum*, quod ex roſis illarumque ſucco & oleo amygdal. dulcium paratur, cui opium aliqui addunt, quod cum non refrigerare ſæpius jam oſtenderimus, eo nomine nihil juvabit, niſi cum durities adeſt, ad eam emolliendam, quod narcotica præſtare docuimus, cæteris permiſceatur. *Platerus.*

XXXI. Tandem ad contemperandum Iecoris & ſanguinis fervorem, duo magna remedia ſunt uſurpanda, Internum alterum, alterum Externum, Internum eſt *lac aſininum* cum ſaccharo, conſuetis legibus præbendum ad xl. dies & plures : Externum vero, *Balneum aquæ dulcis* toti corpori adhibendum, ex decoctione fol: malvæ, violar. ſalicis, nenoph. &c. *Fortis conſult.* 47. *cent.* 4.

XXXII. A *calidis Inunctionibus*, hepatis lobus, ventriculo incumbens, prius ipſo ventriculo caleſit, quod equidem miror in praxi à magnis viris perpetuo obſervatum non fuiſſe. *Fortis conſult.* 23. *cent.* 3.

XXXIII. A Iecoris *intemperie calida* diarrhœam, aut dyſenteriam, oriri bilioſam novum non eſt, cum hæc pars igneum humorem & acrem ad inteſtina mittit, tunc ſi frigida exhibeas, ut fervidus jecoris calor temperetur, relaxas, debilitas inteſtina, & alvum amplius moves : Ex hac etiam cauſa ſanguinis ſputum cum tuſſi aliquando emanat, quod, ut curetur, incraſſantia ſunt ex uſu, quæ ſquallidum Epatis calorem temperent : Sed cum inter ea quæ id refrigerant, & nativa quadam ſorte ejus ardorem leniunt, ſit lactis caprini ſerum, & hoc provocet alvum, hoc huic uſui videtur ineptum : Quare ut utrique ſuccurramus, id chalybeandum quo evadat adſtringens, fluxum compeſcat, & calidam intemperiem emendet : Obiicies, liquores ideo chalybeari quo tenues partes & ſeroſæ ignis vi abſumantur, at vero ſerum totum ex partibus aqueis componi, ℞. quod chalybs vim adſtringentem liquori communicat, & ſic ſerum promptius alvum compeſcit, ut docet *Galenus* 10. *ſimpl. tit. de Sero lactis*, Idem confirmat *Hippocr.* 7. Epidem. qui Eratolai filio dyſenteria laboranti ſerum & lac exhibuit, ſed ſilice candefacto immiſſo, unde dolores & ſubcruentæ egeſtiones moderatiores fiebant : Ergo ſerum lactis chalybeatum in alvi fluxu bilioſo, aut ex obſtructione profecto, offerendum, quia ſic parum adſtringit & roborat. *Zacutus.*

XXXIV. In Iecoris *Obſtructionibus* expediendis hoc ordine procedendum, ut prius concava, mox gibba ejuſdem pars deobſtruatur, Et quidem in concava præparatio inſtituatur ſucco depurato cichorii, eupatorii & agrimon. ad ℥iij. in decocto cichorac. agrimon. lupuli. aſparag. & rad. graminis ; præmiſſo bolo ex ʒß. pil de tribus cum caſſia, perſiſtendo plures dies, ut ſimul viæ aperiantur & excrementa craſſiora educantur, non omiſſo tamen medicamento purgante ex agar. rhab. ſenna &c. Cava expedita, gibba Iecoris pars curanda validioribus aperientibus atque purgantibus, e. g. ℞ Extr. Rhei ℈j. tart. vitriol. ℈ß. m. f. Bolus, cui ſuperbibat pauços aq. ſtillat. agrimon. cui in progreſſu inſtillari poterit ſpir. tartari rectific. gutt. x. *Fortis conſult.* 55. *cent.* 3.

XXXV. Prædictis præparantibus atq; aperientibus *purgantia* in proportione reſpondeant, in quibus cum rheum prærogativam habeat, ideo ab eodem recedendum non eſt, hoc tamen diſcrimine obſervato, quod ſicuti ſubſtantia cavam magis quam gibbam, ita Infuſio gibbam magis quam cavam jecoris partem expurgat, cum tenuiores partes infuſione amittat ; Infundatur ad ʒij. in aqua agrimonii, ſpica addita, ſenna, & polypod. qu. & expreſſioni, ſyrup. roſar. ſolut. *Idem.*

XXXVI. Ab aperientium uſu non prius deſiſtendum eſt quam dolor omnis remittat, & hypochondria fiant leviora, cum chronicum malum ſit, & plerumque non una ſeptimana, ſed vix integro menſe reſerari poſſit Hepatis obſtructio : cui tollendæ diligenter incumbendum, ibi enim eſt initium & fundamentum omnium morborum, & niſi cito, diligenter penituſque tollatur, corruptionem ſanguinis, inflammationes, febres, ſcirrhos, alvi fluxus varios, cachexiam, icterum, hydropem &c. inducit ; 2. In omnium medicamentorum exhibitione ordo debitus obſervandus, ſemper univerſalia particularibus & topicis præmittenda, 3. medicamenta nonniſi à cibo longiſſime propinanda ſunt, 4. debent eſſe liquida, ut penetrare queant. 5. attenuantia, reſolventia & diſcutientia, præterquam quod moderata eſſe debeant, ſint etiam inſuper hepatica & adſtringentia. 6. Dulcibus in hepatis affectibus non utendum eſt, ut cibis ſed ut condimentis, ſi priſtinus ſanitatis vigor redierit ; ipſi autem adhuc male affecto plane offerenda non ſunt : Externa topica nunquam ſint affectu frigida, ſed ſemper calida vel tepida. *Petraus Noſolog.* p. 165. *Frider. Hofmannus m. m. p.* 388.

XXXVII. Ventoſitas in corporis cavitatibus, inteſtinis videlicet & ventriculo collecta concluſaque, ſi exitum non reperiat, impetu ſibi viam faciens per cœcos conniventeſque ductus, in locus ambientes membranas, venaſque capillares, per cavæ & gibba Epatis diſſeminatas effunditur, eaſque

prorſus

prorſus in modum ſcirrhi obſidet, ſine ſcirrho tamen tantopere diſtendit ut magnus plerumque tumor circa Iecoris regionem ſe efferat, iiſdemque notis ac ſcirrhus ſe profetat, niſi quod minus renitens, brevioriique tempore genitus eſt: Etenim tantus plerumque apparet, ut univerſum hypochondrium replens, neque coſtarum extrema percipi, neque ſub hæc digiti infigi poſſunt, neque jecoris ulla figura ſit aut circumſcriptio: Cognoſcitur hunc à vaporoſi & craſſi flatus multitudine factum, quod non modò gravitatis ſed etiam diſtenſionis ſenſum ægri percipiant, Haud diſſimiliter Splen nonnunquam ex flatuoſo ſpiritu diſtenditur, Tralliano teſte; ἐμπνευμάτωσιν & ἐμφύσημα vocant: Hos utriuſque viſceris tumores a flatu fieri cum Medicorum vulgus non intelligat, Deus bone, quam cœco judicio curam hujus mali ignorata cauſa aggrediuntur? Inſeporum ibi tum myriades prætεribuntur, curatio in longum protrahitur, ac demum, cum plus damni quàm commodi dederunt, ſcirrhum vel jecoris, vel lienis eſſe magna conſtantia immedicabilem affirmant: verum ignorantia hæc turpiter ſuum illudit authorem, flatus enim hic nebuloſus viſceri impactus, cum temporis ſucceſſu a calore nativo fomentis, inedia, extenuante calefacienteve victus ratione a mulierculis empiricisque adminiſtratis diſcutiatur, evaneſcit hypochondrij tumor, dolor omnis conſopitus ſilet, & dolores iſti cum ſua falſa perſuaſione, ignominioſe rejiciuntur, Hortor itaque ingenuos veritatis amatores, quique nomini & famæ conſultum volunt, ut ſedulo addiſcant flatuum ſymptomata ab alijs internoſcere: Difficile quidem id ſed pulcherrimum, quodque multam laudem doctis conciliat: Multi namque ægri, veluti jam jam acturi animam præ nimio dolore & moleſtia, non aliunde quam ex flatuoſo ſpiritu procreatis, miſere exclamant: qui ſi corruptus fuerit, à materia putrida & venenoſa excitatus, & cum dolore intolerabili per membra diſcurrat, tum viro in artis operibus bene exercitato opus eſt, qui & flatus moleſtantes, & materiam unde elevantur noſcat, hocque genus mali ab alijs morbis diſcernat. Porrò à ſolo flatu diſtenſio hypochondrij diuturna non eſt ſine pituitæ affluxu; dolor enim aſſiduus hanc prolicit, meatuum extenſio admittit, & illius, imò utriuſque frigiditas jecoris hæmatoſim debilitat, unde ſenſim crudi humores coacervantur: quare ſuadeo utriuſque rationem perpetuo Medicus habeat, potiſſima tamen cura verſetur circa id quod magis viget. Cautè tamen calidioribus utendum, ijs potiſſimum qui vel plethorici ſunt, vel jecur natura, vel victus ratione calidius ſortiti: Cucurbitula larga bis terve cum multa flamma appoſita valet, non priùs tamen quam pituita perfectè ſit evacuata, alioqui periculum eſt ne pituitam multò contumaciùs impingat & veri ſcirrhi cauſa fiat: Flatulentæ Lienis obſtructioni eadem prope remedia debentur quæ Iecori, at valentiora cathartica, ſi humores groſſi, deſiderat: Quod ſi flatuum non tanta copia ſit, iique ſint tenues ſine ferventе materia, habituſque corporis rarior, leviora tum intus tum extra adminiſtranda, ſæpeque ſola cucurbitula ſati fuit adminiſtrata. *T. Fienus Phyſiographia cap. 9. & 19.*

XXXVIII. Locus internorum aſſumendorum commodus eſt os: deſertur virtus cum chylo ad cor, & poſt ad jecur: Recentiorum inventum eſt per apertam venam aliquam brachii infundere hepaticum liquorem: adhibitur hoc modo, vena clauſa & deligata, ad cor, & ex ejus ſiniſtro ventriculo, per arteriam magnam in hepaticam cum ſanguine delatum ſingularem ſuam roborandi vim parenchymati communicare. *Rolfinccius Method. libro nono ſect. 2. cap. 20.* Vide *Tit. de Cardiacis.*

XXXIX. Eſt alius *Epatis tumor*, qui ſimplex, & [illegible] nominatur, qui à ſcirrho non parum differt: hic enim brevi tempore naſcitur, minus renititur, & fere tantum ambientem membranam epatis occupat: plerumque & totum hypochondrium dextrum replet; nulla epatis circumſcripta figura apparente, & digiti manus ſub extrema coſtarum infigi nequeunt: Oritur tumor hic ſimplex interdum a flatu, interdum a cruditate tenui, quam vel immoderatus frigidæ potus, vel intempeſtivus fructuum uſus, vel crapula ſatietaſque nimia peperit, & ſenſum infert non gravitatis, ſed tenſionis; interdum a craſſo & viſcido eſt humore, quem epar validum à ſe excludens in membranam ſuam depoſuit, quod ſæpe poſt febres diuturnas accidit; qui accidat, juxta *Iohann. Langium libro primo, epiſtola trigeſima nona*, ſi alterantibus frigidis citra evacuationem æger uſus fuerit, quæ materiam incraſſant: Curatur autem aperientibus & humores craſſos incidentibus, purgantibus & flatus diſcutientibus, & fere ut ſcirrhus incipiens. *Sennertus.*

XXXIX. *a.* Præter *Obſtructionem* quæ in cavis Iecoris fit, illius meminiſſe oportet quæ vel in *parenchymate* ejus fit, vel in *finibus vaſorum*, ut quæ & gravior, & curatu difficilior exiſtat: Sciendum enim longe diverſum expoſcere curationis principium prædictam Obſtructionem, cum febrem ſecum habeat adjunctam; ab eo quod per ſe ſolum expoſtulare comperimus: Nam febre accedente quæ majoris ſit momenti quam febriculæ, quas prædictæ obſtructiones generare aſſolent, protinus à ſanguinis detractione, & mox à purgatione, victu tenui ac extenuante principium curationis auſpicari oportet, prævalente febris indicatione, non tamen omnino poſthabita ipſius obſtructionis natura: Verum ſi vel febris levior fuerit, vel nulla, longe aliam expoſtulat curandi rationem & methodum quam reliquæ obſtructionum ſortes: quippe illæ, ut quæ cauſam habeant lentam, craſſam, viſcidam, & copioſam, vel vacuari protinus deſiderant, vel inciſionem attenuationemque mox à principio, exonerato leviter corpore exoptant: Utcunque tamen ſit, ſemper *abſterſoriis medicamentis* gaudent, ſive in gibba, ſive in cava Iecoris ſita obſtructio ſit; ex præcepto *Galeni 11. Method. & quinto ac ſexto ſimplic.* At Obſtructio hæc cum longe diverſas ſortiatur cauſas, procul dubio curationem diverſo modo exoptat fieri: Nam cum plerumque fiat a tenuibus ſuccis, conſiderandum eſt aliquid eorum adhuc habere rationem cauſæ antecedentis, & quod in morbum nitatur commigrare, vel jam ipſum actu parit, juxta quam diviſionem curationem inſtituere oportebit, Primo, Quod in Iecoris vaſis tenue redundat vacuando; quod vero impactum eſt

imbibitumque in viſcere diſcuſſorijs extenuantibus, abſtergentibuſque cibis & medicamentis digerendo & reſolvendo. *Mercatus.*

XL. Caute valde procedendum vbi *Inflatum Hepar* in præparantium vſu atque purgantium, ne plus æquo agitata, fuſa atque liquata materia, jecoreque intentius excalefacto, è venis effluat, & parenchyma ejuſdem ſubeat, ſicque tumorem, forſan etiam inflammatorium, tandem excitet: Purgans autem in uſu habendum eligerem, quod quidem humores ſolum in jecore concluſos educere, non vero à toto venoſo genere ad illud attrahere poſſet, quod malum a validioribus quibuſque purgantibus metuendum foret. *Fortis Conſultat.* 52. *Centur.* 3.

XLI. Patavij quidam deplorato *Iecoris ulcere* laboravit, homo alias robuſtus & nauticis laboribus addictus: Huic Medicus Venetus clariſſ. H. S. præter reliquorum Medicorum conſilia, curavit abdominis partem in regione jecoris novacula aperiri, ut plurimum puris per vulnus efflueret: Unde poſtmodum bene curatu vulnere homo ſuperſtes manſit, & triennio poſt ſaltavit ac laboravit nihil ſentiens incommodi. *Capivaccius.*

XLII. Ne quis miretur qui fiat quod permulti ex *Oleis Chymica arte paratis* non ſolum levamen non percipiant, ut ex decoctis, verum etiam offendantur, hujus rei veriſſimas rationes ex *Hofmanni Præfat. in lib. de Medic. officin.* has accipiat, Olea ſtillatitia, quæ fere Eſſentias vocant, tam aperte inimica ſunt, ventriculo quidem membraneo abſumendo humidum illius radicale, Hepati autem aliiſve viſceribus ſanguineis, inflammando, aut, vt diſtinctius loquar φλόγωσιν excitando, vt quidam ſitim perpetuam ſibi acceſſiverint, quidam cachexiam bilioſam, quidam hydropem calidum. *S. Pauli Quadr. Bot.* p. 255.

XLIII. Vxor N. *Scirrho Hepatis* laborans, tam multa adhibuit emollientia, vt tandem inflammatio, deinde etiam abſceſſus maximus factus ſit, cui ulcus & mors ſucceſſit: Ex quibus perſpicuum fit ſcirrhoſis tumoribus emollientia non eſſe adhibenda, quod *Galenus* quinto ſimpl. cap. 1. monuit. Nec ſolum ſcirrhoſi tumores internarum partium, ſed & externarum ab ijs exaſperantur & in cancros abeunt. *Fabritius Hildanus cap.* 4. *lib. de Gangr.*

XLIV. Si *Scirrhus* fuerit contumacior, omne punctum fert Empl. è Cicuta *Hildani*: Hoc feliciter uſus ſum in Iuriſconſult. *Marpurgenſi*: Inter initia dolorem licet moveat, tamen relinquendum eſt, & tertio quoque die renovandum. *Hartmannus Prax. cap.* 174. §. 3.

XLIV. *a.* Conſiderabis an aliquomodo in *Scirrho Iecoris* ex uſu futura ſit ſanguinis detractio: qua in re arbitrandum eſt eis tantum profuturam quibus vel hæmorrhoides ſuppreſſæ fuerunt, vel menſes: ijs tamen ne affectus amplius creſcat potius quam curandi gratia: Verum ſi poſſibile fuerit, ipſum ſanguinem fæculentum per eaſdem hæmorrhoides hirudinibus affixis revellere, aut menſes evocare, ſatius profecto erit quam vena ſciſſa ſanguinem detrahere: Sin aliter, ex ſiniſtro crure non erit ab re modicum ſanguinis fundere; aut ſi copioſior apparuerit plenitudo, ex ſiniſtro brachio vena baſilica ſciſſa quod adhuc in venis partis affectæ continetur, & paulo poſt tumori acceſſurum eſt educere: Quo facto reliquum melancholici ſucci per ventrem aut vrinam imminuere curabis: Quippe ulterius ſanguinem fundere periculo non vacat in ea affectione quæ in hydropem plerumque degenerat ob jecoris frigiditatem. *Mercatus.*

XLIV. *b.* Verum quia præcipua curandi ratio ejus quod factum induratumque eſt, in emollitione diſcuſſioneque conſiſtit, ob id totis viribus id, quoad prudentius fieri poſſit, exſequendum erit; tum per externa, tum per intro ſumpta medicamenta, viciſſim enim ſe ad invicem juvant: Quapropter primo extrinſecus ea adhibebis auxilia, quæ non calida & ſicca ſed mollientia ſint: nam ſi aliis diutius vtaris, durius reddes quod induratum fuerit: Neque obſtet *Galenum* varie loquutum eſſe de mollientium natura, quippe ea refert 5 *ſimpl. c.* 8. calida eſſe, ſed moderata, hoc eſt, quod moderate à medio verſus caliditatem & ſiccitatem recedunt, licet non plurimum. Item 2. ad *Glauc.* ſcribit mollientia eſſe calida & humida, vt oleum, adeps & medulla; ac licet ſibi contrarius videatur, intelligi debet vtriſque ad ſcirrhi emollitionem opus eſſe nam qui ſiccitate induruit humidis emollientibus opus habet: qui vero frigiditate concretam habet humiditatem, calidis quæ fundant, & ſiccis quæ quod liquatum eſt ebibant & reſiccent, & ob id utriſque viciſſim vtitur. *Idem.* Vide §. 43. *ſupra.*

XLIV. *c.* Verum in adminiſtratione horum auxiliorum obſervandum ſummopere eſt, ne diu ac imprudenter vni innitamur auxilio: ſatius enim arbitrantur peritiores ea immutare, quo magis proſint; minus aſſueta alicui eorum natura. *Idem.*

XLV. Quidam in ea ſunt ſententia *Hepatis vomicam*, aperienda non eſſe, quia *Fernel.* 6. de Patt. morb. cap. 4. & *Foreſt lib.* 19. *Obſervation.* 10. vlcus ex abſceſſu contractum, quod alimento continenter alluitur, perpetuò colluvie multa ſordeſcat, neque unquam ſaneſcere poſſit, cùm Iecoris ſubſtantia ſpermatica ſit, nec magis quàm aliarum partium reparari poſſit: Is ergo affectus cùm per ſe ſit lethalis, Medicus abſtineat ab externa inciſione vel uſtione, ne occidiſſe videatur quem affectus vehementia tollit. Contra, ubi poſſibile non eſt per urinam, vel alia ratione, pus vacuare, per peritum & cordatum Chirurgum apertionem per ferrum candens inſtitui poſſe *Mercatus* innuit Practic. lib. 4. cap. 2. *Si*, inquit, *extra feratur abſceſſus, ipſum non ſecari vtique malum, quia ſi prætermittatur inciſio, à pure Iecur roditur, nullàque mortis dilatio eſt: Si ſecare autem malis, (ſine ferro candente) profluvii ſanguinis periculum inſtat, ſtatimque hominem perdi continget*: Feliciter tamen aperti exempla dant *Capivaccius libro tertio Practic. cap.* 23. *Saxonia lib.* 3. *Panthei cap.* 29. Tumores quidam ad Suppurationem veniunt, & quia Iecur pauci eſt ſenſus, nervulis quippe gibba tantùm ſui parte donatum, non ita facilè propterea, niſi progreſſu temporis, crudi à ſuppurabilibus dignoſcuntur: tunc enim qui ſuppurant, gibba potiſſimum ipſius parte in acumen prominent & ſectionem indicant, nullo vitæ diſcrimine, prout ego in multis ſum expertus: ſectis licet integumentis communibus, muſculis & peritonæo: Quod ſi in cavâ delituerit, per vrinam expurgandum, vt obſervavi in Veſtali: Quod non contingit Tumori partis gibbæ, cui ſecto imponenda turunda imbuta ovi albumine: tum digerentibus vtendum, prout in vulnere illius partis; poſtmodum ſarcoticis, tandem epuloticis cicatrix inducenda;

genda;

cenda, vacuata tamen prius tota materia purulenta, turundarum ope, nec non cannulis plumbeis, quibus vt potentius & commodius expurgatur: qua ratione multos ſanavi qui adhucnum incolumes degunt. *Marchetti Obſervat.* 52. *Hippocrates* 7. aphor. 46. nos docet quomodo purulentum jecur poſſit ſanari: At omnes prope eos qui purulento jecore afficiuntur, judicant conclamatos: Curatio non eſt, vt credo, adeo difficilis vt non poſſit cum aliqua ſalutis ſpe tentari; Sed Medici timentes ne pus ſuberuentum & fœtidum inveniatur (quo caſu certò pereunt) verentur ne ipſis mortis cauſa adſcribatur. Ego viſitavi quendam cujus jecur inflammatum & purulentum ſtatim judicavi: Alij febre maligna vexari crediderunt: Putabam ſecandum eſſe locum è regione, vt pus egredi poſſet, quod tamen dium fuit deriſum: poſt obitum juſſi vt aperiretur locus, quem miſer vivens digito oſtendebat ſumma torqueri afflictione, inventaque jecoris tunica à parenchymate ſeparata, & inter illud ſpacium ℔ v. puris albi, ſicuti prædixi. *Sanctorius Art. parv. c.* 94.

Licet *Hippocrat.* 7. aphor. 42. dicat ſi amurcæ ſimile pus exeat rem deſperatam eſſe, non omnino tamen a bona ſpe deſiſtere oportet, cum potius ex ſuppurati jecoris nativa conditione, quam ex ſolo caloris vitio id proficiſci videatur, cum Jecoris ſubſtantia inflammata nullus ſit calor, neque tantus qui ſubſtantiam ipſius in pus album vertere queat. Cum hoc tamen non temere & vtcunque id opus aggredi oportet: Fotamen vero, ſi id tentaveris, exterius amplius facito, interius vero anguſtius. *Mercatus.*

HERNIA.

SYLLOGE.

Non in ſolis inguinibus contingit. 4.
Medicamentis *aſſumptis au fidendum.* 1.
Quies & longus decubitus ſummum remedium 3.
Tuta reponendi inteſtinum ratio. 8.
Splenij perizomati *ſubjecti forma.* 2.
Perizoma *vtrique inguini adponi debet.* 19.
Tuta curandi ratio.
Sectio in omnibus non tentanda. 6.
Enterocele *ſectione curata.* 9.
Curandi ratio ſine ſectione, ope cauſtici. 12.
Caſtrationi *conſentire non debet Medicus.* 17.22.
Cauterium *actuale Puncto aureo præferendum.* 29.
Nova Herniæ *curatio infida.* 13.
In ſenibus coalitus peritonæi non ſperandus. 5.
Sectio in iis an tentanda. 7.
In Enterocele *ab inflammatione non purgandum.* 14.
An iis ea clyſteres *injiciendi.* 15.
Ejus curatio per ſectionem cum Volvulus accedit. 16.
Hernia *ſolius ſuſli a ulii ope curata.* 18.
Purgationis *neceſſitas.* 20.
Uſu diuturno conſolidæ Saracenicæ *curata.* 21.
Cautio circa reductionem inteſtini ex ſcroto per Chirurgum. 39.
Epiplobubonoceles *dignotio & curatio.*
Hydrocele *ſi per inciſionem curanda, fiat in ſcroti decliviori parte.* 25.
Cauterio *curata.* 26.
Non omnis ſectionem admittit. 27.
Tuta curandi *ratio.* 32.
Apertione facta curanda cito removenda. 40.
Cicatrix *facta ſectione cito inducenda.* 28.
Immiſſo ſiphone curata. 10.
Periculoſa *ſectio ſi adnata* Sarcocele. 11.
In pueris Enterocceles *ſpecie imponens.* 24.
Pneumatoceles *curatio Chirurgica.* 26. a.
Sarcocele *ſectione quando curanda.* 30.
Medicamentis curata. 31.
Vera curandi ratio. 33.
Falſa à paraſtatarum *tumore.* 34.
Quadam curabilis ſine teſticuli *ablatione.* 36.
Ligatura exciſionem *præcedens ubi facienda.* 35.
Varicoſæ *curatio Chirurgica.* 36. a.
Varicoſæ *præcautio.* 37.
Cauſæ *foventis ratio habenda.* 36. b.
Teſticulus *altero major* Herniæ *ſpecie imponens.* 38.

I. Medicamenta manifeſta qualitate agentia ea ſunt quæ per inſignem conſtringendi & exſiccandi vim proceſſum peritonæi contrahunt viamque inteſtinis occludunt: at eorum vſus in adultis valde ſuſpectus eſt, à diuturno enim vſu hepar aliaque viſcera læduntur & obſtruuntur: deinde non video quomodo eorum facultates, ob vim adſtrictoriam, ad locum affectum excurrere poſſint: Venter præterea maximè exſiccatur; at ſiccitas alvi quantum herniosis periculoſa, omnibus notum. Specifica tamen qualitate agentia ſequentia præſtantiſſima eſſe non ſemel expertus ſum, Radic. conſolid. mai. Herniaria, lumbrici terreſtres, pulmonaria maculoſa, priapus cervi, ſemen perfoliatæ &c. *Hildanus cent.* 6. *Obſerv.* 73. Vide de his *Solenandr. ſect.* 4. *Conſ.* 13.

II. In Splenio faſciæ aptato, vt illud concinnum ſit, potiſſima cura eſſe debet, ne pilæ in modum rotundum ſit, vti illa ab Imperitis Chirurgis plerumque confici ſolent: nam ita internè nimium exuberantia inguina propellunt, vt fieri haud poſſit quin lacera membrana continuò dehiſcat, neque vnquam aptè conjungatur: ita etiam fit vt ad intenſiorem motum quemlibet inteſtinum erepet, & non obſtante iſto turgidiuſculo rotundiore ſplenio prælabatur & in ſcrotum deſcendat: Itaque Splenium triquetrum ſit, ſatis pro affecto inguine largum, ita molliter ſuffultum, & exterius laminula leviter convexa, vel alioquin duriore & renitente materia inductum, vt interna ſuperficies non planè extuberet, verum ita efficta ut quaſi ſima ſit & leniter concava, quod eleganter inguen excipiat, atque undique apte comprehenſum leviter comprimat *Solenand. ſ.* 4 *c.* 13

III. Nob. I. I. *a Dieſpach* ſpatio ax. ann. inſigni ac maxima hernia inteſtinali laboraverat, ad cujus curationem multos expertiſſimos adhibuerat, ſed fruſtra: Tandem cum de ſanitate recuperanda nequidem cogitaret, in morbum incidit, à quo vltra vj. menſes lecto affixus fuit: poſt hunc ne minimum quidem indicium præcedentis Herniæ ſenſit, nec amplius vtitur perizomatis: conſtantem verò ſanationem fuiſſe indicio eſt, quod cum biennio poſt ob iſchuriam & contumaciam alvi adſtrictionem balneo emolliente vſus fuiſſet, inunctionibúſque laxantibus, ne minimum tamen Herniæ indicium apparuit. *Fabricius Hildanus Centur.* 5. *Obſervat.* 54. Præter multorum expectationem quendam qui her-

niam inteſtinalem decem annis paſſus fuerat curavi ſic: Imperavi ut in lecto ſe contineret menſem vnum, ſimul quantum fieri poſſet adductis cruribus, non divaricatis: victu ſiccante vteretur, niſi forte prunis elixis ex ſacchato & aqua, ad alvum ſubducendam: nullis crudis, flatuoſis & coctu difficilibus, præter ſuum, hædorum, aut arietum pedibus, veſceretur: his autem medicamentis vſus eſt, ℞. *terra ſigillata, rad. conſolid. mai. boli armen. vera ana.* ℥ij. *c. c. uſti* ℥j. *capiat per xiv. aut xv. dies* ʒjß. *aut* ʒij. *manè ex juſculo capi*: deinde ℞. *Sang. drac. mumia, maſtiches, thuris, radic. conſolid. mai. boli arm. lmac. rubr. erinac. terr. pulveriſ.* ℥j. *incorporentur omnia terebinth. & ſ. Empl. admovendum inguinibus.* Vniverſalia tamen præcedant. *Riverij Obſerv. cent. 4. in annexis Obſ. 16.*

IV. Inguina ſunt locus Hernijs conſuetus, verum noli tibi perſuadere Peritonæum etiam in aliis locis non poſſe dilatari aut diſrumpi, & ibi Herniam efficere. Supra vmbilicum contingit, ſed rariſſime: Infra vmbilicum, & ad ejus latera, & longe ſupra inguina, non duntaxat ego, juxta alios hernias vidi, ſed cum illis tanquam cum abſceſſu agebatur, Et Chirurgus non aliam ſui erroris rationem in medium producebat quam quod ibi herniis conſuetus locus non eſſet: Praxis nobis plures alias Hernias, præter ſimplices & compoſitas demonſtrat, quæ apud ſcriptores non reperiuntur. Nam experientia me docuit peritonæum etiam in parte poſteriori verſus dorſum poſſe diſrumpi & ibi herniam efficere, Experimur etiam proceſſum peritonæi in inguinibus ita poſſe diſrumpi, vt inteſtina non in ſcrotum, ſed inter cutim & muſculos verſus femur ſeſe vrgeant, Præterea non ſemel tantum obſervavimus vas deferens corrugatum in ſcrotum deſcendiſſe, & ibi Herniam effeciſſe, quæ manuum ope facillime reduci poterat: imò quæ, ſi corpus reſupinaveris, ſua ſponte intro recedit, à qua tamen nihil mali expectandum aut metuendum. *Barbette Chirurg. cap. 7.*

V. Non eſto immemor crepidines diſrupti peritonæi, in ſenibus & vetuſtis hernijs, callo ſubinde adeo eſſe induratas, vt ſibi invicem concreſcere nequeant, licet accuratiſſime ad mutuum contactum ſint adductæ, ſed in hoc caſu ſubligaculis res peragenda eſt: ſed in primæ ætatis infantibus facillimo negotio concreſcunt, & faſciæ hic aptiores videntur quam commodiſſimà ſubligacula. *Barbette Chir. c. 7.* (1361.)

VI. Qui ſectione Hernias curare inſtituant, videant prius & diligenter inquirant an inteſtina per proceſſus peritonæi in ſcrotum delapſa, viæ anguſtijs quaſi ſtrangulata, gangrænam contraxerit: Tunc enim, etſi rectiſſime ſecuerint, poſtridie certiſſime morietur: Chirurgus autem eum necaſſe videbitur. Cujus rei exempla in Gallia notavit Slegelius. *Velſchius in Sylloge Obſ. 49.*

VII. *V. de Taranta*, ait, qui cacochymicum, aut imbecillem, vel ſenem &c. præſumpſerit per inciſionem curare, maniſeſtiſſime deſiderare homicidam vocari: *Hildanus* tamen *Cent. 6. Obſervat. 73.* in decrepitis, in maxima neceſſitate, dummodo viſcera ſint integra adminiſtrari poſſe exemplo oſtendit.

VIII. Multos curavi tum viros, tum fœminas Enterucele laborantes, quorum nonnullis à iij. aut iv. diebus inteſtinum extra peritonæum exierat, vt jam ad Iliacam paſſionem pervenerint: Menſam vel aſſerem ſatis latum juxta lectum ita diſpono vt vna illius extremitas pavimentum attingat, altera verò lecto innitatur; deinde ægrum ſupra aſſerem tali ſitu colloco, vt caput ad pavimentum, crura ad lectum vergant: mox linteis quadruplicatis, frigida maceratis, diu partem foveo, eam interim digitis leniter contrectando, & fotu per mediam horam continuato, linteum multiplex ad triangularem formam effingo, & frigida imbutum applico, ſuperinducta ligatura contentiva: ſic intra paucas horas vt plurimum inteſtinum ſponte reponitur: quod ſi poſt primum fotum, & ſequentem lintei applicationem, inteſtinum non reponatur, eandem operationem repeto bis in die, & ſecunda aut tertia iteratione affectus curatur. *Riverius Obſervat. à Samuele Formio commun. xv.* Vir quinquagenarius Enterocelem graviſſimam per quartuor dies continuos paſſus erat: Pulſus valde languidus erat, cum extremorum frigore: pars affecta valde frigida percipiebatur, vt de necroſi metueretur: Inter alia remedia præſcribo fotum ex aqua vitæ calente, inguini admovendum, quo per horas duas continuato, repoſitum eſt inteſtinum blanda impulſione & æger ab imminenti exitio liberatus. *Riverius Centur. iij. Obſervat. lxxxij.* Fotus fiat ex ſtercore ovillo lacti incocto: Idem in cataplaſmatis modum apponatur. *Solenander ſect. 4. conſ. 13.*

IX. In quibuſdam ſerius vocatus, cum inteſtinum eſſet inflammatum, vt præ tumore anguſtum ruptionis peritonæi foramen denuo ingredi non poſſet, dilatato illo foramine per inciſionem tres ægrotos à propinqua morte liberavi ſic, Primò ægrum colloco vt pro repoſitione ſupradictum eſt, probè alligans ne in operatione ſeſe commovere poſſit: poſtmodum lineam tranſverſalem duco cum attamento, ſupra lineam ſtrangulationis inteſtini, ubi eſt ruptura peritonæi: deinde alteram lineam duco perpendiculariter ſupra dictam ſecantem, juxta ipſum locum ſtrangulationis, & in medio ipſius, poſtmodum cutem duobus digitis vtrinque adduco, ſecundum lineam tranſverſalem, eamque novacula incido ſecundum perpendicularem, ita vt inciſio ſua longitudine duorum digitorum tranſverſorum latitudinem æquet: poſtmodum muſculi rupturam tegentes hamulis ſenſim elevantur, & ſcalpello ſeparantur, donec productio peritonæi detegatur: cáque detecta hamulo elevatur, eodemque ſcalpello inciditur, & hoc modo inteſtinum reponitur. Quod ſi inteſtinum ab inflammatione aut flatibus ita intumuerit vt in abdomen protrudi nequeat, apertio jam facta amplificari poterit immiſſo in vulnus cathetere cannulato, ſupra quod lithotomia ſolet fieri; & ſupra ipſum abdomine forcipibus inciſo, in parte ſuperiori aut inferiori, prout à Chirurgo melius viſum fuerit. *Riverius Obſervat. 15. commun. a S. Formio.* Vide *Obſervat. commun. ab Oz. Aymar.* In Patavina vrbe crebriores obſervavi Hernias inteſtinales incarceratas, vomitibus nigris ſubſequentibus, cito curſu ad lethalem metam tendentes: Aperui defunctos tres, & prolapſum ilei inteſtini intorti, fæcumque in carcere incuncatorum rationem ſumma cum attentione examinavi: Inde audentior factus, rogatu ardentiſſimo ægri & aſtantium, ancipitem, dubiæ plenam aleæ, ſectionem aggreſſus, benedictionem cœlicam expertus ſum: liberavi inteſtinum inciſa cute, proceſſibus muſculorum & peritonæo: Illo repoſito, ſuturis adhibitis, ſanatum vulnus nulla ſubſequente hernia. *Guernerus*

Rol-

Rolfinccius Diſſertat. Anatom. libro primo capite decimo tertio.

X. Quidam ætatis conſiſtentis à latente cauſa hydrocele laborabat; cum nullis medicamentis humor poſſet diſcuti, de educenda aqua cogitatum: Junior Medicus eductionem cum ſcalpello propoſuit, juxta *Paulum* libro ſexto cap. 61. At hæc ſectio periculoſa, multis gangræna inde morta, alijs mors; Videatur hiſtoria apud *Hollerium* cap. 62. Secundus *Setonem* conſuluit, juxta *Guidonem*: Siniſtrè ſuccedit ſæpe hæc curatio, nam ex diutino dolore, confluentibus in declivem locum ſuccis, mortificatio contingit. Tertius cauſtica medicamenta, aut cauterium actuale ex auro paratum probavit. At ex horum uſu pars ſuapte natura debilis enervatur, gangræna contingit, or bis evenire cum morte notavi: nam hæc pars cum ſit poſita in medio ſordium confluxu, fluxionibus valde eſt obnoxia: Chirurgus ſenior Siphonem oſtendit, ſeu acum cannulatam argenteam, intus cavam, in cuſpide perforatam, qua immiſſa fœliciter ab ſcroto & hydropicorum ventre omnis aqua tutò educitur: de qua *Galenus* 14. method. cap. 13. Aſſentiuntur omnes: in partem declivem immiſſa eſt acus, omnis aqua ℔ v. pondere ſemel extracta: æger à tumore liber evaſit: Ne in ſimilem morbum relaberetur cautum eſt victu, vomitu aſſiduo, ſudorificis, roborantibus, fonticulis in tibiis: Acus effigies extat apud *Antoninum Crucium* tractat. 2. cap. 18. *Zacutus Praxeos Adm. lib. 2. Obſervat.* 82. Peragitur hodie eodem inſtrumento quo paracenteſis abdominis, beneficio ſcilicet cannulæ perforatæ, circa extremitatem acuminatam cuſpidem habentis: videatur *Ioh. van Horne Microtech. pag.* 68. *&* 141. *Scultetus Tabulâ xxxix. Figur. ij. & iij. Felicem curationem* vide *apud Hildanum Cent.* 4. *Obſ.* 66.

X I. Nobil. juveni hydrocele laboranti, ſpatio quatuor annorum varia medicamenta præſcripta: petierunt à me parentes ut tentarem an aliqua alia via reddi ſanitati poſſet filius abſque teſticuli jactura: Parui, intra tres ſeptimanas curationem feliciter poſſe me abſolvere ſperabam: nihil enim exterius aliud præter aquam apparebat, abſque vlla duritie, ita vt præter aquam ſubeſſe nihil putarem: At cùm præparato & purgato corpore cauſtico meo ſcrotum indolenter perforaſſem, & tertio die poſt eſcharam ſeparaſſem, præter aquam etiam carneam quandam ſubſtantiam & induratam circum vaſa ſpermatica inveni: poſt exciſionem ergo eſcharæ cum nonnihil humoris ſeroſi effluxiſſet, dolor ingens in imo ventre, præſertim inguine dextro, loco affecto, ſubitò exoritur, ſed momentaneus: nocte ſequenti ſcrotum aliquomodo intumuit & tumor duriſſimus in ſuperiori parte vaginæ circumcirca vaſa ſpermatica plenius percipiebatur. Tunc graviſſima & periculoſa ſymptomata, quæ ex hujuſmodi apertionibus aliquando proveniſſe ſciebam, mihi in mentem venerunt: Idem contigit *Griffonio* Medico Chirurgo Excell. qui Sabaudo cuidam Scrotum cùm aperuiſſet, præter hydrocelem carnea aquoque materia ijs vaſis adnata reperta, quæ in cancrum malignum abiit, ubi medicamenta, ferrum & ignem inutiliter adhibuit. *Fabritius Hildanus centur.* 4. *Obſervat.* 65. *Curata Hydroceles feliciter, cui talis carnea ſubſtantia juncta erat*, vide *ibidem exemp.*

X I I. *Gallus* quidam, cui feliciter medicanti ſpectator adfui, multos methodo ſanavit tutiſſima, cum ſine dolore, aut ſaltem exiguo, fiat; ac vaſa ſanguine neutiquam tingantur, ideoque meliùs conſpici & tractari queant: eóque magis optanda in maſculis, quod citra teſticuli ablationem perficiatur. Cauterium potentiale, paulò ſupra teſticuli regionem lateris rupti, ubi peritonæi proceſſus ſaccum ſubit, appoſuit, ea quantitate ut ſemi-digiti longitudine cutem mortificando eſcharam induſſerit: quâ mox diſciſsâ, aliud cauterium impoſuit, donec cute integrè ablata pinguedo apparuit, quam forcipe diſcidit, eo uſque ut proceſſus vaſa ſeminaria deferens pateret: quibus biduo peractis, vaſa illa digitis à proceſſu artificioſe ſeparavit, & acu curvata filum ſubduxit, proceſſumque leviter ſtrinxit, nullum plane dolorem tunc inferendo: filo poſtmodum ſucceſſu temporis ſponte elapſo, admotis vng. ſarcoticis, carnem calli inſtar ſenſim illic producit, quæ eo facilius huic proceſſui, cum tunica illa elythrois rubra carnoſa muſculosâque ſit, accrevit; & ſic premendo ac opplendo locum deperditæ ſubſtantiæ, viam prolapſuris viſceribus occluſit, ſicque curam integrè & feliciter abſolvit. *Platerus Tomo tertio capite ſecundo, ex quo Geiger Cylygraph. cap.* 11.

X I I I. Nuperum Hiſpanorum inventum eſt, Inteſtinales Hernias curare ſine vlla Teſtium amputatione, qui dilatati proceſſus ſecundum longitudinem ſimplici ſectione facta, affecti lateris teſticulum in capacitatem abdominis intrudunt, indeque injecta punctura aurea vulnus conſolidant: Cæterum quia poſt hanc curam ſteriles omnino redduntur, ſi in vtroque fiat latere, conſilium Roma expetitum eſt circa matrimonium, an licitè contrahi poſſet ab iiſdem, vtpote generandi proli ineptis: difficultatis ſolutionem expectamus. *Henricus à Moinichen Obſervation.* 24. Hunc autem curandi modum peritiores Chirurgi minimè laudant, tum quia teſticulus, ſi eo majus fuerit foramen, facile excluditur, vt æger antiquum obtineat; vel quia teſticulus, ſi major fuerit foramine, coarctatus dolore afficitur: vnde inflammatio, vel ſterilitas, vel mors. *Scultetus Arm. Chir. Obſ.* 67.

X I V. Si cum inflammatione concurrant fæces, quæ repoſitionem inteſtini impediant, caſus quidem maximè eſt deſperatus, nihilominus tamen fæcum tentanda excluſio balneis aut fomentis diſtenſionem relaxantibus, clyſteribus lenientibus, omiſſis purgantibus per os exhibitis, quę majorem aliàs humorum ad partem affectam affluxum cauſarent, & vt ipſa mors, teſte Fallopio, ægris accelerarent. *Scultetus Tab.* 39.

X V. Negant quidam clyſteres injiciendos quando inteſtinum in ſcrotum prolapſum eſt, ſed prolapſio inteſtini diſtinguenda eſt, quæ vel eſt in fieri, vel jam facta & inveterata. In fieri illam eſſe judico, quando ab initio inteſtinum deſcendit in ſcrotum, & ſymptomata nondum gravia ſunt, tunc clyſter non protinus infundendus, ne forſan vnâ cum inteſtino quoque ad ſcrotum deſcendat & malum augeat; tunc ſatius alvum conſtipatam ſuppoſitorio laxare, imo ſacculum ex radic. herb. flor. & ſemin. emollientibus &c. applicare: Inveteratum prolapſum intelligo, cum inteſtinum jam per dies aliquot in ſcroto fuerit retentum, ita ut ſymptomata peſſima, duritics, tenſio ſcroti, dolor, vomitus, anxietates, &c. ægrum torqueant: In his enemata non

tantum conveniunt, ſed & neceſſaria ſunt, neque verendum ut facile in ſcrotum deſcendant; inteſtinum enim quia foramini peritonæi & vaginæ incluſum, & proinde compreſſum eſt, ut ad ſcrotum perfluat clyſter vix fieri poteſt: interim injectus inteſtinum emollit, lubricum reddit, dolorem lenit, & flatus diſcutit, quæ omnia tunc deſiderantur. *Fabritius Hildanus Centurat. 6. Obſervat. 73.* *Platero* uſus clyſterum ſuſpectus redditur in Enterocele: & quamvis ex contactu apparuerit non ab excrementis ſed flatibus inteſtinum adeo intumuiſſe, cum tenſus eſſet tumor, & compreſſus rugitum ederet, & curatio bene ceſſerit, non tamen his abſolute prolatis oraculis fidem adhibere licet: Non ſemper enim commeatus liber, ſed interdum interceptus, & tum purgantia magni nocumenti, clyſteres ſemper tuti. *Rolfinccius Diſſ. Anat. l. 1. c. 13.*

XVI. Cum in Enterocele inteſtinum aliquod quaſi captivum detinetur, ita ut etiam volvulus accedat, & mors ſit proxima, Peritonæum, cum ſubita dilatatione ruptum, ſecandum: quæ ſectio ab antiquis uſurpata, nuper renovata eſt, in præſens ob Chirurgorum ignorantiam rara, quod multis exitioſa eſt: Vide *Franciſc. Rouſſetum de Partu Cæſ. ſect. 3. cap. 3.* Videant tamen qui ſectione Hernias curare inſtituunt, & diligenter inquirant an inteſtina per proceſſus peritonæi in ſcrotum delapſa, vel delabentia, viæ anguſtiis quaſi ſtrangulata gangrænam contraxerint: Tunc enim etſi rectiſſime ſecuerint, poſtridie æger certiſſime morietur, Chirurgus autem eum occaſſe videbitur. *Velſchius in Epiſagmate Obſervat. 49.* Vide *Operandi rationem apud Geigerum Chelegr. capite nono.*

X V I I. Caſtratio ægros manifeſto mortis periculo exponit; Caſtratores enim dum timent ne curatione abſoluta ſuperſtes ſit relaxatio, violento tractu peritonæi proceſſum à partibus quibus adhæret, divellunt, unàque nervum à ſexta conjugatione, qui ad teſtem pergit; eandémque vim ſpermaticis vaſis inferunt, quibus ex rebus dolor excitatur ingens, convulſio, hæmorrhagia, inflammatio, putredo, mors: hæc pericula qui evadunt genitrice tamen vi privantur; Quare nunquam exſectioni teſtium ſubſcribam, niſi forte ſarcocele aut gangræna ipſos invaſerit. *Paræus lib. 7. cap. 16.*

X V I I I. Cuidam Hernia completa laboranti, inter cætera congrua ſubligaculo deſcenſum cohibere juſſi, quo ſexennij ſpatio uſus eſt, tandemque ſe ſanum aſſeruit, revera examinatis genitalibus nullum Herniæ veſtigium comparuit: Eo defuncto inquiſivi quibus repagulis natura deſcenſuris inteſtinis obviam iviſſet: Fidem teſtor, me circa foramen productionis peritonæi inveniſſe ſubſtantiam adipoſam, magnitudinis mediocris globuli ſphæriſterij, tam arcte dicto proceſſui adnexam, ut vix ſine dilaceratione adjacentium locorum divelli potuerit: Alios novi qui à pertinaci ſubligaculi geſtatione, eaque ſola ſanitatem conſequuti ſunt: quibus prius macilentis, poſt obeſis factis, circa inteſtina colligitur pinguedo à qua intumeſcunt, unde nullus in ſcrotum patet tranſitus: Ex quibus patet temere inſtituendam non eſſe caſtrationem. *Paræus Operum libro octavo capite decimo quinto.* Vide *Sculteti Armament.*

XIX. Cingulum accommodari debet utrique inguini, ſi enim alterutri tantum, tumefacere facit proximum, unde Bubonocele facile excitatur. *Fortis.*

XX. Præcipua quidem Herniarum cura conſiſtit in remedijs externis, & bona bracherij ligatura: his autem non conſentientibus, neceſſaria eſt corporis univerſi expurgatio, ab humoribus præſertim ſeroſis & pituitoſis, qui peritonæi rupti conſolidationem, & conſtrictionem dilatati, quamlibet per ſe difficilem, valde impediunt: Adde quod corpus excrementitiis humoribus ſcatens, internáque adſtringentia ſumens, omiſſa univerſalium adminiſtratione, facile viſcerum obſtructionibus corripi, & in febres inde, aut alios morbos incidere poſſit. *Scultetus Armam. Tab. 39.*

X X I. Dominus N. quinquaginta annos prætergreſſus, dicebat ſe curatum ſubligaculo & crebro uſu conſolidæ Saracenicæ & perfoliatæ in juſculo, cum axungia gallinæ, melle & butyro majali: Sed per annum his uſus eſt. *Obſerv. 306. miſc. cur. anni 72.*

XXII. Etſi ea curandarum Herniarum via quæ aureo puncto fit, dolore ac periculo non vacet, tutior tamen eſt quam illa quæ fit per caſtrationem, quæ ægros remedij crudelitate enectos manifeſto mortis periculo exponit: Caſtratores enim dum timent ne curatione abſoluta ſuperſtes ſit relaxatio, violento tractu peritonæi proceſſum à partibus quibus adhæret divellunt, unaque nervum à ſexta conjugatione qui ad teſtem pergit: eandem vim vaſis ſpermaticis inferunt, quibus ex rebus dolor excitatur ingens, convulſio, hæmorrhagia, inflammatio &c. Hæc pericula qui declinant, illi tamen generandi facultate per omnem vitam privantur: Quare nunquam exſectioni teſtium ſubſcribam, niſi forte ſarcocele aut gangræna ipſos invaſerit. *Paræus libro ſeptimo cap. 16. Scultetus Armament. Tabul. 39.*

XXIII. Quidam cum rupturam inguinalem antea paſſus eſſet, ac inteſtina in rupturam excidentia aliquoties facile reducta eſſent, forte ſenſit aliquid denuo in eandem rupturam excidere. Dum vero illud reducere fruſtra conatur, animadverto nullum inteſtinum, ſed omenti quandam partem exterius excidiſſe. Signa ejus rei erant quod neque colicos dolores haberet, neque motiones, neque febrem, neque alvi obſtructionem, Itaque deprehenſo omenti egreſſu, à fomentis & emplaſtris deſtitimus, & juſſimus eum ligaturam loco affecto adhibere, impoſito emplaſtro adſtringente, ac ita factum eſt ut nihil incommodi deinceps ſentiret. *Oëthem apud Schenckium.*

Herniæ opinionem faciens teſticulus in inguine latens. Vide *Teſticulorum affectus lib. 37.*

X X I V. Intra tunicam erythroidem, vel exterius inter ipſam & adjacentes tunicas, comprehenditur aqua: Colligitur autem cum colliſis aut fractis vaſis in puerperio, ſanguis ſubinde alimenti ratione defluens, in aqueam ſeroſamque ſubſtantiam mutatur, quæ tandem diſcutitur ob ætatem ad ſicciorem & robuſtiorem naturam tranſmutatam: Id quod obſervavi in filio meo, quem cùm enterocele laborare non ſine triſtitia putaremus, ætatis progreſſu liberatum videmus. *Adrianus Alemannus in Hippocratis lib. de Aëribus, Aq. & Locis pag. 72.*

X X V. Suadent Chirurgi ſolicite admodum, & dextre, ut inciſio in ſcroto pro aquoſo humore

humore deponendo fiat, & recte mea ſententia: At quod non decliviori in parte ſcroti hæc inciſio fieri debeat, abſurdum mihi videtur: Elevato enim in totum teſticulo, inciſio parte una adhibita ſecurior evadit. Nec inde documentum oboriri huc uſque animadvertimus: Nec eſt quod quis dicat tutundam, per emiſſarium decliviori loco factum imuniſſam, teſticulum pungere, quum id à Chirurgo diligenti cavetur: *Amatus centur. 2. curat.* 84.

XXVI. *I. Veſlingius* olim perhibuit ſe in Ægypto obſervaſſe ſanatum ab Hydrocele ſexagenarium, uſtione per linum, Ægyptiis familiari, utrinque ſupra ſcapulas in cervice; ſimiliterque eodem modo ſupra inguina ad radicem proceſſus peritonæi peracta, ſine aliorum externorum adminiculo, evaneſcente ſenſim tumore aqueo. *Rhodius cent.* 3. *Obſ.* 38.

XXVI. a *Pneumatocele* fit aliquando vel in quatuor vaſis teſticulos alentibus, vel in arteriis Dartón intercurrentibus: Ille (tumor) durior, nec compreſſu digitorum evaneſcit, recipitque curationem; Hic appreſſo digito iterum recurrit & evaneſcit, vixque curatur, periculo ab inceſſabili ſanguinis profluvio imminente: *Geiger Kylygraph. cap.* 3. Chirurgia, ſeu ſectione, flatus etiam tolli poſſunt: Notandum tamen duplicem ventoſi ramicis eſſe generationem, aliam &c. (vide ſupra) Hunc quidem, (qui ex arteriis) ceu deſperatæ ſalutis repudiamus, illum priorem ſcalpello curamus ut in varicoſis ramicibus (vide §. 36. a. *Idem cap.* 13.

XXVII. In Sectione facienda cautus ſit Chirurgus ob mala ſymptomata ſupervenire ſolita; Præſertim operationem hanc nunnuſi prius bene præparato corpore inſtituat: Quod ſi intemperiem aut vitium aliquod in eo ſubeſſe cognoverit, aut ab operatione abſtineat, aut Scrotum in inferiori tantum parte incidat ut ſeroſus humor effluat: via tamen nullomodo (ut fit cum teſticulus abſcinditur) obſtipetur, ne ſeroſus humor, qui à rene attrahi non poteſt, in abdomine retineatur, ſed ſi opus, illac defluere poſſit: Vidi ego Byzantii ſexagenarium, cui ob hydrocelen ſingulis annis ſcrotum inferiori parte perforabatur, & ſeroſus humor vacuabatur, poſtea ulcus ad cicatricem perductum, venit autem ad ſummam ſenectutem: Sin autem in rene vitium non fuerit, & defluxum planè ſiſtere volueris, inciſionem in ſuperiori parte ſcroti, prope inguina, fieri expedit: duplex enim Chirurgo eſt ſcopus, 1. vacuare ſeroſum humorem, 2. prohibere ne de novo in ſcrotum influat: At cum aqua hæc ut plurimum ex corpore in tunicam erythroideam defluat, eamque extendat, neceſſe eſt ut inciſio ſuperiori parte ſcroti fiat: ſic enim tunicæ dilatatæ corrugantur, & cicatrix impedit ne aqua poſtea facile in ſcrotum defluat: Ut autem rectius procedat operatio, non ſuper ſcamnum ligandus æger, nec ſupinus decumbere, ſed in ſella ſedere debet, ut melius aqua deorſum deſcendat, & tunicæ in inguine facilius ſeparari & acu apprehendi poſſint. Præterea Chirurgus diligenter ſigna omnia quæ de Herniis a Celſo, Paulo & aliis proponuntur examinet, eſſentiamque morbi diligenter examinet antequam manus operi admoveat, ne malum in pejus ruat: Præterea videat ne corpus multis humoribus prægraviteat, aut vitium aliquod inſigne in renibus ſubſit: Quoties verò Chirurgus una cum aqua carnem circumcirca Teſticulum concretam ſubeſſe cognoverit, præſtat ſcrotum incidere, teſticulum & quicquid circa ipſum concretum ſeparare atque abſcindere, dummodo id radicitus fieri poſſit: Si enim ſcirrhoſa illa materia proceſſum, ſive didymum, jam occupat & abdomini adhæret, fruſtra tentabitur inciſio, & Chirurgo infamia, ægro immatura mors afferetur. *Hildanus cent.* 4. *Obſ.* 66. *&* 67.

XXVIII. Si Scrotum inſigniter intumuerit, ad paracentesin deveniendum erit, ita tamen ut ſtatim poſt aquam eductam cicatrix inducatur, neque cannula aut rotunda linea foramen apertum conſervetur: hinc enim gangrænæ periculum impendere poteſt. *Silvaticus centur.* 1. *conſil.* 17.

XXIX. Sæpius obſervavi in magnis herniis ſcroti, ruptis aponeuroſibus muſculorum, peritonæum ſupra ſuam apophyſin relaxatum & inſtar ſacci diſtentum ac protuberans: Ideirco ad curationem herniæ, reductis inteſtinis, appreſſum latum cauterium, modò ſubjecta vaſa non offendat, præſtantius eſſe puto remedium puncto illo aureo inutili & fallaci, *Riolanus Anthropogr.* lib. 2. 8. *Geigerus* Chelegr. cap. 11. Cauterio actuali, quia terribile & horrendum, ideoque intermiſſum nec amplius in uſu, operationem per cauterium potentiale præfert, de qua infra.

XXX. Operationem tutam inſtituit Aquapendens Pentateuchi chir. lib. 1. cap. 29. dummodo herniæ carnoſæ accedat aquoſa: Quod ſi non obſervatur aqua, ſuperſedendum erit operatione illa, ſi quidem ſive ſectio fiat ſive non, res periculi plena eſt, ſolaque perforatio gangrænam inducere poſſit: *Silvaticus cent.* 3. *conſ.* 74. vide quæ ſupra adducta ſunt ex Hildano.

XXXI. Nob. N. conqueſtus eſt de magna ſiniſtri teſticuli Sarcocele, quam præmiſſis univerſalibus & bona victus ratione, ſequenti emplaſtro, & pulvere radicum ononidis, quem Matthiolus l. 2. c. 18. commendat, inſenſibiliter reſolvi. ℞. G. Ammoniac. galb. bdellii aceto ſolut. ana. ℥ß. adde adipis anatis liquati & colati ℥ß. ceræ citr. ℥ij. ol. lilior. alb. medullæ cruris bovis ana. ℈x. redige in formam Empl. quod linteo inductum ſcroto applicetur & 4. quoque die renovetur. Ononidis pulveriſatæ ſumpſit ſingulo mane ʒj. in hauſtu vini abſynthitis: Parti domeſticæ dextri femoris 4. digitis ſupra genu ſibi inuri paſſus eſt fonticulum, dictorumque præſidiorum uſum continuavit, ita ut 4. menſium ſpatio priſtinam ſanitatem conſequutus fuerit: Plures alii beneficio ſolius hujus pulveris ſenſim & ſenſim convaluerunt. *Scultetus Obſerv.* 74. *Vide Aquap. Pentat. Chir. lib.* 1. *cap.* 29. *& Silvat. conſ.* 74 *cent.* 3.

XXXII. *Hydroceles* facilis eſt curatio per ſimplicem puncturam: aſt ſemper revertitur, niſi ſicciori diæta redundantis aquæ copia abſumatur, ut in nonnullis obſervatur: Solertiores Chirurgi, quò omnem recidivæ metum tollant, facta punctura cereolum, ad digiti longitudinem, pro turunda immittunt, eoque peritonæi proceſſum leviter vellicantes aliquam inflammationem in ſuperiore ipſius parte inducunt, poſt cujus ſuppurationem magis unitur ac contrahitur proceſſus, nec tam facile, ut antea, recipit humorum in eam prolapſum: Sunt qui pro cereolo plumbeam immittunt cannulam: at ejus infelicia vidi experimenta, quippe acrius pungendo majores produxit inflammationes, unde (ut nihil dicam de ſymptomatica febre, quæ interdum præter utriuſque expectationem ægrum è medio tollit) major ad eam partem factus eſt humoris confluxus, ita ut totus teſticulus eum imbibere

coactus Sarcocele tandem laborare incœperit. *Henricus à Moinichen Obſervat.* 18.

XXXIII. *Herniæ carnoſæ* cauſa haud eſt ſanguis impurus, cùm etiam optimus eum producere queat: nec ſimpliciter abundans, cum etiam in corporibus macilentis ſe exhibeat; licet in his nec celeriter adeo generetur, nec ad eam magnitudinem deveniat quàm in illis: Sed enim veram hujus herniæ cauſam in eo conſiſtere exiſtimo, Cum membranæ, quæ vaſorum capillariũ oſcula, ac ne ſanguis nutritius nimis ſubito in partem perfluat, claudere ſolent, vel eroſæ, vel diſruptæ aut dilatatæ ſint: quo tunc contingit plus ſanguinis in partem ruere quam ad ejus nutritionem requiritur: Natura interim ſanguinem, qui alias putreſceret, in carnem mutat. Notandum vero carnem hanc quandoque adnaſci tunicarum ſcroti communium ſecundæ, non vero teſticulis, quo in caſu ſine horum læſione aut exciſione tolli poteſt: In principio, vbi ſanguinis nimiam copiam exire permittunt membranulæ vaſorum, eroſæ, ruptæ, aut dilatatæ, venæ ſectione, repellentiumque ac adſtringentium uſu multum efficimus: At augmentum ſi ſumere inceperit, medicamenta illa ad malum averruncandum non ſufficiunt, tamen ſequentibus mediis res eſt tentanda: Fiat foramen exiguum in ſcroto, ſuperiore magis quam inferiore in parte: per illud, peritiæ ope, medicamenta applicentur ſuppurantia, ut hoc modo, ſi poſſibile ſit, caro ea tolli poſſit: quavis tamen viſitatione omne pus non eſt emittendum, vt tanto melius carnis reliquiæ conſumi poſſint: Quod ſi nec hæc ſucceſſerint, teſticulus ſimul cum hernia eſt extrahendus. *P. Barbette Chirurg. part. 1. cap. 24. vide Platerum.*

XXXIV. Cauſa tamen diligenter inveſtigari debet antequam ad operationem accedat Chirurgos: Paraſtatæ enim adeo quandoque intumefactæ, teſticulis imprimis ſcirrhoſis exiſtentibus, vt herniæ carnoſæ ſpecie facile te deciperent. 2. vaſa ſpermatica ſcroto detenta, ſæpius naturæ luſu ipſos teſtes magnitudine excedunt, nihil incommodi præter metum ſolum afferentia, quod verum in non vno obſervavi. *Idem ibidem.*

XXXV. Obſervandum in ligatura, quæ fit cum teſticulus ſimul cum hernia eſt auferendus, eam quam fieri poterit tumori viciniſſimam eſſe debere: quo enim altiori loco peritonæi proceſſus perforatur, eo craſſior obſervatur; quæ res efficiet vt ſuppuratio & fili caſus retardetur. *Idem ibidem.*

XXXVI. Notandum carnem hanc, quæ *Sarcocelen* producit, quandoque adnaſci tunicarum ſcroti communium ſecundæ, quo in caſu ſine teſticulorum læſione, aut exciſione tolli poteſt. *Barbette Chirurg. cap.* 25.

XXXVI. *a Hernia Varicoſa* facile noſcitur, cum in ſuperficie Scroti appareat multitudo venarum & arteriarum, cum extenſione magna totum Scrotum involvente, ſicut vitis arbori involvitur; Curatio ejus, vt & Carneæ, Inquit *Avicenna*, eſt curatio Apoſtematum durorum, & multoties quidem ſufficit in ramice varicoſo inunctio cum adipibus lenibus & medulis: Quod ſi autem nec illis quæ ad Herniam carnoſam valent aliquid efficiatur, ad Chirurgiam deveniendum, & aut Inciſione aut Cauſtico potentiali, cura inſtituenda: Inciſio hoc modo fit, vbi apta figuratione fuerit æger collocatus: attrectato ſcroto nervulum, à quo teſticulus dependet, in inferiorem partem depellimus; qui quidem et eo facile dignoſci poteſt, quod cum fortis ac valens ſit, venis tenuior ſolidiorque ſentitur, ac magis renitens, majoremque dolorem affert ſi comprimatur, eſtque præterea juxta colem conſtitutus, quo depreſſo venas digitis & noſtris & miniſtri in ſcroto hinc inde apprehenſas vehementer extendimus, deinde cutem contra ipſas venas acie ſcalpelli leniter atque oblique ducta incidimus, tum hamis infixis ſubjectas partes à cute ſubſecantes diducimus, venaſque ipſas nudatas, acu duplex linum ducente trajicimus, eaſque ſinu inciſo duobus locis, & qua incipit & qua deſinit varicatio, laqueis conſtringimus, prius tamen facta in longitudinem inciſione, ac ſanguine emiſſo, poſtea pus cientibus curamus, quoad vna cum venis vincula quoque ipſa excidant: Ita faciendum *Leonides* jubet, cum aliquæ ex iis quæ teſticulum alunt venæ varicatæ ſunt: nam ſi ita omnes affectæ ſint, vna cum ipſis etiam teſticulus erit avellendus, ne alimento admiſſo contabeſcat. *Cauterio* quoque *potentiali* hæc Hernia curari poterit, niſi fuerit magna nimis varicatio: Si itaque magis fuerit in venis illis teſticulum ambientibus quam in ſcroto (tunc enim in corroſione venarum illatum amplatum nimis magna hæmorrhagia, quæ ſuccedere poteſt, timenda) cauterium eo copioſius ſuper ponendum, vt non ſolum venas illas, ſed vna teſticulum inurat & abſumat: nam ſic cruſta fiet fortior & craſſior, quæ hæmorrhagiam ſanguinis vehementiorem impediet. *Geiger Chelegr. c.* 13.

XXXVI. *b* Cum *Hernia varicoſa* materia ſit melancholicus ſanguis, à ſuperioribus partibus effuſus ad ſcrotum, vel critica tranſmutatione materiatum melancholicatum, aut earundem ægritudinem terminatione: aut fiat ob ſplenem debilem in attrahendo fæces melancholicas ab hepate, Vel hoc minus expellente ſanguinem melancholicum ad Lienem, præter cauſas externas ſanguinem melancholicum multiplicantes, vt recte curetur abſtinendo 1. ab cjuſmodi cauſis, præcipiendum vt fæcibus communibus eductis ſanguis copioſe detrahatur ex vena lienari; nam plerumque taliter Hernioſi in liene obſtructionem patiuntur, & dolorem in hypochondrio ſiniſtro experiuntur; deinde vtendum decoctis ſanguinem depurantibus & obſtructionem Lienis tollentibus &c. *Idem c.* 14.

XXXVII. Quoniam dubitari poteſt ne in ſcroto vena varicoſa forſan evadat, ideo ſcrotum ipſum illinatur oleo Saturni. *Forus.*

XXXVIII. Cum adoleſcens vnum Teſtem altero majorem in ſe obſervaret, oſtenderis hunc teſtem Operariu, ille dixit ſe habere Herniam, & brevi moriturum niſi extrahatur Teſtis: Atque eo ligato, dum teſtem extracturus eſſet, accurrens pater adoleſcentis, videns horribile id ſpectaculum retinuit Operarium ab opere, dicens ſe velle vt prius ego viderem patientem, qui propterea ſolotus eſt, Et cum me adiret, dixi ipſum nullo prorſus malo detineri, & ita fuit. *Aquapendens oper. p.* 1. *cap.* 73.

XXXIX. Deſcenſus inteſtini obſervandus per foramina tendinum, quæ alternatim diſpoſita ſunt, ne in reductione inteſtini quæ fit per operationem Chirurgicam, reponatur inter aponeuroſes, nam diſcindi debet foramen tendinis poſtremi, vt inteſtinum intra capacitatem abdominis repellatur, qua in re à multis peccatum fuit Chirurgis, etiam peritiſſimis, cum vitæ diſpendio. *Riolanus Enchir. p.* 161.

XL. Si

XL. Si ſcrotum inſigniter intumuerit, ad paracenteſin deveniendum erit, ita tamen vt ſtatim poſt quam eductam cicatrix inducatur; neque cannula aut rotunda linea foramen apertum conſervetur, hinc enim gangrænæ periculum impendere poteſt. *Silvaticus cent. 1. conſult. 17.*

HYDROCEPHALVS.

SYLLOGE.

Apertio in infantibus periculoſa. 1.
Occipiti per cauterium apertione ſanatus. 2.
Artificio inductus. 3.
Solius faſcia Guidonis ope curatus. 4.
Neceſſaria cutis diſſectio. 5.

I. PVello trium menſium caput paulatim accreſcere cœpit, ita vt antequam octavum attigiſſet, magnitudinem capitis cujuſvis hominis longè excederet; ita enim aqua impidiſſima extendebatur cranium, vt cutis omneſque ſubjectæ partes pellucidæ redderentur: Chirurgus inciſo bregmate aquæ claræ ad ℔j. circiter pro prima vice extraxit, mox rotundam impoſuit & emplaſtro vulnus obturavit: ſed quia caput turgebat aqua, ita vt & continuo & copioſè efflueret, vires adeo debilitatæ fuere, vt intra horas 36. è vita diſcederet: Vides itaque periculoſam eſſe apertionem cranii in hydrocephalis, & aquæ vacuationem; continetur enim, vt bis obſervavi in diſſectionibus, aqua in ipſis ventriculis cerebri, quam ſi quis vacuare tentat, meninges ſimul & ſubſtantiam cerebri vt incidat neceſſe eſt. Quid ergo agendum? morbum hunc incurabilem cenſeo, quod ratio & experientia ſuadet: D. Coſmus Slotanus in infantulo ſuo omnem diligentiam & induſtriam; conſilia quoque clariſſ. Medicorum adhibuit, ſed oleum & operam perdidit: Demum morbus hic magnus extremis indiget remediis, ſectione, vſtione, vacuationibus fortibus, quibus impar eſt infantium ætas: in quibus præterea tanta eſt cerebri labefactatio & imbecillitas, vt major pars alimenti ejus in ſerum abeat, ad quod prætetea ex toto confluit. *Fabritius Hild. centur. iij, Obſ. 17.*

II. Vir in viridi ſenecta conſtitutus conqueſtus eſt apud me de pertinaci inſomnia, quam gravis capitis dolor ei annum jam vertentem intuliſſet, qui tactu exacerbatur & noctu ingraveſcebat: Cùm caput contrectaſſem, ac ſtagnantem ſub cute humorem deprehendiſſem; abeſſetque omnis luis ſuſpicio, humorem, tumoris continentem cauſam, aqueum quidem, ſed acri & bilioſo perfuſum ichore, ſuſpicatus ſum: Cùm fruſtra omnia remedia tentaſſet, actutum poſtico occipiti cauterium inuri curavi: dictum factum, aqua virore quodam infigni, & bili pruſſinæ finitima vbertim per plures dies emanante, ſanitatem recuperavit. *Car. Piſo de morbis ab ſlu. Ser. cap. 1. ſect. 2.*

III. Anno 1593. Pariſiis puer 15. aut 18. annorum viſus, cui capitis ita erat extenſa cutis vt naturalem multum excederet: de oppido in oppidum à parentibus circumducebatur, vnde maximum lucrum recipiebant: Magiſtratus Pariſienſis fraudem ſubeſſe ſuſpicatus parentes in vincula conjecit, qui faſſi ſe cutem capitis infantuli circa verticem ad muſculos vſque inciſiſſe foramine parvo, ac per illud ipſum, intra cutem & muſculos immiſſa fiſtula, inflaſſe, vnde paulatim caput in ejuſmodi excreviſſet magnitudinem: detracta fiſtula cera foramen obturabant: Morte parentes mulctati fuerunt. *Fabritius Hildanus centur. iij. Obſ. 18.*

IV. Infans recens in lucem editus Hydrocephalo laborabat, totum caput occupante, cum magna ſuturarum dilatatione, Ego ſola faſcia *Guidonis*, in formam cucuphæ concinnata, qua totum caput obvolvebatur, duabus extremitatibus in globulos obvolutis, curavi; quotidie dicta faſcia renovabatur, & intra xx. dies dictus tumor evanuit. *Sam. Formius Obſ. 6.*

V. Neceſſaria eſt cutis capitis diſſectio ad exhauriendum Hydrocephalum, quam cum vereretur aliquando aggredi *Gul. Placentinus*, metum poſtmodum comprobavit inanem, Chirurgiamque vtilem ſalubrem: vide *Parens*, *Foreſtum* &c. *Severinus med. Eff. p. 85.*

HYDROPS THORACIS.

SYLLOGE.

Caute purgandum. 1.
Calomelanos efficacia. 7.
Sudorificis *curatus.* 2.
An paracenteſis *vtilis.* 3.
Curatio per coſtæ terebrationem. 5.
Diureticorum *vtilitas.* 4.
Reſolventium *vſus non noxius.* 6.
Fauſta curationis exemplum. 8.

I. DIligenter obſervandum quod ſi morbo jam confirmato, & multa ſeroſi humoris copia in thorace collectâ, *purgans* validius exhibeatur, humores illi valde exagitantur, vnde ſuffocatio ingens ægro contingit, quæ illum ſubitò de medio tollit: ideo cautè agendum eſt, & in minori doſi, atque iteratis vicibus medicamenta exhibenda ſunt, eaque cum potentioribus aperientibus ac diureticis miſcenda, vt ſimul viæ aperiantur, & ſeroſæ materiæ portio ad vrinæ vias deducatur: Inter hydragoga ea quæ ex mineralibus deſumuntur in hoc affectu maximè conveniunt, qualia ſunt Mercurius dulcis, & Mercurius vitæ ita correctus vt per inferiora tantùm evacuet. *Riverius lib. 7. cap. 5.*

II. *Sudorifica* ad ſeroſam illam materiam educendam vtiliſſima ſunt, & nos vidimus virum ſexagenarium vſu decocti ſudorifici ex gaiaco & ſalſa parato per dies 15. ſudores excitando cum vapore ſpiritus vini fuiſſe liberatum. *Idem ibidem.*

III. Tutiſſimum videtur vt materia ſenſibiliter vacuetur *aperto thorace*, Et quidem maturè id faciendum, ſecundum præceptum Hippocr. 6. Epid. ſ. 7. ὑδαλιδίας θᾶσσον τάμνειν, ne ab aqua pulmones corrumpantur: *Curati hydropis pectoris per apertionem vide exempla.* infra §. 1. 7. 2. & 8.

IV. Seri pectus occupantis *vacuatio per vrinas* tentanda: Ab hoc auxilio Cæſar Maximilianus II. plurimum commodi ſenſit, qui cùm pectoris hydrope cum cordis palpitatione ad annos xx. la-

boraſſet, vno interdum die ad ſex libras minxit: cuinque ille motus materiæ impeditus eſſet, ſuffocatus eſt. *Videntur Epiſt. 136. Cruionis apud Scholizaum.*

V. Prætereunda non eſt ingenioſa, quam proponit *Hipp. l. de Nat. muliebr. Pectoris ſectio*, dum mediam coſtam terebello perforari jubet: ita enim facilius aqua linamento immiſſo contineri poteſt ne confeſtim tota exeat, quam ſectione in muſculis intercoſtalibus facta: quare dum aqua educenda eſt, ſatiùs eſt coſtam perforare: dum pus in pectore collectum, ſectio in muſculis præſtabit. *Pr. Martianus in verſ. 76. loc. cit.*

VI. Adverſus *reſolventia* opponit *Mercatus*, citatiorem reddi pulmonis motum, inde plus trahere quam calorifica poſſint diſſolvere: Sed reſpondeo, 1. pulmonis motu non trahi in pulmonem illam materiam: 2. idem periculum ex iis quæ adhibentur localibus calidis auxiliis, non magis hic thoraci quàm in aliis morbis aliis partibus admotis imminere, quod tamen timendum & cavendum ſit cum corpora repleta ſunt, nec prius vniverſalibus evacuationibus exinanita. *I. Gunſlavinius Loc. ſelect. l. 2. c. 10.*

VII. ☩ Quinquagenarius maxima *dyſpnoea* à tribus menſibus laborabat, nec a remediis iuvabatur: cenſui eum Pectoris hydrope laborare, quia aberat tuſſis, ſtertor, ſputa nulla viſcida & craſſa, vt in vero aſthmate: tibiæ etiam oedematoſæ erant & venter intumeſcere incipiebat: In lecto a duobus menſibus non decubuerat, ſed in cathedra ſedens anhelabat & extremos pene ſpiritus præ ſuffocatione exhalabat. De ſalute deſperans nolebam remedia præſcribere, ſed precibus victus exhibui ſequenti die Bolum ex calomelanos ℈j. cum diagrid. ℈ß. in conſerva roſ. Septies purgatus eſt & magnam ſeri copiam excrevit, vnde maximum levamen eadem die, atque liberius reſpiravit; Poſt biduum iteratum idem remedium pari cum ſucceſſu, & ſequenti nocte in lecto decubuit, ſine vlla pectoris oppreſſione: ventris tumore imminuto hypochondria contrectare licuit, & lienem magnum atque ſcirrhoſum inveni, ideo præſcripſi apozemata cum ſale Tartari & ſpiritu ſulphuris, tum etiam fotus & linimenta hypochondriis admovenda, cum iterata tertio quoque die purgatione prędicta: Quibus per xv. dies continuatis ad longe meliorem ſtatum revocatus eſt, vt ſe curatum omnino putaret; at elapſo vno menſe ſymptomata omnia rediere, venter magis intumuit, & poſt duos alios menſes è vita exceſſit Hic notanda ſumma calomelanos efficacia, quod in morbo lethali tantum juvamen afferre potuit. *Riverius cent. 4. Obſ. 3.*

VIII. Adoleſcens ſanus & robuſtus, exercitiis corporis immodicis dudum aſſuetus, tandem in thorace plenitudinem, ſeu velut inflationem quandam perſenſit, in tantum vt pulmonis latus ſiniſtrum intumeſcere, & cor extra locum ſuum dextrorſum protrudi videretur: poſtea quodam die cujuſdam quaſi vaſis intra thoracis cavitatem diſrupti ſenſum habuit, indeque per ſemihoræ ſpatium in regione iſta humoris velut ab alto in pectoris fundum cadentis ſtillicidium non tantum ab eo percipi, ſed etiam ab adſtantibus audiri potuit: Hinc cum extra dubium fuerit Nobilem pectoris hydrope tunc affici, quod lymphæductus (quorum ingens ſatellitium totos pulmones perreptat) ad eorum latus ſiniſtrum ſpectantes, diſrupti, humorem ſuum in thoracis cavitatem extillarent, poſt tentata quædam ſine fructu pharmaca, communi conſenſu lateris ſectio decernitur: Itaque poſt factam totius proviſionem, Chirurgus inter vj. & vij. vertebram cauterium applicuit, & poſtridie foramini in pectoris cavitatem ſecto canalem indidit, quo facto ſtatim liquor craſſus, ac inſtar chyli albeſcens, & quaſi lacteus effluebat: hujus prima vice tantum ſex circiter vnciæ detrahebantur, & poſtridie tantundem: die tertio cum paulo major quantitas extraheretur magno ſtatim languore affectus, & dein febricitans per diem vnum aut alterum male habuit: quare donec temperiem & vires recuperaret, materiæ iſtius exitum inhibere viſum eſt: poſtea vero ejuſdem evacuatione tandem parca quotidie facta, pectoris cavitas fere in totum inaniebatur: ad hæc vero canalem cum epiſtomio in foramine gerit, quo ſemel nycthemeri ſpatio aperto, humoris vique tantillum emanat: interim ſtomacho, vultu & viribus valens exercitia aſſueta obit: Poſt ſectionem cardiaca, & poſtea decoctum traumaticum quotidie bis ſumendum præſcripſimus; Sed neceſſe incumbit, ad præcavendam pectoris illuviem, foramen iſtud quaſi lacunam conſtanter patefieri. *Willis.*

Navarchus, ex incauto victu aſſiduis laboribus & vigiliis, in difficilem incidit reſpirationem, quæ per os excreta mucoſa pituita ceſſabat aliquantulum: Exercitium maritimum dimittens, & in otio vivens, in cachexiam lapſus eſt, anaſarcæ prænuntiam, Aucto malo, facie, ſcroto, pudendo & ſummis pedibus intumuit: Gravato præ humoris copia thorace difficilior crebriorque reſpiratio facta eſt; Aderant tuſſis ſicca, febris continua, lienis durities, inappetentia, gravis capitis dolor, caligo oculorum, & aurium tinnitus: Suſurrus quidam, ſeu ſonitus ad latus ſiniſtrum in latere percipiebatur, ebullienti materiæ perſimilis: Quatuor is convocat Medicos: horum quidam aſthmaticum eſſe prædixit, alius orthopnoicum, alter cachecticum, vltimus tuberculum adeſſe in pulmone affirmat, Flatum tamen in cavitate pectoris incluſum eſſe fatebantur omnes, ab humore craſſo glutinoſoque elevatum: In harum opinionum varietate affines me & alium ſeniorem vocant, collatiſque ſententiis concluſum eſt ſonitum illum in thorace perceptum, non eſſe flatum, ſed aquoſum humorem, velut in vtre ſemipleno incluſum; qui ab vna ad aliam partem agitatus & fluctuans ſonitum illum edebat: Hunc, cum jam ſatis vacuatus eſſet, nullo alio præſidio quam ſectione thoracis curandum prædixi: Sic enim hydropem pulmonis perſanat *Hippocrates*, dum hunc morbum depinxit l. 2. de *int. affection. n. 26.* & lib. 2. *de morbis num. 66.* ſic inquit, *Secato autem inter coſtas per novaculam primum cutem, deinde ſcalpello acuto, quod panniculo ſit alligatum &c.* Et ſupra ſic dicebat, *Et quidam ab inferno alvo id eſſe putant, quum videant ventrem magnum & pedes tumentes: Intumeſcunt enim hac ſi ſectionis tempus tranſgrediaris: hunc ſiquidem, ſi extra intumuerit, intra coſtas ſectum curare oportet: Si vero non intumuerit, multa calida lotum velut ſuppuratos collocato, & qua parte ſtrepitum perceperis ea ſecato, quam potes in infimo loco, quo effluxio facile contingat.* Sequitur *Avicenna 10. 3. tract. 4. cap. 15.* & alii viri in arte clariſſimi, qui aquam thoracis cavitate contentam ſectione eduxiſſe gloriantur. Aſſentiente ægro, refectiſque viribus, Chirurgi ſectionem inter tertiam & quartam coſtam in ſiniſtra parte, cum novacula, dein ſcalpello profunde

celo-

celebratum, eo modo quo in ſuppuratorum ſectione ipſi ſæpius fuerant experti: Aquæ cruentæ copia inſignis effluxit, loturæ carnium recenter mactatarum aſſimilis: Semel ob virium exhauſtum aqua tota educta non eſt, ſed paulatim quindecim diebus continuis extracta: Inde æger poſt menſes alacrior redditur, remiſſius febricitat, reſpirat facilius, appetit melius, dormit ſuavius, pedes aliqu[illegible] mſper detumuere, ſanus evaſit homo in triceſimo quinto anno conſtitutus. Præcautionis ergo ne viſcera interna regeneratis iterum præ habituali intemperie aquoſis humoribus, cauteria duo in br[illegible], vnum in crure affigenda curo, quorum ope evacuarentur ſuperflua & partes ſpirarent: Electu. ex diagalanga, diacymino, diacinnamomo, theri[illegible]a & mithridatio excepta, mixta cum ſyrupo de abſynthio & eupatorio per menſem aſſumenda præſcribo, cum victu attenuante & exiccante: Sudorificâ ex radice chinæ & ebeno xl. dierum ſpatio propino, quibus celebratis nullam paſſus eſt recidivam. *Zacutus Praxis adm. lib. 1. Obſerv. 14.*

HYDROPHOBIA, RABIES.

SYLLOGE.

Vena *an* ſecanda. 1.
Quando. 5.
An Purgandum. 2.
Quo tempore. 3.
Cauteria *etiam longe ab initio ſunt vtilia.* 9.
Inuſtio ſit profunda. 10.
Eſcharæ caſus cito promovendus. 11.
Cauterium ſtatim ab initio imprimendum. 7.
Non tuta natatio in frigida. 12.
Vtilis conjectio in mare. 15.
Remedio ex Cancris *an fidendum.* 13.
Par[illegible] demorſa non ſtatim amputanda. 14.
An ſuperſtitioſe ſanum D Dodoni *&* Bellini *adeantur.* 4.
Fauſtæ curationis exemplum. 8.

I. IN morſu canis rabidi venæ ſectionem minimè convenire quidam exiſtimant, quippe quæ venenum per totum corpus trahat in venas: Avicenna tamen l. 4. fen. 6. tr. 4. c. 9. ſcribit poſt quartum diem ſanguinem mittendum eſſe: & non ſolum ſemel, ſed bis, præſertim vbi à vulnere initio nõ fuerit detractum, in eo præſertim qui ſanguine abundet: Recentiores tamen quidam Medici [illegible] mor[illegible] a cane rabido, vt præcaveatur rabies, ita à [illegible] abhortent, vt omnino aſſirment vitam [illegible] eſſe, vt quæ exinanitis venis altius penetrare [illegible] permittat: Sed hi videntur exiſtimare rabioſi [illegible] venenum non eſſe per totum corpus ſpar[illegible] um advenit metus aquæ: quod tamen [illegible] gravitsimi authores docent, Avicenna & Celſus [illegible] quoque l. 6. c. 39. dum poſt primos [illegible] & vſtionem in loco demorſo, [illegible] ac [illegible] rejicit, Sudores [illegible] ante cibos [illegible] poſt [illegible] oſtendit venenum pe[illegible] corpus [illegible]: quod confirmare videtur dum [illegible] ſinapi notque [illegible] per corpus totum [illegible] Avicenna loc. cit. inquit non ſolum fieri poſſe vt poſt quartum diem venenum ſparſum ſit, ſed etiam minori temporis ſpatio: Igitur h[illegible] in re adeo neceſſaria diſtinguendum, quia ſi in primis diebus ſimus, cùm adhuc in vulnere venenum, aut inde haud procul contineatur, tum ſanguinis miſſio nulla ratione adhibenda eſt, militantque rationes iſtorum: traheret enim a circumferentia ad centrum, à venis parvis ad magnas, ideo a partibus nobilibus ad principes & ad cor ipſum: Si verò jam ſparſum eſt, tunc mittendus ſanguis, vt docet Celſus: Neque verò e loco viciniore ipſi morſui, quia tunc minimè cõvenit, vt docet Avicenna, Dioſcoridem imitatus: nulla enim tunc iſtius rei eſt occaſio aut vtilitas, ſed incaſſum corpora doloribus ſternerentur, ſed è brachio, vt è majoribus venis, & toto ipſo corpore virus jam diffuſum detrahatur. *Rubens in cap. 27. ſect. 2. l. 5. Celſi.*

II. Qui Purgationem inſtituendam negant, eo potiſſimum argumento nituntur, quod veneni hujus natura, non in qualitatibus primis & manifeſtis, ſed in occultis conſiſtit: & nec qualitatum primarum alteratione, nec purgantibus, ſed alexipharmacis ac totâ ſubſtantia agentibus curatur: quod purgantia calori noſtro ſunt adverſa, ideo vires potius frangere quàm conſervare videntur: Alii contra purgantia admittunt, qui quidem fatentur purgantia non recta veneno huic adverſari illudque expurgare, ſed hoc ſolum a peculiaribus alexipharmacis fieri; interim tamen mediate hoc præſtare poſſe ſtatuunt, dum nimirum vitioſos humores, in quibus venenum reſidet, educunt, atque ita venenum ſimul evacuant, cui ſententiæ ea ipſa de cauſa & nos ſubſcribimus, præſertim cum venenum hoc ſit lentum & diu in corpore hæreat. *Sennertus Pract. l. 1. p. 2. cap 16. qu. 3.*

III. Rhazes tr. 8. ad Almanſ. ſtatuit initio ſtatim purgandum medicamentis humorem melancholicum vacuantibus: verum alii Græci & Arabes vetant in principio, i. e. quando adhuc venenum in partibus externis reſidet, purgatione vti: At hic conſiderandus modus quo venenum hoc in corpus immiſſum: Si enim labris & lingua venenum in corpus attractum ſit, ſtatim initio purgare licet, cum aliis auxiliis venenum alias evocantibus locus tum non detur: Si verò morſu venenum partibus externis immiſſum ſit, in principio purgare non licet. Ideo cum Rhaſes ſtatuit ſtatim initio purgandum, id de priore caſu intelligendum eſt: de poſteriori vero cum alii Græci & Arabes omnes vetant in principio purgantibus vti, ne venenum ex vulnere ad interiora corporis rapiatur, ſed tum tandem purgans exhibendum eſt cum omnia circa vulnus ritè peracta ſunt: Et licet ritè omnibus peractis ſpes ſit venenum extinctum eſſe: tamen cùm facile fieri poſſit vt aliqua ejus portio ad interiora penetraverit, ea, quam minima etiam fuerit, humores corrumpit & in ſibi ſimilem materiam immutat: Ideoque corrupti illi humores evacuandi ſunt, vt venenum ſimul evacuetur, & alii humores à veneno & corruptis humoribus non inficiantur, alexipharmacis interim non neglectis: Antiqui omnes ad purgationem Elleborum album com[illegible]endant, atque ea quæ melancholicum & atrum humorem reſpiciunt: Qui elleborum album formidant, nigro vtantur; vel Agarico, cui vis alexiteria adſcribitur. *Idem ibidem.*

IV. Perpauci noſtro tempore à cane rabido demorſi Medicos conſulunt, nam eſt tanta religionis vis vt omnes quos rabidi canes momorde-

tint, partim ad D. Dononi templum confugiant, partim verò ad D. Bellini ſacellum, vbi quibuſdam exorciſmis, & panibus characteribus obſignatis, à ſacerdotibus perquam facile curantur, vt plurimorum teſtimonio equidem fateri poſſum. Cogitanti mihi quonam pacto id tam facile eveniat, nonnullæ ſe obtulerunt rationes: Haud dubie imprimis divina auxiliatur gratia, quippe cum non parum moleſtiæ malique morſu canis rabidi affectis inferre poſſint cacodæmones, vt qui in atrabilariis humoribus ſuam habeant ſedem, iique exorciſmis cedentes abeunt, & afflictorum corpora munda relinquunt, ſublato ſecum veneno: Illud præterea addiderim quod fortè Sacerdotes ipſi aliquam nobis occultam habent antidotum, quam panibus illis admiſcentes, ægros devorandam præbent: His denique accedit magna laborantium fides quam ſuſcipit D. O.M. cujus ſolius munere omnia noſtra delentur incommoda, atque omnes auferuntur ægritudines. *P. Andreas Matthiolus in cap.37.l.6. Dioſcoridis.*

V. Aliqui ad vſum Antimonii deveniunt, vt quod agitatione & valida humorum commotione ab alio trahere & educere venenatos humores valeat: *Revera* præmiſſa aliqua humorum præparatione per 5. aut 6. dies purgans quod validum ſit exhibendum: Ita ſcribit Dioſcor. quendam hydrophobiæ proximum ſumpto helleboro convaluiſſe, & Oribaſius quotidie porrigebat purgans ex colocynthide ad fabæ quantitatem: Nos præbere poſſumus Electuar. Diaphoen. cum conf. Hamech. vel Extr. helleb. ad ℥ß. Caſſiæ immiſtum: Quæ cholagoga medicamenta conveniunt cum caninum virus exuſtionem contineat, præſertim vero ſi temperamentum calidum ſit & ſiccum, aut habitus gracilis & cacochymus: A quibus tamen omnibus purgantibus ſerum depuratum copioſum eſt ſemper præbendum, quorum etiam repetitus debet eſſe vſus: Nec vllomodo audiendus *Rhaſis*, qui valida purgantia, non modo in progreſſu, ſed etiam initio exhiberi conſulit, contra communem tum Arabum tum Græcorum ſententiam. *Fortis conſult.* 21. *cent.* 2. Vidimus Iuvenem à rabido cane nuper commorſum, ab exhibita infuſione Antimonij eadem die extinctum, quamvis vis veneni nondum delirium intuliſſet, proximos enim monebat ne accederent, ob inclinationem ad morſum.

VI. Sanguinis miſſio in principio nullo modo convenit, prout convenit veneno jam in humores propagato: *Avicenna, Capivaccius, Fortis, cent.* 1. *conſ.* 22. In morſu animalium non convenit venæ ſectio niſi venenum per univerſum fuerit ſparſum, aut plenitudo adſit *Iac. Pons.* Sin autem acuta febris accedit, non intra dies xl. educendus, ſed inferiorum partium ſcarificatione, etiam venarum apertione in partibus à morſu remotiſſimis. *Sanctacrux de magn. auxil. imped. l.* 3. *c.* 9.

VII. In Hydrophobia exacto morbi principio, poſt 3. 4. & plures dies, non inurendum eſt cauterium: quia altius ſe venenum inſinuavit. *Heurnius Fortis conſ.* 20. *cent.* 1.

VIII. Matrem & Filium vidi Venetiis à cane domeſtico, uno eodemque tempore dentibus æſtate demorſus: Filii pollicem & indicem dextræ manus vulneravit, matris brachium paulo ſupra carpum: Rabiei autem ſigna in cane deprehendi, macilentus enim erat & ſolito gracilior, oculis rubicundis, cauda demiſſa, ſpumam ex ore profundens, lingua exerta, veluti bile crocea infecta, huc & illuc nullo ordine diſcurrens, inde ſubito conſiſtens, cibum & potum averſabatur, licet anhelans magnam ſitim proderet: Sic de Rabie certiores facti, curationem aggreſſi ſumus intercipiendo, revocando & extrahendo venenum, 2. prohibendo ne ad interiora ſerperet, & per totum diffunderetur; 3. veneni qualitatem alexipharmacis oppugnando: Statim igitur deligatio ſupra partem affectam facta fuit, adſtringente ſubdito ex pulvere conſtrictivo, ovi albumine & aq. roſ. parato, quod & puero adhibuimus dum interim matri medebamur: Inde labia vulneris orbiculariter ſcarificari juſſi, & mox cucurbitulam magnam cum multa flamma apponi: Vulneri tandem, prius meraco vino calido abluto, cum aqua ſit valde noxia, Empl. apponendum præſcripſi ex allio, & cepa contuſis, additis nuce juglande, ruta, fermento, ſale, mellè: Interim canem interfici juſſi, jecur extrahi, meraco ablui, ac medicamentum à Galeno. 2. K. T. cap. 5. deſcriptum parari juſſi, de quo ſcribit neminem ſe vidiſſe qui illo ſit vſus defunctum, ℞ Picis ℔j. aceti acerrimi ℥viij. opopan. ℥iij. m. ſ. a. huic addi juſſi pulverem hepatis dicti ad ℥ß. quod à proprietate evocat virus caninum, Puero autem in duobus manus digitis vulnerato, quia cucurbitula opponi non paruit, nec ſcarificationes minuſque uſtionem permittere voluit, hirudines plures circa vulnera applicari juſſi, deinde Empl. idem apponendum quod matri, Et vtrique præſcripſi decoctum alyſſi & gentianæ, in aq. ſtillat. carduis. addita ſemiuncia aq. cinnam. & præmiſſo bolo ex theriaca Matri, & ex mithrid. Puero, reformato cum pulv. terræ ſigill. veræ: Pulſus etiam omnes temporum, manuum & pedum, 3. aut 4. quaque hora, illini præcepi oleo M. Ducis Hetr. & de Scorpion. Matth. ſimul mixtis: vino non interdixi, ſomnum uſque ad noctem prohibui: Die ſequenti inveni matrem omnia executioni mandaſſe, nihil autem Puerum, ita ut vulnuſcula ex toto fere ſanata & parvi facienda viderentur: nihilominus utrique præſcriptum Gal. medicamentum appoſuimus, & illi quidem iterum eadem interna: Interim pro 3. intentione, omiſſis dubiis ad veterum alexipharmacum confugi, Pulverem cancrorum fluviat. qui ab Arno fluvio Florentino huc deferuntur, ℞ pulv. cancr. fluv. ℥x. gentianæ ℥v. thuris ℥j. m. doſis magnum cochlear ad duo: Pro toto anno parari volui, Nunquam vero cancri urendi ſunt ante ortum canis, ſed cum Sol Leonem tranſierit, Luna a viij. in patella æris rubri, quam dabat Gal. ad dies xl. Hæc ad diem uſque vij. poſt hanc pulv. cancrorum in aq. ſcorzon. & card. b. ſumere cœperunt; & interea vulnera ut cætera tractavit Chirurgus, unionem tamen inhibendo & rotunditatem ſervando ſupra 40. dies: Sed ut in omnibus obtemperans fuit mater, (quæ 40. diebus pulv. cancr. ſumpſit, vulnus apertum ſervavit ad 50. appoſitis interim frequenter vulneri nucibus juglandibus contuſis, quæ gallinis objectæ primis diebus, duas interfecere, poſt ſeptimam innoxiæ fuere, nullius prorſus veneni indicio) ita in omnibus deliquit filius, quem obſervavit mater primis diebus ſitientem, & ultra conſuetudinem & extra tempus bibentem, qui tamen circa diem 20. à potu abſtinere, atque mœſtus & taciturnus fieri cœpit, 14. aliena loqui, cibum averſari, ſingultire, & tandem præeuntibus motibus convulſivis ex ſiccitate 27. obiit, ſalva matre. *Fortis cent.* 1. *conſult.* 20.

IX. *Heur-*

IX. *Heurnius* l. de morb. cap. 21. *Dioſcoridem* ſequutus (qui poſt primos dies ſcalprum & uſtionem in loco demorſo tanquam inutilia rejicit) ubi morbi principium præterfiit (quod varium eſſe ait, duorum quatuor & plurium dierum) à cauteriis abſtinere jubet, quod altius jam ſe inſinuaverit venenum: Hildanus tamen cent. 1. obſ. 97. in adoleſcente cauſtico excitatū fonticulū ad menſes tres apertū retinuit: atq; obſ. 86. recenſet hiſtoriā puellæ, cui à citius cicatrice obducto ulcere (ab admoto cauſtico) poſt trimeſtre hydrophobia contigit. Neque is ab inuſtione ſollicitus eſt de leniendo dolore, improbans uſum unctuoſorum & eſcharam relaxantium, & ſimilium, quod difflari & exhalare venenum prohibeant: à dolore auxilium ſperans, (dum mediocris fuerit) quod ad ſe trahat ſanguinem & humores ex corpore: Itaque ab inuſtione vulneri imponit goſſypium aqua vitæ, in qua ſoluta theriaca, madefactum, emplaſtrum ex cæpis, fermento, ſinapi &c. poſtridie ſcalpello eſcharam undique incidit, citum illius caſum procurans, piſum imponit, fonticulum hiantem ad menſes tres ſinit.

X. Hic monitos velim Tyrones Chirurgos, ut diligenter proſpiciant ne nimis leviter & ſuperficialiter *urant* hujuſmodi morſus, ſed ut potius in exceſſu quam in defectu peccent: Cum enim morbus ſit extremus, extremum quoque requirit remedium: Expertus loquor, Puella ann. xiv. à rabido cane vulnuſcula quinque in tibia accepit, parentes vetulæ curandam committunt: Illa vulnera ferro candente inuſſit, poſtea neſcio quo unguento 15. dierum ſpatio curationem abſolvit: Sed quia non ſatis profundè immiſſum fuit cauterium, & maturè nimis obductæ cicatrices, poſt tres menſes hydrophobia correpta eſt, pauloque poſt è vita deceſſit. *Fabritius Hildanus cent.* 1. *Obſ.* 68.

XI. Eſchara niſi prima aut ſecunda die auferatur, retinetur in ipſa aliqua portio veneni, quæ vi ignis inſpiſſata fuit, iterumq; dum putreſcit eſchara in liquorem diſſolvitur, & per venas capillares ad majora vaſa tranſit, parteſque nobiles ſerpendo paulatim inficit. *Idem cent.* 4. *obſ.* 88.

XII. *Celſus* l. v. c. 17. ſect. 2. unicum remedium eſſe ait hydrophobia affectum nō opinantē in piſcinam non ante ei proviſā projicere: quod tamen remediū periculum excipit ne infirmum corpus, in aqua frigida vexatum, nervorum diſtenſio abſumat: Nec ſolum ob id periculoſum eſt, ſed quia viſum eſt ſtrangulari hujuſmodi rabidos aquæ potu, cum eſſet illis vis illata: Vidi ego Ravennæ Nautam, qui cum aquæ libras circiter quatuor pluribus vicibus ebibiſſet (magnis enim convulſivis motibus ad aquæ aſpectum & potum torquebatur, ſic ut ſudore copioſo perfuſus viribus pene deſtitueretur) nocte tamen inſequenti obiit: Itaque ſcribit Avicenna expertum eſſe ſi cum aqua permixtum ad medietatem vinum exhibeatur mirabiliter profuiſſe. *Rubens in cit. locū.*

XIII. Galen. xi. ſimpl. fluviatilibus cancris combuſtis, thure & rad. gentianæ admiſto pulvere, morſus canis rabidi feliciter ſe curaſſe ait: Idem Dioſcor. Avicennas, Ætius tradunt, quod remedij genus præ aliis antidotis efficax eſſe tradunt; Ego, quia cancri iſti fluviatiles, quorum Galenus & Dioſcor. meminere, his in regionibus, nec niſi in Syria, Sicilia, Romæ, aliiſque quibuſdam Siciliæ locis inveniuntur, uſum eorum præſcribere nolui, ne forſan aliquis, cui ſævitia hujus veneni non ſatis cognita, huic remedij generi tantum fideret, interim aliis remediis neglectis æger periclitaretur: Quamvis enim de effectibus cancrorum fluviatilium non dubitemus, in his tamen nōn exigua occurrit difficultas: nimirum an ex remotis regionibus cancrorum fluviatilium, an verò eorum loco marinorum cineres, quorum effectus non æque ac fluviatilium laudatur: item an eorum cineres recentes, an exoleti ad nos perveniant? *Fabritius Hild. cent.* 2. *obſ.* 96.

XIV. Nonnulli, ſi partis conditio id ferat, partem demorſam ſtatim amputandam cenſent, exemplo illorum qui ab aſpide aut vipera demorſi digitos amputaverunt & ſalvi evaſerunt: Verum non ita neceſſarium hoc videtur, cum venenum canis rabidi non ſit tam celeris activitatis ac venenum aſpidis & viperæ, & aliis modis ſatis evacuari poſſit. *Sennertus.*

XV. Ex venenato canis rabidi morſu oritur aquæ metus, in quo ſiti enecantur, nec tamen bibunt ægri, cujus miſeriæ unicum remedium eſt (ex Celſo l. 5. cap. 17.) nec opinantem in piſcinam conjicere, præſertim, eo ſi deveniant, antequam aquam metuant, alias, ex *eodem*, foret ſpes in anguſto, imo uſu, efficaciſſimo omnium rerum magiſtro: Quod auxilium tanti in hoc morbo ſit noſtratibus, ut eo ſolo ferme contenti vix expetant aliud, Neque ſane injuria, ſanat quippe mare quoſcunque: neque vidi hactenus quemquam (licet viderim plurimos) cui tempeſtive in mare projecto quicquam ſiniſtri poſtmodum evenerit. Sed hoc remedio vel flocci facto, vel tarde ac timide adhibito, dedere multi incuriæ pœnas. *Tulpius obſerv. lib.* 1. *c.* 20.

HYDROPS ANASARCA.

SYLLOGE.

In ſimplici fortiter purgandum. 1.
Aliquando convenit Sangu. miſſio. 2.
Deobſtruentia & roborantia *Purgantibus interſerenda.* 3.
Diuretica *qualia conveniunt.* 4.
Diaphoretica *larga manu exhibeantur.* 5.
Litus ex oleo ſcorpionum efficacia. 6.
Balnea *quæ & quando utilia.* 7.
Laconicum quando obeſt. 8.
Cauteriis, *&* Veſicatoriis *cum cautela utendum.*
Curatio per Acu-punctionem. 10.
Chalybeatorum *efficacia & electio.*

1. IN ſimplici Anaſarca fortiter *purgare* licet, & non raro multum juvat: Et quidem ab hoc morbo interdum per catharſin ſanato Empirici de medelis ſuis plurimum gloriari habent, eorumque medicamina quędam pro curandis hydropicis multum decantata exiſtunt: quippe ſi forte unum aut alterum Anaſarca laborantem ſpecificis hydragogis, aut elateriis eos uſpiam ſanaſſe contigit, ſatis eſt de quo ſe & artem ſuam ſemper vendirent, etſi eodem medicamento centum aſciticos jugulabunt: Quapropter licet eſulæ aut elaterij præparata, aliaq; hydragoga in quibuſdam caſibus nonnunquam profuerunt, tamen ſi indifferenter hydropicis omnibus, aut omnino ulli conſtitutione debili, & viſceribus toni præfracti, aut conformationis læſæ prædito exhibentur, ſæpius necem quam remedium afferunt. Ratio autē cur cathartica in hoc morbo operantur felicius & efficacius quam in aliis hydropis ſpeciebus, eſt quia in anaſarca materies ὑδρωπικὴ (quæ lympha eſt) partim in maſſa ſanguinea, partim in habitu corporis, intra poros & vacuitates, vaſorum finibus interjectas ſubſiſtit; quare catharticum

ortius exhibitū illico maſſam ſanguineam exagitat, fundit, & ad ſuperflui cuiuſvis excretionem ciet, ſimulque arteriarum oſcula verſus inteſtinorum cavitates dehiſcentia initat, ut per hæc potius emiſſaria humor è ſanguine ſejectus exitum inveniat: hinc imprimis aquæ intra ſanguinem fluctuantes copioſe elutriantur, dein vaſa inanita aquam mox intercutim reſorbent, & partim per ſedem illico, partimque per urinas aut diaphoreſin foras amandant: nullus interea metus eſt ne, ut in Tympanite, ob ventriculi & inteſtinorum fibras, à pharmaco nimis irritatas, viſcera iſta in extumeſcentias πλαδῶντας alliciantur: Quippe donec viſcera erunt firma & bene conſtituta, medicamenti particulæ nullam iis noxam infligunt, verum exinde in ſanguinem traductæ, non modo aquas ex eo eliciunt, ſed maſſam ejus exagitando, particulas activas prius obrutas exſuſcitant, & verſus δύναμιν ſuam ζυμωτικὴν diſponunt. *Willis.*

II. Interdum vero venæ ſectionem expoſcit, ubi ex frigidi ſanguinis frigidi copia naſcitur: frigiditatis quidem ratione illa non indiget, ſed quia copiæ detractio naturam levat, ut hæc facilius affectum ſuperet, non alienum, ſed rationi conſentaneum eſt hic v. ſ. uti: Videmus enim quod etiam ignis externus, cum à lignis viridibus propemodum extinguitur, reſocillatur rurſus ſi quæ ipſum ſuffocabant auferantur: Evacuare autem poſt ſ. m. oportet, quæ ſane ſ. m. ante omnem aliam curationem tentanda eſt, modo vires permiſerint: Si enim debiles exicerint, tametſi copia ſanguinis adfuerit, tamen niſi ſeparatis viribus ſanguinem mittere non decet. *Trallianus lib.9.cap.*1. Utiliter ea adminiſtratur ſi vel menſes vel hæmorrhoides ſuppreſſæ cauſam dederint, aut ſi bilioſa ſit cachexia: Multo tamen religioſius ſanguis demendus quam in aliis affectibus, ob caloris penuriam: *Enchir. Med. Pract. Scholtz. ſect.* 2. *aph.* 1125.

III. Hoc diligenter notandum, quibus diebua in Anaſarca, ſicut & in hydrope, evacuantia, ſive ſint purgantia ſive diuterica, non exhibentur, iiſdem ſemper *Alterantia deoppilativa*, & calorem viſcerum nativum *inſtaurantia*, ut facultates, imprimis alteratrix & attractrix confortentur, uſurpanda: his enim neglectis evacuantia parum proſunt. *Knoblochius in aphor. pag.* 368.

IV. Pro curando Anaſarca *Lixivialia diuretica*, (prout noſtra obſervatione ſemper conſtitit) cæteris diureticis longe præſtant: Enimvero tritum & vulgare remedium nunc eſt, ut quiſpiam membra habens tumida, poſt purgationem præmiſſam, ſumat bis vel ter in die lixivij ex cineribus abſinthij, vel geniſtæ cum vino albo facti ℥vj ad viij, ejuſque uſum per aliquot dies continuet: medicamentum hoc, uti in pluribus potavi, urinas potenter movet, adeo ut ægri fere ad miraculum uſque brevi convaluerint: Quod vero medicamina ſale fixo & lixiviali, pluſquam ſalè acido alkali, aut volatili prædita urinas pellunt, ratio ut opinor hæc eſt, vid. in morbo iſto affectis, poſtquam deficiente ſanguinis ζυμώσει & virtute ſanguifica, humores aquoſi & crudi tum in ejus maſſa, tum intra corporis habitum aggeſti, ibidem fere immobiles aliquandiu permanſerunt, tandem illi, (prout ſuccorum aqueorum paulo ſtagnantium mos eſt) coaceſcunt, quapropter medicamenti particulæ lixiviales in ſanguinem inſfuſæ illico cum aquarum acidis efferveſcunt, quas inſuper dum exagitant & fermentant, in tota maſſa ſanguinea ζύμωσιν inſignem & excretivam cient, proinde ut particulis omnibus in motum concitis, non tantum aquoſæ ac recrementitiæ cæteſia extrulæ per renes amandentur, ſed & ipſius cruoris inſitæ & activæ craſſioribus quibus obvolvuntur ſeſe extricent, & denuo emergentes virtutem ſuam fermentativam reſumere & ſanguificare incipiant. *Willis.*

V. *Diaphoretica* non raro egregie conferunt, ac in hoc morbo confirmato melius quam in aliis hydropis ſpeciebus convenire ſolent: Et quamvis ab initio, propter habitum corporis craſſiori velut palude obſeſſum ſudores movere nequeant, utcunque dum ſanguinem exagitant, particulas eius inſitas activas antea ſopitas & ſemiobrutas exſuſcitari, & verſus ζυμῶσιν diſponi, quin & recrementitias quaſque, & præſertim aqueas in motum acciri faciunt, proinde ſtatim ut illæ è receptaculis ſuis exundantes promptius ac facilius abſcedant: Hidrotica autem in doſi paulo largiori exhibeantur: quorum enim quantitas perexigua eſt, particulæ eorum activæ aquis immerſæ obruuntur, priuſquam in ſanguinem diffuſæ vires ſuas in ſanguinem exſerere incipiant. Quamobrem ſpiritus ſive armoniaci, ſive vini, nec non tincturæ & elixires, imo ac pulveres contra morbum iſtum rarius in uſum veniunt, quia nimirum in doſi minori minus efficiunt, atque in peramplaſi exhibentur, effeatione ſua viſcera ſæpe lædunt: quin ea potius ſeligantur quæ hauſtu pleniori, & calide aſſumpta, ſanguinem totum illibata permeare poſſint, cujuſmodi imprimis ſunt decocta ex lignis & radicibus, quorum particulæ ſanguini ſatis congruæ, ab eoque indomabiles, totam ejus maſſam pertranſeunt, & vim elaſticam, humores omnes commovendo exerunt. *Idem.*

VI. Inter Adminiſtrationes externas quibus aquæ intra corporis habitum aggeſtæ commoventur, *Oleum ſcorpionum* (modo ſit genuinum) per ſe adhibitum, vel linimentis (ex ſulphure puranis, & ſalibus diverſi generis, vel ex calce viva, aliiſque mineralibus, quæ pulveriſata, & herbarum acrium extractis mucilaginoſis excepta, in unguenti formam redigantur) additum, opem non raro inſignem præſtat: Novi puerum ab Anaſarca univerſali valde tumidum, unico hoc remedio ſanatum fuiſſe: mater enim (neſcio quo conſilio) totum corpus mane & veſperi oleo ſcorpionum illinebat, partes omnes cum manu calida valide fricando: quo facto intra triduum cœpit urinæ copiam ingentem profundere, cumque per aliquot dies ita meiere perſtitiſſet, intumeſcentia ſenſim evaneſcente ſanus evaſit. *Idem.*

VII. *Balnea* hydropi vix ulli præter *Anaſarcam*, atque huic nonniſi in diatheſi aut declinatione conveniunt: quippe cum ab hujus calore totum corpus ambiente ſanguis efferveſactus & incitatus aquas prius ſtagnantes ubique commovet, & in ſe reſorbens varie transfert, periculum eſt ne (uti frequenter aſſolet) eas è corporis habitu in maſſam ſuam excipiens, è veſtigio in præcordiis aut cerebro deponat: quippe nihil uſitatius eſt quam partium iſtarum affectus, vid. aſthma vel apoplexiam, hydropicis à balneatione intempeſtiva ſupervenire: Attamen cum morbi cauſa conjuncta (videl. intumeſcentia) moderata aut non multa fuerit, Balneum ex aqua ſalibus ac ſulphure imprægnata, aut etiam laconicum, à quibus blanda ἱδρῶσις provocetur, non raro cum fructu adhibetur. *Idem.*

VIII.

VIII. *Stuffa ſicca* calefaciendo humores ſubcutaneos, fundendo & colliquando, meatus aperiendo & ſudores eliciendo proſunt. Ab iis tamen abſtinendum ſi immodica ſanguinis evacuatio huic affectui originem dederit: illæ enim ſanguinem calefaciunt, cõmovent & ex venis evocãt. *Each. med. Pr.*

IX. In Anaſarca probantur *Cauteria* in tibiis, ſed initio morbi, alias eo inveterato facile fiunt fluxiones & gangrænæ: Idem judiciũ eſto de veſicatoriis, & inciſionibus, quarum una ſatis erit pro una tibia, quæ aliquatulum elevata teneri debet, nam paulatim aqua fluit procul ab omni periculo. *Epiphanius Ferdinandus pag. 93.* Veſicatoria aquas intercutes copioſe & non raro profuſe nimis emũrunt, atque cautæ admodum hydropicis adhibenda, quia ſcil. ejuſmodi epiſpaſticum locis tumidis applicatum, emiſſarium nimis patens facit, quo aperto aqua primo erumpens, ſæpe magnam poſt ſe illuviem è tota vicinia trahit, unde ſtatim ſequitur magna ſpirituum concidentia: Porro nonnunquam locus ita ſubito inanitus, ſi quidem caloris & ſpirituum orbus, brevi in ſphacelum labitur: quapropter medicamen hoc raro hydropicorum tibiis, aut pedibus, ubi calor debilis, & tumor maximus eſt, ſed interdum femoribus, & brachiis ſecure applicatur. *Eſcharotica* paulo tutius quam veſicatoria locis tumidis adhibentur, quoniam ex hoc emiſſario aquarum fluxus non tam præceps & copioſus ſtatim in initio contingit: verum iſte moderate incipiens, deinde paulatim ad fluentum ingens accreſcit, quod natura (poſtquam ei ſenſim aſſuefit) melius tolerat: Porro minor ab eſcharotico quam à veſicatorio gangrænæ metus eſt, quoniam in iſta applicatione pars, cujus continuitas ſolvitur, contra caloris exolutionem per eſcharam munitur. *Willis.*

X. Reſtat adhuc alius (prioribus non inferior, etſi minùs uſitatus) aquas intercutes educendi modus, ſcil. per *Acus puncturã*, quæ itidem, ne præceps ac nimius accidatur aquarum effluxus, caute admodum ac minutim celebrari debet: Accipiatur Acus ordinaria (quali ſartores utuntur) & ſuper locum maxime œdematoſum, in cutim punctim adigatur, eouſque tantum ut ſanguis non ſequatur, adeoque fiant uno tempore vi vel vij foraminula, pollicem latum ab invicem diſtantia, ex unoquoque foraminulo aqua guttatim erumpet, adeoque continue exſtillabit, donec circumcirca loca puncta tumor omnis evanuerit: dein proxima vice, poſt horas modo xij, modo xviij aut xxiv ejuſmodi punctura in alia cruris ejuſdem, aut alterius parte celebretur, adeoque deinceps ſemel, aut bis in die, in membro hoc, aut illo, unico vel duobus, vel ſimul in pluribus talia aquarum intercutem emiſſaria excitentur: Enim vero hoc modo uberius ac tutius quam ab alia quamvis ἐγχειρήσει exteriori illuvies hydropica exhauriri poſſit: cujus interea proventus novus, ſi per internam pharmaciam præcavetur, morbus facilius ſanabitur: Porro in hydrope deplorato optime per adminiſtrationem iſtam vita prolongatur, inquantum ſcil. aquis per emiſſaria iſthæc externa continue eluttiatis, inundatio interna vitalis diutius protelatur. *Willis.*

XI. *Chalybeata* in hoc morbo, uti in Pica virginum, ſæpe egregie proſunt, in tantum ut non raro totus, aut ſaltem præcipuus medendi ſcopus, in hoc remedii genus devolvatur; Attamen advertere eſt hujuſmodi medicamenta non omnia in iſtis caſibus ex æquo convenire: nam quæ maxime in uſu ſunt, vid. *ſal. chalybis*, ſive *vitriolum martis*, aliaque cum acidis præparata, ac ſulphure in totum ſpoliata, nequicquam juvant, ut pote quæ ſanguinis ζύμωσιν minime promovent, ſed potius è contra eum nimis efferum aut claſticum figunt: Attamen ad *Anaſarcam* & quamcumque in habitu corporis cachexiam œdematoſam, ejuſmodi chalybeata admoveantur, in quibus particulæ ſulphureæ relinquuntur, & pollent, uti imprimis ſunt ferri limatura & ſquammæ in pollinem redactæ, item chalybs cum ſulphure liquatus & pulveratus: horũ pulveres aſſumpti, illico à ſalibus intra corpus noſtrum acidis diſſolvuntur unde particulæ ſulphureæ metallicæ manumiſſæ, & in ſanguinem traductæ, totam ejus maſſam fermentant, particulas ibidem ſymbolas, antea ſopitas exſuſcitant, ipſiſque adjunctæ ſanguinem vigorant, ejuſque vim ζυμωτικὴν, ſive ſanguificam prius depreſſam redintegrant: Quare obſervare eſt ab hujuſmodi chalybeatis, vel pauliſper uſurpatis, faciei χλώρωσιν in vultum floridum mutari. *Willis.*

HYDROPS ASCITES.

SYLLOGE.

Oriri poteſt illaſo jecore. 2.
A cauſis calefacientibus ſæpe inducitur, refrigerantibusque curandus. 2. 44.
Urina rubedo hepatis ardorem non ſemper indicat. 3.
Convenire poteſt ſanguinis emiſſio. 5.
Vomitoria *quando ex uſu.* 4.
Validis purgationibus *eliciendum ſerum extra venas diffuſum.* 6.
Purgantibus validis roborantia *intermiſcenda.* 7.
Mercurialibus *medicamentis ſuperaddus.* 10.
Elaterij *ſuccedaneum.* 9.
Rheum *convenit.* 8.
Purgantia, præparantia &c. ſint potius ſolida quam liquida. 8. a.
Clyſteres *oleo careant.* 53.
Epomphalia *periculoſa.* 11.
Diuretica *convenienti tempore exhibenda.* 12. a.
Lixivia ſumpta non omnibus conveniunt. 12. b.
Urina ſi ſupprimitur danda cantharides. 13.
Inutilia in perfecto hydrope diuretica. 35.
Quo delecta adhiberi debent. 36. 38. b.
Si vitio renum excitetur ſunt inutilia. 37.
Inter eorum uſum crebri clyſteres injiciendi. 38.
Materiam in abdomine collectam educunt. 39.
Acidulæ *quando utiles.* 14.
Hidrotica *non ſemper præſcribenda.* 15.
Diaphoretica *quantum valeant.* 40.
Sudores non movendi per decocta. 56.
Non omnia chalybeata *aquæ utilia.* 41.
Per hydrotica *ſola curari negatur.* 43.
Narcotica *hydropicis lethalia.* 27. 42.
Paracenteſis an tentanda. 16.
Ἐγχείρησις. 17. 20.
Quibus conditionibus uti licet. 18.
Cauterio actuali apertio ne fiat. 20. a.
Non fiat niſi tumeat umbilicus. 21.
Qua quantitate aqua educenda. 22.
In hydropicis peritonæi tunica valde craſſeſcunt. 28.
Gangræna apertionem ſcroti ſequens non ſemper metuenda. 27.
Scroti paracenteſis. 23.

Vnguium *præcie facta ſectio noxia*.130.
Scarificatio *crurum tuta*.31.
Malleolorum periculoſa. 34.
Fonticuli *in tibiis an excitandi*.32.
Efficacia. 33.
Scarificationes an tutæ. 24.
Veſicatoria. 25.
Vinorum medicatorum utilitas. 52.
Hydropicus biennio ab aqua potu abſtinens convaleſcit.45.
Clyſteres olea ne recipiant. 57.
Fauſtæ curationis exemplum. 19.
Hydrops uſu decocti ligni ſ. *lethalis factus*. 46.
Ventris tumor chronicus olei lini uſu ſublatus.47.
Halecum eſus ſalutaris. 48.
Clyſterum *efficacia & Emplaſtrorum*. 49.
In uſu Topicorum *cavenda regio hepatis*. 50.
Cataplaſmatis ex cochleis præparatio. 51.
Emplaſtra aquas abſorbentia quibus conveniant.52
Complicatus cum putrida febre, hectica & lepra, per diuretica curatus.29.
Setaceo in pede curatus. 54.
Vinum album an nigrum conferat. 53.
Febri qui ſuccedit non curatur niſi illa ablata.55.

I. HYdropis principale ſubjectum Iecur olim habitum, unicum venoſi alimentarij ſanguinis inſtrumentum, câ prærogativâ nobilitatum à *Galeno* 5. de loc. aff. c. 7. & 2. progn. t. 1. ubi etiam docet non eſſe neceſſarium ut initio ſemper afficiatur per eſſentiam, principio affectionis in ipſo exiſtente, verùm etiam poſſe per conſenſum aliarum partium affici: Imò nullum hydropem abſque Iecoris vitio, conſenſu & conſpiratione oriri poſſe judicat. Cùm non ſolum Iecur ſed & alias nominavit partes, Ita 2. Progn. *Incipiunt plerique hydropes vel ab ilibus ſeu inanibus locis, vel ab hepate*: τοῦ ἥπατος nomine intelligit venas; per τὰς κενεὰς, lienem, meſenterium, uterum: Idem 4. de morbis agnoſcit hydropem à liene, quando ægrotans potum ex ventriculo trahit. Recentiores non ſemper Epar in hydrope primario, αὐτοψία in cadaveribus innixi, affici teſtati ſunt: Nullo ſæpe in Iecore vitio hydrops obſervatur: Sæpe renes, meſenterium, abſceſſu, tumore laborare viſa, jecore florido: nonnunquã pallidius quidem, utpote aquis immerſum, obſervatum, aëris autem contactu ſtatim refloruit. Nos non inviti à *Galeno* recedimus, Cordi ut αἱματώσεως poteſtatem regiam adſcribimus pleniſſimam, ita & illud affici in læſo hoc opere ioſicias ire non poſſumus: Imprimis tamen viſcerum miniſteria, quæ cordi famulantur, accuſamus, Tale eſt imprimis Iecur, colatorium & cribrum, biliſq; ſeparatorium, Lien frigidarum & ſiccarum, Renes ſeroſarum atomorum ſecretorium; Hæ partes dum debiles officio non ſatisfaciunt, acervatæq; per renes & veſicam aquoſitates non effluunt, in cavo abdominis reſtitantes, vel in habitum corporis transfuſæ, vel in flatus reſolutæ, hydropem ejuſque ſpecies conſtituunt. Cauſa immediata eſt partium chylificationi & ſangnificationi deſtinatarum, tum principum tum miniſtrarum, ἀτονία: chylificatio præcipuè ventriculi & inteſtinorum, ſi ob facultatem læſam, à quacunque intemperie, conformationis, aut communi vitio, vel errorem externum lædatur: Si ἐξαιματώσεως cordis & arteriarum non ſuccedat ad votum, ſeroſæ aquæ à lymphaticis non ſeparentur, âque renibus & ureteribus attrahantur, reſtitant in corpore, & in Aſcite in cavitatem deponuntur abdominis: Viæ ſunt non ſolùm vena Portæ, quæque eam comitantur arteriæ, per omentũ meſenteriumq; diſperſæ propagines, ſed & Lymphatica vaſa, oneris enim pertæſa aquas expellunt, ſponte ſua exitum affectantes, expellunt autem per anaſtomoſin, diairesin, diapedeſin: διόδου etiam præbent membranæ hepatis in hydatides ſæpe fatiſcentis raritas: ruptio aquę ex lobo epatis minimo, circa portas jecoris, ubi tenuiſſima membrana: Renum & veſicæ, ureterum ulceratio & eroſio: dignæ ſunt omnes hydropis nomine, Mediatæ cauſæ plures ſunt &c. *Gu. Rolfincius. Epit. meth. l. 3. c. 9.*

II. Ordinaria curatio aliquando minus conveniens eſt, ſi nimirum Hydrops in calido & ſicco temperamento à cauſis calefacientibus, calorem nativum diſſipantibus, productus eſt, ut in febribus billioſis & vehementibus ſolet accidere: Tunc enim hepatica frigida, cum aperientibus minus calidis conveniunt, qualia in febribus diuturnis uſurpari ſolent: Pro potu ſumatur decoctum cichorij & calcitrapę, vel aliorum aperientium temperatorum, ſed liberaliori quantitate; quæ nimisum ſitim leniat, jecoris ardorem temperet, idque reſiccatum humectet: Quam doctrinam (quamvis ab Avicenna, Traliano, aliiſque ſancita eſt, quia tamen à nonnullis paradoxa videtur, & magni eſt in uſu practico momenti) non erit inutile inſigni exemplo firmare, à Baptiſta Montano relata conſilio 263. *Vidi*, inquit, *Venetiis Religioſum hydropicum ex aſcite & tympanite, qui fuit curatus: adfuerunt mecum Papienſis, Engubinus, Trincavella & alij: habebat is Tympanitem cum Aſcite, & tabem cum hectica: oportebat tum exſiccare & humectare, quare eramus in maxima diſcordia: Ego volebam ut multum biberet ſed quæ aperirent, quia habebat plurimas obſtructiones: præterea ut humectaretur, quia ad tabem pervenerat: ordinabam ego ſyrup. acetoſum cum omnibus quæ provocant urinam: Engubinus nolebat quicquam eſſe bibendum, & narrabat de quodam hiſtoriam qui per ſicca fuit curatus: Papienſis, ut litem dirimeret, concluſit neque liberaliter, neque omnino nihil eſſe bibendum: res extrahebatur uſque ad noctem, deducebant Nobiles unumquemq; Medicum ad ſuam cymbam: Ibi tum Papienſis, quod antea diſſimulaverat, converſus ad Magnificum quendam dicit. Si vultis curare hunc Dominum, profecto non aliud faciendum quam quod conſuluit B. Montanus.* Hic conveniunt medicamenta ex chalybe, tartaro, vitriolo, quia citra inſignem calefactionem potenter aperiunt & urinas movent, præſertim aquæ minerales, acidulæ & vitriolatæ: narrat Avicenna hiſtoriam mulieris curatæ uſu granatorum: Videatur Chriſt. à Vega l. 3. Art. med. ſect. 8. c. 12. *Riverius l. xi. c. 6.*

III. Medicus hydropicum ex acuto morbo curaturus in quo febrilis calor reſtabat, ob hunc, rubedinem urinæ frigidis exhibitis ad extremam maciem deduxit, urinæ rubedinem ex hepatis ardore ac phlogoſi, ut in febribus ardentiſſimis, oriri exiſtimans: Nos contra ex Iecoris & venarum imbecillitate rubrã hanc ſaniem, ob quam tingebatur urina, ortum ducere arbitrantes, medicamentis ventriculum & hepar roborantibus & calefacientibus perſanavimus. *Zacutus Pr. adm. l. 2. obſ. 63.*

IV. De *Vomitu* extant aliquot exempla, præſertim apud *Foreſtum* l. 19. obſ. 29. cujuſdam hydropici qui mari iret faciens ſuperveniente vomitu ſanatus eſt: *Ætius* quoque vomitoria propoſuit: Mihi aliquomodo ſuſpecta ſunt validiora: 1. quia ſi vomitus ex voto non ſuccedat, poſſet diſrumpi peritonæum: poſſet quoque impetus aquæ ſuperiores partes petentis ſuffocationem inferre: nam in hydropicis, ubi eſt ingens aquæ copia, pulmones & diaphragma

diaphragma uſque adeo anguſtantur, & ad ſuperiora ita comprimuntur ut nullus amplius videatur thoracis locus. *Saxonia Prælect. Pract. l. 2. cap. 27.* Per *Vomitum* evacuatio, quia ventrem nimis concutit, & dyſpnœam auget, quibuſdam noxia, aliquibus tamen ſi per vomitum aliqua revulſio a venis meſeraicis ad ventriculum & inteſtina fiat; vel ob cauſæ, unde ſeri fit proventus, aliquam ablationem; eo nomine, ſi præſertim ad vomitu faciles ſint, prodeſſe poteſt, uti & ſi aquam copioſam ſiti evicti ebiberint, ad illius revomitionem, quam & ut facilius vomant [illegible] qui ut affatim interdum vomant, ſed mox [illegible] revomant, conceduni. *Platerus Prax. lib. 3. c. 3* [illegible] ad vomitum devenimus, nam facilis erat [illegible] vomendum: procurabatur vomitus ex aqua [illegible] & ſyr. acetoſo & oleo: Pluries dedimus de [illegible], ad libras iij, vel plus vel minus aquæ frigidæ, & ſtatim ut evomeret procurabamus, & ſic exibat aqua viridiuſcula, & in ſine excrementa bilioſa & [illegible] a vomitibus melius habebat. *Epiph. Ferdinandus Hiſtor. 47.*

V. Ab Artis præceptis, & a ratione alienum videtur aſſerere in Hydrope interdum poſſe convenire *ſanguinis miſſionem*, quod tamen *Hippocrates* commendavit 11. *Epid. ſect. 5. & lib. Acutor. n. 62.* Scio multos dictu os hanc animu ſolere in hoc affectu, dum is, ut ait *Hippocrates*, ab inflammatione exoritur, Tamen ex iis multis, id conſentientibus extra occaſionem, paucos videas, & magno ægrorum malo, dum opus eſt facto, aut illam proponere, aut propoſitam recipere: At ſi in tempore & convenienti modo uti liceret hac medicina, ex hujus defecto aut tarditate, jecur, aut lien, aut utrumque, non affligerentur a ſanguinis exuperantia uel vitio, quarum partium affectionem potiſſimum hydrops ſequitur: Sed num *Galenus* hanc perpetuo ſprevit in hoc affectu? is adverſus *Eraſiſtratum* cap 5. de V. S. hæc habet, *Sæpe ſpaſmum hydropemque ſanguinis evacuatione ſum medicatus*: Ergo cum lienis aut jecoris intemperantia, aut imminens, aut jam concepta, egregie emendari, aut tolli perſæpe ſoleat ſanguinis evacuatione, ſeu ſpontanea ſeu arteſacta, non propterea tam prompte & univerſim, ut a pleriſque ſit, ubi de hydrope aliqua ſuſpicio, aut initium eſt, improbanda eſt, præſertim cum *Hippo. l. de Affection. n. 21.* frequenter ex vena ſplenitide repetendam eſſe dicit lienoſis, ad hydropem propenſis: Verum quid me olim, & præceptores meos, & alios Medicos in hanc formidinem adduxerit, fas eſt dicere, Eſt ſane primum mala conſuetudo, per manus ſuſcepta, cum pleriſque ſufficiat pro doctrina aut ratione communem ulum in patrocinium habere, Tum fallax conſequutio, deducta à vera quadam *Galeni* ſententia, *l. 2. de Natur facult. c. 8. & lib. 6. aph 12. A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus &c.* & aliis locis, quibus aſſerit ſe multos viduſe factos hydropicos, cum mares tum fœminas, à menſtruis purgationibus, aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis, vel parcius procedentibus, aut ab iiſdem abunde nimium fluentibus, unde jecur refrigeratur, & ejus ſanguifica facultas imminuitur: quo fit ut idem jecori & venis contingat, in ſanguine conficiendo & retinendo, quod accidit refrigerato ventriculo & inteſtinis, in concoquendis & retinendis cibis dum diarrhœa conficimur, Hinc Medici parum perſpicaces, fallacia ſimilitudinis decepti, inducunt Sanguinis miſſionem, diſpoſitis ad hydropem non ſolum non ſatis eſſe tutam, ſed maxime adverſam, qui quam male colligant, & pejus connectant, ipſa artis experimenta evincunt, atteſtantur, Cum ſæpe hydrops eos prehendat quibus neque ſanguis ullus detractus eſt, neque etiam ſponte emiſſus, imo potius eos quibus eſt detentus ex ſuppreſſis menſibus aut hæmorrhoidibus & contra omni ratione quam ſimplices ſanguinis effuſiones ſequatur: ſimplices dico eas quæ ſine ulla ſanguinis impuritate & jecoris vitio eveniunt, ut eas quæ vulnera ſequuntur, quod exemplis comprobare eſt multorum, qui tum a vulnere, tum à criſi, inſignem profuderunt ſanguinis copiam, quorum tamen nullus hydrope prehenſus eſt, Ergo non ſanguinis evacuatio hydropem acceſſit, imo inutilis ejus redundantia vel impuritas, à quorum alterutro, vel utroque juncto, innatus jecoris calor ſuffocatur, vel imminuitur, vel incenditur, hinc natura ſtimulata, & onere & vitio ejus quod corporis eſca eſſe debuerant, tanquam hoſtem adverſiſſimum expellere tentat per venas narium, aut ani aut uteri: Verumtamen cum his ſpontaneis vaſorum apertionibus non ſemper natura ſtatam & convenientem moderationem ſervare poſſit, hinc fit ut ab iis non raro, præſertim ſi ſanguinis aut jecoris vitium adſit, ut *Galenus* dixit, hydropes fiant: quamobrem primus & præcipuus ſcopus imminentis hydropis vitandæ, aut inchoantis, ſeu jam conceptæ curandæ, erit penes ea auxilia quæ inutilem ſanguinis multitudinem imminuunt, & impuritatem corrigunt, & jecur ab intemperie, (præſertim calida, cui inter corporis partes cæteras eſt maxime obnoxium) vindicant; Inter quæ ſanguinis miſſionem prærogativam habere convenit inter eruditos, & uſu artis eſt compertiſſimum: Porro tamen facilius, arbitror, concedi mihi poterit à multis propoſiti auxilij uſus, in imminenti, aut jam auſpicanti, quam in confirmata & vehementi hydrope, in qua tamen non prorſus inutilem judicavit *Hippocrates* 11. Epid. ſect. 5. qui imperat venas internas ſecari *dum is morbus magnus in intenſione eſt*; Verum ubi jam hydrops confirmata eſt, & a jecoris vel lienis vitio inchoata, ut nulla eſt ſpes curationis hujus, ita neque temere calumniæ ſubiiciendum eſt dictum auxilium Quod quidem, etſi levare ægrum ſuffocationi proximum poteſt, unde vita in aliquot dies producatur, non eſt tamen aut proponendum, aut exequendum, niſi ſignificato fructu qui ex eo ſperatur, ne allecti falſa ſpe curationis, crimini dent & auxilium & authorem. *Leonardus. Boſallus: l. de curat. per S M. c. 15.*

Zacutus quoque *M. P. H. lib. 2. hiſtor.* 118. ſtatuit in omni hydropis ſpecie interdum ſanguinem poſſe emitti contra communem Medicorum ſententiam, 1. ob authoritatem *Hippocr.* ſupra adductam ex 4. *acutor.* textu 3. & *Galenum* approbantem in commentario. 2. quia in *Anaſarca*, orta ex vacuatione ſuppreſſa, *Galenus* & *Avicenna* ſanguinem jubent mittendum, ne præ copia retenti ſanguinis calor ſuffocetur; at ex *Avicenna*, omnis hydrops à retenta vacuatione oriri poteſt: Ac licet ſ. m. virium robur exhauriat, tamen majus damnum minore noxa eſt redimendum, nam hoc aliis omnibus affectibus commune eſt, in quibus tamen ob multas cauſas ſanguis emittitur. 3. *Tympanitis* ratione, in multis morbis à flatulento ſpiritu ortis ſ. m. commode fit; Apud *Galenum* 14. m. m. c. [illegible] in primo, ab halituoſo ſpiritu orto, genito ab humore ſubfrigido, glutinoſo, ab igneo & aucto calore in halitus craſſos diſſoluto, probat 1. m. ad exuperantem calorem attemperandum: Dices in hydrope læſam eſſe partem principem? at in palpitatione, quæ omnis a flatu originem ducit, in qua

cor patitur, ſanguinem mittit *Galenus* 5. de loc. c. 5. In flatuoſa melancholia, in qua incluſi flatus in ventriculo, venis meſaraicis, pyloro, negotium faceſſunt, ſanguinem idem mittit 3. *de locis cap.* 7. ut igneus adventitque calor miteſcat; Ideo cum Tympanites & Aſcites poſt ardentes acutasque fiunt febres venæ ſectio utilis eſſe poteſt ad ventilandum: cum enim non quicunque calor ſit naturæ inſtrumentum, ſed tantum commenſuratus, ſi noſter præ febrili calore efferveſcat, ad id præſidium eſt confugiendum. 4. Quis negabit in *Aſcite* adeſſe obſtructiones, ob quas non tranſpirat jecur, negatoque commeatu ſanguinis & ſpirituum, hinc refrigerio, id exardeſcit & hectica intemperie laborat, hinc enim ſanguis aduritur, & caloris nativi ſubſtantia reſolvitur? hic autem optimum præſidium venæ ſectio. ſ. *Galenus l. de curat. per ſ. m. cap.* 12. in crudorum ſuccorum copia ſanguinem mittit ac v. ſ. iterandam, vel etiam bis eodem die conſulit, adhibitis prius incidentibus, ſubtiliantibus, & calefacientibus auxiliis; cur ergo in Aſcite, in quo pituitoſus humor exuperat, ſanguis non emittetur? maxime ſi pituitoſa plenitudo non eſt valde remota à ſanguinis natura, ſed exacte aut mediocriter cum eo permixta: Obiicies non poſſe fieri ut hoc morbo laborantibus virium adſit robur, ob crudorum ſuccorum copiam? concedit morbo valde jam progreſſo, ſed in incipiente poſſunt adeſſe vires pro exigua aut mediocri venæ ſectione, præſertim ſi malum non paulatim intemperatis partibus, ſed affatim ingruerit, ſuffocati incipiente calore, à ſuppreſſis menſibus, hæmorrhoidibus &c. Neque *Galeni* loca contrarium ſuadent, *Anaſarca enim cum incipit ſolum indiget v. ſ.* ait loco ſupra citato, ſubintelligens in hac hydropis ſpecie audacius & copioſius quam in aliis eſſe venam ſecandam, *Nullum vero aſciten & tympanitem ſanare auſum fuiſſe per venæ ſectionem*, intellige per ſolam venæ ſectionem, nam hydrops ſolo auxilio hoc non curatur, quoniam expurgantia deſiderat & deobſtruentia: Phraſis hæc uſitata eſt Galeno, ſic enim loquitur lib. 11. m. m. cap. 14. *Neque putredo, neque obſtructio ſanguinis miſſione curatur*, h. e. non ſola, quoniam vacuantia & extergentia expoſtulant, alias evidens eſſet contradictio cum 8. *m. m. cap.* 4. in febre orta ex obſtructione & putredine, ſanguinem emittat.

Lupens comment 89. in lib. 4. de rat. victus, in Aſcite & Tympanite, quando ex hepatis phlogoſi oritur hoc malum, ex ſalvatellis ſanguinem emitti jubet ad remittendum jecoris fervorem.

Petrus de Peramate l. de vacuandi rat. cap. 29. firmat, nec ſilet *Mercatus* lib. 3. de morbis int. cap. 6. *Poſthabita*, ait, *ſanguinis detractione*, quæ in Aſcite nulla lege exercenda venit, niſi jecore evidenter inflammato, idque parce & caute &c. nam, ut notat *Iacotius* 6. *Coacarum* ſect. 2. §. 18 *Inchoata caloris extinctione, Venæſectio juvat per initia morbi, quando per ſuffocationem accidit, ut in initio hydropis a ſuppreſſione hæmorrhoidum, menſium aut ſolennis, vacuationis.*

Ioh. Marquardus lib. 3. *Prax. cap.* 11. probat in hoc affectu phlebotomiam.

Avicenna V. S. approbare videtur etiam in aſcite & tympanite, nam cap. de Aſcite inquit, Si hydrops ſit aſcites, & homo correptus ſit pleuritide, quamprimum eſſe ſecandam venam, deinde curandum eſſe hydropem: Et in *hypoſarca* dicit Aperiendam eſſe venam, & magis in hac quam in reliquis: Quare in reliquis etiam admittit v. ſ. In Tympanite ait v. ſ. locum habere, quamvis raro: Hic ad fundamenta confugiendum ait *Capivaccius* Pr. lib. 3. cap. 19. Vena ſecanda ſi adſit peccatum ſanguinis, peccatum hoc perpendendum vel 1. ut eſt origo hydropis, tunc tantum redundat in hypoſarca, ideo ſi ab eo obruatur calor, ſicque jecur refrigeretur ob retentum ſanguinem vel menſium, vel hæmorroidum, vel alium, tum ſanguis originem & fomentum præbet anaſarcæ, & niſi occurramus, uſque adeo ſuffocabitur calor ut etiam fiat aſcites & tympanites: Oritur ergo indicatio vacuandi ſanguinem, & quidem valido auxilio, quia validum vitium: Vel 2. conſideramus ſanguinem qua fovet morbum cum hydrope conjunctum; Ponatur quis Aſcite correptus, qui ſimul anginam patiatur; Si venam aperiamus, jecur magis refrigerabitur, & augebitur hydrops, ſi non aperiamus venam, illico homo ſtrangulabitur, quare neceſſe eſt venam aperire ut imminenti morti occurramus.

Hydropum duæ ſunt naturæ, quorum Hypoſarcidios ſi aggreditur, vitari non poteſt: alter vero cum flatibus multa indiget felicitate &c. Si autem difficulter ſpiret, fueritque anni tempus æſtivum, & ætas vigeat, & robur adſit, ſanguinem e brachio auferre oportet &c. ait Hippocr. 4. acut. verſ. 73. Primam Hydropis ſpeciem, ut omnino inſanabilem, ſolo prognoſtico pertranſiens, alterius Aſcitis (quem hic intelligere vel ſola hydropis vox, aquoſi morbi innuit) curationem aggreditur, & inter cætera v. ſ. proponit, quam neceſſariam exiſtimo quotieſcunque conditiones in textu propoſitæ concurrunt, videlicet ſi ſpirandi adſit difficultas, tempus æſtivum ſit, ætas ægrotantis vigeat, & virium robur: Spirandi enim difficultas in hydrope dupliciter contingere poteſt, vel à copia aquæ ventrem inferiorem replentis, quæ diaphragma comprimendo ejus liberum motum impediat; Vel ob tumorem hypochondriorum, eodem modo diaphragma comprimentem: In primo caſu nullo modo convenit ſ. m. ſed hic excluditur per conditionem appoſitam, *Si virium robur adſit*, impoſſibile enim eſt cum res eò devenit, ut à tumoris magnitudine ſpirandi difficultas inducatur (quod hydrope jam confirmato tantum ſuccedit) virium adeſſe robur: Nec ſemper in ſecundo caſu convenit v. ſ. quia quoties tumor à frigidis ſuccis dependet, inutilis eſt, ſed tantum cum tumor à craſſo aut multo ſanguine in viſceribus conculcato ortum ducit: quam cauſam concludunt conditiones recenſitæ, excluduntque eam quæ in humorum frigiditate conſiſtit: Impoſſibile enim eſt tempore æſtivo, juvenem tantam frigidorum humorum copiam coacervare, ut hypochondrium in eum tumorem tollat qui ſpirandi difficultatem faciat; Quia igitur conditiones in textu appoſitæ, ſimul concurrentes, indicant hydropem originem habere à tumore hypochondrij, ab humoribus in eo conculcatis, quique, natura ſanguinis non multùm recedant, ideo ſumma cum ratione ante omnia vena ſecanda eſt, ex brachio, quam in affectibus hypochondriorum ſemper ſecare conſuevit. *P. Martianus comm. in citatum Hippocratis.*

VI. *Hippocr. aphor. 14. l. 6. curandi viam aperit* (Hydropicis ſi aqua è venis in ventrem influxerit, ſolvit morbum) ab imitatione naturæ

ductam

ductam. Sed notandum id fieri non poſſe ut invalida medicina trahatur in inteſtina humor ille qui natat infra peritoneum & inteſtina: Qui enim ſuccoreos, vel diaturbith, aut bryonia, vel ſoldanella exiſtimant ſe id facere poſſe, falluntur: hæc enim venis conceptam aquam facili nixu effundunt, non abdomine natantem, quare Elaterio opus eſt: hujus grana aliquot remiſcere cum pilulis alephanginis: vel euphorbium remiſtum in parva copia, cum caſſia rec[illegible]tacta præbeo. *Heurnius comm. in sum. aph.* Ruente nimium alvo, propinentur duo vel tria grana opij cum theriaca & ſyr. citreorum; nam u[illegible] ſudoribus, ſedatur immanius profluvium. *Idem comm. in aph. 29. 7. Vide* Capivaccium *Pract. l. 3. c. 19.*

VI. In omni *Purgantium* adminiſtratione obſervandum eſt validiora tamen non eſſe frequentius uſurpanda, ut docet Gal 9. *μετ'. τέχνης*, quia corpus debilitant, ut poſtea major aquarum copia ſuccreſcat: ideo roborantia & aperientia frequentius quam purgantia erunt præſcribenda: Experientia docet vacuationem per vrinas melius ſuccedere ea quæ fit per alvum. *Riverius.*

VIII. De *Rhabarbari* uſu in Hydrope Medici diſſentiunt, Plurimi id commendant, ſcribitque *G. Placentinus cap.* 12. ſe multos exhibitione ℈j rhei pulverati autoracum ℥ij oxymel. compoſ. & ℥iij vel ℥iv vel decocti lactuc. cariul. & rad. tenoic. equalſ., danda de ʒ.i ʒ. pro virium ratione, diebus intermediis, ante prandiū & cœnam ℥ ß oxymel. ſcyll. vel compoſ. in aq. decoct. lactucæ, ſcariol & rad. fœnic. Idem remedium probat *Eraſtus*: Improbat vero *Maſſaria*, ideo quod *Galenus* ſcribit libel. de med. purg. fac. cap. 2. ea quæ flavam & nigram bilem purgant dare inutile eſſe: verum hic an hydropis cauſas reſpiciendum, nam ſi habet originem a bile, quæ per venas meſeraicas, ipſumque hepar diſperſa calorem nativum viſcerum corrumpit, & ſæpe etiam, ſi ſit craſſior, pertinaces obſtructiones parit, imo in calculos quandoque degenerat, quod fit ſæpe poſt icterum longum & diuturnam febrem, tunc non incommode id uſurpatur, quod humorem bilioſum vacuandi viſceraque roborandi vim habet, Et cum abſynthium, quod in hydrope plurimum prodeſſe omnes concedunt, non parvam cognationem, (etſi vis aperiendi in hoc minor ſit) habet, Et ratio illa *Maſſariæ* de bile, aquam quodammodo temperante, ſaltem locum habet ubi in vena cava illa conſiſtit, ſerum vero in abdomine contentum temperare non poteſt: In aliis vero cauſis non ſine diſcrimine uſurpandum, ſed magis hydragogis fidendum, etſi rheum roborandi viſcera gratia addi poſſit. *Sennertus Pr. l. 3. part. 6. ſect. 2. c. 4.*

VIII. *a.* In hujus mali curatione, & in omni etiam Hydropis ſpecie, inſtituendum eſt potius humorem præparare, educere, ac viſcera roborare iis quæ ſicca ſunt medicamentis & pulviſculis, quam potionibus: Et ob id *Galeni* imitatione, ac hyberno tempore (nam æſtate non inconvenit aliquid potulentum præbere) præſtabit inter vnam & alteram purgationem porrigere tabellas &c. *Mercatus.*

IX. Ego *Elaterio* utor, incipio à gr. jß. quia eſt [illegible]tiſſimum medicamentum, & poſtea exhibeo gr. iij ad v. ſed ſenſim, nec augenda dozis niſi [illegible] evacuanda poſtulet & vires tolerent: formula ℞. Elaterij gr. ij pil. alephang. ℈j cum ſucco irid. f. pil. Quidam hydropici non poſſunt admittere Elaterium, ſed in ſyncopen labuntur: ideo his non eſt dandum. Ij neque antimonium ferent, neque ſuccum tithymali Ego tunc utitor Ætitio, Sumo radicem cucumeris radicis, & inciſam redigo in pulverem, immitto in vinum generoſum, vt malvaticum ad ℥xij vel xiv. macero per triduum, & exhibeo vinum hoc cum pulvere, tribus vicibus, per tres dies continuos poſtea intermitto per 3. vel 4. dies; & rurſus exhibeo per triduum, rurſus intermitto, & rurſus exhibeo: Sic enim tumor citra moleſtiam minuitur, radix enim illa vino corrigitur, quod etiam corroborat ventriculum & iecur. *Capivaccius l. 3. c. 19.*

X. Licet, ſuadente *Sennerto*, ad educendas aquas *Mercurio vita* uti, etſi vomitorium ſit, modo longa digeſtione fixior reddatur: in hydropicis enim non facile vomitum movebit: cujus ratio eſſe videtur, iuxta eundem, quod in tanta aquæ copiā partes ſolidæ non ita vellicari poſſint: vel quod ſalſedo ſeri volatilitatem vomitoriorum figit: quod fit in G. Gotta, ſi cum ſpiritu ſalis vel vitrioli miſceatur. *Hœferus Herc. Med. l. 3. c. 2.* Non dubito quin plures ex orci faucibus liberarentur, ſi paulò fortioribus, Imprimis mineralibus remediis, natura juvaretur: Puer novem annorum, per menſes aliquot hydropicus ex cachexia factus, ab aliis pro deſperato linquebatur: aſciticus erat cum anaſarca: Ego ſuadeo primum vacuationem per mercurium dulcificatum cum diagrydio, qua ſemel atque iterum repetita, fontem medicatum in viſinia nitroſum, ac ſulphure & vitriolo perfuſum, cum ſpongiis novis primum, poſt etiam in balneo & potu adhibeo: ſimul aliquoties adhibito purgante, quod fiebat infuſione fol. ſenn. agarici, mechoacæ nigræ, ſem. carthami cum paſſulis minoribus, aniſo &c. in prædicta aqua minerali, cujus beneficio non tantùm alvus laxabatur, ſed etiam urina copioſè profluebat, detumeſcente paulatim abdomine, ut paucorum menſium ſpatio valetudini reſtitueretur: Similiter filiola trium annorum, anaſarca totius corporis inflata, penitus abhorrens ab omni medicamento, per uſum mercurij dulcificati, cum granis aliquot magiſterij Jalapæ, reſtituta fuit morti proxima, quæ repetitis vicibus ſine moleſtia copioſè prædictis vacuata fuit. *Greg. Horſtius lib. 4. Obſ. 32. ubi alia obſervationes Hydropicorum mercurialibus medicamentis curatorum.* Potioris heic momenti ſunt quæ ex antimonio parantur, ut *Mercurius vita*, cujus dozis ab initiu ſiut gran. iv. in extracto helleb. vel colocynth poſtea, ſi vires ferant, auctior uſque ad xij, uſus autem per aliquot dies continuetur, præſertim in hydrope confirmato, & tono ventriculi non collapſo; In hoc caſu nullos generat vomitus, ſed tantum per inferiora purgat: In ſenioribus autem facit procidentiam ani. *Hartmannus Pr. p. m. 228.*

XI. *Fernelius* in Pharmacopœa *Vngu.* deſcribit quod illitum hydropicorum aquas putentes detrahit, & diſtentum abdomen remittit: ſed illius & ſimilium vix periculum facias citra famæ iacturam: inſerta oamque muſculis & membranis vis purgatoria lethale ſæpe alvj profluvium ciet. *Enchir. Med. Pract. Riverius.*

XII. *a.* *Diuretica* prius non exhibenda quam corpus purgatum & fluidum factum eſt: uſu enim comparatum eſt quò magis Diuretica, & quæ fundunt materiam, dantur hydropicis, eò magis ipſos intumeſcere: Cava Epatis pars prius liberanda ab aquoſitate per ſedes quàm gibba per urinas: vidi ipſe malè ceſſiſſe potiones diureticas, in quibus erant ſoldanella, ubi primis membris non erat prius

proſpectum & adempta repletio : Sed poſt evacuationem totius inite utilia ſunt. *Gaſpar Hofmannus apud Scholtzium conſ. 337.*

XII. *b. Lixivia* in interno uſu Hydropicis non promiſcue conveniunt : pro externo, mundandi, putredini reſiſtendi & aliis pollent virtutibus : Conveniunt quidem quod diuretica virtute urinam liquant, in qua reddenda ut plurimum ſunt *Eacliones* hydropici, ſed non promiſcue omnibus: non qui conſummati ſunt, & urinam reddunt rubicundam, ſaturatam, non qui debiliori ſunt ventriculo, Et in genere ſemper his obſervandus eſt tonus ventriculi, quippe qui lixivioſis maxime facile læditur, intermoritur fermentum, quod acidula volatilitate gaudet, & ſalia, quæ copioſa jamdum adſunt, ac visceribus *ἐμφυτα* minantur, augent : *Wedelius Pharm. p. 150.*

XIII. Interdum hydropici patiuntur *lotij ſuppreſſionem*, unde non tantùm augetur aquoſitas in abdomine, ſed & imminet mors repentina : quare in promptu habere oportet remedium aliquod potens, ut eſt uſus cantharidum quæ maxime in aſcite per os exhibendæ : Hippocr. eas probat 4. de vict. acut. t. 124. Sed dandæ ſervatis quibuſdam conditionibus : 1. ſi in hydrope (& etiam aliis caſibus) lotium ita ſit ſuppreſſum ut non cedat aliis auxiliis : quia ergo mors imminet, cogimur ad valentiſſima confugere : ſupponendum autem lotium eſſe ſuppreſſum vitio renum, quod in hydrope ſolet contingere. 2. Cantharides propinandæ integræ : lotij enim provocandi gratia ventrem exhibemus, at ne inferant inſigne detrimentum, permiſcemus alas & pedes, quæ partes in cauſa ſunt ne vener ita noceat veſicæ : Servandæ quoque conditiones à Galeno propoſitæ c. 23. l. 3. ſimpl. ut dentur parvâ in copiâ & permiſtæ cum aliis medicamentis, præſertim iis quæ defendunt veſicam : Quare poteritis exhibere cantharidem unam integram cum ℈j vel pulveris rutæ, vel ſpicæ, vel alio ſimili : Et ſuperbibendum detur aliquid pingue, ut juris pulli pinguis ℥iv vel vj : Hoc modo utiliter & tutò dantur. Ego ab omnibus deſertos cantharidum uſu reſtitutos vidi. *Capivaccius lib iij c. 19. vide Hildanum cent. 6. obſ. 98. Zacutum Med. Pr. hiſt. 117. P. Martianum comm. in v. 431. l. 4. Acut & Tu. de Diureticis.*

XIV. Aſcites ſi natus eſt ex nutrientium partium refrigeratione & cruditate, *Acidula* miſtæ ſunt faciendæ; cauſam enim, frigiditatem ſcilicet, fovent : Si quam ob cauſam *Fernelius* tradit, ex ſolutâ continuitate viſcerum, aut vaſorum, quibus humores continentur, manavit, itidem deſerendæ ; tale vulnus, quanquam ſuperficiarium, acidulæ conſolidare non valent : ut nec ulcus ab hepatis aut lienis ſuppurante phlegmone relictum : ulceratis enim partibus acidulas minimè convenire omnibus eſt in confeſſo, nam ob calchantum vim rodendi habent : Nec quoque ſiccitatem viſcerum à calidorum ciborum, præſertim vini meracioris liberaliore uſu, vel ardentibus febribus contractam, emendant : præ ſiccitate enim, & humoris penuria, ceu rimis quibuſdam dehiſcunt, præſertim ſi ſcirrho obduruerunt, quod frequenter jecori & lieni, præſertim meſenterio, ob infinitas quibus abundat glandulas, uſu venire ſolet : In hac verò illorum ſiccitate etiam ambiens membrana diſtringitur, ut non amplius ſerum continere poſſit, ſed id tenuem more elabi ſinat, atque ſenſim, quaſi ex fiſſa olla, in vacuum ſpatium abdominis ſtillare : neque hic acidulæ locum inveniunt, quia ſiccant malumque conduplicant : Quod ſi Aſcites ab epatis aut lienis oppilatione contumaciore prodiit, ſi tamen ventriculus adhuc validus atque robuſtus, ita ut eorum onus ferre poſſit, nullum dubium quin aperiendo, attenuando, incidendo, abſtergendo, vacuando proſint : cæterum obſtructionibus recluſis, & oppilantibus humoribus excretis, caloreque viſcerum, qui per obſtructiones veluti ſtrangulabatur ventilato, viſcera ad priſtinam temperiem redeunt, modo non ὀργανικὴ ſed χυμικὴ ſolum ſit dyſcraſia. *Balneum acidularum* cum calefaciat inſigniterque ſiccet, frigido forſan hydropi opis aliquid afferre poterit, ſi præmiſſa univerſalia : verum cautum hic decet eſſe Medicum, omneſque circumſtantias diligenter penſitare. *Sebiſius part. ij. qu. 34. de acidulis.* Inter hydragoga medicamenta primas tenet thermalium aquarum potus : in his omnium præſtantiſſima Spadana, quæ hydropicis, vel confirmatis, certam ſalutem pollicetur : hæc enim redundantem aquam in abdomine per urinæ vias deducit, & ventriculo, jecori ac cæteris partibus naturalibus amiſſum robur mire reſtituit, ac reſtitutum adeo confirmat, ut homo per ejus aquæ uſum, pluries quotidie repetitum, deperditam prorſus recuperet ſanitatem : De ejus præſtantia in hydrope videantur *Henricus ab Heers Spadacrenes cap ix. obſ. 1. Zacutus Med. Princ. hiſt. 1. hiſt. 117. & Pr adm. l. 2. obſ. 55.*

XV. Inter vacuantia remedia recenſentur *Sudorifica*, quæ ut in Anaſarca perpetuò proſunt, ſic in tympanite & aſcite aliquando nocent : ſi non per hepatis ſiccitas, ut non rarò fit, morbo originem dederit, adde quod in hydropicis ſudorem elicere ut plurimum impoſſibile eſt : Si tamen illa hepatis ſiccitas abſuerit, ſudorifica in omni ſpecie hydropis convenire poſſunt, præcipuè in declinatione morbi, ad ſeroſi humoris reliquias per habitū diſcutiendas : Sic Valleriola refert à ſe curatum aſciticum decocto ligni ſ. per 40. dies exhibito. H. Reſerus apud Scholtzium conſ. 131. gloriatur ſe multos pueros, & nonnullas mulieres anaſarca laborantes, curaſſe uno ſyrup. S. Ambroſij, qui fit ex milij excorticati ℥ij aq. fontis lib. ß. coctis ad medias, colaturam exhibens cum æquali vini albi generoſi portione. *Riverius l. 11. c. 6.* Si Aſcites ortus ſit ab immodico aquæ potu, ſudorifica non ſunt ita noxia : neque enim in hac cauſâ metus eſt ne ſiccantium uſu jecoris conſtitutio fiat deterior, contra abſumptis aquis priſtinas vires recipiet. *Enchirid. Med Pract.*

XVI. *Abdominis perforatio* eſt maximum præſidium, quo utendum quando præſentes ſunt ſcopi & indicantes & permittentes : Indicantes ſunt materia aquoſa : in ſolo aſcite licet perforare : Avicennas non perforat abdomen niſi corpus fuerit valde forte : dum ergo accedieris ad patientes, non expectetis donec fiant debiles, quia fruſtra poſtmodum hoc auxilio uteremini : De tempore dicit Avicenna, *Non audeas perforare abdomen quandiu poſſibilis eſt alia cura :* hoc moderni ita explicant, omnia prius eſſe tentanda quam ferrum : at maximus hic eſt error : nam Avicennas etiam poſt perforationem aliis auxiliis utitur: Quare id vult docere non eſſe veniendum ad perforationem abdominis, niſi præcognoſcamus malum aliis levioribus tolli non poſſe : dum ergo videmus tumorem celerrimè increſcere, & alia accidentia, illico confugiendum ad hoc remedium : Quod ſi omnia prius voluerimus tentare, procul dubio gracilis reddetur patiens & vires prohibebit. *Capivaccius lib. 3. c. 19.* Hydropicos celeriter ſecare oportet. *Hippocr. 6. Epid. ſ. 7.* Quod plurimi moriantur, dicit Aurelianus cauſam non eſſe quam quam eorum quæ alij obiiciunt, ſed quod ea curatio ſerius

ſen. per

ſemper teneatur, & cum jam morbus eſt diuturnitate factus incurabilis. *Valleſius comm. in eum locum.* Quod utilis ſit hæc punctio demonſtrari poteſt, quia per eam aqua vacuatur, quæ per aliam regionẽ perfectè non poteſt vacuari: Nec adeo periculoſa eſt ventris apertio, modò rectè fiat, Nam videmus eos quibus vulneratus eſt venter, evadere, niſi vulnus penetret in gracilia inteſtina: præterea utilem eſſe conſtat ex eventu, quibus enim caſu quodam per Vmbilicu aqua erumpit, hi ſunt curati: Quod ſi quis obiiciat hoc remedio tentato multos interiiſſe, huic reſpondebimus id contigiſſe, vel quia facultas hepatis in illis erat emortua, ut poſtea ſanguinem bonum gignere non potuerit: aut quia remanſerat Scirrhus hepatis aut lienis: vel quia morbus natus erat ex pulmonis ulcere, (phthiſici enim propemodum omnes in hydropem incidunt) vel quia in thorace fuerit etiam collecta aqua, quæ vacuata non eſt, quod ex tuſſi deprehendi poteſt: *Rondeletius Pract. c. 37. Enchir. Med. Pract.*

XVII. Conſiderandum naturam ipſam, quæ à nemine edocta tamen ea quę conveniunt facit, hanc ipſam Operationem nobis digito monſtraſſe, dum per umbilicum in tumorem elatum & reſeratum, ſæpe ab aſcite, imò præſente morte ægrum liberavit: quanquam verò difficillimè pertundi poſſit umbilicus, tamen ubi is protuberat, alius locus quærendus non eſt: Quod ſi contingat umbilicum non attolli in veſicam, alius locus commodus eligendus: Is autem eſt in ſiniſtro abdominis latere, tribus digitis ſub umbilico, totidemque ab eo remotus: priùs tamen, ægro ſtante erecto, ſi non adfuerit magna ſeri copia, aut eodem ſedente, aut jacente, quando inſigniter tumidum eſt abdomen, diligenter locus atramento notetur: Olim ſcalpello fiebat ſectio, per cutim, muſculos & peritonęum, non ſine metu læſionis inteſtinorum: deinde poſt ſectionem indebant vulneri cannulam argenteam, lævem & alatam, exactè foramini facto reſpondentem: Quod cum difficile factu eſſet, Recentiores alium longè commodiorem locum invenerunt, idq; beneficio *Cannulæ perforatæ*, circa extremitatem acuminatam cuſpidem habentis, quam depingit *Barbette* Chirurg. p. 3. c. 15. hac enim ſenſim perforatur abdomen: ubi verò jam penetratum eſt uſq; in cavum, protinus ſolet aqua promptè effluere per foramina quæ ſunt ab utroque cuſpidis latere: cujus fluxum nimium ſi velimus ſiſtere, ſtylo argenteo exactè canulę cavitatem occludimus, eoque extracto, rurſus aquam pro lubitu effluere ſinimus: Vbi ſæpius repetere hanc operationem animus eſt, aut de novo foramen fit, aut reſeratur illud quod prius factum erat: occluſionem ſecuram præſtat particula lini carpti cum emplaſtro glutinante deſuper impoſito. *I. Van-Horne Michrotech. pag. 2.* §. 30.

XVIII. Licet & ab *Eraſiſtrato*, & ab *Avicenna*, & à *Gordonio* exitioſa exiſtimetur, attamen ſi omnes adfuerint conditiones, ad tuto eam peragendam neceſſariæ, libenter illam ſtatim præciperem: Hæ autem conditiones ſunt ſex, 1. quod non ſecentur deplorati, ſed vires valeant, 2. febre multa non laborent, 3. non adſit ſcirrhus in viſceribus: 4. morbus ſit recentiſſimus, nec viſcera ab aqua corrupta ſint. 5. non evacuetur tota aqua. 6. non ſit tempus æſtivum aut hybernum, ſi poſſibile eſt. In hydrope autem plurium mentium ſuſpecta labes viſcerum, quæ ſola poteſt dehortari à tanto remedio, cujus infelix eventus medicis facile adſcribi ſolet: hinc apparet Rhaſis error, qui ſolum in morbi progreſſu ad paracenteſin deveniendum cenſet, cum tamen tunc potius convenire poſſint Inuſtiones, ab Avicenna, Aloucaſi, Celſo propoſitæ. *Fortis*

XIX. Puer annor. xij hecticus, aſciticus, leprotus, putrida febre laborabat, curabatur à Medico non vulgari: Verùm in melius non proficientibus remediis, advocatus ſum: via erat ubi inciperemus, Iecoris dolor præterea urgebat: Conſilium fuit noſtrum ut pane uteretur ex zea cum aqua cineris confecto, ſemineq; fœniculi, & dimidio triticeæ farinæ: Curationis autem via fuit, ſuccus cichorij cum erythrodani pulvere, atque ſpicæ: Eo devenit ut ſingulis diebus ad lib. x aut xij urinæ mingeret, atque ita perſanatus eſt. *Cardanus.*

XX. Feſtinandum eſt ad *Paracenteſin*, non quidem illam vulgarem periculi plenam, at novam & tutiſſimam per acum argenteam, ſed cavam, & blande 4. circiter tranſverſis infra umbilicum digitis, totidemque ad ejuſdem latera in abdomen immiſſam, & poſt ſufficientem aquæ emiſſionem iterum extractam, ſimiliterque alio tempore, aut die, in idem foramen intruſam, niſi conſultum videatur novum alibi excitare foramen: Periculo vacat hæc operatio, quia educta acu, nihil ampliùs effluet liquoris, quin empl. ad moto diapalmæ &c. non tantum contra ambientis iniurias munitur locus apertus, ſed ipſius cõſolidatio promovetur. *Sylv. Pr. l. 1. c. 17.* vide §. 17.

XX. *a.* Obſervandum porro eſt ne ferro candente abdomen perforetur, nam Peritonæum inflãmatur, ut experti ſumus. *Panarolus Pent. 1. Obſ. 17.* Sed neq; cauſtico, cum enim eſchara fiat magna & rotunda, ex facto inde foramine tanto impetu exitura eſt aqua, ut nullis repagulis coerceri queat: Impoſitum id fuit me renitente Nob. Do. *Alexandro de Harſy*, Iuris conſ. Genevenſi celeberrimo, pridie ante obitum, qui niſi anticipaſſet, ad primum aquarum erumpentium impetum exſpiraſſet, Eo enim defuncto, adacta ſcalpelli extremitate vix appoſito pollice reprimi poterant, Inſpecto autem loco cui admotus lapis cauſticus, pervaſerat is omnia integumenta ad peritonæum uſque, magno hiatu, quod niſi craſſitie ſua obſtitiſſet (in hydropicis enim id craſſeſcere obſervatum) mors ſubita pręforibus erat.

XXI. In hac operatione advertendum ne hydropici aperiantur niſi *exomphalos* appareat, quaſi natura viam illam ad excluſionem aquarum affectante: alioqui omnes qui aperiuntur, non prominente umbilico, intereunt: Hæc autem umbilici prominentia arte procurari poteſt, admotis frequenter umbilico cucurbitulis ſiccis cum multa flamma, tum etiam fotibus emollientibus & attrahentibus, quæ intra triduum, plus minus, uſurpata prominentiam faciunt, in qua apertio adminiſtrari poteſt. *S. Formius inter obſ. Riverio communicatas obſ. 4. Aſciticum ſex menſium, ea operatione ſervatum ait.*

XXII. Practici moderni dicunt mane & veſperi aliquid vacuandum eſſe, verùm illa vacuandi ratio perniitioſa mihi videtur, poſtquam ego ſic ſemel vidi aquam eductam, & ægrum intra biduum mortuum: puto enim ſolum mortis cauſam fuiſſe tam parvam eductionem aquæ: ea namque via facta, exitum tentans ad foramen, magno impetu prorumpit, & mole ſua vulneri incumbens, partem jam ſectione debilitatam, debilitat magis: Inde 1. ſurgit magna difficultas in aqua retinenda, quæ vi retenta metum gangrænæ affert, quod in illo, de quo loquor, contigit 2. quid utilitatis ex tam pauca vacuatione? nam in ventre aſcitici jam perfecti 30. aut 40. pocula aquæ continentur, quæ autem alleviatio ex dimidij poculi vacuatione: Meum verò judicium eſt 1. magnam quantitatem eſſe ducendam ad medieta-

tem, vel tertiam ſaltem partem, ac donec venter notabiliter detumuerit: interim ne ab effluvio æger debilitetur, oleo caryoph. aq. cinnam. &c. refocillandus poſtridie iterum quantitatem duorum aut trium poculorum, tertia die iterum, ſed deinceps minus & minus: quia enim partes jam tanto tempore præſentiæ aquæ aſſuevere, ideo extimo poſtremam diu relinquendam, primam autem confeſtim educendam, quo natura ſtatim manifeſtam ſentire poſſit alleviationem: Tunc enim imprimis non erit tanta difficultas in aqua retinenda; non erit tanta moles aquæ ſupra vulneratam & debilem partem non erit neceſſe tentā & fiſtulas tam arctè intrudere cū dolore, aut vulneratā partem adeo fortiter comprimere: Quod non ſit tantum periculum ſimul ac ſemel factâ aquę vacuatione, docent exempla plurimorū quibus ultro aliquando, vel caſu, erupit aqua, ut tota ferè ſimul effluxerit, & tamen convaluere: Ita audivimus nuper hic Lovanij mulieri aſciticæ aquā breviſſimo tempore totam fere ſimul erupiſſe, & tamen convaluiſſe: *Fienus de contr. Artis Chirurg. Tract. 6. c. 7. Vide P. Borell. cent. 2. obſ. 76. Rhodium cent. 3. obſ.* 17

XXIII. Secundum *Aëtium* acubus interdum licet *pungere ſcrotum*, in quod aqua deſcendit, & experientia hoc remedium optimum fuiſſe oſtendit: Setaceum fit ferro candente, quo perforatur cutis ſcroti: poſſumus igitur punctionibus vel ſetaceo uti, prout ægri magis unum auxilium quam aliud admittunt. *Capivaccius lib. 3. c. 19. Inutiliter aperti ſcroti vide exempla apud Tulpium l. 2. cap. 39 Th. Bartholinum cent. 3, Hiſt. 64. Sanati paracenteſis ſcroti ope vide exemplum apud Zacutum Pr. adm. l. 2. obſerv. 54.*

XXIV. *Scarificatio*, ex ſententia *Aſclepiadis*, proponitur tantùm circa ſuras prope malleolos: jubet tamen ut profunda ſit, ut commodè univerſa aqua ſenſim vacuari poſſit: Cæterum Leonides, referente Aëtio, concors cum Hippocr. probat ſcarificationes, non modò circa ſuras, ſed etiam circa femora, & ſcrotum & brachia: Al. Benedictus, cui alij quoque adhærent, laudat has ſcarificationes ſupra ventrem, ſub umbilico, eodem loco ubi fit paracenteſis: multiplici experimento comprobatum eſt ſcarificationes iſtas mirificè hydropicos juvare, aquam ſine virium diſpendio educi: Sed ſicuti ſcarificationes abdominis ac ſcroti abſque periculo adminiſtrari poſſunt, Ita ſcarificationes femorum, ac crurum, in maximo œdematoſo tumore, in ſumma caloris innati refrigeratione, periculoſæ ſunt, & in gangrænam facilè deſinunt: Itaque conſulo, ut cum calor ſit valde languidus, ab his abſtineatis. *Saxonia Pract. l. 2. c. 27. Vide Platerum Tomo 3. c. 3. p. 265.* Probantur à *Vuiero & Langio.*

XXV. *Veſicantia ſuper malleolos* internos applicare jubent nonnulli: At tutius eſt abſtinere 1. quia parum liquoris ſolet exſudare 2. ægri ut plurimùm de dolore circa illas partes conqueruntur. 3. ulcera non poſſunt claudi ante perfectam curationem, cum ulcera hydropicorum 6. aph. 8. ſint incurabilia 4. nec gangrænæ periculum eſt leve: *Hildanus* refert hiſtoriam de gangrænâ *cent. 1. obſ. 49.* natâ ex uſu veſicantium in hydrope: *Platerus* etiam in ſponte excitatis veſiculis vix prohiberi poſſe obſervavit. *Septalius* lib. 7. Caut. eadem reiicit: C. *Piſo* de morbis à colluvie ſeroſa funeſtum eorum eventum deprehendit. Suadet Hildanus centur. 6. Obſ. 43.

XXVI. *Valleriola* componit *Empl. è ſtercore bubulo, caprillo* in aceto fervefactis, adjecto ſulphure, alumine, ſale, baccis lauri, ebuli ſucco, omnibus ſubactis cum pice navali: cujus empl. mirabiles vires ad ſolvendas hydropicorum aquas ſe obſervaſſe teſtatur: Sed videndum ne his & ſimilibus nimium exſiccetur jecoris ſubſtantia, *Enchir. med. Pract.*

XXVII. Laboret quis hydrope inveterato, accedunt in fine *Vigiliæ perpetuæ*, has qui narcoticis medicamentis curare velit, ille ægrotum jugulat. Hydropici unius grani opij exhibitione moriuntur. Si æger auxiliū ad Vigilias imploret, præſcribat med. medicamentum notiſſimum, ne cùm æger mori neceſſe habeat, mortis acceleratio medicamentis adſcribatur. *Valaus m. m. pag.* 5.

XXVIII. In Hydropicis peritonæi tunicæ valde incraſſeſcunt, imo temporis ſucceſſu cartilagineam duritiem acquirunt, quod in paracenteſi abdominis ſcitu neceſſarium eſt. *P. Barbette Anatom. Pract. p. m. c.* 44.

XXIX. Qui paracenteſin reſpuunt, *apertionem ſcroti* inſtituunt, ſed viſceribus etiam adhuc ſalvis & viribus robuſtis, quod turgidum vel ſcalpello vel lancetta, aperiendum, & poſtmodum ſetone apertum ſervandum eſt: Accidit nonnunquam Gangræna ſed hæc magni non ſemper eſt momenti, facta enim ſic via aquę facilius effluunt, & tales gangrænæ cutaneæ non adeo curatu ſunt difficiles: *Hildanus* cent. 1. obſ. 48. Exemplum mihi ſuppeditavit Faber ferrarius anno 1653. cui ab hydrope poſtquam intumuiſſet ſcrotum, obortis in eo puſtulis exhauſtę ſunt aquæ abdominis, ſuccedente in ſcroto gangræna, à qua curatus induſtria mag. *Sabourin* Chirurgi Genevenſis: ſupervixit ille annos tres, & orto iterum hydrope ob pravam diætam extinctus.

XXX. Novam *aquam Hydropicorum educendi rationem* affert *Hollerius*, dicens quendam *unguium in pedibus & manibus* ad vivum uſq; *præciſione*, hydropem & mortem ipſam aufugiſſe: Verum quanto cum periculo hæc cura ſit coniuncta patet ex *Henr. ab Heer* obſ. 12. qui hydropicum annorum 59. cum ungues pedum ſibi reſecuiſſet, atque ad vivum penetraſſet, mox gangræna correptum fuiſſe, nec longe poſt interiiſſe teſtatur.

XXXI. *Scarificatio crurum* celebre fuit apud veteres remedium: H. *Saxonia* ex *Alex. Benedicto* lib. 15. cur. morb. commendat quidem ſcarificationem cutis in abdomine, In talis autem & cruribus, ob metum gangrænæ, ab iis abſtinendum eſſe præcipit: Sed eandem *Langius* ſua experientia confirmat, & præſidium ſcarificationis malleoli interni memori animo condendum eſſe monet. Quam experientiam etiam ante quinquennium in quodam, cum ex tertiana duplici cum delirio conjuncta, poſtmodum in Aſcitē incidiſſet, & nihil conferentibus aliis remediis ad hanc crurum ſcarificationem proprio ſuo ac temerario auſu accederet, veram deprehendi: Aqua enim ſumma cum εὐφορίᾳ inde vacuata fuit, & etiamnum vivit ſeptuagenarius fere, cæteroquin ſalvus, & ab omni morborum inſultu incolumis. *Fridericus Hofmannus m. m. l. 1. c.* 21.

XXXII. Si medicamenta nihil præſtant, ſolent Medici confugere ad remedia propoſita à *Celſo* & *Aëtio*, ſcil. ad *cauteria in cruribus* facta, fiunt enim cauteria in utroque crure juxta malleolos, quibus apertis diu ſervatis aqua, quæ alioquin ſuo pondere in partes inferiores fertur, longo tempore diſſipatur. *Mercurialis lib. 3. cap.* 24. Ego Aſcitici tibiis infra genu fonticulos appoſui, unde incredibilis aquæ citrinæ copia excreta, hinc & ſanatus, non neglectis tamen interim remediis viſcera roborare valentibus, quos & ad multos annos deinde geſtavit, uſque quo ſponte exſiccari, nec mors ad aliquot annos inſequuta; donec poſt tandem extinctus.

Glan-

Glandorpius de Cauteriis pag. 109. interrogatus Hildanus (obſerv.42.cent.6.) an Fonticuli in hydrope locum habeant, "Quum internæ partes, *ait*, remediis congruis paulo magis adhuc levatæ atq; curatæ fuerint, in ambabus tibiis, vel ad minimum in dextra, confici fonticulus abſque periculo poterit, atqui tum illius auxilio internæ partes ab excrementitiis humoribus non ſine maximo valetudinis commodo expurgabuntur: Quia vero tumor tibiarum Domino ſuſpectus eſſe videtur, haud abs re erit ſi ante applicationem caufticorum eas faſciis, imo à pede incipiendo, & uſque ad genua progrediendo ſtrictè deligaverit: antea tamen in decocto abſinthij, centaurij, ſcordij, ſalviæ, betonicæ, origani, roſmar. gran. juniperi & ſim. cum aqua & ſale parato, eas madefacere calideq; applicare convenit, idque veſperi potiſſimum in ingreſſu lecti: interdiu vero, præcipue vero cum è domo exire foras, aerique frigidiori ſe exponere voluerit; conſultius eſt ut tum ſicca applicentur." Hactenus *Hildanus.* Hinc conſtat non omnibus hydropicis ſine diſcrimine applicanda eſſe cauteria: Deciſionem hanc affert *Capivaccius* Pract. l.3.cap.19. Cauteria in hydrope locum non habent ſi tumida ſint crura, Vlcera enim in hydropicis diſſiculter curantur, aph.8. ſect.6. quia exſiccationem poſtulant, cum interim hydropica corpora humidiora ſint, Præterea calor in hydropicis languet, ut periculum ſit ne ulcera cancroſa evadant: In veſicatoriis autem alia ratio eſt, quæ potius excoriationes ſunt, & tantum partes ſuperficiarias corrumpunt, cauteria autem altum ſubeunt: Ego vidi tumore pedum præſente & aſcendente ſupra genu factum eſſe cauterium, indeque obortam gangrenam & miſerum obiiſſe: Quod ſi crura nondum ſint tumida, nondum labefactata, poſſumus cauteriis uti, ſic enim homines præſervantur, & mitior hydrops tollitur, & forſan etiam ſævior: *Avicennas* proponit cauteria, prius tamen abdomen perforat, & ſic proculdubio iis utitur ratione præſervationis non curationis.

XXXIII. Ego Aſcitici *tibiis infra genu fonticulos* appoſui, unde incredibilis aquæ citrinæ copia excreta, hinc & ſanatus: non neglectis tamen interim remediis viſcera corroborare valentibus, quos & ad multos annos deinde geſtavit, uſque quo ſponte exſiccati: *Veikardus c.*12.

XXXIV. Noſtra tempeſtate Patavij, à duabus tantum inciſionibus malleoli, aqua tam copioſe effluxit ut mulier protinus exſpiraverit: ſubtracto etiam ſanguine, caloris fomite, nonnunquam gangræna ſuccreſcit. *Rhodius cent.3.obſ.*17.

XXXV. Facile quiſpiam exiſtimet *Medicamenta urinas moventia*, propter aquas è quocunque loco, aut corporis ſpecu educendas, plurimum conferre. Revera hæc Anaſarcam frequenter ſanare, & præ aliis quibuſque remediis juvamen præſtare experientia ſatis crebra liquet: Videndum igitur quid pro abdominis cavitate eluttianda efficiant: Super hoc imprimis conſtat nullum ad renes à ſtagno aſcitico, quamvis vicino, ductum immediatum patere, ſed quicquid aquarum hinc inde transfertur, neceſſe erit primo in maſſam ſanguineam reſorberi, & deinde è ſinu ejus in cloacam urinariam effundi: At vero quantulum eſt quod venarum oſcula, circa ſuperficies viſcerum (ſi forſan omnino patent) dehiſcentia excipere poſſunt? atque hoc unicum diuretica efficere queunt, ut ſanguinem fundendo, ejuſque ſeroſitates ad renes copioſius pellendo, ipſum adeo inanitum aquas in ventre fluctuantes ad ſe allicere faciant: interim haud minus periculum eſt, ne diuretica intempeſtive exhibita, dum cruorem nimis fundunt, ſerum abſcedere coactum in Aſcitis nidum pluſquam in renes adigant, adeoque ventris diluvium augeant potius quam tollant: Et vero ita interdum evenire obſervatione crebra mihi ſatis compertum eſt: quare cum diuretica ad Aſcitem curandam præſcribuntur, a tali affectu contrario ſummopere cavendum erit: Profecto ob hanc rationem eſt quod remediis hydropicis (ex veterum authoritate & praxi per experientiam inventa) adſtringentia & corroborantia ſemper admiſcentur, non quod talia hepatis tonum (uti vulgo dicitur) confirmant, verum ſanguinis craſin ſive mixtionem, ne fuſione nimia penitus diſſolvatur, præſervent: Itaque in Aſcite, quæ propter viſcerum & vaſorum compages, ac imprimis tunicas, glandulas, ipſaſque fibras, earumque interſtitia ab humore ſeroſo infarctas, proindeque ſumme intumefactas, potiſſimum aut ex parte contingit, quemadmodum cathartica, ita & diuretica conveniunt, non raro cum fructu ſumuntur, in quantum ſcil. horum uſu maſſa ſanguinea (ſero ad renes copioſius derivato) inanita, aquas iſtas juxta ipſorum oſcula ubique ſtagnantes facile in ſe recipit, & verſus cloacam urinariam convehit: Verum è contra in mera Aſcite, ubi viſcerum texturis à ſeroſo infarctu immunibus, aquarum illuvies ventris cavitatem inundat, Diuretica aut fruſtra aut incommode exhibentur: quatenus nempe nihil è ventris ſtagno exprimunt, & ſæpiſſime cruorem fundendo, aquas illic inſtillari aptas impetuoſius adigunt. *Willis.*

XXXVI. *Diuretica* in Aſcite non omnia cujuſque generis ex æquo conveniunt, neque indifferenter exhiberi debent, quippe obſervare eſt morbo iſto affectos plerumque urinam paucam, rubicundam quaſi lixivialem reddere, quod equidem indicio eſt ſanguinis craſin à ſale fixo & ſulphureo exaltatis, & ſimul combinatis, nimis ſtrictam in iis exiſtere, proindeque ſerum ejus intra renes haud debite ſecerni: quod tamen circa viſcerum obſtructorum anfractus exuitur, adeoque in ventris cavitatem deponitur: quapropter in hoc ſtatu ad urinas ciendas, ea tantummodo propinare oportebit quæ ſanguinis conſtitutionem ita reſtituunt & emendant, ut ſalis fixi & ſulphuris enormitatibus ſublatis, pars ſeroſa intra renes ſeparari & uberius amandari poſſit: In quem finem non acida, aut lixivialia, verum ſale volatili prædita deſtinantur: Nam ſæpius obſervavi in ejuſmodi ægris, cum ſpiritus ſalis, aliaque mineralium ſtagmata acida, cumque ſalis tartari, geniſtæ, aliorumque deliquia, aut ſolutiones, noxæ potius quam commodo extitere, ſuccum plantaginis, beccabungæ, aliarumque herbarum ſale volatili abundantium, nec non mille pedum expreſſiones plurimum juvaſſe, propter eandem rationem ſal nitri ſumme purificatus, ſive cryſtallum minerale, non raro inſigniter prodeſt. *Idem.* Vide §.38.

XXXVII. Sæpè ſine vitio hepatis, *ex imbecillitate Renum* attrahentium ſerum, hydrops producitur, nec ullis diureticis etiam generoſis vix iſtæ aperiri poſſunt: ideoque expurgandis iſtis partibus & vicinis imprimis elaborandum, atque etiam fomentis facultatem deperditam reſtituere conandum. *Riolanus Encheir.p.*149.

XXXVIII. Tandem ducatur aqua ad urinæ vias *jure diuretico* parato, ante cujus uſum cyatho inſtilletur vel ſpiritus terebinth. ad ℈j, vel vitrioli ad gtt.vj. Initio vero ægro parari poterit urina pueri

deſtillata exhibita ad ℥vj, cui immiſcentur guttulæ vj. ſpir. ſalis, aut olei juniper. quod erit efficaciſſimum diureticum: In diureticorum vero uſu iniiciantur frequentes clyſteres, ex decoctione mercurialis, ſoldanell. centau. fœnic. baccar. lauri, cum elect. aliquo hydragogo, aut melle roſ. ſolut. &c. *Foreſt. conſ. 69. cen. 3*

XXXVIII, *b.* Quoniam rarius bilis acrimonia aucta ſimul cum pituita peccat, illa præſertim *Diuretica* conducere pituitę ac ſero, in Hydrope imminente exſuperanti, quæ Aromatica ſunt, & Sale volatali prædita: rarius autem quæ ſunt Acida, Subinde ex utriſque miſta. *Sylvius de le Boë Tract. 6, 6. append.* §. 261.

XXXIX. Communiter ſtatuunt *Diuretica* in Hydrope eam tantum materiam ad vaſa urinaria deducere quę poteſt decumbere in cavitatem, non eam quæ jam ibi collecta eſt, hanc enim per urinam evacuari nullo modo poſſe, eò quod materia in cavitate reſidens, ſi per urinam evacuanda eſſet, ut rurſus ingrederetur viſcera neceſſe eſſet, quod tamẽ impoſſibile: Verum hic metus de nihilo eſt, ſed magno cum fructu exhiberi poſſunt, ut quę non ſolum materiam ſeroſam, quæ in vaſis adhuc continetur, & ad ventrem confluxura eſt, derivare, ſed etiam illam ipſam quæ in abdominis cavitate reſtagnat, in venas aut vaſa lymphatica reſorbere atque evacuare poſſunt: Ita Rondel. c. 36. l. 2. vidi hydropicam per urinæ fluxum ſanatam: Sed ſciendum 1. corpus prius purgandum & fluidum faciendum 2. hoc commodi habere ut poſſint una viſcera ab obſtructionibus liberare, ex quorum cenſu ſunt ſpiritus ſalis, urinæ, ejuſq; ſal volatile, ſpiritus aperitivus Penoti, Tinctura aperitiva D. *Moebij*, Sal abſynthij cum ſpiritu ſalis cuagulatum: ſel vitri cum decocto cancrorum fluviatilium, &c. Quadrant huc quæ Helmontius lib. de Poteſt. Medicam §. 32. notavit, *Senſi*, inquit, *cuncta ſalia ſimplicia recedere per lotium atq; inteſtina, & interim reſolvere ſordes in illis meatibus, ac expulſivam ſui memorem officij reddere* 3. In frequenti uſu eſſe habenda: 4. ſæpius eſſe permutanda, ne natura iis aſſueſcat, 5. in pulvere eſſe exhibenda, 6. ab iis eſſe abſtinendum in anaſtomoſi venarum & colliquatione humorum. *Frider. Hofmannus m. m. l. c. xij.*

XL. *Diaphoretica*, licet in Anaſarca potiſſime, in Aſcite tamen aut nullius aut rarioris uſus exiſtunt: quippe intempeſtive adhibita, ſine ullo juvamine magnam ſæpe ægro noxam afferunt: quatenus nimirum ſanguinem excalfaciendo, aquas in ventris cavitate fluctuantes æſtuare & velut ebullire faciunt, propterea ut ſpiritus & humores à vaporibus exinde elevatis valde perturbentur, adeoque functionum omnium inordinatio conſequatur, ipſaque viſcera velut elixata plurimum lædantur, Porro à diaphoreſi ita perperam inſtituta, cruor in fuſionem & ſeri præcipitationem coactus ipſum amplius in Aſcitis nidum deponit: Quod igitur nonnulli fotus & linimenta, ventris tumidi aqualiculo applicanda, & balneationem præſcribunt, laborantibus fere ſemper in deterius cedit, nam præter febricitationem, cephalalgiam, vertiginem ſpirituum deliquia, aliaque cerebri & cordis mala ſymptomata ita ſæpiſſime excitata, etiam venter exinde magis intumeſcit, in quantum ſanguis agitatus & fuſus ſerum ibidem amplius deponit: quinimo & vaſorum ora proinde magis laxantur & aperiuntur, ut aquas è maſſa ſanguinea abſcedere aptas promptius exſtillent. *Willis.*

XLI. Ut in therapia hujus morbi prima *indicatio* ab authoribus practicis inculcata, materiam unde flatus elevantur evacuandam ſpectat, & cauſam quę eos attollit removendam, flatuſq; qui jam ventrem diſtendunt, diſcutiendos & diſſipandos, Ita *ſecunda* remedia alterantia requirit, quæ nempe in viſceribus imi ventris humorum fermentationes, & ſpirituum orgaſmos & excurſus irregulares ſiſtant, quæ ſtrupet chyli & ſucci nervei mixtiones æquabiles & motus debitos procurant: in quos fines *Chalybeata* imprimis acciendentur: At frequenter accidit cum illa, quorum magna varietas & operationum diverſitas eſt ſine ullo delectu, aut in patientibus temperamenti, conſtitutionis & morbi ſtatus reſpectu & diſcrimine exhibentur: (*Differentias vide tit. de Obſtructionibus* §. 4.) Ad morbum hunc, ſi ulla omnino ex iis, certe omnia non conveniunt, ea namq; in quibus mixti compage reſerata ſulphur uſque remanet, & ſolutum ceteris prędominatur, ab hoc cenſu prorſus exulent, quippe ζυμώσει ſua inſigni viſcerum ſuccos valde fermentant, atq; ſanguinẽ & ſpiritu adeo exagitant ut tota imi ventris regio, quaſi a ſpiritu quodã impetum faciente in majorem molem attollatur: Nec minus hic conveniunt, à quibus particulæ ſulphureæ una cum ſalinis prorſus abiguntur, *ut fit in* Croco martis, per calcinationem fortiſſimam ac diuturnam pręparato, Hoc enim medicamen cum ad fluxiones omnes ſiſtendas utile ſit, ita & humorum & ſpirituum impactiones qualvis figit magis, & obſtinatiores reddit. Verum reſtat medij generis pharmacum Martiatum, in quo ſulphure in totum, aut maxima ex parte abacto, ſal vitriolicus remanet ac præpollet: uti quidem habet in ferri limaturæ ſolutione, aut infuſione ſimplici, aut acidulata, in ſale aut vitriolo martis, & aliis, ex quibus pharmaca præparata, aut compoſita, in nonnullis caſibus opem inſignẽ contuliſſe experientia ſatis crebra liquet: Hæc enim viſcerum fermenta exotica deſtruunt, & genuina reſtituunt, obſtructiones eorum reſerant, ſanguinem figunt, ejuſque compagem à diſſolutione nimia cohibent: quapropter remedia chalybeata, quemadmodum etiam alterantia quædam alia, contra Tympanitis cauſas procatarcticas & remotiores aliquantum forſan proſunt, verum ad cauſam ejus conjunctam parum aut nihil opis conferunt: *Willis.*

XLII. Qui Hydropico *theriacæ* ʒß exhibet, ille & ægro & ſibi maximum vitæ & famæ accerſit periculum, etiã unius grani exibitione: Sopiunt enim ejuſmodi opiata nõ ſolum ſpiritus, ſed & dyſpnœam difficiliorẽ reddũt, quibus ſymptomatibus omnes fere hydropici ſunt obnoxij. *Frider. Hofm. m. m. l. 1. c. 4.*

XLIII. Magnum errant errorem qui abſolutam & plenam cacochymiam, ut pote in Hydrope, *Sudoriferis* expellere conantur: hoc interdum in lue venerea conducit quidem, verum in hoc caſu & interdum tantum: Accidit hydropicis interdum ut bullæ vel veſiculæ in eorum abdomine compareant: ex his apertis duarum vel trium horarum ſpatio non raro plus aquę exſudat quam optimum ſudoriferum per integram noctem educere potuiſſet. *Frider. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. xi.*

XLIV. *Galenus*, ceteriq; poſt ipſum omnia qualitatibus elementorũ tribuentes, non à Spiritibus Hydropem, verũ potius ab intemperie Iecoris frigida & humida oriri dicunt: Sed quã apte ad bene medendũ coniicere licet: Etenim dent quantum velint calida jecori, nihil efficiunt, ſitim augent, frangunt vires & morbo alimentũ & incrementũ prębẽt: At ſpiritibus impetum frangant, obſeratos meatus aperiant, intus cõgregatę aquę ſpõte effluent & ſanabitur Hydrops, Quæ praxis nobis feliciter ſucceſſit in omnibus: Verum in nonnullis ubi ſubſtantię adeſt corruptela, aut ſaltem ſuſpicio aliqua, viam hanc inire non audeo, & tantum prognoſtico caute deſerendum judico. *Frider. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. xix.*

XLV.

XLVI. Hydropicus xlvi. annorum aſſumptis purgantibus nihil excrevit, *Decoctum ligni S.* exhibuit *Mich. Angel. Rota*, pejus ſe habuit æger, parrea enim hepatis ſolidæ magis exſiccatæ fuere, unde humido caloris ſubjecto deficiente, ac debilitato ſimul calore, qui ſanguificationis organum, malum augebatur. *Nic. Be.zzo Actor. Med. anni 76. Obſervat. 27.*

XLVII. Quis *oleo Lini* tantum tribueret vt Pleuritidi ſæpe ſolum ſufficere crederetur perſanandæ? Placet meminiſſe quod Illuſtriſſ. quidam prognoſtico relictus, à Tumore ventris chronico per continuatum olei Lini deſtillati vſum pleniſſime fuit liberatus: Cura hæc literato cuidam diu ex hydrope decumbenti innoteſcit, cui venter inde detumeſcit, rejecto per alvum coagulato & copioſo cruore; ſentit levamen, ſed ob hepatis apoſtema fatis concedit: In gratiam mariti, in actu curationis adhuc verſantis, vxor ſemel iterumque guttulis aliquot prædicti vtitur olei, hinc ſuborto fragore in abdomine, excretóque per muliebria cruore etiam coagulato, infelix ſe vidit abortum pati. *Ehrenfridus Hagendornius Miſcell. cur. anni 1672. Obſerv. 216.*

XLVIII. *Camerarius* Iuriſperitus ex hydrope periculoſiſſime decumbebat, petiit a *Packiſchio*, Medico ſuo, vt *halecis vſum* ſibi indulgeret, Annuit *Packiſchius*, ſed hac lege ne intra duarum horarum ſpatium quicquam potulenti ſuper aſſumeret, Æger paret, Quid fit? Æger tandem ad vrinæ emiſſionem ſtimulatus, tam largiter ipſam profudit, vt per horæ fere quadrantem nulla mictionis quies interveniret, ipſumque abdomen ſenſibiliter magis magiſque ſubſidere deprehenderetur: *D. Bucretius* etiam ſolorum halecum continuato per aliquot dies & ſeptimanas vſu, potuſque parcitate imperata, tres hydropicos ſe ſanaſſe falſus eſt. *Sennertus Cent. 1. Epiſt. 8.*

XLIX. Remedia quæ prope loca affecta maximè cum fructu adhiberi ſolent, ſunt *Enemata* ac *Emplaſtra*: Priora abſque totius maſſæ ſanguineæ fuſione (quam cathartica fortiora cient) ſerum è vaſis & glandulis inteſtinorum ac meſenterii proliciunt, quæ proinde inanita lymphas extravaſatas aliquantulum imbibunt, In hunc finem clyſter ſequens egregie convenit, quatenus nempe vna fibras inteſtinales vellicat, atque ſerum à ſanguine imbibitum, aut in eo prius contentum, verſus renes prolectat, ℞ *Vrinæ hominis ſani & vinum bibentis* ℔ j. *terebinth. Venetæ cum vitello ovi ſolutæ* ℥ ß. *Salis prunellæ* ʒ j ß. *f.* Enema, repetatur quotidie: Emplaſtra nonnunquam in Aſcite juvamen conferunt, Illa tamen ejuſmodi ſint quæ virtute quadam reſtrictoria & confortativa viſcera corroborant, & vaſorum ora, ne ſeroſitates exſpuant nimis, conſtringunt; In hunc finem Empl. Diaſaponis ſæpe cum fructu ventri tumido applicare ſoleo. *Willis.*

XLIX. *b.* Inter *Topica*, nihil potentius aquas ad ſe attrahit quam *Sal*, & quidem toſtum, ſicque omni humiditate aquea pene privatum, in cujus locum venit aqua in corpore contenta: Idem forſan, & potentius, præſtant cineres, & imprimis clavellati, cinereſque omnes multo ſale lixivo turgidi, qui potentiſſime aquas ad ſe alliciunt; Imbecillius id Arena præſtabit. *Sylvius de le Boë Tr. 6. Append. §. 125.*

L. In vſu *Topicorum* quæ ventri apponuntur cavenda eſt regio Epatis, nam illa ſæpe ſunt admodum calida, Epar ab iis nimis incaleſceret, ejuſque robur omnino diſſolveretur, ſed ne ea noceant, regio Epatis aliquo vnguento, vt Santalino &c. erit munienda. *Chalmeteus Enchir. p. 153.*

LI. *Cochlearum terreſtrium*, ſeu *limacum* caro contuſa, abdomini applicata valde convenit, cui opercula admiſcere jubet *Dioſcor.* Quod vt commodius fiat in pulverem prius redigi debent, quod facilius fit cum friabilia ſint: Si teſtas admiſcere etiam velimus, vti aliqui docent, rectius prius in cineres rediguntur, cum ægre contundantur: Mucus quoque cochlearum convenit. *Platerus.*

LII. *Vina per macerationem*, aut etiam decoctionem facta, & tutius & melius operari cæteris remediorum formulis, illiſque maxime hydropem, ſi modo curari poſſit, ſanari experientia longa comperimus. *Platerus T. 2. p. 255.*

LIII. *Hippocrat.* 5. Epid. hydropicis *vinum album & tenue* concedit: at lib. de int. affect. num. 24. jubet hydropicum vinum bibere nigrum, auſterum, quam craſſiſſimum ac acerbiſſimum: Confirmat. l. de vict. acut. nu. 62. At perpendendum in Epid. hydropis curam proponere qui à viſcerum refrigeratione, infarctu, caloriſque ſtrangulatione ortum ducit; cui, nemine diſcrepante, album vinum conducit, quod calefacit, coquit ac deobſtruit: At lib. de int. aff. de hydero verba facit, qui à febrium colliquatione exoriri ſolet, cui ſumma extenuatio ac tabeſcentia fit brevi comes: Tali corpori craſſius alimentum, necnon vinum nigrum, auſterum & craſſiſſimum convenit, id namque amplius nutrit, vberiuſque reficit, vt quod producendo ſanguini commodius exiſtit. In tali hydrope cauſæ magis, nempe colliquationi, quàm effectui, aquarum collectioni conſulendum. *Sinibaldus Antiph. l. 4. antiph. 15.*

LIV. *Michaël Sterpinus*, inſignis Chymicus, curavit hydropem cum tumore maximo, *perforata cute in vno pede & inducto Setone*: eò enim omnis aqua defluxit & exſtillavit tanquam per alembicum. *Eraſtus* curavit primò tres longas inciſiones fieri in planta pedis, vt aq. efflueret; quo facto tumor ventris mox deſiit, tum vſus eſt ſuis vinis hydragogis: Alii ſcarificationes longas adhibent: quanquam hi modi non careant periculo: Ego expertus ſum nihil tutius eſſe quàm applicare ſuris eſcharotica, & dum aqua effluit, proſpicere hepati imbecillo: ſic enim aliquot hydropicos curavi. *Hier. Reuſnerus Obſ. 88. De veſicantium vſu, fonticulis, & inciſionibus*, vide *quæ collegit Rhodius in Analectis ad Septalij Cautiones lib. 7. §. 56.*

LV. Obſervavi fruſtra eſſe ſi quis *hydropem*, *ex febre intermittente* natum, medicamentis tollere conetur, febre illa adhuc durante: febris enim hoc pacto profectò radices profundius agere deprehendetur, non autem amovebitur hydrops: Expectandum itaque donec febris exulet, actum demum negotium properè ſuſcipiendum. *Sydenham Tract. de Febr. pag.* 88.

LVI. *Sudores movendi* non per decocta, quæ humiditate actuali nocent, ſed per extracta *Gaiaci*; Saſſafras, cardui benedicti, antidotis magnis &c. *Claudinus.*

LVII. *Clyſteres* hydropicorum oleum ne recipiant, vel ſaltem rutaceum parva quantitate. *Rondeletius.*

HYDROPS TYMPANITES.

SYLLOGE.

Refrigerantibus *aliquando curandus.* 1.
Purgantia *plus nocent quam juvant.* 3.
Flatus diſcutientibus *modeſte utendum.* 4.
Topicorum, *quæ parum efficacia, natura.* 5.
Vinum meracum & diatrionpiper. *quando danda.* 6.
Ortus à flatibus in ventriculo & inteſtinis coërcitis. 2.
Per paracenteſin *curatio.* 7.

I. Flatus craſſus hujus hydropis cauſa eſt, ad cujus generationem duo requiruntur, 1. Materia craſſa, & quidem plerumque bilis atra: cum enim ij quibus atra bilis ventriculo ſubſtrata eſt, flatibus abundent, & ructus plurimos interdum edant, imò ſæpe maxima pars ciborum in flatus commutetur, ſi illi flatus retineantur, abdomen diſtendunt & hanc hydropis ſpeciem facere poſſunt: Nec in hepate ſolùm hujus cauſa quærenda ſed ſæpe in primis viis juxta aphoriſm. 4. 11. Secundo, Efficiens, quod ſtatuitur calor debilis: at is ſimpliciter talis non eſt, verum ratione materiæ, utpote quam vincere & diſcutere non valet: Imò ſæpe præternaturalis & ſatis magnus eſt, ac in materiam totam ſubitò & violenter agit, eamque agitat, quod in Tympanite plerumque fieri exiſtimamus. Etenim ſi calor planè infirmus eſſet, in materiam non ageret, neque flatus excitarentur: Atque ita Aſcites & Tympanites differunt ratione materiæ & efficientis: materia enim in Tympanite eſt melancholica magis: calor verò torrefaciens & adurens: Vnde etiam interdum ad remedia frigefacientia confugiendum eſt; Scribitque *Mercatus*, Si hæc omnia præſidia (calefacientia ſcilicet) non proſint, utendum eſſe *Hippocrat.* conſilio & prudentia, qui cùm multis diebus uſus fuiſſet in hiſce doloribus calefacientibus, & nihil commodi inde percepiſſet, tranſiit ad frigida magna cum utilitate. *Sennertus cap. proprio*, vide *Chriſtoph. à Vega & Mercatum.*

II. In inteſtinis & ventriculo retenti flatus necdum in ſpatium abdominis procidentes, non ſolùm colicos cruciatus patiunt, ſed & ſi adeo incluſi ſint, ut nullo patente exitu ea in immenſum adeo attollant ut totus venter inde diſtentus appareat, Tympanitidis quoddam genus, & forte frequentius quam aliud quod illis in ventrem erumpentibus fieri communiter docent, procreari poſſunt: Sicuti in illis quos tympaniticos eſſe putabant, deprehendimus flatum nullum in ſectis poſt mortem è ventris cavo erupiſſe, nec ventrem ſubſediſſe, ſed inteſtina, tenuiora præſertim, adeo flatibus turgida & convoluta proſiluiſſe, ut in eundem ventrem retrudi nequiverint: Ejus tympanitis cauſa eadem quæ alterius. *Platerus Tomo 3. cap. 3.*

III. Tympanitidi *Purgationes* adeo non conveniunt, ut potius exaſperent: Qui vero conjunctus eſt cum Aſcite eum ſæpe purgantia tollunt, præſertim Mercurialia: *Hartmannus cap.* 187. §. 37. Fere totus medendi ſcopus contra flatus dirigitur, materiam unde flatus elevantur evacuando, quapropter purgantia contra humorem maxime ſuſpectum deſtinata cum magna confidentia, etſi minimo plerumque, aut malo cum ſucceſſu præſcribi ſolent: Namque hic morbus (uti noſtra obſervatione conſiſtit) à catharticis, præſertim fortioribus, fere ſemper exacerbari, & raro aut nunquam alleviari ſolet, cujus ratio ſatis evidens eſt, quia fibris nerveis à pharmaco acriori irritatis, ſpiritus animales excurſus ſuos irregulares reiterant, & magis ac magis uſque intendunt, potius quam remittunt: quare licet dejectiones crebræ ac copioſæ, cum ſedibus aquoſis & flatuoſis inde procurantur, venter tamen plus intumeſcit: At vero licet medicina contra hunc morbum adeo minime valeat, non tamen (quaſi nihil aut malum tantum efficeret) prorſus negligenda eſt, quin ægrotanti vt quoquomodo ſuccurratur, omnem movere lapidem oportet, vt demum ei aut cura, aut ſaltem alleviatio obtineatur: Itaque etſi cathartica fortiora ſemper obſint, atque tenuiora ad cauſam conjunctam educendam vix vnquam polleant: attamen poſteriora hæc, quatenus morbi fomitem nonnihil ſubtrahunt, etiam quo medicamina alia energeias ſuas liberius exſerant, viam ſternant, in praxi Medica vices ſuas, videl. ſemel intra vj. aut viij. dies habere debent, atque aliis temporibus enemata (quorum vſus multo præſtantior eſt) crebro exhibeantur. *Willis*

IV. Evacuatis humoribus, viribúſque refocillatis, ſummo ſtudio veniunt flatus excutiendi, quod mirificè præſtabit decoctum ſequens. ℞. *albi gr. hordei integr. ana.* ℥ß *coque lento igne in* ℔iij. *aut iv. vini albi Gallici, ad hordei crepaturam: colaturam per reſidentiam defæcatam denuo coq. ad medias, poſtea clarificetur & aromatizetur cum cinnamom. q. ſ. & dulcoretur ſaccharo.* Dozis ℥v. ter de die jejuno ſtomacho, emittetque mirabiles bombos & ſenſim venter ſubſidebit: Verùm moderatè hiſce vtendum eſt, alioquin graviſſimè offendunt: Muliercula quædam Tympanite miſerè afflicta curam ſui Medico commiſerat, hic flatuum diſcuſſioni duntaxat attentus, ſine alterius medicamenti prægreſſu, elect. aliquod admodum calidum adminiſtravit, illa paulò poſt ſenſit rugitum ſolito multò majorem, torſioneſque moleſtiores, difficilius ſpirat, & ventris tumore priſtino remanente, novus accreſcit, qui à malo Punico, vbi prior terminabatur, ſe elevans, totum pectus mirabiliter diſtendebat; tumores verò mediante foſſula diſtendebantur: hæc tertio die, à quo vocatus ſum, obiit: Recentis tumoris cauſam fuiſſe judico calefacientem & extenuantem vim medicamenti &c. *T. Fienus Phyſograph. cap.* 1. Ad flatus diſpellendos, diſcutiendos aut compeſcendos, vis pluſquam Æolia conſcribitur: medicamenta carminativa vulgo dicta, cujuſque generis vel formæ, intus ac extus, ſupra ac infra, ac ſuper partem affectam ſedulo adhibentur; quibus tamen omnibus hic morbus plerumque obſurdeſcit: vnde plurimum ſuſpicari eſt veram hujus morbi cauſam adhuc latere, quia medicamina per aitiologiam ejus ordinariam indicata aut ſuggeſta minime proſunt. *Willis.*

V. A *Topicis* magna expectantur, quoniam ipſi morbo immediatius & per contactum adhibentur: & quia tumores in aliis locis optime diſſolvunt aut diſcutiunt: Attamen non omnia diſſolventia, nec quidem in aliis tumoribus maxime proficua hic conveniunt: calidiora enim pro diſcutientibus habita, ſive per forum, linimentū, aut ſub cataplaſmatis, aut empl. forma adhibentur, in Tympanite ſæpius noxam quam iuvamen præſtant, nam & fibrarū ductus aperiunt & dilatant,

dilatant, proinde ut ſpirituum incurſibus magis pateant, ſimulque particulas impactas rarefaciunt, proinde ut cum ſpatium amplius occupent, ventris inflatio ac intumeſcentia augeantur. *Willis.* Topica eadem conveniunt quæ in Aſcite, modo cauſam conſideres num calida, num frigida; nam cum cauſa calida, in omnibus mediocriter calida ſunt exhibenda & applicanda: Cum autem cauſa frigida, calidioribus utemur tuto: Cavendum etiam ne acria medicamenta ventriculi calorem imbecillum reſolvant, aut ubi magna eſt pituitæ copia, majores flatus excitent extenuando. *Chalmeteus Enchirid. pag.* 155. Dum remedia intus ſumuntur, etiam Topica & applicationes externæ ſedulo adhibeantur, non calida & diſcutientia, ſed particulis Salis volatilis & nitroſis prædita, quæ nempe ſalium aliorum combinationes deſtruunt, & ſpirituum impactiones diſſolvunt, in quos fines ſequentia proponimus: Si fotus omnino in uſum admitti debent, ne calide nimis applicentur, item non e carminativis vulgo dictis, ſed imprimis è ſalibus & mineralibus parentur; *Cabrolius* (citante *Helmontio*) ſe octuagenarium ſanaſſe narrat, cujus ventrem bis in die fomentabat lixivio, cui ſal, alumen, atque ſulphur incoxerat, ac inde Vaccino fimo pro cataplaſmate utebatur. *Willis.*

VI. Ad flatuum diſcuſſionem *Hippocrat.* 4. acut. 7. præbuit *vinum inane meracum*: *Galenus* vero *diatrionpipereon*, qui ideo a *Tralliano* redarguitur, licet immerito, primo enim notandus *Hippocr.* meracum proponens, ut prudenter conſideravit Salius: Quare licet flatus acrimoniam contraxerint, modo ob eorum attenuationem & reſolutionem, jure *Hippocr.* meracum, & *Galenus* diatrionpip. proponunt, dummodo æſtus in ventriculo non amplius percipiatur. Præſtantiſſima vero ſuggerunt Chymici ul. cinnam. de mentha, aq. theriacalem &c. *Fortis Conſult.* 71. *Cent.* 3.

VII. Ubi omnia nihil efficiunt, nec medicamentis ſuperari poſſunt flatus, tunc commodum foret *Acu argentea cava* ipſum perforare abdomen uſque ad ejus cavitatem, a peritonæo formatam, & inſtrumento iſto cavo viam flatibus parare; aut alio inſtrumento magis apto eoſdem allicere atque elicere. *Sylvius de le Boë Prax. Med. lib.* 3. *cap.* 7. § 192.

HYPERCATHARSIS.

Præcautio & Curatio.

HYpercatharſis accidit cum purgans qualitate aut quantitate improportionatum fortius & ocius operatur, & quatenus fibras nerveas nimium irritando ſpiritus animales in excandeſcentias non facile ſedandas adigit, & quatenus ſanguinem & humores fundit & quaſi liquat, proinde ut liquamina eorum in viſcerum cavitates depoſita irritationes excretorias adhuc faciant majores: Methodus therapeutica tum præcautionem, tum curationem reſpicit; quoad prius (ante pharmaciam, in operatione ejus, & poſt eam, conſideratione & cautela opus eſt: primo namque imprimis perpendere oportet tum corporis purgandi conſtitutionem, robur & conſuetudinem, tum medicamenti exhibendi naturam, doſin, operandi modum & effectus ordinarios; dein ſymbolis collatis, agentis virtutem juxta patientis tolerantiam proportionare: 2. Dum pharmacum operatur coctionis viſcera, ſanguis & ſpiritus animales à quavis alia perturbatione immunia ſerventur. quare hoc tempore nec alimenta craſſa, viſcoſa, aut copioſa, quæ moleſtant ventriculum, ingerantur: frigoris externi occurſus, quo pori corporis conſtipentur, ſedulo vitetur; denique animus placidus uſque ac ſerenus curis & ſtudiis ſeverioribus vacet. 3. Pharmaci operatione finita, & ſpirituum animalium excandeſcentiam ſedari, atque ſanguinis & humorum efferveſcentiam compeſci oportet, in quos fines medicamentum anodynum, aut blande hypnoticum exhibeatur: Quod ſi omiſſa, aut non obſtante hujuſmodi cautione, purganti hypercatharſis ſupervenerit, illico Patiens lecto calefacto impoſitus ſic tractetur: Imprimis ventriculi, & totius epigaſtrij regioni, aut empl. ex theriaca, aut fotus ex decocto abſynth. menthæ cum aromatis in vino rubro, cum ſtuphis laneis calidiſſime intinctis, & expreſſis adhibeatur: Ore protinus aſſumantur aut bolus è theriaca Andromachi, vel ſolutio ejus in aqua cinnamomi facta: Porro vinum uſtum, & aqua menthæ dilutum cochleatim crebra vice propinetur: Si alvi tormina infeſtent, enema ex lacte tepido cum theriaca diſſoluta injiciatur: Interim membris exterioribus frictiones calidæ, ac interdum ligaturæ, quibus ſanguis extra devocetur, & à nimia colliquatione, inque viſcerum cavitates effuſione detineatur admoveri debent: dein veſperi, ſi vires conſtent, & pulſus ſatis robuſtus ſit, aut diaſcordij, aut laudani liquidi doſis cum vehiculo idoneo ſumatur. *Willis.*

HYPOCHONDRIORUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Hypochondrij *dextri* Tumor *curatus*. 1.
Inveterata *obſtructio expedita*. 2.

I. FOeminæ robuſtæ conſiſtentis ætatis, fuſci coloris, jam 6. & 40. die febre continua afflictæ, dextrum hypochondrium cum tumore rubicundo valde reolum erat: muſculorum fuiſſe, non uteri vel jecoris, perſuaſit doloris ad contactum exacerbatio: Pulſus nequicquam frequens aut celer, qualis indicat viſceris inflammationem, quæ ſine abſceſſus, imo ſine morte tanto tempore vix perduraſſet: Sanguinem è venis majoribus duci vetuit virium imbecillitas: Itaque è ſalvatella duas ſanguinis uncias placuit extrahi, deinde è ſaphena, ne materia in locum affectum duceretur, inde malagma emolliens impoſitum; ſexto hinc die *Petrus de Marchettis* ferro abſceſſum aperuit, ulcuſque curavit, ægra convaleſcente. *Rhodius Cent.* 3. *Obſerv.* 1.

II. Nob. N. feminæ conſilio, rhabarbari in aqua leviter decocti potu inveteratas hypochondriorum obſtructiones removit: Jamque hoc ipſo remedio ex eo tempore familiam ſuam à diverſis affectionibus incolumem ſervat: Nec immerito *I. Bapt. Montanus de Febr. Conſ.* 10. in obſtructione pertinacem ejuſdem uſum ex aqua endiv. imperat. *Rhodius Cent.* 2. *Obſervat.* 100.

HYPOCHONDRIACA AFFECTIO.

(Vide *Melancholia Lib.* XI.)

SYLLOGE.

Sanguis *unde* mittendus. 1.
Vaſorum hæmorrhoidalium *apertio an conveniat*. 4.
Præparationis *humorum neceſſitas*. 2.
Præparantia diverſa ſunt pro ratione humoris & partis affectæ. 3.
Præparatio Sylviana. 3. 2.
Ordo in præparatione *obſervandus*. 12.
Dulcia & Acida *in præparatione nocent*. 5.
Diverſa eſſe debet pro diverſitate cruditatis. 6.
Quando levibus aut fortibus aperientibus *attendã*. 45.
Præparantibus non diu inſiſtendum. 48.
Acetum *nn admittendum*. 29.
E Tartaro *medicamenta aliquando noceat*. 35.
Aliter purgandum *in acida, aliter in nidoroſa cruditate*. 7.
Non purgandi *quibus debilis calor ventriculi innatus*. 8. b.
Valentius, aliquando mitius purgandum. 18.
Purgantium *exhibendorum canones*. 19.
Fœmina valentia purgantia *faſtidiat*. 22.
Poſt fortem ſolutiva detergentia exhibenda. 23.
Vbi forte purgans *exhibitum cibus non differendus*. 24
Antimonij *in rebelli ſuperanda vis*. 51.
Purgantia *non omnia æque conveniunt*. 8. 2.
Clyſterum *efficacia*. 14.
Glandes *illic aliquando præferendæ*. 15.
Emeticis *quando locus*. 16.
Purgatio *ea præcedat*. 17.
Non omnia omni humori conveniunt. 8.
Acidulæ *an conducunt* & Thermæ. 25.
Quando concedenda. 26.
Chalybeatorum *uſus utilis eſt*. 27.
Thermalibus *aquis potiora*. 31.
Aurum & Argentum *an idem valeant*. 10.
Diureticis *fortibus initio abſtinendum*. 47.
Conveniunt in ſpleneticis. 20.
Viſcerum habenda ratio. 21.
Lac Aſininum, *ejuſque ſerum an conveniat*. 28.
Aſſumendi cautiones. 39.
Marmor hypochondr. *an uſum illius impediat*. 38.
Serum lactis *quomodo utiliter exhibendum*. 30.
Spiritus Vitrioli Martis *convenit*. 32.
Elixir proprietatis *utile*. 33.
Crocus Martis *an utilis*. 54.
Antimonium diaphoreticum *prodeſt*. 34.
Salium volatilium *efficacia cum ſtrangulationis ſenſus adeſt*. 9.
Capparum uſus. 11.
E Tartaro *medicamenta non omnes juvant*. 35.
Flatus *calidis non diſſipandi*. 13.
Cucurbitulæ *vis ad flatus diſcutiendos*. 13. 2.
Concoctioni læſæ *quomodo ſuccurrendum*. 36.
Ventriculus *non roborandus per admota*. 37.
Qualia illi admovenda. 43.
Fotuum *efficacia*. 40.
Balneorum *utilitas*. 41.
Sulphurea *aliquando nocent*. 49.
Inunctiones hypochondriorum *inutiles & noxia*. 44.
Vaporarijs *qua cautione utendum*. 42.
Alvi fluxus *aperientium uſui ſupervenientis curatio*. 46.
Eboris *uſu cautio*. 50.
Crocus Martis *aliquando ructus ciet*. 53.
Emulſiones *parum juvant*. 52.
Crocus Martis *cur feces tingit*. 54.
Effervescentia humorum *ſymptomatum plerorumque cauſa quomodo compeſcenda*. 55.
Suffocationis & ſtrangulationis *ſenſus cauſa & curatio*. 56.
Reſpirationis *difficilis curatio*. 57.

I. VT *Sanguinis detractio* ex venæ Portæ ramis in podice ſaluberrima eſt, ſic reliquas venas cutaneas incidere, niſi plethora, vel ſanguis contaminatus, aut cohibita quædam ex conſuetis vacuatio id ſuaſerit, ſupervacaneum, idq; ob debilitatem virtutis ac ſpirituum, ſanguinis benignioris penuriam nimiam, & exſiccationem ſequentem: *Platerus Prax*. 2. fol. 136. Sanguine verò in toto exuberante, primo inſtituenda diverſio per venæ ſectionem in cubito, in latere fortiùs dolente, Poſtmodum vacuatio per ſaphenas, aut ex vena quæ ad pollicem pedis protenditur, tentanda: inferiorum enim harum venarum inciſionem ſuadere videtur pronior ſanguinis craſſi ad inferiora motus, necnon expeditior à partibus ſuperioribus revulſio: Ex Rhaſe verò attendatur qualis vena ſecta ſanguis profluat; rubens enim ac ſubtilis ſine mora coercendus: craſſus verò dimittendus erit: ad cujus facilius effluvium ſatis ampla infligatur plaga, præmiſſo fotu ex aqua tepente, conſulente *Mercuriali cap. de melancholia*. Plethora non urgente venæ ſectione ſuperſedendum, niſi præcautionis gratia id fiat: vel quando ſanguis ex aliquo viſcere, liene vel epate, ad ipſum ventriculum, venas meſaraïcas, aut meſenterium ſit derivatus, quo in caſu alterutrius brachij interna vena ſecanda. *Foreſtus lib*. 10. *Obſerv*. 118. Commonſtrare videtur hoc auxilii genus natura, quæ ſubinde repentinos & copioſos ſanguinis nigricantis fluxus vomitu, per alvum, alióſque ductus moliri viſa eſt in ſpleneticis. Sin vires attritæ, vena inter annullarem ac medium pertundatur: Neque à ſcopo aberraverit qui venas, quæ ad lienem nigricant, interdum aperuerit, eo quod experimentis cognitum diuturnum & contumax exinde ſæpius curatum fuiſſe malum; quibus itidem hirudines, vel cucurbitulas cum ſcarificatione tuto admovere poteris. *Hollerius de morb. int. cap*. 40. Quod ſi gravis ac repentinus dolor ventriculum urgeat, iſque in ſcapulas ac dorſum protendatur, difficilis adſit reſpiratio, & ructus ægrè ſolvantur, febriſque metus quidam ſubſit, operę pretium fuerit, exemplo *Archigenis* & *Hippocrat*. 5. Epidem. internam utriuſque brachii venam aperuiſſe, vel in utraque manu. *Martinus de Affect. Hypochondr. pag*. 196. Vbi ſanguis melancholicus concluſus in genere venoſo, nec tamen libere expurgatur, cum ob craſſitiem, tum venarum anguſtiam, & in corpore profunditatem, Si ſanguis ex ſola ſaphena educatur, potius officit: Si verò ex brachio & pede, facta univerſali magis evacuatione, juvat. *Sylvaticus Centurat*. 2. *Conſultat*. 67.

II. Licet humor melancholicus & adoſtus, qui primas in hac palæſtra ſibi vendicat partes, nulla putredine ſit inquinatus, nec eandem facile concipiat, ac ob id coctioni minus ſit idoneus, *præparatione* tamen & adæquatione decenti in curationis exordio prætermiſſa, non minus à catharticorum actione,

ctione, quam cancer à ſubſidijs quæ digerendi & abſtergendi vi pollent, ſiniſtrè ac perperam admotis exacerbatur, vel terreſtrior craſſiorque efficitur, ac proptereà excluſioni ac concoctioni ineptior redditur. *Mercatus.* In cenſu omnium ſuccorum attrabilarius præparatione maxima indiget; eáque diuturna, ob contumaciam qua naturæ ac remedijs validiſſimis ægerrimè cedit. *Martini p.* 212.

III. Si ſuccus attrabilarius redundat, veniat in uſum *Syrupus de pomis Borſtorfianus* decocto taparum exſiccatarum dilutus, frequenter uſurpandus: non modò inſigniter roborat & ſucco attrabilario adverſatur, verum etiam ob mediocrem, qua pollet, humiditatem, Epatis calorem retundit: rapas tamen, ad flatulentiam deponendam probè elixare convenit. *Martinus pag.* 203. Et hoc diligenter advertendum quoties affectio hæc ob ſplenis obſtructionem; vel menſea ſuppreſſos invaluerit, decoctis præparantibus admiſcenda infarctus expedientia & aromaticam vim poſſidentia, ratione cujus partes internas & viſcera corroborare poſſint, ut ſunt Valeriana, Aſarum, Cyperus, Spica, cum radicibus aperientibus, id quod in aliis ſpeciebus non tantopere curandum: Si per conſenſum ab epate defluxerit, addendæ ſpecies diatrionſant, ac cichorium, vel ſucci ejuſdem maior quantitas: ut & in ventriculi ſympathia abſynthium ac mentham reliquis adjeciſſe nihil è re magis fuerit. *Idem pag.* 205. Si humorum in ventriculo pravitas, ac effervescentiæ impetus, alterationi & meatuum præpeditorum expeditioni incumbendum ſuaſerit, ea potiſſimum ſeligantur quæ humorem tenuant, fæculentum, tenacem, colliquant, attenuant, emolliunt, incidunt ac diſſipant; neque ad lotii rivos derivando, epati vel infarctum aut intemperiem tranſitu ſuo aut mora concilient. *Idem pag.* 297. Ab abſinthio tamen (aromatico; non vulgari) ut & medicamentis ex eo paratis, ceu ejus eſſentia, melicrato, ſyrupo &c. maximopere cavendum pituita ventriculi tunicis tenaciùs inhærente. *Idem pag.* 298. Extergendi meatus gratia *Hippocrati* ac veteribus melicratum, vel ſolum, aut radicibus filicis incoctum adhibere viſum eſt, quod tamen à recentioribus in calida jecoris intemperie, haud ſine iactura, uſurpatum fuiſſe conſtat. *Idem pag.* 308. Præparatio attenuantibus & aperientibus perficitur, ſine inſigni tamen calefactione & exſiccatione, proptereà quod plerumque ardor quidam & ſiccitas meſaraicarum adſit, & inflammationi quid ſimile partes illæ, & inferiori orificio ventriculi vicinæ obtineant: Qua in re non ratò peccatur ab iis qui ad flatus tantum, quibus hypochondriaci etiam abundant, habito reſpectu, valde calidis & ſiccis medicamentis utuntur, quibus morbus potius exaſperatur: Contra nec nimis refrigerantia & humectantia ſine aliqua apertione conveniunt, cùm in partibus illis ſint obſtructiones quas tollere ſemper convenit: Ubi tamen plus aquoſi admiſtum eſt, calida non omittantur: Atque ita prout varia conditio eſt humoris in hoc morbo, & aliud atque aliud membrum magis læſum eſt, ita curatio alias calida, alias minus calida poſtulat, aut etiam moderatè refrigerantia & humectantia, quæ omnia tamen ſint aperientia & attenuantia. *Sennertus.* Duo ſunt præcipui ægrotantium caſus quibus remedia magiſtralia, ſecundum eorum vires & qualitates, accommodari debent, Nempe, aut ſanguis eſt craſſus & ſubfrigidus ac terreſtris cum Liene obſtructo, qui medicamenta calidiora, fermentantia, ac imprimis chalybeata requirit: Vel ſanguis planè adultus ac fervidus ſupra modum fermeſcit, ſimulque hypochondria valdè æſtuant, in iiſque ſanguis & vapores ebulliunt, in quo ſtatu remedia ſolum temperata, humorum ζέσιν immodicamque ζύμωσιν ſedantia indicantur, ubi chalybeata omnino fugienda ſunt. *Willis.*

IIII. a. Humorum peccantium *Alteratio* varia erit, & pro humore vario, & pro utriuſque vitio vario: Humor tam pituitoſus eſt quam bilioſus: *Pituitoſus* peccat imprimis *aciditate* aut *viſciditate* aucta: *Aciditas humoris pituitoſi* aucta corrigetur & 1. imprimis Sale lixivioſo, rebuſque omnibus ſale lixivioſo prædictis, Qualia ſunt Sal omne è cineribus plantarum extractum, ut & corallia, margaritæ, oculi cancri, limatura ferri & ſimilia; Horum enim ope dum inſtituitur cum Acida pituita Effervescentia, coagulatur cum ipſis Acidus humor: Quoniam vero urget jam in hoc affectu Effervescentia nimia, pleraque ſymptomata inducens, cavendum ſedulo ne irritetur magis quam compeſcatur & emendetur illa per aſſumpta hæc novam Effervescentiam producentia, quod fiet uſurpando primum ea cum quibus concentratur potius ſpiritus acidus, quam coagulatur, qualis eſt creta, cui ſuccedunt oculi cancri, corallia, & limatura ferri: Quod ſi cui Sale lixivioſo uti libuerit, quo minor ab ipſo fiat Effervescentia, temperet ipſum prius medijs aliis, Spiritu puta volatili, vel Oleo, unde Sapo Venetus & vulgaris magnatum eſt in Effervescentia compeſcenda virium: *Viſciditate* quoties peccat humor *pituitoſus*, toties incidendus attenuanduſque, tam *acidis* quam *gummoſis*, prout his vel illis magis auſcultabit humor peccans, quod facile eſt experiri vel tentare: imo prudentis Medici eſt nunquam putare ſe omnia ſcire, Eſt enim prudentis non temere incipere, verum obſervato in caſibus dubiis à quo imprimis juvetur æger, tunc non timide progredi aſt generoſe: poſtquam ergo lente progrediendo inventum eſt remedium, cujus imprimis ope auxilium affertur ægro, tunc in illius uſurpatione procedendum eſt cordatius. *Gummata* autem occurrunt varia, convenientiſſima in hoc affectu *galbanum, ſagapenum, ammoniacum, opopanax*, & ſimilia, quæ omnia & ſingula pro re nata uſurpari poſſunt, & imprimis pilularum forma uſurpari: Inter *Acida* quæ exhiberi quoque poſſunt, varii occurrunt arte parati *Spiritus*, Salis, Nitri, Vitrioli, Sulphuris, ipſumque adeo Acetum vini diſtillatum, & quandoque non diſtillatum, cui ſi bulbus ſcyllæ infundatur, vocabitur Scylliticum, Egregium in hoc, & ſimilibus à pituita viſcida ortis affectibus, remedium: Eidem pituitæ viſcidæ corrigendæ conducit Maſtiche, Succinum, & ex ipſo paratus Sal volatilis, ut & Cornu Cervi ſublimatus, Caſtoreum, Myrrha; quinimo Chalybs vulgari modo præparatus, aut ejuſdem vitriolum, cum quo parantur quorundam *Pilulæ aperitivæ*: Pituitæ viſcidæ corrigendæ atque emendandæ, conducit ante omnia Sal volatile quodvis, vim habens humorem illum inſenſibiliter ad mediocritatem reducendi, unde omnibus commendo talium Salium præparationem & uſurpationem, ſive forma parentur ſicca, ſive humida: Illud interim notandum, Salia volatilia ſicca forma parata, ubi ſubtilia exiſtunt, vix poſſe aſſervari, verum facile abire in auras: præſtat proinde ipſa humiditate forma parare, aut humidis ſaltem & aquoſis diſſoluta ſervare ad uſum: *Bilioſus Humor* peccat imprimis ratione Salis lixivioſi fixi, quod emendabitur ac temperabitur potentiſſime quidem per *Acida*: quoniam autem ſimul tunc

excitatur Effervescentia, cujus ratione producitur hæc Affectio Hypochondriaca, non ita tuto vel commode videtur in uſum revocari *Acida*, niſi temperata, & quidem *Spiritu volatili*, cujus ope non parum infringitur ſpiritus Acidi ferocia, ut minor tunc excitetur ab ipſo Effervescentia. Ad *Salis lixivioſi* contemperationem vſurpari quoque poſſunt *Acida oleoſis* mixta; pinguibus enim omnia temperantur acria, tam ſalina quam acida, Cavendum interim ab *Acidis oleoſis*, quando præter Sal lixivioſum exuperat in bile oleum; quod imprimis patet ex conjuncto in corpore calore, ardore, & febrili incendio majore. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 7. §. 240. & ſequ.*

IV. Cum humores, morbi cauſa, in Portæ ramis conſiſtant, ſi ij eodem modo vt Cavæ rami paſſim in corpore aperiri poſſent, commodiſſime per eas cum ſanguine vitioſi humores vacuarentur: verum ea commoditas non datur, nec vllus portæ ramos ad extrema corporis pertingit, niſi hæmorrhoidalis ad inteſtinum rectum pertingens: Hic ergo ſi aperiatur, affectum hunc feliciſſime curat, cum vitioſos humores in portæ ramis collectos evacuet: Verū hoc vix unquam feliciter accidit, niſi natura ſponte hæmorrhoides eas aperiat, aut humores eo protrudat, & per eas vitioſos humores vacuare conſueta ſit: Hoc enim niſi fiat, & *externa hæmorrhoides arte aperiantur*, tunc id, quod *Riolanus* monet, accidit, & ſanguis qui in Porta peccat non vacuatur, ſed bonus è Cava, qui non peccat: Hæmorrhoides vero internæ, modo commode id fieri poſſit, etiam in ijs aperiri poſſunt quibus nunquam fluxerunt vel tumuerunt, vt latentes in vicinia vitioſi humores per eas vacuentur, & natura ſanguinem vitioſum per hanc viam vacuare aſſueſcat, quæ ſæpe etiam ſponte per hanc viam humores vitioſos in portæ ramis collectos cum ægri commodo vacuare ſolet: At quamvis diſcrimen Hæmorrhoidalium venarum à doctiſſimis viris poſitum concedimus, Internarum ſcilicet, à vena Porta oriundarum, & Externarum, à Cava, Atque hoc etiam admittimus has non ſatis commode aperiri ad humorem melancholicum evacuandum, niſi ſponte à natura aperiantur; cenſemus tamen per hæmorrhoidas externas etiam atros, & alios vitioſos humores, qui circa lienem & epar colliguntur, evacuari: Cum enim antiqui has venas non ignoraverint, utpote quas oculis obvias habuerunt, ac ſæpe uſſerunt, interim affirment per hæmorrhoidas evacuari Epatis materiam fæculentam, bilem atram, hæmorrhoidas eſſe maximum melancholiæ remedium, & ab atra bile vexatis eſſe bonas, lienem induratum ſanare, facile hinc patet experientiam ipſam eos edocuiſſe atros & alios vitioſos humores circa lienem & epar, in venæ portæ ramis collectos per eas evacuari: Idque ita ſe habere quilibet qui volet in praxi quotidie obſervare poterit: Si enim in eos qui ex hæmorrhoidibus commodum percipiunt inquirat, omnes hypochondriacos eſſe animadvertet: Si porro quæratur Vtræ hæmorrhoides fluant, internæ vel externæ? in pleriſque externas fluere, ægriſque etiam hypochondriacis commodum afferre, internas vero rarius aperiri, & proinde per illas non ſolum plethoram, ſed & cacochymiam & vitioſos humores evacuari intelliget: Licet vero interdum etiam tenues quidam humores, & ſanguis rubicundior per eas evacuari videatur, tamen is non purus eſt, ſed ſeroſus & ſalſus, ac ichor etiam ſine ſanguine profluit: Colliguntur vero in Portæ ramis, non ſolum humores craſſi & nigri, ſed & etiam ſæpe ſeroſi & ſalſi: Etſi vero a diverſis venis hæmorrhoides internæ & externæ ortum habeant, tamen quia eidem inteſtino recto inſeruntur, communicationem quandam horum vaſorum eſſe, & oſculis ſibi mutuo occurrere, & ex hæmorrhoidibus internis humores vitioſos externis etiam communicari, & per eas effundi, res ipſa, & quæ quotidie circa ægros accidunt, loquitur, cum videamus affectibus hypochondriacis laborantibus hæmorrhoidas etiam externas fluentes plurimum prodeſſe. *Sennertus.*

V. Pro ſecunda & accuratiori *Præparatione*, ego libenter à ſyrupis dulcibus, ſaccharatis & mellitis, ſicut & à valde acidis abſtineo, cum illi inflent viſcera & æſtum augeant, atque hæc humoribus fermentationem inducant. quare præbeantur ſucci depurati borrag. endiviæ, pomor. dulc. &c. ad ℥ iij. in jure alterato malva, borrag. cichor. rad. pentaph. cichor. &c. *Forest. Conſ. 7. & 47. Cent. 3.*

VI. In vſu *Præparantium* perpendendum an acida, an verò nidoroſa cruditas plus ægro moleſta ſit & ad hoc malum conferat: Etſi enim ex utraque generari poſſit, tamen ſecundum hanc vel illam vt accidentia variant, ita etiam curandi ratio variat, Etenim in acida cruditate calidioribus uti licet: In nidoroſa verò, & ubi inſignis adeſt φλόγωσις, temperatioribus utendum. *Sennertus.*

VII. In *Purgando* idem quod de præparantibus dictum attendendum: nam ſi cruditas acida adſit, & humor aliquis pituitoſus ac viſcidior admiſceatur, paulò fortiora, & pituitam etiam purgantia, ut agaricum, turbith, ſpecies diaturbith; Epiſcopi, & ſimiles admiſcere licet: Ea tamen lege ut ægri ſumpto medicamento ultra ij. vel iij. horas non jejunent, ne vis fortioris medicamenti ultra epar & lienem, ad remotiores partes penetret, ſed ſolum id quod circa ventriculum & epar ac lienem eſt evacuet: Si verò nidoroſa cruditas præceſſerit, lenientibus utendum, ut manna, ſyr. roſ. vel violar. ſolut. rheo, fol. ſennæ, Et ne calor viſcerum purgantium uſu quocunque modo augeatur, vtile eſt ſumpto purgante, paulò ante cibum, hauſtum bonum ſeri lactis caprini ſumere, quod & purgans abſtergit, & calorem illum in viſceribus temperat. *Sennertus.*

VIII. *a. Educendi* ſola alteratione inemendabiles humores prædicti, & exuperantes per vias convenientes, atque imprimis per alvum, utpote via Naturæ commodiore & faciliore; rarius per *Vomitum*, niſi deorſum expelli nequeant, aut ſurſum viam affectent humores peccantes: *Pituitoſum humorem* deorſum evacuant varia, inter quæ primas tenet colocynthis, & ex ipſa parati trochiſci Alhandal dicti, &c. Ex Chymicis laudantur omnia *Mercurialia*, tam *præcipitata varia*, alba, flava, rubea &c. quam *ſublimatum dulce*: A Corroſivo namque vt omnes abſtineant moneo, cum minima duntaxat exhiberi quantitate poſſit, & præter ea *Vomitum* fere ſemper ſoleat movere, corpuſque vehementer agitare. Conveniunt etiam hic *Antimonialia* varia & excellentia, quamvis pleraque ſimul Vomitoria exiſtant: *Bilem* expurgant Rhabarb. Scammon. Aloë, Tamarindi &c. ubi *Salina bilis* pars imprimis peccat, uſurpari poſſunt commode *rad. Ialappæ & Mechoac. Gummi Gotte* &c. Inter *Chymica* conveniunt *Antimonialia*: *Bilem* per *Vomitum* evacuant commodiſſime Antimonialia, quæ cum non minus Pituitam educere ſoleant, & ſimul deorſum

deorſum utrumque humorem propellere, atque inſuper tutius quam Mercurialia queant exhiberi, illa cæteris omnibus prætereo, ſi parentur ex Antimonij vitro, regulo, croco metallorum, vitæ Mercurio, (qui medicamentum antimoniale) floribus antimonii, & ſimilibus. *Sylvius de le Boë Append. n. vii. §. 258. & ſequ.*

VIII. *b.* In *purgantibus* exhibendis ad cauſas generantes vitioſos humores reſpiciendum: Etenim ſi crudi, frigidi humores in ventriculo generentur ex ſolo caloris innati defectu, id quod in literatis & ſtudio nimio deditis accidit (& tum ructus ac flatus aciditatis & nidoris expertes ſunt) à frequentibus purgationibus abſtinendum, cum ab iis calor nativus amplius debilitetur, Sed calor nativus augendus & fovendus & bona diæta ordinanda: Si vero à cauſis refrigerantibus ortum habeat malum, humoremque frigidum, & acidam cruditatem comitem, frequentius purgandum, neque una vice facilè crudi humores evacuantur. Ita ſi ex calore viscerum inſigniore humores aduſti geniti ſint, ac ab eo adhuc foveantur, omnino à valentioribus, quæ illam intemperiem augent, abſtinendum: Si verò humos craſſior ſit & viſcerum intemperies calida minor, fortiora tutius uſurpantur. *Sennertus.*

IX. Auſterus ſi producatur ſuccus Pancreaticus (quod frequens ſuffocatio Hypochondriaca, cum ſtrangulationis metu, ut & auſterorum humorum vomitus arguit) uſurpanda ſunt frequenter *ſalia volatilia*, & præſertim *aromatica*, & quidem quantitate parva, ad guttas puta iv. v. vj. ex vini cochleari; poſtquam nil hactenus, quod ſciam, tam potenter ac efficaciter, tamque cito emendat in nobis Auſterum quam ſal volatile quodvis, ſed inprimis aromaticum, quod millies expertus teſtor &c. *Fr. Sylvius Prax. p. m.* 501.

X. Licet *chalybs* cal. & ſiccæ naturæ ſit, ſicque humorem atrum ferociorem reddere videatur, tamen non alterandi cauſa exhibetur, ſed ut obſtructiones aperiantur & humor ater educatur, Ex quo patet vix locum habere quod *Claudinus* ſcribit, Aurum & Argentum eundem uſum adimplendis ſcopis illis, quos adimplemus uſu chalybis, habere poſſe, ſunt enim illa metalla diverſæ naturæ, neque eandem cum hiſce humoribus cognationem habent. *Sennertus Pract. l. 3. p. 5. ſect. 1. c. 6.*

XI. *Capparis* laudantur vulgo, verum rectè uſurpandi, nam non ſolum difficilis coctionis ſunt, ſed & acetum, quo condiuntur, humorem melancholicum fermentat & exaltat: Commodiſſime præparantur ſi condiantur addita tertia parte paſſularum corinthiacarum, ſacchari eadem quantitate, & momento aceti. *Sennertus.*

XII. Præmiſſo leniente, primum *Præparans* ſit julap. acetoſum ad ℥iij. cum ʒß. cremor. Tart. tenuiſſime pulveriſ. ſimul enim rite miſcentur: Transfactis quinque diebus rurſus Leniens repetendum ſuper hauſtis aut ſero depurato aut aqua hordeacea ad ℔ij. Inde ad obſtructiones expediendas, & humores in venis hærentes præparandos erit deveniendum: In quem finem præſcribantur ſucci depurati aperientes & mundantes, cum ſaccharata & mellita medicamenta pauciſſimis hypochondriacis conferre ſoleant, Sic ſucci depurati borrag. cichor. endiv. malvarum, lupuli & ceterach præbeantur ſequenti die à medicamento, altero vero præbeatur rhabarb. ad ʒß. ℥ij. flor. caſſiæ miſtum, à quo bibatur cyathus integer aq. cichor. & agrimon. Inde poſtero die repetantur ſucci, ſic alternato ſuccorum & Rhei uſu *Fortis conſ. 24. cent. 3.*

XIII. Frigida & humida alterantia non metuenda, aut attenuantia medicamenta ob *Flatuum* præſentiam; ſunt enim exhalationes ſiccæ, à calore ex ſicca materia elevatæ, non autem vapores ab humida, ut falſo plerique opinantur, qui ideo hierum & alia aloetica, atque calida medicamenta perperam proponunt ægris infelici ſucceſſu. *Fortis conſult. 28. cent. 3.*

XIII. *a* *Ut Flatus* diſcutiantur, ad *Cucurbitam* fugiendum eſſe aliquando conſulit indigentiæ ratio, dummodo & corpus & meſeræi venas ſatis purgatas eſſe conſtet: tunc enim incredibili efficacia flatus diſcutit, dolores lenit, & calorem naturalem ad partem evocat: Neque placet in hac re ipſam ſcarificare, nam licet diſcuſſis flatibus & humoribus aliquid prodeſſe poſſit, nocet profectò magis calore diminuto, (ubi adeſt acida cruditas,) ventreque frigidiore facto: niſi dum partes externæ, & abdominis muſculi venas habent humore melancholico plenas & conſpicuas: hoc enim præſidio nonnullos deploratos præ dolore & tenſione ventris reſtitutos vidimus: Cavendum tamen eſt ne laborans ſit ex his qui vel hæmorrhoides habent, vel tumentes varices, aut ſuppreſſum menſtruum: quippe tunc majus ſolent accerſere affectæ parti damnum quam beneficium. *Mercatus l. 1. c. 17. Prax.*

XIV. Conſultum erit *clyſteres* alternis diebus injicere, ut vapores ſurſum vergentes revellantur, & humoris peccantis portio educatur: Si enim inteſtina penitus ſubierint, à venis meſaraicis majorem illuviei partem exhauriunt: Novimus enim quendam Nob. qui ex frequentibus clyſteribus ita levatus fuit ab inveterata affectione ut omnino curatus videretur, cùm multa alia remedia fruſtra uſurpata fuiſſent. *Riverius Pract. l. 11. c. 5.*

XV. Si qua in curationis progreſſu ad exhauriendam alvi latrinam oblata fuerit neceſſitas, *Glandibus* eandem ſubducere quàm *Clyſteribus* ſollicitare ſatius fuerit, ne exinde ſublatus vapor dolorem adaugere poſſit. *Martini.*

XVI. Nonnunquam moram trahente malo ad *Vomitus* procurationem in adſuetis deveniendum eſſe ratio docet; quos enim non ſanat purgatio, ſæpe vomitio curare viſa eſt: Procurari poteſt levioribus primum, mox, ubi nihil profecerint, fortioribus, nullam tamen, ut vult Aetius, ærumnam ventri ac ſtomacho afferentibus: docuit enim una cum experientia *Aëtius*, ex fortiorum Emeticorum uſu, citra aliarum cauſarum vehementiam, non paucos in melancholiam incidiſſe. *Idem p. 237.* In Splenetica tamen hypochondriacâ, natura per ſuperiora ſuas expediente evacuationes, atque impetu humorum ſurſum vergente, vomitio utique ſæpius procuraſſe operæ fuerit pretium: neque mitioribus ſaltem, ſed & valentioribus iſtis emeticis, quorum uſu graviſſimos ac deſperatos morbos fuiſſe profligatos conſtat. *Idem pag. 322.* Incipientem plerumque curat *Vomitus*, præſertim ex *aqua benedicta*; hac enim ratione ſaburra ex ventriculo & viciniorbus partibus eliminata faciliorem reddit curam, quæ tota deinceps in obſtructionibus demoliendis eſſe debet. Aperientia itaque vel præmittenda ſunt vomitionibus, vel poſtponenda: Verumvis decernere prudentia Medici debet, quæ vel imprimis hic deſideratur, quum ab ea pendeat omne curationis momentum, & ſucceſſus felix: *Hartmannus Pr. chym. c. 184. §. 1. & 2.* Ratio hic ventriculi habenda, Si enim is ſit debilis, vix

habent locum vomitoria, & ventriculo ex morbo afflicto ærumnam addere non licet, vt ait *Aëtius*.

XVII. *Hippocr.* 2. de morb. ſect. 3. v. 248. in cura *morbi ſiccatorii*, qui affectio eſt hypochondriaca, evacuationem primò deorſum inchoat, inde ſurſum per vomitum eam perficit: ratio eſt, quia vacuatio ab eâ parte incipienda eſt quæ parti affectæ proximior eſt; ita ut morbis partes infra diaphragma infeſtantibus, ab inferna purgatione inchoandum ſit; à vomitu verò ſi partes ſuperiores morbus obſideat, juxta aphor. 18. 4. Quod intelligendum ubi morbus utraque vacuatione eget: Quia igitur in hoc morbo pars affecta ſepto transverſo eſt inferior (nam particulæ facultati naturali inſervientes præſertim laborant in hoc morbo) ideo vacuationem per inferiora incipit: Quæ curandi via rationi conſona eſt, 1. enim partes morbo proximiores vacuare oportet, tum quia, ut ait *Celſus* l. 2. c. 9. materia quæ in partibus ſedi affectæ proximioribus viget, malignior eſt quàm quæ in reliquo corpore abundat, unde ſtatim per viam proximiorem vacuanda eſt, ut promptius educatur, & ne longo itinere educta totum corpus inquinetur: 2. ne contrarium operantes, materia in loco affecto remota, à medicamento agitata, ad partem laborantem attrahatur, indeque morbus adeo increſcat, ut vel ægrum è medio tollat, vel in poſterum remediis non cedat: Contrarium obſervant practicantes: *Pr. Martianus comm. in eum locum.*

XVIII. Ne legitimæ expiationis metas excedere contingat, & in evacuando neque fluctuans & incerta juniorum formido, aut priſcorum ac pſeudochymicorum temeraria audacia locum ſibi vendicent, triplici charactere humores evacuandos eſſe manifeſtos, omnibus recto iudicio præditis conſtat: quorum ſinguli peculiarem in medicamento ſolvente conditionem & adminiſtrandi rationem ſibi vendicant: Humor enim purgandus ex ſanguinis proventu uberiori, caloris abundantia, ac viſceris alicujus intemperie fervidiori originem ubi traxerit, in ambiguo utique nemini eſſe debet quin violenter ſolventium uſu præter modum perturbentur ægroti, exindeque ſuccus melancholicus haud vulgariter accumuletur: Quo ſanè in caſu clementer exolventia reliquis præferuntur, ac tali quidem uſurpata quantitate, quæ & humores citra agitationem nimiam copioſè fundere, & ad morbi cauſam exſcindendam ſufficere queant: Ideoque modis omnibus cavendum ne ex turbatione iſta corporis, majus diſpendium quàm ex ſuperficiaria, aut violenta iſta evacuatione emolumentum ſperare liceat. Sin verò, quod minimè rarum eſt, craſſus ac terrenus humor, citra ſanguinis aut aliorum ſuccorum commercium efferveſcentiamque in cauſa fuerit, valentiora utique humoris indoles requirit exolventia, quæ tamen neque vires ſupra modum fatigare, neque corpus nimium conturbare nata ſunt: ea propter ex Hippoc. oraculo lib. de morbis, minori doſi propinanda, ac frequentius repetenda ſunt. Corpore denique jam contabeſcente, viribuſque accidentium ſævitia majori ex parte acciſis, & aduſtione ſiccitateque enormi in humoribus contracta, tunc non immeritò ſolventibus blandioribus concedatur locus, copioſius tamen quàm in primo caſu aſſumptis, & hac potiſſimum lege ne ad humorum agitationem vel minima præbeatur occaſio. *Martini ibidem p.* 207.

XIX. *Purgantia*, ex conſilio *Avenzoaris*, ne ſint vehementiora, νυχθηες & quæ laborioſam ſubitamque præſtant vacuationem, quæque membris naturalibus moleſtiam afferre poſſunt, ne in uſum ducantur; ſemper enim ventriculus hic vel per conſenſum, aut idiopathiam laborat: *Rondeletius*. Ideo fortioribus medicamentis temere non eſt exaſperandus, etſi morbi contumacia poſtulare videatur vehementiora, 2. Exiguo paſſu à benigniorum gradu recedant, tam quoad occultas quàm manifeſtas qualitates: *Leonius art. med p. 1. l. 2. c.* 8. A fortioribus ſemper abſtinendum ne a corporis partibus remotioribus ſucci in ventriculum & vicina membra copioſius deriventur. *Crato conſ* 10. *l.* 2. 3. Eadem humectantibus, & quæ moderato calore leptomeriam gerunt perpetuò admiſta eſſe debent: *Leonius: Heurnius l.* 2. *meth. ad pr.* Ideo præſtantiora forma liquida ſolidioribus. *Leonclus* Pr. c. 13. Squallidus enim ſuccus à ſicco remedio ægerrimè trahitur, *Heurnius ibid.* Ac ventre per ſe facili pilulæ rariſſimè exhibendæ, *Arculanus in* 9. *Rhaſ. c.* 16. 4. Neque deſint ipſis quæ ſpiritus & membra principalia roborent. *Heurnius ibid.* 5. A validè ſiccantibus & calefacientibus cavendum. *Solenander*, Iiſdem enim morbus augetur, *Platerus Pr. tr.* 2. *f.* 187. Et ne materia jam præparata in alvum citra laborem excidat, obſtaculo ſunt, *Heurnius lib. c.* 19. 6. Purgationes quæ materiæ è venis propellendæ inſerviunt, per epicraſin, ac certis intervallis, in mali diuturnitate, repetendæ ſunt, facto ſenſim ac per gradus fortioris ſubſidii, præmiſſa humoris digeſtione, augmento: Idque cum primis in corpore humoribus aduſtis diffluente, & quibus brevi temporis intervallo iidem rurſus accumulantur: Vbivis tamen & naturæ impulſum, aut ὄγκον humoris, necnon meatuum conditionem advertendam eſſe ratio ſuadet. 8. In ſolutivis ſaccharum & mel copioſiùs admixta bileſcere faciunt humores, & purgationem vel turbant aut proritant. *Mercatus, Capivaccius*. 9. In hujus mali curatione naturæ interdum concedenda remiſſio: videtur enim una cum curationibus affligi; in quiete verò ſeſe recolligere, & morbos jam antea attenuatos ſuperare, *Aetius*. 10. Viciſſitudo quædam ac permutatio purgantium ſemper eſt inſtituenda: *Eraſtus. in conſ.* 11. Myrobalani, licet in aliis melancholiæ ſpeciebus non rejiciantur, in hoc tamen affectu, qui obſtructionis ſoboles eſt, minimè probantur, uti neque in ſuppreſſis menſibus aut hæmorrhoidibus: omnes enim vi adſtrictoria pollent, & adſtringendo educunt id quod tenuius eſt, craſſioribus partibus remanentibus: *Rondeletius* Pr. l. 1. c. 41. *Crato in conſ.* 12. Expedit & vitare aloen ejuſdemque extractum, jecore morbo huic incrementum ſubminiſtrante, & magno interaneorum æſtu urgente: Ea enim illi inimica, *Avicenna*: hac commotos ratione Rhaſes hieram picram damnat: At quò minus ſimpliciter rejiciatur non pauca diſſuadent: rariſſimè namque in uſum trahitur, cum plurima flatuum copia urget, pituitæ in ventriculo copioſus eſt proventus, neque viſcera præter modum æſtuare videntur, 13. Improbatur quoque à multis caſſia, & quæ eam ingrediuntur compoſitiones, quod flatus gignat: At ſi quando ſub curationis initium minorantis loco uſurpari debet, huic defectui mederi licet addita ʒß. pulv. ſem. aniſi aut Elect. hieræ picræ; aut, quod melius, extractum rhei cum guttis aliquot olei aniſi vel carvi ſtillat. 14. Iecore impenſius æſtuante ſerum caprinum in decoctis ſemper uſurpandum. *Capivacc.*

15. Cir-

15. Circa ultimam Lunæ quadraturam, cum amica Veneris configuratione, purgationes vires ſuas malius ſemper expediunt quam in aliis cœli locis; *Fernelius conſ.* 45. 16. Cumque uſu jampridem id monſtratum, affectus hic mox ſit raſtactarius, ideo ne gravius inde periculum emergat, aut moleſtiora pathemata invaleſcant, ad veratrum album deſcendendum, quod non infuſione modo, ſed & urgente neceſſitate in ſubſtantia concedendum eſſe *Galen.* 1. *ad Glauc.* præcipiebat, quem ſequuntur *Rondeletius*, *Hollerius*, *Heurnius*, *Mercatus*, *Salius*, *Capivaccius*, qui non infuſione modò, ſed & in clyſteribus ſecuriſſimè utebatur: copioſiſſimà enim materias per alvum & vomitum educit, ducto ſimul in conſenſum ventriculo, vacuando & pituitam & humoras qui cauſa fuerant infarctus. 17. In *Hepatica hypochondriaca* videndum num vitioſus humor altiùs inſederit, vel citra Iecur, aut in vicino meſenterio ſit reconditus, ac febrem lentam, vel intermittentem, diarrhœam, aut obſtructiones concitaris: quibus in caſibus protinus eſt detrahendus, niſi craſſius nimis aut lentus fuerit, aut ventriculi impuritas adfuerit: quæ ſanè cum adſunt, leviter ante omnia detergandus eſt ventriculus, deinde attenuatus humor vel univerſim vel partitim vacuandus: In calida intemperie levibus utendum pharmacis, non ut intemperiem cures, ſed ut vacues excrementa per intemperiem collecta: 18. *In Splenetica hypochondriaca*, hæ ſunt conditiones purgantium, 1. Epaticis majori ex parte viribus reſpondeant, ſed gradus quodammodo ſint intenſioris, *Hollerius* 2. fugiantur nimis calefacientia, quorum facultas frigidis ſemper moderanda. 3. intervallis certis repetantur, intermixtis aperientibus, mollientibus, incidentibus: lentus enim ac reſtitans aſt humor, qui lenta purgari poſtulat: alioqui, crudior cum ſit, medicamentis non cedit. *Heurnius m. m. l.* 2. *c.* 24. 4. Cum affectus hic rariſſimè citra Lienis tumorem invaleſcat, ſi in ſuperiori parte inhæreſcat, melanophyga purgantia præſentius ſuccurrunt: in inferiori autem anemata emolumenti plus afferunt *Hollerius*. 5. Aegri medicamenta ſumentes in latere ſiniſtro reclinent. *Idem* 6. Ne uni natura aſſueſcat, eadem ſæpius immutentur. 7. Singulis menſibus circa plenilunium, maximè tempore humido & pluvio, propinantur. 8. Nonnunquam & valentioribus Lien laceſſitur, quibus *Galeno teſte* 10. *meth.* à ſuperfluis evacuari gaudet. xix. *In hyſterica hypochondriaca*, ac in delicamenta jam degenerante, & ſiccitate ac frigiditate habituali, non in maſſa tantum ſanguinea, ſed & membris potioribus invaleſcente confirmataque, tunc feminæ validiſſima ſuſtinere ſolent medicamenta, eò quod viſcera, una cum ventriculo, protinus ita vitiantur, ut craſſiorum ac viſcidorum excrementorum, humori melancholico permiſtorum, pleonexia penitus diffluant. xx. *In ſtomachica hypochondriaca*. Si quantitate ſolùm moleſta ac tenuis eſt materia, fluctuationem concitans, vomitu ejicienda eſt: Sin tunicis ejuſdem imbibita, & qualitate maligna imbuta fuerit, pharmaco leni expurganda erit: Quod ſi qualitate ſolùm afflixit, ac ventriculum cum orificio ejus præter modum diſſolvit remollitque, corroboretur is; humore verò craſſo ac viſcido exſuperante, profundiuſque impacto, non oxymelite tantùm ſimplici & compoſito, aliiſque incidentibus & tenuantibus præparandus, ſed & medicamento, ceu hiera picra, expellendus eſt. *Matt. Martini de Aff. hypoch.*

XX. *Hollerio judice Diuretica* minus commodè uſurpantur, cum a liene ad renes non ita comparata ſit via: poſſunt tamen conſerre incidendi & aperiendi vi: Hippocr. cum Galeno lienem cum renibus per urinarios meatus evacuari ſcribunt. Neque deſunt quibus multorum annorum decurſu, ſub autumni & veris initium, prominens lienis tumor, cum hypochondrii dolore moleſtus eſt, liveſcente ſimul univerſo corpore, ac deterius habente, qui tamen ſenſim nigricantium & atramento reſpondentium urinarum, per ſeptimanam ferè copioſè erumpentium, profluvio corrigitur. *Martini ibidem. p.* 321.

XXI. Non mirandus medicorum noſtri ſæculi error, qui vel inſigniter calefacientibus & exſiccantibus, rugitibus ſaltem ut conſulatur, flatuſque diſcutiantur, rem agunt, intemperiem epatis interim negligantes, quo ſane in caſu malum eximiè promoveri veriſimile eſt: Aut urgentibus in liene obſtructionibus, intanſius refrigerantibus & humectantibus medelam exercent, digerentibus, & quæ apta infarctus diſcutere ac remollire queunt longum valere juſſis. *Idem pag.* 168.

XXII. In hoc caſu feminæ validiſſima ſuſtinere ſolent medicamenta, eo quod viſcera, una cum ventriculo, protinus ita vitiantur, ut craſſorum ac viſcidorum excrementorum, humori melancholico permiſtorum, pleonexia penitus diffluant. *Martini de morb. meſent. p.* 344.

XXIII. Poſt *fortium ſolutivorum* uſum, ne portiones medicamenti tunicis ventriculi adhærentes læſionem, eroſionem, aut alvi fluorem diuturniorem concilient, ante paſtum exhibeatur decoctum hordei, & cum aqua ſaltem, non brodio carnium, paratum, addito ſaccharo in q. s. vel brodium piſorum aut cicerum nigrorum: Detur & pro roborando ventriculi orificio ac deterſione, iis cum primis qui ad vomitum ſunt proclivea, priſana, ſomnoque paulisper indulgeatur. *Martini de morb. meſent. p.* 116.

XXIV. Si *cruditas acida* adſit, & *humor* aliquis *pituitoſus ac viſcidior* admiſceatur, paulo fortiora, & pituitam etiam purgantia admiſcere licet, Ea tamen lege ut ægri ſumpto medicamento ultra duas vel tres horas non jejuneat, ne vis fortioris medicamenti ultra Epar & Lienam ad remotioras partes penetret, ſed ſolum id quod circa ventriculum & epar ac lienem eſt, evacuet. *Sennertus.*

XXV. Cæteris remediis præſtant *Aquæ minerales acidulæ & vitriolatæ* quæ viſcerum intemperiem corrigendo obſtructiones reſerant potentiſſimè: Tales ſunt in Occitania noſtra Meynenſes & Vallenſes: illæ magis refrigerant: hæ calidiores quidem, ac obſtructionibus tollendis, & humori terreno attenuando ac detergendo multò efficaciores: *Riverius l.* 12. *c.* 5. Inter alterantia non poſſum non laudare Acidulas jam experientiâ probatas ex uſu: præſtat enim medicamentum expertum non experto, quanquam in affectibus melancholicis ego libentiſſimè abſtineam ab omnibus aquis mineralibus. *Silvaticus conſ.* 63. *cent.* 1. Sicuti commendantur ſummopere acidulæ, ad deobſtruendum, exſiccandum & roborandum, ita in intemperie ſicca ſubſtantiæ ventriculi, & melancholica diſpoſitione, cum univerſali tum hypochondriaca, eaſdem non admitto. *Idem conſ.* 36. *cent.* 3.

XXVI. De potu *Aquarum Thermalium* non levis eſt inter authores diſcrepantia: Nonnulli, ut *Sennertus*, omnino probant, quod ubi mineralia,

à quibus vires habent, & primas vias eluant, & vitioſos humores, qui in iis hærent, per alvum & urinas educant, ventriculum calefaciant, hepar & lienem roborent: calefactionem autem & exſiccationem ab hujuſmodi aquarum externo uſu, non interno, eſſe metuendam: Alii, ut Claudinus, omnino rejiciunt ob dictam exſiccandi vim: Montanus rejicit & admittit: convenire lenit ob frigiditatem ventriculi, hujus affectus comitem individuam: ratione autem hepatis calidioris, & fervidi ſanguinis, vult muniendum epar & lienem unguento refrigerante, ac univerſam lumborum regionem: hoc modo ait non nocere aquam, quia magis figitur in ventriculo & locis frigidioribus: alia verò viſcera ſolum pertranſit nec in iis moram facit: Nos conducere cenſemus ſi ventriculus frigidior magnam craſſæ & viſcidæ pituitæ copiam cumulet, & non admodum inſignis fuerit hepatis caliditas: cujus partis noxa majori ex parte declinari poterit admoto prædicto unguento, & juſculo refrigerante poſt exhibitas aquas exhibito, & poſt integrum earum uſum balneis refrigerantibus & humectantibus per aliquot dies uſurpatis. *Riverius l. 12. c. 5.*

XXVII. A nonnullis in dubium movetur an *Chalybis* uſus conveniat: cum enim hæc affectio ab humore ſicco, &, ſi ater ſit ſuccus, etiam calido proveniat, ei domando ineptus videtur chalybs: præterea vim adſtringendi & ſiccandi alvum vim habet: At etſi ita hæc ſe habeant, experientia tamen diuturna & multa conſtat chalybem ad affectionem hypochondriacam, cachexiam in mulieribus ex menſium obſtructione, alioſque è pertinacibus lienis & venarum meſaraicarum obſtructionibus ortos morbos eſſe probatum remedium, & merito ideo magnifaciendum: videantur inter antiquos Plinius lib. 34. c. 15. Ægineta l. 3. c. 49. Dioſcorides l. 5. c. 53. Aetius Tetrab. 3. ſ. 2. cap. 11. Oribaſius, Rhaſes & alii: Inter Neotericos Claudinus Reſponſ. 29. & de ingr. ad inf. in append. ſ. 2. Mercatus de morb. mul. l. 2. c. 6. & aliis. *Sennertus l. 3. pars. 5. ſect. 1. c. 6.*

XXVIII. Convenit *Lac aſininum*, dejectorium redditum cum diagridio, & octo aut decem dies ſingulis matutinis horis ad libras tres ſumptum: contemperabit enim fervorem jecoris & humores calidos educet: Neque ſuſpectum erit ob aphor. 5. 64. dum enim datur dejectorium, ut fiebat Hippocr. tempore, etiam in febribus tutò exhiberi poterit. *Sylvaticus centur. 1. conſ. 72.* Præter rem non erit uſus lactis aſinini ad ℔ij. cum ℥ij. cremor. tartari, tantopere commendati ab authore lib. 4. acut. & à Galen. l. de Tabe & lib. meth. quanquam ab eodem Hipp. proditum, quod hypochondria tenſa habentibus lac dare malum: cum de pauco tantum ejus uſu, ut alterante & nutriente hæc ſint intelligenda, non vero de eodem liberalius ſumpto, ut detergente, quod in hypochondriis non hæret, ſed permeat, ſeſerat, alvumque blandè ſubducit. *Idem centur. 4. Conſ. 92.*

XXIX. De *Aceto* eſt diſſenſus. Hippocr. 3. de vict. acut. 38: ait ab Aceto τὰ μέλανα ξυμ[illegible] ἢ μετεωρίζεσθαι, ἢ [illegible]: *Galen.* in comm. melancholicis adverſiſſimum eſſe ait: *Aëtius* tamen tetr. 2. ſerm. 2. c. 10. & *Paulus* ex *Poſidonio* & ex his *Altimarus* ſub ingreſſum lecti melancholicis acetum acerrimum cochlearis menſura propinant: verum aliter hoc admitti non poteſt, niſi in melancholia, ut vapores præcipuè ex humore aduſto ad caput aſcendentes ſupprimantur, non verò ſimpliciter in affectione hypochondriaca: alias Hippocr. ſententia veriſſima. *Sennertus cap. de aff. hypoch.* Eſt Acetum, ex *Averrois* 7. coll. 31. ſententia, Lieni amicum & conveniens, eo quod morbi Lienis à craſſis producantur humoribus, unde extenuatione indigere videntur, & adhæc humor ille, quo nutritur lien, aceto ſapore non diſſimilis eſt: præterea, *Avicenna* authore, non tantùm medicamentis vehiculum præſtat acetum, ſed & in morbis ab aduſtis vel atris humoribus, aut à Liene provenientibus commendatur: Haud itaque præter rationem fuerit acetum indidem uſurpaſſe, atque, ex *Herculani* decreto comm. in 9. *Rhaſis* c. 16, acetum ſcylliticum ad humorum craſſitiem & viſcoſitatem reprimendam, putredinemque febrilem ſi quæ fuerit, compeſcendam, communi addiscere: cui paſſulas & radices bugloſſi non inutile erit infundere: Atqui parcius, nec niſi ad ſaporis gratiam, & in bilioſis potius quam pituitoſis, iſto utendum eſſe ratio ſuadet, ne ſuccus melancholicus exuberans ab acore nimio fermentetus, tumor lienis augeatur, vel ad oxyregmiam via ſternatur. *M. Martius p. 181.* Non quia acetum interius ſumptum adverſum melancholicis, ſic & exterius admotum quin potius hypochondriaci & lienoſi fotu aceti acerrimi juvantur, & lienoſis medicamentis admiſceri debet ſemper acetum: neque ſolum prodeſt penetrandi vi, ut quidam putant, ſed & quod per ſe affectibus illis medeatur: nam quæ penetrationis gratia ſolum admoventur, nunquam admiſceri debent ſola: at hypochondriaci juvantur ſolo aceto acerrimo, quia exterius admotum non penetrat ea copia qua poſſit per venas cum melancholia deduci & eam fermentare: ſed qua poſſit ſiccando reſolvere, & refrigerando ardorem atræ bilis extinguere, & adſtringendo partes roborare. *Valleſius comm. in lib. de rat. v. in acut. p. 125.*

XXX. Si *caliditas & æſtus* magnus percipiatur in *hypochondriis*, hora una ante cibum ſeri lactis caprini ℔ß vel ℔j. commodè exhibetur, quod & calorem illum temperat, ac venas meſentericas refrigerat, & materiam obſtructionis cauſam eluit: uſus vero debet eſſe 8. aut 14. diebus continuatus: Et ne ullum damnum afferat, & magis ſit efficax, pulveres vel pilulæ convenientes ante ſerum uſurpentur. ℞ rad. filic. mar. quinque fol. abſynth. card. ben. chamædr. ceterach, agrimon. ana ʒj. cum ſyrup. acetoſ. citri f. pilul. majores, dentur 6. vel 10. vel ex his pulver. f. Extract. Sic major vis aperiendi & penetrandi conciliabitur ſero, & minus refrigerando nocebit: Neceſſe verò eſt ut ſumatur majori copia, præſertim ventriculo non admodum debili, nimirum ad ℔iij. vel plures; & ebibatur calix unus poſt alterum pitiſſando, & poſt uſum ſeri deambulandum, quo id ſe inſinuet, & materiam obſtructiones facientem per alvum & urinas deducat. Neque magna copia pertimeſcenda, Si enim per venas penetrare, & iterum per alvum & urinas ſtatim dejici debet, magna copia requiritur; in minore verò nihil præſtat: ſic thermæ & acidulæ magna copia ebibuntur. *Sennertus.*

XXXI. *Chalybem* hypochondriacæ melancholiæ quaſi proprium alexipharmacum dico, quia ex ejus uſu feliciorem ſemper ſucceſſum conſequor: in reſerandis enim obſtructionibus, (in quibus ejus curandæ cardo conſiſtit) nulli medicamento cedit: temperatus enim eſt in activis: at in hoc affectu à propriè aperientibus, calidis in tertio, eſt abſtinendum,

nendum φαγεδαίνης metu: hinc *Galenus* hypochondriacos frigidis juvari dicit: Ejus vero ſiccitas cum juvet aperiendo, non timenda, cùm emendari poſſit conſervis borraginis &c. vel ante cœnam priſanam aſſumendo: Ideo aquis thermalibus præfero, quæ non ita commodè corrigi poſſunt. *Claudinus in Reſponſ. Med.*

XXXII. De *ſpiritu vitrioli Martis* dubium num is in hypochondriacis idem quod chalybeata reliqua præſtet? Si quidem non levis ſubſtantiæ videatur mutatio, atque acida alia melancholicis inimica ſint & atram bilem exaltent: Exiſtimo vero idem per omnia quod chalybeata reliqua non præſtare ratio eſt, quia chalybeata cætera alvum movent, hic vero non; id quod ſubſtantiæ mutationi adſcribendum: Quin tamen ob vim aperitivam hypochondriacis ſit utilis non dubito: Nec obſtat ipſius aciditas, nimius enim ſolummodo acidorum uſus melancholicis obeſt, atramque bilem exaltat, moderatus contra commodus exiſtit. *Sennertus. Epiſt.* 35. *cent.* 2

XXXIII. *Elixir proprietatis* omnino illis utile eſſe cenſeo, Obſtructiones enim ob aloëm & ſpiritum ſulphuris egregie reſerat: Putredinem humorum, non ob iſta ſolum, ſed & crocum & myrrham, emendat, Flatus, præcipue propter myrrham & vini ſpiritum, eximie diſcutit, cor & ventriculum tota ſua ſubſtantia roborat: *Idem Epiſtola* 30.

XXXIV. *Antimonium diaphoreticum* in hypochondriacis affectibus commendari ſcribis: Equidem, ſi apud id Nitri aliqua portio relinquatur, non plane id repudiarim, ita enim ad obſtructiones vaſorum reſerandas foret multo aptius: abſque hoc nitro ſi fuerit, vereor ut humoribus tenuioribus abſumptis craſſiores & terreſtriores magis per ſe indurentur & obſtructiones adaugeantur, *M. Doringius ad Sennertum Cent.* 2. *Epiſt.* 50. An ſolum humores tenuiores abſumat, An vero craſſos ſimul attenuet & fundat. dubitas? Prius ego affirmavi, ſam vero idem ad craſſos etiam utiliter dari poſſe, ſed per diſtinctionem aſſero: Craſſi enim humores, vel tartarei actu jam ſunt, vel mucilaginoſi ſaltem & pituitoſi: De his igitur conceſſerim, de illis negaverim: Curatus à me ſcorbuticus, cujus ſanguis V. S. eductus inſtar gelatinæ in aqua concreverat: Et inter cætera antimonium diaphoreticum exhibui. *Sennertus Epiſt.* 35.

XXXV. Adeo hodie *cremor & cryſtalli Tartari, & Tartarum vitriolatum* ſunt adeo vulgaria, ut à non paucis vix ulla medicamenta præſcribantur quibus hæc non admiſceantur, imo à *Crollio* Tartarum vitriolatum univerſale Digeſtivum appellatur: Et fateor ſane e tartaro parata medicamenta in humoribus melancholicis craſſiſque incidendis & attenuandis, ideoquè obſtructionibus aperiendis magnam vim habere: Cum vero ſæpe accidat ut in affectione hypochondriaca bilis atra, humoreſque ſalſi & acerbi, atque omnino acres, & qui ignis ſeminaria quaſi in ſe continent, reperiantur, talibus certe humoribus tartarum vitriolatum, & hujuſmodi acria medicamenta non conveniunt, cum eorum acrimoniam non retundant; ſed ea potius uſurpanda quæ pravas qualitates talium humorum temperent, & omnino contrariæ qualitates contrariis opponendæ. *Sennertus Pract. l.* 3. *p.* 3. *cap.* 5.

XXXVI. In hac affectione *ventriculum* perpetuo *lædi* tradidit *Galenus* 3. de loc. aff. 7. ex *Dioclis* ſententia, quinimo docet quotidiana experientia: cujus tamen læſio ſæpe non idiopathica ſed ſympathica potius cenſenda, unde Idem 2. de locis 4. nos monuit ut coctione in ventriculo laborante ſtatim conſideremus circumſitas eidem partes, nimirum jecur, lienem, meſenterium, omentum & cæteras, antequam in ventriculum ipſum culpam referamus: ſæpiſſime namque fit, & potiſſimum in hoc affectu legitimo ſemper, ut ventriculus privative non poſitive afficiatur, à circumfuſo fervidiori & extraneo tum hepatis tum hypochondriorum calore, propter obſtructiones infarctas, à venis lacteis ad meſentericas tandem propagatas, non ſolum ex cruditatibus, verum & ex craſſo ſanguine, quo phlogoſin ſub pyloro adeſſe putamus n qua in ventriculi fundum diffunditur calor, coctionibus improportionatus, qui proinde alimenta non concoquens, ſed corrumpens, in nidoroſulentam & peregrinam qualitatem convertit, ob quam concoctioni omnino inepta, tanquam onus inutile, etiam à facultate expultrice, ab acido quandoque irritata, per vomitum excernuntur, unde juxta Galenum, ſicut anxietas à cibo, ita levamen à vomitu Patienti contingit: Neque corruptioni huic nidorulentæ adverſantur crudæ & viſcidæ materiæ, bilioſis atque amaris commiſtæ, quia cujuſcumque læſæ ventriculi concoctionis finis & effectus eſt cruditas; minuſque repugnat aciditas, cum plerumque à calore procedat, ex Tralliano, dum invehitur contra Medicos aciditatem frigiditati perpetuo adſcribentes, aceti exemplo adducto: quinimo & atra bilis acidiſſima, terram corrodens atque fermentans, licet frigida, calidam tamen, imo exurentem cauſam, acoris ratione cognoſcit, ſic acetum frigiditatem, qua pollet, ſoli calori debet. *Fortis conſult.* 1. *cent* 3.

XXXVII. Extrinſecus vitentur *calidæ Inunctiones*, tum quia ſi læditur ventriculus, non fit eſſentialiter ſed per conſenſum ab hypochondriis, & potius ab halitibus calidis & ſiccis quam à frigiditate & humiditate: Vnde hoc caſu & affectu, luta & aquas ſulphureas omnino ſuſpecta & hypochondriis noxia exiſtimo: Tum quia ab iis hepatis lobus, ventriculo incumbens, prius ipſo ventriculo calefit. *Fortis conſult.* 23. *cent.* 3.

XXXVIII. Non prætereundum circa illa verba aph. 64. 6. *Lac dare malum eſt quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant*, Hæc duo ſymptomata ſimul copulaſſe, ut indicaret Lac dari poſſe etiam iis quibus ſuſpenſa tantummodo ſunt hypochondria, Et quibus murmurant ſolùm: Nam ſi a bile intumeſcat epar, lac convenit, ſic lib. de int. aff. v. 225. In Hepatitide ſecunda, à bile in hepar confluente, à qua durum & doloroſum fit, non lac aſininum modo aut caprillum ad purgandum præbet, ſed etiam bubulum ad bilem attemperandam, per plures continuos dies exhibet: Similiter murmurante abſque tumore ventre, lac non prohibetur, quia ſi bilioſo ſucco per ventrem diſcurrente murmur fiat, lac datum utile eſſe poteſt. Quare lac dari vetat Hippocr. quando elata hypochondria ſimul murmurant: hæc enim a flatuum copia, generationem in hypochondriis habentium, dependent, cui affectioni lac noxium eſt, non ſolum quia flatuoſum eſt, ſed etiam quia cùm taliter affecti acidæ corruptioni ſubii-

ciantur, lac in ventriculo ob analogiam facillimè iis aceſcit. *Martianus comm. in cit. aph.* Poſt uſum validorum deobſtruentium ad uſum *Lactis aſinini* ægrum perducerem, xxx. aut xl. dies, recte & rite adminiſtrandi: Hoc enim exſiccatas humorum reliquias humefacere, (qua ratione deobſtruens evadet) & hypochondriorum atque viſcerum calorem egregie contemperare poterit; nec coagulari, cum butyroſa & caſeoſa ſubſtantia careat: Neque poſt reſeratas & attenuatas obſtructiones corruptionis adeo facile periculum ſubibit: Ejus tamen uſus, ſi forſan à catarrhi præſentia prohibeatur, ſuccus borraginis depuratus ad ℥iij. in jure borraginis, malvæ & meliſſæ illi ſubſtituatur. *Fortis Conſult. 4. cent. 3.*

XXXIX. Sumatur autem ſtatim mulctum addito ſacchato, nullo vero modo cum buccella panis, ne in ventriculo diutius hærendo caput replendo lædat: uſus continuetur ſupra dies al, Interim ne ejuſdem pars aliqua craſſior in meſenterio cogatur & hæreat. x. quoque die ſumat cremor. Tart. ʒj. in jure diſſoluti, quo viæ illæ abſtergantur. *Idem. cent. 3. conſ. 29.*

XL. *Fotus* in diuturnis affectibus præparationis genus exhibent accommodatiſſimum: eò quod tepore ac vapore ſuo quamvis partem, ac nativum ejuſdem calorem erigunt ac ſuſtinent; humores p. n. iiſdem inſidentes, impactos conſopitoſque exſuſcitant, emolliunt, colliquant, & quo trahenti medicamento facilius obtemperent, fluxiles reddunt. *M. Martini p. 241.* Cavendum tamen ne ſudores inde proritentur, ſed humor exhauriendus duntaxat emolliatur. *Fernelius m. m.*

XLI. Loco fotus *Balneum aquæ dulcis*, non naturalis cujuſdam, ceu ad lotionem minimè facientis, ſingulis ſeptimanis ſemel aut bis uſurpandum, in quo tamen mora haudquaquam nectenda ne major ſequatur reſolutio. *Solenander ſect. 1. conſ. 10.* In Hepatica hypochondriaca ejus vi humores minutiſſimis venarum capillamentis impacti, fuliginoſoſque indidem expromentes halitus, funduntur, fluxiones avocantur, & ea intimis corporis regionibus, craſſo terrenoque ſucco tantum non oppreſſis, diſſipantur: Solium autem aquæ calentis movendis ſudoribus haudquaquam debet eſſe deſtinatum, ſed in quo reſupinus æger à genubus ad umbilicum uſque demergatur: cavendum tamen ne quid crudi humoris in primis viis hæſitet: neve in viſceribus ulla adſit impuritas, quæ balnei miniſterio per univerſum corpus diſtribui queat. *M. Martini p. 307.*

XLII. Sunt qui *vaporarium* commendant, cui maximam vim ineſſe ſunt ad crudos humores melancholicos attenuandos & concoquendos: cautio tamen adhibenda eſt ne ejus uſu humores nimium incaleſcant, neve tenui portione per ſudores diſſipata reliquum aut circa viſcera occaleſcat, aut calore in atram bilem degeneret: cui incommodo occurres ſi 4. quoque die, intermiſſo vaporario ſumantur quæ præparatum humorem vacuent. *Enchirid. med. Pract.*

XLIII. Continuo *foveri* debet *ventriculus*, non ceratis, ne magis exſiccent, ſed ſummitate purpuræ, vel ſacculo ea plumis, perdicis ſcilicet, vel vulturis, vel cygni, vel catulo pingui ſupra ventrem detento: Accommodatiſſimum eſt ſtillicidium ea oleo maſtichinò, abſynthite, nardino, amygdal. amar. abſtinendo ab omnibus aquis thermalibus, cum internis tum externis, ne magis exſiccent quam conveniat. *Silvaticus cent. 1. conſ. 66.*

XLIV. Non conveniunt *Inunctiones* calidæ, vel temperatæ, non aperientes, vel emollientes, ſed neque roborantes: Non calidæ, quia harum vi aliunde nova trahitur materia, & pars calore exuritur atque torretur, præterea indurant magis, partibus tenuibus reſolutis: Non temperatæ, quia ſi erunt Emollientes, partem laxabunt, & nova in partes, tanquam in cloacam excitabitur proluvies: Non adſtringentes vel roborantes, quia hæc antevertent evacuationem illam ſenſus noſtros fallentem: *Sanctorius meth. lib. 2. c. 8.*

XLV. Si inveteravit malum, minus quidem *Aperientia* levia poſſunt, præmittenda tamen ſunt: Etenim experientia docuit aperientia iſta (crem. Tartari, Tart. vitriolat. vinum Martiale, *pulver. cachecticum*) quandoque acerbius malum ſtipitus ſuſtuliſſe, ut ut eradicare nequiverint: Par ratio Acidularum eſt, Etenim quotannis uſurpatæ aliquam viſcerum apertionem faciunt, ſed morbum ipſum penitus non tollunt: Neceſſarium itaque ut adverſus inveteratam hypochondriacam talia arceſſantur quæ ipſam morbi radicem evellant: Talis eſt aqua Philoſophica, ſeu ſpiritus vini Tartariſatus, ſi in convenienti liquore, à minima doſi ad maximam, à gutta una ad aii. ſic exhibeatur, ut pro ratione circumſtantiarum præcedenti doſi nunc inhæreatur, nunc gutta uſque & uſque adjiciatur. *Hartmannus Prax. Chym. c. 284. §. 5. 6. & 7.*

XLVI. Nota, ſubinde uſu venire ut ab exhibitione horum, præſertim ſolutis jam obſtructionibus, ita alvus proritetur ut quaſi dyſenteria ſubſequi videatur: Tunc providendum corroborantibus, præſertim tinctura corallorum & elixire proprietatis. *Idem.*

XLVII. Ne autem initio ea uſurpentur quæ fortius *urinam movent*, ne materiam vitioſam è primis viis ad epar & venam cavam deducant, malum augeant aut morbum aliquem in renibus excitent: Aut ne ſubtilioribus partibus eductis craſſiores, quæ in melancholiam convertuntur, remaneant, *Rondeletius*: Ea reiicit aliâ de cauſa *Hollerius*, quia ſcilicet deſit conſenſus & via communis lieni cum renibus: ſed vias monſtrant recentiores Anatomici, (vide Laurentium qu. 38.) & per arterias emulgentes è liene ad renes commoda patet via: Præterea, experientia teſte, ſæpe nigra planè, & cum ægri commodo, per urinas excluduntur: Id ante annum in Nob. Iureconſulto animadverti, qui hypochondriorum & lienis obſtructionibus obnoxius, poſt ventriculi triduanum dolorem urinas, bidui ſpatio, colore & conſiſtentia atramento ſimiles cum euphoria effudit: In diureticorum tamen exhibitione, ex *Capivaccii* mente, intra cancellos conſiſtendum, & in diſcutiendo, urinamque movendo, citra calorem inſignem procedendum. *Aëtius* ea admittit. l. 2. ſerm. 2. c. 10. prius tamen exactè purgato corpore & primis viis.

XLVIII. *Præparatio per ſyrupos & aquas ſtillatitias*, humoribus attenuatis, & ad obſtructas partes fluentibus, graviores aſſiduò molitur obſtructiones: ægros enim ac naturam nimiopere fatigant, ventriculum graviter oblædunt, & concoctionem manifeſtò evertunt. *Crato in microtech.*

XLIX. Aſſe-

X L I X. Affectus hypochondriacus duobus caſibus *Balneo ſulphureo* obſtare videtur, Primo, Præſente phlogoſi & æſtu inſigni hypochondriorum: Secundo, Duro aliquo tumore laborantibus hypochondriis: quanquam eo tempore abdomen infarciri poſſit inunctione copioſa vnguenti roſacei Meſues, inhibendæ ergo penetrationis aquæ. *Fortis.*

L. Hic morbus omnino varius & ob ſymptomatum diſcordiam, à frigiditate ventriculi & calore jecoris ortorum, contumax eſt: Hac de cauſa Medici citra fructum ægros macerant: Remedia præſcribuntur paſſim, ſi fueris expertus, invenies nulla: Miraberis ſi dixerim pluries Eboris vſu hunc Herculeum morbum me domaſſe; nam eum in flaccido reſolutóque ventriculo roborando, eximendis obſtructionibus, diſcutiendis tetris flatibus, maligna aura retundenda præſtantiſſimum ſemper inveni: Cardiacum eſt medicamentum, cujus ſubtiliſſimam ſcobem in pollinem redactam, cum ſacchar. in tabellas efformatam, diluculo vnam: drachmæ unius quantitate aſſume, deſuper vinum, aut naphæ vel meliſſæ aquam: Si febris adſit, aut viſcerum ſqualor, roſacea ſatis eſto. *Zacutus Prax. Adm. lib. 2. Obſervat. 9. Idem Obſervat. 10. lapidem bezoar* commendat, xl. dierum ſpatio vſurpatum.

L I. *Antimonium* opitulatur omnibus in vniverſum morbis quos atra bilis excitavit, uſque præſertim qui hypochondriorum obtinent inflammationem, Equidem vidi Pragæ Parochum qui melancholicus factus plane deſipiebat: huic exhibitum fuit Stibium granorum x. pondere, quod paulo poſt copioſe atram bilem per alvum eduxit, cui erant admiſta ramenta veluti carnis, quæ magnos varices in particulas diſſectos præ ſe ferebant; namque excrementa iſta ſanguinem nigerrimum repræſentabant potius quam vllum ex aliis humoribus: Hoc vtique illi tantam opem tulit, quod poſtera viſus eſt die priſtinam mentis ſanitatem recuperaſſe; Et quoniam erat corpore robuſto, & animo forti, ideo non mirum ſi facile tulerit tantam medicamenti quantitatem, Rite autem ſit præparatum ſtibium. *Matthiolus l. 5. c. 59.*

L I I. Cavendum eſt ne fermentationem humorum *Emulſionibus* promoveamus, & conſequenter ne, dum ſiti, debilitati virium &c. mederi volumus, plus noceamus: vnde in genere quandocunque ὀργασμὸς humorum eſt in infimo ventre, conſultius ab iiſdem abſtinetur, Τὰ ἀτρέμα γὰρ ποιέειν, inquit *Hippocrat.* inæqualia fermenteſcunt: Hinc in hyſtericis quoque, vbi ſopite magis intereſt ſymptomata, item in hypochondriacis, non poſſunt commode locum invenire. *Wedelius de Med. temp. ext. p. 66.*

L I I I. *Crocus Martis*, inprimis ſulphuratus, ructus nidoroſentos parit & fæces tingit; Vti enim per mechanicam videmus, in vitrioli Martis præparatione, acceſſione acidi ſtagmatis in bullas & halitus fieri reſolutionem, ita non minus id fit ab acidis humoribus in corporibus hypochondriacis abundantibus, qui à Martialibus quaſi ſaturantur & conſequenter edulcantur: Atque hic ſane modus agendi Martialium demonſtratu eſt facillimus: Oriuntur hinc ructus, etiam à limatura Martis ſimplici, indicio ſtomachum in eadem agere, & à reactione horum, & mutua reſolutione oriuntur ructus, ceu halituum proditores & fœtus, effectus enim teſtatur de ſua cauſa: Hinc itaque croci Martis aperitivi conſulto dantur cum ſtomachicis & aromaticis: Sic ſolemus è pulvere ſtomachico *Quercet.* ex rad. ari & croco Martis, ac olei cinnam. acceſſione parare pulverem noſtrum cachecticum; Ea quippe corrigunt Martem: & naturam in ſubigendo juvant: Inprimis vero id præſtat ſulphuratus, ceu paulo crudior, vnde in vſu nobis eſt non tam crocus Martis niger, crudo modo præparatus, ſed prius calcinatione nova à ſulphuris atomis liberatus, qui melior, ſubtilior, & calori ventriculi obtemperantior, id quod præcipue in delicatis, & raræ texturæ hypochondriacis eſt obſervandum, redolent enim ructus illi ovum fœtidum: laudat hunc *Septalius lib. 9. caut.* 58. aceto hinc in pulverem præparandum: *Wedelius Pharmacop. pag.* 114.

L I V. Idem *Crocus* fæces tingit, quod vitrioli extractionem, ſaturationem humorum auſterorum, &, vno verbo, medicamenti actuationem notat, non aliter ac ex vitrioli & gallarum communione affuſa aqua emergit atramentum: Quod ſi vero fæces non tinguntur, indicio id eſt, niſi doſis ſatis exigua ipſa quoque ſatis fuerit, non actuari æque medicamentum. *Idem.*

L V. Si cui libeat addere *Paroxyſmorum ſedationem*, aut *ſymptomatum* maxime *urgentium* contemperationem, illi non repugnabo, Conſiſtit autem illa medicatio imprimis in *Effervescentiæ contemperatione, Halituum elevatorum diſcuſſione*, Dolorum lenitione &c. *Effervescentia* contemperabitur imprimis medicamentis vtriuſque humoris (Acidi pituitoſi & Bilioſi) Acrimoniam corrigentibus & contemperantibus, quod pinguibus debetur & ſpirituoſis, ſed pro Effervescentiæ modo in ſingulis vario varie cum alijs contemperatis; Vnde quod vni prodeſt medicamentum, nocet non raro alij, niſi omnis qualitatum exceſſus obſervetur in ipſo: vnde imbecillius quidem erit tale medicamentum, ſed ſimul tutius, Opus eſt autem vt tale *medicamentum temperatum aqua multa* ſimul conſtet, atque ſimul *pauco oleo*, Sed ita *Sale volatili* immiſto, vt *aqua ſimul queat conjungi*: In eo namque conſiſtit primarium artificij, (quod repeto) Temperatum medicamentum conſtare debet aqua multa, vtpote quæ per ſe & ſalem lixivioſum, & ſpiritum acidum diluere apta eſt, atque ſic ajua vim infringere: Huic aquæ conjungi debet *Oleum, ſed paucum*, vtpote quod iidem & Salem lixivioſum, & ſpiritum acidum contemperare aptum eſt: Quoniam vero *aqua commiſceri nequit Oleum, niſi mediante Sale lixivioſo*, hoc ſimul adeſſe debet, aſt ſpiritu volatili correctum & volatiliſatum, poſtquam idem & volatilis ſpiritus itidem lixivioſum ſalem & Acidum ſpiritum temperare ſolet. In tali ergo medicamento temperato tria occurrunt, *bina acria*, Salem lixivioſum & Spirituum acidum temperantia, Aqua, Oleum & Spiritus volatilis &c. *Fr. Sylvius Tract. de Appendicis §. 272. & ſeq.*

L V I. Inter ſymptomata noſtri Affectus notavimus *Suffocationis & ſtrangulationis ſenſum* ac metum, neutiquam fœminis proprium, quamvis frequentius ipſas, & rarius mares corripiat: Hanc moleſtiam ortum habere cenſemus ab halitibus multifarijs, & imprimis Auſteris, ex Inteſtino tenui ad orificium ventriculi ſuperius hinc & œſophagum aſſurgentibus, atque in partibus his ſuffoca-

rionis vel ſtrangulationis ſenſum producentibus: Quoties autem halituum eorundem pars per Lacteas venas tendit ad Ductum thoracicum, penetratque in dextrum cordis ventriculum ac Pulmones, atque in ipſis hærens amplius angit reſpirationem, non mirum ſi tunc, aut defectu medicamentorum convenientium, aut ob halituum abundantiam nimiam, aliquando ſuffocentur extinguanturque ægri; quod ſemel alicui ex meis ægris memini accidere, translatia ad Pulmones halitibus auſteris copioſiſſimis, cum ſuffocatione hypochondriaca vehementi, tanquam maxime tunc vigente ſymptomate, atque tanta vehementia ſingulis paroxyſmis redeunte, ut nullis medicamentis cederet, quin mortem afferret: Illud autem malum neglectum fuerat initio; Tantum intereſt in tempore omnia ſanare: Utique nimis ſæpe negligitur hoc malum, multis Medicis non ſatis notum, ideoque rarius rite curatum: Cui curando utiliſſima ſunt ſalia volatilia, & inter ipſa *ſpiritus Salis Armoniaci*, cujus ſi nullæ aliæ forent vires, hujus ſaltem affectus graviſſimi cauſa omnibus Medicis deberet is eſſe valde commendatus: Extra hunc caſum non memini à ſuffocatione hypochondriaca extinctum ullum ex meis ægris, quibus ſoleo in tempore præſcribere, atque inculcare Salia volatilia, quibus uti poſſunt omnes facile, etiam in potu ordinario: cum *Caſtoreum*, quo alias omnes utuntur feliciter, valde ſit ingratum & à multis faſtidiatur. Cura ſiquidem multifarij hujus Affectus abſolvitur primo, Halituumque qualiumcunque diſcuſſione ac ſuppreſſione. Secundo, Humorum, ex quibus exſurgunt, Correctione, Tertio, Et ubi copia quoque excedunt, Diminutione: *Halitus* quoſvis diſcutiunt Salia volatilia omnia, & imprimis Oleoſa, ut & Aromatica; Inter quæ ipſum quoque referendum Caſtoreum, cum ſit animalis pars, vel excrementum; quod perinde ſpoſtquam animalium partes omnes ac ſingulæ abundant ſale volatili. Humores autem ſinguli, prout qualitatibus p... re poſſunt diverſis, corrigendi ſunt diverſimode, minuique ſuis purgantibus: Quoties vero ſtrangulationis ſenſus manifeſtus ægros urget, præter hunc Salis Armoniaci ſpiritum, convenit quoque Caſtoreum, ejuſque Tinctura, ut & oleum Macis & Succini ſtillatitium, ad guttas j. ij. iij. ſimiliter uſurpatum: Quoties *halitus* illi ſunt magis *glutinoſi*, aut etiam *acres*, toties præter ſalia volatilia uſurpatur Spiritus Nitri dulcis, oleum cortic. aurant. rotiſmar. &c. Quoties magis *Aquei*, adeſtque animi languor magis quam ſenſus ſtrangulationis, toties ſalibus volatilibus adduntur utiliter Tincturæ aromaticæ, cinnam. croci, nucis moſch. maceris &c. cum vini rectificato ſpiritu paratæ, non neglectis hydragogis, ſubinde ad humores aquoſos minuendos uſurpatis. *Sylvius de le Boë Append. Tract.* 10. §. 785. *&c.* Vide *ſupra* §. 9.

LVII. Locum & habet *Reſpiratio difficilis*, multiſque ſatis gravis, cujus cauſa non poſtrema minimáque ſunt culpati *Halitus Flatuſque* multifarij, ex notatis ſæpius humoribus in tenui inteſtino producti, ac per lacteas venas, ductumque thoracicum ad dextrum cordis ventriculum, mox & pulmones delati, ibíque moram nectentes, ipſóſque adeo Pulmones tum diſtendentes, tum diſtentos tenentes, ſicque ipſorum complicationem, atque ideo expirationem quoque, ac proinde inſpirationem ſimiliter impedientes, iiſdem remediis diſcutiendi. *Idem ibidem.*

INDICIS

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER NONVS.

De Affectibus à litera I. incipientibus.

ICTERVS.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *aliquando competit.* 1.
Si è naribus ſanguis fluat cave vena ſecanda. 4.
Quibus & Quando purgatio *inſtituenda.* 2.
Valida non convenit. 3.
Qualis præparatio & Purgatio *debetur.* 5.
Vomitoria *quando ex uſu* 7.
Cura infelix per pediculos. 8.
Curatio per tranſplantationem. 9.
Curatio Icteri Sylviana. 14.
Iuvant Chalybeata. 15.
Acidularum *efficacia.* 16.
Iecori adſtringentia & frigida non imponenda. 11.
Icteri à calculo in cyſti fellea orti dignotio & curatio. 13
Ictetus Niger *non ſemper a Liene prodit.* 12.
Non eandem cum Scorbuto curationem expoſcit. 6.
In eo utilis venarum hypoglottidum *ſectio.* 10.

1. ETSI *Galenus lib. de Purg. Medic. facultat.* dicat, *Si morbo Regio laborantibus ſanguinem miſeris, extremam in perniciem ages:* multis tamen rationibus & modis *ſanguis* utiliter *mitti poteſt*, primò quidem malo incipiente, retractionis humorum, qui obſtructionem moliuntur, gratia: Ideo *Paulus* venam in dextro cubito ſecat ubi meatus bilis utrique ſunt obſtipati, vel alter duntaxat: Item ſi ſimul ſanguis abundet, aut ſit præcipua ægritudinis occaſio: unde *Aëtius* duo maxima ait in hoc affectu remedia, Venæ ſectionem & Purgationem: Sed venæ ſectio tunc ex uſu eſt cùm ſanguis abundat, aut bilis copia ibidem coacervata: At dum menſium ſit ſuppreſſione, licet inveteratus ſit morbus, ex utroque talo ſanguis mittendus. nam *Conciliator*, etiam in viris, tanquam peculiare præſidium jubet utriuſque pedis venam ſcindere, exiſtimans hoc ſolum præſidium ſufficere: Item, licet inveterato jam morbo non liceat ſanguinem mittere, maximè jecore indurato, ne in hydropem commigret affectio, jubet *Avicenna* ſanguinem per ſcarificatam cucurbitulam extrahere, vel ſub ſcapula dextra, aut in dextro hypochondrio, paulò inferiùs à jecoris regione, præſertim in inveterata obſtructione; & ubi bilis copia ibidem infarcta eſt: præterea ex ſalvatella utraque jubet idem ſanguinem mittere, dum icterus mixtus eſt ex flavo & nigro: unde infertur in flavo licere ex dextra ſalvatella ſanguinem mittere. Sed tem hac lege colliges, ut certum ſit quid agere oporteat: Si ex morbo acuto ante 7. prodeat, ſanguinem mittes: Si poſt accidat, & diu duret, ex ſalvatella: Si per ſe incipiat, mox à principio idem facies ex baſilica dextra: Vel ſi ſuppreſſione ſanguineæ alicuius excretionis prodeat, vel ipſam revocabis, vel iuxta membrum, per quod ſanguis fluebat, ſanguinem mittes: ex talo nimirum ſi menſes ſupprimantur, aut improbè fluant, & ex eadem etiam parte ſi varices aut hæmorrhoides deliteſcant, aut hæmorrhoidas excitabis: Si hic affectus dolorem colicum comitem habeat, proculdubio ſanguis mittendus, nam talis ictericus dolor verè colicus non eſt, ſed ſolùm ab efferveſcente bile in iecore, reiectáque in ventriculum & partes vicinas, ob id citò ſanguis mittendus, differendaque purgatio, niſi urgeant primæ regionis excrementa, donec dolor mitior fiat: Eſt namque prædictus ictericus dolor inflammationis iecoris præludium, quare abſtinendum à pharmacis vim iecori inferentibus, & protinus veniendum ad S. M. quò magis dolor videatur urgere: nam citra hoc præſidium, etſi ventrem inungas, aut mille aliis præſidiis varies, ægrotantem tantum in peiorem ſtatum duces. *Mercatus Pract. l. 4. c. 5.* Quidam ex venis ſubtus linguam ſanguinem fundunt, quod ſolum prodeſt inveteratis, ob iecoris cum venis illis conſenſum. *Idem ibidem.* Cum bilis exuperat, ſi prius non minuatur ejuſdem copia, non eſt mittendus ſanguis, cum bilis frænum ſit

Si venæ tundantur ad contemperandum jecoris ſervorem, parce mittendus erit, cum ſanguinis miſſio non ſit remedium obſtructionum proprium; obſeruandumque an niger effluat, cuidam enim Icterico miſſus ſanguis totus luteus apparuit: *Fortis Conſult.* 55. *Cent.* 3.

II. An *Cholagoga* præſcribenda dubium eſt, Affirmativa confirmari poteſt quod adſit bilis ſuperabundans, hinc *Iacchinus lib.* 9. *cap.* 51. præſcribit purgationes ex ſcammonio, Electuar. de ſucco roſ. & ſimil. *Mercurialis m. m. lib.* 3. *cap.* 33. ejuſmodi proponit cathartica quæ bilem educunt, quò ſubducantur humores qui fovent bilem ad cutem effuſam: Negativa concluditur ex *Hippocrat. lib. de intern. affectib.* Vbi diſſuadet Cholagoga ne corpus magis conturbetur: adde quod frequenter in Ictero non copia bilis, ſed ob obſtructionem meatuum veſicæ felleæ ſuccedens bilis effuſio noceat, at illas obſtructiones per ea non tollimus: Nota pro deciſione juxta *Mercatum lib.* 4. *Practic. cap.* 4. in Ictero duobus modis purgandum eſſe, Primo, Iis catharticis quæ craſſos & obſtruentes humores ducunt, abſtergunt & repurgant, ut, aperta obſtructione bilioſus humor, qui gignitur, ad naturalia ſibi loca liberè permeet: quo ſolo auxilio, ſi exactè attenuantia & incidentia adhibueris, morbum curabis: Deinde eiuſmodi medicamentis etiam opus quæ bilem, quam naturalia vaſa capere nequeunt, imminuant & vacuent, idque poſt obſtructionis apertionem: Prius *Hippocrat.* dictum innuit, poſterius *Iacchinus & Mercurialis* volunt: *Gregorius Horſtius Problemat. Decad.* 7. *Quæſt.* 5. Eſt vbi *Purgatio* admodum ſuſpecta, nam bilis à medicamento agitata morbum deteriorem reddit: nam ſi bilis ab hepatis inflammatione genita Icterum effecit, vigente inflammatione ad purgationem devenire prohibemur: Si per modum criſis ad cutim diffuſa eſt, eam medicamento ad interiora revocaſe pernitioſum eſt; quod prohibet *Hippocrat.* lib. de Humor. *Humores effuſi ne intro revellantur*: Si tandem bilis abſque hepatis inflammatione ad cutim effuſa Icterum faciat, neque tunc purgatio turò adhibetur: vnde *Hippocrat.* lib. de locis. in hom. *Medicamenta bilem ducentia ne propinato, ne corpus magis conturbes*; vnde patet eum non ſtatim nec frequenter ad purgationem confugere: Quod ſi *lib. de int. affect. ſect.* 2. *verſ.* 345. ad Purgationem ſtatim devenit, id ab eo factum quia bilis in eo Ictero non peccat, vt in Ictero vero, ſed pituita, vt ipſe teſtatur, colórque albus, non qualis in Ictero vero communiter obſervatur. *Proſp. Martianus comm. in v.* 396. *l.* 4. *vict. Acut.*

III. An *fortibus Catharticis* opus? *Altimarus* ex ſententia *Aëtij* affirmativam tenet, quod ob ventris ſiccitatem debilia nihil præſtent, & natura materiam ad corporis circumferentiam transferens nonadmodum has vacuationes adjuvet: E diametro concludit *Mercatus*, ſtatuens validas purgationes admodum noxias eſſe, eò quod in obſtructo corpore ſatius ſit paulatim à longinquo bilem allicere, & craſſum humorem ab obſtructo vaſe educere, quàm ſubito evocato excremento maiorem & preſſiorem efficere obſtructionem, vt non rarò incautis & imperitis accidit: quare per vices aliquot leviores adhibere purgationes, quàm violentia quadam morbum reddere deteriorem conſultius erit. *Horſtius ibidem.*

IV. Inviſebamus tres Medici quinquagenarium qui ſcirrhoſa viſcerum diſpoſitione laboraverat: hic Ictericus factus, poſt duos menſes per nares ſanguis lente effluebat, qui linteo exceptus colorem referebat dilutum, non ſecus quam rubra proluvies quæ in hepaticis per alvum excerni ſolet: hoc mortis præludium dixi, ob hepatis imbecillitatem coniunctam, eamque vehementem, cujus facultas retinens languida, laxatis vaſorum oſculis ſanguinem ichoroſiorem exire permittit: Alii Medici, ob febrem auctam, quæ ex maiori obſtructione ingraveſcebat (*nam cognoſcitur obſtructionis magnitudo ex ipſa magnitudine febris, vt quæ ex majori obſtructione major, ex minori minor incidat*; ait *Galenus* 8. *meth.* 4.) ad deponendam ſarcinam ſanguinis miſſionem conſuluere, ad quinque vncias ſanguinem exhauriunt, quem corruptum & non concretum inveni, quod ſignum fibras ſanguinis putrefactas, diſſolutas, & omnimodæ corruptionis: Vrgente fluxu iterum impetant illi V. S. qua facta illico oborta ſyncope, in Medicorum ſinu periit æger. *Zacutus Prax. adm. Obſervat.* 52. *lib.* 2. Vide *Fernelium lib.* 2. *de vena ſect. cap.* 4.

V. *Lenietur alvus* Elect. Lenit. cum cremor. Tart. *Præparabitur materia* in primis viis concluſa *melle roſ. & julapio aceroſo*, vel cum *tartaro*, ſi dulcia ſuſpecta ſint, ad ℥ ß. in iure diſſoluto: Expurgabitur prima vice caſſia cum Lenit. & pilul. de tribus, vel *infuſ. Agar. Rhei, Senna* &c. Secunda præparatio fiat *ſyr. de ſucco borrag. de cichor. byzant. ſimpl.* Sed quoniam ſaccharata in bilioſis morbis non valderuta ſunt, ideo *ſucci præferendi ad* ℥iij. *in decocto ex cichorac. cum cuſcuta, agrimon. pentaphyll. chamædr. praſſio, abſynth.* & præmiſſo bolo ex extr. *Rhei cum Tartaro vitriol.* Et purgabitur deinde paulo validioribus, craſſos potius humores quam bilioſos ſpectantibus, cuiuſmodi ſunt *Diaphœn. Pil. de tribus &c.* Tunc vero opportuna erit *Decoctio Epith. Meſuæ* ad ℥vj. iij. vel iv. quoque die, cui tribus poſt horis ſuperbibat ℔ j. ſeri capr. diebus vero intermediis aſſumat ſuccos cichor. borrag. fumar. malvæ præparatos in præſcripto jure: Et quidem quoniam debilioribus purgantibus non cedit hoc malum ex *Gal.* Et quia bilem purgantia ante humorum attenuationem peſſima, ex *Aëtio*, cui aſſentitur *Galen. lib. de nat. Homin.* qui deobſtruentibus, poſtea bilem educentibus vtitur, ideo ad validiora aperientia erit progrediendum: Et licet *Galenus lib. de Purg. Medic.* glorietur ſe vnica purgatione illico Ictericos, perſanaſſe, Icteritia fuit ex jecoris fervore & bilis redundantia, abſque viarum obſtructione: accommodatiſſimus itaque fuerit *Syrupus Fernelij Cachecticus* ad ℥ i j. in iure aperitivo, cui ſi intra ſuccedat evacuatio, eius vſui inſiſtendum a i j. aut xv. dies: Sin minus, efficaciora exhibenda aperientia; vt crocus Martis aperitivus, cum acido ſulphuris paratus, cum extr. rhei & ammoniaco &c. *Fortis Conſult.* 54. *Centur.* 3.

VI. Etſi inter Scorbutum & Icterum nigrum ſit quædam convenientia, quatenus vterque morbus ſit vitio potiſſimum Lienis, ob cujus imbecillitatem in vtroq; reliquum corpus afficitur, verum tamen cum modus læſionis, vt ex diverſis ſignis patet, maxime diverſus ſit, ideo ſequitur [illegible] vtriuſque affectus, ipſum ſcilicet lienem, diverſimode laborare: Diverſitas hæc curationis diverſitatem introducit, quatenus in Scorbuto non ſimpliciter ad copiam melancholici ſanguinis & lienis obſtructiones,

vt

ut in Ictericia nigra, reſpicimus, ſed maxime ſolliciti eſſe cogimur de ſpecifica quadam corruptione, Scorbuti materia propria, quæ peculiaria & appropriata ſua remedia requirit. *Gregorius Horſtius Problemat. Decad. ſeptima Quæſt. ſexta.*

VII. In Ictero recenti *Pharmaca Emetica*, dum viſcerum tonus & vires conſtant, ſæpiſſime juvare ſolent: quatenus nimirum & ventriculum phlegmatis viſcoſi ſaburra in hoc morbo fere ſemper aggravatum alleviant: inſuper & vaſa choledocha irritando, atque ductus omnes hepaticos ſuccutiendo, & infarctiones eorum expediunt, & Bilis per vias prius aſſuetas tranſitum ſollicitant. *Willis.*

VIII. Puer Ictero laborans *pediculos* ſeptem vel novem *devoravit*: diſparet ſenſim morbus, ſucceſſit invicem pallor, appetitus nimius, atrophia, mors: Aperto cadavere, obtulit ſe in ventriculo monſtroſæ magnitudinis inuſitata pediculorum in unum conglobatorum colonia. Si quid contra Icterum valent, expediunt certe omne illud negotium Sale ſuo volatili, quo præſtat ut & inimicæ amoliantur obſtructiones, & corporibus noſtris neceſſarij alacrius ſe moveant liquores &c. *Georgius Hannæus Actor. Danic. anni 74. Obſervat.* 91.

IX. Suaſum ut decreſcente Luna lotium ægri in panno lineo non loto exceptum nocturno aeri exponeretur, donec linteum exſiccaretur, totiéſque repetendum illud donec Icterus ceſſaret, Votis reſpondit effectus. *Iohann. Ludovic. Hannemannus in Actis Danicis anni* 1675. *Obſervat.* 23.

X. *Hippocrat.* 2. de morbis numero primo, *hypoglottides venas* elidi voluit in Ictero nigro: *Petrus Salius* in commun. curationem hanc ſymptoma ſpectare cenſet non cauſam, quæ bilis nigræ eſt proventus in venis amplioribus; Verum hæc cum jugularis externæ ſit productio, quæ ſuperclaviæ, ac deinde cavæ aſcendentis eſt ramus, quid prohibet multum exhauſta, quominus de majori ſanguinis fonte tangere hanc réque poſtremo debeat, quin multum etiam hæc ipſa malum levabit, cùm & propius & celerius quam venæ brachiorum evacuet. *Severinus Med. Effic. pag.* 57.

XI. Si calida Jecoris intemperies fuerit cauſa, alteranda erit, ſive cum ſive citra inflammationem. Hoc verò moneo non eſſe accipiendum illorum conſilium, qui exterioribus remedijs actu frigidis & adſtrictoriis utuntur ſupra jecur: nam impediunt tranſitum bilis ab eo ad totum corpus, ſicque eryſipelaceum affectum per intemperie excitabunt. *Saxonia Prælection. Practic. pagina* 2. *cap.* 26.

XII. Etſi poriſſimum vitio Lienis Icterus niger fiat, non omnino tamen rejiciendam judico ſententiam *Plateri Practic. libro primo, tractat.* 3. *cap.* 2. Dum ſtatuit eius cauſam bilem præternaturalem in venis meſaraicis corruptam, indeque nigricantem, propterea quod non probabile videatur bilem ejuſmodi a liene prodire, cum inibi nullam cavitatem vel ſinum habeat in quo colligatur: atque etiam adſit è liene vena quædam per quam ad cavam deferri poſſit: *Sennertus* communem ſententiam cum hac conciliare nititur, ſtatuens bilem atram, cum in venis meſaraicis copioſe colligitur, ubi ad hepar pervenit, cum bile flava miſceri, & in veſicula fellis colligi, biliſque flavæ colorem inde mutari, quæ niſi per convenientes vias evacuari poſſit, in totum corpus cum ſanguine diffundatur & icterum nigrum faciat: Nec obſtare quod nullus ramus a liene ad cavam pertingat, quia, mediante vena portæ, humores circa lienem collecti ad jecur etiam pertingere & in reliquum corpus derivari queant.

XIII. Cum difficile ſit calculos ex Bile ortos dignoſcere, non mirum ſi eorundem curatio res inaudita videatur multis Medicis: Quoniam tamen ubi calculi poſt obitum reperiuntur in fellis folliculo, reliqua bilis amurcam imitatur, ſordibúſque ſcatet ac fœcibus ſubſidentibus, qualem non ſemel vomitu excretam obſervavi, exiſtimarem in talibus metum eſſe ne aliqua bilis pars concreſcat in calculos, dum in tales fœces abiit alia: idcóque uſurpanda tunc medicamenta hoſce bilioſos calculos ſolventia, ut & concretionem quamvis impedientia: Inter calculos bilioſos diſſolventia non dubito referre graminis radices ac herbam, vel deſtillatam, vel, quod præfero, decoctam contuſamve, ſuccumve ex ipſa expreſſum, addito ſaccharo ad gratiam, poſtquam notum eſt multiplici experientia Boves & Oves, quibus hyeme alimentum eſt fœnum, atque coocreſcit in ductu bilario lapidea vel calculoſa cruſta, ubi Maio menſe iterum gramine utuntur viridi, ſenſim ab illo liberari affectu: Certo argumento ineſſe viridi ac recenti gramini calculos diſſolvendi vim, quæ perit quando idem in fœnum exſiccatur: Conducit quoque ſpiritus Nitri, quem proinde commendo in hoc caſu, & imprimis poſtquam cum ſpiritu vini factus eſt dulcis & blandus, qui tuto cum hoc illove potu ad guttas x. xij. uſurpari poteſt, idque aliquoties in die: Concretionem novam impediunt Salia volatilia, & imprimis oleoſa. *Fr. Sylvius Prax. p.* 436.

XIV. Cenſeo, ſive locum habeat cujuſvis Ductus Bilarii obſtructio, ſive talis fingi nequeat, *Bilem ſubire tunc mutationem mutabilem, propter quam moveatur & feratur impetuoſius & copioſius verſus ſanguinem, cui tamen nihilominus permiſceatur minus ſolito, ſed ipſi duntaxat confundatur,* idcóque facilius ab eodem recedat, & non tantum cuti, partibuſque externis, verum muſculis quoque atque viſceribus ſe iungat, & illa colore ſuo inficiat & tingat: Bilis enim naturaliter ſe habens tum in tenui inteſtino, tum cordis ventriculo dextro, haud laxe tantum, ſed intime admiſcetur ac permiſcetur occurrentibus humoribus, & ita quidem ut ab illis amplius ſeparari nequeat: quæ unio fit propter ipſius effervescentiam in loco utroque, cum confluente Acido inſtitutam: Bilis autem iſta in Ictero cum cæteris humoribus intima conjunctio deficit, quia *Effervescentia* utraque memorata minuitur vel tollitur &c. In eo ergo conſiſtet Icteri *Curatio*, ut primo remotiores cauſæ tollantur: Secundo Mediæ, Pituita glutinoſa, ductum bilarium obducens, aut obſtruens, quoties locum habet; aut Venenum qualecumque Bilem immutans & vitians, corrigantur ac emoveantur: Tertio, Cauſæ proximæ, Bilis corrupta & vitiata, nimium ſcilicet ſpirituoſa, & ad rite effervescendum ineptior facta, emendetur, & ad inteſtinum iterum deducatur: Quarto, Cutis fœdus color ſeparetur: *Pituita glutinoſa* corrigitur & inciditur aromaticis & ſalibus volatilibus: Correctam educunt Phlegmago-

ga, quæ Correctioni quoque inſerviunt: E. g. ℞. *radicis rubia tinct. chelidon. mai. apii ana.* ℥ß. *florum geniſta man.* ß. *ſemina aquileg. petroſelini, aniſi ana.* ʒij. *tartari crudi* ʒjß. *coquantur ex vini albi & aqua ana. q. ſ. In colat.* ℥ x x. *diſſolve ſyrup. diacnicu, de cichor. cum rheo ana.* ℥ j ß. *miſce.* Sumat æger bis terve in die hujus Apozem. ut bis terve inde dejiciat, & una cum pituita bilem excernat. Quoties à *Veneno* viperæ, vel alio, fit Icterus, toties ad illud corrigendum expellendumque conducunt omnia Sudorifera, volatili Sale abundantia, quæ utrique ſatisfaciunt indicationi: Huc facit Antimonium diaphoreticum ad gran. x v. Bezoarticum mineral. ad ℈ ß. Sal volatile c. c. aut ex quavis animalis parte diſtillatione prolectum: & ſi potentius fuerit ad guttas, vel grana v. aut vj. ex liquore convenienle aliquoties exhibitum: Valent & Theriaca, variaque ex viperis. 3. *Bilis depravata* & vitiata, nimiumque ſpirituoſa facta Ictericorum, emendabitur potiſſimum per Oleoſa & pinguia; quorum ope videtur inſuper Bili ad rite efferveſcendum aptitudo reſtitui: Sic à ſolo Cannabis ſemine in lacte bubulo pingui, ad crepaturam circiter cocto & colato, atque bis terve in die ad ℥ v. aut vj. ſumpto plures curavi Ictericos: Sic à quovis *Sapone* ad ʒ j. circiter in calente lacte diſſoluto cum ſaccharo, bis aut ſemel in die dato, aliquoties feliciter curavi Icterum, præmiſſis præmittendis: Videtur quidem prodeſſe Sapo quatenus Sale ſuo lixivo ſolvit in ductu bilario inteſtinali Obſtructionem; quod quia de Cannabis ſemine, eundem affectum curante, dici nequit, cenſeo conducere, tum primo, Ratione ſui *Salis lixivi*, ſed fixi, ex quo paratur, quatenus idem Bili ſecundum ſpirituoſitatem auctam corruptæ junctus, eiuſdem volatilitatem & ſpirituoſitatem nimiam minuit & corrigit; aſſumendo in ſe Spiritus volatilis in eadem luxuriantis partem aliquam. Tum ſecundo, Ratione *pinguedinis* vel *olei*, ſed craſſi ac minime volatilis vel aromatici, cujus ope obtundit acumen ſalis volatilis & ſpirituoſi in Bile dominantum habentis: Confirmare videtur ſententiam meam *Crocus*, in curatione Icteri familiaris, qui cum laudetur pinguis, eo ipſo favet opinioni meæ; Crocus enim facile iungitur ſpiritui volatili: A pinguibus igitur & oleoſis cogi & vinciri poſſunt volatiles ſpiritus, & ad tranquillitatem deduci: Unde patere videtur, ſi quoties quantitate nimia bili iunguntur, aut in ipſa exaltantur, ipſam volatiliorem mobilioremque faciendo, Icterum producunt, toties ſuperata per oleoſa, ſomnumque blande conciliantia medicamenta, ipſorum volatilitate ac mobilitate notata, curandum eundem Icterum: *Cutis color fœdus* ſponte quidem abolerur, citius autem tollitur per Sudorifera ſubtilia, & volatili ſale prædita, ſive ſequatur Sudor, ſive non&c. *Sylvius de le Boë Pr. l.* 1.

X V. In hac medicaminum, quibus ſanguinis dyſcraſia Icterica emendanda intenditur, claſſe, etiam *remedia chalybeata* jure locum vendicant: hæc enim non tam viſcerum obſtructiones reſerando, quam ſulphuris & ſalis fixi efferationes deprimendo, & cruorem volatiliſando, in morbo regio, haud minus quam in alijs cachexiæ affectibus inſigne juvamen præſtant: Itaque Decoctis, Infuſionibus ferri limatura, aut pulvis ejus (compage minerali quoquomodo reſoluta) præparatus, aut Sal vitriolicus extractus, commode adjiciantur.

X V I. Hinc eſt quod *Acidula* Ictericos prognoſtico relictos, interdum ad miraculum uſque ſanant: quanquam & hæ prælarga quantitate epotæ, quatenus vaſa omnia permeant, etiam ductus hepaticos quantumvis occluſos aperiant. *Willis.*

I L E V S.

S Y L L O G E.

Vera curandi methodus. 5.
Vomitoria *aliquando proſunt.* 1.
Purgantibus *vehementiſſimis aliquando locus.* 2.
Ab hernia *inguinis excitatus, clyſteribus antimonialibus curatus.* 3.
Non pendet ab inteſtinorum occluſione. 4.
Si ſit a pituita non ſtatim ad attenuantia *valida procedendum.* 6.
Hydrargyrum *poteſt tuto exhiberi.* 7.
Curatio Hippocratica *per* ſollem fabrilem. 8.
Quidam meri potu ſanatur. 9.
Theriaca *quando exhibenda.* 10.
Fotuum *laxantium & emollientium efficacia.* 11.
Balneo *quando locus.* 12.
Si ſit ab inflammatione clyſteres *quales eſſe debent.* 13
Fotus impurtuni, *& vis illata ad reductionem inteſtini, malum ſæpe adaugent.* 14.
Colicæ paſſionis *in* Ileum *tranſeuntis curatio.* 15.
Singularis Ilei *curatio.* 16.
Ab incarceratione inteſtini factus ſectione in inguine curandus. 17.

I. DE vomitoriis eſt aliqua dubitatio: nam ſi volvulus inter reliqua ſymptomata habet vomit.... illum lethalem (ſtercoris) non videtur is irritandus: convenit tamen circa initia inflammationis tantum, quando ſc. in ventriculo & ſuperioribus inteſtinis multa ſint collecta corrupta, atque acria excrementa, quæ ad inflammationem tranſmitti poſſunt: nam ſi humores in primis his viis non redundaverint, periculoſus eſt vomitus: Convenium quoque volvulo facto ex humoribus acribus; nam ſi in ventriculo & inteſtinis, ob prava alimenta, aut medicamenta, fuerint congregati, hi quoq; vomitu ſunt purgandi, Sint autem vomitoria placidiſſima & epicraſtica, aq. hordei, tepida &c. *Saxonia Prel. Pr. p.* 3. *c.* 19

II. Quia fæces retinentur in principio inflammationis, ſatis eſt medicamenta frigida, & inflammationem reprimentia præbere, Caſſiam, El. Diapr. ſimpl. ſerum capr. maxima copia &c. ubi vero inflammatio eſt aucta, hæc nihil proſunt & fortioribus eſt agendum. Convenit El. de ſucco roſ: Roſat. Meſues ad ℥ß. cum ʒiij. caſſiæ: oleum amygd. d. cum gr. iv. aut v. diagrid. in modico ſacch. roſ. Licet in hoc caſu omnia prius tentare quàm permittere ut fæces per ſuperiora deducantur, idcirco licet etiam aſcendere uſque ad Antimonium & Elaterium, quæ in modica quantitate ad iv. vel v. gr. in vino, in quacunque materia præberi poſſunt: Nec quis obiiciat Inflammationem prohibere hæc, nam inflammatio facta tractatur calidis & digerentibus: Itaque, quamquam calida, non obſunt, & plus nocet copia excrementi retenti quàm medicamentum, ſi purgaverit: Ideo non incelebres Medici deploratis in caſibus hydrargyrum dant, quod pondere alvum quamprimum movit. *Idem ibidem.* Utiliter quidam exhibent pilulam ex vitro Antimonii, quod pondere viam vi facit, & vi cathartica excrementa deturbat.

III. Fæ-

III. Fœmina xxx annorum hernia inguinali leviter tumente per biennium laborans, poſt inordinatum corporis motum vomitibus corripitur crebris, fit etiam merdivoma, excretaque fœtore & ægræ & adſtantibus moleſtiam præbent: hæc quinque antimonialis clyſteribus liberata, ſubſequente aliquot dierum diarrhœa, quæ excedens tandem laudatorum opii beneficiorum opem implorabat, & propitiam experiebatur: Similia χειρουργικῶς tentari poſſunt, ſi vitium jactura, & inflammationis deſperata ſalus non obſtet. *Guern. Rolfinccius conſ. 4. lib. 7.*

IV. Clyſteres, imò & glandes a vomitu rejectæ, ſatis teſtantur in Ileo viam inteſtinorum non ita occluſam eſſe ut vulgò ſtatuitur, ſed potius adeſſe motum expultricis inteſtinorum inverſum: Tenuit hanc cautam Galenus ſatis clarè 2. de ſympt. cauſ. c. 3. ut mirum ſit à Practicis non eſſe animadverſam, cum tamen non ſit parvi ad curationem momenti, ſed laxatis fibris motus hic remittat: ipſaque experientia teſtetur vacationes tales ſæpe per roborantia & adſtringentia augeri, contra prohiberi per laxantia & mollientia. *Sennertus l. 3. p. 2. S. 2. c. 1.*

V. In affectu Iliaco cauſa inverſionis periſtaltici inteſtinorum motus ut plurimum ita ſe habet: Ex tumultuante ſanguine in febre nuper concepta, in ventriculum & inteſtina proxima deponuntur humores acres & maligni, ex quibus ventriculus primò motum invertere, ac violento impetu materiam moleſtam contentam per os rejicere cogitur: Ventriculi tandem motui validiori inteſtina tenuia, ipſi continua, jam debilitata cedunt, & cum his demum majora in conſenſum trahuntur, vomituriente ventriculo quaſi choream ducente: Hunc affectum *vermiileum* voco. Methodus eum curandi hactenus incognita fuit, quicquid nonnulli jactent de uſu argenti vivi & globulorum, quæ prærterquam quod parum conducunt, noxam ſæpe haud contemnendam inferunt: Ego cum ſucceſſu hac methodo utor. Quando liquet ex clyſteribus per ora rejectis, & aliis ſignis, verum eſſe Ileum, tunc in hæc tria enitor 1. ut contrarius iſte ventriculi motus, qui ſimilem motum in inteſtinis efficit, impediatur: 2. ut inteſtina acri humore debilitata corroborentur: 3. ut ventriculus ac inteſtina ab iſtis humoribus liberentur. Quibus indicationibus ut ſatisfaciam, curationem hoc ritu inſtitui, 1. ſalis abſynthii ℈j. ex cochleari uno ſucci limonum mane & ſero ſumendum præſcribo; intermediis vero temporibus aquæ menthæ ſtillatitiæ ſine ſaccharo, aliove quovis additamento, cochlearia aliquot bis quaque hora propino, cujus vel ſolius repetito uſu, & vomitus & dolor ex eo natus ſubito evaneſcent: Dum hæc fiunt catulum viventem nudo ventri indeſinenter accumbere jubeo: Poſtquam verò dolor cum vomitu, per ſpatium diei unius vel alterius, omnino ceſſaverit, tum pil. cochiar. maſ. ʒj. in aqua menthæ diſſolutam exhibeo, quam aquam (quo certius vomitus recurſum prævertam) toto catharſeos tempore ſæpius ſumendam injungo: neque catulus removendus antequam uſum pilularum æger aggrediatur: Obſervavi fruſtra pilulas iſtas, vel quodvis aliud catharticum, utcunque forte, propinari, donec ventriculo corroborato, atque adeo ad motum naturalem reducto, inteſtina etiam ad proprium motum æque reducta fuerint, aliàs enim cathartica omnia intus aſſumpta emetica evadent, & plus damni quam commodi afferent: Inde eſt quod remediis purgantibus vim facere non aggredior, donec per ſpatium quoddam medicamentis iſtis ventriculum reſpicientibus uſus fuerim. Victum valde tenuem præſcribo, ita ut nonnihil cochlearia aliquot juſculi, ex pullo gallinaceo parati, ſorbenda bis vel ter in die permittam: Interim vero ut per totam ægrotationem in lecto decumbat jubeo, donec perfectæ ſanationis ſigna appareant, ac etiam poſt ſanationem per longum tempus in prædictæ aquæ uſu perſiſtere, & laneis duplicatis ventrem à frigore bene defendere impero, quò minus recidiva fiat, cui hic affectus præ omnibus eſt obnoxius, *Sydenham Tract. de Febr. pag. 68.*

VI. Ad valde attenuantia ratione Pituitæ devenire non licet, ut ad vinum generoſum cum aqua vitæ, Elixir vitæ cum aqua cinnam. præſcripta à Mercato & Salio, Sed 1. detur ſtatim ol. amygd. rec. ad ℥v. cum ℥iv. ol. de lino: vj. aut vij. horis exactis in balneum ex oleo deſcendat æger, cui ſuffundatur decoctio emolliens & laxans: Balneo egreſſus & deterſus, dentur caſſiæ recent. ʒ3, à qua ſi vomitus nullus fuerit metus, bibatur jus malvis alteratum; inde ſomnus permittatur, exigua quidem copia ſed multi nutrimenti, & à cibo rurſus ſomnus capiatur, ut aliis iv. poſt horis clyſter fæces emolliens & evacuans injiciatur. ℞. decoct. malv. betar. mercur. chamom ℔j. mell. roſ. ſol. ol. amygd. d. ana. ℥iij. Salis gemmæ ʒij. vitell. ovor. n. ij. m. His peractis ſuperſedendum opere, vel potius iterum laxantia, ol. ſcil. amygd. rec. oleo amygd. amar. vel pauco Cretico commiſtum repetenda, & patiens rurſus in balneum immergendus: Quibus ſi non cedat affectus ad tumeſacientia, & ſtercus induratum dimoventia, ac pondere detrudentia eſt deveniendum. *Fortis conſult. 94. cent. 2.*

VII. *Hydrargyrum* non pauci authores innoxiè ſumi poſſe teſtantur: pondere enim inteſtinum veluti vinctum expedit & evolvit: fæces induratas & obſtruentes infra deturbans. H. ab Heers aſſerit ſæpe ſe vidiſſe datum ſine noxa, crebro per corium tranſitu perpurgatum, eo momento citiùs, eductis ſecum fæcibus obviis, excreto: à cujus uſu, ne frigore interanea læderet, ſtatim clyſterem ex puro Cretico indebat; cujus ope aliquot, colli nimia tenſione, morituros ſervavit. *Parens* multos liberatos ait hauſtis ejus ℔iij. in aqua ſola: at tanta quantitas ſuſpecta eſt, imminet enim caloris nativi extinctio ab ejus frigore, & concretionis metus ſanguinis in venis: Quidam dant ℥ij. ex ovo ſorbili, unius tamen unciæ exhibitio feliciter ſucceſſit. *Petrus Pena*, referente *Volſchio Obſ. 43.* purgabat hydrargyrum à plumbagine, coquendo cum vino & aceto, poſt per alutam trajiciendo: tum renuiſſimam membranam, in qua aurum extenſum erat, in nodulum compingebat filo ligatum: eâ hydrargyri ſic deſæcati ſeſquunciam includebat, & glutine ex tragacantha lacryma facto obſerabat, lentoque igne ſiccatam, educto filo, melle aut ſyrupo inunctam pilulam ægro devorandam exhibebat: ſic glutine in ventriculo ſtatim diſſoluto hydrargyrum copioſè alvum ducebat: bis ſumpto tali ſanatus quidam fuit.

VIII. Extremum remedium proponit Hippocr. 3. de morbis, *flatus immiſſionem* in ventrem *per follem fabrilem*, quam ſequi debet injectio clyſteris emollientis cum trochiſcis alhandal, quo fæcea educantur: Hoc remedium improbat Aurelianus, quod ventus à folle immiſſus frigore læde-

ga, quæ Correctioni quoque inſerviunt: E. g. ℞. *radicis rubiæ tinct. chelidon. mai. apii ana.* ℥ß. *florum geniſtæ man.* ß. *ſemina aquileg. petroſelini, aniſi ana.* ℥ij. *tartari crudi* ʒiß. *coquantur ex vini albi & aqua ana. q. ſ. In colat.* ℥ x x. *diſſolve ſyrup. diacnicu, de cichor. cum rhee ana.* ℥ j ß. *miſce.* Sumat æger bis terve in die huius Apozem. ut bis terve inde dejiciat, & una cum pituita bilem excernat. Quoties à *Veneno* viperæ, vel alio, fit Icterus, toties ad illud corrigendum expellendumque conducunt omnia Sudorifera, volatili Sale abundantia, quæ utrique ſatisfaciunt indicationi: Huc facit Antimonium diaphoreticum ad gran. x v. Bezoarticum mineral. ad ℈ ß. Sal volatile c. c. aut ex quavis animalis parte diſtillatione prolectum: & ſi potentius fuerit ad guttas, vel grana v. aut vj. ea liquore convenienti aliquoties exhibitum: Valent & Theriaca, variaque ex viperis. 3. *Bilis depravata* & vitiata, nimiumque ſpirituoſa facta Ictericorum, emendabitur potiſſimum per Oleoſa & pinguia; quorum ope videtur inſuper Bili ad rite effervescendum aptitudo reſtitui: Sic à ſolo Cannabis ſemine in lacte bubulo pingui, ad crepaturam circiter cocto & colato, atque bis terve in die ad ℥ v. aut vj. ſumpto plures curavi Ictericos: Sic à quovis *Sapone* ad ʒ j. circiter in calente lacte diſſoluto cum ſaccharo, bis aut ſemel in die dato, aliquoties feliciter curavi Icterum, præmiſſis præmittendis: Videtur quidem prodeſſe Sapo quatenus Sale ſuo lixivo ſolvit in ductu bilario inteſtinali Obſtructionem; quod quia de Cannabis ſemine, eundem affectum curante, dici nequit, cenſeo conducere, tum primo, Ratione ſui *Salis lixivi*, ſed fixi, ex quo paratur, quatenus idem Bili ſecundum ſpirituoſitatem auctam corruptæ junctus, eiuſdem volatilitatem & ſpirituoſitatem nimiam minuit & corrigit; aſſumendo in ſe Spiritus volatilis in eadem luxuriantis partem aliquam. Tum ſecundo, Ratione *pinguedinis* vel *olei*, ſed craſſi ac minime volatilis vel aromatici, cuius ope obtundit acumen ſalis volatilis & ſpirituoſi in Bile dominantum habentis: Confirmare videtur ſententiam meam *Crocus*, in curatione Icteri familiaris, qui cum laudetur pinguis, eo ipſo favet opinioni meæ; Crocus enim facile iungitur ſpiritui volatili: A pinguibus igitur & oleoſis cogi & vinciri poſſunt volatiles ſpiritus, & ad tranquillitatem deduci: Vnde patere videtur, ſi quoties quantitate nimia bili iunguntur, aut in ipſa exaltantur, ipſam volatiliorem mobilioremque faciendo, Icterum producunt, toties ſuperata per oleoſa, ſomnumque blande conciliantia medicamenta, ipſorum volatilitate ac mobilitate notata, curandum eundem Icterum: *Cutis color fœdus* ſponte quidem abolетur, citius autem tollitur per Sudorifera ſubtilia, & volatili ſale prædita, ſive ſequatur Sudor, ſive non &c. *Sylvius de le Boë Pr. l. 1.*

X V. In hac medicaminum, quibus ſanguinis dyſcraſia Icterica emendanda intenditur, claſſe, etiam *remedia chalybeata* iure locum vendicant: hæc enim non tam viſcerum obſtructiones reſerando, quam ſulphuris & ſalis fixi efferationes deprimendo, & cruorem volatiliſando, in morbo regio, haud minus quam in aliis cachexiæ affectibus inſigne juvamen præſtant: Itaque Decoctis, Infuſionibus ferri limatura, aut pulvis ejus (compage mineralі quoquomodo reſoluta) præparatus, aut Sal vitriolicus extractus, commode adjiciantur.

X V I. Hinc eſt quod *Acidulæ* Ictericos prognoſtico relictos, interdum ad miraculum uſque ſanant: quanquam & hæ prælarga quantitate epotæ, quatenus vaſa omnia permeant, etiam ductus hepaticos quantumvis occluſos aperiant. *Willis.*

I L E V S.

S Y L L O G E.

Vera curandi methodus. 5.
Vomitoria *aliquando proſunt.* 1.
Purgantibus *vehementiſſimis aliquando locus.* 2.
Ab hernia *inguinis excitatus, clyſteribus antimonialibus curatus.* 3.
Non pendet ab inteſtinorum occluſione. 4.
Si fit a pituita non ſtatim ad attenuantia *valida procedendum.* 6.
Hydrargyrum *poteſt tuta exhiberi.* 7.
Curatio Hippocratica *per* follem fabrilem. 8.
Quidam meri potu ſanatur. 9.
Theriaca *quando exhibenda.* 10.
Fotuum *laxantium & emollientium efficacia.* 11.
Balneo *quando locus.* 12.
Si ſit ab inflammatione clyſteres *quales eſſe debent.* 13
Fotus importuni, *& vis illata ad reductionem inteſtini, malum ſæpe adaugent.* 14.
Colicæ paſſionis *in* Ileum *tranſeuntis curatio.* 15.
Singularis Ilei *curatio.* 16.
Ab incarceratione inteſtini factus ſectione in inguine curandus. 17.

I. DE vomitoriis eſt aliqua dubitatio: nam ſi volvulus inter reliqua ſymptomata habet vomit... ilum lethalem (ſtercoris) non videtur is irritandus: convenit tamen circa initia inflammationis tantum, quando ſc. in ventriculo & ſuperioribus inteſtinis multa ſint collecta corrupta, atque acria excrementa, quæ ad inflammationem tranſmitti poſſunt: nam ſi humores in primis his viis non redundaverint, periculoſus eſt vomitus: Conveniunt quoque volvulo facto ex humoribus acribus; nam ſi in ventriculo & inteſtinis, ob prava alimenta, aut medicamenta, fuerint congregati, hi quoq; vomitu ſunt purgandi, Sint autem vomitoria placidiſſima & epicerastica, aq. hordei, tepida &c. *Saxonia Præl. Pr. p. 2. c. 29*

II. Quia fæces retinentur in principio inflammationis, ſatis eſt medicamenta frigida, & inflammationem reprimentia præbere, Caſſiam, El. Diapr. ſimpl. ſerum capr. maxima copia &c. ubi vero inflammatio eſt aucta, hæc nihil proſunt & fortioribus eſt agendum: Convenit El. de ſucco roſ: Roſat. Meſues ad ℥ß. cum ℥iij. caſſiæ: oleum amygd. d. cum gr. iv. aut v. diagrid. in modico ſacch. roſ. Licet in hoc caſu omnia prius tentare quàm permittere ut fæces per ſuperiora deducantur, idcirco licet etiam aſcendere uſque ad Antimonium & Elaterium, quæ in modica quantitate ad iv. vel v. gr. in vino, in quacunque materia præberi poſſunt: Nec quis obiiciat Inflammationem prohibere hæc, nam inflammatio facta tractatur calidis & digerentibus: itaque, quamquam calida, non obſunt, & plus nocet copia excrementi retenti quàm medicamentum, ſi purgaverit: Ideo non incelebres Medici deploratis in caſibus hydrargyrum dant, quod pondere alvum quamprimum movit. *Idem ibidem.* Vtiliter quidam exhibent pilulam ex vitro Antimonii, quod pondere viam vi facit, & vi cathartica excrementa deturbat.

III. Fæ-

III. Fœmina xxx annorum hernia inguinali leviter tumente per biennium laborans, poſt inordinatum corporis motum vomitibus corripitur crebris, fit etiam merdivoma, excretaque fœtore & ægræ & adſtantibus moleſtiam præbens: hæc quinque antimoniatis clyſteribus liberata, ſubſequente aliquot dierum diarrhœa, quæ excedens tandem laudatorum opii beneficiorum opem implorabat, & propitiam experiebatur: Similia χειρουργήματα tentari poſſunt, ſi vitium jactura, & inflammationis deſperata ſalus non obſtent. *Guern. Rolfinccius conſ. 4. lib. 7.*

IV. Clyſteres, imò & glandes vomitu rejectæ, ſatis teſtantur in Ileo viam inteſtinorum non ita occluſam eſſe ut vulgò ſtatuitur, ſed potius adeſſe motum expultricis inteſtinorum inverſum: Tenuit hanc cauſam Galenus ſatis clarè 2. de ſympt. cauſ. c. 3. ut mirum ſit à Practicis non eſſe animadverſam, cum tamen non ſit parvi ad curationem momenti, ſed laxatis fibris motus hic remittat: ipſaque experientia teſtetur vacuationes tales ſæpe per roborantia & adſtringentia augeri, contra prohiberi per laxantia & mollientia. *Sennertus l. 3. p. 2. S. 2. c. 1.*

V. In affectu Iliaco cauſa inverſionis periſtaltici inteſtinorum motus ut plurimum ita ſe habet: Ex tumultuante ſanguine in febre nuper concepta, in ventriculum & inteſtina proxima deponuntur humores acres & maligni, ex quibus ventriculus primò motum invertere, ac violento impetu materiam moleſtam contentam per os rejicere cogitur: Ventriculi tandem motui validiori inteſtina tenuia, ipſi continua, jam debilitata cedunt, & cum his demum majora in conſenſum trahuntur, vomituriente ventriculo quaſi choream ducente: Hunc affectum *verum Ileum* voco. Methodus cum curandi hactenus incognita fuit, quicquid nonnulli jactent de uſu argenti vivi & globulorum, quæ præterquam quod parum conducunt, noxam ſæpe haud contemnendam inferunt: Ego cum ſucceſſu hac methodo utor. Quando liquet ex clyſteribus per os rejectis, & aliis ſignis, verum eſſe Ileum, tunc in hæc tria enitor 1. ut contrarius iſte ventriculi motus, qui ſimilem motum in inteſtinis efficit, impediatur: 2. ut inteſtina acri humore debilitata corroborentur: 3. ut ventriculus ac inteſtina ab iſtis humoribus liberentur. Quibus indicationibus ut ſatisfaciam, curationem hoc ritu inſtitui, 1. ſalis abſynthii ℈j. ex cochleari uno ſucci limonum mane & ſero ſumendum præſcribo; intermediis vero temporibus aquæ menthæ ſtillatitiæ ſine ſaccharo, aliove quovis additamento, cochlearia aliquot bis quaque hora propino, cujus vel ſolius reperito uſu, & vomitus & dolor ex eo natus ſubito evaneſcunt: Dum hæc fiunt ægrum vivente nudo ventri indeſinenter accumbere jubeo: Poſtquam verò dolor cum vomitu, per ſpatium diei unius vel alterius, omnino ceſſaverit, tum pil. cochiar. maj. ℈j. in aqua menthæ diſſolutam exhibeo, quam aquam (quo certius vomitus recurſum præveniam) toto cathartici tempore ſæpius ſumendam injungo: neque catulus removendus antequam uſum pilularum æger aggrediatur: Obſervavi fruſtra pilulas iſtas, vel quodvis aliud catharticum, utcunque forte, propinari, donec ventriculo corroborato, atque adeo ad motum naturalem reducto, inteſtina etiam ad proprium motum æque reducta fuerint, aliàs enim cathartica omnia intus aſſumpta emetica evadent, & plus damni quam commodi afferent: Inde eſt quod remediis purgantibus vim facere non aggredior, donec per ſpatium quoddam medicamentis aliis ventriculum reſpicientibus uſus fuerim. Victum valde tenuem præſcribo, ita ut nonnihil cochlearia aliquot juſculi, ex pullo gallinaceo parati, ſorbenda bis vel ter in die permittam: Interim vero ut per totam ægrotationem in lecto decumbat jubeo, donec perfectæ ſanationis ſigna appareant, ac etiam poſt ſanationem per longum tempus in prædictæ aquæ uſu perſiſtere, & laneis duplicatis ventrem à frigore bene defendere impero, quò minus recidiva fiat, cui hic affectus præ omnibus eſt obnoxius, *Sydenham Tract. de Febr. pag. 68.*

VI. Ad valde attenuantia ratione Pituitæ devenire non licet, ut ad vinum generoſum cum aqua vitæ, Elixir vitæ cum aqua cinnam. præſcripta à Mercato & Salio, Sed 1. detur ſtatim ol. amygd. rec. ad ℥v. cum ℥iv. ol. de lino: vj. aut vij. horis exactis in balneum ex oleo deſcendat æger, cui ſuffundatur decoctio emolliens & laxans: Balneo egreſſus & deterſus, dentur caſſiæ recent. ℨx, à qua ſi vomitus nullus fuerit metus, bibatur jus malvis alteratum; inde ſomnus permittatur, exigua quidem copia ſed multi nutrimenti, & à cibo rurſus ſomnus captetur, ut aliis iv. poſt horis clyſter fæces emolliens & evacuans injiciatur. ℞. decoct. malv. betat. mercur. chænom ℔j. mell. roſ. ſol. ol. amygd. d. ana. ℥iij. Salis gemmæ ℨj. vitell. ovor. n. ij. m. His peractis ſuperſedendum opere, vel potius iterum laxantia, ol. lil. amygd. rec. oleo amygd. amar. vel pauco Cretico commiſtum repetenda, & patiens rurſus in balneum immergendus: Quibus ſi non cedat affectus ad tumefacientia, & ſtercus induratum dimoventia, ac pondere detrudentia eſt deveniendum. *Fortis conſult. 94. cent. 2.*

VII. *Hydrargyrum* non pauci authores innoxiè ſumi poſſe teſtantur: pondere enim inteſtinum veluti vinctum expedit & evolvit: fæces induratas & obſtruentes infra deturbans: H. ab Heers aſſerit ſæpe ſe vidiſſe datum ſine noxa, crebro per corium tranſitu perpurgatum, eo momento citius, eductis ſecum fæcibus obviis, excreto: à cujus uſu, ne frigore interanea læderet, ſtatim clyſterem ex puro Cretico indebat; cujus ope aliquot, coli nimia tenſione, morituros ſervavit. *Pareus* multos liberatos ait hauſtis ejus ℔iij. in aqua ſola: at tanta quātitas ſuſpecta eſt, imminet enim caloris nativi extinctio ab ejus frigore, & concretionis metu ſanguinis in venis: Quidam dant ℥ij. ex ovo ſorbili, unius tamen unciæ exhibitio feliciter ſucceſſit. *Petrus Pena*, referente *Velſchio Obſ. 43.* purgabat hydrargyrum à plumbagine, coquendo cum vino & aceto, poſt per alutam trajiciendo: tum tenuiſſimam membranam, in qua aurum extenſum erat, in nodulum compingebat filo ligatum: ea hydrargyri ſic defæcati ſeſquunciam includebat, & glutine ex tragacantha lacryma facto obſerabat, lentoque igne ſiccatam, educto filo, melle aut ſyrupo intinctam pilulam ægro devorandam exhibebat: ſic glutine in ventriculo ſtatim diſſoluto hydrargyrum copioſè alvum ducebat: bis ſumpto tali ſanatus quidam fuit.

VIII. Extremum remedium proponit Hippocr. 3. de morbis, *flatus immiſſionem* in ventrem *per follem fabrilem*, quam ſequi debet injectio clyſteris emollientis cum trochiſcis alhandal, quo fæces educantur: Hoc remedium improbat Aurelianus, quod ventus à folle immiſſus frigore læde-

re poſſit: Valet tamen hoc remedium, experientia *Amati Luſit.* cent. 1. obſ. 100. & *Epiphanii Ferdinandi* hiſt. 74. qui filium I. *Altimari* ex colica & Iliaca pereuntem, ejus ope ab Orci faucibus eripuit. Iuvat enim non ſolum convolutorum inteſtinorum evolutione, ſed & obſtructionis gravis & contumacis reſeratione, per dilatationem inteſtini.

IX. *In Volvulo tenui frigidum vinum multum merum, ſecundum rationem dandum, donec ſomnus aut crurum dolor oboriatur. Hippocr. 2. Epidem. ſect. 6.* Pulcherrimam, & mihi jam experimento probatam docet curationem volvuli, non omnis, ſed ejus qui fit à flatu craſſo diſtendente, aut fæces duras ad inteſtina gracilia afferente, aut à ſucco frigido impacto: Talem enim nihil ſolvere poteſt melius quam vinum merum: coquit enim cruda, extenuat craſſa, diſſipat flatus, digerit deducitque per corpus: quare aut coquendo, diſſipandoque cauſam, aut in aliam partem trudendo liberat ab hoc malo: acceſſere enim ſomnum ſolet vinum, aut artuum ſollicitare dolores, & utraque harum eſt in hac affectione cauſa ſalutaris: Somnus quidem, quia per quietem & indolentiam facultas reficitur, & revocato intro calido cauſa coquitur: Dolor articulorum, aut artuum, quia facto tali abſceſſu ceſſare ſolet morbus prior, velut in podagricis habemus obſervantiſſimum, vix eſt morbus a quo non liberentur podagrâ ſupervenientc; nimirum, juxta Hippocr. non poteſt fieri ut omnia ſimul doleant: Igitur vel iis rationibus eſt utile vinum, quod ſomnum conciliet & dolores crurum afferat, & cum horum aliquid fecerit, ſatis putetur datum: Si enim in his doloribus ſtupefacientia ſæpe ſunt utilia, quod ſomnum faciant, ipſa alioqui per ſe noxia morbo, quanto utilius fuerit vinum, quod ſomniferum etiam eſt, & per ſe utile ad morbi cauſam tollendam? Non tamen utcunque datum hæc faciet, ſed ut quàm optime hoc poſſit facere, dato ſatis multum & merum: dilutum enim, aut exiguum, neque ſomnum neque crurum dolores affert: multum, ſi affatim detur, non poteſt retineri, ſed ſtatim evometur, aut retentum non coqui poſſet à debili facultate, aceſceret ergo & factum acetum augeret morbum: Dandum ergo multum merum, paulatim, crebro & exiguo hauſtu, ſic retinebitur, coquetur & coquet, & reliqua præſtabit bona. &c. *Valleſius comm. in eum locum, vide Horſtium Dec. 6. Probl. 2.*

X. In Ileo, ab humoribus acribus & malignis, laudat *Aëtius* theriacam à vomitu, cui adhærent omnes poſteriores, Ego verò theriacam, aut alia alexipharmaca, tunc tantùm laudo cum venenum fuerit frigidum, In calidis enim venenis utamini potius lacteaut ſero, miſto cum aqua acetoſæ, cum terra Lemnia, aut alio alexipharmaco, ſed refrigerante. *Saxonia Pract. p. 2. c. 29.*

XI. Obſervatum cum interdum plures *clyſteres*, & ſatis fortes, nihil feciſſent, externas alvi emollitiones per fotus, inunctiones &c, plurimum profuiſſe: clyſteres etiam mollientes injici poſſunt: Neque fuerit inutile talia mollientia, ut oleum amygd. d. juſcula pinguia, incoctis malva, althæa, nutrimenda exhibere; Cum puella illa apud Matthæum de Gradibus, cap. de vomitu, quæ Ileo affecta, & clyſteres & glandes vomitu rejecit, fruſtra aliis medicamentis adhibitis, juſculis pinguibus curata fuerit: Et quamvis ſemel atque iterum talia vomitu rejiciantur, continuandus tamen eorum uſus: ita enim fibris inteſtinorum laxatis, perverſus eorum motus ſedatur. *Sennertus Pr. l. 3. p. 2. ſect. 2. c. 1.*

XII. In *Ileo ab inflammatione balneum* toti corpori adminiſtratum minimè laudo, tametſi *Rondeletius* illud probaverit: nam frigidum intropellit humores: calidum fundit & colliquat, illoſque ad locum affectum proclives reddit: ut etiam notavit Galen. 12. meth. cap. 3. Convenit autem in Ileo à fæcibus induratis, ſive ſit ex aqua emollientibus alterata, ſive ſit ex oleo. *Saxonia ibidem.*

XIII. Cum affectus ſit gracilium inteſtinorum inflammatio, *acres clyſteres* non ſunt ex uſu, ne ad partem affectam excrementa trahantur à partibus remotis: Neque etiam qui nimium detergunt, ne dolorem irritando augeant: Noxium etiam quando magna quantitas injicitur, quæ fere ad affectum venit: *Rondeletius de medic. int. p. 898.*

XIV. Hernia inteſtinalis ſi tanta ſit ut per foramen anguſtius excidentia inteſtina, per idem foramen reponi nequeant, ut nec contentis allabentibus tranſitum deorſum præbeant, inflammationi & gangrænæ anſam præbent: Quæ mala non raro augentur, aut producuntur à fomentationibus perperam & nimis calentibus applicatis, ut & à præpoſtera fortique frictione partis tumentis: denique à vi. tumentibus inteſtinis, ad illorum repulſionem illata. *F. Sylvius Prax. lib. 1. c. xv. §. 22. & 23.*

XV. Iuvenis 24. annor. melancholici temperamenti In colicam paſſionem incidit, quæ multis fruſtra tentatis in iliacam degenerebat, cum anguſtiis circa præcordia, Globulum plumbeum ponderis ℥ij. cum mercurii vivi ℥j. illitum & probe obductum; & ne fauces læderet, aut ptyaliſmum excitaret, nebulis artificioſe involutum deglutiebat: finitis tribus horis præmittebat nonnullos crepitus cum levamine, hora vero quarta, duabus ſubſequentibus dejectionibus, ultra ſex libras materiæ variegati coloris cacavit, ſine noxa tamen poſt reſtitutus. *Melchior. Fribe in miſc. cur. anni 1672. Obſ. 96.*

XVI. Paupercula à prava victus ratione incidebat in alvi obſtructionem, in tertiam ſeptimanam durantem, ita ut fæces alvi, ut in ileo, per os rejiceret: uſurpata varia ſine emolumento, Tandem ſuccum è pomis Bordoſheuſibus putridis expreſſum ſæpius bibit, ad libras ſex, unde alvus ſoluta, mulierque è mortis faucibus excepta. *Got. Chriſt. Wincler In miſc. cur. anni 76. Obſ. 114.*

XVII. Si *Hernia* conjunctus ſit Ileus morbus, cujus ſignum epigenomenon mortale eſt chyli ſtercoriſque vomitio, cum in ſcrotum prolapſum eſt Ileon inteſtinum, à quo prolapſu qui ſoſpes evaſerit *Hippocr.* vidit neminem, unica curanditatio, ſi aliqua ſit, eſt ut ſimulatque ſiniſtri lateris ſcroti doloris acerbitas, nauſea, vomitio, cæteraque opinionem tibi fecerint prolapſi Ilei inteſtini, Tum ſine mora, eodem die novacula diſcindatur ligamentum, ſeu vinculum inguinis, quo ſcil. peritonæum cum inguine tunica conjungitur, vel etiam teſticulus ejuſdem lateris exſecetur: quanquam id non ſit abſque periculo, ſed dubia ſalus potior certa deſperatione: ſi hominem enim relinquo, certa eſt deſperatio; ſin ei opitulor, remedii crudelitatem pertimeſco: quia tamen à remedio ſpes eſt aliqua vitæ probabilis, præſtat ægro opitulari cum dubia ſalute, quam certa cum deſperatione

tione hominem relinquere. *Duretus comm. in cap. de Hernia, grad. Holerii.* Vide *Paraeum l.* 7. c. 15.

IMPETIGO.

Curatio per Salivationem non tuta.

PLeriſque remediis nihil juvantibus, multi Salivationem, quaſi athletam fortiſſimum, ac tanto hoſti unice parem commendant, Attamen prægrandi huic expectationi eventus non ſemper reſpondet: fateor enim me hoc remedium in quatuor perſonis Impetigine graviori, & medicamentis aliis obſtinata laborantibus, ſine commodo expertum fuiſſe: Quidam ex his per Inunctionem ex hydrargyro, alique per catapotia ex præcipitato ſolari, in ſputationem copioſiſſimam, quam per xx. circiter dies pertulerunt, ciebantur, quo temporis ſpatio elapſo eruptiones omnes ſquamoſæ, & papillarum corymbi evanuerunt: nihilominus ad therapeian confirmandam potus diureticus ex decocto ſariæ, cum crebra ſudatione ſubtus cratem, & debita purgatione interjecta, inſtitutus per menſem continuabatur: attamen hoc curſu finito, cum nulla tunc impetiginis veſtigia relinqui viderentur, intra menſem alterum nova ejuſdem morbi ſeges pullulare incipiens brevi tempore ad ſolitam maturitatem accrevit: Porro cum unus ex iis hanc medicinam repetere, atque alter poſt duas morbi recidivas eam vice tertia experiri voluit, uterque demum poſt immanes tot ærumnarum perpeſſiones de curationis ſpe decidit: Unde conſtat luem veneream, quamvis ſumme malignam, atque ulcera fœdiſſima & cacoethea, carnes ac oſſa depaſcentia excitantem, multo facilius & certius quam Impetiginem ſanari poſſe. *Willis* Operis *poſth. ſect. 3. cap. 7. ubi cauſa difficultatis curationis adducuntur.* Vide lib. vij. tit. de Habitus vitiis. & lib. ix. tit. de Elephantiaſi Græcorum.

INAPPETENTIA.

SYLLOGE.

Pituita, ejus cauſa, paulatim calefacienda. 1.
Vitii hepatis correctionem potius quam ventriculi requirit. 2.
An ſpiritus vitrioli Appetentiam revocet. 3.
Venæ ſectio *quandoque ex uſu.* 4.
Balneum *an conducat.* 5.

I. PRæcipue bilis & pituita appetitus ſenſionem impedire ſolent: De Pituita hoc notandum eam etſi, quatenus frigida eſt, calefacientia indicare, non tamen id confeſtim & ſubito faciendum, ne humores ſubito fuſi flatus generent, & in univerſum corpus diſtribuantur ac obſtructiones pariant: quare caute hic agendum, & primo curandum ut æger parce comedat & bibat & victu attenuante utatur: Poſſunt etiam in prima menſa concedi ea quæ ſalſa ſunt, quod ſal incidendi & attenuandi vim habeat, & polticea quæ vim detergendi habent uſurpari, quale eſt jus braſſicæ leviter coctæ: Ad extenuandam vero primo exhibeatur oxymel, cum mellis roſarum parte quarta, poſtea medicamentum quod Diatrion piperœon appellatur, & quidem ſimplex, quod tantum ex tribus piperum generibus conficitur: Etſi enim validius calefacit piper, tamen tenuis ſubſtantiæ eſt & tenuium partium, quæ propterea citius diſcutiuntur, nec epati inde calor imprimitur. *Sennertus.*

II. Caliditatem Jecoris immodicam inappetentia, & carnium maxime nauſea ſequitur (errant enim Medici qui dum ægri carnes averſantur, ut odorem earum vix ferre poſſint, ventriculum ſolum laborare exiſtimant) Dandi flores cichorii vel conditi ſaccharo, vel recentes, & obſtructionibus in Meſaraicis ſubveniendum: Nam cichorii flores non ſolum Epati calidiori proſunt, verum ventriculi vim excitant, & ab obſtructionibus liberant. *Crato*: Radices cichorii, maxime ſylv. eadem vi & eminentiori pollent.

III. Plurimi reperiuntur qui uſum *vitrioli ſpiritus* angue pejus fugiendum ſtatuunt, ut patet ex Sylvatico controv. 48. & aliis, qui ex noxiis qualitatibus vitrioli communis non præparati, & à ſuis impuritatibus minime ſeparati, plurima deducunt inconvenientia, ſed fruſtra, aliud enim eſt conſiderare dicta Galeni, Dioſcor. &c. ubi tantum de vitriolo crudo loquuntur, aliud eſt perpendere vitriolum præparatum, cujus magna eſt varietas, ita ut illud ſolum pluribus Hermeticis ſufficiens videatur ad officinam Pharmaceuticam exornandam: De ſpiritu Vitrioli, cujus hodie frequens eſt uſus, quærimus? hunc plurimum ad maximas putredines inhibendas inſervire cum experientia teſtatur Crato p. 146. apud Scholtzium; quamvis in ſiccioribus naturis cautio major quam in humidioribus obſervanda ſit: Hanc etiam in appetitu dejecto plurimum præſtare quotidie experimur, tunc temporis potiſſimum ubi fæcibus pituitoſis & mucilaginoſis internæ partes ventriculi quaſi obvolvuntur & obſtruuntur, ita ut ſpiritus famem producentes, h. e. innatus ventriculi calor obtuatur, & ad operationem ſuam perficiendam ineptus reddatur: quatenus in ſe continet vim penetrantem, incidentem & mundificantem, eatenus materias & cruditates illas mucilaginoſas attenuat, digerit & abſumit: unde conſequenter ſpiritus eſurientes, antea quaſi ſepultos excitat, qui fructus conſuetos in extimulando orificii ſenſu producunt & famem generant. *Gr. Horſtius.*

IV. *Venæ ſectio* concedi poteſt, eaque repetita, ſed parca; licet Avicenna moneat quod nauſeantem phlebotomare non oporteat, convenit tamen ſi ſenſus fiat ſuctionis non fiat in ore ventriculi, & ſi non percipiatur; non fiat autem, quia naturalis partium exinanitio non fiat & præcedat, ob exercitii defectum: Non percipiatur autem, quia os ventriculi cruditatibus, ex liberaliori vivendi ratione congeſtis; obſideatur: Tunc enim cauſam auferendo 1. m. utilis eſt. *R. I. Fortis conſil. 72. cent. 2.*

V. *Balneum aquæ calidæ* cutem rarefacere, humores inſenſibiliter reſolvere & diſcutere ac exinanitionem juvare conſtat: Et licet Hippocr. 3. acut. cibos faſtidientes non eſſe lavandos pronuntiaverit, intelligendus tamen de iis in quibus adeſt ſuccorum defectus ob metum ſyncopis. *Idem ibid.*

INCVBUS.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio quando conveniat. 1.
Purgatio ſit per epicraſin. 2.
Stibii ope curatus. 4.
Cauſa aliquando in thorace latet. 3.
Excluſione ſucci melancholici curatus. 5.
Cordis ratio habenda. 6.
Fonticulo quando locus. 7.
Cavendum à valide attenuantibus & incidentibus. 8.
Melancholicis qualia conveniunt. 9.

I. AN ſanguinem mittere licet? Diligenter conſiderabis an is quodammodo abundet, vel humor abundans ſanguini commixtus ſit; tunc enim, & maxime ſi ſuppreſſa fuerit aliqua ſanguinis conſueta vacuatio, ſi neque ætas, neque vires, aut quicquam aliud vetuerit, prudenter oportebit ſanguinem mittere, parce quidem & per longiſſima intervalla: Verum ſi ex ſuppreſſa aliqua ſanguinis evacuatione affectio ſuboriatur, tunc eam vel ad locum conſuetum revocabis, vel a parte proxima ei per quam ſanguis fluere aſſueverat liberalius ſanguinem mittes. *Mercatus.*

II. Corporis & capitis craſſi viſcidique humores aut melancholici præparandi, & per commodam regionem evacuandi: Sed providendum eſt parti conſentienti, nam ſi venter mali cauſa fuerit, non erit abs re à *vomitu* principium curationis auſpicari; ſin aliter à peculiari purgatione: Quam ſane curationem (modo in capite malum firmatum ſit, modo ab aliquo inferiori membro præſtetur) potius per *epicraſin* & repetitas vices inſtitues, quam per confertas & ſubitas vacuationes, ut paulatim præparatis peccantibus ſuccis, citra virium diſpendium, ne ob id, & humorum magnam agitationem, in gravius malum affectio degeneret. *Idem.* Dum affectus in capite viget, topicis frequentius uti oportebit, parcius tamen & per intervalla purgare: At ſi ea conſenſu totius corporis vitium ſuboriatur, uberius eſt purgandum: *Idem.*

III. Tres cauſæ hunc affectum patiunt, 1. quando halitus quidam caliginoſus & denſus irruit cerebrum. orta ex infimis corporis ſedibus, à craſſis, crudis frigidiſque humoribus: Secunda cauſa. craſſus etiam eſt & nebuloſus vapor, non aliunde tranſmiſſus, ut in præcedenti, ſed ab eodem capite ex alimento improbe confecto, aut humoribus ibidem immorantibus. Tertia vero & ultima cauſa, paucis tamen nota, plenitudo eſt multorum & craſſorum humorum, exiſtentium intra venas, præcipue thoracis & partium vicinarum, earum maxime quæ reſpirationi ſubſerviunt: aliquando vero fit à paucis, ſed craſſis, eaſdem partes, & eas quæ prope cerebrum ſunt, obſidentibus, quos cum ſubigit movetque calor inter dormiendum, majorem infert in reſpiratione preſſuram, 1. ob novum morbum in prædictis partibus, quo fit ut cum nequeant inſtrumenta hæc reſpirationi libere inſervire, ſuffocatio vere ſubſequatur. 2. Quia conjectabile eſt non dilatari tantum dicta inſtrumenta inter dormiendum modo prædicto affecta, ac tempore vigiliæ: Cujus dilatationis defectu, & ob primam etiam cauſam, periculum imminet ſuffocationis: Si affectio ex hac cauſa prodeat, expergefacti laborantes, licet mente conſtent, diu tamen difficulter reſpirant, quaſi à citatiori curſu excitati: argumentum profecto mali principium eſſe in reſpirationis inſtrumentis: Eandem autem curandi legem obſervabis quam capite de difficili reſpiratione, *Idem.*

IV. Cuidam quamprimum ſomno oppreſſo, ſibi videbatur canes nigros in pectus illabi, & cor violenter comprimi: Hic multis celebratis, ſola ſtibii ope, vacuato per ventrem tetro humore, convaluit. *Zacutus Prax. adm. l.* 1. *Obſ.* 46.

V. Vidit *Sylvius* duos quadragenarios, habitu melancholico, qui de hoc affectu inter ſe conquerebantur: Conjecit id fieri propter ſuccum melancholicum multum, opplentem vaſa Lienis ad ventriculum attinentia; conjecturam veram probavit exitus, nam purgato ſucco melancholico conquievit. *Dovynetus Apologia lib.* 3. *cap.* 2. *Dioſcorides* laudat xv. grana nigri fructus pæoniæ, trita & ſumpta cum aqua aut vino, quod eſt *Pauli & Aetii* experimentis comprobatum.

VI. Quia ſic affecti vel corde contremiſcunt, vel timidiores ſunt, providendum etiam cordi, epithematis, ſacculis &c. *Mercatus.*

VII. Incubo non confirmato fonticulus nequicquam inurendus, nec torquendus æger hoc remedio, velut in eo qui fixus in capite. *Prevotius in Prælection.*

VIII. Vitentur attenuantia valde & incidentia, ne materia vapores excitet *D. Fontanonus l.* 1. *cap.* 14.

IX. In melancholicis cavendum à calefacientibus, ubi refrigerantia & humectantia expediunt. *Duretus in Enarrat. ad Hollerium.*

INFANTIUM REGIMEN.

SYLLOGE.

Vaſa Umbilicalia *nec ſtrictius, nec arctius liganda.* 1.
Recens nati an calida vel frigida debeant ablui. 2.
Faſciis *arctius ne ſtringantur.* 3.
Lac *maternum an ſemper melius.* 4.
Lac recens an vetuſto melius. 5.
Nutrix *menſtrua patiens an repudianda.* 6.
Mammæ *minores an præferendæ majoribus.* 7.
Nutrici *an coitus ſemper interdicendus.* 8.
Lactis vitium quando emendabile. 9.
Pultis *conficiendæ ratio.* 10.
Puer quando ablactandus. 11. a.
Purgatio *per lac Nutricis.* 11.
Per leviora ſemper fiat. 12.
Medicamenta *per vim intrudendi ratio.* 13.
Affectus eorum difficilis curationis. 14.

AFFECTUS.

Ani Procidentia.

Si ſit cum inflammatione Cucurbitulæ *valent.* 15.
Pulverum adſtringentium *uſus.* 16.
Torpedo *admota fallax remedium.* 17.
Cauteria *admovenda in pertinaci,* 18.

Aphtæ.

Aphthæ.

(Vide *Lib.* 1.)

Cucurbitulæ *vbi admoveadæ.* 19.
Si maligna in remediorum vſu ætatis habenda ratio. 20.
Ori ingrata nunquam ingerenda. 21.
Mala Punica *an noxia.* 22.
Valentioribus *aliquando opus.* 23.
Butyrum *an conveniat.* 24.
Graves lædaai vſu curata. 25.

Apoplexia.

Dentitioni *accidens quomodo præcavenda.* 26.

Atrophia.

(Vide *Lib.* 1.)

A vermiculo inducta curatio. 27.
Cauſarum enumeratio. 29. a.
A frigido humore *inducta curatio.* 29. c.
Rachitidis *comitis curatio.* 28.
Cum alvi fluore *complicata curatio.* 29.
A Dracunculis *excitata.* 30.
Afaſcinatione *curatio.* 29. b.

Aurium dolor, inflammatio.

(Vide *Lib.* 1.)

Cucurbitulæ *vbi admovendæ.* 31.
Aqua nunquam infundenda. 32.
Album Ovi in Inflammat. *an conveniat.* 33.

Catarrhus.

(Vide *Lib.* 3.)

An Capitis *perfuſio tuta.* 34.
Diuretica *aliquando proſunt.* 35.

Claudicatio.

Circa luxationem *facta curatio.* 36.

Convulſivi motus.

(Vide *Lib.* 3.)

Dentitionem ſequuti Sanguinis miſſione *ſedantur.* 37.
Imminentium *præcautio.* 38.
Actu efficientium *curatio.* 39.
Dentitionis comites quomodo arcendi. 40.
Somni conciliatio *valet & vſus* anticpalmodicorum *eo in caſu.* 41.
Curatio, quando cauſa in capite *ſubſiſtit.* 42.
Curatio, quando latet in viſceribus *imi* ventris. 43.
Curatio, quando pendent à ventriculo & inteſtinis. 44

Dentitio.

Confert Cerebrum leporinum. 45.
Spina. 46. a.
Difficilis ob gingivarum *duritiem curatio Chirurgico.* 46.

Diarrhœa.

Sedata lactationi *reddendo puerum à mammis depulſum.* 47.
Viridiam dejectio unde. 47. a.

Dorſi vertebrarum quaſſatio.

Reſtitutionis *ratio.* 48.

Epilepſia.

(Vide ſupra *Convulſio.*)

Meconij *expurgatione curata.* 49.
Occipitij *inuſtio an probanda.* 50. a.
Quando & quibus convenit. 50. b.
Magna cautione adhibita excitanda. 50. c.
Decocti ſeminis aniſi efficacia. 51.
Pulverum antepilepticorum *non ſemper tutus vſus.* 52.

Febris.

An Sanguis mittendus. 53. a.
Scarificatio venæ ſectioni præferenda. 53. b.
Ab actiori lacte *excitata.* 53.
Lenta *ab obſtructionibus.* 54.
Spiritus ſulphuris non exhibendus. 55.
A vermibus *excitata curatio.* 56.

Hernia.

In rupturis rare convenit Sanguinis miſſio aut purgatio. 58. a.
Hydrocele *ſæpe ſponte ſaneſcit citra remedia.* 57.
Caſtratio non temere concedenda. 58.
Omenti tumor *pertinax Chirurgiam requirit.* 58. b.

Hydrocephalus.

Ad Chirurgicam operationem quando veniendum. 59. 67. a.
Sectio vbi inſtituenda. 60.
Vſtiones an probanda. 67. a.
Apertio juxta muſculum temporalem non facienda. 67. b.
Paulatim humor vacuandus. 61.
Ligatura qualis eſſe debet. 62.
Aliquando ſubeſt oſſis vitium. 63.
Si aqua collecta ſit ſubter muſculos temporalis quid agendum. 64.
Curatio per admota Cauſtica an ſecura. 65.
Tumor ab ichore acri aliter curandus. 66.
Sola faſciatione curatus. 67.
Contuſio *in partu accidens* Hydrocephali *ſpecie imponit.* 68.
Fontauella in Occipitie periculoſa. 67. c.

Imperforati.

Circa curationem cautiones. 69.

Labiorum Affectus.

Fiſſuræ *curatio.* 70.
Gaecroſis remedijs quandoque eget. 71.
Tumor cruſtaceus *ſoli fonticulo in inter Scapulis facto cedens.* 72.

Linguæ frænum.

Temere non eſt incidendum. 73. 75.
In pauciſſimis adſtrictum eſt. 74.
Exciſio intempeſtiva nutrici & alumno noxia fuit. 76

Maculæ, Nævi.

Poſſunt emendari. 77.
Curatio per illitum Sanguinis ſecundina, falſa. 78.
Cum cautela deleantur. 74.

Obſtructiones.

An ſemper aperientibus præmittenda Purgantia. 79. b.
An ſemper ante illorum vſum Sanguis mittendus. 79. c.
Aperientium *rectus vſus.* 79. d.
An chalybeatis *medicamentis liceat uti.* 79. e.
Eorum recta adminiſtratio & præparatio. 79. f.
Vini modicus vſus aliquando neceſſarius. 79. g.

Oris inflammatio.

An conveniat mel roſatum. 80.

Pavores.

Abſinthium *non utile.* 81.

Reſpiratio læſa.

An Aſthmati ſyrupus *de hiſpidula.* 82.

Scabies.

Temere non curanda. 83.
Quando curatio ſuſcipienda. 83. b.
Quibus præſidijs utendum. 83. a.
Topicis *quando locus.* 83. c.

Scrofulæ.

Maxima cautione curanda. 84.

Seiriaſis.

Alium curationem quam eryſipelas poſcit. 85.
Cautio *adſit in refrigerantium externorum vſu.* 86.
Admovendorum ratio. 87.

Tuſſis.

Spaſmodicæ *curatio.* 88.
Pectus an debet inungi. 89.
Quædam Sanguinis miſſione curanda. 90.

Varæ Tibiæ. Variolæ, (Vide *Lib. xviij.*)

Sponte citra Chirurgiam ſæpe reſtituuntur. 91.

Ventris Dolor, Tumor.

Excitatur ſæpe à contactu umbilici reſecti. 92.
Induratio *ab infarctu vaſorum quomodo curanda.* 93.

Vermes.

(Vide *Lumbrici lib. x.*)

Necandi priuſquam educantur. 94.
Amaris dulcia miſcenda. 95.
Quæ infunduntur per alvum dulcia ſint. 96.
Remedia ne ſint vehementia. 97. 106.
Ventriculo iununito exhibeantur. 98.
Corallinæ *efficacia.* 99.
Facile diſſolvuntur. 103.
Non eadem eſt curatio cum adeſt, vel abeſt febris. 100.
Si fluxus ventris jungatur, quomodo necandi. 101.
An decoctum ligni conveniat. 102.
Theriaca *an porrigenda.* 104.
Hydrargyrum *non omni ætati convenit.* 105.
Aloës *exhibendi ratio.* 106.
Cruditates, ex quibus fiunt, arcenda. 107.

Vigiliæ.

Aliter curanda quam in adultis. 108.
Crocus *an conducat.* 107.
Narcotica *non danda.* 110.

Vmbilici Tumor, Inflammatio.

Curatio Chirurgica aliquando requiritur. 114.
Et inflammato *non oleum roſatum.* 115.
Abſceſſus *excitatus aperiendus non eſt.* 116.
Tumoris *à* Carnoſa *ſubſtantia innaſcentis curatio.* 111.
A Sanguine aut ſpiritu arterioſo ſi tumet non aperiendus. 112.
Emplaſtrum in ruptura efficax. 113.

Vomitus.

Non ab unica cauſa excitatur. 117.
Roborantia ventriculum qua hora exhibenda. 118.

Regimen recens natorum.

I. OBſtetrices imperitę ſolent nonunquam infantium *Vaſa Umbilicalia*; aut nimis ſtricte ligare, vt citius abſcindantur; aut nimis laxe, vt ligatura non ſatis retinere poſſit ſanguinem: Id quod accidit in duobus infantibus quorum vires ab hæmorrhagia adeo fuerunt exhauſtæ vt nullomodo refici potuerint: Erunt itaque filo ſæpius duplicato diligenter liganda vaſa illa: Ad majorem quoque ſecuritatem, poſtquam abſciſſa fuerint vaſa, hunc pulverem aſpergant, quo ſemper inſtructæ ſint, ℞. *Aloës, thur. ſang. drac. ana.* ℨj. *c.c. vſti, terra ſigill. far. volat. ana.* ℨij. *pil. lepor. minut. inciſ.* ℨß. *miſce. Hildanus.*

II. Recens natum obſtetrix manu leviter abſtergat, & faſciæ ac tegumenta molliſſima, quantum fieri poterit parentur, quippe vel corpus plurimum lavare, vel pluries, aut pulveres adſtringentes, vel ex ſale ſuper aſpergere, majoris mali ſolent eſſe cauſæ quam beneficii, qua ratione jure optimo receſſerunt ab vſu, ſatis enim eſt aqua tepida corpuſculum mundare ad ſummum, quam vel ſiccis cutem denſare, aut calefacere, vel refrigerare, ac ſupra modum emollire molliſſimum corpus, vt antiquitas aſſueverat: Quod ſi ſit frigidior, mucoſis plenus ac viſcidis excrementis exeat puerulus, ſatis erit vino

vino calido abluere, quinimo neceſſariſſimum: Verum ſi macilentus, calidus & ſumme extenuatus exierit, ſapientiſſimum eſt conſilium, non ſolum nuper ab exortu, ſed & ſpatio trium aut quatuor menſium oleo ſeſamino ipſum inungere, poſt emundationem excrementorum, ſingulis diebus dum puer it dormitum: Sed in talibus corpuſculis conſultiſſimum eſt puellum Virgini cuidam tradere, quę juvencula ſit, carnoſa, boni habitus & vegeti coloris, quæ ſecum in lecto puerum caloris illius beneficio foveat, & halitu ejus veluti refoveatur puer: Plures enim cognovimus hoc ſolo beneficio reſtitutos. *Mercatus.*

Septentrionales quædam gentes aquâ frigidâ abluebant corpora recens natorum, imò immergebant ad robur conciliandum: quem morem reprehendit *Galenus*, ob ſubitam ex calore in frigus mutationem, & pororum cutis conſtipationem, quæ putredinis, exanthematum aliorúmque affectuum cauſa eſſe poteſt: Nec tepidaij ſunt abluendi; Obſervavit *Fabritius Hildanus, Centur.* 14 *Obſervat.* 96. puerulum ab ejuſmodi ablutione catarrhis obnoxium vixiſſe. *Galenus* infantulum, cujus corporis conſtitutio omni noxa vacat, antequam faſciis obligetur, ſale tenuiſſimo per totum conſpergit, lib. 1. de ſan. t. cap. 6. Ab *Averroë* carpitur, quòd ea ætas ſalis acrimoniam non ferat, & ob periculum ne ex ſalis adſtrictione vitioſi ſucci, qui per cutim tranſpirant, cohibeantur, Satius eſt ex *Avicenna* conſilio corpus ablucre vino in quo rubentes roſæ prius efferbuerint, vel vrina ejuſdem.

III. In quibuſdam regionibus & familijs infantuli *faſcijs arctius ſtringuntur*, hinc ſæpe fit vt ija corpus & artus, gibbis aliiſque deformationibus genuom, tibiarum &c. protuberent: Oſſa enim adhuc tenera, mollia & cartilaginea facilè contorquentur, extra ſedem naturalem dimovētur, quæ indurata vitioſam figuram ſervant: Ruſticorum pueri amplo ſunt pectore, quia non ligati, vel ſaltem laxius in cunis jacent; Strictiùs circa pectus ligatis coſtæ comprimuntur pectuſque acutum evadit: Puellæ quæ nimia arctè pectora comprimunt quò graciliores evadant, vel tabidæ moriuntur, vel gibbæ fiunt: Obſtetrix quædam, notante *Borello Centur.* 2. *Obſervat.* 59. pro ſaga habita fuit, quod quicunque puelli ab ea faſciarentur vel tabidi, vel languidi viverent, quod tamen à nimia tantùm compreſſione ortum ducebat: Nutrices quoque capita nonnunquam, decoris gratia (quod acuta elegantiora illis videantur) faſcijs ſtrictè ligant; hinc cranio compreſſo & in longitudinem abeunte, cerebrum ejuſque ventriculi comprimuntur, quo ſic debiliori reddito, fit catarrhis obnoxium: hi ſi adoleſcant, hebetiori ſunt ingenio, quod ſpiritus non ritè elaborentur, aut liber commeatus per cerebri anfractus præpediatur. Error quoque eſt nutricum eodem ſemper bracchio infantes geſtantium, vnde ſçævolæ fiunt; vel per crura tantùm, vnde claudi.

IV. Optimum erit ſi matres ſuos infantes nutriant, quia eorum lac fit ex eodem ſanguine quo fœtus alebatur: Nutricis vero lac, quanquam etiam lac ſit, & quidem humanum, tamen omnino in hoc non minor eſt differentia quàm conſtitutionis corporis ac temperamenti matris & nutricis; neque vllius nutricis lac eam convenientiam habet cum corpore infantis quam lac maternum: cùm ergo vnumquodque animal ſibi ſimilibus nutriatur, præferendum maternum, quia ſimilius: Multas elegantes in id, ſed morales, rationes affert *Phavorinus* apud *Gellium* lib. 12. cap. 1. At quia plurimæ matres probo non ſunt temperamento præditæ, morboſæ, interdum etiam malis moribus, aut quia magnates aliæque imbecilliores tædia lactationis non ferunt, eligenda nutrix bene morata, quæ pathematis minus anciatur, animo tranquillo, non ſtolida, iraſcunda, ebrioſa, melancholica, ſalax, optimi habitus, ætatis vegetæ &c.

V. Quibuſdam ſuperſtitioſum videtur *Lac* recens eligere, quod lac propriè loquendo nunquam vetuſtum ſit, quia novum ſingulis diebus gignitur, cujus natura pro varia mulierum temperie & alimentorum diverſitate variatur, non autem ex ipſo lactandi actu: Satius tamen eſt vt nutricis partus cum prolis lactandæ nativitate coincidat, neque vltra menſem diſtet: Si quidem recens natis lac ſeroſius & dilutius debetur, quale matri recens puerperæ natura indulſit, vt magis abſtergat ſordes in ventriculo tenelli fœtus hærentes: vetuſtum autem proculdubio craſſius eſt, adeóque minus aptum,

VI. C. *a Vega* cenſet *Lac* purius evadere ſi fæculentus ſanguis vacuatur, cujus mixtione in corpore præexiſtens inquinatur: Exemplum affert lactantium, quibus cùm rarò fluant menſtrua cacochymia ſuccreſcit in corpore: Lactans quædam, apud *Hippocrat.* 2. Epidem. ſect. 2. Papulas per totum corpus habebat: cum autem ceſſavit lactare ſubſederunt æſtate: Si ergo ſuppreſſio menſtruorum, etiam in lactantibus, eſt cauſa cacochymiæ, cur quæruntur nutrices quibus non profluant? videtur enim eſſe ſatius vt ſingulis menſibus purgentur quàm vt impurus ſit ſanguis? Reſpondet *Valleſius*, Cùm non poſſit fieri expulſio excrementorum quam non præcedat ſecretio, neceſſe eſſe ſingulis menſibus tempore excretionis (quum ex doloribus totius corporis antecedentibus agnoſcimus) totum ſanguinem perturbari, eóque perturbato vitiari lac: Satius ergo ſit temperatam nutricem eligere, & bonos ſuccos ei idoneo victu procurare, quam cum illius conturbatione crebrâ ſanguinis expurgationem à menſtruâ vacuatione expectare: Accedit quod naturæ opera ordinem habent: cùm ergo menſtruus ſanguis ſit generationis principium, cum is apparet, ad aliam jam prolem natura convertitur, quare ad priorem inepta eſſe incipit: quare & puerum oportet transferre ad aliam nutricem: Quod ſi non adeſt copia nutricum, ſed vna adeſt menſtruam habens vacuationem ſingulis menſibus, dum profluit vitet, quoad fieri poſſit, lactationem, magis autem vitet vnum aut duos dies antequam erumpat, quod tempus ſecretionis eſt, quam cum jam fluit.

VII. Quidam minores *mammas* improbant non ſine ratione, quia lactis minorem copiam generant: Majores verò cur vitioſæ credantur neſcio, nam majorem lactis quantitatem ſuppeditant, quod probum eſſe poteſt: Non enim capacitas mammarum lac mutat, ſed temperies.

VIII. A Coitu prorſus abſtineat *Nutrix*, lac enim conturbat, ſanguinem ad vterum allicit, vnde vitioſum lac redditur, ejuſque copia imminuitur: Concedit tamen *Varandaus* ijs quæ cum viro degunt, ne gravi ejus deſiderio perturbentur, Et videmus matres quæ cum maritis ſuis degunt, & coitu vtuntur, innoxie tamen fœtus ſuos alere. Scribit *Bonaciolus* matri lac non corrumpi ſi ab eodem viro concipiat. *Primiroſius de morbis Pueror. pag.* 4.

IX. *An pueris morbo aliquo correptis lac ſtatim* (vt in reliquis corporibus morbo aliquo acuto cor-

reptis alimenti formam ad tenuiorem mutare) *nutricem mutare, & aliam eligere quæ tenuioris neceſſario ſit lactis?* Hic primo conſiderandum eſt, qua occaſione puer laborare cœperit: nam ſi ab externa cauſa, ſive cibus, ſive potus, ſive aër ſit, fruſtra videtur lac familiare & amicum mutare in inconſuetum, tempore quo minus vires ferre videntur poſſe conſuetudinis mutationem: In quo caſu, licet in aliis morbis non opus ſit mutare ſi morbus fuerit ex acutis, in quibus conſueta alimenta, quantumvis ſint amica, in tenuiora oportet mutare, nutricem eligere convenit quæ tenuius lac porrigat: quod quidem non ita neceſſarium exiſtit in morbis minus laborioſis, minus acutis, & qui parum ob accidentium levitatem aut privationem vires labefactant: At in acutis morbis, aut ſi puer laboraverit ob vitium lactis, ſive id ſit propter morbum aliquem nutricis, ſive quia mammarum temperies everſa eſt, vel diuturnitate lactationis, vel alimenti aut vitæ mutatione, vel quod gravida facta ſit, aut ob caſum ſubitum; vel quavis alia cauſa, vel quia lac non eſt adeo purum & ſelectum ſicut à principio fuit; vel infanti jam adultiori non convenit, licet antea convenerit, tunc quidem citra cunctationem nutricem mutare oportet in eam quæ lac habeat ſimile præcedenti, ſi morbus fuerit parvi momenti: Verum ſi ex Acutis, in eam quæ lac habeat tenuiſſimum, quantum ſævitia mali poſtulaverit, ob adductas rationes: Quippe cum pueri laborant, non laudo ſtudere lac in eadem nutrice corrigere medicamentis aut purgationibus, nam longe magis evertitur, & ſub ſpe futuræ ſalutis deterius alimentum puero laboranti præbemus, Et ob id ſatius erit nutricem mutare quam morbum morbo addere: Certum enim eſt alimenti mutatione mala corrigi quæ ex alimento prodierunt, & quæ non prodeunt non creſcere: At cum infans tenuit vbera vlterius ſugere, tunc profectò teneris coacte lac in ipſa nutrice tenuare & corrigere, non quidem purgantibus, dum puer laborat, ſed alterantibus verſus eam qualitatem quæ morbo ſit contraria, aut ad tenuitatem, vt in acutis neceſſum exiſtit: quippe extenuabis ferculis nutrici præſtitis ex petroſelino, fœniculo &c. cum mediocri exercitio: Quod ſi lac prævaluerit ſapore aliquo ſalſo, amaro &c. magis laudo nutricem mutare quam fruſtra conari corrigere. *Mercatus.*

X. Depulſorum ab vberibus infantium vſitatus cibus eſt *Puls*, ex farina, præſertim triticea, & lacte parata, mediam inter ſolidam & liquidam conſiſtentiam nacta, etſi ad illam propius accedat, nec enim ſorbilis eſt: Ob viſciditatem, qua anguſtos meatus vix permeat, in iis ſubſiſtens, plurimorum morborum author eſt, præſertim obſtructionum: Si enim ex farina & aqua tenaciſſimum gluten conficiunt ad vſus externos, quod ex lactis, viſcidi & craſſi, additione non producendum eſt? alimentum ſcilicet inde fiet & εὔπεπτον, & ἐμφρακτικόν: Vitium emendare quidam ſtudent diuturniore coctione, quo cruditatem exuat farina; At eo pacto ſerum, quod fluiditatem aliquam illi conciliabat, exhauritur, ſuperſtite butyroſa parte, quæ viſcida eſt & lenta; ac caſeoſa, craſſa & terreſtri lactis portione: Alij ſola ſubactione & verſatione, cum leviſſima ebullitione Pultem conficiunt, ne excludatur ſerum, à quo vis permeandi & alvum movendi obtinet; At ne ſic noxa vitatur, cruda enim permanet farina, ἀτέραμνον, cruda & indomita; Hæc vero ſit parandi ratio, non infantibus tantum congrua, ſed & in vſum culinarium, vnde ὑδαρέστερον ferculum emergit, lacti ſcilicet, juſculo carnium &c. admiſcendo: Accipiatur farina bordeacea, vel avenacea; ſacculo ex tela denſiori includatur, coquatur in aheno per horas x i j, adeo vt aqua ſemper emineat, depreſſo ſacco pondere gravi impoſito, Exemta farina furno calenti, ſed exempto pane, committatur, & ad vſum reponatur maſſa: Vitium Pultis vſitato modo confectæ optime perſtringit Clariſſ. D. D. *Theodorus Zwingerus* in Theſibus inauguralibus anno 1680. habitis περὶ παίδων τροφῆς: Materia, *ait*, Pulmentorum farina eſt atque lac; imo & hujus loco ſæpe aqua, ex quibus ſine fermentatione, ſimplici tantum coctione paſta conficiunt, qua tenellos quotidie ad nauſeam vſque ſaginant: Jam vero cuilibet, ſi non propria, ſaltem aliorum experientia conſtat à pane, vel leviter, vel nihil fermentato, ventriculum etiam robuſtiſſimum gravari inſigniter, coctionem turbari ac cruditates colligi acidas: hoc cum contingat robuſtis hominibus, quis mirabitur amplius & pulmenta iſtiuſmodi in tenellorum ſtomachis, longe debilioribus, ſæpius corrumpi, ac in paſtam glutinoſam atque acidam verti?

XI. Si Lac *Purgandi gratia* puero dare expediat, quo tempore medicamentum mulieri propinabimus? Reſp. Si vera eſſet *Galeni* & ſequacium opinio, lac ſcilicet ex ſolo ſanguine omnino generari, ad minus per diem ante dandum eſſet medicamentum, quia antequam per tot coctiones pertranſeat, minus temporis intercedere non poteſt, At ex *Hippocrat.* doctrina conſtat, lib. de Natur. Pueri v. 250. materiam lactis duplicem eſſe, alteram quidem copioſam, quæ ex cibis & potibus, nondum concoctis in ventriculo, exprimitur: alteram exiguam, ſanguinem ab vtero aſcendentem ad mammas, quæ agentis potius quàm materiæ rationem habere videtur: Ego enim obſervavi minus horæ ſpatio lac purgatorium evaſiſſe in D. N. quæ aſſumpto purgante ſtatim mammam porrexit puellæ anniculæ, non exiſtimans tam citò virtutem medicamenti ad mammas pervenire poſſe (nam id à me vetitum fuerat) quæ adeo fortiter purgata fuit vt de ſuperpurgatione lethali dubitatum ſit, matri vero ne ſemel alvus ſubducta eſt &c. Vide *Martianum comm. in de Nat. Puer. v. 250. Th. Bartholinum Cent. 2. Obſervat. 43.*

XI. *a. Ablactationis* tempus neque vnum poteſt in omnibus præfiniri, nec rurſus certa haberi poteſt lex & regula, cum diſtet corpus à corpore & natura à natura; inſuper non ſit par tolerantia in ablactatione in omnibus, ſed qualis cujuſque fuerit carnium ſoliditas, robur, conditio & appetitus lactis, vel ſecus, ita profectò citius vel tardius conſulere ablactationem poteris: Multi pueri ante tempus ablactati ita graviter tulerunt, vt coëgerint Medicos, metu tabefactionis & morborum futurorũ ad vbera recurrere: Item cum diutius protrahitur ablactatio, difficile deinceps fieri poteſt & non ſine periculo; In qua re ſciendum eſt nullũ puerum eſſe ablactandum ante perfectam dentitionẽ, aut parum ante illam: nam ea eſt lex naturę in appetendis ſolidioribus cibis: Inſuper non ablactabis ſubito & affatim, ſed vt dentes naſci incipiunt, ita ſenſim & paulatim ſolidiori cibo alendus eſt puer: Præterea neque ablactabis ſine ea firmitate, ciborum coctione, alacritate ad actiones, quæ ſufficiat ad tolerandam lactis ablactionem: Verum autem ratio ſtat in eo quod alios cibos appetat, digerat, noctu dormiat, & lactis veluti nihil curet, nam difficillimum eſt lactophagos pueros ablactare &c. *Mercatus.*

XII. In Infantibus ſemper tutius eſt minore quan-

quantitate exhibere *Purgantia* quam majore; quoniam ſi poſt aliquot horas nulla ſequatur dejectio, ejus plus dari poteſt infanti, atque ſic medicamenti cujuſvis vires in quovis abſque periculo experiri dabitur: Quod enim adultis evenit, idem quoque Infantibus, vt non omnes, nec ſemper æque facile, cito, copioſè, à quovis pharmaco purgentur: qua de cauſa ne aliqua ipſis noxa creetur a medicamento potentiore, bonum eſt partitis potius vicibus, atque parum ſingulis, exhiberi purgans blandiſſimum, quam ſimul & ſemel quodvis: Non poteſt namque Medicus nimis eſſe cautus; nam ſi vnquam, vtique circa Infantes non licet ſæpe bis peccare, cum delicati ſint, atque facile pereant. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 1. cap. 2. §. 24.*

XIII. Obſervandum eſt Infantes omne genus medicamentorum avertere, ea propter ſicuti averſantur medicamenta, ita etiam cogendi ſunt omni ingenio vt ea ſumant: loquor de medicamentis quæ ore capiuntur, quoniam extrinſeca facile admittunt: Modus cogendi pueros indicatus eſt à *Paulo* lib. 4. cap. 55. Vbi inſtrumentorum mentionem facit quibus vtendum eſt ad cogendum pueros: Et eſt cochleare, quod primum intra dentes ponitur vi, quo ſçilicet dentes à ſe inyicem abſcedant: deinde fiſtula, anguſta quidem ex vna parte, latiſſima vero ex altera, & longa: hæc qua parte anguſta eſt mittitur in os vſque ad fauces, & qua parte latiſſima eſt infunduntur medicamenta, ſic enim fit vt velint nolint ſorbeant pueri medicamenta. *Mercurialis lib. 3. cap. vlt.*

XIV. Duo ſunt quæ in Medicina maxime me habeant anxium ſollicitúmque, in quibus maximis anguſtijs premor, difficultatibus ſcateo, & fere titubo, ſcilicet cum gravidis & *Infantibus* medeor: Nam hi dolorisſitum, ſpeciem vel quid aliud neſciunt explicare: Vt certiſſime dixerit *Galenus 2. de Alimentis* ex *Platone*, Pueros eſſe maxime intractabiles ferarum omnium. *Epiph. Ferdinandus Hiſtor. xiij.*

Ani Procidentia.

XV. Si *Ani Procidentia* ſit cum inflammatione, loco Venæ ſectionis vtendum Cucurbitulis, præſertim dorſo adhibitis, & etiam frictionibus: Quod ſi fuerit grandior natu, poſſunt ſcarificari cucurbitulæ: Præter hæc erit puer blandiſſime *Purgandus*: Sed ſi Purgans exhibeamus, proculdubio inflammatio magis excitabitur in exitu fœcum: In hoc ergo caſu, vt alvus fluat blandiſſime eſt providendum, & per vrinam potius eſt purgandum corpus quam per alvum, Itaque pro purgatione laudo vt capiatur lib. j ß. ſeri caprini optime depurati, vel bubuli, & miſceatur ℥ j ß. ſucci ſeminum melonum: Hoc enim medicamentum purgabit maxime per vrinam, & ſi etiam alvum muverit, id aget blandiſſime & ſine vlla mordicatione. *Mercurialis lib. 1. cap. 10. Mercatus lib. 2. cap. 10.*

XVI. *Anum prolapſum* cohibent Pulveres & Olea, vt ℞. *Olei Myrthini & roſat. Omphac.* & hoc Anus illinatur, deinde aſpergatur modicum hujus Pulveris ℞. *Ceruſſæ, antimon. gallar. alumin. ana.* ʒ iij. pulveriſentur & adhibeantur: Laudatur hic Pulvis à *Rhaza*, & ego expertus ſum eſſe efficaciſſimum, ſed advertendum eſt quod admonuit *Aëtius*, in Infantibus & in Pueris tractandis teneriorībus, minime vtendum eſſe iſta Pulveribus, maxime adſtringentibus & efficacioribus, propterea quod magnopere exaſperant, & dolores patiunt; quare niſi puer ſit adultus prædicto pulvere vti erit inutile. Habentur 9. K. T. multa medicamenta vehementiora quam conveniant pueris tenerioribus, ideo magis laudo conſilium *Galeni* 3. Euporiſt. ſçilicet vt utamur aqua fabrorum & pulvere cochlearum vſtarum. *Idem.*

XVII. Scribit idem *Galenus* 2. de ſimpl. Medic. à multis ſcriptum eſſe Torpedinem appoſitam Ano prolapſo vtiliſſimam eſſe; ſed ſubdit ſeſe hoc remedium incaſſum eſſe expertum: Pulvis quoque ex ſpolio ſerpentis maxime prodeſſe ſolet. *Idem.*

XVIII. Quod ſi remedia hæc ex toto malum non auferant, Arabum ſectatores commendant vt fiant duo cauteria in fine ſpinæ, id eſt prope caudam; vnum ex vna, alterum ex altera parte: Quod tamen remedium tantum in adultioribus vſurpandum conſulo, & vbi cætera non conferunt. *Idem.*

XVIII. *a.* Non raro impeditur in ſuum locum redire ob mucorem quo obducitur, quem abſterges, non muria, vt nonnulli conſuluerunt, quia partis ſenſus non tolerabit, ſed aqua ſaccharata, maxime ſi aqua ſit pluvialis, aut aqua mellis plurimum diluta, quod ſæpius facies, & anum linteis aqua madidis involves. *Mercatus.*

Aphthæ.

XIX. Quia *Aphthæ* magnas ſæpe ſolent inflammationes conjunctas habere, atque conſequenter humores à corpore attrahere & malum augere, ea propter vtile erit *Cucurbitulas* apponere, ſed natibus aut in fine dorſi, per quas licebit evacuare tantum ſanguinis quantum ætas & corporis habitudo permittet. *Mercurialis lib. 2. cap. 14. de morbis Puеror.*

XX. *Si Aphthæ malignæ* fuerint, eſt quidem pravitati occurrendum, verum & ætatis & teneritudinis corporis ratio eſt habenda: Itaque non licebit in hac ætate ijs remediis vti quæ ſuſtinere grandior poterit, Poterit autem medicamentum inſtitui hoc modo, ℞. *Scordij ſubtil. trit* ʒj. *cortic. granat. ſubtiliter pulveriſ.* ℈ij. *alum. combuſti* ℈j. *mellis q. ſ. miſce. Idem.*

XXI. Cæterum advertendum eſt, ſive Pulveres, ſive aliud quid ſit adminiſtrandum, neceſſarium eſſe vt cum aliquo miſceatur quod ſit ori gratum, nam in palato poſita eſt facultas guſtatoria, vt maxima ſit habenda ratio guſtus; propter quod, vt videri poteſt apud *Galenum* 6. de Medic. local. Veteres componebant medicamenta ad Aphthas vel cum ſapa, vel cum melle: *Idem.*

XXII. Si ſit infans grandiuſculus, quoniam maximi refert vt ſtatim mali pravitas compeſcatur, ne vlcera evadant ſerpentia, ſtatim ſtudendum eſt medicamentis gravioribus pravitatem omnem auferre; ad quod mirifice poteſt ſuccus granatorum, & præſertim acidorum; Quem dicebat *Theophraſtus* mirum in modum à

putredine conſervare: Et quanquam à *Dioſcoride* *κακόστομος* dicatur, non ob id uti Punica, aut *Ruellio* inimica dicenda ſunt, quod quidem falſiſſimum eſt, ſed ori ingrata: revera experientia conſtat eſſe quid inſuave & ingratum, verumtamen maxime poteſt ad compeſcendas putridas Aphthas. *Idem.*

XXIII. Sed ſæpe uſu venit ut hoc medicamentum non ſufficiat, vnde ad valentiora deveniendum, In quo caſu in grandioribus vti licet vel Aqua aluminis magiſtr. vel vnguento Ægyptiaco, vel flore æris caſtigato cum diamoroge, qua omnia non ſunt vſurpanda niſi in magna neceſſitate, Ratio eſt, quia ex *Galeno* 6. K. T. in palato duæ ſunt latiſſimæ viæ, quarum vna ad pulmones, altera ad ventriculum incedit, propter quod periculoſiſſimum eſt ſi venenatum aliquod medicamentum ad eas partes præcipitetur: Ideo idem dicebat in medicamentis ſtomachicis haud vtendum chalcantho, ob periculum quod imminet ſi hujus medicamenti pars aliqua vel ad ventriculum, vel ad pulmones labatur: Præterea etiam, quoties vtendum erit his medicamentis, præſtabit vti in ea forma in qua nihil poſſit vltra palatum ire, ſicut fit quando Aphthæ malignæ tanguntur vel oleo chalcanthi, vel ſulphuris, vel aqua ſublimata. *Idem.*

XXIV. Aphthis an convenit *Butyrum*? Conveniat quatenus in principio conſiderantur: Sed dubitatur primo quod pinguia reddant ulcera ſordida. 2. Caliditate inflammationem augere poſſet. 3. Nec convenientiam habeat cum reliquis medicamentis in progreſſu vſurpandis: Reſpondeo argumentum procedere in vlceribus profundis, vbi detergendum. 2. Butyrum recens temperatum ſtatui, ob ſeroſam humiditatem adhuc permiſtam. 3. Nec obſtat quod reliqua medicamenta ſint aliarum qualitatum, quia in progreſſu magis exſiccandum & detergendum eſt. *Gr. Horſtius Tom. 2. lib. 6. qu. 2.*

XXV. Puer iv. annor. paſſus eſt fluxionem acerrimam in linguam & fauces, vt infinitis vlceribus ſcaterent albicantibus, admodum dolorificis, cum magna inflammatione, nil poterat deglutire, ejulabat inſomnis, macilentus ac fere conſumptus: Non profuit mel roſac. cum ſpiritu vitrioli, alias vtile: aderat fluxus alvi bilis porraceæ & copioſus: Veſicatorium valde profuit, ſed dolores & clamores valde perſeverabant, & continuo ex ore effluebat humor ſeroſus & acris, dolore & inflammatione magis & magis attrahente: Tandem exhibui Laudani gr. j. cum juſculo, quo dolor ſopitus eſt, ſomnus leviſſimus conciliatus, qui poſtmodum perſeveravit moderatus, & ſuis horis adveniens; hinc fluxio per os cohibita, cœpitque convaleſcere. *Riverius Cent. 2. Obſervat.* 43.

Apoplexia.

XXVI. Puellus inter xij. & xiij. ætatis menſem, ob difficilem Dentitionem Apoplexia forti mortuus: Quarto ante obitum die parentibus Inuſtionem occipitis, alias valde proficuam, mihique vſu compertam propoſui, quam recuſarunt parentes: Convenientia quidem adhibui remedia, at ſine manifeſta membrorum convulſione, clamore & dentium ſtridore Apoplexia correptus obiit. *Scultetus Obſervat.* 29.

Atrophia.

XXVII. Plures cauſas tradunt authores *Contabeſcentia Puerorum*, vna indicta, quam frequenti experimento, ſicut & remedium adinveni: Ea à vermiculo intus prognato ſcaturit, qui totum alimentum infantis depaſcit. Malum cum quo Medici ſæpe laborioſe luctantur, ex quo contabeſcunt pueri: Aniculæ ad faſcinationem referunt: Medici pinta medicamina præbent ad impinguandum, ſed incaſſum: Plurimos ad ſanitatem reduxi rer exhibito ſcrupulo Caſtorij in lacte diſſoluto: Hi per alvum excreto verme obeſo; ſimili illi quem in caſeo corrupto occultari videmus, vixere, & deinceps renutriti, pingues ſunt facti: nam Caſtorium mucum expurgat & fœtore ſuo vermes ſtrenue necat. *Zacutus Pr. Adm. lib. 1. Obſervat.* 133.

XXVIII. *a.* Perfrequens eſt regionibus hiſce malum, quo pueri lactantes & ablactati, lenta *Atrophia* tandem inſtar ſceleti conſumptiſſimi videntur, ſolo abdomine (quaſi ob ſubtus hinc inde jacens molliceliumque parenchyma) tumente: Rachitidi aliquovſque forſitan (præterquam quod iſta artuum tenſio haſtenus abſit &c.) in tantum ſimilis: de cætero citra omnem Dracunculorum aliarumve cauſarum concurſum, ſolo potius manifeſtarioque Lacteorum ductuum & Glandularum vitio: Siquidem vulgaris Tabis in Aſcitem deſcendentis, Tympanitidis, ac conſimilium affectuum ratio atq; cura, nonnullibi huc tracta, nondum ſufficit: Nec tamen etiam curatiori poſtmodum circa meſenterij ſcirrhos & abſceſſus (qui vero potius inveterati mali producta ſunt) methodo communiter præſcripta remedia, laxantia, purgantia, aperientia, ac roborantia, Externique ſitus, balnea &c. expectationi paſſim ſatisfacere vel impedire deprehenſa ſunt, quominus ſic affecti hectica demum, cum ſuperveniente epilepſia, fluxu colliquativo, lienteria, aliiſve ſymptomatibus abripiantur: Obferebatur nobis ſuperioribus annis filiola N. qua conſumptiorem per totam praxim non vidimus, infinitis via remedijs: Rogatus, re deſperata, factóque prognoſtico, neſcio qui demum in Tincturam Martis aperit. Vitriolatam, & in Arcanum illud duplicatum incidi, fortaſſis mali fontem propius quam vitualia alia, inter notam eorum energiam, aggreſſura: Dedimus proin prima quidem ſeptimana continuis, ſequenti vero alternis ſaltem diebus, mane de Tinctura guttas duas in ſingulos ætatis annos: hora iv. pomeridiana ſimiliter pro ſingulis annis granum vnum arcani: Atque ſic paucis diebus elapſis habitior fieri cœpit, brevi poſt (Natura ſponte ſe recolligente) integre reſtituta, hodiéque vegeta ſatis ac corpulenta; Qua Obſervatione, ratiocinio amplius confirmata ducti, plurimos poſtmodum eodem modo, citra aliorum fere remediorum acceſſum feliciter huc vſque percuravimus: Paratur autem Tinctura illa Martialis, è vitrioli Martis (cum ſpiritu vini facti) & Acidi Tartari ana ℥ iv, in aquæ f. libris iij. debita intenſione coctis, ac ſenſim inter agitandum ad mellaginem exhalatis, quæ ſuperfulis ſpiritus vini commun. libr. iij. digerendo ſolvitur, pauco ſedimento (ſi cuncta rite ſunt peracta) relicto, Liquor autem ita ſaturatur, poſt nullam aut exiguam ſaltem abſtractionem ſeu exhalationem, niſi reponitur, Eſſentia papav. errat. ſi placet, ulterius tinctus: Arcanum vero duplicatum habetur apud *Schroderum* Pharmac. lib. 3. pag. 474. *Hofmannum* in Clavi pag. 344. *Dan. Ludovici Ephemerid. German. anni 3. Obſerv.* 251.

XXIX.

XXIX. Oblatus fuit mihi anno 1657. puellus biennis, filius Nobiliſſimi Domini *Davidis Merveilleux*, Seren. Principi Longavillæ à Conſiliis, amici intimi, Atrophia inſigni conſumptus, cum alvi fluore: Diaphanum erat pectus ſi admoveretur candela; deploratus erat apud omnes, præſertim Paſtorem Vrbanum, Medicinam factitantem: Non deſperatum credidi quod nitor oculorum conſtaret; Reſtitutus vero fuit is uſu lactis, cui ſilices candentes immittebantur, addito ſaccharo roſaceo & pauca terra ſigillata: Intra menſis ſpatium habitior factus, nunc robuſtiſſimus, Marti devotus.

XXIX. *a.* *Macilentiæ* Puerorum quatuor ſunt cauſæ, Primò, Alimenti ineptitudo, Secundo, Caloris, cui munus eſt ipſum conficere, impotentia: Tertio, Obſtructio viarum per quas alimentum ad officinas permeat, aut ab eis ad partes alendas defertur: Quarto, Omnis cauſa quæ potens exiſtat pinguedinem & carnes conterere, diſſipare, ac liquare. Ad Alimenti ineptitudinem pertinet *Lactis* conditio, quod vel in minori præſtatur quam decet copia; vel adeo tenue ut ab actione caloris diſſipetur: vel ex propria natura pauciſſimi eſt alimenti, quia parum habet butyroſæ ſubſtantiæ, & reliquarum longe magis: Aut cum amarum, ſalſum eſt &c. quod ideo averſatur natura: Sic caloris nativi defectus mille modis Atrophiam concitat, quia nec laudabile alimentum adhuc valet conficere; aut ſi conficiat, non apponit, aut appoſitum non aſſimilat &c. Sic & Puerorum corpora emaciantur, eo quod viæ, canales, & pori officinarum & carnium ſunt vel obſtructi, vel corrugati, vel collapſi, compreſſi, vel quovis alio modo coarctati: Cujus cauſæ maxima habenda eſt providentia: Tandem cauſa quæ pinguedinem & carnem conterit, aut interna eſt aut externa, Interna, quæcunque impotens ſit continere alituram ſubſtantiam, ut contingit in fluxibus ſanguinis, vel alterius optimæ ſubſtantiæ: vel diſſipat ſudoribus diaphoreticis, aut inſenſibili halitu, vel per urinam, alvum: Sed hæc raro in pueris viſuntur, nam in his vel calor diſſipans, vel ſiccitas abſumens nutrituram humiditatem, plerumque contabefaciunt: Hinc *Galenus* lib. Art. Medic. dixit, *Gracilitatem eſſe firmiſſimum alimentum ſicci intemperamenti:* Externa cauſa eſt, vel æſtuulus calor diſſipans, vel impenſa frigiditas calorem extinguens, vel ſalitorum uſus.

XXIX. *b.* Nec deſunt qui aſſerant Stygias fœminas puerulos lactu emaciare: In qua re, quam alijs diſſerendum remitto, ſat eſt ſcire etiam emaciari, quia comperimus effaſcinati pueros, quod forſan tactu, viſu & halitus alicujus infecti & malefici corporis inficiuntur: tenerrima enim eorum corpora facile a quavis re in deterius mutantur.

Sed qui fieri poteſt ut *pulcher & ſanus puer ſubito in deteriorem ſtatum delabitur, & decolor ac macilentus efficitur?* Sciendum eſt hujuſmodi ſubitam mutationem poſſe in pueris contingere, vel quia ad ſummam perfectionem & ſanitatem puer deductus ex innatis principiis juxta ſuæ ætatis indigentiam eſt, ultra quam nequit gradum facere, neque in eadem permanere, quo neceſſum eſt in deteriorem ſtatum abire. Quo tempore nullo vigendum fore præſidio arbitror, ſed ſperandum optimo vitæ & victus moderamine, quouſque natura firmior fiat, & corpus ad ſolidiorem ſtatum perveniat eadem naturæ actione, in quo ad ultimum maturum ætatum, quas tranſigere poſſit deducatur: ſic enim nobis omnibus contingit, dum nullum in vita committimus errorum, alioquin mutatio illa præludium eſt inſtantis morbi.

Vel rurſus contingit prædicta corporis ſani & morboſi mutatio ex halitu, aut ex oculorum depravato ſpiritu & aſpectu, tenerrimam pueri ſubſtantiam permeante, diſſipante aut inficiente, vel quovis alio modo permutante: Quo tempore ſi quid ſuperſtitioſum, aut maleficum ex dæmonum pravitate acceſſerit, Eccleſiæ S. S. adjutorio expetito prius, ad ea auxilia quæ halitum, flatum, ſpiritum tetrum & contagioſum diſſipare & reſolvere ac infirmare poſſunt, devenire oportet: Cui uſui vulgatum expertum, & ratione confirmatum eſt ad *Suffumigia* confugere; e quibus quædam membra præcipua & corpus univerſum corroborant, & præcavent ne pueri à maleficis vaporibus lædantur; aromata fere omnia & grati odoris: Quædam pravum halitum, humorem, flatum aut ſpiritum, conterunt, reſolvunt, diſſipant, E. g. vinum odoratum, lignum aloës, aqua roſacea, laurus, juniperus, maſtix, ruta &c. quæ calore actuali fumi diſſipant, potentiali atterunt, odore obumbrant & obſcurant atque infirmant vires & poteſtatem halituum, & quicquid ſit ſubſtantiæ aut qualitatis quæ puerum debilitat. Quo factum eſt ut ex conſilio antiquorum, & experimento millies confirmato, nutrices fœtus ſuos frequentibus ſuffumigiis præcaveant & curent ab his faſcinationibus, Rurſus alia ſcribuntur ſuffumigia, ut experiuntur Exorciſtæ ad depellenda veneficia & ejiciendos ſpiritus malos, *Aëtius Serm.* 13. *c.* 119. refert ſuffumigium Bercoices dictum: Apud *Tobiam* ex corde piſcis ad fugandum Dæmonem *Aſmodeum:* Hujus naturæ ſunt fœtida & odorata ſimul, thus, myrr. ſtirax, ladanum, galbanum, aſa fœtida, ruta &c. Qualiter hæc ſpiritus malos fugent, non diſquiro, ſat eſt hac in parte conſulere his adjungenda ſacrifica, orationes &c. quæ ſuffumigia ex ſe fundunt optimum & efficaciorem halitum quia malefica expiratur: Nec parum valent *Inunctiones* in prædictis faſcinationibus, ex ol. oliv. amygd. dulc. per dorſum, ventrem, articulos, cum pauco vino odorifero; Inter plurima commendantur ruta, hypericum, ſemen herbæ Paridis, pæonia, ſulphur. &c. *Idem.* Vide *tit. de Venenis lib.* 18. §. 37. *b.*

XXIX. *c.* Si ex frigido affectu, aut humore extinctus veluti videatur calor, tunc quidem plerumque tameſcunt infantes (licet aliquando faſtidio premantur, cum ſc. pituita putreſcit, aut mucilaginoſa evadit &c.) & quo plus alimenti ingerunt, eo magis emaciantur: inſuper colore albidiore ſunt, & etſi corpus extenuetur, oculi & facies intumeſcunt ac pedes, præludium alterius mali: Affectioni medebetis, non per mutationem aut augmentum alimenti, ſed per ea quæ vel pituitam conterant, concoquant, & calorem vegetiorem reddant: Quo caſu in ablactatis prodeſt ſummopere uſus vini modiciſſimi, cum pane biſcocto, aut in potu, dum plurimum diluatur, nam pituitam coquit, & crudos ſuccos conficit, ac frigidi intemperamenti inclementiam compeſcit, caloremque ſuſcitat: Proſunt præterea ſtomatica, quæ ſi lactanti porrigere non poſſis, nutrici præſtabis omnibus cibarijs admiſta:

Lac enim tenuant, & permeare facilius faciunt &c. *Idem*

XXX. Pueris *Atrophia* quandoque eſt à *Dracunculis*, ſive *Vermiculis*, qui ſub cute in partibus carnoſis ex vitiato nutrimento oriuntur: In hac cura approbata hæc eſt, *Radicis bryoniæ* ℥ j. vel i i. incoque lixivio è cinere querno, donec fiat inſtar pulticulæ: hac pueri vel in balneo, vel in calido loco corpus line: hinc vermiculi poris caput exſerunt, tunc protinus novácula cutis radenda eſt, ſic enim & vermiculis capita deciduntur, & cauſa defectæ nutritionis aufertur: Hæc vero operatio ſemel iterumque repetenda, donec nempe conſtiterit Vermiculos omnes eſſe ſublatos: Exinde pueri balneentur aliquoties in balneis, ex decocto capitis & pedum vervecis, malvæ, althææ, parietar. ſemin. lini &c. *Hartmannus Praxeos Chimiatr. cap.* 185. *§.* 6. *&* 10.

Aurium Dolor, Inflammatio.

XXXI. Solent *Aurium* dolores vſque adeo contumaces eſſe & graves, ut opus ſit deſcendere ad aliquas operationes Chirurgicas, Ideo, ſi ætas ferat, ad divertendam materiam, quam dolor attrahit, conveniet uti cucurbitulis, primò natibus, deinde etiam ipſis ſcapulis affixis, Et ego quandoque in extremo dolore expertus ſum contuliſſe mirifice vlcera in capite pueri excitata; tum quia retardatur fluxus materiæ ad Aures, tum quia ipſæ humiditates cerebri, quæ alioquin ruerent ad aures, fere per ipſa vlcera conſumantur. *Mercurialis lib.* 2. *cap.* 12.

XXXII. Debet obſervari Auribus nunquam infundendam eſſe aquam, quamtumcumque doleant, eo quia aqua maxime noxia eſt auribus: propter quod dicebat *Ariſtoteles* urinatores, dum ſubtus aquam permanere debent, oleo aures opplere ne lædantur. *Idem.*

XXXIII. Dubitari poteſt an *Aurium inflammationi* albumen ovi conveniat, quia primo, vim habeat repellendi: Secundo, Facultatem expultricem impediat, Tertio, Quod materia producens inflammationem potius calida humida, reſolventia requirere videatur; Sed cum vehemens Aurium dolor lenitivum aliquod neceſſario requirat, candidum ovi cum lacte mulieris ſubactum probamus; cui modicam vim repellendi concedimus, reſpiciendò maiorem affluxum qui ratione doloris perſeverantis aliàs fieri ſolet: Imò expultricem in materia pauca non impediendam eſſe ſtatuimus: at ubi magnus affluxus, non tantùm ad humores affluxos, ſed & affluendos reſpiciendum eſt, quâ ratione tertia inſtantia ſolvitur, ubi materia parti laboranti jam impacta reſolvendum atque attenuandum eſſe indicat, non autem ea quæ adhuc in fluxu eſt. *Horſtius ibid. qu.* 11.

Catarrhus.

XXXIV. *Paulus lib.* 1. *cap.* 7. cujus authoritatem producit *Avicenna*, ſcribit ad conſumendam Capitis humiditatem, prodeſſe ſi capita puerorum perfundantur aqua calida, quaſi hoc ſit efficaciſſimum remedium ad deſtillationes & tuſſes puerorum finiendas: Sed, pace *Pauli* & *Avicennæ*, hujuſmodi conſilium mihi probari non poteſt, quia calida aqua affuſa, ſi nimium calida ſit offendit, quoniam & materias magis liquat, & ſenſus infantis imbecillos vehementer percutit: Si autem tepida ſit, clariſſimum eſt eam magis relaxare, magis humectare, & conſequenter ægritudinem augere: Puto autem *Paulum* deceptum eſſe ex male intellecta ſententia *Hippocratis* & *Galeni*, qui quinto aphoriſm. 22. dixerunt calidam capiti affuſam καρηβαρικόν, id eſt, Capitis gravitatem tollere, Ubi *Galenus* dicit calidam capiti affuſam diſſipare & conſumere graves humiditates, à quibus capitis gravitas inducitur: Sed multum differt, & Capitis gravitatem curare, præſertim in vitiis, Et curare vel tuſſes, vel gravedinem, vel difficultates anhelitus in pueris; Quo circa, ſi eſſet capiti aliquid adhibendum in hac curatione, potius adhibenda eſſent ea quæ cutim blande exulcerant: quoniam ſicuti videmus ulcera in capite ſponte nata pueros à ſimilibus ægritudinibus vindicare, ſimiliter rationi conſentaneum eſt Vlcera arte facta poſſe eaſdem curare. *Mercurialis lib.* 1. *cap.* 11.

XXXV. Puellus vndecimeſtris tentabatur Catarrho cum tuſſi aſſidua & febre: pituitam frequenter evomebat, multum lac ſugebat & parum mingebat: poſt multa remedia perexiguo cum fructu tentata, juſſi vt inungeretur regio renum Oleo Scorpionum Matthioli ter in die, vnde vrinæ copioſiores redditæ, & catarrhus diminutus; Dicit enim *Mercatus lib. de morbis Pueror.* in pueris contingere Catarrhum aliquando ea vitio & imbecillitate Renum non trahentium ſeroſum humorem, unde fit ut ille ſurſum tranſlatus fiat materia Catarrhi. Si ſymptoma illud perſeveraſſet, uſurpata eſſent remedia ab eodem *Mercato* propoſita Cap. de ſuppreſſione vrinæ in Pueris, vt clyſteres, juſcula aperientia &c. *Riverius Cent.* 1. *Obſervat.* 55.

Claudicatio.

XXXVI. Infantes licet multis aliis innumeris periculis ſint expoſiti, illorum tamen in eo præcipue miſera eſt conditio, quod capita oſſium, imprimis autem oſſis Femoris, à reliquo oſſe recedant & divellantur, levi interdum de cauſa: Laxam hanc eſſe conjunctionem infantium, tenellorum agnorum &c. ſi coquantur, res ipſa docet, ſolia primis digitis leviter impreſſis σύμφυσιν à διαφύσει ſua liberari queunt: Securitas parentum ſi accedat, & nutrices nimis mature pedibus incedere & inniti jubeant infantes, jam huic malo aperta porta; In pueris & adoleſcentibus ſæpe eadem ſeparatio capitis oſſis femoris ab oſſis cervice occurrit, & communiter habetur pro luxatione; magno cum ægrorum detrimento διαγνώσεως error felicem impedit curationem, In utroque quidem caſu extenſio neceſſaria eſt, ſed tamen conducibilius eſt rem exacte tenere, & judicio comprehendere. *Rolfincius Diſſertat. Anat. lib.* 2. *cap.* 49.

Convulſio.

XXXVII. Ne quis miretur me in teneris Infantibus venæ ſectionem inſtituendam ſuadere, cum ſanguis, quantum ego hactenus potuerim obſervare, haud minus tuto ex eorum venis quam ex adultorum extrahatur? Et profecto ita eſt illa neceſſaria,

ut quibuſdam ſymptomatibus, quæ infantibus accidere ſolent omiſſa S.M. certo mederi non valeamus: E.g. quo pacto Puerorum *Dentientium convulſionibus*, quæ nono decimoque menſe ſuperveniunt (cum gingivarum intumeſcentia doloreque, à quibus comprimuntur nervi & irritantur, unde etiam paroxyſmi illi naſcuntur) ſine venæ ſectione opem feremus quæ ſola in dicto affectu ſpecificis quibuſcunque, vel decantatiſſimis, quæ hactenus innotuere, longe eſt anteferenda: quorum nonnulla adventitio calore nocent etiam, & dum occulta aliqua qualitate morbo adverſari creduntur, manifeſto calore eidem militant, atque ægrum ad plures deducunt. *Sydenham Obſerv. in Acut. p.* 278.

XXXVIII. In Pueris ac infantibus *Affectiones Spaſmodicas* aut imminentes præcavere, aut aut jamjam exorſas curare incumbit, Nam ſi ejuſdem parentis nati priores Convulſionibus obnoxij fuerint, malum illud cæteris poſtnatis tempeſtivo remediorum uſu præveniri debet: In hunc finem ſolenne eſt fœtui recens edito medicamentum aliquod antiſpaſmodes ori ingerere, nonnulli guttas quaſdam mellis puriſſimi, alii cochleare vini Canarini, ſaccharo imbuti; alii cochleare olei amygd. dulc. recentis exhibent; alii olei ſuccini guttam j. aut aquæ epilepticæ ſemi cochleare. Quidam die tertio aut quarto poſt partum excitant fontanellam in nucha, dein, ſi vultus ſit floridi, parum ſanguinis ad ℥iß. vel ij. à venis jugularibus hirudinum ſuctu exhauriunt, cavendo ne inter dormiendum ſanguis copioſe nimis effluat: Tempora & cervix blande fricentur tali Linimento ℞. *Olei nuc. moſch. expr.* ʒij. *Capivii* ʒiij, *ſuccin.* ℈j. periaptum ex *ungula Alces & rad. paeon.* appendatur: Nutrici medicamenta antiſpaſmodica quotidie exhibeantur. *Willis de morbis convulſ. cap.* 4.

XXXIX. Quod ſi Infans quiſpiam *Convulſionibus* actu afficitur, quia Fontanella minus & tardius operatur, Veſicatorium in nucha, aut pone utramque aurem applicari expedit, & niſi temperamentum frigidius obſtat, ſanguis hirudinum ſuctu venis jugularibus extrahatur: Linimenta circa tempora, nares & cervicem, Item plantis pedum Emplaſtra admoveantur: Enemata quæ copioſe alvum ſubducant quotidie injiciantur: Sexta aut octava quaque hora ſpecifica remedia intus ſumantur. *Vatterus* valde commendat fel catelli lactantis, nempe ut totus ſuccus cyſti ſellea exemtus cum pauxillo aquæ florum Tiliæ propinetur: Nuper mihi retulit Medicus eruditus ſe noviſſe plures hoc remedio curatos. *Idem.*

XL. Cum ob *Dentitionem* difficilem *motus Convulſivi* eveniunt, ſymptoma hoc quemadmodum ſecundarium & minus periculoſum exiſtit, ita in Therapeja non ſemper primam aut præcipuam exigit medendi operam, ſed nonnunquam de dolore ſedando, & intemperie febrili ſummovenda potius ſolliciti ſumus: Quare & patiens & nutrix victu tenui & refrigerante uti debent, Dentibus erupturis gingivarum aut ſtrictione aut ſectione exitus pateſiat; quin & partibus iſtis inhumefactis & dolentibus Anodyna applicentur; Enemata & *ſanguinis detractio* non raro hic locum habent. *Idem.*

XLI. Somnum conciliare, & ſanguinis ſtrociam attemperare decet: Interim remedia Antiſpaſmodica uſurpentur, verum temperatiora, & quæ ſanguinem & humores minus exagitant: *Veſicantia*, quia ſerum in caput nimis ſundi aptum evacuant, ſæpe juvamen conferunt: *Idem.*

XLII. Quando Pueri nec ſtatim à Partu, neque ob dentes erupturos, ſed propter alias occaſiones & accidentia motibus convulſivis tentantur, talis affectionis cauſa ut plurimum vel *in capite*, vel alicubi circa coctionis viſcera ſubſiſtit: Quando prioris ſuſpicio habetur (uti liquere ſolet a ſignis quæ colluviem ſeroſam intra *ἐγκέφαλον* nimis congeſtam arguunt) remedia ſuperius citata in paulo majori doſi exhiberi debent: Inſuper in illis qui catharſin bene ferunt, interdum vomitus & levia Purgatio inſtituantur: *Vinum & oxymel ſcylliticum*, item *Mercurius dulcis Rhabarb. & reſina Ialapi* inſignis ſunt uſus. *Idem.*

XLIII. Quoties Affectionis ſpaſmodicæ cauſa in *viſceribus* ſubeſſe videtur, aut *Lumbrici*, aut acres humores ventris tormina cientes in vitio deprehenduntur: Contra Lumbricos purgatio ex *Rhabarbaro*, aut *Mercurio dulci*, addita *reſina Ialapæ* inſtituitur: Olim puero convulſionibus miſe afflicto, ut jamjam moriturus videretur, doſin *Mercurii dulcis* cum *reſina Ialapa* exhibui cum alvi dejectionibus, quas quatuor habuit, lumbricos duodecim excrevit, & derepente convaluit. *Idem.*

XLIV. Si *motus Convulſivos à ventriculi & Inteſtinorum* irritatione per *acres humores* facta procedere ſuſpicamur, ſeois catharſis aut vomitu, aut ſeceſſu, aut ſucceſſive utroque inſtitui debet: In hunc finem blanda Emetica ex vino ſcyllitico, aut ſale vitrioli propinentur; Si quando ſcilicet laborantes vomendi nixa ſponte tentantur: Sin evacuatio potius alvi tentanda videbitur, *Rhabarbari infuſio*, aut *Pulvis*, *ſyrupus* de cichor. cum rheo, aut *Roſar.* cum *agarico* propinari debent; Et non raro hiſce remediis, tempeſtive adhibitis, affectionem convulſivam in pueris ſanatam vidi: Porro in hoc caſu Enemata ſunt crebri uſus: cæterum non omittantur medicamenta externa, Fotus, Linimenta, aut Emplaſtra abdomini applicanda. *Idem.*

Dentitio.

XLV. *Eruptioni dentium* confert *cerebrum Leporinum*, teſte experientia, frigiditate enim calorem gingivarum temperat, ac adſtrictione partes eas roborat: fortè etiam ſpecifica proprietate id peragit: verum dubitari poteſt quod hic potius vis attenuandi calida quam adſtrictoria frigida requiratur, utpote cum dentium egreſſus juvari debeat iiſdem? Reſp. temperatè frigida, modiceque adſtringentia naturam roboṫare, quò calor hoc modo temperiem nactus commodius operationem ſuam perficere poſſit. *Heriliüs Ibid. qu.* 1. *ad aph.* 25.

XLV. a *Strobelbergerus lib. de Dentium Podagra*, Dentitionem aliquam notham pupunit, Cum tumores quidam in gingivarum poſteriori parte in acumen protuberant, unde Infantes in lactis tractu aliqualiter impediti, ſuctum ſonorum ac ſibilantem reddunt: Hujus ſpuriæ Dentitionis certior erit Medicus, ſi infantem ad poſticam aurium partem digito compreſſerit, ſtatim enim ille ob doloris magnitudinem ejulabit: Hoc malum periculo ſæpe non caret, cui profligando imprimis conducit externam aurium regionem, præſertim poſticam, axungia leporis frequenter inungere, & gingivas oleo amygdalarum dulcium ſæpius demulcere.

XLVI. Non raro fit ut omnia remedia, præ-

pter gingivarum ex duritie contumaciam, aut naturæ puerilis infirmitatem, nihil proficiant: Itaque in tali caſu, antequam lethalia ſymptomata ſuperveniant, ſuaſerim Chirurgo ut ſcalpello gingivas, quà ſe tumore produnt dentes, aperiat, rupta ſic, & illis aperta vi & ferro via, unaque tenſione gingivarum leni hæmorrhagia citata: cujus ego remedii periculum ſecundo & optato ſucceſſu ipſe feci in aliquot ex meis liberis: Id ſatius & expeditius etiam quàm quarundam nutricum, naturæ ſolo inſtituto edoctarum more, unguibus & ſcalptu gingivas pueriles laniare & atterere: Duci Nivernenſi mortuus eſt nuper octimeſtris puer, mortis cauſam cum anxiè una cum Medicis qui illi ægro adfuerant exquireremus, non aliam invenimus quàm gingivarum ex duritie contumaciam majorem quàm quæ ætati illi conveniret, ſic enim prorumpere & viam ſibi moliri dentes ipſi per ſe non potuerant: cujus ſententiæ id extitit argumentum, quod reſciſſis ſcalpello gingivis, dentes omnes velut in procinctu ad egreſſum apparuerunt, ſi tantum illi hoc remedium & auxilium non defuiſſet. *Parens l. 23. c. 67.*

XLVII. Puellum trium circiter annorum ex longo & deſperato *alvi fluore*, modo dyſenterico, modo lienterico, curandum habui, cui multa tam interna quam externa adhibui ſed fruſtra: Tandem cum parum ſpei ſupereſſet, & mater de novo peperiſſet, ſuaſi ut puellam recens natam nutrici alicui committeret, & puellum triennem, à longo morbo confectum, denuo lactaret: Paruit conſilio, reſque tam feliciter ſucceſſit, ut paulatim conſtricta alvus, vireſque ita recuperatæ, ut nunc vividus omnino & robuſtus ſit. *Hildanus Tr. C. de Dyſenteria cap. 7.*

XLVII. a. *Fluit* aliquando in pueris *venter* ex Lactis corruptione, quæ degenerat in porraceum ſeu viridem colorem: In qua fluxus ſorte licet dubitari poſſit an compeſcenda ſit, quia videtur eo colore affecta qui toto genere cenſetur p. o. in pueris tamen non ita conjectandum venit, ſiquidem viridis ille color non prodit ex colore aſſante, qui pernitioſam ſemper præſtat ſignificationem, ſed ex lactis facilitate & tenuitate, ac bilioſi ſeri admiſtione: quo fit ut compeſcendus non ſit, ſed roborato ventre in meliùs mutare curandum erit, ſua enim ſponte melius ſaneſcunt: *Mercatus de morb. infant. Cur. u. lib. 2. cap. 11.* Quia aliquando *acida excrementa, viridia*, citra grumeſcentiam, aut cum ea ſolent apparere, conſiderandum *quânam ratione talia in pueris* (alioqui ſanis) *appareant & acorem referant*: cum certum ſit viriditatem in his non proficiſci ab uſtione, ſicut in affectionibus jecoris & venarum inflammatoriis: Ego audeo aſſerere virorem illum a frigiditate quidem fieri, cæterum non ſolum ex frigida materia, neque à ſola frigiditate, ſed ab his omnibus, nimirum à calore & frigore, à biliosa & pituitoſa materia: plerumque enim hujuſmodi excrementa apparent in his pueris qui calido ſunt jecore, & bilis plus generante, & ventriculo frigido ac incrudante & acorem efficiente in excrementis: quia certiſſimum eſt neque bilem poſſe ſolam in pueris virorem efficere, neque acorem, & ob id jecoris calore fit bilis; neque a ſola pituita & lacte crudo, ſed ab utrique ſimul, admiſta nimirum bile cum lacte in ventrem euntibus; calore ventris ex albo lacte, & flava bile, per actionem caloris naturalis ventris, fit ex inepta materia ad chylum corruptio illa dictorum excrementorum, qua corruptione degenerat excrementum in viridem colorem &c. *Idem cap. 2.* Dictam alvi dejectionem viridescentem deducit *Franc. Sylvius Append. tract. 1. cap. 3.* à Bile ab acido acri corrupta, & in virorem deducta, quales mutationum colores haud ignotæ ſunt Tinctoribus: *Acido* autem viridem colorem deberi probat, partim ex odore acido, ſemper ipſius comite; partim ex bilis mutatione in colorem viridem a quibuſdam Acidis facta: Illud autem Acidum ſtatuit in ſucco Pancreatico acidiore, partim ex prava matris diæta contracto, partim aliunde, Curationem ponit in Acidi correctione & temperatione: *Vide plura loco cit.*

Dorſi vertebrarum Quaſſatio.

XLVIII. *Galenus 3. de Artic. text. 2.* quatuor enumerat *vertebrarum dorſi luxationes*; inter has Cῶσιν, i. e. quaſſationem, cum compages dimovetur iis in ſede manentibus: malum huic cognatum eſt quod Germani *das Weberbein* dicunt: Eo affecti de dolore dorſi & circa ventriculum queruntur, appetitus dejicitur, nonnulli vomunt, caput dolet, calor febrilis corripit, imo febris ſatis ſæpe magna ob ſymptomata malignarum æmula: Oneris gravis geſtationi malum imputatur, & inordinato ſpinæ dorſi motui: Curandi rationem hanc habent, Candelam ceream accenſam umbilico infantium applicant, & ollulam imponunt, eamque inſtar cucurbitæ adigunt, & adhærere permittunt donec ſponte decidat. *Sennertus Pract. lib. 2. p. 2. cap. 21.*

Epilepſia, *vide ſupra Convulſio.*

XLIX. *a* Infantes plerique multo meconio bilioſo, quod omnibus recens natis ſolenne, abundant, quod à me ſtudioſe expurgari ſolet, alias inſequens nutrimentum corrumpitur, lac coagulatur, unde tormina, & ob exhalantes malignos vapores oritur Epilepſia: hoc excrementum connatum ſi robore naturæ vel medicamentis rite expurgetur, infantes præſervantur: ſin minus, epilepſia vel vexantur vel enecantur: Utor ſyr. roſar. moſch. vel elect. de manna: *Car. Rayger. miſcell. cur. ann. 6. 7. p. 696.* Epilepſia infantes correptos vidi cum alvi torminibus & dejectione fæcum viridium: hos juvit, non uſus pulverum antepilept. non occipitis inuſtio, ſed primas vias detergentium medic. mellis roſ. ſolut. cum ſyr. de cichor. inſtillis guttis ſpir. vitrioli, donec corrupta minera ſit exhauſta.

L. *Ad Epilepſiam* infantium Itali urunt occiput & fonticulum in eo efficiunt ad humoris vacuationem: Probatur id *Celſo* l. 3. c. 23. & *Rondeletio*, quod in Idiopathica prodeſſe poteſt, minus in ſympathica: Alii, ut *Sennertus*, improbant, ob dolores in molliſſimis infantium corporibus, quæ ideo nec purgationem nec v. s. commodè ferunt: Verum non par eſt ratio: nam cathartica in viſcera vires ſuas exercent, & ob malignitatem ac infantium facilè reſolubilem ſubſtantiam nocere poſſunt: Cauſtica autem partibus externis ſemel tantum apponuntur, & humores noxios ſenſim abſque magno dolore vacuant. *Primiroſius de morb. Puer. p. 59.* Vidi apud Italos cauteria actualia ad ſuturam coronalem applicata binulis & trimulis, ac conſuluiſſe. *Navius apud Scholtzium conſult. 309.* Pro hujus morbi tam curatione quam præſervatione Medici præſtantiſſimi invenere auxilium, Inuſtionem

nem occipitis, quæ ſicuti eſt tutiſſima, ita etiam pituitam aggravantem ſæpe manifeſta cum utilitate evacuat, revellit, intercipit, derivat: hinc dicta uſtio (licet eam diſſuadeat *I. B. Sylvaticus* contr. 87.) tam frequens eſt Florentiæ, ut pauciſſimi reperiantur pueri qui eam non ſuſtinuerint: abraſis igitur capillis ferramentum, occipitis cavitati reſpondens, ovale ſç. & oblongum candens, eoque cavitas in tenella ætate, ad præſervandum, ſemel tantùm & leviter ſaltem tangatur: ad curandum verò, in ætate puerili, in ipſo paroxyſmo; & ubi per multos dies ulcus conſervandum idem ferrum bis vel ter altius imprimatur: *Scultetus Tab. xxx. Domin. Panarolus* Pentec. 4. obſ. 37. damnat eos qui *αὐτοκαυστῆρα* adhibent, non perpendentes ſiuè Epilepſia per idiopathiam an conſenſum: quo præſidio intempeſtivè adhibito plurimos interfici infantes aſſerit, non vi morbi, allecta ſçil. ad partem affectam, ignis vi, materia, quam aliorſum, ſç. ad ventrem divertere oportet: Nota non ſtatim font. excavandum ubi ſemel infans paſſus paroxyſmum; cum ob dentitionem vel variolas Epilepſia, unica ſaltem invaſione contingat; Ferro autem candenti uſtionem moliri dum paroxyſmo tenentur tutò licet, cùm tunc ſtupidi ſint abſque ſenſus doloris.

L. *a.* Quo ſaluberrimo auxilio, ut legaliter quando & quomodo utaria, ſçito his pueris ea uſu eſſe in quibus acceſſio aliqua Epileptica apparuit longioris durationis, & quam etiam præceſſit ſenſibilis præparatio ad eam: ſecundo etiam expedit, citra expectationem acceſſionis, nec primæ, in his qui hæreditarium portant characterem, protinus fontanellam excavare: Id enim expoſtulat mali urgentia, & (ubi habitum contrahit) ſævitia, nam poſtea difficilius curatur, & minus fontanella prodeſt; & etiam id poſtulat teneriima ſubſtantia, quæ facilitet, vel ex una acceſſione habitum contrahit. *Mercatus.*

L. *b* Sed & ad rectum uſum hujus auxilii, vel denegandum, conſiderabis quod ubi levis aliqua affectio epileptica, de cujus eſſentia dubitatum fuerit an ſit epileptica, vel ex animi deliquio orta, non ſtatim mox uti hoc præſidio decet, occiputque illico aperire temerarium: 1. quia ſi in capite nulla præfuit affectio quæ hoc præſidium poſtulet, ſolo timore incerti eventus id præſtare erroneum. 2. quia Medici qui id auxilium adhibent, tenentur ſervare apertam per majorem vitæ partem: Ratio eſt, quia quod per eam eo tempore expirat & purgatur, vel eſt epilepticus apparatus, quem ſcimus 3. aut 4. annorum ſpatio ex toto purgari, comparato novo & ſimili parti capitis ſanæ, quo habito fontan. occludimus ſecuriſſime: At ſi hujus apparatus nihil fuerit in capite, evidens eſt ſolum poſſe purgari quod ex naturali cerebri coctione reſultat; quod cum tota vita ſuccreſcat, neceſſe quoque erit fontanellam eodem protius tempore duraturam; quam ſi occluſeris, ut certum haberi debet, poſſe facilitet ſuccreſcere epilepſias, apoplexias, convulſiones, paralyſes &c. vel excrementa illa decumbere ad thoracem, ventriculum aut cor, ut experimento fidiſſimo comprobatum habemus. *Idem.*

L. *c* *Fontanella* quoque manu peritiſſimi artificis fiat, nam ſæpe conſpeximus ex indextero modo adhibendi fonticulum in occipitio, mille mala & mortem ſuperveniſſe: Nam ſi tentaverit Chirurgus cutem totam ferro urere, non raro conſpeximus, convulſione ſuperveniente, puerum immatutiſſima morte periiſſe: quod ſi id non ſequatur, majori aut profundiori aperto foramine, fluxionem concitati ad dorſum & nervoſas partes, qua diſtorquentur pueri: Qui enim voluerit hoc ſecuriſſime uti præſidio, expendat ſatis eſſe ad curationem & præſervationem in pueris cutis partem urere: quippe ſatis eſt caput expurgari per venulas quæ terminantur ad extimam cutem, citra id quod per majores & profundiores aliquid effluat a capite, quo ſæpiſſime imbecilliſſimum redditur, & mille aliis affectionibus obnoxium: præterquam quod dum opus fuerit fontanellam occludere, id ſine periculo fiet, quod non contingit cum profundius excavatur, *Idem.*

L I. In numero eorum quæ pluribus medentur ſymptomatibus, haberi omnino poteſt *ſemen aniſi* in Epilepſia infantium: Cum enim plerique horum morbi, maxime Epilepſia, ſuum ducere ortum queant à pituita, flatibus, ac vermibus, magnæ videtur commendationis hoc ſemen, quod vi aromatica pituitam incidit, flatus diſcutit, & vermes ſua enecat acrimonia: Non citra fructum igitur poteſt pulveribus infantium admiſceri. *Grube de ſimpl. med. Facult. p.* 28.

L II. Non enim audiendi ſunt qui citra diſcrimen pulverea commendant ex mere adſtringentibus, corall. c. c. uſto, oculis cancror. cranio hum. &c. quamvis hæc vi ſua adſtrictoria partes infantium debiles roborent, & ſic multum proſint, ad mali tamen hujus cauſam, ſtrigam nempe humorum ante memoratam, quibus abundant præprimis, eaque propter crebris catarrhis ac tuſſi expoſiti ſunt infantes, oportet reſpiciamus. Quibus ita ſe habentibus pulvere ſequenti utor, cujus uſum non ſemel mihi expertus ſum, dando grana aliquot pro ratione ætatis. ℞. c. c. uſti ℈ij. pulv. rad. pæon. ireos flor. ſem. aniſ. ana. ℈ß. ungul. alces præpar. gr. iv. lap. bezoar. orient. gr. iij. magiſt. cran. hum. ocul. cancr. ana. gr. j. ſacch. parum miſce. *Idem.*

Febres.

L III. Menſe Iulio, Auguſto, & Septembri magnus infantium numerus moritur lactantium, quos mulierculæ vermibus laborare aſſerunt: Ego vero aſſevero mortem provenire ab acriuſculo nutricum lacte quo inflammatur ventriculus, nam frigus extremorum adeſt, ſitis inexplebilis, anxietas ingens, nauſea, vomitus, diarrhœa; quare vena ſecanda: poſt regioni ventriculi admove cataplaſma ex farina hordei cocta in lacte caprillo, addito ſucco ſolani & oleo roſaceo: nutrix mutanda, & mucilago ſemin. pſyllii cum ſaccharo roſat. exhibenda: juſcula pullorum alterata portulaca, acetoſa, lactuca: item animalium per dorſum diviſorum admotione calor foras alliciendus. *Pet. Pachequus obſ. 56. Riverio communicata.*

L IIII. a *An ſanguis mittendus in Infantibus Acuta febre laborantibus?* Ad ſolutionem prius inquirendum, An morbus qui ſuccreſcit ex his ſit qui ſ. m. expoſtulant, an ſecus: Nam ſi ſors id tulerit inquires, priusquam auxiliares manus adhibeas, an puerulis ſimul cum copioſo ſanguine intra vaſa, aliquid crudum inſit in ventre & inteſtinis, ut plerumque contingit: quinimo ſæpe pueri mbulli & pleni in has febres incidunt, principio habito à cruditate ſuccenſa, aut vagante in ventre: In quo ſtatu duo conſiderabis 1. an natura, conditio, ſigna

febris atteſtentur, vel monſtrent aliquomodo morbum terminandum in variolas aut morbillos: quo tempore, etiamſi præſint cruditates, ſi tuſſiant, ſi catarrho premantur, citra cunctationem ſanguinem detrahes: nam evidentiſſimum eſt cruditates illas, catarrhum & tuſſim, ex conditione horum malorum potius prodire quam quod cruditates ipſas generent aut foveant: Quinimo ſcito, ſi deceptus his cruditatibus purgaveris, maximum inde ſequuturum damnum: Idem præceptum ſervabis in angina, & in quovis affectu inducias non concedente: Verum ſi citra ſuſpectionem variol. aut morbill. febris cruditatibus adjuncta fuerit, proculdubio principium curationis auſpicari oportet ab evacuatione earum, quando urgentia febris ſanguinis detractionem non plurimum differre, aut expectare donec coquantur permiſerit: quinimo vel clyſmatis, vel levi aliquo purgante cruditates depones, mox ſanguinem mittere curabis, prout permiſerint vires, ætas & cætera quæ metiri ſolent ſanguinis detractionem. *Mercatus de morb. Puer. lib. 2. cap. 15.*

LIII. *b.* Quo in opere exequendo, Dubium *an liceat protinus venam aperire in quavis ætate; an ſufficiat crura, brachia ſcarificare?* Apud veteres dubitatum nuſquam fuit An liceret Pueros ſcarificare, aut venam ſcindere, *ſed an in eis hoc aut alio modo liceat ſanguinem mittere?* Si quidem apertiſſimè conſuluerunt cavendos eſſe pueros à quavis ſanguinis detractione: Qui vero temeritate, ex ignorantia naturæ & modi ſubſtantiæ puerorum orta, audacter venam tundere jubent, interpretantur horum virorum decretum de copioſa quantitate: At certum eſt illos non certare de auxilii quantitate, ſed de ejus natura, noverant enim metiri quantitatem: Interdicunt ergo auxilii genus, quia id pueri non poſſunt ex innata ſubſtantiæ tenuitate & virium imbecillitate perferre: At bis crudele videtur cutem aut ſciſſuris perforare, & mitius cenſent venam ſcindere: At certiſſimum eſt nec ſcarificationem eſſe adeo crudele opus, nec venam ſcindere protſus ſecurum: quippe ex ſcarificatione neque interim dum fit, neque poſtea, ullum ſequitur vel ſequi poteſt incommodum, ſi ea leviſſima ſit & ſuperficiaria, unde non majus damnum infertur quam ex frictione aut ſcalpellatione vngulis facta: At venam in illis ſcindere, præterquam quod alienum ab ipſis eſt præſidium, in ipſa venæ ſectione, cum ipſi non quieſcant, non raro aut nervus pungitur, aut arteria ſcinditur, aut pluſquam decet vena ſcinditur, aut minus, ita ut ſanguis ſummopere percolatus exeat; aut ſi plus juſto aperiatur, copioſum fiat ſpirituum diſpendium, quo longe majus fit damnum ex impotentia contractum quam beneficium ex ſanguine miſſo: Sed quis non conſiderat nec poſſibile eſſe in Pueris ita venam ſciſſam cuſtodire quin aliquando inter dormiendum ſanguis proſiliat, & vel puerum interficiat, vel ad minus imbecillum relinquat? Sed præterea conſtat Infantes omnes vaſa ſemper habere crudo ſanguine plena, ut probant voracitas, exercitii defectus, & urinarum impenſa cruditas: At omnibus ſapientibus ſtatutum eſt ſanguinem non eſſe crudo mittendum: Et quod majoris ſit momenti, ex conditione tertiæ regionis corporis, expoſtulatur & circumſcribitur, ubi opus eſt ſanguinem mittere, id debere eſſe ſcarificata carne, & non aliter; Ratio eſt, quia in prædictis tertiæ regionis partibus carnoſis ſanguis jam proximus eſt alimentoſæ naturæ & conditionis, vt oſtendit vividus color & rubicundus, ac externus calor; quo fit ut citius & tutius ſubveniamus per ſcarificationem quam venam ſciſſam; licet ploratus major ſit & excandeſcentia per ſcarificationem, ſed ſæpe ex uſu eſt ploratus ille, & calor eo contractus ad coctiones crudorum: Quare ſtatuendum toto tempore lactationis, ſi ſanguis extrahendus ſit, ſolum per ſcarificationem extrahendum eſſe, non aliter, idque maxime uſque ad tertium annum: ac ſi ante hunc ablactatus fuerit, raro venam ſcindes, niſi puer ex his ſit quos robuſtos depinxit *Celſus*, aut affectio ſit vel angina, vel pleuritis, aut alius ex periculoſiſſimis &c. *Idem.*

Vtrumque incommodum, moleſtiæ ſcil. à dolorificis ſcarificationibus, & virium diſpendii per venam ſectam, declinari videtur per hirudinum admotionem: Sed nec periculo carent, nam præterquam quod ſanguinem arterioſum potius quam venoſum trahunt, ex *Wallæi* ſententia in ſua med. methodo, difficillimum eſt illum compeſcere, adeo vt Medici qui ſanguinem per illas minuendum præcipiunt, ſemper minorem quantitatem detrahi jubeant, quia ſcil. illis invitis nimius ſæpe profunditur: Id expertus ſum in filio meo natu majore, cui cum annum quartum agenti, & febre ardente prehenſo, hirudines tres flexuræ brachii mane admoveri curaſſem: repreſſo ut videbatur ſanguine, noctu vi viam ſibi fecit, eaque copia exiliit vt illi omnino immerſus eſſet, tanto virium detrimento, ut morti vicinum crederem; vixque repreſſus eſt mixtura ex ovi albumine & fabrili rubrica, quam obviam forte ea die inter deambulandum nactus eram: Sed malum, Deo juvante, in bonum ceſſit, poſtridie enim febris omnino expers fuit, Pallor autem vultum ad aliquot dies foedavit.

LIV. Si febris *Lenta ab obſtructionibus* oriatur, nil melius, juxta *Montanum* conſ. 10. infuſione Rhabarbari in aqua endiviæ: Nunquam vidi, ait, febrem ex obſtructione hoc remedio non eſſe ſublatam, ſi modo pertinaciter in ejus uſu quis perſeveraverit: Iam communi in uſu eſt Bochetum rhei, quod fit ejus ʒß. vel j. craſsè tritam, & nodulo incluſam infundendo in aq. fontis ℔ij. vel iij. frigide per diem integrum: continuandus uſus per menſem aut amplius pro morbi contumacia.

LV. Infantibus lactantibus ſpiritum ſulphuris, vitrioli & ſimiles, in febribus vel aliis affectibus, ne offeramus, quemadmodum hos in Practicorum libris hinc inde commendari videmus, cum illorum vſu lac in ventriculo coaguletur, *Fred. Hofmannus m.m.l.1.cap.xii.*

LVI. Puella annorum xij. *febre continua* laboravit cum alvi fluxu moleſtiſſimo &c. *Vide reliqua lib. 6. Tit. de febre verminoſa. p. 296.*

Hernia.

LVII. Colligitur interdum aqua inter tunicam erythroidem vel exterius inter ipſam & adjacentes tunicas, colliſis ſcil. aut fractis vaſis in puerperio: unde ſanguis ſubinde alimenti ratione defluens, in aquoſam ſeroſamque ſubſtantiam mutatur; quæ tandem diſcutitur ob ætatem, ad ſicciorem & robuſtiorem naturam tranſmutatam; Id quod ſumus experti in *Adriano* noſtro, quem cum Enterocele laborare non ſine triſtitia putaremus, ætatis progreſſu, multis non ita ſperantibus, liberatum vidimus, *Adr. Allemannus comm. in Hippocr. de A. A. & Loc. pag. 72.*

LVIII. Ad-

LVIII. Advertendum licet *Hernia*, ſive tumoris Scroti, facilis ſit curatio, tamen non eſſe inveterandum malum, nec etiam facile permittendum, quod facere amant iſti Chirurgi, ut Teſtes auferantur; quia præterquam quod ablati teſtes generationi incommodant, dicit *Avenzoar*. perdere etiam intellectum, ut caſtrati homines ſapientiſſimi pene dimidium intellectus habeant. *Mercurialis lib.* 1. *cap.* 8.

LVIII. *a* Vnum differentiæ ſolum in his Rupturis proprium & peculiare exiſtit præſidium, quod ſive in inguinibus, ſive in ſcroto ſit tumor, ſi omenti ſit aut inteſtini, raro expoſtulet purgantia medicamenta, (bene tamen cum varicoſus, aquoſus aut carnoſus exiſtit) aut ſanguinis detractionem, ſed ſatis ſolent eſſe alia auxilia. *Mercatus.*

LVIII. *b* Aliud habent peculiarius *Omenti tumores*, quod ſi præſidia ordinaria non proſint, antequam malum ad vetuſtatem properet, oportet Chirurgi periti in hac re manibus committere, & nova apertione facta antiquam conjungere, conſolidare & unire, ſive id fiat extractione teſticuli ſive ſecus. *Idem.*

Hydrocephalus.

LIX. In *Hydrocephalo* ſi aqua copioſa ſit extra cranium collecta, vanus ſolet eſſe uſus remediorum externorum & internorum; quia ſicut Interna remedia valentia non conveniunt in hac ætate, ſic vel mediocria vel exigua nihil proficiunt, idem quoque eſt de Externis: Quapropter nulla alia ſupereſt ſpes niſi in ſenſibili humoris aquoſi evacuatione: Fit autem hæc evacuatio per Chirurgiam, i. e. per ſectionem, in qua peraganda illud imprimis obſervandum quod *Aëtius* & *Paulus* docent, ſcil. vt ſi tumor magnum apicem habeat una ſectione apex ſecetur: quod ſi major ſit, non una ſectione, ſed duabus atque tribus pertundendum eſt caput: *Mercurialis.*

LX. Obſervari quoque debet ut ſemper fiat ſectio in parte decliviore, eo quia facilius multo & promptius evacuatio fiat vbi aqua locos declives habet per quos labatur. *Idem.*

LXI. Facta ſectione ne ſemel, ſed paulatim vacuetur aqua; quod ſi in hydrope ventris id faciendum eſt, multo magis in hydrope capitis debet fieri, quod ſedes eſt ſpirituum animalium. *Idem.*

LXII. Illud advertendum eſt quod *Aëtius* monet, ſi pueri ſint robuſtiores medicamenta eſſe acrte deligenda; ſed ſi ſint teneriores & debiliores, ſat eſſe leviter locum pertuſum tegere molli lana, aut pileo molliſſimo & leviſſimo, & hoc modo intelligendus eſt ſermo de ligatura apud *Avicennam. Idem.*

LXIII. Contingit interdum vt educta aqua, & curato ipſo vulnere, tamen caro ſupercreſcere non poſſit, quod quia contingit aliquo oſſis vitio, ideo blandiſſime os ipſum eſt radendum, vt ſcil. parte vitioſa ſublata facilius caro ſupercreſcere poſſit. *Idem*

LXIV. Si Aqua fuerit collecta intra cutem & muſculos temporales, aut inter muſculos & cutem, medicamenta nihil proſunt, pertundere enim muſculos temporales eſt lethale: quare *Aëtius* ex ſententia *Leonida* monet tantiſper expectandum eſſe donec aqua ſubter muſculos exiſtens ad latera reſtagnet, quo tempore in ipſis lateribus muſculorum faciendas eſſe ait ſectiones, intactis tamen muſculis, atque deinde manubrio cultelli ſegregandas eſſe partes illas ab oſſe, vel à cute, atque paulatim aquam vacuandam. *Idem.*

LXV. *Celſus* lib. 4. cap. 2. aliam curationem videtur inſtituiſſe, vbi ſcribit primum vſque ad cutem tondendum eſſe caput, deinde apponendum aliquod medicamentum causticum, idque retinendum quoad locus vlceretur; quod ſi hoc vlcus parum proſit, inquit tum ſcalpello eſſe vtendum: Quem ſectati plerique Chirurgi, ſatius eſſe ducunt curare hydrocephalum medicamentis cauſticis, atque non vnum ſed plura vlcera capiti inurenda; Eo quod ſi ſectio periculoſa eſt in hydrope ventris, multo eſt periculoſior in hydrope cerebri: Et *Gul. Placentinus*, magni nominis Chirurgus, teſtatur ſe neminem vidiſſe hac medicina curatum: Adde & Hippocr. 2. de morbis, antequam ad ſectionem deveniat prius tentare omnia alia remedia: Sed negari non poteſt hanc medicationem periculoſam eſſe ratione ætatis & affectus magnitudinis: Verum tamen alia eſt ratio hydropis ventris, & alia hydropis capitis; quandoquidem vbi aqua eſt extra cranium, poteſt multo facilius evacuari quam aqua in ventre exiſtens: Præterea non video quomodo vlcerationes in capite toto pene aqueo non ſint etiam periculoſiſſimæ, quia ſicut vlcera in partibus ſiccis facile ſaneſcunt, ſic in corporibus humidis aut nunquam, aut vix; Quapropter non ſum ex iis qui abhorrent hanc medicinam à veteribus propoſitam: Illud verum eſt illam aquam eſſe paulatim vacuandam, neque faciendam ſectionem in nuperrime natis, ſed in grandiuſculis, in quibus adeo periculum magnum imminet. *Idem.*

LXVI. Si ſit factus tumor ab ichoribus aliorum humorum, qui tumor *Atas* ab *Avicenna* dicitur, monet ipſe vt nutrix alatur rebus refrigerantibus, vt ptiſana & aqua hordei; vt capiti ſupponatur oleum violaceum, & vt caveat omnino à balneo, Eo quod balneum aquæ calentis ſolet caput alioquin calidum plus calefacere. *Idem.*

LXVII. Infans recens in lucem editus *Hydrocephalo* laborabat, totum caput occupante, cum magna ſuturarum dilatatione; Ego ſine vllo medicamento, aut alio remedio, hunc affectum curavi ſola faſcia *Guidonis*, in formam cucuphæ concinnata, qua totum caput obvolvebatur, duabus extremitatibus in nodos obvolutis, quæ Gallice *Capeline de Guidon* nominatur; quotidie dicta faſcia renovabatur, & intra quindecim aut viginti dies Tumor evanuit. *Samuel Formius Obſerv.* 6.

LXVII. *a* Nonnulli *cauſticis* medicamentis vlcuſcula movent inanantia, quam curationem puerorum capita non ferunt, licet aliis prodeſſe poſſit. Alii *vſtiones* in circuitu capitis & variis ejus partibus conſulunt, quod auxilii genus longe minus tolerare poſſunt, quia cerebri ſubſtantia tenerrima eſt: præterquam quod neque cito, neque probe aqua reſolvetur neque expurgabitur: cum certum ſit, ſi aqua ibi immoretur cranium alterari, quo periculoſius malum efficitur: *Mercatus*: Qui ſectionem à Mercuriali (§. 59.) propoſitam duplicem aut triplicem, improbat, quia ſubito aqua copioſa profunditur, quod vetitum eſt in hujuſmodi ſectionibus.

LXVII. *b* Cavebis inſuper apertionem juxta muſculum temporalem, donec aqua ad ejus latera decumbat, & tunc in parte diſtantiori cauſe curabis apertionem elicere, & apones ſupra apertio-

nem filamenta cum albo ovi & oleo omphacino. *Idem.*

LXVII. c Cavebis & inhoc caſu Fontanellam in occipitio aperire, nam facile per communitatem venarum aqua prolabetur ad tendones & muſculos cervicis, quo convulſiones lethales & alia mala ſuccreſcere verendum eſt: Satius eſt in robuſto puero fontanellam in altero brachio aperire, vbi alia auxilia non proſunt. *Idem.*

LXVIII. Contuſio in Capite infantis aliquando accidit, cujus cauſa oboritur inſignis & eminens Tumor ſanguine plenus, cui improprie *Hydrocephali* nomen competit: Generatur, aut culpa Obſtetricis, caput infantis dum vtero egreditur contundentis: Aut ratione vaſis cujuſpiam adaperti per conatus infantis ad exitum, egreſſo inde ſero aut parte ſanguinis tenuiore: Vitium & Nutrici adſcribi poteſt, ſi infans ceciderit, aut caput alliſerit, aut etiam à nimia ejuſdem per operimenta conſtrictione, quamobrem venarum & arteriarum adhuc molliorum compreſſio facta fuerit: Id ſerum & ſanguis cranium inter & cutem diffunduntur, imo quandoque ſupra meningem craſſam, quandoque ſupra cerebrum: Si Contuſio levis fuerit ope fotuum & linimentorum diſcuti poteſt, ex *decocto roſar. flor. chamom. & meliloti*: addito litu *ex oleis roſato & hypericon.* commixtis: vel admotis Empl. *Diachalcit. & Diachylo Ireato.* Sin inſignis fuerit Contuſio, inanis fuerit illam per diſcutientia diſſipandi conatus, Tumor enim ſcalpello aperiendus; experientia comprobante. *Guillemeau de Educatione Infantium cap.*17. Filiam habeo, nomine *Elizabetham*, annos xiij. natam, præcoci partu & fere abortivo editam, ſcil. av. ante ſeptimum menſem diebus: Quod in partu præ debilitate nullos conatus adhiberet, negotium omne in Matris enixibus & obſtetricis officio ſitum erat; Hæc puellam per vim educens, caput adeo contudit, ut per bimeſtre integrum à nativitate ſanguinem concretum & nigrum per os, nares, imo aures excluſerit: Quicquid alimenti interea ſuxit, id non ex uberibus porrectum ſed cochleati; Duplex faſciarum convolutio totum corpus ambiebat, vngues adhuc dum aberant: Abſoluto vero tempore incrementi, quod intra vterum perficere debuit, & ſugere ex uberibus cœpit & augeri; Octavo menſe verba aliquot proferre, Iam præſente anno 1681. vegeta eſt, robuſta & pene nubilis.

Imperforati.

LXIX. Fuit ſententia *Albucaſis* debere Obſtetricem ſtatim natos infantes accuratiſſime perſpicere, & ſi foramen clauſum habeant, digito blandiſſime, vel ferro aperire, & deinde lanam vino & oleo perfuſam ſuperponere, tum vnguentis curare, ac cannulam plumbeam immittere & retinere: Quod dico de Meatu Vrinario clauſo, idem dicendum eſt de Ano, & primo diligenter notandum numquid poſſit Anus perforari citra periculum Sphincteris: quia ſi forte fortuna coaluerit totus muſculus, atque ſit facta via à natura ad ipſam vulvam, ut in puella quadam vidimus, non eſt tentanda perforatio, quoniam certiſſime muſculus læderetur, & ea uno malo aliud deterius ſequeretur: Sed ſi appareat aliqua ratione tantum pellem ſupra muſculum eſſe obductam, tunc ſignato loco diligentiſſime, ferrum rotundum eſt immittendum, & vt in aliis hic agendum eſt medicamentis & cannulis. *Mercurialis lib.* 1. *cap.* 9.

Labiorum Fiſſura, Tumor.

LXX. *Fiſſura Labiorum* curatio in duobus poſita eſt, In inſtauratione humidi continuativi, & in agglutinatione ſeu vnione partium diviſarum: Sed quia neque humidum continuativum reſtaurari poteſt, neque partes vniri, niſi provideatur ne materia nova ad eas partes fluat, videtur eſſe maxime neceſſarium vt corpus parum reddatur, & pro hoc ſcopo adimplendo, ſi puer lactens ſit, optimum eſt, niſi cutis capitis aperta ſit, aliqua ratione blande aperire cum vitice, vel ſinapi, deinde ſuperponendo malvam: Nam, vt docet *Hippocr. l. de morbo Sac.* quoties in pueris capita manant aliquo humore ea vlcere, ſemper retrahitur fluxus ab aliis partibus, quæ conſequenter incolumes remanent. *Mercurialis lib.* 1. *de morb. Puer. cap.* 6.

LXXI. Accidit ſæpe in pueris, & aliis corporibus tenerioribus, vt blandiora (quæ modica adſtrictione, & exſiccatione ſine vlla aſperitate cum lentore aliquo pollere debent) nihil proſint, Cujuſmodi ſunt in cauſa calida Oleum roſarum omphacinum, tragacanthum, ſuccus gallæ, granatorum, adeps gallinæ antiquus, medulla vitulina &c. In cauſa frigida mel roſarum, tragacant. gummi Arabic. maſtix &c. Accedendum ergo ad ea quæ magis ſiccant, ſed tamen in illis cavendum eſt à valde ſiccantibus: Laudat *Aegineta* terebinthinam cum melle & adipe porcino: propoſitis non cõferentibus, addantur paulo magis ſiccantia, ut ceruſſæ lotæ ℥ß. vel litbargyri plus minuſve: Si dolor maxime infeſtet, Opii tantillum cum modico lactis mulieris poterit admiſceri. *Idem.*

LXXII. Filium habeo ſeptennem, cui ex obſtructionibus viſcerum & abdomine tumido *Labrum ſuperius* admodum *tumebat*, cum cruſta fœdiſſima, vt ipſis parentibus eo oſus eſſet, Cum remedia omnia interna reſpueret, in interſcapulio duplicem fonticulum ope lapidis cauſtici excitari curo; quibus ſanie multa manantibus, ſubſedit paulo poſt omnino Labrum, deciditq; cruſta, Anno 1680.

Linguæ frænum.

LXXIII. In *Linguæ frænuli* ſectione partes vicinæ, & venarum ramuli magna adhibita cura ſunt vitandi; Imo Ductus ſalivales in ſexto nervorum pari huic vinculo tam prope adiacent, ut profunda ſectione facillime lædi poſſint, vnde ſalivatio continua excitatur. *Barbette Chirurg. p.* 1. *c.* 13. Sæpe fit vt ſimul vicinæ partes lacerentur, hinc dolor & inflammatio, ita vt lac pueri ſugere non poſſint, vnde fiunt moroſi, extenuantur & debilitantur. Imprimis autem explorandum ſi ancylogloſſus operatione hac indigeat necne, ſæpe enim pueri aliam ob cauſam, quam vinculum linguæ, vocem articulate non poſſunt, In his ſectio periculoſa. *Hildanus cent.* 3. *Obſ.* 28.

LXXIV. Hoc Chirurgum interim ſcire oportet, inter centum infantes vix vnicum reperiri qui hac Chirurgia indigeat, & iſtas obſtetrices tam leves quam ignaras eſſe quæ ſectionem hanc in omnibus infantibus recens natis inſtituunt, qua ſæpius integras partes lædentes, infantes lacte, & ſubſequentibus accidentibus, vita privant. *Barbette Ibidem.*

LXXV. Vſus fere ubique invaluit vt *vinculum Linguæ* in pueris, ſtatim poſt ortum, vel digito frangant

gant obſtetrices, vel phlebotomo vulgari imprudẽter iodicant barbitonſores: Exiſtimant enim, juxta opinionem etiam doctiſſimorum Medicorum, authoritate confirmatam, loquelam integram non futuram ſi integrum remaneret hoc vinculum, ſed multum errant; negandum quidem non eſt quod vinculum Linguæ nonnunquam correctione indigeat, auſim tamen affirmare intolerabilem eſſe obſtetricum imprimis errorem, quæ tractionem in omnibus tentant, cum ſciam quamplurimos ſine hac perfectiſſimè loquutos, plures verò ex ſanguinis profluvio ſtatim ſuffocatos, & non paucos paulò poſt eſſe mortuos, ob excitatam inflammationem, quæ dolorem efficiens ſuctionem impedivit: Quod ſi igitur tale vitium in lingua ſuſpicamur, expoſt Chirurgiam vel in tempus loquutionis differre, vel peritam ſtatim adminiſtrare juxta modum ab *Aquapendente* propoſitum. *Scultetus Tab.* 33.

LXXVI. Puellæ Obſtetrix ligamentum Linguæ unguibus more ſuo incidit, Succeſſit dolor & inflammatio, quæ papillarum apprehenſionem prohibuit: Parentes, exiſtimantes quod obſtetrix linguam nondum ſatis à vinculo liberaſſet, vocarunt Chirurgum, qui pari imprudentia ligamentum & vaſa linguæ incidit, è quibus ſanguis in aſperam arteriam defluxit, & fœtum tertia die ſuffocavit: Extincto infante cœpit conqueri nutrix de tumoribus mammarum à lacte concreto, quorum dexter male tractatus degeneravit in cancrum exulceratum: *Puella* recens nata vinculo illo ſecto ob dolorem linguæ parum lactis ſugere valuit: Lacte in mamma dextra concreſcente, tantiſper fœtum admovit papillæ ſiniſtræ per aliquod tempus: Paulo poſt in filiola obſervavit vertebras dorſi verſus dextram diſtortas, cui diſtorſioni vix emendabilẽ anſam dedit fœtus unicæ papillæ admotus. *Scultetus Armam. Obſerv.* 30.

Maculæ, Nævi.

LXXVII. *Maculas* & *Tuberbula* in utero matris contracta curari poſſe, neque omnino inſanabilia eſſe quæ cum pueris naſcuntur, niſi prope oculos fuerint, exiſtimo; In exciſione autem Tuberculorum & macularum diligenter proſpiciendum ut omnino excidantur, neque quicquam de cuteaut carne colorata remaneat, ſolent enim recrudeſcere: *Fabritius Hildanus Cent.* 5. *Obſervat.* 46. *ubi methodus nævos & tubercula delendi, cum exemplis felicis ſucceſſus.*

LXXVIII. Rationem dictos Nævos abolendi per illitum ſanguinis ſecundinæ improbat *Georgius Segerus Ephemeridum Germanicarum anno* 73. *Obſ.* 198. Virgini, ait, ſiniſtræ manus dorſum fere totum rutilus occupavit color, à matre gravida incendium ſubito ortum advertente, atque ex terrore ſiniſtram ſuam contrectante ei impreſſus: hæc ex conſilio vetulæ ſanguine ſecundinæ infectum locum obleverat, ſed tantum abeſt ut nævum abſterſerit, ut potius ingentem inflammationem, cum inſigni tumore ac dolore excitarit, quam Chirurgus non ſine multo labore compeſcuit, remanente tamen nævo. *Georgius Segerus Miſc. Cur. anni* 167. *Obſ.* 197.

LXXIX. Nævos maternos ſectione tolli optimum, quæ facilis eſt ſi tumor filo circa radicem conſtringi poſſit, appoſitque parti talia quæ humores affluentes commodè intercipiant aut revellant: cavendum ne arteria, aut vas aliquod majus, maxime vero nervus lædatur; nam ſi ſine vitæ periculo naſum, aurem, oculum evelli natura permittit, cur in ſpuriis filiis ejuſmodi non eadem facilitate utetur? Oblatus mihi infans, ſupra cujus oculum utrumque, perque totam frontem, exuberantiæ molles, tuberæ extendebantur, Ego curato tentavi, & tenioris hinc quiſquiliis omnibus brevi felicitate infantẽ reſtitui: nec hæc hirundo ubi hiſola &c. *Ioh. Petrus Willius Actorum Danic. anni* 74. *obſ.* 85.

Obſtructiones.

LXXIX. *b* An in omnibus Obſtructionibus affectis Aperientibus neceſſe eſt præmittere *Purgantia*? quod multi Medicorum religioſe admodum nulla diſtinctione facta obſervant: Cum conſtet ex ratione medendi, & fidiſſimo experimento, corpora obſtructa raro medicamenta purgantia, ante aliquam obſtructionum apertionem ſine diſcrimine admittere, quippe iidem longè magis ad obſtructam partem commotos humores trahunt, quo magis laborantes læduntur, quia partes ſic affectæ nequeunt eos recipere, neque permittunt permeare, quod graviſſimum ſolet eſſe; præterquam quod aut frequentiſſimè purgantia pharmaca evomuntur, aut nihil purgant, aut moleſtè ferunt, ac nonnunquam in ictericum affectum commigrant, Statuendum igitur in iis qui grandioris ſunt ætatis, utile & neceſſarium fore purgare, quia plerumque ex pravo vitæ inſtituto recrementa præcunt, quæ niſi ante apertientium exhibitionem purgaveris, longe magis lædes: Voraces enim ſunt omnes qui obſtructiones patiuntur, maxime grandiores, fœminæ: Inſuper ea corpora purgabis, in quibus propter obſtructiones ſucci non diſtribuuntur, redundant, & in viis ductuum vagãtur, cujus naturæ hi ſucci ſunt; in quibus omnibus, prudenter tamen, curandum eſt purgare his quæ poſtulaverit regio in qua ſupervacui illi humores præfuerint, & quæ expoſtulaverit humorum idea, dummodo medicamẽtum non ſit ex his quæ à longe humores alliciunt, quia erroneum eſt, neque copioſa quantitate exhibitum, quia protinus per vomitum erumpit; illud verò magis ad obſtructas partes attrahet; quæ cum obſtructæ ſint, ſuccos illos capere non poſſunt, & verendum eſt ne corpus magis turbetur, ac deterius ſe habeat: cæterum in pueris & puellis, & in reliquis omnibus qui abſtinent à pravis & copioſis eduliis, non ſemper neceſſum erit corpus purgare, quinimo vel præmiſſis cruditatum vomitibus, vel injectis clyſmatis, aut exhibitis ſerapiis modice extergentibus, aut concoquentibus, libere poſſumus deobſtruentia medicamenta porrigere, eo maxime cum præteriit aliquibus ante diebus parca & legalis victus & potus inſtitutio, præſertim cum deobſtruens chalybem receperit; nam id auxiliũ ſolum in partibus ubi recipitur ſuas vires exerit & operatur non in diſtantibus ut reliqua deobſtruentia, quæ ad urinæ inſtrumenta, & uterum uſque permeant, nam illud ad ventrem deſcendere conatur, & vias illas abſtergit, licet vi ſulphurea reliquis ſine damno vires ſuas communicet: Verum ſi in prima regione plurima abundaverint excrementa, aut aliter uſu venerit, vel placuerit vulgo ſatisfacere, leviter facito, aut per vices, interim dum uteris deobſtruente quarto aut quinto quoque die: Namque omnes indifferenter purgare ante deobſtruentium pharmacorum uſum, aut nullum purgare, erroneum eſt: *Mercatus de morb. Infant. l.* 2. *cap.* 6.

§. 79. *c.* An licet in omnibus ante uſum aperientium ſanguinem mittere, an in nullo, vel in aliquibus? Ea in re ſtatuendum eſt in his qui maturiori

ſunt ætate, & aliqua ſanguinis vacuatio conſueta diminute exeat, aut ſuppreſſa fuerit, aut febre tentantur moleſta, vel conſuetis exercitiis non utuntur, ſignum aliquo modo reluceat ſanguinis abundantis, aut caloris viſcerum, moderatam ſanguinis detractionem oportebit inſtituere; non quidem quæ vires infirmet, ſed quantum par ſit ut locum præſtent vaſa medicamentis aperientibus, caventes ſemper ne corpus malo babitu aut cachectico ſit infectum aut inſinuatum: Namque aliter corpora ſic affecta exercitio committere grave eſt & ſuſpectum: At in pueris & puellis, ut qui frequentius vitioſis ſuccis, & longe frequentius crudioribus abundant, raro aut nuuquam ſanguis mittendus eſt, tum quia ſic affecti non habent robuſtas vires, tum etiam quæ humorum ſors ceſſura non eſt niſi purgationi, quinimo ſangul nis detractione longe deteriore & crudiores redduntur, præter id quod vires amplius infirmentur, eoque maxime quo pueri fuerint albidiores; molles carnium, oculis tumentibus, aut principium ſortiantur mali babitus, aut excarnes & qui diminute nutriantur: Cum boc profecto pueri qui boni ſunt habitus, cum pulſuum conſtantia, non animi dejecti, non vomituriunt, au nauſeabundi ſunt, neque alvum habent ſolutam, non renuerem, maxime ſi febria adfuerit, crura aut brachia ſcarificare: renuerem tamen ex vena ſanguinem fundere, niſi ultra quintum annum fuerit puerulus, idque tunc parce, aut ſupplere indigentiam bujus auxilii parciori victus inſtitutione. *Idem.*

LXXIX. *d.* Quod ſi neque opus fuerit, aut libuerit ſanguinem mittere, dubium qua via liceat corpus præparare quo ſecurius poſſimus aperientia pharmaca porrigere: In qua hæſitatione ſçito ſatis eſſe bis qui ventre ſunt frigido, crudis abundant, mellis roſacei ſeptem aut octo diebus, ante oſum prædictorum pharmacorum, modicum præbere, maxime ſi addideris aliquod decocti cinnamomi, ſaſafraſæ aut fœniculi, cum hauſtu aliquæ calidiſſimæ, aut ejnſdem decocti &c. In quibus omnibus commendare ſoleo eiſdem diebus ſummo mane exe tciciom: Et majoris uſus exiſtunt fomenta, qnæ tertio quoque die ventri & obſtructis viſceribus adhibeantur, ex decocto capparorum, abſynthii, epithymi, chamæmeli &c. Si jecur male habuerit, ſatis erit ad corporis præparationem uſus ſyrupi cichorii, de duabus radicibus cum aceto, cum aqua graminis & ſonchis, aut ſcorcioneræ; nec diſplicebit ſi addideris aqnæ rhabarbarbari unciam, quo aliquod abſtergatur, & non moveatur ad vacuationem electivam: Sin ſplenem ſtudneris deobſtruere, conveniet porrigere ſerapium lupulorum, eupatorii & de byzantiis, & borraginis cum aqua myricæ: ac ſic affectis non improbo aliquod purgatorium admiſcere, quale eſt decoctum pulegii ad ℥ i; vel infuſionem ʒ ij pulpæ ſeminis carthami in ligatura: quibus maxime qnoqne fomenta regioni ſplenis adbibita conferunt. *Idem.*

LXXV. *e.* Corpore præparato, in controverſiam, & longe majorem vertere licet? *An ſemper & ubique expediat obſtructa corpora medicamentis quæ chalybem recipiant aperire? an ſufficiat in aliquibus uti his quæ antiquitas huic miniſterio commendavit?* In qua re ego quidem ſentio in bis qui vehementi exercitio uti nequeunt ob aliquod impedimentum, ſatis eſſe, & multis experimentis confirmari, medicamenta quæ chalybem non recipiunt; nam in his opus eſt laborioſo exercitio, in illis vero minime: nam vis aperientium, & forma medicamenti poteſtatem habent adimplendi exercitii defectum, aut quam leviſſimum ſufficere, quo conſtat pueris & puellis hæc propria & utiliora eſſe, ac minus moleſta & ſecuriora; niſi jam conſtiterit adeo eſſe antiquatas & rebelles obſtructiones, quod illis nil videantur prodeſſe, quo tempore rei neceſſitas & urgentia cogit ad chalybeata pharmaca devenire. *Idem.*

LXXIX. *f.* Docendum autem *quibus & quomodo chalybeata medicamenta liceat præparare & præbere?* Conſulo in teneris his ætatibus, prius ſine chalybe præbere aliquod aperientium ex prædictis per aliquot dies; quod ſi non profuerint, tunc ad ea quæ ipſum recipiant rei urgentia cogit pervenire: Si ab iis ergo incipiendum, aliquibus diebus ante corpus exerceri jube, ſolo exhibito cohlleari uno mellis cum modica aqua ſuperbita: Componuntur autem chalybeata vel 1. in forma potabili, ad modum ſerapii, vel 2. ad formam opiatæ, vel 3. in forma ſolida: Serapium conficies ex chalybis ſpuma, quæ exſurgit ex decoctione limaturæ ſæpius lotæ, facta in aqua graminis, lupulorum, linguæ cervinæ) additis aquæ & ſpumæ ſuccis pomorū cichor. & lupulorū, & ſaccharo: vel ♃ *aquar. myrica, gramin. lupulorum & radic. rumicis ana.* ℥iij. in his extingue chalybis limati & igniti ʒ. ß. iterum aliam limaturam ejuſdem quantitatis ad ignitionem calfacito, & in eadem aqua extingue, & ſic quinquies cum novo chalybe facito: tunc hujus aquæ ℥ i. pueris dato, & ex ea confice ſerapium cum ſucco lupulorum, borraginis & cichorii, & ℥ i. ß. præbe: *Opiata ſic fiet.* ♃ *mica ſcorzoneræ* ℥ *iij. ſyrup. adianti* ℥ *ij. pulv. lapidis bezoar* ℈ *j. pulver. diamarg. & triaſant. an.* ℈ *ii. m.* moneo autem opus eſſe, diebus aliquot inter mediis, *aquæ rhabarbari* (quæ ſic fit.) ♃. *aquar. lupuler. gramin. adianti* ‡, *aut cinnam.* ℔ *ii. infunde rhabarb. triti* ʒ *iij.*) modicum præbere cum ſyrupo cichor. aut ſcorcioneræ: aut cochlearia tria vel quatuor ſyrupi cichor. cum rheo; mirum enim in modum ſupervacuos humores ventris aut meſerei ad ventrem ducit; maxime ſi addideris decoctionis ſemin. carthami parum: In quorum medicamentorum uſu hanc legem ſervabis, quod puerulus aut ante ſumptionem eius medicamenti in forma ſolida, capiat hauſtulum alicujus aquæ ex diureticis calidæ, aut ipſam ab aſſumpto ſuperbibat: Verum quod ego magis probarem, eſt deſuper parum dormire, quantum videatur ſufficere ad liquationem medicamenti, & mox exercitio utatur. *Idem.* Omnibus intentionibus ſatisfaciet *ſpecificum Incarrephum*, Scaphuſionis medicis uſitatum, ♃, *ſacch. cand. albi* ℥ *ii. ſalis volatilis fuligin.* ʒ *ß. rad. ireos flor.* ʒ *ii. rad. aronis prap. diaphoret. Jovial. diaphoret. mart. ocub. præp. ana.* ʒ *i. m. f. Pulvis ſubtiliſſ. ſi addas ſem. aniſ. nuc moſch. vel cinnam. ana.* ℥ *ß.* habebis pulv. ſuccos viſcidos incidentē, reſolventē acidos & auſteros temperantem & abſorbentem: dozis à gr. v. ad ʒ. cum ſyrupo belliois &c. man & veſperi. *M. Th. Zuvingerus Theſ. inaugum c. 9. §. 7.*

LXXIX. *g* In pueris, & maxime puellis ſic affectis (*obſtructiones meſenterij intelligit*) dum excarnes non ſint, ſi non biliosæ, ſi jecur non habeant calidum, & ſui moleſtia non crucientur, ſed mollium ſint carnium, ventrem ſortiantur frigidum, nauſeabundum aut vomitorium, refertum inſuper cruditatibus, & obſtructiones conſtent ex condenſata pituita, ſaluberrimum cenſeo ſore *modicum vini* porrigere, nimirum quantum par ſuerit calorem ad viſcera revocare, craſſa excrementa attenuare, coctionem crudorum juvare, quo obſtructiones atq; accidentia longe melius curantur quam quovis alio auxilio, quod fidiſſimis experimentis atque exemplis probatum habeo: Verum ſi porrexeris, ſat eſt ſemel in die, non quidem merum, ſed aqua leviter cocta admiſtum. *Idem lib. 2. cap. 6.*

Oris inflammatio.

LXXX. An *Oris inflammationi* convenit *mel roſatum?* Affirmatur, quia medicamenta quibus admiſcetur reſpectu mellis vim abſtergendi, & reſpectu roſarum vim refrigerandi adipiſcuntur: Quibuſdā tamen ſuſpectus eſt uſus 1. ob mellis qualitatem calefacientem & igneam. 2. quod prompte in bilem vertatur. 3. quod pituitoſis affectibus potius conveniat: Reſpondeo ad 1. calefacientem mellis qualitatem per roſas temperari, ob quas cum refrigeratione detergendi vim acquirit: unde etiam 2. in bilem nòn tam facile convertitur ac ſi ſolum eſſet: imo 3. phlegmatis admixtus hic jungitur. *Gr. Horſtius obſerv. lib. 6. Qu. 3.*

Pavores.

LXXXI. An *Pavoribus* Abſinthium conveniat? Affirmatur ea ratione qua ſuccus, ſaccharo temperatus, antecedenti cauſæ, nimirum corruptioni ciborum in ventriculo competit: Nec obſtat quod abſynthium caput gravare dicatur, quod calefaciendo exhalationes augere queat, quod ſomnum ante tempus hoc maxime noxium inducat: Etenim primam noxam corrigit additio ſacchari, dum in ſyrupum præparatur: unde 2. juſto modo & tempore uſurpatum altera quoque noxa non timenda. 3. Nec ſomnus intempeſtivus hic verendus, ut pote cujus cauſam corrigit. *Gr. Horſtius lib. 6. Obſervat. Qu. 8.*

Reſpiratio læſa.

LXXXII. *Aſthmati* Puerorum an *Syrupus de hiſpidula* conducit? Videtur noxius, eo quod illa planta vim adſtrictoriam habeat, cum tamen aperiendum & attenuandum eſſe videatur, 2. viſcidam materiam nec præparare nec incidere poſſit. At vero quod Syrupus hic maxime faciat ad pectorales affectus experientia confirmat: Reſponde ad inſtantias, & 1. quod vis adſtrictoria per alia temperatur, ita ut eo melius Pulmonum corroborationi incumbat. 2. digeſtione per corroborationem viſceris viſcidam materiam præparet. *Greg. Horſtius lib. 6. Obſervat. Quaſt. 4.*

Scabies.

LXXXIII. Caveant matres ne *Scabiei* in infantibus, quamcunque corporis partem occupet, niſi oculos, aures, nares & ſimilia corrumpat, manus medicas adhibeant: Filius meus primogenitus ad 7. uſque annum nulla unquam puſtula corpus defœdatum habuit, unde ſæpe prædixi ſubitum affectum & lethalem invaſurum: revera ſiſhutiæ præſentius ſeptimo die morbi obiit, ab inſigni renum partiumque vicinarum inflammatione, quæ in gangrenam abierat: Natura ſcilicet per ſcabiem corpus à vitioſis humoribus expurgare non valens, a 7. velut per expulſionem criticam, ſubito è capite, thorace aliiſque partibus in lumbos decubuerunt &c. Sæpe affectus p. n. plurimi, interni & externi, in infantibus mihi curandi occurrerunt, quibus vel natura ſcabiem non expulerat, vel quaſi vi laceſſita natura ſanata fuit. A remediis ergo pius Medicus abſtineat, & ſi forte, neceſſitate, dolor ſcabiei in infantibus mitigandus ſit, butyrum recens per ſe, aut aq. roſacea lotum ſufficiens erit, aut cremor lactis, &c. *Hildanus de lithot. c. 2.* Pueruli frequentiſſime, ſalvis cæteris artubus, *ſcabie* pedum manuumque, & quidem ob ἀδδηφαγίαν corripiuntur, cui ſi lithargyrio, mercurio vivo, lauri oleo cum tantillo ſulphure, empiricorum more medeberis, à ſcabie quidem actutum eos vindicas, ſed in præſentiſſimum vitæ periculum ideo conjicis, quod partim circulationem ſanguinis ipſam retardes, partim quod excrementa tertiæ coctionis repellas, veluti ſeu in venis ſeu arteriis, cuneos. *S. Pauli in Quadripart. Botanico.* In ea affectionis ſorte parentes perperuo quærunt & à Medicis & à muliercculis ſubſidium, At ſi quis rem maturius conſideret, ex natura rei ſumpto principio, reperiet nihil minus opus eſſe quam auxilium aliquod præſtare; quippe ex adhibitis nihil magis acquirimus quam vires infantium debilitare, ut concepta recrementa ſævius furiant, & forſan ad principes partes lethaliter (ut ſæpiſſime contingit) irruant: Quare cenſeo curationem præſentis affectus, & providentiam internorum recrementorum Naturæ ſoli fore committendas, quippe ipſa ſola ſeoſim, paulatim, & ſecuriſſime ſeparabit à nutritiis ſubſtantiis vitioſa illa recrementa, & ſenſim etiam in ignobiles partes (videlicet in cutem proximiorem ei parti ubi magis viget) ea vitia tranſmittet, Et cum jam optimi alimenti plurimum generaverit, & pravi excrementi pauciſſimum ſuperfuerit, ipſa curat fœditatem ad cutem tranſmiſſam exſiccare, ſeparare & decidere cogit, ſubtus ſana & robuſta manente cute, amplius non ſuſceptura, quia nihil ſupereſt quod diſcerni poſſit; & ſi quod ſit, aut conterit in loco, aut ſana jam cutis digerit & reſolvit, ac effluere libere permittit, citra id quod moram ibidem contrahat, qua poſſit in ſcabiem commigrare ut aſſueverat: Qua ſola prudenti patientia perplures pueros ad integram ſanitatem & pulchritudinem reſtitutos vidimus; ſicut & alios in præcipitium deductos, importunis & inutilibus præſidiis adhibitis.

LXXXIII. *a* Verum ne quis exiſtimet, nullo modo nulloque caſu huic malo ſubveniendum fore, expendat quod ſi cum recrementis aliquod etiam ex venoſo genere ſubſit, cujus abundantia calore ac fervore & decubitu cum ipſis recrementis partes ſcabioſas inflammatoriis affectibus & tuberibus inſignaverit, maxime ſi febris acceſſerit, tunc profecto curandum eſt ſcarificationibus brachiorum, cucurbitis ſcarificatis in ſcapulis & brachiis, aut, ob majorem revulſionem, in cruribus ad eas allicere quod in corpore redundat: Quo facto

puerulo & nutrici præſtabis quæ attemperandi vim habeant alimenta: Quod ſi conſtiterit venoſum genus,præter ſanguinis fervorem aliquid etiam bilioſum obtinere, aut ſalſum vel prave affectum, non erit abs re leviter purgare : hoc tamen uno animadverſo, quod nuſquam parti ſcabioſæ aliquid apponere tentes, cum certum ſit raro ex vſu eſſe,nam ſæpe partem teneriorem & molliorem reddes, quo facilius ſi quid in corpore ſubeſt, recipiat, & recepto, deteriorem ſcabiem efficia, licet præexiſtentes cruſtæ & puſtulæ decidunt.

LXXXIII, *b.* Verum ſi adeo creverit puſtuloſa ſcabies, quod neque ætatis mutatione, neque alimenti, neque præſidiorum ceſſet, quinimo pruritu incompeſcibili, & timore leproſæ diſpoſitionis, nos cogat ad majora auxilia confugere, maxime ſi ſi laboranti contabeſcentia immineat,tunc profecto providendum erit aliis præſidiis,quæ præter id quod radicitus purgent,jecur ſubſtantialiter moderentur, attemperent ac nova nutritione reficiant, & cum hoc vim habeat fœdam corim ac denſam rareſaciendi,repurgandi & abſtergendi. *Idem.*

LXXXIII. *c.* At ne quis credat nuſquam eſſe tempus in quo liceat ſcabioſis partibus adhibere,quo præexiſtentes cruſtæ,ſquammæ atque bo-tores, vel maturefcant, vel exſiccentur, ſeparentur & decidant, expendat id tunc maxime oportere fieri ſi malum conſtiterit in declinationem tendere, & novas ſcabiei & puſtularum erumpere, & eruptum facilius decidere; ſignum quidem paucitatis materiæ & efficaciæ virtutis, ſi quidem inſenſibiliter magis reſolvit, & minus generat, aut ex contracto à natali longe minus ſupereſt:Quo tempore iuvanda eſt natura iis quæ neque repellant neque attrahant, ſed ſolum cruſtoſa emolliant, ut eroſa & manantia exſiccent & ſordida detergant. *Idem.*

Strophula.

LXXXIV. Advertendum eſt in tractandis pueris maxima prudentia opus eſſe, 1. ut ſemper mitiora adhibeantur, 2. ut valentiſſima medicamenta fugiantur, quia periculum eſt ne & febres accendantur, & carnes ipſorum teneriores valde lædantur. 3. neque igne neque ferro in illis tractandas eſſe Strumas quæ ſunt prope arterias aut nervos præcipuos, præſertim circa collum, ne nervi reverſivi lædantur. *Mercurialis de morb. Pueror.l.1.cap.5.* Vide lib.17.

Siriaſis.

LXXXV. *Avicenna* errorem de puerorum *Siriaſi* detegere cogor: Is omnia à *Rhaſe* & *Paulo* de infantium Siriaſi conſcripta in capitulum de eryſipelate cerebri ad verbum congeſſit, ac Eryſipelas in cerebro definivit, qui tamen affectus è diametro pugnant, ſi quidem eſt eryſipelas ex flava bile cum inflammatione abſceſſus, qui ſi cerebrum, ut Avicenna arbitratur, obſederit, febre ardentiſſima corpus affliget, & ut cerebri ſphacelus 3. ægrotum die perimet ut plurimum. *Cap.* 7. 51. quorum ſingula *Siriaſi* non competunt, nam eryſipelate longè eſt mitior capitis morbus & ardor, qui ſanguine pituitoſo, vel ipſa pituita circa panniculos cerebri putreſcente, ac ſpiritus in arteriis inflammante cum levi febricula, ut plurimum in æſtatis fervore infantibus accidit. Obiicies eadem remedia quibus *Dioſcorides* & *Paulus* Siriaſi fervorem extinguunt, cum frigida & humida ſint, Eryſipelati, morbo calido & ſicco, æque profutura: Sed falleris, ratione enim concoctionis morbi, quæ eſt alteratio faciens ceſſare putredinem remanente ſubſtantia, eadem exigunt medicamenta. Si ſane frigida ſincipiti, arteriis temporum, & metacarpij ac frontis, in quarum conceptacula ſiriaſis diliteſcit ac fervet, tum extincto vel alterato in panniculis cerebri & arteriis calore externo, qui putredinem incendere potuiſſet, certè eam jam prohibuiſti & morbum concoxiſti: hoc idem eiſdem remediis in Eryſipelatis cura præſtare poteris. Sed quantum ad cauſam & morbi ſubſtantiam ſpectat, longè diverſis opus eſt remediis, quæ morbi ſubſtantia & illius cauſa tibi indicabunt: Nutrici prius diæta frigida & humida indicta, poſtquam urticas in mortario contuſas, addito momento unguenti populei arteriis temporum ac metacarpij applicueram, ſingulis verò horis innovatam, ille ſiriaſis fervor plus minus biduo extinguebatur citius. *Langius lib.1.Epiſt.54.*

LXXXVI. Extrinſecus laudant fere omnes vitellum ovi cum roſaceo: Succus heliotropij mirifice commendatur à *Dioſcoride* & aliis, Convenit etiam ſuccus ſolatri, lactucæ, ſed præſertim ſuccus citrullorum, qui melones ab Arabibus vocantur, & ſuccus curcurbitarum. Sed notandum ut non tranſeantur hæc remedia refrigerantia, quia periculum eſt ne vitantes ardorem incidamus in glaciem, h. e. ne ex gravi morbo fiat alter gravior. *Mercurialis.*

LXXXVII. Aliud obſervandum eſt, ut hæc medicamenta, quemadmodum omnes monent, aſſiduo mutentur, atque ſemper vel tepida tempore hyemis, vel frigida actu, tempore æſtatis uſurpentur: Eo quod ſi diutius detineantur ſolent exſiccare & incaleſcere, unde poſtmodum tam obſunt quam juvant. *Idem.*

Tuſſis.

LXXXVIII. Tuſſim aliquando ſine magno pulmonum vitio, propter materiam morbificam nervis pneumonicis illapſam, excitari indicat hiſtoria puellæ paroxyſmis convulſivis, ac inſuper vertigine gravi & continua laborantis; cui cùm fotus ex decocto cephalico capiti adhiberetur, illico ſcotomia ceſſabat, inque vicem ejus Tuſſis inanis, ſine ullo ſputo, ſed dies & noctes fere perpetuò moleſta ſuccedebat, quod proculdubio contigit ob materiam ſpaſmodicam à cerebro in nervorum origines depulſam: Hæc Tuſſis verè convulſiva in adultioribus rarò occurrit, in pueris valde frequens eſt, & aliquando epidemica, quæ cum primo & ſimplex & moderata fuerit, poſtea vehemens & convulſiva evadit; Ita nimirum ut inter tuſſiendum, diaphragmate ſurſum contracto, ac in ſyſtole longiori, aut crebertimè repetita, detento, pulmones valde coarctati, in motu ſuo plurimum inhibeantur: interim ob reſpirationem impeditam, & ſanguinem intra præcordia cohibitum, proindeque in aliis locis ſtagnantem, laborantes ſuffocari periclitentur, & non rarò vultum lividum ac cadaveroſum acquirant. In hoc caſu, præter ſpaſmos cum tuſſiendi impetu circa præcordia excitatos, non raro etiam ventriculus in conſenſum adductus quicquid ſinu ſuo continetur vomitu rejicit. Quin & novi in quibuſdam tenellis, morbum ſubinde in alias parte graſſatum, motus convulſivos in facie, oculis ac artubus excitaſſe,

ac demum lethalem evaſiſſe: Affectus curationis difficilis & nonnili longioris ut plurimum exitus: Præcipuæ indicationes erunt, tum humores ſeroſos & acres, pulmones inundantes, è ſanguine & viſceribus expurgare, ut illorum *jeru* ac decubitua in cerebrum, ac forſan aliquando intra pectus, præcaveatur; Tum has partes, ne teri æſtuantis ſuperfluitatea facilius admittant, corroborare: In hos fines vomitoria & catharctica leniora ferè ſemper conducunt, & aliquatenus iterari debent: Veſicatoria ſæpe proficua ſunt: imò, ſi morbus contumacior, fontanella in nucha aut brachio, vel circa axillas excitetur: Potus & alimenta liquida quantitate ſolito minori ſumantur, iſtius vice bochetum ex zarza, china, ſantali, ſcraturа eboris, cornu cervi cum ingredientibus diureticis & antiſpaſmodicis uſurpetur: In hoc caſu remedia quædam, velut ſpecialia, valde commendantur, cujuſmodi ſunt muſcus pixidatus in pulvere exhibitus, vel lacti incoctus, adeoque crebra dosi quotidie exhibitus: decoctum vel ſyrupus ex caſtoreo & croco, decocta rad. pæoniæ, viſci qu. item hyſſopi multos juvarunt, aquæ ceraſor. nigr. ſaxifragiæ, aqua limacum cum ſero lactis ac ingredientibus appropriatis diſtillata ſæpe cum fructu adhibentur. Thomas *Willis Patholog. cerebri c.12. Vide Ejuſdem operis poſthumi ſect.1.cap.6.*

L X X X I X. Pectus an debet ungi in *Tuſſi infantium?* Negativa videtur probabilis, 1. quia omnis Inunctio poros cutis obſtruit 2. Nec vis linimenti ad intima penetrat: 3. ipſa inunctionis frictione calida maior fit ad locum affectum affluxus: Sed affirmativam retinemus, qua ejuſmodi Linimenta vim molliendi, digerendi diſſipandique poſſident: Hinc ad 1. reſpondemus, Inunctionem actu frigidam poros cutis obturare, minime quæ potentia & actu calida eſt. Ad 2. ſufficit ut naturam juvet, quo cujus ad externa per occultam etiam tranſpirationem peccantem materiam promoveat. Ad 3. Conceditur quandam attractionem fieri, ſed ad exteriora partemque ſanam. *Gr. Horſtius Obſ. lib.6. Quaſt.6.*

X C. Ingens ſolatium adfert v.ſ. Infantum Pertuſſi, quam noſtrates vocant *Hooping cough*, in qua remedia quælibet pectoralia longo poſt ſe linquit intervallo. *Sydenham Obſervat. in Acut. p. 279.* Vide ſupra tit. de convulſione §.37.

Vara Tibia.

X C I. Sæpe pueri in ætate duorum annorum, cum progredi incipiunt, *Vari* eſſe conſueverunt, de quo matrea ſollicitæ auxilium quærunt à Chirurgis, pleruмque variis machinis tibias & crura erigere conantur, ſed fruſtra, quia ſponte naturæ ut plurimum circa ætatem trium aut quatuor annorum tibiæ & muſculi firmantur, & partes ad naturalem ſtatum redeunt. *Sam. Formius Obſerv. xxx.*

Ventris Dolor, Tumor.

X C I I. *a.* Quod à ſectione umbilici ſuperſtes eſt, necrotin contrahit, ac ſponte ſpatio quatuor aut quinque dierum abſcedit: hinc particulæ, frigus inſigne contrahenti, niſi linteum duplicatum aut triplicatum ſuppoſueris, ventris dolores, aliis cauſis adſcripti, exoriuntur: Inde pendere indicio eſt quod ab admotis calorificis miteſcunt & deſinunt.

X C I I. *b.* Frequenter Infantibus accidit *Ventris Inflatio* ex crudo Lacte, quod nec per vomitum, nec per alvum probe purgatur: ſed adeſt etiam tum cum eadem intumeſcentia ventris, tum circa ipſam affectio quædam huic ſimillima, quam Hiſpani vocant *ahito*, affectio frequentiſſima, ſed maxime cum pueri lacte & ſolidiori cibo ſimul utuntur, Eſt quidem cruditas ex copia alimenti, quæ vires ventriculi ſuperat, proveniens, quæ profecto, niſi cito præveniatur, vel in febres diuturnas, aut in fluxum ventris importunum, faſtidium vomitum, vigilias & inquietudines degenerat: Affectionem comitatur levis febricula aut pulſus celerias, coarctata reſpiratio, color faciei ſubplumbeus aut ſubpallidus, & oculorum ac vultus intumeſcentia: In quo intendendum multo magis in evocatione ſuperabundantiæ quam in ventria roboratione neque alteratione: Ego quidem clyſmatis, ſuppoſitoriis, & lactis vel alterius cibarij parſimonia prima die rem minuere ſtudeo: ſi affectio protinus non quieverit, non eſt cunctandum levi potiuncula ventrem deonerare: A quibus ventri apponere conſulo quæ vim habeant attenuandi, incidendi laxandique ea quæ in ventre ſunt, quo facilius ſecedant &c. *Mercatus l.c.*

X C I I I. In pueris, imo & adultioribus, frequens *Abdominis induratio* atque *inflatio*, cujus cauſa Glandularum meſaraicarum duritiea: chylo hæc nonniſi tenui ad venam lacteam magnam tranſitum concedit, unde muſculorum caro flaceſcit, corpus ponderoſum redditur atque laſſum, imo tandem febris & extabeſcentia oriuntur: Limento hoc abſque labore malum tollere ſoleo ℞. ungu. alth. compoſ. unciam j. arthan. matiar. ana drach. ij ol. liliot. alb. chamom. an drach. ij. m. Interne proſunt hæ rotulæ, toto morbi tempore maſticandæ ℞. Chaybl. præp. Ocul. concr. præp. ana ſcrup. j. Tartar. Vitriolat. ʒß. lap. prunell. gr. xvj ſpec. aromat. roſat. ℈j. ſacchar. albi ℥ij m. f. l. a. Rotulæ: Purgationes hoc in caſu nonniſi caſſia, cremore tart. ſyrupiſque laxantibus perficiuntur, fortiora enim purgantia glandulæ non ferunt. *Barbette Anat. Pract. c.14.*

Variola Vide lib. X V I I I.

Vermes.

(Vide *Lumbrici lib.*10.)

X C I V. Ex ſententia *Galeni*, 4. meth. Scopus in curandis *Lumbricis* præcipuus eſt ut ipſi è corpore educantur: Sed quia educi non poſſunt faciliter dum vivunt adhuc, ideo prius neceſſe eſt ipſos interimere, aut ſaltem ita hebetare ut medicamentis reſiſtere nequeant: Quæ vero interimunt, vel hebetant, ſunt amara omnia, acria, incidentia adſtringentia, acra & oleoſa. *Mercurialis lib. 3. morb. Pueror. cap.*10.

X C V. Quia hæc animalia ſunt fallenda, & cum rebus dulcibus delectentur, preſentaneum eſt remediis interimentibus ſemper delectantia commiſcere, Et ideo male agunt qui amara ſola, aut acida exhibent, eo quod lumbrici non fugiunt venenum apertum: Sed ſi venenum commiſceatur rebus dulcibus, ludificantur lumbrici, ut dicebat *Lucretius* de pueris, & ideo venenum cum melle & dulcibus trahunt: Quare ſemper medicamenta quæ offerentur in vermibus immiſceantur ſaccharo, lacti, melli, aut mulſæ; Domi meæ pro pueris jubeo parari oxymel, factum ex melle

& aceto acerrimo, & decocto abſynthij: hujuſmodi enim oxymel conſervat mirifice pueros à lumbricis. *Idem.*

XCVI. In iis medicamentis quæ per alvum *infunduntur*, ſemper dulcia aut ſola eſſe debent, aut valde prævalere aliis: ratio eſt, quia facile hæc animalia tracta dulcedine inferiores regiones petunt. Ex adverſo in his medicamentis quæ ore capiuntur, debent ſemper prævalere medicamenta acria, aut amara ipſis dulcibus: Ratio eſt, quia ſi plus dulce eſſet quam amarum, traherentur facile hæc animalia in ſtomachum, nec commode poſſent interimi. *Idem.*

XCVII. Eſt obſervatione dignum medicamenta lumbricis interimendis accommodata, nequaquam vehementia eſſet debere: Ratio eſt, quia ſi vehementia ſunt, prætetquam quod ventriculus ab ipſis offenditur, fit etiam ut lumbrici agitati vehementer acerbiores & crudeliores evadant. *Idem.*

XCVIII. Hora utendi medicamentis omnibus eſt ubi ventriculus exinanitus, eo quod ſi pleno ventriculo offerantur medicamenta, facile eorum vis, alioquin imbecilla, obtunditur & pene extinguitur. *Idem.*

XCIX. Nulla eſt Medicina quæ communiter omnibus Lumbricis enecandis conveniat, nullumque eſt magis præſentaneum remedium quam *Corallina* vocata, & muſcus marinus: Hac enim in pulvere utuntur Medici circumforanei, & miracula faciunt: adeo ut viderim incredibilem copiam bmmorum interdum deiectam hoc ſolo medicamento. *Idem.*

C. Interdum ægri *febre* tentantur *cum lumbricis*, interdum vero ſunt ſine febre: Vbi febricitant, quantum fieri poteſt eligenda medicamenta frigidiora: Vbi autem ſine febre ſunt, liceb. uti etiam calidioribus. *Idem.* Si febris adeſt, clyſteres debent laxare, vermes occidere & refrigerare; Fiunt autem ex amaris & frigidis, ut cichorio, endivia, ſcariola, portulaca: fit decoctio in ſero lactis, vel aqua fontis, & in ℔. jß. diſſolve mellis roſat. colat. ʒij ſucci roſar. ℥ß. Hic Clyſter refrigerat, laxat & occidit vermes. *Rondeletius de medic. int p.* 887.

CI. Eſt autem aliquando neceſſarium *occidere vermes*, & fluxum ventris cohibere, quem vermes excitant: Quare detergentibus amaris, non autem adſtringentibus utendum, ne vermes occiſi retineantur & putreſcant: Fiant ergo Clyſteres ex decoctione lentium vel lupinorum, & decoctione aquæ caulium, quibus addere poſſumus roſas, vel myrobalanos &c. *Idem.*

CII. Quæritur num medicamenta quæ evacuant inſenſibiliter conveniant in his caſibus, veluti eſt inter cæterea *Decoctum Ligni?* Proculdubio ſi locum ſpectemus vbi materia lumbricum poſita eſt, nequaquam convenire videtur hujuſmodi medicamentorum uſus, eo quod ipſum evacuat materiam in ambitu corporis exiſtentem, Lumbrici autem gignuntur in inteſtinis: Verum tamen cum lignum amarorem habeat, & ejus decoctum & acre & amariſſimum ſit, puto ego inter alia remedia ipſum eſſe utiliſſimum, eo quod non ſolum exſiccando poteſt conſumere crudos humores ventriculi & inteſtinorum, verum etiam amarore illo inſigni, & acrimonia, potens eſt ipſa animalia jugulare: ut ob hæc omnia, tam in curatione quam in præſervatione, *decoctum Ligni* utiliſſimum ſit. *Mercurialis loco citato.*

CIII. Noſtrates mulierculæ putant omnes pueros *Vermibus* laborare, Sed cum nullus reiicitur, eos dicunt in humores putridos fuiſſe converſos; nec male, nam ut Vermes in phiala concluſi, & fimo calente obruti brevi convertuntur in paſtam, cur in corpore noſtro, cujus calor fimi calori reſpondet, non idem fiet, vermibus enecatis à medicamentis amaris? *Pet-Pachequus ad Riverium obſerv.* 57.

CIV. Interdicit quidem *Galenus* Theriacam pueris, ob raram corporis texturam calorisque copiam, metu diſſipationis ſpirituum: Vidimus tamen Romæ Exc. Doctorem *H. Savianum* pueris bimulis exhibentem: *Eum* ipſe imitatus & liberis meis, vermibus vexatis, magno certe emolumento non ſemel præbui: quare non tantopere illius uſum formidandum cenſerem. *Iordanus de peſte Tract.* 3. *cap.* 7.

CV. Prodeſt *hydrargyrum* in *puerorum vermibus*, ſed à tertiu demum anno, dozis in his grana tria: primo ſeptennio gran. 7. vel 8 grandioribus ad ℈ß Qui habitu ſunt admodum molli & gracili, vix ferunt: facilius qui pingui ac denſo: febricitantibus cum aqua graminis, aliis cum vino, Datur vivum non extinctum, ſic enim ventriculo hæret & inteſtinis, ſævaque excitat ſymptomata: lotum tamen prius ſit aceto acerrimo, hinc per corium denſum traiiciatur: Eo ſic uſi Braſſavolus, Matthiolus, Friſimelica: Idem præſtat aqua ejus macerationis, nec ullum incommodum affert. *Augenius.*

CVI. Pueros nihil æquè à vermibus præſervare novi quàm cum cibo *aloën* frequenter miſcere: Id fit inaurando parvas pilulas quæ ob exiguitatem ſenſum fugiant: dentur 4. aut 5. pro *eorum natura. Augenius.*

CVII. Quoniam pueri vermibus obnoxij eſſe ſolent, qui generantur facile ex cruditatibus, ab infarctis cibis productis atque corruptis, ideo aliquod Medicum auxilium, quod tamen graviora mala non excitet, in uſu habendum: validiora enim, præſertim rebus dubiis, nunquam uſurpanda. Sufficiat itaque aqua ſtillatitia de ſucco, rutæ capparis, ad ℥iv. vel hauſtus aq. roſar. cum acido citri aut limon. vel jus acetoſa alteratum, addito ſucco citri. *Forcis* 71.2.

Ex uſu ſemin. contra vermes graviſſimos morbos pueris accidiſſe, febres acutas, inflammationes &c. compertum eſt.

Vigilia.

CVIII. *Vigilia* infantium diverſus ſunt morbus à vigiliis adultorum, quia abſurdum eſt exiſtimare poſſe hunc in infantibus oriri ab ea cauſa: nimirum propter ſiccitatem, à qua fiunt vigiliæ in adultioribus: Ea propter jure hoc conſtitutum fuit ab omnibus Medicis, ubi infantes nimium vigilant, id non aliunde proficiſci quam à corruptis cibis in ventriculo, à quibus cum vapores acres jugiter in cerebrum ferantur, ij membranas pertundentes ſomnum impediunt, poſita ergo eſt tota curationis ratio in eo potiſſimum ut ventriculus corrigatur, quo cibos non corrumpat, tum ut omni arte ſomnus provocetur. *Mercurialis, l.* 2. *c.* 10.

CIX. An *crocus in vigiliis* convenit? Videtur non convenire, quia calefacit ſiccatque, 2. uno ſenſus excitat 3. ſpirituum mobilitatem inducit, unde cor recreare dicitur: Sed nota quod ſolus non præſcribatur in hoc caſu, at permixtus cum ſyrupo refrigerante cui penetrationem addit: Ergo ad 1. calfacit ſiccatque ſolus, permiſtus tamen cum aliis, citius, vaporibus gratis excitatis, ſomnum conciliat: 2. hinc per ſe ſolus ſenſus excitat. 3. cum cordialibus calidis, non autem frigidis permiſtus, mobilitatem ſpirituum introducendo, cor recreat. *Horſtius l.6.qu.7.*

CX. *Somnum conciliantia* non ita tutò infantibus exhibentur, cum eorum ingenia ſtupida reddant, ideo malè nutrices ſyr. de papavere exhibent quo ſibi conſulant: his potius quàm pueris hipnotica propinanda, ſed & ea moderata, ut amygdalæ dulces, lactuca, ſemen papav. &c. *Sennertus de morb. Puer. p.2.c.9. Mercurialis cap.10.l.2.*

Vmbilici Inflammatio, Tumor.

CXI. Prominet aliquando Vmbilicus carnoſa ſubſtantia adnaſcente, quod vitium licet rariſſime pueris accidat, eſt tamen difficilis, ne dicam impoſſibilis curationis ſi creſcat: mox à principio carnis generatio inhibeatur, ſolum enim tunc medelam accipit; Primo acceſſu factis cruribus ſcarificationibus, leviter purgabis, mox repellentia & roborantia parti adhibebis: Quibus factis, non conſulo ad cauſtica medicamenta, ut in ſcroto conſulunt authores, pervenire, ſat enim eſt in pueris paulatim quod emollitum attenuatumq; eſt reſolvere: Sed in hac curatione expende alternatim eſſe procedendũ, nempe 1. utendum repellentibus, & poſtea his quæ reſolvant ac digerant, quod ſi his nõ profeceris, crede incurabilem fieri affectionem, niſi forſan aliquid exulceratum fuerit ſua ſponte, cui adhiberi poteſt aliquid quod paulatim carnem exedat, cavendo ne vena aut arteria attingatur, metu hæmorrhagiæ. *Mercatus.*

CXII. Prominet & umbilicus ſanguine aut ſpiritu arterioſo aut venoſo, quo tempore cave ne ulla perſuaſione audeas umbilicum aperire, aut ſcarificare, ſed ſolum ut aneuriſmata vel chemoſin curabis repellentibus, adſtringentibus, & emplaſtris contra rupturam. *Idem.*

CXIII. Inter omnia ad umbilici rupturam proficua, illud probatiſſimum habeo, quod fieri gratia magni Principis inſtitui, ℞. *Ceræ novæ lib. ij. reſinæ coloph. picis naval. olei ovor. ãã. ℥ij. ſangu. drac. ʒiij terebint. ℥ij. rad. nenuph. & flor. eius ãã. ℥ß. rad. conſol. ma ℥j unc. cupreſſi ℥ß. gallar. ℥j boli Arm ℥ß. cortic. thur. ℥ß. alves ℥j. lap. hæmat. ℥ß. litharg. aur. ʒiiß. maſtic. mumiæ. myrrh. ãã. ʒij. carab. balauſt. verm. terr. combuſt. roſar. rub. ana. ʒijß galban. amoniaci, ãã ʒvj. f. Empl. ſ.a.*

CXIV. In *Vmbilici tumore* ab Inteſtini vel omenti exitu, ubi remedia externa non conferunt, deveniendum ad Inciſionem vel uſtionem: Circa Inciſionem modus fere uniformis traditur à *Celſo, Paulo &c.* Illud vero memoria tenendum quod docuit *Celſus*, nequaquam incidendos eſſe infantes lactantes, ſed pueros adultiores: Præterea non omnia corpora puerorum idonea eſſe Inciſioni, ſed ea quæ ſunt boni habitus, quæ ſine papulis & omni impetigine ſunt: nam corpora mali habitus, & malorum ſuccorum ſi incidantur, difficulter coaleſcunt, imo periclitantur ne ad gangrænam perveniant. Præterea obſervandum non quodlibet tempus idoneum eſſe inciſioni, ſed tantum vernum, non autumnale, non hyemale, nec etiam æſtivum. *Mercurialis lib.1.cap.7.*

CXV. In *Inflammatione Vmbilici* oleum roſatum cum oleo lumbricorum ſupra umbilicum commodè adhibetur, donec inflammatio remittat: Quod tamen quibuſdam ſuſpectum eſt, quia alias in frigidis nervorum affectibus præſcribi ſoleat, unde metus ne caliditate majorem inflammationem reddat: Sed notat quod ea invicem permiſta inflammationẽ temperent, & nervoſæ umbilici ſubſtantiæ competant: Solitarium poteſt inflammationem augere. *Greg. Horſtius Obſ lib. vj quæſt ix.*

CXV. Nonnunquam recens natis pueris ovi magnitudine *umbilicus intumeſcit*, quod perperam ſectus aut vinctus fuerit, vel humores ſeroſi eo confluxerint, vel quod ejulatu, ex torminum puerilium doloribus, ea pars ſe amplius æquo dilataverit; Nonnunquam ab utero cum tumorem cum *abceſſu* conjunctum ſecum afferunt: Sed abſceſſum illum nequaquam tentabit aperire Chirurgus, facta enim apertione inteſtina prodeunt & effunduntur, quemodmodum in multis obſervavi. *Paræus lib. 23. cap. 66.*

Vomitus.

CXVII. Vomitus in infantibus uno è duobus modis ſuccreſcit, 1. cum adeo copioſe lac ſugunt, quod cum ventriculus capere, conficere non poſſit, protinus nititur à pondere & moleſtia ſeſe liberare; & tunc à ſuctione vomit quantum gravat, & mox quieſcit, ac reliquum concoquit & bene perficit: Quæ Vomitio à lactis ubertate & ventriculi robore prodit, & ob id in ſalutem infantis refunditur: Alio modo vomunt, cum licet lactis non multum ſuxerint, nihilominus tamen mox ubi ab ubere ſeparantur, ſenſim & paulatim vomunt & revomunt, non ſemel nec bis ſed pluries, donec nihil lactis in ventriculo ſuperſit: Et ut illi primi nihil mali ex vomitu perſentiunt, quinimo augentur & nutriuntur proſpere & alacriter vivunt, longe magis quam eis diebus in quibus nihil evomunt; Ita hi ultimi ex revomitionibus ſuperſunt exanimes, veluti tabeſcentes, & citra augmentum afflicti: Quæ vomitio ſemper morboſa eſt, vel 1. ob Lactis conditionẽ, alienam à pueri natura, acidam, ſalſam vel amaram, quod mox à ſuctione horrens, pellit vomendo & revomendo, non quieſcens donec ex toto ab inimico alimento libera ſuperſit: Vel 2. quia puer adeo ſit ſenſibilis ventriculi, imbecillis, & ad vomitum facilis, quod à familiari alimento non minus alteretur, irritationeque magna protinus conetur expellere, donec liberetur à moleſtante. Si lactis vitio evomit puer, ubera renuit & nequit ſugere, quaſi fugiens ingratum alimentum; Si vitio ventriculi, ubera quidem ſumme affectabit, ſuget avide ac alimento delectabitur, cæterum mox inſurgit natura ad pulſum, non quidem nocui alimenti, ſed quod in ventre vitium ſit, quo invitatur ad id miniſterium: Si *Lactis abundantia* ſit, facile eſt parſimonia alimenti nutricem moderari: Si *Lactis vitio*, erroneum judico medicamentis aut alimentis emendare, ideo ſemper probavi magis nutricem in ſelectiorem mutare, idque protinus, quam inutiliter tempus conterere: Si *ventriculi ſit vitium*, conſiderandum 1. ſitne in eo aliquid vitioſum retentũ, quod commotum à lactis ſuctione facultatem laceſſat ad excretionem: quod noſces quia mox à lactis ſuctione puer anxius eſt, nec dormire nec quieſcere poteſt,

donec per vices & intervalla lacte toto excreto, ſomno & quiete corripitur, hinc placidus ſupereſt: quo in caſu pueri ventriculum levi aliquo levi modo purgare decet, melle Perſico, roſaceo &c. Quo facto audacius intus & extra, tum roborare, tum comprimere ventriculum, & vomitum coërcere poteris, maxime ſi laxior apparuerit, eo quod & per inferna ſemimutatum lac exeat: Sed in his non plurimum eſt perſtandum, nam facile obſtructionibus infeſtantur pueruli. *Mercatus de Puerorum morbis cap.4.*

CXVIII. Hæc in adhibitione ventriculum roborantium auxiliorum obſervanda, mane & ante prandium poſſe ventriculo adhiberi; Tamen cum hoc ratio convincit longe utiliora fore ſi ante cœnam & prope ſomnum ventri adhibeantur: Nam in omnibus vegetabilibus actionibus ſomnus maxime juvat, excepta alvi evacuatione. *Item. cap.3.*

INFLAMMATIO.

Generatio & curatio. 6.
Initio curatur fluxilibus redditis humoribus. 1.
Initio non purgandum. 9.
Repellentia *ſunt noxia.* 7.
Præſertim in loco emunctoriis vicino. 8.
Scarificationis *utilitas.* 5.
Quando illi locus. 9. b.
Non omnibus locis adhibenda. 9. c.
Emplaſtra *dura non admovenda.* 2.
Eryſipelatodis & Oedematodis curatio. 3.
In declinatione reſolventia *non ſemper neceſſaria.* 10.
Internæ *cognitioni incumbat Medicus.* 4.
Unguenta minus conveniunt. 11.
Derivationi *quando locus,* 7. a.

I. HUmores in carne hærentes, qui planè extravaſati ſunt, ob craſſitiem fluere non poſſunt: fluxiles ergo reddat Medicus medicamentis calidis: Sic eryſipelas, ſic quævis Inflammatio, in initio ſpiritus vini applicatione facillimè tollitur: Imò ſi angina laborans in principio affectus ſpiritu vini ſe gargariſet, omnis gutturis inflammatio ceſſabit trium horarum ſpatio. *Wallæus m.m.pag.* 512.

II. *Inflammationi* tenacia & dura emplaſtra non conveniunt, quia impediunt ne ſanguis liberè confluat ad ſpatia & in pus convertatur. Galenus 13. meth. c. 5. docet cur ab emplaſtris duris in phlegmone ſit abſtinendum, quia ſcilicet contrahunt reliquias phlegmonarum, & rurſus phlegmonem in ægra parte excitant. Debilitant partem, quia duritie lædunt, dein excitant dolorem dum evelluntur, quo excitato confluunt humores & rurſus inflammatio in ægra parte promovetur: Inſuper contrahunt reliquias, quia prohibent ne egrediatur ſanguis è tunicis capillarium venarum, quo non egreſſo alio tempore promovetur & inflammationem efficit. *Sanctorius meth. vit. Err. l. 15. cap.* 8.

III. In *Inflammationibus Eryſipelatoſis* ſimul, quæ ut plurimum artus invadunt, & magnum ſæpe tam Medicis quam Chirurgis negotium faceſſunt, nihil præſtantius unquam expertus ſum ſequenti remedio, quod Excell. *Spigelio* Chirurgus quidam Germanus pro ſummo ſecreto, ut certè eſt, communicavit, *℞. lixivij ex ciner. ſarmentor. vitis, mediocr. lib. j. nitri ℥iß ſalis comm. ℥j aceti ex vino opt. ℥j f. mixtura*, quæ poſt univerſalem curam ſplenio duplici tepidè excepta, locoque affecto, faſciis ſtrictè ſuperligata, ſpatio trium dierum, vel ad ſummum quatuor, inſignes tumores, qui etiam periculoſam minantur gangrænam, mirè diſcutit atque abſorbet. *Scultetus Armam. Chirurg. obſerv.* 98.

IV. Hippocr. multas notas ſcripſit in prognoſtico *internæ* in alvo *Inflammationis* in ſuppurationem abeuntis, Quod ſanè etiam poſſe cognoſcere plurimum refert, Eſtque hæc una earum rerum quibus periti Medici ab imperitis maximè præſtant: Nam multi ex internis inflammationibus, ad ſuppurationes mutatis, moriuntur lentè, cum putarentur jam eſſe à morbis liberati, atque à Medicis dimiſſi: Cum enim facto jam pure dolores & febres magnopere remittantur, putantur multi ad maximam morbi remiſſionem & ſecuritatem perveniſſe, quibus pus interius vomica aliqua collectum ſubeſt: Quorum quidam, beneficio ipſius naturæ fortis, rupta vomica & excreto pure liberantur: quidam pure malignius putreſcente, & computrefaciente partes internas, aut aſſidua febricula, quam putridæ, ex loco in cor delatæ, fuligines fovent, tabeſcentes intereunt: aut vomica rupta, ſed tardius, & cum jam debilitata virtus eſt magis quàm ut poſſit ipſam puris excretionem ſuſtinere: multum ergo refert ſcire notas internæ inflammationis in ſuppurationem abeuntis: Ac multi quidem has ignorant, quia ne ipſas quidem internas inflammationes dignoſcere ſciunt, & affectionum latentium cura depoſita nihil ferè conſiderant præter ea quæ ſenſibus comprehenduntur, citra ratiocinationem ullam, & affectas partes noſſe, poſſeque eas ab aliis doloroſis affectibus dignoſcere & magnas ab exiguis: An enim facturi ſint abſceſſum, ſeu ſuppurationem, agnoſco ea tribus, Loco, Magnitudine & Modo inflammationum ipſarum: Nam inflammationes partium calidiorum, niſi anticipent reſolvi, magis ſuppurantur quàm frigidiorum, ac proinde, ut dicitur in prognoſtico: *Tumores in ventre minus faciunt abſceſſus quam qui in hypochondriis, minime verò qui infra umbilicum ſunt.* Porrò exiguæ inflammationes pleræque reſolvuntur, præcipuè ſi in locis calidis ſint: magnæ in calidis quidem locis ſuppurant, in frigidis manent crudæ & invictæ. Quod ad modum attinet, quæ ſunt rotundæ & eminentes, & proprio loco circumſcriptæ, & in unum collectæ, futuræ ſuppurationis ſignificationem præbent, quæ verò extentæ & latæ, effuſæ, non admodum ſuppurant: Sed ſi exiguæ ſint, aut ea materia tenui, reſolvuntur: Si majores, aut ex craſſiore, in dicationem ſubeunt fluxu ſanguinis, aut alia evacuatione, ſi modò bonum exitum habeant. *Valleſius 4. Epidem. p.* 422.

V. Noſtri Medici multi uſum partis inflammatæ ſcarificandi rarò frequentari poſſe negant, eò majorem defluxi ſanguinis copiam in partem affectam ferri aſſerentes, ea quo non poſſe juvari ægros autumant: Quod tamen vanum eſſe exiſtimo, corpore prius probè vacuato: Cui etenim dubium eſt in omnibus vel inflammationibus, vel fluxionibus humorum, ex plenitudine obortis, binas indicari vacuationes, alteram totius, univerſalem appellatam, atque alteram partis in quam humor decubuit? qua vacuationis diſtinctione in his affectionibus, ut in primis neceſſaria eſt totius univerſalis vacuatio, ſic poſtea inflammatæ partis particularis, illa enim

enim cauſam teſpicit abigendam, atque hæc affe-ctum ipſum: Quinimo in iis etiam cucurbitula-rum nium Galenum laudaſſe certum eſt, quibus facilius ex prævalida, quam præſtant, attractione, ad læſam partem humorem copioſiorem deduci poſſe, atque exinde inflammationem vel fluxionem perаugeri ſuſpicandum eſſet. *P. Alpinus Med. Ægypt. l.3.c.12.*

VI. 2. Sanguinis fluxus & refluxus reciprocus motus circularis nomine jam cluet. 3. Impeditur nonnunquam in ſuo Refluxu ſanguis, quoties is vel ſtagnat ſubſiſtitque in ſuis vaſis & viis, vel effunditur extra ipſa, ſive hoc fiat intra vicinarum partium ſubſtantiam, vel corporis cavitates, ſive id accidat extra corpus ipſum. 4. Stagnat in vaſis ſuis ſanguis, vel ob plethoram ſummam, ad vaſa dictam, vel ob Anguſtiam, nunc ab ipſorum compreſſione, nunc obſtructione factam. 5. comprimuntur venæ à motibus vicinis durioribus, nunc à vinculis circumjectis, venaſque quam arterias arctius ſtringentibus. 7. Obſtruuntur venæ nunc ab ipſo ſanguine pituitáve in ipſis coagulatis, nunc, ſed rariſſime, à calculo in ipſis genito, ſenſimque amplius aucto. 8. Ad venas referri velim Carnoſam ſingularum partium ſubſtantiam, per quam ex arteriis ſanguinem in venas exiſtimo maxima ſui parte tranſmeare. 9. Sanguis coagulatur & à frigore aëris vel aquæ intenſo, partes valde afficiente, & à medicamentis potenter adſtringentibus, auſteriſque forinſecus aut intrinſecus ſanguini communicatis & ipſum congelantibus: 10. Pituita coagulatur in dictis vaſis iiſdem cauſis, frequentiſſime tamen à frigore aëris, aquæ potu aliorumve, partes prius calentes aut externe aut interne ſubito infeſtante, atque pituitam viſcoſam imprimis, quacumque tandem de cauſa, in tenui præſertim inteſtino ſolutam, hinc ad ſanguinem deductam, & una cum ipſo quaquaverſum propulſam ibidem itidemque ibi cogente ac inſpiſſante: 12. Vbi notandum quo plures cauſæ concurrunt, peccantque exceſſu majore, eo facilius, citius & copioſius ſolvitur, & ſanguinem verſus transfertur pituita. 13. Sanguis autem in dictis ſuis vaſis ſtagnans, & paulatim collectus, eadem magis magiſque diſtendit, & ita quidem ut aliquando rumpantur, aut quovis alio modo ipſi exitum concedant, unde contingit nunc ſanguinis è vaſis ſuis effuſio, ſive idem hæreat in partium adjacentium ſubſtantia, ſive colligatur in cavitate corporis propinqua, ſive effundatur in totum extra corpus: 14. In vaſis capillaribus, & forſan intermedia quoque ipſis partium quamvis ſubſtantia ſinuoſa concluſus adhuc & ſubſiſtens; aut extra eaſdem vias ſuas conſuetas, ſed apertas & patentes in qualemcumque partium ipſarum, viciniarumque ſubſtantiam poroſam, & carneam præſertim membraneamve, aut earundem interſtitia effuſus, & copia mediocri ſaltem collectus ſanguis, ſponte mox excandeſcit, & caloris ſenſum moleſtum in parte ſenſili producit, ac ſenſim corruptus in pus vel ſaniem abire ſolet, unde prior quidem mutatio vocatur *Inflammatio*, ſicut poſterior *Abſceſſus*. 15. Arbitror autem incendi ac inflammationem parere ſanguinem, quatenus ex ipſo in vaſis ſuis valde diſtentis, partibuſque quibuſvis aliis ſubſiſtente, h.e. ſtagnante, mox incipiunt evaneſcere partes ſpirituoſæ magiſque volatiles ac ſubtiles, tum acidas tum ſalinas temperatæ ſolitæ, unde utræque acriores factæ actius in ſe mutuo inſurgunt, Effervelcentiamque ob partes ſanguinis oleoſas præſentes calidam excitant, quin paulatim ſanguinem ita corrumpunt ut in Pus vertatur, & quidem pro ſanguinis corrupti varietate varium. 22. *Fr. Sylvius de le Boë Diſputat. Medic. ix.*

Ad Inflammationis, hinc & abſceſſus ſequuturi curationem requiritur 1. ut Compreſſio vel Obſtructio vaſorum tollatur. 2. ut Stagnantis ſanguinis motus reſtituatur. 3. ut Sanguis effuſus ante ſuppurationem, ſi licet, inde removeatur, 4. Si removeri, atque adeo ſuppuratio impediri nequit, ut eadem promoveatur, 5. ut Puris producti eductio feſtinetur 6. ut ulcus relictum mundetur conſolideturque: Quoad primam indicationem, & obſtructionem, conſule Tit. de Pleuritide §.40. vbi unum incidit addendum circa externa, Salia volatilia hic externe poſſe uſurpari cum magno ſucceſſu, ſi uſus tempore jungantur fotibus, catapl. unguentis &c. quantitate parva, quorum beneficium incredibile eſt. *Ad ij. indicationem*, utilia ſunt *ſudorifera*, quatenus ipſorum ope non tantum fluidior fit ſanguis, ſed inſuper actu movetur idem magis magiſque rarefactus à volatili ſale iiſdem inexiſtente. *Et Venæ Sectio*, quatenus in educti ſanguinis locú transfertur vicinior, atq; facto ſic univerſo ſanguini ſpatio ampliore movetur quoq; ſanguis omnis tū celerius tum potentius; quare & ille qui prius in vaſis ſuis ſtagnans ſubſiſtebat, nunc ſublata plethora non ſiſtitur amplius ad motum interruptum redintegrandum concitatur. *Ad iij. Indicationem*, Sanguinis coagulationem impediunt interius data Oculi cancri, Antimonium diaphoreticum, Mumia, Sperma ceti, G. Galbanum, Sagapenum &c. Opium &c. Parti affectæ inungi poteſt Vng. martiatum, de althæa compoſitum, aliudve aromaticum quodvis; butyrum majale, atque cum plantatum aromatic. ſucco paratum, additis quandoque oleis aromaticis, etiam ſtillatitiis, Inter Emplaſtra, merito laudatur de ſpermate ceti, ℞. *Cera alb. ℥iv. ſperm. ceti ℥ij. Galb. aceto diſſol. ℥j. m. f. Empl. ſeu Sparadr.* quod non tantum ſanguinem in externis corporis partibus omnibus, ſed lac quoque in mammis à coagulatione præſervat, imo leviter coagulatum ſolvit & diſcutit. *iv. Indicationi ſatisfit* medicamentis emollientibus & maturantibus: At ubi humores pituitoſi & viſcoſi conjuncti ſunt ſanguini, illis addenda ſunt cæparum, ſcyllæ &c. bulbi, & aliquando g. Bdellium, galban. ammoniacum &c. Stirax liquidus, cera, terebint. mel & ſimilia, Vbi æſtus magnus adeſt in parte inflammata, nec pinguia ferre poſſunt ægri, cavendum ſedulo ab omnibus oleis & oleoſis, quin tunc ſemper utile obſervavi Lac ebutyratum, h.e. lactis cremoris ebutyrati ſerum, in quo ſi fiat decoctio, cataplaſma hujus vi æſtum temperabit egregie, quin ne inflammationi facile copuletur eryſipelas impediet. *Ad V. Indicationem*, Puris geniti non eſt procraſtinanda eductio &c. *Ad vj Indic.* via puri facta pergendum ad ulceris mundationem ac conſolidationem: In quem finem ſæpius cum admiratione Balſami ſulphur. terebinth. effectum vidi. &c. *Vide Tit. de ulceribus: Idem Prax. lib. 1. cap. xl.*

VII. Non poſſum autem laudare *Repellentia* vulgo dicta, & a pleriſque tamopere in principio Inflammationis commendata, cum illa ex præjudicio duntaxat commendentur, ipſaque cura ſine ipſis longe felicius abſolvatur: quamvis enim curentur Ægri multi, quibus initio inflāmationis uſurpantur *Repellentia*, non tamen curantur quia illa fuere adminiſtrata, ſed quia alia, & diſcutientia & emollien-

tia ſimul fuere ipſis conjuncta: Obſervatum enim eſt ſæpius ab illis ſolis Repellentibus, aut cæterorum reſpectu majore copia adminiſtratis, notabilem noxam ægris allatam, quin aliquando ipſam gangrænam in partibus inflammatis excitatam: Cujus nullus eſt metus ſi noſtra methodo talia in totum omittantur, & modo laudata à nobis uſurpentur: *Idem ibidem. & Diſput. at med. ix. §. 20.*

VII. Quo tempore adhibenda *Derivatio?* In principio quidem inflammationis, non tamen in primo morbi inſultu ſed verſus augmentum jam vergente principio, quando ſcil. revulſione & evacuatione jam adhibita & præmiſſa, ſanguis amplius non adeo copioſus eſt, nondum tamen partibus tenaciter hæret, ſed adhuc fluxilis eſt, nondum extra venas in partis ſpatia effuſus eſt, ſed adhuc in venis fluctuat; neque enim jam parti impactus, aut qui jam concoqui, aut in pus mutari incipit, derivari poteſt, cum & craſſior evaſerit, & ad locum in quo non facile refluere poſſit, conſiſtat, atque ita ad motum ineptior ſit, & natura ad coctionem avidius retineatur: Quare & illud quod paſſim uſurpatur, conſiſtente Inflammatione Derivationem adhibendam eſſe, id non de ipſo ſtatu, aut declinatione morbi accipiendum eſt, ſed potius de poſteriore principij parte. *Sennertus l. 5. Pract. part. 1. c. 5.*

VIII. Mulier à marito baculo ad humerum percuſſa, inde pars affecta in tumorem elevata fuit, Cataplaſma ex bolo Arm. farina hordei, aceto & ovi album. admotum: ſucceſſit febris, dolor lateris, tuſſicula, quin & reſpirandi difficultas: Ex quibus materiam propter intempeſtivum repellentium & refrigerantium uſum ad pectus defluxiſſe colligere potui. Vnde manifeſtum recte dixiſſe Hipp. 6. aph. 25. Eryſipelas ab exterioribus ad interiora verti malum, id quod & in *inflammationibus* & reliquis abſceſſibus locum habet, præſertim ſi in emunctoriis & locis vicinis fuerint. *Hildanus cent. 3. obſerv. 78.*

IX. Aureum documentum ab *Hippocr.* 4. Acut. 12. traditum, & à *Galeno* receptum, in omnibus inflammationibus ad memoriam revocandum, *Quicunque ea quæ inflammantur, inter initia morborum medicamento ſolvere conantur, ij non ſolum ab intenſa inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat nec obſequatur ea quæ cruda eſt affectio, verum quoque & quæ morbo reſiſtentia ac ſana ſunt abſumunt atque colliquant*, ductoque ad imbecillitatem corpore morbus ſuperior evadit: qui ubi corpus vicerit, remedium non habet.

IX. *a.* Si quæ Inflammatio vel podicem, vel partes obſcœnas, vel veſicam, vel alterum inguen, infeſtabit, modo veneni particeps non ſit, ex ſuperioribus cubiti venis multitudo ſummovenda, inhibendaque fluxio eſt: verum derivatio particularius directiuſque ab inferioribus fiet: Cui ſimilis eſt in mittendo ſanguine centrum inflammatio. *Lud. Mercatus de Indic. Medica lib. 2. cap. 2.*

IX. Quantum ad *Scarificationem*, quam adhibendam cenſet *Galenus cap. 95. artis parvæ* (*vide* §. 5.) Sciendum hic diligenter attendendum eſſe an materia in pus mutari poſſit, necne: Si enim ſuppuratio ſperanda eſt, ſcarificationes locum non habent: Si vero materia in pus non mutetur, nec tamen etiam ſpes ſit medicamentis eam plane diſcuti poſſe, ſcarificationes & cucurbitulæ adhiberi poſſunt; Sunt enim hæ plane efficax remedium ad ea evacuanda quæ in altò hærent, & quæ jam in ſcirrhum abitura videntur: Nullo modo ergo inter initia ſunt adhibendæ, ſed demum poſt quam corpus evacuatum fuerit, & phlegmone jam [illegible] ſtiterit, ita ut amplius metuendum non ſit do[illegible] illo qui ex ſcarificatione oritur novam fluxion[illegible] poſſe excitari, & tum ſolum cum illud quod, p[illegible] aliorum auxiliorum uſum ſupereſt [illegible] mus eſt. *Sennertus Prax. lib. 5. p. 1. cap. 5.*

IX. *c* In iis tamen partibus locum habet *Scarificatio*, quæ alias eam ferunt, nam ſi Inflammatio in parte fuerit cui alias ſcarificatio adhiberi non poteſt, nemo tam temerarius eſt ut poſt phlegmonem, pro evacuatione reliquæ materiæ, ipſi cucurbitulas & ſcarificationes adhibere auſit. *Idem.*

X. An ſemper in declinatione *Reſolventia* ſunt ex uſu? ℞. In declinatione nihil inſtat, quare ſolis reſolventibus & laxantibus locus, niſi conditio partis toti neceſſariæ id poſtulet, quæ roborantia velit: Sic *Galenus* 11. meth. 16. colo, peritonæo, muſculis abdominis, ipſo utero inflammatis, in declinatione adſtringentia interdicit: Affecto vero ventriculo & jecore ſemper adſtringentibus locus. In pectore & renibus medio modo incedendum: nam in harum partium affectibus adſtringentibus locus, ut robur partis ſervetur, ſi pus educere ex pectore aut pulmone ſit opus, ut in empyemate; Cauſam autem cur uterum & veſicam inter ignobiles partes connumeret, pro quarum curatione eam roborandi providentiam non exoptat, eſt, quia Renes partem ſeroſam ſeparando, Pectus reſpirando, in multam materiam valde operantur, & hoc virtutis robur efflagitat: aliæ vero partes in exiguam materiam operantur, & ſic illarum robur non ita attente à Medico contemplandum; ex harum enim debilitate notabilis noxa non emanat: Sed cur in declinatione inflammationis cerebri, partis principis, non utitur Galenus adſtringentibus? ℞. Sanationem ea retardare, quod in cerebri plegmone ob ſummum periculum valde noxium, & licet id ſit pars jecore & ventriculo præſtantior, tamen ejus robur non ita eſt in motu neceſſarium ſicut jecoris & ventriculi: De Liene major eſt dubitatio, qui pro toto aſſidue operatur, pro cujus tamen curatione adſtringentia neceſſaria non ſunt: Si nullum atræ bilis excrementum adſit, aut nequaquam, aut parciſſime adſtringendum, licet enim ſplen pro toto operetur, ejus tamen operatio eſt in paucum excrementum expurgandum, & ideo non valde robur expetitur, ni lienoſos excipias; *valde* dixi, quia in affectibus lienis ſimpliciter & ſemper reſolventibus adſtringentia miſcere fas eſt: nam Galen. 13. meth. 16. Lienem ſolis relaxantibus non eſſe curandum aſſerit. *Zacutus P. hiſt p. m. 163.*

XI. Inflammationibus *Vnguenta* minus conveniunt, præterquam ad ſuppurationis promotionem, unde ungu. in Eryſipelate proſcripta ſunt, licet ſint, v. g. *Rondeletius*, qui & in hoc affectu ungu. præſcribant: Certum quoque eſt inflammationibus externis, ſcil. gravioribus, ungu. improvide applicata ſæpe gangrænam excitaſſe: hinc & in anginoſis non promiſcue, uti in libris Practicorum fit, locum habent. *Wedelius de med. c. extemp. p. 185.*

Inguinum Dolor *Salvatellæ ſectione curatur.*

Studioſus vigiliis corpus macerans, calidiſſimi temperamenti, in febrem incidit ardentiſſimam, qua curata in pertinacem & immanem Inguinum dolorem incidit, A remediis exaſperabatur dolor, narcotica dare animus erat, ſed ſecta ſ. ſalvatella dextra, incan-

ncantamenti inſtar à dolore leuatus eſt: Mira eſt in productis hepatis morbis Salvatellarum utilitas *Zacutus Pr. Adm. l. 2. obſ. 81.*

ISCHIADICVS DOLOR.

SYLLOGE.

Venæ ſectio *conveait*. 1.
Aa probanda ſectio Venarum retro aures. 2.
Hirudinibus *ani margini admotis curatus*. 4.
Earum admotione ſupra partem affectam ſedatus. 5.
Vomitus *purgatione potior*. 6.
Clyſteres acres ſumme utiles. 7.
Fonticulorum *& pyroticorum utilitas*. 10.
In Iſchiade nota *ubi admovenda*. | *à Coxa dolor ſanatus ſetaceo*. 11.
Pertinax ferro candente *ſedatus*. 12.
Veſicatoriorum *utilitas*. 3.
Cucurbitularum. 9.
Doloris à materia fluxili orti, ex mente Hippocratis curatio. 14.
Curatio doloris a materia fixa, ex eiuſdem ſententia. 15.
A cauſa calida prognati curatio. 14. *a*.
A bile interdam oritur. 16.
Iſchias à ſiccitate. 17.
A frigore orti compendioſa curatio. 18.
Si à cauſa externa, proviſione generali non eget 8.

I. SAnguine non abundante, affectuque inveterato, ſanguis ex venæ poplitis vel malleoli lateris affecti detrahi debet, nemine contradicente, quod miſſo ex hac vena ſanguine inſignis derivatio obtineatur: Cæterum, quoniam poplitis vena difficulter admodum ſecatur, hujus loco vena quædam paucis abhinc diebus à Romanis Chirurgis inventa, quæ paulo ſupra calcaneum, nonnihil verſus malleolum, ad exteriorem partem vergit: ramus profectò venæ poplitis, ſi ſecetur, illincque ſanguinis unciæ octo vel novem detrahantur, eadem ferè hora, quod mirum, coxendicum dolorem, vel etiam vetuſtiſſimum delere. Sanguis quoque è venis quæ in ſede ſunt, per hirudines admotas evacuatus, mirum in modum iſchiadicis opitulatur, harum enim partium maximus eſt per venas conſenſus. *Zecchius conſ. 43. Riverius lib. 16. cap. 2.* Quibuſdam forte non probabitur miſſionem ſanguinis debere fieri ex pede, quia 6. Epidem. ſect. 5. ait Hippocr. In fluxionibus ad coxam venas poſt aures ſecato, Et *Galen. 2. de comp. med.* dicit à cubito primum ſanguinis detractionem faciendam, ac vomitoriis utendum: Hic tamen *comm. in aphor. 36. 6.* increpat dicentes in cubito ſecandas eſſe ob *Iſchiadem* venas, negans conſentanea Hipp. loqui: Sed ſi Galenus alicubi hoc faciendum eſſe dicit, alibi negat, ne intellige eodem modo eſſe utrobique dictum, ſed in aphor. curari firmatam jam in parte iſchiadem, in aliis locis Imminentem & jam jam parti minantem, quo etiam tempore vomitiones quam dejectoriæ purgationes meliores ſunt, contra verò firmato jam malo. *Valleſius lib. 5. epid. p. 465.* Sang. miſſionem omnino convenire poſſe credimus, ex brachio laborantis lateris, parcam tamen, ut ab hæmorrhoidibus tandem repeti poſſit, ab iſchiadica namque pedis affecti ſ. m. rariſſime profuiſſe obſervavimus, cum tenuior ſolum & calidior effluat, craſſiores vero & frigidiores humores hæreant in vaſis partis affectæ, & præterea quia pars ipſa ad crudos attenuandos humores calore indiget, ut propterea juvenibus tantum, & plurimo ſanguine abundantibus ea uſu eſſe ſoleat. *Fortis conſult. 80. cent. 4.* Virgo 22 annorum, chronico ultra annum durante dolore coxendico infeſtata, ne plumas tolerante, ut in lecto cubare nequiret, cum omnia eſſent irrita, à coxa autem incipiens dolor per totum crus ad infimum pedem pertingeret, magno conatu materia exitum quærente, conjeci non tam à frigida intemperie id mali concitatum, quin potius à copia ſanguinis craſſioris ac fervidioris exire geſtientis: Suaſi apertionem venæ pedis loco dolenti reſpondentis, circa minorem digitum; Ea reſerata cum admiratione ſanguis magno impetu exiliit, in ſublime evectus: cum eius portio in vaſculo excepta, ubi coaluit, admodum craſſus & rubicundus deprehenſus, ne guttula ſeri mixta, ipſa etiam ægra ſanguinem fervidum in effluxu percipiente: Dehinc dolor quaſi uno ictu profligatus: *Auguſtinus Thonerus lib. 4. Obſerv. 2.* Totas ſex hebdomadas lecto afflixus fuerat, præ vehementia doloris Iſchiadici, crus ſiniſtrum infeſtantis, Dom. *Puri*, Neocomenſis, vir ſexagenarius, ſanguinarius, ut ipſe dicebat, qui ſanguini congerendo inſignem navabat operam: Toto illo decubitus ſpatio inanem credidit Medici operam, ideoque meam neglexit: Tandem diuturnitatis & vehementiæ doloris pertæſus me accerſit: Illico venam pedis oppoſiti tumentiorem, (mire autem omnes turgebant) aperiri jubeo, hinc rivuloſe ſanguis effluxit, niger & præ mora craſſior, ad libram unam, tanto levamento ut die ſequenti lecto valedixerit, tertio autem à venæ ſectione, ipſi cubiculo. Recentius vero dabo efficaciæ Sanguinis miſſionis in Iſchiade exemplum, dum hæc prelo mandantur, Menſe Aprili initiante anni 1681. vocor ad virum 28. annos circiter natum robuſtum ſanguinei, & bilioſi temperamenti, quadratum, militem ſtrenuum Is à quindecim diebus lecto affixus erat, Iſchiade ſiniſtri lateris dolorifica laborans: Ante octiduum, ex conſilio Chirurgi, ad revulſionem, ut aiebat, vena brachij dextri aperta fuerat, unde ſanguis vitioſus prodiit, ſed nullo ſolatio: Affectû à copia ſanguinis illuc decumbentis originem ducere ratus, laxata prius alvo, ſanguinem detrahi copioſum ex crure oppoſito jubeo, perendie ex ipſo crure affecto, tanto ſucceſſu ut poſtridie officiis ſolitis vacare potuerit: linimentum ex ungu. dialthæa, nitro & oleo ſambucino, aliis proficuum, dolorem exaſperavit.

II. *Hippocrates* lib de A. A. & L. commendat ſectionem venarum retro aures. Scythis uſitatam, quam improbo 1. quia ipſos effœminabat 2. quia cerebro imbecillitatem conciliare poteſt, abſque affectæ partis levamine, id quod aliquando experientia comperi. *Benedictus Silvaticus conſ. 90. cent. 3. Vide Zacutum Pr. Adm. lib. 2. Obſervat. 169.*

III. N. homo valde obeſus, doloribus Iſchij correptus, ſibi ſtatim, neglectis univerſalibus, venam in pede extremo popliteam ſecari juſſit & creſcentibus iſchiadis doloribus ſuſpicionem concipit Chirurgum juvenem in eligenda vena erraſſe: quare patiens erroris commiſſi correctionem, dolorumque mitigationem optimè ſperans, ſeniorem vocavit qui ex ramo venæ prius apertæ

ſanguinem emiſit: doloribus iterum magis auctis miſer imploravit auxilium Medici, qui variis fruſtra exhibitis malum veneficio adſcripſit: Meo conſilio tres uncias emplaſtri veſicatorii Horſtii latiſſimo corio induxit Chirurgus, & iſchio dolenti applicuit, horis xij. elapſis veſicam forfice diſſecuit, ulcerique, excepto ultra libram flaviſſimo liquore, folium braſſicæ butyro recenti illitum appoſuit: Ab eo tempore æger mitigatos ſenſit dolores, & primum ſupinus decumbere ac dormire cœpit, quatuor menſes inſomnes numerans: conſolidato ulcere præſcripſi extractum Eſulæ Rulandi ad ℨi. in vino abſynthii, à cujus uſu multum ſeri & bilis patiens excrevit: Ad extrahendas humorum reliquias loco tolerabiliter dolenti tandem appoſitum fuit Empl. Iſchiadicum Noribergenſium, eique poſt triduum remoto veſicatorium, ægro non animadvertente, ſubſtitutum, quod extracta liquoris viſcidi magna quantitate, dolores in tantum mitigavit, ut æger, Iſchii curata ulceratione, baculi & conjugis beneficio, de menſa ad menſam lente progredi potuerit: uſu petrolei externo per trimeſtre continuato, dolor contumax omnino evanuit. *Scultetus Armament. obſ.* 73.

IV. Coxendicis dolore diuturno vexabatur quidam melancholicus, frequenti v. ſ. quoties invadebat dolor à medicis excruciatus: ſed cum eſſet reſolutus valde, loco v. ſ. mariſcis hirudines apponi curo, his uſus, per annum omnino ſanus evaſit, nam fluxio, irruens ad coxas, ad ſedem derivata, quoniam hæmorrhoidum apertio à coxendice præſervat, ſic menſtruorum provocatio hunc morbum ſanat, ſicut retentio creat, ex Hipp. 5. Epid. num. 33. *Zacutus Pr. adm. l.* 2. *obſ.* 171.

V, Coxendicis dolore intolerabili premebatur quidam nullis juvantibus auxiliis, tandem ex *Pauli & Cœlii* conſilio coxæ octo magnas hirudines impono, ſequuta inſigni vacuatione; poſt decem horas ſine dolore remanſit æger: Id auxilium in podagra, chiragra, gonagra, ſæpe poſt vacuatum corpus feliciter ſum expertus, *Zacutus P. A. l.* 2. *obſ.* 168.

VI. Vomitoria à multis præferuntur purgantibus per alvum, cum per locum à parte affecta remotiorem humores vitioſos evacuent: Aſarum reliquis præfertur à *Rondeletio. Riverius Pract. lib.* 16. *cap.* 2. Iſchiadici dolores purgationes non ferunt, nam humores magis in ea loca decumbunt. *Crato apud Scholzium conſ.* 240. At de inſufficienti purgatione hoc eſt accipiendum, *Sennertus.*

VII. Alvus cienda clyſteribus acribus, adeo ut etiam provocent ſanguinem, ita enim conferre nonnihil viſum eſt in Iſchiade, *Crato conſ.* 245. *apud Scholtz.* Clyſteres detergentes multum proſunt, ob conſenſum quem habet inteſtinum rectum cum perioſtio, venis, nervis & illius juncturæ ligamentis: Ego uno clyſtere curavi dolorem coxendicum breviſſimo tempore, qui ſic habet: ℞. malvæ, biſmalæ, cum rad. cardaminæ, vel naſturtii, vel eryſimi *an.* m. i. ſemin. lini. fœnic. *an.* ℥ i. ſem. ſeſel. rutæ agr. *an.* ℥.ß. flor. chamom. centaur. min. ſtœchad. aneth. *an.* p. i. agar. aſari *an.* ℥ ß. f. decoctio ad ℔ i. diſſolve terebinth. abjetis ℥ i. ol. rutac. aneth. *an.* ℥ *iij.* vin. malvat. ℥ i ß. m. f. clyſter: adde bened. bietam. &c. ſi alvus ſit adſtricta. *Rondeletius Pract. l.* 3. *c.* 82.

VIII. Datur aliquando locus curandi Sciaticam per cauterium paratum in eodem pede, ſub genu vel ſupra, in eodem partis affectæ latere, ſi ſcilicet viſcera ſuperiora ſana ſint, & tota mala valetudo conſiſtat in junctura coxendicis: quod ſolet contingere dum ſciatica fit ob caſum ab alto, vel ob externum frigus, nimiam equitationem & alia hujus generis: Qui ejuſmodi Iſchiadem curare voluerint corpus ab excrementis vindicando, potius lædent juncturas, nec ægrum liberabunt. Cauſa eſt, quia præcipua occaſio quod humores inſident partem affectam, non eſt plenitudo, ſed ſolum dolor ab aliqua cauſa externa excitatus: Itaque unicum & ſingulare eſt remedium, ut à parte affecta avertamus ſtabiles & infixos humores veſicantibus coxendici applicitis, vel cauterio dictis locis excitato: Audias caſum ſimilem, Strenuus quidam miles ob externum frigus & nimiam equitationem incidit in ſciaticam ſiniſtri lateris, quamvis eucrati eſſet temperamenti, hic fuit à medicis non ſemel pharmacis, decoctis, cauteriis in cubito & ſub genu dextri lateris, revulſionis gratia, tractatus ſine ullo levamine: tandem adminiſtrato cauterio ſupra genu in eodem latere, poſt duos menſes ad perfectam ſanitatem illum tranſtulimus. *S. Sanctorius meth. vit. err. l.* 14. *c.* 8.

IX. Hippocr. in contumaci quatuor his magnis auxiliis utitur, Venæ ſectione in crure, Purgatione; Cucurbitularum ſuper ipſâ coxâ admotione, ſive cum ſcarificatione, ſive ſine ea, Inuſtionibus quæ ſiccent mucores qui ſunt in ligamentis articulorum, & firment partes: maxime autem extrahunt ex ipſiſſimo articulo in extimam cutim cucurbitulæ, quæ profecto magni ſunt uſus in omni profundo dolore, in hoc vero præcipuè: nam qua ratione vitari jubet Gal. 10. κατ' τόπ. c. 2. repercutientia, & uti in initiis ſolis anodynis, deinceps ex alto trahentibus, eadem adducimur ut cucurbitulis crebrius quàm in alia affectione articulari utamur: Nam quid aliud eſt cucurbitula quàm potenter extrahens auxilium: Si igitur admota cutem valde rubram reddiderit, ſcarificabimus: Sin minus, ſcarificatione dimiſſa, trahens medicamentum imponemus: *Valleſius* 5. *Epid.* In progreſſu, & corpore perfectè expurgato, cucurbitulæ cum multa flamma coxæ apponendæ, ex Paulo & Celſo; deorſatis enim humoribus quam manifeſte conferre obſervavit *Galenus* libro 10. de locis capite 2. *Ioh. Raimondus Fortis conſultat.* 80. *centuria* 4.

XIX. Si ſuſpicio fuerit catarrhi à cerebro defluentis, alterum cauſticum occipiti admovendum eſt, id enim aliquando iſchiadicum dolorem antiquum curavit qui nullis aliis remediis vinci potuerat. *Zacutus* cauterium retro aures inuſtum, fluxione à capite irruente, miro ſucceſſu in uſum ſe vocaſſe aſſerit. obſ. 160. l. 2. pr. adm. *Riverius.* Empiricos quoſdam vidi Iſchiadicis omnibus internam auriculæ partem, qua cartilago velut replicata tumorem quendam habet, cauterio urere; & eorum quoſdam eſſe juvatos: cauſa eſt quod multis iſchiadicis ex capite fluat materia, & ejus loci uſtione intercipiatur materia. *Valleſius* 6. *Epid. ſ.* 5. *p.* 21. In diuturno affectu cauſticum tibiæ lateris dolentis materiam mor-

derivat & morbum interdum tollit: *Zecchius* admovendum eſſe vult parti tibiæ exteriori. *Riverius*. In crure tribus in locis fonticuli fiunt, in externâ, internâ, & poſteriorij ſuræ parte. Hic fontanellam infigere ſolebat *Spigelius* in dolore iſchiadico, non ſine felici ſucceſſu, quia vena ibidem excurrit poplitea: *Glandorpius Gazophill. pag.* 73. Cauterium ſub genu quibuſdam contuliſſe ſcio. *I. V. Rumlerus Obſervation.* 98. Poſticum femur perreptat magnus & craſſiſſimus nervus, ex tribus aut quatuor portionibus in exortu ſuo conflatus; quo affecto Iſchias notha oritur, quæ tota in eo conſiſtit; dolor atrox non ſolum in coxendicem, ſed in femur & ſuram atque extremum pedem exporrigitur, quocunque nimirum affecta coxendice deductus nervus pertingit, inquit *Fernelius*, Ideo in nothâ hac Iſchiade pyrotica ad flexuram natium apprimi debent. *Riolanus Enchir. lib.* 3. *cap. vltim.* Fonticulum, qui ſuræ inter principia muſculi gaſtrocnemij inuritur, mitigare dolores iſchiadicos ſummo & feliciſſimo ſucceſſu expertus ſum in me ipſo: vide §. Nociſſimum eum qui ſemel doloribus iſchiadicis torquetur, non facile ab iis ità liberari, vt ſibi polliceri poſſit ſe in poſterum ab hujuſmodi cruciatibus fore immunem: Ego tamen ſanctè teſtari poſſum me memet ipſum, poſt vſum balnei in agro Vlmano, Thalfingenſis beneficio bujus fonticuli per novennium, &, ſi vixero, forſan vlterius à paroxyſmo præſervaſſe, fruſtra cæteris præſidiis adhibitis. *Scultetus Armament. Obſervat.* 72. Cauterium paulo ſubtus genu, in parte exteriore lateris affecti multum derivationis cauſa ſummopere commendamus. *Zecchius conſult.* 43.

X I. In articulo femoris, circum cavitatem oſſis Iſchii, generatur Arthritis quæ Iſchias dicitur: Si humor influat in acetabulum, & exorbitare cogat caput femoris, morbus hic in ſitu curatu difficilis claudicationem tandem afferet: Si ad exortum magni iſtius nervi, qui poſticas pedis partes perreptat, humor influat, Notha Iſchias excitatur, in qua dolor atrox non ſolum in coxendicem, ſed in femur & ſuram atque extremum pedem exporrigitur, quocunque nimirum affecta coxendice deductus nervus pertingit, *inquit Fernelius*, Ideóque in hac pyrotica ad flexuram natium apprimi debent & partes illæ illini, & emplaſtro epiſpaſtico inungi. *Riolanus Encheir. p.* 407.

X I I. Diuturnos coxendicum dolores *Adrianus Spigelius* brevi tempore ſuſtulit ſetaceo ex rad. hellebori, muſculi gaſterocnemij gemelli inſuris infixo. Nimirum venæ ſubpopliteæ beneficio, Cujus inciſio cæteroquin eo in caſu magnos effectus habet. *Rhodius Centurat.* 3. *Obſervat.* 88.

X I I I. N. collapſus in coxæ dolorem nihil non molitus quo evaderet hunc cruciatum, decrevit devenire ad ferramenta candentia, ceu vltimum inveterati morbi remedium. *Hippocrat.* 60. 6. *Celſus* lib. 4. cap. 22. fecitque animoſus hic juvenis Chirurgo copiam adurendi, non tam cutem coxæ impoſitam, quam exulcerandi eodem ferro carnem ad ipſum uſque os: Satagens hac ratione elicere materiam deliteſcentem ſub membrana oſſi circumdata: Inſigni animi fortitudine pertulit æger candens hoc ferramentum, non ſemel, ſed lenta manu femori identidem impoſitum, à quo malo ipſum ex ter toto vendicavit crudelis hæc medicicina, per perenne profundi vlceris profluvium, quod ſane tamdiu ſervavit, donec vacuata omni materia fuerit extra omnem recidivæ metum. *Tulpius lib.* 3. *cap.* 26.

X I V. *a.* Dom. D. N. ſævo & pene immedicabili dolore Iſchiadico coxæ dextræ infeſtatus, ... ria, etiam validiſſima, purgantia aſſumpta, veſicatoria admota, opiata exhibita, vena in talo aperta; omnia irrita, ratus cruciatum illum concitatum à cauſa frigida & craſſis phlegmaticis humoribus: Ego vero obſervans excreta admodum bilioſa, & in abdomine advertens dolorem pulſatilem & φλόγωσιν, curandi rationem invertens ad refrigerantia me contuli, & Acidularum potum conſului, hinc magna felicitate cura proceſſit, vt intra biduum φλόγωσις illa receſſerit, etſi dolor non totaliter remiſerit: Cum autem obſervarem dolorem vagabundum, modo in regione meſenterij anguſtiam cauſare, modo à coxa in crus deſcendere, ratus id mali prodire à copioſo craſſo & fervido ſanguine, qui quærens exitum & non inveniens tantam pariat moleſtiam, proin ſuaſi (eo magis cum intellexerim ipſum alias fluxui hæmorrhoidali fuiſſe obnoxium) applicationem hirudinum: Obſequium præſtitutum; quinque hirudines venis hæmorrhoidalibus admotæ, quæ cum ſanguine factæ, inſperſo ſale & cinere, ad ℥vj. ſanguinis dimiſerunt: deprehenſus ſanguis rubeus & admodum craſſus, omnis ſeri expers: Ex his ingens ille cruciatus, aliis invictus, evanuit: *Auguſt. Thonerus Libro quarto, Obſervation.* 1. *pag.* 198.

X I V. Quamvis ratione loci affecti quilibet dolor ad Iſchion coxendicus morbus dici poſſit, propriè tamen hoc nomen meretur ille de quo lib. de affect. tractatur ab *Hippocrat.* verſ. 25. *Coxendicus morbus quum fit, dolor corripit coxa juncturam &c.* In quo ſcilicet dolor viget ad coxæ articulationem, ad ſummas nates, & ad eminentiam muſculoſam ſuppoſitam natibus; extenditurque jam confirmato morbo ad inferiorem coxam, & per crus totum divagatur ad pedem vſque: Morbum hunc fieri ait, quum bilis & pituita per ſanguifluam venam incubuerit, & ſanguinem in ea exiſtentem compegerit, & morboſum reddiderit: vnde evenit ut plures partes, & inter ſe diſtantes, dolor infeſtet: quia ubicunque ſanguis ille morboſus conſtiterit, ibi dolorem facit; ſic remedia adhibere jubet *Hippocrat.* quæ ſanguinem illum coactum emolliendo diſſolvunt & diffundunt: Vnde patet quantum errent qui doloris extenſionem ad nervos referunt qui à ſpinali medulla illac diffunduntur: Hanc ſententiam veriſſimam agnovi per ea quæ obſervavi in quodam hoc morbo laborante, qui dum à vehementia doloris afficiebatur (quod per paroxyſmos quoſdam contingebat) venæ omnes per exteriorem partem coxæ læuæ & cruris diſſeminatæ mirum in modum intumeſcebant, remiſſoque dolore ſubſidebant ſtatim, nec earum apparebat veſtigium. Huic Iſchiadici doloris ſpeciei convenit curatio tradita ab *Hippocrat.* Nam ſanguinem ab affluxu bilis & pituitæ compactum emolliendo & calefaciendo diſſolvit, eodemque tempore dolorem lenit: alvum ſubducit clyſteribus, & ſimul & ſemel ſanguinem circa regionem coxendicis compactum diſſolvit, materiamque antecedentem ſenſim derivat ad alvum: Dolore remiſſo medicamentum exhibet purgans, quo bilis & pituita morbum facien-

res educantur: quod ante præſtare non audet, ne materia à medicamento agitata & commota, ob doloris vehementiam ad partem affectam magis flueret quàm evacuaretur: Inde verò lac aſininum præbet, quo mediante corporis habitus temperetur, humoreſque mitiores reddantur: Illud coctum exhibet, vt ſimul & ſemel humorum fluxibilitas auferatur: Noſtri decoctum *Gaiaci* exhibent, aut quid ſimile quod humores tenuet acuatque & ad motum aptiores reddat, non in hoc ſolùm ſed in omni alio dolore articulorum: Tandem doloris gratia exhibet medicamenta, quorum natura qualis ſit non conſtat: veriſimile eſt conſtare ex variis, partim vrinas moventibus, partim roborantibus, & potiſſimum ſtupefacientibus & incraſſantibus, quorum mixtiones Medicamenta ad dolores inſcribebantur; quibus analoga ſunt Theriaca, Mithridatium, Philonium, Pilull. de cynogloſſa &c. quorum caliditatem & ſiccitatem corrigo victus ratione: His abſolvitur curatio hujus affectus adeo exactè vt alia omnia remedia irrita habeam: *Martianus comm. in illum locum.*

X V. Si quis dolores omnes ad Iſchium attinentes præfata curatione curare velit, ea vuro non reſpondebit; quia in doloribus coxendicis à materia fixa circa articulationem, alia debetur curatio ab iis in quibus dolores vagantur huc & illuc, nam vt principalis intentio in illis eſt ut materia diſſolvatur & abducatur à juncturâ: ita in his plurimum viget intentio vacuandi humores ad partem irruentes & compeſcendi eorum motum: Quæ omnia conſiderans *Hippocrat.* longè diverſam curationem inſtituit hujus morbi lib. de Affectib. internis, ac fecerit in præſenti; Ibi enim clyſteres injicit acerrimos, quos hoc loco mollientes probat: Ibi frequenter articulum moveri jubet, quod non eſt neceſſarium quando materia non eſt fixa: Vſtionémque ſuper juncturam proponit, quæ in præcedenti caſu locum non habet, niſi poſtquam dolor pertinax aliqua in parte conſtiterit: quam circa juncturam non ſemper neceſſariam cenſet ſed vbi dolor conſtiterit: conſiſtit autem modò in hac modò in illa parte: Vſtionem autem facit per linum crudum & fungos. De qua vide *Tit. de Canteriis, libro 19. Idem ibidem.*

De fluxione in Iſchium & articulos, quæ ῥεύματα vocat, Vide *ibidem, & Tit. de Arthritide.*

X V I. Dolor Iſchiadicus interdum à bile & humoribus calidis generatur, qui quidem dignoſcitur cum dolor eſt acerbiſſimus & pungitivo ſimilis: exacerbationes diebus alternis ſæviores efficiuntur: habitus eſt gracilis, temperamentum bilioſum, ætas iuvenilis, regio & tempeſtas calida, dolor à calefacientibus exacerbatur, morbi præceſſerunt bilioſi: tunc ad bilem & intemperiem calidam remedia dirigi debent: Ideo conveniunt venæ ſectio, purgationes cholagogæ, nunc lenientes, nunc vehementes, additis diagrydiatis, vt materia morbifica educatur: julepi refrigerantes, clyſteres mollientes & refrigerantes, lac, balneum &c. Hoc perpetuò cavendo vt aperientia vitentur: incraſſantia potiùs eligantur, qualia in catarrho calido & tenui propoſita; Narcotica, laudanum per os & in clyſteribus &c. *Riverius Pract. lib. 16. cap. 2.* Vide *Salsam lib. de aff. part. c. 16.*

X V I I. *Hippocrat.* lib. de Affect. meminit coxendici doloris a ſiccitate articuli: Per ſiccitatem autem ne intelligas intemperiem ſiccam partium ſolidarum articulum ipſum conſtituentium, ſed conſumptionem ejus glutinuſæ humiditatis quâ naturaliter nutritur & ad faciliorem motum ſubungitur: Si contigerit humiditatem hanc quacunque ex cauſa exſiccari, tunc motus impeditur cum dolore: Tales affectus in conſtitutionibus ſiccioribus *Hippocrat.* lib. 3. aphoriſm. 16. fieri monebat: Curaturus has affectiones, amota omni cauſa externâ & præcedente, tentet naturalis humiditatis reſtitutionem: præſcribat diætam actu & poteſtate refrigerantem; balneum aquæ dulcis incoctis capitibus & pedibus caſtratorum, malvâ, althæâ &c. modicam deambulationem, vnctiones mollientes &c. Vitetur vacuationis omne genus &c. *P. Salius Diverſus de affect. particul. cap. 17.*

X V I I I. Bajulus magno vigente frigore tibias in aquam per multas horas demerſerat, vnde ingens dolor in Iſchio ad femur & tibiam ſe exporrigens, ita vt incedere non valeret: A clyſtere miſſus ſanguis è brachio eiuſdem lateris, die ſequenti purgatus vehementi cathartico, triduo ſequenti accepit mane ſingulis diebus ſpiritus theriac. gutt. 8. cum aqu. card. ben. hinc copioſiſſime ſudavit, dolórque omnis ſublatus. *Riverius Cent. 1. Obſervat. 4.*

I S C H V R I A.

S Y L L O G E.

In legitima *quo ſatius uti, cathetere, ſectione, an eſcharotice.* 1.
Ab inflammatione perinæi *orta catheterem reſpuit.* 2.
Clyſteres *injecti aliquando liberant.* 3.
Catheter *dextre immittendus.* 4.
Noxius vbi inflammata Veſica. 5.
Ea inflammata refrigerantibus & reprimentibus parce vtendum. 6.
Ab ejus tumore *ob catarrhum inducto curatio.* 7.
Veſica Punctione curata. 9.
Narcoticum *lethiferum fuit.* 11.
Fili argentei immiſſio cum goſſipij flocco an probanda. 12.
Diutetica *noxia.* 13.
Catheter magnus minore facilius aliquando ſubit. 14.
Inciſione *in collo veſicæ facta ſanata.* 15.
A Caruncula *in urethra curatio.* 16.
A calculo *in* extremo pene *hærente.* 17.
In Notha *deſperata tutus cantharidum vſus.* 8.
Larga Sanguinis miſſione & hydragogis curata. 10.
Vſus candelæ cereæ ad educendam vrinam. 18.
Aliquando cohibetur ob Sanguinis *vitium, illaſis organis.* 19.
Calculi *minoris*, orificium veſicæ *occupantis deturbatio.* 20.
Calculus orificium vreteris occupans *quomodo removendus.* 21.
Salium volatilium uſus in Iſchuria notha. 22.

L Si

I. SI nullo ſecuto auxilio Iſchuria ſedatur, ſit autem Propria, i. e. non facta ſuppreſſio ſupra veſicam, oriri quæſtio ſolet, an catheter potius per vim ſit immittendus, an ſectio in loco vbi lapis extrahi ſolet, adminiſtranda? An eſcharoticum medicamentum ſuperponendum, inde locus perforandus? Semper enim in deploratis caſibus quamlibet rationem, quamvis non tutam, modò in ea ſpes aliqua ſit, tentandam eſſe, quàm certæ morti ægrum deſtinare præſtat: Itaque ex cathetere per vim immiſſo dolores, vlcera phlegmonæque oriri ſolent. Eſcharoticum medicamentum ſeriùs agit quam occaſio poſtulet: Sectio incerta eſt: Ob id plurimum refert quàm præſtans ſit lithurgicus, quam mundum ſit corpus, quàm ſanguine plenum, in omnibus ratio exceſſus habenda eſt: Nos tamen vidimus perforatam cathetere carnem in N. optimè ceſſiſſe, tametſi ſanguinis & ſaniei multum profluxerit: Sed ſi callus ſit, ſectio expeditior: in imperitis artificibus tutius eſt Eſcharoticum. *Cardanus comm. ad aph.* 437.

II. Percuſſus quidam valde in perinæo, inflammatione que ſuborta in vulnere, vrinam reddere non potuit, ac veſica plena manifeſtè intenta videbatur: huic ne irritaretur inflammatio, æneam fiſtulam adhibere noluimus, ſed aqua calida affuſa oleum perungere ſatius eſſe putavimus: quumque tribus horis ſic eum tractaviſſemus, tumore non parum relaxato, ac dolore non ita graviter infeſtante, juſſimus vt vrinam reddere tentaret, interim quum nos veſicæ tumorem ad inferiores partes impellendo ſenſim premeremus, juvenis reddidit vrinam: atque in his qui ſic afficiuntur cauſa ſuppreſſæ vrinæ facilè deprehenditur, etſi in alijs quibuſdam non ſic facilè deprehendatur. *Galenus 6. de loc. aff.*

III. Retinetur quoque vrina duris fæcibus in inteſtino ſubſiſtentibus: comprimitur enim ab his veſicæ cervix, qua compreſſa vrina retinetur: atque idcirco dum exoneratur alvus, vrina tum demum procedit cùm rectum inteſtinum liberum eſt: Cuidam lx. annorum triduò cum vrinæ via præcluderetur, nullo lotii ſubſequente, huic balneum, mox enema profuit: emollitis ſiquidem & expurgatis alvi excrementis mox ſucceſſit vrina; atque ita paucis horis liberatus, cui vrinæ ſuppreſſio totum triduum fuerat moleſtiſſima. *Dodonæus cap.* 47. *Obſervat.*

IV. Ægri in quibus aut imminuta, aut ſuppreſſa eſt vrina, diligenter intromiſſione ſyringis tangendi ſunt: partes enim illæ ſæpius tactæ facilè læduntur: ſæpius quoque veſica ſanguinis grumis repletur, vt mortem etiam inferat. *Dom. Panarolus Pent.* 2. *Obſervat.* 20. In retentione vrinæ ſyringa minus dextrè immiſſa graviſſima induxit ſymptomata, inflammationem, convulſionem &c. Suppurationem ab ejus errore in perinæo obortam aliquoties vidi, quæ in gangrænam tandem degeneravit, nulla arte emendabilem. *H. à Moinichen Obſervat.* 17. In hac Chirurgia maximè animadvertendum ne in immiſſione fiſtulæ argenteæ valvula carnoſa (quæ vaſorum ſeminalium commune orificium, in meatum vrinarium deſinens claudit, violetur, hæc valvulæ læſio cognoſcitur ex intruſionis difficultate, dolore, & ſanguine emanante: his enim ſignis apparentibus retrahenda eſt paululum fiſtula, rurſuſque leniter immittenda donec valvula intacta veſicam ingrediatur, per eamque vrina reddatur. *Scultetus Tab.* 40.

V. Vbi vrina ſupprimitur ob veſicæ inflammationem, catheteris immiſſio non caret periculo, lacerata enim cervice augetur inflammatio, & ea ceſſante ſequitur quaſi inemendabilis vrinæ incontinentia. *Idem.*

VI. Cum valida adeſt veſicæ inflammatio, vrinam ſupprimens, validè refrigerantibus & reprimentibus ne vtamur: ſed antequam ea intercepta fuerit, reprimentibus exiguo tempore vti licet. *Heurnius meth. ad Pr. l. 2. c.* 13.

VII. Septuagenarius cum ſuccuſſatorem equum conſcendiſſet per aliquot milliaria, incidit in vrinæ ſuppreſſionem, quâ ægre & guttatim vrinam excernebat: Vocatus ego adverto tenſionem & ardorem in regione veſicæ, cum dolore, qui comprimendo tantum percipiebatur: præterea aderant dolores in pectore, dorſo & ſcapulis, vt æger ægrè ſe commoveret: tempeſtas erat auſtrina & pluvioſa: Conjicio hæc omnia fieri à catarrho è capite relaxante, & influxum humorem veſicæ corpus invaſiſſe, ibique tumorem quendam excitaſſe, à quo ſphincter veſicæ comprimebatur, ejuſdemque veſicæ meatus anguſtior evaſerat: Ideo ad fluentis humoris diverſionem & vacuationem, præſcripſi apozema purgans & temperatum per triduum: Veſicatorium poſteriori parti cervicis, & fotum emollientem ac parum reſolventem regioni veſicæ admovendum, cum linimento earundem virium: Per apozematis vſum vrinæ in dies melius procedebant, ita vt triduo elapſo multò commodius & liberalius eas reddiderit: poſtea datus bolus ex terebinth. & pulvere liquirit. per triduum; factus fotus, clyſter emolliens & magis reſolvens injectus; cataplaſma admotum ex reſidentia decocti cum farina fabarum & fœnugræci, oleo aneth. & chamæm. ſanatus his fuit. *Riverius Obſervat.* 82. *Cent.* 2.

VIII. Infuſum Cantharidum Iſchuriæ remedium eſt, cujus felicem ſucceſſum non ſemel ipſe ſum expertus: Cantharidum ℈j. in pulverem redactus infundatur vini Rhenani, vel ſpiritus vini ℥iij. vel iv, ſtet in infuſione per aliquot dies, deinde per chartam bibulam filtretur, vt ex ſubſtantiâ cantharidum nihil admiſceatur: Ex colato liquore cochlear vnum ſeptem alijs ſeu vini, ſeu cereviſię admiſceatur: & ex hoc mixto primo die vnum, altero duo cochlearia, & ſic deinceps propinentur. *Th. Bartholinus Centur.* 5. *hiſtor.* 82. *Epiſt.* 54. *Cent.* 4.

IX. Cuidam vrinæ retentione laboranti Veſica valde intumuerat; Nihil conferentibus alijs præſidijs quibuſcunque, Chirurgus Pariſienſis phlebotomum in ipſam Veſicam feliciter adegit per medios abdominis muſculos pyramidales, Fallopianos dictos: Hoc autem nunquam faciendum monuit niſi veſica intumuerit, cùm cæteroquin in adultis citra os pubis adſurgere non ſoleat. *Velſchius Obſervat.* 59. Vide *Riolani Enchir. Anatom. l. 2. c.* 30.

X. Nob. N. ſexagenarius, ſanguineus, athletico habitu, cum diebus æſtivis calidiſſimis iter habuiſſet multo potu ſitim ab æſtu contractam ſedaverat: quatuor diebus à reditu in omnimodam Iſchuriam incidit, quæ variè à Medico ſeniore oppugnata; imò catheter in veſicam immiſſus: Vocatus ego, quæro num dolor in lumbis aut pube perciperetur, aut nephriticis affectibus obnoxius fuiſſet? quod negavit: Hinc colligo Iſchuriam à nullo renum aut veſicæ vitio pendere, ſed potius ab obſtructione emulgentium, quam humorum multitudo pepererat, ratione cujus vaſa nimis repleta & diſtenta non poſ-

ſunt ſeſe contrahere ad expulſionem, quod apparet in veſica, à diuturniore vrinæ retentione præter modum diſtenta, quæ difficillimè interdū vrinam excernit, ob contractionis defectū. Huic ſententiæ inhærens, phlebotomiam propoſui larga manu celebrandam, ad ſolvendam venarum plenitudinem, ac educta ſanguinis ℔ j: Vix hora elapſa à venæ ſectione ſenſit æger profluentem vrinam à renibus ad veſicam per vreteres, & ſe brevi redditurum prædixit: paulò poſt matulam petiit, quæ cùm vnica mictione repleretur, alia vaſa fuere afferenda, ita vt intra horæ ſpatium plures vrinæ libras excreverit: Sic omnino liberatus eſt, neque voluit ſumere hydragogum in craſtinum præſcriptum. *Riverius Pr. l. 14. cap. 8. Centur. 1. Obſervat. 1. & 89.* Vide *Tulpium lib. 2. cap. 43.*

XI. Iuvenis cæteroquin ſanus, primo bis terve vrinam copioſam & turbidam reddens, deinde in ejuſdem ſuppreſſionem per integrum quinquiduum incidit: Tentata omnia remedia, quia *Galenica* ſcopum non attigere. Ita cum miſer valde excruciaretur, Medicus imperitus magnopere ipſi conſultum iri ſibi perſuadebat ſi ſtupefactivis exhibitis ſomnum induceret: Quod etiam exſequutus tam bene perfecit, vt à ℥ j. Philonii Romani ſemel ſumpta ſtatim obdormiſcens nunquam poſtea evigilarit. *I. V. Rumlerus Obſervat.* 58. Narcotica enim malum augent, paralyſin veſicæ inducunt, cerebrumque vaporibus opprimunt. *Velſchius in Notis.*

XII. Quidam *filo argenteo* (quod fiſtulæ cavitati exacte reſpondet) goſſipii floccum alligant, in catheteris cavitatem immittunt, eamque cum fiſtula in veſicam impellunt: vbi fiſtula in veſicam pervenerit, filum cum lana alligata ex fiſtula trahunt, & ita quaſi per ſiphonem eliciunt vrinam: Sed neque goſſipium eſt neceſſarium, quia per ſyringam, ad latera perforatam, vrina libere fluit: non Filum, quia ob dictam rationem magis officit quàm prodeſt: dum enim filum è cannula trahunt, non rarò fiſtulam educunt, cum majori difficultate iterum immittendam. *Scultetus Tab.* 40.

XIII. Summa cura proſpiciendum, eo tempore cum vrina graviter retinetur, ne ſumantur ea quæ ad movendam vrinam à Medicis exhiberi ſolent: quæ quia calida ſunt & acria, & ſeroſum ſanguinem à craſſo ſegregant, multam materiam ad veſicam deducunt: quare ſolent aliquando grave & lethale periculum inferre iis, qui cum veſicæ expultricem vim debilem habent, multam vrinam collegerunt, omnibus modis, diureticis vocatis, ſolent illam ſollicitare: quod vt eſt graviſſimum & capitale crimen, ita ferè à pleriſque Medicis, non ſine errore, ſolent ſtatim committi in ſuppreſſa vrina, diuretica, quæ vrinam moveant & expellant, quærentibus. *Solenander conſ. 18. ſect. 1. Hartmannus Pr. Chymiatr. c.* 198.

XIV. Quidam annos 80. natus, ex nimio vini recentis vſu ſuppreſſione vrinæ corripitur & bimeſtri ſpatio moritur; aperto cadavere ſcirrhus magnus in veſica ante collum reperitur: Id vero in eo notandum fuit, etſi difficulter catheter immitteretur, craſſiori, imo qui craſſitiem cygni pennæ adæquabat, facilius me in vacuum veſicæ pervenire potuiſſe quam parvo & exili: Ratio eſt, quia cum ductus vrinarius circa veſicæ collum, imo & ſphyncter ipſe ob ſcirrhum tumefactus eſſet, neceſſario in perinæo coarctatio & anguſtia ductus vrinarij ſequebatur: Porro exilem & minutum catheterem hanc anguſtiam dilatare non potuiſſe rationi conſentaneum eſt, quod craſſior facilius facere potuit. *Hildanus Cent. 2. 65.*

XV. Neque medicamentis, neque catheteriſmis interdum obtinetur ut lotium, quod urinarii meatus vitio multos uſque dies ſit moratum, elici poſſit, homine ad obitum continuo properante: Difficile-ne igitur tibi videtur fortaſſe ſi ad collum veſicæ, quali in lithotomia conficitur, per ſcalpellum anguſto foramine cæſura dextra incidatur? Hanc curationem tradidit *I. Arculanus*, comm. ad *Rhazen* c. 103. Quam ego rem in extremis hominis ægri, aliorumque præſidiorum nil præſtantium caſibus, non refutandam, aut detrectandam admonere volui. *Severinus Med. Effic. p.* 88.

XVI. *Cardanus* comm. 43. aph. ſect. 7. teſtatur vidiſſe ſe perforata cathetere *caruncula* in quodam, rem optime ceſſiſſe, tametſi ſanguinis & ſaniei multum profluxerit: quæ res & mihi comperta in Toreſore, bidui ſuppreſſione laborante: huic enim dum catheterem in renitentem illam carnem imprimo, tum ſanguinis primum, tum deinde lotii plurimi facta eſt effuſio, liberumque ad hunc diem ſe ſentit. *Severinus Med. Eff. p.* 125.

XVII. Puer 8. ann. laborabat Variolis, conquerebatur de *urina ſuppreſſione*: de cauſa eramus ſolliciti: Vidimus in extrema penis parte Variolam, de interna idem cogitamus: quæ ad urinæ promotionem faciunt interne damus; à balneo & fomentis ob variolas prohibemur. Nihil efficientes, penem ipſum inſpicio, video quid albi in orificio, exiſtimo eſſe variolam pure plenam, acum accipio, duram offendo, moveo, motumque eximo, lapillus eſt, profluit urina: Ab emulſionibus expellentibus in variolis dari ſolitis, ſimul diureticis, illuc protruſus fuerat. *I. D. Winckler Miſc. Cur. anni 76. Obſervat.* 36.

XVIII. Quibus ob *diutinam moram*, *ebrietatemve*, amplius jam excerni nequit urina, licet conentur ac velint, facilem modum excogitavi, & aliquoties cum ſucceſſu egregio inſtitui, per immiſſam in vrethram uſque ad veſicæ cavitatem candelam ceream tenuiſſimam, quali uti conſueverunt Sartores, ſi prius in ſui extremo obtuſa reddatur & oleo illinatur: Hoc vero utor loco Catheteris, qui quoniam, maribus præſertim, intrudi nequit, niſi cum aliqua difficultate, aut comite dolore, ad ejus imitationem hanc tentavi candelam, & ſucceſſum egregium obſervavi: quod artificium tanto faciendum majoris, quod ubique ad manus fere ſit; atque ab omnibus uſurpari queat talis candela, dum catheter nonniſi à peritis, & tunc quidem cum moleſtia intrudi poſſit. *Sylvius de le Boë Append. Tract. v. §. 275.*

XIX. Vrinæ ſuppreſſionem agnoſcere forſan aliquando pro cauſa ſua ipſum *Sanguinem* cenſeo, ita ſcilicet affectum, & ſecundum varias ſui partes confuſum ac mixtum, ut à cæteris ſecedere aut ſecerni nequeat in Renibus ſerum: Quod fortaſſis frequentius accidit, quam quod ipſæ Renum Carunculæ ſint male affectæ, cum præſertim nulla noxa in Renibus obſervatur, quando maxime ipſi culpantur. Et certe ipſum ſanguinem ita affici poſſe, ut partes ipſius ſeroſæ, ac urinæ materiam ſubminiſtrantes cæteris miſceantur intimius, ac ideo ab illis ſecerni nequeant, plurima ſunt quæ perſuadere videntur, ſive quis ægrorum ſympto-

ſymptomata tunc vrgentia conſideraverit, ſive curandi rationem per ſalia volatilia expenderit: Nam vt de ſolo ſale volatili, non ſine gravi cauſa, propter non contemnendam virtutum in ipſo exiſtentium notitiam, per experientiam multiplicem mihi comparatam aliquid proferam, certum eſt ipſum vim habere ſolvendi omnem humorem viſcidum, a quo partium fluiditatis, atque ac totidem connexus vitioſus ortum habere ſolet; Soluto autem humore viſcido ſecedere poſſunt facilius ab invicem partes ſanguinis haud ita intime ſibi invicem conjunctæ: Quod ſi quis putet, ſi humori viſcido in ſanguine exiſtenti, atque partium ſeceſſum impedienti adſcribi debeat Vrinæ toties lethalis ſuppreſſio, poſſe non incommode ab eadem viſciditate deduci qualem qualem in Renum carunculis obſtructionem, vrinæ ſecretionem aut tranſcolationem impediendo, ejuſdem ſuppreſſionem cauſantem, vtique cum illo non pugnavero, quin potius vtramque cauſam conjungendam, & ſæpius conjunctam putavero, adeo vt ab illa cujuſvis humoris in ſanguine exiſtentis viſciditate, tum cæteræ ſanguinis partes colligantur ſimul intimius, & ad ſui ſeceſſum reddantur ineptiores, tum Carunculatum pori obſtruantur, atque ſic vrinæ tranſcolatio, ſecretio, atque excretio aboleatur. *Idem* §. 294. *& ſequ.*

X X. Calculos minores orificium veſicæ occupantes non ſemel immiſſa candela cerea, modo mox §. 18. memorato removi, & ſuppreſſam vrinam mox curavi. *Idem* §. 283.

X X I. Vbi ſuſpicio eſt calculum alterutri vreteri eſſe impactum, ni inverſo in caput vniverſo corpore, ac ſurſum elevatis cruribus, mox concuſſo & agitato aliquoties corporis trunco removeri queat grandior calculus ab vreteris orificio, pro deſperato habendum hoc malum. *Idem* §. 290.

X X I I. Sæpius in Renibus ipſis putatur conſiſtere *ſuppreſſi Lotii* aut [illegible], quatenus naturalis Renum, aut Carunculatum in ipſis exiſtentium conſtitutio qualis qualis, & ad ſerum vrinoſum à reliquo ſanguine ſecernendum, requiſita diſpoſitio ita vitiatur ut dicta ſecretio ceſſet: Feſtinandum hic ad curam quando ejus aliqua ſpes ſupereſt: Curabitur inprimis hoc malum uſu & Diureticorum, & præſertim Sale volatili Succini, aliiſque talibus volatibus aromaticis: quorum ope non tantum curatur, ſed prævenitur tam gravis, & tam ſæpe lethalis urinæ ſuppreſſio, in qua plurimum anguntur circa præcordia ægri; An ob ſerum copioſus in vaſis redundans, & omnes functiones, ipſamque ſucci Pancreatici præparationem vitians? Vnde forſan idem ſuccus vitioſus exiſtens, vitioſam in tenui inteſtino efficit effervescentiam, anxietates & anguſtias inexplicabiles in ventriculo, inteſtinis, ipſoque corde ac pulmonibus patientem. *Idem* §. 291.

INDICIS
MEDICO-PRACTICI,
SIVE
Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.
LIBER DECIMVS.
De Affectibus à litera L. incipientibus.

LABRO-SULCIUM Seu CHEILOCACE.

Curandi Curatio.

MORBUS hic, cui Græcum nomen à parte affecta, Latinum à præcipuo ac maxime conſpicuo ſymptomate fecimus, in Anglia familiaris eſt, infantes duntaxat adoritur, eoſque fere ab altero ætatis anno ad iv. aut v. quanquam & teneriores & adultiores non ſemper immunes: Labra in eo admodum tumeſcunt, tumore duro & nonnihil rubicundo, ſed nequaquam fervido, aut inflammatorio, & qui nunquam ſuppuretur, aut capur fœdet; Vergit autem aliquanto magis introrſum quam ad exteriorem partem, vnde labia à gingivis & dentibus abſcedunt longius, & foras aliquatenus replicantur cum magna deformitate, quam conſpectiorem reddunt foveæ binæ in vtroque labio, ſanie madentes aut craſſo pure obſitæ; interdum quoque cruſtulæ in iis ſuccreſcunt: Vtplurimum hunc morbum comitantur aphthæ & vlcuſcula oris, in palato, lingua, buccis, labiis, gingivis: Malum hoc nonnullis ſponte aut levibus remediis ſaneſcit, aſt plerumque ſi diutius negligatur, aut perperam curetur, contumaciſſimum evadit: Ad peragendam feliciter curationem, corpus purgandum eſt repetitis vicibus, interpoſito idoneo temporis ſpatio: Purgationes pro captu corporum & ætatis ſatis validæ eſſe debent, præcipue ex Senna & Mercurio dulci, quæ duo cæteris hoc in caſu præferenda: Sed præſertim magnopere conducet Purgare decoctis e fumaria, betonica, phylliti, radic. lapathi, cichor. polypod. ſenna, agar. coriand. tamar. cuiuſmodi decocti bini ternive hauſtus die dandi, per ſat longum temporis ſpatium: Quod ſi grandior ſit infans, ſanguis quoque è brachiis detrahendus, vel hirudinis ſuctu, vel ſcalpello aperta vena: Interea Labra fovenda remediis quæ tumorem minuere, ſordes detergere, ſulcus emendare atque implere valeant, Inter cætera præcellit decoctum chærephylli, quinque folii, mynthidis, roſat. ac ſalviæ, in quo ſal vitrioli albi ſat magna copia diſſolutum ſit, ac linimentum factum è ſacch. Saturni, aq. plantag. & ol. roſac. Vtiliſſimum quoque hirudines faciei admovere, iiſque ſanguinem tum ex fronte & temporibus, tum ex labiis ipſis affatim deplere, idque bis aut ter facere: Quę ſi non iuverint, tandem in alterutro aut vtroque brachio excitandæ fontanellæ, & per multos dies potui dandum decoctum zarzæ, chinæ, fumariæ, phyllit. lapathi integri, ſemin. card. rad. ſcorzoneræ, & paſſulis mai. dimiſſo omni alio potu per id tempus: Si tenellus infans clementiora eligenda. *Arnoldus Bootius de affect. omiſſis cap.* 10.

LEPRA ARABVM.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *quando convenit.* 10.
Omnes venæ ſecandæ. 13.
Purgatio *qualis eſſe debet.* 11.
Hidrotica & diaphoretica *an conveniant.* 12.
Caro viperina *an conducat.* 2.
Aquæ minerales *an vtiles.* 7.
Caſtratione *ſanata.* 1.
Diutino uſu ligni guaiaci *contracta frigidis ſanata.* 4.
Aſini caro *medetur.* 5.
Cucumerum *uſu ſanata.* 6.
Hydrargyroſis *noxia.* 3.
A remediorum vſu aliquando feriandum. 8.
Ptyaliſmo *artificiali ſanata.* 9.

I. REſiccationem tardare convenit, quia eſſentia in ſiccitate conſiſtit: ſanguis toroſus eſt & ſalſus, ob id partibus aſſimilari non poteſt, neque nutrire, quia finis nutritionis eſt aſſimilatio:

milatio: Ob id mulieres, pueri & eunuchi raro hoc morbo tentantur, ſunt enim humidiores, humiditas ea exſiccationi reſiſtit: multi, ait Aëtius, caſtratione ſe ab hoc morbo vindicarunt: hac ratione juvenem hoc anno liberavimus qui incipiebat & vſta principium fuerat progreſſus. *Rondeletius.*

II. Refert *Galenus* aliquos fuiſſe curatos vſu *viperarum* in vino ſuffocatarum: quidam carne earum in theriaca vtuntur, & eam aſſumunt, quod à me non probatur ob ſummam vim ſiccandi quam habet. Neque trochiſcos etiam probo: magis laudo carnis aut juris uſum, non quod efficiat quod *Galenus* ſignificat, nempe digerat valenter per cutem, ſed quod ventrem inſtar medicamenti laxantis ducat: Eam ob cauſam mihi magis probatur quam ſi ad cutem excrementa deduceret, regio id non patitur: adde quod excrementa ſua natura craſſa & terrena ad habitum corporis vi medicamenti deducta, non poſſunt per eam & tam anguſtas vias commodè expurgari: Ea ſi quidem quæ in carne & cute recepta ſunt, per poros cutis vacuari debent, tanquam per propriam regionem: Quod ſi tantum à viperis expectatur auxilii, oportet eas ineunte æſtate capere & autumno: his enim temporibus pingues eſſe ſolent & obeſæ, æſtate autem ſicciores & calidiores, quare iſtis duobus temporibus venandæ ad theriacam & trochiſcos parandos: *Rondeletius ibidem* l. *Palmarius* propria & *Fernelii* authoritate nixus viperarum vſum omnino improbat, lib. de Eleph. c. 9. quod nullo prorſus profectu Elephanticis exhibuerit. *P. Poterius cent.* 3. *cap.* 81. In Lepra viperis ſe vſum eſſe ait citra vllam vtilitatem, etſi ad longum tempus: Pſoram antiquam diuturno earum vſu omnino ſuperatam fuiſſe ait ibidem. *Feliciter curata per Trochiſcos viperinos & alia remedia vide exemplum apud Scultetum Obſerv.* 98. *Vide Vidium med. part.* 2. *ſect.* 2. *lib.* 5. *c.* 8.

III. Qui proclives ſunt ad Lepram, non debent vnctionibus *hydrargyri* ſubjici, nec aliis quibuſcunque medicamentis [illegible] vti; quia his Lepra ſepulta in faciem mox ſe prodit: Eo enim tendit hydrargyri vis omnis, & ſurſum commotis humoribus vitioſis, proclivis iſta affectus latentis detectio. *Velſchius in Millenario cent.* 2. §. 29.

IV. Venit ad me juvenis rufus, cholericus, laceſſima & aliis rimis pervia per totum corpus cute: leproſiorem per totam vitam vidi neminem, Gajaci decoctum ſepties, qualibet vice ad dies xl. potarat, vnde perfectam lepram incurrerat: Illi, calidiſſimum à natura hepar habenti, tot calidis potionibus ferè cinerato, præſcribo vſum cryſtal. montani præparati, quotidie mane ſumpta ℥ß. cum ſuccis foliorum nymphææ, ribes & berberorum, (conſulto vitato ſaccharo & ſaccharatis) ſuperbibendo ſeri lactis cum tantillo ſalis prunellæ, quantum poſſet deinde in ſtramineo lectulo, ſub altiſſimo molendino jacentem, ſtillicidium ex alto in hepatis regionem cadens excipere, aquæ gelidiſſimæ, neque moti, neque radiis ſolaribus calefactæ: hoc cum mane & ſeſquihora ante cœnam aliquot dies feciſſet, ſaniſſimus & pulcherrimus factus. *H. ab Heer Obſervat.* 22.

V. Narravit mihi M. *Schipanus*, Neapoli Medicus, Principem *Caraffam* pro curanda lepra veſci ſolitum carne aſini pulli: Alii carnem aſininam provocare credunt, vt *Bellonius* l. 2. Ephem. p. 187. hæc quidem durioris eſt coctionis; at pullorum caro melior molliorque, quam ideo per alvum citius ſecedere ait Hippocr. 2. de v. rat. hac ratione forſan lepram curat, vel tenaci alimento malam labem contractam emendat, nam & phthiſicis aſinina caro medetur teſte Plinio l. 28. c. 17. *Th. Bartholinus hiſt.* 33. *centur.* 6.

VI. Cuidam huic implicito multa remedia fruſtra adhibui, ipſo helleboro albo vſus: tandem vſu cancrorum evaſit: his etiam conditis vtebatur toto anno. *Heurnius comm. in aphor.* 20. 3.

VII. Plerique ægros mox ad naturales & minerales aquas amandant, verum cum valdè ſiccent, ſæpe plus nocumenti, maximè initio morbi, vbi calor & ſiccitas adhuc vigent, inde oritur, commodius eſt aquæ dulcis balneum. *Sennertus.*

VIII. Vna Elephantia præ aliis morbis longis remediorum varietate & viciſſitudine gaudet: ſuntque in hoc affectu, ſi quo in alio, ab omnibus ferè remediis induciæ quædam & intermiſſio ſæpe ægro concedenda; deinde eadem repetenda & nova addenda, cùm vix vnquam convaleſcat qui in vnico remedio, quamlibet generoſo, ſpem ſalutis collocat. *Palmarius.*

IX. Anno 1675. menſe Septembri, Quidam origine Italus Lepræ ſuſpectus erat, Furfures ex toto largiſſime excidebant; Vox erat ſubrauca, anhelitus fœtidus, macies magna: Sylva remediorum ante adhibita fuerat, tandem præſcripto ptyaliſmo, & præmiſſa diæta ex china & ſalſa, pleniſſimam ſanitatem brevi tempore conſequutus eſt, quanquam radices egiſſet affectus.

X. Alia longe ratione curari debet Elephas quàm ab antiquis factum eſt. Quia facta diſtinctione à qua materia antecedente fiat, & quamdiu perduraverit, ſitne incipiens an inveteratus, inſtituenda erunt remedia pro diverſitate humoris qui eum excitavit: Incipiens, in quo obſcure adhuc apparent notæ, vt in quo nulla adhuc eſt exulceratio, tuberculum nullum apparet, & præſertim circa faciem, curabitur ſanguinis miſſione primum, deinde vſu opiatæ ex refrigerantibus & lenientibus factæ: curabitur quoque frequenti vſu balneorum tepidorum & frigidorum: Qui verò notas habent manifeſtiores, vt in quo exulcerationes narium, & tubercula carnoſa apparent, ſanguis è naribus fluit, non eſt curandus amplius vt incipiens: Sanguis ſi quidem in hoc, non è venis majoribus mittendus, ne laudabilis adhuc ſanguis in his contentus (quem tamen omni ſtudio & cura conſervare debemus) educatur: Eſt enim veluti frænum omnium humorum, ſua temperie reliquos contemperans & ad mediocritatem reducens: Quare cum paucus ſit in Elephantiaſi, omnibus modis retinendus & conſervandus. *Rondeletius.*

XI. Eligenda medicamenta ad purgationem quæ cum delectu humorem noxium & peccantem purgant: Non ſufficiunt igitur illa quæ citra delectum purgant, vt Antimonium à Chymicis præparatum, quod ſua acrimonia, vellicando, vel potius vlcerando ventriculum, humores quos reperit vacuat: Hoc ſi dandum, ſtatim initio, ante alia remedia, vt excrementorum copiam minuat: doſis erit ad gr. iij. iv. vel v. pro ægri viribus, cum ſaccharo roſato tabulato ad ʒß. debebit autem illud ſumi ventriculo cibis pleno & corpore (juxta præceptum Hippocr. in ſumendo helleboro) prius agitato & commoto: ſumendus poſtea ſyrupus qui antimonii errorum caſtiget, & humorem cum delectu purget, factus ex borragine, cichor. endivia, ſcariola, lactuca, violar. lenticula, polypod. car-

tham. ſennâ, epithym. &c. quo vtendum erit in multos dies, ut continua ac frequenti purgatione materia antecedens educatur, & à carne & habitu corporis avertatur per partes interiores. *Idem.*

XII. Graviter accuſandi noſtri Practici, qui præmiſſis aliquibus leniter purgantibus, medicamentis ſudorificis, & ſyrupis aperitivis & incidentibus, materiam ad cutim mittebant, cum tamen earum partium ſit affectus: hoc enim eſt deducere excrementa ad partem affectam & morbum augere; ſatius itaque erit materiam per interiora derivare: morbus hic eſt partium externarum & cutis potiſſimum effectus: retrahantur ejuſmodi corporis recrementa, & per ventrem frequentiſſimè deducantur & expurgentur: Expellantur à partibus externis ad internas vſu balneorum aquæ frigidæ: nam cum affectus ſit in cute & carne, arcenda ſunt excrementa. *Idem.*

XIII. Victus ratione præſcripta analeptica & eadem quæ Hecticis debetur, venis repletis, viribuſque reſtauratis, vt ſanguis partium externarum vacuetur, & novus minuſque ſiccus regeneretur, aperiantur venæ omnes externæ; primum duæ venæ malleoli vtriuſque pedis; & quæ eſt inter primum digitum & annularem; vel inter medium & indicem, idque ſequenti die: tertio vero die aperiantur venæ frontis, & harum qualibet vice extrahatur ſanguis ad ℥ij. tantum, vel tres, ſi corpus ſit plenum: *Rondeletius apud Scholtzium Conſ. 293.*

LEPRA GRÆCORVM.

(*vide Habitus affectus lib.* 8.)

SYLLOGE.

Remedia tantum magna conveniant. 1.
Sanguis edulcorandus. 2.
Acidulæ ferratæ *efficaces.* 3.
Decoctum ex lignis *quibus competit.* 4.
Medicamenta chalybeata *ſola efficacia non ſunt.* 5.
Salivatio ao *aliquid praſtet.* 6.
Scorbuto ſi ſuccedat quid agendum. 7.
Cucumeris *eſus praſtantia.* 8.
Acidulæ *purgantes conveniunt.* 9.
Vitriolatæ *juvant.* 10.
Medicamenta è viperis *qualia vtilia.* 11.
Impetiginis *venerea lues ſocia curatio.* 12.
Topica *per ſe nihil juvant.* 13.
Balnea ſulphurea *an conveniant.* 14. 7.
Linimenta *per gradus admoveantur.* 15.
Ex mercurialibus facta ſuſpecta. 16.

I. IMpetiginis, ſive Lepræ Græcorum, cauſa materialis non eſt humor mere cutaneus, propter *miaſma* ab extus ſuſceptum, aut ob alias occaſiones depravatum & à crasi ſua degenerem, at vero puſtulæ circa morbi initia primo erumpentes inde procedere videntur, quod in maſſa ſanguinea concretiones quædam acido ſalinæ (inſtar tartari in vino) contingunt, quæ cum ſubigi, aut rurſus diſſolvi nequeant, hic in cutem, quemadmodum illic in dolij parietes, depelluntur: Reſpectu cauſæ conjunctæ, duæ ſunt præcipuæ medendi indicationes, nempe vt viſcerum & humorum impuritates cito expurgentur, item vt ſanguinis dyſcraſiæ acido ſalinæ in melius reducantur, propter quos fines medicamenta tum evacuantia diverſi generis, tum alterantia præſcribi ſolent: Attamen quia non omnia, ſed *remedia* fere tantum *magna*, ideo quæ potiſſimum in vſu, & maxime proficua ſunt deprehenduntur, hic ſubdemus: Imprimis itaque Purgatione vniverſali & phlebotomia celebratis, Infuſio ſive Tinctura Cathartica ſequens inſtituatur, cujus dozis ℥vj. ad viij. intra vj. vel vij. dies repetenda ℞. *rad. oxylapat. ſiccat. polypod. qu. ana.* ℥ß. *Senna* ℥x. *epith.* ʒvj. *rhabarb. mechoac. ana.* ℥ß. *ſantal. citr.* ʒij. *ſpica celtica* ʒß. *ſalis tart.* ʒiß. *ponantur in vitro cum vino albi* ℔. *iv. dein in vſum depromantur, effundendo quotidie liquoris clar. q. ſ. Adde aq. flor. ſambuci* ℔j.

II. Ad ſanguinem edulcorandum, ejuſque ſales eluendos, *ſerum lactis* ſimplex, vel cum fumaria, cichoraceis, & oxylapat. infuſis, bibatur omni mane ad ℔ij. vel iij. per dies xx. vel xxx. ſi ſtomacho congruet, Simulque veſperi & mane primo ſumatur dozis Electuarii ſequentis ℞. *Conſerv. rad. oxylapat.* ℥vj. *oculor. cancri, corall. prap. ana.* ʒij. *eboris* ʒj. *pulv. ligni aloes, ſantal. citr. ana.* ʒiß. *ſalis prunella* ʒij. *vitrioli martis* ʒiß. *ſyrup. e ſucco lujula q. ſ. f. Electuar. dozis* ʒij.

III. Propter eandem rationem qua ſerum lactis, etiam *Acidula* ferratæ contra hunc morbum præſcribuntur, & non raro inſigniter juvant, quippe cum cætera quævis medicamenta incaſſum ceſſere, cum his ſolis Impetiginem gravem, & fere leproſam aliquoties curavi: Porro his etiam majoris efficaciæ gratia ſalis prunellæ, aut vitrioli martis, aut modo deſcripti Electuat. vſus commode adjungatur.

IV. In quibuſdam ſero nimio, & conſtitutione aquoſiori præditis, vbi ſeri lactis aut acidularum potus minus convenit, nonnunquam expedit *decoctum* ex lignis horis Medicis, ac inſuper pro potu ordinario conſtanter ſumi ℞. *ligni ſalicis* ℔ß. *rad. ſalſa par.* ℥viij. *ſantal. alb. ligni lentiſc. ana.* ʒij. *raſ. eboris c. cervi ana.* ʒv. *ſtanni, antimon. crudi ana.* ℥iv. *in petia ligat. liquirit.* ℥j. *ſ. a. infundantur & coquantur in aq. fontana lib. xvj. ad medietatem, Colatura ad vſum ſervetur.*

V. *Medicamenta Chalybeata*, quoniam inter remedia præſtantiora paſſim habentur, raro in his morbis omittantur, quamvis non ſæpius cum fructu ſolent exhiberi: pleraque enim ferri præparata, in quibus particulæ ſulphureæ præpollent, quatenus ſanguinem fermentant, inque effervescentias *internas* cient, eruptionis impetiginoſas augeri potius quam diminui faciunt, attamen ſal, ſyrupus, tinctura, & infuſiones vitriolicæ, quatenus ſanguinem figunt, & ſalium efferationes nonnihil cohibent, medendi intentioni modo propoſitæ ſatis apte quadrant, ſed potentia minores contra morbum adeo Herculeum minime valent.

VI. Quamobrem his & aliis pleriſque remediis nihil præſtantibus, multi *Salivationem* quaſi athletam fortiſſimum, ac tanto hoſti vnice parem commendant, Attamen prægrandi huic expectationi eventus non ſemper reſpondet: fateor enim me hoc remedium in quatuor perſonis Impetigine graviori, & medicamentis aliis obſtinata laborantibus, ſine commodo expertum fuiſſe: Quidam ex his per inunctionem ex hydrargyro, aliique per catapotia ex præcipitato ſolari in ſputationem copioſiſſimam, quam per xx. circiter dies pertulerunt, cibantur, quo temporis ſpatio elapſo, omnes eruptiones

ſquamo-

ſquamoſæ, & papillarum corymbi evanuerunt; nihil minus ad therapejam confirmandam, potus diureticus ex decocto ſalſæ, cum crebra ſudatione ſubtus cratem, & debita purgatione interjecta, inſtitutus per menſem continuabatur: attamen hoc curſu finito cum nulla tunc impetiginis veſtigia [illegible]linqui viderentur, intra menſem alterum nova ejuſdem morbi ſeges pullulare incipiens, brevi tempore ad ſolitam maturitatem accrevit: Porro cum vnus ex iis hanc medicinam repetere, atque alter poſt duas morbi recidivas eam vice tertia experiri [illegible]oluit, vterque demum poſt immanes tot ærumnarum perpeſſiones de curationis ſpe decidit; Vnde conſtat luem veneream, etſi ſumme malignam, atque vlcera fœdiſſima & cacoethea, carnes & oſſa depaſcentia excitantem, multo facilius & certius quam Impetiginem poſſe ſanari: Quare non immerito olim pleriſque Medici celebres morbum hunc confirmatum, ac ad Lepræ confinia evectum, vix ac ne vix curabilem cenſuerunt.

VII. Hunc morbum Scorbuto inveterato ſupervenientem eventus nequicquam melius attendiſſe; forſan hinc medendi intentiones paulo certiores eliciantur quando hic affectus iſtius baſis ſive radix ſupponitur, nempe vt indicatione therapeutica primaria inde ſumpta, remediis antiſpaſmodicis potiſſimum inſiſtatur: Verum hujus generis acria & calidiora, vti cochlearia, naſturtium, raphanus ſylv. piperitis, aliaque ſanguinem nimis incitantia, quatenus craſin ejus plus diſſolvunt, & coagula tartarea ad cutim vberius propellunt, ſemper noxæ potius quam emolumento eſſe deprehenduntur, Atque ob hanc rationem *Thermarum* vſus, ſive Balneatio in aquis calidis, quæ ſiquidem per diaphoreſin copioſiſſimam totius corporis humores evacuat, atque cutis poros abſterget, ac ſumme mundificat, in hoc morbo valde proficua videatur, ſæpiſſime intantum à juvando abeſt, vt eruptiones exinde plurimum augeri & exaſperari ſoleant: novi enim plures haud graviter impetiginoſos, Bathoniam noſtram ad balneandum in aquis calidis profectos, inde prorſus leproſos rediiſſe: Quapropter ſiquando hic affectus ſymptoma ſcorbuto ἐπιγιγνόμενον exiſtit, acrioribus & elaſticis quibuſque vitatis temperatiora ſolum, atque ſale nitroſo, aut vitriolico, aut volatili prædicta exhibeantur; Sale nitroſo in primis præpollent cryſtallum minerale, herbarum quarundam ſucci, vel decocta, & acidulæ quædam purgantes.

VIII. Fructus *cucumeris* virtute nitroſa præditus, & per experientiam contra hunc morbum vtilis probatur, quare loco acetarij vbertim & ſæpe comedatur: Porro tres aut quatuor eorum, in taleolas inciſi, aquæ fontanæ libris iv. per noctem elapſ[illegible] infundantur, liquori claro effuſo adde ſalis prunellæ ℥ij. vel iij: dozis ℔ß. aut ter aut ſæpius in die: In eundem vſum etiam decocta ex foliis, vna cum fructibus in aqua fontana facta conveniunt. *Vide Titul. precedentem* §. 6.

IX. *Acidulæ*, ſive aquæ quædam minerales catharticæ, cujuſmodi inprimis ſunt iſtæ *de morth. Hall.* analyſi per evaporationem facta, ſalem nitroſum quo i[illegible]buuntur manifeſto referunt, earumque potum per plures dies ad iv. circiter libras aſſiduum contra Impetiginem leviorem juvare aliquoties comprobavi.

X. At vero *Acidulas*, ſale vitriolico præditas, cujuſmodi ſunt Spadenſes, iſtis nitroſis, imo & quibuſque aliis medicamentis longe præſtare, & pro curanda Impetigine plus valere ſuperius innui: Quibus his vter[illegible] non datur opportu[illegible], aquas communes chalybe noſtro impregnatas, adeoque acidulas iſtas exactiſſime refer[illegible] bono cum ſucceſſu contra hunc morbum propinare ſoleo. Propter tales minerales, aut ſaltem ob particulas in iis Mercuriales, vſu venit quod ſtannum & antimonium pro curanda Impetigine a multis prædicantur, & cum aliis remediis præſcribi ſolent: Raſura ſtanni, & Pulvis antimonij crudi in cerevıſia pro potu ordinario infundantur, Item Decocta ex ſarſa cum lignis contra hunc affectum inſtituta ingrediantur.

XI. *Salis volatilis* pro Impetigine graviori, imo plane leproſa curanda, virtutem inſignem ſatis commendat *Vipera* ejuſque præparatorum vſus: Hoc morbi iſtius antidotum experimento caſuali primum inventum fertur à Galeno: Huc etiam tenetur analogia, ab animalis natura deſumpta, vnde colligitur ipſum in hoc morbo juvare; quandoque enim vipera exuviam ſuam ſquamoſam quotannis deponit, ideo putaret quiſpiam particulas ejus ad excutiendam leproſi pelliculam cruſtoſam valere; Verum his vt non multum tribuamus, quandoquidem ex crebra obſervatione conſtat remedia viperina in impetigine ac lepra prodeſſe, juvaminis ratio ſali volatili, quo plurimo animal hoc præditum eſt, adſcribi debet: Hujus enim particulæ ſalia fixa, & acida in affectorum ſanguine præpollentia deſtruunt, eorumque combinationes diſſolvunt: Attamen *Sal, ſpiritus & oleum*, è viperis chymice extracta, ob particulas quas ab igne extrahunt empyreumaticas, & ſumme elaſticas, in hoc morbo minime conveniunt; vti etiam nec *ſpiritus*, aut ſal *volatilis c. c. fuliginis, ſanguinis*, aliique conſimiles ammoniaci, quia nempe ſanguinem & humores ſupra modum exagitando eorum craſes plus diſſolvi, & corruptelas vberius in cutim propelli faciunt, Quare ſimpliciora viperarum præparata, vti juſcula ex earum carnibus aquæ incoctis, Potus eandem infuſionibus, aut incoctionibus impregnati; inque pulveres ex iis exſiccatis & tritis confecti, contra hunc morbum vtilius præſcribuntur: Porro non tantum viperarum, ſed alius generis anguium oviparorum carnes elixæ, & loco cibi ordinarii comeſtæ, opem ſæpe egregiam præſtant.

XII. Impetigo, ſive papillarum eruptiones ſquamoſæ, & in figuras velut corymbeas efformatæ, Luis venereæ inveteratæ adeo frequens & familiare eſt ſymptoma, vt quoſvis affectione iſta laborantes, annon aliquid iſtius malignitatis, cujus conſcii ſunt, lateat inprimis interrogemus: atque ita rem habere ſi deprehenditur, ſtatim ſpecificis contra hunc morbum quibuſque, ac antiſcorbuticis omiſſis, protenus ad decocta ex lignis; iiſque parum aut minime juvantibus, ad medicamenta ex hydrargyro deveniendum erit: Et quidem hac methodo plures pro impetiginoſis & leproſis habitos, cumque aliis remediis ad hos morbos appropriatis diu incaſſum tractatos, & miſere divexatos, facile ac cito curavi.

XIII. Indicatio ſecunda curatoria morbum ipſum & ſymptoma primarium, ſcilicet Eruptiones ſquamoſas, & puſtularum corymbos reſpiciens, remedia *Topica* cuti exteriori, propter affectus hoſce tollendos adhibenda præſcribit, In quem finem Balnea & Linimenta imprimis conveniunt; quæ tamen niſi cauſa procatarctica

videl. ſanguinis diatheſis tartarea prius expurgetur, raro aut nunquam per ſe juvant: E quibus univerſis Balnea, aut Linimenta e pice liquida confecta, cæteris quibuſque vtriuſque generis remediis longe præſtant: revera vt illis vnicis, niſi quod odorem valde tetrum emittunt, vtendum fuerit: Itaque pro Balneis vſitatum eſt aquas doliis, in quibus pix liquida immittebatur, aliquandiu contentas & infuſione imprægnatas adhibere.

XIV. *Balnea ſulphurea*, tum naturalia tum artificialia minus convenire, imo priora ſæpius officere (*vide ſupra* §. 7.) crebra experientia deprehenditur; quin etiam *Balneatio* quæcunque caute admodum admoveri debet; nam quatenus adminiſtratio hæc ſanguinem exagitat & effervefacit, craſin ejus (vti modo dictum eſt) plus diſſolvere, & corruptelas in cutim uberius ſuffundere periclitatur.

XV. *Linimenta*, quorum vſus & tutior & commodior eſt, triplicis ſunt generis, ſive gradus, *Lenia, Mediocria, & fortiſſima* 1. In Impetigine leviori, ubi eruptiones & papillatum corymbi pauciores & perexigui ſunt, commendatur *ſaliva jejuni*, item liquor ex lignis viridibus dum vruntur exudans: Item mera fricatio cum radicibus oxylap. contuſis & aceto maceratis. ℞. *Olei tartar. per deliq. olei nuc. vel amygd. amar. ana p. aq. f. Linim.* bis in die adhibendum. *Secundi gradus* Linimenta pix liquida ingredi, ac inſtar omnium ſolet adhiberi. ℞. *vngu. roſac.* ℥vj. *pic. liquid.* ℥ij. ſimul liquefacta miſce. ℞. *Portionem carnis vervecina pinguiorem, qua fruſtis radic. lapat. acut. conſita, & veru infixa aſſetur*; atque interea dum pix liquida ſenſim inſtillata continue imbuitur, vtriuſque deliquium in vaſe ſuppoſito exceptum, pro vngu. ad Impetiginem præſtantiſſimo ſervetur: Linimenta contra hunc affectum *Fortiſſima*, ſunt Mercurialia, quæ nimirum aut hydrargyro, aut præcipitato conſtant, Prioris Formula hæc ſit. ℞. *hydrargyr. cum acido in minutias reducti, ac (vti dici ſolet) extincti* ℥iß. *pinguedinis porcin. recent.* ℥vj. *incorporentur optime, diu terendo in mortario lapideo, aut vitreo*: Quoad alterum ℞. *præcipit. albi* ℥iij. *vngu. roſ.* ℥iij. *m. pro Litu partium maxime affectarum.*

XVI. Horum vſus in hoc morbo maxime ſuſpectus eſſe debet, nam ſi forte ſputatio ciebitur, materiæ poris cutaneis impactæ ſaburra perquam immenſa movebitur, quæ ſi rota confeſtim nimis verſus ductus ſalivales irruens, circa gutturis partes aggeretur, ſuffocationis periculum incurretur. *Willis Operis Poſthum. ſect. 3. cap. 7.*

LETHARGUS.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *an conveniat.* 7. 16.
Iugularium *apertio vtilis.* 9.
Purgandum *non timide.* 2.
Diverſimodo inſtituenda Purgatio. 1.
Vomitus *an catharſi potior.* 10.
Ptarmicis *quando locus.* 12.
Veſicatoriorum *ſincipiti admotorum vtilitas.* 12. *b.*
Oxyrrhodinis *cauſe vtendum.* 4.
Suffitus *noxij.* 3.
Balneum *an vtile.* 8.
Vinum *an præbendum.* 5.
Ejus cauſa cerebro non ſemper concepta. 6.
Febris comes extinguenda an fovenda. 11.
Cauterio *curatus.* 12. *a.*
Fontanella quando conducit. 11. 13.
In Localium *vſu cauſa diſtinctio adhibenda.* 13.
Sinapiſmi *quando conducunt.* 14.
Caput purgiis *quando locus.* 15.
Cucurbitulæ *non ſemper ex vſu.* 16. 17.
Si ſit ex apoſtemate cerebri qua vena aperienda. 16.

I. Antequam *purgantia* medicamenta inſtituas, conſidera ſitne aſcenſus humorum ad caput potius ex bile deferente pituitam, quam ex vbertate pituitæ ipſius: nam ſi primum, etſi affectio pituitoſa videatur, cholagogis purgabis, ad excluſionem bilis pituitam ad cerebrum deferentis: *Oribaſius* refert nil lethargicis æquè vtile ad purgandam pituitam, quam bilis admixta in caput detulit, ac ſcammonium cum caſtoreo exhibitum: Si pituitam prædominari compertum ſit, vt in pleriſque febribus ſpuriis, & lethargo incipiente, phlegmagogis rem ages. *Mercatus Pr. l. 1. c. 12.* Vide *Borellum* cent. 1. Obſ. 52.

II. Etſi febris continua hoc malum comitatur, non tamen in *Purgando* cunctabundus nimis aut timidus eſſe debet Medicus, cum materia ad caput ruens valde vrgeat: & conſultius ſit eam vacuare dum in motu eſt quam dum in capite firmata eſt & ſedem ibi fixit: Et omnino periculum aliquid periclitari permittit: Et ſi accidat vt Lethargus per criſin eveniat, humoribus qui morbum produxerunt ad caput ruentibus, & febris præcedens facta ſit remiſſior, tum totius & febris non magna habenda eſt ratio, ſed neceſſe eſt caput reſpicere, & materiam fluxam & hærentem præparare. *Sennertus.*

III. *Suffitus*, quibus nonnulli ad excitandum vtuntur, ſatis commodi hic non ſunt, cum cerebrum valde repleant: rectius ex pulegio rutâ, ſerpillo, hyſſopo, origano, in aceto coctis, additâ pauculâ caſtorei, vapores calidi ægri naribus excipiuntur. *Sennertus.*

IV. Vbi tenuis ac acris humor vel vapor cerebrum ferit, repercutiendum eſt frigore ſtricto: At vbi craſſus eſt vapor vel ſuccus (ut in lethargo, in quo omnia tenebras eſſe ait Aretæus) repercutiendum eſt vſu rerum refrigerantium ſine adſtrictione. *Henrnius m. m. l. 3. c. 10.*

V. *Hippocr.* 3. de morb. n. 6. *vino* intercidit, & meritò, quod capitis plenitudinem augeat ac narcoticum ſit, febremque comitem augeat: At idem 2. de morbis n. 63. Huic, *inquit*, aquam demacerata in ipſo farina craſſa bibendam dato, & vinum album vinoſum poſtea bibendum: Conciliabis dicendo à vino ſemper eſſe abſtinendum lethargi initio, ne major fiat anathymiaſis ad caput: ſic intelligendus locus 3. de morb. In declinatione probari poteſt, quod urinam ciere poſſit, aut capitis colluviem repurgare: Dic. 2. de morb. 2. idcirco vinum probari, quoniam in lethargo, quem ibi proponit, aderat putredo & corruptio humorum univerſalis, quod ſignificatur iis verbis, *Et recrementum malè olens egerit*: Vbi vero in corpore ſuccorum inſignis putrilago atque corruptio ineſt, vinum tanquam alexiterium commendatur:

3. au-

tertio autem de morbis, ubi vinum improbat, lethargum ſine putredine deſcribit, Adde, vinum, cum ... ina illâ & granatorum ſucco, ut medicamentum ... xſcribi, in gratiam virium, quæ a putrida diat hocâ tariſcunt ocyùs: nec interim capiti offenſæ, quia granatorum ſucco atque ptiſana temperatur. Quod ſi *Trallianus* in Phrenitide vinum probat, quantò magis laudandum erit in Lethargo, ubi calefaciendi & exſiccandi ſunt ſcopi, adeo ut vel caſtoreum exhibeatur. *Sinibaldus* 14. *Antiph. l.* 4. *Aſclepiades* apud *Aurelianum* vinum porrigit, quia furor ex vino iis accedere nunquam poteſt, cum ſenſus omnes ſint apprehenſi & vigor mentis oppreſſus: *Aëtius* & *Celſus* probant aquoſum, tenue, album & ſubadſtringens, & meritò, nam vinum crudos humores concoquit, flatus diſcutit, roborat vires, ſic frigidis affectibus remedio eſt: Hoc modo *Avicenna* in affectibus cerebri, in quibus reprobatur, vinum concedit in declinatione: quod licet videatur nocere, quia vapores ad caput elevat, tamen affectionem deinceps ſanat, calefaciendo & exſiccando, quam effeceat: *Galen.* 5. aphor. 5. Quare in modica quantitate, apparente coctione in urina, exhibitum, non parum confert: craſſos enim vapores attenuat & humores ſomnum efficientes concoquit. *Zacutus Prax. hiſtor, lib.* 1. *cap.* 5.

Vinum in declinatione concedendum, Sic *Trallianus*, ubi morbus concoqui cœperit, ita *Celſus* & *Aëtius*: Sic *Hippocr.* 2. de morbis, ait, *Vinum album vinoſum poſtea bibendum* dato: Aquoſum caput replet, nec reſolvit, vinoſum vero adjuvat coctionem & materiæ reſolutionem. *Fortis Conſ.* 28. *Centur.* 1.

VI. Cauſa antiquis eſt pituita in capite collecta, quæ humiditate & frigore torporem, calore putredinali vigilias facit, Sed impoſſibile eſt hoc: Cauſa potius eſt vapor narcoticus in febribus comitatis, ut quotidiana, continua, tertiana notha & ſemi-tertiana elevatus: Vel, ſi citra febrem ingruat, pituitoſus ſanguis inflammationem faciens, cum, ex obſervatione *Foreſti*, adſit ſæpe talis inflammatio quæ in ſphacelum abit, Sicque duplex eſt cauſa Lethargi: Vide *Platerum*, *Vidum Vidium*, *Sennertum*: *Hippocrates* l. de morb. ſect. 3. Lethargi ſedem in Pulmonibus conſtituit, nec à Peripneumonia multum differre ſtatuit, bujus Cauſam aſſerens ſanguinem bilioſum, Lethargi pituitoſum: Vide *Ballonium Epid. & Ephem. l.* 2. *p.*118. & *P. Martianum comm. in illum Hippocr. locum.*

VII. Sanguinis miſſionem *Galenus* 13. meth. 21. confirmat, Eum omnes ſequuntur, ſic enim commoda fit humoris revulſio ne in cerebrum confluat, quod calore doloréque affectum fluxionem facillime ſuſcipit & trahit, unde nobilis membri inflammatio præcavetur: Improbare eandem idem videtur l. 3. criſ. c. 3. *Non tamen Lethargus aut Peripneumonia fluxum ſanguinis amant*: Subſcribit Meſues, quia ſanguinis miſſio refrigerat, ideóque humoris pituitoſi copia augetur: Sed ibi loci *Galenus* cauſæ reſpectum habet, pituitoſi ſcilicet humoris & craſſi, purgatione potius vacuandi: *Meſues* autem id auxilium interdixit, cum Lethargus ad alios ſubſequitur morbos, à quibus vires jam attritæ, aliàs ob priores cauſas commoda eſt.

VIII. *Trallianus* ſe quoſdam Lethargo laborantes *Balnei* uſu levatos vidiſſe aſſerit: Quod remedium ineptum videtur; cum ſomnum profundum faciat & humorem crudum reſolutioni ineptum reddat: aqua enim actu calida, potentia refrigerat: At ut noxium initio morbi, fuſione crudorum, unde metus graviùm affectuum, eo tamen declinante, coctoque humore, majorique hujus parte diſcuſſa, non inutile erit, lentum humorem coquendo, ac in halitum digerendo maximam fuliginum partem: Quod ſi *Tralliani* ſententiam de balneo actu & potentia calido explices, argumentorum vim effugies; Si enim ex diſcutientibus medicamentis paretur, neque ſoporem inducet, neque humorem crudiorem efficiet: Balnei ſuccedanea poſſunt eſſe ſtillicidia & capitis lotiones: Si cum *Platero* & aliis febrium quarundam ſtatuas comitem & ſymptoma, qua ratione febribus convenit, eadem illi erit utile.

IX. *Venam jugularem* præ brachiali pertundendam cenſeo, quoniam hoc modo ſanguis intra capitis ſinus plurimum coacervatus, & forſan ſtagnans, in circulationem æquabilem facilius reducetur.

X. Hic conſiderandum eſt annon *Catharſis* per vomitum aut ſeceſſum mox ab initio celebrari debeat: Scio hoc inter Autores varie controverti, etiam vario cum ſucceſſu in praxi adhibitum novi; quibus perpenſis & in ſe collatis, quid noſtra fert ſententia breviter proponam: Si Lethargus à crapula aut ebrietate recenti, vel ſi ab incongruis & narcoticis aſſumptis exortus fuerit, ſtatim vomitio excitetur: quare Sal vitrioli cum vino & oxymelite ſcyllitico, vel in robuſtis infuſo croci metallorum, aut Mercurij vitæ cum aqua ceraſorum nigrorum exhibeatur, & poſtea ni ſponte operetur, penna gutturi intruſa vomitus excitetur: Sin morbi inſultus febri aut affectibus alijs cephalicis ſupervenerit: Vel ſi ipſe primario, aut per ſe, ob procatarxin in ſanguine & cerebro prius jactam excitetur, vomitoria & catbartica ſtatim ab initio, dum materia in fluxu eſt exhibita, ſæpius plus officere quam prodeſſe ſolent; quatenus nempe dum humores in motu ſunt magis exagitant, cumque adhuc ſubigi & educi nequeant, eos in partem affectam adigant. *Willis.*

XI. Ob ſævam hujus affectus naturam novum præſidij genus propono, *Fontanellam* aut *Setonem* in occipitio; In iis ſcilicet affectionibus quæ vel diuturnæ ſunt, vel per intervalla repetunt, quia vel apoplexiæ, vel epilepſiæ ſunt præludium: Hinc in Caro, & Catalepſi, præſervationis & curationis gratia, utile judico præſidium brachiis fontanellam affigere: In Lethargo vero, quod ſit inflammatio, & brevior affectio, minime poſſe beneficium præſtare certum eſt: Sicut neque in his comatoſis affectionibus quæ febrem babent comitem, aut per conſenſum fiunt. *Mercatus.*

XI. Antiqui tam præparantia quàm purgantia ſatis fortia & calida uſurpabant, ut febris conjunctæ nullam ferè rationem habuiſſe videantur; idque ex eo fundamento, quod putarunt febrem eſſe ſaltem ſymptomaticam, & ſequi putredinem pituitæ in cerebro, quâ ſublata febris ceſſet: Verum cum febris non ſolum ſit ſymptomatica, ſed ex materia febrili vapores narcotici in caput aſcendant, & calor pituitam in capite fundat; vel ex univerſo corpore pituita in caput ruat, febris planè non negligenda eſt; & prout eſt intenſior vel remiſſior, medicamenta, quæ aliàs Caro competunt, in Lethargo ob febrem ita temperanda, ne periculum, quod aliàs imminet, auctâ febre per talia medicamenta, duplicetur. *Sennertus.*

XII. Si affectus perſeveret, & æger ægrè excitetur, *Sternutatoriorum* uſus commodiſſimus eſt; non tamen continuo in eo perſiſtendum, ne caput te-

pleant, humores nimis fundant ac moveant: Initio præſertim morbi ab iis abſtinendum, cum magis ab iis materia tum fundatur, partibus impingatur, unde apoplexiæ ſucceſſio, vel morbi productio & contumacia: Mala quoque dum febris viget aut præeſt: In uſum ducantur in incipiente à ſeipſo, aut cum per viam decubitus originem traxit, atque eo inclinante. *Idem.*

XII. *a.* Quidam poſt dies xxx. inexpugnabili dormiendi neceſſitate correptus cum febricula lenta: A variis revellentibus & vacuantibus cum non juvaretur, ad cauterium acceſſi: ferro candenti cruſtas in vertice capitis excitavi, in occipite unam, & circumcirca multas, à quibus excitabatur æger, fluentibus multis ulceribus expergefactus ad mentem rediit. Hoc auxilio, præter omnium ſpem, memini me bis caroticos perſanaſſe, ignis ope liquata pituita, & per multos dies, per os & nares excreta. *Zacutus Pr. Adm. l. 1. Obſervat.* 17.

XII. *b.* Præ cæteris Topicis maximum juvamen *Veſicatorio* amplo, ulcuſcula plurimum manantia in toto ambitu capitis excitante, collatum novi: Duos ego Lethargicos, poſt morbum diu protractum, & non ſolum memoriam ſed & notitiam fere omnem deperditam, ab hoc potiſſimum remedio ſanatos vidi: quippe in utriſque loca excoriata, cum ijs cicatrix haud facile obduceretur, ichoris tenuis copiam ingentem, nempe quotidie circiter libræ ſemis profuderint. *Willis.*

XIII. Tentanda quidem materiæ in capite contentæ per inſenſibilem halitum reſolutio, dummodo lege ſancitum ſit reſolutionem non eſſe indiſtincte aggrediendam in quovis ſomno profondo, ſed prius diſtinguendum eſt an ſomnus ex irrigatione cerebri proficiſcatur, vel ex apoſtematoſa affectione: nam licet idem ſit ſymptoma, cum diverſa ſit affectionis ratio, diverſæ quoque conditionis præſidia eſſe oportet: Nam in Tumore p. n. cavere oportet acria & vehementer diſcutientia: quippe in hoc caſu neque Dropaciſmis, neque Sinapiſmo, aut alio ex fortioribus diſcutientibus utendum eſt; Sed ea tantum præſtabis quæ nativum partis calorem adaugere ſint nata; nam quæ acriorem ſortiuntur naturam, majorem efficiunt inflammationem & majora mala. *Mercatus.*

XIV. Verum ſi ſoporoſa affectio ex eis fuerit quæ ex irrigatione cerebri proficiſcuntur, audacius oportet quæ authores ſcribunt præſcribere, etiam ad Sinapiſmos tranſitu facto; Sed licet hæc, & longe graviora à veteribus Medicis præſcribantur, Ego tamen, conſilio *Aureliani* perſuaſus, ſummopere Lethargicis eſſe adverſa arbitror: Is enim *l. 2. Acut. paſſ. cap.* 9. loquens de Sinapiſmis antiquorum, ait, *Hæc peccanter ex Epilepticorum curatione, atque præfocationis matricis transferenda juſſit: cum conſtet etiam in ipſis adhiberi non oportere ſinapin, etiamſi chronicas paſſiones quadam corporis novatione excludat; acutas autem vel celeres irritans acribus in magnitudinem tollit: omnis enim acrimonia tumoribus incongrua: nam aliquo temporis ſpatio æger omnis tanquam aduſtus igne excitabitur, ſed rurſum gravius opprimitur.* Et paulo inferius de Sinapi, *Addunt ad ſemet materiam, ſicut inflare, atque in ruborem deducta ejus appoſitione partes demonſtrant; dehinc odore penetrando membranas adurit, & tanquam acre collyrium oculorum membranas inflammat.* Quapropter perſuaſum mihi habeo prædicta pharmaca tantum Lethargo eſſe adverſa, quantum proficua Caro & reliquis ſoporoſis affectibus quæ calore aut inflammatione careant: Præterea ſi malum urgeat, loco prædictorum Dropaciſmis utetis, quæ poſtquam ſemel capiti adhæſerint, violentia quadam ſunt extrahenda, ut evocato calore, & commota etiam pituita, facile per inſenſibilem halitum evaneſcat: Verum ſi pituitæ ubertas atque frigiditas ſinapiſmis uti coëgerit, ipſa ſubiges ex aqua, ut vult *Oribaſius*, non ex aceto: Valet hic *mel Anacardinum. Idem.*

XV. Vacuato univerſo corpore ad vacuationem capitis veniendum eſt, quod opus prudenter aggrediendum eſſe conſulit rei difficultas: quippe protinus à principio utendum non eſt his quæ *caput purgant* (neque dum febris viget aut præeſt, ſi ipſam ſequatur Lethargus, nam ſolum in incipiente à ſeipſo, & dum inclinat proficua ſunt, aut cum lethargus per viam decubitus originem traxit) nam ſternutamentis, gargariſmatis, & quovis alio caputpurgiorum genere plus ad ipſum trahes quam ab eo detrahere poſſis: Præterquam quod Gargariſmata & Maſticatoria nullum præſtare poſſunt beneficium, quod laborans omnino mente non conſtet: Sternutamentis vero, ſi affectio apoſtematoſa non ſit, Irrigationibus & Linimentis uti ſolum conceditur (dummodo laborans Epilepticus non ſit) quod hæc plerumque acceſſionem accerſant, præterquam quod ante ipſorum adminiſtrationem corpus inanire oportet, & ſi affectio apoſtematoſa ſit, caput ipſum, *Mercatus.*

XVI. Si *affectio apoſtematoſa* ſit, viribus conſtantibus, ex vena quæ eſt in carpo manus, vel ab hæmorrhoidibus (quod maximi uſus eſſe experimentum monſtrat quotidianum) vel ex vena naſi, ac ſi probe non fluxerit, hirudinem ſciſſioni adhibebis quæ ſuctu ſanguinem demat; vel Cucurbitulam occipitio cum multa flamma adhibebis & ſcarificabis, curans ne nimia ſanguinis profuſione cerebrum refrigeretur, cum hac lege ſæpius in profundiorem ſomnum laborantium plures prolabantur. *Idem.*

XVII. Quo caſu ex uſu erit *Cucurbitulas* ſummitati capitis affigere, eamque partem calorificis præſidijs perfricare, Quod ſi in tumorem & ruborem elevata pars videatur, tunc quidem cucurbitam ſcarificabis, & iterum eandem partem vel fricabis, vel ablues calorificis lavacris: quod facito ſi affectio ex febre maligna non prodierit, aut jam ſufficienter corpore evacuato, adeo ut conſtet ſolum caput vitium ſuſcepiſſe, nihilque in corpore manere, aut in partibus capiti vicinis, quod ul cucurbitarum in caput deferatur: quippe ſi ea prudentia hoc præſidio uſus fueris, non parum beneficij afferes. *Idem.*

LIENIS AFFECTUS.

SYLLOGE.

Quando è ſuperioribus aut inferioribus vena ſecanda. 13.

An ſiniſtra venæ ſectio magis quam dextra conducit. 2. 23.

Hæmorrhoidum *apertio an utilis.* 12.

Venarum in regione Lienis apertio. 10.

Fonticuli, Setacea, Veſicantia *an ibidem admovenda.* 14.

Vomi-

Vomitus *vtilitas.* 2.
Cauſa ſanguis mittendus. 4. a
Purgatio *tutiſſa.* 3.
Melanagoga non ſemper ex vſu. 10.
Clyſteres *admodum juvant.* 4.
Fortibus egos remediis. 30. 22. a
Diureticorum *vtilitas.* 29.
Hidrotica *conducunt.* 28.
Adſtrictoriis *egos* & roborantibus. 27.
Lac ejuſque ſerum *an conducat.* 19.
Exercitium vtile. 31.
Quale vinum convenit. 8.
Topicaqua forma efficaciora. 15.
Eo Inflammato *cauto reprimendum.* 21.
Quando juvat Purgatio. 22.
Curatio inflammati lienis qui diſcrepet a curat. hepatis infl. ex Circulationis legibus. 22. b
Vnde ſanguis mittendus. 23.
Etiam inflammatione *ſedata pergendum in remediorum vſu.* 24.
An ſanguis mittendus ex ſalvatella *quouſque ſponte ceſſet.* 24.
Crocus martis aperitivus noceo ventriculo. 27. b
Eo Obſtructo *varia ſint* apertientia *pro natura humoris.* 6.
Aperientibus *adſtringentia miſcenda.* 5.
Aceti *vſus an conveniat.* 9.
Efficaces crurum Fonticuli. 37.
Non deobſtruendus ni vacuatio aliqua praceſſerit. 7. a
Savus Dolor *copioſa ſ. m. curatus.* 25.
Lien magnus *non morboſus.* 26.
Non Tumet *ob melancholiam ſed ob flatus circumfiſos.* 36.
Cucurbitulæ *ſiccain* Indurato *vtiles.* 32.
An in Scirrho *vena ſecanda.* 10. a
In ſcirrhoſis *tumoribus lus galls inefficax.* 33.
Scirrhus *cauterio ejus regioni admoto curatus.* 34.
Tumor *ſiniſtri hypochondrii, Lieni adſcriptus, à colo vitio ortus.* 35.
Non omnis Tumor *extenuantibus curandus.* 7.
Lienis exſectio an poſſibilis. 12.
Scirrhoſi *percuſſio an licita.* 16.
E ſede dimotus *varia ſpecie illudit.* 17.
Vngnenta ad Induratum *qualia eſſe debent.* 18.
Cauto vlcuſcula ferro candenti excitanda. 7. c
Doloris à Flatu *curatio.* 27. a

I. ETſi in aliis revulſionum generibus illam rectitudinem partium, quà dextra dextris & ſiniſtra ſiniſtris opponuntur, minimè negligendam putamus, in *vena ſectione* tamen magis ad rectitudinem ductuum vaſorumque continuationem eſſe reſpiciendam dicimus: Quam ob cauſam, poſthabita veterum authoritate, cum quibuſdam recentioribus, *Thaddao Duno* l. de v.ſ.c. 3. *Reuſnero* lib. de Scorbuto Exerc. 7. *Sennerto* in qu. med. diſp. 6. qu. 5. ſtatuimus in Lienis affectibus venas brachii ſiniſtri nullam habere prærogativam, propterea quod artificioſa corporum diſſectione manifeſtum ſit nullum eſſe ramum venarum ſiniſtri brachii qui magis cum liene convenientiam habeat quàm venæ dextri brachii; vt pote cum omnes venæ ſuperiores cum liene beneficiu jecoris jungantur, quatenus eædem a vena cava aſcendente oriuntur; quæ tamen vena portæ mediante tantum lienem attingit, ita vt ſanguis circa lienem abundans per ſectam venam in brachio revellatur vel evacuetur, non immediate, ſed mediante jecore propter anaſtomoſin qua rami venæ cavæ & portæ in jecore coeunt & vniuntur. *Greg. Horſtius l. 7. Tr. de Scorbuto, & Tom 2. diſp. 18. quæ 21.*

II. *Hippocr.* lib. de affect. n. 21. in Lienis affectibus *Vomitum* probat; ibi ſcilicet antecedentis cauſæ rationem habet in ventriculo contentæ; lienoſi quippe cruditatibus multis ſcatent quas lien allicit, vnde turgeſcit: Exinanito ergo per vomitum ventriculo materia lieni ſubtrahitur, obſtructionum occaſio futura: Ipſe lien vomitu ſublevabitur, quia arteriæ gaſtricæ ſordes ſuas in cœliacam deponunt: Licet quoque ater humor ob gravitatem ſequax non ſit, à meſaraicis tamen viſceribuſque, quibus altè defixus pertinaciter hæret, vomitionis agitatione impetuque evellatur, poſtea per inferna rejiciendus.

III. *Hippocr.* l. 4. acutor. v. 396. *Lienoſos* à *Purgatione* excludit: per Lienoſos eo loco intelligi: qui lienem diu induratum habent, atque eo ſenſu vſurparunt veteres, & *Galenus* ipſe 6. aphor. 43. His purgationem prohibet Hippocr. quia materia in viſcere jam diu conculcata purganti non cedit, quæ vero in reliquo corpore continetur à medicamento agitata ad partem affectam irruit, & tenſio augetur: Et certè, vt verum fatear, cum ſæpius purgationibus, etiam validioribus, in inveteratis tumoribus lienis, à communi conſuetudine impulſus fuerim vſus, neminem inde adjutum eſſe cognovi; vt mirum non ſit, ſi Medici illi antiqui, quorum curationes celebrarunt Galenus, Aëtius, *Celſus* & alii, in hoc caſu ſolis diureticis, iiſque quæ lienem extenuant & molliunt vſi fuerint, nulla purgationis facta mentione, vt videre eſt apud Galenum 9. de comp. med. *Aëtium*, *Celſum* & alios *P. Martianus comm. in dictum locum Hippocr.* Si à flatibus diſtenſio eſt, à purgantibus abſtinendum: ſufficit infuſum *rad. filicula cum tantillo Sennæ*, adjectis ſemin. carminantibus. *Hartmannus pr. Chym. c. 178.*

IV. Quod *Enema* Lienem potius quàm Hepar purget, cauſa hæc videtur, quod vltra inteſtinum colon non tranſcendit, ſed in illo tantum & in ejus vaſis vim ſuam peragit, vti eſt meſentetium & ramus hæmorrhoidalis qui tendit ad lienem, & per quem humores evacuantur ex liene: *Walens meth. med p. 39. & 52.*

IV. a In Lienis affectibus *ſanguinis miſſione* abſtinendum, non urgente neceſſitate: Eſt enim pars frigida, quæ inde magis refrigeratur, *Scholtzius ſect. 7. aph.* 1154. Sanguinis miſſionem inſtitues vt revellas ab obſtructione ſanguinem pravum, nempe melancholicum. Quod ſi non fuerit melancholicus, à ſanguinis miſſione abſtinebis. *Pereda in Paſch. cap. 45. lib. 1.* Si præceſſerit ſcirrhus eadem periculoſa, quia hydrops ſequitur, *Capivaccius lib. 3. c. 26.* Imo quæcunque ſ. m. ſi adſit cachexiæ initium: *H. Saxonia in Præl. Pract.* c. 28. Si ſcirrhus à cauſa frigida, raro vel nunquam, potiſſimum vbi mali occaſio potus intempeſtivus. *Mercatus.*

V. Qui in ſpleneticis incipiunt ab *aperientibus*, & non adſtringentibus, aberrant, quia pluris faciunt indicationem præſervatoriam quam vitalem; quod nullomodo in partibus flaccidis, vt eſt lien, faciendum. vtimur in his chalybeatis, tamariſco, ſcolopendrio &c. quibus omnibus vis roborans: roboratus lien redditur valentior in expellendis

excrementis: deinde eadem virtus adſtrictoria defendit ne fluentes humores à liene recipiantur; Ideo *Galen.* 2. method. 16. ait in Lienis affectibus eſſe medicamentis miſcenda adſtringentia: ratio eſt, quia omnia aperientia deſtituta virtute adſtrictoria inflant lienem; teſtantur dulcia & ſaccharata, quæ aperientia ſunt, à quibus turget. *Sanctorius meth. Vit. Err. l.* 15. *c.* 8.

VI. Interdum in venis Lienis continetur humor attabilarius, qui nullum manifeſtum tumorem exhibet, quod non tantam illius copiam, quæ tumorem accerſat, natura ferre poſſit: Ille enim humor exigua ſui portione, perinde ac ſçintilla ignis vires habet maximas & ſæviſſima producit ſymptomata: Longè enim diverſa eſt curatio obſtructionis à tali humore, ab ea quæ fit ab humore melancholico, craſſo, terreno, fæculento; aut ab humore crudo, flatulento & pituitoſo: neque enim ſiccare, calefacere, incidere & aperire convenit, ſed humectare, concoquere & malignitatem humoris domare: *Enchirid. Medic. Prattic.*

VII. Qui omnes Lienis tumores *extenuantibus* perpetuò curant *Hippocrat.* damnant, qui lib. de locis in Homine ſect. 2. verſ. 6a. Edulia offert pituitoſiſſima: non conſiderantes Lienis tumorem generari ſæpiſſimè quia corpus liquatur à febre, ejuſque colliquatio in aquam converſa à liene attrahitur, vnde in tumorem aſſurgit, pro cujus curatione, vt ejus cauſa removeatur, ea ſunt exhibenda quæ extenuationi reſiſtunt, talia autem ſunt quæ hic pituitoſiſſima vocat. *Martianus comm. in illum locum.*

VII. *a.* Hujus viſceris *Obſtructionibus* opitulaberis his quæ incidendi & attenuandi vires valenter obtinent, ac poſtmodum his quę vehementius abſtergant & repurgent: Quapropter ſi conſtiterit obſtructionis occaſionem eſſe improſperam menſium purgationem, aut ſuppreſſionem alicujus ſanguinolentæ vacuationis; aut vltimo ſi conſtiterit corpus & ętatem, atq; e humorum abundantiam non plurimum diſ[illegible]e à ſanguinis natura, *ſanguis mittendus* eſt quantum ſat eſt, vt vitioſus imminuatur, ac turſus vt ſubſit purgationi & reliquis auxiliis locus: Quippe ſuſpectum eſt inſcindentibus & aperientibus vti pharmacis, ni prius aliqua vſus fueris vacuatione. *Mercatus.*

VII. *b.* Lieni *Indurato* proſunt & cucurbitulæ cum ſcarificatione, ſed id caute agendum, & dum ad extimam partem vergit etiam tumor. *Idem.*

VII. *c.* Item ferro candenti vlcuſcula efficere ſuper partem oportebit; verum cavendum eſt ne ſcirrhoſus tumor in cancrum degeneret: Nam hæc ſolum ex vſu exiſtunt, vbi in tumore & partibus circumſtantibus copioſa pituita abundat: quippe alitet tutiora ſemper mihi viſa fuere alia auxilia, ſicut ſetonem eidem parti aſſigere. *Idem.* vide §. 34.

VIII. *Hippocrates* in omnibus Lienis affectibus pro potu *Vinum* nigrum albo præponit, vt obſervavi: An quia vinum nigrum magis exſiccat quàm album, vnde eo ſemper in diæta exſiccante vtitur Hippocr. Lienoſique maximis ſcatent humiditatibus, quarum gratia exſiccantia ſunt præferenda? An potius quia tale vinum facit ad robur, vt lib. de affect. ſect. 2. v. 115. teſtatur, quo lienoſi egent, cum ſint imbecilles & carnes admodum laxas habeant. Quomodocunque ſit, certum eſt tale ab Hippocr. probari, & ideo temere ſeſe gerere poſteriores, qui contra Hipp. doctrinam in omnibus Lienis affectibus album nigro præferunt. *Martianus* 7. *Epid. ſect.* 2. *v.* 496.

IX. Vſui *Aceti* obſtat *Hipp.* authoritas *l.* 3. *de vict. acut.* & ſimilitudo aceti & melancholiæ, cujus reſpectu intempeſtivus acidorum vſus melancholiam generat: Contra convenire diſerte aſſerit *Galen.* l. 11. meth. vbi ſpleneticis medicamentis aliquid aceti commiſceri vult. Quæſtionem ſoluit *Mercurial.* l. 3. de morb. c. 22. Quod melancholicus humor poſſit augeri à medicamentis vel alimentis, dupliciter; vel ſecundum qualitatem ſolam, vel ſecundum ſubſtantiam: primo modo acetum auget melancholiam, eò quod faciat aciditatem, quæ eſt propria melancholiæ, *ſed non ſecundo*, quia hac ratione potius diminuit eandem, quatenus aciditate ſua penetrat obſtructionesque diſſolvit: Hoc vt magis intelligatur diſtinguendum inter melancholicum ſanguinem, qui ſecundum naturam generatur, & inter impuritates varias ex quibus obſtructiones & ſcirrhi lienis generantur: Illum, quoad qualitatem, auget acetum: has verò dirimit & reſolvit. *Herſtius Probl.* 10. *Dec.* 7.

X. Non à ſcopo aberraveris qui *venas* quæ ad Lienem nigricant interdum *aperueris*, eò quod experimentis cognitum diuturnum & contumax exinde ſæpius fuiſſe curatum malum: Sin ex prædictis venis ſanguinem minuere quid diſſuaſerit; iiſdem & hirudines vel cucurbitulas cum ſcarificatione tutò admovere poteris. *Hollerius l. de morb. int.* 1. *Exerc. in cap.* 40.

X. *a.* An in *Scirrho Lienis Sanguis mittendus?* Galenus lib. de cur. per l. m. c. 16. laudat venæ ſect. miraturque antiquos qui in hoc affectu eam omitterent: Ego vtrumque fieri poſſe credo: Quum enim ſcirrhus jam totum corpus vitiaverit, adſitque principium cachexiæ & hydropis, prætermittenda v. ſ. imo vero quæcunque Sanguinis miſſio; Vbi reliquæ corporis partes integrum ſervent robur, ſecanda vena eſt in cubito ſiniſtro ſi vires conſtent, in manu ſiniſtra ſi minus firmæ fuerint. *Saxonia Prælect. Pract. P.* 2. *cap.* 28.

XI. Vetus eſt traditio *Lienem eximi poſſe* curſoribus: At nobiles ejus vſus diſſuadent, qui in ſanguine acido depurando verſantur, & motus hæmorrhagiæ, abundat quippe venis & arteriis: Ad hæc tam arctè per peritonæi membranas & vaſorum commercium partibus vicinis nectitur, vt ſine metu inflammationis & vicinorum damno eximi non poſſe videatur. Optandum tamen vt tot malorum fomes extirpari poſſet: Sed meo judicio parum proficeremus, ſi quidem humorum pravorum eſt vitium, qui illo ablato aliam partem eodem damno inficerent. In ſcirrho tamen proficua foret illius exſectio, vbi pondere nimis eſt moleſtus & ſæpe hydropem advocat: Id tentavit Fioravanti, qui lienoſæ mulieris ventrem diſſecuit, atque lienem extraxit pendentem libras xxxij. ſicque à maximo & interficiente ſcirrho mulierem liberavit: Poſt Fioravantum operationem aggredi in homine auſus eſt nemo, quanquam in animalibus, quorum lien minor & liberior, feliciter ſucceſſerit &c. *Th. Bartholinus cent.* 4. *hiſtor.* 51.

XII. *Hi-*

XII. *Hirudines* recti inteſtini termino admote cenſentur magno fructu fæculentam lienis ſaturam, ſomitem obſtructionum, deplere, nec alia commodiori ratione expurgari : Sed ad credulam perplexæ hujus ſpei auram non eſt quod anchoram levent Splenitici : Nihil per venas ex Liene communicari poteſt ſedi, Refragatur experientia. *Rolfinccius lib. de Febr. cap.* 82. Vide *Tr. de Melancholia*, §. 4 *lib.* 11.

XIII. Differentiæ Lienoſorum ſumuntur ex parte Lienis , in, quam præcipuè inclinat tumor & ex tumoris figurâ : Quibuſdam enim tumet magis ſuperna pars , quâ ſeptum eſt, aliis inferior quæ ſpectat ad umbilicum : quibuſdam eſt tumor rotundus , aliis in longum productus : Cùm ergo tumor ſupernam obſidet partem, ſupernas hypochondriorum partes, attollet, & reſpirandi difficultatem faciet, & fluxum ſanguinis craſſioris è naribus , & cujus curatio *miſſo ex ſiniſtra manu ſanguine* melius ſuccedet : Cùm verò obſidet internam , ea porius afficietur, vt ren ſiniſter , & ad hæmorrhoidas aut varices inclinabit potius ſanguis craſſus; cujus curatio procedet potiùs ex ſiniſtro crure miſſo . ſanguine. *Valleſius libro ſexto Epidem. ſect.* 2.

XIV. *Fonticulum*, ſeu *Setaceum* , *regioni ...ienis* inuri volunt doctiſſimorum Medicorum ...iqui in ejus affectibus, vt & *veſicantia* , im...imis verò *Aëtius* & *Aretæus* , non tamen a...eo facilè eorum vſum ſuaſerim metu inflamma...onis illius partis, quæ non rarò dolore afficitur , ...n ſine ægri diſcrimine : præter propriæ experientiæ fidem quâ nulli vſui eam comperi in his affectibus. *Silvaticus Centur.* 4. *Conſult.* 77. ...oquitur verò eo loco de Lienis obſtructione , At ...i ſcirrho obſidetur , eoque contumaci, efficaciſ...ſimum remedium ait eſſe *Capivaccius* l. 3. c. 16. *Sa...onia* in Pract. prælect. l. 2. c. 28. propriâ experientia fretus *Inuſtiones* in 4. aut 5. locis ſuper ipſo lie... vtiliſſimas aſſerit : Neque ab eo præſidio *Hipp.* ...orret *l. de int. aff.* c. 35. qui decem cruſtis, iiſque ...ignis , ſplenem elevatum per fungos oleo fer...ti intinctos inurit. *Foreſt* conſu . 43. cent. 3. ... *Aetio* & *Paulo ſinapiſmos* commendat, vt po...partis calorem vivificantes : Neſcio tamen, ...ie, qua ratione *Aretæus* igne duritiem emollire ſi...erſuadeat : Cruſtas potius Inuſtionibus excita...dmitterem cum *Hippocr.* & *Aëtio*, verum , cæ... omnibus incaſſum adminiſtratis, niſi adſit ca...ia , nec multum redundaverit atra bilis ; in his ... vlcera cancroſa facile , excitarentur ita. *Quos ...os medicamentum non ſanat , quæ ferrum non ...t. ignis ſanat. &c.*

...V. *Locus applicationis externorum* eſt ſini...n hypochondrium : qui inferius , ita vt digitis ...otis in inanibus ſpatiis ſub coſtis nothis , vel ...ius ad medium abdominis , protendi, & an...s an durus tangi poſſe exiſtimant , hæc loca ...vant : Sed in naturali ſitu, quantumvis parum ...ceſcat , tangi nequit nec inferius nec anterius, ...rem enim habet ſitum : Applicatio circa ea ...t inanis : At in ſtatu p. n. cum elevatur & in...cit , & ὑπέρογκος inferiùs protuberat , ...erius ad medium abdominis loco motus ...pica eò loci conveniunt : In loco autem ...tionis nihil delinquendum . Stillicidium, ...hc , ſeu fomentum cum ſpongia , cum...iunt : Minoris penetrationis eſt ſacculus ſpeciebus refertus , in vino vel aqua coctus : In veſica detenti liquores minori ſulmine operationem exſerunt : Intercipitur virtus a membraneo ſepimento : Ipſæ herbæ decoctæ , licet moleſtæ, efficaciùs agunt : Emplaſtra, licet poros videantur obſtruere , perenni tamen incubatu reſarciunt incommoda inde enata. *Rolfinccius Method. lib.* 9. *pag.* 798.

XVI. Notavit *Petrus Aſſelineus* , cum Caſtrofranci Medicinam faceret , ibidem ſcirrho lienis cohibendo , à ruſticis quibuſdam miram & planè ἄλογον operationem celebrari ſolitam , quâ tamen ægrotantes ſe ſublevatos faſſi ſunt, interque illos Eques quidam Melitenſis, qui eam, ſpectante ſe, paſſus fuerit hoc modo inſtitutam , Extenſo ægroto in menſa, chartâque munda lieni ſppoſita , ſecurim adaptabant ſubtiliſſima acie præditam , quàm totis viribus bis terve percutiebant : Ab ictu dolor maximus percipiebatur, & charta illæſa permanente ſcirrhus in duas partes diffiſſus tactu ſentiebatur ; cujus hoc pacto incrementum putabant impedlri qui in ſe ipſis experti fuerant : Ejus diverberationis meminit Aquapendens, Cui abſurda, ut & Cardano , Maſſariæ , Riolano &c. *Velſchius Obſervat.* 57.

XVII. Situs Lienis interdum mutatur; dum laxatis ſuis ligamentis pondere deorſum propendet , vel ruptis propendet in hypogaſtrium; quod mihi quater viſum : Tunc fallit incautos Medicos ſpecie molæ , vel ſcirrhoſi uteri in mulieribus : in viris ſpecie tumoris glanduloſi, inſtar ſteatomatis in meſenterio latitantis : Nonnunquam viſus alteruter ren eo prolapſus : Utriuſque facile diſcrimen : Renis prolapſi index eſt tumor rotundus ; procidui lienis index eſt tumor oblongus & vacuitas hypochondrij ſiniſtri : quod ſi mobilis fuerit tumor , ut eſt in ſuo principio , & facile lien vel ren reducitur ad ſuum locum naturalem : alioqui ultra ſemeſtre ſpatium ita firmiter adhæreſcit peritonæo antrorſum, fundo veſicæ , inteſtinis , & in mulieribus utero , ut neceſſum ſit ibi putreſcere : quod fiet ocyus ſi emollientibus remediis utaris : protrahes vitam ſi ſæpiùs detrahas ſanguinem, atque ſubligaculo ſeu faſcia convenienti tumorem ſuſtineas : An ſi Lien è ſede ſua naturali exorbitet , ferro Candente urendus ? An in iſto prolapſu ad hypogaſtrium conſimili remedio tractandus ? Opus periculoſæ plenum aleæ , quamvis veterinarij authores antiqui equis ſic conſumptum lienem ſcripſerint , & ſervis , vilibus animabus , in quibus fas & licitum exiſtimarunt crudeliſſimum iſtud remedium experiri. *Riolanus Enchiridii. libr.* 2. *cap.* 16.

XVIII. ℞. Radic. mandragor. q. j. diviſæ in partes coquantur in oleo ſemin. lini vel ſeſamin. vel amygdal. addito pauco aceto, Contundantur & per cribrum paſſentur ; quibus adde opopanac. diſſol. in aceto ſcyllit. ℥ i j. ſtirac. myrrhæ , bdellij , ſemin. alkeking. ana. ℥ ß. ceræ novæ vel propol. & terebint. in. q. ſ. croci ʒ i j. ſpicæ Celticæ & ſchœnant. aſari , vel vincis ana. ʒ j. miſce , inungatur ſplen præmiſſo fotu : Tantam vim habet emolliendi ut e iam ebur emolliat: Nec vituperandum ob mandrag. nam etſi frigida , eſt etiam ſicca : huc accedit quod calefacientia ingrediuntur quæ frigiditat. in obtundunt . Intumeſcit ſplen plerumque ob flatus, quia

membrum laxum eſt, & huic cauſæ optima ſunt exſiccantia & modicè conſtringentia. *Rondeletius l. de med. Ext.*

XIX. *Hipp.* 2. de morbis n. 53. & *Sero & Lacte Lienoſos* interdicit: confirmat 2. de morb. mul. n. 12. & 17. Suadet & ratio, nam nil magis parit & auget lienis obſtructionem quàm lac, caſeoſa præſertim portione: Contra lib. de int. aff. n. 35. de lienis morbis loquens, lac præbet: rurſus 2. de morb. vbi Icteri nigri curationem adducit, aſininum lac aut ſerum exhibet. Neque rationes deſunt, ſi quidem lac hujuſmodi vberrimo poculo propinatum viſcera, lienemque maximeque abluere valet, atros humores non minus temperare quam deturbare, excrementa quoque omnia ſeroſa ducere, atque adeo ſplenem vel abſtergendo vel diluendo imminuere: Conciliabis dicendo in lib. de morb. mulier. *Hippocr.* loqui de iis quæ ſunt à natura lienoſæ: quare ob genuinam lienis imbecillitatem nequeant lactis & ſeri eximiam copiam admittere, quæ purgationis gratia ad multas heminas hauriri ſolet: Libro verò de int. affect. lienoſos intelligit quibus vel ex malo victu, vel alia quapiam extrinſecus occaſione viſcus intumuit, adeo vt primigenium robur ſervet adhuc, ideoque repurgari potius quàm attolli ex lacte poterit. Cæterum lib. de int. affection. lac non in omni Splenico affectu probat (recenſet enim ibi quinque ſplenis morbos) ſed in illo præcipue qui fit à ſanguine ſplenem replente, ac dolorem, caliditatem atque vlcuſcula, necnon dyſenteriam in corpore parit: quare ad hunc debellandum, & ſanguinis miſſionem, & lactis vberem hauſtum commendat: Sed equini, melleque affuſo; quomodo cum longè magis dejectorium reddatur, non tamdiu in ventre morabitur vt queat à liene attrahi unde mox intumeſcat: Ita & alibi vel moria admixtum propinat, quæ ſalis effectus præbet, abſtergitque, vel poſt pharmacum exhibet, quo prævio exit liberius, effluitque, nec moram faciens tumefacto lieni addere poteſt: Adde laudari in Lienoſis lac Equinum, quod tenuiſſimum eſt. *Sinibaldus Antiph.* 17. *l.* 3. Cum Hippocr. 2. de morb. ſect. 3. v. 110. ait Lienoſos non purgandos neque lacte neque ſero, neque ſuccis, ſed iis quæ pauca aſſumpta multum educunt, per Lienoſos intelligit, non eos qui quovis morbo lienis laborant, ſed eos tantum qui diuturno tumore cum viſceris imbecillitate ſunt affecti; nam taliter affecti propriè Lienoſi dicuntur. *Martianus comm. in v. 140. Sect. 2. l. de nat. Mulieb.* Hippocr. lac exhibet in morbo ſplenis, l. de int. aff. Sed animadvertendum id illum facere in morbo à ſanguine, qui eſt lienis inflammatio; illud exhibens non ſimplex, ſed modò cum melle, modo cum mutis, & in magna quantitate ad purgandum, non vt alimentum. *Rubeus in cap. 9. l. 4. Celſi.*

XX. Morbi qui ab *Obſtructione* ejus naſcuntur, in hominibus nullomodo melancholicis, humori melancholico imputari non debent: ideo melanogogis ægri non fatigandi, ſed Lienis debilitati adſcribendi, non attrahentis chyli craſſam & terreſtrem portionem: vel chyloſæ fæcis vbertati, quâ lien obruitur ac velut ſuffocatur. *Riolanus in Anthropogr.*

De Lienis Emphyſemate vide Tit. de Hepatis affectibus §. 37 libro 8.

XXI. In ejus *Inflammatione* poſt venam ſectam ſtatim repellens aliquod admovendum, ſed non valde frigidum & adſtringens, ne humor condenſetur, aut lieni magis impingatur, & is induretur: ſed aliquid ex incidentibus eſt admiſcendum, quale eſt acetum. *Sennertus.* Purgatione facta aliquid reprimentium viſceri apponere oportebit, quo & dolor miteſcat, & minus membrum recipiat, dummodo aliquid ipſis admiſceatur quo impactus humor diſcuſſioni futuræ facilius cedat: Ob idque non licet frigidis & adſtringentibus vti adeo libere ac in reliquis inflammationibus *Mercatus.*

XXII. Curabis inſuper, ſi vitioſior craſſiorque ſanguis appareat, corpus *Purgare*, nulla vel levi expectata coctione, præparatione vero ſufficienti præmiſſa, vt ejus, quod in corpore ſpurcum abundat, evacuetur, quo minus ad inflammatam partem confluat: In his enim non purgamus ut ab inflammata parte quicquam demere poſſimus, aut liceat, ſed minus fluat. *Mercatus.* A purgantibus omnino abſtinendum jubet *Sennertus*, niſi in declinatione: namque licet Lien validiſſima medicamenta ferat; id tamen admitti circa inflammationem, quæ a purgantibus recrudeſcat.

XXII. *a. Splenicum purgabis* modico ingeſto multum eliciente *Hippocrates cap. 2. de morbis s. 68.*

XXII. *b.* Inflammationis Lienis curatio eadem inſtituenda eſt quæ in hepatis inflammatione, ſi ſequentes tantum adhibeantur differentiæ, 1. Quod *vena ſectio Liene inflammato* in brachio ſiniſtro celebranda eſt, ſed non ita frequenter vt in hepatis inflammatione: Quod vero de apertione *Salvatellæ* ab autoribus circumfertur, quam Lienem peculiariter exonerare ajunt, ſuperſtitioſum eſt, & jam fere in vſu practico exolevit: Vtilius vero e vena baſilica, ad omnes implendas indicationes, ſanguis detrahitur: Secundo, quoad *Topica*, quæ in inflammatione hepatis hypochondrio ſiniſtro admovebantur, hoc ſiniſtro applicentur: Tertiò, quod in dictorum *Topicorum* vſu, *adſtringentia* non ſint tanta cura, & tamdiu continuanda: quia cum Lien ſit pars minus princeps, illius robori tantopere non eſt ſtudendum. *Laz. Riverius Pract. l. 12. cap. 1.*

XXIII. In *Lienis Inflammatione*, aliiſque affectibus quos efficit collectio aut motus ſanguinis p. n. ad illam partem, ideo v. ſ. præſcribitur, vt ſanguinis in Liene congeſti copia minuatur, & qui ad eandem partem ulterius confluit, ad partes oppoſitas, & quam fieri poteſt diſtantiſſimas retrahatur: Sic enim memoratis affectibus medela adhibetur ex lege Hippocr. Per contraria: Verum illa contrarietas, ſeu vacues, ſeu præcipue revellas, qui ad partem aliquam copioſius fertur ſanguis, non debet æſtimari per rectitudinem lineæ ductæ à parte, à qua fit revulſio, ad partem per quam fit vacuatio, ſed per rectitudinem, ut ajunt, aut potius, ut clarius & verius loquamur, per continuitatem fibrarum vaſorum communium illis partibus: Illud eſt κατ' ἴξιν *Hippocratis*; via enim fieri poteſt revulſio per viam abſolute rectam, cum neceſſariò ſanguis deferatur per vaſa multis anfractibus flexuoſa. Spectanda itaq; eſt rectitudo, aut continuitas fibrarum, & vaſorum communitas: nec enim ſine vaſorū communitate fibrarū rectitudo aut continuitas dici poteſt: Subit tamen mirari quod tot præſtantiſſimi Medici ab Hippocr. ad hoc vſq; ſeculum putarint ſe intelligere qua ratione fieri poteſt revulſio à Liene per v. ſ. in brachio ſiniſtro celebratam, cum quæ deſideratur rectitudo hic minime reperiatur,

impe-

impediente illam hepate, in quo venæ cavæ, & venæ portæ rami capillares mire impliciti, per capillamentorum extrema connectuntur, aut mediate communicant: Hæc quiſquis accurate perpendet, facile perſpiciet, in *Galeni* hypotheſi, qui volebat ſanguinem deferri ab Hepate per venas, in omnes corporis partes, à Liene revulſionem per venę ſectionem in brachio ſiniſtro celebratam, non melius perfici quam per venæ ſectionem in brachio dextro factam: Nec enim in iſta hypotheſi poteſt ſanguis revelli à Liene niſi quatenus extrahitur ab Hepate: Verum ſanguis facilius extrahitur ab Hepate per venæ ſectionem in brachio dextro factam, quam in ſiniſtro; ſtatim enim præſcribit *Galenus* & ejus ſequaces, [illegible] manifeſto ſequitur, aut tantos viros inepte ſanguinis circulationem rejeciſſe, aut inepte præſcripſiſſe venæ ſectionem in brachio ſiniſtro, ad revulſionem à Liene inſtituendam: Si ſanguinis circulatio admittatur, facile eſt demonſtrare venę ſectionem in brachio ſiniſtro eſſe omnium maxime commodam ad vacuandum Lienem, cum nimia ſanguinis copia diſtenditur, aut ad revellendum, cum uberius fluit ad Lienem, Etenim, cum ſecatur, perinde eſt ac ſi ſecaretur arteria, à qua vena ſecta ſanguinem accipit; Idem enim ſanguis, & ex iiſdem fontibus hauritur (Vide *lib.14. titul. de Pleuritide* §. 4.). Quis autem neſcit fibras arteriarum arteria ſpleoica, per aortam ad arteriam brachii ſiniſtri continuari: Servatur itaque fibrarum rectitudo, aut continuitas, in memorata venæ ſectione, ex hypotheſi quod ſanguis diſtribuatur per arterias in omnes corporis partes: Vtilis itaque eſt venæ ſectio in brachio ſiniſtro celebrata ad Lienem evacuandum, aut ad revellendum ſanguinem qui copioſius fertur ad Lienem. *Fr. Bayle Probl. Medic.* 8.

XXIV. Licet *Avicenna* videatur præcipere ſalvatellam apertam ſinendam quo vſque ſanguis ſponte ſiſtatur, id tamen intelligendum cum *Galeno* in graviſſima *inflammatione*, & *vehementiſſimis doloribus*, quanquam & tunc quoque cavendum. *Ioh. R. Fortis Conſultat.* 39. *lib.*4.

XXIV. *a.* Tandem ſebre, ſiti & doloribus ſublatis, ſi tumor aliquis ac tenſio in liene ſuperſtites ſint, nunquam deſerenda curatio, licet patiens imaginatus fuerit ſe ſanitati omnino reſtitutum, cum in ſcirrhum facile degeneraſcere poſſet: *Idem ibidem.*

XXV. Monialis gracilis à xx. anno ad xl. omnis menſibus in *lienis dolorem* adeo ſævum incidebat ut præ doloris ſævitie è vita diſcedere videretur: Imminuto dolore circa Lienis regionem tumores repullulabat rotundo ſchemate ſicca; menſtrua ſtato tempore recurrebant, Pulſus debilis, cui animum adhibentes Medici, neglexerant phlebotomia ob vires valde dejectas, Vocatus ego, illam extenuatiſſimam cum parviſſimo pulſu contemplor, ſed præditam rubicunda facie, venis ſanguine plenis, vividis oculis: hanc pulſus parvitatem non ex defectu ſed ab exuberante humoris melancholici copia, ac plenitudine nimia in liene coorculcari ortam exiſtimans, Medicis reluctantibus, auſero è baſilica ſiniſtra tanta de induſtria ſanguinem, vt animi deliquium incurreret: hoc detracto, fœculento illo quidem limoſo & craſſo, reſocillatis viribus ad ſe rediit. Hæc ſanius deinceps degens, dolore tenuis, ſpretis cæteris auxiliis, nullo alio quam phlebotomiæ antidoto levabatur. *Zacutus Prax. Adm. lib.* 2. *Obſervat.* 49.

XXVI. *Magno Lieni* os graveolens, putridas gingivas, ſanguinis eruptionem, ac cruris ulcera attribuit paſſim prior ætas: ſed diſtinguunt perperam inter morbum auctæ magnitudinis & vlcus, ſeu partem à putredine vitiatam: Vtroque enim vitio laborat Lien, ſed ſigna à veteribus commemorata indicant magis putredinem quam magnitudinem auctam: atra quippe bile circa lienem putreſcente, vitiatur non tantum os, ſed erumpunt utique varices, & læduntur crura exortis in iis ulceribus: Infans male habitus à nutrice, & loco lactis altus graviore cibo, collegit inde plurimum lenti ac viſcidi ſucci, infarciens uſque eo anguſtas meſenterij, pancreatis ac lienis venas, ut inde viſcus illud ſumme tumens diſtenderit abdomen ac lumbos, ac emaciarit corpus totum: Verum ſublata obſtructione, & imminuta uberioris ſucci copia, decrevit tam manifeſto diſtentum hoc viſcus vt clare apparuerit. Tumorem hunc non tam fuiſſe à mala conformatione quam à redundante alimento, quo ſubducto renaſcebatur iterum infans, nec apparuere unquam illa ſigna quæ magno Lieni tribuit *Hippocrates* 2.Pronh. *N. Tulpius Obſervat. lib.* 2.*c.*30.

XXVII. *Lingua Cervina*, ſeu *Phyllitis Dioſcoridis*, adſtrictoriæ, & ut *Galenus* 8. ſimplic. loquitur, acerbæ eſt qualitatis, ob quam *Galenus*, æque ac *Dioſcorides*, ad Dyſenterias commendat: Aſplenium contra, teſte *Galen.* 6. ſimplic. 61. tenuium eſt partium: Quis ergo, aliquis inquiet, Phyllitidem ad Lienis vitia commodaret, ad quæ tollenda toto anno & omni die cereviſiam Phyllitide conditam à Medicis & vulgo uſurpari cernimus, imò quibus nulla hac ipſa majori in pretio ſit? Reſpondeo, Lien viſcus eſt imbibendis humoribus inſtar ſpongiæ aptiſſimum, uſque adeo ut nimia repletione ſæpicule indureſcat, quod roborari diſcupit: Si itaque univerſalia præmiſſa ſint, ſi aperientia adhibita, ſi tamariſcus, ſi cappares, ſi gentiana, ſi ariſtolochia &c. uſurpata ſint, nihil certe tempeſtivius lienoſo quam cereviſia lingua cervina, ſeu phyllitide, condita propinari poteſt: Non ut reſeret porro Lienis obſtructiones, ſed ut iis reſeratis eundem corroboret, ac novis incommodis injuriiſque vindicet. *S. Pauli Quadrip. Botan. Claſſ.* 2.*pag.* 77.

XXVII. Si *Lien doleat aut flatu* à craſſis ſuccis ibidem impactis elevato, aut aliunde tranſmiſſo, Fomentis ſine Aceto uteris, Oleis & Inunctionibus: Quem quoque vſum præſtat *Cucurbitula* ſupra partem dolentem, aut parum infra apposita; maxime corpore ab excrementis & copioſo ſanguine immuni: Quod ſi ipſam aliquando ſcarificaveris, non parvum beneficium præſtabis. *Mercatus.* Vide §. 32.

XXVII. *b.* Lienis *Obſtructionibus* reſerandis conducit *Crocus martis aperitivus*, cum acido ſulphuris paratus, qui efficaciſſimus eſſe ſolet, ad duo vel tria grana cum vehiculo purgante, Pilula nimirum de tribus aut Sennæ extracto; decoctionem deobſtruentem ſuperbibendo. Verum quia non parum ventriculum labefactare longa praxi obſervavi, libentius eligere ſoleo *Circulatum aperiens*, quod medicamentum in ſe continet *Sal martis*, *Sal urinæ pueri* & Sal *tartari*, quibus ad-

Oo 3

dient ſpiritus Tartari rectificatus, & omnia quadraginta continuis diebus in pelicano circulantur; ſicque evadit efficaciſſimum Aperiens; cujus dozis ad ℥ß. in aqua ſtillat. fumariæ & agrimoniæ per 15. vel 20. dies. *Fortis Tomo* 2. *Conſ.* 35. *Cent.* 3.

XXVIII. *Diaphoreticorum* uſu in Lienis affectibus nihil magis proficuum eſſe ſcribit *Gaſparus Hofmannus* de uſu Lienis cap. 16. ex *Hippocrat.* & *Valleſio*, *Mulier quam Cranone primum curavit Hippocrat.* (6. *Epidem. ſect.* 3. *v.* 5. *Fæſ.*) *febre Cauſo deprehenſa, cui Lien magnus erat, critice per ſudorem fuit liberata: decimo die, ex ſuperioribus partibus preſluxit, ex inferioribus decimo quarto. Valleſius* 3. in 2. Epidem. 20. iij. in 3. Epidem. ægr. 3. ij. in 6. Epidem. 32. ab experientia deſumpto argumento, in melancholicis ſpleneticis crebros eſſe ſudores docet, In hiſce enim Lien ſeſe exonerat & liberat à lixivioſis, ſalinis ſcorijs, & tartareis cruditatibus, quarum proventus ſæpe eſt maximus. *Fridericus Hofmannus Method. Medic. lib.* 1. *cap.* 11.

XXIX. An in Lienis affectibus per *Vrinas evacuandum?* multi dubitant authoritate *Galeni* 13. m. m. cap. 17. adducti, ubi dicit Lienem eſſe purgandum per alvum & non per urinas: patet ratione Anatomic. nam ad lienem ramus inſignis venæ portæ pervenit, per quem materia debet tranſmitti ad jecur & inde ad cavam, ex qua ad emulgentes: Si vero quidam per lotium copioſum curati ſunt, ut *Bion* 2. Epidem. 2. id vel tanquam rarum, & per vias occultas factum recenſet *Hippocrat.* Vel ſane alijs adhibitis remediis emollientibus & diſſipantibus & alvum moventibus, cum multa fæculenta per venas ſupereſſet materia, qua foveri & renovari humor ille poterat, per urinas ea ſubducta præſervatio potius quam curatio facta eſt: Quod imitari Medicus poterit ubi nigras, craſſas, fæculentas urinas adeſſe cognoverit: diureticis enim tunc tuto uti poterit, ad antecedentem materiam per eam partem evacuandam: Verum Lienem ſæpe ſeſe exonerare & liberare à lixivioſis ſalinis ſcorijs, & tartareis arenoſis cruditatibus, dum attenuantur & per urinam excernuntur, clarum eſt; Inde Medicus Liene laborantibus diuretica dandi occaſionem nanciſcitur, & *Hippocrat.* cum curato affert Lienoſorum lib. de affect. dicit eſſe purgandos per urinam: Falſum etiam eſt nullam a liene ad renes & veſicam viam manifeſtam eſſe: Lieni enim inſunt plurimæ arteriæ, imo quintuplo plures quam venæ, ortæ à cœliaca, à qua facilis tranſitus ad emulgentes; ſed præterea vaſa lymphatica per illum diſperguntur tendentia ad renes; hinc *Galenus* 2. ad Glaucon. cap. 2. renes & lienem per urinam vacuari ait: Falſum quoque eſt præſervationis ſaltem gratia, & materiæ antecedentis, diuretica eſſe exhibenda, ſæpe enim obſervatum ab hypochondriacis & lienoſis nigerrimas urinas ex ipſo liene, & locis circa lienem, per arterias emulgentes redditas fuiſſe cum ὠφελείᾳ. *Valeſius* Exercit. 10 cap. 40. *Hollerii*, refert ſe noviſſe Religioſum, cui ter aut quater in anno, maxime vere & autumno, lien intumeſcebat, dolore hypochondrii tum manifeſtus, qui ſublividus fiebat toto corpore, tandem profuſis urinis atramento ſimillimis, per v. aut vj. dies, ſanus evadebat: *Fridericus Hofmannus m. m. lib.* 1. *cap.* 12. Id à nobis quoque annotatum in Juris Conſulto quodam, Dom. de *Harſy*, eximie Lienoſo, cui per intervalla excretio urinarum, atramento colore & conſiſtentia ſimillimarum, accidebat, quam juvabamus emulſionibus diureticis. Probantur eadem à *Forti Cent.* 3. *Conſult.* 38.

XXX. Sciendum Lienem fortiora perferre medicamenta, ut *Hippocrat. lib.* 2. *de morbis* omnium primus obſervavit: *Fortis Conſultat.* 38. *Centur.* 3. Lien eo fortioribus eget auxiliis, ex *Aëtio Tetr.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 11. quo craſſiorem continet ſanguinem: Ideo docuit *Galenus* 2. ad Glaucon. 5. quod tum foris, tum intus fortiſſima tolerat medicamenta. *Idem Conſult.* 40. Lien exiguum ſenſum habet, ejuſque ſubſtantia eſt durior, & humor qui in eo generatur craſſior, ideo acria fatis, & fortiora fert quam Hepat. *Sennertus.*

XXXI. *Quies* hoc malum auget, ex *Celſo*, Vnde *Aëtius* vidit aliquos ſolis deambulationibus & curſibus ſanatos. *Fortis Conſult.* 45. *Centur.* 3.

XXXII. *Cucurbitula* Lieni frequenter applicari poterunt, ſtatim poſt fotus emollientes, quas ſicuti ſemper contuliſſe obſervavimus ſiccas, ad materiæ motum, & calefactionem partis, ita ſcarificatas a *Galeno* 2. *ad Glaucon.* 2. præſcriptas, nunquam admittere potuimus, ne humor humiditate exhauſtus facilius in ſcirrhi naturam faceſſat; pace *Aëtij*, qui plurimum ſanguinem per eaſdem extraxit, quarum tamen uſum moderatur *Paulus*, *Fortis Conſultat.* 43. *Centurat.* 3.

XXXIII. Peracta accurata expurgatione, ad validiora *attenuantia* & *aperientia* deveniendum, in quibus Ius galli antiqui aliqui præbent, cum chalybe: Nos autem qui hunc parum aut nihil profuiſſe in ſcirrhoſis tumoribus obſervavimus, potius utimur decocto ex ſalſa parilla, quæ mirabilis habetur ad duros tumores diſſolvendos: ℞. *Salſa par. optime inciſa* ij. *cortic. medij ſalicis* ℥ j. *cort. rad cappar.* ℥ß. *aqu. fabr.* ℔ iij. *miſce f.* infuſio per hor. xxiv. dein bulliant ad conſumptionem dimidij, ſub finem ebullitionis adde aſplenij, urticæ mortuæ ana. pug. j. fiat colatura pro tribus vicibus mane ſumen a, præmiſſo bolo. ℞. *Trochiſc. de cappar.* ℈ j. *croci mart. aper. gran.* iij. *aut* iv. *aceti ſcyll. q. ſ. miſce f. Bolus*: In uſu perſiſtendum xxx. aut xl. dies: quinto quoque die dando, ℞. *Pilul. de tribus, extr. ſenna ana* ʒ ß. *Extr. veratri* ℈ j. *miſce. Ioh. Raim. Fortis Conſult.* 40. *Centur.* 3.

XXXIII. *a.* In *Lienis duritie*, multis fruſtra tentatis remediis, æger tandem hoc *unguento* ſanus factus eſt, ℞. *Olei comm.* ℔ iij. *medullæ cruris bovis* ℔ j. *ſucci bryoniæ, ſucci cyclamin. ana.* ℔ j *bulliant ad lentum ignem uſque fere ad ſucci conſumptionem; Colaturæ adde pulver. ceterach. cortic. cappar. tamariſci. ſem. agni caſti ana.* ℥ iij. *m. f. Vnguentum*: Eſt hoc ungu. mirabile quo omnes doctiſſimi Medici Ferrarienſes uſi ſunt, inter quos numerare eſt *Savonarolam*, *Vgonem de Senis*, *Leonicenum*, *Bonaciolum*, *Manardum*, *Braſſavolum*, & omnes hodie artem Medicam ibi exercentes; cum quibus nos per ſeptennium ibidem agentes eo quoque ſæpe uſi ſumus, & magnum ex ejus uſu percepimus juvamentum, *Amatus cent.* 1. *curat.* 86.

Mirabi-

Mirabile eſt *Emplaſtrum ex cicuta* cum ammoniaco aceto diſſoluto, *Accipe Cicutæ manip iv. ammoniac. lib. ſemis, infunde aceto acerrimo dies octo; deinde bulliant dum ammoniacum ſolvatur, hinc per pannum fortem lineum valide exprimatur, iterumque expreſſus liquor ebulliat quaquies, & adjecta cera cum oleo amygdal. dulc. fiat Vnguentum.* Hoc ſit pro ſecreto, nam omnem duritiem mollit. *Heurnius 2. meth. ad praxim cap.* 10. §. *vide* §. 18.

In *Lienis ſcirrho* remedium habeo probatum, Ceratum ni‥imum compoſitum *ex duabus partibus ammoniaci in aceto ſoluti, una ſucci tabaci, dimidia‥ pini, terebinthinæ & ſucci ebuli, una olei de capparibus & cera nova q. ſ. ad Emplaſtri ſeu Cerati formam adipiſcendam*, quod emolliente & digerente ſua facultate plurimos obduratos Lienes ſanavit: Dicam vobis & aliud, quod oſtendit aliquando experientia; Curabam quendam Nobilem, cujus cuſtos domus erat hydrope affectus ex ſcirrho lienis, quem habebat permagnum. Cui ego ordinavi ſpongiam ex aqua calcis vivæ expreſſam: Sanato Domino non amplius acceſſi, neque ille me adivit, ſed expertus in dies magis ſpongiarum earum utilitatem, perpetuo uſus eſt ſpongiis jam propoſitis, quouſque tum ex hydrope tum ex ſcirrho lienis fuerit curatus. *Aquapendens Chirurgia lib. ‥ cap.* 51.

XXXIV. In quodam *ſcirrho Lienis* affecto, poſtquam varia fui expertus citra utilitatem auxilia, nullo alio uſus ſum quàm cauterio ad ejus regionem affixo: Excitatis namque cruſtulis, & ulceribus fluidis factis, ille à tumore levatus eſt: Auxilium ex *Avicenna* deſumpſi, 15. 3. tr. c. 7. *Et quandoque oportet quum dominatur humor melancholicus, ut fiant cauteria quinque aut ſex ſupra loca ſplenis, ‥inde non permittantur ſanari: Quod ſi non tolerat ‥tem, adminiſtrentur cauteria ex medicinis, ſicut Emplaſtrum de ficubus & ſinapi, Zacutus Pr. adm. ‥. Obſ.* 50.

XXXV. Viro annos quinquaginta nato, & tumorem in ſiniſtro hypochondrio prægrandem, inæqualem durumque, brachium æquantem, ac dextrorſum ſecundum frequentiſſimum coli ſitum protenſum, atque Lieni ab aliis Medicis adſcriptum ‥enti, una cum aliis hypochondriacæ affectionis ſymptomatibus, ſequens Linimentum ac Emplaſtrum toti ſuperiori abdominis regioni applicandum præſcripſi, præter pilulas ex Gummi paratis, ‥rum ope paulatim emollitus, atque maxima parte ſublatus eſt idem Tumor. ℞. *Vng. alth. ‥poſ. ol. cappar. ana* ℥j. *Philoſoph.* ʒij. *m. Fr. ‥viſius Pract. lib. 1. cap.* 14. §. 58. *Emplaſtri Car‥anitis* hæc eſt deſcriptio ℞. *Gummi Galbani, ‥llis, Ammoniaci, ana.* ℥ß. *thuris maſc. myrrha ana.* ʒij. *Opii Thebaici* ʒj. *diſſolvantur in aceto ‥uillano, iterumque inſpiſſatis adde ceræ citrinæ, ‥bonia ana.* ʒiij. *Balſami Peruviani, Olei ‥loſoph. ana.* ʒj *Terræ* ʒß. *Carvi ſtillat.* ℈ß. *Te‥ch. Venet. q. ſ. m. f. ſ. a. Emplaſtrum.* Hoc extendum ſuper alutam, eamque formatam prius ‥dum Tumoris amplitudinem & figuram, ‥a ei impoſita & diſſecta obſervandam.

XXXVI. Splen intumeſcit, non ob melan‥æ copiam, ſed potius ob flatus circa illam partem congregatos & retentos: Paranda itaque ‥ ex conſtringentibus & flatus diſcutientibus, ‥ingentia enim prohibent ejus inflationem & ‥ionem, & quod receptum eſt diſcutiunt. *Ron‥ p.* 996.

XXXVII. *Cauteria* in ſiniſtro crure, licet humorem craſſum non evacuent, ſeroſitates tamen expurgando præſervant ab affectibus melancholicis, a cordis tremore & palpitatione, ut notant *Aëtius* Fernelius, Zacutus: *Fortis conſult.* 58. *cent.* 3.

LIENTERIA.

SYLLOGE.

Præparantia *qualia eſſe debent.* 5.
Per ſuperiora an inferiora purgandum. 7.
Admota adſtringentia *non ſemper utilia.* 2.
Topicis adſtringentibus attenuantia addenda. 4.
Lac *an concedendam.* 6.
Ex hydrope orta non ſiſtenda. 1.
Iecori aliquando conſulendum. 3.

I. SI ex hydrope oriatur fluxus, non eſt ſiſtendus, ne forte natura tentans ſe exonerare per eam regionem, coacta ad principalius membrum ruat: præſtat ventriculum roborare & laborantem optimis reficere alimentis. *Mercatus.*

II. Si fiat alimentorum vitio, aut vi purgantis medicamenti, vitanda ſunt adſtringentia, ne extrinſecus compreſſi humores ad interiora recurrant: ſedabitur fluxus mutatione alimenti, & retuſa medicamenti acrimonia. *Mercatus.*

III. Duplex eſt Lienteria ratione loci affecti, Ventriculi ſcil. vel Epatis: ab Epate, cùm ventriculus quidem bene coquit & debito tempore expellit, id autem jecur non attrahit, ſed ſinit præterfluere ob *ἀτονίαν* aut *ἀσφυξίαν*, cum ob frigidam intemperiem laxata eſt ejus retentrix. *Hofmannus in Institut.* Si ob imbecillitatem Epatis non attrahentis alimentum fiat fluxus chyloſus, applicetur cucurbitula ſupra jecur: dentur ſyrup. & opiatæ quæ imbecillitatem attractricis caſtigare poſſunt, qualia ſunt calida medicamenta & aperientia: Nam jecur non attrahit ob frigiditatem: vel propter obſtructionem aut ſatietatem: quare iſta calida & leviter aperientia, levibus quibuſdam adſtringentibus permixta, aperiunt obſtructiones & diſtributionem alimenti ad jecur juvabunt, & intemperiem frigidam emendabunt: Hic magis aperiendum quam conſtringendum eſt, quia medicamenta adſtringentia morbum augent: Sed quæ nimis fortiter aperiunt, ventriculumque laxant, ut aſarum &c. ſunt fugienda; ſic & dulcia & alia nimis detergentia, quia alvi fluorem augent. *Rondeletius.*

IV. In unguentis &c. acetum ponendum, vel aliqua tenuium partium, ut penetrare faciant adſtringentia, & terrea, quæ ſibi aditum præcludunt conſtringendo, & ſæpe fluxionem ventris augent appoſita, ut aliquando vidimus: quia conſtipata cute & partibus ſuperioribus, comprimendo expellunt: Quam ob cauſam non vitupero eos qui in ungu. ſpicam vel cyperum vel cinnam. pauca quantitate addunt, quo alia nimis craſſa penetrare faciant, ac ventriculi calorem juvent. *Rondeletius pag.* 1059.

V. Magna eſt difficultas de præparantibus materiam craſſam: nam ex una parte ſcriptores proponunt mulſam, mel roſat. oxymeli, at verò hæc omnia quæcunque incidunt, alvum ſubducunt, atque

adeo ſuſpecta ſunt: Sunt ergo illa eligenda quæ incidant & ſimul calefaciant, exſiccent atque adſtringant: inter cætera probatur acetum ſcylliticum, ſyr. de mentha, de abſynthio: ſed præ cæteris omnibus laudatur ſal theriacale, vel ſales confecti, extracti ex pulverib. ſtomachicis, calorificis, vt ſal ex abſynthio, ex mentha, ſpica; quæ ſi deſint, lixivia ex eorum cineribus parare facile erit: Quantum poſſint lixivia ad abſtergendum & ſiccandum docet Gal. 2. de antidot. c. 7. Paretur lixivium ex cineribus ſtomachicis, utendo abſynthium, mentham, coriandrum, ſpicam & ſchoenanthum, pulegium & calaminth. præbeatur ℥j. aut ſimplex aut miſtum cum aceto ſcyllino, aut ſyrupo de mentha, aut ſimilis: Poſt abſterſionem calefiat ventriculus additis adſtrictoriis, inter quæ mirificè facit 31. pulver. coriandri ex vino odorato: Dandæ ſunt antidoti opiatæ, vt Philonium ad ʒß. cum enim ſomnus conciliatur, cibus retinetur & ſic coquitur. *Saxonia Prælect. Pract. p. 2. c. 17.*

VI. Lac noxium videtur, quia alvum ſubducit jam fluidam. 2. ob vim refrigerantem, quæ ſuſpecta eſt in affectu in quo facultas coquens debilis: At notandum ei ſpeciei lienteriæ competere quam faciunt tenues & acres humores expultricem irritantes, qui ejus vſu temperantur, aut ubi intima ventriculi tunica excoriata eſt ſuperficie tenus, quâ de cauſa cibi moleſtiam & mordicationem efficiunt, ita vt non retineantur: quo in caſu lactis vſus maximè conveniens erit 1. quia eo reſpiciendum vt detur alimentum facilis alterationis; quod ob imbecillitatem retentricis alimenta in ventriculo & inteſtinis diu manere nequeunt, at tale eſt lac, quod teſte Galeno 6. de plac. citra alterationem converti poteſt: 2. quia reſpectu caſeoſæ ſubſtantiæ ſuperabundantis aliquomodo vim obſtruendi habet. Nota 2. lac non ſimpliciter exhibendum, ſed coctum, quò per coctionem abeunte ſeroſa ſubſtantia (ob vim nitroſam & detergentem noxiam) ſola ſuperſit caſeoſa ad nutritionem aptior.

VII. An vacuatio inſtitui debet per ſuperna an per inferna; Rhaſes commendat vomitum, &, vt videtur, non immerito, maximè enim revellit ab inferioribus. Hipp. 4. aph. 12. contrarium docere videtur, Quibus ob levitatem ventres cibi ſunt incontinentes, hyeme ſupra purgare malum: Gal. in comm. confirmat, & minus ſecurum vomitoriorum uſum innuit in lienteria ab imbecillitate, copioſè reſtagnante pituita acida ipſis in inteſtinis: Sola enim per vomitum vacuanda in ventriculo quę continentur: Eorum vero quæ continentur in inteſtinis nihil per vomitum vacuare expedit: In ea vero quæ fit ab exulceratione ſuperficiei ab humore acri & tenui, concedere videtur vomitum, non tamen hyeme illum eſſe inſtituendum: Difficultatis ſolutio conſiſtit in eo, Quæ in inteſtinis continetur materia, illa per alvum: quæ in ventriculo, per vomitum vacuetur: *Rolfinccius Epitom. curatoria l. 3. c. 15.*

LINGVÆ AFFECTVS.

SYLLOGE.

Tumoris ſuffocativi *curatio.* 1. 5.
Tumoris *per linguæ ſcarificationem curatio.* 4.
Craſſioris *per ſuperflui ablationem.* 6.
Ardori *qualia humectantia.* 7.
Vulneratæ *curatio.* 3.
Frænum *temere non exſcindendum.* 8.
Ranulæ *curatio per ferrum candens.* 2.
Per ſuppurantia curatio tuta. 9.
Per apertionem. 10.
Semiparalyſis *curatio.* 11.
Reſolutio *ſellis raninus curatur.* 12.
Loquela *impedita fortuito remedio ſoluta.* 13.

I. Zacutus hiſtor. Princ. med. l. 1. obſ. 40. in caſu valde præcipiti, ubi linguæ tumor in molem ingentem excreverat, ut inde ſuffocationis metus fere impenderet, fruſtra vacuantibus & revellentibus tentatis, hirudines quatuor linguæ affixit, vnde brevi, copioſa ſanguinis profuſione ſequuta, lingua detumuit exiliſque facta eſt: *Idem* Obſerv. 48. puero x. annorum, cui ex catarrho lingua adeo intumuerat vt vix ore contineretur, præmiſſis generalibus, cum tumor mollis laxuſque eſſet, profunde eam ſcarificavit, aqua ſalita ablui juſſit; hinc magna ſequuta aquoſi humoris vacuatione, illico ſanitas conſequuta: Vide ſimilem hiſtoriam apud Ioach. *Camerarium* in obſervat.

II. Ranula peperit juveni tantum negotii vt vix potuerit eloqui, nedum deglutire vel ſpiritum commodè ducere: Decreverat Chirurgus ſcalpello elicere pituitam illic concluſam, ſed induruerat jam firmius quàm vt inde effluxiſſet: ac proinde mutata ſententia conſumpſit eam ferro candente, impediendo ſimul ne reverteretur: At ſi mollis & ſequax ſit ranulæ materia (quod facilè tactu dignoſcitur) miſſa vſtione, excide duntaxat ſummam ipſius tunicam, & effluet ſponte, vel exprimetur ſaltem digito limpida ac viſcida pituita, ſimillima ovi albumini. *Tulpius lib.* 1. *c.* 52. In puero curabat Veſlingius pulvere adſtringente & ſiccante, ex oſſibus ſepiarum, ſpodio, corallis, tartaro, balauſtiis & roſis. P. Marchetti, inciſo tumore folliculum, miro ſucceſſu, integrum eximebat, applicito chelidoniæ ſucco. *Velſchius Obſerv.* 26.

III. Linguæ vulnera tranſverſim facta ut plurimum incurabilia cenſentur, ob ejus mobilitatem, humiditatem & laxitatem ſummam: Suadeo tamen vt (niſi planè abſciſſa fuerit) curatio tentetur, non enim ejus vulnera omnino ſunt incurabilia: Puellam trimam curandam habui, quæ extenſa lingua in terram cadens, partem quæ inter dentes erat, ferè ex toto abſcidit & planè abſcidiſſet niſi duorum dentium defectus obſtitiſſet: Vocatus putabam diſciſſas partes ſutura conjungere, ſed non permiſit puellæ impatientia, ideo curationem ſequentibus abſolvi ℞. fol. & flor. liguſtri, plantag. roſar. rub. ana. m. j. corticum granat. balauſtior. ana. ʒß. coqu. in ℔ij. aq. chalybeat. ad conſumpt. 3. partis, colaturæ adde acaciæ ʒij. ſyr. roſat. ſicc. ℥ij. f. gargariſma: ore ſæpe tenebat ſyr. roſat. ſicc. cydoniorum, rob. cydonior. vtebatur cibis liquidis: his pleniſſimè curata fuit citra loquelæ vitium. *Fabritius Hild. cent.* 1. *Obſ.* 28. Linguæ partis innoxiè abſciſſæ dat exemplum *Velſchius Obſ.* 25.

IV. Puero decenni ex catarrho adeo Lingua in ingentem magnitudinem accrevit vt ore contineri non poſſet: Cum revellentia auxilia eſſent inita, & tumor mollis laxuſque eſſet, ſcarificari linguam profunde juſſi; quo facto, linguaque cum ſalita aqua abluta (ne glutinarentur ſcarificationes) tanta aquoſi humoris vacuatio facta eſt, vt illico æger

ſanita-

ſanitatem recuperaverit. *Zacutus Pr. Adm. lib. 1. Obſ. 8.*

V. Nob. hirudinum ſingularem effectum in contumaciſſimo Linguæ tumore eſt expertus, Indurnerat lingua ad partem ſui dimidiam, idque ex olis atræ defluxione, ita vt aridi inſtar ligni immobilis in ore hæreret: præſtantiſſima remedia in id infeliciter vſurpata ſunt tribus ſeptimanis, verum ſolis hirudinibus, quas Medici diſſuaſerant, linguæ admotis, humor ille craſſus viſcoſuſque fuit eductus, & æger liberatus: *Ioel Langelottus in miſcell. cur. anni 75. Obſ. 9.*

VI. Lenæ puella quædam manus magnitudine amplam groſſamque habebat, vt ore vix contineretur, A Medicis reſtituta fuit ſanitas, qui particulas ſuperfluas in extremitatibus abſciderunt, donec ad conſuetam perduxiſſent molem, quod *Ioh. Paulao*, magni judicii viro, acceptum refero. *Bartholinus cent. 2. hiſtor. 22.*

VII. In ardore Linguæ non ſufficit gargariſmus, ſed pingue quiddam exigitur, ea namque probe lota ſubito ſicceſſit. *Mindererus medic. mil. cap. 5.*

VIII. Oportet tyrones eſſe memores conſilii *Aquapendentis*, qui monet ne temere ad hanc operationem (*Exciſionem*) nos accingamus, quæ inter alia ſymptomata aliquando continuum induxit ptyaliſmum, diſſectis extremitatibus ductuum ſalivalium, vt teſtatur *Riolanus* 4. Anthropogr. cap. 10. *I. Van Horne micros. parte 2. §. 1x*: Vide tit. de morbis Infantium §. 73. lib. 9.

Notandum quod interdum *Lingua contrahi*, adeoque apparens ἀγκύλωσις generari poſſit ex humore lento & arefaciente, quod in febribus acutis frequenter apparet, vbi omnino noxia & pernicioſa eſt ſectio, cum potius violaceum oleum, malvæ decoctum, aliaque ſimilia humectandi & emolliendi vi prædita conveniant. *Gregorius Horſtius Probl. 1. Decade 4.* Adhæc quibuſdam inciſum eſt filum, ſed manſit intermedius callus, non caro mollis, vnde nihil effectum fuit, Quod Chirurgis diligenter conſiderandum, *Scholiogr. ad Hollerium lib. 1. de morb. inter. cap. 13.* In mediam inciſionem inducatur linamentum, ne rurſus pars ligamenti reliquo ligamento conſueſcat.

IX. Vxor N. catarrhis obnoxia qui ad fauces præſertim ferebantur: aliquando materia ad linguam decumbens membranas ſub ea ita occupabat & dilatabat vt vera oriretur Ranula: cumque ſanguis ſimul eſſet (dolor enim, pulſus & color id indicabant) ſuppurationem promovendam ſtatui, quod intra ſeptendium contigit vnde vox & reſpiratio liberior: Pus vero effluxit 1. fœtidum, mox purum: Duas alias vidi ferro apertas Ranulas; quibus egrediebatur materia albumini ovi ſimillima, vnde & ex materia potius frigida quam calida antecedente illas ortum duxiſſe patuit: Diſputatum tunc an etiam renaſci ſoleant Ranulæ: Id vero experientia comprobatum fuit: Potior ergo mihi videtur cura per ſuppurantia, quod cyſtis ſimul ita auferatur. *Ph. Salmuth. cent. 1. Obſ. 36.*

X. Si diſcutientibus *Ranula*, ſeu tumor ſub lingua ortus diſcutientibus curari nequit, quod raro contingit, ad apertionem veniendum, quæ exigua eſſe non debet, quia materia in folliculo contenta iterum colligitur & folliculus impletur (ſumma accedente partis laxitate & mollitie, unde ad receptionem fit idonea) ſed per ſummum tumorem longiſſima ſectio facienda eſt in vtraque eminentia, quo tota materia ſimul effluat. *Riverius*, Iuvenculæ poſt febrem epidemicam ſub lingua congeſtus fuit Tumor ovi columbini magnitudine, rotundus, durus rubenſque, ut dolore moleſto lingua retrorſum protrula, & loquela impedita ſit, & deglutiendi facilitas: Chirurgus apertionem prudenter ſubterfugit, quia abſceſſus necdum maturus, totuſque rubeus ſi aperiatur, vel inflammationem vel cancrum minaretur: Interea corpus debita methodo præparatum fuit: Tranſactis hebdomadibus ſex vidi Ranulam pallidiorem, digitiſque vtrinque appoſitis deprehendi ſuppuratam eſſe, materiamque in tunica craſſa fluctuare, unde apertionem ſuaſi: Levi ſcalpelli inciſione rupta tunica, qua à venis libera conſpiciebatur, profluxit illico ovi albumini ſimillima materia, quantum cochleari non ita anguſto excipi poterat: Detumuit Ranula, & paucis inde diebus in altero latere nova inciſione pertuſa, parem ejuſdem liquoris copiam egeſſit, ſicque libertati ſuæ reddita lingua & loquelam & deglutionem more ſolito promovit. *Bartholinus cent. 1. hiſtor. 89.*

XI. Verbi Divini miniſter concionari amplius non potuit ob linguæ laxitatem ſeu ſemiparalyſin: Varia incaſſum tentata, Tandem hæc miſtura vtramque paginam perfecit. ℞. *Mithrid. ʒj. extr. acori ℈j. rad. aromi pulv. ℈ij. eſſentia caſtor. gr. vj. olei carfunc. g. iv. m.* ſemper paratam habebat hanc miſturam, & ſi in concionando hæſitaret, ad miſturam confugiens illico ſermonem ſic abſolvere poterat. Tandem apoplecticus obiit. *Got. Chriſt. Wincklerus miſcell. cur. anni 76. obſ. 9x.*

XII. Adoleſcens in paralyſin totius linguæ incurrit, guſtumque, vocem & loquutionem amiſit: Tentatis quæ reſolutionem vniverſalem ſpectant, cauterium nuchæ affixum, decoctum ebeni datum, &c. Tandem cum eſſet robuſtus, plethoricus, & maxillæ tuberent, ex venis ſub lingua bis ſanguinem exhauſio, *Avicennam* ſequutus. 6. 3. tr. 1. c. 7. *Si exiſtimatur quod cum humiditate dominetur ſanguis, phlebotomentur vena lingua, & ventoſetur mentum.* hinc aliquali ſanguine manante, & ope medicamentorum quibus abluebatur lingua, ſubjecto humore reſoluto, æger ſenſum & motum recuperavit. *Zacutus Pr. Adm. l. 1. Obſ. 82.*

XIII. Caſu cum olim multa fuere reperta, tum moderno die adhuc in lucem veniunt: Cuidam cui inſignis præſecta linguæ portio, contigit vt aliquando cum meſſoribus in agro ex ſcutella lignea biberet, cumque ab adſtantium aliquo titillaretur, ſubito in articulatas voces erupit, qui rem novam miratus, eandem ſcutellam eodem quo ante ſitu in os indidit, atque ſic vt ab omnibus intelligeretur loquutus eſt: Hanc poſtea aliquandiu circumtulit, & mentis interprete vſus eſt, donec egregio ingenii invento, aliud inſtrumentum ligneum optime formatum impetraret, quo ſemper collo appenſo, animi ſenſa edebat: Vide inſtrumenti figuram apud *Paræum lib. xx. cap. 5.*

LVES VENEREA.

SYLLOGE.

Cautus ſit Medicus in indicio de infectis. 12.
Balneorum ſiccorum ad latentis dignotionem facultas. 13.

Sanguinis miſſio prudenter inſtituenda. 1.
Vomitus an conveniat. 38.
Curatio per hidrotica non ſemper ſufficit. 38. 39.
An ſine ſudore curatio perfici poſſit. 10.
An Alexipharmacis communibus expugnabilis. 27. a
Quæ citra Antidota curabilis. 66.
Curatio abſque ſudore vel ſalivatione. 63.
Pro ſcoporum varietate aliud atque aliud Alexipharm. uſurpandum. 35.
Exacte purgandum ante hidroticorum aſſumptionem. 2.
Ligni Guajacini electio. 11.
An vino incoquendum. 17
Ejus ad aquam proportio non eadem ſemper eſſe debet. 18.
Coctio in Maris balneo an facienda. 19.
Decoctum quomodo condiendum. 20.
Radices vel herba an illi adjungendæ. 21.
An vehiculo indigeat. 22.
An addenda quæ vires ejus intendant. 71.
Extractum Ligni an Decocto præferendum. 23.
Deſtillata an decocto potiora. 24.
Guajaci decocto an addenda calorem ejus frangentia. 70.
Ligni uſus non impeditur ſi luis macies & hectica ſint comites. 72.
Cautiones in ſecundario Decocto. 26.
Purgantia Decoctis an admiſcenda. 36.
Lignorum exoticorum defectum noſtratia poſſunt ſupplere. 26. a
Decoctorum aſſumendorum recta ratio. 26. & 82.
Aſſumpto Decocto quomodo promovendus ſudor. 26. c
Diuretica ſudorificis quando addenda. 26. d
Salſæ parillæ efficacia in cortice ſita eſt. 25.
China inefficax ad debellandam Luem. 33.
Ejus decoctum diu non aſſervandum. 34.
Purgantia hidroticorum vices an teneant. 37.
Sæpe ex uſu ſunt. 37. a
Colocynthis quo nomine præſertim juvat. 37. b
Quomodo uſurpanda ſi ob amarorem repudietur. 37. c
Purgantia Mercurialia ſummæ ſunt efficaciæ. 37. d
Mercurii præcipitati uſus ad purgandum. 37. e
Quamdiu in uſu mercurialium purgantium perſeverandum. 37. f
Mercurialia qua ratione ſuſpecta. 37. g
Mercurii dulcis uſus eximius. 5.
Lues graviſſima mercurialibus cito & tuto profligatur. 4.
Pilulæ mercuriales multo auro obducendæ. 41.
Si Vomitus ciendus, quibus maxime utendum. 37. h
An utilis. 38.
Pulveris de Vigo uſus. 39.
Salium Lixiviorum utilitas in Lue ſuperanda. 81.
Luis curandæ methodus ſylviana. 80.
Hydrargyroſis præſtantia in Lue expugnanda. 8.
Hydrargyrum varie pro ſcoporum varietate præparandum. 28.
Hydrargyroſis periculi eſt expers. 43.
Unguentorum mercurialium tuta adminiſtratio. 6.
Ad Iunctionem non præpropere veniendum. 51.
Mercurius crudus in Inunctionibus qua vi agat. 40. a
Mercurius præcipitatus & ſublimatus in uſum duci poſſunt. 56.
Inunctionem vacuatio corporis præcedat. 29.
Dum uſurpatur crebro injiciendi clyſteres. 45.
Unguenta recentia eſſe debent. 46.
Si non ſuccedat Salivatio quid agendum 50.
Vinum dum ea cietur periculoſum. 16.
Mercurii noxa calorificis non emendanda. 27. b
Salivatio ſimul & ſudores ſimul ne cieantur. 30.
Litibus Spiritus vini non addendus. 59.
Salivatio promovenda potius quam ſiſtenda. 15.
Mercurius an & quomodo corrigendus. 44.
Emplaſtra unguentis minus efficacia. 56. a
Ieiuni an paſti inungendi. 57.
Prægnantes & Pueri hydrargyroſin tolerant. 62.
An repetita hydrargyroſi locus. 67.
An per decurſum ejus purgantia exhibenda. 47.
Hydrargyroſi peracta Guajaci decoctum præbendum. 52.
Dorſi ſpina quando inungenda. 55. a
Nervorum vitiis laborantes an inungendi. 55.
Si magna colli glandula inflammata fuerit, ab inunctione abſtinendum. 53.
Si papulæ & ulcera adſint non eadem ratione hydrargyroſis inſtituenda. 58.
Angina & oris affectus eam prohibent. 54.
Noxa oris partibus illata emendatio. 7.
Mercurium ab inunctione in corpore ſuperſtitem evocandi ratio. 64.
An inungendi quibus os ulceribus ſcatet. 49.
Balneum quando utile. 61.
Thermæ an & quando conveniunt.
Acidulæ an conducunt. 75.
Antimonii crudi in decocto efficacia. 75. a
Narcoticorum recte uſurpatorum uſus tutus. 42.
Cauteriorum utilitas. 79.
Oris ulcera ab inunctione reſidua quomodo curanda 49.
Tophorum &c. pertinacium curatio. 73.
Suffitus admodum periculoſi 68 a
Oris ardor cito ſedandus. 69.
Dolores circa oſſa nuda lotionibus non cedunt. 76.
Febris ſi complicata quid agendum. 68.
Bubones dum topicis curantur, generalis curatio prætermittenda. 60. (de his vide lib. 2.)
Symptomata a curatione reſidua novam non ſemper requirunt. 65.
Victus tenuis an conveniat. 31.
Panis biſcoctus non ſemper ex uſu. 32.
Vinum non plane denegandum. 14.
Lues inveterata brevi curata. 77.
Fontanellis in inguine excitatis ſublata. 73.
Præſervatio an licita & tuta.
Luis curandæ Methodus Sylviana. 80.

1. Sanguinis miſſio conveniens erit, modò ætas, regio, tempus & vires conſentiant, & morbus ſit in principio, & cum puſtulis, ſcabie vel ulceribus: Nam ſi dolores capitis & articulorum adſint, m. ſ. tunc non competit, quia refrigerando morbum auget ac deteriorem reddit, latitemque frequenter detegit: quare cum ſumma animadverſione videndum an ſanguis mitti debeat: Hic affectus in plethorico corpore ut laſſitudo curandus eſt, in qua Galenus iterat S. m. ad animi uſque deliquium, quod nunc non cenſeo faciendum, ſed quantùm vires ferre poterunt: Si morbus ſit adhuc in principio, & materia ſanguini permixta, materiam illam ab habitu retrahere non poſſumus niſi evacuatione magna: quæ etiam ratio inſtituenda erit in iis quibus ſanguinem mittere non licebit, nos enim purgabimus multum & frequenter. *Rondeletius l. de morbo Ital.*. Si Lues, inguina petat, ſanguis

guis non eſt mittendus, nam experientia comprobatum eſt interdum per bubones ſuppuratos & apertos luem è toto eſſe extirpatam, vt non opus fuerit alia medicatione: modo Medicus ſummâ prudentiâ animadvertat num hæc vacuatio per inguina futura ſit ſufficiens necne: ſufficientem docet ſi malum ſit recens, ſi non conjuncta alia ſymptomata, ſi copioſa effluat materia: Quod ſi ex oppoſitis judicetur non ſufficere, eodem tempore vena ſecanda eſt, nec enim tunc lues prohibet: Quod ſi Bubo ſit præſens, ſi adeſt ſpes ſuppurationis, infimas venas ſecare oportet: Si ſpes ſuppurationis nulla reſtet, reſpiciendum ad ſubſiſtentiam circa jecur, & baſilica dextra ſecanda. *Capivaccius Pr. c. 6. l. 5.*

Crebro, atque à diverſis corporis partibus, & ab iis potiſſimum quæ magis acriuſque torquentur, ſanguinem educere conſului, quod in eo præcipuè qui per venas ab hepate remotiores vagatur hujus luis ſeminium inſideat, & in iis maximè quæ partibus affectis inhærent, à quibus, vel à maximè proximis, (ſi fieri queat) perpetuo ſanguinem eximere par eſt: audi, vbi jam morbus in corpore firmam ſedem habeat; ob idque non hic, vt plerique temerè faciunt, in adverſas partes humorem peccantem revellere fas eſt, perinde vt in phlegmonibus, quæ ex ſola ſanguinis abundantia excitantur; nam in iis, etſi retrahas quod affectæ parti eſt proximum, id cum nondum putredinem vllam adſciverit, non habet vnde reliquum coinquinet; quod ſecus accidit in hoc morbo; in aliis item omnibus quos pernitioſus ſuccus concitat vel fovet. *Botallus de Lue ven. c. 26.*

II. *Evacuationem per cutim* non ante tentare oportet quam corpus ſit mundatum à recrementis, ne major fiat attractio quam per cutim vacuare poſſit: Quod ſi fiat, vel non curabitur, vel brevi recrudeſcet morbus, vel deterior reddetur: Novi ego multos qui poſt inunctiones & diætas dolores vel exoſtoſes paſſi ſunt, quia materia fuit attenuata, liquefacta & ad partes externas attracta, non autem evacuata: Quare multum vel frequenter corpora illa vacuanda cenſeo in principio: Si vero minus liceat tantopere vacuare, poſt tres certè inunctiones exhibendum medicamentum, vt quæ liquata ſunt evacuentur. *Rondeletius l. de morb. Ital. Montanus conſultatione. 66.*

III. Quandoquidem non pauci, præter omnem adhibitam diligentiam, etiam reiteratis curationibus, perfectè non ſanantur, Quæritur, annon præter Ligni curam, quæ in incipiente lue plurimum præſtat, in radicato verò & inveterato morbo vix ſufficiens eſſe videtur, (imprimis apud Germanos, quorum corpora *ſumpta*, magis compacta ſolidioraque, retinendæ radicandæque malignitati venereæ aptiora quam Italorum & ſimilium, in quibus ob raram habitus muſculoſi conſtitutionem citius malignitas ejuſmodi vi ſudoris diſcutitur) ſimul etiam Mercurialia & metallica remedia ſint adhibenda, ſive per convenientem inunctionem, ſive per ſuffumigium, ſive per exhibitionem turpethi mineralis, vel ſimilium ritè præparatorum: Id in Rebus publicis Imperialibus obſervatur, vbi quò reſtitutio laborantium in Noſocomiis exquiſitior, brevior & certior ſit, vniverſalibus, nimirum digeſtione, purgatione & v. ſ. præmiſſis, Mercurialia adminiſtrantur, nempe ſuffitus aut vnguentum, prout lues externas & internas partes occupaverit, in tophis Gallicis & doloribus artuum ſimul aqua Mercuriali cauſtica vſurpata, imò ſæpius turbith minerale interius propinatur, potiſſimum proceſſu qui ſequitur: Nimirum ante dictorum mineralium exhibitionem, ad Mercurii malignitatem reprimendam, & principes partes tuendas, alexipharmacum quoddam exhibetur, nempe cochlear vnum atque alterum aquæ theriacalis cum antidoto quadam permiſta: poſtea Suffitus aut Inunctio ſuſcipitur in Laconico: dein decoctum Ligni datur, & in lectu ſudor provocatur; à meridie viciſſim hauſtu decocti ſudoris cauſa propinato: Talis Suffitus & Inunctio, tum etiam Turpethi mineralis exhibitio ter quaterque, vel etiam pluries iteratur, donec operatio maximè per Salivationem ſubſequatur, quouſque malignitas morbi per eandem exhauſta ſit; ſingulis diebus interim, mane veſperique, decocto ligni pro ſudore movendo nihilominus aſſumpto, non neglectis convenientibus gargariſmis, & aliis quæ faucium incommoditatem inde provenientem leniunt: Reſpondemus itaque, præter curationem decocto ligni Guajaci diligenter adminiſtratam; commodiſſimè quoque mercurialia & antimonialia ritè præparata introduci poſſe; cum experientia teſtetur ejuſmodi remedia ritè propinata radicitus luis iſtius malignitatem extirpare &c. *Greg. Horſtius l. 7. Obſ. 2.*

IV. N. annor. 21. promiſcuæ ſcortationi dedita, tandem vndique, tam in capite quàm in reliquo corpore, puſtuloſa redditur, rhagadibus & condylomatibus exulceratis circa partes obſcœnas horribiliter affecta: Malo itaque nodo malum cuneum inquirendo, Mercurius vitæ ſe offerebat, quo purgationis gratia protinus initium fiebat 12. die novemb. 1625. hoc modo ℞. mercur. vitæ gr. viij. cum mucilag. tragac. f. pilula, qua ſumpta ſæpius alvos dejiciebatur, copioſa materia ſuperabundante, ſed ſine moleſtia; quâ de cauſâ dozis eadem 13. Nov. iterabatur, vbi quater tantum operatio ſubſequuta fuit: Augendo dozin 14. ℈ß. exhibebatur duabus confectis pilulis, quibus deglutitis ſexies purgabatur: Hoc modo mediocriter evacuata, Sudoriferum decoctum quotidie bis ſumpſit cum gr. xii. ſulphur. aurat. diaphoretici per quatriduum: poſtremis diebus, exterius etiam Aqua cauſtica Mercuriali ſimul adminiſtrata: 19. Nov. iterata fuit purgatio, Mercurii vitæ gr. xi. exhibitis, qua moderatè ſubſequente, 20. Nov. decocto ſudorifero cum additamento ſulphur. Aurat. diaphoretici repetito: xxij. Nov. vacuationis gratia Mercurii vitæ gr. xii. exhibita fuerunt, tolerabili vacuatione ſubſequente: 23. Nov. iterum ſudorem provocavit: xxiv. Nov. iterum gr. xii. Mercurii vitæ, ſexies purgatur: 25. Nov. aqua cauſtica, ob profundas & ſordidas exulcerationes in partibus obſcœnis & aliis, iterum adhibetur: xxvj. Novemb. ob laxationem alvi ſequens ſumit. ℞. Mercur. dulcific. ℈iß. diagrid. correct. ℈ß. cum conſ. roſat. m. 27. 28. 29. 30. Nov. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Decemb. decoctum ſudorificum cum ſulphure aurato continuatur: 10. Decemb. purgatur ſequenti quod ℞. Mercur. dulcific. ℈iß. diagr. corr. gr. x, vbi ſexies alvum depoſuit: 11. 12. 13. 14. repetiit ſudoriferum vt antea. xv. ℞. Mercurii vitæ gr. xii. aliquoties operando ſumpſit. 16. Dec. quievit: 17. iteravit præcedentem dozim Mercurii vitæ, ſepties ſubſequente purgatione: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. naturæ quies conceſſa, cùm penitus reſtituta videretur: xxvj. Dec. ex abundanti repetiit Mercurii vitæ gr. xii. tribus tantum ſeceſſibus ſubſequentibus: 27. repetitum medicamentum vnicam tantum ſedem provocavit: xxx. vero nullam operatio-

nem ſenſit, totaliter à graviſſima lue perfectè reſtituta. *Idem Obſervat. x.* Fundamentum curationis in Mercurio collocat *Hartmannus*, vide cap. 323. ejus Pt. Chymiatricæ.

V. Eximio medendi compendio, & ægrotantium levamine, divinum pene auxilium præbet *Mercurius dulcis*; qui ritè paratus, poſt ſ. m. ac ſyrupos præparantes, alternis vel ternis diebus, cum Elect. Lenit. ℥iij. ad xxx. vel, ſi opus, ad al. dies exhibitus, pondere vt plurimum ajj. granor. homini vegeto commodè alvum ſolvit, ſine dolore tamen, nec ſalivam movet: Ne tamen malefici quidquam inteſtinis adhæreat, omiſſis aliis medicamentis, melle roſar. ſolut. cum tamarindor. decoctione ex aqua cichor. addito ſem. citr. quavis hebdomada ea fuerint detergenda: Sic enim plures poſthabito ligni decocto, præter ſecundum potui deſtinatum, hoc longæ ſudationis tædio, penitus convaluiſſe memini, ex eo integerrimæ valetudinis prole fœcundos: Puer bimulus, apud *Riverium* cent. 1. Obſ. 95. nihil proficiente ligni decocto, Mercurio dulci ad gr. 8. dextrè dato luem à nutrice contractam ſuperavit: Alius ex infectâ natus à 15. partus die Mercurii dulc. gr. ij. vel iij. cum ſacch. & lacte ad menſem aſſumptis convaluit, aſſerente Formio apud River. Obſ. 26. *Rhodius cent. 3. Obſerv. 84.*

VI. Antequam vnguenta præſcribantur, diligenter conſiderandum num affectus ſit in cute, carne, oſſibus, perioſtio aut capite, coſtis, ſurâ, brachiis, vlnâ: Si enim in cute ſit, vlcera excitabit vel papulas, vel ſciſſuras manuum, vel cutis efflorationes: Si ſub cute, alopecias: ſi ſub perioſtio, dolores membrorum: ſi in oſſibus, exoſtoſes: Deinde conſideranda eſt humoris conſiſtentia, ſit ne tenuis an craſſus: Nam tenuis in cute efflореſcit, craſſus ſub cute latitat, perioſtio vel oſſe; Deinde videndum num humor alicujus partis ſubſtantiam corruperit; vlcus fecerit in carne, vel cariem in oſſe: nam ſecundum horum diverſitatem vnguenta varia ſunt præſcribenda: Nam quæ vlcera curant & ſcabiem, mitiora ſunt, ſed ſicciora: Quæ dolores curant, calidiora & magis relaxantia: Quæ exoſtoſes, fundentia & reſiccantia &c. Animadvertendum vnguentis diutius vtendum eſſe: primum enim inungendæ ſunt omnes partes ſanæ, vt humores eò trahantur: In declinatione verò partes tantum affectæ, vt quicquid in parte collectum eſt diſcutiatur exactè: Et diutius ſunt inungendæ, vt humor altè latitans ſenſim liqueſcat ac trahatur, & craſſum cum tenui vacuetur: quod pauci noſtri temporis faciunt, & hinc fit vt poſt vſum remediorum plerumque morbus major appareat, vel recrudeſcat; vel qui non apparebat ſeſe manifeſtet. *Rondeletius lib. de medic. Ext. vbi vide formulas vnguent. cuique differentiæ enarrata accommodatorum. pag. 1064.*

VII. Præmiſſa vniverſali purgatione, & decocto ex ligno Indico detaſo cum zarza parilla exhibito, ſexto quolibet die purgante medicamento cum *ſublimato dulci*, ad ſubducendam humorum ſaburram, deveniendum ad inunctionem ex hydrargyro ſaliva extincto, linimenti forma, cum axungiâ ſuilla, iva arthritica, oleo viperino & cera: inunctis alternis diebus artubus ſuperioribus & inferioribus, (qui calidi ſovendi) tertium & ſæpius, donec procedat purgatio, ſollicitanda per alvum, cum os, lingua, nares & partes ſuperiores ſunt affectæ, vnde ſuſpectum reddi poteſt præſidium: Quod mihi ſæpius experientia compertum, non ſine felici eventu; injectis quotidie clyſteribus, modo ſolventibus, ex melle roſar. ſolut. oleo chamæmel. cum decoctione carminativa: modo laxantibus, ex oleo ſimplici; quibus proliciantur humores ad inferiora, ſuccedente diarrhœa, imo dyſenteria quandoque: cui tamen occurrimus clyſteribus ex lacte & ſevo hircino, veluti epicraſtico & inteſtina muniente ac obducente. *Silvaticus contur. 4. conſ. 82.* Cum quendam inungi curaſſem, tanta in ore excitata eſt inflammatio, vt pene in deſperationem venerit: quæ irritis aliis remediis, ſolo juſculo ex pullo comparato, ſine vllis herbis, omnimodum levamen accepit, retuſa, vt puto, virulentiâ mercurii à benigniori pulli ſubſtantiâ. *P. Pachequus apud Riverium Obſ. 36.*

VIII. Sollicitato per 8. dies ſudore, quò attenuentur humores, & corpus purius reddatur; nullum præſentius remedium cenſeo inunctione ex hydrargyro: cum ſolo hujus vſu omnes convaluiſſe obſervaverim; citra vllum periculum; coërcito tamen humorum ad fauces impetu modo ſupra dicto: quæ curandi ratio tuta fuerit, ab artis peritis administrata, qui ſupervenientibus ſymptomatis accommodata præſcribant, eroſioni gingivarum, linguæ, labiorum tumori, dentium vacillationi &c. gravioribus, non tamen formidandis, nullo (Deum teſtem appello) ex plurimis à me inunctis, extincto: quinimo à pertinaciſſima lue omnibus convaleſcentibus, irrito vſu decocti tertium & quartum repetiti: Ceſſante verò ſputo, & viribus recreatis, iterandum cenſeo idem decoctum, decem dies circiter cum ſudore, quò vacuetur quicquid ex hydrargyro & humoribus corruptis in corpore ſuperſtes fuerit. *Silvaticus cent. 4. Obſ. 90. Vide Hildanum cent. 5. Obſ. 96.*

IX. Cùm tutius ſit morbum præcavere quàm eundem curare, nonnulli Medici, inter quos Fallopius, Saxonia, Minadous & alii, docere conantur qua ratione quis, etſi cum infectâ rem habeat, ſe immunem præſtare poſſit: At non credo bonâ conſcientiâ iſta doceri poſſe, quibus tot homines ad libidinem animantur, quos ab ea forſan hujus morbi metus abſterrere potuiſſet: Eos ipſos tamen qui talia docent falli exiſtimat Minadous, qui fundamenta Fallopii ſubvertit, putantis luem hanc ſaltem communicari per minima corpuſcula ſanioſa, quæ ſi abſtergantur, extrahantur, diſſipentur, morbum hunc averti poſſe, Docetque contagium non ſolum per externas pudendorum partes, verum etiam maximè per internas ingredi, & corpus permeare, vaporeſque infectos & ſpiritus per poroſitates quoque internas pervadere, & à venis admitti, & ideo ablutione, quæ ſolum partes externas attingit, aliiſque medicamentis extra impoſitis ſalutem & incolumitatem neminem ſibi polliceri, nec talia externa medicamenta intus conceptam inquinationem tollere poſſe: Tutiſſima ergo cavendi ratio eſt abſtinere à ſcortis, & meminiſſe quod ſcortatores judicabit Deus. *Sennertus.*

X. Quidam in ea ſunt ſententia quod Lues iſta tolli poſſit etſi ſudores non provocentur, 1. quia ſita eſt in qualitate quadam abdita, cui ſola ſufficit alteratio, quæ ab antidotis præſtari poſſit: 2. experientia conſtat multos, iis ſumptis, ſine ſudore convaluiſſe. 3. decoctum ligni bibentes non ſemper per ſudores, ſed ſæpe fœliciter per vrinam & alvum vacuantur: Hos impugnat Minadous, qui ſe obſervaſſe ait nunquam Medicos decoctum præſcripſiſſe ſine ſudore ſumendum, ad quem omnia

alexi-

alexipharmaca ſuâ natura inclinent; Statuit vero
mali eſſentiam in qualitate conſiſtere, ſed in corpore
mala qualitate affecto: hæc vt alterationem, ſic cor-
pus vacuationem indicat, quę per ſudorem præſer-
tim inſtituenda, cum corpus hoc ſit vaporoſum: Ad-
de in inteſtinis magnam excrementorum copiam re-
dundare, imo in toto corpore, quę per ſudores com-
modiſſimè evacuantur: Atque hepati ſudores pluri-
mum prodeſſe, quod officina eſt omnium humorum.
At vtraque opinio curationem imperfectam tradit:
Etenim cum detur indicatio duplex, Præſervatoria,
quæ ſumitur à cauſa, Et Curatoria, quæ a morbo, il-
li qui ſine ſudore morbum hunc curari poſſe cenſent,
quod conſiſtat in abditâ & maligna quadam qualita-
te, de Curatoriâ quidem indicatione recte ſentiunt,
cum illa qualitas non ſudore vel aliis vacuationibus,
ſed propriis alexipharmacis tollatur, Præſervatoriam
tamen indicationem & cauſam negligunt; Cum e-
nim certum ſit in lue non ſolum malignam in parti-
bus, præcipuè epate, eſſe diſpoſitionem, ſed & om-
nes humores eſſe inquinatos, eorum vacuatio requi-
ritur, quæ commodiſſimè per ſudores fit: licet autem
inſenſibiliter aliquid diſcutiatur, ea tamen vacuatio
non ſatis eſt, & nimis tarda eſt: *Aur.* vero *Mina-*
dous de cauſæ ablatione & vacuatione humorum,
quæ rectiſſimè fit per ſudores, bene ſentit, morbum
to ipſum ſeu qualitatem malignam, humoribus,
partibus ipſis impreſſam, negligit: Itaque quam-
concedimus recte humorum evacuationem, e-
mper ſudores, inſtitui, tamen alexipharmaca e-
m ad diſpoſitionem illam delendam neceſſaria
t. *Sennertus.*

X I. Quidam *Gajacum* quod albicat reliquo
ſerendum eſſe cenſent, cum quo minus adoleve-
eo magis albicet, quo vero magis adoleverit
magis nigricet, ſiccius autem eſſe quod eſt
oſius; quod vero minus annoſum humidius &
co magis abundans: At cum duplex ſit in vi-
ibus humor, vnus primigenius, calidi inna-
ſeu ſpiritus inſiti ſubjectum, etiam ad flam-
concipiendam aptus: alter alimentarius, a-
ior, & ad inflammationem minus aptus, vires
ligni, vt & aliarum plantarum, non æſtiman-
illo alimentario & aquoſiore, ſed à calido illo
& humido primigenio: qui cum in ætate
, cum in infantibus tum in plantis humido
obruatur, multæ actiones prima ætate de-
unt, quæ poſt humido illo nonnihil abſump-
calore vegetiore reddito, progreſſu æta-
tiorea fiunt, ſoléque hic calor, omnium
um præcipuum inſtrumentum, vſque ad
em ætatem & ἀκμὴν immutatus conſiſte-
Itaque, etſi in *Guaiaco* etiam idem cali-
nnatum & humidum radicale ſemper ſit, à
ires ejuſdem dependent, tamen quia in
adhuc ligno vis iſta à copiâ humoris o-
quaſi & cohibetur, minus efficax eſt a-
rns adhuc lignum eo quod jam adultæ
firmatę ętatis eſt: Ac proinde ad hujus
curationem non lignum ſubflavum, vel
uxei coloris eſt, & vel ab immatura at-
vel à ramis deciſſum eſt, minúſque effi-
d potius eligendum nigricans, vtpote
eſinoſum & pingui illa & balſamicâ vi
s, in qua virtus virulentię Venereę
maximè reſidet: Ætatem ergo hujus
rnoſcere vtile eſt vt efficaciſſimum eli-
nam quod internam quidem partem ni-
bet, ſed fiſſuris, veluti lineis quibuſ-
dam, colore fuſco, in orbem vt nigrum actis
per longum interſectum eſt, efficax quidem illud eſt,
ſed quod tamen vel ex arborum ramis deciſum eſt,
vel certe ætatem maturam nondum attigit, atque i-
deo minoris efficaciæ eſt: idcirco enim comparent
lineæ hujuſmodi, quod præpinguis illa ſubſtantia,
quæ in medio arboris caudice maxime reſidet, non-
dum ita redundat vt internas ligni partes omnes im-
pleat: quod vero tota interna parte nigricat, ſuperfi-
cie duntaxat albicante, id ſi integrum, ponderoſum
& odoratum exiſtat, levique acrimonia linguam vel-
licet, & vel nullis lineis interſectum eſt, vel iis reſina
plenis, ideoque dum accenditur præter odorem,
quem ſpirat gratum, reſinam etiam reddit ſubni-
gram, id ſummum maturitatis gradum aſſequu-
tum, & ex arboris caudice deciſum, ac ideo efficaciſſimum
eſt: Si vero diſtinctum lineis & foraminulentum eſt, & nec pondere, nec odore, nec acri-
monia valet, nec incenſum reſinam ſudat, id ſene-
ctutem jam attigiſſe, idcóque vires jam hebeteſcere
indicio eſt. *Sennertus.*

X I I. Lues niſi ſe manifeſte tuberculis &
puſtulis, quæ hinc inde per totum corpus,
præſertim vero circa frontem & partes obſcœ-
nas ac femora, maximéque genua ſolet pro-
rumpere, ſæpius occulta eſt, faciléque impo-
nit, & facit vt quamvis recens haud recte cure-
tur, inveterata vero difficulter cedat: Accurato
igitur indicio opus eſt: Hoc vero vnice dependet
ex confeſſione ipſius patientis: Medicus ergo ſit
in interrogando πολύμητις, ne ager diffidat:
Sunt enim præter illos manifeſtos gradus, quos
Fernelius quatuor fecit, etiam alii qui, ob commu-
nia cum aliis morbis ſymptomata, difficile cognoſ-
cuntur: Eos omnes & ſingulos ſignificabit concu-
bitus cum ſcorto; quem ſi patiens fatebitur, vt ſym-
ptomata fuerint communia, recte tamen vt infe-
ctus curabitur. *Hartmannus Praxis Chymiatr.*
cap. 223. §. 5.

X I I I. Non tantum in cura Luis *Balnea*
ſicca, ut rectius perficiatur, adhibentur, ſed &
antequam illius cura ſuſcipiatur, ſi de ea, quia ſi-
gna non adeo aperta, ſed obſcura ſolum ſe pate-
faciunt, dubitetur, balneis ejuſmodi ſudatoriis,
aliquoties iteratis, latentia huius luis ſemina
ad ſuperficiem evocando, ex maculis, puſtulis,
aliiſque vitiis, ſi quæ tunc ſe prodant, Luem
hanc cognoſcimus, de eaque eo magis certi ſu-
mus. *Platerus.*

X I V. *Vinum* quidam planè prohibent, idque
non minus quàm in Pleuritide, ac toto curationis
decurſu; Ac tale eſſe vinum ligno quale cicutæ
ſcribit *Fernelius* lib. de lue cap. 13. Cauſa prohiben-
di eſt, quod corpus & humores, qui antea aduſti ſunt,
& qui ab uſu ligni incaleſcunt, ejus uſu inflammen-
tur: At hæc ratio ſufficiens non videtur, etenim
& decoctum illud ſecundarium, pro potu conceſ-
ſum, tantum calefacere poteſt quantum vinum ali-
quod tenuius & dilutius moderate hauſtum:
Ideo perpendæ vires, Et cum vinum inſignem
cum corpore convenientiam habeat, cor &
omnes partes roboret, ita vt natura morbo fa-
cilius reſiſtat, ejus vſus non rejiciendus ſim-
pliciter, imo concedendus minus calidis, pi-
tuitoſis & crudis humoribus refertis: vſus ta-
men vini ita moderandus ne corpus inflam-
met, & cum metus eſt ab inflammatione
faucium.

X V. Cavendum ne *Salivatio* vel adſtringenti-

bus ſufflaminetur, vel citò nimis abſolvatur: Non fiet ſi aqua Salſa calida os abluatur ac in iſtu gargariſmo continuabit: Tantum enim abeſt vt fluxum impediat, vt potius promoveat: Ne verò ſaliva per ſomnum devoretur, nodulus muſia imbutus dentibus interſeratur, vt ita patente ore colluvies effluat liberius. *Hartmannus Prax. Chym. cap.* 223. §. 10.

XVI. *Cinnabari ſuffumigati*, ſi tunc vinum bibant (quo facile imbecilliores jam prius facti nervi læduntur) in tremorem ſæpe incidunt; Quod & illis frequenter evenit qui hydrargyro inuncti fuere. *Platerus.*

XVII. L. *Septalius* lib. 7. animadv. numero 204. eos reprehendit qui ſolo vino decoctum *Ligni* fieri poſſe negant, quod nihil aptius ſit ad extrahendum medicamentorum facultates ipſo vino & ejus ſpiritu: Ideoque ille decoctum cum vino parat, quo in morbo inveterato, cum malo habitu, & materiâ frigidâ prædominante vtitur: At conceſſo vinum ad extrahendas vegetabilium vires commodiſſimum eſſe, tamen hoc negari non poteſt coctione virea vini evaneſcere, & vbi ſpiritus exhalavit phlegma nauſeabundum, & ipſa aqua ſimplici minus commodum relinqui: Ideo in ea ſum ſententia, vel lignum in aqua coquendum, & ſub finem decoctionis vinum addendum eſſe: vel lignum ſaltem in vino diutius infundendum; aut in duplici vaſe coquendum eſſe, vt nihil pereat, nullo verò modo ad tertiæ partis conſumptionem. *Sennertus.*

XVIII. *Ligni* ad aquam diverſa obſervatur proportio, pro ætatis, corporis conſtitutionis, anni temporis ratione, ſumunturque ad aquæ ℔aij ligni ℥ iij. vſque ad x ij. Si enim anni tempus & corpus ſit calidius, tutiſſimum eſt minorem ligni quantitatem ſumere, & longiore tempore curationem tuto perficere, quàm medicamento potentiore damnum aliquod afferre, præſertim primis curationis diebus, & priuſquam humores ſuperflui imminuantur, & ſudor facilè ac exquiſitè fluera incipiat, ægerqua decocto aſſueſcat: Scribitque *Euſt. Rudius* lib. 5. de morbis Occultis cap. 13. ſe vidiſſe ægros qui ob hunc errorem, nimiam ſcilicet ligni quantitatem primis diebus adhibitam, in febrem inciderint, ut poſtea ab vſu decocti fuerit abſtinendum magno cum damno. *Sennertus.*

XIX. *Fallopius* lib. de lua cap. 46. eos reprehendit qui ſtatuunt *decoctum* in B.M. factum eſſe dilutius ſeu minus potens: atque decoctum factum in balneo præſtantius illo eſſe quod fit igne aperto, probare conatur exemplo aquarum deſtillatarum, quæ per Balneum præſtantiſſimæ parantur, cum in his nulla aduſtio fiat, ſed major eliquatio, quæ fit in calido humido, decoctum præſtantius reddat: Verum aliud docet experientia, quam ratio confirmat: Etſi enim è quibuſdam plantis humidioribus, vt roſis, violis, lilio convallium & ſimilibus recentibus, quarum vis in parte volatili conſiſtit, optimæ aquæ fiant, etiam ſine aquæ affuſione, in balneo; tamen in plantis calidioribus, præſertim radicibus & lignis, quorum vis in parte oleoſâ conſiſtit, nunquam earum vis per balnei calorem nimis mitem elici poteſt: id quod etiam in multis ſeminibus accidit; ſed opus eſt deſtillatione per veſicam, per quam, vehiculo aquæ, partes illæ fixiores elevantur: Cum ergo tota vis *Guaiaci* in parte illâ oleoſâ & reſinoſâ conſiſtat, atque vt ea eliciatur forti coctione opus ſit, eam calor balnei lentus præſtare non poteſt, ſed coctione in igne aperto opus eſt, quæ tamen ſi ſufficiens aquæ quantitas addatur, nullam aduſtionem inducit. *Idem.*

XX. A. *Minadous* l. de lue c. 4. melle inprimis decoctum dulcorandum ſtatuit, mellis enim exiguam quantitatem, ſi ſimul coquatur & deſpumetur, omnem amaritudinem infringere; decoctum majorem vim abſtergendi, attenuandi, aperiendi fundendique humoras, ac membra roborandi acquirere cenſet: Quod vt in corporibus pituitoſis, imprimis ventriculo frigido locum habere concedimus: ita cum mel facile bileſcat in corporibus bilioſis, calidis & ſiccis, non tuto vſurpari putamus, ſed commodius & tutius paſſulas, glychyrrizam aut ſaccharum, ſaporis gratia, & ut amaritudo & acrimonia minuatur ſub finem coctionis addi cenſemus. *Idem.*

XXI. Nonnulli in iis quibus epar calidius & ſiccius, ſub finem decoctionis unam atque alteram radicem cichorij, endiviæ, ſonchi man. j. vel ij. addunt: At cum talia decocta diu ſint continuanda, cavendum ne talium admiſtione ingrata reddantur ęgroque nauſeam pariant: Deinde cum decoctum ad plures dies ſufficiens plerumque coquatur una vice, tales autem herbæ additæ faciant ut decoctum minus diu duret, ut hoc præcaveatur, non toti decocto, ſed ejus ſaltem ℔j. herbæ tales addendæ. *Idem.*

XXII. Monent quidam decoctum iſtud ligni cum vehiculo eſſe exhibendum, quod vim medicamenti ad membra magis affecta deducat: Id ut planè non improbamus, ita abſolutè neceſſarium non putamus, cum facile vis decocti totum corpus permeet: Id vero cavendum ne talium addicione decoctum nauſeam pariat: Ideo rectius quidam talia medicamenta, pulveris, boli &c. forma exhibent. *Idem.*

XXIII. Extractum ligni, cenſente *Saxonia*, vix tam validas vires habet vt poſſit morbum antiquum & maximum vincere, ſed ijs meritò decoctum præfertur: Si cui tamen uti libeat, poſt ejus vſum liquore aliquo superſumpto opus eſt, cujus vehiculo extractum in totum corpus diffundatur. *Idem.*

XXIV. Chymici metuentes ne longa decoctione, quæ fit vel ad dimidias, vel ad iij. ſpiritooſæ ac ſubtiles partes exhalent & diſſipentur, atque ita virtus medicamenti minuatur, ſcobem *Gajaci* retortæ indunt, & aquæ ſ.q. affuſa retortam in cineres ponunt, & recipiens vas applicant, ac igne ſuppoſito primò digeſtionem, deidne deſtillationem perficiunt, ad dimidiæ partis aquæ conſumptionem; deſtillata aqua exhibetur ad ℥iv: Commodiſſimum tamen eſt ſi aqua deſtillata cum reliquo decocto in retorta colato miſceatur: ita enim integræ vires habentur: Supra decoctum in retorta reliquum iterum aqua affundi, & per horas xij. digeri, ac poſt deſtillari poteſt; liquórque deſtillatus potus loco exhiberi: Et cum interdum accidat vt infantes infecti lue Venerea naſcantur, vel à nutricibus inficiantur, deſtillatum hoc, ſaccharo dulcoratum, loco julepi ipſis exhiberi poteſt. *Idem.*

XXV. De Salſaparillæ decocto notandum, eos qui ſumptui parcere nolunt, & decoctum efficacius expetunt, ſolum corticem, ut qui efficacior radicis pars eſt, ſumere, medullam varo interiorem abjicere debere, vtpote quæ minus efficax eſt: imo, vt à nonnullis perhibetur, frigidior, & quandam adſtringendi vim habet. *Idem.*

XXVI. Si *primo decocto* herbę aliquæ additę fuerint, ſecundarium ex ejus reliquiis non parandum, cùm nauſeabundum foret, ſed dilutius parandum & recens: Nónulli etiam ſub finem decoctionis vini quintam partem adjiciunt; Id tamen non ſolum faciendum

dum cenſet *Fallopius*, cum vel æger domo egreditur, vel cum ventriculus debilis eſt, præſertim ſi decoctum ſit è Salſa paratum. Ex China autem etſi aliqui ſecundum decoctum conficiant, *Palmarus* tamen prima coctione totam facultatem transfundi credit; Imo nonnulli primum decoctum in prandio & cœna propinant, cum guſtui non ingratum ſit. *Idem.*

XXVI. *a.* Quamvis autem exoticorum medicamentorum quadriga, (*China, Salſaparilla, Guajaco, Saſſafras*) ſoleamus omnes Practici plerumque uti, non deſunt tamen apud Nos tum Radices, tum Ligna, tum Cortices, quæ idem tam *potenter*, tam *facile*, tam *tuto* & tam *jucunde* præſtare poſſint quam iſta exotica, & ſubinde ſuis ea parte viribus privata & exoleta. Talia vero noſtratia ſunt *Radices Smilacis aſperæ*, petaſitidis &c. *Radices, Cortices & Lignum Juniperi*, una cum ejuſdem baccis, Lignum quercus & ſimilia plura: Utique non contemnenda exotica, ſed nec negligenda noſtratia, quæ ſicut nata ſunt in noſtro ſolo, ita cum noſtris corporibus majorem habent affinitatem, faciliusq; imo efficacius in eadem operari obſervantur quam exotica. *Sylvius de le Boë App. Tract.* 3. §. 193.

XXVI *b.* Modus autem tam Decoctis Aromaticis, quam cæteris Acidum ſpiritum temperantibus medicamentis utendi optimus eſt, Si ſæpius in die aſſumantur, & quidem quantitate minori, quo lenem, eoque laudabiliorem mutationem ac emendationem introducant in ſanguinem, Omnis enim mutatio ſubita, & præſertim magna, periculoſa; Quinimo licet, æque utile eſt, eadem alterantia alimentis admiſcere, atque tum in prandio, tum in cœna, potus alterius loco, prædictis Decoctis, uti, quo alimentis admiſta una cum chylo, quem præſtantiorem faciunt, facilius, blandius, & utilius toti maſſæ ſanguineæ admiſceantur, ipſamque inſenſibiliter emendent, ſicut id ſæpius tum in Lue venerea, tum in alijs affectibus, cum magno ægrorum commodo a me factum novi. *Idem* §. 205.

XXVI. *c.* Quo *Sudor felicius prodeat*, attendendum ut eadem Decocta, quæ prius ad ſolam humorum alterationem fuerant exhibita, ſi ſudor obtineri debeat, vel majori copia exhibeantur, vel fiant potentiora: Sumantur proinde in quantitate dupla vel tripla, & quidem aut ſimul, aut vicibus partitis, ſed per intervalla brevia, e. g. intra horæ dimidium: Sic enim non tantum aucta Sudoriferorum vi, ſed liquore ipſo aucto, ſudoris eruptio promovebitur. Quod ſi Ægro grave ſit majore copia ſæpiuſque aſſumere, idem Decoctum potentius paretur, quod fiet ſi minus Liquoris plantis affundatur, & quandoque diutius decoquatur: Longiori namque coctura, plus virium elicitur è plantis, ac præſertim è Lignis ſolidioribus, ac ſegnius vim ſuam aquæ concedentibus: Notum inſuper multa aqua dilutius ac debilius reddi cujuſvis rei decoctum, pauca vero ſpiſſius ac potentius:

Multum quoque ad promovendum Sudorem facit ſi Decoctum calens uſurpetur, longe namque citius, longe potentius quovis penetrant medicamenta calentia quam tepida vel frigida: Adde quod calenti decocto comes ignis, ſolvat quoque pituitam in corpore viſcidam, temperetque Humores Acidos, in hoc affectu debellandos expellendoſque.

Sed utile eſt ut prætetea corpus diſponatur ad Sudorem ferendum, vel componendo corpus in lecto, operiendoque, ſtragulis, vel ingrediendo Laconicum; vel currendo, aliaſve corpus vehementer agitando: Ut enim ſola hæc Sudorem excitare ſolent, ijs eadem ipſum non poſſunt non promovere. *Ino*

ſegnius ipſo adveniente Juſculum calens aſſumere conducit. *Idem* §. 237. *& ſeq.*

XXVI. *d.* Hæc *Sudorifera Decocta* per urinas quoque operantur in multis, ac præſertim quando ſimul ſeorſim quædam Diuretica dicta uſurpantur: Simul commodius uſurpantur Diuretica, ſi radices, aperientes dictæ, aliæve plantarum diureticarum partes, baccæ, ſemina &c. incoquantur cum cæteris Sudorificis: Tunc enim & Sudores & urinæ ſimul propelli poſſunt: neque puto m aliquem hic metuere impedimentum alterutri evacuationi futurum à diverſitate medicamentorum, poſtquam pleraque indicant utrique Indicationi promovendæ inſervire utraque, Et tam ſudorifera promovere quodammodo urinas; quam Diuretica promovere ſudores: Non eſt proinde ut in Luis curatione per Diuretica inſtituenda diu hæream, cum nullam difficultatem malignem habeat conjunctam: Inprimis obſervandum eſt Medico, An æger aſſumptis Decoctis, ea diureticis vel ſudoriferis paratis, magis vergat ad ſudores vel urinas, quo illa evacuatio maxime promoveatur quæ facilior eſt ægris, & à qua exinde plus commodi expectari poteſt: Quoties igitur notamus Ægrum difficilius ſudare, copioſius autem urinam cum craſſam, cum ſedimento multo & laudabili plenam excernere, non decet in tali Sudorem vi propellere; verum ea ſola urinæ expulſione curationem primariam expectare: Quin non erit extra rem ut in tali caſu augeatur in decoctis diureticorum quantitas; vel ſubinde ſeorſim aſſumant, ægri Decoctum ex convenientibus Diureticis paratum: Humor namque pituitoſus convenienter à reliquo ſanguine ſecretus, vel in renibus ipſis, vel in corde, e mendata efferveſcentia in dextro ipſius ventriculo, à diverſis eo confluentibus orta, deponitur feliciter cum lotio, proditque facilius quam cum ipſis ſudoribus. *Idem* §. 150. *& ſeq.*

XXVII. Specificis ſolis *Alexipharmacis* quidam non confiſi, communia addi volunt: *Fernelius* primum decoctum hauſturis Opiatæ ſeu antidoti alexipharmacæ ſuæ prius ʒß. vel ʒj. exhibet: *Palmarius* hunc ſequutus Antidotos duas concinnavit, & *Rondeletius* commendat aquam ſuam Theriacalem: *Ant. Musadous* exiſtimat Theriacam contra virulentiam veneream alexiterium eſſe præſtantiſſimum: verum ut non diſſuadeo uſum talium in hac lue, cum alias etiam moris eſſe ſoleat, cum quis venenum hauſerit, vel quocunque modo acceperit, & quale ſit ignoretur, theriaca & communia alexipharmaca propinentur, ita nulli author eſſe volo ut in hiſce medicamentis ſolis confidat, & propria illa negligat, Et à paucis etiam Medicis id factitatum video, quos experientia docuit ſine *Guajaco* &c. morbum hunc planè non elui: Neque ſequitur quod ideo, quia quidam lue incurabili laborantes *Guajaco* curari non potuerunt, plus ſpei in his medicamentis ponendum ſit; Qui enim proprijs illis alexipharmacis curari non potuerunt, multò minùs his communibus curabantur. *Sennertus.*

XXVII. *a.* Hydrargyrum alij frigidum, alii calidum eſſe ſtatuunt, ac frigidum eſſe exinde quidem probare contendunt quod damnum ab eo corpori humano illatum calefacientium uſu curetur, puta ſalvia, hyſſopo, origano, hoſmino, ruta, caſtoreo &c. Sed iſta medicamenta non ideo ad affectus p. n. ex hydrargyro adhibemus quod ſolum calida ſunt, ſed quia cerebro & nervis ſunt amica: & prætetea, quod ipſi conducunt, ſpecifica proprietate Mercuriali virulentiæ

adverſantur: Præterea, ſi quæ calida ſunt adhibentur, non quà neurotica, alia calida, quæ ea vi ſpecifica deſtituuntur, id præſtarent. *Idem.*

XXVIII. Vnguentorum ad inunctionem baſis eſt *hydrargyrus*, qui eligendus eſt purus, aut ex cinnabari vivificatus, ioiſocudúſque cum pinguedine porcina, gallinacea, butyro, ol. terebinth. vt vivus amplius ad viſum non appareat, quod mortificare vulgò dicunt: Nonnulli quædam varia alia ad ejus malitiam corrigendam, & quidem pro varia morbi conſtitutione alia atq; alia miſcent, quæ tamen parùm præſtant, hærent enim illa, ſeu oleoſa & unctuoſa, ſeu alia, in cute & corporis ſuperficie, nec hydrargyrum in penitiores partes ſequi, nec ejus malitiam corrigere poſſunt: Quæ verò admiſcentur, neceſſariò eo fine admiſcentur vt hydrargyrus in minima corpuſcula redigatur, & ita facilius ſeſe in corpus inſinuare poſſit: Nonnulli ad varia reſpiciendum cenſent, ideo *Saxonia*, ſi topbi adſint, addit quæ emolliunt, ut axungias & adipes anſeris, anatis, medullas crurum bovis, butyrum, ol. amygd. dulcium: Si vlcera adſint, addere jubet pulveres ſiccantes, thus, myrrh. aloën, lithargyrum, ceruſſam: quæ ſi prava ſint, cinnabarin & præcipitatum addit: Præterea admiſcere præcipit medicamenta quæ partes roborent, & quæ partes magis læſas & principales reſpiciant: Ideo ſi articuli laborant, ivam addere; ſi hepar, hepatica; ſi ventriculus, ſtomachica jubet: præter cætera verò ipſi probatur vt inunctioni addatur oleum è ligno S. Quæ omnia vt non improbamus, ita explicatione indigent: Primo, ſi tumorum, vel ulcerum imprimis gratia inunctiones inſtituantur, commodè ipſis medicamenta admiſceri poſſunt: verùm ſi præcipuè Salivatio & ptyaliſmus intendatur, operoſa iſta compoſitione opus non eſt: Deinde hydrargyrus ipſe ſi ſit ad minima redactus, facilè penetrat nec adjuvantibus opus habet, nihilque eſt quod eo facilius penetrare poſſit: 3. vix perſuaderi poſſum quod medicamenta extra inuncta ad ventriculum & epar penetrent: hoc mihi præcipuè probatur quod vnguentis iſtis oleum *Guajaci* admiſcendum cenſet. *Idem.*

XXIX. Ante inunctionem corpus vel purgantibus, vel V. S. vacuandum: etenim ſi vitioſi humores plurimi in corpore abundent, metus eſt ne uſu inunctionum hatum confeſtim ad fauces irruant, ægrumque ſuffocent: vel ad cerebrum rapti, apoplexiam aut paralyſin excitent; Ideóque prius pars eorum evacuanda eſt: Si etiam ſanguinis adſit copia, ne æger faucium inflammationem vel febrem patiatur, ſanguinem imminuere vtile eſt: *Fallopius* quoque, vt pars materiæ abſumatur, viſcera roborentur, & ob hydrargyrum non offendantur, ante inunctionem diebus 8. vel 10. decoctum ligni exhibet. *Idem.*

XXX. Cum ſalivatione ſudores nonnulli promovendos cenſent: verùm ſi natura ad ſalivationem tendat, ſudorem ciere non convenit, ne contrarij motus fiant: Si verò natura ſponte ad ſudores tendat, nec id prohibendum. *Idem.*

XXXI. Multus in hoc morbo ſermo paſſim eſt de *Victu tenui*: At cum hic vires quodammodo imminuat, aut parum debilitatas ſervet, talis acutis ſaltem convenit, qui cum non diu durent, vires etiam nonnihil debilitatæ ad eorum finem perſiſtere poſſunt: Cùm verò morbus Hiſpanicus ſit morbus chronicus, & curatio ad pluris ſeptimanas extendatur, ſi vires tenui victu dejiciantur, ad finem morbi durare non poſſunt: Quod verò Medici pane imprimis & uvis paſſis ægros cibant, cauſam hanc eſſe puto quod ſimpliciſſimum cibum, eumque boni ſucci exhibere volunt: cum enim varietas ciborum facilè vitioſos humores ſuppeditet, carnes verò & piſces, ſimileſque cibi, facilius corrumpantur quàm panis & uvæ paſſæ, ægris etiam varietatem ciborum & carnes prohibere eosque ſolùm pane & uvis paſſis cótentos eſſe voluerunt. *Id.*

XXXII. Plurimi *Panem bis coctum* commendant, imò ſolum admittunt: quem ut corporibus fortioribus, humidioribus, pituitâ & excrementis ad putredinem inclinantibus potiùs quàm aduſtis abundantibus, non improbamus, ita panem ſemel rectè coctum, non nimis humidum, vt alimentum maximè familiare omnibus naturis, concedimus: imò biſcoctus ſua videtur habere incommoda, nec enim facilè coquitur, at pleriſque lue laborantibus languet ventriculus: hi præterea exuſtis humoribus abundant, qui pane bis cocto augentur, contra à vulgari pane, tanquam humidiore, temperantur, ac tandem plus alimenti & ſanguinis boni ab eo accedit, pote temperato. at temperatum intemperato præferendum. *Sennertus, Fonſeca Conſult.* 34. *Tom.* 1.

XXXIII. Quamprimum radix Chinæ innotuit, à plurimis ligno *Guaiaco* prælata eſt: verum experientia illam famam poſtea minuit, ſcribitque *Palmarius* c. 14. multos magno ſuo incommodo radicem hanc *Gaiaco* prætuliſſe; ſeq; experientia comperiſſe, quod, etiam in magna victus parſimonia, adverſus hanc luem inefficax fuerit: ſæpe etiam ejus decocto ita humeſcere ventriculus viſus ſit, & calor nativus opprimi, vt lienteria gravis, magnáque cruditas non raro ſubſequuta fuerit, quibus imbecillus inſiti caloris fomes fuerat. Præterea non raro etiam lienis tumores atque duritiem diutius vtentibus inducere ſcribit. Neque etiam occulta qualitate adverſus luem hanc præcellentes vires habere concedit, cum poſt ejus vſum in morbi recidivam, qui ſibi jam bene eſſe crediderunt, quotidie relabantur. Quod & confirmat *Fallopius*, qui & ter & quater ſe iſta radice ad hunc morbum curandum vſum eſſe, nihil vero ea efficere potuiſſe ſcribit: Et ſi forſan vnus aliquis qui neque *Guaiaci* decocto, neque hydrargyri inunctione ſervari potuit, Chinæ decocto ad ſanitatem rediit, ejus rei hanc putat eſſe cauſam *Palmarius*, quod natura varietate remediorum gaudens, & fortiorum pertæſa, tandem minus efficacibus allevata fuerit. *Sennertus.*

XXXIV. Monent nonnulli, vt non plus decocti ſemel paretur quàm vna die abſumi poſſit, cum refrigeratum facile aceſcat: Ideo etiam id in cineribus tepidis aſſervari jubent: Sed experientia docuit etiam ad iv. dies durare: Quia tamen aceſcit, id ipſum docet radicem hanc aliquid ſpirituoſi & alimentarij, quod fermentationis, & hinc aciditatis cauſa eſt, in ſe habere. *Idem.*

XXXV. Etſi plura Luis alexipharmaca ſint, ex ijs tamen alia alijs efficaciora ſunt, atque alia alias qualitates habent, quibus nunc huic, nunc illi ſcopo inſerviunt: ideo raro unum ex his ſed ſæpe plura uſurpanda ſunt: Equidem, ſi morbus ſit ſimplex, neque viſcus aliquod laboret, & intemperies aliqua inſignis in parte aliqua ſit, quæ vſum *Guaiaci* prohibeat, præſtantiſſimum id eſt inter omnia, quod & occultis qualitatibus & manifeſtis reſiſtit: Si vero affectus aliquis jungatur, Salſam, Chinamque addere ſæpe vtile eſt: Circa alterantia addi ſolita, cavendum ne additione cichoraceorum & intibaceorum ac refrigerantium, quæ ad calorem ligni *Guajaci*, qui tamen ita formidandus non eſt, temperandum adduntur, ſudores qui vnicè expetuntur, & qui plus commodi afferunt quam levis calefactio damni, impediantur: Ideo bis miſſis, ut ſaltem de alexiphar-

lexipharmacorum miſtione dicamus, ſi ægri natura ſit valde calida & ſicca; humores à capite ad pulmones & thoracem, aut alias partes impetuosè ruant, ſolum *Guajacum* non commodè adhibetur; cùm partes ampliùs calefaciat & ſiccet, & humores caliditate ſua fundat & moveat: ſed tum Salſa tutior eſt, & China adhuc commodior, quæ caliditatem ſimul temperat, adſtringendique vim habet, quâ fluxiones ſiſtit: Contra ſi virtus ſit imbecillis, & oculorum debilitas adſit, Salſa non commoda eſt, cùm ventriculum lædat & oculorum aciem obtundat: Si magna adſit atrophia (modò non à lue ortum habeat, tunc enim hac, vt cauſa, ablata, ipſa macies quoque ceſſat & corpus meliùs nutriri incipit) *Guajacum* & Salſa non ſatis tuta ſunt: China verò tum longè vtilior eſt, utpote quæ ſubſtantificè humectat: præ cæteris ad tabem a nonnullis commendatur Salſa parilla: Nonnulli de *Guajaco* ſcribere ſunt auſi ejus decoctum non minus nutrire quàm pulli, at hi nimij eſſe videntur; etſi enim aliquid forte ſucci alimentalis in decoctum deponit, tamen in pullo plus eſſe alimenti nemo ſanæ mentis negabit: Si quidam ab ejus vſu corpulentiores ſunt facti, id ex accidenti eſt, ſublatâ virulentiâ luis quæ nutritionem in toto lædebat: Ita ſi atroces dolores ægrum infeſtant, aut gummaroſi tumores, aut inſignia vlcera junguntur, Salſa vtiliſſima eſt: Ita pro ægri conſtitutione, & morborum conjunctorum natura, nunc hoc nunc illo alexipharmaco; nunc omnia, in majore vel minore quantitate, admiſcere vtile eſt: *Sennertus.*

XXXVI. Quidam Purgantia in decoctis planè rejiciunt, & ea nec decocto admiſcenda, nec ſeorſim vſurpanda eſſe ſtatuunt, eò quod corpora antequam accedant ad vſum horum decoctorum diligenter purgari ſoleant; 2. Quod purgantia & ſudorifera motus contrarios efficiant: Alii hæc miſceri volunt, quò alvus continuò laxetur & ſanguis mundetur: Alii hæc miſceri nolunt, ſed certis intervallis, vt 8. vel 10. die purgans dari, quod optimum. Etſi enim corpus ante horum uſum purgetur, tamen facilè aliquid reſtare poteſt, & ſubinde etiam colligi: ac ſudores tantum tenuiora educunt, relinquunt craſſa: Neque ſic contrarij motus fiunt, eo enim die quo purgatio inſtituitur, ſudorifera non exhibentur. *Idem. felix eſſe conjugium purgantium cũ hidroticis* vide *Tit. de Purg.* §. 51.

XXXVII. *H. Saxonia* l. de lue c. 38. ſingulis diebus poſſe *Purgationem* inſtitui ſtatuit, in ijs in quibus ſudor vel non poteſt vel non debet excitari: Non poſſe ſudorem provocari cenſet in iis quibus cutis adeo dura & denſa vt nullomodo poſſint ſudare: vel quibus, quamprimum ſudorifera dantur, leipothymia vel syncope accidit. Non debere verò eos ſudare putat quibus lues artus non obſidet, nec habitum corporis, ſed potiùs circa viſcera poſuit ſedem: At mihi conſentanea non eſt hæc opinio, quod enim putat ideo quibuſdam eſſe exhibenda purgantia, quod non poſſint ſudare ob cutis denſitatem, vel quod leipothymia incidat, nec rationi, nec experientiæ conſentit, Etenim vix cuiquam cutis adeo denſa vt pori ad ſudorem nullomodo pateant: qui licet primis diebus ſtatim non ſuccedat, vſu tamen decoctorum, humoribus attenuatis & laconicorum ope, tandem prorumpit: quem poteſt Medicus ita moderari vt leipothymia non accedat: Et qui ſudores non ferent, ij nec purgationem: Tandem purgantia idem quod ſudorifica præſtare nequeunt: Quod verò in quibuſdam hidrotica exhiberi non debeant, falſum: Et ſi enim circa epar & viſcera lues primariam ſedem habere poſſit, tamen fieri non poteſt quin ſimul vitioſi humores in toto corpore abundent, cùm epar hac lue infectum virulentum ſanguinem generet, eumque in totum corpus diſtribuat. *Idem.*

XXXVII. *a.* Præter Sudorifera & Diuretica, in blandiore Luis cura uſurpanda quoque *Purgantia* per alvum, quæ, cum ea præmiſſis conſtet requiri Phlegmagoga, non parum noſtram ſententiam confirmat hic Experientia, omniumq; Practicorum conſenſus, *Colocynthidis pulpa* inter vulgaria, & *Mercurialibus* inter Chymica primas tribuens: Sunt autem iſta præcipua humori pituitoſo viſcidiori evacuando dicata; Non male proinde colligebamus Pituitæ viſcidæ admiſceri venenum Venereum, quin illam etiam tum producere, tum augere, atque nunc cum eadem commodè evacuari, ſed poſtquam prius fuit quodammodo talem correctum. *Sylv. de le Boë App. Tr.* 3. §. 257 *&c.*

XXXVII. *b.* Sunt, inquam, *Colocynthis*, & plerumque ea *Mercurio* præparata medicamenta, tum Humori pituitoſo viſcido, tum Lui curandæ omnium Practicorum, per experientiam doctorum, Calculo convenientiſſima remedia: Cui autem vulgaria videntur magis tuta, illi commendamus ipſam Colocynthidis pulpam, in Decocti Sudoriferi parte, aliove Apozemate decoctam, & bis terve in hebdomade, ad humores craſſiores viſcidioreſve, nec facile vna cum ſudore per poros corporis expelli aptos, per alvum deturbandos uſurpatam: Nam præterquam quod admodum difficulter humores pituitoſi, ſanguinis maſſæ confuſi, expelli poſſunt cum ſudore per poros corporis, accedit quod Pituita multa, tum una cum Saliva, tum una cum ſucco Pancreatico deponatur ad inteſtina; unde ſatius eſt ipſam aliquoties in hebdomade deponi per alvum, quam continua ſolàque ſudoriferorum uſurpatione reduci ad ſanguinem, atque ſic curam reddi tum longiorem tum difficiliorem. *Idem* §. 259.

XXXVII. *c.* Cui non libet ob ſummam colocynthidis amaritudinem illa vti in Decocto, licet *Trochiſcos alhandal*, ea ipſa paratos, vſurpare in Pilulis, additis quæ Pituitam eandem ſimul incidant & educant, Gummatibus præſertim, galbano, ſagapeno, opopanace, ammoniaco, bdellio, maſtiche &c. Quales Pilulas non ſemel præſcripſimus in Noſocomio ægris. *Idem* §. 262.

XXXVII. *d.* Poteſt quidem ſola Colocynthide evacuari humor pituitoſus in Lue peccans, longe autem felicius faciliùſque id fiet ſi *Mercurialia medicamenta* illi copulentur, aut ſola vſurpentur, poſtquam & blandius & potentius illud efficere ſolent Mercurialia quam vulgaria omnia: Merito igitur non tantum à Chymicis, ſed à *Galenicis* quoque dictis Medicis, laudantur tum in omni pituita viſcida educenda, tum maxime in Lue curanda, medicamenta ex Mercurio, & quidem tam ſublimatione quam *præcipitatione* parata. *Sublimata* bina occurrunt, *Corroſivum* & *Dulce* dictum: Illo neglecto ob ſummam acrimoniam, & ſummæ noxæ futuræ periculum, & magis temerarijs relicto, laudo & commendo vnicuique Mercurium ſublimatum dulcem (Vide *ſupra* §. 5.) qui paratur ex prædicto corroſivo, vna cum Mercurio crudo trito, & ſic ſimul ſublimato, vnde blandus & dulcis, non vero corroſivus amplius elevatur. *Idem* §. 263.

XXXVII. *e.* Præter dictum Mercurium Sublimatum, tam Corroſivum quam dulcem, commendantur plurima *Præcipitatorum Mercuriorum* genera, quæ ut colore differunt ita & viribus & operandi modis, dum alia per alvum

dnutaxat operantur, alias etiam vel imprimis per vomitum, aut ſalivationem; Unde pro re nata modo his modo illis convenit uti: Vſurpari poſſunt commodiſſime quando *pilularum* forma exhibentur, ne ſalivatio tam facile, nondum quæſita promoveatur: Cum hoc loco *Præcipitatum* laudemus ad Pituitam, Luis Venereæ veneno infectam, per alvum expurgandam, ſciendum conducere in hunc finem maxime fixum; nam quo fixior eſt Mercurius præcipitatus, eo minus vel vomitum vel ſalivationem promovet, & contra: Inter autem omnes *Mercurios. præcipitatos* commendatur valde *Coralſinus*, ab eleganti colore nomen habens, atque iterata ſæpius ſpiritus acidi abſtractione paratus: Tali ergo Mercurio diverſimode Præcipitato, (Vide *Lib.* 19. *tit. de Purgantibus* §. 50. *a.*) & pro re nata, h. e, ægri conſtitutione diverſa, humoribuſque in ipſo repertis variis ſelecto, uti convenit ad Luis eradicationem. *Idem* §. 275. *&c.*

XXXVII. *f.* Tamdiu autem perſeverandum eſt in Mercurialium medicamentorum uſu, donec omnia Luis ſymptomata primaria ejus ope fuerint ſublata: Imprimis autem cavendum ne quid nimis fiat, & nimia copia exhibeantur, quin ſatius eſt eadem minori quantitate, ac ſæpius aſſumi, ne potentius commotis humoribus plus noceant quam proſint: Mirum enim præ alijs medicamentis effectum habent Mercurialia, dum cætera vt plurimum brevi opus ſuum perficiunt, Mercurialia vero lente inchoatum opus diu continuant, nec ſemper facile aut tuto ſiſti queunt. *Idem* §. 285.

XXXVII. *g.* Majus autem à Mercurialibus imminet ægris periculum ob Salivationem, quam tum facile, tum una cum evacuatione per alvum vomitumque cient, vnde quoque plus periculi ægris accedit ob ſuffocationis metum, pituita viſcida turgentibus glandulis circa fauces: Prudentia igitur opus eſt in *Mercurialium* adminiſtratione, quæ conſiſtit præſertim in lento eorum uſu, & accurata obſervatione turbarum & agitationum quas excitant nonnunquam in corpore prius quam potentius expurgent humores: Solent, inquam, præ cæteris medicamentis omnibus Mercurialia, tum circa regionem lumbarem, tum circa gingivas, genas & fauces ſingulares alterationes excitare, atque operationis ſequuturæ certa ſigna exhibere: Quoties igitur poſt ſumpta Mercurialia ægros ſuos audit Medicus aliquid moleſtiæ in prædictis partibus percipere, toties obſervabit attente num aliqua evacuatio inchoetur, atque illa moleſtia per nauſeam, ſimilemve irritationem ſpondeat futuram brevi excretionem: Quæ idcirco lentius procedere ſolet, quoniam in humore pituitoſo viſcidóque ſuperando occupatur Mercurius, quem ſolvi ac diſſolvi oportet priuſquam expellatur: Quamdiu ergo agitatio illa humorum pergit, vel augetur, tamdiu ab vlteriore Mercurialium vſurpatione abſtinendum, nec niſi juſculum forſan, aut decoctum conveniens dandum, cujus ope diſſolvatur facilius & magis humor viſcidus, ſicque adjuvetur Mercurialis medicamenti operatio. Decoctum in hunc finem conveniens erit laudatum (*ex hidroticis & diureticis, radicibus &c.*) ſive ſumatur debilius, & ſoli humori alterando dicatum, ſive vſurpetur potentius & ſudoribus ſimul propellendis ſerviens, ſive præferatur quod ſimul per alvum evacuare aptum eſt, quo magis deorſum, minus ſurſum ferantur humores à Mercurio ad evacuationem moti & agitati. *Idem* §. 285. *& ſeqq.*

XXXVII. *h.* Quamvis in *Vomitum* ad Luis curationem ciendo, haud incongruentia putem varia ex Antimonio parata medicamenta, non poſſum tamen cum Mercurialibus conferri ac his æquiparari, ſi vnum forſan excipias *Vitæ Mercurium*, medicamentum vere Antimoniale, in Regulum quippe facili negotio, & ſola cum ſulphure fuſione reducendum: Niſi quis ergo ad ciendum Vomitum uti malit vitæ Mercurio, ad Luis curationem optimo medicamento, vſurpare poterit varia ex Mercurio ipſo parata medicamenta, eáque jam memorata præcipitata & ſublimata: Inter priora præferantur minus fixa, Inter poſteriora, potentius efficaciuſque exiſtit corroſivum, ſed vtique magis periculoſum, Quin facilius frequentiuſque Vomitum cient *Præcipitata* minus fixa, quam ſublimatum dulce, illa igitur præferenda quoque: In quorum omnium vſu legitimo attendendum ſedulo *ad cujuſvis* ægri conſtitutionem peculiarem, hancque conſequentem operationem Mercurialium diverſam: *Idem* §. 297. *&c.*

XXXVIII. An *Vomitus* convenit? Creditu difficile eſt quod à remotiſſimis partibus, nempe pudendo & juncturis, poſſit humor ad ventriculum remeare: Adde quod violenta emetica, etſi tenacem humorem excernant, deleteriam tamen vim morbi non retundunt, imo vehementia & acrimonia naturæ nocent, os ventriculi, hinc cor lancinant: Attamen vomitui locus eſt cum morbus præ contumacia purgationi iteratæ, ſudorificiſque auxiliis non ſuccumbit, tunc robuſtis exhibenda quæ per vomitum venenatum hunc ſuccum expurgant: Domum conſtat morbos chronicos, à craſſis humoribus ortos, vomitus ope ſanari, podagram, epilepſiam, melancholiam, hydropem, lepram, ut teſtis eſt *Paulus* lib. 7. cap. 10. Sed eligantur vomitoria, quæ præterquam quod terreſtres humores exhauriunt, proprietate ſua etiam veneficam morbi qualitatem coërcere valent: In hunc vſum pulvis *Iohann. de Vigo*, Præcipitatum dictum, valet, ℞. *Dicti pulver. gran. iv. infunde per noctem in aqu. roſar.* ℥ *ij. colat. adde pulver. diarrh. abb. aromat. roſat. diamarg. f. ana.* ℈ *j. diacath.* ʒ *j. miſce f. Bolus.* Valet & Antimonium præparat. &c. *Zacutus.*

XXXIX. Sed cave ne *Pulverem* hunc *Vigonis* cum pilul. fœtid. aut fumar. miſceas, ne à motibus contrarijs diverſimode alteretur natura. *Idem.*

XL. Non adultis ſolum, ſed pueris *Mercurium in potum* eſſe exhibendum in varijs morbis, ex pluribus authoribus conſtat: Nos ſæpiſſime in contumaci lue, cæteris non conferentibus, pilulas ex Mercurio cum theriaca vel ex præcipitato cum cardiacis fœlici cum eventu propinavimus, quæ tenaces humores vomitu & ſeceſſu expurgant: ſumat quotidie pilul. unam, ſex horis ante cibum, xxx. diebus: ℞. *Pulv. præcipit.* ℈ *j ß. hydrarg. extincti* ℈ *j ß. theriac. magna* ʒ *ij. ſcammon.* ℈ *ß. diamargar. arom. roſat. margar. præpar. ana.* ℈ *j. moſchi gr. x. ambar. gr. v. zibetti gr. iv. miſce f. Pil. xxx. Zacutus Prax. adm. lib. 2. Obſervat.* 133.

XL. *a.* Laudamus non ſine cauſa imprimis *Mercurium crudum*, axungiæ porcinæ &c. immiſtum, & foriſecus variis articulationibus affrictum, quoniam Pituitam omnem in corpore vniverſo ſolvit, hinc ad Conglomeratas tum Salivares, tum Pancreaticas Glandulas ipſam

deducit

dedu[illegible], a[illegible]e tum ptyaliſmum, tum quandoque nau[illegible] v[illegible]itumque vel alvi fluxum excitat: Cu[illegible] vero quia Spiritus Acidus in corpore occu[illegible] ſe facile vnit & conjungit, vna cum ipſa quoque ſolet tunc evacuari & è corpore exturbari, atque vna eademque opera Lues curari. Præter pituitam vero in humano corpore occurrentem, nil forſan eſt extra ipſum cui facilius ac penitius ſe viribus integris admiſceat Spiritus Acidus, quam ipſe Mercurius: Nec proinde mirum ſi Pituitæ tum naturaliter admiſceatur ſpiritus Acidus ad ipſius conſtitutionem, tum præter naturam, quoties in corpore redundat, idem ſpiritus Acidus admiſceatur copioſius & facilius: Sed nec mirum quoque ſi ob eandem ſpiritum Acidum, & naturaliter & præter nat. pituitæ admiſtum, eidem pituitæ admiſceatur Mercurius facile, in quem vim ſuam non & potenter exerit Acidus ſpiritus, atque ſe illi vniendo Pituitæ admiſtæ itidem ſe adjungit: Hanc igitur rationem puto Mercurii in Lue venerea curanda vtilitatis: Ptyaliſmum autem promovet idem Mercurius, quia pituitoſæ ſanguinis parti ſe admiſcens, h. e. materiæ ſalivari, vna cum ipſa ſaliva ſecedit in Glandulis ſalivalibus, quinimo ſalivæ copioſius ſecretæ, h. e. ptyaliſmi cauſa exiſtit: Quoties autem à Mercurio ſimilis materiæ pituitoſæ ſecretio accidit in Glandulis Pancreaticis, toties ſecretio humoris Pancreatici, & quidem viſcidioris, contingit copioſior, vnde non tantum nauſea & vomitus; ſed alvi fluxus quoque ſatis gravis & periculoſus conſequi ſolet nunnunquam. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 3. §. 15.*

XLI. Nonnulli poſt purgationem vniverſalem ſequentibus Pilulis affectum curant ℞. Rhabarb. ℥x. (ʒx.) Scammon. ʒiij. terantur ſuccum vel ſyrup. de limon. affundendo, Argenti vivi panno concluſi, vt granis minimis effluat ℥ij. & ʒvj. extinguatur diligenter eodem ſucco; cumque ſatis extinctum & mixtum fuerit, ſæpe de eodem ſucco vel ſyrupo affundendo, adde farinæ triticeæ ʒij. moſchi ʒj. fiant Pilul. v. pro drachma, diligenter deauratæ; nam Aurum Dioſcoridi mirifice noxam hydrargyri reprimit: ſumat quotidie vnam ſex horis ante prandium, illiſque xxx. dies vtatur: Interea vero nullo alio vtatur medicamento, nec cathartico nec topico, Sed bis in hebdomada tantum bibat aquæ fœniculi ℥j. & aquæ vitæ ʒß. *Chalmeteus Enchir. p. 337.*

XLII. *Narcotica* neceſſitate vrgente ad dolores compeſcendos magno interdum ſucceſſu propinantur, cum præterquam quod dolores ſedent, ſomnum ſimul conciliando ſudores provocent, atque innoxiè, ſicut ſæpiſſime obſervavimus, ſæpius aſſumi queant; Quo nomine & theriaca exhibita tantopere in doloribus hiſce, non ſolum ſudores movendo, ſed & dolores ſedando prodeſt. *Plater*us: In Lue venerea adſit prudentia quoad frequentiam, quia humor craſſus, cui inhæret virulenta qualitas, attenuationem potius quam inſpiſſationem indicat: Concedatur tamen ſævientibus nocturnis doloribus, nec non etiam cum alexipharmacis exhibeatur, vt cum extracto anticephalico &c. Mulier tophis & nocturnis doloribus ad deſperationem redacta, Laudano vſa eſt per annum integrum bis in die: vnde factum eſt tandem vt pauiatim aucta dozi Natura ſibi familiariſſimum hoc medicamentum reddiderit; poſtea cum illa dyſenteria laborans vteretur Laudano, Opium crudum ſumpſit etiam ad ℈j. ſingulis diebus, Inde tandem ſopitus calor nativus, effœtæ vires, facultates omnes proſtratæ; facta ipſa hebes obortus fluxus alvi, contabuit & mortua eſt. *Dom. de Moent* excoſtulum circa femoris interioris partes habés, cum ſummis doloribus, ſummè debilis, & à ſola ſalivatione aridus, imo contabeſcens maraſmo, ad ſomni provocationem, & doloris ſedationem Laudanum ſæpius ſumſit: Poſtea inſtauratis viribus bona diæta, multis pilulis mercurialibus & vino anticephalico, vſque quo convaluit: Melancholicus totus à ſudorifico Iovis habuit optime, licet prius admodum erumperet ſudor, verum a proprietate Mercuriali. *Theod. de Mayerne Tract. de Laudano M.S. §. 23.*

XLIII. Quod nonnulli etiam doctiſſimi viri *hydrargyri* vſum improbare conantur, multis modis quæ ex illius vſu ſequuntur incommoda demonſtrantes, ea certe potius humoris acrimoniæ, aut eorum qui vtuntur ignorantiæ tribuenda exiſtimo quam Mercurio: multa enim ſunt medicamenta quæ plurimam nobis vtilitatem afferunt ſi recte illis vtamur; contra vero jacturam maximam, mortem immaturam, veluti opium &c. Aliorum tamen rationes refellere, aut contrarias in medium proferre mei non eſt inſtituti, ſed affirmare auſim eos qui tantopere Mercurii vſum improbant, aut nunquam, aut non vt decet illius periculũ feciſſe, ſed vt vt ſit, ego tamen confirmo illius vſum me nunquam fefelliſſe, qui quamplurimos ab hac deteſtanda lue, etiam inveterata, Dei beneficio liberaverim. *Chalmeteus Enchir. p. 334.*

XLIV. In Vnguentis non ſunt ponenda quæ valenter ſiccant, niſi vlceribus laborent patientes, quibus ſiccantia proſunt, ſed ſudores cohibent, qualia ſunt præcipitatum, tuthia, litharg. Sed vſurpanda quæ molliunt, laxant & leniter diſcutiunt, vt adipes, medullæ, butyrum: olea lilior. chamæm. anethi, amygd. laurin. lumbric. vngu. reſumpt. dialth. & ſimilia cum argento vivo; quod frequentiſſime ſum expertus, etiam ſi abſque præparatione applicaretur profuiſſe, modo eo recte vtamur, h. e. juſta quantitate atque totius corporis perſpecto temperamento & viribus ægri: Non improbo tamen illius præparationem ex aquis calefacientibus & tenuantibus, imò vero puto potius ita eſſe præparandum quam cum aceto. *Chalmeteus Enchir. pag. 333.*

XLV. Facta *Inunctione ex hydrargyro* ſalivæ extincto, linimenti forma, cum axungia ſuilla, yva arthritica, oleo viperino & cera, alternis diebus artuum tam ſuperiorum quam inferiorum, qui calidi fovendi tertium & ſæpius, quoad procedat purgatio, ſollicitanda per alvum; cum os, lingua, nares & partes ſuperiores omnes ſunt affectæ, quæ ſuſpectum reddere poſſunt hoc præſidium: Quod mihi ſæpius experientia compertum, non ſine felici eventu, injectis quotidie clyſteribus, modo ſolventibus ex melle roſ. ſolut. oleo chamæm. cum decoctione carminativa: modo laxantibus ex oleo ſimplici, quibus proliciantur humores ad inferiora; ſuccedente diarrhœa, imo dyſenteria quandoque, cui tamen occurrimus clyſteribus ex lacte & ſevo hircino, veluti epiceraſtico & inteſtina muniente ac obducente. *Ben. Silvaticus conſ. 82. cent. 4. Et conſ. 90. 95. 96. Ibid.*

XLVI. Quidam ſunt in ea opinione non eſſe vtendum vnguentis Mercurialibus niſi tranſactis duobus aut tribus menſibus, quia ſic peracta fermentatione mala hydrargyri qualitas melius corri-

gitur: quum enim pinguedine ſuilla temperiem ſymmetram habente eſſ. ænis Mercurii vis debeat temperari, & neceſſe ſit vt calida frigidis miſceantur; ac oporteat vt per motam Mercurius in minutiſſimas partes ſecetur, vt prompte penetret, hinc fit vt perfecta fermentatio videatur expectanda, quæ parvo tempore expectari nequit: Verum enim vero cum Mercurius ſumma partium tenuitate & mobilitate prædirus ſit, quam ex ſulphurea & aërea participat materia, omnibus metallis communi, ſi præterquam quod multoties ſaliva humana præparatur, oleoſa ac pingui adipis ſubſtantia inſuper corrigatur ac fermentetur, ineptus reddetur ad penetrationem, ac calidorum medicamentorum admiſtione, mutuaque actione, partes aëreę diſſolventur per quas eſt efficax & craſſum humorem ſecat, nec ad longinquas partes pervadet.

XLVII. Toto illo tempore *vnctionum*, quo humor noxius per os excernitur diebus ſingulis, matutino tempore eſſe offerendum rhodomel ad ℥ij. vt pravus humor, qui ſæpe confluit in ventriculum, deorſum ſuaviter expurgetur eſt in praxi receptum: Sed in hunc vſum ex intervallis movendum eſſe corpus expurgantibus, à recta methodo mihi videtur alienum, nam duo motus contrarij debilitant naturam, perturbantque quominus humorem per os excernere poſſit: Cum vero vnguenta ſint adminiſtrata, & facta jam eſt ablutio, tunc purgante aliquo eſt vtendum, Nec eſt neceſſaria aliqua præparatio, quoniam ſufficit illa quæ cum rhodomelite facta eſt: Hoc tamen intelligendum dummodo Mercurius per alvi fluxum non evacuet, tunc enim aliis evacuationibus non eſt præcipitanda natura, ſed ſolum ſudorifica celebranda, vt maligna qualitas ex Mercurio contracta foras extrahatur: Sin æger ea recuſet, vtatur auri foliis minutim inciſis, cum aqua cardui ben. nam aurum eſt Mercurii antidotus, ex Dioſcor. 5. 69. *Zacutus.*

XLVIII. Si vlcera ſint recentia, & impetus fluxionis ſit vehemens, vnguenta reprobanda ſunt, humor enim noxius per ſputum vacuatus vlcera reddit deteriora, quia longiſſime à parte tentata fluxione revellendum: Si vlcera ſint antiqua, & ſedatus eſt fluxionis impetus, quæ ſudorificis & alia via ſedari non poſſunt, tunc ſumma cum vtilitate vnguenta Mercurialia admovenda: Et licet humor convocetur ad partem, major eſt vtilitas ex correctione vitioſæ qualitatis, & humoris deterrimi vacuatione, quam ſit quod ex confluxu humorum ſequitur detrimentum. *Zacutus. vide Prax. adm. lib. 1. Obſ.* 88.

XLIX. Pro vlcerum curatione, quæ apparent in ore ex tranſitu humoris virulenti, non eſt illico adſtringentibus lavacris vtendum, ne retineatur ſputum; ſed iis quæ abluunt & abſtergunt, vt aqua hordei, ſero lactis, melle roſ. vino &c. Quod ſi vlcera ſint ſordidiora, ducatur in vſum vng. Ægyptiacum vino dilutum &c. *Zacutus.*

L. Aeger inunctionem Mercurialem patitur, præparato corpore poſt 12. vnctiones, nulla per alvum, ſudorem aut ſputum vacuatio ſuccedit: ad xiv. vnctionem perductus animo linquitur cum anxietate: Quidam vltra progrediendum, alius ceſſandum ab vnctione, ob imminentia ſymptomata dicebat, Ego ſtabilivi ceſſandum, ægrum abluendum & alia via curandum; quum enim dira hæc ſymptomata eveniunt, ſignum eſt quod non penetrat Mercurius, Nec probo *Maſſæ* conſilium, qui 37. continuis diebus vnctiones dedit, Sed nos ob dictas cauſas ab eis ſuperſedentes, iteratis ſudoribus ægrum ad ſanitatem perduximus. *Zacutus Pr. Adm. l. 2. Obſ.* 138.

LI. Tentanda prius ſunt decocta ligni, ſalſæ & chinæ, maxime morbo non multum exiſtente confirmato: deinde tanquam extremo morbo extremis remediis deveniendum, juxta aphor. 1. 6. Non enim poſſum commendare quorundam Medicorum praxim, qui ſtatim poſt corporis purgationem ad inunctionem Mercurialem deveniunt, ſed hæc praxis mihi non multum arridet, nam ſatis eſt empirica, & omni ratione caret, & ſexcentorum periculorum plena: Tentavimus nos quandoque in vno vel altero ruſtico impatiente qui ſtatim curari anhelabat: impatiens erat pro aſſumendis decoctis, & ægre, & maxima difficultate, & diris ſupervenientibus ſymptomatibus ab inunctione liber evaſit, & ſanus, prius tamen purgato corpore, & in actu inunctionis, quantum fieri poteſt, adhuc bibebat decoctum ligni vel ſalſæ: Quare, vt diximus, non ſtatim in hoc morbo ad inunctionem eſt deveniendum, & minus ad ſuffitus, ſed nonniſi vrgente neceſſitate, extremo morbo & cæteris regiis prius longe lateque peractis, & non juvantibus, nullo contra judicante, *Epiph. Ferdinandus hiſt.* 17.

LII. Cum videamus decoctum Gajaci non ſufficere ad hunc affectum profligandum, quod tenues humores abſumat, craſſos vero frequenter relinquat, poſt hujuſmodi decocti vſum, nos levioribus ſolemus vti inunctionibus ex hydrargyro & aliis, quibus quod reliquum erat craſſorum humorum abſumitur, & partim per os, partimque per alvum & vrinas educitur. *Chalmeteus Enchir. p.* 332.

LIII. Glandula magna colli, ex qua Ductus ſalivales originem trahunt, vbi inflammatione corripitur, Mercurii vſum non permittit, nam facillime ſalivatio noxia hinc excitari poſſet. *Barbette Anat. Pract. c.* 14.

LIV. Dum adeſt vlcus aut morbus aliquis in partibus oris, prohibetur Inunctio: Quod ſi harum partium affectus aliquis non amplius præſens ſit, ſed prægreſſus, ſiquidem ortum traxit e lue, vt vlcus linguæ oris, labiorum, non prohibet inunctionem, quia non adeſt imbecillitas quæ prohibeat: Si vero quis non detentus lue obnoxius ſit anginæ, & poſtea lue corripiatur, nequaquam eſt inungendus, excitaretur enim angina: *Capivaccius.*

LV. *Nervorum* quoque virtus inunctionem prohibet, ſi enim lue affecti obnoxii ſint ſtupori, paralyſi, vel doloribus articulorum (qui tamen non ſint venerei) prohibetur inunctio, alias enim e toto vis nervorum adimeretur. *Idem:*

LV. *a.* Optimum certe atque tutiſſimum Luis remedium eſt *Mercurius crudus*, cum porcina axungia vel aliis vnguentis oleiſque miſtus, & foriſecus illitus, imprimis in pedum plantis manuumque volis, aliiſque articulationibus quibuſvis: quamvis prudentia opus ſit ſi & *Dorſi ſpina* eo illinenda ſit; quod ego ſaltem fieri nollem, niſi quando fruſtra illitæ fuerunt articulationes aliæ: nullaque poteſt excitari ſalivatio, quam tamen vi excitare non ſemper tutum. Finis namque ſcopuſque Illitus cum Mercurio eſt ptyaliſmus, cujus ope, vna cum pituita copioſa, expurgatur ex vniverſo corpore virus venereum: *Sylvius de le Boë Append. Tract. iij.* §. 148. 149.

LVI. Quod

LVI. Quod de Mercurio crudo dictum §.40.a. de eodem *Præcipitato vel ſublimato dulci*, imo *corroſivo* etiam dicendum, Nam quod Mercurius crudus efficit deducendo Acidum in ſanguine diſperſum ad Glandulas, idem efficit Mercurius per ſpiritus acidos tum Præcipitatus tum Sublimatus: Spiritus enim Acidi in Mercurio concentrati Effervefcentiam in tenui inteſtino cum bile atque Pituita excitant talem, unde vel Nauſea vomitusque, vel Alvi dejectio vel utrumque producitur: Talis enim effervefcentia requiritur quæ confluentes ibi humores turbet, agitet, & ad ſui expulſionem Inteſtina ventriculumque irritet: Ad quam effervefcentiam concurrunt ſemper humores Acidi, vel in corpore contenti, & ad inteſtina deducti, vel forinſecus aſſumpti: Ad ptyaliſmum vero excitandum magis conducunt medicamenta Mercurialia, minus Acidi continentia; quemadmodum Alvum vomitumque movent potentius quæ copioſiore & Acriore abundant ſpiritu Acido: Hinc eſt quod Mercurius ſublimatus corroſivus, vix ad granum unum exhibitus vomitum potentiſſime cicat & alvi fluxum, Mercurius vero dulcis, & ex corroſivo cum Mercurio crudo ſuperaddito paratus, tuto ad grana xxx. & plura exhiberi queat, qui rarius vomitum, ſæpius alvum tantum movet, rariſſime Salivationem: Excitatur autem felicius Salivatio cum Mercurio Præcipitato, & quidem non nimis fixato, quo vis Mercurii magis libera permanens, facilius ſe immiſceat Pituitæ in corpore redundanti: Ergo ratione ſpiritus Acidi, Mercurio præcipitato ſublimatove admiſti, facilius ſe pituitæ admiſcet idem medicamentum, quo per vices, ac intervalla ſufficienti quantitate aſſumpto, ad Glandulas ſalivares Pancreaticaſque movetur Pituita corporis corrupta, quo e corpore exturbetur, & Lues venerea ſenſim curetur. *Sylvius de le Boë l. c.*

LVI. 4. Ex crudo argento vivo etiam *Emplaſtra* ad curationem hujus Luis fiunt: uſurpanturque hæc rarius, & tantum fere in illis qui delicatiores cum ſint inunctiones reſpuunt, quia majorem moleſtiam afferunt, & ut diligentius incluſi maneant requirunt; & potius hæc emplaſtra, quia tunc illis libertas major cōceditur, geſtare cupiunt: Verum cum hæc tardius quam unguenta, quæ affectis lue fortiter inuncta penitius imprimuntur, cura, ſi hæc ſola uſurpentur, niſi plus argenti vivi quam unguenta recipiunt, diutiuſque illis utantur, vix ſuccedit vel imperfecta erit. *Platerus.*

LVII: Quidam poſt tres horas à cœna *unctiones* applicant, quia alimenti ope roborata natura hydrargyri efficaciam malitiamque contemnit, & ad excernendos humores robuſtior redditur: Securior tamen & experimento magis firmata eſt altera curandi via, quia mane vires conſtant, præceſſerunt coctiones, excrementa craſſa & halituoſa repurgata ſunt, tempus aptiſſimum. *Zacutus.*

LVIII. Si cum puſtulis & ulceribus ſe offerat hæc Lues, adduntur inunctionibus ſiccantia quædam: quæ tamen unguenta ſi horum validorum permiſtione admadum ſiccent, quia ſudores impediunt; non ſtatim ab initio, ſed poſt illorum quæ rarefaciunt uſum, tandem adminiſtrari debent: ℞. g. argento vivo, axungiis, reſinis, gummatis, adde olei laurini, de lateribus ana ℥ij. ol. hyperici ℥j. myrrh. ℥ß lithatg. ceruſſæ ana. ʒij. ciner. ſarmentor. ʒß. ceræ q. ſ. f. ungu. Efficaciſſimum erit ſi cinnabar. vel minii ʒij. addas: Alii æruginem æris ſimiliter addunt ad ʒj. vel ſublimatum; Sed hæc tutius illis particularibus unguentis immiſcentur, quæ ſolum illic ubi ulcera vel puſtulæ ſunt adhibentur, cum undique illinere non adeo conveniat. *Platerus.*

LIX. Notandum ut ne, quod fieri à quibusdam ſolet chymicis, Mercurius cum ſpiritu vini inurgatur; ſic enim & ſanguinem inflammat, & à locis diſtantiſſimis ad cor venenum defert, hinc vero ſputa cruenta, aliaque ſymptomata graviſſima ſupervenivnt, unde tandem mors: *Hartmannus Prax. Chymiatr. c.223. §. 27.*

LX. In *Bubonum* cura, ut & cujuſvis alterius ſymptomatis, nihil remittendum eſt de interiore cura: quia obſervatum eſt ſæpe ejuſmodi tumores ſolo repetito Mercurio, vel oleo ejus, in totum diſparuiſſe; minera nempe mali per occultam mineralem operationem funditus eliminata. *Idem ibid. §. 33.*

LXI. Sunt qui recens correptos non prius audeant *balneis* committere quàm abſoluta ſit curatio, quod virus quoquoverſum diffundant, & in ſolidas quoque partes deducant: Ego vero in media quoque curatione fœliciter eo ſæpe ſum uſus in ſiccioribus naturis: ejus enim tepore non ſolum copioſus ſudor è ſqualido corpore facilè elicitur, quo cum venereum virus emanat, ſed & viſcerum ac partium ſolidarum calida & ſicca intemperies ſic emendatur, ut ſudorum eruptionem & ſiccantium remediorum uſum innoxie tolerent. *Palmarius de Lue v. cap. 2. lib. 2.*

LXII. Quum primum me ad praxim Chirurgicam accinxiſſem, diu in ambiguo fui, an prægnantes & pueri lue infecti, ſine diſcrimine ſanitatis aut vitæ, per illitiones Mercuriales ſanari poſſent? Nodum hunc tandem mihi ſolvit Exc. Nicol. Maſſa; qui id ſine periculo fieri poſſe aſſerit lib. de Lue ven. tr.3. c. 9. Id quoque verum experientia propria confirmavit; Mulier gravida, infantem xx. menſium lactans, lue inficitur: ipſi præſcribo apozema alterans & ſyrupum magiſtralem purgantem, quo dum utebatur infans ſimul purgabatur: Satis purgato corpore, articulos ſemel in die, ad ſalivationem uſque, ſed leniſſimè, inungere juſſi: unde infans, etſi non inunctus, multum pituitæ exſpuebat: quare ablactari juſſi, ne amplius vapores Mercurii à matre ſuſciperet: Sic feliciter & mater & infans convaluerunt, & poſt circiter ſex menſes Infantem ſanum peperit. *Hildanus centur. 5. Obſervat. 97.*

LXIII. Lue venerea affecti tantis cruciatibus olim vexabantur, ut morbus ferè remedio præſtaret: nunc verò facilè ſequenti remedio curari poſſunt, abſque ſudoribus & ptyaliſmo, abſque inunctionibus, licet nec cubili nec cubiculo immorentur: Modus hic eſt ℞. Antimon. & ſalſæ par. ana. ℥vj. antimonium nodulo incluſum in vj. aquæ amphoris, in quibus ſit ſalſa par. cum 40. nucum putaminibus & hylis ſuſpenſum coque ad tertias: ejuſque decocto utatur æger, capiendo ter in die, mane, meridie & veſperi hauſtum ejus ſumendo procul à cibis: Antimonium autem quater utile eſſe poterit. *P. Borellus cent. 2. Obſ. 96.*

LXIV. *T. Campanella* conſultus aliquando à Principe viro Germano, ſi facultas aliqua eſſet, ubi ſibi, qui ex hærente oſſium medullis hydrargyro, quo perunctus fuerat, langueret, metallum excutere corpore liceret; certiſſima futurum id ratione reſpondit, ſi aureis cucurbitulis artus per omnes defixis uteretur; quam Germano viro ulami

ſequenti facile fuit à doloribus omnibus ac morbo liberari. *Severinus Pyrotech. lib.* 1 *pag.*221. *Zacutus vngu. ex auro vtitur Obſ.* 130. *pr. adm. l.*2.

LXV. Chirurgos interdum errare contingit in curatione, cum poſt ordinaria remedia convenienter vſurpata ægros perfectè curatos non eſſe exiſtimant, unde eos in nova tormenta conjiciunt, & in atrophiam & tabem præcipitant: Cum tamen illa ſymptomata vt plurimum poſt aliquod tempus ſponte diſpareant, aut levibus quibuſdam topicis diſcutiantur. Nobilis quidam præter dolores nocturnos, aliaque luis ſymptomata, tumorem in cervice patiebatur ex pituita & melancholiâ genitum: ab inunctione omnia ſymptomata penitus abolita, uno excepto tumore, cujus duæ tertiæ partes diſcuſſæ fuerant: credebat æger ſe non eſſe curatum, admoto tamen ſolum empl. de *Vigo* quadruplicato Mercurio tumor diſcuſſus menſis ſpatio: Alter abſoluto ptyaliſmo ſe non curatum credebat, quod vlcus in cervice & regione oeſophagi remaneret: hoc tamen ulcus remediis vulgaribus intra menſem curatum, ſine ullo remedio luem reſpiciente: Alius inter alia ſymptomata dolorem inſignem patiebatur ſupra os tibiæ, bilioſus erat, quater frictiones paſſus à quibus ad ſummam maciem perductus erat: diæta humectante per menſem vſus eſt: poſtea frictio ea Mercurio univerſaliter uſurpata; hac vnica dolor ſedatus eſt, ptyaliſmus provocatus humorum flavorum, tenuium & fœtidiſſimorum per menſis ſpatium, mox per xv. dies pituitam craſſam excrevit: tandem ſupra locum ante dolentem inciſione facta, caries reperta, quâ cauterio actuali, & pulvere catagmatico ablata, æger omnino curatus: Nobili, methodo ordinaria curato, ſupererant dolores inſignes omnium artuum, vt membra ſine clamore commovere non poſſet, D. de *Lort* cenſuit eos dolores non à lue procedere, ſed potius ab intemperie ſicca, ligamenta articulos nectentia & partes nervoſas anneaas occupante; victu humectante, & balneis diu continuatis omnino illum curavit. *Dyoniſius Pomaret apud Riverium Obſ.* 16.

LXVI. Vtrum citra *Antidota* poteſt curari? Licet maligna & deleteria qualitas adſit, ſolis medicamentis à proprietate agentibus expugnabilis, tamen ſi recens & levis ſit morbus, & virus in tenui corpore conſiſtit, citra ea aliquando miteſcit: Imo vehementi & laborioſa exercitatione ſolet extirpari, vt ludo parvæ pilæ, armorum exercitatione, venatione: quarum operationum auxilio humorum reliquiæ diſcutiuntur, internæ partes roborantur, & ſenſim ac ſine ſenſu malam qualitatem deponunt. *Zacutus.*

LXVII. Si aliquis curatus ungu. Mercurialibus, deinceps *recidivet*, aut ex nova occaſione iterum morbo prehendatur, poteſt de novo Inunctionibus uti; At diſcrimen eſt in hoc, quod ſecundo applicita vngu. non ita ex voto reſpondent: Cum enim vniverſum corpus ex prima curatione ſit imbecille factum, curatio redditur difficilior. *Zacutus.*

LXVIII. An præſente febre *ſudorifica* uſurpanda. Si enim eſt humoralis, iis oblatis excandeſcit valde: qua exacerbata timor eſt ne alii graviores morbi de novo ſuccreſcant, vel in hecticam commigret: Inſuper ſi hac exiſtente calida & reſolventia, quæ huic contagio conducunt exhibueris, in maraſmum retorridum corpus deduces: Quid ergò agendum? Ante ſudorificorum uſum corpus calidum ſiccum, exuſtis humoribus plenum, frigidis attemperandum: purgationes lenes exhibendæ; bilioſus & calidus humor leniter vacuandus per ſerum lactis, in quo madeſcant flores cordiales, caſſia, myrobal. citr. radix Chinæ, ſmilax aſpera, hordeum &c. Si corpus ſit calidum & ſiccum, præcedat balneum, epar per unguenta refrigeretur.

Si vero ægri macie Gallica contabeſcant, coquenda Medicamenta in ſero lactis caprini, vel potius in jure gallinæ aut caponis, quo decoctum ſit alexipharmacum & inſtaurans: alternis diebus, & ſemel in die excitetur ſudor, mane ægro mediocriter cooperto, parvaque ſit mora: Victus ratio non ſit tenuis. *Zacutus Pr. hiſt*, *p.* 275.

LXVIII. *a.* Quam periculoſa ſint *Suffumigia ex cinabrio* expertus ſum: Etiamſi enim in Lue inveterata à viris doctis adhibeantur, neque ea omnino improbem, ita tamen mihi ſemper fuere ſuſpecta vt ea hactenus non adhibuerim: Nihilominus tamen multos, quantumvis inveterata Lue laborantes, ſanitati reſtitui: Sunt autem in deſperata tantummodo Lue, & robuſtiſſimis, ac antea diligenter præparatis, nec non ab omnibus excrementis aliquoties expurgatis corporibus adhibenda: Qui ſecus faciunt, non curant ſed deſtruunt corpora, & ad ſummam miſeriam perducunt ægros: Iuvenis robuſtus, & optimo corporis habitu præditus Coryaa, cum magna obſtructione narium laborans, Empirico ſe commiſit, qui catarrhum hunc per nares & palatum ſe evacuaturum promiſit; Impuro itaque corpore nudum juvenem ſub conopoeo in ſubtum collocavit, ac totum corpus cinabrio in prunas conjecto ſuffumigavit, & quidem per dies aliquot: Hinc maxima virium proſtratio ſequuta eſt, adeoque pituita ad os & nares confluxit, vt circa oſſa cribroſa ſordidum ac fœtidum vlcus ſit genitum: hinc naſi interſtitium omnino, reliquæ vero cartilagines ex parte eroſæ fuere, ita vt maxima cavitas ac naſi depreſſio adſit: Continuo quoque pus fœtidum e naribus exſtillat, olfactus plane abolitus eſt: Alias a duobus Nobilibus in conſilium adhibitus fui, quibus ſimiliter poſt ſuffumigia vlcera ſordida fœtidaque circa oſſa cribroſa remanſerant. Cuidam Nobili ozæna ex Suffumigiis contracta ſetaceum adhibui: Oculis præterea adverſiſſima ſunt, id quod in quodam carcentario vidi, qui ab Empirico ſuffumigatus, ophthalmia graviſſima correptus fuit. *Hildanus cent.*2. *Obſerv.* 23.

LXIX. Ardor vrinæ ſtatim profligabitur ſi fieri poſſit; nec audiendi qui dicunt profuturum eſſe ſi diu perſeveret, quod eos continuo fluxu à Lue præſervari putent: Imo vero ſæpe viſum eſt eos in luem prolabi propter venenum, quod humoris acrimonia augetur, & partes principes conſcendit, vel in iis partibus generantur vlcera quæ vix aut nunquam curantur. *Chalmeteus Ench. p.* 343.

LXX. Aliquando decocto addantur quæ calorem ejus contemperant, immiſcendo intybacea, lactucas, ſimiliaque: Verum cum licet acrimoniam levem habeat, non tamen tantopere calefaciat vt corpus inde accendatur, & ſi hæc qualitcunque illi dematur, minus commode ſudores promoveat, vti nihil utilitatis, ſed potius impedimentum inde ſequitur, ſic ingratus guſtus inde conciliatur vt decoctum faſtidiant. *Platerus.*

LXXI. Variorum permiſtione decoctum invalidius

validius interdum, vel vt alias vires conſequatur, maxime vero vt minus ægro ſapiat, nauſeamque illi pariat, & ſic continuum illius uſum ferre nequeat, efficiunt: Si tamen vel caloris contemperandi, vel ſudorum promovendorum, vel alterius rei gratia aliquid addere placeat, minus ingratum reddetur ſi in aq. illarum plantarum, quæ illud præſtant, vel ſaltem aliqua illarum quantitate decoctio hæc fiat. *Id.*

LXXII. Quidam jam quinquennio morbum Indum pertulerat, à diverſis Medicis cacaſnificatus: Erat is becticus, duplici tertiana laborabat, vlcera in capite ſerpentia & inſanabilia, nec oſſa detraxiſſe profuerat: vigil, tabefactus totus, nihilominus vnico præſidio Vini Indici ligni, diebus in 80. planè pleneq; liberavi, reſtituta carne, colore, viribus, ut poſtea plures ſuſceperit liberos: Indici vini deſcriptio hæc fuit, Vinaciola optima, cortex ligni in pulverem redactus, cinnamum noſtrum, garyophilli, lacryma abietis lota, roſmarinus, ſalvia, ſem. ſampſuci, thlaſpi, bugloſſa, borrago, meliſſa, radix enulæ, ſtæchas, betonica, chamæpytis, ſantalum, ſulphur non expertum ignem, ſena, cyclamen, colocynthis, caphura, mel, ſerapium è fumaria, modo ex infuſo cum rore, modo ex ſucco, thus, elleborus, cardamomum majus, piper, eupatorium, xyloaloës: prandebat, paſſam uvam edens, cœnabat comedens elixum pullum & panem in jure intinctum, ſumebat tum vuas paſſas. *Cardanus.*

LXXIII. *Tumores Gallicos*, ſcirrhoſos, duros, Gummata, Talpas, Nodos & alia tubercula, ex pertinaci, terrena gypſeaque ſubſtantia pronata, vix ſanari ob tenaciſſimam ſubſtantiam qualitati deleteriæ junctam, palam eſt, hinc fit vt Medicorum operam ſæpe eludant: his ſalutarem opem attuli ſuper tumorem aut tophum causticum imponens: Si non ſuffecerit, imponendum ferrum candens, & immiſericorditer premendus ignis, inurendus Tophos, ita vt ſæpe os ſubjectum oculis exponatur: ſic enim impatibiles cruciatus, e profundo emanantibus ichoribus quandoque levantur: Si ita non feceris, materia mucoſa & virulenta in perioſteum ſeſe diſpertit, intus cruciat, oſſa terit, cariem, nigredinem, ſiderationem denique minatur. *Zacutus Pr. Adm. l. 2. Obſ.* 130.

LXXIV. *Thermarum* quarundam potenter exſiccantium vſum in certis hujus ſpeciebus convenire aliqui docent, quas tamen nullomodo juvare, ſed plurimum nocere ſæpe obſervavimus: Niſi forte hiſce, vel aliis etiam balneis, poſt curam prius exacte abſolutam, ad refectionem aliquam corporis, vſu tot medicamentorum defatigati, & membris robur addendum uti velimus, tuncque artificialibus balneis, quæ artubus appropriata ſunt, veluti ivam &c. addimus. *Platerus.*

LXXV. *Aquis Spadanis* tuto qui morbo vel Gallico, vel ſuo verius, laborant, vtantur: Si enim metalla, fatentibus omnibus, vim ſpecificam ad hunc morbum debellandum habent, hujus autem aquæ facultas tota ex metallis eſt, cui dubium quin Adonidis nepotuli propitiis his aquis vſuri ſint: Sane hoc ipſo anno quidam aphthis Gallicis, vnguis latitudinem æquantibus, os linguamque obſitam habens, ejus vſu convaluit: GonorrhϾ venereæ, quicquid alii dubitent, certo auxiliatur: Paraſtatarum dyſcraſiæ hinc natæ, etiam vtiliſſima eſt: Senſit idem Solenander conſ. 37. ſect. .. Ita ſcribens, *Et Gonorrhœis, & caruncula in virga vtiles hæ aquæ, meatu virgæ vnguento camphorato libero reddito potius acidula ipſum eluet, refrigerabit, ſiccabitque vlcus quod in eo remanſit; quod deinde eo modo roboratum facilius obducetur cicatrice: Heer de Acidulis Spad. c. 9.*

LXXV. a Sed non immerito quæritur hic, Vtrum *mineralia & metalla* etiam vim quandam medicatam per decoctionem ſuis impertire poſſint menſtruis, an ſecus, eo quod hæc in ſua ſubſtantia non alterentur facile? Verum hæc quandam virtutem, quantulla etiam ſit, beneficio decoctionis ſuis communicare menſtruis, vel in particula metalli, vel mineralis, vel lapidis, vel odoretenus etiam negari non poteſt: nam præter ſolutiones metallorum, ac mineralium & lapidum aquis factas corroſivis, decoctiones etiam demonſtrant vitri Antimonii, croci metallorum, Iovis, Mercurii vivi &c. ſimplici ac nuda aqua factæ, ex viribus quas præſtant in vomitu ciendo, lumbricis abigendis & aliis affectibus: Exemplo etiam ſit *Decoctum Antimoniale D.D. Lud. ab Hornig*, in quo certum eſt dotes eximias & arcanas vires contra diros morbos latere, ſi crudum ſaltem Antimonium, in minutas particulas confractum, ac in petia ligatum, aquoſis ſaltem decoctis largiter ſuperaddatur, nequaquam vero ex vino propinetur: *Cl. Zwelferus* nunquam decoctionem Antivenercam vlli propinaſſe ſcimus, niſi prius in illa Antimonium crudum, in petia ligatum, incoctum fuiſſet, prout & ſequens ejus Decoctum in Lue venerea evincit, ℞ *Ligni Sancti* ℥iv. *cort. ejuſdem* ℥v. *ſalſ. par.* ℥ij. *ſaſſafras* ℥j. *Mercurii vivi in petia ligati* ℔j. *Antimonii crudi in petia ligati* ℔j. *Inciſa incidenda coquantur in aquæ menſur.* xij. *in olla ad tertias, & coleutur: cooperculum ollæ foramen habeat.* Vſus, Colaturæ dantur ſingulis diebus mane ℥vj. pro potu ſudorifero, Sudor proliciatur vel in lecto, vel in hypocauſto: Reſiduum coquitur cum aqua & vvis paſſis, addito pauco *ligni ſancti* novi, ut & corticum, & in fine aliquid cinnamomi, & etiam priori addi poteſt pro Potu ordinario: Vſus ejus continuandus per 14. dies; Præcedant autem ſequentes Pilulæ ℞. *Extracti Cathol.* ʒiij. *Arcani corall. cinnabar. antimon. ana.* ℈iß. f. Pilulæ, quarum doſis xx. *Frid. Hofmannus clavis Schrod. pag.* 60. & 61.

LXXVI. *Dolores circa oſſa nuda* in tibiis, homoplatas, circa claviculas, in ſcapulis, in capite fronte & tempore, erumpentibus ſimul interdum & nodis, Lavatoria ex argento vivo ſublimato dolentibus partibus, in tibiis præcipue admota, dolorem maxime compeſcunt, atque in ea ſpecie luis, tum ad curam generalem, tum ad particularem, ſi generali, non ſufficiat, tollunt: Aliis quoque ſine argento vivo paratis, fotibus & inunctionibus hoſce dolores mitigari poſſe docent, eaque proinde adhibent tum quæ moderato calore anodyna eſſe dicuntur; tum quæ admodum calefaciendo nervoſo & membranoſo generi ſunt amica: Verum cum calore & actuali & potentiali dolores iſti, ab ea luis ſpecie contracti, ſecus atque aliis potius irritentur, non ſolum nullo levamine, ſed potius cum moleſtia majore hæc adhibentur, niſi hujus luis antidotum illis additum vires eorum augeat. *Platerus.*

LXXVII. Quidam a xvj. annis Lue venerea laborabat, cum *exoſtoſibus* in vtraque tibia, à quibus dolores inſignes patiebatur, vt noctes inſomnes tranſigeret: A me perfecte curatus intra menſem inſtituta venæ ſectione vtriuſque brachii, purgatione per apozem, & diæta ſudorifica ex decocto gajaci & antimon. per 20. dies continuata bis in menſe: Sudores autem eliciebantur cum vapore

ſpiritus vini: 5. quoque die exhibebam antivenereidozin: Exoſtoſes vero ſublatæ adinotis veſicatoriis, iiſque bis aut terüteratis, cum fluere deſinebant & exſiccata erant. *Riverius cent. iv. Obſ.22.*

LXXVIII. Dux ſævis doloſiſque qualius viceribus, totum ambitum occupantibus, ſæpe vnctos hydrargyro, & vſus ſudorificis citra commodum, apertis tandem ſponte vtroque in inguine fontanellis, per quas, veluti per emunctoria, corrupti humores paulatim vacuari coeperúnt, omnino à tantis malis immunis evaſit: Argumentum optimum ab iis quæ vtiliter à natura fiunt deſumptum, probans in hoc morbo fonticulos adapertos ſummo eſſe ex vſu, quod fœlici experimento aperui. *Zacutus Prax. adm. lib. 2. Obſ.* 131.

LXXIX. Laudantur *cauteria*, maxime in Gallico veteri, nam experientia confirmatum eſt eos qui cauteria habent minus tentari à Gallico morbo, verum ſi peccat caput, in brachiis, ſi partes infra hepar, in tibiis: ſi vterus, in parte interna tibiæ: *Epiph. Ferdinandus Hiſtor.* 17.

LXXX. Poſtquam putamus nos probaſſe, ac abunde evicisſe *Venenum venereum* conſiſtere in ſpiritu Acido, ſed Acriore, ſanguinis maſſæ admiſto, illamque non minus quam cæteros humores ex ipſo genitos inficiente, manifeſtum fit *Vniverſalem Luis curam* ponendam in *Spiritus iſtius Acidi & Acris correctione, Ac, cum tote genere ſit p.n. in Ejuſdem expulſione:* Spiritus Acidi *Acrioris correctio ac emendatio* abſolvetur omnibus Acrimoniam Acidam temperantibus, tam ſimplicioribus quam magis compoſitis: Inter ſimpliciora numero 1. *Spirituoſa volatilia*, Spiritum vini, frumenti, ac quemvis alium, poſt debitam miſtorum fermentationem diſtillatione prolectum: 2. *Oleoſa & pinguia omnia*, vti ſunt olea ex fructibus, ſeminibus expreſſa, Pinguedines animalium variorum: 3. *Salia lixiva fixa*, ex combuſtarum rerum plantarum maxime cineribus: Quibus ſi quis 4. adjungere velit *Aquea*, per me licebit, quamvis non tam temperent quam diluant Spiritum Acidum, quo nomine etiam conducunt prædictis tribus conjuncta, notabiliter Acidi vim frangentia, Inter magis *Compoſita* numerantur 1. *Salia volatilia*, ex ſale *lixivo fixo*, & Spiritu volatili vel arte vel natura junctis orta, qualia ſunt ſal volatile c. c. vrinæ, cujus ſpecies exiſtit ſpiritus ſalis Armoniaci, Sal Tartari volatile &c. 2. Huc referuntur *Olea Aromatica* omnia, ex ſale lixivo ſed volatili, & Oleo genita, e. g. O. ſuccini, c. c. aniſi, cinnam. macis, garyophyll. majoran. toriſm. &c. galbani, myrrhæ, maſtiches &c. 3. Huc ſpectant *Tincturæ* Aromat. ex plantarum præſertim partibus aromaticis per vini ſpir. extractæ, ſive id fiat ſola Infuſione, aut decoctione, ſive accedat diſtillatio. 4. Huc pertinent *Apozemata aromatica*, ex plantarum partibus aromaticis, cum aqua, cereviſia, vino, decoctis parata, qualibus frequenter vtimur in Luis curatione. 5. Ad compoſita medicamenta, ſpiritum acidum temperantia, reducendus quivis *Sapo*, ex ſale lixivo cum aqua ſoluto, & oleo ſive pinguedine decoctione longa paratus, & humores Acidos, vtriuſque componentis nomine mire temperans, imprimis ſi cum aliis liquoribus apte jungatur, Lacte puta & aliis, 6. Huc refer *Emulſiones* ex aqua & ſeminum parte ſolubili & ſatis oleoſa conſtantes, Ex quibus omnibus ad Luis curationem, in frequentiori vſu ſunt Decocta ex binis Radicibus, totidemque Lignis parari ſolita, China, Salſaparilla, Guajaco, Saſſafras, quibus tum ad gratiam, tum ad comitum Affectuum humorumque emendationem plura ſolent addi: Temperant quidem *Humorem Acidum* debilius Radices, potentius Ligna: Quæ ligna præterea Humorem pituitoſum, (cui ſe admiſcet, ac inſinuat venenum venereum, Aciditate acriore peccans, ipſumque in corpore auget & viſcidiorem efficit) hactenus efficaciter corrigunt, atque ſic quoque Luis curam promovent; poſtquam Experientia quotidiana conſtat ſegnius & difficilius curari in quibus dominium habet humor Pituitoſus valde viſcidus, humoris melancholici nomine notus: Tamdiu autem perſeverandum in Alterantium, & tam Humorem Acidiorem, Acrioremque contemperantium, quam Pituitoſum & viſcidiorem, quoties ſimul concurrere deprehenditur, Emendantium vſu donec obſerventur ex functionibus prius læſis, & nunc integratis, ad ſtatum bonum & laudabilem redacti: Tunc enim, ſi *Copia illorum nimia* in corpore obſervetur, *Educendi* ſunt ac *Evacuandi* per convenientes vias, ac medicamenta convenientia. *Via* humoribus, tam pituitoſis quam ſeroſis evacuandis aptæ ſunt tum os, ſive hoc fiat per Vomitoria, vel Salivationem moventia, tum Alvus, per Purgantia deorſum; tum veſica vrinaria, per Diuretica; tum Cutis pori, per Sudorifera: Tutius quidem, ac jucundius & blandius eſt, curam Luis, peccantiumque humorum evacuationem inſtituere per ſudorifera, diuretica & deorſum purgantia; Citius autem, at difficilius, eadem perficitur per ſalivationem moventia, & quandoque vomitoria, quippe quæ ſalivationi ſimul promovendæ ſunt aptiora: Quoniam vero ſemper obtineri non poteſt curatio per ſola ſudorifera, diuretica & purgantia deorſum, idcirco recurrendum eſt nonnunquam, imo ſæpius ad ſalivationem, tum ſolam tum aliis junctam. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 3. §. 377. & ſeqq.*

LXXXI. Corrigendæ Aciditati in Lue peccanti conducere novi, & quidem per experientiam, non tantum radicum, corticum, lignorum, & præſertim aromaticorum decocta, ſed *Salia* quoque *Lixiva*, & præſertim *volatilia*, quæ medicinam facientibus commendo, quæ & valent pituitæ viſcidæ in Lue peccanti correctione. *Idem §. 201:*

LXXXII. Modus autem tam Decoctis aromaticis, quam cæteris Acidum ſpiritum temperantibus, vtendi optimus eſt ſi *ſæpius* in die aſſumantur, & quidem *quantitate minori*, quo lentam, eoque laudabiliorem mutationem ac emendationem introducant in ſanguinem: omnis enim mutatio ſubita, & præſertim magna, periculoſa; quod ſicut per experientiam edoctus docuit Hippocrates, idem obſervant veri ejus imitatores: Quinimo licet, atque vtile eſt, eadem alterantia alimentis admiſcere &c. *Idem §. 205. vide §. 26 b.*

LVMBORVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

In quorum morbis quæ vena ſecanda. 1.
Dolori *aliter atque aliter medendum pro cauſarum varietate.* 2.
Eorum ſeroſa diſtenſio *hydragogis curanda.* 3.
Dolor *excretione vrinæ n. ra deſinens* 4.
Suras impoſitis illic hirudinibus deſinens 5.
Lumbaginis Rheumaticæ *deſcriptio & curatio.* 6.

I. NVm in lumborum doloribus *Saphena ſectio* ex talo interno ad externo eſt celebranda? Dubij ſolutionem quæremus in celeberrimâ illa venæ cavæ deſcendentis diviſione, quam *Gal.* proponit *l. de art. & ven. diſtribut. c.* 1. Nam dividitur cruralis ramus in ſex conſpicuos ſurculus, Saphenam, Iſchiadem minorem, Muſculam, Popliteam, Suralem & Iſchiadem majorem; quas omnes ad varios vſus priſci ſecabant, quæ noſtris temporibus in deſuetudinem venerunt? Poplitea enim in morbis veſicæ, uteri, & teſtium aperiebatur, cujus vice ſecatur ſaphena in talo interno: qua non apparente, ramus illius ad radicem pollicis ſecari ſolet: In talo vero externo, & prope, ſolet ſecari ea quæ Iſchiadica dicitur: quâ non apparente ramus illius prope digitum minimum tunditur: Si ergo dolor lumbos occupet, tunc ad ſectionem iſchiadicę accedere oportet, ſi verum eſt vacuationes ſecundum rectitudinem factas citiſſimam afferre utilitatem, quod vult *Gal. lib. de cur. rat. per v. ſ. c.* 16. Ergo ſi Iſchiadica per partem externam porrecta majorem rectitudinem & conſenſum habet cum lumbis, ut Saphena cum veſica, utero & teſtibus, ſic illa in lumborum morbis & iſchij affectibus ſecuriſſimè tundetur, nam in coxendico dolore *Avicenna, Rhaſi, Serapio, Meſue &c.* in talo externo ſecandam venam monent. Videatur quoque *Hippocrat. l. de aff. int. n.* 12. Objicies *Galen. 6. aphor.* 36. dum inquit, *Secare autem interiores, hoc dictam parvam vim habet, ab unâ enim ambæ naſcuntur, in poplite trifariam diviſæ, quoniam & una vena ad hoc pervenit membrum, non ſicuti ad manum duæ:* Sequutus *Avicen.* Saphenam & Iſchiadicam aſſimilis eſſe juvamenti ait: Sed hi authores originem venarum attendunt, non rectitudinem, cujus cauſa externa cum extimis facile conſentium; Vicem harum teneat hæmorr. per hirudines apertio. *Zacutus Med. Princ. l. 2. dub.* 69.

II. Vt Diaſcepſis de Lumborum doloribus bene diſpoſita ſit, neceſſe eſt diſtinguere partes Lumbos conſtituentes, & vicinas occaſionem præbentes: Lumbos conſtituunt & ſunt ſubjecta dolorum, cutis cum panniculo carnoſo; muſculi oſſibus quinque vertebrarum tam foris quàm intus ſuperſtenſi, cum oſſe ſacro: Intra vertebrarum cavitates, ſpinalis medulla cum ſuis membranis & numeroſa nervorum ſobole: deinde ligamenta membranoſa vertebras inter ſe nectentia: Partes vicinæ quæ lædere poſſunt jure viciniæ, vel gravitate ſua, vel per depoſitionem materiæ, ſunt, Meſenterium lumbis adnexum, pars inferior Coli inteſtini: Renes bini lumbis contigui & adhærentes per membranam ſuam adipoſam: Venæ cavæ & Aortæ trunci lumbis inſtrati, & vaſa ab ijs enata, quæ in muſculos lumbares & ſpinam traducuntur: cujuſmodi ſunt lumbares venæ & arteriæ, quin etiam hæmorrhoidales venæ, quæ ſecundum longitudinem lumborum deſcendunt ad podicem: ut & vaſa ſpermatica ſeminali humore turgentia, quæ in progreſſu ſuo ramulos lumbis impertiunt: In mulieribus uterus cum ſuis ligamentis & teſticulis Lumbis nocere poteſt, ſed magis in muliere gravidâ, ob pondus uteri & fœtus, Venæ & arteriæ iliacorum ramorum, quæ per os ſacrum diſſeminantur, vexare poſſunt Lumbos: Remotæ partes quæ Lumbis nocent, ſunt Jecur per venam Portam & meſenterium: Caput dum ſe exonerat in ſpinalem medullam, ex *Hippocratis lib. de Glandul.* hic humor per cavitatem medullæ ſpinalis deſcendit uſque ad Lumbos, nec ultra poteſt facile pervadere ob ejus diviſionem in myriades filamentorum: Sunt notandæ cauſæ dolorum communes, quæ reperiuntur frequenter in doloribus lumborum, ut rheumatiſmi humorum interni per venas, aut intercutem humorem è capite delabentem, inter muſculos & panniculum carnoſum: Sæpius propagines venæ cavæ & aortæ portionem æſtuantis & exuperantis ſanguinis ex canalibus majoribus deferunt in Lumbos, quos afficiunt, vel in muſculoſis partibus, vel in membranoſis, vel in ſpinali medulla, unde paralyſis poſt colicam, vel arthritis quæ in colicam degenerat, & viciſſim colicus in iſchiadicum tranſmutatur: Præterea abſceſſus externi renum, & affectus coli inteſtini diſtenti vel exulcerati lumbis communicantur: Intus & foris in lumbis formari poſſunt tumores, abſceſſus & ulcera: quin etiam Lumbi diſtorquentur à fluxione vel tuberculo: A Spaſmate divulſionem fibrarum patiuntur: Sæpe dolores excitant externæ cauſæ, ut lapſus in dorſum, percuſſio à corpore gravi contundente. Si incheantibus morbis dolor lumborum adſit, cum gravitate & febre, ſanguinem intra majora vaſa, quæ per dorſum & lumbos feruntur, fervidum vel copioſum contineri certum eſt, qui magis accenſus, niſi maturè provideatur, poteſt rapi in cerebrum vel in pulmones, quod fit liberali venæ ſectione, potiſſimum è pedibus celebratâ, ad impediendam ejus anadromen: Præterea ſuſpectos habere oportet dolores lumborum in febribus perſeverantes, etſi ſanguis multoties fuerit eductus, quia in alvina regione profundiſſimè deliteſcunt humores, qui impetum aliquem facere poſſunt niſi diligenter fuerint expurgati. In Lomborum doloribus *Hippocrat* ſecabat venas poplitis vel pedis internas: confirmat in Coacis, *Dolorifica in lumbis mala, ſanguiſlua, Et quæ ex lumborum dolore cientur hæmorrhagia, largæ ſunt & copioſæ.* Purgationem inſinuat *aph.* 20. 4. neceſſariam quò ſemina alvinæ regionis ſaburratæ eluatur: Quamvis ſcripſerit *Hippocrat. Lumborum querulos profuſiorem habere alvum,* neceſſitatem purgationis non adimit. Hæmorrhoidum fluxus ut renibus, ſic quoque Lumborum doloribus prodeſt, ideóque provocandus: Lumborum dolor pervicax abſque calore & inflammatoriâ diſpoſitione, niſi fomentis diſcutiatur poſt purgationem & ſanguinis miſſionem ſæpius repetitam, cucurbitulis cruentis, veſicantibus admotis humor exhauriendus: vel aperta cute cauſtico in utroque latere ſpinæ appreſſo; quin etiam baloeo aquæ tepentis, herbis medicato, vel aquarum thermalium inſeſſu, cum duccia ſupra partem affectam: Sunt enim dolores Lumborum vehementiores & contumaciores, ſi intra muſculos contineatur materia ſeroſa vſque ad vertebras: atque deteriores & curatu difficiliores ſi ad ſpinalem medullam perveniat. Cæterum quæ ſymptomata creduntur orta à partibus lumbaribus, non ab illis quæ lumbos conſtituunt emanant, ſed à partibus vicinis, quæ lumbis inſtratæ dolorem excitant, & ſuos humores transferunt in alias partes, lento gradu vel celeri, per venas & arterias, quales ſunt cava & aorta, venę hęmorrhoidales, venæ meſaraicæ, Ex *Galeno: Riolanus Enchirid. anatom. lib. 2. cap. ultim.* Vide *Zacutum Medic. Princip. lib. 2. qu.* 59. De Lumborum inflexibilitate, ob vaſorum ſummam repletionem, quam Tetanom vocat *Hippocrat* videatur *liber de Vict. acutor. & Valleſij comment. pag.* 52.

III. Uxorem N. ſæpe male babuit ſeroſa lumborum diſtenſio, orta ex tenui deſtillatione à capite, per dorſi longitudinem, verſus Lienis regionem confertim deſcendente, quo loci biduum triduumve plerumque ſubſiſtens, inveniebat tandem viam exonerandi ſe à renibus per tenuem crudamque vrinam affatim emiſtam: Quam lumborum diſtenſionem, à Medicis hactenus prætericam, etiam in aliis memini me vidiſſe, quibus vel per ℥j. radic. Gialap; vel per xv. gr. diagrydij ac cremoris Tartari, dolorificam hanc diſtenſionem brevi vidimus ſublatam: adapertis proculdubio capillaribus oſculis venæ ſine pari, quæ vti pus ex thorace, & juxta aphor. 54. 7. pituitam expurgatum it ea cavo illo loco qui inter diaphragma ac ventriculum reperitur, ſic etiam ſeroſos hoſce humores à lumbis per veſicam expellit &c. *Nic. Tulpius l. 4. Obſervat.* 28.

IV. Venit ad me mulier quædam vrinans vrinam nigram, & conquerebatur de dolore lumborum, Et cum incipiebat vrinare talem vrinam, ceſſabat dolor, & poſt incidit in febrem nocturnam cum rigore, & erat complexionis melancholicæ, & curavi ipſam cum rebus provocantibus vrinam, & liberata eſt. *Rhaſes lib. de mirab. curis.*

V. De ingenti Lumborū dolore quidam querebatur, cui cum venarum inferiorum & ſuperiorum apertio eſſet inutilis, aliaque præſidia, ſolum hirudinibus ſuper lumbares muſculos appoſitis, & nimia ſequuta ſanguinis copia levatus eſt. *Zacutus Prax. Adm. lib. 2. Obſervat.* 65.

VI. Eſt Rheumatiſmi ſpecies (vide *lib. 6. tit. de Febre Rheumatiſmi comite,*) licet non hujus eſſe proſapiæ vulgo credatur, quæ *Lumbago Rheumatica* aptiſſime dicetur: Immanis dolor ſcil. idemque fixus circa Lumborum regionem, ipſumque aliquando ad os Sacrum ſe demittens, paroxyſmum nephriticum mentitur, niſi quod æger non vomituriat: Nam præter dolorem atrociſſimum & vix ferendum circa ipſos renes, aliquando & vreterea per omnem eorum ductum ad vſque veſicam, eodem, licet minori, tentantur; Qui & mihi olim impoſuit, tanquam à materia aliqua ſabuloſa in iis partibus hærente penderet, cum revera materiæ Rheumatiſmi peccanti & inflammatæ ortum ſuum debeat, quæ quidem partes illas jam ſolas urit, intacto reliquo corpore: Immanis hic dolor, niſi abigatur eodem modo quo prior ſpecies, pariter etiam perdurat, pati ſævitia excrucians, adeout miſer nequeat procumbere, ſed vel è lecto exiliat, vel ſuper eodem erectus ſedeat, corpore interim perpetua agitatione, nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato reductóque. Cum utraque hæc morbi ſpecies ab inflammatione videatur exoriri, quod tum jam dicta arguunt phænomena, tum præſertim ſanguinis venæ ſectione educti color &c. Vide locum ſupra citat. *Sydenham Obſerv. circa morbos Acutos pag.* 407.

LVMBRICI.

(Vide *Lib.* 10. *titulo de Infantium Affectibus.*)

SYLLOGE.

Anthelminthica agunt vel interimendo. 1.
Vel ſuffocando. 2.
Vel liquando & deſtruendo. 3.
Vel purgando. 4.
Aqua in qua agitatus Mercurius an eos exturbet. 3.
Cinnabarina necant vermes. 3.
Dulcia an noceant. 5.
Lumbrici terreſtres, & è corpore expulſi an noceant. 6.
Medicamenta e plurimis mista, optima. 7.
Maritanda dulcibus. 8. 23.
Propinanda jejuno ventriculo. 9.
Mercurialia ſtimulo egent, quæ infantibus tuto non præſcribuntur. 10.
Aliquando mutanda. 11.
Ubi applicanda externa. 12.
Anthelminthica non ſunt univerſalia præſidia. 13.
Simul & ſemel necandi & excludendi. 14.
Per dulcia ad inferiora alliciendi. 15.
Potentiſſima interdum requiruntur medic. 16.
Rheum aliquando nocivum. 17.
Semen contra ſæpe nocet. 18.
Aliter medendum præſente quam abſente febre. 19.
Ad latos necandos inutilia purgantia. 20.
Clyſteres an conveniant. 21.
Amaris aut dulcibus quando utendum. 22.
Vermes facile in corpore diſſolvuntur. 24.
Ori ventriculi adhærentes quomodo exturbandi. 25.
Aqua Mercurio imbuta an nocet. 3.
Spiritus acidi non vbique conveniunt. 22. 4.

I. OFficium faciunt Anthelminthica potiſſimum vel 1. *Interimendo, putredini reſiſtendo*, Sive enim ſtatuamus per generationem æquivocam mediante putredine gigni eoſdem, ſive ex animato charactere & ſeminio, ſeu ovo, attamen in & cum putredine eoſdem foveri certum eſt: hinc talia ipſa ſunt tum 1. amaricantia & balſamica, vt enim hæc apprime corpus a putrilagine defendunt, ita quoque hic omnino primas tenent, & omnia amara ſunt anthelminthica; vt inter compoſita elixir propriet. pilulæ Rufi &c. Tum 2. *acida*, ut acetum, inprimis ſpiritus acidi, vitrioli &c. non tantum quia itidem putredinem diſjiciunt, ſed & quod motum & calidum quaſi eorundem eminenter pellundent ac deſtruant, pro interno potiſſimum uſu conveniunt: ſic vel ſola tinctura violar. vitriolata egregie ſe geſſit in puero vermibus fere ad mortem excruciato: Sic etiam nitroſa omnia vermes necant, tum ob amaritiem, tum quid putredini reſiſtant, tum ob Sal acidum in iiſdem emicans: hinc pulvere pyrio induſia inficiunt contra pediculos milites. Tum 3. *acria, & ſale volatili vel ſibi relicto, vel oleo prægnantia*, unde allium ad vermem cordis vulgo dictum celeberrimum eſt: camphora, quam quicunque ſecum geſtat nunquam pediculis corripitur: item ſpir. c. c. ejuſque ſal volatile potentiſſime vermes necat: Neque hæc ſolum irritando vermes necant, ſed & interficiunt, ob ſummam penetrantiam qua vitæ ipſorum & putredini adverſantur. Tum 4. *terrea, alkalina & lixiva ſalia alia*, vt corallina, cujus pulverem empirici lumbricis terreſtribus inſpergunt, eoſque ſic necant, c. c. vſtum, ſal abſinthii, card. ben. licet non adeo potenter id præſtent, attamen non minus ad hanc quoque claſſem ſpectantia. 5. *Aquea* vero magis vehiculum præbent reliquis, niſi eminentiori charactere Mercuriali ſignata ſint. Hæc omnia animatorum ſeminium pellundant, annihilant, eidemque quam maxime reſiſtunt. *G. W. Wedelius de ſ. m. facult. p.* 178.

II. Vel 2. *ſuffocando*, tranſpirationem, in qua vita vermium & inſectorum conſiſtit, impedientia, qualia ſunt oleoſa & pinguia omnia, quæ poros obſtruunt & ventilationem inhibent, adeoque quaſi ſuffocant, vti ſunt oleum oliv. amygd. dulc. & amar.

Licet

Licet vero hæc ſola debiliora fere ſint, neque iis ſolis æque ad interimendos vermes tuto fidere poſſumus, attamen egregium quoque habent uſum, ut reliqua eo magis poſſint operari: hinc & exterius in placentulis enecandis oleum olivarum affrictum prodeſt: Hinc in clyſteribus ad vermes illiciendos pinguia proprie dicta (nam juribus & decoctis pinguibus delectantur) & olea non debent recipi, aversantur enim eadem vermes, & inde potius repelluntur. Aſt ſi olea ſint penetrantia, aërea, quam maxime vermibus ſunt infeſta, ut inprimis oleum tanaceti, ſpicæ, ſuccini. *Idem.*

III. Vel *liquando & deſtruendo*, quæ ſubſtantiam eorundem mucoſam & glutinoſam reſolvunt, annihilant & corrumpunt, ſimulque acrimonia ſua quaſi veneni loco iiſdem ſunt, qualia ſunt imprimis *Mercurialia*: Nihil ſub ſole vermibus, & cuivis animato ſeminio tam inimicum eſt quam hæc ipſa, abſtrahunt enim ipſorum nutrimentum, & quaſi in ideali ſaltem antidoto eoſdem necant, ut in decocto Mercurii vivi patet, Non ſolum enim in ſubſtantia ipſis adverſatur, licet crudus plane non tam facile expellat, quia facile dilabitur: unde cum ſaccharo duplo poteſt teri, & per minima in mortario vitreo agitari: item *Mercur. dulcis* apprime contra eoſdem exhibetur, verumetiam, quod experimentum eſt *Helmontianum*, aqua ſive ſimplex, ſive ſpecifica, cum Mercurio cocta, ceu Mercuriali ſidere tacta, licet coctione hac de Mercurii ſubſtantia nihil decedat, contra lumbricos admodum ſit valida. Notandum vero quod agitationem Mercurij vivi cum aqua vel cerevilia factam damnet *Glauberus* p. 2. *Furni* phil. p. 79. & inprimis quod non corporaliter, ſed virtualiter ſaltem irradiata dicatur, innuens particulas ſubtiles Mercurialis agitatione hac cum ſulphure confundi, & per ſubſidentiam hinc demonſtrari poſſe; Addit etiam nunquam ſe vidiſſe bonam operationem, ſive ab hoc infuſo, ſive Mercurio dulci: verum ipſa hæc virtus negari nequit, licet negari non poſſit promtiorem eſſe Mercurium necandis quam expellendis vermibus, Sic etiam *Cinnabarina* necant vermes, unde, licet minus concinne, nonnulli eo progrediuntur ut cinnabarin antimonii, ſi qua virtus antepileptica in ea ſit, nonniſi in ſympathica epilepſia, à vermibus oriunda prodeſſe affirment. *Idem.*

IV. Vel *purgando exturbantia*, unde certum quoque eſt omnia purgantia proprie dicta eſſe anthelmintica; inprimis vulgo dicta cholagoga: Hæc cum duplici modo agant, non ſolum ut amara, acria & reſinoſa, quæ omnia vermibus inimica, ſed & ut evacuantia, & ad exitum irritantia, ad vermes è corpore fugandos omnium ſunt optima & nobiliſſima, inprimis aloe, colocynthis, ſeu troch. alhandal, rhabarb. ſpec. diarrhbarb cum rheo, quas probatiſſimas eſſe *Heer Obſervat.* 26. recte ſcribit, unde ſi qua exempla vermium grandiorum eductorum præſtant, omnia, vel pleraque ſaltim illa purgantibus fuere præſtita. *Idem.*

V. His ordinariis duo adhuc alia anthelminthica, quibus tuto fidi non poteſt, nec debet, addenda, ab authoribus tamen ſat gravibus commendata, 1. *Dulcia*, quæ licet nauſeabundo alimento vermes quaſi ex repletione per accidens necare poſſint, attamen hoc ipſo tegetationem ipſorum non impedi... quidam pultes infantibus verminoſis ... cedunt, & *Sennertus* decoctum ſub ſtern expertiſſimum medicamentum dicit, ſingulis diebus infantibus ante cibum propinandum: Sic mel & alia dulcia non nocere, ſed prodeſſe verminantibus aſſerunt, quidam quod facile bileſcant, & adeo vermibus potius adverſa fiant: Verum non in omnibus æque bileſcere dulcia conſtat, adeoque ad vermes abigendos non proſunt, niſi decipiendo, ut ipſis his inescati pro melle fel & venenum hauriant. *Idem.*

VI. Ut ut à variis traditum ſit *lumbricos terreſtres* torrefactos & exhibitos vermes microcoſmicos proprietate quadam expellere, quod a contraria ipſis mucilaginoſitate, reſoluta tranſpiratione conſequenter prohibita, vel Sale volatili deduci poſſet, attamen, ut taceamus hujus rei experimenta nondum ſufficientia facta deſiderari poſſe, lumbricos ipſos è corpore expulſos denuo propinatos alios ſui generis expellere, non ſolum incertum eſt; quin potius inde contrarium producatur, cum vermium ſemina hoc modo propagari, & lumbricos produci potius experientiâ plurimorum authorum certum ſit; non obſtante quod ſumpto tali pulvere plures dejiciantur, unde ab agyrtis id pro potiſſimo remedio ſolet venditari. *Idem.*

VII. Ubi vis includenda medij ordinis, ſeu è reliquis mixta: ſic Italis enpotiſton ad vermes eſt non contemnendum, ſi lixivium cum oleo olivarum commiſceatur, idque magno cum ſucceſſu propinatur. *Idem.*

VIII. Maritanda ſunt dulcibus, ſic clyſtere ex lacte mite alliciuntur verſus inferiora, ſic & cum lacte commode exhibentur calido, ut hoc vehiculo hauriant venenum: ſic melle pani illito excipitur ſemen ſanctum, ut hoc modo ineſcentur: Sic vitrioli ſpir. Philoſophicus cum ſaccharo miſcetur eodem fine. *Idem.*

IX. Propinanda ſunt jejuno ventriculo, neque ſtatim deſuper aliud comedendum, alio enim ſuppetente alimento ingratius quod eſt & adverſum ab ipſis negligitur. Hoc vero maxime valet in lumbricis teretibus, illi enim promptiſſime necantur, in tænia vero non minus quoque id locum habet. *Idem.*

X. Mercurialis ſtimulo egent, infantibus vero non æque tuto propinantur: hinc *Glauberus* l. c. Mercurius dulcis, *inquit*, infantibus datus à x. ad xxx. grana contra vermes, plerumque (niſi robuſtiores ſint) debilitatem membrorum cauſatur, Omnia quippe in hac ætate fluxilia & laxa ſunt, inprimis oſſa & nervi, hiſce vero Mercurius inimicus eſt, adeoque ex facili lædit. *Idem.*

XI. Aliquando mutanda ſunt ne adſueſcant hiſce vermes, in graviori præcipue caſu, ubi copioſior verminoſa proles infixa inteſtinis hæret; & quando dato uno minus ex voto res ſuccedit, neque vermes ſecedunt. *Idem.*

XII. Externa umbilico applicanda, minus ventriculo, niſi ad hunc approximentur; Non ſolum quod umbilicus perſpirabilis magis, ſed & quia centrum abdominis, adeóque ubi hæreant in inteſtinorum volumine, ad eos facilius poteſt ferri virtus, licet externis hiſce nonniſi in ſubſidium utendum. *Idem.*

XIII. Anthelminthica non ſunt univerſalia præſidia. Nota eſt hypotheſis *Langii* & *Hauptmanni* de verminoſa putredine, omnium quaſi morborum, dolorum, affectuum, & tantum non mortis ipſius cauſa, de quo extat *Hauptmanni Pathologia animata*. Verum uti non negatur vermes militare in claſſe ... morbificarum, ita ad omnes morbos hanc extendere cauſam inconveniens eſt. *Idem.*

XIV. Non placet illud *Galeni* & aliorum conſilium ut vermes teretes primum interficiantur, poſtea educantur: Nam quæ interficiunt, aut amara ſunt, aut acria, aut acida & auſtera: Amara & acria ſuo calore lædunt, & vermes jam necatos in putredinem agunt, qui etiam ſua ſponte putreſcunt: auſtera & acida pariter adſtringunt: in vermibus autem adſtrictione non eſt opus, ſi alvus vltra modum non fluxerit: Sed concedamus amara & acria vermes interficere & non officere, nonne melius eſt, ſi id fieri poſſit, quamprimum vermem educere quàm illum necare, & poſtea medicamentum exhibere quod illum educat? Dicunt iſti, ubi mortuus eſt facilius educitur? Hoc plerumque falſum eſt, nam evacuatio per tria medicamentorum genera fieri ſolet, aut per quædam dulcia & lenientia, aut per agentia à tota ſubſtantia, vel per purgantia valida: Lenientia dulcia mortuos vermes non educunt: dulcia ideo educunt quia alliciuntur, & ſimul cum eſcâ illâ dulci, quæ alvum ſolvit, educuntur: Quæ agunt à tota ſubſtantia indiſcriminatim & vivos & mortuos ducunt: validiora autem purgantia ſunt amara, ita vt vno & eodem tempore & interficere & ſubducere poſſint, fruſtra ergo præmittuntur necantia purgantibus. *Saxonia Prælect. Pract. P. 2. c. 32.*

XV. Vermibus naturaliter inſitum eſt vt amara fugiant & dulcia perſequantur: hanc ob cauſam cautio eſt adhibenda ne per exhibita amara lumbricos ad partes nobiliores & principes depellamus: Non igitur inconveniens erit primò ſtatim clyſterem ex lacte, melle & ſaccharo, ſine oleis & amaris medicamentis infundere, vt vermes eò magis inferiora petant, & conſequenter citiùs expelli queant: Et cum dulcedine illecti facilius id quod necem inferre poteſt devorent, ideo quæ amaritie vermes necare poſſunt cum lacte ſaccharato per os exhibere conveniet. *Paræus Chirurgia l. 19. c. 5.*

XVI. Errant qui pro necandis lumbricis vtuntur leviſſimis quibuſdam remediis quæ diminutam habent vim necandi, quia vermes ſua expultrice levia amara & alia leviora expellunt: Hoc enim obſervamus dum pueri tentantur lumbricis & diarrhœa bilioſiſſima: bilis enim ſua natura amara eos non occidit, quare niſi ad valida præſidia confugiamus, vt ad aloën non lotam, vel ad Mercurij ſcrupulum, cum aloës & terebinthinæ pauxillo, ad pilulæ perexiguæ formam recepti, nihil fit. *Sanctorius meth. Vit. Err. l. 5. c. 11. & l. 13. c. 2.* Reliquis omnibus remediis fortè præſtaret Mercurius crudus ſi per os exhibere auderemus, quod tamen magnorum virorum ſuffragia fieri poſſe teſtantur: *Matthiolus Ep. 4. Fallopius, de morbo Gall. c. 76. Platerus, de cura lumbric. Heldanus Cent. 2. Obſ. 71. Zapata l. de Secret. c. 5. Baricellus in hort. gen.* Qui crudi vſum formidant præparato vti poſſunt, nempe Mercurio dulci, non ter ſed ſexies ſublimato: vlteriori enim præparatione malignitas magis retunditur, admixtis aliquot granis diacrydii vt citiùs è corpore eliminetur, ſimulque lumbricos & materiam eorum pellat. ℞. *Mercur. dulc. gran. xij. diacryd. gran. vj.* Pulvis dandus cum pomo aſſo ſaccharo aſperſo, vel panatella, puero 8. aut 10. annorum. *Riverius Pr. l. 10. cap. 9.* Præſtantiſſimus eſt Mercurius vivus, vel per ſe crudus à ℈j. ad drachmas aliquot devoratus, vel cum ſucco limon. prius mortificatus, ſed dozis ſit minor, quia mortificatus in corpore diutius manet. *Hartmannus.*

XVII. Pro vacuandâ materiâ è qua vermes generantur, ſcilicet pituitâ, probantur *ſpecies hieræ*, ſi reſideat tantum in primis ductibus: Si in toto agaricum, non rhabarbarum (quod plerique vſurpant) licet enim amarore proſit ad necandos vermes, nocet tamen vt allicit, non pituitam, ſed bilem, inde enim relinquitur pituita, quà dominante ſopores, epilepſiæ, apoplexiæ & mortes ſuccedunt: Valet ergo agaricus, quia ejus vi educitur pituita, & amarore vermes necantur. *Capivaccius l. 3. c. 14.*

XVIII. Mulierculæ vulgo pueris exhibent *Semen contra ſaccharo* incruſtatum, vel nudum ſemen cum melle permiſtum: Id remedium præſtantiſſimum eſt, lumbrici enim dulcium avidi mel devorant, & cum melle ſemen quo necantur: Quia verò illud valde calidum eſt, temperari poteſt ſi in acero infundatur per duas horas, poſt verò cum melle cocto miſceatur ad formam opiatæ, quam *Amatus* prædicat tanquam primum adverſus lumbricos remedium. *Riverius ibidem.*

XIX. Quando Vermes rejiciuntur in morbis acutis, vt in febribus ardentiſſimis, & alijs morbis ſenum & puerorum, non ſtatim debemus ad illos totam noſtram intentionem convertere, vt mulierculæ faciunt, & Medici mulieribus inſervientes; quod facit vt ægri intereant neglecto morbo; aut cum magis ad vermes curationem convertunt quam ad morbum, vt ſi febris continua, aut alius morbus bilioſus, aut fluxus ventris aliquem occupārit, aut in morbis acutis in principio vermes rejecerit, ſemen contra dare ſolent, quod febrem magis accendit; vel corallum, & alia quæ adſtringunt ad vermes occidendos opportuna ſolent adminiſtrare quæ omnia affectibus præcipuis adverſantur, vt multum amara febri & fluxui ventris, adſtringentia & ſiccantia febribus: Quare oportet Medicum diligenter diſtinguere num febris à vermibus pendeat, vel vtrum vermes rejiciantur ob aliam cauſam, qui ſemper continentur in ventre: Quod ſi cognoverimus febrem aliunde fieri, quia quartana, vel tertiana, vel vera quotidiana eſt, nullumque quod vrgeat ſymptoma oſtendit, negligendi ſunt, vel ea tantum medicamenta præſcribenda quæ affectui præcipuo & vermibus conveniunt. *Rondeletius cap. de vermibus.*

XX. Etſi in teretibus *purgantia* cum *interficientibus* commodè admiſceantur, præſtat tamen in latis nulla ijs purgantia primum admiſcere, cum purgantia non ſinant medicamenta vermes interficientia diu in inteſtinis hærere, ſed ea citò per alvum ſecum educant: Si verò prius exhibeantur medicamenta quæ ipſum debilitant, totus rotundus factus ad pilæ figuram exit, & homo ſanus evadit, vt author lib. 4. de morbis ſcribit. *Sennertus.*

XXI. In teretibus *Clyſteres* non conveniunt, niſi ſint mortui; nam dum percipiunt vim medicamenti, ſuperiora verſus repunt, & varia mala excitant: Qui ijs vtuntur dulcia & pinguia magna copia admiſcent, quò alliciantur: At in latis rectiùs conveniunt; non enim ita facile verſus ſuperiora moventur, ſed inteſtinis pertinaciter hærent. *Sennertus.*

XXII. Medicæ intentiones ſunt Vermes necare, eos expellere, novum eorum proventum inhibere, & ſymptomatibus occurrere: Verum omnium 1. ſtatim ventriculum & inteſtina ab excrementis,

quum me

quinimo & vermium pabulo expedire convenit leniente aliquo medicamento, vomitum enim provocare non licet, ne vermes ab inteſtinis ad ventriculum proliciantur, vbi graviora mala poſſent inducere: Scio quidem communem eſſe ſententiam ad amara confugiendum eſſe, verum ab ea diſſentio, dulcia his longe præferens, vt vermes ab inteſtinorum morſu revocentur, & ad exitum per ſedem diſponantur: quare mannam ad ℥ iv. in jure cinnammomo alterato diſſolutam ſtatim exhiberem, epota tribus poſt horis multa diluta, ex aqua hordei parata, vt vermes ad inferiora alliciantur & inteſtina abluantur, horis veſpertinis clyſtere injecto ex lacte, butyro & ſaccharo; Ad enecantia poſtmodum erit deveniendum, inter quæ oleum amygdal. amar. nucleor. Perſic. vinum infuſionis ſcordij, ſpiritum ſalis, oleum ſulphur. ſpirit. chalcanthi, vermium venenum, aquam deſtillatam ex allio vel cæpis, maxime probo: Symptomatibus occurro, & præſertim morſibus, aliquando enim ore ventriculi commorſo mortem inferunt, quo caſu blandioribus agendum, & ab amaris, acidis, aliiſque moleſtis abſtinendum, quorum loco lac copioſum ad libram & amplius cum ſaccharo exhibendum, prolectari enim à morſibus deſiſtunt, & ad lac ſe convertunt, vt pote dulce ac ſibi amicum. *Fortis Cent. 2. Conſ. 96.*

XXII. *a.* Ad necandos Lumbricos vſurpantur vulgo ſpiritus Acidi vitrioli, ſulphuris, & ſimiles, quos agnoſco & pituitam incidendi & Lumbricos necandi vi pollere, ſi guttæ ipſorum aliquot potui ordinario admiſceantur, & ipſorum vſus aliquandiu continuetur, Verum in omnibus non æque conducunt, cum Acidum ſimul in corpore augeant & appetitum; qui plerumque nimius eſt in pueris: quapropter niſi vrgeat ſimul ſitis, malim uſurpari Salia volatilia & ſub amaricantes plantas. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 1. cap.* 10.

XXIII. Medicamenta contra vermes ſemper cum dulcibus exhiberi debent, vt alliciantur & fallantur, cum amara valde refugiant, Vel dulcia aliquot diebus ante, vel præcedente veſpera exhibenda ſunt: Cavendum tamen ne per dulcia ſupra exhibita eos qui in inferioribus inteſtinis ſunt ſurſum ad nobiliores partes invitemus, vbi majus creant periculum: Supra igitur amara, inferius dulcia ad provocandum potius apponere conſultum videtur, Et ſi fuerint infimis locis amariſſima, vt eo vis ipſorum penetret: Si vero in recto ſubſiſtant, amaris illico ſuffocari poſſunt. *Fr. Hofmannus p. m. m.* 326. Monent etiam Practici in cibis & potibus frequenter oleum immiſcendum eſſe, cum in eo pereant & ſuffocentur. *Petraus Noſologia T. 2. p.* 143.

XXIV. Monitum *Laz. Riverij Obſ. comm. p. m.* 308. obſervandum, Pueri, *inquit*, vermibus ſæpe laborant, etiamſi nulli rejiciantur, nam in humores putridos facile convertuntur; Sicuti enim vermes phiala concluſi, & fimo calente obruti brevi convertuntur in paſtam, ſic in corpore noſtro, cujus calori fimi calor reſpondet, idem fieri poteſt, vermibus enecatis ab amaris medicamentis.

XXV. Si forte fortuna vermes ori ventriculi morſu pertinaci adhæreant, tunc minime ſunt irritandi, ſed potius à morſu revocandi atque alliciendi; hinc *Aëtius* vtebatur oleo, quod tamen nos non adeo tutum putamus, cum ab *Ariſt.* proditum habeamus quod olei tactus inſecta omnia interficiat, Ideo *Avic.* carnes, & carnium contuſum offerebat; mox carnibus enecantia commiſcebat, ut vermes deciperet: Nos autem Lac omnino præſtantiſſimum judicamus, vel cum ſaccharo ipſo, & quidem copioſum, vt ventriculum diſtendere, & diutius in eodem manere poſſit, ſimulque vermes prolectare valeat, ſicque ad lac converſi ventriculum mordere deſiſtant, quod etiam clyſteribus erit injiciendum. *Fortis de Febr. p. m.* 33.

LVXATIO.

SYLLOGE.

Repoſitio *non tentanda ante ſedatam inflammationem.* 1.
Nec ſi ligamentum ſit ruptum. 2.
Topica confirmantia *non debent refrigerare & exſiccare.* 6.
Pars luxata adſtringentibus faſciis poſt repoſitionem non vincienda. 8.
Luxati articuli poſt reſtitutionem excidentis curatio. 9.
Si ſuperveniat inflammatio, quando repoſitio facienda. 10.
Spinæ *introrſum luxatæ reductio.* 3.
Femoris *luxati non ſemper tentanda repoſitio.* 4.
Humeri *ſub axillam prolapſi reſtitutio.* 7.
Oſſis Coccygis *luxatio reſtituta.* 11.
Contuſiones nervorum vt Luxationes non tractanda. 5.
Vinum an concedendum 12.

I. NOn ſine cauſa *Celſus* l. 8. c. 11. monet in *diſlocationibus* quicquid ſuo motum eſt loco ante inflammationem eſſe reponendum: Quod ſi ab initio Chirurgus vocatus non fuerit, ita vt membrum affectum jam intumuerit & inflammatione torqueatur, victus tenuis præſcribendus, corpuſque à pravis humoribus repurgandum: vena item, ſi neceſſe, tundenda, loco verò affecto repellentia applicanda, donec ſævitia inflammationis aliquomodo ſit ſedata, tum operatio tentanda, ſed blandè ut fiant omnia proſpiciendum, Qui ſecus faciunt, non leviora ſolum ſymptomata, imò & mortem nonnunquam inferunt. Puella ſæpe in terram proſiliens pedes ſibi aliquantum contorſit, exorto dolore inflammationéve Empiricus adhibitus, qui pedes adeo extendit, & hinc inde contorſit, vt aucto dolore & inflammatione ſequuti ſint abſceſſus, & circumcirca articulos pedum, & quidem diverſis in locis, vlcera ſinuoſa, ex quibus ſeroſus humor effluebat: dolor in ipſis articulis adeo magnus ac pungens erat, vt pedes vix movere, nedum incedere poſſet. *Fabritius Hildanus Cent. 2. Obſervat. 90. ubi multa alia exempla.*

II. Antequam Chirurgus repoſitionem Luxatæ alicujus partis intentet, probe prius perſpiciat neceſſe eſt num ligamentum ruptum ſit: nam ſi hoc ex eo quod pars moveri non poſſit intelliget, conſultius vt manum de operatione retrahat quam temere curationem in artis ignominiam inſtituat. *Walæus meth. Med. pag.* 141. *Frider. Hofmannus m. m. l. 2. cap.* 2.

III. *Luxationem ſpinæ* introrſum factam reſti-

tui non poſſe omnium eſt opinio: Chirurgus tamen ingenioſus & expertus ægrum non derelinquet abſque præſidio: Reductionem tentat in adultis *Hildanus*, primo quidem Extenſione, & ſpinæ nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus concuſſione, & ventris in altum elevatione per inſtrumenta ab *Oribaſio lib de Machinam. c.* 35. & *Paræo* deſcripta: Deinde dorſi inciſione uſque ad vertebram luxatam, & vertebræ (quæ poſt inciſionem tenaculis aptis in appendice apprehendenda eſt) in altum elevatione. *Videatur Cent.* 5. *Obſervat.* 69.

IV. Si quando *femur loco moveri* contingat, non poteſt id niſi integrè fieri: cum enim caput illius rotundum ſit, in labris ſinus, ſive acetabuli, conſiſtere non poteſt, ut ita παράρθρημα tantum, ſeu diſtorſio fieret, quæ vulgo ſemiluxatio vocatur: ſed neceſſe eſt illud vel intra ſinum recedere, vel extra cadere, ut & corpus aliud quodcunque, globoſæ figuræ, in labris vaſis alicujus conſtitutum ibidem firmari nequit, ſed neceſſario aut intra prolabitur, aut extra: Sic autem perfectè luxatum femur, licet non reponatur, ægroti tamen progreſſu temporis ita convaleſcunt, ut ſine ſcipionis ope incedere poſſint; quod *B. Iordanus*, Chirurgus *Patavinus*, in viro quodam expertus eſt, cui femur luxatum reponi non poterat ob tibiæ fracturam, cujus tum potior ratio habenda erat. *Velſchius Obſervat.* 80.

V. Admonet ſapienter *Fabr. Hildanus in Cent. fol.* 167. incautiores Chirurgos, ut in contuſionibus articulorum, (*Foulures de nerfs*) ubi non manifeſta luxatio apparet, non temere membrum hinc inde torqueant, & non diſlocatum conentur reponere: Nam tales ineptas operationes ſequuntur facile magnæ inflammationes, dolores, ulcera, oſſium caries & mors. *Hoeferus Hercul. Med. l.* 4. *c.* 2.

VI. Faſciæ, ut præter conſtrictionem etiam inflammationem arceant, ex miſtura vini auſteri & ol. roſar. madefiant, quoniam ſiccæ multo tempore inter ſe non cohærent: Alij moderatè obliniunt, felici ſucceſſu, Cerato *Hippocrat.* humido, quod deſcribit *Galen. l.* 6. *de Comp. Med. per gen. c.* 4. Vitanda autem ſunt hic illa medicamenta quæ fiunt ex pulveribus adſtringentibus & albumine ovi, quoniam articulum vel nimis refrigerant & exſiccant, ut flexura impediatur, vel humoribus influxis exitum excludunt. *Scultetus Tab.* 56.

VII. *Hildanus Cent.* 5. *Obſerv.* 86. monſtrat modum reſtituendi humerum ſub alam luxatum, quem recentiores Chirurgi ſummopere commendant: Oſtendit ibi varios ſuæ Remoræ, quam invenit, cinguliique & machinæ tractoriæ uſus: Collocat ægrum ſupra ſpondam, ego autem ſuper ſcamnum *Hippocrat.* ut tyrones addiſcant quomodo *Hildani* Remora adhibenda ſit in ſcamno dicto, Ex quo 1. removetur axis medius & priapiſcus. 2. Remora cum ſuo globulo ſuavibus linteis involuitur & ſcamno infigitur. 3. Æger ſupinus collocatur, & ad remotam ita adaptatur ut ejus globulus alæ cavitatem repleat: 4. Cingulum carpo alligatur, ut unus hamulus ad internam, alter ad externam carpi partem ſpectet. 5. Hamulis cinguli injicitur laqueus validus, cujus extremitates, circa apicem digiti medii conjunctæ, recipiunt uncum ſuperiorem machinæ tractoriæ. 6. Inferior machinæ tractoriæ uncus annectitur clavo ſcamni annulato: His omnibus factis Chirurgus utraque manu funem ductorium ad ſe trahendo, brachium rectiſſime extendat, donec caput humeri in ſuam ſedem inciderit: Tum machinam paulatim relaxatam removeat, ægrum erigat, cavitatem axillæ pila, quæ ex linteis fit convolutis repleat, articulumque faſciis ita ſtabiliat ne iterum ex loco ſuo prolabatur. Mea tamen experientia teſte, humeri luxationes ad inferiora factæ, ſi reponi manibus nequeant, facilius Spatha *Hippocr.* quam Remora *Hildani* reſtituuntur. *Scultetus Tab.* 47.

VIII. Repoſitam partem felici ſucceſſu quidam deligant faſciis, moderate obliniris cerato *Hipp.* humido, quod *Galenus* deſcribit 6. de compoſ. *x. γ. c.* 4. dicitur Ceratum à cera, & humidum, quia obolum eſt molle: Illius ſit pars una, hujus duæ, e. g. ceræ albæ ℥j. ol. roſ. ℥ij. vitanda ſunt hic illa medicamenta quæ fiunt ex pulveribus adſtringentibus & albumo. ovi, quoniam articulum vel nimis refrigerant & exſiccant, ut flexura impediatur, vel humoribus influxis excludunt exitum. *Idem.*

IX. Articulus recidit tribus de cauſis 1. cum male reponitur, & ligamenta non bene exſiccantur. 2. cum tumor aliquis ex inflammatione ſupereſt. 3. cum humor ad articulum fluit ligamenta laxans: Prima cauſa majora exſiccantia requirit, 2. emollientia & diſcutientia, 3. peſſima, poſt proviſionem totius, adustionem, qua nihil præſtantius: nam hæc abſumit, 1. humiditates illas per cruſtam, quæ cavum facit vlcuſculum, quod cicatrice obductum partem relaxatam contrahit: per inuſtionem enim calefacimus, ſiccamus, & humores digerimus: ſed Nota 1. vrendum locum ad quem cadit os, ut ſi humerus ſub alam cadat, ſub axilla fiat vſtio. Si caput femoris ad anteriorem partem luxetur, anteriora pluribus in locis vrantur. 2. Ne vrantur partes nervoſæ, ligamenta, venæ, arteriæ & glandulæ, quibus ignis inimicus. 3. Vſtio fiat ferramentis quæ parvas faciant eſcharas. 4. Poſt articulus quieſcat per multos dies. *Idem.*

X. Extenſionis tempus ab *Hippocr.* proponitur de Articul. §. 64. ſtatim poſt Luxationem, dum pars adhuc calet: Quod ſi ob Chirurgi abſentiam ſtatim fieri non poſſit, fiat ſecunda die vel tertia, niſi cogamur ob inflammationem, quæ prius ſupervenit, deſiſtere: In quarta vero, ob exacerbationes, nihil tentandum: Obſervatum enim quod ſi tentetur Extenſio, reſtitutio feliciter non ſuccedat, ſed eam mala ſequantur incommoda: Vnde *Fallopius* de Luxat. c. 12. Moneo vos, *inquit*, vt habeatis ſemper rationem temporis, ad ſummum non excedentis diem tertium: Et ſi dies tertia jam eſſet præterita, expectandus eſt terminus inflammationis, & tempus vſque quo periculum non ſit de inflammatione, eſtque *Hippocr.* 4. de Artic. 65. monente, dies 7. ad quem vſque æger victu tenui extenuandus eſt, Ergo ſi tribus primis diebus fieri non poſſit Extenſio, expectare vſque ad ſeptimam. Tempus in quo poteſtis reſtituere, eſt 1. 2. & 3. vel ſaltem 7. 8. & 9. in 10. vero 11. & reliquis non eſt tutum, quia tum generatur callus. *Scultetus Armam. Tab.* 56.

XI. Nobilis ſupinus prolabens, podicem ſub finem oſſis Coccygis lapidi acuto tam vehementer affligit, vt inde os hocce luxatum: inde plane immobilis redditus: Mane ſequenti, 17. poſt lapſum horas, invenio ægrum acute febricitantem, crura pedeſque immobilem, & non procul à convellendo exiſtentem: imprimis querebatur de dolore intolerabili circa anum: De fractura oſſium mihi ſuſpicio, ſed ſana cuncta invenio, ſed circa podicem omnia ſugillata: digitóque in anum immiſſo, extremitas coccygis, quæ intus receſſerat, me de luxatione certum faciebat: Illi ſtatim pro-

pinata

pinata ℨß. ſalis viperarum fixi in aqua chærefol. Rom. poſtea patientem loco prono in corpore & natibus elevatis, pedibus vero deorſum pendentibus; poſt, (juxta *Paulum* l. 6. c. 98.) indicem ſiniſtræ manus pinguedine aliqua inſalita inunctum podici immitto, eumque ſenſim ſenſimque incurvo, denique pollicem exterius admoveo, hoc modo trahendo & premendo tantum præſtiti vt oſſa crepitarent, inque ſitum naturalem redirent, vnde dolorum &c. levamen: Ne os iterum excideret, podicem ſæpius vino rubro, in quo fol. quercus, cupulæ gland. flor. roſ. rub. balauſt. cocta erant calide fovendum ſuadeo; locus affectus cerato *Vigonis* muniebatur.

Matrona primiparæ, poſt partum difficilem, oſſiculum hocce adeo retro ceſſerat vt fæces ſemper involuntarie prodirent: Poſt decendium conſulor, ſuadeo vt obſtetrix admoto exterius digito an oſſiculum hoc repelli poſſet tentaret; tentat ſed ſine effectu, neque enim oſſis crepaturam exaudire potest: ſed hac ce regione oleo lumbric. & lilior. alb. ſæpius inuncta, & hoc modo mollificata, facile negotium proceſſit, poſtea locus empl. contra rupturam *Fel. Wurtzii* munitus. *A. Herm. Cummenus Miſc. cur. anno 72. obſ. 35.* Adr. *Spigelius* os coccygis a partu luxatum matronæ ſola faſcia reſtituit. *Rhodius Obſ. 80. cent. 3.*

XII. Vinum per omne tempus interdixit *Celſus*: Concedit ſub ſarcoidis calli generationem *Avicenna*, & alii qui ſucceſſere: Nec de Hippocrate dubito, quod conſenſerit in auſtero & nigro, quando tale & in acutis permiſit 3. de diæt. Acut. part. 39. Sed quod per omne tempus vinum alienum eſſe dixerit, equidem manente ſuſpicione inflammationis (ob quam magnum luxatis ex longa fame præſidium definivit) interpretor: Et quod ita ſtatuerit factum inde puto, quod in Hippocr. comm. de Fract. part. 47. ſcriptum legerat abſolute, *A vino & carne ſibi temperent*, Sed eo quo dixi modo non videtur loquutus Hippocr. etenim continuo ſubdit, *Poſtea tamen progreſſu facto reficiendi*: Hic igitur ſic compoſitis, vinum aliquando concedi luxatis non alienum eſt. *Severinus Chir. trim. pag. 1. cap. 8.*

INDICIS
MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER VNDECIMVS.

De Affectibus à litera M. incipientibus.

MACIES.

(vide *Atrophia* lib. 1.)

SYLLOGE.

Salſa *an maciem inducant.* 1.
An Pinguia *impinguent.* 2.
Diuretica *quomodo conducant.* 3.
Potus inter paſtus confert emaciatis. 4.
Papaveris uſus, hyoſcyami, illis quomodo conducit. 5.

I. DVbitatio eſt quomodo ex ſanguine ſalſo membra tabefieri & emaciari poſſint, nam *Plutarchus* in Quæſt. natur. 1. ſcribit Plantas nequaquam nutriri rebus ſalſis, quia hujuſmodi alimentum terreſtre eſt, & conſequenter accommodum pro alendo eſſe non poteſt: *Theophraſtus 6. de Cauſis Plant.* 14. cauſam quærens propter quam in plantis non inveniatur ſapor ſalſus, ſed alii ſapores, inquit propterea eſſe quod hujuſmodi ſapor ineptiſſimus eſt alendo: Ad inſtantiam de Piſcibus, qui nutriantur in mari, inquit non nutriri aqua ſalſa, neque ſuccis ſalſis, ſed aut dulcibus aut acidis, aut aliis quæ inveniuntur in mari, quare conſtat ex hac parte optimo jure à me dici ſanguinem ſalſum extenuare, emaciare, eo quod ineptiſſimus ſit reſtituendis partibus quæ quotidie conſumuntur: Ex altera parte eſt idem *Plutarchus*, eodem libro, qu. 3. vel 4. vbi ſcribit Paſtores ad ſaginanda pecora vti ſale; quare ſi pecora ſaginantur ſale, non eſt dicendum à ſanguine ſalſo neceſſario conſumi corpora: Imo addit *Apollonium* Medicum, *Herophili* diſcipulum, conſueviſſe corpora emaciata reficere & impinguare rebus ſalitis: *Dicendum* Salem, & res ſalitas poſſe aliquomodo conducere ad ſaginandum & nutriendum, & aliquo ad conſumendum & tabefaciendum per ſe & principaliter, ſcil. propter cauſas a *Plutarcho* & *Theophraſto* allatas, quandoquidem res ſalitæ ſunt ſiccæ, & ideo alimento contrariæ, quæ exſiccant corpora, neque in ſubſtantiam amiſſam convertuntur: Per accidens autem poſſe conducere ad ſaginandum & nutriendum, ſcil. appetitum excitando, & quod maximè contingit, devehendo nutrimentum in partes ipſas: Si quidem res ſalſæ, ſi aliis alimentis commiſceantur, veluti vehicula quædam ſunt, atque quidam cunei, qui ducunt alimenta ad partes, & illa in ipſis infigunt. *Mercurialis lib. 1. de morbis Pueror. c.4.* Plinius lib.10. c. 73. ſcribit dari pecori ſal vt ſitiat, & multum potando pinguefiat.

II. Circa victus rationem alia oritur dubitatio, nam *Hippocr.* lib. de ſalub. Diæta, tradens rationem macrefaciendi corpora obeſa, dicit eſſe alenda *cibis pinguibus*, & adfert rationem, quia pingues cibi citiſſime ſaturant, propter quod ſaturantur quidem corpora, ſed non replentur: Subnectit etiam eo in loco, ſi craſſefacere placet, contraria ratione medendum eſſe: Contra hanc ſententiam eſt *Rhaſes*, *Avicennas*, & omnes fere Græci, qui conſulunt vt ad corpora pinguefacienda in vſu habeantur cibi pingues: Pro reſolutione dicendum, vſum ciborum pinguium, vel poſſe eſſe moderatum, vel immoderatum; Et cibos pingues, vel eſſe parum, vel multum pingues: Vſus ciborum pinguium immoderatus, ſeu eorum qui ſunt admodum pingues, multum abeſt vt conferant ad pinguefaciendum, quia illud præciſe agunt quod ait *Hippocr.* Cæterum cibi parum pingues, atque vſus horum moderatus, confert plane ad corpora pinguefacienda, & de his interpretanda ſententia Arabum & Græcorum. *Idem ibidem.*

III. Ad perducendum autem cibum ad membrum, conferunt omnia remedia *Diuretica*, quæ & vias omnes maxime recludunt, & ſunt veluti vehicula deferentia ſuccos & alimentum ad membrum. *Idem.*

IV. Sic

IV. Sic etiam confert *Potus inter cibos factus*, id eſt inter cœnam & prandium, vel cœnam & prandium, Et qui indiſcriminatim in corporibus emaciatis damnant omnino inter cibos potum, longe falluntur, quia & *Galenus* ipſe in tabidis corporibus 7. *Meth.* laudabat vt etiam à cibo biberetur: Et fere hoc perpetuum eſt vt qui inter cibos potare ſolent obeſi ſint. *Idem.*

V. Ad affigendum autem cibum ipſis partibus, conferunt ea potiſſimum quæ humectant humiditate quadam viſcida & tenaci, in corporibus ſcil. frigidis calida, in calidis & ſiccis frigida: Et hæc eſt ratio propter quam *Rhaſes* & *Avicennas* laudant ad impinguanda corpora papauer, hyoſcyamum, & alia multa quæ impenſe refrigerant: Hac etiam ratione dicit *Lucretius* capras pingueſcere cicutis, quod ſcil. hæc animalia ſint calida & ſicca, & ideo frigidis temperetur eorum calor & ſiccitas, ita vt nutrimentum conficiant: Non enim exiſtimandum eſt ſola cicuta aut capras aut ſturnos pingueſcere, ſed his præſtatur via & modus naturæ ad pinguefaciendum. *Idem ibidem.* Ex vulgata ſententia, papaver, hyoſcyamum &c. frigida eſſe hæc infert *Mercurialis*, cum ex neotericorum decreto ejuſmodi calida ſint; Iuvant autem vel ſomnum conciliando, quo pingueſieri corpora certum eſt; vel quia tenuiores ſuccos, & diſſlationi habiliores incraſſant, & vt melius partibus affigantur efficiunt.

MAMMARVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

Incrementum nimium *prohibentia caute admovenda.* 1.
In inflammatione *nimis refrigerantia & repellentia vitanda.* 2.
In Eryſipelate *eadem cavenda.* 3.
Oedemati *nimis calida non admovenda.* 4.
In Scirrho *topica caute utendum.* 5.
Aceto parce utendum. 11.
De mammarum cancro vide l. 3.
Tumor à lacte *diſcutientibus & repellentibus curandus.* 12.
Strumoſus *non attingendus.* 6.
Apoſtemata *cita aperiendum.* 15.
Vlcera *in lactantibus & puerperis vix ſanantur.* 7.
Aliquando nonniſi ferro candenti cedunt. 8.
Lactis abundantia *attenuantibus admotis minuitur.* 13.
Cucurbitulis dorſi admotis. 14.
Menthæ & npei uſu. 10.
Lacte gravata ſunt deplenda. 16.
An in dolentibus lac exſugendum. 18.
Si una affecta, altera ſiccanda. 17.
Pulverum calefacientium & ſiccantium uſus ineptus ad Lactis generationem. 9.
Cum Frictio mammarum inſtituitur, cavendum ne aſperior fiat, metu inflammationis. 19.
Procurandum vt quam minima formentur Apoſtemata, ſi impediri nequent illorum generatio. 12.a.
Elaborandū vt ſuppuratio ad ſuperficiē feratur. 12.b

I. AD *incrementum Mammarum* nimium prohibendum, cicuta, hyoſciamus & ſimilia narcotica, caute & nullo modo iis adhibenda quæ olim liberos ſuos ſuo lacte nutrituræ ſunt: calorem enim nativum in mammis debilitant, & vim γαλακτοποιητικὴν extinguunt: Adſtringentia autem commodius in juvenculis vſurpantur, in mulieribus vero, quibus ob oblactationem nimis increverunt mammæ, exſiccantia & diſcutientia commodiora ſunt, quibus excrementitia humiditas relicta abſumitur & diſcutitur. *Sennertus lib. 4. pag. 3. ſ. 1. cap. 1.*

II. *Inflammatis mammis* reprimentibus initio vtendum, minimè tamen validis, ne cor nimis infrigidetur, aut ad ipſum humor retrocedat, ſed temperatis, quibus etiam admixta ſint ea quæ digerendi ac diſcutiendi vim habeant. *Rod. A Caſtro l. 1. c. 16. de morb. mul.*

III. Si *Eryſipelas* occupet, primo morbi inſultu curatio inſtituenda quæ Eryſipelati debetur, & nullo modo parti affectæ refrigerantia, adſtringentia, repellentia vel pinguia imponenda, ſed reſolventia: exhibitis ſtatim ab initio ſudoriferis, quò ſubtilior para ſanguinis, quæ φλόγωσιν concepit diſcutiatur: *Sennertus.*

IV. In *mammarum Oedemate* topica reſolventia ac diſcutientia, ſimulque partem nonnihil roborantia, vſurpanda; cavendum tamen ne nimis calefacientia & reſolventia fortiora adhibeantur: Si quidem Topica calidiora ſanguinem ad mammas, partem fungoſam, facilè trahunt, qui pituitæ permixtus, diuturnis & periculoſis tumoribus materiam præbet: fortia verò Reſolventia ſubtiliores partes diſcutiunt, & craſſiores relinquunt vnde ſcirrhi, *Sennertus c. 4.*

V. Duo circa Topica ad Scirrhum mammarum legitimum obſervanda, 1. ne nimio calefacientium & attenuantium vſu partes tenuiores diſcutiantur, craſſæ relinquantur, vnde durities lapidea & incurabilis, 2. ne humectantium & emollientium vſu, præſertim ſi materia ſit mixta, quaſi fermentetur; & ex ſcirrho cancer generetur: Ideo quæ hic adhibentur mollientia, calida ſint & ferè in 2. in paſſivis temperata, vt neque ſiccent neque humectent, quæ eo ipſo à maturantibus differunt, quod hæc humidiora ſunt: Et iſta cautione magis opus eſt in ſcirrho a melancholia orto quàm qui a pituita, qui enim à melancholia eſt ſcirrhus facilius in cancrum abit: Itaque tutiſſimum antiquorum conſilium, vt nullum vel ſiccans vel humectans ſolum medicamentum vſurpetur, ſed vel alternis vicibus humectantia & emollientia cum digerentibus vſurpentur, vel emollientia cum digerentibus miſceantur: Si ſcirrhus nothus ſit, metuſque ſit ne in cancrum abeat, cum dolor quidam adſit qui affluxum humorum concitare valet, emollientibus quædam addenda quæ influxum humorum prohibeant. *Sennertus cap. 5.*

VI. Maturationem tentare in *Strumis mammarum* non ſemper tutum, cum facile fieri poſſit vt maturantibus materia corrumpatur, & tumor in Cancrum abeat: Sectionem quoque fœminæ tardò ferant; & præterea tales tumores ſine inſigni incommodo multos annos durent, neque hoc loco oculis, vt in gotture, pateant, Præſtat plerumque tales tumores intactos relinquere, quam valde moleſtæ & periculoſæ curationi fœminas ſubjicere: Et ipſæ fœminæ plerumque malunt cum aliquo incommodo & leniore moleſtia vitam trahere, quàm graviores curationis moleſtias & cruciatus ſuſtinere. *Sennertus cap. 6.*

VII. ***Mammarum vlcera*** non ſatis feliciter nec facile curantur ſi fœmina ſit puerpera vel lactans, antequam lac abſumatur & motus ſanguinis ad mammas ſiſtatur: cùm enim nullum vlcus, niſi ſordibus careat & ſiccetur, curari poſſit quandiu humorum hic affluxus fit, curatio non rectè procedit. *Sennertus cap.* 8. Sciendum quoque mammillam affectam rarò ad ſanitatem perduci ni alterius ſanæ lac exſiccetur, quoniam æque ſanguis ex venis ad vtramque ducitur: Exſiccabitur autem ſi infans non ſugat; ſi linteamina aqua madefacta ſuperponantur &c. *R. à Caſtro l.* 2. *c.* 16.

VIII. Advertendum mammillam ſpongioſam & cavernoſam eſſe; propterea humorem in ipſa contentum, neque à natura planè evictum, haud facilè ad vnum locum dirigi: hinc fieri vt plerumque variis in locis aperiatur, & vno curato foramine per alterum materia erumpat, variiſque in locis, duobus tribuſve, ſæpe etiam quinque, ad ſuppurationem veniat: vt rectè quidam dixerit adverſus eas quæ in eam fortunam inciderint, pleroſque Medicos ſe Medicos non invenire. Quo in caſu ferro candenti ſæpe vti oportet. *R. à. Caſtro cap.* 16. *l.* 2.

IX. Non audiendi Practici qui pulv. ex ſemin. fœnic. & aliis calfacientibus & attenuantibus & reſiccantibus componunt, vt corallo &c. Quid enim poteſt corallum ad generationem ſanguinis, cum non concoquatur, nec in ſanguinem vertatur ob ſiccitatem & duritiem: neque propter ejus qualitatem, cum ſit frigidus & ſiccus, poteſt juvare concoctionem neque ſanguinis generationem: fœniculi herba virens multum valet ad ſanguinis diſtributionem, proinde ad lactis generationem. *Rondeletius l.* 2. *c.* 19.

X. *Mercurialis*, *Platerus* & alii quidam Practici, *mentham & apium* fomenti & cataplaſm. loco ad ſanguinem ad mammas trahendum admovent: Iidem iiſdem ad lac exſiccandum & abſumendum vtuntur: *Dioſcorides* de mentha ſcribit quod mammas, ſi tendantur, aut lacte turgeant; compeſcat: de Apio, quod mammarum duritiem ex lacte concretam reprimat; Recentiores quoque Botanici mentham commendant ad duras mammas, ne lac coaguletur: nutrices petroſelinum vulgare, ſeu apium hortenſe, poſt ablactatos infantes mammis imponi jubent, ad lac diſſipandum ejuſque concretionem inhibendam: Ideo cauſam non video cur *Platerus* ſcripſerit mentham contuſam mammis impoſitam lac allicere: niſi forſan eo fine adhibeatur, cum pituitoſus & craſſus ſanguis venas in mammis obſtruit, qui hac ratione attenuatur. *Sennertus cap.* 2. *ſect.* 2. *l.* 4.

XI. Dum *Scirrhus in mammis* contrahitur cautè aceto eſt vtendum, faciliter enim hujus partis ſubſtantiam aceto demoliemur: quo fit vt initio ſcirrhoſi tumoris hujus partis nulla ratione liceat id adhibere: indurato tamen admodum tumore, mixtione aliorum medicamentorum, in mediocriter robuſtis corporibus, non erit abs re modico vti: periclitantur enim hujuſmodi partes ne ocyſſimè in majorem duritiem tumor degeneret. *Mercatus de Indic. med cap.* 6.

XII. Primiparæ cuidam ex nimio lactis affluxu obortus eſt tumor cum rubore, tenſione & dolore moleſtus: Hunc *Mayernus* intra biduum perfectè ſuſtulit inunctis melle calido mammillis, ter aut quater, quotidie inſpergens pulverem ſuberis: Pari ſucceſſu in aliis ol. myrtillor. & pulv. hippuridis vtebatur, ſed diſpari intenſione: hæc enim repellunt, illa diſcutiunt. *Velſchius Obſ.* 33.

XII. *a* Danda ſedulo opera vt non tantum præveniantur in totum, ſed quantum licet minima producantur vbique, ac imprimis in Mammis Apoſtemata, quin quantocyus ad Suppurationem perducantur Inflammationes, quæ impediri non poſſunt, Et quidem 1. vt multiplices noxæ Apoſtemata ſubſequentes, aut comitantes tollantur. 2. ex minore ſpatio apoſtemate occupato, pauciores partes noxam patiantur. 3. à pure diutius in partibus quibuſvis hærente, ac ſenſim magis magiſque corrupto & acriori facto, plures non lædantur partes, & imprimis vaſa, quippe quorum noxa hominis ſanitati longe nocet magis quam carnium quarumvis corruptio. Notandum enim in quavis Suppuratione, præter ipſum ſanguinem, aut *Lac* in pus mutandum, corrumpi quoque ſæpenumero partes vicina & circumjacentes, ſed primum carnoſas & molliores, ſegnius membranoſas, ipſaque adeo vaſa, quæ vtpote firmiora & tenaciora diutius ſolent reſiſtere corruptioni & corroſioni luæ: Hinc quoties poſt inflammationem, & ſubſequentem ſuppurationem, facta eſt arte aut ſponte Apoſtematis in Mammis apertio, atque læſi ſunt ſimul quidam tubuli lactiferi; ſive hoc acciderit ratione ipſius ſuppurationis grandioris, ſive ideo factum ſit Chirurgi lanceola penitius intruſa, accidit vt effluat Lac per vias minime convenientes, apoſtematis puta aperti orificium, non item papillarum tubulos. *Sylvius de le Boë Praxeos lib.* 3. *cap.* 11.

XII. *b* Quemadmodum autem allaborandum vt hæc omnia fiant, ſic danda quoque opera vt Suppurationes omnes, quantum poſſibile, ad externas trahantur partes corporiſque ſuperficiem; nam quæ in loco profundiore fiunt Apoſtemata, nec ſponte nec arte aperiuntur, niſi cum partium plurium læſione: Vbi ſponte aperiuntur, id evenit quoniam ſegnius ad corporis ſuperficiem viam ſibi facit pus, quod interea temporis partes vicinas plures ſimiliter corrumpit, ipſaque ſubinde vaſa: Vbi *arte* aperiuntur Apoſtemata idem evenit, quoniam dum profundius adigendum eſt ſcalpellum, facile Ductus aliquot lactiferos ſimul diſſecat Chirurgus, ſicque Lactis effuſioni per viam indecentem anſam præbet: Illud autem ideo cavendum maxime, quoniam tunc apoſtematis, vel potius Vlceris poſt apertum Apoſtema remanentis curatio eſt longe tardior: difficultet namque, atque ſegnius conſolidantur aut carne concluduntur vaſa & Ductus Lac continuo effundentia, quia ſegnius inundantur, & carne implentur Vlcera ex Apoſtemate cava remanentia: Non prius autem curari poteſt illa Lactis effuſio per notatum vlcus, quam carne nova, vel conſolidata ſint dicta vaſa diſciſſa, vel eroſa, vel ſaltem ea ita munita, vt denuo tranſitum Lacti naturalem concedant, dummodo tale quid locum habere poſſit. *Idem.*

XIII. Moleſta interdum fœminis, quæ peperetunt, nimia *lactis copia*; quam certo experimento ſeu diſſipat, ſeu vi peculiari, abſumit inunctus mammillis adeps ſerpentinus: Nimirum non repellentia tantum affluxum cohibent, ſed etiam attenuantia efficiunt vt cito aut per papillas effluat, aut intra primum ſeptiduum ad vterum ſeceſſat. Quo ſcopo Theod. Mayernus Reginæ Angliæ Med. diachylum ireatum cum pulvere ſalviæ & ol. roſac. feliciſucceſſu admovit. Quidam laudant herb. petroſelini

ſelini aut anagallidis flore cœruleo tuſam & impoſitam. *Volſchius Obſ. 3.*

XIV. *Hippocr.* 2. Epid. ſect. 3. A cibis & potibus humeros & mammas inflari ait: quibus verbis primam generationem lactis exhibet, quod ex ſucco dulciſſimo generatur, quem mammæ circumſitæque partes, & humeri potiſſimum à ventriculo expreſſum à ſe trahunt & in lac tranſmutant: quod ſenſato, præ aliis, nutricum teſtimonio probari poteſt, quæ ſtatim ac cibum, & potum maximè, ſumpſerunt, materiam lactis ad mammas deſcendere manifeſto ſentiunt; quæ reſtantur vlterius hujuſmodi humorem ab humeris deſcendere per claviculas ad mammas ipſas, idque evidentius perſentiscere ajunt dum actu ſugit puer: Ex quo evenit vt nihil magis vbertatem lactis nutricibus tollere poſſit quam applicatio cucurbitularum dorſo, quod nutricibus experimento agnitum, eſt cauſa vt hoc remedium ſæpius recuſent, ne lac ipſis deficiat. *Pr. Martianus comm. in cit. loc. Et lib. de Nat. pueri n. 250.* Lacti materiam præbere non ſanguinem, ſed ſuccum chyloſum lacteumque, per peculiaria vaſa lactea ad mammas earumque tubulos delato, conſtans eſt multorum opinio; Ad illam verò, pro ejus generatione, materiam advehendam facit fortaſſe inſignis ille ductus chyliferus, à Pancreate per thoracem, juxta aortam ac vertebras, ad jugulum vſque aſſurgens, qui ramos aliquot in venam ſubclaviam & jugularem inſerit.

XV. Mulieres inciſionem in *Apoſtemate Mammarum* quantum poſſunt diffugiunt, ſed maximo damno, primo enim membrana nimis extenditur, 2. fibrilla corroditur, 3. os exeditur, unde perpetuus fluxus. *Frid. Hofmannus. mm. p. 440.*

XVI. Mammarum muliebrium frequens in lactantibus ex lactis affluxu *Induratio dolorifica*, diei vnius ſpatio curari poteſt vng. Alth. compoſ. modo ſuctione materia aquea ſæpius educatur: Evacuatione hac neglecta aut dilata, in dies magis magiſque mamma induratur, imo inflammatur; adeoque conveniunt hic venæ ſectiones, purgationes, refrigerantia &c. *Barbette Anat. Pract. lib. 3. cap. 1.*

XVII. Mammilla affecta rarò ad ſanitatem adducitur, niſi altera ſana à lacte ſiccetur: Siccatur autem ſi ſugenda non præbeatur, & farina fabarum ac lentium cum aceto decocta imponatur: Hoc enim remedio nihil convenientius expertum, ſive mammæ, ſive teſticuli minuendi ſint;

XVIII. An vbi mammæ dolent lac exſugendum? *Aëtius* id fieri vetat, quia, inquit ille, quanto magis exſugis eo magis augetur, quod ſcil. dolor ſponte trahat ſanguinem, vnde lac multiplicatur, cui niſi detur exitus metus eſt ne concreſcat. *Enchir. med. Pract.*

XIX. Deficit aliquando *Lactis productio* Sanguinis culpa, ſi præſertim vaſa nimis exilia ſint quæ ad Mammas tendunt, vitio conformationis, & forſan ſolidiora; quod malum vix putem niſi lente paulatimque poſſe curari, ex parte ſaltem emendari, & quidem frictione frequenti blandaque loci per quem ad Mammas tendunt vaſa ſanguinea, additis vnguentis & oleis emollientibus, quorum ope emolliri laxarique poſſunt tunicæ arteriarum, ſenſimque aptæ fieri vt magis explicentur, grandioreſque factæ plus ſanguinis transferant ad ipſas Mammas: Cavendum autem ſedulo ne frictione vehementiore, aut diuturniore, quaſſentur lædanturque Mammarum glandulæ, ſicque inflammationi anſa detur: Non feſtinandum proinde, aſt procedendum lente in partium; præſertim continentium, emendatione & mutatione à ſtatu nativo, quippe quæ difficilius & ſegnius obtinetur. *Sylvius de le Boë Prax. lib. 3. cap. 10.*

MANIA.

SYLLOGE.

Crebræ vacuationes *neceſſariæ.* 1.
Ad helleborum album *deveniendum.* 2.
Curatio per ptyaliſmum. 3.
Nitri *efficacia.* 4.
Diuretica *an ex vſu.* 11.
Arteriotomia *ſanata.* 5.
Cauteriorum *attenuantium vis.* 9.
Ad Trepanum *confugiendum.* 6.
Sectione pericranii *curata.* 10.
Caſtratione. 7.
A ſemine turgente orta crebra venere ſopita. 8.
Curatio per Chirurgiam infuſoriam. 11.
Qualis victus forma conveniat. 10. a
Laudani vſus confert. 10. b

I. QVa ratione alios morbos, à maligna quadam materia genitos, *multis vacuationibus* interdum ſanari experientia, vt in lue venerea, docuit, ita & in Mania, à maligna materia prodeunte, maximis & frequentibus vacuationibus Empiricos multos ſanaſſe, à reliquis Medicis relictos, ſæpenumero vidimus, noſque ipſi experti ſumus: Sangu. miſſio cum non tantum ſanguinem, ſed vna cum ipſo morbi materiam in venis latentem vacuare poſſit, primum remedium in melancholia & mania, ac præcipuum erit: Quod etſi pleroſque non docuiſſe, aliquos etiam improbaſſe ſciam, longa tamen obſervatione innumeros hac ratione ſanatos fuiſſe ab iis, qui ex profeſſo hiſce morbis ſanandis operam dabant cognovi: qui vicies, ſexagies quoque venas tundendo, inſanos penitus, vel melancholicos ita reſtituerunt vt poſtea incolumes adhuc longam vitam vixerint: qui in vena certâ eligenda nihil laborarunt, ſed nunc brachii vel pedis, hanc illamve nunc alibi ſine diſcrimine aperiebant: Quod remedii genus nos quoque, ſed majori cum providentia, minimè negligere debemus. *Platerus Tomo 1. cap. 3.*

II. Ad generoſiora *Purgantia*, maximè ad frequentiorem vſum hellebori nigri, imò & albi veniendum, non tamen in ſubſtantia, ſed in infuſione facta cum vino: ita tamen vt prima vice ſolum infundatur ʒj. rad. ellebor. alb. in vino abſque ebullitione: ſec. fiat etiam ebullitio, ſed levis; deinde & validior cum expreſſione, vt ſic ſenſim ad validiſſima progrediamur: nam in hac curatione diutius perſiſtendum; atque vt facilius educantur humores ſine ſuffocationis periculo, emolliendi & attenuandi ſunt immerſione totius corporis in aqua dulci parum calida, alterata malva, althæa, chamæm. fœnugr. &c. ac poſt vſum hellebori ſuperbibere poterit ℥v. aut vj. ptiſanæ hordeaceæ. *Silvaticus cent. 1. conſ. 53.* Quendam ex melancholico Maniacum redditum purgationibus & v. ſ. curabat. Veſlingius, cum parum proficeret poſtremò ad helleboriſmos progrediebatur; & vltum pulveris ſemin. vrticæ

mortuæ, vvæque Lupinæ (herbæ Paridis) quo multos etiam Dæmoniacos, liberatos ajebat. *Velſchius Obſ.* 15.

III. Evacuatio totius corporis per *ſalivationem Mercurialem*, quamvis à multis planè rejiciatur, In Mania tamen coercenda cum fructu inſtitui poterit. In hac, ſi alia non juverint, magna ſpes locatur. *Rolſinccius Conſ.* 8. *l.* 2. Maniacus levi ſalivatione arte facta ſalvus evaſit & incolumis, ante ligatus & in vinculis detentus. *Idem meth. ſpec. p.* 590.

IV. Laudatur *Nitrum* non ſine cauſa, cum enim malum hoc ab impuris, fervidis & inquietis ſpiritibus ortum habeat, Nitrum non ſolum omnem fumum craſſum & flammam fumoſam clarefacit, ſed & volatilia figit: ferventi cereviſiæ injectum putam eam reddit &c. *Sennertus Pr: l.* 1. *p.* 2. *cap.* 15.

V. Maniâ nonnullos ex his qui in Noſocomio noſtro incurabilium aluntur, *Arteriotomiam* liberaſſe memini, inter cæteros adoleſcentem Bononienſem &c. *Severinus Angiologia p.* 45.

VI. Vltimum in hoc morbo refugium eſt admovere capiti, intra coronalem & ſagittalem ſuturam, *cauterium potentiale*, quod relinquitur donec tanta eroſio facta ſit vt os nudum appareat: hinc trepano aperiatur cranium, atque locus apertus per menſem maneat; *Hartmannus Pr. Chym. cap.* 3. *l.* 2.

VII. Adoleſcenti Maniaco, poſt vſum potentiſſimorum remediorum, antimonii, arteriotomiæ & Trepani, tandem Caſtratione facta Mania ceſſavit, quæ in melancholicum delirium *deſiit. Formius apud Riverium Obſ.* 31.

VIII. Patavii Maniaca de rebus venereis ſemper loquens, in Noſocomio detenta & à miniſtris ſæpius compreſſa, convaluit. *Bartholinus cent.* 2. *hiſt.* 69.

IX. In Mania & Phrenitide *cauteria actualia* à multis tam veteribus quàm neotericis commendantur, neque à ſuturâ coronali abhorrent, vapores enim ferventes & accenſos adustâ cute verticis, ex capite exhalatione diſſipari perſuaſum ſibi habent: Maniacus, ait *Gordonius*, dum vulnus capitis apertum gereret, à furore liber: illo ſanato in hunc iterum incidit: *Gariopontus* vtraſque occipitii partes cauteriſare jubet: *Dodonæus* cauterio in nucha poſito Maniacum vidit ſanatum: *Severinus* l. de effic. med. v. imo vii. cauteria furioſis felici ſucceſſu admovit: abſterrere videtur fervor igneus ſpirituum, qui illis accenditur magis, ſed Epiph. *Ferdinandus* provocans ad experientiam, Mirum, ait, quam refrigeretur cerebrum & pravi tetrique vapores diſſipentur: Etſi primis diebus aliquem caloris gradum concitare valeamus, magis tamen inde emergit emolumentum quàm puſillum ex impreſſo igne ortum damnum. *Rolſinccius meth. p.* 413. Nec ſolum cauterium vnum vel alterum in capite juvat, ſed & in ambobus & brachiis & cruribus mirificum afferunt juvamentum: Iuvenis furens Patavii poſt infinita remedia tandem rediit ad mentem vſu iv. cauteriorum in brachiis & cruribus. *Glandorpius Gazoph. p.* 110. Quod expertus ſum magnopere contuliſſe, eſt cauteriorum genus: nam ſi fiat cauterium, & apertum detineatur, vel in nucha, vel ſupra ſuturam coronalem, certe vtile eſt, quia non tantum vapores atri & fervidi per ea foramina diſſipantur & educuntur, verum etiam refrigerat, & conſequenter ſuccus ille ater & aduſtus exinanitur: Sed non ſolum cauterium vnum vel alterum in capite juvat, ſed ſi ſit etiam in ambobus & brachiis & cruribus, mirificum adjumentum afferunt: Et ego ſcio quandoque hic, Patavii, nobiliſſimum juvenem furentem, poſt infinita remedia, tandem rediiſſe ad mentem vſu quatuor cauteriorum in brachiis & cruribus. *Mercurialis l.* 1. *c.* 16. In muliere, ex phrenitide facta maniaca, fuere facta tria cauteria, alterum ratione evacuationis in capite, circa ſuturam coronalem & ſagittalem: alterum ratione derivationis & revulſionis in brachio ſiniſtro, & alterum in tibia dextra ratione revulſionis; & in duobus his vltimis cauteriis ſecunda die ſtatim ciceres admovere juſſi ratione doloris: Neque hæc pertimeſcenda, his enim maxime in capite nos uſque ad præſentem diem tres Inſanos curavimus, & erant vere amentes. *Epiph. Ferdinandus Hiſtor.* 91.

X. Vidi Medicum Empiricum, qui ad locum Suturæ coronalis & ſagittalis medium, deraſam cutem ſcalpto obverſo diffinderet dum os occurreret, & conſervato diu vlcere nonnullos liberavit. *Severinus med. Eff. p.* 84.

X. *a. Laudanum* detur Maniacis ad ſomnum conciliandum, temperandum cerebrum, & prohibendam fumidarum exhalationum anathymiaſin: Quoniam autem medicamenta vulgo iſti ægri reſpuunt, & ſolidam pilulam ingerere difficillimum, poteſt Laudanum dilui quolibet liquore conveniente. *Theod. de Mayerne Tract. de Laudano M. S.*

X. *b.* Ego arbitror nihil inconvenire craſſioris aut copioſioris *alimenti* inſtitutione vti; nam quibus virtus valida eſt cum humorum defectu, jubet *Galenus* 1: *aphor.* 17. multum & frequentius victum porrigere: Neque inconvenit crudius aliquid aut pituitoſius manere;· quinimo conducit humectationis ac refrigerationis gratia: Nam ob id profecto hujuſmodi laborantes raro ſanitati reſtitutos conſpicimus, quia plerumque longe minus comedunt quam par ſit: quinimo blandimentis aut imperio ipſos ad alimenta capeſſenda cogere non raro opus eſt. *Mercatus lib.* 1. *Prax. cap.* 18.

XI. Patiens 34. annor. Dementia capitur abhinc annis ſeptem octove, originem accipiens ex offenſione paulo ante accepta in facto amoris, vnde ſpem conceperat ingentis fortunæ: Prima illa exorbitantia erat valde violenta, & durabat 10 menſes ſine vllo bono intervallo, ſed poſtea per decentem priſtina mente reſtituta, conjugio fuit copulatus: Nondum vero exacto primo conjugii anno ille reincidit, & diverſis vicibus ad ſanam mentem rediit noviſſimis his 7. vel 8. annis: Obſervandum autem 1. indiſpoſitionem illam nunquam minus 8. vel x. menſibus duraſſe ſine vlla relaxatione, non obſtante omni cura: 2. Virum magni nominis ſuſcepiſſe curationem ejus, & venam ſecuiſſe in pedibus, brachiis, capite vel octodecies, & balneo quadrageſies, vt taceam de applicationibus ad ſinciput & potionibus: Sed loco emendationis morbus videbatur per iſta remedia provocari: Phreneſis ejus ſemper fuit periodica, & nunquam remiſit niſi ſenſim: Et remiſſio potius contigit ei ſibi ſoli relicto quam medicamentis afflicto: Noviſſime omnium ab hinc quatuor menſibus circiter relapſus eſt in delirium, in loco diſtante 12. milliaria Lutetia Pariſ. quare recluſus, imo vinclis detentus: Sed nil obſtante omni cura, ipſe aliquando evaſit & erupit, penitus nudus & directo curſu petiit Lutetiam nocte obſcura: Miſericordia commotus D. Montmorius

morius

motius conſtituebat ipſi procurare locum in vno Prodochiorum, ſed ſimul volvebat animo Transfuſionem, experimentis jam de ea habitis: Quod vero concerneret medelam tanti delirii, prout nobis apparebat non ſatis inſtructos eſſe Experientia vt eam auſimus promittere, & conjecturas noſtras non vlterius progredi quam vt arbitremur ſanguinem vituli ecorem fortaſſis emollitm um c lorem & ebullitionem eius ſanguinis cum illo commixti: Decembris ergo 19. Domin. *Emmereſius* aperuit *Arteriam cruralem vituli*, & fecit quaſcunque præp i nes neceſſarias, & exhauſtis ex Patientis dextri achii vena decem vnciis ſanguinis, non potuimus reddere illi vltra quinque vel 6. circiter vncias ſanguinis vitulini, quia poſitus eius violentus & turba ſpectatorum Operationem interrumpebant. Interea Patiens, vt dicebat, in brachio & ſub axillis ſummum ſentiebat calorem, & percipientes ipſum pati animi deliquium, ſtatim coercuimus ſanguinem influentem, & vulnus occluſimus: Attamen cœnabat poſt duas horas, & quanquam per vices torperet & dormiturirer, tamen noctem illam tranſegit cum ſolitis exorbitantiis: Proximo tamen mane eum minus delirare comperimus, vnde credebamus reiterata Transfuſione alterationem in eo inductam iri majorem: præparavimus itaque nos ad iteratam Transfuſionem hora ſexta veſpertina, coram pluribus peritis Medicis, *Bourdelot, Lallier, Dodar, de Bourges, & Vaillant*: Verum quoniam vir iſte apparebat admodum macer, nec erat probabile ſanguinem peccare in quantitate, poſt trium quatuorve dictum continuam inſomniam & famem frigusque, quæ paſſus erat diſcurrendo nudus per plateas, ſaltem duas treſve vncias ſanguinis ex eo exhauſimus, & poſtquam eum in commodiorem ſitum poſueramus, hanc ſecundam Transfuſionem perfecimus in ſiniſtro brachio copioſius quam antea: nam conſiderato ſanguine in vitulo poſt operationem remanente, neceſſe eſt Patientem recepiſſe pluſquam libram ſanguinis; Prout hæc ſecunda Transfuſio fuit largior, ita effectus ejus fuerunt citiores & majoris momenti: Simul ac ſanguis in ejus venas intraret, eundem calorem per totum brachium & ſub axillis ſenſit quem ante ſenſerat: Pulſus ejus extemplo erigebatur, & paulo poſt obſervabamus ingentem per faciem eius ſpatium ſudorem: Pulſus ejus hoc momento admodum alterabatur, ipſe vero conquerebatur de ingenti dolore & mala conſtitutione ſtomachi, & quod tantum non ſuffocaretur niſi liber dimitteretur: Fiſtula qua derivabatur ſanguis in ejus venas ſtatim extrahebatur, & dum occupati eſſemus occludendo vulneri, vomuit ante ingeſta, præterea micturiebat & cacaturiebat: mox lecto imponebatur, & poſtquam duabus horis multum violentiæ ſuſtinuiſſet, evomendo varios liquores qui ſtomachum eius diſturbaverunt, arcto ſomno obruebatur circa horam decimam, & dormiebat totam illam noctem ſine intermiſſione, vſque ad horam 8. proximæ diei Jovis: apparebat experrectus mirum in modum tranquillus, & ſanæ mentis in expreſſione dolorum & vniverſalis laſſitudinis quam ſentiebat in omnibus ſuis membris: Vitium magnum mingendo replevit vrina tam nigra vt diceres commixtam fuiſſe fuligini caminorum: Dormituriebat totum illum diem, loquebatur parum, & vt in quiete ſineretur rogabat, totam noctem ſequentem etiam bene dormivit; Die Veneris mane mingendo alind vitrum vrina non minus nigra quam iſta diei prioris replevit: Ex naribus copioſum ſtillavit ſanguinem, ideoque commodum judicabamus duas treſve parellas ſanguinis ex eo emitteres Interea vxor eius, quæ eum per Vrbes quæſierat, venit Lutetiam, ipſe vero ſimul ac eam vidit magno gaudio afficiebatur, eique referebat conſtanti mente diverſos caſus qui ei accidiſſent vbi per plateas vagabatur &c. Nunc admodum quieto ſpiritu agitur, negotia optime agit, diu dormit ſine interruptione, quanquam ait ſe quandoque ſomniare ſomnia turbulenta & moleſta: *Excerptum ex Epiſtola I. Denyſi Medicinæ Doctoris & Profeſſoris Philoſophiæ & Mathematicæ Lutetiæ Pariſ.* De Transfuſione ſanguinis & Chirurgia Infuſoria.

XII. In Mania *Avicenna* & *Meſue* Diuretica plane excludunt, Verum cum ob memoriæ non raro & ſenſus læſionem, aut loci ſtimulum Maniaci non ſentiant, aut mingere obliviſcantur, cum *Paulo* & *Aëtio* mediocriter vrinam provocantia admittimus. *Fridericus Hofmannus meth. Med. pag.* 180.

MELANCHOLIA.

(Vide *Hypochondr. Affectio lib.* 7.)

SYLLOGE.

An in omni ſanguis mittendus. 1.
Si exit floridus ſupprimatur. 11.
Ante emiſſionem attenuandus. 2.
Subtilis ſanguis non educendus. 20.
Vacuatio per hæmorrhoidas *non ſemper utilis.* 3. 17. *a.*
Utilitas ſanguinis miſſionis è capite in Eſſentiali. +
In Hypochondriaca *qua vena ſecanda.* 38. *a.*
Fortiora purgantia *malum exaſperant.* 5.
Per Pilulas *raro purgandum.* 8.
Non ſemper Purgationem *poſcit.* 13.
Florum Antimonii *efficacia* 14.
Ellebori *vſus.* 15.
Extracti Colocynthidis *efficacia.* 16.
Hippocrates cur frequenter utebatur. Elleboro. 6.
Confectio Hamech *non adeo commoda & utilis.* 41.
Purgantia circa veſperam exhibenda. 19.
Caſſiæ *vſus in* hypochondriaca *ab atra bile.* 17. *a.*
In omni ſpecie hypochondriorum *&* totius *habenda ratio.* 7.
Cerebro *&* cordi *conſulendum.* 22.
Præparantia *humida eſſe debent.* 9.
Diuretica *in quadam ſpecie locum habent.* 17. *b.*
Acidularum *utilitas.* 26.
Lactis Aſinini. 27.
Vomitoria *an conveniant in* Eſſentiali. 24.
Quatenus conducant. 25.
Frequentior purgatio *nocet.* 29.
Flatus Seri *exhibitionem non ſemper prohibent in* hypochondriaca. 28.
Regiones hypochondriorum in Eſſentiali *aliquando adſunt.* 1°.
Alteratio *&* Corroboratio *præcipua ſunt indicationes.* 29.
Pulveres Cardinal*ia & cur exhibendi.* 30.

Re

Confectio Kermeſina *an repudianda ob lapidem lazuli.* 21.
Lætificans Rhaſis *quomodo paranda.* 40.
Cucurbitula quando capiti admovenda, Aut vena naſi vel frontis aperienda. 31. *a.*
Arteriotomia *ſanata.* 31.
Cauteria *an conveniant.* 34.
Ex menſibus ſuppreſſis orta fonticulo *ſupra lienem excitato curatur.* 35.
Fonticuli *ſupra ſuturam coronalem an utiles.* 11.
Saccharata *noxia in aduſta.* 33.
De vini *uſu.* 9.
Venereorum *uſus an utilis.* 23.
In Hypochondriaca *quando* Balneum. 36.
Facile ad illam remedium. 37.
Melancholici placide & leniter tractandi. 39.
Remediorum uſui pertinacius non inſiſtendum. 18.
Oxyrrhodina *modice ſint calida.* 10.
Cranij terebratio *an utilis.* 32. 38. *b.*

I. **N**Ihil magis in actionibus Medicis vereri oportet quàm in melancholicis plus minuſve quam par ſit *detrahere ſanguinem*: Expedit enim in his hoc auxilium formidare ob timorem & mœſtitiam, quibus neceſſario ſemper afficiuntur, ob ſpirituum vitalium (quibus tantopere opus habent melancholici) diſſipationem, ſuffocationem aut imminutionem: & ultimò, quia plerumque quod craſſius eſt intus aſſervatur, ſubtiliori & utiliori ſanguinis parte evacuata: Neque placet, ut multi conſulunt, vena ſciſſa inſpicere an ſanguis craſſus ſit, vt libere permittatur fluere: & ſiſtere, ſi tenuis: Satius enim eſt exacta & certiori conjectura, vbi ſanguis mittendus ſit aut ſecus, expendere: Sæpe enim ob permiſſam ſanguinis effervеſcentiam, nullo ſanguine extracto, malum ex melancholia in Maniam degeneravit: Quamobrem conſiderare in hoc opere oportet an Iecur intemperie ſiccâ cum calore plus hujus humoris gignat: aut copioſo ſanguine genito, ipſum exurat ob calidum ipſius intemperamentum, vel totius corporis, ab internâ aut externâ occaſione: vel hæmorrhoidum, menſium aut varicum ſanguis ſuppreſſus ſit, vel quovis alio modo: tunc profectò ſanguis protinus mittendus eſt, non tamen ea quantitate, quam ſanguine redundante cum alijs humoribus permitteremus fluere: condonandum aliquid eſt melancholiæ morbo qui, ob adductas rationes, id minimè admittit. Verùm vbi vel animi affectiones, aut inedia, cura, vigilia, amor & reliqua id genus melancholiam excitant, omnino à ſanguinis detractione abſtinendum eſſe conſulit rei natura; maximè ſi diutinas vacuationes, ſive ſanguinis, ſive veneris præceſſiſſe compertum ſit: præſertim ſi conſtiterit corpus excarne, hirſutum, aridum, curis contabefactum eſſe ac nigri coloris eſſe: aut ſi comperias aduſti, craſſi, frigidi ac ſicci humoris plurimum redundare, ſanguinem verò non item: quorum omnium occaſione cenſeo à veteribus dictum fuiſſe, ſanguinis detractiones melancholicis parùm prodeſſe. *Mercatus lib.* 1. *c.* 17.

II. In affectibus, quos à ſanguine melancholico naſci putamus, obſervandum eſt vt *Sanguinis miſſionem* præcedat exercitatio, quò ſanguis craſſus & ater agitetur & facilius extrahatur: Motio autem ſine defatigatione eſſe debet, ne vires debiliores reddantur. *Rondeletius lib.* 1. *c.* 41. Proderit forſan aliquando vbi ſanguis caput petens nimis craſſus ſit, vti capitis lavacro, ſi frontis aut naſi venas tundere, aut per hirudines aperire animus: Aut corpus balneo prius mundare, ſi quavis brachij vena ſciſſa ſanguis non fluat: *Mercatus ibid.*

Liberalem eſſe debere Sanguinis miſſionem in melancholicis, vide *Titul. de Mania.*

III. Profluvium ſanguinis per hæmorrhoidas, ut dicit *Hippocrat.* & *Galenus* 4. *aphor.* 25. eſt remedium curatorium & præſervatorium Melancholiæ, ſi nigra dejiciantur, aliter non eſt aſſuefacienda natura huic vacuationi: Profluvium ergo ſanguinis floridi coloris in Melanchol. nec curatorium, nec præſervatorium remedium eſſe poteſt: quia illa vacuatio ſola eſt ſalutaris quæ eſt ſolius humoris peccantis: O quoties parùm verſati in Medicina vacuant ſanguinem per hæmorrhoidas verè floridum in ijs qui ſucco melancholico vexantur: quæ vacuatio quàm ſit pernitioſa quiſque ex propoſita *Hippocr.* & *Galen.* doctrina colligere poteſt. *Sanctorius de Rem. Inv. c.* 14. Vide §. 27. *a.*

IV. In melanch. eſſentiali ſummòpere laudo *ſectionem venæ frontis*, pro evacuatione ſanguinis vitioſi in cerebro redundantis, & refrigeratione cerebri; Quod ſi renuerit patiens, aperiantur venæ retro aures vtrinque cum hirudinibus, & permittatur fluere donec ſponte ſiſtatur, niſi fluxerit in majori copia quàm oporteat: Solet namque facile ſiſti vacuatio prædicta, & ſummopere prodeſſe ad ſomnum conciliandum, vt notat *Hippocr.* lib. de A.A. & Locis. *Silvaticus Conſ.* 56. *Cent.* 1.

De Sanguinis miſſione in melancholia hypochondriaca, vide *Titul. de Affectione hypoch.* l. 8.

V. Ne te decipiat in *purgandis melancholicis* juniorum timiditas, aut priſcorum audacia temeraria (quippe illi ne humor, vt ſolet, medicamentorum vehementia vt crabro irritetur, ac majus ſubinde perpetrent malum, levioribus conſulunt, citra vllam diſtinctionem, vti pharmacis: Hi verò conſiderata humoris duritie & renitentia, longè vehementiora viribus laborantis porrigunt pharmaca:) Diligenti animo expende neque hoc neque illud committendum aut omittendum temerè eſſe: Triplicem enim humores purgandi naſciſcuntur naturam, quarum quælibet peculiarem requirit in pharmaco conditionem & vtendi modum: Quippe ſi humor ex ſanguinis abundantia, vel calore, aut alicujus membri calido intemperamento, vel externa cauſa humorem melancholicum propagante, ſeſe offerat purgandus, mihi non eſt dubium quin vſu violenter purgantium nimis offendantur laborantes, & copioſior fiat melancholiæ proventus: quapropter hoc ſolo caſu blanda neotericorum pharmaca vſu venire proculdubio cenſeo, dummodo ſeligendi humorem vires habeant, ac ea copia eis vtaris quæ ſufficiat craſſum & rebellem humorem, citra nimiorem fervorem aut agitationem copioſè fundere: alioqui verendum eſt, quod antiqui proferunt, nimirum majus damnum ex purgatione, quam beneficium ex levi purgatione ſubſequuturum: Verum ſi humor terreſtris craſſuſque, citra ſanguinis aliorumque humorum effervеſcentiam aut commercium fuerit, vt levia hæc nullius ſunt momenti, ita profectò valentioribus vtendum eſſe pharmacis conſulit prædicti humoris conditio, dummodo (ne vires ſufficere tanto medicamento non poſſint) in minori adhibeas copia, & frequentius repetas; juxta illud *Hippocrat. lib. de morbis*, qui in prædictis humoribus educendis conſulit, *Id medicamentum porrigere quod modicum ingeſtum plurimum educat:*

quippe quantitatis modeſtia ejus frænatur inclementia, & vſus frequentiâ conteritur & minuitur duriſſimus humor. At ſi diu jam corpus contabuerit, humoremq; plus aridum eſſe quam copioſum comperias, & vires accidentium vi collapſæ ſint, tunc profecto blandioribus vteris purgationibus, in longè tamen majori copia, quæ leniendo potius partes corporis alvum moveant, & humores exagitent, quam electione & efficacia. *Mercatus Pr. lib. 1. cap. 17.* Experientiſſimus *Crato* vehementibus ſe nunquam vſum, atque lenioribus repetitis melancholicos curaſſe aſſerit *Conſ.* 174. apud *Scholzium*, In Elleboro, *ait*, ſiccitas & humiditas quædam venenata eſt corrigenda, de qua correctione poſſem multa dicere, niſi illud Meſuës mihi in animo eſſet, Iſtum eſſe gradum ſapientiæ ne ad Medicinas fortes deveniamus, niſi vbi debiles non contulerint: Etſi autem ſciam omnes ferè Practicos conſulere fortiſſima & validiſſima medicamenta adhibenda, tamen à Meſuë perſuaſus, idem facere debile medicamentum repetitum, & minori periculo, quod forte ſemel & confertim facit, atque experientia multorum annorum hoc verum eſſe didicerim: Nihil dico quot & quos ſimiliter affectos curaverim, licet hoc verè poſſem, ſed nunquam me lapide Lazuli, vel ſcammoneatis uſum eſſe verè affirmare poſſum: Sennam non modo tutam eſſe, ſed & ventriculo non noxiam, cordi gratam ſcio, ea crebro utetur, ſicut aliàs in melancholicis affectibus uſus ſum. Hæc *Crato*: Si cui tamen lubet ad *ſpagiricè* confugere, ac affectus pertinacia, aut ægri indoles *mechanicè* requirat, *Sylvaticum* ducem habeat *Cent. 1. Conſ.* 58. Antimonii, *ait*, vſum nunquam familiarem habui, cùm ex ipſo, etiam diligentiſſimè præparato, inſignes in ventriculo noxas fuerim expertus; nec peculiari facultate polleat ducendi magis humorem melancholicum quàm pituitoſum: Cujus pituitæ eductio magis effrenes reddit humores calidos: addo quod fere ſemper evacuat per vomitum, quo frequentius excitato facillimè caput repleri poſſet. Magis arridebit vſus Ellebori albi, ab omnibus medicinæ ſcriptoribus miris laudibus celebrati in affectibus melancholicis & maniacis: quem cenſeo aliquando in uſum revocandum, non in ſubſtantia, prout vidi præſcriptum à viro Doct. cuidam Maniaco, ad quem inviſendum, me præſente, dum acceſſi die ſubſequenti ipſum inveni mortuum: Conſultum autem eſt exhibere ipſum dejectorium, potius quàm vomitorium, Melancholici enim infra vehementius purgandi ſunt, *aphor.* 4. 9. Modusque præparationis erit ut decoquatur in aqua meliſſæ ad conſumptionem medietatis, & in prædicta colatura decoquantur pruna Damaſcena, & cum flore caſſiæ nuper extractæ per ſetaceum tranſmittatur, & cum cinnamomo & ſacchato fiat Electuar. Vel infundatur radix ipſius in pulpa cydoniorum, ac deinde ſublatis radicibus exhibeatur cydonium: Vel infundatur in decocto Epith. Meſues, & cum ſyrup. de polypod. compoſito dentur. Sed ante ipſius exhibitionem humores per triduum ſunt præparandi attenuantibus & incidentibus, corpuſque humectandum cibis boni ſucci & copioſis, ſomno, quiete & univerſali corporis inunctione, alvuſque cienda clyſteribus ex oleo, vel ex lacte & butyro. *De Helleboriſmo vide Tit. de Mania.*

VI. *Catharſis* in quantum morbi fomitem a primis vijs ſubducit, atque aliorum remediorum impedimenta ſummovet, ab initio celebrari & intervallis repeti debet: Quod autem nonnulli ad morbum citius eradicandum helleboro aut elaterijs præcipue utendum eſſe cenſent, Et *Hippocrat.* authorem citant, ea, ſi ſucceſſus ſpectatur, non ita paſſim convenire, quin ægrotis ſæpe plurimum officere deprehendemus: Enimvero purgantia fortiora morbi cauſam, nempe ſanguinis dyſcraſiam minime tollunt, ſed augent potius: Inſuper ſpiritus animales prius dejectos amplius debilitant & proſternunt: Helleborus autem ita crebro ab *Hippocr.* præſcribitur, quoniam eius ſæculo vix alia cathartica innotuere, ſaltem in frequenti uſu non fuerunt: Iam vero longe præſtat lenioribus & mitioribus humorum receptacula blande emulgere, atque viſcera tantum & primas vias ſine magnis ſanguinis & ſpirituum commotionibus abſtergere. *Willis.*

VII. Undecunque morbus primam traxerit originem, notandum primo, Ut totum corpus ab humore melancholico, omnique aliorum humorum illuvie liberetur. Secundo, Ut ad hypochondria curatio præcipua ſemper dirigatur; cum in hepate & liene prima humoris melancholici generatio, & in iiſdem partibus, totaque hypochondriaca regione illius collectio fieri conſuevit: ideo curatio pro affectione hypochondriaca ad reliquarum melancholiæ ſpecierum curationem ſufficere poteſt. *Riverius lib. 1. c. 14.*

VIII. Ex *Pilulis* oportet eligere quæ facile & ſine moleſtia evacuant, non autem quæ fortius: Præeligendæ tamen ſunt potiones, ut quæ minus exſiccent quàm pilulæ: nam pilulæ multum & fortiter evacuant, & corpus ſupra modum exſiccant, ex qua exſiccatione pejus habet æger. *Rondeletius cap. de melanch.*

IX. Nihil eſt quod magis conveniat in humoris melancholici *Coctione & præparatione* quàm quæ humida ſunt: Ob ſuam enim ſiccitatem reſiſtit coctioni, nec facile cedit medicamentis: Vinum, niſi tentaret caput, & calidius eſſet, convenientiſſimum eſſet ad humorem melancholicum coquendum, maturandum & præparandum, quare in omnibus morbis melancholicis, in quibus caput non eſt affectum, vinum commodiſſime exhiberi poterit. *Rondeletius ibid.* Melancholici potius cibis & balneis, aut potionibus & irrigationibus humectandi, quàm horum corpora medicamentis laxantibus calfacienda & exſiccanda: *Galen. 3. de loc. affect. cap. ult.* vſu balnei aquæ dulcis, cum victu humido, melancholicum curaſſe ſcribit, cum *ait*, Interim monendi amici, qui me curantem viderunt, frequentius balneis, & victu humido, & boni ſucci, nullo adhibito præſidio, hujuſmodi me morbum curaſſe, ubi nondum ob longum temporis tractum nocuus humor multum vacuationi reſiſteret: Humectatio autem longa, ſi ab intemperie fiat, morbum curat & evincit: Si ab humore fiat, materiam ad evacuationem præparat: Sola enim ſiccitas eſt quæ morbos ſiccos curationi contumaces reddit: Tum enim curantur cū pingueſcunt, quod eſt ſignum certiſſimum humectationis: Quare danda eſt opera vt totum corpus humectetur balneis, præſertim ſi à toto corpore ortus eſt morbus: Quod ſi vitio cerebri fiat, humectandum erit caput, & irrigandum irrigationibus humectantibus, aut humiditate ſubſtantifica per cibos humidos & euchymos: incipiendum ab humectatione madefactoria; utilis enim eſt ad meliorem nutricationem, hoc eſt, ad humectationem ſubſtantificam. *Idem ibid.*

X. *Oxyrrhodina* digerentia modicè calida eſſe debent, nam qui caput ſeſiccant ea ſtulto inſanum faciunt. *Rondeletius.*

XI. Commendant nonnulli *fonticulum* factum *ſupra concurſum ſuturæ ſagittalis & coronalis*: Exiſtimo aliquos impuros vapores per illud ulceroſum foramen exhalare poſſe; judicamus tamen multa exinde fieri incommoda, præterquam enim quod ad nobilem partem vapores ex imis partibus trahuntur, excitatur abſceſſus ſupra morbum: Scripſit autem *Hippocr. abſceſſus*, qui ſunt velut naturæ emiſſaria, *Si ſiunt infra morbum & longiſſimè infra ventrem*, ſeu remotiſſimi à morbo, ſolùm juvare. *Rolfinccius lib. 2. Conſ. 6.*

XII. Si rugitus adſunt & ptyaliſmus, non ideo ſtatuendum melancholiam eſſe hypochondriacam, cùm hæc accidentia conſequi poſſint cruditates in ventriculo, genitas ob vigilias diuturnas: *Silvaticus Cent. 1. Conſ. 56.*

XIII. Melancholia non humorem hoc loco, ſed morbum ab humore melancholico factum ſignificat, quià hunc ſolum humorem illius cauſam eſſe multi putant, ad hunc ſolum remedia omnia dirigunt: Non tamen ſemper ab hoc humore ejuſque vaporibus fieri plurima oſtendunt, Videmus enim primo hoc ſymptomate vexatos ſæpe non habere humoris iſtius prædominantis ſigna, imo cujuſlibet temperiei homines ſic affici interdum poſſe, ex ſola intemperie aut cerebri, aut ſpirituum: *Hippocrat.* ſolius timoris & mœſtitiæ meminit, cum ſigna recenſet: *Matthæus comm. in 9. Almanſ.* autoritate *Raſis*, vult cogitationes fortes & longas adducere ad hanc paſſionem, non immutando realiter complexionem, & homines fieri triſtes quando non poſſunt conſequi effectum rerum de quibus cogitant: Videmus quam ſæpe irrito conatu ejuſmodi melancholicos torqueant Medici purgationibus variiſque aliis remediis, qui ſtatim poſtea curati ſunt, mutata ſolum imaginatione: Qui ſine capite ſe eſſe perſuaſerat, impoſito capiti pileo plumbeo ſanatus fuit, abſque ulla purgatione, alteratione &c. quod non fieri potuiſſet ſi tenax ille & contumax humor adfuiſſet: Variæ occurrunt ejuſmodi hiſtoriæ, unde patet non eſſe ſemper ejuſmodi imaginoſos remediis vexandos, quæ corpori noxam, menti nullum afferunt ſolatium: non enim ſemper in humoribus, ſed in ſola intemperie, aut etiam ſpiritibus cauſa latitat, quibus vel ſopitis, vel alio procul à corde & cerebro ablegatis affectus ceſſat, triſtitiæ ſuccedit gaudium: nihil enim ejuſmodi ſubitis motibus obedire poteſt præter ſpiritus: Intemperies tam cito abire, aut humor tam contumax evacuari, naturæque ſuæ perniciem amittere nequit, maximèque in malo per longas temporis moras confirmato, hinc *Rhaſis* 1. contin. *inquit*, Dico, *Quod aliquando exiſtit melancholia humoribus exiſtentibus bonis, & non indiget habens hanc diſpoſitionem aliqua medicina, & hoc eſt quando aliquis cum aviditate cogitat de aliquo facto, & mutata ſola phantaſia, verbis vel alio ingenio curantur*: *Avicenna* etiam fatetur fieri poſſe ab intemperie ſine materia. Sed præterea eſt altera melancholiæ ſpecies, quæ nequaquam ab humore procedit, Amor eſt, cui obnoxij ſunt omnis temperiei homines, maxime ſanguinei & calida teſtium intemperie laborantes, non melancholici ſunt, qui rarius minuſque valide ab ejuſmodi objectis fatigantur: Non fieri ab humore aliquo, quatenus humor eſt, inde patet quod nulli humori parcat, & quolibet prædominante eſſe poſſit; tum quia eos invadit qui proba ſunt humorum conſtitutione, quicunque demum illi fuerint, ex ſola apprehenſione objecti amabilis, raro eos qui ex humorum putredine aut corruptione ægrotant, ſed alias maxime ſanos, ſanabiles nequaquam elleboro vacuationibuſque aliis: Si ex longa ejuſmodi phantaſia morbus demum ſuccedat, præceſſit illa inſania morbum, & hic ab ea, non illa ab hoc pendet &c. *Primiroſius Error. pop. lib. 2. cap. 25.*

XIV. Quoniam melancholici conſtantes tantummodo ſunt in inconſtantia, facile evenit ut tentant medicamenta, quo caſu flores Antimonii, ut ſpecificum melancholiæ remedium, à *Fonſeca* commendatum, & à nobis pluries expertum laudo, ad gr. xv. ſaltem. Vel ſemi-cyathum vini albi tenuis, in quo per noctem infuſa fuerint gr. vj. vitri Antimonii, ut tandem ad uſum Ellebori devenire poſſimus. *Fortis Cent. 1. Conſult. 24.*

XV. Ante *Ellebori* exhibitionem corpus ſufficienter humectandum, per hebdomadam propinando ſerum depuratum ad ℔jß. cum ſucco borraginis; aut ſerum deſtillatum cum ſemin. melonum emulſione: exhibendum vero extracti forma, incipiendo à ʒß. cum tantillo caſſiæ, & poſt horam præbendo copiam ſeri præparati, maxime quippe urens helleborus eſt. *Idem.*

XVI. Quid in melancholia *Extractum Colocynthidis* valeat, oſtendit exemplum virginis quæ per annum fere integrum melancholia taciturna detenta fuit, & poſtea exhibito à me Extracto Diacolocynth. in jure prunorum diſſoluto, præter omnem ſpem ac expectationem ad ſanam mentem rediit, Per alvum cum murmurationibus in magna copia materiam morbificam detrudebat, cujus excrementa tota mucoſa & pituitoſa, atque adeo lenta & viſcida erant, ut in altum longe extendi potuerint: Poſtquam paulum ad ſe rediret, corpus totum humore atro & melancholico eſſe refertum putabat, ac propterea alvi excrementa ſedulo deſpiciebat, quibus excretis atramentum ſcriptorium infundi ac permiſceri curavi. 2. Mulier natura & conſtitutione melancholica atque ſterilis, melancholicis pathematis afflicta, expectans ſubinde lictores atque carnifices, tandem adhibito extracto troch. alhandal, & alio arrepto dolo bono, à me curata fuit. *Ch. Frid. Garmannus miſc. cur. anni 1672. Obſerv. 102.*

Eundem effectum proſpere conſequutus ſum ex ſola ſennæ infuſione cum tartaro. in aq. meliſſ. borrag. &c. per triduum exhibita, citra admiſtionem alterius purgantis; Gravi melancholia laborabat Nob. Iuvenis *Bernas*, ex Illuſtr. *Wattenville* familia, tum eſſentiali, tum hypochondriaca; Medicinæ ſtudio ſe addixerat, ac plurima adſumpſerat remedia: Ex Priſanæ illius laxat. uſu adeo fœtida, craſſa, viſcida, nigra excrevit, ut ſe particulas inteſtinorum effudiſſe firmiter credens, me advocandum curaverit, imo Paſtorem qui animæ conſuleret: Erexi in ſpem, ac trophæa de morbo indicavi, fœdam illam proluviem ex vaſis meſaraicis, liene vaſiſque finitimis exturbari oſtendens, citra ipſorum viſcerum aut inteſtinorum labem: Animo confirmatus & hilaris quatriduo poſt, (anno 1658.) patriam repetiit, ac per literas de firma valetudine, cum gratiarum actione certiorem fecit.

XVII. *a.* Primas in hypochondriaca melancholia à bile aduſta tenet Caſſia, Catholicum, Neque enim, ut pleriſque viſum eſt, Caſſia ideo alvum ſolvit quia lubrica eſt, & mollis. ſed quia peculiari dote purgatoria pollet, qua utramque bilem & pituitam craſſam, non ex inteſtinis tantum & primis venis, ſed etiam è toto infimo ventre copioſam detrahit, maxime ubi per balnea ejus præparatio

ante-

*ntacaſſit : Ea ergo melancholicos atrabilarios frequenter uti expedit, vel ſola, vel theo mixta: melancholicis enim omnibus commodiſſima eſt, quia viſcera humectat, refrigerat, & atræ bilis ferociam demulcet: Si efficaciter non purget, ſuperſorbeatur juſculum comparatum ea foliis Sennæ. *Encheir. Med. Pr.*

X V I I. *b.* In Melancholia à toto, & hypochondriaca lienali, *Diuretica* præcipue conveniunt: In utraque enim ſeroſæ humiditates abundanter reſtagnant, quæ non minus ac craſſi humores ſunt avertendæ: craſſi in habitum & ſubſtantiam corporis convertuntur, ſeroſi natant ubique, Et poſſunt eſſe modo calida, modo frigida: Calida, ubi hepatis caliditas non prohibet, Frigida, ubi fervor epatis fuerit inſignis, ne abuſu calidorum noxa percipiatur: Hæc continuato temporis tractu uſurpata humores peccantes, nec in corde, nec in liene ſatis elaboratos, feliciter per renes evacuare ſolent: Compendioſa etiam via ea lacteis vaſis (à quibus in emulgentes via reperta) & lymphaticis dictis, ſeroſitates melancholicas exturbant. *Fridericus Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 12.*

X V I I I. Hoc notandum, ex præcepto *Aëtij*, interdum ab omni medicamento abſtinendum eſſe aliquandiu, & naturæ requiem, aliquam concedendam, quæ aliquando continuis remediis afflicta, quieſcens recreatur, & validius morbum aggreditur & ſuperat.

X I X. Quia etiam humor melancholicus circa veſperam moveri ſolet, commodum videtur circa veſperam hora quarta exhibere purgantia, eaque mitiora, atque aliquot diebus continuare: Præparantia verò horis matutinis exhiberi poſſunt. *Sennertus.*

X X. In *Sanguinis miſſione* diligenter attendendum ne craſſior ſanguinis pars intus relinquatur, ſubtilis verò & utilis evacuetur: Monet quidem *Galenus* ſi ſanguis affluens non ſit melancholicus ſtatim ſupprimendum eſſe: verum monent hic alii ſæpe accidere, ut licet ſanguis primò ſubtilis exeat, craſſus tamen poſtea ſequatur.

X X I. Inter roborantia magna vis eſt confectioni Alkermes, quæ exhilarat ac reſiſtit timori & mœrori, modò rectè præparata ſit, qualis è Monteſpeſſulano affertur: Et lapis lazuli, quem nonnulli in hac confectione omittendum cenſent, non ſolùm vim purgandi, teſte *Avicenna*, ſed & ſegregandi à ſanguine vapores melancholicos habet. *Sennertus.*

X X I I. Licet delirium melancholicum nunquam accidat niſi cerebro primariò affecto, tamen cum ſemper, cum aliquo animi affectu conjunctum ſit; animi verò affectus cor valde alterant ac afficiant, vix fieri poteſt ut id non ſimul afficiatur, ideo ſimul ad cor in curando reſpiciendum: præſertim, quia ſi ſpiritus vitalis impurus ſit & tenebricoſus, vitium hoc ſpiritibus animalibus & cerebro communicatur. *Sennertus.*

X X I I I. An melancholicis *Venere* utendum? Diſtingue, Si quis à retento ſemine corrupto talis evaſerit, ſive hypochondriacus, ſive non, necdum debilis in eſſentia redditus ſit, ſine dubio ex illius uſu juvamentum percipiet: nam morbos ex repletione vacuatio ſanat, cum qualia decent excernantur, h. e. propria cujuſque morbi materia & cauſa: Cæteris vero inutilis eſt & noxia, refrigeratione, ſiccatione, & ſpirituum exhauſtu: Si juvat, id contingit a flatibus quibuſdam reſolutis & alacritate quadam inducta, ſique rara fuerit, nec debilitas multum progreſſa ſit.

X X I I I. *a.* In melancholicis qui non dormiunt, Laudanum cum helleboratis & colocynthiatis detur, ut poſt ſomni conciliationem humores educantur: At vide ne mora hellebori inducat convulſionem: Quod ſi alvi ſolutionem impediat Laudanum, corpus ante exhibitionem præpara humectantibus, victu, lacte, balneo. *Theodor. de Mayerne Tractat. de Laudano M. S.* De mixtione Narcoticorum cum purgantibus, vide *lib. 19. tit. de Hypnoticis & de Purgatione.*

X X I V. In melancholia per eſſentiam *Vomitoria* per ſe non convenire videntur, ſed per accidens, ad tollendum impedimentum curationis: In Hypochondriaca etiam videntur ab *Hippocrat. aphoriſm. 9. 4.* excludenda, Melancholicos infra vehementius purgabis: *Galenus in comment.* rationem aſſignat, eo quod cum humor hic ſua gravitate inferiora petat, non videatur per alia loca quàm inferiora duci poſſe: Verum Vomitoriorum uſum approbarunt non infimi ſubſellii Medici, qui meminerunt melancholias ſolis vomitoriis fuiſſe curatas. Sic *Avicenna* meminit Ellebori: Viſæ etiam fuere melancholiæ terminari ſpontaneo vomitu bilioſæ nigræ materiæ ſuperveniente: hunc ergo naturæ conatum Arti licet imitari: Et dubium nullum eſt mitiora vomitoria ſumme eſſe ex uſu, tum ad evacuandos melancholicos, tum pituitoſos communiter dictos humores, qui fere ſemper in ventriculis melancholicorum reperiuntur & multiplicantur, inque melancholiam, ſi relinquuntur, facile converti poſſunt. Mediocria etiam conveniunt in hypochondriaca & ſympathica à toto, niſi os ventriculi ſit adeo ſenſile ut ægri ex *ἐναιϑησίᾳ* facile incidant in animi deliquium vel cordis palpitationem; Adhibentur tamen commodius, inquit *Rolfinccius* in diſcurſu de melancholia, in hypochondriaca quàm in ſympathica à toto; Non enim facile humor peccans ex corpore trahitur ad ventriculum, ſed rectius per alvum dejectoriis expurgatur: Neque *Hippocrat.* videtur hunc uſum explodere in aphoriſm. allegato, Vehementius melancholicos infra purgabis, id eſt, crebrius eos purgabis, tempeſtivis vomitoriis locum tacita relinquens, Id quod ipſe in curationibus obſervavit quando veratro uſus eſt.

X X V. *Vomitoria* (ſicut in pleriſque morbis cephalicis febre vacuis) peculiari modo in affectibus quibuſque inſanis juvare ſolent: Hujus ratio partim in eo conſiſtit quod ventriculi viſcoſa ſaburra, quæ animum valde aggravat, expurgata, ſpiritus proinde liberiores ſe vegetius & alacrius expandunt: Porro in quorum vomitio vicina humorum receptacula, nempe cyſtim felleam, pancreatis ductum & meſenterii glandulas comprimit & evacuat, ne contenta illorum in caput transferantur procurat. *Willis.*

XXVI. *Aquæ acidulæ* ferratæ pro ſanandis melancholicis maximum ſæpe commodum præſtare ſolent, quatenus nimirum copioſe epotę ſanguinis tincturam ſalino-ſulphuream eluunt, ejuſque mala fermenta deſtruunt: Porro illæ viſcerum ſordes abſtergent, obſtructiones reſerant, &, quod inſignis emolumenti eſt, adſtrictione ſua tum viſcera debilia aut laxa nimis corroborant, tum vaſorum in cerebrum dehiſcentium ora occludunt, quo minus in ipſum una cum ſucco nerveo materiæ extraneæ aditus pateſcat: Atque ob hanc rationem, nempe viſcera corroborando, & ductus in cerebrum obſerando, vitriolica ferri præparata utiliter exhiberi ſolent in melancholia, etiamque in *Vertigine*. *Willis.*

XXVII. *Præmiſſis præmittendis, in Melancholia ab humore exuſto cum obſtructionibus viſcerum*, ad vſum *Lactis aſinini* erit deveniendum, cum ſaccharo tamen, vt quod poſſit pertinaciores obſtructiones exſiccatas emollire, & jecoris atque venarum fervorem contemperare abſque capitis noxa, ob brevem ejuſdem in ventriculo moram, vt pote ſubſtantiæ tenuiſſimæ, nec butyroſæ minuſque caſeoſæ. *Fortis Conſult.* 24. *Cent.* 1. Nec aſininum ſolum ſed & caprinum, imo & vaccinum cum fructu uſurpat Excell. & Experientiſſimus *Wepferus*.

XXVII. *a.* Non ſolum populi, ſed etiam Medicorum quorundam hic error eſt, *Hæmorrhoides ſemper prodeſſe melancholicis*: Multi ſunt melancholici Hypochondriaci, & alterius generis, quibus, inter præcipua remedia, Hæmorrhoidum venarum apertio imperatur, quaſi venæ illæ ſanguinem craſſiorem quam aliæ venæ evacuent, quod prorſus abſurdum eſſe credo: Veterum authoritas, recentiorum, & mea experientia id perſuadent: Inter vetuſtiſſimos *Hippocrates*, non hæmorrhoidum per hirudines, aliove modo apertionem (quod pauci conſiderarunt) ſed earum vi & impetu naturæ reſerationem plurimis morbis à tenui ſanguine generatis, præcavendis & curandis vtilem cenſuit 6. *Epidem. ſection.* 3. Vt pleuritidi, peripneumoniæ, phagedenæ, furunculis, lepræ, aliiſque ejuſmodi: Non negandum tamen melancholicis, atra bile laborantibus, inſanientibus eaſdem prodeſſe, ex ſententia *Hippocratis aphoriſmo* 11. *ſection.* 6. Melancholia, *inquit*, & nephritide laborantibus hæmorrhoides ſupervenientes bonum: De provocatione earum ne verbum quidem apud illum extat, ſed ſolum probantur ſi natura ſponte eas reſeret: Non ſolum autem fiunt à ſanguine melancholico, ſed etiam à quolibet alio: hoc enim fluxu natura ſæpe abutitur ad ſanguinem expurgandum, ſi quid pravi in ipſo ſit, aut ſi copia exuberet, vt in nimia ſanguinis abundantia, in gravidis, aut quibus ſuppreſſi ſunt menſes, & in mutilis, vnde ſanguis copioſius fluit: Hinc *Actuarius method. Med. cap.* 20. obſervat præter melancholicum ſanguinem aperiri has venas iis qui ſolita exercitia intermiſerunt, qui pleniori victu vtuntur; quibus conſuetę ex aliis partibus excretiones, vt ex naribus, vtero ſupprimuntur, aut quibus mos erat venam ſecare, copia ſanguinis non minus per has venas quam per nares interdum vacuatur: Recentiores obſervarunt duplices eſſe hæmorrhoides, quaſdam à vena Cava, alias à vena Porta oriri: illas tenuiorem & puriorem ſanguinem, has craſſiorem vacuare: Verum neque id ſemper, nam etiam ſatis purus per has excernitur, & interdum craſſior per illas: Vnde niſi Natura oſtendat ſe vacuationem illam moliri, non ſunt temere hæ venæ aperiendę, & ſi purus rutilanſque ſanguis fluxerit, ſtatim ſupprimendæ, ex ejus enim vacuatione melancholici pejus habent: Cum quiſpiam eas aperit, non poteſt certo ſibi polliceri melancholicum ſanguinem ſolum vacuatum iri, non purum rutilantemque: Quod ſi conſuetæ quibuſdam fuerint, & ex earum ſuppreſſione facti ſint melancholici, inſani, ac nephritici, aut epileptici, eas iterum aperire non fuerit inutile, vt humor qui refluxum habet ad ſuperiora, per loca conſueta, quorum aditus præcluſus fuerat, tutius effundatur: Quod ſi Natura viam hanc non affectarit, non eſt facienda conſuetudo, vt docet *Galenus* 4. *aphoriſm.* 55. non eſſe aſſueſcendum ei quæ per hæmorrhoidas fit vacuationi, & recte *Hollerius* aperiendas eſſe negat ſi non remeant, & nunquam fluxerint: Sed ſi Natura eo inclinaverit, ejus imitatione poſſumus eas aperire, alias nequaquam: Etſi enim Natura interdum per hæmorrhoidas vtiliter ſanguinem vacuet, non tamen ſemper licet eam imitari, vt in febribus interdum per narium hęmorrhagiam, ſudores morbum ſolvit, quis audebit venas narium aperire, aut ſudores provocare ante ſigna concoctionis, aut antea quam natura inclinationem ſuam oſtenderit, Idem de hæmorrhoidibus ſentiendum: Quæ tamen non ſunt intelligenda de affectibus particularibus, nam in illis venæ particulares ſecari poſſunt; ſic hæmorrhagiam in phrenitide, capitis dolore, vtiliter provocamus, quia habent hæ venæ cum parte affecta communionem: Sic in nephriticis & ſplenicis poſſunt Ani venæ aperiri, at in aliis nunquam, niſi natura hunc motum ſequatur. *Primiroſius de Vulgi Error. lib.* 4. *cap.* 51. Vide *ſupra* §. 3.

XXVIII. Chalybis præparatio vtilior & tutior apud me illa eſt, quæ fit cum acido ſulphur. qui Crocus Martis aperitivus nuncupatur, dandus ad gr. iij. cum ℈ß. pilul. de tribus cum rhabarb. cui hora poſt ſuperbibat libram aquæ hordeaceæ, vel ſeri caprini depurati: Nec metuendi flatus, cum calidiores & ſicciores, non autem frigidi & humidi ſint, vt vulgo creditum; in cujus vſu ad xij. dies perſiſtendum. *Fortis Conſult.* 23. *Cent.* 3.

XXIX. *Catharticis* nec continue, nec nimis frequenter vtendum erit, quin ſufficiat ea intra 6. aut 7. dies exhibere, atque aliis temporibus: alvus ſi adſtricta fuerit per enemata ſubducatur: Quod ſpectat ad alia medicamenta, quę non ſunt evacuantia, etſi veteres in ijs minimum, nos maximum curationis negotium ponimus: Enimvero illi (quibus etiam moderni plures conſentiunt) ad melancholiam ſanandam nihil amplius agendum ſtatuebant quam humorem atrabilarium expurgare: quapropter catharſin pręcipui momenti facientes, hujus tantum gratia pharmaciam reliquam, ab iis præparatoriam dictam inſtituebant; In eum nempe ſcopum collimantes, vt quamprimum per medicamenta alterantia humor ad conſiſtentiam idoneam redactus, viæque pro excretione ejus ſatis apertæ fuerint, dein iſte per cathartica foras educatur: Cujuſmodi hypotheſis tum rationi, tum experientiæ Medicæ

minus

minus congrua videtur, quatenus nempe melancholici a crebra purgatione, vtvt methodice inſtituta, noxam potius quam levamen recipiunt: Itaque nos morbi hujus cauſam in ſanguinis & ſpirituum dyſcraſia, atque in viſcerum & cerebri debilitate, aut mala conformatione ponentes, alterantia & corroborantia pro remediis primi cenſus habemus, atque horum gratia tantum cathartica nonnunquam intercalamus: Purgatione igitur propter impedimenta amovenda rite & ex debitis intervallis præſcripta, ad alterantia & corroborantia procedatur per varias formulas E. g. ℞. conſerv. flor. tunicæ, borrag. ana. ℥ jß. cortic. myrobal. condit. ℥ vj. corall. præparati margar. ana. ʒ iß. eboris, ocul. cancri ana. ℥ j. confect. de hyacint. ℥ ij. ſyr. e coralliis vel papav. rhœad. q. ſ. f. Elect. dozis ℥ ij. mane & veſperi, ſuperbibendo Iulep aliquod cardiacum. *Willis.*

X X X. Poſt purgationes *alterantia* repetenda, quibus addi poſſunt margaritæ, fragmenta lapidum pretioſorum, lapis bezoar, corallus, bolus armena; non ſolum, vt nonnulli putant, gratia exſiccandi ichores qui in arterias penetrarunt, ſed etiam ob peculiarem vi ſpiritus detergendi & illuſtrandi qua prædita ſunt. *Sennertus*, Diamoſchus dulc. & amarus, Electuar. de Gemm. lætif. Rhaſis, conf. hyacinth. ſuſpecta videntur ſiccante vi, quà cerebri & totius intemperiei ſiccæ infeſta videntur: At hæc medicamenta excrementorum reliquias digerendo, ſpiritus innatumque calorem recreando viſceraque roborando plus commodi afferunt quàm incommodi modice ſiccando: Sic Gal. inclinante quartana Theriacam exhibet, quia a frigida & ſicca intemperie frigidorum & pituitoſorum humorum proventus ſuboritur *Zecchius cons.* 80.

X X X I. Monialis xxx. ann. virili pene pectore, voceque, denſo nigroque capillo, ſylvoſo ſupercilio, ſanguinoſis genis, recurrentes capitis graves dolores paſſa, poſt hæc melancholiæ morbi cerebro aſſidui: Irritis ordinariis remediis, præciſa arteriæ (temporum) portiuncula ſanguinem ad ſelibram detraxi: Res mira, omnia ex tempore ſedata, & Integra reddita eſt: Et velut injecta in ignem aqua, ſic ad æſtuantem cerebri noxam ejus remedii fructus fuit. *Severinus Med. Eff. p.* 46.

X X X I. *a Vniverſalibus præmiſſis*, videndum an aliquid humoris melancholici cum ſanguine adhucſuperſit in capite, quod ex ipſius gravitate & oculorum rubore diſces facile; Tunc ſuadent autores non contemnendi reliquias conterere *Cucurbitulis, vel ſanguine miſſo ex venulis naſi vel frontis*: Verum licet auxilia hæc multis probentur, ego arbitror per venas adeo minutas craſſum humorem extrahere eſſe perdifficile: Proderunt tamen vbi capitis cutis plurimum præbet, aut oculorum venæ tument vel liveſcunt: Alioqui ſatius fore arbitror varices vel hæmorrhoides aperire hæmorrhoidibus: quippe per eaſdem tutius & facilius in caput irruentem humorem retrahimus, quo facilius quod in capite eſt natura conteret. *Mercatus.*

X X X I I. Iuvenis xxx. ann. melancholia detinebatur pertinaciſſima: cranio diligenter aperto à I. Caſ. Placentino, etiamſi nulla eſſet potis membranæ incumbentis ſuſpicio, cerebro eventilato ad ſanitatem rediit, quam ſine dubio ſanguinei humoris evaporatio inſtabat: *Rhodius Obſ.* 43. *cent.* 3.

XXXIII. In *prima humorum præparatione* decoctis aut aquis ſtillatitiis addi poteſt cremor. Tartari ℥ß. qualibet vice: *ſympathia* namque quadam movet, fermentat & ad ſe trahit acidos ſuccos; vnde chymici melancholiam aſſatam Tartarum vocant: Secunda præparatio melius perficitur ſuccis depuratis quam ſyr. ſaccharatis: calorem enim excitant, vt pote dulces, & viſcera inflant. *Fortis conſult.* 23. *cent.* 1.

X X X I V. Melancholico qui ſunt habitu, ſi commode *cauteria* gerunt, quia ſanguinem, teſte Hippocr. valde ichorodem habent, *Claudinus Reſp.* 43. Cauteria commendantur, ſed in ea quæ eſt cum materia; infigantur autem in partibus infernis, cruribus aut coxis. *Saxenia l.* 1. *c.* 16. Solemus quoque in hypochondriaca parare cauteria cruribus, quæ expertus ſum nobile auxilium tuliſſe *Mercurialis lib.* 1. *c.* 50. Femoribus autem adhibenda ſunt. *Claudinus conſ.* 136.

X X X V. Quidam diu hæmorrhoidum dolore vexatus, ſingulis menſibus per mariſcas fæculentum ſanguinem expurgabat: ſupprimitur conſueta hæc vacuatio, fitque melancholicus: Hirudinibus ſæpe aperiuntur mariſcæ, iteratur ſaphenarum ſectio, fontanellæ tibiis affiguntur, &c. cum omnia fruſtra tentarentur, & morbus ferocius invaderet, adeſſent flatus & gurgulationes circa lienis regionem, ſupra ipſum cauterium impono: vix duo pertranſierant menſes, quando nigerrimi & fuliginoſi humoris copia vacuata ſanus evaſit. *Zacutus Pr. Adm. lib.* 1. *Obſ.* 50.

X X X V I. Balneum hypochondriacis inutile judicamus, niſi ablatis prius obſtructionibus, tunc enim poterit quoque prodeſſe macici & melancholiæ a toto. *Fortis conſult.* 27. *cent.* 3.

X X X V I I. Profeſſor Patavinus diu plurimis medicamentis quolibet anno ſine efficacia tantum non confectus, mutato demum conſilio, juſculis cichoraceis in prima menſa hauſtis morbum profligavit. *Rhodius Obſ.* 44. *cent.* 1.

X X X V I I I. *a* In *Hypochondriaca* nonquam eſt ſecanda vena brachii, licet Practici hoc non obſervent: fundamentum eſt, nam ſanguis ſubſiſtit infra jecur, & præterea ſanguis ille ſurſum mittit vapores, ut oporteat deorſum retrahere, non ad brachia: Adhæc, cum ſanguis vitioſus pertineat ad hypochondria, & bonus ad totum attineat, per ſectionem venæ cubiti ſanguis bonus vacuatur & non melancholicus, & facta hac evacuatione, me detur vacuum, fit attractio ad ſuperiora ſanguinis melancholici. *Capivaccius.* In *Hypochondriaca* ſecoratia aperienda (*vt exploretur*) venoſi generis ſtatus, vt medicamenta purgantia recta menſura poſſint adhiberi, & quidem Medico præſente, vt monet *Galenus* 1. ad Glauc. & 3. de loc. aff. 7. educendo ad ℥v. vel vj. ſi niger & craſſus effluat: Sin minus fere ſtatim ſupprimatur. *Fortis conſ.* 20. *cent.* 3.

X X X V I I I. *b* An *Acetum* prædictis humoribus & corporibus melancholicis prodeſſe aliquomodo poteſt? *Galenus* enim 5. *ſimpl.* melancholicis id adverſari ait, & *Hippocr.* 5. de rat. Victus 29. *Acuta*, ait, *vis Aceti his magis conferre ſolet quibus magis amara quam bilis atra exſuperat: quippè amara ab ipſo diſſolvitur & agitatur, ac in pituitam degenerat; atra vero bilis attollitur & multiplicatur, nam acetum atram bilem parit.* Accedit ſimilitudo aceti & melancholiæ, quo fit vt facile in ejus naturam acetum commigret: probant mille teſtimonia maxime mulierculorum quæ acidis intempeſtive vtuntur, quas ſcimus facile in melan-

cholism prolabi: Ex altera parte eſt *Galeni* authoritas qui xi. meth. med. aperte conſulit in ſpleneticis medicamentis ſemper eſſe aceti aliquid admiſcendum: Et *Aetii* ac *Pauli* ſententia, qui in melancholia morbo aceti quam acerrimi ſorbitiunculam poſt omnem cibum porrigunt, vbi jam dormire velit æger, *Hac tare* ſtatuendum eſt, corporibus melancholia abundantibus ſummopere Acetum nocere, auget enim acorem & humorem ipſum, ac præexiſtentem in fervorem movet; prætterquam quod cæteros humores frigidiores ac ſicciores reddit: Cur à coena exhibeatur ab *Aetio* & *Paulo* vide §. 29. tit. de Affect. hypochondr. lib. vij. ad vaporum ſcil. in cerebrum irruentium repreſſionem: Si tamen melancholicus affectus ex indurato aut obſtructo ſplene prodit, maximi eſt momenti, *Mercatus*. Vide lib. 10. §. 9. tit. de Lienis Affectibus.

XXXVIII. *Cranii terebratio* vltimum eſt remedium, omnium tutiſſimum & vtiliſſimum: nam ſi vlcera ſuperficialia in capite ſuborta melancholicos ſanatunt, vt teſtantur Hollerius & alii, quantò majorem vtilitatem allaturam ſperare poſſumus vlcus illud quod cranium penetrat? mihi tamen ſufficiet illa perforatio quæ pervenit ad meditullium, cum remotione exterioris laminæ cranii, abſque læſione duræ matris, ne cerebrum nimis refrigeretur: hocque præſtabitur per cauterium prope ſuturam coronalem inuſtum, ferro candente, ac ſimul incidente & ad meditullium vſque penetrante, potius quam per veram terebrationem: dico prope ſuturam, ad vitandam læſionem membranæ per ſuturas erumpentis: Hoc ſi fiat, globulo que cereo conſervetur apertum, quam maxime prodeſſe poterit. *Silvaticus centur. 1. conſ. 58 Exempla vide apud Rolfinccium meth. ſpec. pag. 413. Rhediam centur. 1. Obſ. 43.*

XXXIX. *Irriſationes* etiam atque etiam cavendas monemus: Magis enim quam æger inſaniunt, qui cum in authoritate conſtituti videantur intempeſtivè cavtuntur; perterritum reddunt, & à pertinacia & protervia, quæ morbi initium eſt, pertinaciter & proterve abducere ſtudent: non enim everſa evertenda ſed erigenda ſunt. *Crato apud Scholtzium Conſ.* 174. Interdum aliquid indulgendum, præſertim vbi cognoſcimus Phantaſiam in hoc vel illud eſſe intentam: vt enim imaginatio impetat humoribus & ſpiritibus, ita fieri poteſt vt illius ratione calor innatus excitetur, & ſua ſponte morbificam cauſam interdum expugnet. *G. Horſtius Decad. 2. Probl.* 10. *vbi plura.*

XL. De *confectione lætificante Rhaſis* notandum, quod accipit apud Rhazem pro tribus partibus mellis vnam pulverum: At noſtri pragmatici vnciæ ſacchari aut mellis drachmam aſcribunt aromatum, ſed ſæpe nullo ſucceſſu. *Heurnius meth. lib.* 1.

XLI. De *Confectione Hamech*, eam à Medicis nonnullam improbari: de ea Solenander ſection. 5. conſ. 22. Hamech, inquit, in ſua confectione mirificam farraginem contulit, & non coquenda decoxit, longeque diſſimilia ſimul confudit, tandemque confecit horrendam confectionem ſine vlla Medicorum arte, quæ nulli grata eſſe poteſt: Nihil dico de acribus, ſcammonio, colocynth. medicamentis *admiſtis*: Idem ferè ſentit Rondeletius, qui eandem talem ad ichores pravos humorum vtilem eſſe docet: Eandem improbat Fernelius: Et revera non videtur ſatis commoda confectio, præcipuè ob myrobalanorum, quę adſtringunt, copiam Etſi enim Arabes frequenter iis vſi fuerunt, recentes tamen habuerunt quibus nos caremus, Et commodius omnino, ſi cui vti libeat, ad ichores pravos, ſcabiem & ſimiles cutaneos affectus, quam ad melancholiam vſurpantur. *Sennertus.*

XXXIX. Nihil novi magis periculoſum in morbis omnibus chronicis, & melancholicis præſertim, quam iteratis ſolutivis corpus expurgare, nam deſtruunt virtutum mineras, & licet prima facie videantur prodeſſe, nam fortaſſis ægri ab excrementis deoneratis hilariter vivunt, tamen temporis tractu res eſt in contrarium, nam magis ac magis corpora exſiccant, excalefaciunt, torrent humores ac deſtruunt naturam. *Epiph. Ferdinandus hiſt. 36.*

MEMORIÆ,

MENTIS LÆSIO.

SYLLOGE.

Non ſemper reſtauranda Mem. per calefacientia. 1.
Confectionis anacardina abuſus & Aqua magnanimitatis. 2.
Efficacia Inuſtionum *circa ſuturas.* 3.
Cauteria *vbi imprimenda.* 4.
Efficacia eorum. 5.
In mentis *imbecillitate rejici debeat Theriaca & Mithridatium.* 6.
Inſania arteriotomia ſanata. 7.
Pulveres minus convenient. 8.

I. GAleni ſententia, quod oblivio ab intemperie frigida pendeat, non levem penes me difficultatem habet, quod noverim plures inſigni frigiditate cerebri laborantes ſine memoriæ noxa, quæ tamen ſuccedere deberet ſi Galeni argumenta à ſimilitudine cauſarum efficientium, & à ſimilitudine animalium frigidorum, vllius eſſent roboris: Oppoſitum contra vidi in nonnullis obliviosis quos curandos ſuſcepi, in quibus nullum frigoris manifeſtum indicium: in aliquibus adeſſe inſignem cerebri calorem perſpexi, quos adhibitis circa ſuturam coronalem refrigerantibus auxiliis juvi: Non nego in plurimis adeſſe inſignem frigidam intemperiem, ſed dubito an ab hac ſola intemperie memoria vel minuatur vel aboleatur: Dubitationem augent caſus quidam a me obſervati: Ab ictu cerebri valido novimus in aliquibus memoriam abolitam: Galenus ex Thucydide refert nonnullos qui à peſte evaſerunt omnium præteritorum oblitos eſſe; At quæ hic frigida intemperies accuſanda? Præ manibus mulierem omnium rerum obliviſcentem habui, quæ ex ſpontanea per alvum vacuatione, per quam bilioſa, ſanguinolenta, viridia, mucoſa & ſimilia educebantur, amiſſam memoriam, nullo adhibito ipſi cerebro particulari medicamento, recuperavit: *Petrus Salius Div. Annot. in Altimar. c. 1.*

II. Damnanda eſt pernitioſa tum Medicorum tum hominum quorundam conſuetudo, qui cum à prima conſtitutione debili memoria præditi ſint, ſtudent violentis medicamentis quod non amiſerunt recuperare: Quippe non paucos ſtudioſorum juvenum reperias, qui ſeducti cupiditate & vtilitate felicis

licis memoriæ efflagitant ſibi precibus & pretio *Anacardinam confectionem* dari: hinc non pauci, vel judicio confracto vacillant, vel memoriæ nihil amplius recuperant, vel capitis ingentibus doloribus cruciantur: Quis enim non intelligit naturalem cerebri, vel cujuſvis partis temperiem, ſi in meliorem mutari oporteat, ſenſim & paulatim eſſe agendum, non vehementibus & efficaciſſimis auxiliis, vt quæ ex anacardo conficiuntur? quæ cum nihil præter naturam craſſum, frigidum & humidum in capitibus & corporibus juvenum reperiant, conterunt & infirmant naturalem temperiem & ſubſtantiam, vnde mille læſionum ſortes & ſorte memoria deterior: Proſunt quidem talia his quibus læſa memoria, quæ ex nativâ conſtitutione felix fuerat antea. *Mercatus Pract. lib.* 1. *cap.* 19. Confectio ſapientum appellatur: Caute tamen ea exhibenda, præcipue in ſanis, ad memoriam roborandum: vnde nonnulli ejus ʒß. vel minus cum aqua calida exhibent, vt nimia ejus exſiccatio remittatur: Iis vero qui membra principalia calida habent, nullo modo exhibenda; Docuit enim & hoc experientia, nonnulloa quidem memoriam admirabilem ſibi hac confectione comparaſſe, ſed parum vitales fuiſſe, & in ipſo ætatis flore, corpore nimis exſiccato, extinctoa. *Sennertus Practicæ libro* 1. *Parte* 2. *cap.* 5.

III. In memoria & confirmanda & reſtauranda mirifice valet Aqua magnanimitatis, (quam vide apud *Schroderum* Pharmac. lib. 2. cap. 38. Et *Hofmannum* in Clavi pag. 50.) Potentior erit ſi cum ea extrahantur ſpecies anacardinæ: Cujus Eſſentiæ grana tria ad ſex, in ſeptimana ſemel, vel bis terve exhibitæ in vino vel aqua lavendulæ, vnice proſunt: Nota vero aquam hanc valde exſiccare, ideoque in bilioſis & ſiccioribus debere ejus vſum eſſe rarum & cautum, adeoque convenire potius pituitoſis & melancholicis. *Harmannus Prax. cap.* 14. §. 2. Vide de ejuſdem efficacia, & aliam præparationem miſcellaneor. curioſ. Anni 3. qui 1672. pag. 605. *ex Wedelio*, Vbi conſilium pro Memoria labefactata elegantiſſimum.

IV. Iuvat in his caſibus vſus *cauteriorum*; quia vbi abundant humores in cerebro, juvat eos evacuare paulatim & deflectere à cerebro, Sed advertite, ſicut laudo cauterium in brachiis, ſic me illud damnare in occipite, quia ille locus eſt ſedes memoriæ, & perniirioſum eſt evacuare totum caput per partem affectam. *Mercurialis lib.* 1. *c.* 18.

V. Feliciſſimo ſucceſſu in Memoria abolita, & Ratiocinatione diminuta, vti ſoleo *cauteriis in capite*, maxime vbi frigida & humida viget intemperies, optime tamen purgato corpore: Et teſtor Deum melius cauteriis in capite, quandoque tribus, quandoque quatuor & quinque, factis in locis ſuturarum, curaſſe annis elapſis ſocrum m. Gentilis, cui jam erat memoria ablata, & duos alios ſtolidos & inſanientes juvenes, e quibus alter ſeptem habuit cauteria, & ambo ſanitati reſtituti fuere. *Epiph. Ferdinandus hiſtor.* 47.

VI. *Theriacam & Mithridatium* commendant, quæ nos propter opium, quod omnes ſenſus ſtupidos vel languidiores facit, etſi vetus ſit compoſitio: maluimus omittere, cum alia non deſint, & nullus dolor hic aut neceſſitas requirat, nec humoris adſit malignitas. *Platerus.*

VII. Inſana erat Monialis, vt aſſidue flagitaret ſe ſacro fonte luſtrari; hæc vna ſemel arteriotomia temporum per me & excogitata & adminiſtrata, quaſi divinitus ordinata mentem recepit. *Severinus med. Effic. p.* 46.

VIII. Pulveres minus conveniunt ſiccis, vnde in melancholicis, hecticis & aliis id ipſum quoque valet: hinc de martialibus recte monetur, illa in ſiccioribus hypochondriacis, metu ſcirrhorum, hepatis calidi & ſiccioris, minus commode quàm in malis laxioribus conducere. *Wedelius de comp. med. ext. p.* 137.

MENSES MVLIEBRES.

SYLLOGE.

Cur vena ſectio in brachio aliquando ſuppreſſos reſtituit, aliquando fluentes ſiſtit. 1.
Actu iis fluentibus an ſanguis mittendus. 2.
An clyſter poſſit injici. 3.
An ante conſuetum tempus purgans poſſit dari. 4.

I. MAgna eſt inter Medicos controverſia quæ ſit vena ſecanda; an baſilica an ſaphena, ad ſanandum fluxus menſtrui ſuppreſſionem? vtraque ſententia illuſtres habet defenſores, quiſque experimentis ſuas partes tuetur; ſed experimenta litem non dirimunt: Cum contingat menſtrua ſuppreſſa provocari tum baſilicæ tum ſaphenæ ſectione, vtraque vidi ejuſmodi ſuppreſſionem illico ſublatam, ſed ea erat variis ex cauſis orta, ita vt ſi mutata medela pro ſaphena baſilica ſecta fuiſſet, & viciſſim, menſtrua nullatenus fluxiſſent: Imo contingit aliquando menſtruorum ſuppreſſionem aliis quam v. ſ. auxiliis ſanari, & miſſo per quamcunque venam ſanguine difficiliorem reddi curationem: Cauſa ſcil. morbi eſt accurate inveſtiganda, ut ad eam removendam convenientia remedia adhibeantur: Ea enim ſublata ſponte morbus evaneſcit: Si contra, remedio perperam adhibito cauſæ morbificæ vires adjiciuntur, morbus invaleſcit: Conſiderandum itaque eſt, cum ſunt reſtituenda menſtrua, vtrum cauſam ſuppreſſionis v. ſ. tollat, an eandem augeat, quid ad id conferre poſſit v. ſ. ſi fuerit in brachio facta, quid cum in malleolos Certe inter cauſas ſuppreſſionis menſtruorum cenſentur tum ſanguinis paucitas, tum etiam copia, quia dum vteri vaſa diſtenduntur, ſe mutuo comprimunt, & contenti liquoris effluxum impediunt: Si itaque à plethora, vteri vaſa diſtendente, menſtrua ſupprimantur, non eſt tutum venam in pede ſecare, hac enim aperta ſanguis citatiore impetu fertur ad inferiora, ac proinde & vberius & validius in arterias vteri influit, vterum magis implet, majoremque vaſorum compreſſionem inducit, ſuppreſſionis menſtruorum ſanationem difficiliorem reddit: quod maxime contingit ſi non modo in vtero ſed etiam in toto corpore ſanguis abundet, His itaque in circumſtantiis ſanguinis copia quam primum eſt imminuenda: & qui fit ſanguinis ad vterum impetus ad ſuperiora revocandus: His duobus ſcopis ſatisfacit ſectio baſilicæ, qua, ſeu ſemel celebrata, ſeu pluries repetita, ſi copioſa fuerit; non ſolum ſanguinis exuberantia è toto corpore

tollitur, ſed etiam à partibus inferioribus ad ſuperiores ſanguis revellitur, ſicque vterus ſarcina, qua premitur, cito ſublevatur, vaſa minus diſtenta fluenti ſanguini liberiorem tranſitum præbent, menſtrua fluunt. Si vero concitato ſemel fluxu menſtruo, iterum Baſilica ſecetur, facta vehementiore revulſione ad ſuperiora, vterus convenienti ſanguinis copia privabitur, vaſa concident, menſtrua ſiſtentur, quæ deinde revocare non ſemper ita facile eſt, cum enim vaſa ſunt conſtricta, ægre relaxantur: Si ob ſanguinis modicam copiam menſtrua fuerint ſuppreſſa, ſaphenæ ſectio ea reſtituit: Ea enim vena aperta ſanguis majore impetu fertur ad inferiora, velocius & copioſius influit in vaſa vteri, ea proinde diſtendit, & ſpectantia in vteri cavitatem oſcula aperit: V. ſ. itaque medetur menſtruorum ſuppreſſioni quando eam efficit ſanguinis vitium in quantitate aut motu, ſi excipiatur ſumma ſanguinis paucitas, aliquando etiam vitium qualitatis, qua menſtrua ſupprimuntur, v. ſ. emendatur: Ne quis tamen putet, accurate ſpectatis omnibus circumſtantiis v. ſ. effectum cito ſe aſſequuturum, multa enim tum à cauſis internis, tum ab externis ſæpe accidunt quæ v. ſ. effectum impediunt, quæ nec Medicus prævidere poteſt, nec ſi contigerint impedire: Animi pathemata, quibus obnoxiæ ſunt mulieres, tum ratione ſui, tum ratione humorum, quorum curſum pervertunt, perperam ſiſtunt, aut intempeſtive promovent, inſperato vaſa vteri ipſumque vterum laxant, ac conſtringunt, vti reliqua viſcera, ſicque fit raptus ſanguinis modo ad ſuperiora, modo ad inferiora: Hinc inferre licet eos Medicos qui ex hujuſmodi remedio certo ſanationem pollicentur, parum noſſe corporis oeconomiam, humorum varietatem, ac vim pathematum: vt nimia in prognoſi & pollicitis ſecuritas hic ignorantiam potius arguat & ſtoliditatem quam ſcientiam: Ipſa etiam v. ſ. ratione ſui, ob occultas, & nulla ratione inveſtigabiles corporum proprietates effectum ſperato contrarium producit, dum in hac muliere excitat leipothymiam, in illa pravum quendam humorem deliteſcentem & quietum, ac eatenus innoxium commovet, in vaſa rapit, & per vniverſum corpus diſpergit. *Franc. Bayle Problem. med. x.*

II. An actu fluente menſtruo ſ. m. aliquando poteſt celebrari? *Avicenna* ſic reſpondet 4. 1. cap. 20. *Menſtruata non minuatur niſi propter magnam neceſſitatem, ſicut eſt neceſſitas retinendi forte ſanguinis ſputum, quum virtus fuerit conveniens:* Et ſanguis menſtruus, qui in fœmina ſana ad vterum ſingulis menſibus defertur, non differat ab alio ſanguine, ſed ſolum ſit quantitate excrementum, ex Gal. quia tamen quando vitioſi humores redundant, ſimul cum eo expurgantur, & licet non exuperet, propter moram in vaſis vteri vitium contrahit, nihil mirum ſi hæc vacuatio à veteribus & Galeno Purgatio appellatur: quo tempore ergo procedit vena ſecanda non eſt, ne naturæ motum impediamus aut præcipitemus: Hoc autem intelligendum modo ea vacuatio intra naturæ modum ſit. Si enim excedat, tuto ſanguis ex brachio mitti poteſt: Deinde ea procedente gravis incidat morbus, poſtulans citam vacuationem, ſuperioreſque partes afficiens, ex ſuperioribus locis ſanguis ſine dubio educendus: Rurſus, ſi diminuta menſtrua purgatio ſit, ad partes ſuperas refluguet, & ſputum aut vomitus ſanguinis ſequantur, ex Hipp. 5. aph. 32. venas tali tutiſſimum eſt tundere: Demum, ſi fluens actu menſtrus ſanguis non ſit pro multitudinis ratione, qua ratione motum illum imperfectum ſupplebimus niſi miſſo ſanguine? *Zacutus*

III. An Clyſter actu fluente menſtruo poteſt admitti? Plures negant, quia tunc alvus non eſt conveniens regio perquam humores noxii ſint deferendi, ſed vterus: Et natura ad partem contrariam diſtrahitur promptiſſime, quia ob viciniam ex recto inteſtino, cui vterus incumbit, citiſſima fit attractio: *Dic*, Si morbus vrget clyſter vtilis eſt, tum ad vacuandos humores qui in viis ductuum ſtabulantur, tum vt cætera auxilia commodius celebrentur: Neque clyſter trahit ab vtero, aut naturam avocat, cum ab inteſtinis ſolum evacuet, ſi mollis ſit & non acutus, quem non eſſe fluente menſtruo adminiſtrandum ratio dictat, niſi periculoſiſſima adſit affectio, ſuapte natura lethalis, vt apoplexia, epilepſia, vertigo, quæ celeritatem auxilii poſtulant: vrgente enim neceſſitate malo vrgentiori ſubveniendum, balanis, clyſteribus acutis: quibus ſi nimis alvus profluat, tunc de ſalute ægri non deſperandum; ſæpius enim alvi fluxus menſtruæ purgationis loco excernitur, & plures fœminæ poſt partum, excitato alvi fluxu, à morbis graviſſimis evaſerunt, natura defectum purgationis vteri alvo citata ſupplere ſtudente, quod frequenti experimento compertum eſt. *Zacutus.*

IV. *Sennertus* diſſuadet Purgantia paulo ante conſuetum fluxum menſium exhibita, quaſi ea, humorem alio divertendo, impedirent magis fluxum: Cui equidem aſſentiri non poſſum, crebra ductus experientia, plerumque ſic inſtitutam purgationem irritare potius menſes quam divertere; Eo quod pleraque, ſi non omnia, purgantia vim ducendi menſes habeant, idque vel per ſe vel per accidens, ideo gravidæ tantopere ab iis abhorrent: *Hoeferus Herc. Medici lib. 7. cap. 1.*

MENSES DECOLORES.

Attenuantibus validioribus non vtendum.

CVm malum hoc ab humoribus vitioſis menſtruo ſanguini admiſtis dependeat, generalis indicatio eſt humores illos vitioſos eſſe evacuandos, juxta aphor. 5. 35. Hoc ſaltem hic monendum, cum humores craſſi, vt commodius vacuentur, attenuatione indigeant, cavendum eſſe ne pro attenuantibus menſes vehementer moventibus vtamur, cum talia ſeroſos humores ad vterum moveant, atque ita vaſis anguſtioribus magis impingant: ſenſim itaque & paulatim attenuantibus primo vtendum: Et ſi aliqua eorum quæ menſes vehementer movent vſurpentur, mitioribus ſunt temperanda: Acetum autem & acida hic locum non habent. *Sennertus.*

MEN-

MENSIVM FLVOR NIMIVS.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *eximie confert.* 1.
Sæpe Purgandum. 10.
Vomitoria *quando locum habent.* 11.
Clyſteres *adſtringentes aliquando noxij.* 2.
Diuretica *inepta ad derivationem.* 3.
Quiartus, ſuperiores an inferiores fricandi *&* ligandi. 4.
Cucurbitulæ *ſub mammis cum ſcarificatu admovendæ.* 5.
Adſtringentia *&* incraſſantia *diu vſurpata nocent.* 6.
Opiata *conducunt.* 7.
Adſtringentia *an admovenda.* 8.
Aliquando non ſiſtendus. 9.
Conſtrictio mammarum *ad revulſionem admittenda.* 12.
Cum hyſterica ſuffocatione juncti curatio. 13.
Actu frigida frequenter non admovenda. 14.
Cauſa & curatio Sylviana. 15.

I. PHlebotemia revulſionis gratia in brachio celebranda eſt, partitis vicibus, & digito per vices foramini admoto: Magna copia ſanguis detrahendus quantum vires ferre poſſunt: *Riverius lib.* 15. *cap.* 3. Multas vidimus quæ detracto ſanguine molto è vena convaluerunt, cum nullis aliis remediis poſſet reprimi fluxus ſanguinis. *Hollerius aph.* 50. 5.

II. Cùm menſtrua purgatio largior eſt, *Clyſteribus* vtendum quibus vis infrigidandi & agglutinandi: nam in calidis temperaturis, aut tenuibus humoribus, aut quibus viæ admodum ſunt patulæ, nullum eſt commodius auxilium: nam frigiditate vias coarctat, humores tenues cogit ac denſat, calorem compeſcit, ac ſi quid ictu aut caſu dilaceratum, conglutinat: Cavendum tamen ab iis rebus quæ comprimendi vim obtinent: nam cum hæ partem, cui adhibentur, comprimere habeant, repellent neceſſariò in affectum & fluentem vterum humores inibi morantes, ac per conſequens maiorem excitabunt fluxionem, ſicuti & calida omnia actu vel potentia: quò fit vt vtilius ſit initio frigidis, mox verò, vacuato corpore, iis quæ agglutinandi vim obtinent vti. *Mercatus de Præſid. l.* 1. *c.* 3.

III. Si fluor nimius ex ſeroſo, tenui & aquoſo ſanguine ortum habeat, is vacuandus: eo enim vacuato, cum ab eo ſanguis fluxilior reddatur, hic ſponte ſubſiſtit, quod commodè fit hydragogis, mechoacanna & rhabarbaro, ac hidroticis: Nonnulli *Diureticis* hic ad vias vrinæ derivationem fieri poſſe putant, verùm diuretica ſanguinem ipſum non derivant: Etſi verò tenues humores ſanguini admixtos ad vias vrinæ derivare poſſunt, tamen metus eſt ne ſanguinem fundendo eum magis fluxilem reddant, ejuſque ad vterum impetum augeant. *Sennertus cap. prop.*

IV. *Galen.* 1. *ad Glaucon.* 14. curans immoderatos ſanguinis fluores per vterum, aut hæmorrhoidas, nexus fieri plures ac fortiores circa manus imperat: Contra *Paulus lib.* 3. *cap.* 62. Extremi artus, *ait*, ab alis & inguinibus, vinculis excipiantur 5. Idem ſentiunt *Avicenna*, *Aëtius* & alij. Conciliabis dicens in incipiente fluxu ſuperiores artus ligandos eſſe & fricandos: At in progreſſu, poſtquam jam magna copia humoris eſt vacuata, præſertim ſi momentaneus & immodicus ſit fluxus, tunc ne vires ſubito fatiſcant & extinguantur, non ſolum brachia, ſed crura eſſe liganda & fricanda, quoniam in immoderato ſanguinis fluxu per vterum, non ſolum ſanguis, reliquique, arrepto impetu, humores ex partibus ſuperioribus, ſed etiam inferioribus ad ipſum confluunt: Et ſi fluxio revocanda eſt ad ſuam originem, ad manus, ad crura, impetum ſanguinis in vterum irruentis revellere oportet. *Zacutus Prax. Hiſtor. lib.* 3. *cap.* 11. *Hippocrat. lib.* 2. *de morb. mulierum.* Ligaturas cubitis & ſupra genua, ſuppoſitâ tamen lanâ, faciendas jubet, quod *Galeno* non videtur conſentaneum: Reſpondeo quod hoc ſequeretur ſi ligatura fieret ſolum in infernis, at *Hippocrat.* dicit faciendam eſſe etiam ſupra, hac enim ratione ſanguis, qui deorſum vergit, ſurſum trahitur: qui verò a magnis venis crurum ad vterum regurgitat, retinetur. *Fonſeca Conſ.* 56. *Tom.* 1.

V. Mulieri ſi vis menſtrua cohibere *Cucurbitulam* quam maximam ad mammas appone: *Aphoriſm.* 5. 50. Sed ea non *apponenda* mammis, at juxta illas, quod innuit *Hippocrat.* verbo *ad mammas*, quod vt melius fieri poſſit, mammillæ ſublevandæ, & vnicuique cucurbitula lati orificij cum multo igne affigenda: Quò verò efficacius trahant, ex ſcarificandæ; citiùs enim revellitur humor cum ſimul trahitur ad partem contrariam, quàm ſi tantum attrahitur: quod *Galenus* videtur innuere in comment. *Melius autem eſt non ipſis mammis, ſed ſub ipſis partibus inferioribus firmare cucurbitulam, vbi maximè ſunt ea quæ ad ipſas venæ deſubter veniunt*; quaſi dicat, Cum venæ in ea parte ſitæ ſint, ab iis non ſolum revellere ſed vacuare oportet: Deinde ſi fluxio ad partem contrariam eſt revocanda, & ſi *Galenus* ſuppreſſis menſibus ſcarificat femora & crura, cur in immodicis non ſcarificabit brachia & partes ſuperas cum multo commodo? Quare ſcarificatio celebranda ſub mammis, ſanguiſque pro virium tenore educendus. *Zacutus ibidem.*

VI. In affectu inveterato multum adſtringentia & incraſſantia non diu vſurpanda, periculum enim ne meatus offarciant, occludant & conſtringant, atque ita obſtructiones generent, & viſceribus præcipuis (quæ inſigne damnum in hoc affectu recipere ſolent) plurimum officiant: ſed multo ſatius eſt in hepar roborantibus inſiſtere, quæ quidem adſtringunt, attamen ita moderatè vt adſtrictione obeſſe nequeant. *Lazarus Riverius lib.* 15. *cap.* 3.

VII. *Opiata* medicamenta conducunt: ut enim in ſuperpurgantibus irritata natura, non pellit modo excrementa propriorum humorum, quæ à medicamento trahuntur, ſed præterea & vtilia ſimul; ſic & hic evenit, vt incipiat quidem natura purgare, inutile ſed ea irritatione quaſi furibunda opere expellendi excedat, vt opus naturale ſymptomaticum evadat: Hic neceſſe eſt vt motus naturæ depravatus ſiſtatur, quod poſt alia communia medicamenta per vſum narcoticorum fieri poteſt: Notandum tamen in hoc caſu Opiatis caute vtendum, quod mulieres naturâ, quoad calorem innatum, debiliores ſint, ideo ſtupefacientibus vehementius afficiantur; Non enim dubitamus quin

urgente neceſſitate, bene conſideratis circumſtantiis, tribus vel quatuor granis laudani Opiati, ritè præparati, plus præſtemus ex voto, quàm ſi potiones iſtas adſtringentes, & quamplurimis ingredientibus conſtantes, nauſeam abſque fructu iteremus: At vero temporis tanto ſpatio, ad uſum tot remediorum requiſito, quanta virium jactura non ſequitur? *Gregorius Horſtius Decad.* 10. *Problemat.* 2. Menſtruis ſuperfluis, omne reliquum medicamentorum genus eludentibus, dextre per correctum opium ſuccurritur: quod ante ſexennium coniux experiebatur, quæ mortis ferè faucibus hoc modo erepta, fervore ſanguinis ad temperiem viciſſim uſu laudani reducto. *Idem lib.* 10. *Obſervat.* 3.

VIII. Cavendum ab iis rebus quæ comprimendi vim obtinent: nam cum hæ partem cui adhibentur comprimere habeant, repellent neceſſario in affectum & fluentem uterum humores inibi morantes, ac per conſequens majorem incitabunt fluxionem: *Mercatus de Indicat. Medic. lib.* 1. *cap.* 3.

IX. Cum naturæ modum plurimum non excedit, etſi graviſſimis prorumpat accidentibus, nequaquam ſupprimendus ne deterius quid contingat: At ſi alia jungatur vacuatio, eam ſupprimere convenit, menſtrualem vero aut amplius provocare, aut, ſi id non tolerent vires, permittere, quia utilior eſt, etſi debitum tempus pervertat, quare aliam eo tempore provocare, quæ contrarium inferat naturæ motum, alienum cenſeo. *Idem.*

X. Non eſt inconveniens aliquod *leniens* medicamentum, quod ſeroſitates affatim per alvum ducat, nam præterquam quod diverſionem præſtare poterit, primas vias eluundabit, & ad uſum adſtringentium eas præparabit: Sit itaque aut manna, cum ſyrup. roſ. ſolut. aut caſſia cum pulver. myrobal. citr. & magiſt. mechoac, *Fortis.*

XI. In Hæmorrhagia uteri *Vomitoriorum* uſum quamvis *H. Petraus Diſſertat.* 47. & *Lazarus Riverius lib.* 9. *Practic. cap.* 3. ceu remedium maxime revellens utiliſſimum fore ſuadeat, nos tamen in ipſa acceſſione eadem plane reiicimus: Extra acceſſionem vero, ſi humoris conditio & motus id exigant, eorundem uſum cum maxima cautela admittimus, ſuadente *Galeno* in comment. Epidem. *Fridericus Hofmannus m. m. lib.* 1. *cap.* 9.

XII. *Alex. Maſſaria* inter auxilia quæ faciunt ne uteri vaſa nimis aperiantur, recenſet *Animi deliquium* a vehementiſſimis doloribus conſtrictis mammis, quæ maximum cum utero conſenſum habent inductum: Verum, quæ fœmina ferret tam dolorificas ligaturas ut deliquium animi inducere poſſint? Annon inflammatio aut cancer ex tam violentis ligaturis excitari poſſent? Alias partium extremarum, ut brachiorum, manuum &c. Ligaturæ dolorificæ ſuo hic non deſtituuntur effectu, ſi ob contra indicantia aliis generoſis remediis non datur locus. *Galen.* 1. *ad Glaucon. cap.* 14. Vide *Tit. de Ligaturis.*

XIII. Ancilla menſium fluxum ita copioſum patiebatur, ut intra duas horas ſanguinis libras iv. aut v. excreverit, unde ſequuta affectio ita gravis ut aphona & quaſi mortua jaceret, cum tamen apertos haberet oculos & manu ſe ſtrangulari indicaret; Sed hac potione utrique affectui medebar. ℞. *Aq. naphæ, roſar. & plantag. ana.* ℥ j. *ſanguinis dracon. gran.* xij. *ſalis prunell.* ʒ j. *miſce f.* Potio, quæ poſt tres horas interiecto juſculo iterabatur, Poſt primam exhibitionem omnia ſymptomata remiſſa ſunt, in ſecunda vero omnia ceſſarunt. *Riverius Cent.* 1. *Obſervat.* 94.

XIV. Semper cavendum ne frequenter aqua frigida utero admoveantur, ſolent enim tranſpiramenta cutis obſerare, ac ſubinde majorem fluxum concitare; Exemplo ſunt menſtruatæ mulieres quibus uberius menſes profluunt, ſi cum iam ſiſti incipiebant munda induſia accipiant. *R. à Caſtro de m. m. lib.* 1. *cap.* 5.

XV. Diutius ſolito perdurat *Fluxus menſtruus* primo, Ob ſanguinis laudabilis abundantiam, viaſve anguſtiores. Secundo, Ob eiuſdem fluiditatem ac ſeroſitatem auctam, viaſque ſimul anguſtas. Tertio, Ob vias uteri patentiores, nec ſat cito denuo ſe contrahentes & coarctantes, uterumque adeo imbecilliorem. Quarto, Animi affectum gravem, Iram, Terrorem. Quinto, Ob Aëris æſtum, præſertim cum humiditate conjunctum. Sexto, Nimium corporis Motum ac defatigationem, ut & Vigilias ſimul copulatas. Septimo, Alimenta nimis aromatica, vel abuſum medicamentorum menſes nimis potenter moventium. 1. *Quoties* ſanguis eſt abundantior in corpore, atque viæ modo ſe habent, ſi notabile ſanitati detrimentum non affertur, non habendus tum Fluxus pro præternat. quamvis hactenus moleſtus ſit fœminis, quem proinde patienter ipſas ferre oportet, cum periculum ſit ne, ſi mutari tentetur, cum majori potius detrimento id fiat quam ægrarum commodo: Nam vel minuendus erit ſanguis abundans per ejus miſſionem, vel Viæ aperiendæ ſunt magis per Incidentia vel Emollientia: Sanguinis autem miſſione non raro ſiſtitur inſtans fluxus, ſi fiat in brachio, vel nimium promovetur, ſi fiat in pede: Sin per Incidentia medicamenta tentetur major apertio viarum, periculum eſt ne ſanguis reddatur ſimul tenuior & fluidior, Menſtruorumque fluxus nimius: Sin per Emollientia tentetur earundem viarum apertio major, periculum ne ſimul labefactetur uteri robur, & plura ſequantur incommoda priori mutando longe graviora: Satius ergo eſt illam moleſtiam ferre patienter, quam præter mutationis optatæ incertitudinem incurrere forſan in periculum evidens affectuum graviſſimorum: *Quoties* 2. *Viæ* uteri ſunt tam anguſtæ, ut ſegnius per eas fluere poſſit ſanguis, mediocriter tum in quantitate, tum in qualitate ſe habens, Fluxuſque menſtruus diu perſeverans non tam exiſtit gravis & noxius quam moleſtus, nec tunc videtur quoque habendus pro Præternaturali, quare, uti modo dictum, hortandæ ſunt potius ſunt ad juſtam patientiam, quam multo labore incerti eventus in affectus gravioris periculum conjiciendæ mulieres: Nam ſive Incidentibus & Aperientibus dictis, ſive Emollientibus id tentetur, periculum modo memoratum incurret mulier: à quibus proinde ſuadeo cuivis medicinam facienti ut abſtineat. *Quoties* 3. Sanguis exiſtit *fluidior & ſeroſior*, concurrentibus ſimul viis anguſtioribus (aliàs enim per ſatis patentes vias effluxeret ſanguis abundantius, ac proinde citius quoque, copia ſui exſuperante) toties fluxus menſtruus diutius perſeverans curabitur uſurpando medicamenta tum *Sanguini* conſiſtentiam debitam reſtituentia, tum *Vias* lente blandeque magis aperientia: Sanguinis conſiſtentiam ſenſim augent, tum quæ humiditatem ſuperfluam in ſanguine minuunt, tum quæ ipſum magis incraſſant: Minuunt humiditatem ſuperfluam

fluam hydragoga, ſudorifera & diuretica: Ejuſdem proventum præveniunt alimenta ſolidiora, pauco potu diluta, parcus potus, exercitia corporis, ſed mediocria: Sanguinem blande incraſſant præ aliis omnibus commodiſſime ſubauſtera, ſæpius, ac minore quantitate uſurpata: Vias uteri blande lenteſq; aperient, conducentque in hoc caſu *Externa* potius quá *Interna*, hæc enim ſanguinis fluiditatem facile augerent, hic peccantem: Externa vero erunt tum Incidentia, tum Emollientia, quæ fotus & balnei forma uſurpabuntur: Jungi poſſe Incidentia cum Emollientibus dixi, quia pleraque Incidentia ſunt ſimul Aromatica, ideoque uterum roborantia, quem quodammodo infirmant Emollientia: Ne proinde dum affectus unus curatur, alius producatur, bonum eſt uti medicamentis quæ nova præveniant mala: Addidi forma Fotus Balneive uſurpari commode poſſe prædicta, conjunctaque cum Incidentibus Emollientia, quoniam intactis, illæſis ſaltem partibus cæteris, recta ſic pergent ad uterum, ipſiuſque vias ſenſim aperient & blande: Tempus illis utendi commodiſſimum eſt antequam ingrediatur fœmina lectum, quoniam excitatur facile ſudor levis tum à fotu, tum præſertim à balneo: *Quoties* 4. *Vias uteri patentiores*, nec ſat cito iterum ſe coarctantes ſunt cauſa, toties uſurpanda quæ ſenſim blandeque uterum, una cum vaſis ſuis roborant & adſtringunt, imprimis externa. *Quoties* 5. *Animi affectus* gravis cauſa exiſtit, tum Animus ad tranquillitatem revocandus, Si ob Iram vehementiorem ſanguis acrior & fluidior factus fuerit, temperabitur imprimis Auſteris, ſæpius & minore quantitate uſurpatis, Uterus denique ex Animi affectu gravi multum infirmatus & laxatus, roborabitur adſtringentibus, tum auſteriuſculis, tum aromaticis, præſertim ſimul mixtis: *Quoties* 6. *Aëris æſtus magnus*, cum humiditate conjunctus, cauſa eſt diuturnioris Fluxus, toties mutato tunc aere corrigitur: *Quoties* 7. *Motus corporis* multus, imo nimius præceſſerit, Quies erit imperanda & obſervanda: quo in caſu ſomnus conciliandus blandus tum Emulſionibus, tum Opiatis, non nimia aſſumptis quantitate, ſed iterato: *Tandem* 8. à *Condimentis medicamentiſve* aromaticis ſanguis acrior fluidiorq; ſi fuerit factus, blande is corrigatur, temperetur ac incraſſetur, præſertim auſteris & acerbis ſed blandioribus, ſubinde minore quantitate uſurpatis, quæ non tantum ſanguinis fluiditatem nimiam tollunt, ſed uterum quoque nimis patentem hiantemque blande roborant conſtringuntque: His jungi velim Aromatica, ſed minus acria, Nucem moſchatam & ſimilia, quo auſterorum vis magis temperetur, nec ſanguis coaguletur nimis, aut uterus coarctetur præter modum. *Sylvius de le Boë Prax. l. 3. c. 3.*

MENSIUM SUPPRESSIO.

(Vide *Menſes moventia lib.* 19.)

SYLLOGE.

Sanguis *an ſemper* mittendus *e malleolo.* 1.
Quo tempore vena ſecanda. 4.
Extenuatis quibuſdam ſanguis mittendus. 2.
Antiani ſuppreſſioni S. M. debetur. 5.
Hæmorrhoidum apertio *quando tentanda.* 3.
Venarum cervicis *uteri per ſanguiſugas reſeratio.* 7.
Humectandum corpus ante ſanguinis miſſionem. 17.
Aliquando purgandum. 8.
Vomitoria *non omni conveniunt.* 9.
Ob vaſorum anguſtiam ſubſiſtentes quomodo movendi 5. *a.*
Aperientia *medicamenta ſæpe noxia.* 10.
Noxia in ſuppreſſis a compreſſione. 18.
Non movendi in ſanguinis penuria. 11.
Nec in benevolentibus ſolo affecto utero. 32.
Emmenagoga *ſuccedant univerſalibus.* 12.
Magna doſi exhibeantur. 13.
In Balneo *exhibita felicius operantur.* 14.
Temperamenti ratio habenda. 15.
Naturam ducem ſequatur Medicus 19.
Hypochondria liberanda ab obſtructionibus. 16.
Caſſiæ fiſtularis *cortex an provocet.* 30.
Non omnia emmenagoga *ubique locum habent,* 26.
Multum humiditatis poſſideant. 21.
Generoſa aliquot remedia in pertinaci obſtructione. 24. 2.
Non ſemper requiritur prævia univerſalis purgatio aut V. S. 5. b.
Deobſtruentibus *ſudorifera addenda.* 23.
Chalybis internum uſum renuentibus, exterius unguenti forma adhibeatur. 25.
Peſſaria & clyſteres *uterini quibus conveniunt.* 28.
Suffumigiorum *præſtantia.* 29.
Iis cum cautela utendum. 33.
Cauteria *an utilia.* 6.
Iis prodentibus ab acidulis *abſtinendum.* 21.
Non feſtinandum in curatione. 20.
Suppreſſorum cum hæmoptyſi curatio. 27.
Ab obſtructione genita curatio Sylviana. 24.
Inferiorum partium calor excitandus. 31.
Providentia debetur iis quibus per ætatem ſupprimuntur. 35.
Curatio ſuppreſſionis ob ſanguinem ad hæmorrhoidas tranſlatum. 34.
Specifica *quomodo in uſum ducenda.* 24. *b.*
Salium volatilium *præſtantia.* 23.
Balneorum *efficacia.* 24.
Conditiones in eorum uſu obſervanda. 14. 24.
Thermæ *ſæpe nocent.* 24.
Fotuum & halituum *exceptorum per inferiora virtus.* 24.

1. SI à nimia copia ſanguinis ſuppreſſio oriatur, illius quantitas minuenda eſt *phlebotomia* in brachio largâ manu celebrata: Si enim venæ inferiores prius aperirentur, traheretur magis ſanguis verſus uterum, ubi majorem obſtructionem & vaſorum diſtenſionem efficeret, cum ruptionis eorundem aut etiam uteri inflammationis periculo: *Lazarus Riverius Pr. l. 15. c. 2.* Mulier quædam extera ſanguineo temperamento donata varios affectus patiebatur, à menſium præcipuè ſuppreſſione oriundos: quibus cùm præſentes Medici multa adhibuiſſent remedia, & illi contumaces apparerent, petitum eſt à Medicis Monſpelienſibus conſilium: In relatione autem hoc inprimis notaverunt Medici ordinarij, de quo mirabantur, & rationem ſibi reddi poſtulabant, Quod nimirum quoties ſecabatur vena malleoli menſtrua cohiberentur: dum verò ex vena brachij ſanguis mittebatur, ea largiùs profluerent, Qui eventus rationi, & vulgaribus Medicorum placitis adverſari videbantur, quibus ſancitum eſt venarum inferiorum apertione menſium fluxum provocari, è venis autem ſuperioribus apertis eundem cohiberi: Huic dubitationi reſponſum hos eventus cum ratione &

Galeni doctrina congruere: Cum enim illa mulier plethorica eſſet, ac ſuppreſſionem menſium pateretur à nimia ſanguinis copia, vaſa adeo diſtendente ut comprimi ſufficienter non valerent, attracto ſanguine ad ea vaſa per venarum infernarum apertionem augebatur obſtructio: Quando verò ſanguinis à venis ſuperioribus retractio fiebat à vaſis uteri, eorumque plenitudo & diſtenſio minuebatur, tunc illa facilius ſeſe contrahebant ad expulſionem naturalem & ordinariam quæ per uterum ſolet fieri: Quæ ratio fulciebatur *Galeni* ſententia 10. method. 2. Obſtructionem fieri non ſolum à craſſitie humorum, ſed & à multitudine: Ideo monebantur Medici præſentes vt largâ phlebotomia, in brachio celebrata, plethoram imminuerent: poſt apertis venis inferioribus ſanguinem ad inferiora retraherent, præcipuè circa id tempus quod prius laborans purgari conſueverat. *Idem Obſervat.* 2. *Cent.* 1. Vide *ſupra* §. 1. *Menſes muliebres.*

II. Fit interdum ut menſes ſuppreſſi, & in venis retenti, pravam acceriant qualitatem, ob quam alendis partibus minimè idoneus ſanguis efficiatur, unde corporis macies & extenuatio ſuccedit, licet venæ multo ſanguine, ſed pravo, refertæ maneant: tum temporis *vena ſectio*, etiam larga manu celebrata, plurimum conferre ſolet: Quod luculento *Galeni* exemplo confirmatur, qui 3. 6. Epidem. muliérculæ jam octo menſes purgationis menſtruæ ſuppreſſione laboranti, extenuatiſſimæ, haud exiguo detracto ſanguine, breviſſimo tempore proprium habitum reſtituit. *L. Riverius. l.* 15. *c.* 2.

III. Si *apertio Saphenæ* fieri non poſſit, quia tument pedes, aut ægra renuat, vt & poplitææ venæ apertionem, aut appoſitionem cucurbitularum internæ femorum parti, applicentur ſaltem hirudines venis ſedalibus, & moderata ſanguinis copia inde detrahatur: Nec obſtat quod hac ratione ab vtero fiat derivatio, quo nomine ſuſpecta videtur operatio, ne ſcilicet avocentur menſes: dum enim vacuatur inde ſanguis craſſius & fæculentus, facile fiet vt qui ſupereſt fluxilior redditus confluat ad loca conſueta: ſi præſertim ab hoc remedio fovebitur vterus, & cucurbitulæ ſiccæ coxis applicentur: Obſervandum tamen ne fiat operatio hæc præſentibus vel imminentibus menſibus. *Silvaticus Centur.* 1. *Conſult.* 27. Si diu perſeveraverit menſium ſuppreſſio, derivationem ab vtero *applicatione hirudinum venis ſedalibus* valde profuturam ſperarem, inculcatus enim in vtero ſanguis movetur & imminuitur, Cujus ſpeculationis author habetur *Aquapendens*, quam mutuatus eſt à *Galeno*; parce tamen ſanguis educendus, & potius repetitis vicibus. *Fortis Conſ.* 22. *cent.* 3.

IV. Dubium vtrum *vena ſit ſecanda* ante, an poſt menſtruationis tempus? *Galenus* l. de *V. S.* cap. 18. *Quæ verò fiunt ex cruribus, tantum abeſt vt retrahant, vt etiam menſes promoveant: ac ubi id facere volueris, tempus conſueti mulieri circuitus, tribus quatuorve diebus avertens, aut vena inciſa, aut ſcarificatis malleolis cruris vnius, paululo vacuato, deinde poſtero die ſimiliter facito in altero crure.* Tunc enim magis fluxilis redditur ſanguis & impetus naturæ amplius promovetur; adde quod eo tempore incipit fieri ſecretio & agitatio. *Paulus l.* 3. *c.* 61. non ante, ſed decem diebus poſt tranſactam purgationem menſtruam ſanguinem mitti voluit, *Itaque ſi ætas non prohibet, aut habitus, aut aliud quippiam, venam oportet incidere, idque non ante ſtatum menſium tempus, ſed ubi jam præterierit, decem dies ſuper adjiciantur?* Ῥ. *Galenum* loquutum de ſuppreſſione omnimoda, in qua præſtat ante tempus conſuetum ſanguinem emittere, vt natura pigra ad munus explendum incitetur: *Paulum* vero intelligendum de menſtruis diminute fluentibus: Cum enim natura imperfecte evacuat, quod deficit ſupplere nos convenit, juxta aph. 1. 20. *Zacutus*: *Galenus* ſanguinem mitti vult 3. aut 4. diebus ante tempus conſuetum menſtruæ purgationis: Nos autem in praxi obſervavimus, ex hoc *Gal.* præcepto, aut minorem aut nullam menſtruorum expurgationem fuiſſe ſequutam, facta forſan diverſione: Quare conſultius duximus naturæ opus relinquere: tranſacto vero tempore, & hiantibus adhuc vteri venis; defectum ſupplere vena in talo ſecta, vt ſenſit quoque *Paulus*, *Fortis.* At præterito ſtato tempore, & nulla memorabili ſequuta purgatione, *malleoli* vena ſecetur, & repetita detractio fiat, ſi juvenile corpus & temperamentum ſanguineum. *Idem.* De tempore aliquid occurrit dubium, *Gal.* enim tribus aut quatuor diebus ante tempus expurgationis jubet venam pedis aperiri, mox præbet ſabinam & dictamnum, imo & picram, cum tamen experientia comprobaverit hac ratione ſequi ab vtero diverſionem, ſanguinis diminutionem, & proinde ſæpiſſime menſtruorum ſuppreſſionem: Et idcirco nos tribus aut quatuor diebus ante tempus menſtrua provocantia adhibemus: mox ſub finem ejuſdem menſtruæ purgationis naturæ deficienti ſuccurrimus, & eandem ducimus, ſanguine miſſo ex pede, quod & *Paulum* agnoviſſe obſervamus. *Idem.*

V. Hac methodo (vide §. 24.) perfacili blandaque, abſque omni violentia, plurimis puellis menſes movi, nulla inſtituta in eum finem *Sanguinis miſſione & vacuatione*, niſi concurreret, quod rariſſimum, ſanguinis Abundantia, quæ quidem aliquando in menſibus poſtea ſuppreſſis obſervatur, vix vnquam in iiſdem nondum fluentibus, nec niſi ob grande in diæta erratum commiſſis circa tempus imminentis primi eorum fluxus: In gratiam juniorum rem explico, cenſens ſanguinem vix vnquam redundare in puellis, quibus pubertatis tempore ſponte non fluunt menſtrua, niſi tunc grande in diæta erratum patrarint, quamvis in adultioribus plethoricis ſæpius ſupprimantur: Iuniores namque puellæ accuratius obſervantur à ſuis matribus aut præfectis, nec facile ipſis conceditur tanta diætæ libertas, propter quam in notabile incidant erratum: Aliter autem ſe res habet in adultioribus, quibus tanquam in rebus humanis magis exercitatis major conceditur libertas & peccandi occaſio: Dixi rarius in puellis circa pubertatis tempus obſervari Plethoram, quoniam eo tempore augetur maxime earum corpus; in illo igitur augmento multum ſanguinis conſumitur, adeo vt ejus abundantia vix vnquam concurrat; ſed poſtquam excrevit ad convenientem ſtaturam corpus, non mirum ſi in corpore ſano, animo exiſtente hilari, & aſſumptis alimentis laudabilis ſucci, & quidem ſatis magna quantitate, plethora producatur ſanguiniſque abundantia: Exiſtente autem in adultioribus, ac pubertatis primos annos ſuperantibus plethora, non mirum ſimiliter ſi accidente in ipſis menſium ſuppreſſione, venæ ſectio habeat ſubinde locum, non tam ad ipſos iterum movendos quam plethoram minuendam: Quod ſi nullo exiſtente in vteri vaſis notabili affectu ac vitio, non fluant nihilominus menſes, propter ſanguinis plethoram, & inde impeditum ſanguinis motum, quis non videt, ſi tunc

educatur ſanguis; & minuatur ſimul ejuſdem plethora, motum ejuſdem augeri ac redintegrari, vnde facile ipſius quoque ad vterum, perque vterum motus promovetur: Nec mirum ſi in tali caſu æque, aut etiam plus proſit aliquando vena in brachio quam pede aperta, & maxime propter ſanguinem maiori copia vehementiàque quam ex pede vtplurimum profluentem, ideoque potentius ſanguinis motum redintegrantem augentemque, Quo enim potentius per vniverſi corporis vaſa movetur ſanguis: eo etiam potentius & facilius exitum ſibi parat per vterum, quod hic quæritur: Hæc igitur ratio eſt cur inſtante pubertate vix vnquam obſervetur plethora, vix vnquam vtilis aut neceſſaria ſit ad menſes promovendos ſanguinis eductio, aut contra; poſtquam in pubertate fluxerunt menſtrua, & ob nominatas cauſas plethora eſt facta, ſi tunc eadem ſupprimatur, ſæpius cum commodo inſtituatur ſanguinis miſſio: Quamvis autem fieri poſſit aliquando, vt propter ſolam plethoram ſegnius tardiuſque prodeant menſtrua, & idcirco venæ ſectione ſola tunc rite inſtituta eadem excitentur, quoniam tamen plerumque concurrit aliquod in vteri vaſis virium, ex diætæ pravitate obortum, idcirco deſiderantur vtplurimum medicamenta Obſtructionem vaſorum iſtorum ſolventia, ſive hæc ſola ſufficiant, ſive vrgente plethora venæ ſectio ipſis jungatur, *Sylvius de le Boë Praxeos libro tertio cap.* 3. Quoties in vtero ſubſiſtunt *Menſtrua*, vel *Lochia*, toties illa commodiſſime per ipſius collum, tam internum quam externum evacuari ſolent, & quidem partim per Remedia Externa, partim per Interna: Inter interna fit merito mentio *Venæ ſectionis* in pede inſtituendæ, cum non raro, & inprimis quando plethora viget, ideoque ſegnius movetur, atque ad ſui affluxum naturalem præparatur ſanguis; Obſervata ſunt menſtrua & lochia, ejus cauſa ſubſiſtentia hujus ope mota, & ad fluxum naturalem deducta: Sed quoties vtraque ſubſiſtunt propter Obſtructionem in vteri vaſis, vaſorumque orificiis exiſtentem, toties, niſi concurrat plethora, plus detrimenti quam emolumenti attulit Venæ ſectio, quippe quæ minuendo ſanguinem laudabilem, copia non excedentem, mulieres tantum debilitat, neutiquam deſideratum fluxum alterutrum reſtituit: Tum autem opus eſt medicamentis internis & externis, quæ noxam, ſi quæ ab externo frigore aëris, aquæ, nivis, pavimentique &c. vtero fuit introducta, tollant ac emendent, Et Pituitam coagulatam & obſtruentem incidant, attenuent fluidamque reddant, quin & moveant emoveantque &c. Vide *infra* §. 24. *Fr. Sylvius de le Boë Method. Med. lib.* 1. *cap.* 17.

An omni retentioni venæ ſectio convenit? Non, nam ſi ſanguis, aut humor quiſpiam, in quo adhuc ſanguinis ſervatur idea, exuperet, de ſanguinis miſſione ceu de adæquato auxilio deliberandum: Sin humor peccans à ſanguinis natura ſit valde alienus, imo cacochymia amplius affligat, ſitque ſanguis omnino corruptus aut putridus, nullatenus in ipſo ſervata ſanguinis ſpecie, tunc de purgatione determinandum, maxime ſi ſuppreſſio ſit antiqua & diuturna: Deinde locum non habet quando ſubſiſtunt tota vteri ſubſtantia denſata ob frigidam cauſam, vt 5. *aph.* 28. probat *Gal.* ij. eam reſpuunt plurimi affectus materiei exortes, vt qui in ſimplici intemperie conſiſtunt: deinde morbi in ſitu, figura, & numero aucto, cum ſitus & figura vteri vitientur aliquando in partu, aborta; tum a formatione, dum ſtricta effecta fuerint vaſa, vel cavitas occluſa; cum adnaſcitur vteri oſculo membrana: iv. vbi penuria ſanguinis, v. in iis quæ ob nimium pinguedinem vteri oſculum comprimentem non expurgantur. *Zacutus.*

V. *a.* Menſes inſtantes in nonnullis viraginibus, ob vaſorum anguſtiam reſtagnantes, multum negotii faceſſunt fermento cum primæ tum ſecundæ digeſtionis, vt exinde faciei decoloratio, cæteraque ſymptomata febrim albam virginum repræſentantia oriantur, inprimis ſi fortis influxus aſtralis menſes impediens huic acceſſerit; dicta ſymptomata non ſolum ingraveſcunt, verum etiam difficilis ſuboritur curatio, Interea ab initio plane exulent vehementer expellentia, materiam morbificam tantum agitantia, non autem promoventia, verum ſint moderate moventia, & ſimul primæ & ſecundæ coctionis fermentationem juvantia, ex quorum cenſu ſunt. *Extractum centaur. min. junip. artemiſ. ſpecies dialacr. Minſicbti; Extract. ſplenis bov. Elix. propr. Parac. Vterinum Crollij, ſi loco ſpir. vini ſpir. meliſſa, ſalv. ſurrogeretur, admiſta ſub finem Sal. artem. ſ. q.* Hæc enim moderate movent menſes, roborant coctiones viſcerum, reſiſtunt putredini, & lumbricis, ſi qui adſunt, ſunt adverſa. *Fridericus Hofmannus m. m. pag.* 360.

V. *b.* Deinde non ſemper opus eſt prævia vniverſali purgatione, aut per ſaphenam S. m. Sed tota curationis ratio conſiſtit in *obſtructis meatibus*, coagulatum tartarum diſſolvendo, aperiendis, quo liberius ſpiritus ad propria munia obeunda per totum corpus vagari poſſint: Spiritus enim velut radius ſolaris totum corpus permeans, mediante ſanguinis motu, ipſum regit, nec in ſua deſinit operatione, quoad intercipiatur per objectum ei reſiſtens, microcoſmi aër Hermeticis dictus. *Petrus Poterius Centur.* 1. *Curat.* 6.

VI. Quoad *Cauteria*, ſi gratia revulſionis ab infernis partibus vnum brachio ſiniſtro; gratia verò revulſionis à partibus ſupernis, & derivationis, præcipuè ab vtero, alterum in femore inureretur, maximè illa conducere poſſent: Nec ab illorum vſu nos diſſuadet ratio, quod in brachio menſes aliquando ſuppreſſos cauterium magis ſupprimet: in femore verò, copiæ illi aliquoties fluenti majorem dabit occaſionem: Nam quod cauterium in brachio officeret quidem, ſi aliqua ſubeſſet ſpes evacuationis menſium ſecundum naturam, aut ſi nunquam fluerent, vt propterea majus ſit illius adjumentum quàm nocumentum. De cauterio femoris dicendum, etſi fluorem quando viget, augere poſſit, nihilominus quia alia commoda, & hæc ipſa majora præſtat, nam à partibus ſupernis revellit, materiam obſtruentem vaſa vteri derivat, videtur opportunum: prætetquam quod & id addendum quod hæc duo cauteria propria nocumenta ſibi invicem corrigere poſſunt. *Claudinus Conſult.* 143. In ambubus cruribus ſubtus genua, in menſium imminutione, *Mercurialis conſilio octavo*, atque in parte interna duo cauteria magnopere laudat; *Idem conſil.* 108. cauterium in vtriuſque cruris interna parte ſubtus genu factum valde efficax dicit.

VII. Ad motum humorum in vtero ſtabulantium proponit Gal. 13. meth. 19. *cucurbitulam pubi & inguinibus* applicandam: at tutior & felicior ab vtero repleto derivatio haberi poterit hirudinibus vteri cervicis venis applicitis: commode namque ſatis copioſe educitur: quam operationem in vſum ducere cœpit *Hieron. Nigriſolius. Fortis.*

VIII. *Galenus* dum menſtrui retentionem ſanata intendit, à ſanguinis miſſione illico curationem orditur, nulla purgationis facta mentione: *Hippocrates* contra cavetitur, ſic aph. 5. 35. *Mulieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes, purgatione indigere ſignificant:* Idem 1. de morb. mulv. 11. *Quum menſes fuerint occultati* &c. primum ventrem *purgare oportet ſurſum & ſurſum.* Dic *Galeni* doctriuam de omni recenti menſium ſuppreſſione eſſe intelligendam, *Hippocratis* autem de antiqua & diuturna: Ratio dictat, nam initio morbi ſanguis integer abundat, qui venæ ſect. ſola exhauriri debet, quia ſuam formam ſervat, & in quantitate ſola exuperat; vbi vero proceſſu temporis (cum poſt diutinam retentionem prohibetur diſſlari) ob putredinem formam depoſuit, haud alio præſidio quam purgatione deplendus, quia in alium humorem tranſit. *Zacutus Med. Princ. hiſt. 4. lib. 3.*

IX. In mulieribus & virginibus, menſtrui retentione laborantibus, quæ non ex viſcerum impuritate, ſed ex ſola venarum matricem ingredientium obſtructione oritur, monente Minſicktho, Vomitoria vitanda ſunt. *Frider. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 9.*

X. Duplex eſt ſuppreſſionis menſtruorum modus, primus partum non expertis peculiaris, in quo viam invenire non poſſunt: alter earum proprius quæ aliquando pepererunt: Qui ſuppreſſionum modi licet multum inter ſe differant, cauſæ tamen vtrique ſunt communes, quæ ad has tres reducuntur, Quia os vteri Concluſum eſt, aut Diſtortum; aut aliqua pars pudendi Contorta aut eſt: Cóplicata Nec alias ſuppreſſionis menſtruorũ cauſas *Hipp.* l. de murb. mul. recenſet, quæ ad aliquam prædictarum non reducatur, etſi lib. de ſteril. concedat aliquando ſtomacho vteri recto, molli & ſano, ac probè ſe habente, & in debito loco ſito, menſes ſupprimi: verum quia id rariſſimè evenit, ideo de ea cauſa mentionem non fecit iis in libris, vbi quæ communiter eveniunt tantum recenſentur: Quare animadvertant Medici recentiores quam facile ſit eos errare in ſuppreſſionis menſium curatione, cum de vteri diſpoſitione nullam habeant conſiderationem, hujus ſymptomatis cauſam in venarum obſtructionem perpetuò rejiciunt, vniverſamque curationem attenuantibus & aperientibus abſolvere contendunt: At conceſſo hanc cauſam concurrere aliquando, id tum rariſſimum erit, & in ea ſuppreſſionis ſpecie tantum in qua menſes viam invenire non poſſunt; quia ſi venæ ſanguinem deferentes obſtructæ eſſent, quomodo menſes in vtero occultari poſſent? Quare quamlibet ſuppreſſionem potionibus, aliiſque medicamentis deobſtruentibus curare nimis periculoſum eſt: ex hac enim temeraria curatione evenit vt Medici non modo intentum finem rarò aſſequantur, verum etiam graviſſimis aliis morbis miſeras ægrotantes perdant: Quum enim menſes in vtero occultantur, ejus oſculo male ſeſe habente, hi aperientium medicamentorum (calidorum & ſiccorum) vſu, humores adurunt, & ad atræ bilis naturam perducunt, eoſque copioſiores ad vterum perducunt, vbi conculcari, quia non habent exitum, ore vteri concluſo exiſtente, ipſi vtero & ejus orificio impinguntur, tumoremque durum in ea parte inducunt, qui tandem in exquiſitum cancrum converſus ægras perdit. Taceo errores quos Caocro jam genito quamplures eorum committunt, dum variis decoctis ex gajaco, ſaſſafras & aliis eos curare conantur. *P. Martianus comm. in verſ. 41. lib. 1. de morb. mul.*

XI. Si propter ſanguinis penuriam menſes non procedant, vt poſt febres diuturnas, magnas vacuationes, & in quavis inſigni corporis extenuatione, eorum provocatio molienda non eſt priuſquam convenientibus alimentis & analepticis corpus inſtauratum fuerit, ac ſufficiens ſanguinis copia genita, morbuſque, extenuationis cauſa, expugnatus, quibus præſtitis, vt plurimum contingit menſtrua ſponte præfluere: quod ſi non fiat, quò natura ad officium revocetur, educetur ſanguis è venis inferioribus pro virium modulo: Notandum autem non quamvis extenuationem penuriam ſanguinis indicare, ſed eam tantum quæ cauſis conſumentibus ſuccedit. *Riverius.*

XII. Nunquam vtendum *remediis menſes moventibus* niſi præmiſſis vacuationibus vniverſalibus, ne humores ad venas vteri copioſius promoti obſtructiones augeant: aut valde attenuati ad partes alias irruant & gravia mala producant: Sic narrat Schenckius Medicum Venetum mulieri, ſuppreſſione menſium laboranti, non vacuata prius pituita venas obſtruente, apozema dediſſe, cujus aſſumptioni ſucceſſit paralyſis. *Riverius. Fortis.* Vide §. 5. b.

XIII. Ea autem magna copia ſunt exhibenda, quod virtus in viâ à ventriculo ad vterum retundatur. *Riverius.*

XIV. Si in ingreſſu vel egreſſu *balnei* exhibeantur, vires potentius exercent, quod in ſolutum ac calidum corpus illabatur Medicina; Et multò adhuc efficacius ſi ante venarum inferiorum apertionem illa exhibeantur. *Idem.*

XV. In bilioſis aut melancholicis temperamentis calidiora omnia medicamenta vitanda ſunt, mitioraque tantum vſurpanda, iiſque aperientia temperata, & humectantia atque emollientia permiſcenda. *Idem.*

XVI. Si ſiniſtri hypochondrii tenſio & renitus occurrat, cathartica idonea infundantur in decocto ſplenetico; vt in hepatico, ſi in dextro hypochondrio & toto meſenterio mali focus latet: ferè enim viſceribus & venis, quæ illinc in vterum pertinent, obſtructione liberatis, natura per conſuetam viam ſeſe expurgat: cum vero nulla viſcerum & præcordiorum ratione habita, in ipſo curationis initio menſes moventia dantur, impuritas in primis venis ſtagnans in altiores venas deducitur, vnde difficilior multo curatio. *Enchirid. med. Pract.*

XVII. Obſervandum vbi *v. ſ.* locus eſt, vt diebus ſex vel octo, antequam vſus ejus ineatur, mulieris ſanguis fluxilis reddatur, ac meabiles viæ, partim per pedum lotiones, quæ fiunt ex decocto pulegii &c. partim juſculis, quæ vim bibere pulegii, ſalviæ, croci, & hinc ſecetur vena. *Heurnius meth. l. 2. c. 14.*

XVIII. *Galenus* 5. aphor. 46. ait Si os vteri comprimatur à tumore non eſſe movendos menſes, ratio eſt quia tumores increſcerent, & affectus

fieret

fierent ſæviores exhibitis menſes moventibus: Sic errant qui dum vel à tumore, vel à nimia pinguedine comprimuntur uteri vaſa, ſecant ſaphenam, nec vident tumorem increſcere: Baſilica igitur eſt ſecanda: *Sanctorius de Remediorum Inventione.*

XIX. Exhibeantur medicam ſolito fluxus tempore: nam ſi Medicus naturam in novilunio excernere conſuetam, in plenilunio ſtimulare velit, tunc incaſſum laboraret, niſi vehementiſſimis vtatur medicamentis, in quibus plus noxæ quàm commodi. *Walæus method. Medic. pag.* 87. Oleum & operam perdunt qui extra tempus menſes provocare nituntur, quia natura nuſquam vtiliter movet niſi ſtatutis ſibi temporibus. *Mercatus de Indic. Med. l.* 1. *c.* 15.

XX. Obſervavi hactenus feſtinandum hic lente, ac plus profici blandis quam vehementibus medicamentis, à quibus ni tunc fallatur, non parum gravari ſolet malum: vt proinde cura ſit curatio, cavendum ab omnibus quæ conjunctum habent periculum. *Fr. Sylvius.*

XXI. In *provocantibus menſes* oportet multum humiditatis accipere, quia medicamenta hæc non facile perveniunt, neque diſtribuuntur in partes affectas, ſed aliquando humores abſumunt & exſiccant; ob id commode dantur poſt vſum balnei, vel poſt fotum, vt facilius penetrent ad partem affectam, & ſanguis trahatur in eam partem. *Rondeletius.*

XXII. Menſibus prodeuntibus ab acidulis & alijs acidis abſtinet ſexus fœmineus, alias ſequetur cephalæa, febris, delirium; Ante eruptionem autem tuto iiſdem vti licet. *H. ab Heer l.* 1. *Obſ.* 3.

XXIII. Viæ ab humore viſcido ſenſim infarctæ atque obſtructæ medicamentis idoneis reſerabuntur, niſi quod ſub finem vtile ſit addere *ſudorifera*; vel diuretica ſaltem ſale volatili abundantia, & ſudorem ſubinde promovere: Sic enim penetrabit facilius medicamentorum vis ad extremos vaſorum viarumque ſinus. *Fr. Sylvius.* Vide §. *ſequens.*

XXIV. Vt plurimum Menſium ſuppreſſio cum fiat ab *Obſtructione infarctuque vaſorum* ad vterum ac per vterum delatorum, hanc ſpeciem magis medicam perſequamur: Cum autem docuerimus vel à Pituita viſcida & glutinoſa, vel à ſanguine ſimili *Obſtructionem* notatam produci, facile patet ad ipſius curationem, menſtruorumque provocationem, indicari & deſiderari humoris tenacitate peccantis, inciſionem & deterſionem: Incidunt quidem humores glutinoſos tum Acida, tum Aromatica, & Sale Lixivo, tam fixo quam volatili abundantia, ipſaque adeo Salia fixa & volatilia: Quoniam vero Acida producendæ glutinoſitati ſerviunt, imprimis quando vergunt ad auſteritatem, idcirco merito præferuntur in hoc affectu curando Aromatica, quæ ipſa quoque Experientia teſtatur Acidis præſtare: ſive ſimul Amara ſint ſive minus amara, ſed ſub varijs ſaporis ſpecie, Aromatica vocanda &c. Quiſquis autem in Chymicis naturalium rerum mutationibus verſatus fuerit, longe plura inveniet *quam vulgo viſitata*, tum potentiora, tum vſurpatu faciliora, Salia puta volatilia, ea infinitis rebus parabilia; oſſibus omnibus, cornubus, vngulis, pilis, ſanguine, vrina, carnibus, & omnibus omnino animalium partibus, conducunt ſcil. omnia Salia volatilia; licet cæteris præferam *Oleoſa*, quippe quæ blandius feliciuſque opus ſuum abſolvant: Vnde quoque patet *Sulinſixa* minoris facienda, quippe quæ putridra cum ſint, vehementius quoque operantur: Vſurpantur autem commodiſſime Salia dicta volatilia quovis tempore, ac imprimis (quando ſanguis vniverſus eſt glutinoſior) inter prandendum ac cœnandum, ex hauſtulo vini, cerviſiæ, juſculi alteriuſve liquoris ab ægra eligendi: Vbi vero vniverſa ſanguinis maſſa non eſt glutinoſa & pituitoſa, licet poſſit paſtus quoque tempore uſus eſſe dictorum Salium volatilium, cum majori tamen fructu vſurpabuntur extra illud tempus, ac imprimis quando pituita corporis motu, aëris æſtu &c. prius ſoluta & ad vterum propulſa, mox ibidem à frigore ſubſequente curſus fuerit coagulata, tunc enim bonum eſt ſtomacho vacuo ſumere ſalia volatilia, quin ad *Sudorem corpus ipſum diſponere*; Sic enim penetrabit facilius medicamenti vis ad extremos vaſorum viarumque fines: Præ cæteris autem, quoties ſubito ac nuper contigit ob corporis, hinc inde refrigerati viciſſitudines, menſium ſuppreſſio, omnibus commendo *Spiritum Salis ammoniaci*, cujus vnius ope plures brevi ac commodiſſime reſtitui, exhibendo ejus, prout potentior exiſtit, aut debilior, guttas iij. iv. v. vel vj. ex vini cochleari quidem bis terve in die: Non ſolum vero Sal volatile ipſum, ſed omnia eo quoque abundantia, vel ſudorifera, vel diuretica, apprime conveniunt: qualia etiam in ſuppreſſione ſenſim oborta, adhibitis obſtruentibus ſub finem, addere vtile erit: E.g. ſequens fiat Apozema, ℞. *Rad. apij levist ana.* ℥ß *raſur* ℔. *guai.* ʒiij. *ſaſſafras* ℥ß. *baccar. junip* ℥ij. *lauri* ʒß. *h. ſcordij, pulegij ana. man.* ß. *ſummit. centaur. min. m.* ß. *ſemin. milij* ʒij. *coq. ex aq. pura, ad colat* ℥xxv, *adde ſyr. artemiſ. card. ben. ana.* ℥jß. *Tinct. cinnam. & caſtor ana.* ʒß. *ol. ſuccini gutt. viij. miſce.* Hujus Apoz. hauſtulum calentem ſumat ægra ſummo mane, atque ſtragulis commode tecta ſudorem expectet, quin poſt bolulam, ſi nondum prodeat, ſumpto juſculo iſtum promoveat; idque ſæpius repetat, atque circa tempus conſuetum fluxus menſium, quo ſimul ad vterum propellatur denuo ſanguis: Quod ſi redundet non tantum in ſanguine, ſed in capite etiam ac inteſtinis notata Pituita, bonum eſt ac vtile ipſam ſubinde minuere ac evacuare per phlegmagoga, inter quæ vulgo laudantur agar. turpet. hermodact. colocynt. &c. Ex chymicis autem primum locum merentur omnia ex Mercurio parata, tum præcipitata tum ſublimata, & imprimis dulce. *Fr. Sylvius Pr. l.* 3. *c.* 3. §. 76. *& ſeq.*

Inter Externa medicamenta laudantur merito Balnea, Fomenta, Suffitus; à quibus vel aſſurgentes halitus, vapores, fumi, vel penetrans liquor, pituitam, alioſve humores glutinoſos in Vteri orificijs & vaſis hærentes, atque Obſtructionem facientes, incidant & attenuent, adeoque fluxiles faciant & aptos vt Sanguini tunc, aut poſtea exitum quærenti cedant, vel cum eodem effluant: Balnea certè, quibus tunc ſupra Vmbilicum ſaltem inſidere ſolent mulieres, ſeſe humiditate ſua inſinuant in collum vteri externum, mox & internum, atque humorem qualemcumque glutinoſum tam frequenter in colli interni cavitate ſubſiſtentem ſolvunt ac diſſolvunt, mox illo inde remoto ad interiora penetrant, & ibidem orificiis uteri adhærentem, inhærentemque humorem ſimiliter glutinoſum incidunt & diſſolvunt, ſicque ad effluxum aptum reddunt: uſurpantur autem Balnea calentia, quo ſic & facilius & citius, & efficacius exoptatum effectum producant: *Quoad liquorem Balnei*, aqua poteſt commode uſurpari, cui uſus tempore vini generoſi & albi, non rubri, aliquid addi, ut & vini ſpiritus, & Sal volatile, quamvis hoc non tam li-

quorem augeat quam cæterorum ſimul decoctorum vim promoveat & intendat. Quoad decoquenda, laudo & commendo plantas aromaticas, h.e. odoratas & ſapore acri & grato præditas, ſed maxime hyſtericas dictas. Poſtquam vero obſervatæ ſunt *Thermæ* ſiccantes non ſemper promovere, quin ſæpe impedire menſium fluxum, merito ad humorem glutinoſum, non tantum incidendum, ac per aromatica nimis eum ſæpe exſiccantia, ideoque inſpiſſantia commode attenuandum, verum ſimul emolliendum, convenient hic ſimul decoctæ radices liliot. ſem. lini, fœnugr. &c. Sic enim humores glutinoſi partim attenuati, partim emolliti, facilius fluidi redduntur, quin ad fluxum effluxumque deducuntur, ſicque ſubſiſtenti ſanguini ordinaria via libera reſtituitur & aperta.

Bonum autem eſt non nimis calere *Balnea*, ne ſudor multus promoveatur, cum quo exhauſtis partibus ſanguinis magis ſeroſis, humores glutinoſi redderentur glutinoſiores: Nec diu continuandum eſt in Balneorum uſu, ob eaſdem rationes; niſi enim eorum ope brevi ſolvatur obſtructio, vix ipſorum continuatione idem obtinebitur beneficium.

Fotus ex iiſdem parantur ex quibus Balnea, applicanturque pudendis, & quidem aptiſſime cum ſpongiis, panniſve laneis, non item lineis; illi enim eque ac ſpongiæ imbibunt plus liquoris quam linei, nec permittunt illum tam facile effluere aut diffluere; quin præterea diutius ſervant in ſe liquoris calorem, ſine quo plus nocebit quam proderit Fotus: cui affinis eſt vapor ex calefacto decocto aſſurgens atque in ſella patente pudendis exceptus, ſicque ad interiora penetrans: Sic quoque valent *Halitus*, qui commode parari poſſunt ex *Sale Tartari*, aliove fixo, & *Sale armoniaco*, qui cum ſit penetrantiſſimus, plurimum hic præſtabit, & multis aliis merito præfertur. *Sylvius de le Boe meth. med. tr.1. cap.17.*

XXIV. Præmiſſis aliis, deducatur patiens ad duo magna remedia, Internum unum, alterum externum: Internum erit decoctum aperiens & exſiccans, 30. aut 40. diebus uſurpandũ, externum vero inſeſſus in aquis ſulphureis Aponitanis per tubulũ excipiendis; vel applicatio, dum decoctum aſſumitur, pectini: & regioni uteri filorum cannabinorum, coctorum cum cineribus, Decoctum hoc eſt ℞ *lign. Guajaci pinguis, ſalſa el. ana ℥i. ligni ſaſſafras ℥ ß. aq. comm. ℔ iii. f. inf. per horas 24. adde fol. cap. ven. dictam. Cret. calam. mont. ana pug. i. bulliant ad conſumpt. dimidii, fiat colat. pro 2. diebus: cui decocto adde vel cochlear unum aq. ſabinæ ſtill. vel ol. ſabinæ ad g.tt.v. Fortis.* In caſibus deſperatis *accipe ſcoriarum regali antimonii ℥iv. coque in ſ.q. lixivii ex cineribus artemiſiæ parati ad extractionem: poſtmodum recipe colaturæ ℥vi. vini malvatici ℥ ii. & miſce, de qua mixtura cochlearia duo ſuperfunde ferro* vel ſilicibus ignitis, & vapor excipiatur. *Henr. Petræus Noſolog. T. 2. p. m. 377.* Scrupulus unus groſſo modo pulveriſatus radicum hellebor. nigri, nodulo incluſus indatur vulvæ; Sed diu non retinendus, alias fiet exulceratio: Efficacia ſpiritus ſalis Ammon. ſalſi per inſtrumentum Glauberianum uterino communicata, uterinas obſtructiones melius reſolvunt. *Glauberus Furni Philoſop. p. 2. c. 88.*

XXIV. *b.* Specifica medicamenta commodiſſime aliquot ante conſuetum fluxum diebus propinari conſueverunt, poſt balnea & fomenta, quibus uteri vaſa calefaciunt & reſerantur: *Deinde* a ſumpis hiſce medicamentis utile eſt pedes in decoctum plantarum convenientium immergere, & deinde inambulare: Mulier ſedeat in fomentis ombilico tenus, & coctas herbas ſacculo incluſas ventri imponat; à fomentis vicinæ uteri partes oleis, unguentis illini poſſunt, ut ungu. marriato, pinguedine colubrina, cum oleo deſtillato ſabinæ, lavendulæ, lauri, liliorum albor. Externè induatur induſium recenti menſtruo alterius *adhucdum conſpurcatam, quod teſte experientia probatiſſimam eſt; ferme omnia ſanguinis mamiale interius nieri fermentam per ſymbolum excitat. F. Hoffmannus. m. m. p. 61.*

XXV. Mirabilis eſt utilitas *ferri* aut *chalybis* pro menſtruis provocandis & aperiendis obſtructionibus contumacibus, ſed quia plurimis in ſubſtantia hoc medicamentum propinari nequit, quia debiles exerceri nequeunt, vel quia moroſum habent palatum, ac communia ad obſtructiones ungoenta vix afferunt utilitatem, tunc utere unguento hoc, quo ſi nocturno tempore, tribus horis a cœna, præcedente frictione levi, molliter ventrem inferiorem illinas, mirabilem opem ſenties, iterando quouſque durities ex toto emolliatur, aut obſtructio aboleatur, cujus uſu ſcirrhoſas viſcerum durities ſæpe curavi. *Zacutus P. M. hiſtoria lib. 3. quæſt. 8. ubi quære dicti unguenti deſcriptionem.*

XXVI. Ut mictio plurima parvæ dejectionis cauſa eſt, ex aphor. 83. 4. ſed & tardantiom menſium obex non levis, ob craſſitiem ſanguinis vaſorumque anguſtiam, humore ſeroſo, ſanguinis vehiculo, ad renes potiſſimum derivato; quod *Sennertus* quoque inculcat l. 4. pract. Cavendum (inquit) ne menſes moventia in horum ſuppreſſione indiſcriminatim uſurpentur, nam cum multa ex iis ſint quæ urinam ſimul movent, exhibita intempeſtive potius nocent: Virgo nubilis, urinæ incontinentia laborans, liberatur uſu muſculorum, in clibano exſiccatorum ac pulveriſatorum, ovo frixo inditorum: menſibus poſt modum qui in 18. ætatis annum uſque ſubſtiterant, prorumpentibus &c. *Ioh. Mich. Fehr. miſc. cur. anni 76. obſ. 88.*

XXVII. Præcipit Avicenna quod mulieribus cruenta ſpuentibus, etiam ob menſium retentionem, provocentur menſes ſanguinis miſſione, cucurbitulis, frictionibus, & aliis hujuſmodi, non tamen medicamentis menſes moventibus, ſed prope tempus conſuetum addere poſſumus decocto ex ſantalis albis, guiaco, buxo, rad. ligni rhod. &c. cochlear aquæ ſabinæ ſtillat. vel ol. ejuſdem gutt. v. Sicut extrinſece eo tempore efficax remedium ſunt fila cannabina nuper decocta adhuc calentia uteri regioni per horam bis die appoſita, nec enim ad majora devenire licet. *Fortis cent. 2. conſult.* 10.

XXVIII. *Peſſaria & clyſteres uterini* nuptis & viro utentibus duntaxat præſcribi debent: Virginibus vero balnea, fomenta, inſeſſus & ſuffumigia *Riverius.*

XXIX. Præ omnibus modis probantur *Suffumigia*; ſic enim medicamentum efficaciſſime agit, & ipſe etiam ſuffitus aromatum muliebria ducit, aph. 28. 5. hebeſcit enim vis medicamentorum innatuſitu, dum exhibētur forma pulveris, potionis, pilularum, boli, antequã perducantur in uterum, quod non fit ſi modo ſuffumigii adminiſtrantur. præterea cum menſes moventia ſint calida, ſæpe tranſitu ſuo lædunt iecur calidius, ideoque tutius ſuffumigium, quia ſæpe menſes ſupprimuntur ob ſanguinis craſſitiem, qui craſſus ſanguis generatur in jecore calido: anteponitur etiam hic modus reliquis, ſecundum Galenum, quia reperiuntur quædam fœminæ quæ non

per-

Permittunt clyſteres, peſſaria, admittunt autem ſuffumigia, ſuffumigium etiam magis penetrat: ſolum prohibens eſt capitis imbecillitas: ſunt enim fœminæ quibus cerebrum facile turbatur ab aromatibus. In adminiſtrando autem ſuffumigio duo notanda ex Galeno 1. ut cingantur fœminæ: 2. ut fumus per cannulam aſcendat in cervicem uteri, ita enim ſuffumigium non facile petit caput. *Capivaccius l.4.c.1.*

XXX. *Cortici pulpæ caſſiæ* vim movendi menſes quidam adſcribunt, nominum ſimilitudine deluſi, ſed ea virtus Caſſiæ aromaticæ & odoratæ debetur, quam nos Cinnamomum vocamus, quæ tenuitate partium & calore aperiens & dilatans meatus, humoremque attenuans craſſum, ei operi apta eſt. *Sennertus.*

XXXI. Inferiores partes debent eſſe calidæ, ſuperiores frigidæ; peccant in hoc fœmellæ non raro cum totum corpus ſtragulis *tegũt, hinc omnes* partes ſimul & ſurſum & deorſum trahunt. *VValæus m.m. p.*88.

XXXII. Peccant qui dum fœminarum corpus bene ſe habuerit, victuſque ratio purgationi cõgrua fuerit, & cum hoc mulier non purgatur, protinus quæ menſes movent porrigere audent: nam conſiderandum an uterus aliqua affectione laboret, quod ſi fuerit, nullum medicamentum omnino adhibere conſuluit Avicenna l.4. fen.4. c.62. neque aliqua potione menſes ducente uti eo tempore neceſſium eſſe monſtrat, ne attracto ad uterum ſanguine, dum locelli ob affectum laxari non poſſunt, dolores moleſtos veluti in partu inferat, quod in pleriſque ab his medicamentis contingere ſolet: quamobrem primo affectionem curare, deinceps menſes movere oportebit. *Mercatus de indic. med. l.1.c.15.*

De Cucurbitularum coxis admotarum in evocandis menſibus efficacia vide Tsitul. de cucurbitulis lib.19.

XXXIII. Suffitibus non ſine cautione uti debemus, tenerrima enim acetabula ſiccitate facile areſcunt, hinc infœcundæ fiunt: præterea his utemur ubi neque inflammati, vel perverſi uteri, neque ſenilis ætatis, neque graviditatis, lactationis aut anteacti morbi excuſatio afferri poteſt, hæc ſi abſint, cùm omnis obſtructio fiat copia, materiæ craſſitie & facultatis infirmitate, hæc naturæ vim excitant, quia grata, & materiam attenuant. *Heurnius meth.l.1. & comm. in aph.* 28.5.

XXXIV. Si per hæmorrhoides fluat ſanguis, & ab utero avertatur, difficillima erit curatio: ſive enim trahentibus ad inferiora utaris, eadem ad ſedem trahent: Sive vero adſtringentia ſedi adhibeas, ea etiam ob viciniam repellent quæ feruntur ad uterum. Hæc igitur una medendi ratio conferre poterit, ut poſtquam trahentibus ad inferiora uſus fuerit, localia utero adhibeas, quæ humorem commotum magis ad uterum alliciant. *River.*

XXXV. Fluxus qui ratione ætatis ſua ſponte ſupprimuntur, etſi iterum revocari non deſiderent, neceſſe tamen eſt aliqua vacuatione naturam deonerare; nam etſi graviora mala huiuſmodi ſuppreſſio non excitet, diuturna tamen & ægre curabilia frequenter ſolet moliri: Per annua intervalla, donec natura diſſueſcat, ea vacuationibus lenibus deoneranda. *Mercatus de præſid. ibid.*

MENSIVM STILLICIDIVM.

SYLLOGE.

Cucurbitula quando admovenda. 1.
Si innatus fluor hæmorrhoidalis, ſupprimendus. 2.

I. NVllum præſtantius remedium *Sanguinis miſſione* ſi fiat à craſſitie & viſcoſitate ſanguinis, ſed ſtatim adhibita, imo & repetita, ut frequens fiat ab utero revulſio, quã cæteris omnibus intentionibus antecellere ſemper obſervavimus. Laudat etiam Aetius cucurbitulas pectini & inguinibus appoſitas 1. ſine ſcarificatione, deinde durante affectu etiam ſcarificatas: quæ tamen non admittendæ niſi in affectu iam confirmato, In quo caſu & hirudines ab eodem propoſitæ conferre poſſunt, poſt cucurbitulas admotæ ad derivationẽ. Quin imo ſi ſanguis craſſus & viſcidus uteri vaſis fuerit impactus, uteri venis apponantur? *Fortis.*

II. Mulier quadragenaria tribus continuis menſibus perpetuum menſium ſtillicidium paſſa eſt, cum hæmorrhoidum fluore, huic Clar. *Fortis* evacuationem ſanguinis per illam partem nullo modo admittendam cenſuit, ut pote quæ venæ cavæ, non portæ ſanguinem effundat, ſæpe cum ægrotum diſcrimine: ideo hæmorrhoides exſiccandas & prorſus ſupprimendas fotibus ex decocto roſat. plantag. & balauſt. addito ſale & alumine jubet, *Conſult.* 44. *cent.* 4.

MESENTERII AFFECTVS

SYLLOGE.

Abdominis contrectatio eius affectus non prodit 12.
In obſtructionibus aperiendis cavendum ne aperientia hepati & ventriculo ſint noxia. 1.
Purgationibus non nimis inſiſtendum. 3.
Præparatio *quibus perficienda.* 4.
Sang. miſſio *quando locum habet.* 7.
Vomitus *aliquando provocandus.* 8.
A nimio dulcium uſu cavendum. 2.
Balneia *quando locus.* 5.
Diæta *qualis ſi fiant ab anguſtia vaſorum.* 6.
A vehementer reſolventibus *abſtinendum.* 10.
Doloris *curatio.* 11.
Meſenterio inflammato *purgantia & diuretica ut plurimum noxia.* 9.
In eius ulceribus *acidula vitanda.* 13.
Terebinthina cypria dotes. 14.
Puris excretio aliunde ſæpe manat. 15.
Obſtructiones prudenter aperiendæ. 16.

I. MEdicamenta *infarctus ſolventia* firmitatem ac robur tam hepati quam ventriculo concilient; nam, ut præclare dicebat Avicenna l.3.fen.14.tr.1. c. 1. Affectibus meſaraïcarum medelam adhibens, nulla ſimul hepatis, ceu fontis earundem habita ratione, haud abſimilis eſt illi qui pedes, ex nocumento ſpinæ dorſalis oblæſos, emplaſtro munit, & curationis principium, quod in ſpina reſidet, prætermittit.

II. Ne bilis proventu adaugeatur, vel hepati aut lieni ad intumeſcentiam detur occaſio, à dulcibus, quantum fieri poteſt, caveatur. *Mercatus t.1.p.*417.

III. *Purgatio* non ſit larga neque continens & aſſidua, nedum moderatæ limites excedens: Suadere idipſum videtur meatuum conditio, nec non naturæ, moderationis & ſecuritatis ſervantiſſima, & humoris infarctum molientis indoles: *Mercatus.* Cum morbus hic maxima ex parte inſigniter ſit *εὐρώδης*, ex mente *Hippocr. 4. acut. t.* 115. valde erroneum erit purgantibus uti medicamentis, flatibus ab imbecillæ facultate genitis, & materiã in quantitate & ſubſtantia adhuc mediocri exiſtente: Ita namque

vlterius infringitur ac diſſipatur facultas naturalis, quæ deinceps præ impotentia, ex quavis materia, producit copioſiores flatus, qui, facultate jam imbecilliori, vná cum humoribus, redduntur immorigeri, levioribus difficulter cedunt ſubſidiis, à vehementioribus autem effrænatiores fiunt & maligniores: Ex quo tandem hoc reſultat incommodi vt à purgantibus ægri multò gravius afficiantur, tum quia hæc medicamenta nec flatus exhauriunt ac diſſipant, nec morbum demoliuntur; tum quia virtutem proſternunt, & ad flatuum generationem aptiorem reddunt: Secus autem faciendum vbi iidem craſſioris materiæ, quæ ex corpore profliganda eſt, vitio potius quàm virtutis languore producuntur. *Mercatus de vero præſid. vſu fol.* 104. *Aubertus Progymn. exerc.* 44. *Schenckius Obſ. l.* 2. *Hartmannus Pr. Ch. c.* 166.

IV. *Præparatio* per ſyrupos, humoribus extenuatis, & ad partes infarctu obleſſas fluentibus, fortiores dubio procul molitur obſtructiones, *Mercatus de morb. mul.* Eandem etiam hyberno tempore, *Gal.* imitatione, Electuariis potius adminiſtraſſe ſatius eſt quàm liquoribus. *Fernel. conſ.* 47. Viſcidi & lenti humores, exemplo *Gal.* 15. *meth.* 12. attenuantibus & extergentibus corriguntur: Biliofi verò, exuſti, & qui ad phlogoſin tendunt, moderatè refrigerantibus ac detergentibus, ad evacuationem idonei redduntur.

V. *Balneorum* aq. dulcis vſus cum moderamine adhibitus, ad intercutanea ſpiracula laxanda, humorum reliquias calefaciendas, fluxas fundendas, eliquandas & eluendas, meſaraici tubulos ampliandos & aperiendos, ſordes iiſdem impactas detergendas, & craſſam terrenamque illuviem removendam, à pleriſque innoxius cenſetur: Hæc tamen adhibenda ſunt cautione ne quid crudi humoris in primis viarum ductibus hæſitet, quod momento ad corpus rapi queat: neve in viſceribus effatu digna adſit impuritas, aut præcedentis cibi elaboratio nondum ſit abſoluta. *Martinus de morb. meſent. p.* 22.

VI. Si malum ex venarum anguſtia originem traxerit, *Cibus*, ex *Aëtij* ſententia, *tenuis*, ter aut iv. de die, modica tamen quantitate ſubminiſtrari debet.

VII. Licet ex decreto *Gal.* 11. *meth.* 14. infarctus interiorum *S. M.* haud quaquam curentur, reliquis tamen ſubſidiis, plenitudine imprimis in corpore id flagitante, obſtaculo eſſe poteſt quominùs tuto adminiſtrentur: Adde quod in confeſſo ſit, cum materias exagitet, locoque moveri cogat S. M. eandem etiam obſtructioni à crudis humoribus conferre. *Sylvius meth. Med. f.* 167.

VIII. Peracta humorum præparatione, haud inſcito conſilio *Aëtius*, ventriculo haud planè elanguido, ac vbi humorum inclinatio ac motus ad illum adſint, *vomitum* commendat: noxios enim humores ex ipſis fontibus elicit: & quæ purgatio in prima corporis regione non eluit, extirpat vomitio: duplici itaque nomine conferre poteſt, eo quod non expurgantis modò ſubſidii, ſed & derivantis rationem ſuſtinet; *Mercatus de Præſ. l.* 1. *c.* 9. Confertim autem, niſi copioſus adfuerit materiæ biliosæ & acris proventus, obſtructiones vomitu exſolvendæ non ſunt; ne ventriculo impenſius laceſſito crebra concuſſione præcordia debilitentur, aut caput plethoricis cauſis repleatur. *Martini pag.* 34.

IX. *Expurgantia*, initio *Inflammationis*, raro aut nunquam tutò adhiberi poſſunt: nec non diuretica: metus enim, authore *Gal.* 14. meth. 11. ne vel citius aut gravius epar ac meſenterium inflammentur, evocata nimirum materia per partem affectam, vel eadem vehementius commota irritataque: Materia tamen copioſa præſente, & phlegmone ad coctionem properante (exploſis omnibus catharticis, quorum irritatione fluxiones promoventur, & interiora de novo ſuccenduntur) lenientis alicuius concedendus erit vſus: miſſis myrobalanis citrinis, tamarindis, & quæ facultate pollent nimis adſtrictoriâ, quod, judice *Avicenna*, partibus ſubtilioribus exploſis, craſſiores in tophos aut abſceſſus convertantur: Vt & caſſiâ, in curationis auſpicio, quod fervore ſuo fluxiones ſuſcitet, *Platero* aſſerente.

X. Vehementer agitantibus meſenterii morbi non gaudent, idque cum jure ſocietatis ac vicinitatis cum corde, liene, & ventriculo; tum officiorum vitiorumque communicatione, quâ promptiſſimè invicem afficiuntur. *Martini p.* 84.

XI. Contra *Meſenterii dolorem*, ſi ille vigeat, convenit interne laudanum Opiatum, diſſolutum & miſtum cum purgantibus, quod dolorem ſiſtit purgando. *Fr. Hofmannus m. m. l.* 1. *c.* 19.

XII. Satis commune erratum eſt plurimorum, qui omiſſa omni cognitione Anatomica, dicunt tenſionem abdominis vtrinque in longum exporrectam, quæ revera eſt rectorum muſculorum, eſſe meſenterii vel hepatis: Error ſanè eſt inexcuſabilis, quia meſenterium jacet ſub inteſtinis, & nulla meſenterij pars ſupra inteſtina aſcendit, quæ poſſit in abdomine manibus tangi & contrectari: muſculi verò iſti recti non modò ſunt ſupra inteſtina, verum ſupra omentum & peritonæum, & ſupra tranſverſales muſculos abdominis: quare nemo tangendo quamvis partem abdominis poterit de ſtatu meſenterii aliquid certò decernere: nimium ſanè diſtant ſitu & origine hæ duæ corporis partes: Millies in hominibus, optima valetudine præditis, tenſio iſta in longum reperitur: Iſte error in cognitione tranſit in operationem, nam ægri topicis variis malè tractantur. *Sanctorius meth. vit. Err. l.* 2. *c.* 8.

XIII. Si abſceſſus meſenterii ad ſuppurationem deductus fuerit, Acidulas, aliaſque virtute metallica imbutas aquas exulare jubet ratio: licet enim viſceribus nutritioni dicatis, craſſitiem humorum tenuando, emolumenti plurimum conferant; quia tamen vi penetrante & abſterſoria, nec non dote peculiari ex chalcanthi, ferri, ſalis, aliiſque mineris contracta, quævis in viſceribus internis vlcera erodunt, ob ejuſmodi ſcelera, vt *Plinius l.* 25. *c.* 3. loquitur, repudiari debent.

XIV. Inter Balſamica principatum obtinet Terebinthina Cypria, *Galeni* teſtimonio, in multos vſus conveniens remedium, atque ad phlegmonas maxime idoneum: cum primis vbi peccans materia in lumbis ac circa renes deliteſcit doloreſque exſuſcitat: Ijs tamen qui ad Epilepticas, vel alias cerebri affectiones graviores ſunt proclives, non ſatis tutò adhibetur. *Martini de morb. meſent. p.* 88.

XV. Solum *Coloni* præ cæteris inteſtinis obnoxium eſt exulcerationi quæ pus producit, quod multi manare putant à meſenterio vlcerato, & infeliciter vtuntur purgantibus & clyſmatis, à quibus ferocius fit malum. *Riolanus Encheirid.*

XVI. Facta viarum primarum exinanitione, ad obſtructiones expediendas erit caute deveniendum, tum præparantibus & aperientibus, tum purgantibus ipſis; Aperientia quippe & attenuantia paulo validiora, humores non ſolum præparant, ſed & ad hepar perducunt, eodem incommodo quo & valide purgantia. *Fortis Conſult.* 55. *Cent.* 3.

MIC

MICTIO DIFFICILIS.

(Vide *Dyſuria lib.* 4.)

SYLLOGE.

Ob ſitum veſicæ mutatum, quomodo ſuccurrendum. 1.
A nimia ejus amplitudine & dilatatione. 2.

I. VEſicę vrinarię ſitus mutatur dum laxatur ea peritonæi portio qua includitur, paululum devolvitur, quod meiendi difficultatem affert, niſi manu elevato imo hypogaſtrio. *Riolanus Encheir. lib.* 2. *cap.* 30.

II. Dilatatur & amplificatur pro quantitate vrinæ: quod ſi amplificatio tanta fuerit vt excedat modum naturalem, tum ruptis, vel nimium laxatis fibris tunicarum, non poteſt vrina eliminari, quia motu caret hæc membrana carnoſa, quæ pellendo lotio dicata eſt, nec niſi catheteге immiſſo poteſt educi: quod interdum per vnum vel alterum menſem quotidie bis repeti debet, donec priſtinum tonum recuperarit. *Idem ibid.*

MICTVS SANGVINEVS.

SYLLOGE.

Ob calculum renum contingens non ſtatim ſiſtẽdus. 1
Si ſit a ſuppreſſibus menſibus an vena inferiores tundenda. 2.
Fit aliquando renibus illæſis. 3.
Cucurbitula vbi applicanda. 4.

I. CAve ne in vrina cruenta ex calculo renum, temerario ſtatim auſu adſtringentia & cruorem ſiſtentia propines: Iunior practicus dum Matronæ nephritidi laboranti cum vrina cruenta medicamentum propinavit quo illico cruor ſtetit, inde ſtatim nauſea, vomitus, apepſia, cachexia, atrophia & demum hectica conſequuntur: Ante obitum per extremum naturæ conatum, ipſa jam tum quaſi agonizans, per eaſdem vias ſanguinis excretionem tentavit, qua ipſa anima vna mundo & corpori valedixit. *Fr. Hofmannus m. m pag.* 354.

II. In Sanguinis mictu ob ſuppreſſos menſes videtur vena in pedibus ſecanda, quia ſecta vena inferna menſes juvat: Ex alia tamen parte trahit ad renes & veſicam; conſultum enim non eſt ſanguinem ducere ad locum affectum: Ego ſic rem decerno; Vbi vterus magnum habeat fluoris obſtaculum, obſtructionem veterem, ſcirrhoſum tumorem, vel calloſum, nunquam aperiendæ ſunt venæ infernæ in ſuppreſſis menſibus: ſanguis enim cum ad inferiores partes irruperit, effluet potius per patentes locos, renes ſcilic. & veſicam quàm per obſtructos, compreſſos & denſatos: Si poſſit Medicus aliis medicamentis vteri impedimenta ſuperare, tunc ſectio infernarum venarum convenit, ſublatis enim impedimentis facile ſanguis ad conſuetas redibit vias & venas: vbi enim non poſſunt tolli impedimenta, laudo vt venis hæmorrhoidalibus vteri ſanguiſugæ admoveantur. *Saxonia Prel. Pr. p.* 2. *c.* 35.

III. *Fernelius l.* 3. *Path. c.* 13. ſcribit in errore verſari eos qui vrinam cruentam, ſive vinEam, quæ recentis carnis loturam repræſentat, jecoris imbecillitati tribuunt; vix enim intelligi poſſe ſanguinem aliunde cum vrina præterlabi citra renum affectionem. Sed revera multa ſunt quæ ipſius opinioni obſtant: nam videmus ſæpiſſimè juvenes plethoricos, neque vlli manifeſto morbo obnoxios, per diapedeſin emingere vrinam cruentam, qui ſola ſ. m. & applicatis emplaſticis regioni hepatis (circa quam ſe molem quandam & diſtenſionem ad claviculam vſque ſentire dicunt) curantur: Quis renes hic accuſabit, cum præſertim nulla difficultas mingendi adſit? *Renſnerus ad cap.* 22. *Willichii de vrinis.*

IV. Præmiſſa V. S. in brachio, & hæmorrh. reſeratione, tandem Cucurbitulæ ſiccæ lumbis apponandæ à pluribus proponuntur, quanquam nobis ſuſpectæ, ne potius ſanguinem è vaſis majoribus ad renes attrahant. *Foreſt Conſult.* 3. & 4. *Cent.* 4.

MOLA.

SYLLOGE.

Temere extractio non ſuſcipienda, ſed potius medicamentis expulſio tentanda. 1. 4.
Per pedem griphii extrahendi ratio ex Paræo. 3.
Per forcipem dentatum, ex Hildano. 2.
Ad Chirurgiam temere non accedendum. 4.
Medicamentis deturbata. 7.
Phlebotomia eſt vtilis. 6.
Exercitium an conveniat. 5.

I. CUm de Mola plerumque non certi ſimus; etſi ſuſpicio illius magna ſit, tamen validioribus rem aggredi, & per vim conceptum eiicere velle (cum ſi verus conceptus eſſet eum perderemus) res eſt periculi plena, nec temere ſuſcipienda, & cum vel minimum dubitamus omittenda; tutiuſque tunc vel naturæ negotium committere, donec certiores ea de re fiamus, eventum expectare, vel ſaltem per ſ. m. nutrimentum illi nonnihil detrahendo, incrementum illius impedire; vel purgantibus exhibitis naturam, vt cum alias immunditics expellit, etiam forte hanc illi gravem & alienam molem propellat, ſollicitare: Nec ab illis adminiſtrandis metus nos, ne ſi forte verus eſſet conceptus, abortus inde ſequatur, abſterrere debet, cum hoc minime factum fuiſſe in multis mulieribus gravidis, ſæpe ſic evacuatis, vel diarrhœis diu laborantibus obſervaverimus, naturáque non facile ad ea quæ naturalia ſunt, ſicuti præternaturalia illique oneroſa excernenda commoveatur: Sin de ea certo conſtet, ex pluribus Indiciis concurrentibus, maxime ſi tempore partus elapſo tumor ventris & durities etiam tactu deprehenditur, tunc vt natura excretionem moliatur, eam exhibitis admotiſque, inditis & injectis excitabimus; viaſque, vt ex vtero emergere queat, aperiemus atque dilatabimus. *Platerus Prax. l.* 3. *c.* 14.

II. In *Extractione Molæ* nonnulli hamulis acutiſſimis, ſive pede Griffonis (vt vocant) vtuntur, ſed meo judicio non ſine ingenti periculo: Si enim hamulus excideret, facillime matricem dilaceraret: Hanc ob cauſam forcipem excogitavi, cuius extremitates in cochlearis, aut roſtri anatis formam, ſed profunde ſatis, vt dentes excipere poſſit, fabricatæ ſunt: In quorum cochlearium medio exurgunt dentes tres, quadrati & acutiſſimi, ejus longitudinis vt hic vnum depinximus; ita tamen vt ſecundum lineam rectam poſiti, vnus ſit ad latus alterius: Hinc fit vt clauſa forcipe nullus horum dentium appareat, nulluſque præterea, quantumvis forceps effugeret, collum matricis lædere poſſit. *Hildanus cent.* 2. *Obſ.* 52.

III. Si ab vtero divelli, & velut eradicari molam contigerit, neque hanc divulſam natura expellere poſſit, mulierem eo ſitu locabit Chirurgus quo collocandam eſſe diximus in infantis ab vtero extractione: Tum diductis obſcœnis partibus, immiſſoque extractorio organo, cui à ſimilitudine pedis griphii nomen impoſitum eſt, & cum in vteri capacitatem pervenerit, reſerato ac dilatato, molam comp-

prehendat: Neque aliter, ſi præſertim craſſior ſit, propter rotunditatem comprehendi poteſt, anſam enim qua prehendatur non habet: Itaque cum ſola id tentatur manu, lubricitate ſua elabitur, & per uteri capacitatem globi inſtar diffluit: facilius vero gryphii pedis unguibus comprehendetur, ſi alvus mulieris hinc inde comprimatur, & tandem in angustum locum, ubi diffugium non ſit, compellatur, ſic enim demum comprehenſa facile extrahetur, Extracta mola, mulieris eadem quæ & puerperæ cura adhibenda eſt. *Paræus Oper. l. 23. c. 35.*

IV. Medicamentis ſi non cedat chirurgia quidam utuntur, verum id temere non eſt faciendum, niſi mola ab utero & ligamentis laxata & divulſa fuerit, adeo ut ad os uteri declinet, alias periculum eſt ne noxa utero inferatur, ne laceretur, diſtorqueatur, aut inſignes ſuccedant hæmorrhagiæ: nam ſæpiſſime mola adhæret utero, nec inde facile evelli poteſt, imo & per totam vitam interdum geſtatur. Interdum tamen, ſi firmiter acetabulis non connectitur 3. aut 4. menſe excidit. *Primiroſius de m. m. l. 4. c. 5.*

V. Plurimi *Pauli & Avicennæ* authoritate *exercitiam* partium infernarum vetant, quia motus fluxionem concitat, Sed non advertunt *Paulum* ibi eam molam curare quæ, iuxta ipſius ſententiam, tumor eſt p. n. induratus in vulvæ oſtiolo, ac prolabi non poteſt, imo ad motum augeatur prolabentibus humoribus: At cum vera mola interdum exercitio avellatur, non eſt quod illud impediamus: Alii dicunt hos autores in mola exercitationem prohibuiſſe, quando educenda eſt, non tamen in fœtu, qui hic naturaliter exitum parat, & humorem ſecum habet, os uteri & ejus collum lubricantem, qui fœtui viam faciliorem parat, At mola humore eu caret, & accedente exercitio, ſiccatis ductibus, vix avelli poſt modum poteſt, Reſpondent alii prohiberi id initio dum adhuc corpus plenum eſt, ne plures menſes deſcendant & materia fiant qua mola augeatur, ſed non interdici corpore jam evacuato & in fine curationis. *Rod. à Caſtro de m. m. l. 3. c. 8.*

VI. Pro molæ curatione *phlebotomia* eſt multi uſus, hæc enim copiam demit, præparat ad reliqua auxilia corpus, cotyledones laxat quibus utero adhæret, irritat facultatem: Deinde cauſam habuit ſemen imbecille & ſanguinis menſtrui copiam immodicam; & hæc ultima cauſa actu ſemper officit dum nutritionem & augmentum parat, & ſimul fovet, Quare quicquid valet cauſam efficientem & foventem tollere, & una avulſionem præſtare, optimum erit auxilium, talis autem eſt S. M. ab utero enim revellit, pabulum detrahit, partum abigit: At cum affecta pars uterus ſit, ab ipſo proxime ſanguinem retrahemus, & vacuabimus, & in ipſo maximam circa ſanguinem commotionem excitabimus: Has omnes indicationes ſola V. S. ex infernis partibus celebrata adimplere poteſt: Neque plurium Medicorum aſſertiones, approbea prius in cubito eſſe feriendam venam, deinde in talo, quia hæc retrahit ab utero non provocat; ex infernis vero partibus directe revellit, vacuat commode, commotionem in utero nun levem præſtat, dilatationem uteri facit: Demum annuit *Hipp. l. de ſteril. n. 20.* qui lumbis ſectas cucurbitulas conſuluit; ſubdititia per utrumque alvum ad ſanguinis evacuationem commendat: Præſtantior ergo multo eſt S. M. ex infernis partibus quam è gibbero. *Zacutus P. H. p. 508. Primiroſius de m. m. p. 285.*

VII. Chirurgus bajulis molam extrahere ſatagebat, ſed ſequuta hæmorrhagia illum ab iſta curatione deterruit: Ægra poſt xx. dies meo conſilio ℥j. cuphorbij, cum ſyr. de artemiſia in pilul. redactam, quater ſpatio xij. dierum, iij horis poſt cœnam devoravit, quarum ope, magno labore & dolore, parturientium inſtar, excrevit octo molas, venulis & membranis conſtantes, *Zacutus Pr. Adm. lib. 2. Obſ. 154.* Molarum multiplex ſtatuitur differentia in[illegible] tiores autem ea reponenda eſt quam mihi videre licuit anno præſenti 1681. menſe Martio: Nobilis mulier, (oculatus ſum teſtis) annos nata circiter 32. quæ prolem ante feliciter excluſerat, à trimeſtri gravidam ſe credidit; toto illo tempore valetudinaria fuit; ex Medici præſcripto purgante medicamento aſſumpto, parturientis doloribus correpta eſt, hinc affatim ex utero prodiere varia, cruenta, membranoſa, aquea, ſanguis concretus & niger, & quod maxime mirandum Ovorum, piſi magnitudine, infinitus numerus ſibi cohærentium, non ſecus ac in Ovario Lucii piſcis maioris, aut Truttæ; Sed præterea fruſtum Oviforme, parenchymati iecoris capi pinguis exterius ſimile, intus ſanguine atro concreto infarctum: promiſcua erant hæc omnia, capacem pelvim implentia, Veriſime eſt Ova illa membranis laceris (quæ in aquam calentem coniectæ non diſſolvebantur) concluſa fuiſſe: Apud *Schenckium* ſimilia aliquot exempla reperiuntur.

MORBILLI

(Vide *Variolæ lib.* 18.)

SYLLOGE.

Mala curatio interdum lethales reddit. 1.
Tuta curandi methodus. 2.
Calidius regimen nocet, & uſus medicamentorum cal. 2. 6.
Tuſſis illis familiaris mitigatio. 3.
Præcautio ne in peripneumoniam degeneret. 4.
Diarrhææ ſubſequentis curatio. 5.

1. MOrbos hic à rigore atque horrore, caloriſque & frigoris, quæ ſe mutuo primo die excipiunt, inæqualitate tragœdiam orditur, tandem effulgente die ſecundo in febrem conſummatam deſinit, vehementi ægritudine, ſiti, lingua alba, (non vero ſicca) tuſſicula, capitis atque oculorum gravedine & ſomnolentia perpetua ſtipatam; plerumque etiam è naribus & oculis ſtillat humor, ſternutat æger tanquam à ſuſcepto frigore, intumeſcunt palpebræ (paulo ſcilic. ante eruptionem) vomit, ſæpius tamen laborat diarrhœa cum deiectionibus coloris ſubviridis, Ingraveſcunt ut plurimum ſymptomata ad quartum uſque diem, quo tempore plerumque circa frontem & reliquam faciem maculæ parvæ rubræ, pulicum inſtar morſibus perſimiles proſilire incipiunt: Evaneſcunt die fere 8. quo tempore vulgus (à ſpatio quo perdurare ſolent Variolæ deceptus) eaſdem introverti affirmat, licet revera illi curſum à natura deſtinatum abſolverint, & ſymptomata quæ iiſdem recedentibus ſuperveniunt ex eo nata autumat, quod juſto citius ſe intro morbilli receperint: Obſervare enim eſt Febrem atque ſpirandi difficultatem tunc temporis augeri, importunius urgere tuſſiculam; Infantes præſertim ſub regimine cal[illegible]iori, aut qui calidioribus uſi ſunt medicamentis ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo ſunt obnoxij, quod morbillis jam faceſſentibus ſe oſtendit, unde in Peripneumoniam conjiciuntur, quæ plures jugulat quam aut Variolæ ipſæ, aut ſymptoma quodcunque ad eum ſpectans morbum, licet omni prorſus vacent periculo morbilli ſi modo perite tractentur; Hinc etiam non raro accidit *Diarrhæa*

rhœa, haud ſine magno ægri diſcrimine: Aliquando etiam poſt regimen intenſe calidum Exanthemata liveſcunt primo, mox nigreſcunt, Id vero adultis tantum contingit; de quibus conclamatum eſt ubi primum nigredo iſta conſpicitur, niſi phlebotomia & temperatioris regiminis refrigerio iis actutum ſubveniatur. *Sydenham Obſ. in morbus Acut. p. 276.*

II. Morbillis vt natura, ita & medendi, quam ſibi poſcit hic morbus, ratione, cum Variolis ſatis convenit: medicamenta & regimen calidiora periculi pleniſſima ſunt, vtut frequenter in vſum revocentur ab ignaris ægrorum curatricibus, eo animo vt morbus à corde procul ſubmoveatur: Feliciter præ aliis mihi ceſſit methodus illa, qua æger ad dies binos ternoſve ab eruptione lecto adſtringebatur, quo ſanguis leniter, pro morbi genio, particulas inflammatas, facile ſeparabiles, a quibus offendebatur, per cutis ſpiracula difflaret, nec lodicibus, nec igne, præter modum quem ſanus tenebat, adjectis: A carnibus quibuſque arcebam, Iuſcula aveoacea, hordeacea & ſimilia, nonnunquam & pomum coctum concedebam; Potus vel erat cereviſia tenuis, vel lac cum aquæ triplo coctum: *Tuſſim*, quæ huic morbo fere aſſidua eſt, decocto aliquo pectorali ſubinde hauſto, deliniram volui: Rariſſime perit qui hoc vtitur regimine, nec præter neceſſaria atque inevitabilia morbi ſymptomata, novis inſuper malis attéritur.

III. *Tuſſis* præ reliquis fatigat, à qua tamen nihil eſt periculi, niſi morbo ſublato: cumque adhuc per ſeptimanam vnam aut alteram perſiſtat, auræ liberioris vſu, decocto pectorali, ſyrup. violar. capill. Veneris cum oleo amygd. dulc. aliiſque pectori dicatis, haud difficulter fugatur, quinimo ſponte ſua, & paulatim decreſcit, & tandem faciſcit. *Idem.*

IV. Si autem æger à Cardiacorum, vel regiminis juſto calidiorum vſu, vel morbillis adhuc vigentibus, vel poſt eorum diſceſſum (quod magis eſt familiare) febre vehementi, atque dyſpnœa aliiſque accidentibus, qualia peripneumonicos ſolent affligere, in vitæ diſcrimen adducatur, feliciſſimo ſemper eventu, vel teneriſſimorum infantum venas in brachio ſecui, educta ea ſanguinis quantitate quam ætas vireſque indicarent: Quandoque etiam, vigente morbo, phlebotomiam iterare haud ſum veritus: Profecto haud paucos infantes, hoc ſtatim ſymptomate enecandos, benedicente S. Numine, miſſo ſanguine eripui: Infantibus autem accidit illud poſt morbillorum receſſum, quibus ita eſt exitiale, vt inter præcipuos Parcarum miniſtros jure habeatur, plures iugulans quam vel ipſæ Variolæ, necdum mihi viſus eſt qui certa alia methodo eidem potuerit occurrere. *Idem.*

V. Quin & *Diarrhœa*, quæ morbillos ſæpe excipit, V. S. pariter ſanatur: cum enim halitibus inflammati ſanguinis, in inteſtina ruentibus, ortum ſuum debeat, (quod etiam in pleuritide, peripneumonia, aliiſque qui ab inflammatione creantur morbis, vſu venit, à quibus illa ad excretionem ſtimulantur, ſola venæ ſectio levamen afferet, à qua tum revelluntur acres iſti humores, tum etiam ſanguis ad debitam redigitur temperiem. *Idem.*

VI. Quod de horum ſymptomatum, morbillis decedentibus ſupervenientium, curatione jam diximus, nonnunquam etiam iiſdem florentibus poteſt competere; ſi nimium artificiali, ſi fas eſt dicere, atque adſcititio calori ea debeantur: Hoc anno 1670, famulam hoc morbo laborantem, vna cum febre, dyſpnœa, maculiſque purpureis corpus omne deturpantibus, aliiſque ſymptomatis quamplurimis periculoſiſſimis, Medicus inviſebam; cum regimini & medicamentis, quæ ſatis multa vſurpaverat, calidioribus illa omnia tribuerem, ſanguinem è brachio extrahendum curavi, & Ptiſanam pectoralem & refrigerantem ſæpe aſſumendam præſcripſi, quorum ope, & regiminis ſimul temperatioris, & maculæ, & alia omnia ſymptomata evaneſcebant pedetentim. *Idem.*

MVSCVLORVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

Rupta quomodo curanda. 1.
Male remediis caput vexatur in quacunque actione læſa. 2.

I. R*Upta*, ſeu ῥήγματα, *Dioſcoridi* aliiſque antiquioribus ſæpe memorata ſunt: Illorum exemplum hic habes, Quidam Pariſijs pilam parum peritè retrorſum torquens, fibras in muſculo epigaſtrij recto diſrupit: Hunc *I. Sylvius* ſic percuravit, ℞. *Roſar. rubr. p. ij. coq.* in vino auſtero & foveatur pars, facta prius leniori frictione, ſiccando à fotu linteo calido: deinde applicetur bis in die ceratum ſequens donec curetur, alvo lubrica ſervata: ℞. *Ceræ novæ ℥iij. ol. amygd. d. chamamel. ana. ℥ß. far. lupinor. ſemin. cymin. ana. ℥ij. f.* ceratum extendendum in aluta, tegatur linteo tenui, & admoveatur parti: Si non juvet, adhibeatur hoc, ℞. *Flor. chamam. melilot. ana. man. ij. contundantur, & cum furfuris p. iij. f.* ſacculi duo: hi admovebantur ſub vmbilico vbi fibræ ruptæ erant, convaluit. *H. Renſuerus Obſerv.* 140. Rupta in veterum gymnaſiis frequentiſſima, Vulſa, cum fibræ ruptæ apud Veterinarios, notante *Petro Ruellio*, ferè omnibus neglecta: At *Veſlingius* docebat dolores qui circa os ſacrum brachio elevato ſentiantur, ab illis qui incurvi pondus aliquod magnum attollere adnixi ſunt, non aliam cauſam habere quam rupturam fibrarum in muſculo dorſi latiſſimo, vt qui ab oſſe ſacro ortus in humerum terminetur. *Velſchius ibidem.*

II. Errant turpiter nonnulli ex illis qui profitentur dogmaticam ſcholam, dum in omni muſculorum actione læſa, ſi primis inunctionibus non tollitur affectus, confugiunt ad capitis purgationem, ad ſtillicidia, ad errhina & ſimilia: aliter *Galenus* curans hominem venientem Roma, percuſſum poſt ſeptimam vertebram, cujus digiti læſi licet non curarentur topicis, non eſt vſus caput expurgantibus, ſed adhibuit poſt ſeptimam vertebram cervicis emollientia, quæ tollerent ſcirrhoſam diſpoſitionem, & illico ipſum liberavit &c. *Santlorius meth. vit. Err. l. 2. c. 11. Ubi multi notantur errores circa curationem muſculorum per conſenſum læſorum.*

Galeni doctrina congruere: Cum enim illa mulier plethorica eſſet, ac ſuppreſſionem menſium pateretur à nimia ſanguinis copia, vaſa adeo diſtendente ut comprimi ſufficienter non valerent, attracto ſanguine ad ea vaſa per venarum infernarum apertionem augebatur obſtructio: Quando verò ſanguinis à venis ſuperioribus retractio fiebat à vaſis uteri, eorumque plenitudo & diſtenſio minuebatur, tunc illa facilius ſeſe contrahebant ad expulſionem naturalem & ordinariam quæ per uterum ſolet fieri: Quæ ratio fulciebatur *Galeni* ſententia 10. method. 2. Obſtructionem fieri non ſolum à craſſitie humorum, ſed & à multitudine: Ideo monebantur Medici præſentes vt largâ phlebotomia, in brachiu celebrata, plethoram imminuerent: poſt apertis venis inferioribus ſanguinem ad inferiora retraherent, præcipuè circa id tempus quod prius laborans purgari conſueverat. *Idem Obſervat.* 2. *Cent.* 1. Vide *ſupra* §. 1. *Menſes muliebres.*

II. Fit interdum ut menſes ſuppreſſi, & in venis retenti, pravam accerſant qualitatem, ob quam alendis partibus minimè idoneus ſanguis efficiatur, unde corporis maciex & extenuatio ſuccedit, licet venæ multo ſanguine, ſed pravo, refertæ maneant: tum temporis *vena ſectio*, etiam larga manu celebrata, plurimum conferre ſolet: Quod luculento *Galeni* exemplo confirmatur, qui 3. 6. Epidem. mulierculæ jam octo menſes purgationis menſtruæ ſuppreſſione laboranti, extenuatiſſimæ, haud exiguo detracto ſanguine, breviſſimo tempore proprium habitum reſtituit. *L. Riverius. l.* 15. *c.* 2.

III. Si *apertio Saphena* fieri non poſſit, quia tument pedes, aut ægra renuat, vt & popliteæ venæ apertionem, aut appoſitionem cucurbitularum internæ femorum parti, applicentur ſaltem hirudines venis ſedalibus, & moderata ſanguinis copia inde detrahatur: Nec obſtat quod hac ratione ab vtero fiat derivatio, quo nomine ſuſpecta videtur operatio, ne ſcilicet avocentur menſes: dum enim vacuatur inde ſanguis craſſus & fæculentus, facile fiet vt qui ſupereſt fluxilior redditus confluat ad loca conſueta: ſi præſertim ab hoc remedio fovebitur vterus, & cucurbitulæ ſiccæ coxis applicentur: Obſervandum tamen ne fiat operatio hæc præſentibus vel imminentibus menſibus. *Silvaticus Cenſur.* 2. *Conſult.* 27. Si diu perſeveraverit menſium ſuppreſſio, derivationem ab vtero *applicatione hirudinum venis ſedalebus* valde profuturam ſperarem, inculcatus enim in vtero ſanguis movetur & imminuitur, Cujus ſpeculationis author habetur *Aquapeadeas*, quam mutuatus eſt à *Galeno*; parce tamen ſanguis educendus, & potius repetitis vicibus. *Fortis Conſ.* 22. *cent.* 3.

IV. Dubium vtrum *vena ſit ſecanda* ante, an poſt menſtruationis tempus? *Galeaus* l. de *V. S.* cap. 18. *Quaverò fiaat ex cruribus, tantum abeſt vt retrahaat, vt etiam menſes promoveant: ac ubi id facere volueris, tempus conſueti mulieri circuitus, tribus quatuorve diebus avertens, aut vena inciſa, aut ſcarificatis malleolis cruris vnius, paaculo vacaato, deinde poſtero die ſimiliter facito in altero crure.* Tunc enim magis fluxilis redditur ſanguis & impetus naturæ amplius promovetur; adde quod eo tempore incipit fieri ſecretio & agitatio. *Paalus l.* 3. *c.* 61. non ante, ſed decem diebus poſt tranſactam purgationem menſtruam ſanguinem mitti voluit, *Itaque ſi ætas non prohibet, aut habitas, aut aliud quippiam, venam oportet incidere, idque non ante ſtatam menſium tempus, ſed ubi jam præterierit, decem dies ſuper adjiciantur?* 3. *Galenum* loquutum de ſuppreſſione omnimoda, in qua præſtat ante tempus conſuetum ſanguinem emittere, vt natura pigra ad munus explendum incitetur: *Paalum* vero intelligendum de menſtruis diminute fluentibus: Cum enim natura imperfecte evacuat, quod deficit ſupplere nos convenit, juxta aph. 1. 20. *Zacutus*: *Galenus* ſanguinem mitti vult 3. aut 4. diebus ante tempus conſuetum menſtruæ purgationis: Nos autem in praxi obſervavimus, ex hoc *Gal.* præcepto, aut minorem aut nullam menſtruorum expurgationem fuiſſe ſequutam, facta forſan diverſione: Quare conſultius duximus naturæ opus relinquere: tranſacto vero tempore, & hiantibus adhuc vteri venis; defectum ſupplere vena in talo ſecta, vt ſenſit quoque *Paalus*, *Fortis.* At præterito ſtato tempore, & nulla memorabili ſequuta purgatione, malleoli vena ſecetur, & repetita detractio fiat, ſi juvenile corpus & temperamentum ſanguineum. *Idem.* De tempore aliquid occurrit dubium, *Gal.* enim tribus aut quatuor diebus ante tempus expurgationis jubet venam pedis aperiri, mox præbet ſabinam & dictamnum, imo & picram, cum tamen experientia comprobaverit hac ratione ſequi ab vtero diverſionem, ſanguinis diminutionem, & proinde ſæpiſſime menſtruorum ſuppreſſionem: Et ideo nos tribus aut quatuor diebus ante tempus menſtrua provocantia adhibemus: mox ſub finem ejuſdem menſtruę purgationis naturę deficienti ſuccurrimus, & eandem ducimus, ſanguine miſſo ex pede, quod & *Paulum* agnoviſſe obſervamus. *Idem.*

V. Hac methodo (vide §. 24.) perfacili blandaque, abſque omni violentia, plurimis puellis menſes movi, nulla inſtituta in eum finem *Sanguinis miſſione & vacuatione*, niſi concurreret, quod rariſſimum, ſanguinis Abundantia, quæ quidem aliquando in menſibus poſtea ſuppreſſis obſervatur, vix vnquam in iiſdem nondum fluentibus, nec niſi ob grande in diæta erratum commiſſis circa tempus imminentis primi eorum fluxus: In gratiam juniorum rem explico, cenſens ſanguinem vix vnquam redundare in puellis, quibus pubertatis tempore ſponte non fluunt menſtrua, niſi tunc grande in diæta erratum patrarint, quamvis in adultioribus plethoricis ſæpius ſupprimantur: Iuniores namque puellæ accuratius obſervantur à ſuis matribus aut præfectis, nec facile ipſis conceditur tanta diætæ libertas, propter quam in notabile incidant erratum: Aliter autem ſe res habet in adultioribus, quibus tanquam in rebus humanis magis exercitatis major conceditur libertas & peccandi occaſio: Dixi rarius in puellis circa pubertatis tempus obſervari Plethoram, quoniam eo tempore augetur maxime earum corpus; in illo igitur augmento multum ſanguinis conſumitur, adeo vt ejus abundantia vix vnquam concurrat; ſed poſtquam excrevit ad convenientem ſtaturam corpus, non mirum ſi in corpore ſano, animo exiſtente hilari, & aſſumptis alimentis laudabilis ſucci, & quidem ſatis magna quantitate, plethora producaunt ſanguiniſque abundantia: Exiſtente autem in adultioribus, ac pubertatis primos annos ſuperantibus plethora, non mirum ſimiliter ſi accidente in ipſis menſium ſuppreſſione, venæ ſectio habeat ſubinde locum, non tam ad ipſos iterum movendos quam plethoram minuendam: Quod ſi nullo exiſtente in vteri vaſis notabili affectu ac vitio, non fluant nihilominus menſes, propter ſanguinis plethoram, & inde impeditum ſanguinis motum, quis non videt, ſi tunc

educatur

reddatur ſanguis; & minuatur ſimul ejuſdem plethora, motum ejuſdem augeri ac redintegrari, unde facile ipſius quoque ad uterum, perque uterum motus promovetur: Nec mirum ſi in tali caſu æque, aut etiam plus proſit aliquando vena in brachio quam pede aperta, & maxime propter ſanguinem majori copia vehementiàque quam ex pede utplurimum profluentem, ideoque potentius ſanguinis motum redintegrantem augentemque, Quo enim potentius per univerſi corporis vaſa movetur ſanguis: eo etiam potentius & facilius exitum ſibi parat per uterum, quod hic quæritur: Hæc igitur ratio eſt cur inſtante pubertate vix unquam obſervetur plethora, vix unquam utilis aut neceſſaria ſit ad menſes promovendos ſanguinis eductio, aut contra; poſtquam in pubertate fluxerunt menſtrua, & ob nominatas cauſas plethora eſt facta, ſi tunc eadem ſupprimatur, ſæpius cum commodo inſtituatur ſanguinis miſſio: Quamvis autem fieri poſſit aliquando, ut propter ſolam plethoram ſegnius tardiuſque prodeant menſtrua, & idcirco venæ ſectione ſola tunc rite inſtituta eadem excitentur, quoniam tamen plerumque concurrit aliquod in uteri vaſis vitium, ex diætæ pravitate obortum, idcirco deſiderantur utplurimum medicamenta Obſtructionem vaſorum iſtorum ſolventia, ſive hæc ſola ſufficiant, ſive urgente plethora venæ ſectio ipſis jungatur, *Sylvius de le Boë Praxeos libro tertio cap. 3.* Quoties in utero ſubſiſtunt *Menſtrua*, vel *Lochia*, toties illa commodiſſime per ipſius collum, tam internum quam externum evacuari ſolent, & quidem partim per Remedia Externa, partim per Interna: Inter internæ fit merito mentio *Venæ ſectionis* in pede inſtituendæ, cum non raro, & imprimis quando plethora urget, ideoque ſegnius movetur, atque ad ſui affluxum naturalem præparatur ſanguis; Obſervata ſunt menſtrua & lochia, ejus cauſæ ſubſiſtentia hujus ope mota, & ad fluxum naturalem deducta: Sed quoties utraque ſubſiſtunt propter Obſtructionem in uteri vaſis, vaſorumque orificiis exiſtentem, toties, niſi concurrat plethora, plus detrimenti quam emolumenti attulit Venæ ſectio, quippe quæ minuendo ſanguinem laudabilem, copia non excedentem, mulieres tantum debilitat, neutiquam deſideratum fluxum alterutrum reſtituit: Tum autem opus eſt medicamentis internis & externis, quæ noxam, ſi quæ ab externo frigore aëris, aquæ, nivis, pavimentique &c. utero fuit introducta, tollant ac emendent, Et Pituitam coagulatam & obſtruentem incidant, attenuent fluidamque reddant, quin & moveant emoveantque &c. Vide *infra* §. 24. *Fr. Sylvius de le Boë Method. Med. lib. 1. cap. 17.*

An omni retentioni vena ſectio convenit? Non, nam ſi ſanguis, aut humor quiſpiam, in quo adhuc ſanguinis ſervatur idea, exuperet, de ſanguinis miſſione ceu de adæquato auxilio deliberandum: Sin humor peccans à ſanguinis natura ſit valde alienus, imo cacochymia amplius affligat, ſitque ſanguis omnino corruptus aut putridus, nullatenus in ipſo ſervata ſanguinis ſpecie, tunc de purgatione determinandum, maxime ſi ſuppreſſio ſit antiqua & diuturna: Deinde locum non habet quando ſubſiſtunt tota uteri ſubſtantia denſata ob frigidam cauſam, ut 5. *aph.* 28. probat *Gal.* ij. eam reſpuunt plurimi affectus materiei exortes, ut qui in ſimplici intemperie conſiſtunt: deinde morbi in ſitu, figuræ, & numero aucto, cum ſitus & figura uteri vitientur aliquando in partu, aborru; tum a formatione, dum ſtricta effecta fuerint vaſa, vel cavitas occluſa; cum adnaſcitur uteri oſculo membrana: iv. ubi penuria ſanguinis, v. in iis quæ ob nimium pinguedinem uteri oſculum comprimentem non expurgantur. *Zacutus.*

V. *a.* Menſes inſtantes in nonnullis viraginibus, ob vaſorum anguſtiam reſtagnantes, multum negotii faceſſunt fermento cum primæ tum ſecundæ digeſtionis, ut exinde faciei decoloratio, cæteraque ſymptomata febrim albam virginum repræſentantia oriantur, inprimis ſi fortis influxus aſtralis menſes impediens hiſce acceſſerit; dicta ſymptomata non ſolum ingraveſcunt, verum etiam difficilis ſuboritur curatio, Interea ab initio plane exulent vehementer expellentia, materiam morbificam tantum agitantia, non autem promoventia, verum ſint moderate moventia, & ſimul primæ & ſecundæ coctionis fermentationem juvantia, ex quorum cenſu eſt. *Extractum centaur. min. junip. artemiſ. ſpecies dialacr. Mynſichti, Extract. ſplenis bov. Elix. propr. Parac. Uterinum Crollij, ſi loco ſpir. vini ſpir. meliſſæ, ſalv. ſurrogetur, admiſta ſub finem Sal. artem. ſ. q.* Hæc enim moderate movent menſes, roborant coctiones viſcerum, reſiſtunt putredini, & lumbricis, ſi qui adſint, ſunt adverſa. *Fridericus Hofmannus m. m. pag.* 360.

V. *b.* Deinde non ſemper opus eſt prævia univerſali purgatione, aut per ſaphenam S. m. Sed tota curationis ratio conſiſtit in *obſtructis meatibus*, coagulatum tartarum diſſolvendo, aperiendis, quo liberius ſpiritus ad propria munia obeunda per totum corpus vagari poſſint: Spiritus enim velut radius ſolaris totum corpus permeans, mediante ſanguinis motu, ipſum regit, nec in ſua deſinit operatione, quoad intercipiatur per objectum ei reſiſtens, microcoſmi æs Hermeticis dicitur. *Petrus Poterius Centur. 1. Curat. 6.*

VI. Quoad *Cauteria*, ſi gratia revulſionis ab infernis partibus unum brachio ſiniſtro; gratia verò revulſionis à partibus ſupernis, & derivationis, præcipuè ab utero, alterum in femore inureretur, maximè illa conducere poſſent: Nec ab illorum uſu nos diſſuadet ratio, quod in brachio menſes aliquando ſuppreſſos cauterium magis ſupprimet: in femore verò, copiæ illi aliquoties fluenti majorem dabit occaſionem: Nam quod cauterium in brachio officeret quidem, ſi aliqua ſubeſſet ſpes evacuationis menſium ſecundum naturam, aut ſi nunquam fluerent, ut propterea majus ſit illius adjumentum quàm nocumentum. De cauterio femoris dicendum, etſi fluorem quando viget, augere poſſit, nihilominus quia alia commoda, & hæc ipſa majora præſtat, nam à partibus ſupernis revellit, materiam obſtruentem vaſa uteri derivat, videtur opportunum: præterquam quod & id addendum quod hæc duo cauteria propria nocumenta ſibi invicem corrigere poſſunt. *Claudinus Conſult.* 143. In ambobus cruribus ſubtus genua, in menſium imminutione, *Mercurialis conſilio octavo*, atque in parte interna duo cauteria magnopere laudat; *Idem conſil.* 108. cauterium in utriuſque cruris interna parte ſubtus genu factum valde efficax dicit.

VII. Ad motum humorum in vtero ſtabulantium proponit Gal. 13. meth. 19. *cucurbitulam pubi & inguinibus* applicandam: at tutior & felicior ab vtero repleto derivatio haberi poterit hirudinibus vteri cervicis venis applicitis: commode namque ſatis copioſe educitur: quam operationem in vſum ducere cœpit *Hieron. Nigriſolus. Fortis.*

VIII. *Galenus* dum menſtrui retentionem ſanare intendit, à ſanguinis miſſione illico curationem orditur, nulla purgationis facta mentione: *Hippocrates* contra ea vtitur, ſic aph. 5. 35. *Mulieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes, purgatione indigere ſignificant:* Idem 1. de morb. mulv. 11. *Quum menſes fuerint occultati* &c. primum ventrem *purgare oportet ſurſum & ſurſum.* Dic *Galeni* doctrinam de omni recenti menſium ſuppreſſione eſſe intelligendam, *Hippocratis* autem de antiqua & diuturna: Ratio dictat, nam initio morbi ſanguis integer abundat, qui venæ ſect. ſola exhauriri debet, quia ſuam formam ſervat, & in quantitate ſola exuperat; vbi vero proceſſu temporis (cum poſt diutinam retentionem prohibetur diſflari) ob putredinem formam depoſuit, haud alio præſidio quam purgatione deplendus, quia in alium humorem tranſit. *Zacutus Med. Princ. hiſt. 4. lib. 3.*

IX. In mulieribus & virginibus, menſtrui retentione laborantibus, quæ non ex viſcerum impuritate, ſed ex ſola venarum matricem ingredientium obſtructione oritur, monente Minſichtho, Vomitoria vitanda ſunt. *Frider. Hofmannus m.m. lib. 1. cap. 9.*

X. Duplex eſt ſuppreſſionis menſtruorum modus, primus partum non expertis peculiaris, in quo viam invenire non poſſunt: alter earum propriua quæ aliquando pepererunt: Qui ſuppreſſionum modi licet multum inter ſe differant, cauſæ tamen vtrique ſunt communes, quæ ad has tres reducuntur, Quia os vteri Concluſum eſt, aut Diſtortum; aut aliqua pars pudendi Contorta aut eſt: Cõplicata Nec alias ſuppreſſionis menſtruorũ cauſas *Hipp.* l. de morb. mul. recenſet, quæ ad aliquam prædictarum non reducatur, etſi lib. de ſteril. concedat aliquando ſtomacho vteri recto, molli & ſano, ac probè ſe habente, & in debito loco ſito, menſes ſupprimi: verum quia id rariſſimè evenit, ideo de ea cauſa mentionem non fecit iis in libris, vbi quæ communiter eveniunt tantum recenſentur: Quare animadvertant Medici recentiores quam facile ſit eos errare in ſuppreſſionis menſium curatione, cum de vteri diſpoſitione nullam habeant conſiderationem, hujus ſymptomatis cauſam in venarum obſtructionem perpetuò rejiciunt, vniverſamque curationem attenuantibus & aperientibus abſolvere contendunt: At conceſſo hanc cauſam concurrere aliquando, id tum rariſſimum erit, & in ea ſuppreſſionis ſpecie tantum in qua menſes viam invenire non poſſunt; quia ſi venæ ſanguinem deferentes obſtructæ eſſent, quomodo menſes in vtero occultari poſſent? Quare quamlibet ſuppreſſionem potionibus, aliiſque medicamentis deobſtruentibus curare nimis periculoſum eſt: ex hac enim temeraria curatione evenit vt Medici non modo intentum finem rarò aſſequantur, verum etiam graviſſimis aliis morbis miſeras ægrotantes perdant: Quum enim menſes in vtero occultantur, ejus oſculo male ſeſe habente, hi aperientium medicamentorum (calidorum & ſiccorum) vſu, humores adurunt, & ad atræ bilis naturam perducunt, eoſque copioſiores ad vterum perducunt, vbi conculcari, quia non habent exitum, ore vteri concluſo exiſtente, ipſi vtero & ejus orificio impinguntur, tumoremque durum in ea parte inducunt, qui tandem in exquiſitum cancrum converſus ægras perdit. Taceo errores quos Cancro jam genito quamplures eorum committunt, dum variis decoctis ex gajaco, ſaſſafras & aliis eos curare conantur. *P. Martianus comm. in verſ. 41. lib. 1. de morb. mul.*

XI. Si propter ſanguinis penuriam menſes non procedant, vt poſt febres diuturnas, magnas vacuationes, & in quavis inſigni corporis extenuatione, eorum provocatio molienda non eſt priuſquam convenientibus alimentis & analepticis corpus inſtauratum fuerit, ac ſufficiens ſanguinis copia genita, morbuſque, extenuationis cauſa, expugnatus, quibus præſtitis, vt plurimum contingit menſtrua ſponte præfluere: quod ſi non fiat, quò natura ad officium revocetur, educetur ſanguis è venis inferioribus pro virium modulo: Notandum autem non quamvis extenuationem penuriam ſanguinis indicare, ſed eam tantum quæ cauſis conſumentibus ſuccedit. *Riverius.*

XII. Nunquam vtendum *remediis menſes moventibus* niſi præmiſſis vacuationibus vniverſalibus, ne humores ad venas vteri copioſius promoti obſtructiones augeant: aut valde attenuati ad partes alias irruant & gravia mala producant: Sic narrat Schenckius Medicum Venetum mulieri, ſuppreſſione menſium laboranti, non vacuata prius pituita venas obſtruente, apozema dediſſe, cujus aſſumptioni ſucceſſit paralyſis. *Riverius. Fortis.* Vide §. 5. b.

XIII. Ea autem magna copia ſunt exhibenda, quod virtus in viâ à ventriculo ad vterum retundatur. *Riverius.*

XIV. Si in ingreſſu vel egreſſu *balnei* exhibeantur, vires potentius exercent, quod in ſolutum ac calidum corpus illabatur Medicina; Et multò adhuc efficacius ſi ante venarum inferiorum apertionem illa exhibeantur. *Idem.*

XV. In bilioſis aut melancholicis temperamentis calidiora omnia medicamenta vitanda ſunt, mitioraque tantum vſurpanda, iiſque aperientia temperata, & humectantia atque emollientia permiſcenda. *Idem.*

XVI. Si ſiniſtri hypochondrii tenſio & renixus occurrat, cathartica idonea infundantur in decocto ſplenetico; vt in hepatico, ſi in dextro hypochondrio & toto meſenterio mali focus latet: ferè enim viſceribus & venis, quæ illinc in vterum pertinent, obſtructione liberatis, natura per conſuetam viam ſeſe expurgat: cum vero nulla viſcerum & præcordiorum ratione habita, in ipſo curationis initio menſes moventia dantur, impuritas in primis venis ſtagnans in altiores venas deducitur, vnde difficilior morbi curatio. *Enchirid. med. Pract.*

XVII. Obſervandum vbi *v. ſ.* locus eſt, vt diebus ſex vel octo, antequam vſus ejus ineatur, mulieris ſanguis fluxilis reddatur, ac meabiles viæ, partim per pedum lotiones, quæ fiunt ex decocto pulegii &c. partim juſculis, quæ vim bibere pulegii, ſalviæ, croci, & hinc ſecetur vena. *Heurnius meth. l. 2. c. 14.*

XVIII. *Galenus* 5. aphor. 46. ait Si os vteri comprimatur à tumore non eſſe movendos menſes, ratio eſt quia tumores increſcerent, & affectus

fieret ſi

fierent ſæviores exhibitis menſes moventibus: Sic errant qui dum vel à tumore, vel à nimia pinguedine comprimuntur uteri vaſa, ſecant ſaphenam, nec vident tumores increſcere: Baſilica igitur eſt ſecanda: *Sanctorius de Remediorum Inventione.*

XIX. Exhibeantur medicamenta ſolito fluxus tempore: nam ſi Medicus naturam in novilunio excernere conſuetam, in plenilunio ſtimulare velit, tunc incaſſum laboraret, niſi vehementiſſimis utatur medicamentis, in quibus plus noxæ quàm commodi. *Walæus method. Medic. pag.* 87. Oleum & operam perdunt qui extra tempus menſes provocare nituntur, quia natura nunquam utiliter movet niſi ſtatutis ſibi temporibus. *Mercatus de Indic. Med. l.* 1. *c.* 15.

XX. Obſervavi hactenus feſtinandum hic lente, ac plus profici blandis quam vehementibus medicamentis, à quibus ni tunc fallatur, non parum gravari ſolet malum: ut proinde tuta ſit curatio, cavendum ab omnibus quæ conjunctum habent periculum. *Fr. Sylvius.*

XXI. In *provocantibus menſes* oportet multum humiditatis accipere, quia medicamenta hæc non facile perveniunt, neque diſtribuuntur in partes affectas, ſed aliquando humores abſumunt & exſiccant; ob id commode dantur poſt uſum balnei, vel poſt ſotum, ut facilius penetrent ad partem affectam, & ſanguis trahatur in eam partem. *Rondeletias.*

XXII. Menſibus prodeuntibus ab acidulis & alijs acidis abſtinet ſexus fœmineus, alias ſequetur cephalea, febris, delirium; Ante eruptionem autem tuto iiſdem uti licet. *H. ab Heer l.* 1. *Obſ.* 1.

XXIII. Viæ ab humore viſcido ſenſim infarctæ atque obſtructæ medicamentis idoneis reſerabuntur, niſi quod ſub finem utile ſit addere *ſudorifera*; vel diuretica ſaltem ſale volatili abundantia, & ſudorem ſubinde promovere: Sic enim penetrabit facilius medicamentorum vis ad extremos vaſorum viarumque ſinus. *Fr. Sylvius.* Vide §. *ſequens.*

XXIV. Ut plurimum Menſium ſuppreſſio cum fiat ab *Obſtructione infarctuque vaſorum* ad uterum ac per uterum delatorum, hanc ſpeciem magis medicam perſequamur: Cum autem docuerimus vel à Pituita viſcida & glutinoſa, vel à ſanguine ſimili *Obſtructionem* notatam produci, facile patet ad ipſius curationem, menſtruorumque provocationem, indicari & deſiderari humoris tenacitate peccantis, inciſionem & deterſionem: Incidunt quidem humores glutinoſos tum Acida, tum Aromatica, & Sale Lixivo, tam fixo quam volatili abundantia, ipſaque adeo Salia fixa & volatilia: Quoniam vero Acida producendæ glutinoſitati ſerviunt, imprimis quando vergunt ad auſteritatem, idcirco merito præferuntur in hoc affectu curando Aromatica, quæ ipſa quoque Experientia teſtatur Acidis præſtare: ſive ſimul Amara ſint ſive minus amara, ſed ſub varijs ſaporis ſpecie, Aromatica vocanda &c. Quiſquis autem in Chymicis naturalium rerum mutationibus verſatus fuerit, longe plura inveniet *quam vulgo uſitata*, tum potentiora, tum uſurpatu faciliora, Salia puta volatilia, ex infinitis rebus parabilia; oſſibus omnibus, cornubus, ungulis, pilis, ſanguine, urina, carnibus, & omnibus omnino animalium partibus, conducunt ſcil. omnia Salia volatilia; licet cæteris præferam *Oleoſa*, quippe quæ blandius feliciuſque opus ſuum abſolvant: Unde quoque patet *Salia fixa* minoris facienda, quippe quæ puriora cum ſint, vehementius quoque operantur: Uſurpantur autem commodiſſime Salia dicta volatilia quovis tempore, ac imprimis (quando ſanguis univerſus eſt glutinoſior) inter prandendum ac cœnandum, ex hauſtulo vini, cereviſiæ, juſculi alteriuſve liquoris ab ægra eligendi: Ubi vero univerſa ſanguinis maſſa non eſt glutinoſa & pituitoſa, licet poſſit paſtus quoque tempore uſus eſſe dictorum Salium volatilium, cum majori tamen fructu uſurpabuntur extra illud tempus, ac imprimis quando pituita corporis motu, aëris æſtu &c. prius ſoluta & ad uterum propulſa, mox ibidem à frigore ſubſequente rurſus fuerit coagulata, tunc enim bonum eſt ſtomacho vacuo ſumere ſalia volatilia, quin ad *Sudorem corpus ipſam diſponere*; Sic enim penetrabit facilius medicamentorum vis ad extremos vaſorum viarumque fines: Præ cæteris autem, quoties ſubito ac nuper contigit ob corporis, hinc mox refrigerati viciſſitudines, menſtruorum ſuppreſſio, omnibus commendo *Spiritum Salis armoniaci*, cujus unius ope plures brevi ac commodiſſime reſtitui, exhibendo ejus, prout potentior exiſtit, aut debilior, guttas iij. iv. v. vel vj. ex vini cochleari quidem bis terve in die: Non ſolum vero Sal volatile ipſum, ſed omnia eo quoque abundantia, vel ſudorifera, vel diuretica, apprime conveniunt: qualia etiam in ſuppreſſione ſenſim oborta, adhibitis deobſtruentibus ſub finem, addere utile erit: E.g. ſequens fiat Apozema, ℞. *Rad. apij levist ana.* ℥ß *raſur ligni.* ℥iij. *ſaſſafras* ℥ß. *baccar. junip* ℥ij. *lauri* ℥ß. *h. ſcordij, palegij ana man.* ß. *ſummit. centaur. min. m.* ß. *ſemin. milij* ℥ij. *coq. ex aq. pura, ad colat* ℥xxv. *adde ſyr. artemiſ. card. ben. ana.* ℥ß. *Tinct. cinnam. & caſtor ana.* ℥ß. *ol. ſaccini gutt. viij. miſce.* Hujus Apoz. hauſtulum calentem ſumat ægra ſummo mane, atque ſtragulis commode tecta ſudorem expectet; quin poſt horulam, ſi nondum prodeat, ſumpto juſculo iſtum promoveat; idque ſæpius repetat, atque circa tempus conſuetum fluxus menſium, quo ſimul ad uterum propellatur denuo ſanguis: Quod ſi redundet non tantum in ſanguine, aſt in capite etiam ac inteſtinis notata Pituita, bonum eſt ac utile ipſam ſubinde minuere ac evacuare per phlegmagoga, inter quæ vulgo laudantur agar. turpet. hermodact. colocynt. &c. Ex chymicis autem primum locum merentur omnia ex Mercurio parata, tum præcipitata tum ſublimata, & imprimis dulce. *Fr. Sylvius Pr. l.* 3. *c.* 3. §. 76. *& ſeq.*

Inter Externa medicamenta laudantur merito Balnea, Fomenta, Suffitus; à quibus vel aſſurgentes halitus, vapores, fumi, vel penetrans liquor, pituitam, alioſve humores glutinoſos in Uteri orificijs & vaſis hærentes, atque Obſtructionem facientes, incidant & attenuent, adeoque fluxiles faciant & aptos ut Sanguini tunc, aut poſtea exitum quærenti cedant, vel cum eodem effluant: Balnea certè, quibus tunc ſupra Umbilicum ſaltem inſidere ſolent mulieres, ſeſe humiditate ſua inſinuant in collum uteri externum, mox & internum, atque humorem qualemcumque glutinoſum tam frequenter in colli interni cavitate ſubſiſtentem ſolvunt ac diſſolvunt, mox illo inde remoto ad interiora penetrant, & ibidem orificiis uteri adhærentem, inhærentemque humorem ſimiliter glutinoſum incidunt & diſſolvunt, ſicque ad effluxum aptum reddunt: uſurpantur autem Balnea calentia, quo ſic & facilius & citius, & efficacius exoptatum effectum producant: *Quoad liquorem Balnei*, aqua poteſt commode uſurpari, cui uſus tempore vini generoſi & albi, non rubri, aliquid addi, ut & vini ſpiritus, & Sal volatile, quamvis hoc non tam ſi-

quorem augeat quam cæterorum ſimul decoctorum vim promoveat & intendat. Quoad decoquenda, laudo & commendo plantas aromaticas, h. e. odoratas & ſapore acri & grato præditas, ſed maxime hyſtericas dictas. Poſtquam vero obſervatæ ſunt *Thermæ* ſiccantes non ſemper promovere, quin ſæpe impedire menſium fluxum, merito ad humorem glutinoſum, non tantum incidendum, ac per aromatica nimis eum ſæpe exſiccantia, ideoque inſpiſſantia commode attenuandum, verum ſimul emolliendum, convenient hic ſimul decoctæ radices lilior. ſem. lini, fœnugr. &c. Sic enim humores glutinoſi partim attenuati, partim emolliti, facilius fluidi redduntur, quin ad fluxum effluxumque deducuntur, ſicque ſubſiſtenti ſanguini ordinaria via libera reſtituitur & aperta.

Bonum autem eſt non nimis calere *Balnea*, ne ſudor multus promoveatur, cum quo exhauſtis partibus ſanguinis magis ſeroſis, humores glutinoſi redderentur glutinoſiores: Nec diu continuandum eſt in Balneorum uſu, ob eaſdem rationes; niſi enim eorum ope brevi ſolvatur obſtructio, via ipſorum continuatione idem obtinebitur beneficium.

Fotus ex iiſdem parantur ex quibus Balnea, applicanturque pudendis, & quidem aptiſſime cum ſpongiis, panniſve laneis, non item lineis; illi enim eque ac ſpongiæ imbibunt plus liquoris quam linei, nec permittunt illum tam facile effluere aut diffluere; quin præterea diutius ſervant in ſe liquoris calorem, ſine quo plus nocebit quam proderit Fotus: cui affinis eſt vapor ex calefacto decocto aſſurgens atque in ſella patente pudendis exceptus, ſicque ad interiora penetrans: Sic quoque valent *Halitus*, qui commode parari poſſunt ex *Sale Tartari*, aliove fixo, & *Sale armoniaco*, qui cum ſit penetrantiſſimus, plurimum hic præſtabit, & multis aliis merito præferetur. *Sylvius de le Boe meth. med. tr.* 1. *cap.* 17.

XXIV. Præmiſſis aliis, deducatur patiens ad duo magna remedia, Internum unum, alterum externum: Internum erit decoctum aperiens & exſiccans, 30. aut 40. diebus uſui pandũ, externum vero inſeſſus in aquis ſulphureis Aponitanis per tubulũ excipiendis; vel applicatio, dum decoctum aſſumitur, pectini: & regioni uteri filorum cannabinorum, coctorum cum cineribus, Decoctum hoc eſt ℞. *lign. Gujaci pinguis, ſalſa ol. Ana.* ℥ *i. ligni ſaſſafras* ℥ ß. *aq. comm.* ℔ *iii. f. inf. per horas* 24. *adde fol. cap. ven. dictam. Cret. calam. mont. ana pug. i. bulliant ad conſumpt. dimidii, fiat colat. pro* 2. *diebus: cui decocto adde vel cochlear unum aq. ſabinæ ſtill. vel ol. ſabinæ ad g. tt. v. Fortis.* In caſibus deſperatis *accipe ſcoriarum reguli antimonii* ℥ *iv. coque in ſ. q. lixivii ex cineribus artemiſiæ parati ad extractionem: poſtmodum recipe colatura* ℥ *vi. vini malvatici* ℥ *ii. & miſce, de qua mixtura cochlearia duo ſuperfunde ferro* vel ſilicibus ignitis, & vapor excipiatur. *Henr. Petræus Noſolog. T.* 2. *p. m.* 377. Scrupulus unus, groſſo modo pulveriſatus radicum hellebor. nigri, nodulo incluſus indatur vulvæ; Sed diu non retinendus, alias fiet exulceratio: Efficacia ſpiritus ſalis Ammon. ſalſi per inſtrumentum Glauberianum uterino communicata, uterinas obſtructiones melius reſolvunt. *Glauberus Furni Philoſop. p.* 2. *c.* 88.

XXIV. *b.* Specifica medicamenta commodiſſime aliquot ante conſuetum fluxum diebus propinari conſueverunt, poſt balnea & fomenta, quibus uteri vaſa calefaciunt & reſerantur: *Deinde* a ſumptis hiſce medicamentis utile eſt pedes in decoctum plantarum convenientium immergere, & deinde inambulare: Mulier ſedeat in fomentis umbilico tenus, & coctas herbas ſacculo incluſas ventri imponat; à fomentis vicinæ uteri partes oleis, unguentis illini poſſunt, ut ungu. martiato, pinguedine colubrina, cum oleo deſtillato ſabinæ, lavendulæ, lauri, lilior. albor. Externè induatur induſium recenti menſtruo alterius *adhucdum conſpurcatum, quod teſte experientia probatiſſimum eſt; ſermone enim ſanguinis mumiale interius uteri fermentum per ſymbolum excitat. F. Hoffmannus. m. m. p.* 61.

XXV. Mirabilis eſt utilitas *ferri* aut *chalybis* pro menſtruis provocandis & aperiendis obſtructionibus contumacibus, ſed quia plurimis in ſubſtantia hoc medicamentum propinari nequit, quia debiles exerceri nequeunt, vel quia moroſum habent palatum, ac communia ad obſtructiones unguenta vix afferunt utilitatem, tunc utere unguento hoc, quo ſi nocturno tempore, tribus horis a cœna, præcedente frictione levi, mollires ventrem inferiorem illinas, mirabilem opem ſenties, iterando quouſque durities ea toto emolliatur, aut obſtructio aboleatur, cujus uſu ſcirrhoſas viſcerum durities ſæpe curavi. *Zacutus P. M. hiſtoria lib.* 3. *quæſt.* 8. *ubi quære dicti unguenti deſcriptionem.*

XXVI. Ut mictio plurima parvæ dejectionis cauſa eſt, ex aphor. 83. 4. ſed & tardantium menſium obex non levis, ob craſſitiem ſanguinis vaſorumque anguſtiam, humore ſeroſo, ſanguinis vehiculo, ad renes potiſſimum derivato; quod *Sennertus* quoque inculcat l. 4. pract. Cavendum (inquit) ne menſes moventia in horum ſuppreſſione indiſcriminatim uſurpentur, nam cum multa ex iis ſint quæ urinam ſimul movent, exhibita intempeſtive potius nocent: Virgo nubilis, urinæ incontinentia laborans, liberatur uſu muſculorum, in clibano exſiccatorum ac pulveriſatorum, ovo frixo inditorum: menſibus poſtmodum qui in 18. ætatis annum uſque ſubſtiterant, prorumpentibus &c. *Ioh. Mich. Febr. miſc. cur. anni* 76. *obſ.* 88.

XXVII. Præcipit Avicenna quod mulieribus cruenta ſpuentibus, etiam ob menſium retentionem, provocentur menſes ſanguinis miſſione, cucurbitulis, frictionibus, & aliis hujuſmodi, non tamen medicamentis menſes moventibus, ſed prope tempus conſuetum addere poſſumus decocto ex ſantalis albis, guiaco, buxo, rad. ligni rhod. &c. cochlear aquæ ſabinæ ſtillat. vel ol. ejuſdem gutt. v. Sicut extrinſece eo tempore efficax remedium ſunt fila cannabina nuper decocta adhuc calentia uteri regioni per horam bis die appoſita, nec enim ad majora devenire licet. *Fortis cent.* 2. *conſult.* 10.

XXVIII. *Peſſaria & clyſteres uterini* nuptis & viro utentibus duntaxat præſcribi debent: Virginibus vero naſcalia, fomenta, inſeſſus & ſuffumigia *Riverius.*

XXIX. Præ omnibus modis probantur *Suffumigia*; ſic enim medicamentum efficaciſſime agit, & ipſe etiam ſuffitus aromatum muliebria ducit, aph. 28. 5. hebeſcit enim vis medicamentorum in tranſitu, dum exhibetur forma pulveris, potionis, pilularum, boli, antequã perducantur in uterum, quod non fit ſi modo ſuffumigii adminiſtrantur. præterea cum menſes moventia ſint calida, ſæpe tranſitu ſuo lædunt iecur calidius, ideoque tutius ſuffumigium, quia ſæpe menſes ſupprimuntur ob ſanguinis craſſitiem, qui craſſus ſanguis generatur in jecore calido: anteponitur etiam hic modus reliquis, ſecundum Galenum, quia reperiuntur quædam fœminæ quæ non

per-

Permittunt clyſteres, peſſaria, admittunt autem ſuffumigia, ſuffumigium etiam magis penetrat: ſolum prohibens eſt capitis imbecillitas: ſunt enim fœminæ quibus cerebrum facile turbatur ab aromatibus. In adminiſtrando autem ſuffumigio duo notanda ex Galeno 1. ut cingantur fœminæ: 2. ut fumus per cannulam aſcendat in cervicem uteri, ita enim ſuffumigium non facile petit caput. *Capivaccius l.4.c.1.*

XXX. *Cortici pulpæ caſſiæ* vim movendi menſes quidam adſcribunt, nominum ſimilitudine deluſi, ſed ea virtus Caſſiæ aromaticæ & odoratæ debetur, quam nos Cinnamomum vocamus, quæ tenuitate partium & calore aperiens & dilatans meatus, humoremque attenuans craſſum, ei operi apta eſt. *Sennertus.*

XXXI. Inferiores partes debent eſſe calidæ, ſuperiores frigidæ; peccant in hoc fœmellæ non raro cum totum corpus ſtragulis *tegūt, hinc omnes* partes ſimul & ſorſum & deorſum trahunt. *VValæus m.m. p.*88.

XXXII. Peccant qui dum fœminarum corpus bene ſe habuerit, *victuſque* ratio purgationi cõgrua fuerit, & cum hoc mulier non purgatur, protinus quæ menſes movent porrigere audent: nam conſiderandum an uterus aliqua affectione laboret, quod ſi fuerit, nullum medicamentum omnino adhibere conſuluit Avicenna l.4. fen.4. c.62. neque aliqua potione menſes ducente uti eo tempore neceſſum eſſe monſtrat, ne attracto ad uterum ſanguine, dum locelli ob affectum laxari non poſſunt, dolores moleſtos veluti in partu inferat, quod in pleriſque ab his medicamentis contingere ſolet: quamobrem primo affectionem curare, deinceps menſes movere oportebit. *Mercatus de indic. med. l.1.c.15.*

De Cucurbitularum coxis admotarum in evocandis menſibus efficacia vide Tituł de cucurbitulis lib.19.

XXXIII. Soſſitibus non ſine cautione uti debemus, teneriſſima enim acetabula ſiccitate facile areſcunt, hinc infœcundæ fiunt: præterea his utemur ubi neque inflammati, vel perverſi uteri, neque ſenilis ætatis, neque graviditatis, lactationis aut anteacti morbi excuſatio afferri poteſt, hæc ſi abſint, cùm omnis obſtructio fiat copia, materiæ craſſitie & facultatis infirmitate, hæc naturæ vim excitant, quia grata, & materiam attenuant. *Heurnius meth. l.1. & comm. in aph.* 28.5.

XXXIV. Si per hæmorrhoides fluat ſanguis, & ab utero avertatur, difficillima erit curatio: ſive enim trahentibus ad inferiora utaris, eadem ad ſedem trahent: Sive vero adſtringentia ſedi adhibeas, ea etiam ob viciniam repellent quæ feruntur ad uterum. Hæc igitur una medendi ratio conferre poterit, ut poſtquam trahentibus ad inferiora uſus fuerit, localia utero adhibeas, quæ humorem commotum magis ad uterum alliciant. *River.*

XXXV. Fluxus qui ratione ætatis ſua ſponte ſupprimuntur, etſi iterum revocari non deſiderent, neceſſe tamen eſt aliqua vacuatione naturam deonerare; nam etſi graviora mala huiuſmodi ſuppreſſio non excitet, diuturna tamen & ægre curabilia frequenter ſolet moliri: Per annua intervalla, donec natura diſſueſcat, ea vacuationibus lenibus deonerandа. *Mercatus de præſid. med.*

MENSIVM STILLICIDIVM.

SYLLOGE.

Cucurbitula quando admovenda. 1.
Si innatus fluor hæmorrhoidalis ſupprimendus. 2.

I. NVllum præſtantius remedium *Sanguinis miſſione* ſi fiat à craſſitie & viſcoſitate ſanguinis, ſed ſtatim adhibita, imo & repetita, ut frequens fiat ab utero revulſio, quā cæteris omnibus intentionibus antecellerē ſemper obſervavimus. Laudat etiam Aetius cucurbitulas pectini & inguinibus appoſitas 1. ſine ſcarificatione, deinde durante affectu etiam ſcarificatas: quæ tamen non admittendæ niſi in affectu iam confirmato, In quo caſu & hirudines ab eodem propoſitæ conferre poſſunt, poſt cucurbitulas admotæ ad derivationē. Quin imo ſi ſanguis craſſus & viſcidus uteri vaſis fuerit impactus, uteri venis apponantur. *Fortis.*

II. Mulier quadragenaria tribus continuis menſibus perpetuum menſium ſtillicidium paſſa eſt, cum hæmorrhoidum fluore, huic Clar. *Fortis* evacuationem ſanguinis per illam partem nullo modo admittendam cenſuit, ut pote quæ venæ cavæ, non portæ ſanguinem effundat, ſæpe cum ægrorum diſcrimine: ideo hæmorrhoides exſiccandas & prorſus ſupprimendas fotibus ex decocto roſar. plantag. & balauſt. addito ſale & alumine jubet, *Conſult. 44. cent. 4.*

MESENTERII AFFECTVS

SYLLOGE.

Abdominis contrectatio eius affectus non prodit 12.
In obſtructionibus *aperiendis cavendum ne aperientia hepati & ventriculo ſint noxia.* 1.
Purgationibus non nimis inſiſtendum. 3.
Præparatio *quibus perficienda.* 4.
Sang. miſſio *quando locum habet.* 7.
Vomitus *aliquando provocandus.* 8.
A nimio dulcium uſu cavendum. 2.
Balneis *quando locus.* 5.
Diæta *qualis ſi fiant ab anguſtia vaſorum.* 6.
A vehementer reſolventibus *abſtinendum.* 10.
Doloris *curatio.* 11.
Meſenterio inflammato *purgantia & diuretica ut plurimum noxia.* 9.
In eius ulceribus *acidulæ vitandæ.* 13.
Terebinthina cypria doſes. 14.
Puris excretio aliunde ſæpe manat. 15.
Obſtructiones prudenter aperiendæ. 16.

I. MEdicamenta *infarctus ſolventia* firmitatem ac robur tam hepati quam ventriculo concilient; nam, ut præclare dicebat Avicenna l.3. fen.14. tr.1. c.1. Affectibus meſaraïcarum medelam adhibens, nulla ſimul hepatis, ceu fontis earundem habita ratione, haud abſimilis eſt illi qui pedes, ex nocumento ſpinæ dorſalis oblæſos, emplaſtro munit, & curationis principium, quod in ſpina reſidet, prætermittit.

II. Ne bilis proventu adaugeatur, vel hepati aut lieni ad intumeſcentiam detur occaſio, à dulcibus, quantum fieri poteſt, caveatur. *Mercatus t.2. p.417.*

III. *Purgatio* non ſit larga neque continens & aſſidua, nedum moderatæ limites excedens: Suadere idipſum videtur meatuum conditio, nec non naturæ, moderationis & ſecuritatis ſervantiſſima, & humoris infarctum molientis indoles: *Mercatus.* Cum morbus hic maxima ex parte inſigniter ſit *ἀνώδυνος*, ex mente *Hippocr. 4. acut. t.* 115. valde erroneum erit purgantibus uti medicamentis, flatibus ab imbecillæ facultate genitis, & materiâ in quantitate & ſubſtantia adhuc mediocri exiſtente: Ita namque

vlterius infringitur ac diſſipatur facultas naturalis, quæ deinceps præ impotentia, ex quavis materia, producit copioſiores flatus, qui, facultate jam imbecilliori, vna cum humoribus, redduntur immorigeri, levioribus difficulter cedunt ſubſidiis, à vehementioribus autem effrænatiores fiunt & maligniores: Ex quo tandem hoc reſultat incommodi vt à purgantibus ægri multò gravius afficiantur, tum quia hæc medicamenta nec flatus exhauriunt ac diſſipant, nec morbum demoliuntur; tum quia virtutem proſternunt, & ad flatuum generationem aptiorem reddunt: Secus autem faciendum vbi iidem craſſioris materiæ, quæ ex corpore profliganda eſt, vitio potius quàm virtutis languore producuntur. *Mercatus de vero præſid. vſu fol.* 104. *Aubertus Progymn. exerc.* 44. *Schenckius Obſ. l.* 2. *Hartmannus Pr. Ch. c.* 166.

IV. *Præparatio* per ſyrupos, humoribus extenuatis, & ad partes infarctu obſeſſas fluentibus, fortiores dubio procul molitur obſtructiones, *Mercatus de morb. mul.* Eandem etiam hyberno tempore, *Gal.* imitatione, Electuariis potius adminiſtraſſe ſatius eſt quàm liquoribus. *Fernel. conſ.* 47. Viſcidi & lenti humores, exemplo *Gal.* 15. *meth.* 12. attenuantibus & extergentibus corriguntur: Bilioſi verò, exuſti, & qui ad phlogoſin tendunt, moderatè refrigerantibus ac detergentibus, ad evacuationem idonei redduntur.

V. *Balneorum* aq. dulcis vſus cum moderamine adhibitus, ad intercutanea ſpiracula laxanda, humorum reliquias calefaciendas, fluxas fundendas, eliquandas & eluendas, meſaræi tubulos ampliandos & aperiendos, ſordes iiſdem impactas detergendas, & craſſam terrenamque illuviem removendam, à pleriſque innoxius cenſetur: Hæc tamen adhibenda ſunt cautione ne quid crudi humoris in primis viarum ductibus hæſitet, quod momento ad corpus ſapi queat: neve in viſceribus effatu digna adſit impuritas, aut præcedentis cibi elaboratio nondum ſit abſoluta. *Martinus de morb. meſent. p.* 22.

VI. Si malum ex venarum anguſtia originem traxerit, *Cibus*, ex *Aëtij* ſententia, *tenuis*, ter aut iv. de die, modica tamen quantitate ſubminiſtrari debet.

VII. Licet ex decreto *Gal.* 11. *meth.* 14. infarctus interiorum *S. M.* haud quaquam curentur, reliquis tamen ſubſidiis, plenitudine imprimis in corpore id flagitante, obſtaculo eſſe poteſt quominùs tuto adminiſtrentur: Adde quod in confeſſo ſit, cum materias exagitet, locoque moveri cogat S. M. eandem etiam obſtructioni à crudis humoribus conferre. *Sylvius meth. Med. f.* 167.

VIII. Peracta humorum præparatione, haud inſcito conſilio *Aëtius*, ventriculo haud planè elanguido, ac vbi humorum inclinatio ac motus ad illum adſint, *vomitum* commendat: noxios enim humores ex ipſis fontibus elicit: & quæ purgatio in prima corporis regione non eluit, extirpat vomitio: duplici itaque nomine conferre poteſt, eo quod non expurgantis modò ſubſidii, ſed & derivantis rationem ſuſtinet. *Mercatus de Præſ. l.* 1. *c.* 9. Confertim autem, niſi copioſus adfuerit materiæ bilioſæ & acris proventus, obſtructiones vomitu exſolvendæ non ſunt; ne ventriculo impenſius laceſſito crebra concuſſione præcordia debilitentur, aut caput plethoricis cauſis repleatur. *Martinus pag.* 34.

IX. *Expurgantia*, initio *Inflammationis*, raro aut nunquam tutò adhiberi poſſunt: necnon diuretica: metus enim, authore *Gal.* 14. meth. 11. ne vel citius aut gravius epar ac meſenterium inflammentur, evocata nimirum materia per partem affectam, vel eadem vehementius commota irritataque: Materia tamen copioſa præſente, & phlegmone ad coctionem properante (exploſis omnibus catharticis, quorum irritatione fluxiones promoventur, & interiora de novo ſuccenduntur) lenientis alicuius concedendus erit vſus: miſſis myrobalanis citrinis, tamarindis, & quæ facultate pollent nimis adſtrictoriâ, quod, judice *Avicenna*, partibus ſubtilioribus exploſis, craſſiores in tophos aut abſceſſus convertantur: Vt & caſſiâ, in curationis auſpicio, quod fervore ſuo fluxiones ſuſcitet, *Platero* aſſerente.

X. Vehementer agitantibus meſenterii morbi non gaudent, idque cum jure ſocietatis ac vicinitatis cum corde, liene, & ventriculo; tum officiorum vitiorumque communicatione, quâ promptiſſimè invicem afficiuntur. *Martini p.* 84.

XI. Contra *Meſenterii dolorem*, ſi ille vrgeat, convenit interne laudanum Opiatum, diſſolutum & miſtum cum purgantibus, quod dolorem ſiſtit purgando. *Fr. Hofmannus m. m. l.* 1. *c.* 19.

XII. Satis commune erratum eſt plurimorum, qui omiſſa omni cognitione Anatomica, dicunt tenſionem abdominis vtrinque in longum exporrectam, quæ revera eſt rectorum muſculorum, eſſe meſenterii vel hepatis: Error ſanè eſt inexcuſabilis, quia meſenterium jacet ſub inteſtinis, & nulla meſenterij pars ſupra inteſtina aſcendit, quæ poſſit in abdomine manibus tangi & contrectari: muſculi verò iſti recti non modò ſunt ſupra inteſtina, verum ſupra omentum & peritonæum, & ſupra tranſverſales muſculos abdominis: quare nemo tangendo quamvis partem abdominis poterit de ſtatu meſenterii aliquid certò decernere: nimium ſanè diſtant ſitu & origine hæ duæ corporis partes: Millies in hominibus, optima valetudine præditis, tenſio iſta in longum reperitur: Iſte error in cognitione tranſit in operationem, nam ægri topicis variis malè tractantur. *Sanctorius meth. vit. Err. l.* 2. *c.* 8.

XIII. Si abſceſſus meſenterii ad ſuppurationem deductus fuerit, Acidulas, aliaſque virtute metallica imbutas aquas exulare jubet ratio: licet enim viſceribus nutritioni dicatis, craſſitiem humorum tenuando, emolumenti plurimum conferant; quia tamen vi penetrante & abſterſoria, nec non dote peculiari ex chalcanthi, ferri, ſalis, aliiſque mineris contracta, quævis in viſceribus internis vlcera erodunt, ob ejuſmodi ſcelera, vt *Plinius l.* 25. *c.* 3. loquitur, repudiari debent.

XIV. Inter Balſamica principatum obtinet Terebinthina Cypria, *Galeni* teſtimonio, in multos vſus conveniens remedium, atque ad phlegmonas maxime idoneum: cum primis vbi peccans materia in lumbis ac circa renes deliteſcit doloreſque exſuſcitat: Iis tamen qui ad Epilepticas, vel alias cerebri affectiones graviores ſunt proclives, non ſatis tutò adhibetur. *Martini de morb. meſent. p.* 88.

XV. Solum *Coloni* præ cæteris inteſtinis obnoxium eſt exulcerationi quæ pus producit, quod multi manare putant à meſenterio vlcerato, & infeliciter vtuntur purgantibus & clyſmatis, à quibus ferocius fit malum. *Riolanus Encheirid.*

XVI. Facta viarum primarum exinanitione, ad obſtructiones expediendas erit caute deveniendum, tum præparantibus & aperientibus, tum purgantibus ipſis; Aperientia quippe & attenuantia paulo validiora, humores non ſolum præparant, ſed & ad hepar perducunt, eodem incommodo quo & valide purgantia. *Fortis Conſult.* 55. *Cent.* 3.

MICTIO DIFFICILIS.

(Vide *Dyſuria lib. 4.*)

SYLLOGE.

Ob ſitum veſicæ mutatum, quomodo ſuccurrendum. 1.
A nimia ejus amplitudine & dilatatione. 2.

I. VEſicæ vrinariæ ſitus mutatur dum laxatur ea peritonæi portio qua includitur, paululum devolvitur, quod meiendi difficultatem affert, niſi manu elevato imo hypogaſtrio. *Riolanus Encheir. lib. 2. cap. 30.*

II. Dilatatur & amplificatur pro quantitate vrinæ: quod ſi amplificatio tanta fuerit vt excedat modum naturalem, tum ruptis, vel nimium laxatis fibris tunicarum, non poteſt vrina eliminari, quia motu caret hæc membrana carnoſa, quæ pellendo lotio dicata eſt, nec niſi cathetere immiſſo poteſt educi: quod interdum per vnum vel alterum menſem quotidie bis repeti debet, donec priſtinum tonum recuperarit. *Idem ibid.*

MICTUS SANGUINEUS.

SYLLOGE.

Ob calculum renum contingens non ſtatim ſiſtẽdus. 1.
Si ſit a ſuppreſſibus menſibus an vena inferiores tundendæ. 2.
Fit aliquando renibus illæſis. 3.
Cucurbitula vbi applicanda. 4.

I. CAve ne in vrina cruenta ex calculo renum, temerario ſtatim auſu adſtringentia & cruorem ſiſtentia propines: Iunior practicus dum Matronæ nephritidi laboranti cum vrina cruenta medicamentum propinavit quo illico cruor ſtetit, inde ſtatim nauſea, vomitus, apepſia, cachexia, atrophia & demum hectica conſequuntur: Ante obitum per extremum naturæ conatum, ipſa jam tum quaſi agonizans, per eaſdem vias ſanguinis excretionem tentavit, qua ipſa anima vna mundo & corpori valedixit. *Fr. Hofmannus m. m pag. 354.*

II. In Sanguinis mictu ob ſuppreſſos menſes videtur vena in pedibus ſecanda, quia ſecta vena inferna menſes juvat: Ex alia tamen parte trahit ad renes & veſicam; conſultum enim non eſt ſanguinem ducere ad locum affectum: Ego ſic rem decerno; Vbi vterus magnum habeat fluoris obſtaculum, obſtructionem veterem, ſcirrhoſum tumorem, vel calloſum, nunquam aperiendæ ſunt venæ infernæ in ſuppreſſis menſibus: ſanguis enim cum ad inferiores partes irruperit, effluet potius per patentes locos, renes ſcilic. & veſicam quàm per obſtructos, compreſſos & denſatos: Si poſſit Medicus aliis medicamentis vteri impedimenta ſuperare, tunc ſectio infernarum venarum convenit, ſublatis enim impedimentis facile ſanguis ad conſuetas redibit vias & venas: vbi enim non poſſunt tolli impedimenta, laudo vt venis hæmorrhoidalibus vteri ſanguiſugæ admoveantur. *Saxonia Prel. Pr. p. 2. c. 35.*

III. *Fernelius l. 3. Path. c. 13.* ſcribit in errore verſari eos qui vrinam cruentam, ſive vineam, quæ recentis carnis loturam repræſentat, jecoris imbecillitati tribuunt; vix enim intelligi poſſe ſanguinem aliunde cum vrina prætérlabi citra renum affectionem. Sed revera multa ſunt quæ ipſius opinioni obſtant: nam videmus ſæpiſſimè juvenes plethoricos, neque vlli manifeſto morbo obnoxios, per diapedeſin emingere vrinam cruentam, qui ſola ſ. m. & applicatis emplaſticis regioni hepatis (circa quam ſe molem quandam & diſtenſionem ad claviculam vſque ſentire dicunt) curantur: Quis renes hic accuſabit, cum præſertim nulla difficultas mingendi adſit? *Reuſnerus ad cap. 22. Willichii de vrinis.*

IV. Præmiſſa V. S. in brachio, & hæmorrh. reſeratione, tandem Cucurbitulæ ſiccæ lumbis apponendæ à pluribus proponuntur, quanquam nobis ſuſpectæ, ne potius ſanguinem è vaſis majoribus ad renes attrahant. *Fortis Conſult. 3. & 4. Cent. 4.*

MOLA.

SYLLOGE.

Temere extractio non ſuſcipienda, ſed potius medicamentis expulſio tentanda. 1. 4.
Per pedem griphii extrahendi ratio ex Parae. 3.
Per forcipem dentatum, ex Hildano. 2.
Ad Chirurgiam temere non accedendum. 4.
Medicamentis deturbata. 7.
Phlebotomia eſt vtilis. 6.
Exercitium an conveniat. 5.

I. CUm de Mola plerumque non certi ſimus; etſi ſuſpicio illius magna ſit, tamen validioribus rem aggredi, & per vim conceptum eiicere velle (cum ſi verus conceptus eſſet eum perderemus) res eſt periculi plena, nec temere ſuſcipienda, & cum vel minimum dubitamus omittenda; tutiuſque tunc vel naturæ negotium committere, donec certiores ea de re fiamus, eventum expectare, vel ſaltem per ſ. m. nutrimentum illi nonnihil detrahendo, incrementum illius impedire; vel purgantibus exhibitis naturam, vt cum alias immunditiés expellit, etiam forte hanc illi gravem & alienam molem propellat, ſollicitare: Nec ab illis adminiſtrandis metus nos, ne ſi forte verus eſſet conceptus, abortus inde ſequatur, abſterrere debet, cum hoc minime factum fuiſſe in multis mulieribus gravidis, ſæpe ſic evacuatis, vel diarrhœis diu laborantibus obſervaverimus, naturáque non facile ad ea quæ naturalia ſunt, ſicuti præternaturalia illique oneroſa excernenda commoveatur: Sin de ea certo conſtet, ex pluribus indiciis concurrentibus, maxime ſi tempore partus elapſo tumor ventris & durities etiam tactu deprehenditur, tunc vt natura excretionem moliatur, eam exhibitis admotiſque, inditis & injectis excitabimus, viaſque, vt ex vtero emergere queat, aperiemus atque dilatabimus. *Platerus Prax. l. 3. c. 14.*

II. In *Extractione Molæ* nonnulli hamulis acutiſſimis, ſive pede Griffonis (vt vocant) vtuntur, ſed meo judicio non ſine ingenti periculo: Si enim hamulus excideret, facillime matricem dilaceraret: Hanc ob cauſam forcipem excogitavi, cuius extremitates in cochlearis, aut roſtri anatis formam, ſed profunde ſatis, vt dentes excipere poſſit, fabricatæ ſunt: In quorum cochlearium medio exurgunt dentes tres, quadrati & acutiſſimi, ejus longitudinis vt hic vnum depinximus; ita tamen vt ſecundum lineam rectam poſiti, vnus ſit ad latus alterius: Hinc fit vt clauſa forcipe nullus horum dentium appareat, nulluſque præterea, quantumvis forceps effugeret, collum matricis lædere poſſit. *Hildanus cent. 2. Obſ. 52.*

III. Si ab vtero divelli, & velut eradicari molam contigerit, neque hanc divulſam natura expellere poſſit, mulierem eo ſitu locabit Chirurgus quo collocandam eſſe diximus in infantis ab vtero extractione: Tum diductis obſcœnis partibus, immiſſoque extractorio organo, cui à ſimilitudine pedis griphij nomen impoſitum eſt, & cum in vteri capacitatem pervenerit, reſerato ac dilatato, molam corp-

prehendat: Neque aliter, ſi præſertim craſſior ſit, propter rotunditatem comprehendi poteſt, anſam enim qua prehendatur non habet: Itaque cum ſola id tentatur manu, lubricitate ſua elabitur, & per uteri capacitatem globi inſtar diffluit: facilius vero gryphii pedis unguibus comprehendetur, ſi alvus mulieris hinc inde comprimatur, & tandem in anguſtum locum, ubi diffugium non ſit, compellatur, ſic enim demum comprehenſa facile extrahetur. Extracta mola, mulieris eadem quæ & puerperæ cura adhibenda eſt. *Paræus Oper. l. 23. c. 35.*

IV. Medicamentis ſi non cedat chirurgia quidam utuntur, verum id temere non eſt faciendum, niſi mola ab utero & ligamentis laxata & divulſa fuerit, adeo ut ad os uteri declinet, alias periculum eſt ne noxa utero inferatur, ne laceretur, diſtorqueatur, aut inſignes ſuccedant hæmorrhagiæ: nam ſæpiſſime mola adhæret utero, nec inde facile evelli poteſt, imo & per totam vitam interdum geſtatur. Interdum tamen, ſi firmiter acetabulis non connectitur 3. aut 4. menſe excidit. *Primiroſius de m. m. l. 4. c. 5.*

V. Plurimi *Pauli* & *Avicennæ* authoritate *exercitium* partium infernarum vetant, quia motus fluxionem concitat, Sed non advertunt *Paulum* ibi eam molam curare quæ, iuxta ipſius ſententiam, tumor eſt p. n. induratus in vulvæ oſtiolo, ac prolabi non poteſt, imo ad motum augeatur prolabentibus humoribus: At cum vera mola interdum exercitio avellatur, non eſt quod illud impediamus: Alii dicunt hos autores in mola exercitationem prohibuiſſe, quando educenda eſt, non tamen in fœtu, qui hic naturaliter exitum parat, & humorem ſecum habet, os uteri & ejus collum lubricantem, qui fœtui viam faciliorem parat, At mola humore eo caret, & accedente exercitio, ſiccatis ductibus, vix avelli poſt modum poteſt, Reſpondent alii prohiberi id initio dum adhuc corpus plenum eſt, ne plures menſes deſcendant & materia fiant qua mola augeatur, ſed non interdici corpore jam evacuato & in fine curationis. *Rod. a Caſtro de m. m. l. 3. c. 8.*

VI. Pro molæ curatione *phlebotomia* eſt multi uſus, hæc enim copiam demit, præparat ad reliqua auxilia corpus, cotyledones laxat quibus utero adhæret, irritat facultatem: Deinde cauſam habuit ſemen imbecille & ſanguinis menſtrui copiam immodicam; & hæc ultima cauſa actu ſemper officit dum nutritionem & augmentum parat, & ſimul fovet, Quare quicquid valet cauſam efficientem & foventem tollere, & una avulſionem præſtare, optimum erit auxilium, talis autem eſt S. M. ab utero enim revellit, pabulum detrahit, partum abigit: At cum affecta para uterus ſit, ab ipſo proxime ſanguinem retrahemus, & vacuabimus, & in ipſo maximam circa ſanguinem commotionem excitabimus: Has omnes indicationes ſola V. S. ex infernis partibus celebrata adimplere poteſt: Neque plurium Medicorum aſſertiones, approbes prius in cubito eſſe feriendam venam, deinde in talo, quia hæc retrahit ab utero non provocat; ex infernis vero partibus directe revellit, vacuat commode, commotionem in utero non levem præſtat, dilatationem uteri facit: Demum annoit *Hipp. l. de ſteril. n. 20.* qui lumbis ſectas cucurbitulas conſuluit; ſubdititia per utrumque aluum ad ſanguinis euacuationem commendat: Præſtantior ergo multo eſt S. M. ex infernis partibus quam è gibbero. *Zacutus P. H. p. 508. Primiroſius de m. m. p. 285.*

VII. Chirurgus hamulis molam extrahere ſatagebat, ſed ſequuta hæmorrhagia illum ab iſta curatione deterruit: Ægra poſt xx. dies meo conſilio ℥j. euphorbij, cum ſyr. de artemiſia in pilul. redactam, quater ſpatio xij. dierum, iij huius poſt cœnam devoravit, quarum ope, magno labore & dolore, parturientium inſtar, excrevit octo molas, venulis & membranis conſtantes. *Zacutus Pr. Adm. lib. 2. Obſ. 154.* Molarum multiplex ſtatuitur differentia inter auctores autem ea reponenda eſt quam mihi videre licuit anno præſenti 1681. menſe Martio: Nobilis mulier, (oculatus ſum teſtis) annos nata circiter 32. quæ prolem ante feliciter excluſerat, à trimeſtri gravidam ſe credidit; toto illo tempore valetudinaria fuit; ex Medici præſcripto purgante medicamento aſſumpto, parturientis doloribus correpta eſt, hinc affatim ex utero prodiere varia, cruenta, membranoſa, aquea, ſanguis concretus & niger, & quod maxime mirandum Ovorum, piſi magnitudine, infinitus numerus ſibi cohærentium, non ſecus ac in Ovario Lucii piſcis maioris, aut Truttæ; Sed præterea fruſtum Oviforme, parenchymati Iecoris capi pinguis exterius ſimile, intus ſanguine atro concreto infarctum: promiſcua erant hæc omnia, capacem pelvim implentia, Veriſime eſt Ova illa membranis laceris (quæ in aquam calentem coniectæ non diſſolvebantur) concluſa fuiſſe: Apud *Schenckium* ſimilia aliquot exempla reperiuntur.

MORBILLI.

(Vide *Variolæ lib.* 18.)

SYLLOGE.

Mala curatio interdum lethales reddit. 1.
Tuta curandi methodus. 2.
Calidius regimen nocet, & uſus medicamentorum cal. 2. 6.
Tuſſis illis familiaris mitigatio. 3.
Præcautio ne in peripneumoniam degeneret. 4.
Diarrhœæ ſubſequentis curatio. 5.

I. MOrbus hic à rigore atque horrore, caloriſque & frigoris, quæ ſe mutuo primo die excipiunt, inæqualitate tragœdiam orditur, tandem effulgente die ſecundo in febrem conſummatam deſinit, vehementi ægritudine, ſiti, lingua alba, (non vero ſicca) tuſſicula, capitis atque oculorum gravedine & ſomnolentia perpetua ſtipatam; plerumque etiam è naribus & oculis ſtillat humor, ſternutat æger tanquam à ſuſcepto frigore, intumeſcunt palpebræ (paulo ſcilic. ante eruptionem) vomit, ſæpius tamen laborat diarrhœa cum deiectionibus coloris ſubviridis, Ingraveſcunt ut plurimum ſymptomata ad quartum uſque diem, quo tempore plerumque circa frontem & reliquam faciem maculæ parvæ rubræ, pulicum inſtar morſibus perſimiles proſilire incipiunt: Evaneſcunt die fere 8. quo tempore vulgus (à ſpatio quo perdurare ſolent Variolæ deceptum) eaſdem introverti affirmat, licet revera illi curſum a natura deſtinatum abſolverint, & ſymptomata quæ iiſdem recedentibus ſuperveniunt ex eo nata autumat, quod juſto citius ſe intro morbilli receperint: Obſervare enim eſt Febrem atque ſpirandi difficultatem tunc temporis augeri, importunius urgere tuſſiculam; Infantes præſertim ſub regimine calidiori, aut qui calidioribus uſi ſunt medicamentis ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo ſunt obnoxij, quod morbillis jam faceſſentibus ſe oſtendit, unde in Peripneumoniam conjiciuntur, quæ plures jugulat quam aut Variolæ ipſæ, aut ſymptomata quæcunque ad eum ſpectans morbum, licet omni protſus vacent periculo morbilli ſi modo perite tractentur; His etiam non raro accidit *Diarrhœa*

rhœn, haud ſine magno ægri diſcrimine: Aliquando etiam poſt regimen intente calidum Exanthemata liveſcunt primo, mox nigreſcunt, Id vero adultis tantum contingit; de quibus conclamatum eſt ubi primum nigredo iſta conſpicitur, niſi phlebotomia & temperationis regiminis refrigerio iis actutum ſubveniatur. *Sydenham Obſ. in morbis Acut. p.* 276.

II. Morbillis ut natura, ita & medendi, quam ſibi poſcit hic morbus, ratione, cum Variolis ſatis convenit: medicamenta & regimen calidiora periculi pleniſſima ſunt, utut frequenter in uſum revocentur ab ignaris ægrorum curatricibus, eo animo ut morbus à corde procul ſubmoveatur: Feliciter præ aliis mihi ceſſit methodus illa, qua æger ad dies binos ternoſve ab eruptione lecto adſtringebatur, quo ſanguis leniter, pro morbi genio, particulas inflammatas, facile ſeparabiles, à quibus offendebatur, per cutis ſpiracula difflaret, nec lodicibus, nec igne, præter modum quem ſanus tenebat, adjectis: A carnibus quibuſque arcebam, Juſcula avenacea, hordeacea & ſimilia, nonnunquam & pomum coctum concedebam; Potus vel erat cereviſia tenuis, vel lac cum aquæ triplo coctum: *Tuſſim*, quæ huic morbo fere aſſidua eſt, decocto aliquo pectorali ſubinde hauſto, delinitam volui: Rariſſime perit qui hoc utitur regimine, nec præter neceſſaria atque inevitabilia morbi ſymptomata, novis inſuper malis atteritur.

III. *Tuſſis* præ reliquis fatigat, à qua tamen nihil eſt periculi, niſi morbo ſublato cumque adhuc per ſeptimanam unam aut alteram perſiſtat, auræ liberioris uſu, decocto pectorali, ſyrup. violat. capill. Veneris cum oleo amygd. dulc. aliiſque pectori dicatis, haud difficulter fugatur, quinimo ſponte ſua, & paulatim decreſcit, & tandem fatiſcit. *Idem.*

IV. Si autem æger à Cardiacorum, vel regiminis juſto calidiorum uſu, vel morbillis adhuc vigentibus, vel poſt eorum diſceſſum (quod magis eſt familiare) febre vehementi, atque dyſpnœa aliiſque accidentibus, qualia peripneumonicos ſolent affligere, in vitæ diſcrimen adducatur, feliciſſimo ſemper eventu, vel tenerrimorum infantum venas in brachio ſecui, educta ea ſanguinis quantitate quam ætas vireſque indicarent: Quandoque etiam, urgente morbo, phlebotomiam iterare haud ſum veritus: Profecto haud paucos infantes, hoc ſtatim ſymptomate enecandos, benedicente S. Numine, miſſo ſanguine eripui: Infantibus autem accidit illud poſt morbillorum receſſum, quibus ita eſt exitiale, ut inter præcipuos Parcarum miniſtros jure habeatur, plures jugulans quam vel ipſæ Variolæ, necdum mihi viſus eſt qui certa alia methodo eidem potuerit occurrere. *Idem.*

V. Quin & *Diarrhœam*, quæ morbillos ſæpe excipit, V. S. pariter ſanatur: cum enim halitibus inflammati ſanguinis, in inteſtina ruentibus, ortum ſuum debeat, (quod etiam in pleuritide, peripneumonia, aliiſque qui ab inflammatione creantur morbis, uſu venit, à quibus illa ad excretionem ſtimolantur, ſola venæ ſectio levamen afferet, à qua tum revelluntur acres iſti humores, tum etiam ſanguis ad debitam redigitur temperiem. *Idem.*

VI. Quod de horum ſymptomatum, morbillis decedentibus ſupervenientium, curatione jam diximus, nonnunquam etiam iiſdem florentibus poteſt competere; ſi nimirum artificiali, ſi fas eſt dicere, atque adſcititio calori ea debeantur: Hoc anno 1670, famulam hoc morbo laborantem, una cum febre, dyſpnœa, maculiſque purpureis corpus omne deturpantibus, aliiſque ſymptomatis quamplurimis periculoſiſſimis, Medicos inviſebam; cum regimini & medicamentis, quæ ſatis multa uſurpaverat, calidioribus iſta omnia tribuerem, ſanguinem è brachio extrahendum curavi, & Priſanam pectoralem & refrigerantem ſæpe aſſumendam præſcripſi, quorum ope, & regiminis ſimul temperatioris, & maculæ, & alia omnia ſymptomata evaneſcebant pedetentim. *Idem.*

MUSCULORUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Rupta quomodo curanda. 1.

Musculi remediis cuput vexantur in quacunque actione læſa. 2.

I. R*Upta*, ſeu ῥήγματα, *Dioſcoridi* aliiſque antiquioribus ſæpe memorata ſunt: Illorum exemplum hic habes, Quidam Pariſijs pilam parum peritè retrorſum torquens, fibras in muſculo epigaſtrij recto diſrupit: Hunc *I. Sylvius* ſic percuravit, ℞. *Roſar. rubr. p. ij. coq.* in vino auſtero & foveatur pars, facta prius leniori frictione, ſiccando à fotu linteo calido: deinde applicetur bis in die ceratum ſequens donec curetur, alvo lubrica ſervata: ℞. *Ceræ novæ* ℥iij. *ol. amygd. d. chamæmel. ana.* ℥ß. *far. lupinor. ſemin. cymin. ana.* ʒij. *f.* ceratum extendendum in aluta, tegatur linteo tenui, & admoveatur parti: Si non juvet, adhibeatur hoc, ℞. *Flor. chamæm. melilot. ana. man. ij. contundantur, & cum furfuris p. iij. f.* ſacculi duo: hi admovebantur ſub umbilico ubi fibræ ruptæ erant, convaluit. *H. Renſnerus Obſerv.* 140. Rupta in veterum gymnaſiis frequentiſſima, Vulſa, cum fibræ ruptæ apud Veterinarios, notante *Petro Ruellio*, ferè omnibus neglecta: At *Veſlingius* docebat dolores qui circa os ſacrum brachio elevato ſentiuntur, ab illis qui incurvi pondus aliquod magnum attollere adnixi ſunt, non aliam cauſam habere quam rupturam fibrarum in muſculo dorſi latiſſimo, ut qui ab oſſe ſacro ortus in humerum terminetur. *Velſchius ibidem.*

II. Errant turpiter nonnulli ex illis qui profitentur dogmaticam ſcholam, dum in omni muſculorum actione læſa, ſi primis inunctionibus non tollitur affectus, confugiunt ad capitis purgationem, ad ſtillicidia, ad errhina & ſimilia: aliter *Galenus* curans hominem venientem Roma, percuſſum poſt ſeptimam vertebram, cujus digiti læſi licet non curarentur topicis, non eſt uſus caput expurgantibus, ſed adhibuit poſt ſeptimam vertebram cervicis emollientia, quæ tollerent ſcirrhoſam diſpoſitionem, & illico ipſum liberavit &c. *Santlorius meth. vit. Err. l. 2. c. 11. Ubi multi notantur errores circa curationem muſculorum per conſenſum læſorum.*

INDICIS MEDICO--PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER DVODECIMVS

De Affectibus à litera N. incipientibus.

NARIVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

Polypus *medicamentis vix cedit.* 1.
Per compunctionem curatio. 5.
Non lividus tantum ſed & albus carcinomatis metum incutit. 6.
Interiorum viſcerum cura habenda potius quam cerebri. 7.
Per medicamenta curatio. 8.
Lichen, Gutta roſacea. *arteriotomia ſanantur.* 9.
Secta vena frontis curantur. 10.
Tuberculi *in extremo naſo curatio.* 11.
Ozænæ *Venerea curatio.* 17.
Olfactus *læſio*, Vide *lib.* 13.
Deciſi Naſi *reſtitutio.* 12. 13.
Ad Narium hæmorrhoides, Polypum *omnemque excreſcentiam remedium tutum.* 3.
Naſi hæmorrhoides *compunctione curata.* 4.
Vlcera *ſuffitibus optime ſanantur.* 2.
Rubri Naſi *curatio.* 14.
Eryſipelatis & Phlegmones curatio. 15.
Vlceratarum narium curatio. 16. 18.
Cancer *curatus.* 19.
Naſi rubedo *Cancro finitima.* 20.

I. CELSUS Polypum interdum inareſcere ait, quod ſane verum in parvo, incipiente & molli polypo: alioqui vſus ipſe oſtendit nihil talia medicamenta proficere, tum quia propter humiditatem è naribus manantem nequaquam hærere diu poſſunt; tum quia ſi vrendi facultate pollent, interiores narium parietes inflammant & dolore afficiunt: ſolaque exciſione ob id feliciter ſanari compertum eſt. *Rubeus ad c. 8. l. 6. Celſi.* Medicamenta adhibita plus moleſtiæ quam vtilitatis afferunt: ideo Polypus per Chirurgiam auferendus, beneficio inſtrumenti apud *Scultetum tab.* 12. *fig.* 1. & 2. depicti: cui hoc poteſt ſuperaddi, ominum vt fiant in concava parte ſuperiore duo aut tres dentes quadrati & acuti quò firmius apprehendant: Extracto Polypo inurantur ferramento per cannulam naribus immiſſum traiecto. *I. van Horne Microtech. p. 2. §. 8. Medicamentis curati exemplum vide apud Platerum Obſerv. pag.* 663. vide *Tulpium Obſ.* 26. *l.* 1.

II. Vlcera narium Suffitibus optimè curantur, quare conducit candelas parare ex cera rubra: nam fuligo talis candelæ plurimum iuvat exſiccatione, maximè ſi contineatur in cubiculo bene clauſo & anguſto: Quod autem fuligo recipiatur, experimur cum diutius in ſtudio moram trahimus noctu, nam poſtea ſputum, & excrementa narium, fuligine illa denigrata redduntur: Hac ratione nos vlcus curavimus, quod neque ab Italis, neque a Gallis Medicis curari potuerat. *Rondeletius l.* 1. *meth. cap.* 65.

III. *Hæmorrhoides* quæ ſunt molles, ſine dolore, licet omnes ſcribentes laudent eas debere incidi cum ferro, aut vti cum cauterio actuali, ego tamen reperi modum multò faciliorem & ſecuriorem, cum quo non ſolum hæmorrhoidas narium, ſed & polypum, & omnem carnoſitatem ſuperfluam in naribus & aliis locis excreſcentem, abſque moleſtia patientum, curatas vidi. Hic eſt modus, Accipe rupterium, (lapidem cauſticum) habeas poſtea inſtrumentum factum ex plumbo, longitudinis vnius digiti vel circa, tantæ verò craſſitudinis vt poſſit ingredi narem, quod in extremitate quæ in naribus ponetur ſit cavatum in forma pyxidis, & in ea cavitate ponatur in nare, ita vt carnoſitas recipiatur in concavitate vbi eſt rupterium, & latera concavitatis narem à læſione rupterii cuſtodiant: patiens autem teneat dictum inſtrumentum cum manu firmum in nare per horam: remoto inſtrumento à nare, applicetur butyrum donec fiat eſchara & caro combuſta remota: poſtea iteretur rupterium donec caro tota ſuperflua ſit abſumpta, applicando ſemper butyrum poſt rupterium: quod ſi caſu remaneret aliquod vlcus, curetur cum his quæ ad vlcera ſpectant narium: Experimentum feci in N. qui habebat carnoſitatem in nare, quæ non ſolum narem explebat, ſed extra pendebat per medium digitum; caro illa totaliter fuit conſumpta nulla ſequuta deformitate. *P. Bayrus Pr. l.* 5. *c.* 3.

IV.

IV. Intra nares ad imam cartilaginem obortum tuberculum aliquando ſe obtulit, quod Polypum aliis vocari placuit, at non mihi, propterea quod rubicundius & carnulentius, minime pendulum aut loco mobile, ſed confixum cartilagini, extanſque in ipſa veluti naricula, lauri baccæ ſemiſſis magnitudine: Omnibus autem modis Arabum Hæmorrhoides ſuſpicari licuit: Verum has, ſive hæmorrhoidas, ſive polypum, attrectare ferro cum Medici noſtri non auderent, punctione per ſcalptum ego repreſſi: quam cum primum exhortuiſſet Monialis, facta mox ſecutior à levamento percepto non levi poſt primam inciſionem, vltro deinde ipſa ad alteras puncturas novoſque exaniatus me compulit; quibus in dies factis perpetuo recedens, abolitus eſt tumor omnis. *Severinus Med. Eff. pag.* 80.

V. Sunt qui, vt fama eſt, tres acus prælongas ſimul deligent, & inverſo capite tantiſper aculeorum mucronibus lancinent, dum omne vitium punctim exemptum extabeſcat, deinde oleo protinus eluunt: hoc idem ſequentibus diebus tentant, donec reſtituatur homo. *Hierocles Veter. l.* 1. *c.* 2. Quæ levis opera noſtris hominum Polypis quid vetat quominus accommodari queat; Equidem, quod mea experimenti fide teſtari poſſim, recens ortum ejuſdem tuberculum Religioſæ cuidam ſolo phlebotomi adactu multoties experto, facta nonnulla ſanguinis effuſione diſcuſſi. *Severinus Med. Eff. p.* 80.

VI. Poſt frequentes deſtillationes occupavit vxorem N. inſignis *Polypus*, colore albus & ſubſtantia pituitoſus, conſpicuus non tantum in naribus, ſed & in gutture, cum duplici caroncula, altera alba ac leni, altera livida ac dura, imo parum diſtante à natura carcinomatis: arrepta autem forcipe illa parte quæ in faucibus carcinoma minabatur, & potentius vellicata, ſequebatur protinus integer polypus, octo pedibus donatus, omnes autem tecti membraneo velamento, ſub quò continebatur concreta pituita, in pleriſque mollis ac pellucida, inſtar pulpæ pruni albi, in aliis vero dura ac opaca, ad inſtar cornu adulti: Argumento certe evidenti metuendum non tantum à lividis ac melancholicis, ſed etiam à polypis albis ac pituitoſis: præcipue ſi vel à fervido ſanguine, vel ab æſtu incluſo degenerent in naturam carcinomatis, vt hic: Errant ergo qui omni periculo credunt carere polypum pituitoſum, quod non ſemper verum. *Tulpius lib.* 1. *cap.* 26.

VII. Cave credas noxium illum & redundantem humorem, ex quo hoc malum naſcitur, ſemper de cerebro per foramina oſſis cribriformis depromi; ſed illa materia ex vaſculis in intimas nares porrectis eo concurrit: Quare curationem ad viſcera quæ ſanguinem conficiunt commodius quam ad cerebrum dirigimus: Apertum caput defuncti hominis, qui Polypum in vita ſæpius paſſus fuerat, omni ex parte quam diligentiſſime conſideravimus, in hoc cerebrum ſalvum, nervoſa illa filamenta, quæ ad foramina dicti oſſis excurrunt, integra, hæcque foramina integra deprehendimus, contra abdominis viſcera, hepar & lien vitioſe affecta erant. *Schneiderus lib. de Oſſe cribrif. pag.* 437.

VIII. Si lubeat medicamentis rem tentare, confugiendum erit ad *pulverem vitrioli calcinati*, vel ad *radic. hermodactyli albi, exceptam melle roſacceo aut aqua ſabina*: quibus remediis corrugatur magis quam aperitur Polypi tunica: nec penetrat hic pulvis per anguſtiam, prope naſi finem, ab excreſcentia hac obturatam: Vnde tamen niſi eduxeris caruncu-las illic ſtabulantes, luxuriabit continenter eadem ſeges, Et ex affluxu novi humoris intumeſcet aſſiduo quæ in exſiccata tunica remanſerat pulpa: Niſi forte involucrum ipſius ſit adeo teres ac molle, vt à pulvere hoc abſumatur non minus pulpa quam tunica illam ſuccingens: quem ipſius ſucceſſum alicubi aliqui experti, crediderе propterea; ſed ſatis temere, pulverem commemoratum vbique locorum idem pollere, & infallibiter ſanare quemcunque Polypum. *Nicol. Tulpius lib* 1. *Obſerv. cap.* 26.

IX. Petro N. *Lichen narium* (volaticum ignem ſylveſtrem, & Guttam roſaceam ab affectu appareotl alias nominatam) facta temporum arteriotomie viſa eſt plurimum elevari, quæ nullis medendi rationibus poterat comprimi: *Severinus Med. Eff. p.* 48.

X. Non ſimplex venarum ſectio, ſed & earundem abruptio ad pleraque vtilis eſt genera decurrentis humoris intercipiendi, Primum autem defluxus malignos qui ſunt ad nares præſectio venæ frontis vnice tollit, experimento in nonnullis facto: N. præſecta hac vena, velut ſuccendiculis igni ſubtractis, *Lichenem malignam* ſemel finivimus; quam non crebræ venarum ſectiones, non purgationes fonticuli &c. ſedare valuerant: *Severinus Med. Eff. pag.* 67. Adminiſtrationem vide *titul. de Sangu. miſſione.*

XI. Naſcitur in extremo naſo *Tuberculum*, interdum quidem molle & rubellum, interdum durum & lapideſcens, fuſcóque colore, ſic vt aſpectu ſeipſum quaſi referat malignum: Poſterius hoc non oportet attingere niſi fortaſſe igne: Prioris generis alterum amputare etiam ferro licebit: Atque ea eſt exciſio quam primus proponit *Albucaſis*: Sectæ autem particulæ curatio per repellentia, quæ communis mos impoñit; per exſiccantia atque adſtringentia vult Arabs ille. Ægyptijs conſuetam hanc Chirurgiam ait *Alpinus. Severinus Med. Eff. p.* 115.

XII. Cuidam *deciſus* Naſus, qua os in cartilaginem deſinit: Ruſticus prope dentem partem alteri digitis conjunxit, herbam tuſam, &c. vino nigro tritam, quod mille folium appellant, impegit, rudius omnia colligavit, vnde celeriter reſtitit profluens ſanguis, & vulnus pulchra cicatrice brevi coijt. *Hollerius Inſtitut. Chirurgic. lib.* 3. *cap.* 5.

XIII. Anno 1590. cum Dux Sabaudiæ Genevenſibus bellum inferret, incidit in manus militum puella caſta, quam cum ſtuprare fruſtra tentaſſent, Naſum ita penitus abſciderunt. Poſt annos duos venit Lauſannam ad Domin. *Iohann. Griffonium*, Chirurgum feliciſſimum, qui Naſum reſtituendum ſuſcepit, & omnium cum admiratione reſtituit: Operationis & curationis primus inventor *Gaſpar Taliacotius*, in Bononienſi Gymnaſio Profeſſor &c. *Fabricius Hildanus Centur.* 3. *Obſervat.* 31.

XIV. Mulier *rubrum Naſum* perpetuo habebat, potiſſimum tempore hyemali, hæc ventris lenitione præmiſſa, hoc vnguent. quo *Giſbertus Horſtius* Romæ vtebatur, commode inunxit; ℞. *Sulphuris vivi* ℥ iij. *zinzib. albi* ℥ ij. *cum vino albo Rhenenſi* & aqua roſat. leviter caleſiant, ebulliendo ad liquoris conſumptionem, deinde cum axungia porcina recenter colata fiat

Vngu. Sub cœna inungebat, mane cum aqua roſar. tabaum & decocto furfuris tepide abluebatur: Hoc etiam valet ad Puſtulas faciei, & naſi rubrinſculas: Valet & hoc expertum. ℞. *Litharg. auri, ceruſſæ ana.* ℥ij. *thuris, maſtich. ana.* ʒj. *camphoræ* ʒß. *cum oleo roſat. & aceti* modico fac Linimentum. *Foreſtus Obſ.* 3. *lib.* 13.

X V. Ad *Eryſipelata & Phlegmones narium*, poſt vniverſalia confert egregie Vngu. Nutritum dictum, vt & ad *Vlcera narium*, quæ præſertim fiunt in alis, quæ fortiter reſiccantibus citra morſum, & ſarcoticis ſufficienter curantur, quibuſdam adſtringentibus additis: Mineralia diligentiſſime lota, cum cortice mali granati, & aloë lota talia vlcera curant: Prodeſt & frequenter lavare partem decocto adſtringente, addito alumine; Poſtea vtere fumigio præſcripto à *Rondeletio*. Vide §. 2. *Idem*.

X V I. *Vlcerari Nares* intus conſueverunt, eique malo vix ſuccurri poteſt cum inveteraſcit: Mihi puella nubilis & nobilis oſtenditur quæ eiuſmodi morbo diu tenebatur, nec inventus eſt Medicus qui id malum tollere potuiſſet: Erant enim vlcera circa Nares pluribus cruſtis fœdata, è quibus etiam malus conſurgebat odor: Primo igitur alvum duco, humores æquo, & cucurbitulis ſcapulis affixis, carnéque ſecto inciſa ſanguinem mitto: Tum & frictionibus divertentibus vſus, nares calida aqua ſpongia expreſſa confoveo, deinde ceruſſam & argenti ſpumam oleo myrthino & & omphacino excipiens, ad craſſitudinem mellis reduco, eóque illiniri ſæpius nares jubeo: quo auxilio cruſtis omnibus exciſis, ceruſſa demum, olibano, cadmia, ſcillæque interiori parte diligenter attritis, & melle addito, medicamentum conficio, quo ſpecillum lana obvolutum intingens vlceribus admovebam; & his repletis linamentum, eo quoque medicamento illitum demittebam in nares: Idque bis die vel ter faciendum curabam; quoad his præſidiis malo, quod plurimos Medicos fatigaverat, paucis etiam menſibus ſublato, puellam priſtinæ reddimus ſanitati. *Benivenius de Abditis cap.* 27.

X V I I. Curavi ſartorem *Ozæna Gallica* detentum, quæ etiam poſt internum decocti ex ligno guaiacino vſum, per duos annos continuos, à barbitonſore fuit tractata medicamentis ex antimonio & Mercurio præparatis: His nihil conferentibus, D.D. *Spigelii* conſilium æger petiit, qui eo tempore valetudinarius, me Chirurgo ordinario adiuvari, mihique præcepit vt turundam ex linteo puro conficerem, eamque nari læſæ immitterem, ibi per diem naturalem relinquerem, vt ozænæ ſitus, quantitas & qualitas addiſci poſſit: Mandatis obtemperavi & turundam extraxi, quam fere in apice ac in dextro latere, velut in orbem maculatam ſummeque fœtentem inveni & *Spigelio* monſtravi, qui hanc ſubitò atque vidit, dixit vlcus eſſe in ſummo ferè naris loco, ſupra ſcilicet partem cartilagineam, idque in latere dextro, non adeo quidem magnum, ſed cum oſſis corruptione coniunctum, quod inuſtionem poſtulet: Quærenti rationem dictorum, dedit ſequentem, Quia turunda ferè in apice eſt contaminata, vlcus ſitum habes in ſummitate naris: Quia eadem exterius eſt ſolum commaculata, neceſſario ſiniſtrum duntaxat latus afficitur; Vlcere non adeo magno, quoniam macula eſt parva: Cum oſſe tamen corrupto, quia turunda eſt nigra & valde fœtet, Chirurgia opus habet, quoniam huic affectui hactenus medicamenta talia incaſſum fuere adhibita, quæ ſi os corruptum non fuiſſet, vlcus jampridem ad cicatricem duxiſſent. Quam Chirurgiam, ſeu Inuſtionem naris, per cannulam mihi perficiendam reliquit, vtpote facilem, Quare cannulam elegi idoneam, quæ in latere foramen habuit, illamque linteo quod vino nigro auſtero erat imbutum & expreſſum, pro illæſarum partium defenſione, involvi, ac nari exulceratæ immiſi, vt foramen dictæ cannulæ vlcus æquaret: præparata & nari immiſſa cannula, recepi ferrum optimè candens, quod per cannulam immiſi vſque ad locum affectum, idemque ſtatim retraxi, repetendo ſtyli candentis immiſſionem & retractionem ad ſummum quater vel quinquies, quam citiſſime tamen, unde ad minimum duo ferramenta ignita requiruntur: Poſt inuſtionem natura, (mitigato prius dolore & eſchara ablata) medicamentis adiuta, intra 14. dies particulam oſſis ſeparavit, & vlcus, applicitis exſiccantibus, fuit cicatrice obductum. Hanc Chirurgiam poſthac in pluribus felici cum ſucceſſu expertus ſum: Ozæna narium, cum, vel ſine luis venereæ ſuſpicione, abſque tamen oſſis carie, ſi medicamentis curari nequit, expoſcit cannulam omnino ſolidam. Immittendam jubet Aquapendens cannulam ferream omnino ſolidam, non involutam linteo, ſed albumine ovi probè agitato oblinitam, tam longam vt vlceris longitudinem adæquet nariumque cavitatem æmuletur, & per ipſam ferrum candens immittendum, quod tamen nonniſi cannulam attingat: Sic fiet vt ferrum candens calefaciat cannulam, & hæc nares & ozænam: Nolo tamen vt nares ex hoc calore doleant, ſed locus exulceratus citra dolorem calefiat, ad bonam laborantis tolerantiam; qua perſpecta, tunc cannula è naribus è veſtigio eximenda, rurſumque immittenda, toties que ferramentum candens, quod tantum calefaciat, repetendum, quouſque exſiccata ſufficienter pars extiterit: ex pluribus enim iteratis vicibus fit, vt ſine dolore iterata calefactio ſuppleat vicem aduſtionis, partem ſcilicet exſiccando & corroborando, & humores digerendo, atque ita vlcus ſanando. *Scultetus Tab.* 32.

X V I I I. Puella a iij. annorum *nares* ſupra modum *vlceratas* habebat cum inſigni fœtore, Labia quoque dura, nigra: Hæc etſi curata videretur, ſemper eodem malo deinde corripiebatur: Adhibita autem purgatione convenienti, & cephalica ſecta, cucurbitulisque ſcapulis affixis cum inciſione, per ſex ſeptimanas victu tenui obſervato, & decoctum hagioxyli bibens omnino reſtituta fuit, Vſa quoque eſt Linimentis §. 14. & 15. deſcriptis. *Foreſtus lib.* 6.

X I X. *Cancer in naribus* vix curabilis eſt, ſed præmiſſis vniverſalibus, & bile atra evacuata, mitigantia ſaltem requirit: Adhibenda ergo oleum roſaceum, modico camphoræ addito, ſolani ſuccus; Antiqui dracontij ſemen tritum cum melle immittebant: Vtile eſt hoc medicamentum. ℞. *Succi ſolani* ℥iv. *pomphol.* ʒj. *ceruſſæ lota aqua roſar. & iterum exſiccat.* ʒß. *m. pauco oleo roſac,* adjecto, & cera alba liquata in mortario plumbeo, cum piſtillo plumbeo. Chimici commendant *liquorem Arſenici*; *Sennertus Practic. lib.* 1. *pag.* 3. *ſect.* 4. *cap.* 2. Ibi vide *Deſcriptionem illius Liquoris.*

X X. Cuidam cum *Naſi rubedine inſtar cancri* aliquot annis vexato, conſului vt ſecta

vena, & corpore repurgato ab atra bile, à cibis atram bilem gignentibus abſtineret, & hoc Linimentum præſcripſi. ℞. *Succi Solani* ℥ iv. *pulv. diapomph.* ℥ j. *ceruſſæ ablotæ cum aqua roſac.* & iterum ſiccatæ ℈ jß. ducantur pauco oleo roſac. adiecto, & cera alba liquata in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo, donec ad ſpiſſitudinem linimenti concreſcant; Hinc miraculi inſtar curatus eſt. *Foreſtus lib.* 13. *Obſ.* 6. *in Schol.*

N A T T A.

(Vide *Tumores lib.* 17.)

S Y L L O G E:

Inſignis in femore feliciter extirpata. 1.
In Capite. 2.

I. IOb. *Ferber* circa 24. ætatis annum, in dextri femoris parte interna exortum eſt tuberculum, quod ſpatio bienni in tantam molem excrevit, ut ſua magnitudine tria hominis adulti capita facillime adæquaret, & ingreſſum impediret: Hanc excreſcentiam Chirurgus quidam cauſtico medicamento corrodit, vt materiæ exitum procuraret, vlcus poſtmodum eſcharoticis conſolidaturus: Sed cum nullam inveniſſet materiam fluſibilem Empiricus anfugit, & ægrum omni auxilio deſtitutum reliquit. Patiens anno 1634. Ulmam venit, ibique Chirurgi *I. G. Bauleri* operam imploravit, qui cum nullis medicamentis vlcus tædum conſolidare potuiſſet, meo & *G. Riedlini* conſilio, *Nattam* exulceratam, & valde dolentem forfice apprehendit, & cauteriis cultellaribus abſcidit, eſcharaque ablata vlcus *Cerato divino* ad cicatricem pulcherrimam deduxit: Inſpecta Nattæ reſectæ ſubſtantia, quæ omnino erat carnoſa, fuiſque venis & arteriis prædicta, quæſivimus ex Patiente, an à natura tam macilentus fuerit? hic reſpondit ſe ante huius Nattæ exortum & augmentum corpus habuiſſe mediocriter craſſum: Ex qua reſpooſione fuimus edocti, quod excreſcentia omne fere alimentum, quo totum corpus nutriri debuiſſet, per venas & arterias obſervatas attraxerit: Reſtituto conſului vt moderato victu vteretur, ſingulis menſibus dorſo ſex cucurbitulas ſcarificatas adhiberet, donec corporis habitus paulatim iterum aſſueſceret ſanguinem ſibi aſſimilare, quem natura prius ad nutritionem tumoris tranſmittere conſuevit. Hoc conſilium iuvenis per ſemeſtre obſervavit, & poſtea incolumis vixit. *Scultetus Armam. Obſervat.* 76.

II. *Natta*, tumoris cum folliculo ſpecies, non infrequenter caput occupat: Omnes arteria quadam, à qua nutrimentum & augmentum capiunt, prædita ſunt: Succinguntur item peculiari tunica: contenta non vnius generis ſunt, in quibuſdam inveni ſubſtantiam pinguem flammam concipientem, in plurimis ceraceam ſolam vel ſero perfuſam: Familia hic eſt huius generis tumoribus obnoxia: Si baſis anguſta ſit, ſeta equina ſenſim magis magiſque conſtricta decidunt, quod aliquoties à me factitatum fuit: Si vero baſis amplior, ac conſtrictionem reſpuat, in ſummitate vulnus oblongum inſligo, contenta exprimo, ac baſi, ubi ceu per pediculum nutrimentum ſuſcipit, iuxe cum pauxillo goſſypij butyrum antimonii ſolum, vel cum linimento digeſtivo permixtum, vt ſcaturiginem obtruam: niſi enim pediculus abſcindatur, aut erodatur, brevi repullulant: Tumores hujuſmodi à Chirurgis temerariis & imperitis vno ictu amputatos novi, largiſſima ſubſequente hæmorrhagia, quæ vix ſiſti poterat, non ſine virium proſtratione: Antimonii butyrum nullos dolores, nullum pruritum excitat, niſi imprudenter labia cutis capillaræ attingantur; interna enim pellicula ſenſus expers eſt. *Wepferus Differt. de Apopl. pag.* 330.

NEPHRITICVS DOLOR.

(Vide *lib.* 3. *tit. de Calculo Renum.*)

S Y L L O G E.

Laudani vſus confert. 1.
Efficacia Mercurij dulcis. 1. *a.*
Frigidæ potus *cuidam vtilis fuit.* 2.
Alteri frigidæ fotus. 3.
Caſſiæ medulla quando conducit. 4.
Aperta vena malleoli *deſinens.* 5.
Clyſtere *valido ſedatus.* 6.
Nephritis Spuria, Scorbutica, *quomodo curanda.* 7.
Terebinthina vſus eximius. 8.

I. IN dolore Nephritico, & Colico à bile, Clyſteribus miſceatur Laudanum, atque etiam per os aſſumatur, non tamen nimis frequenter, ne præſertim in vltimo affectu concentrata materia morbifica, incraſſati humores, difficiléque mobiles reddantur, atque ita exultante hoſte inteſtino tandem æger fatiſcat, Natura conſopita virtutem remediorum ſibi applicare nequeunte, præſertim catharticorum; idque in Comite de Hault contigit. *Theod. de Mayerne Tract. M.S. de Laudano.*

I. *a.* Convenientius in hoc affectu nihil eſt quam ſi *Mercurius dulcis* ſemel atque iterum iuſta dozi exhibeatur: quinimo raro infeſtare ſolet eos qui Pilulis Mercurialibus ſingulis menſibus vtuntur: hac nimirum ratione ductus amplificantur, & calculi deinceps excernuntur. *Hartmannus Pr. Chimiatr. pag.* 255.

II. Quidam ſingulis noctibus *aquam frigidam* bibebat, atque graviſſimos cruciatus calculi, quos antea perpeſſus fuerat effugit: Mane vero ne frigida potio noceret, aliquot grana piperis aſſumebat. *I. Crato Conſ.* 9. *lib.* 1.

III. *I. Bellonus &c.* cui jam ſeni calculus inſignis magnitudinis excitus, dolores nephriticos non alio remedio quam *frigido fotu* compeſcuit. *Aldr. de Aldrighettis* pariter *aq. frigidæ* communis ſtillicidio dolore ſedato lotium provocavit. Cuidam dum cymba veheretur nunquam vrina proceſſit, niſi prius loto in frigidam vel nivem immiſſo. Videntur frigoris objectu calor excitatus materiam extenuet, adeoque dolorem compeſcat, ſimulque expultricem roboret? Rariſſimum quod *Pet. à Caſtro* memoravit, partibus in vlnæ ardore contractis quum nihil excerneretur, ab injecto ex

Vngu. Sub cœna inungebat, mane cum aqua roſar. fabarum & decoctu furfuris tepide abluebatur: Hoc etiam valet ad Puſtulas faciei, & naſi rubriuſculas: Valet & hoc expertum. ℞. *Litharg. auri, ceruſſæ ana.* ℥ij. *thuris, maſtich. ana.* ʒj. *camphoræ* ℥ß. *cum oleo roſat. & aceti* modico fac Linimentum. *Foreſtus Obſ. 3. lib. 13.*

X V. Ad *Eryſipelata & Phlegmones narium*, poſt vniverſalia confert egregie Vngu. Nutritum dictum, vt & ad *Vlcera narium*, quæ præſertim fiunt in alis, quæ fortiter reſiccantibus citra morſum, & ſarcoticis ſufficienter curantur, quibuſdam adſtringentibus additis: Mineralia diligentiſſime lota, cum cortice mali granati, & aloë lota talia vlcera curant: Prodeſt & frequenter lavare partem decocto adſtringente, addito alumine; Poſtea vtere fumigio præſcripto à *Rondeletio.* Vide §. 2. *Idem.*

X V I. *Vlcerari Nares* intus conſueverunt, eſque malo vix ſuccurri poteſt cum inveteraſcit: Mihi puella nubilis & nobilis oſtenditur quæ eiuſmodi morbo diu tenebatur, nec inventus eſt Medicus qui id malum tollere potuiſſet: Erant enim vlcera circa Nares pluribus cruſtis fœdata, è quibus etiam malus conſurgebat odor: Primo igitur alvum duco, humores æquo, & cucurbitulis ſcapulis affixis, carnéque ferro inciſa ſanguinem mitto: Tum & frictionibus divertentibus vſus, nares calida aqua ſpongia expreſſa confoveo, deinde ceruſſam & argenti ſpumam oleo myrthino & & omphacino excipiens, ad craſſitudinem mellis reduco, eóque illiniri ſæpius nares jubeo: quo auxilio cruſtis omnibus exciſis, ceruſſa demum, olibano, cadmia, ſcillæque interiori parte diligenter attritis, & melle addito, medicamentum conficio, quo ſpecillum lana obvolutum intingens vlceribus admovebam; & his repletis linamentum, eo quoque medicamento illitum demittebam in nares: Idque bis die vel ter faciendum curabam; quoad his præſidiis malo, quod plurimos Medicos fatigaverat, paucis etiam menſibus ſublato, puellam priſtinæ reddimus ſanitati. *Benivenius de Abditis cap. 27.*

X V II. Curavi ſartorem *Ozana Gallica* detentum, quæ etiam poſt internum decocti ex ligno guaiacino vſum, per duos annos continuos, à barbitonſore fuit tractata medicamentis ex antimonio & Mercurio præparatis: His nihil conferentibus, D.D. *Spigelii* conſilium æger petiit, qui eo tempore valetudinatius, me Chirurgo ordinario adiunxit, mihique præcepit vt turundam ex linteo puro conficerem, eamque nari læſæ immitterem, ibi per diem naturalem relinquerem, vt ozænæ ſitus, quantitas & qualitas addiſci poſſit: Mandatis obtemperavi & turundam extraxi, quam fere in apice ac in dextro latere, velut in orbem maculatam ſummeque fœtentem inveni & *Spigelio* monſtravi, qui hanc ſubitò atque vidit, dixit vlcus eſſe in ſummo ferè naris loco, ſupra ſcilicet partem cartilagineam, idque in latere dextro, non adeo quidem magnum, ſed cum oſſis corruptione coniunctum, quod inuſtionem poſtulet: Quærenti rationem dictorum, dedit ſequentem, Quia turunda ferè in apice eſt contaminata, vlcus ſitum habet in ſummitate naris: Quia eadem cæterius eſt ſolum commaculata, neceſſario ſiniſtrum duntaxat latus afficitur; Vlcere non adeo magno, quoniam macula eſt parva: Cum oſſe tamen corrupto, quia turunda eſt nigra & valde fœtet, Chirurgia opus habet, quoniam huic affectui hactenus medicamenta talia incaſſum fuere adhibita, quæ ſi os corruptum non fuiſſet, vlcus jampridem ad cicatricem duxiſſent. Quam Chirurgiam, ſeu Inuſtionem naris, per cannulam mihi perficiendam reliquit, vtpote facilem, Quare cannulam elegi idoneam, quæ in latere foramen habuit, illamque linteo quod vino nigro auſtero erat imbutum & expreſſum, pro illæſarum partium defenſione, involvi, ac nari exulceratæ immiſi, vt foramen dictæ cannulæ vlcus æquaret: præparata & nari immiſſa cannula, recepi ferrum optimè candens, quod per cannulam immiſi vſque ad locum affectum, idemque ſtatim retraxi, repetendo ſtyli candentis immiſſionem & retractionem ad ſummum quater vel quinquies, quam citiſſime tamen, unde ad minimum duo ferramenta ignita requiruntur: Poſt inuſtionem naris, (mitigato prius dolore & eſchara ablata) medicamentis adiuta, intra 14. dies particulam oſſis ſeparavit, & vlcus, applicitis exſiccantibus, fuit cicatrice obductum. Hanc Chirurgiam poſthac in pluribus felici cum ſucceſſu expertus ſum: Ozæna narium, cum, vel ſine luis venereæ ſuſpicione, abſque tamen oſſis carie, ſi medicamentis curari nequit, expoſcit cannulam omnino ſolidam. Immittendam jubet Aquapendens cannulam ferream omnino ſolidam, non involutam linteo, ſed albumine ovi probè agitato oblinitam, tam longam vt vlceris longitudinem adæquet nariumque cavitatem æmuletur, & per ipſam ferrum candens immittendum, quod tamen nonniſi cannulam attingat: Sic fiet vt ferrum candens calefaciat cannulam, & hæc nares & ozænam: Nolo tamen vt nares ex hoc calore doleant, ſed locus exulceratus citra dolorem calefiat, ad bonam laborantis tolerantiam; qua perſpecta, tunc cannula è naribus è veſtigio eximenda, rurſumque immittenda, totieſque ferramentum candens, quod tantum calefaciat, repetendum, quouſque exſiccata ſufficienter pars extiterit: ea pluribus enim iteratis vicibus fit, vt ſine dolore iterata calefactio ſuppleat vicem adustionis, partem ſcilicet exſiccando & corroborando & tumores digerendo, atque ita vlcus ſanando. *Scultetus Tab. 32.*

X V I I I. Puella xiij. annorum *nares* ſupra modum *vlceratas* habebat cum inſigni fœtore, Labia quoque dura, nigra: Hæc etſi curata videretur, ſemper eodem malo deinde corripiebatur: Adhibita autem purgatione conveniente, & cephalica ſecta, cucurbitulíſque ſcapulis affixis cum inciſione, per ſex ſeptimanas victu tenui obſervato, & decoctum hagioxyli bibens omnino reſtituta fuit, Vſa quoque eſt Linimentis §. 14. & 15. deſcriptis. *Foreſtus lib. c.*

X I X. *Cancer in naribus* vix curabilis eſt, ſed præmiſſis vniverſalibus, & bile atra evacuata, mitigantia ſaltem requirit: Adhibenda ergo oleum roſaceum, modico camphoræ addito, ſolani ſuccus; Antiqui dracontij ſemen tritum cum melle immittebant: Vtile eſt hoc medicamentum. ℞. *Succi ſolani* ℥iv. *pomphol.* ʒj. *ceruſſæ lotæ aqua roſar. & iterum exſiccat.* ℥ß. *m. pauco oleo roſac,* adjecto, & cera alba liquata in mortario plumbeo, cum piſtillo plumbeo. Chimici commendant *liquorem Arſenics; Sennertus Practic. lib. 1. pag. 3. ſect. 4. cap. 2.* Ibi vide *Deſcriptionem illius Liquoris.*

X X. Cuidam cum *Naſi rubedine inſtar cancri* aliquot annis vexato, conſului vt ſecta

vena,

vena, & corpore repurgato ab atra bile, à cibis atram bilem gignentibus abſtineret, & hoc Linimentum præſcripſi. ℞. *Succi Solani* ℥ iv. *pulv. diapomph.* ℥ j. *ceruſſa abluta cum aquaroſac.* & iterum ſiccatæ ℈ j ß. ducantur pauco oleo roſac. adiecto, & cera alba liquata in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo, donec ad ſpiſſitudinem linimenti concreſcant; Hinc mliaculi inſtar curatus eſt. *Foreſtus lib.* 13. *Obſ.* 6. *in Schol.*

N A T T A.

(Vide *Tumores lib.* 17.)

S Y L L O G E:

Inſignis in femore feliciter extirpata. 1.
In Capite. 2.

I. IOb. *Ferber* circa 24. ætatis annum, in dextri femoris parte interna exortum eſt tuberculum, quod ſpatio bienni in tantam molem excrevit, ut ſua magnitudine tria hominis adulti capita facillime adæquaret, & ingreſſum impediret: Hanc excreſcentiam Chirurgus quidam cauſtico medicamento corrodit, ut materiæ exitum procuraret, vlcus poſtmodum eſcharoticis conſolidaturus: Sed cum nullam inveniſſet materiam fluxibilem Empiricus aufugit, & ægrum omni auxilio deſtitutum reliquit. Patiens anno 1634. Ulmam venit, ibique Chirurgi *I. G. Bauleri* operam imploravit, qui cum nullis medicamentis vlcus fœdum conſolidare potuiſſet, meo & *G. Riedlini* conſilio, *Nattam* exulceratam, & valde dolentem forfice apprehendit, & cauteriis cultellaribus abſcidit, eſcharaque ablata vlcus *Cerato divino* ad cicatricem pulcherrimam deduxit: Inſpecta Nattæ reſectæ ſubſtantia, quæ omnino erat carnoſa, fuiſque venis & arteriis prædicta, quæſivimus ex Patiente, an à natura tam macilentus fuerit? hic reſpondit ſe ante huius Nattæ exortum & augmentum corpus habuiſſe mediocriter craſſum: Ex qua reſponſione fuimus edocti, quod excreſcentia omne fere alimentum, quo totum corpus nutriri debuiſſet, per venas & arterias obſervatas attraxerit: Reſtituto conſului ut moderato victu uteretur, ſingulis menſibus dorſo ſex cucurbitulas ſcarificatas adhiberet, donec corporis habitus paulatim iterum aſſueſceret ſanguinem ſibi aſſimilare, quem natura prius ad nutritionem tumoris tranſmittere conſuevit. Hoc conſilium iuvenis per ſemeſtre obſervavit, & poſtea incolumis vixit. *Sculterus Armam. Obſervat.* 76.

II. *Nattâ*, tumoris cum folliculo ſpecies, non infrequenter caput occupat: Omnes arteria quadam, à qua nutrimentum & augmentum capiunt, præditæ ſunt: Succinguntur intus peculiari tunica: contenta non vnius generis ſunt, in quibuſdam inveni ſubſtantiam pinguem flammam concipientem, in plurimis cretaceam ſolam vel ſero perfuſam: Familia hic eſt huius generis tumoribus obnoxia: Si baſis anguſta ſit, ſeta equina ſenſim magis magiſque conſtricta decidunt, quod aliquoties à me factitatum fuit: Si vero baſis amplior, ac conſtrictionem reſpuat, in ſummitate vulnus oblongum infligo, contenta exprimo, ac baſi, ubi ceu per pediculum nutrimentum ſuſcipit, inde cum pauxillo goſſypij butyrum antimonii ſolum, vel cum linimento digeſtivo permixtum, ut ſcaturiginem obruerem: niſi enim pediculus abſcindatur, aut erodatur, brevi repullulant: Tumores hujuſmodi à Chirurgis temerariis & imperitis vno ictu amputatos novi, largiſſima ſubſequente hæmorrhagia, quæ vix ſiſti poterat, non ſine virium proſtratione: Antimonii butyrum nullos dolores, nullum pruritum excitat, niſi imprudenter labia cutis capillatæ attingantur; interna enim pellicula ſenſus expers eſt. *Wepferus Diſſert. de Apopl. pag.* 330.

NEPHRITICVS DOLOR.

(Vide *lib.* 3. *tit. de Calculo Renum.*)

S Y L L O G E.

Laudani vſus confert. 1.
Efficacia Mercurij dulcis. 1. *a.*
Frigidę potus *cuidam utilis fuit.* 2.
Alteri frigidæ fotus. 3.
Caſſiæ medulla quando conducit. 4.
Aperta vena malleoli *deſinens.* 5.
Clyſtere *valido ſedatus.* 6.
Nephritis Spuria, Scorbutica, *quomodo curanda.* 7.
Terebinthina vſus eximius. 8.

1. IN dolore Nephritico, & Colico à bile, Clyſteribus miſceatur Laudanum, atque etiam per os aſſumatur, non tamen nimis frequenter, ne præſertim in vltimo affectu concentrata materia morbifica, incraſſati humores, difficiléque mobiles reddantur, atque ita exultante hoſte inteſtino tandem æger fatiſcat, Natura conſopita virtutem remediorum ſibi applicare nequeunte, præſertim catharticorum; idque in Comite de Hault contigit. *Theod. de Mayerne Tract. M.S. de Laudano.*

1. *a.* Convenientius in hoc affectu nihil eſt quam ſi *Mercurius dulcis* ſemel atque iterum iuſta dozi exhibeatur: quinimo raro infeſtare ſolet eos qui Pilulis Mercurialibus ſingulis menſibus vtuntur: hac nimirum ratione ductus amplificantur, & calculi deinceps excernuntur. *Hartmannus Pr. Chimiatr. pag.* 255.

II. Quidam ſingulis noctibus *aquam frigidam* bibebat, atque graviſſimos cruciatus calculi, quos antea perpeſſus fuerat effugit: Mane vero ne frigida potio noceret, aliquot grana piperis aſſumebat. *I. Crato Conſ.* 9. *lib.* 1.

III. *I. Bellonus &c.* cui jam ſeni calculus inſignis magnitudinis excitus, dolores nephriticos non alio remedio quam *frigido fotu* compeſcuit. *Aldr. de Aldrighettis* pariter *aq. frigida* communis ſtillicidio dolore ſedato lotium provocavit. Cuidam dum cymba veheretur nunquam vrina proceſſit, niſi prius loto in frigidam vel nivem immiſſo. Viden ut frigoris objectu calor excitatos materiam extenuet, adeoque dolorem compeſcat, ſimulque expultricem roboret? Rariſſimum quod *Pet. à Caſtro* memoravit, partibus in vrinæ ardore contractis quum nihil excernetur, ab injecto ex

decoctione & oleis convenientibus clyſtere nive perfrigeratu, laxatis viis cum lotio turbido, ingentem Calculorum copiam laborantis commodo prorupiſſe. Nec hoc præſidium in febre ardente aliquando damnavit *Mercurialis*: Ægre tamen in exemplum admiſerim, niſi ætate vegeta, firmis viribus & favente anni tempore: Cujus infelicem eventum *Th. Bartholinus Cent.* 1. *hiſt.* 76. conſulto narravit. *Rhodius Cent.* 3. *Obſervat.* 23.

IV. Hic unum maxime neceſſarium minime prætereundum duco, Videlicet *Caſſiæ* medullam, paſſim ubique locorum in propoſito affectu ab omnibus indifferenter uſurpatam, non uſque adeo tutam eſſe, niſi ventriculo primaque regione prius vel inedia, vel vomitu, vel ventris dejectione expurgatis, quandoquidem inter diætetica medicamenta hæc non ignobilem tenet locum. *Zecchius Conſult.* 13. vide *l.* 3. *tit. de Calculo Renum* §. 3.

V. Vidua dolore Nephritico vehementiſſimo vexabatur, cum urinæ acrimonia & frequenti micturitione: Huic neque clyſteres cum aqua benedicta, neque cum terebinth. neque cum laudano, neque ſemicupium, neque laudanum aſſumptum quicquam profuere, dolore clamoſo per biduum perſeverante: tandem *aperta* fuit *vena malleoli*, & ſtatim ſanguine miſſo dolor ingens quievit, ſuperſtite tamen dolore obtuſiori. *Riverius Cent.* 2. *Obſervat.* 15.

VI. Medicinæ ſtudioſus correptus eſt dolore nephritico valde ingenti: urinæ erant rubræ & cruentæ: primum injectus eſt clyſter *ex decocto emoll. cum diaphœn.* ℥j. *aq. bened.* ℥iv, qui parum præſtitit: Sequenti die miſſus eſt ſanguis ad ℥x, quia erat plethoricus, dolor tamen perſeverabat: Tertio die iteratus eſt prædictus clyſter, qui eum toto die purgavit, blande & per dilucida intervalla, eodemque die à doloribus prorſus liberatus eſt, excretis duobus calculis perexiguis: Clyſter prædictus ad dolores colicos & nephriticos præſtantiſſimus eſt: In hac autem curatione hoc annotandum quod ſi prima vice injectus clyſter votis non reſpondeat, ſemel atque iterum repetendus ſit. *Idem Cent.* 4. *Obſervat.* 7.

VII. Symptoma illud Scorbuticum mendaci ſpecie calculum ſiſtens, de quo *Drawiſius* de Scorbuto pag. 346. non ſolum Scorbuticis ſed & malo hypochondriaco infeſtatis familiare tot lea anioadverti, ſç. Lico excrementitiam Saburram, ſeu tartarum hypochondriorum per renes evacuare ſolet: Tartarus iſte ſub ſpecie Sabuli rutilantis urplurimum in urinæ ſubſidentia ſe prodit, in atomos ſubtiles adeo diviſus ut viſum primo intuitu effugiat: variis tamen iiſque acutis angulis ejuſmodi atomos gaudere inde patet, quod lateribus vaſculi vitrei adhærentes nonniſi vi inde ablui poſſint: Aliquando dum confeſtim evacuantur, ſanguineum præ ſe fert urinæ colorem: areolæ iſtæ Lieni & partibus vicinis impactæ, ardorem concitant: ad renes autem, ureteres & veſicam delatæ, nervoſas has partes aculeis ſuis vellicant, convellendo torquent, & tormenta ipſis nephriticis graviora & ſæviora concitant: comitem his ſe adjungit ſtranguria intolerabilis & continua, partim ab atomis iſtis collum veſicæ vellicantibus, partim ab urina ad aciditate vergente: Acida autem facile ſtranguriam concitare *Helmonthii, erudit.* Pleura furens *numero* 14. probat experimentum: Parum levaminis à *Drawizio* præſcripta ægris afferre comperi: calidiora diuretica, v. g. ſpir. terebinth. juniper. &c. malum exaſperarunt: Spiritus ſalis comm. ſtrenuum hic ſe præſtat aver-runcum, ut & ſpiritus lombricorum terreſtr. Eſſentia item nephritica è ligno nephritico cum ſpiritu ſalis comm. & fragorum extracta: Vehiculi loco aqua petroſelini & urticæ, in qua lapis cryſtalli candefactus extinctus (quam commendat *Seranſius in Theatro ſympatet. pag.* 138.), utor felici cum ſucceſſu. *Ch. Fred. Garmannus miſc. Cur. anni* 72. *Obſervat.* 44.

VIII. Monachus articulari morbo & Nephritidi obnoxius, cum nullo remediorum genere ex multis tentatis benevaleret, tandem aſſiduo uſu terebinthin. intra vj. menſes liber evaſit: aſſumebat autem nucis magnitudine, ſingulis diebus, jejuno ſtomacho, cum ſaccharo. *Amatus Cent.* 1. *Cur.* 63.

NERVORUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Vinum intra & exterius noxium. 1.
Vulneratis *an oleum utile.* 2.
In Punctura *indicationes curativa.* 3.
Oleum terebinthina mature infundendum. 8.
Diſſecti *non ſunt ſuendi.* 4.
Acetum & oxymel an nocent. 5.
Vulneratis qualia ſiccantia conveniunt. 6.
Puncturæ curatio in Lue venerea affecto. 7.

I. IN meipſo expertus ſum *Vinum*, etiam exterius adhibitum, in nervorum affectibus noxium eſſe: Quum poſt reditum meum Baſileâ manifeſtiſſimam intemperiem frigidam in univerſa manu perſenſiſſem, explorare volui quid vinum exterius adhibitum poſſet in affectibus nervoſarum partium: manum itaque in tertium uſque diem ſpiritu vini inungo, bis in die, Quid fit? Exacerbatur dolor, & adeo quidem, ut per dies aliquot vix digitum minimum ſine dolore movere potuerim. *Subaudo* cuidam Nobili cum crura paralyſi reſoluta eſſent, & balneum ex herbis, appropriatis quidem, ſed in vino coctis, per dies aliquot uſus fuiſſet, Lethargo correptus & poſt triduum extinctus fuit. *Hildanus Cent.* 6. *Obſervat.* 86.

II. Inter calorifica auxilia *Nervis diſcooperis* utilia, *Gal.* oleum Sabinum, præſertim bimum trimumve, cum ſit calidum & profundam craſſamve nervi ſubſtantiam penetrans, recenſet: At 6. *meth. c.* 3. id reprobat; *Sane oleo perfundere tale ulcus non oportet, quia ſordidum ulcus reddit &c.* Reſp. *Avic.* 4. 4. *tr.* 4. *c.* 2. *Dico quod oleum roſac. & maximè quod fieri debet ex olivis immaturis, non eſt unctuoſum, ſed ſiccum, & vocatur oleum omphacinum, & maximè cùm roſa cum eo commiſcentur, acquirit oleum illud aromaticitatem confortantem ſpiritum animalem, & ſiccitatem & expreſſivam virtutem, per quod confortatur cerebrum, dolores ſedantur, ſanguis ingroſſatur, & ſi quis eſt ſubtiliatur &c.* Tale in curatione vulneris apponendum ob dictas rationes. *Zacutus Med. Princip. l.* 2. *hiſt.* 15.

III. In eo omnes conſentiunt, atque praxis docet, in *Puncturis nervorum* abſtinendum à frigidis, adſtringentibus, humidis; & utendum calidis ſiccis, tenuem ſubſtantiam habentibus; ſeu, ut *Galenus* ait, Eo omne conſilium dirigendum ut medicamentorum facultas ſit tum tenuis, tum mediocriter excalefaciens, & quæ ſiccare citra dolorem poſſit:

Nam

Nam ſola hæc trahere ex profundo ſaniem, neque contracta, neque demortua particula poſſunt: At etſi hoc ſit extra dubium medicamenta talia eſſe debere ut ſaniem exſiccent, diſcutiant, ac ex alto trahant, Exiſtimo tamen ea alio fine adhibenda eſſe: cum enim, meâ ſententiâ, Sarcoticorum is præſertim uſus ſit, ut calorem cujuſque partis roborent, quo naturam carnis generatione melius officium præſtet, hoc præſertim in nervis, tendinibus & ligamentis, partibus minus calidis quàm carnoſis, neceſſarium; quo alimentum affluens rectè coquere & ſibi aſſimilare poſſint, nec id in ſaniem mutetur: quo enim major debilitas, eo copioſior talis ſanies affluit: ideo parti temperies naturalis reſtituenda, per medicamenta quæ calidum nativum nervorum roborent & augeant: *Galenus* in corporibus ſiccioribus emplaſtrū parat ex ceræ part. j. terebint. picis an. part. ß. euphorbij part. 12. de quo, vide *Gal. 6. m. m. c. 2.* ubi prolixè de euphorbii in nervorū vulneribus uſu agit, cujus menſuram, eo judice, nemo cōprehendere poſſit, ob variam euphorbii ætatem, & varias naturas corporum: Sed recentior ætas longè tutiora medicamenta, tam Chymice parata, quam exotica, imò & apud nos obvia, & quæ citra dolorem, quem facile fortiora illa antiquorum inducunt, officium ſuum faciunt, quæque, ſeu nervus denudatus, ſeu tectus ſit, tuto applicantur: (cum in nervo nudato antiqua illa omnia tuto adhiberi non poſſint) invenit, Talia ſunt *Balſamus Peruvianus, Oleum deſtillatum reſinæ terebinth. & abietinæ, ceræ, oleum ſeu balſamum hyperici &c.* quibus omnia a *Galeno* requiſita inſunt, cum vi Balſamica, quâ illa deſtituuntur, & corrodendi vim habent; ac non ſolum excrementa abſumunt, ſed & calorem nativum partis vulneratæ valde roborant. *Sennertus Practic. lib. 5. p. 4. cap. 15.*

In *Nervis punctim & caſim vulneratis*, poſt univerſi corporis procurationem, Medicorum quidam prius incidunt cutim ad angulos rectos, ut ſanies liberè exeat, & topica ad puncturam uſque nervi penetrent: Alii facta cutis in angulos inciſione, etiam nervum tranſverſim diſſecant bono ſucceſſu, antequam remedia externè adhibent, ut humorum affluxus inhibeatur, qui dolorem auget, inflammationem efficit, ac convulſionis cauſa fit: Quia tamen hanc cutis inciſionem, vel etiam nervi punctim læſi diſſectionem, ægrotantes raro vel nunquam concedunt, in Barbitonſorum gratiam, (qui non raro, dum venas phlebotomo incidunt, nervos vicinos, vel venis ſubjectos imprudenter lædunt) Topicum ſæpius expertum apponam, ℞ *Euphorbii opt. ℈j. reſinæ terebinth. ℥ß. ceræ parum, miſce f. Ungu.* extendatur ſuper linteum & calide applicetur: hoc ſolo ſtatim adhibito plures ejuſmodi puncturas tutiſſimè curavi. *Ioh. Scultetus Armam. Chir. Obſ. 64.* Vide *Sylvium de le Boë Prax. l. 2. c. 23.*

IV. *Brunus, Lanfrancus, Guido*, volunt ut nervi in tranſverſum diſſecti conſuantur: *Theodoricus* ſuturam nervi improbat: *Rulandus* vult ut ambo capita nervi cæſi cauteriſentur: Quid in hac opinionum diverſitate faciet juvenis Chirurgus? Sequatur *Hippoc. l. 1. de morbis*, ubi ait, *Nervus præciſus aut diſſectus non coaleſcit*, & *Galen.* l. de conſt. Art. *Nervus aut ligamentum diſſectum reſici non poteſt:* Si nervus præciſus ac diſſectus non coaleſcit, ad quid proderit ægrum incautè periclitari? *Hildanus Epiſt. 90.* Vide *Marchetti Obſervat. 63.*

V. Etſi *Acetum* ſit nervis inimicum, tamen, ait *Saxonia*, inimicum non eſt cum melle. Et inimicum eſt nervis exſiccatis non pituitâ repletis, Verumtamen quia etiam oxymel nervos, ſi ſit acrius, vel ejus uſus nimius, vellicat, acidorum uſus omnino parcior ſit. *Sennertus.*

VI. *Galenus*, ut ex 3. *de compoſ. Medic ſec. gen. c. 2.* videre eſt, in *Vulneribus nervorum* ſulphur vivum uſurpat, calcem vivam lotam, arſenicum, ſandaracham, pompholyga, ſquamam æris, chalcitidem uſtam, Sed in his omnibus ſaltem vim ſiccandi ſpectavit, & talia ſolum medicamenta componere voluit quæ excrementa è vulneribus nervorum evocarent & abſumerent; At mihi probabilius videtur talia medicamenta eſſe eligenda quæ calidum nativum nervorum, quod tum per ſe, tum maximè in vulneratis nervis debile eſt, ſimul roborent & augeant. *Sennertus*, vide *ſupra* §. 3.

VII. Quidam manu inverſa menſam percutiens acum in eam infixit, tertio die inſignis dolor obortus eſt, nullus medicamentis cedens: Contumaciam advertens, inquiro & diſco eum ante triennium gonorrhæa & cariè pudendi affectum fuiſſe, ſed perfectè curatum: Præcipi ipſi ſtatim ſuffumigium ex cinnabari, ſtorace, benzoino, thure, & ſemine hyoſciami terebinthina exceptis, quo manus tantum ſuffiebatur, & ſtatim melius habuit, paucisque diebus continuato remedio curatus eſt. *D. Des Grandprés Obſ. 5.*

VIII. Fieri poteſt ut huic remedio (vide §. 3.) non cedat malum, quod fiet imprimis ſi ſerius applicetur, (*oleum therebinthina*) unde fruſtra tum expectatur ejus medela, uti contigit ante annos xviij. Medico & Chirurgo Amſtelodamenſi; *Theod. Van der Noë*, cui cum aliquando circa meridiem excuderent ex manibus forfices, & ipſe illos feſtinaret apprehendere, forte fortuna acutæ ejus parti alliſit dextri pollicis extremam juncturam; in qua cum levem tantum dolorem ſentiret, per aliquot horas malum neglexit, verum circam decimam nocturnam, & in ipſa parte affecta, & in univerſo corpore leves convulſiones percepit: Cum autem natura eſſet bilioſus, mox aſſumpto pharmaco eandem evacuavit, perſeverantibus nihilominus cum dolore convulſionibus ita moleſtis, ut mihi mane ad ſe vocato ſignificaret ſibi eſſe pereundum, poſtquam nullum curatum vidiſſet, cui non mox in principio oleum penetrantiſſimum in vulnus eſſet immiſſum, quod ipſe neglexerat ob dolorem non ita magnum. Evenit autem uti prædixerat, invaſit enim totum brachium eryſipelas grave, cum ejuſdem tumore notabili &c. *Franc. Sylvius Prax. l. 2. c. 23.*

NOCTAMBVLVS,

Balneo Curatus.

ADoleſcens bilioſus inter dormiendum repente è lecto ſurgebat, arma capiens &c. Huic cum morbus ex nimia ſpirituum tenuitate, muſculorum & nervorum robore, cerebri intemperie ſicca oriretur, præter incraſſantem victum, terorriaſ homo s vacuationem, Balneum maximo fuit auxilio. *Zacutus Prax. Adm. l. 1. Obſervat. 47.*

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER DECIMVS TERTIVS.

De Affectibus à litera O. incipientibus.

OBESITAS.

SYLLOGE.

Aceti vſu abſumpta. 1.
Non omnibus conducit. 11.
Purgatio *qualis convenit.* 2. 4. 5.
Pinguedo an detrahi poſſit per inciſionem abdominis. 3.
An frequenti Purgatione *&* venæ ſectione *deſtrui poſſit.* 4. 5.
Pulveris medicati vſu conſumpta. 6.
Diæta. 7.
Diaphoreſis *libera procuranda.* 8.
Diureticorum *vtilitas.* 9.
Lavacra ſalſa *valent.* 10.
Cauteria *&* Frictiones *conducunt.* 12.
Maſticatione *foliorum Tabaci quidam extenuatur.* 13.
Tenuis Diæta *aliquando obeſt.* 14.
Abſtinentia panis conſulit. 15.
Vſus linguæ avis, i. e. ſem. fraxini. 16.

I. CHIAPINIUS *Vitellius*, Generalis caſtrorum Præfectus, ſub mediam ferme ætatem, increſcente adeo mole ut faſcia è collo demiſſa ſuſtinendus eſſet venter, videns inde tardiorem quotidie ſe reddi ad belli munia, vino ſua ſponte ſibi interdicto, acetum exinde bibere ad vitæ vſque finem perſeveravit, effecitque vt detumeſcente abdomine, defluenteque ventris pelle, qua ipſe ſe thoracis inſtar involvebat, octoginta ſeptem librarum pondo decreviſſe compertus ſit. *Strada de Bello Belgico lib.* 8.

II. Ne quid mali gravioris contingant, tentandum vt quam exuperantiam victus parcior ac tenuior prorſus abſorbere non potuit, medicina ſubtrahat; quandoquidem obſervatum eſt alvum ſive ſponte, ſive arte ſolutam emolumenti non parum contuliſſe: Id autem ſenſim ac lente præſtandum, quod minime tutum ſit tantam illuviem vi & impetu concutere, ne vniverſa corruat: Itaque accommodatiſſima *Purgatio* fuerit per catapotia ex rhabarb. & aloë ana. ʒ ij. agar. ʒ j. cinnam. & ſantal. citr. ana. ʒ ß. quæ concinnentur cùm ſyrupo de cichor. Hac autem lege vtendum, vt primum quidem ℈ j. offeratur mane ſeſquihora ante paſtum: duobus tribuſve diebus interjectis ʒ ß. aut ℈ ij. dentur horis ij. ante cibum; Sic ſæpe repetenda erit purgatio ex intervallis brevioribus, dum omnem videatur cacochymiam ſuſtuliſſe. *Fernelius Conſ.* 17.

III. An autem præſente obeſitate *incidendum* ſit *abdomen* pro imminuenda pinguedine, vt innuit *Plinius lib.* 11. *cap.* 37. de Filio *Lucii Apronii Conſularis* viri, cui fuere adipes detracti, & levatum fuit corpus ab immobili onere? Equidem dicerem periculoſam eſſe operationem, & timore maximo plenam, Nam ſi praxis vtilis & neceſſaria fuiſſet, nec ab *Hippocrate, Celſo, Galeno, Paulo, Avicenna &c.* fuiſſet alto ſilentio involuta: Niſi diceris pro *Plinio* pinguedinem non eſſe partem corporis ſentientem & animatam, ut ſuum patet exemplo, qui perforantur uſque ad interna & non ſentiunt, & ſic poſſe ſecari abdomen innoxie, Sed utcunque ſit, hodie hoc remedii genus ab aula receſſit. *Epiphan. Ferdinandus hiſtor.* 82.

IV. *Pharmacia* maxime convenit quando non adeſt Obeſitas ſed timetur; ſed ea præſente, ex *Avicenna*, non multum convenit, Inquit enim, In ventris ſolutione eſt timor, fortaſſe enim non movebit humores eorum, & non erit poſſibile ut penetrent in venas redeundo propter coarctationem eorum, ut ob id ſint corpora eorum obtuſi ſenſus,

Idem

Idem ibid. Quidam voluot incipiendam eſſe attenuationem à *venæ ſectione*, quod noo probo, quia ſanguis non peccat, & in venis ob anguſtiam pauca eſt illius copia: & ſi multum detrahatur debilitat vires: Si in parva quantitate nihil prodeſt: Sed nec medicamenta Purgantia conveniunt, quia ex illis debilitantur, & quia craſſis non pravis abundant humoribus: Alvus tamen humida ſervanda eſt per vſum pilul. ex hiera *Galeni*, quæ non ſolum leniendi alvum, ſed & attenuandi vires habeot. *Fonſeca conſult.32. lib.1.*

V. Nob. Dominæ adeo obeſæ vt vix incedere poſſet, à Medicis conſultum eſt vt iter vnius miliaris ſubinde jejuna pedeſtri itinere abſolveret, ſed cum præ æſthmate ambulare amplius non poſſet, magis ei præfuit *Purgatio* frequentior. *Foreſtus Obſ.20. lib.31.*

VI. Auri faber quidam cum extreme obeſus foret, ita vt proximus ſuffocationi videretur, huic ſequens Pulvis etiam in cibo datus eſt, & ita liberatus fuit: ℞. *Tartar.* ℥ij. *cinnam.* ℥iij. *zinzib.* ʒj. *ſacchari* ℥iv. f. Pulvis: *Idem.*

VII. *Gilbertus Horſtius* ſequentia maxime extenuare Obeſos expertus erat, cepe, allium, naſturtium, porrum, ſemen rutæ, & potiſſimum acetum ſcyllinum: Vtantur larga ventris ſolutione; Vrinam ac ſudorem provocent: labore tum multo tum veloci vtantur antequam comedant: famem tolerent, diu vigilent, ſitim patiantur, in balneo aëreo ſudent, dormiant parum, & morentur ſub ſole. *Idem.* Abſtineat à potatione inter cœnam & prandium, nam talis corpora multum pinguefacit. *Epiph. Ferdinandus hiſt.82.*

VIII. Purgato corpore, quoniam præcipuus ſcopus propoſitus eſt vt caro & pinguedo deterantur, ſimulque continuo perſpirationi & exinanitioni via paretur, adeos abſolvendos conducturum id remedium eſſe confido, quod hæc faciendi inſignem poteſtatem habet: Cujuſmodi eſt ligni *Guajaci & ſarſæ decoctum* pluribus diebus cum tenui & exſiccanti diæta, ſudoriſque provocatione aſſumptum: hoc enim (ſi modo prudenter adminiſtretur) minime dubitare oportet quin blande exſiccet, ſudoremque provocando, cutis meatus aperiat, & conſequenter faciendæ inſenſibili tranſpirationi magnopere auxilietur:

IX. Poſt cujus vſum non parum mihi arridet eorum conſilium qui *Diureticis* vtendum eſſe commendant, vt aſparago, apio, fœniculo, porro.

X. Similiter quoque facere non poſſum quin laudem vſum ejus *lavacri*, *quod vim habent exſiccandi*, quale eſt aqua marina, qua tepida vtantur. *Mercurialis conſult. 122. Tomo 3.*

XI. Laudant aliqui, maxime in æſtate, per plures dies cyathum vnum *Aceti*, mane, nam potenter corpora ſiccat & emaciat. (Vide §.1.) Sit ejus vſus ergo aſſiduus, maxime in condimentis & acetariis: Verum & hoc fugiant qui imbecillos habent articulos, nec non & vterum; hyeme, vt ejus nimia acredo refrangatur, immiſcendæ ſunt vvæ paſſæ: Sint in aſſiduo vſu cappares cum aceto conditi, & olivæ. *Epiphanius Ferdinandus l. c.* A quibuſdam vſus aceti commendatur, ſed ventriculum & inteſtina lædere poteſt, cum ſit membranoſis omnibus partibus infenſum: Eo tamen feliciter vſus eſt ad ſui corporis extenuationem & imminutionem *Chiapinus Vitellius*, de quo §.1. *Iſaacus Cattierus Obſervat. 13.*

XII. *Cauteria* maxime probantur, præſertim in tibiis, cum ſenſim evacuent totum corpus: Frictiones etiam commendantur aſperæ, pannis aſperis, donec cutis rubeat. *Epiphanius Ferdinandus loco c.*

XIII. Nobilem virum adeo pinguem vidi vt equo inſiſtere nequiret quin ſtatim ſopiretur, nec loco fere moveri poſſet: Ille tamen nunc huc & illuc vadit mole illa deperdita, & priſtinum habitum recuperavit, quod ſola maſticatione foliorum Tabaci peractum fuit, vt ipſe mihi aſſeveravit: pituitoſis enim & frigidis corporibus vtile eſt: Folium lauri linguæ impoſitum aquas multas etiam educit. *Petrus Borellus Obſerv. 11. cent. ij.*

XIV. Multi quibus craſſior eſt corporis habitus, & pinguior aqualiculus, ejus extenuationem ſummopere exoptant, vt deambulationibus & variis corporis motibus, & inflexionibus liberius & abſque moleſtia vacare poſſint: Tenuis ſæpe Diæta ſæpe parum profuit, imo plurima multis intulit damna, febremque excitat. *Iſaacus Cattierus lib. c.*

XV. Novi ego hominem qui ex Obeſo & craſſiſſimo gracilior evaſit, detracta ſcil. panis portione, quem quotidie copioſum comedebat: Huic in panis locum major carnis quantitas ad eſum exhibita eſt. *Idem*,

XVI. Aſſiduus ſit vſus linguæ avis, id eſt, ſeminis fraxini, ad ʒj. cum vino exhibiti: Ex *Plinio* hydropicos curat, & corpore obeſos ad maciem reducit. Arabibus etiam maxime commendatur. *Ferdinandus l.c.*

OBSTRVCTIONES IN GENERE.

(vide Aperientia libro 19.)

SYLLOGE.

Pro varietate cauſarum varie medendum. 1.
Obſtructorum hypochondriorum ſignum certum. 2.
In aperientium vſu diu perſiſtendum ante Purgantium exhibitionem. 3.
Contumaces *valida aperientia poſcunt.* 5.
Remediorum juſta doſi oppugnanda. 7.
An Sanguinis miſſio *ſit potentiſſimum deobſtruens.* 8.
Rheum *in omni non convenit.* 9.
Inveteratæ ante chalybis vſum emollitionem & humectationem expoſcunt. 10.
Salium volatilium *efficacia in iis ſolvendis.* 11.
Aperitiva deſtillata *exiguæ ſunt efficaciæ.* 6.
Quæ ſunt à ſiccitate Lac aſininum *delet.* 12.
Dantur deobſtruentia externa *certæ efficaciæ.* 13.
Fonticulorum *in poplite efficacia.* 14.
Chalybeatorum vtilitas. 4.
Deobſtruentia recte vſurpandi ratio. 15.

I. Obſtructionum *cauſæ* admodum variæ ſunt, quas ad tria genera reducimus. *Primum* eſt ineptior partis permeabilitas, quæ oritur a frigore, à rebus adſtringentibus, à nervorum rigore & tenſitate aliquo modo nimiis; à compreſſione, a ligatura, à contuſione denique vel luxatione: *Secundum* eſt materiæ ad permeandum

ineptitudo, quæ talis redditur ob ejus duritiem, copiam aut figuram; a frigore etiam & ſtupore, ſive qualitate narcotica, *Denique* à craſſitie & viſciditate: *Tertium* genus eſt partis a plenitudine oppreſſio, quæ evenit à victu pleniore, ab intermiſſis exercitiis, & ab evacuationum quarundam ſuppreſſione, ſive iſtæ à natura, ſive à conſuetudine oriantur, ſive aliter ortæ fuerint. *Gliſſon Anat. Hepatis cap. 7.* Sex differentiæ ſunt morborum in Anguſtia, Obſtructio, Compreſſio, Conſtipatio, Occluſio, Subſidentia, Coaleſcentia: *Obſtructionem* Galenus 8. met. 4. vult fieri 1. ab humore viſcoſo, tenaci, lento, 2. ab humore craſſo, 3. à copia peccante: Notandum hic errare eos qui dum loquuntur de putredine, dicunt ipſam fieri à prohibita perſpiratione; hactenus recte; ſed inferunt, Ergo ab obſtructione, Quaſi prohibita perſpiratio non poſſit pendere à cæteris Anguſtiæ cauſis: Quoad *Compreſſionem*, hæc à tumoribus p.n. à nimia pinguedine, & à quacunque alia cauſa comprimente meatus ſenſibiles vel inſenſibiles fieri poteſt: Hanc tangit *Galenus* 2. aph. 42. dicens Apoplexiam fieri propter diſpoſitionem ſimilem inflammationi in cerebro; hæc inflammatio comprimit meatus & facit apopl. Eandem compreſſionem tangit 7. aph. 17. dicens Iecur inflammatum comprimendo os ventriculi ſingultum efficere: Eadem fit ab oſſe luxato, vertebra: Fit & à parte percuſſa, humoribus imbuta, nervos premente, ſic Pauſanias, (2. de loc. aff. 6.) percuſſus circa cervicem à caſu, amiſit ſenſum trium digitorum ſummæ manus, quibus ſenſus reſtitutus applicatis remediis cervici: *Idem* 13. m.m. 11. damnat Aperientia, dum Anguſtia fit ob compreſſionem, ſic cum Renes & Veſica inflammatione tentantur, diuretica eam augent eo ferenda excrementa, vnde meatus anguſtiores fiunt: Subdit de vtero inflammato, quod menſes moventia, quæ aperientia, inflammationem augeant: Conveniunt tamen menſes moventia, ſeu diuretica, facta prius purgatione, in obſtructione, conſtipatione & ſubſidentia; Sed in compreſſione facta à tumore, nimia pinguedine, inflammatione, potius nocent quam juvant, longe magis meatus occludendo: 5. aph. 46. ait *Galenus*, Si os vteri comprimatur à tumore, non ſunt movendi menſes, quia aperientia augent tumorem: Quoad *Conſtipationem*, hæc differt ab obſtructione, quæ ſolum fit in meatibus ſenſibilibus, illa vero in inſenſibilibus; ſic *Galenus* 2. in 1. Epid. comm. 7. dicit cauſas frigidas externas conſtipare cutim, & vetare ne halitus humorum digerantur: 4. de locis 7. habentur duo caſus paralyſis factæ ob conſtipationem ab aëre & aqua 1. Cuidam qui ambulabat ſub pluvia & vento, ob pallium madefactum & refrigeratum circa cervicem, fuerunt conſtipati cervicis nervi qui præbent ſenſum pericranio, vnde amiſit ſenſum: Alii Medici vt ſenſum revocarent, calefaciebant atque exulcerabant pericranium; *Galenus* vero applicando cervici calefacientia, illum hominem ſtatim ſanavit: 2. Piſcator ob moram in frigida amiſit retentricem ſphincteris ani & veſicæ, vnde fæces & vrinam retinere non poterat, non ob obſtructionem, ſed conſtipationem ab aquæ frigiditate factam, facultas animalis ad muſculos illos non excutiebat: Quoad *Occluſionem*, hæc fit dum meatus ſenſibiles occluduntur, non ab humorum copia, à lentore vel craſſitie, obſtructionum cauſis, ſed à re ſolida, vt cum meatus vrinarius, vel vreteres, occluduntur à lapillo vel caruncula: Quoad *ſubſidentiam*, hanc *Galenus* fieri ait 5. de ſympt. cauſis 2. dum contrahuntur ora venarum, quod fit ob tres cauſas, atrophiam, frigiditatem, mollitiem: addimus nos virium imbecillitatem: ſtertor in moribundis fit tantum propter ſubſidentiam vaſorum pulmonis, per quæ aër cum difficultate tranſiens efficit ſtertorem: Quoad *Coaleſcentiam*, hæc fit à callis poſt vulnera antiqua, vel vlcerum ſanationem, aut alias cauſas facti efficiunt anguſtiam: Hinc *Galenus* 3. meth. vlt. videns callos impedire humorum confluxum, dicit Si cerebri fluxus fiat ob debilitatem venarum vel arteriarum, illas excidimus; quia facta cicatrice & callo, non amplius fluunt humores in cerebrum: Ecce quod calli, ſeu cicatrices impediunt fluxiones, ſi fixi, duri & firmi ſint, quia tunc nullus relinquitur locus recipiendi excrementorum confluxum, quod Chirurgi non omnes intelligunt: *Collige igitur ex dictis* Aperientia, cujuſmodi ſunt *Diuretica*, Menſes moventia, & Aperientia meatus meſenterii, in meatibus anguſtis interdum juvare, & interdum ita nocere ut ægros interimant: Collige quoque quod Aperientia in ipſa Obſtructione ſunt admodum diverſa & varia, Nam ſi ſit ab humore craſſo, non convenient ea quæ tollunt viſcoſum, aut copia peccantem: nihil enim magis auget obſtructionem factam à copia, quam aperientia quæ auferunt craſſitiem & viſcoſitatem: quæ enim fit à copia, indicat vacuantia, nullomodo aperientia: Imo ſi quis vellet ante evacuationem vti aperientibus, incidentibus vel detergentibus, maxime læderet, quia magis impingeret: Hinc *Galenus* 8. meth. 4. Si prius tolleremus obſtructiones ante ſanguinis evacuationem, magis eas impingeremus: *Compreſſio* vero nullo modo aperientibus, ſed revellentibus Gal. 13. m. m. 11. *Occluſio* ſimiliter eſt omnino diverſa, quia fit à re ſolida & non ab humoribus: Qui hic vellet indiſcriminatim vti aperientibus, ſæpe læderet vel interimeret: *Subſidentia* tria remedia poſcit, ob Atrophiam alimentum, ob Frigiditatem calefacientia, ob Mollitiem roborantia: *Coaleſcentia* vero neque aperientibus, neque evacuantibus, ſed callos auferentibus tollitur: A medendi ergo ſcopo deflectunt qui ſic inferunt, meatus ſunt clauſi, ergo aperientibus vtendum, credentes dari remedium vnum aperiens quod tollat omnem anguſtiam: Exemplo ſit *Tuſſis*, quæ juxta *Galenum* 2. de ſympto. cauſis, eſt vehemens efflatio impellens inequalitatem, nonne hæc fit ab aliqua aſperæ arteriæ anguſtia? Dicimus igitur hanc inæqualitatem aſperæ art. fieri vel ab *Obſtructione* bronchiorum pulmonis, quam non juvabunt remedia quæ tollunt tumores, ſed oxymel. ſacch. candum, jujubæ &c. vel à *Tumore* comprimente, quam non juvabunt remedia ad obſtructionem, ſed quæ tumorem diminuunt; Vel à *Conſtipatione*, ob potionem valde frigidam, tunc ſolum juvat juſculum parvi pulli valde calidum, quod multoties fuimus experti: Vel ab *Occluſione* à re ſolida, tunc becchica juvabunt: Vel à *Subſidentia*, quæ in atrophia, vel in refrigeratis, vel relaxatis nimium fieri ſolet; Tunc juvabunt alimenta calida, roborantia & facilis coctionis, Expectorantia vero maxime nocebunt quia magis laxant: Si fiat inæqualitas & tuſſis à *Coaleſcentia*, orta à præcedente vlcere vel vulnere, niſi auferatur vel diminuatur callus, tuſſis erit inſanabilis. *Sanctorius de Remediorum Inventione c. 7.*

II. *Hipp.* 4. de vict. acut. *Satietatem hypochondrio* tribuit, quæ ad ventriculum ſolum pertinere videtur: Ita enim indicat nobis eam intelligere

latie-

ſatietatem quæ non à ventriculo provenit, cibis aut crudis cibis repleto, Sed ab epate vel liene affecto: Quoties enim viſcera hæc malis ſuccis repleta intumeſcunt, ab aſſumpto cibo etiam leviſſimo, & in pauca quantitate ingeſto compreſſa, gravitatem maximam ægris inducunt, ſimilem gravitati eorum qui immodicè & cibis & potibus ſe impleverе, & ideo *Satietatem* eam appellat: Hoc igitur ſignum nobis conſiderandum propoſuit *Hippocr.* quia illius præſentia affectum eſſe hypochundrium indicabit, etiamſi aliquando nec dolor nec tumor in ea parte manifeſtus appareat: Hunc affectum obſtructionem viſcerum appellant recentiores, quam adeo propriè & firmiter præfatos ſatietatis ſenſus indicat, vt hoc ſolo ſigno innixus, ſæpe ſæpius hujus morbi præſentiam ante hypochondriorum obtrectationem affirmare non ſum veritus. *P. Marianus comm. in v. 169. loc. citati.*

III. Non placet quorundam Medicorum vſus qui exhibitis ſeptem aut octo *ſyrupis*, & expurganti aliquo pharmaco, protinus vtuntur agarici aut rhabarbari diluto ſingulis diebus, exiſtimantes eo ſolo curari obſtructiones: Ego tamen magnifacio horum medicamentorum per crebra intervalla vſum: cæterum conſulo prius longo temporis tractu vti ſerapiis aut apozematibus extenuantibus & incidentibus: Nam purgantia illa medicamenta, parva quantitate exhibita, cenſeo nihil poſſe agere in humorem viſcidum, tenacem ac craſſum: quamobrem incidentibus & extenuantibus præmiſſis plurimum prodeſſe citra dubitationem exiſtimo, præterquam quod experientia mihi frequenter compertum eſt: *Mercatus de Indic. med. lib. 2. cap. 7.*

IV. Apertionem obſtructionum viſcerum commodè fieri poſſe per ea medicamenta, quæ, vt nonnulli cenſent, virtutem habeant ſua gravitate deorſum ferre omne id quod in viis antestat, quale eſt medicamentum quod ex *Chalybe* præparato conficitur: quod quidem indicio noſtro, non ſolum auxilium hoc ſuo pondere & gravitate præſtat, ſed vt ex *Caleno* colligi poteſt, ob alias etiam quas mirè obtinet facultates: namque eo loco nonnihil caliditatis obtinere refert, plurimum abſterſionis (præter adſtrictionem maximam quam obtinere, vt ex vino aut ſero chalybeato conſtat apertè, omnibus compertum eſt, licet eadem privetur præmiſſa præparatione) quo fit vt his tribus de cauſis aperiendis cujuslibet viſceris obſtructionibus plurimum præſtet, namque calore ſibi viam parat, ac humores etiam attenuat, præſertim dum his præparatur quæ calida ſunt & tenuium partium: pondere quidem celeriter quoſvis, vel minimos meatus permeat: abſterſione verò humores abradit, ac à parte cui adhærent, ſeparat & ſecum defert. *Mercatus de Indic. med. lib. 2. c. 7. vide lib. 19. tit. de Præpar. §. 39.*

V. *In morbis* omnibus chronicis & contumacibus ab obſtructionibus ortis, experientia & lectione vbique didici, vel *hidrotica* & *ſudorifica*, vel præcipuè *aperientia* valida præſtantiſſima eſſe, qualia ſunt *Sal Tartari*, *ſpiritus ſulphuris per campanam* elicitus, & *Mercurius dulcis* ſexies ſublimatus, & his ſimilia ad longos dies vſurpata, vt centies obſervavi & præſcripſi, exemplo Præceptoris mei, qui ſæpe ita Sal Tartari, & ſpiritum ſulphuris infundebat cum ℥j. vel ℥ij. Sennæ (aliquan dò ad. Ialapæ ʒß.) in aqua fontis ſola, aut decocto appropriato, vt videre eſt in ejus obſervationibus, (Riverii). Sicque febres intermittentes diuturnas, & ipſam quartanam, chloroſin, cachexiam, melancholicos affectus, & contumaces viſcerum obſtructiones, multis aliis ſæpiſſime curavimus: Aquam autem ſale Tartari impregnatam Febrifugam jure meritoque vocat D. *Riverius*, in obſervationibus ſuis, *Calomelanos* nomine donavit Mercurium dulcem, vt ſupra ſublimatum; qui certè laudabile, nec vnquam noxium efficit catharticum ad ℈j. cum ℈ß. reſinæ Ialapæ vel ſcammonii, quorum dozis minui vel augeri poteſt: Et ſanè nunquam alium niſi optatum ex hoc remedio aſſumpto vidimus effectum in caſibus innumeris & in omni ætate. *Riverius Cent. 4. Obſ. 97.*

VI. Hoc mihi compertum eſt quod ea quæ valida flagrant à tenuitate deſtillata, vix pervadunt obſtruentes ſuccos, nec valido niſu eos extrudunt, nec validam actionem renuationis edunt; ſed his quaſi inviolatis ſe trajiciunt & tenues evaneſcunt in auras: Evenit nobis in culicis id doloribus, & in vrioæ difficultate, quæ cum oleis aniſi minimè ſuperabantur, ita decocto aniſi facilè ſuperabantur; ignis enim vino ardenti linteum imbutum non impetu quodam abſumit ſed lambit, at ferri lignorumque ignis amburit. *Heurnius meth. ad Pr. lib. 1.*

VII. Si quis magnis gravetur obſtructionibus; præſcribunt quidam ℥iß. *Oxymelitis*, quæ diminuta dozis vix ad ventriculum pervenit; partim enim detinetur in pariſthmiis, partim in œſophago, & partim per ſputum illico ferè rejicitur: quomodo ergo obſtructiones meſenterii, ſplenis & hepatis reſerabit, vix odor hujus perexiguæ quantitatis oxymelitis perveniet ad has altiores partes: Ego igitur manè tres vncias, & veſperi eandem quantitatem repeterem: Et ſi impenderet periculum ne oxymel ventriculum vellicaret, cibis illud permiſcerem: hoc enim modo quotidie oxymelitis ℥vj. & viij. poſſent exhiberi illis qui pertinaciſſimo humorum infarctu detinentur. *Santlorius meth. l. 13. cap. 2.*

VIII. An Sanguinis miſſio potentiſſimum eſt deobſtruens ad reſerandas viſcerum nutritiorum obſtructiones, cum levi febre vel nulla? Hanc quæſtionem ſatis difficilem explico per circulationem; credunt multi Medici reddere corpus *εὔρουν*, fluxile, quia deſiderat Hippocr. in morbis vt ſit *εὔροια*, fluiditas humorum, ſive ſanguinis intra vaſa, qui ſi ceſſat iſto fluxu, putreſcit, & ſuffocat, vel cor, vel pulmones aut cerebrum, cujus remedium eſt liberalis v. ſ. ex Hippocr. quæ prævertit iſthæc pericula imminentia: Cum autem viſcera nutritia, Hepar, Lien, Pancreas & meſenterium, ſint obſtructionibus obnoxia præ cæteris partibus, quia partes ſunt culinariæ, quæ præparant alimenta toti corpori, ideoque facile ſordeſcunt, vt in culina ad nutritionem ampliſſimæ familiæ non poſſunt alimenta præparari, coqui, diſpenſari ſine ſordibus huc & illuc diſperſis, ſic in corpore humano id frequenter accidit, ita vt niſi diligenter & ſedulò ſordes evertantur, culinam totam ejuſque penuaria inquinari neceſſum ſit: Item canales & tubuli Portæ, qui pertinent ad alimenti diſtributionem, eodem vitio tenentur: itaque obſtruuntur illæ partes commemoratæ ab humoribus, vel intra vaſa majora fluitantibus; vel intra viſcerum carnes concluſis & hærentibus, vel venulis capillaribus incuneatis: Viſcera autem illa ex ſubſtantia venis & arteriis intertexta componuntur: vaſa iſta ſunt exigua & capillaria, ideoque humores intra illos canales hæ-

rent, vel fluidi, vel incraſſati & fixi: Si fluidi, facile expurgantur & ſponte ſecedunt; Si craſſi & fixi, per calorem febrilem magis incraſſantur: Si humor diffuſus fuerit per carnem parenchymatis, vel eſt tenuis & ſeroſus, & ſecernitur, Si craſſior, per æſtum febrilem inſpiſſatus firmius adhæreſcit, nec ſponte poteſt ſeparari, i. e. coqui: propterea incidentibus & attenuantibus mediocriter calidis veteres vtebantur, vt appararent iſtum humorem ad purgationem, i. e. ſecretionem: Tota iſta doctrina nititur duobus aphor. Hipp. *Concocta medicari oportet, non cruda*, & altero, Corpora cum quis purgare voluerit fluida facere oportet: Ex hoc diſcurſu veriſſima peti poteſt indicatio purgationis convenientis, ſive per vomitum, ſive per ſeceſſum: Quod ſpectat ad vrinas, quæ religioſe & ſollicite obſervantur à Medicis, ſæpiſſime ſunt fallaces, ſiquidem non ſunt perpetuo derivatæ ab iſtis humoribus, qui contumaciter obſtruunt partes illas, ſed excipiunt & devehunt ſordes obvias per emulgentem venam & arteriam ad renes, at Pancreas & meſenterium per refluxum in Epar, nec ſunt aliæ viæ per quas derivari poſſint ad renes: aliarum partium, puta Pulmonis, ſordes poſſunt per vrinas derivari ad renes: atque maſſa ſanguinea vaſorum circulantium defæcatur per vrinas: Itaque ſi perturbatæ & confuſæ fuerint initio morbi, indicant ſummam ſanguinis confuſionem, & potiſſimum bilis, quæ fundum, ob levitatem, non petit; Atque hæc præmittenda duxi ad faciliorem intelligentiam obſtructionum alvinæ regionis, præparationem & coctionem humorum, & vrinæ judicia de tali negotio, quod perficitur in prima regione: In iſtis obſtructionibus reſolvendis, id eſt, ad Deobſtruendum, merito quæri poteſt An expediat v. ſ. ſæpius repetita, ſi febris nulla compareat, aut leviſſima: Vt veritas hujus quæſtionis facilius innoteſcat, conſiderare oportet in Epatis ſubſtantia duas partes diſtinctas, vaſa quoque diverſa, ſuperiorem gibbam, quæ radices venæ Cavæ excipit, alteram cavam, quæ radices venæ Portæ admittit; Vnumquodque vas ex Epate elicit ſanguinem ſibi proprium & familiarem: Vena Portæ craſſiorem trahit, vt Cava tenuiorem & puriorem: In omni morbo, niſi vires deficiant & langueant ab exhauſto, ſanguis demi debet ſi corruptus appareat, & vires ferant, morbuſque poſtulet, audacius iterabitur venæ ſectio: Hac arte deplentur vaſa circulatoria, & obſtructio majorum vaſorum ſecundæ regionis, defectu liberi excurſus ſanguinis liberatur, vt minorum vaſorum per corporis habitum ſparſorum obſtructio ex prohibita tranſpiratione, ſolvitur per inediam, inopia pabuli, ſanguis venæ Portæ minuitur, quod ſi regurgitet, vena pedis ſecta ſubtrahitur plenitudo ſecurius & felicius quam ſecta vena brachii pro 3. & 4. vice ne impuritas illius ſanguinis, in morbis ut plurimum impuri, in venas majores ſecundæ regionis rapiatur, inficiatque maſſam ſanguineam, ac proinde etiam quarta v. ſ. ex altero pede conducibilior erit, quam è brachio, ob rationes jam allatas: Sed perſeverante morbo cum leviſſima febre, vel nulla, ſi ſuſpicio fuerit alicujus viſceris inſigniter obſtructi ab humore craſſo, viſcido, An v. ſ. per apophareſin ſæpius repetita obſtructiones illas ſæpius reſolvere queat, dubitare licet? Neutiquam: imo vires diſperdit i. e. calor nativus, ad ſuſtinendam morbi longitudinem neceſſarius, minuitur: præferenda purgatio per epicraſin, cum aliis remediis attenuantibus, aperientibus infarctus, etiam emollientibus tam intus aſſumptis, quam admotis opus eſt. *Riolanus Encheir. lib. 6. in fine.*

IX. Graviſſime peccant ii qui in quacunque obſtructione Epatis, ſolo Rhabarbaro pro purgante utuntur: Sic enim ſi fuerit ab humore aduſto tartareo obſtructio, non educetur hic craſſus humor, ſed ſaltem tenuior, & qui ad ſolutionem obſtructionis plurimum conferre poteſt. *Petrus Noſolog. Tomo 1. p. 165.*

X. Cum obſtructiones terreæ ac melancholicæ ſunt, ac proinde ſiccæ, humectantibus egent, ut exſiccati humores, humectatione præparati, mox expurgentur & obſtructiones auferantur: quod nunquam præſtare potuit, mea obſervatione, chalybis uſus, niſi jam dicta humorum humectatione prægreſſa: quare ſequens modus accommodatiſſimus eſt, per ſuccos depuratos borrag. cichor. endiviæ ad ℥iij. in decocto cichor. borrag. meliſſæ, malvæ, agrimon. capilli Ven. mane ſaltem, quatuor horis ante cibum: poſtridie detur ʒß. Rhei opt. maſticari cum paſſulis, hauſto ab eodem jure cichor. & malvis alterato: mox die ſequenti ſuccos repetat, & ita alternatim ad dies xx. Quibus tranſactis chalybs præberi poterit, cujus præparatio vilior & tutior apud me, illa eſt quæ fit cum acido ſulphuris, qui *Crocus martis* aperitivus dicitur: dozis ad gr. iij. cum ʒß. pil. de tribus cum rhabarb. cui hora poſt ſuperbibat lib. aq. hordeaceæ vel ſeri capr. depurati: Nec metuas flatus, cum calidiores & ſicciores, non autem frigidi & humidi ſint, vt vulgo creditum, ſicque in hujus uſu ad xx dies perſiſtendum. *Fortis conſult. 23. cent. iij.*

XI. Ad obſtructiones vaſorum à *pituita viſcida* ſolvendas, vel ſanguinem in ipſis congulatum fluxilem faciendum, inter interna conducunt præ aliis omnibus *Salia volatilia*, ex variis animalium partibus parata, quippe quæ omnia & ſingula vi egregia pollent congulata & conglutinata omnia in corpore humano diſſolvendi, eademque ad priſtinam fluiditatem reducendi, atque inſuper ſudorem movendi; quo ſimul blande promoto, multò facilius citius, feliciuſque obtinetur coagmentatorum reſolutio: Hinc eſt quod exhibito tempeſtive vnico ſæpe ſudorifero ex laudatis ſalibus volatilibus, aut ſimilibus parato, Pleuritis abſque ulla venæ apertione fuerit feliciſſimè curata, atque ſimiliter aliarum partium inflammationes: Vbi laudata illa ſudoriferorum vis uſque ad obſtructionis locum pervenit, materiam obſtruentem quamcumque aggreditur, incidit, attenuat, ſolvit fluxilemque facit, onde accedente ſangoinis potentius agitati & adpulſi impetu, facilius fœliciuſque vna cum ipſo propellitur vlterius. *Franc. de le Boë, Sylvius Pract. l. 1. c. 34.*

XII. Iecoris fervori contemperando vſus lactis aſinini præſtantiſſimus fuerit, tantum enim abeſt vt obſtructiones adaugeat, quin potius ſuperſtites & exſiccatas obterere poterit: *Fortis conſult. 68. cent. 4.* Hippocr. 5. aph. 65. concedit iis qui non valde multum febricitant, quod de putrida intelligendum, de uſu ejus in hectica quis dubitat? Nec obſtabunt obſtructiones, ſi quidem vt ſiccę eaſdem emolliendo auferre poterit, cum nec caſeoſam, nec butyroſam ſubſtantiam ipſis coacervandis idoneam contineat. *Idem conſult. 58. cent. 2.* Poſtmodum ad viſcerum & ſanguinis fervorem contemperandum (in febre Erratica diuturna) inſtituatur vſus lactis aſinini, quod præterquam demulcebit humorum

morum acrimoniam, exſiccatas ac rebelles quoque obſtructiones humectando emolliet & expugnabit, cujus uſui inſiſtere debebit ſaltem ad xl. dies. *Idem ibid. conſult.* 55.

XIII. In obſtructionibus fundendis, inquit *Walæus*, interna medicamenta parum faciunt; vix enim vigeſima illorum virium para ad partem affectam pertingit: præferenda itaque ſunt *externa*, & inter illa *Sal*, quod vehementiſſime fundit: huc quadrat etiam ſpiritus vini cum ſale: Verum dantur ejuſmodi Deobſtruentia ſeu Aperientia moderno tempore, quæ omnem è venis amurcam & obſtruentium contumaciam detergunt, etſi ſua ſoluta anatice homogenea deſerant digeſta in nobis, illorum tamen aliquot vires mutuata ſunt, quas intro deferunt plurimorum morborum domitrices, qualia Sal Tartari volatile, ſpiritus ſalis Armoniaci volatilis, ſalſus, Spir. ſalis volatilis mar. Spiritus martis volat. & alia ſalia volatilia vegetalium ſpecifica, quæ inſtar ſaponis cuncta abſtergunt, & fermenta viſcerum, propter ſymbolum, mirum in modum confortant. *Frid. Hofmannus m.m.p.m.*396.

XIV. Dn. N. annum lx. prætergreſſus, obſtructionibus viſcerum, imbecillitateque ventriculi adeo graviter laborabat, ut etiam abdomen & crura tumore œdematolo extenderentur; ſitis magna, cibi faſtidium &c. Inſtituta optima victus ratione, & præparato humore peccante, corporeque expurgato, additis quæ partes nobiles roborant, tandem cauterio potentiali fonticulum ad poplitem dextrum eſſinxi; inde ſeroſi humores tam copioſe effluxere, ut brevi præter omnium ſpem ſit reſtitutus æger: Natura enim humores excrementitios ad fonticulum, veluti ad cloacam tam copioſe protrudebat, ut ab eo tempore & quidem ad finem vitæ paucis medicamentis ſit uſus: *Fabritius Hild. cent.* 4. *Obſ.* 74.

XV. Obſtructio in *venis lacteis* generatur cum propellitur pituita inteſtinalis in illas, quoties ipſa à corporis motu, exercitio vehementi, æſtu quovis ſolvitur, imprimis accedente potu calente, aut tepido diſſolvitur, ſicque fluxilis redditur, poſtmodum coagulatur eadem in dictis venis, rarius ab aeris frigore mox calorem ſubſequente, cum corpus ex loco calido transfertur in frigidum, frequentius autem potu frigidiore aut gelido affatim aſſumpto, mox ad inteſtina properante, atque tum ipſa inteſtina, tum partes vicinas omnes, ipſaſque adeo Lacteas non tantum potenter refrigerante, verum contenta quoque in ipſis incraſſante & coagulante: Obſtructio in iis ex dictis cauſis contrariis ſe mutuo excipientibus jam facta, vel prudenter conjectata, curabitur medicamentis potenter Incidentibus, præſertim ſudoriferis aromaticis, potius iterato quam ſimul & ſemel aſſumptis, Obſervavi namque ſic fœlicius, facilius, citius & tutius ſolvi obſtructiones: Uſurpari poterit proinde Miſtura ſequens, brevibus intervallis ad ſudoris eruptionem uſque cochleatim uſurpanda, quin eadem proinde ſubinde adhuc, licet rarius exhibenda: *℞. aquar. petroſel. ℥ij. fœnicul. theriac. ſimpl. ana. ℥j. ſpir. ſalis armon. gutt. xx. ſyrup. card. bened. ℥j. miſce: vel ℞. aquar. fumar. ℥iij. cochlear. una Matth. ana. ℥j. aceti ſtillat. ℥ß. ocul. cancr. pulver. ʒß. ſalis abſynth. antimon. diaphor. ana. ℈j. ſyrup. v. rad. ℥j. miſce. Sylvius de le Boë Prax. lib.* 1. *cap.* 27.

OCULORUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Sanguinis emiſſio *non ſemper noxia.* 1.
Cephalica ſectio ſæpe obeſt. 2.
Salvatellæ apertio utilis. 8.
Vacuationes *inſignes & crebra noxia.* 9.
Vomitus *an conferat.* 10. 14.
Pilulæ *ex acribus conſtantes noxia.* 4.
Errhina *poſſunt uſurpari.* 3. 10.
Maſticatoriis *quando locus.* 11.
Sanguis ex vicinis oculis venis *quando educendus.* 24. a
Vinum *eſt vehiculum medicamentorum exſiccantium ad caput.* 15.
Euſraſia *non omni eorum affectui conducit.* 16.
Capitis lotiones *quomodo inſtituenda.* 17. 19.
Fotus *oxydercyca præcedat.* 18.
Medicamenta ſint placida. 7. 20.
Frigida *crebro non abluendi.* 21.
Cavendum ne ſuppuratio intus accidat. 22.
Medicamenta liquida quo artificio admovenda. 13.
Collyria *exactiſſime lavigentur.* 12.
Acribus caute utendum. 7.
Balnei *frequentia nocet.* 5.
Setaceum *in omni affectu non convenit.* 23.
Unde illius pendet efficacia. 24.
Topicis *quando locus.* 6.
Lacrymas cientia an in uſum ducenda. 14. b

Oculorum dolor, Inflammatio, Ophthalmia.

Sanguinis miſſio *non ſemper neceſſaria.* 25.
Superiores an inferiores venæ ſecanda. 26.
Sanguis ex particularibus venis quando educendus.
Ophthalmia pertinax ſalvatellæ *apertione curata.* 53
Arteriotomiæ *utilitas in eadem.* 53. a
Copioſa ſanguinis vacuatione curata. 64.
Iugularium *apertionis utilitas.* 54. d
Oculis fluxione laborantibus ubi Pyrotlcum *admovendum.* 55.
In pertinaci ophthalmia ad ſetaceum in occipite *deveniendum.* 56.
Aliquando noxium eſt Setaceum. 57.
Cauterium *ſupra verticem quando admovendũ.* 59.
Fonticuli *an conducant ad præcautionem.* 48.
Cauteria *ubi affigenda.* 24. b
Ophthalmia contumax cauterio actuali venis oculorum tumidis admoto curata. 40.
Cucurbitulis *pone aures* 39.
Lobi auris perforatio *confert.* 38.
Trionnis ſectione *perictanii curata.* 58.
Iunctio venarum quando locum habet. 59. a
Purgans *pharmacum an ſemper conveniat.* 27.
Pilula non ſemper utiles. 01.
Decocti chinæ *efficacia.* 50.
Ophthalmia Lui cõplicata Mercurii ope devicta. 65
Diuretica *an conducant.* 24. c.
Oculi dolor ſævus auri diaphoretici & vini uſu ſublatus. 17. b
Topicis *circumſpecte utendum.* 51. 54. a
Quo tempore admovenda. 28.
Oculis dolentibus an nihil admovendum. 35.
Non uno collyrio omnibus medendum. 36.
An frigida admota an conveniant. 32.

Etſi humor ſit frigidus, ratio habenda inflammationis. 54. c.
Alia Repellentia in humore calido, alia in frigido uſurpanda. 54. c.
Ea non ferant qui oculos habent glaucos. 54. a.
Fronti admota aliquando noxia. 29.
Oculis & fronti ſimul non applicanda. 30.
Oxyrrhodina repercuſſiva quando juvant. 66.
Opiata raro in uſum ducenda. 34.
Repellentia quando inutilia. 64. a.
Balneo & Vino quando locus. 64. b.
Reſolventia quibus cautionibus in uſum duci debent. 64. c.
Qui humor magis repellentia deſiderat, qui reſolventia. 64. d.
Si humor diſcuti nequeat, quid agendum. 64. c.
Fœnugræci decoctum quomodo parandum. 63.
Sarcocolla quando utendum. 41.
Tutia non ſemper tuta in Collyriis anodynis. 47. b.
Anodynis pinguia ne miſceantur. 49.
Lac qua ratione utile. 33.
Ex eo parata Collyria ſæpe renovanda. 52.
Oleum an admovendum. 68.
Lac quando ovi albumini præferendum. 69.
Victus an debet eſſe tenuis. 44.
Vinum an concedendum 17. b. 42. b. 64. b.
Acida & dulcia an deneganda. 45. 67.
Acetum & acetoſa an ſemper noxia. 67.
Somnus an conducit. 17. a.
Supinus decubitus quando confert. 70. a.
Balneum an utile. 42. 64. b.
Fluxio aliquando aliunde venit quam à capite. 60.
Ophthalmia à fumis metallicis orta, mineralibus remediis oppugnanda. 46.
Videndum num alius affectus ſit complicatus. 46.
Inveterata cauſa rite dignoſcenda ad remedij inventionem. 37.
An febris remedio eſſe queat. 70. b.

Gutta Serena, Viſus imminutio.

In Amauroſi Sanguinis miſſio aliquando utilis. 71.
Quando curabilis. 74.
Vena capitis phlebotomo non hirudinibus aperienda. 73.
Veſicatorijs femoribus admotis curata. 81.
Iaedia. 82.
Vulnere frontis. 83.
In viſus debilitate cucurbitula ſcapulis admota non ſemper tuta. 75.
Errhina & Ptarmica an conducant. 72. 84.
Fumus Nicotianæ an conducat. 91.
Aquis viſum roborantibus caute utendum. 76.
Ophthalmicum Crollij non uſquequaque tutum. 79.
Quibus debilis viſus acies vinum concedendum. 80.
De conſtrictione & dilatatione pupillæ caute judicium ferendum. 85.
Viſus Calvariæ apertione reſtitutus. 86.
Imbecillitas à fluxione ſetaceo curata. 87.
Nyctalopiæ remedium. 88.
Viſio moleſta à Retinæ raritate an ſanabilis. 89.
Collyrio Galeni, Proteus dicto, quanquam optimo, caute utendum. 90.
Viſus diminutionis à venere nimia orta curatio. 77.
Perſpicillorum uſus viſum quomodo juvat. 78.

Suffuſio, Cataracta.

Frequenter alvus ſollicitanda. 92.
Vomitus quando conducit. 100. a.
Quandoque licet venam ſecare. 93.
Remedium ex hydrargyroſi petitum. 94.
Vomitus quando ciendus. 101. 2.
Fotus ex aqua vitæ periculoſus. 95.
Aqua fœniculi ex herba recenti deſtilletur. 96.
Topica palpebris primo apponantur. 97.
Quæ inutilia. 99. a.
Incipiens topico diſcuſſa. 99. b.
Sanguinis columbini inſtillati efficacia. 100.
Ad compunctionem quando veniendum. 98.
Perfecta concretio ante depoſitionem expectanda. 101.
Vomitus in Suffuſione quando utilis. 101. b.
Particulares ſanguinis vacuationes quando juvant. 101. c.
Setaceo & fontanellæ quando locus. 101. d.
Diæta ſudorifera aliquando locus. 101. e.
Diaphoretica quandoque uſurpanda. 101. f.
Cautiones in depoſitione cataractæ. 102.
Suffuſio tunica adnata curata. 103.
Suffuſio perfecta curata. 104 a.
Pilulas purgantes magiſtrales uſurpandi ratio. 97. a.

Maculæ, Cicatrices, Phlyctænæ &c.

Maculæ à cicatricibus diſtinguenda, quod his nulla curatio debeatur. 104. b.
Maculæ corneæ non ſemper albæ ſunt. 105.
Leucomatis curatio Chirurgica. 106.
Ex cicatricis ad pupillam extirpatione gravia ſymptomata. 107.
Phlyctænarum curatio varia eſt. 108.
Hypopij vulneri oculi contuſo accidentis curatio. 109.
Pus ſub cornea latens quomodo educendum. 110.

Oculi Procidentia.

Oculi procidentia adſtringentibus non reprimenda. 111.
Cucurbita occipitio admota curata. 112.
Ex Venerea lue orta curatio. 113.
Oculi humorum à vulnere amiſſorum reſtitutio. 114.
Encanthidi perperam curata Rhyas ſuccedit. 115.

I. SAnguinis miſſionem viſui non obeſſe in me expertus ſum, qui cum à ſeptennio viſum mihi turbari ſentirem, neque mihi ſanguinem miſiſſem à ſex menſibus, venam mihi aperui, & ad ℥ x ſanguinis impuri, & à meridie tantundem detraxi, ex quo reſtitutam mihi cernendi integritatem cognovi: verum quia etiam poſtremus ſanguis fæculentus erat, poſtridie ex altero brachio, nempe ſiniſtro, ſimiliter ut pridie, ſanguinem detraho: Ab eo tempore ubi percepi viſum mihi labefactari, ſtatim ad iſtud auxilium confugi, nec aliud reperio præſentius auxilium. Viſum autem lædi à ſanguinis miſſione credere licet, ut reliquarum totius corporis partium munia afficiuntur: At inſtrumenta ſenſuum, quamvis

vis integra ſint numero, figurâ, collocatione, obnoxiæ quoque ſunt morbis intemperiei & ſolutæ vnitatis; at hæc magnâ ex parte eveniunt ex ijs quæ aut quantitate, aut qualitate in corpore redundant, quæ certè aliter non nocent quàm per venas delata: Afficiuntur amplius & ſenſus omnes à ſuis objectis, vt guſtus à re guſtabili nondum in venas recepta; auditus à ſono &c. crede ergo ſimiliter ſenſum viſus affici: Læditur igitur viſus eodem modo quo flamma ſaxve, dum lumen non fundunt, nempe, aut quia ſuperflua eſca ſuffocatur, aut quia hæc vitioſa eſt, aut quia idonea deeſt: Sic oculi nunc rectè non vident, perſiſtente interim integro organo, aut ob redundantem humorem in cerebro, aut à vitioſo, aut à deficiente: Sic lippis non conſtat viſus, non quia deſit eorum oculis alimentum, ſed quia in nimio illi innatent, aut in inutili, aut in vtroque ſimul: hæc itaque duo poſtrema ſunt quæ ſæpius viſum lædunt, non tertium: rarò enim quiſquam defectu alimenti malè videt, ſed nimio vel vitioſo: rarò igitur in ijs inutilis eſt S.M. *Botallus l. de S.m.c.19. Galen.* l. de curand. rat. per S.m. c.7. *Sunt quidam imbecillioribus oculis, aut vertiginoſi, in quibus ſanguis abundare dicitur: hos omnes vacuabis vel medicamento purgante, ſi alij à ſanguine humores ſint, aut diminutione ſanguinis:* Et ſic detractio ſanguinis convenit, nec hebetat viſum, ſed vividiorem reddit. *Bacchanellus de Conſ. & diſſenſ. pag.* 150.

II. Neque vulgi opinio timentis ex *cephalica ſectione* viſum caputque lædi eſt contemnenda: nam cerebro & oculis inſigne quandoque attulit detrimentum, quod in aliarum venarum ſectione evenire non conſpicimus: ratio eſt, Cum V. S. omnes corporis facultates debilitet, quæ inter has penuriam ſanguinis extracti magis perſentiſcit cerebrum eſt, molle, exangue, ſpirituum animalium ope maximè egens, ob quorum tenuitatem, & citiſſimam reſolutionem à qualibet vacuatione fatiſcit: Quare *Hipp.* 8. Epid. 6. 18. ad tolerantiam fluxus ſanguinis è naribus firmum caput requirit: Maxima ergo præmeditatione cephalica eſt ferienda, nam pluries fuimus experti ex hujus intempeſtivâ ſectione ęgros fuiſſe occæcatos, præſertim debiles, in quibus ſanguinis copia non adeſt: alioquin hæc ſectio viſum non debilitat & hebetat, ſed vivaciorem reddit, docente *Galeno* lib. de S.M. c. 7. *Zacutus l.1. Princip. Med. hiſt.* 53.

III. *Errhina* oculis affectis quidam reprobant quia humores ad oculos trahunt, cum per eoſdem poros deferantur ad angulos oculorum & ad poros naſi: At poſt coctionem, atque exquiſitam totius & capitis vacuationem, naſi fuſoria, præſertim levia, in oculorum affectibus ſummopere præſtant; hoc enim tempore per eandem affectam partem vacuare ſæpe docet *Galenus*, & eò magis per viam proximam: quod vacuationis genus derivationem rectius dixeris. Tam enim naſus quam palpebræ oculi expurgationi in ſtatu naturali deſerviunt, teſte *Galeno* lib. 1. de ſan. tu. cap. 18. *Hippocrat.* lib. de loc. numero 21. *Quum in oculos paulatim fluxeris, ad nares medicamentum adhibebis.* Videatur *Galenus* 6. Epidem. 2. comment. 33. & 6. de ſanit. tuend. cap. 17. *Hippocrat.* 7 Epidem. numero 37. *Zacutus Princip. Medic. Hiſtor. lib.* 1. *cap.* 13.

IV. Nos hic Romæ pluries obſervavimus in oculorum morbis ſuſpecta eſſe quæ acredinem & mordacitatem quandam habent: acria enim & mordacia ſurſum petunt feriuntque oculos mirificè: Quod ſi proveniat morbus a frigidis humoribus aut vaporibus, ſurſum aſcendendo alios vapores humoreſque ſecum defert ad partem affectam: Si vero humores fuerint ignei & calidi, ignem igni addimus: etenim natura exuſta non fufferet eam, quæ à medicamentis purgantibus provenit acrimoniam, juxta illud *Galeni* commentarium in aphoriſmum, Sub cane &c. *Sub cane & ante canem difficiles purgationes* &c. Experimento obſervavi Catapotia ex ſcammonio & ſimilibus ſuſpecta eſſe. *Dominicus Panarolus Pentec. 4. Obſervation. 9. Iohann. Crato Conſult. 61. apud Scholtzium*

V. Viſum debilitat frequentia Balnei, ſive nimium exſiccando, ſive fumoſis vaporibus viſum obfuſcando, vt loquitur Schola Salern. fol. 202. Hinc evenit vt incolæ Rheni plurimi oculos præmaturè perdant, quia balneis nimiùs frequenter vtuntur, proculdubio Laconicis. *Hoeferus Hercul. Medic. lib. 1. cap.* 8.

VI. Nunnulli multi ſunt in externis deſcribendis: verum etſi vbi vitium eſt in cornea, atque illa obſcurior eſt talia accommodatiſſima ſint, tamen vbi cauſa mali eſt in penitioribus oculi partibus, ad quas penetrare non poſſunt, non video quid vtilitatis afferre poſſint, niſi materia forſan circa pupillam, mox ſub corneâ, contineatur. *Sennertus lib. 1. part. 3. ſect.* 2. *cap.* 44.

VII. *Collyria* acria oculis non ſunt imponenda ſed palpebris tantum, nam illa omnia habent morſum & acrimoniam, quæ oculus non poteſt ferre ob *εὐπάθειαν* & plurimum ſenſum: Quare graviter peccant qui in oculos talia injiciunt, vt quotidie vulgus Medicorum factitat. *Rondeletius lib. 1. cap.* 55. Acria omnia oculis adverſiſſima eſſe ſæpiſſimè expertus ſum, nam vellicando oculos exquiſitiſſimo ſenſu præditos, excitatur dolor protinus, qui cum impetu humores ad oculos trahit, vnde inflammationes, eroſiones membranarum &c. *Fabricius Hildanus Cent. 5. Obſervat.* 28. Illud perpetuo obſervandum, vt ſi quando fortiori collyrio vtendum fuerit, præſtabit oculos priùs vel lactè muliebri recenti, vel mulsâ admodum dilutâ abluere, non equidem per ſpongiam hoc liquore imbutam, ſed per vitream ampullam roſtri os arctiſſimum habentem, inſtillato ſenſim in oculos liquore. *Zecchius Conſult.* 95.

VIII. In productis venoſi generis morbis, febre ardenti, tertiana & erraticis, *Salvatella vtriuſque ſectio* plurimum prodeſt; In oculorum morbis, qui à partium inferiorum ſqualore, & viſcerum calida intemperie fere dimanant & foventur, proficuum eſt auxilium, quo ventilato jecore, plurimos quibus cæcitatis periculum imminebat ad ſanitatem reſtitutos felici experimento conſpexi. *Zacutus M. Pr. H. lib. 1. Quaſt.* 27. vbi multa de vtilitate harum *venarum ſectionis*.

IX. Licet plerique Practici multis vacuationibus corpus mire, in *Suffuſione* præſertim, quam exiſtimarunt aquæ deſcenſum in oculos, macerent tam per alvum quam per ſudores, & per os & nares factis vacuationibus: Item ſcarificationibus, cucurbitulis & frictionibus, dein & per cauteria; ſetones factis revulſionibus & derivationibus, Nos tamen qui cauſam horum in oculo conſiſtere, & defluxionem aquę in oculi capacitatem

ferri minime poſſe demonſtravimus, hæc ſine fructu, niſi quatenus corpus purum ſervare poſſunt, in corporibus adminiſtrari multoties vidimus & experti ſumus. *Platerus.*

X. *Vomitoria & Errhina* in oculorum affectibus deteſtatur *Hollerius*, tanquam ad oculos trahentia, quod admittitur quidem impuro exiſtente corpore, & capite catarrho laborante: At præmiſſa accuratiſſima totius & capitis expiatione vtrumque ex vſu futurum cenſeo, & præſertim valida ſternutatoria ad repellendos humores qui confluxerunt, præmiſſo fotu oculorum ex vino albo alterato eufraſia, ſcordio, & fœnugræco. *Silvaticus Cent. 2. Conſult.* 12. vide *de Ptarmicis Schneiderum l. de catarr. ſpecial. pag.* 92.

XI. Si quod remedij genus in quavis obſtructione & *repletione humorum nervorum opticorum, maſticatoria*, ſeu *apophlegmatiſmi* maxime juvant, nam licet materiam conjunctam non attrahant, deflectunt tamen humores ad palatum, & quoquo pacto à parte affecta trahunt, cum nervi optici ab inferiori cerebri parte oriantur, vt ex anatome habemus, ſuntque omnium molliſſimi & ampliſſimi; quare maſticatoria ſaltem ratione viciniuatis conducere ſolent, cum pituitam per os eliciant. *Epiphanius Ferdinandus hiſtor.* 18. Prohibita tamen à *Zecchio Conſultat.* 27. Cuidam Ophthalmia à calida fluxione laboranti maſticationem præcipi, ſorbitiones ſolas concedens, ne maxillæ inter manducandum agitatione oculum moveret: nam membra per motum recipiunt influxus à cerebro & à toto etiam provenientes.

XII. In præſcribendis *Collyrijs* quibus *Tuthia*, c. c. corallia & ſimilia ingrediuntur, diligenter proſpiciendum eſt vt omnia quam exquiſitiſſime ſuper marmore ſint lævigata, alioquin oculos vellicant: Id enim aliquoties mihi cum ægris meis accidiſſe memini: quare hujuſmodi pulverea in Pharmacopoliis, priuſquam præſcribantur, examinandi ſunt. *Fabritius Hildanus Centurat. 5. Obſervat.* 28.

XIII. *Hieronymus Fabritius ab Aquapendente*, de Chirurgicis operationibus animadvertens medicamenta quæ oculis imponuntur non tamdiu inhærere donec vires ſuas exſerant, ſed facile effluere, vaſcula vitrea, inſtar cucurbitularum, orbitæ oculi reſpondentia excogitavit, quæ liquore repleta illi admovet, Eorum deſcriptio illo loco videatur, & apud *Scultetum Armamentum Tabul. 8. Fig.* 11. *& Tabul. 31. Figur.* 6. Ijs vſi *Silvaticus Cent. 2. Conſult.* 12. *Capivaccius in Conſil. Scholtzij Conſult.* 58.

XIV. *a.* An *Vomitus* confert oculis? Reſpondet *Conciliator*, Si in Oculis nulla læſio, dicendum nocere quocunque modo, cum materias & vapores infeſtantes deducat verſus ipſos in extrinſeca propellendo: Si læſio oculis à ſeipſis, vel à cerebro acciderit, magis nocet, cum plus peccantis materiæ ad eos elevet, & ad caput quaſi evacuet: Si læſio ſit per conſenſum à ſtomacho, Vomitus cum medicamentis incidentibus & ſubtiliantibus ſuadetur. Attendendum tamen quod is vomitus nocet in ipſo fieri, eo quod materiam & vapores dirigit in ipſum cerebrum & oculos, & ideo ſtudium debet adhiberi vt ab eo parum nocumenti cauſetur, fiat ergo præparata materia, ſi debilis, particularis nec admodum frequens: imo niſi humor in ſtomacho exiſtens, & oculos lædens, omnifariam ſurſum vergat, conſultius eſt per alvum eundem vacuare. *Horſtius Conc. Ennel.* §. 131.

XIV. *b.* Quæ oculos laceſſunt ac *lacrymari* cogunt, illa proſunt: Proſunt, inquit *Ariſtoteles 31. Problemat.* 9. interdum quæ mordent, lacrymamque evocant, vt cepæ; In σκληροφθαλμίᾳ, *inquit Paulus* Æginet. & ξηροφθαλμίᾳ conveniunt medicamenta acria, per quæ & durities remittetur & ſiccitas humectabitur; talis autem eſt & panchreſtos Eraſiſtrati, & collyrium diacenteton, & quod ſtratioticon vocatur: Vnde *Octavius Horatianus*, Si vero ſiccitas palpebrarum emerſerit, linteolum mundum butyro infuſum ſuperimponito: aliquibus vero humorem convenit procurare per lacrymas, quas aut fumo, aut terrore vel plagis extorquendas eſſe credimus: *Sane ſi in* prima oculi tunica ſanguinea nimia veluti caro apparuerit, quam chemoſin appellamus, hoc adjutorio curatur, muſcas quamplurimas cum ovi vitello conterimus, & in linteolo mundo ſuperimponimus: Impetiginoſos dicimus oculos aſperitatum vitiis laborantes, ſic curare conſuevimus, Allium accipimus, cujus interioribus melle contritis, oculis poſtquam ex eo humore vel ſucco tapuerit, inungito, & ex eo pruritus & ſupradicta vitia depurgabis. *Hac ille*, Sequuntur *Ariſtot.* omnes, vti inde *Plinius* oculos ſeſe lacrymis purgare affirmat.

XV. *Vinum* vehiculum eſt medicamentorum exſiccantium ad caput, in contumacibus ad oculos fluxionibus ab *Hippocrat.* 6. aphoriſm. 31. commendatum, vtpote quod humorum reliquias rebelles attenuare atque reſolvere poſſit: in quem finem vinum, ſed oligophorum, in ſuffuſione cum ophthalmia, medicatum ad menſam in doliolo parvo parandum, ita vt quælibet vini ſitula excipiat ℥ij. ſantali rubri raſpati, & ℥j. ligni roriſmar. Eo pacto materiæ craſſioris, in capite contentæ, exſiccatio aliqua & roboratio tentanda: *Fortis Conſultat.* 14. *Centur.* 1.

XVI. Omnes fere *Botanici* in *caligine oculorum*, *vinum* in quo *Euphraſia* maceratur ad cœlum vſque attollunt; Eſt autem, vt illius ſapor ſubacris ſubarguit, manifeſtè calida, & quia oculorum fluxiones ſiſtit, quoque ſiccam probabile eſt: Circumſpectè ergo agendum, ne promiſcue vino Euphraſiato vtamur: Etenim ſect. 6. aphoriſm. 3. docemur, *Dolores oculorum, vel vini potum, vel balneum, vel phlebotomiam, vel pharmaciam ſolvere*, Non vero docetur omnes dolores oculorum ſolum & vnicum vini potum ſolvere poſſe, ita quaſdam oculorum caligines, non omnes, vinum euphraſiatum diſſolvere poſſe ſtatuendum: Hinc eruditè poſt *Camerarium Hofmannus* defendit *Euphraſiam non quamvis caliginem curare, ſed illam qua eſt à frigiditate*; neque hanc omnem, ſed poſitivè a pituita: Vbi enim ab inopia ſpirituum eſt, officit potius diſſipando: Calidam enim & ſiccam eſſe plantam oſtendit guſtus, qui amarorem quendam præ ſe fert: *Hoc mali augent qui vel illam legunt qua ſiccior, parva, uncialis, & ex ſucco vel vinum fundunt generoſo, Ideo ſuſpectus mihi eſt vſus conſerva quotidianus.* Quare cum forte nequiter, poſthabitis nempe indicationibus, vinum Euphraſ. vſurpatum ſit, nemo obſtupeſcet notare Lobelium, quod quantumvis commendetur à multis non perinde ei eſſe fidendum, quippe teſtatur ex trimeſtri

tantum

tantum poto, ſocium ſuum pene ambobus orbamm fuiſſe oculis, & fluxionibus modo non oppreſſum, cum duntaxat levi cataphora & lacrymatiunculis laboraret: Aſt ſi, teſte *Freder. Hofmanno*, valet ad eam oculorum caliginem quæ à poſitiva pituita eſt genita, plurimum quoque valebit ad Guttam ſerenam &c. *Sam. Pauls Quadrip. Botan. Cl. 3. Tit. Euphraſia.*

XVII. *Capiti* quoque *exſiccantia roborantiáque* medicamenta ſunt adhibenda, ea tamen lege vt id citra calorem inſignem præſtent: Quare lixivium parari poterit ex ſimplicibus cephalicis & ocularibus, ſiccantibus quidem, ſed non impenſe calefacientibus, pro capitis ablutione, bis ſaltem in hebdomada veſperi: In quo quidem opere tria ſunt obſervanda, ſçil. vt contra communem morem, Caput ita in occiput declinet vt oculi ſurſum aſpiciant. Saponis loco, amygdalæ amaræ tritæ vſurpandæ, & ne calidioribus pannis, neve nimia commotione caput pluſquam par ſit incaleſcat: dein capite probe exſiccato ceratum ſeq. coronalæ ſuturæ imponatur, continue geſtandum, quod citra calorem ſiccando roborat, & ſupervacaneas humiditates evocat, ℞. *Carnium conchilior. exacte contuſ. ℥iv. thuris ℥ß. myrrh. elect. ℥ij. cum ol. maſtich. f. Cerat. Zecchius Conſult. 27.*

XVII. *a.* An *Somnus* convenit in Oculorum affectibus? *Avicenna* ſtatuit ſalutarem eſſe, & *Dominicus Leonus*, maxime in bilioſa Ophthalmia, *Sennertus* & in pituitoſa: Refragabuntur omnes illi qui Somnum pituitoſis catarrhis nocere opinantur: Cæterum *Celſus ſomni* ergo vinum bibi præcipit, *Vinum*, inquit, *bibere lene, ſubauſterum, modice vetus, neque effuſe, neque timide, vt neque cruditas ex eo, ut tamen ſomnus fiat, leniantúrque intus latentia acria*: Paulo poſt, *Sæpe poſt hæc* (Balnea) *gravis* ſomnus, *ſæpe ſudor, ſæpe alvi dejectio pituitæ curſum finit*: Schneiderus *lib. vlt. de Catarrhis pag.* 149.

XVII. *b* Per ill. Eques dum ſex ſuperioribus annis ex fervida fluxione acerrimum dolorem per ſeſquimenſem pateretur, reiteratis ſanguinis miſſionibus, purgationibus, ſanguiſugis, cauterijs, veſicatorijs, & alijs tormentis cachecticus & imbecillis factus, vltra dolorem acerrimum vigilias, animi mœrorem, ventriculi imbecillitatem & alia complurima acquiſivit: Ego morbi ſpecie, cauſis & affecto loco rite examinatis, ægri conditione & ſtatu cognito, brevi ſanitatem illi polliceor: Imprimis *Diætam*, quam humectantem & refrigerantem ſervabat, immutavi, loco aquæ vinum; loco lactis ſeminum melonum & ſimilium inaſſuetorum, optima & ejus naturæ conſentanea edulia porrigens, Cum vero ejus ſanitatem in vino cum auro diaphoretico conſiſtere cognoſcerem, cauteria, ſetones &c, dimittere imperavi: his exploſis triduo vſus eſt præfato medicamine, hinc cito priſtinum robur recuperat. *Petrus Peterius Centurat. ſecunda cap. 63.*

XVIII. *Topica* rarefaciendi, attenuandi & reſolvendi facultate polleant, in quibus medicamentum à *Galeno* propoſitum lib. 4. κατ' τόπ. cap. vltim. & à me frequenter vſurpatum in vſu eſſe poterit, nempe aqua ex ſuccis euфraſ. fœnic. chelidon. praſſij, additis fellibus & melle cum favis, aut ſine ijsdem B. M. deſtillata: Vel Ophthalmicum Quercetani ex croco metallor. in aqu. chelidon. aut euphraſ. diſſoluto: Et quoniam non adeo facile penetrare poſſunt ob corneæ tunicæ denſitatem, ideo monet *Avenzoar* vt prius rarefiat tunica ſuffumigio ex vino malvatico in quo globulus croci ſit intutus, quod vinum in vas, ſeu phialam vitream injectum calefiat, cujus orificium oculo accommodetur, & ita aperto oculo fumus ille recipiatur: mox ſtatim à ſuffumigio jubet ophthalmica eſſe apponenda. *Ioh. Raymund. Fortis Centur. 1. Conſult. 81.*

XIX. In oculis affectis remedia *inſpirata* hominis anhelantur: declinatur frictio capitis & pectendum partem poſteriorem: Quod ſi abluendum caput, reclinatum abluatur, atque oculi muniantur. *Hollerius libello Obſerv. 2.*

XX. Pro Oculis ſemper vſurpanda medicamenta placidiora, nam experientia comprobatum quod quanto magis medicamentis, etiam mitioribus, tractantur, eo magis exaſperantur. *Claudinus ex Avicenna.*

XXI. Quidam à multis annis aſſuetus ſingulis matutinis abluere faciem & oculos aqua frigidiſſima, hinc paulatim debilitatus & *offuſcatus viſu*: nec ſine cauſa, cum frigus, teſte *Hippocrat.* condenſet & incraſſet, hinc ſpiritus viſorius, & humores oculorum, imprimis cornea craſſitiem comparatunt, ita vt res objectæ ad cryſtallinum vix penetrarent. *Fabritius Hildanus Centurat. 1. Obſervat. 27.*

XXII. Diligenter in omni oculorum affectione cavendum ne ſuppuratio intus fiat: metuendum enim tum foret ne a detenta ſanie cornea, aut cæteræ oculorum tunicæ corrodantur. *Sennertus cap. de Ophthalmia.*

XXIII. Non omnibus viſu læſis (quod exiſtimant aliqui) commodum eſt *Setaceum*: Si enim ſiccoculis imprimas, magnopere læſionem adaugebis. *Plempius.*

XXIV. *Setaceum* in oculorum affectibus inſigne. quia ſpinalis medulla primum ingreditur primam vertebram, oculorum vero nervi à medulla: ſecundo adde omnes membranas terminari juxta vertebras, Oculi vero partes membranoſæ: Hujus etiam remedij vſus eſt inſignis medulla ſpinali per conſenſum affecta, & quidem novitet, ſecus in affectu idiopathico & inveterato. *Obſervatio Nic. Benzoni Medici Aulburgenſis.*

XXIV. *a.* Corpore rite præparato, retractóque fluxionis impetu, diligenter inquirendum eſt ſubſitne in capite plenitudo à qua oculorum affectio foveatur, an ſolum in ipſis oculis humores præſint: Nam ſi primum, ipſum quoque caput præparare evacuando derivandóque ab ipſo inundantem humorem oportebit: quo caſu, non longe à corporis præparatione ſanguinem mittere ex venis quæ caput reſpiciant erit opus, ne malo inveterato poſtea nihil proſit, aut forſan obſit: Ob idque ex venulis naſi, aut quæ ſub lingua ſunt, mittere ſanguinem tunc oportebit, ſi in intimis ejus venis ſanguis abundet: Verum ſi in extimis, ſatius erit venam frontis aperire: Quæ ſane auxilia multi ex autoribus nonniſi jam inveterato malo adhibere audent, quo tempore nullius eſſe momenti comperimus: quia tunc ſatius erit eas quæ in angulis oculorum exiſtunt aperire, quo exſpiret commodius quod in ipſis oculis continetur. *Mercatus.*

XXIV. *b.* *Cauteria verticis* ac *cervicis*, *Avicenna, Meſuës, Albucaſis* admodum efficacia eſſe

tradunt: Fiant, *inquit Rogerius*, duo cauteria in frontibus, juxta oculorum angulos: vel ſit cauterium in collo, vel duobus fontibus juxta oculos, inter collum & nares ſub tenuitate aurium: Quidam, ait *Lazarus Riverius* in obſervation. laborabat à longo tempore inflammatione adnatam & vtramque palpebram occupante, affectus non erat continuus ſed recurrens; fruſtra vſurpata remedia, Tandem præſcripſi duo cauteria inter duas ſcapulas geſtandas necnon cucurbitulam vtrumque amplectentem applicandam, vrgente nimirum fluxione, quod cum præſtitiſſet, ſaui omnino illius oculi evaſere.

X X I V. c. Quidam bilioſa Ophthalm. vrgente *Diuretica* abdicant, quod talia (ſunt illorum verba) materiam præparant ad fluxus: Nec hæc cuilibet ophthalm. & omni ejus tempore conveniunt, Quapropter *Corn. Celſus* in hoc *Hippocratem* reprehendere videtur, Curari, *inquit hic*, Oculos ſanguinis detractione, medicamento, balneo, vino vetuſtiſſimus author *Hippocrat.* memoriæ prodidit, ſed eorum tempora & cauſas parum explicuit, in quibus Medicinæ ſumma eſt: *Mox ſubjungit*, Solet evenire nonnunquam ſive tempeſtatum vitio, ſive corporis, vt pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, & minime pituitæ curſus finiatur: quod vbi accidit, jamque ipſa vetuſtate res matura eſt, ab his eiſdem auxilium petendum eſt, id eſt balneo & vino: Hæc vt in recentibus malis aliena ſunt, quia concitare ea poſſunt & accendere, ſic in veteribus, quæ nullis alijs auxilijs ceſſerunt, admodum efficacia eſſe conſueverunt, videlicet hic quoque, vt alibi, cum ſecunda vana fuerint, contrarijs adjuvantibus.

X X V. Non eſt ſemper neceſſaria in hoc affectu *Venæ ſectio*, niſi ſolum quum ſanguis redundaverit, aut alijs humoribus exactè remiſtus fuerit, ex *Galen. 4. de ſanit. t. 4.* At cum humores à natura ſanguinis valde alieni ſunt, acres, bilioſi, tenues & erodentes, ij purgatione excludendi; plethoram autem à cacochymia diſtinguere non difficile eſt. *Zacutus Pr. Med. hiſt. l. 1. c. 55.*

X X V I. *Serapio & Avicenna ſanguinem mittunt ex cephalica, Meſuës & Rhaſis ex Saphena*, Reſponde, Sectionem venæ communicantis à loco affecto citius trahere, non æque tamen fluxum prohibere; Ob neceſſitatem ergo celeritatis in inflammationibus, incipimus à communicante: In externis doloribus, ab adverſo vel remoto loco: In ophthalmiâ magnâ & ſævâ, ob periculum & dolorem, ab affecta parte prius exhauriendus ſanguis: In miti, licet à remotiori incipere: Vel dic, Serapionem in pauca plenitudine gibberi venas velle feriri, Reliquos in multa plethora ex talo vacuandum jubere, maximè ſi conſueta vacuatio per hæmorrhoidas, aut menſtrua, ſit ſuppreſſa vel minuta: Nam eam prima ſanguinis detractione revocare conaberis, vacuato ſanguine è talo: ſæpe enim, licet diſtantior videatur locus, longè vtilior exiſtit; quia ſemper conſultum fuit accedere ad originem & fluxionis principium. *Zacutus Pr. Hiſt. l. 1. c. 13.*

X X V I I. Purgationem commendat *Hippocrat.* aphoriſm. 17. 6. & *Galenus* in comment. *Eſt hoc & exemplum unum eorum quæ ſponte & vtiliter vacuantur, quod Medicum imitari oportet*; Conſentit ratio & experimentum, quia oculorum inflammationes & dolores, ab acerrimis & ſalſis ſuccis ſiunt, qui purgatione ab oculis & revellendi & educendi; quod feliciter vt plurimum contingit: Rejicienda contra videtur, quia ſanguis non cacochymia peccat, teſtes ſunt rubor & inflammatio: Ideo *Hippocrat.* 2. Epidem. ſect. 2. tractat. 18. *Anginam & lippitudinem ſolvit venæ ſectio.* Adde quod purgantia humores turbant, fundunt, agitant, in partes debiles, phlegmone, dolore obſeſſas impellunt: Pro ſolutione ſciendum Ophthalmiam, oculorumve dolorem, vel eſſe à rheumatiſmo, vel à congerie: vbi à capite, ſubjectiſve viſceribus, ac toto corpore humores affluunt, & caput & totum à colluvie repurgandum: Ideo *Hippocrat.* libro de Viſu: *Ad lippitudinem annuam & popularem conducit purgatio capitis & ventris inferni.* Talis quippe perennem indicat fomitem à cacochymia, vel à toto, vel à capite tranſmiſſum, vnde purgationis emergunt ſcopi, Sanguis autem plethora tantum vrgente mittendus, juxta *Hippocrat.* eodem loco conſilium, *Ad quoſdam hujuſmodi dolores ſanguinis detractio confert, ſi corpus ſanguine redundet.* At vbi morbus per *συμπάθειαν* eſt, manifeſtè lædunt purgantia, nedum proſunt: ab iis enim oculi debiliores efficiuntur, hinc præ debilitate proprium alimentum in malum ſuccum degenerat: Rectè quoque dicere licet tales Oculorum paſſiones, ſolius capitis intemperiei ac plenitudinis ſoboles, à purgantibus irritari, concitata majore humoris fluentis parte in oculos: Cerebrum namque oculis, tanquam propriis emunctoriis, ad ſui repurgationem nonnunquam vtitur, qui ſi malè affecti fuerint colluviem promptè excipient: At vbi malum à ſubjectis viſceribus & ventris impuritate exoritur, tutum eſſe pharmacia vti: Inſuper neq; malè dixeris *Hippocrat.* in aphoriſmis de medicamentis levioribus verba feciſſe, ac de ſpontanea diarrhœa. Alibi verò de fontibus & elaterijs, quæ acrimonia & caliditate oculis adverſa.

X X V I I I. Monent ſaniores Practici, ne primis ſtatim diebus *Collyria repellentia* oculis admoveantur, quia plerumque humorem in oculos impetu irruentem in parte retinent, vnde augetur dolor & inflammatio: *Galenus* enim aphoriſm. 31. 6. Ocularium quendam reprehendit qui his remedijs ab initio vti propoſuerat, Suſpecta enim eſſe *ait* ab initio, quod vehementes fluxiones non reprimant, ſed ne excernantur prohibeant: vnde ſi acres ſint humores, vlceratur cornea: ſi multi, diſtenditur, imò interdum diſrumpitur. *Avicenna* fen. 3. libro tertio tractat. 1. cap. 9. *Et oportet, quantum poſſibile eſt, vt retardetur in ophthalm. collyriorum adminiſtratio vſque ad tres dies*, Et paulo poſt, *Oportet vt initio non adhibeantur inſpiſſantia fortia, & quæ ſint vehementer ſtyptica, quoniam inſpiſſant tunicas, & prohibent reſolutionem, & augent dolorem*: Non tamen ita exactè dierum numerus definiendus, cum morborum tempora in his breviora, longiora in alijs ſint: vtiliter tamen fronti & temporibus adſtringentia admoveri poterunt. *Riverius lib. 2. cap. 8.*

X X I X. Id moneo tam in *Ophthalm.* quam *Epiphora, repellentia* fluentem materiam, fronti aut temporibus admota, valde ſuſpecta eſſe, vbi ſcilicet per venas & arterias intra calvam fluit humor, quippe quæ materiam in nervos opticos impingant: Tuta autem erunt ſi fluxio per venas & arterias extra cranium irruat. *Zecchius Conſult. 41.*

XXX

XXX. Caveto ne ſimul ab oculis repellas, & temporum venas cataplaſmatis aut frigidis pharmacis adſtringas: Quippe certum eſt ſi per adſtricta his medicamentis vaſa remeare tenentur repulſi humores, impoſſibilem eſſe eorum recurſum, cum viæ anguſtiores redditæ ſunt. *Mercatus Cap. de Ophth.*

XXXI. Vſus *Topicorum* ſit parcior, monétque *Mercatus*, etſi plurima paſſim præſcripta ſint, non omnibus aut ſemper vtendum eſſe, cum plus ſæpe promittant quàm præſtent; additque, Scio profectò plurimos in omnimodam cœcitatem deductos eſſe copia medicamentorum potius quam defectu: Neque enim oculi ſemper vtilia medicamenta ſine incommodo ferunt; nedum quæ inordinatè & ſine ratione adhibentur. *Sennertus.* Imprimis Collyrijs medicamentis vti oportet: appellantur enim Collyria quæ humorem contra fluere efficiunt; quæ in oculum indita materiam ab eo repellere nata ſunt: hæc autem frigida eſſe oportet & parum adſtringentia, nam plurimum frigida tenuit *Galenus 2. loc. & 12. methodi*, Lenia igitur & mulcebris ſubſtantiæ ea eſſe oportet in ea affectione cujus generatio & affluxus materiæ nondum ceſſavit: Sed antequam hinc diſcedam, magnifacere ſtudui quanti periculi ſit & indiſtinctè in Oculorum affectionibus repellere: licet revera nulla ſit in oculis deterior pars, & ignobilior ea quæ in ophthalmia patitur: Item quia ejus tunicæ conditio, & natura duræ, ſolidæ & denſæ eſt ſubſtantiæ, à qua poſtquam aliquid receptum habet, pellere difficillimum ſit: Quinimo arbitrandum eſt hoc præſidij genere in pleriſque laborantium fieri *Vngues & Nubeculas*, ac reliqua vitia, quæ ſemel facta, non ſine magna Medicorum & adſtantium miratione, in cœcitatem ducunt immedicabilem: Quare licet paſſim hæc frigida ſcribantur, & adſtringentia, caute adminiſtrare oportebit: nimirum dum fluxio nondum venas ipſius tunicæ eſt egreſſa, ſed ibidem adhuc manens, facile repulſu & compreſſione retrocedere poteſt, vt vſu venire ſolet mox à principio: Verum ſi acciderit dolores denuo exacerbari, fluxione revertente, & adhuc quod fluxerat in patris tunicis impactum manſerit, adſtringentia tenues, quia eis ſæpe, vti dictum, fiunt vngues & nubeculæ, vel vnius ſolum noctis ſpatio: Tunc quidem ea adhibebis vel actu calida, vel concoctorijs aut diſcuſſoriis admiſta; niſi doloris vrgentia actu frigida adhibere cogaris: Itaque ſi ſola neceſſum ſit repellentia adhibere, actu calida adhibenda eſſe conſulit rei natura, ſi vero alijs admiſceantur, frigida tuto adhibebis: Sed præter particulæ naturam ratio etiam habenda eſt humorum ſortis, nam etiam variæ ſunt humorum ſortes quæ prædictorum medicamentorum contactum etiam renuunt: Hujus naturæ eſt corporis plenitudo, humoris in parte contenti copia, craſſities, tenuitas, & dolor oculorum acerbiſſimus: craſſities enim repellentibus non obſequitur, neque copia; tenuitas compreſſionem eludit, prætcrlabitur & ob id preſſius in parte figitur: dolor ab adſtringentibus compreſſa materia augetur &c. *Mercatus.*

XXXII. *Meſue* de curatione ægrit. Aurium hanc regulam tradit, *Medicamenta quæ oculis inſtillantur ſemper actu frigida eſſe debent: Quæ auribus, tepida aut calida, ſive affectus ſit calidus ſive frigidus*: Sed actu frigida oculis ſanis potius conveniunt ad præſervationem à morbis: In oculo autem phlegmone affecto, actu tepida magis ex vſu ſunt; vergentia ad frigiditatem, ſi repellendum, ad caliditatem, ſi diſcutiendum; quo vtroque etiam dolor mitigatur. *Sennertus.*

XXXIII. Lac muliebre recens, vel aliud, inſtillatum, vel impoſitum oculo, facile primas tenet inter medicamenta dolorem lenientia; in ejus tamen vſu hæc cautio, ex *Aëtio* & *Avicenna*, adhibenda, ne lac oculo diutiùs inhæreat: facile enim à calore oculi corrumpitur & acrimoniam contrahit; Ideóque ſingulis ferè horis mutandum eſt; Id quod de albumine ovi metuendum non eſt. *Sennertus.* Si lac adeo vtile, ac tantopere a *Galeno* commendatur, quare *Aëtius* condemnat, dum ait, *Quidam porrò dolorem obtundere volentes, & caliditatem & acrimoniam edulcare, lac pro ovo infundunt; decipiunt autem ſeipſos ex ignorantia, pro parvo ſolatio diuturnam affectionem ægro propinantes &c.*? Quaſi dicat, lac licet dolorem leniat, cum tamen ſit craſſi ſucci, humores arctat & reſolutioni contumaces reddit, & hanc ob cauſam in longum tempus protrahitur morbus: Explica ergo Authores, dicendo *Galenum* loqui de vrgente dolore, *Aëtium* de modico: Cum enim vehementer hoc ſymptoma infoleſcit, vires enervat, dejicit, ac tandem capite debilitati reddito, & ad id plurima hac de cauſa humorum copia attracta, lethales ſequuntur oculorum & capitis morbi, qui ſæpe ægros ad necem perducunt. *Zacutus Prax. Hiſt. l. 1. c. 13.*

XXXIV. *Collyria* quæ ex *Opio* fiunt vehementiſſimos oculorum dolores remittere omnes norunt, vtendumque his eſt cum maxima neceſſitas vrget, illud minime ignorantibus particulas ipſas nonnihil lædendas, imbecillioreſque in reliquam vitam ex refrigeratione futuras: cæterum ſaluti hominis in præſens, ipſam poſtea futuram noxam poſthabentibus, Si quidem non paucos eorum qui his ſunt vſi eò infirmitatis veniſſe, vt alij ferè nihil viderent; alij propemodum ſurdi forent, Id omnibus jam notum eſt: Itaque nos, ſi quando cogimur his vti, poſtmodum in ſanitatis tempore particulas ipſas excalfacimus &c. *Galenus 12. meth. cap. vltim.* Opium & opiata nonniſi neceſſitate vrgente vſurpentur; ſitque eorum vſus neque frequens, neque multus: Etſi enim (quod vulgo putatur) frigiditate non noceant, tamen non ſaltem acrimonia ſua & mordacitate dolorem augent, ſed etiam ſpiritus opticus incraſſant & hebetant. *Sennertus.* Vide *Chr. à Vega Art. Med. l. 3. ſect. 2. c. 1.*

XXXV. Ad *dolentes oculos* etſi rectum quidam putant nihil adhibere, tamen non eſt dubium quin affluxu humorum oculi corrumpantur & debilitentur, ita vt promptè vim humorum irrumpentium admittant: Itaque poſt diverſiones & evacuationes, omnibus modis ea quæ intemperiem mitigant & partem roborant applicanda. *Crato conſil. 6. apud Scholtzium.*

XXXVI. In hoc maxime vulgus & mulierculæ peccant, quod vno collyrio omnibus ægritudinibus oculorum mederi volunt, & ſingulis quaſi *vitriolum album* remiſcent, idque non in minima quantitate, quod medicamentum alias eſt laudatiſſimum: Punctus erat mulieri oculus à fiſſura ligni, Chirurgus imponit aquam ophthalmicam, medicamentum alias laudatiſſimum, fortiter camphoratam, inde vero non ſolum affluxus adauctus eſt, dolor increvit, verum quoque per conſequens humores ipſi brevi poſt eſſlue-

bant, irritato nimis hiatu non adeo grandi : Aliâ ſç. in principio, alia in progreſſu, alia in declinatione conveniunt. *Wedelius de Medic. Comp. ext. pag.* 208.

XXXVII. *Ophthalmia inveterata*, & quæ per multos ſæpe annos perſeverat, diverſam aliquantulum & longiorem curandi rationem poſtulat; & illa non rarò magnum Medico curanti faceſſit negotium, cum difficillimè impedire poſſit quò minus pars delicatiſſima, a longo tempore debilis, fluxionem recipiat: Adde quod non ſolum per fluxionem fovetur hic affectus, ſed etiam ſæpenumero per congeſtionem, ex intemperie in parte contracta, quæ difficillimè corrigi poteſt: Ad illius curationem, primo advertendum eſt num à calidiori epatis intemperie, quod non rarò fit, affectus iſte foveatur, & tunc remedia calidam illam intemperiem corrigentia adminiſtranda ſunt; Et imprimis poſt ſanguinis miſſionem & purgationes convenientes, maximè conferunt balnea, ſerum lactis & aquæ minerales vitriolatæ, tum etiam hirudines hæmorrhoidibus affixæ: Si verò Ophthalmiæ materia a ſola cerebri intemperie oriatur, cujus ratione humores pituitoſi ad oculos defluant, cum aliqua ſanguinis portione permiſti, Tunc cerebri expurgationi incumbendum per pilulas vſuales (poſt vacuationes vniverſales) bis, ter aut quater in menſe vſurpatas: Si purgationes prędictæ, cum aliis remedijs, ad curationem non ſufficiunt, ad purgationes Mercuriales per intervalla repetitaş, tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſt. *Riverius.*

XXXVIII. Singulare *Ophthalmiæ* remedium, ab amico mihi communicatum, lectoribus non invidebo; *Auris lobulus* lateris affecti *perforetur*, perque foramen factum trajiciatur turunda longiuſcula ex inverſo & convoluto cortice radicis laureolæ: Sinenda eo loco turunda donec auris & vicinæ partes intumeſcant: tum leviter turunda commoveatur, vt aquæ copia collecta effluat: quâ exhauſtâ detumeſcet auris & Ophthalmia ſedabitur. *Th. Bartholinus Cent.* 4. *Obſ.* 80. *Exemplum* vide apud *Riverium Centur.* 4. *Obſ.* 100.

XXXIX. Audaci Empiricorum conatui ſæpe eventus reſpondet; *Oculis* cum *inflammatione dolentibus* nonnulli *cucurbitulis cum ſcarificatione* pone aures, ad venæ cephalicæ in humero initium appoſitis, ex voto ſubvenere, Quod tamen vix imitandum, ad vitandam humoris attractionem. *I. Rhedius Cent.* 1. *Obſ.* 79.

XL. Medicus Ophthalmicus magnas divitias ſibi Lutetiæ comparavit, *cauteria actualia venis oculorum* debilium & rubrorum admovendo; quod ſæpe ei feliciter ceſſit, proque novo habetur remedio, quod tamen in libello *Hippocr.* de Viſu reperitur. *P. Borellus Cent.* 2. *Obſ.* 97.

XLI. Miror, *inquit*, *Guido de Cauliaco* multum de *Gordonio*, qui dixit quod omnes ſapientes conveniunt quod *Sarcocolla* non competit niſi in declinatione, & tamen in ipſa eſt diſſolutio parva abſque mordicatione, quod eſt neceſſarium in augmento; præterea Rhaſes & alij in augmento eam commendant: Forte credidit, quia *Ieſus* eam in pulvere prohibuit in principio, quod etiam & in alijs temporibus prohiberet.

XLII. *Aphoriſmo* Hippocrat. 6. 31. ad dolores oculorum commendat: Verum cum, vt rectè *Gal.* & *Avicenna* docent, alia ratione vinum prodeſſe vix poſſit, niſi quia ſanguinem craſſiorem attenuat ac diſſipat, nonniſi in declinatione vino vtendum, & vbi materia eſt craſſior: alias metuendum ne major humorum fluxus ad oculus fiat: Ita de *P. Ramo* ſcribit *Zwingerus* in Theat. vol. 17. l. 3. eum ex immodicis vigilijs in Ophthalmiam incidiſſe, quem cum *Iac. Sylvius*, ex dicto aphor. vino vti juſſiſſet, ita crevit malum vt vix tandem multis remedijs extingui potuerit: *Celſus* alium adhuc vſum meri potui addit, vt ſomnum concilier; Vinum autem bibi jubet leve, ſubauſterum, modicè vetus, neque effuſe, neque timidè, vt neq; ex eo crudiras, & tamen ſomnus fiat, lenianturq; intus latentia acria. *Sennertus.* Quidam ruſticus quinquagenarius ophthalmiâ inveteratâ laborans, ex Medici præſcripto victu refrigerante & aquæ potu longo tempore vſus fuerat ſine vllo levamine: Tandem ab alio ruſtico perſuaſus fuit vt victum illum refrigerantem deſereret & meri potui indulgeret: poſt aſſumptum primum meri cyathum ſe oculis melius habere ſenſit, & intra paucos dies eodem potu continuato ab ophthalmia prorſus liberatus eſt. *Riverius cent.* 3. *Obſ.* 25. Vide *Borellum Cent.* 2. *Obſ.* 77.

XLIII. *Balneo* alij in humoribus calidis & acribus vtendum cenſent: Alij in craſſis & pituitoſis: Alij in declinatione: Alij fluente adhuc materia ad ſiſtendam fluxionem: Verum in vtroque caſu locum habere poteſt: Nam vbi a bilioſa materia orta eſt Ophthalmia (ſi tamen in toto capite illa non redundet, ſed corpus jam purgatum ſit, nullâque adſit corporis plenitudo, & materia non amplius ſit in fluxu) balneum evocat & temperat acies humores, & maximam partem inter lavandum excreta ſiſtitur fluxio, reliquumque contemperatum à natura faciliùs vinci poteſt: Ita etiam Balneum convenit ijs quos phlegmone Oedematodes, ab humoribus minus calidis, infeſtat: Corpore enim prius evacuato humores craſſi per balneum attenuantur:. Si verò corpus adhuc plenum ſit, & materia ad oculos ruat, metuendum ne calore balnei fuſa materia ad oculos magis ruat. *Sennertus.*

XLIV. *Victus* ſit non tenuis, vt quidam imperant, (hic enim omnibus inflammationibus maximè noxius eſt, quia humores inflammantur) ſed refrigeret & humectet. *Enchir. Med. Pr. ex Celſo lib.* 6. *cap.* 6.

XLV. *Acida & dulcia*, vt acetum, mala Punica, ſyrupus acetoſus &c. reprobantur à *Meſue* & *Avicenna*; hic enim 3. 3. tr. 1. c. 9. *Canon communis in regimine ophthalmiæ materialis eſt minoratio cibi, & alienatio omnis vaporoſi, & alienatio comeſtionis acetoſi, ſalſi & acuti &c.* Probantur à *Rhaſi* & *Hali.* Dic valde acida, copioſe ſumpta, noxia eſſe quia mordent membrum ſenſile: parcè ſumpta prodeſſe, modica adſtrictione humores & vapores reprimendo ne caput petant. Dulcia vitanda, ex conſilio *Rhaſis*, quod calidum humorem, ac proinde evaporantem, gignant. *Zacutus Pr. Hiſt. lib.* 1. *cap.* 13.

XLVI. Vix credi poteſt quam multi Medici cum ſummo ſuo dedecore & ægri detrimento fallantur: Quoties enim oculum tumeſcentem aſpiciunt, ſine alia diſtinctione Ophthalmiam appellant, & quod longè deterius eſt, ſtatim curant quemadmodum ſimplices ophthalmiæ curari ſolent, non perſpicientes num quis humor tunicam quoque invaſerit & palpebras, & nunquid in ipſis palpebris aſperitas, quæ frequentiſſimè aſperrimos dolores & novos defluxus excitat: & nunquid aliquod tuberculum, aut vlcus, aut puſtula parva è directo ſeu diverſo pupillæ appareat? Hæc & alia complurima

cum

cum Ophthalmia complicari ſolent ſæpiſſime, quibus, niſi diligentiſſimè occuratur, non eſt mirum ſi poſtea cæcitas & multa alia incommoda ſequantur. Miſerum Ophthalmicum novi, cui in ea parte quæ pupillæ opponitur puſtula inerat admodum exigua vt vix ſenſu perciperetur: Huic imprudens Medicus occurrens, tanquam ſolam ophthalmiam curaturus, pomum ferventi cinere maceratum ſaccharatumque conditum temere applicavit; ea nocte dolor omnino ſedatus eſt, probeque obdormivit: mane lætus ſurgens Medicum acceſſivit de ſanitate gratulaturus: Medicus ſoluto oculo propereque abluto cataplaſmate, ſubſequutus eſt humor aqueus, qui cryſtallinum præcedit, vt æger altero oculo privaretur: Illo enim cataplaſmate, diſrupta puſtula profundiori quam ſenſu apparuerat, ulcus ſubortum eſt. Ergo ſi quid aliud hoc maximè intueri oportet Ophthalmiam curaturum, ſitne alius in oculo morbus, vel alia pars læſa præter conjunctivam: & præcipuè advertendum an in corneâ & circa pupillam ſit nocumentum: in hoc vero totus diſcriminis cardo vertitur: Partis enim nobilitas & imbecillitas, & erroris nocumentum nunquam nos ſatis cautos reddit: Si ergo affectus aliquis in ea parte conſiſtat, videndum an vlcus, vel puſtula, an nubecula appareat, & ſingulis occurrere rei natura conſiderata. *Montanus conſult.* 46.

XLVII. *Tutiam*, ſi rectè præpararetur, & veram haberemus, laudarem: ſed quia non rectè præparatur, & ſemper videmus quod quotieſcunque vtimur dolorem excitet, cum tamen ipſi antiqui dicant eam minimè eſſe mordacem, ideo omittitur. *Montanus conſult.* 142.

XLVIII. *Mercurialis* conſ. 87. poſt ſ.m. ad *Gamberia* veniendum monet, vnum præcipiens in crure dextro, alterum in capite pro revulſione & exſiccatione: Idem in *Præl. Patav.* l. 1. c. 33. cauterium ad præſervationem ſumme utile aſſerit: In nuchâ quidem, quia humores qui fluunt ad oculos per eam partem, tanquam per aquæ ductum expurgantur: Et in ſuturâ coronali, cum periculum immineat à vaporibus continuò aſcendentibus ab inferioribus ad ſuperiora: Ego, vt dicam id quod in praxi obſervare licuit, ad curationem Cataractæ nihil conferre fonticulos aſſero, hoc unicum præſtant quod maturationem retardant: conſulerem itaque hoc in caſu abſtinendum, & naturæ opus committendum, quò eò citius ſeneſcere, atque poſtmodum manuali operatione deponi poſſit: In principio autem, vbi imagines oculis obverſari animadvertuntur, nullatenus rejiciendi. *Glandorpius Gazophylacii.* c. 16. p. 105. *Vide Hildanum Epiſtola* 67.

XLIX. *Dolore* admodum urgente cum mulcentibus roſaceum recens, aut butyrum, aut cremoris lactis ℥vj à quibuſdam adduntur: At talia pinguia oculo non utilia, ne aridum factum medicamentum oculum premat. Sunt qui fronti potius applicari volunt: *Platerus.*

L. Si ea craſſiuſculo, minuſque calido humore oculi infeſtentur, ad roborandum caput & oculos, fluxionemque exiccandam, ſudorifica ex Chyna, vel ſmilace aſpera aut Ebeno valde excellunt. *Zacutus.*

LI. Circa *localium* admotionem maximè indicationes à loco affecto deſumuntur: partis enim laxitas, ſenſibilitas, patiendi aptitudo, conſenſus & vicinitas, maximè pupillæ & humorum oculi, hæc omnia non ſinunt nos applicare aliqua quæ ſunt vel repercutiendo vel reſolvendo efficacia: Quæ enim nimis acerba adſtringentiaque ſunt, licet validiſſimè repercutiunt, has tamen oculi partes irritant, exaſperant, majoreſque dolores excitant: Quæ verò nimis calida & acria, potenter quidem reſolvunt, ſed inflammationem augent, & à propria oculorum temperatura partem exterminant: In vtraque igitur facultate, tum repercutiendi tum reſolvendi, applicari debent moderata. *Montanus conſultat.* 46. Repellentia ejuſmodi ſint ne nimia frigiditate & adſtrictione tunicas oculorum denſent poroſque claudant; ſiccitate verò oculos exaſperent, doloremque ex vtraque cauſa augeant: cum enim à phlegmone ſemper aliquid reſudet, præſertim in membro raro, materia actis detenta motu majorem dolorem excitabit; multa, tenſione dolorem intenſiorem faciet: Ideo lenientia quædam frigidis & adſtringentibus admiſceantur, vt lac, crocus, ſarcocolla. Eadem ne nimium lenta ſint, ne craſſa nimis viſciditate pertinacius oculis adhærendo indurentur: ideoque etſi albumen ovi cum aqua roſarum, vel ſimili conquaſſatum, ſit convenientiſſimum remedium ad repellendum, tamen videndum ne talia admiſceantur vnde indureſcat & oculis pertinacius adhæreat: quod incommodum vt præcaveatur, *Septalius in Animadv.* liquore ex albumine ovi ad duritiem cocto expreſſo vti mavult: verum cum liquori huic deſit vis illa emplaſtica quæ albumini conquaſſato ineſt, quæ, teſte *Galeno* 3. meth. med. c. 11. in lippitudine utilis eſt vt diutius hæreat, & longiore tempore refrigerando repellat, conſultius eſt albumen ovi vſurpare, nihil tamen ei admiſcere ob quod induratur & oculo pertinacius adhærere poſſit. Sint etiam remedia quæ oculis induntur à ſordibus diligentiſſimè mundata, & leviſſimè trita atque cribrata, vt aſperitatem deponant, mordacitatis quoque ſint expertia: Et proinde ſi mordacitas à calore dependeat infundantur illa ſæpius in aqua roſarum, endiviæ, hordei, lacte muliebri. Si à frigiditate, in decocto paſſularum, fœnugr. meliloti cum vino ſubdulci. *Sennertus.* In vſu collyriorum anodynorum & emplaſticorum, quæ ex ceruſſa, amylo & papavere parantur, ſollicitudo neceſſaria: Rejicit ea ab initio *Galenus* 6. *aph.* 31. Neque enim fluxiones vehementes reprimunt, ſed ne excernantur prohibent. *Rolfinccius meth. pag.* 663.

LII. Monitos velim Chirurgos *Collyria* in quæ ingreditur *lac*, æſtate ſingulis, hyeme vero alternis diebus iteranda eſſe, aceſcit enim lac & acre efficitur, hinc dolores & inflammationes excitat. *Hildanus.*

LIII. Ophthalmia plurium menſium ſpatio laboraverat juvenis, qui omnium auxiliorum vim fuerat expertus, poſt quæ ad cauterium in nucha acceſſit, ad arteriotomiam temporum ter celebratam; ad ſectionem venæ frontis; hirudines temporibus applicitæ, apertæ mariſcæ, adminiſtratum balneum, varia topica admota; Originem autem mali in hepate ſqualido invenimus; quumque hæc pars nec epithematum infrigidantium ope, nec aliis auxiliis roborari poſſet, quin calidum, acrem bilioſumque humorem gigneret, ad oculoſque tanquam ad partem debiliorem tranſmitteret, dextra ſalvatella bis ſciſſa, humore ad longinqua avocato, ventilatoque Epate, æger dolorem poſthac nunquam ſenſit. *Zacutus.*

LIII. *a.* Si perſeveret affectus, & cæteris præſidiis reſiſtat, tunc conjectura eſt quod ſanguis calidiuſculus in arteriis ſit infixus: tunc ergo vtere conſillo *Galeni* 13. meth. vlt. *Rade, aut ſeca arterias temporum*, Id docuit *Avic.* *Et fortaſſe non ſufficit phlebotomia ex cephalica, & eſt neceſſaria phlebotomia arteria temporis & auris, ad abſcindendam viam per quam advenit materia, Et illud quando advenit materia oculo per arterias extrinſecus.* Quod ſi ſuſpectus ſit arteriotomiæ vſus, in ea parte hirudines appone ex *Paulo: At ſi humores in capite fuerint impacti, hirudines fronti, qua oculus dolet, adhibere oportet. Zacnius.* Multos variè Lippientes, vt ne palpebras quidem aperire poſſent, facta ſemel arteriotomia in temporibus è veſtigio levatos vidimus: Eam arteriot. felicitatem chemoſis magno diſcrimine conflictatus ſenſit N. ſenſit & N. Medicus, cui ad alterum novo xa. poſt diebus facto defluxu, quod ſub ardente ſole itare cogeretur, cum illo temporum latere rurſus adminiſtrata micantis venæ ſectio fuiſſet, in promptu gravitas omnis capitis, lacrymarum fluxus, tunicarum inflammatio &c. deſiere. *Severinus Med. Eff. p.* 47. Arteriarum ſectio non temere aggredienda eſt, ſed vbi inflammatio ex ſanguine ſit ſpirituoſiori & fervido, cum gravi oculi dolore & pulſatione ac tentatis prius aliis auxiliis, vt *Galenus* docuit lib. de *cur. per ſ. m. cap. vlt. &* 14. *meth. ad finem*, Cucurbitulis autem ſcapulis affixis & cervici, ac ſuperioribus brachiorum partibus, & prope humerum ſcarificatis, ſectionem arteriarum ſupplere poteris. *Mercatus.*

LIII. *b* Si Topicis ex arte adhibitis non quieverit importuna affectio, conjectabile eſt plurimum adhuc humoris exiſtere in partibus affectæ parti vicinis, quod per vicina membra etiam derivare oportet, ſanguine extracto à venis quæ è directo caput reſpiciunt, vt à venulis naſi, à vena frontis aut ſyncipitis, vel ab eis quæ poſt aurea & in temporibus exiſtunt: è quibus eligenda eſt quæ tumentior rubicundiorque extiterit: Harum tamen ſciſſionem cautè facito, & cum perito artifice, ac nonniſi reliquis præſidiis fruſtra tentatis, ne tibi quid deterius accidat: Conterit etiam reliquias humoris ſciſſa oculi ea vena quæ eſt in majori angulo, cui hirudines affigere ſæpe magni fuit momenti: Præſtat & ſciſſio ejus quæ eſt inter pollicem & indicem; qua etiam in principio ſciſſa, plurimum derivando divertit à parte affecta quod jam fluxurum erat, & longe minus imbecillitat. *Mercatus.*

LIV. *a* Prudenter & caute Repellentia (*vide* §. 31.) adhibere convenit, cum ea indextero eorum vſu multa mala ſuccreſcant; Inquit enim *Aëtius ſerm.* 7. *cap.* 14. prudenter eſſe adhibenda his qui Oculos habent glaucos, vel venis ſcatent amplioribus: quippe hi non ferunt collyriorum frigiditatem & adſtrictionem; congelaſcit enim Oculus & viſus offenditur. *Mercatus.*

LIV. *b* Expendes etiam frigidus ne ſit an calidus qui fluxit humor, quippe ſi frigidua pituitoſuſve fuerit, longè cautius & mitius repellentibus vteris, & his quæ minus frigida ſint: cujus naturæ eſt Collyrium de ſpica, roboratum ſucco menthæ, aut virgæ paſtoris: In proceſſu mali, maxime apparentibus ſignis coctionis, valet balnei vſus ac vini potus: At ſi materia quæ fluit calida, acriſve ac mordax fuerit, adhibenda ſunt quæ præter id quod repellant, materiæ quoque acrimoniam & fervorem reprimant: cujus naturæ eſt portulaca trita, intybus, viola, ſolatrum, aqua roſarum & myrthi, vel pſyllium in iiſdem infuſum, in quibus perſtandum donec lippam & lacrymam ceſſare aliquantulum conpereris. *Idem.*

LIV. *c.* Hoc tamen animadvertendum, licet fluxio ſit frigidi humoris, ob contractum calorem ratione inflammationis, non vt humoris eſt natura calefaciendum eſſe, ſicut in calido humore non impenſe refrigerandum; Sed mox à principio utendum eſt his quæ id leviter efficiant ac dolorem ſedent, & cum hoc mulcebrem reddant humoris deterrimam conditionem. *Idem.*

LIV. *d* In *Ophthalmia* graviſſima ſi plethora maxima adfuerit, pharmaco expurgato corpore, venam in cubito primo, deinde *Iugularem* ſecare ſoleo, ſic enim ſanguis circa membranas cerebri, oculos fauceſque collectus protinus evacuatur, vti ſequenti exemplo videre eſt, Anno 1600. quinquagenarius quidam inflammatione dextri oculi adeo graviter laboravit vt de viſu periclitaretur, & præ dolore dies nocteſque dormire non poſſet: Ego ſecunda die à venæ ſectione in cubito facta Pilulas præſcripſi, ſequenti die ſcalpello venam jugularem ſecundum longitudinem incidi, ſanguiniſque ad ℥. circiter vij. extraxi, hac venæ ſectione inflammatio oculi protinus ita remiſit vt intra paucos dies pleniſſime convaluerit. *Hildanus Cent.* 4. *Obſ.* 14.

L V. Externa jugularis infra clavem duos emittit ſurculos, cujus alter ad capitis partes laterales aſſurgit, portione vna pone aures traducta, quæ in frontem & occiput diſpergitur, ſupra tempora multiplici ſobole, & in iſtis locis ratione venarum cumulari ſeroſum humorem credidit *Fernelius*, qui defluens in partes ſubjectas fluxiones in habitum corporis procreat: Idemque pyroticum, auris poſticæ cavo appreſſum, oculis fluxione laborantibus magis prodeſſe putat quam Occipiti admotum, propter ramulum jugularis ad oculum productum. *Riolanus Enchir. p.* 253.

L VI. An etiam aliquando *in Ophth. ad Setaceum* circa occipitis regionem eſt accedendum? Affirmativa videtur probabilis, quia contumax humorum affluxus hac ratione revellitur à parte affecta, adeoque materia peccans, affectum diutius fovens, loco affecto ſubtrahitur: Cum enim cauterium alias materiam ichoroſam, potiſſimum peccantem in corpore, à partibus nobilioribus internis exterius ad cutim evocet, ejuſdemque impetum p. n. ad partem quandam corrigere valeat, idcirco hic etiam non abſque ratione adhibendum eſſe videtur, tunc ſcil. vbi pertinax materia affluens poſt plethoræ vel cacochymiæ vniverſalem correctionem adhuc revulſione quadam forti indiget: Fieri ſolent ſetacea in occipitio, inquit *Gavaſſetius de vat. cauter.* c. 18. ad revellendam materiam illam quæ fluit ad oculos, quando occipitium inter 1 & 2. vertebram perforatur, vel, quod magis probat inter 2 & 3. Quo autem loco commode applicetur inter omnes non convenit, dum alii ſuturæ coronali infigendum eſſe autumant, alii contra potius in occipitio ubi cervix incipit illud ipſum excitandum demonſtrant ratione probabiliori, cum loco affecto recte ſit oppoſita regio cervicis, & ad eam humores peccantes citius, utpote decliviorem partem moveantur, nec ab eadem tam facile, quam à ſutura coronali locum laborantem ophthalmiæ repetant; ſed cum locus circa cervicis initium, inter 2. &

& 3. vel 3 & 4. vertebram ad ſimplex cauterium actuale unius foraminis ſuſtinendum non admodum aptus ſit, idcirco potius ſetaceum commendat experientia, ubi videlicet cutis craſſior dicti loci forcipe comprehenditur, & funiculo tranſmiſſo perforatur: Conjungatur hic *Mercatus de recto præſid. uſu* l. 1. c. 16. dum inquit longioribus affectibus, & his quibus diminuta vacuatio longe tempore facta ſat eſt, plurimum proſunt ſetacea, velut in oculorum affectibus, aurium, & aliarum denique partium quæ parvæ ſunt, quarum affectus potius conſuetudine fluendi ad eaſdem quam ex humorum copia concitatur, quibus ſat eſt diminuta vacuatio ad conſuetudinem fluxionis avertendam: Nec obſtat hic quod habet *B. Vicarius l.* 1. *de Aſſiſtente agrotantium*, c. 14. dum in oculorum affectibus potius cauterium profundius quam ſetonem approbat, propterea quod ſetonibus cutis ſuperficiaria tantum perforetur, ita ut poſtea tantum humiditates in cute imbibitæ attrahuntur, Quia ſetaceum ejuſmodi quod innuimus una cum cute membranam quoque carnoſam apprehendit *G. Horſtius Decade* 7. *Qu.* 1.

LVII. Setaceum ad ophthalmiæ præſervationem ſi caput à toto, & ab hoc oculi materiam morbificam ſuſcipiant ſuſpectum habemus, ob capitis à toto magnum conſenſum: quod proinde ob dolorea continuos copioſos in caput attrahere poteſt humores: Sicut quam efficaciſſimû derivans materiæ antecedentis & decurrentis eſt cauterium inter primam & 2. vertebram factum. *Fertis conſult.* 77. *cent.* 1. Suffuſioni ſetaceum purgato toto & capite forſan proderit: aliter enim in corpore cacochymo plus attrahit à toto quam evacuat, & ſæpe celerius occæcantur. *Idem conſult. ſeq.*

LVIII. Cutis habitu etiam naturali circumtegentis carnem aut oſſa, quæ vel vitium concepere, vel concepti ſolum aut acceſſuri metum dedere, ſectionem ut adminiſtret Chirurgus perſæpe uſu venit: Ego magnorum virorum obſervationibus ac decretis confirmatus, auſus ſum primus rem conficere in homine Florentino, qui perenni jam tres annos ophthalmia, cum oculorum uſu nullo, craſſitudinem geſtabat horridam palpebrarum, quæ ipſæ conſecta quatuor digitos cute ſincipitis reſedere non ſerius quam xiv. Ex quo ſic oculos longo mucore ſemimarcidos expromptos licuit medicamentis ſuis foveri: Nullum unquam è ſecta ad os uſque cute incommodum, verum baſilico cerato curata ſponte ſua coacta in anguſtum, atque obducta eſt, ſine aliquo oſſis aſſulæ abſceſſu, quod multis mirabile. *Severinus Med. Eff. p.* 84.

LIX. Quod ſi neque iis ſuccumbat affectio, tunc exiſtimandum & humorem perpetuo de novo generari, qui confluens in oculos illos inflammet: Ita docuit Avicenna, *Et ſcias quod quando adeſt Ophthalmia, & oculi alteratio perſeverat cum cura recta, tunc cauſa ejus eſt materia retenta in oculo, corrumpens nutrimentum:* Tunc ſequere ejuſdem conſilium, *Quandoq; cauterium ſupra verticem eſt neceſſarium ut retineatur fluxus. Zacutus.*

LIX. *a* Vel ſi conſtiterit per externas venas fluxionem ferri ad oculos, eaſdem ferro candenti inurere oportet, tribus nimirum locis, in medio videlicet frontis, qua parte vena biſulcatur, & in temporibus, caventes tamen muſculos temporales: Quod ſi per internas venas fluxio prolabatur, ſetonem occipitio affigere erit neceſſum, aut in utroque, vel altero brachiorum fontanellam aperire, quæ fluxionem ipſam ab oculis retrahat, ac iterata purgatione &c. *Mercatus.* Vide §. 55.

LX. Cum *Ophthalmia* per viam fluxionis generatur, à capite, ut plurimum, fluxionem eam derivari certum eſt, Et omnes propemodum authores hanc unicam fluxionis originem agnoſcunt: verum docet Experientia contumaces Ophthalmias ab epate non raro exoriri, & humoribus ab eo in oculos confluentibus, ita ut tunc temporis cauteria occipitio admota morbum foveant, quæ alioquin fluxioni à capite oriundæ maximè conducunt, tunc enim humorum motum ad partes ſuperiores magis promovent; Et vidimus ſæpe veteres ophthalmias, nulliſque cedentes remediis, clauſo fonticulo qui diu in occipitio geſtatus fuerat, brevi & ſponte deſiiſſe, ceſſante nimium motu a partibus inferioribus ad ſuperiores, qui à cauterio continuo fovebatur, natura humores mandante ad illud emiſſarium, quorum portio ad oculos, tanquam partes vicinas & à longo affectu debilitatas ferebatur. *Riverius l.* 2. *c.* 8. vide §. 57.

LXI. In *Ophth. pituitoſa Pilula* non raro præſcribuntur, lucis mai. de agar. &c. quæ quidem, licet in morbi ſtatu commodiſſimæ ſint, tutius tamen eſt initio ab iis abſtinere, ne vehementi medicamento humores commoti magis in partem irruant. *Idem.*

LXII. Iuvenis in ſeparatione metallica occupatus ſummis *oculorum doloribus* laborabat, nec communibus medicamentis adhibitis quicquam levaminis ſenſit, donec me vocato purgans exhiberetur, quod recipit Extr. pilular. cochiar. ℈.ß. Mercur. dulciſ. ℈j. diagr. cott. ℈ß. cum ſyrupo de ſtœch. fiant Pilulæ, Hoc modo plurimum evacuato corpore, ſudorem imperavimus aliquoties exhibitis gran. x. bezoar. miner. ubi miraculi inſtar, remotis omnibus topicis, dolor immenſus evanuit, *Horſtius Obſ.* 25. *lib.* 7.

LXIII. *Septalius* l. 6. Animadv. n. 79. *fœnugraci decoctum* male vulgo parari ait ex ſemine, cum ſit calidius quam ut conveniat, calidum quippe & ſiccum in 2. cenſens ex foliis potius id parandum. Verum incommodum quod metuit forte evitari poteſt ſi paretur ad modum à *Galeno* cap. 10. 1. Eupor. abjiciendo ſcil. decoctum prius, quo quicquid acre eſt ſecedit. *Sennertus.* Vide *Schneiderum* p. 6. lib. ult. de catarrhis.

LXIV. Monachus gracilis, ſobrius & abſtemius, ſingulis menſibus *oculorum inflammatione* ſæva cruciatus, ſibi ipſi venam eodem die humerariam aut nigram abſcindebat, & impoſito vulneri digito iterum atque iterum fluere ſinebat, quouſque dolor, rubor evaneſcerent, Plurima auxilia expertus fuerat, ſed ſola hac copioſa iterataque vacuatione juvabatur: *Zacutus Obſervat.* 59.

LXIV. *a* Si humorum craſſorum copia in ſolo capite redundaverit, citra adſtringentium & repellentium adminiſtrationem, adhibere tantum oportet quæ reſolvendi vires habeant, qualia ſunt caro pomorum dulcium, aqua decocta chamæmeli, vel mica panis madefacta in decocto fœnugræci aut meliloti, vel decoctum ipſius fœnugræci per ſe ſolum; addita etiam theriaca, quæ in diſcutiendis hujuſmodi humoribus miram habet efficaciam. *Mercatus.*

LXIV. *b* Quod ſi craſſus humor, aut vapor in ſolis oculis præfuerit, eo tempore adhibenda ſunt quæ Hippocr. præcepit, *Balneum* nimirum & *Vinum*, quæ nulli alteri cauſarum uſquam conve-

nite poſſunt, ſicut fomenta, quæ huic vſui proficua ſæpe experimur. *Idem.*

LXIV. *c* In hac tamen indicatione, quæ *impactum humorem reſolvere* docet, hoc diligenter obſervato. 1. quod fronti & temporibus adhibeas quæ influxionem inhibeant, maxime cum diſcutientia eam non raro ſoleant excitare. 2. Quod eadem ſenſim & paulatim, tranſacto fluxionis impetu & principio adhibeas: *Idem.*

LXIV. *d* Illud etiam expendendum eſt in frigida materia audacius eſſe diſcutiendum, repellendumque modeſtius: In calida vero liberalius repellere poteris & cautius digerere. *Idem.*

LXIV. *e* Verum ſi aliquid impactum hærensque oculis apparuerit, quod digeri nullo modo poſſit, ex his quæ modice concoquunt nonnihil admiſcere oportebit, qualia ſunt hæc eadem quæ digerunt, admixtis quæ modicum habeant lentorem, vt calorem digerentium moderatiorem reddant: *Idem.*

LXV. Quidam immania oculorum tormenta per annum integrum expertus, velut deſperatus à remediis abſtinebat: Hic confeſſus ſe per noctem in lecto contagii venerei ſuſpicione non carente decubuiſſe: Hoc audito, non ſolum ad roborandum cerebrum humores ex diuturnitate morbi craſſiores factos abſumendos, firmandas partes mandantes, ſudores decocto ſmilacis aſperæ moliendos cenſeo, ſed ad Neapolitani morbi veneficam vim refringendam aſſumendos impero: His diebus viginti ſed ſine fructu vſus eſt: Porro licet in ſuperis partibus premeret affectio, & timor eſſet ne vacuato humore per os, Mercurij vi, fluxio irrueret in oculos, ſic ingraveſceret affectus, tamen cum eſſet diuturnus, & confluentis humoris impetus ſedatus, ad vngu. Mercuriale, corpore rite expurgato, deveniendum cenſeo: hoc per dies vij. admoto, poſt copioſam ſputi vacuationem dolores miteſcunt, evanuit inflammatio, imminutus palpebrarum pruritus: Sic relicto ſolum in brachio lævo fonticulo, vt ſpiraret cerebrum, & ſervato victu priſtinam recuperavit ſanitatem. *Zacutus Pr. Adm. lib.* 1. *Obſ.* 58. *Vige* lib. de morbo Gall. cap. 1. Diverſos oculorum morbos ab hoc pronaſci ait, præſertim ophthalmiam.

LXVI. Securius fidentiuſque ea adhibentur in hominibus macræ atque extenuatæ frontis: in hiſce enim fortius ſuam vim imprimunt: In pingui autem & carnoſa fronte non adeo valent, & poſſunt eſſe cauſa expreſſionis materiæ contentæ circa frontem verſus oculum. *Idem.* refer. ad §. 64. c. d. e.

LXVII. Interdicunt paſſim Practicantes *acetum & acetoſa in* oculorum medicatione: *Galenus* tamen lib. de remed. facile parab. cap. 10. calidos oculorum perturbationes reprimere fotum ex poſca Sed intelligendi fortaſſis prædicti authores de aceto impermiſto: *Plemplius Ophthalm. lib.* 5. *cap.* 2. Vide §. 45.

LXVIII. Ad mitigandum dolorem authores *oleum*, præſertim *roſaceum*, oculis imponunt, quod vtiliter fieri poſſe rationes firmant; nam ſi ſit roſaceum, fluxiones reprimit, lenit dolorem, acres ſuccos contemperat; & ita Alzaharavius 4. Pract. c. 25. cum vitello ovi, lacte muliebri permixtum id imponit: Dic, ſi humorum impetus ad oculos vehemens ſit, & dolor vrgeat, extra impoſitum prodeſſe ob cauſas dictas: nunquam vero intra oculum, vel per ſe vel permixtum eſſe admovendum, nam lentore ſuo adhæreſcit, obſtruit, facta obſtructione calor oculi intus cohibetur, retentus exardeſcit & inflammat. *Zacutus.*

LXIX. Verum in curatione *ophthalmiæ* magis præſtat *albumen ovi an lac*? *Haly* in hyeme, vel ophthalmia frigidiore, Lac: æſtate, vel calidiore, albumen: Dic tu, Si materia eſt multa, præſtat lac, quia timetur obſtructio à candido ovi: Si pauca, præſtat albumen; nam tunc incraſſatio non timetur, & magis refrigerat: Dic 3. cum Gal. 4. ſ. loca: Lac magis mitigare dolorem, ob multam lenitatem butyri & abſterſionem ſeri: quare in magno dolore, ſive ob acredinem, ſive ob humoris copiam, præſtat lac: in remiſſione ſufficit ovum. *Zacutus.* de hac controverſia ſic ſtatuit, *Nic. Florentinus*, Quando opus eſt aliquali abſterſione, nec multa eſt adeſt venularum obſtructio, tum Lac eſt melius, quia ſcil. in eo vis quædam eſt abſterſoria, neque obſtruit idem: at Albumen nulla eſt abſtergendi facultate effatu digna præditum, cæterum obſtruit magis, magiſque eſt frigidum, Itaque dum non magna adeſt venularum conjunctivæ oppletio, ſed materia magis ſua acrimonia & mordacitate moleſta eſt, tum ovi albumen accommodatius eſt.

LXX. *a* An *ſupinus decubitus* eſt præſtantior? Nam *Rhaſis* 2. cont. laudat figuram cubantis ſupra læſum oculum: Et 1. ad *Almanſorem*, Supra ſanum dicit eſſe præſtantem: *Hali* ſupinum extollit: Dic, fluente humore primi duo accubitus meliores ſunt, contrarium enim eſt poſterius anteriori, ficut & dextrum ſiniſtro: Sed vtilior eſt ſuper dorſum, quoniam facile tranſit morbus ad oculum ſanum: Ceſſante autem fluxu, melius paratur coctio ex accubitu ſupra oculum ægrum. *Zacutus.*

LXX. *b* Sed an *febris Ophthalmiam ſolvere* poteſt? Lippienti ait *Hippocr.* ſuperveniens febris ſolutio: *Hellerius* in comment. Conſtat quidem, ait, frigidos morbos ſuperveniente febre interdum diſſolvi, non ita calidos, qualis ophthalmia, Ego tamen dicerem febrem in ophth. poſſe eſſe laudabilem, 1. quia poteſt materias extenuere, qua ratione pariter ab *Hippocr.* vinum datur, 2. quia cum acres illæ humiditates à febrili calore abſumantur, in cineres redactæ non amplius ea acredine referuntur qua poſſint dolorem ita vehementem formare: *Mercurialis & Thomas Groſſius*, *Caſſium* ſequuti, dicunt quod febris quæ ſupervenit, vel eſt mediocris, quæ rarefaciendo & exſiccando ſolvit Ophthalmiam, vel vehemens, ex vaporibus acribus & magnitudine caloris, quæ non ſolum non ſolvit lippitudinem, ſed auget illam: Alii dicunt cum Ophthalmia originem ducere poſſit à pituita, & ab aliis humoribus calidis, febre eam curari quæ à pituita oritur, ob rationem aſſignatam, non eam vero quæ ab humoribus acribus & calidis: Dic potius morbum quidem morbum curare, ſic alvus fuſior tollit Ophth. vt & interdum podagra, Natura enim humores tunc avocat, eoſque in alia confert membra, Febrem autem humores magis magiſque agitare, vt ipſi in læſos oculos ruant majori impetu, quo fit vt Ophth. magis gliſcat: Nec illam ſuo calore vitioſos humores conſumere: Illud autem evenire poterit vt hoc febris genus ſuboriatur, cujus motu humores ad alia membra, vt ad pleuram, ad jecur, vel ad pedes ferantur: Ejuſmodi febris ophth. poſſe depellere videtur. *C. V. Schneiderus l. de cat. vlt. p.* 141.

LXXI. In Gutta Serena *venæ ſectio* ab omnibus ferè rejicitur, quod affectus ſit chronicus, a frigida intemperie & materia pituitoſa oriundus; vnde metuunt ne per ſanguinis vacuationem cerebrum magis refrigeretur, ſicque majorem copiæ pituitam generet, & ne cauſa morbi conjuncta magis incraſſetur, hinc difficilius diſcutiatur: Id quidem locum habet in ſenibus & pituitoſis: at non in juvenibus & calidioribus, præſertim ſi ſanguinis redundantis notæ adſint, tunc enim ſ. 10. maturè vſurpata conferre poteſt: Venas etiam capitis particulares, & oculo vicinas aperire vtile eſt, frontis, temporum & in angulis oculorum juxta naſi radicem: conferunt & hirudines temporibus & pone aures admotæ: Fama eſt nonnullos ob vulnera à cœcitate fuiſſe liberatos, quam veriſimile eſt ortum duxiſſe ob nervorum opticorum compreſſionem à venis & arteriis vicinis ſanguine turgentibus, quas dicta vulnera deplevere. *Riverius lib. 2. cap.* 1.

LXXII. *Errhina & ſternutatoria* ab omnibus ferè damnantur, quia humores ad oculos trahunt: Si tamen poſt exactam totius & capitis vacuationem, mitiora & benigniora, vſurpentur, vtilia eſſe poterunt: ſi quidem materiam morbificam nervis impactam lenſim educere ac derivare poterunt, neque ea profundioribus cerebri partibus quicquam elicient ad partes anteriores: Alioqoin in omni derivatione, quæ eſt per partem affectam evacuatio, aut ipſi vicinam, perpetuo metuendum eſſet ne ad ipſam partem affectam fieret attractio: quæ tamen ab vniverſalibus vacuationibus, quæ ipſam debent antecedere, facile impeditur: *Idem ibidem.* Validiora errhina non omittenda, poſt diligentem capitis expiationem per os; conatus enim ille ſternutationis materiam deturbare poterit. *Silvaticus cent.* 2. *Conſ.* 7.

LXXIII. Laudavi *ſectionem venæ frontis*, præmiſſo fotu, quo facilius turgeat propter anguſtiam venarum jugularium, & per concitatum illum motum ſanguinis educti fiat, vel ſaltem tentetur aliqua agitatio humoris jam firmati in nervis opticis, eo prorſus modo quo ab Hipp. dictum 7. aph. 5. Quod maniæ ecſtaſis ſuperveniens bonum: Per ἔκστασιν cum Galeno intelligendo vehementem Inſaniam, quam dixit liberare ab inſania leviori, ob validum cauſarum motum, qui non eſt ſperandus ab applicatione hirudinum venis temporum, aut angulorum oculorum, cum alio fine ſanguinis detractione ex venis capitis non ſit opus, nulla exiſtente inflammatione, aut inſigni incaleſcentia capitis: in quibus caſibus vtiliſſima foret ſectio venarum temporum vel angulorum oculorum, quas venas alias ſecandas curavi phlebotomo, & non hirudinum applicatione. *Silvaticus Conſ. 7. centur.* 2.

LXXIV. Si hic affectus fiat ab humoribus in anteriori cerebri parte collectis & nervos comprimentibus, facilius curari poteſt; ſic refert *Hildanus* centur. 5. obſ. 19. quendam ab emetico vehementi viſu fuiſſe privatum, qui reſtitutus ſit ejuſdem ope: propulſis ſcil. 1. humoribus ad opticos nervos, iterum inde diſcuſſis & loco motis: Facilitas curationis oſtendit humorem, non nervi ſubſtantiæ fuiſſe impactum, ſed extra tantum incubuiſſe.

LXXV. In *viſus debilitate* ſuſpectus vſus *Cucurbitularum, ſcapulis & nuchæ* applicatarum ſæpe enim materiam peccantem ad ſpinam dorſi trahunt: quod obſervavi in matrona quadam, quæ non diu poſt applicationem cucurbitularum paralyſi brachii vno correpta fuit: *Hildanus centur. 6. Obſ.* 9.

LXXVI. Proſpiciendum in præparatione *aquarum Ophthalmicarum*, ne ſummitates fœniculi aut valerianæ ſumantur, propter acrimoniam ſeminis, acria enim omnia oculis adverſa. *Hildanus cent. 5. Obſ.* 28.

LXXVII. Si morbi ab *intemperantia venerea* ortum habuerint, in qua plurima fit ſpirituum deperditio, non debent Medici exſiccantibus uti, ſed ea omnia adminiſtrare quæ vires conſervent & ſpiritus recreando ſperma generent: Itaque non poſſum non accuſare eos Medicos, qui in viſus diminutione à tali cauſa ad exſiccatoria ut ſacram anchoram confugiunt, ignem igni copulantes; cum cibis boni ſucci, qui ſemen generent, & abſtinentiâ veneris ſuperetur hic morbus, hoc modo veris indicationibus innixus: Quotquot per exſiccantia fuerunt curati, cœci remanſerunt. *D. Panarolus pentec. 3. Obſ.* 46.

LXXVIII. *Platero* aſſentiri volo, ſtatuenti viſus læſiones, quæ vulgò in ſpirituum vitia referuntur, potius in ſitum cryſtallini vitioſum, vel alia humorum vitia referenda eſſe; quæ ſæpe juvenibus accidunt, in quibus nullum ſpirituum vitium vel defectus animadvertitur, & perſpicillorum ope talia vitia corrigi poſſunt, quod non fieret ſi à ſpirituum vitio hoc accideret: Quomodo enim perſpicilla ullum ſpirituum vitium emendare poſſent? Etenim cum cornea tunica, vt & omnes humores, ob admiſſionem & refractionem ſpirituum viſibilium facti ſint, ſi ſitu vel alio vitio peccent, refractio illa debito modo non fiet, quod perſpicillorum ope corrigi poteſt: Sic etiam aliàs ſanos perſpicillorum vſu res longè diſſitas & minimas videre animadvertimus, quod fit ſaltem ob peculiares ſpecierum viſibilium refractiones, nullo verò modo ob ſpiritus, quos perſpicilla nec clariores nec copioſiores reddere poſſunt. *Sennertus lib. 1. c. 38. p. 3. ſ. 2. & in Inſtitution.*

LXXIX. Non temerè *Ophthalmicum Crollii* admovendum oculis, eſt enim medicamentum acre illis noxium: Nobilis quidam anno 1618. viſus imbecillitate laborans, ex conſilio Medici Chymici, cum Ophthalmico Crollii aliquandiu vſus fuiſſet, viſum planè amiſit, quod hiſce meis vidi oculis, nec in hunc vſque diem 27. Nov. 1629. reſtitutus eſt *Hildanus centur. 5. Obſ.* 28.

LXXX. Quibus debilis viſus *vini potatio* nocet: vnde *Ariſtot.* hoc problema proponit, Cur acutius vident qui aquam bibunt?

LXXXI. Mulierem prægnantem conjecit malignus Vulvæ vapor in tam acerbas nervorum contractiones vt inſcia pepererit, *privaretur* præterea *Viſu*, licet foris aliquod vitium non oſtenderet externa oculi tunica, quod nequit tolli niſi per remedia valentiſſima, in quibus excelluere ampla veſicatoria internis femoribus admota; quorum opere trahebatur tam potenter ſanguis ſurſum vergens, vt evaſerit cœcitatem. *Tulpius Obſ. lib. 1. Obſ.* 10.

LXXXII. Iuvenis mulier in *Guttam Serenam* inciderat, ac cibi abſtinentia mortem ſibi inferre decreverat, perexiguum ſumens, quod per vim maritus ingerebat: In eo ſtatu per annum perſeveravi, & ad extremam maciem perducta eſt, calor &

nativo pabuli defectu humidum nat. depaſcente & ſimul humiditatem amaurosin parientem, ſic ægra viſum recuperavit, victu analeptico poſt refecta. *S. Formius Obſervat.* 29.

LXXXIII. Legitur nonnullos *cæcos à vulnere* transverſim fronti inflicto; nonnullos à copioſo alvi profluvio derepente exorto viſum, & quidem ſubito recepiſſe: Cauſa non fuit alia quam compreſſio nervorum opticorum a conterminis vaſis, venis puta & arterijs ſanguine tumidis enata, quas ſine mora vulnus tale evacuavit: Quamobrem & ego nonnunquam, nec ſine fructu, in ea cæcitatis ſpecie quam Barbari Guttam Serenam vocant, mediam frontis venam pertundo, ex qua ſanguinem eo uſque deduco donec ſua ſponte fluere ceſſaverit. *Spigelius Anat. l.* 7. *c.* 2.

LXXXIV. Dubitant ſcriptores an vſurpanda ſint initio obſtructionis nervorum opticorum *Sternutatoria*: *Capivaccius*, celebris Practicus, initio conteſtim ſternutamentum vehemens excitari conſulebat, vt materia commoveatur anguſtans nec figatur, quia actum eſt, inquiebat, vbi figitur, Quæ agendi ratio etſi non omnino ſit a methodo aliena, fortunæ tamen etiam innititur, adeoque periculo ſubiecta eſt: tam enim poteſt per ſternutationem iſtam materia magis figi in nervis quam à nervis elidi, poteſt quoque alia, quæ præſto eſt in cerebro, materia ad eoſdem nervos detrudi, qua ex cauſa multiè plusibus (præſertim de induſtria ſibi concitatis) ſternutationibus, in cæcitatem repente delapſi ſunt: Malim igitur ego ſine periculo maſticatoriis materiam derivare per palatum, à qua non longe abeſſe opticorum originem oſtendit nobis diſſectio. *Plempius Ophth. l.* 5. *c. vlt.*

LXXXV. Circa *conſtrictionem & dilatationem* plurimi hallucinantur, *Montanus Conſ.* 91. & 92. obſervans in duobus ægris pupillas in obſcuro aere dilatari, in claro conſtringi, *inquit* hæc ſigna eſſe viſus imbecillitatis, Nugæ, Eſt ſemper ita, mane orto Sole, ob aerem illuminatum vnicuique pupilla conſtrictior eſt: Veſperi eodem abſente & occiduo, ob minus illuſtrem aerem, lareſcit eadem cuilibet: Quia falſum de pupillæ dilatatione iudicium & conſtrictione plerumque ex eo oritur, quod non in debito loco patientium oculi inſpectentur, ſciendum breviter eſt, vbi eſt judicandum an nimia ſit pupillæ conſtrictio, locum inſpectionis eſſe deligendum obſcurum; ad hoc enim cum debeat pupilla ſe expandere, ſi non ſe expandat, Pupillæ tabes eſt: Contra vbi explorandum vtrum præternaturalis adſit pupillæ dilatatio, locum eſſe adeundum lucidum & clarum, in quo ſi non ſe contrahat pupilla, contractioni inepta eſt: Itaque morboſe, ſeu p. n. dilatata pupilla non ea eſt quæ amplius non valet diſtendi, ſed ea quæ contrahi amplius non poteſt. *Plempius.*

LXXXVI. Homo xxx. annorum gravi *Suffuſione* correptus, vt nulli oculi eſſent vſui, à Chirurgo *calvariæ pertuſionem* propoſitam admiſit: Qua peracta, mirum, expediri viæ & recipi viſus continuo cœpit, ſive quod opaci halitus expiraſſent, ſive quod humor excuſſus: Res Tranenſibus civibus nota. *Aëtius* quidem ex calvariæ inciſione ac perforatione contingere ſæpe maciem oculi ait, At longe diſtant multitudinem incumbentem aquæ de cerebro detrahere, atque ſic vtiliſſime exhaurire, vt hoc etiam ægre curetur. *Severinus Med. Effic. p.* 138.

LXXXVII. Si omnibus remediis fluxioni ſiſtendæ idoneis nihil profecerimus, reſtat vt pyrotico, ſeu ignito ferro, cervices inuramus, & ſetone transverberemus, eſt enim ſingulare inveteratarum in oculos fluxionum remedium: quotidiana namque experientia ſcimus permultis, quibus ex aſſidua & multa fluxione viſus hebes caligabat, adeo vt fere jam cæcutirent, priſtino ſplendori & acumini oculos ac videndi aciem reſtitui paulatim, vbi primum ab vlcere cauterio appreſſo pus manare cœperit: Cujus rei veritas patuit in N. Is multis multorum & Medicorum & Chirurgorum fruſtra vſurpatis remediis, cum fere conclamatæ eſſet viſionis appreſſo, me conſultore, pyrotico ſenſim, pro puris manantis ratione acutius cernere cœpit, donec tandem acutiſſime cerneret: Tum igitur, etſi ſemper pure vlcus manaret, ſetonis, quem annum integrum circumtulerat, pertæſus, ipſum detraxit, atque vlcus cicatrice ſibi obduci voluit: verum illo fluxionis ſublato diverticulo, cum humor in oculos iterum ſe inferret, ac iam cæcitatis periculum immineret, me vocato vlcus aperui, & ſetonem denuo immitti ſibi curavit: Ex quo priſtinæ oculorum & viſionis integritati reſtitutus, etiamnum nunc ſetonem illum circumfert: Ego virum xxx. annorum viſus ſumma imbecillitate laborantem trimeſtri ſpatio liberavi, qui quamvis monoculus, alteroque ex variolis ante 28. annos orbatus, tamen & nunc exacte videt, eminus ac cominus homines coloreſque diſcernens etiamſi ab eo tempore conſolidatus fuerit ſeto. *Pareus lib.* 9. *cap.* 24.

LXXXVIII. Prolectione publica aliquando *D. Gothofredus Moebius* hæc verba faciebat, *Nyctalopia* facile curatur ſi hepar bovinum coquatur, poſt in tres partes dividatur, & quælibet tertia detur mane jejuno ventriculo Nyctalopi comedenda: Hoc pacto famulum meum nyctalopia curavi: Pro confirmatione experimenti hoc eſto, Paſtorem Eccleſiæ novi, qui ante triennium poſt Solis occaſum quotidie cæcus reddebatur, Curatus is fuit huc de quo dixi remedio, per ſex dies continuato: Eundem affectum hepatis anguillæ ſuper carbones aſſati eſu curatum notavit *Obſervat.* 40. *Pent.* 3. *Al. Herm Cunenus miſc. Car. anni* 72. *Obſervat.* 133.

LXXXIX. *Retinæ affectiones* ſunt *raritas & denſitas*: Raritatis indicium eſt quod luminis, rerumque illuſtrium radiationes, vix poſſint perferri ab oculis ſine averſione vel lacrymatione. Cauſa quod eam raritatem tam moleſta viſio ſequatur, eſt quod impreſſio ſpecierum in retinam facta, non ſolum eſt quãtitativa ſuperficialis, ſed & qualitativa penetrans, cum in raram ſubſtantiam maior fiat penetratio, majorem quoque inde ſequi affectionem eſt neceſſarium: Iam lux eſt infeſta illi quod imperii, eóque magis quo penitius: An vero adverſus eam raritatem quicquam faciat frigida capitis perfuſio, & adſtringentium frigidorum ad oculos applicatio, quibus *Aëtius* cryſtallini raritatem perſanare docet? vereor vt parum faciant. *Plempius Ophthalm. lib.* 5. *cap.* 8.

XC. *Collyrium Galeni lib.* 4. *de compoſ. Med. κατ' τόπ. cap.* 7. *Proteus* dictum, excellens eſt, & ei ſimile non reperitur: *Diaceraton & Aglaida Aëtij*, adhuc ſunt mita collyria ad offuſcationem obſcuritatemque viſus, & ad incipientes Suffuſiones, ex quibus *Aëtius* ſemper in medicina facienda laudem reportavit, & *Mercurialis Conſ.* 14. *Tom.* 4. *Proteum Galeni* multum commendat: Nos autem accipimus omnia quæ *Galenus* apponit in ſuo *Proteo*, & addidimus huic ſingula fere *Diacerateri & Aglaida Aëtij*, & eſt hujuſmodi, ℞. *Cadmiæ, chalcitidis crudæ, ana.* ʒ xl. *ſucci cyrenaici, vel, loco ejus, cum non reperitur,*

tur, ſagapeni, ℥ xij. lacryma oleæ ℥ xij. auripigmenti ℥ viij. myrrhæ ℥ ij, gummi ℥ xx, opoponacis ℥ xx, opobalſami ℥ xij. flor. æris, obolos v. ſpica nardi ℥ ß. fellis accipitris, vel alterius animalis rapacis, & caſtorei ana. ℥ vj. fiat cum aqua pluviali Collyr. & vtitor, vel cum ſucco marrubij, vel fœniculi: Verum hoc maxima cautela vtendum, nam ſolet oculos inflammare mirum in modum, & ob id circumcirca oculos admoveo oculi albumen conquaſſatum, & cum roſacea temperatum, dicti collyrij exiguam quantitatem admovendo, duas vel tres guttas, vel petia inſula, & pauco tempore ibi manere permittebamus: Monet enim *Matt. de Gradi* Empiricum, ab appoſito fortiter exſiccativo emplaſtro & calido oculo Matronæ, dum removeret id ſequutum eſſe oculum, fortitudine ſua oculi ligamenta evellens. *Epiphanius Ferdinandus hiſtor.* 18.

X C I. Vſum *Nicotiana* in hoc affectu non omnino improbo, quia, teſte *Manardo*, calefacit, reſolvit, mundificat & aliquantulum adſtringit: Corpus tamen ut prius vacuetur neceſſe eſt: fumus enim Nicotianæ materiam non ſolum ad fauces, verum & ad oſſa cribroſa & nares trahit: hinc in impuro corpore magis magiſque obſtruuntur nervi optici. *Hildanus Epiſtola* 67.

X C I I. Qui huic affectui obnoxij ſunt ferè ſemper alvo ſunt adſtricta: Ob id ſollicitanda eſt balanis, pilulis, vel alimentis alvum ſollicitantibus: *Galenus* hierâ picrâ multos ſe curaſſe, etiam per epiſtolam, teſtatur: ſed pilulæ parandæ ſunt ſine croco & myrrha, vel minuta eorum quantitate. *Rondeletius cap. de Suffuſione.*

X C I I I. Licet Arabes *venam ſecare* vereantur, ne vacuato ſanguine refrigeſcat cerebrum, largiuſque humorem aquoſum cumulet ac in oculum tranſfundat (quod ſi de larga ſanguinis miſſione intelligatur concedo) averſionis tamen gratia ſanguinem paucâ copiâ mittendum nemo negare debet: Proinde Celſus in curando hoc affectu ſanguinem ex vena frontis, vel ex naribus mittendum conſulit: additque venarum temporalium ſectionem, vt qui per eas defertur vapor intercipiatur: quare aliquam hic, vel per venam brachii apertam, vel per hæmorrhoides, ſanguinis miſſionem vtilem futuram non dubito, vt etiam calidis poſtea fomentis ſuffuſio reſolvenda tutius digeri poſſit. *Zecchius Conſult.* 27.

X C I V. Remedijs non conferentibus, morboque ad deſperationem verſo, ad experimentum reduci meretur inunctio ex hydrargyro, quam à ſe excogitatam ait *Fonſeca*, non tamen in vſum revocatam: *Aliquando cogitavi*, ait Conſ. 19. lib. 1. *inunctionem argenti vivi, eâ ratione quâ adhibetur in morbo Gallico, magnâ efficaciâ poſſe extirpare cataractas incipientes &c. Iſto remedio caput ita expurgari poterit vt diſſolvantur veſtigia cataractæ, & aliquando experiri decrevi*: Huic ſuæ cogitationi maximè plauſiſſet *Fonſeca*, ſi *A. T. Petroni* cap. 1. l. 5. de morbo Gallico vidiſſet, *Quidam*, inquit, *qui antequam morbo Gallico afficeretur, altero oculo cæcus erat, Suffuſione denſiſſima oculum occupante, hydrargyri inunctione, & a morbo Gallico & a Suffuſione, quod maximè mirum eſt, evaſit: Neque à ratione alienum eſt inunctione illa cataractas poſſe diſſolvi, cum frequens experientia doceat prædurios tumores ex pituita craſſa & concreta genitos illitu hydrargyri potenter diſſolvi.* *Riverius cap. de Suffuſione.*

X C V. Quidam aquâ vitæ oculos fovent in frigida cauſa & corpore, ſed audi quid de ea *Ruffus*, Quod inſpexi, *inquit*, non involvam ſilentio, Nobilem virum Suffuſione laborantem, cui uſu hujus aquæ in oculo impoſitæ, cum materia ipſa concreta deciđiſſet, ipſe etiam humor albugineus manavit: cornea quoque tunica, aquæ vi, nonnihil excsâ: Cumque in aliqua eſſet ſpe recuperandi viſus, omnem amiſit: Sobriè ergo hac aquâ ad medicandos oculos vtendum eſt. *Heurnius l. de morb. Ocul. c.* 4.

XCVI. Oculis *Collyria* ex aq. fœnicul. chelidon. rutæ, euphraſiæ inſtillantur: Aquam autem fœniculi, quod notandum, non ex ſemine, nimis enim acre eſt, ſed ex herba deſtillatam eſſe convenit: parum mucilaginis ſeminis cydoniorum admiſcere licet, vt aliquomodo inſpiſſetur collyrium, neque cum lacrymis tam cito effluat. *Fabritius Hildanus Epiſt.* 67.

XCVII. Oculis admovenda, ſi non nimis eos afficiunt, illis induntur: Si vero potentiora ſunt, præſertim quando in omnem eventum, non habita cauſæ ratione, fiunt, ne novus aliquis in ijs provocetur affectus, rectius foris palpebris admoventur, ſi eas comminaculant, mane aquis fœniculi & euphraſiæ rurſum abluuntur. *Platerus.*

XCVII. *a.* Ortum habet *Suffuſio* ex pituita viſcidiore, melancholiæ nomine vulgo veniente, attenuata ſanguinique confuſa, & vna cum ipſo ad oculos per arterias delata, & in Humore aqueo imprimis hærente, ipſumque obſcurante, donec tandem magis magiſque acereſcens, iterumque concreſcens circa pupillam conſtituentem Vveam, vel ex parte vel in totum lumini externo, ſpeciebuſque viſibilibus tranſitum deneget: Tolletur dicta Pituita viſcida per phlegmagoga, tum vulgaria, tum Chimica, Mercurium præſertim quovis modo debite præparat. Exempli loco ſunt *Pilula* ſequentes magiſtrales, varijs Indicationibus inſervientes, ℞. *Gummi Galbani cum aceto ſcyll. prap* ʒj. *maſtiches el.* ʒß. *caſtor. opt. myrr. rub. ana.* ℈j. *carabes alba gr. xv. croci* ℈ß. *aloës roſat.* ʒß. *Trochiſc. alhandal* ℈j. *olei fœnic. ſtillat. gutt.* vj. *miſce fiant Pilul. numero xv. deauranda*: Harum capiat æger alternis diebus, vna vel altera poſt modicam cœnam hora, iij. iv. vel v. vt die ſequenti mane ſemel inde alvum deponat: Satius enim & tutius eſt per epicraſin corrigere, & ſimul minuere cauſam morbificam, quam vehementer ipſam agitando ægrum in gravioris mali periculum conjicere. *Sylvius de le Boë Praxeos lib.* 2. *cap.* 7.

X C V I I I. Operatio quæ *Compunctione* perficitur, & acu in oculum immiſſa ad interiores oculi partes Suffuſio deprimitur, Tuta non eſt & ſæpe malè ſuccedit: vel enim uvea tunica laceratur: vel ex dolore & inflammatione nova fluxio in oculum jamdiu debilitatum influit, & alia contingunt incommoda quibus viſio in perpetuum aufertur. Cum tamen aliquando ſuccedat hæc operatio, tentari poteſt in ijs quibus nulla alia ſalutis via ſupereſt. *Riverius.*

X C I X. *a.* Quamvis *Topica* remedia non multùm conferre exiſtimentur, juxta *Galen.* ſententiam 2. ϖτ' τ'π. Qui dicit ea plus promittere quàm præſtare, attamen legitimus eorum

uſus rejiciendus non eſt : Et docuit experientia probatiſſimorum authorum fide confirmata, Suffuſiones incipientes, præmiſſis vniuerſalibus, uſu Topicorum fuiſſe diſſipatas, Primò igitur à mitioribus reſolventibus incipiendum eſt, quæ non valde exſiccent, ne materia Suffuſionis induretur, & reſolutioni inepta evadat : Tum reſoluentibus emollientia admiſcenda ſunt, ut prædicta induratio impediatur, & reſolutio facilliùs perficiatur : Topica autem varia, quæ oculis inſtillantur, Collyria vulgo dicta, exiguæ ſunt efficaciæ, de quibus locutus fuit *Galen.* l. c. Tota enim eorum virtus in cornea tunica ferè abſumitur, neque poteſt ad interiores partes penetrare, niſi ea inſigni acrimonia prædita ſint, qua dolores in oculis excitantur, & fluxio ad illos magis promovetur : unde non pauci, immodico eorum uſu, ea leviori affectu in omnimodam cæcitatem perducti ſunt. *Riverius.*

XCIX. *b.* Pro diſcuſſione *Cataractarum incipientium* multæ reperiuntur Collyriorum deſcriptiones : Ego expertum habeo *fel Lucii piſcis*, modico ſacchari miſtum, & (*poſt purgationem totius, & uſum veſicatorij, retro aurem ſiniſtram adhibitis*) ſiniſtro oculo nepoti; ex fratre mei inſtillatum, ſuffuſionem in principio exiſtentem, ſeptimanæ ſpatio reſolvit. Hoc felle ſæpe feliciter vſus *Adrianus Spigelius* : Valet & ad id oleum hepatis muſtelæ piſcis. *Scultetus Armam. Tabul.* 31.

C. Multi laudant *ſanguinem columbinum* in oculum calidè inſtillatum, eo enim calore nativo animalis refecta pars valde corroboratur & materia excrementitia diſſolvitur : Sed quia in illo ſanguine calor citò evaneſcit, multò conducibilius foret pullum columbinum juniorem, & nondum plumis contectum, ac per ſpinam ſectum, oculis applicare. *Idem.*

CI. *a.* Temerè operatio depoſitionis non eſt tentanda ſi pellicula non omnino fuerit concreta, quæ concretio quandoque ij. iij. v. pluriumve annorum ſpatio vix perficitur : Nec tamen materia pelliculæ vllo modo incraſſanda eſt, ob rationes à *Ioh. Baptiſt. Sylvatico* contr. 56. adductas : Et licet plerique authores requirant mediocrem cataractæ concretionem, Experientia tamen docet eam faciliùs deponi quando perfectè concrevit : Nam quæ immatura eſt, mollis & mucoſa adhuc, apici acus non reſiſtit, nec integra removeri poteſt, ſed ſciſſa rurſum concreſcit, vel calloſior facta, aut aqueo humore perfuſa, facit vt ægri non tantum nihil videant, ſed & omnis ſanationis ſpes per reiteratam operationem adempta ſit (quæ ſi bis inſtituatur, certè fruſtra ſit. *Scultetus Armam. Tabul.* 31.

CI. *b.* Crudis in ventre, vel ubicunque velis, exiſtentibus humoribus, ſive fluxum alvi aut uteri concitaverint, ſive ſecus, conjectandum eſt an in ventre ſint ſuperiori, an penitius reconditi : Quod ſi primum ſit, *Vomitu* non erit ab re, facta levi, ex melle roſac. cum oxymelite præparatione, protinus educere : Hac enim ſola ratione utendum eſt *Vomitu in Suffuſionibus* : nam in reliquis cauſis vetitum eſt, in recta medendi ratione iis uti, ne in caput violentius malum irruat. *Mercatus.*

CI. *c.* *Celſus*, & alij, *arteriarum ſectiones* in *Suffuſione* conſulunt, & *venarum juxta frontem uſtiones* : *Sanguinis etiam profuſiones è naribus, vel angulis oculorum*; quæ ſane omnia nec tuta, nec facilia, nec certo profutura arbitror : Præterquam quod in tam leui affectu, (incipiente) primo acceſſu horrenda videntur. *Idem.*

CI. *d.* Quorum loco placuit ſemper, ſi Chirurgica operatione aliquid agendum ſit, *Setonem occipitio* affigere, vel *Fontanellam* in altero brachiorum, (niſi ex menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſione malum oriatur, quo tempore altero crurum aperire eſt, tutius) perforare, ſunt proculdubio præſidia magnæ & incredibilis efficaciæ : hæc namque, & quod fluit revellunt, & id quod juxta partem jam receptum eſt; derivant, ut locus ſubeſit cæteris remedijs diſcuſſorijs, quæ alioqui profutura non eſſent. *Idem.*

CI. *e.* Cæterum quia perdifficile eſt omnino à corpore, capite, vel parte ipſa affecta radicitus humorem evellere quin vel aliqua ſuperſit, vel denuo generetur, ſi corpus pituita aut crudis humoribus ſcatere conſtiterit, non erit abs re vel *decocto Chinæ*, aut *ſparta parella* ſudare, vel *balneis ſulphureis* uti : Quod ſane auxilium caute præſtato, nam ſi ſolum caput laborat, longe majus damnum quàm beneficium ſequetur. *Idem.*

CI. *f.* Si tamen his omnibus adhuc factis, affectionem nondum ſubſidere comperiamus, conjectandum eſt aliquid eſſe in cerebro & oculis impactum & hærens, quod per ipſammet partem digeri & evaporare deſideret : Quem ſane vſum præſtant quæ per os ſumuntur, mane & cum laborans it dormitum, velut eſt Theriaca magna, vel Mithridatium, vel ʒj. diamoſch. dulc. ſingulis noctibus cum ſyrupo ſtœchados, aut aqua fœnic. euphraſ. &c. *Idem.*

CII. *Tuta* cognoſcitur *depoſitio* quando ex commotione oculi pellicula depoſita non aſcendit : Vt autem depoſita cataracta non redeat, maximè cavendum ne illa in plures partes ſcindatur : ſciſſæ enim portiones licet deponantur, in priſtinam pupillæ ſedem facilè remeant, & illic fluitantes viſum rurſus obſcurant. *Scultetus Tabul.* 31. Nota tunicam corneam integi tenui quadam membrana, quæ in rugas adigi debeat antequam pertundatur cornea (incipiendo in angulo externo) cum humor qui in aqueo humore concrevit eſt deprimendus, idque ne aqueus humor poſt acus eductionem effluat : Id Leydæ obſervavit *M. Valentin. Ophthalmicus felix, O. Heurnius in Fernelium.*

CIII. *Adnatam* in Ophthalmia *inflammari* experimur, at eandem ſuffundi humore rarius : Paſtor primum in mala, prope oculum dextrum tuberculum quoddam paſſus, me conſulebat, quod illo evaneſcente oculus ille ruberet, & tunicæ adnatæ cuticula tota circumcirca pupillam manifeſte elevata ſero turgeret fluidi, & hinc inde pro ipſius oculi motu mobili & tremulo, adeo vt pupilla & iris depreſſa ſubſidere in profundo viderentur : Aperire non conſultum duxi, ſed diſſipationem meditatus, exhibui ſudoriferum liquidum cum eſſentia ſuccini alkalina : exterius vero, præter veſicatorium nuchæ applicatum, balſamum ophthalmicum ex pinguedine viperina, & collyrium ex croco metallorum, cum aqu. chelidon. mai. &c. ea vero ſanitatem adeptus. *Gregorius Wolfgangus Wedelius in Miſcellan. Curioſ. anni* 76. *Obſervat.* 124.

CIV.

C I V. *a.* Notandum quod monet *Gordonius*, *Cicatrices* accidere in *Cornea* poſt curationes ulcerum, ſuntque albæ omnes, vnde videntur ac judicantur eſſe maculæ: vocatique Medici laborant eas curare ac ſi eſſent maculæ, ſed laterem lavant, cicatrices enim nequeunt penitus aboleri: Alij contra ſimul atque aſpexerint maculam, autumant non eſſe aliud quam cicatricem. Vtrique falluntur, & in cicatrice quidem non eſt laborandum, niſi ad decorem tantum: maculas autem, ſeu albuginem, medicamentis detergendi ſpem cape. *Plempius Ophthalm. lib. 5. cap.*.

C I V. *b.* Monitore Excell. *Malpighio* novi nervum opticum evolui & explicari poſſe, atque in medirullio ipſius vaſa ſanguifera latere, indéque humorem exſtillare *Guttæ Serenæ* cauſam. In matrona, quæ ſæviſſima cephalalgia afficiebatur, totum caput, maxime frontem occupante, cum ſuſurro in toto capite, ſenſu quodam fluctuationis, aliiſque ſymptomatibus, Vnice operam dedimus vt avelleremus humorem ab hoc loco, ſetaceum per cervicem traduxi, crebro humeris circa deltoidem, poſt olecranum, in carpis veſicatoria applicuimus, pilulas cephalicas, exhibuimus, tandem trageas cephalicas, quibus radicem valerianæ ſylv. addidimus, diu ſumendas ſuaſimus, imperata ſimul victus accurata ratione, vinum aliumve potum inebriantem denegando; His aliquandiu continuatis viſum integre recuperavit, talpa ante cœcior, quamvis in pupilla ne minimum vitium præter amplitudinem appareret, atque in hodiernum diem bene videt, legit, ſcribit: Solo Setaceo puero ruſtico, ſupino ex equo decidenti, ac graviter occiput allidenti, guttam Serenam B. D. ante x i v. annos ſuſtuli, qui hucuſque accurate videt. *Iohann. Iac. Wepferus Tractat. de Cicut. aquat. pag. 127.*

C V. *Maculam in Cornea* ſemper aliqui albam eſſe produnt, vt in conjunctiva tunica apparentem, fere rubram ſemper, Ita tamen res hæc digerenda, Notam corneæ aut ſequi naturam materiæ inhærentis, aut naturam partis: Si materiæ naturam ſequatur, multifarij coloris eſſe poteſt, ejus nempe cujus eſt materia appulſa: ſic *Gentilis* corneæ rubedinem obſervaſſe ſe ſcribit: Sin autem naturam partis ſequatur, id eſt, ſi ex ipſa corneæ tunicæ ſubſtantia addenſata fuerit orta macula, tum ſemper erit alba: diaphanum enim denſeſcens, ſeu potius craſſeſcens, albeſcit. *Plempius.*

C V I. *Albugo* cicatrix eſt quæ ex puſtula, vel vlcere, relicta eſt in oculi nigro: Quæ cum altius occupet quam ſuperficiaria nubecula, vulgo medentes inutiliter extergere tentant medicamentis, ſed vel imbecilliora, vel valentia ſunt, ita vt humores convocent, atque interdum concrementum acervent: Quare ſi levi facilique ſit manu Chirurgus, ſique non ſit ex vulnere cicatrix, præſtat vt exquiſitiſſimo ſcalpello, qualem habent hodie deraſoriam novaculam, radendo ſuaviter, vt ait *Savanorala* tr. 3. c. 3. rub. 15. propemodum vt de chatta characterem expungat. Quod ſine fructu experti in N. *Severinus Chir. Eff. p.* 124.

C V I I. Puella ita laborabat Variolis vt & *cornea* vnius oculi *afficeretur puſtulis*, ex his relicta ei cicatrix ad canthum majorem inſtar pterygii: Negavi conſultus quicquam arte hic poſſe præſtare; Empiricus qui negabat cicatricem eſſe, ſed concretam materiam in ſuperficie corneæ, ſine periculo eam abſtrahere ſe poſſe aſſeruit, et admota manu dilaceravit corneam, inde dolor, inflammatio, febris, humorum omnium exitus, cœcitas: *Matrona* poſt variolas in pupilla cicatricem contraxerat; admotis ab Empirico erodentibus effluxerunt humores, contractæ tunicæ. *Fabritius Hildanus Centur. 1. Obſervat.* 25.

C V I I I. *Avicenna*, ſi *Veſica* ſit magna, ferro curat, nam niſi cito vacuetur materia, periculum imminet diſruptionis corneæ ad ſedem profundam: Quoad medicamenta, probantur acria ſi parva ſit veſica, miſtis vehementer ſiccantibus; quibus addit *Avicenna* Opium, quia componit medicamentum diu ſeruandum, ut ob fermentationem opium obeſſe nequeat: at ſi recenti ſit vtendum, non eſt miſcendum; Notandum *Aëtium* probare etiam adſtringentia, quia non reſpicit ad veſicam exquiſitam, ſed ad tumorem aquoſum, qui ſit particeps inflammationis, nam addit, mitigata inflammatione opus eſt uti myrrha, croco, nardo, & proinde diſcutientibus, non adſtringentibus: Hoc debetis notare ne in curatione erretis. *Capivaccius lib. 1. cap.* 32.

C I X. Illuſtr. N. in ſphæriſterio *vulnus accepit* in oculo ſiniſtro ex ictu palmariæ pilæ, unde grauiſſimi dolores: omnia ex arte adhibentur: Ecchymoſin conjunctivam occupantem cum Medici & Chirurgi Pariſ. adtertiſſent, leuibus ſcarificationibus ſanguinem extravaſatum educere conantur: dolores tamen remanent, Ego perſuaſi tandem ut oculum introſpici pateretur, quod ob dolores paſſus non erat, Vidi album quid totam pupillam obtegens, quod Hypopion eſſe judicavi, Facta leui inciſione exiguus ſanguinis grumbus egreſſus eſt, qui exteriori ſuperficie albicans, interiori ruber erat, Eo educto ſtatim dolores quieverunt, & intra paucos dies ſanitas oculo reſtituta. *Ozias Aymar. Obſerv.* 1.

C X. Si *Pus ſit ſub cornea*, punctura debet fieri in latere, ut fit in tranſpunctione panniculi facti ex Suffuſione, ut frequenter acum immittendo & extrahendo, aliquid puris tandem vacuetur: Nec oportet nos eſſe tam ſollicitos ut totum pus extrahatur, id enim fieri non poſſet citra vacuationem aquei humoris, qui nonniſi in juvenibus regeneratur: id quod remanet, modo pupillam non impediat, exſiccetur. *Rondeletius l. 1. c.* 54.

C X I. *Oculorum* è ſua orbita nimia *Procidentia*, ab ortu facta, incurabilis eſt: Ob conatum vero vehementiorem proueniens, eo ceſſante rurſum quoque remittit, ita ut applicatione adſtringentium opus minime habeant, Cum ſi illa leuiter adſtringerent, eos reprimere minime poſſent, Si fortius, oculum corrugando plus nocerent, Et cum nec flatus, nec humiditas alia, oculi interiora replendo oculum protrudere queant, fruſtra hiſce abſumendis, ut aliqui faciunt, oculo topica applicatemus. *Platerus.*

C X I I. Ad *oculi procidentiam* nullum efficacius præſidium quam cucurbitam magnam, ſine ſcarificatione, occipiti affixam *A. de Aldrighettus* reperit; Quidam ictu oculum extra orbitam excuſſerat, quem Medicus Conſtantinopolitanus ea ratione, tanquam divina manu, in ſedem nativam repoſuit. *Rhodius Cent. Obſervat.* 84.

CXIII. *Si Oculi procidentia* originem traxerit ex lue venerea (vti interdum fit) ex te ægrotum fuerit aqua Mercuriali, aliove aliquo Mercurii ſitu partem attingere, cujus deforme vitium feliciſſime hoc remedio ſuperatum iri videbis. *Nicolaus Tulpius Obſervat. lib.* 1. *cap.* 28.

CXIV. Caſu duabus ſororibus à prandio colludentibus, junior adultioris linteum ſoenti s brachium vi elevans, acum in mediam pupillam alte adigit: Accitus obſervo aqueum humorem & partem vitrei effluxiſſe: applico oculo tumenti veſicarum vlmi ſuccum ſub quartam pomeridianam; jubeo ſub mediam noctem linteum admotum, ſi ſiccetur, novo liquore imbui; mane, teſtor Deum & fidem, externe ſanam inveni, ſed illius lumine oculi captam: Etiam nunc 20. fere poſt annos nullus excæcatum oculum à vidente diſcriminare poteſt. *Heers Obſervat.* 4. Vide *Sennertum* & *Miſcell. cur. anni* 76. *Obſervat.* 126.

CXV. Vbi ex vlcere *caro in angulo* majori oculi juxta nares excreſcit, Encanthida vocant Græci: Hanc caruncule excreſcentiam cum Chirurgus cauſticis abſumere conaretur, eam imminuit, at ſubjectas glandulas ita atrivit & caeſit, vt ſubſequuta Rhyade, & maiori angulo dehiſcente, perpetuus ſequutus fit lacrymarum fluxus. *Zacutus Pr. Adm. lib.* 1. *Obſervat.* 55.

ODORATVS LÆSIO.

In Odoratus læſione cauſticum vbi admovendum?

SI à ſpecificis nihil adjumenti percipiuur, vlcus vel ferro candente, vel cauſticis remediis in occipite, qua ſummæ duę vertebræ colli cum capite committuntur, excitare vltimum eſt, vt per illud perniciòſus redundanſque humor quotidie evadat: Antiqui talia cauteria fronti admovebant, nec fronti tantum, ſed & faciei & naſo ipſi: nam vt antiqui ventriculos cerebri antiquiores, ita juniores proceſſus cerebri mammillares in vitio eſſe arbitrantur: Itaque credunt noxios humores de iis partibus cerebri hac ratione facilius educi poſſe. Sed ſi ipſius loci conditionem perſpicimus, hac curandi via tum commode non ſubvenitur: nam ſi affectus hic à catarrho oritur, materiam vehementius avertit vlcus in occipitio excitatum: Sin ipſi proceſſus, ſalvo reliquo cerebro, obſtructi ſint, tale vlcus nihil materiæ poteſt evocare, cum os frontis obſtet, & etiam caverna interjecta ſit: Eaque etiam eſt loci declivitas vt humor illo ſinu concluſus difficillime educatur: Adde remedii aſperitatem & vultus deformitatem metuendam. *Schneiderus lib. de oſſe cribriformi pag.* 530.

OMENTI TVMOR.

An Curabilis.

FIguli vxor miſere vivebat cum ventris tumore, qui aſcitem ingentem quantitate mentiretur: molem hanc ventris per annos aliquot foverat, & pedetentim auxerat, fruſtra adhibitis variis ad reſolutionem & diſſipationem tumoris: Diſſecto mortuæ cadavere, Tumor ingens in conſpectum venit, quem in omento collectum fuiſſe ſatis probabile eſt; Dubium autem an hic, vel ſimilis, curabilis fuerit? Cum tales excreſcentiæ non aliter quam ſectione curari velint; at quomodo in ejuſmodi tumore interno ſine vitæ periculo hoc fieri poſſit non video: Si quis tamen ſagaci conjectura principium tumoris obſervabit, non dubitandum quin vſu continuo diſcutientium & reſolventium fortiorum aliquid præſtare poſſit: Difficulter enim, ait *Sennertus*, humores vitioſi in omenti venas & ſubſtantiam effuſi evacuantur, quia venarumq; illarum orificia in locum evacuationi aptum non dehiſcunt, vt venæ meſaraicæ: Etſi vacuari debent, vt regurgitent ad loca per quæ ſunt illapſi neceſſe eſt, quod veriſimile non eſt ob debilem partis expultricem. *Horſtius Decade* 6. *Qu.* 10. *Problem.*

ORIS AFFECTVS.

SYLLOGE.

In Tonſillarum inflammatione *cautiones.* 1.
In Faucium inflammatione *per ſiphunculum eluenda, hic Cupreus non ſit.* 2.
In Oris inflammatione *ſtomatica quatia.* 2. *a.*
Oris inflammatio hydrargyroſi curata. 3.
In Oris affectibus *cautiones.* 7.
In Oris diſtorſione *Cucurbitula vbi admovenda.* 4.
Cauterium in cervice aliquando noxium. 5.
Fortia purgantia vel digerentia quando vſurpanda. 6.
Oris Vlcera *quomodo tractanda.* 8.
Palati prolapſus *curatio.* 9.

I. IN *Tonſillarum inflammatione* decocta multo tempore in ore detinenda ſine agitatione, additis ſemper corroborantibus & anodynis: Mel autem in principio gargariſmis neutiquam permiſcendum, ne malum acrimonia irritetur, ſed remittente inflammatione. Medicamenta autem ſint tepida, Inflammata enim frigus non ferunt. *Rudius lib.* 1. *cap.* 40. Partes non ſunt laxandæ quando materia defluit, ſed vbi conſiſtit defluxio, vt materia ad externa trahatur. *Rondeletius Pract. l.* 2. *cap* 4. Gladiolo etiam dum aperiuntur, cavendum diligenter ne glandularum pelliculæ auferantur, ſic enim privantur facultate gignendi ſalivam. *Mercurialis l.* 1. *c.* 44. Vide *plura lib.* 17. *Tit. Tonſillæ.*

II. Mulier morbo Hungarico laborans Chirurgi opera vtitur, vt penicillo, linctu, gargariſmis denique ſiphunculo exceptis, quo fauces inſigniter inflammatæ vindicaret ab angina: Pertæſa autem ſiphunculi, quanquam argentei, quod Chirurgus promiſcuè omnibus aliis lue hac epidemia correptorum fauces proluеret, Ecce illius maritus ex recenti Sambuco ſibi proprium, parat ſiphunculum, illi ſimilem quo pueri ad globulos ſtuppeos explodendos vtuntur: Cum ergo dictam fœminam, Chirurgo faucium ſordes ſpiſſas & lentas inſtar ſtrigmentorum arte detergere ſtudente, ſubinde vomiturire obſervarem, Maritus autem & ipſa ægra falſi eſſent faſti-

faſtidire ſe ac ferre ob abominandum & fœdum odorem ſiphunculum Chirurgi non poſſe, facile cum Sambucino eſſe poſthabendum contendebam: Et ſiquidem retulit nauſeam, omnemque ad vomendum propenſionem, ſingultibus intermiſtis, permutatis ſiphunculis ceſſaſſe. Quod ne caſu quis factum putet, is à me hanc rationem accipiat, Chirurgi vel alumen, vel nitrum præparatum, vel ſpiritum ſalis, vel ſulphuris, vel vitrioli gargariſmis admiſcent, clyſteribus aut decoctis mundificantibus, & ſubinde variant hæc medicamenta, hunc vel illum ſpiritum alij ſubſtituentes: aſt ſi vno eodemque ſiphunculo argenteo, citra delectum, omnia illa decocta, ſingulis ſpiritibus temperata (dementia enim multorum Practicorum eſt guttatim remiſcere hos ſpiritus, neſcientium aquæ forti ſimili temperie medicamenta, præter inſtitutum, ſeu ex accidenti, eos obtinere his remiſcendis) ſucceſſive hauriant, præ ignavia famulorum haud mundato, qui fieri aliter poteſt quin non is metallicum odorem ſpiret, aut ſaporem reſipiat? *Simon Pauli Quadrip. Bot. Claſſ. 2. Tit. Sambucus.*

II. *a. Stomatica* medicamenta cum ſuavitate quadam non debent eſſe adſtringentia multum, nam hoc modo meatus nimium comprimunt, ſuntque in cauſa vt humor ad interiores labatur ſedes parteſque ſpiritales labefactet: Si autem valde calida ſunt, liquant humorem intempeſtivè, fluxionem accerſunt eamque acriorem reddunt: modice ergo ſint ſtyptica, & quæ mediocriter repellant. *Zacutus.*

III. Vnguento Mercuriali inunctis inflammatio & vlceratio oris ex ſalivatione accidit, quibus aliquando difficillime occurritur: Ego cum quendam inungi curaſſem, tanta in ore excitata eſt inflammatio vt pene in deſperationem venerit, quæ irritis aliis omnibus remediis ſolo juſculo ex pullo comparato, ſine vllis herbis, omnimodum levamen accepit, retuſa virulentia, vt puto, Mercurii à benigniori pulli ſubſtantia. *P. Pachequus Obſervat. 36.*

IV. In *oris Diſtorſione* ſi ſanguinis copia adſit. Cucurbitulæ cum ſcarificatione primis vertebris, vel, quod tutius eſt, ſcapulis affigantur: nam ſæpius appoſitæ cervici tremores corporis afferunt, teſte *Avicenna 1. Can. Fen. 4. cap. 21. de Venoſis.*

V. *Avicennas* eo in caſu cauterium applicat ſupra venam quæ pone autem eſt lateris affecti, quod & in cervice fieri poteſt: Non tamen vbi convulſio eſt in nervis cervicis, ita enim augeretur malum, niſi forte applicetur inter 1. & 2. vertebram, Nervi enim qui in faciem diſtribuuntur à 3. 4. & 5. vertebra originem habent. *Sennertus.*

VI. Idem *Avicennas* vetat pergere ad fortia purgantia vel digerentia, ante quartum vel ſeptimum diem, propter cruditatem materiæ, niſi metus ſit ab imminente Apoplexia vel Epilepſia.

VII. In affectibus *Oris* primum attenda inflammatio, deinde vitanda medicamenta acriora & naturæ inimica, *Mercurial. Pr. l. 2. 2.* Itemque venenata, & quæ fauces, pulmones ac ventriculum offendunt. *Tilemannus 348.* Ea deligenda quæ odorem vel ſaporem nullum habent, Odor quidem caſtigari poteſt odoratis admixtis, ſapor ingratus non item, quandoquidem dulcia dentes putreſaciunt & dolorem excitant. *Rondeletius Pr. l. 1. c. 74.* Olea, axungia, & quæ vim habent relaxandi atque emolliendi ſunt vitanda. *Mercurialis lib. 1. cap. 44.*

VIII. *Oris vlcera* humida ſiccentur, calida gargariſmis refrigerentur. *Tilemannus 348.* Maſticatoria heic ſuſpecta, quia humorem à capite alliciunt. *Prevotius in Prælection.* In *Aphthis* malignis aqua fortis ſolo tactu levi vſurpanda, ne quicquam in œſophagum deducat. *Pichottus de Catarrho pag. 123.* Aquam fortem damnat *Anonymus, & Trincav. Pr. lib. 5. cap. 9.* quia gangrænam poteſt inducere: Ferri candentis admotionem antepoſuit *Hier. Sabionas,* annuentibus *Silvatico & Caimo in Conſultatione.*

IX. A Medicis *Prolapſus palati* prætermittitur, vitium tamen non minus grave quam ratum: fit à deſtillatione humoris deprimentis vſque eo muſculos ſub finem palati ſitos, vt præ pondere prolapſi præcludant viam ſpiritui tum per os tum per nares erupturo: Quæ anguſtiæ neceſſario perfundant hominem, niſi dictum ac factum ſcalpello tumorem percuſſeris, humoreque illic concluſo evacuato aperueris confeſtim viam, accedenti ac recedenti ſpiritui neceſſariam: Vidi equidem tumorem hunc in palato adeo celeri greſſu exortum, vt vix licuerit cogitare de gargariſmate, nedum de aliis auxiliis, præterquam de ſola ſcalpelli inciſione, qua dextre & feſtinanter id temporis inſtituta, vidimus non modo effluxiſſe inde plurimum aquæ, ſed detumeſcente palato protinus ad ſe rediiſſe hominem extinctioni jam proximum. *Tulpius Obſervat. l. 1. c. 38.*

OSSIUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Alienatorum eximendi ratio. 1.
Exſquammatio quibus perficienda. 2.
Carici *Lui venereæ accidentis curatio difficilis.* 3.
Euphorbij præſtantia ad Carici *correctionem.* 4.
Oſſa nudata non ſemper cariem contrahunt. 5.
Frequentes & fortes inuſtiones oſſibus nocent. 6.
Detecta citra cariem quomodo curanda. 7.
Venti ſpinæ, ſeu Pædarthrocaces, cauſa & curatio. 8.
Hyperſarcoſeos vlceroſæ *curatio.* 9.
Cancri oſſis *curatio.* 10.
Exoſtoſeon *curatio per cutis ſectionem.* 11.

I. OSſibus etſi ſiccis ſuus eſt etiam humor, quem vbi depoſuit frangente, contundente, violenta omni cauſa, ſanie ſuffuſa, & crebris aëris offenſionibus impetitum, propria temperatura ſyſtaſique diſcuſſa, alienatur paulatim, exareſcit atque emoritur, quo interim tempore ſtatuque in dies à natura rejicitur, & à valentis etiam oſſis & carnis cōmercio ſeparatur, Quidam ab equino in fronte accepto calce ictus fuerat, 4. menſes a Medicis curatus: Patebat autem oculis aurei nummi majoris amplitudine detectum os, cæterum enim quantum duplex auriculæ circulus patebat; quod cum ego volſellæ mele verberans reſonare in vacuum compeciſſem, facta commodiore loco ſectione cutis facile extraxi. Hic ergo modus & cognoſcendæ maturitatis & extractionis erit. *Severinus Med. Eff. pag. 142.*

II. *Oſſa exſquammanda & extrahenda* dum corrupta ſunt, aut poſt vſtionem: fiunt pulveres ex ſarcoticis, vt myrrha, panace, thure, additis quibuſdam quæ proprietate exiſtimantur trahere oſſa, veluti radix cannarum quæ aculeos & feſtucas extrahit; Addunt etiam nonnulli pini corticem, ſed ſine delectu & ratione, nam hic pulvis interdum quidem vtilis eſt & efficax, vt in oſſibus quæ conſtant ſubſtantia rara, aut duabus tabellis, vt Chirurgi loquuntur, qualia ſunt os cranii, os coxendicis, os ſacrum: venas enim habent parte interiore, vnde ea oſſibus carnem trahunt; At in oſſibus denſioribus & ſolidioribus minus commendantur, quoniam in illis caro generari non poteſt in parte inferiore: Sunt igitur invenienda remedia ſicciora, epiſpaſtica facultate prædita, vt eſt pulvis paratus ex agarico, tartaro & cineribus oſſium: Talis enim pulvis, ob agaricum, humorem intus latentem & oſſa corrumpentem extrahit, ob calorem quem habet, & vim trahendi pituitam: præterea fæx vini vſta, calore ſuo & magna ſiccitate partes ægras à ſanis ſecernit & ſeparat, potiſſimum in corruptionibus oſſium à morbo Italico. *Rondeletius.*

III. *Caries Oſſium* venereæ Luis ſymptoma familiare, curatu difficillimum; Difficultas inde pendet, quod venenum venereum ſeſe intime inſinuet oſſibus, quo penetrare nequeunt remedia illi corrigendo apta; nec facile igne, ſive cauterio actuali, ſuperari poteſt malum: Acidum certe (*venenum enim venereum in Aciditate acri conſiſtere, ac penetrantiſſimum eſſe cenſemus*) arctiſſime oſſibus ſeſe inſinuare, illaque ad internecionem corrumpere notum eſt; reveta enim vivunt oſſa, hinc carie corrupta pro mortuis habenda ſunt. Ad *Cariei* proinde curationem neceſſe eſt vt tota pars affecta, vtpote mortua, ſeparetur à ſana & viva, cum qua nec coaleſcere, nec diu ſubſiſtere poteſt carioſa, quin eandem itidem inficiat, & ad corruptionem ſimilem paulatim deducat: Difficile autem eſt aut igne, ferroque ignito, aut medicamentis convenientibus Oſſis partem carie infectam ſeparare ab integra, poſtquam per cuniculos in ſanam ſe inſinuat venenum venereum, eundo vires acquirens, ſicut manifeſtum in omni carie venerea, cujus cauſa non ſiſtitur aut infringitur ab oſſe ipſo, quod corrumpitur, ſed in dies augetur & acrior fit, vnde tandem, vbi ad ſummum pervenit, caries venerea fit incurabilis: Difficultas autem ſumma inde pendet quod remedia ſæpe ſatis convenienter applicari vſui parique non poſſunt, Partes namque oſſibus vicinæ, membranæ, tendines, nervi &c. ab actuali cauterio ſimul læduntur: Augetur autem idem malum quando ſæpius applicantur actualia illa cauteria, quæ vna vice parum ſolent præſtare, ſæpius iteranda ſunt, ſi laudabilem effectum producere debeant: Cætera remedia vel invalida ſunt nimis, vel non ſatis penetrare poſſunt ad quævis loca in quæ ſe inſinuavit dictum venenum, in *aciditate acri* conſiſtens ac penetrantiſſimum: Quæcunque namque hactenus obſervata ſunt quocunque modo Acidi acrimoniam debellare, vel ſalia ſunt lixiva, tam fixa quam volatilia, vel ſpiritus volatiles, vel olea, vel aquea, vel quædam ex prædictis magis compoſita: Salia vero lixiva fixa, quæ primaria ſunt Acidi oppoſita & adverſaria, pura & ſola ſi fuerint, in ſuperficie hærebunt, nec aliquid magni præſtabunt: ſin aqua diluantur, ſimul partem aliquam virium ſuarum amittent. Si cum ſpiritu volatili conjuncta fuerint, penetrabunt quidem quaquaverſum facilius, operabuntur autem ſimul debilius: Si cum oleo in ſaponem mutata fuerint, debiliora ſunt reddita, nec facile ad interiora penetrabilia, quibus ſi Aqua accedat, vt diluantur & vlterius penetrare poſſint, redduntur ſimul magis inertia; Non mirum proinde ſi tam raro curetur Caries oſſium notabilis Lui venereæ accidens. *Sylvius App. Tr.* 3. §. 365.

IV. In vlcerum curatione nihil fermè occurrit quod Chirurgo majorem pariat moleſtiam, atque plus negotij faceſſat quàm ſi vlcus *Cariem in oſſe* ſibi adjunctam habeat, præcipue ſi profunda fuerit, ob humorem oſſi imbutum: Ad hujus autem humoris exiccationem, & oſſis decidentiam, tum ab antiquis, tum neotericis Medicis ac Chirurgis, præſtantius Cauterio actuali nihil excogitatum eſt: Ab hoc Euphorbium ſecundum locum ſibi vendicare facile concedo: cùm, non ſolum quia acre eſt & calidum quarto gradu, humores oſſi imbutos exiccat, ſed videtur occulta quadam facultate hic convenire: *Fabritius Hildanus Cent.* 2. *Obſervat.* 92. *Oſſibus carioſis* mandibularum, vt ignis & ferrum, item oleum vitrioli & aqua fortis adhibeantur non ſuadeo, idque graviſſimis de cauſis, ſed inſpergantur pulveres radicum ariſtol. rot. irid. Florent. angelicæ & thuris &c. Quod ſi mandibula aliquo in loco extra os denudata fuerit, applicarem pulverem euphorbii, quod miras habet proprietates: calidiate enim humores in oſſe non ſolum exiccat, ſed & occulta vi convenit; Nec eſt quod ipſius acrimoniam metuas, etſi linguam & nares mordicet, vlceribus tamen, etſi copioſè inſperſum, nullum dolorem aut inflammationem excitat; Hæc ſi cum doctrina *Dioſcor.* & *Avicennæ* conferas, paradoxum iudicabis, ſed ego expertus loquor; Vlceribus tamen oris non adhibendum, ne ad linguam & fauces perveniat. *Idem Cent.* 4. *Obſervat.* 21.

V. Nonnullus, & quidem non vulgares Medicos & Chirurgos vidi, qui in hac fuerunt opinione oſſibus, etiam in recentibus vulneribus, denudatis non poſſe adnaſci carnem, niſi ipſorum ſuperficies naturæ & medicamentorum beneficio in ſquamam abierit: Quare quamprimum ipſis vulnus cum oſſe denudato occurrebat, illud per dies aliquot ad cruorem vſque ſcalpris abradebant, aut acria medicamenta, veluti oleum ſulphuris, vitrioli, aquam fortem & ſimilia applicabant, ac proinde ex ſimplici non raro malignum vlcus efficiebant; talia enim ob ingentem calorem & acredinem, vimque cauſticam, humidum innatum oſſis abſumunt, non ſuperficie tenus tantum, verum etiam profundè, quod videre eſt in dentibus carioſis: Etſi autem aër adverſiſſimus ſit oſſibus denudatis, attamen vt ab ipſo alterentur & corrumpantur non ſemper ſequitur, præſertim ſi Chirurgus diligentem curam circa vulnus adhibuerit, nec quicquam acre impoſuerit. *Idem Cent.* 4. *Obſ.* 95. *Hippocrat. aphor.* 6. 46. ait Ulcera quæcunque annua ſunt, in iis os abſcedere eſſe neceſſe: Talia enim cum ſint maligna, hinc fit vt & caro & os ipſum corrumpantur & abſcedant: In lue Venerea, variolis, aliiſque abſceſſibus putridis ſæpiſſimè id obſervatur, quoties enim oſſa à talibus cauſis denudantur, vt plurimum corrumpuntur antequam cutis ipſa & caro vlcerentur (quod ſæpe obſervavi) nec coaleſcit vulnus priuſquam caries oſſis ablata fuerit: Id autem commodè fiet, ſi labia vlceris ſpongiis præparatis aperta retineantur, & pulvis euphorbii quotidie inſpergatur: hac methodo aliquando cariem oſſis emendavi vbi nulla excidit ſquama: Euphorbium enim paulatim oſſa corrigit, & quicquid carioſi eſt cum pure effluit. Id vidi in puella, cui cum poſt

variolas

variolas abſceſſus ingens circa cubitum ſiniſtrum ſupervenilſet, apertaque vomica os denudatum & carioſum repertum fuit, Ex vna porro parte vlceris, vbi profunda erat caries, naturæ atque euphorbii beneficio ſquama decidit, reliquam verò cariem natura ſenſim, & quidem inſenſibiliter correxit, ita ut pleniſſimè convaluerit: Alia puella annorum duorum ex variolis vlcus contraxit, oſque denudatum & carioſum reperi, vlcere citra vllam oſſis manifeſtam ſeparationem curato: manifeſta, inquam, nec enim os carioſum carne laudabili obtegitur, vlcuſque cicatrice clauditur, niſi prius ablata carie: Nam ſenſim naturæ & medicamentorum ope quod carioſum eſt ſeparatur, & velut pulverulentum quid cum pure effluit. *Idem Obſervat. 96.*

VI. Quidam laborabat amplo vlcere, in totum crus ſerpente, cum oſſis corruptione atque effluxu ipſius medullæ, à Lue venerea, quod nunquam curari poruerat: cum vero à Paciente quærerem quâ methodo Medici vlcus curaſſent, faſſus eſt illos freqoentiſſimis potiſſimum oſſis inuſtionibus vſos, carni & labiis vlceris ſarcoticis adhibitis: fruſtra tamen quod, me judice, adeo exſiccaretur os, vt alimentum femori accedens illi nutriendo, ita abſumeretur ut carni ſub ipſo producendæ par non eſſet: ac proinde nec ſtatuto tempore hoc abſcedere potſet, nec cicatrix indocis quod Medicos illos latuit. Hoc verò cum animadverterem, ſcalpro abraſorio totum os, tum corruptum, tum combuſtum eraſi, donec ſanguis ex ipſo exſudaret: adhibitis poſtmodum filamentis aridis, & ſupra carnem ambientem ſarcoticis, quibus paucis diebus os munitum fuit tum carne circumpoſita tum propria, cicatrice tandem ſopervenieate: Obſervandum ideo hæc vlcera curantibus, abſtinendum à medicamentis valde exſiccantibus & oſſa adurentibus, cum illorum vſu ſemper prohibeatur abſceſſio oſſis à carne ſupra os ſanum genita, corruptum extrudente, *Marchetti Obſervat. 57.*

VII. Poſt artus amputationem procurandus caſus extremorum oſſium, quæ aëris & terræ contactu alterata fuerunt, aſperſis pulveribus caragmaticis: Ab omnibus autem humidis & oleagineis, in quacunque corporis parte, abſtinendum: Accelerat quoque caſum oſſis, ſi poſt amputationem cauterium actuale oſſi leniter leviterque applicatum fuerit: Etenim actualis ignis proculdubio, quod potentialis non poteſt, abſumet, oſſique robur addet: Leviter autem oſſa cauterio actuali tractanda, 1. quia nulla adeſt caries, ſed ſolummodo alteratio quædam à terra & aëre externa contracta: 2. ne medulla vehementia ignis nimium incaleſcat ac novam inflammationem excitet. *Fabritius Hild. l. de Gangr. c. 19.*

VIII. De curatione *Spinæ ventoſæ* agere decrevi, vt potè à nullo authore accuratè & data opera ſatis explicata: Materia hujus morbi eſt Pituita, Locus affectus ſemper Articuli, nunqnam vero internodia primariò; quæ tamen ſi aliquando corrumpantur, id fit ratione ſympathiæ. Modus generationis hic eſt, Si pituita nutritioni articulorum dicata putreſcat, aut quodammodo fiat acrior, primò oſſa corrumpit, & quidem nullo dolore, quibus poſtea corruptis perioſtium labefactatur: cujus ſignum dolor pungitivus, acutus & lancinans, ita vt patiens referat ſe velut ſpina pungi, vnde Spinæ nomen morbo inductum: Dum verò hujuſmodi dolore æger divexatur, atque perioſtium eroditur, nullus adhuc tumor: corruptis verò, & quidem primario oſſe, ſecundario vero perioſtio, materia pituitoſa liberè permeans per loca carnoſa, attollit articulum affectum in tumorem, primo mollem & laxum, ac doloris expertem, cuti concolorem, qui paretactus durior evadit, confluente eo humorum copia, quorum tenuior pars exhalat, ſuperſtite craſſiori, ex quo inſuper emanat materia ſeroſa, atque ſpecillo os corruptum ſe prodit: Ad xxv. annum circiter, vt plurimum, obſervavi tum viros tum fœminas huic morbo obnoxios, non verò provectiori ætate, niſi antea eodem tentati necdum convaluerint: Signa pathognomonica ſunt, dolores à principio inſtar punctura ſpinæ, articuli affecti, adoleſcentia, tumor mollis, laxus, qui hians ſeroſitatem effundit: cui ſi pus immiſtum fuerit, hujus ex corroſis partibus carnoſis aliqua portio gignitur. Morbus ægrè ſanabilis, tum ob aſſiduum materiæ confluxum, tum ratione corruptionis oſſis, quæ quò gravior, difficilior evadit ſanatio: Incipiens facilius cedit antiquo; nunquam tamen ſanandus niſi remota fluxione, & ſublato toto oſſe corrupto, vel igne vel ferro: Curationem quod attinet, ſtatim, ac patiens de dolore pungitivo, ſpinoſo veluti, in articulis manuum vel pedum, cubitorum aut genuum, quanquam hoc rarius, ſive malleolorum, ſtatim, nullo licet tumore apparente, ſectio ejuſdem eſt facienda, à qua non tam citò demittendum ſpecillum, quo os corruptum inæquale percipitur, indicio ejuſdem ante ipſum perioſtium corrupti, Tunc verò prima elicitur indicatio, nempe ejus cariem abradendi, ſine cujus præſidii ope, tum in vlceribus, tum in vulneribus, nunquam ad firmam cicatricem deducuntur: Oſſe vero ſublato, curanda carnis generatio, cicatrice tandem inducta methodo recepta. Quod ſi ob loci profunditatem ferramenta abraſoria inſinuari non poſſint, vtendum igne actuali: Dilatato igitur foramine, ſectione, ſpongia præparata, radice gentianæ, medulla ſambuci aut ſorgi, in idem demittenda cannula ferrea vtrinque perforata: mox candenti ferramento os corruptum inurendum quouſque perito artifici ex vſu videatur futurum, vt ſtatim abſcedat: tum verò curationis quod ſupereſt modo ſuperius propoſito proſequendum. Quia verò interdum accidit vt totum internodium, maximè in pueris, digiti manus vel pedis ſit corruptum, hoc caſu neque ignis neque ferramenta juvant: quorum loco vtendum trepano tenuiori, quo perforanda media pars ejuſdem, à qua forficulis affabrè in hunc vſum paratis, partes ſecandæ laterales, atque totum internodium paulatim educendum volſella, cujus vacuus locus progreſſu temporis carne oppletur: quæ quidem in pueris durior quodammodo facta, & veluti calloſa, oſſis vice fungitur: quanquam vbi totum internodium eſt ablatum, digitus, oſſiculis ad ſuum caput adductis, & cedente carnis mollitie, decurtatur. Quod ſi Medicus accedat, facta jam ſoluta vnitate ab ipſa materia pituitoſa, ex putredine acriori facta, tota curatio dirigitur ad ablationem oſſis corrupti, machinamentis & induſtria ſuperius propoſitis: quibus aliquando duo, tria aut plura quinetiam oſſicula evelluntur: In Oſſis verò abraſione, vſtione, aut evulſione; cavendum ne tendines offendantur, metu convulſionis: Hæc eſt curatio topica hujus morbi, cui totius corporis cura præmittenda medicamentis pituitam expurgantibus: quinimo ad exſiccandum, exhibito decocto ex china, ſalſa, ligno gajaco & ſimilibus. *Marchetti Tractatu de Spina ventoſa in Obſ. Chirurgicis: Exemplum pollicis amputati ob ſpinam ventoſam vide apud Scultetum Armam. Chirurg. Obſ.*

80. *& manus, Obſervatione* 91. *Item I. van Horne Microtechn. p.* 1. §. 32. Vide § 10. de hoc affectu ſub lit. *Cancri oſſis & Severinum de Abſceſſibus.*

IX. Variis Oſſa obnoxia ſunt morbis, præſertim *Cariei*, quæ cum variis gignatur modis, hi præſertim animadverſione digni ſunt; Humores præternaturales, quavis de cauſa, ſive generali ſive ſpeciali, os penetrantes, quandoque *Hyperſarcoſin vlceroſam*, cum oſſis humiditate; aliquando *Oſſis Cancrum, ſeu Spinam ventoſam* producunt, affectus neceſſario diſtinguendos: quos quia nullus Medicorum ex profeſſo deſcripſit, ea communicare libet quæ & ratio & experientia nos docuerunt, Hyperſarcoſeos vlceroſæ, cum oſſis humiditate, cauſa eſt phlegma. p. n. oſſis temperiem atque duritiem auferens: molliori hoc fundamento caro inſiſtere nequit, unde naturalem ſuam eſſentiam etiam amittit: nutrimentum ipſius ex ſanguine conſtans, in Sarcoma molle ſpongioſumque tranſit; hoc ſenſim incrementum ſumit, tandemque vlcerationem ſecum affert, qua tendines, ligamenta & nervi corrumpuntur membrumque totum periculo ſubjicitur: Medicamentis non eſt quod hic aliquid laude dignum effici poſſe tibi perſuadeas, antequam funditus, hoc eſt, os ipſum attigeris: Oſſe enim curato illico & vlcus curabitur, & caro naturalem conſtitutionem induet. Inciſione itaque hic opus, profunda adeo vt os ipſum in conſpectum veniat: quod ſi excreſcentia magna nimis concomitetur, fiat extirpatio ejus: ſi vero repullulare obſervetur, cauterium actuale planum applicetur, habita ſemper oſſis conſideratione.

X. *Cancri oſſis* Cauſa humor acris, primo os corrumpens, mox perioſtium perforans: Hic vlcus ſtatim accedit, & carnis & cutis, quod etiam curari non poteſt niſi prius ipſum os curaveris: Vlceris foramen valde exiguum eſt, labia pallent, materia effluit tenuis, caro mollis & aliquomodo tumefacta, at minime, vt in hyperſarcoſi vlceroſa fieri diximus, ſua ſponte ſuccreſcit: Et hic quoque ſectione, ſed per oſſis longitudinem, vſque ad ipſum os eſt molienda, & mox corruptionem corrigentia applicanda, ſcil. euphorbium, ſpir. vitrioli cum ſpiritu vini mixtus &c. plurimum hac occaſione præſtitit terebinth. coctione induratæ pulvis, vng. fuſcum Fel. Wurtz aut Ægypt. mixtus: Cauterium actuale etiam aliquando neceſſarium eſt: accelerarur quoque curatio quoties, loco turundæ, ex plumaceolo parandæ, medulla ſambuci vſurpatur, eo quod hæc humores acres tenueſque imbibit, & ſic naturæ præbetur occaſio vt tanto commodius opus perficiat: Cum autem hæc fere ab intemperie potius maſſæ ſanguineæ [illegible]deant, quin vno cancro vix curato, alius loco [illegible] ſe prodat, ſumme neceſſe medicamenta præpa[illegible] quibus toti auxilium feras, quod ſequentia præ[illegible]bunt, ℞. rad. conſolid. major. hirund. reg. [illegible] ſaliæ an. ℥j. cortic. ligni Guaj. raſi ℥ij. rhei opt. ʒ[illegible] ſenn. mund. ʒv. agar. leviſſ. ʒvj. caryoph. ʒj. c[illegible]nam. ʒij. f. infuſio hor. 24. in ſ. q. aq. hordei tepidæ, coque lento igne, Expr. ℔iv. adde ſyr. de ſymph. Fernel. ℥iv. m. f. Apoz. doſis iij. iv. v. leniter purgabit, curationem promovebit & à novo morbo præſervabit. *Barbette Anatom. Pract. cap.* 3.

XI. Oſſa *tumorem abſceſſumque* ſubire novum non eſt, procreatur autem affectio cum vitioſus ſuccus, qui alendo fuerat præbitus, oſſi concorporatus, putredine, quam velit, velut fermento dilatante attollitur, atque hac inflante rareſcit atque gibbeſcit: Interim vero non otiatus humor putris contactu longa remollitam oſſis duritiem conterit & exaſperat, vt arroſi ſpeciem exhibeat cum forte exſcinditur: Eſt autem vitio mos vt lente ſerpens oſſis ſubſtantiam conficiat, priuſquam conceptum auctumque vitium in attiguas partes & carnem excurrat abſceſſumque inferat: Porro ſpectat ejuſmodi putredo peculiariter os, ad hoc habens antipathiam atque analogiam, ſive humoris ſimilitudine, ſive ſumma partis imbecillitate, ſive occulta denique proprietate; Sicut in pueris qui ventoſæ ſpinæ vitium perpeti conſueverunt, ab inexpurgatis parentum ſeminariis inquinamentis, In ſyphyliis vero à putri, quod ſymbolizat excremento ſpermatico: Ad curationem venio, quæ primum id ſibi proponit faciendum, vt ne vitii incrementa promoveantur, cui quidem operi præcipua è medicamentis ſunt abſorbentia, verum efficacior eſt Chirurgia, ſive vſtione nitatur ſive ſectione: Sed mihi commodior experta ſectio, eo quod ſanguine partes exhaurit, & dolorem felicius levat: Experimentum feci in Adoleſcente, cui cum frons modicum extumeſceret, mirum & alienum viſum eſt quibuſdam quod ſcalpro profundis inſecarem vſque dum os detegerem, mox vero poſt dies aliquot igne terrarem, mucori partium diſſipando, ſed non exceſſere dies ſeptem ab exſectu primo, quando protruſum ſe prodidit os, & xii. fruſtulum hujus ſequax volſella eſt eductum præroſum totum. *Severinus Med. Eff. p.* 96.

INDICIS
MEDICO-PRACTICI,
SIVE
Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.
LIBER DECIMVS QVARTVS.
De Affectibus à litera P. incipientibus.

PALPEBRARVM VITIA.

SYLLOGE.

Iis vulneratis partes vicina oleo roſaceo non illinenda. 1.
Tubercula *in iis nata quibus cautionibus curanda.* 2.
Lagophthalmus *cum cautione tractandus.* 3.
In Prolapſu, Contractura *&c. ſectio quomodo facienda.* 4.
Verrucoſarum *curatio.* 5.
Mori *curatio.* 6.
Ptiloſis *per punctionem curatio.* 7.
Ectropii *curatio per ſcarificationem & ſectionem.* 8.

I. Vlneratis partibus ſolent Chirurgi, & bene, ad arcendam inflammationem circumlinire oleum roſatum: Verum tamen *vulneratis Palpebris* partes circumſtantes vel omnino non, vt recte monet *Aquapendens*, vel caute admodum inungendæ oleo roſaceo, ne oleum defluat in oculum & ipſum inflammet: Olea enim valde inimica ſunt oculis: ſed linteum potius in vino nigro auſtero expreſſum eſt ſuperimponendum.

II. In *Hordeolo*, *Grandine*, *Calculo*, *Verruca* palpebrarum, bona & apposita recitant ſcriptores remedia: Cæterum obſervandum in iis (quod nullus advertit) *Galeni* præceptum *comm.2. in lib. 6. Hippocr. de morb. popul.* vt videlicet Tubercula iſta prius vel ſepiæ teſtis, vel pumice, vel vnguibus exaſperemus, tum vero detractoriis medicamentis oblinamus: idque ideo ſic faciendum vt vlcerata tubercula in profundum vires medicaminum accipiant: Id quod ſi prudens es, non ſolum in duris palpebrarum, ſed etiam alius cujuſvis partis tuberculis obſervabis. *Plempius ophthalmogr. lib. 5 cap. 1.*

III. *Paræus* lib. 16. c. 6. docens curationem *Lagophthalmi*, monet diligenter cavendum ne in adminiſtratione ſectionis cartilaginea palpebræ ora lædatur: hac enim diſſecta fruſtra, *inquit*, palpebram tentamus elevare: At quid huic cartilagineæ oræ cum palpebræ elevatione? ſeca ipſam audenter, & perſeca pluries: ſi rectum palpebræ muſculum non tranſverſim dividis, nihil officis palpebræ elevationi: Scitius & experientius anteceſſor ejus *Guido*, vita quantum potes ciliarem limbum, hic enim læſus difficulter ſaneſcit, Hoc veriſſimum eſt ob cartilagineam ejus naturam. *Idem ibidem.*

IV. Sectionem palpebrarum exercent authores in earum *Prolapſu* ac *Laxitate*, in *Contractura*, vt *Lagophthalmo*, in *Tuberculis*, *Verrucis*, *Moris*; *Grandine* &c. Quibus in affectibus ſemper atque indiſcriminatim jubent ſectionem fieri ſecundum ductum rugarum Palpebræ: At diſcrimen neceſſario eſt conſtituendum: Si enim prædicta *Tubercula* cutem vel externum circularem muſculum obſident, ſequemur in ſectione ductum rugarum palpebræ, is namque eſt fibrarum circularis muſculi proceſſus: Huic ſimilem Cheirurgiam inſtitues in *Lagophthalmo*, cujus cauſa fuerit cicatrix: vbi diligenter attendendum ne profundius inſtrumentum ſecans adigamus, adeo vt lædeamus ſublatentem rectum muſculum, quo læſo perit palpebræ elevatio: contra ſi tubercula interiorem palpebrarum ſuperficiem occupent, cum illic ſedem habeat longus rectuſque muſculus deſcendens à ſuperciliis deorſum, conformem huic ſectionem adminiſtrari neceſſe eſt; diligenter iterum attendendo ne cultellum altius deprimamus ac perſecemus muſculum circularem, cujus tranſverſa ſectio cauſat abolitionem clauſionis oculorum: Quod ſpectat ad palpebram

inferiorem, hæc vnico conſtat muſculo, eodem nempe illo circulari, qui in ſuperiore palpebra viſitur: Itaque in ea lunata rectiu ſolum locum habet, ſic vt cornua non ad maxillas ſed ad oculum convertantur: nam is eſt fibrarum ejus muſculi progreſſus: Ex tranſverſis autem Palpebrarum vulneribus prædicunt vnanimiter omnes chirurgiam profitentes caſum earundem, atque abolitionem elevationis: Tranſverſa autem ab iis vocantur vulnera quæ ab vno angulo ad alterum vergunt: aſſerunt igitur ſi vulnus à ſuperciliis deorſum deſcendens palpebram diſcindat, neceſſario ſequi abolitionem elevationis palpebræ: Me aliter erudit anatome; quia ergo circularis muſculus, vtramque palpebram ambiens, clauſionem palpebrarum vt propriam actionem exerceat, ſequitur ex tranſverſa fibrarum ejus ſectione abolitio clauſionis palpebrarum, proinde vulnus à ſuperciliis deorſum inflictum officit clauſioni non recluſioni oculorum: ob tale namque vulnus recludentis ſive elevantis muſculi intus latentis fibræ non transfinduntur: Præterea vulnus rectum, i. e. ab vno angulo oculi verſus alteram partem procedens, periculo caret, inquiunt illi, nullumque portendit incommodum, quia vulneris ductus rectitudinem fibrarum muſculi palpebralis ſequitur: Sane verum inquiunt, ſi vulnus ſuperiorem muſculum circularem tantum lædat, Sin autem profundius penetret, vt etiam diſſecet inferiorem ſeu internum rectum muſculum, tum non leve affert incommodum, ſc. prolapſum palpebræ, eo quod elevatoris muſculi fibræ tranſverſim diſcindantur. *Plempius Ophthalmogr. lib. 5. cap. 11.*

V. *Verrucas Palpebr.* Medici abblanditores, ac lenitores malorum, ne attrectant quidem, nedum exſcindunt, verum I.C. *Arantius l. de Tum. c. 20.* diffindit forfice, & aqua plantaginis alumine tincta ne repullulet, atque vt cicatricem citius obducat, madefacit: Ego, quod experimento confirmare poſſum, verrucam ejuſmodi, quæ de ſuperiore palpebra media propendens viſus aciem, obducto ad pupillam corpore offenſabat, acu filum ducente transfixam, & fili ipſius jam trajecti capitibus vtriſque leviter tractam, ſcalpro acuto radicitus exectam ſulphuris olei momento peruſſi. N. quam xx. jam annos curandam Medici diſſuaſerant, geſtatam ab hoc homine cum perpetua moleſtia. *Severinus Med. Eff. p. 113.*

VI. Fœminæ à pugno oculo læſo inflicto, in palpebræ ſuperioris externa parte verſus angulum majorem *tumor durus grandinis inſtar* enatus, qui emollientibus & diſſolventibus non cedens, trium annorum ſpatio ad nucis juglandis molem excrevit cum ſumma duritie & indolentia, Illa inciſionem ſcalpelli ope recuſans, omnibus vero cauterium improbantibus ob partis præſtantiam, ne efferaretur & irritaretur humor, vlcuſque cancroſum ſuboriretur, Quidam tamen cauterium bis impreſſit, prima vice in vertice, ſecunda in latere tendente ad angulum parvum, ne ignis vis carunculam lacrymalem offenderet: Atqui ſecundo cauterio aqueus melleuſque humor effluxit, & tumor major evaſit: Reliquum Tuberculi corpus pulvere præcipitati, prius roſaceo nutriri, eſt abſumptum, ſimulque eodem auxilio radices eradicatæ: putrilago relicta, mortuæ excreſcentiæ adhærens, aptis medic. abſterſa, ſic vlcus cicatrice obductum: *Zacutus Pr. Adm. lib. 3. Obſ. 63. Vide Amatum cent. 5. 99.*

VII. *Ptiloſis* eſt palpebrarum callis ies cal- ſa, rubicundæ, quibus accidit ſæpe pilorum defluvium; vitium contumax & diuturnum, quod ego exterimis palpebræ, quæ venulis quaſi in varicem aſſurgentibus tumet, punctione curari felix ſerel beneficium expertus, & alios plurimos qui ſi obtulerunt ſemper hac ratione ſanavi: Inter cæteros Religioſum, qui ſex jam menſes nullis medicamentis adjutus ſic brevi liberatus eſt, crebris ſcil. acicularum puncturis. *Severinus Med. Eff. p. 79.*

VIII. *Ectropium* ſcarificatu ſæpe ſuſtulimus. *Severinus Medic. Effic. p. 77.* Ectropium, ex *Celſo*, vitium eſt palpebræ, ſive ſuperioris, quæ parum deſcendit, ideoque oculum non contegit; ſive inferioris, quæ parum ſurſum attollitur, ſed pendet & hiat, neque poteſt cum ſuperiore committi: fit autem vtrumque & affectuum interiorum vitio, & cicatrice, id quod non eſt ſine defectu palpebræ, quæ ſi nimium deeſt, *inquit Celſus*, nulla id reſtituere curatio poteſt: Ita quidem ille verumtamen ego comperi everſam à curato carbunculo palpebram, ita vt inferior omnis oculi ſinus pateret plurimum, emendatam conciſione circuli deglabratæ palpebræ; atque id evenit Capucino, qui deſperatam jam per Chirurgos oculi concinnitatem, ejuſmodi conciſione prope integre recuperavit. *Idem ibidem. p. 100.*

PALPITATIO CORDIS.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio *an vtilis.* 1.
In brachio an talo inſtituenda. 2.
Cucurbitulæ *dorſo quando admovenda.* 5.
Cautio in veſicatoriis *admovendis*, 7.
Attenuantia *an cauſa conveniant.* 6.
A diureticis *&* hidroticis *quando abſtinendum.* 8
Frictiones *&* Ligaturæ *non ſemper conveniunt.* 8.
Odorata *non conveniunt ſi ſit ab vtero.* 3.
Si ſit aſtatu vitandus ſyrupus de pomis. 10.
A verme inducta. 9.
Vehemens in muliere hypochondriaca cito diſcuſſa. 11.
Si ſit a copia & fervore ſanguinis, qualia vſurpanda. 3. 2.
Cucurbitula ſcarificata *ejus regioni admota curatur.* 12.
Efficacia fonticulorum. 13.
Remediorum vſui diutius inſiſtendum. 14.
Sero lactis *&* balneo aquæ dulcis *ſuperata.* 15.
Curatio Williſiana. 16.
Cordis Tremor a Palpitatione cauſis differt. 17.

I. Licet plerumque flatus in hoc malo reperiantur, cum hoc tamen in ſpuria palpitatione, quæ ex ſanguinis fervore, aut pericardii inundatione prodit, tutum non eſt primo acceſſu quæ calida ſunt adhibere: Quapropter ſi ex ſanguinis fervore malum oriatur, primitus, vt *Galeni* eſt conſilium, ſanguis mittendus eſt: In iis qui pericardii inundatione laborant, nuſquam, ſi maci jam athici inceperint; ſin aliter parcius & rarius, ſolum vt quod vires cordis premit modice diſtrahatur, minuſque febricula, (quæ forſan ob defectum commodæ ventilationis ſuccreſcit) vigeat: Atque hoc eſt quod primo exequendum venit in ea ſpecie

ſpecie quam ſpuriam cenſemus. *Mercatus Sanguinis miſſio* noxia videtur, quia ejus indicans, nimirum ſanguinis abundantia, in præſentia non peccet: quis enim affirmabit flatuoſam materiam, quæ cauſa eſt immediata affectionis, v. ſ. tolli poſſe? Contrarium tamen innuit *Galenus* 5. loc. aff. c. 2. dum affirmat omnes palpitatione cordis laborantes ſ. m. & alimentis ac medicamentis attenuantibus liberatos eſſe: quod ſine ratione non affirmatur: cum enim ſanguis vnà peccat, ſui detractionem indicat copioſam, ne virtus ſuffocatione pereat: Quod ſi nulla plenitudo inſignis adeſt, ſ. m. tamen convenit, quod reſpectu partis affectæ magnus ſit morbus, quia princeps viſcus afficitur, vbi revulſione cavendum ne copia humorum ad cor, aliàs debilitatum, magis affluat. *Horſtius Dec. 5. Probl. 3.*

II. Venæ ſectionem in brachio *Galenus* loco cit. omnino probat; plenitudinem enim, quæcunque ea ſit, exhaurit, & copiam vaporum, cor laceſſentem detrahit citra moleſtiam vllam; deinde revellit à corde peccantem ſuccum: Hoc autem intelligas de curatione ſola, vel vbi cor per proprietatem laborat: Quando per conſenſum affligit, & ab aliquâ parte, præſertim infernâ, vt ſplene, vel vtero, ex menſtruis ſuppreſſis vel hæmorrhoidibus, retentis, elevatur vapor teter & craſſus, tunc ratione præſervationis, vt humor noxius ad diſtantiſſima revellatur, commodiſſima ex talo ſ. m. eſt. *Zacutus Pr. Hiſtor. l. 2. c. 6.* Cordis Palpitatio, quemadmodum mihi compertiſſimum, vt plurimum ab humore melancholico concitari ſolet; ſcilicet per conſenſum hypochondriorum in ſpleneticis) quare applicatione hirudinum ad venas hæmorrhoidales magnam ſemper vtilitatem ægris paravi: *Horatius Augenius l. 10. de ſ. m. c. 11.*

III. Etſi Cordi, tanquam membro principi, ſtatim ſubveniendum per ea quæ ſingulari vi ejus robur augere, ac vaporum malignitatem diſcutere valeant, qualia ſunt pleraque *odorata & aromatica*, quæ balſamica virtute cordis calidum innatum tuentur, ac caliditate propria materiam vaporoſam diſcutiunt & abſumunt: Si tamen *Vterus Palpitationis cauſa* ſit, ab iis abſtinendum, prohibente vteri conſtitutione morboſa: A talibus quippe ſtatim ſuffocatio vehemens, hinc palpitatio major inſurgit: Odoratis enim cum cerebrum ſuaviter afficiatur, per conſenſum qui illi cum vtero ineſt, ſi hic morbidus vapores latitantes excitantur, qui membra principalia, cor præſertim impetunt: Ideo potius confugiendum ad ea quæ vi pollent vapidam illam ſubſtantiam diſcutiendi, qualia ſunt fœtida quædam & graveolentia, quæ inimica qualitate expultricem excitant quò contra noxia inſurgat; illis præterea vis ineſt attenuandi vehementerque diſſipandi, quod patet in Caſtoreo, Galbano, Aſa fœtida & ſimil. *Sennertus.*

III. a Id ſtatuendum in ea Palpitatione, quæ à fervore & vbertate ſanguinis prodit, neque calidis, ne major fiat effervescentia, vtendum eſſe; neque frigidis, ne effluxu vaporum prohibito vehementior ſuccreſcat palpitatio: Sat enim eſt in his temperatis, roborantibus & odoriferis vti. *Mercatus.*

IV. In acceſſionis curatione vniverſaliter proponitur revulſio facta per *frictiones & ligaturas*: Hujuſmodi operatio nonnunquam eſt ſuſpecta, quam ſcilicet ortum ducit palpitatio ex ſpiritu calido & vaporoſo, à ſanguine bilioſo in arteriis contento, & impetum in cor faciente: Ex frictione enim ſanguis redditur calidior & tenuior: Ex ligatura arctantur arteriæ, vt ſanguis & ſpiritus ad inferiores partes non tranſeant: hunc majori impetu ferri ſolent ad cor: *Hollerius Scholio ad cap. 29. lib. 1.* Conveniunt igitur hæc potius in flatu, & humoribus frigidis, quam in fluxione calida.

V. Vbi vires acceſſionis tempore impares ſunt venæ ſectioni, ad *hirudines & cucurbitulas* veniendum: Quæritur de loco? Rhaſes 7. Cont. cucurbitulas admovet dorſo: *Avicenna* improbat, quod accerſant palpitationem, trahendo ſanguinem ad thoracem. Contradictio ſic tollitur, Cucurbitulæ, in plenitudine totius, dorſo admotæ cum multa flamma & profunda ſcarificatione, ſi præſertim amplæ ſint, tremulam hanc cordis affectionem excitare ſolent: Idcirco inferioribus locis hoc caſu affigendæ: Sed evacuato toto & per medicamenta, & per ſ. m. cucurbitulæ parvæ, leviter ſcarificatæ, cum pauca flamma, dorſo applicitæ juvant: trahunt verò vaporem, flatum, ſanguinem à centro ad circumferentiam. *Saxonia.*

VI. Vbi materia eſt ſanguinea omnes prope in hoc conveniunt vt *ſyrupi extenuantes* exhibeantur: moti *Galeni* teſtimonio 5. de loc. aff. 2. qui palpitationem tractat & ſ. m. & extenuantibus medicamentis: Exigunt autem materiam extenuantium ex lib. de Palpit. c. 5. vbi omnia proponit calida medicamenta, attenuante vi prædita, pulegium, calaminthum &c. Hæc operatio apud me ſuſpecta eſt, imò periculoſa; cum generetur flatus ex cauſa calida, vbi cacochymia vel plenitudo ſubſit: Locus eſt apud *Galen. 4. acut. 9.* Itaque ſi calida præbeantur attenuantia in ſanguinis copia, flatus & vapor elevabuntur, & palpitationem augebunt: Itaque eligenda ſunt attenuantia, ſed refrigerantia, ut ptiſana, oxymel, ſyr. acetoſus ſimplex, acetoſitatia citri &c. *Galeni* autem ſententiam 5. *de loc. aff.* de alimentis ac victu attenuante intelligendam puto, non de attenuantibus medicamentis, ſed de vere Extenuantibus: Talia autem ſunt quæ ſanguinem minuunt, vel per ſe vel per accidens: Per ſe minuunt venæ ſectio, & omnia ſanguinis vacuatio, Omnis purgatio vel per vomitum, vel per alvum, vel per ſudorem, vel per urinas: Per accidens, victus tenuis, labor, frictio, balneum: locus eſt apud *Galenum* 2. aphor. 28. Vbi ſub nomine attenuantium medicamentorum hæc omnia intelliguntur: Et profectò in ſanguinis abundantia extenuare convenit, i. e. ſanguinem mittere & imminuere. *Saxonia.*

VII. Ad materiam revellendam in diuturna & frequenti, *Cauteria & Veſicatoria*, vel brachiis, ſi materia à capite defluat; vel cruribus, ſi ſit per eſſentiam, aut à partibus inferioribus ad cor tranſmittatur, vtilia ſunt: De veſicatoriis id monet *Mercurialis*, ne cantharidea vſurpentur, cum vim malignam & cordi adverſam habeant, ſed potius ranunculis, flammula Iovis &c.

VIII. In palpitatione cordis *Diuretica* prohibet *L. Septalius lib. 6. animadv.* 117. Si ſanguis craſſus peccaverit, quod ſerum ſanguinis exhauriant, & craſſius reddant: In ea vero quæ orta eſt ab humore aquoſo & ſeroſo, nihil eſt quod facilius vim hujus morbi evincere poſſit.

IX. Princeps quidam valetudinarius, cum ex cordis cauſationibus multo tempore graviſſime affligeretur, à nullis medicamentis ſubſidium habuit: Adveniens Medicinæ tyro, refert comperiſſe ſe in ſuperioris ætatis quibuſdam ſcriptis Vermis quod-

dam genus cordi quandoque innaſci, quod vnius allii, ac inanet ſumpti, vſui cedere, ac necaretur: quod remedium neglectum ac tanquam deſpicabile habitum eſt: Sed Principe morbi diuturnitate tandem enecto, & cadavere diſſecto, deprehenſus eſt vermis albus, præacuto roſtello, eoque corneo præditus, cordi adhæreſcere; quem Medici vivum in circulum ex allii ſucco in menſa figuratum conjiciunt, fere circumquaque rependo mirifice ſe torquet, & ne circulum contingat cavet: tandem allii vi à nidore victa, intra circulum moritur. *Ioh. Hebenſtrein. lib. de Peſte.*

X. Si Palmus fiat à *flatibus*, opiatæ, & aliæ compoſitiones, admittere non debent ſyr. de pomis: Poma enim flatus ſeu ventoſitatem ſervant vſque ad tertiam concoctionem, vt Avicenna ſcripſit. *Rondeletius.*

XI. Nob. Matrona Neocomenſis annos 35. nata, hypochondriacæ affectioni à decennio obnoxia, vehementi adeo palpitatione fuit correpta, vt cor è pectore per coſtarum effractutam exitum moliri videretur: Vocatus illico Clyſterem mollientem iniici curo, quia illi alvus nonniſi *πρὸς ἀνάγκην* dejiciebat: huic ſucceſſit alter carminans: Poſtea admotum Epithema ex *theriaca*, *confect. hyacinthinâ*, cum *guttis aliquot olei citrii mali ſtillatitii* confectum: Exhibitus *bolus ex conſerva meliſſa, anthos paratus, confect. hyacinth. & Kermeſinâ ſine a. & m.* ſuperdata ſequens potio ℞. *Aqu. meliſſa, card. bened. ana.* ℥j. *aq. flor. arantior.* ℥ß. *aq. cinn.* ʒij. *ſyr. cortic. citri, juxta correctionem Zwelferi parati & flor. veronic. ana.* ℥ß. *ol. cortic. citr. gtt. ij. perlar. præpar. gr. v. exer. croci gr. j. Intra biborium malum citra recidivam deſiit.*

XII. Cordis Palpitatione quidam graviſſime cum affligeretur, nec juvarent remedia, tandem accurrens in caſu conclamato, exquiſitiſſime jam corpore vacuato, illico ſupra lævam mammillam magnam *cucurbitulam* imponere, eamque profunde ſcarificare jubeo, ex qua exivit ſanguis grumoſus & multus, & facta deinceps cum aceto & ſale ſuper ſcarificatam partem lotione, tanta ichoroſi ſanguinis copia viij. horarum ſpatio eſt vacuata vt heminam comprehenderet: Hinc è propinquiori loco morbi cauſa exhauſta, palpitatio conquievit, ægerque ad ſe rediit. *Zacutus Pr. Adm. l.* 1. *Obſ.* 143.

XIII. Maxime valent in Palpitationibus, vt ego ſum expertus feliciſſime, *Cauteria* adhibita; quæ cum poſſint variis & diverſis in partibus adminiſtrari, Si à capite defluens materia palpitationem efficiat, vt dicit Hippocr. melius eſt facere cauteria in ſuperioribus partibus, & ego in hoc caſu ſoleo commendare vt cauterium in brachio dextro efficiatur: Si autem fiat vel per eſſentiam in corde, vel per conſenſum à partibus inferis, multo melius eſt cauterium in cruribus infigere ſupra vel ſubtus genu. *Mercurialis lib.* 2. *cap.* 10. *Pract.*

XIV. In hoc morbi genere diutius oportet in remediis immorari, nam ſexto menſe, vel anno integro ſolet recidivare affectio, vt quam plurimas ipſe novi; quare ſemper de hac dubitare oportet, neque lætari oportet quia per vnum aut alterum menſem ceſſat. *Epiph. Ferdinandus hiſt.* 22.

XV. Io. *Prevotius* Baronem N. à palpitatione cordis, omniumque arteriarum, in modum aneuriſmatis, ea bile retorrida *ſero lactis & aq. dulcis balneo* intra annum liberavit: Hanc pulſationem innuit *Fernelius* Path. lib. 5. cap. 12. *Rhodius cent.* 2. *Obſ.* 40.

XVI. Si quidem cauſæ ſunt variæ, etiam curatio diverſimode inſtitui debet: Nam quod nonnulli ſtatuunt ejuſmodi remedia, quæ Cardiaca vulgo dicta, cor refocillare, eiq; labori anti ſuppetias ferre creduntur, in quibuſq; his caſibus, tum rationitū experientiæ communi refragatur: Cum itaque declaraverimus Cordis Palpitationem vel à *ſanguinis*, vel ab *Arteriarum* cordi appenſarum vitio procedere, & vtraſque horum varias afficiendi rationes innuerimus, vnicuique morbi iſtius ſpeciei apta medendi methodus accommodanda: 1. ergo Si morbus à *ſanguinis vitio* procedat, Intentio therapeutica primaria erit ſanguinem nimis aquoſum, & accendi & fermenteſcere inhabilem, ad meliorem craſin exaltare; ejuſque principia activa & depreſſa, aut diminuta evehere aut augere: In quem finem medicamenta ſpirituoſa, item ſalina cujuſcunque generis, ſulphurea & imprimis chalybeata conducunt: quinimo huc referri poſſunt quæ in leucophlegmatia, pica, & ſcorbuto frigidiore præſcribi ſolent. ij. Cordis palpitatio & crebrior, & multo immanior ab *arterijs cardiacis* in vitiò habentibus, & tunc illarum culpa aut *obſtructio* eſt, aut *affectio ſpaſmodica*; Prior iſte morbus plerumque continuus, & non raro incurabilis exiſtit, præſertim ſi à pulmonibus tabidis, aut arteriarum radicibus propter Tuberculum, aut Excreſcentiam oſſeam ſemioppletis aut compreſſis excitatur: Cujuſmodi cauſæ, ſi quando ſubſint, & perfecte dignoſci poſſint, fruſtra eſſet earum ſublationes moliri: quin potius id vnice agatur, vt levamine quodam per hypnotica procurato, ægrorum vita, etſi miſera, paulo diutius protrahatur: Nec quoque improbabile eſt Arterias interdum à concretionibus polypoſis ibidem, ac interdum intra cordis ſinus progigni ſolitis, magna ex parte impleri, proindeque ſanguinis exilitionem liberam & totalem impediri: Hujus vt diagnoſin valde difficilem, ita curationem non minus raram putamus: Quando illius ſuſpicio eſt, maxime ex vſu fore videntur medicamenta ſalina, & ex iis ſale volatili aut acido prædita exhibenda: Eadem vero non ſimul, ſed quodam temporis ſpatio hæc (quibus non juvantibus) iſthæc altera experiri oportet: 1. ℞. ſpiritus ſalis armon. compoſ. cum millepedis, vel cum aliis antaſthmat. deſtill. ℥iij. dozis gutt. 5. ad 20. ter in diecum Iulapio vel aqua appropriata: 2: ſpir. ſalis mar. aut vitrioli, cum ſpiritu vini, herbis pneumonicis impregnati, deſtillati, & ſæpius cohobati ℥iij. doſis guttæ 15. ad 20. eodem modo: iij. Palpitatio cordis ſæpiſſime *affectio Convulſiva eſt*, & à ſimili cauſa & efficiendi ratione qua pathemata alia hypochondriaca vel aſthmatica produci ſolet: Cujus item curatio per remedia antiſpaſmodica pariter tentari debet &c. *Willis pharmac. ration. ſect.* 6. *cap.* 3.

Hanc vltimam ſpeciem agnovit *Saxonia Prælect. Pract. parte* 2. *cap.* 1. Notandum *aut*, aliquando fieri ex ſolo nervorum vitio, nulla apparente læſione in cerebro, thorace, muſculis: quod obſervavi in fratre meo, quem ſolo Theriacæ vſu, principio ſpinalis medullæ adhibitæ, in integrum reſtitui.

XVII. *Tremor cordis* à Palpitatione ejus affectus diſtinctus eſt, imo diverſus: In eo namque ipſius fibræ carneæ, ſive motrices, per ſe affici, nec, prout in altero iſto pathemate, cauſa morbifica in ſanguine aut in arteriis cardiacis ſubſiſtere

ſiſtere videtur: *Cordis tremor* deſcribi poteſt quod ſit carnium ejus convulſio ſpaſmodica, aut potius trepidatio, qua nempe motrices fibræ celerrime, ac tantum ſemi contractæ, ſyſtoles & diaſtoles vices ocyſſimas, verum abruptas, & quaſi dimidiatas efficiunt, proinde ut ſanguis per minutiſſimas tantum portiones tum cordis ſinubus inferri, tum ex iis efferri poſſit: Ratio formalis in eo conſiſtere videtur quod ſpiritus animales, ad muſculos quoſdam pertinentes, irrequieti, ac velut œſtro perciti e tendinibus continue in carnes proſiliunt, redeuntque, adeoque perpetua vice excurſus ſuos recurſuſque iterant, interea cum exiguis tantum copiis efferuntur, ut fibras carneas haud plane inflent, in iiſque minimo tantum ſpatiu morentur, niſus motivos, creberrimos licet, tamen non niſi debiles, & valde minutos edunt; in tantum ſcil. ut membra & artus à muſculis, ita perpetuo agitatis, haud loco moveantur, & cor, durante tremore ejus, ut ut celeriter concuſſum, tamen vix, & ne vix ſanguinem circumpellere valeat; uti plane conſtat ex pulſu parvo, ac velut tremulo, atque virium omnium faticentia: Quoad cauſas conjunctam & procatarcticam, à quibus nempe ſpiritus muſculares ita inſtabiles fiunt, ſive vim iſtam deſultoriam acquirunt, videtur quod materies quædam heterogenea, & elaſtica, cerebrum & ductus nerveos tranſgreſſa, demum in muſculos, eorumque fines tendinoſos defertur, ubi ſpiritibus ſubinde accreſcens, eos irritet valde, ac velut œſtro quodam afficiat, proinde ut nullibi conſiſtant, verum huc illuc continue diſcurrant, atque interim penia debita aut omittant aut non ſtrenue præſtent: Tremoris cardiaci cauſa communiter in lienem rejicitur, etenim vulgo ſupponitur ab hoc viſcere obſtructo, aut alias perperam habente, vapores tetros ad cor elevari, qui ipſum ferientes adeo concuti & trepidare cogunt, imo quodam velut rigore afficiunt: Opinioni fides aſtruitur quod hypochondriaci, ſeu ſplenici, huic paſſioni cardiacæ plurimum obnoxii reperiuntur: Quod autem pro Lienoſis, etiamque pro hyſtericis vulgò habiti tremore cordis ita paſſim infeſtantur, in cauſa eſt magna iſta affinitas, ac intima communicatio quam nervi ſplachnici cum cardiacis habent, adeo ut non ſolum partis unius affectio alteram facile in conſenſum trahat, verum ſi quando materies ſpaſmodica nervorum ramos, ad lienem, aut viſcera imi ventris pertinentes inſederit, raro abeſt quin eadem pariter nervos ad præcordia ſpectantes occupaverit: Quod ſpectat ad therapeias rationem in Tremore cordis adhibendam, quandoquidem hæc affectio ſit mere ſpaſmodica, idcirco remedia non cardiaca, quin potius cephalica aut νευρώδη indicantur, quæ tamen juxta temperamentum & conſtitutionem patientis, aut calidiora, aut moderata, aut modo hujus modo illius naturæ eſſe debent: Ut rem paucis comprehendam, in morbo iſto tria remediorum genera maxime proficua eſſe ſolent, teſtacea, chalybeata, & ſale volatili prædita: Itaque imprimis, facta per evacuantia totius proviſione, & pharmaciæ, quæ magis uſui fore videtur, delectu habito, præſcribatur: *Idem. Ibidem.*

PARALYSIS.

SYLLOGE.

Aliquando ſanguis mittendus. 1.
Si ſuccedat apoplexiæ qua vena ſecanda. 2.
Septuagenarius ſola ſang. miſſione curatur. 25.
Poſt partum accidens ſaphena *aperta ſanatur.* 24.
Vomitoria *aliquando utilia.* 22.
Si ſit a pituita *an ſtatim ab initio purgandum.* 3.
Initio lenibus medicamentis agendum. 36.
Oxymel *an inter preparantia admitti debeat.* 4.
Sudorifica *an exhibenda.* 5.
An theriaca, aut mithridatium. 8.
Cur quandoque noceant. 20.
Sudores *quomodo movendi cum comites ſunt dolores externi.* 26.
Diuretica *hidroticis præferenda.* 27.
Clyſmata *ex nimium emollientibus ne conſtent.* 30.a
Thermarum *uſus quandoque noxius.* 28.
Quomodo juvans in ea quæ colicæ ſuccedit. 29.
Vacuantia inſenſibiliter *vehementia ſint.* 9.
Curatio per ſalivationem non omni convenit. 21.
Hydrargyroſi *curata* 6.
Febrem *an excitare liceat.* 7.
Ab externa humiditate orta cito curanda. 31 a
Vinum *ad infuſiones, decoctiones &c. parandas non noxium.* 30.b
Confectio anacardina *an tuta.* 10.
Pinearum uſus, *an utilis.* 32
Vinum *an concedendum.* 11.
Illi & convulſioni eadem inunctiones *non conveniunt.* 14.
Inunctiones *ſiccantes eſſe debent.* 13
Reſolventium *nimius ne ſit uſus.* 13.
Sinapiſmi *& veſicantia quando conveniunt.* 15.
Urticatio utilis. 33.
Topica *origini nervorum admovenda.* 16.
Calore excedere non debent. 17.
Reſolutio à cauſa externa euporiſto curata 18.
Oleoſa non omnibus proſunt. 24.b.
Varianda curatio pro cauſarum varietate. 23.
Poteſt fieri a bile & ſanguine. 19.
Quæ eſt à ſucco melancholico chalybeatis *curanda.* 31.
Vermibus *excretis deſinens.* 14.
Colicos dolores *ſequuta curationem nervorum principii non deſiderat.* 35.
Atrophia membrorum ſuccedenti quomodo per picationes ſuccurrendum. 37.
Continuatus infuſorum uſus eximius. 38.
Pertinacior remediis inſiſtendum

I. V*Enæ ſectionis* mentio fit à quibuſdam, quæ tamen niſi comite plethora non videtur habere locum, neque enim hic eadem eſt quæ in apoplexia imminentis ab interni cordis ignis ſuffocatione periculi ratio: Quod ſi tamen minus commode obſervetur circuire ſanguis, idque ex pulſu minus pleno, adeoque parvo, ut & reſpiratione anheloſa, venæ ſectionem omnino neceſſariam puto, & quidem ob eaſdem rationes quas in *apoplexia* propoſuimus. *Vide tit. de apop. lib.* 1. §. 1. Et has duas à pulſu & reſpiratione deſumptas notas omnibus commendo diligenter obſervandas, primaria quippe ſanguinis circa cordis ventriculos reſtagnantis, & ſuffocationis periculum minantis ſigna & indicia. *Sylvius de le Boë praxeos lib.* 2. *c.* 22. §. 72. 73.

I. Quanquam medicinæ ſcriptores pituitoſam plerumque materiam recipiant, cum tamen conſtet ex ſanguinis plenitudine aliquando oriri, ille eſt vacuandus audacter: Hoc dico, quia aliqui timent hoc, putantes ſemper paralyſin fieri ex pituita: Novi mulierem cui cum vena fuiſſet ad ℥ vi. ſanguinis, non ſanabatur, ſed miſſus ad libras eſt ſanata, de qua tanta ſanguinis copia alii medici timebant, & alios duos novi quibus ſanguine miſſo in multa quantitate, & pro pluribus vicibus, ſanitati ſunt reſtituti: Itaque in paralyſi ſanguinea audacter eſt ſanguis mittendus, neque ſemel tantum ſed pluries, non ex uno loco ſed pluribus: Sed ſi non fuerit paralyſis legitime ſanguinea, ſed ſit ſpuria plenitudo, educendus ſanguis, ſed parce, ut voluerunt Aëtius, Paulus, Alexander & Celſus, qui ſcribit l.3.c.27. paralyticis aut ſectam venam prodeſſe aut alvum ſubductam: in hoc caſu parce mittendus ad ℥ vi. Illud tamen eſt obſervandum ut ſi paralyſis occupet omnis corporis partes, capite excepto, mittatur ſanguis ex venis hæmorrhoidalibus: Si una pars ſit immunis, ex illa ſanguis mittatur. *Saxonia.*

II. Vbi apoplexia in paralyſin deſinit, periti medici conſilium eſt humorem ad partem reſolutione tentatam detrudere, ut ſic juvetur natura & cerebrum à ſarcina liberetur: inter multa præſidia ſanguinis miſſio obtinet principatum: Si tamen eam ex ægra parte celebres, humorem convocas & affectum exaſperas: Ergo a ſana ſanguis eſt detrahendus, quia ſic revellis a parte & à cerebro humorem exhauris: Ego tamen contrariam ſententiam in praxi amplexor, cum enim totius curationis cardo vertetur ut naturæ motum medicus ſequatur, ex affecta parte aperta vena majorem molitur utilitatem, neque timeas attractionem humoris, quia v. s. vacuat ex venis non ex nervis. *Zacutus pr. Hiſtor. l.1.c.10.*

III. An *purgandum* ab initio inter *Rhaſen* & *Avicenn.* controverſum eſt. Hic ante uſum purgantium præparantia & leviora proponit medicamenta; Rhazes ſtatim ab initio utitur pilulis cochiis, & conſequenter validis purgantibus: Ego controverſiam ſic compono, Cum Par. recens fuerit propter inſigne capitis vitium, ut poſt Epilepſiam vel apoplexiam, accipio Rhaſis ſententiam, ut ſtatim purgantia adhibeantur: Ratio eſt clara, nam imminet periculum reditus apoplexiæ vel epilepſiæ, cui ſtatim occurrendum inſtituto medicamento purgante: Sed ſi paralyſis antiqua ſit, in membro determinato, abſque cerebri læſione, accipienda Aviccenæ ſententia, ut primo leniatur alvus, præparentur humores &c. *Saxonia.* Illud obſervabile materiæ copiam plerumque exactam materiæ morbificæ edomationem non admittere: purga tunc illico pilulis de hiera cum agarico, dein paulatim præpara &c. Non incumbendum etiam perpetuo pharmacis, ſed illis pax ſit, inſertis diebus: Videndum tamen ne cunctatio fraudi ſit, ſi non ſit extra ſenſum acuti morbi, ita ut ſubitæ mortis diſcrimen adſit: *Heurnius.*

IV. Non improbo cum cæteris præparantibus *Oxymel*, quamvis acetum nervis ſit noxium, quatenus ſunt membra & partes ſiccæ: Sed quando fuerint ſucco pituitoſo imbuti ac pleni, acetum non eſt noxium, præcipuè vero melle dilutum & aliis ſyrupis permiſtum. *Saxonia.*

V. *Septalius* l.6. Anim. 74. *Sudorifera* reiicit & urinam cientia præfert, magnumque errorem paſſim a medicis committi putat, quod omiſſis urinam cientibus hidrotica uſurpent, eo quod per urinam craſſiora quoque educantur: Per ſudores autem tenuibus vacuatis craſſiora magis induriſcant, magis obſtruant, ac difficilius reddantur ad motum & vacuationem: At concedantur hæc de morbis quorum cauſa circa viſcera & in hypochondriis latet, vel in venis; tamen in paralyſi ratio locum non habet: Cum enim circa nervos cauſa mali hæreat, non video quomodo inde ad vias urinæ facile pervenire poſſit: Per ambitum vero corporis facilis vacuatio eſt: Neque metuendum ut ſudoriferorum uſu materia incaleſcat nimium, ut pote quæ frigida eſt, & ita calefactionem requirit, ut etiam nonnulli febrem, quæ eam calefaciat & fundat, accendendam putent; aut craſſeſcat, cum hidrotica vim tenuandi habeant. *Sennertus.*

VI. Vſus ſum in paralyſi *Inunctione ex hydrargyro*, qua curavi paralyticum confirmatum qui adhuc vivit Julius Sutor: hic ab apoplexia & lue antiquiſſima incidit in paralyſin totius lateris dextri: uſus ſum inunctione hydrargyri in hunc modum ℞. hydrarg. ℥ v. axungiæ ſuillæ ℔ i. pinguedin. gallinæ, anatis an. ℥ ij. ſagapen. opopan. caſtor. aſæ foet. an. ʒ i. ſinapi, piper. pyreth. euphorb. an. ℥ i ß. ivæ arthet. ℥ ß. ol. Terebinth. ℥ iij. Mithridat. theriac. an. ℥ iij m. f. linim. hoc medicamento inunxi præſertim partem læſam, & alias, & ſuccedente ſputo pariens evaſit liber. *Saxonia pract. p. 1.c.13.*

VII. Vtrum in paralyſi *febrem* excitare convenit? Paucis rem decernens dico, in corpore cacochymico non licere uti medicamentis uſque adeo calidis quæ conſulto febrem excitent: Ratio eſt, quia talia medicamenta pravos corrumpent humores, febrem putridam generabunt, quæ paralyſi erit gravior: At vero ſi fuerit corpus jam exacte purgatum, medicamenta calida, ſi febrem promovent, Ephemeram cient, hæc nullius eſt periculi, & tamen nervos æque calefacit & materiam digerit: De hac febre intelligendus aphor. 2. 26. *Saxonia. Vide Valleſium controv. 10. lib. 8.* Alterius generis ſi ſit febris, ſequendum *Avicennæ* conſilium, Si conjungantur ſynochus & paralyſis, medicamur ſynochum extinguendo & phlebotomando, & de paralyſi non curabimus, 4. 1. cap. ultim. Et ſcias quod quando aggregantur paralyſis & febris in aliquo, tunc oportet ut poſtponatur paralyſis. 2.3. tr.1. cap.14.

VIII. *Opiata* a practicis admodum commendantur, quæ mihi propter opium, etſi antiquæ ſint, mihi ſuſpectæ ſunt in nervorum ſtupiditate & imbecillitate: Dant autem theriacam mithridatium, auream Alexandrinam &c. *Platerus.*

IX. Ex *Avicenna* medicamenta *evacuantia inſenſibiliter* debent eſſe fortia & pinguia: Fortia, h. e. vehementer calida, & admodum tenuis ſubſtantiæ, & ratio eſt, quoniam nervi & ſpinalis medulla profundas ſedes obtinent, Debent eſſe pinguia, ut horum ope medicamenta fortia diutius hæreant, nec eorum vis evaneſcat, ac prohibeant generationem ſca-

bi

generationem ſcirrhi, prætetea probarus ſumma doſis medicamentorum, nam materia morbifica eſt frigida, craſſa, viſcida, impacta, ideoque tantæ activitatis ut non cedat medicamentis niſi vehementer agant, i. e. niſi dentur in ſumma doſi, ita ut etiam quandoque ratione ſummæ doſis poſſit febris excitari, nam ſecundum Avicennam, paralytici à febre juvantur; unde Rhaſes confectionem anacardinam, calidam in tertio gradu, exhibet ad ʒ ii. Noſtris temporibus aliquot grana dare ſolemus. *Capivaccius.*

X. *Confectio Anacardina* non admodum probatur, ut modo paratur à pharmacopolis, ob myrobalanos qui multu adſtringētia non debēt cum multis calidis admiſceri: faciūt enim ut diutius maneāt in corpore & noxam inferant, ob id ea confectio febrem excitat, Melius eſt ergo loco myrobalanorum ponere aliquod medicamentum tenuum partium, ut eſt cinnamomum & ſimilia. *Rondeletius c. de paralyſi.*

XI. *Avicenna* vinum denegat 2.3.tract.1.cap.4. *Et ſcias quod aqua melior eſt ei quam vinum: vinum enim materias in nervos facit penetrare, & plurimum quidem ipſius quandoque aceſcit in corporibus eorum, & fit acetum: Acetum vero eſt ex rebus quæ nervis ſunt nocibiliores*, prius id docuit Galen. 6. aph. 28. & 3. de temp. c. 3. item 5. aphor. 5. Hoc eodem tamen loco ait vinum nervoſis partibus affectis poſſe eſſe uſui, quia ſua qualitate nervos calefacit & exſiccat, frigidaſque affectiones ſanat: Imo & ipſe Avicenna cap. de cura paralyſis, *vinum antiquum*, ait, *confert ægritudinibus nervorum frigidis*: Quidam concedunt ut alimentum, negant ut medicamentum; inepta ſolutio: Si enim abſolute ut medicamentum reprobatur, erit quoque reprobum ut alimentum: Dic tu vini uſum in affectibus nervorum & articulorum magis nocere quam juvare, niſi in vera declinatione, & corpore exacte purgato: tunc enim fluxio eſt ſedata, corpus ſufficienter expurgatum; quo tempore prodeſt materiam reſiduam coquendo, calefaciendo, diſcutiendo, præſertim ſi ſit pauciſcrum & auſterum, non enim tentat caput. *Zacutus.*

XII. Non leviter peccant recentiores cum *Olea* multum calida parum reſiccantia præſcribunt: vel cum oleum liliorum aut alia, quæ emolliunt potius quam tendant aut indurent: Nervi enim cum frigidi ſint & ſicci, eorum natura conſervari debet, non deſtrui; & quia denſi ſunt, medicamenta tenuium partium poſtulant: quod ſi talia ſuapte natura non ſint, adiungi debent quæ ad penetrationem faciant: *Rondeletius.*

XIII. Peccant etiam qui reſolventibus ſemper utuntur, quæ quidem neceſſaria ſunt ad materiæ reſolutionem, ita tamen ut poſtea exbibeantur quæ levi quadam adſtrictione temperato calore partem affectam corroborent. *Idem.*

XIV. Errant qui eadem medicamenta in par. & convulſione præſcribunt: cum in convulſione materiam flatulentam diſcutere oporteat, & nervum rigidum & tenſum emollire. *Rondeletius.*

XV. *Sinapiſmos, Veſicantia & Uſtiones* aliqua ex parte ſuſpecta cenſeo, ut pote quæ digerant violentius quam conveniat in affectu ſex annorum, in quo neceſſario debet eſſe impacta materia morbifica: niſi tamen ſupervenirer nova fluxio, in hoc enim caſu ad vacuandam materiam ſummopere facerent. *Silvaticus cent. 1. conſ. 82.*

XVI. Etſi *Galenus* cæterique Medici ſcribunt remedia læſis partibus non eſſe admovenda, ſed eo unde oriuntur nervi, Mihi tamen videtur ſic illud accipiendum, ut eo præcipuè adhibeantur remedia quæ nervorum origini adhibentur: Sed iidem non negaot non nullius eſſe utilitatis ſi læſis etiam membris applicentur: Præcipuè vero cum peccantes humores latè ſe fuderunt atque in concava nervorum influxerunt, itaque hos reſolvere oportet: Medici autem, poſt evacuationes, relaxatis membris remedia etiam ſolent adhibere: Namque in apoplexia, quæ paralyſis dicitur univerſalis, odoratiſſimo oleo totum corpus perungi ſolet. *Scholtzius conſ. 50.*

XVI. Illud obſervandum ne medicamentum apponatur parti reſolutæ, ut nonnulli faciunt (dropaces) qui hac ratione putant *ſe partis* calorem ac ſenſum revocare, ſi flammeis medicamentis partem inurant: qui nihil agunt, ſed poſſunt in parte gangrænam inferre: Sunt apponenda medicamenta origini ipſius mali, non ipſi parti paralyticæ. *Saxonia.*

XVIII. Quidam juvenis operiens diu amaſiam in cella vinaria, membrorum humiditate nimia & reſolutione afficiebatur: Cum autem Medici difficulter adhiberent remedia, quidam juvenem duxit ad furnum, & compoſito ei lecto, calefacit folia nucum in furno, & calfacta includebat linteis, & in eis ponebat juvenem optime coopertum, & ſtatim provocatus eſt ſudor ubertius, qui inter ſudandum juſculo gallinæ refocillatus convaluit. *Solenander ſect. 5. conſ. 14. §. 27.*

XIX. *Galenus* 1. *prorrh.* 13. cauſam paralyſis refert in ſolos craſſos, viſcidos humores, bilem negans poſſe hos affectus inferre: Sed *Paulus* l. 3. c. 43. ſcribit hoc tempore factam fuiſſe colicam, quæ deſinebat ſaut in convulſionem aut in paralyſin; hanc nulla alia ratione curatam fuiſſe quam à temerario quodam medico, qui frigidis oleribus, frigidæ potu, cibiſque inceſſantibus huic malo opem tulit: unde colligere eſt calidum & bilioſum fuiſſe humorem: Ego quoque ſuperioribus annis vidi Ep. Illuſtriſſ. qui cum ex colica in paralyſin brachiorum incidiſſet, fruſtra diu curatus medicamentis calidis, tandem cum ipſemet uteretur longo temporis ſpatio (non ut ſeipſum curaret, ſed religionis ergo) oleribus frigidis, aquæ potu &c. ſponte à paralyſi eſt curatus. *Saxonia in Prælect. Pract.* Cum fiat aliquando à bilioſis & calidis humoribus per abſceſſus in morbis acutis; aliquando vero ex multitudine ſanguinis irruente ad venas ſpinæ, non debet curari per calida: nam in primo caſu ea quæ emolliunt & temperata ſunt adhibeantur, qualia ſunt adipes & medullæ: In ſecundo vero caſu ſola ſanguinis miſſio ſolet eſſe remedium: Nam paral. à ſanguine non eſt vera par. ſed fit ex accidenti. qua venæ repletæ comprimunt nervos. *Fonſeca. conſil. 17. Tom. 1.*

X X. *Diaphoretica* interdum valde juvare, & quandoque plurimum obeſſe nullus è plebe eſt quin paſſim advertat. Quare multum intereſt effectus adeo diſparis rationis explicari: Itaque ſudatio copioſa ob duas potiſſimum rationes paralyticis interdum emolumento eſſe ſolet, nempe quod ſanguinis & ſucci nervei impuritates, ad exhalandum aptas ubertime exterminet; proinde ut materies morbifica amplius ad cerebrum & partes affectas non fluat, quæque jamjam affluxit ex parte foras convehatur: Deinde 2. quod caloris effluvia, à ſanguine æſtuante decidua, ductus nerveos prius obſtrictos, dum inter evaporandum eo trajiciunt, valde aperiunt, & pro ſpiritibus vias patefaciunt: Quamobrem hæc adminiſtratio iis præſertim, & fere tantum convenit, quibus ſãguis ſale & ſulphure fixioribus minus refertus, ſero limpido & influſſo diluitur: Nam è contra paralytici, quorum ſanguini & humoribus ſalium & ſulphurum enormium particulæ efferæ & exoticæ, fixioreſque & ad exhalandum inhabiles copioſe inſunt, à diaphoreſi violente proritata læſionem ſæpe inſignem percipiunt: Cujuſmodi affectus duas hasce cauſas aſſignamus, nempe quod particulæ morbificæ propter agitationem nimium exaltatæ efferatiores evadunt: Deinde 2, quod illæ in cerebrum & nervoſum genus copioſius adactæ, obſtructiones veterea ſæpe adaugent, & non raro novas producunt. *Willis.*

X X I. Paralyticos quoſdam *Salivatione per mercurium* excitata ſanari, & propria & aliorum experientia comprobatum habeo: Attamen hoc remedii genus *Paralyſi* tantum *Habituali*, quæ ſc. procatarxin in ſanguine & cerebro ſatis mobilem, atque cauſam coniunctam in appendice nervoſa haud valde fixam habet, adhibendum cenſeo: Cum vero iſte affectus à læſione externa & magna infertur, vel raro, apoplexiæ, aut convulſionibus ſuccedit, ſputatio fere ſemper fruſtra, & quandoque non ſine noxa inſigni tentatur: Quicunque autem cerebro debili, aut nimis laxo præditi, vertigini, torpori & motibus convulſivis crebro obnoxii ſunt, mercurialibus non temere utantur: Quandoque tamen Salivatio in paralyſi habituali, & non admodum fixa, ſumme prodeſt, quatenus ſanguinis impuritates tollendo, morbi fomitem omnem præſcindit: Quatenus item particulæ quædam mercurialea, dum cerebro traiecto ductus nerveos ſubeunt, materiam morbificam iis impactam dividunt, ejuſque partes ab invicem diſtrahentes, alias prorſum, aliaſque retrorſum varie diſpeſcunt: Cum aliorum ſæpe medicamentorum culpa eſt, quod ſæpe aggerem ſpirituum vias obſtruentem ſolummodo prorſum urgent, proindeque ſi in partes eum non divellant, in loca obſtructa firmius adigunt. *VVillis.*

XXII. Propter hanc etiam aliquatenus rationem eſt quod *Vomitoria* in curanda paralyſi opem non raro egregiam præſtant, nempe quod cauſæ coniunctæ fomitem ſubtrahunt, quin & materiam nervis impactam non ſemper prorſum adigunt, ſed revellunt, maximè ſuccutiunt, & non raro in minutias frangunt, proinde ut cum aggeris continuitas ſolvitur, ipſi ſpiritus animales materiæ morbificæ particulas ab invicem ſolutas facile diſſipent: *Idem.*

XXIII. Paralyſeos ſicut typi multiplices & cauſæ diverſimodæ exiſtunt, ita curatio eius non uno ſemper modo, ſed per methodum variam, unicuique ſcil. iſtius morbi ſpeciei appropriatam inſtituenda, Ut plurimum illius hæc tria erunt genera, ſeu tres medendi rationes, quatenus reſolutio. vel 1. ab externo accidenti, ſc. plaga, caſu &c. ſubito infertur: vel 2. affectui cuidam alteri, ſc. apoplexiæ, raro &c. ſuccedit, vel 3. illa primarius & per ſe morbus à procatarxi, ſive apparatu prævio dependens, ſenſim excitatur: Cum 1. modo accidit, una medendi intentio eſt ut pars læſa confirmationem ſuam priſtinam recuperet, & 2. ne ad eam, ut pote affectam & debilem, ſanguis aliique humores affluentes noxam augeant, s.m. ſtatim celebretur, hidroticis moderatis inſiſtatur, quo ſuperfluitates quæcunque à parte læſa avocatæ copioſé exhalent, atque intra illius poros & meatus, ita per effluvia calida reſeratos, ſpiritus blande agitati tractus & veſtigia priora repetant: In hunc finem pulvis ad caſum Auguſt. *Decoctum traumaticum*, vel ex radic. rubiæ tinct. aut *petaſit.* aut flor. hyper. crebra vice propinetur. *Porro interim* locus affectus ſedulo inquiratur &c. 2. Quando paralyſis febri, apoplexiæ, colicæ, aliiſve affectibus ſuperveniens, magna eſt ac ſubito excitatur, imprimis ad tollendam cauſam ejus coniunctam, quæ fere ſemper in medulla oblongata, aut ſpinali ſedem habet, medicam operam navare oportet, 3. Paralyſis habitualis à procatarxi depẽdens, aut in fieri, ſive *in diatheſi*, aut in facto, ſive ἐν ἕξει eſt, utraque peculiarem medendi rationem exigit: *Prioris* medendi intentiones erunt, 1. ut chyloſeos & hæmatoſeos muneribus rite peractis, materies pro ſpirituum animalium geneſi, tum laudabilis, tum ſatis copioſe τῷ ἐγκεφάλῳ ſuppeditetur. 2. ut cerebrum uſque firmum & bene confirmatum particulis heterogeneis excluſis, idoneas quaſque admittat, ac in ſpiritus animales rite exaltet. Quod ſi paralyſis poſt diatheſin prævíam in toto, aut in uno latere, vel in quibuſdam membris plane excitatur, ad curationem ejus methodus longa & complicata, ſemper requiſita ſæpenumero non ſufficit, quippe non tantum morbus, aut coniuncta eius cauſa, aut procatarctica ſingulatim, verum omnes ſimul oppugnari debent. Præcipue, contra morbi procatarxin medicamenta cephalica & antiſcorbutica juvare ſolent: Hujuſmodi autem non omnia conveniunt omnibus, quin prout in ſcorbuto obſervavimus, juxta varias laborantium conſtitutiones, etiam remedia diverſi erunt generis & virtutis: Nam *Paralyticis bilioſis*, nempe quorum ſanguini acri & calido multum ſalis & ſulphuris, ſerique perexiguum eſt, pharmaca calidiora, & particulis valde activis prædita, minus congruunt, imo ſæpe officiunt, quæ tamen *pituitoſis*, quorum ſanguis frigidior, plurimum ſeri, paucioraque elementa activa continet, maxime proſunt: Quare pro duplici hoc ægrotantium ſtatu, ex re fore videtur geminam curationia methodum, quorum hæc paralyticis frigidis, iſta calidis conſtituere &c. *VVillis capit. 9. part. 2. liber. 2. tract. de Anima Brutorum.*

XXIV. Vidi fœminas vera *pedum reſolutione poſt partum* affectas, quibus poſt partum menſtrua pro plenitudinis ratione non reſpondebant: His medici febre ardente correptis non audent s.m. ſuccurrere, veriti ne ſi è gibbero celebretur, menſtrua ſupprimantur, Si è ſaphena, trahatur ad partem affectam ſanguis: Sed cum affectus hic à vaporoſa materia ab utero ad principia nervorum tranſmiſſa, obſtructionem in iis inducente ortum duceret, ſæpeque lochia non procederent, urgeret febris ex hac cauſa prognata, eſſetque mulier rubicunda,

venas

latas habens, intrepide è dextræ partis talo ſanguinem liberaliter haurio: hac vacuatione facta, & ob ſtructionis cauſa ablata, pedes movere cœpit, & ſic ab altero pede iterum detracto ſanguine, cruribus affectis reſtitutus pedibus ſenſus & motus. *Zacutus Pr. adm l. 1. obſ. 38.*

XXIV. *b. Humori pituitoſo* emendando & conſumendo, partibuſque roborandis inſerviunt olea, linimenta, unguenta, emplaſtra, & quidem in iis duntaxat quorum cutis pinguia ferre poteſt, Accidit enim multis ut ex pinguium quorumvis applicatione, vel illinitione mox puſtulæ excitentur, & eryſipelas partem univerſam corripiat, & quandoque partis ſequatur mortificatio & gangræna, quod obſervaſſe proderit medico & ægrotis. Ubi ergo pinguia ferre poſſunt ægri, varia forma uſurpari queunt, & imprimis olea, cum facilius & penitius penetrent: Ubi autem noxia ſunt pinguia, infundi poſſunt radices, herbæ, ſemina &c. paralyſi convenientia, in ſpiritu vini rectificato, & illo illini partes affectæ. *Sylvius de le Boe praxeos libro. 2. cap. 22. §. 79. & 87.*

XXV. Miles robuſtus, ſeptuagenarius, ſed multo fractus labore, cum videretur excarnis, muſculoſo tamen corpore, vivido colore, veniſque latis & tumidis; morbis aliquando obnoxius qui ferè hæmorrhagia ſolvebantur, lateris ſiniſtri reſolutione corripitur, quam à ſanguinis ubertate obſtruente, ac humiditate laxante nervos ſcaturire erat manifeſtum: Huic prius injecto clyſtere emolliente, ex baſilica dextra ſanguinem demo, veſperi ſenſum aliqualem in crure & brachio reſolutis ſe percipere ait: Alteram venam tundo, & extracto ſanguine putrilagine infecto, brachium ſentire ſe perfecte dicebat: Altero die extracto per venam ſanguine partes reſolutas movere incipit: tandem poſt 4. phlebotomiam, citra aliquod locale auxilium, motus brachio & cruri reſtitutus *Zacutus prax. tolin. obſ. 39. lib. 1.*

XXVI. Si dolores circa ſcapulas & humeros comites ſint, *Sudorem* præcipimus in lecto movendum, pane calente ſub ſtragulis & ſacculo applicato, aut doliolis aqua calente plenis, eaque alterata chamæmelo, meliloto, origano, calam. pulegio, ſalvia & roſmarino, ut ſenſibiliter materia in muſculorum ſpatiis hærēs digeratur ac reſolvatur: ſudor tamen præomnibus prolicitatur ab ambiente calore potius quam ab interno medicamenti aut decocti uſu, humores liquantis aut fundentis: quod convenit tantum dum in hypocauſto copioſus effluit ſudor, fuſa & liquata tota materia: cum alioquin ſi antecedentes humores invenis à decocto liquentur, nec liquati excernantur, ſed hæreant in corpore, dolores augeant: quod ſicut ipſa docet ratio, ita nobis experientia confirmatum & compertum eſt, ut propterea abuſum hunc extirpare pro virili non deſiſtamus: itaque, pauca præſente materia, dolores proinde leves excitante, cum humores antecedentes in toto ſtabulantes movere aut fundere non intendimus, ſolius chamæpytios decoctum proponimus, hiſce caſibus à Matthiolo in Dioſcor. tantopere commendatum: Cui ſi libeat addere tamillum thinæ, non abs re fuerit; abſtinendo tamen à viſco querc. aliiſque fundentibus, ſicut & à ſanalis ſudorem prohibentibus. *Fortis conſult. 57. cent. 1.*

XXVI. *b.* Ante omnia, & mox in principio, cervicis poſterioti ſedi, ſive nuchæ dictæ, *Cauterium* imponi debet, aut *Setaceum*, cujus ope materia peccans, & ſpinalem medullam vitians, breviſſime, citiſſime, ac tutiſſime ab affecta parte retrahetur. Alterutrum ſi recuſent ægri, vel adſtantes, uti fieri ſolet, Veſicatoria ſaltem, atque cucurbitulæ tum ſimplices, tum ſcarificatæ nuchæ applicentur: Cum enim in caſu propoſito non raro periculum ſit in mora, quotieſcunque neceſſariam judicaverit medicus cauterii aut ſetacei in nucha applicationem, toties reluctantibus ægris vel adſtantibus periculum præſens & grave conteſtari, dilationis vel omiſſionis noxam oſtendere, ac tandem conſecuturum damnum obluctantibus adſcribere debet, quo territi ſaltem & mali futuri metu obſecundent, qui probe ac petite ſuadenti parere nolunt. Summum ergo in paraplegia, atque hemiplegia curanda auxilium à Fonticulis aut Setaceis in cervice inſtitutis omnino expectari poteſt, tum ratione evacuationis, tum ratione lixivioſi ſalis cauteria producentis, & humorem noxium corrigentis; imprimis ſi ſubinde aliquid ejus fonticulo imponatur. *Sylvius de le Boe praxeos lib. 1. c. 22. §. 64. &c.*

XXVIII *a* Ante omnia in remediorum, tum internorum tum externorum uſu, *continuatione* opus eſt, cum difficulter ſuperetur humor paralyſin, univerſalem imprimis, excitans: Unde ſuſpicor aliquid peculiaris in illa pituita reperiri, quod nondum ſatis aſſequimur, cujus nomine afficiat tam nocenter & tam pertinaciter omne genus nervoſum. *Idem §. 94.*

XXVII. *Exſiccandum* quoque *caput* foret decocto aliquo cum ſudore, nobis valde ſuſpecto, veremur enim ne liquatæ totius & capitis humiditates, præcipites in cerebri ventriculos ruant, ſicque inferant apoplexiam: quare libentius aliquo decocto, non valde liquante, & caput quidem exſiccante, ſed & calidum innatum fovente, ac materiam nervis impactam diſſipante nobis utendum, materia potius ad centrum per urinam, quam ad circumferentiam per ſudorem derivata: fiat ex lentiſco, ligno roſm. viſco querno & modico ligni ſaſſafras in jure palumbi decoctum, præmiſſa terebint. cum ſale ivæ arthriticæ & theriacali. *Fortis cent. 1, conſult. 8.*

XXVIII. At vero ſicut pharmaca generoſa, ſi non in alexiteria, ſæpe tranſeunt in venena, ita *thermarum* uſus cum paralyticos quoſdam non ſanavit, eos multo deteriores reddidit; proinde ut cum membra plura, atque prius affecta gravius reſolverentur, ægris grallas illic relinquendi nulla alia ſubeſſet occaſio, niſi quod impotentiores facti iis, amplius uti non potuerint: Hujus cauſa eſt, quod Balneatio ſanguinem & humores omnes exagitans, particulas quaſque morbificas & heterogeneas magis exaltet, eaſque efferatiores factas è viſceribus in maſſam ſanguineam adigat; unde cum non facile evaporent, cerebrum & nervoſum genus ſubeuntes, affectionem paralyticam intendunt, eique convulſivam non raro inducunt: ob hanc rationem Balneatio diatheſin nephriticam & arthriticam quandoque primum actuat: porro multis, ubi diſpoſitio non fuit, hæmoptyſin, aſthma aut tabem accerſit: Quare Thermæ non ſine conſilio medico tentari, dein ſi tentatæ minus congruæ videntur, cito debent relinqui. *Willis.*

XXIX. *Pareſin colicæ ſuccedaneam* curant *Thermæ bituminoſæ. ſulphureæ:* Juvant autem non ſola humorum exſiccatione, partiumque corroboratione, putaverim potius aduſtas, ſalſas, nitroſas, tartareas humorum vaporumque in homine impuritates, nervorum virtu-

virtutem obſidentes labefactantesque à Thermarum humiditate penitus ſolvi, ſolutaſque peculiari ac minerali analogia, quam Thermarum qualitates cũ humorum in homine diverſis ſuccis habent ad ambitum corporis extrahi, atque adeo ab inſidente nervoſum genus hoſte, corpora noſtra, non ſine corroboratione quidem, liberari: Demonſtrat hanc veritatem effloreſcentia cutis, plerumque Thermis utentibus, etiam aliquando cum moleſta ſcabie ſuperveniens: quam ſane effloreſcentiam vix aliter quam per ſolutionem ſalium in corpore latentium facile explicaveris: Neque tamen negaverim balnei caliditatem eximiam ſubinde pro revulſione materiæ ad extra aliqiud conferre, memini enim quendã aſthmatico paroxyſmo periculoſiſſime affectum, poſitis in cereviſiam nigram, admodum calentem, pedibus, facta humorum metaſtaſi ex aſthmatico derepente quaſi arthriticum evaſiſſe *Fr. Ign. Thiermair conſil 3. lib.2.*

XXX. *a Clyſmata* excretionem ſollicitantia, *& quæ ſimul* alterant, valde conveniunt; cavendo à nimium emollientibus, quibus ſpina amplius relaxata potius læderetur, ut non temere vulgus clyſmata paralyſi occaſionem præbuiſſe in colicis credat, quæ tamen recte parata & proſunt, & ſi cauſa circa dorſi inferiora lateat, veluti topica ſunt remedia, *Platerus.*

XXX. *b. Infuſiones in vino* præſertim factæ, juvant, etſi enim vinum, præſertim ſi potens ſit, minimè conveniat, tamen aliorum vires ſibi concilians, eaſque vehiculi inſtar nervoſo generi deferens, utile fiet medicamenti loco interdum ſumptum. *Platerus.*

XXXI. *Chalybeatorum remediorum* efficacia plurimos melancholicos liberatos vidi, qui membrorum motu deſtituti paralytici judicabantur: Ac inter hos nobilem virginem à Bohemorum Regina curæ meæ commiſſam, vi ſucci melancholici motus beneficio carentem, quam Deo juvante remiſi hilarem & firma fruentem valetudine; omnibus, qui priores me curam ſuſceperant, ſucceſſum mirantibus quorum ex ſententia paralyſi laborabat, contrariamque omnino & aliam ab ea quam inivi viam ineuntibus, cujus ductu ſanitatem adepta eſt: *Theod. de Mayerne Tract. de Arthritide p.79.* Sic & anno 1668. Neocomenſis quidam, nomine *Convers*, à me, Genevæ degente, contra membrorum omnium ſtuporem conſilium petiit: medicus, cujus opera uſus erat, contra humorem pituitoſũ pugnabat, cerebri, jam juſto ſiccioris, roborationi & deſiccationi intentus: Cum in illo hypochondriacæ affectionis inſignia eſſent indicia, juſſi bono & hilari eſſe animo, deponere inanem paralyſeos metum; Ac faceſſere juſſis medicamentis præſcriptis, Guajaci decocto & aliis, à quibus major ſiccitas inducebatur, ſubſtitutiſque acidulis, chalybeatis, & aperientibus, brevi tempore firma valetudo acceſſit.

XXXI. *a.* Ab *externa humiditate* ſi ortum habeat paralyſis, & vel nervus vel muſculus male affectus, non ita difficulter curari poteſt, dum modo non negligatur, ac in tempore ſuccurratur, antequam habitum contraxerit malum, tum enim difficulter & ſubinde minime tolli poteſt ac ſuperari, quando ſcilicet eo uſque proceſſit laxitas ut reſtitui nequeat in integrum: Nec novum eſt membranas eo uſque humectari ſubinde, atque emolliri, ut poſtmodum ad priſtinam firmitatem & naturalem tenſionem reduci nequeant, ſed vel nimium tunc rigeſcant, vel minus; quod utrumque vitioſum. Idem in corpore cur fieri nequeat non video; imo fieri debere arguit hoc malum non raro incurabile. *Sylvius l.c.* §.104.

XXXII. *Aricennas* exhibet nucleos pineos, quia ſervant nervorum proportionem, ſed in ſecunda menſa, ideo dandi pro opſonio, in parca quantitate: unde errant qui in magna quantitate admittunt, quia bonum quidem & copioſum ſuccum gignunt, ſed craſſum & coctu difficilem: proinde ſi pro cibo exhibeantur, victus non eſt tenuis, ſed craſſus & craſſe faciens, qui in paralyſi prohibetur. *Capivaccius.*

XXXIII. Ad ſingulare remedium atque inſigne deveniendum, ut exaſperetur corpus & virtus ſenſifica expergiſcatur, ut ita dixerim, maxime optime purgato corpore, & factis aliis remediis, eſt admovere *pungentes* urticas, ſeu corpus lacerare urticis, maxime totum corpus; quod non eſt noſtrum inventum, ſed à *Celſo* proponitur l.3. c.27. Et reſtor me hoc genere remedii in pluribus eſſe uſum, & ſemper maxima cum felicitate, & nunquam votis ſum deceptus, maxime optime purgato corpore. *Epiph. Ferdinandus hiſt. 46.*

XXXIV. Convulſiones à vaporibus vermium malignis oriri notum eſt, paralyſin vero inde excitatam nõ memini me legere; Virgo nobilis duabus vicibus paralyſi ſiniſtræ partis apprehendebatur, ſanguine quaſi turgente, facili vero ad diſcuſſionem, ſecatur vena ex oppoſito, adhibentur revellentia & alia; poſteriori autẽ vice, poſt aſſũpta catapotia, magna egeritur *vermium copia*, & ex eo ſane optime jam vivit. *Ph. Salmuth. cent.1. obſ. 44.*

XXXV. Experientia edocti ſtatuimus, cum *Colicus dolor in Paralyſin* deſinit, materiam morbificam ab inteſtinis ad articulos & muſculorum habitum pervenire, mediantibus venis: quare nervi & tendines, qui muſculis inſeruntur, tum ob plenitudinem ſpirituum animalem non admittunt; tum imprimis ob mollitiem tenduntur, & membra, quibus inſeruntur, trahere non poſſunt. Hæc ergo pareſis à Paralyſi, quæ apoplexiam, vel paraplegiam comitatur, origine & cauſis differt: In illa enim poſt colicam malum ab inteſtinis oritur, & impetu quodam ad exteriora membra fertur, muſculos, tendines & membra exteriora occupat; ſæpe nervorum principio illæſo, quod in hac una cum capite & ſpinali medulla afficitur. Hinc facile patet plurimum errare illos qui hanc ſpeciem paralyſeos, καταχρηστικῶς ſic dictam, eodem modo cum vera, proprie dicta reſolutione curare nituntur: cum in hac mali cauſa circa initium nervorum quærenda ſit, quod tamen in illa ſuam naturalem conſtitutionem obtinere poteſt: Non igitur curato cerebro, vel ſpinali medulla, paralyſis ejuſmodi curabitur, ſed potius eo reſpiciendum ut cauſa antecedens, quæ adhuc in fluxu eſt, inhibeatur: quæ vero proximè parti adhæret, ejuſdemque imbecillitatis origo eſt, quoad fieri poteſt, corrigatur & conſumatur &c. *Gregorius Horſtius Decade 2. Problemat. 8. videatur tom. 2. lib. 2. Obſervat. 16. Diomedes Cornarius conſ. 5. Crato apud Scholtzium conſil. 271. & 172. & alis.*

§.36

XXXVI. In iſto morbo obſervarunt hoc majores noſtri, quod à *principio lenioribus tractari* velit, non admodum vehementibus, ſive intus aſſumptis ſive exterius admotis: ego certè animadverti aliquoties lateris unius paralyſim ſequutam eam quæ prius partem occupabat: illam vero aliquando apoplexiam, agitata plus æquo in capite noxia materia *multâ*, cum eam quis acri medicamento conatus eſſet educere. Delinquitur etiam in eo ſæpenumero graviter, quod capite corporeque non bene perpurgato, exhibita ſint ea medicamenta quæ caliditate & pernicitate ſua facile in caput pervadunt; ibique humorem, quem natura quiete & optima victus ratione tandem ſuperaſſet & concoxiſſet, fundunt atque ad efluxum concitant: Hoc notum exercitati medici. *Solenander conſ.* 20. *ſect.* 2.

XXXVIII. *Extenuationi membrorum* ſuccurrendum à levioribus incipiendo, & fovendo brachia &c. per partes animalium nuper occiſorum dum adhuc calent: ſi non ſuccedit, ad balneum aquæ thermalis ſulphureæ veniendum: quod ſi non ſuccedit, ad picationem veniendum erit, ſed cum magna cautione, magnopere advertendo ne ſuccedat inflammatio; nam ſi tumor aut rubor citò evaneſcant, bene procedit; ſi vero permaneat diutius, indicium eſt fluxionis humoris ad partem, præſertim ſi venæ tument, quod ut apparet, illico deſiſtendũ: requirit enim hoc remedium magnam diligentiam & medici peritiam, eſt tamen ſingulare inter omnia, Galeno teſte. *R. Ponſeca conſult* 52. *Tom.* 1.

XXXVIII. In paralyſi continuatũ *infuſorum nervinorũ* uſum invenimus probatiſſimũ, idque præſtãt quia lente agunt & ſucceſſive, penitiuſque illabẽndo id quod lente congeſtũ eſt, lente quoq; ad motum aliũ ſufficienter tamen, referant. *Wedelius d. m. comp. ext. p.* 110.

PARONYCHIA.

Sylloge.

Compendioſa & tuta curandi methodus. 1

Si abſceſſerit ultimum internodium, os adurendum ut cætera praſerventur. 2

Dolor quomodo leniendus. 3

Malignitati attendendum. 4.

I. QVam dolorifica, & longæ curationis ſit Paronychia neminem latet; ſi tamen ſtatim ab initio pars affecta incidatur, cedit dolor, citoque curantur ægri: Vocatus fui ad matronam, quæ triduo ob paronychiæ doloris vehementiam dormire non potuit: abraſa cute maculam hujus magnitudinis O, in apice digiti ſub cute invenimus, in qua vix guttula vna ichoris continebatur: Inciſa macula, applicatoque goſſypio intincto aqua vitæ, in qua diſſoluta erat theriaca; manui vero & carpo linteo reduplicato ac poſca imbuto, ſtatim ceſſavit dolor, ita ut poſtero die pleniſſime ſanatus ſit digitus: in multis aliis curatione hac uſus ſum, & ſemper ad cutem, ſub ungue aliquid ichoris inveni: Sed fiat ſtatim ab initio inciſio hæc, alioqui ex doloris vehementia cito accurrunt humores, qui inflammationem & tumorem excitant, quem ſequitur carnis, oſſiumque eroſio: eſt enim cutis ibi admodum denſa, tranſpirationem malignæ materiæ impediens: Ideo ante inciſionem digitum immergi iubeo in lac vaccinum, in quo ſtorea chamomillæ, meliloti, ſemina fœnu græci, lini, cydoniorum incoxerint: Vacat autem inciſio omni periculo, nec eſt dolorifica nervos aut tendines non offendens, cum ſit ſuperficiaria. Alius vero modus apud practicos paſſim uſitatus, Inciſio nimirum quæ fit a ſuperficie ad centrum, & verſus os, valde periculoſa eſt, lædit enim nervos & tendines, unde dolor &c. mihi ſatis eſt ſuperficiem cutis paulatim diſſecare, poſt cutem abradere, quouſque macula appareat. *Fabritius Hildanus cent.* 1. *obſervat.* 97. Vide *Bayrum* Practicæ *lib.* 20. *capito* 9.

II. Ut variis in locis os corruptum urimus, quia tunc pars aduſta à ſana ſponte abſcedit ſeparaturque, ſic in digitorum extremis oſſibus, in paronychia, tam ſubito hoc modo lædi ſolitis, mox faciendum, ut internodio corrupto ablato, illud quod ei contiguum ſuum conſervari poſſit. *Platerus.*

III. Interdum in maximo dolore miſcemus opii aliquid, ex *Avicenna* ſententia, cum croco & lacte; vel olei roſac. ℥ i. opii & hyoſciam iana. ℈i. opii ʒ ß. vitellum unum ovi, ſimul miſcentur. Ego tamen expertus ſum ovi albumen cum oleo violaceo magis dolorem mulcere quam illud narcoticum: Imo vero nulla adſtringentia loco affecto, ſed vicinis admovenda cenſeo, quod ea humorem impingendo dolorem foveant & adaugeant, atque periculum oſſi afferant; Sed diſcutientibus potius aa ſuppurantibus, cum mediocriter roborantibus utendum *Chalmeteus Enchir. p.* 138.

IV. Medici praxin auſpicaturi, notent paronychiæ medendo ſemper reſpiciendam eſſe malignitatem: obſervare mihi viſus ſum, vel rarenter vel nunquam paronychiam ab internis cauſis obſidere digitos, niſi malorum morum morbi, ut ſunt malignæ & petechiales febres, diuturnæ tertianæ, non ut par erat per criſin deſinentes, itemque variolæ ac morbilli præceſſerint, maxime ubi error vel ab ægro vel ab adſtantibus in iis committitur: Cujus rei hoc eſto ſpecimen. Anno 1658. exeunte Ianuario, quidam filiorum meorum annos natus XIV. febri corripitur tertianæ intermittentis typum præ ſe ferente, quæ cum poſt tertium paroxyſmum per criſin in ſudorem largiſſimum deſineret, ac hujus pertæſus filius exorat clinicam deſinat detergere ſudores, qui poſt dein ab omni febtili inſultu liber quidem redit ad munia ſolita, ſed vix intermiſſis 14. diebus de vertigine capitiſque doloribus de improviſo fuit conqueſtus, hinc neque conſiſtere, neque conſidere potis erat, ita ut invaleſcentia ſymptomata illum ex hemicyclo excuterent humique proſternerent: ad extendenda brachia & ad corpus erigendum languidiſſimum, ſenſibuſque omnibus integris ſpaſmo cynico ſuperveniente, varie ſubinde contorquebatur, flaccidis tamen, ceu paralytici alicujus, membris, obmuteſcens quoque per intervalla, ſignum dans annuentium in morem: interrogatus vero quid ipſum male haberet? reſpondere nihil ſe perpeti, ſolum laſſum ſe eſſe & debilem: præſcribo clyſteres, blande ſimul evacuo alvum, venam incido brachii, quia plethoricus, & raninas ſub linguæ propino ſudorifica & alexipharmaca ob febrim, mitiſſimam quidem tactu, effectu verò malignam, qua ad ſtatum non tam properante quam quaſi repente, ecce dextræ manus, pollex & annularis ſimul paronychiis infeſtantur, quarum illa quæ pollicem ſponte iterum evanuit, quæ vero annularem digitum

occupatat operam chirurgi requirebat, ſuccedente filii ſanitate: Quorum ſymptomatum cauſa fuit ſudor, quem natura moliebatur, prohibitus, unde poſtea humores corrupti, ſpumantes in apicibus digitorum (intervenientibus venis & arteriolis, quarum beneficio iſtis in partibus ſanguinis circulatio obitur) occaſionem paronychiis dederũt, quæ, ut ita dicam, præpoſteræ fuerunt criſes: quas ubi chirurgi non recte tractant, perfectam maturationem expectantes, ægros murcos efficiunt, aut apicibus digitorum mancos, quod oſſa ipſa ſphacelo corripiantur. *Simon Pauli quadripart. Botan. c. 2. p. m. 110.*

PAROTIDES.

SYLLOGE.

Sanguis *quando* mittendus 9.
Repellentia *an conducant* 1.
Attrahentibus *utendum caute* 5.
Tumor quamprimum aperiendus 7.
Aperto abſceſſu a vacuantibus abſtinendum 6.
Morbo gravi ſuccedentes uſtione *curandæ* 3
Hydrargyrum cataplaſmatis tuto addi poteſt 4.
A venæ ſectione retrocedentes. 2.
Quando ferro *aut* cauſtico *aperienda.*

I. IN parotidum curatione adjuvandum eſſe notum naturæ, & pharmaca attractoria adhibenda, ut humor infixus ex profundo ad cutem attrahatur, docet *Galenus* 3. ſec. loca c. 2. Sed quid reſpondebimus *Celſo* l. 6. c. 16. *reprimentia* in hoc caſu apponenti? illum hæc cum diſcutientium copia permixta admiſiſſe non nego: Vel ſi *Celſum* intelligas de parotidibus quæ à manifeſta cauſa ortum ducunt tutus incedes, quod ex ipſius contextu patet apertè, ex verbo *Cum ſine morbo intumuit*; Ita intelligendus eſt Galenus 3. κατ. τ. cit. dum in parotidibus aquam frigidam & oxycratum imponit. *Zacutus med. princ. hiſt.* 63.

II. Optimi cæterquin temperamenti juvenis, parotidibus infra mandibulas laborans, febricula correptus eſt: ex qua cum pejus haberet, quod illæ fortaſſe inciperent maturari, parum animadvertente medico, extractus ſanguis eſt è brachio, quo facto ſtatim tumores receſſerunt, ſubſequuta anhelitus difficultas, febris vehementer adaucta, ſexto die exanthemata erupere cum ſumma virium imbecillitate, & æger ipſe paulo poſt extinctus eſt. *I. V. Rumlerus obſervat.* 56. Convenit quidem s. m. ex mente Galeni 3. κατ. τ. c. 2. Si ſanguis redundet & permittant vires: Si tamen ſint criticæ, non permittere monet Chalmeteus l. 1. Enchir. Ch. c. 23. Imo ut repellentium uſus cavendus eſt, ita & v. s. revellendo nocere poteſt. *Velſchius in notis.*

III. Ego in parotidibus quæ ex morbis aliis non levibus fiunt, cito, vel nulla expectata ſuppuratione, uſtione utor in ipſo tumore: Nulla enim ratione melius providetur ne tumor recurrat; quam ſi materia per ipſum ulcus quod infligitur expurgetur. *Valleſius* 5. *Epidem. Vide* Zacutum prax. *adm. l.* 1. *obſ.* 71. *De parotidibus febri maligna ſuccedentibus: Vide Titul. Febris maligna.*

IV. Vix quiſquam credat, niſi experientia fidem faceret, quantas vires *argentum vivum* habeat (quod frigidum & humidum eſſe volunt) ad tumores aurium & alios quoſlibet reſolvendos, diſcutiendos. Id ergo in cataplaſmatis tuto miſceri poteſt: neque enim humorem parotidis cauſam intro repellet, ſed per inſenſibilem tranſpirationem diſcutiet. *Eucheir. med. pract.*

V. Licet nunquam repellentibus, ſed *attrahentibus* potius eſſe utendum eſſe conſulant *Oribaſius* & *Aetius*, ſi tamen cum impetu irruat humor, nil curioſe agendum eſſe jubet idem *Aetius*; imo *Trallianus* notat quod ſi à ſanguine fiat, attrahentibus facile ſuffocatio induci poteſt: quæ à *Galeno* 10. *ſimpl.* deſumpta: *Non repellentia*, ait, *ſed potius attrahentia, aut ſaltem laxantia, vel naturæ bene agenti totum opus permittendum. Fortis conſult.* 19. *cent.* 1.

VI. Aperto abſceſſu à medicamentis evacuantibus atque divertentibus omnino abſtinendum, & ſolis clyſteribus utendum: Sicut attemperantibus inſiſtendum, uſu nimirum copioſo julep aceroſi, neque ab alterantibus diſcedendum, habita ſcilicet febrilis caloris ratione. *Idem.*

VII. Licet *Celſus* 6. *de re med.* 6. quamprimum parotidem aperiendam conſulat, ab initio tamen nunquam id fieri debet, nonniſi præſente aliqua materiæ ſuppuratione: Neque tamen expectandum in ſuperficie pus, ut aliqui inexperti, non enim attollitur priuſquam deprimatur, & in ſinus varios atque difficiles ſe diffuderit: præterquam quod ſi tarde aperiatur abſceſſus, materia antecedens in capite hæret, cum ei à conjuncta non cedatur locus, etenim intus exiſtens prohibet extraneum. *Idem ibidem.*

VIII. Ferro aperietur abſceſſus ſi juvenis ſit patiens, vegetus nativus calor, & tumor ſit phlegmonoſus potius aut bili immiſtus, quam œdematoſus aut cum pituita, Neque ſemper ferrum adeo tutum, inclinante ſcil. ætate, nativo calore debili & febrili intenſiori, atque humore, tumoris cauſa, ad frigidum vergente, tunc enim ex vulnere gangræna excitari poſſet, cujus cauſa cauſticum ferro ſubſtituimus. *Idem.*

IX. Dum ſuppurationi attendimus, ſi forte contingeret ut ab humorum afluxu, aut hodie veſperi, aut cras mane, tumor in amplam molem adeo excreſceret, ut & deglutitio, & forſan etiam anhelitus interciperetur, tunc ad *ſanguinis miſſionem* per ſectam venam dubio procul erit deveniendum, ut nos docet *Galenus* 3. *per loca.* Quinimo dum à ſanguine parotides fiunt, ſtatim venam aperiendam conſulit *Trallianus l.* 3. c. 6. ut arceatur ſuffocatio: *Fortis conſil.* 91. *cent.* 1.

PARTUS.

SYLLOGE.

Difficilem juvat s. m. *è talo* 1.
Cæſonius *an tentandus*, 2.
Ambulatio 7. *menſe an facilem reddat* 3
Utrum figura parturientis varia eſſe debeat 4.
Emetica *fortiter juvant* 5.
Infantis caput ſupra os pubis delatum quo modo reducendum 6.

reducen-

reducendum. 6.
Pou nes *validæ excitantes periculoſa* 8.
Foetus mortuus *ſaphena ſectione eductus* 9
Si fœtus vivus & mortuus ſimul geſtantur, quis prior educendus, ſi aque exitum affectent 10.
Argentum vivum feliciter exhibitum 11.
Quomodo facilis reddendus cum oſſa vix diducantur 12.
Parturientem odores ſuaves an juvent 13.
Animi deliquio *quomodo ſuccurrendum* 14.
Lapis ætites *femori alligatus poſt partum illico removendus* 15.
Quidam naturæ committendus 16.
Partum promoventia qua vi agant 17.
Facultas non propriè dicta nonniſi fœtui exitui proximo danda 18.
Reductio vitioſi ſitus non ſemper poſſibilis 19.

I. HIppocr. 1. de morbis mulierum remedium ad difficilem partum, ab omnibus ferè prætermiſſum præſcribit, ſectionem venæ inferioris: Si vero inquit, *prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non poſſit, ſed diebus pluribus ex partus dolore laboret: Sit autem juvenis, & in vigore, & multo ſanguine referta, ſecare oportet venas in malleolis, & ſanguinem detrahere virium reſpectu habito.* Quamvis à Practicis nunquam in uſum ducatur hoc remedium, & videatur formidandum, cum in partu vires unicè neceſſariæ ſint, quæ a. v. s. infringi poſſunt, tamen ſi à plethora difficultas pariendi oriatur, quod innuere voluit Hippocr. cum dixit, *Si mulier ſit juvenis, & in vigore, & multo ſanguine referta,* non eſt dubium quin multum conferre poſſit, cum venæ plurimo ſanguine refertæ omnes vias interiores anguſtiores efficere ſoleant, hinc in dolore nephritico ſimilis v. s. ſæpe miranda præſtat, & calculorum, tum in renibus, tum in ureteribus contentorum excluſionem facilitat, *Riverius l. 15. c. 18.* In his quæ difficile pariunt ſanguinem miſi cum ſumma utilitate. *Rondeletius*: Præſtat tenui victu, & miſſione ſanguinis, menſe 6. aut 7. extenuare fœtum & minuere, potiſſimum ſi mulier ſit puellam paritura: Sunt enim ſemper obeſiores fœminæ cum naſcuntur quàm mares. *Idem. Exemplum feliciter celebratæ vide apud Borellum cent. 4. obſ. 4.*

II. De partu Cæſareo multa paſſim diſputantur, Mihi opinio valde probabilis videtur *G. Bauhini*, in præfatione ad libellum *Fr. Rouſſeti*, ubi rationibus probat, fœtum vivum ex matre mortua exſcindi nulla arte poſſe: Et ſi exemplum aliquod adducitur (qualis *Crato* l. 5. f. 371. ex I.C. Arantio mentionem facit) illud exiſtimat vel cum injuria matris nondum mortuæ, vel fortuito contigiſſe: Quando ſcilicet punctum illud ultimum, quo iamiam animaè corpore egredi vult, caſu chirurgus tetigit: Huic ſententiæ non ſubſcribere videtur *Sennertus*, & ait eſſe etiam fœtui animam, quæ aliquandiu ſupervivere faciat corpus extincta matre: Et quamvis ibidem Roſſeti epitomen quaſi appoſuerit, rationibus tamen *Bauhini* nihil contradixit, neque pro more examinavit: *Horſtius* quoque apud *Fabr. Hildanum*, fœtum ait in utero non propria vitâ vivere, ſed ea matre ipſius vitam pendere, quod demonſtrat anatomia infantis, exhibetque ulteriorem demonſtrationem: Idem demonſtrat *Laurentius* fol. 324. Anat. ubi antea probavit fœtum in utero neque reſpirare, neque ſpiritum vitalem gignere, neque per ſe cor & arterias pulſare, adeoque membra omnia ad hæc pertinentia, ſicut & coctioni primæ & ſecundæ dicata, in fœtu quieſcere & inutilia eſſe, ſed hæc omnia per matrem communicari. *Hæferus Herc. med. l. 7. c. 4.* Sciendũ tres eſſe caſus quibus extantibus cogitari poteſt de hac chirurgia, 1. cum fœtus mortuus eſt & mater vivit: 2. cum mater mortua eſt & fœtus vivit 3. cum ambo vivunt: In primo caſu non eſt neceſſe ægre parturientem manifeſto periculo exponere: Quia ſi per chirurgiam non extrahatur, natura vias invenit alias, per anum, umbilicum, inguen, ut teſtantur hiſtoriæ. Secundus caſus frequenter accidit, ita ut tenebris damnetur embryo antequam lucem videat, atque ſpes animantis cum gravidâ pereat, ut loquitur Imperator l. 10. Digeſt. tit. 8. Cujus culpa? an Magiſtratus, ut pote ſine cujus conſenſu non licet ejuſmodi operationes aggredi? quem antequam impetremus, jam periit agendi occaſio: An in chirurgorum, qui metuunt ne idem fatum maneat cum Veſalio, qui cum diſſecaret thoracem cujuſdam, quam obiiſſe putabat, reperit cor adhuc palpitans? Etenim oportet ut ſectio fiat in ipſo fere puncto quo mater exſpirat, aut quamdiu infans adhuc movetur & ſubſultat: Nec iuvat os gravidæ apertum tenere impoſita clavi, hic enim eſt error vulgi, credentis fœtum reſpiratione matris vivere: Tertius caſus eſt cum fœtus vivus è vivâ matre ſectione extrahitur; Hic verus eſt partus Cæſareus; ſed quam periculoſæ plena ſit aleæ hæc operatio quilibet per ſe videt: Et quamvis fatendum ſit ejuſdem ſectionis adminiſtrandæ ſæpe neceſſitatem incidere, tamen circunſtantiæ tot tantæque ſunt obſervandæ, ut interim, in ancipiti caſu, nullus audeat operi manum admovere metuens calumniam: Quod enim notatu dignum eſt, nullus poſt Roſſetum inventus eſt oculatus teſtis, omnes auriti tantum, uno excepto Doringio, qui in Epiſtola ad Hildanum, teſtatur ſe præſente uterum, in inguen dilapſum, diſſectum fuiſſe, extractumque infantem ſatis vegetum, matrem tamen tertio à ſectione die ad plures abiiſſe; quod ſibi etiam eveniſſe ſcribit Cl. Rolfinkius p. 182. diſſert. Anat. qui proinde diſſuadet hanc operationem in vivâ muliere: Ego vero impenſius ſuaderem ſectionem Cæſaream, ſi ſciri poſſet per ſigna infantem, diſruptis clauſtris, egreſſum fuiſſe in ipſam abdominis cavitatem, ut probant hiſtoriæ *I. Van Horne microtech. parte 2. §. 30.*

Gloriatur *Roſſetus* ſuo pro arbitratu in ſectione Cæſarea, & ſecuram periculi proclamet: Ego (ſemel aggreſſus infauſto eventu ita territus fui, moriebatur enim poſt quatriduum puerpera, Epilepticis convulſionibus tentata, vulnere inflicto multa ſaluraria promittente) ut nunquam hanc operationem in vita ſuaſerim, veritus ne quam ſors perimere decrevit, medici manu ſublatam rumor increbeſcat: At extractionem per uncos & forcipes, affabrè adornatos, felici cum ſucceſſu molitus, nunquam niſi voti compos cum aſtantium admiratione diſceſſi. *Gu. Rolfinccius Diſſ. Anat. l. 1. c. 13.*

III. Vulgi eſt opinio mulierem, ubi ſeptimum graviditatis menſem attigit, deambulatione fatigandam, ut nempe laxentur cotyledones faciliorque ſequatur partus. Id quanquam verum, cenſeo tamen ſatius eſſe ali-

quantulum protrahi partus labores, quam duo ſymptomata ſequi ſolita provocare, quorum prius eſt, præmaturus fœtus in lucem exitus: Si quidem antiquorum decretum eſt ſeptimeſtrem clauſtra reſerare conari, exitumque moliri, qui contingeret ſi tunc temporis natura ea patefaceret; hæc autem prudens fœtum ad nonum uſque menſem cohibet, quò cutis induteſcat, ac pulmo quod ſatis eſt aëris attrahere poſſit: Intempeſtivum autem exercitium conatum illum promovet, hinc laxatur venter, in iis præſertim quæ humiliore ventris parte uterum geſtant: Adde his provolutum in caput fœtum, pondere uterum ad infra deturbare, cujus ligamenta adeo laxantur ut edito fœtu vix iterū contrahantur & ad ſuperiora remeent: Fœtus præterea caput, intra oſſium anguſtias coercitus, ſi interim crebrius ſit exercitium, contunditur exporrigiturque, hinc abdita de cauſâ intereunt infantes, reſeratis ſcilicet vaſorum oſtiis quæ alimentum cerebro advehunt, unde ſequitur corruptio elapſi ex iis ſanguinis, quam febris variaque ſequuntur ſymptomata, præcepsque & inopinus infantis interitus: Idem contingit gravidis ſedili duro inſidentibus, à quo fœtus caput premitur, unde eadem emergunt ſymptomata, imperitiæ obſtetricis adſcribi ſolita. *Lodoica Borgeſia obſtetrix Gallica, obſ. pag.* 32.

IV. Utrum figura ad pariendum varia ſit? Reſp. affirmative, ſi enim mulier ea eſt ut levi occaſione ejus uterus ſoleat extra laxari & procidere, præſtantius eſt ut pariat decumbens in lecto ſupina; alioqui melius parit erecta & è collo alterius fœminæ ſuſpenſa: Interdum prona figura more quadrupedum eſt convenientior, ita ut caput mulieris ſupra pavimentum firmetur, & venter ſuper femora & genua ſua; quæ figura in muliere multum pingui aptior eſt, ſic enim vulva delabens cervicem recta extendit, authore *Aëtio*, & Paulus l.3.c.76. Volva, ait, ſic abdomen tendens è directo oſtioli habebitur, ſic etiam uteri os agitur infra, & omentum ſupra reprimitur, ita ut os uteri jam non compreſſum ab omento, ſed ab eo liberum, aditum infanti facilem præſtare poſſit: Supina figura minus eſt parienti gravis, nam à viro forti retro ſuſtinetur, in qua fœmina pedibus inniti debet, & dorſo, non natibus aut coccygi, hæc enim libera eſt relinquenda, ut retrocedere poſſit; ita namque oſſa coccygis cum oſſe ſacro articulantur, ut reflecti poſſit coccyx in externam partem & foramen ſic latius reddere in expulſione infantis & duræ fæcis: Quare ſi mulier inniteretur natibus, nec poſſet coccyx retrocedere, nec fœtui liber aditus concederetur, qui ſane error frequentiſſimus, ut & maxime vitandus: Interdum vero adeo debilis eſt mulier ex morbo &c. ut lecto decumbens tantum parere poſſit & debeat, *Zacutus pr. hiſt. p.* 510.

V. In partus difficultate *Angelus Sala mercurium vitæ* (Vomitorium fortiſſimum) exhibet gravidis, & nos idem in ſimilibus caſibus ſemper cum ſummo emolumento imitati fuimus. *Fride. Hofmannus m. m. l.* 1. c. 9.

VI. Inter difficilis partus cauſas, hæc à ſcriptoribus omnibus, quos novi, prætermittitur, ſcilicet cum infantis caput, matre jam parturiente, ſupra oſſa pubis anteriora prolabitur: Hæc res profecto animadverſione non eſt indigna, nam quanto fortiores ſunt parturiendi conatus, & quanto magis adlaboret, tanto minus partum ſit productura, niſi infantis caput ſurſum verſus, atque ad matris dorſum, & tandem ad inferiora, vel ad latus oſſis obſtetricis manu dirigatur. *Paulus Barbette Chirurgiæ part.* 1. *c.* 23.

VII. *Riverius* ſtatuebat Cæſaream ſectionem nunquam exercendam eſſe matre in vivis exiſtente, quia illa viva partus nūquam deſperatus eſſe ſoleat: Probabat id exemplo mulieris Monſpelienſis ægre parturientis, qua mortua infans quoque mortuus inventus eſt, ſed tamen excluſus; unde conſtet extremis etiam conatibus excludi poſſe matre deficiente, ex doloribus jam ante exantlatis: Quare nihil miri eſt ſi Hildanus puerperæ, extrema quæque patienti, ſomnum vireſque conciliarit confect. alkermes exhibita ad ʒ i. cum ſyr. flor. pap. errat. ℥ ii. ex aq. nenup. & borrag. feliciſſime ſuccurrerit: Vulnus etiam magnū in cute uniri non poſſe aiebat ſine ſutura, nedum in utero, qui humidior eſt cute, & cui nihil ſubſternitur ad callum inducendum idoneum. *Velſchius in mittomnemem. cent.* 2. §. 94.

VIII. Mulieri ex partu mortuæ comperta eſt matrix erumpente infante lacerata; Aiebant obſtetrices anguſtiſſimi oris matricem illius fuiſſe: Exhibita ipſi fuit à matrona quadam potio validiſſima ad fœtum expellendum, ex qua parturitionis dolores & conatus adeo exacerbati ſunt, adeoque fœtus commotus eſt, ut petens cum impetu exitum, ſed viam nimis ſtrictam inveniens, uterum dilacerarit: Ex quibus perſpicuum fit hoc genus remedii nonniſi conſilio magno adhibendum, & ante omnia diſpiciendum an membrum genitale ſatis aptum ſit, an fœtus recte ſitus, antequam exhibeatur potio. *Hildanus cent.* 1. 64.

IX. *Hippocr.* 1. de m. m. ſi mulier parere non poſſit, ſecare iubet venas in malleolo: At in mortuo fœtu nullus id celebrandum imperavit: Mulier in vigore ætatis, ſucculenta, lauto victui aſſueta, & quæ in primis emenſibus ſanguinem pro præſervatione abortus, pro antiquo more, non emiſerat hæc ob copiam, emortuo fœtu, eum expellere non poterat: Plurima biduo ſunt tentata præſidia, ſed ſaphena aperta mane, & altera ſub noctem, antediluculum fœtum eiecit: Nam ex hac parte facta phlebotomia, naturam ad inferiores partes præcipitat, & plenitudinem particularem demit, quæ vias coarctat, & fœtui impedit egreſſum. *Zacutus pr. adm. l.* 2. *obſ.* 164. Vide *Cordæum* Comm. in n. 100. *lib.* 1. de m. mul.

X. Interdum geminos geſtat mater in utero, quorum alter extinctus eſt (atque is ſemper emergit prior) alter vivus ſubito conſequitur: Hujuſmodi quiddam ſubit hic tibi recenſere, quod fortaſſe mirum videbitur, ut inde ſcias quo pacto te gerere oporteat in gemini fœtus extractione: Nam factum aliquando fuit, nobis præſentibus, ut ipſa mater cum obſtetrice de fœtu vivo, quem ſe perſentire aiebat, vehementer diſceptaret; obſtetrix autem contra plurimum inſtaret ſignis exterioribus fœtum mortuum indicantibus: Tandem autem accidit fœtu jam extracto (qui etiam in utero mortuus judicabatur, & cum ſecundina foras exempto, ut alter fœtus ſubito ſua ſponte vivus proſiliret cum altera ſecundina, etſi nihil prius à nobis ſimile per ſigna exteriora perſentiretur: Itaque utraque earum verax facta eſt, mater enim cum vivum ſe ſentire aſſereret, non putabat duos in utero geſſiſſe: Obſtetrix autem dum contenderet mortuum eſſe fœtum, minime exiſtimabat alterum

e tum conſequi debere: Vide quæſo quamvarie interdum res accidant: atque hoc tibi ſit maximum non eſt (ut quibuſdam placet) ferro tractandos fœtus in extractione: nihil enim manibus certius, nihil tecurius ac levius: Redeo ad ſuperiorem ſermonem: ſolo atque integro fœtu mortuo, libere foras extracto, petitum eſt à nobis num ſignis aliquibus comperire poſſemus quænam fuiſſet interimendi fœtus cauſa; an id matris vitio, an aliquo impetu externo accidiſſe judicaremus? Ibi nos ſecundinam etiam integram corruptam manibus extendimus, ut eam undecunque circumſpiceremus luci expoſitam: viſum eſt nobis in parte chorii dextra lividum ac concuſſum quiddam, quale accidere ſolet ex inflicto ictu, ut venulæ ejus partis omnino corruptæ & confractæ apparerent: Tum aſſeruimus fœtum ex inflicto ictu circa uterum matris fuiſſe extinctum &c. *Car. Stephanus l. 3. c. 1. Anat.*

XI. Ego etſi hydrargyro nunquam ſum uſus, vidi tamen dari ſæpe illud ℈ i. vel ʒ ß. pondere a Goritienſibus obſtetricibus nullo prorſus incommodo: Datur vivum non extinctum: quod enim extinctum eſt ventriculo hæret & inteſtinis, & ſæva excitat ſymptomata, lavandum tamen prius eſt aceto acerrimo cum ſale miſto, mox tenui corio excipiendum, manibuſque tamdiu premendum quouſque per corii meatus excidat, ſic e impurgant qui eo uti volunt. *P. Andr. Matthiolus.*

XII. Deficiente matris culpa partu, propter *pubis & coccygis oſſa* ætatis provectioris cauſa *minus mobilia*, bonum eſt eadem fotu emolliente ſenſim emollire, quod duabus tribuſve ante partus tempus ſeptimanis utiliſſime perficitur: Sic enim cartilagines oſſa dicta connectentes paulatim fiunt molliores, hinc & oſſium notatorum diductio & abductio facilior: Nam non abſcedunt ab invicem, verum explicantur tantillum, & ita quidem ut fœtui pateat exitus facilior: Hinc prodeſt vapor ex decoctis herbis emollientibus aſſurgens, atque in ſella perforata exceptus: Tales fotus non tantum laudatum commodum afferunt parturientibus, ut ſcilicet facilius ac cum minori moleſtia prodeat fœtus, verum poſt ipſorum uſum non tam facile poſt partum claudicant mulieres: Quoniam vi minori explicantur tunc dicta oſſa, & ideo facilius ad ſtatum priorem redeunt emollitæ cartilagines: quæ duriores relictæ, atque vi diductæ, & quodammodo avulſæ ab oſſibus, tarius ad priſtinum rede unt ſtatum, quin oſſium compagem relinquunt laxiorem, & ad plus minus claudicandum proclives fœminas: *Fr. Sylvius prax. lib. 3. cap. 7. §. 194.*

XIII. In difficili partu odorari jucunda ſumme præſtat, in quantitate parvâ, ut vires reficiantur quæ perſæpe fatiſcunt: Neque timeas ex odoratis difficilem partum, quod his perceptis vulva ſurſum aſcendat, nam illa infantis mole gravata difficillime ſurſum conſcendit: Per intervalla ergo odorentur nunc fœtida, nunc benevolentia: Nam uteri ex fœtu gravamen, in cauſa eſt ut fœtida magis proſint ob facilitatem deſcendendi, & odorata non obſint, ſed virium refectione ſint utilia. *Zacutus prax. hiſtor l. 3. c. 17.*

XIV. In difficili partu caſus obſervatione dignus, Sæpe infans veluti mortuus enaſcitur, qui priuſquam deligatur umbilicus, compreſſo intus ſanguine, tanquam recepto alimento, vitæ reſtituitur, qui alias mortuus fuiſſet: D. G. Horſtius mihi Romæ retulit ſe adfuiſſe cum fœtus eſſet in manibus obſtetricis, ſecundina vero adhuc hæreret in utero matris, hancque in graviſſimum animi deliquium incidiſſe: ita etiam ut nunc exſpiraſſe videretur, & ſtatim etiam fœtum quaſi emortuum: Cum illico obſtetrix inclamaret, vinum, vinum, allatum vinum Græcum, paululum igni admovit, & ligno aperto ore, puerperæ cyathum infudit in os; ita puerpera ſtatim ad ſe rediit & quaſi revixit, & eodem momento fœtus cœpit ſe pulchre movere, ut uterque ſuperſtes maneret & res bene ſuccederet: propterea in omni animi deliquio, non aceto, aut aqua lavendulæ, ut fit, ſed optimo vino aromatico utendum: Quod & doctor Sittardus judicabat faciendum, niſi ſit animi deliquium cum vomitu, tunc enim cum vino, acetum ex pane toſto naribus admovere non eſt inutile. *Solenander ſect. 5. conſ. 15.*

XV. Non iis ſolum quæ à facultate elementari faciliſandi partum vim habent utendum eſt, ſed & iis quæ a tota ſubſtantia, qualis eſt lapis Aëtites, quem cum aliquando parturienti coxæ ſiniſtræ alligare juſſiſſem, poſt paululũ moræ prodiit, maxima cum anguſtiâ mẽbrana mõſtroſa: Sed mox illa ejecta lapidem amovere juſſi, ſi namque diutius perſtaret, vi potẽte ſua matricem attraheret; quod in N. uxore perſpexi, cui difficili partu laboranti, cum mulierculæ lapidem æthiem magnum cruri alligaſſent, & edito partu per imprudentiam & oblivionem lapidem à crure non amoviſſent, poſt paucas horas prodeunte matrice mortem miſeræ laboranti attulit. *Valleriola lib. 10. obſ. 10.*

XVI. Difficilis partus cauſa ab omnibus omiſſa, frequens tamen ab *Arantio* notata, poſita eſt in mala formatione oſſium pubis, quæ fuerint parum apte diſpoſita, juſto ſcil. latiora exteriorique regione compreſſa, ita ut potius intro gibba quam cava evadant, proximeque ad ſacrum & coccygem accedant, anguſta adeo efficiuntur ut fœtus nullo modo exire poſſit: Tunc naturæ negotium committendum, cum medici nullæ hic ſint partes. *Epiph. Ferdinandus. Hiſt.*

XVII. Quæ *partum promovent*, ea imprimis operantur quatenus vel confortant naturam, unde vini malvatici hauſtus prodeſt, & cordialia paulo volatiliora, aromata omnia: vel *ſtimulant*, & motum citatiorem reddunt, eaque tum *aquea*, volatilitatis non omnino expertia, qualis eſt aqua pulegii, vel *emollientia*, ut aqua lilior. alb. vel *diuretica* unde emulſio ſeminis litho ſpermi, violar. cum aquis appropriatis: huc ſpectant *oleoſa*, ut oleum ſuccini, ſuccinum quoque ipſum; tum *ſalina*, quorum agmen ducit borax Veneta: vel *mitigant & nervoſum genus ſolantur*, cujus irritatio dolorifica ſæpe difficiliorem partum reddit; unde huc eximie ſpectant cinnabarina, & notabilis de ſpecifico cephalico extat hiſtoria apud *Langium miſc. cur. p. 97 Wedelius de s. m. fac. p. 193.*

XVIII. Facilantia autem nonniſi inſtante fœtu & natura juvaminis indiga propinanda, ad quo pertinet non ſolum 1. tempus novem menſium, ſeu dierum 280. legitime elapſum, verum etiam 2. dolores partus veri, 3. quod omnium palmarium eſt, partus inſtans ipſe, qui niſi approximet portæ, & apertura ſeu hiatus jam ſe pandèrit magis, ſtultra eſt non agentem naturam irritare ac ſollicitare, unde ſcil. ipſa bene hactenus agens pervertitur, ut ſæpe intempeſtive fœtum ejicere tentans, ſtimulo ſc. hoc addito, vitioſam ipſi figuram conciliet, &

partum p.n. difficilem inducat: vel alias ipſæ obſtetrices quoque in hoc ut plurimum delinquunt, dum citius quam par eſt hortantur, ſtimulant, pellunt, & in ſellam parturientes collocant. *Idem.*

XIX. Obſtetrix omnes ſitus vitioſos fœtus non poteſt prævidere, multo minus corrigere: Facile quidem in libris præcipitur, muta, corrige ſitum fœtus, ſed in tanta loci anguſtia vix tam cito & feliciter effectui datur: quomodo enim corriget illud quod non videt, Dices, tactu explorat? Rſ. fallax judicium præbet in locis anguſtis ſic: Quoties obſtetrices ſolo tactu judicantes os humeri, cubiti pro capite fœtus? deinde, quomodo juvabit obſtetrix Agrippas? quid ſi fœtus duplicatus in nates exitet? quomodo hunc ſitum vitioſum emendabit. *Ammannus Medic. Crit. p. 559.*

PECTORIS ET PVLMONVM AFFECTVS IN GENERE.

Vide Thoracica lib. 19.

SYLLOGE.

Sanguis *non* mittendus *ad animi uſque deliquium* 2.
Hæmorrhoidum apertio conducit 1.
Purgantia *an noxia ſint* 3.
Manna *an amica* 19.
Non ſemper noxius vomitus 4.
Antimonium *pulmonum medicina & venenum* 18.
Acres Clyſteres *anacatharſin impediunt* 10.
Nimis incidentia *eam aliquando morantur* 5.
Eclegmata *quandoque eam prohibent, nedum promovent* 7.
Quando praſcribenda 29.
Si adſit febris non conveniunt 6.
Nimius eorum uſus ventriculo & hepati nocet 8.
Dulcia *in affectibus biliosis expectorationi ſunt impedimento* 9.
Salſa & pinguia *an offerenda* 11.
Adſtringentia arteriacis *utiliter miſcentur* 12.
Raparum *decocti præſtantia.* 13
Suffituum *efficacia* 14.
Tabaci *fumus an utilis* 20.
Diureticis *quando locus* 17.
Gargariſmi *an conveniant* 24.
Quæ per arteriam aſp. ſubeunt pulmones, efficacius agunt quam quæ deglutiuntur 24. a.
Dulce *an* auſterum vinum *conveniat* 15.
Inunctiones *pectoris ſæpe nocent* 16.
Florum ſulphuris *correctio* 21.
Semina frigida *maiora an utilia.* 23.
Aquis ſulphureis *ad pulmonum robur quando locus* 22.
Fluxionum decumbentium origo an ſemper à capite 25.
Eclegmata *quando noxia.* 26.
Ad aſtringendum inepta. 28.
Flores ſulphuris *ſimplices præſtant compoſitis* 30.
Acida dulcibus *temperanda.* 27.
Serum lactis *quomodo præparandum* 18,
Serum *cur eſſari debet ut expectoretur* 16. b.
Humoris aciditate peccantis correctio 19. c.
Quæ lambuntur melius ad pulmones meant, quam quæ deglutiuntur.

I. Ex *venis ſedalibus evacuatio* magnum habet cum pectore conſenſum. *Fortis conſultat. 50. cent. 2.*

II. Etſi in maximis inflammationibus, & febribus maxime adurentibus *mittendum eſſe ſanguinem* ad animi defectum dicat *Galenus* 1. aphor. 23. In affectibus tamen partium ſpiritualium periculoſum admodum eſt inducere defectum animi: quare m. s. fiat copioſa quidem, & quæ proxime accedat ad animi deliquium, non tamen vere eam inducat, quod tangendo pulſum comprehendet peritus medicus &c. *P. Salius Diverſus comm. in lib. 1. Hippoc de morb. c. 60.*

III. *Vacuationes* in morbis pectoralibus à catarrho non probo, & mediocri doctrina prædici, atque uſu artis præſtantes medici cauſas intelligunt: Quid enim faciunt ad coctionem, quid ad vacuationem materiæ in pectore? quid ad derivationem, cum magis commoveant? quid ad capitis & ventriculi robur? quid ad epatis temperiem corrigendam? Poſſe quædam contradici ſcio, Verum in morbis pectoralibus utiſſimum eſſe abſtinere à medicamentis purgantibus reipſa comperi. *Crato apud Scoboltzũ conſ. 4. Iis tamẽ utitur in reſpirandi difficultate à catarrho. Fortis* conſult. 7. cent. 2. Lenientibus & præparantibus ſuccedat validior purgatio: neque enim quærendũ num purgãtia è pectore attrahant præterquam quod per venam azygon humores educere poſſunt, dum totum expurgatur per partem poſt partem, expurgatur etiam ipſe thorax; confluxus quippe unus, conſpiratio una, conſentientia omnia. *Hæc Fortis*, Revera ſi non conveniunt ratione materiæ vagæ egreſſæ, antecedentem ſaltem educunt, ſive ea è cerebro manarit, cum inde trahere validiora pharmaca conſtet; ſive per arteriam pulmonarem in pulmones confluxerit, quæ cacochymiam maſſæ ſanguineæ permixtam eo contulerit.

IV. Non convenit *Vomitus* ſi pulmo ſolutione continui laboret: Sed ſi repletus eſt craſſis tantum & viſcidis humoribus, tunc optime conducit: Hinc falſum eſt illud in omni morbo pectoris eſſe noxium vomitum: Contingit non raro materiam lentam & viſcidam, ad digiti craſſitiem ſuperiori diaphragmatis parti inſidere, quæ niſi vomitu auferatur, ægrum jugulat: Sic obiit *Landgravius* quidam Haſſiæ, in cujus diſſecto cadavere ejuſmodi inventa eſt materia. *VValæus meth. med. pag. 56.* Interdum humores quantitate pauci, ſaltem diaphragmati innati ſunt, ita ut ægri per duos treſve annos levi tantum tuſſicula vexentur: Et cum materia hæc ob diuturnam moram, aut in pus abeat, aut partes corrodat, hinc accidit ut ex ſputis territi ſe phthiſicos arbitrentur: Verum an materia hæc ſupra diaphragma hæreat, id ex ſupino decubitu cognoſcitur, & vomitu excitato, tollitur. *Idem pag. 109.* Pulmonis noxa empyema conſequẽs curabitur per paracenteſin, aut pure per alvum vomitumque expurgato: quod ante paucos annos memini factum ab Empirico per decoctum ſingulare, cuius ope à multis medicis pro incurabili habitus æger, in thorace læſus, ſenſimque contabeſcens, curatus eſt intra paucas ſeptimanas feliciſſime, atque ſanus hactenus vixit: Ne quis temere carpat id cuius rationem ignorat. *Fr. Sylvius pract. l. 1. c. 24.* Conſtat per experientiam

a ve-

vixit: Ne quis temerè carpat id cujus rationem ignorat. *Fr. Sylvius Prax. l. 1. c. 24.* Conſtat per experientiam a vehementi vomendi conatu promoveri contentorum in aſpera arteria expulſionem, excepto ſanguinis ſputo, in quo ſemper vomitus exiſtit periculoſus. *Idem cap. 22. § 29.*

V. Ex *Hippocr. lib. 3. de Vict. acutor. t. 68.* valde *incidentia & attenuantia*, quale eſt *oxymel* ſummè acidum, cavenda ſunt in morbis pectoris, cum ægri ob imbecillitatem exſpuere nequeunt: nam materia, ex prædictorum medicamentorum vſu, non ſolum viſcoſior reddita difficilius exſpuitur, ſed etiam à lateribus vaſorum deterſa, in earum cavitates delabens ſuffocationem, viâ ſpiritibus interceptâ, majorem inducit quàm dum aſperæ arteriæ lateribus adhæreret. *P. Martianus comm. in illum locum.*

VI. Male quidam Practici in prima viſitatione præſcribunt *Lambitiva*, (ſunt quaſi fœminæ iſti Medici) nam materia in toto exiſtens prohibet; Eclegma enim exhibitum eſt in cauſa tuſſis, tuſſi autem agitantur pulmones, thorax & pleura: idcóque ſi corpus ſit repletum majus fit nocumentum, ratione attractionis novæ materiæ, quàm iuvamentum: Quare & poſt venæ ſectionem, & poſt leniens lambitiva demum præſcribi debent. *Capivaccius Practic. lib. 2. cap. 3.*

VII. Ex *Ptiſanæ* dotibus quas aſſignat *Hippocrat. in acutor. t. 29.* quod fluida ſit, nec adhæreſcat ad partes, neque in viâ, quâ rectâ ad thoracem itur, cunctetur, colligere eſt eum omnium *Eclegmatum* tollere vſum, quod adhæreſcant partibus & *μάλιστα* faciant in peripneumoniâ, pleuritide & aſthmate: Nam veteres eclegmata ſolum adhibebant ad ſola vlcerati oris vitia, in quibus longiori adhæſione eſt opus. *Heurnius comm. in illum locum.*

VIII. In horum vſu moderatione & circumſpectione quadam opus eſt, ne dulcia iſta, dum in ventriculo morantur, in bilem tranſeant, vel in epar rapta obſtructiones pariant: Videmus autem propter nimis frequentem vſum eclegmatum, eos qui pectoralibus morbis laborant interdum in hydropem incidere: minima enim pars iſtorum medicamentorum ad pulmonem, maxima ad ventriculum & epar delabitur. *Crato Conſ. 81. apud Scholtzium. Gabelchoverus centur. 3. curat. 85. Montanus conſult. 126.*

IX. Quod *Hippocrat. lib de rat. victus* monet, Quibus *vinum dulce* epotum ſiticuloſum eſt, his minus quam alterum vinum educere, maximè notatu dignum eſt: Itaque vinum dulce ſputum facilitans eſt, tamen iis qui bilioſi ſunt, & bilioſâ cacochymia in thorace laborant, vt qui bilioſâ pleuritide, peripneumonia, aut deſtillatione; quibus ſcilicet epotum eſt ſiticuloſum, minùs educit ſputum quàm vinoſum, quia calfacit epar, auget bilem, reſiccat pulmonem, redditque morbum ſicciorem: Quod ſanè idem in aliis omnibus dulcibus potionibus & eclegmatis cavendum eſt: neque indiſtinctè quibuſcunque ſputum facilius educi volumus augere oportet eclegmatum & vim & copiam, ſed quibuſdam etiam (quibus ſcilicet thorax plurimum calet, & epar eſt bilioſum) exibit facilius detractis illis omnibus, & datâ ſolâ aquâ aut etiam decocto hordei: Ego ſanè talibus ſolam aquam calidam concoquendi gratia do, & res optimè cedit: *Valleſius comm. in lib. de vict. Acut. p. 107.*

X. *Acribus per inferiora infuſis* abſtinendum cum Purgatio partium thoracis ſuprema viget; nam Purgationes huiuſmodi facile horum vi retrahuntur, & ſeditiones excitant ab externis auxiliis evictæ; his anxietas, inquietudo & varia laborantibus ſuboriuntur ſymptomata. *Mercat. l. 1. de Ind. Med. c. 3.*

XI. *Hippocrat. lib. de int. affect. numero 4.* de Pulmonum inflammatione cum ſuppuratione loquens, Salſa & Pinguia damnat: *Cum pus exſpuere inceperit, eadem bibat & edat quæ prius, abſtinens ab acidis, & acribus, & ſalſis ac pinguibus*: confirmat eodem *lib. num. 1.* Suadet ratio, nam acida cum adſtringant, acria & ſalſa cum ſiccent, pinguia vero flaccidos pulmones reddant, in morbis pectoris, vbi expedita debet eſſe anacatharſis, nequaquam probanda. At contra idem *lib. de loc.* de Suppuratis loquens hæc habet, *Cum excreationem facere oportet, pluribus cibis & ſalſis ac pinguibus vtendum eſt, & vino auſtero, & cum ſic habet, inſiis inducenda.* Confirmat *2. de morb. n. 43.* Nec deeſt ratio, Nam cum in ſuppuratis id primo curandum ſit vt materia, priusquam in pus abeat, expectoretur, id profecto ſalſis, quæ tuſſim irritant, necnon attenuant & abſtergunt, conſequi poſſumus: pinguibus verò, quia leniunt viaſque laxiores ad exitum parant. Conciliabis dicendo, A ſalſis & pinguibus abſtinendum eſſe cum iam æger liberam habet excreationem, quam tuſſi per ſalſa cieri non eſt opus: ait enim *Hippocrat. l. de int. aff. Cum vero pus exſpuere inceperit.* Libro verò de *loc.* ac *2. de morbis*, ſalſis ac pinguibus vtendum monet dum nihil purulenti excernitur: vt verò excernatur, iis opus quæ tuſſim irritant, qualia ſunt acria, ſalſa & acida: in empyemate enim niſi valida tuſſi pectus concutiatur, vtique nihil educetur: Eo tamen liberalius prodeunte, tuſſi operam dare non expedit. *Sinibaldus Antiph. lib. 4. Antip. 7.*

XII. Modicè *adſtringentia* neceſſaria, nedum adverſa, in morbis pectoralibus eſſe, aliis præſertim commiſta, patet ex compoſitione ſyr. de liquiritiâ, vbi aqua ponitur roſacea: Talia conveniunt, quia thoracicarum partium ſubſtantiam denſando roborandoque efficiunt vt inutiles ſuccos, aliunde tranſmiſſos, non adeo promptè excipiant, & quos iverè ſusceperint, contrahendo ſeſe, valentius expellant: Sic defendendus *Meſuë*, dum roſaceam dicto ſyr. addidit: Sic *Avicenna*, dum imitatione *Hippoc. 3. de morbis*, vinum granatorum dulcium peripneumonicis ac pleuriticis imperat: quâ de cauſâ a nonnullis reprehenditur quod rem adſtrictoriam, vbi dilatare oportet, imperet: nàm per *Galen. 8. u. v.* etiam dulcia granata aliquo pacto adſtringunt: etſi præſcribi quidam cenſeant ratione alvi fluxus aliquando ſupervenientis: Accedit quod modica adſtrictio reliquorum penetrationem juvat. *Cruceius de Quæſitis cent. 4. p. 313.*

XIII. Quantum *decoctum Raparum* in morbis pectoralibus proſit, ac materiam in pulmone collectam ſolvat reipſa comperi, itaque diligenter commendo, Accipiantur rapæ, iiſque cortices adimantur, ac incidantur, & affuſâ aquâ coquantur parum: abiiciatur primum ius, deinceps rurſus alia aq. affundatur, exprimatur ſuccus, cui addatur parum butyri recentis & ſacchari candi. *Crato conſ. 21. apud Scholtzium.*

XIV. Nihil difficilius in Thoracis affectibus quàm ad partem affectam medicamenta perducere, quæ ob viæ longitudinem vix quicquam proficiunt: intercipit enim pleraq; ventriculus per patentes œſophagi meatus, & antequam ad Pulmones pervadant, vel

imminuitur vis, vel prorſus obliteratur: Conſultum igitur eſt vt pectoralia medicamenta, ſive tabellæ, ſive linctus, ſive alia fuerint, diutius in ore contineantur, vt ſenſim per laryngis latera deſtillent; tardum tamen hinc auxilium: Vt confertim irruant ad Pulmones, artificium reſpirationi erit ſociandum, Decoctum ex herbis vulnerariis, pectoralibus, aliiſque pro medentis ſcopo; parandum eſt, cujus vaporem æger inſpirans cum aëre continuò recipiat: hinc enim vapor integris viribus, & brevi via, ad pulmones delatus ægritudinibus illorum medebitur: Eo pacto vniverſus aër in commodum ægri inficiatur, nec cum *Galeno* in Ægyptum navigandum, nulænm nobis Ægyptus erit. *Thom. Bartholinus Cent. 4. Hiſtor.* 88. Videtur nulla re melius thoracis & capitis & Pulmonis malis ſuccurri poſſe quàm *Vapore*: uam vt craſſis inteſtinis clyſteribus, ventriculo vomitoriis, renibus diureticis ſuccurritur, quia hæc in partea pertingunt, ita & vaporibus videtur partibus reſpirantibus ſuccurrendum, nihil enim aliud fertur in eas partes integrum: Ego ſane vaporibus ſæpe vtor ad thoracis affectiones & capitis, admovens lectulis ægrotantium lebetes cum decoctis idoneis, aut in pruuis ſuffitus: nimirum parari poſſunt vapores coquentes & incidentes vt res exiget: quare ſæpe oportebit ſinere vt vapores ex admotis ſpongiis offerantur, quò, dum fomenta exterius admota dolorem ſedant, & ſuccos ac flatus diſcutiunt, vaporea intro lati coquant aut ſiccent: Non tamen id erit ſemper vtile, nam ſi inde ſuccedit difficultas reſpirationis, deſiſtendum. *Valleſius l. de Vict. acut. pag.* 49. *De Evaporationibus & Suffumigiis* vide *Bennettum Theatri Tabidorum p.* 181. *& ſeq.*

X V. *Hippocrat.* in affectibus pectoris modo *dulci*, modo *auſtero vino* vtitur: Vinum dulce, antequam ſputum prodeat, minus probatur, quod tuſſim non cacitet, quà putulenta materia excernitur: convenit ergo auſterum, quod tuſſim irritando excreationem efficit: ab eo autem abſtinet dum jam ſputum liberalius prodit, quo tempore ad vias lubricandas, pulmonumque alas expandendas dulce vinum commodius exiſtit. *Sinibaldus lib. 4. Antiph.* 14 vide *ſupra de vſu pinguium & ſalſorum* §.

X V I. *Innunctiones Pectorales* non ſatis probo: nam etſi ad expectorandam materiam, quæ in præſens adeſt, faciant, tamen laxiores partes & magis fluxionibus obnoxias efficiunt. *Crato Conſ.* 8.

X V I I. Credo catarrhum non ſolum devenire ad pectus per pulmones, ſed etiam à toto ambitu venarum; teſtis *Galenus 2. de fac. nat.* qui ait omnes ſuperfluitates defluere ad partem debilem: Quare *diuretica* tunc conveniunt, quia materia à venis deſcendit, & eſt magnus conſenſus inter venas & pectus. Ideo Diuretica conferunt pulmoni & ægritudinibus pectoris. *Montanus Conſult.* 145. vide *Tit. de Reſpiratione læſa lib.* 15.

X V I I I. Quidam aſſumptis à Circulatore *floribus antimonii*) incidit in apoplexiam, qua durante in validiſſimum ptyaliſmum incidit, ita vt per nares & os ſpumoſi phlegmatis facile menſuras ſex exſpuerit: Defuncti pulmones, pectoris regio, ſtomachus caputque materia ejuſmodi plena fuere reperta: Hinc collige quod ſicut antimonium diaphoreticum, optime præparatum, eſt Pulmonum ſingulare medicamentum, ita ſuo ſulphure arſenicali & Mercurio, calcinationum & ſolutionum vi nondum exutum, ſummum eſt venenum. *P. de Sorbait M. C. A.* 1672. *Obſervat.* 270.

X X I X. Illorum opinio rejici debet; qui cum intellexerint *Mannam* eſſe Pectori amicam, eam porrigunt iis qui pectus cruditatibus onuſtum habent, nec vident crudos ſuccos craſſiores & concoctioni magis rebelles fieri dum ſecernitur ſerum: Sæpiſſime experientia cognovimus ſimiles exhibitione mannæ in deterrimum ſtatum fuiſſe conjectos: Natura vult craſſos ſuccos reddere fluidos, qui vero exhibent mannam, ſcammonium, ſecernunt ichores, & reliquias humorum craſſiores efficiunt: *Sanctorius methodi libro quinto cap.* 10. *Martianus 4. de acut. vict.* Id cognoſcens *Johann. Baptiſt. Montanus* mannam exhibet cum cremore Tartari ad eductionem craſſiorum humorum: Efficaciam mannæ, eo modo exhibitæ; vidi nuper in muliere aſthmatica ob pulmones ſero turgentes, quæ eadem die liberata eſt, effuſa ſeroſorum humorum copia.

X I X. *a.* *Serum*, qualicunque tandem ſapore fuerit, in genere omne *incraſſari* debet, quo facilius expectoretur, eludit namque alias expirati aëris vim, nec patitur ſe, niſi ſegnius ac repetita tuſſis vi expelli: Incraſſant ſerum gummi Tragac. Arab. radix alth. ſymph. & c. ex q. ibus ſacchar. exceptis Trochiſci parari poſſunt, qui ore diutius contenti, & paulatim ſaliva diſſoluti, ſenſim ad aſperam tendunt arteriam, & in ea fluidius ſerum inſpiſſant, & aptum reddunt, quo aëris ope poſſit facilius expelli: *Sylvius de le Boë Prax. lib.* 1. *cap.* 19.

X I X. *b.* Vbi autem *acrius eſt Serum*, hactenus quoque aliqua ſunt vſurpanda quæ ipſum temperent, quoniam acrimonia ſua non tantum ad ſæpius tuſſiendum vellicat & fatigat Pulmones, aſt inſuper abradit aſperæ arteriæ tunicam, & ſenſim vlcus excitat in Pulmonibus: Acrimonia ejus frequentiſſima eſt *Salſa muriatica*, ſicut rarior multum *Acida*: moleſtiam ſingularem producere ſolet ipſius *Auſteritas*: *Salſam muriaticam ſeri acrimoniam* temperant obtunduntque ex parte modo laudata *Incraſſantia*, vi ſua emplaſtica lenientia iſtam acrimoniam; quod efficacius præſtant ſi jungantur illis *Opiata*, ſicut id teſtantur vulgo notæ *Pilulæ de Cynogloſſa & Styrace* dictæ, in hunc finem longe aptiſſimæ, quin adhuc aptiores ſi addito ſaccharo in Tabellas formentur, aut Trochiſcos, detineanturque in ore: ſic enim pars eorum longe major vadit ad aſperam arteriam, quam ſi in pilulas redactæ devorentur; quamvis & ſic quoque plurimum præſtare obſerventur; licet non ſtatim cuivis cavillatori placeat via per quam transferatur ad pulmones vis medicamenti: Laudamus igitur dictas Pilul. de *Cynogloſſa & ſtyrace*, humoribus ſalſo muriaticis ad aſperam arteriam delatis, & inde tuſſus expectorandis, quatenus & acrimoniam ipſorum ſalſam temperant, & fluiditatem eorundem nimiam minuunt, adeoque convenientem conſiſtentiam ad expectorationem, atque cum tuſſi expulſionem ipſis conferunt; quicquid deblatereet in contrarium multi. *Idem.*

X I X. *c.* Quoad medicamenta humorem *Aciditate* purioſe peccantem Emendantia, & ad expectorationem juvantia, eadem ſunt quæ Salſo muriaticum corrigunt, ſed acidis *Acidum concen-*

tran-

trantibus & *infringentibus*, qualia ſunt *oculi cancri*, *margarita*, *corallia*, *creta*, *terra ſigillata quævis &c.* Quoniam vero a ſero acido facibus, cujus & gravius rodi ſolet arteria pulmonum aſpera, opus eſt vt non tantum efficaciora vſurpentur ipſum corrigentia remedia, ſed inſuper eadem ita parentur & adminiſtrentur, vt majore ſui parte deferri poſſint in notatam arteriam aſperam: Forma proinde commodiſſima erit *Trochiſcorum* & *Tabellarum*, quo diutius poſſit in ore contineri, & abundantius ad aſperam arteriam deferri, atque partim in ore, partim in dicta arteria Acidum ſerum imbibere, & concentrare: *Serum auſterum* corrigetur medicamentis ipſum emendantibus, qualia ſunt inter vulgo nota *Caſtoreum*, *Aſa fœtida*, *Carabe*; Inter Chimica, omne genus *Salium* vere *volatilium*, quorum efficaciſſimum reperi Spiritum Salis Ammoniaci, oleum Succini, macis &c. Ingrata vt Caſtoreum, aſa fœtida, Pilularum forma exhibeantur. *Idem.*

XX. Extra omnem controverſiæ aleam eſt, *Nicotianam* potui datam tantum adverſari ventriculo ac inteſtinis, quantum prodeſt humido ac frigido cerebro: Sed dubitatur vtrum fumus ipſius offendat Pulmones, calida quippe eſt planta, imo acris ac vellicans, ſive natura, ſive arte; Ex pulvere videl. euphorbii, pyrethri, piperis, aliorumve acrium aromatum, lucri cauſa a fraudulentis clanculum contortis ipſius foliis inſperſo: quorum omnium vapore non minus offendi pulmones veriſimile eſt quam à raphani agreſtis ac piperis tritura cerebrum ſternutans, Immodicus namque calor vt exhaurit humidum radicale, ſic obſcurat nebuloſus ipſius fumus illuſtrem noſtræ vitæ ſpiritum, imo ſuffocat tam evidenter cal. innatum, vt inſtar tabidorum extenuentur cum tuſſi perenni & ſpiritus difficultate. *Nicolaus Tulpius Obſervat. lib. 1. cap. 6.*

XXI. *Flores ſulphuris* vſurpo in affectibus Pulmonum inveteratis non adeo infeliciter: ſed ab eorum vſu me abſterruit *D. Ioh. Crato* qui eos improbat, dum oſtendere conatur ſubtilioris arſenici, veneni adhuc aliquid in eis contineri: Sed cum in gravioribus malis validiora quoque medicamenta ſint adhibenda, ac ego ſperarim crebras ablutiones cum aqua ſcabioſæ, veronicæ, vel ſimili, venenatam iſtam qualitatem poſſe auferri, vel ſaltem ita corrigi vt non lædat, non diſſuaderem in iſto caſu flores eos: Poſſet autem illorum ℈ ß. vel ℈ j. exhiberi in aqua jam indicata, additis in eadem quantitate ſpeciebus Diatreos ſimplic. vel hæc duo ad ʒ ß. ſingulorum cum ℥ ij ß. ſacchar. diſſoluti in aquis appropriatis in parvis rotulis, de quibus crebro vnam atque alteram in ore paulatim liqueſcere ſinet. *Ioac. Camerarius in Ciſta Medic. Hornungi Epiſt.* 118.

XXII. Capite exſiccato, & quodammodo pulmonibus ipſis, eorundem exſiccatio atque roboratio perfici poterit *aquis ſulphureis*, per os aſſumendis ad xij. dies, cum vehiculo dejectorio: Nullum enim præſtantius in Arte dari poteſt remedium, quod tamen nonniſi prius exſiccato capite convenire poteſt, cum id ipſum petat, impleat & fundat, ſicque diſtillationes augeat: cum tamen capite exſiccato, nullo alio incommodo ipſum validius adhuc exſiccet. *Iohann. Raymund. Fortis Conſult. 13. Cent. 2.*

XXIII. *Semina frigida majora* laudantur vulgo in febre arida & vacua, permixta vel ptiſanæ vel lacti amygdalino: Verum cum ſint ex *Galeno* ſicca in ſecundo, vſus illorum in morbis thoracis non videtur valde rationalis, imo noxius, ſicut & alia diuretica, Pectoris enim humorem incraſſant apud *Galenum* 15. ſimp. 13. doctrinam cientibus, dum ſic ait: Quamobrem puris ex thorace expuitioni ea omnino adverſa ſunt, quippe cum natura eorum ſit tum excalfactoria ac exſiccatoriaque, tum etiam ſecretoria & coarctatoria. *Zacutus.*

XXIV. *Gargariſmos* negat convenire *Conciliator*, Primò, Quia motu & agitatione pellunt materiam in partem debiliorem, Secundo, Quia tale remedium tuſſim incitat, ſolutionem continui cauſat & ampliorem reddit, Tertiò, Quia non juvat morbos pectoris, cum neque materialiter, neque virtualiter eò perveniat. Quarto, Si in catarrho non convenit gargariſmus, multo minus in morbis pectoris & Pulmonum: Nota tamen quod oris collutio, & alicujus materiæ humidæ pectoris paſſionibus conferentis retentio, in ore non prohibeatur, vt collutiones, ſyrupi, lohoc &c. *Horſtius in Concil. Enucl. diff.* 169.

XXIV. a. *Quæ pus, pituitam educant è Pectore*, præparantur variis modis, vſurpanturque nunc *Decocti*, nunc *Mixturæ*, nunc *Linctus*, nunc *Tabellarum* forma, Eſtque vtile ſi aliquandiu ſerventur in ore, quo paulatim ad fauces pergentia, bona ſui parte tranſeant in aſperam arteriam, ſicque copioſius jungantur Pituitæ incidendæ: Quicquid autem deglutitur longiori via redire poteſt cum ſanguine ad Pulmones. *Sylvius de le Boë, methodi Medici cap. decimo octavo* §. 26.

XXV. Pulmonum ſubſtantia mollis eſt & ſpongioſa, ideo præ cæteris viſceribus fluxionibus patet; ſive eæ ſint à cerebro, ſive à viſceribus mediante corde: dum enim caput in pulmonem diſtillat, & jecur ſanguinem impurum, vel copioſiorem cordi ſuppeditat, quem revomit in Pulmonem, inde inficitur vel obtuitur, labes illa non à corde manat, ſed à viſceribus intemperatis & malè moratis, quæ ſuggerunt cordi ſanguinem impuriſſimum, cujus vitium non poteſt cor emendare niſi per multas circulationes. Non poteſt autem humores à capite ſuſcipere pulmo niſi cum tuſſi, quæ ſi deſit, patitur à ſolo ſanguine cordis: ſolum enim hoc viſcus ſuum ſanguinem à corde mutuatur, vaſa inde aſſumit non à cava. *Riolanus Enchirid. Anatomic. lib. 3. cap. 6.*

XXVI. Fermentationem majorem excitantia *Eclegmatis* non ſunt addenda: Sic notum quidem eſt flores ſulphuris, & lac ſulphuris eſſe pectoralia inſignia, ea ipſa tamen conſultius alia quavis quam Eclegmatum & Electuariorum quoque mixturæ propinantur: Par ratio eſt ſalium, quæ & ipſa, quod pectori minus amica ſint, præſtat omittere: Certum enim eſt per experientiam ſulphuratorum cum dulcibus miſtionem, ſi quid aliud fermentationem inducere: hinc reſolutione & orgaſmo factis, talia eclegmata (quæ per ſe quoque facile fermenteſcunt, more aliorum dulcium cum heterogeneis mixtorum) oras vaſis affectare, & ſemper quaſi vaſculum videri plenum, licet in dies quid inde depromatur. *Wedelius de Medic. compoſ. pag.* 140.

XXVII. Eadem non proſunt ventriculo, Dulcibus enim, vt *Macrobius* recte, cum pepſi ſocietas infida; laxant præſertim continuato vſu eiuſdem patientes, calorem obtundunt, fermenta dejiciunt; hinc, ne impediatur coctio, ipſe quoque *Montanus conſ.* 32. recte monet ventriculo vacuo danda: hinc appetitum dejiciunt, hinc vbi ventriculi debilitas jam adeſt, flacciditas imprimis, cautius vel non vſurpanda, ſed ſemper in horum vſu tonus ventriculi obſervandus. *Idem pag.* 143.

XXVII. *a.* Quoties *Acida* ad pituitam incidendam vſurpantur, toties haud pura, ſed dulcibus & ſaccharatis, quantitate parva admiſta, in vſum revocari debent, ne ſi puriora fuerint, ad tuſſiendum acrimonia ſua Pulmones nimium irritent, ſicque plus noceant quam proſint. *Fr. Sylvius meth. Med. l.* 2. *cap.* 18.

XXVIII. Nec tuto adſtringunt, fermentant enim humores, & ipſa ſua domeſtica dulcedine lævigant potius, lubricant & emolliunt quam vt adſtringant; hinc in catarrhis ſalſis, acribus, tenuibus; hinc in hæmoptyſi ipſa non fidendum hiſce omnino; vnde regulæ inſtar notari poteſt, Eclegmata ſoli quidem pulmoni deberi, non tamen ſola ſoli pulmoni, & quidem alterando. *Idem.*

XXIX. Eadem præſente febre non conveniunt: Vbicunque ergo concurrunt febris & tuſſis, vel alij pulmonum ſimiles affectus, conſultius ea omittuntur & minus tuta ſunt. Hinc in febribus catarrhalibus, in variolis & morbillis, & præcipue in pleuritide ac peripneumonia Looh exeſſe debent. Neque audiendi qui in pleuritide, & præſertim initio, ſpecies diatragac frigidas, & alia commendant, plane contraria naturæ indicationi & motui: hinc *Heurnii monitum in meth. ad Prax. pag.* 313. ſequendum potius, nec *Helmontius* hic inepte ſcribit, per ſyrupos & eclegmata vel in millibus nil profeciſſe autores hos vitum eſſe, adeóque lutoſa hac orbita non perſtandum. *Idem pag.* 144.

XXX. *Flores ſulphuris* ſimplices præſtant compoſitis: Vt vbique ſolent multiplicari fere entia citra neceſſitatem à Chimicis, ita & in flor. ſulphuris id viſitur: ſunt enim qui cum aloë, benzoë, croco & myrrha, colcothare vitrioli, nitro, vt albeſcant, cum ſale communi &c. eorum præparationem meditentur, & in ſecretis exhibeant ſuis, ſed vt plurimum levi & pauco cum ſucceſſu; Nam quid colcothar communicat quam vim corroſivam, acrem? Quid aloë, crocus & myrrha, quam empyreuma? neque enim vel avolandi ſeu ſublimari habent vim, & duplici quaſi igne comburuntur magis: Facta vero tanta immutatione non poſſunt non vires quoque deficere quas expectabamus: hinc adeo præſtat floribus ipſis ſulphuris maritare alia appropriata. *Wedelius Pharmac. pag.* 37.

PECTORIS DOLOR.

SYLLOGE.

Cum ardore ſetaceo illi affixo ſedatus. 1.
Vagus Chinæ decocti vſu deſinens. 2.
Sterni, ab humore bilioſo membrana peculiari incluſo. 3.

I. Diu moleſtiſſimum ardorem in ſiniſtra pectoris parte perpeſſus Nobiliſſimus Dominus *Gedeon à Bergerijs*, vir bilioſiſſimi temperamenti, quem nulla topica aut alia remedia mulcere potuerunt: Ipſe ſibi ſetacei in parte trajectionem propoſuit, quam vix annuentibus Medicis inſtitui curavit; Advocato que *Ludovico Sabourino*, perito Chirurgo Genevenſi, ipſe ſibi cutem partis læſæ digitis apprehendit, fortiterque à ſubjectis muſculis diducit, mox dictus Chirurgus acum, ſetaceum filum trahentem, minimi digiti craſſitie, tranſmittit, adeo vt à ſummo foramine ad imum ſex vel ſeptem digitorum adeſſet intervallum. Paulo poſt virulentum fœtum, fulvum effluxit, copioſum, quo exhauſto remiſit ardor. Poſt ſex ſeptimanas dictus Dominus *funiculum* detraxit citra mali recidivam.

II. Domin. N. quinquagenarius, ſanguineus, è bello Italico rediens, conqueritur de ſæviſſimis doloribus, ſingulis noctibus affligentibus circa primum ſomnum, incipiunt in latere ſiniſtro, ſimul ad anteriorem thoracis partem, & poſteriorem, tum ad latus ſiniſtrum & ſcapulas extenduntur, ea vehementia vt expergiſcatur, nec in vlla decubitus forma perſiſtere poſſit ſed ſurgere cogatur: perſeverant vſque ad matutinum, tuncque quieſcunt, tota die ſilent. A duobus menſibus iis vexari cœpit, nec remedia adhibuit. Alter Medicus cenſet hos dolores provenire à catarrho tenui in eas partes decumbente nocturnis horis, quo tempore pituitoſus humor commovetur: Ego à flatibus qui illis horis tantum excitantur, a calore intenſiori ex concentratione facto per ſomnum: Materia ex quia, illuvies pravorum humorum & crudorum in ventriculo, meſenterio & circa hepar, genita in caſtris à prava diæta: Inde ventriculi coctio debilitata, vnde flatus quoquoverſum tranſmiſſi, & à pravis humoribus ſuſcitati: peracta concoctione flatus non amplius tranſmittuntur, quare circa mane dolores deſinunt: Ad curationem præſcripſi primo vacuationem vniverſalem per apozemata & ſanguinis miſſionem poſt decoctum chinæ ad decimum quintum dies, quorum vſu affectus ſenſim imminutus, & citra alia remedia omnino deſiit. *Lazarus Riverius centur.* 1. *obſervat.* 8.

III. Vnum alterumque horum habui, quos in *ſuperiore ſterni parte dolor* vexabat, non ſævus ſed pertinax, qui intermitteret quidem quotidie magnam diei partem, ita tamen vt ſemper aliquis moleſtiæ ſenſus ſupereſſet: Non faciebat difficiliorem ſpirationem, nec tuſſim habebat comitem, magna tamen inſpiratione ac profundis ſuſpiriis aliquantulum exacerbabatur, vti & ſubita ac magna corporis reſupinatione capitiſque ad dorſum reclinatione, nec non pandiculatione, fixus vno in loco ſemper perſeverabat, interdum tamen in proximas pectoris partes ac verſus axillas ſeſe propagabat: Indicavi hunc dolorem provenire ab humore, qui inter membranam peculiarem (illa enim toti thoraci communis, pleura dicta, à ſterno longius recedit, dum mediaſtinum conſtituit) atque ipſum ſterni corpus, qua cavitatem thoracis intro reſpicit, impactus erat, haud magna copia, nec valde acris aut malignus, bilioſos tamen, vtpote in vigore ætatis, corpore fervidiore, & morbis à bile admodum obnoxio. Conjecturam hanc firmavit

firmavit curatio, peracta præcipue cholagogis iteratis: fotus deinde partis ex anodynis ac relaxantibus, & geſtatio emplaſtri ex olibano, cera virginea ac pice brutia, ſeu Burgundica, cujus egregia vis ad cujuſquomodi humores acres ex alto blande evocandos & ſenſim diſſipandos. *Arnoldus Bootius de Affect. Omiſſis cap.* 12. Vide §. 1.

PECTORIS VVLNERA
ET PVLMONVM.

SYLLOGE.

Purgatio *quando noxia*. 2.
In cavitatem penetrantium *curandi ratio*. 3.
Penetrantium dignotio ex exſpirante aëre fallax. 10.
Turundarum *neceſſitas*. 4.
Filo ſunt alliganda. 5.
Injectiones *an noxia*. 8.
Ex amaris ne conſtens. 6.
Vbi paracenteſis neceſſaria ea non omittenda metu effuſionis ſanguinis. 9.
Sanguis ſubſiſtens qua arte eliciendus. 7.
Cordi proxima vulnera alijs citius non agglutinanda. 1.
Vomicæ *apertio non differenda*. 11.

I. CUm maxima ſit cordis, tanquam principii vitalis, dignitas, manifeſtum *vulnera* thoraci inflicta periculoſa magis alijs eſſe, hinc dubitatur, Num etiam eadem aliorum more tractanda, & eodem modo ſtatim conſolidanda ſint, quibuſdam affirmativa placet ob loci nobilitatem, ob quam vnice eo reſpiciendum ſit ne externis injuriis expoſitus caloris fons lædatur, quare ejuſmodi vulnera, qua fieri poteſt arte conſolidare conantur: At cum Thoracis vulnera tantam ſaniem quotidie effundant, quantam vix in aliis deprehendere licet, eo quod natura tam ob conſervationem partis, quam ob dolorem plurimum ſanguinis eo tranſmittat quotidie, qui malignitate & ſordibus inquinatus, aut ob partis imbecillitatem non alteratus, citiſſime corrumpitur, ideo potiùs ſtatuimus talia vulnera diu aperta eſſe debere, vt ſanguini corrupto & ſanici pateat exitus; retentus enim p. n. ſanguis, vel humor quidam corruptus, majoris mali cauſa redderetur: Vnde *Paræus lib.* 2. *cap.* 31. pro deciſione ſubjicit, quod prior ſententia vera ſit cum nullus humor p. n. in thorace continetur amplius, poſterior vbi cavitas thoracis thrombis & ſanie repletur. *Horſtius Decade* 5. *Problem.* 5.

II. Pectore vulneratis, quibus pus cavitate continetur, dum expurgatur per vulnus, nullum præſtantius remedium quam *non purgare* corpus: quia ſi exhiberetur purgans, omnes humores concurrerent ad inteſtina, & extenuaretur corpus, cujus extenuationem mala ſequentur ſymptomata. *Scultetus Obſervat.* 43.

III. Frequentiſſimè obſervavi Thoracis vulnera *in ejuſdem cavitatem penetrantia*, ſine vlla tamen læſione partium internarum; quæ quidem duplicis generis, alia quæ vaſa intercoſtalia lædunt, ex quibus copioſus manans ſanguis in ejuſdem cavitatem delabitur: Alia vero, quibus vaſa illæſa ſanguinem in eandem non effundunt: Prióris generis vulnus patens ſervandum, quam curandi methodum omnes Medicinæ ſcriptores proponunt: Si verò nihil ſanguinis in ſuis paret ſignis, abſentia ſcilicet ſymptomatum, ex ſanguine in eadem collecto, in quibus ſunt febris, tuſſis plurima, gravitas ſupra diaphragma, & alia hujuſmodi, tunc immiſſa breviſſima turunda in orificium ipſius vulneris, imbuta ovi albumine, & ſuperinjecto linteolo eodem madefacto, cum bolo Armena & ſanguine draconis, leviter faſcia comprimo partem læſam: atque ſequenti die, remota turunda ex toto, appono ceratum ex ceruſſa; quibus ſpatio ſeptem aut octo dierum patientes ſanos præſto: Qua methodo quinetiam vulnera Thoracis, ejus tantummodo muſculos penetrantia, ad ſanitatem deduco, ſpithamam licet ampla. *Marchetti Obſervat.* 41. Vulnera penetrantia parte ſuperiore inflicta, ita vt materia intus collecta non poſſit adeo commode expurgari, in Empyema degenerant ex omnium ſententiâ: qua ratione quidam à me perforati, ſectione inter 5. & 6. coſtam evacuata materia, plerique ſanati fuere: Exempla vide *apud Scultetum Obſervat.* 43. & 59. Obſervatum a me quod quoties cùius materia expurgatur, ſpatio nempe, ſummum, diei, ſtatim patientes convaleſcant, materia ex vulnere non amplius manante, & quod mirum, febre quin etiam ceſſante, quæ continua eſt, materia in cavitate thoracis hærente; quinimo hoc ſignum pathognomonicum cenſetur, patientes immunes eſſe à febre, cum nulla in thorace ſanies, quæ vulnus ſtatim occludendum indicat: quâ contra ſenſim exſudante omnes moriuntur; quia morâ ſuâ diu permeat, partes internæ exulcerantur, pus augetur, atque vlcera febriſque quotidie invaleſcunt: Quod propterea animadvertendum illis eſt qui adhibentur his curationibus, vt ſcilicet ſi pus brevi ſpatio temporis non evacuetur, ejus edoctionem quam citiſſime medicamentis curent: quâ ratione exhibeo aut aquam hordei, aut mulſam, quæ paulatim detergent ac vacuationi aptum reddunt, non ſine ope naturæ illud expellentis: quo ſubſidio non egent robuſtiores, qui paucis diebus totam materiam purulentam extrudunt & ſanantur niſi hæc vacuatio diutiùs protrahatur, quæ illis mortem inferat. *Idem Obſervat.* 43. Vide *Pareum lib.* 9. *cap.* 31. *Nic. Maſſam Tom.* 2. *Epiſtol.* 11.

IV. *Felix Wirtsb* Chirurgus Turundas in vulneribus pectoris penitus rejicit, ipſamque ſaniem, ſanguinem, aliamve collectam materiam, per ſudores, vrinam, alvum, aliiſve modis commode vacuari ſtatuit. Etſi verò non negem plurimum periculi laborantibus impendere, cum imperiti Chirurgi turundas filo non alligant, non tamẽ video quomodo vſus earum penitus rejici poſſit; cùm aliàs natura, quę adminiculum ab arte expectat, expurgationem videlicet ſuperfluorum minimè habere poſſit. *Horſtius apud Hildanum Cent.* 3. *Obſervat.* 36.

VI. Nob. vulneratus & negligentius à Chirurgo habitus, attraxit in thoracis vacuum turundam plagæ impoſitam, ſed poſt menſem ſextum excrevit eam per os: Si ſapis, fuge hunc ſcopulum Chirurge, Et conſtringe potiùs filo linamenta quæ immites in lubricum pectoris vulnus, quò reſultant potentiua thoracis ſuctu, interdum validiſſimo. *Tulpius lib.* 2. *cap.* 15. *Aliud exemplum vide apud Hildanum loco mox citato.*

Penis gangræna *ferro candente ſanata.* 22.
Hydroceles Præputii *cauſa & curatio.* 21.
Glandis non pertoratæ *curatio.* 23. 24.

I. PONamus caſum, factam eſſe in glande inflammationem; ex hac ſuppurationem, & demum cuticulam quandam; hanc cum ſcindere neceſſum ſit, quærimus in quo loco præputium ſit ſcindendum? ℞. ſectionem inferius factam optimam eſſe: ſuperius obeſſe: illam quæ in latere ſit inter duas illas ambigere: voluptatis enim in partibus genitalibus maxima habenda ratio. *Walæus met. Med. p.* 157.

II. Si in *Pene gangrænato* portio aliqua abſcindenda eſt, ſtatim vrethræ indere debemus canalem quendam, ſeu candelam ceream pro mictione, alias omne illud quod de penis ſubſtantia reſtat, in corpus retrocedit, ita vt vrinæ emiſſio inde fieri non poſſit: Ab inciſione penis erectio perit: ſpiritus enim in corporibus illis nervoſis retineri non poſſunt. *Idem ibid.*

III. Amputato pene *Cauterium actuale* ſummè periculoſum, tum quod meatum vrinarium obſtruat, tum etiam veſicæ & circumjacentium partium inflammationem facilè excitet: Sanguinem ne erumpat caveo per miniſtros, qui per vices manu madefacta oxycrato, ſtupas cum Pulvere ſtegnotico continuò continent &c. *Hildanus Cent. iij. Obſ.* 88.

IV. Ad extirpandas *Carunculas* in vrethra, multi cereolos audacius immittunt, corrodentibus medicamentis delibutos: quorum nimia mordacitate, non ſolum deperditionem ſubſtantiæ in vrethra vidi, verum etiam gangrænam, quæ non ipſum modo perinæum, ſed & internam vtriuſque femoris partem infecit, ac fœdo ſphacelo in ægri perniciem conſumpſit. *H. à Moinichen Obſerv.* 17. Nobili cuidam caruncula ex gonorrhœa virulenta laboranti, cum Chirurgus medicamentum acre ſiphone in ductum vrinarium infudiſſet, protinus dolor ingens exortus eſt: ſequuta eſt inflammatio & febris, vrinaque plane ſuppreſſa fuit, & intra paucos dies vitam finiit. *Hildanus cent. 4. Obſ.* 54.

V. In curatione *Glandis & Præputii vlcerum*, non leviter errant plurimi, dum aquâ, vt vocant, forti; aquâ item plantaginis, cum vitriolo, alumine, viridi æris, vng. Aegyptiaco &c. vlcera abluunt, aliaque acria applicant: hoc enim modo malum malo addunt; quandoquidem dolor, quem acribus illis medicamentis excitant, multos humores ex corpore ad locum affectum trahit, hinc inflammatio, aliaque ſymptomata omnia accreſcunt in dies: blande igitur ejuſmodi vlcera tractanda ſunt. *Fabr. Hildanus cent. v. Obſ.* 57.

VI. Veneri nimium addictis rarum affectionis genus interdum accidit, vocant quidam *Nodum Penis*, etſi eo demiſſo & flaccido nihil percipiatur incommodi, particulam tamen pertractanti parvulus quidam tumor, fabæ vel glandulæ ſpeciem referens, percipitur: Huic affectui pleroſque vidi, cauſæ ignaros, emollientia adhibuiſſe, quod arbitrarentur ſe duriuſculam illam ſubſtantiam, quaſi humore affluxo imbutam, diſcutere poſſe: Sed tantum abfuit vt id præſtarent, quod etiam quotidie in pejus lapſi fuerint, nam arietini cornu in modum in illud latus, quo tuberculum eſt, mentula reflectitur &c. conveniunt igitur quæ procidenti umbilico atque Herniis deſcripta ſunt, fotus &c. adſtringentes &c. *Iulius Cæſar Arantius l. de Tumor. cap.* 50. *Sennertus Pract. lib. 4. part. 9. ſ. 1. cap.* 8.

VII. *Phimoſis & Paraphimoſis*, ſi ex fervido coitu procedat, remanente adhuc glande tumente, ſi diu foveatur aqua frigidiſſima, detumeſcet, tuncque poterit præputium attolli vel deprimi, Secretum admirabile. *Riolanus Encheir. Anat. lib. 2. cap.* 31.

VIII. Quidam *caruncula veſicæ* laborans candelam ceream vrethræ immiſerat, quæ partim calore liquata, dimidia tantum extracta erat, altera parte meatui infra remanente & vrinam ſupprimente: Cum alia non contuliſſent, præmiſſo prognoſtico, vrethram ſupra candelæ portionem relictam artifici manu ſecuit A. *Molinettus*, ceramque dexterrimè extraxit, quam mox ſequutus vrinæ fluxus copioſus, ferè per biduum: Temerarium autem & tutum hamulis ſeu vncis ferreis extrahere, quod in ſeipſo *Lagalta* Medicus inconſulto tentavit, hinc læſis partibus, perpetuus humoris defluxus concitatus. *Velſchius Obſervat.* 66.

IX. Eſt inter Luis ſymptomata *Glandis virilis veſicula cryſtallina*, Quæ niſi probe curetur, mortem afferre ſolet, ferrum autem nequaquam patitur, Solus ſpiritus Tabaci laudem hic invenit, quo ſi quinquies ſummum contegitur, emoritur & penitus perit: hoc autem fiat ægro jacente, niſi cadere convulſum velis. *Hartmannus Prax. chymiat. cap.* 233. §. 34.

X. Quia contingit aliquando in ſuppreſſione vrinæ plures reperiri *carunculas*, quæ illius tranſitum impediunt, & medicamentorum appoſitionem, ſi nec balnea, nec inunctiones, nec candelæ proficiunt, quidam penetrationem faciunt per juncum acuminatum, in cujus aculeo medicamentum corrodens imponunt, & paulatim & ſenſim penetrant carunculas, Quæ operandi ratio eſt ſuſpecta, quia periculum eſt ne juncus rumpatur. *Fonſeca conſult.* 36. *Tom.* 1.

XI. Novi Chirurgum quendam in Belgio, qui *Phimoſi & Paraphimoſi virulentâ* laborantibus, ſtatim ab initio infuſum ſtibii hyacinthini exhibebat, quod in robuſtioribus & pituitoſis non vſque adeo improbandum; præſertim ſi loco ſtibii crocus metallorum acciperetur: non ſolum enim materiam peccantem evacuat, ſed & revellit à loco affecto: verum in extenuatis & imbecillioribus minimè tutum eſſe medicamentum ſciunt Practici: Sed & diligenter proſpiciendum an ſcortum lue venerea fuerit infectum, tunc enim à croco iſto metallorum, quia violentia quadam, etiam ex remotiſſimis corporis partibus ad centrum corporis trahit, atque ab omnibus medicamentis per vomitum cum violentia purgantibus abſtinendum, ne materia peccans ex genitalibus ad epar trahatur, & fiat ex affectu particulari vniverſalis morbus, quod in aliquibus eveniſſe obſervavi: præſtat ergo, quod maximo ſemper cum ſucceſſu feci, corpus clementer expurgare. *Fabr. Hildanus Cent. vi. Obſerv.* 57.

XII. Loco affecto nonnulli ſtatim ab initio (quia inflammationem adeſſe vident) refrigerantia & repellentia applicant, ſed male: materiam enim virulentam & malignam, ex impuro concubitu contractam, repellunt & in ipſam partem recludunt, vnde poſtea virulenta & maligna oriuntur vlcera; Sed ratione doloris, præcipui ſymptomatis, cataplaſma anodynum applico, ex far. fabar. hordei ſemin. cydonior. fœnugr. pulv. roſ. rubr. croco

& lacte cum vitellis ovorum: totum virile membrum, niſi inflammationis vehementia obſtiterit (inflammationibus enim oleum, vt docet Galenus adverſatur) hoc oleo inungens, ℞. ol. amygd. dulc. rec. roſarum ana. ℥j. de vitell. ovor. ℥ß. m. *Idem ibidem.*

XIII. Accidit nonnunquam ex pravâ nutricis diætâ vt humor acris ad *genitalia infantis* decumbat; ibique pruritum excitet, atque poſt confricationem accidat paraphimoſis, confluentibus humoribus circa balanum & præputium; imò interdum Inflammatio ab acrimoniâ vrinæ: Inepti quidam barbitonſores, infantes hoc malo laborantes ſcarificationibus profundis, & applicationibus medicamentorum acrium crudeliter tractant: Ideo hîc adſcribo remedia quibus multos ſanitati reſtitui: Nutrici diætam tenuem & refrigerantem præſcribo. 2, ipſam expurgo pro humoris prædominantis naturâ: Sin infans ablactatus à ℥j. ad iij. ſyr. roſar. ſol. comp. exhibeo repetitis vicibus. 3. Si plethora adeſt in nutrice ipſi venam aperio. 4. ab initio, ſi dolor & inflammatio adfuerit, hoc cataplaſ. admoveo: ℞. micæ panis albi ℥iij. pulv. roſ. rub. balauſt. ana. ʒij. croci ℈j. butyr. rec. ℥j. lactis vaccini q. ſ. cum vit. ovi f. catap. Si morbus ſit contumax ſequenti vtor. ℞. far. fabar. ℥ij. pulv. ſumm. abſynth. flor. camom. ſambuc. ana ʒiij. pulv. ſemin. fœnugr. ℥ij. cumin. ℥iij. cum vino auſtero coquantur & fiat catapl. Si excoriatio adſit, loco vini vtor decocto flor. camomill. melil. ſambuc. & roſar. *Idem ibid. Obſ.* 58.

XIV. Nonnunquam mihi advenit in infantulis affectum adeo contumacem occurriſſe, vt vltra tres ſeptimanas circa ipſum occupatus eſſem: præſertim circa infantem anno 1607. cujus nutrix ſupra modum erat cacochymica, & proinde, mediante lacte, quotidie novam ſuppeditabat materiam peccantem infanti: quare apozemata aliquot exhibui aliquoties, graviter expurgavi, accuratam diætam præſcripſi: Externa medicamenta, quia iis antea feliciſſimè vſus eram, non mutavi, juxta aphor. 52. 2. In hoc ægro, illis præmiſſis, dolor ſimul & inflammatio remiſerunt, tumor vero vltra dies xiv. in eodem ſtatu permanſit, nec tamen ab applicatione poſterioris cataplaſmatis deſtiti: Quid fit? inſurgit tandem natura, materiamque peccantem è veſtigio expellit, & ita quidem vt intra horas xxiv. omnino evanuerit & ſubſederit tumor. *Idem ibidem.*

XV. Tutò *Præcipitato* vtimur in *carie circa glandem*, aliquando per ſe ſine vlla admiſtione, in pulverem redacto, vbi pertinacior eſt carica, aliquando vnguento roſaceo aut butyro commiſto, nonnunquam in hanc formam redacto, qua ratione omnem cariem internam extinguit. ℞. ol. amygd. d. roſat. omphac. vngu. reſini ana. ℥vj. præcipit. pulveris. ʒj. ceræ parum f. vngu. quod tenuiſſimo panno lineo excipiatur: Vng. Reſinum fit ex oleo, reſina pini, terebinth. & cera: Ita adhibitum Præcipitatum, non eſt periculum quod repellat malignum vaporem intus, quod putavit Petronius, ob argentum vivum quia, vt ipſe ait, pellit ad ſuperiora labem: Imo etſi ſolum præcipitatum adhiberetur nullus eſſet rei hujus timor, nam licet fiat ex argento vivo, tamen ab aqua forti, ex qua fit, habet trahendi vim: imò etiam probo vſum argenti vivi vbi præcipitatum, ob malignitatem vlcerum, ſatis non eſt, qui experientiâ conſtat vtrumque optime hæc vlcera ſanare: Nec timor eſt quod virus intropellatur, quod accidere non videmus: nec argentum vivum tam pauca quantitate poteſt materiam ad ſuperiora trudere: valet & eximiè præcipitatum dulcificatum, turbith minerale vocant. *Fonſeca conſult.* 34. *Tom.* 1.

XVI. Non rarò *Caruncula* ex vlcere meatus urinarii oritur, atque interdum ita augetur vt urinam ſupprimat: hæc manuali opera & medicamentis idoneis, quæ erodendi vim obtineant extirpatur, Ne tamen aliæ partes in meatu vrinario erodantur, vrinave profluens medicamentum carunculæ applicitum eluat, Aquapendens excogitavit inſtrumentum, cujus beneficio nihil niſi caruncula exeditur, prohibeturque ne medicamentum carunculæ admotum ab vrina, quæ ſæpius excernitur, elui poſſit: Fit autem cannula ex linteo cera alba oblito (longitudine digiti tranſverſi, & latitudine ea ut æquet argenteum catheterem) quæ filum longum habeat appenſum: Hæc cannula medicamento Prævotii erodente ℞. *mell. in ciner. vſti, tut. prap. butyr. rec. in aq. plantag. loti, terebint. ſimiliter. lota, cera flava ana.* ʒß. *alumin. vſti* ℈iß. *m. f. linim.* Quod crebrâ experientiâ teſte carunculas meatus vrinarii abſque dolore & ſanarum partium excoriatione conſumit) prius oblita ſit, poſt ſtilo extra fiſtulam argenteam prominenti adaptetur, atque vna cum argentea fiſtula, & ſtilo, in vrinarium canalem immittatur, donec occurrat carunculæ, & cum jam eſt in loco carunculæ, argentea fiſtula cum ſuo ſtilo retrahatur: cannula verò, ex linteo cera inducto parata, & immiſſa relinquatur in meatu, vt per eam vrina excernatur, quæ ſimul prohibet ne medicamentum carunculæ admotum ab vrina elui poſſit. *Scultetus Armam. Tab.* 40.

XVII. Intra urethram poſt proſtatas, ejaculatorii vaſis utriuſque orificio appoſita eſt caruncula quæ inſtar valvulæ utrumque orificium claudit, ne urina in urethram effuſa refluat in vaſa ſeminaria, vel ne nobis invitis ſemen effundatur: hæc ab ignaris Chirurgis cathetere deprehenſa cum reniſu pro caruncula habetur, quæ cauſticis eroſa perpetuam parit gonorrhœam. *Riolanus in Anthropogr.*

XVIII. *Virga caruncula* primordia gonorrhϾ aliquando tribuenda, in cujus inflammatoria tentigine, rupta per coitum, vt vulgus vocat, chorda, vel, vt magis artificioſe, fiſſa membrana vrethræ, inflammationis & vi tumoris contractæ ac brevioris, poſt largam hæmorrhagiam, qualis ad iſtos conatus & violenta ἀποπνίγματα conſequi ſolet) remanet ulcus, ex quo paulatim ſuccreſcit fungus, tumor videlicet p. n. atque in meatu morbus, nulla alia ratione quam ſuperflui per exæretica ſublatione, tuto certove averruncandus: Solent ſpongioſi iſti thymi purulentam exſudare ſaniem, quæ minus accurate hujus affectus penetralia rimantibus, ſub ſpecie gonorrhϾ plerumque imponere conſuevit: Hinc puris filamenta per vrinas fluitantia apparent, cujus materiæ partem à proſtatis etiam defluere arbitror, quas male multavit, & per longiſſimum tempus affligit intemperies malignitate non carens, caloris nativi deſtructrix, functionum omnium labefactatrix: Virum Nobil. quindecennali iſtiuſmodi caruncula afflictum curavi; Perpenſis ſedulo ſingulis difficultatibus, præſertim vero delicatiſſima illius natura, cujus exquiſitiſſima ſenſus vel leviſſima chirurgiæ præſidia pro ſæviſſimis tormentis habet, manum admovi operi, & præmiſſis

vni-

univerſalibus, ſæpius iterata blandi cathæretici per cereolum applicatione, totam abſumpſi carunculam, exiguo ſane cum dolore: in minus molli verruca, dimidiam fere meatus urinarii longitudinem, cujus dimenſionem vix tres digiti latitudine ſua adæquaſſent: Non leve movit negotium colli veſicæ proximitas, cum ad finem ventum eſt, imprimis autem exiguum illud tuberculum, quod oſculo dehiſcente viam dat ſemini in urethram, cujus moles enormiter aucta ab humorum affluxu, minus perito artifici feciſſet fucum, atque excedentium longiorem ſuaſiſſet uſum: Verum hoc tibi ſit à me in carunculæ curatione ſecretum, plus cunctando quam feſtinando promoveri: Quotieſcunque ulceris labia remediis irritata intumeſcunt, ea ſi lenientibus mulceantur, ſubſident & (mirum dictu) pertinaciſſimi obices intra dies pauciſſimos per ſe evaneſcunt: *Theodorus de Mayerne Tract. de Arthritide pag.* 145.

XIX. *Præputii cum Glande cohærentia* dupliciter accidit 1. ob ulcus præputii & balani: In eorum enim ulcerum curatione faciliime, præſertim in pueris, coaleſcunt, ut deinde præputium retrahi nequeat: Ego tunc laminam plumbeam incurvatam imponere ſolitus ſum; aliquando quempiam pulverem exſiccantem, plumbi uſti, litharg. &c. copioſe inſpergo. 2. A prima conformatione: Quum autem vinculum hoc abſcindere neceſſe fuerit, obtinendum eſt ut neque præputium, multo minus balanus attingatur, præſertim ſi vinculum non in infima parte balani fuerit: facile enim eo loci ductus urinarius perfodi, indeque fiſtula conſequi poterit, per quam urina & ſemen effluerent: Potius itaque de Præputio, niſi aliter fieri poſſit, quam de balano abſcindendum: etiamſi enim præputium perforetur, incommodum tamen non eſt æquiparandum perforationi ductus urinarii: Æginera tamen contrarium ſtatuit, quem intelligendum exiſtimo quum cohærentia in carnoſis partibus balani, veluti ad latera aut parte ſuprema acciderit: In infima vero id vix ſine læſione ductus urinarii fieri poſſe certum eſt; Scimus enim ductum in illa parte tenui tantum cuticula veſtitum eſſe, quæ inciſa poſtmodum difficillime coaleſcit: *Hildanus cent.* 3. *Obſ.* 54.

XIX. *a* De curatione *Phimoſis* omnium optime *Parens*: Periculum in ſectione abeſt omne, modo non adhæſerit præputium glandi, tunc fruſtra etiam tentatur cura: Si v. g. anguſtum modo eſt præputium, liberum tamen à balano, tunc loco, quouſque inciſio inſtitui debet, notato, extenditur præputium, & unica inciſione ſecundum longitudinem peragitur, hac tamen cum cautela ne vena pudenda major lædatur, quæ quoniam ſatis eſt viſibilis, nec chirurgum latebit: Facta inciſione caput penis conſurgit, omnibus impedimentis liberatum: Cicatrix autem obducenda, ne partes præputii diſſectæ coaleſcant, Et ſic curatus eſt à morbo matrimonii candidatus. *Ammannus Medic. critic. pag.* 141. Vide ſupra §. 1.

XX. Juvenis 34. ann. temperam. calidi & humidi, boni habitus, roſei coloris, venereæ infectionis ſuſpectus, incidit in *ignaviam ad Venerem*: Medicamenta, præter decocta, adminiſtrata cum Mercurio fuerunt: Balnea item ſulphurea, aqua Noceræ & alia refrigerantia abſque ullo levamine: Penis illa flacciditas cauſam habuit, vel vitiatam facultatem, vel corruptos ſpiritus: vitiatur facultas quoad inſtrumentum, nunquam vero ex ſe, cum ſit animæ potentia, Senex enim videret ut juvenis ſi haberet oculum juvenis: vitiatur itaque hoc caſu ab excellenti calida intemperie vaſorum & partium genitalium, a qua earundem laxitas procedit ac imbecillitas: unde habet Hippocr. 5. aph. 16. *Calidum ubi ſæpius quis eo utatur, hæc mala affert, carnis effœminationem, nervorum imbecillitatem, animi defectionem &c.* Quam imbecillitatem augere potuiſſe uſum Mercurii non dubitamus: Sed præterea ab hujuſmodi calore ſpiritus quoque deficiunt: quod contingere poteſt, aut quia non tranſmiſſi vel diſſolvantur, vel a parte non actuentur: Et primo quidem quod non generentur nullo modo aſſerendum in prædicto temperamento &c. copioſo adeo ſemine abundanti: neque quod non tranſmittuntur, non enim obſtructa ſunt vaſa, nec à Pat. aliena aliqua applicatione avocantur: Supereſt igitur ut à nimio illarum partium calore diſſolvantur, atque ab eorum celeri nimis reſolutione penis intempeſtiva flacciditas pendeat & erectio prohibeatur. *Fortis conſult.* 52. *cent.* 1.

XXI. Ex Venerea lue ſic labefactantur interdum & internæ genitalium partes & externæ, ut pro ſuccis alibilibus horum ichores congerantur, qui ab interioribus ad exteriora vi ſecretrice depulſi, tumorem in Præputio procreant aquoſum, quem affinitate rerum conſuevi *Hydrocelen præputii* nominare, Quippe modis omnibus reſtium hydrocelen refert, ſi magnitudinem demas, quæ hidrotico tumori præputii non eſt tanta: hujuſmodi tumorem, quem pellucidum adverſa luce adverteris, phlebotomo tardus non eris uno aut ictibus pluribus aperire, poſt aliquantulum cruoris, qui è ſecta cute manabit, deinceps effundi videbis liquidum humorem atque aquam. Experta mihi rea in quamplurimis. *Severinus med. Eff. p.* 81.

XXII. Chirurgi curaturi *colem gangrana obſeſſum*, impoſuere inciſæ cuti, præter myrrham, aloen, extractum abſinthij ac ſpir. vini, conveniens cataplaſma, quo tamen parum aut nihil proficiente, devenere tandem ad ferramenta candentia, quæ late profundeque inuſta bis adeo vitioſam hanc infregere labem, ut coles, quem verebantur periturum brevi ad priſtinum valetudinis ſtatum ſit reverſus; Diſce ergo non ſemper blanda, verum interdum crudeli etiam Medicina ægris ſuppetias ferre, & extremis morbis exquiſite extrema convenire remedia. *Tulpius lib.* 4. *c.* 33.

XXIII. *Glandis non perforatæ* curatæ nullus mentionem facit, uno excepto *Wiero* in Obſervat. Proceſſus deſcribitur ab *Albucaſi* l. 2. c. 55. Acuta lancetta perforetur membrana quæ foramen glandis tegit: Sin vero ulterius intra urethram hæreat malum, ſumitur cannula intus habens acum abſconditam; quod artificium proditum ab *Amato cent.* 1. *curat.* 23.

XXIV. Aliquando in alio loco, nimirum ad radicem penis, ante ſcrotum foramen adeſt per quod mingit puer: Ante paucos annos cuidam talis curatio fuit adhibita, videlicet diſſecta cute in parte colis inferiore, eidem aptabatur fiſtula argentea, & ſupra eam cutis conſuebatur, mingebat autem puer continuo per fiſtulam, & ſpes erat canalem factitium ſic potuiſſe exſtrui per quem deinceps decurreret urina. *Van Horne microtech. p.* 157.

PERIPNEVMONIA.

SYLLOGE.

An venâ ſecanda. 1.
Copioſa ſit ſang. miſſio. 10.
Sanguis mittendus ad coloris mutationem. 8.
An vſque ad leipothymiam. 2.
Amplum ſit foramen, & ſanguis vna ſerie exire permittatur. 9.
Cucurbitulæ *vbi adplicanda.* 11.
Non debent admoveri initio pectori & dorſo. 11. *a.*
Purgatio *initio aliquando convenit.* 3. 14. a.
Aliquando in progreſſu. 15.
Catharſis & vomitoria *vt plurimum nocent.* 12.
Enemata *crebro injiciantur ſed lenia.* 13.
Expectorantia *varientur juxta morbi tempora.* 14.
Eclegmata *incraſſantia prudenter exhibenda.* 4.
Aliter medendum ſi fluat humor à capite, Aliter ſi per arteriam pulmonalem fiat fluxio. 14. b
Attenuantia *calida nocent.* 5.
Frigidæ potus *an conveniat.* 16.
Dulcia *an præbenda.* 7.
Potus *largior concedatur.* 6.
Vinum *an concedendum.* 21.
Repellentia *admota nocent.* 17.
Fomenta digerentia *aliquando nocent.* 18.
Topica digerentia *calida eſſe debent.* 19.
Pleuroperipneumoniæ *cognitio & curatio.* 20.
An purgandum in Pulmonis Eryſipelate. 20. *a*
Vigiliis quomodo medendum. 22.

I. NOn levis eſt diſputatio de *Phlebotomia*, nam ſcriptum eſt ſanguinem detrahendum eſſe per venas communes, nulla autem vena, quæ ſecari ſolet, cum venis Pulmonis communicat: nullique rami è vena cava Pulmonibus diſtribuuntur, quod *Galenus* contra Eraſiſtratum diſputavit multis in locis: Præterea hoc naturæ motus indicat, nam cum in morbis viſcerum, & febribus ardentibus, hæmorrhagia è naribus critica ſit, in Peripneumonia non eſt critica, quia venæ narium, quæ ſanguinem reddunt, nihil habent cum Pulmonibus commune: Si verum ſit ſanguinem naturaliter tranſire à dextro cordis ventriculo ad Pulmonem, vt deducatur in ſiniſtrum ventriculum, inde in Aortam: atque ſi ſanguinis circulatio admittatur, quis non videt in affectibus Pulmonum ſanguinem majore copia eò confluere & opprimere pulmones, niſi evacuetur primò liberaliter, dein partitis vicibus, ad eos ſublevandos; quod fuit conſilium Hippocratis, qui in Pulmone tumente ex omnibus corporis partibus, capite, naſo, linguâ, brachiis, pedibus detrahit ſanguinem, vt minuatur quantitas atque revellatur à Pulmone: Ipſemet in morbis Pulmonum jubet ſanguinem educere donec corpus fuerit exangue: Suppoſita circulatione facilius deplentur Pulmones per v. ſ. Si rejiciatur, non video quomodo ſanguis poſſit inde revelli; nam ſi refluat per venam arterioſam in ventriculum dextrum, obſtant valvulæ ſigmoides, & è cordis ventriculo dextro regreſſum in Cavam ſiſtunt valvulæ tricuſpides: Ergo per circulationem exhauritur ſanguis ſectis venis brachii & pedis: ſimulque deſtruitur opinio Fernelii, in Pulmonum affectibus ſanguinem eſſe potius detrahendum è brachio dextro quam ſiniſtro, quia ſanguis non poteſt remigrare in cavam niſi ruptis duobus clauſtris & obicibus in corde poſitis. *Riolanus Enchir. Med. Pract. l. 3. c. 6.*

II. Statim, inquit *Aëtius*, ſi vires ferant, *ſecetur vena* in vtroque cubito, primò modice, abſque leipothymia, idque repetatur, 1. itaque ſectio ſit moderata, 2. ſit largior, (contrario modo ac in Pleuritide) nam in ſecunda ſectione non ita proſternuntur ad leipothymiam: Cautio itaque adſit ne ad animi deliquium procedatur vſque, nam id, inquit *Aretæus*, ſtrangulatum auget: itaque repetitis vicibus aperiatur vena, recollectiſque viribus. *Heurnius de morbis Pect. c. 5.*

III. *Purgatio* in Peripneumonia interdum ante 7. convenit, quamvis tunc pernirioſa cenſeatur: D. N. annorum lx. laborabat peripneumonia pituitoſa, quæ innoteſcebat ex tuſſi, difficultate ſpirandi, febre, dolore ſub humero ſiniſtro, & maxillarum rubedine: Cum autem multa pituitâ refertus videretur, ejuſque ſatis multam quantitatem evomuiſſet, tum clyſtere injecto ter aut quater alvus ſoluta eſſet, poſtridie ſ. m. ſemel tantum celebratæ, purgans fuit exhibitum ex infuſo Rhei cum Manna & ſyrup. roſac. quo optimè purgatus eſt quarta die morbi, & poſtridie a febre aliiſque ſymptomatibus liberatus apparuit. *Riverius cent. 1. Obſ. 98.*

IV. *Lambitiva incraſſantia* caute admodum adminiſtranda: nihil enim deterius peripneumonicis contingit quam vt ſputum retineatur; & majus periculum impendet illis ex ſputi retentione quam pleuriticis: Itaque ſi fluxio ſit valde tenuis, non improbatur eclegma quod recipit ſyr. de liquiritia, violat. de jujubis, modo tamen permiſceatis aliquid ſyrup. acetoſi aut oxymelitis, vt tenue, quod influit, incraſſetur: ſed quod jam fluxum eſt craſſius redditum attenuetur. *Saxonia Prel. Pract. c. 28. l. 1.*

V. Circa vſum *Attenuantium*, illud moneo etiam, quod video omnes prætermiſiſſe, non probari mihi extenuantia medicamenta illa quæ inſignem obtinent caliditatem: cum tamen omnes Medicinæ ſcriptores probent, & ipſa medicamenta quæ orthopnoicis conveniunt, iridem, hyſſopum, praſſium, &c. Non probantur hæc 1. quia inflammationem augent 2. quia viſcus jam ab inflammatione debilitatum præparant ad vlcus: ideo ad incidendum non tranſitem mulſam, oxymel, aut in calidioribus ſyr. acetoſum &c. *Idem ibid.*

VI. *Aëtius potum* exiguum præſcribit, quod humiditas ſit noxia Pulmoni: At contra Hippocr. decreta, qui lib. 1. de morb. ait ægros debere pocula haurire quibus Pulmones madeſcant: Atteſtatur ratio, nam in peripneumonia, & maximè vbi ſuperabundat bilis & ſanguis calidior, ſicceſcit Pulmo, quæ affectio videtur indicare humectationem, quæ per plurimum potum obtinetur: *Salius Notis in Altimar. c. 51. Mercat. cap. proprio.*

VII. *Hippoc.* 2. de morb. primis diebus *dulces ſorbitiones* exhiberi jubet, vt quod pulmonibus inhæret eluatur: Et alias etiam dulcia pectori amica ſunt: Alii improbant, vt pote quæ calida & facile bileſcentia febrem augent, & ad jecoris ac lienis inflammationem ducunt: Et cum Hippocr. vbi de pleuritidis curatione agit, acidas potiones exhibeat, quò ſputum facilius proveniat, eadem quoque peripneumoniæ competere videntur, cum eadem fere ſit cura vtriuſque: At ſciendum dulcia non vnius eſſe generis, alia enim ſunt calidiora, alia potius temperata: imo nonnulla aquoſa, e quibus poſte-

poſteriora non facilè nocere poſſunt: Et quæ ſunt calidiora non per ſe & ſola, ſed his quæ impediunt ne facilè bileſcant diluta exhibentur: Et quamvis, dulcia magis Epar offendere videntur quam pulmonem, cum ad epar integra & parum mutata perveniant, ad pulmonem vero exigua eorum portio proximè pertingat, tutius omnino eſt dulcia minus calida eligere, & aliis permiſta exhibere. Et ſi humores qui in Pulmone continentur craſſiores ſunt, acidis admixtis vis incidendi & extenuandi intendi poteſt: unde oxymel medicamentis thoracicis affectibus convenientibus admixtum, ad viſcidorum exſpuitionem accommodatiſſimum eſt remedium, 3. de rat. vict. in ac. comm. 2. *Sennertus cap. de Peripneum.*

VIII. *Phlebotomia* fere in omni Peripn. requiſita eſt, imo interdum ſæpius reiterari debet, nam vaſa ſanguine depleta non ſolum morbi fomitem ſubtrahunt, ſed & materiam loco affecto impactam reſorbent: In Peripn. autem, item in Pleuritide, ſanguis detractus, poſtquam refrixit, in ſuperficie ſua pelliculam viſcoſam & decolorem exhibet: Porro obſervare eſt cruorem, modo totum, modo tantum portionem ejus, mutationem hanc ſubire: Si quando enim ſanguis intra tres aut quatuor diſculos recipiatur, interdum in omnibus, ſæpius vero in ſecundo & tertio vitioſus, atque in primo & ultimo ſatis laudabilis apparebit: Quare vulgo præcipitur ſanguinem eo uſque ſemper emittendum eſſe, donec qui ita depravatus eſt exire incipiet, &, ſi vires ferant emiſſionem ejus continuandam eſſe donec iterum bonus effluat: Profecto hanc praxin uti frequens experientia ſic etiam ratio ſatis comprobat: quippe in hoc morbo, ſi quidem haud totus illico ſanguis lentorem iſtum acquirat, portiones primo depravatæ circa obſtructionis locum maxime aggregantur, & circumcirca in vaſis minoribus hærent. Quare ſanguis per phlebotomiam primo exiens ſæpe culpa vacabit, dein vaſa depleta alterum morbificum prius ſtagnantem excipient, & circulationi reddent: Cumque portiones ejus juxta conſitæ juncto velut agmine feratur, ad venæ orificium delatæ ſimul effluent, & poſtquam iſta ſanguinis aggeries tota effluxit, reliquus ſtatim purior ſuccedit. *Willis.*

IX. Quare in hoc caſu *vena ſemper cum orificio ampliore ſecetur*, atque ſanguis e ſcarebra non tantum pleniore ſed & continuata *ſerie* detrahatur: ſecus enim ſi in media phlebotomia, ſanguine vitiato effluente, foramen (uti quorundam mos eſt ne ſpiritus exolvantur) digito occludatur, cum denuo aperitur, cruor ſatis purus proxime effluet, vitioſo ſi quod ejus reliquum erit, præterlapſo, & non ſtatim ad orificium iſtud redituro. *Idem.*

X. Et ſi ſanguis *partite ſit mittendus*, metu ſyncopes non confertim, primo tamen quoque die *copioſe mittendus*, Niſi enim primis diebus copioſa fiat ſanguinis vacuatio, ſuppuratio metuenda eſt: Iam vero cum Pulmo multo ſanguine abundet, non debemus vereri ter, quater, quinquies, ſexies venam ſecare: Si tamen anginæ & pleuritidi ſuccedat, majori cum religione ſanguis mittendus. *Enchir. med. Pract.*

XI. Si metus ſit ne *ſang. miſſione* vires dejiciantur, brachiis & thoraci *cucurbitulas ſcarificatas* admovere licebit, quæ a profundo thoracis ad cutem & partes externas ſanguinem trahunt: Primò tamen brachiorum muſculis adhiberi conveniens eſt, ut aliquomodo ſanguis evacuetur, & à pulmonibus avertatur, poſtea & ſcapulis vel pectori, ſi id carnoſum ſit, Etſi enim locus vicinus eſſe videtur, tamen a pulmonibus aliquomodo diſtat, & ab interioribus ad exteriora trahitur, *Sennertus.* Ratione diverſionis venæ ſectioni *Aretæus* ſubſtituit inanes cucurbitulas, tergo, dorſo, aliiſque corporis partibus; Sicut ratione derivationis, pectori & lateribus: Scarificatas proponit *Paulus*, quæ tamen nonniſi deploratis apponendæ; *Fortis conſult. 49. cent.* 1. Quod ſi corpus carnulentum ſit, quominus circum oſſa cutim Cucurbitula incumbens affligat, ibi eam affigito: nam ſic ad quancumque partem corporis humores diſtrahentur, & ſpiritus ad extima evocantur, quibus Pulmo opprimitur, Nec probo eorum ſententiam, qui viribus deficientibus ad ſanguinis detractionem mox à principio moliendam, ejus defectum ſupplent ſcarificatis cucurbitulis pectori & dorſo, cum 11. meth. c. 17. & 13. cap. 19. id omnino renuat *Galenus*, Sat enim erit eo tempore muſculis brachiorum primo affigere, quo aliquomodo evacuetur diverraturque fluens humor, ac poſtea pectori, ſi, ut ante dictum eſt, carnulentum fuerit. *Mercatus.*

XII. Ut vaſa depleta morbi fomitem ſubtrahant, aut ipſammet materiem morbificam reſorbeant, etiam *Catharſis* a multis præſcribitur: In veterum praxi contra hunc morbum, ſicut & pleroſque alios, poſt phlebotomiam præparantia & purgantia uti conſtanti inſtitui ſolent, atque nuper Chymici cum majori audacia *Vomitoria* propinant, & præ cæteris quibuſque remediis in Peripneum. prædicant: Quinimo phlebotomia neglecta, aut interdicta, præcipuum curationis cardinem in Emeticis ſtibiatis collocant: quo temeratio illorum conſilio neſcio an quicquam pernicioſius excogitari poſſit: In ruſticis & robuſtis corporibus interdum hæc pharmacia impune celebrantur, plerumque tamen haud minus infructuoſe: In teneris vero conſtitutionibus vix veneno inferius cenſeri debet: Quod vero ad catharſin ſpectat, etſi non ſtatim ab initio conveniat, quin fere ſemper officit, attamen finita materiæ morbificæ fluxione, & ſedata ſanguinis efferveſcentia, cum pharmaco ſolutivo corpus blande evacuare licebit. *Willis.*

XIII. Purgantium vice *Enemata* crebro, imo plerumque quotidiano ſint in uſu: hæc autem lenia tantum ſint & emollientia, quæ ſine magna humorum aut ſanguinis agitatione alvum blande ſubducant, ex lacte, ſero lactis, cum ſacch. rubro, ſyrupo violat. &c. *Idem.*

XIV. Præmiſſo initio morbi leniente ex manna clariſ. & ſyrup. roſ. ſol. deinceps medicamento alvus non ſollicitanda, ut monet *Hippoc. 3. de morb.* n. 17. ſed materiæ vacuatio *per ſputum* molienda: atque ſicut ab initio conveniont diapenidium, diacod. diatrag. frig. flos papav. errat. aqu. pimpin. & hederæ terr. &c. hæc enim ſanguinem fluentem ſiſtunt & valde refrigerant., Ita in progreſſu ℞. *julap. aceroſ.* ℥ij. *ſyr. de ibiſco* ℥j. *miſce* pro Linctivo, Paulatim ad magis attenuantia & expectorantia progreſſu facto. Sic *Aëtius* exhibet mulſam decoctam cum hyſſopo aut iride ſicca; Si autem urgeat ſuffocatio, nitrum quoque hyſſopi decocto addit. &c. *Fortis conſult.* 40. *cent.* 2.

XIV. *a* Clyſteribus acrioribus revocandus eſt materiæ impetus, & copia ſuccorum crudorum minuenda: Sed cavendum eſt ne nimium alvum turbemus, periculoſa enim, ut *Hippocr.* refert, eſt in Pulmonia alvi fluxio, niſi ſpumoſum ſit quod

excernitur, quapropter *Avicenna* non laudat humorum purgationem in hoc affectu, exagitatur enim furioſius motus humor, & vberius confluit in locum affectum, præterquam quod ab eo, qui in parte inflammata continetur, nihil trahit medicamentum: Verum ſi humorem fluere, aut corpus nimia ſpurcitia abundare cognitum fuerit, ſanguine ſufficienter emiſſo, non erit abs re ipſum purgare levi pharmaco, aut acriori, ſed in minoribus copis. *Mercatus.*

XIV. *b* Quod ſi affectio per defluxum crudioris ſanguinis dilabentis in pulmonem fit, cavendum eſt capiti providere his auxiliis quæ caput evacuent, & reliquias alibi transferant, ac è pulmone quod fluxum eſt educant facile: Ob id ſanguinem quidem mittes e cephalica, aut ex vena carpi manus: Item cucurbitis vteris cum ſcarificatione brachiis affixis: nec erit abs re, velut in angina, venas quæ ſub lingua ſunt ſcindere: At ſi per venam arterioſam ſanguis in pulmonem irruat, copioſus aut vitiatus, tunc quidem ſatius erit ex communi vena ſanguinem copioſum fundere ex vtroque bracbio, & poſtea pectori *providebis* præſidiis pulmoni idoneis. *Idem.*

XV. Si forte materia exuberet in Pulmonibus cum ſtertore, nec per ſputum educi poſſit, atque ob id immineat ſuffocatio, vt nos aliquando vidimus, tunc ad *Evacuationem per alvum* nos compellit neceſſitas: quo caſu non ſemel felici ſucceſſu experti ſumus mannam, alternis diebus exhibitam, cum ſero copioſo tribus poſt horis, in bilioſis, In pituitoſis vero cum mulſa ex aqua hordei parata, & duabus horis ab his aſſumpto cibo, quod tribus aut quatuor vicibus repetendum: natura enim anguſtis rebus à medicamento ſolvente prolectata parat ſibi vias, & per venam azygon materiam ad alvum deponit. *Fortis conſult. 40. cent. 2.*

XVI. Alterantis loco, & calorem febrilem ac inflammatorium contemperantis, *Frigidæ potus* proponitur ab Hippocr. 1. acut. 43. Qua tamen caute vtendum, & nonniſi inflammatione eryſipelacea, aut omnino initio, ne alioquin pars inflammata, & materia ipſa magis magiſque denſetur. Serum aſininum hoc caſu præbendum. *Idem.*

XVII. In vſu *topicorum*, initio inflammationis, *repellentia & adſtringentia* aut nulla aut imbecilla admovenda, tum ob cordis propinquitatem, ne in partem principem humor repellatur, tum ob reſpirationem neceſſariam, ne impediatur pectore contricto eorum vſus: Sufficient ergo olea roſaceum, myrtinum & violaceum, cum aquis roſar. violar. & ſucco plantaginis. *Chalmeteus Enchir p. 145.*

XVIII. *Fomenta* quæ vim habent digerendi, præmiſſis vniverſalibus evacuationibus & revulſionibus, nihil quidem obeſſe poſſunt, ſed tamen mihi non admodum probantur: Nam vix aliquid à Pulmonibus digerere poſſunt, & materiam à pulmonibus in Pleuram ducere poſſunt, ut propterea tranſeat affectus in Pleuritim: Et quanquam minus malum ſit pleuritis, nihilominus ſi duæ ſimul complicentur inflammationes, deploratus eſt caſus: poſſunt autem ambæ ſimul jungi, cum fotibus calidis materia pulmonum trahitur in thoracem pleuram & muſculos thoracis: Si dolor adſit circa mediaſtinum, quia tunc temporis materia continetur in membranis, illo loco fomenta calida applicita non improbantur; licet mihi improbentur oppoſita dextræ vel ſiniſtræ parti, cum nullus vigeat dolor. *Saxonia.*

XIX. Notandum ex *Galeno Topica* thoraci admovenda, non ſolum vim *digerendi ac diſcutiendi* habere debere, ſed his acrium aliquid & vehementer calefacientium admiſcendum eſſe, ad evocandam materiam ab internis partibus ad exteriores: In qua materiei tranſinuatione Hipp. 2. de morb. agens de Pulmonis eryſipelate, maximam habebat ſalutis peripneumonicorum confidentiam; Ad quam eandem intentionem talia medicamenta probabat Galen. l. xi. Meth. c. 17. *At longe quidem magis in pulmonis phlegmone abſtinendum ab adſtringentibus eſt, quando in eo ipſis quoque relaxantibus admiſcendum aliquid acrium quodammodo, & vehementer calefacientium eſt, quippe foras trahere potius quam reprimere debemus.* Quod idem docuerat lib. 2. ad Glauc. in cura inflammationis. *Hæc igitur quæcunque in Pulmonis inflammationibus extrinſecus thoraci applicantur medicamenta, valde fortiora atque acriora naturâ ſunt quam ſi ipſa membro patienti apponerentur. P. Salin. Ann. in Altim. cap. 51. Rubeus in Celſi l. 4. c. 7.*

XX. An ſit *Purgandum* vbi *Eryſipelate Pulmo* detinetur, hinc inde probabiles ſunt rationes: nam cum evacuatio bilis poſſit facere ad retractionem materiæ, & ad tollendum fervorem, qui tolli poteſt eductà materià fervente, videtur rationaliter purgandum eſſe: Ad quod reſpiciens Hippocr. 2. de morbis ſtatim purgans exhibendum monet: Ex adverſo ab eodem 4. regim. acut. t. 22. purgantia initio morborum ex inflammatione pendentium damnantur, quia nihil ab inflammata parte adimunt, cum non cedat quæ adhuc cruda eſt affectio, ſed potius partes ſanas abſumant & tabefaciant: ♃. Nulli dubium quod materia cruda exiſtente, & in loco particulari fixa manente, non conveniunt electivè purgantia, ob rationes dictas; Sed vltra electiva dantur quæ tantum lenientia exiſtunt, nec pertingunt partes inflammatas, ſed ſolum vias communes expurgant, & per quandam conſequentiam à parte affecta aliquam humorum retractionem faciant: Talia non debent improbari, quia non inferunt noxam quæ ab electivis timetur, materia exiſtente cruda: imò laudari debent, cum poſſint materiam & minorare & retrahere: Quæ tamen importune non exhibeantur: etenim corpore prius per v. ſ. eventato ac laxato, & viis aliqualiter paratis, exhibenda ſunt: Nec omnia lenientia ad hunc vſum indiſtinctè aſſumi debent, ſed ea ſolum, quæ & humectare reſiccatos pulmones, & materiei bilioſæ acrimoniam, fervorem & ebullitionem retundere apta ſunt; Talis præcipuè erit Caſſia cum multo Tamarindorum decocto diluta: à caſſia enim habemus humectationem & acrimoniæ temperationem: à tamarindis fervoris & ebullitionis frænum. *Pet. Salius comm. in t. 60. lib. 1. de morbis.*

XXI. *Hippocr.* l. 2. de morb. ſ. 3. mentionem facit cujuſdam Pulmonum morbi, à Peripneumonia non multum differentis, quem *Lethargum* vocat: Quarum affectionum differentia in ſola materia conſiſtit: In Peripneumonia enim humor prædominio peccans bilis eſt, ſive ſanguis bilioſus: in hoc vero affectu pituita eſt: vnde ficut in Peripn. ob caliditatem delirium conſequitur; in Lethargo, ob humiditatem, Sopor accedit (vide tit. de *Lethargo*) & a putredine levis quædam deſipientia aſſociatur: Hujus verò loci & lib. 3. diſcrepantiam, in vino exhibendo, componere non eſt diffi-

cile,

cile, Si conſideremus *Hippocrat.* in Pectoris affectibus raro vinum non exhibere, ſi non ratione potus, ſaltem gratia medicamenti, quò ſputum facilius educatur; aut medicamentorum virtus ad Pulmones citius perveniat: quâ quidem ratione ſæpiſſimè ſorbitionibus vinum ſuperbibendum jubet: quod in hoc affectu factum eſt, in quo, quin ob delirium vini potus ſuſpectus eſt, ideo à vini potu abſtinendum lib. 3. jubet: Non tamen vetat quin ratione medicamenti, in pauca quantitate, ſorbitionibus ſuperbibatur: *P. Martianus comm. in v. 242. loco cit.* Apud nos vini potum in Peripneumonia (imò quibuſvis ferè Pectoris calidis affectibus) nocentiſſimum eſſe experientia quotidiana fidem facit, et vel ſolus odor ægros offendat: imo ne ingruente lipothymia impune concedi poteſt quin fatum ægri acceleretur. Regionis an vini conditio cauſa ſit, vel aliâ quæpiam, diſquirendum relinquo: Certe Pulmoni cor vicinum, caloris à vini potu concepti cito particeps evadit.

XXII. Maxima difficultas eſt quid contra *Vigilias*, ſi quando gravius urgebunt, exhibere oportebit: quippe Opiata, quia reſpirationem, quæ in hoc morbo jamjam impedita eſt, amplius lædunt, vix tuto ſumuntur, imo interdum perniitioſa evadunt: quapropter laudana, & fortiora Opii præparata, in Peripneumon. cane peius & angue vitentur: Interea tamen anodyna, & hypnotica mitiora, uti imprimis aqua & ſyrup. papav. rhæad. non tantum conceduntur, verum in hoc morbo, & pleuritide, remedia ſpecifica habentur: cæterum diacodiatis, dummodo vires conſtent, & pulſus ſatis fortis & laudabilis fuerit, interdum uti licebit. *Willis.*

PERNIONES.

SYLLOGE.

Curatio Hippocratica. 1.
Præcautio. 2.

I. **V***T Perniones diſſolvas*, tepefacere pedes oportet hoc modo, præcipuè calefacere igne & aqua, *Hippoc. 5. Epidem.* Perniones cutis refrigeratione & denſatione fiunt, proinde calfactione & laxatione curantur: nulla re calefieri facilius poſſunt manus aut pedes quàm Igne: verum ignis calor non adeo laxat, quin potius, ſi plurimum quis ignem ſuſtineat, ut exuri incipiat cutis, etiam corrugatur & adſtringitur: Proinde meritò Pythocles calfaciebat alterue aqua calida & igne: calida enim aqua laxat ſimul & humectat: quare igne calefaciente, & aqua laxante, ac uſtionem prohibente, diſſolvetur materia, laxabitur cutis & temperabitur pars: Nec ſanè ſola aqua tepida agetur commodius (quanquam ea videatur utrumque præſtare poſſe) quia cum ea valde emolliat, niſi emollitio ignis ſiccitate corrigatur, manebit pars noxæ ab ambiente aëre per opportuna, & occurſu illius mox findetur & afficietur gravius; quin & utenti alternatè aqua & igne, etſi minus, nonnihil periculi inde eſt; ac propterea qui curatur, nunquam debet pannis duplicibus & mollibus pedes exuere: Hæc Pernionum curatio mihi valde probatur. *Vallesius Ep. lib. 5.*

II. Cum non omnes partes à frigore ſatis muniri poſſint, ne tamen poſtquam in aere frigido quis verſatus eſt aliquid damni patiatur, partes refrigeratæ non primo qualitate contrariâ alterandæ ſunt, ſed potius ut cauſa quæ ſeſe parti inſinuavit tollatur, danda opera: Ideoque (quod regionibus Septentrionalibus notum) pars refrigerata non igni admovenda, aut calida ei imponenda; hoc enim ſi fiat frigore, aut potius atomis frigidis in parte receptis, & ad peniriora partis affectæ detruſis, ſæviſſimus dolor oritur, imo interdum gangræna excitatur: ſed pars refrigerata nive perfricanda, ut à ſimili frigus vel frigidum à parte affecta extrahatur. Eodem modo ſicut poma, vel ova congelata, in aquam frigidiſſimam conjecta reſtituuntur ſuæ naturæ extracto gelu extra putamini adhærente. *Sennertus*, vide *Hildanum de Gangrana c. 10.*

PHRENITIS.

SYLLOGE.

An in omni vena ſecanda. 1.
Cavendum ne dehiſcat ſectio. 2.
Apertio venæ frontis *potior ea quæ fit pone aures.* 3.
Sectionis venarum narium *efficacia.* 4.
Arteriotomia *temporum optima.* 5.
Ad animi deliquium ſanguis non mittendus. 8.
Vena frontis *initio quibus tundenda.* 12.
Clyſteri ſ. m. aa ſemper præmittendus. 9.
Poſt S. m. ſomnus conciliandus. 11.
Ex puerperio recente orta hirudinibus interna uteri partis admotis ſanata. 10.
Cucurbitulæ *cui loco admovendæ.* 6.
Sincipiti admota efficacia. 13.
Topicis *caute utendum* 9. a.
Elective purgantia *initio an conveniant.* 7.
Hypnotica *fortia initio noxia.* 28.
Narcotica *an tuta.* 20.
Non omnibus danda. 29.
Intempeſtivus refrigerantium *uſus noxius.* 27.
Coriandri decoctum an juvat. 22.
Oxyrrhodinis *ab initio locus.* 14.
Oxyrrh. frigidi non abutendum. 15.
Tepida *an frigida admovenda.* 16.
A repellentibus *quando abſtinendum.* 17.
Caput an radendum. 18.
Pulli Columbini, *&c. quando admovendi.* 19.
Crurum lotionum *utilitas.* 9. b.
Virium ſumma habenda ratio. 23.
Vini *uſus an concedendus.* 25.
In luce an tenebris detinendi phrenitici. 26.
Vinculis coërcendi. 21.
Suppreſſa urina *quomodo movenda.* 24.

I. **A** *Vena ſectione* quidam abſtinendum cenſent cholericorum ebullitionem metuentes, ex qua putant bilis excandeſcentiam, evacuato ſanguine, qui eſt frænum ſanguinis, ſecuturam. At hoc à ratione alienum, nam omnes pariter in venis exiſtentes humores V.S. beneficio vacuantur: præſertim cum multa bilis portio extrahatur, aut ſanguis bilioſus in bilem ſtatim convertendus, cum hic humor tenuitate ſua promptius ſecta vena educatur: Dein ſola bilis flava, ſeparata à ſanguine, non fluit ad cerebrum, ſed cum ſanguine permixta & confuſa: dicitur tamen ſincera, non ſim-

ceritate vera, ſed apparente, quoniam minimum alterius humoris admittit; Neque quod in Eryſipelate non mittat ſanguinem *Galenus 14. method. 3.* ex eo in Phr. h. e. Cerebri Eryſipelate, condemnandum hoc auxilium eſt, nam inibi agit *Galenus* de Eryſipelate externo, hic de interno & magis periculoſo agitur. Sic in pleuritide, quæ à bile fere originem ducit, copioſe ſanguinem educit. *Zacutus lib. 1. Princ. Med. Hiſt.* 11.

II. In omni *vena ſectione*, quæ præſente delirio fit, hoc obſervandum vt foramen non amplum fiat; Sic enim vulnus citò coaleſcit, quod etiam accurate obligandum eſt, ne ab ægro diſſolvatur: Tum ad promptiorem coalitum vtile erit emplaſtrum ex aloë, albumine ovi & pilis leporinis paratum applicare. *Riverius.*

III. Inter derivantia remedia locum habet *apertio venæ frontis*, è qua detrahendus ſanguis ad ℥v. vel vj, quæ feliciter ſuccedit, dummodo ſufficienter antea per venas brachij ſanguis detractus fuerit; Affigantur etiam hirudines ponè aures: quod remedium vtile quidem eſt, ſed priori minus efficax; quia per hirudines tenuiſſima tantum ſanguinis portio educitur, cum per venam frontis aliquando in phrenitide ſanguis impurior & magis corruptus educatur quàm ex vena brachii. *Idem lib. 17. cap. 1.* Exemplum vide *apud Heurnium aphor. 72. 4.*

IV. Dux ſtrenuus cum phrenitide magna laboraret, & ob validos corporis motus nulla ravellentia poſſent adminiſtrari, quidam, noſtro conſilio, pennam ad radicem multum fiſſam, & in ſtellæ effigiem paratam, intra nares improviſo intrusit, ac fortiter circumduxit; quo facto tanta ſecuta eſt ex nare dextrâ ſanguinis vacuatio, (erat enim juvenis quadratus & ſanguine turgens) vt copioſiſſimam æquatet phlebotomiam: quâ copiâ ejectâ, natura à ſarcinâ levata, reſiduum per ſudorem alvique fluxum excrevit, & æger paulilper ad ſe rediens convaleſcere cœpit. *Zacutus lib. 1. hiſtor. 11. Princ. Med.*

V. Cum in dolore oculorum *Arteriotomiam temporum* optimam invenitem, eandem etiam in phreniticis magna cum felicitate expertus ſum: Tanti eſt arteriæ temporum ſectio, vt ab ipſa vexati ſtatim aliquando reſipiſcant & brevi convaleſcant: ratio in promptu eſt, quoniam ignei & vaporoſi humores illi, qui vrinas albas linquendo, ex hypochondrijs caput petentes, meninges inflammant, arteriotomia refrigerantur magis quàm V. S. *D. Panarolus Pent. 1. Obſervat. 29.*

VI. Si per *Venæ ſectionem* totum non liceat emittere ſanguinem, cucurbitulas apponemus, revulſionis cauſa, in partibus internis coxarum; & ad derivationem, collo potius quàm omoplatis, vt vulgus Medicorum facit: Sunt autem ponendæ ſupra ramos venarum, aut ſaltem prope, quia retractio debet fieri per venas magnas non per capillares, per quas non poteſt fieri magna S. m. in his qui ſanguine abundant. Scarificatio facienda poſt applicationem, ne ſanguis concreſcat in parte, & ob id rurſus admoventur cucurbitulæ cum parvo igne & citius auferuntur: Scarificatio autem ne fiat ſupra magnas venas, neque nimium profunda, ne magnæ venæ aperiantur. *Rondeletius lib. de Febribus cap. de Synoche.*

VII. Quidam ab *electivè purgantibus* abſtinendum cenſent. Quod materia cruda ſit, humorque vitioſus à bono nondum ſeparatus, qui, ſi agitetur, citius & majori cum impetu ad caput irrupturus ſit. Alij contra plus commodi ſperant ex humorum vacuatione quàm damni ex agitatione: quanquam etiam negare non poſſint humorem plerumque adhuc eſſe crudum, tamen eundem conditionem turgentis materiæ habere exiſtimant, & errabundum caput petere, ideo citò purgandum eſſe ne ad caput ruat, præſertim cum Sanguinis miſſione totus vacuari non poſſit. Verum diſtinctione hic opus eſt, & perpendendum an inflammatio ortum habeat à febre; an febris ab inflammatione, vt morbo primario, proveniat: Si enim morbus primarius febris ſit, atque ex cacochymiæ in venis agitatæ motu excitetur inflammatio, non immeritò talis materia ad turgentem refertur; ideo de conſilio *Hippocr. 1. aphoriſm.* 22. per initia ſtatim vacuanda: ac quamvis natura ad certam partem eam pellat, tamen tam immobilis non eſt quin ductus purgantis facilè ſequatur: atque turgentem eſſe vel ex eo patet, quòd materia talis primo in hanc partem moveri videtur, mox ad aliam fertur: vnde ex pleuritide fit nonnunquam angina, vel peripneumonia, ex hac pleuritis. Si vero materia jam fuerit in cerebrum recepta, & initium morbi prætetierit, fruſtra dantur purgantia: Ad declinationem etiam, quod vult *Maſſarias*, cum periculo differtur purgatio, cum morbus occidat vel initio, vel augmento, vel ſtatu: Alia vero longe ratio eſt inflammationis quæ ſine febre præcedente à cerebri vel membranarum ejus læſione, aut ab effervescentia ſanguinis in capitis venis provenit: Ibi enim omnino *Hippocrat.* conſilium *2. de fract. t. 20.* & 22. ſequendum, qui in talibus inflammationibus purgat quidem initio, dum febris abeſt, Si verò febris accedat, amplius non purgat; Non enim tum turgens eſt materia, qualis eſt quæ per febrium initia ad partem aliquam ruit; neque morbi initium eſt ex venis totius, ſed ex peculiari parte provenit. *Daniel Sennertus cap. 27. lib. 1. part. 1. Practic.*

VIII. Etſi copioſa *Sanguinis miſſio* requiratur, præſertim ſi is copioſior, inflammatio incipiens, nec ex alio morbo orta, Non tamen, juxta Arabes quoſdam, ad animi deliquium is ducendus, ne collabantur vires per ſe debiles, à vigiliis & continua jactatione, & quæ à victu paulò pleniore auxilium expectare nequeunt, tutius eſt eam partiri. *Sennertus.*

IX. Licet dare clyſterem poſt venæ ſectionem, nam ſi fueris vocatus mane, in primò die morbi, ſtatim nulla interpoſita mora poteris ſecare venam, etiam non prius adhibito clyſtere, cum periculum ſit ne materia copioſa feratur ad caput: Nam, (*vt Hippocrates, inquit libro de ratione victus*) non exhibito clyſtere venam ſeca, ob urgentem neceſſitatem; Si tamen dentur induciæ, clyſter exhibeatur. *Rondeletius Pract. lib. 1. cap. 15.*

IX. *a.* Nuteturne vſus *ſtupefacientium* ſit continuus, ne fiat tranſitus è phrenitide in lethargum: Caute quoque applicentur externa in his qui jam imbecillis ſunt viribus, ne materia in capite coaguletur, & præ imbecillitate virium reſolvi poſtea & diſſipari non poſſit. *Hartmannus Pract. Chimiatr. cap. 8. §. 9.*

IX. *b* Interea quæ motum materiæ ad caput impediunt, maximum beneficium expectabis à crurum lavacris; ni timueris macularum in morbis mali-

malignis retroceſſum : quo tempore id præſidium parabis in conclavi calido, & temporibus æſtivis, aut maculis jam evaneſcentibus : licet lavacra aliquando plus ipſas maculas evocent : Eſt enim præſtantiſſimum hoc auxilium, tum quia calorem evocat ad infimas & extimas partes, tum vero quia calore & laxitate partium per eaſdem quod attraxerat diſcutit. *Mercatus.*

X. Fœminam à partu ex menſtruo retento Phrenitis invaſit ; cum curationis cardo in revocanda ſuppreſſa vacuatione verſaretur, nec vlla revellentia juvarent, Ad originem mali & occaſionis principium devenire conſultius judicavi, ſicque quatuor *hirudines interna parti vteri* filo appenſas apponere jubeo, ex quarum ſuctu ſequuta larga vacuatione ægra convaluit. *Zacutus Med. Pract. pag. 6.*

XI. Summa adſit cautio vt veſperi ab abducto ſanguine *Somnus concilietur :* vacuato enim ſanguine ſi vigiliæ ſuccedant magis efferantur ægri: propinamus itaque diacodium cum ſucco ptiſanæ, vel cum aqua, nam ſæpe à ſomno reſipiſcunt. *Heurnius, Riverius.*

XII. Monent *Avicenna & Alexander* ſi non ſit poſſibile habere manus Phrenitici, ſecandam eſſe *venam in fronte*, vt ſanguis è capite vacuetur: Id quod intelligendum de Phrenitide bilioſa & atrabilaria, in qua non eſt copioſus in toto ſanguis & ægri ſunt admodum inobedientes ; at in ſanguinea hoc præceptum nequicquam habet locum, quia ſanguis copioſior facit delirium mitius, vt ægri brachia porrigant, poſſimuſque cephalicam aperiſe: *Capivaccius.*

XIII. *Galenus* m. m. *l.* 13. cap. 21. ait in Phrenit. *cucurbitulam capiti admotam & ſcarificatam* quandoque revocaſſe phreniticum à morte : miror equidem his temporibus præceptum hoc non obſervari : ideoque hortor vos vt vigente neceſſitate, i. e. in pertinaci Phren. hanc cucurbitulam vſurpetis, ſicut & nos aliquando vſi ſumus : Quoad locum, adhiberi debet ſuturæ coronali, oportetque magnam eſſe cucurbitulam *Idem.* Fœminæ phreniticæ, & debili, ideoque cum nullus remedio generoſo eſſet locus, in caſu conclamato ad *cucurbitulam in ſyncipite ſcarificatam* acceſſi, ex qua cum ſanguis copioſe emanaret ſana evaſit. *Zacutus.*

XIV. Hic quorundam error notandus, dum in phreneſi incipiente non audent prima die vti *Oxyrrhodinis :* errant, quia interim dum totum purgant vacant primo cauſæ & deinde vrgenti : quæ præpoſtera medicina mortis cauſa plurimis eſſe poteſt : quoniam dum humor in capite eſt confluxus, & extra venas eſt expulſus, non poteſt amplius repercutientibus propelli : quinimo ibi manente humore, quamplurima & exitioſa ſymptomata exſurgunt. *Santtorius lib. 15. c. 11.*

XV. Phrenitis aliquando tranſit in Lethargum, quia humores refrigerantur vſu medicamentorum frigidorum, & vbi eſt materiæ craſſities : Exinde quoque aliquando contingunt Phrenitides illæ obſcuræ, blandæ ac tremulæ, quas *Galenus* Hecticas appellat. *Rubeus cap. 13. lib. 3. comment. in Celſum.*

XVI. *Avicenna* non ſolum *Oxyrrhodino* frigido, ſed etiam nive refrigerato vti docet ; quoniam cerebrum non ſit ita frigidum (nam ex *Galeno* 8. *de Vſu rp Part.* aere æſtivo calidius invenitur) quin frigiditatem ſolacei non admodum inſignem perferre poſſit : Aſſentiuntur Gattinaria, Maſſarias, &c. Haly & alij frigida adhibenda cenſent, ita tamen vt materia antecedens tempeſtivè primum ſit evacuata : *Philotheus Elianus* tutius ait eſſe *Poſidonij* conſilium apud *Aëtium*, vt æſtate exactè tepidum, hyeme vero moderatè calidum adhibeatur, adducitur ratio, quia frigus moderatus denſet, ubi viam præpediat, humores & fuligines non diſcuti permittat & membranis infeſtum ſit. *Hildesheim* hanc diſtinctionem adhibet, quod ſi materia incipiat habere raptum in caput, debeamus vti oxyrrhodino actu frigido, quia magis reprimat : Si autem Cerebrum jam affectum ſit, admovebimus oxyrrhodinum actu tepidum, quò ſic conſulatur cerebro. Contra alij ſtuppas cannabinas, ſuccis potentia frigidis imbutas, cum aceto tepidè vel calidè adhibuerunt, ne vaporum prohibeatur tranſpiratiō, ratione frigiditatis, & hoc modo delirium augeatur: Sed nota quod monet *Gradi*. & poſt eum *Foreſtus lib.* 10. *Obſervat.* 6. Naturas videlicet cum anni tempore, vel externo aëre, conſiderandas eſſe : In naturis enim fortioribus & robuſtis, vbi vehemens caliditas circa caput eſt, adeòque phrenitis exquiſita, & præſertim æſtatis tempore, non tantum virtute, ſed etiam actu frigida ſunt adhibenda : At verò vbi corpus debilius, puerile vel ſenile : nec etiam tantus fervor circa caput, idque tempore hyemis, tepida potius applicanda, maximè iis in locis vbi magis vis medicamentorum penetrare poteſt, nimirum circa ſuturas : Eſt & hoc notandum quædam Topica facilè per ſe penetrare, vtpote confecta ex aceto, verbena, anetho & ſimilibus : quæ ſæpius frigidè adhibita, ſuam nihilominus operationem perficiunt : alia eſſe adſtringentia, vt roſas, *plantaginem, bolum armenam*, quæ commodius agunt calefacta. *Gregorius Horſtius Problemat.* 4. *Decad.* 2. Non nimis diu horum vſus continuetur, ſed circiter dies tres ſaltem; aceti etiam portio minor ſit, ob vigilias quæ vigent. *Sennertus.*

XVII. Si, quod nonnunquam accidere ſolet, inflammatio ad cutem & verſus capitis partes exteriores vergere videatur, ne materia intro & ad cerebrum repulſa gravius malum inducat, à *Repellentibus*, imprimis fortioribus, abſtinendum. *Sennertus.*

XVIII. Concertant inter ſe an *Caput radendum* ſit, vel non : Exiſtimant enim raſo Capite plus humoris affluere ; verum cum alterantia & reprimentia vapores ; quale eſt oxyrrhodinum, (aceto enim *Galenus* 11. *method.* vim reprimendi tribuit) & alia frigida quæ commendat, facilius raſo capiti applicari poſſint, & materia detonſo pilo magis exhalet, auferendum omnino cenſent. *Crato in* ἀναλεγομ. Raſo capiti topica imponantur (quoties incaluerint renovanda) cùm vt vis medicamenti melius penetret, tum vt capite onere capillorum levato fumi facilius diſcutiantur : Non enim, quod Archigenes metuit, tam brevi tempore detonſa capillorum ſeges fruticare poteſt, vt plus materiæ hac ratione ad caput trahatur. Ubi autem capilli per ſe breves, aut rariores ſunt, etiam intonſo capiti rectè iſta applicari poſſunt. *Sennertus.*

XIX. Tandem in ſtatu phrenitidis, aut declinationis principio, *Reſolventia* admovenda ſunt, præcipuè animalia, aut eorum partes, pulli columbini, catelli, pulmo vervecinus, qui commodius

eſt quud rotum caput molliter amplectatur. Male autem à nonnullis initio admoventur, quis calorem augendo, fluxionem ad cerebrum magis promovent & delirium intendunt. *Riverius l.17.cap.1. ſect.3.*

X X. Quia in hoc affectu *Vigiliæ* maximè vrgent, omni arte ſomnus conciliandus eſt ab ipſo morbi initio: ad id conferunt repellentia propoſita, præſertim ſi ante oxyrrhodini admotionem caput oleo violaceo frigido perfundatur, quo etiam convulſionibus obviam itur. Interius cum julepis aut emulſionibus interdum exhiberi poterit ſyrup. de papav. ℥j: vel laudani Opiati gran. iv. aut v. quod etiam in clyſteribus vſurpatum ſatis potenter & tutius ſomnum conciliat. Attamen in Narcoticorum vſu cautus eſſe debet Medicus: Exhiberi enim non debent ſi vires ſint valde debiles, ne ſpiritus & calor ab iis extinguatur. *Lazarus Riverius.* Vide *Zacutum Praxeos Adm. lib. 1. Obſervat.* 16.

X X I. Quando Phrenitici fiunt furioſi, jubete eos ligari, & cavete ne accedatis, quia aliquando interficiunt Medicos: Et Venetiis novi quendam Phreniticum, qui duos Sacerdotes interfecit: Accedit quod ex huiuſmodi ligamentis fit diverſio materiæ à capite: & eo tempore quo Phrenitici habent ligaturas ferè nunquam delirant &c. *Saxonia Pral. Pract. c.* 3.

X X I I. Pro *Potu* quidam *coriandri decoctum* præbent, quod tamen mihi ſuſpectum eſt, cum ſemina coriandrorum ex ſe apta ſint turbare mentem delitiumque inducere, vt notat *Dioſcorid. l. 3.c.66.* Nec obſtat authoritas *Avicennæ* coriandrum frigidum cenſentis; magis enim credendum *Galeno, Dioſcoridi*, experientæ, rationi ac veritati. *Salius c. 6. Annot. in Altim.*

X X I I I. Interea *virium* maxima *habenda ratio*, nempe ijs nimium labefactis curationis ſpes omnis deperditur: vires autem citò atteri ſolent ob magnas vigilias, animi & corporis agitationes perpetuas, victum tenuem, & phlebotomiam quandoque ſæpius requiſitam: Quare ſedulo cavendum eſt ne dum catharſi, aut crebriori ſanguinis miſſione morbum eradicare faceſſimus, functionem vitalem ſubito debilitemus: Si hęc vacillare incipit, neglecta phreneſi & victu magis ἰσχυρῶν cõceſſo, cardiacis præcipue attendendum erit: *Willis.* Medicamentis ſemper addere quid *ſolutionis perlarum* expedit, & in declinatione aliquot *auri potabilis* guttas, ſolet enim natura confirmata ſæpe morbi reliquias per ſudorem pellere. *Hartmannus.*

X X I V. In Phrenitide *vrina* aliquando *ſupprimitur* ſexto die, præſente febre continua, cui movendæ ſi Medicus tantopere incumbat, errat: Hæc enim retentio ſæpe criſin per ſudorem indicat: *Hippocrat. 6. Epidem.* 1. Ideoque non eſt curanda ſed naturæ bene agenti committenda, ne natura turbata per intempeſtiva diuretica ad interitum deducatur æger, quale exemplum proponit *H. ab Heer Obſervat.* 5. Si tamen Diuretica hujuſmodi ſint indolis, quæ vna ſunt diaphoretica, aperientia, incidentia & tartarum moventia, qualia ſpiritus Ant-Epilepticus *Hartmanni*, cujus effectus mirandos in Epilepſia aliiſque capitis affectibus ipſaque mania multoties expertus ſum, inprimis ſi dicti affectus oriantur ex ſucco nervorum nimis hebeti, acido & quaſi vapido, in hoc caſu maxime conducunt medicamina ſale alkali volatili referta, qualia ſpiritus c. c. ſanguinis hum. rectif. fuliginis, egregii ſunt vſua: Sin vero liquor nervoſus ſit nimium acris, ſalſus, aut effluvia à ſanguine æſtuante effuſa ſpiritus animales in diſtractiones agant, ejuſmodi remedia quæ ex acido volatili conſtant cum fructu adhibentur, qualia ſpiritus vitrioli volatilis, aperitivus ſtriatos Penoti, vitrioli Philoſoph. *Frideric. Hofmannus method. Medendi lib. 1. cap. 12.*

X X V. Ancilla robuſta, febricitans, & ſummè inſaniens, continuè in lecto vincta tenebatur: huic ſanguis copioſe & dein iterato miſſus, alvus ab enemate crebro ſubducta, Iulapia, Emulſiones, Hypnotica propinata: His nil juvantibus, per ſeptem aut octo dies illa inſomnis vſque & furioſa admodum perſtitit, potum frigidum ejulando & *clamando* perpetuo expoſcens: quapropter hydropotia ad *libitum* conceſſa nequaquam ſedatior aut ſitibunda minus facta eſt: Iuſſi (ſiquidem tempus æſtivum fuit) vt media nocte à mulieribus ſublata, & foras perducta cymbæ imponeretur, dein veſtibus exuta, & vinculis ſoluta fluvio profundo immergeretur, fune tantum circa corporis truncum, ne forte ſubmerſa interiret, alligato: verum iſtiuſmodi retinaculo nihil opus fuit, namque puella, vt vix melius vir quiſpiam artem hanc probe edoctus, ſponte natabat: Poſt tertiam aut quartam horæ partem ſana & ſobria aquis eximitur, dein lecto commiſſa dormivit, & copioſe ſudavit, poſteaque ſine alio quovis remedio convaluit: Curatio hæc tam ſubito & feliciter ſucceſſit, in quantum flamma tum vitalis, tum animalis ſimul in immenſum auctæ exceſſus, à proprio ignis intenſioris remedio, ſcilicet humectatione & infrigidatione ab aquis tollerentur. *Willis cap. de Phrenitide.*

Simile exemplum vidit Geneva noſtra æſtate nupera anni 1680. Vir robuſtus febre ardente & delirio correptus, cujus ædes vicinæ Rhodano erant, cuſtodum vigilantiam eludit, præcipitemque ſe in fluvium demergit: Extra vrbem, & ad diſtans migrandum erat, ob mœnium circumvallationem, vt rapiditati aquarum eriperetur; Nandi ille peritus jam ripam appulerat, in qua ſoſpes, menti reſtitutus deprehenſus eſt; In domum reductus breviſſime poſt omnino convaluit: Funeſtum fuit ejuſmodi exemplum puellæ cuidam, quæ neſcio ex cujus conſilio, *mania* leviori tentata, in labrum, media hyeme, eaque rigidiſſima, frigida plenum conjecta fuit, vnde paucis poſt horis interiit.

X X V. *a.* De *Vini potu* Medici non conſentiunt: nonnulli omnino abſtinendum cenſent, ab eo tanquam veneno fugiendum, cum humorum ad caput motum juvet, & delirium coniunctum augeat: Alij concedunt ſi vigiliæ pertinaces, viréſque concidant, vtpote quod vires inſtaurat, vigilias temperat & inſaniam demulcet: At prior ſententia vero magis conſentanea: nam quod vigilias moderari & animum mulcere, dicitur, hoc de melancholicis deliriis & vigiliis potius verum eſt quam iſto, quod ex humore calido & inflammatione oritur, quæ vini vſu potius exaſperantur: ideo initio ab eo planè abſtinendum: poſtea verò, vbi morbus admittit, vireſque requirunt, in aſſuetis ὀλιγοφόρον ſaltem concedendum, præcipuè iis qui alias meraciore vti conſuevere. *Sennertus.*

X X V I. Quæritur à Medicis vtrum æger in luce vel tenebris habendus ſit: De eo *Celſi* ſententiam afferimus, qui *l.3.c.19.* ſic ſcribit, *Antiqui tales ægros in tenebris habebant, quia ad quietem etiam conferre judicabant: Aſclepiades tanquam tenebris*

ipſos

ipſos ferventibus in luce habendos eſſe dixit: Non tamen perpetuum eſt: Optimum itaque eſt utrumque experiri, & habere eum qui tenebras horret in luce: eum qui lucem, in tenebris: At ubi nullum tale diſcrimen eſt, æger, ſi vires habet, loco lucido: ſi non habet, obſcuro continendus: Aliqua enim naturarum diverſitas hic occurrit, atque alios plus tenebræ, alios plus lux turbat: Et nonnulli dum aëre ſublucido verſantur multa, quæ non ſunt, ſe videre imaginantur, alia pro aliis agnoſcunt, & varias imagines ab objectis concipiunt, ideo æger in obſcuro continendus: contra ſi æger tenebras horreat, in luce continendus. *Sennertus.*

XXVII. *Vigiliis* valde infeſtantibus licebit chamæmelino miſcere decoctum capitum papaveris, & tepidis fovere caput: Quæ enim frigida admoventur humorem & vaporem compingunt, & Quæ validè ſtuporem inducunt, uti mandragora, cicuta & opium, in contrarium deducunt effectum, & immedicabilem efficiunt paſſionem: Vidimus enim quoſdam quos Medici immodica refrigeratione perduxerunt in veternum, lethargicos periiſſe. *Chriſt. à Vega l. 3. c. 6. Art. Med.*

De cauterii actualis efficacia, vide *Tit. de Mania.*

XXVIII. *Hypnotica* in hoc morbo ſæpe neceſſaria ſunt, fortiora tamen haud ſtatim ab Initio conveniunt, nec crebro in uſu ſunt, quia ſomnus opiatis inductus plus materiam morbificam cerebro ingerit, eamque illic penitius infigit. *Willis.*

XXIX. *Narcotica* quæ ex ſociis frigidis conſtant, caute exhibeantur, quia nonnullis, quorū ſtomachi fibras valde teneras & ſenſiles habent, minus conveniunt: Sæpius obſervavi hujuſmodi hypnotica magnam in ventriculo oppreſſionem excitaſſe, dein ſtatim inflationem ejus, & paulo poſt ſpirituum in cerebro, imo in toto corpore diſtractiones & inordinationes ſequutas fuiſſe, proinde ut non tantum ſomni fruſtratio ſed maxima inquietudo cieretur. *Willis.*

PHTHEIRIASIS.

SYLLOGE.

Topicis non utendum impuro corpore. 1.
Mercurialis inutilis & ſtupefacientia aliquando noceat. 2.
Remediis ex hydrargyro quomodo utendum. 3.

I. CAutio adſit ne nimis ſevere, dum noodum corpus expeditum à fœditate fuerit, primævæ cauſæ, topicis remediis ſiſtatur Pediculorum proventus, nam ſcribit *Ariſtot.* eos cæteris ſaniores eſſe capite qui pedunculos gignunt, nam abſumuntur iis humores putidi, nam ſucco carnis pro pabulo fruuntur, quare jam facto rigentem carnem deſerunt. *Heurnius de morb. cap. c. 7.*

II. Villicus quidam cum à pediculis, quos *feros* vocant, pungeretur, ſumpta maxima *hydrargyri* quantitate cum ſaliva inunxit magnopere reiteratis frictionibus axillas & pecten; inde febris periculoſiſſima, una cum pectinis & axillarum inflammationes à qua vix convaluit. *Domin. Panarolus Obſervat. 39. Pentec. 5.* Ad omnia pediculorum genera occidenda præſtantiſſimum argentum vivum: adverſus ſirones peculiariter valet hyoſcyamus, vi ſtupefaciendi; ſed quia is, & ſimilia, longa uſu manuum tremorem inducunt, erit utilius oleum ex ſeminibus eorum parare, ut oleum de papavere aut mandragora, aut axungiam ſuillam antiquam admiſcere, ſublimati etiam parum: aut argenti vivi ℥ß. *Rondeletius Practic. pag. 19.* Vulgus hydrargyro utitur, ſed in pueris & mollioribus naturis neque hydrargyro, neque aceto utimur ſine periculo. *Hollerius Perioche*

III. Adoleſcenti cuidam cum permoleſti eſſent Pediculi inguinales, *Morpions* Gallis dicti, Chirurgus vero unguentum quoddam ex Mercurio vivo confectum exhibuiſſet, illo aliquoties uſus ſenſit membrum virile frigidum ac torpidum, & ad venerem plane ineptam, referente in Obſervationibus *Schenckio ex Oëtbeo*: Proin nullis unquam, his pediculis ſcatentibus, autor fui, aut perſuaſor (licet certum ſit omni pediculorum ac lombricorum generi crucem & peſtem eſſe Mercurium vivum) ut ſimilibus Mercurialibus linimentis uterentur: ſed juſſi commodatas ſolum ex auri fabrica quadam lacinias illas peterent, quibus dum deaurant argentum aurifices, quandoque id extergunt, defricarent eis pectinem aut pubis partes, pedibus his moleſtiſſimis obſeſſas, nec recordior ulli ab uſu dictarum laciniarum funeratam illam partem fuiſſe quam *Oëtbaus* oleo ſpicæ illitam iterum animavit: Si quis argenti vivi malitiei formidine deterreatur, laciniis illis ſubſtituat ſiccum & herbam balſamitæ ſuccoſam contuſamque; iis enim ſi inguen & alarum hircus probe perfricentur, certo experimento neſi dari hoc pediculorum genus à Chirurgo quodam Regio accepi. *Simon Pauli Quadrip. Botan. cl. 2. titul. de Balſamita.*

PHTHISIS.

SYLLOGE.

Indicationes curativa. 5.
Mali cauſa à capite non ſemper deducenda. 1.
Toti proſpiciendum remediis efficacibus. 3.
Sanguinis miſſio *an utilis aliquando.* 2.
Fortibus initio Purgandum. 4.
In progreſſu lenioribus. 4. a.
Quo tempore Vomitus *aliquando conducit.* 6.
Diuretica *nocent.* 7.
Fluxio in Pulmones ante omnia eſt cohibenda. 4. b.
Acidulæ & Thermæ *an noxia.* 10.
Expurgandus Pulmo ante ulceris conſolidationem. 8.
Siccantibus utendum ob febrem, febre non obſtante. 9.
Sacchari roſati utilitas. 16.
Conſerva roſarum an adeo utilis. 41.
Sulfurum *præſtantia.* 11.
Febri & ulceri ſimul providendum. 13.
Galenus *in curatione non erravit.* 22.
Lac *noxium fieri poteſt ob vitium alimenti capra.* 27.
Non denegandum eo quod pituitam gignat. 25.
Emendatio quando ſit noxiam. 20.
Fortiter abſtergentia *nocere.* 34.
Guaiacini decocti *utilitas.* 10. b.
Rotella *an utilis.* 38.

Acida *temperata conducunt.* 35. *a.*
Sulphurea *non ſemper juvant.* 36. *a.*
Balſami ſulphuris *præſtantia.* 41. 44.
Lac ſulphuris *parva eſt efficacia.* 43.
Per injectiones traumaticas *ſanata.* 31.
Veſicatoriorum *utilitas.* 28.
Fonticulorum *utilitas.* 17.
Emplaſtro ex thapſia capiti admoto cautè utendum. 4. *b.*
Cauſtica *quando & ubi admovenda.* 19.
Incipiens cauteriis ſub axillis ſanata. 20. 33.
Cauterio ſupra partem admoto curata.
Paracenteſis *utilis.* 36.
Setaceo in nucha curata. 29.
Balneum *non omnibus conducit.* 16.
Unguenta *thoracica varianda.* 15.
Qualia eſſe debent. 37.
Sanguinem à pure liberant Antimonialia. 46.
Aëris *ſicci efficacia.* 39.
Non omnibus ejus mutatio conducit. 40.
Cochez *an utiles.* 14.
Phthiſeos à nativa diſpoſitione curatio. 21.
Cauſa peculiaris. 23.
Pulmonaris *curatio.* 24.
Marcor crebra ſanguinis emiſſione curatus. 25.
Tabis periculum hæmorrhoidum fluxu declinatur. 32.
Aſthmatica tabes *fonticulo ſub axillis curata.* 33.
Appetitus amiſſus *quomodo revocandus.* 45.
Vinum *pro Potu quod eligendum.* 47.

I. GAlenus 1. *Epidem. comment.* 17. loquens de Phthiſi, ait, non ſolum à fluxione capitis, ſed interdum ab aliis partibus confluere excrementa in Pulmonem: Quare non eſt ferenda illorum inſcitia qui putant excrementa quæ ſunt in Pulmone à capite tantum prodire: Poteſt enim contingere quod fiat Phthiſis ab humore tranſmiſſo in Pulmonem ab aliis corporis partibus, cerebro alioqui ſano: Quo caſu an conveniant ſtillicidia in coronali ſutura, vel ſinapiſmi, errhina & maſticatoria, alij judicent. *Sanctorius l. de Remed. inventione c.* 14. Vide §. 5.

II. An Tabidis aliqua occaſione æquum eſt, & præciſe neceſſarium Purgans porrigere, vel *Sanguinem mittere?* Sanguinis miſſione rarius in tabe opus habemus, maxime ulcere jam facto, niſi nova ſuccreſcente fluxione, aut niſi adſit venæ alicujus recens apertio, vel ubi fervens admodum fuerit defluxio, & jecur calidum aut ferinum, vel pulmo aliqua occaſione diſruptus: quibus caſibus ex *Hippocratis* decreto ſanguis mittendus eſt: Duobus enim modis à vena rupta, vel in varicem degenerante pulmo læditur, nimirum ſanguine in pulmonem profuſo, ac in ipſo putrefacto, quo temporis progreſſu pus excernitur ſincerum, & nonnunquam ſubcruentum, aliquando ſanguineum: Verum ſi vena omnino rupta non ſit, ſed ut *Hippocrates* refert, *acutus tractus* in ipſa fiat, protinus in varicem degenerat: In quibus affectionibus *lib.* 1. *de morbis* diſerte hæc ſcribit, *Patitur quæcunque in ſuppurationibus dicta ſunt: conducit autem talibus, ſi ab initio curandos ſuſcipias, ut & vena de manibus ſanguinem emittant, & diæta ſit qua ſicciſſimus & exſanguis fiat.* Quibus evidenter conſtat verendum non eſſe ſanguinem detrahere, viribus frementibus aut omnino non collapſis, Sed viri docti conſilio opus eſt *Mercatus.*

Febris lenta difficile initio percipitur, quare à multis Medicis ægri illa detenti, tanquam alio morbo laborantes tractantur, iiſque remedia ſua univerſalia præſcribunt: Vidi virum & mulierem Pulmonum ulcere detentos quibus ſanguis miſſus fuit, & paucis abhinc diebus mortui ſunt: *Sanguis* enim nullo pacto Tabidis *detrahendus*, ſed è contra in venas infundendus, quod ridiculum prima fronte videbitur: propinanda ergo iis ſanguinis eſſentia quinta, & non detrahendus vitæ eorum theſaurus, jam nimium imminutus; nec minuendum vitæ eorum lampadis oleum. Sanguinis humani elixire hydropicos bis curavi deſperatos intra tres dies, ℥ ß. qualibet vice propinando per tres vices. *Borellus Cent.* 4. *Obſervat.* 15. & 16.

III. Quæ totum reſpiciunt valde ſunt neceſſaria: hoc tempore non rectè adminiſtrantur, ob id pauci curantur: Fui his diebus Venetiis, & ægro præſcripſi ℥ j. oxymelitis & ℥ j. mell. roſat. ut detergeretur pituita in ventriculo exiſtens quæ erat in cauſa multarum noxarum. Pharmacopola errore miſit ℥x. & æger accepit ℥viijß. medicamenti: id vehementer agens in pituitam, aliquam moleſtiam excitavit, ſed poſtea ita deſcendit in inteſtina pituita, & ita fuit excreta, ut omnia ſymptomata mitigarentur, quare oportet Medicos eſſe audaces nonnunquam. *Capivaccius Pr. l.* 2. *c.* 7.

IV. *Avicenna*, in Phthiſi, cauſa totius, exhibet *Pilulas cochias*: communes Practici non exhibent, & malè faciunt: fluxioni enim ſtatim occurrendum: nam bene ſperandum ubi non magna cavitas eſt in ulcere, fit autem magna ubi malum producitur: id quod fit ob materiam in Pulmones influentem, quare hæc materia eſt vacuanda: Poſt unam igitur alvi lenitionem, poſt duos vel tres ſyrupos, ſtatim cum *Avicenna* exhibendæ Cochiæ, ut totum expurgetur & caput evacuetur, & ſic fluxioni occurratur: Quod de Cochiis dico, idem intelligendum de aliis ſolventibus fortibus, nam vitium ſucci peccantis eſt vehemens, & habet rationem cauſæ ſine qua non: ergo validum purgans dabitur: potiſſimum quia virtus permittit, quæ id procedente malo prohibet; Nam inter initia, licèt ſit febris hectica, eſt in habitudine non in habitu, & dum eſt in habitudine, virtus in febre hectica nihil adhuc eſt perpeſſa. *Capivaccius.* Viſceribus & ſanguine contemperatis innoxie Pilulæ capit. bis ſaltem exhiberi poterunt, ex cochiis ſimplic. aureis & maſtichin. compoſitæ: Siquidem *Galenus* pilul. validiſſimas ex aloë, ſcammon. colocynth. & agar. admittit, etiam in ulcere pulmonum 5. method. 14. Semper tamen aut ſero, aut aqua hordei à pilulis epotis, ad viſcerum exſiccationem & incaleſcentiam inhibendam. *Iohann. Raymund. Fortis Conſultat. decima octava Cent.* 2.

IV. *a.* In his quibus fluxio acrium, mordacium & erodentium humorum adjuncta eſt, maxime ſi ſuccorum accedat ebullitio & efferveſcentia, non omnino poſt habita conſumptionis indicatione, (*nam exquiſita tabes neque in his quibus fluxio adhuc perſtat evacuantia admittit ſed ſolum divertentia*) purgare tutiſſimum & neceſſarium fore certum eſt, maxime his medicamentis quæ & thoraci & ulceri prodeſſe poſſint, & fluxionem avertere atque minuere aut compeſcere: Hujus conditionis eſſe creditur *rhabarbarum*, nonnunquam torrefactum, *nardo Indica* admixtum, & *infuſione roſarum ac ſero caprino dilutum*: Eundem uſum præſtat mane ſumere cochlea-

re

ſte vinum *paſſularum Corinthiacarum*, cum pulvere *rhabarbari & ſacchari*, ita vt pro libra paſſularum ſit rhabarbari uncia ſemis, & ſacchari vnciæ quatuor: Item prodeſt *ſaccharum roſaceum* cum modico *rhabarbaro*, vel idem *ſaccharum* cum *bolo armeno* & ſucco agarici; aut bolus ex *pulvere roſarum* cum *ſucco ſeminis carthami*, aut *agarici*, aut rhabarbari extracti aqua lactis: Quod ſi acris ſit materia quæ fluit, frequentius lambendo *Caſſiæ fiſtulæ medullam*, aut eandem in conſerva factam, leniter alvum ciebis & fluxionem illuc avertes, thoracemque & aſperam arteriam lenies, & ſputum facilius reddes, maxime ſi aqua hordei liquaveris, cui admiſcere poteris vel liquiritiæ, vel roſarum pulverem, aut ſi mavis rhabarbari: quia vna ſalus phthiſis ſupereſt dum materia alio revocatur: nam dum prohibetur aliquo ex prædictis, majoris eſt incommodi & periculi. *Mercatus.*

IV. *b* Antequam ſolius vlceris curationem aggrediaris, neceſſe eſt providentiam quoque habere humorum qui in thoracem vel pulmonem confluxerunt: Quare conſiderandum an fluxio, à qua malum incipit, adhuc perſtet, vel ſuppreſſa, finitave jam ſit: Nam ſi fluit, ſive à corpore, vel à capite, vel aliunde, perperam & inutiliter tempus in curatione conterimus, ni prius fluxionem reſtinxerimus, vel alio traductam eſſe comperiamus: Quare neceſſe erit vel præſidiis avertere, vel lenibus vacuationibus finire, vel in membro mandanti compeſcere. Compeſcimus enim reducto capite ad nativum temperamentum, vel finito diſſipatoque ibidem humore; vt de Empl. ex *thapſia Galenus* 5. met. retulit, cujus neque temere, neque vbique, aut vtcunque tuto vti datur, ſed capite frigido pituitoſiorique exiſtente: tunc enim & calorem evocat ſopitum, & frigidum corrigit intemperamentum, & pituitoſam fluxionem ob id ſiſtit quod diſcutiat, vel concoquat: Verum ſi calida acriſve fluxio aut mordax fuerit, tepidis balneis, vel pulveribus frigidioribus & adſtringentibus &c. rem agere oportet. Materiam vero genitam, & quæ ex facto capitis intemperamento in dies progignitur, nullo alio auxilio tutius avertes quam fontanella altero aut vtroque brachiorum adaperta; qua, experimento fidiſſimo, ſcio non paucos, phthiſis feritate affectos, liberatos fuiſſe. *Idem.*

V. Licet materies tuſſim excitans non à capite per tracheam in pulmones deploat, quandoque tamen ea tracheæ lateribus in ipſorum cavitates decidens affectum, catarrhi nomine vulgo inſignitum producit: Aſpera enim arteria præter tunicam nerveam & muſculoſam, ſic etiam vaſculoſam & glandulosam obtinet: in poſtremam hanc ſeroſitates à ſanguine, totam tracheam irrigante, ſuperfluæ deponuntur: ſi quando autem maſſa ſanguinea nimis funditur, ac in ſeroſitates præcipitatur (vt à frigore ſuſcepto, acidis epotis &c.) hinc ſtatim materiæ aquoſæ ingens copia è tracheæ glandulis, & arteriolarum oſculis in cavitates ejus exſudat, quæ cito tuſſim & ſputum infert: Hæc dum moderate habent, & tantum ſanguinis ſuperfluitates excernuntur, ſæpe in commodum potius quam nocumentum cedunt, quia maſſa ſanguinea pulmonesque ipſi ſic expurgantur: Sin affectibus iſtis diu protractis, ſeroſus humor vtrobique in ductus tracheales depoſitus, tandem verſus putredinem abire incipiet, tum ſanguinis motus & craſis pervertuntur, & humor copioſius è maſſa ſanguinea in pulmones deponitur, qui imprimis veſiculas tracheales ſubit, ac tandem implet, & nonnihil diſtendit, tandemque lateribus vnius, duarum, forte & plurium diſruptis, fovea & *vlcus* efficitur. *Indicationes curativæ* ſunt potiſſimum hæ tres, 1. ſanguinis diſſolutionem, quæ totius mali radix eſt, inhibere, & ne materiem in tanta copia pulmonibus ſuffundat prohibere: 2. tabum intra pulmones aggeſtum expectorando cito & ſatis evacuare: 3. Pulmones, quoad vnitatem ſolutos, aut nimis laxos & humidos, ne plus in dies conſumantur, & materiam morbificam vſque magis ſuſcipiant, corroborare & exſiccare. Quoad *primam indicationem* hæc tria procurentur 1. vt maſſa ſanguinea quicquid ſucci nutritii ei ſuppeditetur continere & aſſimilare poſſit, eoque ita proportionetur, vt nec quantitate nec qualitate peccet: Ideo ante omnia præcipiatur vt tuſſientes ac phthiſici à potu plurimum abſtineant, atque liquida nonniſi exigua tantum quantitate ingerant, proinde vt ſanguis in craſi debilis, ſucci recentis, donec ei haud nimis perfunditur, portiones minutas facilius ſubigere & intra compagem ſuam retinere poſſit: Potiu ſuccus iſte recens ejuſmodi particulis conſtet quæ lenes & tenues à ſanguine domari: & ſine effervescentia aſſimiliari poſſint: quare lac aſininum, caprillum, cremor hordei, juſcula avenacea & cæteris congruent, & plus nutriunt quam carnes, ova, jura conſumpta &c. 2. *procurari debet* vt aciditates, aut in ſanguine genitæ, aut etiam aliunde ſuffuſæ, ita deſtruantur, vt cruor uſque mixtionem ſive craſin retinens, non ita in fluxiones aut fuſiones proclivis ſit: quare oportet tum ipſius, tum aliorum qui cum eo miſcentur humorum aciditates deſtrui: quam intentionem pharmaca ex ſulphure parata optime perficient, quæ (modo abſit hectica, copioſius propinentur: Ob id valent etiam decocta traumatica, & ex herbis pectoralibus, item ex lignis vice potus ordinarii ſumenda: quinimo pulvis oculorum cancri, millepedum, aliorumque ſale alkali aut volatili prœditorum 3. *denique* vt recrementa quævis in ſanguine producta, a pulmonibus ad alia emunctoria & evacuationum loca detineantur, quæ intentio, primum indicationem reſpiciens, complures evacuationum vias in uſum adhibendas ſuggerit: phlebotomiam, diureſin, levem purgationem, balnea, extremorum frictiones, dropaces, fontanellas, apophlegmatiſmos &c. *Secunda* in Phthiſi incipiente indicatio, videl. vt materies tabifica intra Pulmones depoſita facile & quotidie penitus excernatur, medicamentis expectorantibus perficitur, quorum virtus duabus viis ad pulmones defertur, vel quatenus eorum particulæ activæ immediate in tracheam dimittuntur, ac partim vias lubricando, ſimulque materiem impactam laxando, partim fibras excretorias in pulmone irritando expectorationem procurant; quo pertinent linctus & ſuffitus: vel quatenus (quæ potiora ſunt) commeatu ſanguinis *ἐμφράξεις* ſuam exſerunt; quippe cum ea ejuſmodi particulis conſtent, quæ à maſſa ſanguinea ſubigi & aſſimilari nequeunt, illæ in cruorem ſuffuſæ, & quia non miſcibiles denuo ſtatim exterminatæ, ex arteriis pneumonicis in ductus tracheales penetrant, ubi materiæ impingentes eam dividunt, attenuant, adeoque exagitant, vt fibris exinde irritatis, & inter tuſſiendum ſucceſſive contractis, tracheæ & veſicularum ejus contenta ſurſum in os ejiciantur: In hunc vſum idonea, præter ſulphur, ejuſque præparata, ſunt balſama artificialia, cum oleo terebinthinæ deſtillata,

tincturæ & ſyrupi ex gummi ammon. galbano, aſa fœtida, allio, porro & ſimilibus odorem gravem ſpirantibus, a quibus etiam lohoc & eclegmata parantur: Atque hæc vtroque operantur modo, partim in tracheam illabendo, partim per circuitum ſanguineum pulmones ſubeundo materiam morbificam tum à fronte tum à tergo adoriuntur, adeoque majore cum impetu foras eliminant: *Quoad 3. Indicationem*, vt Pulmonum conformatio læſa, aut conſtitutio vitiata reſtitui aut emendari poſſint, in vſum adhibeantur quæ putredini reſiſtentia, mundificant, conſolidant, exſiccant & corroborant, in quos fines etiam pharmaca e ſulphure parata, balſamica & traumatica conveniunt: *Willis.*

V I. Nihil apertius eſt in *Hippocr.* doctrina quàm Tabe laborantes deorſum non eſſe purgandos: Lib. enim 2. *de morb. ſect.* 2. *v.* 320. Tabis ex Pulmonis affectu curationem pertractans, non ſolum expreſſe infernam purgationem prohibet, dicens, *Pharmacum autem nullum deorſum purgans dato*, ſed veratrum album præſcribens, ita temperatum dari jubet ne alvum infernam moveat: Cùm igitur *Hippocr.* pro Tabis curatione ſolis vomitibus ad purgationem vtatur, & infernas purgationes adeo caveat, non eſt rationabile *aphor.* 8. *ſect.* 4. totum oppoſitum ſtatuere, & ideo aſſerendum hoc nomine φθινάδας, intelligere non Tabe laborantes, ſed ad eam naturali conſtitutione diſpoſitos, in his enim ſuperiores purgationes ſunt ſuſpectæ, ob periculum ne aliquod vas in thorace rumpatur, quod in hujuſmodi naturis anguſtum eſt & debile: At laborantibus Tabe infernæ purgationes nocent, & quia alvi fluorem inducere ſolent, ijs funeſtum: quare bis minus incommoda erit ſuperna purgatio, à cujus violentiâ, etſi pulmo commoveatur, quia tamen hujuſmodi commotionibus aſſuetus eſt ob tuſſim, quæ tabidos fere omnes vehementer exagitat, ideo non admodum lædere apta eſt, ægrotantique maximo juvamento eſſe poteſt, non ſolùm quia materiam antecedentem educit, ſed etiam quia conjunctæ excretionem, quæ fit per tuſſim, non mediocriter juvat: Nec in his vaſis ruptio, præ vomitus violentia, timeri poteſt, quia venæ ab extenuatione in his ſupra modum inanitæ, non adeo rumpuntur, vt in his qui in Tabem nondum inciderunt: *Proſper, Martianus comm. in aph.* 8. *ſect.* 4.

V I I. *Galenus* 5. *ſimpl. cap.* 13. maximè damnat diuretica, quia, ait, adverſantur exſpuitioni puris: ab iis enim cogitur materia quæ ſolum per tuſſim poteſt excerni: ratio eſt, quia materia quæ eſt in thorace per diuretica deſtituitur parte ichoroſa, quæ reddit materiam minùs craſſam. *Santtorius de Rem. inv. cap.* 5.

V I I I. Animadvertant Medici formato vlcere *expurgandum eſſe Pulmonem à ſanguine* extravenas effuſo, vt conſulit Gal. 5. meth. Nec ſemper in his caſibus cum medicamentis adſtringentibus & obturantibus procedendum eſſe, aliàs hic ſanguis retentus majorum malorum erit in cauſa, hincque inevitabiliter ſuppuratio & mors ſuccedet: Hoc idem animadvertant, ſi deſcendente à capite ad pulmonem ſanguine, tuſſis vel ſicca, vel non ſufficiens ad pulmonem expurgandum à ſanguine illo ſuccedat, quia ſi non perfectè emundabitur Pulmo, eadem mala ſubſequentur. *P. Salius comm. in* 1.16. *l.* 1. *de morbis.*

I X. Inſignem Phthiſicorum vlcera curandi vim habet *decoctum ligni Gajaci*: & à plurimis doctiſſimis Medicis commendatur: Eſt & vtile *decoctum radicis China*: Quanquam enim iſta decocta corpus exſiccare videantur, tamen commodum quod ex vlcere Pulmonis ſanato provenit longè majus eſt: cum enim macies illa corporis ex vlcere pulmonis ortum habeat, decocta talia cauſam extenuationis corporis tollendo, vitioſos humores abſumendo, & vlcus curando, faciunt vt corpora extenuata iterum bene nutriantur & pinguia reddantur; id quod experientia ſæpe docuit: *Sennertus.* Scio non deeſſe in horum adminiſtratione maximas difficultates, Tabido enim corpori, & febricitanti, calidum & ſiccum præbere medicamentum eſt contra omnem Medicam indicationem: nihilominus quia vlcere non ſiccato neque febris neque tabes poteſt deſinere, hinc fit vt doctiores Medici *vſum ſiccantium* admiſerint. Ego profiteor me Phthiſicum ſanaſſe, lue Gallica laborantem, ligni Indici decocto ante annos 17. qui adhuc eſt in vivis: Si quis id vereatur, Chinæ radicem accipiat, quâ feliciter vſus ſum in Phthiſicâ poſt ſuppuratam peripneumoniam, quæ adhuc vivit. *Saxonia Prælect. Pract. p.* 146. *Exemplum vide apud Riverium cent.* 1. *Obſ.* 99. Experientia comperi prodeſſe decoctum ligni *S. Silvanicus centur.* 2. *conſ.* 36.

X. Inter ea quæ plurimum commendantur eſt *ſaccharum roſaceum*, alias *conſerva Roſarum*, quam quidam tamen phthiſicis denegant, quod vlcus pulmonum mundificatione & puris eductione indigeat; quæ duo præſertim cauſa ſunt quod plurima pulmonum vlcera ſint inſanabilia: at id ſaccharum imbecillius eſt quàm vt mundificare & ſufficienter vlcus abſtergere poſſit: adde quod recens alvum ſolvat, cujus fluxus periculoſus: antiquum exſiccando & adſtringendo vias comprimat anguſtioreſque reddat: unde materiæ eductio impeditur & ſanies intro pellitur: imò cum frigidum ſit, inconveniens videtur juxta aphor. 5. 24. At revera concedendum, Id enim convenit Phthiſicis, inquit *Conciliator* diff. 194. quod mundificat, abſtergit, glutinat, intemperiem introductam corrigit, & quodammodo ſimul nutritivum eſt: atqui omnia id præſtat, vnde concludimus plurimi faciendum eſſe, quod non ſolum claſſicorum authorum teſtimonium, ſed quotidiana quoque experientia teſtatur. Notandum tamen quod monet Meſuës, & poſt eum *Conciliator*, Saccharum roſatum non eſſe concedendum antequam alia medicamenta abſtergentia & mundificantia fortiora præceſſerint, & vlcus à pure repurgatum fuerit, ita vt levis abſtergendi, plurimum vero glutinandi facultas requiratur; quod optimè præſtat ſacchar. roſ. inter novum & vetus medium, quotidie, quacunque forma id fieri poteſt, vſurpatum: Hinc patet quid reſpondendum ad primam rationem negantem & ſecundam: Quod autem *Hipp.* frigida pectori inimica dicat, id de excedente frigiditate, qualis eſt in glacie & nive, dicit: *Horſtius Dec.* 4. *probl.* 9. Conditiones quædam in vſu conſervæ roſatum obſervandæ 1. vt abſtergentia & mundificantia præmittantur: ac proinde initio recens, quæ plus ſucci, ac proinde vim abſtergendi majorem habet, adhibeatur: 2. vt magnâ quantitate exhibeatur, & quotidie, imò cum pane & cibo ad potu ſumatur: 3. vt ſi ob ejus vſum ſputum retineatur, & difficilis evadat reſpiratio, expectorantia per intervalla dentur: *Sennertus. Avicenna* exhibet ſaccharum roſatum omni hora; ſemper enim adeſt præſentia indicantis; quare etiam tempore cibi, & ante & poſt cibum, vt cibus ſit

agglu-

agglutinans: Exhibet in magna copia, quia ſumma eſt actio indicantis: Hoc obſervandum omnino eſt, licet hodie non obſervetur: *Capivaccius cap. proprio.* Plurimi in catarrho lapſo in pectus procumbente, cauſa roborandi Pulmonem ne exulceretur, & hac phthiſis, dant quotidie ſulum ℥ij. ſacchar. roſati, quod præſidium eſt diminutum, & hæc doſis nihil efficere poteſt; quinimo in itinere quantitas amittitur antequam ad Pulmonem perveniat. &c. *Santtorius meth. vit. Error. lib. 13. c. 2. Nequaquam adeo probatur Sylvio, Vide §. 42.*

XI. *Siccandis Pulmonum vlceribus calidioris & ſiccioris aëris* inſpirationem pleriqne commendarunt: Hanc ob cauſam veteres quoque phthiſicos in Ægyptum navigare jubebant: *Galenus* Tabias proficiſci jubebat: Nec tantum naturâ tactus ejuſmodi aër procurandus cenſetur, ſed arte quoque & odoramentis concinnatus legitur apud Galeoum 4. loc. aff. 8. Quem imitatus *Veſlingius* quendam ætatis conſiſtentis, phthiſi correptum diuturnâ, maximè ſuffitibus curare inſtitueret, humidis quidem initio, ex herbis eupatorio, betonica, tuſſilagine, pulmonaria, veronica & radice pimpinellæ ac quinquefolii juſculo incoctis; ac poſtea ſiccis, ex benzoino, ladano, ſtirace & maſtiche, ore hiante exceptis: prolixè conteſtatus noviſſe ſe phthiſicos omnino deſperatos ſuffitu ſcutellum præcipuè reſtitutos: Eoſdem commendabat *Silvaticus* cent. 1. conſ. 51. Inſtrumenta effumationibus & vaporationibus idonea depingit *Bennetius* Theatri Tabidor. Exerc. 30. Suffitu ſuccini phthiſicum, cui omnia oſſa numerare præ macie licuerat, curavit Lud. de Leonibus: *G. H. Velſchius Obſ. 28. Vide ſupra de Pulm. affect. §.*

XII. Cavendum ne qui neceſſitate quapiam *Capra Lacte* vtitur, eam cuſtodiat ne qua maligna herba veſcatur: Nam ſi tabeſcens vtatur lacte, & capra depaſta ſit aut cucumerem ſylveſtrem, aut tithymalum, aut ricinum, aut cyclamen, aut aliam ejuſmodi herbam, ſolvetur alvus, quo tabeſcentibus nihil eſt nocentius, atque adeo quâ ratione lac accipit expurgatoriam facultatem, accipiet deleteriam ſi quid tale copia guſtaverit: narrat enim *Galenus* in Doride Bæotia, & Theſſalia, atque etiam Athenis, multos convulſione correptos eſſe eſu coturnicum quæ veratro veſcebantur. *Valleſius ſect. 6. l. 6. Epid.*

XIII. Vbi macies ſiccantium vlcus pulmonum vſum prohibet, præbeo *Lac Aſininum*, ſed cum *oleo ex Gajaco*: hac ratione ante annos ſex curavi Nob. Germanum phthiſicum: Aut poteritis præbere jus ſic confectum: *℞ lignum Ind. aut Chinam*; Sint ligni ℥iij. Chinæ ℥j. *infunde in aq. lib. vj. dein ℞ hordei mund. m. ß. amyli, tragac. ana. ℥j. ſemin. acetoſæ, plantag. ana ʒj. ſemin. melon. mundat ℥ß. nucl. pineor. piſtach. ana. ℥ß. carn. teſtudin. nemoral. ℥ij. ponantur [illegible] in ventre parva pulla, omnia ſimul bulliant ad perfectam carnis conſumptionem*, & tacta expreſſione jus hoc præbeatur ſpatio xxx. dierum: Hoc feliciter vtor in phthiſicis, doſis ℥vj. Vel paro hoc hordeaceum, *℞. far. hordei ℔iij. ſacchar. finiſſ. pulveriſati ana* imponantur hæc ollæ novæ, faciendo S. S. S. Perniſceo aliquando pulverem aut *ſalſæ*, aut *china*, aut *pulmonaria*, aut *botridis*, vt ſint bolum ℥vj. olla cooperta paſta cruda ponitur in furno ix. diebus, ſingulo die manet tantum 4. horæ partem: Ex illa miſtura ſimul cum jure optimo ferculum ſit manè & veſperi, quo ſolo Religioſum Phthiſicum ſanavi. *Saxonia Prælect. Pract. pag. 1. cap. 25.*

XIV. *Cochleas* recentiores Medici phthiſicis & hecticis commendant, adducti proculdubio authoritate Galeni, qui 3. de alim. facult. c. [illegible] limacum carnem potentiſſimè nutrire aſſerit. At cum idem, & res ipſa, doceant difficilis eas eſſe coctionis, nec ſuccum bonum præbere, conſtat hinc non convenire: Cum enim phthiſici febre lenta putrida laborent, & præterea vis naturalis in ventriculo, epate, imò toto corpore ſit debilis, cibum difficilis coctionis non ſuperabit, vnde multa redundabunt excrementa, tum in toto tum in ipſis Pulmonibus, vel ideo quod mali ſint ſucci. Adde idem hic quod in vulneribus eventurum, quæ copioſiorem fundunt ſaniem ſi vitioſis veſcatur cibis æger: atque ex pulmonis vlcere multa ſuperflua congeſta iri, multumque pus, à quo imprimis periculum imminet: Conceſſo verò extremam partem cochleæ ſuæ, quam [illegible] Ariſtoteles vocat, facilius coqui, id comparate ad reliquas dici audiendum.

XV. Si retineatur ſputum, apponendum illud *Vngu. ex adipibus* & oleis relaxantibus temperatum, ſed non continuo, vt Practici jubent, quia illa maturando ac putrefaciendo mortem accelerant: vtilius itaque fuerit vtcunque refrigerare & aſtringere partem & exſiccare, vt vlcus factum coaleſcat, & applicare ſupra regionem vlceris, quod deprehenditur ex dolore & calore. *Rondeletius de medic. extern. p. 1049.* Si phthiſis immineat ob [illegible] vaſorum, Exterius adminiſtranda exſiccantia & adſtringentia, non laxantia, qualibus in omni thoracis affectu medicinam communiter facientes vtuntur. *Salius comm. in 21. lib. 1. de morbis.*

XVI. Summè probarunt antiqui *Balneorum* vſum: Hipp. 2. de morb. Lavandum tepida Tabidum ait, excepto capite, quod quam rariſſimè lavari debet: Sed expendendum non omnibus Tabidis competere, cum Tabis multiplex ſit ratio, nocebit enim vbi ſanguis fluit, fluxit vel fluxurus timetur: item ubi a capite fluxio incumbit, necnon vbi Pulmo admodum ſcatet excrementis: juvabit ſolum in Tabe vel totius extenuatione, abſque vlla defluxione; vel in ea quæ fit à Pulmonis vlcere, ſiccitatem totius emendando, & ſimilem naturæ humiditati madorem adhibendo, præterque naturalem calorem temperando: Hoc tamen auxilii genere nec diutius nec frequentius, nec utcunque vti teneris, ſed pro corporis natura & ſtatu: quippe hi qui raro ſunt habitu, tardius & rarius ſunt lavandi, nec diutius in balneo continendi; ſic pari ratione qui admodum contabuerint; exolvetur enim facilè puſilla eorum vis: Pari ratione eos frequentius & diutius lavabis qui ex vlcere pulmonis tabeſcunt: idque tanto diutius & frequentius, quanto in principiis fuerit affectio. *Mercatus cap. de Phthiſi.* Febri, quæ à pulmonis vlcere eſt, cum non ſit hectica ſed putrida (licet interdum quaſi hecticam proceſſu temporis conjungi minime negetur) balnea nequaquam ſunt adhibenda: non modo enim nihil adjuvant, ſed plurimum etiam lædunt, quemadmodum in multis animadverſum eſt: Cæterum in hectica, niſi putridam habeat conjunctam, prodeſſe nemo artis Medicæ peritus ignorat. *Cruci Conſ. 86. apud Scholz.*

XVII. Diverſionem catarrhi præcipuè *fonticulis* fieri convenit, quos non ſatis laudare poſſum, quandoquidem eorum beneficio ſemiphthiſicos, qui ſanguinem ſimul & pus exſpuebant, ſanatos fuiſſe,

tincturæ & ſyrupi ex gummi ammon. galbano, aſa fœtida, allio, porro & ſimilibus odorem gravem ſpirantibus, e quibus etiam lohoc & eclegmata parantur: Atque hæc vtroque operantur modo, partim in tracheam illabendo, partim per circuitum ſanguineum pulmones ſubeundo materiam morbificam tum à fronte tum à tergo adoriuntur, adeoque majore cum impetu foras eliminant: *Quoad 3. Indicationem*, vt Pulmonum conformatio læſa, aut conſtitutio vitiata reſtitui aut emendari poſſint, in vſum adhibeantur quæ putredini reſiſtentia, mundificant, conſolidant, exſiccant & corroborant, in quos fines etiam pharmaca e ſulphure parata, balſamica & traumatica conveniunt: *Willis.*

VI. Nihil apertius eſt in *Hippocr.* doctrina quàm Tabe laborantes deorſum non eſſe purgandos: Lib. enim 2. *de morb. ſect.* 2. *v.* 320. Tabis ex Pulmonis affectu curationem pertractans, non ſolum expreſſe infernam purgationem probibet, dicens, *Pharmacum autem nullum deorſum purgans dato*, ſed veratrum album præſcribens, ita temperatum dari jubet ne alvum infernam moveat: Cùm igitur *Hippocr.* pro Tabis curatione ſolis vomitibus ad purgationem vtatur, & infernas purgationes adeo caveat, non eſt rationabile *aphor.* 8. *ſect.* 4. totum oppoſitum ſtatuere, & ideo aſſerendum hoc nomine φθινάδας, intelligere non Tabe laborantes, ſed ad eam naturali conſtitutione diſpoſitos, in his enim ſuperiores purgationes ſunt ſuſpectæ, ob periculum ne aliquod vas in thorace rumpatur, quod in hujuſmodi naturis anguſtum eſt & debile: At laborantibus Tabe inferuæ purgationes nocent, & quia alvi fluorem inducere ſolent, ijs funeſtum: quare bis minus incommoda erit ſuperna purgatio, a cujus violentiâ, etſi pulmo commoveatur, quia tamen hujuſmodi commotionibus aſſuetus eſt ob tuſſim, quæ tabidos fere omnes vehementer exagitat, ideo non admodum lædere apta eſt, ægrotantique maximo juvamento eſſe poteſt, non ſolùm quia materiam antecedentem educit, ſed etiam quia conjunctæ excretionem, quæ fit per tuſſim, non mediocriter juvat: Nec in his vaſis ruptio, præ vomitus violentia, timeri poteſt, quia venæ ab extenuatione in bis ſupra modum inanitæ, non adeo rumpuntur, vt in his qui in Tabem nondum inciderunt: *Proſper, Martianus comm. in aph.* 8. *ſect.* 4.

VII. *Galenus* 5. *ſimpl. cap.* 13. maximè damnat diuretica, quia, ait, adverſantur exſpuitioni puris: ab iis enim cogitur materia quæ ſolum per tuſſim poteſt excerni: ratio eſt, quia materia quæ eſt in thorace per diuretica deſtituitur parte ichoroſa, quæ reddit materiam minùs craſſam. *Sanctorius de Rem. inv. cap.* 5.

VIII. Animadvertant Medici formato vlcere *expurgandum eſſe Pulmonem à ſanguine* extra venas effuſo, vt conſulit Gal. 5. meth. Nec ſemper in bis caſibus eum medicamentis adſtringentibus & obturantibus procedendum eſſe, aliàs hic ſanguis retentus majorum malorum erit in cauſa, hincque Inevitabiliter ſuppuratio & mors ſuccedet: Hoc idem animadvertant, ſi deſcendente à capite ad pulmonem ſanguine, tuſſis vel ſicca, vel non ſufficiens ad pulmonem expurgandum à ſanguine illo ſuccedat, quia ſi non perfectè emundabitur Pulmo, eadem mala ſubſequentur. *P. Salius comm. in t.* 16. *l.* 1. *de morbis.*

IX. Inſignem Phthiſicorum vlcera curandi vim babet *decoctum ligni Gajaci*: & à plurimis doctiſſimis Medicis commendatur: Eſt & vtile *decoctum radicis Chinæ*: Quanquam enim iſta decocta corpus exſiccare videantur, tamen commodum quod ex vlcere Pulmonis ſanato provenit longè majus eſt: cum enim macies illa corporis ex vlcere pulmonis ortum babeat, decocta talia cauſam extenuationis corporis tollendo, vitioſos bumores abſumendo, & vlcus curando, faciunt vt corpora extenuata iterum bene nutriantur & pinguia reddantur; id quod experientia ſæpe docuit: *Sennertus.* Scio non deeſſe in horum adminiſtratione maximas difficultates, Tabido enim corpori, & febricitanti, calidum & ſiccum præbere medicamentum eſt contra omnem Medicam indicationem: nihilominus quia vlcere non ſiccato neque febris neque tabes poteſt deſinere, hinc fit vt doctiores Medici vſum ſiccantium admiſerint. Ego profiteor me Phthiſicum ſanaſſe, lue Gallica laborantem, ligni Indici decocto ante annos 17. qui adhuc eſt in vivis: Si quis id vereatur, Chinæ radicem accipiat, quâ feliciter vſus ſum in Phthiſicâ poſt ſuppuratam peripneumoniam, quæ adhuc vivit. *Saxonia Prælect. Pract. p.* 146. *Exemplum vide apud Riverium cent.* 1. *Obſ.* 99. Experientia comperi prodeſſe decoctum ligni S. *Silvaticus centur.* 2. *conſ.* 36.

X. Intereа quæ plurimum commendantur eſt *ſaccharum roſaceum*, alias *conſerva Roſarum*, quam quidam tamen phthiſicis denegant, quod vlcus pulmonum mundificatione & puris eductione indigeat; quæ duo præſertim cauſa ſunt quod plurima pulmonum vlcera ſint inſanabilia: at id ſaccharum imbecillius eſt quàm vt mundificare & ſufficienter vlcus abſtergere poſſit: adde quod recens alvum ſolvat, cujus fluxus periculoſus: antiquum exſiccando & adſtringendo vias comprimat anguſtioreſque reddat: unde materiæ eductio impeditur & ſanies intro pellitur: imò cum frigidum ſit, inconveniens videtur juxta aphor. 5. 24. At revera concedendum, Id enim convenit Phthiſicis, inquit *Conciliator* diff. 194. quod mundificat, abſtergit, glutinat, intemperiem introductam corrigit, & quodammodo ſimul nutritivum eſt: atqui omnia id præſtat, vnde concludimus plurimi faciendum eſſe, quod non ſolum claſſicorum authorum teſtimonium, ſed quotidiana quoque experientia teſtatur. Notandum tamen quod monet Meſuës, & poſt eum *Conciliator*, Saccharum roſarum non eſſe concedendum antequam alia medicamenta abſtergentia & mundificantia fortiora præceſſerint, & vlcus à pure repurgatum fuerit, ita vt levis abſtergendi, plurimum vero glutinandi facultas requiratur; quod optimè præſtat ſacchar. roſ. inter novum & vetus medium, quotidie, quacunque forma id fieri poteſt, vſurpatum: Hinc patet quid reſpondendum ad primam rationem negantem & ſecundam: Quod autem *Hipp.* frigida pectori inimica dicat, id de excedente frigiditate, qualis eſt in glacie & nive, dicit: *Horſtius Dec.* 4. *probl.* 9. Conditiones quædam in vſu conſervæ roſarum obſervandæ 1. vt abſtergentia & mundificantia præmittantur: ac proinde initio recens, quæ plus ſucci, ac proinde vim abſtergendi majorem habet, adhibeatur: 2. vt magna quantitate exhibeatur, & quotidie, imò cum pane & cibo ac potu ſumatur: 3. vt ſi ob ejus vſum ſputum retineatur, & difficilis evadat reſpiratio, expectorantia per intervalla dentur: *Sennertus Avicenna* exhibet ſaccharum roſarum omni hora; ſemper enim adeſt præſentia indicantis; quare etiam tempore cibi, & ante & poſt cibum, vt cibus iis

agglutinans: Exhibet in magna copia, quia ſumma eſt actio indicantis: Hoc obſervandum omnino eſt, licet hodie non obſervetur: *Capivaccius cap. proprio.* Plurimi in catarrho lapſo in pectus procumbente, cauſa roborandi Pulmonem ne exulceretur, & hæc phthiſis, dant quotidie ſolum ℥ij. ſacchar. roſati, quod præſidium eſt diminutum, & hæc doſis nihil efficere poteſt; quinimo in itinere quantitas amittitur antequam ad Pulmonem perveniat. &c. *Sanctorius meth. vit. Error. lib. 13. c. 2. Neutiquam adeo probatur Sylvio, Vide* §. 42.

XI. *Siccandis Pulmonum ulceribus calidioris & ſiccioris aëris* inſpirationem pleriſque commendarunt: Hanc ob cauſam veteres quoque phthiſicos in Ægyptum navigare jubebant: *Galenus* Tabias proficiſci jubebat: Nec tantum naturâ talis ejuſmodi aër procurandus cenſetur, ſed arte quoque & odoramentis concinnatus legitur apud Galenum 4. loc. aff. 8. Quem imitatus *Veſlingius* quendam ætatis conſiſtentis, phthiſi correptum diuturnâ, maximè ſuffitibus curare inſtitueret, humidis quidem initio, ex herbis eupatorio, betonica, tuſſilagine, pulmonaria, veronica & radice pimpinellæ ac quinquefolii juſculo incoctis; ac poſtea ſiccis, ex benzoino, ladano, ſtirace & maſtiche, ore hiante exceptis: proliè conteſtatus noviſſe ſe phthiſicos omnino deſperatos ſuffitu ambari præcipuè reſtitutos: Eoſdem commendabat *Silvaticus* cent. 1. conſ. 51. Inſtrumenta effumationibus & vaporationibus idonea depingit *Benavides* Theatri Tabidor. Exerc. 30. Suffitu ſuccini phthiſicum, cui omnia oſſa numerare præ macie licuerat, curavit Lud. de Leonibus: *G. H. Velſchius Obſ.* 28. *Vide ſupra de Pulm. affect.* §.

XII. Cavendum ne qui neceſſitate quapiam *Capræ Lacte* utitur, eam cuſtodiat ne qua maligna herba veſcatur: Nam ſi tabeſcens utatur lacte, & capra depaſta ſit aut cucumerem ſylveſtrem, aut tithymalum, aut ricinum, aut cyclamen, aut aliam ejuſmodi herbam, ſolvetur alvus, quo tabeſcentibus nihil eſt nocentius, atque adeo quâ ratione lac accipit expurgatoriam facultatem, accipiet deleteriam ſi quid tale copia guſtaverit: narrat enim *Galenus* in Doride Bœotia, & Theſſalia, atque etiam Athenis, multos convulſione correptos eſſe eſu coturnicum quæ veratro veſcebantur. *Valleſius ſect. 6. l. 6. Epid.*

XIII. Ubi macies ſiccantium ulcus pulmonum uſum prohibet, præbeo *Lac Aſininum*, ſed cum *oleo ex Gajaco*: hac ratione ante annos ſex curavi Nob. Germanum phthiſicum: Aut poteris præbere jus ſic confectum: ℞ *lignum Ind. aut Chinam*; Sint ligni ℥iij. Chinæ ℥j. *infunde in aq. lib. vj. dein* ℞ *hordei mund. m. ß. amyli, tragac. ana.* ℥ij. *ſemin. acetoſa, plantag. ana* ʒj. *ſemin. melon. mundat* ʒß. *nucl. pinear. piſtach. ana.* ʒiß. *carn. teſtudin. nemoral.* ℥ij. *ponantur quæ imponi poſſunt in ventre parvæ pullæ, omnia ſimul bulliant ad perfectam carnis conſumptionem*, & tacta expreſſione jus hoc præbeatur ſpatio xxx. dierum: Hoc feliciter utor in phthiſicis, doſis ℥vj. Vel paro hoc hordeaceum, ℞. *far. hordei* ℔iij. *ſacchar. fiaiſſ. pulveriſati ana* imponantur hæc ollæ novæ, faciendo S. S. S. Penniſceo aliquando pulverem aut *ſalſæ*, aut *chinæ*, aut *pulmonaria*, aut *heridis*, ut ſint horum ℥vj. olla cooperta paſta cruda ponitur in furno ix. diebus, ſingulo die manet tantum 4. horæ partem: Ex illa miſtura ſimul cum jure optimo ferculum fit manè & veſperi, quo ſolo Religioſum Phthiſicum ſanavi. *Saxonia Prælect. Pract. pag.* 1. *cap.* 25.

XIV. *Cochleas* recentiores Medici phthiſicis & hecticis commendant, adducti proculdubio authoritate Galeni, qui 3. de alim. facult. cap. limacum carnem potentiſſimè nutrire aſſerit. At cum idem, & res ipſa, doceant difficilis eas eſſe coctionis, nec ſuccum bonum præbere, conſtat hinc non convenire: Cum enim phthiſici febre lenta putrida laborent, & præterea vis naturalis in ventriculo, epate, imò toto corpore ſit debilis, cibum difficilis coctionis non ſuperabit, unde multa redundabunt excrementa, tum in toto tum in ipſis Pulmonibus, vel ideo quod mali ſint ſucci. Adde idem hic quod in vulneribus eventurum, quæ copioſiorem fundunt ſaniem ſi vitioſis veſcatur cibis æger, atque ea pulmonis ulcere multa ſuperflua congeſta iri, multumque pus, à quo imprimis periculum imminet: Conceſſo verò extremam partem cochlearum, quam μήκωνα Ariſtoteles vocat, facilius coqui, id comparate ad reliquas dici audiendum.

XV. Si retineatur ſputum, apponendum illud *Ungu. ex adipibus* & oleis relaxantibus temperatum, ſed non continuo, ut Practici jubent, quia illa maturando ac putrefaciendo mortem accelerant: utilius itaque fuerit utcunque refrigerare & adſtringere partem & exſiccare, ut ulcus factum coaleſcat, & applicare ſupra regionem ulceris, quod deprehenditur ex dolore & calore. *Rondeletius de medic. extern. p.* 1049. Si phthiſis immineat ob ἀναστόμωσιν vaſorum, Exterius adminiſtranda exſiccantia & adſtringentia, non laxantia, qualibus in omni thoracis affectu medicinam communiter facientes utuntur. *Salius comm. in* 21. *lib.* 1. *de morbis:*

XVI. Summè probarunt antiqui *Balneorum* uſum: Hipp. 2. de morb. Lavandum tepida Tabidum ait, excepto capite, quod quam rariſſimè lavari debet: Sed expendendum non omnibus Tabidis competere, cum Tabis multiplex ſit ratio, nocebit enim ubi ſanguis fluit, fluxit vel fluxurus timetur: item ubi a capite fluxio incumbit; necnon ubi Pulmo admodum ſcatet excrementis: juvabit ſolum in Tabe vel totius extenuatione, abſque ulla defluxione; vel in ea quæ fit a Pulmonis ulcere, ſiccitatem totius emendando, & ſimilem naturæ humiditati madorem adhibendo, præterque naturalem calorem temperando: Hoc tamen auxilii genere nec diutius nec frequentius, nec utcunque uti teneris, ſed pro corporis natura & ſtatu: quippe hi qui raro ſunt habitu, tardius & rarius ſunt lavandi, nec diutius in balneo continendi; ſic pari ratione qui admodum contabuerunt; exolvetur enim facilè puſilla eorum vis: Pari ratione eos frequentius & diutius lavabis qui ex ulcere pulmonis tabeſcunt: idque tanto diutius & frequentius, quanto in principiis fuerit affectio. *Mercatus cap. de Phthiſi.* Febri, quæ à pulmonis ulcere eſt, cum non ſit hectica ſed putrida (licet interdum quaſi hecticam proceſſu temporis conjungi minime negetur) balnea nequaquam ſunt adhibenda: non modo enim nihil adjuvant, ſed plurimum etiam lædunt, quemadmodum in multis animadverſum eſt: Cæterum in hectica, niſi putridam habeat conjunctam; prodeſſe nemo artis Medicæ peritus ignorat. *Crato Conſ.* 86. *apud Scholz.*

XVII. Diverſionem catarrhi præcipuè *fonticulis* fieri convenit, quos non ſatis laudare poſſum; quandoquidem eorum beneficio ſemiphthiſicos, qui ſanguinem ſimul & pus exſpuebant, ſanatos fuiſſe,

his meis vidi oculis: humor enim acris, qui ex capite ad pectus defluit, commodè per eos evacuatur. Ego novi virum quendam, qui phthiſin jamdiu contraxerat, corporis conſtitutione melancholicâ, varia quinetiam, eaque fruſtra, adhibita medicamenta, adminiſtrata à me ſiniſtro brachio fontanella, intra ſemeſtre à defluxione capitis ad partes inferiores non modo liberatus, verum & corpus vigorem carnemque deperditam paulatim recuperavit. *Fabritius Hild. Epiſt.* 49. Puella in media coxa fiſtulam habuit, & per tres annos fruſtra multorum auxilia imploraverat, ſed curata tandem poſt tres quatuorve menſes in ſanguinis copioſum ſputum incidit: Ego, etſi vix decimum attigerat annum, ex pede ægro, in quo fiſtula laboraverat, ſanguinem illico detraxi: corporeque purgato, & inuſto prope locum, in quo fiſtula fuerat, cauterio, ipſam à tabe præſentiſſimâ facile ſic vindicavi: Sputum hoc ſanguinis non aliunde contingebat quam ab acri illa & bilioſa materiâ, quæ cum nullum per fiſtulam amplius exitum inveniret, ad pulmones per ramos venæ cavæ poſtmodum aſcendit. *Spigelius de Corp. Hum. Fabr. l.* 5. *c.* 3.

XVIII. *a Fonticulos in brachiis* non improbo, ſed æquiparandi non ſunt iis qui in ſcapulis fiunt, è regione anguli ſuperioris homoplatarum, ad æqualem ſpinæ diſtantiam: quos in extenuatis etiamnum excitare ſoleo, efficacioreſque ſcio illis qui in collo inter 1. & 2. vertebram parantur: Ne prætermittatur id remedii genus, ad id ſufficit tenax Emplaſtrum, piſa quinque aut ſex impoſita arctè continens. *Th. de Mayerne Tract. de Arthritide.*

XVIII. *b Arcaus*, probatus author Hiſpanus, in ulceribus Pulmonum *Guajacum* maxime probat, atque ex ejus vſu non levem ſucceſſum expertus ſum: neque id in corporibus macilentis pertimeſcendum: Ejus enim calor & acrimonia, per gradus procedendo, temperari poſſunt aquæ aucta dozi, imo id aquæ hordei incoqui poteſt: Aliæ radices, vt Chinæ & cannæ, innoxiæ ſunt ac ſine calore innoxie ſiccant: *Idem.*

XIX. *Fonticulis* vti licet in fluxu à capite: nam dum vlcus fovetur à deſtillatione, indicatur fonticulus, remedium revellens; nec adeſt prohibens, præſertim quando ulcus eſt exiguum, malum recens: Trallianus ait in vlcere antiquo, & in phthiſi progreſſa non eſſe fonticulis & cauteriis ægros afflictos magis cruciandos: Si malum ſit admodum vehemens, affigendum eſt in ſutura coronali, vt fiat revulſio, Et ſi deſtillatio foveatur ab inferis partibus, à jecore, inurantur cruribus: Non ſunt hæc differenda, vt multi jam ſolent, poſtea enim nihil tale faciendum: In copioſa deſtillatione non tantum dictis partibus, ſed & infra occipitium; Citò ergo occurrendum, poſtea enim vbi affectus eſt calidus in pulmone, & imminuta fluxio, cauterium occludi poteſt. *Capivaccius.* Cum à cerebro præcipitatur materia ad pulmones, quæ ad vlceris incrementum facit, quid tunc agendum? Dicimus, ſi tale vlcus foret in quo ſpes eſſet vt callus induci poſſit, præclarè ad ſalutem faceret cauterium ſuturæ coronali impreſſum: id enim ibi nullum dolorem concitat, nihilque periculi affert: ideo hoc cauterium inferimus, quò callus gignatur firmior, qui alioqui per deſtillationem minimè firmus foret, ac facilè incurſu catarrhi abraderetur, vnde majus etiam vlcus evaderet: Cum autem nulla calli efficiendi ſpes affulget, non ſine prædictione cauterium inuri debebit: diximus enim hominem ſanari non poſſe, ſed à cauterio, S. Dei beneficio, vitam protrahi poſſe, nam ulcus mundius evadet: Cavete tamen ne cauteria inuratis cum non longè abeſt mors: Si ſub ſumma deſperatione, inquit *Horatianus*, jam eos obſederit naturæ fragilitas, cauteria partibus thoracicis infigo, ſi fortè patefactis vulnerum meatibus eorum digeſtionibus relevemur: ſed hoc agendum ſucculento adhuc corpore, alioquin gangrænam inferes à Cauterio. *Heurnius.*

XX. Filius Dn. N. 20. annorum, à duobus menſibus laborabat fluxione, in pulmonem decumbente cum tuſſi, frequenti reſpiratione & febre lenta, ita vt in phthiſin jam prolapſurus videretur, Præſcribo v. ſ. purgationem ex manna, juſcula medicata & alia remedia ordinaria: Sed præcipuum fuit *Causticum vtrique axillæ*, quod fluxiones ad pectus delabentes, & humores in eo contentos potentiſſimè derivat, hocque intra menſem reſtitutus eſt. *Riverius cent.* 2. *Obſ.* 61.

XXI. Vidimus plures ſuppuratos ac Tabidos nulla præcedente deſtillatione, nullo præcedente inflammatorio affectu, nullaque præcedente fluxione factos: hinc ratione & experientia duce dico, vltra ordinarias cauſas adeſſe duas ſuppurati & tabidi pulmonis abditas cauſas, altera eſt membri languor & imbecillitas, altera nutrimenti pravitas, quæ duæ cauſæ ſi concurrant, facilè, ſine deſtillatione, ſine vlcere, ac ſine præcedenti alio particulari affectu, ſuppuratur ac tabeſcit: Hæc imbecillitas contrahitur à parentibus, & non per intemperiem vllam, ſed ob vitiatam ſubſtantiam, quæ flaccidior facta à naturâ, facilè etiam putredinem & corruptionem concipit: hi tamen non tabeſcunt priuſquam adoleverint, quia uſque ad eam ætatem ſanguine miti ac dulci aluntur, quia abundat calor innatus quantitate plurimus, qualitate ſuavis, vnde par perficitur nutritio: At vbi juventutem ingreſſi fuerint, incipiente calore innato fieri ſubacri & minus blando, ſimilis in his generatur ſanguis, qui quò magis procedit ætas, magis etiam fit acris & inſuavis, ſimili etiam evadente calore ipſo innato: tandemque in his ſanguis hic qualitatem acquirit vel ſubſalſam, vel acrem, ex quâ factus indebitum alimentum, corruptioni eum diſponit: unde in his, deciſo pravo ex hac prava nutritione excremento, incipiunt quædam tuſſiculæ, cum ſcreatu variæ materiæ, indiciis incipientis in viſcere corruptionis. Curatio autem à me tentata ac perfecta fuit per ea quæ ſanguinem corrigere ac mitem reddere, omnem ejus acrimoniam & ſalſedinem remittere potuerunt; qualia ſunt aquarum dulcium balnea, lactis potus, cibaria ſimilis naturæ, inunctiones temperatæ & humectantes, Chinæ radicis decoctum & alia hujus qualitatis; cum quibus etiam ea adhibui quæ putredini, corruptioni & flacciditati viſceris reſiſterent, quæque præſertim pulmonem reſpicerent: Ad hoc autem præ cæteris, tanquam ſingulare & præſtantiſſimum medicamentum, adminiſtravi, cujus ope non ſolum in curatione Tabis, vel inſtantis vel incipientis, ſed etiam in deſtillationibus ſalſis, præcipuè autem tenuibus, in ſanguinis diuturnis, ex ejus ardore aut calore cauſatis fluxionibus, aliiſque pluribus rebellibus morbis, mira, & ferè incredibilia perfeci; hoc eſt *Santalorum decoctum*, formatum ſimili ferè ratione ac ſit Guajaci decoctum, modò in aquis ſtillatitiis ſimplicibus, modò additâ portione vini vel albi vel rubri, pro ratione affectus, modò aliâ ratione præparatum: modus exhibendi parem cum prædicto habet modum:

juſſi ægros patrium ſolum linquere, aërem nativum mutare in puriorem, vel ſaltem alterare. *P. Salius comm. in text. 5. ſect. 3. l. 1. de morbis. Vide Fernelium de Part. morb. l. 5. c. 10.*

XXII. Si morbus abſceſſus rationem habuerit, & putreſcentes humores ex Pulmone excernantur, *Galen. 4. de loc.* c. ult. eos qui abſceſſui ſimilem diſpoſitionem patiuntur, curare docet Theriaca, Athanaſia & bonis odoribus: Trallianus vero hanc curationem damnat l. 5. c. 4. Tum quod neminem ſanaverit Galenus, ut ipſe fatetur, tum quod refrigerantia proprietate prodeſſe poſſunt ad curationem complete: At verò Alexandri curatio rationi conſonat & experimento, ſed Galeni med. methodus nobis optima videtur: Quod enim ex illis nemo liberatus fuerit, nihil refert, ex morbis enim adeo periculoſis plures moriuntur: Proficit autem curandi ratio apud Galenum, quoniam quæ exſiccant valde ſupprimunt putredinem; & odorata animalem & vitalem reficiunt ſpiritum, qui à putridis fumis extinguitur: Quod tamen ſicca magis frigidis impediant ne ſerpat putredo, experimentum docet: nam caro putredini proxima, ſi aſſetur parum, & modicè areſcat, diutius ſine putredine ſervatur: præterea longè magis putredinem impedit ſiccitas quam frigiditas: nam diutius ſervantur carnes ſalitæ æſtate, ob ſiccitatem, quam eædem non ſalitæ hyberno tempore ob frigiditatem: tum etiam ſiccantia putredinem magis quàm frigida inhibent. *Chriſt. à Vega lib. 3. ſect. 6. c. 2. Vide Zacutum med. Princ. l. 2. quæſt. 28.*

XXIII. Studioſi multi Tabidi fiunt, à nimio ſtudio, ut creditur, ſed id à fumo candelarum hauſto in muſæolis undique clauſis, quod à Placæo Profeſſ. Salmurienſi utiliſſimè obſervatum. *P. Borellus cent. 2. Obſ. 59.*

XXIV. Mulier poſt hæmoptyſin in *phthiſin* incidit *cum hectica*, expuebat tuſſiendo purulenta, cruore tincta, aderat ſudor colliquativus, dyſpnœa; tamen unico hoc medicamento evaſit. ℞. *rad. ſymph. ma. tuſſilag. enul. mundat. ana.* ℥iv. coque in aq. q. ſ. ad mollitiem: tunde & trajice per ſetaceum. ℞. *paſſular. ma. min.* ana. ℔ß. coque in brodio reliquo à radic. & extrahatur pulpa eodem modo ℞. *ſalviæ acut. beton. hyſſopi, veron. hed. terr. pulmon. mac.* ana. m. j. coque ad mollitiem in brodio à paſſulis relicto. ℞ *decoct. colat. ſacch. cannar. ana.* ℔j. coque ad conſiſtentiam, coletur, adde *pulpæ rad. & paſſular. amygd. dulc. excortic. pineorum rec. probe piſtarum ana.* ℥iij. *cinnam.* ʒij. croci ℈j. m. f. Elect. Eodem medicamento, paucis mutatis, filium meum trium ann. cui poſt petechias ſuperatas vomicæ in pulmonibus quatuor vicibus collectæ & ruptæ, ita ut pus magna copia expectoraret, macie confectum feliciter reſtitui: Alias Phthiſis morbus periculoſus, non ſaltem quod medicamenta integris viribus ad partem affectam non perveniant ſed etiam propter ſubſtantiam pulmonum ipſam, quæ ex Malpighio carnoſa non eſt, ſed membraneis conſtat veſiculis; membrana vero corpus eſt ſpermaticum, quod abſumptum non regeneratur. *Gott. Chriſt. Wincleru s miſc. Cur. anni 76. Obſ. 95.* Novi virginem xx. circiter annorum, robuſtam & ſucci plenam, quæ anno ætatis ſeptimo phthiſica & hectica erat, à Medicis derelicta, cui ſagax mater per ſex hebdomadas integras quotidie præbuit ℔ß. decocti flor. tuſſilag. cum pauco ſaccharo, unde convaluit.

XXV. *Vir quidam tabeſcebat & abſumebatur, nec alimentum ei accedebat ex aſſumptis cibis: his aſſumptis omnis generis medicamentis & ſurſum & deorſum purgantibus, nihil juvabatur. Secta autem per vices utriuſque manus vena, donec exanguis redderetur, tum demum juvatus eſt, & à malo liberatus.* Hippocr. 5. Epidem. Conturbatus affectus ob maximam diſſipationem alimenti toto corpore, & ob calidam & ſiccam intemperiem: quæ aut circa humorem eſſet in ipſis carnibus, aut quod calidiſſimo ſanguine foveretur: qua in affectione purgantia tam longè abeſt ut juvent, ut etiam morbum augeant, etſi atrabilarius ſanguis nutriret totum corpus, & melanagoga præberentur; quia (ut *Hippocr. lib. de Purgantibus* ſcripſit) Cum carnes calidæ ſunt, diſtrahunt ipſum medicamentum, quanto magis neceſſe erat diſtrahi in hoc homine, in quo continenter à ventriculo ſugebatur? cum ergo expurgantia calida & ſicca ſint, intemperiem augebant, ac proin omnia ſymptomata: Unde ergo potius expectari auxilium poterat quam à refrigeratione corporis, ut extincto calore ceſſaret diſſipatio, & hac ceſſante ſuctus? Ad refrigerandum autem corpus nullum majus remedium excogitatum eſt ab antiquis quam miſſio ſanguinis, donec æger linquatur animo, aut exanguis fiat. *Valleſius comm. in illum locum. Vide Lindanum in ſelectis Exerc. xiij. & xiv. Benivenium* cap. 44. de abditis, *Dodonæum* annot. in id caput.

XXVI. Inter Tabidorum remedia præcipuum locum obtinet *Lac*: In illius tamen exhibitione variæ cautiones ſunt obſervandæ, ne potius noceat quam proſit, nam facilè in ſtomacho corrumpitur, aut in nidorem converſus, aut aceſcens vel concreſcens in ſtomacho: Quum aceſcit, incoqui poteſt aliquid mellis vel ſacchari, frigiditas enim ventriculi, acoris cauſa, ſic emendatur: Si in nidorem convertatur, à calore corrumpitur, Tum aquam ſatis multam admiſcere utile eſt: At populus hanc miſtionem aquæ non probat: præſtantiſſimi tamen Medici eam comprobarunt, nam fervorem temperat, lacti ipſi non nocet, maximè ſi bubulum lac ſit, omnium maximè hodie familiare: Hippocr. 7. Epid. lac exhibet bubulum cum aquæ ſexta parte, tum quia ejuſmodi lac naturâ ſuâ craſſius eſt, tum quia facile in nidorem vertitur: Et 5. Epid. 36. recenſet hiſtoriam *Pythoclis*, qui Lac multa aqua permiſtum ægris exhibebat: Sic pariter Gal. lac aſininum commendat, quia tenuiſſimum, coagulique minimum habet: Si id deſit, commodum erit bubulum ad illius temperiem & conſiſtentiam deducere, quod commodiſſimè aquæ permiſtio præſtat: Id & veteres & recentiores animadverterunt: Sic *Hellerius* cap. de phthiſi & febre Hectica, Si luctus fiat nidoroſus, parum aquæ incoqui debet cum lacte: Quod conſilium ſi plurimi ſequerentur, majus ex lactis uſu emolumentum perſentirent quam ſolent. *Primeroſius de vulg. Error. cap. 11.*

XXVII. Tabidi importunè tuſſiunt, pituitamque multam purulentam vacuant: Ideo *Lac* quidam reformidant, quia pituitam illam generare & in eam faceſſere ſibi perſuaſerunt: Lac autem integrum & recens ex iis animantibus emulctum quæ boni habitus ſunt, boni eſt ſucci fitque ex ſanguine exactè cocto, tantum abeſt ut inter ea numerari debeat quæ pravi ſunt ſucci & pituitoſi, idque ob butyri permiſtionem: unde *Avicennas* Lac demto butyro præſcribit, quia butyrum facilè inflammatur, imò ignem admittit, tantum abeſt ut putarit in pituitam verti, cum potius in bilem faceſſat,

ideo Trallianus recentem caſeum commendat, quia refrigerat: Nec etiam tunc in pituitam illam craſſam purulentamve vertunt, quam excreant interdum Tabidi: Conſtat enim lac butyro, ſero & caſeo: ſerum nitroſæ eſt facultatis, detergit, obſtructiones ſolvit, humores acres & exuſtos per alvum deducit, quæ caloris ſunt effectus: ideo quoque oxygala apud Galenum frigidum eſt, quia acrem ſeri qualitatem amiſit: vtcunque etſi admodum refrigeraret, in pituitam tamen craſſam ob tenuitatem ſubſtantiæ nunquam verteretur: Butyrum ipſum, cum ſit inflammabile, nunquam pituiteſcit; caſeoſa pars, ſeri & butyri permiſtione viſcoſa non eſt; Ita vt ex horum trium permiſtione lac maximè temperatum evadat: humectat, nutrit, temperat, nec phlegma illud generat quo tantopere moleſtantur quidam Phthiſici: Concedatur tamen eſſe pituitoſum, cum ſola illa pituita in ventriculo ſtabuletur, pulmones affectos non infarciat, plura ea ejus vſu commoda, quam ex pituitę generatione incommoda, ob magnam nutriendi & temperandi facultatem emergent: *Primiroſius de Error. vulg. l. 3. cap. vlt.*

XXVIII. Catarrhus primò ſiſtendus: Ideo ſuadeo raditotum caput, & *veſicatoria* applicari capiti, prius ea levioribus, tandem etiam ad fortiora, vt ad cantharides devenerim; Ego matronę cuidam Nobili, laboranti Phthiſi impropriè dicta (à catarrho ſcil. à capite deſcendente & putreſcente in pulmone, ex quo areſcunt corpora, & conſequuntur eadem ſymptomata quæ ad exulcerationem pulmonis, applicari veſicatoria ad caput; & natura ſupplevit id quod nos non potuimus facere, & totum caput obductum fuit veſicis & cruſtis, & ſanata eſt ab hoc catarrho, & vivit: Poſtea devenitem etiam ad exſiccationem pectoris& pulmonis, & veſicarem totum pectus: & tandem facerem cauteria circa vtrumque brachium, & ſic vbique exhalaret materia, & ita deſinet putredo, & fiet diverſio materiæ illius: vnde *Galenus* in phthiſi vera circa pectus præcipit cauteria vt expurgetur. *Montanus conſult.* 147.

XXIX. Nobilis Matrona per annos aliquot deſtillatione ad pectus laborarat, & ita quidem vehementer vt nullum à medicamentis fructum perceperit: Tandem eo vſque adaucto malo, vt non ſolum purulentam materiam copioſe, ſed & ſanguinem exſpueret,& in hecticam abiret, Ego in conſilium adhibitus, præter convenientem diætam & medicamenta convenientia, *nucha* quoque *ſetaceum* adhibui, cujus beneficio brevi, cum admiratione reſtituta fuit, adeo vt deinceps proles habuerit. *Hildanus cent. 3. Obſ. 38.*

XXX. Arbitramur Tabidis, quibus vlcerati pulmones, *Acidulas* non convenire (tametſi prima fronte vi refrigerandi, quâ febri adverſantur: ſiccatoriâ, quâ catarrhos arcent: abſterſoriâ, quâ vlcus mundificant, congruæ videantur) 1. ob acrimoniam corroſis pulmonibus infeſtam: 2. ratione aciditatis junctæ, quæ adſtrictoria, vnde anacatharſis impeditur: 3. Vacuando, tabidis jam exhauſtis nocent: 4. ſiccando & refrigerando calorem nativum abſumunt: 5. frigore, ventriculo jam debili, cui compatitur cor, obſunt. 6, Experientia iis lethales eſſe oſtendit. Non balneum competit 1. actuali calore hecticam febrem adjunctam auget: 2. membra vlterius ſiccantur. 3. diaphoreſi & ſudorum provocatione corpus amplius exhauriunt. 4. nec vlceri conducunt, quod earum vis pulmones non attingat, 5. nec febrem extinguunt, cum calefaciant & ſiccent: 7. nec extenuationi medentur, vacuant enim, ſiccant & *calefaciunt*: 8. *Nec defluxionem arcent, quæ ſæpius inde ſuſcitatur*: *Sebiſius de Acid. p.* 443. Ad eas tamen tanquam ad ſacram anchoram recurrit *Fortis con* 54. *cent.* 2. Adventante, *ait*, tempore quo acidulæ vitriolatæ in Valle ſolis enaſcentes opportunæ ſunt, quæ Pulmonis vlceribus ſaluberrimæ ac præſtantiſſimæ à nobis quandoque fuerunt expertæ, ad eaſdem tanquam ad vnicam ſacram anchoram confugiendum conſulimus: Sacræ namque Thermæ ab Ariſtot. dictæ fuere: *Et conſult.* 20. Peracto ſudore, ad aquas vitriolatas tanquam ad ſacram anchoram confugiendum, vel ad Engaddinas S. Mauritii; vel ad in Valle ſolis enaſcentes: flaccidos enim Pulmones, imo & *vlceratos* mirabiliter conſolidare, exſiccare atque roborare ſolent, & naturalia viſcera obſtructionibus explicare: *Harum defectu quærantur analogæ facultatis.*

XXXI. *Injectiones in pectoris cavitatem factæ*, in corrupta pulmonum ſubſtantia aliqua, vel in ambitu vlcerata, ſi à vulnere pectori illato, pulmonibus ſimul læſis hæc ſequantur, cum tunc aperta via ſit per quod hoc fieri poſſit, plurimum juvant: Vidimuſque horum vſu propinatis interim quoque aliis quæ in aliis exulcerationibus conveniunt, quendam cui à cultro per pectus ad pulmones vſque adacto, vlcerique inde nato, pulmonum portiones corruptæ aliquoties è vulnere prodibant, & qui penitus contabuerat, nihilominus reſtitutum multis annis poſtea vixiſſe: Alium quoque diu cruentam, ſanioſam & purulentam per vulnus pectoris excernentem materiam, jam longo tempore horum vſu adhuc manere ſuperſtitem. *Platerus Tomo 3. pag.* 436.

XXXII. Baro quidam diuturno tempore deſtillationi ſalſæ obnoxius tabem verebatur: clauſis nempe hæmorrhoidibus, præſertim externis, terrear per venam cavam magnamque arteriam ſanguis bilioſus & pituitoſus ſalſus, temporiſque tractu acrimoniam adſciſcens, vaſa erodit, vnde Tabes, Huic autem *hæmorrhoidibus* biennium fluentibus omnis cauſa metus fuit ablata, imo emendatus corporis humor noxius. *Rhodius cent.* 2. *Obſ.* 9.

XXXIII. Poſſe homines citra cruentam ſputionem Tabe reſolvi oſtendit *Hippocr.* 2. de morbis n. 54. quando ſputum multum ac liquidum, & pus veluti grando tuſſi rejicitur: Eam proponit *Galen.* 4. de loc. c. 8. & 3. Epidem 1. 4. Et 6. Epid. ſect. 9. 36. Explicat *Fernelius* 5. *pathol.* 10. Hunc affectum Tabem aſthmaticam vocare conſuevit: Hac decennis per triennium afflictus, qui nec cauterio ad nucham, & bregma indito, nec aliis levari potuit: Hic cum ſemel in acceſſione, difficili reſpiratione oppreſſus veluti ſuffocari videretur, ſolum tuberculo ſub ala læva excitato ſponte conquievit, quod cum durum & renitens eſſet, cauterio eſt emollitum & in pus converſum: Aperta vomica ichoris virulenti copia effluxit, ne vero occluderetur vlcus, pila cerea eſt immiſſa: Cumque trium menſium ſpatio ex fonticulo corrupti humores effluerent, à dyſpnœa omnino ſanus evaſit. Hoc exemplo audacior factus, in aliis ægris ſimili morbo vexatis idem auxilium tentare adgredior, excitatis fonticulis, aut impoſitis veſicatoriis ſub axillis: vt pila cerea, aut piſum, è fonticulo non decidat, aut veſicatorium ſit firmum, axillas faſcia ad humeros delata comprime: Sic partes ſpirituales,

præ-

præſertim pulmo, perpetuo motu noxium humorem in axillas velut in emunctoria detrudunt. In frigidis thoracis affectibus remedium præferendum pectorationi pectoris Priſcis vſitatæ. *Zacutus Prax. Adm. l. 1. Obſervat.* 122. Vide ſupra §. 20.

XXXIV. Aliquoties obſervavi in Aſthmate & inveterata tuſſi, vbi vſurpata fuere valide abſtergentia & incidentia, ægros conceptos iſſe diarrhœa cum ingenti levamine: Quod ſi vero modus non ſit horum, facile ab his, ſimilibuſque medicamentis, offenduntur Phthiſici & hydropici, vnde poſtea lethali diarrhœa ſuperveniente, ad communem abeunt locum, prægrandi practicantium probro. Hinc *Hofmannus* Quæ tam potenter deobſtruunt in iuſta doſi ſimul purgant. *S. Pauli Quadrip. Botan. p.* 390.

XXXV. Ego, contra omnium forte ſcriptorum ſententiam, *Acidis temperatis* feliciſſime vſus ſum: Ratio patet, quia Lympha (quæ in veſiculis pulmonis, tam orbicularibus quam ſinuolis colligitur) craſſior fit: Dulcia acidis non temperata, cum multis aliis obſervavi ægris ſemper, ad minimum pleriſque obfuiſſe. *P. Barbette Pr. lib.* 2. *cap.* 2.

XXXVI. Sicut thoracis *Paracenteſis*, ad puris ibi concluſi vacuationem, abſque periculo non contingit, neque contingere debet ſi æger debilis & partes internæ jam corruptæ ſunt: Attamen hæc operatio minori periculo objecta eſt quam illa de qua ſtatim egimus, imo in hoc caſu ſæpiſſime ægri mortem evadunt: Et ſcriptores non indocti ſe multa tali facta ſectione, & deinde adhibitis per ſiphonem injectionibus, pulmonis vlcera (ex quibus alioquin incurabilis tabes oritur) faciliimo negotio curaviſſe affirmant. *Petr. Barbette Chirurgiæ part.* 1. *cap.* 15.

XXXVII. Notandum *ſulphurea* hic non ſemper convenire, quare recte monet *Sennertus* in Inſtitut. *Lac ſulphuris*, imprimis per ſe, nec ſemper in magna quantitate exhibendum: Poteſt tamen cum humectantibus (imprimis decocto Chinæ cum paſſulis & glychirriza admixtum) quoque exhiberi. Et, quod obſervandum, ex nimio *Balſami ſulphuris* vſu plurimos in phthiſin incidiſſe teſtantur Practici. *Beckers in notis ad Prax. Barbette p. m.* 93. Verum Balſamus ſulphuris, & alia oleoſa Balſamica, ex ſulphure cum oleis deſtillatis præparata, in Phthiſi, aut exulceratione Pulmonum, aut aliorum viſcerum, ex humoribus ſalſis hæmoptyſin cauſantibus orta, tuto in vſum duci poſſunt? *D. Schroderus* cum aliis affirmat, nec forte deſunt rationes, quia primo, Iſtiuſmodi balſamica humidum, ſeu balſamum radicale cum calido innato augent, Secundo, Spiritus vitales reficiunt, Tertio, Quia ſalia acida in lympha & maſſa ſanguinis contemperant, a quibus putredines, vti ex mechanica chemica conſtat, dum ejuſmodi oleis deſtillatis aquæ fortis vis corroſiva acida corrigi poteſt: Quarto, Quia ſunt interna vulneraria, putredini reſiſtentia; eo quod etiam externe brodijs carnis calidis inſtillata, & ad tempus aëri expoſita, quo attingunt, ea non putreſcere, aut fœtorem contrahere ſinunt, ſecus vbi non attigerint fœtere: Verum ſi & hoc loco communem illam medendi regulam non inſuper habere volumus, contraria contrarijs eſſe curanda dictitantem, certe non ſuccedet tuto ſi phthiſin, ſeu pulmonum exulcerationem iſtiuſcemodi balſamo ſulphuris, aut alijs oleoſis balſamicis, ex flor. ſulphuris cum oleis deſtillatis præparato curare velimus. Notum enim eſt in Phthiſi, ſeu exulceratione pulmonum, aut aliorum internorum viſcerum, ſemper vel præviam adfuiſſe, vel adhuc conjunctam adeſſe inflammationem, eamque adeo non ſine acido inflammante ac dolorifico; Olea deſtillata & alia, ex quibus dicta balſamica conficiuntur, etiam calida eſſe, inflammabilia ac ſennoſa omnibus notiſſimum eſt; at vero hoc particulis eorum acidis acceptum eſſe ferendum perpauci ſentiunt: Patet tamen ex talium volatilium beneficio, alkali ex oleis deſtillatis præparatione; Olea deſtillata, & alia pinguia illita, Cranii & oſſium affectibus nocent, & affectibus eryſipelatoſis, ob acidum eorum occultum, gangrænam afferunt: Quomodo igitur hæc ſana ratione & in Phthiſi, ſeu Pulmonum exulceratione convenire queam? Præterea, cum tunc etiam fermenta viſcerum digeſtiva admodum debilia ſint, & hæc balſamica oleoſa fermentis eorum ob vnctuoſum acidum ſalibus volatilibus immerſum potius reſiſtentur, vti ex ructibus poſt eorum vſum conſtat, in actum deduci, & in ſalia volatilia naturæ convenientia converti nequeunt, vnde toti Naturæ ſic cruda relicta negotium faceſſunt, ac damnum irreparabile inferunt: Huc accedit quod in ejuſcemodi affectibus alias tota maſſa ſanguinea, vnacum lympha, tunc quaſi vappeſcat, ita vt in hac abſumptis ſeu reſolutis partibus volatilibus ſalſis, oleoſis ac balſamicis Naturæ congruis, ſpiritus vitæ debilior ſuum lumen amittat, imo pauciſſimus fiat: adhibitis jam iſtiuſmodi ſulphureis ſylveſtribus oleis calidiſſimis, quid aliud eveniet? quam vt flamma major extinguuit minorem, ſic hæc etiam calida in excellenti gradu reliquum flammulæ vitalis penitus penituſque ſint extinctura, vel loco caloris vitalis hecticum ſint inductura? Vnde *G. Hofmannus Præfat. ad lib. de Med. Offic.* Olea, *inquit* ſtillatitia, quæ fere Eſſentias vocant, tam aperte *ventriculo* membranaceo inimica ſunt, abſumendo humidum illius radicale, *hepati* autem aliſve viſceribus &c. (Vide §. 42. *titul. de Hepatis affectibus.*) Quorum omnium perveliim, inquit *Simon Pauli Quadrip. Botanic. pag.* 256. novellos Practicos ſubinde meminiſſe, nec ſe moveri ab Empiricis patiantur, cum illi caſu ſæpe per empiriam levare quidem morbis ægros, ſæpius vero ac frequentius in præſentiſſimum vitæ diſcrimen alios atque alios ejuſmodi calidis, validis chemicis medicamentis præcipitaſſe viſi ſunt, methodi medendi ignariſſimi: Nec obſtat iſtiuſmodi Balſamica balſamum radicale confortare, falſum hoc eſt, longa enim eſt differentia inter ſulphura, vi peregrina ac virulenta nondum ſpoliata, & iſta adhuc conſtantia, ad quæ vltima nos *Balſamum ſulphuris*, & alia adhuc cruda olea deſtillata referimus: Tyrones, *inquit Helmont. in Tract. V. H. L. M. V. pag.* 577. addiſcant ſulphura ſpoliare virtute peregrina ac virulenta (hoc eſt ſuo acido) ſub cujus nimirum cuſtodia abditur ignis vitalis. Abducunt in ſcopus deſideratos placidiſſime ducens: at de quibus hic agimus, talis genii non ſunt: Nec tamen ſpiritum vitalem ſuavi ſinnis ſulphurum propitiatis demulcere ſed & horum vi ſpecifica cauſam morbificam conſumere, & vires oppilatas ac obſtructas reſerare, ac fermenta tandem confortare oportet. Olea deſtillata, vel ſpiritus vini ab aqua forti abſtracta, hujus vim corroſivam

demulcere, dum acidum minus corrigit majus, notum quidem eſt, ſed quid hoc facit ad internum eorum vſum? Quod autem iſta olea Balſamica carnis juſcula, ſi hiſce infundantur, à fœtore & corruptione præſervent, fit hoc quod ab aëris injuria defendant, quemadmodum etiam videmus oleum amygdalarum dulcium expreſſum, vel oleum olivarum, vinum in doliis incorruptum ſervare, ſed quid hoc ad præſens negotium? Nihil probat, longe enim alia eſt iſtorum balſamicorum operatio in corpore humano, & alia in aliis rebus extra corpus conſtitutis: Illic calor viget fermentalis, hic putredinalis, elementaris: *Frid. Hofmannus Clavis Schroder pag.* 375.

XXXVIII. Exiſtimarunt recentiores Phthiſicis ac Tabidis omnibus *Rorellam*, ſive *Rorem Solis*, ſingulariter & valde vtilem, & præſertim ſtillatitium ejus liquorem: veluti enim herba humoris roriſque tenaciſſima videtur, atque adeo quidem vt nec ferventiſſimus Solis ardor humorem queat abſumere, Ita & naturalem genitalemque in hominum corporibus humorem conſervari ac foveri hac creditum fuit: Verum aliud vſus docet, aliud & ratio dictat; Nam cum acerrima ſit herba, & hac ipſa acrimonia aqua ſtillaritia non integrè deſtituatur, citra offenſam & noxam ſumi nequit: Perire etiam citius ſtillatitio liquore vſos, quam eos qui abſtinuiſſent, & rectam vivendi victuſque rationem ſectati fuiſſent. *Remb. Dodonæus lib. 5. Pemptad. 3. hiſtor. ſtirp. pag.* 475.

XXXIX. *Galenus*, Medicorum magiſter, Phthiſicos Tabias mittebat, non quo eorum cura ſe liberaret, ſed ad deſiccationem vlceris & fluxionis, inſpirato aëre puro, vi ſiccandi prædito, ac balſamica vi plantarum inibi naſcentium imbuto; Ante aliquot annos illuc Nobilem noſtratem, nomine *Cotton*, Phthiſicum confirmatum, miſi, pus cum ſanguine ſpuentem, ſceleton membrana Pergamena veſtitutum præ macie referentem: qui à reditu, plane reſtitutus, nuptias contraxit, ſaniſſimus in familia degens, plurimorum liberorum parens: Vidi (quo aëris efficacia in pulmonis morbis conſpicua ſit) Nobilem, qui ab inflicto profundo in pectore vulnere: bis ſanatus eſt, fiſtula ſuccedanea apertioni in oppoſita parte factæ, quæ neceſſario intra coſtas inſtituenda fuit: In Hiſpan. is abiit, vbi poſt quinquennij moram occluſa ſuit fiſtula: patriæ autem vbi hic redditus, regioni frigidæ & humidæ, hæc ſponte recluſa eſt: ſanationem iterum in Hiſpania obtinens per æqualem moram: hinc clarum eſſe debet Aërem, qui omnia pulmonis bronchia pervadit, inde recta via cor impetit, efficacius quovis alio remedio, qualitatibus nativis vel adſcitijs vim ſuam exerere. *Th. de Mayerne Tract. de Arthrit. pag.* 64.

XL. Verumtamen à tali locorum mutatione haud ex æquo omnes juvamen recipiunt, multi enim in Galliam aut villas ruſticas petentes, ibi ſepulchra potius quam ſanitatem inveniunt: quinimo Londinum haud ſtatim à phthiſicis omnibus relinquendum eſt: novi enim plures tuſſi ac phthiſi obnoxios multo melius in hoc aëre fumoſo quam ruri valuiſſe: Ita propter ejuſdem morbi ſanationem, dum alij hanc vrbem quaſi barathrum vitant, alij huc tanquam ad aſylum ſe conferunt: Horum rationes ex reſpirationis doctrina ſatis clare eluceſcunt: nimirum oſtendimus ſanguinem pulmones pertranſeuntem, & quoad accenſionem, ſeu vitalitatem, & quoad motum ſuum ab aëre nitroſo inſpirato plurimum pendere: vnde ſequitur hujus tenorem ad illius craſin ita proportionari debere, vt ſanguis intra præcordia modice accenſus, clare & vegere, tum ſine fumo & fuligine, tum ſine flamma nimis intenſa efflagret; proindeque vaſa pneumonica ſatis libere, abſque remota aut excrementorum depoſitione trajiciat. Quamobrem humidus aër, paluſtris, ac minime perflatus, cum nulli ſalubris, ita tuſſientibus plurimum infeſtus exiſtit: E contra aër ſerenus ac mitis, Sole ac vento moderatis gaudens, vti cunctis ſalubris, ita Phthiſicis quibuſque amicus deprehenditur: Quoad alias inſpirandi conditiones, nonnulli tuſſim evitant aut amittunt, degendo in locis montanis ac apricis, vbi atmoſphæra impendens, vaporum quorumcumque craſſiorum, fumoſorum & fœculentorum expers, particulis nitroſis abundat: nam quorum ſanguis craſſus & fœculentus ſulphure impuro ſcatet, ad hunc rite accendendum, & ad fæculentias accenſione abſumendas, aëre pertenui & maxime nitroſo opus eſt: Si modo pulmones haud nimis teneri ſint, ſed firmi ſatis & robuſti, aſperiores ejuſmodi particularum appulſus ferunt: E contra, qui ſanguinem tenuem & ſubtilem, facile diſſolubilem, atque ſulphure puriore, ſed perexiguo præditum, ſimulque pulmones teneros, molles & texturæ rarioris valde ſenſiles obtinent, aëris nitroſi & aſperioris impatientes, craſſo ac imprimis ſulphureo maxime gaudent: Quare his vtile eſt vrbis fumoſæ auram pinguem & hebetiorem haurire, quæ nimirum ſanguini jejuno & tenuiori ſulphur (quod aliquatenus deficit) æque ac nitrum præbeat, ejuſque conſiſtentiam ſubtilem ac nimis diſſabilem nonnihil incraſſet ac figat; inſuper & pulmonis ſubſtantiam, ſive texturam nimis ſenſilem & rariorem hebetet, & contra aëris acrioris & improportionati occurſus muniat: Profecto crebra experientia ſatis liquet aërem craſſiorem, modo etiam ſulphureus fuerit, phthiſicis quibuſdam (ne dicam omnibus) valde benignum exiſtere: communis obſervatio eſt regiones iſtas vbi ceſpite ignes nutriuntur, & odorem valde ſulphureum ſpirant, Tabem rarius infeſtare: quinimo loca iſta phthiſi obnoxijs, aut eo laborantibus maxime ſalubria, & non raro ſanativa exiſtere: Cui accedit quod ſuffumigium ex ſulphure, & arſenico (quod ſulphure copioſo refertum eſt) pro curandis pulmonum vlceribus plene deploratis remedium, licet vltimum, efficaciſſimum tamen habetur: Cur autem aër ſulphureus phthiſicis quibuſdam ita benignus reperiatur, inde eſt, Primo, Quod a tali aura inſpirata, & ſanguinis jejuno & inopi, & pulmoni tenero, & facile obnoxio ſuccurratur vna & pareatur, Secundo, Quod particulæ ſulphureæ, vna cum nitroſis inſpiratæ, humorum quorumcumque aciditates (à quibus iſtorum in pulmones fluxiones & extravaſationes potiſſimum oriuntur) maxime præcavent aut tollunt: Et quidem ob hanc rationem eſt quod pharmaca ſulphurea, etiam intus ſumta tuſſientibus, aut phthiſicis, juvamen adeò inſigne conferunt: atque idcirco ſulphur, vt modo dictum, pulmonis balſamum audit: nam ſicut balſamica, vlceri aut vulneri impoſita, ichoris ibidem exudantis, atque fibras corrumpentis, aut graviter irritantis aciditatem

tem tollunt, cito dolorem leniunt, & poſtea ſolutionem continui ſanant, ſic etiam particulæ ſulphureæ, aut cum aëre, aut cum ſanguine in pulmones traductæ, quatenus humorum omnium, ſcil. cruoris, lymphæ, ſeri, ſucci nervei ac nutritij aciditates præcavent aut delent, ad phthiſicos prophylaxin, aut therapeian plurimum conducunt. *Willis.*

XLI. Inter *Abſtergentia*, & *vlcus mundantia*, nullum hactenus reperi medicamentum, quod vel externe, vel interne vſurpatum tutius citiuſque non tantum mundaverit, ſed inſuper conſolidaverit recentia vlcera, atque ſulphuris Balſamum, dummodo eo vti potuerint & voluerint ægri: Cæteris vero præfero paratum cum oleo aniſi, etſi quoque parari poſſit cum oleo ſuccini, juniperi, terebinthinæ Venetæ, nucum aliiſque. *Sylvius Tractat.* 4. *Append.* §. 180. & 186.

XLII. Ad mundati vlceris conſolidationem multum laudari ſolent *Roſa rubra*, atque ex his conſerva, licet hactenus ejus effectum magnum ac bonum non viderim, quoniam vbi copia ſumitur majore, quod volunt ejus laudatores, ventriculus & inteſtina multo phlegmate replentur, vnde non tantum appetitus proſternitur, ſed & chylificatio læditur; quinimo non ſemel moleſtum frigus in ſuperiore abdominis, adeoque ventriculi regione oboritur, à quo vix aliquo menſium ſpatio liberari poſſunt iterum ægri, quod non ſemel obſervavi factum: Præferrem proinde Decoctum Roſarum rubrarum cum forti expreſſione paratum, idque ſaccharo pauco edulcoratum. *Idem* §. 187. & 188.

XLIII. Commendantur à quibuſdam in hoc caſu non tantum *ſulphuris flores* & balſamus, ſed & *Lac*, cujus ego tamen nullum vnquam obſervavi effectum notabilem, quamvis ipſum ſæpius ægris exhibuerim, & ab alijs quoque exhibitum viderim. *Idem* §. 190.

XLIV. Viſciditas puris, reſpirationem impediens, ſolvitur per medicamenta incidentia, vnde facilius id excernitur: In hunc finem commendo itidem *Balſamum ſulphuris* aniſatum, vtpote qui non tantum vlceri mundando & conſolidando inſervit, verum inſuper pus ipſum tenuius fluidiuſque reddit, adeoque ipſius excretionem promovet & facilitat. *Idem* §. 199.

XLV. Ad *Appetitum* ſæpenumero in Phthiſicis proſtratum, quodammodo ſaltem excitandum, non puto convenientius remedium hactenus innotuiſſe quam *Elixir proprietatis*, ad guttas v. vel vj. ante aſſumendum alimentum dimidia circiter hora ex vino, vel alio liquore conveniente ſumptum: Cum enim conſtet hoc Elixir myrrha, croco & aloë, cum ſulphuris oleo per campanam paratо, & ſpiritu vini ſimul digeſtis; myrrhæ nomine, vt & croci, conducit phthiſi & tuſſi; aloë autem humorem pituitoſum, viſcidum incidit, & blande ac lente educit, quin ipſum pus attenuat; ſed & hæc omnia vlceri mundando conducunt, adeo vt ſit phthiſi remedium convenientiſſimum, cujus Acidum temperari poteſt mixtura dulciore, cum qua aſſumatur: Sed illud idem medicamentum promovebit alimentorum in ventriculo fermentationem, a puris, omnibus corporis humoribus immiſſi, viſciditate impeditam, & ſic quoque gravitatem, poſt iſtorum aſſumptionem ægris moleſtam levabit. *Idem* §. 210.

XLVI. Sanguinem à pure liberabunt præ alijs forſan medicamentis omnibus quævis Antimonialia, tum Diaphoretica, tum Purgantia, & Vomitoria, quæ non ſemel obſervavi in Phthiſi, ac inveterato pulmonum vlcere grandi, per alvum & vrinas bonam puris quantitatem eduxiſſe, adeo vt ad plures tunc dies nullum tuſſi pus excerneretur: Vlcus autem adfuiſſe indicavit cadaveris diſſectio. *Idem Praxeos Med. lib.* 1. *cap.* 24. §. 20.

XLVII. Quoad Potum, laudatur Vinum generoſum, ac ſimul dulce, quale eſt malvaticum, quodque minus auſterum, rubellum tamen producitur in regionibus calidioribus: Album enim ſæpenumero acrius deprehenditur: Quamvis autem vinum illud potentius nunquam ſit plene fermentatum, non idcirco nocentius, quin vtilius exiſtit: Qua enim parte ſufficienter eſt fermentatum, ea ſpiritus animales, ſimul deperditos, aut minus ex alimentis eductos reparat; qua vero minus eſt fermentatum, ſanguinem laudabilem generat, & futuro ſpiritui animali materiam copioſam vtilemque ſuppeditat: Sumendum interim quantitate parva, & commode cum pane biſcocto, tum ſimplici, tum ſaccharato, cujus ope diutius ſiſtitur in ventriculo, minus afficit cerebrum, vireſque omnes magis reficit, uti hoc conſtat per experientiam. *Idem* §. 222.

PLEVRITIS.

SYLLOGE.

Pleuritidis generatio & curatio methodica. 1.
Omni vere, & in omnibus, convenit Sanguinis miſſio. 1. 2.
In omni fere ſecanda vena lateris affecti. 4.
Die critico poteſt fieri, & poſt ſtatum morbi. 2.
An ſemper ſanguis mittendus ad caloris mutationem. 3.
Qua vena brachij ſecanda. 6.
In menſium ſuppreſſione qua vena ſecanda. 5.
Si ſputum adſit ſanguineum an ſanguis mittendus. 7.
Peſtilenti & epidemica an conveniat ſanguinis miſſio. 9.
Menſibus fluentibus an vena ſecanda. 41.
Sanguis è vena ſecta non erumpens præ vehementia doloris. 8.
In flatulenta noxia S. M. 42.
Non ſemper ob augmentum accidentium iteranda. 14
An fotus ſemper illam præcedere debeant. 17.
An educto ſanguine vitiato ſtatim cohibenda vacuatio. 18.
Tabidis pleuriticis vena non ſecanda. 13.
Gravida novimeſtris quater miſſo ſanguine liberatur & feliciter parit. 10. 2.
Non conveniat S. M. in pleur. quæ fit a fluxione è capite. 79.
Hæmorrhoidum reſeratio *quando confert.* 10.
Pro regionum varietate S. M. juvat aut nocet. 77.
Nocet in ea quæ generatur è crudis ſuccis. 45.
Sanguis non pluribus vicibus ſed ſimul & ſemel educendus. 10.
S. M. uno die vtiliter facta. 11.
Pro locorum varietate prodeſt vel obeſt. 77.
Arteriotomia *an admittenda.* 44.
Pleuritis ſedata per venæ in latere affecto apertionem. 19.
Vtriuſque brachij venæ apertione, & larga S. M. ſedata. 76:

Latere dolentibus in craſſis viſcidiſque humoribus noxia eſt. 12.
Et flatulenta. 45.
Cucurbitularum *& ſcarificationum parti admotarum vis.* 20. 26. a.
Cauterio *parti admoto curata.* 26.
Cucurbitula applicata. 25.
Paracenteſi *an curanda.* 66.
Quædam ſola ſectione ſanabilis. 24. 43.
Purgationi *quando locus.* 23. 28.
In vera noxia eſt. 22.
Quarta die in legitima facta. 29.
An in deſcendente purgandum. 21.
Cauſe purgatio inſtituenda. 30.
Spuria purgatione ſanata. 33.
Rheum *tuto poteſt exhiberi.* 31.
Agaricus *an dandus.* 32.
Cathartica *&* Vomitoria *quomodo juvant.* 27.
Emeticis *quandoque curatur.* 56.
Diuretica *an utilia.* 34. 54.
Quando illis locus. 57.
Diaphoreticorum *&* hidroticorum *utilitas.* 40.
Papaveris rubri *flore quando utendum.* 59.
Decocto traumatico *ſanata.* 74.
Antimonij diaphoretici *efficacia.* 60.
Antipleuriticorum *vis & natura.* 15.
Sanguinis vitij & lentoris correctio. 53.
Pleur. ſpuriæ *&* flatulentæ *curatio* 61. a.
Pituitoſa pulveres antipleuritici noxij. 61. b.
Eclegmata *initio noxia.* 35.
Saccharata *in bilioſa vitanda.* 36.
Granatorum ſuccus *an conveniat.* 37.
Potiones acidæ *an utiles.* 39.
Narcotica *an admittenda.* 38.
Calida *nimis non exhibenda.* 70.
Craſſities humorum non eodem modo corrigenda. 54. a
Repercutientia *an admovenda.* 62.
Fotibus *prudenter utendum.* 63.
Linitibus *emplaſtica non addenda.* 64.
Balneo *an uti liceat.* 65.
An ſemper tenuis Diæta *quadret.* 52.
Vinum *an poſſit concedi.* 71.
An interdum ante coctionem exhibendum. 72.
Somnus an arcendus. 73.
Pleuripneumoniæ *curatio.* 78.
Pleuritis per urinæ excretionem judicata. 58.
Febris *comitis exſtinctioni an ſemper ſtudendum.* 47.
Cauſa aliquando negligenda ut intemperiei conſulatur. 55.
Reliquiæ omnes exterminandæ metu recidivæ. 67.
Dolor ſuperſtites quomodo curandus. 68.
Phthiſicorum pleuritidis falſæ *curatio.* 69.
Pleuritidis & peripneumonia ſine ſputo *curatio.* 49.
Dolor pleuritico ſimilis à pluribus cauſis inducitur. 75.
Colicum mentiens pleuritis. 46.
Dolor pleurit. à vermibus ortus eos necantibus eſt curandus. 46.
Pleuritis ſpuria *à ſeroſo humore.* 50.
Maligna *in ventre inferiori ſedem habens* 51.
Diarrhœa accidens non ſemper pericoloſa. 34.
Pleuris. falſæ ab humore ſalſo *cognitio & curatio.* 80.
Firmata peripneumoniæ, pulmonum abſceſſui, aut ulceri accidentis doloris curatio. 81.
A vomica pulmonum excitata curatio. 82.

1. RECEPTA a Medicis vulgo ſententia eſt Febrem illam continuam quæ Pleuritidi comitem ſe adjungit, à phlegmone membranæ coſtas ſuccingentis, cordique vicinæ, ortum ſuum ducere, adeóque Pleuritidis reſpectu ſymptomatis rationem obtinere: Neque omnino diſplicet hæc ſententia, Interim ex alia parte exiſtimo Pleuritidem ſymptomatis vicem ſubire, reſpectu febris illius eſſentialis qua primo correptus eſt æger, antequam pleuritis nempe ſuperveniat; hac autem accedente prior illa febris genium ſuum deponere mihi videtur, vel potius in pleuritidem converti, quæ jam ex phlegmone prædicta novam febrem ſibi adſciſcit, eaque ſtipatur: Atque poſterior hæc febris ita ſubnaſcens pari paſſu cum pleuritide ambulat, cumque ea ſtat caditque: Certe crediderim difficile admodum futurum ut quis, examine diligenter inſtituto, exemplum proferat pleuritici alicujus qui dolore lateris, (ſigno huius affectus adeo luculento) tentatus fuerit antequam febris inſultum aliquem, ſaltem leviorem, fuiſſet expertus: Nam dolor ille nunc quidem citius, nunc ſerius invadit, verum (quantum obſervare hactenus mihi licuit) nunquam niſi poſt febrim, atque hinc (ut ſententiæ propriæ morem geram) pleuritidem inter accidentia enumero febrem conſequentia: Pleuritidem vero naſci arbitror ex materiæ febrilis præcipitatione in pleuram vel muſculos intercoſtales, atque illud quidem in ipſo fere febris initio accidere, cruda adhuc exiſtente materia, nondumque per idoneam ebullitionem ſubacta, adeoque nec ad ſeparationem debitam per loca magis conferentia præparata: Atque hoc incommodi ſæpiſſime ex intempeſtivo calidorum medicamentorum, ut pulver. Comitiſſæ &c. uſu infertur; Eoque ut plurimum conſilio ut in primo febris inſultu provocetur ſudor. Natura quippe hoc pacto turbata humores adhuc crudos expellere qua data porta cogitur, atque adeo nunc in cerebri meninges impetu fertur materia febrilis, unde phrenitis; nunc ad pleuram, inde pleuritis, præſertim ubi ætas ac temperamentum, annique tempeſtas inter ver & æſtatem ambigens huc quoque concurrunt.

Ad huius itaque ſymptomatis remotionem hac utor methodo, Quamprimum jubeo, ſi res patiatur, ſanguinem liberaliter ex brachio affecti lateris mitti, mox ungu. aliquod accommodatum lateri applicandum, ſimul etiam becchicis utor ad rei ingenium varie accommodandis: Sed his omnibus oleum amygd. dulc. recens facile palmam præcipit: Pro Potu ordinario cereviſiam tenuem ac minime acrem, vel ptiſanam ex hordeo, liquir. & tantillo aniſi injungo: Diebus porro ſequentibus, repetita venæ ſectione, ſanguinem etiam copioſe detrahi jubeo, pro re nata; Sane perquam raro à ſanguinis miſſione abſtineo, donec ad ℥xij. aut circiter fuerit detractus, niſi quid contra indicaverit: Atque tametſi non ſine ſpecie aliqua rationis metuat quis ne tanta ſanguinis emiſſio periculum inferat, ipſe tamen ſanguis ablatus, poſtquam aliquandiu ſteterit, hos metus difflabit, qui admodum corruptus, ſaltem poſt primam vicem, ſimiliſque fere coloris in ſummo cum vero pure: Adde vires ægri non valde atteri ac te comperturum ſi copioſam illam ſanguinis jacturam tecum reputaveris: Hoc autem monendum eſt *cautelis opus eſſe*, ne per totum methodi decurſum *Clyſteres* injiciantur, aut pectoralibus medic. quicquam adjiciatur quod alvum ciendi vim habeat, quo enim adſtrictior eſt alvus, eo tutius phlebo-

to-

tomiam repetemus: ex adverſa, ſi vel dimidiam illius, quam dixi, ſanguinis quantitatem ademeris, vbi clyſteres vel alviduca exhibueris, ægrum in diſcrimen adduces vitæ, ſive quod Natura vtramque vacuationem tam brevi ſpatio ferre nequeat, ſive alia de cauſa; neque in hoc morbo ſolum, verum & in aliis forte omnibus, in quibus curationis negotium in hoc cardine (venæ ſectione) vertitur: Sæpe quidem aggreſſus ſum in tractando hoc ſymptomate *Sæpenius* rationem aliquam ſtabilire, quæ citra ingentem hanc ſanguinis jacturam ſubſiſteret, nempe vel humorem reſolvendo, vel expectorationis promotione illum vacuando, Sed nondum eaſors mihi contigit vt huic ipſi memoratæ praxi parem aliquam reperire potuerim: Certe niſi venæ ſectione aliquoties celebrata nunquam mihi hactenus ſubſiſtere licuit, licet neque illud intentatum reliquerim, at vltra ſecundam vel tertiam vicem non progrederer, ſed ipſa rei neceſſitate adactus Naturam ducem ſequutus ſum, etiam dum eidem Naturæ vim inferre videbar. *Sydenham methodi cur. Febres pag.* 54.

I. *a.* Venæ ſectio in Pleuritide incipiente prodeſt, eo quod ſanguinem alicubi in circuitu præpeditum à nimia efferveſcentia cohibet: præcipue autem, quia cum vaſa hac ratione valde deplentur, humores quoſcunque exterminatos prius, adeoque ſanguinem in parte affecta ſtagnare incœptum denuo excipiunt & fluxilem reddunt: Etiam remedia circa initium huius morbi maxime juvantia ſunt ejuſmodi quæ ſanguinis coagulationem impediunt, aut inter coagulandum diſſolvunt; qualia ſunt quæ ſale volatili aut alchaliſato plurimum abundant, nitrum ſpiritus fuliginis, ſanguinis, c. c. item ſpiritus & ſal vrinæ, Pulvis e chelis aut oculis cancrorum, è dente aprugno, aut mandibula piſcis lucii, egregii ſunt vius: Inter vulgares mos eſt infuſionem ſtercoris equini propinare; quod equidem medicamentum in caſibus fere deploratis non raro opem contuliſſe novi. Interim acida quæcunque, quia ſanguinem plus coagulant, & expectorationem impediunt, in hoc morbo ſumme lędunt. *Willis cap.* 11. *lib. de Febribus.*

Hippocras. in illo 4. *acu. lib.* 76. videtur apertè voluiſſe aliquando prætermittendam eſſe venæ ſectionem, & loco illius purgationem accipiendam: Ac 4. 6. *Epidem.* videtur quoque rationem proponere cur non liceat ſemper venam ſecare, Inquit enim, *In cruenta ſputione venam non ſecari, ſi adſit dolor lateris, bilis*, Quaſi voluerit in Pleuritide bilioſâ, cum cacochymiâ, non licere venam ſecare: Ideo *Avicenna* in hac Pleuritide bilioſa ſectionem venæ prohibet, Et quod magis eſt, *Galenus comment. vlt. 4. in 6. Epid.* aſſerit In parvâ pleuritide ſe aliquando venam non ſecuiſſe; quaſi voluerit monere in parvâ Pleuritide ſectionem venę non eſſe neceſſariam. Sed ego arbitror in omni Pleuritide, modò vires conſtent, venam eſſe ſecandam, ſive ea bilioſa, ſive pituitoſa ſit (intellige ſanguinem bilioſum aut pituitoſum, non ſinceram bilem aut pituitam:) Ideo quamvis plenitudo ſit ſpuria, in morbo tamen vſque adeo periculoſo & gravi eſt neceſſaria venæ ſectio. Multo magis, vt puto, facienda eſt in pleuritide ſanguineâ, quanquam parvà; Nam tametſi ab initio parva videatur Pleuritis, progreſſu tamen temporis augetur, & quandoque Medicus vult ſuppetias ferre quando tempus præteriit: Non improbo tamen vt in parva Pleuritide vtaminj ſtatim ab initio fomento tentativo, anodyno & diſcutiente: à quo ſi dolor leniatur, humor jam fluxus digeritur & novus influit, quo in caſu venæ ſectio prætermitti poteſt. Sed quid dicemus ad *Hippocras.* qui purgatione vtitur dolore deſcendente, Sanguinis miſſione autem, eo aſcendente? Puto ſic interpretandum, In omni Pleuritide venam eſſe ſecandam ſi vires conſtent, ſed dolore aſcendente primo eſſe ſecandam venam, deinde purgandum, mox venam ſecandam: Nam vbi dolor deſcendit, humor eſt pituitoſus, gravis: itaque expedit cacochymiam minuere antequam ſecetur vena. *Saxonia Prælection. Practic. lib.* 1. *cap.* 27.

Cum id remedium ſit præſtantiſſimum, nunquam eſt omittendum, etiam in vteri geſtatione, in puerperio, in lochiorum aut menſium fluxione: docuit enim experientia gravidis, etiam in 8. aut geſtationis menſe: puerperis & in non gravidis, quibus menſes fluunt; imo vero in infantibus & ſeptuagenariis, ſanguine per baſilicam lateris affecti miſſo opportune ſuccurri. *Enchirid. Medic. Practic. & Riverius.*

II. Quamvis die Critico nihil movendum ſuadeat *Hippocr. lib.* 1. *aphor.* 20. Ac morbi cum inchoant, ſi quid movendum videatur, movere debeat Medicus, cum vero conſiſtunt ac vigent melius ſit quieſcere, *aph.* 29. 2. ſi tamen morbus eſt in præcipiti, ſeróque vocatur Medicus, die critico etiam ſanguinis miſſio ac purgatio inſtitui poteſt: Nam nihil intereſt ſi remedium ſit ſatis tutum necne quod vnicum eſt, juxta *Celſum. Fabritius Hildanus Centurat.* 5. *Obſervat.* 30. vocatus ad Pleuriticum graviter decumbentem ſeptima die morbi, cum ex pulſu aliiſque indicijs vires conſtare cognoviſſet, morbum eſſe extremum, in corpore plethorico, maluit vnicum, quod ſupererat remedium (ſanguinis miſſionem) tentare, quàm ægrum in evidenti vitæ diſcrimine relinquere: Sic præter ſpem atque expectationem, aliis adhibitis remediis, ægrum ſanitati reſtituit. Vide *Zacutum Med. Princip. l.* 2. *Quæſt.* 18. Quamvis ſanguinis miſſio in principio morbi præcipuè conſerat, ſi tamen ea fuerit omiſſa, aut inſufficienter celebrata, etiam poſt 7. 9. aut 11. diem vena poteſt ſecari, exemplo *Hippocras.* qui 3. Epid. Anaxioni venam ſecuit octava die, vel quod citius non fuerit vocatus, vel quod In pleuritide crudiſſimâ, quæ 11. die vix coqui cœpit, morbus inducias tulit: cum vero anacatharſis libera & liberalis fieri incipit, tunc abſtinendum, quia ſupprimitur, & æger in vitæ diſcrimen conjicitur. *Lazarus Riverius.*

III. *Hippocras.* 2. *de rat. vict. in acut. t.* 10. inſignem regulam, & in praxi vtiliſſimam poſteritati tradidit, vt mittatur ſanguis vſque ad coloris mutationem: Si nimirum prima aut ſecunda venæ ſectione ſanguis apparet crudus, pituitoſus, aut aquoſus, continuanda ſingulis diebus, aut bis in die, vacuatio, donec ſanguis detractus appareat rubicundus vel flaveſcens: Si vero initio exeat ruber, iteranda toties donec lividus aut niger appareat, Significatur enim ſanguinem illum poſteriorem à parte affecta, aut venis ipſi vicinis effluere, qui quidem à calore partis inflammatæ alteratus eſt, & ex crudo ruber factus; vel ex rubro niger aut lividus per aduſtionem: Licet autem huius præcepti obſervatio in praxi vtpluriumum optimè ſuccedat, aliquando tamen coloris illa mutatio pertinaciter expectanda non eſt, ſed prius à ſanguinis miſſione deſiſtendum, cum videlicet aut vires ſunt debiles, aut æger habitu raro, aut valde reſolu-

bili prædirus, aut tempus calidiſſimum. *Lazarus Riverius.*

IV. In omni ferè Pleuritide ſtatim ſecanda vena ejuſdem lateris affecti, Quia inflammationes internæ raro admodum nobis innoteſcunt in vero & legitimo fluxionis initio: nam dum fluxio fit, non tamen eſt facta, inflammatio non poteſt habere ea ſigna quæ ſunt pathognomonica inflammationis: ea ſunt tuſſis, febris, anhelitus difficultas, pulſus durus: ubi adſunt hæc certiſſimum eſt argumentum fluxionis jam factæ: non enim conſequuntur hæc fluxionem jam incipientem: Si enim debeat febris ardens & acuta excitari, & alia omnia propoſita ſymptomata, oportet fluxionem jam eſſe factam: Si fluxio eſt facta, ergo opus eſt derivatione & non revulſione, & in hoc omnes conueniunt, ſed in hoc differunt quod Arabes conſtituunt tempus principij trium aut quatuor dierum, ſed hallucinantur, nam aliquando unicâ die fit inflammatio, & ea quidem maxima, ideo dicebat *Galenus comment. 62. part. acut.* obſtructionem & inflammationem repente fieri: Et ratio eſt, qoia aliquando, imo magna ex parte, pleuritides fiunt per decubitum, at decubitus ſubito & confertim fit: Si quis dicat, Quomodo igitur differt principium inflammationis ab augmento, ſi in principio fluxio eſt facta? Diſtinctionem ponit *Galenus l. de morbor. temp. cap.* 1. Inflammatio, *inquit*, in principio non differt ab inflammatione incrementi in ſpecie, in forma; habet eundem characterem, tumorem, ruborem, ſed differt ſecundum magnitudinem, quia aliquantulum major eſt in augmento: aut quia aliquid adhuc confluit, aut quia ſanguis jam fluxus incipit concoqui & in pus tranſmutari: vt propterea dixerit *Galenus lib. de totius morbis temporibus cap.* 3. In hoc differre inflammationem augmenti ab inflammatione principij, quia in augmento materia fluxa incipit in pus verti: Itaque concludamus, Si in principio materia eſt jam fluxa, etſi admittamus aliqua ex parte adhuc fluere, in hoc caſu convenit evacuatio derivatoria, quæ ſimul revellit & fluxam materiam euacuat: Ideo *Hippocrat.* qui optimè novit etiam initio Pleuritidis materiam jam eſſe fluxam, in illo 2. *acut.* 10. conſulit mittendum eſſe ſanguinem uſque ad coloris mutationem; eo fine, ut docet *Galenus in comm.* ut educatur ſanguis in ipſa inflammatione contentus: Ideo *Galen.* ipſe *lib. de ratione cur. per ſanguinis miſſionem cap.* 16. venam eiuſdem lateris in Pleuritide ſectam inquit præſens attuliſſe auxilium: in oppoſito latere, aut nullum, aut parvum. Itaque tandem concludamus, cum acceſſeritis ad ægros quibus adſint hæc pleuritidis ſigna, minimè in dubium revocandum eſſe fluxiſſe, ſeu fluxam jam eſſe magna ex parte materiam: alioquin, nec dolor, nec tuſſis, nec cætera adeſſent: quo in caſu, niſi menſes ſint ſuppreſſi, aut ſumma corporis plenitudo quoad vaſa, ſtatim aperienda vena ejuſdem lateris. *Saxonia in Prælection. cap. de Pleurit.* Venæ ſectio ejuſdem lateris cum parte affecta melior eſt, quàm oppoſiti: Cauſa latet in arteriis non in venis: *Walaus meth. Med. pag.* 81.

Cum dolor lateris ad axillam & humerum ſe extendit, an vena ſecanda in brachio ejuſdem lateris? Solutio hujus problematis videtur facilis ex iis quæ quotidiana experientia commonſtrat, quibus indubitata redduntur vulgatiſſima hæc apud Medicos axiomata, nunquam in partem affectam eſſe ducendos humores, Et, qui fit ad partem affectam humorum motum, eſſe ad oppoſita & diſtantiſſima revellendum: His enim ſeruatis, & præſidiis opportunè adhibitis, utplurimum ſtatim leuamen percipitur, aliquando integra ſanitas reſtituitur: Si neglectis iſtis legibus modo contrario medelam adhibere tentet Medicus, ægri damno breui errorem agnoſcit; Hinc concludendum eſſet venam ſecandam eſſe in brachio lateris ſani, aut in pede lateris dolentis: ſic enim reuocato ad partes diuerſas & oppoſitas ſanguine, minor fit ejuſdem in partem affectam affluxus, quod iam influxit facilius in venas deponitur, pars ſubleuatur onere, dolor minuitur, aut etiam penitus aboletur: Verum ut horum axiomatum veritas clarior fiat, eam demonſtrabo ex ſtructura vaſorum & motu ſanguinis: Velim aduerti primo cum vena ſecta ſanguis profunditur, quod attinet ad mutationes quæ inde conſequuntur, in motu ſanguinis per arterias, perinde eſſe ac ſi ſecaretur arteria, è cujus ramis capillaribus, quæ ſecta eſt vena, ſanguinem accipit, dummodo per ſectam arteriam eadem præciſe ſanguinis quantitas effluat, & æquali tempore, ac per venam ſectam profunditur: Quod ut melius intelligatur, advertendum eſt ſecundo ſanguinem à corde propelli in arterias, quæ cum ſint ipſo ſanguine ad aliqualem tenſionem plenæ, continua preſſione, qua via poſſunt, illum expellere nituntur, ſicque ſanguis undique preſſus quaquaverſus ad exitum viam quærit, & facere nititur: quia vero continuus eſt illius fluxus ex arteriis capillaribus in venas capillares, indeque in cor, ſequitur, propter motum actualem, ſanguinem magis exercere illum exeundi conatum ſecundum longitudinem, & in extrema vaſorum, quam in latera: agit enim in latera tantum vi ſua expanſiva, ſecundum longitudinem vero, & in extrema vaſorum, tum vi illa expanſiva, tum etiam vi concepti impetus, per motum vbi itaque rapidior erit ſanguinis motus, ibi maior erit eius impetus, maior niſus in partes in quas tendit, Eſt autem rapidior ſanguinis motus, vbi minora ipſi objiciuntur impedimenta, & quæ ſolent obiici removentur, vti contingit ſi arteria ſecta liber illi detur exitus, Sic enim removetur ſanguinis antecedentis impedimentum, qui non ita libere poteſt per venas minores in maiores defluere, niſi qua proportione ille qui in maioribus venis continetur in ventriculos cordis pellitur. Cum itaque ſecta vena impedimentum ſanguinis præcedentis fere non minus ſubtrahatur quam ſi ſecta fuiſſet arteria, manifeſtum eſt quoties vena ſecatur in brachio, toties ob rationes memoratas maiorem impetum conciliari ſanguini fluenti per arteriam axillarem, è cuius ramis capillaribus quæ ſecta eſt vena ſanguinem accipit: Ex eo quod ſanguis maiori fertur impetu per arteriam axillarem quam antea, ſequitur plus ſanguinis in illam arteriam influere quam antea, ac proinde à reliquis arteriis ſanguinis aliquid ſubtrahi, pro vario ipſarum ſitu ac ſtructura: Cum enim ſanguis certa menſura à corde per arterias in univerſum corpus propellatur, & ex eo quælibet pars, pro modo ſuæ molis, & ſtructuræ, & amplitudinis vaſorum accipiat, non poteſt portio ſanguinis in aliquam partem influere ſolita augeri, quin debita quibuſdam aliis partibus portio minuatur, plus minus, pro ſitu partium, vaſorum diſpoſitione &c. imo tanta eſt vis impetus in liquidis, ut poſſit aqua v. g. per tubum rectum ad latera perforatum tanta velocitate ſurſum propelli, ut ne guttula quidem ipſius per foramina lateralia effundatur, quæ enim magno impetu feruntur, rectæ viæ ſemper inſiſtunt quamdiu viget impe-

tus,

tus, niſi vi aliqua ab ea detorqueantur : Si perpendamus ſecta vena in brachio, remotum eſſe impedimentum inſigne motus ſanguinis per arteriam axillarem ; ſi attente conſideremus preſſionem vaſorum per univerſum corpus, & vim ſanguinis à corde in arterias ejecti, agnoſcemus auctum eſſe neceſſario impetum ſanguinis per arteriam axillarem, quod adhuc fit magis manifeſtum ex rapido motu ſanguinis, à vena ſecta erumpentis, qui aliquando ad aliquot paſſus exilit : Ille autem impetus potiſſimum vim ſuam exercet in omnes ramos arteriæ axillaris, & in ipſas partes, in quas rami illi capillares diſtribuuntur, ac proinde copia ulterior ſanguinis affluit ad illas partes, & ſic fit ut non poſſit commode refluere per venas, tum propter nimiam ipſius quantitatem, tum ob inchoatas jam obſtructiones, quas adeſſe certum eſt, quandoquidem partes circa axillam & humerum dolent, vt ſupponimus : Cum itaque uberius affluat ſanguis, nec poſſit ſufficienter vacuari, reliquum eſt ut in ipſam partium ſubſtantiam effundatur, ibi tumorem augeat, inflammationem & dolorem. *Franciſcus Bayle Problemat. Medic.* 11.

V. Sentiunt nonnulli morbos à menſtruorum ſuppreſſione & hæmorrhoidum originem trahentes, venarum in crure ſectione tantum ſanandos eſſe: Id quod in morbis diuturnis, & qui dant inducias, faciendum eſſe libenter concedimus : in morbis vero acutis, qualis eſt Pleuritis, non ſemper in poplite aut pede vena aperienda eſt, ſed diſtinctio adhibenda, Nam ſi in talibus vacuationibus, quæ ſtatis temporibus fieri ſolent, repente omninoque ſuppreſſis, ſanguinis ad ſuperiora motus & in latus affluxus manifeſtè deprehendatur, à venæ poplitis vel tali ſectione curatio omnino inchoanda eſt : Si vero ſuppreſſio iam antiqua ſit, per quam paulatim plethora vel cacochymia aliqua, & humorum abundantia in ſuperioribus partibus cumulata ſit, neque etiam menſium tempus inſtet, tum à venarum brachii ſectione curatio inchoãda: acutus enim morbus id requirit, nec moram fert, donec rurſum vel mẽſes, vel hæmorrhoides provocentur ; fieri enim poteſt vt dum in menſibus vel hæmorrh. prouocandis laboratur, æger vehementia morbi juguletur : menſium verò & hæmorrhoidum ſuppreſſiō moram fert : eiuſque poſtea, cum acuti morbi periculo æger defunctus eſt, ratio haberi, & ut ſanguis ſuppreſſus prouocetur opera dari poteſt. *Sennertus.* Vide *ſent. Riverii.*

VI. In vena ſecanda delectum venarum habemus, quia ocius leuatur æger ſectâ venâ baſilicâ, ſi conſideremus rectitudinem vaſorum per fibras: hæc enim continuatio eſt trunci axillaris qui producit Thoracicam, quæ alluit partes thoracis externas, & iungitur extremitatibus azygou venæ. Id à *Gordonio* prius declaratum : *Duretus comment. in Hollerij praxim hiſtorijs* confirmavit *Riolanus Enchir. lib.* 3. *cap.* 4. Vide *de venarum delectu lib.* 19. *tit. de Sangu. miſſione* §. 80.

VII. Licet autem Pleuritis ſit inflammatio & affectus ſanguineus, ſanguinis vacuationem indicans, non tamen ſemper vena ſecanda eſt, etſi virtus ſit robuſta, e. g. in pleuritide cum ſputo ſanguineo : unde *Hippocrat. ſect.* 3. 6. *Epidem.* non mittit ſanguinem in Pleuritide in quâ ſanguis exſpuitur, *Galenus* rationem affert, quia inflammatio eſt mitis : Quidam hac decepti authoritate nunquam ſecant venam ſi ſputum ſit ſanguineum : Sed nos ad methodum revocantes omnia, diſtinguere debemus dum ſanguis exſpuitur, num ſanguinis peccatum ſit vehemens necne : Si non eſt vehemens, mitis eſt inflammatio, qualis ea fuit quæ ab *Hippocrate* proponitur, dum ſcilicet ſanguis, qui fluit, egreditur, non retinetur : ideoque ſenſibiliter dolor imminuitur, è quibus mitis cognoſcitur inflammatio ; ideoque tunc non eſt vena ſecanda, quia ſanguis in hac miti inflammatione a materia, evacuatur per tuſſim. Si peccatum ſanguinis ſit vehemens, inflammatio non eſt mitis : dum ſcilicet æger exſpuit ſanguinem, ſed in parvâ copiâ, & dolor non imminuitur, ſed intenditur potius, quia ſcilicet major eſt portio ſanguinis fluentis quàm ejus qui excernitur : proinde vena ſecanda cum vitium ſanguinis ſit vehemens. *Capivaccius.* Vide *Proſp. Martianum comm in v.* 196. *lib. de Humoribus.*

VIII. Mulier macra ac ſummè bilioſa, obſeſſa à lateris morbo, expetijt ſummopere detractionem ſanguinis : ſed ea maturè ſatis inſtituta retrahebatur tam potenter ſanguis verſus thoracem, ab acerrimo ipſius dolore, vt vix quicquam illius erumperet ex inciſâ venâ : Sed ubi imperatum fuit ægræ per validiorem tuſſim, reciproco curſu, ſanguinem à thorace iterum verſus brachium propellere, vidimus eum liberalius proſiluiſſe & ægram breui à dolore liberatam. Siquidem itaque ſimili quis involvatur procellâ, confugiendum protinus ad hoc aſylum : excitanda illico tuſſis, & repellendus ea ratione ſanguis ad brachium. Quod inventum equidem vidi multis deinceps admodum feliciter ſucceſſiſſe : tollit quippe quod aliàs tolleret hominem. *Tulpius lib.* 1. *c.* 3.

IX. Nec hic prætereundem, cum Pleuritis non rarò febrem & morbum primarium ſequatur vel comitetur, quæ ſæpe inſignem malignitatem conjunctam habet ; id quod frequenter in Pleuritide Epidemiâ accidere ſolet, diligenter tum malignitatis habendam eſſe rationem, & an ea venæ ſectionem ferat attendendum eſſe : Mentionem facit *Geſnerus lib.* 1. *Epiſtol. pag.* 19. cujuſdam Epidemiæ malignæ & contagioſæ Pleuritidis quâ multi perierant, & in qua venæ ſectione in brachio nihil profuit : ſectio verò ad malleolos, & in principio ſudor ab antidoto aliquâ, plus opis attulit : Et omnino in talibus malignis primo malignitas expugnanda, hinc reliqua peragenda. *Sennertus.* Idem *Geſnerus Epiſtol.* 49. dicit, In hac pleuritide nihil melius reperi ſeſcuncia olei lini vel amplius, quod anhelitum mox facilitat & alvum probè evacuat : Inde eſt quod apud Cœlium Aurelianum Aſclepiades teſtatur ſe vidiſſe apud Athenienſes, atque Vrbem Romam; venæ ſectione vexatos, vel pejus acceptos fuiſſe Pleuriticos : in Pario verò atque Helleſponto reſumptos atque elevatos. *Wierus in Obſervationibus pagin. m.* 53. meminit peſtilentis Pleuritidis, quæ vagata eſt anno 1564. & 1565. in quibuſdam Germaniæ inferioris locis, in quâ venæ ſectionem valde noxiam extitiſſe deprehenſum eſt : quæ ad expectorationis facilitatem in cæteris præſcribuntur, dulcia, pectus lenientia, materiam parantia, ſputum promoventia nequaquam inſervire poterant, ob putredinis febrilis & veneni peſtilentis augmentationem : Ac contra canonis communis obſervationem, conſulendum erat acidorum exhibitione, ſyrupo è ſucco acetoſæ, limonum ; item potionum pectoralium ex amarorum medicamentorum admixtione confectarum &c.

Paucula de eo dicam, quod omnium ore tritiſſimum eſt, *Pleureſin* quandoque ita *malignam* repu-

riri, vt per eos annos phlebotomiam ferre neſciat, ſaltem toties repetitam quoties hic morbus communiret depoſcit: Cenſeo equidem *Pleureſin* veram atque *eſſentialem*, quæ omnibus omnium annorum conſtitutionibus indifferenter infeſtat, omnibus indifferenter annis venæ ſectionem pariter repetitam indicare, aliquando tamen accidere vt Febris ejus anni proprie epidemica, à repentina aliqua manifeſtarum aëris qualitatum alteratione, materiam morbificam in pleuram aut pulmones libenter deponat, ipſaque Febris nihilominus eadem prorſus maneat: In hoc caſu etſi v. ſ. poſſit concedi vt huic ſymptomati, ſi multum ſæviat, occurratur, generaliter tamen ſi loquamur, non multo plus ſanguinis ſymptomatis ratione educendus eſt, quam febris nomine debuerat educi, à qua pendet iſtud ſymptoma: Namque ſi hæc ejus ſit indolis vt à repetita v. ſ. non abhorreat, poteſt ea repeti in Pleuritide, quæ ejuſdem ſymptoma eſt: At vero ſi Febris repetitam v. ſ. reſpuat, neque juvabit iſta; imo & nocebit in Pleuritide, quæ cum febre ſtabit cadetve: Atque hoc quidem mihi ideo reticendum non erat, quod exiſtimem illum dubio tramite errare, atque incerto duci filo, qui in Febrium curatione non continenter ob oculos habet anni conſtitutionem, quatenus huic aut alteri morbo epidemice producendo favet, cæteriſque morbis omnibus vna concurrentibus in ejus ſimilitudinem ac formam detorquendis: Nobilem hac febre laborantem tractabam, Querebatur is de lateris dolore, aliiſque ſymptomatis de quibus cæteri hoc morbo affecti: Venam haud plus ſemel tundendam curavi, epiſpaſticum nuchæ appoſui, enemata quotidie injici, nunc priſanas atque emulſiones refrigerantes, nunc lac aquæ immiſtum, nunc cerevifiam tenuem propinari, ſuaſi vt lecto abſiſteret quotidie ad horas pauculas; qua methodo intra paucos dies reſtitutus eſt, & celebrata catharſi omnino convaluit. *Sydenham Obſerv. circa morbos Acutos p. 362. Vide lib. 6. tit. de Febre Pleuritica.*

X. Cum prima indicatio ſit phlegmonem, ſive ſanguinis in pulmone obſtructionem, omni modo quam citiſſime tollendi, in eum finem ſ. m. omni ſemper ævo à Medicis quibuſque (exceptis fanaticis quibuſdam aut pſeudochymicis) velut remedium præcipuum præſcribi ſolebat: Cujus ratio prorſus eadem eſt ac in Peripn. & pleriſque aliis affectibus, propter ſanguinis alicubi remotam & aggeſtionem cacitatis: nimirum quod vaſa ſanguifera multum inanita, non tantum morbi fomitem reſcindant, ſed & materiem, quæ cauſa eſt conjuncta, reſorbeant & alio deferant: Quare ſanguis in Pleur. modo vires conſtent & pulſus ſit fortis, liberrime detrahatur: Et quidem longe præſtat eam prima, & quaque deinceps (quoties repetere opus erit) vice plenius emitti, quam phlebotomias parciores ſæpius iterare: Quippe ſanguinis lenteſcentis, ac in viſcoſitatem degeneris, portiones quamplurimæ circa locum affectum aggregantur, quæ niſi vaſis per ſ. m. copioſam depletis valde, illinc avocantur, & magna ex parte foras effluant, ſ. m. effectu deſiderabili fruſtrabitur: Quare quod Medici quidam præſcribunt ſanguinem in Pleuritide vſque ad leipothymiam hauriendum eſſe, rationi haud incongruum videtur, quamvis ea praxis haud temere facienda ſit; quoniam omnis evacuatio virium tenori & tolerantiæ proportionari debet; quam regulam talis phlebotomia excedit. *Williſ.*

X. *a* Non vſque quaque verum eſſe effatum Hippocr. aph. 31. ſect. 5. ſi gravida morbo acuto prehendatur calamitoſum illi eſſe, aliquando oſtendit experientia, adeo vt & mater & fœtus periculum evadant; Dum hæc prelo mandantur, accerſor (Iunii 27. 1651.) ad mulierem triginta circiter annos natam, vxorem cujuſdam *Bærdot.* arte alutarii, nonimeſtrem gravidam; Ea inſolatione & vini potu in graviſſimam pleuritidem lateris ſiniſtri, cum humeri ſummo dolore inciderat: Plethorica erat, rubebat admodum vultus; Præmiſſo enemate leniente & refrigerante, jubeo detrahi ſanguinem e directo lateris affecti ad ℥x, qui putris erat cum aliquo ſolatio; Poſtridie, quod acriter vexaret dolor, & ſanguinem ſpueret, ad vncias ſeptem educi curo, qui corruptionis majores notas exhibuit; eapropter die ſequenti, reluctante marito, tertiam phlebotomiam impero; a qua cum necdum remitteret dolor, vultuſque rubor cum plethoræ indiciis perſtaret, quartam ſanguinis miſſionem ſuaſi conſulo, etſi maritus & mulierculæ obſiſterent; à qua venæ ſectione (educto pejoris adhuc conditionis ſanguine) remiſit omnino dolor, facilis fuit ſputi eductio; quinta die Iulii ſuccedit partus facilis puellæ obeſæ & optimæ conſtitutæ; itaque profluentibus lochiis, mater quoque non ſuperſtes modo, ſed & pleuritide & febre &c. defuncta eſt. Eo autem gravior fuit affectus, quod præter interceptam reſpirandi facultatem a phlegmones magnitudine, & vehementia febris, fœtus fortiter calcitraret & ſurſum vergens diaphragma impeteret.

XI. Anno 1679. maij nona, vocatus fui ad Piſtorem nomine *Vilars*, virum quadragenarium, ſtrigoſum, melancholicum, cui lienis moleſtiæ familiares: Laboraverat hic febre quartana per ſeptem menſes, qua defunctus erat menſe vno antequam pleuritide vehementi dextri lateris prehenderetur, cum febre acutiſſima: 2. die morbi ſibi ſanguinem mitti curaverat, qui putris omnino eductus fuit, citra doloris remiſſionem, Vrinæ admodum rubræ erant, ſplendidæ dum adhuc calerent, tartarum rubrum deponentes ubi refriaerant: quare denuo ſanguinem mitti curo, qui non ſecus ac prior putria, nullo doloris levamine, ſputis crudis vix prodeuntibus, & citra febris remiſſionem: die 6. morbi iterum pertunditur vena, corrupto ſemper ſanguine prodeunte, affectibuſque in eodem ſtatu perſtantibus: vij. die ſupervenit ſudor vbertimus, qui ad finem vſque octavæ effluxit: vnde mitefcit febris, vrinæ minus coloratæ prodeunt, anacatharſis melius procedit; ia. die ingraveſcit febris, quamobrem iterum aperiendam venam (ex latere dextro ſemper) ſuadeo, quia conſtabant vires, pulſuſque plenus erat & validus, ſanguine corrupto adhuc emiſſo: a. die febris multo mitior, deſiniit dolor lateris, vrinæ concoctæ prodeunt cum laudabili ſedimento: xi. fuit febris expers; aii. exhibitum purgans à quo convaluit: Huic primo triduo moleſtus fuit vomitus, qui à ſecunda venæ ſectione deſiit, vnde credidi pleuripneumoniam adfuiſſe; Inflammatione enim pulmonum laborantibus crebro vomitus accidit.

XII. Non modo autem iſtis (*vide* §. 10.) ſanguis perperam detrahitur, verum & aliis ex craſſis viſcidiſque humoribus latere dolentibus: ingerunt enim quandoque ſeſe craſſi viſcidique pituitoſi humores in thoracis ſpatium, & in ipſos pulmones, qui multitudine ſua ſuccingentem membranam diſtendentes dolorem afferunt, & vias ſpiritus intercipientes

cipientes ſpirandi difficultatem inducunt; nam & his ſanguinem, præſertim copioſum, detrahere eſt mortis cauſam ægris præbere. *Dodonæus Obſerv. c. 22. in ſcholiis.*

XIII. Cautio adſit ne longa à Tabe emaciatis ſanguinem abducamus, cum his Lateris superveneri dolor: Etenim ſecari vidimus plurima talia corpora, ac deprehendimus eorum Pulmones arctè, κατὰ φύσιν, membranæ coſtis interæ adnecti: dum enim ventoſus quis vapor ſe inſerit huic nexioni, continuum avellit: *Heurnius lib. de morbis Pectoris*: Tollitur hic dolor ac curatur calorificis, ut fomento ex floribus chamæmeli & cumino, quod multis benefecit: ſacculo hæc inſuere oportet, qui deinde vino candido rigatus calens dolenti loco imponitur: Venam qui ſecare temere audent, quantum ſanguinis demum tantum vitæ detrahunt. *Dodonæus Obſervat. cap. 22.*

XIV. Obſervabile illud eſt quod interdum naſcatur difficilis reſpiratio à male præſcripta diæta, hic Medici male venam ſecant: *Heurnius.* Perniti oſa mihi videtur eorum fiducia, qui quamdiu æger de dolore querelas effundit, à ſectione venæ minime deſiſtunt, nulla habita ratione ſuppurationis, non ſolum progreſſæ, ſed etiam ſæpe ultra primum ſeptenarium perfectæ: quibus importunis ſanguinis detractionibus, vel decies aut pluries repetitis, ſpiritu vitali cum ſanguine exhauſto vires roburque ægris crudeliter adimunt, quippe quæ neceſſariæ protſus ſunt perfectæ puris anacatharſi, quæ ſæpe nonniſi plurium menſium ſpatio obtineri poteſt. *Car. Piſo de colluvie ſeroſa p. 3. 4.*

XV. Specificis Pleuritis oppugnanda, Quomodo vero hæc ſuam operationem abſolvant alii aliter ſentiunt; Helmontius, cum omnis Pleut. cauſam proximam transferat in cruorem extravaſatum, ab ejus acore cauſatum, condignum ejus remedium ſtatuit teneri in eo quando Archeum ab acceſcendi conceptu avertit, Ideoque putat dicta appropriata eſſe Archeo amica, cauſam immediatam in Archeo corrigere, acorem tollere & ad diaphoreſin diſponere cruorem, dolorem pacare dum aciditatem extinguunt: Ablato quoque acoris fermento, reſolvunt quantum poſſunt cruoris extravaſati, reliquumque, neglecta puris deſtinatione, tempeſtive reiiciunt per tuſſim: Quæ cauſa etiam eſt quod eadem remedia propinentur contra caſum ab alto, quatenus cruorem reſolvunt, i. e. ſpinam auferunt, venenum tollunt, & eatenus locum incarnant: Nihil vero eſt quod facilius acorem illum, cruori ac venis hoſtilem corrigat, tollat, & ad diaphoreſin diſponat quam hidrotica ſeu diaphoretica ſpecifica: qualia ſunt cruor hirci, pulvis de virga cervi vel tauri, ſuccus cichorii ſylv. flores papav. dens apri, fimus equinus, herba bellis &c. *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. cap. xi. & xiv.*

XVI. Perdurantibus doloribus Pleuræ & capitis, opportuniſſima fuerit applicatio hirudinum venis ſedalibus externis, cum vena cava communicantibus, quæ præterea quod à capite revellunt, pectori mirifice conveniunt, *Sanguifluis enim venis laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonario, neque alio corripiuntur.* Fortis *conſult. 39. cent. 2.*

XVII. Dubitant num liceat venam *ſecare poſt* fomenta mitigantia dolorem: nam Hipp. 2. acut. Inter initia, inquit, dolorem lateris tentandum eſſe fomentis ſedare: Quæ authoritas malè intellecta multis eſt exitio: Si enim ſummo mane ad pleuriticum accedatis, nec venam aperiatis, ſed applicetis fomenta, fieri poteſt ut major copia ſanguinis attrahatur; at poſtea circa veſperam, ob invaſionem febris, non licet venam ſecare, & ſequentem tamen diem expectare eſt lethale, quia nimium augetur inflammatio: Loquitur ergo Hipp. de vera Pleuritide, non de dolore qui fit à flatu; nam præter id quod ſignis Hippocr. flatus cognoſcere potuit, ſi flatus non cedat fomentis, quomodo Hippocr. eſſet arbitratus eum ceſſurum v. ſ. Loquitur ergo de Pleuritide & dolore inflammatorio, de Pleut. exquiſitâ, quæ fit à ſanguine, in quâ ſi non juvent fomenta, juvet remedium ſanguinem vacuans: Non autem loquitur de qualibet ſanguinea, nec enim in omni ſanguineâ progredi poſſumus curâ tentativâ: Si ergo Pleuritis fiat à ſanguine, ſed exiguo & in parvâ copiâ, nec manifeſtum ſit an in corpore ſit copioſa materia, ob humorum retroceſſum, licet tentare fomentis num doloris cauſa diſſolvi queat: & cum in corpore non ſubſit humor, non fit attractio novæ materiæ, ideo removetur Pleuritis, & curatur affectua inflammatorius citra v. ſ. Neque enim vena ſecanda eſt niſi ſanguis affectus ſit vitio vehementi, Sed ſi contingat ut in hac curâ tentativâ, poſt applicatum fomentum, non leniatur dolor, ſed intendatur, cum hæc intenſio ſignificet corporis repletionem, & vitium ſanguinis vehemens, tunc vena ſecanda eſt, monente Hippocrate. Quod ſi offeratur corpus quadratum, plethoricum, quod Pleuritide laboret, fotibus locus non eſt, ſed ante vena ſecanda. *Capivaccius.*

XVIII. Etſi aliqui contendant extracto ſanguine vitiato, poſt purum qui prius effluxit, non eſſe ſiſtendam vacuationem donec penitus totus vacuetur putridus in inflammatione contentus, tamen ſecurius eſt eam cohibere, 1. quia conjectura eſt ſanguinem eum à parte inflammata receſſiſſe. 2. Quia pravus hic ſanguis, qui ab inflammatione in alias venas receſſit, ob commodi ſanguinis permiſtionem & facilem tranſpirationem corrigi poteſt, & naturæ beneficio priſtinæ naturæ reſtitui. 3. Quia ſi unica, eaque copioſiſſima v. ſ. morbum extirpare conamur, iterationi deinceps locus non erit. 4. Quia ſi totum pravum ſanguinem in inflammatione contentum ſemel vacuare tentes, citra morbi levamen naturam proſternes. *Zacutus Pr. hiſt. l. 2. c. 3.*

XIX. *Adrianus Spigelius* quendam cum diſcrimine à lateris dolore decumbentem ſervavit apertâ lateris venâ quæ in conſpectum venit. *I. Rhodius cent. 2. Obſerv. 17.*

XX. Exterius autem trahenda eſt materia cum cæteræ excretiones bene non procedunt: Atque ideo in hoc caſu accipio *Aëtii* conſilium, ut locus dolens ſcarificetur, & poſt ſcarificationem cucurbitula adhibeatur, & inde aliquod medicamentum ſupponatur, ſive ſit ceratum factum, ſive aliud ſimile, & ſequenti die iterum cucurbitula admoveatur: ita ut & beneficio cerati, & cucurbitulæ materia paulatim educatur: Id quod etiam veſicatorio in tali caſu fieri poterit; Quod ſi his non cedat morbus, actum eſt: *Saxonia. Paulus* non ante 14. diem illam admovet, ſi malum remanet, *Trallianus* autem ab initio illud quandoque tentat, nec ſine ferro; maximè quibus non multus ſanguis in venis apparet: locum enim acutiſſimo ſcalpello ſcarificat & cucurbitulam ſuperponit, ut ex alto, quod continetur, attrahat: hoc facto, inquit, mirari licet quomodo qualiſcunque fuerit dolor, etiam

vehementiſſimus ceſſet, vt neque indigeat ſotu, neque alio auxilio. Cucurbitularum vſus, inquit *Rubeus comm. in cap. 6. lib. 4. Celſi*, ad dorſum præſertim, opportune adhibitarum maximè vtilis eſſe poteſt in Pleuritide, quia ſurculi complures è ramis venæ ſine pari, qui ad ſpatia inter coſtas tendunt, orti: in externos dorſi muſculos pertinent, atque inde extra thoracem erumpunt: Sed ne materia aliunde ad partes eas trahatur, *præſtiterit eodem tempore etiam ad nates cucurbitulas adhibere De vſu cucurbitularum vide plura apud Ioubertum capite de Pleuritide*, vnde deſumpſit *Heurnius*.

XXI. Hippocr. 2. acut. verſ. 21. Dolore ad claviculam pertingente venam ſecari jubet, ſi ſub ſepto tranſverſo, alvum mollire: Neque enim novum eſt dolores pleuriticos aliquando ſub ſepto tranſverſo conſiſtere: Quid enim prohibet inflammatione pleuram occupante, morbificæ materiæ partem per carnoſas partes infernè diffuſam, ſub ſepto, ad lateris mollitudinem, & regionem hypochondriorum, de ſe ſignificationem, dolore mediante, præbere? nihil certè: Id teſtatur Hipp. 1. de morb. ſect. 2. v. 220. de verâ Pleur. agens, Et quandoque, *inquit*, locis infra latus dolorem exhibet: Idemque docet l. de loc. v. 258. & 3. de morbis v. 230. Idque evenire eſt rationale cum materia morbifica naturali gravitate deorſum inclinat magis quàm ſurſum: Hanc humorum inclinationem attendens, juxta vulgatum, *Quo natura vergit, per loca conferentia ducere oportet*, deorſum tendente morbo purgationem per inferiora proponit, venæ ſectionem verò cum ad ſuperiora potius vergit. Hanc diſtinctionem adeo neceſſariam duxit vt qui aliter procedit non vtilitatis ſed detrimenti author ſit: nam ſicut v. ſ. non tollit dolorem ad lateris mollitudinem pertingentem, ita purgatio inutilis eſt cum dolor ſuperiora occupat & ad claviculam ſe extendit: dum enim humores ſurſum tendentes, & qui facilè per ſuperiora purgari poſſunt, per purgationem infra trahuntur, ſputum prohibetur, quo in supernâ Pleur. nihil nocentius: nam cum materia in thorace contenta à purgatione non educatur, ſputum, ait Hipp. retentum, hærens in pulmone denſum ſpiritum facit, & non longè poſt æger ſuffocatus moritur: Cur autem dolore ſupra vergente ſanguis mittendus ſit; purgandum vero ſi infra ſeptum deſcendat, ratio eſt in promptu, Quoties enim Pleur. à plethora prodet & ab eâ fovetur, dolor & gravitas partes ſuperiores occupat, quia ibi venæ adſunt quæ cum venis per partem inflammatam diſſeminatis junguntur: vnde repletis iis quæ in loco inflammationis conſiſtunt, ſanguiniſque copiam capere nequeuntibus, ſuperiores his continuas repleti & extendi neceſſe eſt; vnde partes è regione ſitas dolere & gravari contingit: At dicet quiſpiam, Cur id in inflammationibus aliarum partium non evenit, in quibus ea tantum loca dolere conſpicimus vbi & inflammatio conſiſtit? ℞. peculiare eſſe harum partium, lateris ſcilicet, quod cum membranoſum ſit, excarne, non adeo capax eſt humorum copiæ vt cacoſæ: vnde influentibus in id humoribus, ejus venæ adeo replentur, vt earum extenſio vicinis partibus communicetur, vnde doloris dilatatio contingit: quia igitur doloris dilatatio ad ſuperiores partes plenitudinem ſupponit, quæ nullo alio remedio facilius tollitur quam v. ſ. ideo in hoc caſu ſanguinem mitti jubet Hipp. At cum Pleur. à cacochymia pendet, dolor ſuperioribus dictis partibus non communicatur, quia venæ non adeo replentur vt earum diſtenſio ad ſuperiores veniat; imò ad inferiora vergens, partes ſub ſepto exiſtentes infeſtat: quilibet enim humor, ſanguine excepto, deorſum potius quam ſurſum vergere ſolet, quia ſpiritibus minus participat, quorum ſi humores in corpore nec levitatem nec gravitatem habere videntur, ſolus enim ſanguis gravitatis ac levitatis motu caret; quia à ſpiritibus, quos copioſos obtinet, regitur: cæteri vero humores naturali gravitate deſcendunt potius quam aſcendunt; niſi aliqua concurrat cauſa quæ eos ad ſuperiora evehat, aut per vapores lædant, vt bili evenire diximus aliàs, quæ in ventriculo exiſtens lateribus dolorem facit: Quia igitur dolor ad hypochondria deſcendens Pleur. à cacochymiâ ortum ducere indicat, cujus remedium eſt purgatio, ideo hanc loco v. ſ. probat Hippocr. non in hoc caſu tantum, ſed quoties Pleur. à cacochymiâ ortum habere contingit: vnde 3. de morbis v. 284. Si æger, *ait*, biliosus ſit naturâ, & non purgatus correptus fuerit à morbo, medicamento probe bilem purgato: his enim concurrentibus cacochymiam vigere neceſſe eſt. Cum igitur Hipp. praxim hanc, longo experimento probatam, & ratione evidenti conformatam, nobis reliquerit, non ſatis mirari poſſum Galeni audaciam, qui eam pervertens tutius ſemper eſſe mittere ſanguinem ſcribere fuerit auſus: ſed multò magis noſtri temporis Medicos, penes quos purgatio adeo familiaris eſt, vt eam prætermittere in nullo morbo & ægro poſſint, ſæpe etiam contra Medicorum placita exhibentes, in Pleur. tamen ſola eam adeo formidant, vt ne leviſſimum quidem medicamentum Pleuritico propinare audeant: nam reipſa Galenus dolore ſub ſepto exiſtente purgationem non improbavit, ſed illa protulit vt nos moneret eâ ſummâ cautione vti oportere, ita vt ſi aliqua in purgando nobis difficultas occurrat, ab ea abſtinentes ad v. ſ. confugiamus, vt pote tutiorem, etſi non ſolvat dolorem (vt ait Hipp.) ſicut idonea purgatio faceret. Quoties igitur magnum aliquod impedimentum non obſtat tutò ad purgationem veniendum: Circa quam quædam conſideranda, & primò hanc placidè adminiſtrandam, quod inſinuat Hipp. dicens, *Alvum mollire oportet*: 2. non quolibet medicamento procurandam eſſe, ſed affectui congruo, quale proponit ex peplio & veratro nigro, aliquo ex aromatibus correcto, quod quidem etſi forte his temporibus videatur, ego tamen placidum ſatis modicâ doſi exhibitum inveni: An verò æquè proſit manna & ſyr. violat. ſolut. quibus ego aliquos vti video, affirmare non auderem: Scio quidem hæc ab Hipp. medicamento toto cœlo diſtare, nam tenues & ſeroſos humores ducunt, flatuſque, quod mihi notum, non leviter commovent: Peplium vero & ellebotus craſſos & exuſtos trahunt, & flatus, vt ait Hipp. diſcutiunt, præterea hæc amara ſunt, illa dulciſſima: An verò loco eorum medicamentorum quæ in ſorbitionibus pleuriticis exhibet Hipp. manna vſurpari poſſit, non contendam ſi æger ſi debilis natura & validius medicamentum tolerare non poſſit: Alioqui in Helleboro Hipp. conſiderem magis & in ſcammonio, ſucco priſanæ cum pulvere auiſuum injecto. Si quis ſuſpectam habeat Hippocr. ſententiam, ob eam quam protulit 4. ſect. *Quæcunque ea quæ inflammata ſunt, ſtatim ab initio ſolvere aggrediuntur &c.* videat *Valleſii commentar.* vel expoſitionem noſtram. *Proſper Martianus comm. in illum locum.*

XXII. Quan-

XXII. Quantum in legitima Pleuritide prodeſt v. ſ. tantum nocet purgatio quantumlibet blanda & leniens: ea enim commotis humoribus fluxionem auget: aut ſi jam fluxio conſtiterat, eam renovat magno ægri damno: huc accedit, quod in malis thoracis alvi fluor noxius eſt, Ideo toto curationis decurſu à catharticis abſtinendum: alternis tantum diebus alvus dura clyſtere remollienda. *Enchirid. Med. Pract.*

XXIII. Si ex miſſi ſanguinis colore, & aliis ſignis, cacochymiam in corpore ſubeſſe, quæ malum foveat augeatque, Medicus conjiciat, ad purgationem accedendum, imprimis ſi eam ad primam corporis regionem vergere ex ventris murmure vomitu, excrementis alvi liquidioribus, anxietate circa ventriculum cognoſcatur: Atqui id maturè faciendum: Hippocr. 4. Acut. aph. 6. diem quartum ſimpliciter purgationi determinat: At rectè ſcribit Galenus talia ægro ſecundum dierum numerum ſimpliciter injungi non poſſe, ſed quod Hippocr. ſtatuit eſſe ſequendum, ideoque ſtatim initio medicandum, vel poſtea quando ad maturitatem perducti ſunt humores; quam ob cauſam & prima interdum die, & 2. & 4. & interdum 5. ſe purgans dediſſe ſcribit: ideo humores qui in communibus ductibus redundant, & facile ad partem affectam confluunt, initio, quo tempore averſio maxime deſideratur, purgandi poſtea vero vbi morbus viget, & humores coquuntur, melius eſt quieſcere. *Sennertus.*

XXIV. *Iac. Fontanus* Pract. l. 2. c. 4. meminit Pleuritidis malignæ, quam facit humor tenuis vireſcens, ſive in latere collectus, ſive huc defluens; deprehenſam è ſectis cadaveribus, in quibus reperta vomica, plena liquidi vireſcentis liquoris, Cui vnicum & ſingulare remedium eſt ſectio, quod maturationis ſpes nulla ſubſit: Verum cum ſectionis modum non explicet, conſultius fore credo ſi per ignitum ferrum ea conficiatur, quia non eſt cruenta, & ad concoctionem, tantopere expetendam, eſt accommodatior: His adde quæ anonymus author Gallus l. de Cucurb. In Pleuritide, *ait*, latus interdum configitur, nam ſi neque fotu, neque detracto ſanguine, neque aliis auxiliis æger liberetur, atque alioqui deſperata res, poſt 7. diem ex *Archigene* & *Aëtio*, poſt xiv. ex *Paulo*, latus inciditur, cucurbitula conjungitur, vulnus ne coëat prohibetur injecto linteolo quod oleum imbiberit; poſtridie cucurbitula iteratur; primo die ſanguis, 2. ſanies effluet ſingulari remedio: Id vero noſtra memoria vix tentatur quia auxilium crudelius, quanquam humanius videri poſſit, quam ſi certæ morti deploratus æger relinquatur. *Severinus med. Eff. p.* 87.

XXV. Puer ann. v. correptus eſt pleuritide lateris ſiniſtri cum febre acutiſſima; Poſt remedia ordinaria per 5. dies vſurpata, & quatuor phlebot. cucurbitulæ duæ lateri dolenti admotæ cum profundis ſcarificationibus, Ex ea autem quæ locum dolentem propius attingebat ſanies multa effluxit per totum diem, ſimulque dolor ac tuſſis deſiere: Admota ſunt folia betæ ſupra loca ſcarificata, & per duos dies ſaniei fluxus continuatus eſt, ac in fine verum pus è vulneribus emanavit, atque ita æger omnino curatus: credo ſcarificationes ad locum pleuritidis perveniſſe, & materiam morbificam per ea loca emanaſſe. *Riverius cent. 3. Obſ. 39.*

XXVI. Cuidam dolor accidit in coſtis ac ſi acieulis pungeretur, acceſſit rigor quem vehemens ſequuta eſt febris, cum tuſſi & dyſpnœa: Cum iſta eliciat omnia remedia, & xx. perſeveraret intenſus dolor, cucurbitulis ſcarificatis parti admotis non cedens, ne in corruptionem aut ſuppurationem fieret tranſmutatio, candentibus ferramentis partem inuſſi, quorum vi cum ichores decem horarum ſpatio emanarent, in copia multa, ſuperpoſito folio caulis butyro inſulſo delibuto, remiſſus eſt dolor: quo initiore facto, natura victrix humorem copioſe eduxit per ſputum. *Zacutus.*

XXVI. a De *Cucurbitularum* adhibitione & vſu diverſa proferunt autores, licet omnes conſentiunt ſupra partem affectam fixas & ſcarificatas ſumme prodeſſe: Verum qui exacte mentem calluerit, comperiet prædictam varietatem, non contradicendi ſtudio ſed alterius vſus gratia ſcriptam fuiſſe: Sunt enim qui poſt principium morbi illas affigunt; Sunt qui poſt 14. diem; ſunt qui in leviori pleuritide & vetuſtiori iis vtantur, ſunt & qui in acutioribus, ſed parva exiſtente materiæ copia: Sed expendendum eſt quid vnuſquiſque velit; *Celſus* enim l. 4. c. 6. arbitratur tantum earum opus eſſe vbi lenior aut vetuſtior fuerit lateralis dolor; quaſi volens in pituitoſis, & quæ ægre coquuntur pleuritidibus proficuas eſſe, ad materiæ, quæ difficilis exiſtit ſuppurationis, ita ut neque per reſudationem, neque per inſenſibilem halitum digeritur, extractionem: Verum cutim prius inſcindit, poſtea vero cucurbitulas adhibet: Hanc ſententiam ſequuntur alii authores, diverſo tamen modo, nam *Alexander* iis vtitur in debili pleuritide, & in corporibus parva abundantibus humorum copia, & quæ majorem evacuationem ferre nequeunt: *Paulus* vero lib. 5. c. 33. tantum docet poſt 14. diem affigendas eſſe, & poſt ſcarificandas: *Aëtius* poſthabitis omnibus ſententiis, ad diſcutiendum humorem qui fomentis &c. non ceſſit, iis vtitur, poſt ſcarificatos, hinc oleo, ſale aut nitro fricans, vt facta per oleum penetratione, ſalis beneficio materia tenuior facta promptius & vberius exſpiret. Patet hinc quo in caſu dicto auxilio vti liceat. *Mercatus.*

XXVII. Ad tollendam plethoræ phlegmonem, præter ſanguinem phlebotomia libera aut ſcarificatione detrahendum, etiam humores ſeroſi aliique recrementii, tum è maſſa ejus, tum è viſceribus per ſedem, vrinam, ac ſudorem ſollicitari ac blande excerni debent: Cathartica fortiora jure interdicuntur, quia ſanguinem exagitant inque loca affecta altius impingi faciunt: Quod autem Chymici quidam celebres, vid. *Ang. Sala*, *Mart. Rulandus*, *Hartmannus*, cum multis aliis Vomitoria ſtibiata pleuriticis quibuſque audacter exhibent, & pro remedio optimo prædicant, mihi ſane nec tutum hoc, nec rationi congruum videtur: vnica, vt opinor, juvandi ratio, eaque valde incerta & diſcrimine plena, poteſt eſſe, vid. vt pharmaco vehementius operante, dum laborantes ſpirituum exolutiones aut leipothymias patiuntur, ſanguinis vigor omnis & turgeſcentia concidant, proindeque fibræ nerveæ corrugationes aut contractiones ſuas dolorificas, atque vaſa ſanguifera plurimum inanita materiam morbificam reſorbeant. Interea periculum eſt ne humores violenter commoti ad partem affectam impetuoſius ruant; ſaltem ne ſpiritibus nimium dejectis, & naturæ opere circa materiæ morbificæ coctionem aut ſecretionem perturbato, vires ſuccumbant antequam morbus indicabitur. *Willis.*

XXVIII. Non negamus quandoque, ſidque rarius, in principio convenire revulſivam purgationem, ſed mitem à medicamentorum benedictorum, quæ hodie ſunt in vſu; dummodo tamen, inquit *Valleſius*, in Epid. ſeu ipſemet *Galenus*, febris non ſit magna: miſſus ſit ſatis ſuperque ſanguis, & ſucci à natura ſanguinis degenerent, & fortis ſit facultas ad ferendum pharmacum, notaque ſit natura languentis: *Tanta* molis erat Romanam evertere gentem, ſcil. purgare pleuriticum. *Idem hiſtor.* 32.

XXIX. Matrona incidit in dolorem dextri lateris acutum circa mamman, cum tuſſi acuta febre &c. Secunda die facta fuit v. ſ. ex oppoſito, deinde ex eodem, quia ſymptomata creſcebant: quoniam vero circa 3. febris fuit maxima: & quar. largis venæ ſect. dolor non erat remiſſus, ipſaq; fluxio firmata non erat, ipſeque ſanguis degeneraverat à ſanguinis natura, nam totus erat putridus, viſciſque conſtabant, & facilem habebat ægra ad purgationem naturam, ideo deveni ad purgans adhuc revulſorium in quarta die: prius non potuimus, nam ſecunda morbi die vocatus, fuit tamen ad tempus, Nam licet *Galenus* 1. aph. 24. in acutis paſſionibus, vel in prima, vel non vltra ſecundam eſſe exhibendum purgans dixerit, tamen poſtea ad particularia magis deſcendens, & in actu practico, maxime de pleuritide loquens, ſe declaravit 4. de rat. v. 76. vbi 1. 2. 4. & 5. die medicamenta exhibuit, non tantum in 4. véluti author lib. 4. de rat. v. dixit, ſcil. vel priusquam in partem aliquam firmentur humores, vel poſtea inclinante affectu, cum ad maturitatem aliquam perducti fuerint: In tertia die non potuimus, ſeu noluimus, exhibere purgans, tum quia à *Galeno* loco ſupra cit. derelinquitur tertia dies, tum etiam quia morbi acuti in imparibus maxime ſolent affligere: Quare medicamentum erat exhibendum, tum ratione revulſionis & à capite & à toto, tum etiam quia dolor ad claviculam non erat, ſed ſub mammam, Et *Galenus* l. de cur. rat. per ſ. m. cap. 8. loquens de affectibus rheumaticis, ratione revulſionis docuit initio vel eſſe phlebotomandum, vel pharmacandum, vel vtrumque: Et in maximis doloribus, & ardentiſſimis febribus, maximiſque inflammationibus, 1. aph. 23. mittendum eſſe ſanguinem ad animi deliquium aurumavit, vel etiam purgandum: Cum igitur venæ ſectionibus febri & dolori methodice fuerat conſultum, quid erat aliud agendum à Medico generoſo, & arte Hippocr. digno, quam purgandum? Medicamentum tamen fuit leniens ratione febris acutæ, ratione cujus valde ſolventia à *Galeno* timentur, & jure merito. *Epiphanius Ferdinandus hiſt.* 5.

XXX. Certè in pleuritide non eſt multi vſus expurgatio, nam vel in iis quæ pertinent ad inferiores coſtas, & ad hypochondrium finiuntur, in quibus jubet Hippocr. pharmaco vti, videtur id eſſe Galeno periculis multis plenum, ac proinde quoad fieri poteſt agendum ſolà ſanguinis miſſione: non tamen proinde nunquam eſt expurgandum, Nam in inclinatione, remittente jam inflammatione, quum corpus totum malo aliquo ſucco abundat, magnum expurgationis thoracis compendium affert expurgatio totius corporis: Sed & antequam fluxio in parte firmata ſit, aliquando (etſi rarius) ob dictas inflammationes vtile eſt expurgatione vti revulſoria: Id quod ne t[illegible] facias, ſed cum febris non eſt omnino [illegible] & miſſus eſt ſanguis ſatis, & ſucci à ſa[illegible] naturâ degenerant, & nihilominus facult[illegible] tis eſt ad ferendam alvi fluxionem, & ad inflammationis tempus legitimum tranſg[illegible], & natura propria hominis non repugnat, [illegible] eſt qui facilè expurgetur: Tantæ difficultatis eſt Pleuriticum nondum inclinante morbo expurgare: læduntur enim mille modis aut aucta febre & inflammatione ab ipſis medicamentis, aut debilita virtute & morbo nihil minuto, quod non evacuetur quod oportet, neque vnde oporteret; Aut quod commoveantur multa vacuentur verò pauciora. *Valleſius* 5. *Epid p. m.* 456.

XXXI. Rhabarbarum ab omnibus non probatur: ſed etſi adſtrictionem participet, ea non eſt tanta vt vias expurgationi dicatas arctet & ſputum cohibere poſſit, imo cum f[illegible]igenti virtute attrahendi bilem ex inflammata parte, à qua ferè pleuritis ortum ducit, modicam ſtypt[illegible]atem participat, quæ juvat ad penetrationem, cujus ope facilius diſtantes partes permeat & felicius expurgat: quare ejus præſertim infuſum, lenientibus medicamentis admixtum, tutiſſime poteſt concedi. *Zacutus*. In Peripneum. (pleuritidis eadem ratio) *Rondeletius* rheum rejicit, niſi certum ſit morbum à bile ortum ducere.

XXXII. De Agarico an offerendus ſit dubium eſt, nam adſtringit ex Galeno 6. ſimpl, ideo dyſentericis confert ex Dioſcor. lib. 3. cap. 1. Deinde concitat vomitum, & concuſſio e facta humorem ad ſuperiores partes convocat; vomitoria autem affectibus partium ſpiritualium valde nocent, ex Hippocr. & Gal. 4. aph. 8. Reclamat Meſue cap. de Agar. Aſthmaticis & difficulter ſpirantibus concedens, quia pectus à pituitoſo humore ſuaviter abſtergit & repurgat; quare in pleur. pituitoſa ſumme confert, & amplius in maligna & epidemica, ob vim cardiacam illi innatam, præſertim ſi ʒæ. correctus ſit. *Zacutus*.

XXXIII. Vxor Dn. N. eryſipelas paſſa eſt in tibia per 7. aut 8. dies cum febre continua, ab vtroque affectu liberata Medici cura: poſt aeri frigido ſeſe præmaturè expoſuit, vnde in lateris dolorem incidit cum febre, tuſſi & ſpirandi difficultate, tum etiam ſputa nonnulla ſanguine infecta apparuerunt: ſecta fuit vena bis aut ter & reliqua adminiſtrata. Vocatus ego die 5. morbi, cenſui purgans exhibendum die ſequenti, quod contra leges artis eſſe videbatur, quibus ſancitum ante 7. purgandum non eſſe; at ſequentes rationes me impellebant 1. quod Pleur. illa legitima non apparebat, a ſyſtrophica inflammatione genita, ſed potius a ſpuria quadam fluxione tenui & ſeroſa: vel etiam vaporibus acribus ex cacochymia in ventre inferiori contenta elevatis pleuram vellicantibus: id colligebam quod ſanguis in vno tantum vel altero ſputo apparuerit, iſque pauciſſimus inſtar filamenti, qui à pleurà inflammatà tam exiguâ copia prodire non potuerat, ſed potius à venulâ quadam vi tuſſis apertâ: vel à cerebro deſcendere potuit, cum ægra circa idem tempus levem hæmorrhagiam paſſa fuerit. 2. Quod dolor ille continuus non fuerit, ſed per intervalla deſinens ac rediens, cum febre admodum remiſſa: 3. Quod per totum poſterioris invaſionis tempus aſſiduæ vigiliæ fuerant, licet lateris dolor etiam nocturnis horis valde intermitteret, unde col-

colligere licuit intenſas illas vigilias ab humorum putredine potius,& febre eſſentiali quam vera Pleur. pendere. 4. Quod ægra toto illo tempore quo Eryſipelate laboravit, purgans præſcriptum recuſaverat, atque adeo tota cacochymiæ congeries intus concluſa remanebat: Sumpſit ergo purgans die 6. poſterioris morbi, ex ſennâ, rheo, mannâ, ſyr. roſac. à quo blandè purgata cum felici ſucceſſu: remiſit enim ſtatim lateris dolor, neque vigiliis afflicta, ſed tantum febricula quadam veſpertinis horis apparente: poſt ope levium aliquot remediorum integrè reſtitura. *Riverius Cent. 4. Obſervat.* 18.

XXXIV. *Hippocrat. 6. aphor.* 16. ait Pleuriticis alvi fluxum ſupervenientem malum eſſe: Sed nota ex *Galeno in comm.* Malum eſſe quia ſignum eſt jecur quoque inflammatione tentari: At Pleuritis non poteſt coafficere iecur niſi ſit in parte dextra & cum dolor deſcendit; Si fuerit in ſiniſtrâ, aut dolor deſcendat, inde nullum imminet periculum: atque idcirco tutò alvus poteſt moveri vel clyſteribus, vel medicamentis. *Saxonia in Prælection. Pract. Hippocrat.* hic non dicit diarrhœam cunctis pleuriticis ac peripneumon. malam eſſe, ſed ἐχμίνῳ, hoc eſt vehementer ab his afflicto: ita vt ratione contagij hepar, ventriculus ac inteſtina diarrhœam proferant ſymptomaticam; itaque à vexatione harum inferiorum partium evenit diarrhœa, nam vexatum injuria hepar non ampliùs trahit in ſe alimentum, nec ſanguinem proferre poteſt, verum etiam ventriculum affligit: At diarrhœa illa quæ moderatæ Pleuritidi ſupervenit, hæc quia non naſcitur ex κακοπραγία viſcerum, bonis ægrorum rebus evenire poteſt: Lenibus itaque remedijs, ex *Hippocrat.* ſententia, tentanda eſt alvus, vt manna, ſyr. violar. & roſ. diacathol. &c. Obſervabile etiam num ab ingeſtis nata fuerit diarrhœa, & non à vi morbi; Vidi Pleuriticam, huic ad ſtatum ferè immanis alvi fluxus ſupervenit, præſcripſi illi vſum ſyrupi myrtillorum, evaſit. *Heurnius comment. in aphor.* 16. 6.

XXXV. Male quidam Practici in prima viſitatione præſcribunt lambitiva, (ſunt quaſi fœminæ iſti Medici) nam materia in totu exiſtens prohibere Eclegma enim exhibitum eſt in cauſa tuſſis: tuſſi autem agitantur Pulmones, Thorax & Pleura: Ideoque ſi corpus ſit repletum, majus fit nocumentum, ratione attractionis novæ materiæ, quàm juvamentum: quare & poſt V. S. & poſt leniens demum præſcribi debent. Probibentur etiam à materia quæ evidenter replet ventriculum & præſertim à materia cibali: hinc boni Practici lambitiva exhibent ante cibum, & minimum per duas horas poſt cibum. *Capivaccius.* Communiter Practicantes circa pleur. initia vti conſueverunt eclegmatibus, quæ facultatem habeant humorem incraſſandi, vt fluxionem ad locum affectum prohibeant: Qui profectò duplici nomine mihi peccare videntur; Primo, Quia dum ad Pleuriticos vocantur, fluxio magna ex parte eſt facta, vt ideo factam incraſſare nihil aliud ſit quàm ſputum aut digeſtionem prohibere: Secundo, Plerunque fiunt Pleuritides ſputiæ, defluentibus vel à capite, vel à toto corpore craſſis humoribus, quo in caſu incraſſantia ſunt venena: Ideo materia Pleuritidis, & copia humoris jam confluxi, antequam incraſſantia dentur, ſemper ſunt obſervanda: Et ſi quidem id quod fluit calidum & tenue extiterit, & exigua ſit copia congeſta, convenit parare eclegma quod vim habeat prohibendi novum defluxum, & ſimul digerendi quod fluxum eſt. *Saxonia.*

XXXVI. In pleurit. biliosâ, quæ notabile incendium ac calorem vehementem habeat connexum, à melle & ſaccharo, & ab omnibus quæ facilè in bilem converti & calorem augere poſſunt abſtinendum, & ad refrigerantes potiones ac ſorbitiones deveniendum, quæ tamen ſint lenientes non adſtringentes. *Petrus Salius commentar. in text. 91. lib. 2. de morbis.*

XXXVII. An conveniat ſuccus granatorum, cum, ex principijs *Galeni*, omne granatorum genus adſtringat, licet hoc plus, illud minus, poteſt eſſe dubium: Et hoc maxime cum *Trallianus* ea damnarit, *Avicenna* probet, ad hoc maximè dulcia eligens: At ſciendum Granatorum ſuccum indiſtinctè ſumptum noxium eſſe futurum, quia omnis ejus ſpecies adſtrictionem, quæ Pleuriticis adverſatur participat: Verum in quibuſdam caſibus cenſeo granata non inconvenienter dari poſſe, præſertim dulcia, tum quia minimam participant adſtrictionem, tum quia minùs frigida ſunt, Et hoc vbi Pleuritis ſit à bile, quæ maximum pariat incendium, maximeque fluxibilis exiſtat, & præter id, ſi alvus nimium fluxerit; nam tunc convenient cum incendium remittere, bilis fluxionem coërcere & alvum ſiſtere queant. *Salius ibidem.* Accedit altera ratio, quia modica adſtrictio reliquorum penetrationem adjuvat. *Crucius de Quæſitis p.* 313.

XXXVIII. Quidam Practici vrgentibus vigiliis audent exhibere *Narcotica*, vt ſyr. de papavere, philonium Roman. laudanum opiatum: Quæ tamen in hoc affectu pernitioſa ſunt, ſputum enim retinent & pectus coarctant, vnde non raro præceps exitium conſequitur: Quod tamen Intelligendum eſt de integrâ Narcoticorum dozi: nam in perexigua quantitate exhibita prodeſſe poſſunt, in dolore vehementiſſimo, tuſſi moleſtâ & inani, a valde tenui humore oriundâ & vigilijs aſſiduis. In quibus caſibus ſæpe laudani opiati gran. j. fœlici cum ſucceſſu exhibui & pluries aliquando iteravi: Sed illius vſus præcipuè initio morbi convenit, tunc enim humor influens in partem cohiberi poteſt & morbi incrementum prohiberi. *Lazarus Riverius.* Eorum quæ ex opio, hyoſcyamo & mandragorâ conficiuntur medicamentorum vſus, doloroſam pleuritidis affectionem non ſanat, ſed ſenſum tollit. *Galenus 1. acut.* 33. Ad Pleuriticum ſeptimo die morbi vncatus vigiliis infeſtatum, poſt cœnam nonnihil laudani cum decocto ſuo pectorali, parumque confectionis alkermes propinavi: quievit ſat bene eadem nocte, unde natura novas recollegit vires &c. Evaſit circa 17. morbi diem. *Fabricius Hildanus Cent. 5. Obſervat.* 37. Notandum autem interius aſſumpta præſtantiora eſſe: exterius enim applicita parum penetrant ad partem dolentem, tardiſſimè operantur, & in tranſitu ad partes internas humores incraſſant, & hac ratione dolorem ejuſque cauſam adaugent. *Zacutus Prax. Hiſt. lib. 2. c. 3.* In Pleuritide ſicca, bilioſoque ſubjecto, poſt vuiverſalia datum bis Laudanum, morbum ſedato dolore ſolvit, dolor autem erat acutiſſimus, Apud fontem Bellaquæ in milite. *Theodorus de Mayerne Tract. MS. de Laudano.*

XXXIX. De acidioribus potionibus an conveniant poteſt eſſe difficultas? Tum quoniam acetum membranis infeſtum eſt, Tum quia ſi acidiores ſint potiones, vbi ſputum facilè non educatur, majus nocumentum ſequitur ex viſcoſitate, ſputum non excretum inſequente, quam iuvamentum ea mordicationem ſubſequente irritatione: Hinc enim

Hippocrat. 3. acut. damnabat oxymel admodum acre. Sed forſan lib. de affection. per potiones acidiores non valde acres intelligebat, ſed eas quæ ſimpliciter acidæ exiſtentes, reſpectu mulſæ & potionum dulcium, poſſunt acidiores appellari, quę potiſſimum conveniunt in Pleuritide à pituitoſa materia pendente, quoniam in ea pituitoſus humor, vti ſcutum membranæ adhærens, non permittit membranam ab acidis potionibus mordicari. *Pet. Salius Diverſus comm. in l. 2. c. 27. de morb. Hipp.*

XL. *Hipp.* 4. acut. Pleuritico in principio panacem in oxymelite fervefactam & percolatam potui dat, vt & hepaticis & ſepto tranſverſo circumdolentibus; quibus ſcilicet in hepate aut ſepto phlegmones aut aliæ ſuccorum collectiones ſunt: nimirum digerendo potenter, atque ſudores aut vrinas, aut vtrumque movendo: Hæc ratio curandi Pleuriticos potionibus vehementer diſcutientibus non admodum eſt in vſu noſtris Medicis; quippe qui poſt miſſionem ſanguinis, inunctiones & becchica, ad nullam aliam tranſeunt curationem: Scio tamen quendam, cui homo quidam vulgaris neſcio quid hujuſmodi in potu dedit, copioſiſſimo ſudore excitato ſervatum eſſe brevi, & thoracem laxatum, & ſputum redditum facile, cum ſeptima jam eſſet dies, & nihil cœpiſſet excreare, & pene jam ſtrangulari præ reſpirandi difficultate periclitaretur: Idiotæ etiam, qui empiricè quorundam morborum curationem aggrediuntur, exſudatorijs curant Pleuritides ſæpe cum optimo ſucceſſu, *Valleſius 4. de ac. p.* 250. Joſephus aromatarius in Pleuritica levem advertens ſudorem, omiſſa ſanguinis detractione & purgatione, ſolum cornu cervi in aqua rutæ capraria ebibuit, ægra feliciter reſtituta, quod ſe pluries & quidem proſpere tentaſſe fidem mihi fecit. *Moinichen Obſervat.* 11. Puer annorum 12. laborabat pleuritide lateris dextri: quinquies fuit vena ſecta & alia præſcripta: exhibita fuit die ſeptima fuliginis camini pulv. ʒß. cum aq. card. ben. Intra duas horas ab aſſumptione omnia ſymptomata, quæ gravia erant, valde remiſerunt, ægerque multo melius habuit, & poſt ſenſim convaluit. *Lazarus Riverius Cent. 2. Obſervat.* 79. Multos, & præcipue mulieres, quibus appropriata remedia defuerant, ex pleuritide ad extrema ferè redactos, reſtitutos vidimus vſu pomi Quercetani ſemel aut bis ſumpti intra 24. horas, vnde præter ſpem vel copioſus ſudor, vel anacatharſis libera ſequebatur: plurimos certè nominare poſſem quibus ferè deſperatis hoc remedium præſcripſi, nec vnquam alium quàm felicem eventum ex eo animadverti: *Idem Centur. 4. Obſerv.* 88. Juvenis ſæviſſimâ duplicique pleuritide correptus, poſt multiplicem venæ ſectionem quarto morbi die lapidem bezoar Peruanum, ſcrupulum, pondere granorum octo cum ʒß. confect. alkermes aſſumpſit, hinc perbelle ſudavit: ſeptima morbi die, quæ ſolet eſſe critica, bezoare denuo confirmandum cenſui: Circa quintam veſpertinam ſudor eum prehendit, qui profluxit ad duas horas vberrimus: nono die abſolutus eſt. *Fabritius Hildanus Centuria.* 25. *Obſervat.* 25. Obſtructio vaſorum à pituita viſcoſa, vel *ſanguine* in ipſis *coagulato*, curabitur vſurpando tam interne quam externe medicamenta, peccantis humorem ſolventia iterumque fluxilem facientia: Inter Interna conducunt præ aliis Salia aromatica ex variis animalium partibus parata, quippe quæ omnia & ſingula vi egregia pollent coagulata & conglutinata omnia diſſolvendi, eademque ad priſtinam fluiditatem reducendi, atque inſuper ſudorem movendi, quo ſimul blande promoto, multo facilius, citius feliciuſque obtinetur coagmentatorum reſolutio: Hinc eſt quod exhibito tempeſtive vnico ſæpe ſudorifero ex laudatis Salibus volatilibus, aut ſimilibus parato Pleuritis, lateris nempe inflammatio, abſque vlla venæ apertione fuerit feliciſſime curata: Hinc eſt quod miſturæ ex ſimilibus paratæ, atque cochleatim per intervalla brevia in tempore vſurpatæ, tum Pleuritidem tum Peripneumoniam, tum aliarum partium inflammationes cito, tuto & jucunde curaverint: Exemplum eſto ℞. *aqu. petroſel. hyſſop. fœnicul. ana.* ℥ij. *theriacal. ſ.* ℥ß. *ſpirit. ſalis Armoniac.* ʒß *laudan. Op. gran. iv. ſyrup. papaver. errat.* ℥j. *miſce.* Poteſt ſpir. Salis Armon. vſurpari, ſal volatile c. c. vel aliud quodvis, ac pro ejus acrimonia majore minoreve, ipſius plus minuſve miſturæ addi, atque quantitate majore minoreve vicibus ſingulis capi, corpuſq; in loco calido contineri ad medicamentum quaquaverſum promovendum, & ſubinde ſudorem facilitandum, quamvis haud ſit opus ſudorem excitare, cum non proſit niſi quatenus tunc facilius citiuſque ad locum affectum & obſtructum vis medicamenti penetrat volatilis & ſalina: Ad Salem volatilem referri poſſunt ac debent oculi cancri, mandibulæ lucij, c. c. &c. cum ipſo abundent: In hoc caſu conducunt quoque omnia ſulphura metallica & mineralia, ſed fixa; quocirca etiam huc refertur Antimonium diaphoreticum, ad fixitatem aliquam deductum, quamvis hæc pluribus nominibus hic conveniunt: Nec tantum conferunt hic animalium Salia volatilia, ſed omnia ex varijs plantarum Scorbuticarum dictarum & acrium partibus petita, eorundemque vim æmulantia, vti ſunt ſucci eryſimi, cochleariæ, naſturtij & hort. & aquat. taraxaci &c. aquæ theriac. dictæ, dummodo vim habeant pituitam coagulatam, vel ſanguinem concretum ſolvendi & diſſolvendi: Inter Externa, conveniunt Vngu. Martiatum, Althææ compoſitum &c. Ol. lilior. alb. chamæmel. laterinum &c. quæ commode ſimul poſſunt miſceri & affectæ parti externæ inungi, præmittendo vel addendo ſubinde Spiritum vini rectificatum, tam ſimplicem quam compoſitum, aromaticum: Poſſunt quoque in hoc caſu applicari externe cataplaſm. ſed magis diſſolventia quam emollientia vel maturantia dicta, quæ nimirum humorem coagulatum incidant & ſolvant, ex partibus nempe plantarum acrium & aromaticarum parata E. g. ℞. *cepar. ſub cineribus aſſarum, & contuſar* ℥ij. *fol. eryſim. cerefol. naſturt. hort. ſambuc. an. man.* jß *farin. fabar. lupin. ana.* ℥j. *nidi hirund. numero* 1. *albi grac.* ℥j. *f. ſ. a.* decoctio in lacte ebutyrato ad catapl. conſiſtentiam: hoc mediocriter calens applicandum, cujus ope interne quoque obſtructiones ſolvi poterunt: N B. renovetur ſtatim ac exſiccari inceperit. *Fr. Sylvius lib. 1. Pract. cap.* 40.

XLI. Dubium an ſanguis ex vtero manans, aut in puerperio, aut ſine eo, ad veniente Pleuritide V. S. Inhibeat? Ante ſolutionem argumenti, ſuppono duplici de cauſa in omnibus inflammationibus S. m. exerceri, primo, vt confluentis ſanguinis impetum revellamus, deinde vt derivemus, h. e. vt vno eodemque tramite incumbamus vacuationi & revulſioni: Vtero ergo fluente, ſi Pleur. prehendatur mulier, cõſiderandum an ab ipſo vtero fluxionis origo fuerit, an aliunde humores fluant? Quãdoquidem vbi fluxio

accidat

accidat ex vtero, ſcopus eſt attrahere ad vterum fluentem ſanguinem, ſic enim fluxionis originem reſpicientes ad contrarium ducemus, quod tunc igitur menſes fluant, pro ſummâ gratiâ haberi debet: Contemplari ad hæc oportet modum fluxionis; aut enim affatim fit & ſubito, aut lente: Simultanea vacuatio facta ex vtero, proportione reſpondens fluxioni ad membranam ſuccingentem coſtas, negotium indicat committendum eſſe naturæ, neque innovandum aliquid: At vero lentam fluxionem adjuvabimus, quo ex ambabus vacuationibus, naturali vna, altera artificiali, conſequamur id quod quærimus: Etenim ſi in magno & præcipiti morbo cunctabimur, maxima imminerent pericula: mittemus in caſu ſanguinem ex venis poplitis aut malleoli; aut etiam ſcarificatis cruribus, ſi parum ſanguinis ſubeſſe noverimus, & mulier albo colore, molli carne & alga modo tenera veniſque fuerit exilibus prædita: An autem hoc vel illud remedii genus ſit exercendum docebit rei natura, affectus præſertim magnitudo, & natura ægrotantis &c. At ſi fluxionis origo non extiterit in vtero, non ita facilis erit caſus: hunc ego extricare ſoleo, ſic diſtinguens, Vel vterus eo tempore expurgationes affatim ſubitoque molitur, vel tardas ac lentas: Si primum, non mittemus ſanguinem, ſpontanea vacuatione contenti; nam cum vterus magnas habeat venas & arterias, quæ cum vniverſo corpore communicent, & maximum cum thorace conſenſum, ſperandum hinc bonam revulſionem fieri, quacunque tandem in parte fluxionis origo fuerit: Non eſt autem eadem ratio vbi ex conſuetudine, vel etiam ex aliâ quapiam cauſa præternaturali vterus admodum lente ſanguinem vacuat: Etenim cum celeri quodam indigeamus auxilio, quo vehementia impetuſque fluxionis arceatur, hoc autem ſegne admodum ac tardum ſit, vt illi minimè debeamus hoc onus committere, quare tunc ſanguis mittendus eſt: Quam igitur inquies, venam tundemus? Ego ſanè vnam quampiam è ſuperioribus, 1. quia à fluxionis origine inferiores longiori diſtant intervallo: neque poſſunt, niſi longiore temporæ, quod quærimus operamuſque, fluxionem removere: Deinde vero cum incumbendum ſit ei quod magis vrget, magis autem, quinimo maxime vigeat Pleuritis, idcirco omni operâ ac diligentia enitendum eſt ne phlegmone augeatur, quod fiet ſecta interiore vena cubiti, quam pro revulſione convenire judicabimus: Quod vero ſuppreſſis menſibus advenit incommodum, (ſi forte contingat) exiguum id quidem eſt, quod alio opportuniori tempore, atque etiam cum facilitate poterit emendari: At ſi derivationem deſideramus, vbi vel à natura, vel ab arte præceſſerit revulſio, aut hanc etiam non poſtulaverit morbus, hoc vnum profiteor, ſive vterus fluxerit, ſive non fluxerit: aut etiam ſive fuerit copioſè purgata, ſive minùs, tunc ſempe rincidendam eſſe venam interiorem ejus cubiti qui affectam particulam proximè reſpicit, atque eo vſque mittendum ſanguinem quouſque mutatio coloris appareat: nihil enim poteſt impedimento eſſe nobis quin ſtatim pleuritidi ſubveniamus, ancipiti affectui & periculoſo: Nam ſi ad id reſpiciendum quod magis vrget, non dubium quin multo majorem habere providentiam debeamus circa pleuritidem, quam circa vteri purgamenta, præſertim cum poſtea provocari poſſint, atque id incommodum quod à miſſo ſanguine fuit exortum, labore nullo reſarciri. *Horatius Augenius Tomo 1. lib. 11. Epiſt. 3.*

XLII. Pituitoſos vera Pleuritis non fatigabit, & qui acidum eructant; Sæpe evenit tamen ab aquoſa tenuique pituitâ pleuritis in his regionibus (Hollandia) ſed illa vera non eſt ac exquiſita: Nam in his corporibus frigidis ac pituitoſis ſæpe graviſſimi dolores laterum a flatibus oriuntur, fotibus mitigandi: Si venam pertuderis, necabis: Vidi formoſiſſimam mulierem, quæ cum flatibus obnoxia eſſet, ac cum cœnaſſet liberalius, noctu in acerbum lateris dolorem conjecta fuit; Illico à vena ſectâ periit. *Heurnius comm. in aphor. 33. 6.*

XLIII. *Fontanus* Pr. l. 2. c. 3. refert interdum malignas & epidemicas pleurit. graſſari, qualem ann. 1598. vidit, quæ generabatur ex humore tenui vireſcente, & omnibus ferè lethalis erat: In cadaveribus diſſectis ſub mammis reperiebatur vomica plena vireſcente liquido humore: Huic pleuritidi in ſectione eſt vnicum remedium: cum enim in humore pravo nulla ſit coctionis & mitigationis ſpes, materia ſectione vt extrahatur neceſſe eſt.

XLIV. Iudicio ſi ſtandum, in eóque ſi quid ego judico, puto maximas Pleurit. naſci ex arteria aorta, quæ eximios ramos ſingulis intercoſtalibus ſpatiis affundit. Sed cur ſecta vena juvat? Quis hoc ait ſemper juvare? & cur non juvet ſæpe, cum vbique ramulos ac orificia conſocient venæ arteriis: Memini me juſſiſſe copioſè ſanguinem extrahere in corpore, quod, vt ait Ennius, *Et ſimul erubuit ceu lacte & purpura miſta*, fruſtra: Puto ſi arteriotomiam admittere auſus fuiſſem, è re forte futurum fuiſſe: ſed tamen fateor aqua mihi hic hæret, vacillatque judicium; quare hæc non ſtatuo aſſeveratione, ſed doctorum ſuffragia exambio: Nam quid ſuſpicer in medium affero; Iudicate os qui membranam coſtis intextam aliquando avulſiſtis, ac ramos ab aorta arteria excurrentes vidiſtis inter hanc membranam, vel ſaltem vicinos illi muſculos occupat phlegmone. *Heurnius.*

XLV. Monendum putat *Aëtius* ex creſſis cruduſque cibis, veluti ſunt bulbi ac fungi, crudos humores gigni qui ſe repente in locum thoracis vacuum ingerunt, aut in ipſum etiam pulmonem ingerunt, ac copia ſui diſtendunt membranam coſtis intextam, ac ideam veræ pleuritidis fingunt, vehementemque ſpirandi difficultatem afferunt: vnde quidam Medici errore ſeducti, vena cubiti inciſa, multóque ſanguine educto, mortis cauſam ægris præbuerunt: Quare diligenter interroga de victus ratione, ac pulſus & calorem tenta; ſupini decumbunt a intercepta laqueo videtur illis reſpiratio, vt vix loquantur, non ſitiunt. *Heurnius.*

XLVI. Centurio quidam de puncturâ lateris moleſtâ conqueritur: Advocatus Barbitonſor, colicam ſuſpicatus exhibet purgans, quo per biduum adeo concitata fuit aluus vt tandem copioſus ſanguis fluxerit: Iamque vix ſpiritum trahens, mutato conſilio, Medici conſilium implorat, qui diligentius ſingula expendens, Pleuritide laborare videt monétque: ſtatim vena illi ſecta, ſequutum deinde per ſputum pus laudabile, inde ſublevatus convaluit. *Thomas Bartholinus Centur. 3. Obſervation. 74.*

XLVII. *Hippocr.* in l. de loc. in pleurit. curatione Febrem per ſeptem dies ſedari vetat: Non quod ſit malum eam ſedari ante 7. diem, aut remitti; ſed vt moneat non convenire eo tempore ea medicamenta quæ tum frigida ſint pro febris curatione vſurpantur, hæc enim frigiditate conſtipando plus lædere quàm prodeſſe poſſent: Notent

ego recentiores an vſus aquæ ſtillat. ex floribus papaveris rubri à principio pleuriticis ſuſpectus ſit, quem adeo familiarem ſibi fecerunt. *Martianus comm. in v. 32. lib. de loc.*

XLVIII. Puella 8. annorum laborare cœpit tuſſi & febre, quibus ſucceſſit lateris dolor, ita vt pleuritica cenſeretur, 5. die morbi 4. lumbricos excrevit per clyſterem; diebus ſequentibus plurimos, tum ope eos necantium, tum purgantis. Vnde patet vapores è materia putrida (à qua generantur) elevatos, dolores lateris & tuſſim, aliàque ſymptomata producere quæ pleuritidem mentiuntur. *Riverius Obſervat. 75. Cent. 1.* Nos puellam curavimus in qua cuncta ſpectabantur ſymptomata quæ pleuritide laborantibus ſolent obvenire, dolor inprimis aderat punctorius in thoracis dextra parte, tuſſicula quædam ſicca, vel levi quaque occaſione commota, pulſus arteriarum durus, ſerræque haud omnino diſſimilis ac recurrens, ſpiritus offendens, continens febris: bujus cum interdum videremus totum corpus frigidum, nonnunquam calidum, cum malarum alterius rubedine fieri, ſumpto ad lumbricos necandos & educendos medicamento, ſtatim plures eduxit, atq; incolumis evaſit: *Gabucin. c. 13. l. de lumbr.* Vide *Quercetanum Pharmac. Dogmat. reſt. cap. 7.*

XLIX. Longè differunt Pleuritis & Peripn. quas ſine Sputo vocat *Hippoc. 1. de morb.* ab illis in quibus propter ſputi tenuitatem aut viſciditatem ægri nihil exſpuunt: In his materia ſputi, ab inflammatâ parte reſudando, ex parte deceſſit, etiamſi in cavitatibus aut pectoris, aut pulm. contenta educi non poſſit: In Pleuritide autem & peripneum. ſiccâ, de qua hoc loco tractatur, propter ſubſtantiæ denſitatem (carnis ſiccitatem vocat *Hipp.*) nihil ab inflammatâ decidit, & ideò nullum apparet ſputum: Ob hanc diverſitatem multum curatio differt, quando ſi ob ſputi viſciditatem craſſitiemque, ſive nimiam tenuitatem, nihil exſpuitur, curatio in ſputi eductione conſiſtit, per ea quæ aut incidunt & attenuant, aut concoquendo incraſſant: Si verò ob ſubſtantiæ denſitatem nihil ab inflammata parte ſecernitur, præfata fruſtra adhibentur: Ad quid enim ſputi eductionem procuramus quod nondum genitum eſt? Ideo eo caſu Medici intentio eſſe debet vt materia morbifica loco affecto infixa, per loca convenientia educatur: In Pleuritide igitur ſiccâ, quia materia in carne & venis continetur, quæ in latere exiſtunt, ideo *Hipp.* ejus eductionem procurandam jubet per eam viam quæ promptior & expeditior eſt, primoque venam ſecandam monet; V. S. enim mediante non ſolum dolor fit mollior, ſed etiam quicquid bilis & pituitæ in venis ineſt per eam educitur: Inde vero ea medicamenta probat quæ humores diſpergant & diſſipent, deforis pariter fomenta diſcutientia admovet, per quæ pars humoris, qui in ipſa parte infixa eſt, diffundatur, diſpergatur & diſſipetur omnino: bujuſmodi enim viæ faciliores ſunt quàm ſputi eductio in hoc affectu. In Peripneumoniâ verò ſiccâ contrarium curationis modum ſequitur, per humectantia enim ſputi eductionem procurat; cum enim dictum ſit ſputum propter ſubſtantiæ ſiccitatem & denſitatem non produci, merito humectantibus ſiccitatem tollere procuramus: Sed cur eodem curationis modo non vſus eſt in Pleuritide ſiccà? Quia materia lateri affixa longius abeſt à via ſputi, vnde promptius per dictas vias diſpergi poteſt quàm per ſputum expurgari. In Peripneumon. verò, quia materia in Pulmone continetur, vnde facile aſperis arteriis per ipſum ſparſis communicari poteſt, & per eas mediante ſputo expurgari, nec facile per corpus diffundi apta eſt, ob rationem eandem ob quam ex peripneumonia ardentem febrem non excitari exiſtimus, quia ſcilicet expultricem habet debilem, ob quam ſuſceptum humorem non dimittit, nec alio tranſmittit, meritò pro peripneumoniæ ſiccæ curatione, non materiæ revulſionem derivationemque, aut ejuſdem diſſipationem tentare, ſed ſputi eductionem per humectantia procurare oportet. *Proſper Martianus comm. in v. 238. ſect. 2. lib. 1. de morbis.*

L. Ancilla D.N. laboravit dolore lateris pungitivo cum tuſſi & ſputis albis, quæ tamen bis aut ter cruenta apparuerunt: melius decumbebat in latus dolens, quod dextrum, Erat febris caper, ſignum non eſſe veram pleuritidem, cum inflammatio talis non poſſit eſſe ſine febre acuta: 7. die morbi, cùm dolor nunquam intermiſiſſet, ſanguinis ſputum apparuit copioſum per aliquot horas, cui ſucceſſit fluxus menſium, huic integra morbi ſolutio. Cauſam hujus affectus cenſui ſeroſum quendam humorem acrem, in latus per venas tranſlatum, qui dolorem efficiebat ſine inflammatione: qui ſeroſus humor exagitatus, die 7. aperuit quaſdam venulas, vnde contigit ſanguinis ſputum: at vincente natura, & ſeroſam illam materiam amandante ad venas vteri, facta fuit morbi ſolutio. *Lazarus Riverius centur. 1. obſervat. 73.*

LI. Vxor D.N. laborabat Pleuritide dextra eaque graviſſima; die 7. circa finem, & initium 8. ſubito correpta eſt pulpitatione adeo gravi, vt Medicus illius ordinarius extremos eſſe naturæ conatus arbitraretur, mortemque brevi ſequuturam prædixerit. Nos à putrida aliqua materia evaporante, in ventre inferiori contenta, eam palpitationem procedere ſtatuimus; Eventus rem indicavit, nam poſt duas horas ægra bis alvo ejecit valde fœtida, & ab hujuſmodi palpitatione liberata eſt: periculi ſuſpicionem afferebat quod affectus intra ſeptem dies nullis remediis, nedum freqnenti V.S. imminutus fuerat: licet autem imminuta apparerent ſymptomata, die 11. apparuit parotis, quæ poſtero die delituit & 13. mortua eſt: Vnde apparuit pleuritidem fuiſſe malignam: vel potius febrem malignam Pleuritide comitatam. *Lazarus Riverius Centur. 1. Obſervat. 72*

LII. Nullus eſt affectus in quo vulgarea, vt Medicos omittam, victum adeo tenuem ſervent, qualis eſt Pleuritis: Medicis enim etiam invitis vulgus in pleuritide abſtinet à carne, ovis, vino & quocunque alimento, quod aliquas corpori inferre vires poſſit. Vtrum hæc tenuis victus ratio in omnibus ſit ſervanda, & quo magis tempore conveniat, an initio & augmento, an potiùs in ſtatu, nunc ex *Hippocrat. Galeno* & Ratione diſſerendum. *Hippoc.* igitur 1. acutor. 43. tantum videtur concedere vium oxymelitis, mulſæ & aquæ vſque ad 7. vel 9. Nam in text. 44. ſubdit ptiſanam non eſſe dandam niſi poſt 7. aut 9. Ex quo loco, vt docet *Galenus* in comment. ſumpſit Eraſiſtratus occaſionem dicendi *Hippocrat.* patientes fame necare: qui tamen inquit faciendum id, ſi vires ſufficiant, Et ratio eſt, quia vbi inflammatio ex alimento ſuſcipit incrementum, quod minus malum eſt, ſupparatur: ſed quod magis refert, aliquando in gangrænam tranſit: & hoc eſt quod voluit *Hippocr.* acut. 33. & 34. ex alimento quoſdam pleuriticos quaſi ſyderatos interire, apparente circa locum affectum livido colore: Ideo *Hipp.* 2. acut. 37. in pleuriticis ſemper potius detractioni ciborum incumbendum eſſe

ſci-

ſcribit: Et multo maiora, vt docet *Galenus in comm.* eſſe incommoda quæ ſequuntur ad cibum pleniorem, aucta inflammatione quàm quæ ſequuntur ad cibum tenuiorem: Ideo *Galen.* 10 *meth.* 5. inquit, ſe in iſtis caſibus hoc ipſo tenui victu, quem præcepit *Hippocr. loco citato*, feliciter vſum eſſe: Quia tamen ſemper prima indicatio eſt à viribus deſumenda, ideo non debetis ſtatim atque vobis pleuriticus offertur curandus ad tenuem victum confugere, ſed vires primum præſentes, deinde futuras conſiderare: Si præſentes ſint imbecillæ, ſtatim ad cibum eſt confugiendum, nulla habita inflammationis conſideratione. hæc eſt *Galeni* doctrina 9. meth. 13. quæ habet & pro ſe rationem: Nam quæcunque agimus pro pleuritide, vel alio quovis morbo, agimus vt vitam tueamur, nam vires, vt docet *Galen.* loco citato, vel ſunt ipſa vita, vel actio vitæ: Deficientibus ergo viribus omnia deficient: accedit quod vbi vires deficiant ob inanitionem, etſi cibus exhibeatur, inflammatio augmentum non ſuſcipit: tunc enim inflammatio augetur, cum humores ſuperabundant: Sed in defectu virium ob inanitionem humores non ſuperabundant, ideo in hoc caſu tutò nutriuntur pleuritici: & hoc eſt quod voluit *Hippocr.* 1. aphoriſm. 5, cum ſcribit in tenui victu ægros delinquere; & majus eſſe erratum in cibo pauciore quàm pleniore; contra quam ſcripſerat & ipſe & *Galen.* 2. ac. 37. Ex quo advertatis ſolutionem contradictionis: nam in illo 2. acut. 37. *Hippocr.* & *Galen.* reſpexerunt ad inflammationem cum viribus validis. quo in caſu plus obeſt copia quam detractio; 1. aph. 5. reſpexerunt ad vires debiles, in quo caſu plus obeſt detractio quàm cibus plenus. Sed ſi vires ſint quidem in præſenti validæ, conjicimus tamen illas non poſſe ſufficere ad finem morbi, Quæritur, *Vtrum melius ſit pleuriticos initio alere, an potius in ſtatu?* Sed antequam hoc diſcutiamus, forte quæret quiſpiam, *Quibus ſignis poſſimus colligere aliquem non poſſe ſufficere cum tenui victu vſque ad ſtatum; Aut contra, poſſe tenuem victum ſuſtinere:* propoſita ſunt ſigna 1. acut. 44. Conſtituamus pleuriticum denſi habitus, temperamenti pituitoſi, qui non ſit aſſuetus multo cibo, qui ægrotet in regione, conſtitutione & tempore anni frigido, poſt vitam otioſam & crapulam, neque habeat os ventriculi ſenſibile; hunc certum eſt commodè poſſe ſuſtinere inediam vſque ad morbi ſtatum, ſi ſtatus non tranſeat 7. vel 9. Ex adverſo ſit Pleuriticus qui omnia habeat contraria; hunc prima die cognoſcetis non poſſe ſuſtinere inediam, Ideoque quæritur, *Vtrum ſtatim nutriendus, an potius poſt primos dies?* *Hippocr.* videtur hac in parte ſibi contrarius, qui univerſaliter quidem 1. aphoriſm. 8. præcipit in ſtatu omnino à cibo abſtinendum eſſe: Et de pleuritide ſigillatim verba faciens, acut. 25. 33. & 34. maxima proponit incommoda quæ eos ſequuntur qui ſtatus tempore cibum ſumunt, periculum ſuffocationis, ſiderationis, ſuppurationis: ideo 2. acut. a 40. text. infra, varia enumerat incommoda eorum qui abſtinent circa initia, ut poſtea cibum capiant circa ſtatum: nam inquit hos inedia exſiccari, amarulentos reddi, anxios, cruda dejicere &c. Ex alterâ tamen parte 1. acut. 28. & 29. tunc inquit, cibum copioſum eſſe præbendum cum ſputum bene procedit: at ubi ſputum bene procedit, eſt tempus ſtatus: Itaque in ſtatu cibum præbet: ideo 2. acut. 7. ſcribit ſubtrahendum eſſe cibum uſque ad vigorem, in vigore cibum concedi: id ipſum facit t. 54. Eſt contradictio inſignis apud me, quæ tamen ſic conciliari poteſt, Vires pleuriticorum, quando ſint quidem validæ ab initio, ſed in poſterum non poſſint tales perſiſtere, ſunt omnino circa initia conſervandæ: Et multo minus peccabunt Medici primis diebus aliquid cibi concedentes, & poſtea tempore ſtatus ſubtrahentes, quam ab initio exſiccantes, extenuantes, & cum jam vires occiderint, cibo replentes: Sed cum ſtatus venerit, is ſuevit eſſe duplex, unus benignus, alter malignus: benignus eſt, in quo ſputum bene concoctum procedit & excernitur: in huiuſmodi caſu quò melius ſputum procedit, eò tutius alimentum augere poſſum? Hoc animadvertite, nam vires roborantur: Et cum dicente, *Gal.* 11. meth. 17. pleura tantum recipiat alimenti quantum ſatis ſit pro illius nutritione, etſi aliquid plus offeramus, non poteſt pati nocumentum, imò aucto calore ſputum ſtatim melius coquitur & excernitur. Si ſtatus fuerit malignus, i.e. ſputum ægrè redditur, idque glutinoſum, craſſum, lividum, abſtinendum à cibo: nam indicium eſt maximæ inflammationis, quæ ſi incrementum ſuſcipiat, facilè ægrum interficiet: hoc habeo ab *Hipp.* 2. acut. vbi increpans eos qui in ſtatu pleuriticos nutriunt, inquit mortem omnino ſequuturam niſi pleuritis benigna ſit, Quaſi dicat, vbi benigna eſt, & ſputum excernitur, cibus nullam infert noxam. *Saxonia Præl. Pract. c. de Pleurit.*

LIII. Cauſa Pleuritidis proxima eſt ſanguis in pleuræ vaſis minoribus ac interſtitijs (pariter ac in peripn.) ob lentorem obſtructus, aut extravaſatus: hinc oritur indicatio præſervatoria contra ſanguinis lentorem & efferveſcentiam deſtinata, quæ ejuſmodi remedia præſcribit, quæ cum ſale volatili aut alkaliſato conſtent. ſalium acidorum, fixorum, aut alias morbificorum, cum alijs particulis craſſioribus combinationes initas deſtruunt: In quem finem oculi aut chelæ cancrorum, dens apri. lapis carpionum, mandibulæ piſcis lucij, os cordis cervi, priapus cervi, ſal prunellæ, ſal corall. ſal vrinæ, aut c. c. volatilis, pulvis ſanguinis hircini, infuſio ſtercoris equini, ſpir. c. c. ſalis armoniaci, ſpir. tartari, mixtura ſimplex, bezoart. minerale, antimonium diaphor. flores ſalis armon. in pleuritide remedia perquam celebria exiſtunt. *Willis.*

LIV. *Diuretica* levia, non multum calida, maximè conveniunt, ex *Galeno aph.* 44. 6. *loc. aff.* 4. *& Hippocr.* t. *Epid.* 2. Sunt enim plures viæ expurgationis materiæ in pectore, ex *Hipp. & Gal. Epiph. Ferdinandus hiſt.* 32. Aquapendens in publicâ anatome cujuſdam venę, à N. *Sammichelio* repertę mentionem fecit, quæ ex cavâ, vt trunco, paululum ſupra diaphragma in pulmonem ſpargeretur antequam cava cor ſubintraret: Hac ratione motus Pleuriticis diureticas potiones exhibere aliquando auſus, & quidem nonniſi ſemper felici cum ſucceſſu. *Horſtius Obſ.* 15. *l.* 3. Prevotius ſiniſtri lateris Pleuritidem plerumquè per vrinas deponi obſervavit. Ideo hoc in caſu feliciter Diuretica exhibebat mitiora, E quibus diacuminum ipſi erat familiare. *Rhodius Cent.* 2. *obſ.* 13. Si ſputum ſuccedere non poſſit, aut evacuanda eſt materia per ſudorem, aut per vrinas, aut per externa, aut ſuppuratio tentanda: Ad movendas vrinas laudatur in hoc caſu Terebint. ipſa, ſimpl. aut mixta cum pulv. liquiritiæ Ejus datur ʒj. & abluatur in aq. capil veneris, liquiritiæ ſit ʒj. Hæc Diuretica non deben tamen in quocunque caſu adminiſtrari; ſed cum videritis ſputum non procedere, & vrinas copioſiores fieri: Nam dicebat *Hippocrat.* 4. acut. 28. perperam cum illis pleuriticis & peripneumonicis agi qui nihil expuunt, niſi vrinæ copioſæ effluant, Itaque vbi naturæ propenſionem videritis, tutò accedatis ad diuretica,

ad capillum veneris, apium, fœnicul, ad ſemina frigida vbi febris vrgeat. *Saxonia. Hippocrat.* 2. *de morbis ſection.* 2. tres Pleuritidis conſtituit differentias, pro quarum diverſitate varianda curatio: Primam ſpeciem (de qua *lib.* 1. *tractans v.* 233.) hæc habet, *Sæpe verò, ſi ad infernas partes convertatur, dolorem per venas ad veſicam diſtribuit, & multum ac biliosum æger mingit*; hoc loco deſcribit, in qua materia morbifica, non per ſputum, vt communiter fieri ſolet, ſed per vrinam expurgatur, cujus indicium eſt dolor, per inguina ad veſicam ſe extendens, & ſanguinolentam vrinam, fundit, intelligens eam quæ ſaturato rubore infecta eſt, vnde color ſanguinolentus apparet: Cum igitur hujuſmodi Pleuritis per vrinam non per ſputum judicetur, ideo ejus curationem per ea quæ vrinas movent abſolvendam jubet, cujus gratia oxymel aqua multa dilutum exhibet; oxymel ſcilicet diureticum eſt, & frigiditate aquæ, qua diluitur, bili temperandæ aptiſſimum eſt. *Proſperus Martianus comment. in verſ.* 206. *lib.* 2. *de morbis ſection.* 2.

L I V. *a.* Docent autores humores craſſos extenuare, viſcidos incidere, adhærentes abſtergere aut abluere, & eos qui præ nimia tenuitate tuſſis impetum ſubterfugiunt ad mediocrem conſiſtentiam reducere &c. quippe juxta cuiuſque cauſæ naturam & conditionem neceſſe eſt ſputum movere: quas omnes diſtinxiſſe oportebit, ne cauſa incognita inutile, aut forſan contrarium adhibeatur auxilium, quod non raro accidere imperitis comperimus: Attenuant quidem & inſcindunt craſſos & viſcidos humores quæ ſuapte natura humida ſunt, & tenuium partium, aut inciſoriam habent facultatem: Sed expendendum eſt hæc omnia craſſis & viſcidis omnibus citra diſtinctionem adhibenda non eſſe; craſſum enim ſæpe tale efficitur ob impenſam aſſationem, aliquando vero ob coctionem; nonnunquam tamen ſua natura tale exiſtit: his vero proficua ſunt medicamenta quæ inſcindunt & attenuant; aduſtis quæ humectant & madefaciunt; craſſis vero ex coctione, quæ abluunt & abſtergunt: Neque inconvenit omnibus craſſis largam humectationem porrigere: ſic enim aliquid humidum ſeſapiis admiſcere oportet, velut hordei aut liquiritiæ decoctum, vel puriſſimæ aquæ modicum, cujus tanto magis adaugebis quanto ex aſſatione craſſitiem proficiſci contigerit, potus enim largior eo tempore medela eſt: quod ſi hæc prodeſſe non videantur, addere ſeraptis oportebit *aceto ſi* modicum, maxime ſi calor nimius fuerit: ſin aliter, aut frigida ſit & craſſa ex natura ſua humoris conditio, oxymelitis ſimplicis &c. *Mercatus.*

L V. *Hippocrat.* 1. *de vict. acut.* Vbi dolor aliquis tenuerit Pleuriticos, oxymelite in potu vti jubet: quod ſi multa ſitis detinuerit, mulſâ & aquâ: conſtat vero ex his, ſi vtraque neceſſitas incidat ſimul, incidendi ſcil. & ſedandi ſitim, licere parare oxymel, aliud quod aquæ plus, mellis & aceti recipiat minus ſolito, aut in mulſam tantillum aceti infundere: Quin & ipſa mulſa vtemur in quibuſdam dilutiori, in quibuſdam minus, vt biliosa magis minuſve videbitur eſſe Pleuritis: mulſa enim eſt biliosa, tantò autem minus quantò eſt dilutior: ergo vt erit pleuritis bilioſior, ita vtemur dilutiori, vſque adeo vt ſi res exigat poſſimus venire ad ſolam aquam: quam conſtat neque concoquentem, neque incidentem eſſe, ſed attemperantem. Hinc vero diſcemus, cum *Hipp.* vel in pleurit. ad ſolam aquam frigidam veniat, non debere nos admodum pertinaciter, vt quidam faciunt, indicationi à cauſa adhærentes, intemperiem negligere, ſatius enim eſt aliquando morbum prorſum pe... ite-re quàm brevi hominem exuri. *Valleſius comm. in dictum locum pag.* 41.

L V I. *Vomitoriis* gravem Pleuræ calamitatem tentare multis Practicis eſt religio: *Rolandus* tamen & *Harmannus* aquam Benedictam ſæpius cum fructu exhibuere: *Riverius in Obſervat. comment.* 29. hoc remedii genus quoque commendat: Omnes Pleuritici, *ait*, qui vomunt ſtatim in principio morbi, evadunt, vt in infinitis obſervavi, levata pleura ab humorum ſarcina vomitus beneficio.

L V I I. In Pleur. & Peripneumonia, morborum medicatrix naturam materiam morboſam purulentam, in thoracis cavitate contentam per vrinam ſæpe expurgat, teſte *Galeno* 6. *de loc.* 4. Ideo motus ejus ſedulo eſt obſervandus, ne à naturæ miniſterio invertatur: hinc ſi contigerit naturam per vrinam excretionem moliri, diureticis eſt agendum, ſuadente *Heurnio cap.* 3. *de morb. pectoral.*

L V I I I. *I. Prevotius* ſiniſtri lateris Pleuritidem plerumque per vrinas deponi obſervavit: Ideoque hoc in caſu feliciter Diuretica exhibebat mitiora; è quibus Diacuminum ipſi erat familiare: Diaphoretica nunquam voto reſpondere: Hæc autem *M. Rulandus* quum tantopere extollat, proculdubio aciem extendit ad *Anaxionis* hiſtoriam Epid. 3. Ægro 8. *Rhodius Cent.* 2. *Obſervat.* 13.

L I X. Vt materia fluxa digeratur, & tamen incraſſetur, nihil præſtantius *papaver. rubei flore*, qui quidem cum indiſcriminatim à quibuſdam vſurpetur, qui putant illum in pleuritide à tota ſubſtantia prodeſſe, excepto hoc caſu noxium eſt medicamentum; moderate quidem digerit, ſed vim habet incraſſandi, ideo convenit in pauca fluxa materia, & in fluente tantum tenui; ſed ſi hæc materia calida & tenuis pro majori parte ſit fluxa, dimittenda ſunt incraſſantia. *Saxonia.* Flores papaveris erratici, cyani; pimpinella, priapus cervi, ſcobs dentis apri, ineunte morbo dentur, non cum expectoratum procedit, nam vaſa arctant per quæ influit ſanguis, ita & corallum. *Heurnius, Rondeletius.*

L X. Antimonium diaphoreticum (*vide lib. ult. tit. de Sudorificis*) medicamentum arcanum eſt, & ſumme commendatum in Pleuritide, tum vera tum ſpuria: In illa egregie diſcutit humores congeſtos, acorem abſorbet, dolores demulcet, expectorationem promovet, & indicationibus adeo omnibus ſatisfacit: præprimis ſi primitus conciſa & vera medendi methodo data fuerint volatilia, & poſtea hoc ipſum maritatum cum aliis, vt dente apri philoſophice præparato (coquitur primum per aliquot dies in aqua ſimpl. vel in veſica cuprea, & hinc in fornacem calidam reponitur, vbi fiſſura prodit bene eſſe præparatum) lapidibus cancrorum, ipſoque opio, quo cum ſolo etiamſi propinetur, remedium eſt ſufficientiſſimum: In *ſpuria*, ſeu *flatulenta* pleuritide, quantum præſter antimonium diaphoreticum illinorunt, quibus vis eius carminativa inſignis paret, quod cum externe, cum emplaſtris diſcutientibus ſemixtum, vbi flatus ſe ingerunt ſpatiis muſculorum, ſæpe cum ſudore ſonoro eſt laudatiſſimum; tum interne in tumoribus flatulentis, puerorum præſertim, quorum torminibus etiam facillime medetur. *G. Wolfgangus Wedelius Miſcell. curioſ. anni* 1672. *Obſervat.* 72.

LXI.

LXI. *a* Menſe Martio 1645. laborare cœpi horis matutinis dolore graviſſimo latus ſiniſtrum & ſternum occupante, vnde ingens dyſpnœa: Statim diſcutere tentavi fumentis calidis, quamvis febris apparere inciperet, quæ tamen erat ſatis exigua; à fotu dolor fuit intenſior, ideo ſanguis miſſus è brachio ejuſdem lateris ad ℥x. qui fervidus admodum apparuit: duabus horis poſt clyſter injectus: poſt ſecundum juſculum iterata S. m. ad ℥xij. licet enim à flatibus dolor ille præcipue oriri videretur, verebar tamen ne doloris atrocitas fluxionem in partem attraheret, quæ duobus annis præteritis pleuritide vers bis affecta fuerat: his dolor aliquantulum fuit imminutus, Eo tamen ſequenti die perſeverante alium clyſterem præcipio ex decocto emolliente, ex diaphœn. ℥j. aq. bened. ℥iv. à quo alvus copioſe ſoluta & vomitus ſemel concitatus, tum inter vomendum flatus in partibus thoracicis contentus ſubito exploſus eſt, ita vt poſt vomitum à dolore lateris & ſterni me prorſus liberatum ſenſerim, nulliſque aliis remediis opus habuerim. *Riverius cent. 3. Obſ. 3.*

LXI. *b* Dens apri, raſura ebor. mandibula, crux lucii præparata, papav. rub. & alia id genus, tantum abeſt vt vel vllum in pituitoſa (quam ſpuriam alii pleurit. vocant) fructum promittant, vt noxam potius ipſam minari, ac inſigni cum detrimento, metuque ſuffocationis materiam illam viſcidam ac tenacem in pectore videantur retinere: miror igitur pulveres antipleuriticos; ex meris ante dictis circumferri, & promiſcue in quavis pleuritide præſcribi: Plus noxæ quam commodi, ſi mali fomes pituita fuerit, ex his pulveribus illatum eſſe ægris in ipſa didici arte. *H. Grube de ſimpl. cognoſ. p. 34.*

LXII. Ardua eſt circa vſum Reprimentium ab initio difficultas: Nam Meſuë ab initio vtitur medicamento reprimente, ex roſis, balauſtiis &c. & videtur habere pro ſe rationem: Quia omnis inflammatio incipiens tractatur revellentibus ac reprimentibus, & Gal. xi. meth. 17. cum antea loquutus eſſet de vſu adſtringentium in inflammatione jecoris, ſubdit, in inflammationibus pectoris adſtringentia minus convenire: non dicit prorſus non convenire, ſed minus: Hipp. ipſe 2. acut. 4. vtitur hordeo & furfuribus in poſca, acetum autem reprimit, Reprimentia tamen ſuſpecta omnino videntur: Primo, Quà adſtringentia materiam jam fluxam indurant: Secundo, Eandem in pulmones repellunt; eſt autem peripneumonia pleur. deterior: ideo Gal. loco cit. ſummè cavet ne hujuſmodi inflammationes thoracis ad pulmones repellantur: Et profecto hujuſmodi ſuſpiciones tanti ſunt momenti, vt ego nunquam ſim auſus vti adſtrictoriis in pleuritide: Ad Meſuem dicendum, quod & ipſe confitetur, hæc reprimentia tunc tantum convenire cum materia adhuc nullomodo eſt fluxa, cum eſt calida, tenuis & parva: Sed ſi non eſt fluxa, quomodo eſt Pleuritis? Eſt ſuppoſitio nugatoria: non eſt Pleur. ſi materia pro aliqua parte, imò quandoque & vt plurimum pro majori parte non ſit fluxa: Itaque Hipp. loc. cit. non vtitur fomentis reprimentibus, in qua re perperam damnatur à Tralliano: ſed vtitur eo fomento ad tenuandam & incidendam materiam craſſam quæ ſpuriam facit Pleurit. *Saxonia.*

LXIII. Vt vim Fotuum rectè intelligamus, notare debemus tria eſſe maxima Pleuritidis remedia, Fotus, V. S. & Purgationem: quorum primum pugnat contra cauſam conjunctam, & antecedentem vna interdum ſiſtit: v. ſ. autem & purgatio tollunt vel cauſam antecedentem vel conjunctam, vt hoc nomine fotus convenienter adhibitus vincat aliquando v. ſ. quod non ad omnem Pleur. conveniat v. ſ. ſed ad omnem fotus: ſed non omnis fotus ad omnem, ſed nunc hic, nunc ille pro materiæ conditione, ægri natura, & morbi hiſtoriâ: ubi enimillioſa eſt materia, adhibetur aqua calida: ubi craſſa & contumax, mixtus fotus, qui incidit, attenuat & digerit: ubi tenuis catharrus, fotus ſiccus, morſus particeps vel expers. Sin autem, *inquit Hippocr.* ad fomenta dolor non conquieſcat (ob materiæ novæ affluxum, ab orgaſmo, attractione vel excluſione, cum nimirum pars vna in alteram ſe exonerat) diu tempus fovendo exigere non oportet, ſed calfaciendi finem facere oportet, nam hoc pulmones ſiccat (calfaciendo & exhauriendo; quia dum quod ſubtile eſt reſolvitur, reliquum magis cogitur & craſſius redditur) & ſuppuratum facit: Objicies aph. 2. 52. Omnia ſecundum rationem facienti ſi non ſucceſſerit res, non mutandum dum id manet quod ab initio viſum eſt: hic autem manet, quia incumbit in amotionem doloris & in partis reſtitutionem, ℞. dictum aphor. intelligendum eſſe modò majoris mali periculum non immineat: Hinc patet error recentiorum, qui non ſolum caldaria præſcribunt, ſed etiam admovent emplaſtra inſigniter calfacientia: Proviſione itaque habita totius: totum tempus fovendo tranſigat: Si non miteſcit malum, redi ad v. ſ. Duplices autem ſunt fotus, Tentantes, & Mitigantes dolorem: Mitigantibus locus non eſt in vera pleuritide, ni prius totum corpus fuerit vacuatum, nam ὁρμῇ alioqui ſuccorum incrementa ducet: quare tum maximè ineunte lateris dolore vtemur fotu, cum exiſtimamus ab eo exhauriri poſſe materiam influxam, quæ non ita circumfluit copia: quare num parcè homo paſtum inire ſoleat no[illegible], & num vacuatio gravis præceſſerit: ubi autem apyrexia adeſt, nihil periculi à fotu erit, non occupato corpore à nimiâ ſuccorum copiâ, præſſumve eorum qualitate ſi id non fuerit: Cum verò tentamus malum fotu, id ante evacuationem agimus, quò eluceat num copia materiæ in vitio ſit; Si bis augeſcat dolor, illico venam ſeca: Mitigantibus verò locus eſt à v. ſ. bi tales ſint qui partem molliunt, rarefaciunt, ſanguinemque, ſi paucus ille fuerit, in habitum reſolvunt. Variæ autem Fotuum ſunt ideæ, nam fiunt veſicâ, ſpongiâ, cataplaſmate: Illinimus latus 1. die oleo violac. 2. amygdalino, 3. chamæmel. 4. vtimur cataplaſmate ex ſem. lini fœnugr. malvæ, rad. althææ, flor. chamæm. 5. ſi ad ſuppuratum abit, addimus adipes: Sed ſi humidus fuerit affectus, multaque ab initio profunda ſputa, ſacculi ex millio, furfure, ſale, cumino potiores erunt: Sed ſi ægrè expectorat, nunquam ab humidis fotibus erit abeundum: Et cautio ſemper adſit ne dum dubia adhuc res eſt, num flatus vel vera Pleuritis bellum moveat, illico venias ad oleum chamæmelinum & rutaceum cum ſemine cumini & anethi, quibus tamen in progreſſo morbo dextre vtimur: Quod ſi fotibus dolor placatur, exactè perpende num id eveniat ratione fotus: ſi quidem ad primum fotus blandimentum ſæpe miteſcit in phlegmone dolor, quod pars tenſa laxetur, ſed reviviſcit mox ardentius cum nova immittitur materia. Evenit interdum vt altius immiſſa materia dolor à v. ſ. non mitigetur, vel quod denſior membrana coſtis intexta nullum exitum concedat inſi-

nnatæ materiæ: hic Fotus maximè tunc locum habent: Et in omnibus fotibus cave ne hi pondere dolorem dolori adjiciant: Si nihil profeceris, plus biduum non erit fovendum, ne tenue exhauriatur ex parte affecta. Vt iterum caveam, Si æſtu conflagrarit æger a bilioſo ſanguine, ineunte morbo vnge oleo violato vel vngu. reſumptivo: nam in pectoris inflammatione parca manu admovenda refrigerantia & adſtringentia: Satis enim eſt vt his, clementi præditis adſtrictione, pectus robuſtius evadat, ne pars inflammata, quæ calet & dolet, tam facile attrahendo ſuſcipiat materiam, ſuſcipit autem dum laxantibus utimur; Si tamen via cuncta fluenti materiæ intercipiatur, orgaſmo quodam percellitur, ac peripneumoniam phthiſimque provocat. Si fuerit notha Pleuritis, vt ſi in muſculis conſiderit malum, fiat Emplaſtrum ex pice & oleo anethi: & ſi frigida fuerit materia, adjice ℨij. ſulphuris. *Heurnius.* Sæpe calida fomenta in paſſionibus etiam frigidis & flatuoſis primo occurſu videntur lædere, quod extenuati flatus diſtendant plus & dolor creſcat; perſeverantia ſolvunt quem primo auxerant dolorem. *Valleſius de vict. Acut. pag.* 52. Calefacientia lateri dolenti admovenda; alia ſunt ſimpliciter anodyna, alia & anodyna & maturantia: anodyna initio adminiſtrari ad leniendos dolores, & ad aliquam materiæ diſcuſſionem poſſunt, quia cum ingenti calore non ſint donata, & potius laxent quam obſtruant, potius lenire quam attrahere valent: hæc calefacientia Hipp. tum lib. acut. tum 2. de morbis commendat: Concoquentia autem & maturantia, cum non laxare ſed obſtruere, cum calorem internum non evaporare, ſed augere & fovere apta ſint, initio non conveniunt, quia fluxionem tunc & inflammationem adaugent: hæc lib. de aff. damnantur. *Salius comm. in text.* 87. *lib.* 2. *de morb.* Laudantur fomenta ab Hippocr. acrimonia carentia & potius demulcentia, quibus tamen caute vtendum, aliquando enim diuturniori calefactione aut exſiccantur pulmones, aut morbus ad ſuppurationem deducitur: Quare ſolum in principio convenire ſolent & fine, quando ſçil. materia contumax & craſſior reddita, cum ſtertore ad exitum omnino reluctantem ſe prodit. *Forstis conſult.* 39. *cent.* 2.

LXIV. Multi ceram linimentis addunt, quæ tamen non convenit, quia poros obſtruit: ut neque mucilagines quæ emplaſticæ ſunt, quia refrigerant & adſtringunt. *Riverius. Enchirid. Med. Pract.*

LXV. Inter auxilia quæ vno & eodem tempore ſputum, vrinas & ſudores in pleuriticis movere conſuevere, eſt *Balneum aquæ dulcis*, cujus meminit Hippocr. 3. acute 58. cujus authoritate ducti & Arabes, & Latini & Græci, id commendant: At mihi ſuſpectum videtur, nam ſi adminiſtretur vbi dolor vrgeat, vbi ſputum bene non procedat; quod fieri debere voluiſſe videtur, dum ſcribit, dolorem ſedare & ſputum movere, hoc tempore pleuritis eſt adhuc in augmento, vel ſaltem in principio ſtatus, quo tempore colliquatos in unaquaque corporis parte humores ducet præcipites in locum affectum: Ideo Gal. 12. meth. 13. in inflammatione partium thoracis id habet ſuſpectum, ne pars inflammata ab eo calefacta & relaxata fluxionem ſuſcipiat: Quod ſi quis dicat adminiſtrandum eſſe tempore concoctionis, & in declinatione tantum, profecto nullius erit vſus: nam in declinatione deſinit dolor, & ſputum jam eſt concoctum ac magna ex parte eductum: itaque, vno verbo, Balneum non probatur? *Saxonia.*

LXVI. An locum habeat operatio Chirurgica, *Paracenteſis* quæritur, ℞. non habet locum initio, ſed facta ſuppuratione, non ſemper tamen: Fieri enim poteſt vt pars materiæ evacuetur ex facto foramine, major pars retineatur, fiſtuloſumque vlcus relinquatur, exitu tandem funeſto: præterea exulceratio intus vergit verſus pulmones, exterius, verſus cutim. *Rolfinccius conſ.* 3. *lib.* 5. Viduæ ſexagenariæ in lateris morbo, minus maturè cum exſolveretur brachium, collegit inde plurimum puris in thorace: cujus onus quò expelleret officioſa natura, demonſtravit quaſi digito locum inter coſtas evidenter protuberantem; quem ubi perforavit Chirurgus, manſit ægra exitio ſuo ſuperſtes, & ejecit quotidie per inflictum vulnus fœtidum ac ſordidum pus: Quam lateris ſuppurati inciſionem equidem vidi frequenter inſtitutam, interdum quidem proſpere, ſed pluries infeliciter; ſive quod adimat pulmoni motum, ſive quod tamdiu plerumque continuet vt vix id ſufferant vires, vel corporis totius vel pectoris ſolius, cujus viſcera vſque adeo infirmat frigidus ac indigeſtus aër ut raro evadant mortem, quibus hac via pus elicitur. *N. Tulpius lib.* 3. *Obſerv.* 4. Felicem ἐγχείρησιν vidi anno 1660 in Pleuritica annorum xxv. Dn. Anna Maria Horicæa; cui, nulla ſuperſtite fiſtula, foramen paucis poſt diebus occluſum fuit multo manante pure, ac pars altera per vrinas à natura excluſa fuit: Inſtituendæ operationi anſam dedit tumor extra vergens ac pondus & gravitas lateris affecti, abſente anacatharſi.

LXVII. Obſervatione dignum quod Aretæus annutavit: Si, inquit, incolumes redduntur Pleuritici, paulum tamen adhuc tuſſiunt, & caliditas ſubinde repetit atque infeſtat: ad hæc penitus diſcutienda maturandum eſt, aut enim quæ relinquuntur recidivas faciant, aut ad ſuppurationem convertuntur. *Heurnius.*

LXVIII. Novimus crebro in Pleuriticis, poſt ſolutam Pleuritidem, dolorem qui diutius perſeveret remanſiſſe: qui non aliunde ortum ducit quam tum ex loci à morbo contracta imbecillitate, per quam facilè ab omni materiei incurſu, quamvis benignæ patitur; tam ex quadam loci intrinſecâ, ex morbi violentiâ contractâ, ruptione: quâ non ſanatâ, ſicuti fit in ruptis, vt docebat Gal. 4. meth. in fine, ſemper aliquis perſeverat aut dolor, aut dolendi occaſio: Quæ duo non ſanata cum fuerint in Pleuritide, erunt doloris occaſiones: dolor autem verè affligit, cum aderit materia quæ locum vel imbecillum obſideat, vel ruptum adimpleat: Quare ad ſolutionem hujus doloris indicatur vt materia locum affectum occupans abſumatur: ipſum autem Ruptum vehementius ſiccetur: & vbi materia per abſumptionem non conſumatur, ſed in thoracis viis cumuletur, vt per ſputum educatur: Hinc Hipp. in Pleuritide ſanguinea, ſi poſt judicationem i. e. poſtquam ſputa concocta prodierint, & poſtquam inflammatio ſedata fuerit, dolor qui ex inducta ruptione cauſatur perſeveret, & materia in locum affectum, & ruptionem patientem irruens non exſpuatur; ad abſumendam hanc, & ad locum affectum vehementius ſiccandum, inſtituit medicamentum tenuiſſimarū partium, vt facilius penetret, & penitius agat, ac calidum & ſiccum 3. gradu, calidum quidem, vt potenter abſumat: ſiccum, vt vehementer locum ruptum exſiccet, ſçilicet ex

flore

flore æris, ſilphio & trifolii ſemine ex melle, quod thoracium. *Salius comm. in text. 69. lib. 3. de morbis.*

LXIX. Cautio ſumma in Phthiſicis à latere laborantibus adſit, nam his nonnunquam immittuntur Pulmonibus venti contumaces, cum horum Pulmones perpetuis circumfluii madoribus, adhærent lateribus pectoris, quaſi his agglutinatis præter naturæ legem: ſolum fotus & ſacculi admoveantur, cucurbitæ, & deinde emplaſtrum de meliloto. *Heurnius.* Vide §. 12.

LXX. Admonuit ſenex ille Medicus *Rhazes*, cavendum eſſe a calidis, nam, *inquit*, ex imperitorum Medicorum hallucinatione, multa huic malo accidunt augmenta: velut cum in membrana coſtis intexta, craſſos flatus infarctos conjectantes, confectionem diamoſchum, aut huic in diſcutiendo & incidendo parem intempeſtivè porrigunt, nam ægros jugulant hac intempeſtivâ curatione. *Idem.* Memini fœminæ, quæ Pleuritide corripi inciperet, à medico exhibitam eſſe Theriacam cum aliis calorificis, & imperatum ut ea aſſumpta ſudaret, inde omnia in deterius verſa, & tandem illa peripneumonia extincta eſt. *Bruno Seidelius de morb. Incur. p.* 50.

LXXI. Vinum concedit Hippocr. l. 1. acut. t. 22. Repugnare tamen videtur Galenus lib. 1. ad Glaucon. c. 14. dicens Plura eſſe quæ vini exhibitionem prohibent, veluti ſi aliquod unum è viſceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementius doluerit, aut paſſio aliqua quæ delirare cogat, aut febris incendens in morbo crudo: magna enim & quaſi inſanabilia ex potu vini in hujuſcemodi affectibus nocumenta proveniunt: At eorum pleraque in Pleuritide concurrunt. Solve hoc modo, In febris, internæque inflammationis curatione, tria perpendenda, febris, ipſius cauſa, & aliud tertium quod ad ſe revocat curationem totam, ut dolor: Febris, quà febris, nec vinum nec calida medicamenta aut alimenta exoptat: ſed ſi frigidus & pituitoſus ſit humor, qui inflammationis eſt cauſa, tunc concedi poteſt, præſertim aquoſum, dulce & cum modo oblatum: nam concoquit, roborat, humoris impacti in inflammatione excretionem promovet; quâ ratione nocere non poterit: Id verò intelligendum dummodo coctio adſit & fluxionis impetus conquieſcat, præceſſerint vacuationes, & vires debiles ad humoris coctionem inpoſterum non ſufficiant. *Zacutus Prax. hist. l. 2. c. 3.* Salutarem fuiſſe vini potum oſtendit. *I. Rhodius cent. 2. Obſ. 16.* Servus *ait*, duos & viginti annos natus, mediocris ſtaturæ, quadratus, nervoſus, boni habitus, capillis ſubrufis, febre acutâ correptus, cum dolore dextri lateris, & decubitu in oppoſitum difficili, cum tuſſi & ſputo cruento, morbi die tertio Prevotium conſuluit, qui mox juſſit educi è dextro cubito ſanguinis ℥x. die 4. morbi ſuppreſſo ſputo, repetiit ſanguinis miſſionem è ſalvatellâ dextrâ ad ℥vj. puſtulis nigris huc die per totum erumpentibus, cucurbitulæ ſcarificatæ bis affixæ: diei ſextæ nocte, ſponte ſua, bibit æger vini albi generoſi libras tres: hinc reſtitutâ exſpuitione, ante cohibitâ, univerſi corporis mador ſubſequutus, attenuatis nempe humoribus: itaque febris paulatim remiſit, ægro intra triduum convaleſcente, averſis Medicorum præceptis & medicina ipſâ.

LXXII. Ante declinationem autem, humoriſque coctionem integram concedi non poteſt, niſi aliquod accidens ſuperveniat, ad quod curantis conſilium dirigi debeat, ut ſyncope, viriumque debilitas ſumma: Si enim has non firmaveris vini, cum modo oblati, ope ac beneficio, non concoquetur humor, ſputum non procedet, & omnino morbus in pejus ruet. *Zacutus ibidem.*

LXXIII. Etſi ab immodicâ vigiliâ corpus diſſolvatur, ac vires omnes dejiciantur, ex Hippoc. tamen præcepto 3. de morb. t. 56. ſomnus quam maximè prohibendus, cum ab eo, & præſertim longo, maximè quem invehit acceſſionum principium, internæ viſcerum inflammationes augeantur, quia ſanguis tunc ad interiora repit, ut docet Hipp. 6. Epidum ſect. 5. t. 30. unde dormientes calidiores evadunt, recurrente ad interiora & nativo & extraneo calore: Accedit quod cum animalis vis tunc ſopiatur, nec Pleuritis per ſputum purgari, nec materia reſudans exſiccari poteſt, ſed intus remanens difficultatem anhelitus adauget, viam ſpiritus craſſitie & viſciditate obſtruens, quæ mala per tuſſim tantum declinantur, in vigiliis maximè vigentem: Ait autem Hipp. loco cit. quam maximè, non omnino, relegandum, ob ejus neceſſitatem & vigiliarum nimiarum detrimenta.

LXXIV. Cum anno 1666. Valles Comitatus Neocomenſis peragrarem, valedicturus incolis qui meâ operâ uſi fuerant, patriamque repeturus, accidit ut chariſſima uxor comes N. Ioanna Spanheim, fœtu trimeſtri gravida, altero ab urbe lapide ab equo in planitiem excuſſa, humi latus ſiniſtrum alliſerit, in quo protinus dolor ingens exortus cum tuſſi, difficilique reſpiratione, quibus omnibus paulo poſt acceſſit febris. Pergendum nihilominus fuit in urbem, ubi primo occurſu, noctoque concubiæ, factus obviam fauſtè Chirurgus, a quo emitti ſanguinem jubeo è directo lateris affecti: mane ſequenti, præmiſſo enemate, hauſtum decocti traumatici exhibui, cujus vi paucis poſt horis ſanguinis grumi aliquot, ovi gallinacei magnitudine excreti, ſucceſſitque protinus optatiſſima ſanitas, vel eo nomine quod ad diſceſſum in diem alteram omnia eſſent parata, inde nequaquam procraſtinatum.

LXXV. Quibuſdam corporibus à natura datum eſt, ut Epar fibris quibuſdam coſtis inferioribus copuletur: itaque laborante Epate imago pleuritidis repræſentatur: Aliis materia craſſa quædam & viſcida in membranis pectoris colligitur, roto etiam thorace, unde dolor gravis, dyſpnœa & ficta Pleur. nam nec pungit dolor, nec febris incenditur, ut nec ſi flatus membranis, aut intercoſtalibus muſculis impactus eſt. Aliquando etiam muſculi inflammantur, ſed pulſus hic alius, nempe mollis: dolor gravis eſt, non pungens, & omnia ferè leviora ſunt, Membranæ quoque thoracem diſtinguentes, ſi inflammantur, par negotium vitæ faciunt atque verus lateris dolor. Sæpe etiam inferioribus coſtis inflammatis diaphragma, atque hinc ſtomachus graviter laborat magno periculo. *Hollerius l. 1. de m. intern.*

LXXVI. Magnus affectus poſtulat ut magna copiâ evacuetur ſanguinis; hic enim non tam intereſt qualem detrahas quàm quâ copiâ: Tractavi ægrum qui ea Pleuritide utriuſque lateris acriter laborabat: extraxi una vice illi plus quam quatuor libras ſanguinis, evaſit S. Dei beneficio, hic libitinæ ab omnibus ſacer habebatur: Avicenna aſſerit corpori libras eſſe xxv. ſanguinis & xvij. effundi poſſe uno diecitra perniciem: Galenus vj. libras eduxiſſe videtur, hæc, ſi plethora adſit, feliciter: Propterea vires diximus obſervandas ad copiæ ama-

bitum deprehendendum. *Heurnius lib. 12. Inſtit. Med.*

LXXVII. Eſt alia ſanguinis mittendi cautio animadvertenda, aeris ſcil. conſtitutio & loci, ait Hipp. l. de Aëre &c. Romæ enim & Athenis Pleuritico ſanguis non mittitur tutò, inquit Aſclep. & Gal. quod hæ civitates ſint auſtro obverſæ: Eadem eſt ratio cur & Narbonæ tutò vena non tunditur eidem affectui: vnde fit vt Medici Narbonenſes Pariſienſes inſectentur quod nimis liberè pleuriticis ſanguinem detrahant: In Paro vero & Helleſponto, atque etiam Lutetiæ & Tricaſſibus, tuto pleuriticis vena ſecatur. *I. Duvinetus Apologiæ l. 3. c. 2.*

LXXVIII. Media quædam affectio, ex pleuritide & peripneumonia compoſita, pleuritide tamen periculoſior, ſæpe fit quibus pulmones coſtis male affecti cohærent: Effuſa enim in latus fluxio facile rumpitur in pulmone morboſo imbecillo, & lateri alligato; Hæc à Pleuritide diſcernitur, quod quidem habeat lateris dolorem comitem, ſed minorem quam pro febris ratione; quodque gravis dolor vſque ad medium thoracem extenſus ſentiatur: Dein, quod ſemel, bis terve miſſo ſanguine dolor lateris conquieſcat, perſeveset autem febris, ſpirandi difficultas, ſputorum colore flavorum aut subrorum ejectio. *Eacheir. med. Pract.*

LXXIX. Sanguinem mittere opus non eſt in his quibus frequenter fluxiones à capite delabuntur, ob cruditatum abundantiam, ſtatim primo mali acceſſu, maxime ſi ſputum facile exeat, album ſit vel ſanguinolentum, dolorque levis; nam flatuoſa ſubſtantia adeo pleuræ venas diſtendere ſolet, quod rarefactis poris ſanguis cum dolore exiliat, & per ſputum excernatur, ſimulans pleuritidem: in quo ſi ſanguinem miſeris, non minus lædes quam in debilibus & catarrhoſis qui levem patiuntur febrem: *Mercatus*: In Pleuritide quæ fit à prolapſu catarrhi è capite venæ ſectio nullam vim habet retrahendi rheuma concitatum, nec detrahendi conſiſtens, ideo multum nocet augendo catarrhum per frigoris generationem, eundemque ciendo retentrice debilitata. *Duretus comm. in Coacas.*

LXXX. Pleura non ſolum inflammationi ſubjecta, quam ſequuntur Pleuritis, Empyema & vomica, ſed etiam dolori cuidam quem humor ſalſus producit: Diſtingui hic à pleuritide poteſt, quod Tuſſis quidem hic adſit ſicca, nulla tamen febris, & reſpiratio quoque libera ſit: Tollere eam ſolitus ſum Venæ ſectione & ſudoris provocatione, ſi metus ſit pleuritidis, Externe hoc emplaſtro, ℞. *medull. cruris vaccæ, radic. anatis aa. ℥iij. mucil. alth. ſemin. lini, fœnagr. an. ℥j. thuris maſtich. an. ʒß. ol. nuciſtæ expr. ℥ij. ceræ flavæ q. ſ. m. Barbette Anat. Pract. p. m.* 130.

LXXXI. Notat *Fernelius* pathol. l. 5. c. 10. vbi pulmonum inflammationi, vlceri aut abſceſſui lateris dolor ſuccedit, interior, firmus & permanens, ſignificare affectum pulmonem pleuræ jam adhæreſcere, interventu pituitæ, aut ſaniei cujuſdam lentæ, è læſo pulmone effluentis: Eo in caſu non aliis remediis locus quam iis quæ cohæſionem illam ſolvere valeant, ſanieique aut pituitæ lentorem liquare: fotibus ex aqua tepida, lacte &c. veſicæ incluſis: ξηραίνοντα nocent ſiccantia aucto ſaniei & pituitæ lentore.

LXXXII. Iuvenis ab inflicto in dorſo vulnere, ad pulmones vſque penetrante, febre acuta corripiebatur, cum dolore pungitivo & reſpirationis difficultate, vt pro pleuritico æſtimaretur, poſtridie inflammatis pulmonis membranis, de dolore conquerebatur ad poſticam cicatricem pertingente: Hinc *I. D. Sala* aliud quam pleuritidem ſubeſſe ratus, cicatricem locumque affectum tetigit, adhibitaque in conſilium ratione, pronuntiavit febrem illam ſubortam eſſe ex vomica in pulmonibus ob puris collectionem genita: Nec fefellit augurium, opportunis enim adhibitis remediis omne Pus per ſputum eductum fuit, ægerque convaluit optime. *Bartholinus cent. 3. hiſt. 95.*

PORRIGO.

SYLLOGE.

Anguium decocti vſu curata. 1.
Balneo ex vrina. 2.

I. Porrigine oppreſſus juvenis quidam nullis vnquam auxiliis conſaneſcere potuit: Tandem anguium decocto per xl. dies exhibito, nocturno tempore, tribus horis à cœna, quantitate vnciarum ſex, adjecto ſaccharo omnino convaluit; Nam angues (viperas vocat *Ariſtot. 8. de gen. anim. cap.* 17.) exiccant, abſtergunt, cutem mundificant, humorem ſuperfluum ad externa detrudunt, & pravam humoris qualitatem infrænant. *Zacutus Pr. adm. Obſ. 2. lib. 1.*

II. Quantam efficaciam pro cutaneis curandis morbis Balneum ex vrina afferat, oſtendunt *Galenus*, *Aëtius* &c. nam vehementer abſtergit: Iuvenis melancholicus Porriginem diu paſſus eſt, tenues enim & furfuraceæ ſquammulæ vndique abſcedebant, pluribus vlceribus relictis, virulenta ſanie manantibus: Hic ſolo vrinæ balneo, irritis cæteris, omnimodam conſequutus ſanitatem. *Idem. Obſ.* 3.

PRÆGNANTIVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

Gravidis mederi arduum. 1.
Morborum earum curam ſuſcipiat Medicus. 2.
E talo tuto aliquando Sanguis mittitur. 3.
S. m. periculoſior eſt primis quam vltimis menſibus. 4.
Sanguis innoxie poteſt educi. 5.
Affectus earum ſ. m. potius mitigantur quam purgatione. 6.
Quod præſidium tutius, ſ. m. an purgatio. 7.
An iis magis neceſſaria ſ. m. quam non gravidis. 23.
Purgatio *an conveniat.* 8.
Rhabarbarum *non adeo tutum.* 9.
Caſſia *non exhibenda.* 10.
Clyſteres *noxii.* 12.
Pilulæ *raro præſcribendæ.* 11.
Diuretica *vitanda.* 13.
Acidularum *vſus non tutus.* 20.
Sudorificis *aliquando locus.* 14.
Balneum *an vtile.* 16.
Animi affectus quomodo ſedandi. 23. 2

Diæta

Diæta rectè inſtituenda ſi acutis morbis detineantur. 15.
Butyri vſus iaſcaſus. 19.
Capitis lotio aut vnctio an licita. 27.
Venus an concedenda. 16.
Exercitium an commodum. 17.
Pica *non eodem modo curanda vt in aliis.* 21.
Vomitus S. m. *non impedit.* 29.
Narcoticis poteſt ſiſti. 21.
Caute eſt ſiſtendus. 30.
Crurum pſeudohydrops ſcarificatione curatus. 28.
Fluor ſanguinis *immodicus partus provocatione ſiſtitur.* 24.
Idem fœtu mortuo edacto repreſſus. 25.
Adſtringentia *an eo in caſu tuta.* 22.
Quomodo adſtringendum. 26.

I. IN Gravidis vndique anguſtiæ, & ego ſemper meis diſcipulis dicere ſoleo, Duo ſunt quæ in medicina maxime me habent anxium ſollicitumque, in quibus maximis anguſtiis premor, difficultatibus ſcateo & fere titubo, ſcilicet cum Gravidis & Infantibus medeor; ſemper enim dubia, difficilis, gravis, anxia eſt gravidarum cura, neque ſemper æquale impendet periculum: quare ſemper cum plumbeo pede ambulandum eſſe reor, ac omnia agenda cum præmeditatione. *Epiphanius Ferdinandus Hiſtor.* 13.

II. Licet plerique Medicorum prægnantes recuſent, curatio tamen deſtituenda non eſt: imo tutius aggredienda, cum laudabilior redundante ſanguine fœtus ipſe nutriatur, ac proinde facile vitalis ſervati poſſit: quod in corporibus cacochymis, quibus facile ea curatione abortus ſequitur, ſperare non licet. *I. Raym. Fortis Conſult.* 76. *Cent.* 2.

III. Convenerunt vnanimiter Medici nunquam in Gravidis inferiores venas eſſe ſecandas, ob certum abortus periculum, quum fœtum & vna matrem perire ſit neceſſe: Ego vero cum contrarium omnino verum exiſtimem, aſſero eos qui vrgente neceſſitate in Epilepſia gravidarum (in vltimis menſibus ab vtero orta) ſanguinem non eſſe è talo mittendum ſibi perſuadent, evidenti rationi & doctorum ſuffragio adverſari. Si enim fœmina ſit in octavo vel ſeptimo menſe conſtituta, & acutiſſima epilepſia, truculentiſſima vteri ſtrangulatione corripiatur, quæ vltia ab vtero, tanquam à primæva origine ſcuteant & otiantur, quis ſuperiores venas tondere audebit, quum nullum juvamentum è brachij venis ſectis conſequi poſſimus? Nam ad occaſionem neceſſe eſt devenire & occaſionis initium, vt docet *Galenus* lib. de venæ ſectione, doctus ab *Hippocrat.* lib. 2. Epidem. 5. Quare ſatius eſt fœminas, tot tantiſque malis obſitas, ſciſſis venis tali à mortis faucibus liberare, quam ſpe adempta vna fœtum & matrem perire: Neque in hoc loco celebrata phlebotomia per ſe abortiva eſt, quod enim poterat timeri infantis eſt emiſſio, quæ quum naturalis ſit, partus & non abortus cenſeri debet; quoniam fœmina in mentibus à natura deſtinatis vij. viij. & ix. eſt conſtituta: Et tantum abeſt vt ſequi poſſit abortus, vt potius dempta plenitudine, qua fœtus non indiget, hic vegetior fiat ac robuſtior, maxime ſi fœmina ſit bono corporis habitu prædita, juvenis neque diſſolubilis, ſed denſæ carnis, venarum latarum plurimo ſanguine refertarum. In hoc enim caſu, in vltimis menſibus, vrgente neceſſitate, feriendas eſſe venas inferiores felici experimento docet *Octhons* in Obſervat. proprijs. Inſuper obſervatum pravas quaſdam fœminas, ut celarent uteri geſtationem, plurtea ſanguinis miſſionem citra abortum, imo noxam, ex talo procuraſſe: Et maxime quum ſint multæ quæ ſanguinis fluxum per varias corporis regiones, imo per ipſum vterum, cum vtilitate magna vſque ad partum patiuntur. Septimeſtris fœmina, repetita ſæpius ea talo phlebotomia, feliciter peperit: Epilepſia nonimeſtris correpta, hirudinibus ſedi applicitis curatur. Gravidæ buboonem peſtiferum in inguine habentes, ſecta vena in talo cito curantur. *Zacutus M. P. H. pag.* 59. & 60. An in Gravidis *è talo* aliquando *mittendus ſanguis*? Affirmamus cum *Zacuto de M. P. H. lib.* 3. *quæſt.* 22. ductu rationis & experientia, Si ſcilicet in vteri cavitate ſanguinis copia nimia ſtabuletur & fermentetur, à quo tetra aura in cerebrum excutitur, Epilepſiam aut Suffocationem vteri effectura, aut ſubſtantia ſua convolet in cerebrum, vnde Apoplexia: Poſſe autem inferioribus venis ſectis particularem vteri plenitudinem exhauriri, fatentur omnes, nam vterus venas habet grandiſſimas: Ab hirudinibus, hæmorrhoidalibus venis admotis, idem beneficium præſtari poſſe monet *Avicenna* 4. 1. 21. Quod autem crurum ſcarificatio, ſi vires ſint debiles, plenitudinem minuat, conſtat ex *Galeno* lib. 2. aphoriſm. 17. Tantum abeſt vt ex ſaphenæ ſectione ſequatur periculum abortus, vt potius deonerata natura, & vacuata particulari vteri plenitudine fœtus alacrior fiat, dummodo ſit carnoſa gravida, quadrata, ſucculenta, venis turgentibus prædita, & aſſueta tempore graviditationis fluxum menſtruum pati, aut ſanguinem excernere per os, nares aut aliam regionem, tunc enim neceſſe eſt demere copiam, alias fœtus ſuffocaretur: Neque obſtat quavis ſecta vena totum corpus poſſe exhauriri, ſi ſcilicet plenitudo in toto corpore adſit, quæ omnino citius ac tutius ſuperioribus ſectis venis tollitur, quàm inferioribus: Sin autem, vti dictum, tantum reſtagnet in vtero ſanguinis abundantia, præſtat ad originem fluxionis revellere, & ab vtero vacuare, qui horum malorum ſcaturigo eſt: Præterea non deſint mulierculæ, quæ gravidæ, ſtatim à primis menſibus ad vltimos, ſanguinis excretionem per vterum citra vllum abortus periculum patiuntur, alias ſuffocaretur fœtus in iis, ſi vrgentibus dictis morbis ſanguinem ex talo non emitteres, ſymptomatum ſævitie oppreſſæ occumbetent. *Zacutus* 2. *Prax. Admir.* 139. in gravidis bubone veneteo laborantibus è talo miſit ſanguinem, ſummo cum ſanitatis emolumento, Et Obſervat. 27. Gravidas Epilepſia ab vtero correptas eodem remedij genere feliciter reſtituit. Vide *Schenckium* 1. *Obſervat. Tit. de Epilepſia*, & *Solenandrum*. *Fredericus Hofmannus meth. Med. lib.* 1. *cap.* 13. *Feliciter adminiſtratam venæ ſectionis in malleolo vide bina exempla apud Epiphanium Ferdinandum hiſtor. decima tertia*: *Zacutum Praxis Admir. lib.* 1. *Obſervation.* 23. *Et lib.* 2. *Obſervation.* 151. Scio hanc quæſtionem fundamentum habere in morbis acutis, epilepſia, eryſipelate vteri, doloribus acerbiſſimis, febribus ardentibus, quæ dependent

ab utero : Mulieres, ex *Ariſtotel.* abundant ſanguine circa uterum : Itaque non eſt dubium detrahendum eſſe ſanguinem prægnanti acutó morbo laboranti, etiam fœtus damno & periculo, quia præſtat ſtudere & advigilare matris ſaluti & incolumitati quam fœtus, cum ejus vita à matre pendeat: atque toties mittendus erit ſanguis quoties magnitudo morbi id efflagitabit : Sed quæſtio in eo conſiſtit, Num è pede conveniat venæ ſectio, & ſecura ſit? Nam ſi ex *Hippocrat.* mulier gravida vena ſecta abortit, multo magis è pede vacuato ſanguine, quia ſubducitur pabulum fœtui, ex *Galeno* in commeot. Si quidem hoc remedii genus provocandis menſtruis deſtinatum eſt, ex eodem *Galeno*, atque ad exonerandum uterum, & ab eo revellendum quicquid continetur moleſtum & dolorificum ; Satius eſſet è brachio educere ſanguinem quantum expedit, quam ex pede, quia per circulationem ſanguis totus ab infernis partibus ſuperne recurrit ad cor ; Atque ſupra jecur majore copia continetur ſanguis, quam infra, ratione partium thoracicarum & capitis, quod magnam partem abſurbet : Itaque venæ ſectio brachij æque revellere poteſt ab utero, quia jecur medium corporis conſtituit, ex *Galeno*, & revulſio debet fieri in partem contrariam : Præterea deplet partes thoracicas & cephalicas ocyus & commodius : At ſi prima vel ſecunda venæ ſectio fieret in pede, plenis adhuc vaſculis uterinis, tolerabilis fieret, ſed non adhibetur niſi jam exhauſtis partibus ſuperioribus, ideoque ſanguis qui concluditur circa locos muliebres in hypogaſtricis vaſis, revellitur atque præcipitur fœtui : inde poteſt abortus ſuccedere, ſi defraudetur ſuo pabulo : Deinde venæ pedis ſectio propinquior eſt utero, quam ſectio brachij ad abortum provocandum : Adde quod quantum ſanguinis detrahitur è brachio, ob recurſum ſanguinis ad cor per truncum cavæ, tantundem affluit juxta cor : Deinde, venæ ſectio pedis proxime trahit per venas & arterias ab utero, quod non facit venæ ſectio brachij : Quare præſtat in gravida ſanguinem è brachio detrahere quam è pede, niſi Medicus intendat abortum provocare, ad ſalvandam matrem ab imminenti mortis periculo : Quod ſi gravida in ſummo vitæ diſcrimine eſſet conſtituta, & citra intentionem abortus indigeret venæ pedis ſectione, viribus valentibus, ſatius eſſet à ſexto menſe incluſive detrahere ad nonum, etſi fœtus ſit grandior, quia intra ſubſtantiam uteri fungoſi, & intra placentam jam craſſam & amplam, magna naturæ providentia ſanguis continetur ad nutritionem fœtus per aliquot dies, tanquam in promocondo ; Sed alijs menſibus præcedentibus, cum placenta ſit exigua, nec firmiter adhæreat parietibus uteri, qui nondum craſſitiem ſatis capacem obtinuit, ad ſorbendum & continendum ſanguinem adhuc fluidum circa locos muliebres, in vaſis hypogaſtricis, poteſt per venæ ſectionem è pede inſtar menſtruæ purgationis revocari, ſicque præcipi utero, ac proinde abortus conſequeretur: *Zacutus* obſtinate tuetur ratiunculis, quas refellit *Vop. Plempius*, à meretricibus peritis, & gravidis, per totum geſtationis tempus menſtrualibus: Sed priores ſunt ſanæ, his ſanguis per venas cervicis fluit, guttatim, in plethoricis : Careat ſucceſſibus opto, quiſquis ab eventu facta notanda putat. *Riolanus Anthropogr. lib. 6. in fine &c.* In vaſta illa peſtilentia quæ anno 1600. præſertim Hiſpaniam afflixit, innumeræ gravidæ in primis, medijs aut ultimis menſibus, bubonibus in inguine, genu, tibia, ſeu aliqua inferiore parte ſævis laborarunt : Quæ omnes ob imminens ex veneno periculum, celebrata ſæpius tali ſectione ſummam utilitatem ſentientes levatæ ſunt. Sic enim detracta humoris de lateris copia, & evocatis ad partes ignobiles peſtiferis vaporibus, fœtus alacrior redditus reviviſcit, & ſuo tempore editur in lucem. *Zacutus.*

IV. *Fernelius lib. 2. de Sanguinis miſſione cap. 12.* & alij, Sanguinis miſſionem periculoſiorem eſſe medijs menſibus quam primis adſtruunt, quia fœtus tenellus minori eget alimento, & ſic prioribus menſibus major copia ſanguinis in corpore redundat; quam utiliter natura ut ſuperfluam ſæpe per nates, os, hæmorrhoides, imo per uterum expellit : Sed notandum ſanguinis miſſionem non ſolum eſſe cauſam abortus ſubtractione alimenti fœtui, ſed & agitatione ac commotione, nam ex *Avicenna* 4. 1. cap. 20. *Phlebotomia eſt conturbans donec quieſcat* : fœtus autem in primis menſibus adeo tenellus eſt, ut ex quacunque commotione poſſit periclitari, ideo melius in medijs quàm in primis V.S. tolerabit : Si ergo major noxa ſequatur ex commotione facta à venæ ſectione in primis menſibus quam ex defectu alimenti, ideo tutior venæ ſectio in medijs quam primis : Hinc *Halyabbas* 1. *Pr. cap.* 19. Si Prægnans aliquo tempore ſanguine eget minui, aut cathartico purgari, propter aliquam paſſionem, non oportet hoc tentare in primordijs, donec ſit menſium quatuor. *Zacutus.*

V. Contra *Sanguinis miſſionem* in Gravidis ſtatim opponitur aphoriſm. 31. 5. *Mulier utero gerens ſanguine ex vena miſſo abortit, maximè ſi fœtus ſit grandior.* Ratio redditur à *Galeno*, quia ſanguine detracto fœtui ſubtrahitur alimentum, unde ſequitur abortus : Ex altera verò parte, in pluribus prægnantium morbis, præſertim acutis, ut pleuritide, peripneumonia, febre continuâ &c. Sanguinis miſſionem eſſe neceſſariam, & poſſe adminiſtrari, non ſolum primis, ſed & medijs, imò & interdum poſtremis, uſu quotidiano oſtenditur : Eaque omiſſa tum mater, tum fœtus in ſummum vitæ diſcrimen conjiciuntur : Et huic poſteriori ſententiæ ſeniores Medici ſuffragantur, neque ab *Hippocrat.* & *Galeno* diſcedunt, qui eâ de cauſa gravidam abortire voluerunt, quia educto ſanguine fœtui demùnt alimentum : Si igitur talis ſanguinis miſſio dari poteſt quâ fœtui alimentum non ſubtrahatur, nullum imminebit inde abortus periculum : Talis autem datur primo in prioribus geſtationis menſibus, dum fœtus minor pauco eget alimento, quod ipſi non detrahitur, præſertim præſente plethora ; ſicque à primo menſe ad quintum ſanguinis miſſio tuto exerceri poterit : In medijs verò & poſtremis menſibus, majori circumſpectione opus, quia fœtus major, majorique eget alimento : Si tamen mulier ſanguine abundet, & copioſa admodum non fiat ſanguinis miſſio, tuto poteſt ſanguis mitti, quia hinc ſedabitur morbus, nec tantum alimentum fœtui ſubtrahetur ut abortus ſequi debeat. Si autem aliter ſenſiſſe videtur *Hippocrat.* notandum quod longè aliter venam ſecamus ac antiqui, qui ad libras non ad uncias mittebant : Imò ad præſervandas mulieres ab abortu, nullum præſtan-

tius

tius remedium, ubi iis contingit à nimio ſanguine fœtum obruente & ſuffocante, in fœminis quæ extra graviditatem menſtruis temporibus copioſè eum per plures dies expurgant: Vide exempla apud *Petrum Salium Diverſum lib. de morb. partic. cap. 22. Amatum Curat. 57. lib. 1.* & alios: Non eſt tamen quod hiſce exemplis perſuaſus junior Medicus audacior fiat in ſanguine mittendo ultimis menſibus: ſed morborum & mulierum habitus diligenter oportet circumſpicere, ut illis remedia convenienter aptari valeant: Hoc perpetuò in memoriam revocando peccata omiſſionis leviora eſſe peccatis commiſſionis: Et latius eſſe in re dubia ſubſiſtere quam ultra debitos limites progredi: Attamen ubi manifeſtas ſanguinis mittendi indicationes inveniſ, præmonitis aſtantibus multo maius ex levitia quam ex venæ ſectione, tum abortus, tum vitæ matris, imminere periculum, audacter ſanguinem detrahet: hoc tamen advertendo ut S. M. ſit parcior, non copioſa, quæ alimentum fœtui ſubtrahat: Etſi multitudo ſanguinis largiorem eius detractionem deſideret, partitis vicibus, non ſemel, id exſequendum erit. Prædictus igitur aph. non abſolutam V. S. interdicit, monet tantum ut Medici cautiores ſint in eâ celebrandâ: Videatur elegans *Cornelij Celſi loc. l. 2. c. 10. Lazarus Riverius l. 15. c. 16. Pract.* ex *P. Salio de aff. partic c. 22.* Apud *Zacutum Prax. Adm. Obſervat.* 144. 145. 146. largæ & repetitæ S. M. in gravidis extant exempla.

VI. Affectus qui non gravidas occupant, ut vomitus, inappetentia & ſimiles, in non gravidis magis indigent purgatione quam venæ ſectione, quia fiunt à cacochymia in ventriculo & toto corpore redundante: In prægnantibus vero magis egent ſanguinis miſſione, quia fiunt ex ſanguine retento ab ipſo grauiditatis initio: Et docuit experientia vomitum, qui frequenter prægnantes infeſtat primis menſibus, à purgationibus exacerbari, a S. M. vero plurimùm ſubleuari, imo vero in totum auferri ſi uſque ad ſolutionem ſymptomatis ſingulis menſibus iteretur. *Lazarus Riverius.*

VII. Purgationem tutiorem eſſe venæ ſectione aſſerendum videtur ex *Hippocrat. aphoriſm. 1, ſect. 4.* qui purgationem permittit certo in caſu & tempore: contra de venæ ſectione abſolutè ſcribit 5. aphoriſm. 10. quod abortum excitet: At probatum ſuperius quandoque innoxiam eſſe ſanguinis miſſionem, imò neceſſariam: Præterea purgantia magnam inducunt agitationem, ac plerumque adverſam corpori qualitatem poſſident, menſeſque præterea movent, ac ventris torſiones excitant: cum contra ſanguinis miſſio minore cum humorum perturbatione adminiſtretur; nec aliter noceat quàm fœtum alimento privando, qui tamen metus inanis ſi ſubſit plethora: Conſtatque experientia felicius inſtitui ſanguinis miſſioné quam purgationem, præſente eadem indicantium & permittentium ratione: Adde multos acutos morbos ex ſanguinis copia oriri, quibus maximè debetur venæ ſectio.

VIII. Purgationis vſum in gravidis definivit *Hipp.* aph. 1. ſect. 4. *Utero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget 4. menſe & uſque ad 7. Sed hæ minus: a juniori autem fætu & ſeniori cavere oportet. Galenus in comm.* dicit, Eandem eſſe proportionem fœtus & fructuum arborum: hi ſi quidem in primâ generatione debilioribus pediculis retinentur, ideo facile decidunt, vbi vehementiur ventus ipſos concuſſerit: poſtea vero aucti difficiliorem habent à plantis diſſolutionem, ſicuti tutius cùm perfecti ſunt, ſponte & ſine vi extrinſeca decidunt: Eodem modò mulieres primis & ultimis menſibus abortum patiuntur, quia in illis menſibus fœtus minus firmiter utero alligatus eſt: Attamen noſtro ſæculo purgationes quolibet mente ferè graviditatis adminiſtrari ſolent, in morbis qui ab excrementorum dominatu & cacochymia producuntur, turgente vel concoctâ materia, quoties maius impendet periculum ex parte illius cacochymiæ, quam ex commotione à purgante excitata: Audaciores hac in parte Medicos fecerunt blanda & innoxia medicamenta quibus hodie utimur, ut rhabarbarum, myrobalani, caſſia, manna, ſenna, agaricus & ſimilia: Attamen habenda perpetuo ratio ſententiæ *Hipp.* & tutius mediis menſibus, cautius vero primis & vltimis purgantia danda: *Riverius.* Ingravidatio purgationem impedit ob abortus metum, & licet etiam febres acutæ adſint, & materia turgeat, tamen remedijs pluribus poſſunt emendari, & vacuari peccantes humores citra purgationes fortes: proſtant enim moderno ſæculo ejuſmodi medicamenta quæ humores præparant, & ad vias ductum deducunt, pharmaco vehementi relicto: Et ſciendum eſt in Gravidarum morbis interdum ſummam adeſſe ſanguinis fermentationem, ob fermentum aliquod peregrinum in maſſa ſanguinea excitatum, quam purgantia, quatenus purgant, nullomodo compeſcere poſſunt: quinimo maxime dubium adhuc eſt, an fermentale illud effluvium purgantium ductum ſit ſequuturum: Vide *Zacutum M. P. H. l. 3. hiſt. 14. Fr. Hofmannũ m. m. p. 53. Schenckium Obſ. l. 4. p. 554.*

IX. *Rhabarbarum*, quod *Meſuës*, *Muſa* & alii tuto dari cenſent, minime probamus, nam hoc ipſum, vt plurimis conſtat experimentis, & Arabum etiam teſtimoniis, humores in venis exiſtentes valenter attrahit educitque, quare ſua illa agitatione non levem moleſtiam infert: prærerquam quod ex deſidendi frequentia, quæ huius ſumptionem ſequitur, nonnunquam febris etiam excitatur: *Zecchius Conſultat.* 94. Concedit tamen *Zuenius Pharmacop. cap.* 1. toto geſtationis tempore, & aliis medicamentis admiſtum, & ſolum ſacchato roſaceo involutum, aut per ſe commanſum.

X. *Caſſia* prægnantibus non exhibenda, vt & pleraque diuretica, quia ob vicinitatem vteri cum veſica, quam ad expellendum ſollicitant, multum obeſſe poſſunt, madore præterea ſuperfluo vterum relaxat, cotyledoneſque enervat; ſuſpecta quoque flatuum proventu: *Zacutus* cenſet ita corrigi poſſe aromatum & carminantium additione, vt innoxia evadat, at, experientia teſte, non tutus illius uſus.

XI. *Pilularum* vſus perpetuo debet eſſe ſuſpectus, tum quia corpus magis conturbant, tum etiam ratione aloës, quæ ob inſignem amaritiem fœtui infenſa eſt & ora venarum aperire creditur: Quod ſi aliquando illius vſus neceſſarius videatur, in gravioribus ventriculi affectibus, qui prægnantes non rarò primis geſtationis menſibus infeſtare ſolent, lavetur diligenter cum aqua roſacea, vt ejus acrimonia tollatur; vel admiſceatur adſtringentibus & roborantibus, vt maſtiche & ſimilibus. *Riverius.*

XII. Evacuatio autem quæ fit per *Clyſteres* non omnino tuta eſt, quia comprimendo vterum poteſt abortum excitare; vbi igitur illis opus fuerit, & in mulieribus aſſuetis huic remediorum generi, in minori quantitate componi debent, & ex ijs quæ molliendi & leniendi

Potius quàm validè purgandi facultate prædita ſint.

XIII. *Diuretica*, quia menſes movere quoque apta ſunt, debent eſſe ſuſpecta: & ſi motbi neceſſitas aliquando eorum uſum poſtulet, leviora eligantur.

XIV. *Hidrotica*, ſi ſint mitiora, tutò uſurpati poſſunt, experientia docente gravidis lue Venerea, aut peſte, ſimilibuſve morbis infectis, illorum vſum ſalubtem fuiſſe: præſentibus enim humoribus vitioſis in corpore, modo natura non infirma ſit, plus talia iuvant quàm nocent, medicamentiſque ſociam ſejungit natura contra cauſas motbificas, quibus profligatis vires reſtaurantur.

XV. Prægnantibus acuto morbo detentis adeo tenuis *Diata* non præſcribenda, ne fœtus genio fraudetur: neque tamen ad craſſiorem fieri tranſitus debet, ne febris augmentum capiat: Mediâ igitur incedatur viâ, ac tenuior præſcribatur primis menſibus; craſſior poſtremis, paulóque copioſior ob fœtus indigentiam: Si aliquomodo aberrandum, minor error eſt in pleniori victu quàm exquiſito: à matris enim & fœtus viribus ſalus expectanda eſt.

XVI. *Avicennas* concubitum denegat, quia ab eo abſtinentes ab abortu & ſuperfœtatione fiunt immunes: vires ſervantur, quæ emiſſione ſeminis, elaboratiſſimæ ſubſtantiæ infirmantur; fœtus quoque alimento fraudatur, cum in ſeminis reparationem multa ſanguinis benigni copia abeat: adde à corporis commotione corpus lædi, hiare uterum ſeminis virilis avidum, qui æſtuans dilatatur & conturbatur; Commoda tamen videtur *ὁ*λ*ε*ί*ν*α in ſalacibus, in quibus ſemen retentum gravia pericula accerſit; veneriſque gaudiis privatæ mœrent, omnium tædio afficiuntur, apoſitiâ, vigiliis, unde vires deiiciuntur, fœtus languet & debilis fit: Concubitu ergo fruatur prægnans, non primo menſe, quia fœtus debilibus vinculis annexus facile excuteretur: moderato & ex intervallis, tranſacto menſe ſecundo: frequentiori mediis menſibus: Initio noni rarior ſit, quia ex *Ariſtol.* 7. hiſtor. enim. 4. Fœtus muco obſitus exit ſi tunc temporis gravida coitu vtitur: In fine noni & inſtante partu commodior eſt, inde enim facilior fit.

XVII. Quidam *Exercitium* reprobant, quia calfacit, reſolvit ſpiritus, febrem excitat, ſitim movet, abortum facit præcipitato fœtu: At hæc de nimio exercitio, aut intempeſtivo intelligenda ſunt; aliàs moderatum excrementa diſcutit, ex otio collecta; vires à retentatum ſuperfluitatum copia, oppreſſas levat; ſanguinem & ſpiritus ad membra diffundit, unde totius vigor. Primo tamen menſe omittatur, quia fœtus debilioribus vinculis continetur: 2. rarum concedatur & lentum. 3. expeditius ſit: 5. 6. & 7. frequentis: 7. 8. & ad noni medium de eo detrahatur: An inſtante partu concedeodum ſit, vide *Tit. de Partu.*

XVIII. De Balneo *Avicenna* ſic monet, *Quod ſi ſuperfluitates in iis multiplicentur, oportet ut aſſiduent balneum: namque iis execrabile eſt niſi apud propinquitatem.* Revera reprobum eſt, præterquam 9. menſe exeunte, deiicit enim vires, mollit & laxat vincula fœtum continentia, cruditates parit, menſeſque, quod peſſimum, movet, reſeratione ſanguiniſque fuſione: Encathiſma vero partui vicinæ commodum eſt, quo dilatatur vterus, partes vicinæ emolliuntur, exeuntique fœtui facilem tranſitum concedunt.

XIX. Non ſemel obſervavi *butyri* vſum prægnantibus noxium fuiſſe, ut & matricis ſuffocationibus obnoxiis: quare ab illo abſtinebant conſilio meo. *P. Borellus obſ. 26. Cent. 3.*

XX. *Acidularum* potus denegandus (medicinalis ſcilicet, non extraordinarius, quo vnus & alter hauſtus voluptatis aut ſitis extinguendæ gratia conceditur.) Primo, Quia aperiendo, incidendo, attenuando abſtergendoque menſes movent; vnde fœtui ſubtrahitur alimentum, Secundo, Quia alvus inde laxatur, at alvum cirantia nocent, aph. 34. 5. & 27. 7. hinc fœtus alimento privatur, vincula ſolvuntur, fœtuſque crebro tranſeuntium excrementorum fœtore offenditur. *Sebiſius.*

XXI. Prægnantibus *Pica* laborantibus non eadem præſcribenda quæ conveniunt aliis, neque enim purgationibus, neque aliis quæ vehementer abſtergunt pharmacis utendum, ob abortus periculum: Etenim cum primis menſibus vigeant hæc accidentia, conſequens eſt cautè procedendum eſſe, præſertim cum circa tempus illud purgationem interdicat *Hippocrates*: quarto verò menſe, circa quem tutior eſſet medicamentorum vſus, ſponte ſua ceſſat affectus, utpote per frequentes vomitiones abſumptâ materiâ, vel agente concoquente facultate (cum exiguum cibi propter coniunctum faſtidium eiuſmodi mulieres aſſumant) plurimum alterata, ſimul juvante fœtus attractione copioſiori, qui propter maiorem augmentationem plurimum ſanguinis tunc temporis trahit & abſumit: Non ergo hic affectus aliter quàm victus ratione conveniente, ad materiam peccantem attemperandum inſtituta, levi abſterſione, & facili vomitus provocatione, ſi ſcilicet natura eò inclinat, non neglectis iis quę ad ſtomachi corroborationem interius & exterius inſervire queunt. *Horſtius Prob. 6. Dec. 19. Pica Prægnantium* tam purgationem quàm vomitionem reſpuit, quin quæ corroborant unicè requirit: hoc genus præcipua ſunt aqua vel ſal cinnamomi, & corticum arantiorum vel citriorum cum magiſterio corallorum & perlarum. Si res cupita denegetur, ne quid incommodi accidat fœtui, protinus bibenda detur prægnanti aqua pampinorum vitis albæ ſive bryoniæ. *Hartmannus Prax. Chymiatr. c. 13.*

XXI. *a.* Si *Nauſea Vomituſque* valde vrgeant, Gravidaſque vehementer affligant, ita ut metus ſit ne gravius ipſis ſuperveniat malum, poſſunt uſurpari *Opiata & Narcotica*, utpote quę tum humorum acrimoniam temperant, tum eorundem vitioſam Effervescentiam comprimunt, tum ſenſum omnem obtundunt, ſicque potenter vomitum nimium & moleſtum compeſcunt & ſiſtunt, atque eorum ope ad tranquillitatem convenientem deducuntur, & humores ad tenue inteſtinum confluentes, & ipſe ventriculus roboratur cū tenui inteſtino; quo pacto felicius tum cætera remedia alterantia, tum ipſa poſſunt aſſumi alimēta: Fruſtra ſiquidem uſurpantur hæc omnia quamdiu vehemens urget nauſea & vomitus, qui omnino ſedandus prius quam, vel alimenta, vel blande alterantia retineri queant medicamenta. *Sylvius de le Boē Prax. l. 3. c. 6.*

XXII. Pręgnanti ſi *fluor ſanguinis* ex utero accidat, remedia omnia interna ſint adſtringentia: Externa, circa regionem ventris præſertim, nequaquam; nam ſic occiderentur languentes maximè quando excernunt grumatum ſanguinem: renibus tamen ea poſſunt admoveri. *Epiph. Ferdinandus Hiſtor. 3.*

XXII.

XXIII. *Botallus lib. de vena ſectione cap.* 3. ſtatuit hoc remedium in gravidis multo magis neceſſarium quam in noo gravidis: quia in his tantum timendum ſit à morbis qui à neglectâ venæ ſectione fiunt: at in gravidis, noo tantum ſuccedentes morbi, ſed etiam ſuperveniens abortus, eique ſuccedentia gravia accidentia futura terrere poſſunt: Accedit negari non poſſe gravidam non gravidâ debilliorem eſſe, quare eò celerius cauſa morbifica removeri cupit, quod ſæpiſſimè venæ ſectione fieri ſolet, quatenus ſanguis in venis coërcitus plurimis affectionibus p. n. originem præbere poteſt: Nota pro quæſtionis reſolutione, quod concedamus affirmativam, omnibus circunſtantiis eodem modo, reſpectu ſubjecti laborantis utriuſque, ſeſe habentibus: ubi tamen interim negari non poteſt, propter concurrentem impregnationem, io gravidis multo majorem circumſpectionem requiri: Quemadmodum et *Botallo* minimè negamus quod præced. cap. 2. proponit, ſenes interdum venæ ſectione magis adjuvari quàm juvenes, vel conſiſtentis ætatis homines: quatenus ſcilicet abundantia ſanguinis, aut ſuccorum cum ſanguine permiſtorum, diminutionem indicant promptam & frequentem, quæ juvenibus robore firmiore præditis tam neceſſaria non eſt, quatenus ſua ſponte cauſis morbificis adhuc reſiſtere queunt: At quis negabit periculoſius frequentiſſime ſenibus ſanguinem emitti quàm juvenibus, quum ſenſim ac quotidie vires magis in ijs labefactantur: adeoque facillimè plus ex virium jacturâ damni, quàm ex ſanguinis diminutione commodi poſſit oriri? *Gregorius Horſtius Tom.* 1. *Diſput.* 18. *quæſt.* 19.

XXIII. *a.* Quoties *vehements animi affectu*, terrore, ira vel triſtitia percellitur Gravida, unde metus ne citius properet ad partum, Primo mox vena ſecabitur io brachio, ſi præſertim ſit plethorica, educta parva ſanguinis quantitate, & vires ſi ſinant, alias detur hauſtus vini &c. Secundo, Conturbati agitatique in univerſo corpore ſpiritus ac humores compeſcantur per anodyna & opiata, prudenter exhibita, additis pro affectus diverſitate nunc aromaticis, nunc acidiuſculis: Tertio, Si qui affectus alij, alvi fluxus v.g. vomitus &c. conſequantur, remedia ſingulis debita uſurpentur. *Sylvius l. c.* §. 128.

XXIV. Si Gravidæ, ad partus tempus properanti, *ſanguinis fluor* ſuperveniat, cujus cauſa virium robur collabatur, Sine mora os uteri occludendum, ne aer ambiens majorem ſanguinis quantitatem proliciat, ſpiritoſque in diſſipatorum vicem reparandi, quo partus laboribus ferendis par eſſe poſſit: Hic autem neque interius aſſumptis, neque clyſteribus injectis promovendus; ab illis enim uberior concitaretur, ſed fœtus per vim eductio, manu in uterum intromiſſa requiritur: Operationi favet debilitas colli uterini ligamenta relaxantis, adeo ut non ſecus os hiet ac ſi crebra tormina præceſſiſſent: Niſi aquæ ſponte eruperint, leni manuum vi fœtum membranæ obvolventes diſrumpantur, hic autem pedibus apprehenſus educatur: Non alia quippe ratione hic procedendum ac ſi incendium domum quampiam invaſerit, fores non patentes effringuntur: Hæc ſola ſalutis & fœtæ & fœtui via ſupereſt, cujuſmodi auxilium prætermiſſum plurimis exitio fuit. *Obſtetrix Gallica in Obſ.*

XXV. Vxor N. xxx. annor. initio noni menſis graviditatis, ictum accepit ſatis levem in ventre, ſed die ſequenti valida membrorum contentione exortus eſt exiguus ſanguinis fluxus ab utero, qui per duos aut tres dies perſeveravit, qui per intervalla cohibitus eſt, ſed xij. poſt die tanta copia ſanguinis effluxit, ut intra tres aut quatuor horas vires admodum dejectæ fuerint. facta primo venæ ſectione in brachio, dati julepi adſtringentes, ſed fluxu perſeverante, & ægra nullum foetus motum percipiente, unde eum interiiſſe cenſuimus, uterumque onus inutile excutere conantem ſeſe aſſiduo contrahere, ſanguinemque expellere, neque ſufficienter edere motum illum qui ad partum neceſſarius eſt, judicavimus opus eſſe omni arte partum provocare, ut immodica ſangoinis profuſio cohiberetur, quæ alioquin ægram ad interitum perductura erat: ideo ex cath. & diaphœn. ana. ℥ vj. ol. lilior. ℥ iij. ſalis ʒ j. cum decocto emoll. quo belle purgata, & ſtatim poſt reiectionem ſanguinis fluxus valde imminutus, quod mirum, cum huiuſmodi clyſteres fluxum potius augere videantur, Sed illud contigiſſe exiſtimo quod vterus ab excrementis in inteſtino recto contentis premebatur, & ab illa oppreſſione liberatus ſeſe colligere cœpit & motum illum præpoſterum cohibere, vt ad magis naturalem ſe accingeret, Cum autem clyſtere iecto vterus nihil moliretur, ſed ſanguinis effluxus ſemper continuaret, & de fœtu mortuo conſtaret, ad illius excluſionem data ſalis vitrioli ʒ j. in aq. bugl. ℥ iv, quod duplici nomine conferre videbatur, Primo, Quod vomitum ciendo vterus etiam ad excluſionem irritabatur, quod per vomitum omnes partes imi ventris ſeſe vehementer contrahunt: Secundo, Quod ſal vitrioli maxima adſtringendi vi præditum eſt, qua ſanguinis fluxui cohibendo conferre poteſt, Bis vomuit ſatis vehementer, ac multa bilioſa, pituitoſa ac ſeroſa excrevit, & paulo poſt dolores partoritionis apparere cœperunt, qui cum per 4. aut 5. horas perſeveraſſent, ad partum vlterius juvandum data hæc Potio, ℞. *Dictamni Cret. ariſtoloch. rot. & trochiſc. de myrrha ana.* ℈ ß. *croci & cinnam. ana. gran.* xij. *confect. alkerm.* ʒ ß *aqu. cinnam.* ℥ ß. *aqu. napha & artemiſ. ana.* ℥ jß. Ea ſumpta intra horæ quadrantem validis conatibus, iiſque geminatis ter aut quater, fœtum excluſit, cujus cutis putreſcere incipiens variis in locis lacera videbatur: Paulo poſt etiam ſecundinas ſemiputres excluſit, prodeuntibus deinceps mediocriter lochiis. *Lazarus Riverius Centur.* 3. *Obſervat.* 24.

XXVI. Circa vſum *adſtringentium* eſt gravis difficultas, & ob id curatio valde difficilis, nam ſi ſanguinem retinemus rebus adſtringentibus, tunc in magis ſæva incurrimus ſymptomata, quia ſanguis grumatus retentus gignit ſexcenta graviora pericula, ex 6. aph. 20. quantum enim ſanguis eſt naturæ amicus intra vaſa, tantum poſtea extravaſatus inimicus evadit, & fit tanquam venenum, Quomodo igitur procedendum? Reſp. remedia omnia interna debere eſſe adſtringentia, & externa, præſertim circa ventris regionem & vteri, nequaquam adſtringentia, nam ſic occiderentur langueotes, maxime quando excernunt grumatum ſanguinem: renibus tamen poſſunt adſtringentia admoveri. *Epiphanius Ferdinandus hiſt.* 3.

XXVII. Verum *caput* gravidarum *vn-*

gendam vel lavandum? Negat *Avicenna*, *Et non oportet*, ait, *vt vngantur capita earum & forſaſſe accidet eis coryza, quare accidat tuſſis, & commoveatur fœtus & poſt abortus.* Sed ſi fœmina balneo capitis mihi erat aſſueta, cujus vi ſordes ſiccæ & alia capitis recrementa expurgabant, ſi toto geſtationis tempore ſit illita, lædetur plane & in diſtillationem incurret: capilli enim in globos ſeſe contorquent, & auctis ſordibus cerebrum non recte ventilatur, imo cruditates generat, & craſſos ſuccos qui catarrhum gignere nati ſunt: Vel ergo *Avicennam* de unguentis rubificantibus intellige, quæ cum acria ſint diſtillationes & tuſſes mouent, & fœtus commotionem, hinc abortum, quibus ſæpe ad flauos aureoſve reddendos capillos ipſæ utuntur: Vel de frequenti frigida lotione, quæ ſupradicta damna excitat manifeſte: Aſſuetæ ergo ex longioribus intervallis, & cum multa cuſtodia caput abluant; inſuetæ vero, quoad fieri poteſt non laventur. *Zacutus M.Pr. b. p.* 502.

XXVIII. Vidi quinquies in gravidis octimeſtribus & nonimeſtribus *Crura tumida* & aquoſo humore plena, ac *œdematoſa* ſimul *labia uteri*, à crudo aquoſoque ſanguine pronatâ: Ne pars præ copia mucoſi humoris ſuffocaretur, ſcalpello ſcarificandam coxam profunde prædixi, deſuper emplaſtro ex præſervantibus farinis poſito, quo facto tanta humoris pituitoſi copia vacuata eſt, ut intra unius horæ ſpatium tota detumeſceret pars, & in ſtatum naturalem rediret, & citra abortum, (hunc enim alij ex ſcarificatione certo præſagiebant) ita levatæ ſunt ut fœtum ad ſtatorum uſque tempus ſervarent. *Zacutus.*

XXIX. *Vomitus* corrupti cibi, aliorumve humorum, ſanguinis miſſionem prohibere non poteſt, cum ipſa ſit vomitus remedium. *Iohann. Raymund. Fortis Conſult.* 60, *centur.* 4. (Vide *ſupra* §. 6.)

XXX. Caute agendum in *Vomitu* ſiſtendo, & cum præmeditatione, nonniſi ſcilicet evidentiſſime urgente neceſſitate. *Idem.*

PRVRITVS.

SYLLOGE.

Pertinax fonticulis ſanatus. 1.
Pſorodes ſcarificatione ſanatus. 2.

I. Domin. N. cum per menſes aliquot dolore ſciatico, & Pruritu moleſto, aut potius doloroſo totius fere corporis laboraſſet, & vix innixus baculo amplius incedere poſſet, ſuaſi ut corpus a pravis humoribus (erat enim valde cacochymicus) evacuaretur, viſcera obſtructionibus liberarentur: Ille vero cum à medicamentis alieno eſſet animo, cauteria duo, alterum brachio ſiniſtro, alterum popliti dextro applicui, quorum beneficio dolor ſciaticus, ſimul & Pruritus ille moleſtiſſimus paulatim remiſerunt: Acris autem ſalſuſque ac pravus ille humor, utriuſque affectus cauſa proxima, cum naturæ beneficio ad fonticulum copioſe demandaretur, vellicando nervoſas partes, dolores ad poplitem per menſes aliquot excitavit. *Hildanus Cent.* 4. *Obſ.* 75.

II. Moniali vetulæ pruriginem manuum pſorodem, quæ ſibi jam duos annos rabioſo propemodum unguium ſcalptu dilaniare conſueverat, nullis tum internis tum externis medicamentis lenitam, ſolis crebris inciſuris compeſcui. *Severinus Med. Eff pag.* 76.

PVERPERARVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

Venæ ſectio *quando inſtituenda.* 1.
An ſemper in acuto morbo ex ſuppreſſis Lochijs vena ſecanda. 4.
Puerperæ octies ſanguis miſſus. 5.
Cuidam ſanguinis miſſio è ſuperioribus fuit noxia. 6.
Purgandi *ratio in earum morbis acutis.* 2.
Alterantia *frigida neceſſaria febre ſuperveniente.* 7.
Dolorum *à partu ſedatio per ſecundinæ pulverem exhibitam.* 11.
A flatu excitati quomodo ſedandi. 15.
Exhibitione frigidæ deſinentes. 16.
Ovorum *noxius vſus.* 12.
Vinum denegandum. 13.
Alvus adſtricta quomodo laxanda. 3.
Somnus non illico a partu concedendus. 14.
De Febribus Puerperarum *Vide* lib. 6.
Dolores *à partu debent ſedari.* 8. 9.
Curari nequeunt incognita cauſa. 10.
An primam partum ſolum ſequantur. 9.

I. Magna eſt authorum diſſenſio circa *V. S.* in acutis earum affectibus, vix duo reperiantur qui in eandem ſententiam coëant: Nos eâ quæ ad ſapientiorum mentem magis accedit, & in uſu practico fœlicius ſuccedit, omiſſis ambagibus, ſequentibus theorematis hic proponemus: Morbus acutus puerperam aggreditur vel in principio puerperij, vel in medio, vel in fine: Si contingat *in principio*, & mulier copioſe purgetur, nulla alia tentanda eſt ſanguinis vacuatio quam quæ à natura rectè & convenienter operante dirigitur: Si vero lochiorum vacuatio ſupprimatur aut minuatur, ſecentur venæ inferiores, & copioſe ſanguis mittatur, quia tunc temporis copioſa eſſe debet, & ex præſcripto naturæ lochiorum evacuatio, Si *medio tempore* morbus acutus ſuperveniat, duo conſideranda, Vnum, an materia morbifica in uno loco particulari contineatur & conculcetur, aut ſit per venas diſperſa: Alterum an mulier convenienti expurgetur menſurâ, vel non: Si morbus fiat à materiâ ſparsâ, ut in febribus, & mulier non perfectè purgetur, venæ inferiores aperiendæ ſunt, quia & materia morbifica minuetur, & naturalis fluxus provocabitur: Si vero mulier ſufficienter expurgetur, morbuſque invaleſcat, nec evacuatio naturalis morbo ſatisfaciat, venæ inferiores etiam aperiendæ ſunt, tantumque detrahendum ut ex duabus vacuationibus perficiatur quod morbus exigit, ut docet *Galenus* 9. method. 5. Si febris admodum intenſa, magnumque incendium adfuerit, id fiat quod in morbo à materiâ

in

in loco particulari conculcata & putreſcente agendum eſſe jam dicturi ſumus. In morbo acuto particulari, ut pleuritide, peripneumonia, angina &c. advertendum eſt an fluxio tantum fieri incipiat, ita ut morbus ſit tantum imminens vel incipiens, & peraxigua ſanguinis quantitas in parte collecta ſit: Tunc enim venæ inferiores aperiendæ ſunt, ut revulſione factâ ad oppoſita diſtantiſſima, præpoſterus ille humorum motus inhibeatur: Si verò jam bona ex parte fluxio facta ſit, & inflammatio genita, eaque valde urgeat, ſive mulier expurgetur ſufficienter, ſive non, ſtatim venæ ſuperiores aperiendæ ſunt è directo partis affectæ, quia talis evacuatio à parte affectâ ſanguinem educit: At ſi venæ inferiores aperiantur, quæ nec proximæ ſint parti affectæ, nec ab ea evacuare poſſint, & virtus ab evacuatione labefactabitur, & materia in loco particulari conculcata non minuetur: Atque ita, vel totum ferè ſanguinem educes, ad revellendam materiam morbificam à parte affecta, vel prius mulier à morbo perimetur quam facta fuerit revulſio ſufficiens: Neque metuendum eſt miſſo ſanguine à venis ſuperioribus, ne retrahatur ſanguis ab utero, quia in illis caſibus partes ſuperiores ſanguine abundant: Et quamvis multus extrahatur, non ita inaniuntur ut aliunde novum ſanguinem attrahere cogantur: Ad majorem tamen cautelam non erit inutile antequam ſanguis mittatur, fricationes celebrare in cruribus, & conſequenter ligaturas dolorificas facere in medio ipſorum, quæ detineantur donec miſſus fuerit ſanguis, & paulò poſt ſolvantur: ac ſubinde cucurbitulas iiſdem partibus applicare, vel ſaltem frictiones repetere: hinc habere poterimus materiæ peccantis eductionem & naturalis fluxus conſervationem. Idem faciendum eſt in febribus ardentibus & vehementibus, quia licet materia ſit ſparſa, attamen incendium tantum eſt circa cor & viſcera, ut minoris & longinquæ venæ apertione non ita extingui poſſit, ſicut proximæ & majoris, qualis eſt baſilica. Hæc curandi methodus non ſolum puerperis, ſed & reliquis mulieribus morbo acuto correptis, & menſtruas purgationes patientibus adaptari poteſt. Si *In fine puerperii* morbus acutus inciderit, idem agendum eſt ut in medio, iiſdem conditionibus animadverſis; hoc obſervato, ut quo magis diſtat mulier à principio, eò tutius venæ ſuperiores aperiri valeant: quo autem illa vicinior eſt, etiam medio tempore, id ipſum majori cum præmeditatione exequamur, Et ſi morbus non inſtet, neque urgeat illius acuties, ac naturalis expurgatio copioſa fuerit, prorſus abſtineamus: Si vero purgatio fuerit imminuta, venas inferiores, ad ſupplementum debitæ quantitatis ſecabimus: Si tamen oppoſitum contigerit, ſervetur id quod ut genere morbo acuto agendum eſſe diximus. *Lazarus Riverius lib.* 15. *cap.* 24. ex *Petro Salio Diverſo de affect. part. cap.* 23.

II. *Purgationis* uſus in puerperis morbo acuto correptis ſequentibus concludetur theorematis: Dum Lochia naturaliter profluunt, nunquam *purgatio* adminiſtranda eſt, periculum enim eſt ne ab opere natura divertatur: Si vero puerperia præter naturam ſe habeant, conſiderandum an qualitate peccent, vel quantitate: Si quantitate peccaverint, eaque imminutâ, & mulier vel omnino nihil, vel inſufficienter purgetur; poſtquam omnia remedia promouendis hujuſmodi purgamentis idonea fruſtra uſurpata ſunt, & materia morbifica concocta apparet, tranſactis viij. x. vel a ij. diebus a partu, ſecundum majorem vel minorem morbi urgentiam, ſeculorè pharmaco purgatio inſtitui poterit, à vehementioribus prorſus abſtinendo: Si *Lochia* qualitate peccent, ita ut fluxio albida, vel alterius coloris non naturalis profluxerit, coctâ exiſtente materia, ultimo puerperij tempore tutò purgatio adminiſtrabitur. In genere autem hoc perpetuò obſervandum, quo longius puerpera diſtat à die partus, eo tutius purgans poſſe adminiſtrari, & contra: Nam Experientia docuit mulieres purgamentorum ſuppreſſione laborantes, ſi poſt vij. aut ix. diem alvi fluxu corripiantur, ut plurimum liberari: Si vero primis diebus, videlicet primo, ſecundo, vel quarto diarrhœa acciderit, ut plurimum interire. *L. Riverius.* Enixis convenit *purgatio*, neque nos terrere debet aphoriſm. 1. 21. Quo natura vergit &c. nam præmiſſis & iteratis venæ ſectionibus aliiſque remediis, cum res è voto non ſuccedit (purgamenta) merito ad purgans tranſeundum, nam ſanguis in aliam naturam abiit; Pharmaca autem ſint lenia; quæ quoque habeant vim diureticam, veluti ſi cum conſerva roſarum Perſic. caſſiæ recens extracta ℥ß adjunxerimus: Illud notandum quod quanto diutius a partu elongatur, eò melius agimus Nos enim & in octavo & 11. a partu, purgavimus: ſed ad hodiernam diem ſemel in viij. pluries in x. longè pluries in xij: dummodo tamen fuerit urgentiſſimus caſus in octava, non adeo in decima: Sed hæc generoſi Medici judicio relinquantur: In hiſce igitur caſibus dubijs & anguſtis, quando ab opportunis remedijs fruſtramur, & quando ſunt ritè & rectè omnia tentata & peracta, & morbus adhuc perſiſtit & ingraveſcit, tunc eſt molienda purgatio; nam ſi de quo minus ergo & de quo magis: Si enim *Hippoc. lib.* 1. *de morbis*, & in *aphoriſ.* purgat mulieres in ſuppreſſione menſium; vel diminutione, tanto magis in ſuppreſſione lochiorum: Quinimo idem *Hippocr.* poſuit caſum in terminis, *libro de morbis mulier.* loquens de morbis a partu ſubſequutis, Etſi purgatio non eat, venam ſecabis aut ventrem emollies: Nos experientiam ducem habemus, Duas huc uſque mulieres obſervavimus, quæ ex omnino ſuppreſſis purgamentis, circa ſeptimum & nonum diem diarrhœa correptæ reſtitutæ tamen fuere: Aliam cui ſecunda, tertia & quarta die diarrhœa accedens tandem lethalis fuit. *Epiphanius Ferdinandus Hiſtor.* ix.

Purgationem omnino improbat *Maſſaria* quia menſtrua ſiſtere ſibi perſuaſit, quod non eſt ſemper verum: Ideo tantummodo eam concedunt in fine fluxionis Lochiorum, & cum magnum ex multitudine excrementorum impendet periculum: Alij etiam concedunt ſi purgatio per uterum non ſit ſufficiens, idque ex levioribus tantum & benignis catharticis: Verum ſi morbus à cacochymia pendeat, quæ non poſſit tota Lochiorum purgatione exhauriri, ſæpe leve catharticum propinatum profuit, ut interdum expertus ſum, nec inde ceſſavit fluxus ſanguinis, ut ſibi alij perſuaſerunt, quin potius eum promovet: quæ enim vacuantur per alvum a ſanguine prorſus ſeparata ſunt: Atque etiam natura interdum criſes per

alvum & ſudores molitur, non tantum per vterum, quicquid alij contra ſentiant. *Primiroſius de morb. mul. lib. 4. cap. vlt.* Eandem ſententiam tuetur *Sylvius de le Boë*, qui aſſerit à purgantibus incitati potius menſtruam purgationem quàm ſiſti.

III. A muſculorum abdominis imbecillitate (quorum in excernendis fæcibus mira eſt facultas) *Alvum* puerperæ admodum *adſtrictam* habent, non tantum à continuo decubitu, vt vulgus prodit: A partu enim præcedente abdominis muſculi adhuc ſunt debiles: Vbi fruſtra adhibentur laxantia, à quorum vſu nimio lubricæ nimis fiunt Ventriculi tunicæ, vnde concoctiones vitiantur: Hiſce magis convenit aliquid de terebinthina nebulis involuta, vel aloë, vel rhabarbarum, quæ & alvum ſtimulant, & amicam habent ſtypticitatem. *Hoëferus Herculis Medici libro tertio capite quinto.*

IV. An ſi puerperæ ſuppreſſa lochia, acuto morbo laboranti, ſemper e pede educendus ſanguis, & neceſſario, nunquam è brachio? Conſiderandum an paulo poſt partum ſuppreſſa fuerint lochia, tunc è pede liberaliter detrahendus ſanguis, vt fiat revulſio ad locum convenientem, ſi ſurſum refluxerint, Atque bis vel ter iteranda ab vtroque pede ſanguinis detractio, modo non hæreant in partibus ſupra jecur, vbi dolorem vel inflammatoriam diſpoſitionem excitarunt: Si vero à partu, quinque vel ſex diebus exactis ſupprimantur, celebrata prius venæ ſectione è pede, deinceps è brachio ſanguis detrahendus erit: Nam ſanguis ille lethifer, vel eſt purgamentum ſubſtantiæ uterinæ, tempore geſtationis uſque ad partum tumidæ, tum conſervantis ſanguinem ad nutritionem fœtus: vel ſuperfluus ex reſiduo alimentationis: Vel eſt ſanguis in vaſis uteri proximis, nempe hypogaſtricis venis & arterijs, quem cenſemus non circulari, ſi ſanguis vterinæ ſubſtantiæ non fuerit ſufficienter expurgatus, & inflammatio inde conſequuta cum tumore & diſtentione vteri, certum eſt ſanguinis è pede detractionem neceſſariam eſſe, multoties repetitam, quæ revellet & vacuabit ex parte affecta: Si depreſſo & detumefacto utero ſanguis iſte refluat ſurſum, non debemus eſſe admodum ſolliciti in ipſo revellendo ad locos muliebres, quia in venam cavam refluens, cum maſſa ſanguinis circulatur, ſicque vitium per circulationem emendatur: Nec ſperanda revocatio ad uterum, niſi Natura onere ſublevata, per iſtam uteri viam nondum occluſam & exſiccatam, amandet ſanguinem, non lochiorum, ſed ſuperfluum adhuc propter plethoram ad vires, vel impuritatem maſſæ ſanguineæ, ad uterum tanquam ad emiſſarium in muliere tranſmittat paulo poſt à partu, cum habeat adhuc partes illas dilatatas & laxatas. *Riolanus Anthrop. lib. 6. in fine.*

V. Vxori N. inſurrexit octavo à partu die acerbiſſimus lateris dolor, repetens identidem tot inſultibus ut neceſſe fuerit ter pedis & quinquies brachiorum exſolvere venas, antequam compeſceretur iterum ſanguis à ſuppreſſis menſibus ſurſum raptus: Sed ea fuit virium conſtantia ut præter ſanguinem toties detractum, ſuſtinuerit etiam inſuper ingens alvi profluvium quam integre euicerit hunc morbum. *Nicol. Tulpius cap. 2. lib. 2.*

VI. Vidi olim *Patavij* Præceptorem meum cuidam puerperæ juueni plethoricæ, ob *ſuppreſſa menſtrua*, ex brachio ſanguinis miſſionem præcepiſſe, quam veſperi, cum ejuſdem viſendi gratia acceſſiſſemus, ſuffocatam & extinctam invenimus. *Iohann. Raymund. Fortis lib. de morb. mulier. pag.* 109.

VII. In febre ſuppreſſionem *Lochiorum* ſequuta *alterantia* exhibeantur refrigerantia, quicquid garriant fœminæ, quæ tamen non ſint acida nec adſtringentia: Sic ſerum aſininum, ſuccus endiviæ vel cichor. depuratus, aqu. ſtillat. endiv. cichor. borrag. capill. vener. *Fortis Tract. de morbis mul. p. m.* 106.

VIII. Falluntur Medici quotquot muliercularum quarundam ſententiam ſequuti, arbitrantur idcirco *Utiles Puerperis dolores hoſce*, quod ab hiſce promoveatur Lochiorum effluxus, cujus contrarium ſæpius euenit, ut nimium urgentibus licet Doloribus illis vehementer, non fluant tamen Lochia: Adde quod multis fœminis nulli ſint tales Dolores, fluant nihilominus Lochia, & quidem longe commodius quam ſi urgeant notati Dolores: *Sylvius Prax. lib. 3. cap. 9. §. 2.*

IX. Falluntur quoque mulierculas ſequuti Medici, exiſtimantes poſt primum partum raro, vel nunquam ſequi Dolores, ſed poſt ſecundum tantum: quin eoſdem poſt ſingulos partus reddi graviores; quod itidem falſi arguitur experientia quotidiana, in hiſce ſaltem regionibus, ubi tamen multos tenet hæc opinio, non tantum erronêa, ſed ſimul noxia, & imprimis præcedens; quoniam negligitur idcirco & impeditur à multis Dolorum dictorum, tanquam utilium curatio, quamvis tam ſæpe eorundem neglectus cauſa fuerit necis multis Puerperis. *Idem. §. 4.*

X. Intereſt proinde ut Dolorum dictorum cauſa vera cognoſcatur: Hi cum conſequantur Partum, merito cauſa eorundem frequentiſſima petenda ab ijs quæ Partus tempore parientibus venire ſolent; Duo ſunt autem maxime notabilia; *Fœtus excluſio*, atque *Secundarum* tum *ſeceſſus ab vtero*, tum *exitus ex eodem*, In fœtus excluſione h. e. ipſo Partu, excitari dolores ſatis notum, ſed qui poſt minuuntur ac paulatim evaneſcunt. Dolores autem dicti poſt partum alterius plane ſunt naturæ, incipientes poſt ipſum partum, ac proinde omnino alij. *Secundarum ſeceſſum ab vtero*, ut & *earundem exitum ab vtero* quod attinet, ibi nova nonnunquam urgere ſolet mulieres moleſtia, quia non raro ſatis arcte ac firmiter ſunt ipſa vtero connexa, & ita connata, ut vix ac ne vix quidem patiantur ſe abſque *ſui*, imo ipſius etiam *vteri* laceratione ſeparari: At nemo ignorat quam acuti Dolores ſentiantur in partibus excoriatis & laceris, ac præſertim quoties liquor quivis, ac imprimis acer mordaxque ipſas contingit: Vnde non mirum eſt ſi fœminis poſt arctam ſecundarum cum utero connexionem, violentamque earundem avulſionem, uterique adeo excorationem, ac Lochiorum affluxum effluxumque, Dolores excitentur ibid. graves: Notandum autem Dolores illos affligere maxime fœminas, tum delicatas & ſenſus exquiſiti, tum arctius vtero connexas vtero ſecundas, hinc cum vehementia duntaxat

ſep-

ſeparabiles habentes: Obſervandum præterea, ſi negligatur Dolorum horum curatio, eoſdem vt plurimum reddi partubus ſubſequentibus ſingulis graviores, unde forte ortum duxit erronea memorata de hiſce Doloribus ſententia: Obſervandum denique, Non raro ad pariendum aut feſtinare, aut vrgeri nimium Gravidas, adeo vt antequam ad extremam maturitatem venerit Fœtus, paratuſque ſit ſecundarum ab vtero ſeceſſus facilis, præcipitetur Partus, vnde difficilius tum excluditur Fœtus, tum ſecedunt exceduntque ab vtero ſecundinæ: Cui accedit in hiſce regionibus, quod multæ mulieres gravidæ indulgeant nimium alimentis craſſioris aut glutinoſioris ſubſtantiæ, propter quam ſanguis productus ſimilis arctius ſecundinas vtero nectit, vnde cum glutinoſior exiſtat, non mirum ſi arctius connectatur vterus in gravidis ſecundis: Cauſa itaque primaria Dolorum poſt partum, eſt connexio arctior Secundarum cum vtero, hinc & earundem Laceratio ab vtero, vterique adeo excoriatio; Secunda autem, & priori ſe jungens, Sanguis eſt Lochiorum per laceras excoriataſque vteri partes fluens, ipſaſque mordicans & rodens: Quamvis autem ſanguis omnis, quamdiu humectat excoriatas & laceras vteri partes, ipſas dolore afficiat, augetur tamen non parum idem dolor quando ſanguis idem quacunque de cauſa exiſtit ſolito acrior, aut ob acre ſerum illi admiſtum, ob ſanguinem ipſum moram vbivis nectentem, ac proinde in vteri quoque vaſis ſive cavernis ſinuoſis: Accedere poſſunt aliæ cauſæ, frigus partus tempore admiſſum, lochia ex parte aut in totum ſiſtens, vnde mora acrior factus idem ſanguis, dolorem excitat in vtero, ſive ſuccedat Inflammatio, ſive ſerum effluat ſolum, & quidem paucum & acre, vteri partes internas vehementer mordens ac rodens: Fiunt & Dolores atroces à Flatibus, tum ipſum vterum, tum inteſtina craſſa ibi ſita diſtendentibus: Quemadmodum porro à Doloribus vehementibus in vtero, ob partum difficilem male habente, aut inflammatione ibidem orta non raro excitatur febris, ita propter quamvis febrem dolores producuntur in vtero, ſed prius male affecto, id quod in aliis quibuſvis partibus cernimus evenire.

Dolorum poſt partum cauſas veras, præter alia conjiciet Medicus ea *Doloris modo*, nam ſi *Lancinantes*, ac per intervalla repetentes, graviuſve afficientes fuerint, ab *Acido* & *Salſo* in ſanguine redundante, & ad vterum delato ipſos ortum ducere judicabit: Sin *pulſantes & ardentes*, Sanguinem vtero ſubſiſtere atque ſtagnare, quin ad inflammationem vergere, jamque inflammatum eſſe ſuſpicabitur: Sin *Diſtendentes*, tenſaque obſervabitur pars abdominis inferior, à *Flatibus* dolores illos productos conjectabit: Sic quando fuerunt ante dolores *Lochia*, probabile ſit ab ipſorum ſuppreſſione oriri, ex parte ſaltem, Quando fluunt copioſius, conjectabit lacerata eſſe vaſa vel orificia vteri ſatis grandia, præſertim ſi cum difficultate ſeceſſerint Secundinæ: Si alvus adſtrictior & rugitus in abdomine, ſuſpicio ſit flatuum: Quando alvus laxior exiſtit, ac inprimis quando cum torminibus ægram vexat frequens dejectio, probabile eſt ortum habere ab humoribus acribus, non tantum ad inteſtina, verum ad vterum quoque delatis, vt & ſi pudenda ſimul eroduntur excoriantur que.

Quoties proinde ab vtero lacerato excoriatoque, ob violentam ſecundinarum expulſionem ortum habuerunt dolores poſt partum, toties vſurpanda ſunt medicamenta lenientia, excoriationemque conſolidantia, in quem finem laudantur merito omnia *Vulneraria* dicta, ex quibus, quando vrget ſimul Lochiorum fluxus auctus, ſeligenda ſunt ſubadſtringentia; quibus jungentur vtiliter tum Anodyna tum narcotica, quorum ope præcedentium vis non parum augetur, Dolorque ſedatur. Si *ſanguis* Lochiorum *ſeroſior* eſt, *acriorque*, anodynis, emulſionum præſertim forma vſurpandis, temperetur, addendo ſubinde opium Laudanumve opiatum; ſubſequente ſi vires ferant, blando hydragogo, mox & ſudorifero ex blande adſtringentibus parato, radic. garyophyllat. tormentillæ, &c. *Quoties* idem *ſanguis* per moram redditus eſt *acrior*, toties, quoniam quæ tunc producitur *acrimonia* eſt *acida*, vſurpanda ſunt notatam acrimoniam temperantia, ſed ita vt ſanguinis affluxum non augeant, vnde inter aromatica ſeligenda minime acria, ſed blandiſſima, ſimulque leniter adſtringentia. Si ab *externo frigore* admiſſo *ſuppreſſa* ſunt *Lochia*, hinc *dolores* dicti, vſurpanda medicamenta Lochiorum ſuppreſſionem curantia: Si permanentibus *Lochiis* Dolores tamen illi fuerint producti, tunc convenient Sudorifera, nec multum aromatica, nec multum adſtringentia, ne fluxus vel nimium augeatur, vel ſiſtatur, additis Opiatis, dolorem ſedantibus ſudorificorumque vim augentibus: Si ex ſuppreſſione Lochiorum inchoata fuerit vteri inflammatio, remediis tum internis tum externis curanda. *Sylvius de le Boë Prax. l. 3. c. 9.*

XI. Secundinæ exſiccatæ pulverem bibitum Dolores poſt partum mox compeſcere docebat *Rondeletius*, Et quia animalia bruta eam devorare ſolent, idcirco ab ejuſmodi doloribus immunia eſſe experientia ſe cognoviſſe in canicula ſua, cui cum ſecundinam ſubtraxiſſet, dolores hoſce quoque ſuperveniſſe obſervarat, dicebat. *Platerus Pract. Tomo 2. p. m. 524.*

XII. Errant qui puerperis *Ova ſorbilia* ſummo mane & ante cibum exhibent, Cum enim hæc probet Hippocr. 1. de morb. mul. ſect. 2. verſ. 156. dum purgationes immodicè fluunt, argumentum eſt evidens ea ſiſtendi facultatem habere, ita vt ex eorum vſu naturali curſu fluentes ſupprimi poſſint, quo nocentius nil excogitari poteſt. *Martianus.*

XIII. *Vinum* vetus & meracius puerperis à principio minimè tutum eſt, quia labores partus magna conſequitur humorum in corpore perturbatio, qui à vini potu in caput evehi poſſent: ſuſpectum etiam eſt ob periculum ne læſio aliqua partibus ad vterum ſpectantibus, aut proximis in partu illata ſit, ex qua inflammatio interna oriatur. *Idem.*

XIV. Cautiores mulieres partui præſentes non facile ſtatim à partu *ſomnum* admittunt, ne inter dormiendum inadvertenter ſanguis exterius effluat. *Hœferus lib 7. c. 5.*

XV. Puerpera quædam ſe intempeſtivius ventis committens & aëri, incidit in *intolerabiles dolores*, neque potuit reſtitui: tandem ſupervenit obſtetrix vetula, juſſit ſibi afferri nuces myriſticas tres groſſe contuſas, tum ſupponebat fictilem teſtam cum carbonibus ignitis ægræ mulieri, & ſtatim inſperſo nucum myriſticarum pulvere, juſſit mulierem vt teſtam ſuppoſitam ita aptaret vt inſperſi pulveris ſuffitum, aut nidorem, pudendis exciperet, per emborum, aut infundibulum inverſum, vt canalis ad genitales partes pertingeret: Per ſuperiora

eodem temporis momento eundem ſuffitum recepit, qui vbi penetraſſet, mulier ſtatim exclamat, neceſſario mihi reddenda alvus: qua voce vix edita, auditus eſt ſibilus & ſtrepitus, qualis editur cum pulvis tormentarius alicui pyxidi anguſtæ incluſus, accenditur: qui ſpiritus, ubi eliſus proruperat, in ipſo protinus momento mulier ſanitati reſtituta eſt: Ita experientia monitus in ſimili caſu aliquoties poſtea idem remedii genus admotum, vtile & proficuum inveni ſæpenumero, *Solenander ſect.* 5. *conſ.* 15. §. 29.

XVI. Vxor dilectiſſima, *Iohanna Spanhemia*, cum atrocibus ventris torminibus poſt ſingulos partus premeretur, quæ nulla ars ſedare potuit, quanquam omnia quæ proponi ſolent in experimentum deducta ſint; tandem anno 1675. menſe Majo puellum feliciter enixa vix lecto commiſſa: vehementi poſt partus labores vrgente ſiti, à clinica muliere ptiſanæ officinalis frigidiſſimæ hauſtum extorſit, cum jam tormina in procinctu eſſent, quæ hoc præſidio omnino repreſſa, citra damnum vllum: Idem nuperrime, fauſtoque eventu, experiri licuit in bilioſa muliere, vxore Horologiopæi cujuſdam, cui nomen *D. Morellus*, feliciſſimoque ſucceſſu, lochiis poſtmodum feliciſſime erumpentibus: An eo pacto ſedatus orgaſmus ſanguinis, affatim exitum molientis, & vaſa diſtendentis, inſurgentis, vel acrimonia irritantis? In bilioſis maxime juvare poteſt ejuſmodi potus, temperato ſanguinis fervore:

PVERPERIA.

SYLLOGE.

Secundinæ *ſternutatione excutiuntur.* 1.
An Balneum & Inſeſſus confert. 2.
Frictiones imi ventris validæ nocent. 3.
Vomitus an tuto cieatur. 4.
Caute educenda. 6.
Suppuratio an promovenda & expectanda. 7. 17. a
Satius eas educere manibus, quam medicamentis expellere. 8.
Ab aromatum ſuffitu earum excluſio non expectanda. 9.
Expulſa ope adſtringentium abdomini admotorum. 10.
Si retinentur cum immodico Lochiorum fluxu quid agendum. 11.
Etſi placentæ portio reſtitet, non ſemper adeſt vitæ periculum. 14.
Decocti exhibiti ope excluſa portio. 16.
Secundina ope Iuſculi ex chærefolio educta. 15.
Vmbilicus quando ſecandus. 5.
Lochiis *immodice fluentibus ſomnus arcendus.* 12.
Periculoſum ea movere exhibitis cantharidibus. 13.
Iis retentis qua vena ſecanda. 17.
Suppreſſa *varie movenda pro diverſitate cauſarum.* 18.
Eruptio *largior quomodo ſiſtenda.* 19.
Suppreſſio provocata ſectione venæ in malleolo. 20.
Non eadem quantitas vacuationis in omnibus eſt expectanda. 21.
Si in partu copioſe effluant, diuturnus fluor non ſollicitandus. 22.
Suppreſſorum ab admiſſo in partu frigore revocatio. 23.

I. INter externa remedia *Secundinam pellentia*, primas defert *Hippocr. Sternutatoriis* l. 2. Epid. ſect. 2. & aphor. 5. 49. cauſam reddit *Galenus* aphor. 5. 35. quod vehementiore quaſſu & jactatione partium naturam excitent, partim quæ corporis partibus tenaciter impacta ſunt excutiant: Nempe commoto cerebro ſimul concutiuntur omnia viſcera, arctanturque abdominis muſculi, qui inſignem operam conferunt tum pellendo fœtui, tum ſecundinis exturbandis: Cautione tamen hic opus, præcedant medicamenta per os ſumenda, ſuaſu *Hournii* l. 1. meth. Præterea abſtinendum ab illis, monente Aetio, ſi vires debiles. *Th. Bartholinus cent.* 5. *Obſ.* 39. Vxor mea, à vi externa, embryonem ſex ſeptimanarum, pollicis longitudine, omnibus membris abſolutum, vt & agnoſcerentur genitalia, & radices capillorum excluſit, ſuperſtite ſecundina: Os vteri occluſum obſtetricis manum non admittebat: inter alia remedia pulverem in nares flor. lil. convallium inſufflavi; ſternutatione imminente ſtatim nares apprehendi eique occluſi, ſpirituque vi erumpente ſecundinæ ad diſtans elitæ, ſicque vxor ab imminente, vitæ diſcrimine vindicata.

II. De *Balneo & Inſeſſu* dubitatur? Suadent *Aëtius*, *Gordonius*, *Aquapendens*. Difficultatem tamen video: facile enim vires dejiciunt, & calore ſuo vaſa dilatant, augentque fluxum ſanguinis, in plethoricis præſertim: Si tamen ob ſiccitatem os vteri clauſum ſit, diligenterque puerpera cuſtodiatur, damnari prorſus non poſſunt: *Bartholinus ibidem.*

III. Peccant qui *frictionibus*, manu rudi validis ſecundas conantur deducere: Tantum proficiunt vt excoriatâ cute dolores augeant & tormenta, vnde poſtea vigiliæ, febres, aliaque mala ſequuntur. Manus ſola ſuper ventrem validè appoſita ſufficiat, præſertim cum circa pectinem dolores ſentſerit fœmina, conſilio Rod. à Caſtro, & lenta manu à lateribus ad ventrem reducendæ, monente Borgeſia c. 14. Obſt. Gall. quaſi tremula frictione. *Idem.*

IV. *Vomitum* procurat N. *Myrepſus* ex ſapâ, ovo crudo & aquâ calidâ: commendat Iſaac l. 6. viat. c. 17. Inſerto digito vomitum ciet Borgeſia, Obſtetr. c. 14. mihi vomitus ſuſpectus videtur, quia niſum puerperæ impedit, vterumque cum ventriculo ſurſum revellit: Niſi cum Gordonio p. 7. cap. 17. exiſtimamus ſuſcitari virtutem expulſivam partium inferiorum, quæ ſuſcitata expellit nociva: Addo commoveri ſecundas, & facilius deinde vtero excuti. *Idem.*

V. Dubium vtrum ad reſectionem vmbilici multum tempus ſit differendum, Ex vnâ enim parte violentæ ſecundinarum retentionis metus imminet à *ſectione vmbilici* intempeſtivâ: Ex aliâ, ſi diutius differatur, fœtus periclitabitur, aut morboſus evadet. Dic, Si tentatis remediis 24. horarum ſpatio nihil proficiat ægra, nec levetur, umbilicus ſecari debet, & partem alteram abſciſſam femori parturientis vehementer alligare oportet, ne ad vteri cavitatem poſſit reverti: Non nego aliquando anticipatam vmbilici reſectionem eſſe neceſſariam, vbi videlicet vaſa umbilicalia mucore vel pituita viſcida ſunt referta, quia fœtum morboſum indicant. *Zacutus Pr. hiſtor. l.* 3. *c.* 19. *Rodericus à Caſtro*

lib. 4.

lib. 4. c. 7. vltra ſex horas non differt ſectionem vmbilici: Nos huc nulla compellit neceſſitas, quia manus obſtetricis trahentis id pondus ſpondet quod adhærens fœtus qui ſine ratione trahit. Reſecto vmbilico & commodius obſtetrix venatur ſecundas, & tutius ipſe fœtus procuratur, & ab externis injuriis defenditur. *Bartholinus ibid.*

VI. In omni *Extractione* ne error committatur votoque excidamus, neceſſariæ cautiones notandæ: 1. cavendum ne in directum trahatur, ne vterus ſimul educatur, ſed oblique hac illac vertenda ſecundina, ſenſimque validius attrahenda: Blanda quoque manu, non vi aut ſubitò agendum, ob metum inflammationis, ne ſimul anima & ſecunda educatur: Terreat nos puerpera, de qua *Foreſtus* l. 28. Obſ. 80. quæ, cum obſtetrix nimis audax ſubitò ad ſe ſecundinam attraheret, illico in deliquium animi cadens ſtatim exſpiravit. Caveantur veſicæ orificium, vterique membranæ, ne vnguibus lædantur. *Bartholinus ibidem.*

VII. Aliquando auxilio eſſe ſolet natura, quæ relictam ſecundinam vel ſtatim integram, vel putredine abſumptam poſtea expellit: Tertia die mulieri Lariſſæ, eadem noctis horâ, quâ puer, ex vtero excidit. 5. Epid. hiſt. 13. Quædam, narrante *Riverio* cent. 2. Obſ. 3. poſt duos menſes cum dimidio ſecundinam exſiccatam per fruſtula rejecit. Hipp. eſt ſententia 1. de morb. mul. plerumque ſecundinas putreſcere, 6. tamen aut 7. die, aut etiam poſterius exire: Fiduciam augent *Aëtius* tetr. 4. l. 4. c. 24. *Aegineta* l. 6. c. 75. Si ſecundina educi nequeat, perturbari nos non debere, intra paucos enim dies putrefactam & in ſaniem diſſolutam excidere. *Zecchii* idem eſt conſilium conſult. 68. Sed aliàs fallax ea ſpes, & anceps remedium ſi ſtatim à partu non ſequatur naturæ negotium committere: mora periculoſa, nec omnium robur perennaturum nobis polliceri poſſumus, aut ſucceſſus optati certitudinem: A putredine ſecundarum relictarum dira ſymptomata oriuntur, quæ ſuffumigiis demulcenda, & ſuppurantibus ad maturitatem provocanda: Caute id faciendum monent *Mercatus* l. 4. c. 4. *Rondeletius* c. 65. ſubindeque per intervalla injicienda quæ detergunt: *L. a Fonte* conſult. 118. quotidianam experientiam affert, puerperis graviſſima ſymptomata inferre ſecundinarum retentionem, vt illarum plurima pars 4. die intereat: Periculoſum igitur ſuppurationem expectare, quum de natura dubium ſit, & incerta ſymptomata. Ex relicto ſecundinæ fruſtulo malè auguramur, quid de tota fiet, quam non ita facilè natura ſine ſui detrimento ſuperat? Sæpe nulla ſuppuratio ſequitur, ſed ex retentis mors: *Idem ibid.*

VIII. Si de ordine remediorum ſit quæſtio, magno authorum conſenſu *Manuale ſe* primo *opus* commendat, mox *Medicamenta*, denique *Suppuratio*: *Fabr. Hildanus* duplici nomine medicamentis manualem operam præfert, 1. quia ea in actum deduci debent naturæ beneficio, quæ præcedentibus doloribus proſtrata, antequam novum robur cum tempore acquirat oſtium veteri clauditur, putreſcitque ſecundina, & putredine ſuâ adjacentes partes inficit, corrumpit, vireſque magis magiſque proſternit: 2. quia medicamenta expellentia pleraque ſunt calida vel calidiſſima, partes internas ſupra modum excalefaciunt, vnde febris, inquietudines, vigiliæ aliaque ſymptomata, atque ut plurimum mors ipſa ſequuntur. Vrgendumque opus, (extractio) ſi vel æſtas fuerit, vel ob graſſantes malignas ſuppreſſa eſt putredo: Proptereà protinus eximendas procuramus, æſtate præſertim, vnde facile mulieres exanimari videntur vbi putridi vapores cordi vitalia, ſtomachum cerebrumque ſubeunt, *Idem.*

IX. Non deſunt qui *ſuffitu aromatum* eas excludere tentent, cum muliebria ducant, ex aphor. 5. 28. Sed *Galen.* in comm. muliebrium nomine ſolum purgationem menſtruam intelligit, quæ cum ob craſſitiem expelli nequeat, ſuffituum ope tenuata facilius per vterum decurrit. Vna autem ex cauſis violentæ ſecundinarum retentionis ſunt odores boni: qui licet per inferiora tantum admittantur, ac nares apprehendantur, ne ab organo olfactus percipiantur, cum tamen impoſſibile ſit vt parturiens tanto tempore reſpirationem cohibere poſſit, neceſſario ſuffitus debent perſentiri. *Zacutus Prax. hiſtor. lib. 3. cap. 19.*

X. D. *Animeas* pro ſecreto reliquit Emplaſtrum ventri apponendum, ex albo ovi & rubrica: quod quia valde adſtringit, merito in dubium vocari poteſt, vtrum non potius Secundinas intus cohibeat? Sed quia muſculos ventris conſtringit, qui ante ob parturiendi conatum, & extenſum vterum relaxati, & in opere ſuo debilitati ſunt, ideo credibile eſt tale emplaſtrum juvare: muſculi enim ii conſtricti, & in ſe redeuntes, vterum quoque ſuperius deprimendo, ad expellendas ſecundas aptiores reddunt: ſicut & ad alvi fœces excernendas illorum muſculorum actio non parum eſt neceſſaria. *Hafenr. lib. 7. c. 5.*

XI. Cum *ſecundinas* pellentia medicamenta lochiorum fluxum quoque augeant, hic ancipites ſunt Medici: quare ex conſilio *Rondeletii* cap. 65. detur ℨj. carabæ, nam vrinas movet, ſecundinas dejicit, & ſanguinem fluentem retinet, confirmat *Platerus Pract. t. 2. p. 449.*

XII. De *ſomno* notandum, dum *Lochia copiosè effluunt*, eum eſſe penitus arcendum: multæ enim eo de medio tolluntur, quia calor ad interiora retractus, majorem fluxum efficit: Et ſi aliquando is concedendus ſit, aliquis ex miniſtris ſemper adeſſe debet qui ægrotantis pulſum & reſpirationem obſervet. *Riverius cap. 21. lib. 15.*

XIII. *Cantharidum* vſus aliquibus magnis encomiis celebratus, ſive per os, ſeu ſuffumigii inſtar, noxius eſt ac inutilis, nam partes exulcerant & corrodunt, vehementes dolores & cruciatus excitant. *Zacutus Prax. hiſtor. lib. 3. c. 19.*

XIV. Si tota *placenta* non fuerit avulſa, id nequaquam lethale, & locus vbi vi detracta fuit tumidus aliquandiu apparet, aſper & inæqualis, donec totus vterus reſiccatus fuerit & reductus ad naturalem figuram: quæ omnia diligenter animadvertenda, præſertim in puerperis ægrotantibus: *Riolanus Enchir. l. 2. c. 36.*

XV. Dn. Ioh. Th. *Schenckius* aliquando in lectionibus botanicis retulit cuidam Comitiſſæ *ſecundinam* poſt partum per tres ſeptimanas, ſine vllo tamen notabili incommodo reſtitiſſe: Ex ſuaſu autem vetulæ juſculum ex chærefolio Rum. ſumpſiſſe, ac ſubito onere fuiſſe levatam: Et ſane vix herbam novi cujus in partu difficili, & reſtitante ſecunda, majores vires fuiſſe cognoverim quam chærefol. & majori ſempervivo: at ſcio neminem qui experientiam horum rite facit falſum iri *Al. Hermannus Camm. miſc. cur. anni 72. Obſ. 117.*

XVI. In parte *Placentæ* poſt abortum in vtero reſtitante, atque continuum ſanguinis effluxum per

aliquot menſes comitem habente, feliciter amovenda, & ægra reſtituenda, conveniens ſequens obſervavi apozema, bis terve in die ℥iij aſſumendo *♃. rad. biſtort. ʒij. fol. major. puleg. au. man. j. coq. ex aq. & vino albo ana. q. ſ. in colat. ℥xxx. diſſolve ſyr. de artem. ℥iij. aq. cinnam. ℥j. m.* Hujus ope excretum eſt placentæ fruſtum pugnum æquans, & ſimul ſuppreſſus curatuſque ſanguinis fluxus ulterior. *Fr. Sylvius.*

XVII. A Partu ſpatioſitas uteri & craſſities ſenſim minauntur, per effuſionem Lochiorum, quæ nihil aliud ſunt quam expreſſus ſanguis intra parietes fungoſos vteri concluſus: Quod ſi non minuatur iſtæc amplitudo, nec ſanguis evacuetur, putreſcens inflammationem concipiet; remanebit tenſus & durus vterus, ac ſi contineret adhuc fœtum, tandem gangræna lethalis ſuboritur: Hæc amplitudo & durities An v. ſ. è brachio curanda, An è pede? *Fernelius* audacter è brachio detrahit ſanguinem, *Pereda* conſiderandum monet non unde fluit ſanguis, ſed in quam partem influxit, & proximam venam ſecare jubet: Vtilius & ſecurius eſt è pede mittere ſanguinem liberaliter pro ratione virium, non neglectis clyſteribus refrigerantibus, cæteriſque vterum ad excretionem irritantibus: *Riolanus Enchir. l. 2. c. 36.*

XVII. *a* Magna cautio in Suppurantium vſu adhibenda eſt, nam putreſcens *Secundina* graviſſima inducit ſymptomata, febres eaſque malignas, quibus mors ſuccedit, ſatiuſque eſt omni arte excretionem promovere quam expectare ſuppurationem; Ideo enim ſubſiſtens ſecundina periculoſa eſt, quia putreſcit & ſuppurat: Refert *Salius* ſe vidiſſe ſecundinam putrefactam excidiſſe, nec tamen ægram melius habuiſſe, quod ſignum eſt putredinem accreviſſe, quæ excreta ſecundina non ceſſarit: Quod ſi nullum grave ſymptoma vrgeat, mulierque ſit debilis, expectari etiam nobis invitis debet ſuppuratio, nunquam autem adjuvari, ne increſcat putredo, *Primiroſius de morb. mulier. l. 4. c. 9.*

XVIII. Curabitur vel nullus, vel ſuppreſſus, ab externo frigore quovis productus *Lochiorum fluxus*, exhibendo quantocyus medicamenta pituitam vel ſanguinem in vteri orificii coagulatum ſolventia, qualia ſunt Aromatica omnia & ſale volatili prædita, & imprimis vterina dicta, quæ longa & multiplici experientia comperta ſunt prodeſſe; quæ ſi ſudorifera ſimul fuerint, plus efficient, atque citius feliciuſque affectum illum difficilem ac periculoſum tollent: Quamprimum autem excitata propter deficientem Lochiorum fluxum febris, quæ continua ſolet eſſe, ac ſæpe ſatis ardens, cavendum ſedulo ne illis Aromaticis augeatur febrilis æſtus, quapropter illis Potionibus addenda ſunt Acida, acetum ſtillatitium, ſpiritus ſalis, vitrioli: Hoc namque temperamento ſervato, vtrique ſatisfit Indicationi, cum æſtui febrili conducant Acida, vti eadem, æque atque Aromatica, pituitæ coagulatæ ſolvendæ; imprimis quando adduntur Oculi cancri, Antimonium diaphoreticum & ſimilia, quæ tum coagulatum quoque ſanguinem poſſunt diſſolvere: *Sylvius l. c. §. 20.*

XIX. *Lochiorum eruptio juſto largior*, ob læſam vteri ſuperficiem à violenta Secundinarum avulſione, curabitur excorationem ſanantibus & ſanguinis effluxum cohibentibus. E. g. *♃. Aqu. plantag. ℔ß. Antepilept. Amſtelodam. Aceti ſtillat. ana. ℥ß. lapid. hæmat. ℈ß. corall. rub. ℈j. laudani Opiat. gr. ij. ſyrup. myrtin. ℥j. m. Detur ſubinde cochleare vnum*, Cujus ope & fluxus ſiſtetur & ſanabitur excoriatio: Nec tantum externa hic conveniunt, verum externa quoque, Vnguenta &c. vim leniendi propter dolores ab excoriatione obortos, & conſolidandi habentia, abdominis parti inferiori, aliquando lumbari quoque regioni illita: Quibus medicamentis, tam internis quam externis, vtiliter admiſcentur *Opiata*, quippe quæ eorundem vim non parum augent, vnde facilius citiuſque conſolidantur tunc partes vteri vlceratæ, ſiſtiturque felicius fluxus. *Idem §. 52. &c.*

XX. Mulier gravida octimeſtris correpta eſt febre continua: 3. die febris abortum paſſa *eſt*, & à partu *lochia* omnino *ſuppreſſa*, maculæ purpureæ in toto corpore apparebant, febris intenſa: Præſcribo ſectionem venæ malleoli, julepos aperientes frigidos, frictiones inferiorum, fotus & linimentum relaxans pubi & perinæo; fruſtra, nam ſub finem ſecundi ab abortu diei, febris exacerbata cum delirio, cum vitæ diſcrimine ex facie immutata apparente, Tunc venam brachii aperiri jubeo, ſanguis exit corruptus ad ℥x; iteratur *l. m.* poſt horas quatuor, dantur julepi valde refrigerantes, ex decocto lactucæ, portulacæ, acetoſæ, cum ſale prunellæ; Clyſter pariter refrigerans & emolliens; ſequenti die febris fuit valde exigua, lochia fluere incipiunt, paucis poſt diebus citra alia remedia convaluit. *Riverius cent. 1. Obſ. 80.*

XXI. Lochia aliis fluunt vberius, aliis parcius, ſecundum naturam, vnde videas illa quibuſdam fluere per dies duos, tres, quatuor, aliis per dies octo, decem aut plures, & quidem aliquando copia ſatis notabili: aliquando parva, ſive fluxus ille copioſior vel parcior diutius perſeveret, ſive citius ceſſet; quod ſedulo Medicis eſt obſervandum, ne mox turbentur quando plus vel minus Lochiorum prodit, aut ſine neceſſitate ipſa conentur ſiſtere vel promovere. Solent autem ut plurimum fœminæ, quibus copioſe fluunt menſtrua, copioſum quoque pati Lochiorum fluxum, & contra parcum quibus menſtrua fluunt pauca: Quocirca quoties ad Puerperas, & in primo præſertim earum puerperio vocantur Medici, ac de Lochiorum fluxu occurrit ſollicitudo, toties inquirendum eſt in menſtrui fluxus modum & quantitatem, quo conjicere liceat an Lochiorum fluxus cenſendus naturalis, vel ab ipſo plus minus deflectens: Sed vt illud magis pateat, inquirendum eſt Medico an moleſtiam aliquam patiatur Puerpera; quæ ſi nulla ſit, non eſt quod temere conetur mutare qualemcumque Lochiorum fluxum: ſin aliqua occurrat, diſpiciendum eſt an copioſiori parciorive Lochiorum fluxu adſcribenda poſſit debeatque: fruſtra enim fatigabitur Puerpera in mutando Lochiorum effluxu qualicunque, à quo nil patitur detrimenti: E duobus proinde ſignis memoratis conjectabit prudens Medicus an Lochiorum fluxus qualiſcunque ſit ſecundum vel contra naturam. *Fr. Sylvius Praxeos lib. iij. cap. 10.*

XXII. Non dicendus autem *Lochiorum fluxus ſuppreſſus*, vel nullus, quando durante Partu copioſus effluxit ſanguis, ac ideo poſt partum pauciſſimus, vel nullus, quoniam qui ſecundum naturam effluere debuerat poſt partum tantum, præter naturam effluxit durante partu ſanguis: Hinc ſi nullus partum ſequi obſervetur Lochiorum fluxus, niſi aliquid detrimenti patiatur puerpera, nullo remedio ipſorum tentanda expulſio, quin ſolis roborantibus

rantibus vires puerperæ augendæ. *Idem ibidem* §. 14. & 32.

XXIII. Quod ſi præter illum ſanguinis durante partu effluxum, *frigus in muliebria admiſerit* parturiens, atque metus ſit ne inde aliquid mali pariatur, danda eſt opera ut in tempore ipſi exhibeatur *Sudoriferum aromaticum*, cujus ope propellatur foras frigus illud noxium, præveniaturque malum gravius: illud idem magis urget dolor & tumor in hypogaſtrio, uterum male affectum arguens: quo in caſu, præter Sudoriferum, bonum erit linimento inungere abdominis partem infimam, & alvo exiſtente adſtricta, enema injicere carminans & emolliens: In hoc caſu nulla deſideratur *Sanguinis miſſio*, niſi concurrat, vel febris ſucceſſerit ſatis ardens, quæ auxilijs reliquis non cedat, ſed æſtu gravi moleſta ſit. *Idem* §. 33. 34. 35.

PULMONIS VOMICA,

ARTERIARUM LÆVIUM OBSTRUCTIO.

SYLLOGE.

Pulmonum levium arteriarum obſtructio vix curatur. 1.

Tuberculi crudi *curatio æque difficilis.* 1.

Tuberculi, ſive vomicæ diſruptæ, methodus therapeutica. 1. 2.

Fauſtæ curationis exemplum. 3. 4.

Fontanellæ in latere efficacia. 2.

I. CUrare *levium pulmonis arteriarum obſtructionem* neque ita facile, neque tutum ſemper eſt: Scito imprimis quod ſi affectio communis efficiatur aſperis arteriis, præter prædicta pericula etiam difficilem reſpirationem ſuccedere neceſſum eſt; quod non minoris momenti exiſtit: At *Tuberculi*, & crudi *Phymatis* curatio pene eſt impoſſibilis, nam reſolvere validis medicamentis non admittit partis præſtantia: levibus id tentare nullius eſt momenti: Item ſi ſuppurare ſtudueris, præter id quod ulcus relictum incurabile efficitur ob perpetuum pulmonis motum, dum rumpitur, pus in pulmones abiens, ſubitam & inopinatam accerſit mortem: quæ omnia & noſſe, & prædicere, & quantum poſſibile fuerit præcavere curaturo ſummopere incumbit: Verum obſtructio quæ à prædictis tumoribus prodit, præſertim ſi crudi ſint, non omnino ob prædictum timorem auxiliis deſtituenda eſt: ſed à principio corpus per intervalla (ſanguine bis in anno miſſo, cum diuturna ſit affectio) purgare phlegmagogis medicamentis oportet, quo divertatur fluxurus ad partem humor, & tandem fluxus, in tuberculoque contentus, per attenuantia & reſiccantia diſcutiendus eſt: Hujus naturæ ſunt medicamenta quæ aromatis naturam ſortiuntur, thoracalibus pharmacis admixta, ut *coſtus, zedoaria, cinnamomum, galanga, cardamomum, macis, cubeba & aniſum: diagalanga item, ireos, diamoſchum amarum, diacalament. & reliqua id genus, velut quæ è ſulphure vivo conficiuntur*: Sic ex uſu eſt *aqua arte chymica extracta ex theriaca*, mithridatio, ungula caballina & prædictis pulveribus & aqua mulſa, ubi prius ſimul omnia ferbuerint leviter, quibus admiſcere oportet *vivum ſulphur*: Verum quia hæc non ſemper ſufficere poſſunt, ad ſudationes ex *ſarparella, ſaſſafras &c.* deveniendum eſt, imo ad ſuffumigia ex prædictis aromatis: Hoc habet hujus affectionis curatio peculiare, quod paulo vehementiora prærequirat medicamenta ob ſitus reconditam ſedem: Verum ſi ſubita fiat humorum liquatio, ſatius duxi diutius uti paulo levioribus, quam in repentinam ſuffocationem laborantem ducere &c. *Mercatus.*

II. Si poſt *Vomicam diſruptam* (unde ut plurimum interit homo, etſi novi plures qui ex Pulmonis vomica inſenſim orta, maturata, & demum rupta, pus copioſum & fœtidum exſpuiſſe, cumque tale ſputum per plures hebdomadas, imo menſes quotidie excernentes, tandem medicamentorum ope; cum ulcus detergeretur & ſiccaretur, velut tabidos integre convaluiſſe) & puris ſputum cum euphoria & virium conſtantia inceptum, methodo cuidam therapeuticæ locus dabitur: Indicatio Curatoria erit Abſceſſus materiam celeriter expuendam, ejuſque latera detergenda, &, quantum fieri poſſit, conſolidanda: Præſervatoria, novæ materiæ ad nidum iſtum, aliave pulmonis loca vicina (unde phthiſis gigneretur) confluxum præcavere, Et vitalis, ſpirituum languores ſanare atque vires collapſas, & nutritionem fruſtratam inſtaurare, Propter *Indicationem primam*, remedia expectorantia vulgo dicta, ex ijs quæ calidiora & aſperiora, plus detergent & exſiccant, atque imprimis (ſiquidem febris hic ut plurimum deeſt) ſulphurea conveniunt. 2. *Indicatio præſervatoria*, materiem morbificam reſcindens, ſanguinis depurationem, & pulmonis corroborationem molitur; in quos fines purgantia, traumatica decocta, aqu. deſtillatæ & potus medicatus conveniunt. 3. *Indicatio Vitalis* præſcribit remedia cardiaca, anodyna, & idoneam victus rationem: Medicamentorum formulæ eædem fere ac pro Empyemate poſt ſectionem, hic conveniunt; item Diæta eadem ac in phthiſi incipiente inſtituatur: Etiam in hoc caſu Lac aſininum ſæpe prodeſt.

Circa morbi hujus curationem obſervavi *Fontanellam* in latere excitatam non raro inſigniter profuiſſe: memini duos affectu iſto laborantes, & poſt ruptam pulmonis vomicam pus merum & fœtidum copioſe expuentes, ab hoc remedio brevi ſanatos fuiſſe: In utriſque ex ſotamine cutaneo, per ſectionem in cote facto, intra 3. aut 4. dies purum pus effluere, & periode ſputum diminui cœpit: Et poſtquam effluxus iſte in dies auctos aliquandiu continuaretur, ſputum omnino ceſſavit, & æger omnino convaluit. *Willis.*

III. Generoſus mediæ ætatis, antea robuſtus & ſemper ſanus, abſque cauſa manifeſta valetudinem quaſi neutram contraxit, nam ſine dolore, vomitu, tuſſi, aut fere notabili, brevi languidus, inappetens, ad ſomnum difficilis, ſitibundus, ac circa præcordia æſtuans fiebat: poſtquam variæ medendi methodi incaſſum tentarentur, tandem morbus ſe prodit, dum enim nocte quadam ſolito irrequietior in lecto ſe valde jactaret, ſubito Abſceſſu intra pulmonem diſrupto, puris fœtidiſſimi copia ingens pertuſſim rejiciebatur: A vomica diſrupta, medicamina quæ abſceſſum abſtergeant & ſanent, ſanguinem & pulmones mundificent, ipſoſque a Tabe imminenti vendicent ſedulo exhibita; Tincturæ & ſpiritus noſter diaſulphuris, una cum decoctis & deſtillatis pectoralibus & traumaticis: Item linctus & pilulæ balſamicæ de die in diem conſtanti methodo capiebantur: cum his enemata, & blanda cathartica & diuretica intercalabantur:

vaporationes primo, dein ſuffitus, tum ſulphureitum arſenicales mane & veſperi adhibebantur: Poſtquam hæc diu & ſedulo vſurpata nihil juvarent, tandem in thoracis apertionem conſentit: e læva ſterni parte, intra quintam & ſextam vertebram tumor apparebat: Vice cauterii huic emplaſtrum ſuppurativum admovi, atque intra tres dies moleculæ iſtius ſummitas rubra & mollis evaſit, è qua poſtridie aperta primo ichor tenuis, & paulo poſtea pus flavum & concoctum effluxit, & poſtea quotidie vberius emanare perſtitit; exinde ſputum fœtidum diminui cœpit, & intra quatuordecim dies penitus ceſſabat, materia morbifica per foramen iſtud exitum & facilem & congruum magis obtinente: Quamvis ab effectu conſtabat orificii iſtius ductum interne in pectus, mediumque forſan pulmonem patere, attamen nullus per ſiphonem liquor injectus illuc penetrare aut adigi potuit, adeo ſecreti ſummeque intricati ſunt meatus quo natura in vltima ſua ſubſidia efformat, vt eadem via qua materia morbifica exterminatur nihil amplius noxium ingredi poſſit: Iſta lateris apertura tandem in fontanellam mutabatur, & piſo aut pilula lignea quotidie indita, per ſeſquiannum ichorem copioſum quotidie profundebat, ac interea Nobilis labe quavis pectorali penitus excuſſa, & totoſa corporis habitudine recuperata, quoad omnia ſanus evaſit: Denique fontanella iſta ad brachia tranſlata, circa pectus nec morbum iſtum, nec amplius munimentum gerit. *Idem. ſect. 1. cap. xi. operis Poſth.* vide ibidem duo alia curationis exempla.

IV. Quendam à Pulmonis Tuberculo lipothymia ſubinde cum inæquali pulſu circa febrem invadebat, Nullis medicamentis propinatis, intra duos menſes diſcuſſum id ſolo meliloti malagmate, cum floribus, quos vocant, ſulphuris, aut ſolo ſulphure; ſuperſtes fuit ab anno 1624. ad annum 1649. caſus hic alius ab eo quem de Antipatro ſcribit *Galenus*, *Rhodius cent. 2. Obſ. 2.*

PVLSVS INTERMITTENS.

SYLLOGE.

Cauſa aliquando ex irregulari ſpirituum animalium motu pendet. 1.
Excreto verme in ordinem rediens. 2.

I. HVjus pathematis duæ ſunt diſtinctæ ſignificationes, nam licet quandoque Pulſus intermittat, quoniam cor pro eo tempore à motu ceſſat, attamen præterea tactu indice pulſus nonnunquam in carpo intermittere videtur dum cor in pectore crebertime ac inceſſanter vibrare ſentitur, quia [illegible] iſta paſſione (tremore ejus) ſanguinis portio tantum perexigua quaque diaſtole in Aortam projicitur: quare hæc inanita & flacceſcens, atque ſarcina promovenda carens, ne fruſtra ſæpius agat, contractionem ſuam quandoque intermittit: Porro in febribus malignis, aut funeſtis ſi quando pulſus creber ac debilis ſit, etiam is ſubinde intermittit; non quod cor à motu interdum ceſſat (hoc etenim tunc imprimis indeſinenter laborat) ſed quatenus non vberi ſatis penu quaque diaſtole in aortam profertur; quare hæc opere ſatis agendo carens, nonnunquam otiatur; Verum inſuper Pulſus quandoque intermittit, quia cordis ipſius contractio pro vice quadam ſuſpenditur, ſive pauſa ejus duplo longior exiſtit, quod quidem manu pectori admota quiſpiam in ſeipſo aut alio facile deprehendet, imo laborantes pergravamen pectoris, & oppreſſionem plane in ſe perſentiunt quoties cor à motu ceſſat: Porro hæc affectio non tam languidos, moribundos, aut periculoſe ægrotantes quam ſatis validos, & quoad plurima recte habentes paſſim inceſſit: quare non ſemper juxta vulgi opinionem pro ſigno pernitioſo admodum ſumi debet: Ex his conſtare arbitror pathematis hujus cauſam, non à ſanguinis miſtione aut craſi, ſed tantum ab irregulari ſpirituum animalium, è cerebello in nervos cardiacos, indeque in tendines cordis, diſpenſatione pendere: Enimvero ſuſpicari fas ſit, propter nervos iſtos nonnihil obſtructos, ſpiritus animales haud pleno ſatis alveo, aut influxu ad muſculi hujus tendines deſcendere; quare cum penus eorum nonnihil deficit, cordis pulſus pro vnico motu ſubinde ceſſat, donec ſpirituum copiis mox denuo inſtauratis actio ejus redintegrari poſſit: Quamvis affectio hæc præſente incommodo, aut periculo ſæpiſſime careat, curationemque præproperam non exigat, attamen præſervationis gratia, ne morbi graviores inſequantur, remedia, & methodus quædam therapeutica, adhiberi debent; ſaltem in tota, quæ ſupererit, vita ratio victus quoad omnia rite ordinetur; quinimo Medicinæ curſus quidam levis vere & autumno ſolenniter obſervandus inſtituatur, videlicet vt, quantum fieri poſſit, morbida quævis ſeminaria, intra ἐγκέφαλον jacta, aut ibidem progigni apta, tollantur & præcaveantur: Huc referimus methodum cum medicamentis contra apoplexiæ inſultus prophylacticam præſcribi ſolitam. *Willis.*

II. D. N. ſexagenarius laboravit dyſenteria permultos dies, poſt febre tertiana, ac tandem cum convaleſcere videretur pulſus apparuit intermittens per 3. aut 4. dies cum animi angore & virium proſtratione: cauſa ſe prodidit, Lumbricus craſſitie digitum æquans, & longitudine brachii dimidium, quo excreto pulſus ad priſtinum ſtatum rediit. *Riverius cent. 3. Obſ. 3.*

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

De Affectibus à litera R. incipientibus.

RACHITIS, TABES PECTOREA.

Deſcriptio & Curatio.

1. RACHITIM, *Pectoream Tabem* vocamus, eo quod in ipſa Pectoris crates vitiatur: Affectus eſt puerilis duntaxat, ſeu infantilis, vulgariſſimus in Anglia: Invadit non grandiuſculos tantum infantes, ſed & valde teneros ac recens natos: multæ corporis partes afficiuntur, Pectus, Caput, Artus, aliæ, ſed præ omnibus, & ante omnia pectus; cujus pars anterior, quæ lata eſſe debebat ac plana, anguſtior fit & vtrinque acclivis: In medio, ſeu ſterni regione, altius aſſurgit, tandemque prorſus carinatur, Coſtæ inferiores, ad latus foveæ ventriculi, introrſum retrahuntur, ac quandam vtrinque veluti ſcrobem faciunt, totoque ſui ductu quibuſdam veluti nodis aſperantur ac inæquales ſunt: Vitiata pectoris figura reſpirationem facit impeditiorem ac crebriorem, cui etiam tuſſicula, plerumque ſicca, comitatur: Caput grandeſcit vltra debitum modum, ac proportione inferiores corporis partes, coxæ, femora, crura, extenuantur ac debileſcunt; vnde infantes inceſſui inepti redduntur: Dorſi ſpina in multis curvatur, atque arcus inſtar in exteriora flectitur: Oſſa articulorum in brachijs ac cruribus, carporum ac talorum, augentur, ac tantopere protuberant, ac ſi vt duplicata fere eſſet eorum moles: Præter hęc omnia dextrum hypochondrium tumeſcit totum, tumore æquali, magno ac renitente, ſic vt digitos ſub coſtas nothas adigere non poſſis: Tumor iſte, cum pectoris aliqua anguſtia ſtatim in ipſo morbi initio apparet, ſic vt interdum quidem ambo iſta ſimul codemque tempore ſe prodant: nodi in coſtis, ac ſcrobes iſtæ in imis oris pectoris poſtea adparent: Capitis incrementum iſtis poſterius . . . . roto morbi decurſu arctius redditur, donec ad ſummam anguſtiam deventum ſit, ſic vt carinæ inſtar acutum ſit, ac promineat, quod fere non fit niſi paucis ante mortem diebus, Eſt enim lethalis hic morbus ſi vel negligatur penitus, vel ſero aut prave curetur, plurimoſq; quotidie abſumit: Articulorum granditas nonniſi vltimo loco ſupervenire ſolet: Origo hujus Luis à Iecore eſt perſæpe, non vitiato, vllamve noxam paſſo, ſed ſupra modum adaucto, ita vt plerumque duplo, imo fere triplo majus ſit quam par erat, totamque anteriorem epigaſtrij partem occupet, & ipſum quoque ſiniſtrum hypochondrium attingat, interdum quoq; impleat: Iecur ſic adauctum, cum in ipſo ventre ſpatij non inveniat ſatis vbi ſe commode explicet, à thorace mutuatur quod ipſi deeſt; ac verſus ſuperiora aſſurgens, diaphragma longe impellit, adeo vt interdum pectoris cavo vix dimidiam partem ſpatij ipſi debiti relinquat: Pulmones in arctum redacti contrahunt ſeſe ac in ſeſe colligunt, vnde fit vt pectoris quoque crates, ipſorum cauſa facta, ijs ſe accommodet ac anguſtior evadat: Quandoque ab ipſo Pectore & Pulmon. incipit malum, hecticâ quadam ſiccitate, cum nonnullo etiam caloris exceſſu, obſeſſis; quia ſenſim marceſcentes illæ partes, ac ſeſe contrahentes quum vix vllum nutrimentum tunc capiant, ſanguinem, quem in ſtatu naturali valde copioſum ad ſe trahere ac abſumere ſolent, Iecori refundunt, quod eo circumfluens plus juſto increſcit, atque in omnem partem ſeſe adauget &c.

Morbus iſte ægrius tollitur ſi à Iecore cœpit quam ſi à pectore, magiſq; etiam ſi à primo ortu infans ei obnoxius fuerit: Quando in Pectore ipſo originem habet, curatio ejus ſatis facilis eſt, quum ſiccitas, etiam hectica, quæ in corporibus adultis fere immedicabilis, in corpore infantili cum minori difficultate emendetur: Curatur autem Balneis, vnguentiſve emollientibus atque chalaſticis, aliiſque ad humectanda corporis oſſa pulmoneſque accommodatis: Inter quæ pellis ovi aut agno recens detracta, & adhuc calens applicata, atque horis aliquot relicta mirifice multis profuit: Quod ſi jam in

progreſſu eſt morbus, atque iecur ſuper augere cœpit, aut ſi ab ipſo iecore proceſſit malum, iſti quoque medicatio adhibenda eſt, omnibuſque modis conandum vt incremento ejus obſiſtatur, atque intra naturalem modum coërceatur; quam in rem non linimenta modo & vnguenta, aliáque Topica, ſed interna quoque in vſum trahenda, ſic tamen vt non ſalubritatis tantum ratio habeatur, ſed & teneræ iſti ætati effectus ac ſapor medicamentorum attemperetur: Pari quoque prudentia cavendum, ne dum refrigerare ac contrahere iecur nitimur, obſtructiones aliaque mala in eo generemus, nimio adſtringentium vſu, aut emplaſticorum vſu intempeſtivo, atque ſic geminam pro ſimplici labem accerſamus, morbumque penitus incurabilem reddamus: Super omnia autem ſciendum, pro internis externiſq; medicamentis, ex his deligenda quæ & Iecori privatim amica ſint, & præter communes cum aliis multis medicinis Refrigerandi atque Adſtringendi facultates, peculiarem aptitudinem, huic operi neceſſariam, ſortita ſint: Purgatio nullum hic locum habet, ne ſanguinis quidem miſſio, niſi morbo longius progreſſo, ac capite jam nimium aucto: Quando ſanguiſugæ venis poſt aures, atque in fronte & temporibus, vtiliter admoventur, multumque ad vniverſam curationem conducunt, idcóque ſi res ita ferat, ſecundo ac tertio uſurpandæ ſunt.

Victus ratio longe alia in hoc morbo inſtituenda eſt quam imprudentioribus, ac naturam ejus non ſatis perſpectam habentibus, videri poſſit; Non enim atrophiæ, qua infantes contabeſcunt, per ſe attendendum eſt, neque conandum ei occurrere pleniore cibatu ac validius nutriente, quod eſſet oleum addere camino, ſed contra omnis opera in id adhibenda eſt vt exuberans ſanguinis copia compeſcatur, ac nimius ejus fervor, nimiáque tenuitas & acrimonia coërceantur; quod quibus potiſſimum rebus effici debeat neminem doctum Medicum latere poteſt: Quod ſi ita teneri ſunt infantes, vt nihil dum præter lac nutritium aſſumant; matri vel nutrici ea danda ſunt quæ ſcopis prædictis inſerviant, ac lac earum debito modo attempere valeant: In ijs vero infantibus qui grandiuſculi jam, nondum tamen ablactati, & vbera ſugunt, & alios præterea cibos ac potus aſſumunt, vtroque modo agendum eſt, & tum ipſorum tum nutricum victus ita vt diximus ordinandus. Hæc curationis vis ſollicite obſervata, & diu admodum continuata, nihil enim hic parvo temporis ſpatio effici poteſt, (præſertim ſi altius hæſit malum) feliciter curatur iſte morbus; qui non in Anglia duntaxat, & Hibernia, ſed in aliis quoque regionibus graſſatur, Pariſiis enim infantes eo vidi laborantes, quos methodo mihi vſitata feliciter perſanavi. *Arnoldus Bootius de Affect. omiſſis cap.* 12.

RAVCEDO.

SYLLOGE.

Pertinax ſetacei præſertim ope ſuperata. 1.
Efficacia ſyrupi de Eryſimo. 2.
Remediis luem Veneream oppugnantibus curata. 3.
Acetum ſcylliticum an congruat. 4.
Ab halitibus & vaporibus excitata diverſam curandi rationem poſtulat. 5.

I. QVidam Raucedine & eroſione amygdalarum ob catarrhum ſalſum & acrem laborabat; Hic ſe Medico commiſit, qui ſuaſit vt ad humores acres revellendos & evacuandos *ſetaceum* fieret, cum alter Medicus renueret, interim admodum adauctus fuit morbus: Tandem æger ad me venit Lauſannam, vbi cum omnia expoſuiſſet, Setaceum quoque propoſui, quo præcipue præſidio, poſt Deum, reſtitutus fuit. *Fabritius Hildanus Obſervat.* 24. *Centur.* 6.

II. Commendatur in Raucedine Syrupus de Eryſimo *Lobelij*, (Prædicatorum dictus) quem Author laudatiſſimum arteriacum nominat, ſcribitque hiſtor. ſtirp. pag. 103. ſe ejus vſu juvenculam decennali Raucedine laborantem curaſſe, & alios diuturna & prope invicta raucedine laborantes Eryſimi vſu reſtitutos fuiſſe: Ego vero affirmo me hujus remedii vſum ſæpe expertum in Rauc. à catarrho, etiam difficillima: ideoque omnes officinæ Pharmaceuticæ illud paratum habere debent, ℞. *Eryſimi totius rec. mann.* vj. *radic. helenii, tuſſilag. ſucco adhuc prægnantium, liquir. ana.* ℥ ij. *herb. borragin. cichor. capill. vener. ana. man.* j ß *flor. cordial. anthos, ſtæch. vel betonic. ana. man.* ß. *ſemin. aniſ.* ʒ vj. *paſſul. mund.* ℥ ij. *coque in ſ. q. aqu. hordei & hydromel, & ſucci Eryſimi ana.* ℥ vj. *ad* ℔ ij. *vel* iij, *colat. adde ſacchar. q. ſ. fiat l. a. Syrupus. Simon Schultzius Miſcell. Curioſ. anni* 1672. *Obſervat.* 153.

III. Pertinaci Raucedini quidam à multis annis erat obnoxius: cauſam inquirens, morbo Gallico eum laborare deprehendi: xatzæ decocto ille curatus: *Zacutus Prax. Admir. libro primo Obſervation.* 107. Iuvenis robuſtus annorum xxiv. tam pertinaci Raucedini obnoxius, vt eadem per annum integrum vexatus, ab adſtantibus vix poſſet intelligi, & remediis multis fruſtra adhibitis nihil proficiebat: Ego cauſam penitius exquirens morbo Gallico eum laborare deprehendi, ad quem pertinax iſta raucedo inſequuta fuerat: Pilula itaque vna atque altera ex turpetho minerali exhibita non ita multò poſt melius habere, atque clara, expedita inoffenſaque voce vti cœpit. *Schenckius.*

IV. An convenit in Raucedine *Acetum ſcylliticum?* convenire videtur, cum enim ex *Galeno ſeptimo de compoſ. medicament.* proſit orthopnoïcis, qui tenuantibus medicamentis citra calefactionem inſignem indigent, ſcylla autem talis ſit, videtur quoque *Avicenna* recte aſſerere acetum ſcylliticum vocis aſperitati convenire, Nec deeſt ratio, cum enim vox rauca & aſpera fiat ob humiditates viſcoſas circa guttur & aſperam arteriam collectas, vbi ſoni prioris generatio impeditur, eo quod humidiora minus ad ſonorum productionem apta ſint quam ſicca & duriora, ideo quę ſiccant & attenuant citra inſignem partium calefactionem, vt acetum ſcyll. conveniunt: Cum ergo pituita prę ſui viſciditate partibus vocalibus valde hęreat, deveniendum ad ea quæ fortius extergere & incidere valent; Legitima autem pręparat. ſcyllæ,

ſcyllæ, præſertim loco fœtido & paluſtri genitæ, debetur, quam præſcribit *Quercetan. in Pharmac. dogmat. cap.* 18. Cautio tamen adhibenda quoad generationem rancæ vel aſperæ vocis, ſecundum *Galenum* 7. κατ' τόπ. *cap.* 1. ut diſtinguamus Raucedinem, vel aſperitatem vocis, quæ fit communiter ob materiam defluentem & organis dictis immerſam (de qua quæ diximus accipienda ſunt) ab illa vocis læſione quæ vel ex clamore, vel ex phlegmone oritur, cui dicta minimè conveniunt. *Gregorius Horſtius Decade Quæſt.* 2.

V. Obſervavi Raucedinem graviſſimam, & cum omni vocis ſublatione ad plures ſæpe menſes durantem, curatam ſolo ſpiritu ſalis armoniaci, exhibendo in dies in potu ordinario aliquot ejus guttas: Ex hac autem Raucedinis illius peculiaris curatione ſingulari, judicavi illam ortum habuiſſe à ſpiritu ſalino muriatico, non tam rodente partes voci dicatas, quam ipſas non ſatis explicabili modo male afficiente, atque craſſis medicamentis neutiquam, huic autem ſpirituoſo facile cedente: Scilicet cum in tali vocis extinctione fruſtra fere adhiberentur medicamenta vulgaria humoribus Salſo muriaticis, vel Acidis corrigendis educendiſque convenientia, merito exiſtimavi non ab ipſis humoribus craſſioribus, & corporeis, verum ſpiritus & halitus forma exiſtentibus productum illud malum; ideoque curandum fuiſſe medicamentis ſimiliter ſpirituoſis, ſed ſubcontrariis, adeoque ſalibus, non fixis, ſed volatilibus, quibus data poteſtas tum humores ipſos acidos ſalſo muriaticos, & glutinoſos, tum ipſorum ſpiritus & halitus corrigendi, ac emendandi, ideoque ſpiritu ſalis armoniaci; quod & ſucceſſus bonus, & curatio confirmavit, quamvis lente procedens: *Sylvius de le Boë Append. Tr.* 10. §. 887.

RENVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

Quæ venæ, *ſuperiores an inferiores* aperiendæ. 1. 2.
Diureticis *prudenter utendum.* 3.
Topicorum vis an eos attingat. 2.
Multi affectus aliis cauſis adſcripti, ab eorum vitio originem ducunt. 1.

Inflammatio Renum.

In Inflammatione Renum *quæ vena ſecanda.* 4.
Purgatio *ſanguinis miſſione aliquando potior.* 5.
Inclinante morbo conducit: 6.
Caſſia noxia eſt. 7.
Glandes *clyſteribus utiliores.* 8.
Clyſteres *non debent recipere repellentia & attrahentia.* 9.
Diureticis *quando locus.* 10.
Renes quando in lumbis aperiendi. 11. 3.
Refrigerantibus externis *non abſtinendum.* 11.

Intemperies calida.

Intemperiei Renum *calidæ confert* aquæ potus 12.
Urina rubens ejuſmodi intemperiei non ſemper index. 23.
Topica refrigerantia ſæpe renovanda. 13.

Vlcus Renum.

Renibus Vlceratis Vomitus *quando conducit.* 15.
Acidulæ *an conveniant.* 16.
Quædam purgantia *nocent.* 18.
Lactis uſus *an utilis.* 17.
Marrubium infeſtum. 20.
Difficillimæ curationis eſt vlcus. 19.

Renum Dolor.

Renum Dolor *deſperatus, hæmorrhoidum apertione ſublevatus.* 21.
Clyſteres careant flatus generantibus. 22.

Renum Prolapſus.

Prolapſus Renum *dignotio difficilis.* 14.

Renum Imbecillitas.

Renum imbecillitatis *ſigna & curatio.* 23.

I. PErilluſtris Dom. N. annos 45. natus, à nonnullis menſibus catarrhum ſalſum circa genitalia & anum patiebatur: Trimeſtri toto & morbi ſævitia, & medicaminibus nimiopere vexatus, ad me tanquam ad ſacram anchoram confugit; qui morbi cauſam non in ſolam Iecoris intemperiem, ut hodie Empiricorum moris eſt, verum in pravam renum conſtitutionem, ob quam excrementum ſalſum in corpore diu detentum conſimilia parere ſolet, rejicientes; aperientia, non refrigerantia eſſe adhibenda ſtatuimus: Sæpe enim ab immodica Venere, aut intempeſtiva contingit, & hi qui craſſis, lutulentis & ſalſis victitant, labe ejuſmodi afficiuntur *Renes*, hinc expultrice facultate fracta, & renum meatibus obſtructis, ſalſum illud excrementum per venas remeare cogitur, & inde per reſudationem ad cutem protruditur, ubi pro varia ejus natura, à qua prodit, varios producit effectus, nunc enim diſſolvitur, nunc coagulatur, nunc hanc nunc illam induit naturam: Brevi vero Ill. dictus ſequentibus ſanitatem recuperavit: Primis diebus ſumpſit tincturam corallorum, & ſpecificum ſtomachicum (*quod flores ſalis Ammon. quidam eſſe autumant*) utrumque ſanguinem purgat, & viſcera roborat, ac renes præſertim: Ut prima regio pura eſſet, decoctum catholicum purgans & refrigerans ad aliquot dies dedimus: Extrinſecus Saturni Balſamus, cum calcinato majore dulcificato curam totam brevi abſolvit &c. *Poterius Cent.* 2. *cap.* 64.

I. 4. Receptum apud Medicos eſt Superiores partes ab Inferioribus in regione Hepatis ſeparari, ita ut cum membra infra jecur male affecta ſunt, ſciſſione venæ in cruribus opus ſit: quod à *Galeno* apertè dictum eſt 6. Epidem. part. 1. comment. 6. *Didiciſti membra ſupra Iecur vena cubiti ſciſſione indigere, infra vero, crurum; in poplitibus nobis venam cadentibus aut omnino ſaltem juxta malleolos*: Tamen lib. de *Sanguinis miſſione* videtur contra hanc ſententiam protuliſſe,

Renes vtriuſque generis eſſe: quaſi nihil interſit illos aut ſuperioribus aut inferioribus membris annumerare, ſed vacuationi inferiori aut ſuperiori obediāt: Verum jam dicam quod res habét. Membra ſuperiora ab inferioribus diſtinguuntur quo loco diximus, ita vt Hepar ſuperioribus annumeretur: quare quæ primò occurrunt membra in inferioribus, Renes ſunt: proinde fit ut cum Hepar ſit membrum vltimum ſuperiorum, Renes primum inferiorum, nunc Hepar, nunc Renes terminum hujus diviſionis *Galen.* dicat: Fit etiam cum Renes, etſi ad inferiora inclinant, à ſuperioribus tamen non longè abſint, quanquam vtilius vacuantur per inferiora: vt non tamen omnino inutiliter aliquando per ſuperiora vacuentur, præſertim ſi magna in corpore redundantia ſit: quo tempore licet aliquando magis ab affectâ parte recedere: Hanc eſſe ſententiam *Hippocrat.* & *Galen.* intelliges ex loco 6. Epidem. vbi curans *Hippocrat.* Renum dolorem gravem, inquit, *Et elleboro uti, & poplitem ſecare: Galen.* quoque 13. method. cap. 10. inquit, *Propter renes verò, & pudendum, & vterum, quæ in cruribus ſunt.* Quin & ipſo lib. de *Sangu. miſſ.* ſatis aperte hæc docuit, dicens, *At renes ancipites ſunt, ſi quidem ſunt infra ea quæ ſupra diximus, & ſupra ea quæ ſecundo,* vnde ita colligit, *quâ de cauſâ venæ ſectioni in cubito interdum obediunt, ubi videlicet recens fuerit phlegmone cum ſanguinis multitudine: quibus verò affectio ineſt, quam propriè nephritin nominant, eam quæ in poplite eſt ſecare expedit, aut certè eas quæ in malleolis ſunt.* Senſit ergo *Galen.* hac in parte haud dubiè, vt nos ſumus interpretati. *Valleſius contr. l. 7. c. 4.*

II. Etſi *Galen.* ſcribat *6. Epidem. ſectione 1. comment. 6.* medicamenta Renibus admota nullius eſſe vſus; tum ob eorum ſubſtantiam valde denſam, tum ob plures partes iis ſuperpoſitas, quę impedimento ſunt quò minus medicamenti vis altè penetrare poſſit: Hoc tamen non obſtat, quoniam longo vſu admota hiſce partibus medicamenta tandem ſuas vires in partes etiam penitiores exercent, vt ab eodem *Galeno* notatam fuit 6. Tuend. ſanit. cap. 14. *Zecchius Conſultat.* 78.

III. Nunquam eſt agendum Diureticis, præſertim vehementibus, in affectionibus Renum &c. Vide *Tit. de Diureticis lib.* 19.

Renum Inflammatio.

IV. *Mittendus ſanguis* è vena brachii vbi recens eſt inflammatio, cum humorum fluxione, totiuſque plenitudine, vt inquit *Foreſtus Obſervat.* 30. *l.* 24. Quod non fit vbi facta eſt inflammatio, nec vlterior fluxio humorum corporiſque plenitudo copulata eſt: quia tunc requiritur vt materia evacuetur & derivetur per loca proximiora, quod fit pertuſis venis partium inferiorum: Quod aiunt venam brachiorum potius incidendam eſſe, verum id eſt inflammatione incipiente, cum plethora totius & fluxione materiæ, quo tempore propter vacuationem à toto ſanguis detrahitur. *Gr. Horſtius Decade* 2. *Prob.* 8.

V. *Sanguinis miſſio* plerumque ijs inflammationibus quæ per decubitum fiunt ex vſu eſt: reliquis verò nequaquam, aut raro, & nonniſi ob ſuppreſſionem alicujus ſanguinolentæ vacuationis, quo tempore ſatius foret ipſam revocare: At *Expurgans* medicamentum his quæ per paulatinam congeſtionem fiunt: reliquis verò raro, nam frequenter ab expurganti medicamento fluxiones citatiores fiunt. Præterea inflammationibus illis ſpuriis, quæ pure facto aut fiente, in cavitate renum concitantur, longe diverſo modo opus eſt pharmaco purgare: nam ſi aliquid eſt fluxum, illud pharmaco (quod ſecretum ſit à ſanguinis natura) avertere & educere oportebit. *Mercatus Pract. l. 4. c. 7.*

VI. Etſi autem initio *Purgatio* non conveniat, ne agitati humores magis ad partes affectas ferantur, ita vt etiam alvi fluxus ingens eo tempore superveniens cohibendus ſit, Sedata tamen aliquantulum inflammatione, & inclinante morbo, purgatio convenire poterit ex benignioribus, manna, rheo, tamarindis, diaprun. ſimplic. catholic. & ſyrup. roſac. cum decocto lactucæ, portulacæ aliorumque refrigerantium. *Lazarus Riverius Pr. l. 14. c. 4.*

VII. Non tamen *Caſſia*, vt ſolent omnes, vti ſuadeo, quæ mihi non poteſt non eſſe ſuſpecta, cùm aliquid caloris habeat, & humores deferat ad partem affectam. *Rondeletius c. 39.*

VIII. In hoc morbo *glans* commodior clyſtere: poteſt tamen clyſteris pauca quantitas injici: alioqui ex majori diſtenduntur inteſtina, atque ita renibus compreſſis dolor augetur. *Rondeletius ibidem.*

IX. Cavendum quoque ab iis *clyſteribus* qui repellendi vires obtinent, nam hi facilius in renes tranſmittunt: ſicuti ab ijs qui trahendi aut irritandi plurimum vires habent, plus enim concitabitur natura in expulſione ad hujuſmodi partes. *Mercatus de Præſid. l. 1. c. 3.*

X. Quantum ad *ciendas vrinas* attinet, ſolum id facies vbi perfecte coctæ fuerint inflammationes: alioqui exacerbabis longè magis & majorem evocabis affluxum: quapropter differendum eſt donec quieverint dolores, & ceſſaſſe fluxionem compereris. *Mercatus Practic. lib. 4. cap. 7.* Ideoque in Emulſionibus omittenda ſemina frigida majora, quia diuretica cum ſint aliquid verſus iſtas partes deducere poſſent, præcipue dum fluxio adhuc eſt in motu, nam in declinatione ex vſu eſſe poterunt. *Idem.*

XI. Notandum non diu immorandum eſſe in refrigerantibus, ne impediatur materiæ coniunctæ diaphoreſis, vel ne tumores ſcirrhoſi fiant *Idem Mercatus.* Refrigerantia & adſtringentia extrinſecus ſupervacua excrementa magis compingunt. *Zecchius Conſult.* 17.

XI. *a.* Si conſtiterit tumorem ad extima vſque lumborum vergere, & etiam tactu ſupra renes facto dolor & pulſatio ſentiatur, ita vt evidenter conſtet ambientem membranam potius quam renis ſubſtantiam inflammatam eſſe (nam in hoc ſolo caſu cenſeo *renum in lumbis apertionem* ſalubrem eſſe, quippe arbitror renes ferro candenti apertos nuſquam aut raro ſaneſcere, licet vita ſuperſtes maneat, calamitoſa tamen & ærumnoſa) ſatius eſt ferro candenti ſupra renem affectum partem perforare, quo expleret virulenta ſubſtantia: Id autem fiet appoſitis prius emplaſtris quæ pus ad extima renis evocent, & partem attenuent, quo facilius apertio fieri poſſit. *Mercatus.*

Renum Intemperies.

XII. Nihil Renes adeo à recrementis vacuos & temperatos

peratos reddit, ac *aqua* limpidæ excoctæ, ſex vel ſeptem vnciarum menſurâ, ante omnem cibum, bis, vel ſaltem ſemel in die, *potus*: Igneus enim ipſorum calor aquæ tepore tandem extinguitur, ita vt in poſterum calculos procreare non poſſint. *Zecchius Conſultat.* 17.

XIII. Sunt qui ſemel in die *oleum roſatum* vel *infrigidans Galenus admovent* renibus, gratiâ ipſos refrigerandi: Cui dubium quod ſpatio quatuor vel quinque horarum ampliùs hæc topica non refrigerent? quoniam à calore partis illo intervallo adeo à natura ſuperantur, redduntur ſimilia & conſueta, vt ferè amittant totam reagendi virtutem: Alterantia enim non agunt vt alimenta, quæ ſolum dum ſunt victa & ſuperata nutriunt & augent vires, ſed priuſquam vincantur: v. g. alterantia frigida dum reagunt refrigerant: quando verò ſunt ſuperata, certamen & alteratio ceſſat, & inde ab illis nullum ſperandum refrigerium. *Sanctorius l. 4. cap. 7. Meth. vit. Error.*

Renum Prolapſus.

XIV. Nonnunquam viſus alterutet Ren in hypogaſtrium prolapſus, qui vix à prociduo Liene internoſcitur: Vide *tit. de Lienis affect. lib.* 10.

Renum Vlcus.

XV. Etſi *Vomitum Vlceratis Renibus* valde commendat *Avicenna*, quia, vt ait, mundificat & evacuat, & trahit ad contrarium partis renum: Eoque remedio ſæpe repetito affectus hic ſæpe curatus fuerit, referentibus nonnullis, advertendum tamen in ijs ſolum eſſe concitandum qui *εὐέμετοι* ſunt: alias ejus vehementia vlcua irritaretur. *Rondeletius* à cibo eum moveri præcipit, quia tunc facilior ſit, hydræleum tepidum exhibens; ſimulque, quò ventriculus relaxetur, ejus os liliorum alborum oleo inungens.

XVI. *Acidularum* vſum *Griesbachenſium* admittit *Iohann. Kufferus* apud *Hildanum centur. 6. obſervat.* 44. Earum acrimoniam ratus infeſtam eſſe tantum pectoralibus & pulmonum quibuſdam vitijs, non item alijs vlceratis partibus: At certum eſt duabus de cauſis rejiciendas eſſe. 1. Quia corporis ſordes ad locum affectum affatim deducunt, diureticæ cum ſint: 2. Acrimoniâ viſcerum exulcerationi inimicæ, quatenus acres & acidæ: his enim qualitatibus dolorificæ ſunt: dolor autem affluxum humorum accerſit. *Hildanus l. c.*

XVII. An *Lac* convenit? Affirmativa placet Medicis, ſed certa limitatione, nam quoad initia exulcerationis, quatenus majori abſterſione opus eſt, veteres lac aſinæ vel equæ cum melle præſcripſerunt: hodie cum ſaccharo caprillum exhibetur, vtpote quod nitroſa ſua ſubſtantia magnam abſtergendi potentiam obtinet? Quod ſi vlcus deterſum videtur, potius lac bubulum exhibendum: Eſt enim hoc præſidium, inquit *Mercatus*, vt alimentum & vt medicamentum efficaciſſimum, quippe ſeroſa parte abſtergit, caſeoſa conſolidat, butyroſa verò & pingui dolores ac morbos lenit vireſque reficit. Nec obſtat quod lac difficulter ad Renes tranſit, imprimiſque viſceribus noceat, primum enim facillime corrigitur, vbi miſcentur cum lacte ſuccus melonum & alia quæ perducunt ad renes: alterum non timendum, cum lac poſt vniverſalia præbeatur: Hinc Mercurialis, Vbi vlcera ſordida ſatis ſunt, convenit illud lac quod magis abſtergere poteſt, vt aſininum, equinum, camelinum: Vbi autem non ita ſordida ſunt, convenit lac quod minus abſtergit, magiſque carnem generat, vt eſt caprinum: Vbi tandem vlcera prorſus ſunt emundata, convenit id quod optime nutrit, vt ovinum, vaccinum. *Horſtius Qu. 3. Dec.* 8.

XVIII. Si quis Opiatam ad recrementa communia evacuanda parat, omittat Sennam, agaricum, cineres tartari, ſi *vlcus ſit in renibus* aut veſica, exaſperant enim partes affectas, quod & carthamus facit. *Rondeletius.*

XIX. An ſpes ſit curationis *vlceris in Renibus* valde dubito, Ego ſaltem non memini vnquam à me, vel alijs curatum: Poteſt tamen aliquid vſurpari quod leniat malum, impediatque ne graviſſimum reddatur: In quem finem nil præſtantius reperi hactenus *Balſamo ſulphuris*, tum *aniſato*, tum *ſuccinato*, tum juniperino, tum terebinthinato, ſed terebinthinæ, non vulgaris oleo paratæ: Prævalet autem hoc in caſu ſuccinatum. *Sylvius de le Boë meth. Med. l. 2. c. 24. §.* 37. Vlcus in renibus a me curatum memini anno 1662. in Illuſtriſſ. ac Gener. D. De *Molendins* Pro Principe Neocomenſi, qui præter gravitatis ſenſum in regione lumbari, ſanguinem & pus per vrinam dejiciebat, imo corpora vermiformia, conſentientibus Clariſſ. Doct. Pariſienſibus, qui conſilium dederunt, Reſtitutus autem eſt, præter ſanguinis miſſiones, cucurbitulas &c. vſu crebro troch. alkekingi cum, & ſine opio; Item lacte chalybeato.

XX. Vt vt ad varios morbos, & præſertim chronicos & curatu contumaces *Marrubium* ab authoribus *Botanicis* commendetur, attamen Medicinæ candidati circumſpectè id vſurpent, cum *Dioſcorid. 3. de re Medic. cap.* 119, & *Plinius lib. 20. cap.* 22. Veſicam Reneſque lædere, cavendumque in exulcerata veſica renumque vitijs perhibeant: Quare cum ex *Galeno* conſtet Colicam paſſionem & calculum communia fere habere ſigna, aut horum morborum ſymptomata difficulter ab invicem diſcerni poſſe, Nemini vbi vel minima ſuſpicio ſubingruit Renes male habere, multo minus ſi jam exulcerati ſint, commendandum marrubium erit, ceu tota vt puto ſubſtantia renibus infenſum: Cur tota ſubſtantia? quia experientia id nos docuit non ratio. *S. Pauli Quadrip. Bot. p.* 389.

Renum dolor.

XXI. Vidimus quendam qui intolerabili renum cruciatu affligebatur, is nulla phlebotomia, nulla purgatione, nullis remedijs topicis potuit ſublevari niſi hæmorrhoide aperta: Quod enim materiæ reſtuabat in renibus, id vrgebat: Simulatque aperta eſt via, quievit morbus: Nec tamen ſequitur quod hæmorrhoides ſtatim movere oporteat ſi quis ita affligetur; verum ſi intumuerint audacius aperiendum. *Hollerius comment. ad aphor.* 11. 6.

XXII. In *Renum doloribus* quæ flatus generant ſunt omittenda, & ob hanc cauſam neque caſſia nec diacatholicum admittendum. *Solenandri Conſ. fol.* 300.

Renum Imbecillitas.

XXIII. Iuvenis ann. 28, reddiderat aliquot menſibus vrinam perpetuo rubentem, conſiſtentiâ ſatis tenuem, & ferè perſimilem acutè febricitantium lotio: Medici remedia velut ſupercalefacta

jecori adhibuerant: Tandem ad me venit, cùm autem non appareret febricitare, quæſivi num aliquando febricitaret? contra, quaſi continuò frigere ab aliquot menſibus reſpondit; corpus extenuari, vires dejici cum difficili reſpiratione, & ea quibos vſus fuiſſet nihil profuiſſe: Ideo placuit in alterum diem lotium relinqui, atque tunc ſedimentum conſiderandum, quod quidem ſanguinis inſtar (ut quod nonniſi ſanguis eſſet) rubebat, reliqua ac ſuperiore parte exiguum colorata, & pallidè lutea, nullam febris notam referente: proinde nullum in jecore calorem ſubeſſe collegi, ſed debiliores factos renes, venarumque ora rariora ſanguinem tenuem dimittere: Idcirco mutata curandi ratione, ijs vſus quæ renes roborare venaſque adſtringere poterant: adhibita proba victus ratione, & ſimul lacte caprino: ac ſic urina rubere deſiit, & corpus nutriri, viteſque reparari contigit, atque ita juvenis ſanitati tandem reſtitutus eſt. *Dodonaus cap. 32. Obſervat.*

RENVNTIATIO.

SYLLOGE.

Iudicium de cadavere, qua injuria interierit. 1.
Iudicium de Infante ſuffocato. 2.
De vulnerato, vivo an mortuo vulnera inflicta. 3.
De Submerſis. 4.
De cadavere veneno extincto. 5.
(Vide *A. Paream de Renuntiationibus. Et libellum Codronchij de methodo Teſtificandi.*)

I. SI cadaver domi vel in agro jaceat, & Quæſtio ſit, An fulmine an aliâ injuriâ interierit: Si à fulmine, corpus ſulphureum odorem ſpirat, ita vt canes &c. id attingere non dignentur: Sub parte integra, vel vulnerata, oſſa ſunt contrita, vulnus eſt nigrum: Si in partem ictam cadat; bruta in adverſum latus cadunt: Vigilans ſi tactus ſit oculos habet clauſos, dormiens contra: Non corrumpitur. *Schmitzius Med. Pr. p.* 204.

II. Suffocatum infantem ſcire licet, ſi antea perbelle habuerit: Si os nareſque ſpumâ madeant: ſi diſſecti pulmones ſpumoſi ſint. *Idem.*

III. Si quæratur an qui confoſſus eſt vulnera vivus an mortuus acceperit? Si vivus, labra vulneris ſunt rubra, cruenta: in ambitu livida. *Idem.*

IV. Qui ſubmerſus jacet, ſi vivus ſit præcipitatus in aquas, tota alvus aqua intumeſcit: è naribus mucoſa, ore ſpumoſa defluunt: extremi digiti excoriari cenſentur. *Idem.*

V. Si homo ſuapte natura bonis humoribus abundans, ac ſalubri vſus victus ratione repente moritur: deinde corpus ipſius aut livens, aut nigricans, aut varium apparet, aut diffluens, aut reddit odorem putridum, hunc venenum ſumpſiſſe dicendum eſt.

RESPIRATIO LÆSA.

SYLLOGE.

In Aſthmatis *paroxyſmo* vena *poteſt* ſecari. 1.
Purgantia *an tunc conveniant.* 2.
Extra paroxyſmum valenter purgandum. 3.
Crebro purgandum. 27.
Vomitoria *aliquando locum habent.* 4.
Orthopnœa *ſcammoniatis curata.* 32.
Clyſteres *an injiciendi.* 5.
Expectorantia *mitia eſſe debent.* 6.
Ius Galli *an rejiciendum, juxta* Septalium. 9.
Diætetica *an conveniant.* 11.
Acidulæ *&* thermæ *an utiles.* 12.
Ius galli *pulmones ſolos non debet reſpicere, ſed & caput partem mandantem.* 13.
Spiritus ſulphuris non omni competit. 15. 2.
Ingruente paroxyſmo cavendum ab expectorantibus. 14.
Aſthmatis therapeia. 15.
Suffitibus *arſenicum an admiſcendum.* 16.
Apozemata *nimis ſiccantia ne recipiant.* 17.
Sulphur *an in ipſa acceſſione dandum.* 18.
Errhina *& apophlegmatiſmi an conveniant.* 19.
Suffitus *ſuſpecti.* 21.
Interscipientibus *quibus & quando locus.* 7. 33.
A ſuffocatione præſervandus æger dum cietur ſudor, & augmento caliditatis hepatis. 34.
Rubificantia *&* cucurbitulæ *thoraci admota aliquando nocent.* 31.
Ad vſtiones *deveniendum in inveterato Aſthmate.* 20.
Cauteria *in ſincipite & brachijs inutilia.* 36.
An victus *attenuans & ſimul tenuis conveniat.* 22.
Copioſus potus *an utilis.* 23.
Aſthma *à flatibus interdum inducitur.* 24.
A fumis metallicis excitatum appropriatis curandum. 25.
Sæpe generatur à materia per vaſa in pulmones tranſmiſſa. 26.
Reſpiratio vitio ventriculi ſæpe offenditur. 10.
Lædi poteſt ob cauſam in cervice exiſtentem. 29.
Aſthma genitum à convulſivo motu nervorum pulmonum. 28.
Aſthmatis Scorbutici *curatio.* 35.

I. IN *Aſthmatis* paroxyſmo ſtatim vena ſecanda eſt, ſi ſanguis mediocriter abundare videatur, nam depletis ſanguine venis liberior erit reſpiratio: Quod ſi affectus ſit antiquior, pluriſque ſanguis demptus, ne calore innato imminuto pituitæ proventus major ſuccedat, ab ea erit abſtinendum: Sectio malleoli præſtans in affectu per conſenſum. *Riverius.* Non eſt poſthabenda aliqua S. M. quam permittit *Galenus* ad prohibendam ſuffocationem, & præcipit *Hippocrat.* in orthopnœa ſicca: à qua tamen abſtinendum in orthopnϾ acceſſione, quia tunc temporis vires ſunt imbecilles: potiſſimum vero educi poteſt cum patiens cal. & hum. eſt temperamenti, totumque habet ſuccis redundans: parce tamen, è vena brachij, vel potius venæ ſedales mox erunt aperiendæ, ſi opus fuerit, vtpote pectori conſentientes. *Fortis Conſ.* 7. *Cent.* 2.

II. Diſ-

II. Diſſuadent nonnulli *Purgantia* data in paroxyſmo, quia præſertim humor qui Aſthma excitat, craſſus ſit, viſcidus, nec vacuari facile poſſit niſi prius præparetur, ac per epicraſin vacuetur; quod in aliis morbis pituitoſis faciendum: 2. ob vrgens ſuffocationis periculum, cum metus ſit ne à purgante agitata materia, non ad ventrem inferiorem, ſed potius ad locum affectum confluat, ſicque ſuffocationis periculum augeat: Contra *Car. Piſo* ſtatim à ſ. m. purgationem averſionis gratia inſtituendam cenſet, cum nonniſi cum ſuffocationis periculo purgatio protrahi poſſit, Et humor per ſe ſic ſatis fluidus, neque magno apparatu indigeat: Verum diſtinctione opus, & humoris natura conſideranda: Si enim humor ſit craſſus & viſcidus, ſine fructu initio ſtatim inſtituitur purgatio: iſque potius agitatur quam educitur, vnde paroxyſmus augetur: Si vero humor tenuis ſit & ſeroſus, atque è venis in pulmones effundatur, quod præſupponit *Piſo*, commodiſſimè mox initio Inſtituitur Purgatio. *Senertus.*

III. Notandum in hoc malo fortiſſima medicamenta convenire, quia peccatum materiæ eſt vehementiſſimum & materia diu perſeverat: Hinc *Paulus* validiſſimis purgat, & continuam ſatis inſtituit purgationem, & probat etiam Colocynthidem: (Non mirum eſt quod jam pauci curantur, quia ſaltem damus parum agarici) Elaterium ergo non tantum in hydrope dandum, ſed etiam in aſthmate & orthopnœa, cum fiunt à craſſâ materiâ: Gal. etiam 7. κατ' τ. cap. vlt. probat vehementiſſima: Poſſumus ita præſcribere cum *Gal. ℞. ſinapis ℥j. ſalis comm. ℥ß. Elaterii gr. xv.* terantur cum aqua & fiant paſtilli, alternis diebus exhibeantur: conficit autem *Gal.* octo paſtillos, vt in quolibet paſtillo ſint *gr. ii. Elaterii*, nec tamen integra duo: vt autem tuta ſit curatio, ante horum paſtillorum adminiſtrationem præmitti debent clyſteres; & poſt paſtillos *mulſa* ℥vj. exhiberi debent: Communiter practicantes noſtro tempore exhibent pilulas ſingulis 30. diebus, ſed neminem curant: *Galeni* ergo imitatione, ſi malum contumax ſit, ſuadeo vt, ſi non alternis diebus, ſaltem ſingulis 4. vel 5. exhibeatis vnum è prædictis paſtillis. &c. *Capivaccius lib. 2. Pract. c. 2.*

IV. *Vomitoria* verò licet à nonnullis improbentur, tamen convenientiſſima ſunt, vt frequens experientia docuit, & non rarò hoc ſolo remedio paroxyſmus ſolutus eſt: Inter quæ principem locum tenet *aqua Nicotiana* exhibita ad ℥j. quæ cum ſaccharo reduci poteſt in ſyrupum: doſis cochlearia duo: dari etiam poteſt *ſal vitrioli* & aq. benedicta: Ratio autem cur vomitoria in hoc affectu tantopere proſint elegantiſſima eſt, Quia dum pituita tenuior à capite defluens, in aſperam arteriam & pulmonis bronchia ſeſe inſinuat, craſſior illius portio in ventriculum delabitur, illiuſque parietibus ita affigitur vt ægerrimè svelli poſſit: Interim vero dum calor illius debilis materiam illam exagitat, flatus craſſiores producuntur, qui ventriculum inflantes diaphragma comprimunt & difficilem reſpirationem efficiunt: vnde fit vt vacuato ventriculo ceſſet paroxyſmus, aut mirum in modum remittatur: Adde quod Aſthma interdum, (imò frequentiſſimè, juxta Sennerti ſententiam) ab humoribus crudis generatur circa hepar & in venis collectis, qui per venam arterioſam ad pulmones feruntur, & bronchia comprimentes aſthmatis cauſa ſunt: Hiſce autem humoribus purgandis, & à pulmone revellendis, maximè conferunt vomitoria: Quamvis hujus cauſæ ratione cathartica convenientiſſima ſint: *Riverius cap. de Aſthmat.* Felici ſucceſſu exhibitivomitorii ſexagenariæ, vehementiſſimo paroxyſmo aſthmatico ſuccumbenti, ex ℥x. *ſyr. Emetici Sala*, vide exemplum apud *Gr. Horſtium Probl. 5. Decade 4.*

V. *Clyſteres* non admittit *Ludovicus Septalius*, cum viribus proſtratis, & ſuffocationis periculo imminente, commodè injici non poſſint: Sed tamen vires non adeo ſemper oppreſſæ vt clyſterem non admittant, qui à pectore ſat commodè revellit: Acriores ergo & frequenter Injiciantur, ſed exigua quantitate, ne diſtenta inteſtina diaphragma comprimant. *Riverius.*

XVI. Id ſemper in *Pectoralibus remediis* ſtudendum vt benigna ſint & temperata: Nam ſi dentur nimis calida, præſertim initio, tenue in pituita reſolvitur, craſſum verò exſpuitioni ineptum redditur: Sæpe etiam per multum calida remedia materia aliunde ad pectus trahitur: Ac ſi quis temerè vtatur nimium Reſolventibus, ei ſi humor diſſolutus ſubito irruat, ſuffocationis imminet periculum. Lenia igitur in vſum accerſenda, quæ ad leniendum & dilatandum pectus faciant: Eorumque vſus frequens ſit, neque enim tenax pituita ſe facile emolliri & attenuari ſinit. *G. Hofmanaus apud Scholtzium Conſ. 92.*

VII. Conveniunt *Intercipientia* fluxionem, quia gravis orthopnœa tunc fit cum craſſis humoribus in Pulmone collectis, tenuis accedat materia confeſtim ex capite deſcendens: Hanc igitur intercipere oportet: Et quamvis ad illam Intercipiendam valeat *diatragantbum cum bolo Armena, Diacodion & Pilula becchica*, in ſuffocationis periculo, propter hanc tenuem fluxionem expedit aſcendere ad *opiata*: Licet enim *Galenus* 7. κατ' τόπ. c. 6. in omnibus ſpirandi difficultatibus Opiatorum vſum prohibuiſſe videatur; nihilominus 12. meth. 1. in hac ſuſpicione ſuffocationis concedit vſum opiati medicamenti: Itaque ad pilulas de cynogloſſa erit confugiendum. *H. Saxonia Pral. Pract. p. 1. c. 26.*

VIII. Medici quidam noſtri temporis in curatione Aſthmatis præſentis, ſumptâ, vt arbitror, ab humidiori morbificæ materiæ naturâ, indicatione, multum *ſiccantia* imperant ægrotantibus, velut aquas *è radice China, ſalsâ, ſaſſafras, viſco querno* & ſimilibus, Quæ quidem vt tempore intermedio vtilea ſunt, & a me quoque vſurpantur, ita præſente acceſſione minimè conveniunt: nec illa potui vnquam probare, quia nimirum rebellem magis ac contumacem reddunt, quæ expectorari debet, materiam, nimis exſiccando: Niſi pro illis diceremus talia commodari poſſe auxilia, vbi tenuis nec multa in pectore adſit materia; ſed hæc dyſpnœam potius quam aſthma aut orthopnœam efficiet. *Crucius de Quæſitis tract. 2. pag. 104.*

IX. *Ludovicus Septalius*, in animadv. Practicis, jura Galli veteris damnat tanquam inutilia vel potius noxia: Experientiæ, *inquit*, non reſpondent, & irrito ſucceſſu a me aliiſque Medicis fuerunt vſurpata: Quod ex longâ ebullitione nitroſæ illæ partes, quibus maximè prodeſſe jura illa creduntur, ſubſideant, atque in percolatione rejiciantur: viſcidæ autem, glutinoſæ, craſſæ, tum & perpingues, ex cute, pedibus, alarum extremis, muſculoſis & nervoſis partibus promanantes, maximè remaneant, vnde craſſior redditur materia

morbifica & expectorationi minus idonea : Purgantia verò & alterantia longâ ebullitione vires amittant : Verum non debet *Septalii* experientia tot tantorumque celebrium Medicorum, tum antiquorum, tum recentiorum, à quibus hoc genus remedii maximè commendatur, experientiæ præferri: Si enim quibuſdam ægrotantibus à ſe aliiſque curatis non contulerit, multa alia obſtare potuerunt: nempe vel prava ægrotantium diſpoſitio, morbique contumacia, vel cætera ad curationem ſpectantia non bene adminiſtrata, vel ipſum remedium malè præparatum: Quod verò dicit nitroſas partes longa ebullitione ſubtrahi; & in percolatione rejici, ridiculum eſt, ſubſident enim tantum partes terreſtriores: Nitroſa verò ſubſtantia in liquore ſimul recepta nunquam ſeparatur: vnde fit vt juſcula quò diutius coquuntur, eò ſalſiora evadant: Salſedo autem illa incidit, attenuat, deobſtruit, tantum abeſt vt juſculum ſalſedine illa præditum incraſſare poſſit materiam morbificam: Neque habent carnes, aliæque partes gallorum, ſubſtantiam adeo glutinoſam, vt ille fingit, qualis forte in vitulorum pedibus aliorumque animalium reperitur, ſed potius attenuantem, cum nitroſâ ſubſtantiâ maximè refertæ ſint: Ac denique purgatoria & alterantia, ſi juxta pharmaciæ præcepta, & ſ. a. decoquantur, vires ſuas integras in decocto relinquunt: Cum quotidiana apud nos experientiâ conſtet hujuſmodi jura perbelle purgare: Et ſi experientiam noſtram Septalii experientiæ opponere liceat, bonâ fide teſtari poſſumus nos ex hujuſmodi decoctis mirabiles effectus in aſthmaticis affectibus & doloribus colicis diuturnis ac contumaciſſimis percepiſſe: Hoc tamen in horum præparatione immutare ſolemus, quod nimirum pro vna tantum dozi, ſingulis diebus iteranda præſcribimus, metuentes ſcilicet ne ad plures dies aſſervata corrumpantur, aut ſaltem deteriora fiant. *Riverius ex Sennerto.*

X. Ventriculi figura quadamtenus oblonga eſt, quia in homine dorſum eſt latum, quò fit vt rotunditas ventriculi in longitudinem abeat: Qui habent rotundum ventriculum, ſtatim à paſtu difficulter reſpirant, ventriculo premente Diaphragma *ex Galeno in arte parva*: Hi ſi ſæpe & parum edant difficultate ea reſpirandi liberantur.

XI. *Diuretica* locum habere poſſunt in curanda aſthmatica acceſſione, non ſolum quando imminet impendetve, ſed tempore intermedio: Idque aſſero, non modò quia eſt veriſſimum vt plurimum eadem eſſe curationis quæ præſervationis remedia, verum etiam quia non ſemel experimento obſervatum vigente acceſſione aliquos ab ea tandem fuiſſe liberatos, nulla per tuſſim ex ore projectâ materiâ, ſed copioſis tantummodò, craſſis atque turbatis lotiis emiſſis: Quod etenim ea quæ intra pectoris & pulmonum cavernulas retinetur materia interdum per veſicæ ductus, magno cum ægri juvamine extra feratur, quotidianæ obſervationes docent. Tempore autem intermedio, & longè à paroxyſmo convenire poſſe diuretica non eſt cur dubitemus; per quæ nimirum humores noxii à pectore, capite & venis ad vias vrinæ avertuntur antequam in pectoris ipſius loca, reſpirationi dicata, impingantur: Nec raro videmus eos quibus caput facili negotio vel ab externis, vel ab internis cauſis repletur, & præcipuè dum incaleſcit, ſi copioſas mejant vrinas mox circa caput & alias ſupernas partes valde melius ſe habere: Tandem, conveniunt non aliter ac frequentes per alvum purgationes, etiam per medicamenta non adeo blanda ſed & validiora. Si ergo aliquis aſthmaticâ acceſſione tentatus lotia contrat craſſiora & copioſiora ſolito, indeque ab anguſtia pectoris allevari incipiat, nulla per tuſſim expectorata materiâ, cui dubium erit ſi diuretica ſimul cum pectoralibus offerantur poſſe valde citius eum ſanari? *Crucius de Quæſitis cent. 4. pag. 410.*

XII. *Acidulæ* in aſthmate nocent ſive ſymptoma ipſum, ſive cauſas perpendamus: quoad ſymptoma (difficultatem reſpirationis) procurandum vt ea libera ſit; at acidulæ acidæ & adſtrictoriæ id efficere nequeunt: Cauſa multiplex, frequentiſſima pituita craſſa, lenta, viſcida; aut vitrea & gypſea, vi caloris progreſſu temporis ex ea genita: at hæc ſiccanda non eſt, nedum vlterius refrigeranda: 2. calculi & grandines ex tali pituitâ ortæ: 3. crudum tuberculum pulmonum arteriis adnatum, quod eas coarctat: At his in cauſis vſurpantur fruſtra, quin earum vſu tales materiæ indurantur magis & ſiccantur: Niſi quis dicere velit convenire Acidulas præſervationis cauſa, quando aſthma nondum genitum, ſed antecedens tantum cauſa in capite collecta, quam ſiccare & evacuare valeant. *Sebiſius de Acidulis ſect. 2. diſſert. 2. p. 453.* Aquæ thermales, hepati refrigerando citra ventriculi noxam, vſuatæ, in ægrè ſpirantibus mihi ſemper valde ſuſpectæ fuerunt, quod præ nimia copia ventriculum diſtendentes, diaphragma ita premunt vt thoracem pro inſpirando aëre vix dilatare atque extendere poſſit vnde ſpirandi difficultas. *Zecchius conſult. 53.* Poſſunt quoque vtiles eſſe *Acidulæ* vbi aſthmatis cauſa tranſmittitur per venam arterioſam & arteriam venoſam, è genere venoſo, quæ ſic revellitur ac ad viæ vrinas abducitur antequam pulmones imperat, ſive ea ſit ſeroſus humor, juxta Piſonis doctrinam, ſive humores crudi circa hepar, imò vniverſo venoſo genere collecti: Aquas naturales ſulphureas bibitas probat Ioubertus, ſulphur enim de præcipuis expectorantibus eſt: tum ex cataclyſmo, vt loquitur Aurelianus, ad capitis & thoracis corroborationem.

XIII. Capitis, vt partis mandantis, & Pulmonum, vt ſuſcipientis, & nonnunquam materiam jugiter producentis, cura habenda: humidam vtriuſque intemperiem corrigendo, & laxos pulmones corroborando: In quem finem laudat, *Avicenna* jus galli antiqui, flagellati, exenterati & modicè ſaliti; *praſſio, hyſſopo, pulmonaria* & *botride* alteratum, per mentem exhibitum, præmiſſo bolo ex terebinthina & pulv. ireos parato: Verum quoniam capiti parum aut nihil auxiliari poteſt, ideo multo efficacius fuerit decoctum cum ſudore ℞. *ligni Guajaci, viſci qu. ana.* ℥ij. *aq. comm.* ℔iv. m. f. infuſio per horas xxiv. dein bulliant ad conſumptionem dimidii, colatura ſervetur pro tribus vicibus; mane, bora vna ante ſudorem exhibenda, præmiſſo hoc bolo, ℞. *extr. rad. helenii* ℈j. *flor. ſulph.* ℈ß. *m. f. Bolus*: Sudor prolectetur in hypocauſto, vt caput ſudet; non obſtante, quod objici ſolet, ſuffocationis periculo; locum enim ſolum habet præſente orthopnœa: Quod ſi in hypocauſto invaleſcat dyſpnœa, vt nonnunquam primis diebus contingit, lectum ſtatim petat, & ſudet patiens; deinceps enim ſudor, etiam in hypocauſto, diutius commode tolerabitur: Terminato ſudore, vt Pulmonum exſiccatio perficiatur, aquæ ſulphureæ adhibendæ, decem aut xij.

dicbus dejectoriæ, quinimo & pro ſtillicidio capiti maxime proderunt. *Raymundus I. Fortis conſ. vij. cent. ij.*

XIV. Orthopnœa præſente cautiſſime agendum, ne importunis remediis derepente Patientes è medio tollamur: Imo cum Medicus non ſemper præſens eſſe poſſit, inſtruendus æger vt ſibimet Medicus ſit: Ingruente itaque Orthopnœa illud maxime advertendum tunc temporis materiæ expectorationem non eſſe tentandam, ſed laxantibus internis & externis à bronchiis ad pulmonis cavitatem eſſe abducendam: dum enim catarrhalem materiam à capite delabentem, & à cavitatibus reſurgentem ſurſum trahere conamur, affatim ad bronchia eandem copioſiorem evocamus, vnde ſpiritus via omnino intercepta æger prorſus ſuffocatur, quod ego bis Medicis contigiſſe vidi: Quare quies primo ſtatim præſcribenda, frictionibus tantum infernarum partium adhibitis, ad materiæ in cavitate hærentis aſcenſum inhibendum: mox oleo amygd. d. rec. ſine igne præſto ſit, cujus aliquod ſemicochlear per intervalla præbeatur: Pectori vero apponatur omentum caſtrari &c. vt pote magis laxans, oleo amygd. perfuſum: vel eidem applicetur magna ſpongia, imbuta rad. malvæ, althææ lilior. alb. liquir. & ſemin. fœnugr. quæ non omnino expreſſa, & modice calens apponatur frequentius, nec refrigeſcere permittatur: Recedente autem acceſſione aliquod lene expectorans præbendum, cum ſcil. & materia concoqui, & à bronchiis anguſtioribus excuti inceperit, tunc enim à tuſſi & excretione materiæ levamen experietur, *Raimundus I. Fortis Conſult. 7. cent. 2.* Non imitandi plerique medicorum qui in illa anhelandi anguſtia, expectorantia perperam propinant, vt oxymel &c. ſic enim à pulmonibus ad bronchia attrahitur major materiæ copia, augeturque obſtructio & anguſtia cum ſuffocationis periculo. *Idem conſ.* 8. Hoc in vnum in memoriam revocandum, quod tempore acceſſionis non opus eſt à purgatione per ſputum initium curationis ſumere. *Mercatus.*

Aſthmatis therapeia.

XV. Circa *Aſthmatis* Therapeian duæ ſunt primariæ Indicationes Curatoria & Præſervatoria: prima docet quid agendum in paroxyſmo, vt laborans à præſenti periculo liberetur: altera quid extra paroxyſmum, pro cauſæ morbificæ ſublatione, ne affectio iſthæc ſæpius aut gravius repetat, moliri oporteat: Itaque paroxyſmo vrgente enitendum 1. vt ratione tum aëris tum pulmonis habita reſpiratio vberior procuretur, & 2. ne reſpirationis organa à ſpaſmis initis, & pervicaciter continuati ſolitis quam primum avocari & compeſci queant: Quoad *priorem*, ægrotans ſitu corporis erecto, in loco aperiori & modice perflato, à fumis & adſtantium halitibus libero collocetur: deinde navetur opera vt pulmones ab omni infarctu & oppreſſione interna, nec non compreſſione externa immunes facti ſpiritum altius ducere & reciprocare poſſint: In hos fines ne viſcerum inferiorum ὄγκος præcordia comprimat aut anguſtet, alvus ab enemate ſubducatur, veſtimenta laxentur; cumque inſuper in hoc caſu, aut à ſanguine intra vaſa pneumonica ſupra modum turgeſcente, aut à ſero inductus tracheales ex arteriis & glandulis depluente opprimi ſolent, vtriuſque humoris orgaſmi compeſci debent: hinc ſi vires ferent, & pulſus ſatis robuſtus fuerit, phlebotomia ſæpe convenit: Porro quæ ſanguinis æſtuantis ictum ac ſuperfluitates per vrinas & ſudores amandant ſedulo exhibeantur: cui intentioni apozem ata &c. Pectoralia dicta, egregie inſerviunt: quinimo pulveres teſtacei, mi lepedum præparata, ſpiritus & ſales volatiles cum ſuccis junguntur: Interim præterea exhibeantur quæ tracheæ ductus aperiant, lubricent, & expectorationem cieant; quæque inſuper, ſi opus fuerit, catarrhum in eos depluentem ſiſtant, in quos fines linctus, decocta pectoralia & ſuffumigia conveniunt: Quoad *alteram* in paroxyſmis aſthmaticis medendi *intentionem*, videlicet vt reſpirationis organa à ſpaſmis ſuis ad penſa ſua ordinaria tranquille redeant (niſi hoc ſponte poſt ſedatas ſanguinis & ſeri intra pulmones æſtuationes ſuccedit) (*Non enim tantum ratiocinio, ſed per obſervationes oſtendimus Aſthma convulſivum ſæpe inferri, quoties materies morbifica, in nervos pneumanicos delapſa, alicubi intra ductus eorum, & præcipue circa plexus hæret: vnde quoties ad plenitudinem aggeſta diſcuti & moveri incipit, propterea ibidem ſpiritus ſcatentes, & ad reſpirationis organa affluentes perturbati inque anomalias adiguntur, illique mox ſpiritus alios fibrarum pectoralium aut pulmonarium incolas afficiant, inque ſpaſmos irregulares & Aſthmaticos excitant.*) remediis antiſpaſmodicis & anodynis vtendum erit; etenim medicamenta in paſſionibus hyſtericis exhiberi ſolita, etiam in aſthmate convulſivo convenire ſolent: Spiritus c. c. fuliginis, & imprimis ſalis armoniaci cum gummi ammoniaco deſtillato; Item Tinctura g. ammoniaci, ſulphuris, caſtorei, aſæ fœtidæ, ſyr. ex ammoniaco, de ſulphure, oxymel ſcyllit. & ſimilia, quæ cum ingrati ſaporis aut odoris ſint, ſpiritus quaſi diſſipant, & à tumultibus retrahunt, nonnunquam egregie juvant: Quod ſi hoc modo ſpiritus debacchantes ſedari nequeunt, ad *Narcotica* perveniatur, vt quibuſdam profligatis cæteri in ordinem redeant: Enimvero ni obſtat pulmonum infarctus, cum inſigni præcordiorum oppreſſione, Opiata nonnunquam inſigniter proſunt: In horrendis morbi hujus paroxyſmis, cum alia medicamina minus effeciſſent, ſæpe bono cum fructu *Diacodium*, imo *laudanum tartariſatum* exhibui: Verum hæc non ſine magna cautione propinentur, quia cum reſpirationem (quæ jamjam difficilis & præpedita eſt) amplius & nimis impediunt, non raro in vitæ diſcrimen adducunt: Inſuper his, vt ſpiritus pneumonici à ſpaſmis ſuis avocentur, nonnunquam expedit ſpiritibus aliis in locis moleſtiam inferre: nam aliquibus vllibi afflictis, vt plurimum cæteri quique perculſi inordinationes ſuas dimittunt: quapropter veſicatoria, cucurbitulæ, ligaturæ & frictiones dolorificæ juvamen conferunt: Imo ob hanc rationem *vomitoria* in medio paroxyſmo ſumpta proſunt. Hæc de methodo in paroxyſmo, *Indicatio Altera Præſervativa* cauſæ morbificæ ſublationem intendens duos habet diſtinctos medendi ſcopos; vnus Pulmonis conformationem, ſi quovis modo læſa aut vitiata fuerit, emendandam: atque alter partium nervoſarum, & ſpirituum ad eas deſtinatorum anomalias tollendas molitur: Vtriſque his indicationibus ſatisfiet ſi remedia, vulgo dicta pectoralia cum antiſpaſmodicis conjungantur, atque horum vſus, cum medicamentis aliis, totius corporis præparationem, & ſymptomata emergentia reſpicientibus intercalentur. *Willis.*

XV. *a Spiritus ſulphuris* contra Aſthma exhibetur, verum hic diſtinguendum inter *idiopathicum*, quo ſpir. ſulphuris non habet introitum, & in-

ter *ſympathicum*, nidum circa hypochondria habens, quorſum auxiliatori ſulphuri ſuus quoque eſt introitus: majoris erit virtutis hic ſpiritus ſi cum gummi Ammoniaco deſtilletur. *Fr. Hofmannus Clavis Schrod. p.* 374.

XVI. Plerique Medici, poſt Arabes, inter *ſuffumigia*, ad exſiccandas & abſumendas reliquias materiæ in aſthmaticis, etiam *Arſenicum* admiſcere jubent, ſed malè, cum ſit ſummè venenoſum: Nonnulli innoxium credunt, quod exiguâ quantitate miſceatur; aliis medicamentis corrigatur, & ſuffitu facultas elicita non adeo corrodens malignaque exiſtat: cum venenoſæ qualitates, non in partibus tenuibus igne reſolutis, ſed in craſſioribus ac terreſtribus inſint: At non in parvâ quantitate arſenici pulvis admiſcetur, ſed ad pondus omnium: Imò in parvâ nocere poteſt: Thus, myrrha &c. addita noxam ejus non emendant: Notum quoque chymicis ejus fumos dum calcinatur ſummè eſſe noxios: Nec partibus heterogeneis conſtat, nam dum calcinatur totum in fumum abit: Error inde manavit quod Sandaraa Arabum & ſandaracha Græcorum malè confuſa ſunt: Sandarax enim Arabum, vulgo Vernix, gummi Iuniperi eſt, vi eximia ſiccandi præditum: vnde Arabes in ſuffitibus illis, qui ad reliquias humorum in Pulmone in aſthmaticis abſumendas adhibentur, illud rectè præſcripſerunt: Sandaracha verò Græcorum Arſenicum rubrum eſt: *Sennertus*. At quanquam noxius *Arſenici* vſus, non tamen inde colligendum, quod innuit Sennertus, Græcos illo non fuiſſe vſos: *Vim habet Sandaracha*, inquit Dioſcorides *adſtrictoriam & erodentem, cruſtas cum vehementi vredine & violento morſu excitat: datur ex mulſo purulenta extuſſientibus: Suffitur quoque cum reſinâ adverſus veterem tuſſim, rupto per fiſtulam nidore: vocem expedit cum melle delinctu. ſuſpirioſis cum reſinâ in catapotio optimè datur*, Sed licet in viam duxerint Græci, exulare tamen debet cum tutiora dentur remedia: Si cui periculum facere lubeat, vtatur is *Rubine arſenici Diaphoretico Tenzelii*, quem ſpicificum ait eſſe in affectibus pulmonum ex craſſis catarrhis: dozis à gr. v. ad viij. *Vide Schrederum Pharmacop. l.* 3. *c.* 27.

XVII. Cavendum in *apozematis* aut ſyrupis, aliiſque remediis, ne calida nimium & ſiccantia præſcribantur, quæ partes tenuiores abſumendo reliquum incraſſare poſſunt & ita affectum contumaciorem reddere: ſed humectantia permiſceantur, qualia ſunt paſſulæ, ficus, liquiritia, jujubæ &c. *Riverius.*

XVIII. An ipſa acceſſione Aſthmatis *ſulphure vivo* ſit vtendum dubito, quod, vt ſcio, veteres in remiſſione acceſſionis, atque in ipſo intervallo frequenter vſurpaſſe, ita quo tempore pectua præ labore in reſpirando magnopere flagrat, calida cuncta eſſe cavenda conſtat: Ammoniacum cum oxymelite ſimplici eo tempore feliciter exhibere conſuevi, niſi tamen miſcere placeret ſulphur, vel cum papaveris, vel cum alterci albi ſeminis pulvere. *Zecchius conſult.* 18.

XIX. Derivationis à capite, & à thorace aversionis gratia, non ſunt dimittenda *Errhina*, quale eſt quod ex mulſa & betæ ſucco paratur: vel ex aquæ hordei cum mannâ diſſolutæ portiunculâ & majoranæ ſucco: Valida autem hoc in caſu ea eo ſuſpecta ſemper habui, quod materiam à capite in palatum, & inde in os & pectus violenter deducere poſſint: Ob eandem quoque cauſam Apophlegmatiſmi hic ſuſpendantur. *Zecchius conſult.* 53.

XX. In Aſthmate inveterato, quod aliis remediis non cedit, probatur *Vſtio ſecundum collum, pectus, dorſum*: (niſi enim ad Vſtionem deveniatur, moriuntur) circa medium vertebrarum & circa medium coſtarum. Sint autem vſtiones mediocriter latæ, & mediæ inter ſuperficiem & profundum, ſinendumque vt vlcera diu fluant. Si materia fluens prodeat a capite, vſtio facienda in Suturâ coronali: Si foveatur à materiâ procedente à toto, vſtiones & brachiis & cruribus adhibendæ: Fiant in ſpatiis intermediis vertebrarum & coſtarum, nam oſſa prohibent exitum materiæ, *Capivaccius* Vſtiones fiunt à nonnullis variis in locis, quod mihi magis placet quàm ſinapiſmis vel dropacibus thoracem illinire, aut malagmatis, ad extrahendos ichoras, vt præcipit *Ægineta*; Cum enim craſſior materia Pulmonibus inhærens talibus non revellatur, ſed potius contra craſſior evadat, velut torrefacta, non aliâ ratione quàm diuretica nocent ejuſmodi epiſpaſtica, aut epiſpaſticis vehementiora. *Ioubertus.*

XXI. Ad caput roborandum & ſiccandum *Suffitus* præſcribuntur, qui tamen non conveniunt ore & naribus excepti, difficilior enim anhelitus efficitur, & paroxyſmus excitatur: Suffiantur ergo operimenta capitis extra cubiculum. *Riverius.*

XXII. Dubitatur an *Victus attenuans* Aſthmaticis conveniat, Quia *Galenus lib. de Attenuante victu* ſcripſit ejus ope, ſine vllis medicamentis, difficiles reſpirationes alioſque morbos diuturnos ſe ſanaſſe: Adducitur in contrarium Hippocr. aph. 1. 4. In morbis longis victum tenuem & exquiſitum, ſemper parum tutum eſſe: Verum res plana eſt, Aliud eſt λεπτὴ δίαιτα, victua tenuis, de quo Hippocr. dicto aph. Qui ſolam victus formam ac quantitatem reſpicit: cum ſcilicet ægro cibus coctu facilis, & quidem exiguâ quantitate, & minus ferè quam coquere poſſit offertur: cui opponitur Plenior victus: Aliud λεπτύνουσα καὶ λεπτυντικὴ diæta, Quæ ſolam qualitatem reſpicit, & victus attenuans eſt, qui viſcidos & craſſos humores in corpore extenuat; cui Incraſſans victus opponitur: De victu attenuante agit Gal. peculiari libello, in quo deſcribit cibos attenuantes, quod ſenſus mordeant & acres ſint, ciboſque illos ibi enumerat: Et tales cibos Aſthmaticis vtiles eſſe certum; An verò victus tenuis conveniat, valde dubium eſt, cum ex Hipp. in morbis parum tutus ſit. *Sennertus.*

XXIII. Vtrum copioſus *Potus* Aſthmaticis vtilis ſit, videtur controverſia apud *Galenum*: Ille enim 7. κατ. τόπ. c. 6. *Omnis potus modicus ſit in iis qui abſceſſum alicubi habent; multus contra in iis qui viſcoſis ac craſſis humoribus ſunt obturati: Etenim pharmaca quæ ejuſmodi ipſorum humores abſtergunt, neceſſario quidem tuſſes movent: non verò facilè per ſputum rejicitur quod abſterſum eſt, ob craſſitudinem videlicet, Quapropter humectatione plurima opus habent quo facile efferatur:* Contra docent Arabes, qui parcum potum illis concedunt: multus enim replendo ventriculum ſeptum tranſverſum comprimit, vnde difficilior reſpiratio: Dic in prandio & cœnâ parciſſimè bibendum, ob dictas cauſas & ne concoctio ventriculi lædatur: Noctu & interdiu copioſius, præcipuè coctione peracta. *Zucutus Pr. hiſt. lib.* 2. *c.* 7.

XXIV. Interdum flatus tam violenter diſtendit Pulmones vt præfocationem afferat, ni ſuccurratur

ratur aperto thorace per *Paracenteſin* inter 4. & 5. coſtam thoracis: quod ſæpius tactitatum Pariſiis, magno ægrotorum emolumento & Thoracis levatione, etiamſi aquæ nullæ effluxerint, ſed flatus cum violentia diſploſus: Hippocr. πνευματίαι dicuntur, quibus Thorax flatu diſtenditur. *Riolanus Enchir. l. 3. cap. 2.* Illa flatulenta materia primo & per ſe aliam aſthmatis ſpeciem interdum producit, quæ Aſthma flatulentum ſeu Hypochondriacum nominatur, quando ſcilicet flatus craſſi & copioſi, ab hypochondriis elevati, diaphragma comprimunt ejuſque motum impediunt, unde ſumma reſpirandi difficultas ſine ſtertore procedit. *Riverius.* Melancholici aliquando per breve ſpatium videntur ſuffocari, quia halitus craſſus in muſculis ſæpe continetur, præſertim id accidit ubi 4 thoracis muſculus afficitur, tunc tendines iſtius coſtis affixi, gratia conſtringendi pectus, ad fuliginum expulſionem, inertes à flatibus fiunt, ut non probe coarctent neque conſtringant pectus. *Sanctorius meth. l. 2. c. 10.*

XXV. Puellus Antifabri cujuſdam aſthmate ferè deſperato laborabat, nihil quicquam appropriatis ad hunc affectum remediis proficientibus: Tandem vocatus ego, protinus ſuſpicor *Mercurialis fumi* malignitatem hunc morbum produxiſſe; quod Parens confiteretur ſe per dies aliquot, ſub initium hujus affectus, in præſentia puelli deaurandis vaſis argenteis operam dediſſe: Mox igitur gr. xij. Mercurii dulcificati ſemel atque iterum exhibeo, cujus beneficio puellus ab imminente lethali ſuffocatione liberabatur. Sic quidam in ſeparatione metallicæ materiæ, aurifabris inſtar ſcoriarum reſiduæ, ſtrenuè laborans, in gravem dyſpnœam incidit, cui robuſto ſatis primo purgans exhibeo, ℞. laxat. minet. compoſ. gr. ix. pulv. Syrii gr. 6. Mercur. dulcif. ℈j. m. cum conſ. roſar. pro bolo: Hac evacuatione feliciter peracta, per Antimonium Diaphoreticum, cum pauxillo Theriacæ permiſtum, bis in lecto ſudorem provocavi, paucis diebus ægro reſtituto. *Gr. Horſtius l. 7. Obſ. 25.*

XXVI. Interdum fit Aſthma ab humoribus crudis & ſeroſis, à venoſo genere per arteriam venoſam in Pulmonem tranſlatis: Qui ad bronchiorum canales profluunt, verum Aſthma cum ſtertore producunt: Si vero in pulmonum ſubſtantia, vel in lævibus arteriis ſubſiſtant, Aſthma ſpurium faciunt ſine ſtertore: Hæc ſpecies, vulgaribus Medicis ignota, (nullam enim aliam cauſam præter fluxionem à capite agnoſcunt) confirmatur, non ſolum, ex ſtertoris carentia, ſed etiam ex eo quod in eo urinæ ægrotantium craſſæ & turbidæ eſſe ſolent, præſertim in paroxyſmo, quia humorum craſſorum & crudorum, in venis agitatorum, portio ad renes & veſicam tranſmittitur: Et nonnulli aſthmatici urinæ difficultati obnoxii ſunt, eaque vigente, ab aſthmate liberi: aſthmatis vero paroxyſmo præſente ceſſat urinæ difficultas, ob materiæ morbificæ in venis contentæ ad hanc vel illam partem decubitum: Vidimus etiam quoſdam Aſthmaticos alvi fluxui obnoxios, ita ut præſente alvi fluxu ab aſthmate liberi eſſent: eo verò ceſſante aſthmatis paroxyſmi redirent. Adde quod hæc Aſthmatis ſpecies, quæ ſine ſtertore fit, v. ſ. ita efficaciter oppugnatur, ut ea in paroxyſmo celebrata, quamprimum ſanguis fluere incipit, ægri ſtatim melius ſpirare incipiant, & in fine illius, aut poſt exiguum ſaltem intervallum, à paroxyſmo penitus liberati appareant: Ac denique hujuſmodi aſthmatici pleruṁque cachexiâ & pedum tumore œdematoſo laborant, quod oſtendit cauſam aſthmatis tunc temporis ab hepate proficiſci & in venis contineri, ita ut tandem in pleriſque hydrops conſequatur. *Riverius. Vide Sennertum quæſt. 2. & 3. ad caput. de Aſthmate, Carolum Piſonem. p. 220.*

XXVII. Hoc ſemel tantum, ſed iterum atque iterum clementer *purgandum*, quoniam chronica eſt ægritudo hæc. *Zecchius conſult. 53.*

XXVIII. Interdum obſervavi graves Aſthmatis paroxyſmos, ſine quavis notabili pulmonum labe contigiſſe: revera ut putaverim hunc morbum aliquando eſſe merè convulſivum, ejuſque inſultus ſolummodo excitari quia ſeroſa colluvies, particulis exploſivis referta, nervos Pulmonum, diaſtolen perficientes, ſubiens, ſpiritibus ibidem ſcatentibus accrevit: quibus poſtea ob plenitudinem, vel irritationem, confertim & aliquandiu elitis, pulmones velut rigidi & inflati detinentur, ut neq; ἐκπνοὴν neq; εἰσπνοὴν munia exequi poſſint: paroxyſmo autem finito, quin etiam priuſquam incipitur, reſpiratio libera & æqualis ſatis rectè ducitur, nullaque tuſſis, aut valetudinariæ pulmonum diſpoſitionis ſigna apparent: In pleriſque hoc morbo affectis Vomitoria imprimis conducunt, notante Inſigni *Riverio*, Sed ratio in eo conſiſtit, quod pharmacum illud emunctoria, circa primas vias condita, valde ſuccutiens & irritans, ex iiſdem ſanguinis & ſucci nervoſi recrementa in cerebrum & nervulum genus urgeri, aut reſtagnare apta, valide exprimunt & foras deducunt: *Zacutus*, non ſine ratione, cauteria modo in bregmate, modò in nuchâ, aut circa axillas inuſta valde prædicat: millepedum præparata, ſc. in forma pulveris ſicci, aut liquoris deſtillati, rarò ſucceſſu carent: Talia nempe ſeri ſuperfluitates à capite ac nervoſo genere avocant, ac ad vias urinarias deducunt: valent & cathartica blanda, decoctum galli veteris, ac alia aſthmati appropriata. *Th. Willis Pathol. cerebri c. 12.* vide infra §. 35.

XXIX. A quarta, 5. & 6. vertebrâ cervicis miſſus eſt ſurculus nerveus ad ſeptum tranſverſum: quare ſi hoc amitteret, vel deficeret in motu, ob hujus nervi caput affectum, à ſemi anguſtia ob compreſſionem, vel ictum, unde ſuborta eſſet diſpoſitio ſcirrhoſa; tunc ut ſeptum in bonum ſtatum reduceremus, confugiendum eſſet ad cervicem, non ad pectus. *Sanctorius meth. l. 2. c. 9.*

XXX. Ex *cauterio in ſincipite* aut *utroque brachio* ſcio nos operam & oleum perdere, & citra fructum moleſtiam ægro inferre. Illud enim conſtanter affirmo revelli non poſſe materiam frigidam ex cerebri ſubſtantia deſtillantem per colatorium in pulmones, factis iis in locis emiſſariis; cum non ſit vix aliqua accommodata per quam hoc genus remedii opem ferre poſſit: Nam ut in ſ. m. revulſiva tundimus venas communes, ſic in aliis auxiliis revulſoriis opus eſt adeſſe communitatem ſocietatemque viarum per quas trahatur humor, alioquin fruſtra laboraremus, at hic ejuſmodi via deſideratur. *Horatius Augenius lib. 4. Tom. 2. p. 469. Epiſt.*

XXXI. *Aëtius* ad derivandam materiam ad partes thoracis laudat *Rubrificantia* quædam, ut fricationem thoracis cum pumice, cum ſcylla, urticis: Gal. 11. meth. c. 17. ad extrahendam materiam quæ in pulmonibus eſt, præter alia calorifica laudat quoque *cucurbitam* ipſi thoraci affixam: Sed notandum ab iis auxiliis abſtinendum cum fluxio fit à capite, nam augebunt fluxionem: Neque cum corpus eſt plenum, ſed tantum in orthopnœa ex pri-

maria pulmonum repletione, & poſt vniverſales evacuationes & revulſiones. *H. Saxonia Prel. pract. p. 1. c. 26.*

XXXII. Poſtquam *Adr. Spigelius* plurimum deditus experimentis deprehendiſſet in orthopnoicis diſſectis inflammatam aſperæ arteriæ tunicam, ob materiam tenuem ac bilioſam ipſi infarctam, diuturnæ orthopnœæ acceſſiones *medicamentis ſcammoniatis*, vt Pilulis cocciis, aureis, & hujus generis cæteros levavit. *Rhodius cent. 2. Obſ.* 28.

XXXIII. Non deſunt qui *intercipientibus* quoque utantur in periodica ſpirandi difficultate, ſub acceſſionem, in quorum tamen uſu cautiſſime agendum, cum materiam in bronchiis, ſi quæ adſit, denſare atque firmare poſſint, non ſine ſuffocationis periculo, cujus cauſa opiata in aſthmate à Galeno omnino damnantur. *Fortis conſult. 7. cent. 2.* Durante tamen affectione, opera danda ut materia intercipiatur, quod optime præſtabit ſequens remedium, ℞. *laudani nepenthes Quercet. j. aut gr. iß. diapenid.* ℨj. aſſumatur hora una à cibo, Et niſi præſto ſit laudanum, ſubſtituatur *Philonium* ad ℈j. *Idem conſult.* 8.

XXXIV. Toto & partibus à materia catarrhali jam genita expurgatis, ejuſdem regeneratio inhibenda, humidam capitis intemperiem corrigendo, & Pulmones eodem tempore exſiccando, ſine quibus nihil: Id autem nullo tutiori & commodiori modo præſtari poterit ac obtineri quam *propriæ decocto* cum Sudore, qui omnino hypocauſto proliciendus, caput exſudet, vberioris humiditatis fons & origo: Primis tamen diebus moretur in hypocauſto, ſed ſudet in lecto: in progreſſu vero diutius hæreat, non tamen vltra horæ dimidium: Nec admittenda objectio à Medicis vulgaribus fieri ſolita, de Capitis caliditate aut Suffocationis periculo, Etenim quoad primum, Eatenus calor caput lædit, quatenus ab eo liquatur humiditas in capite hærens, in quo liquata permanet, quæ tamen ſi liquata ab eodem calore fundatur, & per ſudorem educatur, nulla capiti à calore noxa, quin potius levamen: Secunda vero locum habet, præſente ſolum orthopnœa: quare ſi patiente in hypocauſto commoranti, ingraveſceret ſpirandi difficultas, ut primis diebus quandoque contingit, tunc ſtatim egrediatur, & ſudet in lecto, in progreſſu enim ſudor in hypocauſto commode tolerabitur. *Fortis conſult.* 21. *cent.* 2.

XXXV. Ex dira ſymptomatum cohorte Scorbuticorum, nulli primatus potiore jure attribuitur quam *difficili reſpirationi*, & *pectoris anguſtia* per paroxyſmos iuvadenti: oriri plerumque arbitror vel à ſubitanea jam tum grumeſcentis prope ſanguinis in anguſtioribus pulmonum permeaculis ſtagnatione, vel ex irritatione convulſiva nervorum ſpirandi organis inſervientium: In priori caſu ſumma adeſt præcordiorum diſtenſio, indeque quaſi immobilitas, cum rubore faciei ſubliveſcente, caligine oculis offuſa, lipothymia, pulſu parvo, debili, intermiſſo, ac ægrotum de ſalute ſua deſperatione conjuncta: In poſteriore autem nec multum arythmo variat cordis arteriarumque pulſus, & ſicca tuſſis vrget, cum anxia præcordiorum conſtrictione, altiſſimiſque ſuſpiriis gravem anhelitum interpolantibus: Sanguini præ ſua craſſitie in circuitu per anguſtias pulmonum ſtagnanti ea debentur quæ ipſum potenter attenuando, incidendo, exagitando, fluxilitati requiſitæ, expeditiorique in orbem motui reſtituunt, 1. Enemata carminantia, ad revellendum, 2. venæ ſolutio, vbi plethoræ phænomena; ita enim imminuto ſanguine, reliquum & facilius attenuabitur, & citatiore motu permeabit anguſtias pulmonum. 3. thoracica calidiora paris efficaciæ antiſcorbuticis aſſociata, ſc. *Tinct. croci, enul. camp. caſtorei, elixir propr. conſ. alkerm. flores ſalis armon. benzoini, ſalia volat. viperarum, fimi equini; ſpiritus ſalis ammon.* cochlear. vel per ſe vel cum convenientibus vehiculis, exigua ſed iterata doſi: hæc enim optime intercalant hujus affectus inſultum, idque ſanguinem à coagulatione abſtinendo, Nam coagulatum cruorem reſolvi à ſale volatili, aqua diluto, experientia compertum, neque præter volatilia ſalia quicquam aptum ad coagulationem illam prohibendam aut ſolvendam reperitur: Aſthmati Scorbutico, ex *nervorum pneumonicorum convulſione* (*vide ſupra* §. 28.) medelam ſpondent antiſpaſmodica, quibus ineſſe compertum eſt facultates obtundendi, ſupprimendi, diſcutiendi irritantem illam humorum vaporumve acrimoniam: Hoc nomine celebrantur *Spiritus* ſalis amnon. cornu cerv. fuliginis, ſanguinis humani, cranii, caſtor. lavend. compoſitus, appropriatis liquoribus contemperati, & repetitis identidem hauſtulis, dum vrget ſpirandi difficultas, aſſumpti; valent & caſtor. galban. aſſa fœt. tincturæ horum in aq. raphani compoſ. vel lumbric. magiſtrali extractæ: At in hujuſmodi Dyſpnœa ægroto ſuffocationis diſcrimen interminante, nullum præſentius eſt remedium quam *Laudani opiati* (vide §. 15.) paucula grana in vino Hiſpanico generoſo diſſoluta, adque tincturæ extractionem infuſa, tum cochleatim ſubinde exhibita: hujus quippe faſcino placidiſſimo, & hypnotica benignitate, tanquam demulcente Mercurii caduceo, humores in tumultum acti componuntur ad quietem, qui acrimonia nervis infeſti mitigantur, & vapores flatulenti, qui ſpiritibus immiſti animalibus, non ſolum in nervos vitalium vi punctoria ſæviunt nonnunquam, aſt ſæpe etiam per habitum corporis vbique diſcurrentes, admirandas partium in muſculis diſtorſiones, motuſque convulſivos excitant) ſupprimuntur, ac per leves demum ſudores, à ſomno erumpentes diſcutiuntur. *Gu. Charleton de Scorbuto p.* 212.

RHEVMATISMVS.

SYLLOGE.

Differt à catarrho & arthritide cauſis & curatione. 1.
Sangu. miſſionis *præſtantia.* 2.
Purgantia *quando præſcribenda.* 3.
Diureticorum *vtilitas.* 4.
Sudorifica *non ſemper juvant.* 5.
Roborationi *partium ſtudendum.* 6.
Curatus in juvene. 7.
(Vide *lib. 6. tit. de Febre Rheumatiſmi comite.*)

I. Licet Catarrhus Rheumatis nomine donetur apud Græcos, differt tamen ab eo Rheumatiſmus: Catarrhus enim à cerebro tantum exoritur, & vnam ſolum aut alteram partem infeſtat, cum Rheumatiſmus ab internis viſceribus, tum venis & arteriis procedat, & in corpus vniverſum effundatur. Vulgus Arthritidem vniverſalem nominare

minare ſolet: In hoc enim, ut & arthriticis affectibus, dolor articulorum reperitur: Sed eò differunt quod in arthritide ſoli articoli dolent: In rheumatiſmo verò non hi ſolum ſed & totum corpus, media ſcilicet inter articulos ſpatia, muſculi nimirum eorumque membranæ, ac præſertim perioſtia, totuſque corporis habitus: imò verò interdum corporis partes internæ, vt ventriculus, inteſtina, vterus, pulmo afficiantur. Cauſa proxima humor eſt ſeroſus, qui ob tenuitatem partes in tumorem non elevat, & ob ſubſtantiam ſuppurationi minimè idoneam, nullum unquam abſceſſum producit: ſed tantum diſpoſitionem quandam inflammatoriam ex ſeri fervore oriundam: Origo primaria hepati fervidâ intemperie affecto adſcribenda, debiliorique, quod ideo alimentum non ſatis nutritioni convenientem generat, & totum corpus pari imbecillitate afficit, ut ita ſuperfluorum receptioni reddatur maximè idoneum: Ex eadem hepatis intemperie & imbecillitate multus fit pravorum humorum proventus, qui in venis & arteriis diutius retenti pravam quandam acquirunt corruptelam ibique colliquantur, & in ſeri ac ichorum naturam abeunt, & tanquam onus grave pelluntur à natura ad partes ignobiliores, cùm ſatis robuſta non ſit ut eos extra corpus omnino eliminare valeat: illi autem humores, ſumma acrimoniâ præditi, partes ad quas feruntur pungunt & feriunt, vnde dolorum origo: At quanquam prima humorum generatio in hepate fuerit, iitamen ad cerebrum delati, immediatè interdum ex eo defluunt; dolores enim in cervice incipiunt, poſt ad humeros & brachia diffunduntur. Humorem autem eſſe ſeroſum patet, Primo, Quod nulla ſit coloris mutatio, abſentia ferè tumoris, niſi humor valde copioſus ſit: Secundo, Ex doloris mobilitate: Tertio, Ex ſolutione affectus per ſudores: Quarto, Ex ſignis pleonexiæ ſeroſæ, ſcilicet urinis tenuibus & copioſis; ſeroque in ſanguine miſſo redundante: Flatus tamen concurrunt ad dollorum productionem, nec enim dolor tam citò permutaretur, adeſſetque pondus aut dolor in partibus dolentibus. *Riverius.*

I I. Singulis diebus ab initio *ſanguis detrahendus* eſt, donec morbus remiſerit & dolores imminuti fuerint: Nec refert ſi per x. aut xij. dies, aut etiam plures, ſanguis detrahatur, cum id peculiare ſit huic morbo vt ex frequenti venæ ſectione vires non dejiciantur: Ideo mihi in vſu eſt, dum venæ ſectionem adeo frequentem præſcribo, ne terreantur ægri à toties repetita, hanc reſtrictionem addere, vt ea continuetur ſingulis diebus donec imminuti fuerint dolores, aut vires multum debilitatæ: cum autem virium dejectio inde non emergat, eam ægri liberè patiuntur: Tolerantiam facit ſanguinis conditio, qui admodum putris ſemper educitur: vtilitatem oſtendit experientia, cùm ex ea repetita morbus, propriâ naturâ longus, intra breve ſpatium ſæpe evincatur: prætereа hæmorrhagia larga ſuperveniens ſæpe ſolvit. *Riverius lib. 16. cap. 3.*

I I I. *Purgatio* in affectus principio, augmento & ſtatu nullum affert auxilium, imò noxia eſt, fluxiones irritans & dolores intendens, quemadmodum in omnibus affectibus inflammatoriis evenit: At in declinatione neceſſaria eſt, & multoties præſcribenda, blandiſque medicamentis, vt per epicraſin cacochymia in toto reſtagnans educatur. Si mitiores non ſufficiant, ad affectum ſæpe contumacem prorſus eradicandum, modo febris abſit, ad validiores confugiendum: Ego ſemper affectum ſuſtuli, poſtquam alia rem abſolvere nequierint, Mercurio dulci ſexies ſublimato, aliquoties exhibito ad gran. xx. cum ſcammonii vel reſinæ Iulapæ gran. x: vide *Obſervat. meas. Obſervat. 41. Centur. 3.* Vnicus clyſter ex vino emetico paratus hunc affectum curavit in muliere: *Obſervat. 22. ibid. Idem.*

I V. In Rheumaticis affectibus, quando colluvies ſeroſa, prava & acris, ex organorum ſanguificationi inſervientium intemperie calida generata, in habitum corporis externum cum dolore *intenſo*, vago & ſuccedaneo, caloris & totius corporis gravitatis ſenſu, nonnunquam etiam in internas exoneratur partes, iſti abſorbendæ *Diuretica* valde conveniunt, idque *Hippocr.* conſilio lib. de Humor. *Fuſos*, inquit, *humores ne intus intercludas, ſed ſuperfluos reſiccato, quippe ſive educere velis, ſive ſecus, melius eſt attenuatoriis vti, quia ſic facilius medicamentis educes, aut per vrinam purgabis, quàm ſi adſtringentibus cohibueris & coegeris.* Ex conſenſu *Galeni 15. Simplic. 13.* A diureticis, *ait*, non attenuatur modo, ſed & funditur ac ſecernitur ſanguis, non aliter quam in lacte fit, in quo quod ſeroſum & tenue eſt ſeparatur, quod craſſum cogitur in ſe & exactè vnitur. *Fridericus Hofmannus Method. Medendi. lib. 1. cap. xij.*

X X X V. *Sudorifica*, vt & *purgantia*, initio, augmento & ſtatu proficua non ſunt, imò valdè nocent: quod vulgares Medici experiuntur, qui veri catarrhi ſpecie deluſi, & morbi contumaciæ pertæſi, ad ea confugiunt, vnde morbus geminatur & dolores intenduntur: At in declinatione, præmiſſis generalibus, abſenteque febre, plurimum conferunt: *Idem.*

VI. Poſt ſufficientes vacuationes, imò dum illæ celebrantur, partium principum & totius corporis *roborationi* incumbendum: quam indicationem *Galenus 1. de diff. feb. c. 6.* vbi Rheumaticam affectionem exponit, reliquis præferendam aſſerit: *Meritò his curandis ſcopus eſt, non evacuatio, ſed totius corporis roboratio:* Quod quidem ita intelligendum, non quod nulla omnino competat vacuatio (is enim & ſanguinis miſſione & purgatione vtitur) ſed quod magis & frequentius roborantibus: Minus verò & parcius purgantibus agendum. Illa autem roborantia refrigerantia eſſe debent, ob fervidam hepatis intemperiem morbi originem: Horum maxima ſuppellex reperitur: Ex his quatuor efficacia & minus ingrata proponimus: Primo, Tincturam corallorum, cujus ℥ij. dentur mane duabus horis ante paſtum, diebus vacuis ab aliorum remediorum vſu. Secundo, Conſervam fructus cynorrhodi, guſtui gratam, hepar refrigerantem & levi adſtrictione roborantem. Tertio, Elect. Triaſantali quadruplicato Rheo: Quarto, Tincturam roſatum: Quæ alternatim vſurpentur, ne natura vni aſſueſcat. *Riverius ibid.*

VII. Iuvenis corripitur Rheumatiſmo vniverſali, omnes prope articulos invadente, cum febre aſſidua & ſumma vrinarum cruditate: Per 6. ſeptimanas vſurpata remedia, dolores tamen in varias partes vagabantur ac ſæpe recurrebant; Decies ſecta vena, dati Iulepi refrigerantes & incraſſantes, his autem leviter purgatus: Tandem exhibitus bolus ex conſerva roſ. cum calomel. gr. xx. extr. Gialap. gr. vj. tertio quoque die, multa ſeroſa & pituitoſa dejiciebat:

quo remedio quater vſurpato dolores omnino ſublati ſunt, poſtmodum tumores oëdematoſi, qui in nonnullis articulationibus, præſertim pedum remanebant, emplaſtris reſolventibus & roborantibus diſcuſſi ſunt. *Lazarus Riverius Cent. 3. Obſ. 41.*

RVCTVS.

(Vide *Lib. 18. Ventriculi affectus.*)

SYLLOGE.

Non ſemper frigiditatis ſoboles. 1.
Acidus euporiſto curatus. 2.
Aſſiduus valida purgatione ſuperatus. 3.
Ructus moleſtus ambari vſu curatur. 4.

I. FAlluntur qui Ructuum acidorum frigidam duntaxat cauſam eſſe putant, Sæpe enim Iecur calidius hæc ſymptomata ſuſcitat &c. Vide *Tit. de Ventriculi concoctione læſa* §. 5. ex *Enchirid. Med. Pract.* Ructus acidos facere & pinguia, & caſeoſa & mellita, & ex ſeſamo parata edulia teſtatur *Hippocrat. lib. de affect. ſect. 2. v.* 184. contra eos qui acidos Ructus a frigidis excitari credunt, dum ratiocinationibus nimis intenti, quæ ſenſibili experimento dignoſcuntur, neque percipere poſſunt. *Martianus in v. 60. ſect. 2. l. 2. Epidem.* Obſtructiones in meſenterio aliquando deliteſcunt, ex cruditatibus in ventriculo genitæ, quæ ſiccitatem & aduſtionem contrahunt, dum temporis proceſſu à jecoris fervore, abſumpta earum parte humidiore, in terreſtrem & melancholicam naturam ſunt converſæ, vnde alvus ſicca, Ructus & flatus dolentes, qui rebus calidis ſolent ingraveſcere, quia exhalationum potius quam vaporum naturæ ſunt participes, quod pleriſque Medicorum erroris cauſa eſſe ſolet. *Fortis Conſult. 6. Cent. 3.*

II. Dom. N. longo tempnte laboraverat *Oxyregmia*, variiſque vſus nihil proficiebat, imò in dies macreſcebat; Dixi non eſſe adeo curatu difficilem affectum, vt non, vel vnius aſſis pretio, evinci poſſit; ac juſſi vt grana 5. vel 6. piperis integra, mane, quinque horis ante prandium, jejunus deglutiret: quod cum peregiſſet ſpatio 3. aut 4. dierum, nullum deinceps ſenſit oxyregmiæ veſtigium, dejecta appetentia reſtituta, concoctio juvata, vnde totum corpus refocillari viſum. *Riverius Cent. 4. Obſerv. vltim. ex additis.*

III. Cuidam adeo moleſtus ac difficilis erat aſſiduus Ructus vt in extremis verſari videretur cum ad eum vocarer: Vſus fuerat fruſtra multis remediis: huic initio exhibuimus *Pilulam* vnam *Iliacam Rhaſis*, decem granorum pondere; per quam vitioſis ac fœtidis humoribus nonnullis expurgatis, melius habere videbatur, poſtea paucis diebus interpoſitis data grana xv, tertiò ℈j: quo ſumpto, & expurgatione pravorum humorum ſuccedente, qui antea lecto affixus veluti moriturus jacuerat, ſurrexit, & quocunque libuit ambulavit & cibum cum appetentia ſumpſit. *Dodonæus c. 36. Med Obſ.*

IV. Mercator craſſiorem pituitam quotidie per vomitum excetnebae quinqne menſium ſpatio, & exhauſto pene ventriculi calore in Ructum incidit ita moleſtum vt ne momento temporis deſineret: Pro qno periculoſo malo, hydropem minante, plurima expertus eſt auxilia, Demum *Ambari* vſu in mero diſſoluti omnino convaluit: Hoc potu jejuno ventre vſus fuit toto anno, ſumptis ejus gr. iv. cum Falerni ℥ ij. permixti. *Zacutus Pr. Adm. l. 2. Obſervat.* 8.

RVPTIO FLATVLENTA.

Carminativis ſedata.

CVidam bis contigit, id quod & in aliis obſervavi, vt ſubitam Crepaturam quaſi & fragorem perciperet, atque inde ſuffocationem ſibi jam jam inſtare putaret, ex repentina vtpote flatuum alicubi deliteſcentium diſperſione, dum nimirum multitudo eorum, priuſquam alio ſe conferret, pulmonem & thoracem moleſtat: Accurrebat ad me attonitus & anhelans, ſed audita ſententia mea facile acquievit, & ad carminantium vſum malum ceſſavit. *Ph. Salmuth Cent. 3. Obſ. 61.*

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

De Affectibus à litera S. incipientibus.

SALACITAS, VENVS LANGVIDA.

(Vide *Aphrodiſiaca lib.* 19.)

SYLLOGE.

Camphora Venerem an extinguat. 1.
Cachexea laborantium ad venerem proniorum curatio. 2.
Cantharidum uſus ad excitandam periculoſus. 3.
Venus imperfecta *ob ſemen fluidius.* 4.
Ob occultum recti inteſtini ulcus. 5.
Teſticulorum refrigeratio effœminationem inducit. 8.
Languida flagrorum uſu ſuſcitata. 9.
Roborato corde excitata. 10.
Poſt nimiam venerem ſanguinem mittere licet. 6.
Venerem compeſcentia non omnibus danda. 7.

I. CAMPHORAM *Venerem* extinguere teſtatur *Avicenna l. 2. tr. 22. c.* 133. quando ait, Camphora ſeminaria vaſa refrigerat, ſemen cogit ac impiſſat, & ſic abſcindit coitum: quare teſtibus & lumbis illita Veneris ſtimulos coercet & extinguit: Huic ſententiæ plurimi ſubſcribunt: Vulgus etiam in hujus rei notitiam venit, hinc quidam ſuibus ſine caſtratione ſaginandis, unam atque alteram drachmam, camphoræ devorandam offerunt, & ita libidinem extinguunt: *Scaliger Exerc.* 104. expreſsè contra dicit, exemplo allato canis leporariæ, cui quamvis exhibita camphora, & naribus indita, coivit, concepit, peperit: Item juvenis, qui ipſam in manu habens validiſſime coivit; At experimentum de cane nihil probat, quia plurima tum canis, tum alia bruta devorant innoxiè quæ homo nequit: amygdalas amaras, nucleos perſicorum ab hoc ſalubriter edduntur, quæ ſues & gallinas necant; Sturnus cicutam, coturnix veratrum, gallina araneas innoxie vorant, homini venena: Quod affert de juvene inſufficienter probat, ſolo enim odore Venerem non reprimit Camphora, quæ id ſolummodo majore doſi exhibita & aliquoties præſtat, non autem in minori, qua potius cor & vires roborat: Probat exemplo *Rhazes lib. 4. continent. tractat. 3. cap.* 11. Phlegmaticus quidam, ait, ſumpſit ter in potu in a v. diebus aurei pondus ſex de camphora, & eâ inciſa fuit ipſius luxuries penitus, tamen debilitatus eſt ſtomachus &c. Qualibet itaque vice ſumpſit de camphora aureos duos id eſt ℈viij, ut vult *Zacutus lib. 3. de Medic. Princip. Hiſtor.* 20. *Iulius C. Scaliger Exercit.* 104. §. 8. cani leporariæ, cum catuliret, camphoram dedit in potu, in offa, dedit in nares, quo refrigeſceret, eamque quotidie collo appendit; in naturam etiam inde jubebat, ipſa tamen coivit, concepit, peperit: Vere teſtor me idem non ſemel fuiſſe expertum, Eſt in vicina Iuvenis vegetus & ſalax, cui meo juſſu, (ut vanitatem monſtrarem incredulis) in omni fere potu ac cibo camphora per aliquot ſeptimanas à matre data eſt, ipſe tamen minime receſſit ab indole ſua puellarum amantiſſima: Secus qui ſentiunt, falſa nituntur hypotheſi, quaſi camphora foret frigida; at ſit talis, quæ tamen inde conſequentia? Et ruta & vitex Venerem ſopiunt, non ſunt tamen frigidæ temperiei. *Ch. Franc. Paulinus in C. anni 76. Obſ.* 231.

II. Si qui cachexiâ laborant, aut atrophiâ, ſint ad Venerem promtiores & valentiores, iis ſemen extinguentia, frigida & ſicca, aut ſicca cum magno calore, non ſunt præſcribenda; Non

enim à calore, aut ſeminis copia id pendet, ſed quia ſemen flatulentum, latius diſtendendo mentulam, repletionis ſpeciem præbet, & membrum dilatando ad expulſionem diſponit, flatus autem fiunt à calore imbecillo ob cacochymiam: Et qui atrophiâ laborant, aut malè dormiunt, hoc ſymptoma patiuntur: Oportet itaque partes illas inferiores conſtringere, & flatus diſcutere, calorem intendendo, adjuta facultate concoctrice hepatis, ventriculi & venarum: Medicamenta autem multò melius in forma pulveris, ſine multo ſaccharo parantur, Nam ſaccharum & mel, aliaque dulcia, ventriculum laxando, flatus gignunt, & maximè quando humiditatem paucam adjunctam habent: Folia autem menthæ ſicca apponi debent, tunc præſtantiſſimum fiet remedium: minuit enim ſemen mentha, & ventriculum corroborat adſtrictione levi, & calfacit: Et quia ſemen audaces homines & furibundos reddit, vulgo dicitur, Tempore belli neque edendam neque ſerendam mentham. Addendæ etiam inunctiones circa renes & pudenda, illas partes adſtringentes. *Rondeletius de Med. int. p.* 1003.

III. Plures, inter quos & duos Nobiles novi, qui *cantharidibus* vſi fuere ad excitandã venerem, alter quidem vt ſcorto, alter vt novæ nuptæ ſatisfaceret, at infelici planè ſucceſſu: Ille enim in periculoſiſſimum ſanguinis mictum incidit, vt nonniſi magno labore reſtitueretur: hic vero ſecundo ſtatim à nuptiis die paraplexia extinctus eſt. *Ph. Salmuth. Cent. 3. Obſ.* 23.

IV. Quibus ſemen eſt acre ſuapte natura ad venerem excitantur, & citiſſimè ſemen reiiciunt, aut illis ob tenuitatem effluit ſine magno ſenſu, & ante ſecundum concubitum, aut citius detumeſcit, atque langueſcit mentula, quam mulier ad expulſionem parata ſit: Ad eorum curationem non quæ venerem movent, nec quæ eam extinguunt ſunt danda, ſed quæ ſemen craſſius, ac quæ flatus augent: Spiritus autem craſſos reddunt caſtaneæ elixæ, poma, oryza in lacte cocta, pineæ &c. *Rondeletius p.* 1002.

V. Illuſtris quidam ad me venit Impotentiæ remedium quærens: ad vetulas, aut quæ alias peperiſſent facilè arrigebat, eaſque inibat, ſed virgineo clauſtro perfringendo impar, quia ad primum labiorum contactum ſemen emittebat, ſed imbelle & prorſus aqueum ſeroque ſimillimum: Optimi erat habitus, euſarcos: Dixi, cum in corpore tam ſano impotentiæ aliam cauſam non invenirem, videri mihi illum inteſtini recti vlcere laborare: indeque paraſtatas, aliáque ſemini præparando & ejaculando neceſſaria vaſa, putri aura in horas afflata, ſemen generare quod longæ tenſioni culis & florido coitui non ſufficeret: Mirantibus hanc me afferre cauſam, dixi me olim in Italia illum vidiſſe caſum, & meminiſſe lectum in hiſt. mirab. *M. Donati*. Mox encolpiſmum ex ſolo melle concinnatum imponi curo, ſtatimque multo pure craſſo oblitum reduxi: Injicio deinde per ſyringam muriam, à qua cum poſt aliquot iniectiones, mundato ſcilicet vlcere, valde dolere ſe diceret, cenſui curato illo vlcere illum ſanatum iri: At ipſe neglectâ curâ diſceſſit &c. *H. ab Heers Spadac. Obſervat. x.*

VI. Non audiendi ſunt qui volunt poſt nimium concubitum *phlebotomiam* interdici: cui ſententiæ credidi olim, dum præceptorum veſtigia ad vnguem ſequerer, a qua ſtatim declinavi vbi rationes cum judicio agitare cœpi, nec ſine vtilitate multorum, qui vel ſtatim, vel poſtridie à concubitu, in febres graves & moleſtos renum dolores inciderunt: Quibus profectò non longè minorem ſanguinis copiam detraxi quàm ſi concubitus non præceſſiſſet: ſumpta indicatione potius a morbi ſpecie, eiuſque magnitudine, & venarum plenitudine, quam à falſa opinione ſuperfluæ evacuationis: Cum languor virium, qui concubitum ſequitur, non tam ab evacuatione fiat materiæ ſanguineæ (quamvis ſemen ex ſanguine gignatur) quàm ex reſolutis corporis viribus ex labore & æſtu, qui neceſſario coitum ſequuntur. Sed eſto quod celerius & copioſius ex ſuperflua venere, non ſolum vitales ſpiritus, ſed & animales & naturales abſumantur, quam ex laborioſa alia corporis exercitatione, Num ideo tanta in ea fit materiæ exiſtentis in genere venoſo evacuatio, vt ſi contigerint renum inflammationes, quæ plerunque à nimio concubitu fiunt, ſanguis non debeat mitti? cum dictæ inflammationes excitentur ab affluxu ſanguinis calidioris in dictas partes & lumbos nimio motu calefactos? certè non, Imò celeriter detrahi debet, dum fluxilis eſt, ne longiori mora parti infixus abſceſſum faciat. Nec venæ ſectione parcendum ſi febris prehenderit ſine lumborum dolore, ſi illius magnitudo requirat, cum veneri dediti, vt potentes ſint, vino & genio plerumque indulgeant. *Botallus lib. de Sang. miſſ. c.* 18.

VII. De iis quæ occulta vi ſemen & Venerem extinguunt, monendum cautè ea vſurpanda, & nonniſi in monialibus ex iis virginibus quæ certis de cauſis conjugium inire non cupiunt: In virginibus verò quæ id non detrectant, ab iis abſtinendum cum ſterilitatem inducant. *Sonnerius.*

VIII. Ex militibus id cognovi, dum per fluvios ducti fuere, ita quidem vt genitalia aqua tangerentur, effœminatiores eſſe redditos. *Ph. Salmuth. cent. 3. Obſ.* 91.

IX. Admirationem commovet, quod ad palæſtram veneream nonniſi *flagellatione* in quibuſdam pars languens erigi potuit: Exemplum mihi patefactum de viro vxorato: Is copia ſeminis gravatus & ſtimulatus, erectione deficiente ancillam invitavit vt ferula ſe feriret; cuius flagellationis beneficio, agitato ſanguine, & calefactis partibus ignavis, materia moleſtans prolectata fuit. *Diotericus Iatrei n.* 100. Vide *Meibomium* de flagrorum vſu in re venerea.

X. Iuvenis annor. 24. ſanguineus cum phlegmatis participatione, devenit ad impotentiam ſolitam erectionis virgæ, & mecum conqueſtus dicebat ſe ſentire quandoque nocumentum aliud, & adhibito remedio ad cor convaluit. *Savonarola Tract. 6. cap. 20. rub.* 1.

SALIVATIO MORBOSA.

SYLLOGE.

Cauſa & curatio. 1.
Quædam ſpontanea non ſiſtenda. 2.

I. DE *Salivatione* longe clarius diſtinctiuſque hoc tempore pronuntiare poſſumus quam olim, poſtquam non tantum viæ, vaſaque Salivam in ora deferentia innotuerunt Anatomicis

eis; non ita pridem, verum Partes quoque in quibus præparatur eadem, vel ſecernitur à ſanguine, Glandulæ puta, & quidem non *Conglobata*, ad quas & à quibus feruntur Vaſa Lymphatica, verum *Conglomerata*, viis certis & ductibus, per quos in cavitatem determinatam ſuos liquores corpori vtiles effundunt donatæ: Quemadmodum igitur in ſtatu hominis naturali & ſano defertur Saliva ſola ex Glandulis Maxillaribus Conglomeratis in os, ita non raro in ſtatu ejuſdem p. n. & morbido defertur vna cum eadem Saliva humor, vel pituitoſus & viſcidus, vel ſeroſus & tenuis: In hiſce præſertim regionibus ſatis frequenter ſponte contingit Salivatio, non tantum infantibus dentientibus, verum ſcorbuticis multis, ac melancholicis ſputatoribus factis: Idem frequenter factum in Aphthis obſervavi: *Sylvius de le Boë Append. ad Praxin Tractat. 3. §. 306. & ſequent.* Humores qui frequentius per Salivationem ſponte evacuantur, ſunt plerumque Pituitoſi, tam tenues quam glutinoſi: aliquando acidi quoque & ſalſi, quippe qui pituitæ admiſcentur facile ac intime, habentque hi omnes aliquam cum Saliva affinitatem; Quemadmodum vero melancholicis multis evenit, vt tenue ſputum copioſum excernant, indeque vocentur Sputatores; ita non paucis ſenibus pituita multa, eaque ſatis glutinoſa ſcatentibus evenit, vt Salivam itidem copioſam, ſed craſſiorem excernant, eamque inſipidam, vnde moleſtiam quidem patiuntur, non vero inſigne damnum: Non deſunt autem, quibus non blandi, ac pene inſipidi, ſed acres imo acerrimi humores, nunc fluidiores, nunc tenaciores continua Salivatione ex ore effluunt exciduntque, quique non tantum lintea & pannos laneos, ſed corium quodvis rodant & corrumpant, ægroſque noctu diuque miſerrime per annos multos ad mortem vſque torqueant & tandem necent: Tales plures vidi: & cum dolore, poſtquam ipſos nec à me, nec ab aliis vnquam curatos vidi, quamvis ſubinde aliquod attuli levamen, nunquam vero ſanationem: Pleriſque autem à partibus inferioribus ſentiuntur aſſurgere acrea halitus, qui caput circa tempora mire miſereque lancinent, quas crudeles lancinationes ſolet excipere mox humoris acerrimi effluxus ex ore, à quo magis rodantur quam conſumantur gingivæ, cæteræque in ore exiſtentes partes: Tales autem Purgantibus vix vnquam levantur, magis anodynis & narcoticis, aliiſque humorea acres temperantibus, tum concentrantibus. *Idem method. Med. l. 2. c. 13.*

II. Quemadmodum autem Salivationis ſpontaneæ ſpecies ſunt ſymptomaticæ, ita non raro in hiſce regionibus obſervavi Salivationes ſpontaneas, ſed criticas, ægroſque ab affectibus chronicis fœliciter liberantes: Nec mirum; ſicut enim affectus chronici omnes ortum habent à pituita tenaci, craſſa, glutinoſa & viſcoſa, illam ſaltem habent ſuæ cauſæ primariæ conjunctam, ejuſdemque humoria ortus debetur maxime Salivæ, ita ejuſdem cum ſaliva evacuatio videtur facilior, cum idem ſanguineæ maſſæ junctus iterum ab eadem ſponte ſecernitur, vt excernatur cum Saliva. *Idem ibidem.*

SANGVINIS FLVXVS.

(Vide *Lib. 4. de Dyſenteria.*)

Vtilis Laudani vſus.

IN Dyſenteria, primis ſcilicet diebus, poteſt exhiberi Laudanum, ad ſiſtendum fluxum & emendandam materiæ acrimoniam: Innoxium eſt adeo vt Domin. *Falaizeau*, Medicus Regius, fruſtra tentatis omnibus remediis, vlcere magno & deplorato in inteſtino colo laborans à Dyſenteria perfecte convaluerit, eo bis in die aſſumpto quotidie, per quatuor aut quinque menſes continuos, primo longe a cibo, poſtea, atque id vtilius, immediate ante paſtum: Dom. *De Lilgroſſlanlt* Dyſenteria ad convulſiones & nigra excrementa deductus eodem convaluit. Dom. *Alcens* in eodem affectu, primo ad ſingultum, mox ad convulſiones vniverſales, tandem ad piceas fæces redactua cum eſſet, pene tabidua & mortuo ſimilis, affectu exiſtente epidemico convaluit. Domicella *De Bignons* eodem tempore à Dyſenteria in *hepaticum fluxum* lapſa, etiam convaluit. In iſtis ſæpe ad ſiſtendum ſaltem humoris impetum grana tantum duo exhibebam. Domicella *Dugné* ſtatim ab initio ſumpſit, quum merum ſanguinem, nonnunquam ramentis permixtum cum cruciatu ſæviſſimo reiiceret; dormivit, ſedatus fluxus, bis ſumpto remedio purgata fuit, bis iterum laudanum ſumpſit: intra quatuor aut ſex dies convaluit. *Th. de Mayerne Tract. de Laudano MS.*

SANGVINIS SPVTVM.

(Vide *lib. 8. Hæmoptyſis.*)

Laudanum mire confert.

IN ſanguinis ſputo, eiuſdemque vndequaque erumpentis fluxu, Laudanum vel per ſe detur, vel cum aliis, v. g. croco Martis, extracto radicis tormentillæ, tinctura corallorum. Domin. de *Geanmont*, quod vena in pulmonibus exeſa, ob diuturnam puris excretionem per ſputa, cœpit affatim ſanguinem profundere; hoc medicamentum exhibitum fluxum ſiſtebat, & placide revocato ſomno vires reparabat. *Idem.*

SCABIES.

(Vide *lib. 8. Habitus vitia.*)

SYLLOGE.

Non vna & eadem originis ratio. 1.
An conveniat Sanguinis miſſio. 3.
Purgatio *eſt neceſſaria, & Indicationes curativa.* 2.
Non curanda ſanguine impuro. 11.
Sanguis primo purificandus. 7.

Obſtructiones ſi adſint ea removendæ. 8.
Contumax Sudorificis *cedit.* 4.
Non omnibus tamen conveniunt. 5.
Cucurbitulis *curata.* 6.
Fonticulo in brachio dextro. 9.
Cingulum Mercuriale *an periculoſum.* 10.
Pertinax purganti Mercuriali ceſſit. 12. 7.
Pulveris viperini *uſu curata.* 13.
Volaticæ *Scabiei curatio.* 14.

I. E*Ruptiones Puſtuloſas* quod ſpectat, humor glanduloſus cum pluribus, ita potiſſimum tribus hiſce modis depravari, proindeque diatheſin cum ſero à ſanguine recens affuſo coagulativam inire ſolet, Primo, Ipſe ſanguis valde impurus, ſimulque diſſolutus, corruptelas & recrementa ſua vbertim in glandulis cutaneis relinquit, quæ ibidem fermenti magis corruptivi naturam induentia, cum ſuccis alijs adventitiis, aut pertranſeuntibus efferveſcunt & varie coagulantur, adeoque affectus non ſolum ψωρώδεις, verum & leproſos diverſimodos pariunt: Hinc piſcium cruſtatorum, quin etiam aliorum, & quadrupedum ſalitorum, & ſole aut fumo induratorum comeſtio crebra & aſſidua; item potus incongrui, & pharmaca venenata aſſumpta, eruptiones cutaneas paſſim, & non raro horrendas cient. *Secundo*, Humor glandulis cutaneis aggeſtus, interdum mera ſtagnatione non tantum ψωρώδης, ſed etiam frequenter φθειρώδης evadit, quare non tantum diu incarcerati, ſed etiam qui vitam ſedentariam agentes, ſqualori inſuper & pædori aſſueſiunt, prædictis affectibus degunt obnoxij; quatenus latex cutaneus minime eventilatos, liquorum putreſcentium ritu, mera ſtagnatione corrumpitur, adeoque fermenti φθαρτικοῦ indolem adipiſcitur, cui inſuper à ſanguine perinde etiam depravato putredinis complementa accedant. *Tertio*, ſi forſan hæ cauſæ defuerint, vt cutis humor glanduloſus nec à ſanguinis vitio, nec propria ſtagnatione labem vllam contrahat, attamen miaſma virulentum ab extra communicatum, cum quoad morbos iſtos nihilominus prolificum reddi certum eſt: Ex obſervatione maxime vulgari hoc liquido conſtat, in quantum maxime ſani, & conſtitutione optima præditi, vix vnquam in eodem lecto vbi ſcabioſus ſimul decumbit, aut nuper decubuit, impune dormiunt, nec ita tantum, quin & ſcabioſorum ſudaria aliis in eodem lavacro lotis ejuſdem affectus ſæpe contagium impertiunt: Nullius certe morbi labes (peſte tantum excepta) facilius aut certius quam Pſoræ propagatur. *Willis Oper. poſthum. ſection. 3. cap. ſexto.*

II. Circa Scabiei curationem duæ occurrunt primitiæ indicationes; Prima *Curatoria*, quæ duo reſpicit, vt humor glanduloſus (fermento ejus corruptivo penitus extincto) ad debitam craſin reducatur. Secundo, Vt ipſius cutis pori & meatus concretionibus ichoroſis liberati confirmationem priſtinam, ſeu εὐφορίαν recuperent: Secunda Indicatio *Præſervatoria* hæc duo præcavet, Primo, Ne Pſoræ impuritates & miaſmata corruptiva à cute (dum fermentum expugnatur) excuſſa, in ſanguinem ac liquorem nervoſum regurgitent, iiſque non tantum dyſcraſias, ſed inſuper (vt ſæpe aſſolet) cerebro aut præcordiis noxam graviorem inferant; Secundo, item navetur opera vt humorum & partium nobilium labes à materie ψωρώδη prius contracta, dum cutis vitia emendantur, eradicari poſſint: Omnes hæ medendi intentiones per remedia tum interna tum externa ſimul vſurpata, vna complicari, aut ſaltem intercalari debent; nempe vt materies morbifica loculis ſuis excuſſa, in nullas uſpiam latebras ſecedere & deliteſcere queat, quin ex omni parte, intus & foras per medicamenta impetita in totum amoveatur, Itaque *Purgantia* hanc medendi methodum ſemper inchoare debent & finire, Quanquam *Helmontius* pharmaciam catharticam cum magna pompa exagitat, & quaſi triumphatam ducit, quia per ſe Scabiem non curat: affirmare tamen licet morbum hunc ſine iſta medicina vix vnquam facile, nunquam vero tuto ſanari. *Willis Operis Poſthumi ſect. 3. cap. 6.*

III. An convenit *Sanguinis miſſio?* Reſpondet affirmative *Conciliator*, ſed cum limitatione, ſcilicet cum materia Scabiei adhuc intra corpus continetur, Nam cum ejus materia ſit ſanguis cum acribus humoribus commiſtus, ſequitur venæ ſectionem conveniens eſſe remedium: Adde quod effectus non tollatur niſi primum illius cauſa auferatur, quod ſic commode fit: Imo paſſioni vniverſali, qualis eſt Scabies, vniverſale remedium, qualis eſt venæ ſectio convenire videtur: At vbi nihil peccantis humoris amplius in venis adeſt, nulla S. M. opus eſt: Diſtingue ergo inter Scabiem jam factam, quæ non amplius ab affluxu materiæ fovetur, Et inter illam quæ eſt in fieri.

V. Si contumax & magno cum prurit u Scabies eſt, eam feliciter tollunt Sudores, continuis viginti diebus, moti à floribus albis & fixis antimonij, cum decocto vel ſpiritu guajaci: Sic reſtitui medicinæ ſtudioſum & quendam Bohemum. *Hartmannus Pr. c. 24. §. 4.*

V. Abſtinendum tamen ſi affectus ex calida & ſicca hepatis δυσκρασίᾳ proveniat, ex calidiorum enim adminiſtratione magis effervеſcit, ſuccedente majori attrabiliariorum humorum deuſtione: Quidam ſtudioſus, totius Scabie ſicca infeſtatus, cui corporis conſtitutio calidior, ab vſu hujus decocti, ℞. *China, ſalſepar. ana.* ℥ v j. *lign. ſaſſafras, radic. Rhod. cichor. ſcorzoner. ana.* ℥ j, *infund. in aqu.* ℔ x i j, *decoque ad medietatem*, In toto corpore adeo fuit inflammatus vt à cura deſiſtendum fuerit: Quin in aliis etiam Pſoricis, & lepra Græcorum defædatis, tam infauſtum curæ eventum obſervare contigit, licet non tantus calidiorum exceſſus commiſſus: *Auguſtinus Thonerus Obſervat. 3. lib. 4.*

VI. Patritius Vlmenſis *Genevæ* commoratus, Scabie infectus, conſilio Medicorum vna vice x v i i j. *Cucurbitula* in diverſis corporis extimis partibus affixæ: Cum Domin. *M. Mullerus*, Venetiis Scabie inquinatus degeret, Medicorum ſuaſu ipſi x x i v. cucurbitulæ admotæ, Et ambo felici ſucceſſu à ſpurcitie illa immunes redditi; Etſi vero curæ illæ ad ovum ac votum, nihilominus ſi quiſpiam Medicus conſimilem medendi proceſſum apud nos inſtituere attentaret, nullum illi obſequium ſperandum. *Idem Obſervation. 2.*

VII. Scabiem curaturus præ primis ſanguinem emundet, In hujus enim impuritatibus ſalinis, vitriolatis, aluminoſis illa ſtabulatur: Curam vero abſolvunt Mercurius dulcis & vitæ, Arcanum coralli-

rallinum, Extractum panchymag. ſimiliaque etergentia: *Hartmannus Prax. cap.* 24. §. 1.

VIII. Quod ſi quæpiam obſtructio eſt, ea prima depellatur quam purgationes fiant, ſine quibus ſcabies inveterata vix cedit. *Idem* §. 2.

IX. Ego laborantes Psora & Prurito manuum, præſertim dextræ, cum nullis remediis illam intemperiem curare poſſem, adhibito *Fonticulo* brachio dextro curavi. *Glandorpius Gazophyl. p.* 119.

X. Empirici pro *ſcabie infectis*, & iis qui in peregrinationibus à Pediculis immunes eſſe volunt, cingulum parant duorum transverſorum digitorum latum, & ex limbo panni adaptatum, *Mercurio crudo* & axungia porcina vulgari modo extincto imbutum, quod lumbis nudis accingitur: Matrona annorum al. robuſta, obeſa, conſtitutione corporis humida, cum menſe Februario ob pruritum & ſcabiem levem *cingulum* hoc induiſſet, & per tres heddomadas dies noctesque geſtaſſet, à ſcabie quidem & prurit u liberata eſt, ſed ſucceſſit Salivatio, gingivarum exulceratio, capitis gravedo, quam ſequutus catarrhus in ſiniſtrum latus cum ejuſdem impotentia: Affectum hunc ob abuſum Mercurii superveniſſe certum, qui humores ex intimis corporis partibus ad caput evexit. *Heldanus cent.* 5. *obſerv.* 93. Vide *Bartholinum* cent. 3. hiſtor. 79. miſcellan. curioſ. anni 1671. *Williſium* Oper. poſth. ſect. 3. cap. 6. *Mindererum* lib. Thren. med. cap. 14. *Hochſtetterum.* Dec. 3. caſ. 7. At metum hunc hic de nihilo eſſe cenſet *Frider. Hofmannus clavis Schrod. l.* 3. *c.* 15. *pag.* 263. ſi vniverſalibus præmiſſis Topica Mercurialia rite præparentur & applicentur: Vnde & *Petraus in Noſolog. Harmon. Tomo* 1. *p.* 395. Vnguenta Mercurialia, *inquit*, in contumaci ſcabie tuto ac vtiliter exhiberi poſſunt ſi univerſalia præmittantur, & inutilis ac nocivus latex prius ex corpore exterminatus ſit: Non tamen ejuſmodi Topica ex magna rerum innumerarum congerie conflata ſint, majori cum ſucceſſu & celeriori effectu operatura: Hæc externe adhibita *Mercurialia*, rite præparata, tantum abeſt vt naturæ motum impediant, vt potius verminoſos, putres, ſalſos ac mordaces humores præcipitent, quæ cauſa etiam quod ex Mercurio ſublimato, & Mercurio vivo, emergat Mercurius dulcis, quod hic vim habeat ſalium corroſivorum texturam immutandi, præcipitandi, atque etiam edulcorandi: Et ſi quæ ſymptomata interdum oriuntur, non tam ex Mercurio, quam vitioſorum humorum colluvie, & ſiniſtre adhibitis remediis proveniunt: Inde & ruſticus ille *Th. Bartholini* omnes illos cingulo ſuo reſtituit qui pura corpora crebro medicamentorum vſu obtinuerant, cacochymicos exitio eripere non potuit: Hic ruſticus Mercurium cum ol. diſt. junip. ſubegit, & in maſſam formavit, cingulo inducens, quo ad omnes affectus malignos, cancros, vlcera mali moris, & dolores artuum commendavit. Quibuſdam in locis receptum eſt *Arcanum corallinum in Lue venerea* cum vngu. roſaceo miſcere, illudque pro arcano etiam in contumaci ſcabie habent.

XI. Novi quendam, qui accedente vere, naturaque humorem noxium ad cutem tranſmittente, non vacuato corpore, quum cacochymus eſſet, *vnguento* illitus, parato *ex oleo myrtino, ceruſſa, lithargyro, intra* noctem repreſſo humore, & ad viſcera refluente, velut ſuffocatus extinctus eſt: *Zacutus Pr. Adm. lib.* 3. *Obſ.* 51. Quidam cum nimio ſcabiei pruritu vrgeretur, infuſione ſublimati corpus lavit; at intra paucas horas veſicæ per totum excitatæ: paulo poſt leipothymiis & ſyncopis laceſſitus adeo fuit, vt mors proxima fuerit, ſed cardiacis fricatus evaſit. *Borellus cent.* 2. *Obſ.* 92. Monachus neglectis vniverſalibus, ſcabiem vnctionibus depulit, vnde mox ſupervenientibus ſalſis humoris defluxionibus, ad pulmonem delapſis, ſanguinem per intervalla tuſſi rejecit, tandemque hectica accedente obiit: In cadavere reperti pulmones omnino corrupti magnaque ex parte in ſcirrhum indurati. *Velſchius Obſ.* 65. *vbi plura alia exempla.* Epilepſiæ ſequutæ ad intempeſtivam curationem vide exemplum apud Trincavellium l. 2. c. 6. Pract.

XII. Adoleſcens fœda ſcabie torquebatur, cum furunculis frequenter emergentibus, à quibus affectibus liberari non potuit v. ſ. & purgationibus multis intra ſex menſes vſurpatis: Tandem ei exhibetur Mercurii dulcis ℈j. cum diagrid. ℈ß. quibus optimè purgatus & intra paucos dies liberatus. *Riverius cent.* 1. *Obſ.* 02.

XIII. R.P. contraxerat *fœdam Pſoram* per totum corpus à quinque vel ſex annis, pro qua infinita remedia fruſtra tentaverat: Nos in tam contumaci morbo ſolâ viperarum carne vſi ſumus: eas modo coctas in aquâ cum pauco ſale comedebat, juſculum deſuper bibens: eas aliquando torrefactas & in pulverem verſas, quo pulvere vtebatur in cibis, cum ſaccharo, cinnamomo aut aliis: Tota æſtate ultra clx. viperas comedit: quare renovata cute totus alter factus eſt; & qui valde ſenex apparebat, quaſi juvenis factus eſt, robuſtior videlicet ſolito, ad cuncta obeunda aptior: Vſus viperarum vix eſt vtilis niſi ad longus tempus: *P. Poterius Centur.* 3. *Obſervat.* 81.

XIV. Scabiei ſpecies eſt quam *Volaticam Fallopius* vocat, quia volando videtur per totam cutem vagari: certè viſa eſt quæ vnâ nocte totum occuparet corpus: Medicis haberi pro efflorescentia ſanguinis ſolet: Quam rectè curatio oſtendit, quam adeo præſtare non potuerunt, vt è contrario ſæpe ad internecionem uſque malum invaluerit, reſpuendo omnem Medicinam: Hoc caſu, præmiſſis purgationibus & ſudationibus neceſſariis, ſecretum optatiſſimum eſt in ſanguine, qui recens à partu ex utero prodit vna cum ſecundina, ſeu tota, ſeu aliquota ejus parte, ſi nempe eo abluatur locus affectus: Tantæ hoc remedium efficaciæ eſt, vt & rarò neceſſe ſit repetere, & protinus volatica quaſi emortua cadat: Hoc ego infinitas periculoſa ſcabie infectas curavi: vnctiones hic minime conveniunt. *I. Hartmannus Pr. Chymiatr. cap.* 147.

SCORBVTVS.

SYLLOGE.

Non ſoli Septentrionales illi ſunt obnoxii. 1.
Parca ſit ſanguinis miſſio. 5.
Ampla vena ſectio quando ex vſu. 6.
Maculis erumpentibus poteſt vena ſecari. 10.
Purgatio *ſit rara & per epicraſin.* 7.
Purgantia varianda pro cauſa indole & ægri temperamento. 9.
Specifica *vi agentia ſunt vſurpanda.* 8.
Eorum calor & acrimonia corrigenda. 2.

Succus plantarum decocto præferendus. 3.
Ejus curatio non multum diſcrepat à curatione affectionis hypochondriacæ. 4.
Saccharata *nocent.* 8.
Multi affectus pro Scorbuticis habentur qui non ſunt. 11.

I. VSus nos docuit hanc noſtram regionem Scorbuto non omnino carere, quia ſi omnibus circumſtantiis ſtipatus non ſit quæ ab authoribus Septentrionalibus referuntur, quædam tamen ſymptomata præ ſe fert ad illius naturam ſtabiliendam ſufficientia, quorum non pauca in pluſſimis ægris animadvertimus: primum atque evidentiſſimum eſt affectio gingivarum, oris, & dentium: in gingivis adeſt rubor, pruritus, putrefactio, ſanguinis effluxus, teterrimus odor: quæ affectiones interdum faucibus & palato communicantur: tum etiam dentibus, qui vacillantes ac nigredine infecti reperiuntur. 2. Maculæ crura & tibias invadentes: 3. difficilis reſpiratio & pectoris anguſtia, à craſſis vaporibus diaphragma impetentibus, necnon à tumore pancreatis humore craſſo repleto. 4. laſſitudo ſpontanea & gravitas corporis: 5. vrinæ variæ, interdum craſſæ cum ſedimento rubro & craſſo, ſine calculi ſuſpicione, interdum tenues: 6. Pulſus debilis & inæqualis ac ferè formicans, 7. dolores varias corporis partes occupantes, interdum lumbos, unde lumbago à nonnullis dicitur. 8. variæ motus læſiones, vt modò ſpuria paralyſis oriatur, modo motus tremuli & convulſivi: 9. alvi fluxus, ſimplex, vel ſanguineus, 10. Oris gravis anhelitus. 11. horror frequens, quem calor non ſubſequitur. 12. febres intermittentes à vulgarium febrium characteribus longè diverſæ. 13. Tumores in variis corporis partibus, aliàs duri, aliàs molles: 14. ſumma atrophia. *Riverius.*

II. Cum humori Scorbuti cauſæ, crudo & craſſo, varii alii abundantes in corpore admiſceri poſſint, iique ſæpe bilioſi & calidi: ac humores in hypochondriis detenti effervescant quaſi, & calorem quendam concipiant, cavendum ne medicamentis nimium calidis malum exaſperetur, præſertim in plagis meridionalibus, in quibus humor melancholicus aduſtus eſt & ad atræ bilis naturam accedit: itaque non incommodè cum ſero lactis talia exhibentur. *Sennertus.*

III. Rectè de medicamentis Scorbuto propriis monent authores, in ſuccis maiorem efficaciam eſſe quàm in decoctis, quod teſtatur experientia: Efficaciam enim habent à ſale volatili, qui coctione diſſipatur & exſiccatione plerumque evaneſcit: in ſuccis verò & conſervis ferè integer manet: multò minus præferenda ſunt extracta: Etſi enim è quibuſdam plantis non inutilia parari poſſint; cum tamen virtus in ſale volatili præſertim conſiſtat, fieri non poteſt quin diſpergatur: Sal enim iſte cum ſpiritu vini, vel quocunque alio qui ad extrahendum adhibetur, liquore, ſeſe vnit & avolat, & corpus ita ſale hoc deſtitutum, ac maxima ex parte inefficax relinquitur. *Idem. Hofmannus* m.m. pag. 49.

IV. Curatio hujus affectus eadem inſtituenda eſt quæ hypochondriacæ affectionis, quandoquidem ab eodem humore generatur, ſed à ſtatu naturali magis recedente: Ideo plerumque potentioribus eget remediis: *Riverius.*

V. Largiorem ſanguinis miſſionem, monente Galeno, morbus hic reſpuit: Si verò morbus hic jam radices egerit, & ſanguinis magna adſit corruptio ac cacochymia cum nulla ſanguinis abundantia, eaque ita totum corpus occupaverit vt jam maculæ efflorescant, & alia externa ſigna in corpore hinc inde appareant, vix v. ſ. tentanda, ne puriore & ſubtiliore ſanguine effluente, & craſſiore illo & viſcido in venis ſubſiſtente, vires ægri debilitentur; ſed tum potius ad cacochymiæ ſcorbuticæ præparationem & vacuationem accedendum: *Sennertus.*

VI. Aperiendam medianam ſeu baſilicam lato ſcalpello monet Wierus, vt non ſolum tenues ſanguinis ſed & craſſiores partes evacuentur. *Si autem* vires quodammodo jam ſitubent, latam ſectionem improbat *Foreſtus*, ne multum ſpirituum exhalet & vires vlterius dejiciantur.

VII. Præparationem & purgationem quod attinet, cum ſcorbutus fortia purgantia non ferat, ſed iis exaſperetur potius, quod monet Eugalenus, omneſque eruditi Medici, ipſa experientia edocti teſtantur, neque vna vice humores vitioſi evacuari poſſint, Purgatio per ἐπίκρασιν rectiſſime inſtituitur, ita ſcilicet vt materia primum præparetur & coquatur, & corruptio ac putrefactio humorum ſuperetur & cohibeatur, deinde purgatio levis inſtituatur: Et cum materia ſcorbutica non ſit ejuſdem ſubſtantiæ, ſed ex diverſis humoribus miſta, iterum ad præparationem accedatur, & hinc, ſi opus ſit, medicamentis idoneis humores præparati ſurſum evacuentur. Quod niſi obſervetur, & materia adhuc cruda, & ſpecifica humorum corruptione nondum ſuperata purgantia exhibeantur, materia mota & conturbata anxietates multas parit: Imò obſervatum non paucos citra purgantium vſum convaluiſſe, vſurpatis attenuantibus, incidentibus & antiſcorbuticis: *Sennertus.*

VIII. *a* Omnia Saccharata ſcorbuticis & hypochundriacis ſunt hoſtilia, ideoque ab eorum vſu abſtineamus; in ſcorias enim non ſolum abeunt affines ſalibus in ſcorbuticorum hypochondriis deliteſcentes, ſed & Lieni inimica ſunt *Celſo* lib. 4. c. 9. Nam bilem movent, fermentant humores, obſtructiones viſcerum pariunt: *Mœbius Epiſt. Inſtit. pag.* 529. Et illorum ex vſu, teſte Hippocr. ἐξοιδέει ἢ μέγας γίνεται ὁ σπλὴν: quapropter & *Dornerelius* præfat. *Diſpenſat.* & *Greg. Horſtius* l. 7. Obſervat. ea ſcorbuticis interdicunt. *Frid. Hofmannus m. m. pag.* 345.

VIII. Non eſt de nihilo quod monet aliquoties *Eugalenus* Medicos, alias doctos, fruſtra in hoc morbo, quem non rectè cognitum habuerant, curando laboraſſe, qui proculdubio & alterantia, & aperientia & vacuantia vſurparunt atque confortantia, ſed fruſtra, cum cacochymiam ſcorbuticam cognitam non haberent: Neque enim quælibet aperientia, vel humorem melancholicum alterantia hic ſufficiunt, ſed ſemper ea vſurpanda & admiſcenda quæ humoris hujus naturam reſpiciunt. *Sennertus.*

IX Cum ſcorbuti cauſa in ſanguinis dyſcraſia, aut ſulphureo ſalina, aut ſalino ſulphurea, (vt oſtendimus) fundata ſit, Si ægri conſtitutio ſit calidior, atque ſcorbutus in ſanguinis dyſcraſia aduſta, ſc. *ſulphureo ſalina* fundari videtur, aloetica & diagrydiata quævis vitentur, & temperatiora ſolum, è ſenna, rheo & aliis, quæ ſanguinem & humores non exagitant exhibeantur: Qui verò affectione Scorbutica laborantes, frigidæ ſunt conſtitutionis, atque quibus in ſanguinis diatheſi *ſaro-ſulphurea*,

ſulphurea, vini penduli æmula fundari videtur, iis cathartica aſperiora, & particulis calidioribus prædita exhibeantur. *Willis Pathol. Cerebri p.* 281. & 282. In quibuſdam Scorbuticis cochleariæ, raphani ſylv. &c. aliorumque acrium & ſale volatili valde præditorum vſus multum officere deprehenditur, quare in ejuſmodi caſibus, vbi cauſa morbifica in calidiori ſanguinis dyſcraſia, vini rancidi æmula conſiſtit, medicamenta temperata, & humorum particulas, per ſe efferveſcere apta, minus exagitantia indicantur: *Idem Tract. de ſcorbuto cap.* 8.

X. In maculis Scorbuticis *ſanguinem educere* piaculum cenſent multi, antiſcorbuticis ſolum inſiſtenti, ob malignitatem ſcorbuticam quæ generoſum hoc auxilium excludere judicatur: At quamvis ſ. m. malignitati ſcorbuticæ per ſe non competat, non tamen video quare conſtantibus adhuc viribus initio, vbi morbus totam maſſam ſanguineam nondum corrupit, ob aliorum ſymptomatum ſyndromen, per accidens in ſcorbuto nequeat vena ſecari, ſicut alias in cæteris cacochymiis; quo parte quadam vitioſi ſanguinis dempta levetur corpus, vt reliquium facilius edomari & vinci poſſit; præſertim illud monſtrante natura, non ſolum in hæmorrhoidibus, menſibus, ſed & per alias venas ſanguinem quandoque in ſcorbuto effundente, vt per nares, pedes &c. Largiorem tamen ſ. m. morbus hic reſpuit, præſtatque repetita ſectio, & in variis locis tentata, idque ter ad minimum, ſed iteratis aliquot diebus. *Frider. Hofmannus m.m. l.* 1. *cap.* 13.

XI. Libere dicam, quod licet nullus dubitem quin Scorbutus in his Plagis Borealibus revera inveniatur, tamen eum morbum non tam frequentem, quam fert vulgi opinio, occurrere perſuaſum mihi habeo: Multos autem ex iis affectibus (ne plurimos dicam) quorum nomine Scorbutum incuſamus, vel morborum fientium, nondum vero factorum, quique nullum adhuc certum induerunt typum, effecta eſſe, vel etiam infœlices reliquias morbi alicujus nondum penitus devicti, à quibus ſanguis cæterique humores contaminantur, v. g. quibus in corporibus materia aliqua Arthritidi producendæ apta recens generatur, nondum tamen in artus depluit, varia ſe oſtendent ſymptomata quæ Scorbuti ſuſpicionem facient, donec Arthritis jam formata, atque actu ſe exerens, nullum amplius locum dubitandi relinquat: Quod de Arthritide, id de Hydrope adhuc incipiente dictum volo, de quo morbo licet vulgo jactetur, Vbi deſinit Scorbutus, ibi incipit Hydrops, hæc tamen regula ſæpe ſæpius non aliter eſt accipienda, quam quod vbi primum ſe hydrops manifeſtis prodit indiciis, præconcepta de Scorbuto opinio ſtatim collabaſcit: Poteſt & idem hoc affirmari de plurimis aliis morbis chronicis, vel adhuc naſcentibus, quique proinde nondum certum aliquem ſibi cuderunt typum, vel etiam de illis qui, partim licet fugati ſint, nondum tamen penitus debellati exterminatique videntur: Et ſane, niſi hoc concedamus, Scorbuti nomen, vti hodie fit, in immenſum creſcet, & omnem fere numerum morborum abſolvet. Cum ſi id ſedulo agamus vt abdita cujuſque morbi penetralia ſcrutemur, eumque poſt irregularium ſymptomatum vela latentem eruamus, ſua ſe mox ſpecie ſit proditurus, & ad illam, ad quam attinet, familiam ſit relegandus: Quin & methodus qua hujuſcemodi morbi ſunt abigendi, non adulterinis illis ſymptomatis, ſed ipſi morbo qualiſnam is fuerit, ceu perfecte formato, jamque actu exiſtenti accommodanda. *Sydenham Obſervat. in Acut. pag.*

SCROTI GANGRÆNA.

Feliciter curata.

QVidam annorum circiter xl. vino obrutus; cum repente in ſcroti tumorem cum febre acuta, & virium ſubita dejectione incidiſſet, à Chirurgo remedium petiit, qui cum livorem iſtius partis cum exulceratione penis totius, imo periculum, quod manifeſtam gangrænam deprehenderet, notaret, de cura ſollicitus petiit conſilium Medici: Ego vocatus, injecto prius clyſtere, quoniam alvus à biduo non reſponderat, præſcripſi cataplaſma ex ſcordio, ruta, farina lupinorum, orobi cum oxymelite, vino &c. Exhibui Diaſenam Fracaſtorii, ſubinde aquam theriacalem: quod malignitatem cordi communicatam obſervarem, ſiue hac enim vix reſpirare potuit: Die ſequenti depoſito cataplaſmate ſuper cuticulam ſeparatam vidimus; tertio die ſcrotum ſponte apertum; circa veſperam vel libras aquæ decem effluxiſſe: quarto die, teſtes ex toto nudatos, deciderat enim ſcrotum à pectine ad perinæum vſque: Hic quid facto opus deliberavimus, reſiccantibus & incarnantibus remediis xiv. dierum ſpatio tantum profecimus vt non tantum teſtes ſcroto muniverimus, ſed & natura ſcrotum novis pilis veſtiverit, glans peni redierit integra, omnia vlcera penis conſolidata fuerint, & officium viri deinceps præſtare potuerit. *Petrus Holtzemius.*

Quadragenarius robuſtus, & optimo corporis habitu præditus, cum æſtatis tempore ſupra modum incaluiſſet, & maximum frigidæ hauſtum bibiſſet, poſt dies aliquot febre continua correptus fuit, ex qua potius naturæ beneficio & induſtria quam arte curatus fuit, interim intemperies & vitium in hepate remanſit, quare paulo poſt in cachexiam incidit, nam primo Ictero, poſt aſcite prehenditur: Accerſitus D. *Cronenburgius* neceſſaria omnia adhibuit; tandem veluti per criticam expulſionem, in ſcrotum delapſo humore ſeroſo, *D. Slotanum* quoque vocarunt in conſilium: adhibent ambo omnem induſtriam, interim tumor ſcroti non cedit, ſed paulatim eo in loco, extincto calore nativo, in gangrænam deſinit: Scrotum vndique phlebotomo ſcarificant, ſale marino & theriaca aceto diſſoluta abluunt: Vngu. Ægypt. & cataplaſma ex farina lupinorum lolii, aloe, myrrha, ſcordio, aliiſque putredini reſiſtentibus reſiſtunt, vniverſalibus non neglectis: Optimam victus rationem præſcribunt, corroborantia, obſtructiones aperientia, intus & extra: Interim dum aqua per ſcrotum copioſe effluit, æger meliuſcule habere incipit: Demum ſcrotum ſphacelatum partim naturæ & medicamentorum beneficio decidit, partim quoque quod ſphacelatum erat novacula reſectum fuit, ita vt teſticuli nudi conſpicerentur, Vlcus per menſes aliquot apertum manſit: Interim natura quicquid humoris excrementitii viſceribus inhærebat, per hanc viam ita vacuavit vt partes nobiles in integrum reſtituerentur, & à morbo plane liberaretur æger, &c. *Fabritius Hildanus cent.* v. *Obſervat.* 77.

SINGVLTVS.

SYLLOGE.

Curatio varianda pro cauſarum varietate. 8.
Periodicus ſoli ſanguinis miſſioni *cedens.* 1.
A pituita orti curatio. 2.
Diuturnus ſedatus. 3.
Opiatorum *efficacia.* 4.
Topica *ubi admovenda.* 7.
Vomitoria *antimonialia hic præſtantiſſima.* 5.
Vomitoria iterata proſunt. 6.

I. VIrgo cætera ſana, quotannis fere, ſtato plerumque tempore Singultu affligitur pertinaci, medicamenta omnia contemnente: Tandem inventum remedium, Venæ ſectio liberalior è vena brachii: An quia flatulentum quiddam, acri junctum, vaſa ſanguinea diaphragmatis, & per conſenſum nervos etiam perturbans, aperta vena tam vicina exitum inveniat? *Bartholinus in Actis med. anni* 1671. *Obſ.* 73.

II. Sutori Patavino ſeptem dies graviter ſingultienti Hieram cum oxymelite præbuit *Bened. Silvaticus*: Excretis pituitæ ℥xij. & quod excedit, plane ſanatus fuit: Ecce quanta vis medicamenti, etiam leviſſimi, opportune dati; *Rhodius cent.* 2. *Obſ.* 60.

III. Singultum nos aliquoties, etiam contumaciſſimum ſuſtulimus in multis hac miſtura ℞. *vini cydonior. tinctur. roſar. ana.* ℥j. *ſyr. cydon.* ℥ß. *extr. zedoar. gr.* xv. *ol. deſtill. cortic. arant.* gr. iv. laudan. op. gr. iv. m. Potiuncula cochleatim ſumenda. *Simon Schultzius in M.C. anni* 1676. *Obſ.* 149.

IV. *Opiata* præ aliis omnibus conducunt in curando Singultu quovis, non tantum quatenus quoſvis humores acres temperant, ſed inſuper quatenus ventriculi ſenſum obtundunt, & forſan ſpiritus animales quoque faciunt ad motum torpidiores: dummodo per vices exigua vſurpentur quantitate, atque tamdiu donec aut ceſſet, aut notabiliter minuatur Singultus; E. g. ℞. *aq. menthæ* ℥ij. *theriacal. ſimp.* ℥ß. *confect. alkerm.* ℨj. *laud. op. gr.* ij. *ſyr. menthæ* ℨj. *m. da ex cochl. Franciſc. Sylvius Prax. lib.* 1. *cap.* 19. §. 16.

V. Quoties alimenta, medicamentave noxia & acria, vel potius venena, continentur in ventriculo, & *Singultum* excitant, expelli debent aut per *Vomitoria*, ſurſum breviore via, aut per Purgantia deorſum, via longiore, id quod intelligendum quoque de quibuſvis humoribus in ventriculo aut tenui inteſtino, & Singultum parientibus: Inter *Vomitoria* cæteris omnibus hic præfero *antimonialia*, tum quia promiſcue humores quoſvis evacuant feliciſſime; tum quia humanæ naturæ ſunt amiciſſima, modo peculiari omnes humores in homine ad ſtatum laudatiſſimum ſenſim deducendo; dummodo ne ſimul nimia ſumantur quantitate: *Idem.*

VI. Quoties poſt vſurpata convenienter Narcotica, *vomitorio* aſſumpto parum, vel nihil eſt ſurſum vel deorſum eſt ejectum, & viget adhuc Singultus; quin humorum in ventriculo, aut vicino inteſtino exiſtentium, malumque hoc excitantium remanent ſigna, toties tuto licet, aut eodem die novum, ſed quantitate minore, aut ſubſequente aliud, quantitate aliquanto majore, ægro exhibere vomitorium; quo vel amplius corrigantur, vel ſurſum deorſumve, aut vtraque via expellantur humores peccantes: Sic enim tutiſſime, ac minime injucunde, ſatiſque cito abſolvetur Singultus cura, vere rationalis & dogmatica, experientiæ potiſſimum, hinc & rationi ſanæ, non ægræ aut commentitiæ, adeoque falſæ ſuperſtruenda. *Idem.*

VII. *Galenus* 5. de loc. aff. c. 4. ait imbecillitatem Gulæ nonnunquam percipere laborantes, quum longo tempore ea quæ ſunt ingeſta vix per gulam ad ventriculum labuntur, quæ aliquando ad primum impetum facile deſcendunt, deinde rurſus arcentur, vt videantur, impacta, velut ſi quis pyra acerba ederit, quæ ſua ſtypticitate gulam dorſo incubantem conſtringunt deſcenſumque morantur; Tunc conquaſſatis pugno dorſi, vel intra ſpatulas vertebris, quibus gula adjacet, impacta in ventriculum detruduntur, quo tandem larynx & dilatari & liberius aërem inſpirare poſſit: Non igitur temere Veteres Medici *Singultum*, aut alios gulæ, aut orificii ventriculi morbos curaturi, remedia topica non epigaſtrio, ſed dorſo cervicisque vertebris applicuerunt, quod pereruditè *Aëtius* lib. 15. c. 147. docet, Si continuus, inquit, fuerit Singultus, ſternutatorio & cucurbitulis quoque per totam ſpinam vtemur, & maxime circa majores ſepti tranſverſi vertebras, nempe xij. & xiij. dorſi ſpondylum, attrahentes ipſum ad ſpinam: perſeverans enim cucurbitularum applicatio crebro rectificat & explicat ventriculi orificium à Singultu contractum, aut veluti intortum oblique: Extrema quoque ligare & aquæ frigidæ immergere confert: Hanc Aëtii doctrinam concordi quoque ſuffragio 13. meth. ita aſſerit *Galenus*, Voco hoc loco, *inquit*, ſtomachum gulam, quam proprie Græci Stomachum appellant; nonnunquam enim quoque ita vocant os ventris, veluti cum ſtomachice animo linqui aliquos dicunt: Verum Gulæ, quæ proprie vocatur ſtomachus, cataplaſma ſuper ſpinam imponimus non autem ad pectus: idem quoque facimus cum os ventris phlegmone urgetur, ſiquidem ſpinæ gula ſuperjacet, per collum & pectus uſque ad ventrem porrecta: Vnde obſtetrices *infantes* aut *pueros*, qui nondum ephebis exceſſerunt, quos crebro vomitu & ſtomachi anatropa gulam & ventriculi orificium convulſiſſe arbitrantur, eos ſupra ventrem collocant, & cutem circa xij. dorſi ſpondilum complicatam, digitis apprehenſam, in ſublime trahunt: aut id ſuccenſa in cucurbitula vel vrceolo ſtupa quoque, *Aëtium* imitatæ, moliuntur, quod feliciter ſucceſſiſſe gula ventriculique orificio, ceſſante vomitu, ſedi priſtinæ repoſito credi par erat: *I. Langius Epiſt.* 44. *lib.* 2.

VIII. Cuidam ſeptem dies graviter ſingultiendi, hieram cum oxymelite præbuit B. Silvaticus: excretis pituitæ ℥xij. & quod excedit, plane ſanatus fuit: *Rhodius cent.* 2. *Obſ.* 60. Permulti cum ſingultiendo frangerentur, ducta alvo per quinque dies hierâ picrâ ſingultiendi finem fecerunt, *Duretus*. Quidam 20. dies ſingultiit cum mortis periculo, tandem mechoacannæ infuſo liberatus. *Epiph. Ferdinandus hiſt.* 41. Puer decem annorum per octiduum dies noctesque ſingultiebat, aquam nucum viridium, cum raphano, in aceto prius maceratarum, eſtillatam, propinavi, Etſi minime vomuerit, ſingultus tamen deſiit: à ſecundo

hauſtu

hauſtu ſub noctem, penitus liberatus. *Platerus Obſ. p.* 217. Chirurgus æger factus mox ſingultire cœpit, adeo continuatis vicibus dies noctesque, vt nec dormire, nec recte loqui aut cibum capere poſſet: Exhibito vomitorio ſatis valido chymiſtico, immenſam bilis æruginoſæ & nigræ copiam evomuit aliquoties, ceſſavitque ſingultus. *Idem pag.* 218. Chiliarcha cum ſupra modum incaluiſſet, ſitim extinxit frigida, cum nitro mixta, affatim hauſta; vnde in ſingultum vehementem incidit; Exclusa aqua vomitorio; præbita aqua ſtomachalis; admotum ventriculo cataplaſma ex ſtomachicis: tandem exhibita confectione anacardina & ligno aloës, die 3. ſingultire deſiit. *Tomans caſ.* 5. *lib.* 3. Bilioſus juvenis vigente cane incidit in Cauſum cum ſingultu vehementi, ab acri & erodente humore: Imperata multa remedia, imo narcotica; data requies Nic. Philonium Perſicum; At malum ferox ſolo nivis potu edomitum: *Zacutus Pr. med. hiſt.* 75. *lib.* 2. Puella 13. ann. ab anno integro laborabat ſingultu admodum moleſto: per totam hyemem prægreſſam ſymptoma infeſtaverat; æſtate immunis fuerat; ſub autumnum cum priſtina ſævitia rediit. Exhibeo calomelanos gr. xvj. diagr. gr. 8. ea die ſublatus affectus. *Riverius cent.* 3. *Obſ.* 42. Quidam 40. annor. correptus fuit ſingultu, quem mira ſequuta ſymptomata: ardente ſyrio frigidâ ſeſe adeo ingurgitaverat, vt ob frigus immodicum in ſpaſmum ventriculi inciderit: Ego tentatis omnibus remediis, cogitavi balneum calidum poſſe eam intemperiem corrigere: quo parato ea lauro, origano &c. tantam vtilitatem percepit vt intra 5. dies ſanus evaſerit: admotus interim Sacculus regioni ventriculi in quem inſertæ herbæ prædictæ. *Idem cent.* 4. *Obſ.* 1. D. N. febre maligna laborans, graviſſimo ſingultu torquebatur: variis tentatis laudani gr. ij. præſcribo, cum emulſione 4. ſemin. frig. mai. in qua ſalis prunell. ℥j. fuit diſſoluta: intra horam ceſſavit ſingultus, nec rediit. *Idem cent.* 4. *Obſ.* 78. Gravi Singultu laborantem curavit vnico hauſtu decocti ſem. anethi, carvi, portulacæ & papav. albi in cereviſia tenuiori *Foreſtus.* Medicus Eryſimachus Ariſtophanem ſingultientem, qui ſpiritus cohibitione curari non potuerat, ſternutamento excitato curavit. *Plato.* Rainutius Farneſius lethali prope ſingultu prodiens, applicito ad ventrem aperto dudum vervece reſtitutus fuit. *Severinus Chirurg. Trim. p.* 188. Adoleſcens compreſſa thoracis vertebra xi. quæ ventriculi orificio ſuperiori objecta, perpetuo graviſſimè torquebatur ſingultu, nec vllis remediis locus fuit. *Rhodius cent. ij. Obſ.* 61. Ab herniâ inteſtinali incarceratâ qui oritur ſympathicus, & vomitus nigros ſæpe conjunctos habet, ægros comitatur ad mortem, nec niſi reſtituta hernia curabilis eſt: Idem de ſingultu hepatis inflammationi ſuperveniente judicium: *Rolfincius meth. cogn & cur. l.* 3. *c.* 4. Quidam tres continuos menſes ſingultu vexatus, nullis ante remediis potuit expediri quam coſtæ extremum, quod depreſſum erat contorqueri, altuique in ventriculum nullo ſenſu doloris infigi, blandè ac molliter erectum fit. *Fernel. l.* 6. *c.* 3 *pathol.* Ille qui Singultum habebat ex ventoſitate ſequenti remedio evaſit ♃. *Philonii* ℈j. *dingalanga* ℈ij. da cum vino: Alteri huc profuit, ♃. Theriac opt. ℨj. pulv. dictamni ℨß. datum ea pauco vino *Foreſtus.* Singultus in febribus nonnunquam intemperatum ſequitur zulapiorum refrigerantium vſum, quomodo affectos inconſultâ temeritate Medicorum complures vidimus, idque ſymptoma contra omnium opinionem, vini potu ſuſtulimus. *Iodocus Lommius.*

SITIS.

SYLLOGE.

Non eadem ſemper eſt curandi ratio. 1. 4.
Dulcia & ſaccharata intendunt potius quam exſtinguunt. 2.
Lac an Siticuloſis omnibus interdicendum. 4.
Agoniſtice an bibendum, an parum & ſæpe. 3.
An ſomnus præſcribendus iis qui poſt inſignes evacuationes ſitiunt. 5.
An ſomnus perpetuum Sitis remedium. 6. 7.
Sitis ſalſis cibis curata. 8.
Nitri uſus. 9.

I. Sitis paſſio eſt oris ventriculi, quod modò vexatur per conſenſum, modò per eſſentiam: Si per ſe, omnium conſenſu potationibus eſt auferenda; Si per conſenſum pulmonis, non aquæ potio, ſed ſolum aëris frigidi inſpiratio ſufficiens eſt ad eam demulcendam: Nec ſatis eſt cognoſcere protopathiam eſſe in pulmone, & conſenſum in ſtomacho, expendendum quoque num ſitis per conſenſum in ſtomacho facta ſit propria, vt partim ſit facta, partim, ratione fomentationis à pulmones ſit in fieri: quia non ſolum refrigerantia & humectantia eſſent dirigenda Pulmoni, verum etiam ſtomacho: Idiopathiam factam declarant temporis diuturnitas & habitus mollis: quoniam omnis ſympathia, ſi diutius perſiſtat, & pars affecta ſit mollis, evadit idiopathia. *Sanctorius lib.* 2. *c.* 7. *m.* Hermetici Sitim immodicam a quibuſdam ſpiritibus ſitibundis, ex impuritatibus ſulphureis genitis exoriri contendunt, qui non ſimplici refrigeratione & humectatione, ſed ſpiritibus aliis ſibi analogis ſatiari volunt: ſic videmus in febrium acceſſionibus ſitim intenſam multo aquæ potu parum inhiberi, quæ tamen ſpiritibus acidis, vitrioli, ſulphuris, ſalis & ſimilium, cum longè minori aquæ quantitate permixtis, facilius cedat. *Riverius lib.* 9. *cap.* 4.

II. Errant qui dum vident ægros magna ſiti ferè enectos, proponunt plurima ſaccharo condita, vt ſunt marinatæ, conſervæ ex acido citri &c. quæ licet ſine ſaccharo fortaſſe poſſent ſitim arcére, at cum eo id non præſtant: Sciunt pueri quod ſaccharum intendat ſitim: ſatius eſſet nihil ſumere, quia lingua non polluta iis dulcibus, aliquarum horarum ſpatio minori tentaretur ſiti: Hinc mirum quod Medici, etſi quotidie id videant, non tamen abſtineant. *Sanctorius meth. l.* 13. *c.* 2.

III. Quæritur ſi agoniſtice ſit bibendum ad extinguendam ſitim, an parum & ſæpe? Priori ſententiæ favere videtur Galenus multis in locis, jubet enim vt καυσουμένοις frigidæ largior potus exhibeatur, Avicenna fovet poſteriori, ne immodico potu frigidæ extinguatur calor nativus: Medicinæ candidatus cum poſt vehementiorem motum, ad ſitim extinguendam è puteo frigidam liberalius bibiſſet, extincto calore in ſuo fonte, mortuus eſt hydropicus: Itaque media via videtur tenenda, nam Gal. non omnibus febrientibus, ſed ardenti febre tantum correptis; neque omni febris tem-

pore, ſed tantum in vigore liberaliſſimam potionem frigidæ concedit, vt ardor ſummus, qui alioquin humorem primigenium populatur, colliquans corpus, ſuo adverſario potentiore opugnetur. *I. Riolanus med. ſpec. p. m.127.* A frigida cavendum ſi debilis & excarnis ſit æger, nam calor nativus ob humidi inopiam eſt exiguus: celeriter namque ad ſolidas animalis partes pervenit, nulli quod ejus vim frangat occurrens. De *ψυχροποσία* vide *Tit. de Febr. cont.* Sitis valde importuna promptius ſedatur potus parum ſæpius aſſumendo, quod præfero multo potui confertim hauſto, quia omnis mutatio ſubita merito judicata eſt Hippocrati naturæ inimica, & ideo periculoſa. *Sylvius cap. 29.*

IV. Si mendoſa ſuboriatur ſitis, qualis ea eſt quæ ex hydrope fieri ſolet, ventriculo nitroſum aut ſalſum vel putridum halitum aut humorem ex peritonæo ſuſcipiante, non quidem potu ſedanda venit (quin copia ſalſi aut nitroſi humoris adaugeatur, quo fit vt exacerbetur magis & creſcat) ſed his quæ oris ventriculi ſenſum obtundunt, aut vapores & humores leniunt & mulcebres reddunt; ſic *amylum* & ejus aqua, ſic mucilagines, & nonnunquam quæ pinguoſa ſunt, mire proſunt: Verum dum ſitis mendoſa exiſtit ex pulmonum incendio, medaris aëris frigidi inſpiratione, & collutione oris frigidiſſima &c. *Mercatus.* Sitim auctam curant præ aliis omnibus, & Aquea, lixivum Bilis ſalem diluentia & ad vrinæ vias deducentia, & Acida, ejuſdem acrimoniam potenter frangentia & invertentia, Et Oleoſa, eandem acrimoniam lenientia, lac puta & emulſiones ex oleoſis ſeminibus paratæ: Poſſuntque commode aqueatum acidis tum oleoſis jungi, atque tunc plus efficient. *Fr. Sylvius lib. 1. cap. 1.* Fit interdum vt Sitis augeatur à Sero, vbi quoniam cum lixivioſo ſale ſimul redundat in corpore aqua, non competit potus copioſus, verum ſpiritus acidus qualis ſpiritus Salis, aperitivus *Penoti* &c. lymphatus, cochleatim ſumendus, à quo emendatur potentius noxia ſalis lixivioſi acrimonia: *Frider. Hofmannus meth. med. lib. 1. cap. 19.* Ejus cauſa eſt fermentum ventriculi nidoroſum, ſalſum nimis & acre redditum, vt videmus fieri in febribus, catarrhis ſalſis, hydrope aſcite &c. Ventriculus cum communem habeat cum gula & palato tunicam, qualitatem ſuam illis facile communicat & ſitim quoque excitat: Defectus humidi ad ſitim inferendam non ſufficit, vnde & Sitis non ceſſat per potum, niſi hic medium attulerit capeſſendo fermento conſymbolum, vnde acida fallacem ſitim deliniunt, non ſecus atque aqua ignem extinguit: Spir. vitrioli bene rectificatus, ſpir. ſulph. & ſimiles in febribus ſitim ſolantur. *Idem lib. 2. cap. 4.* Sitim cohibet os claudere, tacere, ventum cum potu frigidum inducere. *Hippocrates:* Neque enim omni eadem debetur medela: Ei quam thoracis & Pulmonum fervor parit, aptior eſt aëri frigidus inſpiratus quam potus, iſque potius frigidiſſimus quàm multus: Eam quæ cauſam habet intemperiem ſiccam ſine humore, aut humorem ſalſum & acrem, cujus fomes plerunque in ventriculo aut hepate, melius extinguit potus quàm aer, imo etiam tepida hauſta ſalſedinem diluens: Somnus quibuſdam ſitim parit calfactione viſcerum, ex Hippocr. enim Qui dormit calidior eſt interius, exterius frigidior, hujuſmodi ſitis vigiliæ beneficio ſedatur, ſi modo *ἐπιπόλαιος* & exigua ſit: Si intenſa, ſolus potus eam extinguet: Si cui verò ſomnus ſitim non placaverit, ne ſtatim is ad potum recurrat, ac priuſquam calor nativus totum ſe in habitum diffuderit, periculum enim ſuffocationis illius accerſet, ac diſtributionis impedimentum: Qui contrarium faciunt, brevi in cachexiam vel hydropem incidont. *Valleſius 6. Epid. 3.* Si Sitis *renum vitio* ſuboriatur, vt in Diabetica paſſione ſuccreſcit, nullo alio auxilio cenſeo te potius in hoc malo profuturum quam eo quod vel ſomnum conciliet, vel ſenſum ſtupefaciat, aut ſaltem leniat: Sic ex vſu eſt in his tertia quaque nocte ſyrupi papav. ℥iß. cum aqua hordei, aut decocto malvatum porrigere: quem quoque vſum præſtat ejuſdem aliquid interdiu lambendo ingerere: Prodeſt & *ſyrupus portulacæ, de mucilagin.* & quæcunque ſenſus acrimoniam retundant. *Mercatus.* Quamvis *Hippocr.* aphor. 24. ſect. 5. videatur prohibere lac Siticuloſis, illud tantum intelligendum eſt de iis qui ob nimiam caliditatem, putridique ac bilioſi ſucci congeriem immodice ſitiunt, in quibus Lac facillime corrumpitur: non de iis qui ex ſiccitate & conſumptione ſiti laborant; quia ex eodem aphor. ipſis hecticis, quamvis febrientibus, lac conceditur: *Galenus* lib. 7. meth. hecticis lactis & tepentis balnei vſum præſcribit. *Varundam Tract. de morbis Ventriculi p. 102.*

V. Aliquando fit vt poſt longam evacuationem, vel manifeſtam vel inſenſilem, reſiccata ſint corpora, tum liquidis oportet fovere corpus, & potu implere, quia Siti magis rurſus ſiccatur corpus: Sed quæritur an illis debeamus præſcribere ſomnum, quia hic levat Sitim? Somnus quidem brevis & levis juvabit ægrum, ſed multus offendet; & ita cavendum eſt ne in iſtis reſiccationibus ægri & ſæpius & longius dormiant: At dicet quis, Somnus eſt veluti cibus? verum eſt in cruditate ciborum, quia concoquit, & ita juvat, at in magna vacuatione, ſi quis vacuo ventre dormiat, læditur, quia calor nativus pabulo deſtitutus langueſcit & contabeſcit: Quare non ſemper verum eſt, Somnum eſſe cibum. *Hollerius comm. in aph. 27. 5.*

VI. An *ſomnus* perpetuum remedium Sitis, ob aphor. 27. ſect. 5. Verum eſt quod cum ſitis fit ab inopia humidi, contingit aliquando vt Somno corrigatur, aliquando non: Itaque non ſatis eſt dixiſſe, ſi ipſi ſuper dormierint, ſed debuit dicere, ſi bibant & ſuperdormierint: Sed tamen ſive bibant ſive non, confert ſomnus, modo æger non ſit vacuo ventre, & reſiccato corpore à nimia vacuatione: Somnus enim coquit materiam quæ excitabat Sitim, & ita ſitis ſomno ſubducitur: Præterea cum per ſomnum calor nat. & ſanguis cum humiditate totius corporis initio confugiat in medias partes, corrigitur ea ſiccitas, & vapor calidus qui ſitim excitabat coquitur; quare ſi ſuperdormierint bonum eſt, quia Sitis ſomno ſedatur, & coquitur materia quæ Sitim faciebat: item in medium corpus convehitur ſanguis cum humiditate, qua temperatur ſiccitas & vapor calidus. *Hollerius aphor. 27. ſect. 5.*

VII. Iis qui noctu bibere appetunt, potus concedendus an denegandus? Appetunt, vel propter defectum, vel propter vapores calidos, à potu meraciore, cibis acrioribus & ſalſis: In *Defectu* conſideratur inopia potus, quia fortaſſe largiter cœnatus parum bibit: in hac *ἐνδείᾳ* oportet potum exhibere vt ſatis ægri deſiderio fiat; non tamen multum, etiamſi defectus requirat, ne perturbetur coctio: abſoluta coctione, ſi ſitiat detur multum: *A vaporibus* autem calidis, ſi levis eſt, ſomnus juvabit; ſi magna, exiguo

exiguo potu fallere oportet deſiderium ægri, & coctione abſoluta largiter dare. *Idem.*

VIII. Curavit patientem ſitim à phlegmate ſalſo *Rhaſis libro ſecundo tractat. 1. capite ſecundo*, dans cibaria in quibus dominabatur ſalſedo, vt cappares cum ſale: Quæ curatio videtur abſona, cum ſalſa ſicca ſint & terreſtria, calefaciant & exſiccent, ille autem humor humectationem deſideret: Dic illum exhibuiſſe ſalſa ad humorem ſalſum abſtergendum & abluendum, quæ proprietates ſalſis inſunt, vt oſtendit *Avicenna libro ſecundo tractatus, primi capite tertio.* Dic ſecundo ipſum exhibuiſſe non quælibet ſalſa, ſed cappares conditos ſale, hæ enim ſolutione evacuant humorem melancholicum, ſalſuginoſum, crudum & glutiſum, qui eſt cauſa ſitis: *Dioſcorides libro ſecundo cap.* 104. eas iecur lienemque laxare, & pituitam per alvum dejicere affirmat. *Zacutus.*

IX. Nitro, ac Sali prunellæ, vis ineſt ſitim ac æſtum compeſcendi: *Hartmannus* in praxi miſcet hujus præparati ℥j. cum menſura vna liquoris, ſeu aquæ, pro Potu febricitantium: Ego vix ℈ v. tranſcendo, nimirum aliquantulum debilitat ventriculum, vnde & alvi fluxus concitatè nonnunquam ſolet; alias à ʒß. ad ʒj. propinari ſine noxa poteſt, præcipue cum ſacchato, quo amaror mitigatur. *Schroderus Pharmac. lib. 3. cap. 23.*

SINVS.

SYLLOGE.

Curatio per pharmaciam, Et Forcipis deceptorij inutilitas. 1.
Qui integre incidendi. 2.
Thoracis ſubcutanei curatio Chirurgica. 3.
Calloſi cum corruptione oſſis Palati curatio. 4.

I. QVidam mihi oſtendit in femore ſiniſtro ſinum (qui ex contuſione ad ſuppurationem ducta, & negligenter tractata originem traxit) cujus magnitudinem ſpecillo obtuſo explorans, ſuperficialem tantum, at ſatis longum & latum inveni: Cum autem hujuſmodi ſinus declives raro agglutinentur, ſequenti die forcipe deceptoria (ſyringotomo nondum inſtructus) inſcio patiente incidere tentavi, poſtea carne replendum; ſed cum nimis tarde per forficem iſta operatio fieret, æger inſtrumentum animadvertens femur movit, manibuſque dextram mihi repulit: vnde ſepoſita curatione per ferrum, ſinum parumper dilatatum albumine ovi conquaſſato & ſtupa pexa obligavi: ſubſiſtente ſanguine tertio & quarto die per ſiphonem infudi hydromel pro eluenda cavitate: quinto, ſexto, & ſeptimo die vinum nigrum auſterum in quo cocta fuerant balauſtia, malicorium aliaque ſimplicia injeci, & ſpongiam novam eodem liquore madefactam & expreſſam faſcia longa & trium digitorum tranſverſorum lata (latior enim non ita ſtringit) ſuperligavi, ligaturam ab inferioribus incipiens, & ſupra ſinum in parte ſana finiens: His medica. . tis, in quibus magna glutinandi virtus eſt poſita, eoque deligandi modo, intra ſeptimanam æger feliciſſimè fuit curatus: Ab eo tempore nunquam ad Chirurgiam deveni, niſi remedia pharmaceutica ſine ſucceſſu fuerint adhibita: neque poſthac amplius forfice deceptoria (quia Chirurgum potius quam ægrum decipit) ad ſinuum dilatationem ſum vſus. *Scultetus Obſervat.* 74. Similem prope proceſſum proponit *Franciſcus Arcæus libro ſecundo de curat. vulner. cap.* 7. quem tamen *Sennertus* antiquis ſinubus, ad calloſi vlceris & fiſtulæ naturam ferè declinantibus, competere negat: *Perpendendum tertium, ait primo, An reliquiæ materiæ inconcoctæ per partem ſparſæ ſuperſint, quod ex apparente aliquo tumore noſcitur, vt & rubore: alias enim & quamdiu aliquid præter naturam in parte hæret glutinatio ſperari nequit. Secundo, Pus optimè ſit expurgatum. Tertio, An locus ſatis commodè faſciis obvolvi poſſit, vt partes arcte comprimantur & pus exprimatur:* Quæ conditiones huc quadrare poſſunt.

II. Si calloſus non ſit ſinus, nullo indiget Syringotomo, quia beneficio ſolius faſciæ compreſſivæ & pus expurgari & ſinus conglutinari poteſt: Sinus enim, ob materiæ collectionem, difficilemque expurgationem, in fundo tantum aperiendi: Ob calloſos verò parietes integre incidendi. *Scultetus Tab.* 55.

III. Miles ſauciatus in thorace, tribus digitis tranſverſis infra claviculam dextram; ſequitur inflammatio ad ſuppurationem deducta, quæ degeneravit in Sinum ſub cute latiſſimum, cujus fundus ad vii. uſque coſtam deſcendit, ita ut pus educendum fuerit ægro in caput, pedibus ſurſum elatis collocato; Acceſſitus, & forma ſinus explorata, totius ſubcutaneæ cavitatis propoſui diſſectionem, ſcolopomachærio faciendam, qua non admiſſa, orificium ſinus anguſtius penicillo ex gentiana dilatavi, inſtrumentique (*Tab.* 14. *fig.* 9.) cuſpidem globulo cereo munitam, inſcio Patiente (credebat enim me ſpecillo ordinario adhuc ſemel exploraturum ſinus profunditatem) blande immiſi vſque ad fundum, quem etiam citiſſime perforavi, mox retractum inſtrumento ægro oſtendi, & vacuata per datam viam materia, vulneri inferiori recens facto impoſui turundam cannabinam vitello & albumine ovi imbutam; ſuperiori penicillum ex linteolo contortum, & vngu. de betonica infectum indidi; deſuper adhibito cerato diachalcit. ſplenioque quadruplici: totum pectus *Soſtrati* vinculo, (*Tab.* 36. *fig.* 6.) ſuperius arcte, in medio, mediocriter, inferius laxe deligavi: Poſtea vulnus inferius penicillo ex tela incerata cavo per aliquot dies apertum tenui, donec ſuperius cerato divino conſolidaretur, ſinus parietes infuſa mulſa deterſi, beneficio non ſolum ſpongiæ novæ mollis, in vino rubro expreſſæ & adhibitæ, ſed etiam arctæ ligaturæ, *Gal.* cataphractæ dictæ, conglutinarentur: Sinu agglutinato, penicillum cavum quotidie imminui, & vlcus tandem cicatrice obduxi: Hic curandi modus optime ſuccedit in ſinu recenti, non item in calloſo. *Scultetus Armam. Obſ.* 41.

IV. Nob. N. conqueſtus de periodico dentis dolore & moleſto Palati tumore, a ſuppreſſis hæmorrhoidibus conſuetis: Poſt ſufficientis ſanguinis ex baſilica ſiniſtra miſſionem; vſum vini medicati purgantis, hæmorrhoidum, per hirudines apertionem, & fonticulum in ſiniſtro femore, anthelix ſpolopomachærio candente inuſta; poſt dens carioſus

extractus, quo injectiones ex decocto, in curanda oſſium carie divino, per cavitatem evulſi dentis ad ſinum palati fiſtuloſum pervenirent: cum vero cavitas illa dentis, & calloſus palati ſinus non coiret, nec patiens citra vim ignis curari poſſet, inſtrumento optime ignito ſinus calloſus, & caries palati obtegens, citra guttulæ ſanguinis effuſionem, inciſa vſque ad dentis cavitatem, eoque in orbem circumvoluto notabile veſtigium oſſi impreſſum: Eſchara ablata in conſpectum venit palati caries, quam ter quaterve ferramentis candentibus tactam, natura medicament. exſiccantibus aſſumptis & adhibitis adjuta ſeparavit, & vlcere conſolidato Patiens ſanatus, facto fonticulo in femore quem diu geſtavit. *Scultetus Armam. Obſervat. 36.*

SOMNVS PRÆTER NATVRAM.

(Vide *Lethargus lib. x.*)

S Y L L O G E.

Non omnis vltra conſuetum tempus productus excutiendus eſt. 4.

Iugularium apertio *prodeſt in affectibus Soporoſis.* 8.

Naſturtii *vis in Somno excutiendo.* 7.

Potus Coffée *non omnibus conducit.* 2.

Hypnotico curatus. 6.

Comatis *methodus therapeutica.* 3.

Cervice inuſta *curatum.* 5.

Aqua vita compoſita caute danda. 1.

I. STillatitius *Lavendulæ liquor* odoratus, & temporibus ac fronti illitus, Catalepſi leviori, hemiplexia & ſubinde comitiali morbo, ac non raro ſyncope laborantes reficit: Sed vbi humorum copia adeſt, præſertim ſanguini permiſtorum, non ſatis tutus huius eſt vſus: ſicuti neque compoſitionis quæ ex ſtillatitio vino, in quo hujuſmodi herbæ, flores ſeminave & aromata quædam macerata ſunt, conficitur, quam plerique & indifferenter exhibent: Nam calidorum huiuſcemodi caput implentium vſu, & morbus intenditur & æger in periculum inducitur, præſertim quando ſanguinis miſſio, aut purgatio non præceſſerunt; Quod ideo monendum duximus, quia paſſim nonnulli Medici indocti, audaceſque nimium Pharmacopolæ, ſtatim ſimiles compoſitiones, & id genus alia, non modo apoplecticis, ſed & catochu cum febri occupatis infundunt, quibus nihil poteſt pejus dari, cum plurimum obſint, & non raro ipſos ægros perimant. *Dodonæus Hiſt. ſtirpium pempt. 2. lib. 4. cap. 7.*

II. Potus liquoris *Coffée* dictus, cum ad Narcoſin pellendam ſumme efficax ſit, de eo eiuſque effectibus, agendique rationibus quædam huc adducenda: Ab Orientalibus populis, quibus jampridem familiaris eſt, etiam inter noſtrates in morem abiit: Hujus naturam in eo conſiſtere cenſemus quod particulas aduſtas (quibus abunde, ſenſu tum guſtu atom olfactus judice, ſcatet) mox ſanguini, & mox ſucco nerveo inſinuet, quæ proinde tum incongruitate, tum mobilitate, ſeu inquietudine ſua, & cerebri exterioris poros vſque apertos detineant, & ſpiritibus copula quavis alia & torpore cautis oeſtra quædam ac ſtimulos, à quibus ad munia ſua diutius obeunda excitantur addunt; Enim vero ad ſomnum ineundum hæc duo neceſſario requiruntur, quorum modo vnum modo alterum in efficiendo prius ac potius exiſtit: Nimirum oportet cerebri exterioris poros omnes & meatus à liquore ibidem, à ſanguine velut exſtillato ac inundante, infarciri plurimum, ac impleri, proindeque occludi: dein præterea ad effectum iſtum acciendum opus eſt vt ſpiritus animales meatibus illis excluſi, ac inſuper particulis nutritiis & ſeroſis ſæpe onuſti, verſus cerebri meditullium ſe recipiant otio indulturi; Circa hæc penſa, ad Somnum requiſita, non ſemper vnus idemque ordo eſt, quandoque enim ſpiritus animales primo & ſponte ſua iſtæc ſpatia derelinquunt, ſucco nerveo in eadem inania mox irruente: Interdum vero humor nerveus cum ſero vberius ſuffuſus, meatus iſtos primo invadit, ſpiritus exinde licet invitos propellens ac intus cogens. At vero operatio *Coffée* vtriſque his effectibus contraria videtur: nam ſtatim à potu ejus particulæ aduſtæ, ſumme agiles ac impigræ in ſanguinem delatæ, liquorem eius nonnihil fundunt, ſeroſo latice verſus renes & habitum corporis detruſo: Porro illæ cerebrum adpellentes, poros ejus facillime aperiunt, quos & mobilitate ſua valde apertos detineot; dum ſpiritibus illæ accreſcentes, eos particulis quibuſque aliis tum gravativis tum nutritiis denudant, adeoque leves & pernices vbique in motus cient, atque per totum cerebri ambitum oppletione gravi & obſtructione liberum, expandi faciunt: Interea tamen dum ſpiritus ad hunc modum jugiter ac indefeſſim exerciti, ſucci nervei acceſſu & aſſimilatione privantur, copiæ illorum haud ſatis ac ſolito more inſtaurantur, ſpiritus quidem veterani agiliores & impigri magis redduntur, at novorum ſubſidia minuuntur; Hinc vt facile conſtet Potum hunc, communiſſimo licet in vſu, ac in quibuſdam caſibus valde vtilem, & adprime Medicum, in aliis forſan noxium aut minus ſalutarem exiſtere: Ita quidem rem habere non tantum ratio, ſed & vulgaris obſervatio paſſim dictitat, in quantum *Coffée* potatores nimij, macilenti, ſæpenumero item paralyſi atque Veneris impotentiæ obnoxii evadunt: Prior effectus ita frequens & paſſim notus eſt, vt pluribus *Coffée* potum ideo tantum interdixerim quoniam ad macilentiam diſponit: Quippe cum ſanguis ex aſſiduo & nimis crebro vſu acris & magis retorridus fiat, proinde ad nutriendum minus habilis exiſtit: Quoad cerebri autem & nervoſi generis affectus, exiſtimo me ad eos interdum curandos hunc potum adeo frequenter præſcribere, vt non alius quiſpiam magis: quippe ad tabernas, ubi venditur iſte, ægros quoſdam potius quam ad Pharmacopolia ablegare ſoleo: Profecto in morbis & ægritudinibus pleriſque cephalicis, Videl. cephalalgia, vertigine, lethargo, catarrho & ſimilibus, ubi cum pleno corporis habitu, & temperamento frigido, aut minus calido, atque ſanguine aquoſo, adſint cerebrum humidius, ac ſpirituum animalium ſegnities & torpor, potus *Coffée* magno ſæpe cum fructu ſumitur: nam aſſidue hauſtus, vtramque animæ partem mire clarificat & illuſtrat, atque functionum quarumcumque nebulas omnes diſpellit: Verum è contra qui graciles, & temperamenti bilioſi, aut melancholici ſanguinem acrem aut retorridum,

cere-

cerebrum calidius, atque ſpiritus animales nimis incitatos & inquietos habent, à potu iſto prorſus abſtinere debent, vt pote qui tum ſpiritus, tum humores magis pervertit, & functionibus quibuſque obeundis inhabiles prius ſimulque impares reddit; Obſervavi enim multos ſpirituum copia haud ſatis vberi præditos, ac inſuper cephalalgiæ, vertigini, palpitationi cordis, artuum tremori aut ſtupori obnoxios, à potu *Coffee* illico deteriùs habuiſſe quoad iſtos affectus, & ſtatim in toto corpore languorem inſolitum perſenſiſſe. *Th. Willis Pharmac. Ration. cap. ultimo.*

III. In Comate primario danda eſt operatum vt materiæ morbificæ novus in cerebrum affluxus præcaveatur, tum vt quę jamjam impacta eſt diſcuti aut evelli poſſit: Porro ſpiritus animales exſuſcitari, iiſque torpor omnis ſive narcoſis excuti debet: Ad hunc finem catharſin, phlebotomiam, cucurbitulas, veſicatoria, topica revellentia & diſcutientia applicare, medicamenta cephalica, & imprimis ſale volatili prædita propinare, pluteſque alios adminiſtrationum modos adhibere oportet: Quod ſi hic morbus aliis affectibus ſuperveniens, cuipiam corpore jam plurimum attrito, ſanguine vitiato, aut valde depauperato inciderit, de ſanguinis miſſione & purgatione ſedulo ante deliberare, quinetiam ab iiſdem vt plurimum abſtinere oportet: quandoque tamen vt morbi cauſa conjuncta, ſive materies cerebro impacta in motum concitetur, è fronte aut temporibus per hirudines, aut è ſcapulis per cucurbitulas ſcarificatas ſanguinem in modica quantitate detrahere expedit. *Th. Willis.*

IV. Nonnunquam in ſumma dormiendi neceſſitate adeo producitur ſomnus, adeoque arctus eſt vt Sopor videatur; & temporis diuturnitate ac ſomni profunditate Medicum fallat, ut in iis qui laſſitudine fracti ſunt, diu vigilarunt aut laborarunt. Sic ægrum vidimus qui cum 34. dies ægrotaſſet, nec toto morbi tempore induſium mutaſſet, nec lecti lintea; ubi his mutatis in molli, mundoque lecto decubuit, 36. horas continuo dormivit: Putabatur eſſe caroticus, non erat tamen quia tandem excitatus, cibum ſumpſit & poſtridie recte habuit. *Ludovic. l. 1. cap. 2.*

V. Sacerdotem juvenem robuſtum Comate vidi correptum, à recidivâ febris, cum tremore alterutrius lateris, ſine ſenſo, ob renixum virtutis in partibus: Clyſtere acerrimo cum colocynth. ℥iij. mellis roſac. ℥ij. & ſale ſine efficacia indito; *Pravotius* ſeptem Veſicantia imperavit, quibus parum proficientibus ad occipitis inuſtionem ventum, à qua melius habuit. *I. Rhodius Cent. 1. Obſ. 36.*

VI. Virgo xx. annor. febre tertiana duplici correpta circa initium autumni per xij. dies, ab eaque remediis liberata: Iterum recidit in ſimiles paroxyſmos, ſed nova quædam ſymptomata cum paroxyſmo acceſſerunt, nempe Sopor inſignis, faciei rubor, oculorum prominentia, dolor lateris ſiniſtri pungitivus & deglutiendi ſumma difficultas: Suſpicatus ſum affectionem hyſtericam cum paroxyſmo febrili complicari, & hyſterica remedia præſcripſi, quibus non obſtantibus malum perſeveravit: poſt aliquot dies ea ſymptomata ſine febre redibant, quod opinionem meam firmavit, & quia dolor ſiniſtri lateris ad dextrum tranſibat, interdum dolores pungitivi in variis abdominis partibus apparebant, cum ventriculi dolore & nauſea, accedente interdum ſuffocatione: Antequam paroxyſmo corriperetur ſumpſit meo juſſu quatuor exiguas pilul. ex laudani gr. iv. & paulo poſt acceſſit paroxyſmus ſupra dictus; ſed poſt ij. horas laudano operari incipiente omnia remiſſa ſunt, tota nocte bene habuit, cum prægreſſis maxime torqueretur: hinc elicitur paradoxum *Soporoſum affectum uſu Laudani prohiberi poſſe. Riverius Cent. 2. Obſ. 26.*

VII. In ſomno profundo prodeſt edere *naſturtium*, aut coctum in juſculis, aut crudum in acetarijs: Nihil enim eſt quod cerebrum magis exſiccet quam naſturtium: vnde illud proverbium in Somnolentos *Ede naſturtium.* Quare non poſſum non mirari quod *Fernelius* Somnum conciliare ſcripſerit *cap. 2. lib. 2. Pathol. Rondeletius cap. 19.*

VIII. *Iugularis externa* à perito Chirurgo *ſecta* in affectibus ſoporoſis prodeſt, vt multis hiſtoriis probatur: Alii præferunt hirudines duas vel tres ſecundum longitudinem iſtius venæ admotas vique ad angulum maxillæ inferioris, vbi eminet & conſpicitur. *Riolanus Enchir. 233.*

SOMNAMBULI.

(Vide *Pagin.* 487.)

An verberibus &c. Somnus excutiendus.

NEgat vulgus verbera vel ſimile quid convenire, quod videant acclamatione proprii nominis excitatos in ſummo lapſus &c. verſari periculo; Si nominis acclamatio conſternatos reddit, quid non expectandum à verberibus? Adde tales ob cerebri imbecillitatem ad Epilepſiam &c. proclives eſſe; tuncque excitatus terror noxius eſt: Sed contra pars affirmativa probatur, cùm adſit motus, non κατὰ προαίρεσιν, ſed κατ' ὁρμὴν & ſecundum phantaſię impetum (quatenus in præcipitia & loca periculoſa non raro deferri videmus, vbi nemo rationis conſenſum accuſare poteſt, quia vigilantes nunquam hoc tentaſſent) ideo conveniens eſſe videtur, tali durante motu, qua id fieri poteſt vehementia, verberibus videlicet, vel vociferatione hominem excitare, vt excitatus periculi magnitudinem percipiat, firmiterque phantaſiæ errorem cognitioni ſuæ imprimat: nam quæ non ſine vehementi animi commotione a nobis cognoſcuntur, ſemper diutius inhærent & reminiſcentiæ frequentius occurrunt quam alia, in quibus tanta animæ commotio non eſt. Etſi verò acclamatio proprii nominis, & verbera, faciant vt noctambuli cadant ac periclitentur, quia tunc temporis in excitatis ſpiritus diſſipentur, quibus diſcuſſis facultas debilitatur, non tamen propterea nihil omnino tentandum, quia eò reſpiciendum eſt ut ſomnambulonem primò in loco tuto habeamus; ita vt excitatus ob cauſam periclitari nequeat: Quod ſi natura ſubjecti peculiariter ad Epilepſiam, ob debilem cerebri conſtitutionem eſt diſpoſita, cautio adhibenda ne ſtatim initio paroxyſmi, ſed potius circa finem ejuſmodi conſternatus excitetur. *Gr. Horſtius Probl. 6. Dec. 2.* Vide *lib.* 12.

SPVITIO SALSVGINOSA.

Cauterio in brachio cohibita.

Cuidam *ſpuitio ſalſuginoſa moleſta*, ac remediis nihil malum cedere videbatur, ſed in dies magis creſcebant accidentia, adeo vt timor erat ne laborans in maciem & immedicabilia accidentia prolaberetur: Tandem ne videretur laborans conſilio ac præſidiis deſtitutus, mihi viſum fuit *Fontanellam* in altero brachiorum aperire; id adeo felici eventu factum fuit, quod prorſus evidenti conſilio conſtitit, fluxionem à capite derivari ad *Fontanellam*, & revelli à ventriculo ad quem fluebat. *Mercatus Conſ.* 18.

STERILITAS.

SYLLOGE.

Sterilitatis muliebris curatio Fomentis & Purgantibus præſertim perficitur. 1. 2. 12.
Quæ diæta ſterilium ob ſalacitatem. 13.
Non una eſſe debet curandi ratio. 3.
Stuphæ & Balnea *quibus conveniunt.* 14.
Curatio per Polyporum eſum. 4.
Averſionis oris uteri reductio. 2.
Suffitus & Evaporationes *non iiſdem competunt.* 16.
Sterilitatem an liceat inducere. 5.
Sterilitatis ab obeſitate curatio. 6.
Opiatæ *varie concinnandæ.* 15.
Peſſaria purgantia *quibus adhibenda.* 17.
Vena *in pede an poſſit* ſecari. 7.
Sudorificorum *efficacia.* 8.
Et Thermarum. 9.
Circa Venerem *conditiones.* 10.
Peſſariorum *quæ virtus eſſe debeat.* 11. 17.
Emplaſtra *diverſo fine admoventur.* 12.
Muliebris Setaceo in nucha curata. 18.

I. De cauſis *Sterilitatis*, quæ multæ ac variæ ſunt, & de multiplici earum curatione ſcripta ſunt multa ab *Hippocrate libro de Sterilibus*, & in *Aphoriſmis*, *Sectione* autem *v. libro ſecundo Epidem.* modo quodam rediguntur omnes cauſæ earum curationes in hæc duo Capita, *Fomenta*, & *Expurgationem*, *Steriles*, inquit, *fovere*, *ac pharmaco uti oportet*: φαρμάκιν autem, ac φαρμακεύειν, quo nunc vtitur, medicamentum expurgans ſignificat cum ſimpliciter dicitur, neque additur aliquid quod aliam ſpeciem medicamenti ſignificet: *Fomenti* autem nomine intelligi velim quæcunque interius & exterius, cataplaſmatis, irrigationibus, clyſteribus, peſſis & ſuffitu admoventur; vt *Expurgationis*, ac *Pharmaci* nomine, vomitiones & alvi ſubductiones: Nam ſterilitatis cauſa omnis eſt, aut *vitium compoſitionis*, aut *temperamenti*, aut *vlcus vteri*, aut *totius corporis cacochymia*: Inter vitia compoſitionis vteri, eſt *uteri exiguitas*, aut *craſſities*, *oris uteri ſtrictura & durities*, vt non dilatetur ſatis; aut *perverſio oris uteri*, aut *amplitudo*, & quod *dehiſcat*, adeo vt non retineat: aut *ſtrictura vaſorum vteri*, vt hanc ob cauſam menſtruæ evacuationes non influant, aut *laxitas*, vt nimium effluant: In vitio temperamenti, eſt *calor nimius*, qui ſemen abſumit, aut *frigus*, quod non concoquit; aut *ſiccitas*, quæ etiam ſemen & fœtus alimentum abſumit; aut *humiditas*, quæ retentionem impedit, quam *vlcera* etiam vteri impediunt; *Cacochymia* autem, cum in vterum refunduntur, corrumpunt ſemen: cum non effunduntur, non impediunt conceptum, tamen fœtum malo ſucco vti faciunt, ac proinde fit abortus, aut morbidus fœtus: *Compoſitiones vitiata*, ſi à prima generatione contractæ ſint, incurabiles eſſe ſolent: Sin autem aliis morbis ſuccedunt, illorum etiam curatione tolluntur: Cacochymiæ vſum pharmaci poſtulant: Intemperies omnes vteri, quæ cum ſucco conſiſtunt, ac cum aliqua totius corporis cacochymia conjunctæ ſunt, & vlcera imprimis, poſtulant pharmacum; deinde fomenta, affuſiones, inſeſſiones, peſſos: Sint vero hæc omnia ad calorem frigida, ad frigus calida, ad humorem ſicca, humida ad ſiccitatem, & ad vlcera qualia ratio curandi vlcera poſtulat. Patet ergo totam ſterilium curationem Fomentis & Pharmaco contineri. *Valleſius comment. in l. c. p.* 198.

II. Inter *vitia compoſitionis*, conſtat ex *Hippocrat.* decretis potiſſimam Sterilitatis cauſam, & maxime efficacem, eſſe *Oris uteri averſionem*, Cujus cauſas & curationem oſtendit lib. *de ſterilibus*: Libro item de *Natura mul.* *Si uteri ad latus allapſi fuerint*, ait, *tuſſis detinet*, *& dolor ſublatus*, *& uterus velut pila inſidet*, *& ad contactum dolet*, *velut ab ulcere*, Et poſt multa hujuſmodi, *fœminas purgare jubet*, *& calida lavare*, *& tepefactoria adhibere*: Et paulo inferius, *Si uteri obliqui fiant*, *& os ipſum obliquum ſit* &c. *Quum ſic habueris Pharmacum infra purgans bibendum dare oportet*, *& calida lavare ac fovere*; Vniverſa ergo curandi ratio in hoc affectu ſtat in reductione vteri ad antiquam ſedem; quod equidem fieri nequit, niſi vel purgatis humoribus, quorum ratione laxatur vterus, vel reſiccatis auxiliis topicis, ac ſedato dolore, & molliore facta parte, vt indoloroſius ad ſedem citra inflammationem reducatur: Itaque primo purgabis corpus, & fomentis ac remollitoriis vteris, tandem digitis obſtetricis vterum reducendum curato, & vltimo ejuſdem manibus hinc inde per vniverſum ventrem, verſus vmbilicum, vndequaque oleo vteri regionem perfricabis mediocri compreſſione, donec vterum à parte, cui incumbit, ſeparatum, & in antiquam ſedem reductum cognoſcas: Cavebis tamen in hoc opere ne menſtrua inſtent, vel multorum humorum copia in vtero ſubſit, ne quid deterius præexiſtenti malo ſuccreſcat: Verum id facere ſtudueris, poſt id opus oleis inungito ventrem, rutaceo lilior. albor. irino, chamæmel. de baccis lauri, ſuperaſperſis pulveribus ex iiſdem rebus &c. proderit & viri vſus, quo melius os diſtorquetur. *Mercatus de mul. Affect. lib.* 3. *cap.* 3.

III. Multæ mulieres non concipiunt quod habeant vteros humidos & excrementoſos, adeo vt neque avide recipiant ſemen, neque poſſint retinere; quæ quidem diſpoſitio contraria eſt ei per

quam

quam indigent menſtruis, vt hient vteri (duplici ſcilicet de cauſa à recens facta evacuatione menſtrua facillime fit conceptio in pleriſque, & quia nupertime aperta hiant, & os vteri, & quæ in vterum finiuntur venæ & arteriæ, & quia recens vacuatus vterus avide trahit humorem) Agnoſcitur hæc diſpoſitio exeuntibus, effluunt enim mucoſa quædam frequenter: Curatur victua ratione ſiccitiſſima, *inquit Hippocrates lib. 2. Epidem. ſect. 3.* Nomine *Victus* hic intelligi debet tota vivendi ratio, qua & curationis ratio contineatur: Nam huic paſſioni non ſemper ſolus victua, qui in cibo & potu conſiſtit, eſt ſatis; Curatio vero fuerit, vt in aliis morbis, contraria affectioni: Vt hinc conſtet quam non ſit vna ratio curandi eas quæ non concipiunt, vt vulgares Medici ſibi perſuaſerunt, ſed varia & multiplex pro ratione cauſæ quæ ſterilitatem parit: Quaſdam enim omni ratione humectare, quaſdam ſiccare, quaſdam tantum calfacere, nonnullas etiam refrigerare & humectare convenit. *Valleſius comment. in citatum locum p. 169.*

I V. *Hippocrates lib. 2. Epidem. ſection. 6.* ſub finem, Vt mulier concipiat, polypos ſuper flamma aſſatos quam calidiſſimos, & prope ſemi vſtos edendos dare jubet: Et nitrum Ægyptium, & coriandrum, & cuminum terere, & paſtillos facere, & apponere pudendo; Sed non ad quaſcunque Steriles vtilis eſt curatio hæc, ſed ad eas ſolum quæ frigidæ, & ſemine fœcundo parum abundantes ſunt: Polypus enim eſt ſalaciſſimum animal, & quod coitu nimio reſolutum tabeſcit: quæ vero talia ſunt neceſſe eſt vt augendi ſemen vim [illegible]eant, tali enim ſucco ſunt. & in talem nata mutari: Iam vero quod apponi jubet calorificum eſt, ac proinde rentiginem faciens: Quanquam ego cuminum detraherem, vtpote quod abſumit flatum, veluti ruta. *Idem.*

V. Videndum vt poſſitis Artem prudenter exercere, An vnquam liceat Medico *ſterilitatem inducere*, An liceat probibere conceptum, aut interimere, Et, ſi liceat, quando liceat, & quibus id agendum? Ex vna parte eſt authoritas religioſiſſimi *Hippocratis*, qui in jurejurando legem ſtatuit, ne Medicus abortivum medicamentum propinet: Quod ſi verum eſt, paulo minus differt conceptum impedire, & factum auferre è medio: Si non liceat factum conceptum interimere, ergo non licebit impedire ne fiat: Ex altera parte eſt autoritas ejuſdem *Hippocratis*, qui *lib. de Nat.* Pueri, ſcribit ſe conſuluiſſe ſaltatrici, quæ dubitabat vterum ferre, vt conceptum ejiceret ſaltando, onde videtur *Hippocr.* conceſſiſſe medicamenta quæ conceptum tollant: *Aëtius lib. 16. cap. 16.* clare monſtrat interdum licere Medicis impedire conceptum, & eundem necare: Ejuſdem mentis fuit *Avicenna tert. 3. tract. 2. cap. 17.* vbi monſtrat licere Medicis partim inhibere, partim interimere conceptum tribus in caſibus, 1. Cum mulier, quæ vterum gerit ita tenella eſt vt timeatur ne ſub partu occumbat. 2. Cum in vtero morbus aliquis eſt qui parit timorem ne in partu mulier ſupprimatur. 3. Cum debilis eſt veſica, ita vt timeatur ne ponderoſitate fœtus diſrumpatur veſica, vt ipſa diſrupta mulier intereat: Sed quia caſus iſti ab *Avicenna* poſiti ſunt admodum futiles; dicam quid Chriſtianis ſit agendum: Primum quomodo loca *Hippocrat.* intelligenda ſint demonſtrabo: Vt docuit *Ariſtoteles 7. Polit. 16.* perſpectum eſt veteres hanc legem habuiſſe, quod quoties aliquis conceptus nondum animatus erat, nefas erat tangere; Qua lege poſita conciliabuntur loci *Hippocr.* qui dum in Orco prohibet dari corruptoria medicamenta, loquitur de fœtu animato, quaſi voluerit dicere, non licere fœtum animatum vnquam interimere. Lib. vero de *Nat. Pueri*, loquutus eſt de fœtu nondum animato & vivo, eo quod liceret Fœtum nondum animatum quandoque corrumpere: Hanc autem fuiſſe mentem *Hippocr.* inde collige, quia dicit ſe conſuluiſſe vt ſaltaret ante vij. diem: Iam vero ſententia eſt *Hipp. l. de Gen. & de Nat. Pueri*, quam mutuatus eſt *Ariſtot.* Fœtum ante vij. diem nunquam animatum eſſe: *Aëtius*, vero, *Democritus* & *Avicennas* plane reiiciendi, quia non ſunt agenda mala vt eveniant bona: Quare ne vnquam Medicus pericula ſubire, neve mulieres ipſæ de vita periclitentur, duæ ſunt viæ meliores traditæ ab *Avicenna*, vna monſtrata ab oraculo *Troëzeno*, ne puellæ videlicet immaturæ nubant, (nam, vt refert *Ariſtotel. 7. Polit. 16.* mulieres *Troëzenorum* ſæpe occumbebant ſub partu, quod tenellæ nimis conceperant) Altera, vt quæcunque videntur ineptæ conceptui, conſulatur vt ſeſe dedant virginitati. *Mercurialis de morb. mulier. lib. 1. c. 2.*

V I. Sterilitem ab *Obeſitate attenuare* jubet *Hippocrat. lib. de Natur. mulier. §. 19.* & *pharmacum infra purgans dare, & ad vteros apponere quæ infra purgent ipſos*, & *Flatus inducant*: Extenuare autem corpus antea non poteria quam dum crebrius corpus & vterum purges: qua purgatione omnem humoris diſcuſſionem & exſiccationem intelligendam eſſe arbitror: Neque contemnendum eſt illud, *& flatus inducant*, nam proficua eſſe vtero remedia ea credendum eſt quæ quodammodo vterum dilatent, diſtendant, & compreſſos præ pinguedine & omento meatus patentiores reddant: quod proculdubio exiſtimo fieri per ea quæ flatus inducunt, quippe qui partem, vbi præſunt, diſtendere ſunt nati: *Mercatus de morb. mul. lib. 3. cap. 2.*

V I I. *Hippocrates* libro de ſuperfœt. probat *Vena ſectionem* bis in anno, ſecundum manus & pedes; nam reſpexit ad principale indicans, ad fœminas quæ non concipiunt; quia ſanguis in corpore exſuperat: Cum ergo malum perſeveret, expedit bis in anno venam ſecare: Et cum redundet in toto corpore, nec impetum habeat in vterum, recte probatur ſectio venarum brachij & pedum: Vnde vulgares errant qui aſſerunt fœminas ſteriles evadere ſi iis vena pedis pertundatur; Quod eſt contra *Hippocratem*, rationem & experientiam. *Capivaccius Practic. libro quarto cap. 5.*

V I I I. *Sudores* in humidioribus mulieribus, ſi frequenter provocentur, cum ab vniverſo corpore evacuent, valde illis vtile erit: quo nomine decoctum Gaiaci, adhibita parſimonia, more vſitato interdum bibant: quo dum quædam ex meo præſcripto vtebatur, gravida antequam abſolveret facta eſt. *Platerus Prax. lib. 1. cap. vlt.*

I X. *Thermarum naturalium* ſiccantium vſus per menſis ſpatium & vlterius, mulie-

SPVITIO SALSVGINOSA.

Cauterio in brachio cohibita.

CVidam *ſpuitio ſalſuginoſa moleſta*, ac remediis nihil malum cedere videbatur, ſed in dies magis creſcebant accidentia, adeo vt timor erat ne laborans in maciem & immedicabilia accidentia prolaberetur: Tandem ne videretur laborans conſilio ac præſidiis deſtitutus, mihi viſum fuit *Fontanellam* in altero brachiorum aperire; id adeo felici eventu factum fuit, quod prorſus evidenti conſilio conſtitit, fluxionem à capite derivari ad *Fontanellam*, & revelli à ventriculo ad quem fluebat. *Mercatus Conſ.* 18.

STERILITAS.

SYLLOGE.

Sterilitatis muliebris curatio Fomentis & Purgantibus præſertim perficitur. 1. 2. 12.

Quæ dicta ſterilium ob ſalacitatem. 13.

Non una eſſe debet curandi ratio. 3.

Stuphæ & Balnea *quibus conveniunt.* 14.

Curatio per Polyporum eſum. 4.

Averſionis oris uteri reductio. 2.

Suffitus & Evaporationes *non iiſdem competunt.* 16.

Sterilitatem an liceat inducere. 5.

Sterilitatis ab obeſitate curatio. 6.

Opiatæ *varie concinnanda.* 15.

Peſſaria purgantia *quibus adhibenda.* 17.

Vena *in pede an poſſit* ſecari. 7.

Sudorificorum *efficacia.* 8.

Et Thermarum. 9.

Circa Venerem *conditiones.* 10.

Peſſariorum *quæ virius eſſe debeat.* 11. 17.

Emplaſtra *diverſo fine admoventur.* 12.

Muliebris Setaceo in nucha curata. 18.

I. DE cauſis *Sterilitatis*, quæ multæ ac variæ ſunt, & de multiplici earumque curatione ſcripta ſunt multa ab *Hippocrate libro de Sterilibus*, & in *Aphoriſmis*, *Sectione* autem *v. libro ſecundo Epidem.* modo quodam rediguntur omnes cauſæ earum curationes in hæc duo Capita, *Fomenta*, & *Expurgationem*, *Steriles*, inquit, *fovere*, *ac pharmaco uti oportet*: φαρμάκιν autem, ac φαρμακεύειν, quo nunc vtitur, medicamentum expurgans ſignificat cum ſimpliciter dicitur, neque additur aliquid quod aliam ſpeciem medicamenti ſignificet: *Fomentis* autem nomine intelligi velim quæcunque interius & exterius, cataplaſmatis, irrigationibus, clyſteribus, peſſis & ſuffitu admoventur; vt *Expurgationis*, ac *Pharmaci* nomine, vomitiones & alvi ſubductiones: Nam ſterilitatis cauſa omnis eſt, aut *vitium compoſitionis*, aut *temperamenti*, aut *vlcus vteri*, aut *totius corporis cacochymia*: Inter vitia compoſitionis vteri, eſt *uteri exiguitas*, aut *craſſities*, *oris vteri ſtrictura & duritiex*, vt non dilatetur ſatis; aut *perverſio oris vteri*, aut *amplitudo*, & quod *dehiſcat*, adeo vt non retineat: aut *ſtrictura vaſorum vteri*, vt hanc ob cauſam menſtruæ evacuationes non influant, aut *laxitas*, vt nimium effluant: In vitio temperamenti, eſt *calor nimius*, qui ſemen abſumit, aut *frigus*, quod non concoquit; aut *ſiccitas*, quæ etiam ſemen & fœtus alimentum abſumit; aut *humiditas*, quæ retentionem impedit, quam *vlcera* etiam vteri impediunt; *Cacochymia* autem, cum in vterum refunduntur, corrumpunt ſemen: cum non effunduntur, non impediunt conceptum, tamen fœtum malo ſucco vti faciunt, ac proinde fit abortus, aut morbidus fœtus: *Compoſitiones vitiatæ*, ſi à prima generatione contractæ ſint, incurabiles eſſe ſolent: Sin autem aliis morbis ſuccedunt, illorum etiam curatione tolluntur: Cacochymiæ vſum pharmaci poſtulant: Intemperies omnes vteri, quæ cum ſucco conſiſtunt, ac cum aliqua totius corporis cacochymia conjunctæ ſunt, & vlcera imprimis, poſtulant pharmacum; deinde fomenta, affuſiones, inſeſſiones, peſſos: Sint vero hæc omnia ad calorem frigida, ad frigus calida, ad humorem ſicca, humida ad ſiccitatem, & ad vlcera qualia ratio curandi vlcera poſtulat. Patet ergo totam ſterilium curationem Fomentis & Pharmaco contineri. *Valleſius comment. in l. c. p.* 198.

II. Inter *vitia compoſitionis*, conſtat ex *Hippocrat.* decretis potiſſimam Sterilitatis cauſam, & maxime efficacem, eſſe *Oris vteri averſionem*, Cujus cauſas & curationem oſtendit lib. *de ſterilibus*: Libro item de *Natura mul.* *Si vteri ad latus allapſi fuerint*, ait, *tuſſis detinet*, *& dolor ſublatus*, *& vterus velut pila inſidet*, *& ad contactum dolet*, *velut ab vlcere*, Et poſt multa hujuſmodi, *fœminas purgare jubet*, *& calida lavare*, *& tepefactoria adhibere*: Et paulo inferius, *Si vteri obliqui fiant*, *& os ipſum obliquum ſit* &c. *Quum ſic habuerit Pharmacum infra purgans bibendum dare oportet*, *& calida lavare ac fovere*; Vniverſa ergo curandi ratio in hoc affectu ſtat in reductione vteri ad antiquam ſedem; quod equidem fieri nequit, niſi vel purgatis humoribus, quorum ratione laxatur vterus, vel reſiccatis auxiliis topicis, ac ſedato dolore, & molliore facta parte, vt indoloroſius ad ſedem citra inflammationem reducatur: Itaque primo purgabis corpus, & fomentis ac remollitoriis vteris, tandem digitis obſtetricis vterum reducendum curato, & vltimo ejuſdem manibus hinc inde per vniverſum ventrem, verſus vmbilicum, vndequaque oleo vteri regionem perfricabis mediocri compreſſione, donec vterum à parte, cui incumbit, ſeparatum, & in antiquam ſedem reductum cognoſcas: Cavebis tamen in hoc opere ne menſtrua inſtent, vel multorum humorum copia in vtero ſubſit, ne quid deterius præexiſtenti malo ſuccreſcat: Verum id facere ſtuduetis, poſt id opus oleis inungito ventrem, rutaceo lilior. albor. irino, chamæmel. de baccis lauri, ſuperaſperſis pulveribus ex iiſdem rebus &c. proderit & viri vſus, quo melius os diſtorquetur. *Mercatus de mul. Affect. lib.* 3. *cap.* 3.

III. Multæ mulieres non concipiunt quod habeant vteros humidos & excrementoſos, adeo vt neque avide recipiant ſemen, neque poſſint retinere; quæ quidem diſpoſitio contraria eſt ei per

quam

quam indigent menſtruis, vt hient vteri (duplici ſcilicet de cauſa à recens facta evacuatione menſtrua facillime fit conceptio in pleriſque, & quia nupertime aperta hiant, & os vteri, & quæ in vterum finiuntur venæ & arteriæ, & quia recens vacuatus vterus avide trahit humorem) Agnoſcitur hæc diſpoſitio exeuntibus, effluunt enim mucoſa quædam frequenter: Curatur victus ratione ſiccicſſima, *inquit Hippocrates lib. 2. Epidem. ſect. 3.* Nomine *Victus* hic intelligi debet tota vivendi ratio, qua & curationis ratio contineatur: Nam huic paſſioni non ſemper ſolus victus, qui in cibo & potu conſiſtit, eſt ſatis; Contrario vero fuerit, vt in aliis morbis, contraria affectioni: Vt hinc conſtet quam non ſit vna ratio curandi eas quæ non concipiunt, vt vulgares Medici ſibi perſuaſerunt, ſed varia & multiplex pro ratione cauſæ quæ ſterilitatem parit: Quaſdam enim omni ratione humectare, quaſdam ſiccare, quaſdam tantum calfacere, nonnullas etiam refrigerare & humectare convenit. *Valleſius comment. in citatum locum p.* 169.

IV. *Hippocrates lib. 2. Epidem. ſection. 6.* ſub finem, Vt mulier concipiat, polypos ſuper flamma aſſatos quam calidiſſimos, & prope ſemi vſtos edendos dare jubet: Et nitrum Ægyptium, & coriandrum, & cuminum terere, & paſtillos facere, & apponere pudendo; Sed non ad quaſcunque Steriles vtilis eſt curatio hæc, ſed ad eas ſolum quæ frigidæ, & ſemine fœcundo parum abundantes ſunt: Polypus enim eſt ſalaciſſimum animal, & quod coitu nimio reſolutum tabeſcit: quæ vero talia ſunt neceſſe eſt vt augendi ſemen vim [illegible]cant, tali enim ſucco ſunt, & in talem nata mutari: Iam vero quod apponi jubet calorificum eſt, ac proinde rentiginem faciens: Quanquam ego cuminum detraherem, vtpote quod abſumit flatum, veluti rurſus. *Idem.*

V. Videndum vt poſſitis Artem prudenter exercere, An vnquam liceat Medico *ſterilitatem inducere*, An liceat prohibere conceptum, aut interimere, Et, ſi liceat, quando liceat, & quibus id agendum? Ex vna parte eſt authoritas religioſiſſimi *Hippocratis*, qui in Iurejurando legem ſtatuit, ne Medicus abortivum medicamentum propinet: Quod ſi verum eſt, paulo minus differt conceptum impedire, & factum auferre è medio: Si non liceat factum conceptum interimere, ergo non licebit impedire ne fiat: Ex altera parte eſt autoritas ejuſdem *Hippocratis*, qui *lib. de Nat.* Pueri, ſcribit ſe conſuluiſſe ſaltatrici, quæ dubitabat vterum ferre, vt conceptum ejiceret ſaltando, unde videtur *Hippocr.* conceſſiſſe medicamenta quæ conceptum tollant: *Aëtius lib. 16. cap.* 16. clare monſtrat interdum licere Medicis impedire conceptum, & eundem necare: Ejuſdem mentis fuit *Avicenna fen. 3. tract. 2. cap.* 17. vbi monſtrat licere Medicis partim inhibere, partim interimere conceptum tribus in caſibus, 1. Cum mulier, quæ vterum gerit ita tenella eſt vt timeatur ne ſub partu occumbat. 2. Cum in vtero morbus aliquis eſt qui parit timorem ne in partu mulier ſupprimatur. 3. Cum debilis eſt veſica, ita vt timeatur ne ponderoſitate fœtus diſrumpatur veſica, vt ipſa diſrupta mulier intereat: Sed quia caſus iſti ab *Avicenna* poſiti ſunt admodum futiles; dicam quid Chriſtianis ſit agendum: Primum quomodo loca *Hippocrat.* intelligenda ſint demonſtrabo: Vt docuit *Ariſtoteles 7. Polit.* 16. perſpectum eſt veteres hanc legem habuiſſe, quod quoties aliquis conceptus nondum animatus erat, nefas erat tangere; Qua lege poſita conciliabuntur loci *Hippocr.* qui dum in Orco prohibet dari corruptoria medicamenta, loquitur de fœto animato, quaſi voluerit dicere, non licere fœtum animatum vnquam interimere. Lib. vero de *Nat. Pueri*, loquutus eſt de fœtu nondum animato & vivo, eo quod liceret Fœtum nondum animatum quandoque corrumpere: Hanc autem fuiſſe mentem *Hippocr.* inde collige, quia dicit ſe conſuluiſſe vt ſaltaret ante vij. diem: Iam vero ſententia eſt *Hipp. l. de Gen. & de Nat. Pueri*, quam mutuatus eſt *Ariſtot.* Fœtum ante vij. diem nunquam animatum eſſe: *Aëtius*, vero, *Democritus & Avicennas* plane reiiciendi, quia non ſunt agenda mala vt eveniant bona: Quare ne vnquam Medicus pericula ſubire, neve mulieres ipſæ de vita periclitentur, duæ ſunt viæ meliores traditæ ab *Avicenna*, vna monſtrata ab oraculo *Trœzeno*, ne puellæ videlicet immaturæ nubant, (nam, vt refert *Ariſtotel. 7. Polit.* 16. mulieres *Trœzenorum* ſæpe occumbebant ſub partu, quod tenellæ nimis conceperant) Altera, vt quæcunque videntur ineptæ conceptui, conſulatur vt ſeſe dedant virginitati. *Mercurialis de morb. mulier. lib. 1. c.* 2.

VI. Sterilitatem ab *Obeſitate attenuare* jubet *Hippocrat. lib. de Natur. mulier.* §. 19; *& pharmacum infra purgans dare, & ad vteros apponere qua infra purgent ipſos*, & *Flatus inducant*: Extenuare autem corpus antea non poteris quam dum crebrius corpus & vterum purges: qua purgatione omnem humoris diſcuſſionem & exſiccationem intelligendam eſſe arbitror: Neque contemnendum eſt illud, *& flatus inducant*, nam proficua eſſe vtero remedia ea credendum eſt quæ quodammodo vterum dilatent, diſtendant, & compreſſos præ pinguedine & omento meatus patentiores reddant: quod proculdubio exiſtimo fieri per ea quæ flatus inducunt, quippe qui partem, vbi præſunt, diſtendere ſunt nati: *Mercatus de morb. mul. lib. 3. cap.* 2.

VII. *Hippocrates* libro de ſuperfœt. probat *Venæ ſectionem* bis in anno, ſecundum manus & pedes; nam reſpexit ad principale indicans, ad fœminas quæ non concipiunt, quia ſanguis in corpore exſuperat: Cum ergo malum perſeveret, expedit bis in anno venam ſecare: Et cum redundet in toto corpore, nec impetum habeat in vterum, recte probatur ſectio venarum brachij & pedum: Vnde vulgares errant qui aſſerunt fœminas ſteriles evadere ſi iis vena pedis pertundatur; Quod eſt contra *Hippocratem*, rationem & experientiam. *Capivaccius Practic. libro quarto cap.* 5.

VIII. *Sudores* in humidioribus mulieribus, ſi frequenter provocentur, cum ab vniverſo corpore evacuent, valde illis vtile erit: quo nomine decoctum Gaiaci, adhibita parſimonia, more vſitato interdum bibant: quo dum quædam ex meo præſcripto vtebatur, gravida antequam abſolveret facta eſt. *Platerus Prax. lib. 1. cap. vlt.*

IX. *Thermarum naturalium* ſiccantium vſus per menſis ſpatium & vlterius, mulie-

rum infœcundarum vltimum eſt refugium: ad quas eo nomine proficiſcuntur, in illiſque multas horas in dies ſedent, & ſudant: Quæ efficaciores erunt ſi natura actu calidæ quoque ſint, quales aluminoſæ & nitroſæ, & gypſum redolentes, Plumbariæ dictæ, paſſim reperiuntur: Sulphureæ item, quæ cum vim emolliendi habeant maximam, in vteri duritie naturali ſanas mulieres ſteriles reddente, extremum remedium, & quia ſiccant, in aliis quoque convenient: Salſæ etiam, maris & puteorum aquæ, arte calefactæ & vſurpatæ, per ſe vel cum decocto convenienti proderunt. *Idem.*

X. Remediis præparata mulier, vt facilius concipiat quædam notare debet: Primo, Tempus ad conceptum eſſe maxime opportunum, quo à menſtruis mulier eſt maxime repurgata, iis ſcilicet deſinentibus, facilius enim ſemen excipit, retinet & fovet: Verum ſi mulier tenuis ſit, paucum habeat ſanguinem, illis imminentibus, aut intervalli tempore coire vtilius eſt: Sic intelligendus eſt *Aëtius* quando ſcripſit appetente fluxu menſtruorum eſſe coeundum. *Secundo*, Circa coitum conſiderandum eſt poſt cibum & ante ſomnum coeundum eſſe, nam ſuccedens ſomnus laborem minuit, ſeminis retentionem adjuvat: *Hippocrates* quidem venerem ſuadet poſt ſomnum, *Labor, cibus, ſomnus, venus* omnia mediocria, Verum rationem habet ſanitatis, non conceptionis. *Primiroſius de m. m. lib. 4. cap. 1.*

XI. Poſt exactam vteri purgationem, *Peſſaria* conficienda ſunt quæ os vteri interius dilatent, exterius conſtringant: Dilatabitur autem vterus ſequ. vnguento. ℞. *Axungia gallinæ, anſeris, & anatis ana.* ʒj. *olei amygdal. amarar. chamamel. ana.* ℥j. *radic. iridis* ʒij. *ariſtoloch. rot. aſari ana.* ʒj. *ſtirac.* ʒij. *terebinthin. abiet.* ℥j. *cera nova q. ſ. f. Unguent.* Poſt vſum illius vtatur Naſcali ex fellibus hirci vel lupi, cum moſcho, caſtoreo & civetta: Hæc enim omnia laxant & vterum deorſum trahunt, calfaciuntque, venerem ſtimulant: Exterius pars conſtringitur Fotu parato ex radicibus, herbis, floribus, & aliis conſtringentibus odoratis: cujus vſus in introitu lecti poſt menſium purgationem, & vſum aliorum remediorum, paulo antequam congreſſura ſit cum viro: *Rondeletius pag. 565.*

XII. Quia magna ex parte mulieres non concipiunt quia ſemen non trahunt, aut tractum non retinent, *Emplaſtra* ſupra vterum & renes, quo tempore congreſſura eſt; His quæ *non trahunt* ſemen, *Emplaſt. Ceroneum*, & alia quæ ex gummi, aliiſque attrahentibus conficiuntur, erunt ex vſu: His vero quæ *non retinent*, Emplaſtra conſtringentia vtcunque calida, quale eſt *Comitiſſa, pro matrice, de pelle arietina, de maſtiche, additis radic. biſtortæ* ʒij. *ladani, hypociſt. ana.* ʒj. *m. f. Emplaſt.* geſtandum donec appetat tempus alterius purgationis: Eo enim tempore removenda ſunt Empl. adſtringentia, ne menſes retineantur, niſi in quibus major ſanguinis copia fluit quam pro corporis habitu conveniat. *Idem.*

XIII. Si mulier non concipiat ob ſalacitatem, quod ob acrimoniam ſeminis & caliditatem fit, alenda eſt craſſis alimentis, quæ ſanguinem inſpiſſent & ſemen craſſius reddant: Vſus fructuum eſt vtilis, vt pyrorum, pomorum, caſtanearum, quæ craſſos humores, & craſſos gignunt flatus, impetumque illorum retardant. *Idem.*

XIV. *Suffitus* vtuntur mulieres humidiores, *Balneis* vero durum habentes vterum, aut frigidum. Sed bis vtendum paulo antequam fluant menſes: *Idem.*

XV. In frigidioribus & humidioribus mulieribus vtilis erit hæc Opiata, ſive humiditas ſit in toto corpore, ſive in vtero tantum: ℞. *Conſerv. eryngij & cortic. citri ana.* ℥j. *Conſ. anthos & zinzib. cond. ana.* ʒjß. *cineris priapi tauri & cineris vteri leporis ana.* ℥ß. *pulv. diagal. diamoſc. dulc. diambr. ana.* ʒiij. *pinear. & avellanar. ana.* ʒiij. *ſacchari parum, cum ſ. q. Syr. conſerv. cortic. citr. fiat Opiata, de qua capiat ad quantitatem avellanæ longe a paſtu, cum ibit dormitum.* Hæc Opiata magis convenit frigidis & humidis toto corpore, Nam ſi vterus tantum frigidus & humidus eſſet, & totum corpus calidum & ſiccum, ſatius eſſet fumigio per emboton recepto exſiccare: fiat autem ex odoratis, reſiccantibus & leviter adſtringentibus: Illis opiata vtilis erit ſi augeatur doſis pinearum & avellanarum, in lacte ſimul & pauco melle mixtis maceratarum, ſubinde removendo lac ne aceſcat & recens infundendo: Talis reficiet corpus exſiccatum, & copiam ſeminis generabit: In illis Opiatis adduntur multa alia exſiccantia, quæ ſi per ſe ſicca aſſumerentur, potius impedirent quam juvarent, ſed quia permiſcentur ſyrupis, & rebus dulcibus temperantur, conveniunt, ut raſura eboris, & cornu capræ, ſemen ſeſeli, medulla ſeminis fraxini (linguam avis vocant:) Addentur & paſſerum cerebella; ſed illa magis in cibo ſunt aſſumenda quam prædictis miſceantur; nam juvant quod multum ſeminis generent, quod non poſſunt facere ſi in pauca quantitate aſſumantur. Satius erit cerebellum porcelli, & porci diligenter coctum, cum pauco origano, & poſtea frixum in ſartagine edere: multum enim nutrit & ſemen auget. *Opiata ad mulieres ſalaciores* conſici debet ex leniter adſtringentibus, & copiam ſeminis generantibus, parum calidis vt ℞. *Myrobalan. condiтor. embl. & chebul. ana. n. ij. cortic. citr. cond. cum ſaccharo (in aliis cum melle)* ʒj. *pinear. infuſ. in lacte ſemin. fraxini eodem modo infuſi ana.* ʒß. *cum ſyrup. de pomis redolent. f. Opiata, additis raſur. eboris & cornu capræ ana.* ʒij. Quæ minus ad Venerem ſunt propenſæ, geſtent ambram vel moſchum, vel chirothecas odoratas, & maxime noctu habeant ſub pulvinariis, niſi obnoxiæ fuerint ſuffocationi vteri; tunc enim melius eſſet illa odorata coxis alligata habere. *Idem.*

XVI. *Suffitus* iis maxime proſunt fœminis quibus ob frigiditatem menſtrua vel nulla, vel diminute prodierint, præſertim ſi aquoſa humiditas adjungatur: *Suffitus aromatum, inquit* Hippocrates, *muliebria educit:* At *Evaporationes* iis quibus os vteri, & oſcula venarum ipſius frigore conſtipantur, ita vt ſemen ſuſcipere non poſſint: Omnia tamen peculiare hoc habent vt frigiditatem vteri compeſcant, quo minus ſemen extinguatur. *Mercatus l. c.*

XVII. Quæ *vterum purgant Peſſaria*, illis tantum ex vſu eſſe cenſeo, quibus pituita, aut aquoſus humor in vtero abundat; quod quidem caute agendum eſſe arbitror, licet authores libere colocynthide & aliis gravioribus vtantur. *Idem.*

XVIII. Mulier annorum xxxvj. robuſta, ſed humidiſſimo cerebro prædita, cum inflammatione

ocu-

oculorum ſæpiſſime, dolore vero capitis continuo vexaretur, tandem fiſtula lacrymalis oborta eſt, quorum cauſa ſetaceum nuchæ adhibui: Laboraverat autem illa per annos aliquot fluxu muliebri, quare nunquam vtero geſtaverat: Adhibito vero ſetaceo paulatim remiſit fluxus, aut paulo poſt concepit, filiamque peperit, deincepſque prolem habuit. *Fabritius Hildanus cent. 4. Obſervat. 19.*

STERNVTATIO.

SYLLOGE.

Aliquando fit eluto vapore ab inferioribus. 1.
Lacte tepido per nares attracto ſedata. 2.
Exhibito narcotico. 3.
Excreto per nares ſagittæ fragmento. 4.

I. CRebra ſternutatio cerebri potius affectus eſt quàm narium, etſi inter harum affectus recenſeatur; Ita ſi cruor vel latex ſale peregrino volatili inquinatus fuerit, tum facile ſpiritum cerebri innatum commovere poterit, vt is talem vim impulſivam induat vbi nulla cerebri intemperies adeſt: Novi quendam cacochymicum, ad minimum xx. ſternutationes habuiſſe, qui deinde ex tabe & hydrope mortuus eſt: Ex quo colligere eſt ſternutationem à defectibus inferiorum pendere, *Oſvvaldus Grembs lib. 2. pag.* 199. Puella xi. annor. in hæmorrhagiam narium incidit, qua ſubſiſtente ſternutatio ſequitur per aliquot dies, certis intervallis magnis conatibus affligens, vnde concludendum ſanguinis acrioris aliquid in anterioribus membranoſis cerebri partibus ſubſtitiſſe, temporibuſque certis, exhalationes ex cacochymia ventris infimi ſublatas expultricem irritaſſe tamdiu, donec correcta cauſa antecedente, capitis repletio pedetentim vi caloris ſublata fuerit. *Gr. Horſtius l. 5. Obſ. 51. vide Amat. cent. 4. cur. 3.*

II. Famula N. cum ex catarrho ſalſo & acri moleſtam & crebram ſternutationem pateretur, juſſi vt per nares ſæpe attraheret lac tepidum, quod cum ter quaterve feciſſet, miraculi inſtar ſtatim ceſſavit. *Foreſtus lib. 10. Obſ. 127.*

III. Quidam ex acri catarrho ſternutamento frequenti per menſem eſt concuſſus, vt nec comedendi nec bibendi tempus haberet: Multis tentatis, Narcoticum dedi tribus poſt cœnam horis: quo ſemel vſus, ex improviſo, poſt ſomnum profundum conquievit: ℞. Philon. Perſ. ℈j. Opii gr. iij. croci gr. v. myrrh. gr. iv. cum ſacch. & pulv. liquir. f. bolus: ſuperbibit meri ℥ij. *Zacutus Pr. hiſt. lib. vlt. c. 1.*

IV. Græcus vulneratus circa tempora per ſagittam, poſt annos xxv. concitatis ſupra modum ſternutamentis, magno prurituu, inter magnos conatus è naribus fruſtum ſagittæ, digiti medii longitudine, ferrea acie rejecit. *Alex. Benedictus lib. 4. Pract. c. 4.*

STRABISMVS.

Setaceo ad nucham indito curatus.

STrabiſmus, ex *Paulo*, ſequitur modo reſolutionem mollitiemque muſculorum, modo convulſionem; Iuvenis eo affectu laborabat ob nimiam humiditatem: Ne in graviora mala abiret, epilepſiam &c. ex mente *Avicennæ*, multa præſidia expertus eſt, tandem laqueo ad nucham indito, cujus ope longo tempore ſanies effluxit, tandem omnino convaluit. *Zacutus Pr. adm. lib. 1. Obſ. 61.*

STRANGVRIA.

SYLLOGE.

Sanguinis miſſio an facienda in vrinæ ſtillicidio. 1.
Qua ex vena. 2.
An ſemper ex interna. 3.
Si ſit a retentricis impotentia quomodo purgandum. 4.
Caloriſicis aliquando curanda. 7.
Quæ fit à potu cerevíſiæ recentis vini potu curatur. 6.
Efficacia fontanellæ in crure in ea quæ eſt ab impotentia retentricis. 5.

I. IN dubium vertitur, an liceat aliqua occaſione in hoc malo, (ſi febris non adſit, nam ſi ea ſit, nulli eſt dubium) ſanguinem detrahere? In qua re docet *Hippocr. 6. aphor. 56. & 7. 48. Vrinæ ſtillicidium & difficultatem curari venæ poplitis interna ſectâ*; quæ licet ſententia vt dubia eſt, ita periculo non caret ejus præſcriptum ſequi: Cujus ratione addubitare primo oportet, an in quovis vrinæ ſtillicidio, vel quavis ejus difficultate, ſanguinem mittere? nam ex eodem, & *Galeno*, videtur conſtare ſolum eſſe mittendum, vbi ex veſicæ vel partium vicinarum inflammatione prodeunt, ſi quidem docent ex talo debere fieri, & hujus etiam ſententiæ ſunt fere omnes autores: Verum cum hoc ſtatuendum eſt, vbi ex bile acriori, aut ſalſa pituita malum oritur, etiam neceſſum eſſe ſanguinem detrahere, tum diverſionis, tum etiam gratia refrigerationis: Quod fit parce & partite, ne vires (quibus in hoc malo laborantes ſummopere opus habent) labantur & concidant; nam hoc ſolo terrore pleriſque viſum eſt nullo modo ſanguinem eſſe mittendum: verum cum hoc mittendus eſt prædictis rationibus, citra vllam dubitationem, parce & in mali initio.

II. Quapropter licet ab *Hippocr.* dictum ſit ex talo abſolute eſſe mittendum, non ſemper id venit exſequendum ſed in prædictorum ſuccorum redundantia ſemper ex interna brachii vena, niſi defluxio à capite fiat, nam tunc ex cephalica commodius fiet: Item dum ex veſicæ aut vicinarum partium inflammationis affectio prodit, non ſemper ex talo mittendus ſanguis eſt, ſed primo inflamma-

tionis acceſſu ex brachio, maxime corpore exiſtente pleno; procedente vero morbo, ex talo derivationis gratia: Dixit tamen *Hippocr.* ſolum ex talu, quia ex ea parte miſſo ſanguine ſolum vrinæ ſtillicidium levamen ſuſceptat, quod à parte affecta derivatione ſanguis extrahatur: cæterum aliarum indicationum gratia ab aliis etiam partibus mitti poteſt.

III. Videndum etiam dum ex talo ſanguis mitti debet, an ſemper ea interna ejus vena mittendus ſit? nam non deſunt inter neotericos, qui per verbum illud *Hippocratis, internam tali venam*, intelligant venas quæ ſunt ſub cute, ad differentiam earum quæ ſunt in cute, & ſcarificatione ſcinduntur, ſed hac diſtinctione prætermiſſa, cum ſit præter mentem *Hippoc.* & *Galeni*, qui pari ratione in pleuritide internam cubiti venam ſecare jubent, & per internam axillarem intelligunt omnes Medici: *Galenus* porro 5. de vſu part. vtramque tali venam, tam internam quam externam ab eodem trunco diſſeminari ait, Statuimus ex *Avicenna* & aliis, quod licet vtraque vena ab eodem trunco diſſeminetur, cum hoc tamen certiſſimum tamen eſſe, & experimento confirmatum, partes internas majorem communionem cum trunco interno, & externas cum externo ſortiri, & ob id quamvis partem affectam, vterum nimitum & veſicam in internis, & coaendicem in externis, ſuam expoſcere ſectionis differentiam, adeo neceſſariam & proficuam vt nulla excuſatio adferri poſſit. *Mercatus.*

IV. Si vrinæ ſtillicidium ex acriori bile, aut ſalſa pituita oriatur, omni diligentia curandum eſt humorem imminuere, alio transferre, admiſcere ac attemperare; protinus & ante omne aliud auxilium levi aliquo pharmaco corpus expurgando: Pituita quidem ſalſa redundante, ſive à capite defluat, vt non raro aſſolet; ſive in ventre genita & bile admiata talis fiat, ſive ex putredine prodeat, vomitibus bis aut ſemel in hebdomada factis curandum eſt ipſam à conſuetis viis avertere, & cum hoc paulatim imminuere: Verum ſi bilis amarior ſit, diluto rhei, copioſinti aqua malvarum &c. per ventrem bis terve expurgabis: Quod ſi vrinæ ſtillicidium pendeat ab impotentia retentricis facultatis, quæ ab intemperamento frigido & humido, aut ſolum humidiori, languidior facta nequit ſtatuto tempore vrinam adſervare, Purgationem primo mali acceſſu copioſiorem inſtitues, poſtea tamen per vices & intervalla purgabis, ſtudens humorem non ſolum conterere, ſed à viis etiam vrinæ divertere. *Idem.*

V. Si nulla præſidia, in hac ſtillicidii ſpecie, prodeſſe compereris, fontanellam altero crurum aperire oportebit, qua ſpiret pituita in prædictis partibus imbibita, quod ſolet præſentaneum eſſe præſidium. *Idem.*

VI. Ad ſtranguriam propter recentem cereviſiam illatam, mihi ſemper profuit Vinum Rhenanum; Si vinum deeſſet, & cogeret cereviſiam bibere recentem, ſumpta nuce myriſtica ab hoc malo levabar: Cum id malum inde quidam incutiiſſent, ſolo ſevo candelæ umbilico illito ſeipſos curabant: Alii ſolo cochleari oxymelitis epoto malum à ſe depellebant: ſed & foliorum ribes nigræ odor, multoque magis eorundem decoctum id vitium emendare expertum habemus. *Foreſtus Obſerv.* 3. *lib.* 25.

VII. Stranguriæ cauſæ ad duas claſſes reducuntur à *Galeno* 3. aph. 16. Retentricis imbecillitatem & vrinæ acrimoniam, quod poſterius frequenter accidit, Ideo quæritur, Num etiam aromatica in tali caſu conveniant? videtur probabilis negativa, eo quod ignis igni non ſit addendus: Si adeſt peccantium humorum fervor & acrimonia, cujus ratione morbus, *Ardor vrinæ* vocatur, videtur potius per emollientia & refrigerantia corrigendus: At licet frequenter fiat ab acrimonia ſeri, non tamen ſequitur cauſam antecedentem, ad quam curatio dirigitur, ſemper eſſe caliditatem, quia fieri poteſt, imo frequentiſſime fit, vt craſſities humorum frigidorum ad acrimoniam colligendam ac retinendam inſerviat, ita vt acrior vrina generet ſtranguriam, non quatenus talis, ſed prout exitus ejus, quam ejus acrimonia accelerat, ob admiſtas partes craſſiores impeditur; vt enim acres & bilioſi humores dyſenteriam non generant vbi fluxum alvi concitant, niſi viſciditas quædam accedat, cujus reſpectu parietibus inteſtinorum adhærent eaque exulcerant, ſic etiam ſerum ſua natura peculiarem acrimoniam poſſidens, non generat vrinæ ſtillicidium niſi peccantes humores accedant: Hinc recens cereviſia ſtillicidium vrinæ facit, craſſitie & viſciditate: meatus vrinarios obſtruendo, & conſequenter fæcum minime depuratarum acrimonia ſerum exacerbando, vbi generoſum vinum exhibitum oppido juvat, vt pote quod calefacit, attenuat, cruditates concoquit, adeoque cauſam antecedentem corrigit: Hac ratione ſæpe non inconveniens eſt aromaticorum vſus, cum ſcilicet ab ejuſmodi cauſa antecedente frigida & obſtruente dependet, non obſtante quod materia peccans proxima ſit acris & fortaſſis calida: frequenter enim accidit vt in calido morbo calidum præſcribatur remedium, non morbi reſpectu, ſed ob cauſas antecedentes. *Horſtius Dec.* 8. *qu.* 6.

STRVMÆ, SCROFVLÆ.

SYLLOGE.

A Glandulis induratis quomodo diſtinguenda. 1.
Vena *in quibus* ſecanda. 4.
Cucurbitulæ *vbi admovendæ.* 5.
Purgatio *qualis convenit.* 3. 13.
Vomitus *an convenit.* 6.
Veſicatoriorum *capiti adhibitorum efficacia.* 7.
Repercutientibus *an locus.* 8.
Sudorifica *in quibus vſurpanda.* 14.
Narcotica & Frictiones *eas abſumunt.* 16.
Suppurantibus *quæ cedunt.* 15.
Cauterio potentiali *abſumpta.* 17.
Medicamentis in collo diſſipata. 18. 24.
Per Exciſionem *curatio.* 19. 23.
Aromata *an vtilia.* 2.
Curationis difficultas vnde pendet. 20. 22.
Curata nihilominus revertuntur. 21.
Medicamenta interna eas abſumentia. 22.

I. QVia magna ſimilitudo eſt inter Strumas & Glandulas induratas (ſimiles enim ſunt & loco & materia) ideo danda opera vt diſtinguantur ab invicem; Differunt 1. quia harum materia ſubtilior eſt & tenuior, Strumarum craſſior & viſcidior, magiſque contumax, & hinc eſt quod

quod quoties materia tenuis & ſubtilis incraſſatur, ſunt ex glandulis ſtrumæ: Id quod intelligere voluit *Galenus* 1. de loc. aff. 3. cum dixit glandulas interdum tranſire in ſtrumas. 2. quia Glandulæ indutatæ magis ſeparatæ ſunt à carne vicina, ita vt liceat faciliter cognoſcere ipſam tactu à glandulis: Strumæ vero ita propagantur in carnem vicinam, vt perarduum ſit ipſam dignoſcere a Glandibus. 3. quia hæ ſemper, aut pleiumque, folliculum habent, Glandulæ ſemper ſunt folliculi expertes. 4. *Rogerius* Chirurgus proponit vt capiantur folia hederæ, atque citri, ſimul piſtata apponantur tumori: quod ſi ſpatio trium dierum deliteſcat tumor, ſignum ait Glandulas eſſe non ſtrumas; ſed ſi medicamento exacerbetur, ita vt rubeat & doleat, ſignum eſſe non Glandulas ſed ſtrumas eſſe. *Mercurialis lib.* 1. *cap.* 5.

II. Sunt inter Practicantes qui commendant vſum *Aromatum* in cibis, Ego autem ſum alterius ſententiæ, nam ſi *Hippocrates* in mulieribus timebat Aromata, quia caput tentant, multo magis timenda ſunt in Pueris, huic malo præ cæteris ætatibus obnoxiis, quod eorum capita facile repleantur. *Mercurialis l.c.*

III. Advertendum circa puerorum *Purgationem*, cum ætas puerilis ſit ſatis infirma, eam omnino blandiſſimis medicamentis eſſe tractandam, & potius iterum atque iterum repetendas cunſulo Purgationes leues quam vt gravia medicamenta exhibeantur: Sic enim ego curavi Nobiliſſ. Puerum à Strumis: Ideo qui laudant Pilulas fœt. de Euphorbio, & hujuſmodi medicamenta, in pueris non ſunt audenda; in adultioribus quidem fateor poſſe tolerari. *Idem.*

IV. De *vena ſectione* in ætate puerili, eam neque ætas neque morbus patitur, vt loquuntur, niſi tamen Strumæ non ſimplices ſint, ſed cum materia calida, & niſi æger adultus ſit: quibus in caſibus interpretanda eſt *Avicennæ* ſententia, quando in curatione Strumarum laudat ſectionem venæ. *Idem.*

V. Non damno tamen vſum *Cucurbitularum*, quas licet Raſis xiij. Contin. ſcribat exaſperare malum, & efficere vt revertatur, Ejus tamen ſententia, vt puto, eſt intelligenda de Cucurbitulis quæ cervici applicantur, aut partibus cervici proximis; non autem de iis quæ partibus longinquis adhibentur, cujuſmodi ego laudo. *Idem.*

VI. De *Vomitu* diverſas invenio ſententias, *Aëtius*, quem ſequutus eſt *Avicennas*, laudat frequentem vomitum; ſunt alii qui ex toto eum damnant: Invenio nonnullos qui media via incedentes dicunt illum ante purgationem non convenire, ſed tantum poſt purgationem; Ego autem ſum in hac ſententia nullo pacto in Strumis tentandum eſſe Vomitum, & adducor in hac ſententiam hac ratione, quia etſi materia antecedens aliquo pacto vomitu minuatur, impacta tamen materia tantum abeſt vt auferatur, vt potius magis exacerbetur: Præterea certum eſt Vomitu maxime caput repleri: Nam ſi videantur vomentes, iis venæ jugulares exuberant, tumet & caleſcit totum caput; vt non ſit dubitandum ex vomitu caput magnopere repleri; Quod cum intelligeret *Hippocr. lib. de Loc. in hom.* magnovere damnavit vomitum in affectibus aurium & oculorum, vt qua ratione non convenit is in affectibus aurium, non etiam conveniat in affectibus eorum locorum qui ſunt proximi auribus. *Idem.*

VII. Ad materiam quæ fluit cohibendam conveniunt frictiones, cucurbitulæ, veſicatoria capiti adhibita, & ego vbi adverto in pueris fieri Tumores circa collum, nullum remedium magis præſentaneum invenio quam capitis cutem exulcerare: hæc enim eſt diverſio accommodatiſſima, & vacuatio; Sed advertendum eſt ne in pueris cantharidibus capita exulcerentur, quia, vt ego ſæpiſſime obſervavi, cauſant in hac ætate & magnos cruciatus & ſanguineus mictus: Melius autem eſt hoc facere vel ſinapi, vrtica, vel flammula Iovis, cum moderantia ſemper & prudentia. *Idem.*

VIII. Sed utrum in cohibenda materia quæ fluit, utile eſt adhibere medicamenta *adſtringentia & repellentia*? *Galenus* 2. *ad Glaucon.* ipſum alloquens ait, ſe ipſi adverſus Strumas medicamenta dediſſe *adſtringentia*, &, ut interpretatur *Akakias*, *repellentia*: Ex quo loco quiſque colligere poteſt illorum vſum convenire poſſe; nec alia ratione niſi incohoantibus ipſis: Præterea apud *Rhaſem* lib. de Apoſtem. habent Plantaginem maxime convenire in Strumarum curatione, Iam vero plantago eſt medicamentum quod adſtringit & repellit; quapropter videtur vſus horum medicamentorum convenire in ſtrumis curandis: Ex altera parte ſunt Rationes, quia ſive materiam ſpectemus, ſive locos patientes, multum abeſt vt illis vnquam vti debeamus: materia enim frigida, craſſa & impacta eſt, idcirco nequaquam repelli poteſt: Loci etiam ratione non conveniunt, quia ſi videmus materiam eſſe ſubtilem & calidam, cum ſit locus glandularum, atque proximus ipſi cerebro; nunquam ex his locis materia repellenda eſt, ne ſcil. ex loco ignobiliori impellatur in cerebrum: Hinc *Galenus* 3. 3. K. T. dicit in Parotidibus nunquam eſſe utendum medicamentis repellentibus: Idem 14. m. m. expliciſſime docet ſtrumis non aliam curationem deberi niſi eam quæ ſcirrho & tumoribus induratis, in quibus tantum emollientibus & diſſolventibus agendum eſſe monet, & hanc ſane viam ſequuti ſunt omnes Medici; Imo ait *Aëtius* incohoantes Strumas in pueris eſſe molliendas, diſſolvendas & diſcutiendas, vt nullus locus relinquatur etiam illis qui putant in initio ipſarum poſſe convenire uſum medicamentorum adſtringentium, Sed qui *Galenum* vident propria lingua loquentem, facile ſcrupulum hunc tollere poſſunt, nam interpretes omnes hoc in loco fefellerunt: Vocem enim qua vtitur, λύειν προςέλλειν, peſſime tranſtulerunt adſtringere, quia hoc potius ſignificat compeſcere, ſeu imminuere, aut complanare; vt ſententia *Galeni* ſit eo loco, ſe medicamenta tradidiſſe quæ compeſcant & complanent ipſas ſtrumas, & hoc verum eſſe facile ex eo colligi poteſt, quia eodem libro cap. 4. utitur eadem voce, & interpretes eodem in loco optime tranſtulit: non eſt ergo credendum oculatiſſimum *Galenum* in re adeo manifeſta fallere potuiſſe, vt adſtringentia adhibuerit in Strumis: Sed quid ad *Raſem* dicemus? Dico plantaginem poſſe adhiberi vel viridem vel ſiccam: In viridi vis abſterſoria pene tota obſcurata eſt ab humiditate, in ſicca vero magna eſt, Quod cum nos doceret *Galenus* 6. Simplic. med. cap. de Arnogloſſa, dicit folia & radices plantaginis exſiccata valere ad obſtructionẽ jecoris & renum aperiendas: Itaque quando laudat Plantag. *Raſes*, laudat ſiccam, quia hæc abſtergit, diſſolvit & incidit. *Idem.* Rondeletius tamen Pract. lib. 2. cap. 4. multos à ſcrophulis incipientibus vindicaſſe ſe aſſerit nucibus cupreſſi ſupra partem appoſitis, ex *Dioſcoridis* præcepto. *Wurtzius*

Adeuegr. c. 40. ait quoque periculo non vacare Strumarum externarum medelam quæ per repellentia & diſcutientia inſtituitur, quod materia faciliime ad partes interiores recurrat & periculoſiores ejuſdem generis tumores generet, vel prius genitos adaugeat.

IX. Si materia ſit valde viſcida & contumax, dictum eſt nullam aliam ſpem eſſe niſi in *Igne & Ferro*, & Putrefactione: Scribit *Avicennas*, & jure, Strumas magnas neque ferro neque vllo gravi medicamento eſſe tractandas: Et hoc eſt perpetuum, ut quotieſcunque Strumæ vel colli, vel mammarum, vel inguinum his remediis tractantur, ſemper in Cancros exitialiſſimos convertantur. *Idem.*

X. Illud etiam advertendum eſt quod idem monet, non eſſe neque ferro, neque igne ſtrumas tractandas quæ ſunt prope arterias, aut nervos præcipuos: Nam vt monet *Galenus* 1. de loc. aff. & *Aëtius*, ſæpe contingit vt dum ferro aut igne tractantur Strumæ colli, nervi reverſivi aut tangantur, aut denudentur, aut aliquo alio pacto rendantur, vnde fit vt ex toto vox abolcatur, aut vitietur. *Idem.*

X I. Vbi ſectio eſt facienda, ex *Aëtio*, qui fuſiſſime & explicatiſſime eam tradit, modus petendus eſt, Id addendum, vbicumque ferro excidendæ ſunt Strumæ, ſemper ſatagendum eſſe vt folliculus evellatur, quia niſi ejus radices ſuerint evulſæ, facile malum revertitur. *Idem.*

X I I. Sectione multo tutior eſt medicatio quę fit medicamentis putrefacientibus, nam cauſtica & putreſacientia adhibentur uſque quo fiat penetratio ad locum materiæ, quæ poſtmudum paulatim educitur; & ubi educta eſt, atque ex toto conſumptus folliculus, ad cicatricem perducitur, pro qua re laudat *Avicennas* ungu. Chriſtianorum, i.e. Apoſtolorum. *Idem.*

X I I I. *Purgantia* in Scrofulis uſurpari ſolita plerumque defluxionibus pituitoſis, unde has naſci putant, accommodant, non ſolum ſi in collo ſed & reliquo corpore ſe exhibeant, & ad pituitam expurgandam præcipue ea diligunt: Nos vero prout corpus ejuſmodi vel plethoricum vel cacochymicum, aut alioquin vitioſis humoribus ſcatet, hiſce evacuandis ea accommodamus, ſi præſertim hi illis occaſionem præbuerint, & cum ſi magna illuvies vel vitioſitas humorum adſit, & deteriores & plures ſcrofulæ erumpant, tunc etiam majores purgationes inſtituimus. *Platerus* Tomo 3. p. 294. Evacuationes quod attinet, niſi aliis de cauſis eæ requirantur, propter unam Strumam non adeo, in illis, uti fere fit, inſiſtendum ut ſi plures ſcrofulæ corpus vitient, præſertim ubi alioquin parva ſpes curationis affulget. *Idem p.* 305.

X I V. *Sudorum provocatio*, ſi ſcrofularum copia hinc inde per corpus diſperſatum, abundantiam humorum excrementiorum & perverſorum indicet, nonnunquam convenit, in corporibus præſertim phlegmaticis & humidioribus, cum in calidioribus & bilioſioribus non adeo poſſit competere, ſed corpus humoreſque magis accendat & effervеſcere faciat: In quibus temere hoc unico remedio ſæpe Chirurgi, uti alios externos affectus diuturnos ſic & hunc curare ſe poſſe exiſtimant, corporaque ſæpe fruſtra emaciant. *Idem.*

X V. Curatio Strumarum in eo poſita eſt ut materia fluxa radicitus evellatur, & quæ eſt in fluxa coerceatur ne fluat: Circa *Fluxam*, cogitandum eſt utrum ſit ſola pituitoſa, an etiam calida; Si miſceatur materia calida, *ſuppurationem* tentandam eſſe confirmant omnes; ſin autem tantum pituitoſa ſit, rurſus cogitandum eſt num ea ſit maxime craſſa, an mediocriter; Si maxime craſſa & viſcida ſit, non alia ratione ſperari poteſt curatio niſi putrefactione, ferro & igne: Sed ſi mediocriter fuerit craſſa, curatio in hoc poſita eſt vt emolliatur materia, diſſulvatur & diſſipetur: Hos ſcopos cum ſpectaret *Averroës* 7. collect. 31. dicebat Scrofulas ſi fiant ex materia ſubtiliore & tenuiore, curandas eſſe medicamentis emollientibus, atque incidentibus & diſſolotivis: Sed ſi fiant à craſſiore & duriore, curandas eſſe medicamentis purgantibus, atque etiam ferro & igne tractandas, ſed hoc nequaquam agi debere niſi cum timore & prudentia. *Mercurialis l. c.*

X V I. *Narcotica* uti extrinſecus adhibita vim magnam reſolvendi habere comperimus, ita & in ſcrofulis admota multum efficient: Veluti folia mandragoræ, hyoſcyami, papav. contuſa vel parum ſub prunis toſta aut cocta, aliove modo per ſe adhibita: Item radix mandragoræ, vel farinis ſimul additis &c. Frictio vero ſcrofularum eo uſque ut fere rubeſcant, etiam ad diſcuſſionem aliquid affert momenti, Et ſi ante applicationem topicorum fiat, ut vim eorum rectius experiantur eas diſponit. *Platerus.*

X V I I. Cauterio potentiali, quod ſine dolore in cute eſcharam faciens eas pateſacit, ſæpius illud præſtitimus, ſcrofulaſque hoc modo eximi curavimus: vel ut ſic denudatæ ſuppurari melius appoſitis remediis poſſint procuravimus: Vſtione vero per potentialia vel actualia cauteria illud moliri grave & periculoſum, cum inflammatio facile ſubſequatur: In loco tamen penitus ignobili hoc pacto quoque aperiri poſſunt. *Platerus.*

X V I I I. Cuidam *Scrofula totum collum* occupabant, ac ſpatio menſis curata eſt: datus pulvis ex æq. part. ſacch. zz. & turpeth. qui pituitam è locis remotis peculiariter expurgat: Poſt appoſitum ceratum oxæleum, oleo de lacertis emollitum: ℞. lacertas virides vivas q. v. coque in oleo communi, donec comburantur & oleum fiat nigrum: colatura indatur vitro & reponatur ad Solem, uſque dum fæces ſubſideant; oleum clareſcat, & fuſcum colorem acquirat: 3. exhibui per xxa. dies ſingulo mane de Elect. quod H. *Saxonia* & I. *Praverius*, ut certiſſimum pro ſecreto habuerunt: ℞. lacertarum comm. ſive virid. n. c. abſciſſis capitibus & caudis, exemptiſque interaneis, infundantur in aceto vini albi, per ſe, acerrimo, per 40. dies: dein exſiccentur & macerentur in alio aceto, ſiccenturque iterum in umbra aut Sole & in pulverem redigantur: quo facto pulveris ℥j. admiſce mellis ℥iv. m. doſis pueris ʒij. adultis ℥ß. ʒvj. vel ℥j. ad ſummum, per 30. aut 40. dies: Mirificam unguenti quod habet Aquapend. Pentat. 1. n. c. 21. ad ſcrofulas apertas virtutem expertus ſum in quadam monacha & puella, quarum illa ſcrofulas habuit ulceratas in mammis, & hæc in collo. *Scultetus Obſ.* 31.

XIX. Strumis, etſi crudi durique ſunt tumores, non parcimus exſcindendi miniſterio, ſed cum mobiles ſunt tantum & carni non affixæ, ritu ſteatomatum & id genus, has cute reſciſſaa, & ſcalpro latio-

ris breviſque cuſpidis, recurvi circumſectas, digitis avellimus, ſuffragio *Galeni* 14. m. m. cap 11. Hanc Chirurgia curandi rationem feliciter ſumus experti in ſexcentis: Adminiſtrandæ ſectionis rationem lege apud *Albucaſin* part. 2. cap. 42. & alios: Tametſi vero *Nicol. Florent.* præ cauſticis exciſionem improbaverit, apparet plane quod de ſtrumis ſub nervos & vaſa conditis pronuntiaverit: Nervorum qui voci deputantur offendendorum formido Anatomes ignaros ſpectat. *Severinus med. Eff. p.* 130.

XX. Quamvis *Laurentius* Strumas curabiles judicat, tamen ego eas admodum curatu difficiles, vel incurabiles dicerem: Nam ſi levia imponas, durities humoris refragatur, & renititur: Si fortia, urentia, cauſtica, imo ipſum ignem, ut liquetur, abſumatur glutinoſus humor, ad calefactam partem ſanguinem trahet, cujus vi humores iſti lenti concoquantur, qui concocti duriores remanebunt, uti proprio experimento adinveni: Et quis mortalium tam jactabundus inveniretur qui eas purgantibus, ſudorificis, topicis (ut nonnulli jactant) curaret, quarum originem non poſt aures, ſed ex internis viſceribus habeamus? *Nic. Fontanus Reſpenſ. & Curat. p.* 66.

XXI. Obſervabile illud eſt, quod etſi exactiſſime curentur, iterum atque iterum revertantur: puto ego hujus eventus duas eſſe cauſas, prima eſt materiæ, ex qua efficiuntur, craſſities & viſciditas ac contumacia, quia etſi omni diligentia & ſtudio nitamur evellere radices, & exſtirpare materiam ſtrumarum, tamen tanta eſt ſua contumacia, ut plerumque alia portio materiæ relinquatur, quæ cum ſit velut fomea quidam, non ſolum contaminat partis temperiem, ſed etiam nutrimentum accedens partibus commaculat & corrumpit, ita ut copioſum fomentum ſuggeratur huic morbo: Hoc enim eſt perinde ac illud quod prodidit *Galenus* 3. *Prognoſt.* 37. ubi reddens rationem reditus febrium, dicebat in ipſis ſæpe relinqui cinerea quoſdam, qui ſupercalefacti corrumpunt proximos humores, & inflammant, atque ita febres fiunt: Secundo eſt *folliculus*, qui tenaciter infixus eſt, ita ut vix poſſit evelli, unde relictus hic, cum repleatur iterum materia, ſeu humore pravo, præbet occaſionem novæ generationi, Imo licet induſtria artificis hic evellatur folliculus, ſemper tamen remanent radices veluti ligamenta, ex quibus is denuo pululat, & conſequenter malum; Nam ſi, ut dicit Hippocr. ubi ſanguis congelatur, obducitur veluti quadam pellicula, quæ ſi detrahatur, alia iterum naſcitur, & ſi hæc etiam auferatur, tertia oritur; quanto magis poteſt renaſci folliculus ſi radix aliqua, aut aliquis ejus ſurculus remaneat? *Mercurialis lib.* 1. *de morb Pueror. cap.* 5.

XXII. Strumæ raro foras emergunt magno numero, niſi radices egerint in meſenterio, ait *Riolanus Ench. cap.* 18. *lib.* 2. Notatque *Warthon Adenogr.* c. 40. eos qui Strumis externis afficiuntur, *internis* ut plurimum laborare: *Iulius* quoque *Pollux Grammaticus* l. 2. c. 98. In meſenterio ſcrofulas enaſci prodidit: Qua de cauſa *Langius* lib. 3. Epiſt. 4. ſaluberrimas eſſe *aquas minerales*, quæ vini fæculam reſipiunt aſſerit; quæ, ut *Arnaldus* tradit, non internos modo hoſce pituitoſos abſceſſus & ſtrumoſos, ſed externos quoque diſcutiunt. Acida intus aſſumpta, ut & ſalia volatilia, commendat *Barbette* in Praxi; quæ blanda & temperata eſſe præcipit *Deckers* in notis; quod alias plus obfuiſſe quam profuiſſe obſervarint accurati Practici. E. g. ſpiritus ſalis, nitri &c. per ſpiritum vini rectificatum dulces cobobatione redditos: præ cæteris Salis armoniaci ſpiritum commendat, internè & externè, cum juſto vehiculo miſtum.

XXIII. Puella decem annorum laborabat *Struma ex dextra parte colli*, quæ aſperæ arteriæ & nervo recurrenti tenaciter adhærens reſpirationem ac vocem utcunque intercipiebat: Mater rogavit ut hanc exciderem, quod abſque periculo fieri poſſe credebat, quia ovi anſerini magnitudinem vix adæquabat: Ego vero manum adhibere recuſavi metu hæmorrhagiæ aut vocis depravationis, vel deperditionis: Venæ enim jugulares, ſimul & nervus recurrens iſtius lateris, ſtruma hac involvi videbantur: Non diu poſt temerarius quidam operationem aggreditur, ſed adhibita novacula obiit illico puella. *Fabritius Hildanus cent.* 3. *Obſerv.* 35.

Dextre ex axilla erutæ vide exempla apud *Benivenium cap.* 14. *Timæum* l. 6. caſu 23. & alibi.

XXIV. Puella octodecim annorum patiebatur Tumores ſtrumoſos in *collo*, qui multis remediis diu adhibitis ſuppurati fuerunt, & poſt conſolidati; at portio remanebat duriſſima, quæ nec emplaſtro de *Vigo*, Mercurio quadruplicato, potuit diſſolvi: Tandem præſcripſi Emplaſtri dicti, vitrioli. Romani, & gummi Ammoniaci, in aceto ſoluti & inſpiſſati cum terebinthinæ ſufficienti quantitate, quo intra menſem illi ſoluti: Adhibitis interim diæta & vacationibus convenientibus. *Riverius cent.* 2. *Obſervat.* 54.

STVPOR.

SYLLOGE.

Sudor *quibus promovendus ſi ſit ab humore melancholico.* 4.
Quidam ſanguinis miſſione *curatur.* 1.
Præcautio in uſu thermarum ſulphurearum, *ne hypochondriis noceant.* 3.
Uſu ejuſmodi balneorum præſertim curandus. 2.
Stupor crurum calculorum excluſione deſinens. 5.

I. Hippocr. ancillam *Stimargi* copioſo *ſanguine miſſo* à tremore liberavit: Sic ego quoque non ſemel plethorica corpora repetita ſ. m. & à Tremore & à Stupore ac Torpore omnino vindicavi. *Fortis Conſult.* 59. *cent.* 1.

II. *Stillicidia* expoſcunt caput exquiſitè purgatum: Vervecis pellis laxare & parum reſolvere poterit: Immiſſio membri in Bovem nuper ingulatum, contractis potius quam laxatis & humiditatibus imbutis nervis, prodeſſe poteſt: Hic autem opus eſt medicamento aliquo ſubtilium partium, maxime penetrante & reſolvente, ſed non indurante, quod nervoſum genus durum & denſum ſit: Hoc itaque eſſe poterit ſulphur, unde Balnea ſulphurea, remedium ſunt magni uſus, per plures dies adhibenda: Et quia hæc attenuant & reſolvunt humores, non vero roborant partes, ideo ſtatim, ſecundo loco, ad Balnea ex muſto devenirem, tandemque ad ſola vinacea. *Fortis Conſultat.* 61. *cent.* 2.

III. Stupori & Torpori convenientiſſimum eſt *Balneum in aquis ſulphureis*: Necnon ſudationes in foveis ſulphureis: Solphur enim ſubtiliſſimas partes obtinet quibus nervoſam ſubſtantiam pervadere poteſt: At ne calore & exſiccatione officiant

hypochondriis, ſi æſtuent, illinatur abdomen ungu. roſato Meſues ante ingreſſum balnei: Et quoniam Balnea ſulphurea attenuant quidem humores & reſolvunt, at non roborant, ideo Autumno locum habeant inceſſus in muſto, & tandem vinacea ipſa. *Fortis conſult. 66. cent. 1.*

IV. Toto evacuato materia nervis concluſa digerenda eſt: in quem finem ſudor neceſſarius omnino cenſetur: Melancholici enim humoris, ſtuporis & torporis cauſæ, portio, ſeroſa & acida potius quam craſſa eſt, quæ ideo ſudoribus educi poteſt: Cauta tamen valde decocti compoſitio ſit, adeo ut in paſſivis quidem ſit exſiccans, in activis vero temperata: quare ſalſa ſit baſis decocti, cui addatur china, lentiſcus, lignum roriſmar. & tamariſcus, facta infuſione in aqua cichor. & betonic. & ſub finem ebullitionis addito ivæ pug. j. *Fortis conſult. 62. cent. 1.*

V. Nuper Nobilem curavimus qui Medicorum conſilia, communi conſenſu remedia ad paralyſin accommodata præſcribentium nobis attulit: Huic cum prædixiſſem futurum ut intra quatriduum calculi fragmentis excretis alleviaretur, ſubridens prænotionem contempſit, quod neque à quoquam ea de re eſſet admonitus, neque arenulas unquam reddidiſſet: tandem tamen vix perſuaſus verum nos prædixiſſe expertus eſt: Cauſa autem eſt ejuſmodi, venæ cavæ deſcendentis ramus, unus in renem, alius in crus, tertius in teſtes fertur; Ad plenitudinem itaque ejus qui crus alit, aut compreſſionem, ſtupor ſequitur: quemadmodum alio tumente, qui ad teſtem pervenit, & ideo breviore facto, teſtis contrahitur. *Iacotius comm. ad aphor. 7. ſect. 2. Coacarum Pranot.*

SVDOR NIMIVS.

SYLLOGE.

In aſſuetis non cohibendus. 1.
Importunus uſu refrigerantium internorum repreſſus. 2.
Nocturnus purgatione deſinens. 3.
Cohibendi ratio in febribus. 5.
Salſi, amari, acidi, reſtrictio. 6.
Aluminis uſus externus quando concedendus. 7.
Diaphoreſin nimiam compeſcendi ratio. 8.
Pertinax curatus in ſene. 9.

I. QVidam verno tempore patentibus poris, toto die, vel ſine exercitio & motu, ſudorem ferventiſſimum excernebat, hac vacuatione ſanus vivebat: cum decennio hanc moleſtiam tuliſſet, ejus pertæſus multa admiſit de conſilio Medicorum; ſed cum non ceſſaret, ſequenti vere impetum adventantis ſudoris reprimere conatur frigidiſſimo balneo, in quod ingreſſus per horam, ita obriguit ut velut gelatus in lecto cubare cogeretur: ſponte ſudor ceſſavit, ſed noctu ſuborta anguſtia, palpitatione cordis correptus, poſt tres horas mortuus eſt. *Zacutus Pr. adm. l. 3. Obſ. 73.*

II. Vxor N. ſingulis noctibus poſt expugnatam febrem ſudabat: huic præſcripſi Iulepum refriger. ex aquis cichor. & bugloſſi cum ſyr. de pomis, nec in poſterum ſudavit: Vnde conjicio ſudores in ſomno erumpentes non eſſe ſemper ſignum humorum luxuriantium, ſed aliquando caliditatis, non ſani, calido temperamento donati noctu ſæpe ſudant; adde quod prædicta ſine vlla vacuatione naturali aut artificiali, curata eſt. *P. Pachequus* [illegible] *27. in Obſerv. Riverio annexis.*

III. Quadragenarius melancholici temperamenti, *ſudores nocturnos patiebatur* à longo tempore, qui per 4. aut 5. dies perſeverabant & poſtea ceſſabant, recurrentes bis aut ter in menſe. Procedebant à colluvie ſeroſa per intervalla collecta & ad cutem detruſa: Bis in menſe ſumpſit pulv. Gialapæ & cremor Tart. ana. ʒß. quibus per tres menſes continuatis à tædioſo affectu liberatus. *Riverius centur. 3. Obſerv. 80.*

IV. (Vide §. 9.)

V. Nimium *auctus Sudor*, aut per ſe noxius, hominemque magis magiſque debilitans, minuetur, & tandem tolletur, 1. ſervando corpus mediocriter tectum, non tamen nudum, 2. cavendo à *volatili ſale*, vt & *Acido ſpiritueſo*, quale acetum, 3. Vſurpando quæ *Acidum figant*, cretam, corallia: Hoc fundamento non ſemel anno 1670. variis ægris ab epidemia febre infeſta, in ſudorem quotidianum & noctu præſertim moleſtum, viresque in dies magis magiſque proſternentem, prolapſis præſcripſi *Conditum* ſequens, à quo bis terve in die, ad nucis moſchatæ quantitatem ſumpto, paulatim tam *ſudore* adverſo, quam febre *quartana* & alia, ſi quæ remanſerat, ſunt liberati & robuſtiores facti, ℞. *Conſerva roſar. rub. ℥ij. confect. hyacinth. ʒj. Diaſcord. Fracast. ʒij. coralli rubr. præparati ℈ij. ſyrupi myrtini q. ſ. m. ſ. Conditum.* Sylvius de le Boe Prax. lib. 1. cap. 58.

VI. *Sudor ſalſus muriaticus* erumpens emendabitur medicamentis ſalſedinem muriaticam corrigentibus, & quandoque per alvum educentibus: *Sudor amarus* indicat bilem educendam per cholagoga: *Sudoris acidi* materia coralliis, creta, oculis cancri, & ſimilibus concentrabitur, hinc & hydragogis minuetur. *Idem.*

VII. In *Sudore diaphoretico*, ſumma cum circumſpectione externus *Aluminis* vſus non rejiciendus eſt, ſi induſium in aluminis ſolutione immerſum iterum exſiccetur & induatur, ſed nonniſi in morbi declinatione commendo. *Frid. Hofmannus clavis Schroder. p. 348.*

VIII. Diaphoreſin nimiam ſæpenumero accidere conſtat: quippe nihil vſitatius eſt quam quoſdam phthiſi aut ſcorbuto laborantes, alioſque à febribus diuturnis ægre convaleſcentes, imo nonnullos abſque alio morbo, aut occaſione evidenti ſudoribus diffluere: phthiſici & ſcorbutici obnoxii ſunt, quia cum ſanguis aut miaſmate quodam impuro inquinatus, aut dyſcraſiam nactus, ſuccum alibilem, maſſæ ejus jugiter ſuffuſum rite concoquere & aſſimilare nequit, eum uſque degenerem, & ſubinde cum aliis recrementis ad plenitudinem aggeſtum, ſecernit & per ſudorem foras ejicit: Cura omnino à morbi, cujus ſymptoma eſt, therapia dependet: interea circa hanc, quantum ad victus rationem pertinet, ex ſymptomate iſto indicatio vtilis & neceſſaria deſumitur, nempe vt cum affectibus iſtis ſudores nocturni & copioſi ſuperveniant, diæta ex alimentis omnino tenuibus, vid. lacte, juſculis avenaceis, cremore hordei & ſimilibus, quorum particulas

culas lenes ac molles maſſa ſanguinea ferat, ac minime ex carnibus, aut cibis fortioribus inſtauratur: 2. Sudatio nimia interdum alterius morbi prægreſſi & aboliti ſoboles eſt, Novi adoleſcentem qui à febre quartana liber in ſudores profuſos & diuturnos adeo incidit ut contabuerit, hic poſt varia irrita remedia uſu lactis aſinini & vaccini convaluit: In hujuſmodi caſibus ſanguis contenta ſua perpetuo ejiciens, & per arteriarum oſcula velut evomens, haud ſolummodo chylum è viſceribus ſuffuſum ſtatim foras eliminat, aſt inſuper in pabulum ſuum, & ſuccum nerveum, & partium ſolidarum farcimenta reſorbens, ea mox omnia una cum liquore nutritio faſtidiens, per cutis poros expellit: Affectus hujus cauſa potiſſima in ſanguinis dyſcraſia & debilitata conſiſtere videtur, quatenus nempe liquor ejus, inſtar lactis aceſcentis continue fundi, inque ſeroſitates præcipitari aptus fuerit, quare tum propria ejus deliquia, tum humores quoque aliunde ſuffuſi, ſi quidem aſſimilari nequeant, protinus ſecernuntur: cúmque pori cutis valde patefacti, per diaphoreſin potius quam per aliam quamvis excretionis viam foras amandantur: Sudatio hujuſmodi nimia haud tantum à ſanguinis craſi & fermentatione depravatis, verum quandoque ob accenſionem ejus depravatam exoriri ſolet: Et cum ob ſulphuris exceſſum ſanguis febriliter effervescens ſubinde in ſudores erumpit: Et ob ejuſdem defectum depauperatus & aquoſior factus, minus accenditur, hinc quoties à calore adſcititio, aut corporis agitatione, in motum rapidiorem urgetur, ſeroſitates ejus in ſudorem exſolvuntur: Sulphur in ſanguine deficit, vel quia abſumitur, uti poſt febres diuturnas; vel quia ob pabuli inopiam non ſatis progignitur; poſterius hoc obſervare licet in annonæ penuria, aut poſt dictam quadrageſimalem, à curſu enim aut deambulatione citatiore mox ſudor erumpit. Imo jumenta cum fœno recenti veſcuntur à labore quovis plurimum ſudant & cito oblangueſcunt, Indicationes therapeuticæ tres hæ ſunt præcipue, 1°. humorum dyſcraſias, aut debilitates tollere, vel emendare: 2°. Cutis poros nimium patentes paululum conſtringere. 3°. Sanguinis ſerum & recrementa aquoſa verſus renes derivare. Harum *prima* iis perficitur quæ ſalis acidi in ſanguine præpollentias deſtruant: item quæ ſulphuris (ſi forte deficiet) exaltationem promoveant, In quos fines antiſcorbutica, chalybeata, item medicamina ſale volatili, nitroſo & alkaliſato prædita ſæpius jovant: *Secunda intentio*, in debita pororum conſtitutione conſiſtens, fere tantum per adminiſtrationes exteriores perficitur. *Willis Pharm. rat. ſect.* 5. *cap.* 3. vide plura ib.

IX. Senex annorum 72. anno 1657. graviter *Sudore diaphoretica* decumbebat, ut interdiu ac noctu eo tantum non diflueret, & quicquid eſculenti vel potulenti aſſumeret, illico lenis per poros cutis efflari: Cauſa hujus affectus fuit humorum ſeroſorum abundantia, cum malo ſcorbutico implicatorum, qui in tota maſſa ſanguinea colligebantur ex depravata ac vitioſa organorum ſanguificationi deſtinatorum fermentatione, Salia acida ciborum in volatilia ſalia non tranſmutante: Per ſpatium trimeſtre hoc malum duraverat, quo ego ad conſilium vocaret, ſed brevi a me curatus fuit ſolo ebore ſine igne in emulſione ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus & aqua cichorii ac bugloſſæ parata; interpoſito uſu gialapæ cum cryſtallo tartari: poſthabitorum vini, ciborum acidorum, & aliorum ſanguinem ſcorbuticum generantium uſu: Vixit ad annum 83. *Frid. Hofmannus m. m p.* 358.

SVFFOCATIO.

SYLLOGE.

Convenit ſæpe ſanguinis miſſio. 1.
Suffocationis metus ob pulmones flatu diſtentos. 1. a.
Laqueo *ſuffocati quomodo revocandi.* 4.
In aquis, *qua arte revixerunt.* 5.
A fumo *ſuffocatorum curatio.* 6. 7.
A vapore muſti. 8.
A turgidis ſanguine venis. 9.
A vermibus *fauces invadentibus.* 11.
A Thymo tumente. 12.
A Fungis *venenatis.* 14.
In ſtertore ſuffocante an bronchotomia tentanda. 2.
Jugularium apertio in quovis ſuffocationis metu utilis. 10.
Viri ſuffocatione hyſterica ſimili poſſunt tentari. 3.
In metu ſuffocationis euporiſton. 13.

I. Is qui ſtrangulantur aut ſuffocantur, ad guttur recurrente humore ſuffocante, aut quia impetus aliquis ſanguinis fit ad cor aut ad cerebrum, ac quovis modo quis *obmutuerit*, ſive etiam fiat ex utero, ſive aliunde moveatur, nunquam eſt inutilis in hoc ſymptomate *ſanguinis miſſio*, ſi ſentias ſcil. valentem pulſum & venas facile repleri videas: Confert eadem s. m. etiam à *Frigida potu* ortæ ut jubet *Dioſcorides*; nam non ſemper quia calida materia eſt, vel quia infecta, convenit s. m. ſed quia multa eſt in venis. *L. Botallus de curat. per ſ. m. c. xi.*

I. *a.* Interdum flatus tam violenter diſtendit pulmones ut Præfocationem afferat, ni ſuccurratur aperto thorace per paracenteſin, quod ſæpius factitatum Pariſiis, magno ægrorum emolumento & thoracis levatione, etiamſi aquæ nullæ effluxerint; ſed flatus cum violentia diſploſus: *Hippocrati* *φυσώδεις* dicuntur quibus thorax flatu diſtenditur. *Riolanus Ench. p.* 198.

II. An in *ſtertore ſuffocante* Bronchotomia tentanda, ut in angina præfocante, cum æque tuto id adminiſtretur? ut liquor dulcis attenuans & incidens aſſumi vel introduci queat, ad incidendum ſputum & provocandam anacatharſin, ſi fieri poſſit, nec dolor tuſſiendo impediat? *Idem Encheir. p.* 319.

III. Non abſurdum videtur dicere viros aliquando Suff. laborare hyſtericæ ſimili, cujus cauſa accedat à tenui inteſtino, in quo excitari, ob vitioſam concurrentium humorum effervescentiam, ſucci, præſertim pancreatici nimis auſteri, halitus & flatus ejuſdem qualitatis, quoties per oeſophagum aſſurgunt, eundem ita angunt ut in ſtrangulationis periculo ſe verſari putent ægri, *Blaſius in append. ad Veſlingii Anatom. part.* 8. § .190.

IV. *Anna Greene* ann. 22. robuſta infanticidii accuſata, ad patibulum damnatur, ac è furcâ per ſemihoram pependit: conſanguinei adſtantes ut pœnæ acerbitatem citra morte effugeret, alii ex pectus pugnis cædunt, alii pedes omni niſu attrahunt: alii pendulum corpus elevant, ut pondere delabentis arctius ſtrictim conſtringeret: mortua ab omnibus

culas lenes ac molles maſſa ſanguinea ferat, ac minime ex carnibus, aut cibis fortioribus inſtituatur: 2. Sudatio nimia interdum alterius morbi progreſſi & aboliti ſoboles eſt. Novi adoleſcentem qui à febre quartana liber in ſudores profuſos & diuturnos adeo incidit ut contabuerit, hic poſt varia irrita remedia uſu lactis aſinini & vaccini convaluit: In hujuſmodi caſibus ſanguis contenta ſua perpetuo rejiciens, & per arteriarum oſcula velut evomens, haud ſolummodo chylum è viſceribus ſuffuſum ſtatim foras eliminat, aſt inſuper in pabulum ſuum, & ſuccum nerveum, & partium ſolidarum farcimenta reſorbens, ea mox omnia una cum liquore nutritio faſtidiens, per cutis poros expellit: Affectus hujus cauſa potiſſima in ſanguinis dyſcraſia & debilitate conſiſtere videtur, quatenus nempe liquor ejus, inſtar lactis acceſcentis continue fundi, inque ſeroſitates præcipitari aptus fuerit, quare tum propria ejus deliquia, tum humores quoque aliunde ſuffuſi, ſi quidem aſſimilari nequeant, protinus ſecernuntur: cúmque pori cutis valde pateſcant, per diaphoreſin potius quam per aliam quamvis excretionis viam foras amandantur: Sudores hujuſmodi ſiboia haud tantum à ſanguinis craſi & fermentatione depravatis, verum quandoque ob accenſionem ejus depravatam exoriri ſolet: Et cum ob ſulphuris exceſſum ſanguis febriliter efferveſcens ſubinde in ſudores erumpit: Et ob ejuſdem defectum depauperatus & aquoſior factus, minus accenditur, hinc quoties à calore adſcititio, aut corporis agitatione, in motum rapidiorem urgetur, ſeroſitates ejus in ſudorem exſolvuntur: Sulphur in ſanguine deficit, vel quia abſumitur, uti poſt febres diuturnas; vel quia ob pabuli inopiam non ſatis progignitur; poſterius hoc obſervare licet in annonæ penuria, aut poſt dietam quadrageſimalem, à curſu enim aut deambulatione citatiore mox ſudor erumpit. Imo jumenta cum fœno recenti veſcuntur à labore quovis plurimum ſudant & cito oblangueſcunt. Indicationes therapeuticæ tres hæ ſunt præcipue, 1°. humorum dyſcraſias, aut debilitates tollere, vel emendare: 2°. Cutis poros nimium patentes paululum conſtringere. 3°. Sanguinis ſerum & recrementa aquoſa verſus renes derivare. Harum *prima* ils perficitur quæ ſalis acidi in ſanguine præpollentias deſtruant: item quæ ſulphuris (ſi forte deficiet) exaltationem promovent, In quos fines antiſcorbutica, chalybeata, item medicamina ſale volatili, nitroſo & alkaliſato prædita ſæpius juvant: *Secunda intentio*, in debita pororum conſtitutione conſiſtens, fere tantum per adminiſtrationes exteriores perficitur. *Willis Pharm. rat. ſect.* 5. *cap.* 3. vide plura ib.

IX. Senex annorum 72. anno 1657. graviter *Sudore diaphoretico* decumbebat, ut interdiu ac noctu corporum non difflueret, & quicquid eſculenti vel potulenti aſſumeret, illico tenuit per poros cutis efflati: Cauſa hujus affectus fuit humorum ſeroſorum abundantia, cum malo ſcorbutico implicatorum, qui in tota maſſa ſanguinea colligebantur ex depravata ac vitioſa organorum ſanguificationi deſtinatorum fermentatione, Salia acida ciborum in volatilia ſalſa non tranſmutante: Per ſpatium trimeſtre hoc malum duraverat, quo ego ad conſilium vocarer, ſed brevi à me curatus fuit ſolo ebore ſine igne in emulſione ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus & aqua cichorii ac bugloſſæ parata; interpoſito uſu gialapæ cum cryſtallo tartari: poſthabitorum vini, ciborum acidorum, & aliorum ſanguinem ſcorbuticum generantium uſu: Vixit ad annum 83. *Frid. Hofmannus m. m p.* 358.

SVFFOCATIO.

SYLLOGE.

Convenit ſæpe ſanguinis miſſio. 1.
Suffocationis metus ob pulmones flatu diſtentos. 1. 4.
Laqueo *ſuffocati quomodo revocandi.* 4.
In aquis, *qua arte revixerunt.* 5.
A fumo *ſuffocatorum curatio.* 6. 7.
A vapore muſti. 8.
A turgidis ſanguine venis. 9.
A vermibus *fauces invadentibus.* 11.
A Thymo tumente. 12.
A Fungis *venenatis.* 14.
In ſtertore ſuffocante an bronchotomia tentanda. 21
Jugularium apertio in quovis ſuffocationis metu utilis. 10.
Viri ſuffocatione hyſterica ſimili poſſunt tentari. 3.
In metu ſuffocationis euporiſton. 13.

I. Is qui ſtrangulantur aut ſuffocantur, ad guttur recurrente humore ſuffocante, aut quia impetus aliquis ſanguinis fit ad cor aut ad cerebrum, ac quovis modo quis *obmutuerit*, ſive etiam fiat ex utero, ſive aliunde moveatur, nunquam eſt inutilis in hoc ſymptomate *ſanguinis miſſio*, ſi ſentias ſcil. valentem pulſum & venas facile repleri videas: Confert eadem s. m. etiam à *Frigida potu* ortæ ut jubet *Dioſcorides*; nam non ſemper quia calida materia eſt, vel quia infecta, convenit s. m. ſed quia multa eſt in venis. *L. Botallus de curat. per ſ. m. c. xi.*

I. *a.* Interdum flatus tam violenter diſtendit pulmones ut Præfocationem afferat, ni ſuccurratur aperto thorace per paracenteſin, quod ſæpius factitatum Pariſiis, magno ægrotum emolumento & thoracis levatione, etiamſi aquæ nullæ effluxerint; ſed flatus cum violentia diſploſus: *Hippocrati* φυσώδεις dicuntur quibus thorax flatu diſtenditur. *Riolanus Ench. p.* 198.

II. An in *ſtertore ſuffocante* Bronchotomia tentanda, ut in angina præfocante, cum æque tuto id adminiſtretur? ut liquor dulcis attenuans & incidens aſſumi vel introduci queat, ad incidendum ſputum & provocandam anacatharſin, ſi fieri poſſit, nec dolor tuſſiendo impediat? *Idem Encheir. p.* 319.

III. Non abſurdum videtur dicere viros aliquando Suff. laborare hyſtericæ ſimili, cujus cauſa accedat à tenui inteſtino, in quo excitari, ob vitioſam concurrentium humorum efferveſcentiam, ſucci, præſertim pancreatici nimis auſteri, halitus & flatus ejuſdem qualitatis, quoties per oeſophagum aſſurgunt, eundem ita angunt ut in ſtrangulationis periculo ſe verſari putent ægri, *Blaſius in append. ad Veſlingii Anatom. part.* 8. § 190.

IV. *Anna Greene* ann. 22. robuſta infanticidii accuſata, ad patibulum damnatur, ac è furcâ per ſemihoram pependit: conſanguinei adſtantes ut pœnæ acerbitatem cita morte effugeret, miſeræ pectus pugnis cædunt, alii pedes omni niſu attrahunt: alii pendulum corpus levant, ut pondere delabentis arctius ſtrictum conſtringeret: mortua ab omnibus

credita, è furca ſublata; Medici cadaver expectabant, illud aperturi Dn. D. *Petty* & *Willis*, qui reſpirantem animadvertentes, mentem mutarunt ac de eripienda è mortis faucibus conſilium inierunt: Hi omnem ſollicitudinem eò direxerunt ut ſanguini liberum & ſolitum motum conciliarent: proinde, diducto ore, infuderunt ſpiritus & aquas cor, parva quantitate, efficaciſſimè roborantes: Sanguinis copiam, oneroſam alias gravato cordi futuram, imminuerunt, atque iteratis vicibus ad ℥ xx. extraxerunt, unde ſanguinis mole levatum, reliquum eò facilius & promptius in univerſum corpus diſpergere potuit, eumq; qui in venis vel ſtagnavit, vel ignavius movebatur, avidius ad ſe pelleret: collo cataplaſma circumpoſuerunt, ac totum oleis & ſpiritibus calidis inunxerunt, ut contuſa diſcuterentur, liberiorque ſanguis per carotides ad caput flueret & per jugulares remearet: Clyſteres aromatibus conditos injiciendos curarunt; tum ut fæces, inteſtinis fortè moleſtiores, aliiſque partibus nocentiores futuras educerent, tum ut ſanguinis torpidioris in vaſis meſentericis motum promoverent: Hinc factum ut primùm manus ſcalpere, mox oculos aperire, & plures partes movere, & tuſſire potuerit: Poſtea amplius, Medicorum dexteritate adjuta, adſtantes intelligere, loqui, videre, ridere potuit: atque dolorem & ſtuporem in partibus contuſis ſenſit tandémque omnes actiones, paucorum dierum ſpatio emenſo, ritè, ceu ſana, denuo obire valuit. *I. Iacobus Wepferus Exerc. de Apoplexia pag.* 181. & 190.

V. Infantula annos tres nondum attingens, in vaſculum aqua ſaponis plenum cecidit, illáque aqua tota intus repleta animam agere videbatur, altè dormiebat, ſtertebat, anhelitum via trahens ſuffocabatur, murmure quodam obrepente rhegmoni ſimili, quale in morientibus apparere ſolet: Accitus jubeo ut decoctum hordei non excorticati, liquiritiæ & ficuum, adjecto exiguo butyro & ſacchato, continuo obtruderetur, idque tepidè; & ità vomitu levi irritato, puella totam aquam ſaponicam cum evomuiſſet, illam paucis horis à ſuffocatione liberavi. Mater, niſi inhibuiſſem, vinum Rhenanum propinaſſet, quod equidem naturæ amicum, non ſolum materiam venenoſam, quæ ſaponi ineſt, ad cor facilius perduxiſſet, verum etiam facile inflammationem & febrem induxiſſet.

Anno 1577. cùm plures pueri & puellæ ſupra pontem, carie quaſi conſumptum, viſendi gratia militem qui in aquam ceciderat, infiniti abrepti ab aqua de vita periclitabantur; ad quos cum vocatus eſſem ſalvi evadebant, ſumpto decocto florum camomillæ in cereviſia decoctorum, quo ſudorem in lecto poſitis provocavimus: quod & aliis commodè fecimus, ut omnes ſanitatem recuperarint. Si quis aquæ immerſus, extinctæ animæ ſpeciem præberet, inquit *Benedictus Veronenſis*, cruribus protinus ſuſpendi debet. Illud tamen ſubinde ſuſpectum eſt: quale etiam illud vulgare conſilium rotationis ſupra cupam, ut ſic aquam evomant, verum talem motum ſic exanimes minùs ferre poſſunt. Sed quod deinde refert eſt magis tutum, animam ſcilicet ſuſcitari hyeme calido conclavi, ſuffitionibus bene olentibus, moſcho, ligno aloes &c.

Quidam, poſtquam vires collegerit æger, ſanguinem mitti jubent ex jecoraria, ac clyſteres ſingulis diebus infundunt. Sic puellam annorum 19. præ manibus habui, quæ cum ex curru cecidiſſet in aquam putrem & cænoſam, nec ſatis evomuiſſet, neque Medicum adhibuiſſet, poſt duas ſeptimanas dolore inſigni in lumbis & renibus ac febre continua correpta fuit, ſanguine ex baſilica detracto & purgatione ac ventriculo roborato convaluit. *Foreſtus lib.* 15. *Obſ.* 26.

Filius meus *Fridericus Bonetus*, menſes 20. natus, cuſtode relicta in foſſam, calce recens extincta plenam perambulans, à coætaneo impulſus, incidit: Superveniens illa, cujus curæ commiſſus, præcipitem in foſſam ſe dat, ereptúmque ac ſupinum fluitantem, in marginem conjicit è qua ipſa vix demum emergere, præ profunditate ac calcis mollitie valuit: Illico vinum fortè obvium in os nequaquam ſpirantis, ac mortuo omnino ſimilis infudit; cujus ope per vomitum hauſta aqua excluſa eſt, vitæq; indicia apparuere. Ne calcis acrimonia, qua totum corpuſculum erat ſuffuſum, offenderet, diſciſſo loro quo veſtes ſtringebantur, nudum in frigidæ ſitulam merſit, totúmque abluit: Paulò poſt facies flammeo rubore cum tumore perfuſa fuit, ſuccedente febre continua, quà de cauſa, cùm plethoricus eſſet & robuſtus, phlebotomo vena aperta, unde protinus ſubſidere viſus vultus, ruborque remittere. Hinc cura fuit ne viſcera, à maleſana & acri calcis qualitate labem paterentur, ideo exhibitum fuit oleum amygdalarum dulcium cum ſyrupo violaceo plurium infuſionum, præſcriptæ emulſiones ex amygdalis; injecti clyſteres, &c. quorum remediorum efficacia, Summique Dei beneficio, ſalvus fuit intra biduum; Sola ſuperſtes erat viſus privatio, quam cæteri Medici, in conſilium adſciti, membranarum corrugationi, ac ſiccitati à calcis inducta adſcripſerunt, Ego ſoli palpebrarum cohæſioni, quæ mirum in modum erant tumidæ: Litem diremptit dies à caſu quinta: in deliciis puello fuerat pullus equinus, in vicinia educatus, cujus prætereuntis cum crepitacula audivit ad ſe adduci voluit; hunc ubi proximum ſenſit, palpebras, quò liceret intueri, tanta violentia defricavit & diduxit, ut lumen non fuiſſe ademptum illico nobis exultantibus innotuerit. Jucunda recordatio ſalutis reſtitutæ chariſſimo filio, integram hiſtoriam, quanquam non omnia ad rem, recenſere impulit.

VI. Qui ex *fumo* fuerit ſuffocatus & diſſolutus, curabitur calidorum & impinguantium correctione (*Haly Pract. l.* 6. *c.* 4.) i.e. multum nutritivorum, ut quidam interpretantur: pinguia quidem, ut mihi videtur, ob fumi acredinem præſcribunt. Suffitus quoque ex aromate cordiali, frigidiſque admixtis convenit; ut eſt nymphæa, papaver, ob qualitatem manifeſtam fumo reſiſtentem, quæ calida & ſicca eſt: Quidam & hic poſt duos dies ſectionem venæ imperant: Tales autem, & qui in aëre fœtido concluſi ſunt, ſtatim ad aërem apertum deducere oportet, & odoribus bonis reficere. *Foreſtus lib.* 15. *obſ.* 26.

VII. Ruſticus cum ſub fornice cubiculi recenter conſtructi & incruſtati *carbonis fumum* admiſiſſet, atque una nocte decubuiſſet, manè ferè mortuus inventus eſt, ſine pulſu, motu & ſenſu, totus frigidus, cum ſpuma circa os: Quamvis non videretur adeſſe remedio locus, curationem tamen aggreſſus ſum: ac 1. ſecta fuit utriuſque cubiti vena; applicatis interim coxis & cruribus cucurbitulis; poſtea ligaturis dolorificis, ſimul tradita ſuppoſitoria: cúmque ſanguis primò non flueret, lintea aqua calida madida ſuper inciſionem apponi juſſi, quo facto paulatim ſanguis fluere cœpit: atque in ipſa v. ſ. pulſus aliquomodo rediens indicavit ut large affluere ſanguinem permitterem, quod fieri ad duas

circiter

circiter libras permiſi: dum hæc agerentur flabello verberari aërem prope os juſſi & vultum frigida aſpergi, poſt cùm pullus jam melior eſſet, cauterium in nucha fieri mandavi, quibus remediis breviſſimo tempore convaluit. *D. Panarolus Pent.* 1. *Obſerv.* 19.

VIII. Exiſtimo eos qui ſuffocārut *a Muſti vaporibus*, cerebro potius quā corde lædi, quidam enim ſimilibus caſibus poſt curam delirarunt & febre correpti fuerunt: & præterea aliàs percepi tales vapores e capis manantes inſtar acuum naſi radicem quaſi transfodere. Sic ſulphuris vapore cadunt aves ab arboribus: Si quis ad tales ægros inviſendos vocetur, aqua frigida eos inſpergi curet, ut vaporum ferocia mitigetur: diúque inſepulti ſerventur, cùm multi vivi ſepulti ſint. Nota regulam *Hipp.* aph. 43. 2. non perpetuò eſſe veram, ut Gal. & C. A. Vega aſſeruerunt, teſte quoque Panaroli citata hiſtoria. *Borell. cent.* 2. *obſ.* 4. Statuo in cereviſia, ratione lupuli, imò etiam frumenti, ſicut etiam in muſto, per fermentationem ſulphureas narcoticas exhalationes evaporare, quemadmodum in fodinis metallicis, & fontibus medicatis occluſis fieri conſuevit: At quomodo protinus talibus ſuccurrendum, hoc opus, hic labor! Confeſtim igitur aër ambiens undiquaque ventilatur, qua ratione mulierem ſic ſuffocatam (pro apoplectica tractatam) januis & feneſtris apertis, hominúmque turba remota, vires recollegiſſe memini; quæ jam per decennium ab eo tempore nihil tale paſſa eſt. Os clauſum diducatur, eique theriaca cum aqua vitæ, vel ſpiritu cephalico diluta infundantur: Sternutatio pulvere euphorbii cum pipere provocetur: vomitus uſu ſyrupi emetici, decoctóve raphani & aſari excitetur: carpi & ſpiritu liliorum convallium fricentur, & cardiacis atq; cephalicis ſpiritus novi cieantur. *Gr. Horſtius lib.* 10. *obſ.* 3. Vide *Paraam* Tract. de Renunciat.

IX. Ægrum morti proximum, ſemiſopitum, ſine ſenſu & motu, xx. circiter annorum vidi: cúmque aliqua ſpes in ſanguinis miſſione illuceſceret quia corpore is eſſet quadrato, tamen renuente ſeniori Medico ea fuit omiſſa, ſed ut calor nativus, ut ille ajebat, excitaretur, clyſterem præſcripſit, ligaturas, veſicantia, cardiaca &c. quibus optimè paratis æger obiit, Secto corpore, nulla interna læſio, ſed venæ omnes turgidæ ad immenſam magnitudinem excreverant, ita ut aliquæ, in aliis corporibus exiles, in iſto craſſitudinem pollicis æmularentur: hinc nativi caloris, præ copia ſanguinis ſuffocatio contigit. *Panarolus Pent.* 1. *obſ.* 13.

X. *Arabes venas Guidez appellant Iugulares, de quibus ſic Avicenna*, Venarum Guidez apertio fortaſſe neceſſaria eſt in præfocationis timore. Porrò pleriqve omnes abhorrent ab earúm apertione, & hanc maximè omnium damnant, quaſi idem ſit quod hominem jugulare: Sed eas innoxiè feriri poſſe videbis Tit. de Venæ Sectione. *Ioabertus annot. ad Gaidonem tract. de lepra p.* 567. Sæpe venis accidit coarctatoria oppilatio a plethora à ſanguine cauſata, quæ ſi fiat in ramis venarum Guidez, ſemper ſequitur ſomni profunditas, apoplexia & ſuffocatio extrema &c. *Iacobus Carpus in Iſagoge Anat.*

XI. Cellarius Anhaltinus conquerītur de aſtrictione gulæ & quaſi ſuffocatione: Ob vitam, quam agebat, ſuſpicio erat de fumis a materia aliqua prava in tunicis ventriculi hærente aſcendentibus: Præſcribuntur pilulæ, quæ dum fortè etiam per ſuperiora operantur, evomit vermes, bene poſtmodum habet. *Ph. Salmuth Cent.* 2. *obſ.* 40.

XII. Ex *Thymo glandula, tumefacta* Strangulationes etiam viris poſſunt accidere, ſed in mulieribus hyſtericis frequentius carunceſcens ipſas ſuffocat, niſi ſecta vena ſuccurratur. *Riolanus Enchir. lib.* 3. *c.* 9.

XIII. In vehementiſſimo metu ſuffocationis, maxime in *affectibus flatulentis & hyſtericis*, impone ægri pedes in aquam calidam & videbis illum ſubito melius anhelantem. *Hoeferus lib.* 11. *c.* 2.

XIV. Si à *Fungis venenatis* ſuffocatio immineat, vomitus ſtatim conciliandus decocto raphani cum oxymelite; vel ſalis vitrioli ʒß. cum oxymelitis ℥iij propinanda: poſt abſynthium & meliſſa in vino infundantur & vinum exhibeatur. Sanctorius nihil præſtantius aſſerit oleo è corticibus citri: Cum Pauſaniæ puellam, *lib.* 7. *Epid.* Suffocatio ex fungi eſu apprehendiſſet, ei profuit multa calida epota & vomitio, balneúmque calidum: In balneo fungum vomitione rejecit: & cùm ceſſaturа eſſent ſymptomata, ſudore detenta eſt. Matrona malis boletis ferè ſuffocata animam efflaſſet niſi oleo è corticibus Citri extracto ei præſto fuiſſem, tantùm viæ ſpiritus erant occluſæ à craſſiſſimo malorum boletorum halitu. *Sanctorius meth. l.* 2. *c.* 4.

SVFFOCATIO, AFFECTVS HYSTERICI.

SYLLOGE.

An in paroxyſmo vena ſecanda. 1.
An ſanguis mittendus *ſi ſit à ſemine retento.* 11.
Cucurbitulæ *ſupra umbilicum non admovenda.* 2.
Vomitus *an conveniat.* 4.
An Purgatio. 12.
Obnoxia a levibus pharmacis non purgantur. 14.
Sternutatio *non cienda ſi repletum caput.* 3.
Fœtida *an naribus objicienda.* 5.
Non omnibus hyſtericis fœtida *proſunt*, *Nec omnes* odoratis *offendantur.* 26.
Odoratis *pudendis admotis caute utendum.* 6.
Titillationes *&* Frictiones *pudendorum an licita.* 7.
An os occludendum & nares. 8.
Affuſio aquæ frigidę *ſuper abdomen, an ad mentem Hippocratis tentanda.* 9.
Calorificis *non ſemper impugnandus hic affectus.* 10.
Narcoticis *qua cautione utendum.* 13.
Sinapiſmi *utiles ad præcautionem acceſſionis,* 15.
Vinum *an exhibendum.* 16.
Caſtorei *efficacia.* 15. 4.
Oxymel *an conveniat.* 17.
Odorata, *ut moſchus & ambra, an ſemper noxia.* 18.
Efficacia moſchi intus aſſumpti. 19.
Remedia in prægnantibus timide adminiſtranda. 20.
A dropacibus *abſtinendum in prægnantibus.* 21.
Emplaſtrum *pro matrice officinarum noxium.* 22.
Geſtatio in curru & navigatio an juvent. 23.
Recidiva præcavenda. 24
Aſperſio faciei *ex roſaceo & vino noxia.* 25.
Efficacia antimonii diaphoretici. 27.
Hyſtericus affectus pro ſplenetico ſæpè ſumptus. 28.

Camphora *non omnibus conducit.* 29.
Laudanum mira præſtat, 15. *b.*

I. IN Præfocatione actu exiſtente, ſi fuerit è retento ſemine, non convenit *venæ ſectio*, quia abeſt indicatio. Si verò pendeat è retento menſtruo, fiat s. m. Et cùm ſit morbus vehemens, non ſecundùm quid, ſed ſimpliciter, ideo valido auxilio ſanguis mittendus, ſcil. per v. s. ſi liceat per vires & ætatem: De viribus dubium, quia adeſt ſyncope, ſç. præceps virium lapſus: videamus ergo num ita conſtent vires vt admittant v. s. *Galen.* variis in locis vires conſtituit in ſpiritibus, carnoſo genere & ſolidis partibus. Hîc vires ſunt languidæ ratione ſpirituum; poſſunt eſſe validæ ratione carnoſi generis; non enim omnes hyſtericæ ſunt excarnes: poſſunt etiam eſſe validæ vires in ſolidis partibus, ſi hæ ſunt bene temperatæ, at in ſuffocatione non poſſunt eſſe bene temperatæ, quia adeſt refrigeratio in toto; Satisfacit *Galenus* c.2.l.3. de præſag. ex Pulſ. ubi ait cor vel incaluiſſe, vel incaleſcere: Si incaluit, languidæ ſunt vires, ſi incaleſcit, poſſunt eſſe validæ: at præfocatio eſt affectio, i.e. refrigeratio, non autem intemperies, ob id non eſt in facto eſſe: non ergo eſt frigiditas, ſeu frigida dyſcraſia, cujus ratione vires conſtare nequeunt in ſolidis, ſed eſt refrigeratio: Quare vires conſtant quoad ſolidas partes, & quandoque etiam quoad carnoſum genus, quamvis deficiant ratione ſpirituum. Ideo in præfocatione à ſanguine menſtruo vena ſecari poteſt. Hinc *Galen.* comm. 23. & 24. lib. acut. ſecat venam ἐν τῇ φλεβὶ ἀπολήψει, ubi patiens obmutuit, & eſt carentia pulſus, ac proinde ſyncope. *Avicenna* reprobat v. s. ſed loquitur de præfocatione è retento ſemine: probat autem in eo ſtrangulatu in quo uterus retrahitur: ſi enim ad dextram retrahatur, ſaphenam dextram ſecat: ſi ad ſiniſtram, ſaphenam ſiniſtram. Si ſurſum retrahatur, utramq; tundit: retrahitur autem uterus ad harum aliquam poſitionem, ubi fit præfocatio ob retentum menſtruum: & dum adeſt hæc retractio, tum ſtatu adeſt ſyncope & præfocatio. Quare *Avicenna* præfocatione actu exiſtente ſecat venam: & rectè, quia imminet caloris ſuffocatio, cujus præſens remedium eſt v. s. Diebus elapſis præfui curationi mulieris, quæ in die octies correpta fuit uteri ſtrangulatu & noluit admittere v.s. alter Medicus qui aderat, invito tamen illo Medico ſecta fuit vena & ipſa ſtatim evaſit: Quare audacter in tali caſu ad v.s. accedendum, alias mulieribus pereundum eſſet. *Capivaccius l.4.c.10.pract. vide Horſtium probl.3.dec.9.*

II. *Cucurbitula*, cum igne copioſo, femoribus citra ſcarificationem affigendæ ſunt; deinde utrinq; in inguinibus, quippe uterum deorſum trahunt ob ligamenta in illis partibus affixa: Supra umbilicum verò, ut quidam non citra magnum errorem, faciunt, minimè applicantur: quia aut uterum ſurſum trahent, aut elatum retinebunt: poſſunt tamen inter os pubis & umbilicum utrinque admoveri. *A Caſtro lib.2.c.1.*

III. Commode provocatur *Sternutatio*, præſertim caſtoreo, quod gravitate odoris prodeſt: Ptarmica tamen repleto capite non adhibeantur; periculum ſiquidem imminet ne ex præfocatis fiant apoplecticæ. *Mercurialis.*

IV. *Aëtius Vomitum* commendat, verum an conveniat dubium eſſe poteſt: Nam ſi cauſa morbifica in utero ſtabulatur, vix credibile eſt poſſe eam per tot viarum ambages ad ventriculum attrahi & ſic vacuari: nec etiam antecedens, quia hæc paroxyſmum nondum concitat, & propterea ejus vacuatio multum prodeſſe non poteſt: quin etiam vomitus in paroxyſmo humores ſurſum evocat, eoſque in utero latitantes, quia vacuare nequit, magis commovet, ſurſum rapit, & paroxyſmum graviorem efficere poteſt. Verum tamen eſt certum prodeſſe vomitum, tam in Paroxyſmo quàm extra: ſicut ſternutatorio motu & agitatione juvat: ſic etiam & vomitus nam in actu vomendi, non ſolùm vacuantur humores morbifici, qui malum faciunt, ſed etiam contentione muſculorum abdominis uterus deorſum protruditur, & vapores inde elati diſſipantur, Cùmque uterus facile quibuslibet rebus offendatur, non ſemper in *ipſo* cauſa latitat, ſed etiam aliis in partibus, quæ ſua cacochymia uterum laceſſunt, ut motus edat inordinatos, ſicut ſæpe de affectibus lienis hyſtericæ conqueruntur. Si igitur alibi quàm in utero cauſa hæreat, poterit per vomitum excludi, ſicque competet tam ratione cauſæ conjunctæ quam antecedentis. *Iac. Primeroſius de morb. mul. lib. 3. cap. 11.*

V. Laudantur ab omnibus *graveolentia naribus* admota, quia fœtida cùm ſint utero inimica, illum vehementer afficiunt, concitant & repellunt, vapores diſcutiunt: In his ſunt Gagates & ejus oleum, a quo cavendum ſi mulier ſit Epilepſiæ obnoxia: Matulam urinariam cum ſtercore humano etiam quidam naribus admovent; ſed notum dum ejuſmodi fœtida vires cordis ac cerebri offendere: maximè commendantur verrucæ adnaſcentes tibiis equorum, quæ ſiccatæ in clibano, & naribus admotæ, aut carbonibus injectæ, ſubitò tetro odore mulieres reducunt, ſpecificúmque matricis has eſſe cenſent, quamvis non valdè efficax invenerim hoc remedium, etiamſi ſæpius eo uſus ſim. Circa uſum horum graveolentium iterum notandum ea quidem poſſe vapores diſſipare, frigiditatem emendare, expultricem irritare; non tamen iis abſque magna cautione eſſe utendum, quia ſpiritus inficiunt humores contumaces reddunt, ut advertit Aphrodiſius in Probl. Prodeſſe quidem ſolent in ea ſuffocatione quæ ab uteri motu dependet, aut vapore putrido ex ſeminis corruptione exhalante (quicquid alii contra ſentiant) minus autem in ea quæ ex menſtruorum ſuppreſſione oritur. *Primeroſius. A Caſtro.*

VI. Sicut autem fœtida naribus admota uterum repellunt, ſic contra odorata pudendis oppoſita uterum retrahunt & vaporea tetros revellunt & de his obſervandum, unicè cavendum ne ad nares odor perveniat: pariter quando fœtida partibus ſuperioribus adhibentur cavendum iiſdem integumentis ne fœtores ad uterum perveniant. Quidam ſuadent ut nates claudantur, ne vapor ſuavis nares feriat, ſed in paroxyſmo paolò graviori periculoſum illud eſt, ne reſpiratio, quæ jam plurimum læſa eſt, ac ferè nulla, prorſus pereat & aboleatur. *Primiroſius.*

VII. *Titillationibus & frictionibus* an liceat uti & ſic naturam ad ſemen excernẽdum irritare, Theologorum eſt inquirere. Non abſurdè creditur id licere, quia tunc ſemen fœminis invitis, minimeque conſentientibus excernitur: eſtque ejuſmodi ſemen minimè prolificum, ſed venenum corporis: non ſolùm inutile, ſed etiam noxium excrementum: ſicuti ſanguinem, ſeminis materiam, omnéſq; morbificas materias detrahimus: nec aliter curatio ſuccedere poteſt: quidni pariter ſemen, quando tam periculoſi

ſymptomatis

ſymptomatis cauſa evadit vacuare non licebit, aliarum cauſarum morbificarum more? *A Caſtro, Primiroſius.*

VIII. Familiare quoque eſt quibuſdam *comprimere os & nares*, & reſpirationē cohibere, ut ſic natura excitetur, quę opinio dicitur fuiſſe Haly: quod tamen mihi videtur periculoſum: cum enim fermè abolita ſit reſpiratio, eam omnino prohibere & intercipere abſque animantis pernicie fieri nequit: Quidam non in ipſo paroxyſmo, ſed eo inſtante hoc remedium utile putant, quia per anhelitus retentionem partes ſuperiores excrementa ſua ad inferiora expellunt, ut patet in urinæ & alvi dejectione, & in iis qui patiuntur herniam: anhelitu enim cohibito fortius expelluntur: Idem quoque matrici contingere probabile eſt: *Valleſius* tamen id probat in ipſa acceſſione, modo retentio & conſtrictio anhelitus brevis ſit, levis & interpolata, quia ſic calor nativus roboratus vapores hyſtericos reſolvit, uterumque verſus inferiora impellit: Verum Sylvius tantum abeſt ut anhelitum ſupprimendum putet, quin potius in nares ore inſufflaſſe optimum putet, uterum enim, *inquit*, ſtatim detorbat. *Primiroſius.*

IX. Mulier quædam ſana & craſſa, cum medicamentum concipiendi gratia hauſiſſet, ventris dolore & inteſtinorum torminibus afficiebatur & intumuit: Spirandi difficultas aderat & perplexitas cum dolore, & exanimata eſt quinquies, ut mortua eſſe videretur; nec vomitu ex aqua frigida facto dolor præſens aut ſpirandi difficultas remittebat: Aquæ vero frigidæ amphoræ circiter xxx. corpori affulæ ſunt, & hoc ſolum conferre ſane videbatur, & poſtea bilis copioſa deorſum prodiit: Vigente autem dolore nihil poterat ſecedere, & vixit. *Hippocrates lib. 5. Epidem.* Corpori affulæ ſunt aquæ frigidæ amphoræ circiter xxx. Res mirabilis & quæ niſi a generoſiſſimo medico tentata nunquam fuiſſet: capit enim amphora congios octo, & congius ſextarios ſex; ſextarius ℥xx. Tantam ergo aquæ copiam in profocatam ex utero, quis niſi Hippocr. aut alius nobiliſſimus medicus, affudiſſet? ſuvit arbitror Medici auſus, quod hoc ſolum prodeſſe videretur. Sed dices, quo pacto prodeſſe poterat, cum uterina præfocatio paſſio frigida ſit? Certè eandem ob cauſam ob quam febris nonnunquam calidis auxiliis, cauſam tollentibus, curatur. Quanquam ergo uteri præfocatio calorem naturalem extinguat, aliquando tamen à nimio æſtu ſuccos colliquante incipit, fluxione ſcil. ita interum, ut in partes alias ſolet, concitata. Ita vidimus plurimas in æſtate media, vi æſtus, præfocationem uteri pati, ex colliquatione ſuccorum, ut conjectavimus: Ita huic ex colliquatione caloris vi factū eſt malum. Talibus vero conſtat refrigeratione ſuccurrendum: calfactio enim colliqueſcentiam augeret atque ita & præfocationem: Vnde conſtat non unicam eſſe rationem ſuccurrendi hyſtericis: neque indiſtinctè calorificis eſſe ſuccurrendum iis, ut vulgaris praxis fert, ſed adhiberi debere in conſiderationem cauſæ ſpeciem, ut in aliis omnibus affectionibus quæ ex ſuccis pendent: Huic itaque commode affundebatur frigida, & ad prohibendam colliqueſcentiam, & ad revocandum animum (ut ſolet iis qui animo linquuntur, & ad ſiſtendum ſanguinis motum: ita enim iuvare ſolet eos qui fluxu ſanguinis undecunque laborant: Res ergo optime ſucceſſit: refrigeratione eſt recreata facultas, & alvus ſoluta, & bilis, quæ vagabatur, in alvum collecta, & inde excreta facile &c. *Valleſius comm. in dictam hiſtor.*

X. Chymici ad hunc affectum *vitriolum martis* commendant, ejuſque granum unum vel duo; cum dupla ſacchari portione exhibent per multos dies cum vino aut liquore idoneo: Imo ad gr. 12 exhiberi poteſt cum conſerva idonea: *Cremor Tartari* frequenter exhibitus huic affectui curando etiam utiliſſimus. Hæc duo remedia, non ſolum aperiendo, ſed etiam refrigerando conferunt: Sæpe enim calida intemperies, in hoc affectu, utero infixa eſt, a ſanguine intra illius venas retento & excalefacto, oriunda: Vt dicit Galenus in hypochondriaca melancholia eſſe phlogoſin in hypochondriis, à ſanguine in iis per obſtructiones retento & ſupercalefacto: Ideo ea quæ uterum refrigerare poſſunt hic maxime convenient, qualia ſunt ſemicupia, oxycratum ore aſſumptum & per clyſteres injectum & ſimilia. Mulier. an. ann. bilioſa, cum hyſterica ſuffocatione premeretur, & faciem haberet rubicundam, injecto clyſtere ex oxycrato confeſtim liberata eſt: Ancilla quædam ſubitu correpta eſt dolore atrociſſimo latus dextrum & lumbos tam immaniter infeſtante ut illa continuò ejulare cogeretur: cum nulla febris adeſſet, credidi affectum eſſe hyſtericum: ideo ſtatim oxycrati cyathum exhibui, quem poſt horæ quadrantem vomitu rejecit cum multa pituita: Sedato vomitu alterum oxycrati cyathum hauſit, & ſtatim dolor protinus evanuit, eaque prorſus liberata eſt. Addenda hic hiſtoria ab Harvæo relata tr. de partu, mulieris hyſtericis ſymptomatibus, nulli remediorum generi cedentibus, diu laborantis, quæ tandem poſt multos annos ab uteri prolapſu ſanitatem recuperavit: Quia nimirum uterus, aëri externo expoſitus, refrigeratus eſt, ſicque phlogoſis illius & calida intemperies repreſſa. Vide præced. §. *Riverius pr. l. 15. cap. 6. cent. 3. obſ. 89. & cent. 4. obſ. 6.*

XI. Si à retento ſemine originem ducat, omnes in hoc uno convenire videntur ut à *ſanguinis miſſione* abſtineant: quia cum magna inſequatur totius refrigeratio, ac vacuatio per v. s. adhuc magis refrigeret, periculum ingens videtur ne hepate ſic affecto, hydrope ſuperveniente, miſere admodum ægra moriatur: Ego tamen ſic diſtinguo, Affectus hyſtericus aut recens eſt aut inveteratus: In hoc abſtinerem à remedio, quia totius corporis frigiditas jam nimium prævaluit: At ſi fuerit recens, conſiderandum an euſarco victu uſa ſit mulier, ſanguiniſve plenitudine laboret, an ſecus: In priori caſu ſecarem venam inferiorum partium (nunquam enim pro hyſtericis curandis ad ſuperiores venas accedere conſuevi, quicquid alii dicant) in poſteriori autem minime: *Hor. Augenius Tom. 2. lib. 12. Epiſt. 7.*

XII. Jam dudum experientia mihi compertum eſt exacerbari plurimum & augeri hujuſmodi ſymptomata, necnon & alia denuo ſuperaddi, à medicamentis acrioribus & vehementibus: Quare conſulo in his ſemper uti levioribus pharmacis, (etiamſi affectus graviores ſint) qua methodo plures ad ſanitatem conſpexi præter ſpem reſtitutas. *Mercatus de indic. med. l. 1. c. 6.* Quod autem graviter afficiatur ab inteſtinis ſæpe a me obſervatum, dum obnoxiis propinatur purgans tunc ſanè graviſſimè affligi ſolebant. *Heurnius comm. in aph.* 34. 5. Totius corporis purgatio non videtur convenire, nullum enim extat medicamentum quod leniter purget, & ſi multa ſint quæ ex inguant, haud tamen erit abſurdū purgare bileos quæ

ſtimulum addere poſſet ſemini, hæcque res facienda levioribus præliis: Si verò principium ab humoribus fuerit corruptis ac venenatis, nullum præſtantius auxilium quàm corpus crebro expurgare, pro conditione ac natura humoris peccantis: hîc perluſtrandum quibus è partibus ejuſmodi excrementa effluant in uterum, & quæ ſint ut poſſit ingenti malo ſubveniri: Vomitus hic peculiariter convenire videtur mihi, cùm omnibus expurgatis primarum viarum excrementis ab utero fit revulſio: In aliis cauſis non item: cum neque ſanguinis copia neque ſeminis, poſſit vomitu emendari, niſi ex accidenti. *Augenius ibidem.* Pilulæ fœtidæ majores, licet purgantes ſint, tamen in paroxyſmo utiliter exhibentur ad ʒß: blande enim evacuant: nec niſi ſedato priùs paroxyſmo purgare conſueverunt; ita ut ab operatione nullum ſit metuendum periculum. *Riverius Pract. l. 15. c. 6.*

XIII. Ad vehementem paroxyſmum ſequentes pilulæ utiliſſimæ ſunt, eumque certò ſedare ſolent. *℞. aſſæ fœtid.* ℈ i. *caſtor. gr. vi. laudani gr. iij. f. pil. iij. vel iv.*, capiat ſtatim. *Riverius.* Bene monet Horſtius tom. 2. p. 398. ut in compoſitione laudani opiati pars ſine croco conſervetur, ut tutius exhibeatur, quod ſæpe ad miraculum uſque ægras reſtituit. *Hoferus Herc. med. l. 7. c. 2.*

XIV. Obſervavi hyſtericæ paſſioni obnoxias nonniſi valentiſſimis pharmacis expurgari poſſe. *Plempius in inſtitution.*

XV. Veſicantria coxis applicita in uſu ſunt ad *præfocationem* præcavendam: Verum ego pluries ſum expertus Sinapiſmos, duabus aut tribus horis ante acceſſionem, coxis appoſitos eandem divertiſſe, quod eſt minoris moleſtiæ remedium. *Fortis.*

XV. *a* Quemadmodum ubi nominata urget ſuffocatio meritò aliis multis præfertur *Caſtoreum*, ejuſque cum rectificato vini ſpiritu tinctura, & ſalis Amon. ſpiritus, ita ubi frigus tam externe quàm interne urget valde, ut ea ſyncope, aliiſq; affectibus affinibus, præ aliis omnibus mihi hactenus compertis, laudo *Oleum Gariophi. ſtillat.* non ingratum, nec improbo *Terebinth. oleum* minus gratũ, poſtquam cum ſpiritu vitrioli efferveſcentiam excitat cum inſigni calore junctam: Exempl. loco ſit hæc miſtura, *℞. aqu. puleg.* ℥ *ij. theriac. ſimpl.* ʒ *vi. tinct. Caſtor.* ʒ *ij. olei mac. ſtillat. ſuccini aa. gutt. iij. ſyrup. fœnic.* ℥ß *m.* cochleatim exhibeatur, valet & in affect. hypochondriaca: Poteſt huic Miſturæ addi *ſpir. ſalis armoniaci* ℈ i. unde longe potentior evadet; aut anguſti orificii vitrum, ſpiritum dictum continens naribus applicari: acri namque ipſius odore à ſuffocatione revocantur, ut & ab epilepſia. *Sylvius de le Boë prax. lib. 1. c. 19.*

XV. *b.* *Laudanum* in vaporoſis affectibus ſympathice cerebrum infeſtantibus mirum, præſertim in ſuffocatione matricis, admiſtis hyſtericis: Domicella de la Font poſt partum ingentibus doloribus ventris, & irregulari uteri motu, ac tetris vaporibus cerebrum infeſtantibus & impetentibus, ad necem uſque vexata, poſt multa præſidia irrita, ſtatim me accedente ſumſit Laudanum, dormivit, & omnia facta mitiora: poſtea uſa ſingulis matutinis hac maſſa, *℞. fecula brioniæ* ʒß. *caſtorei* ʒ *ij. myrrhæ* ʒ *j. aſa fœt. & croci ana* ʒß. *laudani* ℈ *iij. ß. Fiat maſſa, de qua capiat grana xxv.* Fotus hyſtericus bis in die: Sedatis paroxyſmis optimè convaluit. *Domina de la Varenne* vaporibus malignis, & ſummo uteri dolore cruciata, cum tumore ingente & admodum dolorifico circa inteſtina & meſenterium, ad tabem pene redacta, alternis primo diebus, dein paulo longiori intervallo interpoſitis, ſumſit laudanum ad ſymptoma, mercurium ad morbi cauſam, convaluit ſumto laudano; quotidie vomebat vi... In hypochondriaco affectu flatulento bonum. *Theod. de Mayerne tract. m. s. de Laudano.* Vide ſupra *§. 13.*

XVI. Controverſia eſt utrum hora paroxyſmi *vinum* hyſtericis ſit exhibendum: *Avicenna* omnino prohibet: *Hippocr.* concedere videtur: Etenim ſumma refrigeratio totius corporis, virium langor, & ſpirituum retractio, non videtur meliùs ſublevari poſſe quàm exhibito vino generoſo: attamen quia hic affectus ut plurimum pendet à retento ſemine putrefacto, ſanguine, & vaporibus tetris qui ab utero elevantur, ratione cauſarum non videtur vinum exhibendum, quia tenuitate ſua, & ſumma penetratione magis ac magis irritabit materiam illam intus delitescentem: unde communi experientia videmus mulieres hyſtericas ex uſu vini in paroxyſmo hyſterico malè ſe habere; Itaque ita diſcrepantia hoc modo componi poſſe videtur, ut vinum ordinarie non ſit exhibendum tempore paroxyſmi, ſed tantum extraordinarie; quando ſcil. ratione virium ſumme collapſarum, complicatæ ſyncopes, vel inſtantis mortis, cogimur ad præſentaneum hoc remedium & auxilium accurrere; iam omnibus aliis fruſtra tentatis. *Ioh. Varandaus l. de morb. mul. c. 6. vide Langium Epiſt. 23. lib. 1.*

XVII. Mulieribus, inquit Hipp. 5. aphor. 39. magis quam viris adverſatur *Acetum*: quod *Galen.* tum ibi tum multis aliis in locis confirmat, ipſe tamen *9. uar'. lim.* acetum ſcillit. abſorptam ſtrangulatis convenire ſcribit, à quo accepit *Altimarus*: quod forte duntaxat intelligendum ubi ſemen redundat, quia exſiccat & infrigidat: Vtcunque tamen ſemper parce aceto utendum nervis aut utero affectis, nam & nervos, ſubindeque uterum, qui nervoſus eſt, acetum offendere teſtatur Galenus variis in locis Ideo ab oxymelite abſtinendum, etſi vomitum provocet. *A Caſtro.*

18. Graviſſimam, & ſæpius recurrentem aphoniam, cum convulſionibus graviſſimis, in matrona notavimus, quæ ſterilis per aliquot annos, inſtantibus menſibus 1. ſuffocatione uteri graviſſima, mox epilepſia levi, tandem partialibus convulſionibus brachiorum, pedum, ſpinæ dorſi, totiuſque corporis horrendis prehendebatur: Hæc adhibitis appropriatis uterinis medicamentis fœtidis, graviora ſymptomata patiebatur: quam ob cauſam ad odorata, *Moſchum* videlicet & *Ambram*, acceſſimus, eaque pauca quantitate, cum aliis roborantibus cephalicis fructuoſè exhibuimus: Quod etiam in aliis hyſtericis obſervandum: quibus ſcil. ob iteratas acceſſiones epilepticas, in adoleſcentia, vel alias ob cauſas, caput ac nervoſum genus debilius eſt. *Greg. Horſtius lib. 5. obſ. 26.*

XIX. Mulier ſæviſſimis ſymptomatibus affligebatur, dolore capitis, ructu, contractione corporis, dolore inguinis; ſtridore dentium, aliquando in terram cadens, ſine voce, ore clauſo, ut aperire non poſſet, atque hæc ea matricis vitio omnia. Remediis multis fruſtra factis ſuperveniens, mulier quædam vetula, dedit xiij. grana moſchi, & totidem ſanguinis draconis vulgaris, ex ℥ iv. aquæ florum aurantiorum, ſanata eſt, nec unquam in poſterum iſtos dolores paſſa eſt: Idem medicamentum in ſimili caſu

ſo a me exhibitum ſemper profuit; exhibitum autem aliquoties. *Reinerus Solenander ſect. 5. conſ. 5. §. 10.*

XX. In curatione diligenter advertendum in prægnante hyſterica prudenter remedia eſſe adminiſtranda: neque vehementiora ac valde fœtida eſſe exhibenda, ne abortus concitetur: Et externis magis quam internis remediis rem eſſe abſolvendam *Riverius l. 15. c. 6.*

XXI. Quidam ſuadent oſſi ſacro apponere *dropacem*: cavendum tamen ſi mulier hyſterica prægnans ſit, ne horum uſu abortus concilietur. *Primroſius.*

XXII. Empirici, & alij qui ſe methodicos profitentur, ſi ad ſuffocationem emplaſtrum præſcribunt, ſtatim *Empl. pro matrice* imperabunt, non animadvertentes eſſe conſtringens; cum potius Ceroneum, vel aliud, quod ex reſolventibus, & diſcutientibus fumos & flatus compoſitum ſit, uſurpandum. *Rondeletius de medic. externis pag. 1091.*

XXIII. *Exercitium* ſit mediocre, lentaque deambulatio aut equitatio: Geſtatio vero in curru & navi fugienda plane, quia vomitum ciet, & humores agitando ſymptomata excitat: quare non video cur eas quæ in navi & curru fiunt geſtationes laudaverint Aëtius & Altimarus, *A Caſtro.*

XXV. Monet merito *Aëtius* mulierem non eſſe omnino negligendam recuperata tandem ſanitate, ſed præſervationis gratia, per certa intervalla, ſuſpectis præſertim temporibus, medicamentis utendum, ſic ut eorum uſus plane non deſeratur, ſed minuatur quantitas.

XXV. Diſplicet mihi uſus *aſperſionis roſaceæ*, permiſtæ cum vino optimo odorato circa faciem inſuffocatis, cum hæc adjuvent vaporum incrementum ad caput, atque ſciam vinum caput replere, quod nos conamur exinanire: *Hor. Augenius.*

XXVI. Author eſt *Camerarius* in horto ſuo *Angelicam* præſtans eſſe contra ſuffocationem matricis, tenuem cum zedoaria in vino exhibitum: Quod ut ratio omni hyſtericæ proficuum pernegat, ita experientia huic aut illi individuo prodeſſe approbabit, cum quædam hyſtericarum ſint quæ gratis odoribus, v. g. balſamo, cinnam. ambra & moſcho reficiantur; contra aſa fœtida, caſtoreo & vulgatiſſimis & famoſiſſimis alias adverſus uterina ſymptomata medicamentis præſentiſſimo vitæ diſcrimini objiciantur: Cujus rei duo contraria, ſed ſingularia exempla afferre lubet: Cis pauculos annos ad matronam acceſſor, vehementiſſimis correptam hyſtericis ſymptomatis: Cui cum conſilium darem ut præter emplaſtrum ex galbano, ante adventum meum à mulierculis umbilico jam admotum, etiam aquam aliquam hyſtericam præberent: nec non collo involutum ſyndoni raræ involutum fruſtulum caſtorei ſuſpenderent; perdicum pennas uſtularent, aut torrerent nucem moſchatam, tum illa ſtridula voce reſpondere: Ergo ne quæ nec emplaſtri uterini odorem ferre poſſum, fœtida illa ſuſtinem inſuper? Certe enecabor, quæ odore nucis moſchatæ, ſed non uſtulatæ, refici ſum ſolita: Quare ſtudioſe ego ſciſcitari ex illa, an non offenderetur halitu cheirothecarum ex altera Hiſpanica aut Italica confectarum, ſiqui dam bar redolentium? & illa regerere nihil ſibi poſſe accidere gratius: Iubeo ergo avellendum ex galbano Empl. & ſubſtituo ei aliud ex Tacamahaca ſuaveolentius; & loco hyſtericarum aquarum caſtoreum participantium, commendo ei aquam cinnamomi citratam hic loci uſitatam, in cujus uno vel altero cochl. ℈j. fæculæ bryoniæ propinabam, & mitteſcebant quidem ſymptomata, donec ſequens linimentum bombace exceptum clitoridi ſubderet. ℞. Balſ. ug. Peruviani, olei jaſm. non rancidi an. ʒij. zibett. opt. ℈ß. M. A cujus uſu urgentiſſima ſymptomata, ut erant hypochondriorum & totius abdominis inflationes ac murmura, vertigo, dyſpnœa, ſyncope, ceſſarunt, immunis fuit per 6. menſes integros, cum antea ſubinde, & præſertim menſtruis imminentibus iis corriperetur: Poſterior contraria priori hiſtoria ita ſe habet, Cum aliquando rus abirem, accidit ut in prædium Regium Ipſtrup diverteriſſem, ac nonnullos familiarium amicorum ibidem hilarem diem ſumpturos offendiſſem; in cœnaculum admiſſus in quo matronæ commorabantur, ſiniſtra mea monorchida herbam, ſeu orchidem odoratam moſchatam *I. Bauhini*, crocum & moſchum redolentem in ſerviam conſtrictam circumferens, ecce cæteris omnibus ſilentibus, quædam illarum de improviſo de nimia ſerviæ fragantia conqueri, meque obſecrare foras eam projicerem, ferre ſe eam non poſſe affirmans, parui que lubens, veritus ne ſterilis (ſteriles enim, & virgines plenis nubiles annis maxime urgeri uterinis ſymptomatis, palam eſt) utero ſtrangularetur: Vitabunt ergo praxin medicam exercitaturi ne unguenta ſuavia redoleant, cum plerumque graveolentibus minime, ſuaveolentibus vero ſequior ſexus facile offendatur *S. Pauli Quadr. Botan. claſſ. 2. Tit. Angelica.*

XXVII. Habebam cum D. *Dobrino* curandam fœminam uterinis affectibus primo graviſſime laborantem, & corpore maxime impuro præditam. Eam ſub noctem inprimis circa præcordia anguſtia quædam prehendere, cor opprimere & univerſos fere artus externos quaſi vermiculatio quædam occupare, capite ſimul compatiente & dolente, deprehendebatur: Tentabatur a nobis varia, præparabantur humores, evacuabantur, dabantur roborantia; nihil tamen proficiebamus: Tandem de meo conſilio dabamus antimonium diaphoreticum, à cujus uſu paulatim melius habere incipiebat: continuabamus per ij. ſeptimanas, quo tempore in tantum relevata fuit, ut quia meliuſcule haberet, ac medicamentorum pertæſa eſſet, reliquum naturæ ipſi committere quam medicamentorum uſo diutius inſiſtere mallet: Huic ego convaleſcentiæ cauſam potiſſimum adſcribo: valet quidem nunc, ſed non ſine querelis ſuper membrorum laſſitudine. *M. Doringius in Ep. Sennert. cent. 2. Epiſt. 35.*

XXVIII. Tam ſæpe occurrunt mulieres, ex ſplene ſe laborare credentes, quæ tamen ſunt hyſtericæ: Cum enim viri non minus quam mulieres viſcus hoc habeant, ſimili tamen modo non afficiuntur: Hujus viſceris communes viris & mulieribus morbi ſunt, Intemperies, obſtructiones, inflammationes, ſcirrhi, ulcera, putredines, & inde varia conſequuntur ſymptomata: Sed quæ de ſplene conqueruntur, alium affectum prætexunt, cui viri non ſunt obnoxij, quem neſciunt eſſe hyſtericum: Imo vidi medicos id ipſum ignorantes: Per hyſtericos affectus intelligenda ſunt ea ſymptomata, quæ non in utero ipſo, ſed in aliis partibus contingunt ob conſenſum quem habent cum utero; habet enim uterus cum omnibus partibus conſenſum aliquem, præcipue cum iis quæ in abdomine continentur, quibus per venas, arterias, nervos, membranas, ligamenta ſua connectitur, ob ſanguinis, ſeminis aliorumque humorum vitium, unde tetri vapores in alias partes aſpirant: Licitus autem & uteri maxima eſt per arterias ſympathia.

unde fiunt hypochondriaci affectus, murmura, dolores ventris: Eſtque hic conſenſus adeo frequens & familiaris, ut plurimæ tantummodo ſe affectibus ſplenis tentari dicant, cum tamen ab utero laborent. *Primiroſius error. popul. l. 2. cap. 27.* Cum virgo naturæ melancholicæ, per annos aliquot ſæpe recurrente paroxyſmo, ingenti ſuffocatione infeſtata, plerique medici putabant id mali prodire a malignis vaporibus vitio lienis genitis & ſublatis ad diaphragma; forte contigit ut ægra pene per totam noctem tam gravi ſuffocatione exagitaretur, ut in horas expiratura crederetur; Suſpicatus ego affectum matricalem, dedi aquam de meliſſa compoſitam (quæ apud nos in uſu frequenti) cujus 2. 3. cochlearia in os infundo: miraculi inſtar ad ſe revocata, omnis dyſpnoea ſubito deſiit: Unde innotuit pathos illud fuiſſe hyſtericum. *Ang. Thonerus obſervat. 2. lib. 3. pag. 185.*

XXIX. Matrona cum ex ſymptomatis hyſtericis periclitaretur, ad eam vocatus, offendi decumbentem oculis clauſis, elinguem: illico præſcripſi aquam matricalem de meliſſa compoſitam; cujus loco errore è pharmacopolio miſſa aqua matricalis camphorata, cujus cum cochlear unum infudiſſem, vociferari cœpit querula voce, Quid agitis? totum caput exinde exardeſcit quaſi igne ſuccenſum: Sed cum illa altera de meliſſa compoſita fuiſſet allata, & ægræ oblata, ſtatim ipſa ſe recolligere, oculos aperire & loqui cœpit, vindicata in priſtinum ſtatũ. Etſi camphora alias in hyſtericis affectibus haud ignobilis, tamen reperiuntur complures fœminæ quibus illa adverſaria, præſertim quibus obtigit calidior capitis conſtitutio, cum ob ſpiritus volatiles illico caput petat: Ægræ iſtius complexio ſanguinea erat, facies enim rubicunda &c. *Idem obſervat. 3.*

SURDITAS.

Vide Aurium affectus lib. 1.

SYLLOGE.

An fortiter purgandum. 1

Venæ ſectione *curata*. 5.

Caput an ſemper purgandum. 6.

Hydrargyroſi *an curanda*. 2.

In puerperis & convaleſcentibus peculiarem curandi rationem poſcit. 3.

Surditas & tinnitus ſiccis an humidis debent curari 4.

Obſtructio meatus quomodo curanda. 7.

Fonticulo *in radice auris curata*. 8.

Per ſudorifica & balnea *curatio*. 9.

Oleo amygd. amararum caute utendum. 12.

Diſruptione tympani ſanata. 13.

Thermarum *efficacia*. 14.

Auris vehementia ſuſtinet remedia. 10.

Nihil inſtillandum, ſed per turundas topica immittenda 11.

I. P*urgatio* inſtituenda eſt medicamento humorem peccantem valide ſeligente: nam cum humores ſunt craſſi & impacti, potius turbantur levi pharmaco quam extrahantur, quippe eo ſenſo ob id Hippocr. dixiſſe *alvum turbatam* i. e. vehementer ſolutam *ſurditatem ſolvere*: Talibus autem frequenter citra periculum uti non datur, ex Hippocr. conſilio, *in his purgandum eſt cum eo quod medicum ingeſtum plurimum educat*, *Mercatus*.

II. In affectu contumaciſſimo ad *inunctionem hydrargyri* deveniendum, ut ſi fieri poſſit materia morbum faciens per os expurgetur; nam ſurditas ex lue venerea contracta ita curari ſolet; quare etiam hæc, licet talis non ſit, fortaſſe curabitur. *Fonſeca conſ. 58. tom. 2.* Suffragari videtur ratio, quia *hydrargyrum* tumores duros emollit & diſcutit, ac humores concretos & partibus impactos potentiſſime diſſolvit, atque ita pituitam in auris particulis concretam, & reliquis remediis non cedentem forte poterit diſſolvere: Hoc tamen remedium nonniſi in deſperato caſu tentandum eſt, anceps enim & dubius eſt admodum illius eventus: ſi quidem ab inũctione hydrargyri cerebrum valde labefactatur, ita ut nonnullis ex lue venerea per hydrargyrum curatis ipſa ſurditas, aut gravis auditus interdum contingat: quamvis, ut ante dictum, ex ipſa lue venerea contingens ſurditas interdum curetur: Et debite adminiſtrata hydrargyroſis, poſt ſufficientes purgationes, nullam in cerebro noxam ut plurimum relinquat. *Riverius prax. lib. iij. cap. 1.*

III. Non una & eadem debet eſſe curatio in puerperis, ac convaleſcentibus & aliis, quod cauſarum diverſitas diverſas indicationes curativas præbeat: In parturientibus enim facultas animalis omnes intendit vires ut fœtui expulſionem juvet, ideo circa ſpinalem medullam maximus fit ſpirituum animalium influxus in nervos muſculorum infimi ventris diſtribuendos: Vehemens hæc movendi intentio cauſa eſt ut ſimul principium nervorum, præſertim circa poſteriorem capitis partem, afficiatur, ubi ſcilicet ſpinalis medulla deſcendit: nervus autem quintæ conjugationis, qui auditui præeſt, ibi ſuam habet originem, brevique ducta in aurem internam inſeritur, unde patet in illo aium quod facillimè compatiatur, collectis circa illius inſertionem, à partu, humoribus craſſis & viſcidis, ob nativi caloris nativi debilitatem, propriamque imbecillitatem, ratione vehementiſſimæ commotionis, cum alias in parturientibus & prægnantibus animales facultates ſint debiliores: Convaleſcentibus autem facultas concoctrix & alteratrix debiliores ſunt, unde plurimorum vaporum proventus à debili calore, qui ubi petunt auditus organum, ſenſum depravatum faciunt: In puerperis ergo purgationes ut rite procedant procurandum; tori proſpiſciendum, humorum præparatione & vacuatione localibus non neglectis, quò materia circa auditus organũ collecta, incidatur, diſcutiatur, abſumatur. In convaleſcentibus ſufficit ut calor nativus imbecillior corroboretur; quod ſi malum ſponte non deſinat, diſſolventia leviora uſurpanda: *Hollerius probl. 4. dec. 3.*

IV. Surditatis & Tinnitus curatio potius ſiccis quam humidis debet tentari, propterea quod ex accuali humiditate tympanum redditur laxum, aër implantatus incraſſatur, & cauſa mali augetur: unde ſuffumigationes ex croco, myrrha, ſtyrace, benzoino, thure probantur ab *Hercule Saxonia Panthei lib. 1. cap. 20.* & *Ioh. Zwelfer* tunica Tympanicationem habet, Aqua, *inquit*, Acouſtica *Minderer*i ſi in uſũ trahi debeat, auribus nequaquam (uti nec quicquam aliud) largiter infundendam eſſe cenſeo, cum membranula ſuper anulum & ſubjecta oſſicula expanſa

Tympa-

Tympanum dicta, ſubtiliſſima ſit, adeoque facile rebus aut liquoribus acribus infuſis totaliter deſtrui & erodi poſſit, auditu ea toto abolito, Conſultius proinde fore arbitror, *ait Schneider lib. de cathar. ſpecial. p. 99.* ut ſaltem fruſtulo panis triticei, è furno recenter extracti illi inſperſo illico auribus applicetur & alligetur calide, ſicque ut calore panis, & aqua ſpirituoſa ſimul agente, craſſi humores nervos & meatus auditorios obſtruentes incidi, attenuari atque per inſenſibilem tranſpirationem, vel retrocedentes ad palatum per ſputum & ſalivam evacuari poſſint: Quamobrem non inepte quis egerit ſi ſimilibus in affectibus aquam illam ori immiſerit, pro majori attenuatione & attractione humorum craſſorum ab auditoriis meatibus (intra membranulam Tympanum ſitorum) qui per tympanum vix ac ne vix quidem illæſo vel exeſo tranſſudare poſſunt.

V. Surditates ſæpe à ſanguinis copia ad aurium radices delabente oriri in multis animadverti. Itaque non plane abſurdum mihi videtur cujuſdam Bavarici balneatoris auxilium, quo multos à difficultate audiendi eum liberaſſe ſermone plurimorum ad me delatum eſt, Eſt verò illud ejuſmodi, Jubet is ſurdaſtros mane balneum ingredi, ut venæ, quæ retro aures ſunt, balnei calore turgeant: eas poſtea ita turgentes ſecat, ac quantum videtur educit ſanguinis, evidenti utilitate eorum quibus gravitas auditus moleſta eſt *Oethaeus apud Schenckium.*

VI. Si ſurditas accidit alicui habenti caput calidum & ſiccum, ego nollem *purgare* caput: ſufficit ſi tollatur fomentum inferius, & impediatur ne materia antecedens aſcendat, facile enim caput ſanabitur, & ſic nihil facerem pro capite, nec ſternutatoria, nec gargariſmata, multò minus ſtillicidia nec quicquam aliud. *Montanus conſult.* 152.

VII. Aliquando aufertur Auditus ob obſtructionem meatus extrinſeci, ab humore melancholico eò tranſlato & fixo: Quo in caſu credo quod cavendum ſit ab omnibus exſiccantibus & calefacientibus admotis tanquam à peſte, quia cum his facientur illam materiam gypſeam. In uſum veniant lubricantia, humectantia & calefacientia in gradu primo, ut ſunt chamomilla, malva, althæa, liquiritia, & omnia calida & humida in primo: ex his fiat decoctio, ex hac evaporatio ad aures: vellem ſemper addere aliquid croci, quod emollit, ſed intenſius &c. *Montanus Conſult.* 152.

VIII. Juvenis ſurditate nullis proficientibus auxiliis cum diu premeretur, excitato ſponte ulcere in radice auris, & ſemeſtri ſpatio ſorditie emanante Auditum plane recuperavit: Hoc experimento audacior factus in aliis, in quibus plura remedia fruſtra erant celebrata, fonticulum in eodem loco aperui. Si Surditas ob utramque aurem affectam adeſſet, in ambabus cauterium affixi, ex quibus ſanie manante omnino ſani facti. Si præſidium hoc non juvat, valet vapor calentis amurcæ, i. e. fæcis olei per meatum auditorium receptus. *Zacutus pr. adm. lib. 1. Obſ. 70.*

IX. Ad Surditatem *Ioel* l. 2. pract. ſ. 2. præmiſſis præmittendis commendat Sudorificum hauſtum ex Theriacæ Andromachi & aq. rutæ confectum: Eum imitatus *Oſw. Grembs* lib. 2. cap. 1. §. 11. ad conſumptionem humiditatum cerebri curam ſudorificam commendat ex decocto lignorum: Mihi experientia probatum eſt Surdis, præmiſſis præmittendis, ſi ſcil. nervo auditorio, vel etiam tympano, humor quidam craſſus ac frigidus impactus eſt, Balnea commendare, adhibita ſtupha vel labro umbilico tenus, non nimis calida, ut partes tantum calefiant & ſanguis fluidior reddatur. Paulo poſt immittendæ & inſtillandæ guttæ duæ vel tres aquæ apoplecticæ in aurem lateris affecti, & ſic laborantem extemplo ſanatum videbis: referunt enim ægri ſe poſt hujus uſum ſentire quaſi in aure aliquid decidiſſe. *Frideric. Hofmanus m. m. lib. 1. cap. 11.*

X. Remedium in hoc caſu optimum eſt quod ℞ *aloes* ℥j. *interior. colocynth. euphorb. aa.* ℈j. *moſchi. ambr. aa. gr. vij. terantur ſubtiliſſime, & cum felle vaccino miſceantur, & fiant Trochiſci, qui ſiccantur, atque uſus tempore fricantur ſuper cote, & cum ſucco raphani in aurem inſtilleantur*: Neque quis miretur quod medicamenta hæc ſatis valida parti adhibeantur exquiſito ſenſu præditæ, quandoquidem auditus Organum, licet ad duram uſque meningem pertingat, nervulúmque à cerebro recipiat, potentiſſima tamen remedia topica ſine noxa ſuſtinet, ex *Galeno* 6. m. m. *Zecchius conſult.* 43.

XI. In Surditate à materia pituitoſa, Topicum in aures introducendum quod primo incidentem & detergentem, deinde exſiccantem facultatem obtineat, ut humor in auribus exiſtens attenuetur, detergatur & tandem membrana exſiccetur: Introducatur igitur Turunda oxymel. ſcyllit. intincta, præſertim noctis tempore, non enim ſunt infundenda medicamenta, ne violenter tangatur meatus auditorius, ut monet *Galenus* 3. K. T. 1. ſed turunda, aut ſpecillo lana obvoluto ſunt introducenda. *Fortis Tomo 2. Centuria 1. conſ. 79.*

XII. *Oleum amygd. amarar.* in Surditate quidem & Tinnitu Aurium commendatur, ſed ob aurium anfractus in hujus uſu cauto opus eſt, Id enim ad Tympani membranam ubi profluxit, cum haud facilè extergi queat, laxat interim membranam, atque ita non modo non medetur, ſed porro eam anget. *S. Pauli Quadrip. Bot. p.* 19. Id cenſeo nihil unctuoſi inſtillandum in aurem, ne tympani membrana craſſeſcens obtuſiorem reddat auditionem, cujus excellentia in ſiccitate conſiſtit. Membranę omnes ſive oleo emollitæ, ſeu humiditate ſæpius perfuſæ inflantur & albeſcunt; Si quæ videntur uſurpanda olea, eorum ſufficiet exhalatio ſine ſubſtantiæ infuſione, per quam evaporationem ſufficienter implantatus aër adventitio inſpiſſatus attenuabitur: *Th. de Mayerne conſilio pro ſurdo* MS.

Communiter in Surditate, & Tinnitu aurium commendant oleum amygd. amaratum, ſed ſæpiſſime ejus uſu Surditatem aut gravem auditum auctam fuiſſe expertus ſui, eo quod nimium tympani membranam laxaverit. *Fridericus Hofmannus Clavis Schroder. p.* 408.

XIII. In naturali ſurditate à conformationis vitio, An tentandum iſtud experimentum quod inopinato & feliciter ſucceſſit cuidam, qui intruſo auriſcalpio in aurem profundius, dirupit tympanum, fregítque oſſicula & poſtea audivit? *Riolanus Encheir. p.* 190.

XIV. Peculiariter conducunt ad hujus affectus curationem *Thermæ ſulphureæ & bituminoſæ*, cum balneo tum lotione capitis: Balneo quidem ſudores copioſi profunduntur, & materia fluxionis antecedens educitur: Lotione vero capitis cerebrum roboratur & exſiccatur. Utendi modus

peculiaris à *Penoto* deſcribitur, & valde commendatur. *Nihil aque conducit in ſurditate, etiam poſt centum remediorum uſum, quam ut patiens optime prius corpore mundato, & dein capite purgato, ſulphureis balneis caput madefaciat hoc modo, Ex ſpongiis magnis conſutis veluti eucupham ferat in capite, ad ſupercilia & infra aures deſcendentem: Sedeat ſub canali balneorum, & verſo epiſtomio aquam accipiat, quæ abſorpta ſpongiis caput continuo calore ſuo fovebit, atque omnes capitis ſuturas, auriumque commiſſuras deducens, atque aperiens, vapores tollet, vel materiam impactam nervis, viiſque auditoriis reſolvet per halitum, aut adeo arcebit ut brevi ſit abitura. Bis in die ita ſedere eum convenit ad horas duas, ac deinceps ſtatim ſudare in lecto, diætamque adhibere tenuem ex ſuccis & jure carnium, vinóque niſi oligophoro, plane abſtinendum eſt. Riverius.* Si quis uſui Thermatum inſtet, plane improbo totius corporis in aqua ſulphurea ſubmerſionem, propter ſanguinis per ſedes frequentes effuſiones, ſed præſertim propter nephritidem & lithiaſin, quibos renum & lumborum calefactio admodum eſt noxia. Satis eſſe autumo ſi caput (bene prius repurgato corpore) ex alto irrigetur cum aqua thermali, obſervatis omnibus cautionibus quas præſentes Medici indigitabunt. Videtur Dominus abhorrere ab aëre Thermarum opaco & fuliginoſo; Iſtius aquæ vicem ſupplebit Embroche ex alto per idoneum inſtrumentum, ex quo fluat per epiſtomium Decoctum cephalicum, præparatum in lixivio Tonſorum, addito vino malvatico, in caput raſum, tectum pileo conſuto ex ſpongiis mollibus, cum aliis quæ liquorem à ſubjectis partibus arceant, & in proximam deponant pelvim. Poterit etiam ſuturis capitis nudi excepi iſta irrigatio, quæ tempeſtate anni fervida facta, ſemel aut bis in ſeptimana, optime ſiccando & detergendo poſtea caput, erit admodum proficua, Italis in quotidiano uſu. *Theod. de Mayerne conſilio M. S. pro Comite Denbigh.*

Ad diſſipendas humiditates cerebri & aurium, non probo Decocta, à quibus febres interdum inducuntur, & deprehenſa ſunt non prodeſſe. Igitur ſudare oportet in ſemidoliolo, ſeu tina, capite exerto, appoſito vaſe ex aqua ferventi, in qua thymus, origanum, &c. ebullierint, ita per horam excitabitur ſudor, & ſingulo quoque die mane ſudare procuret per 10. aut 12. dies. Si ad iſtos ſudores morbus non ceder, veniendum eſt ad ſtillicidium alicujus aquæ thermalis temperatioris, qualis eſt aqua ex balneo D. Petri hic Patavii, fiat ad ſuturam coronalem per 15. dies loco abraſo, bis in die per ſpatium unius horæ, obſervando tamen ne dum fit ſtillicidium dormiat, ſolet enim ſomnum intenſum inducere, & præterea advertendo ne exeretor catarrhus ad pectus; quod ſi contingeret, abſtinendum eſſet. Adſit Medicus peritus qui obſervet & varier quantitatem ſtillicidij, ejus motum, aquæ calorem, caſum aquæ ex altiori vel humiliori loco, nam ſi fiat peccatum in aliquo horum potius lædet quam juvabit.. Quod ſi ſtillicidium hoc non ſatis ſit, vellem ut æger ad principium menſis Septembris iret ad Balnea in agro Lucenſi, & ibi ſtillicidium Balnei de Corena tentaret. Experimento enim confirmatum eſt Surditatem curare; *Fallopius* lib. de Thermalibus aquis hujus ſtillicidii beneficio ſe curatum eſſe ſcribit, cum eſſet quaſi Surdus, ut ex octo partibus ſurditatis ſex ablatæ fuerint. Si vero per illud ſtillicidium Lucenſe morbus non tollatur, ad finem Octobris conferat ſe Neapolim ad Balnea ſulphurea, ibique ſulphuris halitus & vapores per aures ſuſcipiat, ut in more eſt illius loci, Puzzolo dicti, quo remedio Nob. Polonus in totum Surdus recuperavit auditum: procuret etiam in foveis ibi ſudare. *Fonſeca conſult.13. lib.1.*

SYNCOPE, LEIPOTHYMIA.

SYLLOGE.

Ea præſente an Sanguis mittendus. 1.
Ex timore nata S. m. curata. 6.
Frictiones *aſpera non ſemper conducunt.* 2.
Ligaturæ *quando conveniunt.* 3.
Lucalibus *quando locus.* 4.
Corpus quomodo collocandum. 18.
Acetum roſaceorum an omni conveniat. 5.
Medicamenta quomodo infundenda ſi non deglutiantur. 18.
Animi Exolutio *cerebrum roborantia requirit.* 21.
Syncope à Liene *illius proviſione curata.* 10.
A vermibus, *iis necatis profligata.* 11.
Medicamenta eam ſolventia qua vi agant. 14.
Si ſit a ventriculo, *ſpiritus concentrantia conveniunt.* 20.
Efficacia oleorum aromaticorum *&* ſalium volatilium. 15. 17.
Spiritus roſarum *non refrigerat.* 16.
Diæta *non ſemper ſit tenuis.* 7.
Ad præſervationem etiam humores & ſolida ſuſtinenda 8.
Animi deliquium ex venæ ſectione *inductum.* 9.
Extincti non protinus terra mandandi. 12.
Aër frigidus leipothymiam excitat. 13.
Quis ſitus affectorum ſyncope eſſe debet. 19.
Non uno eodem modo medendum in ea quæ ſit à ſpirituum diſſolutione. 6. a.
Si immineat ob dolorem, narcoticis aliquando locus. 6. b.

1. SYncopticis an ſanguis mittendus? In ſpuria Syncope, quam parit venarum interceptio, ab *Hippocr.* & *Galeno* aſſignata lib.4. *acuta* quæ duplex haberi debet, una ex copioſo ſanguine in majoribus vaſis, reliqua in ſolis carotidibus & jugularibus, Sanguis protinus demendus eſt, antequam ſpiritibus orbatus concreſcat, & immedicabilior fiat affectio, quantum par ſit pro virium robore & plenitudinis magnitudine, ex *Hippocr. l. c. t.* 25 Quo facto, & inſtituta parca victus ratione, omnino divertere ad inferas ſedes quod in imo corpore continetur oportet, ac poſtea potibus calidæ quod ſanguinis jam concreverat fundere, necnon & frictionibus molliter per univerſum corpus factis: Verum in hujus cauſæ acceſſione rarò datur ſanguinem fundere, ni vires longe magis quam antea conſtiterint: nam, ſi minus, ſignum eſt (aut ſi pulſus ſit deterrima conditio aliqua) ſanguinem jam concretum eſſe, quo caſu omnino a ſanguinis detractione erit abſtinendum, ſolúmque uti licet laxantibus fundentibuſque præſidiis, nec non ex iis quæ concretum

tum ſanguinem fundunt, ut leporis coagulo in aqua mulſa, vel eadem mulſa ubi ferbuerit amaraci coma, maxime addito oxymelite; item theriaca aut mithridatio, in eadem aqua diſſolutis quantitate drachmæ ſemis. Verum ſi conſtiterit ſanguinem concretum non eſſe, nullo alio auxilio citius & tutius ab acceſſione laborantem revocabis quam ſanguine miſſo; quod quidem tentans primo ſcito, ac ſi probe ſucceſſerit, laboranſque probe ſe habeat, & ſanguinis impetus fuerit grandis, iterum id tentabis auxilium, donec aliquantulum leviorem perſentias ægrotantem, quod ſi nihil exeat, concretum jam judicabis, & nullomodo id amplius tentabis. *Mercatus.*

An præſente ſyncopali acceſſione *ſanguis ſit detrahendus*? dubium *Hippocr.* 4. *acut.* 27. docet quod quando quis ſanus exiſtens repente obmuteſcit abſque cauſa manifeſta, illud accidit ob occluſiones & interceptiones venarum: per quas *Gal.* in comm. repletiones vaſorum intelligit, quæ à copia ſcaturire ſolent: Inter affectus autem qui ab hac ſumma plenitudine manant numerat ſyncopen: Quod autem *Hipp.* l. c. de ſyncope loquatur, conſtat ex text. 26. ubi recenſens ſymptomata quæ ex hac venarum interceptione oriuntur, numerat extremorum frigiditatem cum pulſus carentia, quæ potiſſima ſyncopes ſigna ſunt. Quo pacto in ſyncopali acceſſione, à nimia ſanguinis copia vaſa replente ſuborta, vena ſecanda eſt, juxta *Hipp.* Neque dicas locum eſſe ſanguinis miſſioni antequam invadat acceſſio; nam ipſe 28. illam probat, quamvis extremorum refrigeratio præceſſerit, quam refert in ext. 26. & 27. docens ante s.m. fomenta calida prius eſſe adhibenda, ut ſanguis qui ob interceptiones venarum erat frigidus, & velut concretus, diſſoluatur, & facilius venâ ſectâ exeat, quo tempore ſyncopalis acceſſiu præſens eſt: Confirmat *Avicenna* 1. 3. tr. 2. c. 10. Ubi caſus virtutis ſubitò evenientis curationem adducens, docet neceſſariam eſſe s. m. ſi ex repletione ſanguineâ oriatur; nullo enim remedio citius occurritur quàm ſanguine miſſo, dempto enim onere, & copiâ gravante, impeditur ne ſpiritus integrè corrumpantur. Cave tamen ne id exequaris ſi nimia, cum pulſu omnino deficiente, extremorum frigiditas adſit, ſignum manifeſtum ſanguinem omnino eſſe concretum, quo tempore ſi vena ſecetur, ſanguis non effluet: Tunc ſuccedant quæ ſanguinem fundunt & fluxilem reddunt, frictiones, oxymel &c. Si verò ab utero ſyncope concitetur, venaſecta in talo, in ipſa acceſſione, utilis eſt valde. Dices, *Gal.* 12. meth. c. 3. in ſyncope negat ſanguinem mittendum, Demum à v. s. ſpiritus reſolvuntur affectúſque conduplicatur ℞. Ibi loqui *Galenum* de ſyncope orta ex copiâ crudorum ſuccorum, in quâ noxia s. m. quia vires non adſunt, humoréſque ab ea crudiores redduntur. *Zacutus Prax. hiſt. l. 2. c. 9.* Sæpe mentitur & præ ſe fert ſpeciem Apoplexiæ, ſed ſine ſtertore: nec relinquit poſt ſe Paralyſin vel Pareſin. Si ſæpius fortiter recurrat, tandem cor obruit & ſuffocat, non tantùm ob interceptum ſanguinis excurſum, ex plenitudine vaſorum, ſed ex oppreſſione cordis ab aliqua craſſâ ſubſtantia ſanguinis, intra ventriculos cordis impulſa, quæ ἀσφυξίαν affert in motu cordis & arteriarum: interdum aphoniam & interitum: Hic affectus Germanis æquè familiaris ac Apoplexia, ex athletico corporis habitu, qui contrahitur ex comeſſationibus & perpotationibus aſſiduis: nec tamen curant iſtum habitum plethoricum exſolvere v. s. liberali: nec mirum ſit à tanta ſanguinis copia incidant in Apoplexiam vel ſyncopen cardiacam. Inde Aphor. 42. lib. 2. explicatio pendet. *Riolanus Enchir. Anat. lib. 3. cap. 8. Vide Saliam de affect. part. c. 10.*

II. Syncopen quæ fit ex humoribus craſſis curat *Galen.* 12. *meth. c.* 3. frequentibus *frictionibus*, inunctionibus, mulſa &c. Moneo quantum ad *Frictiones*, non ſemper aſperas illas eſſe adminiſtrandas, ſed tunc tantum quando humor crudus quidam fuerit, non tamen prorſus corruptus: Nam fatetur idem *Galenus* 1. ad Glauc. 14. & 12. meth. 13. in hac humorum corruptione nullam, aut exiguam, adeſſe ſalutis ſpem, eò quod humores corrupti ad benignum amplius reduci non poſſint. Datur aliquando humor adeo corruptus, cujus coctio non eſt expectanda: In hoc igitur caſu tantum abeſt ut frictiones juvent, ut prorſus obſint: nam corruptus humor non eſt ducendus in venas, ſed potius paulatim per ſuppoſitoria, per clyſteres, per benigniora medicamenta purgandus. *H. Saxon. Prael. Pract. l. 2. c. 2.*

III. In ſyncope ex fluxionibus variis, in quâ *ligatura* conveniunt ad revulſionem, moneo Ligaturas iſtas minimè vehementes eſſe debere: dicebat *Gal.* 1. ad Glauc. c. 14. hujuſcemodi ligaturas perinde humorem ad ſe attrahere ſicut hæc affectio ex qua fit ſyncope quam deſcribit Galenus. *Idem.*

IV. Circa *Localia* medicamenta unum moneo: prohibet ea *Gal.* 1. ad Glauc. 4. ante humorum evacuationem, & tamen idem Gal. 1. ad Glauc. 14. concedit in multa pituitæ copia circa os ventriculi collecta, oleum de abſynthio. Hac in parte vobis illud notandum, Localia medicamenta, ante humoris excretionem, aut eſſe digerentia, aut calefacientia & ſimul adſtrictoria: Digerentia omnia ante humorum excretionem ſunt ſuſpecta: De his dicebat *Gal.* 12. meth. 3. Ex perunctionibus importunis viſcerum inflammationes excitari: At verò calidum medicamentum moderatè adſtringens, fovet calorem nativum & novam prohibet humorum fluxionem. *Idem.*

V. *Acetum roſaceum* non omni ſyncopi convenit, cùm enim cauſæ contrariæ nonniſi per contraria remedia tollantur, ideo manifeſtum aliter ſpirituum reſolutionem, aliter quoque eorundem ſuffocationem atque infectionem curari debere: Quare cum *Capivaccio* 2. pract. cap. 9. concludimus quod ſyncope à ſpirituum reſolutione facta per uſum refrigerantium, præſertim fronti, faciei, regioni cordis & pulſuum applicatorum optimè corrigatur, ubi acetum roſ. convenit, quod ob aceti qualitates penetrat, ob roſas refrigerat & ſpiritus colligit. Quod ſi ſuffocatio in cauſa eſt, neceſſario requiritur attenuatio ac diſſolutio materiæ morbificæ, quæ per frigida minimè præſtatur, quare hic ad naſturtium, nigellam, mithridatium, aq. cinn. extremorum frictionem &c. veniendum. Si malignitas ſubſit, cordi per bezoartica proſpiciatur. Non ergo mirum quod ſæpius in abſentia Medicorum ægri lapſu virium pereant: poteſt enim fieri ut communi remedio refrigerante adhibito ſpiritus, alias ſuffocati, circa principium ſuum ulterius conglobentur, & penitus hac ratione vitalis facultas ſupprimatur. *Gr. Horſtius Dec. 5. Probl. 1.*

VI. Mulier maritum pugnantem videns cum vicino in ſyncopen incidit, vocor, & juſſu meo *ſectione vena* curatur, In hac ægra ob *timorem & triſtitiam* ſanguis ad cor quaſi ad arcem confluxit, quo ſuffocatum cor multoties homines mori vidimus

tum quia extinguitur vis vitalis, ex nimia copia, tum quia nequeunt ſpiritus per vaſa meare, quorum penuriam partes extimæ ſentientes, marceſcunt & extinguuntur. In timore, ſeu magno animi pathemate, ſanguis ad arteriam magnam, venam cavam ſtatuit irruit eaſque opplet & obſtruit, in tantum ut præexiſtens ſanguis ſiſtatur; In tanta virium penuria ne Medicus prætermittat v.s. quæ ſola nativam caliditatem obrutam levare poteſt, vena autem interna ex præcepto *Hippocr.* 4. acut. 23. ſecanda, quæ velociſſime corpus evacuat: Quod ſi ob extremam virium jacturam, & pulſus fere abolitionem anceps ſit Medicus, cucurbitulæ coxis vel femoribus ſcarificatæ imponantur loco v. s. *Nic. Fontanus Reſponſ. & curat. medic p.* 63.

VI. *a.* Non uno & eodem modo revocandi qui *ob ſpirituum diſpendium* ſyncoptici fiunt, cum neceſſum ſit modum quem cauſa imprimit conſiderari, & adverſus ipſam præſidiis pugnare: nam licet vacuationes quæ immodicæ ſunt ſpiritus diſſipent, alio modo eorum diſpendium compeſces ſi ſudore nimio id fiat, alio ſi alvi fluxibus, alio ſi ſanguinis profuſione, & alio rurſus ſi vomitu: Nam qui per *ſudorem* aut *ingentem calorem exſolvuntur*, debilémque habent retentricem, facile excitantur aqua frigida, vel roſacea ſola, aut cum modico aceto deſuper ſparſo, non quidem in tota cute, ſed in facie & manibus, idque ſubito, affatim & inopinato: tum ut cute denſata minus diſſipentur ſpiritus, tum ut ſubito ſpirituum retroceſſu facilius excitetur laborans: Pari etiam ratione curandum eſt aërem prædictis aquis refrigerare, & flabellatione facta linteis aqua frigidis attemperate, quo & cutis adſtrictior fiat, & ſpiritus denſior & craſſior &c. Quibus ſane præſidiis non uteris ſi *alvi fluxus ſyncopi* cauſam præſtiterit, frigidis enim aſperginibus facillime intro pelluntur humores, quos ne ad alvum fluant opus erit ad extima revocare. Nec rurſus facies ſi ex *plenitudine* aut *obſtructione* laborans animo deficiat: Verum ſi ex aliquo *animi pathemate, quod vim habeat ſpiritus extra evocare* id accidat, eodem poteris uti præſidio, ſicut ſi ex variis *doloribus* aut *evacuationibus* ſuboriatur: Eodem etiam modo ægrum excitabis nares vehementer comprimens & dimovens, maxime ſi per *infernas ſedes humores effluxerint*; Quod ſi ex *vomitu* ſit, crura ligabis, calefacies & fricabis; ſi vero alvus fluat, brachia: *Sanguinis* vero *fluxionibus* languentes excitabis iiſdem diſtractionibus, & vino calido teſticulis in viro, aut mammis in fœmina admoto, Sed & hos, & reliquos omnes, revocabis his quæ ſpiritus reficiant, quale eſt vinum album, tenue, odoriferum, & aqua ferrata dilutum. Si *ſudoris* occaſione malum oriatur, maxime ſi ſudoriferis utaris, vel panem recenter coctum his irroratum naribus admoveris: at in *alvi fluxionibus* tuber panis admixto recenti, (forte legendum, *idem panis cum vino rubro*) majoris eſt momenti, ſi neque interna ſit inflammatio, neque delirium vel ardor præſint. Quibus *ardens febris* cauſa fuit ſyncopes, proſunt epithemata & adſperſiones frigidæ per vices & intervalla, ne prohibeatur omnino effluxus uſtilaginum: prodeſt tum frigidorum tum adſtringentium uſus, qualis eſt ſuccus mali ponici acidi: Verum qui ob *Sudores* labuntur, à frictionibus & vino abſtineant, niſi odoramenti gratia: *Vomitu* confectis porriges vini albi aut nigri vetuſtioris hauſtum, maxime ſi ex crudis aut viſcidis ſuccis malum oriatur, ſicut frigidæ aut calidæ aquæ, ſi bilioſus aut acris vel ſalſuginoſus ſit humor: quæ omnia etiam facies (exceptis diſtractionibus) ſi ex impenſa caliditate laborans corripiatur.

VI. *b.* Qui ex *doloribus*, *animi pathematis*, ac *diaphoreticis vacuationibus* in ſyncopē parati ſunt incidere, iis qui dolorem leniant utendum eſt, Sed quod magis in his uſu eſſe ſolet, id eſt quod ſtupefacere aliquo modo natum exiſtit: hoc enim vel ſenſum ſtupefaciendo, vel ſomnum conciliando fluxum perpluris compeſcit, quo vires reficiuntur, ac à dolorum & accidentium inclementia laborantem tuentur. Sed cum in hujuſmodi laborantibus plerumque vires deficiant, parcius & cautius iis utendum conſulo. *Mercatus*,

VII. *Galenus* in *ſyncope humoroſa* præcipit *victum tenuiſſimum* uſque ad ſeptimum: concedit ſolam mulſam, aut oxymel cum infuſione aquæ priſanam vel alicam, Hæc regula non eſt perpetuò obſervanda: Nam ſi loquitur in præſentia de tumoribus craſſis, qui ſæpe ſæpius inferunt ſyncopen, qui fieri poteſt ut uſque adeo tenuis victus uſque ad ſeptimam, abſque ſyncope, ab ægris ſuſtineri poſſit? Obſervandi igitur ſunt patientis pulſus, qui ſi inæqualiores & minores fiant, Medicum moneant ut vinum præbeat & vinum exhibeat. *Saxonia.*

VIII. Notate in tempore præſervationis non tantùm cuſtodiam eſſe habendam virium, quæ in ſpiritu ſunt repoſitæ; ſed etiam illarum quæ reſident in humoribus & partibus ſolidis, & ideo non tantum cibus quidam ſolidus eſt præbendus, verùm etiam omnes partes principes, cor, cerebrum, jecur, propriis remediis, internis & externis muniendæ ſunt. *Idem.*

IX. Multi venæ ſectionem & ſanguinis effuſionem bene tolerant, ſed dum ſolvitur ligatura, & vulnus occluditur, in animi deliquium incidunt: His ſubvenies juſculo optimo ante venæ diviſionem exhibito, quod non ſemel obſervavi. *Pachequus ad Riverium Obſervat.* 51. *Rationem quære apud Harvæum de motu cordis cap. xi. pag.* 136.

X. Vir Nobiliſſimus queſtus apud me eſt ſe in ſyncopen ſtatim incidere ſimul atque in ſiniſtrum latus decumberet, ita ut difficulter ab eâ revocaretur, adeo omnes vires collapſæ erant, ſecus ſe nihil doloris aut incommodi perciperet: Cauſam quærens credidi humorem melancholicum, malæ alicujus qualitatis participem, ex liene vaporem quendam venenoſum ad cor mittere, eamque occaſionem præſtare tam maligni ſymptomatis, nec mea me fefellit opinio, Si quidem ratione victus optimè inſtituta, purgatóque univerſaliter corpore ab humore melancholico, & præſertim exhibito medicamine lienem ab obſtructionibus liberante, atque demum roborato corde, liber evaſit. *Riverius in appendice cent.* 4. *obſ.* 8.

XI. Vocatus ſum eodem die ad curandos tres pueros qui febre maligna erant detenti, qui liberati 14. die, cum tremore totius corporis concuſſivo, extremorum frigiditate, appetitus proſtratione, anxietudine &c. lumbricos vivos plures per os excernere incipiunt. In 18. ſyncope lethali prehenſi, cum faciei livore & abolito pulſu, animam agere videbantur: Ego, nec inſtante agone mortis, à remediis vermes necantibus & extra corpus pellentibus, intus ublatis, & exterius admotis:

At hæc

At hæc omnia profuere nihil: nam illi ſolo potu vini nutriti, extenuati & tabidi, vix oculos ſemi mortui aperire poterant. Tandem ſucco allii ſicci cum vino permiſto, multos lumbricos, eoſque vivos & mortuos, per vtramque regionem excreverunt, ac paulo poſt ſanati. *Zacutus Prax. Admir. lib. 2. cap. 9.*

XII. Caute circa ejuſmodi ægros agendum eſt, nec protinus de funere cogitandum, cum exemplis conſtet aliquos jam tumulo deſtinatos ad ſe rediiſſe: Hoc vnum inter alia ſufficiat. Anno 1582. retulit nobis *Hoſpes Clivia*, cui Aquila pro Inſigni eſt, ſe ante annos 17. graviſſimo atque acuto morbo correptum, tandem in illud animi deliquium incidiſſe vt cuncti mortuum crederent, advocatum Dom. *Iohann. Wierum* animam à corpore nondum eſſe ſeparatam cognoviſſe: juſſiſſe itaque vt in lecto calidè coopeꝛiretur, cardiacaque exhibuiſſe: Interim dum circa ægrum occupatus & de reddenda ſanitate ſollicitus eſſet, adſtantes funus præparaſſe, ſed ſecunda die ad ſe rediiſſe. Vide *Fabritium Hildanum Centur. 2. Obſervat. 95.*

XIII. Quorum *aër frigidus* cum impetu & in copia ad pulmones delatus vitalem facultatem proſterneat, ipſe expertus ſum, Cùm enim ob vehementiſſimam tuſſim epiglottis tandem quoque ita labefactata fuiſſet vt aſperam arteriam non ſatis promptè obtegeret: & tuſſiendo, aut etiam oſcitando aër frigidus ad pulmonem perveniret, vires protinus ad leipothymiam ferè vsque proſtratæ fuerunt: Tandem neceſſitas me edocuit vt tuſſiendo, linteo calido (quod continuò in promptu habebam) nonnunquam quoque vola manus os obtegerem, tuſſiendoque auram calidam ex linteo attraherem, hoc enim modo leipothymia multò minus ſequebatur. *Fabritius Hild. Cent. 5. Obſerv. 34.*

XIV. Paroxyſmo animi deliquii & ſyncopes inſtante, exhibenda ſunt quæ halitus flatuſque acidiuſculos, quandoque ſimul glutinoſos, tum potenter concentrare, tum diſcutere apta nata ſunt: quæ ſubtilia ſint, quo quaquaverſum penetrare poſſint & ipſis jungi, Sunt autem talia & ſpirituoſa, & ſalia volatilia, & oleoſa: Conducunt proinde omnia Salia volatilia, oleoſa, ex variis animalium præſertim partibus, vel plantarum quarundam, arte parata: conducunt Tincturæ aromaticæ, ſpiritus vini rectificati beneficio ex variis aromatibus, plantarumve, vt & animalium partibus quibuſvis aromaticis, vel infuſione ſola, vel diſtillatione inſuper eductæ, Ex gratia. ℞. *Aqua menthæ, fœnicul. ana. ℥j. cochleariæ, vitæ Matthiol. ana. ℥ß. laudan. opiat. gran. ij. ſyrup. menth. ℥j. ol. garyoph. macis ſtillat. ana. gutt. ij. miſce*, detur cochleatim. Nemo miretur addi hic laudan. opiat. Aſſerimus enim opium viso habere ſummam impediendi compeſcendique vitioſam humorum acrium efferveſcentiam, tum in tenui inteſtino, tum in corde, tum alibi, ſine qua non ſolent excitari facilè halitus noxii & acidiuſculi, curandoſque affectus producentes: Huic miſturæ, aut ſimili, addi poſſunt varia ex animal. partibus parata, & valde efficacia, Tinctura caſtor. ſpirit. ſalinus, ſalis armoniac. vel vrinæ, Sal volatile ac oleum ſangu. oſſium, cornuum, vngular. Olea rectificari debent, ac non tantum empyreumate ea parta liberari, ſed & penetrantiora reddi & magis potentia: rectificatio fiet cum ſpirit. vini tartariſato. Nemo niſi expertus perſuadebitur de talium efficacia, quorum vis volatilis quaquaverſum diſpergitur, & ad intima penetrans, ſuo ſimili, hoc eſt halitibus volatilibus facilè jungitur, atque eoſdem alterat, mutat &c. *Franciſcus Sylvius de le Boë Prattic: lib. 1. cap. 34.*

XV. Ceſſans ad tempus ſanguinis efferveſcentia vitalis in dextro ventriculo, tum in Syncope, tum in Hypochondriaca Suffocatione, curatur Oleis aromaticis & Salibus volatilibus quibuſvis, ſed maxime oleoſis: facta ſemper aliqua pro ſymptomatum comitum diverſitate, Miſturarum varietate; Sicut enim vbi vrget dicta ſuffocatio merito multis præfertur *Caſtoreum*, ejuſque cum rectificato vini ſpiritu elicita Tinctura, & ſalis armoniaci ſpiritus, ita vbi frigus tam interne quam externe vrget valde in ſyncope, aliiſque affectibus affinibus, præ omnibus laudo oleum garyophyllorum ſtillatitium, non ingratum: nec improbo *terebinthina* oleum minus gratum, poſtquam cum ſpiritu vitrioli efferveſcentiam excitat cum inſigni calore junctam, *Franciſcus Sylvius de le Boë Praxeos lib. 1. cap. 19. §. 70. & 75.*

XVI. *Spiritus roſarum* cor & cerebrum recreat, & ſpiritus reficiendi vim habet: vna atque altera gutta ſatis magnam aquæ copiam odoratam reddit: hinc in ſyncope & leipothymia donis à guttis v. ad ℈ß. vel ℈j. Sed male à nonnullis ad refrigerandum exhibetur, cum tamen æque calidus ſit ac alii ſpiritus, & à partibus roſarum refrigerantibus plane ſeparatus ſit; Sciendum enim à vegetabilibus parata medicamenta ſimplicia pleraque eandem cum plantis, è quibus parantur, habere efficaciam, & in eoſdem vſus poſſe adhiberi, niſi plantæ illæ diverſas partes habeant; hinc rheum integrum adſtringit. *Sennertus Epiſt. 28. Cent. 1.*

XVII. In *Syncopes* metu, aliiſque *animi deliquiis* levioribus, cum *frigore* tamen moleſto & formidabili conjunctis, ex medicamentis in officinis proſtantibus ſequens paretur miſtura, cochleatim per intervalla brevia vſurpanda, ℞. *Aqua menthæ ℥ij. vitæ Matthiol. ℥j. vel tinctura cinnam. ℥ß. ol. garyoph. gutt. ♁j. cochlear. ℥j. miſce.* Non tantum per quotidianam experientiam edoctus commendo laudata modo Salia volatilia, & olea aromatica, ſed quia idem ratio ſuadet, ex Salium iſtorum & oleorum analyſi, atque animi deliquiorum, hypochondriacæque ſuffocationis cauſa efficiente, Pituita viſcida & acida, vel halitibus itidem viſcidis & acidis auſteriſve ſimul collatis petita; Habent namque ſalia iſta & olea vim omne viſcidum ſolvendi ac incidendi, omne autem acidum & auſterum temperandi ac corrigendi, omne demum halituoſum & flatuoſum diſcutiendi & diſſipandi.

XVIII. Vbi æger magis mortuo quam vivo ſimilis os nec aperire, nec claudere, multo minus debite aliquid deglutire poteſt, tunc commodius erit, loco præſcriptarum miſturarum, laudata olea aromatica, tum ſimplicia, tum magis compoſita, cum ſpiritu vini rectificato, vel confuſa duntaxat & tantillum agitata, vel majori artificio & circulatione diutina penitius juncta, ad guttas iij. iv. pluresve ſubinde in ægrotum os, ac inprimis per infundibulum

argenteum aureumve ad fauces vſque immittere, quo tum in ventriculum ac inteſtina (vnde tam gravis mali cauſa vt plurimum quaquaverſum propellitur) tum in aſperam pulmonum arteriam, vſque ad ipſum ſanguinem, in pulmonalibus vaſis hærentem poſſint penetrare, atque vbique noxam vigentem corrigere ac emendare. *Sylvius de le Boë Prax. lib. 1. cap. 19.*

X I X. Commune remedium in Animi defectibus omnibus eſt, ſtatim corpus extendere, & ita collocare ut caput ſit depreſſius reliquo corpore: Id puto fieri quod in ea conſtitutione paucus ſit calor movens ad partes ſuperiores ſanguinem, venæ & arteriæ concidant; & propter duas illas cauſas ſanguis venarum & arteriarum retractus ad cor, non poteſt ad caput recurrere: cum autem depreſſius eſt, ſanguis ille defluit ad partem declivem, vt liquida omnia facere ſolent: Sed cum iſta facimus, non ſunt alia negligenda, neque longius portandi ægri, ſed eo in loco proſternendi in quo corripiuntur animi defectione. *Rondeletius cap. de Cardialgia.*

X X. Animadvertendum quod quando Syncope ab offenſa ventriculi procedit, non conveniunt ſpiritus evocantia, ſed eoſdem potius ad cor propellentia, vt aſperſio aq. frigidæ in faciem, vel roſaceæ &c. *Iohann. Raym. Fortis Conſultat.* 49. *Cent.* 2.

X X I. Diſtinguentes nos animi Exolutionem, Deliquium & Syncopen, credimus potius à cerebro quàm à corde horum ortum derivandum, Si quidem Exolutio fit cum ſenſus & motus ſola perturbatione, Animi defectus, cum ſenſus & motus integra ablatione; Syncope vero cum omnium actionum, imo & ipſius pulſus privatione: Quam differentiam ſignificavit *Hippocras.* 7. aphoriſm. 8. *A Tuberculi interruptione, exolutio, vomitio, animi defectus*, Quare animi exolutio & animi defectus fiunt læſa facultate animali, ſicut Syncope vitali; qua ratione vt inſtaurentur exolutione & animi defectione laborantes, ſufficiunt odores, vtpote qui ſpiritus animales refocillare poſſunt, qui in Syncope non ſufficiunt, cum ad vitales ſpiritus inſtaurandos alimenta per os neceſſaria ſint. *Fortis Conſultat.* 58. *Cent.* 1.

INDICIS MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

De Affectibus à litera T. incipientibus.

TENESMVS.

SYLLOGE.

An Purgandum. 1.
Vena *an* ſecanda. 2.
Vlceris exſiccatio per pulveres. 3.
Inedia *noxia eſt.* 4.
Corroborationi partis attendendum.

I. NOXIA videtur *Purgatio*, 1. Quia impedit vlceris mundificationem & conſolidationem, 2. Quia deteriorem reddit vlcerationem quæ inde incaleſcit & irritatur: 3. Purgantia naturam ad excernendum magis ſtimulant, vnde ſymptoma conatus irriti deterius redditur. At videtur contra ſæpius purgandum, 1. Frequenter dyſenteriam ſequitur, ab acri ſanie relicta, vel humoribus peccantibus intempeſtivè relictis: at hic purgatio requiritur. 2. Pituitoſis vt plurimum accidit Teneſmus, quod in inteſtino recto craſſa & viſcida pituita coacervetur: at hæc purgatione tollitur: Sed notandum Purgationem aliam eſſe catharticam, aliam lenitivam, è quibus hæc ſæpe requiritur, quippe quæ non ex toto, ſed primis tantum viis peccantem materiam educit: Deinde diſtinguendum inter cauſas Teneſmi, quæ ſæpe tales ſunt vt vacuatione lenitiva non indigeant. Reſponde ad 1. arg. partis negantis, procedere de veris catharticis, quæ non concedimus; ad 2. licet irritetur ulcus etiam per lenitiva, non tamen affectus deterior redditur, quod cauſa conatus irriti per eam tollatur: ad 3. Stimulatur natura per purgantia, non tamen conatibus irritis, ſed eo fine vt noxia ejiciantur. *Horſtius Quæſt. 6. Dec. 6.*

II. Cum Teneſmus ſit affectio cum tenſione, pondere, aſpero dolore, quibus alvi ima pars infeſtatur, quæ omnia pendent ex abraſione in recto inteſtino, iis occurrendum eſt, inprimis ratione materiæ delabentis, per vniverſalia præcepta, inter quæ primo occurrit *Sanguinis miſſio*, quæ non eſt omittenda, nam Medicæ intentiones in hoc morbo ſunt, plenitudinem auferre, jecoris fervorem remittere, dolores inteſtini demulcere, ejus inflammationem delere, præſentem, imminentem inhibere, abraſionem vel vlcus ſanare, ſi oporteat febrem & alia ſymptomata corrigere: Cum venæ ſectio has omnes intentiones expleat, cum poſſit plenitudinem evacuando dimovere; jecur eventando refrigerare, doloribus, inflammationi & vlceri, à parte affecta retrahendo præſto eſſe, febremque refrigerando compeſcere, ab hoc genere præſidij non eſt deſiſtendum: Objicies, fluente alvo non eſſe ſecandam venam, & quod de hoc genere præſidii à *Galeno* non fiat mētio. ℞. Canonem iſtum tum temporis eſſe ſervandum cum alvus vehementer fluit, nec aliquod ex V.S. indicantibus & permittentibus occurrit, at præſente indicante, & permittente, vt in hoc caſu, ad eam confugiendum: Ad id quod dicunt *Galenum* V.S. non meminiſſe, dic argumentum à parte negativa non concludere. *Lalius a Fonte Conſult.* 71.

III. Deterſo vlcere id *conſolidandum*: Inter ſuppoſita, metallica omnia conveniunt, ceruſſa, tuthia, litharg. bolus arm. terra lemnia, ſanguis drac. ex quibus ſuppoſitoria fiunt, Verum nos inſufflari jubemus, per cannulam repletam à famulo, vel folle parvo, cannula prius his pulveribus plena, Cum enim vlceris vera curatio ſit exſiccatio, hanc facilius à pulveribus quam à cæteris humidioribus medicamentis nos conſequi obſervavimus. *Idem ibid.*

IV. Ex *Hippocratis lib. de Affectionibus* notandum, quod morbus iſte ægre *inediam* tolerat: forſan quia cibi præſentia minorem inteſtino mordacitatem inferat: Id tamen ſane

modo intelligendum, ne nimio cibo cruditates & mucoſitates augeantur. *Iohann. Raym. Fortis Conſult. 70. Cent. 2.*

V. Si Dyſenteriæ ſymptomata ſuperaverit æger, & morbus in longum trahatur, tandem inteſtina ordine quæque ſuo deorſum verſus affici videntur, donec in Rectum inteſtinum malum omne detrudatur, & in *Teneſmum* deſinat: quo facto, longe ſecus atque in Dyſenteriis, dejectiones ſtercoroſæ vehementiſſimum inteſtinis dolorem inferunt, alvi ſcilicet fæcibus teneriora adhuc inteſtina inter deſcendendum radentibus, cum dejectiones mucoſæ eo tantum tempore inferiori inteſtino, Recto nimirum, moleſtias cieant, quo materia in eo ſolo conficitur atque inde excernitur: Hoc ſi fiat, fruſtra erit me judice, qui medicari ſatagat Clyſteribus abſtergentibus, glutinantibus atque adſtringentibus, pro variis vlceris, quod ſupponitur, temporibus injectis; vel etiam fotu, inſeſſu, ſuffumigiis ac ſuppoſitoriis dictos ſcopos reſpicientibus: Liquet enim hoc non ab vlcere Recti inteſtini procedere, ſed ex illo potius quod inteſtina quibus gradibus vires reſumpſerint, iiſdem etiam materiæ morbificæ reliquias in Rectum deturbaverint: quod quidem indeſinenter proritatum ſingulis diebus mucoſam illam materiam, qua, ex naturæ providentia, inteſtina duplicantur, elidit: Corroboranda eſt itaque pars affecta, quo poſſit, aliorum inteſtinorum exemplo, jam faticentes mali reliquias funditus eliminare: Hoc autem ea ſolum præſtabunt quæ corpori in genere vires adjicere apta nata ſunt: Topicum enim, qualecunque id fuerit, parti dolenti applicatum, cum alienum quid ſit, contactu moleſto debilitatem magis adferet quam robur ſubminiſtrabit: Tolerandum itaque eſt ægro donec diæta analeptica, & liquore aliquo cardiaco revocari poſſint vires, quibus redeuntibus pari paſſu ſuaque ſponte proripiet ſe hoc *Teneſmi* ſymptoma. *Sydenham Obſervation. circa morbos Acut. pagin. 246. & 259.*

TERROR.

A Terrore inductos Affectus curandi ratio.

OBſervandum à *Metu* omni, quatali, augeri in homine effectus Acidi, ſed Auſteri; vnde ſicut ab *Ira* proprie ac per ſe commovetur acriorque fit bilis, ac conſequenter ſolvitur fluidiorque fit ſanguis vniverſus, Ita à metu proprie ac per ſe commovetur, acrior, imo auſterior redditur in nobis ſuccus melancholicus, ſive Pancreaticus, à quo non tantum anxietates, compreſſioneſque cordis, & quandoque contorſiones mire angentes producuntur in ventre inferiore, verum pulſus quoque contractus, minor, languidior, rarior, & aliquando plane nullus ſentitur, vt taceam motum totius corporis tremulum, inordinatum ac imbecillum, concurrente vt plurimum ſenſuum omnium, tam externorum quam internorum mira confuſione, Tali in caſu bonum eſt exhibere turbatis, terrefactiſque, medicamenta ſanguinis coagulationem tollentia impedientiave, qualia ſunt aromarica quævis & ſale volatili abundantia, quæ ſi negligantur à quibuſdam, in vſu tamen ſunt apud alios rei Medicæ peritos, quin non ignota plebi, cum ſoleant pleriſque mox exhibere hauſtum liberalem vini generoſi, alteriuſve potus ſatis potentis, cujus ope infringitur vis Acidi & Auſteri, ac diluitur ſanguis ad coagulationem tendens: Venæ ſectio tamen non culpanda negligendave, etſi nil tale præſtare videatur, Notum enim per experientiam profuiſſe ipſam pleriſque, illis ſaltem quibus mitti potuit ſanguis: Neque novum pertuſa tunc licet grandi etiam vena, nullum effluxiſſe ſanguinem, nil proinde commodi accidiſſe tunc ex aperta vena: Nam venæ ſectio tunc tantum prodeſt quando ſimul effluit ſanguis, qui à *Terrore* ſummo plus minuſve ſolet coagulari, ac præſertim in corde: vnde ſi aperta in tempore vena potenter trahatur ad partes externas ſanguis, non tam *facile*, non tam *potenter*, non tam *noxie* coagulabitur idem ſanguis; Non tam *facile*, quia ejus eductione magis movetur reliquus: Non tam *potenter*, quia ſuccus auſterus ipſum coagulans ſimul trahitur vlterius, nec proinde in corde permanet: Non tam *noxie*, quia minus in corde hæret, vbi cum maxima hominis noxa coagulatur ſemper: Inde namque vitæ periculum imminet, quoniam coagulatus potenter in corde ſanguis, non poteſt rarefieri commode ſatiſve, non poteſt idem ex corde premi, non poteſt accedenti locum facere, vnde ſiſtitur idem in vena cava vtraque, ſuffocatur facile non excitatus amplius ignis vitalis: Vbi autem ſuccus halituſve auſteriuſculus, ad cor veniens vna cum ſanguine trahitur inde foras, quæ inde fit ſanguinis coagulatio non exiſtit in vitæ foco cordiſque ventriculis, ſed alibi, nec proinde tantum vrget vitæ periculum, quod inprimis cavendum & quamprimum tollendum; neque vita longas dare ſolet inducias: coagulatio vero ſanguinis alibi exiſtentis paulatim poteſt corrigi aut ſponte, aut medicamentis convenientibus. *Sylvius de le Boë Praxeos lib. 3. cap. 3.*

TESTIUM AFFECTUS.

SYLLOGE.

Teſtis inflammati *curatio.* 1.
Abſceſſus *ſequuti curandi ratio.* 2. 3.
Vlceris *relicti curatio.* 3.
Inflammatio *non vno modo curatur.* 4.
Cancer *emollientia reſpuit.* 5.
Teſtis perperam exſectus. 6.
Teſticulus in inguine latens: Vide §. 38. *titul. de Herniis lib.* 8.

I. QVidam ex equitatione violenta incidit in Teſticuli dextri inflammationem cum tumore inſigni; ſecta fuit vena brachii bis, ſemel in malleolo; purgans exhibitum: pars fovebatur aq. roſ. & imponebatur cataplaſma ex far. fabar. cocta in oxycrato; ita vt quarta pars aceti cum tribus aquæ miſceretur; quod cataplaſma nunquam me fefellit in hoc affectu: In hoc tamen ægro adeo tenera erat cutis ſcroti, vt excoriata fuerit ab aceto acriori, & cataplaſma amplius ferre nequiverit:

Ego

Ego icetandum curavi catapl. ſed ad tollendam acrimoniam aceti, illud decoquendum curavi cum lithargyro,& ſic catapl. optimè operatum eſt, ægerque intra triduum liberatus. *Lazarus Riverius Obſervat. 39. Cent. 2.*

II. Si poſt inflammationem *vlcus* ſequatur, ſupputantibus naturæ ſuccurrendum emplaſtro ſequ. emolliendi, dolorem ſedandi maturandique vi inſigni prædito, quod aliquando alios humores prorſus diſſipavit. ℞. *Cera flava medulla cruris vacca, adipis gallina, anatis ana. lib. j. mucilag. ſemin. lini, althaa fœnugr. ana.* ℥iv. *olei lini q. ſ. miſce fiat ſ. a. Emplaſtrum.*

III. Materia jam ſupputata ætem poſtulat, quare phlebotomo Chirurgus *abſceſſum* aperiat: Cauterium potentiale ipſi commendare non poſſum, nam peſſimos habuiſſe ſucceſſus jam obſervavi: foramen exiguum ſit & ſolummodo tunicas penetrans: Licet in hoc caſu ſe pus optime habeat, morbus nihilominus periculoſus eſt, & facillimo negotio in cancrum aut ſphacelum degenerat, & commodiori medio quam ferro tolli non poteſt, ſi in tempore talis operatio inſtituatur: deinde *vlcus* ſequenti modo & quamprimum curetur, Partem ab omni frigore defendito, eamque continuo corroborato, atque naturalem calorem in ea conſervato: Lavamentum calide applicandum ℞. *Flor. balauſt. roſar. rubrar. myrtillor. ana. pug. ij. aloës* ʒ j. *thuris* ℈ i j. *aqua plantaginis* ℥iij. *vini rubri q. ſ. coquantur & colentur.* Hoc peracto ſequenti vnguento partem oblinito, & emplaſtrum, ſive cataplaſma, moderate diſſipans ſuper imponito. ℞. *Tutia praparata, ceraſſa lota, ana.* ʒ i j. *minij, lithargyr. aurei ana.* ʒ j. *ſarcocolla* ʒ i i j. *plumbi vſti* ʒij. *vnguenti Apoſtolor.* ℥ß. *olei & cera q. ſ.* Miſce fiat unguentum. *Paulus Barbette Anatomia Practica, cap. vltimo, partis 3. lib. 4.*

IV. Poſſumus *inflammationem* & ſequeſtrationem Lenitione & ſiccatione evitare: Et ſi qua eſt pars corporis ægra in qua experior hanc duplicem methodum, eſt in inflammationibus Teſtium: Si etenim non video maximam duritiem, aliquando applico exſiccantia validiſſima, & altera die ſanantur; Aliquando lenientia, & hoc etiam modo ſanitati reſtituitur: Et ego ſum teſtis hujus rei, nam ſoleo efficere emplaſtrum cum ſtercore bovino, cum ruta, foliis lauri & butyro: Soleo vti roſaceo & pane cocto, Et ambo medicamenta feliciter etiam ſuccedunt, ſicut imus per varias vias ad unam civitatem, & ita varia poſſunt conferre medicamenta idem morbo. *Fallopius.*

V. *Vlcera Teſtium* ſæpe in *Cancrum* abeunt, Iuvenis ex intempeſtiva venere, & nimia equitatione Teſtium debilitatem contraxit cum lue, hinc in herniam varicoſam & ſiniſtri ſcroti tumorem incidit, quem cum Chirurgus emollientibus curare tentaret, paucorum menſium ſpatio ſupra teſtem leve tuberculum, rubore aliquo tinctum apparere cœpit, quo aperto nihil effluxit, nec latentis humoris vllum indicium adfuit: In vſu emollientium, putrefacientium, ac pus generantium perſeveratum, donec ſe oſtentaret latens cancer, qui ægro mortem attulit. *Wierus in Obſervat.*

VI. *Turgidam ac praduram* adoleſcentis *Teſtem* præciſuri Chirurgi, noluere illum amputare niſi elicito prius pure quod ſibi imaginabantur ibi contineri, at ſucceſſu infelici, adaperto enim teſtis neque pus effudit neque detumuit, vt potius intumuerit, profuſa inſigni ſanguinis copia: poſt inflammari teſtis, accendi febris, opprimi præcordia cum dolore lumborum & lateris inciſi: vt æger prope exanimatus videretur cum vitæ diſcrimine, niſi acturum obviam ivisset provida exectio, eximendo feſtinanter Teſtem, qui bilanci impoſitus ponderavit vncias ſedecim, & diſceſſu ſuo confeſtim ſublatum ivit dicta ſymptomata: Quibus mitigatis, ac vulnere myrrha, aloë, melle vinoq; rite deterſo, ante xij. diem fuere omnia conſolidata: Vnde Chirurgi diſcant non identidem, neque interpolatis vicibus, ſed ſimul ac ſemel exccandum teſtem amputationi deſtinatum, in quo hujus curationis ſumma. *Nicolaus Tulpius Obſervat. l. 4. c. 33.*

TONSILLARVM AFFECTVS.

SYLLOGE.

Tumentium *per ſcarificationem curatio.* 1.
Iis inflammatis *gargariſmi ſint tepidi.* 2.
Induratarum *exciſio an tuta.* 3.
Earum tunica poroſa cum inflatur vlcerum ſpeciem prabet. 4.
A repellentium gargariſmatum abuſu tumor *in gypſeam duritiem concrevit.* 5.
Repellentia an extus admovenda ijs inflammatis. 6.

I. EXtabant alto tubere *Tonſilla* neſcio quo defluxu Equiti cuidam: quæ Tonſillæ ſi contumaces fuerant biennio, vt nullis vel internis vel externis medicamentis, ac neque etiam fonticulis aboleri potuerint, Verum hæ ſemel noſtro ſcarificatæ quaſi per incantamentum ſublatæ. *Severinus Med. Eff. p. 75.*

II. Inflammatis *Pariſthmiis* obſervandum, ex *Aëtio & Paulo*, vt gargariſmi potius tepidi quam frigidi exhibeantur, vel impenſe calidi, nam actuale frigidum nocet inflammationi ac inflammatis partibus; Et ſi prius colluerint aqua tepida os, melius eſſet ex *Avicenna*, nam ſic citius penetrarent gargariſmi. *Epiphanius Ferdinandus Hiſt. 75.*

III. Sæpe apud me ſum miratus audaciam veterum Medicorum, qui Tonſillas, poſt inflammationem induratas, immiſſo hamulo excipiebant & ſcalpello excidebant, vt *Celſus teſtatur lib. 7. cap. 12.* Sic enim apud me cogitabam non eſſe tutum exciſionem moliri harum particularum quæ magnæ ſunt in corpore neceſſitatis, & vndique nervis & ramulis arteriæ carotidis intertextæ: Quodque magis eſt, video Aquapendentem vnà mecum in eodem luto verſari: Sed glaucoma hoc diſpulit *M. A. Severinus Pyrotech. lib. 2. cap. 64.* qui ſic ſcribit, *Tonſilla ſolent excreſcere turpibus eminentiis, ex viſcoſo lentoque humore procreata, ſive vi Gallici morbi, ſive rheumatis cujuſdam: exemplo ſint mariſca:* Hunc caſum quamvis hactenus nun viderim, in gratiam juniorum adnotare placuit, Depreſſâ linguâ hamulo prehenſæ, per ἀγκυλίτομον, ſeu ſcalptum recurvum elevandæ, nonnunquam ferro candente inurendæ ſunt. *I. van Horne Microtech. pag. 2. §. 14.*

IV. Tonſillarum vlcerationes inſpectio deprehendit: in quâ tamen obſervare decet quod monet *Fallopius*, amygdalas, præter aliarum glandularum conditionem, habere tunicam nervoſam, multis ampliſque foraminibus perviam, quæ, dum illæ inflantur, magis dehiſcentia rudioribus facilè imponunt, vlcuſcula eſſe credentibus, detumeſcentibus enim tantum glandulis illa mox obliterantur. *Ionbertus c.2. de aff. Pect.*

V. Quidam ob Tonſillarum tumorem ægrè ſpirabat & deglutiebat, is diu gargariſmis ſiccantibus & repellentibus vſus, tenuiori exſiccata humoris parte reliquum in gypſum concrevit: Cum autem in dies laryngis muſculis tenſis reſpiratio fieret moleſtior, me accerſit, cui althææ, caricarum, malv. decocto os colluere imperavi: à collutione deſpumatum mel, butyrum recens, iridis Flor. pulvere admiſto lambeodum præſcripſi, vnde emollito tumore calculum excrevit, hinc liberior ſpiritus, curatoque vlcere convaluit. *Ieſſenius à Ieſſen apud Schenckium.*

VI. Repellentia Practici fere omnes iis *Inflammatis* ſolum intra applicant, ab iis tamen & vulgata conſuetudine diſſentit *Rondeletius*, qui lib. 2. cap. 4. non vult adſtringentia ſolum in parte interna, & relaxantia in externa applicari, ſed ea & intus & extra adhibet, Cum enim partes laxæ ſint, non amplius laxandas eſſe cenſet cum defluit materia, ſed vbi conſiſtit fluxio, vt materia ad exteriora trahatur: initio vero adſtringentia extra etiam apponit in lateribus arteriæ, ſub maxilla inferiore; quod in ſeipſo expertum eſſe ſcribit, & anginam & defluxionem ad fauces prohibuiſſe, & multos à ſcrofulis incipientibus ſanaſſe: Verum omnino hic cautione opus eſt, & videndum quæ materiæ affluentis ſit copia, Si enim corpus adhuc plenum ſit, & affluxus magnus, nulli author fuerim vt repellentia extra apponat, cum facile fieri poſſit vt materia ad interiora repulſa periculoſam anginam excitet, ſemperque tutius materia ad exteriora quam interiora feratur. *Sennertus Pract. lib. 2. p. 1. c. 22.*

TREMOR.

SYLLOGE.

Aliquando Sanguis mittendus. 2.
Ab hydrargyro inductus quomodo curandus. 3.
Ablutio manuum frigida eum inducit. 4.
Inducti à potu nivis ſoluta curatio. 5.
Diuturnus balnei artificialis ope curatur. 1.

I. IVvenis crapulæ deditus, tremore manuum diuturno affligebatur, cum totius cacochymia conjuncto, poſt varia præſidia, cum ad balnea naturalia proficiſci non poſſet, eorum loco artificiale paravi; quo cum 25. diebus bis in die vſus eſſet, ſine Tremore remanſit. ℞. *Sampſuc. artem. abſinth. majoran. ſalv. ſtoech. roriſm. ana. man. j. lauri, primul. veris ana. man. ß. beton. man. ij. rad. acori veri, ireos flor. rec. paeon. ana.* ℥ *ij. centaur. minor. iva arthr. ana. man. jß. chamomilla man. ij. coq. in ſ. q. vini gener. ad medias, colat. adde* ℔ *j. ſulph. vivi* ℥ *vj. nitri* ℥ *iij. alum.* ℥ *v. iterum bulliant & colentur, adde Ol. de caſtor. vulp. ana.* ℥ *ij. ol. chamom. lumbr. aneth. ana.* ℥ *j. rutac. de nuce Ind. de tereb. ana.* ℥ *ij*, Iterum bulliant; ſervetur decoctum. *Zacutus Pr. Adm. l. 1. Obſervat.* 42.

II. Si Tremor oriatur ex gravitate membri, cauſa gravitatis conſideranda, quam ſi fuerit ſanguis ſecanda eſt vena, Hoc dico, quia antiquitus etiam novum videbatur in Tremore ſanguinem mittere; quod exiſtimaverint omnem Tremorem ex cauſa frigida fieri: Hinc *Galen. lib. de palp. & rigore cap. 5. Hippocrat.* laudat, qui mulieri Tremore laboranti ex ſuppreſſione menſium, audacter venam pedis ſecuerit. *Saxonia Pr. Pract. c. 17.*

III. Hydrargyrum Tremoris cauſam eſſe extra dubium eſt: de modo dubium, nonnulli & vaporem argenti vivi noxium eſſe, & inunctionibus adhibitum nervis nocere ſtatuunt: Alij ſaltem vaporem ore exceptum noxium eſſe docent: *Platerus* vtrumque negat, atque id in ſubſtantia, nec per ſuffitum, nec per inunctiones corpus ſubire, ſed viribus tantum eo vſque deductis, nervis nocere ſtatuit: At nemo qui argentum vivum tractavit, ejuſque naturam cognitam habet, *Platero* facilè aſſentietur, Ejus enim ea natura eſt vt in alia corpora ſeſe intimè inſinuet, ejuſque mixtio tam exacta, vt naturam ſuam, quocunque etiam modo mutata videatur, non amittat, ſed ad priſtinam naturam facilè redeat: vaporque Mercurij nihil aliud eſt quam ipſe in tenuiſſima corpuſcula redactus. Videatur *Schenckius lib. 7. Obſervat.* 20. In tali Tremore nonnulli, neque ſine ratione, aurum limatum, ſive foliatum medicamentis internis, vt & externis, permiſcent: Cum enim aurum cum hydrargyro tantum habeat cognationem, vt hoc ab illo imbibatur, fieri poteſt vt ſi id in corpore reperiat, cum eo vniatur, & tandem excernatur per alvum: Nonnulli docent hydrargyrum ſudoribus è corpore ſic elicere vt inſtar arenæ corpori adhæreat, & poſt aqua ablui poſſit: Ægrum diebus alternis in balneo ſicco lavare jubent, vno die affuſo vino ignitis lateribus, in quo ſalvia & abſynthium cocta ſint: altero thure carbonibus injecto, ægrumque, dum balneo egreditur, aq. vitæ cum meliſſa deſtillata fricant, idque diebus xiv. continuant. *Sennertus.*

IV. Frequens ablutio manus ex frigida maximè nocet, ita vt non ſolum tremorem foveat, *ſed etiam* generet: vtatur aq. tepida pro lotione, nec nimium calidis aut frigidis, ſed decoctione ſalviæ & florum ſtœchados cum radice galangæ. *Rondeletius.*

IV. Tremor à potu aquæ è nive reſolutæ, curatur balneo calidiſſimo, in quo æger moretur donec bene ſudarit, poſtea vtatur cibis & inunctionibus calidis. *Sennertus.*

TRICHIASIS.

Curatio.

QVidam declinantis ætatis viij. ann. ſpatio lentam pituitam per vrinam excernens, vix præſervari potuit quin filamenta longa & alba ſæpe cum mingendi difficultate excerneret; adhibita præſidia non profuere, nam triduo pilos, palmi longitudine, craſſos & duros excluſit, qui à mucoſo humore aduſto & retorrido ortum ducebant: Viſis his Balneum adminiſtrator; datur ſerum lactis caprini,

cum

cum julep violac. vel roſac. chalybis ſuccus in vinum ſolutus adhibetur ad ℥ß. cum ℥ij. aq. alkek. bis ictiis ope aq. ſtillat. terebinthinæ per menſem ſumptæ in totum eſt levatus. *Zacutus Pr. adm. l. 3. Obſ. 72.*

TVMORES P. N.

SYLLOGE.

(Vide *Inflammatio lib. ix. Abſceſſus lib. 1.*)

Critici *non repellendi.* 1.
Non ſanguinei *ad ſuppurationem aliquando deducuntur.* 12. a
In bilioſis *aliquando ſuppurantia nocent.* 12. b
In frigidis *aliquando valent veſicatoria.* 10.
Tumorum non ſuppurabilium curatio per ſcarificationem. 27.
Oedematoſi *aliquando incurati relinquendi.* 2.
Extremum eorum remedium. 3.
An repellendum. 17.
Molles in cranio aut lumbis caute attingendi. 18.
Scirrhi *caute emolliendi.* 11. b
Lactis aſinini vis. 14.
Non omnes eodem modo curandi. 13.
Non omnes duri tumores ſcirrhi cenſendi. 16.
Tumor ſcirrhoſus ſubdita cariei correctione curatus. 15.
Tumores cyſticos *curandi ratio.* 19.
Circa Melicеridem *cautiones.* 20.
Circa Steatoma. 21.
Circa Atheroma. 22.
An exempta tunica conſuenda plaga. 23.
Atheromatis *frontem deturpantis Chirurgia.* 24.
Steatomatis *ſub mento extirpatio.* 25.
Sarcomatis *vera generatio & curatio.* 26.
Meliceris *medicamentis diſcuſſa.* 6.
Tumores tunicati *caute reſecandi.* 4.
Lupia *frictione pertinaci curata.* 8.
Natтarum *ablatio non ſemper neceſſaria & tuta.* 9.
Teſtudinis, *ſive* Talpæ, *ſi magna comes cranii corruptio, curatio an ſuſcipienda.* 29.
Ganglium *inſigne ab inguine ablatum.* 30.
Nattæ *in capite auferendi ratio* 30. a
Fungi *non eodem ſemper modo curandi.* 32.
Erodentia iis non conveniunt. 33.
Aquoſi *Frontis* tuberculi *curatio.* 34.
Tumoris in Genis *curatio.* 37.
Mammæ *tumor admota cicuta curatus.* 35.
Abdominis *tumorum in omento, meſenterio &c. curatio.* 36.
Lumborum *tumor ob apertionem lethalis.* 38.
Axillarum *tumores caute reſecandi.* 31.
Inguinis *tumor, à teſticulo ibi concluſo, alterius ſpeciẽ tumoris ideam prabens.* 28.
Genuum *tumores quomodo curandi.* 39.
Prudenter ſcarificandi. 40.
Genu tumor *apertus ventum non pus emittit.* 5.
Veſicatorio curatus. 10.
Tumores circa articulos *pertinaci remediorum uſu egent.* 21. a.
Pædarthrocaces *curatio.* 41.
Nodorum calloſorum *curatio.* 42.
Tumor Tibiæ *phlegmonodes venæ ſectus genua apertis ſublatus.* 43. 44.
Venarum ad partes tumidas &c. turgentium apertio. 45.
Pedis tumor *fonticulo ſupra genu excitato curatus.* 46.
Clavorum *in pedibus curatio.* 47.
Tumido Scroto *laxantia nocent.* 7.

I. CRiſim imperfectam vidi in D. N. qui laborans per menſem gravi continua tertiana, tandem *Tumore ſiniſtri pedis uſque ad genu* dolorifico prehenditur: hic, abſente Medico, inunctionem repellentem, & cataplaſma ex farina ſeminis lini, poſt expreſſionem olei reſidua, mox in principio adhibet, quo ipſo naturam in expellendo perturbat, ut materia peccante poſtadmodum impacta, poſt ſemeſtre vix variis reſolvi potuerit. *Gr. Horſtius Obſerv. 24. l. 1.*

II. *Pedes & crura* aliquando *Oedematoſo tumore* intumeſcunt: hujus morbi cauſam novam adſcribendam puto roboratæ viſcerum ac totius corporis habitus expultrici facultati, quæ redundantia pituitoſa & ſeroſa excrementa, ſuapte natura deorſum tendentia, ad crura & pedes, tanquam ad partes & procliviores & infirmiores detrudit: Novimus enim ratione, & quotidiana experientia, pedes & crura interdum intumeſcere, iecore probe valente, ob cauſam dictam: præterquam quod per ſimplicem congeſtionem, citra omnem fluxionem, & pedes, & crura, & aliæ partes, in varios tumores, & præſertim frigidos attulli poſſunt: In ejuſmodi tumoribus crurum, multum & diu tumentium, inciſiones & ſcarificationes, ſinapiſmi & veſicantia quam maxime ſuſpecta; quandoquidem calor in cruribus ſic affectis conſtare nequit; atque inſigni factâ inciſione, promptius etiam, una cum aquæ & ſpirituum profuſione exhalat: huc accedit, quod cum extranea humiditate inſignis ſiccitas ob alimenti inopiam inducta ſit: ex inflictis vulnuſculis, dolor, ſolutæ unitatis & auctæ ſiccitatis ſoboles, inflammationem accerſit, hæc gangrænam, cui ſphacelus ſuccedit, calore jam debili pereunte. *Zecchius conſult.* 20.

III. Ejuſmodi *Tumores Oedematoſi* ſi remediis abſorbentibus non diſcutiuntur, requirunt extremum remedium, à *Ben. Faventino* propoſitum, Cauteriſare membra & ejuſmodi cum actuali cauterio pluribus in locis: Ipſo enim extrahetur non ſolum aquoſitas plurima, talem progignens affectionem, verum etiam membra exonerata confortabuntur, ut inde nutrimentum melius concoquere valeant & ſuperfluum ſecernere. *Foreſtus lib. 3. de Tum. c. 1.*

IV. Aliquando materia ſive melliginea, ſive pultacea, ut in *Meliceride & Atheromate*, intra cyſtin continetur: Cum tale quid curandum occurrit, elevanda cutis eſt, eaque incidenda vel ſimpliciter vel cruciatim (cum ſcil. tumor eſt ingens & in loco non admodum oculis obvio) eademque poſtea circumquaque lato ſpecillo, aut manubriolo ſcalpelli, aut indice digito ſeparanda, donec integer folliculus appareat, qui tum circa pedunculum reſecandus, ligato prius arctè vaſculo tumorem nutriente: Notandum autem valde circumſpectum debere eſſe Chirurgum in hac operatione; nam ſi contingat lædi folliculum, non ſolum effluit contenta materia, ſed etiam pro certo recidivam facit niſi catharetcis abſumatur: Sæpe tamen in tam anguſto loco poſitus eſt tumor, & pellicula adeo tenuis, ut minimo attactu diſſiliat, Hoc in caſu

Aquapendentis eſt conſilium, vt recentem folliculum ſtudeamus ſeparare latiori inſtrumento, antequam iterum cuti ſe validè conjungat, tunc enim ad medicamenta confugiendum. *I. van Horne Microt. pag.* 201. *Meliceridis in angulo majori oculi ad pupillam pretenſa, multis remediis fruſtra curata, magna arte cum folliculo ſecta & extirpata illæſo oculo, exemplum vide apud Marchetti Obſerv.* 2. *Alterius in ore ad fauces extenſa ſectionem Obſ.* 31. *Item in collo prope aſperam arteriam Obſ.* 35.

V. Mulier 30. ann. ab 8. menſibus *tumorem* patiebatur *inferiore femoris parte & in genu*: nullus rubor aderat, ſed dolor infeſtabat vt claudicare cogeretur, multis remediis reſolventibus adhibitis tumor in eodem ſtatu permanebat: Tandem duobus in locis, parte ſcilicet interna & externa, elevatio ſatis inſignis apparuit, eaque circumſcripta cum mollitie & fluctuatione, ita vt purulentam materiam adeſſe omnes exiſtimarent: Admotum eſt cauſticum potentiale parti magis tumenti, quæ erat exterior, poſt ſcalpello exciſa eſchara, & aperto tumore flatus quidam emanavit & nihil aliud. *Zacutus* l. 2. prax. adm. obſ. 178. ſimile habet exemplum, vbi ex Gal. & Avic. docet hujuſmodi tumores in genu ſæpe à Medicis aperiri, pus intus latere exiſtimantibus, nihil tamen aliud quàm flatuoſum ſpiritum egredi. *L. Riverius cent.* 3. *Obſ.* 15.

VI. N. M. conqueſtus eſt de moleſta *melicerids* in dextro humero, quam præparato & purgato prius corpore reſolvi appoſito cerato Diaſinapios ab Aquap. cap. de melicer. deſcripto, & à Spigelio ita correcto: ℞. *Salis gemmei, litharg. auri, ceruſſa, ana.* ℥iv. *ceræ & terebinth. ana.* ℥ij. *galbani, opopan. ana.* ℥ß. *ſinapi pulv.* ℥ij. *olei vet.* ℥iv. *aceti acerrimi q. s. f. l. a. Ceratum molle.* Hujus quoque cerati peculiarem contra meliceridas efficaciam experta eſt mulier, quæ melicerdi in dextro genu enatæ, & ovum anſerinum magnitudine æquanti, applicuit idem ceratum, quod menſis ſpatio tumorem, & quicquid primis diebus, ob neglecta vniverſalia, fuit attractum, integrè diſcuſſit. *Scultetus Obſerv.* 66.

VII. *Tumori in ſcroto* laxantia non conveniunt, duplo enim major exinde tumor fiet. *I. Walæus meth. p.* 154.

VIII. Filius N. *Lupiam* magnam habebat pugni majoris magnitudinem æquantem, juxta ſpinam dorſi, ſub homoplata, quæ hæc methodo curata fuit: Inſtrumentum comparavi ex fraxino vel quercu, aut alio ligno denſiori, ad exiguæ molæ figuram efformato, quali pictores colores in marmore conterere ſolent: Eo que lupiam confricabam & conterebam bis in die, per dimidiæ horæ ſpatium: deinde cataplaſma emolliens & ſuppurans valde calidum admovebam, idque continuando per 4. aut 5. dies, lupia in ſuppuratum abiit, eaque aperta pus effluxit liquidum, ac deinceps tota materia in lupia contenta, in pus converſa, evacuata eſt, & vlcus ad cicatricem perductum; Attritione prædicta inſtrumento ligneo facta, cyſtis lupiæ rumpitur, & materia contenta attenuatur, atque in particulas dividitur, vt facilius concoqui valeat: Loco cataplaſmatis, panis calens è furno, per medium ſectus, vtiliter adhiberi poteſt. *Samuel Formius ad L. Riverium Obſ.* 25.

IX. *Natta* pleræque in carnoſis partibus oriuntur, & cuti mobiles mulleſque inhærent: Partibus alimentum non ſubtrahere obſervavi, præſertim in capite enatas: nec ſemper putreſieri, ſed tamdiu partibus ſolis inhærere quamvis vita eſt: Avus meus maternus in occipite innoxiè vltra 60. annos geſtavit Nattam, globoſam, nudam, mollem & mobilem: Semel aperiri juſſit, pus exiit: Rediit poſt paulò, & exinde intactam ſemper reliquit: Notavit Greg. Horſtius l. 4. p. 2. Obſ. 14. Nattam in quodam radicitus infra nucham feliciter ablatam fuiſſe, ſed ſenſim viſum hebetiorem factum, & augeſcente in dies malo, omni pene videndi vſu privatum: Nuper erumpentes ſi dentibus leviter comprimantur Nattæ, ſenſim marceſcunt & pereunt: Quod bis obſervatum *Patavii*, ſemel in Nobili fœmina, cujus erumpentem Nattam dentibus vicina mulier apprehendit: Alij filo conſtringunt, intercipiuntque nutrimenti affluxum. *Th. Bartholinus cent.* 3. *hiſt.* 40.

X. Emplaſtro veſicatorio, quod in noſtris officinis habetur, ſolo & impermixto *Varandæus* feliciter vſus eſt, curavitque magnum & contumacem *Tumorem genu occupantem*, Cum alii Medici multas purgationes & diætam ſudorificam, nec non topica multa fruſtra vſurpaſſent: *Sennertus* ſic vtitur, ſed anodynis permiſtis, in dolore diuturno & contumaci, à materia præſertim frigida oriundo. *Riverius Pract. l.* 16. c. 1.

XI. *a* Puer ex variolis contraxerat *tumorem* ex materia pituitoſa & flatulenta circa *malleolum ſiniſtrum*, qui videbatur abſceſſum minari: Cæterum cum hujuſmodi apoſtemata circa articulos ſint difficilis & longæ curationis, & nonnunquam nervos ipſaque oſſa erodant, conſtitutum fuit inter nos omnibus modis tentare an materia incluſa poſſet per inſenſibilem evacuationem evacuari: applicuimus igitur cataplaſma ex farina fabarum, lupinorum, lolii, pulv. florum chamomillæ, ſambuci, meliloti, baccis lauri ſemine aniſi, cumini & ſim. coctis cum lixivio ſimplici & ſapa, addito ſale: Ad 15. aut 18. dies abſque ſucceſſu applicuimus hoc cataplaſma, tandem excalefacta materia in loco affecto, ſubito pruritus & herpes puſtuloſus aut miliaris ſupervenit: quare per diem vnum aut alterum vſum cataplaſmatis intermiſimus, & locum affectum vnguento albo *Rhaſis* inunximus, & vt puer pro libitu pedem confricaret ipſi permiſimus: & poſtquam ex puſtulis multum humoris effluxiſſet, imminutus eſt tumor circa articulum: *conſolidatis* puſtulis iterum cataplaſma applicuimus, donec denuo exortæ ſint puſtulæ, quas vt ante exſiccavimos, iterumque cataplaſma applicuimus: His per vices mutatis, tandem feliciſſimè ſanatus fuit affectus tam rebellis: Hæc ideo adſcribo, ne Chirurgus toties mutet medicamentum quoties ſucceſſus non ſtatim ſequitur: frequenter enim apud pueros & imbelles tempus requiritur antequam natura medicamentum de potentia in actum deducat: Ideo ab inſtituto non deſiſtendum, ſed naturæ motus expectandus. *Fabritius Hild. cent.* 5. *Obſ.* 58.

XI. *b* In *partibus induratis* perpendendum an tantum aliquam ex tribus ſpeciebus duritiei obtineant, an commixtam ſecum habeant tenuium acrium & erodentium ichorum fluxionem, cujus ratione degenerat in vlcus Scirrhoſa durities: Cui vſui deſerviunt quidem quæ emolliunt, cæterum admixtis mineralibus, aut oleo de mandragora, quorum ratione acres humiditates attemperantur, & ebibuntur ſenſim & lente: In quibus etiam cavendum ab iis quæ vehementer emolliunt, aut medicamenta ſecum habeat medicamenta tenuium partium, nam hæc calore & tenuitate promptius rarere

cogunt

cogunt hujuſmodi ichores, & in exulcerationem degenerare, quam poſtea vllis auxiliis cedere nuſquam viſum eſt. *Mercatus de Indic. med. lib. 2. cap. 6.*

XII. *a* Plurimi putant cauſam materialem puris ſolam eſſe maſſam ſanguineam: Dicimus autem nos ex *Gal.* & ſanguineos humores in pus converti poſſe, & cætera excrementa, quamvis majori cum difficultate: *Gal. 7. aph. 38.* ait xx. diebus ſuppurari in thorace quod fluit à capite, at id eſt phlegma putum. *Hippocr. & Gal. 1. prorrh. t. 35.* loquentes de tumoribus factis à frigidiſſimis humoribus, dicunt humores frigidos tractu 60. dierum ſuppurari ſi locus calidus ſit: in pedibus enim & brachiis, ob diſtantiam à fonte caloris, nonpoſſunt vllo tempore ſuppurari: Hinc colligere poſſumus quando fieri poſſit pus, & quando non; Si enim fuerint humores calidi & vires robuſtæ, non fiet pus: ratio eſt quia humores calidi tranſpirant & vires fortes expellunt inſenſibiliter. *Sanctorius.*

XII. *b* Hic notatur error eorum qui *Tumoribus bilioſis*, robuſta exiſtente virtute, admovent ſuppurantia ex lacte, farinis & ſimilibus, quibus occluduntur pori, detinenturque acres vapores, deterntique adeo efferæs evadunt, vt partem læſam vel exedere incipiant vel deſtruant, eaque in gangrænam deſinat; *Sanctorius meth. lib. 8. c. 15.*

XIII. Si ab humore melancholico ortum habeat *Scirrhus*, cautius tractandus eſt quam ſi à pituita, ne in cancrum abeat: & præſertim ſi ad ſuppurationem vergat: Cavendum ne calidis medicamentis nimium vtatur. *Sennertus.*

XIV. Pro *duritie emolienda* lac aſininum conducit, quod tantum abeſt vt obſtruat, quin potius exſiccatis obſtructionibus præſentiſſimum remedium habetur ab Aëtio, Avicenna & omnibus in arte peritis: caſeoſa enim & butyroſa ſubſtantia careſet, pingui vero & quodammodo vnctuoſa adhæſet, ſeroſa penetrat, & ita emolliendo exſiccatas & pertinaces obſtructiones vincit atque expugnat. *Fortis conſult. 45. cent. 3.*

XV. Matronæ quadragenariæ vehemens lateris ſiniſtri dolor cum febre lenta & extenuatione totius: Ego id explorans *tumorem ſuppuratum* magna inciſione cruciatim aperui, vnde puris valde inæqualis & fœtidi vaſcula duo extraxi: eo vacuato tres coſtas reperi in extremitatibus carie valde infectas, quas neceſſe fuit amputare trium digitorum tranſverſorum longitudine, admoto poſt earum extremitatibus cauterio actuali: Natura provida ſub carie pleuram multa carne munierat: Matrona victu analeptico & lacte reſtituta eſt. *Dom. N.* tumorem ſcirrhoſum à longo tempore patiebatur in latere ſiniſtro ſupra coſtas veras, 5. 6. & 6. cauterio actuali tumor apertus fuerat, vnde pus exiguum dolore remanente graviſſimo: Ego vlcus animadverti volæ manus magnitudinem æquans, & coſtas ſubjectas carie affectas, pluſquam dimidium earum penetrante: Præmiſſis vniverſalibus coſtarum extremitates amputavi 4. digitorum tranſverſorum longitudine, admoto poſt extremitatibus cauterio actuali: tandem pulveribus catagmaticis partium exuſtarum exfoliationem procuravi, remediiſque detergentibus & incarnantibus vlcus ad cicatricem perduxi. *Ozias Aymar. Obſ. 3.*

XVI. Ad Scirrhi generationem longum requiritur tempus, ideoque ſi recens eſt morbus (*cum duritie*) vix ſcirrhoſis tumoribus eſt annumerandus: Sæpiſſime mihi occurrunt tumores rotundi, tactu duri & doloris expertes, in quibus nihil reperitur præter aquam, quæ duriſſima membrana continetur. Horum Tumorum vnum hoc menſe ex abdomine puellæ novem annorum exſcidi, quæ convaluit. Oriuntur item Tumores ex pituitoſis humoribus, qui nihilominus tactu ſunt duri: Nuper in Matrona tumorem, ex contuſione ortum, ad carpum dextrum curavi, qui adeo durus erat vt ab omnibus Scirrhus exquiſitus judicaretur; aperto tumore humorem lardo non abſimilem ex eo extraximus, qui aëri expoſitus intra 24. horas in lapillos concrevit: Membranam quoque poſtea extraximus denſiſſimam: In hujuſmodi autem tumoribus membrana extenditur humore, non ſecus ac inflata veſica, quæ & tactu dura percipitur, quamvis nihil præter flatum contineat. *Fab. Hildanus Epiſt. 10.*

XVI. *a* In *Tumoribus* qui ad ſuppurationem pervenerunt, atque ex ſanguine ortum ducunt, hæc duo obſervemus monita 1. danda opera vt imus ſinus exitum habeat, ne quis humor intus ſubſidat, qui proxima & adhuc ſana rodendo ſinuet. 2. attendendum ad ſitum fibrarum in ſubſtratis muſculis, ne illas lædamus: Sed patitur hæc regula exceptionem in *flexura majorum articulationum*, vt inguine, poplite, cubito, quia oportet ſtudere vt per eorundem complicationem labia ad ſe mutuo accedant, tranſverſim itaque potius ibi ſecandum: Modus ſectionis, qui à peritis Chirurgis obſervatur, optime exprimitur ab *Aquapendente*, nimirum ut ſcalpelli cuſpis immittatur vſque dum ad cavitatem perventum eſt, tunc vero cuſpide ſcalpelli oppoſitus locus perforandus, deinde retro ſcalpellus retrahendus, & inter duo foramina cutis interſtitium ſecandum. *Van Horne micrat. pag. 199.*

XVII. *Tumores* vero collectiones duntaxat extumeſcentes ſine ſuppuratione, *Abſceſſus* vero Tumores ſuppuratos, aut Suppurationes: In his niſi ad gangrænam labentibus non conſuevere Medici noſtri temporis ferro & ſcalpello vti: quippe timidiſſimum genus ne per ſomnium quidem concipiunt detrahere ſanguinem, nam quæ inſania aut doloribus affligere hominem, aut inflammationem ac novam aggerare? Sed nos tamen, & à veteribus docti, & ab vſus quotidiani experimento confirmati, in quamplurimis conciſionem & ſcarificatum adminiſtrare ſæpiſſime conſiſi ſumus, & in Tumoribus non Medioeriter: Authoritate nitimur *Dictatoris* l. de vlcer. *Sin minus*, inquit, *pertundere Tumores oportet profundioribus ac frequentioribus vulnuſculis impactis, ſed & in aliis omnibus qua pertundis; atque hoc acutiſſimis & tenuiſſimis ferramentis ſic facere oportet: Et lib. 7. Epid. Perniones pertundere oportet. &c. Severinus med. Effic: pag. 74.*

XVIII. Infans natus cum inſigni *Tumore in lumbis*, quo adaperto effluxit frequens aqua, ſed ſimul vita; qua ſublata vidimus ſpinæ vertebras laceras & nervos ſpinæ per tumorem diſperſos: Noterit Chirurgi periculum hoc in lumbis animadverſum, vtique evitandum in molli illo tumore qui inſidet nonnunquam dilatatis calvariæ ſuturis, in quem novacula directa lædit facillime cerebrum illac diffuſum: confuge potius in tumore tam ancipiti ad emplaſtra diſcutientia quam ad ſectionem. *Tulpius l. 3. c. 29.*

XIX. Quoniam è *cyſticis abſceſſibus* vna *Meliceris* curationem per diſcutientia ſibi prærogat. Septica vero expoſcit Atheroma, de horum delectu dicendum. Quod ad Meliceridem,

ſutura conficienda, nimirum quia vulneris cruenti ratio conglutinatum exigit ſui ipſius? Determinatio non ita facilis, nam ſi magnitudinem conſulas, & ſecundum hanc requiri ſuturam velis, parvus quidem hiatus ex plaga ſolis medicamentis conglutinantibus contentus eſt; Si magnus eſt ſinus, quantum quidem amplitudo vulneris adjumentum conglutinandi requirit, tantundem etiam difficultatis cohibet & ambiguitatis, ne fornice aliqua relicta per antiquum cutis habitum, ex ante ſubſtrata materia abſceſſus falſus fiat & irritus coalitus, Itaque neceſſum eſſet evagantem & cohærentem cum carne cutim prius abſcindere, deinde conſuere: Sed hoc ſæpe homines qui tractantur, doloribus multis pertæſi non concedunt: poſſunt autem ſi conceſſerint ſutura uti: Liberam autem et conſuas vel abſtineas poteſtatem fecit Aëtius qui, inquit, peracta opera vulneris labia ſuturis conſtringuntur, ut melius glutinentur, aut linamenta profunda indantur, & curatio ad putis generationem adhibeatur: *Idem cap.* 27.

XXIV. Cuidam tumor in medio fere muſculorum interſtitio oriebatur: Huic cutis, quæ Atheromatis folliculum tegebat, duplicata tranſverſim & inciſa ſcalpello falcato, circa quam inciſionem duo notanda fuere, 1. quod Chirurgus in anatomicis diſſectionibus exercitatus, cutem neque duplicet, neque ſcalpello falcato incidat, ſed digitis expanſam, vel ſcalpello ancipiti, vel alio, ſi manu ſuſpenſa detinentur, facile ſecet citra læſionem folliculi. 2. Quod alias inciſionem frontis tranſverſam conſiderabiles ſequantur affectus, fibræ enim muſculorum frontis tranſverſim diſſectæ importunum ſuperciliorum in palpebras caſum cauſant. Quia tamen noſter tumor in medio fere muſculorum frontis interſtitio oriebatur, ſectio tranſverſa pauciſſimas muſculi dextri fibras lædebat, eam nulla ſequebatur aut paralyſis aut alia affectio quæ palpebrarum elevationem aperiret. *Scultetus Armam. Tab.* 34. Plura de amputandi & ſeparandi tumores tunicatos ratione vide apud eundem Tabula 55. fig. iv. Editionis Francof. 1666.

XXV. Matrona ſub mento tumorem gerebat mobilem inſtar nucis avellanæ: nolebat admittere ſectionem, quare diſcutientia adhibui, 1. factus minor Tumor, ſed mox priorem recepit magnitudinem: applicui hinc fortia maturantia, quorum continuo uſu aperta cutis exiguo foramine, dilatavi vulnus cum rad. gentianæ; deinde tumorem (quia nec dum dilatari vulnus ferro patiebatur, ita enim materia tota cum veſica, in qua concluſa erat, potuiſſet eximi) ſe prodentem aperuimus: nihil egreſſum eſt materiæ, ſed compreſſione tandem facta fortiori, egrediebantur filamenta quædam, qualia in cauda cancrorum mediâ inveniuntur, & ipſa veſica apparebat flaccida, quia ergo ex ejus retentione metuebamus novæ materiæ generationem, facta compreſſione forti partium circumjacentium eandem quadantenus extra propulimus, propulſam filo ſerico ligavimus, vulneri unguentum maturativum infudimus, ita tandem filo extra vulnus pendente ipſa veſica ſeparata extracta eſt: quia vero caro quaſi verrucoſa videbatur fundamentum veſicæ fuiſſe, hanc cauſtico potentiali, cum ungu. ægyptiaco miſto caſtigavimus, hinc vulnus conſueto modo conſolidavimus: Tumor ab eo tempore non rediit, cicatrix etiam vix videtur vulneris. *Dan. Wincler, miſcell. Cur. anni* 76. *Obſ.* 33.

XXVI. *Sarcomatis* vera generatio, me judice, hæc eſt: Oſcula arteriarum muſculorum nutritioni dicatarum plus juſto nonnunquam aperiuntur, ſive id per caſum fiat aut ictum, ſive per cauſam internam, in plethoricis imprimis, & partibus indebite motis: Extravaſatum ſanguinem calor nativus in carnem convertit, at vero cum tantum nutrimenti ſimul haud exigat membrum, hinc eſt quod in altitudinem præter naturalem excreſcat; ſanguis hic ſi quidem impurior, bilis dolorem, pituita viſciditatem, melancholia duritiem cartilaginoſam producit, & humoribus hiſce etiam debetur quod caro hæc præternaturalis ſit flava, alba, aut livida magis: Raro veſiculæ propriæ includitur, niſi ubi pituita magna ex parte eam conſtituit, & talis tumor collo gaudet, aut ſaltem filo effici id poteſt: Venæ pro tumoris incremento etiam increſcunt, adeo ut etiam ſub cute pollicis craſſitie ſe exhibeant: In ſe malignus haud eſt, talem autem non raro curatio male inſtituta efficit: aër hic plurimum noxæ affert, ubi tumor illi exponitur: Medicamenta optima vulgo reſpuit & hiſce etiam invitis tumor magis ac magis increſcit: Imo rariſſime curabis, niſi vel filo, vel cultro, vel utroque eum abſtuleris: In principio curatio eſt tentanda medicamentis fortiter adſtringentibus & repellentibus: adhibentur quoque vincula leniter ſtringentia, præmiſſa applicatione laminæ plumbeæ, aut empl. diachalcit. de Ranis cum Mercurio, aut ſeq. ℞. *cort. granat. rad. biſtortæ an.* ℥j. *ſcoriæ ferri, argent. vivi, plumbi uſti ana.* ℥ſj. *boli Arm. lapid. hæmatit. ana.* ℥ß. *terebinth. & ceræ q. ſ. m. f. ſ. a. Empl.* Purgatio interim, venæ ſectio, ſcarificatio, hirudinum applicatio, ſuis locis non negligendæ, Sudoris quoque provocatio, vigiliæ atque inedia plurimum conferunt: Quod ſi media hæc omnia reſpuat Tumor, augmentum in dies ſumens, ſuppurantia applicari poſſunt: Hiſce paucorum dierum ſpatio nihil efficientibus, & tumore in eodem ſtatu permanente, Cauterium actuale adhibeatur: neque nos turbent perverſa minime cordatorum Chirurgorum, circumſtantiumve judicia, nam ejus uſu ad longum temporis intervallum tumoris accretio ſiſtetur, imo aliquando totum eradicabitur malum: Quod ſi caro præter ſpem propullulare rurſus cœperit, filo aut cultro perficiendam extirpationem aggredi & differre Chirurgus non debet: Filum hic aſſumatur & tenue & forte: bis hoc collo tumoris circumducatur, factoque nodo duplici, repetatur conſtrictio hæc eodem die, imo inſequentibus etiam aliis, uſque dum colore, tactu vitaque tumor privatus, quod ut die vij. aut viij. peractum ſit requiritur: Cultro tunc falcato is auferatur, quod factu faciliimum, cum nec dolor magnus, nec hæmorrhagia gravis metuenda: Mortificationem tumoris hujus accelerat uſus fili aqua mercuriali aut arſenicali madefacti, at corpus hic requiritur phlegmaticum, in aliis enim dolor atque inflammatio adeo affligunt ægrotantem ut rarum hic filum hoc, brevi effluxo tempore, non tolli: Poterit tamen Chirurgus ad ſymptomatum mitigationem, atque refrigerationem, partem eam quam filum at-

tingit, vnguento albo camphorato, roſarum aut ſimili, penicilli levioris ope inungere: animo ſuo interim ægrorum alterum altero magis patientem eſſe animo revolvens: Cultro ſolo quod ſi vti placeat, vt totus auferatur tumor ſumma ope vtendum, vel alioquin ab ipſa operatione abſtinendm, niſi maxima ſibi reliquias medicamentis conſumendi ſpes affulgeret: Interim prudenter ſibi caveat Chirurgus ne vaſa majora diſſecet, quo fluxum ſanguinis ſedare poſſit. *Barbette Anatom. Practica cap. xi.*

XXVII. Topica initio in Oedemate mediocriter repellant: nam humor efficiens *Oedema* cum ſoleat eſſe craſſus, medicamentis valenter repellentibus nimis impingeretur, non enim facile retrocedit, quanquam ſolet permiſceri ſerum ſanguinis veluti vehiculum: Sed hic de vero Oedemate loquimur, ea naturali pituita ſupervacanea genito, non de eo qui fit ea crudiore pituitoſoque ſanguine) in quo initio repellentibus vtimur, potius ad partem confirmandam quam ad humorem propellendum, quibus etiam diſcutientia miſcemus: vt cum oxycratum ex duabus aceti partibus, & vna aquæ in corporibus durioribus admovemus: eo ſpongiam novam, vel præparatam aphtonitro, vel aliquo ſalis genere imbuentes: nam acetum nonmodo repellit ſua frigiditate, ſed incidit & tenuat, & ſua ſiccitate reſolvit: ſpongia quoque vel nova vel præparata reſolvit: *Chalmeteus Enchir. pag.* 46.

XXVIII. Infans octo menſium *Tumore Inguinum* laborabat, quem vt ad ſuppurationem deducerem cum me conſuluiſſet parens, varii generis medicamentis fruſtra antea tentatam, obſervavi Teſticulum alterum inguine delitеſcentem, hoc indicio quod alter ſcroto incluſus eſſet, parte oppoſita, vt propterea author fuerim ab omni poſthac remedio abſtinendum, cum non tumor ſed teſticulus eſſet, qui ſpatio poſtea ſeptem vel octo menſium in ſcrotum prolapſus, vt ſectione opus non fuerit, quam Tonſor parabat. *Marchetti Obſerv.* 58.

XXIX. *Teſtudo* ſi cum cranii corruptione fuerit, *Guido* ſentit cura ficta eſſe vtendum, Verum ſi magna corruptio non fuerit, curandus erit affectus quemadmodum fractura cranii, nempe inciſione, deterſione ex melle roſ. terebinth. pulvere ireos, myrrhæ, thuris: Caro putris etii abſumenda ægyptiaco, vel pulvere Mercurii, & reliqua vt in vlceribus perficienda: Si magna fuerit oſſis corruptio, vtendum prognoſtico, niſi velis curatione vti fucata: Idem in cranii corruptione ex lue venerea faciendum arbitror: Vbi enim magna eſt corruptio, erit æger relinquendus: Videatque Chirurgus ne cum exiguam putet eſſe corruptionem, ea tamen magna ſit, quod mihi ſemel accidit, Cum enim cranii corruptionem, quæ exigua videbatur, detrahere tentarem; totum os bregmatis excidit omnino, ita vt craſſæ meningis magna pars, & cerebri motus maxime eſſet conſpicuus; ægrotus tamen evaſit, ſed poſt vlceris curationem, inducta jam cicatrice, cerebri motus adhuc apparebat; Nolim tamen Chirurgo conſulere vt tantam corruptionem ſuo periculo curandam ſuſcipiat, Sed ſi minor corruptio, os modiolo detrahendum, vel radendum, vlcus detergendum, corpus vngendum ſicut in lue venerea, minor tamen ſit hydrargyri quantitas: Eodem enim modo curatur Talpa cum oſſis corruptione, quo oſſis corruptio à Lue Venerea: *Chalmeteus Enchirid. p.* 85.

XXX. Nobili paulatim *Ganglium in inguine* dextro magnitudine capitis pueri excrevit: In conſilium adhibuit medicos & chirurgos qui periculum declarans hæmorrhagiæ, gangrænæ, claudicationis: Ille ſe malle mori ait quam diutius malum ferre, ineptum armis, conjugio: In circulum moles inciditur, circulo longius ab inguine & ſcroto circumſcripto: deinde ad membranam tumor paulatim exſecatur, paulatim quoque pellis ſeparatur quæ eſſet verſus radicem; venæ & arteriæ vt detegebantur, contra hæmorrhagiam ligabantur, Evulſa moles cum tunica, glandulоſa, albicans, intus ſine ſanguine & carne, à ſuo pediculo facile ſeparabilis: Iam ſaneſcente vulnere febricula, oris amaror, ſanies fœtida, dolor in altero inguine, at ſoluta alvo liberatur. *Hollerius.*

XXXI. In excíſione atque extractione *Tumorum axillarium* leniter & paulatim procedendum eſt, dum enim ſive forcipe, ſive quovis alio modo Tumorem attrahimus atque ſeparamus, muſculi reſpirationi inſervientes ſimul attrahuntur, hinc reſpirationis interceptio: Id quamprimum animadvertitur paululum ab opere deſiſtendum, quo vires recolligantur: Frigida quoque & valde repercutientia bis in locis applicanda minime ſunt, ne materia ad pleuram aliaſve partes repellatur, ibique inflammationes excitet. *Fabricius Hild. cent.* 2. *Obſ.* 79.

XXXII. *Fungi ex membranis cerebri* frequentiſſime propullulant, attamen etiam in aliis diverſis corporis partibus, propter maximum humorum confluxum ex toto corpore, & quidem ſumma naturæ providentia, inquit *Hildanus cent.* 2. *Obſ.* 19. Cum enim nihil magis inimicum ſit nervis quam injuria aëris, præſertim frigidi, natura quæ ſemper intenta eſt individui conſervationi, ejuſmodi excreſcentia partes nervoſas & membranoſas ſauciatas & detectas tegit, ne nervi tum ab aëre tum inter curandum vulnus lædantur: Illorum autem curatio exſiccatione incipienda, & eroſione vel exciſione abſolvenda: Medicamenta quæ exſiccant ab initio *ſunt* tutiora quam erodentia vel ſeptica: Ea enim in vulneribus capitis mortem accelerant, in vulneribus vero articulorum dolores, inflammationes & alia graviſſima ſymptomata excitant: Et cum ſummo naturæ beneficio excreſcentia hæc in commodum ægri ſit procreata, non eſt abſumenda ab initio, donec nervi & partes membranoſæ carne ſatis fuerint tectæ, vt amplius ab externis injuriis lædi non poſſint: Sedato dolore, & remiſſa inflammatione, & reliquis ſymptomatibus, ſi fungoſa excreſcentia non remiſerit, exſiccantibus deprimenda, ex quorum cenſu ſunt rad. ariſtol. rot. iridis Flor. angel. folior. ſabinæ, roriſmar. &c. Hiſce per aliquot dies applicatis ſi Fungus non imminuatur, & in carne exiſtat, exedentibus curari debet, alumine vſto, vitriolo vſto, Mercurio præcip. pulvere tenus inſpergendo, poſtmodum applicandum eſt cataplaſma: Vel facta ligatura, quæ cum filo corroſivo, vel ferro fit, exciſio inſtituatur: quo facto Pulveres ex prædictis exſiccantibus inſpergi poſſunt. *Fridericus Hofmannus m.m. lib.* 2. *cap.* 2.

XXXIII. In *Fungorum* curatione medicamenta

dicamenta exſiccantia tutiora ſunt quam erodentia, cum erodentibus materia facile exaſperetur & cancri naturam induat. *Sennertus.*

XXXIV. Guidam *dextro frontis promontorio* menſes aliquot eminebat lata baſi nucis avellanæ magnitudine, cuti concolor, molle ac velut inflatum *Tuberculum*, ſponte natum, Tactu quidem compreſſum cedebat, ſubitoque in priorem ſpeciem vertebatur ſine dolore, non tamen hinc inde mobile deprehenſum, nec increſcere: Itaque ratus ex iis eſſe tumoribus qui ferro verius exſtirpantur quam medicamentis diſſolvuntur, ſcalpello ſubtili cutem oblique incidere jubeo; dictum factum, non ſanguis effluxit, ſed perexiguus humor limpidus, qualis oculi vitreus procidit in dexteram laborantis, quem impenſe calidum aſſeveravit: Indito mox in vulnuſculum præcipitato, ſupraque injectis quæ inflammationem averterent, quum die ſequenti religaretur, ſpecillo folliculus eximebatur, vulnuſque intra paucos dies tam dextre fuit glutinatum, vt ne minimum reliquerit cicatriculæ veſtigium: Ita plurima initio facile amolimur, quæ neglecta ſi inveteraverint, vix ac ne vix quidem remedijs cedunt; Nec dubium quin tumor hic relictus, demum in meliceridem vel ſteatoma migraturus eſſet, mora craſſeſcente muco. *Ioh. Rhodius Centur.* 1. *Obſervat.* 29.

XXXV. *Mammarum tumorem* imminui appoſita cicuta contuſa ſcripſit *Dioſcorides*, quod verum eſſe teſtatur experientia: quamvis id remedij genus improbetur *Dodoeno*, propter hujus herbæ malignam & venenoſam naturam, quæ mammis applicata nocere poteſt cordi. *Riolanus Enchetr. p.* 200.

XXXVI. *Steatomata in Omento*, Abſceſſuſque nonnulli ſæpius generantur, eo quod pinguedinis hic, glandularumque magna copia reperiatur: Curatio in hoc caſu valde difficilis: Sic meſenterium & ex ſeipſo, & ob glandularum copiam Inflammationi, Tumoribus, Vlceribus, imo corruptioni valde obnoxium eſt: Affectus hi cum difficulter ab aliis diſcernantur, Medicum exercitatum deſiderant, Idem de Pancreate & Liene dicemus, Interim tamen Emplaſtrum hoc, cuius efficaciam in curatione Tumorum partium dictarum non ſemel expertus ſum, communicare placet, *℞. Gummi Caranna, Ammon. ana ℥j. Mercurii vivi Terebinth. extincti ℥ß. miſce f. Empl. Barbette Anatom. Pract. p. m.* 144.

XXXVII. Si *Tumor Genas* occupet, caveat Medicus ne rumpatur, ſic enim à cicatrice ſedes illa formoſitatis deformaretur; Verum enim vero cum non raro diſſipantia maturent, & maturantia diſſipent, ob qualitates ſimiles, fieri poteſt vt præter intentionem Medici ſuppuratio contingat: Si ergo jam facta eſt, trahat humorem peccantem medicamentis debitis, vel introrſum ad os, vel ad illam partem quæ ſub mento eſt ad commiſſuram maxillarum: Nam facilius mulieres ferunt labiorum inciſionem quam cicatricem in genis. *Frid. Hofmannus m. m. p.* 447.

XXXVIII. Paupercula ſeptimo menſe prægnans cecidit ſupina in lumbos, ſed ſine evidenti eurtis noxa, at infans in lucem editus habuit inſignem *Tumorem in Lumbis*, quo aperto effluxit quidem frequens aqua, ſed non minus ipſa vita: qua ſublata vidimus ſpinæ vertebras laceras, & nervos ſpinalis medullæ per tumorem diſperſos: Quam calamitatem ſiquidem reformides Chirurge, caveis improvide vnquam aperias quod tam facile occidit hominem: Notes hic periculum quod hic animadverſum in lumbis, vtique evitandum in molli illo tumore qui inſidet nonnunquam dilatatis calvariæ ſuturis: ut quem novacula directa lædit facillime cerebrum illic effuſum: Confuge potius in tumore tam ancipiti ad emplaſtra & fomenta diſcutientia quam ad ſectionem. *Tulpius l.* 3. *Obſervat. c.* 29.

XXXIX. *Tumores in Genu* admodum periculoſi ſunt difficiliſque curationis, ob muſculorum inopiam, ligamentorum vero, tendinum & oſſium, frigidæ ſiccæque naturæ partium, humiditatem ſufficienter diſſipare haud valentium, magnam copiam: Mediis itaque calefacientibus quamprimum ſuccurramus neceſſe eſt: Imo ſuppurationis ſi quæ ſint indicia, primo tempore abſceſſus aperiatur, ne alias æger in claudicationem, extabeſcentiam & mortem ipſam tandem incidat: Apertionem Abſceſſus plerumque humoris alicuius ſtillicidium ſequitur, curationem valde difficilem reddens: Ad hoc Pulverem reſtaurativum valde commendat *P. Barbette Anat. Pract. p.* 162.

XL. In *Genuum tumoribus* hoc obſervandum videtur, quod ſcarificationes, cum eſt illis opus, prudenter fieri debent, nam omnes articuli ſunt imbecilles, præditi tamen ſenſu exacto; vnde ex ſcarificatione ſequitur dolor & alia accidentia. *Chalmeteus Enchir. p* 173.

XLI. Puella x. ann. poſt variolas tam in brachiis & manibus, quam pedibus *circa articulos tumoribus* infeſtabatur duris, ægre ad ſuppurationem pervenientibus: alii aperti erant alii non, ex apertis ichor ſaltem effluebat tenuis, rarius aliquid puris: dedi decoctum ex rad. chinæ & ſaſſæp. admiſſis herb. ſpleneticis & hepaticis, imo & purgantibus, mihi ad mundificationem ſanguinis familiare: Iuſſi vt vlcera *aqu. calcis vivæ* eluerentur, & rotundæ illinerentur ſequ. vngu. *℞. Vngu. diampomph. ℥ß ſacchari Saturni ʒj. miſce.* Tegerentur deinde empl. gryſeo, Ad tumores duros relictos, tandem præſcripſi Empl. diaphoret. Mynſichti, Ita in integrum reſtituta. *Gott. Chr. Wincler Miſc. Cur. anni* 76. *Obſ.* 100.

XLII. Nob. pavimento *genu* alliſit & *dolorem* ſenſit *ſub patella*, paulo poſt vero excreſcentiam quandam calloſam: Cum tumor non imminueretur à medicamentis, à Chirurgis datis, Ego ſequenti Empl. brevi ſanavi *℞. Empl. diaphor. Mynſichti, de Ammon. Foreſti ana. ℥j. ol. succ. deſtill. ung. ʒj. miſce.* Sæpius tumores duros ad maturationem non aptos hoc Empl. diſcuſſi. *Gott. Chr. Winclerus Miſc. Cur. anni* 1676. *Obſ.* 101.

XLIII. Venarum quæ ſecus genua ſunt poſitæ ſectione, & inflammationes, & dolores renum & lumborum, coxarum & veſicæ, arthriticas denique affectiones mirabiliter curari notavit ex *Avicenna Iohann. à Kethum* in ſummula venarum, Ego vero vas interioris Genu cuidam, qui tumore totius tibiæ ſuræque phlegmonode torquebatur, præſentaneo fructu pertudi. *Severinus Med. Effic. pag.* 62.

XLIV. Quidam *Oedematoſa tibia inflammatione* magnopere doluerat, diuque vexatus vena nigricante, quæ tibiam oblique conſcendebat aperta levatus eſt: Itemque curatus alius recidivis tibiarum vlcuſculis diu vexatus: factum hoc à nobis ſuaſu *Galeni* l. 2. ad *Glauconem*, & conſilio *Ben. Victorii* 26. *Severinus Med. Effic. p.* 64.

XLV In tota obſervatione medica nihil eſt celebrius quam male valeores omnes partes *Tumore*

tentatas cognoſcere; adeoque finitimus & conſentaneus eſt vitio cuique Tumor, ut nullo citius quam hoc ipſo latens noxa declaretur; Sive quod ſuggeſtum alimentum pars debilis in ſeipſam non commutare valeat, unde demum reſtat materia; Partim quod dolor humores undique convocat: Iam autem cum tumore iſto tum ſupra tum circa loca quæ foveant vitium, extollunt plenos ſuos tubulos interdum venæ ſic ut diſrumpi appareant, adeoque ipſæ ſuadent ut inducto ſcalpri perpunctu depleantur, quod factum à nobis felici non ſemel uſu, ſi corpus univerſalibus ante exinanitum: Hinc *Hipp. l. de Ulc.* vetuſta ulcera circumſcarificat & varices aſſiſtentes aperit: Contuſiones, inflammationes partium omnium & tumores ſecure pertundunt authores plerique ſcarificatione; Sed ſi carnes inquam ſauciamus, quanto ſatius & de venis quæ in afflicta particula extumeſcunt factitandus hic exhauſtus, qui largior, accommodatior, promptior, facilior, tutior, indolentiorque eſt? *Severinus Med. Effic. p. 66.*

XLVI. Si in hepate, liene vel utero generetur, materia & vergat ſurſum, licet *Fontanellam* producere in femore, vel crure, ſervando ſemper rectitudinem, quæ revellit, quo minus materia ſuperiora viſcera inquinare poſſit: Vbi notandum quod ſi ab iiſdem partibus materia relegetur deorſum, occupetque aut crus dextrum ſiniſtrumve, male hi agunt, imo toto cœlo à ſcopo aberrant, qui ſuperioribus partibus, revulſionis gratia ab inferioribus, *Fontanellas* adhibent, etiamſi ſervent rectitudinem: ſic enim materiam malignam, vel quantitate vel qualitate peccantem, ad ſuperiores partes, non ſine maximo damno patientis retrahunt: Hinc recte & ex methodo *Aquapens p. 1. Oper Chir. c. 95.* non fuit veritus *tumefacto pedi* ſupra genu fonticulum apponere, qui præterquam quod revellit, inſuper etiam intercipit materiam, eique viam intercludit quo minus ad inferiora vergere poſſit, Et ego huius veſtigia ſequutus, non paucos a tumore pedum, præcipue circa talum exiſtente, fonticulo facto in femore, infra genu, liberavi, qui & adhuc perbelle ſe habent: Conſiderandum autem in viris ſupra genu externam, in mulieribus vero ob uterum, internam regionem me ſemper elegiſſe. *Glandorpius Gazophyll. c. 15.*

XLVII. Flocci fiunt pedum *Clavi* ſed perperam, ſi enim error in curatione committatur, facile gravis morbus ſuboritur: Nobilem quendam ab eo extinctum fuiſſe ſcio: Quoties igitur artis imperiti clavum huncce ad carnem vivam exſcindunt, guttulamque unam aut alteram olei vitrioli, aut aq. fortis, vel nonnihil arſenici imponunt, exoriuntur dolores acutiſſimi, inflammationes, convulſiones & alia, imo mors ſicut Nobili prædicto: Hac vero methodo ſecutus utor; Imprimis quia hic affectus ab attritu & anguſtia calceamentorum procedit, calcei anguſti & ex corio duriori abrogandi: poſtea paretur Balneum ex emollientibus, in quo pedes per duas horas immergantur & macerentur, poſt abſtergantur, iterando per triduum: Sic ſatis emollitis claviculis, novacula totum illud quod induruit abradendum abſcindendumque eſt, verum paulatim & ſuperficie tenus, non autem a ſuperficie ad centrum. Clavo ſic ad radicem abſciſſo, quod ſine dolore fit, emplaſtrum de cicuta applicetur; atque ita ligetur ut dies noctesque adhæreat: Ab initio quaternis diebus, poſt ſingulis menſibus renovetur: per menſes tamen multos, imo per annum geratur, quod ſine moleſtia fit. *Hildanus Cent. 6. Obſervat. 100.*

TVSSIS.

SYLLOGE.

Methodus therapeutica. 1.
Sanguis *an* mittendus. 2.
Varie purgandum. 3.
Vomitus *ſæpe confert.* 9.
Siſtentibus fluxionem *caute utendum.* 4.
Remediis caput, quod ſæpe innocens, non vexandum. 8.
Ab obſtructionibus hypochondriorum ſæpe oritur. 10.
A nucleo in pulmonibus orta. 11.
A Verme. 12.
Cauteriis *capiti admotis deſinens.* 13.
Fontanella *in brachio excitata.* 14.
Cœna ſubtractione. 15.
Laudani *uſu.* 24.
Vini. 26.
Sacchari *parcus ſit uſus & ſaccharatorum.* 16.
Et Emulſionum. 17.
Tuſſis *ſub ingreſſum lecti fatigantis cauſa & curatio.* 18.
A Flatibus *ſæpe excitatur.* 18.
A Sanguine e capite in thoracem *delabente.* 19. 20.
Precautio ne in pus abeat. 20.
Ne coaguletur in trachea arteria. 21.
Miſturis concretionem impedientibus ſyr. mucilaginoſi non addendi. 22.
Siccæ Tuſſis *ab* aere frigido *inducta curatio.* 23.
Vide *de Tuſſi Infantium lib.* 9.
Spaſmodica curatio. 25.

I. ETſi contra *Tuſſim recentem* remedia fere tantum empirica vſurpari ſolent, & nullus è plebe ſit quin multis & diverſis hujus farinæ inſtruitur, quæ ſine Medici conſilio plurimi confidenter & αὐθέκαστος paſſim ſumunt, & aliis propinant, attamen homines conſtitutionis teneræ, aut ad tabem hereditariæ proclives, vel *prius* interdum à tuſſi periclitari ſoliti, à primo ſtatim ejus appulſu cavere, & ſtatim ad *iatrικὰ* præcepta ſe recipere debent: juxta quam vt medendi methodus rite inſtituatur, indicationes therapeuticæ potiſſimum erunt hæ tres, Primo, Sanguinis inordinationem, à qua ſeri fluxiones procedunt, ſedare aut tollere. Secundo, Cruoris recrementa & exuvias quaſque, ab eo ſecedere aptas, à pulmonibus ad poros cutis, aut vias vrinarias aliaque emunctoria derivare. Tertio, Ipſos pulmones contra ſeri aliorumque humorum ſuſceptiones corroborare, ſimulque contra frigoris externi, à quo amplius lædi ſolent, occurſus munire: *Prima indicatio* reſpicit tum ſanguinis effervescentiam, quà propter effluvia cohibita nimis æſtuat ille ac in vaſis ebullit, tum diſſolutionem ejus, qua nempe in compage ſolutus ſerum alioſque humores à complexu ſuo nimis dimittit: Pro utriſque tollendis victus ratio tenuis inſtitui, atque frigoris externi injuria ſedulo vitata, diaphoreſis paulo vberior procurari aut ſaltem aſſueta reſtitui debet: Si tamen Tuſſis ingraveſcat, phlebotomia, modo vires & conſtitutio ferant, ſæpe cum fructu adhibetur: qua celebrata Hypnotica fere ſemper juvant, in quantum ſcilicet ea cordis

motum,

motum, & conſequenter ſanguinis curſum nimis præcipitem retardant; porro efficiunt vt leniter iſte & moderate, ſine magna ſeroſitatum rejectione vaſa pneumonica trajiciat, & quod etiam decocta pectoralia, quatenus humorum aciditates deſtruunt, ſanguinis diſſolutionem, ac in ſeroſitates fuſionem inhibent adhibenda: * Pari etiam ratione & efficiendi modo medicamenta ex ſulphure parata contra Tuſſim adeo inſigniter juvant: Secunda *Indicatio*, ſcilicet vt ſerum, aliáque ſanguinis recrementa, à pulmonibus derivata, per alias vias vacuentur, perficitur per diaphoretica, diuretica & leniter purgantia, quæ intercalari debent: Itaq; poſt ſanguinis miſſionem catharticum exhibere, & aliquando repetere ſolemus: decocta pectoralia rad. cærefol. ruſci, enulæ camp. aliaque ſudores ac vrinas moventia ingrediantur, mille pedes, ſal ſuccini volat. aliique ſales fixi, & pulveres teſtacei cum terebinth. in pilulas redacti ſæpe cum fructu exhibentur. Tertia *Indicatio*, vt pulmones eorumque ductus contra humorum fluxiones & frigoris occurſus muniantur, atque vulgo catarrhi ſuppreſſio dicta, per linctus aliaque privata remedia perficitur, & duo imprimis reſpicit, nempe vt vaſorum & glandularum oſcula in tracheam dehiſcentia, ne ſeroſitates in eam nimis exſpuant, modice adſtringentibus occludantur, Et ſecundo, ut ductuum tracheæ latera ſatis mulceantur deliniànturque, vt nec à ſeri acris inſtillatione, neque à frigoris externi occurſu offendantur, inque Tuſſim moleſtam continue irritentur: ac inſuper, vt cum ductus iſti ſatis lubricantur, ſputum, parietibus ipſorum quandoque pertinaciter adhærens, facilius excuti & extuſſiri poſſit: Propter intentionem prioſem eſt quod conſerva roſar. rubr. olibanum, maſtiche, lohoc de pino, ſyr. jujubinus, de roſis ſiccis, aliaque adſtringentia præſcribuntur: Pro ſecunda intentione liquiritia, cum variis eius præparatis, adeo celebre contra tuſſim quamcumque remedium habetur. *Willis.*

II. In Tuſſi ſicca depellenda perpaucos videas Medicos ad *Sanguinis miſſionem* confugere, quia hanc aut à ſicca intemperie ſine materia, ob quam pulmones becchicis leniendos & humectandos volunt: vel à tenui pituita ſeu ſero, à cerebro (vt perpetuo dicunt) in pulmones decumbente fieri autumant: ideoque incraſſandam dicunt materiam: cæterum corporis impuritatem, clyſteribus, purgantibus & errhinis eſſe vacuandam: Quæ auxilia etſi non contemnenda ſentiamus, relinquenda interim potius ea dicimus in totum quam funditus abſtinendum à ſanguinis miſſione, præſertim ſi affectio contumax ſit, tum ad curandam affectionem tuſſis comitem, tum ad prohibendas graviores noxas quæ ſubſequi poſſunt, inflammationes, venarum ruptiones, vlcerationes. *L. Botallus de ſangu. miſſ. cap.* 13. In ſicca Tuſſi ſtatuen ſuin mittendum eſſe ſanguinem, Si febrem accerſat: Si intra venas ſit mordens vitioſuſve humor: Si jecur ſit calefactum, halitumque aut tenuem ſaniem in aſperam arteriam fundat; Si iecur in tumorem elevetur, & ob id ipſam concitet: Si à capite tenue quid & mordax profluxerit; Si teſtes afficiantur, & ob id Tuſſis ſicca fiat; nam his venam tali incidere jubet *Hippocr.* 4. Epid. *Mercatus l.* 2. *c.* 3.

III. In Tuſſi lenè, per vices & intervalla, ac mitioribus medicamentis, vel ſaltem his quæ refractas quodammodo habeant vires purgabis, ne major acrioribus concitetur fluxio. In frigidis verò, tenuibus, nulla præmiſſâ præparatione, frequentius purgabis: At in craſſis diutiùs præparabis, & ſerius purgantibus uteris. *Idem.*

IV. In tenui ad pectus à capite delabente catarrho διὰ κωδυῶν commendat *Trallianus lib.* 5. *cap.* 4. Illis quibus fluxio tenuis à capite in aſperam arteriam defluit, & propter inſequentes tuſſes dormire non permittit: In materiæ affluxu per vaſa, ex toto corpore, etiam convenit, Cautione *Tralliana* adhibita, ut cum multa diligentia & animadverſione, non ſolum ſed cum aliis: nec viribus valde infirmis, aut recrementorum copia in thorace & aſperæ arteriæ bronchiis ſtabulante exhibeatur: Quamvis enim tenere tuſſim videatur, ac ſomnum accerſere, attamen thoracis adauget anguſtiam, vt multi ceu laqueo ſtrangulentur, ideo miſcet cum oxymelite aut ſyrupo marrubii. Commendat *Helmontius* Laudanum Opiatum *Paracelſi*; ſed addit, manè vomitum ſequuturū: Mane vomitum movere experientia compertum habemus, qui huius medicamenti opem magni facimus; Cauſa vomitus adhuc latet. *Rolfincciuſ method. cognit. & cur. l.* 1. *p.* 1. *c.* 1.

V. Tuſſis univerſalis Romæ erat & multi moriebantur. Quidam Medicus ſe & multos alios hoc medicamento curabat. ♃. *Injubar numero* 25. *ficus numero* 10. *paſſular. magn. ping.* ℥ ß. *liquir. raſ.* ʒiij. *rad. farfar. m.* j. *aqu comm. bocalia* iij. *bulliant ad dimidium:* Capiat omni mane cyathum & item hora ſomni: abſtinebant à vino & uſu carnium, utebantur pane decocto cum paſſulis & butyro; aut butyro, pane & zaccharo: aut pane decocto cum lacte & ſaccharo. *Solenander ſect.* 5. *conſ.* 15. *n.* 21.

VI. Lectione uti vehementi iubet *Celſus libro quarto capite* 3. Aliqui dubitant an hoc remedium conducat, cùm lectio vehemens exſiccet; Sed reſpondetur omnino juvare, quia exſiccat pituitam, à qua ortum ducere putatur Tuſſis antiqua: Præterea vti jubet *Antyllus* apud *Orybaſium*, ſi in noſtris corporibus ſiccitas & calor præter modum redundare videantur: Multus aër per meatuum latitudinem reſpirando ingrediens, quæ exſiccata ſunt maximè humectabit: Et cum ſit tenuiorum partium, & liquidior quàm omnis aqua, duritiem à ſiccitate inductam emolliet: Notandum tamen vocis actionibus neque temerè, neque inconſulto vtendum, ac præſertim iis qui huic exercitationi non aſſueti tum primum incipiunt. *Rubeus comm. in illum loc.*

VII. Caput quoque ſiccum vt vehementer perfricetur juber idem *Celſus*: Quod poteſt intelligi vt cáput rebus ſiccantibus perfricetur, vt pituita qua abundat tollatur: Sed melius eſt vt dicamus, Si caput ſiccum eſt, in tuſſi humida, (de hac enim loquitur *Celſus*) facile ex vehementi frictione materiam, quæ tuſſim facit, poſſe exſiccari: Quod ſi ſit humidum non tanti eſt frictio, etiam vehemens, vt exſiccare ac digerere materiam poſſit: At potius agitabit eliquabitque eam quæ abundat in capite humido, & majorem faciet Tuſſim. Ita ipſemet *Celſus lib.* 2. *c.* 14. in longis capitis doloribus eam adhibet, ſic tamen ut non in impetu doloris: Illud etiam animadvertendum ut poſtremi ad caput deveniamus, nam ſtatim à principio ad ipſum accedere periculoſum: Corpore enim adhuc pleno exiſtente, ad id facile excrementa trahuntur. *Idem. ibidem.*

VIII. Pituitoſa materia varia quæ tuſſi, à ſeni-

bus præſertim, & hyemis tempore excernitur, non ſemper à capite defluit, Sed oritur quoque ab excrementis in Pulmonibus continuo congeſtis: nam ut cerebrum, ob vaſorum copiam, continuo ſuperfluitatibus ſcatet, maximè ſi ſanguis impurior eſt, Ita & Pulmones, quia vaſis innumeris conſtant, ſanguine omnino redundant: Si cacochymia ſit corporis, continuo ejuſmodi excrementa colligunt, eaque è minoribus vaſis in majores aſperæ arteriæ ramos protrudunt, è quibus dein vna cum excrementis, defluxione hac delatis, tuſſi rejiciuntur. *Platerus Quæſt.* 57.

IX. Tuſſim ſive recentem, ſive inveteratam, ſi non ſemper, plerumque tamen curant *Vomitiones*, ſi aqua bened. procurentur: hac enim ratione prima regio ventris ab omnibus impuritatibus liberatur, deſtillationes ſiſtuntur, ita ut ſi poſt eas convenientia pectoralia intus & extus adhibeantur, rariſſimè redeat. *Hartmannus Prax. c.* 105.

X. *Tragopogi* radices ad ventriculi, hepatis, renum intemperiem calidam commendantur: *Tabernamontanus* illas, & præſertim purpureo flore adverſus pectoris mala, tuſſim, dyſpnœam commendat: Sed meo arbitratu ſuccedaneum cichorii eſt, niſi quod remiſſius, quia dulcius, ab infarctu humorum hepatis vaſa liberet, quorum obſtructionem comitantur modò recenſita, per ſympathiam, ſymptomata: quæ artis anatomes ignari Practici, pectori vel pulmoni, quaſi ea per idiopathiam afficerentur, transcribunt: Sic fruſtra eſt ſi hydropicis, tuſſiculoſis, dulcibus & bechicis medeberis, qui hydragoga, & ab infarctu pravorum humorum hepar liberantia requirunt. *Simon Pauli Quadripart. Botan. pag.* 506. Anno 1667. Nob. Dominus *I. Antonius a Seva.* Sancto Venantio in Flandria Genevam redux, ex inſolito aëre humidiori, & cereviſiæ potu inaſſueto tuſſim contraxit, cui tumor & durities ventris ſucceſſit: Contra Tuſſim & Catarrhum diu à Medicis pugnatum eſt, dimiſſa hypochondriorum cura & contrectatione: mihi commiſſus, aperientibus & roborantibus hepar uſus eſt, dimiſſis bechicis, à quibus viſcera intumeſcebant; ſic menſtruo ſpatio, vir ſexagenario proximus, à Tuſſi liber evaſit, quæ prout abdomen ſubſidebat & emolliebatur ita ſenſim miteſcebat.

XI. Mulier poſt nuclei avellanæ deglutitionem inter ridendum in Tuſſim inſignem incidit, quæ per bimeſtre ſpatium ipſam vexavit cum febre & totius emaciatione: Medicus vocatus phthiſin ſuſpicabatur: At ſubacti judicij *I. D. Sala* febrem animadvertens adeſſe non continuam, nec ſputum cruentum, aut pure inquinatum, ſed reſpirationem liberam, à phthiſi immunem pronuntiat: Cognita cauſa poſt varia quæſita, vomitorio ex melle roſar. cum oleo communi fruſtra adhibito, lambitivum addidit ex oleo amygdal. dulc. ad expultricem irritandam ampliandaſque vias, tandem nucleus exſpuitur ſanitaſque redit. *Bartholinus Cent.* 2. *Hiſt.* 27.

XII. Laborabat quidam moleſta quadam Tuſſicula, & cum diu nihil conferentibus auxiliis hoc malum toleraſſet, à nobis conſilium quærit: Marrubii illi ſuccum ex melle exhibuimus ſingulis diebus, tum & interjectis temporibus ſcyllam lambere juſſimus, donec vermis ex ejus pectore, una cum tuſſi propulſus hominem ſanitati reſtituit. *Ant. Benivenius.*

XIII. Cognovimus quempiam qui propter mali & noxii humoris fluxum in pectus, à frigida intemperie, hoc malum incurrit, cauteriis caput inuſiſſe, atque omnibus illico ſymptomatis caruiſſe, ita ſane ut ipſa qua tenebatur humorum efficientium plenitudine penitus exhauſta, Tuſſique ſublata, ulcerationibuſque exuſtionis beneficio fluxu deſtitutis ſanitatem recuperaverit. *Trallianus l.* 2. *c.* 5.

XIV. Ex rei urgentia commori decretum fuit *Fontanellam* altero brachiorum aperire, quo citra aliud auxilium cœpit Tuſſis deliteſcere. *Mercurialis Conſ.* 14.

XV. Vidimus Tuſſim per xvj. annos protractam, à ſuffuſione & inſtillatione natam, ſola *cœnæ inhibitione* ſedatam: diætæ ſcil. ſumma hic utilitas, cujus adjumento ſanguis univerſus ſale perluſus non ſemel edulcoratus, ejuſque ζέσμωσις contemperata. *Bennetus Theat. Tabid. Exerc.* 1.

XVI. Moneo Medicos juniores, ut in pituitoſæ glutinoſæ correctione, caveant ſedulo ne multo vtantur *ſaccharo*, & valde *ſaccharatis* medicamentis, cum inde non tam emendetur ſolvaturque quam augeatur pituita, quin reddatur in dies glutinoſior; Vnde more malo multi Medici in quavis pene Tuſſi aliquandiu protracta, & phthiſin minante, quinimò productam fovente, abutuntur conſerva roſ. rubr. copioſa in dies devorata, unde non tantum non abſtergetur, exſiccatur conſolidaturque ulcus, ſed inſuper gravitatis ſenſus, ac intolerabile frigus excitatur in ventriculi regione, cum appetitu proſtrato.

XVII. Idem intelligendum de *Emulſionibus* in hoc perperam uſurpatis, quippe quæ nonniſi raro ad quædam ſymptomata lenienda uſurpari debent; ſic ſe rem habere docet ſtultorum magiſtra experientia. *Franciſcus Sylvius de le Boë Praxeos lib.* 1. *cap.* 34. §. 100.

XVIII. Quicquid nobis eſt incompertum ac novum, quamdiu ejus ignoramus cauſam & rationem, admirationem in nobis parere ſolet; ſicut & mihi evenit, poſtquam obſervavi, & quidem in me primum, ſegnius ceſſiſſe Tuſſim ſuperiore hyeme gravedini ſupervenientem, ordinariis medicamentis ſimilem *Tuſſim* facile curare ſolitis, atque ipſam *urgere* potiſſimum me alioſque ad *lecti ingreſſum*: Hæc autem obſervatio in me adhuc infirmo, aliiſque facta, & mira viſa, excitavit me ad iſtius eventus cauſam & rationem diligentius inveſtigandam; quia Notatis flatibus eodem tempore me urgentibus, ad flatus diſcutientia primum in lecto, *deinde* ante *lecti* ingreſſum ſumenda veni, Vnde factum eſt, ut eructatis aliquot flatibus, compeſceretur brevi Tuſſis pene ſicca, alias per horæ quadrantem, & aliquando diutius me vexans: Hoc experimento in aliis quoque cum pari ſucceſſu feliciter facto, rationem ipſius viſus ſum mihi aſſequi ſequentem, Pituitam *videlicet* ſatis copioſam occurrentem in tenui inteſtino, pluviarum calore fuiſſe ſolutam, & à bile acriore tunc ſimul commota in flatus redactam, mox & ad Pulmones delatam, à quibus irritati Pulmones tuſſiebant, & tuſſi cum reliquum corpus omne, tum cerebrum quoque concutiendo, humores ſimul inibi contentos agitabant, qui ad fauces delabentes Tuſſim omnem à ſe productam mentiebantur: donec obſervatis flatibus, eorundemque aſcenſu, facilis fuerit per carminantia dicta olea, ante lecti ingreſſum, ex liquore convenienti ad aliquot guttas aſſumpta, huius Tuſſis curatio. *Sylvius de le Boë Append. Tract.* 10. §. 499.

Succeſſere ſæpenumero Gravedini Tuſſes, ſed Tuſſes flatus diſcutientibus, quam humores ſalſos muriaticos temperantibus, facilius feliciuſque cedentes: Vnde illas non tantum ab humore ſalſo,

muriatico

muriatico à capite in fauces, aſperamque arteriam delabente, Verum ac imprimis a Flatibus copioſis, cum levi paroxyſmo febrili, a tenui inteſtino per lacteas venas, ductumque thoracicum in venam cavam ſuperiorem, hinc & cordis dextrum ventriculum, mox & pulmones tranſlatis, eoſdemque ad tuſſiendum irritantibus ortum habuiſſe, atque ad lecti ingreſſum gravius ægros affeciſſe docuimus. Quamprimum vero id in me primum, mox in aliis quoque obſervavi, facilis fuit huic Tuſſi medela, per aſſumpta olea aromatica flatus diſcutientia, cortic. arantior. citri, ſemin. aniſi fœniculi &c. *Idem ibid.* §. 880.

Sic memini ante decennium Illuſtriſſ. & Generoſum *Domin. de Veraſſe*, Illuſtriſſ. *Bernardi Budaei* nepotem, mihi & aliis commendaſſe, proprio experimento, Decoctum ſeminis aniſi, quo ſe ſæpius Tuſſim profligaſſe aſſerebat.

XIX. *Sanguis* a capite in Pulmones delabens, & *Tuſſim* excitans, in effluxu ſuo ſiſtendus, venæ ſectione quidem ſi plethora concurrat, vel eius fervor notabilis, vel ſolitæ eius evacuationis ſuppreſſio; quamvis eius fervor nimius Acidis, & præſertim auſteriuſculis compeſci quoque poſſit: E. g. ſit ſequens Apozema. ℞. *Folior. plantag. man. ij. ſempervivi mai. acetoſellæ ana. man. j. Coque ex aqua hordei ad ℥xx, addendo Syrup. jujub. ℥iij ſalis petræ purific. ʒj, vel lapid. prun. ʒß. vel ſpirit. nitri gutt. xx. m. f. Apoz.* Hujus hauſtum mediocrem ſubinde aſſumat æger ad quemvis ſanguinis motum nimium compeſcendum: Idem ſanguis in effluxu ſuo ſiſtendus Vaſorum apertorum conglutinatione per convenientia remedia.

XX. Sanguinis corruptio in pus vel ſaniem modis omnibus prævenienda, & imprimis per *Balſamum ſulphuris aniſatum*, aliumve minime ingratum, quandoquidem hujus ope non tantum impeditur converſio in pus ſaniemve, partiſque ulceratæ læſio ulterior, verum promovetur inſuper totalis hujus curatio doſis ad guttam j. vel ij. ex miſtura convenienti pectorali.

XXI. Sanguis idem in aſperam arteriam undecunque delatus ne ibidem coaguletur, hinc & corrumpatur, mox convenientibus medicamentis ſervandus ſolutus, vel iterum ſolvendus, excernenduſque: In quem finem multis aliis præferendi ſunt, una cum Antimonio diaphoretico, cancrorum oculi, pauco aceto ſtillatitio ex parte ſaltem ſoluti, & gratis additis aſſumpti, E. g. ſit ſequens Formula cochleatim uſurpanda, *Aquar. hyſſopi, fœnic. ana. ℥j. vitæ Matth. ℥ij Aceti ſtillat ℥ß. oculor. cancri ʒß Antim. diaphoret. ℈j. ſyrupi capill. vener. ℥j m.*

XXII. Cavendum autem in talibus miſturis, oculos cancrorum aceto ſolutorum capientibus ne ſyrupi ex mucaginoſis parati iis addantur, quales ſunt de althæa *Fernel.* jujubinus, violaceus & ſimiles, quoniam mox, aut paulo poſt redduntur inde mucaginum ad inſtar ſpiſſæ, & ad uſum ineptæ, quod non facile fiet, ſi ex aromaticis parati uſurpentur ſyrupi, ac præſertim ſatis recentes, cum multi temporis tractu evadant viſcidiores.

XXIII. *Sicca Tuſſis* ab Aere aut Potu frigido orta curabitur compreſſa ſæpius aliquamdiu expiratione, quo aucto in faucibus & pulmonibus calore corrigatur vitium ab externo frigore ortum: Vt enim hoc in genere moneam, non parum ad Tuſſim omnem, ac ſiccam præſertim, compeſcendam ac ſedandam conferet compreſſus, quamdiu licet, ſpiritus, & ſimul ſic cohibita vi Tuſſis, qua ratione non ſemel in me, aliiſque, obſervavi ſublatam in totum vel diminutam Tuſſim ſatis alias moleſtam, ut & ſingultum notavi ſæpe ſic curatum. *Sylvius de le Boë Pr. l. 1. c. 24.*

XXIV. In Tuſſi importuna, & tenui fluxu in Pectus, ſi quod elabitur conatum pulmonum effugit nec extunditur, *Laudanum* ſummum eſt remedium incraſſans, & ſomnum, vel ſaltem quietem concilians, Naturam reſtaurans, & coctionem humoris crudi promovens; Experientia, Domin. *De Sigon* & Præſidis Ripant. *Th. de Mayerne Tractatu MS. de Laudano.* Vidi §. 1.

XXV. De Tuſſi ſpaſmodica Puerorum ſupra p. 412. §. 88. Adde dictam Tuſſim vix curari, quod non ut in Tuſſi ordinaria tantummodo ſanguis alterari debeat, ejuſque recrementa è pulmone ad habitum corporis per *διαπνοὴν* amandanda derivari oporteat, ſed inſuper & ſucci nervei emendatio procurari debet: Medendi ratio in aliis Tuſſium generibus uſitata hic raro prodeſt, quare neglecta rationali methodo, fere tantum empirica pharmaca in uſum adhibentur: Inter multa duo ſequentia præferri ſolent, videlicet muſcus pyxidatus, ejuſque varia præparata, qui virtutis eſt (quantum ex ſapore colligimus) adſtrictoriæ, atque particulas nonnihil acres, ſalis volatilis copiam redolentes in ſe continet; unde conjectari licebit olum ejus eſſe ſanguinem figere, ſeriique fluxiones ſedare, ac inſuper ſuccum nerveum volatiliſando diatheſin ſpaſmodicam tollere: Alterum remedium eſſe ſolet ut ſubito quodam timore pueri afficiantur: cujus ratio in hoc conſiſtit, quod ſpiritus animales fugati, inque novas diſtractiones adacti, inordinationes ſuas priores relinquunt: tum inſuper materies ſpaſmodica a perturbatione iſthac aut diſſipatur, aut in alios nervos, ubi parum moleſta eſt, adigitur: Quibuſdam conſtitutione calidiori præditis, & inter tuſſiendum rubore vultus intenſo, ſeu potius atredine perfuſis, phlebotomiam, aut ſanguinis per hirudines ad ij. vel iij. uncias detractionem quandoque bono cum ſucceſſu adhibendam præcepi: ℞ *Millepedum vivorum mundat. ℥j. pulv. ſemin. aniſi ʒj. nucis moſch. ʒß. ſacchar. albiſſ. ℥v. contuſis affunde aq. hyſſopi ℥vj. limac. magiſtral. ℥ij. parum agitentur cum piſtillo, & f. expreſſio fortis, doſis cochlear. duo vel iij. bis in die:* Hyeme quando limaces haberi non poſſunt, ſubſtituantur pulmones agnini aut vitulini, ſemicocti, & minutim inciſi &c. *Willis Op. Poſth p. m. 52.*

XXVI. Studioſi cujuſdam, Tuſſi uſque ab ephebis obnoxii, valetudinem curavi: hic temperamenti melancholici, conſtitutione mediocriter firma præditus videtur, niſi quod pulmones originaliter imbecilli, ſanguinis in ſeroſitatum fluorem quemvis liant; Tempore æſtivo, quamdiu libere tranſpirat, ſatis ſanus degit; vere ac autumno, cum ſanguis temperiem immutans fluxiones ſeroſas, aut ſponte, aut a quavis levi occaſione patitur, facile in Tuſſim incidit. Vbi imprimis accedit pororum conſtipatio, & errata circa victum, Tuſſis immanior & pertinacior accietur: In hoc ſtatu remedium ejus optimum, & ſæpius cum ſucceſſu expertum eſſe ſolet, ut vinum generoſum paulo liberius, & alium quemvis liquorem parciſſime bibat; Ita namque ſanguinis aciditate & fluore ſuppreſſis, & *διαπνοῇ* liberiore procurata plurimum alleviatur, & brevi interdum reconvaleſcit. *Willis Oper. Poſth. ſect. 1. cap. 6.*

INDICIS
MEDICO--PRACTICI,
SIVE
Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.
LIBER DECIMVS OCTAVVS.
De Affectibus à litera V. incipientibus.

VARICES.

SYLLOGE.

Curatio per puncturam *&* diſciſſionem. 1.
Apertio quando tuta. 2.
Cauſtico *aliquando inurenda.* 3.
Curatio per ſectionem *ſuſpecta.* 4.
Curatio ad leges circulationis ſanguinis. 5.
Sectionis venæ cruralis utilitas. 6.
Quæ ex ſanguine crudo fiunt tutius curantur quam ex melancholico. 7.

1. CHIRVRGICA *Varicum* tractatio duplex eſt, altera per *Puncturam* quandam *apertio*, ut aplotomia, qualis & venarum natura comparata eſt: altera cum diſciſſu vaſis, aut portionis etiam exciſu: Varicum autem apertionem exequimur, ut levamen ſaltem nanciſcantur ægri, dum exhorrent harum exciſum aut præciſum, tum hi tum medentes: tunc inquam phlebotomo ſunt pungendæ, de qua opera *Hippocrat.* l. de Vlc. numero 16. *Vbi varix eſt tibia, aut conſpicua, aut in carne, & tibia eſt nigra, videturque opus habere ſanguine ab ipſa defluente, talia nequaquam pertundere oportet, plerumque enim magna ulcera ex fiſſuris fiunt, propter Varicis influxum, verum varicem ipſam alias atque alias compungere oportet, ubi opportunum viſum fuerit*: Quorum omnium brevilſimus ſenſus eſt, ut ne promiſcuè quidem quocunque loco tumor eſt, incidatur ſcalpello, ſed varix ipſa pluribus in locis, ubi turget, velut per capitula feriendus, ſç. per ſufficientem ſanguinis detractionem: *Galen.* vero 4. de comp. Med. κ. γ. c. 3. Varicem ulceri diuturno & cacoëthi aſſiſtentem ſcarificandam prius in longum jubet quam cætera curatio tractetur: *Albucaſis lib.* 2. *cap.* 92. ſic faciendam præcipit: Foveatur crus, *inquit*, calente aqua, deligeturque coxa ſuperne deorſum uſque ad genu per vittam; ſub his vena inſecanda eſt uno, aut duobus, aut tribus ſcalpelli ictibus, expreſſo cum ſuperne tum inferne per manus utraſque ſanguine quantum libuerit, aut ſatis eſſe viſum fuerit, comprimatur plaga, atque homo circa cætera bene *curatur: Hæc* de Varicum apertione, de Exciſione nunc aliqua: *Gal.* 3. *meth. c.* 4. & *Aëtius ſer.* 14. *c.* 4. monent, quod ſi Varices adjunctæ ſint ulceri, coalitum hoc iri nequicquam, adhibito quocunque labore ſperaverimus: Hominum valetudinarii noſtri ulcera bima, quadrima, ſeptennalia, aut diuturniora, varicibus quæ circum obſiſtebant exciſis, *feliciter præter* omnium opinionem vidimus ſanata; mirum autem eſt ut infeſtaris maximo dolore locis quæ in imo ſunt, nil mali reſtet ubi varices multo ſuperiores exciſæ fuerint: mirum quoque quod extumeſcentia partium inferiorum evaneſcat omnis, reprimaturque ad locum naturalem locus ſimul ac interciſæ fuerint tortuoſæ illæ vites, non aliter ſane quam ſi ſubducto rivo areſcant plantæ, *Marinellus* quidem *l.* 4. *de Mul. Ornam.* dicit Varicibus exectis membrum exareſcere, Verum huic contradicere poſſum, cui plurimas præſcindere conſueto nunquam in ullo id detrimentum obſervari contigit: Enim vero, quid unius venæ defectu ceſſet ali pars, ad quam & aliæ complures irrigando commeant? *Adminiſtrationem* vide apud *Æginetam l.* 6. *c.* 82. *Severinus Med. Eff. p.* 61. Varices docuimus Præciſione ſanari: ubi id non liceat, perpungi commodum eſt, propterea quod inductæ quamplurimis vaſicularum plagulis cicatrices, quæ calloſa quædam eſt duities, vaſculi tunicas eiſdem partibus adſtringant. Quam pungendi operam adprobat *Campolongus*, quod pleríque ambigant ne per interciſum vaſorum deferentium alimentum pes extabeſcat & genio ſuo fraudetur. *Idem pag.* 82.

II. Si viderimus à viſceribus ad Varices melancholicum ſuccum actu decumbere, corpuſque redundare melancholia, tunc nullo modo Varices erunt ſecandæ; Ex *Gal.* enim *lib. de atrabile c.* 4. Periclitantur Varicoſi ne ſi varices ſeces fiant melancholici: Quando vero ſint ſecandæ nos docet *Avicenna* l. 3. f. 22. c. de Var. dicens: Si à viſceribus non detruditur melancholia ad varices, ſanguiſque mundus ſit, poſſunt incidi ſine timore: Si vero detruditur, ſanguiſque ſit impurus, non ſunt ſecandæ, quia homines fiunt melancholici & in deteriores affectus corruunt. *Sanctorius meth. l.* 6. *c.* 9. Varices ſunt antiquæ, vel recentes, Si antiquæ, fovendæ intercepta fluxione ad crura, frequenti ſeroſitatis evacuatione per alvum hydragogis; & per vrinam diureticis temperatis: Si vero recentes fuerint, ſanari debent illis patefactis & ſanguine educto, facta prius ligatura ſupra & infra venam dilatatam magis, metu immodicæ vacuationis; ac deinde adſtringentibus & glutinantibus cicatrix inducenda, operatione eo modo inſtituta quam tradit *Paræus* Chirurg. lib. 12. c. 20. *Silvaticus Conſ.* 98. *cent.* 3. Aliquæ Varices tutò ſanari poſſunt, & cogimur eas ſanare: Aliquæ non poſſunt tutò ſanari, cogimur tamen eas ſanare, Aliquæ non poſſunt tutò ſanari, nec cogimur eas ſanare: Si itaque tuta ſit ſanatio, & non cogamini ab vlcere, debetis varices ſanare: Si autem non ſit tuta ſanatio, nec cogamini, non ſunt ſanandæ: At ſi non tuta ſanatio ſit, attamen cogamini à varice & ab vlcere, tentanda eſt ſanatio. Tuta autem eſt ſanatio in corpore non cacochymo, Varicibus non exiſtentibus intortis: Quando principium ipſarum non eſt in inguine, ægerque eſt obediens: quando etiam non eſt timor à plenitudine, quâ fiat nova dilatatio, In his caſibus tutò ſuſcipitur curatio: Aliquando, licet non ſit tuta ſanatio, tamen cogimur ipſam tentare: Cogimur inquam aliquando ab vlcere, quod eſt maximè doloroſum, vel occupat totum crus, vel corrumpit os, vel eſt malignum, vel aliud ſimile quid eſt: Aliquando cogimur à Varicibus ipſis, quæ ſunt aliquando magnæ ac turgidæ, ſic vt diſrumpantur niſi intercipiantur, & facta magna ſanguinis effuſione, interficiunt, ex quâ causâ jam duos vidi mortuos: Quoties ergo videritis ita turgentes varices, tentate ſanationem, alioqui ſanguis ille erodet & varices diſrumpentur. *Fallopius l. de vlcer. c.* 16.

III. Varices omnes obſervamus duplices, alias *Contortas*, ab Arabibus *Vites* dictas: Alias *ſimplices & rectè procedentes*, etiamſi ſint transverſæ: Illas quidem melius exſcindi, Rectas verò peculiariter vſtionem deſiderare cenſuerunt quidam: Mihi longa obſervatione compertum eſt turius exuri ſimul excisas, ſuppoſita videlicet ferrea lamina, per ignitum ſcalprum: quippe corruptionem ſubeunti fit & therioma, quod vbi evenit, etiam igne tractari neceſſum eſt. Ferramentum fiſtulam tenuium marginum, tuberculis congruum, bene candens, in clavos imprimit *Albuc.* l. 1. c. 55. Ita quidem inurentur varices quæ per femora convolutè ſerpunt. Cæterum eis quæ ſcrotum occupant, cautere curandis, diſcrimen aliquod inſigne non eſt, niſi quod tenuibus atque acutis ferramentis has defigit *Celſus* l. 2. c. 32. Hic addere eſt quod tradit *Mengus*, Curare licere varices & cauſtico, quod cutem & vas corrumpat, quo purgato coaliruque vlcere potius ſuccreſcens varicolam coercet: Quo ferme conſilio Varices quidem vſſi ſæpe, verum non ferramento, ne terrerentur homines: In hunc vſum commodiſſime gallas majores læveſque deligo, quarum portiones infantilis pollicis magnitudine ac forma exciſas, & vaſis pluribus locis impoſitas, pluſculas accendo, diſſolvique igitem ſino: Cœnobitæ Varicula perdolens, ac ſanè gravis, cum nullis vnquam aut internis aut externis medicamentis levata fuiſſet, Igne per me adhibito ſubinde diſcuſſa eſt ſemel. *Severinus Pyrotechnæl.* 2. *p.* 1. *c.* 67. *&* 98.

IV. Curatio Varicum Chirurgica quam proponit *Aquapendens* cap. 105. Operat. Chirurg. vel multis eſt horrenda, ita eam facilè prava ſequuntur ſymptomata. Ruſticum vidi qui varicibus in crure laborans dolorificis, ſub *Spigelii* manu, Chirurgiam ſummo cum ſucceſſu ſubiiuit: Ego ad hujus imitationem eandem operationem ſemel tentavi, incidens primò cutem, deinde venam varicoſam ſeparans, filo vtrinque conſtringens, hamo elevans & in medio tranſverſim diſſecans: Sed errore patientis, motu ſcil. nimio, qui nullius ante vulneris conſolidationem eſſe debuiſſet, exorta eſt inflammatio, ægrum vehementer affligens, & prohibens vt voto exitus reſpondere non potuerit: vnde patiens ejuſque parentes ſæpius optarunt vt me dicta phlegmone, relicto filio, corriperet & torqueret: Hoc famæ naufragium ſemel paſſus, eos deinceps qui varicibus in crure affciebantur, vel ſolis tibilialibus ex pelle canica confectis tractavi, vel ſub iiſdem crui affecto etiam remedia topica adhibui. *Scultetus Tab.* 55.

V. Varices, detecta circulatione ſanguinis, contraria ac olim ratione curandæ: Vas enim ſuperiore ſupra varicem loco ligandum, non inferiore: *Wallæus.*

VI. Ex venæ cruralis ſectione quidam ſolatium quærunt, quod in melancholico quodam obſervavi, qui crebra ejus ſectione diu ſe à tanta moleſtia immunem præſtitit, Sed ob nimios exantlatos labores, phlebotomia cruris neglecta plurimum ſanguinis grumoſi ſurſum & deorſum rejecit, placida morte paulo poſt ſequuta, nullo extrinſecus veſtigio rupti varicis apparente: Internas ergo, quas omnibus venis, ob valvularum præſentiam, communes eſſe volunt, ruptas fuiſſe veriſimile. *I. M. Ferb. miſc. curioſ. anni* 1676. *Obſ.* 26.

VII. Venas omnes dilatatas Varices antiqui appellabant: interdum autem ex ſolo ſanguine copioſo nec melancholico: nonnunquam verò à craſſis aliis humoribus laxantur eædem & varicoſæ evadunt; præſertim vero in cruribus, vbi ob craſſitiem & viſciditatem ſanguis non adeo facile movetur; quæ poſt motum quodammodo liveſcunt, excalefacto ſcil. ſanguine, ac proinde colore mutato: Hujus autem varicoſæ affectionis curatio reformidanda non eſt, ſicuti valde ſuſpecta & periculi plena nigricantis & ab humore melancholico provenientis: Difficilis tamen eſt ejuſdem vera & abſoluta curatio, Chirurgia perficienda; nam licet Celſus ſpem faciat non difficilis ſanationis, non tamen promiſſis reſpondet eventus, dum ferro & igne barbaram operationem proponit: Attamen vera atque legitima curatio eſt earum extirpatio, quæ nonniſi Chirurgia perfici poteſt, igne ſcil. & ferro, ex *Celſo*; ſolo ferro, ex *Paulo*; ferro pariter, ſed diverſo modo, ex *Hippocr.* qui compunctionibus vtitur ad magnum vlcus vitandum: Ex quibus omnibus operationibus *Pauli* præferenda, (vide Lo. de re Med. 82.) vt tutior; *Hippocratis* enim pun-

ctio Varicem minuit, at penitus non tollit; vſtio vero Celſi, ſi ferramentis candentibus fiat, vlcera excitantur vix ſanabilia; Si calentibus tantum Varix non tabeſcit. *Fortis conſult. 95. cent. 4.*

VARIOLÆ, MORBILLI.

SYLLOGE.

Regulares *ab* Irregularibus *diſtinguenda.* 1.
Diſtinctæ à Confluentibus. 2. 16.
Ad ſymptomata Confluentibus *ſupervenientia attendendum.* 3.
Eſſentia morbi in ſanguinea maſſa inflammatione quadam ſita eſt. 4.
Cavendum ne Ebullitio ſit nimia. 5.
Cardiacis *& diaphoreticis caute utendum.* 6.
Cum Expulſio *fit, à nimio calefacientium uſu cavendum.* 7.
Cavendum & à frigore. 8.
Cardiacis *quando utendum.* 9. 11. 14.
Diæta *qualis primo morbi impetu.* 10.
Eruptio *non temere promovenda.* 1.
Aeger ne nimis cito lecto committatur. 12.
Opiatorum *uſus expulſionem promovet.* 13.
Diaphoretica *non ante quartum diem fere uſurpanda.* 14.
Sanguinis miſſio in quibus inſtituenda. 15. 19.
Variolæ Diſcretæ *quomodo curandæ.* 16.
Sudorum eruptio in hoc genere nocet. 17.
Cum ad finem havergunt vinum concedendum. 18.
Ex diſcretis plures intereunt ob perperam inſtitutam curationem. 19.
E plebe affecti pauciores intereunt. 20.
Mithridatii &c abuſus plures interimit. 21.
Confluentium *variolarum curatio ardua.* 21.
Ptyaliſmo *harum comiti attendendum.* 22. 28.
Narcotica huic ſpeciei conveniunt. 23.
Diarrhœa ſuccedenti quomodo providendum. 24.
In genere Diſcreto *Narcotica quando utilia.* 25.
Phrenitis *ſi ſuccedat quomodo medendum.* 26.
Hujus ratione non ſemper vena ſecanda. 27.
Ptyaliſmo, *ſi ægre ſuccedat in* confluentibus, *quomodo conſulendum.* 28.
Mictus ſanguis *ſuperveniens, aut* hæmoptoe, *nulla arte compeſcuntur.* 29.
Vrinæ ſuppreſſæ *revocatio.* 30.
Retrocedentes quomodo revocandæ. 31.
In convaleſcentiæ ſtatu ſanguis mittendus. 32.
Variol. epidemicarum, cum nigris puſtulis curatio. 33.
Affectus non neglectim habendus. 34.
Ante eruptionem apparatus morbifici ratio habenda. 35.
Temporum ratio habenda, ſcil. ebullitionis, apparitionis & maturationis. 36.
An poſſint vel debeant ſupprimi. 37.
Imminentes purgatione ex Mercurio dulci erumpere prohibita. 38.
Poſtquam eruperunt, etſi febris & ſymptomata comitantia deſierint, bezoarticis tamen locus. 39.
A venæ ſectione *non ſemper inchoanda curatio.* 40.
Etiam in pueris facienda. 41.
Et iis apparentibus. 42.
In ea ſpecie quæ Roſalia *dicitur locum non habet.* 43.
Sanguinis miſſio eruptionem non prohibet. 44.
Vomitus & alia accidentia non ſemper eam impediunt. 44. a
Neque hyems. 45.
Repetita non ſemper neceſſaria. 46.
Locus venæ ſectionis. 47.
Modus mittendi ſanguinis varius. 48.
Cucurbitulæ *ubi admovendæ.* 49.
Morbillis *quam Variolis minor debetur ſanguinis miſſio.* 50.
Scarificationes *ne ſint profundæ in puerulis.* 51.
Purgationi *an ſit locus.* 52.
Clyſteres aliquando periculoſi. 53.
Humorum ebullitio nimia frigidis & incraſſantibus aliquando coercenda. 54.
Lentium *uſus an admittendus.* 55.
Ficus, piſces ſaliti *quando conducant.* 56.
Pannis rubris *an ægri operiendi.* 57.
Facies *an cuſtodienda.* 58. 62. 63.
Puſtulæ *an perforandæ.* 59.
Cita earum exſiccatio an procuranda. 60.
Tarda maturatio quibus promovenda. 61.
Facies *quomodo præſervanda.* 62. 64.
Contra cicatrices relictas nihil moliendum. 63. 64.
Inefficaces thermæ in veſtigiis delendis. 65.
Expulſione peracta humorum ebullitio ſedanda. 66.
Etſi morbus ad declinationem vergat, non tamen æger in tuto eſt. 67.
Variola cum alvi fluxu *curata.* 68.
Diarrhoea *ſuperveniens non ſemper funeſta.* 69.
A vermibus ſæpe excitatur. 70.
Variolæ morantes veſicatoriis elicitæ. 71.
Morbillorum *cum tuſſi & fluxione curatio.* 72.
Variolæ erumpentes vini rubri exhibitione lethales redditæ. 73.
Vix prodeuntes cum gravibus ſymptomatis, ſola diæta temperante, citra remedia, feliciter exeunt. 74.
Curatio in juvene hæmorrhagia ſimul tentato. 75.
Cum gravibus ſymptomatis erumpentium curatio. 76.
In Puerpera curatio. 77.
Caro & ova *an deneganda pueris.* 78.
In morbillis *quæ diæta.* 79.
Facta eruptione ventrem lenientia exhibenda. 80.
Lactuca & ſumme refrigerantia an porrigenda. 81.
Cum Variolæ epidemicæ ſunt & malæ, procul arcendi pueri nondum infecti. 82.

I. VAriolæ, quibus annis epidemice graſſantur, ſi *Regulares* etiam ſint atque mitiores, circa Aequinoctium vernum ingrediuntur; quibus vero annis non tantum graſſantur epidemice, ſed & *Irregulares* atque periculoſioris ſunt generis, maturius nonnunquam, menſe puta Ianuario, invadunt, integras familias contagio ſuo afflantes, nemini parcunt, cujuſcunque ætatis demum is fuerit, niſi prius hoc morbo laboraverit. *Sydenham Obſervat. circa morbos Acut. p. 165.*

II. Duplex eſt harum ſpecies, vel ſunt enim *Diſtinctæ*, vel *Confluentes*, quæ licet eſſentialiter, vt ajunt, non differant, per illuſtriora tamen quædam ſymptomata, quæ hanc comitantur ſpeciem, illam vero non item, haud difficulter ab invicem diſcriminantur: *Interſtinctæ*, vel *Diſcretæ*, cum rigore atque horrore invadunt, quos mox excipiunt calor intenſus admodum, capitis & dorſi dolor vehemens, vomituritio, ingens in ſudores propenſio (quod de adultis dictum volo, neque enim in infantibus hujuſmodi *ſudores* mihi vnquam obſervare licuit, vel ante puſtularum eruptionem, vel etiam poſt) *doloris ſenſus in partibus quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent*, ſi manu premantur, ſtupor etiam & ſomnolentia, in infantibus præſertim, nonnunquam & paroxyſmi epileptici; Qui ſi infantes dentitione jam perfunctos corripuerint, ſuſpicor ego vbique Variolas in procinctu ſtare: quæ autem infantes ſtatim ab hujuſmodi paroxyſmis aggrediuntur, puſtulas emittunt magnitudinis conſpicuæ, mites etiam ſunt & boni moris, & rariſſime confluunt: *Variolæ Diſcretæ* quarto vt plurimum die ab invaſione erumpunt, nonnunquam ſerius aliquanto, ante illum vero rariſſime: Symptomata cum his communia habet illa ſpecies quas *Confluentes* appellavimus, niſi quod hic atrociora ſint omnia, febris ſcil. anxietas, vomituritio &c. immanius affligunt, quibus ſignis Medico ſagaci etiam ante eruptionem *Confluentes* ſe produnt, Nihilominus non ita prompte hic in ſudores diſſolvitur æger ac in genere alio, in quo adulti in ſudores propenſi vix poſſunt cohiberi: Diarrhœa inſuper nonnunquam eruptionem præcedit: Tertio vt plurimum die erumpit ſpecies hæc, ante illum aliquando, vix vnquam poſt illum: cum *Diſcretæ* vel ipſo die quarto incluſive à primo morbi inſultu, vel poſtea, ante illum raro admodum ſe monſtrent: quantoque magis quartum illum diem præverterint Variolæ, tanto etiam confluent magis. Quamvis autem, vt generice loquamur, *Confluentes* diem quartum vix præſtolentur vnquam, ſit tamen, licet raro, vt ob atrocius aliquod ſymptoma ad 4. vel 5. vſque diem differatur eruptio, v. g. acutiſſimus dolor nunc in regione lumborum, paroxyſmi nephritici æmulus, nunc in latere, qualis pleuriticos vexat, nunc in ventriculo, cum vomitu enormi ante eruptionem urgente: Hiſce in caſibus Variolas ſolito ſerius erumpere animadverti, vt pote ab immani ſymptomatum dictorum violentia conſtrictas atque impeditas: quæ quidem ſymptomata ſolitis vehementiora, mihi ſatis aperte indicant ſecuturas Variolas, de *Confluentium* genere eſſe, & periculo minime vacare &c. *Idem pag.* 171.

III. Sunt & ſymptomata duo quæ Variolis *Confluentibus* accidunt, haud minoris momenti quam Puſtulæ, vel tumor, vel aliud quodlibet, *Salivatio* in adultis, & in infantibus *Diarrhœa*: Horum prius perpetuum fere comitem ſe adjungit: forte natura has evacuationes idcirco ſubſtituit, quod in puſillo hoc ac humili genere materia morbifica ita penitus nequeat exterminari ac in puſtulis majoribus & magis faſtigiatis generis Diſcreti: Hoc autem certo ſcio, quod non ſolum Variolas *confluentes* vbique comitantur, ſed etiam quod quæ per illas fit evacuatio tam eſt neceſſaria, quam ſunt vel puſtulæ, vel faciei & manuum intumeſcentia. &c. *Idem pag.* 174.

IV. Qualis ſit hujus morbi eſſentia neſcire plane me fateor, at omnia ſymptomata penſiculatim trutinata videntur mihi ſubindicare *Inflammationem* cum eſſe, (à cæteris tamen inflammationibus ſpecie diverſam) tum ſanguinis tum reliquorum humorum, in qua amolienda per dies priores duos tresve id agit natura vt particulas inflammatas digerat coquatque, quas poſtea in corporis habitum ablegatas maturat adhuc, & ſub Abſceſſulorum forma ſuis demum finibus expellit: Hinc notandum duo eſſe hujus morbi tempora, *Separationis* & *Expulſionis*: Primum plerumque cum Febrili ebullitione tranſigitur, quod tribus primis vel quatuor diebus ſolet peragi: *Separatione* ſic ope ebullitionis in ſanguine peracta, *Expulſio* jam locum obtinet, quæ per reliquum morbi tempus mediantibus parvis illis abſceſſibus in carne perficitur: Hinc *Indicationes* exſurgunt: 1. vt æquabilis ille tenor ebullitionis in ſanguine conſervetur; qui neque nimis propere ſeparationem nimia ſua vi perficiat, neque tamen torpido nimis motu eandem remoretur, vel non ſatis idoneam præſtet. 2. Vt abſceſſuli, puſtulæve ſumma cura ſuſtineantur, quo debita tempora percurrentes, tandem contentam in ſe materiam omnino avehant, ipſæque etiam evaneſcant. *Idem p.* 183.

V. Quoad primam Indicationem, Solicite inprimis cavendum eſt, hoc tempore præſertim, ne nimium aſſurgat ebullitio, ſive id fiat ex congeſtis ſtragulis, ſive ex aëre loci in quo decumbit æger, igne nimium excalefacto, ſive ex calidorum medicamentorum & cardiacorum vſu: præcipue vero ab his cavere oportet, ſi æger in ætatis flore conſtitutus fuerit, vel ſanguinem habeat generoſiori potu nimis exaltatum, vel anni tempeſtas aut verna ſit, aut ſaltem vltra æſtatis initium non proceſſerit: Hinc enim fiet vt ſeparatio, quæ ſenſim lenitque gradibus peragi debebat, vt vniverſalem quandam deſpumationem opportunius peragat, præcipiti curſu feratur, atque ita vel non ſatis idoneus partium numerus congregetur, vel (quod forte contingat) nonnullæ partes ad ſecretionem damnentur, quas alias Natura illam ſubire noluiſſet, niſi quod vltra debitos limites excurrere coacta, noxam hanc ſibi creet: ſecretis enim illis quæ ad ſeparationem minus opportuna ſunt, aliorum illuc propendentium motus, eorum commixtione impeditur, adeoque redduntur expulſioni minus accommodæ: Mihi quidem rationi conſentaneum videtur, vt quo diutius Natura ſeparationem molitur ac perficit, dummodo ebullitio non omnino torpeat, eo certius atque vniverſalius eadem ſeparatio abſolvatur: Atque ex illa ſic abſoluta, curationis inſequentis ſucceſſus potiſſimum vt dependeat neceſſe eſt, vti ex methodo contraria contrarius plane rei exitus, Ex calido enim iſto regimine nihil boni naſcitur, ſicut ex præcoci fructu nihil frugi: Cum frequenter vſu veniat, vt vel in phrenitidem æger prono lapſu ruat, vel (quod pejoris nota eſt) ſudores ingentes aboriantur, ex quibus partes non ſecerni aptæ, neque potis naturæ reſpondentes (quod ipſum tamen pus genuina ſoboles eſt hujuſce excretionis) eliminentur, Vel ex Cardiacis illis adminiſtratis, calidaque cuſtodia, Variolæ nimis protruſæ in vnum confluant, fœdo certe ſpectaculo, triſtemque eventum interminanti. Atque hæc & hujuſmodi ſymptomata ex his erroribus progigni ſolent, cum e contra illa methodo nihil vnquam mali obſervaverimus Natura enim ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, materiamque debito ordine ac via tum ſecernit, tum etiam expellit, vt (in junioribus

præſertim, vegetiſque temperamentis) noſtra ope non indigeat, ſuis viribus optime inſtructa: *Neque ſane vel ipſe vidi, vel fando accepi quenquam ex eo periiſſe quod Variola primo non eruperint*, etſi nimis multi perierint quorum variolæ primum laudabiliter, & cum ſumma ſpe erumpentes, poſtea recedentibus puſtulis præmature detumuerunt. *Idem p.* 185.

VI. Quemadmodum autem inconſultum eſt atque periculoſum calidioris regiminis, vel cardiacorum ope cœptam ebullitionem nimis evehere, ita è contrario non minus vacat periculo mediantibus emeticis, catharticis, aut id genus aliis eandem minuere, cum hoc pacto partium ſeparabilium commoda ſecretio plurimum impediatur: Licet illud vulgare illud argumentum quo adverſus v. ſ. aliaſque vacuationes vtuntur (nempe quod non liceat à circumferentia ad centrum movere humores, cum natura in hoc morbo contrarium affectare videatur) nullarum plane virium ſit, eo quod ex earundem vſu contrarius omnino effectus, ſubitanea ſcil. variolarum eruptio ſæpiſſime conſequi deprehendatur; aliæ nihilominus rationes in promptu ſunt, quæ vehementer ſuadent, vt, ſiquidem vllomodo vitari poſſit, ab hac praxi manus abſtineamus, Namque (vt earum præcipuas paucis attingamus) per haſce evacuationes non tantum ebullitionis nimis imminuitur, cujus interim ope partes deſpumandæ accurate ſecerni debuerant, verum etiam illud ſubducitur quod cœptæ ſecretioni quaſi pabulum continenter ſuppeditaret: vnde ſæpenumero contingit vt variolæ primum laudabili impetu erumpentes, (eoque fortaſſe melius quod evacuationes jam dictæ præceſſerant) paulo poſt ex improviſo quaſi repercuſſæ detumeſcunt, idque ob eam potiſſimum cauſam quod materia deſit quæ quaſi à tergo præeuntem ſequeretur atque agmen clauderet. *Idem. pag.* 187.

VII. Quoad ſecundam indicationem quæ tempus *Expulſionis* ſpectat, ſicut periculoſum eſt ſi æger præſente febre, ac puſtulis vix dum apparentibus, in ipſo *ſecretionis* tempore nimium calefiat, ita etiam non minori periculo plena res eſt ſi idem quovis morbi tempore fiat, atque illo præſertim quod ad expulſionis initium vergit, crudis adhuc exiſtentibus puſtulis: quamvis enim ſanguis, peracta jam ſeparatione, atque relegata ad carnoſas partes materia, ab inteſtino tumultu magnam partem immunis ſit, interim tamen tener adhuc, recenſque, ac vix novo ſtatu & quaſi textura inductus, ἀσταθὴς eſt, facileque vi caloris immodici vndecunque appellentis afficitur, atque adeo leviſſimo momento irritatus flammam concipit & in novam ebullitionem proclivis eſt: quæ quidem nova ebullitio non, vti prior illa, ſupputationem jam molitur (illam quippe peractam ſupponimus) verùm illius loco non tantum ſymptomata ſuperius memorata excitat, ſed & cœptam per puſtulas *expulſionem* interturbat, & contentam materiam exagitando noxam parit: Vel itaque partes jam ſecretæ, atque in corporis ἕξιν depoſitæ, vehementi illo rapidoque ſanguinis ebullientis curſu abreptæ in ejuſdem maſſam reſorbentur; vel partes carnoſæ vltra gradum ſupputationi debitum excaltactæ, minus commode illam exequuntur; vel denique fortaſſis oborta hac nova ægritudine, ſanguinis œconomia, ipſarumque carnium tonus pervertitur, vſque adeo vt materiam illam expuſſam vincere, eamque ſolenni more abſceſſuum coquere nequeat. *Idem pag.* 188.

VIII. Interim non vſque adeo nos illuc intentos eſſe oportet, quo ebullitionem nimiam in ſanguine prævertamus, vt ægrum frigoris injuriis exponendo Puſtularum eruptio impediatur: Gradus ille caloris ad harum expulſionem promovendam accommodatiſſimus naturalis ſit oportet, atque ejuſmodi qui carnoſarum partium temperiei conveniat: quique hunc excedit, aut ab eodem deficit, vtrinque periculoſus eſt. *Idem p.* 190.

IX. Si contigerit vt vel phlebotomia minus opportune celebrata, vel admiſſo frigore Puſtulæ reciderint, vel facies ac manus detumuerint, Cardiacis vtendum eſt, ſed cavendum ne in his exhibendis nimii ſimus. quamvis enim ſanguinem ademeris, fieri tamen poteſt vt virium inde jacturam metuens, adeoque cardiacis, aut fortioribus aut ſæpe repetitis vtens, novam ebullitionem ex improviſo ſuſcites: Nimirum ſanguis adhuc tenerior eſt, & vim calidioris ſtimuli facile ſentit, Vnde fit vt ſæpe repetitæ ebullitiones in eodem excitentur, quibus ægrorum mors majori jure tribuenda eſt quam prægreſſæ venæ ſectioni. *Idem pag.* 191.

X. Quamprimum manifeſta hujus morbi indicia ſe produnt, ægro aura liberiore, vino ac carnium eſu interdico; cereviſiam vero tenuiorem pane toſto leviter tepefactam pro Potu ordinario, ac nonnunquam pro arbitrio hauriendam concedo: Pro Victu etiam juſcula avenacea, hordeacea, poma cocta, aliaque quæ neque frigoris neque caloris vim aliquam egregiam obtinent, aut ventriculo moleſtiam exhibent injungo: A regimine calidiore protinus inhibeo, vt & ab vſu cardiacorum quorumcunque, quibus Variolas in cutem ante diem quartum, qui eruptioni proprius eſt ac naturalis, temere propellere nonnulli ſatagunt: Cum pro certo habeam eo magis vniverſalem fore materiæ Varioloſæ ſeparationem, quo tardius iſtæ prorumpunt, proinde & ſecuriores poſſumus eſſe ne ſe denuo intro condant, & rectius matureſcent: Cum ſi ante tempus extrudantur, præcipitatur materia cruda adhuc atque inconcocta, quæ ad inſtar fructuum præcociorum inani ſpe lactat: Adde quod ab hac nimium feſtinata diligentia periculum eſt (in calidioribus præſertim temperamentis ac vegetioribus, quorum principia activa plus ſatis cardiacorum ſupplent vicem) ne natura nimis incitata coactaque, vniverſam pene corporis ſubſtantiam in Variolas effundat, ita vt jam confluant illæ quæ, niſi plus æquo properaſſes, in *diſtinctarum* ordine lætiori omine ſubſtitiſſent: *Idem pag.* 192.

XI. Porro non ideo ſtatim foras propellendæ ſunt Variolæ, vbi primum aliqua hujus morbi ſuſpicio oritur, quia ſcil. æger ante eruptionem vehementer vt plurimum laborat angiturque, cum ne vel vna quidem inſtantia poſſit oſtendi quempiam ideo interiiſſe, vtut graviter ægrotaverit, quod non mox prodirent Variolæ, Vel naturam iiſdem ſetius ocyus extrudendis defuiſſe, niſi ſicubi regimine calidiore, & remediis Cardiacis, præmature ingeſtis, fuerit impedita: Etenim non ſemel obſervavi in junioribus, & temperamento ſanguineo præditis, regimen calidius, & Cardiaca eo animo exhibita vt Variolas ante juſtum tempus extruderent, ita parum eruptionem acceleraſſe, vt eidem è contra obicem ponerent: Sanguine enim his modis excalefacto, & in motum violentiorem, quam qui materiæ varioloſæ ſeparationi rite peragendæ par eſſet, concitato, certa tantum quædam morbi indicia ſe prodidere, latentibus intra cutim puſtulis

neque

neque ſe vltra efferentibus, quibuſcunque demum Cardiacis ſollicitarentur, donec tandem ſanguine ad moderatam debitamque temperiem redacto, conceſſa ſcil. Cereviſia tenuiori, demptoque partim ſtragulorum quibus torrebatur onere, puſtulis exiturientibus commodam viam ſtravi, atque ægrum in tuto collocavi. *Idem pag.* 193.

XII. Neque magis ab illis ſtat ratio qui ægrum ita pertinaciter ante diem quartum lecto addicunt, modo cubiculi ambitu ſe contineat, quam ab his qui adeo præmature atque intempeſtive cardiaca ingerunt; Etenim ſanguinis nictus, maculæ purpureæ, & alia ſymptomata lethalia eo tantum nomine, præſertim ætate florentibus ſuperveniunt, quod præpopere lecto affigantur: quarto vero die lectulo ægrum adjudico, ac tum temporis ſi eruptio parum pro votis ſuccedat, recte exhiberi poteſt Cardiacum aliquod blandius, vnica ſaltem vice, quo cogantur Puſtulæ. *Idem pag.* 194.

XIII. Inter iſta quæ huc faciunt medicamenta, *Paregorica* dicta, qualia ſunt Laudanum liquidum, Diacordium &c. ſi in pauca quantitate Aquis Cardiacis appropriatis admiſceantur, cæteris prælucent: Hæc enim cum ſanguini æſtuanti frænum injiciant, Natura materiam morbificam opportunius atque liberius ejicit atque amolitur. *Idem.* 105.

XIV. Neque etiam conſulerem Cardiacum ante dictum diem quartum propinare, vel vigente *diarrhœa*, atque illud, vt videtur, indicante: Licet enim nonnunquam Variolarum Confluentium eruptionem præcedat diarrhœa, quæ oritur ab inflammatoriis halitibus, vel humoribus è maſſa ſanguinis per primos dies exagitati atque æſtuantis, in inteſtina exoneratis, non tamen hic magis decrit Natura dictis materiæ varioloſæ halitibus in corporis habitum propellendis (quo facto ſua jam ſponte ſiſtetur diarrhœa) quam ſolet in halitibus iſtis extro vertendis eliminandiſque, qui in ventriculum verſi ſub initio morbi vomitum excitant. *Idem.*

XV. Si ad adoleſcentem vegetiorem accerſor, qui inſuper liberaliore ſive vini ſive liquoris cujuſcunque ſpirituoſi compotatione morbo anſam dedit, non ſatis habeo ad frænandam ſanguinis ebullitionem, vt tam lectulo quam cardiacis abſtineat, niſi ad hæc ſanguis è brachio mittatur: Quod ſi non concedatur, obtinente vulgi præjudicio, miſſionem mihi eſſe petendam exiſtimo: Superinducta enim inflammatione iſta, quam ſanguini impreſſit liquorum ſpirituoſorum fervor, intenſo illi calori quem hic morbus naturaliter comitem habet, ita furit ſanguis vt non raro in veſicam vaſorum ductu irruat: vel maculas pariat purpureas, aliaque ejuſmodi ſymptomata, quæ per omnem morbi decurſum crucem figunt Medico, atque ægrum è medio tollunt. *Idem p.* 195. De venæ ſectione in Variolis Vide §. 40. 41. 42. & ſequ.

XVI. Vbi primum eruperint Puſtulæ, jam proxime diligenter perpendo an *Diſcreti* fuerint generis an vero *Confluentium*, cum longo hæc intervallo ab invicem diſtent, etſi conveniant quoad ſymptomata quædam: Si itaque ea Puſtularum magnitudine & parvitate, tardioreque eruptione, tum etiam ægritudinis aliorumque ſymptomatum graviſſimorum, quæ in Confluentibus etiam poſt eruptionem fatigant evaneſcentia, de genere *Diſcreto* mihi conſtet, ægrum cereviſia tenuiori, juſculis avenaceis, hordeaceis, &c. reficiendum curo: Atque ſi tempore æſtivo, eoque calidiſſimo Variolæ non ita multæ obtingant, quorſum attineat ægrum in lecto jugiter ſtratum obrutumque detinere ego quidem non video: Quin potius ſingulis diebus de toro per aliquot horas ſurgat, ea lege vt tam loco quam veſtitu frigoris pariter ac caloris nimii incommoda præcaveantur: Quid quod ægroto à cubili quandoque abſtinente morbus minori cum moleſtia, ac etiam breviori ſpatio ſua tempora peragat quam ſi eidem continenter alligatur; quod non ſolum ægritudinis tædium adauget, verum etiam febrilem æſtuationem fovet, & prodeuntibus veſiculis dolorificam inflammationem conciliat: Quod ſi aut frigidior anni tempeſtas, aut copioſior exanthematum eruptio perpetuo decumbendi neceſſitatem ægro imponat, proſpicio vt non intenſiore caloris gradu, vel adjectis pluribus ſtragulis in lecto decumbat, quam quibus in proſpera valetudine vti ſolebat, accenſo nonniſi hyeme incumbente, mane & ſero, foco mediocri. *Idem p.* 197.

XVII. Nollem vt brachia ſemper ſtragulis accurate cooperta detinerentur, aut in eodem loco ſemper jaceret æger, nempe ne ſudores copioſius erumperent, quos ego, experientia fretus, fidenter aſſirmo non abſque ingenti periculo (præſertim in adoleſcentibus) accidere poſſe: Vellem itaque vt liber in lecto jaceret, locumque ſubinde commutaret. *Idem meth. cur. febr. p.* 109. *Et loco ante cit. p.* 198.

XVIII. Determinante morbo, cum halituum à materia jam in pus converſa prodeuntium, Eruptio liberior à puſtulis tandem cruſtoſis ac duriuſculis impediatur, abs re non erit vini Canarini ſemicocti, cochlearia 3. vel 4. vel aliud medicamentum Cardiacum temperatum exhibere, ne ſcil. halitus illi putridi in ſanguinis maſſam poſtliminio revertantur, Et ſane jam nunc, neque prius, cardiacis locus eſt:

Eodem pariter tempore Diæta paulo calidior & cardiaca magis poteſt concedi; Inſcula v. g. ex pane & cereviſia ſaccharatis; ea farina avenacea cum cereviſia & ſaccharo: Neque aliis omnino opus erit, in genere ſcil. *Diſcreto* ac leniori, ſi æger hac methodo ac diæta, vtriſque moderatis, ſe tractari patiatur. *Idem ibid.*

XIX. Hæc ſane, reclamante licet male fundato hominum præjudicio, vera eſt methodus huic variolarum generi medendi: Et licet non negem multos regimine admodum oppoſito tractatos nihilominus convaleſcere, fatendum eſt tamen, (etſi prorſus omni periculo vacat ex ſua natura hoc *Diſcretum* genus) plurimos etiam interire; Quin & alii complures pariter fatis concederent, niſi vel à frigidiore tempeſtate in quam incidit morbus, vel à v. ſ. (aliter ſupervacanea atque inutili) nuper celebrata ſervarentur: Quo nomine, ſi vel obſtinatio amicorum, vel ægri diffidentia prædicto regimini interceſſerit, tutius mihi videbatur ſanguinem detrahere: quod quidem licet per ſe officiat (qua ſcil. & ſeparationem perturbat confunditque & pabulum inſuper tum puſtulis, tum tumori elevandis deſtinatum ſubducit) aliquantiſper tamen ſequuturum regimen calidius penſat, ac proinde hanc, quam nonniſi coacti vſurpamus, methodum non vſque adeo periculoſam atque ancipitem reddit. *Idem.*

XX. Ex dictis patet cur perpauci adeo è plebe hoc morbo pereant, ſi ad eos comparentur qui inter divites eodem trucidantur: quod quidem vix ad aliam cauſam poteſt referri quam quod ob rem do-

mi anguſtiorem, & agreſte vivendi genus, vix illis fiat copia ſibi noceendi regimine magis accurato & delicatiori. *Idem p.* 199. *Anno* 1680. *Geneva epidemica fuerunt Variolæ per hyemē, Obiere ad Ianuarii vſque menſis anni* 1681. *initium tum pueri, tum adulti, centū & undecim: In Noſocomio quadraginta pueri iiſdem laboravere, vnus tamen tantū vel alter interiit; Etſi Medicis peritia nihil detractum velim, priori rationi potius adhæreo, quod naturæ commiſſi fuerint, nullo accurato obſervato regimine, ſolum decocto raſura cornu cervini vſi & lentium. Nonnullos curandos habui, quos prædicta methodi beneficio ſervavi.*

XXI. Quinimo & plures interemit vulgus jugulavit hic morbus, ex quo *Mithridatii*, *Diaſcordii*, *Decocti c. c.* &c. vſum didicere, quam in ſæculis indoctioribus quidem, at magis ſapientibus, cum in ſingulis ferme ædibus reperiatur ſtolida aliqua ac ſciola muliercula, quę in hominum perniciem quam non didicit artem exerceat. *Sydenham l. pag.* 200.

XXII. At ſi *Confluant Variolæ*, periculoſæ plena res eſt aleæ, arbitror enim ego genus hoc non minus ab altero illo diſcrepare, quam ab hoc ipſa Peſtis, licet apud vulgus, quibus nomina & verba pro rebus ſunt, vtriuſlibet curatio ex æquo prædicetur: In hac morbi ſpecie, cum intenſioris ſanguinis inflammationis proles ſit, major pariter adhibenda eſt cura ne calefiat æger: Quamvis autem ſpecies hæc ex ſua natura majorem ſibi vendicet refrigerationem quam altera, ad promovendam tamen faciei ac manuum intumeſcentiam (ſine qua de ægro actum eſt) & puſtularum elevationem ac augmentum, tum etiam quia æger ob exulcerationes dolorificas lecto abſtinere nequeat, expedit vt in eodem contineat, & ſe, & manus etiam ſuas, modo ſtragulis modice contentus ſit, & conceſſa fuerit venia ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitrio ſuo trāsferendi, vt in genere *Diſcreto* annuimus: Præſertim vero morbo exeunte, cum jam appetat *Febris maturationis*, non tantum hac libertate demerendus eſt æger, ſed monendus etiam vt ea vtatur, quin & verſandus ſæpe nocte atque interdiu, ut ingens calor contemperetur, & vitentur ſudores, quibus amandantur lenis iſte humor quo diluendæ ſunt Variolæ vt miteſcant. *Idem pag.* 200.

XXII. Si *Ptyaliſmus* in hoc morbo ſupervenerit (idquod ſæpe in adultis poſt calidius regimen, & cardiaca contingere ceroitur) bona omnia ſperare licet: Certe pleriqne ita male tractati huic ſymptomati ſalutem ſuam acceptam referunt: Morbus enim à via naturali, qua ſe expurgare tentaverat, digreſſus, novam hanc molitur, per ſalivationem ſcilicet; proindeque dehinc minus de puſtulis curandum eſt, ſed ſpectanda potiſſimum eſt exſpuitio, conandumque vt quam laudabili more ſuccedat: Cavendum etiam ne ptyaliſmum hunc quovis modo impedias aut interturbes: Quare à gargariſmis, ſub quocunque prætextu, abſtineatur; quorum vſu mortem aliquando illatam obſervavi, dum ſputum alias exiturum inhiberent: Solum hic cereviſiam tenuem, leviter calefactam admiſceror, qua, ſi opus, ægrorum ora abluantur. *Sydenham Meth. cur. febres p.* 108.

Quandoquidem verò *Ptyaliſmus* hanc ſpeciem jugiter comitatur, qui cum è præcipuis ſit Naturæ evacuationibus, atque hic in ejus locum quæ per Puſtulas fieri debuit, ſubſtituatur, (quæ quidem per puſtulas evacuatio in hac ſpecie humili atque depreſſiore non æque atque in altera procedit) ſummopere annitendum eſt vt dicta Salivatio in vigore perſtet & conſervetur, nec ante diem ſuum ſiſtatur, vel remediorum calidiorum vſu, vel a cereviſia tenui, aut ſimili alio liquore, liberaliter hauriendo, ægrum arcendo: Iam cum Ptyaliſmi mos ſit, naturaliter ſe habentis, vt cum prima eruptione incipiat, & die xi. minuatur, neque tamen niſi poſt diem adhuc vnum aut alterum omnino deſinat, ſi ante diem illum penitus ceſſet, in lubrico ſunt res ægri: Nam cum faciei tumor (per quem nonnihil materiæ morbificæ evacuatur) nunquam non eo ipſo die diſpareat, ſi ſalivatio eodem pariter tempore ſe ſubducat, æger materia Varioloſa jam putreſcente, ceu veneno inficitur: Cumque jam nulla amplius detur porta per quam evacuari poſſit, in buſti limine conſtituitur: niſi forte (quod fit nonnunquam) manuum intumeſcentia, quæ vt ſerius quam illa faciei ſe oſtendit, ita tardius recedit, ejus ſit molis ac momenti, vt ab orci faucibus illum eripiat: *Salivatio*, quæ tanti hic eſt, tamque neceſſaria, admodum promovetur, ſi ægro affatim propinetur cereviſia tenuis, vel liquor quilibet alius qui nec illum calefaciat, nec ad ſudores provocet. *Idem pag.* 201. De Ptyaliſmo vide §. 21. b. libro 14.

XXIII. Præter hæc, vt ſopiatur vehemens illa ſanguinis ebullitio, qua hæc variolarum ſpecies alteram illam longe ſuperat, & ſuſtentetur *Ptyaliſmus* (neceſſaria nempe hujuſce morbi evacuatio) conveniunt *Narcotica* præ allis quibuscunque: quæ licet ob vim, qua donantur, incraſſantem, educendę Salivæ videantur officere, jamdiu tamen ego iſto me iſto liberavi præjudicio, atq; eadē in hoc morbo adhibui, aſtipulante vbiq; rerum eventu, modo æger pubertatem exceſſerit: Sanguis enim infantium puerorumque cum mitius ferveat, nullo hujuſmodi eget ſuſflamine, atque inſuper horum vſu *Diarrhœa*, quam in hoc morbi genere infantibus evacuationem natura inſtituit, cum ægri damno ſiſtitur: Adultis vero *Paregorica*, ſi frequenter vſurpentur, hæc afferunt commoda, 1. Somnum moderate calefaciendo, efferam nimis ſanguinis ebullitionem, ac proinde *phrenſin* cohibent præcaventque: 2. Ab eorum vſu faciei & manuum intumeſcentia, quam inſignem in hoc morbo natura habet evacuationem, rectius procedit, 3. quod non parum facit ad ægri ſecuritatem, cum non raro juſto citius detumeſcat facies, cum malis ægri rebus, tumor narcoticorum ope ad debitum vſque Naturæ terminum ſuffulcitur & protrahitur: mitigato enim ſanguinis fervore, radii inflammati opportune ad manus, faciem, atque omnem corporis ſuperficiem pro morbi ingenio feruntur: Ptyaliſmus denique hiſce propagatur, qui licet vi medicamenti, ita fortiter incraſſantis, ad horas aliquot ſiſtitur In quibuſdam, mox tamen aucto novis hiſce ſuppetiis robore, inſurgit denuo natura, & cœptum opus feliciter peragit; Quinetiam animadverti Salivationem, quæ circa diem xi. aliquando etiam citius, cum ingenti ægri periculo minui ſolet, exhibitis plus ſemel paregoricis de novo fuiſſe redintegratam, nec ante diem xiv. alicubi etiam & poſt illum, deſiiſſe: Propino ego vt plurimum vel *Laudani liquidi* gutt. xiv. aut circiter, vel ℥vj. aut ℥j. *ſyrupi de meconio in aqua flor paralyſis*; vel ſimili ſtillatitia ſolutam; Quæ ſi Adultis poſt plenam eruptionem ad morbi vſque finem ſingulis noctibus propinentur, non modo incommodi nihil, ſed & magnum inde emolumentum capient, quod frequenti experientia didici: Expedit vero, vt cenſeo, paulo temporius quam aliter fieri ſolet, *Paregoricum* exhibere; facile enim obſervatu eſt in Variolis peſſimi moris, caloris, vt ita dicam,

pato

paroxyſmum veſperi plerumque ægrum inquietudine aliiſque ſymptomatis laceſſere, quæ, ſi *paregoricum* hora vj.vel vij. veſpertina ſumatur, aliquatenus præcavere poſſint. *Idem p.* 3.

XXIV. Porro, cum in *Variolis confluentibus*, haud minus certo *Infantes diarrhœa* corripiuntur, quam adultos ptyaliſmus, natura alterutram harum evacuationum, materiæ morbificæ eliminandæ ubique conſtituente: & nec hic *ptyaliſmo*, ita nec in illa *diarrhœæ* frænum iniicio, cum utrum que ex æquo ſit abſurdum: Male locata interim imprudentia aliquot mulierculorum opera in ſiſtenda hujuſmodi *diarrhœa*, multa infantium millia letho dedit, dum falſo ſecum reputant Diarrhœam par in hac variolarum ſpecie atque in *Diſtincta* diſcrimen apportare; Neſcia ſcil. *illic* tantum obeſſe *diarrhœam* ubi per puſtulas ſit evacuatio, hic vero naturæ opus illam eſſe, morbo effugium quærentis: Miſſa itaque diarrhœa ἐν τῷ δέον ex præcepto *Hippocr.* ..., quo ... pede pergo, in cunis ut nunc jaceant infantes, ut ... tunc auferantur cunabula, & ſi fuerint ablactati, eandem quam ſuperius adultis Diætam illis concedo. *Idem pag.* 204.

XXV. Si in *Diſcreto* genere, ob regimen juſto calidius, & continuos ſudores, ægri facies non incurſet (puſtulis interim ſatis denſe ſe exerentibus) ſed flaccida ſit, & palleant puſtularum interſtitia; in caſu poſito, ultra quod ad temperatum magis regimen, & compeſcendum ſanguinis ὀργασμὸν velis remiſque contendo, *Paregoricum* aliquod è veſtigio hauriendum præcipio: quod quidem ſomnum blande conciliando (niſi plus nimio cerebrum incaluerit) & mitigando proinde efferænem ſanguinis ferociam, ſanguinem una cum calore ad faciem, prout morbi ratio poſtulat, tempeſtive determinat. *Idem pag.* 206.

XXVI. Quod ſi eo uſque proceſſit malum ex ... ortum, ut ſudor qui copioſe huc uſque manavit ſponte ſua defecerit, æger *Phrenitide* corripiatur, de vehementi queratur ægritudine, urinam paucam at frequenter reddat, nullo iam alio auxilio (cum in propinquo mors ſit) ægro ſubveniri poſſe exiſtimo, quam ſanguinem e brachio ſatis larga quantitate extrahendo, corpuſque exponendo auræ liberiori: Et profecto haud ita temerarium atque *anum* videbitur quod jam propoſui, ſi ad illos animum advertamus, qui ob copioſas narium hæmorrhagias ſubito ingruentes, ferreas imminentis lethi manus ſalvi evaſere. Illud inſuper eſt perpendendum, quod in extremo hoc agone, non ideo co inſtat mors quod puſtulæ intro recedant, (catant enim hæ, ut diximus, eminentque cum inſigni rubore, etiam animam agente ægro) ſed quod facies non turgeſcat: ad promovendam vero hanc faciei intumeſcentiam, quicquid id demum eſt quod ad ſanguinem contemperandum facit (venæ ſectionem autem, & modicam refrigerationem eam vim obtinere, nemo opinor negaverit) neceſſario, æque ac Paregoricorum uſus, atque ob eaſdem plane rationes debet conferre. *Idem pag.* 208.

XXVII. Non hæc ita velim intelligi ac ſi in qualibet *Phrenitide*, Variolis ſupervenienti (cum nullum hoc ſymptoma frequentius occurrat) venæ ſectionem ſtatim ſuadeam, ſed in illa tantum quæ ideo accidit quia facies non turgeſcit, in *Diſtincto* ſcil. genere, & puſtulis copia ... magna con ... rentibus: vel ubi ob regimen admodum calidum, & cardiacorum uſum ſanguis adeo eſt efferus, atque ultra omnem modum evectus, ut inducias ferre nequeat donec medicamentis paregoricis, & reliquis eodem facientibus, ad debitam temperiem reduci poſſit: Cum enim ita ſe res habet, Medicus ad conſcientiam ſuam potius quam ad incertam ſan ... ſe componens, vel ſanguinem, ut ante dictum, detrahere debet, vel ut æger aere liberiori refocilletur præcipere: Quod ... ... e lecto aliquantiſper exurgere, quo facto plures à morte liberavi. *Idem pagin.* 209. Ibi vide exemplum phrenitici pro morte ... expoſiti, & eo modo reviviſcentis & convaleſcentis.

XXVIII. Si in Variolis *confluentibus* Saliva eo uſque ... cocta ſit & ... ut ... ægrum non ... ſpuendo ... (quod undecima ſic non infrequens eſt) Gargariſma ... ſæpe die nocteque ſyringa in fauces ſedulo injiciatur, ſeſſio imperandum: Componatur vero illud è cereviſia tenui, vel aqua hordei cum melle ... atum. Quod ſi æger tiſſe fuerit tractatus Ptyaliſmus etiam cum jam cœperit imminui, ita pulchre ſuo fungetur munere ut hoc remedio opus non fuerit: Et profecto ubi eo res tendit ut æger ſingulis momentis à ſuffocatione periclitetur, ſtupore obrutus, & ſpiritu fere undiquaque præcluſo, non ſatis tuto huic remedio fiditur: Ægro ita ad incitas redacto Emeticum peropportune ac feliciter nonnunquam exhibui ex *Infuſione Croci metallorum*, ſed dozi paulo majori, ſcilicet ad ℥ jß: quando ob eximiam, qua laborat æger, ſtupiditatem, minor dozis haud quaquam operabitur, atque interim eos exagitando humores quos nequeat educere, ægrum in magnum vitæ diſcrimen conjiciet. *Idem pag.* 210.

XXIX. Eadem hac ſanguinis contemperatione & *maculas purpureas* vidi ſublatas: Sed neque hac, neque alia methodo quacunque vel *Mictum ſanguinis*, vel violentam *ejuſdem è pulmonibus eruptionem* adhuc ſufflaminare potui: Utraque vero Hæmorrhagia hæc, quatenus mihi hactenus obſervare licuit, indubie mortem pronuntiat. *Idem pag.* 211.

XXX. In *Urinæ ſuppreſſione*, quæ juniores ac vegetos nonnunquam inceſſit (a confuſione ſcilicet magna & ſpirituum ἀταξίᾳ, ejuſdem excretioni ſubſervientium, ob ſanguinem & humores nimio fervore agitatos) omnes Diureticorum tribus in auxilium acceſſivi; ſed nihil æque feliciter hic mihi ceſſit atque è lecto eximere ægrum, qui poſtquam adſtantium manibus ſuffultus, cubiculum bis terve circumambulaverit, mox urinam ſatis copioſe reddet, haud parvo cum levamine. *Idem ibid.*

XXXI. At vero quæ à materiæ Varioloſæ repercuſſione ob frigus externum, vel evacuationes indebite factas, proveniunt ſymptomata, uſu Cardiacorum &, conformi regimine ſunt tollenda; qui tamen non ultra ſpatium, quo iſta perſtant, continuandus; Horum præcipua ſunt *Puſtularum Depreſſio*, ſeu procidentia, & *Diarrhœa* in variolis *diſcretis*: Neque enim in *Confluentibus*, vel puſtularum depreſſio mali quicquam ominatur; ... ... ſit morbi natura; Neque Diarrhœa in ... ... iiſdem laborantium, cum ſalutem iſta adferat, non periculum: In utroque hoc caſu potius Cardiaca, ex aquis ſtillatitiis ap-

propriatis, cum *Diaſcordio*, *Laudano liquido* &c. jure optimo concedetur, idque non tantum ad dicta ſymptomata ſubmovenda, ſed quolibet morbi tempore, ſi æger de cordis dolore atque ægritudine conqueratur: Et quidem opinor ruborem illum, qui de crebra Puſtularum retroceſſione invaluit, ex eo natum eſſe, quod qui earundem depreſſionem in genere confluentium obſervaverint, illam pro materiæ Variolosæ ob ſuſceptum frigus receſſu habuerint, cum nihil ſu hoc præter morbi morem: atque in genere diſtincto idem ſuſpicantur, quia ſcilicet puſtularum eruptionem atque augmentum ante diem expectant, cum non ſatis attenderint ad tempus illud quo natura fructum hunc ad maturitatem ſolet perducere. *Idem pag.* 212.

XXXII. Ægro jam convaleſcente, Puſtuliſque deciduis, vbi per dies aliquot carnes idem guſtaverit, circa diem nempe xxj. ſanguinem è brachio extrahendum cenſeo, ſi morbus fuerit vehementior; Cum inflammatio, quam ſanguini impreſſerunt Variolæ, ſive adultus fuerit æger ſive infans, non minus venæ ſectionem indicet quam colluvies quæ eidem accrevit catharſin; quod ſatis liquet tum à ſanguinis colore, qui poſt atrociorem morbum educitur, Pleuriticorum ſanguini omnino ſimilis; tum etiam à magnis iſtis inflammationibus quæ poſt morbum hunc in oculos decumbunt, aliiſque ditis ſanguinis excalefacti, & a morbo depravati effectibus; Vnde etiam qui antea pancratice valebant, poſtea cum humoribus calidis acribuſque, in pulmones, aut aliam aliquam partem depluentibus, per reliquam vitam omnem conflігunt: At ſi pauciores extiterint Puſtulæ, ſanguinis miſſione non opus erit: Poſt venæ ſectionem catharticum exhibeo ad tres vel quatuor vices. *Idem p.* 213.

XXXIII. Morbilli Epidemici initio anni 1670. incurſantes, & hi qui graſſabantur initio anni 1694. Variolas nigras introduxere, quarum Puſtulæ fuliginem nigredine æquabant, vbi nempe confluxerint, & æger non prius extingueretur quam ad maturitatem iſtæ pervenerint, immaturæ enim fuſcæ tantum erant colore: Puſtulæ quinetiam perpuſillæ erant ſi numeroſæ (paucæ enim vbi fuerant tantum, haud erant minores quam in aliis Variolarum generibus; nigræ vero rariſſimæ:) Sub vtriſque magna putredo latebat, naturæ craſſæ & incoctilis: Maturæ peſſime olebant, ita vt eiſdem graviter laborantea præ fœtore vix quirent accedere: Tarde periodum abſolvebant, hærebantque diutius quam vlla ſpecies alia quam mihi videre contigerit: Notatu dignum, quod quanto mitior eſt morbi ſpecies, tanto citius puſtulæ ad maturitatem, atque morbus ad finem perducitur: Ita in ſpecie iſta regulari Variolarum Confluentium quæ anno 1667. ingreſſa eſt, dies xj. maximum afferebat vitę diſcrimen, quo ſemel elapſo non amplius vtplurimum ægro metuendum erat: In proxime ſequenti ſpecie anomala Confluentium, quæ initio anni 1670. cœperunt invadere, æger die xiv. vel ad extremum xvij. maxime periclitabatur, quos ſi æger ſuperaverit, ſalvus omnino erat: At vero in hac ſpecie Confluentium æger etiam poſt diem xx. contrucidabatur: nonnunquam & ſi convaleſceret, non tantum tibiæ intumeſcebant (quod quidem in Variolis confluentibus quibuſque familiare eſt) ſed brachia inſuper, humeri, crura parteſque aliæ; qui quidem tumores ab intolerabili dolore, Rheumaticorum per omnia æmulo, tragœdiam ordiebantur, poſtea haud raro ſuppurabantur, & in ſinus ingentes, & partium muſculoſarum apoſtemata deſinebant.

Videntur autem mihi hæ Variolæ nova quædam ſpecies, è priore jam inveteraſcente ſuborta: quavis pro aëris diatheſi cum producente Epidemicum, Variolæ nigræ, quæ initio anni 1670. primum ſe oſtendebant, ad *ἀκμὴν* ſuam vſque progrederentur, tamen ad inſtar recidivæ alicujus morbi à materia priſtina denuo fermenteſcente, aër rurſus ad Variolarum productionem faciens, ex veteri penu eaſdem deprompſit: qui quidem morbus ſumptis de novo viribus reviviſcere quaſi videbatur: Tanto autem magis anomalæ hæ erant, tantoque magis intenſam redolebant putrefactionem, quanto materia, è qua generabantur, iſta craſſior erat atque fæculentior &c.

Curationem quod attinet, miratus ſum Indicationes plane contrarias quas hic mihi morbus ſubinnuere videbatur, *Hinc* enim clarum fuit à calidiori regimine ſymptomata quę à nimia inflammatione pendent, ſtatim produci, febrim, phrenetin, maculas purpureas &c. quibus hic morbus præ cæteris quibuſque eſt obnoxius: *inde* vero regimen juſto frigidius faciei, manuumq; intumeſcentiæ, quæ hic apprime eſt neceſſaria, officere, & puſtulas flaccidiores reddere: Poſtquam hæc diu multumque apud me anxie revolveram, intellexi tandem vtriq; huic incommodo eodem ſimul tempore poſſe occurri: Vſum enim aquæ cum lacte coctæ, cereviſiæ tenuis, aut liquoris alterius ſimilis liberaliorem concedendo, penes me erat internum ſanguinis orgaſmum frænare: Atque ex adverſo ægrum in lectulo jugiter detinendo, ne brachio quidem exerto, blando ejus calore puſtularum elevationem, & faciei manuumque intumeſcentiam valebam promovere: Neque hæc ſecum methodus pugnare videtur, ſanguis enim, eruptione iam finita, particulas inflammatas in corporis habitum eructaſſe putandus eſt, neque jam ſtimulis ad vlteriorem materiæ ſecretionem indigere: Ita vt, cum jam in habitu corporis, maturandiſque abſceſſibus cardo rei verſetur, id tantum ſit agendum *Sanguinis* nomine, vt ſçil. ſanguis ab halitibus calidis, à carne puſtulis obſeſſa retroagendis, ſartus tectus conſervetur; *Puſtularum* vero, vt blando partium externarum calore ad maturitatem illæ perducantur: Iam vero, vt vt feliciter mihi ceſſerit hæc methodus in Variolis aliis *Confluentibus*, in iſtis tamen *hujus* conſtitutionis me fefellit: Ita vt eorum pleriique qui vehementius laborabant interirent, ſive methodo jam à me laudata, ſive regimine & cardiacis calidioribus vterentur: Omnino itaque intellexi deſiderari adhuc aliquid pręter iſta, quę vel ad compeſcendam ſanguinis ebullitionem, vel ad puſtularum elevationem, manuumque atque faciei intumeſcentiam facerent: deſiderari ſç. aliquid quod putrefactioni magis intenſæ, quam in his Variolis præ cæteris quibuſque obſervaram, vincendæ par eſſet: In mentem tandem mihi venit *Vitrioli ſpiritus*, quem æſtimabam vtrique intentioni, tum putredinis oppugnandæ, tum perdomandæ caloris ferociæ ſatisfacere poſſe: Quamobrem ægro ſibi relicto, donec & dolor & vomituriti, quæ eruptionem præcedere ſolent, iam deſierint, & Variolæ conferto agmine prodirent omnes, tandem die 5. ſextove dicti *ſpiritum*, cereviſiæ tenui ad levem aciditatem inſtillatum, pro Potu ordinario conceſſi, ad libitum ſumendum; liberalius vero cum appeteret Febris maturationis, quem potum, donec perfectè convaleſceret, imperavi vſurpandum

pandum

pandum quotidie: Hic ſpiritus, ceu morbo revera ſpecificus, ſymptomata omnia ad miraculum fere compeſcebat; Facies & maturius, & longe altius intumeſcebat: Variolarum interſtitia ad colorem magis rubrum, & roſæ Damaſcenæ æmulum magis accedebant: Puſtulæ quoque minutiſſimæ grandeſcebant, ſaltem quantum ea ſpecies pateretur: Puſtulæ etiam quæ aliter nigræ comparuiſſent, materiam quandam flavam, & colore favum referentem eructabant: Facies deinceps pro nigra, colore flavo ſaturato ubique tincta conſpiciebatur: Celerius matureſcebant, atque tempora alia omnia diei unius aut alterius ſpatio citius percurrebant. Hæc autem accidebant omnia, ſi liquorem laudatum liberalius haurirent: Quapropter, quoties ægrum copiam ſubjugandis ſymptomatis debitam recipere animadverterem, ſpiritum iſtum, vel ſyrupo aliquo in cochleari permiſtum, vel Aquæ deſtillatæ [illegible] ſyrupo junctæ additum ſubinde ingeſſi, quo penitus ſcil. liquoris parcior uſus: Varia hujus medicamenti commoda recenſui, incommodi ne minimum quidem ex eo natum hactenus potui deprehendere; Licet enim ſalivatio die xi, xv. fere ab eo ſiſtatur, cujus vicem per id temporis dejectiones aliquot ſubire ſolent, tamen ab his minus ægro erit periculi quam ab iſta fuit: quandoquidem qui Variolis *Confluentibus* laborant eo præcipue urgentur diſcrimine, quod ſaliva his diebus viſcidior reddita fauces præcludat, cui quidem hoc in caſu diarrhœa ſuccurrit, quæ vel ſponte ſua deſinet, vel ſaltem, ubi nullum amplius a Variolis periculum eſt, Lacte & Aqua miſtis, & Narcotico aſſumptis facile compeſcetur.

Ægro interim in lecto jacenti, incluſis quoque brachiis, ſtragula præter ſolita adjici non patiebar: conceſſi etiam ut ex hac in illam lecti partem ſe pro arbitrio transferret, ad ſudores arcendos, in quos proclivissimus erat, hoc non obſtante remedio: Juſculis interim avenaceis atque hordeaceis victitabat, nonnunquam & pomis coctis: Ultimis diebus, ſi vel langueret æger, vel ægrotaret ſtomacho, vini Canarini cochlearia tria quatuorve indulſi: Hauſtum vero paregoricum jam a quinto ſextove die ſingulis veſperis temporibus propinandum adulto (infantibus cum eo non erat opus) præſcripſi, *Laudani ſcilicet liquidi gutt. xiv. in aqu. flor. paralyſ.* Die xiv. ægrum è lecto ſurgere permiſi: xxj. ſanguinem è brachio educendum curavi: catharticum deinde ad duas vel tres vices exhibui; quibus peractis ægri facies coloratior ac magis vivida conſpiciebatur quam ſolebat eorum quos ſolebat hic morbus ita male mulctaverat: Adde quod methodus laudata vix patitur faciem cicatricibus deturpari, quæ ab humoribus calidis efferatiſque proveniunt cuticulam rodentibus. *Sydenham ibidem pag. 283. & ſeq.*

XXXIV. Non ſunt negligendæ Variolæ, quin earum eſt habenda ratio exacta, inſtituendaque cura ſollicita, Primo, Quando illæ ſunt Epidemiæ, atque in eadem domo illis correpti ſunt unus pluresve Infantes, ac alii adhuc ſuperſunt qui eas nondum ſunt paſſi, & quidem ratione præcautionis ac præſervationis ab affectu gravi ac dubio. 2. Ratione illorum in quibus jam incipit febre vigente moveri per corpus cum ſanguine humor Variolas producturus. 3. Quando jam erumpunt per corpus univerſum maculæ ac tubercula, illaque incipiunt inflammari atque ad ſuppurationem feſtinant. 4. Quando eædem Variolæ in ſuppuratione verſantur, vel ſuppurari deſinunt: 5. Quando ſigna remanent humoris variolas producentis non ſatis expulſi, atque in abſceſſus mutari, adeoque in corpore adhuc remanentis, novaque mala minantis. 6. Denique ratione aliorum ſymptomatum graviorum eas comitantium, Inflammationis puta in uno vel oculo utroque, vel alias in oculis obſervatarum Variolarum, Reſpirationis difficilis, atque Tuſſis tum ſiccæ, tum humidæ, Tumorum hinc & Abſceſſuum in variis corporis partibus, artubus præſertim. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 1. cap. 9. §. 61.*

XXXV. Danda Opera ut ſi aliqui deprehendantur in Infantibus peccare humores qualitate aut quantitate, iidem blandis medicamentis alterentur, corrigantur, aut etiam minuantur educanturque, quo ſi accedant, tanto levius afficiant, & facilius ſuperentur Variolæ: Hæc tum Alterantia tum Purgantia medicamenta, pro humorum diverſitate danda ſunt diverſa & grata, quo facilius ipſa ſumant infantes: Bonum enim eſt aliquandiu in eorundem uſu Infantes continuare: Hac autem ratione fit ut quæ tunc occurrunt Variolæ boni moris blandæ, evadant adhuc blandiores & curatu faciliores: Quamprimum autem tunc temporis Febrem quamcumque, aut capitis dolorem gravantem, tuſſiculam, nauſeam, vel alvi fluxum &c. patiuntur Infantes, ſive alij Variolis laborent in eadem domo, ſive alibi tantum obſerventur epidemiæ, obſervandum ſedulo a Medico prudente quales imprimis tunc peccent Humores, quin quo iidem vergant, nunc ad Vomitum, vel ad Seceſſum, aut Sudores, quo medicamenta ſingulis convenientia præſcribantur, ipſorumque motus ac evacuatio utilis obſervata promoveatur: Danda ſiquidem opera ut ſi *Sanguis* redundet in ullo, qui Sanguinis miſſionem ferre poſſit, quamprimum illa inſtituatur; Nec tamen ibi ſubſiſtendum, quin potius ſi Ægri affectus, ac Febris præſertim ferat, non tantum eodem die, quin una ſubinde poſt ſanguinis eductionem hora, exhibendum aut Vomitorium aut Purgans per alvum, aut Sudoriferum, quoties Nauſea, vel Deſidendi conatus ventriſve Conturbatio, vel Mador, quid potiſſimum agendum ſuadeat: quo pars humoris peccantis, atque in corporis ſuperficie poſtea adhæſuri, atque Variolas parituri expellatur in totum è corpore, atque neceſſario reddantur ideo Variolæ pauciores blandioreſque: Inter medicamenta tunc uſurpanda, expertus præ aliis omnibus commendo *Antimonialia*, tum quia ſummam poſſident Sanguinem a quovis humore noxio mundandi efficaciam & vim; tum quia ſæpenumero pluribus poſſunt ſatisfacere indicationibus, atque pro re nata & operatione deſiderata per plures vias Humores noxios expellere: Nec ſufficit ſemel illa exhibere, quin nonnunquam per plures dies eadem iterare oportet, donec tam febris quam reliqua ſymptomata ſint ſublata, notabiliter ſaltem diminuta, unde non tantum longe pauciores ſolent tunc erumpere Variolæ, aſt ſimul exiſtere ſolito blandiores: quinimo ſæpenumero ſunt obſervatæ in meis ægris *Variolæ* per alvum excretæ, cum inſigni eorum levamine. *Idem §. 65.*

XXXVI. Quiſquis vera & ſecura methodo Variolas Morbilloſque curare velit, ne-

ceſſum eſt vt tria potiſſimum Variolarum tempora diligenter obſervet & diſtinguat, Primum ſcilicet, *Ebullitionis*. Secundum Apparitionis, Tertium Suppurationis: *Ebullitionis* tempore ægros Pulveribus ex ſolo bezoar, aliiſque calidioribus alexipharmacis obruere periculoſum eſt: niſi illa admodum temperata & ſubadſtringentia fuerint: cum quidem in finem ne ſanguinea maſſa nimium agitetur, ac ocyus tota inquinetur à miaſmate pravo jam iam fermentante, vnde natura ante tempus in prælium cogitur & obruitur: Scio præterea commotis tali modo intempeſtive ſuccis alvi fluxus ſucceſſiſſe periculoſiſſimos, in his affectibus plerumque lethales; Scio ſimilibus calidis eo vſque acui humores (præſertim ſi antea tenues ſint) vt mordaciores redditi pruritum in eruptione variolarum ingentem produxerint, ita vt ad leviſſimam quamvis frictionem cutis cum ſtillante cruore abſcederet, non ſine gravi odore, quæ non fruſtra præſentibus Medicis mali ominis fuere, & paulo poſt ſubſequutura gangrænæ præludia fuiſſe prodidit eventus, maculis lividis & purpureis uno die morbi ſubſequentibus, Vnde recte *Avicenna libro quarto ſ. 3. Tract. 4. cap. 6.* puſtulas nigras & vlceroſas in infantibus apparentes lethales eſſe pronuntiavit, Tanta nimirum eſt fermentantis ſanguinis aliquando turgeſcentia, vt non ſolum furioſo quaſi orgaſmo ad quaſcunque partes facile feratur, ſed etiam contagioſum maxime venenum exinde ſuboriatur, Sic *Philippus Salmuht Centur. 1. Obſervation. 35.* (*& alij*) funeſtos variolarum abſceſſus ad articulos viderunt: Quando enim, *inquit*, ebullitio eſt nimia, & valde vehemens, ſanguinem quaſi furioſum reddit, vt loquitur *Hippocrates*, hinc de loco ad locum fertur, præſertim articulos petit, tanquam partes, exangues, & ſic imbecilliores: *Idem Phil. Salmuth Centur. 2. Obſervat.* 50. notavit infantes Variolis detentos matribus lac præbentibus cauſam fuiſſe vlcerum in mammis admodum malignorum: Tempore *Apparitionis* Expellentibus ſecurius vtimur, maxime ſi natura videtur ſegnior: Ego frequenter vbi magna expulſione opus non eſt, contentus ſum aliqua aqua confortativa alexipharmaca, quam ſubinde ad cochlearia duo, tria, & ſæpius quidem in die propino, vt paulatim putredini reſiſtatur & natura ſucceſſive adjuta roboretur, E. g. ℞. *Aqua ſcorzon. fumar. borrag. è toto citro ana.* ℥j. *miſce*, adde pulver. prædictos ad ʒj. cum manu Ch. perl. *Franciſcus Ignatius Thiermair libro primo Conſ.* 4.

Cum morbi hujus ſtadium ſive decurſus, tria habeat tempora, veluti totidem metas invicem diſtinctas, etiam curativæ intentiones ſingulis horum accommodari debent: Quoad primum, ſcilicet *Ebullitionis*, intentio ſit vt naturæ impedimenta quævis auferantur, quo ſanguis Variolarum fermento inquinatus, & coagulari aptus, adhuc motum æquabilem in corde & vaſis ſine ſtagnatione retineat; ac effervescens portiones cum veneno gelatas foras expellat: Interim cautio ſit ne fermentationis ſeu effervescentiæ opus vllatenus cohibeatur, aut nimium protrितetur: *hoc* enim cruoris maſſa plus debito in portiones congelatas agitur, *Iſto* reſtringitur nimis in motu, nec particulæ venenatæ cum cruore gelato foras amandantur: Natura a ſecretionis & expulſionis operæ impediri ſolet nimia excrementorum congerie in viſceribus, aut ſanguinis exundantia in vaſis; quare primo ſaltem morbi inſultu danda erit opera vt evacuatio per vomitum aut ſedem, ſi opus fuerit, tempeſtive procuretur: vnde pharmacis tantum mitioribus vtendum eſt, quæ nimirum non irritent, aut humores perturbent: etiam ſanguinis miſſio, ſi plethora adſit, bono cum ſucceſſu celebratur: Interim victus inſtituatur tenuis & modice refrigerans, ſcilicet ex hordeatis & avenaceis, cerevisia tenui & ſimilibus: Vitentur *caro & juſcula ejus*, quibus ſanguis ob nimiam pabuli ſulphurei copiam plus debito accenditur: Etiam *frigida & acida* quævis nocent, hæc enim ſanguinem magis congelant, & adſtrictione vaſorum oſcula contrahunt, vt Variolæ minus libere erumpant: Etiam calida & cardiaca caute adhibeantur, his enim ſanguis & humores agitantur nimis, & in confuſionem aguntur. Quoad tempus *Apparitionis*, tria ſunt quæ regula conſtanti quibuſvis ægris agenda præcipimus, nimirum vt lenis & blanda diaphoreſis vſque in ſanguine continuetur, etiam vt *guttur ac oculi* à nimia variolarum eruptione præserventur: Præter hæc ſymptomata quædam quandoque vrgent, quibus cum idoneis remedijs tempeſtive occurratur: adſunt modo vigiliæ, phrenitis, hæmorrhagiæ, vomitus, diarrhœæ, variolarum recurſus: his & quibuſcunque alijs pro re nata prudens Medicus novit proſpicere: In quibus tamen magna cautione opus eſt, ne dum exiguis conſulimus nimia pharmacorum moleſtia magnum Naturæ opus interturbetur, Etenim toto hoc tempore vna & continua eſt criſis, quare nihil temere movendum eſt: Maxima requiritur Medici & miniſtrantium ſedulitas & circumſpectio quando hic morbus in ſtatu eſt, ſcilicet ne cum Variolæ plene eruptæ, & ad ſummam molem evectæ ſint, tranſpirationem impediant; tunc enim de febre redintegranda, & de materiæ malignæ intus reſtagnatione ægri periclitantur; quorum alterutrum dum præcavere ſtudemus ſæpe alterum inferimus. 3. Cum morbus in *Declinatione* fuerit, & Variolæ emarceſcere & incruſtari cœperint, res vt plurimum extra periculum ſita eſt, nec multum negotij Medico incumbit; Victu adhuc tenui & carnium experte ægrotus, licet valde eſuriens, contentus ſit: Si Puſtulæ tardius deciderint, linimentis & epithematis earum caſum maturare ſolemus, à quibus ne altiores relinquantur foveæ præcavetur: Poſtquam æger Variolarum exuvijs per totum depoſitis lecto exſurgere & in cubiculi obambulare poteſt, purgatione bis aut ter iterata ſordes, & materia excrementitia in viſceribus & ſanguine relicta auferatur, & dein victu lautiori vti permittatur. *Willis lib. de Febr. cap.* 15.

XXXVII. An Variolæ & Morbilli, ne ad incrementum & ſtatum perveniant, poſſunt in principio ſtatim, & quando adhuc in fieri ſunt, cum ægri ſalute *ſupprimi*? Vel ſaltem ita præſervari ne vnquam ſuperveniant? Hanc quæſtionem *Augenius libro decimo de Febribus, capite primo*, cum diſtinctione concludit: aſſerens a quibuſdam Variolis præſervationem tuto fieri poſſe, à quibuſdam non tuto: Nam Variolæ, *inquit*, in peſtilenti conſtitutione invadentes pernicioſæ adeo ſunt vt quoſcunque invaſerint occidant,

proinde

proinde omni ſtudio & opere incumbere debemus ne adveniant: Neque profecto iſtæ naturæ bono judicio fiunt, ſed ex aëre peſtilenti, cujus ſummam impedire aliquando, & aliquando hebetare poſſumus malitiam: At vero a benignis Variolis præſervatio fieri nequit, nec ſi poſſet eſſet ſecura, quia intrinſecam illam à nativitatis principio, in ſolidis partibus contractam labem, nullum artificium emendabit: Vnde colliges *Augenium* in hac ſua præſervatione peſtiferum potius contagium, & funeſtam aëris malitiam reſpicere, quàm ipſas Variolas qua tales, vtpote quæ abſolute præſervari non poſſunt nec debent: Præſertim quoniam, vt *Fracaſtorius lib. 2. de morb. contag. capite ſecundo* recte docet, & conſentiunt Medici, Ebullitio hæc purificatio quædam eſt ſanguinis, qua ſanguis defæcatur per quandam quaſi criſin à natura factam. *Franciſcus Ignat. Thiermair Conſ. 7. lib. 1.*

XXXVIII. Sub autumni præteriti finem, quo tempore Variolæ inſidiari, & ad hanc vſque diem paſſim in iſta regione graſſari cœperunt, ad Puerum decennem ex febricula cum dolore capitis ſatis intenſo, nec vllo propemodum alio ſymptomate à biduo decumbentem accitus, quicquid rei eſſet nonnihil ſuſpicatus, parentes ea de ſuſpicione monui, contrarium illi cenſentes, remque totam Lumbricis imputantes, vt cito ſtuderem vnice rogarunt: Importunis precibus eorum vltro laceſſitus annui tandem; hoc tamen apud me tacite rato, ne quod febrem augere, ſuſpectaſque variolas cohibere valeret, medicamentum incaute præberem: proin ex Mercurij dulcis granis decem, & pauca roſarum conſerva concinnata, ſumptaque ſerotinis horis longius à cibo, pilula, numeroſiſſimæ cum ægrotantis *ingenio* Puſtulæ poſtero die comparuere. Non ita multo poſt puella ſexennis febre parum acuta, ſed motibus convulſivis nauſeaque frequenti correpta, & à vermibus, ob recentiorem illorum ejectionem male ſic haberi credita, ſumptis aliquot in pilula præfati Mercurij granis, vberrimas, quod ſequenti die ſuum demiratus, variolas excrevit. *Fr. Boncbara. Miſc. Cur anni* 1672. *Obſ.* 9. Variolarum mentio monet vt laudetur in hoc morbo *Mercurius dulcis*, forſan cum ſit hoſtis vt lumbricorum, ita & colluviei animatæ, quam ope & fide microſcopij ſtatuunt hodierni Philoſophi in morbis malignis: Obſervavi remedium hoc, ſi detur in morbi ſuſpecti principio, vel præſervaſſe plane, etiamſi alij in eadem domo variolarum malignitate torquerentur, vel ſaltem à nimia eruptionis abundantia liberaſſe: Filia mea decennis Variolas minabatur, refrigeratione extremorum, ſubſequente incaleſcentia totius, dolore capitis, nauſea, ventris torminibus & doloribus vagis extremorum: malum inſuper erat communiter vagans: Tum primum ſuaſu nauſeę, contra ſuaſum Medicorum, evacuantia horrentium, dedi Mercurij dulcis ℈j. cum ſcammon. ſulphurat. gran. iv: dejecit ter, ſub veſperam vomuit enormiter, dormivit quietiſſime, & ſine partu Variolarum evaſit. Paulo poſt puella 8. annor. præcedentibus ſparſim & ſine febre Variolis, antequam ſanarentur, corripiebatur inde dolore capitis, oculorum dolore & dorſi &c. vt ab omnibus judicaretur parturire Variolas veras; dedi etiamſi in principio primo non adeſſem, tamen idem remedium, cum tanto juvamine vt pauciſſimæ erumperent. *Sigiſmundus Graſſius ibid. Obſ.* 56.

XXXIX. Quando prior Febris deſijt, aut ſaltem valde eſt diminuta, eruperuntque Variolæ plures paucioreſve, & ſymptomata ipſarum eruptionem præcedentia & comitantia ſunt fere ſublata, tunc bonum eſt vti *Antimonio diaphoret. Bezoart. min.* vel quovis alio antimoniali blande ſudorem movente, quo quicquid adhuc admixtum eſt ſanguinis maſſæ, id omne propellatur continue, non tantum ad corporis ſuperficiem, verum ex parte quoque per corporis porus vltra eandem, atque adeo è corpore. *Sylvius de le Boë Append. Tractat. 1. cap. 5. §. 71.*

XL. A *vena ſectione* inchoanda curatio eſt, ſi ſanguis aliquatenus redundet, ætaſque ægrotantis ferre poſſe videatur, eáque quam primum inſtituenda: Si tamen primo morbi die Medicus non fuerit vocatus, vtiliter nihilominus ſanguinem detrahet ante eruptionem, vel dum adhuc paucę apparent, quod tempus vulgo vſque ad quartam diem extendi conſuevit à febris invaſione: In quo tamen cautio diligens neceſſaria eſt; ſi enim puſtulis erumpere incipientibus febris imminutio & ſymptomatum remiſſio ſubſequatur, tutius eſt totum negotium naturæ bene operanti relinquere, quæ totam materiam morbificam ad cutem ſufficienter expulſura eſt, Tum v. ſ. neceſſaria non eſt, cum experientia doceat infinitos pueros benignioribus variolis laborantes, neque plethora oneratos, ſine ſanguinis detractione feliciter curari: Quin potius aliquando in dicto caſu v. ſ. noxam inferre poterit, cùm variolarum expulſio fieri ſoleat per ebullitionem ſanguinis, quæ ſi levis ſit à ſanguinis detractione multum imminuetur, ſicque inſufficiens evadet ad ſanguinis maſſam ab impuritatibus liberandam: Contra vero ſi erumpentibus variolis febris intenſior, anxietas, difficultas ſpirandi, lotium craſſum & rubrum, aliaque ſymptomata majora appareant, ſignum eſt naturam nimio humorum onere premi, eoſque non poſſe convenienter regere, ideo v. ſ. eſſe neceſſariam, vt detracta portione oneris reliquum à natura facilius expellatur: Vno verbo, In ebullitione merè perfectiva, ſeu depurativa, ſanguis detrahendus non eſt, in Corruptiva vero v. ſ. maximè neceſſaria, etiam in ea quæ minoris malignitatis eſt particeps. *Riverius Pr. l. 17. c. 2.*

XLI. Ita neceſſaria eſt venę ſectio in periculoſis variolis, in quibus ebullitio corruptiva fieri conſuevit, vt tenellula puerorum ætas illam non impediat: vſus enim invaluit vt in quarto, & non raro in tertio ætatis anno v. ſ. vſurpetur. Pariſienſes Medici in teneriori ætate, & lac ſugentibus pueris à venæ ſectione non abſtinent, quod tamen ægerrimè admittit tenellula natura, leviſſimum alimentum, & copioſus per cutem effluxus, Neque vllo patrocinio defendi poteſt nova hæc mittendi ſanguinis licentia: In paulò grandioribus pueris vnica venæ ſectio interdum non ſufficit, ſed illa erit iteranda ſi febris intenſa perſeveret, vel delirium aliudve grave ſymptoma vrget. *Lazarus Riverius.* Inde factum eſt quod Chriſtianiſſimo Regi, vix pubertatis annos egreſſo, variolis laboranti, Archiatrorum comes, conſentientibus omnium ſuffragijs, ſanguinem aliquoties ex vena mitti imperatit: quod cum feliciſſimo factum fuerit ſucceſſu, ſervati Regis, regnique conſervati, & venæ ſectioni, & hujus authori Medico acceptum fertur gloria. Hiſpani Archiatri in largam

venæ ſectionem proni, ſuo Regi Infanti variolis laboranti, non vnam ſed plures ſecuerunt venas. *Relfinccius l. de Febr. c.* &c.

XLII. Quoties eſt vrgentiæ ſcopus, omni tempore eſt *mittendus ſanguis*, dummodo adſint indicantia: Nam primo cum apparent Variolæ & morbilli, & febris non ceſſat, neque alia ſymptomata gravia, tunc licet mittere ſanguinem. Secundo, Cum apparuerunt per vnam diem, deinde deliteſcunt, tunc ſtatim mittendus ſanguis. Tertio, Quando adſunt alia gravia ſymptomata, præter ſymptomata Variolarum, vt angina, obſtinata phrenitis, lethargus, dyſenteria, gravis ophthalmia, vel quivis alius periculoſus & gravis affectus: Et ſic Rhaſes mittit ſanguinem in V. & M. vbi adeſt dyſenteria. *Epiphanius Ferdinandus Hiſtor.* 78. Imò peracta variolarum eruptione, quæ intra novem dies maiori parte fit, ſi febris valde vrgeat, ſanguis denuo mittendus eſt, & ægri tractandi vt febre continua laborantes. *Riverius.*

XLIII. *Hippocrates lib. 2. Epidem. ſect.* 3. ait tempeſtate quadam, In febribus æſtivis circa 7. 8. & 9. diem aſpredines quaſdam miliaceas, culicum morſibus fere ſimiles, quæ tamen non admodum pruriebant, in ſumma cute ſuboratas fuiſſe, ad iudicationem vſque perdurantes, quæ maſculorum nulli eruperunt; mulieri verò cui talia fierent nullam mortuam eſſe: Aſpritudines eæ, de quibus *Hippocrates*, non ſunt de genere eorum exanthematum quæ in febribus malignis noſtro ſæculo apparere cœperunt, ſed earum potius quas *Roſaliam* vulgari ſermone dicunt: Generantur autem, vt exiſtimo, à bilioſa & ſeroſa materia, cum portio quædam ſalſæ materiæ admiſcetur: qui quidem ſucci à maſſa ſanguinea ſegregantur, facta quadam in ea ebullitione, apparent verò maximè mulieribus & pueris, quia hi prędictorum humorum copia abundant, habitoque corporis rariori conſtant, virorum reſpectu. Romani *Roſaliam* vocant hunc affectum, pueris omnino familiarem, ita vt variolarum inſtar nullus vitare hunc poſſe credatur: Aſpritudines hæ non abſimiles ſunt illis quæ Sudamina appellantur, in quibus cutis cum pruritu attollitur & exaſperatur: quamvis hæ ſudaminibus paulo majores exiſtant: ac revera ſatis ſimiles ſunt illis eminentiis quæ à culicum punctutis erumpunt, quod non contingit in Peticulis, in quibus plana eſt, ſolo colore vitiata, quanquam *Valleſius* & alii *Hippocratem* de iis interpretentur. Infantes primum febris acuta & ardens invadit, inde vero die 3. aut 4. erumpere incipiunt maculæ rubentes parvæ, quæ paulatim elevantur, & cutem aſperam reddunt; febriſque ad diem 5. perſeverat, quâ deſinente aſperitates illæ paulatim deleri incipiunt. Hunc affectum Medici vulgares Morbillos eſſe credunt, quamvis multum differant, cum hi, vt & variolæ, multos occidant, At experientia docet nullum ferè ex *Roſalia* interire, & niſi miraculo quodam, & ob errata maxima quæ ægri committant, aut Medici potiſſimum, ſanguinem mittentes: Cum enim remedium hoc totis viribus ſit huic morbo contrarium, quando à puerili ætate, cujus hæc paſſio peculiaris eſt, nequaquam admittitur: prohibenturque omnino & ab humoris peccantis natura, quę bilis eſt; & ejus motu ad exteriora: morbuſque, qui omnino ſalutaris eſt, eam non requirit: ideo non eſt mirum ſi adeo importune adminiſtratum remedium ita aliquando lædat, vt morbus ex ſalutari fiat lethalis. *Proſp. Martianus comm. in loc. citat. p.* 245.

XLIV. Medici quidam quoad Sanguinis miſſionem valde timidi ſunt, veriti ne turbetur naturæ conatus; atque humorum ab extimis ad intimas corporis ſedes retroceſſus fiat, Verum doctè hunc ſcrupulum eximit *Caldera Trib. Medic. lib. de Variolis cap.* 9. Neque ex hac ſanguinis miſſione, *inquit*, Variolarum timeas retroceſſum vacuatione, hic enim timor tantum locum habet vbi nullum in corpore reſtat ſuperfluum, & natura criſice operatur, omni materia extra venas propulſa (tunc enim eſt impetus excernendi expectandus) non autem cum ſymptomatice natura irritata elicit, & reſtat adhuc in venis vacuantis auxilii oppoſitio, nempe multitudo, quod tibi æqua lance perpendendum fuerit: Rationem confirmat experientia, qua poſt venam ſectam in Variolis, ſedato ſanguinis fervore, humorem melius à natura coqui & in pus optimum converti videmus: Quin & ipſa natura, optima Medicorum magiſtra, Medicum ſæpe præveniens, copioſam per nares hæmorrhagiam inſtituit, vt faciliorem morbillis aut variolis ſternat viam, fervidumque cauma citius extinguat: Sed fateri fas eſt Medicos quoſdam nimis aliquando eſſe timidos, & potius ad vulgi obtrectationes cavendas quam ad rerum momenta intentos; ac licet videant aliqui ſubinde meliora probentque, attamen in aliorum gratiam conſuera ſequuntur: Nec dicas ſanguinis miſſionem Vomitus recuſavit. Tempus, De vomitu audi *Calderam loc. cit.* Nec terreas à ſanguine mittendo Vomitus, neque fluxus ventris, ſi profuſus non eſt, neque catarrhus aut ventris dolor, aut fugax etiam horripilatio, quoniam hæc ſolent Variolarum expulſionem pręcedere, & pleraque alia complicata & varia accidentia, quæ poſt ſanguinis miſſionem aut ſcarificatis & ſiccis cucurbitulis ſedabis.

XLV. De tempore hyemali longe minor eſt quæſtio, ægritudo quocunque tempore invadit, ſui medelam, ſui ablationem poſtulat, eo citiorem quo gravior incumbit morbi moles. *Franciſcus Ignatius Thiermair cap.* 8. *Conſil. Medic. lib.* 1.

XLVI. Non eſt abſolute neceſſaria *venæ ſectio* ſæpius repetita, vbi ſemel aut bis inſtituta fuerit, ſi expediat, (quia impedit motum naturæ ad exteriora expellentis) niſi ſopor, vel præfocatio cum febre, aut dyſenteria, vt plurimum lethalis, nos trahant ad iſtud præſidium: Non neglectis pipionibus columbinis vivis per medium diſſectis, pedibus manibuſque & cordi ſæpius admotis: Corniculis per totum corpus frequenter affixis cum levi punctione: Interdum profuit levis balneatio in aqua tepidiſſima, ſi tempeſtas ferat, ad eruptionem faciliorem: *Riolanus Enchirid. lib.* 1. *cap.* 4. Anno 1676. ſub cura mea & Clariſſ. Domin. D. *Alexandri Diodati*, Adoleſcens generoſiſſimus ex Illuſtriſſima *Chaboriorum* familia, annos natus 17. Eruperant variolæ, jamque ad maturitatem feliciter tendebant, cum levis alvi fluor acceſſit: ſubſidebant illico puſtulæ, ſucceſſitque delirium phreniticum: vrgebant mulierculæ (quas penes *arbitrium* & vis & norma medendi) pulveris Alexiterii exhibitionem, Nos ſanguinis miſſionem è talo, quæ illis reluctantibus peracta eſt; hinc ſtatim ſedata omnia, puſtulæ denuo exurgunt, ſanitaſque brevi ſequitur.

XLVII.

XLVII. *Locus venæ ſectionis* eſt varius & diverſus apud ſcriptores: plerique laudant venam communem, quam etiam laudo in iis qui exceſſerunt xiv. annum, & qui ſanguinei & robuſti ſunt: Sed potius laudo vt mittatur ſanguis à partibus inferis, a natibus, à poplitibus, a cruribus, ab hæmorrhoidibus, præſertim in melancholicis: *Mercurialis lib.* 1. *c.* 3. *de morb. puer.*

XLVIII. Tandem *modus* eſt varius, per venam ſectam, per cucurbitulas, per hirudines: Venam ſecare raro ſoleo, ſed potius vtor Cucurbitulis, vel Hirudinibus, & præſertim in pueris, in quibus ſi non licet cucurbitulis, poteſt adhiberi vna vel altera hirudo, quæ idem faciunt: *Idem.*

XLIX. Ego ſoleo fere adhibere in omnibus *Cucurbitulas*, præſertim lumbis, natibus, & poplitibus, & hoc facio non ſolum priuſquam apparere incipiant, ſed etiam poſtquam apparuerunt, quandoquidem hoc maxime confert ad materiam extrahendam ad partes externas. *Idem.*

L. Noſſe convenit in variolis adhuc apparentibus, audacius licere *ſanguinem mittere* (quia majoris plenitudinis ſoboles ſunt) quam in Morbillis, qui potius ab humorum malitia & malignitate prodeunt: ideo in his tacius ſcarificatione vti quam ſ. n. niſi in adultis fuerit corporibus. *Mercatus de Indic. Med. l.* 1. *c.* 4.

LI. Si ſuſpecta ſit v. ſ. ob ætatem tenellam, vel quia tempus idoneum tranſiit, ſanguinis redundantia auferri poterit *Cucurbitulis ſcarificatis*, dorſo, femoribus & ſcapulis admotis: quæ etiam in ſtatu morbi conferre poterunt, cum motus naturæ à centro ad circumferentiam per eas adjuvetur: Cavendum autem in puerulis ne profundiores fiant ſcarificationes: contingit enim aliquando vt penitius adacto ſcalpello ab imprudenti Chirurgo, ſanguis fervidus & ebulliens, venulis diviſis, eo impetu per vulnuſcula effluat, vt difficili negotio cohiberi poſſit. *Riverius.*

LII. Etiā *Purgatio* in hoc affectu ſuſpecta eſt, quia ab ea fit motus naturæ motui contrarius; vnde quibuſcunque Variolis laborantibus alvi fluxus contingit, retroceſſiu variolarum repentina & mors vt plurimum conſequitur: Adverte tamen vtiliſſimè non tarò purgationem inſtitui ante eruptionem variolarum, & antequam febris incandeſcat: quando ſcilicet pueri in ſtatu neutro ſunt decidentiæ: Tunc enim ſi abundet cacochymia, vtiliter ea purgatione imminuitur, vt natura poſtmodum alacrius expulſionem moliatur: At variolis apparere incipientibus, purgatio futura eſt pernicioſa: Tunc etiam ſi maxima vigeat malignitas, vt in conſtitutione epidemica, quando plurimi pueri eo morbo intereunt, ſatius eſt omnino à purgatione abſtinere; quia in morbis valde malignis & peſtilentibus purgatio initio morbi inſtituta valde noxia eſt. *Idem Riverius.*

LIII. Quanquam *Clyſteres* omnibus non ſolum conveniant corporibus, infantibus, adultis, viris, fœminis, atque in quibuſvis corporis affectibus, Notandum tamen in Variolarum, Morbillorum, & Exanthematum eruptione, licet ſaltem ex lenientibus & eluentibus conſtent ingredientibus, omnino eſſe abſtinendum à clyſteribus, ne naturæ motus vel conatus à centro ad circumferentiam turbetur, eademque tunc anxie occupata evidenter diſtrahatur, ejuſque præcipuum robur perperam divertant. *Fred. Hoffmannus, in m lib.* 1. *cap.* 10. *Mercurialis lib.* 1. *c.* 3. de m. Puer. impune injici poſſe cenſet, quod ab illis naturæ motus non impediatur, quia in inteſtinis tantum operantur, motus autem naturæ ſit prope cutem & in ipſis venis, neque vires adeo dejiciant vt timere debeamus.

LIV. *Variola* ſi à fervidioribus humoribus producantur, ſolis *refrigerantibus* atque *incraſſantibus* curandæ niſi enim immodica ebullitio & fervor temperentur, ad exitium ægrotantes perducuntur, ideo frænantibus & modicè refrigerantibus tunc vtendum: Quod ex ſequenti exemplo patet, ex quo quibus in caſibus curatio varianda ſit patet: Puero Altaraſii Variolis corripi cœpit, ex quibus nonnullæ percurrebant, vt miſerum corpuſculum intra duos dies ferè totum excoriatum reliquerint: ſerpebant quippe, ac cutem tantum exanthemata excoriabant, quæ quoque aliis puerulis obveniſſe obſervavi: contra quæ ſic orſus ſum, primò cum materia hæc plus juſto ſubtilis eſſet, eam obtundere conati ſumus: nec tantum eam, verum etiam jecoris & membrorum internorum malam qualitatẽ infringendo, ne de novo altera gignerentur: Sed id refrigerantibus complebamus medicamentis, vt ſyrupo roſ. de cichorea ſimpl. de endivia, de violis, adjectis ſimilibus aquis: Exterius vero jecur ex ſantalino vnguento illinebatur. Sed victus ad id multum faciebat, qui ad frigidum cum humiditate declinabat: quibus omnibus materia craſſior eſt reddita, & Variolæ craſſæ & amplæ apparere cœperunt. *Amatus Luſit. cur.* 18. *cent.* 3. Ad exitum decurrente & defervente æſtate anni 1655. paſſim in vrbe noſtra variolæ graſſabantur, multoſque tenerioris ætatis, ſed ſine funeribus infeſtabant, erant quippe boni motis: Infectæ & eodem tempore mulieres duæ Groenlandicæ: quibus cum varia potus genera, tam ad provocandas variolas, quàm ſedandum caloris æſtum, aliis proficua offerrentur, omnia recuſabant, ne coctam quidem aquam admiſſuræ; ſed ſignis datis frigidiſſimam ex fontibus tam avidè expetebant, vt ſi denegaretur moriendum ſibi ſignificarent, conceſsâ tandem illis frigidâ convaluerunt. *Th. Bartholinus cent.* 3. *hiſt.* 89.

LV. *Lentes* à quibuſdam neotericis rejiciuntur quod adſtringendi facultate præditæ ſint, atque adeo variolarum eruptionem impediant: Sed non temere rejicienda eſt tot tantorumque procerum authoritas: quin potius ſtatuendum ſumma cum ratione lentes excorticatas, vel levem decoctionem paſſas, medicamentis ad cutem pellentibus addi, vt nimirum adſtringendi & incraſſandi vi fervorem nimium humorum coerceant; eorumque impetum in aliquam partem nobilem prohibeant: quem in finem etiam tragacanthum additur. Hoc deſumitur à Galeno, qui 1. de alim. fac. c. 18. bis coctas lentes partes naturales roborare &, adſtrictione quâ pollent, ventris fluxum cohibere docuit: Illæ igitur præſcribi vel omitti à Medico curante poterunt, provt major vel minor attenuandi & humores ad cutem propellendi neceſſitas vrgere videtur: Si enim materia ſubtilis fuerit, & magna ebullitio fiat, vtiliter eæ præſcribi poterunt ad intentiones prædictas: Si verò materia craſſa videatur, quam natura ſegniter ad cutem propellat, tunc illæ erunt omittendæ, imò & tragacanthum, & reliqua attenuantia ac diaphoretica ſolum imponenda *Riverius*, Arabes magnopere in cibis ajunt convenire Lentes, quod intelligendum eſt, non de jure ipſarum Lentium, quia, vt dicit *Galenus* 8. *de Simplic.* hujuſmodi jus alvum laxat, quod fugiendum eſt, ſed intelligendum eſt de ſubſtantia. *Mercurialis de morb. Puer. l.* 1. *c.* 2.

L VI. Facta evacuatione totius, niſi copioſè variolæ erumpant, bonum erit in cibis minuere ea quæ adſtringunt, & eorum quæ *aperire* valent aliquid imponere, vt folia apii & petroſelini: Nec probo quidem *Ficuum aridarum* exhibitionem, nam ob id quod Medici commendant ego damnarem, Ajunt quidem ficuum vſum materias ab intro ad extra pellere, ſed profectò ipſa experientia decipiuntur: Non enim id agunt ficus quia pravos humores ab intro pellant, ſed quia eos nimis calfacientes ebullitionis modum iis præſtant, quod ſummè ſolet grave eſſe, & ob id vulgus fert ficus ſcabiem & pruritum inducere: cum hoc tamen ſenibus, ſi quando id contigerit, vtiles ſunt, quibus ob propriam naturam minus quàm pueris fervet ſanguis: Sed non erit abs re hic inquirere, qua ratione piſces ſaliti iis qui Morbillis laborant vtiles ſint? Ait enim Ariſtot. Non vanam eſſe omnino famam quam vulgus ferat: Ratio tamen eſt, Ex quotidiano vſu habemus ſalitos piſces pruritum inducere, eo quod ebullitionem ſanguinis excitant: In omni autem ebullitione craſſos humores in tenues ſolvi; tenues in fumum dirigi, fumum & fuligines ad cutim migrare compertum eſt: Quò fit vt dubium non ſit quin aliquando in his morbis ſaliti piſces locum habeant, nempe cum natura ſegniter opus expulſionis aggrediatur, præſertim dum humores craſſi ineptique fuerint, & viæ anguſtiores: quodcunque horum ſit, aut omnia, ſalitos piſces prodeſſe ratio demonſtrat: Cum ergo in frigido natura corpore non ſatis variolæ erumpunt, ob aliquam trium dictarum occaſionum, febrili calore non obſtante, dandos eſſe piſces ſalitos, cum Luſitana plebe, cui hoc conſuetum eſt, ſentio, aliter vero minimè, atque id etiam cum præmeditatione, nam in ſucco acetoſæ per diem integrum eos præ macerare oportet: Verum ſi forte evenerit puſtulas intro fieri, profectò nullo medicamine efficacius rumpes, ſaniem purgabis, exſiccabis putredinem inde manantem: nullo etiam alio citius caſtigabis ne vlteriorem concipiat corruptionem, ſanas tandem particulas nullo alio quam ex ſalitis piſcibus cibo incolumes, ne emanantis corruptionis contagio afficiantur, ſervabis: Neque abs re fuerit, vt cum intro erumpunt, pro earum maturatione ficus aridas primo votare, & deinde piſcibus vti conſulas: Meminiſſe tamen oportet in Morbillis cavendum eſſe piſcium ſalitorum uſum potius quam in variolis; Sicut in iis qui calidæ ſunt & ſiccæ naturæ: *Mercatus de Præſid. l. 1. c. 1. ex Brudo de vict. Febric. l. 3. c. 22. & 23.*

L VII. Superſtitio videtur mihi ægrum *Pannis rubris* cooperire, potius quam albis aut aliis: Color enim non poreſt operari niſi per accidens, quatenus viſum & phantaſiam afficit, quæ poſtea ſimilitudine coloris incitata ſanguinem ad exteriora impellit: at ſic ſufficit colorem ejuſmodi oculis objicere, nam cum corpori adhærent, & noctu & ſub lecti linteaminibus, non videntur: 2. panni non educunt humores niſi quatenus corpus calefaciunt, poros aperiunt, ab externo aëre defendunt; quod non rubri tantum, ſed omnes panni præſtare poſſunt: Tertio *Amatus*; *Valleſius*, aliique qui huiuſmodi pannos ex vulgari conſuetudine probant, id ſedulo monent ne corpus ipſum contingant, quia ex tinctura aliquam habent adſtrictionem: ideo quamvis eos non improbem, ridiculum tamen eſſe puto colorum facere diſcrimen, imò potius candidiſſimos probarem, quia color ille viſum diſgregat; ſpiritus ad externa evocat, & ex conſequentia quadam humorum in cute efflorеſcentiam promovet. *Primiroſius l. 4. de Febr.*

L VIII. *Ad faciei cuſtodiam* nonnulli eam aqua roſacea, aliiſque adſtringentibus abluunt: quod mihi probari non poteſt: ſi quidem maxima impuritatum portio ad eam pellitur: Illius enim cutis, laxa & mollis, excrementis recipiendis maximè idonea eſt: Quare ſi impuritates illæ, quæ à natura ad faciem amandantur, ab ea repellantur, intus retentæ gravem noxam inferre poterunt, atque ita naturæ motus neutiquam impediendus eſt. *Riverius.*

L IX. Non omittendum multos docere vt Variolæ ad maturitatem perductæ *acu perforeatur*, aurea vel argentea, ne pus diutius moram trahens in parte cicatrices relinquat: Quod tamen ferè jam obſoletum eſt, cum experientia docuerit Variolas perforatas tardius curari & cruſtas diutius retinere ob caloris nativi imbecillitatem quæ à perforatione parti inducta eſt, vnde cicatrices fœdiores relinquuntur: Satius itaque naturæ rem relinquere. *Riverius.* Avicennas, & major Arabum pars volunt vt quando Variolæ ſunt jam dealbatæ, acu aurea perforentur, atque ille ichor, & ille tabus extrahatur, Cujus conſilii hanc habent rationem, quoniam ſi materia in aliqua parte diu retineatur, periculum imminet ne caedat carnem & partem illam, atque ita vlcera profunda evadant: Favere videtur *Galenus* 3. lib. de Fract. t. 48. ſcribens in phlyctænis ſe conſueviſſe acu perforare pellem, atque ita per vices plures extrahere aquam & ichores, vt pellis integra remaneat: Ex altera parte quidam hujuſmodi conſilium & inutile & ſupervacaneum exiſtimarunt, Et ego, vt libere dicam quod ſentio, ſicut nunquam ſoleo curare vt perforem, ſic etiam mihi videtur pene res ſupervacanea & moleſta; moleſta quidem, quia ægri eo tempore maxime cruciantur; Supervacanea etiam, quia certum eſt non debere eas perforari niſi quando jam factæ ſunt albæ: quo tempore jam clarum eſt humorem damnum id totum feciſſe quod facere poteſt: quia quo tempore albedo ita apparet, jam ceſſavit fervor & potentia illa exedendi carnes, Vnde ſatius eſt abſtinere ab hac perforatione, & eo maxime quod quamprimum albæ apparent, ſimul etiam exſiccantur & decidunt ſquamimæ: Illud tamen eſt verum, ſi *perforandæ* ſunt, melius eſſe perforare auro aut ære quam ferro, quia, ex *Ariſtotele 1. probl.* 54. vulnera facta à ferro difficilius ſanantur quam ab ære, 1. quia ferrum magis lacerat, 2. quia æs facultatem habet quandam conſtringendi & glutinandi. Idem dicendum de acu aurea: *Mercurialis lib. 1. de morb. Pueror. cap. 5.*

Sanies in exanthematibus livida, aquoſa & indigeſta ſi apparuerit, & ea ex aeris contagione peſtifera, quàm crebro antevertunt, pullulaverit, tunc ob acredinem & virulentiam humorum, vt illorum virus exhalet, & ne exedant, aperienda cenſeo: Ita tamen ne illorum cruſtula, quam Græci ἐφελκίδα vocant, vnâ auferatur: At ſi ſanies ſpiſſa, alba & bene cocta fuerit, ſatius eſſe arbitror ea intacta relinquere: nam in hujuſmodi ſaniei generatione carnem quoque ſuccreſcere, qua puſtularum veſtigia explentur novimus: Ea vero remedia quæ *Avicenna* refert, plus ad puſtularum exſiccationem quam ad illarum delenda veſtigia conferunt. *I. Langius.*

L X. Sunt aliqui qui efflagitant à Medicis vt curent *Puſtulas citiſſime exſiccari*, pro qua re in via

eſſe

eſſe ſolent quædam remedia extrinſeca quæ cito ſolent eas exſiccare: Imprimis eſt *Saletio* dicta ab Arabibus, circa quam duo ſunt animadvertenda, 1. ut ea non adhibeatur niſi perfectè dealbatæ ſint Puſtulæ, quia ſi ſint adhuc rubentes irritantur vehementer & cruciatus augetur. 2. Ut non utatur quis ſolo ſale, ſed aliquibus etiam aliis quæ poſſint acrimoniam ejus obtundere. E. g. ℞. *aquæ fluviat. libr. ij. ſalis* ʒß. *hordei, lupinor. ana. pug.* ß. *croci* ℈j. bulliant ſ. a. & deinde cum goſſypio in hujuſmodi aqua macerato tangantur Puſtulæ: Quæ ſi ſint minores, ita ut non egeant tanta exſiccatione, poteſt fieri aliud Decoctum. ℞. *folior. tamariſci, flor. roſar. una. man. j. ſantalor. omn. ana.* ʒij. *hordei pug. j. ſalis* ℥ß. *f. Decoctio.* Sunt etiam qui laudant ad exſiccandum ut ægri dormiant ſuper calcitras, factas ex farina milii, hordei, lupinorum, ex pulvere tamariſci, ſed nugæ ſunt, potiſſimum quia corpora ægrorum eo tempore uſque adeo dolentia ſunt, & turbata, ut vix culcitras plumeas ſuſtineant, quare inutile mihi videtur hoc auxilii genus: Imo ſi ſint ægri obſequentes, & qui ſuſtinera pauliſper queant, multo ſatius eſt permittere ut ſponte tubercula exeant.

LXI. Quod ſi prompte non maturentur, laudo ut decocto ficuum & malvæ, cum goſſipio tangantur ſæpe, quia hujuſmodi decoctum tepens adminiſtratum ſolet ſimul & moleſtiam omnem lenire, atque etiam accelerare maturationem. *Mercurialis lib. 1. cap. 3.*

LXII. Ruſtica matronæ præſervativum uberis Variolarum proventus ſcire deſideranti, ait inhiberi ſi mox primo invaſionis tempore pedes vaporibus ex decocto herbarum emollientium ſurgentibus aliquoties foveantur: Iudicium de hoc Matrona ex me meumque quæſivit, cui idem improbari non poſſe indicavi, quod ſanguinis fermentantis ad inferiores partes ſic fiat revulſio: Pedes enim cruraque à vaporibus non tantum incaleſcunt, ſed & emolliuntur, eorumque vaſa ac carnoſæ partes dilatantur: hinc quia copioſius in his ſanguis colligitur, ſanguinis ebullientis à partibus ſuperioribus quædam fit revulſio: *Ioh. Chriſt. Fromannus miſc. cur. anni 76. Obſ.* 186. Habent aliqui etiam in more poſitum, quo faciem à multitudine variolarum liberent, illaſque ad pedes uſque derivent; ut in lac bubulum calens infantium pedes immergant, & quidem cum primum erumpere incipiunt variolæ: quod ſucceſſu non caret, quamvis non ſine notabili pedum detrimento, qui tunc variolis replentur, à quibus dolores excitantur graviſſimi, ſuccedente diuturna pedum debilitate, conſulitur tamen ſic formæ. *Fr. de le Boë Sylvius Prax. l. 4. tr. 1. cap.* 9. §. 76.

LXIII. *Facies ne cicatricibus deturpetur* nihil quicquam molior, cum olea, linimenta, &c. id tantum agunt quo tardius evaneſcant albi iſti furfures, quibus ſe invicem pellentibus excipientibuſque, poſtquam æger jam lecto ſurrexit, ac mediocriter valet, paulatim ſuccedunt fœdæ illæ cicatrices: Sed ab his non valde metuendum eſt ægro, ubi ob regimen moderatius puſtulæ minus exacerbatæ nullam qualitatem cauſticam contraxere. *Sydenham Obſervat. in Acut. p. m.* 206.

LXIV. Variolæ pulchritudinem veſtigiis ſuis multum lædunt: Cura hujus rei non in hoc conſiſtit ut bene maturentur *puſtulæ* illæ, ſed prohiberi illæ debent, Hoc fit 1. ſi motum humorum, ſive fermentationem, ſiſtimus, ne ab internis a corde & cæteris viſceribus ad habitum corporis venire queant: Novi quendam Artiſtam, ſanioris Medicinæ cultorem, qui pulvere quodam arcano omnem Variolarum eruptionem, ſedato fermentali humorum motu, licet maculæ etiam jam dum appareant, ſine ullo ſanitatis incommodo prohibere poteſt: 2. Dum repellentia faciei imponimus, ſed cavendum ne nimis ſint fortia, & videndum ut in cætero corpore eruptionem variolarum promoveamus. *Frid. Hofmannus Meth. med. pag.* 443. Nob. mulier, formoſa, à Variolis valde deformis reddita fuit, quare voluit quibuſdam uti remediis quibus earum notæ deleri poſſent: Admotum ergo fuit à Medico quodam cataplaſma aliquod frigidum, ſed immaturo judicio, reliquiæ enim morbi intus repulſæ fuerunt, & refrigeratum adeo cerebrum remanſit ut mors pulchritudinis optatæ locum receperit. *Pet. Borellus Cent. 1. Obſervat.* 64.

LXV. Variolarum veſtigia Thermarum uſu tam interno quam externo velle tollere eſt abſurdiſſimum. *Fr. Hofmannus m. m. p.* 447.

LXVI. Poſtquam expulſio Variolarum jam peracta fuit, humorum ebullitio iterum ſedanda iis medicamentis quæ vi præcipitatoria pollent & viſcera roborant, qualia ebur ſine igne, corallum uſtum, oculi cancr., margaritæ &c. Alias ſi initio magis ſimus ſolliciti de humorum ebullitione ſedanda, & ſopiendo calore, quam malignitate expugnanda, idem nobis continget quod iis qui magis de impluvio tollendo quam tectis reſarciendis laborant. *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. c.* 19.

LXVII. Sæpe malitioſæ Variolæ me fefellerunt, cum enim putarentur filioli jam ab illis evaſiſſe, ab ineptis mulieribus, quaſi morbum contemnentibus & eludentibus, plenius intempeſtivè nutriebantur: ſed improbæ Variolæ recrudeſcentes, & de novo exardeſcentes, ferociter tenellos urebantur, eoſque igneo & inextinguibili calore uſtulantes, vel potius inaſſantes, conficiebant ac perimebant: Et ſanè edacitas in affectis Variolis ut plurimum ſignum ærumnoſum eſt: ideo nihil illi ut principio declinationis & meliorationis fidendum; ſed juxta præceptum *Hippocr. aph.* 15. 2. urinæ & fæces inſpiciendæ, quæ ſi olioſæ vel vitioſi coloris fuerint, ſignum corpus adhuc eſſe impurum, quod quantò plus nutries, tantò magis lædes: Cavebis igitur à pleniori victu, atque reliquum putredinis & cacochymiæ expugnabis. *Ioſeph. de Medicis apud Greg. Horſtium lib. 1. Obſ.* 56.

LXVIII. Puer v. annor. Variolis prehenſus, tertio die alvi fluxu cruento corripitur, cum frequenti egerendi conatu: pituitoſa & mucoſa excernebat cum magna ſanguinis copia, exanthemata erant parva, alba & depreſſa, Præſcribo ℞. *Roſ. rub. p. j. ſant. rub.* ʒß. *liquir. raſa & puſſulor. ſine. una.* ℥j. *coquantur in juſculo capitis vervecis, In colat.* ℥ix. *diſſolve conf. de hyacintho* ʒiij. *conf. roſar. per ſetaceum trajecta* ʒß. *vitell. ov. n. j. f.* clyſter frequenter injiciendus ℞. *aqu. ſcabioſ. card. ben. ana.* ʒiß. *ſyr. roſ. ſicc.* ℥j. *coralli praparati & margar. praparati ana.* ℈j. *lapid bezoar. gr. iij. conf. de hyacint.* ʒß. *f. Iulep. da bis in die.* ℞. *ol. ſcorp. Matth* ʒß. *illinantur inguina & axillæ calide frequenter:* Bis injecto clyſtere, & bis ſum pto Iulepo ceſſavit prorſus alvi fluxus, & exanthemata validius erumpere cœperunt, ac poſtmodum morbo placide defunctus eſt ad perfectam ſanationem: Quamvis vulgaria ſint remedia propoſita, hic tamen caſus obſervationem meretur, ob eventum

non vulgatem: Ex omnibus anim pueris variolis laborantibus, quos hactenus videre licuit, vnicus hic ex alvi fluxu ſanguineo laboravit: *Riverius cent.1. Obſ. 71.*

LXIX. *Alvi fluxum* Variolis ſupervenientem non ſemper eſſe funeſtum, anno 1670. menſe Septembri, didici in filiola mea Elizabetha annos iv. nata: cui 7. die ab eruptione diarrhœa critica & ſalutaris ſupervenit, primò ſeroſorum, poſt & craſſorum variegatorumque humorum, quam præceſſit ſyncope vehemens: Nullis adſtringentibus ad eam cohibendam vſus ſum, levium vſu diaphoreticorum contentus; eo quod die critica incepiſſet, conſtaret appetitus, nec vlla puſtularum retroceſſio fieret; triduò duravit, brevique poſt omnino convaluit: Id verò notandum, quod ante eruptionem variolarum, cum omnium integumentorum eſſet impatiens, adeo vt nudo aëri paterent & crura & tibiæ, ibi copioſius, & circa faciem, obortæ ſint variolæ, quàm circa dorſum, brachia & pectus, quæ ſubucula veſtiebat: vt veriſimile mihi ſit per occultam tranſpirationem materiam variolarum, in partibus tectis, exſpiraſſe, idemque futurum in cæteris ſi coopertæ fuiſſent.

LXX. Advertendum *Alvi fluxum* non raro in pueris Variolis laborantibus a *lumbricis* excitari, eumque toto fere morbi decurſu perdurare, vnde vitæ periculum imminet, quia expulſio variolarum imminuitur aut impeditur: Idque facile dignoſcitur ex dejectionum craſſitie ac viſcoſitate, & colore griſeo vel albicante tunc enim Lumbricos enecantia exhibenda ſunt, & clyſteres dulces injiciendi. *Riverius.*

LXXI. Puero cum prodiiſſent ſparſæ per vniverſum corpus *Puſtulæ* aqua madentes, ſed quæ male ab adſtantibus cuſtoditæ retrocederant omnes, ægro in animi deliquia & frigus extremorum fatiſcente, ne in rebus dubiis nihil ageretur, cum æger pharmaca deglutire non poſſet, quatuor *Veſicatoriis* brachia & femora parte interiori, ſecutus ductum grandiorum venarum aduro, ea ſpe vt revocatus in cutem veneficus humor viam exeundi promptius inveniret: Quid multis? rediere poſtliminio in ſuos alveos aquæ, & licet tardius, in pus verſæ, à deſperationa certa ad ſanitatem priſtinam iter pateſecerunt. *Olaus Borrichius in Actis med. Th. Bartholini annor. 76. 77. p. 75.*

LXXII. Mulier corrupta eſt *Morbillis*, quibus totum corpus contectum erat cum febre intenſa: his acceſſit ſymptoma graviſſimum, *fluxio tenuis in pulmones*, quæ tuſſim fraquenter excitabat, & ſuffocationis metum incutiebat cum raucedine ingenti: Admotum Veſicatorium cervici, & exhibita laudani grana ij. cum conſerva roſat. fluxio cohibita eſt tota nocte, poſtridie rediit, & iterum exhibitum eſt laudanum cum ſimili effectu, vnde ad convaleſcentiam paucis diebus perducta eſt mulier, manente raucedine ad longum tempus. *Riverius Obſerv. 45. Cent. 2.*

LXXIII. Matronæ Batavæ cum hæ *Puſtulæ* eruptionem moliuntur, vinum rubicundum exhibent, quod plerumque adſtringentis eſt naturæ, atque humorem cogit atque denſat: quod etſi mirum, iuiri tamen rationem poſſe video quâ innoxiosè præſcribi poſſit, modò tempeſtivè id fiat, cum ſcilicet omnis humorum impetus ad cutem delatus eſt: eadem enim ratione propellit quâ illa quæ comprimendo alvum laxant, vt myrobalani & rhabarbarum, quibus manifeſtè adſtringens vis aliqua ineſſe percipitur: Itaque adſtringendi ratione ſubelluviem fuliginem propellit, atque humores humidos, qui meatis ſpatiis inhæreſcunt, ad extimam cutem evehit: Sic experior in nonnullis vinum nigrum Hiſpanicum alvum ducere, quod tamen dyſentericis exhiberi ſolet quo alvum ſiſtat: id efficit, partim quod ob craſſitiem venas ſubire nequeat, partim adſtringendi premendique facultate, qua eaque inteſtinis inhærent proluit: pari ratione vinum rubrum, quod calorificum ſit diſcutiendi vi pollet ac ſudorem elicit. *La Lemnius l. 2. c. 47.*

LXXIV. Iuvenis circiter xx. annos natus, corporis gracilis & temperiei calidioris, ineunte vere febricitare cœpit, Primis diebus vomitus atroces, cordis oppreſſio, æſtus & rigoris vices crebræ, dolor in lumbis, vigiliæ &c. infeſtabant; die 3. variolis apparentibus ſymptomata iſta remiſerunt, vſquetamen febris cum ſiti & calore perſiſtit: Huic non ſolum decocta in hoc morbo aſſueta, verum & Iulapia etiam gratiſſima adeo nauseæ & moleſtiæ fuerunt: Quoties hora ſomni Diacodium, aut aliud temperatius cardiacum, ad diaphoreſin continuandam, vel in exigua quantitate ſumeret, nox inſomnis cum jactatione plurima, & dein primo mane hæmorrhagia inſequuta eſt, qua quidem Variolis plene eruptis, propter hanc occaſionem ſemel & dein turius contingentem ægroti ſalus inſigniter periclitata eſt: quare cum ſanguinem huic a levi irritatione immodicè effervеſcere aptum obſervatióne comperiiſſem, pro rata nata hanc methodum inſtitui, Pharmacia prorſus omni poſthabita, pro ſiti reſtinguenda cereviſiam tenuem, & amygdatum ſimplex ad libitum ſumebat: Pro victu, quoniam juſcula avenacea & hordeata quævis reſpuebat, ſolummodo erant poma ad teneritudinem cocta, & dein ſaccharo & aqua roſac. condita, quæ aliquoties in die comedebat: Natura hoc tenui regimine contenta, ac ab alio quovis perturbari vita, opus ſuum feliciter peregit, vt ſine gravi poſtea ſymptomate, Variolis ſenſim maturatis, & dein ſponte decidentibus, æger convaluerit. *Willis lib. de Febr. c. 15.*

LXXV. Medio autumno Adoleſcens, ſanguine acri præditus, & hæmorrhagiis narium crebro obnoxius Variolis ægrotabat, Sanguis ſponte ſua immodice effervebat, vt puſtulæ per totum corpus confertiſſimæ erumperent, huic ſerum lactis cum floribus calendulæ, aliiſqua vſitate incoctis, item Iulapia aut cardiaca quævis, temperata licet, diaphoreſin leniter promoventia ſanguinis fluxum certiſſime concitabant, quare ſimilem ac in ægro prius citato (§. 74.) victus rationem præcepi, qua quidem melius habuit; vtcunque in ipſo morbi ſtatu (cum Variolis plene eruptis ob difficiliorem tranſpirationem ſolet febris in omnibus nonnihil redintegrari) hoc ægrotus in hæmorrhagiam copioſam incidit, vt poſt largam ſanguinis profuſionem Variolæ flacceſcere inceperint: Poſtquam remedia pro ſiſtendo ſanguine quam plurima incaſſum tentarentur, tandem à ſacculo, (cui inerat bufo in ſole exſiccatus & contuſus) circa collum ſuſpenſo, primo ac immediate levamen ſenſit: etenim hæmorrhagia hinc ſtatim ſedata, & ea (cum epithema ad hoc conſtanter poſtea in ſinu geſtaret) non amplius redeunte, æger vſque victu tenuiſſimo & infrigidante vſus, integre convaluit. *Willis lib. de Febr. cap. 15.*

LXXVI. Fœminam Ill. juvenem, vultus floridi & temperamenti calidioris, poſt quartum ingra-

ingravidationis menſem valde febricitantem inviſi, vomitu immani, lumborum dolore atrociſſimo, inſuper calore ac ſiti inteoſiſſima vrgebatur; erat pulſus celerrimus, cum vibratione ſorti & vehementi; Licet Variolæ illic loci nuſquam increbeſcerent, tamen hujus affectus ſymptomata iſthæc ſuſpicionem non levem incutiebant; vtcunque ſanguinem mitti debere ejus effervefcentia valde immodica indicabat, quare circiter ℥vj. illico detraxi; inde calor non nihil remiſit, vſque tamen vomitus cum dolore atroci in lumbis perſtabat: Hora ſomni bolum cardiacum cum laudani noſtri gr. ſemis exhibui, vnde ſomnus quietus cum placida diaphoreſi, & omnium ſymptomatum ſedatione ſucceſſit: Mane proximo variolæ erumperunt, quibus licet ægra confertiſſimis afficeretur, tamen ſine periculoſa ægritudine, aut abortus metu convaluit, & gravidationem integre complevit. *Idem ibid.*

LXXVII. Mulier parturiit quo tempore in eadem domo nati ejus Variolis afficerentur; atque ipſa, vti videtur, ejuſdem morbi contagium ſuſceperat, namque ſecundo à partu die cum incaleſcentia febrili, & dolore in lumbis puſtulæ erumpere cœperunt, quæ quidem per triduum lochiis moderate fluentibus in moleculas rite aſſurgebant; Tametſi purgatio vterina eo tempore copioſa obrigiſſet, Variolas in toto corpore confertiſſimas habuit, nec tantum in corporis ſuperficie, verum etiam oris & gutturis cavitatem impleruntur, adeo vt vix loqui aut deglutire potuerit; Die puerperii ſexto lochia immoderate fluebant, vnde ſtatim cum variolis flaccidis ſyncope, convulſiones crebræ, aliaque mali moris ſymptomata ægram inceſſere, quæ mortem brevi minabantur: Præſcripſi pulveris hujus ʒß. è cochleari julepi ſequentis, trium horarum intervallis conſtanter aſſumendam, ſcil. ℞. *Rad. torment. pulv.* ʒij. *boli Arm. opt.* ʒj *ſpec. de hyac.* ʒß. *f. Pulvis.* ℞ *aqu ſcord. compoſ. dracont. vlmar. ana.* ℥iij. *aceti theriac.* ℥j. *ſyr. è corall.* ℥ij. *e-aviti* ʒß. fiat Iulepum. Inſuper juſculis & potulentis quibuſvis radices torment. incoqui præceperam: His remediis purgatio vterina mox in totum ſiſtebatur, & Variolæ ſine graviori ſymptomate ſenſim maturatæ excidebant: Caſus hic fuit revera difficilis, & magno cum diſcrimine abſolvebatur, ſcil. aut *Lochia*, aut *Variola* intus cohiberi periculuſum erat, & tamen alterutrius plenior eruptio alterius motum impediebat: quamdiu vtraque moderate procedebant, res naturæ ductui permiſſa moderate ſe habuit: Cum vero altera invaleſcente, artis opera requirebatur, *lochiis* ſtrana, variolis autem ſtimulos adhiberi ex vſu fuerat. *Idem cap.* 16.

LXXVIII. Arabes circa cibum docent Nullam carnem, neque etiam pullum convenire in hac curatione; imo etiam damnant vitellos ovorum priuſquam febris finiatur, & ſuppurentur puſtulæ, & ſquammæ cadant: Quod documentum videtur inutile eſſe, plerumque enim laborantes ſunt pueri, quos dicit *Hippocr.* 1. aphor. indigere pluri alimento: Præterea antequam ſquammæ incipiant cadere, ſolent interdum præterire aut x. aut xiv. dies: tanto autem tempore ſuſtinere puerulos ſine optimo alimento videtur periculum: quare ego nequaquam hoc Arabum conſilium ſequor: Sed vbi video periculum omne evaſiſſe ægros, ſoleo liberalius ipſos alere, ita vt ſuſtineantur vires, & ſolidarum partes reſtituantur, & tunc exhibeo vitellos ovi in jure cum omphacio, vel ſucco limonum, jubeo etiam fieri aquam carnis cui ovi vitellum addo, Et hac ratione curationis poſſum teſtari neminem in manibus meis periiſſe ex quo facio Medicinam. *Mercurialis de morb. Puer. lib.1.c.3.*

LXXIX. Inter Morbillos & Variolas in eo convenit, quod vtraque puſtula ab ebullitione ſanguinis fit, natura pravum ab eo quod purum eſt ſeparante, & ad cutem detrudente; quapropter à tali expulſione naturam craſſo cibo, aut multo, aut duræ coctionis tunc temporis diſtrahendam non eſſe recte quis colliget: Vt vero opus melius compleat, & ab interius ad cutem verſus commodius noxios humores depellat, & ne in aliqua interiorum partium humor detineatur, cibum parum infrigidantem, leviter adſtringentem his miniſtrare oportet: qui enim hujuſmodi eſt particulas roborat, vt à ſe validius quod moleſtat depellant, vim præterea repellendi calidum humorem habet: quapropter jus Hiſpanatum lentium cum acetoſa herba, coriandro viridi, oleo, aceto & ſale, & modico croci iis convenit: Cucurbitæ etiam cocta cum portulaca, agreſta, oleo, aceto & ſale: Priſana, prout paravimus in colliquantibus febribus, commodiſſima his ſorbitio eſt: Fugienda omnia ea ſunt quæ aut ſanguinis copiam augeant, aut in ejus ebullitionem addant: quare inter initia, dummodo vires conſtent, gallinaceorum jura ſunt vitanda, & omnia dulcia & vnctuoſa; *Brudus de Victu Febric. l.3.c.22.*

LXXX. At cum eruptio ſubſidere jam incipit, bonum eſt in cibis ea quæ ventrem leniunt miſcere, vt pruna, violas, borraginem, & ſimilia: Prunis autem quæ adſtringente participant facultate, cujuſmodi ſunt Gallica aut Hiſpana, per omne tempus vti licet, decoctis cum polytricho, plantagine, aut portulaca: Potus autem iis qui patiuntur Morbillos aut Variolas, ſit aqua hordei cum polytricho & malo granato cocta. *Idem.*

LXXXI. Sunt qui Lactucas decoctas in aceto, medullam citrulli & anguriæ exhibeant; Sunt qui & aquam anguriæ in potum miniſtrent: Sed quarum ſentio, hujuſmodi cibaria his damno potius quam juvamento ſunt: quandoquidem expulſioni Naturæ obſtant, & eruptionem puſtularum retardant ſua vehementi frigiditate; nam hujuſmodi ab intro ad cutem expulſiones à natura fiunt, materia ob inclinationem eo inclinata, vt potè jam in vaporem tranſeunte ob ſubſtantiæ ejus tenuitatem: Quapropter ſicut iis quæ calida & fumoſa ſunt augenda ebullitio non eſt, ſic nec illis quæ valde refrigerant extinguenda. *Idem.*

LXXXII. Quoties exiſtunt epidemiæ Variolæ, toties ſi habuerint comitantia ſymptomata difficilia, gravia & periculoſa, danda opera vt Infantes, aliique tenerioris ætatis, qui nondum ſunt experti Variolas, in aërem ſalubriorem, in quo nullæ regnant Variolæ, quantocyus transferantur, & tamdiu ibidem contineantur, donec aut ceſſaverint, aut blandiores evaſerint: Sin contra blandæ fuerint, bonique moris, h. e. apud pleroſque erumpant paucæ, ad ſuppurationem perveniant brevi, & facile, decidant ſine notabili faciei defœdatione, tunc tantum abeſt vt ſuadeam vitationem aëris Variolas producentis, vt contra exiſtimem conſultum infantes adhuc ſanos vivere cum ægris in eodem cubiculo, quo & ipſi tunc variolis boni moris corripiantur, ſicque ipſas leviores patiantur. *Sylvius de le Boë App. Tract.* 1. *cap.* 9. §. 61.

VENENA.

SYLLOGE.

Non agunt occultis qualitatibus. 1.
De iis plurima falſa ab authoribus traduntur. 14.
Varias eorum differentias perpendat Medicus. 26.
Medicamentorum vicem an aliquando teneant. 26.
Duo venena an ſe perimant. 28.
Vena *quando* ſecanda. 18.
Purgatio *conveniat.* 19.
Venenum Vomitorio *expugnatum.* 21.
Aſſumptum quomodo vomitu educendum. 29.
Bezoartica, *vel ſanguinem reſpiciunt, & putredini reſiſtunt.* 2.
Vel Ichoreſcentiam, reſolutionem ac rarefactionem nimiam impediunt. 3.
Vel ſerum reſpiciunt, ejus motum promovendo & coagulationem impediendo. 4.
Nullum alexipharmacum *omne venenum æque impugnat.* 5.
Promiſcuus uſus non convenit. 6.
Initio maxime volatilibus *opus eſt.* 7.
Temperatiora & mitiora quibus conveniunt. 8
Non ſolo ſudore tollitur venenoſitas. 9.
Serpentinis, viperinis, bezoar, non nimis fidendũ. 10.
Suſpecta alexipharmaca *non uſurpanda.* 11.
Ante initum ſomnum & mature propinata, efficaciora. 12.
Cacochymicis volatilia minus conveniunt. 13.
Alexiph. primis qualitatibus non nimis attendendum. 20.
Malignitas ex fumis metallicis venenatis contracta, per mineralia medicamenta expugnanda. 22.
Alexiteria extra admota proſunt ictibus venenatis. 23.
An præſervationis gratia ſumenda. 24.
An quodlibet venenatum animal ſuam gerat antidotum. 15.
An ex uſu ſimplici vel iterato pulveris ſerpentini vel viperini, poteſt quis deinceps eſſe tutus a morſu ſerpentum. 21.
Scorpii *antidotus.* 32.
Apum *punctura veſicatorio curata.* 34.
Acida corrigunt plurimũ vegetabilia *venenoſa.* 16.
Fungis *aſſumptis vomitoria non conveniunt.* 30.
Cicuta *frigore non eſt lethifera.* 44.
Nec hyoſcyamus. 45.
Curatio utriuſque aſſumpti. 44. 46.
Vinum an cicutæ *antidotus.* 47. b
Lactis uſus convenit illa aſſumpta. 48.
Antimonium *an venenoſum.* 37. a
Argentum vivum an venenoſum. 36.
Mercurii præcipitati *& Arſenici antidotus.* 17.
Arſenico *ſumpto an frigida potus conveniat.* 40.
Cinnabaris *tuto intro ſumi poteſt.* 37. b
Lac coagulatũ *in ventriculo vomitu excludendũ.* 31.
Curatio Veneni incogniti. 35.
Venenum eductũ patiente incluſo mulo exenterato. 33.
Intoxicati ſomno prohibendi. 12. 25.
Philtri *remedium fortuito inventum.* 41.
An veneficiis *morbi inducti curabiles ſint.* 38.
Veneficii in ſaga illati curatio. 42.
Veneni quod faſcino contrahitur curatio. 43.
Quando veneno aſſumpto præpurantia &c. præmittenda. 39.

I. **V**T de modo Alexipharmacorum agendi dicamus, præſupponimus venena impugnare violenter calidum innatum, ſeu ſeri & ſanguinis σύςασιν & intimam miſcelam, & agere non tam occultis quam manifeſtis qualitatibus (reſpectu dictæ hypotheſis) quatenus reſolutionem ſanguinis magis vel minus violentam important, pro agendi ἐνεργείας gradibus: Hinc ut plurimi errores illati ſunt in forum Medicum, non conſiderantibus penitius Medicis in quo Veneni natura conſiſtat, & in eorum occulta qualitate ſola acquieſcentibus, ita etiam de activitate & virtute alexipharmacorum, quæ iiſdem occultiore vi agere hactenus credita ſunt, unde tot elogia lapidis bezoar enata, ut omnium venenorum domitor fuerit creditus, Par ratio unicornu &c.

II. Sunt vero alexipharmaca, ſeu bezoartica, vel 1. *putredini reſiſtentia*, & *ſulphur ſanguinis, ſeu partes ejuſdem oleoſas ſartas tectas ſervantia*, ne vapeſcat, idque tum *incendendo* & *vegetando*, & quidem magis volatilia, uti ſunt *amara* & *aromatica oleoſa*, *balſamica*, angelica, carlina, zedoaria, myrrha, opobalſamum, baccæ junip. &c. *acria volatilia, ſulphurea* & *ſalina*, ut theriaca ruſticorum, allium, camphora &c. ſpir. c. c. eboris &c. tum *concentrando & penetrando una*, *acida*, Succus citri, acetum, acetum bezoardicum: Et hæc præcipue conveniunt in morbis epidemiis à penitiori putredine oriundis, fœtore v. g. cadaverum, item febribus puerperarum &c. ad prælevationem & curationem, item in morſu canis rabidi, araneorum.

III. Vel 2. *Ichoreſcentiam*, *Reſolutionem* ac *Rarefactionem nimiam impedientia*, adeoque vinculum quaſi & individuam copulam & conjunctionem ſeri & ſanguinis reſpicientia, ſive *adſtringentia auſteriuſcula*, uti eo nomine celebres ſunt tormentilla, biſtorta; iis quibus alvus adſtrictior minus convenientia, ſive *mucilaginoſa*, ut c. c. philoſophicum, gelatina ejuſdem, ſcorzonera; ex terris, ſigill. Lemnia, bolus Armena; ſive *terrea abſorbentia*, & *fermentum reſolutivum præcipitantia*, ut c. c. uſtum, unicornu foſſile, lapis bezoar orient. & occid. & bezoart. Chimicorum, quæ non peculiari alexipharmaca virtute, ſed abſorbendi & dificiendi gaudent, unde iiſdem non abſolute ſemper fidendum eſt: Sive *acida*, ſulphur ſanguinis obtundentia, ut ſpiritus acidi, ſpir. ſalis volatilis, ſpir. ſalis & nitri compoſitus &c. Sive *opiata*, quæ ſane, præſertim cum aliis maritata, inter bezoardica numerari merentur, modo rite & juſto tempore adhibeantur: Si enim quæ alia, certe Opiata vinculum & conſortium ſeri & ſanguinis conſervant illibatum, unde etiam theriaca ſine opio confecta ſudorem non movet nec expectationi ſatisfacit: Et hæc eximie proſunt, & præter alia in ſudore Anglico, dyſenteria maligna epidemia, aliiſque malignis, ubi ardor viſcerum.

IV. Vel 3. *Serum, ejuſque* & *motum promoventia*, & *coagulationem & incoctionem*, (ut ſic loquar) impedientia, qualia, præter quædam ex dictis, ſunt tum id fluxil reddentia, qualia ſunt *ſalina*, ſeu *nitroſa*, ſeu volatilia etiam *urinoſa* & *Mercurialia*, ut cinnabaris nativa, antimonii, Mercurius fixus diaphoreticus: Unde regulæ inſtar notandum eſt, In febribus malignis, ubicunque ſerum quaſi coagulatum eſt,

& ſ.

& ſudor hinc nullus obtineri poteſt, ſed omnia quaſi vtuntur, cinnabarina, aliis prudenter maritata bezoardicis, ejus fluxibilitatem maxime promovere: Aſt ſi ad reſolutionem & ichoreſcentiam inclinet ſanguis, omnino devitanda eſſe, neque in ipſis tunc ſubſequentibus motibus convulſivis omnino tuta eſſe vel fida; ex quo ipſo etiam eximia horum agendi virtutis emergit differentia: Tum *ſubſtantia* ſeu *quantitate augentia & reficientia*, *diluentiaque*, vt aquæ diſtillatæ, decocta, infuſa, & inprimis emulſiones, quæ in malignis ad hunc quidem finem maximæ ſunt vtilitatis: Niſi enim ſerum hoc reſtituatur, quod & poculo largiori (modo ne quid nimis) obtineri poteſt, fruſtra omnia reliqua vtplurimum impenduntur, & inprimis ſomnus recuperari nequit, ſed ex pervigilio continuato deliria contumacia & motus adeo convulſivos naſci neceſſe eſt: Conveniunt hæc tum venenis in genere, ab extra propinatis, vel per errorem hauſtis & communicatis, cor muniendo & ſanguinis tonum illibatum conſervando: tum in peſte, malignis febribus, & peſtilentialibus Hungaricis, petechialibus, febribus puerperarum, variolis & morbillis, ac ſimilibus contagioſis & mali moris affectibus.

V. Nullum autem eſt alexipharmacum quod omnibus æque venenis ex aſſe conveniat; adeoque nulli plus eſt tribuendum quam revera inde experientia teſtari poteſt: Sunt quidem polychreſta quaſi trita & generalia, in liquida forma, *Tinctura bezoardica*, qua hodie gratioſus Medicus carere vix poteſt; in media, *Theriaca*, *Mithridatium*, quo & Electuaria ſimilia; vt *Orvietanum &c.* referenda; ſunt medicamentum antiquiſſimum, & per tot ſecula probatum, adeoque licet inconcinna variorum ingredientium congerie conflatum, non temere rejiciendum: In ſolida, *Pulveres bezoartici*, aſt magna tamen egent adhibendi providentia.

VI. Promiſcuus alexipharmacorum vſus non convenit, vnde diſtinctio ratione vitium maxime eſt neceſſaria, in volatilia, media & fixa; Prudenter hinc in Epiſtolis *Cratonis* 248. *Weiſſelius* taliſmodi pharmaca in duplicem claſſem diſtinxit, *abſorbentium* nimirum, vel hidroticorum & ſudoriferorum proprie dictorum, quod niſi fiat, multiplex oriri ſolet ambiguitas & controverſia, imo hoc pacto pluſquam empirica fit applicatio.

VII. In *principio magis volatilibus opus*, ad penetrationem majorem & diſcuſſionem citiorem: item vbi intimior malignitas, vbi natura ab expulſione v. g. petechiarum, variolarum, morbillorum ceſſat, vel hæc exanthemata retrocedere videntur cum reſpiratione difficili, præcordiorum anxietate &c. In *progreſſu magis fixis*, vbi nempe alteratione & præcipitatione magis opus, magis circa ſtatum & declinationem, conquieſcente jam tumultu, *Aquoſa* medio modo ſe habent & vtrilque conjungi queunt.

VIII. Gravidis, infantibus & debilibus, & vbi ad ichoreſcentiam magis inclinat ſanguis, temperatiora & mitiora magis conveniunt: Vnde quibus theriaca non convenit, *diaſcordium Fracaſt.* vt temperatius magis locum habet: Vbi tincturæ bezoardicæ locus non eſt, licet mitigari queat, ibi pulvis bezoardicus detur: Si enim his nimis volatilia dentur, ſanguinis rarefactio magis intenditur, & hinc facile noxæ aliæ largo modo conſurgunt.

IX. Non ſolo ſudore tollitur venenoſitas; ſerum quippe non eſt nimis abſumendum, Vnde nec ſola calida, nec ſola temperata, nec ſola ſudatio à quovis medicamento ſufficiunt: in quo maxime errare ſolet tum vulgus, qui pulvere cardui ben. vel c. c. omnia poſſe effici credit; tum Medici, qui continuis ſudoribus ægros fatigant: omnia ſcilicet facienda ſunt ad naturæ ductum & indicationes.

X. Serpentinis, viperinis, lapidi bezoar, vnicornu vero &c. non fidendum nimis: Sal enim viperarum quidem inter volatilia laudem meretur eximiam; lapis bezoar, & vnicornu verum inter fixiora; aſt pulveri viperarum vis fidat Medicus, neque in genere his ſolis credat ſe poſſe hydram hanc Lernæam, venenoſitatem puta, debellare.

XI. Suſpectis præſtat abſtinere quam vti, ſaltim non ſolis, vti ſunt nux vomica, radix doronici, licet ad vertiginem ſit ſatis vſitata: præſtat enim aliis ſelectis vti quam incerto mactari effectu, qui ſi male cadat, medicamento adſcribi poteſt.

XII. Alexipharmaca ante initum ſomnum mature propinata, efficaciora, imo hoc modo penitus ſæpe morbum in prima herba jugulant, quæ *Helmontii* eſt obſervatio, & experientiæ maxime conformis: hinc etiam iiſdem non ſuperdormiendum, per ſomnum enim facile irrepit venenum ad cor. Vide *infra* §. 25.

XIII. Inprimis & cacochymicis corporibus Volatilia minus conveniunt; unde etiam urgente uſu lenientia & balſamica evacuantia poſſunt interponi: quod ſi major ſit malignitas, cavendum tamen eſt ne promiſcue quibusvis humores confundamus. Vide *infra* §. 19.

XIV. In genere de ſpecialibus venenis regula quaſi univerſalis notanda eſt, ubicunque ſpeciale venenum incognitum eſt, ad antidota univerſalia confugiendum; ſin innoteſcat id ipſum, cuilibet, præter univerſalia cor & calidum nat. roborantia, ſpecifica, i, e. contraria appropriata opponenda. Deinde etiam notandum plurima mendacia hinc inde in libris de venenis contineri & illa tum venena, tum præſidia præſcribi quæ nunquam vel viſa, vel vſitata, vel applicata fuerunt.

XV. Quæritur an Quodlibet animal venenatum ſecum quaſi gerat antidotum, illiuſque caro proprio morſui vel ictui adverſetur? At dico theſin illam non eſſe κατὰ πάντα, ut ut enim pinguedo viperarum, etiam noſtra experientia, mitiget à ſuo ictu inflictum vulnus; oleum ſcorpionum proprium ictum, non tamen id æque ad omnia eſt extendendū: Nam quod in ſpecie Pulv. Viperinum & Serpentinum attinet, 1. dicimus ſerpentum morſus non eſſe adeo noxios, imo vix venenatos: torpidum animal eſt ſerpens, & modo quis id cordatius adoriri audeat, innoxie poteſt tractari, contingi & occari, denteſque habet longe minores: aſt vipera longe præſentius noxam ſuam in corpus vibrat, quatenus dentes ejuſdem quaſi falcati ſunt, quod in ſerpentibus minime reperitur, unde & uncis hisce vulnerando, partes membranoſas præcipue & nervoſas, & quatenus ſimul ſaliva bilis plena, ſeu tale volatili acri imbuta inſeritur vulneri, unde fermentatio præter naturam corruptiva exſurgit, agunt, Deinde quod viperina vel ſerpentina caro venenum proprium expellat, illi ipſi hypotheſi non omnino & univerſaliter eſt fidendum, tum

in actu curationis tum præſervationis, præſtat enim ſudoriferis & alexiteriis putredinale fermentum, & humorum affluxum arcere, ne ob ſal volatile cauſticum, cum membro & ſanguine communicatum, pars ipſa ſphaceletur & motus convulſivi exoriantur: Nec ſolennis vulgi valet hypotheſis aſſumpto viperarum pulvere, vel ſerpentum, ob hanc ſolam antidotum innoxie poſſe tractari ſerpentes: tales enim hoc modo abſolute fidentes præmium audaciæ ſubeunt, Vide *Zwelferum Claſſe* 14. in appendice de ſale theriacali, vbi de idiocraſia quorundam, ac audacia & prudentia callide hæc animalcula tractandi: Non omnis noxa hoc modo avertitur, nec tamen nullum penitus auxilium inde ſperandum, quod tamen ſatis exiguum, & magis ipſum fermentum corruptivum, cum ſanguine communicandum, quam vulnus attinet, quod tamen non eſt negligendum: Nobiles quidam ob præſumptum pulverem viperinum ſecuros ſe putantes, hinc incurrerunt nihilominus periculum, nec niſi ſumpto ſtatim bezoardico melius habuerunt. Vide §. 21. c.

XVI. Notabile eſt quod *Acida* corrigant plurima venena vegetabilia, napellum, bellam donnam, quæ, præter alia ſymptomata, fauces præcludit vt deglutitio fieri nequeat; belleborum &c. indicio manifeſto eorum noxam eſſe adſcribendam ſali volatili & ſulphuri immaturo, indigeſto, plurimaque mucagine inviſcato, vnde cum ſanguine communicata, vel adhuc in ventriculo oberrantia, poros nervorum obſtruere, eoſdem vellicare, ſanguinis craſin deſtruere & mortem ipſam inducere apta nata ſunt.

XVII. Præcipue vero *Præcipitatus* & *Arſenicum*, hiſque confinia metallica &c. vti manifeſta plane, h. e. corroſiva agunt qualitate, ita *Theriaca*, qua propriè morſibus animalium venenatis dicata, & eo nomine inventa eſt, his vnice vix profuerit: ſed antidoti vice funguntur, tum *obtundentia* & *demulcentia*, pinguia, ol. amygdal. d. oleum &c. Hinc qui in foro probant Mercurii præcipit. vel auripigmenti aſſumptione theriacam, butyro copioſo prius ſe præmuniunt: Tum *præcipitantia* ex cryſtallo montano & aliis, quæ ipſa ſaltem in leviori caſu prodeſſe poſſunt, nam ſi majore doſi fuerint propinata, nec natura ipſa vomitu ſpontaneo ſe liberaverit, fruſtra ſunt; Neque enim proportio inter agens & patiens facilis hinc inveniri, neque à natura actuari æque antidotus poteſt, ſi peſſunderur ſtatim ventriculus, ipſique eſchara lethalis & ſphacelus inducatur. Aſſumpta *Saturnina*, vt globuli plumbei, acidis exhibitis in ſaccharum quaſi fatiſcunt & ſenſim atteruntur. *Georgius Wolfgangus Wedelius de ſimpl. Medic. facultat. libro ſecundo ſect.* 2. *cap.* 1. & 2.

XVIII. *Venæ ſectio* locum habet in veneno calefac. ſi corpus ſit refertum ſanguine, qui veneni acrior neceſſario & fervidior eſt redditus: quin etiam funditur ſic ſanguis, & fuſus ampliorem occupat locum, vnde venæ apparent turgidæ: Si ergo hic indicans principale adeſt, Et virtus vel coindicat, vel ſaltem permittit, vena eſt aperienda, Quæ & per ſe confert, & per accidens totum corporis habitum refrigerando; In veneno autem frigido à tota forma, licet corpus indigeat venæ ſectione, hæc tamen adminiſtrari non debet: veneno enim frigido adeo repente corpus refrigeratur, vt virtus nequaquam poſſit ſuſtinere venæ ſectionem, geminaretur enim refrigeratio. *Capivaccius Pract. lib.* 7. *cap.* 6. In teterrimis venenis, quæ recta cor appetunt, ſanguinis miſſione venenum in cor impelli author eſt *Avicennas*. *Palmarius lib. de morbis contag. pag.* 506 Si venenum per corpus fuerit diſpertitum, ſanguis ſtatim demendus eſt, præcipuè ſi is qui percuſſus eſt humorum æquabilitate omnium plenus, Græci plethoram dicunt, appareat. *Foreſtus lib.* 30. *Obſervation.* 11.

XIX. Scimus à *Dioſcoride* & cæteris antiquis Medicis in curandis venenis generatim vacuari: In leporis mar. veneno *lib.* 6. *cap.* 30. præbet ellebor. nig. & ſcammon. ad ʒ j: *Rhaſin* imitatus *Avicennas lib.* 4. *f.* 6. *tract.* 3. *cap.* 34. in morſu viperæ dat turpethum: Et de agar. ſcribens, *ait magno eſſe juvamento ad venena ſi in potu cum vino detur:* Confirmat *Galen.* 6. *ſimpl.* Neque vero ſolum vt à proprietate agat, quod putaverunt recentiores plerique, ſed etiam vt purget, nam tribuit ad drachmas fere duas, qua quantitate ſatis egregie alvum ducit: Quod ſi veneno affectis purgatio noceret, nequaquam fuiſſet tanta exhibenda quantitas. *Rubeus in cap.* 7. *lib.* 3. *Medic. Celſi.* Si venenum in infimis ſubſiſtat partibus, probatur purgans per inferiora, ne id tamen ſit veneficum: Maxime autem laudatur agaricus, qui portiones habet bezoardicas & alexiterias: Evacuat autem venenum non per ſe, ſed per accidens, per ſe enim ob proprietatem ſimilem pituitæ attrahit ſuccos pituitoſos, & ſic ex accidente venenum etiam evacuat: Semper tamen obſervandum vt purgans exhibeatur quod humori in corpore redundanti reſpondeat. *Capivaccius l. c.*

XX. *a.* Deinde moneor hic authores cum alexipharmaca varie temperata ſint, vt venenis frigidis calida, calidis frigida, ſiccis humida, humidis ſicca opponantur; Quod vt vbi fieri poteſt, non improbo: ita ſemper magis ad vim alexipharmacam, quæ venenis propriè opponitur, quam manifeſtas qualitates reſpiciendum cenſeo: Et propterea etiam theriaca & mithridatium, quæ ſunt calida, in calidis venenis non ſine fructu exhibentur. *Sennertus.*

XX. *b.* Sabaudus, vir robuſtus, pituitoſus, xl. ann. ad lacum Lemannum habitans, in convivio, vna cum vxore, veneno inquinatus fuit: qua paulò poſt extincta, ille graviter laborans quæ circa defunctam erant agenda amicis commiſit, & nave, trajecto lacu, ad me venit, circiter horam 6. matutinam: occurrit mihi tunc aphor. 6. 1. ſect. Quare cum adhuc venenum in ventriculo latitare ex dolore, eructationibus, aliiſque indiciis cognoviſſem; ideoque inſigni vomitorio opus eſſe viderem, protinus ad gr. 6. antimonii præparati in ſubſtantia (infuſum enim dare morbi violentia non admittebat) cum ℈ij. confect. alkermes, & nonnihil c. c. vſti & præparati exhibui: Eadem die cum multum evomuiſſet, dolor & incendium ventriculi ex toto ferè remiſerunt: deinde ſingulis diebus electuarium roborans ſumebat; pro potu ordinario nihil præterquam lacte amygdalino cum ſacchar. & nonnihil c. c. vſti & præparati vtebatur; ſic intra paucos dies plenè reſtitutus. *Hildanus Cent.* 4. *Obſervat.* 37.

XXI. An illi qui *Pulverem vel ſerpentum, vel viperarum*, ſemel atque iterum ſumpſere, à morſibus illorum animalium in poſterum tuti ſunt? Reſpondeo experientia confirmatum non

rò,

eſſe, quod ſi quis prædictum pulverem aſſumpſerit, deinceps dictorum animalium morſus ſpernere debeat, cum non ſemel compertum ſit quod qui tali prophylactico uſi, nihilominus ubi à viperis ac ſerpentibus ad iram provocatis, & in fermento exiſtentibus, in loco quodam nervoſo, & aliquanto profundius demorſi fuerint: ſubſequutis illico atrociſſimis convulſionibus, diriſque aliis ſymptomatibus, inter ejulatus & ſuſpiria vitam finierint; Adde quod ſi aſſertio *καθ' ὅλου* vera eſſet, ſequeretur quod nec viperæ à vipera, nec homini ab homine &c. ab invicem demorſis ullum immineret periculum, cum vipera demorſa tota ex materia pulveris viperini conſtet, adeoque ſymbolicè veneni activitatem recipere deberet: at ſæpe confirmatum eſt quod vipera a vipera atrociter demorſa vitam cum morte commutaverit: hominem ſimiliter ab homine iracundiæ œſtro perciro morſu graviter ſauciatum in vitæ diſcrimen præcipitari. Hinc fit ut homines à viperis ſauciati in Italia, non uſu ſolius pulveris aut carnis viperarum liberentur, ſed citiſſimis ligaturis, ſcarificationibus, cauteriſationibus, attrahentibus, extrahentibus, expellentibus interne datis, alexipharmacis &c. Quod autem nonnulli ſerpentum omne genus ſine periculo pro lubitu tractent, licet pulvere ſerpentum nullo uſi ſint, id fieri credo 1. Ob peculiarem quandam dotem & proprietatem, huic vel illi, aut quandoque quibuſdam integris familiis conceſſam à natura; 2. Ob ſingularem nonnullorum audaciam, inſigni dexteritati eos tractandi junctam. Indidit præterea provida natura ſerpentibus metum quendam & timorem verſus homines qui illos intrepide perſequuntur: fatentur enim omnes quicunque huic negotio ſe dedere, quod ſerpentes ipſos, etiam nondum viſos, tantopere reformident, ac tam celeri greſſu fugiant, ut vix eos curſu aſſequi, vel manibus ad ipſos pertingere poſſint: Contrarium evenit ſi homines pavidi ſerpentibus obviam veniant, hos enim illi inteſtino odio concitati adoriuntur, ac ubi ubi poſſunt damnum inferunt: qui ipſe pavor venenum illorum animalium morſu receptum multum exaggerare, & per totum corpus diſpergere, ac conſequenter etiam repentinam mortem inducere poteſt: quod ipſum venenum de ſua natura alioquin tantopere lethale non eſſet, non ſecus ac in peſte fieri ſolet, ubi timidi in majori verſantur periculo quam qui impavido animo gaudent. Facile etiam conceſſerim quod illi qui pulverem viperinum ſumpſerint, audaciam ac fiduciam validam exinde contraxerint, ut deinceps in ſimilibus læſionibus tantopere de vita non periclitentur: etenim levi pendent malum, adeoque leviter ſaltem (attamen cæteris paribus) ab eodem afficiuntur. *Zwelferus Appendice ad Pharmac. Auguſt. Claſſ.* 14.

XXII. Obſervent in *fodinis metallicis* & ad fornaces ejuſmodi viventes, tum etiam aurifabri, chymiatri & ſimiles, ne nunquam appropriatorum medicamentorum aliquid ſecum in promptu habeant, cum hic verum illud Poetæ, *Principiis obſta.* Quidam veneno, fortè ſublimato, clam exhibito protinus in capite, labiis, ore totóque corpore intumeſcit: ſuccedit ardor faucium inſignis cum convulſionibus, hic ab omnibus pro deſperato habitus, ter in 24. horis turpetho minerali, ſatis aucta doſi, per *T. Knoblochium* ſuperius exhibito, ſuperius & inferius operatione vehementiori ſubſequente, additis roborantibus, perfectè reſtitutus. Ita malignitatem ea fumis metallicis vix aliter quam remediis metallicis expugnabimus: Sic aurifabri puellus gravi aſthmate laborans Mercurio dulci liberatus, vide *de ſis. Reſpir. læſa lib.* 16. §. 25. Quidam in ſeparatione metallicæ materiæ, aurifabris inſtar ſcoriarum reſiduæ, laborans, in gravem dyſpnœam incidit, qui mineralibus reſtitutus: *ibid.* Tandem inſignis Ophthalmia eodem pacto ſanata, vide §. 40. *lib.* 13. *Gregorius Horſtius l.* 7. *Obſervat.* 25.

Veneni, & cujuſcunque animalis puncturam aut morſum, & arcanam curandi rationem, vide apud *Foreſtum lib. xxx. Obſervat. xi.*

XXIII. Errant qui *ictibus & morſibus venenatorum animalium* alexiteria extra non imponenda, ſed tantum exhibenda cenſent: alexipharmaca enim, ſi extra imponantur, tantum abeſſe putant ut venenum extrahant, ut etiam intus potius propellant ob contrarietatem. Quod de puris alexipharmacis verum eſſe libenter concedimus; At ſi aliquod medicamentum è venenis & alexipharmacis conſtet, utrumque præſtare poteſt: venenoſitate, ob ſimilitudinem attrahere, & vi alexipharmaca id impugnare. *Sennertus.*

XXIV. *Averroës* lib. de Theriaca & 5. collig. c. 32. medicamenta bezoartica ſaltem utilia eſſe ſcribit ubi corpus veneno infectum eſt, ſanis verò corporibus, ſi exhibeantur, nocere: unum tamen ſemen citri excipit, quod etiam ſanis corporibus utile ſit; Et imprimis contra theriacam tribus argumentis utitur, 1. quod ejus uſus omnes ita diſponantur ut nihil à veneno patiantur, & proinde fiant ſimiles veneno. 2. quod Theriaca attrahat venenum, atque ita cum attractio fiat per ſimilitudinem, ſimilis ſit veneno, & propterea ſanis corporibus non conveniat, 3. quod potentiſſimum ſit medicamentum & magnæ activitatis: Verum rectius ſentit *Galen. qui l. de Theriaca ad Piſonem c.* 16. & 1. *de antid. c.* 16. theriacam ut præſtantiſſimum medicamentum ad tuendum corpora contra venena commendat: cui conſentit Avicenn. l. de vit. cordis, & omnes ferè alii Medici, imo ipſa experientia, quæ docet vera & genuina alexipharmaca corporibus ſanis, etiam ad tuendum ea contra venena, tutò & cum commodo exhiberi: Nullo verò modo, quod vult Averroës, ab alexipharmacis veris corpora ſana fiunt venenoſa, ſed potius ab iis acquirunt quandam proprietatem veneni repugnantem: Deinde non attrahit venenum Theriaca, ſed impugnat: 3. Et ſi ſit potentiſſima & magnæ activitatis, tamen certa doſi & cautè exhibita, etiam in ſanis ſuum locum habet: id quod exemplo Mithridatis & aliquot Romanorum Imperatorum patet: Nota tamen alexipharmacorum differentiam; eorum enim quædam nullum qualitatũ exceſſum habent, ut bezoar, terra ſigillata, bolus Arm. C. C. &c. quę omni ætati & corpori tutò adhibentur: Quæ vero calida & ſicca, ut theriaca & mithridatium, cautius exhibenda, & videndum ne nimio eorum uſu damni aliquid attrahatur. *Sennertus.*

XXV. Hoc in omnium venenorum cura obſervandum ex *Avicenna* 6. 4. *tract.* 1. *c.* 1. ne qui venenum ſeu ore hauſit, ſeu extra in corpus accepit, dormiat; Etenim primo, continuo medicamentorum uſu, ſæpe vomitus, ſæpe aliis opus eſt, quæ in ſomno negliguntur: 2. neceſſarium eſt ut diligenter attendatur an ſymptomata, quæ à veneno excitantur, incrementum ſumant vel decreſcant, quod in ſomno animadverti non poteſt. 3. In ſomno venenum ad cor & interiora facile penetrat. *Sennertus.*

XXVI. Venenum noſtræ naturæ è directo oppoſitum triplex eſt: 1. ſpiritibus, 2. humoribus, 3. par-

ribus ſolidis nocet: juxta cujus differentias diligens cautuſque debet eſſe Medicus: Nec credat Theriacæ aut Mithridatio, aut aqua Theriacali morbos omnes venenatos poſſe ſuperari: Inter venena tamen peſſima ſunt quæ ſpiritibus adverſantur, tum quia nobiliora corporis occupant, tum etiam quia difficulter cognoſcuntur: Cum enim non ſint viſibilia, ſed vtplurimum aërea, per olfactum aut reſpirationem corpus ingrediuntur, non per cibum aut potum: Hinc oritur quod ſæpius nulla ſuſpicio veneni adeſſe poterit: eoque magis quoniam dum venenum nondum radices fixit, aliqua accidentia cum aliis morbis communia apparent, quæ Medicum decipiunt: Præparata ideo habeat medicamenta quæ ſpiritus fovent & tuentur, venenum expellendo quod è directo ſpiritibus adverſatur: nec ſinere per negligentiam debent vt Princeps veneno correptus, tanquam ſi in febriculam, aut leviorem morbum inciderit, poſtmodum miſerè moriatur: De venenis autem ſpiritualibus nulli Medici tractant. *Dom. Panarolus Obſ. 27. Pentec. 3.*

XXVII. Multi temeraria quadam fortuna fulti, ferè omnia ſua remedia à venenis præparatis deſumunt, cum tamen illud in deſperatis morbis, fruſtra tentatis benignioribus, ex *Hippoc.* fieri debeat: cum ex iis, imò etiam à topicis ſolis, peſſima ſymptomata erumpant, & non rarò mors. Sic quædam nobilis mulier cum mammas minuere optaſſet, conſilio Medici cujuſdam admovit ijs cicutam: Vt alia, vt variolarum notas è mammis, & à ſummo thorace deleret, remedium ex arſenico, aliiſque venenis parato applicuit: ſed ambæ dum pulchritudini nimium ſtuderent, animas proprias corporibus fugarunt &c. *Petrus Borellus Centur. 2. Obſervation. 3.*

XXVIII. Dicunt quidam duo venena intus exiſtentia pugnare invicem corpore illæſo, quod de *Aconito* ſcripſit *Plinius*, Aconitum pati invento quo cum certet, homine ſuperſtite omnino aboleri cum ſuo veneno æquali; at non inveniens venenum, occidere hominem: Aut etiam quod *Auſonius Gallus* dicit de venefica, *Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito, Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum, Miſcuit argenti lethalia pondera vivi, Cogeret vt celerem vis geminata necem; Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum, Antidotum ſumet qui ſociata bibet; Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant, Ceſſit lethalis noxa ſalutifera, Protinus & vacuos alvi petiere receſſus &c.* Id ego non admiſerim, vt quia ſciam omnino Aconitum & à ſano ſumptum, & à venenato, ſemper lethalem habere facultatem: Temerariumque putem Medici judicium qui duo venena propinare vellet vt vnum aliud obtereret: Mœcha Auſonii ſanitatem intulit, non ob mutuam venenorum pugnam, quod ille credit, ſed ob gravitatem hydrargyri, quod præceps dedit in alvum alterum venenum quod nondum actuatum fuerat. *Augenius Tom. 1. l. 9. Epiſt. 1.*

XXIX. Venena ſi fuerint aſſumpta, in *Vomitoriis* tota curationis vis conſiſtit, alexipharmacis poſt ſubſequentibus: Vomitoria vero non ſint fortiora ac maligna, ſed leviora & parata ex iis quæ ſimul lentorem obtiuent, vt aqua cum oleo communi, ſeſamino, nucum &c. vt ſi quæ veneni ſit acrimonia & vis corrodendi, illa obtundatur & partes internæ contra eam quaſi muniantur, qualia dicta ol. cum aqu. communi, vel pinguia juſcula cum decocto flor. geniſtæ, lacte, butyro, raphano & ſimilibus: Non autem ſatis eſt ſemel Vomitum provocaſſe, ſed tamdiu is continuandus donec nulla amplius veneni vis in ventriculo indicia, ex ſapore, odore, nauſea, dolore & morſu deprehendantur. *Sennertus Pract. l. 6. p. 5. c. 7.*

XXX. Vomitoria his qui venena devorant conveniunt, præterquam his qui ex *eſu fungorum* periculo ſuffocationis laborant: Tunc enim ad partes inferiores ſunt deturbandi, quod probatur eorum antipharmaco, pyro agreſti & aliis adſtringentibus: Clyſteribus igitur & medicamentis purgantibus deorſum deturbandi ſunt, & os ventriculi claudendum adſtringentibus, vt malo cotoneo, pyro ſylveſtri. *Rondeletius p. m. 917.* Eorum alexipharmacum, juxta *Sanctorium*, eſt oleum Citri.

XXXI. Quam prava ſymptomata ex *lacte coagulato* accidere poſſint, plurimi annotarunt: Dubium vero movetur an vomitoria ad id è ventriculo ejiciendum conveniant: Negat *Manardus* & repudiat Vomitum, quia ſi quis id ſic excludere conetur, in gula facilè hærere & hominem ſuffocare poſſit: Verum *Sennertus 6. Pract. p. 8. c. 34.* Vomitoria præcipit, ſed præmiſſis lac coagulatum diſſolventibus, ex oxymel. mumia, ſpermate ceti &c.

XXXII. *Scorpiones* in Italia aliquando innocuos monuit *Plinius*, *Patavii* nihilominus tumore ac dolore graves ictus animadverti. Sed ab anno etiam *Petrus à Caſtro* vidit recruduiſſe venenum in ſemetipſo & in gallina; Sole nempe Scorpii ſignum peragrante dextræ manus indicem ipſi ferit Scorpio niger maximeque virulentus: dolorem confeſtim percepit cum frigore totius brachii, qui verius in digito ponderoſus: Scorpio ipſe contuſus plagæ impoſitus, cæteraque alexipharmaca parum profuere, Digito in gallinæ domeſticæ ſedem immiſſo dolor poſt ſeſquihoram omnino ſolutus: ipſa intumeſcens ac ſemimortua, theriaca deglutita quidem convaluit, ſed claudicans: redeunte ſequentis anni eo ipſo temporis momento, gallina convulſa, tremula & enervis procubuit, donec theriaca ſumpta reſtitueretur: Viro Clar. pariter eodem tempore dolor digiti rediit, cum tumore phlegmonode, qui acri & flava pure vacuato, adhibitiſque antidotis ex eo integre convaluit: Rerum iis remedio *H. Furenius* deprehendit mecum Patavii. *Rhodius Cent. 3. Obſ. 90.*

XXXIII. Malum exenteratum tantam attrahendi vim habere & reſolvendi experientia comprobatum eſt, vt etiam venena extrahere & diſſipare valeat, id quod in *Valentino Borgia*, *Alexandri ſexti* Pont. Max. filio res ipſa docuit, qui mulo exenterato incluſus, aſſumpti veneni quamprimum vim omnem ſuperavit. *Claudinus de Ingr. ad Inf. l. 2. c. 20.* Anno 1629. Illuſtr. *Falcini Patavino*, gravibus inſidiis D. G. liberato vinum honorarium fuit oblatum quo deguſtato, ille ventriculi vlcere diu excruciatus, ſuadente *Silvatico*, *Valentini Borgiæ* exemplo, evaſit, poſtquam incluſus fuiſſet mulo exenterato, veneno ab internis ad ſummitatem cutis evocato: Caſus autem venenum demonſtravit, Mercurio nempe, quem ſublimatum vocant, infectum fuiſſe merum, quotquot enim delibaverant veneficium ſenſere, ſtipator inter alios vbi minxiſſet hydrargyrum (quod quomodocunque præparatum formæ priſtinæ ſpiritu ſalis inſtillato reſtituitur) evaſit. *Iohann. Rhodius Centur. 3. Obſervat. 57. Cardanus 3. de venenis 3. Mercurial. lib. 1. cap. 22.*

XXXIV. Quendam examen *Apum* ſubito invaſit &c. curationem *vide lib. 1. pag. 26. titul. Apum punctura.*

XXXV.

XXXV. In pago quodam tres comederant de vno paſtillo, & veneno infecti ſunt, atque omnes dolore intenſiſſimo circa ſtomachum corripiebantur: vnus autem ex iis lotium ad me miſit, quod cum ſpectaſſem, tenuis ſubſtantiæ erat & viridis coloris, veneni ſuſpicionem præbens: Nam vrina viridis, teſte *Avicenna l.* 1. *fen.* 1. *ſ.* 2. *doct.* 3. ſpaſmum in pueris ſignificat, aut venenum in potu ſumptum; & ſi fuerit in ea hypoſtaſis, ſpes erit vitæ, alioqui metum incutit: Cum is qui vrinam afferebat rem geſtam narraret, magis ſuſpicionem augebat; Præſcribo itaque vomitorium & vt ſimul pinguia devoraret, quibus, vt poſtea intelleximus, ſtatim ab omni dolore liber evaſit, & curatus fuit: alter verò antequam conſilium peteret, ſubitò interiit: Tertius autem cum intellexiſſet priorem per me ſanatum, tardius tandem & ille lotium ad me tranſmiſit; Huic quoque vomitorium præſcriptum eſt ex decocto raphani & oxymelite, & ſumpta Theriaca, & hic convaluit: Eſt enim Theriaca commune remedium contra venenum ſumptum: proprium antidotum præſcribere non poteram, veneni ſpeciem ignorans: quibus remediis conſopito ſtomachi dolore vterque curatus eſt. *Foreſtus lib.* 18. *Obſervat.* 28. *Cardanus* veneno incognito pereuntes lactis potu ſanavit, *Curation. admir. n.* 1.

XXXVI. Innoxium eſſe *Mercurium* quidam contendunt, quod à plurimis citra detrimentum, imò ab infantibus vermibus ſcatentibus ſumptus ſit: Alij, experientia freti, venenatum aiunt, quod non ſecus quàm alia venena ſtuporem, convulſionem, tremorem, paralyſin, epilepſiam, apoplexiam, leipothymiam afferat, imo interdum mortem; atque deprehenſum raiò vivaces eſſe illos qui ejus venas effodiunt: Atque horum ſententiam vero magis conſentaneam putamus: Quod experientiam attinet eorum quibus ſæpe ſine damno exhibitum, ea venenoſitatem non excludit: Etenim, vt fiat actio, recta agentis ad patiens applicatio & mora quædam requiritur, quæ cum non adfuerit in iis qui id hauſerunt, etiam nocere non potuit argentum vivum: Exhibetur enim vivum vel præparatum: Si vivum, minùs eſt noxium: nam cum id corpus ſit exactiſſimè mixtum, cjuſque partes minimæ pertinaciſſimè ſibi cohæreant, vnde etiam mobile eſt perpetuò, dum integrum & vivum eſt, corpori noſtro vel parum vel nihil damni infert, ſed ſtatim per alvum excernitur: eodem enim modo vt globus plumbeus deglutitus ſtatim è corpore excernitur, ſine illato damno; ſi vero reſolvitur in minima, & æruginem contrahit, valde nocere poteſt: ſic ſi argentum vivum integrum, mobile ſibique cohærens aſſumitur, & ob mobilitatem ſuam ſtatim è corpore excernitur, nihil damni affert: Si verò in minima reſolvatur, & inprimis ſalium admiſtione, & eorum auxilio quaſi corpori affigatur, atque in id penetret, cum intus tum extra adhibitus graviſſima mala infert, vt vel ſublimatum & præcipitatum ſatis docet: Nec vis corrodendi ſalibus admiſtis tribuenda, nam in fumo, qui dum argentum inauratur, exhalat nihil ſalis eſt, & tamen ille ipſe ſummè noxius eſt: Neque in ſublimato vel præcipitato tantillum ſalis, quod admiſcetur, tantum damnum inferre poteſt, cum ſal, etſi in magna copia exhibeatur, nihil tale præſtet: Præparatum Mercurium quod attinet, multi equidem Mercurialia medicamenta extollunt; Præcipitatum pulverem Angelicum quidam appellant: aliter præparatum, Mercurium vitæ: Mercurium dulcem ritè præparatum quidam tam benignum eſſe cenſent quàm mannam, tamarindos, caſſiam: at laudes hæ nimiæ ſunt, & temeritas improbanda eorum qui in quibuſvis morbis Mercurium exhibent, nam extant exempla multa eorum qui medicamentorum horum vſu vel periere, vel diſcrimen vitę ſubierunt: hinc *Fabritius Hildanus* Mercurium vitæ, Mercurium mortis vocat, vel vitæ æternæ: Mercurium dulcem, qui tamen habetur mitiſſimus, interdum nocere poſſe certum. *Sennertus.* Quamvis *Mercurius vivus*, vt vivus, ſeu vt mobilis, non ſit venenum, nec vllam cum venenis habeat affinitatem, vt innoxie etiam, teſte experientia, per os adſumi poſſit, in hoc tamen Medicus cautus ſit neceſſe eſt, ne adulteratum, aut male præparatum porrigat, nec hypochondriacis, ſpleneticis; & aliis ventriculi fermento nimis acido præditis, & ſanguine ſalibus acidis ſylveſtribus ac corroſivis abundante, à quibus Mercurius naturam præcipitati inducere poteſt, propinet: Mercurium enim reſolutum, ſive præcipitatum, ſive ſublimatum venenum eſſe, ſymptomata dira, & venenis reliquis communia, quæ ſtatim atque in corpus aſſumptus eſt inducit, evincunt. *Hofmannus Clavis Schrod. p.* 262.

XXXVII. *a. Antimonium* eſt quaſi fons & ſcaturigo præſtantiſſimorum medicamentorum, dum in hoc tanquam abyſſo inexhauſto comprehenduntur omnium metallorum ac mineralium energiæ & graviſſimorum morborum medelæ, vt ex hoc tanquam Amalthææ cornu ſalutaria erui queant, quæ impuritates & fermenta morbifica Naturæ inimica per reſolutionem & abſterſionem tollant & abſumant, vna iuxta vim ſuam anodynam & confortantem: Cum tamen, juxta *Paracelſum*, ſit mera Saturni marcaſita, in ſe ſulphur habens arſenicale, omnis venenatæ qualitatis non eſt expers: habet enim in ſe ſal quoddam ſubtile acidum, quod conſiſtit in venenoſo, nullius fere molis halitu ac fuligine, vt conſtat ex ejus vitro, quod venenum halituoſum, ſi aut ignis flamma, aut nitro accenſo ab antimonio evacuatur, tunc mineta, ſeu ſubjectum ejus ſalſum rurſus ſaturatur dictis ſalis acidi ſpiritibus, qui tamen cum ſint ex flamma & nitro, non ſunt antimonio propria, interim tamen eandem exercent violentiam. *Idem ib. p.* 295. & 298.

XXXVII. *b. Cinnabaris* cruda an adhiberi poſſit quæritur? D.D. *I. Michaëlis* approbavit, ſed depuratam, quæ etiam in deſperatiſſimis morbis, cum multorum ſymptomatum congerie æſtimanda eſt; quamvis enim directe & per ſe non ſit diaphoretica, polychreſtum tamen exaltatorium & præſentiſſimum ac ſecuriſſimum alexiterium eſt: Cinnabaris tamen Antimonii, *inquiunt quidam*, aqua calente diſſoluta abit in pulverem niveum, ejuſdem generis quod eſt Mercurius vitæ: Nativa facili negotio in Mercurium currentem, & ſic iterum in cinnabarim convertitur: Et hinc cum vtraque priſtinam retineat naturam, eadem etiam excitare poſſunt ſymptomata quæ Mercurius ſive crudus, ſive præparatus: Sed hæc argumenta nos ab eius vſu non deterrent; nam primo mechanica iſta de cinnabaris antimonii per aquam calentem tranſmutatione in Mercurium vitæ album falſa eſt: Deinde poſito ex nativa cinnabari facili negotio Mercurium elici, quid tum poſtea? Mercurius cum ſulphure antimonii ligatus in cinnabari ſui non eſt juris, ſed huius compedibus ligatus à turbis iſtis gravioribus, quas vel liber, vel ſalibus corroſivis irretitus ciere ſolet, iam plane immunis exiſtit, & illuſtres illas dotes obtinet quibus etiam contagioſis, epidemiiſque morbis, ipſiſque pe-

ſti (extetius appenſus) ſingulari proprietate reſiſtitt Et licet cinnabaris hæc adſumpta ventriculi digeſtioni minime pareat, neque in corporis noſtri œconomiam recipi poſſit, tamen aſſumpta, quandiu hæret in ſtomacho, Archeum noſtrum alterando varie mireque afficit &c. *Idem ib.p.*290. Vide *Plura loc.cit.* De viribus cinnabarinorum, vide *Wedelium in Pharmac.* & *lib.de ſ. m. facultat.*

XXXVIII. Præſciendum morborum qui pro Veneficis habentur, tria eſſe genera: Primum nullo modo veneficium eſt, ſed cum Diabolus aliquem morbo naturali correptum iri animadvertit, vt eſt rerum naturalium peritiſſimus, ſagis & veneficis perſuadet, ſi quæ jubet, adhibeant, hominem in hunc morbum lapſurum, in quem tamen lapſurus erat, etſi veneficę nihil tale egiſſent: Interim ſagæ & veneficę putant ſuâ operâ hunc morbum inductum eſſe: Secundo ſunt alii morbi qui à Diabolo quidem inducuntur, ſed per cauſas naturales, dum is conſtitutionem naturalem immutat & humores corrumpit & alterat: Tertiò ſunt morbi qui ſimpliciter à Diabolo inducuntur, non mediantibus humoribus naturalibus: Quoad primum morborum genus, id omnino remediis naturalibus curari poſſe manifeſtiſſimum & extra dubium eſt: Tertium vero naturalibus remediis curari nequit, cum rerum naturalium in Diabolum, qui ſpiritus eſt, nulla ſit actio: Ad ſecundum verò genus curandum vtilia ſunt medicamenta naturalia, verum ſola non ſufficiunt, ſed præterea etiam Divinâ curatione opus eſt: Cum enim in talibus morbis duæ cauſæ concurrant, humores, & aliæ quæ ſunt in corpore humano, & prętetea Diabolus, etiamſi prior cauſa tollatur, tamen niſi etiam Diabolus ab agendo & nocendo ceſſet, curatio perfecta nulla ſperari poteſt: Naturalia autem illa medicamenta, ſunt vel vacuantia humores vitioſos, quibus Diabolus in inducendis morbis vtitur: vel alterantia & alexipharmaca, diſpoſitionibus ab illo inductis contraria: Inter vacuantia excellunt vomitoria, à quibus multos rebelles morbos curatos fuiſſe conſtat, quorum cauſa in ventriculo, meſenterio & vicinia latebat; Ideo vomitoriis exhibitis Dæmoniacos curabat *Rulandus*: humoribus enim illis vitioſis ſublatis morbi, quos mediantibus illis Diabolus induxit, ceſſarunt: Purgantia non ſane negligenda, *H. ab Heer Obſervat.* 13. quendam philtro malè affectum per vrinas evacuatum & ſanatum fuiſſe refert. Alterantia & Alexipharmaca quod attinet, notandum vocem veneficii interdum ſumi pro Incantatione & actione abſolutè Magica, Interdum pro morbo per venenum illato, quò & philtra pertinent: Ideo cum apud authores occurrit herbam hanc vel illam contra veneficia vtilem eſſe, plerumque morbi à venenis clam illati, potius quam à magicis actionibus inducti intelligendi ſunt: Etenim cum dentur alexipharmaca communia, ea in hiſce venenis, quorum natura plerumque latet, non ſine commodo vſurpari poſſunt: Imo forſan cum fructu, etiam in morbis à Diabolo inductis, ea adhibere licet, cum & ille venenoſas in corpore diſpoſitiones excitare poſſit, quæ ab ejuſmodi medicamentis infringuntur: De omnibus tamen iſtis remediis naturalibus, cum externis tum internis, hoc obſervandum, ſi ea adhibere liceat (cum ſæpe in occultis morbis varia remedia tentare liceat) ſine omni ſuperſtitione, ceremoniis, verborum pronunciatione & ſimilibus vſurpanda, ac ſaltem eorum naturalibus viribus fidendum, cætera Deo committenda. *Sennertus.*

XXXIX. Circa curationem morborum venenatorum & malignorum monet *Euſt. Rudius l.* 1. *de morb.occ.c.*12. conſiderandum an affectum corpus, cum veneni pernities ipſum corripuit, purum & integrè ſanum ſit, vel potius plethora, cacochymia &c. affectum: quæ prius auferendæ ſint quam ad illorum vſum veniendum: Et id quidem in valde perniioſis & citò interimentibus quam citiſſimè peragendum docet: In iis verò deleteriis quæ longiores dant inducias exquiſitius & longiori tempore adhiberi poſſe: Metuit ſcilicet ne plethora &c. antidotorum vires infringant & permeare vſque ad affectum membrum non ſinant: Sed revera concedendum magis periclitari eos qui vbi venenato, vel maligno morbo *corripiuntur*, plethora, cacochymia aut alio vitio interno *laborant* ob cauſas dictas, & quia in vitioſis humoribus venenum ſeſe facilius diffundit & multiplicat, vnde gravior evadit affectus: Negamus tamen in venenis quæ ab extra & corpori adveniunt id conſilij ſequendum: Etenim cum ei quod magis vrget ſemper primo occurrendum ſit, & certum ſit à veneno præſentiſſimum vitæ diſcrimen imminere, aut eam impreſſionem quæ poſtea vix elui poſſit, manifeſtum hinc veneno ſtatim occurrendum eſſe: ſi enim prius in plethora, cacochymia vel obſtructionibus tollendis laborare velimus, venenum interea interimet, vel ita ſe corpori inſinuabit vt poſtea nulla arte expelli poſſit. In veneno autem quod concedit inducias, conſilium non rejiciendum. *Sennertus.*

XL. *Mercurialis Arſenico* ſumpto præ cæteris mirificè conferre ſcribit aquam copioſè hauſtam; primo, Exemplo eorum, quos quandoque in cavernas, vbi arſenicum erat, à ſe miſſos, atque exanimes extractos, vbi copia bibendi aquam facta eſſet, revixiſſe vidit. Secundo Murium quos ſi aquam biberint ferunt liberari: Verum, vt aquam non improbo, ita *Foreſtus lib.* 30. *Obſervation.* 5. frigidæ potum rectè improbare videtur, quod ea venenum non reprimat, ſed ipſum potius in corpore ſua frigiditate retineat: Tepida copioſè vſque ad vomitum bibita commodior videtur. *Sennertus.*

XLI. Nobilis filium habuit qui accepto *Philtro* totus contabuit ac tandem mortuus eſt: poſtquam corpus ſectum eſt, *maſſa quædam dura*, cornu ſimilis in fundo ventriculi eſt inventa, quæ Patri tranſmiſſa fuit: hic in memoriam filij cochlear ſibi ex ea maſſa fieri curavit, eoque frequenter in menſa vti ſolitus fuit; accidit vt cochlear iſtud embammati ex naſturtio aquatico cum aceto confecto impoſitum diſſolveretur; Hinc naſturtium aquaticum viribus non vulgaribus contra philtra præditum eſſe facile conjicere poſſumus: *Schenkius p. mi* 813.

XLII. Habeo à D.D. *Geilfuſio* ſe noſſe quendam diu jam fiſtula in femore laborantem, ex qua omnifariæ res, linteamina, fruſtula chartæ, pili &c. prodibant: multis fruſtra adhibitis remediis, à quodam, pro mago habito, pulverem cineritio colore tinctum vulneri inſperſum, & paucos intra dies ægrum ſanatum: Pulvis erat cinis ſagæ combuſtæ. *Ioh. Dolæus Miſc. Cur. anni* 76. *Obſervat.* 61.

XLIII. Quoniam bis in montibus ſagarum & veneficorum hominum turbam eſſe non parvam ferunt, quorum faſcino venenum plures ſæpenumero contrahunt, idcirco verum ac proprium ad hujuſmodi virus propellendum alexiterium depromere libet, quod Genevæ expertus ſum mirabili cum effi-

Facia in quadam pupa ex Lugdunenſium gente oriunda, annos vi. nata, veneno à quadam maleficâ muliere jamdiu contracto, tota propemodum emaciata, muta, motrice vi prorſus deſtituta, voraciſſima, quæ quodam alexipharmaco ter quaterve illi exhibito, ac iterato, & loqui & ambulare cœpit: paulo poſt tempore ipſam tandem eſſe ſanitati reſtitutam pater mihi ſignificavit. Ea autem antidotus, *cynogloſſum eſt*, non tamen ipſum vulgare, ſed quod à *Dioſcoride* lib. 4. deſcribitur: hujus autem foliis hactenus ſumus uſi, radices nondum experti: At vetula ſaga mulier, à qua evulgatum eſt hoc alexiterium, novem folia ex aqua potui dabat faſcinatis; nos autem neglecto numero, manipulum in aquæ fontis ſelibra decoqui ad mediam partem præcepimus, dein decoctum vacuo laborantis ventriculo propinavimus. Poſtea alteri cuidam Genevæ puellæ, eodem fere veneni genere à venefica infectæ, quidam fœlici ſucceſſu Moibani antidotum ad ʒß. ex vino albo potui dedit, qua paulo poſt, & abſoluta evacuatione, per ſuperiora & inferiora, puella tandem convaluit: Quoniam hujus alexipharmaci tanta vis eſt adverſus omnia propemodum veneni genera, id deſcribere haud pigebit, Recipe Rad. *Valerianæ* ℥ß. *rad. Aſclepid.* ℥j. *polypod qu. alth. angel. ſylv ana.* ℥ij. *Angelic. ſativ. rec.* ℥iv. *cort. rad. laureolæ* ℥iß. rad. hæ omnes eſſodiendæ eo tempore quod xv. Aug. & viij. Sept. intercedit, authore *Moibano*, æque tamen efficax comperta antidotus iis tardius effoſſis: Inciſæ reponantur in ollam vitreatam, effuſo aceto acerrimo, quod duobus digitis extet: Tum olla operculo clauſa, rimæ omnes ovi albo cum polline ſubacto accurate oblinantur, poſt hæc in ipſa olla ad lentum ignem parum ebulliant; dein aperta olla, & abjecto aceto, quod redundat, radices exſiccentur quo atteri queant: poſt contritis omnibus addantur acini *herbæ* quæ *Paris* dicitur, & fiat Pulvis, cujus adultis ʒj. ad ſummum ex vino albo propinatur: minus validis vel ℈ij. vel ʒß. ſatis eſt. *Iac. Aubertus Exerc. 42. in Fernelium de abditis.* Caricbieri *unguentum* quo curata puella veneficio infecta ℞. *Adipis canis bene liquati* & mund. ℥iv. ad. urſi ℥viij. caponis ℥xxiv. tres truncos viſci coturni adhuc virentis, fruſtatim ſectos & tuſos dum humeſcant; contunde omnia ſimul, lignum, folia, baccas, miſce omnia in phiala, quam Soli novem ſeptimanis cum expoſueris, virentem balſamum extrahes, eoque veneficiatorum corporum loca maxime dolentia & junctutas inungendo certo experimento curabis. *H. ab Heers Obſerv. viij.* vide hiſtor. ibidem.

XLIV. *Cicuta* Dioſcor. Mat. med. l. 4. c. 79. eſt venenum propter frigus enecans: Cujus effatum anſam videtur dediſſe Medicis ut citra ulteriorem indaginem ejus temperamentum frigidum ſtatuerint: At contra Cicutam particulis calidis, acribus, ferocibus, aut aliter efficacibus, potius quam frigidis, obtuſis & torpidis agere in corpus noſtrum oſtendunt multæ hiſtoriæ illorum qui caſu & per errorem illam comederunt: Apud Smetium miſcell. p. 599. hiſtoriæ plurium qui Cicutæ terreſtris radicibus, vice paſtinacæ coctis veſcebantur, probant eam calidam eſſe & calidis particulis nocuiſſe, omnes enim delirarunt: Demum ſpirat odorem nauſeabundum, horridum inſtar paſtinacæ *Sylv. Galen. 5. de ſ. m. fac. c. 18.* ſtatim alienum & homini adverſum vocat, idque dum cicuta adhuc integra eſt: dein linguam acrimonia quadam pungit, ſaporem autem acrem calidum eſſe conſtat: Eadem exhibita cani juvenculo, ſalivavit is, vomuit, varie convulſus fuit. cadavere aperto ventriculus plane conſtrictus & corrugatus inventus: detecto muco, apparuit interna ſuperficies rubicundior debito, & in fundo maculæ rubræ liveſcentes: Anxietatem quandam in cane excitavit rodendo & vellicando nervoſa ventriculi; Convulſiones effectus ſunt cauſæ non ignavæ & frigidæ, ſuperficies rubicunda anfractuum oſtendit eam calidam eſſe & prope cauſticam: Caute ergo legendi & imitandi qui promiſcue alexipharmaca, atque ante evacuationem uſum, ſeu nondum expulſa è ventriculo cicuta exhibent: Vinum generoſum plures ſuadent; at teſtibus *Galeno* & *Plinio* cum vino pota citius enecat, quod ejus acrimonia à vino intendatur & facilius ad vitalia abripiatur: Vomitoria ergo protinus dentur ad ejus expulſionem, quæ non neceſſum eſt ut fortiter irritent & ſtimulent, cum jam aliàs ad contractionem ventriculus pellectus ſit: dentur aqua & oleum tepida & larga manu iteratis hauſtibus, pleniſque buccis, viæ ſic magis laxantur, vomituſque citius minorique nixu ſequitur: Hauſtibus iſtis tamdiu pergendum donec omnis cicuta è ventriculo expulſa ſit &c. *Ex Ioh. Iac. Wepferi Tract. de cicuta* aquat. §. vide infra 45.

XLV. Creditur *Hyoſcyamus* frigidus in tertio & ſiccus in 1. gradu, idque ideo quia *Galenus* ita ſtatuit, deinde quia ad deſtillationes calidas utiliter adhibetur, aquas inſpiſſare, obtundere & deſinire dicitur: Ego vero Hyoſcyamo idem quod *Cicutæ* fatum obveniſſe puto, dum obiter ejus vires, & prope tantum juxta unius alteriuſve effatum expenſæ fuerunt: anno 1649. præparatum acetarium fuit, cujus materia debuiſſent eſſe radices cichoreæ eliquatæ; creverant hæ una in areola mixtim cum hyoſcyamo; hinc ſentiri à quibuſdam capitis vertigo, aliquorum torreri linguæ ac labra, aſperari fauces &c. fuit qui gargariſmo palati ardorem compeſcere ſtuduit, ſed lingua velut in frixorio toſta omnem reſpuit medelam: Deliria & intemperies, quæ quibuſdam evenerunt, non etiam uſque adeo torpida ut frigori imputari debeant &c. *Idem ib. d. pag.* 234.

XLVI. Cicuta (*ut & hyoſcyamus*) tutiore & certiore via exturbabitur è ventriculo vomitu concitato: per ambages longas purgantibus educeretur non ſine periculo, dum afflicto ægro ob ventriculi cruciatus jam ſævientes, nova afflictio adderetur, hoſte ad inteſtina pulſo, quibus non minus infeſtus eſſe ſolet quam ventriculo, atque illorum quædam minus ejus præſentiam tolerarent, utpote teneriora & ipſamet exquiſitiſſimo ſenſu prædita: Idque ante omnium aliorum medicamentorum uſum faciendum eſt, ne virulentia cicutæ augeatur, ventriculus irritatus exaſperetur, cicuta, aut fermentum ſtomachi illius ſucco imbutum ad inteſtina, & chylo permixtum ad maſſam ſanguineam perveniat, Hoc ſuadere videtur *Dioſcorides* &c. *Idem pag.* 319. Quid agendum ubi jam ſuccedit Epilepſia vide lib. v. tit. de Epilepſia §.

XLVII. Educta è ventriculo & inteſtinis *Cicuta* omni, vel maximam partem, *Dioſcor.* de alexipharm. cap. 11. tum demum, ceu ad maximum & præſentiſſimum auxilium, vini generoſi potum deveniendum eſſe cenſet, *Plinius n. h. l. 25. c. 13.* vinum excalefactorium commendat procuidubio, quia cicutam cum plurimis aliis frigefacientem credidit, idq; non obſcure dum ſanguinem ſpiſſando ſiccum ex[illegible] paratum necare aſſerit: Verum cum multis

ſationibus & experimentis conſtet Cicutam calidam eſſe, vinum alio modo quam calefaciendo juvabit, & credibilius mihi videtur vinum eliminata Cicuta ex ventriculo, ideo auxilium præſtantiſſimum eſſe, quia citiſſime ſpiritus ex afflictione vehementiſſima deperditos reparat, oppreſſos ob circulationem ſanguinis, nunc impeditam, nunc confuſiſſimam ſuſcitat, atque hac ratione præ aliis vires inſtaurat: Vinum hæc efficacius præſtabit admixtis ex *Dioſcoridis* traditione l.c: abſinthio, pipere, caſtoreo, ruta, mentha, amomo, ſtirace, ſemine urticæ, foliis lauri, & ſi quæ ſunt alia hujus ſortis à *Dioſcor.* ſequacibus ſuperaddita: Antidoti magnæ, Theriaca Mithridat. Elect. Orviet. proderunt quatenus diſſolvunt ſanguinem & lympham, ob conflictum poſt cicutam ſumptam, circulari motu intercepto, alicubi ſtagnantes, ac propterea virium aliquam oppreſſionem & laſſitudinem aliaſve moleſtias poſt ſe relinquentes. *Idem p.* 327.

XLVIII. Hic non prætereundum videtur conſilium *Santorelli Antipr. l.* 21. *cap.* 10. qui poſtquam in prægreſſis ſudorifera non improbavit, ſi venenum ad partes penitiores ſeſe inſinuavit, & prætulit veneno recenter ſumpto pinguia, lac, oleum, butyrum, & pinguia quæque aſſumpta, ſubjungit demum *juvare aquam calidam potam & lac, quia habeant vim extinguendi calorem, quem ut plurimum venena inferre ſolent*: Illud tamen diligenter obſervandum puto Lac non ſtatim poſt vinum hauſtum bibendum, nec lacti poto protinus vinum ſuperingerendum, tum hunc ob errorem protinus lac grumeſceret, unde novæ turbæ metuendæ forent, quas experiuntur illi qui lactis potu podagram extirpare aut mitigare annituntur. *Idem.*

VENTRICULI AFFECTUS.

(Vide *Stomachica l.* 19.)

SYLLOGE.

Topica *ad ejus robur ubi admovenda.* 16.
Dorſo admota qualia eſſe debent. 49.
Emplaſtra *diu non detinenda.* 48.
An cibi tempore detrahenda. 17.
Siccantia admovenda ne ſint frigida vel adſtringentia. 2.
Inſtrumentum impurum eluere ventric. 21.
Inciſionem admittit. 60.
Diæta *ſit tenuis eo laborante.* 15.
Intemperiei inæqualis *curatio.* 32.
In Intemperie calida *jecori ſuccurrendum.* 31.
Intemperiei cum humore *maxime convenit vomitus.* 63.
Hieræ *efficacia in* affectibus frigidis cum pituita. 37.
Fortia Purgantia *nocent.* 19.
Caute calefacientibus *utendum.* 1.
Hiera *an melli miſcenda ad vacuandos impactos humores.* 20.
Vinum abſinthites *quando concedendum.* 4.
Meta calefaciendi *ventriculum.* 33.
Acetum *recipientia in omni cruditate non conveniunt.* 9.
Diatrionpipereon *an* nidoroſæ cruditati *competit.* 10.
Cautio circa Pulveres pepticos. 11.
Confectiones roborantes *lædunt ratione ſacchari.* 18.
Piperis *uſus intus in roborando ventriculo.* 56.
Calidæ & frigidæ potus *quando ex uſu.* 12
Spiritus vitrioli *noxius.* 50.
Spiritus vitrioli Veneris *an conveniat.* 54.
Decoctum abſinthii *valet in cauſa frigida & calida.* 44.
Omnia fortia deſtillata nocent. 45.
Aquæ vitæ ſtillatitiæ *coctionem non juvant.* 51.
Pulveribus pepticis *odorata non addenda.* 52.
Pulveres flatus abſumentes *quando dandi.* 26.
Eum calefacientia, ſi jecur calet, à cibo ſumenda. 43.
Si debile ſit orificium, prius confirmandum eſt poſt vacuandum. 44.
Abſynthium *pedibus calcatum frigidum roborat.* 22.
Aquæ thermales, & Cerata *nocent in* ſicca *intemperie.* 3.
Nimis calefacientia admota nocent. 24. 42.
Inunctiones *Sacculis & Emplaſtris præferenda.* 25.
Roboratio per ſtillicidia *ſuſpecta.* 41.
Vinum *concoctionem potius impedit quam juvat.* 46.
Auſterum in ſicca intemperie nocet. 59.
A tartaro quo modo depurandum. 47.
Acidum Cruditatem *auget, & juvat eos quibus os amareſcit.* 8.
Gravia primo ſumpta melius coquuntur. 13.
Cibi quidam ſuperna parti ventriculi gratiores, alia inferna. 14.
Cruditates *non ſemper jejunio coquenda.* 58.
Somnus meridianus tardam coctionem juvat. 57.
Acida cruditas *non ſemper frigiditatis ſoboles, nec* nidoroſa *caliditatis.* 6.
Coctio *læſa non ſemper calorificis juvatur.* 5.
A colo facibus diſtento lædi poteſt. 23.
Reſolutio *frigidis cibis & dyſpeptis curata.* 39.
Coctio læſa à Laxitate *ventriculi quomodo curanda.* 55.
Sæpe læditur vitio acidi ſucci è Liene tranſmiſſi. 7.
Attritio *calorificis curanda.* 69.
Coeliaci morbi *curatio.* 62.
(Vide Coeliaca aff. lib. 3.)
Coctioq; aliquando depravatur à nimio fervore. 34. 36.
Pulveres *extra admovendi varii eſſe debent.* 53.
Ventriculi dolor *non uno modo curandus.* 66.
Sanguinis miſſione ſedatus. 67.
Vomitorio. 71.
Clyſtere injecto. 68.
Hieræ *uſus.* 70.
Uſus narcoticorum *cum purgantibus.* 80.
Vini calentis potus juvat. 81.
Ab eroſione *quomodo curandus.* 74. c. 83.
Cucurbitula *quando admovenda.* 77.
Bilis ad cutim excluſione ſedatus. 74. b
Inflatio *emplaſtris adſtringentibus & faſciis curanda.* 27.
Externis ſubſidiis aliquando magis turgeſcit. 28. a
Ventriculus poſtica parte diſtentus affectus renum ſpeciem præbet. 64.
Bibendum ex vaſe oris anguſti ad Ructuum *excluſionem.* 65. a

Eo inflammato *nocet aliquando ſ. m.* 78.
In Inflammatione *virium debilitas ſ. m. non impedit.* 28. b
Purgatio *initio noxia.* 29.
Caſſia non nocet. 79.
Nimis refrigerantia nocent. 40.
Et Narcotica. 30.
Vrina rubra frigidam ventriculi intemperiem aliquando ſequitur. 61.
Ardoris ſtomachi *curatio.* 35. 65. b
Aliquando noxia ſ. m. 78.
Bilis excluſione ſanandus. 58.
Hecticæ *ventriculi curatio.* 72.
Pyloro *tumore affecto a ſiccantibus internis abſtinendum.* 73.
Colica ventriculi *vena ſectione curata.* 74. a
Palpitatio *ſublata.* 75.
Doloris *in bilioſis curatio.* 76.
Arthritici doloris revocatione aliquando curandus. 82.
Emulſiones aliquando nocent. 84. 85.
Ventriculum frigidum, cum jecoris calore, calefaciendi ratio. 79.

I. QVoad *Intemperiem frigidam*, cum probentur medicamenta calidiora, duo circa hæc ſunt notanda, 1. vt non ſint vehementer calefacientia: hæc enim quà habent vim exſiccandi, poſſunt obeſſe & morbum ſiccum inducere: (loquor de intemp. frigida ſimplici & ſupponimus temperiem in paſſivis qualitatibus:) Agnoſcens Avicennas in hac intemperie calidiora poſſe nocere ſiccando, miſcet adipem gallinæ, vt medicamentorum vim ſiccantem corrigat: ideo valet aa. ſed ſacchato conditum: diatrionpip. ſed cum vino: nam mel, ſacch. vinum ſubſtantificè humectant: Sic probatur piper, ſed cum cibis: 2. notandum calefacientibus miſcenda adſtringentia, ne diſſolvatur ſubſtantia calidi innati: ideo Avic. cum decocto ſpicæ miſcet aliquid maſtiches: Circa extrinſecus admovenda, notandum diſcrimen inter calida & frigida: nam frigida prohibentur à virtute, i. e. à ſepto tranſverſo, ab ejus calido inſito; calida autem non prohibentur, vide c. 5. lib. 7. meth. Tutius eſt calefacere quam frigefacere: cæterum ſi contingat vt pars vicina ſit calido morbo affecta, tutius eſt applicare calida verſus umbilicum & regionem ſiniſtram, quia in dextra regione caliditas jecoris poteſt prohibere. *Capivaccius. l. 5. c. 2.* Quæ immoderatè calefaciunt, reſolvunt calorem nativum Ventriculi, & tandem frigiditatem inducunt, vt patet in puellis quæ edunt zz. & ſimilia; ob id enim occupantur a pallidis coloribus. *Rondeletius Pr. l. 1. c. 36.* Chymica medicamenta, cum vtplurimum vim habeant acrem & impensè fervidam, locum habere non poſſunt in ventriculi frigidioris gratiam, præſertim dum hepar & circumſita membra immodico calore flagrant: hinc Ariſtot. 24. probl. ſect. 13. dum quærit Cur amplius in Sole res calidæ quàm in umbrâ refrigerentur? Reſpondet minorem calorem à majore abſumi, Et *Galen. 3. de* cauſis morb. minorem flammam paulatim marceſcere dicit, ſi ad alteram majorem admoveas. *Crucius de Quæſitis p. 16.*

II. Circa admovenda in *Humida intemperie*, notandum ſi ad caliditatem vergant ſiccantia, vel etiam ſint temperata in activis, & ſint non adſtringentia, ventriculo poſſe applicari, vt etiam ſeptum attingant: At ſi medicamenta exſiccantia ſint frigidiora, vel adſtringentia, non debere ſepto applicari, nam læditur reſpiratio. *Capivaccius.*

III. In affectibus melancholicis cum inſiſtendum magis ſit humectantibus quàm ſiccantibus, ideo in talibus magis probatur *ſtillicidium* ex oleo quam ex aquis, licet ipſæ ſint magis diſcuſſoriæ, *Silvaticus conſ. 62. centu.* Ideo foveri debet ventriculus, non ceratis, ne magis exſiccent quàm conveniat, ſed ſummitate purpuræ, ſacculo è plumis perdicis, pelle vulturis, cygni, catulo pingui &c. *Idem conſ. 65.*

IV. Cautio adſit ne offeratur *Vinum abſynthites* vbi immiſta eſt materia prava ventriculi. *Vides:* Alioqui utile vbi frigida & humida intemperies excruciat. *Heurnius.*

V. Falluntur qui *Depravatæ concoctionis*, pituitoſi vomitus, ructuum acidorum & flatuum, frigidam duntaxat cauſam eſſe putant: Sæpiſſimè enim jecur calidius hæc ſymptomata invehit: Illud enim cum calidius eſt, ventriculus malè concoquit: neque ſtatim accuſanda eſt ejus frigiditas & humiditas; nec more Empiricorum ad calfacientia confugiendum: Sed diligenter inveſtigandum num cauſa frigida aut calida illius robur diſſolvat, ut contrario oppugnetur remedio: cum ergo calidior jecoris intemperies depravatæ coctionis cauſa eſt, oppugnanda iis quæ jecur refrigerant & humectant, quibus adduntur quæ levi adſtrictione ventriculi robur tuentur, Vitari debent vinum & alia calefacientia alimenta, Experientia enim comprobatum eſt cruditatem ventriculi, ac deſtillationem ortas à jecoris fervore, & ſanguinis bilioſi exhalatione, vini generoſi & ſimilium vſu valdè exaſperari, contrariis miteſcere: *Enchir. med. Pract.* Nunc Medici plerique unicam ſolum habent intentionem in ſtomachi imbecillitate, dum confugiunt ad cibos adſtringentes, calidos, amaros, ad vinum de abſynthio, cerata & vng. calefacientia & adſtringentia: Innumerabiles Venetiis diverſa ventriculi proluvie inquinari, hypochondriaca affectione detenti, jugiter geſtant calida in regione ſtomachi, roborantia & calida aſſumunt, tali intemperie frigida affligi: nihilominus circumfuſum eſt jecur æſtu feraciſſimo, ſplen & meſenterium melancholia onuſta, unde flatus in ventre: & credunt calidis his & adſtringentibus medicamentis prodeſſe, cum trahant illos in majora vitia: At clariſſimè dicit Gal. in meth. ſe frigidæ potatione affectus ventriculi levaſſe &c. *Sanctorius meth. lib. 1. c. 21.* Medici quoſcunque hepate juſto calidiore judicant, frigido eſſe ventriculo cenſent, cum tamen ſæpius accidat vt calidius hepar ſimili intemperie & ipſum ventriculum afficiat: Hoc in caſu refrigerantia admota vtrique viſceri conferunt: Nam retuſo hepatis ardore ventriculi etiam calor remittitur: Quod ſi frigeat ventriculus ex deſtillatione frigida, quam exci-tet calidius hepar, hoc refrigerato ille ad ſuam temperiem facilè reducetur: Quare vulgari contraria prorſus eſt ineunda ratio, vt ſcil. quando eſt ventriculus frigidior, quia hepar calidius, inunctiones pro ventriculo inſtituendæ refrigerent: cum enim Iecor primum afficiant, ſi calidæ fuerint, ventriculi frigidam intemperiem, ex frigida deſtillatione, ab hepate calidiore ortam augebunt: Sin refrigerent, refrigerationi ventriculi cauſæ abundè medebuntur. *Ioubertus Pract. l. 1. c. 5.*

VI. *Acidam corruptionem* ſemper fieri ex intemperie frigida ducet Galen. 3. de cauſ. ſympt. c. 1. 1. de loc. aff. 1. corruptio autem ad nidorem, dum

fit ex intemperie, ſemper ſequitur intemperiem calidam & ſiccam, vtraque tamen hæc corruptio fit etiam ab erroribus externis: Acida quidem, ab excrementis, propria natura acidis, vt pituita acida, melancholia acida: aut Alimentis, copia peccantibus vel qualitate: Copiâ, cum calorem nativum, etiam validum, ſuffocant: Qualitate, ſi ſunt aut nimis frigidi atque humidi, vt vina tenuia, fructus humidi &c. aut quando facilè putreſcunt, vt lac, ptiſana &c. aut quando ſunt ſaporis auſteri, vt ſorba, meſpila, quæ vlteriori coctione in acidum ſaporem mutantur: Et licet *Galen. 7. ſimpl. c.* 8. auſterum ſcribat mutari in acidum ex augmento humidi: non tamen negare poteſt id etiam fieri accedente calore, ſcribit enim melancholiam vſtam fieri acidam à calore vſtivo: ſic æſtivo tempore auſteri fructus acidi fiunt ab aëris caliditate. Ex his colligitur, corruptionem ad acidum in ventriculo, neque vnico modo fieri, neque vnica ex cauſa: atque ideo jure *Trallianum l. 7. c.* 16. affirmaſſe corruptionem ad acidum ex intemperie calida fieri, & aliquando ſanari refrigerantibus: Corruptio ergo ad acidum in lacte, vino tenui, &c. quæ modicam habent caliditatem, aut facile putreſcunt, non fit à calore ventriculi debili; ſed à calore valido ſuperante calidum innatum vel lactis, vel ptiſanæ, vel alterius corporis ſimilis. Eadem eſt ratio corruptionis ad nidorem: nam corrumpitur cibus ad nidorem, aut ex alimentis, aut excrementis: Excrementis abundantibus vel deficientibus: abundantes ſunt bilioſi vel atrabilares, qui ſua caliditate alimentum exurunt & in nidorem vertunt: Defectus humorum, eſt pituitæ defectus, à quo converſio in nidorem ciborum: nam *Gal. 3. de nat facult. c.* 7. quando proponit quæ ad coctionem conferunt, bilem, calorem, ſpiritum, totam ventriculi ſubſtantiam & pituitam recenſet: Nemo exponit quomodo Pituita ad coctionem conferat, ſed hæc eſt mea ſententia: Coctio in ventriculo eſt elixationis ſpecies, hæc non fit abſque humido, pituita igitur confert ad coctionem vt materia humida, ex qua fit elixatio, ergo hac deficiente facilè cibi in nidorem abeunt: Nec quis dicat potulenta humidi vices tenere, Sagax enim natura ideo fecit ventriculum pituitæ promptuarium, vt ſi deficiat potus, aut parcior ſit, alimenta non exurantur, quæ facile vruntur ſi pauciora ſint, aut calidiora & ſicciora, vt acria & aromatica: aut dulciora, vt mellita, frixa, aliaque id genus. *Saxonia Pral. Pract. p. ij. c.* 16.

VII. Hermetici ſtatuunt coctionem ventriculi naturalem à ſolo calore non perfici, ſed promptam illam ſolidorum ciborum liquationem ac diſſolutionem, quâ in chylum convertuntur, ab aliâ cauſâ pendere: cum experientia doceat cibos in olla bullientes, igne luculento, etiam per plures dies continuato, talem diſſolutionem non pati: cum tamen in canum Ventriculis brevi temporis ſpatio diſſolvantur, & in chyloſum liquorem convertantur: cum in ventriculis piſcium, nullo calore actuali præditis, cibi quilibet ingeſti eodem modo diſſolvantur & concoquantur: Cauſam itaque præcipuam ejus liquationis eſſe ſtatuunt ſpiritum quendam, aut liquorem acidum, à liene in ventriculum tranſfuſum, qui eximiam diſſolvendi facultatem habeat: Quam ſententiam ex Galenicorum ſententia eliciunt, quâ ſancitum eſt humorem melancholicum, à liene in ventriculum tranſfuſum, excitare appetentiam, non conſtringendo, omnia enim aſtringentia idem facerent: non vellicando, acria enim quæcunque potentius quam acida appetentiam excitarent, ſed potius per accidens, penuriam alimenti inferendo, per diſſolutionem ejus quod ingeſtum eſt; ex quâ penuriâ appetitus excitatur. Atque ita longè nobiliorem lieni vſum tribuunt quàm qui ab antiquis fuit propoſitus, nempe ventriculo ſuppeditandi præcipuum coctionis inſtrumentum. Hujus rei conjectura ſatis valida ex avibus elicitur quæ duriſſima plantarum ſemina diſſolvunt, & lienem habent ventriculo vndiquaque circumductum, vt potentius ſpiritum illum diſſolventem inſpiret, vel liquorem acidum commodius communicet: De eo ſpiritu avium ventriculis inhærente, probatur ex praxi Medica, in quâ gallinarum ventriculi ad juvandam coctionem paſſim præſcribuntur in *pulveribus* digeſtivis, quos hunc effectum præſtare credibile eſt ciborum diſſolutionem juvando: cum iidem gallinarum ventriculi calculoſis etiam præſcribuntur, quibus calculorum diſſolutio maximè juvatur: Ac notum ex ſalibus diſſolventibus, puta vitriolo, nitro, ammoniaco & ſale communi, ſpiritus elici efficaci diſſolvendi vi præditos. Ille igitur ſpiritus, ſeu liquor acidus à liene in ventriculum tranſfuſus, dum ſecundum naturam ſe habet, bonam concoctionem efficit: E contra ſi vis illa diſſolvens debilior efficiatur, aut omnino deficiat, coctio imminuta aut abolita ſequetur: Fulciamus hoc proprio experimento, Anno 1648. alvi fluxu pituitoſo & melancholico, per 4. menſes afflicti fuimus, velut ad marcorem perducti; omnia enim alimenta in pituitoſam & mucilaginoſam ſubſtantiam abibant, à debili ventriculo perfectè non coquente: poſt multa & inutilia remedia, tandem aceti acerrimi vſu frequenti, intra paucos dies, à ſævo illo affectu integrè liberati ſumus: cujus aceti vi acidum naturale penè deperditum adjutum ac reſtitutum fuit: vſus autem aceti fuit cum ovis induratis, quæ fruſtulatim diſſecta aceto intingebamus, ſolo hoc edulio contenti: hoc manifeſtè percipientes, quod ſi acetum non eſſet valde acre, exiguum ventriculo adjumentum ventriculo ferebat. Hæc ſi cauſa animadverſione digna ſit, illi providendum erit, primo lienis pravam diatheſin corrigendo, & ſpiritus diſſolventes reſtituendo ſubſtantia quadam acida, cujus generis ſunt *ſpiritus* ſulphuris, vitrioli, ſalis, ſucci limonum, granatorum, arantiorum & acetum. *Riverius Pr. lib. 9. c. 5. Vide Sanctorium Meth. V. E. lib. 6. cap. 9. pag.* 345.

VIII. *Hipp. l. de Priſca medic.* ſub finem, conſiderandas docet ſuccorum potentias, vt quæ nobis contraria ſunt cavere poſſimus: & vlterius eorum cognationes, vt non modò ab illis abſtineamus quæ naturali facultate nobis adverſantur, ſed etiam ab iis quæ ob cognationem in nobis adverſa facilè tranſmutantur. Ita ut bile dominante in aliquo, non ſolum amara vitanda illi ſint, quæ potentia bilioſa ſunt, ſed & ea omnia quæ ob cognationem in amarum facilè mutantur: V. g. mel dum inveteraſcit non ſalſum aut acidum, ſed amarum evadit: Vinum autem & lac vbi corrumpuntur exterius, aceſcunt, quod ſignum hæc acidi ſucci cognata eſſe: Hujus documenti momentum norunt ii qui de eo periculum fecerunt: Teſtari quidem ego poſſum me ſæpius obſervaſſe iis quibus cibi in ventriculo aceſcunt, omnia remedia irrita fuiſſe quamdiu vinum potarent: Eo autem dimiſſo e veſtigio ſanatos fuiſſe: Et vice verſa, quibus os amareſcit,

reſcit, Aquam admodum inutilem inveni; & nihil magis eis contuliſſe quam merum in pauca quantitate aſſumptum: Aqua enim ſtagnans dum corrumpitur, amaritorem & viridem colorem contrahit. *P. Marcianus comm. in cit. loc.*

IX. *Acetum* recipientia auxilia non indiſtinctè in omni cruditate vituperanda, ſolum enim ex vſu eſſe comperimus vbi nimia humiditas, eaque craſſa, adjuncta eſt calori, quo tempore vel diutius eſſe debet, vel refrigerantibus & lenientibus admixtum. *Mercatus l.3.Pract c.7.*

X. *Diatrionpipereon Gal 8. meth.* etiam in nidoroſa cruditate admittit: quod reprobatur à Tralliano tanquam noxium: Dic, ſi cibus in ſuperiore parte ventriculi exiſtat, & vomitus ſit difficilis, tunc poſthabita conſideratione febris commode adminiſtrari poteſt diatrionpip. vt cibus deſcendat, & diſſolvantur flatus qui hujuſmodi occaſione ſuſcipi ſolent, & ad firmandum ventrem: hoc enim vtile eſt, etſi febris caliditas aliquantum increſcat; quâ de causâ aloën & maſtichen admiſcet, quæ ſunt illi præſentanea remedia: Niſi enim, inquit Averroes, in calida affectione robur, adſtringentibus & familiaribus, quamvis calidis, procuretur, in vitæ periculum æger incurret. *Zacutus Pr. hiſt. l. 2. c. 12.*

XI. Vt coctio penſum ſuum ſine vllo vitio abſolvat, ſumenda a cœna orificium ventriculi dextrum adſtringentia, quo fortius ventriculus contrahatur, atque exactius actionem ſuam obeat. Errare autem illos monet *Rondeletius* c. 41. qui Pulveres maximè calidos a paſtu exhibent, ſuâ enim caliditate & tenuitate ſecum ſtatim ad primas venas alimentum ſemicrudum rapiunt, vnde obſtructionum origo.

XII. *Celſus l. 2. c. 24.* inter res ſtomacho amicas numerat potiones frigidas: Frigidam potionem ſtomacho idoneam eſſe ex aliis locis patet: ſic *l. 4. c. 18.* egelidam potionem iis qui ſtomacho laborant adhibet. Addit, Et ferventes, Nam vt tepidos laxat vomitumque ciet, ita Fervens potus roborat: Hinc *Philonicus* apud *Athenæum*, vt ſtomachus roboretur, præcipit aquam potari maximè calidam, hyeme potiſſimum ac vere, æſtate frigidum: Hinc *Celſus l. 4. c. 5.* vbi ſtomachus cibi tenax non eſt, ait potui aptiſſimum eſſe vinum frigidum, vel certe bene calidum: Quæ tamen ita accipienda ſunt, vt cum ventriculus vacuus eſt, aut pituitâ plenus, ſit à frigidis abſtinendum; quæ ex *Hippocr.* nervis inimica ſunt; tuncque calida potio calidum innatum fovet, & crudiorem pituitam coquit: vbi vero expletus eſt aliquis, tunc frigidis vtendum, quibus per antiperiſtaſin cogitur calor & validior redditur? *Rubeus comm. in cit. locum.* Qui fluctuationem à cibo perſentiunt, & perpetuo de ventre hac de cauſa queruntur, quod vis ventriculi nequeat ſatis alimentum exſiccare, iis potus actu calidus dandus, qui ſe calore in ejus ſubſtantiam inſinuet, ac ſecum ſuccum extrahat; alioquin ſuperveniunt crudorum & ſemicoctorum egeſtiones: Tempus vero idoneum eſt ſecunda menſa, nam hi prandium claudere debent potu aquæ moderatæ frigidæ, ne tepido calidove hauſtu ventriculi robur depravetur: qua quidem lege plures ex iis qui flatus ventris & cruditates patiuntur, citra alterius auxilii adminiculum curatos vidi. *Mercatus de Indicat. Med. l. 1. c. 2.*

XIII. Si in aſſumptione cibi aliquis ordo ſervari debet, talis eſſe debet vt primo loco graviora aſſumantur & quæ parti ventriculi inferiori amica ſunt: deinde leviora, & quæ ſuperiori ju[illegible] magis conveniunt: Quæ opinio, etſi Galeno & communi [illegible] dicorum opinioni adverſatur, [illegible] ratio autem evidens [illegible], vt admirandi potius ſint quàm conſutandi qui eam ſentiunt: Nam ſi ſupponimus ingeſtos cibos in ventriculo non confundi aut commiſceri ſimul, quod [illegible] diſſectorum palam faciunt: certum eſt cibos eo ordine aſſumendos eſſe, vt quæ difficilius concoquuntur, in ea ventris parte ſruentur in qua coctionis robur magis viget: E contra vero qui ob levitatem ante alios concoquuntur, in ea parte collocari quæ orificio inferiori proximior eſt, vt ſtatim ac concocti ſunt, ad exitum ſint paratiores, nec ab in concocto impediantur: Si ergo ventriculi pars inferior, quia carnoſior eſt, vim concoquendi majorem habet quam ſuperior, ex præmiſſis ſequitur cibos duriores in ea parte collocandos eſſe, & ideo ante alios cibos aſſumendos eſſe: Similiter, quia oſtium inferius ventriculi, per quod cibi, vbi ſunt concocti, deſcendunt, non in fundo ipſius ventriculi, ſed in ſuperiori potius parte ad dexteram ſitum eſt: ideo cibi qui citius coquuntur in parte ſuperiori collocandi ſunt; quod quidem fiet ſi vltimo loco aſſumantur: Ex his patet graviora & duriora edulia primo loco, dein leviora & tenuiora aſſumenda eſſe: Hanc Hipp. opinionem fuiſſe conſtat ex lib. de affect. v. 21. ſect. 2. & alibi. *Marcianus comment. in citatum locum.*

XIV. In ordine quoque ciborum determinando, non gravitas ſolum & levitas reſpicienda, ſed etiam eorum ſubſtantiæ proprietas, juxta quam edulia non aliqua vni ventris parti amica ſunt, alia alteri: Ideo quæ cognoſcuntur ventriculi fundo jucundiora, ea ante alios cibos aſſumere expedit, vltimo loco autem ea quæ ori ventriculi magis amica ſunt, quia ſi contrarium fiat, comeſtione abſoluta, dum quælibet pars ſibi familiarem attrahit, maxima in cibis agitatio fit, propter quam omnia in tranſitu, his ſurſum illis deorſum ſecedentibus, commiſcentur, ventriſque ſubverſionem faciunt: hanc vero loci tranſmutationem, ex naturali proprietate alimenta ventriculum ingreſſa facere, vomitiones palam teſtantur, in quibus ſæpe cibi, qui poſtremo loco fuere aſſumpti, omnium poſtremi evomuntur: quod de ficubus aſſerit Hippocr. l. de int. aff. ſ. 2. v. 15. cujus effectus alia ratio aſſignari nequit, niſi quia cum ventriculi fundo, naturali proprietate, amicæ ſint; poſtquam ingeſtæ ſunt, ad partem ſibi familiarem attractæ ſecedunt: Quoties ergo coctionem quiete perfici intendimus, prædictus ordo ſervandus eſt; contrarius verò cùm ad facilitandum vomitum ventrem cibis omnigenis replere procuramus &c. *Idem ibidem.*

XV. Dandum eſt minimum cibi quibus affectio eſt in ventriculo: quia cum ipſa affecta pars primam ac maximam cibi commutationem ſit effectura, & cum crudiſſimo colluctatura, conſtat eam maximè a cibo læſum iri, atque ideo eum morbum cibum minimè permittere, eaque cauſa dandum minime, niſi aliunde orta neceſſitas cogat illius noxæ obliviſci. *Valleſius meth. med. l. 1. c. 6.*

XVI. Qua in parte Topica affecto ventriculo apponi debeant, valde controverſum eſt, *Rondeletius* ea admovet poſteriori parti circa decimam tertiam vertebram; Alii anteriori parti verſus regionem hepatis: *Amatus Luſitanus* vtrique admovenda contendit: Obſervandum vero in Topicis.

ventriculo admovendis, quod annotavit *Ioubertus*, Num hepar ſimili intemperie laboret ac ventriculus: Nam ſi diſſimili, non erit inungenda regio ventriculi ab anteriori parte, ad cartilagineum & hypochondria: nam ſi prius, hepar afficitur, poſtremo verò ventriculus, & veluti per acceſſus, cum ſcilicet qualitatem hepati impreſſam recipiat: quod incommodum ut vitetur, mavult *Ioubertus* in dorſo, è regione ventriculi inunctiones facere: Sed quia ea eſt vertebrarum, & multarum craſſiſſimarumque denſitas, ut medicamentis ad ventriculum penetratio impediatur, Præſtat, inquit ille, quoſcunque ventriculi affectus aſſumptis curare, quorum etiam promptiſſima eſt actio: nam mox integriſque viribus pertingunt, & ab interna parte afficiunt: at verò admotarum non item, niſi hepatis & ventriculi ſimilis intemperies corrigenda veniat; excepta tamen ventriculi refrigeratione, quæ ex hepate calidiore provenit, hepate enim refrigerato ventriculus ad ſuam temperiem facilè revertitur. *Enchir. med Pract.*

XVII. *Rhaſis* lib. 9. ad Almanſ. c. de dolore ſtomachi, eo tempore quo aſſumitur cibus removenda emplaſtra admota contendit: At periculo vacare non videtur, quod eo adminiculo, illo tempore ventriculus privatus offendatur. At cum tanti authoris ſententiam experientia vallet, illi fidendum: Ita enim ſolet iis applicitis emplaſtris conſtringi ventriculus, præſertim dum cuti hærent, ut non ſolum cibi deſcenſum ad ima ventriculi remorentur, verum etiam extenſionem debitam tunicarum ad capeſſendos ingeſtos cibos: unde cum venter nonniſi violenter extendi poſſit, contingit ut dolor & anguſtia aliquando inſurgant, præſertim ubi ſic affecti liberalius ſe invitaverint: Eo tempore linn aliquo roborante utendum. *Zacutus Pr. hiſt. l. 2. c. 12.*

XVIII. Ad ventriculi confortationem parantur medicamenta ex *confectionibus & pulveribus:* hæc autem multò melius in forma pulveris, ſine multo ſaccharo parantur, nam ſaccharum & mel, aliaque dulcia, ventriculum laxando flatus gignunt, & maximè quando humiditatem paucam adjunctam habent. *Rondeletius de med. int. pag.* 1003.

XIX. An ventriculo admodum languenti & refrigerato, ideoque tarde & malè concoquenti, ſimulque frigidis & craſſis humoribus repleto, *Purgantibus* occurrendum? cum nullam partem roborare liceat pravis ſuccis ſcatentem: Infirmum autem ventriculum à purgantibus malè tractari notum: Hoc tamen intelligendum de veris catharticis: At quæ ſine labore ducunt, ut rhabarb. hiera ſimplex & myrobal. à ventriculo, etiamnum langueſcente, citra noxam ſuſtinentur. *Zecchius Conſult.* 18.

XX. *Avicenna l. 2. c. 66.* negat *hieram cum melle* conficiendam: cui aſſentitur Meſue cap. proprio, ubi aloëm melli permixtam minus purgatoriam reddi affirmat, Ex altera parte facit ratio, quia mel per ſe dejectorium eſt: ideo dicebat *Avicenna* 13. 3. *tr.* 1. *cap.* 53. Hieram mixtam cum melle valentius expurgare, ni fruſtratetur operatione ſua: cum enim mel acreſcit, citius alia medicamenta ad inteſtina protrudit, acrimoniâ enim ſua expultricem irritat; quare expurgantia non retinentur, nec ad actum reducuntur, quod ad felicem expurgationem requirit Meſue. *Zacutus Prax. hiſtor. lib. 2. cap. 12. Vbi multa de viribus, doſi & correctione Hiera.*

XXI. Non ita pridem ingenioſus homo virgulam flexilem, mollem & oblongam, cui ſcopa ex linteis carptis alligabatur, in olium traxit, quam pro lubitu per fauces in ventriculum demittebat, ad eluendum ventriculum ejuſque ſordes & ſine nauſea retrahebat: Si quis imitari volet, cavere debet ne vel virgulá frangatur, vel ſcopæ faucibus inhereant. *Barthol. cent. 5. hiſt. 26.*

XXII. *Abſynthium* viride intra calceos calcatum frigidam ventriculi intemperiem emendare, experientia didici, non ſine fructu in Nob. N. qui hujus calcatione non exiguum levamen ſe percepiſſe coram expoſuit, ſancteque affirmavit. *Greg. Horſtius Obſ. 22. lib. 7.*

XXIII. Obervavit Ioh. *Riolanus* quando Colon fæcibus plenum eſt, ventriculum ἀτονίᾳ laborare: Ideo ſæpe clyſteribus fæcum eductio tentanda.

XXIV. Quæ nimium *calfaciunt*, tantum abeſt ut ventriculum calefaciant & corroborent, ut potius refrigerent rarefaciendo, vel ex alto trahendo calorem internum ad circumferentiam: nam major caliditas attrahit ad ſe minorem, ut apparet æſtate, qua tempore externa frigiditas facile ſubintrat, rarefacta cute ob aëris calorem: Quamobrem in unctionibus ſunt apponenda minus calida & quæ vim habeant adſtringendi, ut oleum nardin. roſac lentiſc. cytoniorum, maſtiches: *Rondeletius.*

XXV. *Inunctiones* magis laudantur quam *ſacculi* aut *emplaſtra*, Nam illæ facile ad interna penetrant, quæ ponuntur in ſacculo non item, ſola enim vapor penetrat: Emplaſtrum mediam velut naturam & efficaciam obtinet: niſi quod etiam ex accidenti plus quam reliqua calefacere poteſt, ob vim illam emplaſticam, conſtipantem cutis meatus. *Rondeletius.*

XXVI. Ad intra dentur illa quæ calfaciunt ventriculú & flatus diſcutiunt, cui rei eſt animadvertendú, Nam tribus aut 4. horis ante paſtum dare poſſumus quæ fortiter calefaciunt & flatus diſcutiunt, modo jecur non ſit præcalidum, qualia ſunt diatriumpip. diacymin. aromat. roſ. &c. Hæc non debent dari immediate poſt, nec ante cibum, quia ſua caliditate & tenuitate ſecum ſtatim ad primas venas alimentum ſemicrudum rapetent: Hinc patet illos errare qui pulveres maxime calidos à paſtu exhibent, qui debent eſſe mediocriter calidi: à cibo autem quæ calfaciunt minus & attenuant, minuſque diſcutiunt flatus: accipiant aniſum conditum à paſtu. *Rondeletius.*

XXVII. Admovenda in *Inflatione emplaſtra* debent eſſe reſiccantia & adſtringentia, additis ſemin. calid. major. & ſulphure: Nam iſta emplaſtra conſtringentia prohibent illam magnam dilatationem ventriculi, & ſic fortius flatus, vel ſupra vel infra truduntur: fiunt ex empl. pro matrice, de maſtice, & contra rupturam: Addimus ſemina cumini, ſeſeli apii, carvi & alia odorata, galangam, cyperum, utcunque adſtringentia, niſi dolor id prohibeat: Tunc enim ratione doloris aliis diſcutientibus & aliis utcunque relaxantibus eſt utendum: Sed ſi ſine dolore ſit, conſtrictio adaugeri debet, nam partes, quæ ſemel diſtentæ ſunt, aut ob diſtenſionem laxæ, non redeunt ad priſtinam formam, niſi vel faſciâ, vel alio modo retineantur compreſſæ: Ob id in ejuſmodi affectibus ſolemus imperare, poſt aliquam vacuatio-

nem

nem & diſcuſſionem, ut regionem ventriculi ſenſim & leniter comprimant; id commodiſſimè fiet ſalcia ſupra emplaſtrum appoſita: *Rondeletius cap. 5. lib. 2.*

XXVIII. *a.* In *Ventriculi debilioris* curatione obſervandum num flatibus turgens ſotus & id genus præſidia ſuſtinere queat: phlegmata namque tunicis ejuſdem inhærentia impactaque, calidi medicamenti admotu excitata, eundem ſæpenumerò vehementius inflant, diſtendunt, ac dolores in eodem crudeles exſuſcitant. Quod etiam faciunt humoribus corruptis agitatis, quo nomine calorem magis inducere quàm medelam inferre videntur. *Matthæus Martini de morb. meſenter. pag.* 251. Idem judicium eſto de calidis interius aſſumptis: Vide *Fienum Phyſagr. c.* 17.

XXVIII. *b.* *In Ventriculi Inflammatione Venæ ſectio* pluries repetenda eſt, in utroque brachio, quantum vires ferre poſſunt: Sic licet ob ſyncopen & extremorum refrigerationem vires ab initio dejectæ videantur, illa tamen virium infirmitas eſt ab oppreſſione, quæ vacuationem poſtular, atque ita v. ſ. prohibere non debet. *Lazarus Riverius lib. 9. cap.* tt.

XXIX. *Purgantia* in hoc affectu improbantur, quia humores conturbant, & in partem affectam attrahunt: *Avicenna* tamen tamarind. decoctum; aut caſſiæ ℥ß. cum aqu. endiviæ vel ſero lactis diſſolutam commendat, ſingulis diebus, uſque ad ſeptimam exhibitam; quia molliendo non trahendo expurgat, mitigat acrimoniam & lenit dolorem: Satius tamen eſt ab omni purgatione in principio abſtinere: Septimo elapſo, apparentibus quibuſdam concoctionis & declinationis indiciis, poteſt inſtitui ex infuſo Rhei &c. *Idem.*

XXX. Cavendum etiam ab *Opiatis*, nam à valido eorum uſu ſtomachus poſtea per totam vitam languet, nam os ventriculi exactè ſentit & citò læditur: Denſant etiam nimium refrigerando, hinc ſcirrhus excipit inflammationem. *Heurnius.*

XXXI. Cum ventriculus totus membranoſus, frigidus & ſiccus ſit, vix unquam primariò & per ſe *calidiore intemperie* laborat: quoties igitur ejus calidioris notæ ex ſiti inexplebili, frigidi potus appetentia, linguæ ariditate & nigritie, à frigidis tum ſumptis, tum admotis recreatione, à calidis verò offenſione, nidoroſis ructibus, nauſeâ, oris amarore & inappetentia ſeſe produnt, vicinum jecur calidius accuſari debet, cujus ſympathia ventriculus facilè afficitur, cum enim jecur ventriculo incumbat, ſuas qualitates facilè ei imprimit; *Enchirid. Med. Practi. Sanctor. lib. 2. method. c. 6. Valleſius 6. Epid. 4. pag* 677.

XXXII. Si *inæqualis intemperies* fuerit *inter fundum & os*; ut fundus ſit frigidus, os calidum, facilis eſt ſanandi ratio, & ea quidem duplex, Primo, ut initio menſæ exhibeantur calida, in fine frigida & auſtera: Secundo, Ut parti anteriori ventris calida adhibeantur medicamenta, poſteriori autem, circa xij. vertebram, frigida: Ibi enim os eſt ventriculi. Quod ſi inæqualitas ſit inter tunicas & humores, ut humores ſint calidi, tunicæ vero frigidæ, quod contingit jecore admodum fervido; primum calidum humorem educere oportet, aut vomitu, aut dejectoriis, quæ tamen calefaciant & bilem ſimul expurgent; talis eſt hiera ſimplex, tale rhabarbarum, aloë, potio ex abſynthiis purgant bilem & tunicas calefaciunt. Si inæqualis ſit intemperies ratione paſſivarum qualitatum, ut tunicæ ſint ſiccæ ex defectu humidi ſubſtantifici, & tamen abundet humor pituitoſus excrementitius, hoc opus hic labor: In hac curatione ante omnia humores in cavitate contenti placidis medicamentis ſunt educendi, quæ humectent, moderatè calefaciant, & ſint potius alimentaria quàm medicamentoſa: Talis eſt manna, mel violat. ſolut. caſſia, myrobal. cheb. quorum unus vel alter exhibeatur, dummodo ex iis ſit qui in Syria fuit conditus: (Nota diſtinctionem, Si in Syria ſit conditus, an Venetiis; Si perfodiendo emittitur ſonitus, eſt conditus Venetiis; ſin minus, in Syria) Purgato ventriculo, neceſſarium deinceps eum humectare ſimul & ſiccare: Id ego vario modo præſtare conſuevi, primum quidem dum lac exhibeo, in ipſo lacte infundo 5. aut 6. guttas olei aut ex aniſo, aut ex fœniculo, aut ex cinnamomo; vel ſi adſit ſuſpicio luis, ex ligno: Aliquando uſus ſum ſanguine porcino calente deſtillato, miſto cum aliqua portiuncula aquæ cinnamomi. Hæc enim omnia humectant, nutriunt & ſimul exſiccant. *Saxonia Prælection. Pract. pag.* 2. *cap.* 15.

XXXIII. Qui *Ventriculo debili* calefacientibus ſuccurrit, quamprimum is viderit urinam rubeſcentem, ſtatim à calidis abſtineat, alioquin hydropa fit. *Valens Method. Medic pag.* 163. In intemperie ventriculi calida refrigerantia nunquam ſint nimia; nec in frigida, calefacientia, ſed moderata, ejus tonum confortantia: Qui ventriculo debili calefacientibus ſuccurrit, quamprimum is viderit urinam rubeſcentem, ſtatim à calidis abſtineat, alioquin hydrops fit. *Fridericus Hofmannus method. Med. pag.* 440.

XXXIV. Magnus calor ventriculi feliciter coquit dura & alioqui *δύσπεπτα*, ut carnes bubulas fumoque induratas, braſſicam & hujuſmodi alia: Idem calor corrumpit teneros cibos, ut ova minutosque piſces: Curatio in his eſt mutare cibos. *Gaſpar Hofmannus Inſtitut. libro tertio cap.* 24. Duos novi qui à jecoris fervore, bileque in cyſti æſtuante, depravatâ concoctione laborabant: frigida in his accuſabatur ventriculi intemperies, cujus calor langueſceret, ereptus à jecore fervido: multa calida incaſſum ad juvandam coctionem uſurpaverant, Primus fuit Illuſtriſſimus Dominus de *Molendino* pro Princeps Neocomenſis; Familiaris illi fuit illi uſq; ad obitum, (qui lxiij. contigit anno) ventriculi æſtus, maximè ſi cibis facilis coctionis uteretur, aut dubiâ cœnâ: ſpumeſcebat illi durante coctione chylus, ac totus pene per ſalivationem excludebatur: Si ſimplici cibo, aut [illegible] veſceretur, ritè peragebatur coctio & ſine tumultu: Alter fuit Nob. *Gedeon des Bergeries*, cui ad annum xl. ejuſmodi [illegible] materiæ viſcidæ & tenacis moleſtus fuit, remittente poſtmodum, ætatis decurſu, viſcerum circumſtantium ventriculum fervore, liber vivit ab ejuſmodi læſione, iamque optimè concoctionis munus obit. Vide *Galenum de ventr.* debilitate ab intemp. calida & ſicca, & inæquali intemp. lib. 7. *methodi cap.* 7. & 8.

XXXV. *Ardorem ſtomachi, ὀξυρεγμίας* Græcis dictum, ex frigido humore natum, theriaca vinoque generoſo ſæpius à ſe curatum, diligenter ab uſtione oris ventriculi diſtinguendum monuit olim Clar. *Michaël Ruccerus*: Hanc enim [illegible] nomine *Gal.* memoratam 8. de compoſit. Med. ſ. loc. cap. 3. ex bile ventriculi tunicis impacta oriundam, & vehementiſſimo calore moleſtam, rariorem in Germania affectum eſſe, quem ipſe ſemel tantum per to-

tum vitæ ſpatium conſpexerit in Nobili quodam, curatum à ſe frigidæ aquæ lactiſque potione. *Paracelſus* ardorem in fovea cordis, ſeu ore ventriculi, ex effuſione fellis & tartaro deducens, purgatione omiſſa, dolorem tantum ſedandum aſſeruit, quod hyoſcyamo, papavere, mandragora & lolio cum theriaca præſtare conabatur: Laudanum quoque Opiatum c. ambaro, maci, ſacch. cantio & aqua menthæ exhibebat. *Velſchius Obſervat. Epiſt.*

XXXVI. *Ventriculi frigiditas* non ſemper poſitiva eſt, ſed ſæpe privativa, à jecoris & hypochondriorum fervore, unde *Galenus primo de loc. affect.* 4. monebat quod coctione in ventriculo laborante, ſtatim circumſitas ipſi partes conſiderare oporteat: quæ ſi immodice calent, ab his labefactatur quidem, at non imminuitur ventriculi calor: Et licet aciditas ſæpe percipiatur, non tamen hæc à frigiditate, verum à nimia caliditate, ut à prima & potiſſima cauſa promanat, ut conſiderat *Trallianus*, quotidiana compertum experientia, dum vinum æſtate & ſub radiis ſolaribus aceſcit. *Iohann. Raymund. Fortis Cent. 3. Conſult.* 86. Calor ventriculo ad coctionem neceſſarius, debet eſſe luculentus, ſuavis & moderatus, elixans non torrefaciens: alioquin ſi nimius & exuberans, vel alimenta ad nidorem corrumpit, & dyſpepſiam excitat, vel ut magna flamma exiguam ventriculi rapit, diſſolvit & labefactat, ſicque bradypepſiam imminutamque coctionem inducit: Quinimo temporis progreſſu carnoſas ventriculi partes exſiccando, etiam ſine ulla calidi innati diminutione, imbecillitatem eidem infert, unde coctiones male procedunt: hinc dicebat *Galenus 3. de nat. facultat.* quod præter alias cauſas quæ ad coctionem concurrunt, eſt tota ventriculi ſubſtantia: Sic partes ad ventriculum ſpectantes, dicebat 2. *de aphoriſm.* 35. bene comparatas eſſe & carnoſas: Hinc tenuitas tunicarum ejuſdem coctionibus obeſt; Semper enim ventriculus gracilis deterius coquit: unde concludit 3. de ſymptomat. cauſis, quod naturalia inſtrumenta quo humidiora fuerint, eo ad nutriendum magis idonea; dura vero & ſicca inepta. *Idem Conſ.* 12. *Cent.* 3:

XXXVII. Cum in *Ventriculo frigido referto pituita* longo tempore perſeverat indicans, ob id diu, & proinde quotidie, medicamentis uti licet, ſi virtus permittat: permittit autem virtus frequentem uſum medicamentorum calidorum, citra injucunditatem agentium, ut eſt diatrionpip. diacalam. quibus quotidie uti poſſumus; contra hiera ob amarorem non poſſumus aſſiduò uti, *cap.* 10. *lib.* 6. *ſan. tu.* Non tamen nimis rarò hiera uti debemus ſed frequenter, dum in ventriculo frigido & humido materia eſt impacta: præſertim ſi hiera componatur è ℥ lxxx. aloës, non autem è ℥ cxx. Præcipiendum ergo Pharmacopæis ut habeant *ſpecies Hiera* duobus modis compoſitas: dum enim præparare volumus, efficaciſſima eſt Hiera è ℥ lxxx. ſi ejus ℈ ij. vel ʒ j. ſumatur, & cum ſacchar. vel melle bolus conficiatur, & frequenter exhibeatur, medicamentum enim hoc præparans eſt ſaluberrimum. *Capivaccius libro tertio Pract. cap.* 2.

XXXVIII. Quando ob crapulam *cruditates in ventriculo* generantur, non conſultum videtur eas, quod multi faciunt, tollere jejunio: ſed ſatius eſt alterò die maturè cibum ſuavem, minori tamen quantitate ſumere: natura enim novi alimenti, ejuſque grati acceſſu delectata, coctionem alacrius molitur; bonumque in alimentum, malum & crudum in excrementum, ope expultricis, ſegregat: unde plurimi poſt crapulam diarrhœa corripiuntur. *Hoeferus Hercul. Med. l.* 3. *c.* 1.

XXXIX. Inter ſtomachi vitia vulgatiſſimum eſt *Reſolutio*, quæ vel calidiore, aut frigidiore, humidiore ve habitu, vel etiam ſicciore plerumque ſolet contingere. Quidam cum diu ejuſmodi vitio laboraſſet, & plurimi curandum ſuſcepiſſent, nullus tamen auxilium invenire potuit: hic me cum conveniſſet, ex his quibus uſus eſt præſidiis facile cognovimus exiſtimaſſe Medicos eum malo habitu frigido laborare: Nos & ex præcedenti curatione, & aliis haud obſcuris indiciis longè aliter ſentientes, calidiore habito ejus affici ventriculum arbitrati ſumus: Quare ad auxilia converſi quæ aridum jam ac tabe pene conſumptum corpus deſiderare videbatur, primo die ſolas lactuculas ex aceto & oleo commanducare præcipimus, quas cum utiles ſtomacho atque idoneas percepiſſet, jubeo dimittat balneum, frictiones, exercitationes, præſertim ſuperiorum partium, unctiones omnes & cibos calidiores, quibus hactenus uſus fuerat; & ad frigidos potius ac difficilioris coctionis ſeſe convertat, unde & vervecem magis quàm avem aut piſcem, niſi ſit durioris generis, in hac ſua ægritudine conlaudo: potui quoque aptiſſimum illi vinum frigidum & auſterum, ineptiſſimum calidum & craſſum pronuntio: Quibus cum ille auſcultaſſet, ac diligentiſſimè ea exequutus fuiſſet, hoc tantum genere victus, & frigidioribus medicamentis uſus, infra duos menſes priſtinam recuperavit ſanitatem. *Benivenius de abditis cap.* 66.

XL. Non accipiendum Arabum conſilium, qui ipſi ventriculo non ſolum lactucam, endiviam, ſed & ſuccum papap. exhibent actu frigida: Errores, ut arbitror, non admittendi: pars enim hæc tam præcipua, & univerſi corporis promptuarium non eſt uſque adeo refrigeranda. *Saxonia Prælection. Pract. part.* 2. *cap.* 8. Præſtantiſſimum remedium à *Galeno* 12. *method.* 7. habemus, gelidæ potum; in ò ex *Trallianο*, veſicam aqua frigida, vel *nive ſemi*plenam ventriculo appoſitam: Quæ duo tamen remedia valde caute admovenda: Quidam enim quadragenarius ex intemperie ventriculi calef. & ſicca vehementer ſitiens, graciliſque redditus, frigida aqua & multa hauſta protinus ſitie deſtitit, & melius habuit atque concoxit, ſed gula perfrigerata mortuus eſt, ex *Galen.* 7. *method* 8. Caute igitur in humiditatis inopia frigida copioſa propinanda, aliis refrigerantibus ſubſtitutis: Veſicæ pariter nive ſemiplenæ tutius refrigerantia præferantur: Obſervavit enim *Benivenius* Emplaſtrum quoddam valde frigidum ventriculo appoſitum, tum difficilem reſpirationem, ſingultum & tandem mortem intuliſſe: *Iohann. Raymund. Fortis Conſultation.* 75. *Centur.* 2. Refrigerantia potentia potius quam actu hac facultate polleant, actu namque frigida (ventriculo inflammato) poroſitates denſant, humores incraſſant, ſanguinemque in partem inflammatam impingunt & affigunt. *Idem Conſult.* 86.

XLI. Cum per conſenſum à jecore potius quam eſſentialiter afficitur, ejus ſollicita cura non habenda: Quare *Suffocidium ex oleis* non adeo neceſſarium exiſtimo, eo nomine potiſſimum quod

in

in ſtillicidiis non magna ſit fiducia apud nos: cum lobus ſuperior, imo & interdum hepar dimidium ventriculo incumbat, atque adeo in hepar potius quam ventriculum Stillicidium cadat. *Fortis Conſult.* 74 *Cent.* 4.

XLII. Hominem *intemperie frigida Ventriculi & calida Epatis* laborantem, novi cui tam emplaſtra quam unguenta, eaque præcalida, cartilagini xiphoidi admota fuere, vnde inflammatione epatis correptus, vix ab eadem liberari potuit: Si quis cauſam indagare aveat, is anatomiam epatis inſpiciat; Cava enim ſui parte, à dextra in ſiniſtram, univerſam fere anteriorem ventriculi regionem integit, ut ita medicamenta calida ſubſtantiam epatis prius attingant quam ad ventriculum perveniant. *Fabr. Hildanus Cent.* 2. *Obſer.* 46.

XLIII. Copioſus in ventriculo materiæ proventus inhibebitur ſi patiens ſtatim à cibo, mane & veſperi, degluriat duo aut tria grana *maſtiches* integra, vel ℈j. ſucci abſynthii condeolatis pilulæ forma: Etenim quæ ventriculum calefaciunt, ſi ante cibum aſſumantur, hepari ſunt infenſa. *Fortis conſult.* 12. *cent.* 3.

XLIV. *Decoctum abſynth.* non ſolum in calida ſed & in frigida cauſa commendatur, non enim ſolum ſuccum bilioſum deterget, ſed præterea cruda concoquit, flatus diſcutit, imbecillitatem ventriculi tollit, nec vnquam nocet niſi iis quibus vel jecur calidius, vel retorridus humor malo cauſam dedit, cum præſertim enula inſeritur, concoquendæ pituitæ efficax. *Enchir. Med. Pract.*

XLV. Vitanda omnia fortia *deſtillata*; *aqua vitæ* & ſimilia, quæ videntur quidem prodeſſe, ſed vitam abbreviant, cum multum ſuperent gradum caloris nativi; auxilia verò in mediocritate poſita eſſe debeant. &c. Ne levia quidem medicamenta in affecto & languente ſtomacho, maxime vero in jam ſeneſcentibus carent periculo. *Crato conſ.* 106. *apud Scholtzium.*

XLVI. *Vinum* nimia copia aſſumptum, turbidum, nec exactè a fæcibus depuratum & à ſuo tartaro liberatum, ſummè noxium eſt, tum quia à continuo illius vſu & immodico infringitur calor nativus, tum concoctio in ventriculo impeditur, præſertim carnium, quæ in illo liquore indureſcunt, Jecur offenditur, ſanguis acris ſimul ac ſeroſus gignitur, cerebrum debile redditur, nervorum robur infringitur, catarrhi cientur &c. *Theod. de Mayerne Tractatu de Arthritide p.* 21.

XLVII. Excogitatum eſt artificium quo vapor noxius vino demeretur, hoc ſcil. tranſcolando per inſtrumentum vitreum duplex, Gallis dictum *Montevin*: ea arte ſuperfluo tartaro privatur, infuſo ſcil. liquore copiam præcipitandi vi prædito, cujuſmodi eſt oleum Tartari (cujus ope vinum ad acorem vergens dulceſcit) lithargyrii ſolutio, vel ſacchar. plumbi ex aceto factum, cryſtalli calcinatæ ſolutio per crebras in aqua vrticæ extinctiones & reverberationes, cum ſpiritu acido terebinth. &c. *Idem ibid.*

XLVIII. *Emplaſtra* ventriculo admota ex *Gal.* lib. 7. m. m. diu non ſunt detinenda, quia tandem calorem diſſolvunt.

XLIX. Quæ dorſo applicantur aliquid tenuium partium habeant, vt per denſitatem viæ penetrare poſſint. *Hollerius.*

L. Vidi qui *oleo Vitrioli* materiam conſumere & exſiccare conarentur, eò quod vehementiſſimè ſiccet & detergat; & initio ſane juvamentum percipiant ægri, cum inter vtendum ventriculum adſtringi, avidius appetere & fluxionum materiam minui ſentiant, ſed tandem cachecticus evaſiſſe ſcio, ut interim de aliis morbis taceam: Mihi ſanè ſuſpecta eſt vis cauſtica quæ remanet in eo oleo, etiam juxta Paracelſi doctrinam parato: In morbis quidem ex craſſiſſimo phlegmate aliquoties vſus ſum; ſed nulli author eſſe volui vt continuata vſurpatione aliquot guttarum moderatum calorem ventriculi, (qui coquendo deſtinatus eſt, obtunderet & ſanguinis bonitatem corrumperet: Si enim ab externis conjiciendum eſt de internis, quid aliud in fuco coquit quàm calor? & acida corrugare os ventriculi & appetentiam excitare ex aceti vſu novimus. Tales igitur qui aſſiduè hoc oleo vtuntur, etſi per aliquod tempus de bonitate appetentiæ & fluxionum exſiccatione ſibi gratulentur, ad extremum tamen, & tempore procedente, nocumenta *ventriculi & reliquis membris illata cum gemitu* agnoſcere coguntur. *G. Hofmannus lib. de Thermis Hirſbergenſibus.*

LI. Mos eſt plurimorum ut ſi quando cibis vtantur difficilis coctionis, aut facile corruptibiles, ſtatim ſuperbibant *aquas generoſiores deſtillatitias*, aquam vitæ &c. ad coctionem juvandam: Sed id non ſine periculo ſanitatis fieri ſolet, cum enim dicti cibi nonniſi longiori in ſtomacho mora concoqui ſoleant, aquæ ejuſmodi penetrante & permeabili virtute, cibos hus nondum probe concoctos in venas deducunt, vnde cruditatum & obſtructionum proventus: Sic rectè vetant Medici ne diuretica ſimul cum cibis, aut ſtatim poſt cibos dentur, ne ad vias urinarias ſtomachi cruditatem vehant. Eademque eſt ratio aquarum quæ ad coctionem promovendam ſumuntur, ob magnam qua pollent aperiendi vim: Ideo *Rondeletius* cap. de Palpitatione; Ad intra, *inquit*, dentur illa quæ calefaciunt ventriculum & flatus diſcutiunt; Cui rei eſt animadvertendum, nam 3. aut 4. horis ante paſtum dare poſſumus quæ fortiter calefaciunt & flatus diſcutiunt, modo jecur non ſit præcalidum, qualia ſunt diatrionpip. dianiſ. aromat. roſ. diagalanga & ſimilia; hæc non debent dari immediate poſt, nec ante paſtum, quia ſua caliditate & tenuitate ſecum ſtatim ad primas vias alimentum ſemicrudum raperent: Hinc patet illos errare qui pulveres maxime calidos à paſtu exhibent, qui debent eſſe mediocriter calidi. Ejuſdem opinionis eſt *Aëtius l.* 1. *ſerm.* 1. *c.* 24. *A cibo* ait, *nunquã neq; hoc neque aliud quoddã pharmacum quod vehementem penetrationem facit accipiatur: Diſtribuitur enim ac digeritur cũ ipſo aliquid crudorum ciborũ & obturationẽ facit: Vſus ejus convenit poſt matutinam fricationẽ, duabus ante exercitiũ balneumq; horis*: Quod de dyſpeptis diximus, convenit etiam iis quæ facile corrumpuntur, vt ſunt fructus horæi; Vide *Valleriolam* loc. comm. l. 5. c. 7. Pariter errant qui cũ in ventriculo flatus cruditateſque ſentiunt, eas aquas bibunt ad ventrẽ calefaciendum & roborandum; nam tenuitate ſubſtantiæ facile penetrant in viſcera, eorum intemperiem augent, vnde poſtea affectus increſcit: Objicies Medicos præſcribere piper craſſo modo contuſum: Aëtiũ vſum abſynthii ad flatus hypochondriacus; At piper eo modo prodeſt, quia ad viſcera nõ pervadit, ſed ſolum ventrẽ roborat, jecur ideo non calefacit: deinde ipſius calor in primis viis extinguitur & cito diſſipatur, demũ humores acres deterget & educit. Abſynthiũ prodeſt, quia ventriculũ adſtringit, nõ pituitoſis, ſed bilioſis humoribus qui huic morbo fomentũ præbent, deterſione ſua opitulatur, eoſq; per alvũ & vrinã educit. *Primiroſius Err. Popul. l.* 3. *c.* 14.

L I I. Hoc notandum eſt circa *Pulveres Peptiios* dictos, nimium odorata non convenire affectibus capitis factis à fumis: Satius itaque fuerit ex minus odoratis parari, & ab his abſtinere quæ moſchum, ambram, crocum, & alia quæ caput tentant, recipiunt: Cæterum eos improbo qui liquiritiam addere ſolent; etiamſi enim ſitim ſedans ſit, etſi alias aliquid adſtrictionis habeat, dulcia enim os ventriculi relaxant & flatus gignunt: Eos etiam improbo qui Nucem moſchatam & macem addunt, cum oleoſa ſint, ac omnia hujuſmodi ventriculum ſubvertant: Non abs re etiam additur ſemen fœniculi & ſeſeli pulveribus flatus diſcutientibus & digeſtivis, vt ocularibus, quia tenuant ſpiritus viſorios: Cumino autem, caryi & ſemine rutæ parce eſt utendum, ob cumini ſaporem ingratum & nimiam acrimoniam: Macerentur in aceto ſi ad digeſtionem cibi pulveres parentur: Sunt qui non vereantur folia Sennæ Pulveribus his addere, ſuamque opinionem ſtabiliunt opinione *Meſuë*, Sennam oculis convenire dicentis quomodocunque adhibita ſit, Non animadvertunt Sennam laxare, flatus generare & ventris perturbationem: nullo igitur modo conveniunt his pulveribus ſtomachicis non laxativis. *Rondeletius.*

LIII. Ad ventrem aut *ventriculum calefaciendum* aut *conſtringendum* utimur pulver. inunctione prius facta ex oleis convenientibus: Efficaciores enim ſunt pulv. quam in formam linimenti aut cerati redacti, quia parantur ea odoratis quæ coctione exolvuntur. Pulveres autem calidiores, aut minus calidi fieri poſſunt pro ratione intemperiei & ſpiſſitudinis partium hypoch. nam qui obeſi ſunt, partes valde ſpiſſas habent, quare oportet medicamentum & fortius & tenuius eſſe, quo facultas medicamenti ad partem affectam perveniat: Qui vero extenuato ſunt corpore, pulveres minus calidos, ſed magis adſtringentes deſiderant, quia impediunt diſſipationem nativi caloris. *Rondeletius.*

LIV. Ad ventriculum quoque roborandum Chymici commendant *Spir. vitrioli veneris* quem *acetoſitatem eſurinam veneris* nominant, ſeu *Spiritum vitrioli Ungarici*, Atque de eo ſcribunt quod tantis polleat viribus, ut omnia quæ in ventriculo continentur, ſive tartareæ, ſive ſulph. impuritates ſint, conſumat, ventriculumque uſque adeo confortet & roboret, ut omnia concoquere queat: Verum ὑπερβολικῶς iſta dicuntur, Et quamvis cum commodo ſæpe exhibeatur, cautione tamen opus, neq; enim in quovis ventriculi debilitate & morbo uſurpandus, ſed ubi craſſi & tartarei humores adſunt, quos conſumit, poſtea etiam adſtringendo ventriculum roborat: Videndum tamen etiam hic, Ne quid nimis, & humidum radicale ventriculi ab eo diſſipetur & abſumatur, quod ſæpe ab intempeſtivo & nimio ſpiritus vitrioli uſum accidit. *Sennertus.*

LV. *Ventriculi* frequens eſt morbus in *dilatatione* ac *exolutione*, tam in ſanis quam in ægris, dum iuſculis, & potu frigido & humido liberali, ita ſolvitur ejus tonus ut fluor alvi inde ſequatur, qui tribuitur corruptioni alimenti ab intemperie fervidâ ventriculi, vel obſtructioni vaſorum meſaraicorum: quod ſymptoma eſt potius Laxitatis nimiæ, Morbi materiæ *Fernelii*, cui roborantibus & adſtringentibus conſulendum: In quibuſdam poſt obitum ventriculus adeo laxatus eſt deprehenſus ut caput infantis exciperet. Iden morborum materiæ obſervatio ad praxim valde neceſſaria, qui adſtringentibus & ſiccantibus, ſumptis & admotis curantur, Iuxta doctrinam methodicorum, qui laxum & ſtrictum in morbis conſtituunt, *Riolanus Enchirid.*

LVI. *Piper* eſt tenuiſſimæ ſubſtantiæ, & ſic ſecundum tempus calefacit ventriculum, & vis ejus ſtatim diſſlatur, ut ſunt illa quæ ſunt tenuia & calida *Galen.* plurimum laudat piper, unde ego ſæpe precor modernis meliorem mentem, qui cum vident *Gal.* uti pipere cum ptiſana in febrib. putant *Gal.* dormire, & dicunt quod melius ſit uti cinnamomo, & ita illi ordinant cinnamom. Sed hi non vident iſtud myſterium *Gal.* quod ſcil. piper cal. ventriculum & non epar: Et dicit *Gal. 4. de ra. val.* quod diaſpolit. & diacalam. & ſimilia peſſima ſunt ventriculo crudo, quia ducunt humores crudos ad epar & faciunt obſtructiones: nam licet non ſit tanta caliditas in cinnamomo, tamen eſt magis diuturna: Ideo ſæpe ſacch. roſac. do cum modico pipere minutiſſimè contrito, ut facilè exhalet. *Montanus Conſ.* 154.

LVII. *Borborygmi* in quibuſdam produnt gravitatem quædam inſtar lapidis cum denſa reſpiratione: quos ego meridiari jubeo ſecurè: In aliis *fluctuatio quadam* ſeu *vibratio*, ſeu *tremor* aut *palpitatio*, modò cum, modò ſine borborygmis denſaque reſpiratione, quibus item potiori jure meridiari licet. *G. Hofmannus in Inſtitut.*

LVIII. Interdum fellea cyſtis tangit tingitque ventriculum, ac ſitiſione ardenti vrietur: qui ardor non prius ceſſat quàm bilis excluſione detumeſcat & exoneretur cyſtis. *Riolanus in Encheir.*

LIX. In *ſicco ventriculo auſterum vinum* ne vnquam concedatis nam nocet humido ſubſtantifico, cui nihil perniciosius adſtrictoriis quæ reliquum humiditatis depaſcuntur: Ideo hoc in caſu ante omnia cibaria exhibenda copioſa juſcula, lac, emulſiones amygd. quò tunicæ exſiccatæ, & à liberali hoc potu humectatæ extendi poſſint, & reliquias cibi probè complecti. *Saxonia.* Leviter tamen adſtringens poteſt admitti, vt cibus in ventriculo detentus concoquatur: Ideinque aquoſum, quod pauci caloris particeps, mitius agit in calidum innatum; nec id diſſolvit, ſed ſecundum ſubſtantiam & qualitatem conſervat, quod ab aqua fieri nequit, vnde non aqua, ſed vinum aquoſum probatur: Cum autem hoc vinum ſit tenuis ſubſtantiæ, ſicut facilè deſcendit in ventriculum, ita etiam facilè rurſus egrederetur, cibumque, cujus eſt vehiculum, incoctum ſecum duceret: Neque ob levem *adſtrictionem* ſiccitatis imminet periculum, quia hoc vinum non ita eſt adſtringens vt humiditates alimentales ebibat, abſumat, vel exprimat in cavitatem ventriculi, parteſve vicinas, quale eſt vinum auſterum: vinum generoſum, cum admodum ſit calidum, ferit vires imbecilles: nam calidum innatum; quod in ventriculo ſicco non fovetur ab humiditate alimentali, quæ reſiccata eſt, facilè à vino meraco diſſolvitur. Quare in ſicco ventriculo licet vel vino aquoſo adſtringẽte, ſed leviter. *Capivaccius.*

L X. Ventriculi fundus aliquando vulneratur & ſanatur, imò Inciſionem admittit, vt extrahatur ferrum vel aliud ſimile duriſſimum, quod lædit nec exire poteſt ſuſquedeque. Vide *Hiſtoriam cultrivori Pruſſiaci. Riolanus Encheir.*

L X I. Notatu dignum eſt quod de *urinâ rubrâ* monet *Dodonæus Obſervat. Medic. cap. 31.* Talem mingi non ſolum in morbis calidis, ſed non tantò ventriculo, imò jecore, per diuturnos morbos refrigeratione debilitatis: refertque hiſtoriam. quinquagenarii qui à quartana quinque menſium in lienteriam incidit, & cruda dejecit, nullo febili

brili calore reſtante, urina admodum rubebat: ſe vero nulla hujus habita ratione, ſed ad cruditatem reſpicientem, ut conſuleret ventriculo & jecori, per prætentem quartanam debilitatis, victus rationem calefacientem & ſiccantem inſtituiſſe, vinumque exhibuiſſe generoſiſſimum: E medicamentis diagalangam, diatrionpip. &c. quibus tantum profecerit, ut concocta appareret excrementa & urinæ color remitteret ac ſimilis ſanorum redderetur: Cùm verò æger jam ſe ſanum eſſe existimaret, ac ſecreto cerevisiam bibiſſet, mox urinæ colorē iterū in ruborem multū intenſu abiiſſe, qui manifeſtè oſtendit ex ventriculi cruditate & refrigeratione urinā quandoq; tingi: cum verò à cerevisia abſtineret, urinas mox iterum ſanorum ſimiles evaſiſſe: Hoc in praxi ſæpe obſervare eſt, præſertim in iis qui è quartanis convaleſcunt, ij enim ſumpto cibo coctu difficiliori, tales urinas rubras fundunt; qui color non eſt cruentus, ſed qualis in febribus ardentibus: neque à bile, quæ non abundat, ſed potius a crudo & craſſo humore: Si enim ventriculus ſit debilis, partes ſulphureæ & craſſiores alimenti, in illo & inteſtinis non ſegregantur & per alvum excernuntur, ſed ad epar tranſeunt; poſt à ſanguine ſeparatæ & ad renes delatæ urinam tali colore rufo tingunt, cum urina non ſolum à bile tincturam habeat, ſed & à ſale rufo, ſicut lixivium à ſale impuro tingi videmus: Sic in ſcorbuticis urina non ſolum rubra eſt, ſed & ſplendet, poſt rubrum ſedimentum & pulveri latericum ſimile deponens. *Sennertus Practic. lib. 3. p. 8. ſect. 2. c. 7.*

LXII. In ipſios ventriculi portā morbus innaſcitur qui à Græcis κοιλιακὸς nominatur; Durescere ſub hoc venter ſolet & torminibus premi, alvuſque ipſa adeo nihil reddere ut ne ſpiritus quidem intra, ſed nec ſupra erumpere poſſit: *Paulus*, Pater meus, hoc morbo malè vexatus, cum diu multa ac varia auxilia, ſed fruſtra, expertus fuiſſet, clyſtere ex ſolo lacte condito in ventrem injecto, ac multis ſubinde ſtrigmentis depoſitis, ad priſtinam reverſus eſt ſanitatem.. *Schenckius Exot. experim. Cent. 5. §. 90.*

LXIII. *Intemperies ventriculi cum humore*, ſive à cauſa frigida, ſive calida ſit, corrigi præmiſsâ leni vomitione debet: Sic enim ea ea vix unquam non gigni ſolitam ſaburram facilius exterminamus quàm ſi purgantibus per inferiora utamur: Quin & iſta ratione melius tum plicis ventriculi adhæreſcens humor detergitur, tum intemperies, modo ne innata ſit, nec admodum inveterata, corrigitur. *Hartmannus Prax. Chym. c. 122.*

LXIV. Poſterior ventriculi pars univerſa ſpinæ inſidet, cum qua ad primam uſque lumborum vertebram adhæreſcens colligatur: unde fit ut quoties *ventriculus à flatuoſis ſpiritibus vehementius diſtenditur*, illico doloris participes maxime fiant illæ partes, quæ diſtentæ ventriculi parti mutuo nexu conjunguntur. quare cum poſteriores partes à ſpiritu diſtenduntur, tum maximè dolor ſpinæ lumbiſque inſiſtit, renum regionem acutiſſimè invadit, non aliter ac ſi difficillima nephritide quis excruciaretur, quæ res etiam doctiſſimis in arte magiſtris interdum imponit, ut credant renum calculo laborare eos qui a diſtrahente flatu malè habent. *Th. Fienus Physic. cap. 9.*

LXV. *a.* Ad *Ructus movendus* jubebat *Sabinus*, referente *Galeno*, bibere ex vaſe anguſti oris: Certo enim conſtat experimento eos qui utuntur vaſculis longæ cervicis & anguſti oris, quali ex vitro conflantur, eructare mox ac bibere ceſſant: *Galenus* non vituperat hoc auxilii genus, neque commendat: Nunc video eſſe qui commendant ut ad eam rem utile, alios qui vituperant: Egó non vitupero auxilium, quum potius cenſeo iis qui Ructibus ſublevantur eſſe utile talibus vaſis uti, quia eructant à potu copioſe, & ſimul cum aëre quem hauſerunt, qui non eſt adeo multus, emittant multo plus ejus quem continebant, velut eos quos ſuccos in ventre continere agnoſcimus, qui non facile exeunt, immiſſo clyſtere facimus dejicere: Itaque hac cauſa vel ipſe flatus qui hauritur, ad movendum ructum non eſt inutilis: Hanc *Sabini* ſententiam ſequutus etiam *Paulus, Valleſius Epidem. lib. 6 ſect. 2 p. m. 605.* Vide *Mercurialem cap. de Inflatione, Epiph. Ferdinandum hiſt. 76.*

LXV. *b.* Vir Conſularis ex vini Rhenanſ potu graviſſimo, imo ardentiſſimo *ſtomachi ardore* vehementer & per aliquot dies vexatus, ita ut non obſtante premente fame & ſiti, nulla tamen abſque dolore poteſtas edendi aut bi[illegible] concederetur, ſuaſi ut uſum lapidis prunellæ ad ℈ß in aqua Sambuci diſſoluti ſibi habeat commendatum, paruit, & ſenſim ſenſit alleviamentum, ſucceſſu temporis etiam ardor iſte totus extinctus evanuit: Alius Nobil, æque de tali ſtomachi ardore ex eadem cauſa valde conquerebatur, commendavi ſupra nominatum lapidem Prunellæ, qui etiam pluribus aliis ſolamen præſentiſſimum præbuit, ſed eventu adverſo, dolor enim augebatur ad vitæ uſque periculum; Pertæſus hoc ſymptomate, ardorem ex nimia acredine in ſtomachi orificio exortum, ſale nitri poſſe præcipitari conſiderans, cum viderim & mucilaginem ſeminis cydoniorum nihil conferre, cremoris Tartari ʒß. propinavi; Quid fit? non horæ quadrans abſolutus erat, quin omnis ardor evanuiſſet, & ita ſervatus patiens cum multorum admiratione. *A. Cnoffelius Miſc. Cur. anni 1672 Obſ. 121.*

LXVI Colligitur diagnoſis humoris *dolorem ventriculi* committentis ex tempore invaſionis, incrementi aut ceſſationis doloris: quibuſdam ante cibum dolor exacerbatur, & hoc bilis dominium ſignificat, quæ jejunii tempore exacerbatur, & in ventriculum attrahitur, aut magis intenditur & acrior evadit: Aliis ſtatim ab aſſumpto cibo dolor commovetur, quia humores crudi & mordaces, qui antea quieti erant, & ventriculi tunicis infixi, ab aſſumpto cibo commoventur; vel qui in fundo ventriculi hærebant, ſurſum attolluntur & orificium ventriculi afficiunt: Aliis dum cibus concoquitur dolor exacerbatur, quia vapores acres & mordaces elevantur ea materia morbifica, a calore aucto in ventriculo tempore cōctionis: Aliis iv. aut v. horis à paſtu, quia ex coctione depravata cibi corrumpuntur, & corrupti ventriculum vellicant: Quibuſdam denique poſt ſomnum dolor exacerbatur, & ille fit à catarrho, fluente humore à cerebro per ſomnum, qui majori copia cumulatus, dolorem in vigilia producit: Sedatur vero interdum dolor à cibo, quia ciborum benignitate humoris acrimonia demulcetur. *Riverius Pract. lib. 9. cap. 10.*

LXVII. Si ab hepate ſanguis non tranſmittatur, ejus copia diſtentum ventriculum comprimet, illique *dolorem* vel graviſſimum dabit, & præſertim ſumpto cibo ita complicabitur, ut dolor nec ſumptis intro, nec foris admotis præſidiis levari poſſit: quod N. contigiſſe vidi qui ab eo tam importuno dolore non quievit, factis etiam faciendis, quam naturæ beneficio: quum enim ſtatim ab epulis eo graviter conflictaretur,

ecce, nec opinato, magna ſanguinis per os rejectio, qua derepente dolor ereptus eſt: Cui ut in poſterum occurreret, quoties eo premebatur, toties miſſo ſanguine eo liberabatur: Non abſimilis eſt hiſtoria apud *Hippocratem* 5. *Epidem.* de viro qui in vehementiſſimo dolore ventriculi nullis aliis remediis adjutus eſt quam phlebotomia. *Iohann. Dovyuetus lib.* 3. *cap.* 1. *Apolog.*

L X V I I I. Laborare viſus eſt quidam Medicis *dolore in ventriculo* exiſtente: cui cum omnia fruſtra adhibita eſſent auxilia, Paternus vocatus juſſit clyſtere forti alvum ciere, Et ſic deprehenſus eſt dolor extitiſſe in colo inteſtino, ea in parte qua ventriculo ſubiacet connexum. *Iohann. Schenckius p. m.* 325.

L X I X. Huc pertinet affectio quam *Attritionem ventriculi* nominant, quam *Galenus lib. de præcogn. ad Peſthum. cap.* 11. deſcribit in Imperatore Romano, qui cum ventris torminibus & profluvio tota nocte vexatus fuerat, atque ex Medicis alij initium febris eſſe dicerent, id *Galen.* pulſu explorato negavit, atque ventriculum atteri ab aſſumpto cibo, antequam excerneretur, exæſtuante affirmavit, atque unguento nardino, cum lana ventriculo appoſito, vinoque Sabino cum pipere eum ſanavit: Notandum hic, etſi verbum φλεγμαίνειν pro inflammatione ſumi queat, malle tamen me exponere ventriculum fuiſſe attritum, vel afflictum à cibo in pituitam converſo, id quod curatio indicare videtur, quæ per calida facta fuit. Hoc tamen non negarim anxietatem hanc non provenire ſimpliciter à pituita, ſed quatenus in flatus reſolvitur, qui ventriculo concluſi illam anxietatem pariunt. *Sennertus Pract. lib.* 3. *p. m.* 219. Vide *Bayrum Practic. lib.* 11. *cap.* 9.

L X X. De Hiera, quam in *doloribus ventriculi* à frigida materia aut flatu ex ea genito ortis *Galenus* commendat, notandum, quod tardè operatur, & dum in viſcidam materiam ventriculi tunicis adhærentem agit, halitibus inde excitatis, facit ut venter diſtendatur & dolor augeatur, ideoque conſultum eſſe aliud purgans admiſcere quod vires Hieræ intendat & operationem acceleret. *Sennertus ibidem.*

L X X I. Matrona quædam cum duos annos de *dolore ventriculi* conqueſta eſſet, nec ullis remediis ſanari poſſet, tandem exhibito vomitorio fruſtum corij lardini, fumo exſiccati, quod ante duos annos deglutierat, evomuit & brevi planiſſimè convaluit. *Fabritius Hildanus Centur.* 33. *Obſervation.* 33.

L X X I I. Infrequens affectus eſt quem *Tabem ventriculi*, ex ſiccitate vocat *Galenus* 7. *method.* 4. & *ventriculi hecticam Avicenna* 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 29. *Galenus loc. cit.* curationem proponit contra Romanorum Medicorum inſaniam, qui ægros amaris eſculentis, abſinthio &c. necabant: & ad vomitum compeſcendum, ex debilitate ſubortum, ſtypticis exhibitis, ut rhois ſucco, ſiccatos reliquerunt; adeo ut ſimillimum habitum præferrent iis qui maraſmo marceſcunt, quem *Galenus* ſpretis calefac. medicamentis perſanavit omni ratione humectans: Vidi puerum 14. annor. cujus pulſus erat, durus, parvus, debilis, celer, corpus rabidum, excarne, ſitis ingens, ſomnus paucus, alvus adſtricta, excrementa retorrida, vomitus continuus; & ſi forte aliquid duriuſculum præter liquida ſumere cogeretur, flaccidus ventriculus retinere non poterat, ſed id illico vomitione rejiciebat; quæ omnia ab aſſante calore interno, hepatiſque phlogoſi, bilioſum humorem ad os ventriculi protrudente manabant: Acta inquirens, & quæ Medicus adhibuiſſet initio, ſeccoſuit ad enecandos vermes amara, ſtomachica calida &c. E quibus novi Medicum puerum frigida ſtomachi diſpoſitione laborare exiſtimaſſe, Nos calidiore, imo hectica eſſe affectum ſumus arbitrati, quare ad auxilia converſi quæ aridum jam ac tabe pene confectum corpus reficerent, primo præſidia calida abjicere impero, priſanam & rhodoſaccharum propino, jubeo bibat aquam hordeo decoctam, humectantia cibaria edere præcipio, & aliquando, ad humidum primigenium reſtaurandum, ea glutinoſiora & viſcidiora miniſtro: frigidis & roborantibus unguentis jecur, ventriculum & renes ungo, tabellas ex diamargar. triaſantalo; tandem farris & lactis caprini ope duorum menſium ſpatio à tabe emerſit. *Zacutus Pr. adm. l.* 2. *Obſervat.* 5.

L X X I I I. In Quodam *Pylori tumore duro* laborante, à materia condenſata producto, Humectationem proponit *Ioh. Raymund. Fortis Conſult.* 89. *Centur.* 2. cum aliqua attenuatione, Inter externa, *ait*, nullum præſtantius remedium lacte, primo quidem aſinino, cui, ſuccedente corruptela, ſubſtituere ſoleo ſuccum malvæ depuratum ad ℥v: Ab uſu vero cæterorum exſiccantium omnino deſiſtendum, à rhabarb. tartaro, etiam chalybeatis, quibus alioqui uti ſoleo adverſus duritiès ab aliis cauſis excitatas, à frigiditate condenſante, vel à copia humorum repleute.

L X X I V. *a.* Vxor N. ſubito correpta eſt *doloribus* vehementiſſimis, *ventriculi* & lienis regionem occupantibus, qui neque fomentis, neque purgatione ſedari potuerunt, ſed phlebotomia celebrata ſatis larga manu è brachio ſiniſtro ſtatim evanuerunt. *Lazarus Riverius Centur.* 1. *Obſervat.* 44. Vide §. 67.

L X X I V. *b.* Matrona quædam diverſis *doloribus ventriculi* inſignibus cum leipothymia, bilis flavæ effuſione in totius corporis ambitum evaſit, & curata fuit, quod argumento erat dolorem, non quidem in ipſo ventriculo, ſed in folliculo fellis habuiſſe ſedem. *Schenckius p. m.* 325.

L X X I V. *c.* Cum aliquando quidam ab imperito Medico purgantem medicinam hauſiſſet, cui ad accelerandam evacuationem acria quædam & erodentia fuerant admiſta, tantus *dolor ventriculi* ortus eſt, ut trium hebdomadarum ſpatio per os nihil fere ſine immani loci exulcerati dolore aſſumere potuerit, & fame pene enecaretur; Medicis incaſſum laborantibus, tandem quod propria ratio & experientia ſuggeſſit, uſus eſt tragacantho, cum aqua florum roriſmarini miſto, cujus tragacanthi tenacitate ulcus conſolidatum, & multos poſtea annos vixit incolumis. *Th. Bartholinus hiſt.* 21. *Cent.* 6.

L X X V. Vxor N. cum ultimis tribus imprægnationis menſibus *palpitationem Ventriculi* quotidianam gravem & diuturnam perpeſſa fuiſſet, nullo alio remedio quam *Requie Nic.* ad ℈j, aliquoties ante cibum deglutita, à nobis feliciter curata eſt. *Simon Schultzius in Miſcellan. Curioſ. anni* 1676: *Obſervat.* 141. Quidam hydropota in convivio variorum ſanitatem, aqua præbibens, in horrendos ventriculi morſus & cardialgiam incidit,

Poſtridie

Poſtridie totus fit Ictericus, die ſequenti ſumpſit purgans: Circa veſperam novi inſurgunt dolores, & ſuperius orificium ventriculi inſtar cordis vehementiſſime pulſare cœpit: (quem pulſum ſive palpitationem ventriculi ſæpius jam in colica, inprimis noſtrate, obſervavi) dedi *flor. nitri, cum magiſt. ocul. cancri, perlar. corall.* & in inſtanti omnis evanuit dolor, nec rediit. *Car. Rayger. miſc. cur. anni 76. Obſ.* 205.

LXXVI. Billioſi, macri, ruſi, raræ texturæ, ineunte ætate *dolore ventriculi* exercentur, quia cum orificium illorum præditum ſit acerrimo ſenſu, à bilioſis humoribus (antea à veris & hyemis tempore aliquomodo frænatis) vellicatur; Medela eſt purgatio ex Rheo, tum date bis aut ter mane laudani *Paracelſi* gr. iij. aut iv. certe obtuſo ventriculi ſenſu multo melius degunt. *P. Pachequus Obſ.* 34.

LXXVII. Docet *Galenus* cucurbitulam ventriculo admotam illius *dolores* citiſſime & inſtar incantamenti ſolvere: Caveto tamen ne quid humoris crudi in ventriculo deliteſcat, alias intenderetur dolor. *Mercatus.*

LXXVIII. *Phlegmone ventriculi* præveniendà clyſteribus & venæ ſectione iterata: Audiendum tamen hic eſt Avicennæ præceptum, Dum phlebotomas, & evacuas, & non ſedantur accidentia, tunc ſcias quod prohibitio collectionis quam quæris eſt difficilis: non ergo iteres phlebotomiam, ut non congeletur materia quæ mattura eſt collectionem: 10. *3. tract.* 5.

LXXIX. Inter Lenientia flos Caſſiæ eo *Inflammare* convenire poterit; Licet enim *Gal. xiij. meth.* 11. medicamenta per alvum ducentia his caſibus reprobet, Caſſiam tamen non repudiaſſet ſi eam cognoviſſet. *Foreſt. conſult.* 86. *cent.* 2.

LXXIX. *a* Magna inſurgit difficultas de ventriculo frigido, & hepate calido; quomodo nimirum frigidus poſſit calefieri, ne ſimul hepar inflammetur; ſiquidem quæ ventriculum calefaciunt, eadem plerumque & hepar inflammant: Huic autem malo *Galenus*, prævenire ſtudens, excogitavit compoſitionem quam nomine *Diatrion piperecon* donavit: Hoc equidem medicamentum ſingulari vi præditum eſt calefacere ventriculum, ne ejus calor communicetur hepati: nam cum conſtet ex tribus generibus piperis, quorum facultas calefaciendi in ſubſtantia tenui conſiſtit, exolvitur antequam ad hepar deveniat: Eſt itaque conveniens, & calefaciendi & tollendi intemperiem ventriculi medicamentum. *Abrah. Seyller. Conſ. 6. lib. 4. Conſil. Cratonis.* Vide §. 5. & 10.

LXXX. In *Ventriculi doloribus*, ubi purgatione opus eſt, exhibet *I. Navius* apud *Schelcz.* Purgans cui opium correctum admixtum eſt: nam ſic dolorem ſedat, ſomnum provocando: Et ſuccos malos in ventriculo contentos, dolorem illum moventes, ſecum educit; atque olim ſecretum fuiſſe Lud. de Leonibus: Frambeſarius quoque in conſ. f. 362. laudat in ſummis doloribus, ubi ad evacuandam cauſam continentem purgatione opus eſt, paregorica admiſceri. Riverius commendat ℞. Diaphoen. ℥ß. phil. Rom. ℈ij. cum aq. camomill. f. pot. *Hoeferus Herc. med. l. 3. c. 1.*

LXXXI. In *doloribus ſtomachi & inteſtinorum à flatu* & cruditate, magnum a ferventis vini hauſtu remedium vidit *Rubeus in cap. 25. lib. 2. Celſi.*

LXXXII. Humor *dolorem ventriculi* faciens variis præſidiis revellendus, frictionibus, balneis, cucurbitulis &c. & derivandus ad vias urinæ, nares, os, muſculos per cauteria: aliquando etiam ad ipſos articulos, quanquam antea fuerint dolore affecti: Habetis *Gal. 7. meth. c.* 11. Conſiderandum eſt, *inquit*, an pars mittens humorem ad ventriculum ſit ignobilior parte ſuſcipiente, an verò ſit æque nobilis: Si locus mittens ſit ignobilior, attrahenda eſt materia illa ad partem ignobilem: Itaque ſi dolor ventriculi provenit à doloribus arthriticis, Medicus non verebitur relegare dolores ad priſtinum locum: Si ſunt æque nobiles, ſtudendum eſt utriuſque corroborationi. *Saxonia Prælect. Pract. c. 7. p.* 2.

LXXXIII. Aperui cadaver Monachi, qui doloribus colicis obiiſſe ferebatur, & in cauſam morbi inquirens, reperi non modo ventriculi fundum phlegmone correptum, verum etiam ad mediam uſque tunicam corroſum: In tali curandâ *ventriculi inflammatione & eroſione* dicebat *Spigelius*, quod nihil præſtantius fuiſſet terra ſigillata ſæpius aſſumpta, ut quæ ob viſciditatem ſuam, ventriculi tunicis eroſis tenaciter adhærens (non aliter quam ceratum diachalciteos inflammato pedi applicitum) eroſiones exſiccet: Hujus effati dignitatem poſtea, ſumma cum admiratione, bis expertus ſum in enormibus *Ventriculi doloribus*, qui neque aſſumptis, neque adhibitis ullis externis mitigari potuerunt, niſi terra ſigillata, ſyrupo cantoliidæ majoris attemperata. *Scultetus Armament. Obſ.* 81.

LXXXIV. Cum *Emulſiones* demulceant acrimoniam humorum, & inprimis ſeri, billioſa ſalina acrimonia penitus tincti, notabile eſt minus convenire eaſdem humoribus acidis, ſeu in ventriculo ſeu primis viis in genere congeſtis, acida enim ut lacti, ita & emulſionibus ſunt contraria: hinc neque in cruditate acida & pituitoſa conveniunt, ſed pondus potius viſcedini illi addunt, & turbulentias edunt, unde ſæpe eo caſu revomuntur. *Wedelius de medicam. comp. p.* 65.

LXXXV. In omni quoque Emulſionum uſu robur ventriculi reſpiciendum eſt, ne abundantibus humoribus, & conſequenti laxitate, neque flatulentis ordinentur, Quando enim calor non eſt robuſtus, quando humores abundant in genere, in ſpecie acidi, bilioſi, pituitoſi, in & circa ventriculum, facillime flatus producuntur, ſeu flatulentæ ſunt Emulſiones: Hinc in inflatione ventriculi, appetitu debili (per eſſentiale vitium potiſſimum, nam in febribus alia res eſt) colica, hydrope, diarrhoea, & aliis fluxibus alvi, non æque commendantur, facile enim aceſcunt, facile corrumpuntur in ventriculo: Ex quo Helmontiani admodum vilipendunt eaſdem, quod acorem peregrinum inducant: hinc etiam facile patet eas in doloribus quibuſcunque à vitiata chylificatione, flatibuſque in infimo ventre, vel obſtructionibus ibidem oriundis itidem non prodeſſe: Hinc obſervavimus quendam maligna febre laborantem, cum largius uteretur Emulſione præſcripta, incidiſſe in ſingultum; alii ructationem inde experti ſunt. *Idem.*

VENTRIS DOLOR.

(Vide Colicus lib.3.)

SYLLOGE.

Pertinax purgante cum narcotico mixto curatus. 1.
Vtilis eſſe poteſt venæ ſectio. 2.
Topica *aliquando nocent.* 3.
Frigidorum admotione ſedatus. 4.
Ventris doloris à flatibus omento incluſis curatio. 5.
Purgantibus ſæpe exaſperatur. 6.
Scorbutici curatio. 7.
Contracturam inducens quomodò ſanandus. 8.

I. VXor N. poſtquam ićterum aliquandiu paſſa eſſet, à quo imperfećte curata fuerat, incidit in febrem tertianam diuturnam, eaque ſoluta febris lenta permanebat cum exacerbationibus tertianis & hepatis duritie: His ſucceſſit dolor atrociſſimus, primo inſultu regionem hepatis infeſtans, poſtea vero totum ventrem occupans, præcipue vero uteri regionem, cum purgationes menſtruas valde imminutas pateretur: Injećti clyſteres, fomenta & linimenta admota, quibus dolor valde imminuebatur, ac præcipue exhibito pulvere ex ſulphuris ʒß. cum nucis moſch. ʒj. confećto: at neque ſublatus omnino dolor, & brevi iterum rediit non minori vehementia: Prædićtis fruſtra iteratis ſequentes Pilulæ à me præſcriptæ ℞. aloës ſocotrinæ ℈ij. laudani op. gr. iv. diagr. gr. vj. fiant pil. vj. deglutiit noćtis initio, per horam dormivit, & expertećta ſe à dolore liberam dixit, noćte mediocriter dormivit, multam ſudavit, mane optime habuit, doloris & febris expers, nullomodo purgata eſt, ſed matutinis horis clyſter injećtus, à quo multa dejecit excrementa; eoque ſingulis diebus per triduum iterato, dolor non amplius rediit. *Riverius cent.* 1. *Obſ.* 63.

II. Ventris dolores vix quiſquam pertuſa vena curare aut lenire tentat, ob aph. 18. 4. At qui hanc ſententiam nimis pertinaciter ſuſtinent, multos in tabem & buſtum ante juſtum tempus conjiciunt: Nam ſæpe evenit ut vel Iecur, vel ventriculus, vel inteſtina, vel alia quævis ventris para interna calida intemperie afficiatur; in quibus purgatio pernicies eſt, ſ. m. curatio. Nec ita nocens in ventris affećtibus eſſe poteſt m. ſ. facta, ſi illi purgationem requirant, quam purgare ſi ſ. m. poſtulent. Nuper virum lv. ann. prehenſum ventris dolore, ad ventriculi regionem, non admodum vehementi, quidam Medicus, me inſcio purgare volebat, Ego auditis ſymptomatis, ſignificavi ſ. m. futuram illi magis ex uſu, quia malum videretur potius eſſe ex oppreſſo jecore, à nimio & æſtuante ſanguine, quam ex aliquo humore ventriculum vrgente: Renuit ille v. ſ. accedo quatriduo poſt, reperio febricitantem cum alvi fluore, merumque ſanguinem excernentem, perſiſtente interim dolore primo: Ieſcut iterum opprimi dico, mittendum protinus ex brachio ſanguinem; quo detracto ex baſilica dextra ad ℔j. veluti miraculo liberatus ab omni noxa: Nec ipſe *Hippocr.* qui dixerat dolores infra ſeptum tranſverſum poſitos requirere purgationem, à ſ. m. abſtinuit in eo qui in Oeniadis 5. Epid. n. 2. gravi dolore ventris cruciabatur, quem ad tabem & necem per purgantia penè deductum, ait ſe ſervaſſe miſſo ſanguine ex utroque brachio, ad animi uſque deliquium: Sed cum hic pugnare videantur curatio & præceptum, quid ſtatuendum? Dic, ſi ventris dolores ſponte venientes, acuti ſint, & clyſteribus non cedant, certum eſſe ſ. m. futuram uſui, ſive dolor ventriculum urgeat, ſive inteſtina, ſive quamvis aliam partem: Sed major Medicorum pars in iis omnibus purgationem præfert, quam ut omnino non rejicimus, ita ſæpe v. ſ. poſt ponimus. *L. Botallus de cur. per ſ. m. c.* 14.

III. *Galenus xi. meth.* 15. ait perfuſiones & cataplaſmata convenire iis quibus nullum in ventre eſt excrementum: cæteris, *ait*, ſunt pernicies: quare dum in doloribus ventris ſunt excrementa, nocebunt: Cur noceant docet 12. meth. 8. ubi habet Perſuſiones calidas liquare humores, illoſque vertere in flatus: Valeant ergo illi qui in doloribus ventris inunctionibus calidis, mappulis valde calidis utuntur, quibus dolores magis intenduntur: Nos in ſæviſſimis doloribus, vel tepidis anodynis utimur, vel valde frigidis, quæ repellunt ad intus calorem & ceſſant flatus: Eſt Gal. ſententia 6. Epid. 3. comm. 14. quod res valde frigida non generet flatus: Sic *Hippocr.* 5. *aph.* 25. dicit Frigidam auferre dolores podagricos: *Sanctorius de Remed. invent.* c. 15.

IV. Vrgentibus doloribus hypochondriacis, ventri apponatur linteum aquæ frigidæ immerſum & expreſſum: quo unico remedio vidi ſublatos dolores acutiſſimos ſumma cum felicitate. *Selvaticus cent.* 1. *Obſ.* 69.

V. Aliquando inter Omenti duplicaturam Flatus detinentur, doloris diuturnioris cauſa, quique etiam abſceſſus futuri metum infert: Præter ſudorifera, oleis, emplaſtriſque valde diſſipantibus hoc in caſu indigemus.

VI. Seu frigidi humores ingluvie acervati, ſeu acres & maligni, bilis aut ſplenis vitio tormina ventris excitent, guloſis & ſcelotyrbicis familiaria, fruſtra clyſteribus atque purgantibus ore aſſumptis à Medicis pugnari ſolet, auctis plerumque doloribus, humoribuſque propterea vehementius commotis: Quod inter nuperos non malè animadvertit *Helmontius*, placandos ſtatim dolores ſtatuens, quod ipſe conſueta loquendi formula vocat, *Archeum furentem compeſcere*: Hoc feliciſſimè antidotis perficitur, è quibus nos Mithridaticam, aceto ſolutam, & pani toſto aſperſam, calidiſſimam umbilico applicare ſolemus; quâ ſolà, tanquam incantamento, innumeros ocyus liberavimus, purgatione demum, ſiquâ opus videbatur, poſtea commodius inſtituta, quamvis hæc talia Colicis nunquam propinanda cenſuerit Th. *Fienus* de Flat. c. 19. niſi pituita inteſtinis craſſis impacta prius expurgata fuerit: Ore quoque exhibitum mithridatum cum malvatico à ℈ij. ad ʒj. coli doloribus experimentum I. *Moshani* laudat *Schallerus* in Obſerv. MS. Eodem ferè modo ingentes ventris cruciatus ab uſu caſſiæ in febri, theriaca exhibita, cineribuſque calidiſſimis in ſacculo admotis à ſe curatos refert *Bovius*. *Velſchius Obſ.* 41. *Epiſagmatum*.

VII. Dolorem *Ventris Scorbuticum* quod attinet, qui ventriculum & inteſtina, ac totum ſæpe abdomen affligit, regia quidem curandi via eſt, cauſam tollere, quod antiſcorbuticis, quæ ſi febris abſit, cum vino: vel cum ſero lactis ſi febris &

calor

calor adſit, exhibeantur: In doloribus ventriculi etiam commode uſurpatur Elixir propr. Quia autem ſæpe dolor urget, is mitigandus, quod commodiſſime fit ſi laxantibus convulſioni & tenſioni, quæ proxima ejus cauſa, occurratur. Ergo Clyſteres emollientes injiciendi, ex iis qui humectant cum moderato calore. Et cum ob motum περισταλτικὸν & convulſionem ſæpe nihil infra excernatur, ſed omnia ſurſum tendant, non quæ ſeorſum obtundunt admiſcenda, ſed potius quæ excretionem nonnihil ſtimulant, Ex decocto anethi, chamæmeli, alth. fœnugr. cum oleo comm. amygdal. dulc. lini, aneth. chamæmel. mel. roſac. Extra Linim. ex iiſdem oleis & pingued. aut catapl. ex herbis emollient. &c. *Sennertus.* Acidularum purgantium uſum commendat *Willis.* Cataplaſma ex foliis hyoſciami & lacte *Frid. Hofmannus clavis Schrodar. pag.* 486.

VIII. Ventris dolor Germanis à nimio vini potu familiaris, unde contractura ſæpiſſime, & ut plurimum Paralyſis: In hoc morbo quia materia ſtabulatur in cavis hepatis penitius infixa, clyſteribus vix poteſt elici: Sat erit injecto ad molliendas fæces clyſtere leniente, ſi detur hiera, vel ſpecies hieræ, aqua cinnamomi humectatæ, cum ℈j. vel ʒß. Electuarii Epiſcopi, id bis iterandum; Demum ℈iv. vel ʒij. rhei in ſubſtantia humectati aq. cinnamomi, & ℥j. mannæ calabr. diſſolutæ in aq. chamæmeli vel decocto convenienti: Ita mirifice purgat ut ad ſexdecim vel ſeptendecim ſedes moveat, contra rationem tamen morbi, etſi certa experientia: Si paralyſis adſit, materia educatur catharticis, Inungatur tota ſpina cum articulis ſæpius aqua vitæ cum oleo juniperi. *Ex ſchedis D. D. Ioh. Gregorii Gobelii Ducis Bavariæ Medici.*

VERBERA.

SYLLOGE.

Priapo tauri ſæpius percuſſi curatio. 1.
A ramo arboris in occipite. 2.

I. IN praxi animadvertimus Pulveribus contra caſum, Vnguentis potabilibus, ex quorum numero Tinctura traumatica eſt, Decoctis traumaticis, grumoſum ſanguinem diſſolvi, partimque intra vaſa ſanguifera retorberi, partim ejus excretionem facilitari: Ante aliquot annos Telionarius quidam Vittiarium ob injurias plures illatas, ut loquebatur, paterne caſtigavit, atque priapo tauri primum a cervice ad imas ſuras, poſtea a ſterno ad tibias uſque inclementer & pluſquam Turcice percuſſit, unde paulo poſt difficulter reſpiravit, circa præcordia ſummopere angebatur, tormina ventris patiebatur, cum dolore primum mingebat, & tandem aliquandiu urina ſubſtitit: cruorem tuſſi, vomitu, cum fæcibus alvinis & urina egeſſit; Tinctura Traumatica aliquoties aſſumpta, & foris grumos diſſolventibus applicitis, & victu tenui pertinaſo, homo alias nequam, & hac caſtigatione non uſq; adeo indignus, convaluit. *I. Iac. Wepferus Exercitat. de Apoplexia pag.* 42.

II. Subulcus ab abjectis cæduæ ramis in occipite percuſſus & proſtratus fuit, Ex ſylva domum delatus omnibus ſenſibus, tactu ſuperſtite privatus, artus ſubinde movit: Clyſteribus ſubinde repetitis vicibus injectis, iterata venæ ſectione, cerebro data Tinctura traumatica, ſacculis herbis cephalicis infarctis, & in aqua cum pauxillo aceti coctis capiti impoſitis, victuque tenui & refrigerante præſcripto ſenſim convaluit, diuque ſuperviſit, permanente quadam labe in memoria & judicio, forte ob morbum organicum in cerebro ſuperſtitem. *Idem pag.* 348.

VERRUCÆ.

Septicis caute exterminandæ.

PVellæ verrucam ingentem & magnam ex pollice dextro, inter 1. & 2. articulum prominentem extirpavi, purgato corpore, filo cannabino reduplicato, & arſenico inſuccato ligando, filum ſingulis diebus aliquantum ſtringendo donec excideret: relictum ulcus ung. Apoſtol. ſatis mundatum, cicatrice obduxi, quæ adeo æqualis facta ut vix verrucæ veſtigium appareret: At etſi curatio hæc apud Chirurgos, non ſolum in verrucis, at aliis etiam corporis excreſcentiis ſit uſitatiſſima, author tamen non ſum ut methodum eam ſequantur, ob gravia ſymptomata quæ applicationem arſenici ſequuntur, quorum quædam illi puellæ ſupervenerunt: Ab eo tempore verrucas, aliaque excreſcentias felicius, minorique dolore, extirpavi: Purgato corpore & ſecta vena, cauſticum meum, quod fit ex lixivio ſarmentorum & calce, circumcirca radicem verrucæ applico; eamque radicem, unà cum cauſtico, cupula, i. e. inſtrumento argenteo, forma digitalis, quo mulieres utuntur, ſed depreſſiori includo, arcteque deprimo, ne liquefactum cauſticum adjacentes partes inficiat & erodat: facta eſchara, ejus caſum promoveo, mundificatumque ulcus ad cicatricem duco: Si prima applicatio cauſtici integram radicem non auferat, iterum cauſticum applico, ſed antequam eſchara ſit ablata; ſic enim minus dolorificum eſt: idque toties quoties neceſſe facio. Porro antequam arſenicum, aut quodvis aliud medicamentum acre & erodens applicatur, diligenter perpendenda eſſentia verrucæ, quarum quædam malignæ exiſtunt, quæ erodentibus exaſperantur & in Cancrum degenerant: Laboraverat D. N. per annos aliquot verruca in ſummitate alæ auris dextræ, ſine inſigni moleſtia: cui cum dolere cœpiſſet, adhibitum cauſticum, unde in malignum ulcus degeneravit. Quidam per multos annos verrucam in inferiore labio geſtaverat, quæ in cancrum degeneravit, ab admoto medicamento acri & erodente: In applicatione præterea cauſtici ad radicem verrucæ, cavendum ne in quantitate peccetur, & eſchara ad nervos uſque perveniat. *Hildanus obſ.* 80. *cent.* 6. Ab Appoſito verrucæ corroſivo, ulcus ſupra pedis digitum concitatum, poſt ſemeſtre primum conſolidatum; interim claudicando æger inceſſit. *Hoeferus H. M. lib.* 4. *c.* 2. Si remedia non juvent, ad fortiora, & quæ vim cauſticam habent, imò ipſum ignem actualem, eſt accedendum: cautè tamen cauſtica adhibenda, in primis in locis nervoſis, & ita ut ſolam verrucam attingant: ideoque prius pars circumcirca cera vel emplaſtro aliquo muniendo. *Sennertus.*

VERTIGO.

SYLLOGE.

Methodus therapeutica. 1.
An vena ſecanda. 1. 2.
In paroxyſmo poteſt vena ſecari. 3.
Quæ vena ſecanda. 6. 6. a. 6. b.
Arteriotomia, *interdum confert.* 6. a 15.
Cauteria, Setones, Inuſtiones, *quando & ubi locum habent.* 6. c.
Cauterio bregmati inuſto curata. 8.
In cruribus excitato fonticulo ſanata. 7.
An purgandum. 4.
Lenientibus utendum. 5.
Vomitoria *ſunt utilia.* 1. 16.
Errhina *non nocent.* 9.
Sudorifica *quando ex uſu.* 6. a
An repellentia *conveniunt.* 13.
Quando admovenda. 10.
Topica *in confirmata ſint valida.* 14.
Decubitus *qualis eſſe debet.* 12.

Methodus Therapeutica.

1. VErtigo *accidentalis*, aut alia quævis recens, ſ. m. ac leni catharſi aliquoties iterata plerumque ſanatur: Pro curatione *Habitualis* & inveteratæ factæ, tres ſunt medendi intentiones; 1. enitendum ut morbi fomite omnino præſciſſo, cerebrum à materiæ morbificæ novis affluxibus immune perſtet; in quem finem recta victus ratione imperata, interdum phlebotomia, & ſæpiſſime blanda ex intervallis catharſis convenient: Eligatur aër ſiccus & perflatus, vitentur ſomni ac ſtudia immodica & intempeſtiva; abſtineatur omnino à poculis matutinis aut veſpertinis; loco prioris hauſtus *Tée* vel Coffée cum foliis ſalviæ incoctis exhibeantur: Fontanella in crure aut brachio excitetur, & nonnunquam vaſa hæmorrhoidalia aperiantur: affectus ſemper diluculo ſurgens, quoque mane, tempora & ſinciput aquâ frigida perluat, & cum panno aſpero fricet: 2. *Intentio* erit cauſas procatarcticas tollere, quare opera navetur tum ut ſanguinis dyſcraſia cacochymica auferatur, tum ut cerebri conſtitutio debilis & laxa nimis emendetur: Prioris gratia remedia potenter alterantia, prout Antiſcorbutica temperata, chalybeata, & nonnunquam acidulæ aut ſerum lactis conveniunt: Quibus ſemper, ob *poſterius indicatum*, medicamenta cephalica, nempe è corallio, ſuccino, cranio hum. rad. pæoniæ maris, viſco arboreo, ſtercore pavonis &c. parata addantur. 3. *Intentio*, quæ & proprie *Curatoria* eſt, conjunctam cauſam auferre ſatagit, quæ tamen procatarcticis remotis ut plurimum ſponte ceſſat: nam ſi materiæ cujuſque extraneæ aditus in cerebrum præſcinditur, nihil reſtabit quin ſpiritus puri putique, ac intra corpus calloſum ſpatia libera & aperta nacti, inde quaquaverſus emanent: Utcunque ob hunc medendi ſcopum medicamenta ſale volatili prædita, quorum particulæ valde ſubtiles & activæ ſpiritus animales recreant, intercalare oportet, cujuſmodi imprimis ſunt ſpir. c. c. fuliginis, ſalis ammoniaci, cum ſuccino, cranio hum. &c. impregnatus: Tincturæ corallij, ſuccini, antimonii, elixir pæoniæ &c.

Inſuper ex re fore videtur meth. therapeuticam particularius adumbrare, oſtendendo quid in paroxyſmo, *curationis*: quid extra ipſum, *præſervationis* gratia agendum: 1. Quoad *prius*, etſi vertiginis invaſio, utut immanior viſa, plerumque vacat periculo, & ſponte ſæpius facile pertranſit, quoniam laborantes ſe moribundos veriti auxilia medica expetunt, in tali caſu, ſi pulſus indicat, enemate præmiſſo, phlebotomia inſtituitur: dein veſicatoria cervici applicato, graveolentia, ut caſtoreum, ſpiritus aut ſal. volat. c. c. urinæ aut ſalis Armon. naribus ſubinde admoveantur: Inſuper ſpiritus iſti bis aut ter in die cum Iulapii cephalici doſi convenienti exhibeantur, hora ſomni ſumatur bolus ex mithridatio cum pulvere caſtorei: ſumat die ſequenti, ſi affectio nondum evanuerit, *lene catharticum*: vel ſi laborans ad vomendum aut proclivis aut facilis ſit, *Emeticum*, quo vix aliud præſtantius remedium eſt, capiatur (vide §. 16.) Quid autem pro *Vertigine inveterata*, & fere continua extra paroxyſmum curanda agendum ſit, perpendendum: Itaque methodo imprimis circa ſ. m. & catharſin juxta patientis conſtitutionem, & vires, celebrandas, & ex intervallo repetendas, inſuper aut vomitivum, ſi nihil contraindicat, ſemel in menſe aſſumatur conſulere ſoleo: In quem finem imbecillioribus, poſt ſtomachum cibis lubricis ſaginatum, dentur vinum & oxymel. ſcyllit. ad ℥ij. vel iij. poſtea liquor poſſeticus cum foliis cardui incoctis in magna copia ebibatur, & vomitu mox, aut ſpontaneo, aut provocato reddatur: Aliis emeticum ex ſale vitrioli, aut ſulphure antimonii, vel ex infuſione croci metallorum exhibeatur: De fontanellis, veſicatoriis, hæmorrhoidum apertione, nec non de emplaſtro aut cucupha ſuper caput geſtanda; item de topicis aliis pedum plantis, aut carpis, revulſionis aut derivationis gratia applicandis Medicus deliberet: Quoniam *autem* non omnia omnibus conveniunt, quin Medicus medicamenta diverſa experiri, & methodo diverſa inſtituta, nunc hæc nunc illa, tentare debet: Pro potu ordinario bibant Vertiginoſi allam tenuem cum foliis viſci pomorum, loco florum lupuli incoctis, *Et in doliolo* quatuor congiorum capaci, ſuſpendatur ſacculus, cui indantur ſtercoris pavonis libra ſemis, & caryophyll. contuſorum ℥iij. *Willis* Cavendum ne incidamus in errorem *Archigenis* uno eodemque modo Vertigines omnes curantis, non ſine *Galeni* admiratione, monet enim ipſe 1. de loc. 2. & de ſ. m. c. 7. quod in vertiginis curatione prius ſit videndum *Quid in illis acervetur, nonnullis enim bilis amara, aliis atra, aliis pituita, & aliis ſanguis abundat*: Et ideo præter rationem à nonnullis damnatur omnino ſ. m. eo quod Gal. nuſquam eam propoſuerit; Si quidem lib. de ſ. m. c. 10. hæc expreſſa habet verba, *Vertiginoſis &, ut in ſumma dicam, magno quopiam morbo correptis, poſt habitam virium atque ætatis rationem m. ſ. convenit.* Quod ſi alii dicant ſ. m. loco citato eum propoſuiſſe, non pro curatione, ſed pro præſervatione, negandum id prorſus fuerit, cum pro præſervatione eam propoſuerit cap. 19. *Comitialibus & vertigini obnoxiis, ex crure ſanguinem evacuatis*: Nota autem illa verba, Superius *correptis*, Inferius, *obnoxiis*: Sed ante *Galenum Hippocrates* ipſe ſ. m. præcipit, lib. de Affection. *Prodeſt ſi ſanguis de naribus fuerit detractus, aut à vena in fronte.* Peccat enim ſanguis aliquando, ſi non ut cauſa conjuncta & principalis, ſaltem ut adjuvans, cum & ſanguis &

jecur

jecur ferveat, vnde facilior in caput evaporatio: hinc ſi fuerit opus, ratione revulſionis: ex hæmorrhoidibus, parce tamen educendus erit, Etiam ex cephalica dextra aut mediana. *Foreſt conſult.* 12. 13. *cent.* 1.

II. Convenire non videtur *vena ſectio*, quia morbus oriatur ex vaporoſis & ſpirituoſis exhalationibus Palladis arcem obnubilantibus, quæ per v. ſ. non evacuantur: hæc enim potius in abundantia ſanguinis, vel reſpectu totius in plethora, vel reſpectu partis cujuſdam, in derivatione & revulſione conveniat: Demum conſideratâ causâ proximâ Vertiginis, potius opus iis quæ flatus abſumunt, generationemque eorum præcavent: Pro deciſione notandum, in curatione vertiginis interdum ad cauſam antecedentem, quæ continuitate quadam conjunctam fovet, reſpiciendum eſſe: quare præter alia remedia v. ſ. quoque præſcribitur ab *Aëtio*, ſive initium fuerit affectionis, ſive progreſſus, ſi nihil reluctetur; tum præſertim ubi materia ſanguinea & calida fumoſis exhalationibus vertiginem excitantibus præbet originem: Eandem approbat *Gal. l. de cur. ſ. per v. ſ.* 10. Notetur etiam hic limitatio vlterior quam ponit *Heurnius*, Si, *inquit*, ſolennis excretio tardat, malum vero increſcit, vt in ſudorum & ſanguinis ſuppreſſione, è vena cubiti ſanguis emittatur: non autem hoc ages vbi à frigore malum profertur, ſed vbi plethora adeſt, acerbo in malo & ætate firma ſecetur vena, inquit *Aëtius*: Exemplum ſucceſſus felicis in Vertigine diutius affligente per v. ſ. curatam ſuperiori anno habuimus in cive quodam primario, conſtitutionis alias calidæ ſiccæ, ſed capitis debilioris, qui per dies aliquot gravi vertigine laborans, ob ſanguinem vaporoſum ac fumoſum, præmiſſa lenitiva purgatione, fruſtra multis cephalicis adhibitis appropriatis, tandem vnica brachii v. ſ. tentata protinus à ſymptomate continuo affligente liberatus fuit: Imo *Paulus* arteriarum quoque ſectionem circa aures commendat, vbi calidiores exhalationes, mediantibus arteriis, confeſtim ad cerebrum elevantur: Cujus remedii loco cauterium hodie rectius, ſive actuale ſive potentiale, circa ſuturam coronalem commendatur. *Horſtius Decade* 2. *Probl.* 3.

III. Etſi v. ſ. in tempore paroxyſmi nonnulli diſſuadeant, ne vires jam debiles vlterius debilitentur, tamen ſi diuturna & vehemens ſit Vertigo, & ea ſit ægri conſtitutio vt omnino, nè apoplexia illum invadat v. ſ. inſtituenda ſit; hic vero apoplexiæ periculum immineat, cauſa nulla eſt cur non admitti debeat v. ſ. ſi adſint indicantia eam poſtulantia. *Sennertus c. proprio.*

IV. Vertiginoſos *purgandos* eſſe, præſertim per ſuperiora, probatur ex 4. aph. 17. & lib. de affect. n. 2. *Si vero alias atque alias dolor & vertigo in caput inciderint, proſunt quidem & hæc adhibita*, i. e. auxilia præcepta, inter quæ purgatio capitis recenſetur: Confirmat lib. de veratri vſu: probari poteſt hoc ſancitum ex 18. ſect. 4. aphor. & ratione, Quia ſi vertigo à bile oriatur in Ventriculum reſtitâ & fluitante, proculdubio ea excludenda: At Hippocr. 1. prorrhet. num. 9. purgatione excludit Vertiginoſos, *Qui nigra revomunt, cibos averſantur, deliri ſunt, juxta pubem parum doloroſi, oculum ferocem aut clauſum habent, eos medicamentis purgare non oportet; pernicioſum enim eſt; neque intumeſcentes &. vertiginoſos.* Damocles 5. Epid. 80. Vertigine affectus, purgatus tamen non fuit: Si vertigo à capitis imbecillitate oriatur, à purgante ea augebitur: Si ab humorum colluvie in cerebro, agitabuntur illi magis, unde vertiginis augmentum: Præterea non raro in acuta febre Vertigo ſupervenit ex anadrome ſanguinis, critica vel ſymptomatica; at hæc hæmorrhagiâ non purgatione ſolvitur. Conciliatio dicendo, 4. aph. 17. de vertigine Hippocr. loqui, advena, a bile in ventriculo fluitante; quæ nonniſi per emetica excludenda venit, vt pote per ventrem proximum: & quia eò vergit; De vertigine autem ab ea cauſa orta eum loqui oſtendunt affectiones annexæ, Vertigo verò indigena à maligna cacochymia in cerebro, & ipſa proculdubio purgationem deſiderat, non per emetica, quia vomitus caput replet, ſed per inferna: deductâ enim colluvie impura, à qua ſpiritus animales agitantur, ceſſabit quoque vertigo: quia caliginoſus ſpiritus non amplius generabitur, excluſa minera. Cæterum vertigo neque plethoram neque cacochymiam cauſas agnoſcens, at fixam & pravam cerebri diatheſin, purgationi non cedet, ſed alterationi tantum ac nutrimento: de hac locus ex *prorrhet.* adductus fortè audiendus; quanquam Galen in comm. ſolius vitium languoris cauſa eam prohiberi cenſeat. Quid ſi dicamus *Hippocr.* eo in texto vertiginoſos illos purgandos non eſſe decernere ob ſyndromen ſymptomatum adjunctam? inquit enim: *Neque intumeſcentes vertiginoſoſque, neque in errando deficientes, neque cibum averſantes, neque decolores &c.* Pernicioſe enim tales ſe habere clarum, neque purgationi eſſe pares: Denique vertigo cerebri debilitatis ſoboles, ſpirituumque exhauſtorum, qualis *senioribus* accidit, inſtaurantia tantum & analeptica poſtulat, non vlteriorem vacuationem. *Sinibaldus Antiph. pag.* 174.

V. Fortia *cathartica* vitanda omnino ſunt; hæc enim nimis excalfaciunt, vertiginoſoſque motus, etiam in non obnoxiis cient; Hinc *Theophraſtus* in lib. de Vertig. & *Alex.* 2. problem. 33. à pharmacis vertiginem inferri dicentes, ſcripſere eos qui purgantur Vertigine & mentis confuſione ita tentari, vt nequeant numerare trabes niſi perfecta purgatione: De tali purgatione, ſua tempeſtate familiari, audiendus *Hippocr.* 2. prorrh. cum in Vertigine minimè purgandum tradit. *Crucius de Quæſitis cent.* 4. *p.* 427.

VI. Sanguinis detractio per humerariæ venæ ſectionem, in plethoricis, non tantum ſi alicubi in ſanguine fomes mali lateat, ſed & ſi in capite ſanguis vel copioſus vel ſpirituoſus redundet, cauſamque vertigini præbeat, competit, Nam cum in cerebri ſinubus ſanguis tam arteriarum quam venarum confundatur, etiam vena aperta ſpirituoſus ſanguis exhauriri poteſt: in quo, ſi malum fere totum lateat, præcipuus curationis ſcopus in phlebotomia exiſtit: Ob eamque cauſam etiam Jugulares in collo aperire jubent: Imo ſpirituoſo ſanguine Vertiginem cauſante, eam curari non poſſe niſi arteriæ poſt aures aperiantur plerique docent; Experientiaque comprobatum eſt cæteris irritis, hoc remedii genus: quod tamen niſi prius omnibus tentatis, & cum certi de cauſa ſumus, eamque ex ſpirituoſo illo ſanguine profectam eſſe, ex pulſu arteriarum continuo cognoſcimus; In fronte quoque, ſi ab hac cauſa naſcatur, vena aperiri poteſt, & pede, ſi inde vapores aſcendant: Et ſi menſes ſuppreſſi eſſent, ſaphena, præſertim ſi circa vteri venas cauſa vapores ſurſum demandans lateat, Quo nomine & hæmorrhoides, ſi in melancholicis

mali fomes contineatur, vtiliſſime provocantur. *Platerus.*

VI. *a* Si neque ſanguinem mittere è venis majoribus, aut ab ea quæ in carpo manus eſt, vel ex hæmorrhoidibus aut cucurbitulis quicquam proſit, maxime ſi ea iterum atque iterum tentaveris, & purgationibus, tum majoribus tum paulatinis uſus fueris, confugiendum ſine dubio eo tempore ad ſudationem ex *decocto Guajaci*, *China* &c. maxime ſi morbi Gallici ſuſpicio aliqua fuerit: At ſi neque hæc quidem prodeſſe videantur, veniendum eſſe conſulit vrgentiæ ratio ad duo auxiliorum genera, quorum primum vias intercludit, per quas à toto corpore, aut ab aliqua ejus parte ad cerebrum aliquid tranſmittitur: Continet enim celebratam illam arteriarum retro aures ſectionem, quam priſci illi authores tanti ſemper fecerunt: Quod præſidium, prætetquam quod ſuſpectum eſt ſterilitatis (ſi *Hippocrati* credendum ſit) auctor exiſtit; quippe arterias vtcunque ſolvere periculo non vacat: Prætetquam quod etiam, ſi ſcindantur, aut tuto vti poſſint, non ob id credendum eſt vias omnes, per quas caput ſuſceptat, protinus claudi, cum ſæpius per interna vaſa malum caput aſcendat, quæ nec vſtione. nec ſectione ſecanda ſunt: quapropter temerarium eſt, dubium & ſuſpectum præſidium centare, dum periculoſius exiſtit malo præexiſtenti: Verum in gravioribus malis, & qui aliis auxiliis ceſſura non ſunt, à perito Chirurgo frontis & temporum venas potius auderem urere. Vide §.15.

VI. *b* Si id tentare non audeas, ad ſecundum auxiliorum genus te conferes, quod docet ſi venæ in capite plurimum turgeant capitis plenitudinem deponere, *venis quæ ſunt ſub lingua* ſciſſis, & ſanguine ab eis profuſo. *Mercatus.* At ſi quis capitis plenitudinem minuere intendat, dubiis auxiliis prætermiſſis, ſatius eſt ad Iugularium apertionem recurrere, quæ præſentaneo auxilio ſit & citra periculum. De hac vide lib. 19. tit. de ſanguinis miſſ. §. 83. & 94.

VI. *c* Non deſunt qui conſulant ferro candente caput aliquibus locis urere (vide §. 8.) quod ſane minus ſuſpectum videtur, maxime dum res in deſperationem venerit: Cujus ſane loco adinvenit ars noſtra aliud non minoris momenti & tutioris conditionis, nimirum in occipite ſontanellam aperire, vel eidem parti ſetonem affigere: Quod præſidium licet proficuum huic malo exiſtat, iis tantum ex uſu eſt quos Vertigo dejicit, & in acceſſione proſternit: nam cum certum ſit poſterioribus cerebri ventriculis affectionem communicari, verendum eſt ne laborans in epilepſiam, apoplexiam, aut ſaltem paralyſin commigret, & ob id aperto ſetone, aut fontanella, longe magis prodeſſe creditur: At cum affectio ſolum in vertiginoſa circumvolutione, aut viſus tenebroſa offuſcatione conſiſtit (ſignum profecto læſionis anteriorum cerebri partium) longe vtilius exiſtimo fontanellam brachiis aperire, aut iiſdem partibus ſetones affigere: Verum ſi ſors tulerit quod ex vteri conſortio, vel jecoris, vel ſuppreſſis hæmorrhoidibus, vel quavis alia vacuatione, vel ulcere, aut fiſtula manantibus (quod non raro contingit) ſupprimantur: Item dum tumor aliquis inferiorum partium delitеſcit, proculdubio neceſſum fore arbitror, vel antiquam revocare fluxionem; vel loco ejus fontanellam in cruribus aperire, per quam natura tranſmittat quod per dictos affectus conſueverat expellere. *Mercatus.*

VII. Præter cætera auxilia obſervavi magnopere conferre cauteria cruribus affixa, Et licet proprie conveniant vbi Vertigo ſit aut à liene aut à jecore, aut ab utero, obſervavi tamen etiam in ea quæ ſit à ventriculo, cauteria vel ambobus cruribus vel uni ſaltem affixa, eſſe admodum ſalutaria. *Mercurialis lib.1.cap.11.*

VIII. Quidam Vert. tenebricoſa vexabatur, cum eſſent irrita auxilia, cum apoplexiæ metu, nullo tandem auxilio quam cauterio bregmati impoſito potuit perſanari: Quo ſolo innumeros cerebri mortiſeris morbis correptos ad ſanitatem, ulceribus diu fluidis permanentibus perduxi. *Zacutus in Obſervat.*

IX. Poſt univerſales vacuationes ad particulares capitis per ſternutatoria, errhina, maſticatoria, apophlegmatiſmos deveniendum: Errhina quidem nonnullis ſuſpecta ſunt, quod metuunt ne eo motu humores & ſpiritus in cerebro magis agitentur & Vertigo excitetur Verum, ſi capitis convenientes vacuationes præceſſerint, nihil tale metuendum. *Sennertus.*

X. Si in Vertigine animadvertatur fuligines per vaſa externa aſcendere, Repellentia locum habent, Si vero per interna aſcendant, tantum abeſt vt proſint, ut etiam noceant, cum fuligines non reprimant ſed in caput elevatas potius retineant, Eadem ratio eſt in cephalalgia &c. *Frid. Hofmannus m. m. l.1. c. 21.*

XI. Si humores jam uſque adeo partibus infarctos eſſe conjectura eſt, ut omni fluendi & refluendi habilitate ſint privati, videndum utrum fluxus humorum in augmento, ſtatu & declinatione; deinde vtrum ipſi humores ſint vel tenues, pauci, & ſub cute molliter ſiti, an vero craſſi, copioſi & effrænati, Si tenues fuerint, & finis augmenti, vel ſtatus & declinatio immineat, diſcutientia medicamenta adhibenda ſunt: Craſſis vero exiſtentibus, non repellentia, quemadmodum vult Clar. *Walæus*, ſed emollientia & ſuppurantia ſatisfacient: Horum vſus frequentiſſimus eſt in tumoribus & tuberculis inflammatoriis, ſed fluxione ſedata, & vbi materia impacta inſenſibiliter digeri neqoit. *Idem ibid.*

XII. Si ex circumactu corporis in dextrum latus vel ſiniſtrum Vertigo facta ſit, oppoſito in alterum letus motu, citius ea ceſſat: In quibus & ſupinus decubitus juvat: qui tamen ſi ab *interna* cauſa procedat, aut ex ebrietate, eam *potius proritat.* *Platerus.*

XIII. An Repellentia locum habeant in Vertigine per conſenſum partium inferiorum? Reſpondet *Maſſarias* quamlibet materiam repellendam eſſe: & quanquam talia incommodo aliquo non careant, tamen longè majorem vtilitatem afferre: At hoc ipſum in quæſtione eſt: Ego diſtinctione utor, Si per vaſa externa vapor aſcendat, locum omnino habent, & multum commodi afferunt, cum vaporem ſine incommodo poſſint reprimere: Si verò per interna aſcendat, tantum abeſt vt proſint, vt nocere etiam queant, cum vâporem reprimere non valeant, & in caput elevatum in eo retineant. *Sennertus.*

XIV. In antiquo, idiopathico & confirmato affectu, Topica validiora eſſe debent; atque ideo remedium à Marcello propoſitum, & à *Mercuriali* experientia confirmatum probo, Et eſt Mitytrium & aceto maceratum, atque ita in formam emplaſtri, fronti, temporibus, & retro aures applicatum: Licet enim ratione caliditatis & cauſticæ facultatis noxium videatur, ob inſignem tamen facul-

tatem

tatem adſtrictoriam, digerenti innatam, prodeſſe poterit, non ſolum ad reſolvendam materiam in capite contentam, ſed & ad intercipiendam quæ caput petit. *Silvaticus Cent.* 1. *conſ.* 2.

XV. *Arteriotomia a Galeno*, aliis Græcis, Arabibus & Latinis proponitur, facta, vel retro aures, *Galeni* conſilio, vel arteriæ temporalis tumidioris & magis pulſantis: Secatur autem arteria, vel eodem modo quo vena, pro ſola ſanguinis fervidi evacuatione, vt conſulit *Paræus*, cujus conſilio alias cum ſucceſſu talem operationem ſuaſimus: Vel profunde & tota tranſverſim ſecatur, vt ita contractis in ſe extremis arteriæ coaleſcant, vnde non ſequitur ſanguinis inſignis effuſio. Hæc operatio intercipit humus evaporationem, per coaleſcentiam non per obſtructionem arteriarum: Quamquam dubium ſit an per hanc ſectionem tranſverſalem fluxio materiæ ſiſtatur, cum evaporatio calida fit per arterias internas & externas, dextras & ſiniſtras: quare forte maior fiet interceptio ſi valida adſtringentia frequenter applicentur arteriis carotidibus & temporalibus: Tranſverſalis autem ſectio Mediolani jam familiaris eſt. *Silvaticus Conſilium* 40. *Centur.* 1.

XVI. Vomitoria ſæpius prodeſſe præter autorum teſtimonia, etiam ex obſervatione vulgari ſatis conſtat: Cumque inſuper vertiginoſi non raro ſponte vomant, hinc opinio apud plurimos inolevit morbi huius cauſam fere ſemper in ſtomacho latere: Quod autem Emetica in hoc morbo juvant, ratio eſt, quia hoc pharmaciæ genere, & maxima humorum in cerebro fiat revulſio, & ſpiritus in eo tumultuantes quamprimum coërceantur: Quando ventriculi & viſcerum juxta conſitorum membranæ & fibræ vellicantur, in eas partes varii humores, ſcilicet nerveus, ſeroſus, lymphaticus, pancreaticus & bilioſus attrahuntur adeoque emulgentur, vt ἐγκέφαλος eorum affluxibus immunis perſtet, quin & plurimos ipſi jamjam impactos facile excutiat. *Willis.*

VESICÆ AFFECTUS.

SYLLOGE.

Cum excrementis *ſcatet an* Purgandum. 1.
In ejus Inflammatione, *aut renum, qua vena primo ſecanda.* 4.
Cucurbitulæ an poſſint admoveri. 2.
In ejus Vlceribus *injectiones quomodo faciendæ.* 3.
Paucis adſtringentibus conſtent. 5.
Qualis earum materia eſſe debet. 6.
Sanatum aquis Spadanis. 7.
Efficacia balſami. 9.
Sulphuris in vlcerum curatione. 8.

I. Reprehenditur à nonnullis *Galenus* quod dixerit 7. *method. cap. ultim.* Veſicam expurgari per inteſtina, ſi multo humore ſit referta; Nam à veſica, dicunt, ad inteſtina quæ alia via eſt quam per vreteras, rurſus ad renes, à renibus ad cavam & hepar, ab hoc per portas & meſaraicas venas ad inteſtina? Sed ridiculum viam ad expurgationem per tot ambages quærere, relicta via breviſſima, recta & declivi; *Galenus* tamen ne accuſetur, qui tranſfuſionis hujus totius aperuit cauſam, commendans *Hippocrat.* ſententiam, Omnia habent communem confluxum & tranſpirationem; An putas alimenti diſtributionem per conſpicuas tantum vias fieri? at ſunt multæ partes ad quas nullæ conſpicuæ viæ veniunt; ſi membrum aliquod vrgetur fame, vndecunque rapit: rapiunt venæ ex arteriis, hæ ex venis, facta exſudatione per venarum poros: rapient ergo & inteſtina ex veſica, & hæc ex illis: Cum pars quæpiam præ dolore & imbecillitate fluxione tentatur, an non recipit excrementa vndecunque commeantia? Eſtne in inteſtinorum fluxione tutum veſicam redundare excrementis quæ per propriam viam non expurgentur commode? non arbitror, nam ſuppreſſa hac via impetum in inteſtina poſſint facere: Quod ſi his occaſionibus aliquid à veſica in inteſtina poteſt transfundi, cur non & vi medicamenti facilius trahetur per ipſas tunicarum vias? *Galenus* 1. *de fac. nat.* ait, Si fictile vas in acervo tritici conditum ſit, vas exhauriri, & tritico addi molem & pondus, idque fieri tritico trahente humorem per teſtam denſiſſimam: quanto ergo potentiorem trahendi vim pharmaco ineſſe veriſimile eſt quam tritico? & quantò commodior eſt ad transfuſionem quam teſta veſicæ tunica? quæ ſi nihil aliud, certè habet vias trahendi alimenti, quas eædem viæ medicamento ſubſervient ad tractionem: quare per quas vias ſuſcipit veſica alimentum, poteſt remittere excrementa quibus abundat: At non ſuſcepit veſica alimentum per vreteras, qui ſolum ſerum vehunt, ſed per venas & arterias: Quod ſi tibi difficile eſt ſuccum qui in cavo quopiam extravaſatus, inde reſumi; non arbitror tibi contigit quod *Galeno*, qui vnica exhibitione pharmaci pallidum colorem morbi regii omnino deleri vidit, aut aquam quæ inter peritonæum & inteſtina per ventrem vacuare &c. *Valleſius contr.* 9. *lib.* 8.

II. *Veſica inflammatione* affecta *Altimarus* & *Mercatus*, poſt venæ ſectionem & fotus, ſi non ſuffecerint, cucurbitulam circa pubem cum ſcarificatione affigi jubent: *Salius* contradicit veritus ne inde inflammatio exaſperetur: At id non timendum præmiſſis aliis tam vniverſalibus quàm topicis: nam hoc medio per derivationem materia emollita & præparata minuitur: adjuvante venarum communione, quia ramus epigaſtricus & hypogaſtricus in vno principio, nimirum iliaco cavæ proceſſu junguntur. *Gregorius Horſtius Qu.* 10. *Cent.* 10.

III. In *Vlceribus Veſicæ* injectiones per ſyringam non tantum homittendæ ſunt, quod vulgò fit; quia veſicæ cavum non ſubeunt, obſtante ſphinctere exquiſitè clauſo; ſed immiſſo in veſicam catheтere ſyringa aptanda eſt, ſic injectio ad locum affectum defertur. *Lazarus Riverius Practic. lib.* 14. *cap.* 5. *Primiroſius Error. lib.* 4. *cap.* 54.

IV. Cuidam ex *Veſica Inflammatione* laboranti ſtatim ſecui venam pedis dextri ex vena malleoli ad ℥ iij. ſanguis fuit ſerupuridus: fuit ſecta vena pedis, tum quia ante ratione plenitudinis, quando tertiana laborabat, fuerat miſſus

ſanguis ex axillari brachii dextri, tum etiam quia hoc jubet *Galenus lib. de cur. rat. per Sanguinis miſſionem cap.* 18. & *m. m.* 11. *&* 6. *apher.* 36. Laborantibus partibus ſupra renes, ex brachiis laborantibus; partibus infra renes, ex pedibus vel malleoli, vel poplitis: Quæres, An perpetuo ſit mittendus ſanguis ex vena poplitis vel malleoli? Reſp. Quod ſi quandoque corpus eſt valde plethoricum, cum virium robore, & initio inflammationis, abſurdum non eſſe ſcindere venas brachiorum, deinde ſtatim & eadem die ad venas pedum, nam licet ſanguinis miſſio ex brachiis eſt valde revulſivum remedium, attamen quia tarde id juvare poteſt, nam elongatur ſatis à parte affecta, ideo conſulimus ut miſſo prius ſanguine ex brachiis, eodem die mittamus ſanguinem ex pedibus. *Epiphanius Ferdinandus Hiſtor.* 19. *Lazarus Riverius Pract. lib.* 14. *cap.* 4. aperiendam primo jubet baſilicam, bis, ter, quater, vel plures, modo vires conſtent, idque donec fluxio conſiſtat, quod ex doloris remiſſione noſcitur: facta hac revulſione inferiores etiam vult aperiri ad derivationem: *Iohann. Walæus Ferdinando* aſſentitur *Method. Meden. p. m.* 98. *Quo loco*, ait, *vena ſectio revulſionis ergo inſtituenda, an in propinquo, an in diſtante?* Noſtra ſententia eſt, quandocunque pars affecta ſupra regionem cordis, ſecare convenit venam ſuperiorem: Sin vero locus affectus infra cor ſit, aperiatur vena inferior.

V. Iniectiones ad *vlcera reſiccanda* fieri debent ex reſiccantibus cum pauca adſtrictione: nam nimium adſtringentia vrinam retinent, quæ retenta multum torquet: Vrina ſi quidem acris & mordax, cum per anguſtum meatum deſcendit majorem excitat dolorem quam ſi per partem laxam demittatur: Hanc itaque vnam arbitror ex cauſis cur veſica exulcerata dolorem non ſentiat, mentula vero etiam ſine vlcere acerrimum dolorem ſentiat ex pure vel pituita reddita vna cum ipſa vrina. *Rendeletius pag.* 909.

VI. Huic affectui convenit injectio decoctionis radic. conſolidæ mai. quoniam conſolidat & mucilaginem quandam habet neceſſariam ut medicamentum parti adhæreat & partis aſperitatem leniat; addita cauda eq. fol. plantag. ceterach. multum enim exſiccat: hypericum, quod maxime confert, maxime calculo & cicatrici vlceris veſicæ, quia & calculum comminuit & vlcus conſolidat; Ad idem valet litharg. tritum & diu decoctum, & per filtrum tranſmiſſum: Apponi etiam poſſunt quæcunque nervos conſolidare creduntur, pars enim magis nervoſa eſt quam carnoſa, ob id radix narciſſi propter mucilaginem conducit: Practici ſolent trochiſcos injicere, qui ſupra partem vlceratam adhærentes ſolent dolorem excitare: Quare ſatius erit talia medicamenta decoqui aut infundi, poſtea vero diligenter per filtrum tranſmitti, ne pars aliqua aſpera maneat: Aut trochiſcos illos in cote ut ſolent pictores comminuere, quos antiqui in ſuis collyriis faciendis imitati ſunt. *Rondeletius.*

VII. Mulier divexata à *ſordido ac acri veſicæ Vlcere*, non conferentibus terebinthin. cypria, ligno nephrit. chalybe, aliiſque ſiccantibus & detergentibus, confugit ad fontem Spadanum, cujus continuo uſu debellavit deploratum illud vlcus: *Nicolaus Tulpius lib.* 2. *Obſervat. ult.*

VIII. Quoniam ubi *exulcerata eſt veſica*, non tantum educi debet pus, in dies ex allabente ſanguine ortum, verum ejuſdem Puris productio nova impediri, medicamentis convenientibus & alia ſunt addenda quæ hoc etiam præſtent: Quoniam vero immittenda in veſicam vrinariam medicamenta fluida requiruntur & liquida, *Injectionum* illa nomine veniunt, ſolentque per ſyringam in ipſam infundi, & ex talibus parari quæ ſatisfaciant indicationibus ſingulis, Parantur in hunc finem Decocta ex plantis aromaticis, in aqua, aut vino, aut hydromelite decoctis, Quibus pro indicatione diverſa tunc adduntur alia, inter quæ omnibus forſan merito præfero *ſulphuris balſamum*, non quidem cum expreſſis oleis paratum, cum ſit tunc minus efficax, ſed cum oleis ſtillatitiis terebinthinæ, tum vulgaris, tum imprimis Venetæ, alteriuſve excellentioris, aniſi, ſuccini, juniperi, aliiſque confecti, cum ſit tunc majoris efficaciæ, ac longe plus præſtet in affectibus quibuſvis curandis: Inſervit namque hic *Sulphuris balſamus*, & vlceribus mundandis, & puri abſtergendo, & cicatrici promovendæ, quæ omnia deſiderantur in vlcerum curatione: Poteſt quoque illis Injectionibus addi Balſamus Peruvianus, & Oleum de Copaiva, ſed non accedunt ad Balſami ſulphuris efficaciam utilitatemque multiplicem. *Sylvius meth. Med. lib.* 1. *cap.* 6.

IX. An ſpes curationis Vlceris in Renibus valde dubito, Ego ſaltem non memini vnquam à me vel aliis curatum: Poteſt tamen aliquid uſurpari quod leniat malum, impediatque ne graviſſimum reddatur, In quem finem nil hactenus præſtantibus reperi balſamo ſulphuris, tum aniſato, tum ſuccinato, juniperino, terebinthinato; A quibus, licet viribus non parum fractis ad Renes pervenientibus mundatur vlcus; quin puris proventus minuitur, hinc vlceris augmentum minuitur: Idem de *Pure in veſica* dicendum, quo in caſu *balſamus ſulphuris ſuccinatus* mira præſtitit: magiſque hic ſpei, cum præſertim per urethram poſſit aliquid quoque in ipſam immediate infundi veſicam. *Idem lib.* 2. *cap.* 24.

VIGILIÆ P. N.

SYLLOGE.

Curandi methodus. 5.
Narcoticorum uſus non uſque adeo periculoſus. 1.
Hypnotica exterius admota parum efficacia. 2.
Capitis irrigatio quando tuta. 4.
In intemperie ventriculi hypnotica non danda. 3.
Senum vigiliis quomodo ſuccurrendum. 6.
Somnus diverſis præſidiis accerſendus. 7.
Vigilia coacta eum accerſunt. 8.
Herba Thée *vigiliarum nocumenta tollit.* 9.
Vigili ob animi laborem ſomnus Balneo *conciliatus.* 10.
Vigiliis ob doloris vehementiam urgentibus cibus non exhibendus. 11.
Quæ cibi exhibitione deſinant, quæ non. 12.

I. NOnam quam quidam in Opiatis accuſant, non admodum veremur, cum hactenus ita correctum habeamus Opium vt nihil tale nobis ſuccedat; quod eò vſque malè moratis etiam innotuit, vt ante paucos annos latrones in Italia inventi & capituli pœnâ affecti, qui potiones Opiatas, inſtar vini malvatici dulcoratas, ſæpius exhibuerunt iter facientibus, quibus in ſomnum poſtea procumbentibus, bona ſua poſtmodum abſtulerant, expergefactis a ſomno nihil quicquam de ſanitate, ſed tantum de marſupio læſo conquerentibus: *Gregorius Horſtius lib.10.Obſ.3.* Vide *tit. de Narcoticis.*

II. Qui Opium reformidant, ſatis eſſe putant ſi ad ſomnum conciliandum externis vtantur remediis capiti & naribus admotis, vt frontalibus & vnguentis: At ejuſmodi externa non ſemper optatum effectum conſequuntur, quia vtrea vix tranſmittunt ad cerebrum fronti admota: Primo, Quia ſæpius, vt oportet, non renovantur, vnde in fronte incaleſcunt, ſic poſtea caput magis calefaciunt, & ſomnos potius prohibent quàm alliciunt: quare monet *Galenum*, vt talia ſæpe renoventur, ne ſemel calefacta corpus recalefaciant: Secundo, Quia os frontis ſolidum eſt, denſum, & a cerebro ipſiuſque ventriculis longius ſemotum quam reliqua capitis oſſa, vnde difficilius Topicorum vires per ejuſmodi os ad cerebrum permeant: vnde *Galenus* rectius Topica, non oſſi frontis, ſed ſuturæ coronali, quæ capillo tegitur, applicare iubet, ſive refrigerandum ſit, ſive calefaciendum, quia oſſa ſincipitis rariora ſunt, laxiorque illorum compages. *Primiroſius Error. Popul l.4.c.45.* Diminute agunt qui pro ſomno conciliando inungunt tempora ung. popul. & oleo violato; hæc enim ſunt perexiguæ virtutis, & via pueros reddunt ad ſomnum proclives: Quin accidit vt ægri ob fœdos vngu. odores vigilem & inſomnem ducant totam noctem: Præſtantiora ſunt pedum lotiones à cœnâ; quia revellunt vapores vigilias excitantes: Et ſyrup. de papavere, ejus extractum, & pulvis capitum papaveris, quippe ℥j. pondere miſtus ferculis, nullum reddit ſaporem, & miras habet virtutes in conciliando ſomno. *Sanctorius meth.l.13.c.2.*

III. Quoties Vigiliæ ſunt ſuperfluæ cum intemperie frigida ventriculi, vel per conſenſum cum ejuſdem cruditate, nunquam ſumenda refrigerantia per os, ſed foris tantum applicanda, donec curata fuerit intemperies, vel cruditas, ne lædatur ventriculus. *Rondeletius.*

IV. Quanquam à balneo, fotibus &c. abſtinendum ab accepto cibo; cum tamen caput irrigamus ſomni conciliandi gratia, tunc à cœnâ vix devoratâ lavamus, nimirum vt id ipſum fiat quod in aliis ægrotis timemus, repleatur ſcil. caput. *Valleſius lib. de Vict. Acut. p.140.*

V. Sicut *Vigiliæ* naturalis cauſa in his duobus, ſcilicet in altero, aut ſimul vtriſque conſiſtit, Primo, Quod ſpiritus animales ſatis refecti, & liquoris nervei compedibus ſoluti ſe vegete exerunt, ac quaquaverſus, ac imprimis è cerebri meditullio in peripheriam ejus expanduntur; Secundo, Illi quamvis vbique, ac præſertim in cerebri ambitu exteriori, tunc à ſucci nervei incurſibus libero, ſpatia aperta obtineant; ne tamen hæc ſpirituum expanſio, (quæ Vigilia eſt) vſpiam ad nimias illorum jacturas diutius quam par eſt protrahatur, & ſpiritus ſubinde defeſſi flacceſcunt, ac velut ſponte decumbunt, ac vna liquor nerveus in cerebri corticem ſuffuſus, eorum meatus infercit ac occludit. Hinc ſequitur Vigilias præter naturam ſive immodicas, à duobus hiſce, nempe altero, aut ſimul vtroque pendere, aut enim illi omnis efferi, ac velut œſtro perciti, haud ſponte ſuccumbunt: aut liquor nerveus cerebri exterioris poros non ita implet & obturat, proinde vt ſpiritus illinc introrſum ad requiem cogantur: In hunc finem quæ Spiritus demulcent, eorumque inordinationem blande leniunt, vti anodyna vulgò dicta, ſcilicet aquæ diſtillatæ, decocta, ſyrupi & conſervæ è flor. nymph. paralyſ. malvæ, violar. iaceæ. ſol. lactucæ, portulacæ, ſalicis, nec non emulſiones aut expreſſiones ſucculentæ conveniunt: Quod ſi ſpiritus irrequieti blanditiis compeſci nolunt, in ſedationem vinculis, & verberibus quaſi inflictis, eos cogere oportet, eorum copiæ diminui, ſimulque ſpatia in quibus liberi & ſine tumultu expandantur, dilatari, & ab aliorum humorum, ſcilicet ſanguinis ac ſeri infarctibus expediri debent: in quos fines venæ ſectio interdum convenit, veſicatoria fere ſemper locum habent: inſuper diacodium & laudanum, ſi bene conveniunt, crebro aſſumantur, atque interea, dum Opiatæ inducias à morbi violentia præbent, hujus cauſa ſedulo aliorum remediorum vſu, quantum fieri poteſt, eradicetur: quapropter quæ ſanguinis & ſucci nervei acorem tollunt, eoſque dulcedini reſtituunt, de die in diem boris Medicis exhibeantur: in quo ſenſu pulveres teſtacei, apozemata & aquæ deſtillatæ, alterantes ea antiſcorbuticis temperatis, chalybis præparata mitiora, ſpiritus c. c. fuliginis, & præ cæteris fere omnibus tinctura antimonij habentur.

Altera *Pervigilii* ſpecies, cujus cauſa aliqua ex parte, ſi non maxima, conſiſtit in pororum, ſive meatuum in cerebri cortice fere continua apertione, ſive nimia dehiſcentia; præterquam enim quod ſpiritus animales acres, & nonnihil efferi, ſponte ſua ſuccumbere & quieti indulgere recuſant, inſuper iis nulla repagula, aut juga è liquore nerveo cerebri poros ſubeunte imponuntur, quin liberi, omnique ſarcina immunes, illi etiam intra cerebri exteriora ſpatia vbique vacua expanduntur; quare ob hanc cauſam *Pervigiles* nullum torporem, aut ſincipitis gravitatem, nullum ſomni appulſum aut deſiderium ſentiunt: Novi quoſdam ad hunc modum affectos, qui cum plures noctes continuas prorſus inſomnes degiſſent, vſque tamen alacres & impigri, ſtomacho valentes, & ad negotia expediti ſomno nondum caruiſſe videbantur: Hujus cauſa procul dubio eſt ſanguis retorridus & atrabilarius, qui cerebro exteriori ſuccum nerveum, non miteio & benignum, ſed aſſatum nimis, & particulis aduſtis refertum ſuppeditat, qui proinde nec intra cerebri poros diutius manere, nec ſpiritus animales blande complecti & continere aptus ſit: porro ipſi ſpiritus ex eo procreati, ex natura ſua nimis elaſtici & irrequieti evadunt, propterea vt nec facile ſedentur, nec in ſoporem ſua ſponte proclives exiſtant; cæterum fixiores illi haud prompte avolant, nec cito defatigari flacceſcunt, quin longo tempore ſine magna refectione perdurant ac vegeti perſiſtunt. Pro ſymptomate illo, quoties valde vigebit tollendo, annotamus Opiata minus prodeſſe, nam dozi ſatis larga exhibita raro ſomnum inducunt, atqui affectos magis languidos & imbecilles reddunt: Sæpe melius ſuccedit ſi cubitum ituri, potum quendam mollem & benignum, vti imprimis Ilam noſtram, claram

& mitem, vel lac cervisiatum cum flor. paralyſeos incoctis, aut emulſionem ex ſeminibus melonum & amygdalis in quantitate magna, nempe ad ℔ ij. vel iij. ſumant. *Willis.*

VI. Quum *Somnus* accedat ex venarum cerebri à frigidis & humidis cibi, potus aut pharmaci vaporibus repletione, circa mirabilem arteriarum pleaum, panniculos cerebri aut temporum venas facta; ac præcipue ex ſpirituum circa cor & ſenſuum organa infrigidatione oriatur, tum omnes ſenſus torpent, ſola vero mens nulli obſtricta organo, ex ſomniis quæ fingit futurorum præſagia ſatagit: Vnde Medici rebus frigidis & humidis, lactuca, papavere, tepido dulcis aquæ lavacro, pedum capitiſque fomentationa ſomnum conciliant: hinc cum totum ſenile corpus humidis ſuperfluitatibus abundet, totumque caput, ſomni domicilium, & pulmonem præcipue pituita abundare, lippoſi ſenum oculi, ſtillans è naribus coryza, tuſſis, effluens ex ore ſaliva teſtentur, ſenes ideo juvenibus natura calidioribus eſſe ſomnolentiores contendunt: Nam calorem, & quæ calorifica ſunt, vigilias parere affirmant, quale eſt merum, quo cum Grammatici oeconomus ſeſe ingurgitaſſet, reliquum vitæ tempus inſomnis tranſegit, Atqui hi toto errant cœlo, Primum, quod ſenilis corporis conſtitutio, in qua vterque calor humidum radicale depavit, non eſt naturaliter humida, ſed ſicca, id quod atrophia corporis, rugæ, macies, nervorum quoque durities indicat: Deinde quod ſenum ſanguis & cerebrum non dulci phlegmate, ſed ſalſis humoribus ſcateat, quod ſcabies ſicca, alopecia, vitiligo, ac cutis prurigo, peculiares ſenum morbi atteſtantur: ſalſi nempe & ſeroſi humores in ſenibus non tantum ob cutis denſitatem coacervantur, ſed etiam ob diuturnam humorum concoctionem, quæ teſte *Galeno*, non ſanguinis ſerum modo, ſed jura quoque carnium & leguminum, quanto diutius coquuntur, tanto ſalſiora reddit: accedit ad hoc quod virtus nutritiva benigniores humores in corporis alimoniam inſumit, fæculentiores vero & terreſtres ab his ſequeſtrat, qui tandem ex caloris aduſtione ſalem recipiunt: Ex his liquet ſalſos humores, ex terreno humore à Solis æſtu & noſtri caloris diuturna coctione genitos, eſſe ſiccos & calorificos, ac ſomni naturalis impedimenta: Quum vero his ſenum corpus: ac præcipue caput refertum ſit, ſenes eſſe adoleſcentibus ſomnolentiores nullus rei Medicæ conſultus affirmabit, ſed illud fateri coget ut phlegma ſalſum in ſenibus velut acetum ſua acredine ſomnum turbare, Ac ne id accidat, vino aquæ momento diluto, ac lactucæ ea acetariis vſu, & dulcis aquæ temperato lavacro mederi poteris: *Iohann. Langius libro primo Epiſt.* 26. Vigiliis ſenum mederi, maxime eorum qui in ſummis curis verſantur, & quos jam diu hoc malum vexat, difficile eſt: Lutiones, inunctiones, præſertim frigidas, nihil prodeſſe certiſſimum eſt, imo frigida plurimum lædere conſtat: Calidis atque odoratis vapores contemperandi: itaque hora decubitus vna atque altera pilula parva ex ſpeciebus diambræ atque moſchi cum ſuccino confecta devoranda eſt. *Iohann. Crato Conſil.* 118.

VII. Somnus *Ariſtoteli* eſt vinculum primi ſenſorij: vinciri illud ſine vapore nequit: Si itaque, vt in omnibus febrientibus, vapores cerebrum petituri nimis caleant, frigidis ſumptis admotiſque ad temperiem revocati, ſomnum inducent lenem: Sin autem, vt in ſenibus, vapores algidi & lenti, & pauci, & ſopori gravi quam ſomno aptiores, caput petant, vino dulci, vel aqua vitæ non reſtiſcara, alas ei vireſque miniſtrabis: ſic brevi gratiſſimum Deorum, placidiſſimumque vigili adduces: Si adhuc credis ſolis frigidis homines ſopiri, ſi mihi medicinam feciſſes, bis me jugulaſſes: Bis quinque dierum catarrho, & materia & efficiente frigido laboravi: in vtroque pervigilium tam pertinax, vt illo decendio quindecim horas non dormiverim, multi alioquin in ſenio ſomni: Sumpſi quotidie bis in prima menſâ, piperis albi leviter tuſa grana duodecim: interdiu conditum ex cortice nucis moſchatæ, z. z. Chinenſi, rad. acori veri, enulæ theriaca, mithrid. ambr. griſ. conſerv. beton. anthos &c. atque vtraque vice nocte ſexta totas decem dormivi horas, omnique catarrho liberatus ſum: bibens interim optimum hydromel, omiſſo omni vino, quo quamdiu vtor catarrho nunquam defungor. Si frigidis remediis, qui calidis tam citò convalui, vſus fuiſſem, cum ſtomacho & cerebro algerem ſexagenarius, quid mihi futurum fuiſſe putas? Vides æque calidis ac frigidis ſomnum provocari, dum adſit conveniens vapor &c. *Henricus ab Heere Spadacr. Obſervation.* 5. Detur vinum meraciſſimum, vel hippocraticum his qui vigilant ob mœrores & curam. *Rondeletius.* vide *I. Cratonem Conſil.* 118. *&* §. 6.

VIII. *Hippocrat. 6. Epidem. ſect. 6.* dat præceptionem curatoriam & rationem occurrendi, Pervigilio, *Erectorum nictatio*, ait, *Somnum affert profundum.* Scilicet cum quis capere non poteſt ſomnum, coactus vigilare, & ſtando nictare, antequam ei permittatur decumbere, ſolet in ſedentarium, & profundum ſomnum incidere: velut cum quis conqueretur ſe nunquam cum appetentia accedere ad cibos, conſultum erit cogere vt iejunet quovſque appetat nam privatio parit appetitum. *Valeſius comm. in cit. loc.*

IX. Indiæ Orientali nihil familiarius eſt potione decocta ex herba *Thée*, Chinenſibus dicta: Somnum maxime tam evidenter compeſcit, vt ſorbitionem ejus decocti aſſumentes, videas interdum integras noctes lucubrando conſumere, ac ſine vlla moleſtia evincere: ineapugnabilem cæteroquin dormiendi neceſſitatem: calefacit enim modicè, & adſtringendo ventriculi oſculum, refrænat coercetque vſque adeo vaporum ad ſomnum conciliandum neceſſariorum aſcenſum, vt nihil impedimenti afferatur illis qui ſcribendo aut meditando ſatagunt noctes tranſigere. *Nicolaus Tulpius libro quarto Obſervat.* 59.

X. Anglus dicturus coram Rege & regni Primoribus, paucis ante diebus immoderato ſtudio, vigilanti cura cerebrum adeo exſiccavit vt in *Vigilias* incideret, cumque nec diacodio, nec ſyrupo de papavere, nec alijs id genus ſomnum ſibi conciliare poſſet, tertiuſque dies inſtaret, quo ſibi ſano capite opus erat, cumque ob imbecillitatem quam Vigiliæ induxerant parum ſibi crederet, mea opera vſus eſt; hominem inveni præter modum calfactum, cumque arteriam tangerem, conjeci parum abeſſe hominem à febrili diſpoſitione, in eamque lapſurum, niſi præſentaneo remedio ad propriam revocaretur temperiem: Ideo ſole jam occumbente hominem in capaciſſimo labio aquæ tepidæ ſedere juſſi, ibique hora vna immorari permiſi: Exiens lectum petijt, ibi cum parum quieſceret, Lac amygdal.

præ-

præbui, medioeri craſſitie, ex aqua hordei confectum, cui ſemicocto manipulum unum coriandri viridis additum volui, cum modico croco & ſaccharo, Inde totam ſolidam dormivit noctem. *Brudus de Vict. Febr l. 3. c. 27.*

♣ I. Qui vero *Vigilias* ob doloris vehementiam patiuntur, cibis ſomnum inducere ne ſperes, ſed confeſtim relicta Diæta ad medicamenta & Chirurgiam te confer, ab illis quæ hominem à dolore levent auxilium petas, ſciens in hora doloris cibum quemcumque culpa non vacare, præcipue qui faciſe acceſſit, aut in fumum abeat utraque enim cauſa dolorem auget. *Idem.* Vide *lib.* 19. *titul. de Diæta.* §. 57.

X I I. *Vigilia* interdum ex penuria vaporoſi halitus cerebrum humectantis evenit, Et ſi quando ex defectu alimenti in ventriculo accidat, ut plurimum inclinante morbo fit, ijs præcipue qui bona valetudine multum ingerere ſunt ſoliti: In morborum incrementis aut vigore raro ob hanc ſolam cauſam Vigiliæ accidunt; difficileque tunc id percipere, ut morbi vigiliarum magis perſpicua cauſa illam obſcurante: Cum ergo hanc eſſe vigiliarum occaſionem intellexeris, cibum dato qui facilis ſit coctionis, & ſubſtantiæ quæ faciles ex ſe emittat halitus, Ut piſcea petroſi, qui in hora vigeant, cocti cum anetho, petroſelino, ſale & aceto, oleo aut butyro recenti, & ſucco uvæ acerbæ, aut berberis: Hunc cibum miniſtravi Nobili, qui cum inclinante jam morbo vigilias pateretur, multaque in huius gratiam apparata nihil proficerent quicquam, rogavi hominem an vellet fluviatiles ad cœnam piſciculos: Eo annuente, inductoque coquo modum apparandi impoſui, permiſique ut eiſdem ad libitum veſceretur: Ab iis in craſtinum rediens, percepi hominem nocte dulces cepiſſe ſomnos: Ad hujus cognitionem me potiſſimum induxerant hominis habitus & ejus aſſuetudo: His acceſſit, quod inclinante jam morbo nulla videbatur ad vigilias inducendas occaſio: Quare diligenter oportet Medicum contemplari actiones ſingularum corporis partium, quando imminuuntur aut deficiunt, ratione indigentiæ nutrimenti, & quando acuminis morbi: Cumque primum contingit, cibus illico dandus eſt: Si ſecundum maxime prohibendus: Qua in re ſæpe labuntur Medici, non diſcernentes alterutram actionis noxæ cauſam: Quod antiquis Medicis objecit *Hippocrates* lib. 2. de Vict. Acut. *Neque ſane horum ita peritos video Medicos, qui ut oportet ita dignoſcant eas quæ in morbis contingunt virium infirmitates, quæ ob κενεαγγείην. & quæ ob aliam quampiam irritationem, & quæ ob laborem, & quæ ob morbi acumen fiant.* Idem.

V L C E R A.

S Y L L O G E.

Thermæ *non ſemper* inveteratis *congrua.* 1.
Lapis medicamentoſus Crollii *non ſemper tutus.* 2.
Aqua aluminoſa noxia in Cancrois. 3.
Non curantur quamdiu ſanguis eſt impurus. 3. a.
Inſida quorundam eſt ſanatio. 4.
Difficulter ſanabilium [illegible] *ratio.* 5
Dyſepulota *ope ignis curanda.* 6.
Sponte orta, aliorum affectuum medela, ne curentur. 6.
Ad curationem bilioſum ſulphur compeſcendum. 16.
Curatio pendet a correctione puris acidi &c. 17. a.
Quale acidum [illegible] 17.
Difficilis quorundam conſolidatio ob tenuitatem cutis adjacentis. 11.
Vermibus *aliquando ſcatent.* 9.
Si Glandulæ *male affectæ ægre curantur.* 36.
In Glandulis *cur difficilia* 37.
Depaſcentium *curatio.* 31.
Cancroli *curatio.* 18.
Inveteratorum *curatio per exciſionem venarum erarum.* 20.
Putreſcentium *curatio per præciſionem.* 22.
Occulta, *vel externe ſe non prodentia, exciſione curanda.* 23.
In chronicis *multum valent fonticuli.* 24.
Difficulter ſanabilium *ora reſcindenda.* 25. 33. *b.*
Labia dura *& calloſa quomodo curanda.* 33. *b.*
Sicca intemperies *aliquando curationi impedimento eſt.* 26. b.
Ulcus *ſæpe* redivivum *oſſis corrupti ſuſpicionem dat.* 9. b.
Ulcus cum oſſis carie inſigni Chirurgia tantum emendatur. 9. c.
Uſtione ſola aliquando curabilia. 9. d.
Ulceris cacoëthici cum varicibus curatio. 4. c. 40.
Oſſium caries curationi ſæpe impedimento eſt. 13.
Sarcotica qualia eſſe debeat. 20. a.
Aqua quodnam perfundendam. 26. a.
Ptyaliſmus inductus a pulveris præcipitati inſperſione. 46.
Inunctione Mercuriali ſanatum ulcus. 30.
Boli armenæ uſus in unguentis. 40. a.
A liene obſtructo excitatum, fonticuli in femore beneficio curatur. 29.
Efficacia ceruſſæ antimonialis ad curationem pertinacium internorum & externorum. 9. c.
Unguentorum &c. *conſiſtentia non ſemper ſit eadem.* 25. b.
Vomitus *quando conducit.* 23. a.
A valenter abſtergentibus *ſordidiora efficiuntur.* 47.
Frequentius non ſunt detergenda. 48.
In ulcere cum humorum affluxu, *ne humidior ſit medicamentorum conſiſtentia.* 4. a.
Medicamenta aliquando varianda. 4. b.
Ejuſmodi ulceribus conducit lamina plumbea. 4. c.
Sinuoſa *aliquando fiunt ob laxiorem ligaturam.* 4. d.
Sinus *bifidi curatio.* 27.
Sordidi, cavi, *tabem coxariam inducentis curatio.* 26.
Manus *radicem occupantis curatio per venæ vicinæ præciſionem.* 21.
Oris ulcera *venereæ hydrargyroſi quandoque curanda.* 38.
Maxillæ *ulcus interno remedio curatum.* 35.
Dente erato. 15.
Mentum *occupans dentis evulſione ſanatum.* 14.
Tibiarum *ulcera cum oſſis carie quomodo tractanda.* 34.
Tibiæ *diuturnum acidulis curatum.* 33.
Pedum ulceroſorum *curatio.* 32.

Ne præceps ſit cura. 7.
Vlcus in pedis digito *inveteratum reſecto ungue curatum.* 12.
Rigiditas articulorum poſt ichorem & meliceriam incurabilis. 39.
Tenui victu *uti debent ulcerati.* 41.
Quomodo deprehendendi qui in diæta deliquerunt. 38 *b.*
An multus cibus, ſed non humidus præbendus.
Vinum *an concedendum.* 43.
Cato & uva *an conveniant.* 44.
Juſcula refrigerantia incongrua ſunt. 45.

I. AD curationem vlcerum *Balnea* non infrequentia ſunt, ſed quæ ſiccantiora ſont & momentanea, nam ex his abſterguntur, & expurgantur, & foventur, & deniq; impedimenta omnia & infixa deponunt, quatenus ad agglutinandum ſunt habilia: Omnino autem utimur his (id quod ad noſtrum inſtitutum attinet) pro vacuantibus indefinitè, ſive ab univerſo corpore, ſive à parte: Neque ſine fructu, non tantum quia revellunt diſtrahuntque humores ad univerſum corpus, ſed, quod peculiare horum eſt, excellenti quodam modo naturam hominis adjuuant, vt non iniuria Dei manus magis quam cætera medicamenta mereantur, Non tamen indiſcriminatim ad omnia ulcera valent, nam mihi compertum eſt niſi medicamentis ſint expurgata à tenaci ſorde, & niſi calli oratum alti reſciſſi ſint, aut hyperſarcoſes complanatæ, niſi ſinus diſſecti, & exanguis circumtegeos caro exſecta, vitiumque omne derectum, atque æqoale ex foraminoſo & herpetico factum fuerit, nunquam Vlcus ex iis aut coalitum recepiſſe, aut profectum conſueto maiorem: Sunt & qui quodcunque oſſis vitium his tollendum confidunt, imo cariem, neque diſtinguunt an caries ampla ſit, an aſperitas, nam ſi aſperitas adeſt ſupremæ oſſium faciei, quid conferent molles aquæ ad vitium duris tantum actiſque ſcalprit removendum? Neque per hæc auxilia cariosa & ampla oſſium ſegmenta, à cuniculis foras exitura ſunt, ſi anguſta ſint orificia: hæc igitur ampliandi cur non eſt cura? At perpendere oportet, quanta ſit aquæ Balnei virtus, quave ratione, & ad quem vſque terminum agat: nempe, cum poteſtate agat, non actu, expectanda ex ea non ſunt quæ maous ſolius ſunt, quæ valet actu. *Severinus Chirurg. Trim. lib.* 1. *cap.* 10.

Cum plerumque *Thermæ* ex ſulphure, alumine, vitriolo, ferro, cupro aliiſque metallis, quæ inſigniter mundificant & exſiccant conſtent, & proinde in vlceribus, ſcabie &c. cum ſucceſſu fuerint adhibitæ, tandem in abuſum quoque venerunt, ita vt extremum refugium in deſperatis eſſe ſoleant: Sed inde plerumque evenit ut cum, nulla ægri & morbi habitâ ratione, eò ablegentur laborantes interitus acceleretur; Vidi id aliquoties, præſertim in Matrona ſeptuagenaria, laborante à multis annis vlcere doloroſo & contumaciſſimo, cum oſſis carie, circa juncturam pedis ſiniſtri, quare thermas Neuhauſenſes, prope Bernam, inviſit, idque cum fructu; dolor enim ſedatus & ulcus cicatrice obductum eſt: Non diu tamen poſt recruduit malum, & vlcus de novo ruptum fuit: anno ſequenti iiſdem uſa, ſed indè febre periculoſa correpta, quare admonui vt in poſterum à balneis abſtineret, ſed fruſtra, Thermas enim Blumenſteinſes iterum adiit, quas vix ingreſſa vires adeo proſtratæ ut vix evaſerit, Quæris cauſam? Materia putrida, muſculoſis partibus circa ulcus, vel etiam ipſi oſſi imbuta, ex calore thermarum incaleſcit, acris fit, malignitatem acquirit, & ulcus amplius doloroſum reddit: quare humores continuò ex toto ad partem affectam confluunt, & cum reliquis humoribus prædictis, partibus muſculoſis incluſis, corrumpuntur: Porrò materia illa, vi ac calore thermarum, in vaſis incaleſcit, in vapores ſolvitur, qui ad hepar, cor & cerebrum repunt, unde ſpirituum omnium infectio, graviaque ſymptomata accidunt. *Fabritius Hildanus Centur.* 5. *Obſervat.* 90.

II. Cave nè omnia quæ *Crollius* de ſuo *Lapide medicamentoſo* prodidit oracula eſſe credas; Nonnunquam enim Thraſicus Icari pennis multa ſcribit & ad aſtra extollit, quæ cum Solem (Experientiam) attingunt, liqueſcunt & in nihilum abeunt: Si ingredientia hujus lapidis examines, calidum & ſiccum, cum inſigni acrimonia, eſſe reperies: nec video quomodo vires innumerabiles, quas adſcribit *Crollius*, poſſideat, ac ſine damno, in tot affectibus applicari poſſit: Scribit is ulcera omnia, in partibus exterioribus, ſubitò tollere, Sed cave ne periculum facias in vlceribus nervoſarum partium, dolore itero & inflammatione obſeſſis, præcipuè in corporibus delicatulis, bilioſis & cacochymicis: dolorem enim, inflammationem, vigilias, inquietudines, aliaque protinus inducit. Id olim in adoleſcente vidi, quem aliquoties, poſt huius applicationem, à vehementia doloris in leipothymiam incidiſſe memini. Cave præterea ne in Cancro, aut cancroſis vlceribus, cujuſcunque partis, applices, videbis enim protinus malum ingraveſcere. *Idem Obſ.* 91.

III. *Aqua* quoque *Aluminoſa in vlceribus cancroſis* ſuſpecta: laborabat D. N. ulcere ad radicem linguæ, naturam cancri reſipiente; Hoc ex vſu & admotione dictæ aquæ, à Medico præſcriptæ, exaſperatum fuit: quare ſuaſi ut os ſæpiſſime aqua ranarum aquatilium, gammarorum, plantaginis & roſarum cum melle roſac. ablueretur, & pulvis ranarum & gammarorum combuſtorum vlceri inſpergeretur: hinc magna cum celeritate malignitas vlceris remiſit, cunctis mirantibus. *Idem ibidem.*

III. 4. Vlcera cum cacochymiam atque humorum vitia agnoſcant ſui cauſas, *purgationis* etiam auxilium deſiderant; hinc ejuſdem hac in re neceſſitatem inſpiciens atque æſtimans *Hippocrates*, illius *lib. de Vlcer.* meminit, quod non conſuevit in aliis huiuſmodi facere: Purgationem autem duplicem facimus, Vlceribus & aliis externis vitiis coarctatam à nobis, alteram Catholicam, ex vniverſo corpore trahentem, confertim ducentem & rarorem; aliam huic contrariam, i. e. quæ neque humores omnes, neque à partibus omnibus abſolute atque vniverſe ducit, per epicraſin dictam: Vtraque diſtincte ſemper & magna cum advertione rerum vtenda; Prioris quidem ſimplicior eſt ratio, quia frequentior vſus, Poſterioris multiplicior eſt inventio, ac diſpoſitio, quandoquidem ad numero plures & compoſitiores eſſe ſolet affectus: hæc ſimplex vulgo eſt, phlegmagoga, cholagoga, melanagoga: Verum tamen nos aliam, tum abſolute, tum inſtituto noſtro maxime neceſſariam proponimus, quæ eſt *expurgandi ſanguinis* propria, per repetitum ejuſdem vſum; Hæc non tantum omiſſa, ſed neque etiam nomine tenus cognita videtur fuiſſe: Sanguinis quatuor ſunt ὑποςάσεις, eſſentiæ diverſæ, ſicut exemplo

muſti viniqoe declarat *Galenus* 2. *de Nat. Facult.* & 4. *de Uſu Part.* ſcil. bilis, pituita, melancholia, Sanguis vero, cunctorum opinione, humor eſt legitimus, quarta maſſæ ſubſtantia, puriſſima nutrientium humorum pars: Iam vero ſingulorum, diſcretim acceptorum, ſui ſunt peculiares *Ichores*, i. e. ſuperfluitates humidæ dependentes, Quorum primus meminit *Hippocr.* 4. de v. Acut. Qui porro Ichores atque humores corrumpi putreſcereve præter naturæ legem poſſunt, tum ſinguli, & vni, tum plura ipſorum genera, tum vniverſa: quorum quidem omnium numeroſa eſt conjugatio: Sanguis igitur aut vitium fecit totus cum humoribus Ichoribuſque omnibus, (hujus in venerea lue confirmata, atque in elephantiaſi eſt exemplum) eſt cum iſtorum aliquot, vt in cacochymiis minoribus: Aut inqoinatus eſt ipſe ſanguis ſecundum ſe ipſum, quantum fieri poteſt abſolute, ut in variolis & morbillis: Hos omnes putridi ſanguinis modos etſi debeamus omnes pharmacis inſtaurare caſtigareque, nihilominus is potiſſimum in procurationem noſtram nunc venit, qui non omnigenam & conſummatam ſubiit corruptelam; Hujus enim reſtituendæ (ſi modo reſtitui poſſit) peculiaris requiritur ſermo: Sanguis porro abſcedit à ſua natura bifariam, vel maxima ſui parte, vel pauca, Receſſua autem quo major fuerit, eo etiam lnterior requiritur induſtria, medicamentaque valentiora; Et putredinis quidem modus nulla melius via poterit dignoſci quam extracti de venis obſervatione ſanguinis: Vel, ſi id noo licet, ex coloris mutati fœditate, præſertim oculorum labiorumque, gingivarum, dentium, capillorom, vnguium, item ex roboria modo, præſertim ad nutricatum & eturiem collato, ex excrementis atque horum conditione pejore minoreve; ex cæteris affectibus apparentibus in corpore: Hæc vbi indagaveris, tum demum ad concinnanda ſingulis pharmaca propria deſcendes; quæ varie ſanguinem depurgabunt, abſtergendo, deobſtruendo, ventilando, lotium, ſudorem, alvum, provocando, ſecernendo, attenuando ſecundum proprias, ſecundas, tertias qualitates commoderando, atque in priſtinum ſtatum revocando: Sed inter omnia primas tenent ea quæ à proprietate id perficiunt, de quibus legendus *Heurnius meth. ad prax. lib.* 2. *cap.* 16. 17. 18. 19. Inter *Purgantia* primum omnium eſt veratrum, ſive nigrum ſive album; quod propterea tantopere vſitatum *Hippocr.* quod ſingularem depurgandi ſanguinis in eo cognoſceret vim: Neque ab hoc medicamento tam nimium oportet abhorrere, neque timere primum, quod in quibus morbis id accipitur, hi terrifici ſunt magis, atque ab atra bile profecti: quare ſcribit *Galenus lib.* de atra bile, Quotquot ex melancholico humore ſunt affectus, ſtatim inter initia ſtrenue purgans melanagogis creſcere prohibebis: Quod ad tutam ejus præparationem ſpectat, vide *Salium* l. de Aff. part. cap. 19. & alios: Valent & Senna, Colocynthis, Turpethum, minora his ſunt caſſutha, filicis radix, fumaria, lupulus, eupatorium, cichorium, chamædrys, veronica, fraga, adjantum, aſparagus, apium, &c. quæ ſecundum *H. Montanum* ſanguinem per vrinæ ductus expurgant: Ex compoſitis prima eſt Theriaca, quæ ob Viperam, quam recipit, in cerocudis humoribus & ſanguine divina gaudet energia, Trochiſci & ſales è vipera; & infinita ex Hermetica officina: Quibus annumerá præparationes *Antimonii*, cujus, ſicut in ſecernendis metallis omnibus mira eſt vis, ſic ſimilis & in corruptis humoribus expurgandis obſervatur facultas, Quercetano teſte l. de ſpag. præp. cap. 10. Inter cæteras formas catharticas calcinamentum ejuſdem non vno loco Prax. commendat *Platerus*: Ad eruptiones vero ſalſorum humorum, tetras ſcabies, morboſque diuturnos & pertinaces, de quodam Empirico narrat, qui in decocti ſparſiparilis calcinatum ſtibium admiſcens, mira præſtabat. &c. *Severinus Chir. Trim. p. m.* 58. Vide §. 16. 17.

IV. *a* De forma medicamentorum in *vlcere cum humorum affluxu*, obſervandum ne ſint conſiſtentiâ humida, non oleoſa & pinguia, cum partes magis laxent & humectent: vt *Galenus* 1. *de Compoſ. ſec. gen. c.* 1. & 13. docet: *Sennertus.*

IV. *b* Non tamen in eodem ſemper genere medicamentorum perſiſtendum: ſæpe enim accidit vt quod ſemel atque iterum profuit, poſtea humore aliquomodo exſiccato amplius vtile non ſit, ſed mordificationem excitet, atque ideo tum medicamentum mutandum & mitius adhibendum: *Idem.*

IV. *c Guido tract.* 4. *cap.* 2. laminam plumbi tenuem perforatam talibus vlceribus imponit: In laminam enim plumbum redactum refrigerat, & in talibus vlceribus vtile eſt ſi commoda ligatura accedat, quæ humorem ex parte affecta exprimit, ejuſque in partem exulceratam influxum prohibet: *Idem.*

IV. *d* Obſervandum eſt *vlcera ſinuoſa fieri*, imo ſæpe vulneribus vlcera ſinuoſa ſuccedere, imprimis Chirurgorum negligentia, & quidem non raro in cruribus: Si enim in locis ejuſmodi vbi muſculi majores ſunt, vulnus oon ita deligetur vt per vulneris orificium pus expellatur, pondere ſuo ſecundum ductum muſculorum deſcendit & cuniculos agit, imprimis ſi diutius retentum acrius evadat: atque in tali ſinu, cum pus omne ligatura verſus ſuperius orificium vix pelli poſſit, neceſſarium eſt ſinum in parte inferiore aperire, quo facto, & puri exitu parato, talia vulnera poſtea facile ſanantur. *Idem.*

IV. *e* Quadragenarius laborabat *vlcere maligno & inveterato in tibia ſiniſtra, vna cum Varice* ingeotis magnitudinis, craſſitie enim brachium meum ad carpum æquabat, & ſpithamam fere erat longa: incipiebat autem in ipſo poplite, & pedem verſus deſcendendo gyrum & circumvolutiones duas efficiebat: Sed quod notandum, quamprimum tibiam in altum elevabat, protinus retrocedebat ſanguis, in terram vero poſita tibia iterum deſcendebat, & quidem in ipſo momento, & vt verbo dicam, ſanguis fluebat & refluebat non aliter ac ſi in tubulo quodam nunc in hanc nunc in illam partem projectus fuiſſet: Porro cum *vlcera varicoſa*, niſi prius abſciſſo varice, conſolidari queant, curationem ſic aggreſſus ſum, Inſtituta optima victus ratione, aliquoties item expurgato corpore, & vena brachii ejuſdem lateris inciſa, ægroque in ſcamno collocato, io ipſo poplite blande cutem ab ipſa vena ſeparavi: deinde filo reduplicato, mediante acu incurvata varicem amplectebar; in inferiore parte varicis eodem modo proceſſi: Sed antequam filum ſtringerem, nodumque facerem, tibiam ex ſcamno in terram collocandam juſſi, idque in eum finem vt ſanguis pro more deorſum flueret: Verebar enim ne ſanguis ille propter fluxum & refluxum ſubtilior factus, incommodum aliquod procrearet: Tandem filum ex ſuperiore parte

varicis primo arctè ſtrinxi, nodumque effeci: poſtea quoque ex inferiori parte: Quo facto varicem prope ſuperiorem nodum, vt ſanguis in varice, veluti in ſacco oblongo contentus, effluere poſſet, ſcalpello incidi: Cum vero copioſior quam pro varicis magnitudine decebat efflueret, & locum attente inſpicerem, fuit repertus ductus cœcus, qui ex inferiori parte ligaturæ varicem ingrediebatur; Ille cum filo ligari non poſſet, nonnihil vnguenti eſcharotici ad oſtium ipſius, poſtea pulverem noſtrum ad ſanguinem ſiſtendum, cum albumine ovi copioſe applicui, omniaque faſcia oxycrato madefacta ligavi, & in ſequentem diem vſque reliqui: demum vulnera aliorum vulnerum more curavi: Interim quoque circa vlcus nihil, quod neceſſe videbatur, prætermiſi, & corpus per intervalla expurgavi: Sic Divino favore convaluit, & hactenus bene habet. *Fabritius Hildanus cent. 4. Obſerv.* 85.

IV. *f* Chirurgi nonnunquam deſiſtunt intempeſtivè ab vlcerum curatione, ac quaſi ſana jam ſint relinquunt, eò quod ſupercreverit caro quædam, & oſſa contecta, ac repletæ cavitates ſint: Cùm tamen niſi ea caro ſit à fundamentis ſatis firma, ſtabilis & ſicca, ac quæ ſubſtant oſſa & membranæ ſint citra omnem læſionem, malignè occulta, atque vt dicunt, ſuperſanata potius quàm ſana ſint, neceſſe ſit poſtea malignius recrudeſcere, natura pellente id quod ſubeſt laxi, mollis atque putridi, aut alterata oſſicula: aut, (quod erit multò gravius, quum id non poteſt efficere natura, eò quod per inſcitiam obturatæ illi viæ ſint) ſupervenientibus graviſſimis febribus, ac convulſionibus & malignis aliis ſymptomatis, mori: Tunc multum mirantur Medici id accidiſſe, cum vlcera jam eſſent ferè ad cicatricem perducta, negantque ex iis id accidiſſe, ſed ex novo morbo qui aliam ob cauſam contigerit: Sæpe igitur Medicus peritus non minus proſpicit vt ante tempus non contegantur vlceris veluti fundamenta, quàm vt caro generetur: ac ſi fungoſa molliſque & facile liqueſcens caro pullulet, extirpanda diſſipandaque eſt: videndumque vt occulta, & quæ talibus carunculis conteguntur, ſtabilia prius ſint quam permittas quippiam ſupercreſcere. *Valleſius 7. Epid. in fine.*

V. *Vlcerum* difficulter *ſanabilium* oræ magis quam area procurandæ ſunt: à ſuperioribus enim & elatioribus ſemper advenit vitium, & inde etiam primum cicatrix cuit: quibus oris exaſperatis atque exſectis (ex præcepto *Hippocr. l. de loc.* Morbos antiquos primum recentes facere oportet) conſentaneum rationi eſt vt continuo lenteſcat vitium, effuſo cruore virulento quo vitium alebatur & vigeſcebat: Et reipſa etiam compertum eſt, lenteſcere quandoque non aliter quam humore ſubtracto exareſcunt plantæ: adeoque fatentur mihi quotidie medenti valetudinarii noſtrates vlceroſi, & dolore veteri ſe levatos & probe reſtitutos cognoſcere. *Severinus Medic. Eff. p. 2. c. 57.*

VI. *Dyſepulota* ſimpliciter vlcera (quæ à rheumate non foventur) ſi medicamentis omnibus tentata ni profecerint, ſunt igne vincenda. Inventum meum eſt per ſpiritum vini, qui ſubſtantiæ tenuitate & accenſili proprietate commodiſſimus eſt: hoc imbutum linteum, ſtuppa, goſſypium, quantum vlceris area capit, adhibitá flammá, brevi ardebit, vitiumque levi agitatu ſapiet: Si ſemel quidem ſatis non ſit, iterum ac tertiò, quartoque, quoties opus eſſe cognoveris: Si quis delicatior ſe of-ferat, linteum ſubmittere licebit, quod hydrargyro extincto leviter delibutum, facie quæ vnguentum recepit, vlcus contingat: atque hoc ita ſubſtrato, ſic impoſitæ alteri ardentieſcæ flammam admovebis: certum eſt iſtiuſmodi vſtu iam & ſæpius & æquius vlceroſos laturos: Aliquando etiam favillis calidis oppletas æneas vel arundineas fiſtulas, ad partem vlceratam tranſverſè convolutatis; ſic vſtulavi caſtigavique vitia quæ pharmacis omnigenis valentibus exercita nil ceſſerant: Simili ratione tractare licebit & vlcera intemperata omnia, quæque ichore tenui ſanieque acuta & acri manant: Siccis autem & ſqualentibus neque ignis vſui non eſt: Quidam cum decem jam annis ex vlcere tali fuiſſet iners, per nos vſtus primum ignoto ferro, & aliquando etiam ardenti aqua, reſtitutus eſt 40. dierum ſpatio. *Severinus Pyrotechn. l. 2. p. 2. c. 12.* D. N. vlcere carcinode obliquo linguæ, parte hujus ſuperiore afflictus, igne calefacto argenteo cochleari per me ad dolentem locum impoſito, miraculo quaſi quodam, & dolorem omnem continenter abjecit, & liberè perinde vt ſolutis vinculis, quod ante non potuit, loquutus eſt: quare invento remedio, peculiare deinde organum commentus ſum, quo commodè lingua foveretur: *Illud verò* omne adjumenti quod ex adhibito calido ſubvenit vlceribus, partium pertuſuris aut reciſuris, fit propterea quod calido nativo, qui corporis œconomiæ gubernator eſt, nil accedit propius quam externum hoc calidum; aph. 5. 22. Calidis etiam & à cauſa calida profectis vitiis ibidem prodeſſe teſtatur *Hippocr.* ſcilicet herpetibus exedentibus, qui ab humore calido & bilioſo producuntur. *Idem lib. 1. Pyrot. p. 1. c. 13.*

VII. In *vlceribus pedum* non ſtatim ad conſolidationem veniendum cum æger ad graviores morbos inclinat: timendum enim ne fluxus, bonitate naturæ, concitatus, per prætmaturam occluſionem impediatur, & recurrat ad partes internas nobiles, ibique majora excitet incommoda: Si itaque pedum vlcera nimis videntur moleſta, purgato corpore, vena aperta, meliori inſtituta diæta, utrique pedi fonticulos inure, & tunc conſolida vlcus. *Hoſſerus Herc. med. lib. 4. c. 2.*

VIII. Intercapedinibus muſculorum, aliarumque partium cavitatibus ſpontaneum interdum vlcus oboritur, quod graviorem alium affectum corporis elevaverit ademeritque. In eo igitur loco linquendum emiſſarium in aliquod tempus: Et monco quidem ipſe qui rem conducibilem ſæpe ſum expertus, & ratio ipſa ſuadet. *Severinus med. Effic. p. m. 255.*

IX. *a* Videre non ſemel contingit mihi in emplaſtris *vlceris fiſtuloſi* animalcula acaros ceræ referentia, quorum non figura ſed motus tantum percipiebatur: ſic multis morbis detinemur qui ab animalibus inviſibilibus fiunt, tales ſunt cyrones dicti, pruritus, herpetes &c. vt engyſcopiis percipi poteſt: vt autem morbi ab animalculis, qui pruritum ſemper habent comitem, curentur, vtendum eſt aloë & Mercurio butyro commixto. *P. Borellus cent. ij. Obſ.* 48. Clariſſ. D. de *Mayerne* ſecta mamma muliebri cancro infecta, myriades vermium obſervavit, Inde forte eſt quod Cancri corroſionis progreſſus inhibeatur admotione carnis pulli, cui adhærent ejuſmodi animalcula, relictà deteriori & minus ſuavi.

IX. *b* Si *vlcus* aliquod ſæpius *renovatum*, ſemper de *oſſe corrupto* ſuſpicionem præbe., vt ait

Gale-

Galenus 6. aph. 45 & *Paulus lib 4. c.10.* Id ſæpe videre eſt in dentium carie, è quibus ſanies per foramina oſſis maxillæ exſtillat, & extra in maxilla vlcus excitat; quod etſi ſanetur, tamen poſt temporis aliquod intervallum iterum cicatrix rumpitur; Tale ergo vlcus ſi in maxilla appareat, ſæpiuſque renovetur, Dentes inſpiciendi, & ſi aliquis carioſus ſit, extrahendus eſt: Non enim integre ſaneſcit vlcus antequam dens, qui vlceri anſam præbet extrahatur. *Sennertus* Vide §. 14.

IX. *c* In ejuſmodi *vlcere cum oſſis carie*, ſi tanta ſit hujus corruptio vt medicamentis tota tolli non poſſit, Chirurgia opus eſt, & vel Abraſione, vel Vſtione os corruptum tollendum: Duo autem ad Abraſionem hic ſunt inſtrumenta, Scalprum & Terebra, Scalpro locus eſt vbi os non ita alte corruptum eſt, Terebra vero vteodum ſi caries profundius penetret: De Raſione *Celſus lib. 18. c. 2.* ſcribit, *Qui radit hac, audacter imprimere ferramentum debet, vt & agat aliquid, & maturius deſinat: Finis eſt cum vel ad albam os, vel ad ſolidam ventum eſt: Albo finiri ex nigritie vitium ſcilicet quadam ex carie manifeſtum eſt: Accedere etiam aliquid cruoris ſupra dictum eſt: Si quando autem altius deſcenderit, vtrumlibet dubium eſt, In carie quidem expedita cognitio eſt: Specillum tenue in foramen demittitur, quod magis minuſve intrando, vel in ſummo cariem eſſe, vel altius deſcendiſſe teſtatur: Nigrities colligi quidem poteſt etiam ex dolore & ex febre: quæ vbi mediocria ſunt, illa alte deſcendiſſe non poteſt, manifeſtior tamen adacta terebra fit: nam finis vitii eſt vbi ſcobis nigra eſſe deſiit: igitur ſi caries alte deſcendit, per terebram vrgenda crebris foraminibus eſt, quæ altitudine vitium æquent, Tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta ſunt, donec inde ſiccum os ex toto fiat: Simul enim poſthac & reſolvetur ab inferiore oſſe quodcunque vitiatum eſt, & is ſinus carne replebitur, & humor aut nullus poſtea feretur, aut mediocris: Sin autem nigrities eſt, aut ſi caries ad alteram quoque partem oſſis tranſit, oportet excidi: Atque idem in carie quoque ad alteram partem oſſis penetrante fieri poteſt: Sed quod totum vitiatum, totum eximendum eſt: Si inferior pars integra eſt, eatenus quod corruptum eſt excidi debet: Item capitis, ſive pectoris os, ſive coſta vitioſa eſt, inutilis vſtio eſt, & excidendi neceſſitas eſt.* Idem.

IX. *d* E quibus patet antiquos poſt abraſionem os etiam aduſſiſſe; cum *Vſtio* præſtantiſſimum ſit ad excrementitias humiditates abſumendas remedium: Io *Cauterio* tamen admovendo cavendum ne caro vicina ſimul aduratur: Ideoque per fiſtulas ferreas, quibus caro defendatur, cauteria applicanda; quarum plures in promptu habere oportet, vt poſtquam vna incaluit, alia frigida adhibeatur: vel ſi vna vti libeat, poſtquam incaluit in aquam frigidam immittenda: Quicquid humoris ex iſto oſſe exſudat, ſpongia vel linteo abſtergendum, ne vicinas partes conſumpat: *Idem.*

IX. *e* In curatione Vlcerum deploratorum quaſi, quæ alias ob nimiam ſeroſitatem curari nequeunt, vt & ſcabie contumaciſſima, variolis morbillis, felicem energiam Antimonij Diaphoretici Regulini, ſeu ceruſſæ antimonialis diaphoreticæ, quam deſcribit *Schroderus lib. 3. Pharmacop. pag. 419. §. 5.* ſæpius expertus ſui, Sciendum tamen ejus vſum, prout omnium ſanguinem purificantium, per duas vel tres ſeptimanas continuandum eſſe. Deinde optatiorem præſtaturum effectum ſi intermedientur eſſentiæ vulnerariæ ex lignis, quo pacto cito curabuntur vulnera & vlcera interiora: Eſt ſane medicamentum quod omnia lignorum decocta, & qualvis magiſtrales potiones ſuperat: Extrinſecus deſiccat, unde in aquis coſmeticis v. g. fabarum, ſigilli Salom. hepaticæ nobilis &c. contra maculas faciei & vitiligines præſcribi poteſt; cutim reddit mundam & nitentem: poteſt etiam inter vnguenta coſmetica ad fiſſuras & rimas præſcribi. Doſis eſt à ℈ß. ad ʒß. *Fred. Hofmannus Clavis Schroder. pag. 3-9.*

X. Nauta octageoarius conqueſtus eſt de inſigni anguſtia, vehementiſſimoque dolore, ac puſtulis in dextro pectoris latere ſubortis, quibus exulceratis dolor & anguſtia receſſit: Illis cicatrice obductis, rediit dolor & anguſtia circa pectus, ita ut multas ſeptimanas æger inſomnes noctes habuerit. Interrogavi ſenem an ulcera in pedibus diuturna habuerit? reſpondit ſe per integrum decennium vlcus maximum in tibia dextra, ſine motus impedimento geſtaſſe; eo ſanato prædicta ſucceſſiſſe: Ad humores igitur revellendos in femore tibiæ prius exulceratæ fonticulum paravi; quo officium faciente, xxx. dierum ſpatio æger liberrimus evaſit. *I. Scultetus Armam. Obſ. 57. Vide Horſtium lib. 9. obſ. 25.*

XI. Medico Chirurgus Matronam, quæ ex abſceſſu in crure vlcus fiſtuloſum contraxerat, curandam habuit, circa quam vltra ſex menſes occupatus fuit: Tandem *M. I. Griffonius* cum ſtylum exploratorium adhibuiſſet & cognoviſſet unicam cauſam conſolidationem impedientem, tenuitatem eſſe cutis, ulceri adjacentis, ſpem ægræ reſtitutionis citæ dedit: Purgato ergo, ac præparato corpore, cauſtico tenuem illam cutem eroſit, & ex fiſtula vlcus oblongum effecit; poſt caſum eſcharæ, vnguento de ſucco apii mundificato vlcere, ſpatio 3. aut 4. ſeptimanarum feliciter cicatricem induxit. Idem frequenter mihi obſervare contigit: Quoties enim in abſceſſibus pinguedo & panniculus carnoſus à putredine aut pure abſumuntur, cute remanente integra, non coaleſcit, neque cum carne reunitur; venæ enim capillares ad cutem tendentes, à pure & putredine eroduntur & conſumuntur: quibus erolis, ſanguis & nutrimentum, conſolidationis materia, non amplius ad cutem defertur: hinc cutem hoc modo à panniculo carnoſo ſeparatam, colorem naturalem in lividum aut obſcurum mutare videmus, areſcit enim: *Fabritius Hild. cent. 5. Obſ. 79. Vide Severinum med. Eff. p. 95.*

XII. Iuvenis contuſionem ad pollicem pedis receperat, exorta inflammatione in vlcus degeneravit: Id cum inveteraſſet, nulliſque, vt videbatur, amplius remediis curari poſſet, ad me venit: digitos tumefactus cum inflammatione erat: ad externum latus digiti vlcus erat cum excreſcentia carnis, quæ magnitudinem fabæ excedebat, & dimidiam ferè partem vnguis velabat: barbitonſores cauſticis aliquoties abſumpſerant, ſed fruſtra: quicquid enim de die abſumebant, id noctu fungi inſtar repullulavit: Ego ſanationis impedimenta quærens, inveni vnguem ſubter carnem illam extuberantem, à ſubjecta carne ſeparatum eſſe, & proinde continuò carnem ſanam, verſus radicem vnguis pungere, dolores excitare, humoreſque copioſè attrahere: cauſa cognita ſpem feci ægro ſanitatis brevi reſtituendæ: purgato ergo corpore, & ſecta vena in eodem latere, excreſcentiæ carnis pulverem aluminis

vſti inſperſi: digito vero & toti pedi catapl. admovi refrigerans & anodynum: ♃. farin. fab. ℥ij. pulv. roſ. rub. balauſt. & nuc. cupr. ana. ℥ij. cinci ℈ß. coq. cum aq. plantag. & roſ. & pauco aceto, adde ſub finem ovi vitellum & parum olei roſac. applica tepidè: Ab eo dolor & tumor multum remiſerunt: excreſcentia carnis aliquantulum imminuta, ita vt vognis, à ſubjecta carne ſeparatus, quem excreſcentia carnis obrexerat, in conſpectum veniret, illum cum ſcalpello & forfice, ea qua fieri potuit diligentia, abſcidiſſem, & pulverem exſiccantem aſperſiſſem, emplaſtrumque Palmeum applicuiſſem, brevi convaluit. Diſcant Chirurgi quantum interſit morbi cauſam præcognoſcere. *Hildanus cent.5. Obſ.* 81.

XIII. In vlcerum curatione nihil ferè Chirurgo majorem parit moleſtiam quam ſi caries oſſis adjuncta ſit; præſertim ſi profunda ſit, ob humorem oſſi imbutum: Ad hujus humoris exſiccationem & oſſis decidentiam, cauterio actuali nihil aptius; Ab eo euphorbium ſecundum locum tenet, quod, & quia acre eſt, & calidum in 4. gradu, humores oſſi imbutos exſiccat, ſed præterea occulta vi convenire videtur: Dioſcor. autem & Avicenna monent, vt ſi quis Euphorbio vti voluerit, ob ſummam acredinem & caliditatem, circumjacentem oſſibus carnem linimentis &c. muniat, ne contactu carnis inflammationem excitet: ideo hactenus, metu inflammationis aut doloris, eo vti auſus non fueram: paulatim tamen experientia me docuit, etſi linguam & nares vehementer mordicet; in vlceribus tamen, etſi copiosè inſperſum, nullam inflammationem aut dolorem excitare: felici ergo cum ſucceſſu ad oſſa carioſa, carne nudata, etiam immunitis vlcerum labris, quotidie aut alternis diebus eo inſperſo vtor, etiam in pueris. *Idem cent. ij. Obſ.* 92.

XIV. Iuvenis *vlcere in mento* à triennio laborabat, quod remedia omnia reſpuebat: E Medicis, ejus profunditatem perpendentibus & calloſitatem, aliis abſque igne curari non poſſe aſſerentibus; aliis Chironium id eſſe, ob labia calloſa, qua de cauſa ſanationem vix admitteret. At conſideratâ vlceris naturâ, negavi curatum iri niſi omnimoda dentis extractione, quo facto radix ejus carie exeſa reperta, quæ malo fomentum ſubminiſtrabat, ac paulo poſt remediis ordinariis ſanatum fuit. *Antonius Benivenius de Abditis.*

XV. Mulieri *vlcus* erat circa dextram *maxillarum juncturam*, quod cicatrice claudi non potuit ob earum continuum motum, priuſquam eas immobiles reddiderim, quod effeci duobus ligneis inſtrumentis in furculas circa vtramque extremitatem excavatis, circa ſuperiores & inferiores dentes collocatis, iiſque alligatis: ſicque procurabam vt os neque claudi neque aperiri poſſet ſupra magnitudinem eorum inſtrumentorum: liquidis interim nutrita intra paucos dies curatum vlcus. *Hildanus cent.1. Obſ.*58.

XVI. Viro ſexagenario bibulo, cujus facies gutta roſacea multum obſita fuit, in *menti parte ſuperna* oborta eſt *puſtula*, cruſta craſſiori onuſta, mole primo piſi majoris in dies incrementum capiens, ſeque ſecundum latitudinem ad medium vſque mentum diffundens, dolorifica valde, pluribus in locis ex minutiſſimis porulis ichorem ſtillabat bilioſum acerrimum: Ob hominis Intemperatiſſimi vbertimum cacochymiæ apparatum, partis affectæ ſpongioſam conditionem, timuere aliqui ne tractu temporis in Vlcus cancroſum abiret: ſuſpicionem auxit quod illito balſamo quodam artificiali, in aliis ſumme proficuo, malum inde momentaneè adauctum ſit: Cujus rei cauſam ex diſſ ingredientia cujuſdam Balſami adhibiti omnia ſulphurea, ichoris bilioſi acerrimi efferatum ſulphur magis exacerbantia: quare de eo per acida compeſcendo cogitabam, nec ſine fructu; nam ſale prunellæ in albumine ovi ſoluto, eoque imbutis linteis ſæpius in die applicitis, puſtula, abſque veſtigio relicto, ſpatio quinque dierum evanuit. *Fr. Ignatius Thiermair conſ.9. lib.2.* Confer quæ noviſſime proponuntur.

XVII. Hoc notandum, Vlcerum curationem promoveri quando paulatim exſiccantur, & minus humoris ex ipſis prodit, *Aphthas* contra curationis ſpem facere quando ipſæ ſunt humidæ, atque multum humoris effunditur ex ore, tunc enim citius & facilius curantur; Vnde ſicut ad cæterorum curationem laudantur medicamenta humorum *acrimoniam*, ſed Acidam temperantia, mox exſiccantia, ita contra curandis *Aphthis* conducunt medicamenta, lenientia quidem, acidamque acrimoniam temperantia, ſed ſimul humectantia & madefacientia: Ex quibus videor mihi poſſe de cæterorum *Vlcerum*, atque *Aphtharum* cauſa diverſa hoc ſtatuere, In cæteris vlceribus Acrimoniam acidam ſimilitudinem habere cum iis acidis, quæ ab humiditate aquea diſſoluta vim ſuam magis exerunt, ideoque concentrantibus indigent: In Aphthis contra ſimilitudinem habere *Acrimoniam acidam* cum illis acidis, quæ ab humiditate aquea diſſoluta vim ſuam amittunt, ideoque iiſdem opus habent: Quin inde videor mihi baud male concludere: Vlcera cætera excitari ab acido valde acri, Aphthas vero ab acido minus acri, quodque vim ſuam amittat in ipſa cuticula, quam corrumpere quidem poſſit, non item conſumere; atque ideo in ea hæreat; &c. *Sylvius de le Boë Append. Tract.* 10. §.285. *& ſequ.*

XVII. *a* Ego Sæpius cum admiratione conſideravi *Balſami ſulph. terebinthinati, aniſati* &c. effectum in vlcerum mundatione ac conſolidatione multis incredibilem, ſi ejus vlceri aliquid inſtilletur aut illinatur: Mox enim novi puris generatio ita fuit inde diminuta, vt non rato hujus vnius Balſami ope intra paucos dies plene curata fuerint, & in mammis & alibi excitata poſt inflammationes apoſtemata notabilia: Ex hoc autem experimento cenſui, vlcerum apoſtemata conſequentium mundationem ac conſolidationem, conſiſtere in correctione puris acidi rodentiſque, vlceratæ parti adhærentis atque ſanguinem ipſi nutriendæ dicatum, ex parte ſaltem, corrumpentis ac in novum pus vertentis: Corrigi vero illud pus à ſulphuris Balſamo laudato, imprimis, ratione olei aromatici, adeoque ſale volatili oleoſo abundantis, à quo ſpiritus acidus in pure luxurians, quin ſanguinem in pus in dies corrumpens, non tantum obtundatur, ſed inſuper mitigetur, emendeturque ita, vt affluens ſanguis partes prius conſumptas brevi reparet, conſolidationemque vltimam expediat. *Fr. Sylvius Prax. l.1.c.*40.

XVIII. Sexagenaria mulier patiebatur in *Tibia ſiniſtra* magnitudine volæ manus *Vlcus* lividum & cacoethe, carnem habens præduram & ſenſu prorſus orbatam, ita vt ſine dolore ſecaretur, quod ab humore atrabilario partis ſubſtantiam adurente procedebat, Inſtituta victus ratione refrigerante & humectante per multos dies, ſemel in ſeptimana

data

data priſana laxante, præſcripto ſemicupio ad viſcerum intemperiem corrigendam, Parti admovit Mercurium præcipitatum rubrum ad carnem emortuam abſumendam, & facta eſchara ſatis profunda, admotum vlceri empl. ſticticum Crollii, cujus beneficio intra menſem carne repletum & ad cicatricem productum. *Riverius cent. 3. Obſ. 18.*

XIX Cum vlceribus generatim proficua ſit Scarificatio, *Dyſepuloticis* apprime vtilem affirmo: Vlcus coalitu difficillimum gerebat *Scipio* N. cui vlcus interna cubitu flexura ab ictu profectum, latum, collatum, inverſis oris, cinereo colore tinctum & ſquallens, ab aliis tractatum diu ſine fructum, mihi verò poſtremo curandum ferme incurabile oblatum, repetito jam pluſculos dies ſcarificatu atque exaſperatu feliciter & brevi reſtitui. *Severinus med. Eff. p. 77.*

XX. Sæpe fit vt copioſo ad podagram humore affluente diſtendantur in tibiis venæ, non ſine rubore ac inflatione circumfuſis: Exciſionem earum probat *Platerus pr. med. p. 717.* eo modo qui vſitatiſſimus eſt in varicibus, pari enim pacto fieri poterit vt intercilus ſanguis multus, qui ad partem influere conſueverat, deſinat, Tantum id requiritur vt elatæ venæ ob humoris multitudinem appareant, & non obſcuro tramite ſint Inveniendæ & cum carne conſcindendæ: Hanc venarum exciſionem ſcias Lector & ad Vlcera vetuſtiſſima latiſſimaque exſiccanda finiendaque perquam à me ſemper repertam eſſe vtilem, Solum adverte ne collectio rumorque ſuboriatur, ante igitur caput inferioris vaſis diligenter exprimendum, & abſorbentibus, naturamque partis confirmantibus tractandam; ſed neque anacollematis alienum eſt vti quouſque defluere deſueſcat humor. *Severinus med. Eff p. 66.*

XX. *a* Si debiliora quam par eſt *Sarcotica* adhibentur, ſaniei magna copia in vlcere colligitur, & caro mollis ac flaccida generatur: Si vero validiora & nimis ſiccantia adhibeantur, vlcus aridum redditur, labia ejus rubicunda evadunt, caro conſumitur, Sanguinolenta quandoque excernuntur, & mordicatio quædam in parte percipitur: Si vero pars rubicunda & ſicca redditur, ſicut naturaliter eſſe ſolet, & ex vlcere neque ſanies neque pus effluat, bonuſque color in carne appareat, medicamenti ſarcotici cõmodi ſignũ eſt. *Sennertus.*

XXI. Non malignis ſolum *crurum aut ſurarum* vlceribus venarum præciſio debetur, ſed manuum quoque ac reliquarum corporis partium; nam cuidam Adoleſcenti diuturnum vlcus ad radicem manus habenti, venam ad vlcus ſuperne elatam excidi, atque intra paucos dies hominem ſanavi qui per quinquennium ea affectione laboraverat. *Severinus med. Effic. p. 67.* Adminiſtrationem vide tit. de Sang. miſſione.

XXII. Putribus Vlceribus debetur Exciſio ſic vt inter omnia ſit maxime neceſſaria, ne vid. diffundatur infinite vitium, quippe ceu pomorum marcor quamprimum agnoſcitur ſi manu provida præcidatur non procedit amplius; ſi vero ſinatur, totum contabefacit: Ita vlcus, ſi qua putredo concepta eſt, ſcalprum ſentiat, exercetur eadem & finitur; ſi vero manet, exedit & diſſolvit quodcunque continuum eſt. *Idem p. 107.*

XXIII. Vlcera quædam cum nullam extrinſecus ſpeciem præ ſe ferant, nihilominus ſunt quæ poteris cognoſcere 1. quod colorem ſuum naturalem cum longe alieno commutarint, nigrum aut lividum plerumque referunt. 2. confarctum & puſtularum quendam acervum incumbentem habent, cum aliquot foraulis carunculas in ore prætendentibus, dubiteſque an tumorem an vlcus nomines. 3. multis & valentiſſimis agitatum diu remediis nihil profuit; 4. punctoria quædam per intervalla inceſſit moleſtia, modis omnibus majus quam apparet effectu ſe comprobat malum: quale aliquando vlcus curatum memini, quod præſtantibus virtute medicamentis vix vnquam edomuiſſem, niſi exciſione; apertum autem carunculas putreas ac pallidas exhibuit, male cohærente cute. *Severinus Med. Eff p. 107.*

XXIII. *a* *Vomitus* ex vſu eſt Medicis curantibus Vlcera aut vulnera, ſed diverſis temporibus, 1. cum partibus inferioribus afflictatis majorem ex dejectorio noxam cavemus: moniti à *Galeno 4. meth. c. ſexto.* 2. cum ægrotant partes ſuperiores: hinc *Rabbi Moyſes*, loquens de Tinea, *Ex materia*, ait, *humoris aſcendentis ad partem ſuperiorem corporis, in capite vlcera generantur, & tunc oportet repurgare ex loco proximo per vomitum, & non per phlebotomiam*: 3. Cum ex peccantis humoris proprietate id fit, qui difficile deorſum, facilius vero ſuperne extruditur: 4. cum nullis afflictis partibus internis vomitum eligimus, ſolius revulſionis gratia, vt in vitiis partium infra cinctum: Sic *Gal. 3. m. m. c. 2. At vomitio iis pudibundis laborantibus in diverſa revellens auxilium eſt*, 5. Cum circa ſtomachũ, & hujus viciniam, ſit materia quæ morbũ foveat & conſervet: breviore quippe via vacuari poterit noxa, ſi ſit evacuandi commoditas, è vicinis, vt in præcordiis male affectis: 6. Si refractaria ſit æger alvo; ad quam dejiciendam opus ſit vti valentiſſimis & ægro diſcriminoſis dejectoriis. 7. Quod dejectoria omnia non contineat ventriculus ſed mature rejiciat. 8. quod adminiſtratorum multorum catharticorum nullus vnquam perceptus eſt fructus, 9. Quod ex multis jam exactis crapulis & indigeſtibus ventris referta ſit tota ejus regio mucoſa & lenta pituita; Et licet hæc, cum cruda ſit, caſtigari longa inedia queat, & in naturæ poteſtatem converti, tamen occaſio partium morbo liberandarum vrget. *Severinus Chir. Trim. p. 66.*

XXIII. *b* Non levis eſt quæſtio inter Chirurgos, an Vlcera diuturna & inveterata abſque periculo cicatrice obduci poſſint, necne? quidam negant, quod natura, veluti per cloacam à multis ſuperfluitatibus per ea ſe exonerare poſſit: Quod quidem non ſimpliciter negandum, præcipue in corporibus cacochymicis, & pravis ſuccis refertis, & in iis qui vniverſalibus, veluti decenti victus ratione, purgationibus non vtuntur, Eſto exemplum: Sexagenarius cum per multos annos vlcere cacoethe in crure ſiniſtro ſimul atque multis magnis varicibus laboraviſſet, tandem anno 1612. vlceris hujus cauſa me in conſilium adhibuit, ſed poſtquam omnia quæ ſibi, tam in vitæ regimine quam vſu internorum & externorum medicamentorum obſervanda neceſſaria à me intellexiſſet, ſibique prolixus iſte atque modus curandi proclivior viſus eſſet, Empirico ſe commiſit, à quo vlcus quidem curatum fuit, ſed menſes aliquot in ſiniſtro latere pleuritide, cum maximis doloribus & febre correptus, intra paucos dies obiit: Ea vero quæ morbo durante expuebat, materiam, qualis antea ex vlcere emanare ſolita erat, referebant; hinc perſpicuum materiam, quæ antea ad tibiam

deſfluebat, quia antea expurgata non fuerat, ad pectus regurgitaſſe: Sin corpus prius à pravis humoribus expurgatum, optima victus ratio obſervata, parteſque nobiles corroboratæ fuerint, tum abſque omni periculo vlcera, quamtumvis diuturna & inveterata, ſanari poſſe infinitis exemplis demonſtrare non difficile eſſet. *Fabricius Hild. Cent. 3. Obſ. 59.*

XXIV. Puella ſuperato primæ ætatis luſtro tubercula paſſim in corpore, albicantis cum duritie ſenſit prominere; perſeverarunt hæc per menſem vnum alterumve: varia in vſum trahuntur pharmaca, per quæ emolliuntur tandem & in apoſtemata teſuſcunt, quibus ſanandis perplura adhibentur, ſed fruſtra; quippe Vlcera non ſolum majus quærunt ſpatium, verum numero etiam augentur: Medicus vocatus propinat, præmiſſis purgantibus, decocta lignorum vltra duos menſes, applicantur quoque externa idonea, quibus effectum quidem vt vnum alterumque apoſtema ſanationem promitteret, alibi tamen novum exſurgeret tuberculum, in vlcus deinceps quoque verſum: cura hæc tamdiu continuatur vſque dum & oculi primo dolorem cum tumore & lacrymis continuis experiri, poſtea etiam minari cœpeſunt cœcitatem: Sanatis itaque oculis vlcera prius coalita poſtliminio fuere aperta; ſanatis vero vlceribus & oculi reciproce cœperunt ægrotare, Tandem pharmaca plane deſeruntur & Fonticuli applicatio in humero ſiniſtro ſubſequente tempore tantum profecit, vt ex vlceribus & oculis caligantibus convaleſceret vniverſim juvencula, ſeroſis humoribus copioſe per eum repurgatis. *Ehr. Hagendornius miſc. cur. anni. 1672. Obſ. 213.*

Ne humor ad partem affectam confluat, revellendus, intercipiendus, derivandus, repellendus: Inter Revulſoria auxilia imprimis locum habent *Fonticuli* in parte contraria excitati, qui humorem, qui ad partem affectam confluit, alio loco evacuant: Et hi fonticuli ſæpe neceſſarii ſunt in Vlceribus diuturnis: Cum enim natura jamdiu aſſueverit humores vitioſos per partem exulceratam evacuare, ſi vlcus plane claudatur, & aliquid humorum vitioſorum cumuletur, facile fieri poteſt vt in venas regurgitet, & in nobiliorem aliquam partē ruat, quod fonticulo præcaveri poteſt. *Sennertus.*

XXV. *a* Vlcerum quæ diu ſanari differunt oræ, cum parte etiam ſanæ carnis, vt cancrorum, abſcindi, raſoque & mundato loco vſque ad defectionem ſanguinis educi, ſi modo robuſtior fuerit homo qui tractatur, præcipit *Conſtantinus Africanus chir. c. 18. Hippocr. l.* de locis morbos antiquos primum recentes facere jubet: Mihi in univerſum videtur vlcerum oras magis quam aream procurand. eſſe, à ſuperioribus enim & clarioribus ſemper advenit vitium, & inde etiam primum cicatrix coit: quibus inſuper oris exaſperatis atque exectis, & contentaneum eſt rationi vt continuo lenteſcat vitium effuſo cruore virulento quo vitium alebatur & vigeſcebat, & re ipſa etiam compertum eſt lenteſcere quandoque non aliter quam humore ſubtracto exareſcunt plantæ: Multos qui quam efflictim exhorruerunt Exſectionem, eandem pleno ore laudarunt novi. *Severinus med. Eff. p. 109. & 10.*

XXV. *b* De *Linimentorum & Vnguentorum* præparatione obſervandum ne nimis ſint molliata, lia enim a calore partis liquantur & facile diffluunt; Ideoque ſi Vlcera non ſint profundiora (in talibus enim quæ eo penetrare poſſunt requiruntur) & in ſuperficie corporis hæreant, medicamentis craſſiore conſiſtentia præditis vtendum: Præterea vnguenta nimis humida propter oleoſam naturam emolliunt, & carnem nimis laxam & ſubjectæ diſſimilem, præſertim in corporibus ſiccis generant. *Sennertus.*

XXVI. *Eupolemus* apud *Hippocr. 5. Epid. s. 3.* ex coxa ſuppurata decumbens occubuit: Iſchiadico dolore vexati plures, venæ ſectionis in cubito & talo celebratæ operam ſunt experti: In illo ventris vtriuſq; ſequuta eſt vacuatio citra vtilitatem vllam: His non cōferentibus omnis ſortis anodyna parantur: imponuntur ſupra partem affectam hirudines: dolens pars profunde ſcarificatur &c. his non juvantibus accedo ad veſicatoria, vlceribuſque diu fluidis permanentibus febris increvit cum immaniore dolore pulſatorio conjuncta: Adeſſe ſuppurationem Chirurgi inculcant: pure confecto cauterium in parte affigitur, cujus vi magna puris, ichoris illuvies fuit exhauſta: temporis decurſu *Vlcus* magnum, ſordidum, cavum & fiſtuloſum redditum: hinc comitabantur intenſa ſitis, febris, totius macies & tabes: In hoc agone conſtituti a Medicis pro deploratis relinquuntur: Miſeris his ægris ſic opem fero: Cum horum omnium cauſa ſit vlcus, indicatio hinc ſumpta alias omnes obumbrat, quare eligendum medicamentum ſimiem detergens, glutinans, humoris malignam qualitatem retundens: quare Vlcera hæc velut doloſa, maligna & gallica Ebeni decocto tractare decrevi, At pro complendo opere obſtabant febris vehemens, debilitas & extenuatio, ſed cum ab abſtergentibus nullum ſequeretur adjumentum, tum ob partis ſitum, quæ in ipſo ſordium confluxu eſt poſita, videl. juxta vias vrinæ & fæcum, & ob hoc variis fluxionibus eſt obnoxia, & articulus iſte, quoniam maximus & profundiſſimus eſt, promptiſſime humores in ſe imbibit, ob hæc ad ea quæ virulenti humoris malitiam infrænant, & partem roborent accedere viſum eſt, Prius caloris febrilis vehementiam remiſimus ſero lactis caprini, in quo aliquando ligni S. interdum ſmilacis aſperæ ramenta per noctem madebant: exhibuimus etiam in hunc vſum ptiſanam, amygdalatum ex ſemin. frigidis paratum, quod cum aqua prius ligno decocta diluebatur: Pullos gallinaceos, prius medicamentis frigidis ſaginatos, Interdum aquam ſtillatitiam cochlearum & teſtudinum, cum cardiacis & refrigerantibus Iulepis: Lumbis & jecori epithemata refrigerantia admota, ventriculo roborantia vnguenta: His peractis, non obſtante febre, ad ſudatoria ex ebeno & ſmilace aſpera deveni: xx. primis diebus lignum in aqua endiviæ decoxi; tunc jam ſanies minui febriſque mitescere incipiunt: Quare in hoc auxilio pertinaciter inſiſto, & in aqua fontana, detracta endivia, adjecta majori ebeni quantitate decoctum paro: Et ſic vno menſe, ſemel ſolum in die, & multoties recreandarum virium cauſa, alternis diebus ſudorem movi: Hoc facto carne impleri cœpit vlcus, vigiliæ & dolores minus infeſtarunt, febris valde eſt remiſſa, & reiteratis ſudoribus ad xl. dies omnino eſt extincta, Et vlcere cicatrice obducto ægri jam obeſiore facti perfectam ſunt conſequuti ſanitatem: Hoc ordine decem, qui ad manus meas pervenerant, hac Tabe detenti evaſerunt. Nullus eorum erat Gallica lue fœdatus. Vſu decoctionis ligni S. vlcera pulmonis, ſuapte natura incurabilia curaſſe ſe gloriatur *Ingraſſias. Zacutus Pr. Adm. l. 1. Obſ. 135.*

XXVI. *a* Si

XXVI. *a* Si vlcus ſit cum intemperie ſicca, humectantia requiruntur: Vtilis eſt hic aqua tepida, ſi ea vlcus, vel potius vlceris vicinæ partes perfundantur & fomententur. Quanquam enim *Hippocrates in libro de Vlceribus* docet quod vlcera vniverſa humectare non oporteat, niſi vino; & addas, ſiccum ſano eſſe proprius, humidum non ſano; & *Galenus tertio meth. med. cap. 4. & 1. de compoſitione medicam. ſecundum genera cap. 6.* ſcribit nullum humectans vlceribus convenire, minime vero aquam, tamen hæc omnino intelligenda ſunt de vlcere, quatenus vlcus, cui nullomodo humectantia vtilia ſunt.

XXVI. *b* Si vero intemperies ſicca, quæ curationem impedit, vlceri conjungatur, neglecta ad tempus quaſi vlceris curatione, ſiccæ intemperiei occurrendum, donec parti affectæ priſtina intemperies reſtituatur. *Sennertus.*

XXVII. Sanici, ſibi viam acri nitroſaque qualitate parantis, opera fit ſæpe vt abſceſſus, vlcus, fiſtula duplici, vel etiam triplici pateat oſculo: Quod genus vlceris multa cum induſtria conglutinari via licet, tum quod coaleſcens vnum ea orificiis alterum amplect diſtrahatque, tum quod inter vtrumque oſculum & hiatum ſæpe fornix intenditur callolæ carnis aut cutis: Quod vlcus irrito labore diu conantur vi medicamentorum obducere plerique alii, etiamſi difficultatem cognoſcant, neque huic occurrere norunt: Interim ad longa tempura protractum fit iſtorum curatione ἀτέρμονον, quod tamen natura ſua facile curabile, ſi Chirurgia tractetur proprie dicta: Equidem haud nego per ſeptica licere ſinus intercapedinem diſtrumpere, verum non ſine magno, vel diſpendio doloris, vel inflammationis incommodo: Sectio porro expeditior tutiorque eſt perpetuo, ſolumque requiritur, vt ne Medicus, aut æger, aut vterque mali ſpecie terreatur: Falſum, inquam, malum, nam quo ſæpe trepidant pſeudo chirurgi ſcalprorum aliquid adhibere, nos fidenciores nil periculi experti ſumus: Ea n ultoró numero primus eſt filius primogenitus Regis Fea, cui ſub perinæo magno intervallo reſpondentia per commuuem ſinum duo vlcera diſcidimus &c. *Severinus med. Eff p. 96.*

XXVIII. *Sordidum vlcus* abluendum hydromelite, œnomelite, aqua marina, lixivio, ea ℥iv. cineris caulium & cortic. fabarum cum aquæ pluviæ ℔j. &c. Vel decoctione rhois, balauſtiorum, cortic. myrobalanorum citr. & mellis, cui addi poteſt alumen. Animadvertendum tamen ne in vlcere ſordido imprudenter adſtringentibus vtaris, quandoquidem ea ſorditiem magis impingunt, efficiuntque vt poſtea difficilius detergeatur & educatur. *Chalmeteus Enchir. p. 260.*

XXIX. Lienis obſervavi obſtructionem in quadam muliere incurabilem, quæ dum viveret per aliquot annos paſſa eſt in *pede vlcus* doloriſicum, quod quotieſcunque ſanabatur toties febrem quartanam induxit, donec humor, cujus collectio prohiberi non potuit, per inuſtum femori fonticulum quotidie evacuaretur, atque hac ratione febris quartanæ, vt & vlceris in pede valde dolentis exortus prohiberetur. *Scultetus Armam. Obſ. 48.*

XXX. Quidam *Vlceribus Pedum ſordidis, mari moris*, multo tempore laboravit: adhibuit ille Topica diverſa; decocta ſudorifera exhauſit, ſpecifica, omnia incaſſum: Tandem inunctione Hydrargyri, prout in lue venerea fieri conſuevit, decies & quater repetita, ſalivationeque ſequuta, ſanatus eſt feliciſſimè: Sed cur Hydrargyrum Salivationem promovet? ℞. ob inſignem ſuam partium tenuitatem potenter reſolvit, liquat & emollit, proinde adhibitum vel aſſumptum, quicquid primo de humore ſibi familiari & cognato ſenſim colliquavit, per glandulas & vaſa ſalivalia in fauces, ac denique in os regerit ac compellit, vnde nec tuſſi, nec vomitione, ſed continuata ſputi profuſione rejicitur; At iterum, Cur per ſuperiora potius quam per inferiora colliquatas à ſe humiditates expurgat? ℞. credere me hydrargyrum, tam extra quam intra adhibitum, humores colliquando peculiari quodam modo illos fermentare, fermentatos exaltare, exaltatos per ſuperiora deſpumare loca deſpumationibus vbique commodiſſima: Accedit quod cum Hydrargyrum ob ſuarum partium tenuitatem caput facillime petat involerque, atque adeo exinde fluſiones moveat immodicas, nullibi ſane promptius deſtillantes ea capite humiditates profluent quam per proximos & patentes oris hiatus: A Mercurio & ejus effluviis fermentari ſanguinem & ebullire, in ſe ipſo expertus eſt *I. Puterſonius* in miſcell. cur. anni 1. 1. *Fr. Ignatius Thermair Conſ med. x. lib. ij, Vide Rolfincium method curat p. 591.*

XXXI. In cura *Vlceris depaſcentis & maligni* notandum 1. medicamenta ex ſingulo triduo aut quatriduo aliquomodo mutari debere, natura enim optima quæque frequentius applicata reſpuere ſolet. 2. Quovis die numnili ſemel, aut bis ad ſummum, deligationem debere fieri, niſi acris nimium materia fuerit, nam alioquin medicamenta operationem ſuam non ſatis perficient. 3. medicam. repellentia & Mercurialia in hoc caſu non eſſe adhibenda niſi continua purgatione corpus occupatum teneas: 4. Rariſſime hæc mala ſine purgantium aut exiccantium decoctorum, ex china, guajaco &c. vſu abſolute curari poſſe. *P. Barbette Chir. p. 2. cap. 4.*

XXXII. *Pedum vlcera*, imprimis quæ tibiæ anteriora occupant, multum laboris & moleſtiæ Chirurgo creant, quia corporis vniverſi humores ſemper ad illas partes defluunt, & hæc cauſa eſt quare optima quæque remedia reſpuant: Verum ſi pes ab inferiori parte, ad genu aſcendendo arctius conſtringatur, ægroque ſemel aut bis quavis ſeptimana purgatio exhibeatur, curatio ex animi ſententia ſuccedet. *P. Barbette Chirurgia part. 7. l. 3. c. vlt.*

XXXIII. Anno 1604. noſtro conſilio ſtudioſus, *vlcero tibiæ* diuturno interna parte domeſtica laborans, inani eventu vſurpatis remediis vulgaribus, cum inunctionem Mercurialem reſpueret, *Verdungum* abibat; Vius ad præſcriptum ordinarium acidulis xx. dierum ſpatio, non expertus fuit καθάρσεως ἐπιγονίας, quæ tamen hiſce familiaris, ſed vrinam copioſam emiſit: Poſt decurſum trium ſeptimanarum demum exiccato vlcere convaluit. *Rolfinkius m. m. pag. 613.*

XXXIII. *b* Si vlceris *labia dura ſint & calloſa*, & medicamentis emollientibus ac diſcutientibus durities non cedat, qua ratione curandum ſit tale vlcus docet *Galenus 4. meth. cap. 2. Cum labra tantum vlceris decolorata durave pluſculum fuerint, excidenda ea ſunt ad duram vſque carnem; Cum vero amplius progreſſus ejuſmodi affectus eſt, deliberatio incidit excidendũ ne omne ſit quod præter naturã viſitur, an ſponte potius curandũ: Procul dubio eſt ægri animum hoc caſu conſulendũ eſſe; alii enim longiori tẽpore curari citra ſectionem volunt; aliqui quidvis ſubire dũmodo citius ſunẽtur ſunt parati.* Citiſſime enim, imo tutiſſime, talia vlcera ſana-

tur, ſi caro dura & livida convenienti inſtrumēto vſque ad ſanam exſcidatur; nam & dolor brevior eſt, nec parti vlla prava qualitas, vt fit erodentibus mȧdicamentis, inducitur, Commode etiam duritiesejuſmodi cauterio potentiali abſumitur: Si vero æger nec inciſionem nec vſtionem ferre velit, caro dura erodentibus medicamentis abſumenda, *aqua viridi, oleo vitrioli* &c.

XXXIII. *c* In partibus tamen nervoſis cautius fortioribus medicamentis vtendum: vicinis vero partibus, ne dolor excitetur, & novus affluxus fiat, defenſiva medicamenta applicanda. *Sennertus.*)

XXXIV. Mulier III. querebatur de vtriuſque tibiæ cruciatu intolerabili quem à tribus annis fuerat perpeſſa: nullus ad tactum dolor, tumor, cutis diſcoloratio: doloris atrociam ſequuta febris lenta & maraſmus: Diai cariem in oſſibus ſubeſſe, nonniſi tibiarum per totam longitudinem inciſione & oſſis carioſi exemptione curandam: quare cauſtica potentialia Tibiis admoveri curavi, profunda quidem, ſed ad os non penetratura: cauterii applicationem ſequuta inſignis ichorum evacuatio, ac dolorum ad tres menſes ceſſatio: Sub hyemen ii recruduerunt, ideo admota vtrique tibiæ materia ſecundum longitudinem, à ſummitate, qua genubus committuntur, vſque ad metatarſum, & poſtea carne ac perioſtris ſcalpello diviſis, oſſa ad ſpecilli contactum inſtar cribri pertuſa comperta ſunt, quibus per catagmatica præſidia à carie liberatis, oſſium fragmentis quinque vel ſex digitos tranſverſos longis abſcedentibus, cura intra 5. menſem abſoluta eſt; Interea cum hyems eſſet aſperrima & ægræ vires prope proſtratæ, partiumque vlceratarum tonus fere labefactatus Chirurgum monui ne vnquam vlcera tractaret non præmiſſo fotu corroborante, quod cum neglexiſſet ægram exanimem reperi, breviſpiram & [illegible]: Detectis tibiis, non vlcera, ſed carnem quaſi omnino ſanam ſine purulentia, tumore, aut qualicunque inæqualitate conſpexi, vnde conjeci humores ad partes affectas fluere conſuetos, ad viſcera & reſpirationia organa anadromen feciſſe, Cumque Chirurgo vlcera tractante obſervaſſem illum omiſiſſe fotum à 7. vel 8. diebus, illi neglectui præſens adſcripſi incommodum, ac fotibus iterum ſedulo incumbi jubeo, vnde brevi vlcerum labra molliter tumere, puris copiam excerni, dyſpnœam levari, appetitumque reſtitui conſpexi: Hæc ideo notata volui, vt advertant vlcerum curatores quanti interſit robur ac tonum partium affectatum corroborari quod à pleriſque negligi video. *Edmundus de Meara Hiſtor. rar. p.* 129. Sed ſucceſſus curatio potius adſcribenda viui fotuum, quatenus tibiæ inde madefactæ humores in ſe ſuſceperunt, quorum anadrome partibus ſuperioribus infeſta fuit; non ſecus ac vlcera & fonticuli earum partium ſervanda ſunt, quo [illegible] fiant humores: Alias dictæ partes roboratæ humores non ſuſcipiunt, cum detrimento partium mandantium: Vlcerum ſanatio eſt eorum exſiccatio, quæ humidis vix perficitur.

XXXV. Mulier *vlcus in maxilla inferiore* dextra exterius, non procul à mento multis annis apertum habebat, inſanabile: dedi purgans, & ceruſſam antimonii cum conſervis cephalicis in forma electuarii exhibui, & brevi tempore vlcus abſque externis medicamentis exſiccatum & perſanatum eſt. *Gott. Chriſt. Wincłerus in miſc. Cur. anni 76. Obſ.* 98. De vi ceruſſæ antim. in curandis vlceribus vide *Salam Anatom. Antim. p.2.c.4. p.*559.

XXXVI. Tunica Glandulas inveſtiente eroſa aut diſſecta, cutis conſolidari non poteſt antequam glandula tota, cum tunica tegente, vlcere conſumpta ſit. *Barbette Anat. Practic cap. xi.*

XXXVII. Medicamenta exedentia *vlcera Glandularum* paucarum ſeptimanarum ſpatio ſi quidem non curaverint, ſpem nullam curationis bonæ ſupereſſe ſciendum, ob humorum continuum affluxum: Et hæc ratio eſt cur ſectione eas tollere plerumque cogamur. *Idem ibidem.*

XXXVIII. Quidam per multos annos *vlcere cum oris carie* ex Lue venerea contracto, in palato verſus ſiniſtram partem mandibulam laborans, cum decocto ligni aliquoties abſque fructu vſus fuiſſet, ad me venit; diligenter præparato corpore, & linimentis ex Mercurio adhibitis, brevi ſanitati reſtitutus fuit: Squamma oſſis palati quidem abſceſſit, ſed quia vlcus dentibus, (vbi os palati ſpiſſum eſt) proximum, os denuo carne quam belle tectum fuit: In alio quodam ozæna graviſſima, ex lue venerea contracta, idem expertus ſum. Ex quibus perſpicuum fit Mercurium, externis corporis partibus adhibitum, etiāſi ad partes oris facile evolet, pituitamque etiam quam copioſe ſecum ducat, tamen ejuſmodi vlceribus præſentaneum remedium & vere alexipharmacum eſſe: Interim autem dum Mercurium adhibeo, gargariſmata ex ſcabioſa, rubis, plantagine, betonica ac melle roſaceo aut diamorone adhibeo: Si putredo aliqua adfuerit, guttulam vnam aut alteram vngu. Aegyptiaci cum penicillo adhibeo, ſed cavendum ne dentes attingantur, nigri enim fiunt. *Hild. Cent.* 6. *Obſervat.* 35.

XXXVIII. Si liquide velis agnoſcere quam nocentiſſima ſit vlceribus *vitioſa victus ratio*, apparentium tibi fidem atque experientiam conſideranda proponam, quæ nos hæc docuere cum exler eſt rerum vſus decumbenti; Nam in longum produci ſolent vitia, & nunc caruonculæ putres, fungoſæque in Vlcere gigni, nunc calli, aliæque ſordes ac tumores adnaſci; interdum moleſtia & dolores vrgere, interdum inflammatio circa locum, atque interna. Taceo quam fœdus vlceris habitus quandoque, calor alienus & fœtor ſubſequi ſoleant: Hæc atque alia luat ægrotus neceſſe eſt qui nimium cupiditati indulgens ſaburrat ventrem, nec imperat ganeæ: contra qui ſe moderabitur, & in gulam exercebit imperium, & brevi liber evadet, & quæ dixi mala minimum experietur: Neque enim, vt ait *Celſus* l.2.c.16. *vlla res magis adjuvat laborantem quam tempeſtiva abſtinentia*: Referam huc & obſervationem meam, quam vſu longo comparavi, dum in Noſocomiis ingentem vlceroſorum numerum curo Neapoli; Res eſt auditu jucunda, vt delinquentes in victu deprehendere ſolitus ſim, non homines tantum, & tempus, ſed & modum & quantum ipſe peccaverat diſtinguens: Adeo ſcil. prompte & facile immutantur vlcera ad ingeſtorum modum. Itaque ſi quis volet, hæc mecum notabit, Ejus qui delinquit caro vlceris quadrupedis mactati carnem referet quæ fuerit aqua macerata, reſpondens ſcil. affectus communi cauſæ, namque diluitur ex aſſumptorum fluore vlcus, quemadmodum ab aqua macerata caro; Contra evenit ei qui ventrem caſtigat, contentuſque eſt cibo vivere pauco, Namque vlcus huic prærubium ac nitidum, terſi corallii modo ac quaſi petaſonis caro, contractum in ſeipſum videbitur atque compreſſum: Mitto plus quod probatiſſimum erit: *Severinus Chirurg. trimembris cap.* 2.

XXXIX. Fre-

XXXIX. Frequenter poſt curationem ichoris & melicerix, *Iuncturam* adeo *rigidam* & *induratam* remanere videmus vt neque in hanc neque in alteram partem deflecti poſſit: Hic plerumque in longum tempus Chirurgi diu multumque laborant, quo juncturam, nervos & ligamenta emollire poſſint, ſed fruſtra; Ichor enim ille qui ex toto corpore ad articulum vulneratum fluit, & acrimoniam poſſidet, primo ligamenta & vincula, quæ articulum cingunt, deinde etiam cartilagines, quibus junctura incruſtata eſt, erodit & abſumit: hinc fit vt oſſa à ſuis cartilaginibus & vinculis denudata, inter ſe per callum (quod primus obſervavi) tam firmiter coaleſcant ac ſi nunquam ea in parte fuiſſet articulus. *Hildanus lib. de Ichore & mel. c.* 25. Vide *Obſerv.* 87. *cent.* 4.

XL. Illud tacite non eſt prætereundum, quum melancholia, velut fæx in vino, in fundo vaſorum ſubſideat, & ob ejus groſſitiem in expurgatione humorum pharmacis ſit contumax, *Galenum* prudenter curam cancri ac elephantiaſis & vlcerum malignorum à phlebotomia exordiri: Proinde lib. de medicamentorum compoſ. K. Y. gloriatur ſe curam *vlceris cacoethici in crure, varicibus* atrabile refertis *circumſepti*, à venæ ſectione inchoaſſe, poſtea pharmaco melancholiam purgaſſe, tandem varices per tranſverſum inciſiſſe, ac ſic vlcus, aliis immedicabile, feliciter conſolidaſſe. *I. Langius Epiſt.* 17. *l.* 1.

XL. *a* Iudicioſe quidam ad ſananda *plana Vlcuſcula* vtuntur obſtruentibus, vt obducatur paulatim cutis, atque adeo in ambuſtis & eryſipelatis exulceratis vtuntur *Bolo Armenica*, quam in omnibus vnguentorum ad vlcera compoſitionibus immiſcebat *Iulius Iaſolinus* Præceptor meus. *Severinus Chirurg. trim. p.* 7.

XLI. Cur omnibus vlceribus *plena atque humida victus ſpecies* incommoda eſt, tenuis & ſiccior proficua? An quod humidum fluentiorem facit materiam excrementorum? humidum enim terminatur ab alio qualicunque, ſiccum vero à ſe ipſo. An quia qua data porta ruunt humores? laxat enim humidum meatus, quos ſiccum conſtipare ſolitum eſt: ruuntque etiam ipſi, cum maxime ſunt acuti, exuberante humido ciborum & potuum: ſuccedit autem facile per has partes exitus, quæ ſuapte natura corporis vniverſi ſuſcipiunt excrementa: An propterea quod Cutis inter alios omnes vſus hunc habet eximium, vt interne ad habitum corporis excurrentes humores & ſuccos retineat, & quaſi cohibeat qui alioquin facile diffluerent atque extruderentur? Sic igitur vt cutis defectus cauſa eſt exudantis ſeroſi humoris, multo magis in ægris; quemadmodum in plantis ac fructibus, inciſis horum partibus continuo diſſultat vtilis humor, nec deſinit dum abducatur cruſtula, plantis vero dum occaleſcat ſecturas Quare *Hippocr.* lib. de Vlcer. ſiccum ſano proximum eſt, ſanumque eſt ipſum: An ratione debilitatis, qua pars moltam advenientem materiam, ſive excrementitiam, ſive vtilem, inique ſuſcipit, modicique calidi jacturam facit, & intemperatur ita vt neque concoquere neque aſſimilare eandem queat? Quo circa dictum ab *Arnaldo doctr.* 5. *cap.* 18. alimentum attractum, & non incorporatum, in ſaniem convertitur, & ideo vulneratis obeſt ſuperfluitas alim...?? An quia quo plus advenit alimenti partibus, tanto plus excrementi provenit? hoc autem retutum affluenter peſſime locum inficit & labefactat: Porro ſcriptum ab *Hippocr. l. de Nat. hum.* Vlcus cum diu nequit agglutinari, humiditatem ejus rei cauſam eſſe: Neceſſarium itaque eſt vt ſiccius ſit totum corpus, vt ſiccior & ipſa ſit pars ad vlceris agglutinationem: An quod vlcus natura humidum humidiore accedente victu fovetur, augeturque ejuſdem vitium, quemadmodum arentibus jam plantis affuſa aqua ſtatim exurgit collapſus vigor? Non autem tantum pars vlcerata, ſed & quæ juxta eſt madeſcit, & circumtenditur tumore ſive flammeo ſive ſecus, citra cujus ſanitatem neque ſua vlceri evenire poteſt exſiccatio glutinatioque: Hæ victus humidi reprobandi ſunt cauſæ.

Probatur vero ad vlcera *Victus tenuis*, vt adnotavit *Euſtachius Rudius*, quo natura fiat avarior ad diſtribuendum id quod vni ſibi vix ſufficit: Quippe vacuus ventriculus ex circunſtantibus vndique partibus attrahit, ſic vt longa conſequutione peripheria corporis inanіatur, Deinde etiam vt caſtigentur humores improbi, aſſidua naturæ ſuper his vacuatione, quæ à ciborum copia retardatur atque impeditur: Idcirco *morbi quicunque vlcera ſinunt, & ſuper reliquum corpus emineat, eos ſimul medicamentis & fame curare oportet*, ait *Hippocr. lib. de Locis p.* 47. & inferius, *Elevatam aut levem carnem cibis gracilem reddere oportet:* Secus autem cum dicta cacochymia plurimum laborent vlceratorum corpora, maximum ex pleno humidoque victu ſenſuri ſunt incommodum: *Impura enim corpora quo magis nutris eo magis lædis* 2. *aph.* 9. Quamobtem dicere ſoleo, Victus parcitate mala quæ procedere debebant, retrahis *Severinus Chir. trim p.* 7.

XLII. Altera quæſtio ex ſuperiori ſe offert, Num *multus ſed qui non humidus eſt, victus* recte detur in vlceribus? Humiditas vniverſim eſt duplex, Evidens, & in ſubſtantia fluxili extenſa, *Actualem* vocant, vel ratione tantum contemplabilis, dicitur *in Potentia*: Porro tametſi formalem humiditatem vlceribus recte curandis caverimus; hæc certe plurimum eſt incommoda, quæ cumulata ſuis numeris, & tota ſui abſolutione officit, & eo amplius quod non deſint in ea etiam quæ potentialem contineant humiditatem; nihilominus liquidum excellenter humorem haud ſolum accuſandum volumus; alterum qui multa in materia latitat, fluori memorato æquivalentem etiam fugiendum ſentimus: Profecto cibo vi ventriculi liquato par ſanguinis eſt materias huic autem & copia multa procreato reſpondet & multa ſuperfluitatum copia: Nempe & cibis putatis non humidis nonnulla etiam eſt aqueæ materiæ portio, naturæ condentis opificio commiſta, Quas ob res nihil eſt quod ſolam apparentem victus humiditatem declinemus, cæteram facile concedamus; vtraque ſuis formis modiſque nocet; quare & modicus, quantum fieri poteſt, cibus vlceribus curandis ſemper eſto. *Idem pag.* 9.

XLIII. Verum legitime præbetur *Vinum* in *vlceribus*, vetuſtis ſcil. & longe ſe ſervantibus ab inflammatione ac fluxione? cujus vtiluſque nomine æque in his ejus vſum commendavit *Hippocrates*: Nam vinum fervere humores facit, agitatoſque hos ducit ad locum affectum, languidiorem alioquin & minime reſiſtentem, de cujus

natura eſt ſemper à vicinis recipere: Non ſolum autem per accidens ducit vinum ad partem obnoxiam omnes humores & ſuperfluitates, quemadmodum in podagra evenit eadem de cauſa, adhuc in vetuſtis vlceribus, herpeticis & minutis, experientia probatum eſt excitare atque augere ſymptomata: Item in pſora & elephantiaſi, & vlceribus cruſtoſis, quæ ſunt diuturna, vinum minime conducit: Sic autem oſtendi poteſt, 1. Nullum omnino humidum convenit vlceri, Vinum quidem eſt humidum, etiam potentia, quia auget ſanguinem, qui quidem natura eſt humidus &c. 2. Cum vinum magis nutriat quam aqua, quæ non nutrit, ſed ſolum vehiculum eſt alimenti, plus etiam alimenti producit. quod vlceribus incommodat, glutinationemque ipſorum magis morabitur atque offendet. 3. *Avicenna fen. 4. libro primo capite ſecundo*, expreſſe dicit vinum (& de diluto loquitur) eſſe in humectando ſummum; Imò idem de cura hecticæ ſic humectativum ponit vinum vt velit potandum hecticis: Ego contra concedendum eſſe affirmo vinum, niſi cauſa aliqua calida vetet, vt inflammatio, dolor, poſito etiam quod diuturna ſint vlcera, Quæ ſententia confirmatur 1. Quia vinum ſiccum eſt facultate, igitur & interne convenit ulceri ſanando potum: Aſſumptum ſuadetur per id quod *Galenus 3. method. med.* ſtatuit, nullum humidum, ſive per ſe, ſive per accidens commodum eſſe ulceri; Alias vero profeſſus eſt ex *Hippocrat.* vinum benefacere vlceribus, Igitur vinum neque per ſe neque per accidens humidum erit, ſed ſiccum facultate. 2. Id quod facit ſanguinem ſolutiorem & dilutiorem, minus adſtringendo & agglutinando ulceri valet, Enimvero aqua facit ſolutiorem, vinum vero viſcidiorem atque adſtrictiorem: Indicio eſt quod manus ex eo lotæ conſtrictionem & viſciditatem ſentiunt, quanto magis internæ partes? Igitur vinum adſtringendo atque glutinando ulceri magis proficit quam aqua. 3. Confirmat *Arnaldus lib. de reg. univ. doct. 5. aphoriſm. 6.* ubi ait, *Feſtina conſolidatio vulnerum potiſſime cauſatur à ſanguine paucæ aquoſitatis, quapropter aquoſos potus vulneratos convenit evitare*: hic quidem de vulneratis ſermo eſt, ſed par ratio eſt & fortaſſe major ad ulcera: *Hippocrat. 2. Epidemic. ſection. 5.* vinum conceſſit homini fracto capite, multo igitur magis vetuſtis ulceribus: Ad rationes contrarias dicimus 1. Nos velle dilutum & pauciferum. Ad 2. nos loquutos ſemper de ulceribus abſolute, non de his quæ cum cauſa calida conjuncta ſunt. Ad 3. quanquam ſanguinem in venis auget ſecundum quantitatem, neque per hoc eſt humidum, niſi per accidens, & ſecundum quid; nam & ſecundum qualitatem etiam eundem afficit qua & ipſum eſt affectum, puta calida ignea: hanc enim ei tribuerunt & *Hippocrat. in libro de rat. vict. in acut.* & *Galenus in comment.* & *Plato lib. de Leg.* ubi pueris vino interdicit, & *Ariſtoteles ſect. 3. Problem. 7.* Ipſe *Homerus*, *vinum* ardens dixit, αἴθοπα οἶνον. Ad 4. reſpondet *Dinus*, Vinum quidem ſubſtantiæ forma actu humectare, atque etiam materia, quandoquidem promptiſſime ex eo procreatur humor, at complexione non item, ſed hæc habere ut exſiccet: Quippe ratio dignoſcendi rem humidam aut ſiccam non ſumitur niſi ab effectu, *ait Galenus 1. de temper.* quod ſive intrinſecus, ſive extrinſecus affuſum exſiccat, ait *idem 3. method.* conſitente *Avicenna*, quum tractans curationem paralyſis, præcipit exhibendum vinum, opinatus vinum conſumere atque exſiccare humiditates corporis & nervorum: Sed quia ratione magis quam authoritate oportet agi, non deſunt argumenta ex quibus aperte cognoſcatur illius calor; videlicet ſenſus ejuſdem calidus, & ore & ſtomacho accepti ſapor acris & acutus, nec non amarus: odor fragrans, remorſus, aperiendi, deobſtruendi, pruriginem, ſudorem, æſtum, audaciam & Venerem excitandi virtus: vnde autem Aqua ardens eliciatur quam à calido? vnde inebriatio quam ab effuſione ſpiritus ejuſdem plurimi, à vapore diſtincti? Quibus de cauſis ſi calidum igneum, continuo & ſiccum eſt facultate: Indicio inſuper eſt quod & carnem humidam & mollem alioquin cicatrice obducit; Nemo ergo in vlceribus vinum potandum deneget; aut qui libere ac tuto non concedit, dummodo vetuſta ſint eadem, & calido cum effectu non conjuncta, quam & præſentem & imminentem vereri debemus: Et in recentibus quidem cavetur vinum propter inflammationem & conſequentia mala, quæ commemoravit *Hippocr. initio lib. de vlcer.* Quantum igitur diuturnis vlceribus curandis non improbatur, tantundem & in recentibus damnatur vinum. *Idem pag. 10.*

XLIV. *Hippoc.* non alium ulceratis *victum* quam aquam & panem deputat, *lib de Vlcerib.* Sed huic de recentibus ſermo eſt, Nam id ipſe ſtatim exprimit, præcavens inflammationem, aut ex hac gangrænam, deinde & convulſionem propter articulos: Cæterum vero quod vetuſtioribus epuli genus conveniat, non explicuit: Sentio ego in his qui ſedato laborant ulcerum vitio, niſi aut plenitudo præſertim inſignis, aut ex hac dependens affectio, vel noxa imminens contrarium ſuadeat, carnium eſum non improbari, præſertim ex animantibus quæ agitatiſſimo ſunt corpore, minimumque ſuperfluitatis reddunt, cum bono ſint ſucco; ut avium montanarum, necnon quadrupedum caro, præter ſuillam quæ, pedibus exceptis, vitioſa eſt: De ovis & caſeo recenti non alia fortaſſis eſt *Hippocrat.* ſententia; Quod & fiet verius cum aut cava, aut ſinuoſa, quod plurimum evenit, efferuntur vlcera: Vacuitates enim carnis quid citius compleat quam congenea ſubſtantia, quæ ſanguinem uberius ſubminiſtrando carnis lacunas impleat ac reparet ad conſolidandum? Obſtat tamen quod ex carne, pleniſſimi alimenti eſca, plurimus eſt proventus excrementi, quod proxime rapitur in ulcus ut ante dictum eſt: Pro ſolutione dic duplex eſſe humidum in re aliqua; vel percoctum & bene à calore ſubactum, vt excrementitii ſuperfluique parum contineat; vel quod plurimum illorum habeat, & minime percoctum ſed inquinans ſit: Humidum quod carnibus & ovis ineſt, nutritium potius eſt quam excrementitium; hinc & caro aſſa, licet plus humoris habeat quam elixa, magis quam hæc ulceribus convenit, ſicut experientia comprobat; Ita quod ulceribus incommodum eſt, idem continet ſemper aquei humidi multum, ſive per totum alimentum ſive per partes: Ex his ſunt juſcula, ſorbitiones, pulmenta, olera, acetaria, fructus horarii ſucculenti (nam ſiccati ſole vel furno non improbantur) cucumeres, piſces non ſaxatiles, lac & lactaria quædam recentia &c. Hæc vlceribus cibaria noxia ſunt omnia, necnon acria, potiſſimum cum impleri ipſa jam ſaneſcentia deſiderant.

Et

E fructibus autem excipe qui adſtringentis ſunt virtutis, vt cydonia, meſpila &c. *Idem p.14.*

XLV. Eſt hoc loco recenſendus communis medentium abuſus & in Vlceroſis, & in reliquis paſſim hominibus ſolenniter exercitus, quibus eo quod boni ſucci fervorem ſanguinis æſtumque hepatis attemperantia ſint, *fercula* paranda curant *ex cichorio, intybo, bugloſſo, petroſelino, cucurbita, ex jure carnis* elixis: vel cruſtulas panis, vel micas, ex eorum jure ſuffuſas, credentque his vtiles, ſed ſunt non parum incommodæ: Nam ſingula cum parata humorem multum combiberint, hunc intrinſecus è corporis officina digeſtum tandem in vlcus remittunt: quare per horum vſum madebit hoc, & nequiquam vllo tempore coaleſcet: hinc tenet me riſus & miſericordia laborantium, qui cum ſperaverint periodo vna Lunæ ſanatum iri, deinde ne in anno liberantur: Nam ſanentur, quæſo, vlcera quæ perpetua eſculentorum humiditate madeſcunt. *Idem pag. 16.*

XLVI. Crebrò expertus ſum quum *ſordidis ingenua* ac iuxta *talos vlceribus Mercurij præcipitati* pulverem paulò frequentius inſpergerem, illius virus cæteris membris illæſis ad dentes penetraſſe, & os ac *pharyngas diurno* nocturnoque ſalivæ effluxu maduiſſe. *Langius lib. 1. Epiſt. 46.*

XLVII. Cum vlcus planè purum eſt, à *valentioribus abſterſoriis* ad mitiora deveniendum: ſicut rurſum in *ſordidis* ad magis *abſtergentia* tranſeundum, niſi ex mordicatione ſordida facta fuerint: Hoc ipſum enim interdum Medicis imponere ſolet, vt ad abſterſorium valentius ſe conferant, vnde iterum vlcus eroſum & ſordidum apparet, carne medicamento colliquatâ ipſum fœdante, nam in pravam ſaniem degenerat caro colliquata: Itaque perpendere oportet, vtrum vlcus carne, quæ ſubeſt, exeſâ ac colliquatâ, ſordidum evaſerit, an quia medicamentum ſordibus auferendis aptum requirat, impoſitum autem tale non ſit: Indicat autem major vlceris facta cavitas, tum oræ rubentiores calidioreſque, cum medicamenti acrimonia ſordidius redditur: deinde conſiderandum an conſtitutio corporis ſit mollis & humida, an verò ſicca; molli enim mitiora, ſicciori fortiora applicanda. *Sennertus.*

XLVIII. Sæpe peccatur dum pleriqne exiſtimant ſe quàm optimè ægris conſolere ſi de die ter aut quater *vlcus deterſerint*: verum cum medicamentum non agat niſi à calore nativo in actum deducatur, atque in malignis vlceribus partis affectæ calor ſit valde debilis, multo tempore eget ad vim medicamenti excitandam: vnde medicamentum idem loco affecto diutius inhærere debet, neque vbi à calore partis affectæ vix ejus vis excitata eſt, vt jam agere incipiat, ejus actio interturbanda & novum medicamentum applicandum eſt: qua in re tamen conditio humoris vlcus excitantis conſideranda. Si enim is valde ſit acris, ſæpius abſtergendus, nè vlceratæ parti inhærens eam magis corrumpat. *Sennertus ex Galeno cap.4. lib.4. de comp. Med. ſ. loc.*

XLIX. Vix credas quam exitioſum in *Canceroſis Vlceribus* ſit *vnguentum Ægyptiacum*: Ego expertus loquor: matronam enim vidi canceroſo & fœtidiſſimo vlcere in mamma dextra laborantem, cui cum Chirurgus, vt ſuo more caſtigaret & hyperſarcoſin abſumeret, de tertio ſive quartum diem, aut alternis, id vnguentum applicuiſſet, inde vlcus in continenti adeo malignum fuit, vt intra breve temporis ſpatium mammam ad coſtas vſque roderet ægramque extingueret: *Fabricius Hildanus Cent. 3. Obſervat. 86. Cancrum* aliorum vlcerum more non eſſe tractandum oſtendunt. *Paræus l.6. c.30. Fernelius in m.6.3. c.18.*

L. *Mnaſis* vxor quæ poſt ſectionem compreſſa ſphacelum contraxit (4. *Epid.*) Chirurgis præcepto eſt ne dum circa partem quampiam vlceratam quid moliuntur, durius eam premant aut contrectent, ſed quam fieri poteſt leviter manuque ſuſpenſa; *σφακελισμοῦ* periculum imminere ex frequenti & nimia contrectatione docent carnes quæ ad cibum parantur, nam quâ parte magis attrectatæ ea facilius putreſcunt. *Valleſius.*

VLCERA CAPITIS MANANTIA, ACHORES.

SYLLOGE.

Purgatio noxia æſtate. 1.
Valida eſſe debet. 9.
Non ſemper totus proviſio habenda. 2.
Sang. miſſio & purgatio cur requiruntur. 3.
Videndum num ſubſit cranij vitium. 4.
A repellentibus in pueris cavendum. 5.
Malignorum remedium. 6.
Quæ à lac pendent remediis illis dicatis curanda. 7
Inſatia quandoque ſinenda metu maioris mali. 8.
Humor influens ſtatim an debet repelli. 10.

I. IN capitis vlceribus purgationem pharmaco per os ingeſto facere non ſoleo, præſertim anni tempore calido, ſed ſi poſſum clyſteribus acrioribus ſum contentus & tenui victu; timens illud 1. de Loc. *Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fias: calfaciunt enim caput pharmaca purgantia, & ad caliditatem febrilem accedens ea quæ in medicamento eſt, Inſaniam facit. Valleſius 2. Epid. 6.*

II. *Achores, Favi*, cæteraque *capitis vlcera* manantia poſſunt oriri interdum ex affluxu excrementitiæ materię ad cutem: interdum ex vitio proprio ipſius cutis corrumpentis ſuum nutrimentum in pravos humores: Quando ex affluxu, primum cauſæ attendendum, fluxioni ſcil. removendæ: Quando ex ſola malè affecta cute oriuntur, ſoli cuti externis & localibus remediis erit incumbendum. *Trincavellius de Med comp. l.4. c.3.*

III. Notandum circa *pharmacum* & *venæ ſectionem* in his morbis: hęc duo auxilia valida ſunt, quę morbis vehementiſſimis conveniunt: Sed ſciendum his vtendum eſſe, non ratione morbi præſentis, quia hic eſt levis: ſed ratione imminentis: cum enim debeamus vti localibus calidis, periculum eſt nè ratione caliditatis attrahant materiam in caput & fiat inflammatio. *Capivaccius l.1. Pract. c.4.*

IV. Non contemnenda leviter mala, quamvis puerulis non rite in vtero habitis non malè effloreſcant: Sed in adultis favus interdũ oſſi capitis cariem tranſmittit, ita vt ſecto pericranio os ipſum radere conveniat: Quare quidam ſunt favi maligni, de quibus *Hipp. 1. aphor.* Hi autem noſcuntur hac nota, ſi evulſi capilli viridi quid & craſſi circa radic gerant cum extrahuntur, id mali pravitatem denunciat. *Heurnius*

V. Cautio adſit in pueris de materiæ retruſione & adſtrictione, ne fiat metaſtaſis vnde facta fuit anadrome nam his morbus hic ſæpe ſanitas eſt & κατὰ λόγον naturæ iis evenit. *Idem.*

VI. Si rebellem qualitatem redoleant hæc in pueris, hoc remedio à nobis primum vſibus Medicis illato debellabitur; 6. vel 7. pars argenti vivi cum plumbo ab igne fuſa committatur, mox ab igne fundatur vt coaleſcat: hoc modo ita pervadit argentum vivum plumbeam maſſam, & exedit, imò calcinat, vt tenuiſſima friabilitate in pollinem ſubtiliſſimum ſine labore comminuatur, nam Mercurius calcinat omnia metalla: Hunc pulverem incoque vnguentis propriis. *Idem.*

VII. Vidimus Tineam in quam lues Venerea degeneraverat, quæ aliis remediis non potuit curari quàm quæ ſolent vſurpari in ea lue. *Hollerius Periochet.*

VIII. Mulierem Tinea alias tentatam, ac frequentibus quibuſdam capitis lotionibus tandem ſanitati reſtitutam, in capitis dolorem febremque continuam incidiſſe obſervavit *Saxonia*, quæ cum nullis præſidiis cederent, ſed tandem ægram poſt dies xxx. ad internecionem duxiſſent, ſublato cranio, media pars totius cerebri cum membranis putrida prorſus inventa eſt, ichore citrino referta.

IX. Oriuntur *Achores* ab exuperantia pravæ cujuſdam materiæ, acrimoniam & craſſitiem quandam in ſe habentis: Quare non ſolum quæ tenues humores, ſed etiam viſcidos medicamenta ducunt in curatione requiruntur, in qua non minus frequenter & fortiter purgandum quam in alopecia. *Rondeletius.*

X. Sunt qui influentem humorem adhuc initio, aceto vel aliis repellentibus repellendum cenſent, quod mihi non admodum tutum eſſe videtur: periculum eſt enim ne materia intus repulſa parotidas, vel alios periculoſiores tumores in alia parte excitet, vt experientia compertum eſt: Quanquam non eo inficias in corporibus parum cacochymis contingere poſſe Tineam, in cuius principio humor influens medicamentis repellentibus tuto prohiberi debeat, quia adhuc tam parva eſt, vt citra maiorem corporis evacuationem topicis ſanari poſſit: Sed ſi paulo copioſius fluxerit, & aliquo tempore reſtiterit, vix aut nunquam ſine crebra topicorum applicatione elui poterit. Supra caput autem non frigida, ſed adſtringentia, quæ multum ſiccant, & materiam collectam abſumunt, & denſando corroborant ſunt apponenda, vt ſi quis incipiente morbo chalcitidem, vel alumen in aceto diſſolutum capiti admoverit, affectum ſanare poterit, Acetum enim per ſe, vel aliis admixtum, potenter repellit, quod frigidum ſit & tenuium partium, quarum ope ſuccos craſſos incidit & attenuat, & nonnihil, ob alias partes calidas illi admixtas, diſcutit: Quare omni tempore aliis medicamentis admiſceri poterit, additis quibuſdam reſiccantibus metallicis, vt cadmia, lithargyro, ſpodio, ceruſſa vſta, pompholige, chalcantho & ſimilibus. *Rondeletius.*

VNGVIVM VITIA.

SYLLOGE.

Amiſſorum regeneratio. 1.
Pollicis pedis carni infixi curatio. 2.
Leproſorum curatio Chirurgica. 3.
Radice tenus putridorum curatio. 4.

I. VNgues intus cutem ſubnatam habent, tendineſque digitos flectentium muſculorum ſubiacentes: Quæ res ſane iis diligenter advertenda eſt qui externorum morborum curationibus animum applicant, nè in affectibus vnguium, ſi diſcedant, corrodentibus ſubſtratam tendineam carnem auferre conentur, cum & ea res ſine immenſis dolorum tormentis tranſigi nequeat, & deformitas tenaci unguis ſequatur: Quin potius magna ſolertia ſtudeant quicquid adeſt illius carnis eo aptare, ut ſperatam novi unguis generationem facili negotio aſſequantur. *Adr. Spigelius Anat. l. 2. c. 31.*

II. Ex omnibus digitis illud peculiariter accidit pollicibus pedum, vt ungues ſolidiſſimi duriſſimique ſecundum latus externum ſic infigantur ſubjectæ carni, vt & graviſſimos dolores moveant & inceſſum adimant; qui ſi reſecentur neque ſic proficitur vt denuo acceti validius non imprimantur: quo caſu cum multa ad inhibendum teorent, quotidie multi laminulas plumbeas, ſpongiolas, linamenta obtorta &c. ſubmittentes, tamen infrugiferus eſt conatus: Expeditiſſima ratio eſt ſi portiunculam carnis illius, quæ lædentem vnguem amplectitur cathæretico aut ferro reſcindas; quorum hoc vti licebit, in duriore ſenſu præditis, animoſis; cauſtico vero in delicatioribus atque in fœminis: Ad hunc modum multos, ac nominatim N. quem triennio malum afflictaverat, ſanitati reſtitui. *Severinus Med. Eff. Chir. p. 123.*

III. Pedum pollicibus ſic durus interdum ac vitreus accreſcit vnguis, ſcaber ac pſorodes, vt carne quocunque modo compreſſa & velut alliſa dolorem inferat: In Nob. N. hanc moleſtiam ſic eximi juſſi, primo vt vitro, ſive acuto firmoque ſcalpro continenti abraſu exſcinderetur vnguis ſic, vt rubellus ſupra carnem pelluceret ac tenerior redditus appareret: qua perfecta re, humido ſale foveretur pars, mox oleo ceræ ſtillatitio illinieretur, Sic homo à dolore factus liber. *Severinus Med. Eff. Ch. p. 125.*

IV. Et ex Siphilide morbo, & frigore nimium diu concepto per pedes, & ex paronychia, & ex cætero humorum vitio atque putredine, perſæpe fit vt radice tenus computreſcant vngues excitato vlcere, quod nullis vnquam remediis exiccari obducique poſſit, quam ob cauſam exciſione & candentibus ferramentis hanc curat *Paulus l. 6. c. 85.* Nempe ad Pterygium, quod de nomatum genere facit is author, referri poteſt hoc vitij, quod ipſum cum mihi ſe obtulit ita curavi, Forfice primum vnguem in ambitum ſubtuſque præſcidi, mox volſella extraxi, ſpiritum vini ſaccharo conditum affudi, & deinceps communibus ceratis vſus curavi: Ex his notabo Piſcatorem, qui quatuor iam annos vitium illud in pollicibus pedis vtriuſque pro incurabili deſtitutum fuerat paſſus, hac vna via ſanatus eſt brevi. 2. *Moniali* ex colliſu venerat abſceſſus ſub vngue pollicis dextri pedis, quo circumſecto multam ſaniem deterſimus, & vlcus paucos poſt dies prope curatum reliquimus: adempta radice vnguis quæ integra proceſſerat: Nihilominus redierat abſceſſus lateus ſub tenuiſſimum procreatum vnguem, quo circum amputata, & nova ſanie reperta, poſt triduum novam vnguis radic. confidenter extraximus, & ita pedem denique ſanavimus. *Severinus M. Eff. p. 112.*

VO-

VOLATICA.

Curandi ratio.

CVm anno 1666. apud Illuſtrem N. eſſem, Nobilis cujuſdam filiola ſex vel ſeptem circiter annorum ſubitò brachii pediſque dextri corripitur dolore, ſine rubore, tumore, aut alio ſigno externo, cum levi quodam calore: Iuſſi applicari enema, quia conſtipata fuit, brachiumque & pedes linteis fumigatis involvi, ſic per horam unam vel alteram quievit: Expergefacta de cordis conqueſta compreſſione, nec pedi inſiſtere, nec manum movere poterat, pulſus erant veloces, magni, inſignem denotantes ſanguinis ebullitionem; calor ingens cum ſiti &c. Dedi ſtatim in aqua flor. ſambuci, Pulv. alexiterium *Spindleri* (quem forte mecum habui, in expellendis variolis & petechiis probatiſſimum) gr. xviij. antimon. diaphor. gr. iv. ſalis c. c. volatil. gr. iij. quo accepto ſudavit, & ſtatim poſt prodiere maculæ, ceu morbillorum incipientium notæ: Affirmarunt adſtantes puellam variolas & morbillos jam habuiſſe. gravius ergo quid ſuſpicatus; cum ſymptomata nihil remitterent, ſeptem horarum ſpatio iteravi prædictum pulverem, & ecce poſt unius horæ ſudorem dilataţ maculæ totum ſiniſtrum brachium, illamque pectoris regionem inſtar Eryſipelatis occuparunt: Nec mora melius ſe habere, dolor evaneſcere brachii, pulſus mutari cœperunt, quin & lecto ſurrexiſſet, niſi prohibita ægra: ſed trium vel quatuor horarum ſpatio, diſparente hoc rubore, novi rediere in artubus dolores, jamque manus & pes dextri lateris dolebant: Provocato per ante nominatum pulverem ſudore novo, ſed in dextra parte apparuere maculæ, quæ dilatabantur & diſparebant, ut priores: Ita intra quatuor dies me præſente, & aliquot poſt diſceſſum (duravit enim affectus xij. dies) pervagatum eſt corpus, nullo in loco diu manente iſto rubore, ſed modo hunc modo alium occupante, prægredientibus ſemper vel brachiorum vel pedum doloribus, donec miſſa ipſi mixtura ſimplici, cum ſpir. cochlear. & ſyr. violar. de qua mixtura bis in die ad gutt. xxv. ſumebat, perfecte convaluit & adhuc valet: *Volaticam* fuiſſe, qui affectus hujus vagabundos motus bene conſideraverit nemo dubitabit: Rarus alias, nec à multis Practicis affectus viſus, aut quod ſciam, obſervatus: *Melchior Sebiſius* in Speculo ſuo p. 6. c. 52. ad Eryſipelas refert, ratione cauſæ & ſymptomatum; differentiam autem ponit in modo & more, quippe hic affectus non in uno loco manet, deinde malignitatis non plane expers eſt. Labitur autem *Vitrichius* cum medicamento ſuo repellenti quod nec in hoc, nec in Eryſipelate, aut ullo alio ubi exanthemata ſe produnt, adhibere vellem. *Carolus Rayger Ephemer. German. anni 3. p. 504. De Volatica, ſpecie ſcabies,* vide *litera S. tit. de Scabie §. ult.*

VOMITUS.

SYLLOGE.

Cuidam ſanguinis miſſio *convenit.* 1.
In gravidis cur ſangu. miſſione curatur. 9. 24.
Cucurbitulæ *admota efficacia.* 5.
Vomitu *aliquando curandus.* 2. 25.
Quando noxia curatio per vomitum. 14. a.
Clyſterum *efficacia ad ſiſtendum.* 3.
Nutrientes quando injiciendi. 4.
Elixirio proprietatis *curatus.* 6.
Acidulis *cohibitus.* 8.
Frigida *repreſſus.* 30.
Inductis a venenis corroſivis *ſedandi ratio.* 11.
A maligna qualitate *excitatus quomodo coërcendus.* 12.
In Scorbuticis *lacte potius quam adſtringentibus cohibetur.* 27.
Ob Cartilaginem Xiphoidem depreſſam *cibus ſi ejicitur, quomodo reprimatur.* 13.
A Vomitorio *nimis operante ſedatio.* 16.
Atræ bilis *periodicus chalybeatorum uſu definens.* 7. 19.
Inductus ab inſigni laxitate ventriculi, *panis biſcotti uſu curatus.* 14.
A febre maligna orti curatio. 27.
Curatio inducti ab Obſtructis Lienis arteriis. 26.
Vomitus cibi pertinax a paralyſi oris ſtomachi. 17.
Extremorum calefactio utilis. 18.
Narcotico purganti remiſto *quidam compeſcitur.* 23.
Cautiones circa Unctiones ventriculi. 20.
Emplaſtra Litibus *potiora.* 21.
Medicamenta neceſſaria ſi reſpuat ventriculus, qua arte retinenda. 22.
Cibus *quando exhibendus.* 9. 25.
Cauterium vertici *inuſtum inutile.* 15.
Opiatorum *efficacia.* 16.
Atrabilis, uſu Electuarii Lenitatis repreſſus. 19.
Vomitio alia idiopathica alia ſympathica. 24.
A vitio in ventriculo genita curatio. 24. a.
A materia acri & calida curatio. 24. b.
A vitio ſtomachi ingeſta corrumpentis curatio. 24. c.
A ventriculi reſolutione, nervis affectis. 24. d.
Laudanum quomodo exhibendum. 17. a.

I. V*Ena ſectio* in partium inflammatione neceſſario inſtituenda, cætera nocet: *Barbette Prax cap. 2. l. 4.* Iuvenis boni habitus, prorumpente materia fervida ex hypochondrio dextro, in Vomitionem conjectus, nullis potuit ſanari auxiliis præterquam ſanguinis vacuatione, tametſi de ea multum dubitarent Medici: ab hac nempe jecoris intemperies deſiit. Nauſea pariter cibi vomitus, cum appetitu, cucurbitula ad ventriculi fundum affixa reprimi non potuit, ſed ſola Sanguinis detractione ſic enim calida jecoris evaporatione imminuta, quæ ſuperius in ventriculi orificium lancinabat, laborans ad priſtinam valetudinem rediit. *I. Rhodius Cent. 2. Obſ. 66. & 67.* Vomitum bilioſum importunum Salvatellæ dextræ ſectione curavit *Zacutus Pr. hiſtor. l. ult. c. t. n. 4. Obſ. 3.* Vide §. 24.

II. Excrementa quæ ventriculo hæſerunt plerumque ſolent facere nè quæ ingeruntur contineri poſſint, & quæ impacta ſunt illius tunicis ut evomantur quæcunque in ventriculi cavo continentur: *Vomitus* ergo arte factus, qui expellat quæ hærent, aut impacta ſunt, curabit vomitum ſublatione cauſæ: velut etiam alvi profluvium ac dyſenteria expurgatione & clyſteribus curantur: Neque tamen temerè tentari debent, ſed cum auxilia, quæ per ſe morbo ſunt contraria, non videntur poſſe opem ferre: *Valleſius lib. 2. Epid. ſ. 5.* Provocandus autem eſt emetico mediocri, non imbecilli, quale eſt oleum

tepens: neque vehementi, quod à longinquis partibus trahat, vt quæ ex antimonio parantur, ſed iis quæ valida detergendi ac diſſolvendi glutinoſum illum humorem vi prædita ſunt; Talis eſt gilla *Paracelſi*, ſeu vitriolum album præparatum: paulo efficacius eſt ejus ſal, ex vitriolo ad intenſam rubedinem calcinato. *Riverius Pr. l.9.c.7. Valleriola* vetetur iis qui aſſiduo vomitu bilioſo aut pituitoſo premuntur, dare catharticum, quia cum ſtatim vomitu reddatur, nihil proſit, & admodum noceat irritato ventriculo & agitatis humoribus, non tamen evacuatis: Id verò ſolenne habeo & longa obſervatione comprobatum, prius humorem, mali cauſam, vomitu evacuare, deinde roborare ventriculum tum aſſumptis, tum admotis, vt poſtea poſſit medicamentum purgans continere: Errant verò qui ſtatim ab initio adſtringentibus vomitum compeſcunt, nam intro impingunt & retinent vitioſos humores, quos natura excernere nitebatur, futuros poſtbac gravium morborum cauſas. *Enchir. Med. Pract.*

III. *Clyſteres* in omni vomitione utiliſſimi ſunt, ſi modo paucam quantitatem injiciamus, neque fortiter laxantia aut olea præſcribantur: nam ſi multa quantitas injiciatur, pars coli, quæ ventriculo incumbit, repletur & fundus ventriculi comprimitur, & illa facultate, quæ irritat expultricem inteſtinorum, vomitum provocat, ut experientia in multis oſtendit: Neque fortes præſcribendi, quia pauca ſunt recrementa: fiant ergo ex herbis emullientibus, ſeminib. & floribus diſcutientibus flatus, diſſolvendo mel roſat. aut violat. aut caſſiam, aut ſuccum mercurialis, aut ciclæ, *Rondeletius c.7.l.2. Platerus tom.3.pag.*651.

IV. Poſt vomitionem longam, vel in eâ quâ alimenta retineri non poſſunt, injiciantur *clyſteres* ex decocto capi, ſine ſale, ſine ſaccharo oleoque, ſed cum pauco vino ad nutritionem: Danda magna quantitas horum, ut partem ſuperiorem conſcendat, ſed neque major quàm ut poſſit retineri, verum cum inanita ſunt inteſtina rapiunt talem clyſterem & retinent ad ſui nutritionem: In his optimum eſt aniſum decoquere, vt & flatus diſcutiat: nam inteſtina inanita replentur aëre qui prohibet ingreſſum clyſteris: tales clyſteres injiciendi ſunt toties quoties cibū aſſumere ſolebant: proderunt enim tribus modis, nutriendo, flatus diſcutiendo, & quia, quando ventriculus nihil aſſumit, motus ille concitationis ventriculi ad vomitum conquieſcit, & in ſeſe contrahitur ventriculus. *Rondeletius ibid.*

V. Ruſticus 34. annor. in crebertimum à cibo vomitum inciderat, aliquot diebus perdurantem, ita vt plurimis fruſtra tentatis vitæ periculum præſens ſubeſſet: hic tandem vnica *cucurbitula*, fundo ventriculi bis adhibita poſt cibum, à vomitu liberatus eſt: Erat autem tanta ipſius imbecillitas vt præter vomitum ſanguinem quoque per nares ſæpiſſimè magna copia excerneret: quod tamen ſymptoma cum reliquis vnico illo remedio evanuit. *Rumlerus Obſervat.* 14. Hæc non tantum ſubverſionem ventriculi revellendo cohibet, ſed imbecillum & exſolutum quoque roborat, ait *Oribaſius l.7. collect. c.*17. Levis tamen, ſeu ſicca ſit, ex *Paulo l.6.c.*41. cum modicâ flammâ, vt monet *Sennertus l.3. Pract. p.1.ſ.2.c.* 12. *Velſchius in notis.*

VI. Mulieri enormiter vomenti ab Iliaca paſſione, plurima remedia nihil profuerunt, donec gutt. aliquot Elixir. propr. *Paracel.* fuerint exhibitæ ab *Horſtio, t.2.p.*174.

VII. Quidam natura melancholicus tribus quibuſque menſibus, vno die, nigerrimi humoris, & atrabilarii copiam rejiciebat, ſuperveniente intenſiſſima febre: Cum obſtructiones adeſſe conjicerem, *Chalybem præparatum*, in decoctione eupatorii diſſolutum, 40. dierum ſpatio aſſumendum ſuaſi, cum exercitio valido: hoc præſidio vomitus ceſſavit omnino, chalybis vi deobſtructis viis: vomitui ſucceſſit ſanguinis excretio per ſedem. *Zacutus Pr. Adm. l.1. Obſ.*15.

VIII. Vir xxxv. annorum, Senatorii ordinis, lienis affectibus obnoxius, vomitu ciborum premebatur tam inopinato, vt & diſcum & patinas conſpurcaret, vſus per menſem acidulis Vice-Comirenſibus, in Avernia ſitis, liber ab affectu Genevam, patriam rediit.

IX. Ex *Avicenna* conſilio, qui vomunt non comedant donec fortiter fameſcant.

X. In multis morbis à bile oriundis convenire *frigidam* tam antiquorum quam recentiorum ſcripta teſtantur: Illuſtr. quidam *Baro*, natione Gallus, aliquando in conventu diſceſſum ſuum irrigavit plus quam liberaliter nimbo Bacchi ex Canariis oriundi, Comites ejus aulici domum redeuntes vomitionibus tentabantur: videbatur hoc ſymptoma tanquam ex crapula natum. Die ab hinc tertio Illuſtr. ipſe malo vexabatur conſimili ſed multo acerbius, quia ætas grandior & ventriculus ignavior, Vocor ego placaturus ventriculum irritatum: Conor hoc efficere variis confortantibus internis & adſtringentibus externis: Omnia incaſſum, quicquid aſſumebat ſeu potulenti, ſeu eſculenti ex fermentatione tantas excitabat inflationes & anxietates vſque dum evomitio reduceret inducias & brevem quietem: Tentabam plogoſin ex vini flamma contractam extinguere julepis vitriolatis & emulſionibus, ſed fruſtra; turbationes, & aſſumptorum exturbationes inſtabant pertinaciter: Conjiciebam tandem vitriolata potius exaltare vitioſum ventriculi fermentum; nec Emulſiones etiam ſatis exceſſum illius infringere poſſe, eo quod non tam copioſe vel ſuadeantur à Medicis, vel ab ægris aſſumantur ſine faſtidio: Proponebam ideo hauſtum frigidæ, fermentum non augentis ſed diluendo debilitantis liberaliſſimum: Evacuabat vitrum ℥xij. capax: hoſpitem amiciſſimum amicè excepit ventriculus & pacate ſuſtinuit, citra ſolitam hactenus fermentationem; Miratus hanc pacem Illuſtr. potu frigidæ continuato totum hunc Archei furentis impetum tuto, cito, jucunde compeſcuit. *Sigiſm. Graſſius in Miſc. Cur. ann.* 4. *&* 5.

XI. Inter *venena vomitus* enormes, atque vt plurimum lethales producentia Arſenicum, Auripigmentum, Mercurium ſublimatum corroſivum refero, rimus, quæ omnia propter latentem manifeſtamve ſuam acrimoniam fœliciſſime temperantur, & ad blandiorem excretionem præparantur oleoſis, juſculis puta pinguibus, oleo expreſſo quovis, butyro &c. Inter quæ *Lac* etiam ab ipſis coagulari ſolet, ruſumque excerni, vnde hactenus quoque prodeſt, quatenus ſcil. promptius illi ſe jungunt venena illa coagulantia, & eo ipſo vim ſuam nocentem amittunt. *Sylvius de le Boë Pr. l.1. c.*15 §.36.

XII. Si quædam *maligna pernicies*, vt per *febres peſtilentiales* contingit, Vomitum moleſtiſſimum ciet, ea non catharticis, nec vomitoriis, ſed ſolis cardiacis, tum ſumptis, tum admotis oppugnanda. *Ench. Med. Pract.* In eo qui febribus malignis ſolet accidere, præſtantiſſimum eſt remedium *ſalis abſyn-*

bſynt. ℈j. *cum ſucci citri recentis* ℥ß: hoc enim præter detergendi vim ſaturat aciditates peccantes: Id uod etiam *margarita præparata*, *terra ſigillata*, *olus armena cum rob ribium vel berberorum mixta aqua acetoſa præſtant.* *Frid. Hofmannus m. m. b. 1. c. 19.*

XIII. Quidam ob vigilias incidit in *tantam ventriculi debilitatem* vt aſſumptum alimentum illico vomitione rejiceret, difficulter reſpiraret, pateretur ructus, gurgulationes & ſingultum, & in dies extenuaretur magis pallidus, decolor & exanguis: plura pro debilitate ventriculi parata adjuverunt nihil, Elevata Enſiformi cartilagine, vi cucurbitulæ ſiccæ, ſupra os ventriculi admotæ, & Empl. adſtringentium ope, liberatus. *Zacutus Pr. Adm. l. 1. Obſ. 32.* Cartilaginis Xiphoidis incurvatio (alias procidentia ipſius pectoris) lædit ventriculum atque vomitum excitat, ſimulque ſpirandi difficultatem oblæſo diaphragmate: Ideo mature revelanda hæc cartilago, & ad ſuum locum reponenda: De hoc morbo *B. Codronchius & Septalius. Rislanus Encheir. p. 198. Barbette Pract. l. 4. c. 2.*

XIV. Vomitum diuturnum ab *inſigni laxitate ventriculi* refrænavit Mercator aſſumptis quotidie per dies xl, mane, jejuno ventriculo, ſine potu, quatuor aut quinque horis ante prandium, panis bis cocti duabus vel tribus vnciis: humore namque conglobatus in pilæ modum ventrem mollit, ac ventriculum inſigniter corroborat: Huic remedio præluxit *Plinius l. 22. c. 25.* contra deſtillationem, quam Nob. *Peireskius* buccella cruſtæ ſicci panis, cum frugemate odorato compeſcuit. *Rhodius cent. 2. Obſervation. 68.*

XIV. *a.* Cum Vomitus cauſa aut in *ventriculo adhæret*, aut in ejus ſubſtantia imbibita eſt, illi nunquam mederi licet per ea medicamenta quæ vomitum moveant; nam cum ex hac cauſa vomitus & nauſea maxime excitentur, & ventriculus vi prædictorum medicamentorum plus reliquorum excrementorum trahat ex reliquo corpore quam quicquam eorum, quæ continet, excernere poſſint, ob id alia via incedendum eſt: Quapropter ſupereſt in prædicta cauſa triplex curandi ratio, Vna quæ docet ciborum adminiſtrationem, quos duplici conditione præditos eſſe oportet, ſcil. laudabilis nutrimenti & facilis coctionis, vt levi negotio, antequam reliquorum ſuccorum vitium contrahant, conficiantur, & reliquis admiſti eorum impuritatem compeſcant: Altera vero quod ſint ex toto contrarii qualitati ſuccorum præexiſtentium, vt & qualitate & ſubſtantia eos attemperent & compeſcant: Secunda curandi ratio alia auxilia ſuppeditat, quæ abluendi & leniendi ſuccorum acrimoniam vim habeant, nam hujuſmodi cauſa potius malitia quam copia ventriculum ad vomitum laceſſit: Ob id quidem præſtant medicamenta duorum generum, quædam quæ id, quod mox diximus, efficere habeant, qualis eſt *ferventiſſimus aquæ potus*, quæ copia abluit, calore ſeparat viſcidos humores, & infarctos penetratione & dilatatione, ob actualem calorem mire abluit expurgatque; præſertim ſi aquæ permiſceatur (licet optime id ſola valeat efficere) aliquid quod adverſus humorem peccantem pugnet, veluti in pituita *mel roſaceum*, aut *oxymel*; in flava bile, craſſa & adhærente, *ſacchari & hordei decoctum*: Reliqua vero medicamenta quæ huic vſui deſerviunt, ea ſunt quæ ventriculi ſenſum quodammodo hebetare habeant, velut pinguia & mucilaginoſa omnia: Vltima medendi ratio, & in qua potiſſimum huius mali medela conſiſtit, ea eſt quæ docet hos humores infarctos & imbibitos per infernam alvum purgare, eis tamen medicamentis quæ ſenſim & paulatim id efficiant, nam cum hujuſmodi humores ſint infarcti aut adhærentes, nequeunt copioſe excerni, niſi à validiſſimis medicamentis, quæ & proſternere naturam, & plures humores ventriculo alliciunt ſupra diximus: quare mitiora, aut in parva quantitate, & repetitis vicibus ea adhibere oportet: illud quidem vt tantum moveant quantum purgare ſunt nata, hoc vero vt frequentia adimpleant quod ex quantitate detrahitur. *Mercatus.*

XV. Quidam ſæpius à cibo, à prandio æque ac cœna, noctu quoque nunc tenuiorem, nunc craſſiorem humorem Evomere conſueverat; Caput dolebat ac erat grave: Plurimis viſum tantam vim pituitæ de cerebro venire: Varia remedia parata fuerunt, noviſſime etiam ſetaceum, at fruſtra: Defuncto ægro fiſtula ſtomachi inveniebatur: Cauterio quoque verticem quidam inurunt, quod remedium quam triſte eſt tam ſupervacaneum: Eo non curantur ægri ſed maceranturt, & quidem communi inveteratoque errore iſtius opinionis, Cerebrum quotidie liquore pituitæ ſe complere, iſtumque aliquando in ſtomachum evomere: Atque ſi cerebri humores hac via defluerent, eum curſum cauteria bregmatis inhibere haud poſſent, nam talem humorem (ita vulgatis fert opinio) emittunt venæ cerebri intimæ, quas ea cauteria haud tangunt, nec exinanire queunt, nec ſtringere: Sed quidam, *inquis*, eo remedio perſanati fuere, præſto ſunt teſtes? Adverſus hoc tibi reſpondeo, Non teſtes ſunt ſed aſſertores plane inanes: Illi ægri diarrhœam aut vomitum quidem paſſi fuerunt, minime cognomento Cerebralem: atque hi reliquis remediis aptis curati fuerunt, cauteriis vero vexati. *Schneiderus.*

XVI. Vomitoria medicamenta, perperam vel nimia quantitate aſſumpta, & vomitum immanem producentia ſolis *Opiatis* compeſci poſſunt ac devinci. *Sylvius de le Boë Prax. l. 1. c. 15.* Ad exhibito pharmaco Vomitorio aliquoties repetit vomendi impetus, vſque dum tincturæ venenatæ materies etiam à cruſta villoſa ventriculi abſtergatur & demum tota foras rejiciatur, proinde ut tunicæ interioris fibræ nerveæ virus illius non amplius imbibant: At vero non ideo ſemper vomitionem finiri contingit, quin pharmaco licet penitus rejecto, nulloque ejus contagio ſuperſtite, ſæpe tamen ſpiritus ſtomachici nimis laceſſiti furorem ſuum ægre dimittunt; adeo ut à ſucco quocunque alio (quem fibræ nerveæ imbiberint) irritentur, inque ſpaſmos emeticos agantur, quin & crebra interdum vice eos repetant: Quare tunc ut vomitio ceſſet nihil omnino potus ſive alimentoſi ſive cardiaci ventriculo ingeratur, atqui fotu calido externe adhibito ſomno indulgeatur. Porro nonnunquam humores alij è vaſis expreſſi, ac præſertim bilis è meatu choledochoin ventriculum ſuffuſa, non tantum vomitorio vires addunt, ſed operatione ejus finita ſtomachum ultra laceſſere & in contractiones excretorias urgere perſtant, Ob hanc rationem quando bilis exundat, ſiquidem à levi occaſione illa in ſtomachum accerſitur, ſæpiſſime à pharmaco mitiori vomitio immanis cum horrendis ſymptomatibus excitatur; cujus interdum ſedandæ gratia Enema leniens, quo bilis turgeſcens verſus inferiora ſollicitetur, exhibere convenit. *Willis Pharmac. Ration. ſect. 2. cap. 2.* In Hypercatharſi a vomitorio inducta, patiens mox lecto commiſſus remediis tum internis, tum exter-

nis ſedulo tractetur, & primo ut ventriculi hoſpites quietentur, aut fotus calidus è decocto abſynth. Pont. menthæ, & aromatum in vino rubro adhibeatur; aut placenta è mica panis toſti, & clareto calfacto immerſi applicetur: Enema ex lacte cum Theriaca diſſoluta injiciatur: Membrorum frictiones calidæ, & ſupra genu ligaturæ fortes, quæ ſpaſmos ab iis partibus arcent, adhibeantur: Ventriculus interim, niſi lipothymia urgebit, vacuus ſervetur; quamprimum vero iſte quidpiam alimenti aut medicamenti recipere poteſt, aqua cordialis, aut vinum uſtum calidum aſſumatur: In perturbatione ingenti, ſi pulſus admittit, Theriaca Androm. aut Diaſcord. quandoque, item Laudani ſolutio, aut tinctura Opiatica convenient. *Idem. cap.* 3.

XVII. Vir robuſtus, & alias ſatis ſanus, à longo tempore vomitu crebro laborans, comeſta quæque ſæpius mox rejicere ſolebat: Tandem victis omnibus remediis, morbus in eum ſtatum devenit ut valde eſuriens comederet, donec oeſophagus ad gulam uſque impleretur, deinde nihilo in ventriculum illabente, ingeſta quæque cruda regereret: Cum ideo propediem interire periclitaretur, inſtrumentum ei inſtar virgulæ, è pinna cetacea, cum ſpongiæ fibula apici ejus affixa parabam: hoc ægrotans ſtatim à cibo & potu, gutturi unaque oeſophago immittens, alimenta, ſecus reſtagnatura in ventriculum, orificio ejus reſerato, detrudebat: atque hujus ope per 16. annos pabulum quotidie ſumpſit; eademque adhuc machina utitur: Proculdubio in hoc caſu os ſtomàchi, ſive à tumore, ſive à paralyſi ſemper occluſum nihil niſi violenter reſeretur in ventriculum admittit. *Willis Pharm. Rat.p.*45.

XVII. *a.* In Vomitu, & Cholera morbo, *Laudanum* detur cum ſyrupo, vel tinctura roſarum, vel cum ſapa cydoniorum, atque illico applicetur regioni ventriculi cucurbitula, & ex fermento pulvere abſinthij & cortice aurantiorum, ſubactis cum ſucco menthæ catapl. *Theodor. de Mayerne Tract. de Laudano M S.*

XVIII. Ex *Avicenna*, mirabile eſt in ſedando vomitu *calefacere extremitates*: Nec ſibi contradicit dum alibi ſcribit infrigidationem extremitatum ſedare vomitum velocem calidum: reſpicit enim ad vomitum qui habet rationem cauſæ, ut eſt vomitus in quo velociter movetur materia calida; extremitates namque refrigeratæ frigiditatem impertiuntur ori ventriculi, quod inde adſtringitur, unde vomitus ſedatur: Hic igitur refrigeratio extremorum dirigitur ad vomitum non ad materiam: contra extremorum calefactio non reſpicit vomitum, ſed materiam vomitus, quam ad inferiores partes rettahit: ideuque *Avic.* proponit medicamenta vehementer calida, ita ut etiam ad rubrificantia aſcendat, & ad exulcerantia, quæ ſæpius cruribus applicat revulſionis gratia. *Capivaccius Pr. l.* 3. *cap.* 11.

XIX. D. *Girardus*, ſeptuagenarius, Senator Neocomenſis, anno 1664. *Vomitu acerrimi & nigerrimi humoris* per intervalla premebatur; præcedebat immanis ventriculi dolor, terebranti ſimilis, digitoque in os immiſſo talem humorem eliciebat: Quærebat à me remedia ventriculo; ſed lieni ſuccurrendum dixi, quo nunquam ſe laboraſſe aſſerebat, faſtidienti multitudinem præſcripſi uſum Elect. Lenitivi, Catbolic. vel ſimilis, quo congeries humoris præcaveretur, ac à liene ad ventriculum influxus; Paruit conſilio per menſem, immuniſque à vomitu & doloribus tamdiu permanſit: Tandem, pro more gentis, ad Sacrificulum, in Ditione Friburgenſi medicinam factitantem, Magiæ ſuſpectum, divertit: qui neſcio quæ præſcripſit, à quibus peſſimè habuit, clinicus enim evaſit, qui ante ἐμδημία rebus vacabat, paucisque poſt diebus obiit, prægreſſis maximis ventriculi doloribus: Aperitionem cadaveris petiere conſanguinei, quibus prædixi in ventriculo vix quicquam noxæ repertum iri, in liene cauſam mali quærendam: revera inſons fuit ventriculus, nam, præter nucleos ceraſorum pridie ingeſtorum, nihil repertum: ſed lienis ſumma & tertià circiter pars omnino abſumpta erat, quaſi mordicus amputata: cætera ſcrutari non licuit ob diſſectoris imperitiam, qui lanio quàm Anatomico ſimilior. Affectio ad morbum Nigrum *Hippocr.* accedebat, de quo *lib.* 2. *de morb. t.* 161.

XX. Quia *Emplaſtra* tardius operantur, unguenta paranda ſunt, vel linimenta, vel inunctiones, ſupra quas pulveres aſpergimus, addita aceti bona quantitate. Inunctio debet eſſe initio calidis, in fine frigidis, nam calida omnia & frigida conſtringunt, tepida relaxant: Et debent inungi ſine frictione multa, ſed fovendo leviter tantum: nam omnis agitatio aut motio circa os ventriculi vomitum provocat. *Rondeletius.*

XXI. *Emplaſtra* præ cæteris Topicorum formis, ne per inunctiones fricando ventriculum, Vomitus nonnunquam concitetur, hic ventriculo applicanda potius. *Platerus.*

XXII. Quando medicamenta neceſſario adhibenda ventriculus omnino reſpuit, antequam ægro aliquid propinaveris, applica tale Emplaſtrum. ℞. *Ol. maſtich. cydonior. ana.* ℥ß. *cruſta panis aſſa, & in aceto forti duabus horis madefacta* ℥ij. *ſpodij, maſtiches, menthæ, corall. rubr. præparati, ſantal. alb. rub. ana.* ʒj. *far. hordei q. ſ. ad ſubigendum*; Valent ligaturæ extremorum dolorificæ: cucurbitula ſicca fundo ventriculi admota: *Crato Conſ. l.* 2. *ſ.* 64.

XXIII. In vomitu vehementiſſimo dentur *Laudani grana iij. & maſſæ Pilul. Cochiar.* ℈iß. Sedabitur vomitus, & quinque poſt horis purgatio fiet per inferiora: Satis magna ponitur purgantium quantitas, quia infringitur à laudano, quod ideo miſcendum eſt cum diagrydiatis & colocynthiatis. *Riverius l.* 9. *c.* 7.

XXIV. In Vomitione ſymptomatica cauſa conjuncta, aut in ventriculo ſubſiſtens, affectum iſtum idiopathicum perducit, aut in aliis partibus defixa earum ſpaſmos, &, communicatione per nervos facta, in ventriculo perturbationes emeticas ciet: uti in paroxyſmis nephriticis, colicis, hyſtericis, vertigine, & multis aliis contingere ſolet, cujuſmodi vomitionis ſympathicæ medela à morbi primarij curatione dependet: Materies autem Emetica in ventriculo ſubſiſtens, vel in ipſum aliunde ſuffunditur, vel ob coctionis defectum aut depravationem illic progignitur: Utroque reſpectu præſens ſaburra imprimis èliminari, dein uberior ejuſdem proventus præcaveri aut præſcindi debet: Itaque ut impora materiæ viſcoſæ colluvies è ventriculo abſtergeatur, vomitio lenis cum ſero lactis carduato, vel oxymelite aut vino ſcyllitico, vel cum decocto flor. chamom. aut radic. eupatorii, ſolutione ſalis vitrioli & ſimilibus inſtituatur: dein reliquiæ per enemata, aut catharſin, aſſumptis Pilulis maſtich. ſtomach. cum gum. vel Tinctura ſacra, aut infuſione Rhabarb. blanda ſubducantur: Porro cum ſanguis impurus aut rancidus materiæ incongruæ penum ſubinde novum, aut per arterias, aut per vaſa choledocha

ſæpe

ſæ[illegible] exu[illegible]an ia ventriculo ſuggerens, diatheſin E[illegible]am intat, *Phlebotomia* non raro juvamen [illegible]ſtat: Et propterea *Gravidarum* vomitiones h[illegible]emedii genere crebro ſanantur (vide *titul. de Pragnans.* §. 6.) Inſuper ea conveniunt quæ ſanguinem attemperant, quominus recrementa adulta in eo generentur: Hinc ſerum lactis, acidularum potus, herbarum ſucci, ſal prunellæ, & ſimilia, quatenus ſanguinem fundunt, ejuſque recrementa alio perducunt, diſpoſitionem vomitivam non raro tollunt: Hujuſmodi remedia etiam in uſu erunt, ſi vomitio crebra ac quotidiana ab humoris biliarij & pancreatici congreſſu & lucta, inque ventriculum regurgitatione procedat. *Willis Pharmac. rat. ſect. 2. cap. 3.*

XXIV. *a.* Vomitio crebrior, & curatu difficilior, ea eſt quæ a materia incongrua, intra ventriculum genita provenit, quatenus nimirum ob viſceris hujus fermentum vitiatum comeſta quæque in putrilaginem irritativam degenerant: Quamobrem in hoc caſu, poſt ſtomachi ſordes per evacuantia lenia deterſas, remedia vulgo *Digeſtiva* appellata, ex uſu eſſe ſolent, quæ juxta quod ventriculi ſuccus fermentativus, indolis ut plurimum ſalinæ, quandoque etiam ſulphureæ exiſtens, in vario fixitatis, fluoris, aut aduſtionis ſtatu fuerit, diverſimoda exiſtunt, & modo hæc modo illa potius juvant: In Ructu, & *vomitione acida*, medicamina ſequentia tenentur, & a juvantibus methodi inſtituendæ ratio deſumatur: ℞. *Pulv. Ari compoſ.* ʒiß *ſalis abſynth.* ℈j. *ſacchar. roſ.* ʒiij. *f. Pulvis, detur* ʒj *mane & hora quinta pomerid. in hauſtulo cerevitiæ cum macere, & cruſta panis cocta, vel in aqua deſtillata, aut Tinctura Abſynth. Pontici* ℞. *Pulver. eboris, ocul. cancri, corall. rub. ana.* ʒij *corall calcin* ʒj. *ſantal. rub. cinnamomi, ana.* ʒß *f. Pulvis, doz.* ʒß. *eodem modo.* ℞. *Tinctur. ſalis Tartari* ʒj. *dozis* ℈j. *ad* ʒß. bis in die in aqua diſtill appropriata. *Idem.*

XXIV. *b.* In *Vomitione acri & calida*, medicamenta ſale acetoſo & vitriolico prædita magis conveniunt: C[illegible]ebre illud *Riverij* in hoc caſu locum habet. ℞ *Salis abſynth.* ℈j. *detur in cochleari uno ſucci limonis* ℞ *Corall. præparati* ʒij. *ſalis abſynth.* ʒiß *ſucci limon.* ℥ij [illegible] ſtent in vitro capaci, *adde aq. cinnamomi fortis* ℥ij. dozis cochleare unum vel duo, bis in die, vaſe prius agitato. ℞. *Pulv. ebor. corall ana.* ʒij *vitrioli martis* ʒj. *ſacch. c.* ʒj. *miſce*, divide in 6. vel 8. partes, pars una ſumatur bis in die cum conveniente vehiculo. In hoc caſu Aquæ minerales purgantes, quæ plurimum nitri in ſe habent; etiam Acidulæ ferratæ, juvamen egregium ſolent conferre. *Idem.*

XXIV. *c.* Si quando Stomachus pleraque ingeſta in putrilaginem [illegible] & amaricantem (uti crebro a[illegible]) pervertens, propterea in vomitiones cr[illegible] fit p[illegible]vis, remedia tum acida, tum amara co[illegible] veniens, ℞. *Elix. Propriet.* ℥j. dozis ℈j. bis in di[illegible] hi[illegible]lo: ℞ *Rh[illegible]rb. pulver. gr. xxv ſalis al[illegible]* ℈j *aquæ cinnam.* ℥ß *ſucci limon.* ℥j. *miſce*, [illegible] natur aut per ſe, vel cu[illegible]o liquore. ℞ *Pulver Ocular. cancri* ℥ß. *Tartar. chalyb.* ʒij. *ſacch. candi* ʒj *f.* Pulvis dozis ʒß. cum vehiculo idoneo bis in die. *Idem.*

XXIV. *d.* V[illegible]mitionis crebræ & [illegible]abitualis ſæpenumero cauſa eſt, non [illegible] materies ventriculum irritans, quam [illegible] earum ejus nervearum debilitas, & ni[illegible]a in irritationes p[illegible] inquantum ſcil. illæ teneræ admodum, aut inf[illegible]æ, neque ingeſta coquere, nec eorum onus ſive gravamen ſufferre valent; quin à quolibet iis incumbente mox irritantur, & proinde quod mo[illegible]ſtum eſt expellendi gratia fibras carneas in ſpaſmos emeticos cient. Hujuſmodi Affectionis duo ſunt præcipui caſus, videlicet aut ſtomachi debilitas, fibris ipſis inſita à paſſionibus inordinatis, vel crapula, potationibus aſſiduis ac immodicis, vinorum aut aquarum ardentium crebra ingeſtione, aliiſque in victu erroribus contrahitur, quatenus nempe fibræ illæ ſupra modum diſtentæ, aut nimis excalefactæ, & velut aſſatæ, ſpiritus animales in uberi ſatis copia admittere aut continere nequeant; Vel ſecundo fibræ illæ, quanquam per ſe rite ſatis habentes, tamen propter nervos alicubi obſtructos, debito ſpirituum affluxu deſtituuntur, perindeque languidæ & flaccidæ ingeſta quæque haud tolerant, quin ſtatim aggravatæ per vomitum ejici cogunt: Ita novi p[illegible]tes ſine ulla ventriculi impuritate, aut languore ab inordinationibus contracto, viſceris illius quadam q[illegible] paralyſi affectos appetitu caruiſſe, atque vomitioni aſſiduæ obnoxios fuiſſe: In priori [illegible] ejuſmodi remedia indicantur quæ *Fibras nimis diſtentas & tenues* ſtypticitate ſua corrugari, ac in ſpatium brevius contrahi faciant, necnon quæ mulcimine ſuo pergrato, ſpiritus illuc copioſius allectent, & languidos reſocillent: ℞. *Conſerv. roſ. rubr. vitriolat.* ℥iv. *myrobalan. condit.* ʒvi, *zinzib. in India condit.* ʒiß *ſpec. de hyacint.* ʒiß. *croci Martis rubicundiſſ.* ʒj. *ſyrup. è corall. q. s. f. Electuar. Doſis* ʒj. *bis in die, ſuperbibendo hauſtulum aq. deſtillata.*

XXIV. *e.* In ventriculi debilitate, ſive reſolutione propter *nervos alicubi obſtructos* excitata, remedia Antiparalytica cum ſtomachicis adjunctis præcipui erunt uſus ℞. *Elixir proprietat. Par ac.* ℥j. dozis ℈j. bis in die cum aqua ſequenti, ℞. *Summit. cupreſſi man. vi. folior. ſclarea manip. iv. cortic. exterior. xii. arant. cinnamom macerat ana.* ℥i *rad. cyperi, galanga minor ana* ʒß. *inciſis & contuſis affunde cerevif. Brunſvvic. lib. viii. diſtilla organis comm. Tinctura ſalis Tartari, Coralli, Antimon.* eodem modo poſſunt uſurpari: In hoc caſu *ſpir. Salis dulcis*, item *ſpiritus Salis armoniac.* aut *flores eius*, egregium juvamen præſtant. Porro Vomitoria & Purgantia, quin & Diaphoretica ſæpe cum fructo adhibentur: Novi hunc affectum per Balneationem in Thermis Bathonienſibus aliquoties feliciter curatum. *Willis ibidem.*

XXV. Vomitus Vomitoriis curatur, ſi vires valeant, Id quod etiam *Hippocrat lib. de Loc.* confirmat, quia eluuntur ea quæ vomitus cauſa ſunt, Sic miles quidam corripiebatur febre ardente, & omnia aſſumpta per Vomitum rejiciebat, cui quinto die, in quo conſilium à me petijt, exhibui Salis Martis ʒß in cerevitia moderate frigida, à quo vitioſorum humorum ſaburram rejecit, & alia aſſumpta bene retinuit, ut confirmaretur hoc vulgatum Medicorum Vomitum vomitu curari: Ejuſmodi itaque vomitus ſymptomatici ſæpius ab humoribus ventriculum laceſſentibus proveniunt: Sint tamen Vomitoria ejuſmodi quæ ſimul adſtringunt & ventriculum roborant, ad *Hor. Augeni lib. 6. Epiſt p. 219.* imitationem. *Fred. Hoſmannus m. m. l. 1. c. 9.*

XXVI. Sæpenumero oritur ex *obſtructis lienis arteriis*, & tunc confert uſus acidularum Martianum: Conſulis N. uxor 39. annorum, menſibus rite fluentibus c[illegible]querebatur de vomitionibus, ſingulis di[illegible]bus infeſtantibus, vel ante prandium, vel ante cœnam, cum dolore gravativo hypochondrii ſiniſtri, capitis dolore, cordis anxietate

norabili: Varii humores vomitionibus rejiciebantur, Exhibita fuere primo vomitiva, purgantia &c. Externe balſama corroborantia, ſed omnia fruſtra: Tandem ex ſolo vſu acidularum Martialium in decocto pomorum *Berſdorff.* convaluit. *Frider. Hofmannus m.m.l.1.c.19.*

XXVII. Qui de *Scorbuto* ſcripſerunt, omnes fere medicamenta antiſcorbutica in lacte vel ſero lactis exhibere jubent, Scribitque *Eugalenus* Vomitum in Scorbuticis tectius lacte quam adſtringentibus ſiſti: cum tamen lac facile corrumpatur, & obſtructiones pariat, Id vero propterea vtile eſſe quoniam pingui ſua ſubſtantia humorum acrimoniam inſigniter attemperat: Quanta enim acrimonia humores in Scorbuticis prædici ſint, cum gingivarum, tum crurum ulcera depaſcentia ſatis arguunt: Vidi à ſanguine ſcorbutico per nares exſtillante non tantum linteamina, ex tela ſatis craſſa, quibus excipiebatur, corroſa, ſed & lotrici, eadem purganti, manus exulceratas: Nec metuenda vel ipſius corruptio, vel obſtructionum per id procuratio: Omnia enim iſta nocumenta avertent coctura & conditura per ſaccharum aut ſal facta; Quin & antiſcorbutica eadem incoqui ſolita eadem net ſufficienter præcavebunt: Quod autem vomitus eodem melius quam per adſtringentia ſiſtatur, non dictam ſolummodo eſſe puto cauſam, ſed etiam quia ob facultatem abſtergentem, humores illos acres extergit & per alvum deducit; cum adſtringentia è contrario ipſos intra corpus detineant, & tunicis atque villis ventriculi fortius affigant; vnde perpetua poſtmodum oritur vellicatio & ad vomendum irritatio. Ipſum denique ſerum idcirco exhibetur, quia non ſolum humores contemperat & abſtergit, verum etiam ob nitroſitatem, adeoque ſalem volatilem, fixum illum Salem apud Scorbuticos abundantem, aggrediens reſolvit & volatiliorem reddit. *Michaël Doringius Epiſt. 30. Centur. 2.* In vomitu Scorbutico calida & acria nocent, & exaſperant magis malum; conveniunt contra mitigantia dolorem, ac acrimoniam & ſal ſcorbuticum; imprimis lac caprillum cum ſucco naſturtii vel cochleariæ &c. *Petræus Noſologia Harmon.p.m. 400.Barbette Prax.p.27.*

VOMITVS SANGVINIS, PVRIS.

SYLLOGE.

Purgatio confert. 1.
Non omnibus ſiſtendus. 3.
Topicis calida admiſcenda & tenuium partium. 2.
Saphenæ ſectione repreſſus. 4.
Oleoſa nocent. 5.
Acetum ſolitarium non dandum. 6.
Ab hauſta hirudine concitatus. 7.
Vomitus à Liene. 8.
Vomitus Puris curatio & præcautio.

I. PVrgatio blanda & frequens inſtituenda eſt qua ſanguis à ſeroſis & bilioſis humoribus, hunc affectum producentibus repurgatur: Cujusmodi purgationes à Medico prudenti celebratæ mira præſtant, vt nos experientia didicimus: debent autem fieri ex rhabarb. myrobal. tamarind. & triphar. Perſic. quæ medicamenta purgando adſtringunt, & humores nullomodo agitant, vnde metuenda non ſit Vomitus ſanguinis concitatio. *Riverius l. 9.c.9.*

II. In vnguent. epith. aliiſque topicis, animadvertendum vt cum adſtrictione quadam caliditatem habeant: nam quamvis fluxus compeſcatur frigidis & adſtringentibus, indicatione tamen ſumpta à partis (ventriculi) functione, & tempore hoc fit; Optima ſunt cyperus, ſpica, caſſia, cinnamom. (quod vim habet adſtringendi) inter alia adſtringentia: nam præter id quod partis temperiem ſervant, faciunt etiam ad penetrationem adſtringentium & frigidorum, quæ ſua natura ſunt craſſarum partium.

III. Paravii duæ fœminæ imminente fluxu menſium, pridie ſanguinem vomitu rejecerunt, imo vomitum præſenſere: quem ſi Medicus prohibere tentaret, varia ſuboritura eſſent accidentia, ipſo vomitu ſublata. *Iohann. Rhodius Centur. 2. Obſervat. 64.* Fœmina plethorica & obeſa ſæpe quotannis vomitu fuit correpta ſanguineo, copioſo, ſine virium debilitate, idque fere ſemper tempore menſium, qui vel pauciſſime tum fluxere, vel plane ceſſarunt: Suaſi vt nonnunquam aperiret ſaphenam, & vteretur moderate moventibus menſes; Sed ab aliis perſuaſa, omiſſis jam commemoratis remediis, validis adſtringentibus adhibitis, vomitum quidem iſtum compeſcuit, ſed paulo poſt in morbum arthriticum, & graves capitis dolores incidit, vt nunc etiam annos aliquot ſemper lecto ſit affixa. *Schenckius Obſervat. l.3.cap.de Vomitu.*

IV. Iuvenculæ carnoſæ intra diem & noctem xxx. pene libræ ſanguinis, ob omnimodam *menſtrui ſuppreſſionem* evomenti, auſero, reclamantibus aliis, qui è cubito ſanguinis miſſionem imperabant, novem uncias è malleolo, per intervalla tria; Iterum ceſſante aliquantiſper hora prima pomeridiana duas vncias partite exhaurio, & nona, vnam & dimidiam: hac vacuatione ſanguine ad originem attracto omnino ſedatus fluxus. *Zacutus Pr.Adm.Obſervat.13.l.2.*

V. In *ſanguinis vomitu* ſuſpectus eſt oleorum vſus, eo quod orificia venarum reſerent magis quam adſtringant, vnde oleum amygdal. d. omnibus vomiturientibus denegat *Aloyſ. Mundella dial. 1. fol. 4. Thomas Bartholinus Hiſt. Anat. cap. 3. hiſt. 61.*

VI. Aceti præterea ſolius vſus eſt ſuſpectus, quia partes exaſperat ac tuſſim excitat, vnde novum fluxum promovet; dulcorandum igitur aut melle, aut ſacchato.

VII. Vomitu ſanguinis laborabat ruſticus, nullis remediis per multos dies cedente: Medicus cupiens ſanguinem in ventriculo collectum educere per vomitum, qui graviter ægrotantem infeſtabat, & oppreſſionem inſignem in ea parte efficiebat, præſcripſit oleum amygdal. dulc. ℥ij, quibus vomitus excitatus eſt, vomuitque ſanguinem concretum, ſimulque hirudinem ſeſe in terra commoventem: Hæc erat cauſa ignota & rara ſanguinis vomitus: retulit poſtea æger ſe in rivulo aquam bibiſſe cum qua ſimul hirudinem hauſerat. *Lazarus Riverius Obſervation. 26. Centur. 4.*

VIII. Anno 1662. vidi in Oppido *Boudri*, ditionis Neocomenſis, Notarium quinquagenarium, qui ſanguinis concreti & nigricantis, vno impetu,

ſibras

vomitu ejecerat, & pridie, ut narrabat tantundem: Nauſeabat adhuc ventriculus; cum gravitatis ſenſu; qua de cauſà tepidam poſcam (nihil enim aliud erat ad manus) exhibui, quæ non minorem copiam excluſit: Quia vires conſtabant, præſcripſi bolum ex conſerva roſar. cum ʒj. pulver. rhabarbari, qui ſanguinis concreti, fœcibus permixti, inſignem copiam eduxit: hinc ad roborantia deventum: Ad præſervationem, hæmorrhoidalium venarum reſerationem, bis in anno, ſuaſi (A liene enim manaſſe effluvium, teſtabatur ejus per intervalla tumor recurrens) additis chalybeatis & obſtructiones aperientibus: Sequutus ſalutare conſilium per biennium; quò neglecto, tertio anno rediit vomitus majori impetu, qui illum vita privavit. Ex lione (inquit Dodonæus cap. de abſynth. l. hiſt. ſtirpium) ſanguinem vomitione rejicientes multos cognovimus; unum aut alterum noſtro conſilio poſt unicam vomitionem ſervatum meminimus, & quidem frequenti abſynthii quoquo modo uſu.

IX. *Puris* excretio per *Vomitum*, ac dejectionem alvinam, non ſiſtenda, ſed blande promovenda, cum ſit humor toto genere præter naturam, hominique omni ex parte noxius: Ejuſdem autem novus ortus, quantum licet, impediendus, cum ex ſanguine, Ignis noſtri vitalis fomite, partiumque corporis omnium, tam continentium quam contentarum, pabulo generetur: Inter omnia quæ Puris excretionem moveant, vel promoveant, præfero ac commendo Antimonialia medicamenta, quippe quæ obſervavi ſæpenumero habere inſuper vim corrigendi noxas à pure contingentes, quin novam puris productionem impediendi; poſtquam non minus corporis humani, quam auri purificationi ſervit Antimonium, rite tam præparatum quam adminiſtratum: *Puris* continuam ex ſanguine corrupto *generationem* ſiſtit quoque *Balſamus ſulphuris aniſatus*, & alius quivis, ad guttas duas treſve aliquoties in die aſſumptus: à quo ulceris præterea mundatio & conſolidatio certa expectanda, & forſan certior quam ab ullo alio medicamento: Conducet in hunc quoque finem Antimonium diaphoreticum, & quodvis aliud ex Antimonio paratum medicamentum alterans, & Balſamus ex ipſius floribus artificioſe confectus. *Franciſcus Sylvius de le Boë Pr. lib. 1. cap. 15.*

VRINÆ INCONTINENTIA.

SYLLOGE.

Sanguis quando mittendus. 1.
A dilaceratione veſicæ genita curatio. 2.

1. SI menſes, aut hæmorrhoides ſuppreſſæ fuerint, tunc quidem ſanguinem mittes ſi eos revocare ita facile non ſit poſſibile, ex talo, parce, & per intervalla, quæ tuoc ſat ſit copiam deponere, ac ſi crudior jam ſanguis cohibitus factus fuerit, ut non raro aſſolet, parcius ſanguinem detrahes, & mox purgabis, poſtmodum ad ea quæ partem roborant devenienduṁ: Verum ſi ex defluxu pituitæ fluxilis, quæ ſemper defluat, aut craſſæ, quæ ibidem imbibita prædicta mala efficiat, morbus ſuboriatur, cavendum erit ſanguinis detractione, niſi corpus pari penſu ſanguine abundaverit: *Mercatus.*

II. Anno 1608. vocatus ad juvenem primiparam, cui inepta obſtetrix veſicam laceraverat, ut nec momento urinam contineret: unde jugi ſtillicidio excoriata primum cutis labiorum pudendi, mox tot ibi verrucæ, ſed molles, natæ, ut partem nullius duas manuum volas capere illas potuiſſe; utraque naris ad os fere eodem loſio exceſſa: Juſſi Leodium eam vehi, cupidiſſimus curam illam tentandi: Ut primum operi me accinxi, informem illam & prægrandem verrucarum molem magmate illo ex ſtibio crudo & ſublimato æqualiter mixtis, unde butyrum antimonii diſtillant, denique oblevi; qua ſæpius detaſa, die tandem tertio labia pudoris altiſſime ſepulta primum ſe aperuere, & clunium putris caro exeſa, vel excuſſa, ſpem boni ſucceſſus fecerunt; Ut primum diductis labiis ſphincterem veſicæ obſervare potui, ſiphonem argenteum concinnavi, cujus partem breviorem veſicæ immittebam, longiori autem, & quatuor latos digitos caranti, lagenam alligabam: hoc modo urina alio derivata, ulceribus ad cicatricem ductis, ſana ſibi viſa, maritum, cum quo biennio non conſueverat, decimo nono poſtquam Leodium venit die ad ſe vocat, à quo cum ipſam artem reponendi ſiphonem, neceſſario auferendum in amplexibus, docuiſſem, iterum gravida feliciter peperit: Cæterum urinæ jugi ſtillicidio cum multa adhibuiſſem fruſtra, dimiſi hoc uno lætam, quod omni dolore ſoluta moleſtam vitam ob lagenæ pondus commodius traheret: Tandem lætiſſimam offendi, unaque ſiphonem argenteum offerentem ſi forte alicui alii uſui foret: Stupente me quomodo urinæ illa incontinentia liberari potuiſſet, oſtendit mihi ſacculum collo appenſum, in quo erat pulvis bufonis vivi, in nova olla uſti: Hoc à Cingaro ſe edoctam ab ejus uſu nihilo ſecius urinam ſe continere quam ante lacerationem. *Heers Obſervat. 14.*

VRINÆ SVPPRESSIO.

(Vide *Iſchuria lib. ix.*)

Catheteris, Fotuum & Injectionum corroborantium beneficio curata.

QVidam annos natus 66. omnimoda lotii ſuppreſſione laborabat, cum ingentibus colli veſicæ doloribus. Tumebat hypogaſtrii regio, & eminebat veſica ad magnitudinem melonis mediocris: Pridie hauſerat in convivio vinum ſubtilius, ac lotium præ pudore cohibuerat: Immiſſus, ſed per vim catheter: Educto lotio, ſomno indulſit æger, atque iterum impletur veſica, adeo ut ad catheterem denuo recurrendum fuerit: Sed tandem contigit ut à frequentiori intruſione collum veſicæ intumuerit, nec aditum in veſicam reperiret amplius catheter, adeo ut non aliud ſupereſſet præſidium quam punctio hypogaſtrii; à *Riolano in Ench.* propoſita; vel ſectio perinæi: Sed aliud in mentem mihi venit, immiſſum catheterem in veſica detinere, quo libet per illum exitus urinæ concederetur, qua depleta, & interim dum vacua eſſet, Fotibus adſtringentibus, regioni veſicæ admotis, & Injectionibus conſimilis facultatis in illam factis conſulerem robori fibrarum veſicæ nimiopere diſtractarum, & dilataratum, Relicto ergo in veſica per biduum catheterem, atque toto illo tempore tum Fotibus, tum

Quā

Injectionibus vſus, veſica priſtinum nacta eſt robur, ſicque æger ab imminente periculo liberatus fuit. *Obſervatio Dom. Ferranti Medici Lemovicenſis.*

VTERI AFFECTVS.

SYLLOGE.

Acetum non ſemper nocet. 1.
Dulcibus gaudet. 2.
Injectiones cavitatem non ſubeunt. 4.
Hæmorrhoides non reſeranda. 5.
Peſſariorum efficacia. 3.
Ad ſaguina detrudit impuritates. 17.
Saccharum inimicum. 18.
In vteri Abſceſſu *poſt lochiorum ſuppreſſionem qua vena ſecanda.* 22.
Eo dolente cauteriis vtendum. 21.
Pſeudo hydrops *in gravida profunda ſcarificatione curatur.* 27.
In ejus Inflammatione *quæ vena ſecanda.* 6.
Vomitoriis an liceat uti. 29.
Cucurbitula pubi admota cum ſcarificatione curatur. 28.
Carnes quando concedenda. 30.
Fungus *vterinus ſectione ſublatus.* 31.
Vteri Procidentia *an detur.* 7.
Vomitus non ciendus. 15.
Falſa curatio. 8.
An purgandum. 9.
Prolapſus artificioſe retruſus. 10.
Semicupium caute vſurpandum. 13.
Adſtringentibus quando locus. 14.
Iſchiadem mentiens. 12.
Candela ſeu obturamentum quale eſſe debet. 11.
In inflammatione *Enemata frequenter injiciantur.* 30. a.
Sudorifera & narcotica *in ea vitiia.* 30. b.
Fotuum *efficacia & adminiſtrandi ratio.* 30. c.
In Vteri ſcirrhu *cucurbitula applicentur ſine ſcarificatione.* 23.
Cautio in ſuffitibus. 24.
Cavendum ne in Cancrum abeat. 25.
Ab aceto abſtinendum. 26.
Scirrhoſus tumor *chalybis vſu mollitus.* 20.
Vlceri *ſuccedens* fiſtula *an curanda.* 16.
Narcoticis uti licet. 15. a.
Suffitibus caute vtendum. 15. b.
In Pudendo *caruis ſpongioſa enaſcentis ablatio.* 32.
Pudendi alarum abſceſſus *curatio.* 33.
Vulvæ verrucarum *curatio.* 34.
Pudendi Tuber ingens *ablatum.* 35.
Inflationis vteri *curatio compendioſa.* 36.
In Vteri Cancro *Narcotica poſſunt exhiberi.* 19.
Topica ſint levia. 19. a.
Peſſi ſint ex nagiis conficiendi. 19. b.
Cauſtica in vſum ne veniant. 19. c.

I. QVanquam *Hipp. 4. ac.* acetum ὑστεραλγὲς eſſe dicat, & ab eo magis mulieres quam viros lædi moneat, eo tamen in earum affectibus ſæpe vtitur, vteri culpa oriundis: nam non modo exterius adhibitum vſurpavit, & ore exhibuit, ſed in vterum ipſum illud infundit, collutionibus & fotibus ex aceto paratis; vt ex *lib. de morb. mul.* apertiſſimè patet; Scilicet ob inſignes facultates quas acetum habet incidendi, attenuandi, exſiccandi & refrigerandi cum tenuitate partium, quæ in alio medicamento æquales non inveniuntur, ſæpe eo vti cogimur etiamſi aliquid noxium afferre poſſit; quando ſcilicet commodum quod à præfatis ejus viribus ſequitur, majus eſt incommodo quod ex ejus odore provenit *Martianus comm. in loc. cit.* In ſuffocatione hyſterica clyſteres ex oxycrato imperat *Reverius*; & ò cyathum ejus præbet, à quo paroxyſmum ſtatim cohiberi ait, vaporibus illum efficientibus compreſſis & coagulatis.

II. Cautio hæc perpetuo adſit in vteri rebus, ut ſeroſa remedia ſine dulcedine nunquam præſcribantur, alioquin ad renes abibunt: nam dulcibus quidem fruitur vterus ut renes ſeroſis: *Hinc Gal.* in curatione vxoris *Boëthi* non miſcuit mel, cum avertere vellet curſum ſuccorum diureticis, quare nos melli addimus itidem, quo prolectetur avidius ab vtero. *Hearnius meth. l. 2. c. 14.*

III. Peſſaria & injectiones citius vim ſuam exſerunt quàm quę per os dantur, ſed in virginibus ab his abſtinendum; Siccantia valdè, qualia ſunt aromata, non ſine cautione ſunt ſubdenda; creberrime enim vteri acetabula ſiccitate facilè areſcunt; hinc infœcundæ redduntur mulieres: quare cum calfacientium initur vſus, minimè ſiccent, ſed eorum ſervor remixtione madoris dometur. *Heurnius ibid.*

IV. In multis vteri morbis injectiones Medici præſcribunt: verum ne credat quiſpiam vterum intrare, ideo prorſus inutiles: Arctè enim connivet, nec unquam aperitur niſi interdum ad ſemen recipiendum aut fœtum excludendum, aut ſi intus aligatur cathæter: Ideo proſunt ſolum in affectibus uteri canalium. *Primiroſius de vulgi Err. c. 54. l. 4.*

V. In ejus affectibus hæmorrhoidales venas non neceſſariò aperiendas eſſe apparet, quia hac in parte redundans ſanguis per propria vaſa expurgari poteſt, & multo tutius: licet enim facilè venæ illæ aperiantur, difficulter tamen rurſus claudi poſſunt: Et ſi lochia non ſuccedant, propriis vterinis purgantibus poſſunt illa excerni: *Walæus method. med. pag.* 84. Nota tamen ex eodem, quod vterus cum venis hiſce majorem habeat conſenſum quam cum Lieue, quia ex retentis menſtruis, & lochiis totaliter non expurgatis hæc vaſa valde intumeſcunt: Si ergo accidat vt vaſa per quæ vterus expurgari ſolet & debet ſint obſtructa, & vterus ſit gravidus, tunc certè ad venarum hæmorrhoidalium reſerationem eſt deveniendum: Vide *Zacutus Prax. Adm. l. 1. Obſervat.* 28.

VI. An vena ſecanda in *Vteri inflammatione*? Secari debet baſilica ad revulſionem & plenitudinis vacuationem: Etſi enim quidam ſecent venas inferiores, tamen quia harum ſectio ſanguinem ad partem affectam ducit, ideo abſtinendum, ſaltem initio, ne malum ex majori ad partem fluxione gravius fiat: nec ſic revulſio fieri poteſt, quanquam *Fuchſius* & alii id credant: Sed vbi fluxi, jam quievit, poterit, commodè, ad cauſæ conjunctæ vacuationem, ſecari vena poplitis vel malleoli. Ratio id ſuadet, nam initio inflammationis revellendum ab vtero, ergo ſecandę venę ſuperiores, 2. In vteri inflammatione non ſunt movendi menſes, ergo non ſunt ſecandæ venæ inferiores: Quod ſi *Gal. 2. ad Gl.* 2. docet ſecandas venas pedum, id de derivatione audiendum: vel de affectibus vteri in quibus non opus revulſione: Sed ſi nulla plenitudo adfuerit, ſitque inflammatio parva, à ſaphena auſpicari non erit inutile: in prægnante verò v. ſ. in malleolo ſemper periculoſa.

VII.

VII. Circa *Uteri Procidentiam* hoc monendum habeo, vix, ac ne vix quidem, imo omnino non, contingere poſſe ut uteri corpus propendeat extra vulvam: atque proinde non adeo frequentem eſſe hunc affectum ac vulgo creditur: Cæterum decipiuntur obſtetrices, & cum iis magna pars Medicorum (quod confirmat *Roonhuyſius* in ſuis Obſ.) a vagina uteri rugoſa, quæ poſt difficilem partum, aut etiam à imperita obſtetrice, a ſubjectis partibus avulſa, accedente pituitoſorum humorum affluxu ita extenditur (quod in palpebra inferiore ſæpe contingere videmus) atque in tantum ſæpe augetur hoc malum, ut extra vulvam pendula vagina imitetur vaſculum aliquod pyriforme: nam quo major eſt prolapſus, eo radix ipſius anguſtior fit: ac proinde cum ob gangrænam abſcindere eam cogimur, parvo admodum periculo id fit. *I. Van Horne Micbrotech. p.2. §.28. Barbette Prax. l.3.c.10.*

VIII. Contingit aliquando relaxatio membranæ inteſtinum rectum inveſtientis, ita ut initio partus eò procumbat caput infantis quod infra devolvitur; Aliquando flatus ibi ſe inſinuant, unde accidit anguſtia genitalium, quæ parturienti dat opinionem ibi collocati capitis infantis, qua de cauſa nec ſtare, nec ambulare poteſt, ſi præſertim ſubdatur pelvis, in tumorem pugni magnitudine excreſcit: Manu admota veſicam repræſentat: Alvus libera ſervanda eſt; præbendum aniſum aut coriand. ad diſcuſſionem flatuum: debet verò fieri ſuffitus, ſæpe iterandus, ex ſalvia, agrimonia, agripalma, mentha, matricaria, abſynthiu, majorana, ruta, meliſſa, chamæmelo minutim inciſis, ſcutella lignea, è platano, incluſis, in cujus fundo ſint cineres calidi; omnibus linteo tenui obvolutis, infraque admotis. *Bergeſia, Obſtetrix Gallica Obſervat. 35.*

IX. Humorem pituitoſum vel ſeroſum *Procidentiam uteri* non parere ejus ligamenta irrigando, ideo credimus quod hydropicis mulieribus quibus uterus cum adnatis membranis in aqua ſæpe longo tempore innatat, nullo pacto tamen ob eam cauſam prolabatur: Si purgationibus utemur, id eo nomine faciemus ut alvus ſine magno conatu reſpondeat, quam ut hæc humiditatibus illis, à quibus ligamenta irrigari laxioraque fieri, expurgandis accommodemus: Niſi forte ſi mulier hiſce in ſinu abundet, aut fluore uterinu ſimul laboret, ad lubricitatem hujus viæ, quæ ut promptius uterus exeat cauſam præbet, emendandam, catharticis etiam fortioribus uti neceſſe ſit: qualia quæ non ſolum purgando, ſed & valide ſiccando illud præſtant, in fluxus uterini cura deſcripta ſunt: Alias enim niſi ob hanc cauſam, ut corpus mundum & purum redditum rectius tractari queat, minuſque curatio illuvie excrementorum impediatur, in cauſa procidentiæ tollenda evacuationes per purgationes parum proderunt. *Platerus.*

X. Fœmina ab anno & dimidio uterum prolapſum habebat, multa machinatus ſum pro hoc morbo curando, tandem huic præſidio ceſſit, Suppono mulieris cruribus mures filo alligatos, quibus per femora vagantibus, fœminæ metus ingens incutitur & repente uterus in propriam ſedem reducitur, quem Emplaſtro contra rupturam admoto retinui in ſede. *Zacutus Pr. Adm. l.2. Obſervat. 95.*

XI. In curanda *Uteri Procidentia* inprimis obſervandum eſt ne candela ex cera, ſive obturamentum, craſſius ſit, & continua attritione album fluxum promoveat, naturamq; ad ſeminis ejaculationem impellat, qua neceſſario corporis vires debilitarentur: Attamen malum hoc neque prorſus, neque ſemper prudentia tua auferes: quapropter optime illi & cum ratione agere videntur qui candelam per longitudinem perforant, ut humoribus affluentibus idoneum exitum præbeant. *Barbette Chirurg. c.8.*

XII. Mulier non bene purgata poſt partum, Et cum alii exiſtimarent Iſchiade laborare, Medicus juſſit obſtetricem explorare num *uterus* ad coxam eſſet *prolapſus*, quod accidiſſe deprehenſum eſt; Opus itaque fuit Chirurgia: Recte collocatæ in ſella cava vel lecto, ſuffumigia rerum fœtidarum inferius & naribus odorata adhibita: poſtea digitis oleo amygd. d. & amar. inunctis, uterum obſtetrix revulſit a coxa, & recte direxit; jacuit aliquantiſper in latere ſano. *Lucillus Philalthæus Tom. 2. Curat. fol. 133.*

XIII. Semicupium ex decocto adſtringentium à Medicis uſurpatur: quod tamen cautione indiget, periculoſum enim eſt ne ex eo ſitu uterus denuo provolvatur extra ſedem, potiſſimum initio, dum adhuc recens eſt affectus, ubi autem diutius ægram detinuerit, eaque convenienti ſubligaculo præmunita fuerit, non parum conferre poterit. *Riverius l. 15 c.14.*

XIV. De *adſtringentibus* autem medicamentis, tam internis quàm externis, notandum cautè eſſe uſurpanda ſi menſtrua ſtatis periodis adhuc profluant, ne ſupprimantur & graviora mala inde uriantur: Tempus autem hujuſmodi remediis magis idoneum eſt ubi fluxus menſtruus præteriit. *Idem.*

XV. Nonnulli *Vomitum* probant quod humorum fiat revulſio ad ſuperiora, Et eo nomine quidem eſſet proficuus, ni alia ratione eſſet metuendus, quod nimirum magno conatu perficiatur, & non minus quàm ſternutatio uterum propellat, Imò vero docuit experientia nihil efficacius eſſe ad partum difficilem & fœtum citò excludendum, quàm vomitorium exhibitum. *Idem.*

XV. *a. Ulcerato utero*, in extremo dolore *Opio & narcoticis* uti licet: ſterilitatem quidem inducere poſſunt, non autem mortem, ut ducet *Mercurialis.* Scio non ſemper ſterilitatem facere, poſſunt tamen longo uſu. *Primiroſius 2. de morb. mul. c. 12.*

XV. *b.* Reliquis non proficientibus, tentandum erit Fumigiis partem ſiccare, ex ſarcoticis & fuliginem generantibus, ut lacrymis, reſinis, cortice thuris &c. Verum hæc pro variis circumſtantiis erunt moderanda in corporibus mollioribus & delicatis, ne dum nimis cito hunc affectum tollere cupimus, ægra in majus periculum conjiciatur. *Idem.*

XVI. Si *Ulcus in fiſtulam* degeneret, quod præcipuè contingit dum exterius verſus coxam aperitur, quamvis etiam in ipſo utero, ejuſdemque cervice idem fieri poſſit, advertendum erit utrum magis conducat ægrotanti meatum jam aſſuetum relinquere intactum (per quem natura vacuationem excrementorum multiplicium molitur) vel ejuſdem curationem moliri: Illud ſi magis è commodo ægrotantis ſit cura, ſaltem palliativa dicta, inſtituenda per purgationes frequenter repetitas, & ſudorifica bis ſingulis annis exhibenda: tum injectiones detergentes & roborantes &c. Si verò ſanatio ſperari poſſit, remedia ad fiſtulas uſurpanda. *Lazarus Riverius capite octavo. lib. 15.*

XVII. Ut mares in inguina deponūt jocinoris ac lienis onera, ſic mulieres prætereà quicquid redundat circa vulvam: Viæ autem per quas decurrit immunda hæc illuvies, ſtatuitur ab Anatomic. inferius uter

ligamentum, quod vtrinque deſcendit in glandulas inguinales, in quibus interdum apparent tumores à lue Venerea; Hinc rectè *Celſus l.4.c 4. Si mulieri, cum menſtrua non feruntur, ſanguis ex ore exit, commodiſſimum eſt cucurbitulam inguinibus ejus admovere.* Vis cauſam? vix ullibi locorum accedes, vel propius ad vulvam, vel avertes efficacius efferum illum impetum quem ſanguis uterinus facit in partes ſepto transverſo ſuperiores. *Tulpius lib.3.cap.23.*

XVIII. Mulieri cui *Lochia ſubſtiterant*, ſaphena aperta, & Pulvis ad Lochia pellenda *Plateri* in aqua bugloſſata datus, ſed loco saccbari, *vtero inimici*, ſubſtitui antheram flor. lilii. alborum. *Bartholinus Hiſtor.* 48. *Cent.* 5.

XIX. In Vteri *Cancro* ſi vulgaria anodyna, ad immaniſſimum dolorem placandum, qui interdum nullum quieti & ſomno locum relinquit, non ſufficerint, cogimur non raro ad *narcotica* recurrere, quæ in hoc affectu ob intentum humorum fervorem minus nocent: Et vidimus nos mulierem cancro in mamma laborantem, quæ ſingulis noctibus per quatuor menſes laudani grana ij vel iij. innoxie & maximo ſolatio ſumebat. *Riverius Practic. lib.* 15. *cap.* 10.

XIX. *a.* Topica levia eſſe debent & blandientia, nam fortibus & mordacibus irritatur *Cancer*, moderate refrigerantia & adſtringentia, ut olea roſat. omphac. myrtill. de vitellis ovor. ſucci ſolani, plantag. &c. Cavendo ſemper ab omnibus acribus, attrahentibus, digerentibus, vt ſunt lacrymæ, thus, myrrha, galbanum &c. nam ut docet *Rhazes* vterus cancroſus nec clyſteres, nec ſuppoſitoria aut alia ſuſtinere poteſt, quæ nimis ſint acria aut calida. *Primiroſius 2. de morb. mul. cap.* 11.

XIX. *b.* *Peſſus* ex plumbo prædictis ſuccis inebriato indatur vtero; Oleum ovorum in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo agitetur, donec craſſeſcat: Vtrique cancro convenit, ſicut & ſuccus ſolani ſimiliter ſubactus: Demum metallica diligenter lævigata & abluta, quæ citra morſum refrigerant & exſiccant addi poſſunt, vt antimon. tuthia, plumbum, ceruſſa, ſal Saturni, vt ex ijs parentur vngu. cum ſuccis, oleis prædictis, cera & ſevo hircino, nam reliquæ axungiæ putrefaciunt. *Idem.*

XXIX. *c.* Quidam tandem in vlcerato Canſticis vtuntur, vt oleo antimon. auripigm. plumbi, troch. Andronis de arſenico, & alijs quæ ad nomas deſcribuntur, quibus tamen in vtero, parte ſenſus adeo exquiſiti vtendum non eſt, ſed potius honeſta fuga, vt ait *Vurandus*, capeſſenda, malum enim incurabile. *Idem.*

XX. Fœmina ex menſtrui ſuppreſſione in *Vteri regione tormina* perſenſit: à pharmaco ſumpto in *pubis regione tumor* aliquatenus *durus & indolens*, ab ovi magnitudine per quinquennium in grandem molem excrevit, Poſt multa præſidia tandem ſolo chalybis uſu per duos menſes exhibiti omnino reſolutus tumor: alternis diebus ſyrupum de chalybe exhibui, conſervam eryngii cum chalyb. pulvere: potum omnem (decoctum eupat. & cinnam.) chalybeabat: panis ex aqua chalyb. ſubigebatur: *aqua* omnis erat chalybeata, in qua carnes & cætera alimenta incoquebantur: Syrupi beneficio (vide *Obſervat.* 11. *lib* 3.) multus lentus humor & ichoroſus cum flatibus exivit. *Zacutus Pr. Adm. l.* 2. *Obſervat.* 88.

XXI. Quoniam contingit aliquando *dolores* adeo vrgere vt Medicum auxilium poſtulent, quiſi vehementes fuerint, nec ipſis anodynis cedant, cum Narcoticis vtendum: Cum enim ipſi invaleſcere ſoleant imminentibus & præſentibus menſtruis, tunc narcotica eadem certiſſime ſiſtere poſſent, ideo nullo modo iis vtendum niſi longius ab iiſdem menſtruis: Quia vero humores ſemper craſſiores reddunt, ideo ſufficiat Triphera magna, vel clyſter ex lacte in quo Philonii Romani ℥j. diſſoluta fuerit; Si enim contineatur certiſſime dolores ſopiet. *Fortis Conſult.* 49. *Cent.*4.

XXII. *Inflammatione in Abſceſſum* faceſſente, aliqua ſanguinis miſſio molienda eſt; quæ quidem ad ejuſdem revulſionem ex venis ſuperioribus conveniet, niſi puerpera ſit Patiens ac proinde *præfocationis* periculum impenderat: quapropter ex ſaphena tutius educendus: Vidi namque olim Præceptorem meum, cuidam puerperæ juveni plethoricæ, ob ſuppreſſa menſtrua ex brachio ſanguinis miſſionem præcepiſſe, quam veſperi, cum ejuſdem viſendi gratia acceſſiſſemus, ſuffocatam & extinctam invenimus. *Fortis l. de m. mul. p.*109.

XXIII. Cucurbitulæ imo ventri admoveri poſſunt, ſed ſiccæ non ſcarificatæ, ut voluerunt *Aëtius & Paulus*; Siccæ namque poterunt movere ſtabulantem materiam, cum ſcarificatæ eandem refrigerent potius, & tenuiorem ſanguinem educendo duriorem reddere aptæ ſint. *Fortis.*

XXIV. *Suffitus* ex lapide pyrite candente aceto extincto miris laudibus effertur à *Galeno* ad omnes tumores ſcirrhoſos diſſolvendos: advertendum tamen ne lapis pyrites ſit plumbarius, qui maximè nociturus eſſet. *Riverius c.9.*

XXV. Medicamenta, toto curationis decurſu ſummo judicio moderanda ſunt, ne vel induretur *ſcirrhus*, vel, quod peius, in cancrum abeat: Quod omnes Practici verentur ex incauta vel diuturniore auxiliorum adminiſtratione: à qua per intervalla deſiſtendum ut ſucceſſus noremur, fruſtra enim pugnatur cum ſcirrhus omnino indolens lapideam naturam eſt adeptus. *Idem.*

XXVI. *Uteri durities* omnino acetum tenuit ejuſque vaporem, celerrime enim ab aceto excandeſcit. *Mercatus de Ind. Med. l.*2.*c.*6.

XXVII. Vidi in quinque gravidis octimeſtribus, cum crura ab humore aquoſo tumida eſſent, *Labia vteri* ſimili *inflatione* turgentia: Ego, ne pars præ copia mucoſi humoris obruta ſuffocaretur, ſcalpello ſcarificandam totam profunde juſſi; hinc tanta humoris copia vacuata eſt vt intra horæ ſpatium tota detumeſceret pars, citra abortum. *Zacutus Pr. Adm. l.*1.*Obſervat.*89.

XXVIII. Etſi Medici edocti à *Gal.* ſolum in pleurit. peripneum. inflammat. hepatis, lienis, ventriculi, cucurbitulam ſcarificatam imponendam conſulant, ſufficienter prius vacuato corpore, ut cauſa conjuncta elidatur foras, tamen in *Inflammatione vteri*, ob eundem uſum eſſe utiliſſimam non ſemel adinveni: Cum enim fœminæ dolores paterentur immanes infra umbilicum, quos tumor in eadem parte, febris ardens, anxietas, paraphrenitis, linguâ fuliginoſa, exuſta comitabantur, neque hæc ſymptomata ſæva tot vacuantibus & aliis cederent auxiliis, vt apponeretur cucurbita magna ſuper pubem, vel in parte in qua tumor magis percipiebatur, deraſis prius pilis, impetravi, idque cum ſcarificatione multa, qua vacuatione celebrata lochia emanarunt copioſe, & illæ mitiora ſymptomata expertæ ſunt: hæc ergo ſarcina ex viciniori loco depoſita paulatim paucis applicitis convaluere. *Zacutus Pr. Hiſt. p.* 500.

XXIX.

XXIX. *Avicenna* Vomitoriis uti jubet, ideo proculdubio ut humoris per diſtantiſſimum ab affecta parte locum fiat evacuatio: At cautione opus, ea enim ſi mitia ſint nihil pene evacuant; ſi fortiora magnam corporis agitationem afficiunt, unde plus damni quam commodi expectandum. *Sennertus.*

XXX. *Vtero inflammatione eryſipelacea* laborante, cibus ſit ex ptiſana, cichorea utraque, lactuca, pane contrito, abſtinendo à carne & ovis, donec augmentum & ſtatus pertranſierint, Non enim poſſum commendare *Lud. Mercatum* & *Mercarialem* qui primis diebus tribus tranſactis exhibent carnes, nam non ita cito pertranſeunt tempus augmenti & ſtatus, quare inclinante affectu illis uti poterimus *Epiph. Ferdinandus hiſt.* 4.

XXX. *a.* Conveniunt *Enemata* ex Emollientibus & Carminantibus, ſi ex ſuppreſſione lochiorum orta fuerit in *Vtero inflammatio*, excitatuſque dolor cum ardore ac pulſatione, ſubinde injicienda, 1. Quo alvi excrementa in tempore educantur, ne iis ſubſiſtentibus augeatur dolor & inflammatio. 2. Ab eleatis ex enemate halitibus, & ad uterum penetrantibus, temperetur acrimonia acida in quavis inflammatione peccans: quin & 3. demulceantur partes ab inflammatione diſtentæ, & hactenus quoque dolentes. *Sylvius de le Boë Prax. libro tertio cap.* 9.

XXX. *b.* Convenient in hunc quoque finem *Sudorifera* ex oculis cancri, antimonio diaphoretico, & ſimilibus præſertim parata, quippe quæ in ſpecie Inflammationi, tum præveniendæ tum curandæ, præ omnibus aliis notis conveniunt, additis ſemper *Opiatis*, quodvis acre temperantibus, Doloreſque quoſvis ſedantibus. *Idem.*

XXX. *c.* Convenient in hunc eundem finem *Fotus* ex plantis aromaticis & emollientibus parati, facta earundem in aqua decoctione: Applicari vero debent illi ex ſpongia magna, vel panno laneo ſatis calentes infimæ ventris regioni, & pudendo muliebri, quo citius feliciuſque in uterum ipſum penetret ipſorum vis: Poſſunt quoque Fotus tales includi veſicæ bubulæ, ad dimidias replendæ. *Idem.*

XXXI. Partes glandulis refertæ facile degenerant in Fungos, proximum carcinomatis ſubjectum: Quod ſi fungus aliquis vulvam occupet, irritat illam continenter, & effundit menſtrua ipſius non minus copioſe ac ſi inſtaret verus partus; à quo tamen fixus hic tumor quum minime expellatur, neceſſe eſt tandem confugere ad ſcalpellum, & ejus ope radicitus evellere quod nequit extirpare irritus ejuſmodi partus: Sed artis eſt talem ſectionem vel audere, vel rite perficere in tam obſcuris tenebris: In quibus tamen equidem illam bis vidi non minus ſecure inſtitutam, & Fungum ejus loci à *Bernardo Olhulario* ſine ullius partis offenſa, ac ſi ſub dio & in loco maxime obvio ſcalpellum ſuum direxiſſet. *Nicolaus Tulpius lib.* 3. *cap.* 33. & 34.

XXXII. In pudendo muliebri ſæpe caro ſpongioſa naſcitur, In hoc affectu imperiti Chirurgi utuntur ungu. Ægyptiaco, Oleo vitrioli, Mercur. præcipit. & aliis, quibus ſæpe malum malo addunt, & mulieres in vitæ diſcrimen conjiciunt: Curatur ſic, Locus affectus bis terve in die lavatur decoctione raparum retorridarum, poſtea illinitur hoc unguent. ℞. fungorum parvorum in fimo arido provenientium, adde ſebi caprini q. ſ. miſce ſuper prunas, poſtea fortiter exprime & ſerva ad uſum: Vel ℞. *Bliti rubri, fungor. prædictor. ana m. j. ſebi capr.* ℥iij. *miſce* ſuper prunas, & adde farin. lupinor. ℥ß. vel q. ſ. f. unguentum. *Hildeſius* apud *Schenckium p.* 525.

XXXIII. Adnaſcitur interdum alis pudendi mul. tuberculum, principio puſillum, deinde magnis incrementis augeſcens, molle, concolor, contrectatu, modiſque ferme omnibus indolens: quod ex dictis indiciis, & ex contenta materia, ad oedematis genus retuli, Abſceſſum vocat *Celſus*, ſed cyſticum audio, ſeu anomalum, non ſuppuratorium; nam ſectio in his ſublaxis præſertim locis, metu fiſtulæ, differenda non eſt: Scotto propendebat in labio pudendi minoris pineæ magnitudine tuberculum, baſi minore quam altero extremo, pendulum, quod uno jam anno ſic ex parvo intumuerat: Constrictum vinculo die uno, ac tantum non ſtupefactum poſtridie reſecui, cute circumplexum craſſiſſima, plus media digiti latitudine. Percuratum de more ulcus, eſt intra dies 30. *Severinus Med. Eff. p.* 119.

XXXIV. *Philomenus* apud *Aëtium lib.* 4. *ſ.* 4. *c.* 108. Vulvæ verrucis uxori ſuæ detrahendis origani feſtucam ad lucernam accenſam admovit, ſic ut non incenderentur illæ ſed ſolummodo fumum reciperent.

XXXV. Anno 1629. *P. de Marchettis* Scotto excidit *Tuber ſcirrhoſum*, ex pituita ortum, cucurbitæ magnitudine, quod ſuperius pubis oſſi adhærens utrumque pudendi latus rimamque ipſam velabat, puſtulis ſcatens malignis, ad radicem ulceratum: Sanguinem cauteriis reſtrinxit, appoſitis in goſſypio bolo Armeno, ſangu. draconis & ovi albumine: muco-carneum ejuſmodi tumorem deſcribit *Severinus de Abſceſſibus c.* 3. *Rhodius Cent.* 3. *Obſervat.* 43.

XXXVI. *Inflatio Vteri* ex ſignis à *Fernelio* propoſitis optime cognoſcitur: Cognitæ vero mirifice prodeſt hoc experimentum, Nucem moſchatam integram, non vitioſam, ſeca in quadrantes, earumque unam impone prunæ, & fumum fœmina ſedens cruribus divaricatis per infundibulum ſubmittat in vulvam: Sic enim, ſi non prima vice, certe tertia aut quarta flatus prorumpere cum ſono ſolet: Hoc modo Biennæ mulierem juvenem curavi, aliis omnibus fruſtra tentatis. *Hartmannus Praxeos lib.* 2. *cap.* 116. *ex Solenandro.* In Vtero ſi concludantur Flatus, exitum invenire neſcius, non incommode vaſculum *ſpiritum Salis armoniaci* continens ad ipſius orificium applicabitur, qui ſponte aſſurgens, & quaquaverſum penetrans, ſpiritus laudatus latentibus flatibus ſe inſinuet, illos incidat, & ad exitum ſollicitet, quin aptos reddat. *Sylvius de le Boë methodi Med. lib.* 2. *c.* 22.

VVLNERA.

SYLLOGE.

Non præmature claudenda. 1.
Balſama *non indiſcretè applicanda.* 2.
Emplaſtri ſtictici *uſus.* 3.
Potiones vulnerariæ *an uſurpandæ.* 4.
Non omni tempore conveniunt nec omnibus. 5.
Crebro an raro detergenda. 6.
Turundarum *uſus an neceſſarius.* 7.
Aliquando inutiles & noxiæ. 8.

Vngu. Armarium *an legitimi vſus*. 9.
Digeſtioni *nullus dierum numerus præſcribendus*. 13. b.
Repellentia metu phlegmones an admovenda. 16.
Hæmorrhagia permittenda ad præcavendum ſpaſmum. 17.
Aëris varius ſtatus curationem facilem aut difficilem reddit. 18.
Acetum infuſum ciet non ſiſtit fluxionem. 19.
Hæmorrhagia cauſticis an ſiſtenda. 20.
An vulneratus purgandus. 11.
Saliva conglutinationem non remoratur. 22.
Cicatricem inducentium *natura & vſus*. 24. a.
Circa Suturam *cautiones*. 25.
Calli lepidoïdis *exciſio*. 27.
Vulnus reduplicatum. 10.
Cuntuſi *curatio*. 26.
Colli *vulnera caute tractanda*. 12.
Manuum & pedum *vulnera anguſta aperta tenenda*. 13. a.
Injectiones an vtiles in vulner. pectoris & abdominis. 14.
Articulorum *vulnera*. 15.
Tendinum *diſſectorum coalitus factus ope ſuturæ*. 11.
Ad cavitatem oſſis frontis *penetrantia difficulter ſanantur*. 13.
Pectoris *vulnus in ſumma parte, inciſione facta in ima ſanatum*. 28.
Ex abdominis *vulnere materia in inguine collecta diſſolutio*. 29.
Ilei *vulnerati curatio*. 30.
Brachii *curatu difficile ſanatum*. 31.
Tendinum diſſectorum coalitus poſſibilis. 24. b.
Arteria cruralis ſanatum. 27. a.
Qualis victus *vulneratis convenit*. 32.
Vinum *an concedendum*. 33.
Acetum nervis vulneratis noxium. 34.
Acida quando concedenda. 35.
In vulneribus dolorificis valet Laudanum. 36.

I. VOcatus fui ad curam virginis, cui cultro magno vulnus inflictum in brachio fuerat: quo citius quàm neceſſe erat balſamo quodam clauſo, brachium intumuerat miru in modum, & rubedinem ac inflammationem tantam conceperat vt ſemper fumum emitteret, & lintea omnia, quæ madida admovebantur, citò exiccaret: curata tamen fuit vulnere rurſus aperto, quod ſanguis extravaſatus ejectus non fuiſſet, deinde vt vulnera vulgaria curatum fuit. *P. Borellus Cent. 3. Obſ. 25.*

II. Etſi Balſamum ſit medicamentum laudatiſſimum & in vulneribus probatiſſimum, non tamen in omnibus vulneribus & quovis tempore tutò applicari poteſt: Convenit autem in ſimpliciſſimis, & vbi nullum ſymptoma concurrit, dolor, fluxio &c. cum enim calidum ſit medicamentum, multa ſymptomata inducere poteſt: convenit præterea vbi nullum extraneum vulneri inhæret: quia enim balſamorum vis eſt labia vulneris contrahere, conſolidationemque accelerare, remanente aliquo extraneo mox gravia oriuntur ſymptomata: In carnoſis ergo partibus mundificatio expectetur, vt & in vulneribus contuſis, digeſtio, ſuppuratio & mundificatio: Neque ergo ab initio, neque in augmento convenit, niſi vulnus fuerit ſimplex & in parte planè carnoſa &c. *Fabritius Hildanus lib. de Ichore c. 8. Infelicis applicationis* vide exempla *Cent. 3. Obſervat. 97.*

III. Inter medicamenta Empirica a modernis inventa, præcipuè Germanis, non poſtremum locum obtinet Emplaſtr. ſticticum, ſive Fodicationum, quo nihil præſtantius extare in rerum natura nonnulli affirmant, *Crollius* præſertim: Præſtantiſſimum id eſſe, vt & ſticticum *Paracelſi*, in controverſiam non voco: Idtantum dico, præter alia damna Ichorem acrem & melicerſam ſæpe excitari; Non quod emplaſtrum per ſe cauſa ſit, ſed quia ſine ratione applicatur: nam dum ab initio vulnerum nervoſarum partium, & ad finem vſque curationis Chirurgi vtuntur, graviſſima ſymptomata excitant. Quidam vulnus circa cubitum accepit, ubi axillaris vena & nervi nonnulli abſciſſi fuerunt; Incidit in manus Empirici qui hoc ſolo emplaſtro vulnus ſe feliciter curaturum gloriabatur: brevi quidem cicatrix inducta, ſed brachium mox intumuit ac doluit, tandemque exorta febris, hinc affluxus & inflammatio nova, & collectum pus in profundo vulneris, ex illo demum putrefactio: Exeſà, & denuo apertâ venâ, tanta ſequuta hæmorrhagia vt vulneratus interierit. Iuvenis in duello vulnus cultro ad dextram ſpinæ dorſi partem, circa 4. vertebram lumborum recepit, Barbitonſor emplaſt. ſtictico curare voluit, ſed brevi ex vulnere ſatis lato facta eſt fiſtula anguſtiſſima, profunda & ſummè dolorifica. *Hildanus ibid. cap. 9. vbi alia exempla.*

IV. Potiones vulnerarias admittunt tantum quidam in iis partibus vulneratis ad quas pertingunt, vt ſunt gula, ventriculus & inteſtina, vbi topicorum ferè locum habent; in partibus verò externis rejiciunt, Primo, Quod in antiquorum ſcriptis nulla de his mentio. Secundo, Quod ob diſtantiam ad externos artus, caput pervenire nequeant. Tertio, Quod inter medicamenta è quibus parantur, ſint cum calida & aperientia, vt betonica, veronica, carduus ben. &c. tum adſtringentia, ſymphytum, pyrola, equiſetum, tormentilla &c. ita vt non conſtet cujus facultatis eſſe debeant, Quarto, Quod cum pleraque ſint adſtringentia, plus nocitura ſint viſcera obſtruendo, quam juvatura. Verum negandum non eſt apud antiquiores Medicos paucam de his medicamentis mentionem fieri, ſed id non ſatis ad ea rejicienda, nam multa & utiliſſima medicamenta poſteri invenerunt, antiquis ignota: Etiam ſi autem, ut alia topica, vulnus non attingant, tamen per venas ad ipſa vulnera penetrare poſſunt: Neque ob vim adſtrictoriam, quam quædam eorum habent, metuendum vt propterea ad exteriora membra penetrare non poſſint, aut in viſceribus obſtructiones patitura ſint, aliorum enim, quæ vim potiùs aperiendi habent, admiſtione incommodum hoc facilè evitari poteſt: Nec tandem omnium medicamentorum vires ſaltem à primis, & hinc ortis qualitatibus, æſtimandæ ſunt, ſed & à tota ſubſtantia ortis proprietatibus, quas ſola experientia ſuggerit. Hæ potiones, *inquit A. Paræus lib. 13. c. 28.* etſi humores noxios per alvum non expurgent, valde tamen efficaces ſunt detergendis vlceribus, & ab omni excrementitiorum humorum colluvie vindicandi, ſanguini delæcando, & ab ichoribus omnique impuritate repurgando, *fractis* oſſibus agglutinandis, & nervis unioni reſtituendis: *Et mox*, Hæc medicamenta admirabili & prope divina vi ſua ſic ſanguinem expurgant, vt ex eo tanquam è materiâ aptâ & laudabili caro, quævisque alia ſubſtantia deperdita promptè reſtitui & reponi poſſit, & pars priſtinæ vnioni reddi. Et omnino id agunt hæc medicamenta ut ſanguinis nimiam humiditatem, quæ ad glutinationem partium apta eſt, abſu-

mant

morem; probam pro generatione carnis materiam ſuppeditent, & affluxum ad partem vulneratam moderata adſtrictione inhibeant. *Sennertus l.5.Pract. p.4.c.11.*

V. Quanquam autem miranda præſtent ejuſmodi potiones, maxima tamen ſymptomata, & præcipuè hydrops articulorum, ex ſiniſtro vſu & intempeſtivo decocti Traumatici oriuntur: Id enim cum insignem exſiccandi, conſtringendi & agglutinandi ex quibuſdam plantis habeat: calefaciendi ex aliis, & vino, quod illis vehiculum eſt, Patet tunc ineptum eſſe cum ſuppurationi & digeſtioni attendendum, quæ inde impeditur tardaturque, ſanguis prætereà & humores incenduntur, dolores & inflammationes oriuntur: At cum digeſtum ſatis ſuppuratumque vulnus, ab omnibus ſymptomatis liberum, cum locus eſt abſterſioni, mundificationi, & conſolidationi, tunc vtiliſſimum evadunt medicamentum, Notandum quoque, cum ſummè adſtringant & exſiccent, infeſtiſſimas eſſe obſtructionibus viſcerum laborantibus, ea enim vi excrementitios humores in viſceribus retinent, hinc tormina, inflationes hypochondriorum ſexcentaque alia incommoda: quare corpus ante earum vſum præparandum.

VI. *Cæſar Magatus* l. 1. de vulner. c. 38. cumque ſequutus *Septalius* l. 8. Animad. med. Antiquam vulnera curandi rationem, Medicis & Chirurgis omnibus hactenus vſitatam reprobant, qui ſingulis diebus, ſaltem ſemel, detegunt, abſtergunt, noviſque impoſitis medicamentis, iterum obligant, Culpantque Galenum, quod miſſa maximi momenti indicatione, minoribus ſolum fuerit intentus, abſterſioni ſcilicet ſordium & excrementorum, neglecta cauſa eorum genitrice, ac temperiei & caloris partis nativi conſervationis ſtudio: Cui, & roboris partis ſi conſulatur, futurum cenſent vt minor proventus excrementorum contingat: Calorem autem foveri, eique robur afflari credunt, ſi exſpirare prohibeatur, ejuſque qualitas conſervetur: Quod obtinere ſe poſſe cenſent, defectum naturalis integumenti medicamento partis temperiei analogo & familiari reſarciendo: quo mediante calor foveatur, ejuſque qualitas à ſimili juvetur: Vnde id eliciunt, ejus caloris tuendi cauſa, ne ambiens aër offendat, vulnera rarius detegenda: At cum iidem fateantur graviſſima vulnera per antiquiſſimum curandi modum, curata fuiſſe, Nec diffiteri poſſint novum iſtum in vulneribus demum ſimplicibus locum habere, ac vbi vulneratus boni eſt habitus, vbi illæſa vaſa magna, nervique integri: multa præterea ſint vulnera, iiſdem annuentibus, quorum curationi impar ſit natura, non ablatis impedimentis à Chirurgo, vt ſi corpus ſit cacochymum, vnde magnus excrementorum proventus, à quibus dolor, partis corruptio, inflammatio, vermes, caro luxurians &c. Exceptiones tandem cum regulam ſuperent, quæ rariſſimum novi iſtius modi vſum concedant, antiquo & multis ſæculis probato inhærendum. *Videatur Sennertus lib. 5. Practic. p. 4. c. 9. fuſiè hanc quæſtionem tractans.*

VII. Turundarum vſum in vulneribus quidam rejiciunt 1. quia in id non ſunt adhibendæ quo vulneris oræ apertæ ſerventur, cum ſemper pateant, etiam invitis Medicis: Neque vt medicamenta vulneris lateribus adhæreant, cum ita liquari poſſint vt commodè inſtillari queant. 2. ſunt parti infeſtæ, hinc natura ſemper expellere tentat. 3. dolores excitant, vnde novæ fluxiones, 4. eæ pravis humoribus inquinatæ vulneratam partem lædunt: demum puris vacuationem impediunt, quod detentum pejus evadit. 5. *Hippocr. & Gal.* de iis ſilent. Contra neceſſariæ videntur 1. vt ſervetur apertum orificium vulneris, & puri exitus pateat. 2. quo medicamenta vndique vulnus tangant & ad fundum perveniant. 3. vt caveatur ne pars ſuperior claudatur, antequam profunditas vulneris ſit impleta. Pro reſolutione ſciendum, in vulneribus ſuperficiariis, rectis, & parum puris generantibus, eas neceſſarias non eſſe, nec earum impoſitione vulneris curationem tardandam eſſe: Sed ſi vulnus ſit profundum, obliquum, & multum puris generetur, omnino neceſſarias eſſe, vt puri per eas exitus pateat, & viâ medicamentis ad interiora vulneris & ne vulneris orificium citius conglutinetur & coaleſcat ante imum & profundum; quæ ſi negligantur, & pus atque excrementa in vulnere detineantur, magnorum dolorum & periculorum cauſæ eſſe poſſunt, Ad rationes negantes dic. 1. Sæpe vulnera, pro vario ægri ſitu dum vulneraretur, eſſe anfractuoſa & obliqua, vt etſi vulneris parietes & labia nondum coaluerint, ita tamen ſe contingant & premant vt puri liber exitus non pateat. Deinde eâ ipſa de cauſa medicamenta ad fundum penetrare non poſſe: Nec ſemper fluida commoda eſſe, cum à ſanie facile abluantur, craſſiora autem & viſcida, turundis illita, diutius & firmius vulneratis partibus adhærere, vim melius exſerere. Ad 2. & 3. Si Turundæ nec nimis craſſæ ſint, neque partem premant aut diſtendant, aberit moleſtia & dolor, fluxioniſque metus: Deinde, ſi omittendæ ideo eſſent quæcunque moleſtiam pariunt, eodem jure eſſent & ſuturæ & faſciæ, & deligationes. Ad 4. quoties ſunt conſpurcatæ pure detrahantur & novæ ſubſtituantur. Ad 5. Ex iis quæ Galenus de vulnerum curatione præcipit earum vſus adſtrui poteſt. Ad id quod quidam volunt nunquam orificium ſuperius conglutinari antequam inferior cavitas vulneris coaleſcat, opponenda experientia. *Hildanus cent. 3. Obſ. 7.* exempla duo recenſet vulnerum, quorum orificia fuere citò ſanata, vulnere intus nondum ſanato, vnde pus intus collectum & gravia inde mala excitata. *Sennertus lib. 5. p. 4. c. 9.* In omnibus vulneribus, præcipuè per inciſionem factis, cutis faciliimè & ſtatim ab initio contrahitur, 1. quia membranoſa eſt. 2. quia natura illo tegumento ignobilis partis ſubjectas nobiliores ab aëris injuria vindicare ſtudet: caro autem tam citò coaleſcere nequit: nam in ipſis vulneribus per inciſionem factis quædam ſpecies contuſionis adeſt, at carnem contuſam putreſcere neceſſe eſt & in pus abire, quod nonniſi in tempore fieri poteſt: contrahitur itaque cutis vulnerum, præcipuè per inciſionem factorum, ſtatim ab initio, humores verò qui ex parte vulnerata confluunt retinentur, incaleſcunt & acres fiunt, hinc humorum affluxus gravia ſymptomata accerſens; *Hildanus cent. 4. Obſ. 76.* In curandis vulneribus, punctim præſertim factis, magna eſt ratio habenda turundarum, & notandum quod ait *Hild. l. c.* Non debere eas tam craſſas eſſe vt totum vulnus expleant, hinc enim dolor, ſed ſufficere vt circa ſuperficiem vulneris, tres ejus partes impleant, quarta manente vacua, ne labia extendantur: Profunditas etiam vulneris exploranda, & ne acies turundæ fundum, præſertim ſi nervus aut nervoſum quid detectum: comprimat, danda opera. Ideo ex linteis teneriſſimis, in pyramidis formam effingi debent, quò circa fundum quartam tantum partem impleant,

vacuo relicto, ne generatio carnis impediatur: Ea de cauſa, digeſto vulnere, turundæ ſingulis diebus aliquantulum decurtandæ ſunt: Fiunt etiam Turundæ, canulæ inſtar, intus perviæ, vel per emplaſtra ſic concinnata; vel per laminam ferream ſtanno obductam, vt puris exitus non impediatur, etiam eo tempore quo vulnus non religatur. *Hæferus Herc. med. l.5. c.1.* Anguſtiſſima autem vulnera, quia turundam craſſam non excipiunt, exilis autem, cum nimis ſit flexilis, nec fundum attingat, ſolet fruſtum fili aurei aut argentei, pro vulneris profunditate longum, carbaſo involvere & vnguento aliquo anodyno & digeſtivo inungere ac vulneri infigere: *Hildanus ibidem. Tulpius l.4.Obſ.c.22. abuſum earum improbat.*

VIII. Vtiles quanquam ſit Turundæ non tamen ſemper neceſſariæ, imò aliquando noxiæ: Iuvenculæ à ſicario ſex vulnera punctim magis quàm cæſim fuere inflicta, in quibus id peculiare fuit animadverſum, quod ægerrimè tulerint penicilla linea pro more impoſita: quæ ideo neceſſe fuit intempeſta nocte eximere, niſi voluiſſes vulneratæ omnem impedire ſomnum, in quem ſtatim procidit ac illis remotis extrinſecus duntaxat imponerentur linamenta ſpiritu vini imbuta: quorum beneficiò ante xii. diem vulnera feliciter & carne repleta & cute firmiter obducta: Hinc ſubit mirari ſtolidam quorundam veſaniam, qui ne videantur nihil agere, replent recentia vulnera maxima penicillorum copia; adeoque ea non conſolidant, imò ſic impedito mutuo contactu remorantur neceſſarium coalitum: *Tulpius l.4. Obſ.22.*

IX. Sanatio vulneris quæ vnguento Armario tribuitur, plerumque naturæ (quæ non ſolum levia ſed & graviſſima vulnera ſæpe curat) opus eſt: quod vel ex eo patet quod tot diverſæ hujus vnguenti compoſitiones reperiuntur, Et quod nonnulli ejus loco ſaltem lardo vtuntur, & nihilominus vlcera ſanantur: Si vero adhibito iſto medicamento vulnus aliquod graviſſimum ſanatur, quod naturæ vires omnino ſuperare videatur, vi ipſius Dæmonis, ex pacto ſeu explicito ſeu implicito, ad curationem hanc allecti id accidit: Neque ſuſpicionem hujus rei illud tollit quod objiciunt, omnia ſimplicia eſſe naturalia, nullos in compoſitione vel inunctione adhiberi characteres, conjurationes & incantationes? Nam ſolum ſub iis pactum occultat Diabolus, ſed & ſub rebus naturalibus, ſi ipſo jubente (quod fit in pacto primo & explicito, cui implicitè alii qui eadem adhibent incautè ſe admiſcere poſſunt) res naturales ad alios, quàm à Deo creatæ ſunt vſus adhibentur: atque actiones Diabolicæ ac Magicæ ſub Magneticarum actionum velo obvolvuntur & obtruduntur. *Sennertus lib. 5. p. 4. cap.10.*

X. Contingit aliquando vulnus reduplicari: Reduplicationem autem vulneris voco quando in cute vnum vulnus exiſtit, in muſculis verò duo, aut etiam, quod vidiſſe memini, tria reperiuntur. Hæc reduplicatio accidit, aut ob manum temulam vulnus infligentis, aut ob motum agitationemque vulnerati: Periculoſa ſunt talia vulnera ſi Chirurgus ignarus aut negligens fuerit. Gladiator duos Nobiles litigantes diremptorus gladio acuto in brachio ſiniſtro vulneratus fuit: Hæmorrhagia ſedata, ex amicorum conſilio ſolo decocto traumatico vſus eſt: Ab initio curatio ad votum ſucceſſit: circa 3. vero exorta inflammatio, dolor ingens, febris, nauſea &c. Quare cum in ſubſidium vocatus eſſem, manus totumque brachium intumefactum reperi, muſculis etiam pectoris per conſenſum afflictis: Immiſſo ſtylo vulnus ſpithamam ferè profundum verſus cubitum penetrans reperi, cujus ex arte curam habui: cæterum poſt dies aliquot iis ſymptomatis non remittentibus, collegi aliquid non ſatis cognitum ſubeſſe; ideo iterum ſtylo argenteo vulnus exploro, ſecandoque invenio ſinum (non tamen ejuſdem profunditatis) ſub cephalica vena, verſus medianam penetrantem: In ſuperficie itaque, ſcilicet in cute, vnum erat, in ipſis verò muſculis duplex erat vulnus. Detecto itaque illo vulnere, turundam vnguento convenienti inunctam immiſi, brachium inunxi &c. ſarcoticiſque & epuloticis curationem feliciter abſolvi. *Hildanus cent. 4. Obſ. 83. & 84.*

XI. *Purgationes* In vulneribus quidam abhorrent, & metuunt ne humores ab iis agitati ad partem vulneratam magis confluant: At admittit eas *Hippocr.* l. de affect. de fract. t. 48. & Gal. 4. meth. 4. & 6. Et ratio id ſuadet, ſi enim calidi & tenues ac biliosi humores in corpore abundent, ſanguinem ad motum aptum reddunt: facile ex dolore & vigiliis incaleſcunt, febrique occaſionem præbent: taleſque præſertim purgatione excludendi ſunt, ſtatim autem initio id fiat ante affluxum humorum & febris adventum. Si vero hæc jam acceſſerit purgatio non commodè, aut certè cum periculo inſtituitur: A calidiſſimis autem purgantibus abſtinendum ne affluxus humorum concitetur, & partem vulneratam ad inflammationem diſponant: ſufficiunt manna, ſyrupus roſar. &c. *Sennertus c. 13.*

XII. Si *vulnera colli* punctim inflicta fuerint, nec ſtatim mortem inferant, pro ſigno hoc habendum venas jugulares & arterias carotides illæſas eſſe, ideo maxima cautione curanda ne offendantur. Quia licet non pervadant totum collum, turunda tamen non eſt immittenda longa & craſſa, ſed breviſſima, quæ integumenta non excedat, quæ principio imbuenda ovi albumine, ſuper injecto poſtmodum linteolo duplicato per totum collum, eodem ovi albo intecto cum bolo arm. & ſang. draconis: educto deinde ſanguine ac exhibito leniente poſtero die; à quibus per duos dies non immutanda remedia parti vulneratæ adhibita, cum ſolum linteolum ea vſu ſæpiſſimè ſit, quotidie prædictis pulveribus cum ovi albumine inductum: Victus ſit ſolum ptiſana hordeacea bis per diem exhibita: potus vero aqua hordei pauca copia. Quod ſi deinceps inflammationis metus ingruat, ex altero brachio ſanguis ducendus, juſta quantitate: ac vrgente dolore, viribuſque permittentibus, affigendæ etiam cucurbitulæ ſcarificatæ: omni quippe ingenio & arte prohibenda generatio puris, vt pote quod venas & arterias corrodat, cum mortis præſenti periculo, prout obſervavi in quibuſdam ab imperitis malè curatis, dum intruderent turundas longas admodum, à quibus puris copia congeſta, venas & arterias conſumpſit, mortiſque cauſa fuit, vt propterea duobus aut tribus poſt diebus removeam turundam illam brevem; applicato deinde linteolo inducto cerato ex ceruſſa: repetito alio perinde duplicato eodem modo, pulveribus prædictis cum ovi albumine inducto, quibus ſpatio 8. aut ad ſummum, 10. dierum hæc vulnera ſanare conſuevi; ſervata tamen ſemper diæta tenuiſſima, ne humores ad partem vulneratam confluant, atque in purulentam materiam converſi vaſa erodant:

Quod

Quod ſi vulnus trajiciat collum hac methodo vtor, impoſita ſcil. breviſſima turunda vtrinque eodem modo quo ſuperius propoſui: Animadvertendum præterea hæc vulnera nunquam eſſe tentanda ſpecillo, ne, quod facile contingere poteſt, diſrumpatur vena aut arteria cum vitæ proximo periculo: Qua methodo multos ſanavi, multos quinetiam mortuos vidi diverſà ab hac curatos: *Marchetti Obſerv.* 37.

XIII. *a In vulneribus digitorum & manuum* turundas abſque diſtinctione improbat Felix Wurtzius: Hæc doctrina quam ſit erronea & periculi plena exemplis declarabo, Mercator Coloniæ examen bilancis manus volæ infixit, nec peritos Chirurgos ab initio adhibuit, nedum vulnus turundis apertum retinuit: Superficie itaque vulneris clauſa, circa 4. auctus eſt dolor, hinc affluxus humorum, febris & phlegmone, ita vt variis in locis exulcerata ſit manus, nec niſi vix reſtituta. D N. ſcalpello volam manus ſibi punxit: Ob vulneris anguſtiam non inditis turundis ea ſequuta ſunt ſymptomata vt de vita periclitaretur. Ruſtica ſummum indicem digitum ſpina punxit, vulneris ſuperficies cito coaluit, ſed pus circa partes nervoſas collectum, hinc dolor, inflammatio, gangræna; digito ad carpum abſciſſo convaluit. Ruſticus malleolo ſpinam ſibi infixit: maturè nimis clauſa punctura, ſequutus eſt dolor, inflammatio, gangræna, ſphacelus totius tibiæ, cujus abſceſſionem cum recuſaſſet intra paucos dies fuit extinctus. *Hildanus cent. 4. Obſ. 76.*

XIII. Vidi Chirurgos non vulgares qui ſibi certum tempus ac dierum numerum ad *digeſtionem* perficiendam fingebant: quo elapſo tempore ad mundificantia & abſtergentia tranſierunt, etſi vulnus non ſatis digeſtum & ſuppuratum eſſet, idque maximo cum ægrorum incommodo: Non enim in omnibus ſubjectis æqualiter perficitur digeſtio, ſed in aliis citius, in aliis tardius: Si hæc itaque ante tempus in vſum ducantur, acrimonia vulnus irritabunt, novum affluxum humorum excitabunt, adeoque naturam perturbabunt, vt ex ſimplici vulnere fiat vlcus cacoëthicum. Ideo digerentibus & dolorem ſedantibus plerumque ad finem curationis feliciter procedo: hoc modo ab omnibus ſymptomatis, non omiſſis vniverſalibus, ſecurus ſum. *Hildanus. de Ich. & melic. c. 6.*

XIV. In omnibus vulneribus Pectoris aut inferioris ventris ab injectionibus, quæ ſyphone fiunt planè abſtinendum facillimè enim pars aliqua in vacuum delaberetur, ibique non levia ſymptomata, cum periculo ægri, excitari poſſent. *Fabritius Hild. cent. 1. Obſ. 63. Scultetus* tamen iis vſus feliciter in Pectoris Vulneribus, vt conſtat ex obſervat. 50. tum ad ſiſtendum ſanguinis profluvium, tum ad conſolidationem & corroborationem partium thoracicarum.

XV. Ex articulorum vulneribus malè tractatis, vel per ſe mali moris, effluit liquor quidam quem Celſus Ichorem & Meliceriam vocat, qui curationem valde reddit difficilem: provenit autem à ſuperfluo nutrimento quod natura oſſibus deſtinavit: hoc proinde fortiter exſiccandum, ne putredinem vicinis partibus, oſſibus verò cariem & teredinem inducat: *Fabritius Hild.* nunquam vult apparere fluxum illius aquæ niſi vel Chirurgus vel patiens erraverit: Ob id credibile eſt non ſemper provenire à ſuperfluo alimento, quatenus tali, vel ſibi relicto, ſed ab humore corroſivo, ſeroſo, ichoroſo, in quem tranſit etiam nutrimentum: vbi retardatur quidem conſolidatio, non autem ideo quia effluit id quod intro manere deberet, alimentum ſcilicet, ſed quia aqua illa præterfluens partes circumjacentes, & ipſum etiam lentorem, qui in articulis naturaliter ineſt, corrodit & exulcerat: Vbi itaque talem humorem in articulorum vulneribus deprehendimus, eum modis omnibus avertere ſtudebimus corpus purgando, venam ſecando, diætam inſtituendo, quod multi negligunt Chirurgi: Vide Fabritium in cent. 1. 259. Sennert. lib. 3. Pract. f. 353. Cratonem l. 3. Epiſt. f. 399. *Hœferus Herc. med. l. 4. c. 2.*

XVI. Celſus inflicto vulnere, ad prohibendam inflammationem nullis vtitur repellentibus ſeu reprimentibus, quibus hodie paſſim Chirurgi circa locum læſum vtuntur: ſed id curat detractione ſanguinis fluxum avertendo, atque etiam purgatione, Quod hodie à pleriſque doctiſſimis Chirurgis felici ſucceſſu fit, repellentibus omnino repulſis, ne læſæ partis calor, qui eſt naturæ morborum medicatricis potiſſimum inſtrumentum, imbecillior reddatur. *Rubeus in Celſum pag.* 200.

XVII. Vidimus vulneratos poſt ſanguinis copioſum profluvium, ſine contractionis metu, paucis diebus liberatos: Caſtris quendam Chirurgum vidimus, iuvenem in humero vulneratum curantem, cui linteolos protinus vulneri admoverant amici contra ſanguinis profluvium, linteolos ſtatim evomuiſſe, neſcio quid in vulnere digito perquirentem, dum amicos profuſione largâ ſanguinis conquerentes fruſtraretur, ſanguinem pro ægri viribus citra animæ defectum defluere permiſit haud ignarus, quo ægrum tutum à ſpaſmo reddidit, & 8. circiter die per cubiculum deambulantem vidimus: Hoc Magiſtris vulnerum dictum ſit, qui à venâ demere debent, ſi ex vulnere commodè haberi non poteſt. *Alex. Benedictus de curand. morb. l. 1. c. 47.*

XVIII. Falſiſſimum eſt aſſerere anni tempeſtatibus à naturæ lege aberrantibus, & aëris varia vaporum putridorum & peſtilentium admiſtione inquinati, vulnera alio atque alio tempore haud maligniora, & remediis contumaciora non effici: nam aer ſimilem ſuis qualitatibus conditionibus à nobis ingenerat: Iac. Dalechampius in Gallica ſua Chirurgia, inter ea quæ vlcerum ſanationem impediunt, non omiſit illam quæ ab aëre peſtilentiæ ſeminibus inquinato advenit, cauſam communem *Hippocr.* mutationes temporum potiſſimum parere morbos docet; & Guido hanc maximè cauſam exiſtere ait cur vulnera capitis Lutetiæ, crurum verò Avenione curata & ſanatu eſſent contumaciora: denique ipſis etiam eſt tonſoribus notum, per aëris conſtitutiones calidas & humidas vulnera facile in gangrænam faceſſere: itaque auſtrali tempeſtate per aerem regnante ne ipſi quidem lanii carnes niſi in diem mactant: Adnotavi antea quæ vulnerum fuiſſet in Rhotomagenſi obſidione, ab aeris vitio, malignitas quæ nemini parceret: quæ me cauſa impulit vt tandem experientia factus peritior, ſuppurantium loco vngu. Ægyptiacum, & ſimilis facultatis medicamenta vulneribus tota illa tempeſtate admoverem, quo graſſanti paſſim putredini & gangrenæ occurrerem: *Paræus Chirurg. lib.* 10. *cap.* 13.

XIX. *Acetum* cum tenue ſit & mordax, non eſt dubium quin dolorem ſit illaturum, fluxionem & inflammationem; in quam ſententiam memini

aliquando Mauro cuidam Equiti, cui lancea brachium trajectum, ea arte medicinam factam: fluentem enim ſanguinem dum ſiſtere cuperem, adſtringens medicamentum, cui acetum admixtum erat, alterius remedii melioris penuria in vulnus indidi: At ille paulo poſt ad me rediit, querens ac ejulans ſibi totum brachium tanquam ab igne ardere: Itaque eum denuo curare coactus, aliud medicamentum in vulnus injeci, adſtringens remedium Vulnerti ſuperpoſui, non infudi. *Pareus Chir. lib.* 10. *cap.* 13.

XX. Si medicamentis non ſiſtatur hæmorrhagia vulnerum, cauſticis nonnulli vtuntur quæ cruſtam inducunt, atque ita ejus beneficio vaſis orificium claudunt: verum modus hic ſatis tutus non eſt: Cum enim quantum particulæ aduſtum eſt in cruſtam, tantùm parti de naturali carne decedat, cruſta decidit, iterum orificium vaſis nudum & carne deſtitutum relinquitur, & ſæpe nova hæmorrhagia, quæ non facilè ſupprimi poteſt excitatur. Ea ex his tutius vſurpari poſſunt quæ vſta vim cauſticam obtinent, non vſta verò vim inſignem adſtringendi, vrendi verò parvam habent, quale medicamentum eſt Vitriolum crudum: quod nonnulli crudum, in pulverem redactum vulneribus inſpergunt; alii vero in aqua diſſolvunt, & lintea hac madefaciunt vulnerique imponunt: Et imprimis Chalcanthum, ſeu pulveriſatum, ſeu in convenienti liquore diſſolutum, vtile eſt in vulneribus, vbi neque digiti compreſſione, neque fungo, crepitu lupi dicto, orificium vaſis claudi poteſt: chalcanthum autem, præcipuè in liquore diſſolutum, vas ipſum læſum penetrat: Cavendum tamen ne nervi, ſi adſint, lædantur: ideo in profunda vulnera, ſi adſint nervi, potius alia ſimili vi prædita injicienda. *Sennertus.*

XXI. Chirurgus Aurelianenſis narravit mihi non ita pridem curaſſe ſe Apparitorem ex *vulnere* in *poplite* accepto, quo duo tendines poplitem flectentes; penitus reſciſſi erant: Curationis vero hanc rationem iniviſſe, juſſiſſe ſe ægrum vt crus flecteret, tum reſciſſorum tendinum extrema extremis oppoſitis aſſuiſſe, inde membrum eo ſitu collocaſſe, & ea arte tractaſſe, vt vulnus tandem ad cicatricem perduxerit, ægro nullatenus claudicante: Facinus profectò memorabile, & tyroni Chirurgo caute imitandum. *Pareus l.* 24. *c.* 19. Vide *infra* §. 24. *b.*

XXII. Plerique Practici ſtatuunt ſalivam conglutinationem vulnerum labiorum remorari: Nic. Glandorpius vero in ſpec. Chirurgorum, id ſaltem concedit in homine male temperato, vel lue Gallica affecto, vel aliquo morbo laborante: in ſano vero id negat, in quo potius abſtergat & mundificet vulnus Saliva: Cui etiam libenter aſſentimur, cum videamus ſcabiem, & ſerpigines, & ſimilia mala jejuni hominis ſaliva ſanari, & proinde eam abſtergendi & mundificandi vim habere: Hoc tamen cavendum ne nimium vlcus ſaliva humectetur, quæ enim glutinari debent non humida ſed ſicca eſſe debent. *Sennertus.*

XXIII. Inter vtramque calvariæ laminam, ſuper oculos, in nonnullis valde exiguæ & anguſtæ, in aliis amplæ: Vulnera ad cavitates haſce penetrantia difficillime ſanantur, & plerumque in fiſtulas & vlcera cacoëthica tranſeunt: colligitur enim in iis materia (niſi diligens & expertus fuerit Chirurgus) quæ ſi putredinem contraxerint, oſſa & cartilagines corrumpit: Vulnera harum cavitatum cum oculis tantam habent affinitatem vt materiam purulentam quæ ex vulnere ad cavitates haſce defluit, ibidemque putreſcit & acrimoniam acquirit, ad conjunctivam membranam decubuiſſe & oculos ſua orbita extruſiſſe viderim. *Hildanus Obſ.* 2. *cent.* 5.

(Vide *lib.* 3. *de vulneribus capitis.*

XXIV. *a* Ad cicatricem inducendam adhibentur pulveres ſicci nulla præcedente humiditate, tum quia multum ſiccare volumus, tum quia pulvis ſatis parti adhæret; nam partes quæ cute denudatæ ſunt ſemper madeſcunt, & illa humiditas Pulverem conſpertum ſatis retinet: Conficiuntur autem hujuſmodi Pulveres, vere & proprie epulotici, ex rebus carnem conſtringentibus, conſtipantibus, condenſantibus, ac inſtar calli indurantibus & exſiccantibus, qualia ſunt cortex thuris, mali granati, gallæ, oſtrea vſta & corallum vſtum: Ex accidenti cicatricem etiam inducunt myrrha, lithargyrum, diphriges, charta combuſta, alumen vſtum, vitriolum & alia quæ carnem colliquant & exedunt, modo ad exactum lævorem reducantur, & ſpecilli cuſpide leviter contingant partem affectam: nam ſi majori quantitate & paulo largius quis vtatur, mordicant, carnem colliquant & vlcus concavant: Hic autem obſervandum æs vſtum, ſquammam æris & florem æris ablui in cicatrice inducenda, vt nonnihil cauſticæ facultatis amittant, magiſque epuloticum ſit medicamentum: Talibus autem medicamentis vtendum in corporibus ſiccioribus & partibus minus ſentientibus: *Rondeletius p.m.* 678.

XXIV. *b* Novi plures fibrarum coaleſcentiam fabuloſam cenſere, qui tamen vel Chirurgiæ imperiti ſunt, vel in re præſtitu non difficili nunquam periculum fecerunt: Modum conſuendi nervos magnos (forte tendines intelligit) *Gab. Ferrara* Obſerv. Chirurg. l. 1. cap. 17. tradit, Retulit mihi D. *Galtbier. Chirurgus Illuſtr. D Comitis de Rabatta, Generalis exercitus Cæſarei* 1677. duobus tendines carpum flectentes, & vni pedem extendentem præciſos fuiſſe, qui conſutis tendinibus artificioſe, motum integre conſequuti fuerunt, artificiumque in canibus facile addiſci poſſe: Non ita pridem hoc auſi ſunt hic Chirurgiæ quidam ſtudioſi, cani in pede ſiniſtro tendinem magnum tranſverſim diſſecuerunt, forcipe apprehenſum retraxerunt, methodo à *Ferrara* tradita ſimplici filo tendinum capita præciſa accurate junxerunt, quæ citra balſama aut emplaſtra, ſolo canis linctu coaluerunt, currit nunc ſine vllo impedimento, in loco vbi ſectio facta fuit nodus inſtar ganglii tangitur. *Wepferus tract. de cicuta aqu. p.* 92. Vide lib. xii. tit. de Nervorum affectibus §. vbi contrarium adſtruitur.

XXV. Sutura ante non eſt adhibenda quam intus purgata ſit plaga, ait *Celſus* l. 5. c. 26. nimirum ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur: id enim & in pus vertitur, & inflammationem movet, & glutinari vulnus prohibet: Adeo, inquam, recte non fit continuo cum offeruntur plaga conſtringi ſutura, quod vulgo medentes omnes conſuevere: Verum enim vero grumoſi ſanguinis incommodum accidit maxime venoſis, aliis vero locis non item. 2. jam autem vt conſuta plaga neceſſariam ſaniem in dies poſſit deponere, plerique peniculum ſuper atque inferne immittunt, res quæ ſuturæ adverſatur & decorationi incommodat. 3. Paratum funiculum tenuem è goſſypio mundo, rhodomelite, aut vulnerario alio liquore tinctum, inſtratum plagæ ſecundum ejus rectitudinem media ſui parte

com-

componamus, mox ſuper hunc acum cuti confixam trajiciamus cum filo inducto, quod denique innodabimus, id toties facturi quoties opus novo puncto & ſutura. *Severinus Med. Eff. p.* 127.

XXVI. Septuagenarius robuſtus vulnus contuſum a fuſte accepit in ſuperiore humeri parte, unde dolor acerbus cum partis livore, ſecta ſtatim vena, & admotum empl. de cumino, poſtridie datum blandum catharticum: perſeverante dolore oleo ceræ para inuncta calide frequenter, deſuper admoto prædicto emplaſtro, ſicque intra 24. horas dolor omnino ſublatus & color parti reſtitutus. *Reverus cent.* 3. *Obſ.* 19.

XXVII. Ob calculum cæſus puer, cum vulnus agglutinari haud potuiſſet, margines ejuſdem calculo occalluerant, urina ſic ſemper inde excreta, unde factum eſt ut alterius Chirurgi induſtria labia cruſtaceis vulneris recruentatis, extractiſque calculiformis oris, id rite poſtmodum coaluerit, atque urinæ per ſuum meatum profluxerit. *Ioh. Kentmannus l. de Calculis cap.* 11.

XXVII. *a* Vulneratur N. ann. xvij. bilioſæ complexionis, ictu ſclopeti, unico globulo muniti, in crure dextro, vulnere ab inguine octo tranſverſis digitis diſtante, & ad oppoſitam partem penetrante: ingens aderat partium dilaceratio, præſertim arteriæ majoris, unde ſequuta non mediocris arterioſi ſanguinis hæmorrhagia: Vocatus D. *Ioh. Trullus*, jam vulnus à Barbitonſore procuratum reperit, ideoque intactum ad diem ſequentem reliquit; qua accedens, ſolutis faſciis, cocreta hæmorrhagia, partem extra modum tubentem ſimul & tumentem contemplatur, ita ut ambas manus tumori impoſitas pulſatio attolleret, quare ſtatim ſuſpicatus eſt de vulnerata aliqua arteria: refrigerantia & adſtringentia admota, imperata quies, vulnus ad multos intactum dies, etſi ſanguis aliquando per ſe ad ℥iij. aut iv. erumperet, & ſtatim ſponte compeſceretur: Solvendo tamen idem tumor & pulſatio permanent, augeſcentibus in diem febre, dolore & pulſatione: Multi convocati in auxilium, ſed major pars tempori & naturæ opus committebant, excepto D. *Trullo* qui vulnus dilatari conſulebat ad arteriam perquirendam, quam opinionem cæteri reprobarunt: Iterum igitur iiſdem adhibitis remediis, vulnere obducto, ad xvij. diem diſtulerunt, in quo ut prius ſanguine erumpente, unanimi conſenſu non eſſe immutandum ordinem pronuntiamus: Ita coercitus ſanguis ad xiij. dies conſtitit, a quibus deinde de more effluebat & ſponte coercebatur: Triceſimo detecto vulnere, deprehendimus tumorem emollitum, quem ſuppuratum, ſuppuratione enim facta carnem regenerari, & læſum vas ſubnaſcenti reſarciri, ut crebro contingit, ſperabamus, ſpem tamen eventus fefellit: nam cum in dies vires decreſcerent, febris recrudeſceret, corpus contraheretur, ſpem poſuimus in dilatatione vulneris, ut arteria vel conſueretur, vel alligaretur, vel pyrotico adureretur vel quovis alio modo ſanguis ſiſteretur: Paratis omnibus ad opus ancipitis eventus neceſſariis rem adgredimur, inventa ... arteria circa inguen ... ipſam paulo ... inguine proſequendo, injecto in eam duro ſplenio ... ligatura, femur adſtringimus more eorum qui aliquam partem amputare ſolent, ut preſſa angustius redditum vas minorem ſanguinis quantitatem in operatione funderet: poſtea partem cutis aperiendam atramento ſignavimus, & ſignatam ſecuit dictus *Trullus*, ſtatimque ſeſe obtulit ingens grumoſi ſanguinis moles, quæ librarum ſex facillime pondus æquabat, a me ablatam cum ſanguinis arterioſi copia, qui recens ab arteria ſaliebat, quique ſublata mole grumoſi ſanguinis iter indicavit ad arteriam, qua reperta, fortiter digitorum compreſſione ſanguis coercitus eſt, fortiter in inguine comprimente *Trullo*, arteriamque conſpicuam habuimus, quam a proxima vena ſeparavi & alligavi parte prius ſuperiore, deinde inferiore; adhibitis iiſdem cautionibus quæ in Varicibus adhibentur; hæc non erat ad dimidiam partem lacera, verum tamen ad tertiam, una duntaxat remanente, quæ poſtera die à ligatura reſecta eſt, ne forſan partem antequam putreſceret, contraheret. Reliquo curationis proceſſu tanquam vulnus ſimplex per hebdomadas ſex abſolute curatum eſt. *Severinus med. Eff. p.* 51. Vide ſimile exemplum apud *Diemerbroeck Anat. l.* 6. *c.* 1.

XXVIII. Pugionem infixit miles ad humerum prope furculam: Chirurgus cum pugionem extraheret, & ſanguinem concretum videret, ac vulnus pectoris cavitatem attigiſſe contemplaretur, inciſionem inter tertiam & quartam coſtam ſpurium machinatus eſt, & docte ſane: nam ſanguis admodum concretus in pectoris cavitate continebatur, qui per eam tantum de novo factam inciſionem foras fuit extractus, & æger intra xl. dies ſanitati reſtitutus. *Amatus centur* 2. *curat.* 25.

XXIX. Scimus, & experientia quoque id teſtatur è vulneribus abdominis cruorem & ſaniem in cavitatem ipſius, plerumque vero ad inguina deferſi, unde & ilia oleis illinire, & emplaſtra applicare ſolemus quibus materia ibi collecta reſolvatur, diſcutiatur, atque ſic inſenſibiliter evacuetur: Quidam enim hypochondrio ſiniſtro vulneratus curatur à Chirurgo imperito tantum, nullis carriuſceis, niſi initio ſtatim adhibitis: Vulnus quidem coaleſcit, ſed materia in inguine ſiniſtro colligitur: Barbitonſor id negligit & vulneratum tanquam plane curatum dimittit: Verum poſt multas exantlatas moleſtias vulnus ſponte aperitur, & perpluſimum variarum humiditatum excernitur: Quo rurſus conſolidato, major materiæ copia viciſſim circa inguen colligitur, ibique tumor, dolor, & tenſio excitatur cum dyſpnœa, anguſtia pectoris & levi quandoque animi deliquio; Ego decoctum ligni & herbarum vulnerariarum exhibeo, atque olea & emplaſtra emollientia, reſolventia & diſcutientia applico, quorum diligenti uſu ille perfectæ ſanitati reſtituitur tandem. *Ph. Salmuth. cent.* 3. *Obſ.* 84.

XXX. Sartor conjugi cultro vulnus inflixerat in hypochondrio dextro ſupra os Ileon, nocte, Vulnus obligatum eſt, mane dum Chirurgus emplaſtrum removet, fœces alvinæ ſubſequuntur; dilatato paulumper vulnere apparet inteſtinum Ileum læſum: placuit in caſu deſperato periculum facere, Inteſtinum caute acu alligari cum cuti, recentiſque lapidi lamella interpoſita, ut fæcibus alvinis pateret exitus, cutem purgare jubeo, potiones præſcribo vulnerarias, quibus ad ſtuporem curata eſt, bino que enixa ... liberos annis ſequentibus: *D. Marchanquet in miſc. cur. anni* 1672. *Obſ.* 176.

XXXI. D. N. ano. 25. vulnus accepit in brachio paulo ſupra carpum, & verſus cubitum aſcendens: In curatione fluxiones novæ frequenter obortę ſunt, quibus totum brachium & manus intumeſcebat, iiſque ſupputationes ſuccedebant, quæ aliis in locis tū brachii cum manus apertæ ſunt, licet debita curatio adhiberetur, brachiū & manus tumore oëdematoſo afficiebātur, & ex vlceribus pus ſeroſum effluebat: Poſt multa remedia cauſam antecedētem & conjunctam reſpicientia, curatio peracta fuit per ſplenia locis tumentibus admota cum bona ligatura, quibus humorum in partem influxus impediebatur, & ſinuoſorum vlcerum vnio procurabatur, ſicque æger intra dies xv. curatus, qui antea per duos menſes laboraverat. *Riverius Cent. 3. Obſervat. 38.*

XXXII. Vulneribus in vniverſum *Victus* convenit tenuiſſimus, de quo dicebat *Hippocrates lib. de Aff. n. 37.* τοὺς τρωματίας λιμαγχονέω, *vulneratos fame affligito*, ait *Cornarius*: Verum adverte diligentiſſimum hominem haud voluiſſe vt vulnerati omnes æque fame ſint opprimendi, ſed pro vulneris modo & inflammationis periculo; Nimirum majoribus ictus noxis parciorem nutricatum oportet offerri, minoribus vero largiorem: Vulneribus igitur maxime deducentibus ad inflammationem & ad interitum, inedia, ſi fieri poſſit, maxime convenit: Quod periculum quo minus incidas, eo magis in alimoniam accedere licebit; indeque etiam vt ſecuritas procedit, procedere nos & cum pleniore victu debebimus: Quare latitudinem non parvam habet vulneratorum victus, cui pariter indulgentia Medici indulgere debet, aut, verius dicam, prudentia: Iam vero vbi tenuiſſimi, plenioris aut mediī victos modos definire vulnerato quis inſtituit, ante omnia ſibi proponet inſpicienda tempora: Namque ſi ſub initiis fuerit curandus homo, hæc in promptu monebit *Celſus l. 5. c. 26.* famem & ſitim deſiderare; Neque contra dicet quis, *Celſum* loqnutum de iis quæ obſervanda ſunt in acutis; etenim ad horum naturam maxime accedunt & Vulnera ſi graviora ſint: indicioque eſt quod ipſorum ritu per dies criticos & impares exacerbantur, teſte *Hippocrat. de Tract. comm. 3.* Aliud quoque idem commonſtrat, quod ex vulneribus magnis, & cito & facile transfertur homo in morbos acutos, puta acutam febrim, phrenitim, pleuritim, nephritim, ſpaſmum, aliaſque partium inflammationes: Par eſt igitur aut ſimilis in vtriſque victus forma, licet diſpar ſit vſuum ratio; quoniam in acutis proprie dictis vtimur tenui quidem victu, ne peccantis humoris coctio impediatur, naturæque opus, quæ in id vacat, impediatur; In vulneribus vero probatur abſtinentia, ne aggregati humores inflammationem aut dolores moveant, interdum etiam & ſanguinis effuſionem, ſi caſus hanc ferat: Contra hanc ſententiam fuerunt, & ſunt nonnulli adſtruentes debilitatos, & ſanguinis effuſionem paſſos, eſſe confirmandos alimento, non infirmandos magis inedia; At non diſſentimus ab his nos, cum refectu virium opus habent alendos eſſe ęgros; non immemores à natura, cum hæ valent, & omnia quæ ad ſanitatem ſunt confici, ſed tantundem quoque id quod *Galenus comm. 1. aph. 4.* monuit inſpiciendum volumus, qui ait, *In agris raro fit vt vires quas invenerimus majores reddamus, ſed fere ſemper operam damus vt in longis quidem morbis eaſdem retineamus ac tueamur, in acutis vero modice imminutas conſervemus, nam ſi in iis ſemper, vel quales acceperimus ſervare, vel etiam augere ſtuduerimus, morbum proculdubio auxerimus*: Atqui, vt ante demonſtravimus, & vulnera acutis reſpondent, & in acutos pleruimque deſinunt; Quare faceſſat hæc hominum opinio qui ſaniorum victum adminiſtrandum ægrotis volunt. *Severinus Chir. Trim. p. 24.*

XXXIII. Sunt & qui *Vinum* percuſſis præbendum velint, quod tamen ſapienter *Celſus l. 5. c. 26.* abdicat, *Vinum omnibus, dum febris, dum inflammatio eſt, alienum eſt, item uſque ad cicatricem, ſi nervi, ſi coſta, muſculive vulnerati ſint: Etiam ſi alte curo, aut ſi plaga in ſumma cute, generis tutioris eſt, poteſt non pervetus, modice tamen datum ad implendum quoque proficere.* Vini autem meri potum quis ſanæ mentis approbet initio vulneribus? quod veneficum ne dicam, certe inimiciſſimum conceptis verbis prodidit *Celſus l. 5. c. 26. Galenus m. m. l. 4. c. ult.* Vinum epigramma vetus vim habere igni parem ait; quare quid temerius fiat quam merum admovere his in quibus de cavenda humorum fluxione atque inflammatione noſtrum magis ſtudium eſſe debet? Sine vino igitur, ſine carnibus & ovis, in ſumma ſine his quæ ſanguinem alunt, & multi valentioriſque alimenti ſunt, atque aliis cibariis tractanda vulnera ſunto. *Idem.*

XXXIV. Si Nervi ſint qui ſuſtinuerint ictum, ab *Aceto* & *Acidis* abſtinere vulneratos oportet: nam prætterquam quod ferire hoc nervos & vellicare ratio docet, quod penetrantia multum in loca hæc præcellat, adhuc experimenta nos docuere, etiam non percuſſos, ſed qui aliter affecti ſunt, noxam ſentire nervos ex aceto: Quod ab experto comperi in Notario quodam Siculo atque aliis compluribus. *Idem.*

XXXV. Verum *Acida* omnia minime profliganda videntur, quæ ſingulariter compeſcere poſſunt impetum bilis, partes ictas natura ſua maxime laceſſentis atque infeſtantis: Et profecto multi è doctis præparati panem & cibos mandant ſucco citrii, limonii, omphacii, malorum granatorum acidorum, oxalidis & rhuis obſoniorum, quorum ſingulorum quidem ſapor quidem eſt acetoſus, at alia ratio eſt de Aceto, quod cum penetrabile comprimis ſit, vellicare atque pervertere ſua acerbitate partes dolentes poteſt, atque adeo magis offendere; Ideo *Gentilis l. de Feb.* dixit Acetum rumpere interiora & carminare, cum ſint debilia: Succorum illorum minor certe eſt vis & minor aſperitudo. *Idem.*

XXXVI. In vulneribus dolorificis exhibitum *Laudanum*, blando conciliato ſomno naturam reſtaurat, ejuſque facultates erigit, & operationes, ſupputationes, deterſiones &c. accelerat. *Theod. de Mayerne Tract. de Laudano M S.*

VULNERA SCLOPETORUM.

SYLLOGE.

An ſint Venenata. 1. 17.
Empyreuma non ſupereſt. 2.
Digeſtiva *vulgaria non conveniunt.* 3.
In vulnere penetrante Setaceum non adhibendum. 4.
Membri amputatio ob fracturam inſignem non urgenda. 5.
Frigida & multum adſtringentia non illico admovenda.
Glandis expulſio *naturæ interdum committenda.* 7.
Si ſit prope articulum omnino educenda. 8.

Inſtru-

Inſtrumentum ad extractionem quodnam præſtantius. 9.
Laceratio carnis vitanda in extractione. 10.
Nihil extraneum relinquendum. 11.
Vulneris dilatatio nimia cavenda. 12.
Extranea quando ex neceſſitate eximenda. 13.
In extractione vitanda hæmorrhagia 14.
Fragmenta oſſium quando illico educenda. 15.
Vulnus quando dilatandum ad extraneorum eductionem. 16.
Quænam medicamenta convenientia ſunt. 17.
Ovi albumen non convenit. 17.
Oxycratum non juvat. 20.
Hæmorrhagia *non illico cohibenda.* 18.
Repellentibus quando locus eſt. 19.
Calida an admovenda. 21.
Olea calida an ex uſu. 22.
In prima vulneris viſitatione, ad quid advertendum. 23.
Sanguis an mittendus. 24.
Parca ſit ſangu. miſſio. 25.
Purgatio *an conveniat.* 26.
Butyrum digeſtivis *an addendum.* 27.
Digeſtivis *quamdiu inſiſtendum.* 28.
Liquidiora eſſe debent. 29.
Turondæ *quales eſſe debent.* 30.
In vulnere cum fractura qualis Faſciatio *eſſe debet.* 31.
Hæmorrhagia ſuperveniens quomodo compeſcenda. 32.
Vulnerato capite ſectio quando facienda. 33.
Os quando detegendum. 34.
Terebratio ſi neceſſaria, non procraſtinanda. 35.
Pulverum cephalicorum rectus ſit uſus. 36.
In cranii fractura qua cautione oſſa demenda. 37.
Fractura cranii citra ſectionem aliquando curabilis. 38.
Quando febris terebrationem impedire poteſt. 39.
In cranii inſigni fractura cum cutis integritate, cute ſecanda. 40.
Modiolus dextre admovendus. 41.
In vulneribus imi ventris qua cautione purgandum. 42.
Si glans viſcera imi ventris non inſerit, nimio ſtudio non indaganda. 43.
Relinquenda ſi non reperitur. 44.

I. DE vulneribus Sclopetorum tres ſunt opiniones, Alij ſtatuunt ea eſſe venenata: Alii venenata eſſe negant, empyreuma tamen habere dicunt: Alii denique neutrum concedunt, ſed omne id quo differunt hæc vulnera à cæteris acuto telo illatis eſſe à partium, quas globus tranſiit, contuſione & dilaceratione: At ſi venenoſitas quæ adeſſet, ea eſſet vel à pulvere pyrio, vel à globo: non eſt à pulvere, quia res è quibus componitur venenatæ non ſunt, ſulphure, nitro & carbonibus, quorum nullum venenatum, imo experientia teſtatur plurimos à globis ejuſmodi vulneratos nullum ſymptoma, quod veneni alicujus ſit indicium pati: Non à globo plumbeo, plumbum enim, præcipuè integrum, nihil veneni afferre conſtat, quod multi diu globos innoxie in corpore circumferant: qui quanquam veneno interdum infici poſſint, non tamen id in omnibus vulneribus contingit. *ex Sennerto.*

II. Neque etiam Ambuſtio ulla adeſt, nam primo ipſi globi igniri & liqueſcere deberent, qui integri è vulneribus extrahuntur: Secundo, Combuſtio in rebus maxime combuſtilibus perciperetur, præſertim vulneratorum veſtibus. Tertio, Papyrus vel ſtupa, globi loco indita, ſine combuſtionis notis exploditur, nigredine ſolum infecta: Quarto, Vulnerati nullum percipiunt calorem aut aduſtionem, dolorem tantum ex contuſione & dilaceratione, in qua horum vulnerum natura conſiſtit: Quod verò omnes decepit, eſt hoc, quod alia ſymptomata his vulneribus accidant, aliamque curationem requirant quam vulnera ſagittis illata: At notare debuiſſent magnam eſſe inter vulnera iſta differentiam: Sagittæ enim acutæ ſunt & ſcindendo vulnus inferunt, at globi iſti rotundi ſunt & obtuſi, rumpendo & contundendo lædentes; unde facile contuſæ partis corruptio & prava ſymptomata ſequuntur. *Ex Sennerto.*

III. Etſi id quod *Contuſum* eſt in pus mutari debeat & à partibus ſanis ſeparari, cum tamen contuſæ partes facilè putredinem concipiant, & gangrænæ periculum immineat, vulgata illa in aliis tumoribus & vulneribus digeſtiva & ſuppurantia hic ſimpliciter locum non habent, præſertim ſi nervoſæ partes contuſæ ſint, quæ hujuſmodi humida & ſimpliciter oleoſa ac pinguia non tolerant, ac ſicciora requirunt, ſed talia uſurpanda, quæ quidem ad carnis contuſæ in pus mutationem faciant, putredinem tamen non inducant & quæ ſimul anodyna ſint. *Quercetanus*, ut incommoda quæ ex vulgarium uſu ſuppurantium ſeu digeſtivorum, ℥j. *Mercurij præcipitati* addit: verùm cautione hic opus eſt, neque quid temere agendum puto, etſi enim ubi putredo præſens eſt, & gangræna jam imminet, ut is *Mercurius* admiſceatur non diſſuadeo, tamen in quocunque id non neceſſe nec ſemper tutum; cum experientia teſtetur multa talia vulnera ſine Mercurii admiſtione curari, & ſint alia tutiora medicamenta quæ putredinem inhibere poſſint: Et ſi loca nervoſa vulnerata ſint, facile inſignem dolorem Mercurius præcipitatus excitare poteſt.

IV. Nonnullis in uſu eſt ſi globus membrum aliquod totum penetraverit, ita ut vulnus utraque parte pateat, medicamenta per ſetaceum adhibere & quoties vulnus detegunt, hinc inde illud trahendo movere & novo medicamento illinere: Verum, cum hoc modo & puri exitus præcludatur, & dolor excitetur, non ſatis tutum eſſe ſetonum uſum patet, cum idem per turundas utrinque immiſſas præſtari poſſit; & vulnera quæ una ex parte ſaltem patent, ſine horum uſu curentur: Turundæ tamen ne nimis craſſæ ſint, ne puri exitum impediant doloremque pariant. *Sennertus. Plazzonus.*

V. Impriinis vulnera hæc curatu difficilia redduntur ſi oſſa in brachiis &c. franguntur, imò in plura fragmenta ſæpe comminuuntur, in quibus cum nervoſæ partes plerumque læduntur, & à fragmentis oſſium punguntur, inde dolores acutiſſimi, convulſiones, gangræna oritur: quod ſi accidat, vulgares Chirurgi frequenter ad amputationem totius membri properant: verùm etſi interdum ut totius ſaluti proſpiciatur hoc faciendum ſit, tamen quamdiu aliqua adhuc ſanationis ſpes ſupereſt id non faciendum, cum natura & in his vulneribus mira præſtare ſoleat. *Sennertus pract. lib. 5. part. 4. c. 20.*

VI. Non poſſum ſatis improbare illorum ſententiam qui ſuadent ſclopetariis vulneribus, quæ cum ambuſtione complicata inveniuntur, frigida ac ſumme repellentia ſtatim applicanda; illa enim refrigerant, non autem eliciunt aut extrahunt

ignitum ardorem, cumque magis partibus infigunt & morbum adaugent; ac præſertim acetum, quo vulgus frequenter vtitur, *Quercetanus.*

VII. In omnibus vulneratis illud perpetuo obſervandum, vt ſcil. ſi præſens globulus eſſe deprehendatur, inſtrumento aliquo ad hunc vſum accommodato auferatur, & id, quantum fieri poteſt, ſine patientis moleſtia & dolore: Nam ſi periculum doloris, aut aliorum accidentium immineat, vel glans, ita vt minime reperiri poſſit, lateat, ſatius erit naturæ ipſi expulſionem relinquere, vt ſæpe contingit; tunc enim nullo pacto globulum vi extrahere debemus, ſi quidem ſæva ex tali extractione ſymptomata excitantur: multoties enim obſervavi glandem abſque vlla moleſtia latuiſſe, neque ſanitatem ipſam impediviſſe, ſed ad aliquot annos in membro ſauciato, abſque vlla noxa patientis permanſiſſe.

VIII. At ſi glans prope articulum reperiatur, vel in ipſo, tunc, quia comprimendo nervoſum aut articuloſum corpus inſignes dolores excitat, omnino è corpore extrahenda. *Plazzonus de vuln. Sclopet. c. 17.*

IX. Inſtrumenta ad globos extrahendos cùm ſint multa, aptiſſimum tradit *Hildan. Cent. 1. Obſ. 85.* Et vulgare forma terebræ, nova inventione commodius & aptius reddit, ne globulus circumvolvatur & circumvertatur prohibens. *Sennertus.*

X. Invento inſtrumento apto, habita ſc. ratione vulnerum, figuræ, & formæ ipſius glandis, cavendum ſummopere ne labia vulneris, caroque interna lædatur aut apprehendatur: nam ſi hoc fiat, ea cum maxima ægri moleſtia laceratur, excitantur graviſſimi dolores & inſignes inflammationes: Ideo ad hæc præcavenda & avertenda nunquam debemus inſtrumentum dilatare, aut ipſum aperire, niſi acie inſtrumenti præſentiatur globulus, tunc enim aperiendum, dextreque eximendus. *Plazzonus ibid.*

XI. Ablata glande ſtylo denique vulneris fundum explorandum, vt ſi forte aliud quicquam extraneum deliteſcere percipiatur, removeatur, Et id, vt dixi, quantum fieri poteſt, prima viſitatione moliendum, quoniam tunc ob vulnus recens minor percipitur dolor, nulla adhuc adeſt inflammatio, ſed vulnus fervens & calidum exiſtit & minime alteratum: Nam tranſacta j. aut ij. die vulnus extumeſcit, omnes vicinæ partes inflammantur & alterantur, & ſic glandem operiunt: hinc locus in quo latet difficillime cognoſcitur, & licet is reperiatur, globus tamen non ſine maxima ægrotantium moleſtia extrahitur. *Idem.*

XII. Errare ſolent imperiti Chirurgi in perquirendis auferendiſque extraneis, necnon in membris impie tractandis, ſtatim vulnera ampliantes, & ſpecillis digitiſque, (nulla habita conſideratione de parte, deque totius corporis habitu) perveſtigando, movendo, lacerando, pungendo, ſecando, tundendo comprimendoque, vnde phlegmones ſæpe excitantur, venæ rumpuntur, dolores ingentes inducuntur, & varia alia ſympt. & morbi quæ ſæpius ad ſe curam convertere cogunt, principalem fere affectum ſpernere vrgentia, quod non contingeret in pluribus ſi vel recte tractarentur, vel naturæ ſaltem beneficio relinquerentur: Cenſemus propterea, neque omne vulnus ampliandum, nec omnia extranea educenda, nec contraria parte ſemper aperiendum, vt plures inepte faciunt. *Botallus de Vuln. Sclop. c. 2.*

XIII. Extranea extrinſecus advenientia auferenda eſſe confeſtim exiſtimamus, quæ ægrum in graviora pericula inducere valent: Similiter illa quæ ſine jactura & magno dolore educi poſſunt: Grave periculum expectandum eſt ſi glans, comprimendo nervum aliquem gravioribus doloribus ægrum infeſtet: Vel ſi circa alicujus venteria regionem fuerit, capitis puta, vel thoracis, vel inferioris ventris, & ſuſpectum ſit ne in futurum penetret, & hoc (ſi commode fieri poteſt) in prima curatione melius eſt auferre quam differre: Hoc maxime de glande dico, quoniam hæc propter pondus variat ſitum, ſic vt commode poſtea inveniri non poſſit. *Idem.* Naturæ, ſi globulus inveniri non poſſit, vel in extractione periculum ſit, negotium committendum ſi ille plumbeus eſt, nam à ferreis & *æneis* ob ferruginem & æruginem periculum ne non ſanetur *vulnus.* Si tamen in parte aliqua nobili, aut quæ nobilem in conſenſum trahere poſſit, globus hæreat, & ex vulnere per ſe de vita periclitari æger videatur, Chirurgus extractionem tentare non debet, cum hoc modo nihil auxilii afferat ſed mortem, quam vulnus per ſe allaturum erat acceleret. *Sennertus.*

XIV. Advertendum tamen ne intentus extractionis officio, ſanguinis ſit non levis aliquis fluxus, quo patientes viribus deſtituantur, quod ſæpe contingit in manibus empiricorum: ſiſtere igitur prius huic laborandum eſt. *Botallus ibid.*

XV. Si autem adſit oſſium fractura, ac eorum fragmenta aliqua ſint perioſtiis denudata, quæ ſine magno dolore auferri poſſint, educenda, aliter relinquenda: Natura namque hæc, & majora etiam fruſtula, ſi ſint, ad exitum poſtea facilitabit, & glans tandem, propter pondus, in cutaneam partem aliquam deſcendet, vbi ſine noxa in poſterum educi poterit. *Idem.*

XVI. Raro vulnus dilatandum ad glandem evellendam, ſed quandoque id facere cogimur ad oſſa fracta educenda, quæ nonnunquam majora ſunt quam comprehendere externum vlcus poſſit: Quandoque etiam dum in capite vitium eſt, & ſuſpecta eſt cranii, vel internarum partium quarundam injuria: Interdum etiam cum ſub cutem tantum glans percurrit, ex quo cutis eo loco ſit interitura, Etiamnum cum globulus in thorace, aut in inferiore ventre percipitur, qui propter vulneris anguſtiam exire nequit: Nonnunquam etiam viam parare ex altera parte vrgemur vt ea avellantur. *Idem.*

XVII. Quemadmodum diverſæ ſunt opiniones de natura vulnerum ſclopetorum, *ita* diverſa medicamentorum genera his vulneribus apponunt: Nonnulli abſque vllo diſcrimine in prima applicatione *Ovi albumen* tantum imponunt, quaſi hæc vulnera ſimplicia eſſent; Alii cum *ovi albumine acetum* etiam permiſcent, Alij *aquam fontanam cum aceto*; Alii aliquod *adſtringens* medicamentum ſimul addunt, & *bolum Armenam* orientalem, & pulverem corallorum, ſanguinem draconis, tria ſantala. Alii *terebinthinam* & *ejus oleum*, Nonnulli *theriacam & mithridaticam confectionem*: Alij ſtatim in principio *cauſtica*, & *admodum calida* per vniverſum vulnus inſpergunt, & ol. commune, ol. hyperici, oleum ſambucinum aliaque quæ vim excalefaciendi obtinent: Alii *medicamentum exedens*, quod cauſticam vim habeat; Alij *ferramentum candens* toti vulneri infigunt, idque repetitis vicibus: An vero In principio *Ovi albumen* conveniat ſolum, aut adſtringentibus medicamentis permiſtum, ex eo judicatur quoniam debemus à veneno (*An venenata ſint vulnera hujuſmodi vide §. 1.*) curationis initium ſumere, cum maximum adſit vitæ periculum; hæc autem medicamenta

menta facultatem habent adſtringendi, & albumen ovi præſertim, repellendi & exiccandi: hinc humores condenſantur, cutis imperſpirabilis redditur, venefica qualitas ad interiores partes impellitur: Hæc medicamenta inſuper omnino exhalationem vaporum pravorum prohibent; unde ſæva ſymptomata, cum maximo patientis cruciatu, & ſummo vitæ diſcrimine exoriuntur. *Plazzonus.*

Ex eorum ſententia, qui veneni expertia cenſent hujuſmodi vulnera, ab admotis ampugnatic periculum imminet, quod digeſtionem & maturationem his vulneribus debitam impediant quibus Conſenſio adnexa eſt, mutationem in pus expoſcentem: Cujuſmodi vero debeant eſſe hæc digeſtiva vide tit. de vulner.

XVIII. Et quanquam iſti inferant tale medicamentum *hæmorrhagiam*, calidam intemperiem, & alia hujus generi accidentia reducere, Reſpondetur tamen quod raro in his vulneribus ſequatur magna ſanguinis effuſio, & licet aliquando ſubſequatur, non ſtatim ſedanda; ſi quidem dum copioſus è vulnere ſanguis effluit, primo prohibet plerumque inflammationem, & quod magis eſt, poteſt virulentos ichores evacuare: Ideo prudens Chirurgus ab applicatione refrigerantium in principio abſtinere debet quia alias ſua inſcitia & errore patientes ſummopere lædunt, & in majus vitæ periculum præcipitant. *Idem.*

XIX. *Repellentibus* locus eſt quum humores in aliquam partem fluentes arcere volumus: quod præſtare oportet dum imminet phlegmones adventus, vel hæc jam inceperit, vel incrementum habeat: Hanc namque ob cauſam vulneribus, contuſionibus, tractutiſque omnibus in principio, ac ſtatim, ſi id fieri queat, repercutientia applicamus: Nam iis viis multa eſt accendutum humorum in affectam partem fluentium. Utimur tribus primis diebus, aut ad ſummum (ſi phlegmone non vigeat) quatuor: Quod ſi patientis temperies quadrata (ut aiunt) fuerit, vel bene conſtituta, ſat erit duobus: Nam ubi diutius vel valentius æquo refrigerantia uſurpantur, ulcus crudum & mali moris redditur: Quamobrem ignavis ac pervicacibus Chirurgis ſæpe ſuccenſui, quorum alius ad 7. alius ad 14. uſque diem temere repellentibus inſiſtebat, unde non raro extrema pernities ſuccedebat: Sed ſatis ſuperque fuerit iis uti donec concoctio vulneris apparere inceperit: Sunt autem Repellentia nonnunquam irrtanda, non quidem ut imperitorum turba facit; infundit autem ſtuppas, vel linteamina in oxycrato, vel oxyrrhodino, admixtis albuminibus ovorum, & aliis id genus, ea que apponit, nec toto die amovet: quod ſubinde factum calidum & tenacius, præter id quod non repellit, amplius tranſpirationes prohibet, unde varia ac moleſta ſymptomata ſequuntur. *Botallus cap. 8.*

XX. Non adeo tamen improbanda, licet amplectenda non ſit eorum opinio qui potius aquam fontanam cum aceto eligunt, aliiſque permiſcent, quorum ſententia corroboratur *Celſi* authoritate, *lib. 5. ſuæ Medic. cap. 26.* dicentis, *aquam frigidam & minus calentem vulneribus maxime prodeſſe:* Inquiunt etiam acetum convenire, quoniam putredini reſiſtit; hinc etiam res corruptibiles in aceto à putredine & corruptione vindicantur. *Idem.*

XXI. Pariter *terebinthina*, oleum ipſius, & theriaca maxime per ſe calefaciunt, ideo in principio non adeo conveniunt, niſi aliis medicamentis permiſceantur. *Idem.*

XXXII. Quod vero ad applicationem *Oleorum calidorum*, hæc opinio non adeo improbatur ut nec eorum qui ignem actualem applicant; nam virus & venenum, quod vulneribus ineſt, vi ignis educitur: Neque dubitandum quomodo fieri poſſit ut caliditas ignis actualis contrarietur veneficæ qualitati, uſ enim corpo entia ſumme ſibi contrariantur, illudque trahendo & educendo, [illegible] quod ſimile eſt à ſuo ſimili trahitur; Præterea pars læſa vi ignis maxime corroboratur; Idem etiam præſtat *Causticum*, quod à multis commendatur: Attamen ingenue fateor me nunquam in his vulneribus primo curationis tempore [illegible] calentibus aut igne uſum fuiſſe: Neque auctores, alii his [illegible] totum generibus utuntur, ſi quidem ex eorum applicatione cruciantur, & intenſiſſimis doloribus ægrotantes afficiuntur: vidi enim hac curandi ratione intentiſſimos cruciatus, & inflammationes vehementiores exortas, humorum copiam affluxiſſe, & alia ſymptomata acerbiſſima excitata fuiſſe: Et hæc medicamenta ideo reſpuere ſoleo, quoniam parum conducant, melioraque aſſiduo uſu & experientia edoctus obſervavi, quibus cum magna felicitate & ægrotantium utilitate utor: talia enim ſunt quæ humores minime attrahunt, placide tamen ipſos impellant, nec ullam inflammationem inducant, ſed potius ipſi veneficæ qualitati in principio reſiſtant, & veneni potentiam, ejuſque communicationem à corde aliiſque principalibus partibus arceant. *Idem.*

XXIII. Prima ſtatim viſitatione duo præcipue in his vulneribus à Medico ſunt perpendenda, hiſque duobus omnibus viribus eſt incumbendum, *Venefica* ſcilicet *qualitati*, & *humorum confluxui*: Nec eſt quod aliquis objiciat in principio ſtatim uſtionem, contuſionem, partis attritionem, & ipſam hæmorrhagiam reſpiciendum, Reſpondemus ſi quidem hoc vulnus non ſimplex ſed complicatum eſſe, & ideo initio in id ſtatim incumbendum eſſe quod magis urget: Ideoque ab ipſo veneno, in quo maximum attinendæ periculum vitæ conſiſtit, initium curationis ſumendum, fluxionem prohibendam, aliaque quæ putredinem adaugere, ſpiritus inficere, & labem inferre, aliaque ſymptomata poſſunt inferre; Secundario autem dolori, inflammationi, hæmorrhagiæ occurrendum: Itaque ſtatim principio venefica qualitas oppugnanda: In eo autem omnes authores conveniunt, quod in omni vulnere, in quo adeſt veneni ſuſpicio, ſtatim in principio adhibenda ſint medicamenta attrahentia, & per partem affectam evacuantia: Ideo debemus aut vulnus ſcarificare, aut cucurbitulam apponere, vel utrumque ſimul præſtare: Ego vero cum proſperitate fere ſemper vulnus ſeco, aliquantulum partem aperio, & inciſionem molior, ut ſcilicet ſanguis effluat, & una cum ſanguine virus diſſipetur: Hæc autem dilatatio, ſeu apertio, apprime neceſſaria eſt, tum ut extranea corpora facile evellantur, tum etiam ut ſanies humoreſque ſuperflui, qui in corporibus his vulneribus affectis generantur, commode expurgentur, ſimulque harum partium cavitates & ſinus aperiantur, quod alias ſæpe propter Chirurgorum imperitiam accidere ſolet: Præterea etiam forfice aliquam attritæ carnis portionem aufero, quas quidem operationes loco Scarificationis adhibeo: mox etiam Cucurbitulam, ſi quæ ſit præ manibus, vulneratæ parti applico ad veneficam qualitatem auferendam; His que peractis ſtatim medicamentum aliquod vulneri

appono, quo veneficæ qualitati & humorum fluxioni occurram, & ſi aliquando ſit hæmorrhagia, ad ipſam ſedandam accipio vitellos ovorum cum portiuncula albuminis; ſolum enim adhibitum maxime nocet, cum vero in pauca quantitate aliis permiſcetur, adſtringentem iſtam & emplaſticam facultatem amittit, quibus addo oleum terebinth. hyperici, ſambucinum, euphorbianum, oleum roſarum immaturum: addita portiuncula terræ ſigillatæ, boli Armenæ orient. ſcordii pulver. rad. tormentillæ, myrrh. hæc enim validiſſime veneno & putredini reſiſtunt: ſicut & venenum elicit galbanum, bdellium &c. quibus medicamentis imbuuntur turundæ, pulvilli &c. *Idem cap. 19.*

XXIV. Poſtquam parti vulneratæ proviſum, vniverſi corporis ſtatim habenda ratio, Et in hoc caſu ſanguinem mittere debemus per venam ſectam, hoc enim præſtantiſſimum inter vniverſalia remedium: Etſi enim videtur in vulneribus Sclopetorum, quibus conjuncta venenata qualitas, ſanguinis detractio minime convenire, ſiquidem per hanc dicta qualitas in altiores & penitiores corporis partes trahitur, ac proinde ad partes principes, cum maximo vitæ periculo: nam in ſcarificationibus & cucurbitulis parti ſauciatæ applicatis, intentio eſt non ſolum per partem affectam virulentiam evacuare, ſed ipſam revellendo attrahere ne altius penetret, aut partes principes infeſtet: Sanguinis miſſiu per venam ſectam huic intentioni omnino contraria eſt, nam qualitatem veneficam non evacuat, neque expellit; ſed potius per partem, & poſt partem à circumferentia ad centrum attrahit & colligit. Reſpondeo, quod dum dicitur in venenatis vulneribus non eſſe ſecandam venam, hoc intelligi de veneno à tota ſubſtantia, & non de halitu venenoſo; Præterea venenum a tota ſubſtantia citiſſime repit ad cor, aliaſque principes partes, halituoſum tamen venenum non tam cito partibus principibus communicatur: Exemplum habemus in morſu canis rabidi, quia interdum multi dies & menſes intercedunt antequam hydrophobia accedat: Ita etiam in his ſclopetorum vulneribus non ex tempore virus communicatur, & multominus cum ſanguis ſubito mittitur, maxime enim prodeſt vulneribus ſclopetorum ſanguinis miſſiu revulſionis gratia, abſque eo quod virulentiam in altum trahat, quoniam in principio venenata qualitas, & halitus venenoſus ex ſe non adeo permeare poteſt, niſi a calore & ſpiritibus attenuetur, vt illico cor infeſtet, & ad principes partes deveniat, cum præſertim ejus tranſitus impediatur ſcarificationibus & applicatione medicamentorum attrahentium: Quare perpetuo in his vulneribus, vt & in aliis, ſanguis mittendus per venam ſectam, tum ad prohibendum humorum defluxum, & præſertim pravorum ſuccorum; à quibus ſi pars inflammatione corripiatur, prava ſymptomata accidere ſolent, dolores ingentes, eryſipelas, gangræna, præſertim ſi adſit corporum cacochymia.

XXV. Hac tamen lege *ſanguis detrahendus*, vt ſc. abſoluta medicatione localibus ipſis detrahatur, inciſa vena, ſic enim prodeſſe poteſt nunquam obeſſe: Non probatur autem larga miſſio, & in hac reſpicienda non vulneris magnitudo, ſed corporis plenitudo, præmiſſu leniente aut clyſtere. *Idem.*

XXVI. Altera die, & ſecunda viſitatione, antequam vulnus inſpiciatur, corpus mundandum, & ad hanc intentionem debemus præſcribere *Leniens* aliquod medicamentum, non autem valide purgans, quoniam in venenata qualitate, quæ extrinſecus advenit, non adeo probatur à Medicis vehemens evacuatio per alvum: *Galenus 4. m. m. aſſerit quod purgatio non ſolum conveniat in plenitudine ſed præſertim in pravorum ſuccorum abundantia, & in magnitudine morbi:* Igitur in his vulneribus maxime convenit exhibere lene aliquod medicamentum: Quod adprobatur quoque ab ipſo *Hippocrat. l. de Vulner.* Purgatio enim per alvum pleriſque vulnerantibus prodeſt, ſiquidem expurgantur bilioſi, tenaces ac feroſi humores, quandoquidem hi tales ſunt vt ad partem vulneratam facile confluere poſſint, & inflammationem, dolores &c. excitare. *Idem cap. 20.* Nec obſtat nunc *Hippocrat.* authoritas, *Quicunque*, inquit libello de vetarti vſu, *inflammationes in morborum principio medicamento conantur ſolvere, nihil de eo detrahens quod acervatum eſt atque inflammatum: quæ vero partes ſana ſunt, & morbo reſiſtunt, ſimul eliquant.* Non enim pharmacia humorem facientem phlegmonem evacuare ſeu abſumere niti debet Medicus, ſed paratum ad fluxum revocare retrahereve: Itaque *Hippocrates* non hic à pharmacia omnino abſtinendum eſſe præcipit, ſed monet ne conemur inflammationem partem aliquam occupantem purgantibus medicamentis ſolvere: quoniam antequam purgatione retrahas humorem fixum phlegmonem facientem, diſſulvantur primo partes, à quibus primitus fit attractio, neceſſum eſt, ventriculus puta, venæ meſaraicæ, & quæcunque inter has & affectam partem conſtitutæ ſunt: vnde qui non fluxus eſt humor, & parti affixus, ab eadem diſſolvendus educendusve eſt, vel ad vicinas derivandus, non ad longinquas revocandus: Qui vero ad fluxum paratus eſt, vel fluit, nunquam ad contraria incommode retrahitur. *Botallus cap. 11.*

XXVII. A nonnullis medicamentis digeſtivis additur *Butyrum* in principio, Ego tamen ab ejus vſu ſemper abſtinui, maxime enim corrumpit partem, putrefacit & relaxat, at hic putredini & corruptioni omnino occurrendum. *Plazzonus.*

XXVIII. Sunt qui *Digeſtivis* diem vij. vt firmum terminum præſcribant: Alii etiam & vltra hoc tempus, expectantes putridæ carnis, vndique vulneris labia ambientis, ſegregationem, ignari bonam carnem, putridæ ſubjacentem in dies putreſieri magis, niſi quæ jam ſuppuravit abſtergentibus amoveatur: Nos autem ratum terminum omittendi digerentis medicaminis vſum dicimus dum videris vulnus concoctum iri: Hoc modo nec tibi ſeptimum, nec alium quemque diem (vt craſſæ Minervæ vulnerarij faciunt) præſtitues firmum. *Botallus cap. 17.*

XXIX. Advertendum eſt in applicatione horum medicamentorum, quod ſcil. hæc digerentia potius ſint liquida, ita vt vſque ad fundum vulneris pervenire poſſint: Tentæ enim ſeu penicilli, aut ellychnia his medicamentis imbuta imponenda, vt ſcil. totus ductus vulneris apertus ſervetur, & medicamenta per totum deferantur. *Plazzonus.*

XXX. Cum frequenter, non levi damno patientium, ignari artifices peccent, monendum eſt ne *Turundæ* vltra modum ſint craſſæ, neque longæ, neque duræ, neque aſperæ: Pungunt longæ, craſſæ extendunt, ſimul & prohibent quominus vapor exeat, aut quævis alia putrilago è vulnere ejiciatur: hinc gangrænæ partium affectorum, jecinoris æſtus, & tubercula, quæ putria vulnera vt plurimum ſequi ſolent, hincque febres vix ſolubiles: lacerant aſperæ, eoque magis ſi duræ ſint: Parentur ergo

lenes,

lenes, læves, tenues, ex molli tenuique linteo vel goſſypio, vel alia ſimili materia conſtructæ, quæ dolores non excitent, Quæ potiſſimum ubi convenit ſi oſſium fractura adfuerit. *Botallus c.* 1 [illegible]

XXXI. Fractura ſimplex ſine vulnere omne genus *faſciarum* admittere poteſt, at in ea quæ [illegible] vulnere longo alia eſt ratio, & præſertim [illegible] ta [illegible] ſtricta, quæ indiget particulari devinciendi modo. In ſimplici enim fractura poſt ſeptimanam tantum inſpicimus, ac denuò deligamus, in ea autem quæ eſt cum vulnere neceſſe eſt quotidie [illegible] membrum fractum & ſauciatum inſpicere, vulnuſque curare vt ſanies abſtergeatur viruſque educatur: Hæc enim in fractura cum vulnere præcipua eſt contra indicatio, ſanationem impediens, & curationem in longum protrahens: ſi quidem ratione fracturæ neceſſarium eſt membrum læſum immobile per plures dies ſervare vt oſſa bene coaptentur, quod cum quies maxime perficiat, dubium non eſt quin hæc neceſſario requiratur: Verum ratione vulneris cogimur frequenter & immature medicamenta localia admovere, in hunc finem vt materia purulenta, & excrementa à vulnere genita auferantur, Veteres & recentiores varios deligandi modos proponunt in fractura cum vulnere; qui omnes optime quidem quoad hanc intentionem ſentiunt, revera tamen non explent; ideoque vt mihi diſplicent modi ab illis propoſiti, ita ſummopere placent illi qui in praxi quotidie obſervantur, & à me multoties ſumma cum laude & ægrotantium vtilitate ſunt experti: Duo itaque ſunt præcipui & probatiſſimi modi, quorum beneficio oſſa fracta in ſua ſede detinentur, & vulnera ipſa laxantur; Horum vnus *Faſciis*, alter *Laminis* perficitur, quæ ex materia flexili conſtent.

Primus optimus eſt quando adeſt inſignis inflammatio, Alter vero quando præter inflammationem inſignes dolores imminent: Quare ſi in principio ad patientem vocemur, qui fractura cum vulnere completo inflicto laboret quoniam nondum adeſt ſingularis aliqua partis inflammatio, poſtquam oſſa coaptata fuerint, & vulnus ipſum particularibus præſidiis curatum, fractura ipſa, vulnus, & totum membrum læſum deligandum, hac ſcilic. ratione vt quotidie vulnus introſpicere poſſimus, & faſcias auferre, abſque eo quod oſſa jam corrupta moveantur: Accipienda igitur non vna faſcia ſed plures vnius vlnæ longitudinis, latitudinis vero trium circiter digitorum, plures enim neceſſariæ ſunt faſciæ, quoniam non ſolum fractura & vulnus ipſum vinciendum, ſed membrum etiam fractum ſpatio octo digitorum, quatuor ex vtraque parte fracturæ, eſt alligandum; Decem igitur aut octo ex his faſciis accipiendæ: decem v.g. ſi femur ſit fractum, & ordinate has omnes cum petia lata apponimus, ita vt vna ſuper alteram collocetur per dimidietatem latitudinis, & ſic vnam poſt alteram circumvolvimus, caput ſc. primæ cum alterius capite oppoſito, hoc ſcil. ordine vt miniſter alterum caput tentum detineat, alterum Chirurgus, ad hoc vt arcte quantum neceſſe eſt deligetur membrum fractum, & poſtea alia ſuperponatur, ipſaque ad bonam patientis tolerantiam adſtringatur: Sed advertendum eſt quod vbi incipimus obvolvere, deſinimus faſcias evellere, ſic enim quotieſcunque volemus vulnus curare, contrario modo faſcias attollimus, denuoque deligatur, abſque eo quod membrum læſum moveatur: qui quidem deligandi modus optimus ac tutus differt ab eo quem proponit *Fallopius*, quoniam hic accipit ſplenia, & oblique circumcirca ipſum membrum ipſis obvolvit, inæqualiter tamen pars deligatur; Nos vero faſcias has non obliquo modo, [illegible] circulari & recto apponimus; hac enim ratione [illegible] membrum fractum æqualiter, ac ſine vlla moleſtia deligatur: Et ſi [illegible] non ſit ex toto [illegible] [illegible] ſus etiam parte [illegible] [illegible] fracturis ſimplicibus, & tamen citius & tutius ſanatur.

Quoniam vero [illegible] in vulneribus ſclopetorum os [illegible] [illegible] fere membrum laceratur, [illegible] & magnitudinis vulneris & fracturæ, & [illegible] faſciandi modus locum non habet in principio, tunc devenimus ad aliud inſtrumentum, quo loco ligaturæ vtimur; accipiendo ſc. *Laminam*, aut ex [illegible], aut ex alia lenta & valde flexili materia, [illegible], ex qua formatur inſtrumentum cavum, veluti canalis [illegible], redactum ad formam membri [illegible], ita vt circumvoluat totam partem læſam: in interna parte munitur goſſipio inſtar pulvinaris, & in eo membrum fractum cum nodeponimus, ipſumque deligamus vt immotum permaneat. Sed antequam *Laminâ* membrum circumpungamus neceſſe eſt eam adaptare, & perforare lato foramine in ea parte in qua vulnus inflictum eſt, vt ſcil. commode poſſimus ipſam [illegible], ac [illegible] membrum ratione fracturæ immobile ſervare, hac enim ratione, & hoc inſtrumento, minime oſſa fracta moventur, ſed in ſuo ſitu potius detinentur, vulnuſque quotidie aliqua ex parte curatur, & etiam ſi membrum ex vtraque parte perfoſſum fuerit, in altera tamen parte etiam inſtrumentum perforatur, vt commode omnia vulnera curentur abſque vlla patientis moleſtia & fracturæ læſione: In praxi enim hoc inſtrumento plures in curandis vulneribus ſclopetorum cum oſſium fractura ſumma cum vtilitate & felicitate vſi ſunt. *Plazzonus c.* 30.

XXXII. Hæmorrhagia ſuperveniens cohibetur obſtruentibus, adſtringentibus, revellentibus, ſecta in totum vena fluente. Si vena aperta pateat, tutius eſt eam ignito ferro conſtringere: Si in alto deliteſcat, hoc medicamento vulnus reple. ℞. *Boli Armenæ* ℥iv. *maſtiches, thuris, aloës ana* ℥j. *omnia albumine ovi ſimul junge.* Si his voti compos non fias ad ignita inſtrumenta propera; Celerius namque, tutius, ac minore noxa intentum conſequeris quam pharmacis vrentibus, quæ ingentes & multarum horarum dolores pariunt, vnde interdum pacatus fluxus reviviſcit, cujus cohibendi, (poſt cauſtica medicamenta) non tanta relinquitur candenti ferro virtus atque ante illorum vſum, eo quod cruſta ab illis facta non parvo ſit impedimento: Verum opus quod candenti ferro fit, hominem in anatome exercitatum requirit, qui ſitus venarum ac poſitiones bene noſcat: *Botallus cap.* 15. *de Vuln. Sclop.* Vide *lib.* 8. *tit. de Hæmorrhagia.*

XXXIII. Dum *capiti* vulnus à ſclopeto illatum eſt, uritur vulnus non ſolum punctim, ſed cæſim ac ſimul contuſim afficiens: contundendo enim globulus perforat, & naturalem partium vnionem diſſolvit ac lacerat, vnde cranium præcipue afficitur, & hoc præſertim ſi galea munitum fuerit caput: dicitur *vulnus capitis*, & contuſio ſimul, vel erunt in externis partibus tantum, vt puta cute & pericranio, vel cum oſſis læſione, nec non internarum partium: Si tantum cutis ſauciata fuerit, & cum cute pericranium, curetur vulnus quomodo curantur vulnera in carnoſa ſubſtantia: Obſervandum tamen eſt quod ſi videamus in hoc vulnere *Pericranium* valde læſum eſſe ac tumidum redditum, ſtatim vulnus oportere dilatari, pericranium ipſum inſcidendo

necnon ab oſſe ſeparando: hac enim ratione nunquam putreſcit, aut materia ſupra ipſum cranium detinetur, & vulnus citius ſanitatem admittit; Si autem in cute tantum contuſio ſine vulnere excitatur, tunc integræ cuti admove quod vim habeat reſolvendi, digerendi, exiccandi, roborandi & dolorem ſedandi. *Plazzonus cap.* 35.

XXXIV. Obſervandum quod perpetuo, ſi ſentiamus os læſum eſſe, aut detectum, & timeamus de læſione partium internarum, ſtatim os detegendum, cutis læſa incidenda; ipſaque à pericranio & cranio dividenda: Cutis enim facili negotio ſaneſcit, licet fruſtra diſſecta ſit, vt ait *Celſus lib.*8. *cap.*4. Ex toto enim os debemus detegere, vt ipſum & abradere, & perforare poſſimus, aut ſi fractura ſit educere, dum ſcil. opus fuerit. *Idem.*

XXXV. Vbi *Os ſedere* oportet cunctatio omnis mala eſt: Itaque non modo 1.2.3. aut 4. die forandum, ſive attollendum, ſive mutilandum os erit, ſed 7.vel.8.10.vel 11.vel aliis denique ſequentibus, ſi res indicet; Non enim hic (vt imperiti faciunt) criticos dies vereri oportet: Critici dies in vulneribus tantum obſervandi ſunt ad præſagium, non ad curationem: In febribus autem, atque aliis morbis quos Natura ipſa perſæpe ſola ſuperare conſuevit, ad vtrumque ad prognoſticum ſcil. & curationis rationem, Sed hoc in affectu nullum ſalubre opus naturæ expectandum eſt: Non enim ipſa perfodit, non depreſſum & hærens (niſi in tenellis) reducit &c. *Botallus cap.*17.

XXXVI. Etſi in omni vulnere, punctim cæſimve recenter facto, ſiccantia medicamenta commendentur, multis tamen locus *Gal.*6 *meth.*in fine, (qui κεφαλικὰ dicta protinus & ad finem vſque nudato oſſe præſcribit, ex iri Illyrica, ervi farina, manna, ariſtolochia, panacis radicis cortice, & iis quæ extergere citra morſum poſſunt) fraudi fuit, Quid enim aliud ignarum vulnus Chirurgorum hac fultum ſententia præſtat, quam totum vulnus protinus hoc pulvere refercire: Quæ obſecro natura tam potens eſt quæ citra injuriam tam ineptum medicamenti vſum ferre poſſit? Non quidem medicamentum ipſum pernitioſum ſua natura dico, ſed quia ignave vſurpatur; ſiccat namque ſic inditum plus juſto; imò carnem ipſam liquat, & cerebrum ſupra modum nonnunquam excalefacit; adeo vt aliquot interjiſſe viderim, potius arbitror ob talem cauſam, quam ob injuriam partium internarum ſuſceptam à telo; cum in iis nullum ſymptoma præceſſiſſet noxium, in dieſque melius haberent primis ſeptem vel vndecim diebus, quibus ſe concrediderant villicis Tonſoribus, citra prænimium cephalicorum (vt mirifici hi Chirurgi proferre ſolent) vſum: mox vero illis omiſſis, & accitis iis qui hunc pulverem cephalicum, & alia capitalia dicta medicamenta plus æquo venerantur, brevi graviora ſymptomata ingruebant, quæ patientem necabant: Quorum cadaverum capita plerumque aperiri volui, vt innoteſceret num injuria latuiſſet ab accepto vulnere aliqua, nimirum vel coactus ſanguis, vel interna fractura, vel aliquid ejuſmodi, in quibus nihil reperiebatur præterquam pus collectum ſub membrana, ex propria ſubſtantia cerebri corrupta effectum: quod vtique potius auxilia noxia culpanda eſſe indicabat quam vulneris magnitudinem, cum patientes morigeros eſſe conſtaret. *Idem cap.* 17.

XXXVII. Recte *Galenus* loco ſupra citato, *Ea*, inquit, *oſſa quæ vehementer ſunt confracta, ſive à ſanis ſint ſejuncta, ſive adhuc vtcunque conjuncta, auferenda prorſus ſunt*: præcipue ſi cum vulnere cutis talia fuerint: Hanc nos diſtinctionem facimus, non in omni Cranii fractura, ſine externo vlcere concedimus oſſa eſſe evellenda: neque etiam quæ cum vulnere ſunt (vt *Galenus ait*) ea omnia ad extremum vſque fracturæ ſunt proſequenda, vt ineptiſſime ſtupidi Chirurgi faciunt, qui vt ad extremos vſque cujuſcunque fracturæ limites perveniant, ampliſſimum, atque etiam lethalius vulnus in carnoſa parte efficiunt: Carnoſam partem nunc dico, quicquid ſupra cranium continetur. *Idem.*

XXXVIII. *Contuſiones Cranij* aliæ ſunt cum fractura, aliæ citra fracturam, & harum aliæ cum cutis vulnere, aliæ etiam ſine hoc: Vbi vero Contuſio, vel Fractura citra vulnus ſunt, equidem anceps Chirurgi opera eſſe debet, Nempe num cutem dividat & os retegat, vel diſſolutioni potius & exiccationi citra ſectionem induſdet? Quæſtio hæc quamvis ardua, à multis tamen levis putabitur, & ea tempore ad ſectionem decernetur ob ſequentes cauſas, nimirum quod putreſiant contuſa, quod ſanguis in loco contuſionis collectus, & extra ſua vaſa repoſitus (ἐκχύμωμα dicitur) is etiam corrumpatur, quæ plerumque de proximo ſequuntur aliæ noxæ: Tacemus hic dolores qui ab extenſione, & noxam quæ à contuſi oſſis compreſſione ſolent concitari: At non enerves ſunt rationes quæ adverſam fovent ſententiam, Nempe quod illæ oſſium contuſiones atque fracturæ, magis periculoſæ, & curatu difficiliores ac diuturniores ſunt, quæ cum vulnere ſunt quam illæ (ſi cætera ſint paria) quæ ſine vulnere: Quamobrem peritiſſime *Galenus comm.*3 *de Fract.textu* 43. cum inquit, *Sciendum tibi eſt omnia quæ ſub cute ſunt cute admodum gaudere, atque quod ſubjectum ipſi eſt ea denudari abſque detrimento poſſe: Sed quid mirum ſi ea quæ proprium & cognatum ex cute tegumentum habent eo ſemper delectentur, ab aliis vero omnibus male & moleſte afficiantur? Vnde ego ſæpe, cum partes cutis minime præciderim, ſed quod detractum fuerat extrinſecus ſuperpoſuerim, glutinari id animadverti, quodque magis mirandum eſt, cum ſtatim ex ictu nigrefactus locus eſſet.* Vnde colligimus cutim non ſemper eſſe apertiendam vbi ca nil penitus diviſa eſt, ob *Galeni* adductas rationes, quas vſu quandoque confirmavi: Quod autem oſſa minus, vel nihil, à proprio tegumento nudata, citius ſaneſcant ferruminenturque, vſus frequentiſſimus approbat, experientia enim oſtendit multas, vel aliquas fracturas ſine vulnere, in quibus multa fruſta oſſis à trunco ſejuncta ſentiebantur, longe melius ac citius curari quam exiguam oſſis contuſionem, vel fracturam cum vulnere, vel cutis laceratione: Nam in fractura ſine vulnere, oſſa ab aëre vel pure non alterata, facile ferruminantur, ſi ante phlegmone prohiberi poſſit: In altera vero firmi oſſis exfoliationem expectare oportet, quæ quoque non fit niſi poſt menſes multos, præcipueque ſi dura magnaque ſint: In capite vero quia tenuia ſunt vix ſecundum menſem prætereunt, citra naturalem detectionem, ſeu exfoliationem. *Idem cap.* 17. §.16. vide *ibid. exemplum inſigne*, & *lib.*3. *Titulo de Capitis vulneribus* §. 2.

XXXIX. An quæcunque febris Cranii terebrationem impedit? *Hipp.l.c.n.*28. *Quapropter vbi intellexerit febrem invadere hominem, & ex aliis ſignis aliquid ipſi accidere, non cunctari oportet, ſed os ad membranam vſque perforare, aut ſcalpro deradere.* Qui textus non indiguus eſt aliquo diſcurſu, nec prætereundus citra diſtinctionem: Vidimus certe ſanitatj

ſtitutos aliquot capite vulneratos cum oſſis læſione quos febris prehenderat, quibus os ſodere non paſſi ſumus: Non enim omnis febris perturbat oſſis foſſionem, ſed ea tantum quæ a vulnere concitata eſt, Aſt vnam ab altera poſſe diſtinguere hoc opus hic labor eſt: Quæ autem a vulnere fit, ut plerumque tertio quoque die acceſſiones habeat majores (quod eſt commune cum reliquis omnibus febribus bilioſis) tamen hæc habet quaſi ſpecifica, nempe horrores incertos, tum duratione, tum magnitudine, tum adventu, qui diebus vulneri decretoriis vehementius frequentiuſque repetunt; adde quod iis & febris ipſa eveniat in die decretorio, ſudores etiam erumpunt incerti, & citra levamen: Sed adhuc hoc habet ſpecialius vt raro vrinas tingat, ſed ſine belleque coctæ hæ apparent, colore integerrimo, ſeu pro patientis conſuetudine: addamus alia nonnulla quæ ſequuntur, videlicet nervorum aliquas trepidationes, præcipue juxta carpum, ſomnolentiam, oculorum gravitates, difficilem luminis viſionem vel alia ex ſuperius enumeratis: Et hæc ſunt quæ *Hippocr.* dicit, *& ex aliis ſignis* Quare dicendum non eſt, febris adeſt, ergo forandum, vel, non adeſt ergo non forandum: Sed febris eſt ex vulnere producta, Ergo foranda calvaria: Vel etiam quamvis febris non adſit, ſed aliquod aliorum potentium ſymptomatum, ea foranda, modo vires conſtent, ne opus adeas die obitus, vnde noxiam circa rem infamia polluas: Quanto igitur maturius fiet, tanto ſane melius, &c. *Idem.*

XL. Hoc non eſt tacendum, in quo quandoque præcipitate ignaros vidimus, nempe in *cutis ſectione vbi oſſis fractura magna eſt*, in qua oſſium fragmenta prorſus mobilia & inter ſe ſejuncta ſunt: quod frequenter accidit iis qui à magnorum lignorum, aliorumve telorum, percuſſione, vel caſu violento vulnerantur, & in virginate potiſſimum, & in adoleſcente maxime; In aperienda hic, inquam, cute, nimis ponderoſa manus novaculam adigit in cerebrum per fragmentorum hiatus, quare ſumma animæ attentione hic agendum: *Idem.*

XLI. In modiolorum vſu ſumma adhibenda diligentia eſt, Specillo enim, ſeu potius tenui vecte ſecorivo explorandus circus eſt, nam ſæpe vna parte os totum deciſum erit, ſecunda tabula, altera parte ferme tota integra perſiſtente; quod fit aut artificis cauſa, qui forſan modiolum ad perpendiculum non continet; aut quia cranii partes non æquali ſunt craſſitudine: Vbi igitur os aliqua ex parte prorſus diviſum eſt, & cætero circuito adeo attenuatum vt vecti rumpi poſſit, modiolis deponendus eſt: & ſi ſanguis aliquis ab internis exierit, antequam oſſis orbem abſtuleris (quod perſæpe fit) non abs re fuerit id ipſum os ad aliquot dies permittere ex conſilio *Hippocr. Nam in oſſe perforato, & a perforatione relicto, nihil mali accidere poterit, tenue enim jam id quod reſtat ſit.* Ratio autem hæc eſt, ne paratum cerebrum a novo, a ſuaque natura alieno tegumento, ſic vt tutius ſit paulatim ab vno extremo ad aliud proficiſci, præterquam vbi jam ex perforatione ſanguis aliquis exierit, quo forte non parum cerebrum levabitur, niſi ipſe emanaverit ex ſauciata ab artifice membrana: Attentiſſimo animo tale opus agendum eſt in tenera ætate, ob tenuitatem & teneritatem cranij. *Idem.*

XLII. In vulneribus ſclopeto *medio ventri* inflictis, poſt venam ſectam &c. corpus deinde purgato, præcipue ſi malis ſuccis ſit refertum, tales educendo humores qui tales prædominium habere competeris: At maxime attendendum eſt ne vomitum moveant pharmaca, præcipue cum in aliquo ventre inflictum fuerit vulnus: Caput enim replet & thoracem, vniverſaſque partes violento motu vexat, ac quandoque lancinat: *Idem.*

XLIII. Si glans, ſine hepatis, ſplenis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, venarum arteriarumve magnarum &c. læſione epigaſtrium vtrinque pervaſerit, vt mihi vidiſſe aliquando contigit (*& contigiſſe ſcimus ante aliquot annos in Pedemontio Generoſo Duci Iannaveli, apud nos hic incolumi degenti hoc anno 1681. cui, cum tota die pugnaſſet, glans abdomen medium pervadit, illaſis omnino viſceribus*) vulnus ampliandum non eſſe cenſeo, nullius enim frugis erit, ſed damni potius: nam quo majus oſculum redditur, ab extrinſeco aëre magis læduntur viſcera: Quod ſi partium dictarum aliqua vulnerata ſit, proficiet vtique nihil epigaſtrii oſculum latius reddere, cum ſpes ſalutis nulla ſit. *Idem.*

XLIV. Aſt ſi glans intus remanſerit, & certum ſignum nullum habeas de læſione dictarum partium, laborandum eſt vt educatur, ægro ſuper vulnere decumbente, huc atque illuc ſe ducente; ſic tamen vt vulneris oſculum verſus ſolum è directo proſpiciat: mox ſpecillo flexo ab artifice exercitato pervestiganda eſt & educenda: Quod ſi inveniri nequeat, & vulnus in parte ſit quæ dilatationem ſine multo diſcrimine pati poſſit, ampliandum eſt per muſculorum longitudinem, quantum digitus index facile poſſit immitti; Pro dilatatione autem inſtrumentum omnino acutæ cuſpidis expers ſit, ne forte inteſtina pungantur; Vbi glandem perceperis, arte eam educere conaberis, quod ſi non, ſinito. Aliquot hercle vidi inferiore ventre cum penetratione ſauciatos, qui cum glande ſupervixerunt, quod ſecus forſitan eveniſſet ſi eam perquirere ac extrahere conati fuiſſemus: Inter quos ſuperſtes adhuc vivit Loricarum faber, Is vulneratus fuit paulo ſupra inguen dextrum, cum penetratione, à quo glans educi nec inveniri potuit: Non tamen vt vulnus ampliaretur permiſi: Intus igitur permittenda eſt potius quam periculoſam ſectionem facere, vel cum minima ſpe optati finis potiundi. *Idem.*

INDICIS
MEDICO-PRACTICI,

SIVE

Deciſionum, Cautionum, Animadverſionum, Caſtigationum, & Obſervationum Practicarum.

LIBER DECIMVS NONVS.

Circa Præſidia Diætetica, Chirurgica & Pharmaceutica.

ACIDVLÆ.

SYLLOGE.

Contrarios affectus curant. 10.
Temere non bibendæ. 27.
Calidæ jecori infeſtæ. 30.
Quantitas neceſſaria an ſimul & ſemel ingerenda. 4.
Qua menſura ſumendæ. 1.
Summa doſis initio an haurienda. 2.
Ad ſummam ubi pervenium an ibi conſiſtendum. 3.
Vomitus excitandi cauſa quomodo ſumendæ. 8.
Quantitas neceſſaria quam minimo licet tempore haurienda. 9.
Si dividenda, quod intervallum inter ſingulos hauſtus eſſe debet. 5.
Quot diebus bibendæ. 22.
Frigidæ an calidæ bibendæ. 6.
Subſiſtentes quomodo evocandæ. 26.
Tabaci fumus an juvet excretionem. 11.
Decubitus in lecto exitum promovet. 25.
Equitatio melius quam pedeſtre exercitium. 14.
Interjectis octo vel decem diebus purgandum. 15.
Prandii tempus unde dignoſcatur. 28.
Somnus meridianus fugiendus. 23.
Sub veſperam non ſumendæ. 24.
An ab epotis vehemens exercitium. 7.
Chronici affectus diuturnum uſum poſtulant. 17.
An ab uſu deſiſtendum ſupervenientibus menſtruis. 19.
Macies an ſemper earum uſum prohibet. 18.
Cautiones variæ in earum uſu.
Artificiales an parari poſſint. 16.
Alimenta ijs non ingerenda. 20.
Vinum iis non diluendum. 21.
Pueris an concedendæ, & Gravidis. 12.
Vitriolatæ quibus utiles & infeſtæ. 29

I. NVLLA gens in exhibitione mineralium aquarum Italâ largior videtur, *Fallopius* enim ad 120. uncias præſcribit. Germani parciores ſunt, *Andernacus* quippe maximam dozim non excedere vult ſeſqui ſextarium. hoc eſt uncias 27. Nos etſi certam menſuram definiri vix poſſe judicamus, quæ ſit tanquam norma & amuſſis, utile tamen judicamus parvam, mediocrem, & maximam dozim in latitudine quadam exprimere: Minima ſit pro adultis ℥viij. vel xij. mediocris ℥xxxij. ſumma ℥xliv. Atque ut conveniens quantitas præſcribatur circumſtantiarum rationem haberi volumus, affectus, temperiei, roboris, ætatis, ſexus, regionis, anni temporis, vitæ inſtituti, conſuetudinis, habitus corporis, partium affectarum & ſimilium. Ex quibus affectus magnitudo & vehementia *Indicans* eſt propriè dictum: virtus *permittens* aut *prohibens* reliquæ circumſtantiæ ſigna ſunt hujus debilis aut validæ: certiſſima autem quantitatis regula *iuvantia* eſt, cujus norma eſt ventriculi tolerantia. *Sebiſius pag.* 53. Quotidiana vero experientia conſtat omnes qui parum aquæ Spadanæ bibunt, nihil juvari, imò multum rebus ſuis officere: qui vero multum ejus ingurgitant, magnis ſe liberare incommodis. Quare rectè *Frambeſarius* Quanto quiſque plus biberit, eò melius habebit, dummodo aquas bene egerat: quiſque ergo cum ventriculo rationem ineat, quantum aquæ ferre poſſit & quam cito illam egerere, hancque ſemper regulam teneat *A nocentibus & juvantibus optimam ſumi indicationem. Heer Spadacrenes pag.* 114.

II. Volunt authores ut pedetentim ad ſummam dozim aſcendatur, ex aphor. 51. 2. ſect. 2. ut acidulis,

dulis, actu frigidis, ſenſim aſſueſcat ventriculus, 3. quo conſtet quomodo ex potis acidulis æger ſit habituatus, nec enim idioſyncraſia ſtatim innoteſcit. Sed hic iterum monemus non tam ad numerum poculorum quam ad ἰσοῤῥοπὸς reſpiciendum; atque cujuslibet naturæ certam & peculiarem accommodandam menſuram: Dictum Italos in præſcribenda quantitate admodum eſſe largus: Germani quamquam οἰνόφιλοι, tamen aquam ſive dulcem ſive medicatam copioſam ferre nequeunt. *Sebiſius pag.* 516.

III. Ad ſummam menſuram vbi perventum fuerit, nonnulli in ea inſiſtunt vſque ad finem: Sed quia experientia docet caru ægros ad 4. aut 5. dies ſummam illam quantitatem ferre poſſe, ſed incidere in vomitum, labores & anguſtias, conſultius eſt Herodoti apud Oribaſium conſilium imitari, & paulatim retrocedendo deſcendere quouſque deventum fuerit ad primam & minorem menſuram. *Claudinus de Ing. ſect.* 1.

IV. An quantitas neceſſaria ſimul & ſemel ingerenda, an in plures doſes dividenda? Tutius eſt totam doſin per vices haurire quam ἀθρόως eandem evacuare, τὸ γὰρ κατ᾽ ὀλίγον ἀσφαλές. Nam 1. vna vice ingeſta gravato ventriculo vomitu excluditur 2. ſi maximè retineretur, ocyus tamen præ pondere deſcenderet, hinc viribus in actum non deductis, nedum in corpus diſtributa, ſine vtilitate egrederetur. 3. actu frigidæ cum ſint potandæ, frigore ventriculo officerent. *Sebiſius pag.* 546.

V. Si dividenda eſt quantitas aquarum potandarum, quantum temporis inter ſingulos hauſtus interponendum? Eſt qui interponit horam integram, at ſic nimis protrahitur tempus capeſſendi cibi. Alii interponunt octavam horæ partem, at non ita ſerviliter patientem certo temporis ſpatio adſtringimus, id intervallum præcipientes vt & libere reſpirare liceat & ventriculus non offendatur aut obruatur: Conſultum tamen videtur vt intra dimidiam aut integram horam tota menſura bibatur. Monendus quoque patiens vt non ἀθρόως ſed partitis vicibus bibat, ne ventriculus faſtidiat aquam aut vomitu reddat. *Idem pag.* 548.

VI. Cal fieri quidam eas volunt, ne frigore ventriculo & viſceribus officiant: at experientia docente, multa hominum millia frigidas innoxiè biberunt acidulas: calefieri autem non debent, 1. quia ſic albidæ fiunt, ſpumoſæ, turbidæ, quædam etiam rubræ, vnde virium jactura ſpirituum evocatione innititur, quod & cæteris liquoribus, vino &c. contingit. 2. tepidæ ventriculi tonum ſolvunt, vomituque excluduntur. Ne tamen frigore jejuno ſtomacho officiant, ex ſcaturigine excepti vaſe clauſo aliquandiu manibus fovendæ, quo frigus exuant; lenteque deglutiendæ, vt ſpatiis intermediis, priuſquam ventriculum attingant, aliquid frigiditatis deponant. *Idem pag.* 583.

VII. An potis acidulis vehemens exercitium convenit? Avidiores motu juvari certum eſt; adhæc humores, qui expurgandi, fundi & liquari: dilatari omnes meatus & calefactum ventriculum exercitio minus aquarum frigore offendi, ſed nimius motus plurimum nocet. Graviter ideo peccant qui acidulis vix deglutitis montes conſcendunt altiſſimos, aut vehementius currunt &c. Notum enim acidulas non per eaſdem vias in omnibus operari, ſed in aliis per vrinæ ductus, in aliis per alvum, in aliis per ſudorem: iis verò hauſtis naturæ inclinatio obſervanda & juvanda, quæ vehementiori motu interturbatur, qui non ſolum ingeſtam aquam ſed & humores, forte per meatus vrinarios & alvum excludendos ad habitum pellit. Omnia per ſudores expurgare velle error eſt, quæ enim in prima regione latent, vacuationem poſtulant per alvum; calculi, arenæ aliaque multa per ſudores excludi nequeunt: Si alterationis tantum gratia bibuntur, ad quid motus violentus, ante corpus eas ad habitum trudens? *Idem pag.* 610.

VIII. Vomitus excitandi gratia qua quantitate ſumendæ ſunt? Iis qui ex facili vomunt, ſæpe autor ſui tantum vt ingererent neceſſitatem vt egerendi ſibi ipſis imponerent: ſic enim ſaburram ventriculi, tenaxque & viſcidum phlegma villis ejus impactum optime deplent, & paulo poſt, horæ dimidio interpoſito, vel citius, ſumpta vna alterave ſcutella ejuſdem fontis aquæ, ſed minus, quantum tamen ſat eſt reſumant: Hoc ego virginibus, aut aliis etiam hecticis primo octiduo, aut etiam diutius, ſemper ſuaſerim, præeunte mihi *Galeno* 5. de V. P. vbi ait Cacochymis vacuationem ſalubrem esse, cum facilis & moderata contigerit (talis autem eſt in vſu hujus fontis *Spadani*) & purgationum omnium præſtantiſſimam, noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit &c. *Heer p.* 117.

IX. Prudentiſſime monet *Ryetius* quantitatem quam ſibi quiſque præſcripſit quam minimo poteſt tempore vt hauriat, h. e. totam potationem ſemi hora abſolvat: cum enim hæc aqua facile permeet, fieri poſſet vt prima egereretur poſtremis nondum ingeſtis: Quod etſi probet Fallopius, omnes tamen improbant, quia vltimæ neceſſario tardius educerentur magno bibentium malo, idque quotidiana probat experientia, cui quotquot Spadæ ſæpius fuerunt volentes ſubſcribent. *Heer p.* 119.

X. *Spadanæ aquæ* calidorum frigidorumque mineralium facultatibus dotatæ, non poſſunt non calidos frigidoſque affectus, in eodem diverſiſque corporibus percurare, Et cum calori opus ſit rarefacere, incidere, attenuare: frigoris condenſare, aſtringere, incraſſare, non mirum eſt his aquis contrarios edi effectus, nimirum menſes moveri, & rurſus nimium eorum fluxum ſiſti: Nec miretur quiſpiam quod incredulos ſæpe Spadam evocem, empiricum enim medicamentum eſt, idemque his aquis quod Theriacæ evenit, quæ cum ſine ratione compoſita ſit, & multa ſuperflua ſecumque pugnantia excipiat, multos tamen & contrarios affectus ſanat. *Heer cap.* 9. & 13.

XI. Angli ſtatim ab aquarum vſu per tubulos ei rei factos Peti fumum hauriunt, quod non improbo, magis probatur ſi producto anhelitu diutius fumum intro premerent, nec tam cito per os & nares exſufflarent, Nulli enim dubium eſt quin igneus *Tabaci fumus*, cum ad exitum alia porta non patet, in ventriculum dimiſſus aquas calefaciat, atque ita mictionem ſeu aquarum exitum maturet. *Heer p.* 120.

XII. Quæritur an *pueris* hæ aquæ conveniant; cum enim Spadani fontes admodum frigeant, & niſi liberaliter potentur parum proſint, puerili is autem calor facile vel lædatur vel extinguatur, à multum frigidis læſum iri veriſimile eſt: Et conſtat pueros minimum inutili bibere poſſe, vt metuendum ſit parum hinc commodi expectari debere: Dicuntur bibituros, ſi modo aquæ proportio reſpondeat eorum ventriculo: Vidimus Filium Illuſtr. N. jam triennio has aquas bibentem, aliquique etiam puerea, qui cum inciperent vix trimi erant, & tamen

hujus aquæ triginta & plures vncias in dies bibebant: Mea filiola ſeſqui tertium annum agens bibere cœpit, jamque biennio bibit, multaſque arenas excrevit, potis primo anno dietim xxxij. vnciis: Idem de aliis pueris, aut ſenibus ad ſecundam pueritiam redeuntibus dici poteſt: Fallopius ad dyſenteriam epidemiam aquas thermales Montiſcatini etiam puerulis duorum annorum exhibuiſſe cum ſucceſſu ſcribit: Puellula vnius anni, adhuc lactens, epota Pouhontii aqua ad multos dies, multa ejecta pituita à dyſpnœa liberata eſt. *Heer p.* 144. An Gravidis dandæ vide lib. xv.

XIII. Qui ſaluti ſuæ rectè conſultum volet, 8. 10. vel 12. quoque die medicamentum, ſed ſemel tantum reſumet, atque tunc aquæ hauſtum in diem proximum differat, ſic liberius permeabunt aquæ, totaque cloaca humorum elota corpus ſaniſſimum relinquit, Quod vellem plerique Medici ægris ſuis imperent. *Heer p.* 100.

XIV. Potis aquis domum redeundum, vel alia via corpus exercendum, quod equo gradario, vel rheda citatiore, terra aperientia ſæpius eductus, quam pedibus fieri malim: præterquam enim quod iter pedibus facienti ſudores facile erumpant, atque ita ſerum alio diverſum per vrinam parcius excat, ſeſſio in equo vel curru muſculos abdominis & inteſtina, ipſumque ventriculum comprimit, validiuſque corpus agitat, vnde aquæ citius concalfactæ promptius emingumtur, quod cuivis experienti clariſſimum fiet. *Heer p.* 120.

XV. Cui ſtomachi œconomia omnino fracta eſt; Qui aquas vel nativo vel adſcitio per medicamina calore calefacere non poteſt, Cui vitales partes penè ſopitæ ſunt: Qui à longo tempore anhelantem creberrimo ſpiritu vix ducit animam, Cui pulmonis hydrops thoracem diſtendit anhelitumque præcluſit; Qui multum aquæ (de adultis liquor) puta octoginta plus minus non fert vncias, Spadanum fontem, niſi in Spa ſepeliri, vel ægrior quam eo venit diſcedere cogitat, ne accedito. Qui in Spa, invocato Dei numine, conſultoque Medico, venerint, curis domi relictis, delæcatoque animo vni ſanitati intenti, multo mane, poſt ortum tamen Solem, cum corpus per omnes meatus à ſordibus depuraverint, aquæ quam poſſunt plurimum, dum non gravetur ventriculus, potando: potas vel per vrinam, vel per anum emittunto; emiſſis magna parte aquis, prandento: à prandio luſu, ambulatione, ſomnum fuganto: parce cœnanto; maturè ab ambulatione poſt cœnam redeuntes, cubitum eunto; hancque vitæ normam dum abitum Medicus ſuaſerit tenunto. *Heer Spadacrenes pag.* 159. Aquæ medicatæ non temerè bibendæ; Rusticus longam narium hæmorrhagiam, hepaticumque fluxum paſſus, nullo ordine acidulas Spadanas bibebat; inter ipſas cruda poma &c. vorabat, ridens meliora monentes: via menſis abiit cum alterum eius gangræna invaſit: Secundo menſe oppoſiti lateris brachium gangræna corripit, de quo amputando dum conſilia ineuntur, miſer agit animam. *Heer obſervat. xxiij.*

XVI. Chymici quidam acidularum compendium quoddam promittunt, ac ſalino quodam pulvere, paucorum granorum pondere exhibito, idem effecturos pollicentur, credentes aquæ copia ventriculum offendi quod exiguus pulvis facere nô poſſit: At error eſt, hæc enim acidularum eſt prærogativa quod etiam in magna copia corpus non offendant, interim omnia vaſa penetrant, & quicquid vitioſi offendunt abluunt & abſtergunt, quod pulvis aliquis ſalinus paucorum granorum pondere præſtare nequit: Si perpendatur magnus valorum meſaraicorum numerus, ad quæ nulla paucorum granorum eſt proportio vt ille ad omnia deſtribui poſſit: vt nihil dicam de ſingulari illa miſtione a natura facta, quam ars imitari nequit: Ac quod vis non tam in ſale quodam fixo quam in ſpiritu volatili ſita ſit, qui facile evaneſcit. *Sennertus Pract. lib. iij. part.* 5. *ſect.* 1. *cap.* 6. Neque de earum qualitatibus temerè judicandum: Si enim videmus tales aquas conſtare v. g. alumine, ſulphure, ferro, nitro &c. non ſtatim pronuntiandum, Ergo eas habent virtutes quibus conſtant mineralibus; nam ex *Hippocr.* lib. de vet. medic. *In homine* (cæteriſque miatis) *amarum, ſalſum, acidum, inſipidum ineſt, quæ mixta & contemperata neque cernantur neque offendunt: At vbi horum quiſpiam ſecretum fuerit, & per ſe extiterit, tunc & conſpicuum fit & hominem afficit*, adeoque aliam afficiendi vim obtinet. Hinc collige Acidularum qualitates experientiâ potius quam ratione indagandas; empiricumque eſſe medicamentum, quo multi & contrarii affectus ſanantur. Acidularum artificialium σκευάσματα vide in *Plateri* obſervationibus lib. 3. p. 010. Sunt qui ſpiritum Vitrioli, ait idem ibidem, permiſcent acidulis vt aciditatem acquirant, ſed plurimis malè ceſſiſſe obſervavi. *Willis* ait ſe artificiales parare naturalibus efficacia & gratia æquiparandas.

XVII. Velim notari moram in Spa eſſe neceſſariam, &, quod ſæpe multis dixi, toto ibi anno viventium iis qui à diuturnis & pertinacibus malis liberari cupiunt: at nunc qui xxx. vel xl. die non perſanantur, aquarum impotentiam arguentes, ſæpeque de Medicis multa immeritò queſti, ad ſuos irrito eventu redeunt: Revera enim aliquot qui totos tres quatuorve annos aſſidui in Spa manſerunt, ab vlceribus Gallicis, calculo & hydrope perſanatos vidi, qui etiamnum vivunt, votivamque ſanitatis tabulam Spadanis appendunt fontibus. *ab Heers de Acid. Spadanis p.* 82.

XVIII. Quanquam Acidulæ *exſiccant*, non eſt quod ideo *exſuccos & emaciatos* his fontibus quis arceat, veritus vt omnino exſiccati animam, in calido & humido poſitam, expellant: Vidimus enim ſicciſſimos, & tantum non exſangues, viva potius cadavera quam homines, horum vſu fontium carnoſos & bene habitos evaſiſſe: nimirum obſtructione meſaraicarum hepatiſque ablata, ventriculoque confirmato, meliorem chylum venis tranſmittentes, ſanguine optimo, qui facile muſculis carnem reponeret, repleti ſunt: *Idem p. m.* 66.

XIX. Sæpe accidit vt mulieribus acidulas bibentibus *menſtruorum fluxus* ſuperveniat, quo nihilominus ſtrenuè pergendum cenſent: At nos cenſemus deſiſtendum ab vſu, 1. quia & potus & balneum menſtrua movent vnde metus ne immodicus & qui ſiſti non poſſit fluxus ſequatur; præſertim in iis quibus vaſa ampla, ſanguiniſque copia tenuitati juncta. 2. quia acidulæ vt plurimum per alvum aut meatus vrinarios vacuant: balneum autem â centro ad circumferentiam trahit, quos motus contrarios ægre natura ferret 3. quia nulla neceſſitas vrget vt vno eodemque tempore duæ vacuationes inſtituantur.

XX. Placitum eſt quorundam conveniens eſſe vt cibaria acidulis incoquantur, quæ ſententia nobis non probatur 1. quia medicamentorum vſus

non

non debet eſſe continuus, alias ita tandem naturæ familiaria fiunt vt parum efficiant. 2. natura non indeſinenter medicamentis fatiganda eſt, ſed prandii & cœnæ tempore meris alimentis reficienda, vt curam, quæ nonnunquam 3. 4. & 5. durare ſeptimanas ſolet, tolerare valeat. 3. medicamenta alimenta inficiunt: hæc illorum vires obtundunt: 4. minerales aquæ in corporis alimoniam minimè cedunt, itaque ſi diutius a cibo detinerentur corrumperentur, ſunt enim [illegible], idque ob tenuitatem & puritatem ſubſtantiæ. 5. Si alimenta alimentis incoquenda, id fieret aut vtilitatis gratia, at tunc vires habent exiguas: aut neceſſitatis, at ſi bis quotidie bibuntur, juſta quantitate bibuntur, quæ ad vacuationem aut alterationem ſufficere poteſt, aut Voluptatis, at ſic coctione gratiam ſaporis amittunt. &c. *Sebiſius p.* 617.

XXI. Vinum acidulis quidam diluunt, quem errorem refellit Heer, Malè vult is, *ait*, omnes priuſquam prandeant aquam potam eminxiſſe: quid hoc opus eſt ſi in prandio novam bibere debent? hoc ſanè contradictionem ſapit, velle vt pranſuri omni aqua vacui ſint, & interim novam prandentibus ingerere. 2. omnia diuretica longiſſimè a paſtu ſumi vult is, at hæc, omnium conſenſu, inter ea primas tenent: Scribit Pigræus quendam anilum inter aquas edentem, integrum ejus granum eminxiſſe: id ſi fieri potuit, quomodo ſecum chylum crudum & indigeſtum non rapient?

XXII. Sunt qui certum *dierum numerum* præſcribant: alii ad excretæ aquæ colorem & conſiſtentiam reſpiciunt, quæ ſi duobus diebus continuis qualis pota eſt rejiciatur, à potu abſtinendum cenſent: Nos certo dierum numero nequaquam adſtricti, tot diebus bibendas eſſe volumus quot ægri bene ferunt: quotque vel ad omnimodam ſanationem, vel ſaltem ad meliorationem & manifeſtam mutationem neceſſarii videntur: Priori autem ſententiæ non ſubſcribimus, quia ob diverſitatem morborum & cauſarum morbificarum certus dierum numerus præſcribi nequit: Nec ſecundæ, cum vſurpentur non tantum in morbis materialibus, ob humores in venis contentos, ſed & in immaterialibus, alterandi & roborandi cauſa. *Sebiſius pag.* 509.

XXIII. *Somnum* meridianum, quo nil nocentius, fugent aquas bibentes, quia earum operationes impedit, cum naturam, cujus eſt ſuperflua digeſtione bene facta expellere, ſopiat, humoreſque è corpore deturbãdos parti alicui in qua putriſcunt, includat: Accedit quod hic ſomnus vaporibus potius mineralibus quam naturæ adſcribi debeat, quo fit vt caput gravet, calfaciat, hinc fluxiones cieat: Demum, cum brevis ſit, ideoque cœptam ventriculi coctionem mox deſtituat, cibum quando excitantur per ventrem fluctuare facit; bilis autem, quæ eo tempore foras moveri ſolet, hoc ſomno intro revocatur, vbi collecta febrim excitare poterit, vel in melancholicum excoqui ſuccum ſi moram traxerit: Denique contrarios ab hoc ſomno ſuccorum motus cauſari eſt neceſſe, ex luce nimirum foras eos evocante, & ſomno eoſdem intro provocante: Si quis tamen, vt multi ſtudioſorum, meridiani omnino aſſueverit, quia ab aſſuetis parva aut nulla fit paſſio, conſuetudini ſuæ aliquid tribuat, ſedens in ſede erectus, non autem in lecto cubans, dormitet potius quam dormiat. *Heer p.* 132.

XXIV. Sub veſperam ante cœnam multi aquã denuo, ſed dimidia tantum quantitate, ſi ad matutinam conferas, bibendam dicunt: Ego paucis ante cœnam potationem profuiſſe vidi, itaque niſi quis ſtomacho ſit validiſſimo, parum vel nihil, niſi ſitis levandæ cauſa, ante cœnam bibendum cenſeo. *Heer pag.* 133.

XXV. Vidi qui vt aquas felicius redderent, ſecunda poſt illas ſumptas hora *lectum petebant*, ſeq; optime cooperiebant, itaq; promptiſſime aquas reddebant: Hoc inter alias fecit ante 17. annos vxor Nob. N. & mercator quidã eventu feliciſſimo, & poſt eos innumeri alii, vt jã plurimi in lecto fœlicius quã aliis exercitiis aquas optime egeri experti ſunt. *Heer p.* 121.

XXVI. Si *aqua* omnino *ſtagnent*, ſeu in corpore maneant, vt aliquibus accidit, quid agendũ? Dico varia eſſe hujus aquæ receptacula: Si ergo in inteſtinis aquæ hæſerint, quod ex rugitu, flatu, tenſione, gravitate agnoſces, illo quinè ipſo die clyſterem ex eadem aqua, cũ hieræ picræ, vel Logadii vel etiã hieræ diacolocynthidos vncia vna vel duabus injicies, ſicque aquam omnino educes. Si nõ ſucceſſerit, ſtatim acriore tẽ clyſtere tentabis, & poſtridie purgationem pituitæ, quæ tranſitu aquis negavit, inſtitues, idq; ſi opus fuerit, biduo triduoq;, omiſſo interim aquæ vſu facies: Si vero in venis retinetur aqua, quod ex abſentia rugituũ, flatus, tenſionis patebit, purgetur corpus poſtridie, nã abſentia doloris illa die clyſterem non vrget, pilulis de hiera cũ agarico, vel aleſanginis ad ℈ij. ß. ſumptis, dein cieatur ſudor: Si Pilulæ hæ aquã non eduxerint, ſuadet Fallopius vt vni pilularum dictarũ ſcriptulo, grana aliquot elaterii addantur, ſcil. j. vel duo. *Heer p.* 140. ſolebat *Fallop* ad dandã penetrationẽ aquis thermalibus accipiendis, exhibere aliquid elaterii ãte, mox aquã, & optimo cũ ſucceſſu. *Idem.*

XXVII. Ruſticus quidam proletarius, longam narium hæmorrhagiam hepaticumq; fluxũ paſſus, nullo ordine acidas bibebat, ineurius & horarum & tempeſtatum; imo inter ipſas aquas, dum alii aniſo aut tabellis calorem veſſiculo afflaturis ſibi conſulunt, cruda poma pyraq; ſylveſtria vorabat, rideos meliora monentes; Vix menſis abiit cum alterum crurum à gangræna ſideratum amputavit Chirurgus: ſecundo menſe eadem gangræna oppoſiti lateris brachium invadit, de quo amputando dum conſilia ineuntur, miſer egit animam. *Heer Obſ.* 23.

XXVIII. Horam prandii dictabat *Socrates* divitibus cum vellent, pauperibus cum haberent: Hic prandendum eſt quando aqua, vel omnis, vel maxima ex parte reddita eſt ſcaphio vel matulæ: Cæterũ quia multi primis ſaltem diebus parum, aut certe vix dimidium aquæ reddunt, vt illi nimis dilato prandio ſibi noceant, hoc ſignum temporis prandii ſumendi opportune habeant, Si quis hauſtis aquis aliquid albæ vrinæ, vt ſolent omnes, excreverit, deinde coloratã vrinam minxerit, ſecure prandeat, certum enim eſt reliquam in corpore contentam aquam, à natura diſpenſatrice aſſumptorum, ad aliquem alium vſum retineri: Aut certe cũ duas plus minus horas, vel mictio vel ventris exoneratio, ſi eam aqua cauſavit, ceſſaverit, non dubitet ſecuto prandere poſſe. Cœnandum cum appetitus vel ratio prandium concoctum iudicaverit. *Heer p.* 150.

XXIX. Etſi *Acidulæ vitriolatæ* efficaces ſint in penetrando, deobſtruendo, reſerando, arenas & calculum deturbando, cum tamen eorum pleriſque quibus hæc incommoda familiaria ſunt, viſcera impenſius calcant, iis ſubſtituendæ ſunt Provinciales, aut ſimiles, vi refrigerandi inſignes, penetrandi quoque facultatem nactæ, eoque nomine vtiliores quod abſtergunt & everrant impuritates quaſque imi ventris, partes ſimul quaſcunque cor

ris ad nativam & propriam temperiem deducendo, has prætetea pluries aſſumpſi, etſi moleſtus eſſet catarrhus cum tuſſi : quæ accidentia ſæpius ingruunt in earum vſu, illis ab ineunte ætate obnoxius : At cum experimentis mihi conſtet ferrugineas eas eſſe & alumine impręgnatas, ab iis aſſumendis nihilominus non deſtiti, deſinente inde catarrhn, qui proculdubio augmentum habiturus eſſet, niſi earum vi exſurgentes in cerebrum fumi reprimerentur ac viſcerum æſtum emendarent : Nec mihi vni id contigit, ſed & pluribus aliis, quibus earundem aquarum vſum ſuaſi, quos etiamnum catarrhus cum tuſſi infeſtabat, cum nempe mihi innotuit morbi fomitem fuiſſe viſcerum calidiorem intemperiem, qua repreſſa beneficio ejuſmodi potus refrigerantis, mala exinde oriunda cito deſinunt : Ejuſmodi autem aquæ ſi à vitriolo vim nactæ eſſent, admodum eſſent noxiæ, nedum juvarent, quippe ab illis viſcerum æſtus intenditur, tantaq; vaporum copia ex illis effunditur, vt dolores capitis, pene intoleràdi ſuſcitentur; atq; inde origo & decubitus plurimarum fluxionum in varias corporis partes : Hinc recte *Dom. Franc. Guenault*, Reginæ Archiater, *tractatu de Hygiene cap.* 20. de Aquis mineralibus, vbi de vitriolatis, *Vitanda ſunt*, ait, *vbi ad catarrhum diſpoſitio eſt, vel ad apoplexiam, vel epilepſiam, quia inter cateras minerales aquas maxime cerebrum opplent: quinetiam cum omnes minerales aqua ſiccandi potentiam inſignem habeant, vitanda quoque ſunt vbi viſcera nutritia, potiſſimum jecur, intemperie calida ſicca laborant*, prætetea, *Vitriolum eſt cacoſtomachum, acre, erodens & vomitorium. Georgius Agricola* tantum periculi iis meſſe denuntiat, vt mortem inferant interiora corrodendo : Confirmat id cujuſdam hiſtoria, cui ab aquæ vitriolatæ vſu interempto, cor & ventriculus eroſa & exſiccata reperta ſunt : De iis audiendus *Avicenna tract.* 5. de Removendis nocumentis *cap.* 23. *de Acidulis*, Quod inteſtina & ſtomachum vlcerent, nauſeam faciant atque hydropiſin. Non de *Aluminoſis*, quibus mitis ineſt acrimonia, aquæ copia temperata & diluta: quod ſi ferrum æquali copia inſit cum alumine, frigida ferri qualitas aluminis calorem tam inſigniter emendat, vt hujus acrimonia inde miteſcat, eoque pacto aquę noſtræ (*Provinciales*) naturæ amicæ evadant, ac multo ægris vtiliores iis quæ vtriuſque mineralis majorem obtinent quantitatem, ac proinde plus acrimoniæ & caloris. *P. le Givre Tractatu Gallico, cui titulus, Arcanum acidularum.* Vitriolatas tamen aquas in Conſiliis concedit *Iohann. Raym. Fortis*, non modo in phthiſin vergentibus, ſed & ea occupatis: vt veriſimile ſit aquas quas vir Excell. vitriolo impręgnatas eſſe credidit, ab alumine & ferro vim nanciſci.

XXX. Aquæ thermales multum calidæ offendunt jecur, relaxando enim robur ejus deſtruunt. *Mercatus Pract. l.* 3. *c.* 17.

ADSTRINGENTIA.

SYLLOGE.

Non eadem vbique conveniunt. 1. 4.
Aquea vix adſtringunt. 2.
Ex marte quomodo id præſtent. 3.
Reſpectus habendus partium & humorum. 4.
Nunquam nimis adſtringendum. 5.
In affectibus Pectoris parce adſtringendum. 6.
Frigida an tepida applicanda. 7.
Interna ſæpius præſcribenda. 8.
Liquida externa vix id præſtant. 9.
Clyſteres adſtringentes an dentur. 10.
Fotus & ſuffitus proprie non adſtringunt. 11.
Nec vnguenta & linimenta. 12.
In caſibus quibuſdam adſtrictionem requirentibus, apertentia &c. ſunt ex vſu. 13.
Ad adſtringendum inepta Emulſiones. 14.
Croco Martis *non multum fidendum ad adſtrictionem comparandam.* 15.
Tormentilla Biſtorta quando præferenda. 16.

I. INdicans *Adſtrictionis* vniverſale & commune eſt Laxitas partium ſolidarum, κατ' ἐξοχὴν, hinc & humidarum; ſeu in ſpecie 1. *Laxitas Parietum*, hinc conveniunt Adſtringentia in roborandis viſceribus, ſeu viſcerum laxitate, hinc Tonica dicuntur & ſunt ; Sic conveniunt adſtringentia quoque ad conſiſtentiam ſanguinis moderandam, & putredini reſiſtendum : hinc plurima adſtringentia etiam ſunt alexipharmaca : *Videtur* enim eſſentia morborum malignorum, inprimis peſtis, conſiſtere in reſolutione ſanguinis, quando σύςασις ejus ita pervertitur vt ſufficere actionibus vitalibus non poſſit, ſed ſerum & ſanguis divellantur: qualia ſunt tum acida, tum mucilaginoſa præcipitantia, tum balſamica diaphoretica. 2. *Raritas pororum.* 3. *Mobilitas humorum.* 4. *Soluta vnitas membranarum & vaſorum.* 5. *Conſequens eruptio humorum, ſanguinis & ſeri quandoque* : Sunt itaque hujuſmodi remedia, indicantibus his debita, varii generis, quæ licet omnia in vno tertio conveniant, & vnum eundemque finem intendant, attamen ex *Galeno* 3. *de ſangu. miſſ. c.* 55. hoc vel illud medicamentum adſtrictorium præter adſtrictionem, alias inſuper qualitates accipit non paucas, adeoque effectum plane eundem obtinere nequit, ſeu, diverſi effectus ab aliis atque aliis adſtringentibus edi conſpiciuntur : Nam quod adſtringit, pręter adſtrictionem acre eſt, aut pingue, aut dulce, aut amarum, aut ſalſum, aut acidum, quibus manifeſto innititur quantum in ſelectu adſtringentium hoc vel illo fine ſitum ſit : In genere proprie *Adſtringentia* frigida ſunt & ſicca, ac, juxta *Carteſium*, virtus eorum in certa craſſitie & figura *partium* conſiſtit, quibus alterius corporis partes inſtar cunei conſtringunt, vel inſtar fidium contorquent. Principia ergo activa, ſal, ſulphur, Mercurius, minus in his ſunt vegeta, vel ſaltem terreis partibus immerſa, & quaſi fixata : Sunt autem vel *Terrea*, exſiccantia & abſorbentia, quæ abſque mordacitate adſtringunt, vt bolus Arm. corallia, lapis hæmat. terra ſigill. creta, crocus Martis &c. vel *acerba* & *auſtera*, quæ adſtringentia ambo ſunt, attamen gradibus differunt, vt biſtorta, tormentilla, alumen, vitriolum &c. quæ ſale auſtero conſtringente abundant, vegetabili vel metallico, cum partibus terreis: Vel *acida*, vt acetoſa, ſpiritus vitrioli ſimplex & martialis, De his notandum 1. *Acida adſtringentia* magis debentur *humoribus fluxilibus*, tum in vaſis, rum extra vaſa, quos coagulant quaſi & figunt, minus *poris & parietibus* ; vnde in hæmorrhagiis, v. g. narium interne conveniunt; ſic ſpiritu vitrioli curatæ à nobis hæmorrh. ſcorbuticæ, quatenus acida hoc modo coagulant ſanguinem fluidum : At poris ipſis vel parietibus magis illapſa vel communicata, minus conveniunt acida, magis enim incidunt, dilatant & exaſperant in effectu eoſdem.

2. Acidis ergo adſtringentibus vbique tuto fidendum non eſt, non enim ita conſtringunt poros vt faciunt auſtera, acerba & ſtyptica ana, ſ d ſimul gaudent tenuitate partium: Hinc qui in dyſenteria, diarrhœis, hæmoptyſi, & vbicunque partium po i vel membranæ affectæ ſunt ſubſtantia tenus adſtringere geſtiunt acida, ne turpiter ſe dant vt plurimum. Vel *Emplaſtica*, tum *oleoſa*, quæ poros obſtruunt, tum *gummoſa, mucilaginoſa, viſcida*, ac emplaſtica proprie dicta; g. arab. tragacanth. ſang. dracon. aſtiche, farinæ, Sunt etiam quædam *dulcia*, vt caſtaneæ; quædam *amara*, vt aloë &c. Vel ſimul ſunt *balſamica*, & gaudent ſulphure terreis immerſo, tum *implicite*, prædominante alia qualitate, vnde frigida a proprie dicta ſunt adſtringentia, vt gallæ, acacia, cortex granat. tum *explicite*, vt aloë (quæ exterius adſtringit) myrrha, nux moſch. cortex thuris, cinnamom. quæ quidem poſteriora calida ſunt & cum acredine conjuncta, ob modum tamen ſubſtantiæ, quatenus & emplaſticam habent vim, & partes terreas exſiccantes, ſunt adſtringentia (ſic caput mortuum à deſtillatione aqu. cinnam. potenter adſtringit) ſed improprie fere dicta, vel enim pro interno vſu adſtringendi non vſurpantur, vt aloë; vel roborando ſimul calorem, & parietes vna firmando proſunt, vt nux moſchata ſiſtit vomitus: Vel *Eſcharotica*, quæ nec proprie adſtringunt, quatenus tamen & humorem fluentem abſumunt, & cruſtam inducunt partibus, faciunt vt adſtrictionem poſt ſe relinquant, vt ignis ad ſiſtendas vaſorum hæmorrhagias adhibetur, in amputatione membrorum; calx viva; ſic ſpir. vitrioli, acetum, in quibuſdam caſibus locum habent: Vel *figentia*, vti ſunt narcotica, opiata.

II. Ad improprie dicta Adſtringentia pertinent *Aquea*, hæc enim vt talia adſtrictiva vi non pollent (quippe quæ in fundo manet terrena, nec, ſaltem iiſdemque qualitatibus, aſcendit alembicum) vnde aquæ adſtringentes non ſunt proprie adſtringentia: quatenus diluunt, & vehiculum commodum præbent, adeoque eidem fini debentur, inter ea quoque referuntur.

III. *Martialia* medio modo ſe habent, & aperiendi fine & adſtringendi vſurpari ſolent; Nota vero, quæcunque ex iis magis ſunt vitriolata, & ſal metallicum explicitum habent magis, illa magis aperiunt; quæ magis terrea, & in ochram mutata, magis adſtringunt.

IV. Debet vero eſſe convenientia internorum, tum *partibus* quibus debentur, tum *humoribus* & cauſæ, alia enim aliis magis conveniunt; Sic ventriculo magis conveniunt *adſtringentia aromatica*, nux moſchata, theriaca, quæ ſaltim miſcenda ſunt ſi penitus non liceat iis ſolis vti: Veriſſimum enim aromatica adſtringentia terreis mixta ventriculo, ac proinde diarrhœis, dyſenteriis vomitibus magis prodeſſe, Conveniunt etiam ventriculo magis *acida*, Et fotu enim & potu ſtomacho conducit acetum, niſi adſit eroſio, vel in inteſtinis, quo caſu tamen externe proſunt acida: In affectibus *pulmonum* miſcenda *reſolventia*, *Hepatis* penetrantia *acida*, *Capitis balſamica*; Sic ſi nimis fluxilis ſit materia, & acris, mucilaginoſa magis conveniunt; Si maligna, vt in epidemia dyſenteria, bezoartica addenda, vel ſeligenda adſtringentia vi illa prædita, tormentilla, terra lemnia &c. Si ſi humorum adeſt acrimonia, Irritatioque fortis membranoſarum partium, figentia cum adſtringentibus miſcenda, quo caſu vtraque hæc mixta id præſtant, quod ab alterutro horum ſolo non erat expectandum: ſic opiata v. g. ſiſtunt quidem diarrhœam & dyſenterias, ſiſtunt quoque eadem adſtringentia ſic relicta; verum cum opiata magis figant humores, adſtringentia vero magis obviteſcent & defendant irritatarum partium parietes, hinc miſtum laudanum opiatum cum pulvere ſtyptico plus præſtat, quia vtrumque attendit, adeoque felicius intentionem explet, Vbi defendendæ ſunt partes, magis proficiunt terrea.

V. Nunquam nimis adſtringendum, ne ſubſidant nimis pori, & hinc vix relaxari queant: Hinc etiam in dyſenteria, v.g. à nimio adſtringentium vſu ſæpe oritur anxietas, vlcera cacoethica &c. nimis tum moderati deſiderant ſæpe fluxus magis quam ſiſti, & omnia cum natura ſunt agenda; quapropter etiam aromatica reſolventia, ſeu aperientia vtiliter miſcentur.

VI. In *Pectoris* affectibus in genere parce *adſtringendum*, tum quia tonus pulmonum laxitate gaudet, tum quia facile viſcoſa materia calida, bilioſa ad cor ob viciniam expelli poteſt. hinc non conveniunt in *vocis exilitate*, & *thoracis anguſtia*, non in *dyſpnœa* & *aſthmate*, *peripneumonia*, vel *pleuritide*, humores enim magis incraſſant, parti impingunt & ad expectorationem ineptos reddunt, quin inducunt ſuffocationem.

VII. Applicantur autem modo *frigida actu*, v.g. vbi repellendum eſt, vbi ſanguinis rarefactio, impetus & effuſio ſiſtenda, v. g. adhibita ... , hypochondriis & inprimis fronti, vnde anacollemata & frontalia ex adſtringentibus actu frigidis adhiberi ſolent: Cerebro enim ea nocere non poſſunt, obſtante oſſium vallo; *Minus* vero *frigida* locum habent in thoracis, ventriculi, hepatis vel uteri affectibus (licet hypochondriis præſente hæmorrhagia adhiberi queant) ne deſtruamus ipſorum actionem, frigida enim partibus membranoſis & nervoſis inimica ſunt: Sic in ſputo ſanguinis adſtringentia frigida ſunt cavenda, ne applicentur pectori.

VIII. Notandum vero, quando interius vſurpantur adſtringentia; ea repetenda eſſe, Obſervamus enim in praxi, v. g. in dyſenteria, dato adſtringente vel opiato, intra ſex, ſeptem horas ceſſare ejus efficaciam, vbi non deſiſtendum ſtatim.

IX. Externe liquida Adſtringentia non æque talia ſunt, nec iis ſemper vti poſſumus: Hinc Balnea adſtringentia in fluxu menſium immodico, fluore albo &c. minus conveniunt, vel vſitata ſunt accuratioribus Practicis, quia contrarium id eſt tum actioni caloris actualis, tum humiditati blandæ: hæc enim ipſa potius laxant ex ſua natura, & cum præponderent neceſſario, hinc minus tuto adhibentur.

X. Sic etiam *Clyſteres adſtringentes* proprie non dantur, tum ob rationes datas, tum quia omnis humor infuſus inteſtino recto, ceu illi peregrinus, illud irritat, etiam ipſa aqua; Dicuntur tamen adſtringentes, & præſcribuntur illi qui mucilagine quadam abraſum inteſtinorum mucum reſtituunt & demulcent, ex lacte, pinguedine cervina &c. qualia imprimis commendat *Minderus*: attamen & hoc modo diluunt & temperant potius quam adſtringunt.

XI. Sic etiam ad immodicum menſium fluxum fotus & ſuffimenta præſcribuntur, quæ niſi diver-

cendi & diſſipandi fine adhibeantur, minus conſtans quoque auxilium afferre conſueverunt.

XII. Sic porro & *Vnguentis* & *Linimentis adſtringentibus*, qua talibus ſcilicet, fidi conſtanter non poteſt: pinguia enim omnia laxant, aſt vnguentis & linimentis natura eſt, eſſe tale, vnde *vnguentum Comitiſſa* eo caſu adhibetur quidem vtiliter, quatenus ingrediens cera, & ſtyptica illa oleoſitatem ex parte temperant, & fere vnicum inter adſtringentia eſt, remiſſam tamen in eandem habent vim adſtringentia: Quæ vero aromatica ſuot vnguenta, illa alia ratione, verbi gratia ventriculum roborant: Adeoque vnguenta & linimenta inprimis ſtant poſt principia, poſſunt vna adhiberi, ſed non ſola. *Georgius Wolf. Wedelius de ſimpl. medic. facult. pag.* 33.

XIII. Dantur caſus vbi licet fluxus ceſſet, adeoque mobilitas humorum & eruptio, tamen adſtringentia tantum abeſt vt conveniant, vt potius noceant, e.g. fluxus menſium immodicus, in hypochondriacis præſertim, ſæpe fit ab obſtructis vaſis, & hinc libero ſanguinis commeatu impedito, vnde natura gravata & coacta alias quærit vias, Item à *copia ſanguinis*, ibi fruſtra ſunt adſtringentia, Indicans quidem adeſt, eſſe adſtringendum, ſed hoc vltimum eſt, ſeu finis: qui vero finem vult attendat etiam media, adeoque eo caſu conveniunt potius aperientia: Sic etiam in hydropicis & cachecticis frequentiſſimæ ſunt hæmorrhagiæ narium, & quidem ſtricte ſæpe ſervata rectitudine, vt dextra tantum vel ſiniſtra cruentet, prout lien vel hepar magis affectum: ibi etiam requiruntur quidem roborantia ſimul viſcera, aſt potior tamen intentio eſt aperiendi obſtructa, adeoque regulæ inſtar notandum, *Vbi cum humorum affluxa adeſt vel vaſorum obſtructio, vel eorundem copia, minus proſunt adſtringentia, ſed priori caſu aperientia, altero evacuantia vt vena ſectio. G. W. Wedelius de ſ. m. Fac. p.* 33.

XIV. Ad Adſtringendum non fidendum *Emulſionibus*, vulgus in hoc maxime peccat, quod in diarrhœis, & aliis ventris laxitatibus promiſcue ſæpe vtatur Emulſionibus ex amygdalis, roborare, adſtringere eaſdem perſuaſum; Verum cum in omnibus ejuſmodi affectibus ventriculi tonus ſit laxior, & humores acres corrumpentes copioſi, caute mercari debet Medicus: Par ratio eſt vomitus, hinc dyſentericis quoque cavendum eſt ne dum ſpecioſe his juvare volumus lædamus. *Idem de Med. compoſit. extemp. pag.* 66.

XV. Vti notiſſimum eſt Crocum Martis eſſe vel aperitivum vel adſtringentem, ita croco Martis adſtrictorio nunquam ſoli perfecte fidendum: primum enim certum quidem eſt non differre hos duos, niſi quod in adſtrictorio terrea magis & abſorbens atque conſtringens prædominatur qualitas, in altero vero aperiente magis ſalina vitriolata, quæ in priori per vigentiſſimum reverberii ignem immutata & ablata magis eſt: Hinc ſicubi humores acidi vel auſteri, acerbi in corpore, vti fit, tumultus excitent & fluxiones, vel ex laxiori tono diarrhœas, illorum in corpore acceſſione iterum quaſi recorporeſcit pars, adeoque tantum laxat quantum adſtringit: Vnde vbi villi viſcerum roborandi ſunt eximie quidem prodeſt, quatenus aperiendo, vt vocant, ſeu humores minus fluxiles corrigendo vim ſuam exequitur, aſt vbi jam laxitas cum eroſione, v. g. conjuncta, caute cum eodem mercandum eſt; Quo minus vero vitriolatus crocus Martis eſt, eo minus quoque aperit; quo minus ochreus, eo minus adſtringit, vnde Marti l oli, omni & ſemper non æque abſolute fidendum eſt. *Wedelius Pharm. pag.* 115.

XVI. Biſtortæ rad. & Tormentillæ magnam affinitatem habent: obſervandum tamen vt cum hæ magis ſint tenuium partium quam Biſtortæ, ſemper vbi minore adſtrictione eſt opus, vt initio Dyſenteriæ malignæ, Tormentillam Biſtortæ præferamus; Præterea contra febres malignas, vt variolas, morbillos, petechias, imo peſtem & dyſenteriam epidemiam ſummo cum emolumento adhibetur, non vt ſudores moveat, ſed vt ebullitionem maſſæ ſanguineæ compeſcat: quæ cauſa etiam quod radices tormentillæ compoſitionem Pulver. rubri Pannonici ingrediantur. *Fridericus Hofmannus Clavis Schrod. pag.* 423.

ALEXIPHARMACA, CARDIACA, DIAPHORETICA.

(Vide *Sudorifica inferius*, & *Venena lib.* 18.)

SYLLOGE.

Non eadem vbique vtilia, Et differentiæ ratio. 1.
Corroborantia qualia eſſe debeant, vbi de Saccharo noxa. 2.
Non omnia ſine diſcrimine vſurpanda. 9.
Frequens vſus noxius. 3.
Et abuſus. 30.
Blanda ſint quæ quotidie ſumuntur. 4.
Ventriculi tenori & cordis ſunt accommodanda. 5.
Quo morbi tempore conveniunt. 6.
Cardiaca ad cor deferendi nova ratio. 29.
Quandoque mutanda. 7.
Eorum quæ formam habent ſpiritoſam quæ doſis. 13.
Cardiacorum aſſumptorum efficacia. 8.
In iis qui obſtructionibus laborant terrea non ſint. 34.
Auro *an inſit vis cardiaca.* 15.
Alkermes confectio *an ob lapidem lazuli rejicienda.* 26.
Vulgaris ejus præparatio noxia. 33.
Antimonij diaphoretici *rita præparatio.* 32.
Lapidis Bezoar *an fidendum.* 10.
Qua quantitate exhibendus. 11.
Camphora *forte alexiterium.* 13.
Cornu cervino *crudo an calcinato vtendum.* 16.
Pro præparationis diverſitate varias habet vires. 18.
Rita præparatio. 17.
Cornu monocerotis *an detur.* 19.
Electuarium de ovo *an noxium ob nucem vomicã.* 27
Theriacæ *præſtantia ad prophylaxin.* 22.
Pueris non porrigenda. 24.
Doſis. 12.
Qua ætate alexiteria. 21.
Lapidibus pretioſis *& eorum magiſteriis an inſit vis cardiaca.* 28.
Salis viperini *efficacia &* Trochiſcorum viperinorum *inutilitas.* 20.
Quintæ eſſentiæ *mineralium futiles.* 23.
Magiſteriorum *vulgarium noxa.* 25.

Magi-

Magiſterij perlarum *noxa*. 31.
Tormentilla & Bolus *quibus non conveniunt*. 35.
Cautio in uſu ſalis viperini. 30.
Spirituum ſulphur. urinoſorum, acidorum varia dotes. 37.
Gelatinæ ex c. c. ebore &c. *ſint recentes*. 38.

I. *Cardiaca* ejuſmodi habentur quæ cordi quovis modo laboranti ſuccurrunt, quare paſſim ab authoribus dicuntur hoc cor inſigniter roborare; illud dein ab omni putredine illæſum præſtare, quinimo alia cor imbecillum, aut oppreſſum relevare, tremorem aut deliquia ejus ſanare, ipſumque a corruptione præſervare: Porro quoniam in peſte, variolis & febribus malignis cor veneno, aut malignitate correptum aut obſeſſum eſſe creditur, ideirco remedia quæ in morbis iſtis juvare ſolent, non ſimpliciter Cardiaca, ſed Alexiteria & Alexipharmeca dicuntur: Hæc de medicamentis tum Cardiacis, tum Alexiteriis opinio inde exorta videtur, quatenus Cor vulgo creditur vitæ omnis & caloris principium eſſe, & proinde ſalutem & mortem noſtram ab immediata illius affectione pendere: hinc quæcunque animam recreant illud agere creduntur quatenus cordi benigna & amica ſunt: At cum ſatis fuſe alias oſtenderimus vitæ ſubjectum minime cor, ſed imprimis & fere tantum ſanguinem eſſe, ipſamque Animam, (a cujus exiſtentia & actu in corpore vita dependet) partim in ſanguine, partimque in ſpirituum animalium aggerie fundari, facile ſequetur remedia quæ vitam integram conſervant, aut periclitantem inſtaurant, has Animæ partes, nempe Sanguinem & Spiritus animales potius & immediatius quam cor reſpicere.

Itaque ut medicamentorum, quæ Cordialia dicuntur, rationes & operandi modi innoteſcant, conſiderare oportet hæc duo, 1. quot, aut quibus præcipue modis ſanguis, aut quoad accenſionem, aut quoad miſtionem ſuam perperam habens, & non raro periclitans ſubſidia, quibus præſervetur aut emendetur, medica requirat. 2. quo ritu ob defectum aut delictum in regimine animali cor à debito motu (ſanguini enim circumpellendo inſervit) impeditur aut pervertitur, ideoque medicamenta quæ ſpirituum copias adaugeant, & ſectius componant, indicantur.

Quoad prius ſanguis, reſpectu accenſionis ſuæ, aut deficit, aut excedit, & utroque reſpectu medicamenta diverſimoda, nempe calida aut frigida, ceu velut oleum & aqua requiruntur, & propterea vulgo Cardiaca appellantur, etſi cor non omnino afficiant: nam licet ab iis aſſumptis ſæpenumero cordis motus alteratur, & proinde pulſus ſtatim crebrior aut tardior, fortior aut debilior evadat, attamen hoc ideo fit, quia cordis motus omnino à ſpirituum animalium influxu dependens (unio inter utramque animæ portionem contactu & *σύμφραξη*,) juxta ſanguinis accenſionem exactiſſime proportionatur: quare prout ſanguis à pharmacis ingeſtis efferveſcentiam ſuam ſive æſtum intendit aut remittit, è veſtigio ſpiritus animales, qui cor agitant, conditioni ejus ad amuſſim obſequentes, cor ocyus aut tardius vibrare faciunt, dein ſi ab eodem medicamine ſpirituum animalium ſyſtaſis afficitur, propterea item pulſus magis aut minus fortis, aut vehemens efficitur, cum interim iſtius medicamenti virtus haud magis ad cor ipſum quam ad manus aut pedes, aut ad muſculum quemvis alium pertingat: Itaque ut Cardiacorum, quibus ſanguinis enormitates ſanantur, claſſis prima rite inſtituatur, perpendere oportebit quot & quibus modis liquor ejus, tum quoad accenſionem, tum quoad craſin ſuam perverti aut depravari ſolet: dein cujuſmodi remedia, Cardiaca vulgo habita, pro quibuſque ejus vitiis requiruntur.

Primo igitur Sanguis interdum non ſatis accenditur, nec cum vigore circulatur, prout obſervare eſt in multis languidis, ſcilicet ab ægritudine diuturna decumbentibus, aut hæmorrhagias magnas, aliaſque evacuationes immodicas paſſis, aut ſenio confectis, quibus utique cum pulſu debili, & viribus proſtratis extrema plurimum frigent & pallent, quorum ratio eſt, quod cruor, ob particulas ſulphureas nimis abſumptas & depreſſas fere vapidus & effœtus evaſit: proindeque parce admodum & minute in pulmonibus accenditur: cui ſæpenumero accedit quod regimine animali etiam fatiſcente, & pleniore ſpirituum influxu deſtitutum, ſanguinem, quo vegetius efferveſcat & accendatur, non ſatis exagitat: Remedia in hoc caſu adhibenda ſunt vina generoſa, aquæ ardentes, aut fortiores cum aromatis deſtillatæ, pulveres, ſpecies, confect. aromaticæ, olea & ſpiritus chymici, tincturæ, elixirea, aliaque particulis ſulphureis & ſpirituoſis prædita; quæ nempe ſanguinem exagitent magis, eumque magis inflammabilem & turgidum reddant; cum que eadem ſimul ſpiritus animales exuſcitent & confortent, propterea cor vegetius & fortius pulſare faciunt.

2. Sæpenumero ſanguis ob particulas ſulphureas nimis ſolutas, & in fervorem actas, plus debito accenditur, ac calorem nimis intenſum, & valde moleſtum in toto corpore diſpergit: quapropter ut iſte ita plurimum rarefactus & efflagrans, intra vaſa contineri, ſimulque eventilari poſſit, cor vehementer & celeriter pulſans ſanguinem magno labore & niſu circumpellit: idcirco in hoc caſu remedia cardiaca frigida & attemperantia, quæ ſanguinis fervorem reſtinguant & ſedent, ſimulque ſpiritus animales, quo magis ardua nunc vice opera præſtare poſſint, blande refocillent adhibere oportet: in quos ſines aq. diſtill. bórrag. &c. ſucci acetoſæ, citri &c. ex uſu eſſe ſolent, quibus opiatæ ſæpiſſime cum fructu adjunguntur, nam cordis impetu nonnihil refrænato, ſanguis efferveſcentiam ſuam facilius ac citius remittit.

Sanguis autem haud ſolummodo quoad accenſionem nimiam aut depreſſiorem, ſed craſin ſuam depravari & diverſimode perverti ſolet: nec ſtatim quibuſlibet ejus dyſcraſiis cardiaca exiguntur, ſed tantum iis quæ in febribus excitatæ, cum ſubitæ ac immanes fuerint, maſſæ ſanguineæ totalem corruptionem minantur. 1. *Sanguis* febriliter efferveſcens duobus præcipue modis quoad craſin ſuam periclitatur, nempe aut miſtionis vinculum nimis ſtrictum exiſtit, proinde ut particulæ omnes ita inter ſe complicentur, ac mutuo combinentur, ut excrementitium ab utili, & tenue à craſſo nequaquam extricari queat, prout in febribus quibuſdam continuis & putridis accidit, quæ licet parum aut minime ſint malignæ, quia tamen per ſudorem aut diapnoen judicari nequeunt, quandoque in mortem terminantur: quare in hoc caſu pro cardiacis exhibeantur quæ ſanguinis compagem reſerant & aperiunt, proinde ut latex ſeroſus cum recrementis aliis à reliquorum concretione abſcedere & amandari poſſit: 2. *Sanguinis* craſis plane diverſo modo in febribus ſubverti periclitatur, proinde remedia aliuſmodi Cardiaca, videlicet alexipharmaca requiruntur:

Enimvero ſæpe accidit compagem ejus à particulis heterogeneis, aut intra proprium ſinum genitis, aut illic aliunde ſuffuſis laxari nimis, & quoad craſin diruini, proinde ut miſtionis vinculo communi ſoluto ubique in partes ſecedatur: atque dein ſanguinis coagulati, aut extravaſati, & ſtagnantis portiones hic illic defixæ putreſiant & corrumpantur, & demum liquor totus ſanguineus in tantum vitietur ut non amplius ad flammam perennandam, aut ad ſpiritus animales in cerebrum extillandos idoneus exiſtat: quamobrem tunc neceſſe erit functiones omnes ſenſim fatiſcere, & denique vitam perire. Cardiaca in hoc caſu requiſita ejuſmodi particulis conſtent, quæ in ſanguinem traductæ, cumque eo circulatæ, indomabiles uſque, ſimulque benignæ perſtent: quare dum maſſæ ſanguineæ poros omnes & meatus ſubeunt, particulas alteras malignas ubique exagitant, à concretionibus ſuis divellunt, & demum aut ſubigunt, aut foras expellunt: Cumque adeo ſanguis à miſtione iſta veneноſa liberatus, ſimulque a coagulationibus quibuſque privatis expeditus, in particulas rurſus minimas & elementarea dirimitur, miſtionem ſuam priſtinam & brevi ſalutiferam recuperat: Porro ut lucidius conſtet quo ritu Alexiteria ſanguinem & ſuccos corporis noſtri ab afflatu conſervant, aut eo jam jam tactos à corruptione vindicant, conſiderare oportet quomodo alii liquores putrefactioni obnoxii diu præſervari, aut ea correpti denuo reſtitui poſſint: Itaque de cereviſia obſervare eſt eam ex ſua natura cito coaceſcere aptam, florum lupuli incoctione durabilem effici: quinimo aquam communem, cum alias brevi putreſceret, vegetabilium amaricantium (cujuſmodi etiam Alexipharmaca exiſtunt) coctione aut infuſione impregnatam diutius illibatam perſtare, præterea herbarum ſuccos, & liquores quoſdam alios jam jam putidos, ſi modo ſulphure accenſo fumigantur, priſtinum vigorem recuperare: inſuper vina, cereviſiam, aliaque potuum genera fere vapida & exoleta, per fermentationem in iis de novo concitatam ſæpius reviviſcere: Quorum ratio eſt, quod ſiquidem rei cujuſque corruptio in particularum elementarium exolutione, & mutuo ab invicem deceſſu conſiſtit, quicquid eas ad fugam & confuſionem tendentes adhuc in motu & perfecta miſtura detinet, concretum iſtud uſque ſartum tectum præſervat: Porro ſi quid elementa ab invicem ſoluta & mutuo deceſſura denuo ſimul cogit, inque novam ſuſcitat fermentationem, putredinem, licet inceptam, a concreto arcet, eique concretionem rurſus firmam conciliat: Hujuſmodi alterationes, & à corruptione vindiclas, liquoribus ab arte paratis induci cuivis notum: Et quidem in peſte & morbis malignis alexipharmaca eundem effectum præſtare videntur: hæc enim ſæpius aſſumpta, quatenus ſanguinem continue exagitant, inque fermentationem altiorem cogunt, non obſtante *particularum* noxiorum influentia, miſtionem ejus integram conſervant; quin imo poſt malignitatem impreſſam, atque ſanguinis craſin prædicto modo laxari & ſolvi inceptam, ejuſmodi remedia uſque ad diaphoreſin promovendam exhibita, quatenus labis ſuſceptæ miaſmata decoquunt, & fermentationem novam alteri corruptivæ oppoſitam inducunt, ſæpenumero luis peſtiferæ impetus aut impreſſiones obliterant.

Quod ſpectat ad Cardiaca à quibus ſanguinis efferveſcentis compages nimis conſtricta laxatur, & pro materia febrili aliiſque recrementis manumittendis aperitur, illa diureticis quibuſdam & diaphoreticis affinia ſunt, imo interdum uſus communis aut reciproci exiſtunt, in quantum ſanguinis craſis vitiata interdum relevari nequit niſi prius reſerata ejus compage ſeroſo latici per renes aut cutis poros amandando exitus pateat: Singulos hoſce medendi ſcopos Salina potiſſimum exequuntur, nam, ut alias notavimus, corporis cujuſque tum liquidi, tum ſolidi apertio clave fere tantum Salina perficitur: Etenim concretio ſive compactio fere omnis à Sale unius generis, diſſolutio à quodam alterius, qui ſalem primum in complexus ſuos rapit, *Et dein præ*cipitatio fit à Sale quodam ſtatus diverſi, qui priorum combinationes deſtruit: *Quod itaque Salina* Cardiacis haud minus quam Diureticis & *Diapho*reticis accenſemus, ratio eadem eſt in omnibus: In *primo* ordine ſeſe offerunt, & pleriſque aliis facile palmam præcipiunt Cardiaca Sale volatili prædita, uti Spiritus c. c. ſanguinis, ſalis armoniaci compoſiti, vid. cum ſuccino, theriaca, aliiſque alexiteriis deſtillati, ſpiritus craniorum è ſepulchris effoſſorum: Huc etiam Sal viperarum, item Pulvis Bufonum clauſe calcinatorum (quem in febre peſtilentiali epidemica celebrem & valde proficuum novi) referantur: Hujuſmodi remedia multos ab ipſis ſepulchri faucibus revocarunt, & quidem reſpectu vario & multiplici ſæpe iuvamen præſtant; videlicet imprimis quatenus ſali, aut fixo, aut acido occurrendo, eoſque in amplexus ſuos rapiendo, ſanguinis ab efferveſcentia febrili nimis inſpiſſati & conſtricti craſin aperiunt, adeoque materiæ morbificæ ſeparationem & excretionem promovent: tum inſuper quod ſpiritus animales relevant, atque ſegnes ad munus ſuum defungendum exſuſcitant: Quibus accedit quod in febribus malignis pharmaca hæc materiæ morbificæ particulas venenoſas ſubigunt, & non raro extinguunt: *Secundus inter Cardiaca Salina* locus remediis ſale alkaliſato ſive, petrificante præditis jure debetur: hæc enim cordialia vulgo maxime inſignia habentur: Hujuſmodi nimirum ſunt lapis bezoar, margaritæ, corallia, os è corde cervi, & cornu ejuſdem, Pulvis eboris, oculi & chelæ cancrorum, aliique pulveres lapidei & teſtacei, quos ſæpe cum fructu exhiberi communis experientia teſtatur: atque juvaminis ratio in hoc conſiſtere videtur quod ſalis alkali particulæ in medicamine, ſalis acidi intra corpora noſtra particulis occurrunt, & mox intime cohærent, eorumque proinde effetationes & quaſcunque alias combinationes iniquas deſtruunt: Hujuſmodi Cardiacorum claſſi bolus Armena, terra Lemnia, Sigillata, aliaque cretacea etiam merito accenſentur: non ideo tamen quod cordi laboranti (uti vulgo perhibetur) ſuccurrant, ſed quatenus ſalis acidi, aut fixi, aut in viſceribus, aut in maſſa ſanguinea, præpollentias deſtruunt, atque enormitates ab iis productas mox ſedant aut corrigunt: *Tertio*, Si *medicamenta acetoſa*, ſive ſale fluido prædita, ab hoc Cardiacorum cenſu excluderem, fere omnes in me inſurgerent: hæc enim pleriſque contra Peſtilentiam Alexiteria eximia habentur: Proinde in curatione febrium malign. aceta theriacalia & bezoartica ſumme prędicantur; quinimo aquas in eum uſum deſtillatas, acetum aut acetoſa ingrediuntur: ob eandem rationem ſpiritus vitrioli, ſuccus citri, lujulæ, granatorum &c. in cordialium & alexiteriorum numero habentur, & quid m

ju

jure merito, quoniam hæc ſalis fixi cum ſulphure aduſto combinationes optime diſſolvunt, atque effetationes ſubigunt, proindeque hujuſmodi remediis ſanguinis coagulationes & extravaſationes, in febribus malignis evenire ſolitæ præcaventur ſæpe aut curantur. 4. Ob eaſdem rationes quibus ſalina prædicta, etiam alia, *quorum baſis Sal fixus eſt* cardiacis annumerantur, aut eorum compoſitiones ingrediuntur: Quippe cum ſales diverſimodi in corpore noſtro gignantur, illique paſſim ab vno ſtatu in alterum tranſeant, hinc propter quamcunque intentionem Salina non vnius ſed varij generis exhiberi debent: Qua ratione ſale fixo ſive lixiviali prædita, ſalis acidi, intra viſcera vel ſanguinem præpollentis, enormitates tollunt, aut corrigunt ſupra oſtenſum, 5. *Sal nitroſus* jure optimo Cardiacis accenſetur, vtpote ſine cujus particulis, cum aëre inſpirandis, vita animalium ſubſiſtere non poteſt: cæterum hic intus ore aſſumptus celebre Antipyreuticum habetur, quatenus ſitim tollit atque æſtum febrilem valde compeſcit: quod tamen efficit non tantum ſanguinis miſtiunem, ſed etiam ejus accenſionem juvando: ad flammam enim conſtituendam, vna cum particulis ſulphureis nitroſas requiri cenſemus, & quo vberius hæ ſubeunt, eo clarius & nitidius ardeſcere: Quare cum materies, quæ maxima ex parte ſulphure cum ſale & terra admiſtis conſtat, accenſa flammam nonniſi obſcuram, cum fumo & fuligine vitiatam emittit, ſi nitrum adjiciatur, ea mox ſplendida & mitis cum candore effulget: Pariter in febribus habere cenſemus, quando ſanguis fæculentiis aduſtis refertus, cum calore ſuffocativo fumigat, potius quam aperte efflagrat, nitri particulæ ore aſſumptæ, inque ſanguinem traductæ, eum mox clarius, & propterea clarius ardeſcere faciunt: proinde vt liquoris compage magis reſerata, recrementa ejus tum ſeroſa, tum fuliginoſa liberius decedant.

At inſuper medicamina quædam *Cordialium* nomine inſigniuntur, quatenus prius & immediatius, quam in Sanguinem, in *Spiritus animales* energias ſuos exerunt, adeoque Animæ ſenſitivæ aut portionem quandam, aut totam hypoſtaſin nimis contractam, depreſſam, aut alias perturbatam erigunt, vigorant & componunt, Et quidem ejuſmodi remedia cor ipſum, etſi remotius, quadantenus tamen afficiunt: quippe cum ab illis exhibitis tota Anima ſenſitiva elevatur, & latius expanditur, etiam ſpiritus præcordiis deſtinati, in eadem vberius influunt & vegetius actuant: proindeque pulſus, prius debilis, aut vacillans, mox fortius vibrat, & ſanguis majori impetu circumpellitur: Hujuſmodi pharmaca ad duo capita ſatis apte reducuntur, & quatenus aut lenia, aut aſpera ſunt, eundem ſcopum aſſequuntur, ea nimirum vel ſpiritus animales demulcendo, & quaſi blande & molliter palpando erigunt & confirmant: vel ipſos vexando, ac velut ſtimulis vrgendo, in motus citatiores, æquandoque magis regulares cogunt, Cardiaca *prioris generis* quamprimum ſtomacho ingeruntur: imo interdum ore tantum libata, virtutes ſuas exſerunt, & cum grato appulſu ſpiritus in primis viis degentes refocillant, dein horum continuitate ovatio eadem in ſpiritus alios ſucceſſive tradita, brevi per totam ſenſitivæ animæ compagem vndulat proinde vt tum cerebrum, tum præcordia pleniore ſpirituum quaſi exultantium influxu irradiata, functionum ſuarum munia multo vegetius & alacrius obeant: In hunc finem (cavendo nimiam ſanguinis incitationem) faciunt aquæ vulgo cordiales dictæ, item moſchi & ambræ præparata, pulveres aromatici iiſdem commiſti: Saporem aut odorem gratum ſpirantia, viſibilia jucunda, quatenus ſpiritus animales recreant, cardiacis annumerantur: Interim alia hujus cenſus cardiaca, primis viis & maſſa ſanguinea fere inſalutatis, intra ἐγκέφαλον primo operari videntur, cujuſmodi ſunt cephalica quædam ita dicta, quæ cum palato aut ventriculo minus grata ſint, & cruorem vix fermentent, aut exagitent, tamen cerebrum illuſtrant, ejuſque incolas ſpiritus animales exacuunt & corroborant: Hujus indolis videntur eſſe ſalvia, betonica, roſmarinus, verbena &c. 2. Medicamenta quædam alia Cardiacis accenſentur, modo diverſo operantia & alia prorſus ratione juvamen præſtantia; ea nimirum ſpiritus animales non blande demulcent, & æquabiliter expandi faciunt, verum irritant potius, & huc illuc excurrere & efferri cogunt: cum nempe ob finem, vt cum ipſi prius inordinate habentes, & inæqualiter diſperſi, in quibuſdam locis denſius, inque aliis tenuius ſcaterent, proindeque functionum ſuarum munia quædam, ac potiſſimum intra cerebrum, aut præcordia intermitterent, aut perverſe agerent, optimum tunc remedium eſt vt à pharmaco ingrato perturbentur & agitentur magis: propterea namque illi tanquam à locis inflictis ex ſuſcitati, *ἀταξίαν* priores relinquunt, & ſponte ſua in ordines redeunt regulares: Ita vſitatum in leipothymia, ſyncope, cordis oppreſſione, aut ſpaſmo, in quibuſque fere aliis ſpirituum deliquiis, languoribus, aut anomaliis, aut ſpiritum c. c. fuliginis, ſalis armoniaci, aut tincturam caſtorei vel aſæ fœtidæ cum aliis liquoribus propinare: hæc & ſimilia, vti imprimis ſales volatiles & olea chymica empyreumatica naribus admovere; Porro in ſubitis animæ defectionibus, faciei aquam frigidam inſpergere, nares convellere, corpus valde concutere, & non raro alapam infligere expediat: Hujuſmodi adminiſtrationes levamen conferunt, quatenus ſpiritus animales oppreſſos, vel diſtractos, vel a proprio munere aliud agentes, exſuſcitant, ipſoſque dein expanſos, ac velut in aciem conſcriptos, ad priſtina officia ſua jubent. *Willis.*

II. Cum in omnibus fere affectibus Virium diminutio, ut magis vrgens, curativam ad ſe trahat indicationem, & ante omnia *Roborantia & Confortantia* ægris offerenda ſuadeat, non mirum Medicos ad talia ordinanda ſæpe inſtigari: At ſi ex illis quætas quænam ſint iſta Confortatoria? varia allegant linguæ blandimenta, condita & ſpiritus aromaticos, vtrum ægris nociva fuerint an ſecus nullo modo attendentes: verum non intelligunt quod hæc blandimenta linguæ ſæpe ſint nocumenta ventriculi, Ecquæ enim hæc confortantia quæ ſuperſtite morborum fomite adminiſtrantur? quomodo civis ſe fortificabit qui hoſtem domeſticum ſe potiorem penes ſe receperit? Si morbus robuſtum ac bene valentem conſternat, quomodo fortificari permittet jam conſternatum? Non loquor hic de cordialibus ſpecificis, mitto etiam illa quæ ſpiritus reficiunt, illuſtrant & illorum reſolutionem prohibent, hæc ſuo non defraudanda æſtimio: Sed de abuſu Confortantium noſtra eo cenſura, ideoq; nobis hoc loco Confortantia ſunt talia medicamenta quæ ſubacta cauſa morbifica robur viſceribus afflant, & illorū fer-

menta ſi qua debilia fuerint, corrigendo, & in priſtinum vigorem reſtituendo iterum conſueti memorem reddunt officii: Qua in re *Sennertum* habemus ſuffragantem in Paralip. ad Inſtitutiones p. m. 79. monentem *Confortantia ejuſmodi medicamenta eſſe debere, quæ facultatis cujuſque inſtrumenta, partis ſcilicet ſubſtantiam, temperiem & ſpiritus conſervant & inſtaurant, & cauſas eas demolientes tollunt, adeoque ſemper ad cauſam morbi & virium debilitatem reſpiciendum eſſe, & cavendum ne dum palato ægri inſervire, & ſpiritus reficere volumus, cauſam morbi, & ita ipſam virium debilitatem augeamus, imprimis per ejuſmodi res quæ toto genere exoticæ ſunt, nec vnione ſymboli cum ſpiritibus conveniunt, nec debilibus viſcerum fermentis grata ſunt:* Conſueta Iulapia ſine connubio ſpirituum acidorum prævalentium, Electuaria, & Emulſiones, & alia ejuſdem farinæ facile fermenteſcentia quod concernit, certum eſt hæc ſanis, & in declinatione febrium jam conſtitutis, vbi fermenta viſcerum in priſtino jam iterum ſunt aliquomodo conſtituta vigore, eſſe admodum grata, teſte ipſo *Gal. comment.* 5. *Epid.* 14. Ægris tamen horrida fieri, & in plerisque morbis ſtomachi & vteri hoſtilia: *Soli namque extra naturalem ſtatum conſtituti amaris, acribus & acidis delectantur:* In aliis adjunctæ medelæ opem non raro faciunt ridiculam, fermento ſtomachi è diametro adverſantur, adeoque digeſtiones faciunt difficiliores: Saccharum cultro Chymico diſſectum ex vna parte in ſpiritum abit ardentiſſimum, ex altera reſidua in ſal corroſivum, quid futurum in morboſo ſtomachi apparatu? vbi omnia ſui juris ſunt, nec alterius ſubdita fiunt clientelæ, in cruditate nidoroſa inſtar Prothei transmutabitur in ſcorias ſulphureas: in acida in ſal abibit corroſivum; vnde nullum dubium ſalia acida peregrina ſcorbutica à ſaccharatis exaltari, & inde viſcerum obſtructionibus majorem anſam præberi; fermenta item febrilia ab hiſce augmentum ſumere: Cui rationi jamdudum *H. ab Heer lib.* 1. *Obſervat.* 5. ſubſcripſit. *Certum eſt*, inquit, *qui in febribus ſæpe ſyrupos, conſervas & alia ſaccharo medicata, quæ plerique præſcripſerunt Medici, ſumpſerunt, ad plures, ſive Atlbantas abiviſſe, ſaccharo enim facile beleſcente febri pabulum præberi ſcio: vnde & Avenzoar ſcribit, citante Mercuriali, eos qui frequenter vtuntur dulcibus vix ſervari poſſe.* Ecqui illud quod ipſum ſemper ad fermenteſcendum pronum, alia à corruptione & fermentatione prohibebit? *Hofmannus m. m. l.* 1. *c.* 19.

III. Frequentior Alex. vſus eſt noxius, ne natura conſuetudine ab iis nihil recipiat commodi: *N. Bocca Angelinus cap.* 32. Magna cautione opus eſt ne frequente, nimis cordialibus indulgeatur: Novi enim plures tum viros, tum fœminas inſignes à crebriore horum vſu in malam hanc conſuetudinem lapſos, vt neceſſe habuerint ſæpius in die, aut vini generoſi, aut ſpiritus, vel aquæ cujuſdam fortioris hauſtulum ingerere: Porro eorundem doſes (ſi quidem natura extraordinariis parumper aſſueta, haud diu iiſdem contenta perſtat) in dies augere ac ſæpius repetere: proinde tandem vt ſtomachus nihil mediocre ſufferre, aut digerere poſſit, potentiora vſque & calidiora expetens: Cæterum viſcera alia, ac imprimis hepar, exſiccantur adeo & aſſantur, vt ſanguine quoad penum ſuum diminuto, & quoad cratin depravato, cacochymia morbifera, aut vitæ abbreviatio ſupervenerit. Variæ ſunt occaſiones propter quas multi in peſſimum hunc liquores cardiacos pitiſſandi morem adducuntur; nam propter ſubitos languores, forſan ab ingenti mœrore, labore improbo, ſudoribus immenſis, aut dolore acuto excitatos: inſuper ſi quando alimenta minus congrua ſtomacho gravamen aut nauſeam inferant: vel ob diatheſin ſpaſmodicam ſyncope aut *ὑποθυμία* impendere videatur: porro ob multas alias cauſas vſitatum eſt ſpiritus vinoſos ingeri: dein poſtquam ejuſmodi cordialia aliquoties ſumpta congruere & delectare incipiunt, à quovis eorum libamine maſſa ſanguinea paulo liberius expanſa, & magis accenſa, totius animæ hypoſtaſin ampliari, inque ovationem quandam acciri facit: quæ poſtquam denuo ſubſidit, Anima iſtius complacentiæ memor, & præſenti ſtatu minime contenta, eandem denuo affectat, eique rurſus captandæ mox inhiat: quare ad omnem moleſtiam corporis aut animi, quamprimum ſpiritus paulo fatiſcunt, ad eos ſtatim erigendos hauſtus cardiacus expetitur, adeoque propter Animæ vela ſæpe inutiliter expanſa, ipſius corporis, tanquam navis, fabrica labefactatur: Nec tantum apud bibones mala hæc conſuetudo invaleſcit, ſed interdum docti, fœminæque perbellæ, ac ingenioſæ, quo mentis indolem excolant magis, aut exhilarent ſpiritus & aquas ardentes, ſeu vitæ (etſi minus proprie ita dicatur) ſæpius libando, ſanitatem propriam ſubruunt, & non raro penitus evertunt. *Willis.*

IV. Eaque ſint blanda quæ quotidie aſſumuntur, vt humores neve temperamentum alterent. *Mich. Mercatus de Venenis p.* 95.

V. Ventriculo languente alexipharmaca ſpiſſa magis commendantur quam liquida, vt diutius hæreant: Corde affecto liquida, quæ celerius penetrant, experimento *Prævotij. Rhodius in Septalium p.* 147.

VI. Ante ſtatum morbi vniverſalem non conveniunt, ne humores crudos intempeſtive moveant, vel ad cor deferant: *Baldus P.* 33. eoſque ducendo ad penitiores partes, obſtructiones, tranſpirationem impeditam & putredinem augeant, ſed peracta concoctione. *Alſarius à Cruce Conſ. Prophyl. p.* 72.

VII Quandoque ſunt mutanda, ne natura vni aſſueſcat, ſed vt natura peſtis latente, quod vni non licet plura præſtent. *Maſſaria de Peſte l.* 2. *Sennertus l.* 4. *c.* 7.

VIII. Sereniſſ. Princeps *Chriſtianus Marchio Brandenburgenſis* valde ſenex moriebatur: Ejus cadavere aperto cor diſſectum ſpirabat odorem gratiſſimum, ſimilem prorſus illis emulſionibus & julepis quibus, tanquam confect. alkermes, aq. cinnam. roſat. carbunculi &c. aliquot dies ante obitum roboratus fuerat: Infallibili argumento quod medicamenta aſſumpta in primis viis non hæreant, ſed continuato vſu, viribus fere integris, & retentis, ſaltem ex parte, ſuis qualitatibus in ipſum vſque cor penetrare poſſint. *I. Sigiſmundus Elsholtius M. C. anni* 76. *Obſervat.* 225.

IX. Quia non omnia indiſcriminatim vſurpanda ſunt, nec quolibet morbi tempore, vt eorum legitimus vſus probè diſtinguatur, in quatuor claſſes diſtinguenda ſunt: prima eſt eorum quæ præter vim ſpecificam, quâ venenis reſiſtunt, frigida & ſicca ſunt, ac modicè aſtringunt, ſic putredinem cohibent, cor roborant & firmant, venenum coërcent ne tam facilè in totum corpus diffundatur, partiumque diſſolutioni compreſſione quadam obſiſtunt,

vt

vt bolus Armena, terra ſigillata, corallus, radix pentaphylli, tormentillæ &c. Secunda complectitur ea quæ frigiditate & ſubſtantiæ tenuitate putredini reſiſtunt & malignitatem coercent, vt ſuccus limon. ſpiritus ſulphuris, vitrioli, acida omnia, acetum. Tertia continet calida & diaphoretica, quæ venenatos humores & vapores à centro ad circumferentiam pellunt, vt angelica, zedoaria, dictamnum, ſcordium, theriaca, aqua theriacalis &c. Quarta complectitur ea quæ ſpecifica vi, ſine vllo primarum qualitatum exceſſu venenatam qualitatem pellunt, vt Bezoar, cornu Cervi & Monocerotis, trochiſci viperini &c. Primæ, ſecundæ & quartæ claſſis remedia initio febrium peſtilentium, & augmento magis conveniunt: quæ tamen maximè varianda ſunt pro vario malignitatis aut putredinis gradu, pro rebus intenſione, temperie ægri, ſexu, ætate &c. Tertiæ claſſis nonniſi in ſtatu morbi aut declinatione dari debent. *Riverius Pract. lib. 17. cap. 1.*

X. Vt ingenuè fatear, non poteſt magna fiducia *Bezoartico lapidi* adhiberi: quandoquidem etſi vero ac genuino lapidi bezoartico eæ facultates concedantur quæ illi adſcribuntur, quia tamen magnum illius pretium efficit vt quamplurimi propolæ in eo adulterando operam navent, vix alios quam adulterinos habere poſſumus: Ipſi rerum Indicarum ſcriptores teſtantur apud Indos rarum eſſe & magni pretii, cum apud nos magna copia & ſat vili pretio habeatur. *Riverius Pract. lib. 17. cap. 1. Vide Valleſium meth. med. lib. 4. cap. 2. Primiroſ. de vulgi Erroriб. lib. 4. c. 30. Rubeum in Celſum lib. 3. c. 7. & alios.*

XI. Magnam nonnulli præbent quantitatem illius lapidis, cum nullam noxiam habeat qualitatem, ad gr. xx. xxx. Zacutus ad ʒj. aſcendit: confirmat id hiſtoria *Eleonoræ* cujuſdam, quæ in febrem ſummè malignam incidit, ac bezoar maximam aſſumens quantitatem, vno hauſtu ʒj. feliciter evaſit; clientes omnes eodem morbo ex contagio correpti, quibus parva quantitas exhibita, omnes interiere: Neceſſitatem magnæ doſeos evincere videtur venenorum nocentiſſima qualitas, non incedens lento pede, aut inducias promittens ſecuras: Cum peſte ſi lentè pugnaveris, expugnaberis non expugnabis: Tutiſſima per medium via, quia vtriuſque vltimum eſt vitium: parva trium granorum doſis non habet illas vires quæ venenis & peſti reſiſtat: magna, cum iterari debeat, ventriculum gravat; commoda videtur hæc ℞. lap. bezoar orient. ſmaragdi præparati ana. gr. vj. Non amat vnitatem exhibitio alexipharmacorum; vnicum præbium non exhaurit mali fontem; quod vnica vice non facit officium, iterandum ſecunda vel tertia eſt: æqualis contrarietas vt in doſi, ita etiam repetitione attendenda. *Rolfinccius m.m. lib. xi. ſ. 3. c. xi.*

XII. Vt quantitas venenatæ infectionis ſanguinis & cordis, ita & remedii alexipharmaci artificioſa conjectura inveſtiganda: magnæ malignitati in acutis febribus, aut peſti non poteſt reſiſtere præbium exiguum, vnum vel alterum *theriacæ* exhibitum, vel bezoarticæ tincturæ ſudorificæ exilis aliqua doſis: Copiæ ſunt præſcribendæ, & hoſtis armata manu ita adoriendus vt non fugando ſolum, ſed & perrumpendo cum ſonoris ſudoribus per poros τὸ θεῖον expellatur. Hoc modo curatus & à peſte liberatus ſanguineus, boni habitus ruſticus aſſumpta theriacæ ʒj. corpore flagellis immerſo, ad dorem compoſitu: *Rolfinccius ibid.* Nimia tamen ne ſit quantitas, quidam tempore contagii metu perculſus, nonnihil theriacæ ſumpſit, inde ſudori nocte ſequenti: poſtridie rurſus aliam portionem; tertia vice, aliquid contagii latere credens eandem repetit, vt ad ℥iv. vel v. ad minimum devorarit: ſequenti nocte febris ardentiſſima ſuccedit, puſtulæ quoque exoriuntur: Theriaca cum ſit calida in ſecundo, & ſicca in tertio gradu, ratione ſiccitatis ʒj. non eſt excedenda, licet ratione caliditatis altius aſcendere poſſimus. *Salmuth Centur. 1. Obſ. 51.*

XIII. In forma ſpirituoſa & ſubtili, citò penetrante, alexipharmaca cum ſpiritu vini parata, vt elixir camphoræ &c. conveniunt in aſſuetis, in actu curationis & [illegible]: in non aſſuetis temperatiora eligenda, liquida, & ſolida, forma pulverum: [illegible] liquida citò penetrantia citius vires emittere, ſicca tardius & agere diutius. *Rolfinccius ibid.* In his, *Ne quid nimis*, Equiti animi deliquio correpto infuſa ſunt aquæ theriacalis cochlearia tria vnde febrem vehementiſſimam incurrebat à qua vix evaſit. *Phil. Salmuth. ibid.*

XIV. *Camphoram* alii frigidam, alii calidam ſtatuunt: caliditatem autem ejus adſtruunt 1. ſubſtantia reſinoſa 2. affectiones calidæ, odor, inflammabilitas, ſapor acer atiens piperis æmulus: exhalatio in auras facilis, penetrandi vis, ſublimatio prompta, facilis ſolutio in ſpi. vini. Nota ex accid[illegible] te, evocati [illegible] lidis fumis, [illegible] camphoram effectum [illegible]: Noſtris laudibus, inquit *Mindererus lib. de peſte cap. 15.* meritò celebranda venit camphora, non mirabile modo, ſed forte & etheræ alexiterium: ſi quidem hæc aſſumpta, interno noſtro calore mox ignita, & in corporis quaſi meditullio flagrans, inquinatos ſpiritus, eoſque tetro miaſmate pollutos, aut inſpiratos, ac circa præcordia hærentes, exhaurit, & ſicco planè igneoque calore pervadens, partim diſſipat ac expellit, partim combuſtione abſumit, partim vero corrigit & emendat: quare camphoram inter fortiſſima alexiteria non immeritò repoſuerim.

XV. *Crudum Aurum foliatum* veteres multis commiſcuere compoſitionibus: verum mehercle cui bono, præterquam quod oculos paſcat, non video? ſolidior enim & compactior ejus ſubſtantia eſt quàm vt à calido noſtro reſolvi, inque actum deduci queat: Nec ſufficit quod nonnulli mutua cordis ac auri effluvia ſympathica ſtatuant, atque eapropter aurum foliatum exhibeant: Etenim præterquam quod eadem facilitate id deſtrui poſſit quâ citra rationes aſſeritur, applicari poſſet extrinſecus majori in copia; atque dubio procul majori cum vtilitate, minoreque vel nullo eum diſpendio *Schroderus Pharmac. l. 3. c. 8.* Chymicè vero reſolutum & præparatum quod multas vires habeat extra dubium eſſe puto, cum id experientia teſtetur: An verò etiam inſignem vim occulto modo Cor confortandi ſpiritusque reficiendi habeat, de eo ſuum cuique judicium relinquo: Tutiſſimum eſt quemvis, non quæ legit vel audivit, ſed quæ ipſe expertus eſt hic ſtatuere: Alias verò vires plurimas habere aurum certum eſt: ſed quænam illæ ſint non omnes idem docent: Sunt item quidam qui id penè pro panacæa habent, verum etſi plurimis morbis iiſq; periculoſiſſimis medeatur, tamen omnes non tollit: neq; quos tollit ſolum ſed & aliis medicamentis opus eſt: Imprimis verò in cacochymia pertinaci, & penitus partibus infixa tollenda vtile eſt, eodem ferè modo vt antimonium debitè præparatum vn-

de, vt refert *Fr. Antonius in tractatu ſuo de auro potabili*, ſupervenit nonnunquam vomitus, aut vrinæ copioſa emiſſio; aliquando alvi ſubductio, pro humoris & naturæ, ad hunc vel illum locum inclinantis ratione: Ex rem ita ſeſe habere comperiet, qui hiſtorias per aurum potabile curatorum diligenter perpendet. *Sennertus l. de Galen. & Chymic. conſ. & diſſ. c. 19.*

XVI. *Lapidi Bezoar*, aut *Cornu vnicornu* non multum cedit *Cervi Cornu* contra venena & venenatos morbos: à malignis enim vaporibus cor defendit; viſcoſitatem humorum incidit, internorum viſcerum obſtructiones aperit, & vi penetrante putreſcentibus humoribus reſiſtit, adeoque balſamica quadam virtute malignitatem humorum corrigit. vnde *Iouberto* maximè Cardiacum dicitur: Calcinatum autem & præparatum, non crudum exhibendum eſt; cum crudum propinatum frequenter eodem modo vt fuit exhibitum per alvum, ſine omni alteratione reddatur: ſpirituoſa enim ſubſtantia, omnis actionis cauſa, per fæculentam materiam additam colligata, impeditur quo minus vires exercere poſſit, ita vt in crudo vis illa quaſi ſepulta jaceat; imo Sal etiam balſami ſui vires exercere nequit, niſi terreſtribus ſuis vinculis expediatur: Cum igitur vis illa diaphoretica, *inquit Horſtius Probl. med. dec. 1. qu. 4.* quæ ob ſalem fixum ineſt huic remedio, vnà cum aliis qualitatibus ab impedimentis ſuis poſt calcinationem & præparationem maximè liberata ſit, ideo concludimus magis convenient eſſe cornu Cervi vſtum & præparatum quàm crudum; Imò tam tutum & jucundum in graviſſimis quoque morbis hoc medicamentum, vt omni ætati, ipſis etiam recens natis commodiſſimè neceſſitate vrgente præbeatur; Idem judicium eſto de oſſe cordis cervi, quod niſi calcinatum & præparatum inutile Iudico. *Fabr. Hildanus l. de Gangrena c. 12.*

XVII. Hic negligentia aut imperitia quorundam Pharmacopæorum notanda, qui *Cornu Cervinum* non in catillis fuſoriis, ſed ſimpliciter inter carbones vrunt: Præparatio compendioſa quidem, ſed ægro noxia: cum vaporem in ſe malignum contineant carbones; quod manifeſtum in iis qui loco occluſo eum hauriunt. *Idem ibidem.*

XVIII. *Cornuum Cervorum* vis conſiſtit præcipuè in ſale volatili atque ſulphure, quorum copia turgentia oſſa animalium, quod purum eſt ſumunt pro nutrimento; quod ſuperfluum extrudunt ad extremitates oſſium: hæc luxurians materia, aëri diutius expoſita, figitur poſt annum, & velut vitriolatur, atque in dura, aſpera, grandiaque abit cornua, ob volatilem & extenſilem balſami ſui naturam, atque hinc cardiacum ſummum, vereque bezoarticum ſecundarium eſſe creditur: nam Spiritu ſuo (qui ſanguinis ſpiritui omnino congener eſt) cor recreat: balſamo dulci humidum radicale fovet: ſale armoniaco penetrat, tartareas materias attenuat, ſudores & vrinas movet, ac proinde auræ peſtiferæ adverſatur: facultate acida, (quæ omni armoniaco ineſt) malignis febribus reſiſtit; Vi autem ſiccante, quæ in ejus terrâ ſupereſt, putredinem arcet, vermes enecat, fluxibus alvi opitulatur: vnde pro variis indicationibus, variæ quoque C. C. præparationes in vſum vocandæ ſunt: Sic in peſte ætherea & venenis, vtor ſpiritu & ſale armoniaco C. C. tanquam inſigni diaphoretico: In malignis febribus, vt variolis, vbi tota maſſa ſanguinis non ſolum incenditur, ſed etiam putreſcit, ſecundariis, ex tota ſubſtantia iſtius Cornu depromptis, Decoctis puta, Gelatinis & Extractis: Ad lipothymiam, aqua ex typhis cornuum recentium deſtillata, ejuſque ſyrupo: Ad phthiſim & ſenectutem retardandam, Balſamo dulci ejuſdem: Ad vermes & diarrhœas, C. C. vitriolato vtor. *Samuel Cloſſæus ad Gr. Horſtium Decad. 1. Problem. qu. 4. vbi variæ ejus præparationes.*

XIX. Quamvis ignorentur animalia ea quibus eruuntur *cornua*, *Monocerotis* dicta, non tamen neganda omnino horum virtus, quæ ſola experientia cognoſcitur: facilè enim cuivis, qui ejuſmodi cornuum fruſtulæ, aut experiri cupit, vel catulo vel pullo venenum exhibere: qui ſi hujus pulveris aſſumptione liberetur, optimum hoc medicamentum ſervabit: Si cornu Cervi probamus, cur facultas eadem reliquis cornibus adimetur? Non igitur moroſè inquirerem, ſintne monocerotis, aut alterius animalis cornua, dummodo bona ſint & efficacia: certum enim & Elephantorum dentes, & oſſa Balænarum, & Equi marini dentes, & adulta communia cornua, & cornua foſſilia, atque alia factitia pro vero monocerotis cornu venditari ſæpiſſimè. *Primiroſius de vulg. Error. l. 4. c. 38.*

XX. Cum *Trochiſcorum Viperinorum* compoſitio omni ratione & experientiâ deſtituatur: Cum ſalis Theriacalis inconcinna ſit a Quercetano facta correctio; atque Sal viperinus, qualem hodie vendunt Itali, mera ſit impoſtura, eximiæ autem hujus ſint vires (quippe qui ad extremas vſque corporis partes inde, perditis viribus, penetrare, ſanguinem depurare, excrementa tenaciter infixa & veluti aſſimilata, podagrica præſertim, egregiè reſolvere: vrinas & cum iis calculoſam materiam pellere, melancholicis affectibus putredinique ſummopere reſiſtere: diuturnas viſcerum obſtructiones inſigniter reſerare, atque exinde orta ac inveterata varia febrium, aliorumque morborum, genera, à genio domeſtico ſequeſtrare, propellere (doſis a ℈ß. ad ℈j.) Ideo meam hujus ſalis viperini dextram huic libro præparationem inſerere volui &c. *Zvvelferus Pharmacopææ Auguſtana Claſſe xij. p. 374. Edit. Goudana, & Claſſe xiv. p. 484. vbi ad longum ejus ſalis præparandi ratio, quam hic exſcribere recuſavimus quod is author omnium manibus teratur.*

XXI. Expertus ſum *Theriacam* ante 7. annum, vt Galenus indicat, venenis non reſiſtere, exemplo facto in quamplurimis animantibus: Ideo vbi ſuſpicionem veneni habemus, fruſtra datur Theriaca ante 7. annum. *Panarolus Faſcic. 1. Arcan p. 212.*

XXII. *Theriaca* ſi quotidie grani vnius pondere aſſumatur, corpus, citra inflammationem, alexiterium procreat: ſicuti Mithridati Regi accidiſſe refert *Galenus*: Vidi ego plurimos qui ſæpe abſque cauſa manifeſta ſyncope corripiebantur, hoc modo ſanatos: optimumque remedium eſt, vbi ſuſpicionem habemus alicujus materiæ venenoſæ in corporibus noſtris latitantis. *Idem.*

XXIII. Si quis compoſitionem deſiderat in qua ferè omnia ea ſimplicia ſunt quibus veneno reſiſtitur, reperiat hujuſmodi in commentariis *Matthioli* in *Dioſcoridem*, certè Theriacæ par eſt: Eſt & *Aqua ejuſdem præſervans*: Quod vero aliqui exiſtimant ſe ex compoſitionibus quas bolus, gemmæ, aurum, argentum, & ejuſmodi alia ſimplicia ingrediuntur, Quintam Eſſentiam poſſe ſe extrahere, id

id falſum eſſe ſçiunt diſtillationum periti, & mera impoſtura eſt quicquid de auri & gemmarum deſtillatione dicitur: Et tamen ab his non modo Principes ſed & ipſi perſæpe decipiuntur. *Crato apud Scholtzi part. 1. conſilii de Peſte p.* 1111.

XXIV. *Pueri* in totum abſtineant a *Theriaca*, nam infirmior eſt illorum ætas quam vt poſſit tam potens pharmacum tolerare, & colliquat eorum corpus, primogeniumque eorum calorem depopulatur, non ſecus quam lumen lucernæ oleo copioſius infuſo extinguitur: Vidi puerum qui moriebatur intempeſtivo Theriacæ vſu, diu febricitarat, & corpore attenuato vires illi planè collapſæ erant, vt nonniſi ſumma diligentia ſupereſſet, quod ex contemplatione Medica percipiens, interdixi illi Theriacam: At curator ejus, tyranni magis authoritate vtens quam rationi auſcultans, temerè coëgit me quamvis invitiſſimum vt illam puero darem, quam aſſumptam non potuit concoquere: erat enim viribus pueri ſuperior, & totum illius habitum diſſolvit, alvoque immoderatius citata puer noctu importuno Theriacæ vſu mortuus eſt. *Galenus lib. de Theriaca c.* 17. An omnino deneganda pueris vide Tit. de morb. Infant. lib. 9.

XXV. *Magiſteriorum* dextre præparatorum ℈j. plus efficere potis eſt quam ʒj. vel plus vulgarium penitus inutilium & inſalubrium præcipitatorum magiſteriorum, Cum hæc intra corpus ſumpta, tanquam mortuæ calces, ventriculum ſaltem & inteſtina albugine obducant, graventque diu indiſſoluta illis adhærendo; aut, ſi è ventriculo elibantur, Meſaraica vaſa obſtruendo, concoctionem impediendo morbos tandem graviſſimos inducere apta nata ſint. Exemplo firmabo, Nobilis N. conquerebatur de gravedine pectoris & ſtomachi, nauſea, inappetentia, cum febre lenta, continua, etſi optima diæta vteretur & pulvere cordiali & cephalico: hunc vtut natura debilem, & à morbo, vniverſali remedio egere quod curæ præmittendum eſſet; quod in ventriculo, ejuſque ore ſuperiore crudam materiam hærere, ſumpto indicio à nauſea ſuſpicarer, facta poteſtate exhibendi lenis vomitorii, bis ille per ſuperiora, terve per inferiora ſuas abſolvit blandas operationes: A meridie bene habentem reperi, magnumque ſe levamen circa præcordia perſentiſcere referentem: Conjux detecta pelvi argentea monſtrabat quæ per ſuperiora ſat copioſe prodierant excreta, ferè ad duas libras craſſi & viſcidi phlegmatis, cujus imum; ad digiti craſſitiem, pulvis, ad inſtar cinerum albicantium, pro ſedimento erat: Excrementa infernè excreta dum perluſtro, ea ipſa etiam non aliter ac ſi copioſè cineribus eſſent permiſta apparebant: Multis vero diebus ante pulverem pretioſum, ejuſdem ferè coloris, quotidie aſſumpſerat, confectum ex magiſteriis perlarum & coralliorum, c. c. vſto præparato & pulvere epileptico Marchionis &c. *Zwelferus Appendice ad animadv. in Pharm. Auguſt. p. m.* 92. Notandum decantata & mirè laudata ex corall. margar. &c. per tartari præſertim oleum, parata Magiſteria, non reſpondere authorum ſuorum promiſſis, poſtquam præparatione tali fracta eſt, ſi non in totum abolita, eorum acidum temperandi, figendi ac concentrandi vis: Satius proin iiſdem in pollinem duntaxat redactis, quam ita corruptis, magis quàm præparatis vti. *Fr. de le Boë Sylvius Pract. l.* 1. *c.* 7.

XXVI. *Manardus* rejicit *Confectionem Alkermes* cyanei lapidis ratione, vomitum & ſeceſſum moventis, quod præ exigua quantitate facere non valeat noceat magis quam juvet: lapis ille præterea, *Saxonia indice in Prælect. Pract* venenatus eſt, vt ideo ſi in magna doſi non ſumatur, ne dejiciatur, manens in corpore paulatim ſanguinem deſiccet, comburat ac vlcera inducat: His rationibus motus *Sylvaticus* Alkermes dulce conficit, dempto lapide & additis variis cardiacis minimè calidis. At negatur venenatum eſſe cum lapidem, nam multis lotionibus malignam qualitatem depoſuit, aut ita remiſit, vt aliorum mixtione ſaluberrimus, nedum noxius evaſerit: viperæ venenatæ, ſalubrium additione, vtiles evadunt, teſtis Theriaca quam ingrediuntur: Parata eſt hæc confectio (qua abutuntur Medici in Pleuriticis, peripneumonicis, febrientibus acutè, hecticis, dyſentericis, quibus non eſt deſtinata) ob melancholiam præſertim & ſyncopas, vt ait Meſues, quod teſtantur ingredientia; conſtat enim ſerico tincto in grano, ſucco pomorum redolentium, aqua roſata, ligno aloës, cinnamomo, margaritis, foliis auri & moſcho: lapis autem cyaneus adjicitur ob ſimilitudinem quandam cum melancholia: Antidotus tribus his dotibus prædita eſſe debet; 1. vt veneno obſiſtat. 2. corroboret, 3. expultricem cordis & aliarum partium laceſſat ad veneni excluſionem; hac de cauſa Theriaca, *Serena* ob id dicta, Rhabarbari ʒvj. habet, Agarici ʒxii: Cyaneus autem lapis intra doſin ſolitam ponitur, quo natura ſtimuletur non turbetur.

XXVII. Suſpectum eſt quibuſdam *Electuarium de Ovo* ob nucem vomicam quæ canibus, vulpibus, corvis, lupis &c. venenum eſt; qua de cauſa *Auguſtani* eam excluſere ab Antidoto: Innumeris tamen experimentis ſalutaris fuit illius vſus.

XXVIII. An *Lapidibus pretioſis*, eorumque magiſteriis ineſt cardiaca vis? Eorum vires multi laudant, alii ſuſpiciunt, hinc variæ extant compoſitiones, inter quas celebris confectio de hyacintho, multis viribus inſignis: Smaragdo magnas vires tribuunt *Avenzoar*, *Mindererus*, *Zacutus*: Simplex autem lapidum præparatio majoris fieri debet quam ipſa eorum magiſteria, cum dubium vnde vires naciſcantur, an à propria forma, an à menſtruis: quod ſi ſic, magis nocebunt quam proderunt: ſuſpicionem facit quod pondus magiſteriorum plerumque gravius evadat quam materiæ extrahendæ prius fuerit; atque eâ ratione quod menſtrui pars, ſive ſit vitriolata, ſive tartarea, ſive alterius ſalis naturam habeat, in magiſterium ſe inſinuet, nulla arte eluenda: Augetur quidem pondus in præparatis, ſed id aliâ de cauſâ contingit, ſçilicet quod aër in poris, cum adhuc integra eſſent, contentus per trituram evaneſcat: vel quod per continuam agitationem ſuper marmore aliquid de eo decedat & præparatis ſe immiſceat: hoc autem minus noxium quam menſtruum corrodens magiſteriis additum. Epiſcopum Vratiſlavienſem magiſterium perlarum ſæpe bibiſſe, ac in mortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuiſſe teſtatur *Laurentius Hofmannus*: *Libavius* aliquot exemplis demonſtrat magiſterii margaritarum & corallorum vſu multos in tabem incidiſſe: multos privatos vita, tunicis ventriculi & inteſtinis acrimonia planè eroſis.

XXIX. Cardiaca, abſque vlla oris admotione, beneficio ſanguinis circulati, vires ſuas exercere tradunt nonnulli. Adminiſtrandi modus hic eſt, vtrinque ſupra & infra ligatur brachium

de, vt refert *Fr. Antonius in tractatu ſuo de auro potabili*, ſupervenit nonnunquam vomitus, aut vrinæ copioſa emiſſio; aliquando alvi ſubductio, pro humoris & naturæ, ad hunc vel illum locum inclinantis ratione: Et rem ita ſeſe habere comperiet, qui hiſtorias per aurum potabile curatorum diligenter perpendet. *Sennertus l. de Galen. & Chymic. conſ. & diſſ. c.* 19.

XVI. *Lapidi Bezoar*, aut *Cornu unicornu* non multum cedit *Cervi Cornu* contra venena & venenatos morbos: à malignis enim vaporibus cor defendit; viſcoſitatem humorum incidit, internorum viſcerum obſtructiones aperit, & vi penetrante putreſcentibus humoribus reſiſtit, adeoque balſamica quadam virtute malignitatem humorum corrigit. vnde *Iouberto* maximè Cardiacum dicitur: Calcinatum autem & præparatum, non crudum exhibendum eſt; cum crudum propinatum frequenter eodem modo vt fuit exhibitum per alvum, ſine omni alteratione reddatur: ſpirituoſa enim ſubſtantia, omnis actionis cauſa, per fœculentam materiam additam colligata, impeditur quo minus vires exercere poſſit, ita vt in crudo vis illa quaſi ſepulta jaceat; imo Sal etiam balſami ſui vires exercere nequit, niſi terreſtribus ſuis vinculis expediatur: Cum igitur vis illa diaphoretica, *inquit Horſtius Probl. med. dec.* 1. *qu.* 4. quæ ob ſalem fixum ineſt huic remedio, vnà cum aliis qualitatibus ab impedimentis ſuis poſt calcinationem & præparationem maximè liberata ſit, ideo concludimus magis convenientus eſſe cornu Cervi vſtum & præparatum quàm crudum; Imò tam tutum & jucundum in graviſſimis quoque morbis hoc medicamentum, vt omni ætati, ipſis etiam recens natis commodiſſimè neceſſitate vrgente præbeatur; Idem judicium eſto de oſſe cordis cervi, quod niſi calcinatum & præparatum inutile Iudico. *Fabr. Hildanus l. de Gangrenae*. 12.

XVII. Hic negligentia aut imperitia quorundam Pharmacopæorum notanda, qui *Cornu Cervinum* non in catillis fuſoriis, ſed ſimpliciter inter carbones vrunt: Præparatio compendioſa quidem, ſed ægro noxia: cum vaporem in ſe malignum contineant carbones; quod manifeſtum in iis qui loco occluſo eum hauriunt. *Idem ibidem.*

XVIII. *Cornuum Cervorum* vis conſiſtit præcipuè in ſale volatili atque ſulphure, quorum copia turgentia oſſa animalium, quod purum eſt ſumunt pro nutrimento; quod ſuperfluum extrudunt ad extremitates oſſium: hæc luxurians materia, aëri diutius expoſita, figitur poſt annum, & velut vitriolatur, atque in dura, aſpera, grandiaque abit cornua, ob volatilem & extenſilem balſami ſui naturam, atque hinc cardiacum ſummum, vereque bezoarticum ſecundarium eſſe creditur: nam Spiritu ſuo (qui ſanguinis ſpiritui omnino congener eſt) cor recreat: balſamo dulci humidum radicale fovet: ſale armoniaco penetrat, tartareas materias attenuat, ſudores & vrinas movet, ac proinde auræ peſtiferæ adverſatur: facultate acida, (quæ omni armoniaco ineſt) malignis febribus reſiſtit; Vi autem ſiccante, quæ in ejus terrâ ſupereſt, putredinem arcet, vermes enecat, fluxibus alvi opitulatur: vnde pro variis indicationibus, variæ quoque C. C. præparationes in vſum vocandæ ſunt: Sic in peſte ætherea & venenis, vtor ſpiritu & ſale armoniaco C. C. tanquam inſigni diaphoretico: In malignis febribus, vt variolis, vbi tota maſſa ſanguinis non ſolum incenditur, ſed etiam putreſcit, ſecundariis, ex tota ſubſtantia iſtius Cornu depromptis, Decoctis puta, Gelatinis & Extractis: Ad ſcorbutumiam, aqua ex typhis cornuum recentium deſtillata, ejuſque ſyrupo: Ad phthiſim & ſenectutem retardandam, Balſamo dulci ejuſdem: Ad vermes & diarrhœas, c. c. vitriolato vtor. *Samuel Cloſſaus ad Gr. Horſtium Decad.* 1. *Problem. qu.* 4. *vbi varia ejus preparationes.*

XIX. Quamvis ignorentur animalia ex quibus eruuntur *cornua*, *Monocerotis* dicta, non tamen neganda omnino horum virtus, quæ ſola experientia cognoſcitur: facilè enim cuivis, qui ejuſmodi cornuum fruſtulæ, aut experiri cupit, vel catulo vel pullo venenum exhibere: qui ſi hujus pulveris aſſumptione liberetur, optimum hoc medicamentum ſervabit: Si cornu Cervi probamus, cur facultas eadem reliquis cornibus adimeretur? Non igitur moroſè inquirerem, ſintne monocerotis, aut alterius animalis cornua, dummodo bona ſint & efficacia: certum enim & Elephantorum dentes, & oſſa Balænarum, & Equi marini dentes, & adulta communia cornua, & cornua foſſilia, atque alia factitia pro vero monocerotis cornu venditari ſæpiſſimè. *Primiroſius de vulg. Error. l.* 4. *c.* 38.

XX. Cum *Trochiſcorum Viperinorum* compoſitio omni ratione & experientia deſtituatur: Cum talis Theriacalis inconcinna ſit à Quercetano facta correctio; atque Sal viperinus, qualem hodie vendunt Itali, mera ſit impoſtura, eximiæ autem hujus ſint vires (quippe qui ad extremas vſque corporis partes inde, perditis viribus, penetrare, ſanguinem depurare, excrementa tenaciter infixa & veluti aſſimilata, podagrica præſertim, egregiè reſolvere: vrinas & cum iis calculoſam materiam pellere, melancholicis affectibus putredinique ſummopere reſiſtere: diuturnas viſcerum obſtructiones inſigniter reſerare, atque exinde orta ac inveterata varia febrium, aliorumque morborum, genera, à genio domeſtico ſequeſtrare, propellere (dozis à ℈ß. ad ℈j.) Ideo meam hujus ſalis viperini dextram huic libro præparationem inſerere volui &c. *Zvvelferus Pharmacopæa Auguſtana Claſſe xij. p.* 374. *Edit. Goudana, & Claſſe xiv p.* 484. *vbi ad longum ejus ſalis preparandi ratio, quam hic exſcribere recuſavimus quod is author omnium manibus teratur.*

XXI. Expertus ſum *Theriacum* ante 7. annum, vt Galenus indicat. venenis non reſiſtere, exemplo facto in quamplurimis animantibus: Ideo vbi ſuſpicionem veneni habemus, fruſtra datur Theriaca ante 7. annum. *Panarolus Faſcic.* 1. *Arcan p.* 212.

XXII. *Theriaca* ſi quotidie grani vnius pondere aſſumatur, corpus, citra inflammationem, alexiterium procreat: ſicuti Mithridati Regi accidiſſe refert *Galenus*: Vidi ego plurimos qui ſæpe abſque cauſa manifeſta ſyncope corripiebantur, hoc modo ſanatos: optimumque remedium eſt, vbi ſuſpicionem habemus alicujus materiæ venenoſæ in corporibus noſtris latitantis. *Idem.*

XXIII. Si quis compoſitionem deſiderat in qua ferè omnia ea ſimplicia ſunt quibus veneno reſiſtitur, reperiat hujuſmodi in commentariis *Matthioli* in *Dioſcoridem*, certè Theriacæ par eſt: Eſt & *Aqua ejuſdem preſervans*: Quod vero aliqui exiſtimant ſe ex compoſitionibus quas bolus, gemmæ, aurum, argentum, & ejuſmodi alia ſimplicia ingrediuntur, Quintam Eſſentiam poſſe ſe extrahere,

id

id falſum eſſe ſciunt diſtillationum periti, & mera impoſtura eſt quicquid de auri & gemmarum deſtillatione dicitur: Et tamen ab his non modo Principes ſed & ipſi perſæpe decipiuntur. *Crato apud Scholtzi part. 1j. conſilii de Peſte p. 1111.*

XXIV. *Pueri* in totum abſtineant a *Theriaca*, nam infirmior eſt illorum ætas quam vt poſſit tam potens pharmacum tolerare, & colliquat eorum corpus, primogeniumque eorum calorem depopulatur, non ſecus quam lumen lucernæ oleo copioſius infuſo extinguitur: Vidi puerum qui moriebatur intempeſtivo Theriacæ vſu, diu febricitarat, & corpore attenuato vires illi planè collapſæ erant, vt nunniſi ſumma diligentia ſupereſſet, quod ex contemplatione Medica percipiens, interdixi illi Theriacam: At curator ejus, tyranni magis authoritate vtens quam rationi auſcultans, temerè coëgit me quamvis invitiſſimum vt illam puero darem, quam aſſumptam non potuit concoquere: erat enim viribus pueri ſuperior, & totum illius habitum diſſolvit, alvoque immoderatius citata puer noctu importuno Theriacæ vſu mortuus eſt. *Galenus lib. de Theriaca c. 17.* An omnino deneganda pueris vide Tit. de morb. Infant. lib. 9.

XXV. *Magiſteriorum* dextre præparatorum ℈j. plus efficere potis eſt quam ℥j. vel plus vulgarium penitus inutilium & inſalubrium præcipitatorum magiſteriorum, Cum hæc intra corpus ſumpta, tanquam mortuæ calces, ventriculum ſaltem & inteſtina albugine obducant, graventque diu inde illota illis adhærendo; aut, ſi è ventriculo el bantur, Meſaraica vaſa obſtruendo, concoctionem impediendo morbos tandem graviſſimos inducere apta nata ſint. Exemplo firmabo, Nobilis N. conquerebatur de gravedine pectoris & ſtomachi, nauſea, inappetentia, cum febre lenta, continua, etſi optima diæta vteretur & pulvere cordiali & cephalico: hunc vtvt natura debilem, & à morbo, vniverſali remedio egere quod curæ præmittendum eſſet; quod in ventriculo; ejuſque ore ſuperiore crudam materiam hærere, ſumpto indicio à nauſea ſuſpicater, facta poteſtate exhibendi lenis vomitorii, bis ille per ſuperiora, terve per inferiora ſuas abſolvit blandas operationes: A meridie bene habentem reperi, magnumque ſe levamen circa præcordia perſentiſſe referentem: Conjux detecta pelvi argentea monſtrabat quæ per ſuperiora ſat copioſè prodierant excreta, ferè ad duas libras craſſi & viſcidi phlegmatis, cujus imum, ad digiti craſſitiem, pulvis, ad inſtar cinerum albicantium, pro ſedimento erat: Excrementa infernè excreta dum perluſtro, ea ipſa etiam non aliter ac ſi copioſè cineribus eſſent permiſta apparebant: Multis vero diebus ante pulverem pretioſum, ejuſdem ferè coloris, quotidie aſſumpſerat, confectum ex magiſteriis perlarum & coralliorum, c. . viſo præparato & pulvere epileptico Marchionis &c. *Zwelferus Appendice ad animadv. in Pharm. Auguſt. p. m. 92.* Notandum decantata & mirè laudata ex corall. margar. &c. per tartari præſertim oleum, parata Magiſteria, non reſpondere authorum ſuorum promiſſis, poſtquam præparatione tali fracta eſt, ſi non in totum abolita, eorum acidum temperandi, figendi ac concentrandi vis: Satius proin iisdem in pollinem duntaxat redactis, quam ita corruptis, magis quàm præparatis vti. *Fr. de le Boë Sylvius Pract. l. 1. c. 7.*

XXVI. *Manardus* rejicit *Confectionem Alkermes* cyanei lapidis ratione, vomitum & ſeceſſum moventis, quod præ exigua quantitate facere non valens noceat magis quam juvet: lapis ille præterea, *Saxonia indice in Prælect. Pract* venenatus eſt, vt ideo ſi in magna doſi non ſumatur, nec dejiciatur, manens in corpore paulatim ſanguinem deficere, corrumpat ac vlcera inducat: His rationibus motus *Sylvaticus* Alkermes dulce conficit, dempto lapide & additis variis cardiacis minimè calidis. At negator venenatum eſſe cum lapidem, tam multis lotionibus malignam qualitatem depoſuit, aut ita remiſit, vt aliorum mixtione ſaluberrimus, nedum noxius evaſerit: viperæ venenatæ, ſalubrium additione, vtiles evadunt, teſtis Theriaca quam ingrediuntur: Parata eſt hæc confectio (qua abutuntur Medici in Pleuriticis, peripneumonicis, febrientibus acutè, hecticis, dyſentericis, quibus non eſt deſtinata) ob melancholiam præſertim & ſyncopas, vt ait Melues, quod teſtantur ingredientia; conſtat enim ſerico tincto in grano, ſucco pomorum redolentium, aqua roſata, ligno aloës, cinnamomo, margaritis, foliis auri & moſcho: lapis autem cyaneus adjicitur ob ſimilitudinem quandam cum melancholia: Antidotus tribus his dotibus prædita eſſe debet; 1. vt veneno obſiſtat. 2. corroboret, 3. expultricem cordis & aliarum partium laceſſat ad veneni excluſionem; hac de cauſa T[illegible]iaca, *Serena* ob id dicta, Rhabarbari ℥vj. habet, Agarici ℥ij: Cyaneus autem lapis infra dozin ſolitam ponitur, quo natura ſtimuletur non tur[illegible].

XXVII. Suſpectum eſt quibuſdam *Electuarium de Ovo* ob nucem vomicam quæ canibus, vulpibus, corvis, lupis &c. venenum eſt; qua de cauſa *Auguſtani* eam excluſere ab Antidoto: Innumeris tamen experimentis ſalutaris fuit illius vſus.

XXVIII. An *Lapidibus pretioſis*, eorumque magiſteriis inſit cardiaca vis? Eorum vires multi laudent, alii ſuſpiciunt, hinc variæ extant compoſitiones, inter quas celebris confectio de hyacintho, multis viribus inſignis: Smaragdo magnas vires tribuunt *Avenzoar, Mindererus, Zacutus:* Simplex autem lapidum præparatio majoris fieri debet quam ipſa eorum magiſteria, cum dubium vnde vires nanciſcantur, an à propria forma, an à menſtruis: quod ſi ſic, magis nocebunt quam prodeunt: ſuſpicionem facit quod pondus magiſteriorum plerumque gravius evadat quam materiæ extrahendæ prius fuerit; atque eâ ratione quod menſtrui pars, ſive ſit vitriolata, ſive tartarea, ſive alterius ſalis naturam habeat, in magiſterium ſe inſinuet, nulla arte eluenda: Augetur quidem pondus in præparatis, ſed id aliâ de cauſa contingit, ſcilicet quod aër in poris, cum adhuc integra eſſent, contentus per trituram evaneſcat: vel quod per continuam agitationem ſuper marmore aliquid de eo decedat & præparatis ſe immiſceat: hoc autem minus noxium quam menſtruum corrodens magiſteriis additum. Epiſcopum Vratiſlavienſem magiſterium perlarum ſæpe bibiſſe, ac in mortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuiſſe teſtatur *Laurentius Hofmannus*: *Libavius* aliquot exemplis demonſtrat magiſterii margaritarum & corallorum vſu multos in tabem incidiſſe: multos privatos vita, tunicis ventriculi & inteſtinis acrimonia planè eroſis.

XXIX. Cardiaca, abſque vlla oris admotione, beneficio ſanguinis circulati, vires ſuas exercere tradunt nonnulli: Adminiſtrandi modus hic eſt, vtrinque ſupra & infra ligatur brachium

evacuata mediana, per fiſtulam ex oſſiculis alaudarum factam, veſicæ bovinæ adaptatam, ex vna parte; ex altera venæ medianæ (vel pedis extantiori) inſertam, infunditur liquor cardiacus, veſicam comprimendo: injecto liquore foramen clauditur, vincula removentur, vi circulationis ſubſtantia & virtus ad cor deferuntur.

XXX. Quoniam in omnibus morbis maxima ſemper virium eſt habenda ratio, non mirum ſi tam frequens ſit Cardiacorum vſus, Importunus tamen ſæpe plus obeſt quàm prodeſt: Non enim quicquid Cardiacum dicitur, ſtatim naturam roborat, poteſt enim illam deſtruere, ſicut febricitantem magis juvat aquæ frigidæ potus quàm Imperialis aut ſimilis: Obſervandum autem debilitatem tum cordis, tum virium ab eo pendentium, variis de cauſis fieri poſſe, cui diverſitati non eadem remedia conveniunt: Quod ſi quodam remedio, quantumvis Cardiacum eſſe dicatur, morbifica cauſa augeatur, ex Cardiaco fit venenum: vt ſi calido affectui calidum medicamentum præſcribatur, ſmorbus increſcit, æger non roboratur, ſed fit imbecillior: Præterea ex Gal. notandum theriacam, & alia quæ in frequentiſſimo ſunt vſu, poſſe eſſe valde noxia, nam ex 5. ſimpl. media ſunt inter corpora & venena, vultque Galen. ſimilia corpus lædere copioſius ſumpta, & niſi intus noxium ſit aliquod venenum in quod agant: Igitur roborantia & Cardiaca pro morborum varietate varia eſſe debent: vnde quædam ſunt frigida, quædam calida, quædam temperata, quædam occulta & inexplicabili facultate roborantia, quædam venenis adverſantia, quæ non poſſunt omnibus cauſis vires lædentibus competere. *Primiroſius Err. popul. l. 4. c. 35.*

XXXI. In *Margaritarum diſſolutione* communis eſt error, cum acetum diſtillatum affunditur: Certum eſt humorem qui aſcendit eſſe inſipidum & diſſolvendis margaritis minime idoneum: pars autem ea quæ poſt diſtillationem aceti in fundo reſidet, vi corroſiva & margaritas & alia diſſolvit & in cinerem quaſi redigit, imo calcinat: hoc autem non eſt ſpiritum margaritarum elicere, ſed totam ſubſtantiam corrumpere: Epiſcopus quidam magiſterium hoc perlatum ſæpe porrectum bibit, atque demortuo tunicæ ventriculi nigræ & corruptæ apparuere: Eodem eventu vſa eſt Marchionis Ioannis conjux, in qua ventriculi tunicæ plane fuerunt eroſæ: Raro certe ullum vitrum, in quo aſſervatur, tam eſt firmum, quin erodat & In cinerem convertat. *Monavius in Epiſt. Scholtzii Ep. 163.*

XXXII. Circa præparationem *Antimonii diaphoretici*, vt ut cum tripla nitri proportione optime tradatur in chimicorum libris, nihilominus artifices aliquomodo celant ea quæ ſunt in arte cujuſvis opportuniſſima: hinc paucarum ſolum & leviorum, quo ad apparentiam, lubet meminiſſe cautelarum: 1. ſtudioſe obſervandus eſt ignis, qui debet eſſe medius inter fuſorium & lenem: ſi enim iis leni nimis accendatur gradu, & citius quam debit crucibulum candeat, injiciatur materia (in quo cardo vertitur totius ἐγχειρήσεως) antimonium non rite detonatur, viſque emetica non omnis emoritur, vel minimum, non ad optatum alborem accedit: Sin fortius, ſalinæ particulæ penitius in ſe abſorbent antimoniales, & hinc materia omnis, ob nimiam ebullitionem cum periculo ſummo affectat per crucibuli oras tranſitum, ipſumque poſtea medicamentum non optimæ notæ conſit. 2. Nitrum bene prius debet eſſe ſiccatum, non humidum, alias quippe aqueæ atomi detonationem retardant, ignique ſe opponunt, quo minus deflagr. pars ſulphurea impura commode poſſit. 3. Notandum etiam eſt ne nimis figatur, & diuturna mora in igne perduret, tunc enim leviſſima remanet, ferèque abolita vis ſudorifica, relicta diuretica: hinc optimum eſt vt detonatione legitime & totaliter peracta, per vices ſtatim, ſed parca manu in aquam injiciatur frigidam (ſin plus juſto vna vice ingeras, ollæ fundus periculum ſubit ruptoriæ) & dehinc rite elutrietur: Hoc pacto conſurgit antimonium diaphoreticum pulchre candicans, nulla flavedinis nota ingratum, & licet aceto poſtmodum præcipitetur, pauciſſimum, vel plane nullum inde detruditur magiſterium, Contra ea quæ communiter de eo dicuntur, relabi ſcilicet ad priſtinum ingenium, evaporatis figentibus nitri particulis vnde jubetur nonniſi recens adhiberi, vel vini ſpir. inde deflagrari, omnia ſunt intelligenda ſolum de minus recte præparato: Experientia enim teſtatur timorem hunc eſſe penitus inanem ſi l. à procedatur. *G. Wolf Wedelius miſc. Cur anni 1672. Obſ. 62.*

XXXIII. *Meſuē* authore, *Confect. Alkermes* recipit ſerici, ſucco granorum tinctoriorum recenter tincti ℔j. Inter recentiores vero *Dodonæus* Pempt. 6. l. 4. c. 4. plane tincti ſerici vſum improbat, quippe id abſque auripigmento tingi poſſe pernegat, quod tota ſubſtantia homini noxium: Quare ſi quæ ipſi ſerico crudo vis Cardiaca ineſt, prudentius illi faciunt qui crudum ſericum in ſuccum pomorum fragrantium & aquam roſar. fragrantiſſimam infundunt, mox expreſſioni ſuccum granorum Kermes addunt: Porro, cum præter ſericum lapidis Lazuli ʒj. in confectionem ſuam recipiat *Meſuæus*, hujus vero vſum *Ioh. Falco* Medicus Monſpelienſis, teſte *Rondeletio* lib. de ponder. medic. c. 43. improbarit, ipſe Rondel. Archiadiaconum Valentiæ in dyſenteriam ob nimium & frequentem vſum hujus confectionis incidiſſe obſervarit, nos iſtorum aliorumque authorum ſuaſu, Imo potius ipſa ratione commonefacti, nunquam autores ſimus, vt hæc confectio ea indicatione lapidem luzuli recipiat, lotus licet ſit vt Cor confortet. *S. pauli Quadr. Botan. claſſ. 2. Tit. Ilex coccigera.*

XXXIV. In affectio ne hypochondriaca Cardiaca aliquando uſurpanda, pulveribus tamen & terris dimiſſis, tanquam obſtructiones augentibus: *Fortis conſultat. 7. cent. 3.*

XXXV. In alexipharmacis *Tormentilla & Bolus* iis parcius convenit quibos alvus eſt ſicca: *Dunc. Liddelius l. 3. c. 5.* Adſtrictione terreſtri obſtructionem & putredinem augent.

XXXVI. Ne quibus vſitatus non eſt vſus *ſalis viperini* volatilis, ii inexpectatos experiantur effectus & contrarios ſalis illius naturæ, monitos volui caute vitandas eſſe res valde acidas in mixtione, præſertim ſpiritus, cujuſmodi ſunt ſalis, vitrioli, ſulphuris & ſimiles, à quibus figeretur atque operatio ejus omnino inhiberetur. *M. Charras Tractatu de vipera cap. ix.*

XXXVII. *Spiritus Sulphurei* ſulphur ſanguinis incendunt, *Vrinoſi* volatiles rarefaciunt, *Acidi* domant & obtundunt: Omnes hi vſu interno calorem & motum ſanguinis reſtaurant, partes balſamicas oleoſas adaugent & vigorant, vnde ſpiritus apoplectici, hyſterici, cordiales & ſimiles ſpiritus reficiunt, animi deliquium tollunt & labantes vires revocant: Cum vero maxime ſint activi, tum

hi,

hi, tum reliqui omnes caute ſunt dandi, Intempeſtive enim dati 1. caput replent & ebrios reddunt, 2. appetitum dejiciunt, quem tamen moderato vſu, calore ventriculi excitato, reſtaurare potius alias apti nati ſunt. 3. phthiſicos & hydropicos reddunt, illud, abſumendo roridum nectar patrium, ſerum & acres magis reddendo humores; hoc, deſtruendo tonum & temperiem viſcerum; Vnde recte ſcribit *Hofmannus* in Præfat. de medic. Officin. ſpiritum vini noſtratem, ſive ex fæcibus factum, ſive ex tritico ſpeltave, ſive ex baccis juniperi, tam infeſtum eſſe hepati ut duorum triumve menſium ſpatio, colliquatione inducta hydropem fecerit quæ omnibus funeſta fuerit: Obſervavimus idem ſæpe omnes illus ſpiritus vini ſtrenuos potores tandem phthiſicos, vel hydropicos, vel utroſque redditos fuiſſe; *Spiritus* vero *urinoſi* rarefaciunt ſanguinem, & halituoſum ac fluxile reddendo ſerum ſudorem cient, unde vbicunque volatilitate opus eſt hæc præſto ſunt, longe enim ſpiritu vini potentius adhuc motum & calorem promovent, expellunt, unde in variolis in exitu ceſſantibus potentiſſimi ſunt, excitant ſopitam facultatem in apoplexia, epilepſia, ſuffocatione hyſterica; hinc in malignis quidem, ſi qui alii, proſunt; cavendum tamen eſt ne nimis rarefaciendo ſanguinem eundem diſſolvamus & mortem promoveamus: Hinc referendi huc ſunt mirandi effectus hinc inde ipſis adſcripti, vt de ſpiritu fuliginis refert *Hartmannus* illum quaſi agoniſantes ſuſcitare: Neque tamen eſt cur tanti faciamos ſpiritum viperarum & fuliginis, fœtidiorem & ingratum, vt iis plus tribuamus quam aliis, ſunt enim inſtar omnium fere, ex mage ſulphureis & bezoardicis, ſpiritus eboris & cornu cervi, ex purioribus ſpiritus ſalis armoniaci: Cum denique *acida* ſanguinis ſulphur doment & obtundant, in genere hoc præſtant ſpiritus acidi, variant tamen & illi ratione ſpecialium effectuum & qualitatum, ſic ſpiritus vitrioli pectori inimicus eſt, ſpiritus nitri anticolicus, ſpiritus ſalis primo quaſi gradu & mediocriter omnia exequitur, Reliqui ad hos referendi ſunt. *Wedelius Pharmac p.* 201.

XXXVIII. *Gelatina* eligendæ 1. recentes, vetuſtæ enim ranceſcunt, & ingratum ac putidum ſaporem referunt. 2. teneræ & albicantes, non nigræ, opacæ, duræ, cornu referentes, ſtomacho maxime ingratæ & infauſtæ: hinc cum ante annos non ita multos ſuaſu Medici cujuſdam Illuſtriſſ. cuidam puero, Variolis decumbenti, gelatinæ cornu cervi magna admodum eſſet quantitas propinata, inde vero paulo ante mortem vomitus oborirentur nigricantes fere, & colore æmulantes gelatinam, brevi poſt ſpatio morlente Prinsipe, magna inde nominis jactura redundavit in eundem: Adeoque 3. liquabiles totæ, in ore ac lingua & ſponte quaſi ſolvi aptæ, vt delicato defluant ſenſu. Mucilagines & Gelatinæ nobiliſſimum habent vſum in ſiccitate & fiſſuris linguæ, In febribus, demulcent enim acrimoniam humorum, ſeri & bilis, quos obviſcant quaſi & incraſſant tenuiores; Temperant fervorem ſanguinis, ejuſque conſiſtentiam ſartam tectam, ne diffluant plus juſto fibræ præſtant: Sitim quoque ſedant, demulcendo non ſolum ventriculum, ſed pulmonum æſtum, unde ſitis oritur potiſſimum: His omnibus tamen non inviſcandus ventriculus: præſtant & hunc uſum ut fermentum depaſcens ſanguinis in hecticis & phthiſicis doment & obtundant, Attamen in ſingulis ratio habenda eſt ventriculi, ne his ipſis fermentum ejuſdem nimis obtundatur, vel parietes & tonus laxentur. *Wedelius Pharm. pag.* 142.

ALTERANTIA.

Vide *Præparantia inferius.*

SYLLOGE.

Facultates medicamentorum unde deducenda ſecundum Chimicos. 2.
Temperata medicamenta quæ dicantur, & quæ eorum virtus. 1.
Calidorum medicamentorum gradus unde deducendi. 3.
Frigida medicamenta quæ dicantur. 4.
Acida an calida vel frigida. 5.
An detur amara quædam frigida. 6.
Humida & ſicca medicamenta quæ dicantur. 7.
Vinum humidum an ſiccum. ibidem.
De Humorum Alteratione juxta Neotericos, Et de eorum Præcipitatione.

I. TEmperata à *priori* audiunt in quibus qualitates activæ & paſſivæ ſe mutuo temperant, ſeu quæ in neutro excedunt, & principiis activis, ſale ſulphure & Mercurio non ita ſunt inſtructa vt alterutrum horum eminenter prædominetur, ſed particulæ inter ſe ſunt commenſuratæ, vt exceſſus neutrius præ altero obſervari poſſit: *A poſteriori* vero, quæ calorem noſtrum nativum neque intendunt neque imminuunt, ſed blande demulcent & conſervant, quamdiu intra terminos ſuæ mediocritatis permanent, & ſunt fere alimentoſa adhuc, neque in eorum vſu ita excedi poteſt: Gaudent vero hæc latitudine magna, ita vt proprie illa dicantur Temperata, quæ in primo gradu alias calida, frigida, humida, ſicca eſſe recenſentur: Indicium hujus eſt quod nullum plane exceſſum ſapore, odore, vel effectu, poſt ſe relinquunt, adeoque quoad Temperata, nota 1. multa eſſe alimenta, 2. conveniunt in calore leniendo 3. digerunt & paregorica ſunt 4. proſunt in aſperitate mitiganda, tum faucium tum quavis alia. 5. imprimis in phthiſi & morbis calidis, 6. roborant enim & poros demulcent, adeoque & interne temperata ſunt.

II. Autores conſulto ſolent attendere in qualitatibus 1. *Gradus*, cum enim & reſpectu mixtorum ad ſe invicem habito alia magis inſtructa ſint aliis principiis activis, Sale, ſulphure, Mercurio (ab his enim potiſſimum deducemus facultates mixtorum, ceu Ariſtotelici & Galenici ab Elementis magis eaſdem arceſſunt) & alia corpus magis alterent ſive in activis, ſive in paſſivis qualitatibus; alia magis calefaciant, alia magis humectent, facile colligere licet concedendos gradus quoſdam, ceu diſcrimina & agendi terminos ac proprietatem, quæ geometrica eſt non arithmetica: Adeoque duo ſunt axiomata & poſtulata certa, 1. mixta alterare corpus. 2. alterare magis vel minus, vel evidenter vel debiliter; vel manifeſtiſſime, inde quatuor gradus conſtituti, ſed præter *Gradus*, ij. *manſiones* graduum: Quod licet videant nonnulli revera ta-

meri id in activis qualitatibus ſuccedit & neceſſarium eſt: Si enim verum eſt magnam dari latitudinem horum, neque ſtrictis cancellis omnia poſſe includi, cur non liceat inveſtigare hæc penitius, ita tamen vt latitudinem ipſam magis exprimamus quidem, non tamen confundamus hinc ingenia.

III. *Calida* ergo *medicamenta* à *priori* ſunt, quorum σύςασις ita eſt comparata vt principia activa, ſal, ſulphur, Mercurius, imprimis vero ſulphur cum ſale volatili prærogativam quandam habeant, idque magis vel minus, quod odore & ſapore imprimis pateſcit; reliqua vero paſſiva ſub dominio horum ſint ſubdita: Et quidem *calida primo gradu* æſtimanda ſunt in quibus prædicta principia leniter, parcius & moderate eminent; vel, ſi adſint, ſaltem ſuperficiarie, non intime & penitus diſperſa, vel non ſui juris, ſed particulis terreis & aqueis obtuſa. Principia enim activa, Sal, ſulphur, Mercurius, temperiem hanc mistis fœnerant; paſſiva vero, aqua & terra modificant; *A poſteriori* vero & effectu, *Calida primo gradu* ſunt & dicuntur; quæ alterant quidem calorem noſtrum, ſed citra notabilem energiam, ſenſim, obſcure, vix ſenſibiliter.

Sic *primo gradu calida* ſunt tum temperata pleraque, herbæ radices, flores, ligna & alia mixta minus odorata, ſaporeq non exceſſivo & notabili prædita, ſive ſint ſimul *emollientia*, vt ea quæ humiditatem moderatam ſimul poſſident, vt mucilaginoſa, pinguia, ſive *digerentia*, vt reliqua: Locum habent in variis affectibus, leniter aperiunt, roborant, diſcutiunt, emolliunt & temperant: Quoad *Saporem*, calida hoc primo gradu ſunt *pinguia inſipida*, cum leni tamen veſtigio volatilitatis, quo etiam à nonnullis plantæ Mercuriales, portulaca, mercurialis, parietaria referuntur; *dulcia*, ut liquiritia: *terrea*, quæ in receſſu gerunt volatilitatem, vt fumaria, hepatica nobilis: *Odorata*, quæ ſaporem non habent æque reſpondentem, flores tiliæ, primula veris.

Calida ſecundo gradu ſunt à *priori*, ſeu mixtura ipſa, quæ gaudent ſulphure & ſale, volatili vel fixo, vel magis eminenti: vnde talia ſunt 1. *amara*, vt abſynthium, aloë, ariſtolochia, carduus benedictus, chamædrys, gratiola &c. 2. *reſinoſa*, balſamica, ſpirituoſa, ſummitates pini, calendula, ſuccinum, myrrha, terebinthina, ſpiritus vini, balſamum, gummi ammoniacum &c. 3. *acriuſcula*, ſemen erucæ, gialapium, & purgantia non ita fortia alia 4. *ſalſa*, ſeu ſalia media, tartarus vitriolatus, 5. *aromatica media*, meliſſa, cinnamomum &c. A *poſteriori* calida ſecundo gradu ſunt quæ manifeſte magis, ſenſibiliter, notabiliter, ipſo odore & ſapore, vel etiam vtriſque ſunt inſtructa, & alterant, ſed citra moleſtiam, citra læſionem, ita vt ferri adhuc, licet manifeſta cum alteratione poſſint: Adeoque hæc medium quaſi locum habent, magis roborant, aperiunt, menſes movent, abſtergunt, alterant aliaque præſtant: Sunt & balſamica, quæ ſanguinis vigorem conſervant integrum, & ad vitam longam faciunt.

Calida tertio gradu ſunt à *priori* in quibus ſal volatile, vel fixum, cum vel ſine ſulphuris acceſſione eminentius prædominatur, unde huc pertinent v. g. 1. *omnia ſalia volatilia*, cochlearia, naſturtium, aſarum &c. 2. *lixivia* etiam, ſeu plantarum fixa. 3. *acida* quæ vim acrem ſimul poſſident. 4 *acria* & mordicantia, piper, pimpinella, 5. *aromatica fortiora*, caryophylli, macis &c. A *Poſteriori* quæ alterant manifeſte, ſenſibiliter, & quaſi cum noxa, ſi excedatur, ita vt nec lingua eadem diutius perferre citra moleſtiam, nec corpus majori quantitate poſſit; Hinc ipſa hæc eadem magis rarefaciunt, ſulphur ejus & ſal volatile intendunt, humores figentes domant, cachexiam tollunt, flatus diſcutiunt, poros nervorum aperiunt, adeoque in paralyſi conveniunt, antiſcorbutica ſunt, calculum fortius reſolvunt, ſpiritus debiles reficiunt, & apoplecticos, hyſtericoſque ſuſcitant.

Calida quarto gradu à priori ſunt, quibus ſal magis acre & cauſticum tereeſt, ſeu *volatile*, vt cepæ, lepidium; ſeu *fixum*, vt Mercurius ſublimatus & ſulphuri ipſi licet præſenti prædominatur, unde talia ſunt 1. acerrima, 2. rubefacientia; 3. erodentia & [illegible]: Hinc præbent veſicatoria & cauſtica potentialia, exedentia fortius & corrumpentia. A poſteriori autem calida ſunt *quarto gradu* quæ maximæ ſunt activitatis, vehementiſſimæ operationis, & quaſi inſtantaneæ, nec ſine gravi læſione, Habent tamen & illa certas ſuas manſiones, longe enim potentius & citius operatur arſenicum quam cepæ &c.

IV. *Frigida à priori* ſunt κατ' οὐσίαν, in quibus particulæ volatiles, calidæ, acres, aromaticæ, æthereæ non ſunt, ſed principia activa, in ſpecie ſulphur & Mercurius parcius inſunt, vel ſubjugata; Sal vero itidem vel abeſt, vel fluorem adeptum, & particulis inverſis acidis conſpicuum: Κατὰ δύναμιν vero, in quibus vel principia paſſiva, aqua & terra potiora reperiuntur, vel ſal acidum dicto modo ſe habens: Oppoſita ſunt calidis frigida, etiam in actionibus, ſic v. g. acida figunt amara, acria, & obtundunt oleoſa, & ſic porro: A *poſteriori* vero frigida ſunt quæ ad calorem noſtrum relata eundem non inſtaurant, ſed effrenem demulcent & bilem refrænant: Vti enim calida rarefaciunt ſanguinem, ſpiculis acutis ſulphur exaltant, & ſal volatile acuunt; ſic frigida eundem concentrant, ſulphur ejuſdem deprimunt, & ſal volatile figunt & coagulant.

Recenſentur frigida hoc loco potiſſimum vnivoce talia, quæ v. g. vel *diluunt & demulcent*, vt 1. *aquea*, vt de julepi, ſerum caprinum, decoctum hordei, ſuccus betulæ, cydoniorum & alii aciduli; quæ primo gradu fere pleraque ſunt talia, & alia vna humectantia, egregie refrigerant: Sic etiam omnia *mucilaginoſa & pure gummoſa* frigida ſunt, vt albumen ovi, tragacantha, cornu cervi, aloes, cranium humanum, gelatinæ, radix althææ, gummi Arabicum, ſemina quatuor frigida majora & minora, quæ oleoſitate quadam gaudent, ſed aquoſa & temperata: Vel *ſulphur & ſal volatile domant* & infringunt, vt 2. *acida*, ſuccus citri, acetoſa, berberes, & 3. *nitroſa*, parietaria, mercurialis, ſpinachia, atriplex, violaria, Vel *ebullitionem & motum reſpiciunt*, vt *præcipitantia*, vt 4. *terrea* v. g. plantæ, flores balauſtiorum, partes animalium & mineralium hujuſmodi, ligna item, vt ſantala, quercus, & imprimis terrea proprie dicta, vt bolus Armena, terra Lemnia &c. lapides, vt cryſtallus, hyacinthus, & naturæ quæ ſunt alkalinæ: Vel *conſtipant & conſtringunt*, vt 5. *auſtera*, *ſtyptica*, *acerba*, quæ tertii gradus exempla ſunt, tormentilla, biſtorta, cortex granatorum, acacia, hypocyſtis: Vel *deſtruunt* plane. 6. *viroſa*, quæ terreo & aqueo excrementitio, & ſulphure fœtido & impuro gaudent, adeoque σύςασιν ſanguini contrariam inducunt, cicuta, hyoſcyamus, ſtramonea,

vnde

vnde venenoſa ſunt: vt calida quarto gradu necant erodendo, ita frigida eodem gradu ſuffocando & coagulando.

Æquivoce & ἐμψυκτικῶς frigida ſunt, quæ vel diſſlant & exhalationem fuliginum ſulphurearum procurant, vt ſulphure volatili pollentia & ipſa calida, vt ſpiritus vini, camphora: vel *cauſam tollunt*, tum fermentationem & ebullitionem, tum obſtructiones, vt aperientia: Quæ ſcilicet ſulphurea ſunt omnia calefaciunt, niſi diſſlationi & exhalationi calidæ debeantur, qua ratione per accidens refrigerant: Salina lixiva ſanguinem rarefaciunt magis, adeoque etiam calefaciunt: Acida vero eundem concentrant & refrigerant; media, vt tartarus vitriolatus, medio modo ſe habent, magis tamen fere calefaciunt, incidunt pituitam &c. imprimis ſal commune: Vt adeo frigida ad tria ſumma genera quaſi referri queant, quod conſtent ex aqueis particulis terreis & ſalinis non lixivioſis,

Notandum eſt Frigida magis eſſe vniverſalia & communia, calida vero magis ſpecifica: Intemperies enim calida præſupponit magis totius vitium, ceu hinc notum eſt Febrem eſſe morbum vniverſalem; frigida vero intemperies hujus vel illius viſceris particulari quoque vitio magis produci poteſt, vnde calida alterantia calidum innatum cujuſvis viſceris & partis plus reſpiciunt: Sic poma citria, flores iv. cordiales, lactuca, nymphæa, corallia, perlæ, terræ, ſerum lactis, nitroſa, acida, referuntur inter alterantia frigida, cephalica, cordialia, hepatica, ſtomachica, & ſic porro, intuitu horum non ita late patet & valet in calidis.

V. Determinari hic poteſt lis & quæſtio, An Acida calida vel frigida? Non deſunt enim qui eadem calida eſſe aſſerunt, argumento deſumpto ab acrimonia, mordacitate, & corroſiva qua pollent vi: Qui frigida eſſe defendunt, iisdem effectus manifeſte frigidos adducunt, ſitim v. g. ſedare ſpiritus acidos, & refrigerium inducere corporis bilioſis humoribus obrutis; Neceſſaria hic videtur diſtinctio, primo inter calida ſulphurea, & calida ſalina; Secundo inter vſum externum & internum, ſeu qui partibus ſolidis & humidis ac ſpirituoſis debetur. Calida ſulphurea, id eſt, quæ ſulphur prædominans habent, præcipue cum ſale volatili, omnia intendunt calorem noſtrum nativum; quæ vero ſulphure carent, & ſal fluorem adeptum poſſident, vt Acida, gaudent quidem particulis acribus frigidis, mordacibus, attamen abſurdus foret qui iiſdem vti velit reſtaurandi & vegetandi calidum innatum, ſeu ſulphur & ſal volatile ſanguinis cauſa: vnde licet externo vſu eroſionem inducant in partibus ſolidis, & ob acrimoniam ſuam dolere faciant partes, & rubere, quod etiam ipſum in teneriori ventriculo obſervare licet, & a doſi majori, vti a ſpiritu vitrioli vſu incauto æſtum & ardorem ſentiunt quandoque ægri, attamen relatione & reſpectu habito ad ſanguinem, ad calorem noſtrum ad cor, merito ſunt & dicuntur frigida: Alii ſtatuunt refrigerare per accidens, quatenus frigidis vehiculis juncta apta reddunt penetrandi vi vt eo melius refrigerent: alii aliter, perſpiratione v. g. igneæ caliditatis &c. Chimici, quia præcipitant, & rectenoſtro hoc ſenſu, vt diximus, id præſtare aſſerunt. Par ratio etiam eſt nitrorum, ob particularum enim quadratarum, v. g. vel ſexangularium diſpoſitionem, manifeſtum frigoris ſenſum etiam in lingua exprimunt: Præſtat itaque eadem nominare potius frigida effective, & inter hæc quam calida referre: præſtat ſimul noſſe intimius horum naturam.

VI. Dubium eſt de *Amaris* quibuſdam, quæ inter frigida referuntur, vt lactuca, cichorium, endivia, ſonchus, papaver, ſalia; quorum exemplo ſunt qui negant aſſertum *Galeni*, τὰ παρὰ πολὺ θερμὰ εἶναι, omnia amara eſſe calida, vt in ſpecie id facit *Averroës* & alii. Sed eadem eſt reſponſio quam de odoratis attulimus, nimirum amaricantia qua talia omnia ſunt calida, frigida tamen nihilominus quædam dicuntur, partim quod amaror ſit levis, & a partibus humidis excedentibus ſubjugetur; partim quod effectus ipſorum ſit æquivocus; vt v. g. cichorium refertur inter refrigerantia hepatica, attamen id potius præſtat effectu illo quo aperit obſtructiones & bilem ablegat &c.

VII. Quantum ad Paſſivas qualitates, *Humidam & ſiccam*, attinet, notandum quod merito ab activis, ceu potioribus, fiat denominatio, vnde quæ calida ſunt eminenter plerumque etiam ſunt ſicca, niſi ſubſtantialiter humida ſint: vnde de *Vino* Hofmanni eſt aſſertum quod qualitative ſiccet, ſubſtantialiter humectet: Quæ vero frigida ſunt eminenter, eadem exceptione ſalva, pleraque etiam ſunt humida. Repetemus hoc loco hypotheſin noſtram alibi probatam, duos eſſe humores alimentarios, principem *Sanguinem*, & miniſtrum, *Serum*: vt itaque activæ qualitates, caliditas & frigiditas, reſpiciunt & attemperant calidum innatum, ſeu ſanguinem, ejuſdemque partes oleoſas, volatiles: Ita humida & ſicca alterantia diſponunt Serum, vel augendo, *Humida* ſcil. ſunt quæ Serum conſervant, reſtaurant, augent; *Sicca*, quæ imminuunt, abſumunt, abſorbent; Neque obſtat quædam eſſe humida actu, & tamen ſiccare, ob prædominans v. g. ſulphur: quædam ſicca actu & tamen humectare, ob prædominans aqueum, vt gelatinæ &c. Valent hic eadem quoque quæ de gradibus Caloris diximus, & tamen notabile eſt Humida exceſſivo gradu non dari, niſi quis ſubſtantialiter talia ſic nuncupare velit, prædicantur enim eadem quoque tum de potentia talibus, quæ gaudent partibus aqueis, mucilaginoſis, tum de actu talibus, quæ ipſa quoque gradibus differunt: Ita aqua ſimplex & deſtillata, ſerum lactis, decoctum hordei cum c. c. cerevisia, vinum humectant, ſed diverſis gradibus: Vel reſpicere frigiditatem vna junctam, vnde hyoſcyamus, papaver, ſolanum, tertio gradu humida dicuntur; ſuccus lactucæ venenoſus habetur: *Primo gradu Humida* ſunt, quæ particulis gaudent aqueis vel mucilaginoſis debiliter; *Secundo*, quæ magis evidenter habent eaſdem: In genere vero mucilaginoſa magis humectant, & quaſi ſubſtantialiter, quia ægrius diſſipantur; minus vero *aquea*, quia citius. Hinc in ariditate faucium, & linguæ ſiccitate ac ſitibundis, mos Practicorum eſt præſcribere mucilagines ſeminum cydoniorum, pſyllij cum ſyr. violar. &c. Item quæ pinguibus & oleoſis pollent partibus: hinc vnguenta & linimenta adſtringentia proprie & in ſua natura non dantur: Sic etiam porro ſucculenta, viridia, pulpoſa, carnoſa, humida ſunt: Sic etiam oleum amygd. d. eo caſu, & juſcula avenacea apprime ſunt proficua; Sic etiam in ſqualido & arido corporis habitu, v. g. in hecticis & atrophia partium, magis conveniunt ſumta ex dictis & pinguibus, item mucilaginoſis ipſis, v. g. rad. ſymphyti, Sic & alii etiam gaudent mucilaginoſis, albumine ovi &c. Item ad Lævigandum & demulcendum in ſan-

Ttt

cedioe, affectibus pulmonum, renum &c. Illud quoque obſervandum quæ quarto gradu ſiccantia ſunt, calida etiam eſſe quarto gradu: adeoque frigus modificar humiditatem, calor ſiccitatem, in pleriſque ſaltem: vti vero frigida calori p. n. ita & ſiccantia humiditati p. n. ſeu ichoribus debentur.

Sicca ſunt quæ per remotionem non pollent jam dictis ſed terreas particulas babent prædominantes, ſive cum ſulphureis, ſive cum acidis aliiſve, ſive ſibi relictis, vnde egregie abſorbent, & hinc v. g. creta, ceruſſa, lac lunæ, pompholix, ichoroſis humiditatibus exſiccandis eximie conferunt: Sic vlcera ſæpe dyſepulotica, quæ emplaſticis exaſperantur, auxilium adipiſcuntur à pulveribus ejuſmodi ſiccis; quod cum felici ſucceſſu ſæpius vidimus; modo calidis ſimul, v. g. pulvere foliot. ariſtoloch. aſperſo, modo terreis: Pertinent huc decocta & fotus ſiccantes & roborantes, quales ſæpe ex alumine, nitro, ſulphure &c. in vſum veniunt &c.

VIII. Communiter *Aterantia* deſcribunt per illa medicamenta quæ vulgari calefaciendi, refrigerandi, humectandi, ſiccandi, attenuandi & incraſſandi facultate pollent, verum hæc non tam morbum quam ſymptomata reſpiciunt: Vnde & ipſe *Sennertus lib. de Febribus c.* 18. *Refrigerantia*, inquit, *ſaltem ob calorem adhibere, nec materiam caloris febrilis fomitem prius tollere, eſt ſymptoma curare & morbum deteriorem reddere:* Sciant ergo Elementares Medici, qui tantum ſymptomatum vrgentiam reſpicientes nonniſi de calido vel frigido in ægrum vel adſtantes inquirunt, ejuſmodi qualitates eſſe mera morborum & cauſæ morbificæ effecta, ſeu producta ab Archeo furioſo, dum enim nititur peregrinum expellere hoſpitem modo frigus, modo calorem concitat.

Alteratio igitur eſt motus, ſecundum qualitatem patibilem, quo non fit ἄλλο ſed ἀλλοῖον, Et eſt corruptiva vel perfectiva, *Corruptiva* eſt qua qualitas prior aboletur, & deterior inducitur, vt fit in morborum generationibus: *Perfectiva* eſt, qua ſubjecto ſuperinducitur alia nova qualitas vt perficiatur, quæ hujus loci eſt, ac deſcribimus per *Motum*, quo exoticæ & peregrinæ qualitates, fermenta viſcerum, maſſam ſanguineam & alias corporis partes depravantes & corrumpentes, juvantibus medicamentis alterantibus abolentur, domeſticæ corriguntur, & ad naturalem æquabilitatem & ſymmetriam, à qua receſſerunt, quoad fieri poteſt, reducuntur, vt ſanitas exinde exſorgat.

Alteratio igitur eſt *motus*, quia ducit ad eſſe perfectius, quo acquiruntur qualitates naturæ convenientes à medicamentis alterantibus reparatæ, vt ſanitas inde oriatur perfecta: Per *Qualitates* autem haſce ſub-intelligimus non ſolum elementares primas, activas & paſſivas, calidum, frigidum ſcilicet humidum & ſiccum: nec ſolum ſecundas, & quæ à modo ſubſtantiæ fluunt, ex varia partium in ſanguine textura, quæ, vt dictum, nil niſi morbi aut materiæ producta, quorum receſſus à naturali ſtatu facile reparabiles ſunt, ſed & qualitates occultas admittimus, quæ ex fermentis fiunt quibus anima noſtra vtitur ad actiones ſuas obeundas, quæ ſunt ejuſmodi *accidentia*, quæ immediate in ſubjecto cujus ſunt, & à quo immediate dependent, & cum quo tranſmutantur; Sic v.g. impoſſibile eſt vt Acidum, vel Amarum, vel Salſum, aut aliæ qualitates in maſſa ſanguinea contentæ, immutentur non immutatis ſimul illorum ſubjectis, à quibus tanquam fermentis dependent, & in quibus tanquam accidentia ſunt: Hinc *Hippocrat. lib. de Priſca Med.* non tam voce ἀλλοιώσεως quam τῆς μίξεως καὶ τῆς ... vtitur, quibus mediantibus quæ intemperata ... reſtituenda: Vnde & Medico multum ſane intererit primo noviſſe ex quibus principiis ſeu fermentis ejuſmodi qualitates immediate eleventur; Deinde quomodo vna in aliam ſit tranſmutanda, v. g. quomodo ex acido fiat dulce, ex dulci acidum, ex amaro & acido acerbum, ex inſipido ſalſum, ex maligno benignum &c. Qui enim hoc noverit, harum qualitatum fermenta præternaturalia facile corriget, quæ inde oriuntur cum à debita quantitate, qualitate & motu ab aliis abſcedunt, & virtutibus ſuis fermentativis, vel conjunctas diſſymbolicas invadunt, vel obvias ſimiles ſecum rapiunt, vel ipſæ, vbi vel à potentioribus ſuperantur, vel debiliores ad ſe trahunt, aliam atque aliam naturam induunt: In ſtatu ſanitatis multa incorporantur nobis & ſubiguntur, ſin minus degenerant in ſordes, violant vitale principium, fermenta partium immutando, vnde Archeus diverſimode commovetur, & vitalis œconomia jacturam patitur.

Quemadmodum igitur dictæ Qualitates primis ſolum qualitatibus, ceu nudis morborum & cauſarum morbificarum accidentibus non ſunt definiendæ, ſed potius *δυνάμεσι Hippocrat.* ſunt inſtructæ, ita nec ipſa *medicamenta alterantia* naturam elementarem ſimpliciter referunt, ſed ſubſunt & aliæ nobiliores & occultæ, quibus tota ſua ſubſtantia & appropriatione huic vel illi affectui aut morbo contrariantur, vnde non ſolum reſpiciamus ad calidum vel frigidum &c. ſed & ad acidum, *ſalſum*, amarum, & alias potentias, occultas & peregrinas ex fermentis reſultantibus, quibus homo afficitur, &, ſi fieri poſſit, morbis con̄ctis ſua ſpecifica ſimplicia inveſtigemus remedia: Quare cum & ipſe *Hippocrat.* à *δυνάμεσι* homini affectus evenire doceat, & per illas intelligat τὰς τῶν χυμῶν ἀκρότητας καὶ ἰσχὺν, videamus vt illis appoſite oppoſita remedia adhibeantur, etiam ſuis *δυνάμεσι*, ſeu fermentis ſpecificis inſtructa; Si igitur febris adſit maligna, ſanguis inde nimium efferveſcat, ob fermentum febrile ac venenatum, certe Alterantia adhibenda tunc talia, quæ non ſolum fermentum febrile figant ac præcipitent, *ſed quę etiam* ſimul hujus malignitati reſiſtant & alexipharmaca ſint.

Hactenus de *Formali Alterationis* cauſa, inquirenda eſt ejus cauſa efficiens, Et ſtatuimus fermentalem viſcerum calorem, qui adjuvantibus *medicamentis* alterantibus, ſuis etiam fermentis inſtructis, materiam morbificam, ſubigit, tranſmutat & debita poſtmodum ratione extermioat: Quod ſi enim hujus caloris fermentalis vis, & balſamica ſalſedo forſan alterata, aut ſuppreſſa, aut alias debilis fuerit, à dictis alterantibus immutata, aucta & reſtituta, facile poſtmodum materiam vitioſam ſubigere, evincere, hoc eſt ita fluidam reddere poteſt vt ſine difficultate poſtmodum eliminari poſſit.

Quomodo igitur *medicamenta Alterantia* ſecundum vires internas, & ipſam naturam ac ſubſtantiam, tum ad fermenta viſcerum, tum ad cauſas morbificas & Archeum ſeſe habeant inveſtigandum.

Sciendum

Solicodum autem *Alterantia* ſua obire munia qualitatibus vel manifeſtis vel occultis, Manifeſtæ operantur mediante quadam *Præcipitatione*, late ſumpta, prout diſſolutionem tantummodo denotat, & talem diſpoſitionem quæ non fit ſine prævia fermentorum morbificorum, reſtitutis naturalibus à medicamentorum fermentis, facta deſtructione, humorum, a ferocibus productorum fermentis, edomatione, illorum continuorum & heterogeneorum diviſione, contiguorum ſegregatione, & ſuccorum contra homogeneorum congregatione, totius denique Naturæ corroboratione: Deſtructis enim & extinctis furioſis humorum fermentis, & mitigata illorum inde productorum ferocia, fermentorum Naturalium activitas & virtus antea languida, *medicamentorum alterantium* fermentis in ſubſidium vocatis, jam quaſi iterum emergit, materiæ morbificæ ſubactionem promovendo, vt debita deinde ratione turgendi ſæviia per Præcipitationem plane depoſita, facile poſtmodum, vel ſenſibiliter per alvum, vel diuretin, vel diaphoreſin, aut inſenſibiliter exterminari poſſit, vnde Natura ſuas iterum recolligit vires, quæ antea interturbabatur & opprimebatur: Nam ipſi humores, quatenus tales, non ſemper cauſæ morborum ſunt, ſed malignum aliquod in ipſis fermentum, & prava humorum diatheſis, quodque in minima etiam quantitate magnas obtinet vires, illud ſi extinguatur, & qualitas illa ſi tollatur, morbi ceſſant. *Sennertus de G. & D. c.* 25. Nos enim exiſtimamus omnem fere morborum progreſſum vitioſo cuidam deberi fermentorum ortui: hæc enim vel in viſceribus chylificationi & ſanguificationi deſtinatis propullulantia, vel ad totam maſſam ſanguineam & partea alias ſub alimentorum involucro & ſchemate delata, quantas excitant tragœdias? quantas turbas? ipſa autem horum ſtatim in primo germine extinctio lætam ſanitatis promittit ſpem: Quod enim apoplexiæ, epilepſiæ, anorexiæ, cruditates, &c. proveniant, hoc à corruptis digeſtionum fermentis: quodque maſſa ſanguinea quandoque nimis exaltetur, in vaſis ebulliat, & inde febres diverſi generis & naturæ accendantur, hoc interdum à fermentis febrilibus, interdum autem ipſa fermenta febrilia ſunt producta ſpontaneæ ſanguinis thymoſeos.

Quod ſanguini non raro diatheſis acetoſa & auſtera accerſatur, qualis in ſcorbuticis, hydropicis, cachecticis & aliis morbis chronicis laborantibus obſervatur, hoc ab acida & ſalina fermentorum propaſapia; In horum autem everſione tota curationis ratio conſiſtit: hiſce perſeverantibus morbi non ceſſant, & fruſtra propter hæc ipſa ſolum Purgationes & venæ ſectiones inſtituuntur, ægrique purgantibus macerantur, niſi & hæc prius ante omnia fuerint ſublata; *Semper enim præſtat*, inquit Sennertus, *vitioſos humores non generari, quam genitos evacuari*: Sic v. g. in omnium febrium curatione ante omnia fermenta febrilia, ebullitionis in maſſa ſanguinea cauſa proxima, vt magis vrgentia, figenda & præcipitanda per ſpecifica antipyreta, diaphoretica & diuretica, Naturæ æmula, quæ jam extinctis febrilibus fermentis materiam vitioſam ab his productam poſtmodum vna reſolvant, reſolutam a maſſa ſanguinea per convenientia loca ſeparent ac ſegregent: Sedata demum ſanguinis ebullitione febrili, & profligato paroxyſmo, tum demum methodica curatione cauſa febrilis occaſionalis per purgantia removenda, & recidiva præcavenda: In morbis chronicis eadem eſt methodus, & licet validas ac fixas ſæpe admiſerint in corpore radices, cum obſtructionibus viſcerum ex cruditatibus ſeroſis paſſim conglomeratis, & ſanguinis balſamica ſalſedine ad acetoſam & auſteram evecta, tamen & illorum curatio tentanda per Præcipitantia Alterantia, quæ humores fermentis morbificis tinctos edoment, reſolvant, & emendata ſanguinis dyſcraſia, & viſcerum obſtructionibus reſeratis conſumant & eliminent:

Abſolvunt autem medicamenta Alterantia hanc *Præcipitationem*, modo vel *Privative*, vel *Poſitive*: Priora ſunt quæ non ſolum ex volatili faciunt fixum, & fixo volatile, verum etiam ex acido dulce, ex amaro ſalſum, ex ſalſo amarum, ſed & inſuper ſalia ſylveſtria & acria combibendo ſanguinem depurant, & viſcerum fermenta depravata corrigunt, & ita fermentationem humorum p. n. ſiſtunt: Ejuſmodi medicamenta ſunt reſolubilia, eburina, ac terebinthina, quæ facile imbibunt ſalia corroſiva acida, & denique ſaturata re bene geſta ſecedunt, & agunt partim per modum Alterationis acquiſitæ in ſuppoſſibilitate, partim immutatis illorum qualitatibus internis, & illis quæ à ſpecifica deſcendunt qualitate; *Quomodo autem hoc fiat optimior ſpagiricorum peritia demonſtrat, Qui enim dulcificationem ſalium callet, & ex fundamento intelligit, rationis hujus nervum omnino tenet*, ait *Iohan. Langius in Miſcellan.* Alterationes enim quæ in vitali contingunt œconomia ex vitalibus initiis, non ex igne aut frigore corporis dependent, calor & frigus ſunt accidentia impertinentia ad Naturam morborum, Sic ſpina parti alicui infixa, cui ſuccedit in inſtanti dolor, à dolore mox pulſus. à pulſu eruoris affluxus, vnde calor, tumor, apoſtema &c. ſpina ergo poſt ſe movet cætera, metaphorica ergo ſpina morborum eſt peregrinum fermentum conceptum in Archeo, ſeu ſalia peregrina acida, pontica, corroſiva &c. quæ ſi fuget aut deponat in maſſam ſanguineam, quæ turbæ inde excitantur? ſic ſæpe in hepate præternaturales ſentiuntur calores, ſed hi omnes ſunt opera ſalium ſylveſtrium acidorum, quæ Archeum accendunt &c. ait *Helmontius lib. Poteſtas. medicam.* §. 10.

Cum non quodvis agat in quodlibet, ſed in determinatum, nec quodvis patiatur à quolibet, ſed à determinato, etiam non quævis materia morbifica ſuo peculiari fermento inſtructa non poteſt à quibuſlibet indifferenter diſſolvi & præcipitari, ſed à ſuo appropriato præcipitante medicamento: Neque enim ſufficit humoribus craſſis & viſcidis attenuantia, tenuibus incraſſantia eſſe opponenda, ſed illorum etiam natura pro diverſitate partium figuræ cum ſuis fermentis ſpecificis eſt attendenda, & ſpecifica & propria remedia præcipitantia adhibenda ſunt, alkalia acidis, acida alkalibus, ſulphurea ſulphureis &c. Vnde Clariſſim. *Walæus Alterationem fieri*, inquit, *conjunctione & perfectione, hinc ſi debent alterare medicamenta alterantia, neceſſe eſt vt alterandis humoribus permiſceantur, ſi permiſceri poſtulant debent humoribus eſſe ſimilia, non ratione qualitatum, ſic enim contraria eſſent, ſed reſpectu conſiſtentiæ: Ergo quæ oleoſa ſunt in noſtro corpore, illa alterentur oleoſis, quæ aquoſa aquoſis, quæ acida alcalibus, quæ alkaliſata acidis &c.*

Quando Humores craſſi, viſcidi ac acidi ex vitiolo ventriculi fermento, vel depravatione aut corruptione chyli producti tunicis ventriculi impacti hærent, tunc illis opponenda vel quæ ſale volatili aromatico abundant, quale in abſynthio, radic. aronis, centaur. min. card. ben. &c. vel quæ ſale alkali fixo, aut volatili lixiviolo prædita, qualia ſalia abſynth. fraxini, cichor. c. c. volatile, tartari volatil. &c. Quemadmodum & ſi cruditas hæc acida quodammodo volatilis, & ab humore fermentali exaltata, vt maſſam etiam ſanguineam penetret, figunt & immutant illam etiam non ſolum omnia ſalia fixa alkalia lixivialia ex plantis parata, ſed & ſi majori penetratione opus fuerit, alia alkalia volatilia ſalſa, qualia ſpirit. ſalis armoniac. ſalſus, ſanguin. humani, C. C. &c. cum quibus efferveſcens aliquatenus temperatur, coagulatur & neutrum fit: Deinde huc etiam faciunt oculi cancri, corall. rub. & album præparat. ſpodium, mater perlar. lapid. percar. &c. quorum omnium Alteratio medio modo ſe habet inter efferveſcentiam potiorem à dictis ſalibus ortam, & concentrationem ſeu fixationem cum dictis alkalibus factam.

Si ventriculi fermentum admodum ſulphureis ac amaris ſcateat excrementis, vt inde nimis æſtuet, & cruditas nidoroſa inde oriatur, exhibenda acida, cujus generis ſunt ſpiritus vitrioli Martis, ſalis ſtriatus &c. ſucci citri granator. ribium, berberum &c.

Ad alkali lixivioſum in primis viis redundans corrigendum, à quo oris ſiccitas, ſitis nimium augetur, faciunt aſſumpta etiam acida, Item Emulſiones ex quatuor ſemin. frig. paratæ. (Vide *tit. de Siti* §. 4. *pag.* 614.)

Vbi ventriculi fermentum admodum debile, aut nimium quantum ab acido ſalſo volatili ſuo balſamo recedat, exhibenda quæ ejus vicem suppleant, qualia ſalia volatilia acido ſalſa, ſpiritus acidi volatiles, Ex quorum cenſu ſal c. c. fixum cum ſpiritu ſalis paratum, vel terra foliata tartari, Tinctura aperit. *D. Moëbii*, Arcanum duplicatum &c. Hæc enim ſunt fermenti ſtomachici, ac reliquorum viſcerum genuina ſuſcitabula, omnium digeſtionum ſordes vna abſtergunt, putredini reſiſtunt, diuturnas viſcerum obſtructiones reſerant, & èainde orta & inveterata varia febrium & aliorum morborum genera ex agro vitali exterminant.

Defectus Fermenti fellei reſarcitur amaris, vt abſynth. centaur. min. agrimon. card. ben. fumar. & radic. cichor. & aliis aromatice amaris: Ejus exceſſus corrigitur acidis ſupra enumeratis: Bilis enim fermentatio, niſi & hæc rite ſe habeat, anſam præbet variis in inteſtinorum anfractibus calamitatibus.

Quando pars ſulphurea interdum in maſſa ſanguinea à fermento febrili evehitur,. ac nimis luxuriat, ejus craſis à debito ſtatu pervertitur, vt in totum accendatur, æſtus atque ardores concipiat, tunc fermentum illud febrile tanquam magis vrgens prius per præcipitationem deſtruendum; id quod commode faciunt in intermittentibus febribus Tartarea, Martialia lixivialia ſpiritibus acidis nupta: In Continuis Bezoarticum ſ. & c. ea auro & Marte ebullitionem ſanguinis mire compeſcunt; quorum ultrus non tantum ab antimonio & Marte ac Sole, ſed etiam à ſpiritu nitri oritur, qui abunde in antimonio & Marte & auro figitur (quod ponderis auctio & incrementum edocet) ſalva manente vi ſua refrigerante & anodyna (paucis cognita) quæ tamen magis innoteſcit quando totum nitrum vertitur in terram albiſſimam, per encheiriſin ab *Helmontio* explicatam: Non minores obtinet vires ab eodem fonte promanans Poterii alexipyreton: Cauſa autem iſtius ebullitionis eſt fermentum febrile & venenatum, hoc ſi aufertur, citiſſime & tutiſſime morbus profligatur: Hoc autem *nec purgantibus* fit, nec venæ ſectionibus, (*virium diminutionibus*) ſed ſpecificis *anti-febrilibus* (materiam febrilem figentibus) *diaphoreticis* & diureticis: quibus ſi ſuccenturiata adſint Alexiteria ſpecifica, non tantum omnium febrium malignarum, ſed etiam ipſius peſtis verum obtinetur alexipharmacum: Interea æſtus febrilis demulcendus ſpiritibus acidis Martis, Tinctura bezoartica, gelatina c. c. & eboris, ſuccis granat. ribium &c. Tinctura florum roſarum, violarum, borragicis cum ſpiritu vitrioli philoſoph. & momento ſpiritus rubi idæi paratо &c.

Quando in ſanguine propter vitioſam digeſtionem & fermentationem partes ſalinæ non ſpirituaſcunt, nec rite exaltantur, ſed crudæ & fixæ permanent, ſui juris fiunt & fluorem patiuntur, cruor non ſolum evadit ſpiſſus, *& circulationi ineptus*, ſed & acidus & *auſterus & acris* fit, vt inde corrumpatur, & coagulatus in viſceribus obſtructiones pariat, & cruditates tartareæ vndique congerantur, ex quibus malum hypochondr. ſcorbutus, arthritis vaga & fixa, nephritis, hydrops, lepra, & morbi plerique chronici oriuntur: In hac diatheſi vitioſa conveniunt quæ quod fixum eſt exaltant & volatiliſant, & in tota maſſa ſanguinea pneumatoſin promovent: In hoc caſu evacuantia ne hilum proſunt, ſed ſanguinem magis depauperando ſine medela vires atterunt: magis conducunt medicamina alkali volatili temperato ac nitri referta, qualia ſedum minus, fumaria, chamædrys, centaurium minus, chelidon. majus, cochlearia; & penetrantiores, *ſpiritus ſalis* Armoniac. ſalſus, c. c. fuliginis, *ſanguinis* humani, cruoris cervi, ſal tartari volatile, arcanum tartari cum ſale volatili viperarum, &c. habita circumſtantiarum ratione, egregii ſunt vſus: Huc etiam referenda Decocta ea radic. & herbis ſale volatili lixiviali impragnatis, adeo vt quo excellentiores hæ in hoc gradu ſunt, eo etiam facilius ac copioſius aciditates peregrinas in corpore noſtro corrigant: Martialia hic etiam ſpem faciunt optimam ſalutis, & ex Tartaro parata: hæc enim præterquam quod corrigant ac præparent in ſtomacho, digeſtionum fonte vitæque archivo, dictas aciditates, quæ alias in habitu corporis poſſent eſſe hoſtiles, Salia inſuper ſylveſtria acida in ſanguine imbibunt, præcipitant, & hinc inde obſtructa vaſa vna reſerant.

Poſitivo modo Præcipitantia operantur, dum ſpirituoſa ſunt, ſingularemque balſamicam vim obtinent, cujus beneficio fermentorum naturalium poteſtatem, & eorum innatam balſamicam ſalſedinem ita roborant, vt ipſa Natura ſic denuo contra cruditates inſurgere, eaſdemque

eaſdemque digerere ſive præcipitare aut ſeparare poſſit: Hoc modo debet operari medicina univerſalis, ſi quis illam poſſideret: aut in defectu hujus ſpiritus alii confortantes ad ſummam volatilitatem deducti. *Mauritius Hofmannus method. Med. lib. 1. cap. 19.*

ANODYNA, NARCOTICA.

(Vide *Hypnotica.*)

SYLLOGE.

Anodyna alia externa, alia interna. 1.
Externa agunt vel emolliendo. 2.
Vel affluxum humorum prohibendo. 3.
Vel digerendo. 4.
Nervina. 5.
Non omnibus partibus eadem conveniunt. 6.
Opium plus interne quam externe convenit. 7.
Narcotica quomodo auferunt ſenſum partis. 8.
Dolores quomodo tollunt. 9.
Anodyna & narcotica gradu tantum differunt. 10.
Quædam anodyna non æque narcotica. 11.
Narcoticorum virtus a ſulphure pendet. 12.
Opium inſigne anodynum. 13.
Dolores quomodo ſedat 14.
Fluxiones ſeri & ſanguinis ſiſtit. 15.
Humoribus tenuibus convenit, non craſſis. 16.
Non dandum ubi ſerum deficit. 17.
In malignis bezoardicis conjungendum. ibid.
Opium ſudoriferum optimum. 18.
Doſis ſit juſta. 19.
Uſus internus externo ſæpe præſtat. 20.
Vires conſtent. 21.
Frigida admota anodynum efficax. 22.
Præparatio olei e vitellis ovorum & amygdal. 23.

I. VT eo melius in horum recenſione progrediamur, neceſſe eſt præmittere diſtinctionem inter Anodyna interna & externa, juxta hunc enim applicandi locum variat utique etiam agendi eorum modus: Utraque quidem in genere ſunt tenſionem & vellicationem partium membranoſarum laxantia, ſed diverſo longe modo.

II. Externe enim id præſtant tum *Emollientia*, ὑγραντικὰ talia, ſeu mucilaginoſa, unde epithema euporiſton in omnibus doloribus conſit ex pane ſimilagineo, lacte, croco, vitello ovi &c. ſic & lumbrici vivi applicati dolores tum paronychiæ, tum alios partium nervoſarum inſigniter leniunt: qua ratione aliquando curavimus dolores dorſi maximos ſolis his contuſis & applicatis: Seu *aquea tepida*, calida & humida; Sic balnea, fotus, & topica ſimilia blando tepore laxant & digerunt, adeoque egregie demulcent: Sic *Hippocrat.* in dolore pleuritico lac calid. veſica exceptum lateri dolenti admovebat; licet enim non poſſit penitus liquoris virtus membranam hanc penetrare, attamen neque opus eſt eo, ſufficit enim blandum teporem hoc modo diutius continuari poſſe, & hinc diutius afficere ac demulcere partem dolentem: Seu *pinguia*, quod præſtant illa ipſa omnia, niſi quid applicationem eorum impediat; ſic unguent. anodyn. vulgatum ex meris pinguedinibus conſtat, ſic vitell. ovor. inter anodyna hæc merito refertur, Hinc in hoc omnes pinguedines conveniunt, & utramvis ſelegeris perinde fuerit, parvo habito ſelectu.

III. Tum *repellentia & affluxum humorum prohibentia*, quæ ut priora demulcent, ita hæc obtundunt ſenſum partis: huc pertinent omnia actu & potentia frigida, ut v. g. colicam applicata glacie curatam narrat *Bartholinus tract. de nive*, concentratur enim calor, & conſequens irritatio, & doloris intenſio remittit.

IV. Tum *digerentia*, quæ leni calefaciendi & diſcutiendi vi pollent, caloremque nativum roborant, & diſſlationem materiæ vitioſæ per poros apertos procurant, & hæc proprie ſunt *paregorica*.

V. Pertinent huc in ſpecie *Nervina*, quæ balſamica vi grata cerebro, & partem demulcent, & acorem ac acrimoniam præter nat. tollunt; ſeu *ſpirituoſa*, ſic ſpiritu vini ſolo dolores ſæpe abiguntur: ſic aqua magnanimi. ſpir. lumbricorum cum ſpir. vini, officium facit; Sive *oleoſa*, ſic ol. ſaponis Veneti, ceræ, caryophyllorum ſa...

VI. Sic membranoſis partibus & articulis magis proſunt ſpirituoſa & digerentia, minus pinguia, medio modo emollientia: Sic emollientia magis conveniunt ubi viæ ſimul laxandæ, ut in calculo & inflammationibus quæ ad ſuppurationem tendunt; digerentia & ſpirituoſa ubi magis diſcutiendum: Sic repellentia magis locis tutioribus & ſiccioribus, v. g. capiti, minus mollibus & humidioribus mammis. Cum itaque magna ſit horum latitudo, bene ſunt diſcriminanda, & pro partium & affectuum natura varianda anodyna, quo ipſo prudens Medicus ab empiricis & vulgo differt, qui adeo dum prodeſſe volunt longe magis nocent, Notabimus vero pro horum explicatione.

VII. Opium plus interne quam externe convenire, non quod in hunc modum non poſſit applicari, verum quia cauſam magis reſpicit priori illo caſu adhibitum; Et ſi inter topica ſimul recipitur, non alia ratione agit quam demulcendo, digerendo emolliendoque, partem effluviorum ſuorum cum ſanguine communicando: reliqua vero recenſita exterius magis communicantur.

VIII. Narcotica (præterquam actu frigida) non auferunt ſenſum partis extrinſecus adhibita; non repellunt, ſed diſcutiunt, emolliunt & digerunt; falſa enim fuit hypotheſis veterum narcotica frigida ſtatuentium, atque eorum applicatione ſenſum quaſi partis intercipi, auferri & emoti: quod contra eſt experientiam, hinc enim opium applicatum, & per 24. horas am-

pliuſque geſtatum, tantum abeſt vt ſenſum auferat, vt potius emolliat: Hinc hyoſcyamus quoque cum lacte coctus dolores ſcorbuticos eximie ſolatur, aſt emolliendi ſua & digerendi potiſſimum vi.; empl. de hyoſciamo vidimus inſigniter profuiſſe doloribus, diſcuſſiſſe, & pro re nata ſuppurationem promoviſſe: Par ratio eſt cicutæ, vnde fruſtra à quibuſdam objicitur Empl. de cicuta vſum non eſſe tutum in ſcirrho lienis, quod magis congelet: Eliminanda hinc illa hypotheſis toto Medico, & tamen negandum non eſt ſulphur, quod narcoticum vocant, in his ipſis reperiri, quod extrinſecus quoque cum ſanguine communicatur ex parte.

IX. Narcotica & Anodyna externa pere dolores, per accidens vigilias tollunt: ipſa vero, præterquam papaveracea, pro ſomno ciendo non ſunt in vſu æque, vtrumque vero opiata faciunt: Vbi enim dolores excitant vigilias, ita illis ablatis & ceſſantibus hæ quoque vna fidelia auferuntur; Aſt cicutam, hyoſciamum, mandragoram interius propinare nefas, gaudent enim ſulphure impuro, indigeſto, naturæ inimico, non blando: *Iam ad interna.*

X. Anodyna & Narcotica tantum differunt gradu, non vero omnia anodyna, nec narcotica ſunt hypnotica: Senſus enim ligatio, quæ proprie eſt narcoſis, ſi de internis medicamentis prædicetur, debetur ligationi ſpirituum animalium, quo minus influant, ſed vapore narcotico quaſi vinculo quodam detineantur, adeoque quæ interna ſunt anodyna, doſi aucta narcotica fieri poſſunt, & vice verſa.

XI. Attamen ſunt quædam anodyna quæ non æque ſunt narcotica, quæ nempe acrimoniam quidem humorum mitigant, & conſequenter dolores auferunt, & per accidens quoque interdum ſoporem cient, attamen ſomnum intentione primaria non efficiunt, e. g. ſulphura anodyna, vulgò narcotica dicta, metallorum & mineralium, quale carnium latet in cinnabari nativa, de qua effectus vidi aliquot notabiles, conquieviſſe inde dolores dentium, capitis, nervoſarumque partium allatum, vnde in omnibus doloribus gravioribus conveniunt cinnabarina, quæ tenſionem & vellicationem membranoſi generis tollunt, acoremque & acrimoniam, ſi qua adeſt, abſorbent & præcipitant, adeoque ipſis his ſunt convenientiſſima, v. g. arthritide, pleuritide, calculo &c.

XII. Vt de modo agendi ſomniferorum in ſpecie, ſeu Narcoticorum horum in genere, & inprimis opiatorum, melius conſtet, dicimus eum conſiſtere non in Sale, nec Mercurio, ſed ſulphure, & 1. quidem blando, 2. facile reſolubili: In ſulph. quidem, vnde inflammabilitate, pinguedine, odore &c. opii, croci & ſim. id patefit: item ab oleo, quod per deſtillationem elicere facile eſt; blando vero, vt removeamus omnia illa ab interno vſu quæ tali non pollent, ſed immaturo, indigeſto, fœtido, naturæ inimico; non obſtante quod hæc ipſa ſoporem, imo lethum inferre hoc ipſo apta nata ſint: Reſolubili vero, tum in ſe, tū ratione corporis: In ſe, quatenus vna gaudent vel ſale volatili, vt opium, crocus, vnde reſolutio eorundem in ventriculo, ſeu exhalatio, evaporatio citior oritur & facilis in ſanguinem communicatio; vel aquoſo vehiculo, vt emulſiones, ſpiritus vini; horum enim eſt hiſce potiſſimum duobus ſulphur reclu di, expandi & reſolvi, & conſequenter activitatem ſuam conſequi &c.

XIII. Nullum ex anodynis illuſtrius *Opio*, hoc omnium primum & vltimum, quo ſolo ſi noverit legitime vti contentus eſſe poteſt Medicus, vnde non injuria *Willis* medicinam non carere poſſe hoc aſſeruit: *Sylvius* dicere ſolitus eſt ſe malle non eſſe Medicum quam Opio carere, & *Platerus* dixit aliquando per hyperbolen ſe poſſe opio ſuo in vita ſerva e.. ta contractum, innuens nullum quaſi dolorem eſſe qui huic non cedat.

XIV. *Dolores* ſiſtit *Opium* non palliative, ſed revera, Nimis religioſi in hoc ſunt Medici quidam, qui ſemper cauſam, *cauſam* auferendam eſſe clamitant, & contra methodum eſſe ſymptomati dolori medelam præſtare opiatis, ad leve momentum duraturis; aſt omnino & acrimoniam humorum apprime demulcet opium, & in centro quaſi detinet materiem morbificam, ac naturæ requiem concedit: vnde quod non conſtanter æque & penitus dolores ſedat, id ipſum non tam medicamento quam copiæ & acrimoniæ materiæ morbificæ adſcribendum eſt, cui aliis quoque præſidiis ἀνταλλακτικοῖς ſubveniendum eſt.

XV. *Fluxionibus ſeri & ſanguinis* nil magis æque medetur ac opium: Hinc in hæmorrhagiis narium, vteri, ſputo ſanguinolento, diarrhœa, dyſenteria, febribus catarrhalibus incraſſat & coquit, moderaturque & reſignat, vt impetus humorum irruentium quaſi ſiſtatur ligeturque: Neque obſtat calidum eſſe Opium, cum hoc ipſum non primis qualitatibus, ſed ἰδιότητι τῆς μίξεως ſit adſcribendum.

XVI. Vti vero humoribus magis tenuibus, volatilibus, aqueis, acribus, fluxilibus convenit, ita craſſis, viſcoſis, pituitoſis, & fixis minus; illos enim magis compingit & incraſſat, hinc & in hydrope confirmato nocentiſſima ſunt opiata, & mors illis hoc ipſo maturatior, major enim eſt copia, major reſtagnatio, vnde in genere quoque notandum, Vbicunque magna eſt humorum copia & reſtagnatio, ibi opiata potius nocent quam proſunt, nam motum refrenant magis, non fluxiles reddunt: hinc in affectibus pectoris ſi copia humorum major bronchia pulmonum obſtruat, & expectorari geſtiat, e. g. in pleuritide, aſthmate &c. opiata ſuffocationem promovent: idem in tuſſi, doloribus ventriculi & aliis valet.

XVII. Vbicunque ſerum deficit, vel non dandum, vel nonniſi cum humectantibus: In malignis vero nonniſi cum bezoardicis: hinc in vigiliis ſenum fruſtra vſurpatur: (vide § .... *titul. de Hypnoticis*) In malignis vero omnibus, vbi dolor intenſior, fluxus gravior, operatur tuto & jucunde; Vbi vero vigiliæ ſolæ peccant, cum emulſionibus & bezoardicis aliis commode jungitur: Quin ipſum quoque inter alexipharmaca non infimum locum obtinet, exemplo theriacæ, elect. diaſcord. *Fracaſtorij* & omnium fere aliarum antidotorum, vnde & antidoti liquidæ, tincturæ & miſturæ bezoardicæ commode; ſed reſtacta doſi miſcentur cum anodynis.

XVIII. Opium optimum eſt ſudoriferum: Vix olim habemus tam certum, tam fidum, & propriè quaſi dictum diaphoreticum quam eſt opium, imo, *quæ verba ſunt Walæi m. m. pag.* 61. quod theriaca, quod mithrid. ſudorem moveant, hoc omne ab admiſto faciunt Opio, Expertus ego

ſum, *addit*, hæc duo electuar. abſque opio præparata ſudorem prorſus non moviſſe, Unde non ſolum ſi dicto modo cum aliis miſceatur ſudoriſeris illorum virtutem intendit, verum etiam per ſe datum vt plurimum blandum & roſcidum ſudorem conciliat, Adeo ex omnibus hiſce patet maximum reſpectum circa opiatorum vſum habendum eſſe ſeri, vt ſulphur ejuſdem reſolvi & in actum deduci queat.

XIX. Doſi præſtat deficere quam excedere, medio tutiſſimus ibis: Duas annotavimus in praxi neceſſarias eſſe circa Opii præbium diſtinctiones. *Inter doſin ordinariam & extraordinariam*, Opium ſibi relictum, nec additione non neceſſaria ſuperfluorum ingredientium diffuſius redditum, poteſt a tertia quarta, grani parte ad gran. j. ij. vel iij. commode dari ordinarie, & hoc modo officium abunde facit, modo gradus quoque ipſius indicantis & prohibentis reſpiciatur ſedulo: Vrgentibus vero doloribus, ſeu qualitate alia, nimis acri &c. conſuetudine & ſimilibus circumſtantiis variantibus, aſcendi poteſt longius, quæ extraordinaria non faciunt regulam 2. *Inter intentionem primam & ſecundariam*, Sic ſi ſolum dolorem, vigilias, fluxiones vrgentes ſiſtere velimus, majori opus eſt doſi, ſi in conſortium adſciſcamus alia, humectantia, adſtringentia, abſorbentia, febrifuga ante paroxyſmum &c. minori, acciſa, & quaſi dimidiata, vel tertiata, vt ſic dicam, doſi datur: Primaria intentione ordinarie circa noctem, & rarius, ſecundaria etiam aliis temporibus & frequentius, Natura enim hic quam maxime paucis contenta, vnde præſtat his bene & tuto quam ſemel male vti.

XX. Præſtat ſæpe vſus internus pro externo, Ibi enim eſt proxima ad illud actuandum via, hæc longinqua, minuſque tuta vel fida: Sic in doloribus dentium præſtat ſæpe interne adhibere pilulam opiatam quam ipſi denti, licet non credam æque ab vſu hujus, vti authores memorant, quoſdam mortuos: Sic opium in clyſteribus præſtat omittere, præcipue cum omnes clyſteres inteſtinis ſint peregrini, neque hoc modo humorum acrimonia vel dolor æque cedat, ex falſa hypotheſi activitatis opii enato errore: alias in emplaſt. & vnguentis tuto quidem adhibetur, ſed longe alia eſt ibi agendi ratio, vt ſupra dictum.

XXI. Viribus ſumme debilibus non conveniunt Opiata, Proſunt quidem vtique laſſis, dolentibus, & reficiunt debiles, ſed ſi ad ſummum deducta ſit debilitas, minus: ſic morte inſtante data eam accelerant magis: Sic nec partu inſtante, dolor enim ille potius eſt promovendus quam ſiſtendus, licet ex alio fundamento danda: Sic in ſpecie ventriculi imbecillitati cautius adminiſtranda; Deinde hoc quoque intelligendum eſt de doſi primaria, non item acciſa, quod ſi obſervatur, longe facilius reſtaurari queunt & recuperari vires reparato ſomno, delenitis doloribus, refracto humorum impetu: contra ſi exhauſtis ſpiritibus & conſumptis, reliqui, qui ſuperſunt, ligentur, ſtatim mors adeſt. *G. W. Wedelius de ſimpl. med. fac. pag.* 299.

XXII. Pro ſedandis maximis doloribus, vbi anodyna digerentia prius applicata nil profuerunt, veſica aqua frigida plena pars dolens velociter tangenda eſt, & ſine mora rurſus removenda, idque bis terve repetendum ex conſilio *Hippocr.* & *Sanctorii*: nam modicus torpor dolorem tollendi vim habet: Deinde in veſica commodius applicatur, quia membrum dolens ab humiditate non offenditur, quæ forte eſſet noxia.

XXIII. Oleum de vitellis ovorum & amygdal. dulc. non ex vitellis aut amygdalis combuſtis (quod nonnulli ſeplaſiarii faciunt, quo oleum copioſius & minori labore extrahere poſſint) ſed leviter calefactis ea qua par eſt diligentia extrahendum: His enim combuſtis oleum quidem facile, ſed ſordidum, fœtidum, & ad ſedandos dolores ineptiſſimum elicitur. *Fabricius Hild. l. de Gangræna c.* 24.

APERIENTIA.

(Vide *Obſtructiones lib.* 13. *& Præparantia infra.*)

SYLLOGE.

Aperientia volatilia modice craſſa ſint. 1.
Aperientia Abſorbentia & Reſolventia. 2. 11.
Indicans univerſale aperientis. 3.
Obſtructio viſcerum. 4.
Obſtructio vaſorum. 5.
Obſtructio meatuum. 6.
Concretum, Tartareum aperientia indicat. 7.
Humores & flatus, concretionem ſubeunt. 8.
Craſſum, viſcidum, tenax Aperientia indicat. 9.
Craſſi ſæpe latent humores etſi tenuium vrgeant ſymptomata. 10.
Acidum acre, auſterum, acerbum Aperientia indicat. 11.
Purgantia ſunt aperientia, Et his alternatim vtendum. 12.
Quem gradum caloris obtinent aperientia. 13.
Principia activa. 14.
Martialium vis unde pendet. 11.
Diuretica omnia ſunt aperientia. 15.
Vſum præcedant univerſalia. 16.
Non iis nimis inſiſtendum, præſertim volatilibus. 17.
Admiſcenda partem affectam reſpicientia. 18.
Dulcia minus inter aperientia conveniunt 19.
Gradus aperientium obſervandus. 19. 20.
Dulcia aperientia quando conveniunt. 20.
Cibis non commiſcentur. 21.
Obſunt in debilitate renum. 22.
Cavendum ne nimis exſiccent. 23.
Aſſumptis Chalybeatis deambulatio neceſſaria. 24.

1. EIdem fini debita ſunt *Aperientia*, *reſolventia*, *attenuantia*, *incidentia & abſorbentia*, quædam enim horum modum magis dicunt: Modus quippe agendi, & virtus conſiſtit principaliter in partium tenuitate. gaudent aperientia particulis incidentibus, acutis, penetrantibus, & ductus laxantibus, quibus motum humoribus fixis procurant, & vias per quas ipſis tranſeundum expediunt: Secundario vero modica craſſitie gaudere debent, ne tam facile virtus eorum exſpiret, vel diſſipent potius, quod faciunt

rarefacientia, quæ in ſuperficie hærentibus & poris magis ſunt dicata, vbi poros laxant & humores fundunt: Hinc amara magni æſtimantur inter aperientia, quia ob partes terreſtres ſimul roborant, Inſtar regulæ enim valet Aperientia optima eſſe quæ vna partes & villos roborant, nec tonum laxum inducunt.

II. Et hæc ſunt propriè dicta Aper. ſeu potius primæ claſſis, nempe *volatilium*. Sunt vero & præter hæc quæ *abſorbent* & *reſolvunt*, non ſua quidem vi, quod penetrent, tenuibus gaudeant particulis, ſed quod abſorbentia ſint, & coagulum illud quod humores quaſi figit, & plerumque acida, pontica, auſtera eſt qualitas, abſorbeant, vnde edulcantur quaſi humores, & conſequenter in alveis ſuis non reſtagnant, ſed promptè eunt ac redeunt, & vel circulantur vel excernuntur.

III. Indicans igitur apertionis vniverſale quaſi & commune (vaſis, poris obſtructis & materiæ obſtruenti) eſt 1. *Obſtructum*, adeoque hinc conveniunt aperientia, magna latitudine, omnibus obſtructionibus in genere. v. g. *Obſtructioni*. 1.

IV. *Viſcerum*, vt hepatis, vteri, renum, lienis, meſenterii, vbi notandum, Illa viſcera eſſe magis obſtructionibus obnoxia quæ pluribus gaudent vaſis, vt hepar & lien præcipue. 2.

V. *Vaſorum*, vt venarum & arteriarum, quæ inſtar canalium ſunt, vnde ſicut alias aquæ in canalibus, quos tranſeunt, materiam limoſam, qua ſcatent, ſenſim & ſenſim deponunt, & ad latera affigunt; ita etiam ſe res habet in vaſis, vnde videmus in iis qui obſtructa habent vaſa pulſum auctum, & citius moveri ſanguinem, quia ſpatium ipſi eſt anguſtius: Item *nervorum*, vt in *paralyſi*, vbi conveniunt aperientia nervina, quæ poros nervorum obſtructos expediunt. Item *vaſorum ſalivalium*, *lymphaticorum* &c. 3.

VI. *Meatuum*, vt pori choledochi, inteſtinorum, vreterum, &c. vnde conveniunt in ictero, colica, calculo: vbi obiter notandum *Omnes nephriticos eſſe etiam hypochondriacos*, ſeu abundare materia tartarea, ſeu obſtruente in ſanguine.

VII. ij. Aperientia indicat *concretum*, tartareum, quando humores ſalini, tartarei, terreſtres obſtructiones cauſantur, vbi propriè audiunt *reſolventia*: vnde in calculo, ſcorbuto, affectu hypochondriaco, vnice proſunt, ſive illa concretio & coagulatio ſit in *fieri*, vnde in grumeſcentia ſanguinis, palpitatione cordis, leipothymia, ſyncope, polypo cordis &c. conveniunt: Vel in *facto*, vt in abſceſſibus internis, pleuritide, abſceſſu hepatis &c. Item in caſu ab alto, vulneribus, interne; unde antipleuritica & traumatica pleraque ſimul ſunt reſolventia, & in pleuritide eadem conveniunt, quæ in caſu ab alto: Sic & reſolventia hæc hoc modo conveniunt in hæmoptyſi, juncta adſtringentibus.

VIII. Concretionem vero taliſmodi patiuntur & ſubeunt, vel *humores*, ſanguis, bilis, ſerum, urina, lac, quandocunque reſtagnant, & extra propriam quaſi ſphæram, vt ſic dicam, moventur, ſeu extra ſuum elementum verſantur: Vel *flatus*, vnde flatulentis quoque affectibus reſolventia ſunt optima.

IX. Aperientia indicat iij. *craſſum*, *viſcidum*, *tenax*, ſive id debile prædicetur, quando iners fit, naturam ſuam exuit, & acrimoniam ſalino ſulphuream, blandam, balſamicam perdit; ſive de pituitoſis, frigidis & humidis ſuccis, Vnde in anaſarca, catarrhis craſſis, cachexia, calculo glutinoſo, ventriculo pituita repleto &c. conveniunt; quo caſu audiunt ſpeciatim *attenuantia* & *incidentia*.

X. Viut vero ſæpius etiam tenues videantur peccare humores in obſtructionibus, v. g. ſcorbuto & affectione hypochondriaca, attamen illi in receſſu ſunt craſſi, Et præter partes ſalinas volatiles etiam aliæ adſunt; vnde omnium quantum variant ſymptomata, ſic & ſerum ſeu lympha, quandiu in propria ſua ſphæra & ſub caloris nativi dominio verſatur, tenuitatem præ ſe fert, quando vero excidit & elabitur vaſis vel è corpore, *craſſeſcit*, quod videtur in catarrhis. Sic conveniunt Aper. taliſmodi, in primis volatilia, in apoplexia, quando principium nervorum obſtruitur: in narium item obſtructionibus, febribus intermittentibus, orthopnœa &c. Et hoc caſu egregiè etiam ſe gerunt purgantia ipſa, quippe quæ omnia ſalino liquante & fundente gaudent ſtimulo.

XI. Aperientia iv. indicat *acidum*, *acre*, *auſterum*, *acerbum*, *ponticum*, quando videlicet acido extraneo quaſi fixatur ſanguis, quando auſteris particulis conſtringuntur ſucci, ut circuitus ſanguinis non legitime fiat, nec partes volatiles liberè commeent ac evolvantur, Et hoc caſu audiunt fere *abſorbentia*, ſaturantia, præcipuè antiq. Ex quo patet etiam vſus latiſſimus v. g. in affectibus capitis vertiginoſis, epilepticis, apoplecticis, paralyticis, proſunt aperientia & abſorbentia cephalica cinnabarina, inprimis quæ ſanguinem reddunt fluxilem, & ob hanc ipſam vim latiſſime patent, Et in affectibus articulorum, iſchii, vteri conveniunt: item ſalia volatilia, tum ſibi relicta, tum oleoſa magis reddita: Sic in affectibus hepatis & lienis, ictero flavo & nigro, ſcirrho, hydrope, cachexia, & maxime affectione hypochondriaca, & ſcorbuto omne eadem abſolvunt punctum, Si enim quæratur, *qua ratione agant Martialia*, & aperiant? optime reſpondetur, abſorbendo, non aliter ac ſpiritus vitrioli, nitri, ſalis, aqua fortis ipſa affuſa marti, acidas ſuas particulas infringunt, ſaturantur, dulceſcunt, & in vitriolum faceſſunt; Sic par ratio eſt in corpore, vnde & corallia à *Glaubero* laudantur ceu inſigne [illegible] in affectione hypochondriaca ad ℈j. vel ʒß. aſſumpta; Sic in affectibus tum his, tum nephriticis laudatiſſima ſunt eadem.

XII. Atque hæc ipſa aper. & in ſuo genere conſiderata, duplici agunt ratione, 1. *vel alterando*, vt corrigant ipſam materiam peccantem, & reſtabiliant ductus, meatus & vaſa; vel *evacuando*, quo intuitu etiam ipſa Purgantia optima ſunt aper. quia ipſa etiam [illegible] gaudent: Hinc regula practica eſt, *In obſtructionibus viſcerum non ſolum eſſe aperiendum, ſeu, non ſolùm inhærendum aperientibus, ſed & evacuandum*, vt id quod apertum eſt evacuetur, Et in morbis chronicis ac diuturnis interpolanda ſunt hæc ſibi invicem, 1. aperiendum, 2. purgandum, hinc iterum aperientibus continuandum: Hoc quoque obſervandum quod Aperientia purgantibus addita eorundem vim intendunt.

XIII. Ipſa vero Aperientia varii ſunt generis, eaque teſte *Montano* & experientia 1. in genere pleraque non excedentia ſecundum caloris gradum, 2. gaudeant ſimul ſubſtantia craſſa, roborante,

ſante, terreſtri, ne calor tam cito diſfletur.

XIV. Hinc principia activa in his prædominantur, in primis ſal fixum & Mercurialia, partes acicæ terreis immixtæ, ſuntque 1. v. g. *Acria*, ſive cum atomatica energia, ſive ſalis volatilis virtute, ut rad. v. aper. pimpinellæ, ari, plantæ anti ſcorbuticæ, ſinapi, coſtus arabicus &c. 2. *aromatica* & oleoſa volatilia, ut mentha, pulegium, cinnamomum, cubebæ, coſtus, macis, olea carminativa, ſalia volatilia, oleoſa, ſpiritus antiſcorbutici: 3. *Amaricantia*, radix cichorii, gentianæ, abſinthium, eupatorium, chamædrys, g. ammon. aloe &c. 4. *Acida*, ut cappares conditæ, ſpiritus ſalis volatilis, nitri, tartari, elyſſus antimonij, quæ inſigniter penetrant: ſuccus citri, cremor & cryſtallus tartari, acidulæ 5. *Aquea*, quæ diluunt, temperant & vehiculum præbent ſerum lactis, aquæ diſtillatæ. 6. *abſorbentia* ſua, lixiva & enixa, ut ſalia plantarum, tinctura tartari, quæ inſigniter abſtergunt & venatum amuricam expurgant; item *terrea*, tum *alcalina*, ut ceterach, hepatica nobilis, lapides cancrorum, corallia, tartarus vitriolatus; tum *vitriolata*, ut vitriolum, vitriolum martis, crocus martis aperitivus, limatura martis in ſubſtantia, tincturæ martis, Inprimis eorum ſelectiſſima remedia quaternatio numero comprehenduntur, & ſunt *Martialia*, *Tartarea*, *Vitriolata*, *Antimoniata*.

XV. Sic & *diuretica* omnia ſunt aper. quæ præcipue convaniunt ubi in gibba hepatis parte hæret obſtructio, & quando ſanguini penitius nuptum eſt malum.

XVI. Aperientia autem & Reſolventia magis ex uſu ſunt, *præmiſſis univerſalibus*, alias enim magis impinguntur humores quam extricantur tunicæ meatuum & vaſorum: hinc tum purgantia conveniunt, tum ipſa v. ſ. quæ in magna obſtructione ſæpe utiliſſima eſt ſi una vitium ſanguinis adſuerit.

XVII. Nec inſiſtendum unice eſt & continuo ſolis aperientibus præſertim volatilibus, ſed interponenda robotantia, alias tonus viſcerum labefactabitur, & corpus ad malum habitum præcipitabitur; hinc hypochondriaci ſæpe fruſtra iis utuntur ſi negligant ſimul tonica; Et longe magis errant qui ſpiritibus volatilibus continuo uſurpatis ſuperare contendunt obſtructiones.

XVIII. Admiſcenda quoque partem affectam reſpicientia, ut partium harum nativus calor conſervetur, ſic cephalica capiti &c. ſic ut ab obſtructione renum calculus generatur, ita eidem conveniunt aperientia, ſed ſimul coagulum reſolventia.

XIX. Dulcia minus inter aperientia conveniunt, vnde olim fere ſyrupis digeſtivis & aperientibus ſolis utebantur, & ordinem etiam aperientium horum obſervabant, exhibendo 1. ſyr. acetoſum ſimpl. 2. de 2. radic. ſine aceto, 3. cum aceto, 4. de v. rad. aperient. 5. byzant ſine aceto. 6. cum aceto; Ex quo elucet materia ſyrup. aperientium, ſinguli enim hi locum quidem habent & gradibus differunt, vti etiam.

XX. Gradus aperient, commode obſervandus, aſt ſoli rem non abſolvunt, ſed ſtant poſt principia, At nota circa vſum dulcium apet. 1. quod Dulcia eximie conveniant inter aperientia, ubi abſterſione opus eſt, in affectibus pectoris inprimis & ventriculi. 2. inter aper. præcipue locum habere ubi fermentatione ſanguinis opus eſt; vnde à quibuſdam obſervatum ſyrupos in obſtructionibus menſium inſigniter prodeſſe.

XXI. Dentur vacuo ventriculo, non cum cibis, nec poſt eoſdem ſtatim; in genere enim alimenta medicam. non confundenda, tum in ſpecie aper. quod in vaſa lactea chymum præcipitant, adeoque obſtructiones adaugent.

XXII. In renum debilitate non proſunt, eoſque nimio vſu lædunt, redundatque in eos ſeparatum & fuſum a ſanguine ſerum.

XXIII. Præ reliquis vitandum ne ſiccent nimis, vnde humectantia ſeu liquida magis diluunt & temperant, Et in hepatis, uteri, lienis affectibus maxime obſervanda; Sæpius obſervavi contumaces hypochondriacos, cum fortioribus & ſiccioribus aperient. fruſtra & diu fuiſſent vexati, optime habuiſſe ab humectantibus, unde Galenica cum chimicis commode miſcentur: hinc acidularum vis; quod ſalia reſoluta ſecum gerunt: Pilulæ vero magis conveniunt vbi humoribus excrementitiis viſcera magis abundant; Vt ſummatim hæc repetamus; *Aquea & liquida magis diluunt*, & temperant, *terrea* magis abſorbent; *ſalina* magis per urinam pellunt: *acida* magis incidunt; *acria* magis attenuant & reſolvunt: *dulcia* magis abſtergunt; Amara ſimul magis roborant. G. *W. Wedelius de ſ. m. f.* 42.

XXIV. In omnibus *medicamentis Chalybeatis* hoc perpetuo obſervandum, vt poſt eorum aſſumptionem deambulatione corpus exerceatur, vt hujus beneficio medicamenti vires in actum melius reducantur, ac in partes obſtructas tranſmittantur; Itaque deambulatio continuanda eſt per duas horas; Quibus tranſactis capiat æger juſculum in quo herbæ & radices aperientes nonnullæ decoctæ fuerint. *Riverius Pract. lib.* 11. *c.* 4.

APHRODISIACA.

SYLLOGE.

Aphrodiſiaca vel ſemen ſubſtantialiter augent. 1.
Vel ſtimulant (Opium eſt aphrodiſiacum) interius. 2.
Exterius. 3.
Flatus excitantia venerem non cient. 4.
In ſenibus quomodo ſtimulanda. 5.
Confortantia & leniter ſtimulantia aphrodiſiacis miſcenda. 6.
Impotentiam à faſcina etiam tollunt. 7.

I. APhrodiſiaca ſunt vel *roborantia*, ſeu *ſemen ſubſtantialiter* augentia, analeptica ſpirituoſa, & calorem nativum juvantia, alimenta ἐύχυμα, ἔυπεπτα, πολύτροφα: Ex medicamentis huc referri poſſunt quædam quæ γλισχρὸν & ſpumeum ſeminis characterem reſpiciunt, vt radix ſatyrii & alii bulbi, caput cynaræ; ſemen bombacis commendat *Hofmannus*; gallorum teſtes *Valeriola*, ambra. Et hæc locum habent in ſenibus magis, vel quibus debiles & pauciores ſunt ſpiritus, ut reconvaleſcentibus; ut enim concurrunt ad coitum fœcundum tum ſemen ſpirituoſum, conſiſtens, copioſum, & inde turgens quaſi, tum partium genitalium vigor, ita priori requiſito ſatisfaciunt potiſſimum jam dicta

II. Vel *ſtimulantia*, *interius* quidem quæ calefaciunt & acri oleoſo inprimis tale ſemen turgidius

ſpirituoſius & acrius reddunt, vt pruritum inde, *et aξιον.de* titillationem, ſeu rectius *ὀργασμὸν* facilius ſentiat, & caitum hoc ipſo affectet, partes vero muſculoſas & erectioni inſervientes roborant: Talia ſunt tum *aromata* omnia, & his confinia *balſamica, ſulphurea* & *aromatica*, cardamomum, cinnam. crocus, garyoph. &c. in ſpecie vero piper omne, hinc *Solenander* ſect. 4. conſ. 7. piperis ʒß. cum lactis ℥iij. & ſacch. ℥ß. exhibet: Imo ipſa etiam huc referenda opiata, ſeu ſola ſeu cum moſchatis & ambratis, v.g. in pilularem formam mixta: certum enim per experientiam Opium probatiſſimum eſſe aphrodiſiacum, & plus forte præſtare quam ullum aliud, eo magis laudandum quod & roboret, & ſtimulet, & ſpirituum diſſolutionem impediat. Tum *oleoſa* & *ſpirituoſa*, quæcunque enim calorem nativum, ſeu partea ſanguinis volatiles & ſulphureas intendunt, eadem quoque venerem ſtimulant, vel ſaltem contribuunt aliquid, vnde aqua magnanimitatis hunc cenſum ſubit; aqua vitæ ſatyriata, vitæ *Matthioli*, ol. cinnam. ambrata, moſchata, & ex zibetho parata, confectio alkerm. completa &c. huc faciunt: Tum *ſalina* & *acria* alia non aromatica, vti enim Venus ex mari ſallo genita fingitur, ita ſalina inſigniter quoque ſtimulant: Boracem commendat *Mercurialis* conſ. 48. l. 1. Ita quæ ſale acerrimo gaudent, in partes genitales liquabili, fortiſſime ſtimulant: vnde fortiſſimæ inter ſtimulantia hæc ſunt cantharides: ſic ipſa purgantia evadunt aphrodiſiastica ob ſtimulum hunc ipſum, Vide *Platerum* lib. Obſervat. Ab acrimonia enim medicamenti ob viciniam veſiculæ ſeminales facile irritari poſſunt. Vel *media*, pertinent enim huc quæ acrimoniam minus explicitam habent, & partim ad alimentarem claſſem, partim medicamentoſam referri queunt, v. g. boletus cervinus, quem pigriorem obſervavimus, priapus cervinus, ſcinci marini carnes: Inprimis memoranda chocoloda Inda, quæ & ſemen auget & ſtimulum addit.

III. *Exterius* itidem roborantia, calefacientia & ſtimulantia id præſtant, v. g. ex ol. nuc. moſch. expreſſo & diſtill. maceris, garyoph. &c. oleo formic. *Minſichbi*, additis caute cāthar. Zibetho membrum virile inunguut quidam; *Solenander* illitu fellis hircini feliciter vſus, ut & *Schenkius*.

IV. Communiter de aphrodiſiacis prædicari ſolet flatum eſſe neceſſarium ad Venerem: utut enim in pueris videatur à flatu erectio, ſeu diſtenſio penis obſervari, & hi ipſi per accidens concurrere poſſint, inter ea tamen nec poteſt nec debet referri: imo luſus eſt in voce flatus, quæ ſpiritus excitant venerem cient, adeoque ſemen turgidum reddunt, non item quæ flatus.

V. Non tam piperatis & acribus in ſenibus exſtimulanda Venus quam vitalem virtutem corpus ipſum reficientibus; fruſtra enim exſtimulaveris deficiens ſemen, quin in ſenibus exſtimulantia aphrodiſiaca ſæpe alvum laxant, ob eundem veſicularum ſeminalium cum inteſtinis conſenſum, vt hinc ridiculo effectu infelices amatores ſenes, aſſumptis talismodi confortativis fœda illuvie alvina non raro & ſponſam & lectum conſpurcent.

VI. Confortantia & leniter ſtimulantia aphrodiſiacis commode miſcentur, ita nempe ut & corpori lautius proſpiciatur, & medicamentis vitale robur confortantibus, non omiſſo leni ſtimulo id præſtetur, unde huc pertinet elect. diaſatyr. inprimis vero probata deprehendimus duo remedia, mixturam & analepticum, chocolada; fortius alterum, rotulæ confortantes *Minſichbi*, Imo obſervavimus ſola confortantia, ſine ſtimulantibus, & ſola ſtimulantia ſine confortantibus vix felicem effectum dediſſe: Lenia vero diximus ſtimulantia, qui enim improvide vtuntur canthar. ſtranguria & ardore vrinæ indicibili, & mictu cruento non raro afficiuntur, quorum remedium & antidotus eſt lac & emulſiones refrigerantes.

VII. Aphrodiſiaca etiam impotentiam à faſcino tollunt: Poſſunt quidem eo caſu miſceri & propinari ſeorſim quæ alias contra incantationes ſolent commendari, præcipue eſſentia hyperici cum eſſentia ſatyrionis ante diluculum ſumpta, item alia, vti multos reſtituit mictio ſuper ſcopas recentes, item per annulum ſponſalem, raſura cornu caprini aſſumpta, decoctum aquilegiæ, juxta *Hartmannum* ad eluenda genitalia: Sic etiam obſervavimus ſublatam urinæ miſſione per aſſeris ex reliquo trunco extruſum nodum: Item exemplum novimus, remedium *Carrhichberi* herbar. pag. probatum eſſe, quæ omnia ſano ſenſu poſſunt in vſum trahi: aſt ipſimet reſtituimus aliquot faſcinatos & ligatos hoc modo ſolis aphrodiſiacis, nominatim rotulis ſtimulantibus *Minſichbi*, & chocholada jam laudatis. *G. W. Wedelius de ſ. m. fac. p. 220.*

ARTERIOTOMIA.

SYLLOGE.

Tuto poteſt fieri. 1.
Quomodo ſecure fiat. 6.
Quæ arteriæ ſecari poſſunt. 2. 5.
An ad animi vſque deliquium licita. 3.
Arteriæ pone aures ſectio ſterilitatis non eſt cauſa. 4.
Facienda vbi os arteriæ ſubjectum. 7.
Ante apertionem in capite, videndum an fluxio per vaſa ſubcutanea fiat. 8.
An venæ ſectione efficacior. 9.
Cur. 10.
Si fiat ferro candente, eſchara caſus retardetur. 11.
Arteriæ dorſi ſectionis vtilitas. 12.

I. QVamvis hoc remedii genus noſtris temporibus ferè obſoletum ſit, præſtantiſſimum tamen atque vtiliſſimum eſt, omnis expers periculi: ſolâ enim ligaturâ impeditur ſanguinis arterioſi effluxus in minoribus arteriis: neque neceſſarium eſt emplaſtrum à *Galeno* propoſitum, ex bolo Armena, thure maſtiche, & pilis leporinis cum ovi albumine compoſitum, quod tamen ad majorem cautelam, qui hanc apertionem reformidant, in vſum revocare poterunt. Aperitur arteria temporum ut in phlebotomia, & ſanguinis impetu ac ſaltu proſilientis ℥vi. detrahendæ: Mox appoſitis ut decet plagulis deligatio facienda & per quatriduum detinenda: Nos illius vſu atrociſſimam hemicraniam curavimus, & nullum in ea arteriarum apertione invenimus periculum. *Lazar. Riverius Pract. lib. 1. cap. 16. Fruſtra*, inquit Paræus, *hactenus ſuſpecta fuit arteriotomia, quod prorumpentem inde ſanguinem ſiſtere, & quod cicatricem obducere ſit periculoſum, propter arteriæ duritiem ac pulſus perennitatem, & ob metum aneuriſmatis: ſed hæc eſt opinio hominum omnia tuta timentium;* nam diſtin-

diſtinguendum inter arterias majuſculas, quæ Medico vitandæ ob dicta pericula; & minuſculas, à quarum ſectione nihil imminet periculi: Imò de majori arteria ait Galenus lib. de r. m. cap. 23. *Quod contra aneuriſma cicatrice occludi poteſt, tota nimirum diſſecta; idque ipſam ſæpenumero inveniens ex ſanguinis profuſione diſcrimen ſuſtulit: clare enim apparet cum tota tranſverſim dividitur, revulſis utrinque partibus ſurſum, unam ſurſum, alteram deorſum concedere: atque id quidem & venis, verum moderate, uſu venit, ſed arteriis ſemper plus quam venis.* De difficili autem coalitu hæc habet ibidem, *Arteria natura difficultatem quidem durioris tunicæ conglutinandæ prorſus indicat, non tamen ejuſmodi quæ evinci omnino nequeat: neque enim ita eſt ſicca duraque ut os vel cartilago, imò longè his mollior ac magis carnoſa: Quo uſque animus de unienda ſectione ejus eſt deſperandus. ubi cum ipſa ſit parva, tum hominis corpus natura molle.*

II. Quæ arteriæ ſecari poſſint? Prima eſt *Frontalis*, mediam dividens frontem, ſuperius ut plurimum bifurcata, in medio unico trunco conſpicua, frequenter ſecatur ab Ægyptiis in cephalalgia diuturna. *Occipitalis* ſeu Pappi arteria, priori ad lambdoideam oppoſita, in iiſdem aperitur affectibus. *Temporum* arteriæ tutiſſimè inciduntur in variis capitis ægritudinibus: Implacabilem dolorem in ſiniſtra parte capitis nuſt unum conſilium ſuſtulit harum inciſione, decumbente ægro facta Apertionis *arteriarum poſt aures* meminit *Galen.* lib. de cur. rat. per s. m. c. 22. & Paulus lib. 6. c. 4. commendatur in Vertiginoſis & qui oculorum fluxionibus laborant. *Cauſas vero* ait Galenus 3. de loc. aff. c. 8. *Non omnes hujus auxilii beneficio fuiſſe ſanatos: etenim aliæ arteriæ ſunt majores ad cerebrum, ex ipſius baſi per retiformem plexum aſcendunt, per quas ejuſmodi affectionem fieri rationi conſentaneum eſt, elato per ipſas vaporoſo calidoque ſpiritu atque implente cerebrum: atque fieri etiam poteſt ut inæqualis cerebri intemperies hujuſmodi ſpiritum producat.* 5. *Inter pollicem & indicem* digitum quæ excurrit arteria, laudibus Galeni celebris, prodeſt in dolore hypochondriorum, qua jecur ſepto committitur: In palpitatione cordis ſaluberrimum præſidium vocat Septalius lib. 6. animadv. 171. & 172. Ægyptius hac apertione omnes internorum viſcerum dolores ſanare teſtatur Alpinus lib. de medic. Ægyptior. 2. cap. 12. *Malleoli* in confinio arteria ſecta prodeſſe creditur in Iſchiade. Ad cubitum data opera ſecare arterias nemo audebit; quamvis enim caſu fortuito, dum venam in cubito aperire tentaret Chirurgus, arteria inciſa, Galen. 5. meth. med. cap. 7. conſilio conſolidata fuerit, ideo tamen lib. de cur. rat. per s. m. cap. 23. periculoſam talem apertionem judicat, ob gangrænam & aneuriſma. *Relfinccius Meth. med. l. 4. ſect. 3. cap. 2.*

III. An uſque ad animi deliquium poteſt celebrari? partis affirmativæ ducem habemus *Aëtium* Tetrabib. 2. ſerm. 3. cap. 9. de arteriarum ſectione, *Convenit autem ſecare non obliquè, ſed tranſverſim uſque ad os, & membranam calvariam ambientem exactiſſime radere, & ſanguinis miſſionem uſque ad animi deliquium expectare, in quibus videlicet & vires robuſtæ ſunt & dolor vehemens, ſic enim ſæpius accideat ſymptoma &c.* Favet Galen. l. de cur. rat. per s. m. cap. ult. ubi refert ex ſectione arteriæ, inter indicem & pollicem, ſanguinem ita abunde exiviſſe ut quaſi æquaret libram, quam vacuationem ſubita ſequuta doloris extinctio, eductione ſanguinis arterioſi, calidiſſimi, tenuis & vaporoſi. Objicies, Etſi venæ ſectionem ad animi deliquium multa ſequantur commoda, arteriotomiam eadem ſequi non eſt dicendum, extracto enim in magna copia ſanguine arteriali, valde ſpirituoſo & caloris fomite, proculdubio magna imbecillitas ſequetur; adde quod prius vita deficiet quam ſuccedet utilitas è tali vacuatione. Reſp. Non eſt neceſſe ad arteriotomiam, deliquium inducentem, multum ſanguinem vacuari: cum enim arterialis ſit, ſpirituoſus, calidiſſimus & tenuiſſimus, ſi exeat vel in parva copia, animi deliquium inducit, quod pro termino hujus vacuationis præſupponit Aëtius, Non ergo vita deficiet priuſquam hæc vacuatio contingat. Nec negamus nimiam hanc vacuationem naturam diſſolvere, at ſectis parvis arteriis, in quibus non ita elaboratus ac ſpirituoſus ſanguis continetur, non ita debilitari vires certum eſt: & licet ita eſſet, auxilium tamen damnandum non eſt, Nihil enim eſt quod tam magnificè profit, quod aliqua ex parte non noceat. *Galen. 11. meth. 11. Zacutus Med. Princ. l. 1. hiſt. 43.*

IV. Quidam Patavij graviter ſauciatus, arteriis pone aures diſciſſis, reſtitutus binos ex eo tempore maſculos genuit: Venæ ſectionem poſt aures quidem ſuperiteram, at ſine ſterilitate tradidit Pr. Alpinus med. Ægypt. lib. ij. cap. 1. *I. Rhodius cent. 1. Obſ. 67. ubi plura in hanc rem.*

De apertione arteriarum carpi in rebelli capitis dolore & modo ſanguinem compeſcendi, vide Tit. de Hæmorrh.

V. In Cephalæa, Mania, Epilepſia, oculorumque & aurium inflammatione gravi Arteriæ ſecantur frontis, temporum, & quæ ſunt poſt aures, imo etiam arteriæ occipitis, ex eo quod omnes rami ſint carotidis externæ: In inflammatione Hepatis, atque Diaphragmatis, arteria aperitur quæ eſt inter pollicem & indicem: In palpitatione cordis, vel eadem aſſumi poteſt, vel ſaphena, Arterias alias aperire non licet, niſi os aliquod ipſi ſubjiciatur, ne aneuriſma oboriatur. *Idem ibidem*

VI. Arteriotomiam inſtituendi modus ab antiquis traditus, tam ſeverus & periculoſus eſt ut nullus recentiorum reperiatur cui non diſpliceat; imo in totum ex remediorum numero ejecta fuiſſet, ſi poſterorum miſericordia & diligentia alios modos non excogitaſſet: Soliti ſunt Chirurgi vinculum injicere collo, at conſtrictio hujus acrior cum ei valde ſit moleſta, ſub axillis ligaturam hanc fieri præſtat: Stricta hæc adeo ſit ut venæ jugulares arteriæque carotides, & intumeſcentia & pulſu ſeſe manifeſtent: pollice deinde comprimatur arteria, loco paulo inferiore eo quem phlebotomo incidere animus eſt; factaque apertione (quam magnam ac forti fieri neceſſe eſt) ſanguinis quantum ſufficit extrahatur: Peracta operatione pulvis adſtringens vulneri inſpergatur, mox linteum complicatum cum lamina plumbea apponatur, hinc faſcia commoda ſuperinjiciatur, & 5. aut 6. dierum ſpatio curatio abſolvitur. *Barbette Anat. Pract. c. x.*

VII. Arteriæ ſecantur in fronte, temporibus, occipitio, manu, pede: alibi nefas eſt aperire niſi os ſubjectum, habeant, ut poſſint arctè comprimi ad conſolidationem: Ideoque in corpore gracilento inopinatè ſecta arteria brachii poteſt ferruminari, ſi maturè & arcta faſciatione, ut decet, conſtringatur, ad evitandum aneuriſma. *Rielanus Encheir. Anat. l. 5. c. 6.*

VIII. Priuſquam de ſectione arteriarum in capite cogitetur ad fluxiones avertendas, non erit inutile experimentum *Al. Benedicti*, adminiſtrare raſo capiti ea medicamenta quæ epiphoras cohibent, à ſuperciliis vſque ad verticem: ſi ſicci oculi eſſe cœperint, apparet per eas venas, quæ ſub cute ſunt, oculos rigari: quod ſi madent, manifeſtum eſt humorem ſub oſſe defluere: Eſt autem memorata mixtura Rheumatiſmos ſuſpendens talis, vt ex farina ſimilaginis, manna thuris cum ovi albumine, addito chalcbanto & alumine ſciſſili, cataplaſma paretur ad vſum dictum. *Idem ibidem.*

IX. Arteriotomiam à veteribus in magno pretio habitam, è modernis nonnulli adhibent, ejuſque vſum valde prædicant: Attamen, quoad noſtræ obſervationi conſtitit, ἐγχειρήσει iſti ſucceſſus ita decantatus ſæpiſſime defuit: Nec mirum hoc, quoniam ratio iſta cui veteres innixi Sanguinem *arterioſum* à *venoſo* diverſum & magis effetum culpabant, proindéque emittendum conſulebant, non omnino tenet; Nec quidem alia ſubeſt ratio quamobrem ſanguis ab arteria potius quam è vena juxta locum dolentem detractus levamen conferat, ſed potius è contra majus auxilium à venæ ſectione expectare liceat, quoniam arteria inanita nihil à parte affecta incipit detrahitque; vena autem ſecta, loco ſanguinis effuſi è tota vicinia exhaurit, & ſæpe cruorem, aliuſque humores prope morbi nidum congeſtos & ſtagnantes reſorbet & circulationi reddit: Vtcunque ne ab antiquorum praxi nimis recedamus, Arteriotomiæ nihil tribuentes, eam aliquando forſan, licet non immediate & cauſaliter, ſed tantum conſequentia, & per accidens juvare concedimus, in quantum ſcil. arteriæ diſciſſæ fines coaleſcunt, ita vt ſanguini tranſitus hac via impoſterum præcludatur, hinc cum paulo minor ſanguinis penus verſus locum per arterias provehatur, & par vſque per venas auferatur, proinde interdum accidat materiæ morbificæ fomitem minui ejuſque mineram paulatim abſumi: ob hanc rationem adminiſtratio iſta in ophthalmicis non raro feliciter ſuccedit: Porro praxi non huic abſimili veterinarii ad curandos in equorum tibijs tumores ſæpius vtuntur, nempe arteriam, qua materia ad partem affectam confluit, excipiunt & ligant, interim quæ impacta fuit, partim evaporat, partimque a vena reſorbetur: Eandem fere methodum ab Harvæo noſtro pro curandis etiam in corpore humano tumoribus ſtrumoſis ac ſcirrhoſis non ſine ſucceſſu tentatam audivi. *Willis.*

X. Quæ cauſa ſit quod Arteriotomia inveteratos alioſque affectus citius venæ ſectione tollat, author *Galen. de Anat. vivorum cap.* 28. has reddit, 1. quia arteriæ omnem omnino diſtribuendo expellunt ſanguinem, venæ non item, 2. quia arteriæ velocius evomunt quod habent, 3. his velociter evacuatis vacuatio citior veniarum ſequitur, 4. apertæ non à ſanguine proſiliente vt venæ mox occluduntur, 5. à flatulento & calido ſanguine arterioſo plurimi producuntur & foventur morbi, 6. Natura omnem ſarcinam per arterias expellit & ejicit, 7. manifeſtius refrigerant evacuatæ, 8. promptius calor ad partes emaciatas & refrigeratas moderatus adduci & derivari poteſt.

XI. Arterias ferro candenti tutius eſt dividere, aliter enim periclitatur incompeſcibili fluxione laborans: Neque ſilentio prætereundum eſt hac in parte non licere Chirurgis in arteriarum vſtione his quæ eſcharam protinus auferant (vt in aliis vſtionibus) vti, antequam ex toto coaleſcant arteriarum foramina: nam butyro & aliis quæ hunc v[illegible] præſtant facile eſchara diſſolvitur ante arteriarum occluſionem. & ſanguis inevitabiliter profluit: cavendum igitur eſt tanquam à majori malo. *Mercatus de Ind. med cap.* 4.

XII. Quoniam Arteriæ quædam per Dorſum prope ſpinam excurrentes micant, vt notat *Avicenna l. 3. Fen. 13. tr. 1. c. 1.* non alienum à ratione videtur vt hæ aperiantur in his quibus atrabilis flatuoſuſque ſanguis plurimum redundat ac fervet, ſicut N. cui arteria magno cum diſſolutu ad ventris imi regionem appoſitam manum pulſabat, dolores hæmorrhoidum velut flammeos atque exulcerios multos annos paſſo, In his quis ambigat *dorſalem* pro æſtu illo levando arteriam hanc pertundere: Vt apparere vas poſſit, ſit homo ſecundum abdomen extenuatus requirit. *P. Iac. Steve comment. ad lib. 2. Epidemic. ſect. 1. Severinus Med. Effic. pagin.* 45.

ARTHRITICA.

(Vide *Arthritis lib.* 1.)

SYLLOGE.

Reſpiciunt vel Serum. 1.
Vel nervos. 2.
Vel dolorem. 3.
Tonus articulorum ſervandus. 4.
Articulis & viſceribus ſimul conſulendum. 5.
A topicis ſæpe exaſperatur malum. 6.
Agrippæ *remedium, ſanati cruribus immerſis in acetum cal. an imitandum?* 7.
Emplaſtica quando juvant. 8.

I. ARthritica generaliter hic dicuntur quæ & arthriticis conveniunt, & aliis articulorum affectibus: Cum vero ex eodem quaſi ovo proſiliant, & mutuo ſeſe excipiant, calculus, arthritis & affectus hypochondriacus, facile etiam fuerit arthriticorum naturam pervidere, ita enim & nephritica ſunt arthritica, & hypochondriaca ſunt arthritica: hypochondria ſuggerunt, renes coagulant, articuli recipiunt, vnde patet agendi horum modus, Reſpiciunt ſcil. *Arthritica* vel *Serum*, cujus vitium ſane maximum in arthritide, & huic affinibus affectibus ſpectandum eſt; talia ſunt 1. *univerſalia, evacuantia & divertentia*, per alvum vrinam & habitum corporis, ſine quibus feliciter mederi non licet, inprimis diaphoretica nobiliſſimos arthriticis afferunt vſus, & vnice quaſi opem ferunt: Tum 2. *particularia alterantia*, vt quoad *quantitatem*, leviter *abſumentia & exſiccantia*, & ita defluxiones divertentia, ſic china &c. commendantur: item quoad *qualitatem*, ejuſdem ſalſedinem, acrem, acrimoniam, ſeu *temperantia & diluentia*, aquea & ſubſtantiſice humectantia; Seu *invertentia & abſorbentia ac præcipitantia* varia; conveniunt ſemper arthriticis omnia *aperientia*, *viſcerum depurationem*, λοχίων & *tonum* reſpicientia, inprimis *Martialia*, & ipſa quoque *anti ſcorbutica*, Hæc quippe cauſam antecedentem & foventem, ſalia acetia tollunt, & proventum ſeri balſamici, ſuavis ac dulcis procurant: Hoc niſi obſervetur fruſtra omnis arthriticorum eſt curatio, & in hoc præſtivam

&

& curatio eorundem verſatur, conveniunt vero hæc ipſa in arthritide, dolore iſchiadico, podagra, chiragra, defluxionibus catarrhalibus & ſimilibus. Tum denique 3. *reſolventia*, fluxilitatemque ſero fœnerantia, vti præ aliis ſunt cinnabarina, quæ coagulationem maxime prohibent, & tum alias, tum præcipue hoc caſu fluxil. reddunt ſerum; Conveniunt vero hæc, vt & externe *Mercurialia*, apprime in doloribus articulorum, & aliis a lue venerea oriundis, vbi emplaſt. de ranis cum Mercurio prodeſt.

II. Vel *Nervos*, quo *membranas*, *ligamenta* & *fibras* referimus, quæ ſcilicet ab affluxu humorum inſenſorum patiuntur, debilitantur, irritantur, & talia ſunt eadem quæ ſub cephalicis recenſita, adeoque omnia cephalica ſunt etiam arthritica, ob communionem generis & inde ductam originem: Inprimis vero arthriticorum titulum, quæ articulis & juncturis quaſi proprie debentur, ſubeunt 1. quæ *ſulphure balſamico*, *oleoſo*, *ſuavi* & *roſcido* pollent, ut celebria ſunt chamædrys & chamæpytis, roſmarin. ſalvia & gummata, vnde huc pertinet galbanetum. Paracelſi, caſtorium, euphorb. Nec obſtat hæc non æque omnia promiſcue ob caliditatem arthriticis convenire, nam ob affluxum humorum, & calorem inde ortum, illis quidem, in paroxyſmo præſertim fere primo loco chamædr. & chamæp. ex vſu ſunt ſolum: ſed cum ligamenta & nervi ſint frigida, hinc in aliis caſibus articuli etiam omnino talia quandoque expoſcunt: Conveniunt enim talia, præter arthritidem, etiam paralyſi, atrophiæ, *vulneribus articulorum & nervorum*, & inprimis *ichori vlcerum ſeroſo*, quem non tam adſtringentibus debere vel poſſe curari, quam partem roborantibus, vt nutrimentum parti debitum in actum deducatur, experientia practica teſtatur: *Contractura* quoque & *debilitas partium a vulneribus*, *fracturis &c.* his nervinis auſcultant: Imo vlcera ipſa ſæpe prius non ſanantur quam tonus partis affectæ talis modi nervinis reſtituatur. 2. Quæ *ſulphure fixo*, naturæ amico pollent; quæcunque enim ſymptomata in genere à ſalinis ſpiculis, acribus, ſalſis, acidis exſurgunt, in ſulphurea viſcoſitate, demulcendique amica naturæ vi ſolatium inveniunt, ſubeunt hunc cenſum, inprimis cinnabarina, quæ & partium omnium nervoſarum dolores omnes vnice ſolantur & reſpiciunt, & inprimis quoque articulorum cruciatus, præcipue ſi maritentur cum opiatis: Hæc itaque & quatenus ſerum reſpiciunt & qua dicto ſulphure pollent, arthriticis conveniunt. 3. Cum vero & *Salia volatilia ſulphure polleant oleoſo*, ipſa quoque interius eo nomine commode adhiberi poſſunt, & exterius, vt in hæc tum ſpirituoſa volatilia officium faciunt; hinc ſpirit. c. c. ſalis armoniac. item debito modo adhibi. in juncturas ſolatur, Sic aqua magnanim. ſeu ſpiritus formicarum, eo caſu conſulto adhibetur exterius: præcipue vero huc pertinent lumbrici, qui in ſubſtantia gaudent mucilagine ſuavi, partibus volatilibus ſalinis intertextis, hinc in ſubſtantia partes nervoſas demulcent contriti adhibiti in potionibus, & exterius appoſiti ſemper fere fecere officium; præcipue hinc laudantur in arthritide vaga ſcorbutica. Conveniunt vero hæc in doloribus & anxietatibus, & præcipue arthritide, podagra &c. & inde ortis pavoribus.

III. Vel *dolorem* ipſum *vrgentem* reſpiciunt, à tenſione & vellicatione membranarum oriundam; tum interne laudatæ jam emulſiones, item cinnabarina & anodyna officium faciunt, ſi præſertim fonti ipſi vna, nempe viſceribus depuratoriis, & ſeri acrimoniæ aliis fuerit proſpectum, tum *externe*, inter quæ miſſis reliquis omnibus ſola nominamus 1. *Paregorica*, ſic topica ex lacte dulci, ſimilagine, croco, &c. laudantur & fotus ſimiles alij. 2. *Nervina* ſpirituoſa, ſulphurea & vrinoſa, Nervina enim reliquis omnibus vnice præſtant inter topica arthriticorum, vnde non ſolum in quibuſdam caſibus recenſita nervina vegetabilia locum habent, verum etiam inprimis e lumbricis & formicis parata, vti ſunt laudati ſpiritus, lumbric. volat. aqua magnanim. ſpir. c. c. ſalis armoniac. oleum ſaponis &c.

IV. Hoc vero primo notamus Tonum articulorum conſervandum eſſe, hinc calida & ſicca nimis medicamenta interna, ſerum nimis exhaurientia, vti in nephriticis & calculoſis, ita etiam in arthriticis ſunt vitanda. Seri nempe proportio eſt obſervanda, non exhauriendæ partes tenuiores relictis craſſioribus, non ſeroſæ, quæ vehiculum quidem ſunt, aſt vna frænum bilis, relictis ſalinis acribus: Hinc maxime peccant qui ſolo ſudore, ab externis impellentibus profecto, v.g. balnei &c. calore, omiſſis internis impellentibus ſpecificis audent curare arthriticos.

V. Non articulis autem ſolum medendum eſt, non conſiderato toto; neque ſolis viſceribus relictis articulis, Cum enim recipiant & luant totius vitia, hinc fruſtra, quæ vulgi eſt opinio, curatio fit niſi tollatur ſalina acrimonia; niſi fons, vt ſic loquar, obſtruatur, vnde fruſtra ſunt omnia ſæpe topica, neque vlla conſtans ſolatium afferunt: Videndum tamen vna eſt vt nec ipſi negligantur articuli, ſive frigore externo, vel venere, vino & aliis lædantur magis.

VI. Quoad externum vſum, notamus in genere axioma practicum, Localia ſæpe exaſperant dolores & morbum; quatenus non tam demulcent materiam impactam, non tam archeum ſolantur afflictum, quam accumulant majorem mali cruciatum, vt, licet videantur quandoque miteſcere ſymptomata, atrociores tamen hinc accendantur dolorum faces, vel alia inde emergant; Imo hinc quæ vna vice proſunt, altera nocent, adeoque quædam loco defenſivi & roborantis adhiberi poſſunt, quędam conſultius omitti.

VII. Hinc locum non habent in articulorum doloribus repellentia, ſive adſtringentia, ſola aquea, ſive potentia, debilitant enim magis partem, & nervis ac articulis ſunt inimica, quod de ipſis acidis quoque eſt intelligendum: Vnde quod *Plinius refert lib. 23 cap. 1. M. Agrippam* demerſis in acetum acidum cruribus in acerrimo morbi impetu, à dolore pedum, quem perpeti non poſſet, evaſiſſe, non facile imitandum eſt.

VIII. Vnctuoſa & pinguia emplaſtica locum quidem habent in quibuſdam recenſitis articulorum affectibus, v. g. ichore vlcerum ſeroſo, dolore è lue venerea &c. minus vero in arthriticis: [illegible] frequenti experientia edocti ... vngu. empl. & ſimilia plus damni dediſſe podagricis, ... plures ex arthritide vaga hoc modo ... plurimi tophos: Hinc & ipſe *Galenus* 4 *m.m.c.* 3.

tophos in articulari morbo produci recte ſcribit ex humore glutinoſo & craſſo, quando is non paulatim eſt digeſtus, ſed violentis remediis totus ſimul ſiccatus, Ex Fernelius *Conſ.* 12. geminari inde dolores obſervat. *G. Wolfg. Wedelius de ſ m.fac.p.*121.

B A L N E A.

SYLLOGE.

Balneandi ratio diverſa pro diverſitate affectuum &c. 1.

Corpus quomodo exſiccandum in exitu. 2.

Caput accuratius exſiccandum quam reliquum corpus. 2. *a.*

Cibus quando porrigendus illi qui egreſſus eſt. 2. *b.*

Quibus affectibus proſint. 2. *c.*

Quibus noxia ſint. 2. *d.*

Efficacia ad totius vacuationem. 2. *f.*

An non prius ab uſu deſiſtendum quam morbus omnino deſierit. 3.

An tamdiu lavandum donec cutis exulceretur. 4.

Quot horis lavacro immorandum. 5.

Balnei ratio pro iis qui lecto egredi nequeunt. 6.

Calidioris noxa & correctio. 7.

Ex intempeſtivo graves morbi. 8. 2. *d.*

Ventriculus quomodo præſervandus à noxa. 9.

Thermarum abuſus noxius. Noxia arthriticis, 10.

Balnea ſicca quatenus conveniunt. 11.

Vitanda ſunt graſſantibus morbis epidemiis. 12.

Non adſtringunt. 13.

Non conveniunt ubi ſerum prædominatur. 14.

Cũ ſalinæ particulæ intra viſcera latent, thermæ ſunt noxia. 15.

Sulphurearum inſignis efficacia. 16.

Ab iis abſtinendum ſi ſint graves obſtructiones in hypochondriis. 16.

I. Balnea ut, ſi quis recte iis utatur, ſunt utiliſſima, ita ſi quid deerit periculoſa. Quidam enim balneantur blandius, quidam vehementius, aut, ut ita dicam, durius: Qui blandius lavantur, non largiter & vi quadam affuſa aqua, ſed parcius & veluti tantum admota lavantur, ipſi quidem nihil agentes, ne vociferantes quidem, ſed omnia peragentibus miniſtris, neque fricantur, neque ſtrigili ſiccantur, ſed admotis ſpongiis aut linteis, & per brevem viam ducuntur ad ſolium aquæ, eſtque (ne quid laborent) facilis aditus & exitus balnei: Lavantur vero ita qui cum magna extenuatione, ut hectici, aut ægrotantes morbo acuto, ut peripneumonici, aut pleuritici, aut ardente febre laborantes: neutri enim horum laborare plurimum poſſint: Alij in Balnea deſcendunt robuſti adhuc, neque ægrotantes acute, ſed ob morboſos quoſdam apparatus, aut diuturnas paſſiones: hi diutius lavantur, aqua in eos large & violenter infunditur, & ipſimet ſeſe lavant, & manibus fricant: longa an brevis via ad balneum ſit, facilis an difficilis aditus & exitus nulla cura eſt, & fricantur in balneo (fortiter præcipue qui ob ſcabiem, aut lepram, aut cutis vitium lavantur) ſmegmate aliquo, ſeu medicamento extersorio, aut fricatorio, ut ſapone, aut furfuribus, aut farinacea faba: quibus quidem medicamentis qui debiliores ſunt non debent uti, ſed lotione ſola & inunctione ex oleo: Quod ſi ſimul cum deſiccatione corporis, aut morbo acuto, accedat affectio aliqua cutis, aut ob ſorditiem cutis ex ceratis aut cataplaſmaticis quibus antea quis ſit uſus, opus ſit deterſione quapiam, ea fiet moderate pauco ſmegmate, & eo diluto, ut pro ſapone ejus ſpuma ex aqua. *Valleſius comm. in lib. de Vict. Acut p.* 137.

II. Antiqui in Balneis uti ſolebant ſtrigilibus duris, ex lapide aut metallo quopiam, ſicut nunc iſtis lignis ad extergendas ſordes: In his vero quos duriter fricare timemus, & quæ blandius tractari debent, ſiccare oportet corpora admotis ſolum ſpongiis, aut linteis, neque his ſumme ſiccare oportet, ſed nondum valde ſiccum inungere corpus, oleo ſc. communi, quo in poſtrema Balnei parte utebantur, ne recens rarefacta à Balneo læderentur ab aere corpora. *Idem pag.* 39.

II. *a.* Verum etſi reliquum corpus exacte ſiccari nihil intereſt, caput ſiccari debet quam maxime poſſit, & ſpongia extergi, quia ſi quid humoris in capite relinquatur, catarrhi inde eveniunt, qui in omnibus morbis hujuſmodi ſunt periculoſiſſimi: Eadem ratione, caveri debet ne refrigerentur extrema, neque caput, neque reliquum corpus: *Idem.*

II. *b.* Neque mox ab accepto cibo, ex *Hipp. l. c.* uti oportet Balneo; neque mox à Balneo accipere cibum: quia ſive recens accepto utaris balneo, ſive antequam motus Balnei conquieverit accipias, cibus diſtribuetur intempeſtive, & coquetur male, naturali calore cum ſanguine verſus cutem revocato: Neque ſolum à Balneo totius corporis abſtinendum ab accepto cibo, ſed & partis cujuſpiam: Non enim mox ab accepto cibo utendum *capitis* aut hypochondriorum irrigatione, in quibus morbis iis utimur, niſi raris quibuſdam paſſionibus; Ut cum caput irrigamus conciliandi ſomni gratia: tunc enim à cœna vix devorata lavamus, nimirum ut id ipſum fiat, quod in aliis ægrotis timemus, repleatur ſc. caput: Eadem ratione licet areſcentibus dare, vix dum à Balneo egreſſis, quin & in ipſo Balneo lac, aut ſuccum alium humectantem, & mutationis facilis: quia enim mutationis facilis eſt, non lædit etſi propere diſtribui, & cito multumque diſtributum imbuit corpus penitius, humectatque magis. *Idem pagin.* 140.

II. *c.* In quibus affectibus proſit Balneum oſtendit Hippocrates l. c. *Congruit omnino magis in Peripneumoniis quam in febribus ardentibus; etenim mitigat dolorem lateris, pectoris & dorſi. ſputum maturat & educit, & facilem reſpirationem facit, & laſſitudines ſolvit; emollit enim etiam articulos, & cutem extremam, & urinas ciet, & capitis gravitatem ſolvit, & nares humectat: Bona igitur Balnea ut ſunt quibus omnibus eſt opus: Verum ſi in præparatione deficiat unum quodpiam, aut multa, periculum eſt ut balneum non proſit, ſed magis lædat; Unumquodque enim ipſorum magnam læſionem affert non præparatum à miniſtris ut opus eſt*: Dicit congruere in *Peripneumonia* magis quam in *febribus ardentibus*, quia calidum cum ſit & humidum, maturat ſputum, & educit, atque ita tollit dolorem lateris &c. quæ omnia ad peripneumonias ſunt apprime neceſſaria: Sed cur ad peripneumoniam meminit doloris lateris? Suſpicor hic peripneumonias vocare non pulmonis ſolum inflammationem, ſed omnem intra thoracem conſiſtentem, ob commune accidens difficilis reſpirationis, ac proinde uſum eſſe voce multitudinis, dicentem, in *peripneumoniis*: Sed dices: Si

Balneo

Balneo non eſt vtendum in iis quibus multitudo, aut magna cacochymia, aut ad fluxiones magnus apparatus, aut interna inflammatio, quo pacto poſſit congruere peripneumoniæ, cui certe ea omnia adſunt? Non profecto antequam fluxio ceſſaverit, & maxima pars copiæ miſſione ſanguinis, ac forte etiam pharmaco evacuata ſit, & tumor ſubſidere inceperit; tunc enim fluxionis periculum deſinit, & concoquendi ac exſiccandi neceſſitas inſtat: Cum itaque inflammatione in parte aliqua interna conſiſtente Balneum denegat *Galenus*, æquum eſt intelligere ante inflammationis inclinationem, voco autem nunc inflammationis inclinationem, eam quæ eſt ipſius intumeſcentiæ: tunc ergo vtilius eſt peripneumonicis quam *ardente febre* laborantibus.

Non quod his quoque vtile non ſit ſi tempeſtive ſuſcipiatur, puta magna parte excrementorum vacuata, & ſuccis jam coquendis, ſed quod plures vtilitates peripneumonicis præſtet: Illis enim reliquias ſuccorum in venis coquit, calorem temperat, & quaſdam evacuationes, ſi fiant, promovebit; his præterea & ſputum maturat, & educit & ſpirationem facilem reddit, mitigat dolores pectoris, & laterum & dorſi.

Solvit præterea Balneum *Laſſitudines*, nam emollit articulos & cutem extremam laxat: quare ſive ſpontaneis, ſive non ſpontaneis laſſitudinibus quis teneatur, nulla ratione melius ſibi proſpiciat quam Balneo, niſi tanta multitudine aut cacochymia teneatur vt opus prius ſit mittere ſanguinem aut expurgare: velut ſi quis ex longo itinere laſſatus veniat, ſi multitudine ſe ſentiat laborare, benefecerit emittens ſanguinem prius, deinde balneo vtens; aut ſi ſimul bilis aliquid quod notatu dignum ſit collegerit, aliquid etiam ante balneum accipiens cibi levioris, qui alvum leviter ſubducat, vt caſſiæ fiſtularis. Si autem nihil horum habeat, Balneo recreabitur: Quod ſi neque tantam multitudinem cacochymiamve ſentiat vt illis vacuationibus cogatur vti, neque tam exiguam vt in Balneum audeat ingredi, in ea hæſitatione ſatis ſit abſtinere ab vtriſque, & à victu attemperante & quiete ſola remedium petere: Ita & qui ſponte laſſatum ſe ſentit, ac proinde morbum timet, niſi multitudinem aut magnam cacochymiam ſentiat, & alioqui lavari conſueverit, balneo ſe poſſit præſervare: alioqui manifeſtis evacuationibus debet vti præcautionis gratia: vterque tamen ſi multitudine, aut magna cacochymia laborans balneum ingrediatur, morbos ſibi fecerit, in quos fortaſſe alioqui non incidiſſet plenus, fluxiones multas, atque ita fortaſſe periculoſas inflammationes: cacochymus, rigores noxd inde & febres putridas: Vnde fit vt cum Laſſitudine Phlegmonoſa nunquam ſit in balneum eundum, ſed ſecandum venam prius: cum Tenſiva aliquando, cum Vlceroſa autem ſæpius; ſemper autem quibus dictorum nihil magnopere ſubſit, & conſuetudo ſit lavandi.

Vrinam & ciere dicit *Hippocras.* Balneum; quæ verba aut ſeorſim accipi poſſunt, aut quaſi ea verba antedictorum cauſam contineant. nam Balneum vrinam ciere poteſt, & Vrinam ciens laſſitudines ſolvit; nam vt *aphoriſm.* 74. *ſect.* 4. dicitur, *Vrina multa & craſſa in febribus quæ laſſitudines comitantur fieri ſolet, & liberare abſceſſu in articulos*: Eadem ratione ſolvet Laſſitudines & faciet plurimum ad articulorum emollitionem: Ciet vero Balneum vrinam laxans vias, & liquans ſuccos, atque ita faciens exire ſi quid obturet.

Capitis etiam *pravitatem* ſolvit, & *nares humectat*: conſtat vero narium humectationem deſiderari in iis ſolum quibus ſiccæ ſunt plurimum: quibus ſi caput conſtat, conſentaneum eſt narium humectatione ... ita, nam evacuabuntur doloris cauſa: humectantur vero quæ ſiccæ erant nares, cum quod crudum erat coquitur, quod concretum ... tur, quod ſi cum humectatur quod aſtrictum laxatur; hæc vero facere natum eſt balneum: Vt ergo pectoris dolorem ſolvit educens ſputum, ita ... dolorem capiti humectans nares: Hæc omnia bona præſtat Balneum, verum eſt periculoſum auxilium ſi quid eorum quæ ad apparatum pertinent ... deretur. *Valleſius ibid p.* 141.

II. *d.* Quos Balnei vſus offendat enum. rat *Hipp.* ibidem, *Minime tempeſtivum eſt lavare quibus alvus humidior eſt quam conveniat & non eſt ſoluta prius: neque eos quibus vires languent lavare oportet, neque faſtidioſos aut nauſeabundos, neque eructantes bilioſum; neque quibus ex naribus ſanguis fluit, niſi fluat minus quam oportet (noſti autem opportunitates) ſi vero minus quam expedit fluat lavare, ſive totum corpus pluſquam alia juvet, ſive ſolum caput*: *Galenus* iat ... llegit non oportere lavari eos *quibus alvus humidior* ſit quam conveniat, quia ... enta rapientur in corpus, & ſiſtentur dejectiones: Ego vero non ob hoc ſolum (ſæpe enim hanc ob cauſam lavare oporteret eos quibus eſt *diarrhœa*, vt ceſſaret ſcilicet) ſed quia ſuccorum vitioſorum plus eſt quam vt à balneo revelli verſus cutem poſſit, magis ſolvetur alvus liquatione ſuccorum, & laxatione humectationeque inteſtinorum, & vaſorum quæ ad illa pertinent: Sin autem tam exiguum excrementorum jam reſtat vt à Balneo diſtrahi poſſit, ſatius ſit jamjam ſponte ceſſaturam diarrhœam dimittere, quam ob rem minime neceſſariam corpus totum viciare.

Sed neque quibus *ſiſtitur magis alvus* quam convenit Balneum conceſſit; addens vero, *Et non eſt ſoluta prius*, cauſam aperit, nimirum quibuſdam eſt *Alvi adſtrictio*, quæ ſuccedit copioſæ alvi ſolutioni, vt plerumque expurgationi ex pharmaco, tunc nihil eſt incommodi ſi quis Balneo vtatur; Sin autem non prægreſſa evacuatione adſtricta ſit, plurimum fæcum & ſordium continuerit (diximus autem antea pleno alimentis ventre lavandum non eſſe, quanto minus pleno excrementis?) lavare igitur tales non oportet niſi alvus ſit ſoluta prius: nimirum ſi illos ad Balneum ducere aliqua ratione cogamur, debemus clyſtere prius excrementa ſubducere, vt ad mittendum ſanguinem ſolemus facere,

Neque eos *quibus vires languent* lavare oportet, nimirum auxilium hoc evacuatorium eſt non inſtrenuum, quapropter vires deſiderat quibus feratur: magnam autem eſſe vacuationem quæ Balneo peragitur oſtenditur, vide §. 2. *f.* Non tamen proinde *hecticos* a balneis arcebimus, ſed pro virium ratione lavabimus, plus aut minus, blandius aut durius, atque aliquos quidem nullatenus.

Neque *faſtidioſos*, neque *nauſeabundos*, nec *bilioſum eructantes*, nimirum hæ notæ ſunt cacochymiæ magnæ, per quam ... negavi ... us ... a ... ere.

Neque *quibus ex naribus ſanguis fluit*, niſi fluat minus quam oportet: Si vero minus quam expedit fluat, lavare expedit; ſive totum corpus vtilitatem capiat à ſanguinis fluxu, pluſquam ab

alio quopiam auxilio, vt qui multitudine toto corpore laborant; ſive caput ſolum, vt quibus id ſolum plenum eſt: Hujus cauſa haud dubie eſt quod Balneum promovet fluxionem ſanguinis, liquans illum & laxans venarum oſcula: Conſtat vero hoc intelligi de Balneo aquæ calidæ aut tepidæ, Immerſio enim in frigidam ſiſtit ſanguinis fluxiones, quod mulieres quotidiano experimento didicere, ac proinde frigidæ occurſum cum menſtrua illis fluunt reformidant, Nos quoque frigidæ infuſione, & partibus quibuſvis corporis in frigidam demiſſis ſcimus fluxum ſanguinis ex naribus ſiſti ſolere; atque adeo vndequaque ſanguis fluat admotio frigidæ proderit, præterquam ſi ea interna parte fluat, ac præcipue ſi *ex pulmone*, tunc enim refugiens verſus cor ſanguis, fieri poteſt vt circa pulmonem magis redundet: Verum calidum Balneum omnes ſanguinis evacuationes auger, & proinde vitandum eſt, niſi cum evacuatio eſt opportuna, neque tamen procedit ſanguis pro indigentiæ ratione. *Idem.*

I I. *ſ.* Non eſt quod Medicus temnat eam vacuationem quæ Balneo agitur quaſi exiguam & minimè dignam mentione: mihi enim contigit videre ex vna longiuſcula, & cum vehementioribus ſuperfuſionibus facta lotione in aqua Balnei, ſordium, & lentæ pituitæ & craſſæ, & quæ non videri ſolum, ſed in longum etiam trahi digitis & palo poterat plus eo quod per copioſiſſimam miſſionem ſanguinis duci ſolet, haud abſimile ei quod in pelvi ea venæ ſectione in talo apparere conſuevit. *Valleſius comm. in lib. de Vict. Acut. p.* 144.

III. Vtrum non prius abſtinendum quam morbus ea toto ſit Sanatus? Reſpondeo per diſtinctionem: Si æger ſentit Baln. viribus & naturæ convenire, morbum de die in diem minui, pergat in vſu donec ceſſerit. Si vtilitas modica vel nulla, valedicat balneo, quia affectus gravior quàm vt ab eo vinci poſſit. Nota, etſi beneficium non ſit manifeſtum, modò non debilitetur æger, non ſtatim deſiſtendum; quia, teſte experientia, multi toto tempore quo lavarunt, nihil levaminis ſenſerunt, domum vero reverſi, aliquot hebdomadis aut menſibus poſt, vel prorſus reſtituti ſunt, vel plurimum ſaltem allevari, quia natura, viribus bona victus ratione refocillatis, omnia morbi veſtigia obliterare ſolet, inquit *Aretæus.*

I V. Vulgus In Balnei vſu hactenus pergendum vult donec ſcabies, pruritus aut cutis aſperitas, vel rubra efflorefcentia conſpiciatur: At talis excoriatio nec ſufficientis lotionis, nec bonæ operationis ſignum eſt, nam aliquibus cutis nunquam erodhur, vel primo quia ob præmiſſam purgationem deſunt acres humores, vel ob bonam diætam; aut quia debite calore balnei vtuntur: fruſtra ergo exulceratio expectatur abſente ejus cauſa: ſecundo humores quia tenues, aut habitus rarior, per ἄδηλον διαπνοὴν aut ſudorem excluduntur: 3. humores ad vias vrinæ aliquando vergunt: 4. balnei cauſa aliquando id contigit, quod thermæ ſalis, nitri, chalcanthi &c. cauſa ſint acriores, aut calidiores ſint natura vel arte; vel quod æger diutius immoretur, vel molliori cute donatus ſit; vel pleno ventre lavacrum ingrediatur. Iuſtæ lotioois ſignum eſt εὐφορία & functionum naturalium reſtitutio. *Sebiſius.*

V. Errant qui terminum ponunt rugas digitorum in pedibus & manibus; nec enim ideo omnibus habitus corporis, ſed aliis rarus & laxus, aliis durus & denſus; Aliis humores, per cutes diſperſi pauci, tenues, aliis multi & craſſi: talibus fortè citius obreperet animi deliquium quam digitorum corrugatio: Alii ſudorem circa frontem expectant, at iiſdem de cauſis his vel illis facilius, vel difficilius erumpit: Qui certum temporis ſpatium definiunt, falluntur, nec enim tam horarum quam circumſtantiarum ratio eſt habenda, virtutiſque tolerantia mora juſta eſt: Etenim mulieres, ætate grandiores, frigidi & humidi, robuſti, denſo & compacto corporis habitu prædi i, pingues, balneis aſſueti, diutius lotionem ferunt, verno præſertim autumnalique tempore, quam iuvenes, pueri, ſenes, calidi, ſicci, rari, debiles, macilenti, lotionibus inaſſueti: Illi enim minus reſolvuntur, aut leipothymiam incurrunt quàm poſteriores: adde quod balnea alia alijs generoſiora & efficaciora, quæ minorem moram exigunt: Et quod morbi alii aliis magis rebelles & fixi, quibus diuturnius balneum convenit. hinc clarum non certum præſcribi poſſe horarum numerum lavantibus in tanta circumſtantiarum varietate.

VI. Æger, cujus vires non permittunt vt è lecto ſurgat citra metum deliquii, in ipſo lecto decumbere *Balneumque* ſuſcipere poteſt, in vſum ducendo inventum *Sanctorii*, quod extat *comm. in* 1. *Fen*, vt æger includatur ſacco coriaceo aquam continente, circa collum clauſo, cui à parte ſuperiore aqua, ſimplicium virtute impiægnata, infunditur, quæ per inferiorem partem, canali præditam, iterum effluat in vas ſuppoſitum. *I Van Horne Microt. p.* 2. §. 5.

V I I. Mulier in caſu *Balnei* calidioris in tantam totius corporis phlogoſin inciderat vt nullo temporis puncto à doloribus & anxietatibus quieſceret: Cumque omnia refrigerantia, tam interna quam externa in vſum revocata fuiſſent incaſſum, balneum ea ſola aqua tepida eam ab omnibus doloribus liberavit. *P. Pacbequus ad Riverium Obſ.* 37.

VIII. *Lotionem*, aut moram in *Aqua dulci* accalida, periculo non vacare obſervavi: *Vir ſeptuagenarius*, robuſtus ex villa circa veſperam rediens, & aliquam laſſitudinem percipiens, balneum ex aq. communi è veſtigio parari juſſit: in quo cum vix per horam moram traxiſſet, & leipothymiam inſtare noviſſet, in lectum ſe contulit, in quo ſtatim apoplexia correptus eadem ipſa nocte obiit. Alius, cum in ſimili balneo incaluiſſet, leipothymia & morbus graviſſimus ac diuturnus, cum ſumma virium labefactatione conſequuta ſunt. Hinc apparet quam periculi plena lotio in aqua, ſimplici vel medicata, naturâ aut arte, niſi corpus prius præparatum fuerit. balneo enim, aquæ communis præſertim, corpus ſit lubricum, pori ac viæ omnes dilatantur, viſcera incaleſcunt, ſanguis fervet in venâ cava, hinc humorum huc vel illuc diffuſio &c. *Fabritius Hildanus Cent.* 6. *Obſervat.* 96.

I X. Exhiberem *Thermas* (ventriculo frigido & imbecillo obnoxiis) ſed interim vellem habere rationem quoque aliorum membrorum: Natura aquarum inſigniter calida eſt: ita igitur proſpiciendum eſt ventriculo ne noceamus aliis membris, epati præſertim & lieni, proinde munire jecur & lienem infrigid. *Galen.* Non enim aliud ego remedium magis ſecurum & bonum, dummodo ſit recens & diligenter confectum: vngerem autem totam regionem lumborum ſecundum totum longitudinis ſpatium, & epatis etiam locum hoc modo non nocebit aqua, quia magis figitur in ventriculo & locis frigidioribus, ad epar verò & loca frigidiora non pervenit, aut ea ſolummodo tranſit, nec moram facit. *Iohann. Baptiſta Montanus.*

In

In vſu *Balnei aqua dulcis* ventriculus oleo garyophyllorum cum maſtichino inungendus, ne lotione debilitetur. *Mercatus Pract. l. 1. c. 7.*

X. Inter impedimenta vitæ refert *Helmontius* frequentem *Thermarum* vſum: Certum quidem eſt illatum vſu interdum cauſam antecedentem, vt fluxiones ſive latices ſalibus ſylveſtribus turgentes eliminari, vnde & Arthriticis nonnullis, quibus a morbo prægreſſo membra tumerent, profuiſſe, & ad tempus levamen perſenſiſſe, ſed quid ſit interim de minera morbi? hæc intacta relicta, inprimis in morbis ſuis fermentis conſtantibus, quam non in corpus ferocior facta exercet tyrannidem? Taceo quod quædam hypochondriacis propinatæ, vehementius in fermenta viſcerum operando, illa nobis non advertentibus perfundent, totam maſſam ſanguineam, totum venoſum, arterioſum & nervoſum genus violenta ſua actione immutent, & *κῦμα* viſcerum exaltent, quæ cauſa eſt quod poſtea novis ebullitionibus anſa ſuppeditetur, novarū fluxiunum origo ſcaturiat, membra lubrica & relaxata fiant, corpore per illas emollito, & fluxionibus latitantibus, præſertim in minus præparatis corporibus, reſolutis, ex parvo igne maxima flamma, malo in pejus converſo exoriatur: Vnde D. D. *Ornichius in Epiſt. 7. l. 5. Timæi*, ſumme illatum deteſtatur vſum, inquiens, *Thermarum vſum in arthritico affectu adeo male ipſi ceſſiſſe, vt contracto exinde calore hectico, fere non convaluerit, ſed & paroxyſmis longe frequentioribus & acerbius ipſum prehenderint ac vnquam antea factum: Neminem novi, pergit, qui ex vſu Thermarum ab inſultibus arthriticis liberatus ſit*: Sed quod quis iſtos potius fortiores ac crebriores in ipſo ſtatim illarum ingreſſu ſenſerit; Hinc non deſunt qui thermis nonnullis arſenicale quoddam virus, quod poteſtatibus vitalibus inimicum ſit, attribuunt: *F. O. Grembs l. 3. c. 1. de brevit. vitæ hum. §. 77. p. 472. Forſan ob arſenicale venenum ſulphuris, cujus halitus nares in quibuſdam feriunt*: Quamvis præter hunc deleteriam qualitatem etiam aliis, arcanis è mineralium claſſe petitis non abſimilibus, non ſint deſtitutæ, cum experientia conſtet iſtas progreſſu temporis indiſpoſitis, præter erosiones viſcerum, cachexias, atrophias, in aliis leipothymias & alia admiranda ſymptomata produxiſſe; Proinde in eam deveniunt ſententiam vt ſtatuant idem fere cum thermis nonnullis, præſertim intus propinatis accidere quod *Th. Eraſtus* diſput. contra *Paracelſum* p. 3. p. 211. *T. Zvvingerus* in præfat. quam lib. *Sanctis Ardoyni* de venenis præfixit, & *Oporinus* in Epiſtola de *Paracelſi* medicamentis & illorum virtute deleteria, ſcriptum reliquerunt, ſcilicet multos quibus pharmacis hiſce ad tempus opem tulerat, non multo poſt interiiſſe: Exempla ſunt odioſa; Sed hæc aliis vlterius examinanda relinquo: Vide *Moſerum* de abuſu Thermar. & Acidul. Et hiſtoriam vitæ & mortis *Baconis de Verulamio. Frideric. Hofmannus meth. m. lib. 2. cap. 6.*

XI. Sicca *Balnea* in aëre calefacto, cum nimium corpus accendant, & violenter ad ſuperficiem corporis humores propellant, non ita probantur ac humida: Poſſumus tamen & illis ex ſuffitu decoctionis balnei humidi, leviter excalefactis & tepefactis aliquando corpus antequam balneum humidum intretur, vt hoc melius operetur, ſic diſponere. *Platerus.*

XII. Notandum *Balnea* minus locum habere graſſantibus morbis epidemiis, in primis peſte, dum enim poros magis aperiunt, contagioni facilior aditus hinc patet. *Wedelius de M. c. exi p. 98.*

XIII. *Balnea* non *adſtringunt*, leguntur quidem hinc inde Balnea adſtrictoria præſcripta, ſed vix fidum ab ijs auxilium ſperandum eſt; Diſtingui tamen poteſt inter ipſos poros & fluxiones, ſeu inter adſtrictionem pororum & fluxionum: illos reſpective quidem obſtruere poſſunt, licet itidem non abſolute, vnde in pediluviis pro fœtore pedum adſtringentia vtiliter recipiuntur, vt roborentur partes, & digerantur putridæ excrementitiæ fuligines: has vero minus, vnde in menſium immodico fluxu non ſolemus facile balneorum auxilium implorare, quantum enim dant tantum demunt, id quod ipſum quoque valet de fluore albo. *Roborando* tamen ſine non raro præſcribuntur, vnde huc pertinet lixivium Sapientiæ *Minſichti*, ſeu Balnea pro confortanda memoria: Notato tamen ne quid nimis, hæc enim in ſicco habitat, & exceſſu humoris obtunditur: Hinc in Paralyſi eadem laudatiſſima alias deprehendimus, præſertim ſubjunctis roborantibus nervinis, & inter hæc formicis vna cum nidu & ovis, nec non paulo viſcoſis, qualis eſt radix ſymphiti. *Wedelius de c. m. e. vi. p. 100. & 102.*

XIV. Non conveniunt *Balnea* ſero magis aucto vel moto, tum in ſtatu ſecundum naturam ex parte, tum in præternaturali, tum quoad totum, tum quoad certas partes: hinc cacochymicis & plethoricis minus bene cedere ſolent, vnde in cachexia, hydrope, vt & tuſſi, coryza, catarrhis ad pectus depluis, nocent; Imo viſi ſunt qui coryza laborantes balneum ingreſſi odorem vel auditum perdiderunt: Non in inflammationibus partium, in eryſipelate, Neque obſtat *Helmontius* in catarrh. deliram. pag. 360. aſſerens contrarium, deſtillationibus nimirum ejuſmodi balnea non raro convenire: Quia nec podagricis æque conveniunt ipſis, obſervavimus enim inde tumefactas magis partes invitaſſe humorum affluxum majorem. *Idem pag. 105.*

XV. Experientia conſtat *Balnea calida & ſulphurea* in corpore humano, *Salinas*, aliaſque *morbidas*, quæ intra viſcera, aut humores ſcatent, *particulas*, plurimum exaltare, & cito ad *ἀκμὴν* las perducere, eas ſcilicet exagitando efferatiores reddere, è primis viis in ſanguinem, & exinde in cerebrum & nervoſum genus vrgere, quinimo prius ſecretas & otioſas conjungere, ac in *ζύμωσιν* quandam incitare: Quare qui aut arthritidi, aut calculo hæreditario obnoxij, iſtorum affectuum paroxyſmos nondum perpeſſi fuerunt, à Thermarum vſo ſæpiſſime alterutrius morbi fructus in ſe ſtatim maturari ſenſerunt. *Willis de morbis convulſ. cap. 9.*

XVI. *Therma ſulphurea* quatuor continent, 1. Aquam, 2. Oleoſitatem. 3. Spiritum acidum. 4. Sal lixivioſum paucum: *Sulphur* enim omne oleo imprimis conſtare & acido ſpiritu notum eſt Chimicis, & manifeſtum eſt primo ex ejus incendio facili, ex quo patet oleum in ipſo abundare, ſola namque pinguia & oleoſa ignis exiſtunt pabulum. 2. Ex ejus incendio diu durante, quod ab Acido ſpiritu pendet; 3. Ex oleo per campanam ex ipſo parabili, quod ſpiritum ejus acidum reſtatur: Cum ergo acido ſpiritu & oleo conſtet ſulphur, iiſdem abundare thermas, ſulphureas patet: Generantur autem illæ concurrente cum ſulphuris minera Aqua lixivioſo ſale acerrimo prædita, a quo, & ſpiritu ſulphuris acido excitatur effervescentia, & cum effervescentia calor, ſicque coeunt in vnum quodammodo Aqua quoque & Oleum: Habent autem vim pe-

netrandi egsegiam Thermæ illæ, quapropter ad affectas partes corporis intimas perveniunt: Penetrat autem ſimul permiſtus per intima Sali lixivioſo, Spiritus acidus Oleo temperatus, cujus Olei vi temperat quoque humorem acrem membranis adhærentem illaſque vellicantem ac convulſioni &c. anſam dantem: Temperat vero illum tum oleoſa ſua ſubſtantia, corrigitque inſuper eundem exacta Salis lixivioſi & Spiritus Acidi miſtura, à qua vincitur Aciditas ſemper noxia, & primaria roſionis in *convulſione &c.* cauſa: Subrile namque Thermarum Sal lixivioſum, & quodammodo volatiliſatum, ad ſpiritum acidum ſubtiliorem coagulandum longe optimum & forte vnicum: Artis proinde erit imitari naturam, & ſalem lixivioſum volatilem reddere, aptumque ſpiritibus acidis ſubtilioribus coagulandis, ac ſimul affectibus ab ipſis ortis curandis. *Fr. Sylvius Pr. l. 2. c. 23. §. 236.*

XVII. A Thermis abſtinendum præſentibus adhuc in *hypochondriis obſtructionibus*, venis meſaraicis infarctis ſuccis tartareis, & maſſa ſanguinea ſalibus jam dum ſylveſtribus, acribus & acidis impregnata; quæ ab iis liquari, fundi, aut fuſa in alias partes & viſcera principaliora, graviora alia ſymptomata concitatura deferri poſſent. *Frid. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 11.*

CAPVTPVRGIA, ERRHINA, PTARMICA.

(Vide *Capitis affectus in genere lib.* 3.)

SYLLOGE.

Nares ſunt emunctorium Capitis. 1.
Ptarmica & Errhina agunt irritando narium membranam. 2.
Ptarmica & errhina quomodo differunt. 3.
Errhina vitium narium domeſticum præſertim ſpectant. 4.
Ptarmica caput levant. 5.
Quando præcipue locum habent. 6.
Quibuſdam affectibus nocent. 7.
Humoribus debentur. 8.
Quando errhinis, quando apophlegmatiſmis locus. 9.
Vitriolum album efficax Errhinum. 10.

I. NAres emunctorium eſſe capitis & quaſi ventilabrum ſtatuimus; quicquid enim quidam ſpeculati ſint in contrarium de vſu hujus excerniculi publico, & totius machinæ vſui dicato, per veterum tamen dogmata, ac emunctiorum recentiorum experimenta, certum eſt fontem quidem catarrhorum non eſſe quærendum in cerebro, ſed in ſanguinis individuo comite ſero, è ſanguine enim & ſero, ſeu calido & humido, conſtant vitæ elementa; ſeu Lymphæ abundantia, ſecretæ per glandulas, in quas vaſa lymphatica vel abeunt, vel inde emergunt: Aſt cerebrum immune plane eſſe in catarrhis, privilegiatum & exemptum eſt negare, illud perlui ſero, quod abſurdum eſt, illud non affici in coryza & aliis catarrhis, quod contra experientiam. *Wedelius de f. m. Fac. pag.* 128, Vide *Willis cer. Anat. c.* 12.

II. Activitatis & energiæ ratio Ptarmicorum & errhinorum conſiſtit in ſolicitatione, irritatione ac vellicatione membranæ narium ſenſilis ab externa cauſa: hinc quæcunque afficiunt proximius, & quaſi titillant membranam hanc, illa ad excernendum ſimpliciter, vel cum ſternutatione ſollicitant: Sic non ſolum intruſa penna ſternutationem excitat, vti & vel ſolus ambientis aëria afflatus inæqualis, ſolis radii &c. id præſtant, verum etiam inprimis omnia illa cum naribus communicata, quæ ſalina tum fixa, vt vitr. album, tum volatili qualitate & acrimonia pollent: Sic omnia acria ſunt ptarmica, omnia purgantia ſunt ptarmica. *Idem.*

III. Quo magis ſibi relicta ſunt *ſalina ſpicula*, eo magis ſtimulant, quo minus & magis *obtuſa*, eo minus: Illa dicuntur *Ptarmica*, i. e. quæ cum ſternutatione id præſtant; hæc *Errhina*, quæ ſine eadem liquant: hinc quo ſalina ſpicula intimius pervadant & accedant membranæ narium, ptarmica in pulvere ſeu forma ſicca operantur magis, & tanto validius quo ſubtilius trita, hinc non differunt niſi gradibus; Accedente hoc modo ſalino ſpiculo ad membranam narium, tria ſequuntur. 1. irritatio ipſa, 2. fuſio & liquatio humorum, 3. ipſa excretio. *Idem.*

IV. Errhina magis pro Narium vſu domeſtica, Ptarmica magis pro aliis partibus vſitata ſunt; Sic Errhina vſitatiſſima & commodiſſima ſunt in coryza, ozæna, polypo, pro mundificatione, diſſipatione & libero commeatu pręſtando.

V. Sternutatoria caput levant tum in genere, tum in ſpecie, evacuato corpore & ſublato antecedente fomite, quando nempe id moram patitur, alia enim feſtinationis eſt ratio: hinc in ſpecie non conveniant nimis copioſa, repleta & reſtagnante materia: hinc in coryza & catarrhis locum *magis* habent in declinatione & ſtatu quam *principio, vbi* omnia adhuc cruda. *Idem.*

VI. Maxime locum habent vbi quaſi ſopita facultas in machinæ corporeæ ſpecula deficit: Hinc vbi eadem adhibita non operantur, facultatem emortuam ſæpe notant, quod in puerpera & alias vidi, quatenus ſtimulum non amplius ſentit natura, nec actuat; quod etiam in aliis, v. g. purgantibus valet. *Idem,*

VII. Partibus quæ ad ſternutationem concurrunt neceſſario, male habentibus, eadem minus locum habent, Hinc nocent in doloribus capas venereis, fracturis, luxationibus coſtarum, pulmonum vlceribus, hæmoptyſi, herniis &c. *Idem.*

VIII. Humoribus debentur Ptarmica, educunt enim ſerum reſtitans circa promontoria cerebri, & ſimul quicquid ibi hæret vna diſcutiunt: hinc magis à cauſa poſitiva oriundis affectibus, quam privativa in vſum trahenda: binc in ſiccitate nimia, & bilioſis ac melancholicis minus conveniunt, magis vero pituitoſis, quibus ſerum copioſius eſt, cujus coagulationem, ſi quid aliud, mirum quantum prohibent eadem. *Idem.*

IX. Pauci ſciunt quando per Errhina, & quando per Apophlegmatiſmos pituita è cerebro ſit dicienda, quando per vtraque: Per Errhina, adeoque per os cribriforme, elici debet illa blenna quæ colligitur in ſpatio illo quod eſt inter dextram & ſiniſtram cerebri partem, & detruditur eo ex cortice cerebri dicto: Per Apophlegmatiſmos, & ſic per os ſphænoides, extrahi debet illa quæ in ventriculis, in hunc vſum factis coacervatur, & pellitur illuc è medulla cerebri. *Hofmannus in Inſtit. ex Riolano.*

X. Vi-

X. Vitriolum album expertus ſum in aq. ſimplici vel cephalica ſolutum, pennaque naribus modeſte applicatum, liquare in debita quantitate ex voto catarros, & extra vocare, ita vt infantibus etiam recens natis, præ ſpiramentorum naſi obſtructionibus, vti ſæpius fit, vix lactare valentibus & ſuffocandis, feliciter aliquoties adhibuerim: quo caſu neque oleum amygd. dulc. naribus inſtillatum, & eaſundem illitum, neque aqua majoranæ indita ſemper votis reſponderunt, hoc medicamentum omne talit punctum. *G. Wolf. Wedelius Miſc. Cur. anni 3. Obſervat.* 14.

C A R D I A C A.

(Vide *ſupra Alexipharmaca.*)

S Y L L O G E.

Natura & differentia. 1. 5.
Quando vſurpanda. 2.
Volatilium abuſus. 3. 4.
Moſchatorum. 6.

I. CVm cordialia ſint quæ Cordi laboranti opitulantur notabimus in anteceſſum, 1. Quod Cor & ſanguis ſint cauſæ ſociæ, neque ſint ſejungendæ, quod faciunt quidam. 2. Sanguinem conſtare duabus partibus, calido ſeu ſanguine, κατ' ἐξοχὴν, & humido, ſeu Sero, in quibus duobus humoribus alimentaribus vita noſtra & ſalus conſiſtit: neque aliud calidum innatum, neque humidum radicale datur quam hæc vigore ſuo & fermento vitali inſtructa: Nos 3. dicemus cordialia, quæ ſanguinem & calorem (quorum cor fons eſt) diſpendant, conſiſtentiamque ſeri & motum ac vigorem vtriuſque diſponunt: Sunt itaque 1. Rarefacientia ſanguinem, quando in ἐκλαμψει ſua deficere videtur & debilis eſt, particulæ ſulphureæ & volatiles, Mercuriales & ſpirituoſæ, vel obtuſæ, vel non ſufficienti quantitate vigoratæ, qualia conveniunt in languoribus cordis, laſſitudine cum malignitate, ſenio, pallore, frigore, cachexia, paroxyſmis febrium intermittentium, virium debilitate, anxietatibus, quando cordis motus quaſi deficit, vt in febribus malignis ſæpe, recurſu malignitatis ad cor, expulſione variolarum & morbillorum, &c. qualia ſunt volatilia, 1. *Sulphurea*, & quidem vel ſpirituoſa, vt ſpir. roſar. aqua roſar. apoplectica, caryophylli, aurea, ſpiritus vini &c. vel *Oleoſa*, ſulphure volatili oleoſo roſcido pollentia, quæ vno verbo dici conſuevere *Balſamica*, vt lignum aloës, camphora, myrrha, odorata omnia, quæ immediatum cum ſpiritibus habent commercium, *Aromata*, cinnamomum, cardamomum, ol. cinnam. moſchus, ambra, item theriaca, mithridat. 2. *Salina lixiva*, vt ſal abſinth. ſcordii, card. ben. &c. quæ ſimul præcipitandi & inſigni certe vi pollent ſanguinem rarefaciendi & in ordinem redigendi, vnde egregia ſunt febrifuga & ſudorifera. Vel *Salina volatilia vrinoſa*, quæ fere omnium ſunt potentiſſima, vt ſpiritus c. c. ſalis armon. fuliginis, viperarum, ſanguin. cervini, human. ceu quoque hæc ipſa cum oleoſis mixta, vt ſalia volatilia oleoſa reddita id eminenter præſtant: Pertinent huc quoque *fœtida*, tum ſulphurea magis, tum vrinoſa, quæ in ſyncope, ſuffocatione hyſterica & aliis conveniunt. *Nota*, Rarefactio ſanguinis duo notat, 1. ſpirituum deficientium reſtaurationem, quod maxime fit per balſamica, ſulphurea, 2. motum & fluxilitatem in primis ſeri vigorantia, quod magis fit per Salina.

Vel 2. *Rarefactionem impedientia*, quæ vti jam dicta ſulphureas, balſamicas, & Mercuriales volatiles particulas in corde & ſanguine reſtaurant, ita hæc eaſdem nimis efferatas deprimunt, obtundunt, præcipitant, ſuntque, Vel *Aquea*, diluentia & ſerum reſtaurantia, cujus defectus rarefactionem inter alia reddit majorem, vt aquæ cordiales temperatæ, endiviæ, acetoſæ, *Herc. Saxon.* frigida, ſerum lactis &c. quæ diſpergentia magis partes volatiles enervant: Ex quo patet Iulapia, potumque ipſum largiorem in febribus concedi debere, nec ægros cogendos adeo ſtricte ad ſitim. Vel *Acida*, quæ inter hæc præcipue eminent, vnde inſtar regulæ inſtar eſſe poteſt, *Acidum obtundit ſulphur*, vt ſuccus citri, granat. acid. ſpiritus minerales acidi, Tinct. violar. roſar. &c. Vel *Nitroſa*, quæ itidem ſulphur infringunt, debilitant, exaltationem ejus promovent & egregie attemperant, ſerumque ipſum vigorant & ſibi reſtituunt, vt lapis prunellæ, nitrum antimon. perlatum &c. Vel *terrea*, *abſorbentia & præcipitantia*, vt corallia, perlæ, lapides pretioſi, bezoar, &c. Et hæc in omni febrium genere locum ſuum tuentur, & ebullitionibus bilioſis aliis (*bilis enim maxime ſanguinem rarefacit*) vnde in affectibus ab ira, mania, deliriis, phrenitide, febribus ardentibus, Hungaricis &c. eximie proſunt.

Vel reſpiciunt conſiſtentiam ſanguinis, & ſunt 3. *Reſolutionem impedientia, & fatiſcentem viscum conſervantia*, Seu ſulphur *concentrando*, vt *acida*, vnde potiſſimum hæc externe in reſolutionibus ſpirituum impediendis omnium ſunt convenientiſſima, & conveniunt in ſyncope, ſudoribus colliquativis & ichoreſcente ſanguine, cum madore &c. qualia jam ſupra recenſita, imprimis vero acetum ſimplex & rutaceum &c. item frigida actu externè, aqua frig. roſarum, Seu *ſerum attemperando*, vt aquea, imprimis *emulſiones*, quæ aliquid mucilaginoſi ſecum habent, vnde horum vſus in febribus malignis, præſertim vbi ἀγρυπνία & delirium viget, eſt nobiliſſimus, Seu *vinculum vtriuſque*, Seri & Sanguinis, *firmando* quaſi, *concentrando leniter*, & *colligendo*, vt *mucilaginoſa* & *terrea adſtringentia*, item *balſamica* temperata, v. g. c. c. philoſophicum, ebur ſine igne præparatum, gelatina c. c. bolus Arm. terra ſigill. baſault. Et ex calidis cinnamom. vitriol. Mart. quæ terrea ſimul gaudent qualitate: Pertinent huc etiam ipſa *opiata*, compertum enim eſt experientia Practicorum, in ſpirituum vitalium & ſanguinis reſolutione convenientiſſime dari laudanum opiat. ſed parca & refracta doſi, vt hoc modo vlterior ſpirituum diſſolutio impediatur: Effectus inde vidimus admirandos in ſyncopticis, hyſtericis & aliis: miſceri poſſunt hæc, vel cum *ſpirituoſis analepticis*, vt confect. kermeſ. vt hoc modo & diſſolutio prohibeatur, & materia ſuppeditetur ſpiritibus: vel cum *terreis abſorbentibus & reſolventibus*, vt & hoc modo conſiſtentia ſanguinis reſpiciatur.

Vel 4. ſunt *reſolventia*, quæ ſanguinis grumeſcentiam & veluti coagulationem impediunt, vnde in motu ſuo quaſi ſubſiſtit, reſolvunt & diſſipant, incoctionemque ſeri impediunt, adeoque quædam & impedimenta removendo mediate rarefactionem adjuvant: ſuntque tum *Balſamica* jam dicta, tum *putredini reſiſtentia* quælibet, vt & *diluentia aquea*, tum præcipue *terrea*, quæ alias ad caſum ab

alro, pleuritidem &c. proficua ſunt, ex coralliis, lapid. cancrorum, antimon. diaphor. &c. hinc quoque *acida*, Acida, enim hæc medio quodam loco ſunt, quæ ſçil. & ſanguinem reſolutum coagulant, & coagularum reſolvunt: Ex vtroque enim caſu grumeſcit quaſi ſanguis, tum nimia reſolutione, tum nimia congulatione: Hinc notandum *acida bezoarticis juncta ob penetrantem ſuam vim, virtutem bezoarticam & ſudoriferam, intendere*, exemplo miſturæ ſimplicis, vbi nec ſpiritus theriacalis, nec ſpir. tartari adeo ſudorem movet, multo minus ſpir. vitrioli, hæc vero juncta optime id efficiunt: Referri huc poſſunt quæ jam de prima claſſe rarefacientium dicta ſunt: Conveniunt vero hæc itidem in palpit. cordis, ſyncope, febribus malignis &c. Et quæ hæc eminenter præſtant, quæ ſçil. ſpirituum & ſanguinis σύςασιν tuentur & conſervant, vt neque ad fuſionis, reſolutionis, ac ichoreſcentiæ ſtatum nec coagulationis decliniet, proprie ſunt & dicuntur *bezoardica*: Præſtant id quoque diaphoretica omnia, & inprimis alexipharmaca: Neque obſtat hæcce, præcipue vero temperata, non immediate ad cor ferri, ſatis eſt quod operationes ſuas ſtatim è ventriculo in ſanguinem vibrent, cujus hinc craſis mutatur, ac energia & affectus ad cor reſultat, imo ſæpe talia cordialia cauſam ſaltem antecedentem reſpiciunt & tollunt, finem tamen horum operatio in corde conſequitur. *G. W. Wedelius de ſimpl. Med. fac. p. 93.*

II. Vbi debilitas virium, non ſtatim ad confortantia cordialia, nec ad illa quidem ſola confugiendum, ſed cauſæ ſunt removendæ, ſive plethora ſuffocans ſpiritus, ſive cacochymia inquinans, vnde ſæpe vel v. ſ. vel purgatio rem ſuſtulerit, Error hic vulgi eſt. *Idem pag. 96.*

III. *Volatilia* quælibet intra mediocritatis terminos conſiſtant, tum in diæteticis tum pharmaceuticis præſidiis, idque & in ſulphureis & vrinoſis; Sic qui in juventute vini, vel ſpiritus vini potui nimis indulgent, hinc ſuccedente ætate robur ventriculi perdunt, quatenus calor decreſcens fortius hinc poſtulat calefaciens: ſic & camphorata, & olea diſtillata ſæpius lædunt; *Idem.*

IV. Hinc nunquam ita eſt *rarefaciendum* quin ſimul attendamus ſanguinis conſiſtentiam, vt in ſtatum naturalem aſſeratur: Nec ita *reſolventibus* vtendum, quin tonum ſanguinis & rarefactionem debitam obſervemus: Vnde peccant qui v. g. in febribus malignis ſolis volatilibus, & perpetuis ſudoribus ægros exhauriunt, cum tamen diſcutere quidem & rarefactionem conſervare, nimiam vero temperare deberent: Sic qui reſolventibus incautius vtuntur, facile ſanguinis compagem laxam nimis reddunt, vt quaſi diſpereant & diffluant ſpiritus, quod in ſpecie de cinnabarinis notandum, ea enim maxime reſolvunt ſanguinem: ſed ne quid nimis, & vbivis, præmiſſis vniverſalibus, interponenda tonica, modice adſtringentia.

V. Cordialia confortantia probe ſunt diſtinguenda, vnde vbi ſerum, v. g. deficit, vix aliud melius profuerit quam actu humida, aquea, non omiſſis acidis, nitroſiſve, & contra, ne vnum pro altero demus, vel confundamus eadem.

VI. *Moſchatis*, quæ maxime rarefaciunt ſanguinem, non nimis eſt tribuendum; dum enim nimis exaltant & intendunt particulas Mercuriales, loco confortationis facile naturam lædunt, proſuntque fere magis externe quam interne, vel ſaltem nonniſi juſto tempore; habent ſuum vſum, ſed recte vſurpata. *Idem.*

CARMINANTIA,

FLATUS DISSIPANTIA.

SYLLOGE.

Flatuum diſcutiendorum, aut generationis prohibendæ ratio, ex eorum productionis notitia pendet. 1. 10.

Indicationes præſervatoria & curatoria. 2.

Multi dum diſſipare tentant, eoſdem producunt. 3. 8.

Opiata eoſdem diſcutiunt. 4.

Carminantia *vel haliuoſa ſunt, rarefacientia.* 5.

Vel abſorbentia & temperantia. 6.

Vel calorem & fermentum ventriculi juvant. 7.

Calida & tenuiſſima non ſemper vſurpanda. 8.

Non conveniunt in ſiccitate inteſtinorum, & vbi arida ſtercora. 9.

Varianda pro varietate cauſarum. 10.

I. Flatus vbivis exiſtentes ad ſui Excretionem juvant quæcunque impedimenta tollunt propter quæ firmius partibus inhærent, Tenacitatem puta, & Glutinoſitatem Pituitæ ex qua ſunt producti, & Aromatica ſunt, abundantque oleo aromatico: Exiſtimo autem diſcuti vere Flatus, quatenus ipſorum materia multum tenax inciditur & rumpitur, vnde ſubſidit materia pituitoſa *in flatus* diſtracta & diſtenta, conciditque & coit in exiguum pituitæ globulum: Videtur namque modo haud plane diverſo illi, quo ſolent pueri ex ſapone aqua ſoluto per ſtraminis tubulum excitare bullas: Bilis juncta Pituitæ glutinoſæ, ipſam rarefaciendo, diſtrahit in flatus, qui vlteriore rarefactione tandem ſponte rumpuntur, donec mox pituita prius ita diſtracta & rarefacta concidit, reduque ad priſtinam ſui naturam & conſiſtentiam: ceſſante tunc Bilis actione propter defectum materiæ, in quam ſic agat; niſi alii pituitæ parti ſe inſinuet, eamque ſimiliter in flatum diſtrahat & rarefaciat &c. *Sylvius de le Boë meth. Med. lib. 2 c. 21.*

II. *Flatuum productio* & noxa eſt emendanda, 1. blande incidendo Pituitam glutinoſiorem. 2. Diſcutiendo diſſipandoque, aut alias ſuffocando eoſdem Flatus, 3. corrigendo Bilis acrimoniam, Efficientem flatuum cauſam, Pituita vero, poſtquam ſoluta eſt à bile, atque in flatus mutata, denuo blande incraſſari debet, non tamen valde glutinoſa fieri: Pituitam incidere poſſunt & Salia volatilia, Aromaticaque omnia & Acida pleraque, hæc autem præſertim conveniunt, vbi metus eſt ne augeatur intendaturque vtraque efferveſcentia in corde ac inteſtino tenui, quo in caſu conſultum eſt abſtinere à Salibus volatilibus, vt & Aromaticis, tum ne augeatur flatuum proventus, tum ne Bilis reddatur vel acrior vel volatilior: Inter iſta Acida primum locum Spiritui Nitri, tam *puro* quam *dulci* tribuendum, cum non tantum pituitam Glutinoſam incidat, ſed inſuper flatus diſcutiat & rumpat, quinetiam bilem acriorem temperet, volatilioremque figat: poteſt iſte ſpiritus Nitri commode admiſceri Potui ordinario, aut cuivis alii medicato, & quidem ad mediocrem quantitatem, quo nec nauſea inde excitetur, nec operatio ejus nimis potens aut debilis obſervetur:

III. Quoad ipſorum *Flatuum* jam productorum

rum exiſtentiumque *diſcuſſionem*, nihil novi quod laudato Nitri, ran. puro & ſimplici, quam dulci facto Spiritui queat comparari, poſtquam pleraque vulgo nota ſunt aromatica, & hactenus bina acrimoniam, quodammodo ſaltem, intendentia & augentia, quo ipſa refero ſalia volatilia qualiacunque, quæ omnia ſpiritui nitri cedunt: Hinc eſt quod tam ſolicite diſcutiendis Flatibus medicamenta præſcribant noſtri Medici, ſæpius experientia triſti edocti non parum ipſa nocuiſſe ſuis ægris, propter Bilem ab ipſis acriorem factam, incendiumque in corpore ab ipſis auctum: Hujus autem effectus rationem ignorant quotquot Effervescentiæ vtriuſque, calidæ frigidæque, ignorant & naturam & rationem: quibus perſpectis percipitur facile ratio incendii ab vſu carminantium facti, &, quod primarium eſt, percipitur quoque ratio qua poſſit præveniri hoc malum. *Idem Append. Tract. x. §. 608.*

IV. Generationem Flatuum impediunt præ aliis multis *Opiata*, Theriaca, Mithridatium, Philonium Rom. Requies Nicol. &c. *Idem. Tract. 9. §. 254.*

V. Conveniunt eatenus cum diaphoreticis quod diſcutiant & reſolvant, vnde plurima ſunt diaphor. quæ & carminativa exiſtunt, vt carlina, zedoar. antimon. diaphor. &c. tanto excellentiora quod & reſolvant, & per ſudorem vel diaphoreſin expellant: Suntque vel *halinoſa rarefacientia*, quæ lepromeria ſua, & attenuandi ſubtili ac volatili vi pituitam, ſive inſipidam, ſive inprimis acidam, cal faciunt & corrigunt, qualia inprimis ſunt tum *volatilia, oleoſa*, ſeu ſulphure balſamica, ſubtili, cum ſale volatili maritato, pollentia, quæ & calorem debilitatum (*flatuum enim pater eſt calor reſpective debilis, mater humor aqueus, aciduſve, frigidus & viſcidus, ſeu pituita in vapores acta*) ibi reſtituunt, & halinoſa ſua vi vndique penetrant, ac vaporoſitate hac ſua ſubtili & volatili exploſionem generatorum vaporum craſſiorum adjuvant, v. g. ſem. 4. carminantia, aromatica quævis, inprimis radix zedoar. galangæ, & olea illorum diſtillata: tum *volatilia acida*, vt ſpiritus ſalis, ſpir. ſalis dulcis, quem dolores colicos inſta incantamenti ſuſtuliſſe obſervavimus aliquoties: Hæc ipſa vero oleoſa volatilia, ſeo ſulphure volatili oleoſo conſpicua, ſunt etiam paregorica, nervina & demulcentia; vnde partium membranoſarum doloribus, & tenſionibus à flatibus oriundis apprime vna ſatisfaciunt: Et hæc conveniunt egregie tum interne tum externe in quamplurimis affectibus, colica, vertigine, torminibus hyſtericis, & poſt partum, vbi ſpeciatim radix zedoariæ & galangæ proſunt; flatibus vterinis, hernia; vbi experimento Helmontii & noſtro, ſemina quatuor calida majora carminat. laudatiſſima ſunt, tinnitu aurium &c.

VI. Vel *abſorbentia* ſim. *& temperantia*, quæ non ſolum acidum exſuperans ſaturant, humores ipſos deſiccant, & inde exſurgentes vapores præcipitant, verum etiam, ſi bilis rarefacta vna concurrat, eandem domant, & vno verbo *δυνάμεις* has infringunt, & ſeminale flatuum fermentum, ac gas ſylveſtre exhalans coercent; imo, ſi calor junctus ſit exceſſivus, adeoque phlogoſis viſcerum, vt in hypochondriacis, conjuncta ſit, eandem quoque reſpiciunt: Talia ſunt tum *præcipitantia terrea* & diaphoretica, vti inprimis antimonium diaphoreticum, conchæ præpar. lapides ocul. cancri &c. tum inprimis *ſalina nitroſa* & *alkalina* etiam, Tartarus vitriolatus, tinctura tartari, arcanum duplicatum &c. huc refer acidulas, clyſſum antimonii &c. Conveniunt hæc inprimis in colica biliosa, flatibus hypochondriacis, tympanitide, febribus palpitatione cordis, vertigine & ſingultibus. Notabile vero eſt hæc quoque mixta poſſe dari, vbi & præcipitandum; & dolores ſiſtendi, vti in cardialgia inprimis, vbi ſæpe magno cum ſucceſſu oleum garyoph. cum conchis præparatis, in forma ſicca; cum eſſentia carminativa & caſtorei, in liquida &c. exhibuimus.

VII. Vel *coctionem & calorem, ac menſtruum ventriculi corruptum roborantia*, tum *præcipitantia & incidentia*, ex rad. ari. z. z. &c. tum aromatica & balſamica alia, ad quemcunque exceſſum adaptanda: Vti enim ſemper in flatibus ventriculus eſt reſpiciendus, iidemque ex ejuſdem fruſtrata actione ſolenniter oriuntur, ita hæc ipſa ſtomachica occaſio inter carminativa merito recenſentur: proſuntque hæc in ſpecie in ructibus, ſingultibus, cardialgia, inflationibus à cibo.

VIII. Non in quibuvis flatulentis tenuiſſima & poteſtate calida volatiliora opponenda, inprimis in hypochondriacis, ſeu qui affectu flatulento laborant, quibus ſæpe & vt plurimum temperatiora conveniunt, quæ phlogoſin viſcerum à ſalinis & nitro ſulphureis particulis totam temperant: vnde hoc paſſu ipſa temperantia, & refrigerantia quaſi flatuum debellationi debentur, quatenus calorum innatum & hoc modo ſibi reſtituunt.

IX. Non conveniunt ſi ſiccitas adeſt inteſtinorum, aridaque ſtercora obſtructionem cauſentur; vtrobique enim, niſi prius evacuatio fiat materiæ & ſufficiens depletio, fruſtra non ſolum ſunt omnia, ſed etiam in longe pejorem ſtatum æger præcipitatur: *Crato* conſ. 17. male quoſdam ſtatim in colica feſtinanter ſcribit ad flatus diſcutiendos, adhibitis carminativis: quæ quidem in colica leviori voto ſatisfaciant, in vehementiori vero plurimum nocent.

X. Vt variant cauſæ flatuum productivæ, ita etiam curatio, ſive ab interna cauſa, & facultate læſa, vt vocant, ſive ab errore externo oriantur: Sic vt leguminoſa, oleracea, humido excrementitio abundantia, dulcia, pinguia, ſeu craſſa & lenta, fæculenta &c. flatus generant, ita etiam cruditatibus obviam eundo, i. e. præcipitando acidulis, aromaticis &c. pro re nata medelam fieri oportet. *G. W. Wedelius de ſ. m. fac. p. 174.*

CAVTERIA, FONTICVLI, INVSTIONES, SETACEA.

SYLLOGE.

Quos humores educant Fonticuli ac vnde. 1.
Non in omnibus morbis conducunt. 2.
Revulſionis gratia vbi excitandi. 3.
An cauteria antiquorum a neotericorum fonticulis differant. 4.
An detur determinatum tempus ceſſationis: Et An periculum ſemper impendeat ab eorum occluſione. 5.
Fonticuli efficacia. 6. 11
In aëre Germanico minus tuti. 7.
Cautiones circa Fonticulos in locis ordinariis excitandos. 8.

Conditiones requiſitæ ut ſint utiles. 9.
Loci quidam inſoliti in quibus utiliter excitari poſſunt. 10.
Auriculæ perforantium utilitas in pluribus affectibus. 12.
Fonticuli in ſutura coronali excitandi ratio. 13.
Cauterium regioni oſſis bregmatis cautè applicandum. 14.
Occipitium non niſi igne aperiendum. 15.
Fonticulus in ſutura coronali caute an ſolido ferro ignito melius perficiatur. 19.
Fonticuli per cautionem *facti optimi.* 36.
Cauterio actuali an potentiali *excitandi.* 42.
Quod metallum aptius pro Actuali. 43.
Caute in applicatione potentialis *procedendum.* 41.
Non errandum in applicationis loco. 29.
Causticum quouſque pervadere debet. 32.
Membro infirmo non apprimendum. 34.
In cachecticis fontanellæ ne excitentur. 33.
Sterilitatem an inducant. 42. *b.*
Temere non occludendi font. 20.
Eſchara ſit mediocris. 31.
Cur interdum nihil effundunt. 27. 44.
Operatio quomodo juvanda. 28.
Tumor ſuperveniens errori Medici non adſcribendus. 30.
Cauſtica ne parentur ex adſtrictoriis. 18.
An Luna creſcente vel decreſcente font. excitandi.
Nævi non occludendi. 35.
Impurum ſi ſit corpus ne admoveatur Cauſticum. 36.
Compendioſa Setaceum *trajiciendi ratio.* 21.
Cavendum ne læſione tendinum cum transmittitur. 16.
Setacei igne facti præſtantia. 38.
In pueris præferendum fontanella in nucha. 23.
Setaceum per longum an tranſverſum trajiciendum. 24.
Occluſum quomodo reſerandum. 22.
Ligatura brachiorum ſit mediocris. 39.
In Femore optimi font. ſi commode ligari queunt. 40.
Inuſtionum *utilitas.* 37.
Earum pro vario ſcopo differentia. 25.
Arabica quomodo fiat. 17.
Abdominis antiquis familiares an probandæ. 26.
Datur Cauterium indolens. 44. *b*

I. FOnticuli, pariter ac veſicatoria, humores quoſcunque intra cutim, minori licet ambitu, defiuos, aut per eam à vaſis tum ſanguiferis tum nerveis traductos elorriant, Nec tantum, ut illa, ſuperficiem cutis exteriorem proritant, & quaſi emulgent, ſed corium totum perforando quicquid è foraminis lateribus per vaſa abrupta exundat, quicquid etiam ſubtus foramen aliunde prolabitur, foras convehunt: Quare ad Fonticulos confluunt non tantum humores intra cutis poros, aut glandulas aggeſti: aut per arterias & nervos illuc tranſmiſſi, ſed inſuper excrementa ſeroſa ſubtus cutim, per muſculorum & membranarum interſtitia de loco in locum transferri aut prorepere ſolita, undequaque ad eos tendunt, & exitum inveniunt: Porro humores morbificos ad partes alias prius debiles, & diu afflictas afferri aſſuetos, Fontanella in via conſtituta anticipat, adeoque ab illorum incurſu partem modo hanc modo illam liberat, & munimenti inſtar ab hoſte defendit; Hinc materies aut arthritica, aut nephritica, aut colica, imo in cerebrum paralytica, aut alias ſcorbutica ſtatim tranſmittenda e mineris ſuis, ad nidos ſive locus receptus per Fonticulos non raro intercipitur, adeoque totius corporis inſultibus evitatis foras convehitur: nec minus emiſſarium hoc, tanquam colluviæ ad derivandam uliginem excitatæ, humores cuilibet parti corporis, aut regioni impactos, ibidemque noxam facientes inde ſenſim eluttiant, adeoque diatheſin morbidam præcavent aut curant. *Willis.*

II. Ex variis hiſce juvandi rationibus, quibus Fontanellæ in genere prodeſſe ſolent, *facile colligitur* ad quos potiſſimum affectus requiruntur, nam licet nullus fere occurrat morbus cui hoc remedium aut noxium aut inutile ſit, attamen in quibuſdam caſibus plusquam in aliis neceſſarium videtur: Ad ſingulos fere capitis morbos, tum internos tum externos vulgo præſcribitur; ad infantum ac puerorum motus convulſivos, ipſorum ophthalmiam, tumores ſtrumoſos; Nec minus contra pectoris morbos hoc remedium prædicatur, pariter ac ad affectus imi ventris, Nullus item arthriticus aut cachecticus quin cutim multis in locis pluſquam mutena perfoſſam habet: At vero hoc remedium utcunque ex ſe utile & benignum non omnibus congruit, Nam duo ſunt hominum genera, qui tametſi ægrotarent à Fontanellis excutari poſſunt, in quantum ſcil. Emiſſarium hoc in quibuſdam evacuat nimis, inque aliis parum aut minus quam oportuit, atque interea dolorificum valde ac intolerabile exiſtit: 1. ergo non bene convenit quoniam nimis evacuat vel abſumit humorem, aut ſpiritus: Etenim obſervavi in nonnullis Fontanellam, in qualibet corporis parte excitatam, ichorem quantitate immodicum, & qualitate vitioſum profundere: ex illa nimirum crebra vice, ſi non continue, latex aquoſus, *tenuis* ac fœtidus, pilum ac integumenta *ſæpe* ætredine inficiens in magna copia exudat, proindeque a nimio hujus effluxu vires ac carnes atteruntur: Ratio videtur eſſe, quod in quibuſdam mala ſanguinis ac humorum diatheſi præditis, ſolutio continui facta, & à ſanatione præpedita, brevi in ulcus fœtidum & cacoethes degenerat; cujus latera fermenti acidi corruptivi naturam induunt, a quo ſcil. ſanguinis illuc continue appulſi portiones inquinantur adeo & diſſolvuntur, ut ſerum ejus ſulphure *ſoluto*, aliiſque corruptelis imbutum, à venis repudiatum copioſe illic foras exundet. Porro *non ſolum* hoc Fontanellæ inquinamentum, ſanguini communicatum totam ejus maſſam aliquatenus depravat, & exinde ſaltem (ſimulque ob nimium ſeroſi laticis impendium) minus nutritiam reddit: Porro à ſanguinis ſulphure juxta fontanellæ parietes ſoluto, & cum ſero effluente, ichor emanans adeo fœtet, & lintea denigrat: Fontanella quandoque ichorem haud immodicum profundens, ſpiritus ac vires plus debito abſumit; quod equidem ab effectu, & interdum nonniſi à poſteriori dignoſcitur, in quantum ſcil. nonnulli, dum fonticulum unum aut plures apertos gerunt, languidi & macilenti perſtant; iis vero occluſis illico vegetiores ac magis toroſi evadunt: Porro vulgaris obſervatio eſt, *multos* à Fontanella prope caput excitata, ſubinde quoad viſum defectu quodam ac imbecillitate correptos fuiſſe, hinc ut eam propediem occludere cogerentur; quod ideo contingere videtur, quoniam ubi ſpirituum penus exilis & conſiſtentia pertenuis eſt, parva horum, vel ſucci e quo procreantur, impendia,

dia, ſi nodo ſint conſtantia, ægre feruntur, *Caterum alio*, & quidem diverſo reſpectu Fontanellæ, prout etiam veſicatoria quibuſdam interdicuntur, aut caute præſcribuntur, quia ſcil. cum parum aut minimum evacuant, locum in quo excitantur plurimum divexant: Nam quibus temperie biliosa, aut alias calidiori prædi is, cruoris maſſa debito craſſior, ac ſero minus diluta, in compage ſtrictior exiſtit, in his ſolutione contin ui ob Fonticulum facta, & retervata, ſanguis ipſe (ſi p Jemquo evadat ſerum non ſatis exuit) in tranſitu hæret, proindeque extravaſatus phlogoſin valde dolorificam ciet; interea cum talis Fontanella ichoris perexiguum profundit, inutilis æque ac moleſta exiſtit. *Idem.*

III. *b* Generalis fontic. finis eſt materiæ peccantis quotidieque accreſcentis evacuatio, quæ non ſimpliciter conſideranda ſed quà ſimul vel derivat, vel intercipit, vel revellit materiam: Revellendo evo nitur materia taliter. Si in Epate generetur, vel liene, aut vtero, & vergat ſurſum, licet fontan. producere in femore vel crure, ſervata ſemper rectitudine, hinc impeditur quo minus materia ſuperiores partes inquinare poſſit: Vbi notandum quod ſi ab iiſdem partibus materia relegetur deorſum, occupetque aut crus dextrum ſiniſtrumve, malè hi agunt qui ſuperioribus partibus, revulſionis gratia ab inferioribus, fontanellas adhibent, etiamſi ſervent rectitudinem; ſic enim materiam malignam, vel quantitate, vel qualitate peccantem, ad ſuperiores partes non ſine damno retrahunt: Hinc rectè Aquapendens p. 1. Oper. Chirurg. cap. 95. non fuit veritus tumefacto pedi ſupra genu fonticulum apponere, qui præterquam quod revellit, inſuper etiam intercipit materiam, eique viam intercludit, quominus ad inferiora vergere poſſit: Et ejus ego veſtigia ſequutus, non paucos à tumore pedum, præcipuè circa talum exiſtente, fonticulo facto in femore infra genu liberavi, qui & adhuc perbelle ſe habent: Conſiderandum autem in viris intra genu, externam; in mulieribus verò, ob vterum internam regionem me ſemper elegiſſe. *Glanderpius Gazoph. c. 15.*

IV. Inter *Cauteria* antiquorum & modernorum *Fontanellas* Medici differentias ſtatuunt quam plurimas, a fine petitas, 1. Cauteria loco affecto applicantur, Fonticuli ſupra vel infra in parte ſanâ: 2. Cauteria locum affectum ſanant, Fonticuli eundem lædunt, 3. Cauteria eundem roborant, Font. debilitant. 4. Caut. ſiccant, Fontic. eundem humectant. 5. Caut. diu non ſervantur aperta, Font. contra: 6. Caut. evacuant ſimpliciter, Font. & ſimpliciter, & cum revulſione, derivatione, interceptione: Circa has differentias Nota, & 1. circa locum affectum, dupliciter ſumi poſſe, latè vel ſtrictè: Late ille locus dicitur affectus cui materia quædam impacta eſt, conſideraturque vt pars quædam corporis recipiens: ſtrictè ſumptus eſt pars mandans, ſeu generans, quæ aliam male habere facit. vnde hic locus primario, alter ſecundario laborare dicitur: ſeu hic eſſentialiter, per conſenſum alter: ſic latè plerumque loco affecto applicantur cauteria: adhæc nec ſemper vel ſupra vel infra locum affectum in parte ſana adhibentur duntaxat fontic. ſed etiam in ipſo loco aff. teſte *Sennerto Inſt. lib. 5. par. 1. ſect. 2. c. 7.* & Spigelio, cujus verba hæc ſunt. *Multi ſupra articulum fonticulo facto, ac aliquamdin detento aperto ſanitatem priſtinam ſunt adepti.* Idem fit in iis quibus aura maligna è digito ad caput aſcendit: his ſi in loco affecto excitetur vlcus, id ipſum remedio eſt: quia ad multos annos tenetur apertum Fontanellæ non ſine gaudet, & hæc tanto magis quoniam fonticuli ſitu tractatur: ſic itaque, fontanella æque ac cauterium, in loco etiam affecto, non ſimpliciter autem ſupra vel infra eundem, nec ſemper in parte ſana, vt aſſirmat Aquapendens p. 1. cap. 15. *Itaque vt ſummatim omnes boni fonticuli conditiones referantur debent fieri vt plurimum in partibus oppoſitis partibus affectis, interdum vicinis, nonnunquam in parte affecta, & hoc dupliciter, vel in ipſamet parte affecta &c.* Quare differentia hæc prima non admittenda: Ad 2. quod attinet, quippe cauteria locum affectum ſanare, hoc non ſolum de illis, ſed & de fonticulis dici poteſt, vt & illud quod fonticuli partem ſanam lædant, & non id ipſum etiam faciant cauteria; fonticuli enim locum affectum ſanant, & quamvis ſanum lædant, hæc læſio non eſt dicenda læſio, quoniam non fit vt inde ſuccedat morbus, ſed vt partibus per hanc læſionem tanquam medicamento tum ſanetur: Et fonticulos locos ſanare affectos hinc patet, Ponamus patientem plora affectum, cujus cutis tota inquinata, cui inuruntur in cutis variis locis fonticuli, vel vnus ſaltem, nunquid hi fonticuli ſanant locum affectum, etiamſi cutis ſola non ſit locus affectus, ſed internæ quoque partes ſimul; Sic etiam in intemperie quadam, v. g. hepatis, ſi fiat fonticulus in crure, cujus ope eadem alteretur, tum ſanatur & locus affectus: Adhæc cauteria non ſanant per ſe, ſed ex accidenti, quatenus ſcil. materiam ſuperant morbificam, tam a parte mandante productam quam a recipiente collectam. Ad 3. reſpondeo Nec cauterium nec fonticulum partes roborare primò & per ſe, ſed ex accidenti, quà per ea materia evomitur peccans, quâ propulſa locus affectus robur tandem acquirit: vtrumque autem æque labefactare primò partem, ob ſolutionem continui, & roborare ob exſiccationem materiæ certum eſt, atque ita & in eo conveniunt. Ad 4. ſic inquio, Siccatio illa quam procurat cauterium dupliciter intelligitur, præſertim de cauterio quà eſt ignitum: Sic Hippoc. vbi vna non ſuff. iſſet cauteriſatio, ſecundo illam adminiſtravit, quo virtus ignis exſiccativa denuo parti imprimeretur, & hac cauteriſatione vſus fuit in partibus duntaxat laxis: Intelligi quoque poteſt exſiccatio de cauterio, prout eſt vlcus vacuans materiam, atque ita ſiccationem inferens: Hoc & dici poteſt de fontic. quod ſiccet potentia partes humiditate affectas, etiamſi actu partes, quibus infigitur, humectet, quod eſt accidens, quia eadem in illis non generatur totaliter, & maxima pars aliunde eo confluit, ac proinde æque cauteria, prout ſunt vlcera, humectant locum cui infiguntur, ac fonticuli ex quibus, vt & ex illis, materia illa evacuatur, quâ excretâ totaliter inſequitur exſiccatio. Ad 5. Circa conſervationis tempus perpendenda materia, quæ quò citius evacuata, & pars generans denuo ſuam cirſin adepta, eò citius fontanella obſeranda, quod & demonſtrat quotidiana experientia, alios ab affectibus graviſſimis brevi ſpatio fontanellarum beneficio liberari, alios non item, vel ob materiæ copiam, vel qualitatem, vel errorem externum ad vltimum vſque vitæ diem geſtare cogi. Sic veteres vbi advertunt materiam nondum ea toto evacuatam, vſtionem denuo inſtituerunt, [illegible] enim cauſa, tuto lauditur fonticulus: [illegible] l. 4 c. 22. *Vt materia inutilis evacuetur, illud perpetuum eſt, non vt primum fieri poteſt hujus generis*

ulcera ſanare, ſed ea trahere donec id vitium, cui per hæc opitulantur, conquieſcat. Ad 6. Quod ponitur minimè concedendum exemplo hoc declaratur: Hodierni in antiquo capitis dolore vtuntur fonticulo in ſuturâ coronali, ad vacuandam peccantem materiam, quæro, vtrum hæc vacuatio ſit ſimplex vel compoſita? ſi ſimplex, quid refert & fonticulum hunc cauterium antiquorum dici poſſe, quia fit in loco affecto, quem & ſanat, roborat & ſiccat? Si compoſita, ergo & veteres dum hanc inuſtionem primò invenerunt, & in eodem loco adminiſtrarunt, ac ad longum tempus apertum tenuerunt, eundem etiam finem, præter modum & formam agendi, nobiſcum habuerunt, ſcil.è loco affecto vel per interceptionem, vel revulſionem, vel derivationem materiam peccantem evacuare: Finem itaque, & modum, & formam agendi vnum eundemque cauteriis antiquorum & fonticulis modernorum ineſſe vt plurimum ſtatuo, quamvis nomen fonticuli non fuerit ipſis vſitatum ac cognitum: ac idem ferè importare aſſero fontanellam noſtram quod cauterium priſcorum, & quamvis hoc multò plures habuerit vſus, tamen propterea à fontanellis non eſt ſecludendum noſtris; hincque ferè omnes Practici excellentiores, vbi de fonticulis agunt, Cauterij nomen tanquam magis vſitatum proferunt ac retinent. M. *Glanderpius Gazoph. c.* 17.

V. Antequam claudantur perpendenda ætas, corporis conſtitutio, materia peccans, pars mandans & recipiens: Si infans Epilepſia v. g. laboret, ac fonticulus nuchæ infigatur, ſimul proba victus ratio nutrici imperetur, medicamenta congrua dentur, hinc fomes ad eum affectum ſubtrahatur, ac cerebrum roboretur, vt annuo ſpatio recidivi mali ſuſpicio nulla detur, tutò poterit fontanella obſerari, ne ſi vlterius aperta ſervetur, boni ſimul & mali ſucci effluant, parique magis debilitetur. In viro ætatis conſiſtentis, ſtatus præſens cum præterito conferendus; qui ſi melior redditus, nec, dum flueret fontanella, recidivam paſſus ſit, paulatim in nucha vel ſincipite obliterari poteſt; pilulam ſenſim minuendo; ſecuritatis gratia alium in brachio inurendo, qui & aliquo poſt tempore ſigillari poterit. At ſenes ad extremum vſque geſtent, ij ſcilicet quibus calor naturalis debilis, & copia materiæ fluit: Perpendendum quoque an calor nativus geſtationis tempore vegetus adeo fiat vt materiam morbificam omnino abſumat; vel an materia peccans aliam inveniat viam: hinc inferre licet non dari definitum tempus geſtandi fonticuli; nec eorum clauſuram mortem ſequi: Si quis authoritatem *Cratonis* objiciat, aſſerentis ex conſolidatis fonticulis mortem obtigiſſe, ſciat eum loquutum de ea exſiccatione quæ prodet, non à defectu materiæ, ſed vi expultricis, quæ non vt ante valida; vnde materia in viſceribus concluſa mortem ipſam infert, ſecus eſt ſi exſiccetur, vel arte, vel natura vlterius non generante materiam, alias per fonticulos excluſam.

VI. Quidam *dolore lumborum* [illegible]ſſimè afflictus tandem obiit; inter alia remedia paulo ante obitum cauterium femori quatuor digitis ſupra genu affixum fuerat; à quo deciſa eſchara fluxit ſanies quædam ad ℥ß. circiter, poſt ſingulis diebus fluebat ex cauterio pus verum & laudabile ad ℥j. vel amplius: Eo defuncto inventus eſt pulmo purulentus; in lumbis magnus abſceſſus, à quo ad cauterium vſque inventus eſt canaliculus, per quem puris portio quædam affluebat. Hic patet naturæ ſolertia, quæ eum ductum efformavit ad expurgationem abſceſſus, quod tamen perficere non potuit à morbi magnitudine ſuperata. *Fr. Chomel apud Riverium Obſervat.* 2. Vid. *Willis Anatom. cerebri, c.*

VII. Multis exemplis edocemur quam minime tuto cauteria, præſertim in pedibus, atque hoc noſtro Germanico aëre, adhibeantur. Et dum propter Germanici aëris intemperiem & frigiditatem clauduntur, quam ſubita mors conſequatur. *Crato apud Scholtzium Conſ.* 221.

VIII. *Cauterij in Sincipite vſus* ad multos morbos proficuus eſt, in iis maxime quibus pars hæc non membranea ſed oſſea eſt: locus aptus eſt vbi deſinit apex medii digiti, adhibita radice manus naſi extremitati, juxta *Meſuem*, non ad ſuperciliorum intermedium, vt vulgò, monente *Zecchio Conſult.* 1. Si dubius ſit Chirurgus præſtat paulo altius apponere, jubente Aquapendente: Vltra pericranium cauteriſatio non inſtituenda, ſufficit vel attingi, vel tantum perforari non vlterius progrediendo, laminam ſcilicet auferendo, quod fugiendum ſuadet *Albucaſis*: Tutius ſemper actuale potentiali. 2. In Occipite fontanellam reprobant Practici, quod vix geſtetur, plurimque detineatur: verus locus eſt nucha, vbi ſumma vertebra cum capite committitur. 3. In Cervice locus maxime commodus, juxta Aquapend. eſt inter j. & ij. vertebram: eligunt alij inter ij. & iij ne infigatur in proceſſu vertebræ, nec ad latera, ſed rectà in medio. 4. In Brachiorum interna parte commodius & ſalubrius excavantur quam externa: genuinus locus eſt inter muſculum deltoidem & bicipitem, vbi vena cephalica excurrit, quod videri & attingi poſſit: quod inter muſculos; quod prope venam *cephalicam* fiat, quæ conditiones deficiunt ſi in parte ſylveſtri imprimatur. 5. Geſtantur vſitatè fonticuli ſupra genu, in Femoris interna & externa parte, per iv. digitos ſupra ipſum: externo quidem loco, inter muſculum crus extendentem & *flectentem*: interno, inter muſculum extendentem, domeſticum vaſtum internum & adducentem: Externus locus planè rejiciendus, ob latum tendinem, qui ibidem ſub cute diſpergitur, quo læſo, teſte *Aquapend.* & *Hildano*, gravia ſequuntur ſymptomata: internus vtilior ob venam cruralem deſcendentem. 6. In Crure tribus locis fiunt; poſteriori ſuræ parti infigebat *Spigelius* in dolore Iſchiadico cum ſucceſſu, quia ibi excurrit vena poplitea: *Internus locus* trium digitorum latitudine ſub genu exiſtit; commodus, ſaphænæ ratione, mulieribus; viris, equitationi deditis, minus: quibus potius conducit exteriori loco inter fibulam & tibiam, in interſtitio muſculorum, vbi vena adeſt, etſi non adeo evidens ac in interna parte.

IX. Excitetur his obſervatis conditionibus, Primo, Sit *Fontan.* in loco qui à patiente conſpici, regi & mundari poſſit; maxime in artubus. 2. Sit prope venas majores, aut earum ramos aut ramulos, non ſupra. 3. Non fiat in ipſo corpore muſculi, parte tendinoſa aut carnoſa, ſed in interſtitiis muſculorum, quò humores tranſeuntes facilius vacuentur. 4. Eligatur locus ligaturæ aptus.

X. *Perforatæ Aures* Fontanellæ vicem gerunt, ex toto vacuantis: viam intento digito monſtravit natura: foraminulum quibuſdam in lobo extat, in auribus dicatum: Mirus lobi auris cum corpore reliquo conſenſus, ſive per nervulos, ſive per arteriolas à carotide, ſive per venas ex jugularibus: Summo æſtu ſi frigidam lobo aſpergas, vniverſum cor-

corpus ſenties refrigerari: In Ægypto, teſte *Alpino*, familiaris aurium ſcarificatus: Auris lobulo perforato trajiciatur rutunda longiuſcula, ex inverſo & convoluto cortice radicis laureolæ: Sinenda eo loco rutunda donec auris & vicinæ partes intumeſcant: tum leviter rutunda commoveatur, vt aquæ copia collecta effluat, qua exhauſta detumeſcet auris & ophthalmia ſedabitur. *Bartholinus Cent.* 4. *Obſervat.* 80. Incredibile dictu quantam ſeroſæ illuviei copiam per hujuſmodi foramina depluere ſæpe vidimus, ita vt vis decem dierum ſpatio ea copia per ſetaceum, quæ aliquando intra 24. horas per hæc emiſſaria fluere poſſit: Nec tantum in fluxionibus ad oculos, ſed & partes inferiores, præcipuè externas, vt pectus, dentes, articulos &c. hoc remedium multum valere vidimus: multoſque ab imminente phthiſi ex tenui acrique deſtillatione: alios ab inveteratis capitis doloribus curatos experti ſumus: dignumque remedium quod omnes Practici in fluxionibus tum avertendis, tum vacuandis in vſum revocent. Foramen fiat cum ſtylo triangulari candente, immiſſiſque radicis thimelææ fruſtulis, poſtea emplaſt. diachylon. gummato obvoluris, & ad inſtar ſetacei vulgaris bis aut ter quotidie, ſi opus, renovatis, per longum tempus. *Riverius Cent.* 14. *Obſ.* 100.

2. Cauterium *retro aures* apprimitur à *Zacuto Praxis Admir. lib.* 2. *Obſervat.* 160. commendatum ad omnes deſtillationes à capite, & à *Riverio* in fluxionibus oculorum.

3. Novus locus à quibuſdam inventus, in Cervice, prope venas jugulares, in muſculorum interſtitio: cujus beneficio Raucedo inveterata curata in duobus. *Riverius.*

4. *Fontanella in Dorſo* non ſolum ad morbos capitis, materiam *ſimpliciter* evacuando & derivando, ſed inſuper ad arthritin, nephritin & colicam omnem, morbi fomitem anticipando, eamque dum ad nidos ſuos tendit intercipiendo, egregie conferunt: Quod equidem per experimenta & obſervationes ab ægrorum juvamina deſumatas comprehatur. *Willis. Cauteria inter ſcapulas* admota hodie in maximo vſu ſunt, & a Practicis noſtris paſſim vſurpantur. *Riverius.* Cauteria nemo Dorſo inuſſit, nec vllus vltra tertiam aut quartam cervicis vertebram progreditur: Novi tamen virum qui fontanella Dorſo inuſta, inter primam & ſecundam Dorſi vertebram à metu phthiſeos liber evaſit. *Bartholinus Centur.* 4. *Hiſtor.* 33. Illuſtriſſ. *Theodoro de Mayerne* familiaria illa fuere, è regione anguli ſuperioris omoplatarum, ad æqualem ſpinæ diſtantiam cauſticum admovens: Piſa quinque, ſex & amplius jubens imponi; quæ tenax emplaſtrum cohibet: Illuſtriſſimus *Seguierus*, Galliæ Cancellarius, qui nonageſimum prætergreſſus eſt annum, eorum beneficio tamdiu vitam protraxit, piſorum acervum vnicuique indens foramini.

5. Id jam apud nos in frequenti vſu eſt, duo cauſtica applicentur *poſteriori parti cervicis*, juxta quartam & quintam colli vertebram, ita vt ſpina vtrique cauterio intermedia ſit, & vtrumque eodem emplaſtro curari valeat. *Riverius.*

6. *Alarum cavo* inurgendum cauterium, vbi res ferat propoſuit *Amatus Luſit. Cent.* 6. *Curat. vlt.* In peſte curanda duplex ad vtraſque alas cauterium deſigit *Thomas Fienus lib.* 4. *de Cauter. cap.* 17. Juveni 22. annor. laboranti fluxione in pulmones, phthiſi jam propinqua, inter plurima remedia præcipuum fuit cauſticum vtrique axillæ admotum, quod fluxiones ad pectus dilabentes, & humores in eo contentos potenter derivando, intra menſem juvenem reſtituit. *Riverius Cent.* 2. *Obſ.* 61.

7. *I. Cæſar Claudinus* & ſcapularum locum, & infra articulum laudavit ad defluxus in partes pectoris avertendos, Locus enim is à magno calvariæ foramine, & a ſpinali medulla diſſitus non eſt: eſt etiam declivis & propinquus venis quæ à capite in brachia deſcendunt.

8. Ad pectoris morbos Fontanellæ inter homoplatas, item in brachio, aut crure, ad humores versus pulmonem affluentes evacuandos, aut anticipandos; etiam ut eoſdem illuc depoſitos avocandos conducunt: Quomodo Fonticulus in ipſo thorace, inter coſtas inciſus, materiem tabificam à pulmone nonnunquam immediatius derivat, experientia novimus. *Willis.* Ad medias claviculas, qua foſſula ſubmiſſa indicat, inſculpenda duo emiſſaria *Aquapendens* contra deſtillationem ad pectus jubet.

9. *Abdominis regio* ad Fonticulum, in vlla ſui parte geſtandum, inhabilis videtur, attamen quorundam praxis, crebrior, ad affectionem quamque hypochondriacam multum prædicata eſt, fonticulum amplum, & plurium piſorum capacem, ſupra lienis regionem per cauterium inuri: Hoc in nonnullis ſine magno commodo, certe non quantum talis remedii moleſtiæ compenſandæ par eſt, factum novi. *Willis.*

10. Per Fontanellam in *Inguine* Lumbaginem immanem, quibuſque aliis remediis obſtinatam, Inque alio affectionem Iſchiadicam inveteratam feliciter olim curavi: Enim vero emunctoria glanduloſa illic loci conſtituta, ſanguinis & liquoris nervei recrementa quamplurima imbibunt, quæ ſi ex illis per emiſſarium idoneum protinus & continue amandentur, multum hoc conducet ad partes vicinas à minera quavis morbifica liberandas. *Willis.* In *Inguine* excitantur Fonticuli, iis præſertim qui lege maritali non tenentur, quique jam annis graviores ſunt: Ad colicam & dolorem veſicæ hæc probavit *Gulielmus de Saliceto*: ad Arthritidem *Iacobus Fontanus*: ad Pſoram contumacem *Santorellus*: hydropicus & cachecticus magnum inde ſenſere beneficium: Taceo quod longe plurimis vlceratis bubonibus venereis, jam ſanceſcentibus, in peculiare infecti jecoris emiſſarium pilulam conjeci, longo tempore continendam, non ſine commodo.

11. Inferius Inguine, iv. digitos latos, excitatum *media femoris linea* cauterium, percommodum iiſdem affectionibus abolendis: diſcurrunt quippe per medius illos, externa facie, lacertos, venæ inſignes, quarum ſurculis facile eſt, occaſione data evomere quicquid ſuperfluum ſuperiori corpori: *Placentinus* Monachis, ob incommoda quæ ex continua genuflexione eveniunt, intus in femore duobus vel tribus digitis infra inguen, in muſculorum interſtitio, prope quod eſt vena cruralis, infigebat.

12. Fonticulum, qui *Sura*, inter principia muſculi gaſtrocnemii innititur, mitigare dolores Iſchiadicos ſummo & feliciſſimo ſucceſſu expertus ſum in memet ipſo: Laudat quidem *Spigelius de Hum. corpor. Fabrica lib.* 5. *c.* 9. ob tranſitum venæ popliteæ, inuſtionem fonticuli in ſura, vbi principia muſculi gaſtrocnemii concurrunt: at quia hic locus ob declivitatem ad deligandum eſt valde incommodus, Ego, juxta *Veſalium*, locum paulo ſupa-

riorem elegi, ipſique fonticulum inuſſi, non ſine ratione, habet enim hic fonticulus omnes boni conditiones, primo venam popliteam vicinam, quam antiqui & recentiores in Iſchiade, aliiſque morbis plurimis aperiebant magno cum ſucceſſu: 2. Interſtitium principiorum gaſtrocnemij; neque enim metuendus nervus ſatis inſignis qui ſub genu tranſcurrit, vt lædatur: nam vbi fonticulus conficitur, nervus progrediendo jamjam profundiora petiit: 3. Deligaturam firmiter conſiſtentem: 4. Commoditatem qua patiens ipſe fonticulum regere & gubernare poteſt. *Scultetus Armam. Obſ.* 72.

13. In Pectore duo vel tria Cauteria, ſecundum ejus longitudinem in affectibus Thoracis & Pulmonum admoventur. *Riolanus Enchirid. lib.* 5. *cap.* 4.

14. In flexu Natium, ad extremitatem gloutiorum muſculorum, vbi percipitur motio femoris ſupra articulum, admovetur pyroticum in perfecta Iſchiade, quando humor occupat cavum articulationis. *Idem.*

15. Interdum, ad avertendas fluxiones in femur, ſupra lumbos, juxta ſpinam, vtrinque cauterium apprimitur. *Idem.*

16. Iuvenis quum truculentum diu pateretur capitis dolorem, tandem excitato fonticulo in manu dextra ſumma, inter indicem & pollicem, parte externa, omnino ſanus factus. *Zacutus Prax. Adm. lib.* 1. *Obſerv.* 8. Fonticulus ille aliis experimentis comprobatus eſt. *Riverius.*

17. Sub Genu, ſi rectè applicetur, omni caret periculo: vitanda eſt coarticulatio fibulæ cum tibia, vbi validiſſimum ligamentum exit, quod ſi cauſtico attingatur, graves excitantur dolores. *Fab. Hildanus Cent.*1.*Obſ.*94.

18. Reſtat aliud emiſſarium revellendorum humorum gratia, carnoſa parte quæ xv. digitos malleolo ſuperior eſt; propoſitum à *Fieno lib.* 4. *de Caut.cap.*15. quem locum exulcerare conſuevimus veſicantibus in febribus malignis. *Severinus Med. Efficacis p.* 214.

XI. Quidam 60. annum prætergreſſus, obſtructionibus viſcerum adeo graviter laborabat, vt etiam abdomen & crura tumore oëdematoſo extenderentur; cum ſiti, cibi faſtidio & aliis ſymptomatis: Inſtituta optima victus ratione, præparato corpore & aliquoties Rheo, Senna &c. expurgato, additis roborantibus, Tandem quoque cauterio potentiali fonticulum ad poplitem dextrum effinximus; inde ſeroſi humores tam copioſe effluxere vt præter ſpem reſtitutus ſit: natura enim humores excrementitios ad fonticulum, veluti ad cloacam protrudebat. *Hildanus Obſ.*74. *Cent.*4.

XII. Mirus *lobi Auris* cum corpore reliquo conſenſus, ſive per nervulos, ſive per arteriolas à carotide, ſive per venas ex jugularibus: Summo æſtu ſi frigidam lobo aſpergas vniverſum corpus ſenties refrigerari & refocillari, quod non ſimplici vice in me ſum expertus: Perforatur innoxie, & propter arterias carotides, venulaſque jugulares, capitis vaſa, genas gingivaſque perreptantia, non capitis ſolum ſed *oculorum dentiumque* affectibus prodeſt: Teſtis eſt *Pr. Alpinus* 3. *Med. Ægypt. c.* 1. in Ægypto familiarem eſſe aurium ſcarificationem, prima æſtatis parte, quo tempore è centenis quibuſque pueris x l. vix reperiantur quorum aures ob ſcarificationem goſſipia non geſtent. *Valleſius* 6. *Epidem.* 5. 21. Empiricos quoſdam vidit *Iſchiaticis* omnibus internam auriculæ partem, qua cartilago velut replicata tumorem quendam habet, cauterio vrere, & eorum quoſdam eſſe juvatos: Cauſam addit, quod multis Iſchiaticis ex capite fluat materia & ejus loci vſtione intercipiatur: Idem didicit a Saracenorum filiis: Ad dentium dolorem periodicum nihil præſentius habuit *Spigelius* quam ferro candente eam anthelicis partem incidere quæ ſupra concham immediate ſuperiorem tragi partem contingit, deinde vulnus conſolidare. Singulare *ophthalmiæ* remedium *Bartholinus cent.* 4. *hiſtor* 80. Cuidam, *apud Scultetum Armam. Tab.* 34. *fig.*6.) ex baſi craſſiori de collo propendebat tumor, qui ob venas jugulares, & arteriæ carotidis internum ramum nulla ratione amputari, nulloque modo à cute ſeparari potuit: Illi Setaceum ſiniſtræ auriculæ lobo inuſtum, ad intercipiendam materiam, quæ illinc per venam acu nunc perforatam & aduſtam quotidie affluxit ad nutriendum & augendum tumorem: Eſchara ſetacei butyro ablata, foramini immiſi primu annulum plumbeum, donec illud vndique conſolidaretur, quo facto ſubſtitui aureum: Hac anullatione non modo fuit impeditum tumoris incrementum, verum etiam tumor per accidens in tantum decrevit, vt ipſum patiens inducto thorace facile occultare potuerit.

XIII. Vulgo quæritur an *Cauterium actuale* citra noxam *Bregmati* poſſit admoveri? ℞. Licet vſum fonticulorum in ſuturæ coronalis & ſagittalis concurſu, quem Græci βρέγμα vocant, graviſſimi authores ſuſpectum reddant, cum tamen quia perplurimi mecum, ob crebram boni ſucceſſus experientiam, maximè commendant ad curandos contumaces præſertim capitis affectus; illamque quæſtionem ſatis ventilarunt I. C. Claudinus Reſp. Med. 3. T. Fienus lib. 3. de cauter. c. 22. & M. A. Severinus Pyrot. Chir. lib. 2. pag. 21. cap. 11. actum non agam, ſed Lectorem ad allegatos authores remittens adminiſtrandi modum aggredior. Ad bregmatis accuratam inventionem tam recentiores quam veteres Chirurgi varios excogitarunt modos, quos omnes recenſet Aquapendens de Fonticulis in ſutura coronali: Ego ad inveniendum ſuturæ coronalis & ſagittalis concurſum, Avicennæ modum & Celſi conjungo, Et capillis ſufficienter dераſis, duco filum ab vna media aure ad alteram: deinde aliud ab apice narium ad verticem; vbi fila ſeſe interſecant & crucem efficiunt, ibi cenſeo eſſe bregma ſeu fonticuli locum: Quoad operandi modum, Chirurgus ſiniſtra manu tenet cannulam frigidam, qua cutim atramento ſignatam fortiter comprimit, vt partes vicinas ab igne defendat & dolorem mitiget; dextrà vero ferramentum optimè ignitum cannulę intrudit, & ad cranium perveniens circumvolvit, donec oſſi aliquod veſtigium inciderit: ad prohibendam inflammationem pericranii, quæ omiſſa ferramenti igniti circumvolutione facilis eſſet, & ad promovendam materiæ peccantis evacuationem, quæ paulatim quoque fit per poros cranii, ferramento illo vtor quod Aquapendens vocavit *Cavum & ſimpliciter Incidens*: Hoc ferramento optime ignito, & cannulæ præcedenti immiſſo, fonticulum efficimus in ſuturæ coronalis & ſagittalis concurſu, non tantum adurentes, ſed ob acumen inſtrumenti etiam incidentes: Hoc cavum inſtrumentum, quando calvariam attingit tandiu circumvolvendum eſt donec evidens ei veſtigium impreſſerit: Vſum inſtrumenti hujus ſimpliciter cavi, ſimulque incidentis, multi recentiorum improbant, non ob dolorem mo-

de

modo quem inferre putant, ſed etiam ob metum periculoſæ in pericranio inflammationis, quæ duræ matri ſubjectæ per ſuturarum conjunctionem communicari poſſet, vnde huic cavo rejecto ſolidum & vniforme dictum ſubſtituunt: meo tamen judicio cavum longe præferendum eſt ſolido, quia hoc enarrata mox incommoda facilius inferre poteſt quam illud: addo quod ſuturarum inuſtio, ſolido ferramento peracta, ob cutis in capite craſſitiem, duritiem ac denſitatem nimis tardè procedat: omnes autem adminiſtrationes Chirurgicæ, præſertim illæ quæ ferramentis peraguntur ignitis, citiſſimè perficiendæ ſunt. Quamobrem Chirurgi moderni me... ...ciuot ferramenta, non ſimpliciter cava & ...tia, ſed ſtellata & dentata quia illud ob ſtellam omnino nequit circumvolvi: hoc ob dentes non ita promptè; quare inepta ad conficiendos in bregmate fonticulos. *Scultetus Armam. Chirurg. Tab.* 26. *&c.*

XIV. Nonnulli in *Vvulæ inflammatione*, &c. revulſionis gratia cauterium regioni oſſium bregmatis admovent, quod prudenter faciendum ne dura meninx nimis exſiccetur, & ægrotus in convulſionem labatur. *Chalmeteus Enchir. p.* 106.

XV. Hoc præceptum eſt plurimum obſervandum, videlicet *Occipitium* nuſquam eſſe niſi igne aperiendum: Nam ruptoria medicamenta, præter incertitudinem quantitatis ruptionis quam ingerunt, ſumme partem labefactant, quod in affectibus capitis plurimum eſt pertimeſcendum: Quòd ſi. vt ſæpe expediat eam partem ferro candente vrere, nam præter robur quod parti addit, non ultra permeat quam par ſit, ac vehementius naturam ad eam partem revocat. *Mercat. de Indicat. l.* 1. *c.* 15.

XVI. De *nuchâ* illud monendum, ſedulo cavendum ne in ſetaceis tendines lædantur: Novi enim Capitaneum cui ſetaceo læſi hi, ea parte perpetuum dolorem intulerunt, quanquam oculorum vitio liberatus ſit. *T. Bartholinus cent.* 5. *hiſt.* 25.

XVII. *Articulorum Vſtionem* obſoletam poſtliminio in uſum duxit m. A. *Severinus* l. de Effic. Medicina, quam ab eo adminiſtratam vidi planè ad eum modum quo depingit *Alpinus* l. 3. p. 101. nitritum per pyramidem è lino & goſſipio paratam. Vocabat vſtionem Arabicam, quia non Ægyptiis tantum, ſed præſertim Arabibus, ſub tentoriis degentibus, familiaris eſt: Prodeſt hæc inuſtio potiſſimum in articulorum doloribus ab impacto humore frigido glutinoſoque cauſatis: item phlegmaticis tumoribus, hinc inde in ſuperficie corporis oriundis, contumax enim materia alteri remedio cedere neſcia eſt *I. van Horne microtechn. p.* 2. §. 33. Quod ad Vſtionem lino crudo & fungis parandam ſpectat, quia modum non docuit *Hippocr.* cum aperire operæ pretium eſt: Accipiatur linum crudum, & arcte conglobatum; reducatur in formam pyramidis, cujus baſis latior in anguſtum coarctetur: magnitudinem, ſeu latitudinem baſis, indicabit locus inurendus: non ignorato vſtionem aliquanto latiorem fieri quam ſit baſis pyramidis: hæc igitur in ſummitate accenſa, loco inurendo apponatur, ibique reſideat donec tota materia abſumpta ſit; nam ignis ſerpendo, ad cutim perveniens, vſtionem facit, & quod mirum videtur, ferè inſenſibiliter & ſine dolore: Extincto igne porrum elixum imponebat Hippocr. donec quod exuſtum eſt decidat. Noſtri butyrum cum caule adhibent, indeque vlcus apertum ſervetur ad libitum. Hippocr. aliquando vſus fungis, è quibus eſca paratur ad excipiendum ignem è ſilice: Ægyptii ex petiis lineis involueratis & goſſypio repletis parant; Armeni ex ſolis petiis filo coarctatis inurunt: Qui quidem modi omnes optimi ſunt, vt mihi conſtat experimento: In eoque tamum differunt, quia quo materia ignem recipiens denſior eſt & magis coacta, eo vſtionem altiorem facit quare pro ratione loci affecti, ætatis, ſexus ac temperamenti materia variari poterit. *P. Martianus comm. in v.* 25. *ſect.* 3. *lib. de Affect.*

XVIII. In cauſticis præparandis hoc unum eſt obſervandum vt ſumantur quæ carent vi adſtrictoria, qualis eſt calx viva: nam quæ parantur ex chalcitide, myſi, atramento ſutorio & id genus aliis, cum vim habeant adſtrictoriam, tardius eſcharam ab illis excitata excidere ſolet: quare his uti potius debemus vbi ſanguinem ſupprimere volumus è vaſorum eroſione erumpentem. *Mich. Gavaſſetius l. de nat. Cauter. c.* 12.

XIX. Ad fonticulum in *Suturarum coronalis & ſagittalis concurſu* efficiendum, ferramento optime ignito & cannulæ immiſſo, non tantum adurente, ſed ob acumen inſtrumenti etiam adurente vtebatur H. ab Aquapendente: Huc quando calvariam attingit tamdiu circumvolvendum eſt donec evidens ei veſtigium impreſſerit Vſum inſtrumenti hujus multi improbant, non ob dolorem modo quem inferre putant, ſed etiam ob metum periculoſæ in pericranio inflammationis; quæ duræ matri ſubjectæ per ſuturarum conjunctionem facile communicari poſſit, vnde huic cavo rejecto ſolidum & vniforme dictum ſubſtituunt; Meo tamen judicio cavum longe præferendum eſt ſolido, quia hoc enarrata mox incommoda facilius inferre poteſt quam illud: Addo quod ſuturarum inuſtio, ſolido ferramento peracta, ob cutis in capite craſſitiem, duritiem ac denſitatem nimis tarde procedat: omnes autem adminiſtrationes Chirurgicæ, præſertim quæ ferramentis peraguntur ignitis, citiſſime perficiendæ ſunt. *Scultetus Armam. pag.* 1. *pag.* 4.

XX. Mulier per multos annos pedem graviter vlceratum, & fontanellam in altero habuit: horum moleſtia defeſſa, conſolidari curavit, hinc ſtatim difficultas ſpirandi, ſuperſtite tamen appetitu: tandem facies & totius tumor ob humores ſtagnantes & exitum non habentes, & paulò poſt mors: In latere ſiniſtro, ad lienis ſitum, abſceſſus apertus inventus eſt. *Horſtius Obſervat.* 15. *lib.* 9.

XXI. Hodie non amplius vtimur forcipibus perforatis & acu ignita ad *Setaceum*, ſed prius abraſis, ſi opus, pilis, admvento loco, & notat oper longitudinē vertebrarum, tum etiam ad latera, vbi perforatio eſt inſtituenda, cutis duplicata, vna manu miniſtri, altera magiſtri elevatur, & cuſpide lanceolæ robuſtioris pertunditur, atque ligula linea, quâ vtimur ordinariè, è veſtigio per foramen traducitur: hæc poſtmodum ea parte, quæ ſub cute latere debet, medicamento digeſtivo inungenda & ſæpius commovendo permutanda eſt. *I. Van Horne microt. pag.* 177.

XXII. Quoties *ſetaceum* vndique cicatrice ita obducitur ut non fluat amplius, tunc vulgo unguento corroſivo inuncto calloſitas abſumitur; At ſic non tam cutis quam fundus foraminis ereditur, unde inutile evadit ſetaceum: Ego vero excogitavi fiſtulam argenteam, cui adaptatur filum duplicatum, quod inſuc acur linimento ex pauculâ quantitate cauſtici noſtri, guttula vna aut altera aquæ roſarum aut plantaginis diſſoluti, poſt fiſtula ſetaceo infigitur, ſic infima pars ſetacei, il-

læſa cute, corroditur: *Hildanus centur.* 1. *Obſ.* 41. *vbi vide figuram inſtrumenti.*

XXIII. Ego *Setaceum* præfero fontanellæ in pueris, quia cum hi ſint turbulenti, ſubinde excidit piſum à vulnere, vnde cito coaleſcit: Huic incommodo obviam itur arctiſſimo vinculo, quo caput in coronæ figuram ligatur: ac malum naſcitur ex hac ligatura, cum puerulis cranium ſit molle & cartilaginoſum, vnde comprimitur ac in latitudinem creſcere prohibetur, hinc rotunditas in longitudinem abit, quæ vitioſa figura cerebro quoque inditur, à quo depravatio actionum animalium & naturalium; confirmat *exemplo Hildanus Obſ.* 4. *centur.* 6. *vide eundem cent.* 1. *Obſ.* 42.

XXIV. *Paræus l.* 9. *c.* 24. Setaceum conficiens vulnus in longum infligi vult, quo per fibrarum rectitudinem materiæ promptius vacuentur, cui conſentit *Dureus*: *Aquapendens* obſiſtit 1. quia non poteſt apprehendi & perforari cutis transverſè: 2. ſuperius foramen eſt ſuperfluum: His rationibus ductus, cenſeo vel transverſim cutim trajiciendam, vel oblique apprehendendam ac transfodiendam, ita vt vnum foramen altero ſit altius, quia vtrique vlceri ſuccurrunt fibrarum ductus, & ab vtroque latere evacuatio felicior expectatur. In ea autem regione altius vlcus infigendum vbi malum magis vrget. *Glandorpius Gazophyl. c.* 20.

XXV. *Vſtio* alia eſt penetrans vſque ad ipſum pus, vt ſimul ſit vſtio & ſciſſio; aut eſt *Inuſtio* h. e. vſtio vulnerans ſuperpoſitam cutem & cruſtam gignens, ſed non penetrans: Priori vſtione, non minus quam ſectione, educitur affatim pus, Inuſtione non ita, ſed vlcuſcula fiunt, vt per ea natura demittat ea quæ ad internam partem colligebantur; aut etiam quæ collecta erant paulatim trudat, interna expurgans: Proſunt etiam Inuſtiones ſiccando ac firmando partes, quum ſint humidæ & laxæ, ac intercludendo viam fluxionibus; nimirum cicatrice durantur conſtringunturque partes: Hinc cum pus ex alto educere volumus, ſectione vtimur: ſi pus malignum non ſit, nec pars putredini opportuna, ſolo inciſorio; ſin autem ſit, ferro candente: quia ignis cohibet & extirpat putreſcentiam: Inuſtione vero uti tunc ſolum debemus quum fluxio nondum in pus mutata ſubeſt, aut mucores adſunt & laxitates partium, velut ligamentorum in dolore coxæ & aliis articularibus, aut niſi fortè cum ſectionem non audemus facere, etſi alioqui eam petit morbus; velut ſuppuratis iuxta thoracem jubet Hippocr. lib. de Int. Aff. ſectionem facere penetrantem, quà pus effluat; (nimirum id conſulens quod morbus petit) Alii tamen inuſtionibus in ſpatiis intercoſtalibus contenti ſunt, qui ſcilicet magnitudinem auxilii & difficultatem in debili ægro reformidant. *Valleſius comm. in* 5. *Epid. p.* 462.

XXVI. Antiqui *Vſtiones in abdomine*, epatis, lienis & ventriculi cauſa inſtituebant, quæ in deſuetudinem venere cum doloroſæ ſint & ſcopum non attinguentes: fiebant enim 1. ad intemperiem frigidam & humidam ſubjectorum viſcerum emendandam; at non conſultum eſt intemperies inveteratas tam ſubitò corrigere, cum facile contraria intemperies induci poſſit: dein intemperies per totam hepatis ſubſtantiam diffuſa exiguo ferramento non emendabitur; cui præferenda ſunt idonea quæ ſuppetunt medicamenta: 2. Fiebant ad vacuationem vitioſorum humorum; ſed etſi vitioſa materia ſubſit in viſceribus, quia tamen ea peritoneo non ſunt contigua, per vlcus ferro inductum materia effluere nequit: In ſpecie vomicas epatis & lienis quod attinet, rectè ſcribit *Aquapendens* ferramento candente, acuto, inurere cutem & ſubjectos muſculos, & peritonæum, & penetrare ad jecoris vſque vomicam & ipſam quoque adurere, nihil aliud mihi videtur eſſe quam hominem pene mortuum occidere: laudans Præceptoris ſententiam qui in deſperatis caſibus dicebat, *Satius eſt ſinere patientes mori quam occidere. Sennertus Pract. lib.* 3. *in fine.*

XXVII. Vt *luxurians caro* interdum adnaſcitur abſciſſis membris, ita & fonticulis in eorum cavitate: nec credendum mucorem eum, vel carnem ſylveſtrem, vt vocat vulgus, provenire ab humore illo excrementitio, quem volumus evacuatum, ſed ſæpius in materiam talem convertitur, quæ ſi pars integra eſſet cederet in ipſius nutrimentum: Et hinc fit quod nonnulli fonticulos gerant ſine omni effectu. *Hæferus Herc. Medic. lib.* 1. *cap.* 4.

XXVIII. Cauterium vbi admovetur ad attrahendam materiam ſurſum repentem, vt in ſympathica Epilepſia, poſt eſcharæ caſum cucurbitula frequenter admoveatur. *Riverius Pract. l.* 1. *c.* 7.

XXIX. *Cauteria potentialia*, ſi imprudenter applicentur, dolorem invehunt aliaque ſymptomata: Pharmacopæus quidam cum ipſe ſibi ſub genu dextro causticum applicaret, veri loci ignarus, paulò poſt applicationem dolore acerbiſſimo, inflammatione, febre, cum convulſionis metu, prehenſus fuit: conſolidato vlcere, aliam fecimus fontanellam, quam adhuc cum fructu apertam habet. *Hildanus cent.* 1. *Obſ.* 94.

XXX. Sexagenario cuidam vetuſto & graviſſimo dolore capitis laboranti, præmiſſis præmittendis, ſetaceum & cauterium potentiale adhibui: 4. diebus poſt oedematoſus tumor in brachio ſubortus eſt, qui ita accrevit vt totum brachium, ab humero ad digitorum extremitates, non ſecus ac hydropicorum crura, intumeſceret: Remediis vſus ſum ad præcavendam caloris nativi extinctionem: tandem tumor brachii omnino diſſipatus: 12. poſt die eaſdem partes invaſit tumor ille, qui magna ex parte non tamen ex toto evanuit: Multis opinio fuit hæc ratione cauterii, nervo appoſiti, proveniſſe; errasse autem illos patet ex anatome, nervi enim ibi profundiores ſunt quam vt à caustico attingi poſſint: deinde non ſupra tendinem muſculi deltoidis admotum, ſed multò altius: Poſt menſes tres, brachio velut hydropicorum crura intumefacto, lenta febre fuit extinctus: nulla aderat gangræna, lividitas, aut dolor, niſi gravativus. Cæterum cauſam intumefactionis brachii in ſcirrhum duriſſimum, inveteratum, immobilem, doloris expertem & lividum, ſub axilla latitantem, coſtiſque adhærentem refero, non in cauterii applicationem; etſi inde aliquomodo mortem acceleratam fuiſſe non dubito. *Cl. Chapuſius ad Fabr. Hildanum cent.* 4. *Obſ.* 73.

XXXI. In applicatione cauſtici Potentialis ſedulò cavendum ne Eſchara nimis lata ſit, latis tamen profunda; quæ duabus de cauſis mihi ſummopere probatur, 1. quia abſque dolore ferè perficies totum negotium, præcipuè ſi ſcalpello 2. aut 3. die (ne materia cum affluit retineatur) centrum eſcharæ penitus emortuum exciderís. 2. quia venas capillares in ambitu fonticuli, per quas affluentes humores exſtillare debent, conſervabis: eſchara enim ſi lata & nimis profunda fuerit, coaleſcente vlcere oſcula harum venarum callo obducuntur, minuſque commodus & aptus fit fonticulus. *Idem Epiſtola* 64.

XXXII. Cum

XXXII. Cum inuruntur noſtro conſilio Fonticuli, eo vſque pervadere eorum vis cutem debet, dum ſubjecti muſculi membranula exedatur, ut in his quibus in vitio ſunt pedes à perpetuæ acrioris materiæ incurſione, vnde tædii plena ibi vlcera: hæc ne amplius fiant, fontanella cruri impreſſa, ea regione qua lorum caligas ſtringit, ſed paulo depreſſiore, eam labentem materiam exſpuit. Sed, vt dixi, illa pellicula muſculi trajicienda, ne acrior materia, ſolitâ quâ ferebatur via, inter carnem & muſculum elabatur in pedes: quare ea cautio adſit ne hæc conſociatio juncta a carne redintegretur: nam fruſtra fontanellæ tædium gereret homo ſine commodo: *Heurnius meth. ad Pr. l. 1. c. de cauteriis.*

XXXIII. Hoc cavendo non vltimum eſſe debet, pervidendum nempe ne cachecticus, i. e. corrupto corporis habitu, aut vitiatis viſceribus, homo ſit is qui recepturus eſt vſtionem: quinimo ne cacochymus & impurgatus: ejuſmodi enim corporibus inflicta acus punctura, cacoethe vlcera producit. *Severinus Medic. Effic. pag.* 256.

XXXIV. Moneo ne quis decipiatur membri recipientis affectu ac miſeria, juxta ipſum aperiens fontanellam dum humor aliunde provenit; ſed expedit ſemper fluxionis originem exquirere, ac ibidem remedium affigere: alioquin impoſſibile eſt quin aut majus aut novum efficiat damnum; hæc enim eſt hujus præſidii potiſſima indicatio, nimirum vt materiam fluxui aptam per diſtantem à parte, cui damnum infert, regionem facilè expurget. *Mercatus de Indic. Med. lib.* 1. *c.* 16.

XXXV. Intercapedinibus muſculorum, aliarumque partium cavitatibus, ſpontaneum interdum vlcus obortum eſt, quod graviorem alium affectum corporis elevavit ademptitque: In eo igitur loco linquendum emiſſarium in aliquod tempus; Et moneo quidem ipſe qui rem conducibilem ſæpe ſum expertus, & ratio ipſa ſuadet. *Severinus Med. Effic. p.* 235.

XXXVI. Pro Fonticulo parando vtimur interdum cauterio actuali intra capſulam deliteſcente, ne ignis aſpectu terreat: interdum potentiali, cujus duplex, nunc vſus, ſub formâ ſolidâ vel liquidâ: Sed certius & celerius perficitur ſi cutis, vtrinque elevata per lanceolam dividatur, ſtatimque pilum interſtitio imponatur, quod ab humiditate affluente intumeſcens, locum perpetuo ſervat apertum: ſic enim non expectandus caſus eſcharæ, qui in longum tempus protrahitur; nec metus eſt ne colliquatum causticum ſpargat ſeſe per magnum cutis ſpatium, cujus ſuperficiem ſolam dum corrodit, non poteſt attingere profunditatem interſtitii muſculorum: *Van Herne microtechn. p.* 180.

XXXVI. *a* Impurum ſi ſit corpus, & colluvie humorum ſi ſcateat, Fonticulus nequaquam excitandus, niſi prius vniverſalibus cautum ſit accidentibus ſupervenire ſolitis, à parva enim cauſa gravia quandoque ſuſcitantur: Exemplum recentiſſimum proſtat: Medio Aprili anni 1681. *Conſtantinus* M. Olitor apud nos primarius, vir, ſexagenarius, conſilii cauſa me adiit, Vereor, inquit, ne apoplexia invadat, dolor enim gravativus ſiniſtram capitis partem cum torpore occupat, imo lingua aliquando titubat, quamobrem cauterio opus mihi eſſe exiſtimo? Annuo, ſi modo neceſſaria præcederent, ne præceps fieret humorum irruptio in partem cui admoveretur: Reponit ille non ita pridem expurgatum fuiſſe corpus, ac protinus Chirurgum adiit; Poſtridie fluxio in pulmones & brachium cui impoſitum pyroticum decumbit, huic diarrhœa ſe adjungit cum febre: Accerſitus permittendum eſſe fluorem dixi, neque de ſanguinis miſſione, quam vrgebat, cogitandum priusquam alvus fluere deſineret: ſpernit tamen conſilium & ſanguinem ſibi è brachio ſuppoſito extrahi curat, qui corruptus & putridus exiit, omnino illi ſimilis qui peripneumonicis & pleuriticis demitur, mucilagine ſcilicet alba, viridescente & craſſa obductus: hinc diarrhoea ſubſiſtit, brachium vlterius intumeſcit & peripneumoniæ notæ ſe exhibent: Renuit ille clyſteres, quos ad revocandum fluorem impero, ſecatur iterum vena & ſanguis non melioris quam prior conditionis educitur: metuebam brachione in gangrænam abiret, ſed tertia venæ ſectio periculum avertebat, vt & peripneumoniæ: Accuſabat æger Chirurgum imperitiæ, quod non ex arte cauterium admoviſſet; Edixi illum culpa liberandum, decenti enim loco causticum eſſe appoſitum, nullum illac excurrere nervum; corpus ſi prius humorum ſaccina fuiſſet liberatum, id mali potuiſſe declinare; Satius porro fuiſſe humorum partem in brachium decubuiſſe, quæ alias proculdubio in pulmones impetum non dubium feciſſet, vnde majus periculum expectandum: Brachio autem tumido, omiſſis oleis quibus vtebatur Chirurgus, inſperſus fuit Pulvis ex farina hordei & milii, vnde ſenſim detumuit: Simili in caſu Venæ ſectionem in brachio oppoſito improbat *Amatus Luſitanus*, quam in pede è directo inſtituendam jubet: ſed obſtabant hic eryſipelatis reliquiæ, quo obſeſſus paucos ante dies fuerat: Imminens vero peripneumonia, quo pulmones deplerentur, non aliam quam è brachio vacuationem faciendam ſuadebat. Vide lib. 2. §. 2. tit. de Brachiorum affectibus, & ſupra §. 30.

XXXVII. Maximè doleo hoc *Ignis remedium*, adeo antiquis celebre & frequens, ab hodiernis Medicis non ſine multorum ægrotantium vitæ diſpendio derelinqui, quod enim non ſanat medicamentũ, ſanat ferrum; & quod non ſanat ferrum, ſanat ignis, quod nó ſanat ignis eſt incurabile: Ego enim feliciſſimo cum ſucceſſu igne multos morbos curo illosq; deſperatos, quod hodie faciunt Ægyptii Medici, Proh dolor, cur gratis & ſine cauſa hoc genus remedii in multis graviſſimis morbis prætermittitur, cum adeo feliciter ab *Hippocr. Galeno, Celſo, Paulo* &c. fuerit vſurpatum? contra ego ad hoc miraculoſum remedium, quamvis Neotericis horrendum, alacri animo confugere ſoleo, ſemperque (Deum teſtor) proficuum inveni: vtor autem maximè vbi frigida & humida temperies. *Epiphan. Ferdinandus hiſt.* 7. Has autem faciebant, non vt inde vlcera ad perpetuam & continuatam vacuationem inducerentur, qualis nunc per cauteria vſualia fiunt, ſed vel ad exſiccandam, vel ad evocandam materiam ad partes exteriores, vel ad eam intercipiendam has moliebantur; ac tanquam ambuſta curabant, cicatricemque habito intentu inducebant: ſic graviſſimis morbis medebantur. *Salius in c.* 21 *lib.* 1 *de morb.*

XXXVIII. *Hildanus cent.* 1. *Obſ.* 40. Setaceum *frigido ferro* fieri jubet, non candente, præferendumque cenſet propterea quod ignis non ſolum partem deſiccet & roboret, ſed & ægris dolorẽ itq; horrorẽ inferat: Quoniã vero ſiccitas igne inducta butyro recenti corrigitur, deinde calor & mediocris

dolor ad attrahendos peccantes humores multum valens, ægrique à ſectione æque abhorrent quam ab inuſtione, Ego, neglectis *Hildani* rationibus, quamplurimis ægris ſeraceum (quod evacuat humores caput replentes, revellit ad oculos ruentes, derivat eos qui ad partes oris & pectus fluunt, & intercipit deſtillantes ad ſpinalem medullam artuumque juncturas) inuſſi ſucceſſu (in gutta Serena præſertim) optimo. *Scultetus Armam. Tab.* 30. *fig.* 2.

XXXIX. Faſciæ fonticulorum modice adſtringantur; laxior enim ligatura globulum in fonticulo non conſervat, & nimis arcta omnem humiditatem exprimit, & facit vt fonticulus ob vaſorum compreſſionem plane exareſcat: Novi matronam quæ cum laudabili conſerentia fonticulum in ſiniſtro humero per multos annos geſtavit, & cum fonticulus nullam amplius humiditatem excerneret, me in conſilium vocavit quæ ſiccitatis cauſa, & quomodo huic occurrendum ſit? Religata faſcia inveni locum fonticuli adeo compreſſum, vt nihil niſi pellis & os appareret: quare ariditatem arctæ ligaturæ adſcripſi, & conſului vt faſcia plane remota fonticulum bis in die tenaci quodam emplaſtro ſuper ordinarium adhibito tractaret, donec pars arida renutriatur, & naturalem craſſitiem iterum acquirat: Ægra conſilio obtemperavit, & fonticulus magnam humiditatem fundere cœpit. *Scultetus Armam. Tab.* 52. *fig.* 2.

XL. Femur, membrum mole amplum, fonticulis pluribus & magnis, qui ſcilicet humores à toto corpore elutrient, geſtandis ſatis idoneum videtur: Attamen non ita in multis ſuccedit, partim quia ob figuram ejus, inſtar coni inverſi nimis declivem, deligatio piſum in foramine continens non apta inſtituitur; & partim quia ſolutio continui inter tendinum plurimorum concurſus facta, ſæpenumero inflammatoria & dolorifica evadit; proinde vt neceſſe interdum fuerit fontanellam inibi excitatam, propter doloris & claudicationis moleſtiam tollendam turſus propediem occludi: attamen in quibuſdam ſecus, ac melius habet, quia phlogoſis non ſemper loco perforato ſupervenit, & caligas ſupra genu ſtringere ſolitis, deligatio eidem adhibita immota perſtat. *Willis.*

XLI. Diligenter proſpiciendum vbi applicatur cauterium potentiale, ne *eſchara* nimis magna & profunda comburatur, hoc enim non ſolum odioſum & doloroſum eſt, verum etiam fonticulus inde veluti inutilis efficitur; eroſis videlicet venis capillaribus per quas natura humores peccantes expellere debebat: Nonnunquam quoque partes nervoſæ à cauſtico, ſi profundam fecerit eſcharam læduntur, hinc dolor ingens & continuus aliaque ſymptomata ſequuntur: quod ſi arteria aut vena ſimul à cauſtico eroſa fuerit, ſequitur hæmorrhagia & magna & periculoſa; quod in Lauſannenſi quodam vidi, cui cauſticum ramum cephalicum eroſerat; vnde ſanguis ad libras aliquot effluxit: Cavendum item ne liqueſcendo nimis latè ſerpat. *Fabritius Hild. centur.* 4. *obſ.* 73. Eſchara ſi lata & nimis profunda fuerit, coaleſcente vlcere, oſcula venarum capillarium callo obducuntur, minuſque aptus & commodus fit fonticulus. *Idem Epiſt.* 64.

XLII. *Albucaſis* Chirurg. part. 1. cap. 1. inſtituta comparatione cauterii actualis & potentialis in genere, præfert actuale; quoniam ignis eſt ſimplex, cujus actio non pervenit niſi ad locū qui cauterizatur, & non nocet membro alii conjuncto cum eo, niſi nocumento parvo; Medicina verò comburens diffluit & longius occupat ſpatium: Hæc ad Fonticulos applicant nonnulli, & actualia cauteria præferunt: Nos actualia ſolum admittimus iis in locis in quibus evacuandum & roborandum ſimul, vt in iſchiadicis doloribus. In illis autem locis qui ſolum debilitandi, Potentialia præferimus: *Rolfinccius de Febrib. cap* 83. Ego vt mea ab experientia, & rationibus deducta ſententia, vobis innoteſcat, libere fateor me malle potius ſex actuali quam vnam potentiali corpori meo infigi fontanellam, vtrumque expertus: ac quotquot à me 14. annorum praxis meæ ſpatio adhibitæ fontanellæ, eæ, duabus exceptis, vel actuali cauterio vel ſectione fuere peractæ: Actuale enim cauterium majorem metum quam dolorem incutit, contrario modo operatur potentiale: præterea eſchara actualiter producta 3. ad ſummum 4. die excutit: altero modo orta tenacius, & non niſi 8. vel 9. ſeparatur, prout altius profundata: Adhæc actuali ferro, ſcil. candenti, rotundum nec latius vlcus, quam requiritur, efficitur, imò, teſte Celſo, minus celeriter coit; cui & id accedit, quod ab vſtione vlcus orbiculare excitatur, quod ſua natura vix ſanatur, Cauſticum autem, etſi perquam optime muniatur, vires ſuas nihilominus vicinioribus partibus communicat, & eſcharam latiorem producit & profundiorem, maxime vbi pyrotica adiuncta, & corpora laxa, rara, mollia, ita vt ego exiſtimem adulandi & metum auferendi gratia tantum inventa potentialia, non quod ſint tutiora & meliora actualibus. *Glandorpius Gazophyl. cap.* 5.

XLII. *b* Apud plures in *Anglia* opinio pervicax increbuit fonticulum, *ſive vnum, ſive plures*, ad ſterilitatem diſponere: quare fœminis quibuſque maritatis, & ſobolem expetentibus, hoc remedii genus, vtcunque alias ad ſanitatem conducibile religioſe interdicitur, cujus tamen interdictionis ratio adhuc nulla profertur, ſed tantum hiſtoriæ mulierum quarundam cum fonticulis ſterilium citantur, cum æque facile eſſet plures ſine fonticulis pariter ſteriles, cumque illis multas alias prolificas recenſere. Et quidem hunc puriſſimum elenchum contra opinionem iſtam (cum redarguere alia non opus ſit) retorquere ſoleo. *Willis.*

XLIII. Varia ſunt quibus fonticuli tam actualiter quam potentialiter fiunt; quorum materia eſt vel æs, vel aurum, vel argentum, chalybs, ferrum &c. ex authoribus hic aurum, ille argentum, ille æs, alius præfert ferrum: *Hollerius* vult aureo æneo & ferreo clementius eſſe: *Heurnius* ſi pauca vſtione opus, æneo; ſi copioſâ, ferro vtitur. Ego ex *Albucaſi* optimam materiam & magis convenientem eſſe ferrum credo, Ille enim *lib.* 1. *cap.* 1. Difficile eſt calefaciendi modum in auro ſervare, quia properat ad ipſum frigus, & ſi addis ſuper ipſum in ignitione, liqueſit in igne & vertitur in laminas: quare cadit artifex ex illo in occupationem, & propter illud fit cauterium cum ferro apud nos magis in vſu, & eſt propinquius ex rectitudine ad operationem, & hæc cauſa cur & ego Cauteria mea ex ferro potius quam ex alio aliquo metallo conflicta eſſe voluerim. *Glandorpius Gazoph. c.* 12.

XLIV. *a.* Interdum accidit Fontanellam, quaſi fontem aridum, parum aut nihil humoris effundere, vel quia foramen minus profundum corium haud totum penetrat, quod facile ipſum altius infi-

gendo

gendo curatur: vel vlcus, licet cavum ſatis ac amplum, vſque tamen exſuccum manet, quia ſerum è maſſa ſanguinea, ob compagem hujus nimis ſtrictam non facile nec copioſe abſcedit; & tunc vnicum remedium eſt ſolida, quæ magis irruent, & vaſorum ora inſigniter veluti ſint, intra ſocia men geſtare: In quem finem pilulæ ex ligno hederæ, aut buxo, vel ex radicibus gentianæ aut hermodactylorum parantur, & ſæpe cum fructu adhibentur. *Willis.*

XLIV. *b* Quæſtio eſt an detur *Cauterium indolens*? reſpondetur recte, ſi reſpective loquamur, *quod ſic*, Quæ enim ſunt majoris activitatis, & ex templo partem corrumpunt, paucam vel nullum dolorem creant; Tale cauterium præbent cryſtalli Lunæ, ex argento cum aqua forti parati: Videmus qui nimo id quoque in corpore, non ſolum externe in gangræna & ſphacelo, vbi mechanice quaſi & eleganter fas eſt ejuſmodi concipere tal cauſticum & corroſivum, verum etiam in dyſenteria indolente, quando tam ſubito acrimonia ſumma partibus membranoſis accedit, vt ſenſum ſtatim omnem auferat, vnde abſolute tunc lethalis eſt. *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac. p. 64.*

CEPHALICA.

(Vide *lib. 3. de capitis affectibus in genere*)

SYLLOGE.

Cephalicorum diſtinctio. 1.
Volatilia quæ. 2.
Fixa quæ. 3.
Media. 4.
Cautiones in applicatione. 5.
Aquarum, ſpirituum &c. cephalicorum noxa. 6.

I. CEphalica vel reſpiciunt *membranas & nervos*, eorumque irritationem, tenſionem (quod de membranis valde valet) ac vellicationem, quæ conveniunt in doloribus capitis, epilepſia, pavoribus & motibus convulſivis: ſive ſint *Diſcutientia*: ſive balſamica, ſulphurea vi *Demulcentia*, vti ſunt *paregorica*, chamædris, chamæpytis, verbena, pulegium, betonica, flores anthos, caſtoreum, ſuccinum &c. Sive *invertentia & acrimoniam abſorbentia*, vt præ omnibus *cinnabarina*: vnde patet quomodo hæc ipſa & in epilepſia, & doloribus capitis, quin & articulorum, pleuriticis adeoque omnibus totius corporis conveniant: Pertinent huc ipſa etiam opiata correcta. Vel 2. reſpiciunt *Humores*, inprimis lympham, ſeu ſerum, vnaque ſpiritus & vapores, ſeu halitus tenues, & quidem, ſi excedant illi quantitate, *Evacuantia & divertentia*, ſulphure volatili oleoſo pollentia, quæ valent in catarrhis & repletione, vertigine, incubo, epilepſia ipſa quadam, memoriæ debilitate, &c. vt pæonia, ſerpillum, majorana, &c. Si *deficiat*, *reſtaurantia*, *humectantia & diluentia*, vti interius aquoſa, liquida, potiones, decocta, largior potus, quæ neceſſaria ſunt in mania, melancholia, vigiliis nimiis: ſi *acres* *tenues*, *ſalſi* humores, *figentia*, *temperantia*. Vel 3. *ſpiritus*, qui *deficientes reſtaurantia*, *balſamica volatilia oleoſa* poſtulant, in ſpecie aurum, aquas apoplecticas, olea deſtillata &c. quæ proſunt ad præſervationem apoplexiæ, memoriam roborant, catalepticos reſtituunt &c. *Enormes* vero & excedentes æſtuanteſque & efferatos temperant *humectantia*, & *ſerum reſtituentia*, rarefactionem inhibentia *acida*; evaporationem promoventia *nitroſa*, ligantia *opiata*, ceu in furore, phrenitide, maniacis id ex vſu eſt, vnde & in vigiliis nimiis conveniunt. Vel 4. *vapores* ſeu *halitus*, quos *exceſſivos*, *peregrinos* & extraneos, quatenus halituoſior ſanguis, ſeu ſulphure peregrino infectus, non aliter ac videmus in ebriis, turbulentos reddit ſpiritus, corrigunt tum blanda aromatica, & roborantia, qualia volgo appellantur evaporationes ad caput elevandas prohibentia & diſcutientia, coriandrium pulveres peptici, qua εὐχυλίαν præſtant & ventriculum roborant; tum acida, quæ humores ſulphureos, bilioſos obtundunt, vt in ebrietate: *Deficcientes* vero eoſdem, ſeu ἀναθυμιάσεις, vapores roſcidos (quod omne tamen ſero qualitatibus hiſce imbuto rectius tribuitur) reſtituunt tum humectantia, vnde in febribus ardentibus conſultum eſt epithemata vel ex ſola aqua roſarum, item emulſiones, egregie humectantes & refrigerantes præ. ſiberet rum *halituoſum* ſanguinem generantia, blanda aromatica, hinc & *Sennertus* & *Simon Pauli* conſulunt, & ipſa experientia inprimis teſtatur, vigiliis ſenum non tam Opiata ſola, non refrigerantia, ſed ſuavia evaporantia, ſulphure oleoſo pollentia, convenire: vti ſunt ſpecies diambræ, diamoſchi, vinum ipſum, quo novimus quoſdam feliciter vſos, vt nempe & ſerum ſibi conſtet, & ſulphure reſolubili polleat: Vel 5. reſpiciunt cephalica cerebri ipſius poros, & eos quidem vel *aperiendo nimis occluſos & obſtructos*, vel *claudendo nimis hiantes & dilatatos*: Aperiunt poros cerebri medic. volatiſia, inprimis vrinoſa, ſicubi ob humorum copiam, vel ſubſidentiam, vel compreſſionem, aliaſque cauſas depreſſi & occluſi hæreant, nec liberum ſpiritibus commeatum concedant amplius, vt præcipue in paralyſi, apoplexia, aphonia, catarrhis craſſis, vbi poros nervorum aperientia vnice proſunt: item ſomno immodico & affectibus ſimilibus, lethargo, comate ſomnolento aliiſque, v. g. ſpiritus ſalis ammoniaci, quo cum ſpiritu lilior. convallium paralyticos aliquot curavimus: addenda etiam quandoque ſimul diſcutientia: *Claudunt* vero poros nimis diductos, *tum* ſerum in ſubſtantia augentia augentia, *tum* blandum ſulphur reſolubile, ſanguini concrantia, vnde proſunt & indicantur & in vigiliis nimiis, ferocia, deliriis, phrenitide, aliiſque intemperaturis. *Ge W. Wedelius. De ſ. m. fac. pag.* 80.

II. *Volatilia Cephalica* ſunt ea ſulphure oleoſa, aromatico, ſuavi pollentia, vno verbo, *balſamica*, herbæ & rad. angelicæ, caryophyll ſol. roriſmar. maioran. ſalviæ, rutæ, lignum ſaſſafras &c. & horum ſpiritus, olea, ſalia volatilia oleoſa. Suntque hæc ſimul paregorica, & membranas irritatas demulcent, & ſpiritus deficientes reſtituunt; halitus vero corrigunt, poros dilatant: 2. *Vrinoſa volatilia*. Spiritus ſalis armoniaci laudatiſſimus, ſpiritus vrinæ, vnde tinctura Solis & Lunæ fere ſolum mutuantur vulgo virtutem. 3. *acida volatilia*. ſpir. vitrioli cephalicus ſtiatus, aqua apoplectica mulierum &c. licet hæc magis quaſi fixa ſint. Annotavit fere primus *Helmontius* Cephalica e ſale volatili commendare: Sic & ex vegetabilibus conſervæ, condita & alia huc pertinent. *Idem.*

III. *Fixa* ſunt, vel *terrea*, perlæ, corallia, cinnabaris: ex compoſitis, pulvis epilept. Marchionis: vel *acida*, vel *nitroſa*, vel *aquea diluentia*, & hæc vſum habent ad abſorbendos & diluendos humores acres, irritantes membranas, ſpiritus efferatos ligandos, ſopiendos & demulcendos, poriſque, quatenus acorem abſorbent, libertatem conciliandam.

IV. *Media*, ex his mixta, ſunt varia, *Externa* ſunt vel *humectantia*, & ſerum reſtituentia, vt in melancholia, vbi v.g. decoctum fol. lactucæ in vſu eſt; vel *partium tenuium*, penetrantia: vel *refrigerantia* & repellentia, vt in hæmorrhagiis, deliriis, vbi & acida proſunt &c. vel *diſcutientia* & evacuantia, vt ſternutatoria, apophlegmatiſmi; vel *anodyna*, vt vnguentum alabaſtrin. populeum; vel roborantia, vt lixivium ſapientiæ &c. oleum perſic. *Idem.*

V. In horum *applicandi* legitimo vſu non minimum ſitum eſt, ac notandum 1. in *applicandi modo*, Violenter alterantia, & poſt ſe noxam relinquentia, vel omittenda vel parcius ſumenda: Sic, nimis *odorata* caput gravant, præcipue vbi à vaporibus caput affectum dolet, vnde ſtyrax, crocus, myrrha etiam ipſa, & coriandrum non præparatum cerebrum feriunt, & conſequenter omnia nimis vaporoſa & ſulphure peregrino pollentia ſpiritus facile turbant, & poros quidem claudunt, attamen caute adhibenda: vnde & *Opiata* huc pertinent, quæ incautius & frequentius data, præcipue in infantibus, caput debilitant & turbidum reddunt: Sic *valde frigida cavenda*, vtut enim repellentia frontalia commode ferat cerebrum, videndum tamen ne tonus labefactetur, cum frigida omnia nervis ſint inimica. Sic nimis *calefacere & ſiccare* nunquam tutum eſt, inde enim ſpiritus efferantur, pori nimis dilatantur, ſic à confectione *anacardina* quidam maniaci redditi: Sic in topicis (quæ cautio *Heurnii.* meth. ad pr. l. 2. p. 118.) parce vtendum iis quæ manifeſte *adſtringunt*, quibus calida ſæpe adduntur vt penetrent reliqua: 2. Nec *humectantia*, nec *liquantia* & *calida* nimis in catarrhis, & vbi cerebrum humore repletum eſt, locum habent: hinc in catarrhis lotiones capitis, imo & balnea plane locum non habent, & viſi qui inde odoratum penitus amiſerunt: Sic qui calidis v. g. oleo ſuccini, tum interne, tum externe bregmati inungendo in catarrhis vtuntur, materiam liquando, & in vaſa præcipitando ſæpe febrim excitant & alia mala graviora. 3. *Salia* item, tum *alkalia*, tum *nitroſa*, tum *acida*, minus conveniunt in catarrhalibus affectibus, magis enim fluxile reddunt ſerum, vnde facile in loca nobiliora viam affectat, quod in genere etiam de aliis partibus valet. 5. *Acida*, vbi *pori* nimis *repleti*, ſunt vel, *humores & ſpiritus nimis efferati* & *effrænes*, vt in affectibus ſoporoſis, mania &c. conveniunt: minus vbi nervi & membranæ debiles, vt in paralyſi, minus etiam in vigiliis vbi vitanda. *Idem*

VI. Aquæ cephalicæ, ſpirituoſæ, Item, Aureæ, vitæ, Elixiria non vſque adeo tuta ſunt, imprimis jejuno ſtomacho ſumpta, &, vt dicebat Crato, plurimis Aquæ mortis evaſerunt; nam ſtatim ad viſcera properant; glandulas, inter quas cerebrum eſt, indurant, hydropem ac apoplexiam accelerant, vt aliquoties in monaſteriis apud confeſſores obſervavi. *Ioh. Iacobus Wepferus conſ. M S. pro Nephritico.*

CHIRVRGIA INFVSORIA

Adminiſtrationis ratio, & vtilitas.

NOſtro tempore in lucem expoſita eſt *Chirurgia Infuſoria*, aut *Clyſmatica nova*, quando per apertam venam immiſſo tubulo, mediante ſiphone liquor aliquis nutriens, alterans, cardiacus aut purgans injicitur, qui ad cor tranſiens, & deinceps arterias univerſumque corporis habitum perambulans, eoſdem producit effectus, ſed breviori tempore ac ſi ore hauſtus in ventriculum fuiſſet demiſſus: Hoc ipſum artificium poſtea amplificatum fuit facta transfuſione ſanguinis canis in venas alterius canis, imo tentatum fuit experimentum in duobus hominibus, in quorum venas, ad aliquot uncias exinanitas, tranſfuſus fuit ſanguis arterioſus agni, qui etiam melius exinde habuerunt: Alius modus tranſfundendi ſanguinis excogitatus fuit ex uno homine in alium: *Ioh. Van Horne microtechnes parte* 1. *pag.* 218. De eadem ad Cl. I. D. *maiorem* ſcribit I. Iac. Sachs, Quid circulatio ſanguinis, *inquit*, momenti habeat, apprime docet Experimentalis Collegii in Anglia ſolertiſſima induſtria & experientia, quæ invenit purgantia, abſque ulla oris admotione, beneficio ſanguinis circulati vires ſuas exſerere; Paratur ex oſſiculis femorum alaudarum canalis aut fiſtula, ad modum fiſtularum quæ in injiciendis clyſteribus veſicæ bovinæ adaptantur: Liquor purgans, aut alter alterans, veſicæ parvæ, præcipue ex carpione piſce, inditur, hinc vena in manu aut brachio, aut crure cum parvo foramine inciditur, E fiſtula dicta foramini intruſa liquor infunditur, veſicam ne ſanguis exiliat, comprimendo: Infecto liquore foramen clauditur & ligatur: ſic intra horam ſanguis liquore purgante impregnatur, cordi ope circulationis vires communicat, & purgatio feliciter inſtituitur. *Transfuſio ſanguinis ex cane ſcabioſo in ſanum* peracta à M. Thoma Coxe, referentibus Actis ſocietatis Anglicæ anni 1667. p. 75. Nulla conſequuta alteratio in ſano cane, ſed ſcabioſus ſpatio decem vel 14. dierum elapſo perfecte reſtituebatur. Methodum obſervandam tradit D.D *Richard Lower* Tractatu de corde p. 190. In homine vero methodum præparandæ venæ habent eadem Acta ex Dom. D. *Egmundo King*, p. 246. &c. Multa contra hanc Transfuſionem objiciuntur, ſed hoc præcipue, quod magna ſit differentia inter carnem qua veſcimur, & ſanguinem transfuſum immediate in venas. Illam magnam ſubire alterationem hunc minime: ♃ Trium primariarum digeſtionum alimenti, primam confectam in ſtomacho non eſſe magni momenti aliarum reſpectu, confectarum ex chylo & ſanguine, in corde, hepate, omnibuſque partibus nutrimenti capacibus: Ac licet ſanguis recens infuſus non ſubeat primam concoctionem, confectam in ſtomacho, ſubit tamen duas alias per plures circulationes, cum nativo ſanguine perficiendo, adeoque nihil abſurdi obſtat quominus transformetur in ſubſtantiam humanam: D. *Fabritius* Med. Dantiſcanus, qui magno deſiderio ferebatur experiendi quales effectus ſecum ferret Chirurgia infuſionis liquorum in venas humanas, tribus ſauneis ſubjectis in Xenodochio ſe offerentibus tentamina hæc inſtituit, 1. infudit per ſyphonem duas circiter drachmas liquoris laxativi in venam medianam brachii dextri: Erat miles robuſtus, periculoſe infectus morbo vene-

venereo, & ſufferens horrendas exoſtoſes oſſium in brachiis: Ille liquore cathartico infuſo conquerebatur de ingentibus doloribus in cubitis, valvulæque brachii adeo ſenſibiliter tumebant, vt cogeremur leni compreſſione digiti ſtringere tumorem illum verſus humeros ægri: 4. circiter poſt horas Medicina operari incipiebat, non cum grandi moleſtia, & in operatione perſiſtebat proxima die ſequente, adeo vt quinque ſedes poſt infuſionem habuerit, eaſque non leves, Sine vllis aliis remediis adhibitis exoſtoſes, illæ abibant, neque morbi ſupra memorati vlla reliqua ſunt veſtigia: Alia duo tentamina inſtituta ſunt in muliere xxxv. ann. & ancilla virgine xv. quæ horrendum in modum affligebantur epilepſia: Ambæ illæ ſibibant hanc operationem, qua in venas earum infudimus laxativum medicamentum, diſſolutum in ſpiritu antepileptico: Prior aliquot horis poſt injectionem lenes habuerunt ſedes, & poſtridie illius diei Epilepticæ convulſiones ſubinde redibant, ſed multo lenius, tandem illæ evanuere: Poſterior eo die quatuor habuit ſedes, & aliquot poſtridie, ſed aëri ſe committens, & frigus contrahens, nec obſervans diætam, ſeipſam perdidit: Notatu dignum eſt omnibus commune fuiſſe vomere mox poſt infuſionem, idque violenter & frequenter. Dictus D. *Fabricius* (Medicus Danticanus) conceſſa venia tentandi experimentum in quibusdam maxime infectis *lue venerea*, venam ſecuit, & ſanguini infudit quædam medicamenta; quo experimento in duobus tentato, alter convaleſcebat, alter moriebatur: Idem repetiit experimentum, infundendo medicamenta alterantia in venas dextrorum brachiorum trium ægrotorum, quorum vnus erat *Arthritide* contortus membriſq; fractus, Secundus extreme *Apoplecticus*, tertius *Plica Polonica* ad extremum invaleſcente laborabat: Arthriticus poſtridie ſatis bene habuit, & brevi poſt operi accingebatur, profitens ſe curatum: Apoplecticus nullum exinde ſenſit paroxyſmum, Et plurima vlcera ex Plica exorta ſanata ſunt, & hi ambo potuerunt opera ſua exercere: Conditiones autem & requiſita ad adminiſtrationem requirit D. D. I. Dan. Major (qui amplo volumine de ea Chirurgia ſcripſit) 1. vt Medicus in qualemcumque eventum authoritate publica præmuniatur. 2. vt remedia quædam canonica fruſtraneo ſucceſſu adhibita fuerint &c. Vide plura in *dictis Actis Philoſophicis*.

CLYSTERES.

SYLLOGE.

Non ex inteſtinis ſolum trahunt, ſed altius pertingunt. 1.
Situs ægri clyſterem excepturi. 4.
Clyſteres nocturni. 3.
Inebriatio à clyſtere. 2.
Virium aliquod robur requirunt. 5.
Nimius vſus vitandus. 6.
E quatuor formis vſitatis qua & quando eligenda. 10.
Nutritio per eos fieri poteſt. 11.
A dejiciendi conſuetudine, eos injiciendi indicatio ſumenda. 13.
Frigidi non infundendi. 15.
Vis in inflammationibus internis. 17.
Frequentius injecti hæmorrhoidum fluorem cient. 18.
Narcotici *sint.* 19.
Sed addito correctivo. 20.
Nimia ne ſit liquoris quantitas. 22.
Acres *jecori nocent.* 23.
Quomodo injiciendi in iis qui non retinent. 26.
In inteſtinorum debilitate quales eſſe debent. 28.
Strenue operantes quomodo parandi. 29.
Subſiſtens quomodo evocandus. 30.
Major quantitas in mulieribus requiritur. 34.
Flatus eorum ingreſſum an impediant. 35.
Olei diacolocynth. efficacia ad purgandum & diſſipandos flatus. 38. b
Purgantes *ex quibus conficiendi.* 25.
Purgantium vicem ſuſtinent. 27.
Sunt noxii crebrius vſurpati. 32.
Fortiora purgantia nodulo commiſſa incoquenda ſunt. 33.
Carminantes *quomodo conficiendi.* 31.
In affectibus flatulentis purioris vicibus injiciendi. 42.
Ab acribus *pinguia abſint.* 35. a
Emollientibus *nec purgantia nec acria indenda.* 7.
Ex decocto emollienti communi parati ſæpe noxii. 8.
Carminantes *noxii niſi emollientia addantur.* 12.
Lacryma non addenda. 24.
Saccharum decoquendum, non ſolum diſſolvendum. 21.
Sal an indendum. 37.
Fœnigræci ſemine aliquando abſtinendum. 38.
Mercurialis emollientibus non accenſenda. 39.
Mollientes herbæ (decocti) recentiſſimæ ſint. 40.
Ex pluribus ſimplicibus compoſiti noxii. 41.
Purgante aſſumpto, non operante, an clyſter injiciendus. 14.
Clyſterum ex ſolo oleo amygdalino efficacia in molliendo alvo. 36.
Clyſter ex Tabaci fumo alvum ſolvens. 16.
Senibus minus conveniunt. 43.
Clyſterum ex croci metallorum infuſione efficacia in pluribus affectibus. 44.

I. EOrum vim vltra inteſtina pertingere plerique negant, ideo ſi ex altiori loco evocandi humores ſint medicamenta ore aſſumi jubent: majorem tamen eorum eſſe efficaciam teſtatur experientia, quæ fidem facit ex applicatione glandium ex elleboro albo ſactarum eadem ſequuta ſymptomata quæ ab intro ſumpto; à vitri antimonii granis tribus glandi inditis, bis vomitum excitatum: Colum enim vim medicamenti *ſuſcipiens, eam per arterias in aortæ truncum transfundit.*

II. Obſervavi mulierem abſtemiam clyſtere è vino injecto inebriatam fuiſſe, quod ignorantes proximi errorem à Medico vel Pharmacopola commiſſum crediderunt: *Pet. Borellus Cent.* 1 *Obſervat.* 56. Simile quid à me Obſervatum anno 1658. Neocomi in Nobili matrona; huic colico dolore à flatibus vexatæ, ab injecto clyſtere carminante, cui aquæ vitæ cochlear inditum erat (præmiſſo leniente) in delirium melancholicum incidit; Conſanguineos omnes protinus advocari juſſit, vltimum vale dictura, fatum inſtare aſſerens. Omnes in lacrymas effundebantur; Ego vero periculi nihil ſub eſſe ſecurus ex vocis & virium omnium robore, in riſum me effudi; revera exactis horis duabus, & à dolore & à delirio libera fuit, pudore ſuperſtite ob metum inanem.

III. Facit mentionem clyſterum nocturnorum *Gul. Romanus* apud *Horſtium*, quos ego arbitror eſſe tales qui noctu injiciuntur & ad alteram diem aſſervantur & tunc primum ejiciuntur: nobis, quamvis inſueti ſint, non improbantur: per diuturnam enim moram excrementa rectè emolliuntur, & ſi quis in inteſtinis dolor adeſt, iiſdem demulcetur: Tales autem nocturni clyſteres, quantum auguror, vt per noctem retineri poſſint, non debent pondus ℥vij. excedere, & iis tantum conſtare quæ alvum ſimpliciter leniunt, & pauca pinguedine, non iis quæ ſtimulant. *Hoeferus in Hercule p.* 200.

IV. Avicenna Rhaſim ſequutus ſupinum ſitum optimum cenſet, at id abſurdum, tum quia in ſeſe inteſtina magis concidunt & vias anguſtiores reddunt; tum quia videmus in belluis pronum ſitum eſſe naturalem & excrementis magis ea ratione parere exitum: legitimus ægri ſitus ex coquem colon ubtinet manifeſtus eſt; aſſurgit circa os ilium dextrum, proximo ibidem reni ſe jungens: hinc facto flexu circa jecoris cava & veſicam felleam, tranſverſo itinere ſub ventriculi fundo verſus ſiniſtra tendit, renique ejuſdem lateris conjungitur: deſcendens deinde ad os ilium ſiniſtrum, mox iterum aſcendit verſus ſuperiora, & denuo reflexum recti inteſtini principium orditur. Æger ergo in dextro latere collocetur, ne ſi in ſiniſtro, viſcerum moles rectum inteſtinum poſtremamque coli partem (ſub ſplene deſcendentem & reni ſiniſtro anneam) comprimat, adeo vt clyſteri progreſſus ad coli capacitatem præcludatur, in ejus duobus inferioribus gyris ſubſiſtens, vbi parum morabitur: at ſi in dextrum latus inclinet æger, facilè liquor ad reflexionem ſub liene impelletur, vſque ad valvulam. *Vide Fernel. l.3. m.c.2. §. 5. Hild.*

V. *Hippocr. lib. de v.r. in Ac.* ad Clyſteris vſum exigit vt facultas ſit fortis & ætas firma: certè veteres fortioribus clyſteribus vti conſueverant, ea fortioribus inquam paratis; & longè plus infunderent quam nunc, proinde plus virium ad id ſuſtinendum exigebant, & ut potentiori auxilio fidebant: videas enim ſæpiſſimè Hippocr. in Epidemiis, in difficillimis curationibus, ut præſtantiſſimi auxilii clyſteris mentionem facere. *Valleſius comm. in eum lib. pag.* 42.

VI. Enemata diligenter advertendum eſt in omnibus Febribus, jam fractis morbi viribus & retuſa acie, non diu & continuo repetenda eſſe, maxime in fœminis paſſioni hyſtericæ obnoxiis, aut viris hypochondriacis; cum talium ſanguis atque humores ευμετάβλητοι ſint, ac nullo fere negotio exagitentur atque æſtuent, vnde perturbatur corporis oeconomia, & ſymptomata febrilia etiam vltra ſolitam perindum ægros diſcruciant. *Sydenham Obſerv. in Acut. p.* 360.

VII. Cavendum in mollientibus ne vſquam admiſceantur quæ vim habent plurimum irritandi naturam: cavendum præterea eſt ne purgantibus vtamur medicamentis, nam major mali cauſa ſolet eſſe, quod docet Hippocrat. his verbis 1. de morb. mul. *At ſi ſtercus educere voles nullum pharmacum bibito, ſed aliis vtere, nam præterquam quod nihil magis ob id efficiens, plus adjutorium trahent. Mercatus de Præſid. lib. 1. c. 3.*

VIII. Noſſe oportet pinguia Clyſteria, quæ communia appellantur, confecta à Barbaris ex malva, althæa, ficla, prunis, ſemine lini, fœnugræco, non omnibus eſſe vtilia, licet plurimis conferre compertum ſit ut alvus quotidiano reddatur vſui: eorum namque nidore fœminarum uterus commoveri ſolet: viris etiam nonnullis graveolentia caput tentat; aliis os ventriculi afficit, quibuſdam item ſpiritus & humores corrumpit: hinc factum ut priſca ætas mulſa & oleo tantum in clyſteribus uti contenta fuerit, quo medicamentorum fœtor & inutilis ſarcina vitaretur; craſſior enim ſubſtantia ad fœces eluendas minus idonea; nam craſſis non tam facile eluuntur ſordes quam liquidis. *Mercat. de Præſ. med. lib. 1. c. 3. Augerius Ferrerius caſtigation. cap.* 24.

IX. Cavere oportet nimium uſum, quia ſegnia faciunt inteſtina & propria muneris negligentia: præter id quod cibum etiam detrahunt ante debitum tempus à ventriculo & meſaraicis, ita ut ſæpe animal alitione & repletione privent, quo fit ut clyſteria ſuſcipientes ſequenti die nihil ejiciant, ideoque ignarum vulgus exiſtimat ea alvum adſtringere. *Mercatus ibid. vide Tulpium lib. 3. cap. 16. Obſ.*

X. Cum notum ſit quatuor genera clyſterum hodie circumferri, diverſa facie aut forma, indagandum quodnam eorum commodiſſimum ac tutiſſimum ſit: Primum horum omnium jam ab Hippocr. deſcriptum omnibus notum eſt, Nempe illud quod ex veſica bubula conſtat, cui eburnea ſyrinx, aut ahaeus canalis alligatur: quod cum præ verecundia nonnulli, & præcipue mulieres, averſantur ſibi aptari, aliud & Secundum genus excogitatum eſt, quod vnuſquiſque ſemotis arbitris ano ſuo intrudere poteſt, cujus inventionem & deſcriptionem debemus *Gulielmo Hildano* obſervat. lib. 1. cap. 77. Tertium genus ex Galliis primitus ad nos ois pauculos annos allatum eſt, Siphoni magis quam modo dictis prioribus clyſteribus ſimile, ex ſtanno fuſum: Quartum genus omnium noviſſimum Britanni excogitarunt, coriaceum aut ſcorteum, ſed per quem, non ſive oleum, ſive decoctum aliquod in anum injicitur, in quos vſus tria illa recenſita genera confecta ſunt, verum incenſi Tabaci fumum, efflatu oris aut ſuperioris gutturis in inferiorem gutturem (ut cum Plauto loquar) quiſquis qui volet eructare poteſt, Cujus accuratiſſimam deſcriptionem & figuram Exc. *Thomas Bartholinus* centur. 6. hiſtor. 66. Hiſtor. Anatom. nobis dedit: Atque quodnam inter hæc omnia coli doloribus tortis commendabimus, potiſſimum ſi nolumus eos exaſperare? Cene cum obſervatum ſit non omnes ægros à Clyſteribus levamen percipere, vtique delectus clyſterum maxime eſt habendus: Conſultiſſimum ergo ut vel primum vel ſecundum genus uſurpemus ubi colica paſſione infeſtamur, Nam hæc aptiſſima ſunt, ut pro lubitu noſtro injiciendum decoctum convenienti menſura moderari ac veluti temperare manu poſſimus: Et ſi forſan in Coeco inteſtino (quod flatuum receptaculum ſtatuimus) & coli cellulis concluſi flatus exitum moliantur, interim dum per ſyringam injicitur decoctum, illi ipſi excipi veſica propemodum à decocto vacua commodiſſime poſſunt; in quem finem expedire deinceps (inventis enim aliquid addere perfacile eſt) perpuſillum tubulum, præter illum canalem qui in anum intruditur, veſicæ alligare, quo veluti per præfurnium fumus, ita per illum flatus prorumpere & evaneſcere in auras poſſent, epilo-

epiſtomio tamdiu obturandum, vſque dum vſus poſtulat id verſare, vt per illum tubulum flatus emitterentur, qui alias quandoque in veſicam, decocto propemodum vacuam, tanto impetu prorumpunt, vt ſi ea non ſatis denſa ſit, ipſam diſrumpant, ac exploſi vna cum decocto Pharmacopœorum famulum faciem fœde conſpurcant: aut qui, ſi exitus illis nullus pateat, violenter in inteſtina iterum abiguntur: quod vbi accidit dubio procul quorundam inteſtinorum dolor exacerbatur, quem mitigari clyſteribus diſcupiunt, ſed fruſtra: at exſtimulata alvo per ſuppoſitorium, & via flatibus data per rectum inteſtinum ex ſententia ceſſant: Vbi ergo quis colica laborat, eo modo recenſita duo clyſterum genera imperari poſſunt: Qui Ileo aut volvulo, ei *Gallicus* clyſter commendandus, cujus beneficio longe impetuoſius inteſtina quam prioribus diſtenduntur, quod facere præcepit *Hippocrates*, & folle fabrili id pertentavit: De *Britannici* vero Clyſteris vtilitate aut commodo, ſuſpendo ex parte judicium, ſeu nondum liquere adhuc pronuntiandum eſſe arbitror: attamen non diffiteor Tabaci fumum, acrem ac narcoticum, in anum inflandum, perterrefacere ægros complures debere ob vaſa omnis generis, venas, arterias, nervos in rectum inteſtinum & ani ſphincterem (vt de veſica recto inteſtino annata non dicam) deſinentia, de quibus conſule Anatomicos: Quid ergo fiet illis quibus ingraveſcente ætate hæmorrhoides vtræque expectandæ, quibus facile anus, quibus vterus procidit, quibus per inſomnia vrina, quibus ſemen facile profluit? Anne cum narcotica Tabaci facultas veluti bellum his partibus recenſitis indixit, facile paralyſi eæ corripi poſſunt? Non intercedo tamen, licet *Nardus Antonius Recchius* lib. 5. Rerum Med. *Hiſp.* novæ cap. 51. demonſtret Tabacum eſſe Narcoticum, non ideo quia frigidum, ſed quia calidum, acri ſapore, exſiccantis e.. æque ordine tertio completo temperiei, init.. pituitam exſiccans: Quin Europeæ mulieres gravioribus vteri iis ſymptomatis obnoxiæ, accipi.. nt deinceps beneficio Britannici clyſteris ..da .. vterina ſymptomata, ſeu eo intruſo in vteri cervicem fumum Tabaci vſque ad ipſum vterum propellere, nec indigebunt ea ſella quam *Neander* in Tabaccol. ſua deſcribit: Docet autem dictus Recchius *Inſpiratum Tabaci vaporem non ſolum remedio eſſe iis qui difficile anhelitu & inde orta anguſtia laborant, ſed quoque eundem fumum vteri affectibus impenſe conferre, ac præcipue ſuffocationibus quæ ob ejus aſcenſum ſolent accidere, quæ teſtatur admoto hoc medicamento in dictum ſibi locum dicto citius reſtitui, ſyncopem fugari & anguſtiam, mortemque magna ex parte in morbida mulieris corpus jam admiſſam atque exceptam amoveri &c.* Cum ergo paſſim præcipiant fumigandum per infundibulum eſſe vterum certis in affectibus, *Britannicus* clyſter maxime in eum vſum commendandus eſt: Sic cum Hipp. in volvulo ideo follis fabrilis vſum commendat, vt ſimplex flatus diſtendat inteſtina, ac ſcybala ab inteſtinis liberet, utique vix ingenioſius per flatum merum, ſine vllo Tabaci fumo diſtendendi inteſtina repertum iri inſtrumentum Britannico clyſtere: *S. Pauli Quadripart. Botan p.* 461.

XI. *Laurentius* in Anat. agitat quæſtionem vtrum clyſter nutrire poſſit, & an inteſtinis vis aliqua concoctrix ſit concedenda: Experientiæ vero credendum, & adſtipulatur ratio, nam eadem eſt ventriculi & inteſtinorum conditio; vicinia & connexio id ſuadent: Apud *Hildanum Obſerv.* 30. *cent.* 4. Matrona morbo defuncta, per ſex hebdomadas ab omni cibo & potu ita abhorruit ut nihil fere per os aſſumere potuerit, Ex conſilio Dn. Auberii bis ſingulis diebus juſculum carnis cum ovorum vitellis per ſedem infuſum ſuit; quorum clyſterum beneficio ita fuit nutrita vt gravida ad conſtitutum tempus fœtum geſt.., fœliciterque pepererit: Anno 1660. Dom. *Bourgeois* Neocomenſis, Pt.. corto.. phiii præf.. um, .. g.. um nihil plane deglutientem, famelicum, per octo dies eo præſidio ſuſtentari, donec via cibi & potus recluderetur.

XII. Qui flatus diſcutiendi vim habent majores ſæp.. ulum excitare cruciatos ob ſiniſtram vtendi rationem: nam ſi flatuoſus ſpiritus craſſus denſuſque fuerit, aut materia innita & denſior quam quæ carminantibus medicamentis evinci poſſit, eiſdem potius flatus multo plures generantur, & qui præficiant tenuiores evadunt: ſi itaque vt diſtenta dolentique pars amplius diſtendatur nova flatus propagatione & attenuatione; quare conſultius eſſe exiſtimo iiſdem admiſcere quæ molliendi partes dolentes vim habeant vt facilius diſtendi poſſint: quare non placet initio ea adhibere quæ diſcuſſoria appellantur, donec morbus augeatur, materia tenuiori facta ac flatibus diſſolutis: *Mercatus*, *Mœbius in Inſtitut.* *Fr. Hofmannus in meth. med. ex Galeno* 14. *m.m.c.* 7.

XIII. In omnibus Clyſteribus ex vſu expendere conſuetudinem hominum, ſiquidem alii duobus tribuſve aut etiam pluribus interpoſitis diebus nihil dejiciunt: nonnulli niſi ſemel aut bis deſident, caput ventremque ſibi gravari videntur: quare pro ratione conſuetudinis, aut paulo vlterius, clyſteria infundere oportet, niſi quid obſtiterit; veluti in pueris in quibus retentrix admodum eſt debilis, quare non ſuſtinent frequenter clyſteria; vt nec quibus eadem eſt imbecillis, aut expultrix admodum acris & ſentiens. *Mercatus*.

XIV. Purgantia cum officium non faciunt, pragmatici clyſma iniiciunt, non dextrè nec toto, inquit *Oribaſius*; nam diſtentis inteſtinis pharmaco, ac fluentibus ſuccis, aditu prohibetur remedium: quare, hoc authore, glandem impoſuiſſe præſtiterit ex melle cum ℥ß. ſalis &c. vel clyſma acrius exigua mole infundatur. *Heurnius m. m. l.* 2. *c.* 21.

XV. Conqueritur quidam in Tonſtrina de metu imminentis morbi, Barbitonſor operam eff..t & clyſterem præparat, frigidumque infundit: Miles frigus ſe in inteſtinis ſentire monet, rogatque vt clyſterem calidum ſubſtituat: ille perinde eſſe ſive calidus ſit ſive frigidus credulo perſuadet: cæterum diſcrimen eventus oſtendit, ſumma enim virium imbecillitate preſſus clyſterem reddere, neque ex ſe, neque alio calido clyſtere provocatum potuit; poſtridie æterno frigore obrutus eſſe diſiit. *Bartholinus cent.* 1. *Obſ.* 76.

XVI. Nicotianæ ineſſe vim ἄνω & κάτω purgandi illi experiuntur, qui præter voluntatem fumum deglutiunt: Idem fumus ſi vitro, cerevilia vel vino pleno inſuffletur, ſimilia operatur: hinc ingenioſus quidam loco decocti pro clyſteribus fumum ano immittere didicit, feliciterque alvum pigram proritavit in quibuſcunque affectibus vbi enemate indigemus: Duæ fiſtulæ, ſive ligneæ ſive ſtanneæ, more ſucto, Nicotiana impleantur & accendantur, latiora orificia ſibi invicem obvertantur: tum extremitas anguſtior vnius ano immittenda, & per alte-

ram extremitatem inſufflandus ore fumus vt ad inteſtina vadat: quo artificio vnuſquiſque ſibi enema injicere poteſt, nec magno opus eſt in decoctionibus apparatu, quum hoc fumo feliciter prompteque ad excretionem natura ſollicitari videatur: Poſſent & aliorum pulverum fumi hoc modo injici pro vrgentium in inteſtinis affectuum neceſſitate. *T. Bartholinus centur. 6. hiſtor. 66. vbi & commodius inſtrumentum deſignatur.* Simile inſtrumentum confici poteſt ad uterum pro verecundis puellis & mulieribus, vt ipſæ vterum pro neceſſitate ſibi vel expurgent, vel alterent, vel roborent. *Idem ibid.*

XVII. Gloriabatur *Adrianus Spigelius* ſe uſu comperiſſe quod inflammationes hypochondriorum in inteſtinis eodem modo digeri poſſunt clyſteribus, quo externi tumores & inflammationes fomentis.

XVIII. Eudemo Lariſſæo hæmorrhoidum fluorem à purgationibus incepiſſe ait: quod quondam ob alias affectiones purgationibus aſſiduis, aut clyſteribus, aut glandibus uteretur: ut ſçias merito multos borum vſum refugere, metu hæmorrhoidum. *Vall: ſius 5. Epid. p. 487.*

XIX. Laudanum Opiatum etiamnum in clyſteribus vſurpatum ſatis potenter & tutius ſomnum conciliat quam per os exhibitum. *Riverius Pract. l. 1. cap. 11.*

XX. Anodynos Clyſteres *Sennertus* l. 1. Pract. cap. de phrenitide in ſummo vitium lapſu, ubi opiata non commode interius aſſumuntur, Clyſteribus admiſcenda eſſe monet: Verum corrigentia non omittenda, qualia ſunt oleum aneth. chamæmel. roſac. *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. c. 10.*

XX. Clyſteribus, communibus dictis, adjicitur ſaccharum album, vel rubrum, quod magis deterget: At hoc niſi parumper in jure vel decocto coquatur, converſum in flatus dolores ventris ciet. *Victor Trincavellius l. 1. comp. Med. c. 20.*

XXI. Quantitas materiæ clyſteris paſſim præſcribitur ad ℥xv. vel xviij. quæ ſæpe nimia eſt, cum inteſtina fæcibus vel flatibus diſtenta ſunt, vel æger ſtatura parvus eſt, parvus manduco vel ventricoſus: tunc ſatis ſunt ℥viij. vel vij. at abſterſionis cauſa, vt in dyſenteria. majori copia injiciantur. *Plempius in inſtitut.*

XXII. Acres clyſteres jecur infirmare aſſerit *Zecchius.*

XXIV. In Clyſteribus periculoſæ lacrymæ vt Sagapenum &c. ob lentorem cujus ratione hærent nec poſſunt repelli. *Rondeletius.*

XXV. In Clyſteribus tantum duo ſunt purgantia, *Scammonium* purgando, *Colocynthis* irritando: reliqua adduntur pro commodiore vacnatione: Oleum, ut via ſit lubrica: Sal gemmæ ad fuſionem excrementorum; Carminantia ad flatus. *Walæus met. med.*

XXVI. Clyſteres in iis qui ſtatim rejiciunt injiciantur actu frigidi, *Claudinus.*

XXVII. Clyſteres purgantibus poſſe ſubſtitui ex *Gal. 2. ſ. loc.* conſtat, ubi in dolore capitis, aut ictu aut plaga, & in fluxione ad oculos proponit validam expurgationem, ſive fiat per pharmacum ſive per clyſteres validos. Si aquæ benedictæ ℥ii. vel iij. adduntur, potentiſſimè purgant: Purgatorii evadunt additis ℥ij. pilularum.

XXVIII. Clyſterum decocta ſint ex jure in magna inteſtinorum debilitate.

XXIX. Clyſteres vt ſtrenuè operentur debent conſtare è pauco jure & copioſis electuariis: ſic enim magis detinentur. *Capivaccius.*

XXX. Quod ſi clyſteres retinentur, quod frequenter accidit, ponantur cum brodio carnium ℥ j aut ℥vj. mellis crudi, aut vnus cyathus urinæ, & certo educet ſecum reliqua clyſteria. *Wolf. Gabelchoverus cent. 1. cur. annot. 62.* Syringæ, per quam clyſmata injiciuntur, canalis ſi podici indatur, attractoque piſtillo aër hauriatur, hoc pacto flatus quoque attrahitur eliciturque: Quo medio & clyſmata retenta diutius, denuo retracta, ad excretionem promoventur. *Platerus.*

XXXI. Clyſteribus ad diſcutiendos flatus nequaquam incoquerem carminantia, ut vocant, quæ cocta opinione magis quam revera juvant; ſed pro tertia parte enematis jam cocti & expreſſi adderem malvaticum vinum; Error autem eſt & imperitia medica malvaticum, dum coquuntur herbæ, affundere: *Crato. conſ. 118.*

XXXII. Diſſuadeo omnia ea Enemata quibus purgantia medicamenta immiſta ſunt, nam ab his calor inteſtinorum debilitatur, ventoſitates augentur & multa inde incommoda ſequuntur. *Crato conſ. 121.*

XXXIII. Purgantia fortiora, ut troch. de agar. ſcamm. colocynthis, in petia ligata coquenda ſunt, ne inteſtinis craſſior earundem materia adhæreat tormina excitatura: Mercurialia & antimonialia, cum facile ſubſidcant, nec coctione craſſiores emittant partes, ſine petia elixationi ſunt committenda. *Fr. Hofmannus m. m. pag. 128.*

XXXIV. In mulieribus ex *Rufo apud Oribaſium* 8. collig. ſemper debet eſſe major quantitas: fœminæ enim ſunt pigræ, tardi motus & frigidæ, deinde à natura habent majores ventres pro capacitate fœtus.

XXXV. Ridicule operæ Pharmacopœorum, dum fruſtra immittere tentant clyſterem, cauſantur vim magnam flatuum typhonem ingreſſu intercidentium, Et magis ridiculi Medici qui iis credunt, Cum per revulſionem in dolore Colico a flatu, potius ſurſum ſubſidat conniveatque cavitas longanonis, non per diſtenſionem à flatibus. *Car. Piſo de colluvie ſeroſa. p. m. 340.* Sæpe tamen contingit injectos clyſteres ſurſum non aſcendere ſed præcluſis viis ob tenſionem à flatibus excitatam. *Encheir. medic. Pract. p. 245.*

XXXV. *a* Clyſteribus quæ inteſtina expurgant oleum admiſcere, aut pinguoſum aliquid, ut vulgatum eſt, ita ab omni ratione alienum, ſiquidem nulla re magis retunditur frænaturque actiora medicamentorum vis, & ſentiendi potentia quam oleoſis medicamentis: Qua ratione ab his fugiendum eſt dum ſolum ſenſum excitare conamur, niſi dum utraque cauſa ad alvi ſuppreſſionem accedit; nam eo tempore utriſque ſimul mixtis uti eſt neceſſum: iis nimirum quæ excrementa emollire valeant, & aliis quæ facultatem irritare: At dum facultas humore aliquo viſcido obtunditur, ac ſentiendi perſpicuitas obruitur, ita ut minime perſentiſcat humorum pondus aut acrimoniam, expediet eo tempore quæ abſtergant præmittere clyſteria, poſt vero quæ irritent, aſt ſemoto impedimento facultas veluti à ſomno excitetur & ad motum inſurgat. *Mercatus de Indicatione Medica l. 1 c. 3.*

XXXVI. Clyſteres contra Colicam & Paroſin ex oleo amygdalino parati quantum valeant fidem pene ſuperat: Imo validis ac acrious clyſteribus, alvo per aliquot dies 5. vel 6. obſtructa, in

cauſam

caſſum adhibitis, ſæpicule imperavi ex acutiſſima febri delirantibus clyſterem ex ℥ix. illius olei ſolius paratum, quo ſcybalis emollitis & excretis quandoque alvus poſtea adeo concitata fuit ceu hell. borum aut aliud fortiſſimum purgans bibiſſent, quibus inſuper fluida permanſit, itcus ac viu veni ... ſolet aliis & non præpinguibus clyſteribus in febribus acutis ac malignis injectis, in quibus omnibus purgantibus abſtinendum arbitror. *S. Pauli Quadr. Botan. pag.* 14.

XXXVII. Sal clyſteribus an indendum? In febribus talis vſus cum abſtergente decocto permixti commodius omittitur, maxime vbi adducitur ſolvenxia: citra ſal enim magis morantur, & reducuntur ad actum in inteſtinis: Solum enim ſal juvat in ijs qui moram clyſteris non tolerant; vel ad ſtimulandam & irritandam expultricem, ſi modo ſopita ſit. *Zacutus Pr. hiſt. p.* 546.

XXXVIII. Obſervavi aliquoties quod licet promiſcue fœnugræci ſemen commendetur vtrique ſexui ad alvum adſtrictam emolliendam, aut ad ſiſtenda tormina receptum in clyſteres, facile tamen nonnullas mulieres odore illius offendi, & præſertim illas quæ hyſtericæ paſſioni obnoxiæ ſunt, quare plerumque abſtineo fœnugræco in præſcribendis ijs clyſteribus ſequioris ſexus qui imperantur. *S. Pauli Quadrip. Botan. claſſ.* 1. *p.* 306.

XXXVIII. *b. Quercetanus Pharm Dogm. c.* 17. jubet in officinis paratum haberi *Oleum diacolocynth. Carminativum* purgativum; hoc oleum, *inquit*, diu aſſervari poteſt; dozis ℥j. vel ij. prout majori vel minori operandi efficacia opus fuerit, cum jure pingui permixtum: medicamen ſummum erit ad omnes ſopotiferos aff. ctus, apoplexiam, lethargum &c. Ex commemorata colocynthide, cocta cum oleis lenitivis, lumbricorum, lini, liliorum, vitici pomi & chamomillæ, componere licet oleum compoſitum lenitivum purgativum, in modum olei carminativi purgativi, quod cum juſculo capitis vervecini mixtum, ad omnes dolores ſingulare eſt præſidium: Oleum enim mirifice contemperat acrem & venenatam colocynthidis qualitatem, adeo vt ſic præparata neutiquam ſit noxia aut damnoſa inteſtinis, quorum tunicis alias vel ſubtiliſſime etiam pulveriſata, & in trochiſcos redacta, ſemper aliquantum adhærere ſolet: quod incommodum hac præparatione, & oleorum cum ipſius eſſentia & proprietate permixtione intercipimus: ſicque auxilium evadit minus periculoſum ipſo diaphœnico & benedicta laxativa: Cujus vſus vtilis erit in varjis clyſmatis conficiendis, & effectus præſtantes felici cum ſucceſſu oſtentabit in ſedandis potiſſimum intolerabilibus doloribus & paſſionibus colicis, vt plurimum à pituita vitrea, inteſtinis adhærente, ſubortis, in quibus purgantia lenitiva ſola exhibita inefficacia prorſus & invalida reperiuntur: Prioris Olei hæc eſt deſcriptio, *Herbar. ſiccat. rutæ, calament. origani pulegii ana. manip.* j. *Seminum dauci, cumini, fœniculi, baccar. lauri ana.* ℥j. *olei olivar. libr.* ij. *vini rubr. lib.* j. *coq. ad vini conſumptionem; Cum Oleo ſic preparato decoque pulpa colocynthidos* ℥ij, *digerantur ad ignem B. M. calide per* xij. *horas, deinde bulliant per duas horas. donec oleum vim totam colocynthidis attraxerit, dein exprimantur & colentur.*

XXXIX. Mercorialis annumeratam a quibuſdam herbis emollientibus, quod *Hofmanno* non videtur, *Marc. Virgilium & Braſſavolum* ſequuto, qui vult eam in clyſteribus non perfunctorie purgantium conjiciendam, *lib.* 2. *de Medic. Offic. cap.* 147. At vulgo, *ait*, ponitur clyſteribus emollientibus? Recte, ipſa licet non emolliat abſterſione juvat actionem emollientium: habet enim non ſecus ac beta, braſſica & alia talia nitroſum quid quo alvum ſtimulat: Hinc *Corteſius* notat quod ... Mercurial. idem præſtent ac ... Senn.: hinc eſſe quod clyſteres ex melle mercuriali ... habeant vim alvum movendi: Ideo tutius eſt cum melle vti quam fol. ſiccis. *S. Pauli Quadr. Bot. p.* 398

XL. In decoctionibus ex emollientibus & refrigerantibus herbis parandis, videndum vt hæ recens collectæ ſint: Ante annos duos ab injecto mihi febre laboranti clyſtere, cujus decoctio ex herbis pridie lectis facta fuerat, oborta ſuit gravis illico cardialgia, quam ſequuta ſyncope: Cujus aliam non fuiſſe cauſam, ex nidore & fœtore (à gutture inferiore ad ſuperiorem commeante) earum herbarum ſuu ſemiputridarum fœtorem redolente, colligere licuit.

XLI. Quoad compoſitionis modum, notandum eſt curioſa compoſitione non opus eſſe, cum nimia radic. folior. ſemin. flor. fructuum que varietas, quibus poſtea oleum & alia accedunt, clyſteres male olentes pariat, qui nidore ſuo fœminis vterum commoveant, & viris etiam capitis oſque ventriculi tentant atque afficiunt, vnde & hodie celeberrimos Medicos ſæpe ex vna planta vel paucis ſeminibus clyſteres vtiliter parare videamus. *Sennertus Inſtitut. libro quinto. part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 24.

XLII. Notandum in affectibus flatulentis omnibus, clyſteres non totos vna vice primum eſſe applicandos, ſed primo tertiam præter propter partem. Secunda vice reliquum eſſe adjiciendum, ita enim melius retinentur. *Frid. Hofm. m. m. lib.* 1. *cap.* 10.

XLIII. Memorandum hic quod ſenibus, vltimi quidem gradus illis, enemata tam proſpere vt juvenibus cedere quidem non ſoleant, quod obſervavit *Sydenham tract. de Febribus*, ex ea ratione quia nervi debiliores emollientibus facile lædi & reſolvi poſſunt: id tamen non univerſaliter valet, modo robori nervorum ſimul ſimus intenti, neque frequentius, quam par eſt, id iis ſuadeamus. *Wedelius de comp. Med. ext. pag.* 90.

XLIV. Medicamenta ex mineralium claſſe perita, cætera purgantia in clyſterum compoſitionem venientia longiſſimo intervallo poſt ſe relinquunt, ſive ad demulcendos & leniendos dolores à cauſis frigidis, cruditatibus, flatibus ac humoribus mucilaginoſis, tartareis & arenoſis ſive calculoſis ſuſcitatos: ſive ad expellendos vermes, educendum fœtidam humorum illuviem & putredinem; vel ad validius expurgandos omnes humores, citra tamen calefactionem nimiam, qualem inducere ſolent *Hiera Logadii*, vel *Pachii*, *diacolocynthidos*, benedicta laxat. & hujus generis alia, quibus plerique ad exciiandos ægros vtuntur in comatoſis & ſoporoſis ſymptomatis & affectibus: quorum tamen vim excedens iſtorum medicamentorum calor potius auget, cerebrumque majori vaporum copia replet & fatigat, quam ut eos ... diſſipando ... ; Hoc non contingit in ... quæ manifeſtis illis & noxis qualitatibus prorſus ablatis, potius formales & ... effectus quam materiales: illud medica

mentum, de quo loquor, eſt *Crocus metallorum* : Si quis timidus & inexpertus horum remediorum, quorum nullam habet notitiam, vſum minus approbaverit ſi per os aſſumantur, non tamen credo illum adeo ſtupidum fore vt eadem clyſteribus excepta contemnere auſit; Si præſertim eorundem ſummos effectus, quos benigne quidem ſed efficaciſſime præſtant agnoverit; qui nihil moleſtiarum, neque ab oleorum ingrato fœtore, neque à quavis alia re conciliant, ſicut in vulgaribus plerumque accidere ſolet: Pretium quoque eorundem minus eſt: ſufficit etiam remedij illius enarrati ʒß. vel j. ad ſummum, quod macerandum eſt in ℥iv. vel v. aquæ cujuſdam congruentis, aut vini per noctem vnam vel amplius; & ſic macerario hæc miſceatur cum quodam jure in ſufficienti quantitate, vt fiat clyſter: Eandem macerationem, in aqua vel vino factam potes ſi via paratam adſervare, eamque in magna copia, aucta ſingulorum doſi, parare: quam diutiſſime reſervabis, & in vſum adaptabis, ſervata ſemper ſupra dicta doſi: Loco Croci metallorum, licet non tanto cum emolumento, vti poteris *Antimonio vitrificato* : quod tamen infuſum, colatum & exhibitum in clyſteribus, minorem noxam affert quam Diaphœnicum, hocque ipſo vtiliores & efficaciores multo effectus demonſtrat. *Quercetanus Ph. Dog. c.* 17. Ejuſmodi clyſterum vſum approbat experientia & vſus quotidianus, vide *Riverij Prax. c. de Apopl. & alios.*

COSMETICA.

SYLLOGE.

Noxius illorum vſus. 1.
Internum ex viperarum eſu. 2.
Interiorum ratio habenda. 3.
Alia obeſis alia macilentis conveniunt. 4.
Coſmetica Mercurialia noxia. 5. 1.

I. COſmetica pellem rumpunt, melius eſt nihil adhibere: Coſmetica autem quæ Sublimatum admittunt, peſtifera & lethalia ſunt: gignunt enim graveolentiam oris, dentium nigredinem & diminutionem, ſurditatem, ſtoliditatem, paralyſin, epilepſiam & apoplexiam. *D. Panarolus faſc.* 1. *p.* 211.

II. Fœminæ quædam nobiliores Anglicæ (vti ex fida relatione Anglorum habeo) vino in quo viperæ extinctæ ſunt, quaſi interno Coſmetico ad pulchritudinem corporis, vultuſque & vniverſæ cutis formoſitatem comparandam, abſque vllo ſanitatis detrimento bibunt. *Zwelferus Pharm. Ang. claſſ.* 12.

III. Si partis internæ, ventriculi, hepatis, lienis vitio cutis inquinata ſit, partes confirmandæ, coctio ventriculi juvanda, cutis ſordida recrementa detergenda ſunt balneis vel ſtuphis.

IV. Obeſis, quibus cutis ſordida eſt, ſtupha magis convenit, macilentis vel ſquallidis, vel à Sole, vel à labore, vel ab inedia &c. balneum aptius. Topicorum eadem ratio: nam poſterioribus conveniunt olea vel vnguenta, vel aqua vim detergendi habens, 1. ablutâ facie decocto hordei mundati, vel infuſione panis albi, 2. vnguenta ol. amygd. dulc. &c. Prioribus, & quibus facies pinguior & humidior videtur, vtendum ſtuphis & balneis multum detergentibus & exſiccantibus. Detergendi facultate omnibus præſtat lignum *S.* quod etiam macilentis proprium remedium fiet, ſi in ejus decocto addatur radix lilior. & ficus albæ & pingues &c. *Rondeletius.*

V. Fœminæ curioſiores, & artem Coſmeticam maxime callere præ ſe ferentes, vix vllis temere cutaneis, niſi Mercurialibus contentæ ſunt, quarum ... qua ſequens ad omnes faciei turpitudines commendatur, & ab Empiricis magno pretio venditur. ℞. *Mercur. ſublim.* ℥j. *pulveriſat. ponatur in vaſe ſtanneo cum aqua fontana* ℔ iſ j. *Item per xxi horas cum ſpatula lignea ſubinde agitando donec totus liquor nigreſcat, qui tamen per chartam emporeticam colatus limpidus evadit: cum penna aut pluma hoc intincta facies ſemel intra diem vnum aut alterum blande obducatur.* Medicamentum hoc contra turpitudinem quamcunque cutaneam inſigniter juvat, quatenus nempe humores intra porulos & foramina, vt vt minutiſſima impactos expedit, talium aut ſulphurum combinationes inveteratas & pertinacea diſſolvit, totamque vbi applicatur cutim, quoad meatus ejus male conformatam reſtituit & integram reddit: Quare non tantum ad faciei maculas abſtergendas, ſed etiam ad puſtulas & ruborem ejus, necnon ad affectus eryſipelatodes tollendos vtile eſt: Porro interdum accidit pleriſque faciei panes, præſertim vero naſum & frontem punctis nigricantibus crebertimis, quaſi à pulvere pyrio exploſo ruſtis inſigniri, quod tamen inde procedit, quia foramina ſudatoria, modo humore atro craſſiori, modo vermiculis capita nigra habentibus (quæ quidem animalcula è poris expreſſa, & ſoli expoſita vivere & ſe movere cernuntur) atque in tali cutis affectione lotiones aut litus nulli præter Mercuriales prodeſſe ſolent: attamen huic melli aculeus plus nimium malignus ſæpe præſto eſt, namque hydrargyri particulæ, vna cum ſalibus (à quibus in minutias divi duntur acuuntque) faciei applicatæ, materiam inde noxiam & defædatoriam poris excutiunt ac depellunt; eam vero intus repercuſſam inſequuntur, & propediem ſanguini & liquori nerveo (quorum craſin lædunt) ſe facile inſinuant: quinimo horum commeatu ſæpiſſime cerebro, & nonnunquam præcordijs & partibus alijs virulentiam ſuam non raro poſtea indelebilem imprimunt: Hinc frequens obſervatio eſt fœminas aut viros coſmetico Mercuriali diu ac multum vtentes, vertigini & affectibus ſpaſmodicis, aut paralyticis, obnoxios fieri, eorumque dentes nigricare & nonnunquam vacillare. *Willis Oper. Poſth. ſect.* 3. *cap.* 6. Vide §. 1.

CVCVRBITVLÆ.

SYLLOGE.

Vſus evacuatorius an generalis. 1.
Ad dolorum levationem vſus ſunt eximii. 2.
Non ſemper integram totius evacuationem requirunt. 3.
Forma varia eſſe debet pro vario ſcopo. 4.
Lati orificij defectus quomodo ſupplendus. 5.
Gangræna imminens poſt applicationem quomodo præcavenda. 6.
Earum ſuccedaneum. 7.
Magna prope mammas non admovenda. 8.
Periculoſa aliquando applicatio ſupra jecoris regionem. 9.
Vſus ad ſaniem e profundo hauriendam. 10.
Non debent applicari capite repleto. 11.
Mira ſiccarum in femoribus ad revulſionem efficacia. 12.
Applicatio noxia ſi ſanguis ſit feroſior. 13.
Qua ratione ſanguinẽ craſſiorem attrahere valent. 14.
Linteo an tegendæ vt efficacius trahant. 15.
Oris ſuctu trahentes. 16.

Sicca

Siccæ an alicujus uſus ad malignitatē evocandā. 17. *Maculæ nigræ ſub cute relictæ malignitatis non ſunt indices.* 18.

I. VSus *Scarificatarum Cucurbitularum* eſt Evacuatorius, Revulſorius, Derivatorius & Attractorius: Evacuatorius generalis a nonnullis ſtatuitur v. ſ. vicarius, ad depletionem plethoræ totius comparatus: Sed vix hic admitti poteſt, autoritate *Celſi l.2.* merito adſurgendum, Uſus Cucurbitulæ eſt, *inquit*, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatius eſt: *Hæc ille*, Et tunc cucurbitula non eſt alteri parti quam quæ liberanda eſt imponenda: *Gal. l. de Hirud. &c. Cucurbitulæ vacuatis corporibus utiles ſunt, Non utimur illis in plethoricis:* Ægyptij generalem ſcarificatarum cucurbitularum pro plethora recte & tuto in morborum principiis tollenda haud admittunt, firmiter tenentes hanc vena ſecta, vel cruentum tractoria ſectione ſolas edomari, neque harum vicarias eſſe poſſe. Idem evincitur rationibus, 1. Minimæ venarum & arteriarum extremitates [illegible] ſcarificatæ, univerſali vacuationi non ſatisfaciunt. 2. Tenuiorem ſanguinem evacuant relicto craſſo. *Rolfinccius Meth. gen. & part. p. 395.*

II. Vulgares hujus temporis Medici reformidantes cucurbitarum uſum, neque jam affigentes niſi moribundis & qui revocari nequaquam poſſunt, fecerunt id remedium infame, cum tamen *Hippoc.* frequenter illis uteretur, ac fortaſſe non rarius quam v. ſ. ut & in doloribus pleriſque, & in alijs quos ſolum vacuare ſtudium eſt, ut qui ex alto ceciderunt: Sed quid eſt quod tantopere reformidant? Ne, dicunt, in partem cui affigitur trahant undique: At verò *Hipp.* verba faciens de quodam qui in coxa dolorem haberet, ait affixa cucurbitula coxæ, ad crus dolorem veniſſe & melius habuiſſe: Tam longè abeſt ut ſemper trahat ad partem affectam cui ſuperponitur: Quid ergo? nunquid cucurbitula in illo inde detrulit materiam? non certe, nam quomodo poſſet? ſed ex alto in cutem trahens ac digerens fecit ut ex expeditiori jam articulo natura deturbaret: An parum eſt cucurbitam ex loco affecto, qui in alto poſitus ſit, in cutem trahere, niſi etiam in illum undique convocet? An non poteſt locus, qui præter naturam erat diſtentus, vacuari quin tantundem aliunde recipiat? An non poſſunt partes ſubſidere? falluntur certè quam maximè; nullum enim in omni magno dolore remedium magis præſentaneum, & ut a parte affecta in aliam ignobiliorem materia abſcedat. *Valleſius l.4. Epid. Hippoc.* (ut videre licet *lib. de Med*) multis utebatur, & pro dolorum differentia, figura differentibus: ad dolores ſcil. in alto poſitos, ad magnam aut fortem tractionem, opus eſt anguſtis ore: ad dolores per cutem velut effuſos, amplioribus: Ergo certè in doloribus circa quaſdam partes conſiſtentibus, rarò non utor cucurbitulis cum ſcarificatione, aut ſine ea, cum dolor non cedit univerſali vocatæ vacuationi. *Idem ſect. 6. lib. 2. Epid.*

III. Affigere oportet Cucurbitulam, prægreſſa totius corporis vacuatione, quam affectus exigat, & æger poſſit tolerare: nam neque ad aliquod auxilium valenter reſolvens veniendum eſt prius: Neque tamen proinde expectandum eſt uſq; dum totum corpus ſit vacuatum & exſuccum, ut plerique Medici hodie faciunt, quibus nulla evacuatio ad cucurbitularum vacuationem videtur eſſe ſatis, ſed quantum urgeat partis paſſio conſiderandum: atque ut revulſentia medicamenta admovemus vacuari cœpto corpore, non ſemper evacuatione finita, ita non rarò vigente paſſione cucurbitulæ evacuationibus ſunt interponendæ, ut morbus qui non poteſt expectare totam vacuationem, cum eam patiri opus eſt, alternatim ſecta vena & cucurbitulis admotis perficiatur: neque enim ubi nondum eſt jam admodum plenum corpus, neque fluxionis primus inſultus, ſuſpicari oportet tantam futuram tractionem, ut toto ex corpore in affectam partem fluxio commoveatur aut augeatur; ſatis enim erit ſi de interna doloris ſede ad cutem trahatur: Neque enim hypochondrio admovere, hepati aut lieni. & admovere hypogaſtrio, veſicæ aut utero: & admovere lumbis, renibus admovere eſt: Interſunt enim muſculi & alia multa: Quod ſi poſt admotas cucurbitulas dolor recurret denuo & fluxio, quid prohibebit iterum miſſo ſanguine derivare? Nam & in aliis curationibus, cum urgentiæ aliqua ratione ſatisfactum eſt, redimus ad legitimas indicationes quæ procedunt à cauſis. *Idem ibidem.*

IV. Cucurbitarum duo modi commodi exiſtunt: quando enim fluxus procul ab apparente carne compactus fuerit, circulum ipſius (*ea ſcilicet pars quæ cuti adhæret*) brevem eſſe oportet, (*i. e. non lata eſſe debet*) ipſamque non ventroſa, ſed prolixa; pane ad manum vergente, non gravis: Quæ enim talis eſt in directum trahet, & ſeroſos humores ſemotos ac diſtantes probè ad carnem contrahet: majore autem dolore per carnem diſperſo in reliquis quidem conſimiles cucurbitas eſſe oportet, ſed circulum magnum: ſic enim ex pluribus partibus id quod dolorem facit educere comperies ad locum convenientem; neque enim magnum eſſe circulum putant ſi non ex pluribus locis caro comprehendatur: At ſi gravis ſit, ad ſupernos locos venit, infernè autem magis detractionem facit, ut ſæpe morbi relinquamur: Lati itaque circuli unà cum incumbentibus fluxionibus & longè diſtantibus, à ſupernis locis multa ſimul attrahunt de alia carne: contingit igitur humiditatem inde detractam apponi collecto infernè ſub cucurbitam ſeroſo humori, & quæ quidem infeſtant relinqui; quæ verò nihil moleſtant detrahi. *Hippoc. l. de Med. n. 6* Prior cucurbitæ forma, cum locis admovetur ubi fluxio partes interiores vexat, facilius ichores a profundo trahit: Alterius formæ, i. e. circuli lati cucurbitulæ, multa trahunt ſimul cum incumbentibus fluxionibus & longè diſtantibus a ſupernis locis (h. e. à corporis ſuperficie quarum gratia cucurbitulæ adhibentur) trahunt inquam multa, humiditates nempe & humores multos de alta carne: de ea ſcilicet quæ circulo cucurbitulæ circumſtat, quæ cum ob cucurbitulæ latitudinem multa ſit, multum etiam humoris de illa attrahitur: unde evenit humiditatem inde attractam ex illa carne ſuperficiali & ſana, ſub cucurbitula apponi, & ſub ea ichorem vitioſum in penitiori parte colligi, quia à ſuperſtante humiditate impeditus retinetur, & hoc modo quod morboſum eſt & infeſtat (ichores inquam ex penitioribus partibus attracti) relinquitur: quæ verò nihil moleſtant, (humiditates ex ſana carne attractæ) educuntur: Quod quanti ſit in arte medica vulgatum illud demonſtrat, Si talia educantur &c. Et tamen noſtris temporibus nulla in cucurbitularum electione diſtinctio habetur, quamvis earum plurimus ſit uſus nunc in extrahendis humoribus ab interioribus partibus ad exteriores, ubique, præſertim verò pro curatione febrium perechialium: Tum etiam in revulſione humorum partes exteriores infeſtantium ab

vna in aliam partem: In primo enim caſu ex *Hipp.* præſcripto cucurbitulæ anguſtioris circuli eſſe debent, latioris verò in ſecundo: Valeant igitur qui medicinam noſtris temporibus florere credunt antiquorum reſpectu. *Proſper Martianus comment. in eum locum.* Delinquunt in eo noſtri temporis Medentes quod anguſtiore, ſed oblongo corpore, Cucurbitulas ad extrahendum evocandumque altius infixos humores corpori, nullo vſu habent, ſed nil diſcernentes iſtarum opportunitates promiſcuè mandant miniſtris omnibus affigendas: Exemplum ejus rei quod dixi exhibent ſingulare oculi malè affecti, quibus medendis imponit occipitio & iniotalem, quam dixi, cucurbitulam *Fallopius in tract. de vlceribus.* In capite verò ipſo, vt minus attrahant, cucurbitas humiliores admovet *Oribaſius 2. collect. c.16.* In paralyſi quoque ſtrictis oſculis cucorbitas cum igne multo atque exuſto vehementi vult affigendas *Avicenna*, mox verò cum raptu revellendas *l.3.f.2.tr.1.c.4. M. Aur, Severinus Pyrotechn. Chirurg.l.1.part.3.c.14.*

V. Dubitare licet quanto majore ambitu circumplectuntur corpus cucurbitulæ lati orificij, eo plus vacui reſtare in medio quod attractus diſcuſſuſque beneficium non ſentiat: quapropter ea ſuper re meditatus, comperi commodius futurum, vbi ante minor cucurbitula vitrea, ſive cornea, ſi diſruptus timeatur, centro dolentis loci defigatur, mox altera major, quantum dictavit *Aurelianus* (vocat amphoras *Aurelianus l 3.Tard.paſſ.c.* quibus vtitur ad levandos colicos dolores.) Sed ea lege vt ne ſe impediant, nimirum cucurbita externa quidem faſtigiatior ſit, interna verò depreſſior: his enim artibus, i. e. vtriſque ſimul eodem tempore, & ex centro & ex peripheria loci dolentis trahentibus futurum eſt vt multis feliciſſimè cauſa omnis moleſtiæ diſcutiatur *Idem ibidem.*

VI. Animadvertendum eſt cum remota cucurbitula, etiam inciſa cute, locus adhuc elatus ac tumidus apparet, denuo eſſe adhibendum: alioqui fieri poſſet, quod aliquando accidit, vt ſanguis illuc attractus & coactus inflammationem excitet & gangrænam quandoque gignat. *Rubeus in c.11.l.2.Celſi.*

VII. In *cucurbitularum defectu ſoleo* accipere ſiphonem è cupro, cujus inferior circulus latitudine æquans dimidiatum imperialem, applicatus carni, poſt ſuctoris extractionem cum robore factam, egregie attollit cutem. *Iohan. Van Horne Microt. part.1.§.21.*

VIII. Cavere oportet ne prope mammillas grandis cucurbitula applicetur, nam elapſæ nonnunquam cucurbitulas mammæ & inturgeſcentes vehementer, haud facile ipſas relinquunt. *Mercatus de Pr. l.1.c.2.*

IX. Periculoſam eſſe cucurbitulæ ſupra jecoris regionem applicationem palam facit apud *Hildanum* hiſtoria aulici, cui Chirurgus, hæmorrhagiæ narium vehementis cauſa, hepatis regioni cucurbitulas admovit; hinc ejus ſequuta Inflammatio quam remedijs vix extinxit & ſuperavit.

X. Aliquando profundo in corpore latet ſanies, quam per cucurbitulas ſic evocabis: In longos ſinus & cavitates demittitur fiſtula vitrea, ſive recta, ſive inflexa, provt exigi videbitur: ſub extremum lęvis, aut glutine vitrario ſic obducta vt incommodare aculeis minimè poſſit: Immiſſa vbi humorem latentem contigerit, exteriori oſculo multa ſtupa munire, cooperta congruè, calens igne, tamdiu detinebitur cucurbitula vt humor advenerit, tum remota iſta continuò ſequetur fluor. *Severinus Pyrot.l.1.p.3.c.6.*

XI. *Hipp.l.2.de morb. & l.de Affect.* in Angina ad Verticulum in collo apponit, deinde in capite preſſo, & juxta aures ab vtraque parte: In inflammatione Gurgulionis eaſdem retro adhibet raſo capite cum ſcarificatione: In aurium dolore, poſt aures, abſque inciſione, tantum vt trahant: Atque hæc ſi tempeſtivè & cum ratione fiant, nam alioqui capiti intempeſtivè admotæ lethargos, ac corporis mentiſq; ſtupores gignunt, quæ ſi effugerit, omnino in diuturnum capitis affectum incidere tradit *Aëtius Serm.3. c 20. Rubeus in c.11.l.2.Celſi.* Matrona dolore inveterato capitis & ſcotomia laborans, cùm impuro & impurgato corpore cucurbitulas ſibi apponendas curaſſet, non diu poſt paralyſi brachiorum correpta fuit, tandem convaluit ſed multo labore. Figulus ſimiliter laborans iis admotis paralyſi quoque correptus fuit, ſed curari nunquam potuit. *Fab. Hildanus Cent. 5. Obſ.71.*

XII. Conjux N. ob trimeſtrem menſium ſuppreſſionem omnibus gravida videbatur; per intervalla vociferans queritur de inſigni circa præcordia dolore magnaque dyſpnœa, multa per 14. dies hyſtericis affectibus contraria exhibita: his nihil conferentibus venam ſaphenam vtramq; ſecari jubeo, ad revellendum ſanguinem à præcordiis oppreſſis, ſed tamen fuit ejus in ſuperiora tractus vt per datam in pedibus portam vltra vnciam non efflueret, Quare vtrique femori cucurbitulas ſiccas ſex affixit Chirurgus; affixaſque a ſuprema femorum parte vſque genua traxit; earum tempore veſpertino adhibitionem & tractionem toties repetens, donec interna femorũ pars rubicundiſſima ob attractum ſanguinem, appareret: Ab harum vſu ſtatim dolores remiſi, paulatim ſequenti nocte decreverunt, & fluentibus manè menſibus omnino evanuerunt. *Schultetus Ch. Obſ.85.*

XIII. Fibrarum ſanguis expers aliquando vitæ diſcrimine cucurbitulis cum ſcarificatione ducitur: Puellam vidit *Prevotius*, cucurbitulis ea ratione affixis, pertinaciſſimo ſanguinis profluvio ſine vllo artis præſidio interijſſe. *Rhodius Cent.3. Obſ. 9.*

XIV. Ut ſanguis craſſus etiam effluat, ſecundum *Avicennæ* præceptum, c. *de ventoſis*, oportet balneare & horam j morari: Quamobrem in ſcarificari hoc obſervandum vt ſpongia madefacta in aq. dulci tepida locus foveatur, quo ſanguis attenuetur & fundatur. *Capivaccius Pract.l.6.c.16.*

XV. Attrahunt cucurbitulæ ob fugam vacui, hac ratione: ſtupa cannabina in capacitate cucurbitæ ſuccenditur, tum apponitur corpori, extinguitur per ſuffocationem flamma: mox aër contentus, qui ob ignem ſuccenſum rariſſimus erat, denſatur minoremque locum occupat: itaque, ne detur vacuum, neceſſario cutis debet attolli, vt locum illum occupet, qui prius ab aëre raro occupabatur: vnde cucurbitulæ eò magis trahunt quò frigidior eſt aër circumfuſus: Eò tamque qui extrinſecus tegunt linteis &c. denſatur enim aër incluſus quò magis frigidior eſt ambiens, quò magis condenſatur, eò minorem locum occupat, ſicque altius attollitur cutis comprehenſa. *Plempius in Inſt.* Ingenioſa quidem hæc ratio, at quã experientia refellit: Chirurgis cucurbitulas admoventibus qui adſtiterunt, teſtes ſunt ſi ambiens ſit frigidum nihil illas elicere, ac vix cutem in tumorem elevari: contra ſi æger luculento foco aſſideat, aut pannis calidis ſedulò tegatur, efficaciter & celeriter illas trahere.

XVI. De Cucurbitulis oris ſuctu trahentibus. Vide *lib.1.tit.de Atrophia.*

XVII. Ad derivandum & revellendum Cu-

cur-

curbitulas non modo ſcarificatas, ſed etiam ſiccas, eſſe vicarias venæ ſectionis, quando hanc, virium imbecillitas non permittit, ratio ſuadet & experientia demonſtrat quotidiana: Id præſtant Cucurbitulæ ſiccæ ſine vlla virium jactura, qui enim per eas à parte aliqua revellitur aut derivatur ſanguis, ad breve tantum tempus allicitur in vaſa dilatata, ſub cucurbitula, in majores venas mox rediturus cum fuerit cucurbitula remota; quæ potiſſimum juvat ſi removeatur, poſtquam pars quæ fluxionem recipit, aut jam recepit, ab humorum influxu ulteriore liberata ad meliorem ſtatum ſe reſtituit: hoc inquam eſt manifeſtum. At per applicationem cucurbitularum ſiccarum poſſe quidvis evocari foras non ita certum eſt, Etenim, ſeu ægrum in conopeo probe calido colloces, ſi illum tegas, ſi validum diaphoreticum illi exhibeas, vel vnum vel plura horum faciendo ſudorem provocabis, at ab ægro non ſtatim ejuſmodi auxiliis cum ſudore materiam morbificam elicies, copioſam ſaltem, niſi ſit cocta & à ſanguine ſeparata, aut proxime diſpoſita vt ſeparetur: quamvis quæ intrinſecus aſſumpta ſudorem promovent, eadem vim habeant ſeparandi quæ aliena ſunt à ſanguine, quia quovis tempore & modo exhibita talem effectum non producunt, ſed tantum in convenientibus circumſtantiis, extra quas plus noxæ interim quam levaminis: Simile quid contingere circa Cucurbitulas vix dubitari poſſe exiſtimo, Quando flatus infeſtant, ſubitaneo conferunt vtilitatem affixæ Cucurb. ſiccæ, cum enim flatus ſint ab reliquorum humorum miſtione liberi, ab iis non impediuntur quominus exeant per patentia partium cucurbitulis ſubjectarum ſpiracula, quæ vero ſanguini permiſta ſunt, quamvis cum ipſo vaſa ſanguinea ſub cucurbitulis expanſa impleant, ſocium, cujus amplexibus arcte detinentur, non deſerunt, ſed mox amotis cucurb. cum ipſo in majora vaſa remeant, niſi propter vehementiam attractionis, vaſis capillaribus apertis, & ipſa carnium ſubſtantia dehiſcente, cum ſanguine hæreant in carnium aut cutis rimulis, præcluſo reditu in vaſa, poſtquam ea amotis cucurbitulis in ſitum priſtinum ſe reſtituerunt, tuncque humor extravaſatus concreſcens, maculas lividas aut nigras cuti inuſtis (de quibus §. ſequ.) cuti inurit: Si itaque miaſmata venenata ſint ſanguini exacte permiſta, nec ab ipſo ſint facile ſeparabilia, fruſtra ſiccæ Cucurb. adhibentur: Si ſint ſecreta, aut vt ſecernantur proxime diſpoſita, commodius meo judicio adhibentur intus diaphoretica, exterius frictiones lenes: Illo auxilio non ab aliqua ſanguinis portione, ſed è tota maſſa miaſma venenatum abſtergitur; hoc non aliqua cutis particula præparatur ad præbendum veneno facilem exitum, ſed totus corporis habitus: Vtrumque prodeſt ſine ægri moleſtia, ſine virium jactura; At cum portione ſanguinis exiguam venenati miaſmatis partem ad loca quædam evocare, vt iterum remeet cum ſanguine in vaſa, nullum hinc video fructum eventurum ratione habita malignitatis, cujus hic expulſio potiſſimum quæritur, Sed tantum certus ſum ægrum ſitu incommodo, & carnium ac cutis diſtractione vexari, potiſſimum cum plurimæ cucurbitulæ ſimul applicantur: Cum vero malignitatis particeps materia à ſanguine ſeparatur, aut eſt ſeparata, optimo jure laxantur viæ per quas foras ejicitur, ſeu per cucurbitulas fiat ejuſmodi relaxatio, ſeu per litus &c. Semper per veſicantia commode ejicitur ſerum, cui potiſſimum veneni labes adhæret, Non ſolum quia veſicantia cutis & glandularum ſubcutanearum poros aperiunt. ſed quia ſale ſuo volatili ſeri à ſanguine ſecretionem moliuntur: Objiciet aliquis, In febribus malignis ex cucurbitularum ſiccarum applicatione ſtatim ſequi manifeſtum ægri levamen? Reſpondeo id ſæpe contingere, non ratione malignitatis foras evocatæ, ſed ratione revulſionis humorum à partibus interioribus, quarum oppreſſio ad tempus ſuſpenditur, locuſque datur ſe reſtituendi, & vires colligendi, ad validius deinceps reſiſtendum fluxioni: idque remedium apprime convenit cum virium debilitas revulſionem aut derivationem per v. ſ. impedit: eaque de cauſa Cucurb. dicuntur vicariæ v. ſ. maxime quando cum ſcarificatione applicantur: Alias etiam ob cauſas commodæ eſſe poſſunt Cucurb. licet miaſmatis venenati nihil detrahant. *Franc. Bayle probl. Med.* 15.

XVIII. Si Cucurb. ſiccæ cum multa flamma applicentur, neceſſe eſt validam fieri attractionem, vt communiter loquuntur, aut potius humorum ob cucurbitulas compulſionem, & carnem in tumorem ingentem ſub Cucurbitulis elevari, & proinde cutem vehementer diſtendi, & vaſa capillaria per ipſam ſparſa diſtrahi, eorumque oſcula laxari, ſaltem rumpi, ſanguinem in illis contentum effundi, & cum fuerit extra vaſa nigrutem contrahere; quandoquidem in loco tepido aëris contactu ſenſim concreſcit: Hæc non ſolum ægris, ſed etiam ſanitate optima vtentibus accidunt: Maculæ itaque ſubnigræ, quæ ex ſanguine ſub cute hoc modo effuſo oriuntur, non deſignant malignitatem ſed validam cucurb. tractionem, quia multa flamma eſt adhibita; Et nihilominus maculæ facilius in quibuſdam excitantur, ob ſanguinis tenuitatem, vaſorum mollitiem, partium laxitatem &c. de quibus ex variis circumſtantiis judicare debet Medicus. *Idem Probl.* 14.

DIÆTA ÆGROTANTIVM
IN GENERE.

SYLLOGE.

Diætæ inſtitutio unde deſumenda. 1.
Inſtante morbo non ſemper liberalior cibus concedendus. 2.
Vtrum peſſus erratum in tenui an craſſo victu. 3. 31. b
Non idem eſt cibus in modica quantitate, Et ſorbitio in magna. 4.
An cibi detractio ideo neceſſaria quod vacuandi adſit neceſſitas. 5.
Qualis Diæta ante criſin inſtituenda. 6.
Victus ratio attenuando procedere debet. 8.
Vtrum peccatum deterius, in cibo an in potu. 9.
An vbi humores multi corrupti, multo opus alimento. 10.
In numero cibationũ conſuetudinis habenda ratio. 11
Inanitis liberalior diæta non illico concedenda. 12.
A diæta aſſueta non omnino diſcedendum. 15.
Vtrum victus cibum immutare in qualitate aut quantitate. 16.
In principio morbi univerſali aliquando tenuior victus, in ſtatu plenior convenit. 17.

Noxia alimenta aliquando juvant. 52.
Illorum emendatio in uſum eorum qui ab ab ejuſmodi alim. abſtinere nequeunt. 33.
A ſola Diæta citra alia præſidia morborum curatio non expectanda. 34.
Sola quandoque ad morborum quorundam ſanationem ſufficit. 35. 36.
Æger convenientem diætam aliquando ſibi eligit. 32.
Qua hora dolor magis moleſtus eſt cibus non eſt porrigendus. 18.
Ptiſana *an cibus omnium præſtantiſſimus.* 19.
Non omnibus ægris æque confert. 23.
Aqua *quæ optima.* 24.
Optimæ notæ. 24. a
Virtutes. 24. b
Excreationem quomodo movet. 24. c
Quomodo eſt bilioſa. 24. d
Intempeſtive data noxa. 24. e
Ova *in affectibus fluidis non conveniant.* 7.
Piſcium *eſus non ſemper rejiciendus.* 20.
Carnium *deſtillatio inepta nutritioni.* 21.
Inſtaurantia *parandi ratio.* 22.
Emulſiones *ſola alimenti vices non obtinent.* 29.
Fructus horæi *actu frigidi ſalubrius aſſumuntur.* 27.
Fructuum uſus an ſalubris. 26.
Olerum & herbarum uſus an ſaluber. 21. a
An Acetariorum. 21. b
Potus medicamentoſi cibis non admiſcendi. 25.
Non omnis aqua decoquenda correctionis cauſa. 24.
Non omne vinum ſiccat. 26.
Aqua pro potu in diæta exſiccante conveniat. 53.
Aqua nivalis *non ſemper inſalubris.* 28.
Turba adſtantium ab ægri cubiculo arcenda. 30.
Ægrorum linteamina *frequenter renovanda.* 14.
Vitæ anteactæ ægri & conſuetudinis habenda ratio. 31.
Somni artificio provocati beneficia. 37.

DIÆTA FEBRICITANTIVM IN GENERE.

SYLLOGE.

In acceſſione Febrili an ſemper alimentum denegandum. 38.
Simplex cibus an ſemper conveniat. 39.
An ſemper humidus. 58.
Cibi ſale *an condiendi.* 40. 21. p.
Lac *an concedendum.* 41.
Fructus *an omnino deneganđi.* 42. 26.
Piſces *an conveniant.* 43.
Ova *an noxia.* 44.
Lactucæ *crudæ poſſunt concedi.* 53.
Ferculis omphacium &c. an recte addatur. 54.
Dulcium uſus noxius. 55.
Ptiſana *eximie confert.* 56.
Vinum an in putridis conveniat. 49. a
Aqua ſimplex an concedenda. 49. a
Cerevisia an deneganda. 49. b
Potus *acute febrientibus quomodo exhibendus.* 45.
In paroxyſmis poteſt concedi. 46.
Aliquando frigidus, aliquando calidus dandus. 47.
Non idem Potus refrigerans abſque diſcrimine omnibus exhibendus. 48.
Aqua Hordei *an reprobanda.* 49.
Aqua non diu coquenda. 50.
Frigida toto morbi decurſu non porrigenda. 51.
Hyeme quam æſtate an liberalius ægri nutriendi. 52.
Somnus *quando juvat quando nocet.* 57.

1. DVo primi ſcopi ſunt in quos curantis oculi intenduntur, Facultas & Morbus: illa petit ſe ſervari, hic tolli. Facultas petit cibum, quo ſervatur, morbus augetur; *hic poſcit auxilia*, quibus debilitatur facultas: At quia res non poteſt tranſigi ſine utriſque, methodo inveniendus victus cum quo æger durare poſſit donec morbus judicetur ne prius deficiat: conſtat vero tantò minus poſſe hominem ſuſtinere cibi detractionem quanto indiget pluri: Vt autẽ pluri cibo quis indigeat quam alius, aut ex Morbo evenit, aut ex Homine, aut ex Externis: Et in ipſo quidem morbo, aut ex Conſtitutione ex Specie: Ex Cõſtitutione, quia quo is futurus eſt longior, eo craſſioris victus eſt opus, ut ſcilicet in plures dies poſſit ſufficere: Ergo neceſſe eſt eum qui ægrotantibus rectè inſtitutus ſit victum, artem prænoſcendi cujuſque morbi conſtitutionem didiciſſe, mox noſſe tantò indulgentius agendum à principio eſſe quanto morbus videatur futurus longior: Contra ac improvidi faciunt, qui cum futurorum nullam habeant providentiam, & in acutis citius ac plus videant facultatem affici, & crebris ſymptomatis urgeri, facultati timentes, ægrotos incipiunt mox ingurgitare: contra per initia longorum, nullis ſymptomatis territi, virium parvam videntes diſſolutionem, victum audent nimis extenuare: Poſtea cum longius quam putaverant vident morbos protrahi, inediæ longitudinem timentes, coguntur augere cibos, primum quidem ſubtractione vires ante tempus debilitari ſinentes, deinde adjectione obſtantes ſuccorum concoctioni: Cum contra oporteret facere, in principio inquam morbi, dare cibi plus, procedente autem concoctione, & eunte in judicationem morbo, ſenſim detrahere, eâ celeritate quâ morbi ipſius duratio contrahitur: Eæ enim morbi partes in quibus concoctiones naturam magis occupant, prohibent magis: Ob ſuccorum ergo alterationes permittunt morborum principia (cum nondum natura aggreſſa concoctionem eſt) dare plus cibi quam incrementa, & hæc quam ſummi vigores. Nec ſolum ob concoctionem ſuccorum agendum eſt ut diximus, ſed ob ipſam facultatem, quia hæc tanto magis periclitatur detracto cibo in principio quam poſterius, quanto plus ſupereſt tranſigendum, cibum ergo dari ſola facultas petit: Tamen ejus quantitatem, ſimul cum facultate, indicat morbi tempus, non quidem per ſe, ac petens, ſed propter facultatem, & permittens: Ex Specie etiam morbi Quantitatis cibi indicatio quædam eſt, nam cum cibi dentur ob facultatem, quo morbi ſuapte natura facultatem fortiorem deſiderant ut vincantur, eo plus cibi dari poſtulant: Ex quo partes affectæ minus cibum ſuſtinere poſſunt, eo minus permittunt dari: Igitur in iis morbis quorum materia intra thoracem conſiſtit lautius aliquanto agendum eſt, quam cum naturalia inſtrumenta excrementis obſidentur, quia in illis nõ naturales ſolæ ſed & animales vires deſiderantur: Si igitur eos qui ita laborant ſinas plus ſatis per cibi detractionem langueſcere, eveniet ut cocta materia, ſola impotentia, exitere an-

di

dimoriantur, conſtat hac cauſa dandum eſſe his cibi plus, laborantibus vero vitiis hypochondriorum, atque aliarum partium, minus: Atque inter hos dandum eſt minimum quibus affectio eſt in ventriculo, quia cum ipſa affecta pars primam ac maximam cibi commutationem ut efficiatura, & cum ciuoiſſin o conſtat eam a cibo maximè lætium iri: Ex morbo hæ ſunt indicationes, In ipſo Homine duo ſunt quæ quantitatem indicant, Natura & Conſuetudo, Nam quibus plurimum eſt calidi, plurimo ii egent alimento, quia à pauco exolvuntur; ideo minus per morbus illis detrahendum, contrariis plus: Exolvuntur autem pauco dato cibo quibus facultas commutandi fortis, quia cum ea facultas naturalis ſit, neque poſſit præſente materia ceſſare, oblato exiguo cibo exurit excrementa, quæ in officinis neceſſario ſunt aliqua, a quibus noſtra mox ſubſtantia exuritur ac liqueſit, & ipſum cibum adeo exiguum, pro concoctione, corrumpit ac vitiat. Diſſipatio ſubſtantiæ in puerulis multum quoque poſtulat cibi: Conſuetudinis etiam magna ratio habenda, neque vnquam per morbus mutanda, neque per bonam valetudinem, niſi paulatim & cum homo à negotiis vacat: Quod vulgus Medicorum non conſiderans ægrotis omnibus eoſdem cibos tribuit: Externæ quoque cauſæ perpendendæ, vt Temporis, cui ſimilis Regionis differentia: ſic hyems & ver facit ventres hominum eſſe calidiores &c. *Valleſius m. m. l. 1. c. 6.*

II. Quantitatis cibi variatio eſt neceſſaria, tum ob morbi mutationem, tum ob facultatis diverſum robur: rationi enim conſonum vt tunc minus exhibeatur cum morbus gravior eſt: ſic initiis morborum cum ægrotantes, vtcunque moderatius habeant, plus cibi indulgendum eſt: in ſtatu verò ob ſymptomatum vehementiam nihil eſſe exhibendum conſtat: Dubitatur tamen, an ſemper quovis morbo incipiente liceat plus cibi porrigere? Reſpondeo non ſemper id eſſe verum, ſed dum corpus nullo alio morboſo apparatu afficitur: nam ſi impura ſit prima regio, aut cruditas ſubſit, tenuior victus ratio tutior eſt, donec cruditas victus parſimonia evaneſcat, ac valet Celſi conſilium, *Initia* morborum primum famem ſitimque deſiderant: videatur Hippocr. lib. 1. de v. Acut. t. 32. 42. & 45. Supponit enim vterque nuſquam quenquam ita moderatè aut parcè vixiſſe quin aliquid amplius quam par ſit ſumat, ita vt quid crudum aut excrementoſum ſuperſit: cujus ratione initio morbi parſimonia ciborum vtendum ſit. *Mercatus de Præſid. Medic. lib. 1. cap. 1.* Cavere etiam oportet initia omnium inflammationum maximè partium principum, & quæ fluxionem habent adjunctam, quibus minus in principio porrigere oportet, & plus dum os madeſcit: nam tunc plurimum errabis ſi plus cibi dederis, vt in turgentibus ſuccis competit iis, qui ſubito in phrenitidem migrant, vnde morbus forte plus ſit duraturus quam vires ob inediam in principio ferre poſſunt. *Idem ibidem.*

III. Quæritur vtrum melius ſit in tenui victu quam in pleno delinquere? Nos Cum *Mercuriali* diſtinguimus inter dolum cibi ſecundum virtutem, & inter eam quæ eſt ſecundum molem, atque reſpondemus, Si peccetur in tenui victu ſecundum virtutem, certè gravius eſſe peccatum quam ſi in pleniori; quia vires ob alimenti egeſtatem & inopiam ſemel præcipitatæ, difficulter recuperari queunt: Multo gravius autem ſecundum molem in pleno victu quam in tenui erratur, propterea quod cibus plus æquo ingeſtus morbum facit, vt ſcribit Hippocr. plura enim gignuntur excrementa: vnde non ſolum pabulum putredini ſuppeditatur, ſed & calor nativus hebetatur & præter naturalis augetur: adhæc natura, quæ morbidorum humorum coctionibus incumbere debet, cum maxima ægrotantium pernicie ad cibum tota avocatur. *Greg. Horſtius Exercit. de Febr. 10. Qu. 4.*

IV. Aliqui exiſtimarunt idem eſſe in acutis morbis ſolidioris cibi & fortioris exiguum dare, ac tenuioris Sorbitionis eam quantitatem, quæ tantum nutrimenti præbet quantum exiguum edulium ſuppoſitum: Horum opinio ab Hippocr. lib. de vet. Medic. t. 91. refellitur, *Quicunque ait, homines ſiccum cibum aſſumunt qui mazam aut panem etiamſi valde modicum, decuplo magis & manifeſtius læduntur, quam ſi ſorbitione vſi eſſent: ob nullam aliam cauſam quam ob fortitudinem eduli ad affectionem, & ad eum cui ſorbere quidem conducit, edere autem non:* Hic manifeſte aſſerit Hippocr. edulium fortius quam & morbi conditio & ægrotantis natura exigat, ſemper lædere, etiamſi in pauca quantitate minus noceat quam in majori, Quod animadvertere vellem communiter practicantes, qui in acutis morbis & panem & carnes, aliaque ſolidiora cibaria exhibere tam facilè ſolent. *Martianus in dictum locum.*

V. An cibi detractio ideo fieri debet, quia vacuandi corporis incumbat neceſſitas? ℞. etſi cibi capiuntur ad reficiendum ſanguinem qui in venis continetur, non tamen ſanguis in venis repoſitus recentis cibi neceſſitatem tollit; alioqui athletæ &c. nullo cibo indigerent, ſed in inedia diu contineri poſſent, qui tamen inediam non ſuſtinent: nimirum indigent corpora ad retinendas vires ſucco vtili ut partes ſolidæ nutriantur, & recenti cibo & potu, vt ſpiritus reficiantur, alioqui animo viribusque omnibus linquuntur, etſi ſuccis pleni ſint: Non igitur quod evacuatione ſit opus, non ſit etiam opus cibo, quin etiam fortaſſe aliquando erit opus craſſiori, vt facultas poſſit ſuſtinere morbum & vacuationem: Mirum ſi quia mittendus eſt ſanguis jubeas ægrotum nihil cibi capere, facies profecto vt linquatur animo antequam vacuatum ſit quantum expediat: Quid eſt ergo quod *Hippocrates* lib. 1. de vict. acut. t. 19. ait, *Quicunque ptiſanis vtuntur in his morbis, ne vnam diem permittant vaſa inaniri, vt ita dicam, ſed vtendum citra intermiſſionem, niſi expediat aut ob pharmacum, aut ob clyſterem intermittere?* Certè non oportere vt cibus, qui conguiant morbo, dimittatur vel diem vnam, niſi quid aliud intercurrat quod cogat intermittere, vt ſi qua hora prandendum erat ægro, ſuperveniat rigor inſperatò ob alterius acceſſionis initium, conſtat intermittendum eſſe prandium: Ita ſi cum quotidie ad meridiem cibum ſoleret æger capere, vna quadam die purgans ſumat, cibandus erit ea die, non vt prioribus, ſed vt ipſa purgatio indicat: Idem contingere poteſt cum clyſtere vtendum, nimirum cum cibus prior non deſcendit, diſpoſitio exigit vt clyſter infundatur & intermittatur cibus. *Valleſius comm. in præd. locum pag. 19.*

VI. Inſtante craſi Sorbitiones detrahit Hipp. ne natura ab opere divertatur & criſis impediatur: Verum quia per criſim intelligit Hippocrates communiter quamlibet morbi ſolutionem, non eam ſolum quæ ad ſalutem fit ſubito & cum aliqua ſenſibili vacuatione, non in qualibet detrahenda eſt ſorbitio: ſed in ea tantum quæ mediante aliqua

ſenſibili vacuatione contingit, quod innuit voa, *Si Turbetur* Dum enin morbo ad ſummum vigorem progreſſo turbatio contingit, tunc criſis cum ſenſibili vacuatione espectanda eſt, juxta aphor. 13. 2. Ea qua *Hippocr.* ſententia facilè culligi poteſt ratio, ob quam in morbis pectoris circa judicationem ſorbitiones augere expediat, quia ſçilicet in illis morbis noo fit criſis, quam turbatio præcedat, criſim ſubitam indicans, cum ſenſibili vacuatione, cum paulatim materia per ſputum educatur, quam non impedit ſorbitio, imò auget, tum partes pectoris humectando, tum virtutem roborando. *Martianus comm. in v.138.l.4.v.Acutor.*

VII. Cum *Hippocr.* 1. de morb. mul. ſect. 2. Ovorum vſum concedat puerperis dum purgationes immodicè fluunt, argumentum eſt evidens ea ſiſtendi facultatem habere, ita vt ex eorum vſu naturali curſu fluentea ſupprimi poſſint: Hinc collige ea inepta eſſe in iis morbis in quibus meatus corporis apertos eſſe expedit, humoreſque ad exitum paratos: vnde & in febribus putridis, & in pectoris morbis aliiſque ſuſpecta habentur: Collige iterum vim adſtrictoriam ex coctione ſolum non obtinere, cum adſtringendi gratia ſorbilibus l.c. Hipp. vtatur, non induratis: Sic 4. acut. v.390. Ova non indurata omnino, ſed ſemiconcreta eabiber iis qui alvi fluore detinentur: Notandæ vero partes diverſæ ovum conſtituentes: vitellus, ſive crudus, ſive exaſſatus, ſive ſorbilis adminiſtretur, interius quidem aſſumptus, incraſſando motum humorum ſemper compeſcit & adſtringit: Albumen autem dum liquidum aſſumitur, ſive coctum ad lactis ſpeciem redactum, ſive crudum, alvum movet: albuminis enim facultate ova ſorbilia quibusdam alvum movent: Crudo ea aqua vtitur Hippocr. in febre ardente, 3. de morb. quia, vt ipſe ait, refrigerat & ſubducit: Quare non bene conſulunt febricitantibus qui, albumen abjicientes, ſolo vitello vtuntur. *Pr. Martianus comm. in l.c.p.*202.

VIII. Num victus ratio debeat procedere *incraſſando*, an extenuando, variæ ſunt ſententiæ, Nos veram duabus concluſionibus facimus manifeſtam, 1. eſt. Quando morbus cognitus eſt, ſimplex, & virtus conſtat, ſumpta indicatione à morbo, ſi ſervat materiam ad vnam criticam expulſionem, victus ratio debet procedere extenuando: Ratio eſt, quia omnia tempora coincidunt, nam morbus cum eſt in principio, ſtatu, augmento, quoad alterationem materiæ, eſt in principio quoad eſſentiam & quoad ſymptomata: Cum ergo morbus & ſymptomata ſint in principio minora, & majora in augmento & adhuc vehementiora in ſtatu, ſumpta indicatione ab ipſo morbo, in principio plenius, in augmento tenuius, in ſtatu tenuiſſime eſt cibandum: 2. Concluſio, Quando morbus non ſervat materiam à principio, ſed paulatim incipit repurgari, victus ratio non debet procedere extenuando, ſed ingroſſando: Ratio eſt, Nam quando morbus eſt in augmento, vel in ſtatu ſecundum alterationem materiæ, jam periculum æger evaſit, & judicatus eſt, quia eſt in declinatione quoad eſſentiam & quoad ſymptomata, Ideo tunc plenius quam ante cibandus eſt: Sed, Quomodo morbus poteſt eſſe in augmento, vel ſtatu ſecundum alterationem materiæ, non autem ſecundum eſſentiam & ſymptomata, quandoquidem coctio quæ fit in venis portedinis eſt particeps, & ſimilis illi quæ in inflammationibus contingit, juxta Galenum 1. de diff. febr. 5. Ergo ſi augetur putredo, augebitur morbus cum ſymptomatis? Reſp. In cauſa interna, quæ morbum excitat, fovet & auget, duo conſiderari qualitatem & quantitatem: Illa eſt, acrimonia, caliditas, aut mala qualitas ea putredine & corruptione nata: Hæc, aut eſt eadem & æqualis, aut eſt major & minor; Sola qualitas non poteſt determinatum affectum inducere ſine quantitate certa, & quanto major eſt hæc, major eſt effectus illius, quoniam nullum agens tam valens eſt, quod effectum ſuum poſſit imprimere ſine quantitate certa; hinc ſcintilla ignis non calefacit, ocdum vrit: Hac de cauſa etiamſi in augmento & ſtatu, ſecundum alterationem materiæ intendatur qualitas cauſæ, cum quantitas ſit imminorata, non poteſt efficere morbum majorem quam antea ob quantitatis defectum: *Obiicies* 1. Quo magis morbus recurrit, tanto pleniori victu vtendum eſt, quia virtus ea morbo & remediis facta imbecillior, magis videtur reficienda. ℣. Verum eſt in morbi progreſſu virtutem labefactari, ſi tamen diæta, vt decet, præſcribatur, tunc in morbo ſalubri virtus ſemper ſuperior eſt morbo, permittimus enim, ne acceſceat morbus cum magnitudine ſymptomatum, vt aliquantulum vires diſſolvantur, quia non ſoli virtuti ſed morbo quoque conſulendum. *Obi.* 2. Initio morbi major eſt copia humoris crudi & rebellis, ergo tenuior tunc victus competit, ne diſtrahatur natura à cauſæ morbificæ, crudæ & indomitæ concoctione: ℣. In augmento & ſtatu virtus magis eſt impedita quam in principio, nam caliditas & acrimonia humoris, ebullientis & rarefacti, magis irritat, ideoque laceſſita natura majorem adhibet conatum quam in principio, ideoque non eſt ab opere illo diſtrahenda, *Obi.* 3. Ex aph. 1. tr. initio acceſſionis æger à cibo abſtinere debet, ergo initio quoque morbi minus quoque cibandus æger, ſi eadem eſt ratio temporum vniverſalium & particularium. ℣. Magnam eſſe inter utraque diſparitatem, nam in principio univerſali ſemper morbos ejuſque ſymptomata ſunt minora; in particulari vero majora, eſt enim deterius tempus totius periodi, præſertim ſi compreſſa annotatio adeſt, quare magis ineptum ad cibi exhibitionem tempus eſt. *Obi.* 4. In morbo incognito, ex Avic. regimen ſubtiliare oportet, At morbus initio minus cognoſcitur, ℣. Concluſio intelligenda de morbo cognito, eo enim ignoto probum regimen inſtitui nequit, Quod ſi cognoſcitur, initio plenius, hinc tenuus alendom. *Obi.* 5. Hippocr. 1. de victu Ac. t. 21. vbi de pleuritide & morbis acutis, ait in principio nec multam nec craſſam offerendam ſorbitionem Et textu 23. Si os, ait, madeſcit, & evidens ac perfecta coctio apparet, ſorbitionis quantitatem augendam jubet: ℣. Hipp. ibi de Pleuritide humida verba facit, in qua materia paulatim repurgatur, quo caſu victus ratio incraſſando procedit: Si dicas non omnem Pleuritidem paulatim vacuatione finiri, cum ſæpe criſi iudicetur, vt in Anaxione, tertio Epid. 3. 79. qui bis criſi per ſudorem judicatus eſt, ℣. Anaxionem duplici laboraſſe morbo, vno ab humore contento in venis, indeque orta febri, à quo ſolutus eſt adveniente ſudore: Altero ab humore impacto in pleura, cujus indicatio fuit per ſputum. Solve 2. In Pleuritide, & omnibus inflammationibus internis, convenit initio victus tenuiſſimus, quo prohibeatur fluxio augmentum inflammationi datura, partes enim inopes ab inedia ſuccos retinent, nec ad partem affectam confluere ſinunt: Cum vero incipit fieri expurgatio, ad facilem anacatharſin, & facultatis animalis robur, qua indiget, plenius

nior diæta inſtitui debet. *Ex Zacuto P.M. h. pag. m. 349. hiſt. 50.*

IX. Vtrum peccatum deterius, In cibo an in potu? Reſpondet *Celſus* l. 1. c. 2. *Sæpe ſi qua intemperantia ſubeſt, durior eſt in Potione quam in Eſca:* Ratio firmat 1. quia immoderantia potus ſeſe major eſt, cum multum gravet potio ventrem. 2. quia potio magis opponitur innato calori, ex cujus copia citius extinguitur calor quam ab eſca, ignis inſtar: 3. Multus Potus incoctilis eſt, & vix à natura ſuperatur, imo eſt in cauſa vt alimenta non concoquantur, quia interponitur ipſi alimento, & ea reddit lubrica ante coctionem: Hinc fit vt quo magis homines abſtinent a potu eo vivant ſalubriores, & minus morbis obnoxii: Ob immodicam humiditatem homo morbis ex putredine maxime eſt obnoxius. *Zacutus. Pr. hiſtor. p. 544.*

X. *Galenus* aphor. 17. 1. humorum corruptionem, præſente virium debilitate, ſanare intendens, hæc habet, *Si vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore eſt diſpoſitio ſit ex corruptione humorum vel defectu parum alimenti & ſæpius talibus offeremus: parum quidem, quia virium imbecillitas non poteſt totam ſimul multitudinem alimenti ſuſtinere: Sæpius autem, quoniam multis indiges diſpoſitio, defectus ſiquidem exigit adjectionem, corruptio vero contemperamentum.* Quibus verbis aſſerit humorum corruptionem multis cibis egere, & iiſdem poſſe corrigi & ſanari: Hæc doctrina videtur adverſari Hippocr. aph. 10. 2. *Impura corpora quanto magis nutris tanto magis lædes:* Et 7. aph. 67. *Si quis cibum febricitanti dederit ſano quidem robur, laboranti vero morbus.* Solve antinomiam dicendo, Virtute languente dupliciter cibationem proponi poſſe, vel cum evacuatione, vel citra ipſam: hoc modo non conceditur juxta aphor. 10. ſect. 2. At verò cum vacuatione vt vitiis & necesſaria inſtituitur frequens cibatio, nam corruptio multis indiget, i. e. ciborum adjectione, quoniam loco vitioſi, quod debet vacuari, frequenter debet vtile reponi per optimum alimentum, quam vitioſi ſucci curationem Medici *Epicraſin* vocant. Vel dic, Curationem per epicraſin poſſe etiam fieri per alimenta, & medicamenta refrigerantia & humectamenta, quæ acrium mordaciumque humorum vim hebetare queunt: quæ cum temperata ſint, (Græcis Epicraſtica) ſuccorum acrimoniam retundunt, putredinem arcent, rectè concoquuntur, vires reficiunt & minime corrumpuntur, maximè ſi eorum copia fuerit imminuta, alias eam augent, docet enim Gal. 2. ſimpl. c. 12. 13. & 14. quod cum humores acres abundant, alimenta temperata non mitigant eorum morſum, ſed potius corrumpuntur: contra tamen ſi eorum abundantia fuerit vacuata, contemperant, quoniam tunc non corrumpuntur ab illis, cum ſint valentiora: *Zacutus Med. Princ. lib. 2. hiſtor. 91.*

XI. *Hippocr. 2. de vict. acut. t. 24.* & 25. ait eus qui ſoliti ſunt bis cibari in die, ſi non fuerint pranſi debiles & infirmos fieri, multiſque ſymptomatis affici, etiam benevalentes: Hinc concludit argumentum à majori, dicens, Si talia fiunt benevalentibus, cauſa inſolitæ mutationis victus dimidiatæ dici, quid cenſendum ægris futurum? Errant ergo Medici, qui poſtquam multis diebus ægrum fame maceraverant, repente deinde reficiunt, contra aphoriſm. Plurimum & repente vacuare aut replere &c. periculoſum. *Valleſius comm. in lib. citat p. 69.*

XII. Conſideranda antiquorum prudentia circa victum debilitatorum, qui recens expurgatis, aut alioquin ſponte exhauſtis, tenuis cibi exiguum exhibebant: ſic Hippocr. 5. Epid. viro cholera correpto polentam ex aqua nonnihil tenuem, h. e. conſtantem pauca farina dare auſus eſt: Contra ac vulgares Medici faciunt, tribuentes multos bene craſſos cibos cum vino, Quaſi quod multis diebus exhauſtum eſt vna ſint repoſituri, *Valleſius comm. in cit. loc. p. 409.*

XII. a. *Hippocrates 1. de vict. Acut.* etſi mutandam eſſe conſuetudinem non velit, ne tamen hinc intelligas ægrotos quoque eſſe cibandos eodem modo quo antequam ægrotarent, nec vlla mutatio conſuetudinis fiat. Temperat enim ſermonem, dicens favendum etiam eſſe quadam ex parte ſermoni contrario, ei ſcil. qui adſtruit mutandam eſſe conſuetudinem; verus enim etiam is ſermo eſt, non ſimpliciter, neque omnino, ſed quadam ex parte, puta in ægris: Nam in iis quæ dicta de ſanis, ponebatur conſuetudinis mutationem fieri corpore non mutato, atque ita non mirum ſi ea mutatio lædetet, at vero ægri corpus mutationem recepit, atque ita non mirum ſi conſuetudinis mutationem deſideret. Neque ſane id quia conſuetudo in ægris negligenda ſit (non eſt enim, ſed quoad fieri poſſit ſervanda etiam) ſed quia ſunt alia multa conſiderand[a], a quibus capiuntur indicationes, quibus [illegible] ratis, vt robur, natura & modus morbi: Cum ergo tam multis ſit ſatisfaciendum ſatis, non poteſt omnino ſervari conſuetudo, neque debet omnino mutari, vt nulla illius ratio habeatur, ſed partim ſervanda partim permutanda eſt: atque ita optime dixit *Hippocr. auxiliandum ſermoni contrario qui dicit conſuetudinem eſſe mutandam, non omnino ſed parte quadam*, Nimirum conſuetudo mutanda eſt non omnino, ſed in quibusdam, & quadam ex parte, & modo quodam, nam antea etiam dixerat, mutare quidem non parum bene habet, ſi recte mutatio fiat. Sed quod dicit eſt conſiderandum, *Mutatio*, inquit, victus *his fiebat corpore non mutato, neque ad robur, vt oporteret cibos adjicere, neque ad debilitatem, vt auferre:* Itaque quibus plus roboris eſt dandum eſt cibi pluſ quibus minus minus quoq;: Videtur tamen hoc & rationi & *Galeni Hippocratiſque* placitis adverſum: Nam *Galenus* 1. de arte curat ad *Glaucon.* cap. 10. inquit, *Inedia quidem vtaris in valentioribus viribus, largiori autem cibo vbi vires ſunt debiliores:* cui ratio ſubſcribit, nam, vt paſſim dicit *Hippocrates*, cibo vtendum quo ægrotos durare poſſit donec morbus concoquatur; conſtat vero robuſtum quam debilem durare magis poſſe, ac proinde minori cibi auxilio indigere; debilem minus, ac proinde indigere majori: Sed res hæc non eodem modo habet in benevalentibus & in ægrotis; In illis enim, quia mens eſt ſervare aut augere robur quod adeſt, dandum eſt quantum recte poſſit coqui atque ita tanto plus quanto plus eſt roboris, quia tanto plus poterit coqui: In his vero, quia nihil aliud curamus quam ut poſſint durare donec morbus concoquatur, non quantum coquere poſſint damus, ſed quantum indigeant vt durent, id vero tanto plus eſt quanto facultas debilior. *Valleſius comm. in c. loc. pag. 77.*

XIII. Notabile eſt Hippocr. in *Diæta exſiccante Aquam* pro Poto vini parem non vinum aut mulſam, quamvis vtrumque humectet minus aqua: quod quidem ab eo factum eſt, non quod ill

li vinum ſuſpectum ſit aliqua de cauſa, nam prætterquam quod in vteri exulceratione vinum nigrum meracum concedit, ſi tandem vinum illi ſuſpectum fuiſſet, aliam potionem, non aquam ſimplicem, dare debuerat: Probat igitur aquam Hipp. quatenus hæc minimũ aut nullum corpori nutrimentũ præbet, cujus nutrimenti principalis actio eſt humidum, quod continuo diſſipatur, reſarciendo humectare, ſicq; per accidens aquam exſiccare cõtingit: Adde etiam potiones alimentum corpori afferentes citius diſtribui per corpus, & ex conſequenti humectare, quàm aquam; quæ quoniam, vt dicebat Hippocr. diutius moratur in hypochondriis, ad humectandum corpus non adeo procedit vt aliæ potiones naturæ jucundiores. *P. Martianus comm. in v. 183. ſect. 3. l. 2. de morb. mul.*

XIV. *Lintea* ſæpius ægris permutare piaculum plebi videtur: inde ſi quidem credunt ægros reddi imbecilliores: At Hippocrates circa ægros omnia munda debere eſſe jubet, & Galenus omnibus modis tranſpirationem liberam ſervare ſtudet, quo aër frigidus trahatur, excludanturque fuligines, maximè in febribus continuis, in quibus vt plurimum febris ex pororum conſtrictione contingit: Itaque iis obſtructis tum à ſordibus, tum à ſudoribus, vaporum & fuliginum retentio ſequitur, inde febris præexiſtens augetur, aut nova accenditur: contra vix ille in morbos incurret graves cui corpus ἰνδιαφορητόν. Qua in re peccant, *ait Valleſius comm. in lib. 1. de vict. acut.* vulgares Medici, neque lineam tunicam mutare, neque lecti ſindonem, neque manus faciemve lavare, neque quicquam aliud quod ad munditiem ſpectet ſuis ægrotis permittentes, ne ſi longus quidem morbus ſit, aut quaſi non augeat hoc omnem putreſcentiam.

XV. Accidit vt ruſticus quidam febriens acutiſſimè perductus ad hoſpitale nullis remediis à D. *Giſberto* vix curari potuerit: Tandem ex morituro quæſivit, Ecquid peteret, quæ fuiſſet antea victus ratio? dicebat ſe planè ab iſto cibo & potu, ſyrupis &c. abhorrere; & lecto nimium molli, ſe ante ſuum cæpis, caſeo bubulo, carne duræ coctionis ſub dio veſtitum dormiſſe. Tandem D. Giſbertus permiſit vt una nocte in ſtramine dormiret; afferretur cepa, ſal cum aqua frigida: arbitratus hinc eum citius moriturum, quem poſtridie adſtantem igni invenit. *Solenander ſect. 5. conſ. 15. §. 16.* Anno 1668. febricitabat acutè Genevæ vir generoſus, qui nuper militiæ valedixerat, nomine *Debulet*: Octo noctes inſomnes duxerat, neque ſomnum vllis præſidiis allicere potueram: Monet vxor optare maritum noctem in ſtramine tranſigere, rarum futurum ut ibi ſomnum capeſſeret, ac quaſi abſurda peteret, narrat: Votis abnuere nolui, quanta ſint conſuetudinis vis: conſcius ſubſterniiur illi palea, cui vix incubuit arcto prehenditur ille ſomno, quem ſanitas brevi conſequuta eſt.

XVI. Vtrum vtilius cibum minuere in qualitate aut quantitate? Dic fere, & præſertim in acutis, melius eſt minuere in qualitate, hic enim cibus qualitati morbi & appetitui magis convenit, & à concoctione ipſius minus naturam impedit: Si tamen virtus eſt debilis, & ad cibum multæ quantitatis appetitus valde inclinat, tunc melius eſt quantitatem minuere, & hoc exequimur laborantium voluptati aliquid condonantes: Perinde etiam ſumpta indicatione ab aliquo ſymptomate, cibum diminutum interdum in quantitate exhibemus, vt in colico dolore, lapide & dolore renum, dolore ventriculi: in his enim concedimus quæ contemperant & neque impleant neque gravent, vt jus pulli, pulæ aut cicerum.

XVII. Licet in principio morbi victus copioſior ſit offerendus, ex præcepto Hippocr. 1. aph. 8. *Quando morbus in ſuo vigore conſiſtit, tenuiſſimo victu vtendum eſt*, tum quia morbus minor eſt & alimoniam magis permittit; tum quia vires robuſtiores ſunt, & virtus minus intenta coctioni cauſæ morbificæ, tamen aliquando in principio vtilis eſt tenuis victus, in ſtatu copioſus: 1. *Galenus 11. meth. 6.* ſuccis qui febrem excitaverant jam ad coctionem venientibus carnem concedit, cujus eſum antea non permittebat: 2. 1. *Acut. vlt.* in principio exhibet cremorem priſanæ, deinde totam priſanam: 3. *Celſus* 2. 16. ait principia morborum famem ſitimque deſiderare. 4. *Hippocr. Gal. Avic.* aſſerunt ſi vena ſecanda, aut purgandum, aut dolor ſedandus, nihil cibi exhibendum eſſe quoutque hæc præſidia celebrentur, quod fere in omni morbo acuto initio eſt exequendum 1. *aph.* 24. & 2. *aph.* 24. 5. Vbi morbus ita affligit ſua copia vt metuatur ne repente ſuffocare poſſit, tunc initio tenuiter cibandum. 6. In vulneribus & vlceribus, ex *Hippocr. lib. de Vlceribus*, & in inflammationibus: in his enim initio major attenuatio vtilis eſt quàm progreſſu morbi; in his quippe defluxionem cohibere conamur, cui operi magna inedia ſummopere confert, alias imminet phrenitis, convulſio &c. 7. Si in augmento morbi, aut in ipſo ſtatu ſuperveniat aliquod ſymptoma virtutem proſternens, cui craſſiore victu ad roborandas vires citiſſime obviandum, etſi ſedato ſymptomate ad victum priſtinum reducſtatus ratio nos admonet 8. In febribus quæ ab initio florent & vigent, rariſſimeque int. ſtatum, circa judicium vero & in judicio imminuuntur, de quibus Hippocr. 1. epid. 3. tunc in initio ad imminuendam cauſam cibandum tenuius. 9. In febribus malignis, peſtilentibus, in quibus ab aura venenoſa lancinatæ vires proximæ ſunt extinctioni, in ſtatu plenior victus offerendus: Aegri enim qui in peſte viriliter comederunt, & generoſe biberunt, ab ipſa ſunt liberati, ait *Galenus* 3. Epid. 3. 77. Hac ratione in febribus colliquantibus, in quibus vires vehementer reſolvuntur, in ſtatu plenius alimentum propinat 12. meth. 3. ne collabantur vires, nam minus æſtimanda eſt noxa quæ in ſtatu contingit ex pleno cibo, quam mors quæ ex lapſu omnimodo virium, toto corporis habitu reſoluto, imminet certiſſime. 10. In ſtatu aliquando craſſius cibandum, quando eſt timor areſactionis aut lapſus in hecticam febrem: quum enim à febrili & torrente calore primigenia partium humiditas ſenſim ac ſine ſenſu digeritur, tunc humectante victu, eoque pleno, qui lapſum ſiccitatis futuræ caſtiget, in ſtatu vtendum eſt. 11. Medici noſtris temporibus initio morborum tenuiorem victum concedunt, quia hæc victus inſtitutio ad concoquendas reliquias alimenti ſemiconcocti, quæ in ventriculo aut primis viis hærent, ſummè conducit; tunc enim hac de cauſa juvat prima vel altera die victu tenuiore vti, deinde ſequente virium debilitate victum incraſſare, cum hac tamen conſideratione, vt viribus hac ratione roboratis ruſſus imminuatur victus vſque ad ſtatum, In quo etſi attenuante victu opus ſit, tamen ſi ob præcedentes vacuationes, & ſymptomatum vehementiam, vires languidiores adſint, tunc in ſtatu plenius alimentum coacti neceſſitate exhibemus. *Zacutus Pr. hiſt. p. 537.*

XVIII. Sçias in hora Doloris cibum quemcunque culpa non vacare, præcipue qui facile aceſcat, aut in fumum abeat; vtraque enim cauſa dolorem auget, Nam Ptiſana, quæ ab *Hippocrate*, vt convenientiſſimus cibus acute febricitantibus receptus eſt, in vehementia doloris ab eodem damnatur 1. de v. acut. *Niſi quis:* inquit, *dolorem vel alvi ſubductione, vel ſectu venæ, pro virtuſque exigentia ſolveris, & ptiſanam ita affectis dederis, præcipitem aget in mortem:* De reliquis cibis in hora doloris ait, *Prehendunt hæc non ſolum ſi ptiſana intempeſtive vtatur, verum & multo magis ſi quidpiam aliud quod ptiſana inconvenientius ſit, vel ederint vel biberint.* Objicies *Hippocr.* ibi ptiſanam prohibuiſſe, ſicut & cibos alios, non doloris ſed inflammationis membranæ ſuccingentis coſtas ratione, de qua ſermo ei erat, quam dolorem appellavit? vere ita eſt, manet tamen quod diximus in hora vehementis doloris cibum quemcumque, etſi leviſſimum, culpa non vacare, quinimo magno eſſe nocumento: Dolor enim ex iis eſt quæ maxime virtutem corporis proſternunt, ita vt nec ventriculus recte cibum coquat, nec hepar aut venæ hunc recte in ſanguinem commutent: Nec diſtributio præterea, nec appoſitio, nec excrementorum expulſio, nec vlla naturalium actionum commode peragatur, ob dolorem actiones lædentem tum maxime ob id quod intenta natura ad id quod contriſtat ſanguinem & ſpiritus, qui commune ad omnes actiones inſtrumentum eſt, ad locum doloris mittat: unde fit vt loca coctioni deputata indigentiam patiantur; quæ cauſa eſt vt cibus perperam coquatur in ventriculo, hepate & venis, facileque inde extraneum concipiat calorem, & tandem additionis doloris cauſa fiat: Cum igitur loca coctioni deputata influentis calidi indigentiam patiantur, & objectum in quod agunt, calido extraneo obnoxium ob id (natura alio inventa) maneat, conſulte Medici agunt ſanguinem in forti dolore mittere, vt quantum natura à conſueta deficit cura, tantum ſanguinis imminuatur, juxta illud, minuſ cura minus quod curet: Nec ſolum mittendus eſt ſanguis, vt qui in jecore & venis eſt ſuccum ab extraneo calore incolumem tueantur, ſed & cibo qui in ventriculo eſt conſulimus vomitum provocantes, Dementis ergo conſilii fuerit cibum ea hora miniſtrare, qua ejus è corporis eductio doloris remedium eſt:, Cæterum cum dolorum plures ſint differentiæ, ita vt alii alternis invadant temporibus & remittant, alii perpetuo torqueant, horum quidam talem ſunt conſequuti vehementiam ut in vigilias laborantes deducant, alii in inquietationes, non vna victus ratio ab omnibus ſumenda erit: Dolores igitur quicunque laborantes inquietant, omnem cibum & potum abſcindunt; morbus enim cui continua conjuncta eſt inquietatio, intra dies iv. terminatur, ob ejus vehementiam, ideo omnimoda abſtinentia convenit: vehementiſſimi quidem dolores ſunt qui laborantes in inquietationem deducunt, Hinc *Galenus* l. 1. *Propter dolores ſæpe quidem laborantes ſine pulſu ſiunt, & animi deliquia incurrunt, & in nullo motu moveri poſſunt: Similia hic ab acumine morbi eveniunt: ſunt autem quibus non propter id virtus laborat, ſed ob vaſorum quomodo libet factam evacuationem, Sive igitur ob e[illegible]reſſionem ſenſus manifeſtam, ſive ob diaphoreſin, ſive ob inediam, hi quidem alimento indigent, & quam celerrime reficis, Contra autem qui ob Dolorem, vel morbi acumen, evacuatione aliqua indigent magis quam additione: Imo qui alimentum his porrigit, maximum malum operatur:* Vanidum ex verbis *Galeni* innuitur argumentum, laboranti vehementiſſimo dolore, cum robore virium, nullum exhibendum fore alimentum, nam in eos qui ob dolorem in belluiles admodum facti ſunt, ita vt abſque pulſu fiant, & animi deliquio corripiantur, maximum operari malum ſcribat. Per Dolores qui proxime a vehementiſſimis degenerant, vnam decubitus formam ſervare poſſunt ægri, ſomnum tamen capere non poſſunt, quare talibus victus dandus eſt qualem morbis qui ad ſeptimum terminantur convenire diximus, vigiliæ enim continuæ vnum ſunt ex tribus ſymptomatibus quæ [illegible] ad ſeptimum terminant: Iis igitur qui ob dolorem perpetuas patiuntur vigilias Victus per pocula convenit, Sic *Hippocrates*, *Vi vero potu oportet ſi dolor aliquis affuerit [illegible] ymelite, hyeme quidem calido, æſtate vero frigido, Si vero vero multa ſitis fuerit, & melicrato & aqua* Quo in loco *Hipp.* victus formam a ratione duorum ſymptomatum dimuivit, à *dolore* & *multa ſiti*, vnde collige, cum Dolor aliquis adfuerit victu per pocula vtendum eſſe; ſorbitionibus autem locum non eſſe. *Brudus de victu Febricit. lib.* [illegible] *c.* 2[illegible].

XIX. *Ptiſana inquit, Hippocrates, mihi videtur omnibus condimentis frumentaceis recte praferri in his morbis acutis; & laudo quidem eos qui eam praferunt: nam lentor illius lævis & continuus, & jucundus, lubricus & mediocriter humidus &c.* Notandum non dicere Hippocr. Ptiſanam cibis omnibus meliorem eſſe, ſed omnibus condimentis frumentaceis merito præferri. Quivis ergo Medicus nunc tribuet Ptiſanam hordeaceam febricitantibus potius quam triticeam aut ex legumine aliquo: non tamen proinde deterius exhibetur jus gallinæ aut pulli, incoctis febri appropriatis, refrigerantibus, diureticis &c. Neque ſolum hoc, ſed alia etiam dantur nihilo deterius, ut ova ſorbilia, aut ſaxatiles piſciculi: Non enim victus febricitantium vnâ aliqua materia definitur, ſed quod tenuis ſit & humidus, coctu facilis & boni ſucci: Antiquiſſimi, quia primis hominibus nondum longè aberant, magis veſcebantur leguminibus, fructibus & oleribus, carnibus non adeo aſſueverant; proinde Medici quoque ptiſanis per acutos morbos magis quam carnibus vtebantur: Iam ſunt homines adeo carnivori vt, indicatione conſuetudinis, non immeritò Medici ad carnes tenues, dimiſſis frumentis deflexerint. *Valleſius comm. in lib.* 1. *de vict. Acut.* Panis medulla in jure trita, edulium eſt frequentiſſimum noſtris temporibus: An id inter cibus, an inter ſorbitiones adnumerari debeat, non conſtat: nam Hippocr. lib. de Affect. inter cibos collocavit, quando non febrientibus dari jubet: Nos febrientibus ſorbitionis loco damus, ſi talis medulla in jure per longam ebullitionem ad lævorem reducatur ita vt ſorberi poſſit, inter ſorbitiones collocari & febrientibus exhiberi poteſt, Et hoc eſt quo communiter vtimur, & Panato Gratatum vulgariter dicimus: Si eadem medulla in jure tantum madeat, inter cibos collocari debet, qua ſumma non febrientibus exhibet Hippocr. *Marianus comm. in v.* 2[illegible]. *lib. de Affect.* Multa commoda quæ Ptiſanæ adſcribuntur huic conveniunt, Nonnihil tamen adverſari videtur caliditas quam ex fermento contrahit, ita vt hanc ob rem calidior ac ſiccior ſit: Sed ex aliquorum ſententia inutile non eſt panem puriſſima aqua abluere, ſemel aut bis, deinum in optimo jure decoquere, pulli præſertim, quod

attemperat, humoreſque omnes ad æqualitatem adducit: diutina coctio adjungenda eſt, quæ ut piſcaoe ſic pani æqualitatem ſubſtantiæ conciliat, ita ut coctu facillimus & naturæ ſimillimus evadat.

XX. Qui *Piſces* in morbis generaliter prohibent, & veteribus, & experientiæ, & rationi adverſantur: Galenus I. ad Glaucon. & 8. m.m. in exquiſita Tertianæ & Quartanæ cura ſaxatiles piſces concedit: Idem lib. de cibis boni & mali ſucci, eos ita commendat ut certum ſit non poſſe ægris nocere, guſtui gratos eſſe vult, humores bonus gignere, eorumque frequentem uſum tutiſſimum ait, quod & lib. 3. de alim. confirmat: Galeno antiquior Hippocr. lib. de Affectión. Piſces etiam admodum commendat: Hos ſequuti Medici Principes qui variis in morbis concedunt: Ratio etiam ſuffragatur, nam Piſces, qui coctu faciles ſunt, friabiles, facilè non putreſcunt, nec ſtomachum gravant, febri autem qualitate ſua reſiſtunt: Quidam Arabum interpretes convenire ajunt febribus, maximè bilioſis, ratione temperamenti frigidi & humidi; Convenire negant, quia facile corrumpuntur & putreſcunt; quæ diſtinctio inanis eſt, modo boni & ſaxatiles piſces eligantur, non enim tam facilè corrumpuntur, ſed laudabilem ſuccum præbent; nec admodum alunt, ſed tenue alimentum corpori ſuppeditant, quale multis morbis competit, ſcilicet in iis morbis in quibus cibus concedi poteſt, præferendi ſæpe ſunt piſces carnibus quæ magis alunt, difficilius coquuntur & acriorem ſuccum corpori ſuppeditant: Piſces intelligo, non quoslibet ſed optimos, benè præparatos, ſicut noſtra ætas melius præparare novit: elixaros autem, addito aceto, ſucco arantiorum &c. præferrem aſſis aut frixis: *Primiroſius de Vulgi Err. l. 3. c. 25. Vide Zacutum Princ. Med. hiſtor. lib. 1. Quæſt. 19.*

XXI. Quod a *cancris, cochleis, teſtudine, pulmonibus vituli*, aliiſque animalium partibus per *deſtillationem* expectant quidam, repudiant ſagaces Practici; Nativus quippe balſamus quo glutinantur pulmones in Phthiſicis, & corpus hecticorum exſuccum recreatur, non in ſpiritu vel ſale volatili ſitus eſt, qui per diſtillationem attollitur, ſed in fundo, terræ vel ſalis fixi inſtar ſubſidet, corrumpitur & inutilis evadit: Præferendæ carnium deſtillationes per deſcenſum, inſtaurationi vitium idoneæ; Capo bene habitus in fruſta dividitur; abjiciuntur pingnedo, pellis, extrema: adduntur, ſi lubet, caro vituli aut vervecis diſſecta, omni pinguedine remota: Conjiciuntur hæc in ollam vitreatam, ſubſtrata lignea craticula, quo fundum vacuum ſit: Olla operculo clauditur, mediante luto ex farina aqua ſubacta; coquitur in M B. horis quinque: exſtillantis juris limpidi cochlearia ij. aut iij. per ſe ſunt cum juſculis exhibentur ter aut quater de die.

XXI. *a Olera & herbæ* febribus conveniunt ad alterandum, frigidæ, ut lactuca, endivia, ſpinachia in bilioſis; calidæ, ut thymus hyſſopus, majorana, in pituitoſis, ſed ſolis non eſt utendum, nulla enim nutriendi illis vis adeſt, aut exigua, potius ſunt medicamentoſæ, ideo Iuſculis incoctæ præſcribuntur, ut ſit in alimento medicamentum: Igitur non eſt ægris concedendum ut herbis & radicibus veſcantur, ſolent enim earum pluriæ in bilem putraceam verti in ventriculo; & *Galenus* cum ferme omnes herbis in ratione victus vituperaſſet, ſolam lacturam, tanquam minus noxiam conceſſiſſe viſus eſt. Igitur tantummodo decoctæ cum aliis alimentis ad alterandum:

XXI. *b* Sed & *Acetaria* a nonnu[illegible] improbantur, *Galenus* 1. *ad Glaucon cap.* 9. [illegible] non ſolum lactucas, ſed & a[illegible], malvas, lapathum concedit: quod ſi ac[illegible] addatur, a[illegible]tendi vim excitabit, putredini [illegible] ter, tenac[illegible] mores diſſecabit, obſtructiones aperiet; Pa[illegible] tamen olei addendum, quia in feb[illegible]ibus faci[illegible] flammatur: Sed & acetum acetariis, tum reliqu[illegible]bis additum, in pauca quantit[illegible] poteſt [illegible]care plurimum, quin pot[illegible] *Galeno* putre[illegible] reſiſtit, appetitum excitat, [illegible] cibi autem [illegible]ſa colliquat attenuatque, & [illegible]ra minus nocer[illegible] paruo nutriunt, humida frigida ſunt, appetitum excitant, & decocta in juſculis aut a[illegible] cum ſale & aceto præparata conferre po[illegible]. *Primiroſius de Febribus pag.* 143.

XXII. *Inſtaurantia* hoc m[illegible]do [illegible] noſtri parere ſolebant, Carnes capi[illegible] a [illegible]ne ſumebant, cui in partes d[illegible]æ, lotæ [illegible] aut aqua cordiali, conſervas ad[illegible] aff[illegible] partive accommodatas: Pulveres igitur & q[illegible] additis quandoque nummo aureo [illegible] ſingula vitreo vaſe incluſa balneo mariæ d[illegible]bant, donec pes capi in lebete coctus ſit. E[illegible] febribus ardentibus, ℞. Conſerv. viol[illegible] nuph. ana. ℥j. pulv. diamarg. frig. & de ge[illegible] ʒij. pannic. auri n. vj. ponantur omnia in va[illegible] treo diligenter concluſo atque paſta [illegible] obturato, quod vaſi aqua pleno im[illegible] tur donec pes coctus ſit, Error a[illegible] componendi ratione quod nulla ha[illegible] medicamentorum; Nam carnem [illegible] pu[illegible]ibus cordialibus admiſcent, ac vn[illegible] theuretnatis imperantis, ut quæ [illegible] deſiderant, tenuioribus & l[illegible]ibu[illegible] decoctione admiſceantur, Nam ſi quis ve[illegible]em perfecte decoquere, adurentur [illegible]es: [illegible] res cordiales & odoratos non velint d[illegible] cruda plane manebit: nunquam igi[illegible] menta bona parabunt: Nequ[illegible] dum [illegible] perfectæ coctionis judicium, n[illegible] de coquendus cum ſit, ob ejus ſubſtan[illegible] que carnoſam, non modo pulv[illegible]rient, ſed etiam ipſa caro ni[illegible] & exſiccata: Qui autem catenas [illegible], nihil inde diſſolvunt præter argen[illegible]des: Nos autem loco carnis crud[illegible] coctam, aut jus coctum per qu[illegible] ſumimus, atque in in calida aqua[illegible] & [illegible] miſceri ſinimus, deinde percolat[illegible] bemus: Eo modo paratum, neq[illegible] que aſſum, neque coctum nimis obtineb bit, u[illegible] in thoracis affectibus ℞. Iuris capi perfecte cocti ℔ß. aqu. bugloſſ. violar. ana. ℥ij. aq. capi[illegible] ℥[illegible]. pu[illegible] diamargar. frig. & diair. ſimpl. ana. ʒ j. pulv[illegible] mis ʒj. panniculorum auri n. ij. [illegible] de[illegible]oq[illegible]antur in duplici vaſe per quadrantem horæ [illegible]colentur &c. *Rondeletius p. m.* 988.

XXIII. *Ptiſana* nonniſi febric[illegible]bus æſtuanti ventriculo & hypochondriis [illegible] venit: craſſum ſuccum producit, [illegible] adjuncta; & vi deterſoria prædita [illegible] cibos à ventriculo citius quam p[illegible] *Fortis conſult. 82. cent. 3.*

XXIV. De *Aqua delectu* [illegible] notis quæ melior, & quæ deterior [illegible] tradunt [illegible] Quibusdam p[illegible] nium *Pluviales*, quaſi tenuiſſi[illegible] elixatas; aliis maxime vitupera[illegible]

nium malignatum qualitatum participes, vt ex rebus omnibus, etiam nocentiſſimis & ſordidiſſimis eductas; Alijs probantibus ante omnes alias *Puteales*, quaſi expurgatiſſimas & per terram percolatiſſimas: Alijs has cenſentibus omnium maxime craſſas & crudas ac flatuoſas: Alijs præferentibus his omnibus *Fontanas & Fluviales*; Ego ſententiæ *Hippocr.* & *Galeni*, atque adeo veritati conſonum eſſe cenſeo, Pluviales æſtivas, quæ cum tonitru & procellis deſcendunt, eſſe omnium optimas; quod hæ vere non ex craſſis vaporibus & abundantia humidi aſcendentibus, ſed ex tenuibus vix vi caloris extractis conflatæ ſint: alias vero quæ cum magna opacitate craſſis nimbibus deſcendunt, & caliginoſæ ſunt, omnium peſſimas, ſordidas, malarum qualitatum participes, & facile putreſcentes: Porro *Puteales*, quæ dulces ſunt, & ex proximo fluvio aut fonte derivari cognoſcuntur, eſſe etiam ipſis fluvialibus aut fontanis meliores, niſi terra quæ inter puteos fluminaque aut fontes intereſt aliena aliqua qualitate participet: Si vero putei aquæ, vt plerumque fit, ex abyſſo illo aquarum, qui ſub terra vbique eſt, procedat, certe craſſiſſima ſit & maxime cruda: Præſtat ergo quoniam optima pluvialis non ſine nimia curioſitate poſſit comparari, & Pluvialis è fluvio raro occurrit, & habet id periculi quod ex terra diximus, vti Fontana aut Fluviali, quæ optima erit oppido quod incolemus: cum præcipue id virtutis quod eſt in pluviali æſtiva, elixatione poſſis fontanæ, & id quod puteali repoſitione longa fluviali tribuere: Nimirum & repoſitione repurgatur aqua, & elixatione inſuper extenuatur, fontanæ vero non poſſunt ſervari repoſitæ quantum fluviales: Quin & præter elixationem, quæ ex fontibus ſublimibus, & Soli expoſitis, in declive verſus Orientem Solem aut meridiem fluit, concoctior meliorque eſſe ſolet quam quæ ex opacis locis in contraria loca decurrit.

XXIV. *a.* Verum quia tanta eſt Aquæ ab aqua differentia, Fontanæ à fontana, Fluvialis à fluviali, & Putealis à puteali, vt multæ fontanæ & fluviales plerique putealibus ſint deteriores, ſatius profecto ſit ipſam per ſeſe aquam, dimiſſa è terra erumpendi conditione, proprijs notis explorare, & vbique locorum ea vti quam ibi natura optimam paraverit, ſive per terram defluat, ſive è fonte ſcaturiat, ſive hauriatur è puteo; Optima eſt quæ ſimpliciſſima & tenuiſſima: ſimplicitatem agnoſces, quod ſapore, colore & odore maxime vacet: Tenuitatem, quod cito caleſcat & refrigeretur, vt in aphoriſmo dicitur: Melius enim & exactius ſignum hoc reperies quam quòd ex pondere. *Valleſius comm. in l. de v. Ac p.* 127.

XXIV. *b.* Aquæ Potui, *addit Hipp.* in acutis morbis nullum aliud opus habeo quod attribuam, *hoc eſt*, Aqua nihil aliud præſtat corpori quam eſſe Potum; eſſe autem Potum nihil eſt aliud quam eſſe vehiculum alimenti: Objicies quod 6. *Epid. ſ.* 4. dicitur *Aqua eſſe vorax*, hoc ibi appetentiam excitare, Et qua *Gal. m. m.* de copioſo aquæ frigidæ potu quam plurima prædicat, extinguere ſcil. febres ardentes, ſi tempeſtive & ab idoneo nomine accipiatur, ab eo ſç. cui neque cruditas neque interna vlla inflammatio, neque præcipuæ alicujus partis debilitas, neque nimia corporis macies ſit: Hæc enim non ſolius potus ſed medicamenti optimi eſſe videntur opera: Verum quod vorax eſſe dicitur, non ad morbos acutos pertinet, ſed ad ſanorum victum. : Quod de febrium ardentium extinctione diximus, facile declarat *Hipp.* hic non denegare aq. virtutes primas, hoc eſt eas qui ſecundum primas qualitates inſunt (non enim negabit refrigerare & humectare) ſed ſecundas & tertias: Nam neque incidit, neque deterget, neque aliud homini facit quod ad ſecundas facultates pertineat; nam neque adſtringit, neque laxat, neque trahit, neque repellit niſi refrigerando, ac proinde neque tuſſim lenit, neque ſputum educit, neq; alvum laxat, neque vrinas movet, neq; aliud quicquam facit quod ſpectet ad tertias, nam neque ſudorem elicit, neque lac gignit, neque denique alia facultas illi tribuitur quam alimentum vehere & refrigerare ac humectare, refrigerando vero & humectando extinguit febrem. *Idem.*

XXIV. *c* Exigua vero, *addit Hipp.* Aqua, ſi inter oxymeli & melicratum ſorbeatur, ſputũ educit, propter mutationem qualitatis potuum: Hoc eſt, ſi is qui vtitur oxymel. aut mulſa, inter hæc aliquando ſorbeat exiguum aquæ, augebit etiam aq. excreationem; non quidem quod aq. ſit id propriũ, ſed quod quia expers eſt facultatũ omniũ, facile accipit vires omniũ quibus cum miſcetur, aut quæ in ea coquuntur aut macerantur. Epota ergo inter mulſam & oxym. inundationẽ facit, commovetq; aliũ potũ ac cũ eo miſcetur, & ſubtilitatem auget, & proinde excreationem. *Idem.*

XXIV. *d. Hipp. l. c.* Aq. bilioſam eſſe ait bilioſæ naturę, ac proinde cui eſt bilioſa non poteſt ſitim extinguere ſed irritare potius: Sed quo pacto eſt cuiquam bilioſa aq. quæ bili ſit adeo opere eſt contraria, frigida cũ ſit & humida? Non certe quod ea ipſa in bilem mutetur (non enim poteſt) ſed quod bilis inundationẽ faciens ipſam quodãmodo augeat, faciatq; hac & illac redundare, velut ſane qui in vinum aquã infundit, vini factũ eſſe plus, diluti ſcilicet: Nihil profecto magis experimento cognitum quam eis qui nimia abundant bile aquæ potu oris amaritudinem augeri, nimirum diluta effunditur ad os vſque bilis; irritabitur ergo talibus ab aqua ſitis. *idem.*

XXIV. *e. Hipp. l. c.* de Aqua hæc habet, Neq; ſitim ſedat, *ait*, ſed irritat, bilioſa enim bilioſæ naturæ (vide ſupra) & *hypochondrio prava eſt & peſſima & bilioſiſſima, & vires maxime proſternens cum in vacuum fuerit ingreſſa. & lienem augens. & hepar cum exarſerint, & fluctuat ſupernatat, tarde enim tranſitus eſt, quod ſub frigida ac cruda ſit.* Hoc eſt, *hypochondrio peſſima* eſt, quia eſt bilioſiſſima, quia illorum cacochymiam auget; Etſi *in vacuum* quod inter viſcera & peritonæum ibi eſt incidit, *vires proſternit*, vt in hydropicis, & *in tumorem attollit hepar, & lienem cum exarſerint*, quia non permeat ſed fluctuat, ibi & ſupernatat; illa vero viſcera ab immanente aqua intumeſcunt, præcipue cum exarſerint multa bile, quam aqua auget: non permeat autem, quia eſt frigida & cruda, quę vero talia ſunt, ſunt tardi motus: Ob id *neq; dejectiones facit*, neque vrinas movet, quia manet diu; Lædit autem nonnihil, & ob hoc quod ſine ſtercore eſt natura: *ἄκοπρον*. id quod dici quidam interpretantur quod ſtercoris dejectionẽ non faciat; mihi vero illa vox videtur ſignificare, aut inteſtinum quod vacet ſtercore, aut cibũ ex quo nullum ſtercus fiat: Hic de aqua dicitur, ſignificat ergo ex aqua nullum ſtercus gigni, & ob hoc ipſum nonnihil lædere: Sed quę læſio fiet quod ſine ſtercore ſit? *Galenus* interpretatur quia ſine ſtercore eſt dejectionem non facere, quaſi *Hipp.* his verbis cauſam reddat qua non facit dejectiones, ſed qua dejectiones non faciat exigua cauſa eſt eſſe ſine ſtercore: multa enim ſtercoris habent plus, & dejectiones faciunt minus, etiam quam aqua, vt vinum nigrum & craſſum: ſuſpicor ergo, vt antea dixit oxymel læſiones majores inferre inteſtino *ἀκόπρῳ ἐόντι*, id eſt vacuo a fæcibus, quia fæces muniunt inteſtina,

ita aquam lædere nonnibil quia ſine fæcibus eſt magis quam læderet ſi fæces aliquas gigneret, hæc enim munirent inteſtina. Videbitur falſo dicere *Hipp.* non facere dejectiones, quia multis evenit potu aq. ſolvi ventrem; verum id non evenit ob facultatem aliquam ſolutivam, quæ aq. inſit, ſed quia refrigeràdo & humectando vim retinendi in inteſtinis lædit. *Idē.*

XXIV. *e.* Suſpicatur ignarum vulgus *aquas* omnes eſſe laborantibus decoquendas tenuitatis & puritatis gratia; verùm rei natura aliter habet; nam per inſenſilem halitum quod tenue eſt ab aqua dum coquitur tranſpirat, ſupereſt verò quod craſſum: prætérquam quod guſtui fiunt ingratiores neſcio quo ineffabili & mucido ſapore: muniunt ſe *Ariſtotelis* authoritate, qui 4. *meteor.* docet Coctione omnia craſſeſcere præter aquam, quia cum ſimplex ſit, coctione minimè queunt partes ſeparari vt in cæteris rebus miſtione conſtantibus: Mihi tamen non eſt dubium quin ſi aqua diu coquatur, craſſeſcat quodammodo, non enim vndique pura eſt & ſincera, ita vt nequeat reſolutione per coctionem facta ſincerior fieri, ac per conſequens craſſior, reſoluta aërea & tenui parte, quibus tenuior & lucidior apparebat: Nam quemadmodum vi frigoris conglaciata deterior redditur, ita & vi caloris, quod probat *Hipp. l. de aëre, aq. & locis*, vbi ait Aquas ex nive & glacie omnes malas eſſe, quia quod clarum in ipſis leve ac dulce eſt excernitur ac diſperditur: Quare tutius mihi videtur limpidiſſimam, puram diuque collectam aquam laborantibus præbere, quàm coctione fortaſſe deteriorem reddere; Verùm ne videar à recepto vſu recedere, dico eas tantum eſſe decoquendas quibus aliquod ineſt vitium quod coctione emendari poſſit: Sic tribus vitioſarum aquarum generibus coctionem conferre obſervamus, Paluſtri & limoſæ, quas coquere jubet *Gal.* quia cum refrixerint, putorem abjiciunt, ſubſidente parte terrea, quæ prius confuſa toti erat: 2. E quæ nec odore, nec ſapore, nec odore diſplicet, morâ tamen in ventriculo, illi & hypochondriis gravis eſt: Talis ſi non coquenda, ſaltem calfacienda eſt ex *Gal.* præcepto: vt & quæ ex aëris corrupti miſtione vitium habet, aut continet quid ab ignota cauſa proveniens, id enim optimè caloris vi fugatur: Poſtremum genus eſt crudarum, nam vt multa & alia pleraque eſui idonea paramus, eadem ratione & aqu. nonnullas in meliorem naturam coctione permutamus: Tales indomitas vocat *Hipp.* vt quæ averſum ſolem habent, puteanæ &c. *Mercatus de Iudic. Med. l. 1. c. 2.*

XXV. Potus medicamentoſos cibis admiſcere, neſcio qua vera ratione defendi poſſit: quibus colorentur non ignoro: Nihilominus, re bene examinata, non tam facile vt admittam perſuadebor: Rationes quidam adducunt plauſibiles, quod ventriculo arrideat potus cum ligno ſaſſafras, conſuetudinem &c. nihilominus plures contrarias firmiores adducere poſſem. *Iohann. Crato apud Scholtzium Conſultation.* 234. Vide *Cap. de Acidulis* §. 20.

Æger cum ſitis vrgentis depellendæ gratia vinum ſpiritu chalcanthi, conſilio Medici exercitati, dilutum, vt ſapore grato & refrigerante temperaretur, gargariſmi loco ſumpſiſſet, brevi poſt interjit, excoriatione in gula oborta. Eadem paſſa virgo apud *Tulpium lib. 3. Obſervat. cap.* 43. Quo temperamento aquæ miſceatur in vſum ægrotantium docet *Angelus Sala Appendic. ad Spagir. Theſaurum ſect. 2. numero 1. Bartholinus hiſtor. 53. Centur. 5.*

XXVI. *Galenus* in Arte parva pro ſeſta [illegible] ne ſenum & convaleſcentium laudat *Vinum*, [illegible] eſt quod vinum exſiccat & non humecta[illegible] num *Gal.* concedere ætatis mediocris, in [illegible] purum atque pellucidum, quod ſcil. vel ſubfla[illegible], vel ſubalbum exiſtat, ſuaviter olens: guſtui ver[illegible]que aqueum omnino, neque cum aliqua inſigni q[illegible]litate, aut dulcedine, aut acritudine, aut amaritu[illegible]ne ſentiatur, at tale vinum non exſiccat, ſed humectat: Ex hoc loco colligimus contra omnes fere recentiores, qui putant omnia vina exſiccare: Si enim vinum à *Galeno* deſcriptum exſiccaret, ſine dubio adverſaretur convaleſcentibus & [illegible]enibus, qui tales ſunt ob diſpoſitionem ſiccam dicimus itaque vinum pro auferenda ſicca diſpoſitione convaleſcentium & ſenum, à *Gal.* prop[illegible]um habere in humectandi ſubſtantiſicè; in caliditate v[illegible] o eſſe temperatum & non exſiccare: Nulla enim [illegible] ratas temperata exſiccare vel humectare, calef[illegible]e vel refrigerare poteſt. *Santtorius Art par. cap.* 99.

XXVI. *a.* *Fructus* quod attinet, gen[illegible] nuntiat *Avicenna* omnes nocere febricitanti[illegible], cui tamen repugnant Græci omnes; *Galen.* [illegible] *ad* in cura Tertianæ eos concedit, qui ſint faciles coctu: *Trallianus* Perſica cocta & non cocta, [illegible] bit, melonem, melopeponem, inſurgitq[illegible] os Medicos quoſdā Romanos qui à pepon[illegible] abſtinebant quod bilem procrearent, ex *Gal. 2. de Alim.* cum tamen eo loco dicat *Gal.* pepones par[illegible] o[illegible]leram morbum ſi copioſius aſſumantur. Ipſe autem hora vna ante paroxyſmum pep[illegible]nes præſcribit, tum vt ſuperbibat æger aquam [illegible] copioſam, inde enim vacuata bile pl[illegible], aut ſudores, febris ceſſavit. Itaque addit in ca[illegible]ida intemperie omni, renum, jecoris, ſto[illegible] c pus; in tertiana, ſu ardente nihil præſtantius p[illegible]pone aut melopepone, quem quoqu præf[illegible] poni quod omnino ſit innoxius. *Hippoc.* [illegible] *libro de Affection.* ſic de peponibus ſcribit *Cucumis pepo alvum & vrinam movet, ac levis e[illegible], a[illegible]r autem pepo refregerationem quandam inducit & ſitim [illegible]; ab horum neutro nutritio nonniſi tenuis [illegible] recedit, ſed neque malum aliquod eſſ[illegible] num [illegible] rum neutro.* Tum præterea ſuavitas [illegible], gratiſſimuſque odor ipſos commendant. At [illegible] hoc tempore ignoramus quid ſint pepones [illegible]opepones, cucumeres antiquorum, & prop[illegible] nostros accedamus, *Melones* noſtris qui [illegible] in deliciis, ob ſaporis & odoris [illegible] ratem, ſunt tamen inſalubres, in ſto[illegible] facile putreſcunt, ſunt enim humidiſſ[illegible] patet quod ex parva radice in amplam [illegible] creſcant, ab omni aëris qualitate ſtatim corrumpantur, ſe [illegible]que perpetuo inhæreant, vnde ex cotum [illegible] & ſeroſi humores ſenſim coacervantur in venis, vnde febres increſcunt & prorogantur, aut ſi non adſunt, acceſſuntur, vt inter horæos fructus inſalubertimi cenſeantur: Quod de ſuavitate & g[illegible] odore quidam afferunt, nihil facit ad [illegible] num bonitatem commendandam, nam hoc intelligi debet in eodem genere cibi, non diverſis nam [illegible]rima gratiſſima ingratioribus ſunt pe[illegible]: *Cucumeres* vero noſtri, qui immaturi [illegible], etſi ſalubres dici non poſſint, minus tame[illegible] cenſeri debent, tum quia habent quandam [illegible]bitatem, tum quia aceto & ſale emendantur & in co[illegible] tot remediorum ſatius eſt ijs abſtinere quam [illegible] lo objicere: Ad reliquos fructus vt accedamus va[illegible]

illi

illi ſunt, calidi, frigidi, humidi, facile corruptibiles, **horæi**, acidi, dulces, recentes, ſicci; Calidi, indicatione à febre ſumpta omnino nocent, tamen ratione **cauſæ** febrilis, aut alicujus ſymptomatis, concedi **poſſunt**, vt *carica* ad abſtergendum, & ſi *colicus dolor* adjungatur: Frigidi autem conveniunt ratione **febris**, & proſunt hecticis & ephemeris: Putridis vero etſi refrigerando prodeſſe poſſunt, tamen **ratione** putredinis nocent, quia in ſtomacho fervido & immundo facile inflammantur & ebulliunt, quod **maxime** intelligendum de horæis, vt ſunt fraga, mora, **pruna**, Perſica, ceraſa: Eſt autem ὥρα, æſtas & **fructus** qui eo tempore colliguntur ob humiditatem **plurimam** ſervari non poſſunt, ſed cito corrumpuntur niſi ſiccentur aut condiantur, & omnes ejuſmodi **fructus**, quos fugaces vocant Latini, pravi ſunt **ſucci**, flatulenti, & dum corrumpuntur venenis ſimiles evadunt: Sed fructus qui poſſunt ſervari, vt vvæ, amygdalæ, pruna Damaſcena ſicca, pruna poſſunt concedi: Item omnes acidi, vt limones, arantia, granata, temperant enim calorem febrilem, ſitim arcent, appetitum excitant, vaporum aſcenſum prohibent: Sit tamen nimia acidorum copia vitanda, quoniam ſi plus aſſumantur, aut niſi coctione temperentur, vt in illorum ſyrupis fieri ſolet, obſtructiones maximas procreant, alias plurimum proſunt, refrigerando, incidendo, putredini reſiſtendo: Horæi quoque quidam poſſunt concedi, quia decoctione corriguntur, & ſacchari admiſtione, à quo tamen ſi in febribus bilioſis abſtineamus, aut ſaltem parciſſime vtamur; melius erit, quia calefacit, & in bilem, vt dulcia ſolent, ſe convertit: Sic in Tertiana exquiſita commendat *Avicenna* granata dulcia, pruna, melonem Indum, quia ſolvit, vrinam provocat, calorem frangit, ſudores aliqualiter movet, Recentes quoque fructus minus in quibuſdam conveniunt quam vetuſti, ſolent enim quidam cum tempore ranceſcere, vt amygdalæ, ſtrobyli, ſic fiunt oleoſi, ideo minus febribus acutis competunt, quoniam oleoſa pars facile inflammatur, & in bilem vertitur, & propterea in lacte amygdal. dicto maxime curandum ne amygdalæ rancidæ ſint, nam quo recentiores eo meliores: Quidam illud Lac coquunt, ſed crudum melius eſt cocto, nam refrigerat magis ob permiſtionem aquoſitatis plurimæ, quæ coctione conſumitur, & ideo minus alterat, craſſiuſque redditur, calorique febrili temperando minus idoneum: Contra quidam fructus vetuſti magis competunt, vt paſſulæ, pruna, omneſque qui recentes nimia humiditate ſcatent, poſſuntque repoſitione in ſalubriorem naturam reduci. *Primiroſius de Febrib. p.* 144.

XXVII. Cum *fructus horarij* vtiles ſint ad attemperandum æſtivum fervorem, noxij vero & periculoſi ob facilem corruptionem, accipi debent refrigerati quantum fieri poteſt; quia cum corruptio agatur ab externo calore, refrigerati citra putreſcentiam perſiſtent donec commurentur, & attemperabunt multo magis: Calidi contra attemperationem nullam præſtabunt, & in pituitam ſalſam, aut ſeroſam quandam bilem facile abibunt: Quo fit vt qui calidis vtuntur fructibus, omnes fere in tertianas, aut graviores alias febres incidant, ac non pauci in choleras morbos; multi vero ob refrigeratos fructus à febribus liberentur, etſi alioqui a negotiis & exercitationibus ſint implicati: Omnes igitur, vt arbitror, poterunt magnopere commendare conſuetudinem refrigerandi fructus horarios admota nive: nam ſi quis ex fructuum frigore noxam ſenſit in ventriculo, is certo ſciat ſe illis non indigere, neque conſulendum eſt illi vt vtatur calidis, ſed vt pauciſſimis aut nullis, Potus alia ratio eſt, multi enim læduntur frigido, qui nihilominus vti debent gelido: Vnde conſtat multo magis eſſe neceſſariam nivem ob horarios fructus quam ob Potum; tametſi ob hunc quoque per æſtatem, & bonam autumni partem pleriſque utilis ſit, alijs temporibus nulli niſi jucunda, multis vero noxia, Quare vellem ego nivis vſum cum horarijs fructibus incipere ac deſinere, atque interim fructus refrigerari quamplurimum, & accipere quemcumq; quantum indigeat juxta naturam tum totius hominis; tum ſolius ventris, quæ vel calida, frigida, ſicca, humida eſt, vel aliqua inter has media, & juxta conſuetudinem & experientiam quam quiſque habet proprij corporis: Potus vero non omnibus æque convenit, ſed ſuo cuique modo, ſecundum eoſdem ſcopos facta conſideratione, ſic enim multa eſſent vtilia, quæ nunc plurimi vituperant; *Valleſius comm. in 5. Epid p.* 498.

XXVIII. Miratur *Santorellus lib. 26. Antepr. c. 8. Avicennam* quod ſcripſerit *Aquam nivoſam* eſſe bonam, dum *ait* 2. 1. Doctr. c. 16. *Nix vero & aqua glacialis, cum munda fuerit, & non commixta alteri rei virtutem habenti malam, ſive ſolvatur, & ex ea fiat aqua, ſive cum ea de foris infrigidetur aqua, ſive ipſa mittatur in aquam, erit bona.* Sed cadet admiratio, ſi *Avicennam* de ſtatu morboſo intelligas, in quo ſi aquam nive dilutam exhibeas tanquam medicamentum non errabis.

XXIX. Solis *Emulſionibus* loco alimenti vel potulenti vti non convenit: Novimus binos infantes hoc modo mortuos, quod loco potus ipſis roborandi & nutriendi fine Emulſiones totis quaſi diebus ſemper & vnice datæ fuerint: Hinc in genere etiam infantibus non facile vel non affatim largiuſve ſolemus præſcribere Emulſiones, gaudent enim humiditate copioſa, ſtomacho debiliori, fermentiſcibilibus & bilioſis ſæpe à lacte vel cibo corrupto humoribus: Sic quoque ſi ægri ſolis Emulſionibus vti, & ſitim ſedare præſumant, facile in alterum extremum incidunt: Nam vniverſaliter valet, alimenta cum medicamentis non eſſe confundenda. *Wedelius de Med. comp. ext. p.* 66.

XXX. Male agunt qui permittunt vt plurimi ingrediantur cubiculum, quia multorum halitus *Aërem* corrumpit: *Galenus* 10. *method. cap.* 8. ait turbam amicorum calefacere cubiculum. Ea ratione prohibendum ne claudantur feneſtræ, vnde non ſolum calefit cubiculum, verum etiam fuligines putridæ, cum puri aëris inſpiratu, non perflentur, in deteriorem conditionem labitur æger: Nec objiciant quod ab aëre frigidiori cutis denſetur & obſtruatur, Nam ex aëris frigidi inſpiratione majus naſcitur commodum quam ex cute denſanda incommodum: At quamvis condenſatio cutis ſit cauſa caloris, poteſt quoque vitari hoc incommodum ſi æger cooperiatur. Aër enim frigidus inſpiratus interna viſcera refrigerabit; nihil enim citius temperaturas humorum immutat quam aër, vt ait *Galenus* 3. *de Humor. comment.* 2. Nullus certe error in febribus malignis & ardentibus major fortaſſe erit quam ægros in locis calidis occluſis & hominum turba plenis continere. *Santtorius method. V. E. lib.* 13. *cap.* 4. Vide *Galenum in M. M.*

XXXI. 4. In quibuſdam morbis maxima ægri vivendi modi habenda eſt ratio, alias diſſe-

cillime curabuntur: Quidam ſtercorum mundator cum bonos nimium odores excepiſſet ægrotavit, & hic tandem ſolitis odoribus curatus eſt: *Zacutus* maris incolam in arena collocavit & ſepelivit vt illum curare poſſet. Medicus ruſticum, quem alij deſeruerant, curavit legumina, panem ſecalinum concedendo: Quod autem regio in qua vivimus multas faciat in nos impreſſiones, quarum habenda eſt ratio, obſervavi quod ſicut nos in navi nauſeas patimur, quæ ceſſant ſi ad terram ſolitam revertamur; ſic maris incolam, Venetum ſcil. vidi, qui equo inſidens nauſeas eaſdem quas nos in mari patiebatur. *P.Borellus Obſ.59.cent.3.*

XXXI.*b*.Cum virtutem ſemper ita perſpectam habere non poſſimus, vt juſtam inde alimenti formam præſcribamus, atque alias etiam hac in re ægri peccent, quæritur *Vter error ſit gravior, ille ne qui committitur ſi victus juſto plenior exhibetur, an vero ille qui juſto tenuior eſt?* Sed hoc ſolvit *Hipp.* 1.*aph.*5. Quo docet errata quæ in tenui victu quocunq; modo committuntur, eſſe graviora quam ſi in paulo pleniore peccatum fuiſſet: Multa enim ægro præter opinionem accidere poſſunt; vt vigiliæ ſubitæ & nimiæ vacuationes, animi pathemata, quibus vires ægri dejici poſſunt quominus ad ſtatum morbi cum hac victus forma perſiſtere poſſit: quapropter tum neceſſarium eſt adveniente ſtatu victum mutare, atque paulo pleniorem exhibere, quod tamen valde incommodum eſt, quia victu pleniore victus avocatur à pugna contra cauſam morbificam ad alimenti coctionem: Ex quibus omnibus patet tutius eſſe craſſiorem juſto quam tenuiorem victum exhibere; licet, quod ipſam quantitatem attinet, potius ſit ſubtractioni attendendum: Quo obſervato *Hipp. loc.* quæ in ſpeciem pugnare videntur facile eſt conciliare, quorum alter eſt 2.*de vict.rat.Acut.* vbi inquit, *Adjectioni ciborum intendendum multo minus, ſubtrahere autem omnino ſæpe expedit:* alter vero 1.*aph.* 5. dum ait, *In victu tenui ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur, ſiquidem quodvis peccatum gravius hic quam in paulo pleniore victu eſſe ſolet.* Nam in priore de quantitate loquitur *Hippoc.* in qua eadem forma victus obſervata præſtat ſemper nos eſſe parciores: In poſteriore vero loco loquitur de forma victus, quæ ſi ſit juſto tenuior majora affert incommoda quam paulo plenior. *Sennertus Inſtit. lib.*5.*p.* 2.*ſect.* 3. *c.* 3.

XXXII. Etſi chylificatione læſa functiones cæteræ iſtam primam conſequentes futuræ ſint vitioſæ, non negandum interim fieri ſubinde vt non tantum noxa ægris nulla inde eveniat, quin potius per ipſam vitioſam reſtituatur ſanitas amiſſa: Quoties autem id evenit, id caſu evenit, aut ex arte, quoniam aſſumptis alimentis non vſquequaque laudabilibus, nec facile ſanis exhibendis, paratur talis in ventriculo chylus qui medicamenti vices ſubeat vitioſis humoribus in corpore ægro exiſtentibus corrigendis ac emendandis: Hinc eſt quod aliquando curentur ægri aſſumptis alimentis per ſe noxijs, & ſibi tamen medicamentoſis, atque neſcio quo ſubinde inſtinctu potenter, aut impotenter appetitis & expetitis. *Fr. Sylvius Append.Tract.*3.§.42.*&c.*

XXXIII. Cum non ſemper obtinere poſſit ab ægro Medicus vt abſtineat in totum ab alimentis noxijs, allaborandum ipſi ſedulo, vt nota perſpectaque habeat medicamenta pleriſque noxis inde ſubortientibus occurrentia: Sic e. g. ſi ab aſſumptis certis alimentis, Lacte puta, & ſimilibus, ventris tenſio excitari ſoleat ægro alicui, tenſionem [illegible] lam ſciat Medicus pendere à flatibus ex L[illegible] vtique flatus diſcutientia erunt ægro ſimul præ[illegible] beoda, & ex varijs talia ſeligat Medicus quæ p[illegible] experientiam edoctus fuerit ſervire [illegible] uti ndis flatibus à lacte productis.

Ex hoc fundamento cœpit Alimenta condiendi Ars excoli, donec tractu temporis, vti plera[illegible] alia ſolent, in abuſum degeneravit. Nunc enim [illegible]on tam corrigendorum alimentorum in quibus [illegible]am vitioſorum ergo, quam diverſorum ſaporum guſtui gratorum, & ad ingluvies homines excitare aptorum cauſa videtur excogitata multifaria Alimentorum conditura: Ubi autem ex præſcripto Artis Medicæ condiuntur Alimenta, [illegible]ique noxæ non paucæ ab ipſis alias expectandæ [illegible]aventur & præveniuntur. *Idem Tract.* 5. §. 222.

XXXIV. Quotquot veterum more maximam curæ partem ægrotorum naturæ ch[illegible]ericæ, aut neſcio quali committunt, atque tunc excepta Diæta, quam quodammodo regunt, ſpectatores ſunt tantum pugnæ, quam inter naturam fabulantur & morbum excitari atque arbitri ſunt victoriæ, nunc morbo, nunc naturæ cedentis, illi revera peccant in defectu: Quotquot verò præter Diætam, in ſex rebus non naturalibus rite adminiſtratis conſiſtentem, medicamenta quoque cenſent à Medicis cordatis, in pleriſque ſaltem affectibus præſcribenda, quæ id omne quod præter naturam ſe habere deprehenditur in ægris, corrigant vel eliminent, vtique non ſpectatores, ſed ſimul actores volunt Medicos: Et certe non videtur officio ſuo & muneri, ægrotorumque expectationi æque Medicus ſatisfacere, qui vnam tantum ſui muneris partem, in Diæta rite ordinata conſiſtentem, abſolvit, dum binas cæteras in Chirurgia & Pharmacia rite dirigendis negligit: Neque enim puto facile accidere vt locus non ſit pharmacis quibuſdam præſcribendis: Non nego quidem curari poſſe, quinimo revera curari ſæpenumero ægros, quibus nulla præſcripta fuere à Medicis pharmaca: nemo autem facile perſuaſerit mihi æque cito, tuto, & facile jucundeque eoſdem curari ac ſi medicamenta convenientia ſimul [illegible] administrata, Sæpius namque obſervare [illegible] tales Aegros ſola Diæta adjutos, [illegible] ſe, non raro recidivas pericoloſas paſſos eſſe, aut nonniſi cum difficultate ac moleſtia e malis ſuis evaſiſſe; cum è contra ij quibus apta fuere adhibita medicamenta, & brevi, & tuto, & jucunde fuerint curati. *Idem Tractat.* [illegible] §. 199. *&c.*

XXXV. Emendantur contra non raro Humores vitioſi, non tantum vi medicamentorum, cum ſæpe nulla ſumantur, ſed ſolius Diætæ ope, ſed illi emendationi conciliandæ aptæ; non quidem temperatæ, qualis ſanis debetur, ſed à temperie ac mediocritate recedentis; ita tamen vt cujuſvis humoris peccantis vitio ſit ſubcontraria, & illi proinde corrigendo temperandoque conveniens: ſive Diæta illa præſcribatur à Medico, ſive, quod frequentius evenit, caſu talis eligatur vſurpeturque ab ægro: nam in ea adornanda ſæpius caſus quam ratio habet locum.

XXXVI. Et profecto miramur merito tantas non tantum in pejus, vt um in melius qu[illegible]que mutationes fieri à Diæta toties caſu mutata. Nec tamen [illegible] ſtatum

ſtarum mutationum rationes cauſaſque veras obſervari à Medicis, aut notari in eorum ſcriptis, quo & alijs ſerviant: poſtquam longe facilius per Diætam regi ſe patiuntur ægri quam per medicamenta. Quæ Diæta ſi præſcribatur illis, non moroſa & faſtidioſa, quin ſat ſæpe imaginaria, verum facilis, grata, & ab experientia deſumpta, plurima ejus ope bona redundant in ægros & convaleſcentes. *Idem Tr.x.*§.245.

XXXVII. *Somnus* arceſitus Medico magnam fert exiſtimationem, Medicus quidam ſe hanc gratiam ambire apud ægros ſuos aiebat, vt noctem illam, quæ exciperet vocationem ſuam, habeant quam quietiſſimam: impetravit autem id ſyrupo papaveris rhœados, quem in noctem illam præſcripſit: ſtratagemate & hoc nos delectari, ſæpe de ægris benemeremur propinato magiſterio anodyno: Qui fit autem quod ſomnus, vel ſponte natus, vel ſoporiferorum medicaminum vſu excitatus, ſæpe peccet in commoda ægrorum, qui excitari conqueruntur de inſigni laſſitudine & *ſυμπτώσεις*, & iniquis verbis excipiunt adſtantes quod tamdiu ſomno indulgere permiſerint, rogantes vt ſi forte ſomnus obrepat excitent? Nimirum & ſani dum immodicè dormiunt, *ὑπνῶδες*, excocti dicuntur, quod caro ſit humidior reddita, habituſque corporis tumentior, ob ſuppreſſionem fuliginoſi excrementi, quod per vigilias digeri deberet & exhalare: quod & in febricitantibus nonnunquam contingit: Ideo tamen nec à ſomno ſpontaneo, in quem labitur animus calore enervatus, nec adſcititio abſtinendum: quin brevi temporis mora moleſtia omnis diſcutitur, vireſque ſe exerunt refocillatæ. *Rolfinccius de Febr.c.*1.3.

XXXVIII. In *Acceſſione* alimentum exhibendũ non eſt, ex *Hipp.aph.*11.1. Natura enim, vt docet *Gal.in comm.* novi cibi cócoctione avocatur à concoctione humorum morbificorum: Adde quod in acceſſione tetro vapore vniverſum corpus perfunditur, qui cibum recenter ſumptum labefacta: & maxima parte corrumpit: Attamen ſi acceſſio adeo longa fuerit, vel corpus ægri adeo calidum & ſiccum, gracile & raræ texturæ vt facile diſſolvatur, & ad finem paroxyſmi ſufficere non valeat, etiam in acceſſione cibandus eſt æger, quod melius fiet in ſtatu quam aliis temporibus, quamvis etiam in principio & augmento, vrgente neceſſitate cibus offerri poſſit: Sic *Galen.x.meth.c.*5. hac febre laborantes, calido & ſicco temperamento præditos, quibus adverſiſſima eſt inedia, ne in ſyncopen inciderent, etiam initio acceſſionum cibare coactus eſt: Ad ejus imitationem *Amat.Luſit. cur.*68.*cent.*4. pichrocolo, & metam bilem evomenti, vnde ſyncope oriebatur, panem lotum, agreſta aſperſum, paroxyſmi initio exhibuit, ſicque prædicta ſymptomata inhibuit. *Riverius.* Damno, quod ex cibi exhibitione, ſimilibus in caſibus emergere poteſt, occurritur exhibitione juſculi ex pulpa carnis vitulinæ confecti, aut junioris pulli gallinacei, frigide exhibiti: (Aquam vituli aut pulli, vocant in Gallia, quia mediam obtinet conſiſtentiam inter aq. ſinceram & juſculum perfecte coctum) hoc enim pacto temperatur acrimonia caloris, prohibetur marcor imminens; nec tamen diſtrahitur natura ab officio in concoctione materiæ morbificæ, quam facilius ſubigit, mitigata acrimonia humorum, & ſiccitatis metu declinato.

Hippocrat. authore *aphor.*1.11. In acceſſionibus cibum dare noxium eſt, totam ergo acceſſionem, ſi fieri poteſt, cavebimus; ſin minus, vſq; ad inclinationem: quod ſi ne id quidem licet, ſaltem acceſſionis vitabimus initium, & tres ante illud horas, niſi in picrocholis, qui animo linquuntur ob acrem bilem ea hora affatim in os ventriculi concurrentem, niſi quid recentis cibi ibi ſit, à quo commiſta hebetetur: in his enim dilatus, vt in alijs febricitantibus ſolet, cibus ſæpe pro intermittente continuam, & pro ſimplici atq; cum ſudore, ſi daretur cibus initio, ſolvendam, ſyncopalem, & pro ſalutari lethalem febrem fecit: Datus verò in ipſa acceſſionis horâ, aliquando non ſolùm hæc pericula prohibet, ſed ipſam etiam febrem antevertit, quod in picrocholis maximè accidit: Sed & in alijs quibus moveri incipit bilis, non tã multa, craſſa & putrida, quam pauca, tenuis & valde vſta ac fumoſa, qua mordere incipiente partes ſenſiles multis pungi & horrere incipiunt, & eadem, cibo mox oblato, vt forte potione ex vino diluto, attemperata, horrere deſinunt atq; omnino febricitare. Cõſtat verò hoc raiò, ac vix vnquam niſi natura valde calidis & ſiccis accidere, quia huic ſolum naturæ videtur eſſe congruens. *Valleſius m.m.l.*1.*c.*9. De Senibus *Oribaſius* verba faciens ait, Illis febricitantibus in ipſa acceſſione neceſſariò cibum porrigendum: ſcatent enim pituita vitrea quæ in ipſis in alimentum non abit: ideo ſæpe & importunè, etſi inſtans ſit mortis periculum, debent cibo refocillari. Vide *Zacutum P.H.pag.*539.

XXXIX. Practici quidam *Ptiſanam* (alimentum convenientiſſimum, quod ſanguinem & bilem temperat, materiam viſcidam incidit & deterget; ſitim mitigat, aſperitatem oris, & vniverſaliter pneumaticorum organorũ tollit, ſpiritum facilem reddit &c.) cum amygdal. contuſis, imò eodem prandio, ovum, panatellam, carnes exhibent, contra *Gal.l.*3.*de v.ac.* ſententiam, qui cibos multiplices & facultate diſſimiles ventris perturbationem facere ait. Sed reſpondetur ea quę exhibentur, vel omnia habere rationem cibi, vel, ad minimum, vnum; Tunc febris eſt aut brevis, tunc præſtat cibum ſimplicem exhibere; vel ſaltem cibos facultatis ſimplicis permiſcere: aut Chronica, tunc optimum eſt cibos pauciores exhibere: quia tamen morbus eſt longus, ægrique aſſueti ac nauſeabundi, plures cibi, vt ova, panatella, carnes, fructus, offeruntur: Vel habet rationem condimenti, quod cibis immiſcere licet: alimentum enim proprias vires ſervat, & virtute condimenti olfactui & guſtui jucundius: contra materiam verò efficacius redditur. *Capivaccius l.* 6. *c.* 21.

XL. Cibi *Sale* an condiendi? Negat *Capivaccius l.6.c.* 28. atq; omnino *Sal* abdicat: at poſſe concedi credimus modo ita adminiſtretur vt non dapes fiant ſalitæ, ſed vt inſipiditas & injucunditas adimatur. 1. Quia quod ſapit nutrit, juxta *Avicenn.* ciborum autem maxima pars, eo carens, inſipida fit, hinc non ſolum non nutrit, ſed & nauſeam movet, vnde alia damna emergunt: 2. Cibaria ſalſa, ex *Gal.*3.*de al.fac.* dejectionem faciunt & obſtructiones aperiunt: Ipſe 7.*m.Me6.* in curatione ſicci ventriculi panem ſalitum concedit, potiori jure febricitantibus congruit. *Iunge aph.*2.38.

XLI. *Lac* an concedendum? Noxium videtur, tum ratione caſeoſæ ſubſtantię quæ in nidorem abit, ſitim acuit, caput vaporibus opplet, fervorem auget, obſtructiones efficit: tum butyroſæ, quæ facile inflammatur ob pinguedinem; *Bilioſum a pingui*, ait *Hipp.6.Epid.*5 14. Tum ſeroſæ, quæ nitroſæ qualitatis particeps. Dic lac, vel vt alimentum vſurpari, quo ſenſu damnatur ab *Hippocrat. aph.*5.64. vel vt medicamentum, animum præ[illegible] quod dilutius, vel in ipſa ardente, ex præſcripto *Hippocr. l.de rat.vict.* hauriri poteſt; tum refrigerantium ca-

ſa, tum vacuationis per alvum, ſed magna copia, ſic enim ocyus deſcendit, nec moram trahit in ventriculo, vt hinc nec coquatur, nec aſſimiletur; Bilem deturbat, inteſtinorum colluviem expurgat, humectat arfatimque refrigerat.

XLII. *Fructus* an conveniant dubium? *Avicen.* omnes nocere ſcribit, ebullitione ſua & corruptione in ſtomacho: *Galen.* nullum fructum ferè eſſe boni ſucci ſcribit, fugaces verò planè malum ſuccum habere, adeo vt niſi citò excernantur, vel ſi in ventriculo corrumpantur, generent ſuccum veneno non abſimilem, Alii contra plurimos fructus, præſertim refrigerantes, vt angurias, melones & ſimiles indulgent: Verum ſciendum, ſi qui fructus conceduntur, potiùs vt medicamentum quàm vt alimentum; Et negari non poteſt pleroſque facilè corrumpi, imprimis in ventriculo calore febrili malè affecto, atque inde vitioſos humores generari qui febrem valde augent: Et quò fructus alias corruptioni magis obnoxius eſt, eò facilius in febribus corrumpitur: plerique etiam non bene tranſpirant & tranſpirationem impediunt, vt melones: quod ſi ægris delicatis indulgendum, permittendum potiùs vt deguſtent talia quam vt liberalius comedant, juxta *Gal. 1. ad Gl.* 9. aliàs is victus inſtituendus quem præſcripſit *Hipp.* ex ſucco ptiſanæ, vſque ad criſin, aut non abſimilis: Acida tamen facilius ad ſitim nimiam & calorem extinguendum concedi poſſunt, vt ſunt mala aut ſuccus granatorum, citri, limonum, berberorum, ribes, ceraſa; quæ tamen omnia potius ſunt alimenta quàm medicamenta. *Sennertus.* Vide *Zac. P. b. l. 4. c. 3.*

XLIII. Nonnulli *Piſces*, vtpote qui facile putreſcant, plane rejiciunt, alij admittunt: Sed febrium & piſcium diſtinctione hic opus eſt: commodius enim exhibentur piſces in febribus bilioſis: Ij tamen ſemper eligendi ſunt qui meliùs alimentum præbent, vt Saxatiles. *Sennertus.*

XLIV. *a. Ova* febricitantibus præbere piaculum aut eſſe *Saxonia* Venetiis: De carnibus obſervatum, febricitantes quiſis veſcuntur in Cretæ & aliis Græcis locis, mori: *Sennertus* vtraque concedit, *Ova* quidem, quia facilis ſunt coctionis & boni alimenti, & quia noſtri homines tenui illi victui, cui antiqui, non ſuot aſſueti, quæ facile tolerant, abſque febrilis caloris augmento, nec avocatâ a calore nativâ, modo parvâ copia & idoneo tempore exhibeantur: Carnium autem vſum non rejicit, etſi in Græcia noceant ob calorem inſignem, & quia tenuem victum homines ibi facile tolerant; cum apud Septentrionales, craſſo victui aſſuetis, innoxiè præbeantur: Carnium tamen & Ovorum vſum febres prorogare obſervavit *Th. Willis* Medicus Anglus: *Ova* quoque reprobat *L. a Fonte Conſ. 5.* quia, ex *Hipp.* in febribus Acutis, in principio, augmento & ſtatu non convenit victus plenus, qualem Ova præbent, 2. Quia impura corpora non ſunt nutrienda cibo qui facile putreſcat, ſed Ovi cibatio talis eſt, ob nimiam humiditatem, 3. Quia ex *Alexandro 2. Probl.* 84. lutea ovorum calefaciunt &c.

XLV. In *Potu acutè febrientibus* exhibendo modum ponere decet, ne nimio humore, qui febricitantibus alienus eſt, aut cruditas major, aut ſordidior putredo prolixiorque ſuboriatur: aut nimia ariditate accidentia intendantur & corpus contabeſcat: hoc tamen vnum [illegible] ſtatu dignum, pocula facilius cibis admixta concoqui, celerius reficere, ac minus naturam iuſtinam gravare: quo fit vt primo acutæ febris die humorem non interdicere liceat, niſi ita laborans ſit infirmus vt cibum hac ratione expoſtulet: At vltimis diebus, cum ariditas & incendium [illegible] gent, largius frigidam porrigere oportet, præſertim [illegible] ſpicua fuerit coctio. *Mercatus lib. Præſid.* 1. c. 2.

XLVI. Maxime nocet *bibiſſe in paroxyſmo*, hic enim, non ſecus ac ex latere candente & [illegible] aqua tacto, tanta ebullitio humorum denuo fit vt & morbus augeatur, & ſymptoma, ſitis: *Valaas m. in p.* 150. Non tamen debemus admodum pertinaciter, vt quidam faciunt, indicationi à cauſa adhærentes, intemperiem negligere, ſatiùs enim aliquando eſt morbum protrahi permittere quam brevi hominem exuri. *Valleſias 1. ac. p.* 41. Vſu mihi compertum eſt inde plerumque ex febribus interm[illegible]entibus, periculiſq; expertibus, naſci continuas ac lethales febres. *Heurnius aphor. 62. 7.*

XLVII. In febribus Ardentibus magis plerumque effectus quam cauſa viget, ſympt[illegible]a plus quam morbus: vbi ergo in Cauſo incendium, ac *ſitis anxia* ægrum premit, potiones frigidas exhiberi conſonum eſt, atque ea copia vt ebullientes humores temperet ſpirituumq; fervorem extinguat. Huc ſpectat *Hipp.* dum pluribus in locis frigidam commendat potionem: ſic *l. de vict. ac.* & in cauſo & in [illegible]ngina frigidam exhibet: *lib. 4. Epid.* In acutis frigidam datam prodeſſe ait: 2 *de morb. Altera*, ait, *die qua ebrius detines, aquam frigidam, quantum bibere volet, dabis:* adhuc 3. *de morb.* etiam ſub dio expoſi[illegible] dam exhibet. At *l. de Loc. In potu*, ait, *dabis aq. calidas & aquam mulſam, & acetum cum aqu[illegible] Si enim non frigidas ingreſſus fueris potas, calidas exiſtens ac manens, ex corpore ægroto detrahet, & vel per [illegible]am ejiciet, vel exſiccabis.* Ibi ſcilicet morbi cauſæ potius intentus eſt; Duplicem enim in fin[illegible] potus datur, vel vt ſit alimenti [illegible] que dandę gratia, qui cum cibo ipſo aſſumitur; [illegible] dus eſſe debet; Vel ad humorum, aut alterati[illegible] aut excluſionem, & hic potius [illegible]lidus co[illegible]mendatur, vt & ſi corpus frigidę nō ſit aſſuetu, aut ſi frig[illegible] ventriculus.

XLVIII. *Frigefactorias Potiones in ardentibus quando voles bibendas dato*, ait *Hipp. 3. de morb. c. 69* Animadvertas quod *Hipp.* non dixit, Quando vult æger, Sed quando voles Tu Medicus, i. e. ex regula ra Medici, non ex perverſa ægri voluntate exhibendæ: *Sunt autem ea multarum operationum, alia enim [illegible]ctionem inducunt: alia alvi egeſtionem, a[illegible] præſtant: alia neutrum: alia ſolum [illegible] ſi quis in vas aquæ ferventis aqu. frig[illegible] undas, aut ipſum vas ad frigidam ventum expo[illegible] Dabis itaque alias aliis, neque enim dulces om[illegible] ducant, neq; acerba, neque eadem omne [illegible] poſunt. Hipp. ib.* Non enim laborantes arde[illegible] ſemper eandem requirunt medendi rationem, cum alij majorem refrigerationem, vt qui duri & de[illegible] unt habitus deſiderēt: alij minorem, vt qui mollis & ra[illegible] ſunt habitus, non eadem refrigerantia omnibus convenient, ſed alia alijs pro ratione morbi habitus & cæterarum circumſtantiarū diverſitate erunt [illegible]hibenda: Quam *Hipp.* ſententiam ſi medicinam [illegible] muniter facientes attenderent, non ſemper in e[illegible]dem morbis eadem omnibus ægrotantibus in[illegible]lcarent, ſed cùm miſeri ægri ſępius ex propria natura, aut dulcia, aut acida, aut auſtera renuant, ex iiſque cruciemur, pertinaciam deponentes, varietate [illegible]amentorum oblectamentum eorum naturæ [illegible] obſecundarent. *Inter varias potiones ab [illegible] pr ſcriptas hæc notatu digna, Ovorum iij. a[illegible] andidum in aqua congio co[illegible] cuſſum bibat [illegible] hoc valde [illegible] efficit & ægram ad alvum exonerandam conturbat.* Fortaſſe iſta ovorum albumina hic faciunt [illegible] quod

quod in vinis, dum craſſiora evadentia extra propriam naturam immutantur, & vappa fiunt, agunt: hæc enim in aqua copioſa conquaſſata, ſi hujuſcemodi vinis à principio affundantur, egregiè illa rectificant, attenuant & in priſtinam naturam reſtituunt: ſcilicet vino immixta illud refrigerant, & partes craſſiores ad fundum vaſis detrahentia, illud attenuant: Quod idem fieri cenſeo in ardenti febre, quoniam contemperando refrigerant, & ad inferas partes excrementa deducendo alvum ſubducunt: hæc autem cruda ſint, cocta enim prædictam vim minorem habent. *P. Salius Diverſus comm. in lib. 3. de morbis pag. 339. & 347.*

XLIX. *a* Videtur *Vinum* non convenire Putridis, quia valde nutrit, ſitim doloreſque capitis auget, nervos tentat &c. *Hippocr.* tamen in vini vſu audaciſſimus fuit, vt conſtat ex lib. acut. & aliis locis: *Alexander* 2. probl. 62. exiguum & tenue concedit, Nec immerito, nam album, tenue, in aſſuetis præſertim, apparentibus coctionis ſignis, poſt alias vacuationes, ad reliquias humorum coquendas, vrinas & ſudores provocandos, ſomnumque confert. *Galen.* 2. de acut. 8, ſcribit in Italia morem fuiſſe vt vinum Sabinum, quod tenue, cunctis febricitantibus concederetur: imò eodem lib. t. 40. fatetur ſe ægris modicum vini cum aqua limpida indulgere conſueviſſe, quamvis abſtinendum moneat 11. & 12. meth. & 1. ad *Glauc.* 14. ſi delirii ſuſpicio ſit, aut capitis gravitas, aut catarrhus, aut materia morbifica cruda ſit, aut cocta, ſed copioſa, nulla præcedente vacuatione; præcipuè in continuis, niſi immineat ſyncope. Eligendum autem, non rubrum, ſed album, non fulvum, ſed tenue, aquoſum, ſive aqua dilutum: non auſterum aut dulce, craſſum, atque aſſuetis magis quam non aſſuetis: In lentis vel intermittentibus liberalius, in aliis parcius valdeque aquoſum: non ob febrim, ſed cauſam, dum per accidens caliditas intenſior remiſſiorem ad ſe rapit, & incidendo ac diſſolvendo conſumit, vel ob accidentia, ad robur virium &c. *Horſtius de Febr. quæſt. 9. Exercit.* 4. Lib. de cib. boni & mal. ſucci ait *Gal.* c. 8. *Vinum album, auſterum, ſenſibilem refrigerandi vim habet.* Quod intelligendum, non reſpectu aliorum vinorum ſed abſolutè: Errant ergo ferè omnes Medici noſtri temporis qui in febricitantibus deteſtantur omnia vina: Expendantur alia plura *Hippocr. & Gal.* loca, vt 3. de rat. v. 7. & 8. & 6. Epid. 4. t. 15. & alibi *Gal.* laudat pro febricitantibus vinum aquoſum auſterum: Dum prohibetur morbo exiſtente crudo, id de fulvo, & non de albo aquoſo audiendum: Ego dum oligophorum invenio, ægris pauxillum tuto & ſummo cum beneficio, etſi febricitent, concedo. *Sanctorius Art. parv. cap.* 100. Etiam in maligna febre exhibuit *P. Poterius cent.* 1. *cap.* 81. quia multæ ſunt febres, *ait*, quibus vinum minime obeſt, his præſertim quæ in ventriculo ſedem obtinent, modo detur vinum quod caput non tentet, Imo copioſius ſumptum in quibuſdam morbis à malo liberat, juxta *Primiroſium l. 3. de vulgi error. in Med. cap.* 18. *Proprietas*, addit idem, *hominis in omnibus morbis curandis magnam habet poteſtatem. & ſunt nonnulli vſque adeo ad vinum comparati, vt etiam in extremis morbis ab eo non poſſint abſtinere*: Conjunge cum his *Canonherium* de admirandis Vini virtutibus, qui lib. 1. cap. .. §. 18. ita ſcribit, *Vino in febribus & vt alimento vti poſſumus*, & §. 23. *Vinum ſudores provocat, eoque ſeroſa materia non parum per lotium ejicitur.* Conferat cum his Lector *Coſteum* in Tractatu de Potu in morbis libr. 2. *Hippotæ. Obecium* & *Hipp. Antonellum* in Apparatu Animadv. in eundem: *Simon Schulzius* conceſſit ægro febre Hungarica laboranti (*vide titul. de Febre Hung.* §. 6.) ſalutariter, apparentibus ſignis coctionis, & circa diem decretorium, naturali appetitu accedente, nec ſine ratione id ſe feciſſe exiſtimavit, vtpote qui ibi natus & educatus erat æger, vbi cereviſia nullum locum habebat.

XLIX. *a* Aquam pro Potu ordinario valde improbat *Hippocrates*, ſicut eam commendat pro medicamento, ſcilicet affatim ſumptam; In Potu autem ordinario eam nocere ait, quod ſit craſſa, hypochondria non penetret, & in bilioſis facile bileſcat, putreſcit enim facile evicta à calore febrili, alias quia frigida humida febri omnino adverſatur, illique ideo convenit: In aſſuetis ergo aquæ potui cur dari non poſſit non video, ſed melior erit ſi aliorum admiſtione corrigatur, decoqui autem illa poteſt vt tenuior evadat; Alii illam diſtillari volunt, deinde admiſtione refrigerantium ſyruporum & aperientium temperari, alii panem ita tundi vt vim fermenti aliquantulum imbibat, alii cinnamomum &c. *Primiroſius de Febr. p.* 146.

XLIX. *b* Cereviſia quantumvis imbecilla ſit, tamen ſemper habet aliquam calefaciendi & inebriandi vim, etſi minor ea ſit & imbecillior quam in fortiori, vnde febricitantibus acute & capite dolentibus non adeo convenit, quia inflammat & ſitim generat ſi copioſe aſſumatur, vt febricitantes ſolent, qui valde ſitiunt: Objicies Cereviſiam eſſe meram aq. hordei, nec ex lupuli additione vllam vim contrahere febri adverſam, cum lupulus quotidie ad depurandum ſanguinem præſcribatur: Nam magnam eſſe differentiam inter aquam hordei & cereviſiam experientia docet, cum aqua hordei refrigeret, nunquam copioſe pota corpus accendat, nec caput tentet, nec ſitim excitet, quod de cereviſia quantumvis debili dici non poteſt; Differentia autem ex eo pendet quod cereviſia ex hordeo non ſimplici ſed torrefacto conficiatur, ſiccus lupulus addatur, qui ſatis calet, deinde fermentetur, vnde calidam qualitatem contrahit, quæ non eſt in aqua hordei, nec in ptiſana; ideo non adeo commoda eſſe mihi videtur: Ejus tamen vſus magis quam vini tolerandus eſt, quod minus caleat & diuretica ſit. *Idem.* Adde ex cereviſia quantumvis debili ſpiritum extrahi.

XLIX. *c* *Aquæ hordei* vſum ſcio à nonnullis celeberrimis Medicis damnatum fuiſſe, tanquam Arabum non Græcorum inventum, flatuoſam, ſtomacho infenſam aſſerentis: parum eos in Græcis authoribus legendis verſatos eſſe conſtat ex lib. 3. de morbis, vbi Hippocr. Hordeum Achilleum magnum ac plenum, heminæ menſura, ſiccatum, ablatis acutis ſpinis, probe lavari, aquæ congio affuſo coqui ad dimidias, frigefactum bibendum dari jubet: Flatuoſam hanc eſſe potionem non verum, cum flatus ſit in ſubſtantia hordei, quæ non ſatis concocta flatus reſervat, non autem in aqua, at aqua non illius ſubſtantia exhibetur: ſi quid vitii in aqua ante fuerit, per coctionem illud deponit, coctura enim multarum rerum malignitatem tollit: Quod ventriculo ſit infenſa, non omnibus, at frigidioribus tantum ventriculis: cæteris autem, cum febrilis calor abundans ſit ac fervens ſit ipſis tutela & clypeus, non erit noxia: quare tale peccatum non erit ex parte aquæ ſed Medici, indiſtinctè exhibentis & ventriculorum rationem non haben-

ris. Ego reſtor me hujus aquæ proficuum vſum in arte inveniſſe, copiosè exhibentem, ſed non omnibus pariter ac indiſtinctè: in ardentibus, coctionis notis apparentibus; frigidam vbi robuſtus ventriculus; tepidam in languido: copioſam admodum & ad ſatietatem: In aliis febribus bilioſis in vltima ſtatus parte, libentius declinationis initio, maximè ſi intermiſſiones tertio quoque die accedant. *P. Salius Diverſus 3. de morb. p.342.*

L. Miror quid ſibi velint nonnulli in *Aqua* febricitantibus exhibenda, cum multum diuque coquere præcipiunt: enim teſte Galeno (quod & ſenſus probat) longa decoctione ſalſedinem, & tandem, vt cætera, amaritudinem acquirat vnde febrilem calorem non extingui ſed augeri potius contingit. *A Ferrerius caſtigat. cap. xi.*

LI. Errant qui toto morbi decurſu *frigidam* concedunt: coctioni enim humorum tunc officit, difficulter coquitur; diuque in ventre, antequam diſtribuatur, hæret, neque incidit, neque abſtergit, neque alvum per ſe ducit, neque vrinam ciet &c. propterea nonniſi in acutis, in ſtatu, coctione abſoluta, concedenda. *Sennertus lib. de febr. c. 9.*

LII. Dubium vtrum *hyeme magis quàm æſtate ægri nutriendi* ſint? *Hippocr.* enim 1. aph. 18. & 3. de Diæta, diſertè docuit hyeme febricitantes cibos facile, vere minus, æſtate & autumno difficillimè ferre: nimirum æſtate ægri cibos ægerrimè ferunt, quia non ſolum alvus officii vacuitate reddita ſit ignavior, dum ſiccus eſſet morbus; ſed etiam calor vitalis tunc effœtus langueat: Hyeme vero facillime, nam licet tunc reddita ſit ignavior, morbo adhuc ſicco exiſtente, calor tamen nativus augetur, vnde hyeme quam æſtate & autumno cibi ferendi facilitas major: Contra Aviceno. 1. 4. cap. de cibat. ægrorum, dicit hyeme nutriendos eſſe ægros, æſtate vero magis: rationem reddit, quia æſtate majores fiunt reſolutiones, vnde conſequenter pro deperditorum reſtauratione opus eſt majori alimento: Pro reſolutione, è *Mercuriali lib. quinto de febr. capite octavo.* notandum Quod alimentum bifariam plus vel minus dici poſſit: vel ſecundum virtutem, vel ſecundum molem: hyeme quidem ſecundum vim & virtutem: æſtate vero plus ſecundum molem corpora nutriri debent: Ratio eſt, Quia caloris naturalis ſubſtantia hyeme major, æſtate minor eſt, 1. aph. 8. quia tunc multa pituita colligitur, quæ eſt alimentum ſanguinis & caloris nativi: hinc *Gal. l. de placit. Hipp. & Gal.* nativi caloris ſubſtantiam in ſanguine & pituita poſuit; multo igitur melius conficere poteſt valens alimentum hyeme quam æſtate: Æſtate vero cum calor præternaturalis naturali major ſit, proptereaque ingentes corporum reſolutiones fiant, fit vt ea quidem, quo vires conſumptæ reficiantur, cibis egeant: hi tamen cibi; vt confici poſſint, adeo valentes nequaquam eſſe debent: idque cum videret *Galen.* 1. *aph.* 18. æſtate cibum in plures partiendum eſſe dixit, quod etiam *Avic.* probavit: Hyeme verò vna vel altera vice cibum offerre ſatis eſſe, quia tunc temporis melius coquitur, & ſubinde excrementa pauciora fiunt. *Gr. Horſtius Exerc. 4. de feb. Qu. 3.*

LIII. Non eſt quod Medici tantopere graventur concedere febricitantibus lactucas crudas, & coctis ſemper vti cogant præſertim æſtate: certè vix habent vllam qualitatem noxiam, etſi frigidæ humidæ, vnde nimius vſus replere poteſt ventrem nimia humiditate ac debilitare ventriculum: Et eam noxam fortaſſe inferunt citius coctæ quam crudæ, contra ac braſſica, beta &c. hæc enim qualitatem cum habeant malignam & nitroſam, elixatione indigent vt corrigantur; lactuca verò cum nullam habeat, neque ablutione quidem indiget vt corrigatur, & coctione fit laxior & exolvens: De his Diſcor. *Stomachicis eloras eſſe prodeſt: Galenus* quidem 2. de alim. cum antea multo tempore eſſet vſus crudis lactucis, non alia de cauſa dicit ſe coctis vti cœpiſſe quam quod dentes jam eſſent deteriores. *Valleſius 7. Epid. p. m. 881.*

LIV. Qui conſulunt ferculis admiſcendum eſſe *ſuccum granatorum, citri, limonum*, vuæ immaturæ & reliqua hujus qualitatis, a me non probantur, quia non habent rationem obſtructionum, quæ potiſſimæ ſunt febris tum foventes tum efficientes cauſæ. *P. Salius D. de fib. peſtil c. vlt.*

LV. Sicuti autem a me non probantur iſta adſtringentia, ita & damnantur *dulcia*; tum quoniam hæc ventriculum ſubvertunt, tum quia facile bileſcunt, vnde incendium internum augeri poteſt, quare vſus eorum quæ ex ſacchato parantur hic damnatur: fugiaturque ea ſacchari ingens quantitas, & tam continuus vſus, quanta & qualis ordinatur a multis malè medicam facientibus. *Idem ibidem*

LVI. *Ptiſana* ab antiquis in febribus acutis valde laudatur, non ſolum quia refrigerat & humectat, ſed præſertim quia tollit aſperitatem introductam à calore febrili in univerſum corpus: de ratione remedii auferentis aſperitatem eſt 1. vt ſit humidum. 2. vt careat morſu, 3. vt habeat quendam lentorem: talis eſt ptiſana: hinc acetum, etſi frigidum, non confert febricitantibus, quia exaſperat, hinc febris curatio fit difficilior. *Sanctorius Art. Parv. c. 94.*

LVII. Circa *Somnum* notandum 1. Somnum *acceſſionum initio* ſemper lædere quia tunc virtus valida eſt, & cauſa acceſſionis integra & nondum vacuata, nec extenuata; ob quam cauſam neque retractione caloris, aut vnione eget: quinimo ſi tunc retrahatur, propter multitudinem humoris opprimitur magis virtus, & calor plus redditur p. n. & ob commercium humoris & vaporum inquinatur, & hoc modo prorogatur febris, quia [illegible] cauſa non diſſolvitur, quinimo remanet i[illegible] fixa & radicata nimis, cum non exhal[illegible] 2a. In *Declinatione* ſemper juvat, [illegible] ex præcedentibus temporibus [illegible] quietem & firmitudinem deſiderant: præterea acceſſionis cauſa jam eſt ſuperata, liquata & in vapores converſa, qui cum ſint diſperſi ad partes externas, & diſtent a partibus præcipuis, minus poſſunt retrahi: Si igitur tunc ſomnus ſuperveniat, vires recreat, cum jam detracta ſarcina non opprimantur, quin retrocedente ſanguine & ſpiritu ad interiora, collectæ & vegetiores factæ febrem finiunt, aut reliquias humorum ſtrenue conterunt. Somnus eveniens in *Statu* anceps eſt, nam aliquando prodeſt, interdum nocet, quod ex varia corporis diſpoſitione & diverſitate febris emanat; Si enim corpus eſt calidum & ſiccum, reſolutioni paratum, tunc ſomnus in ſtatu acceſſionis vtilis eſt, humectat enim, reficit vires & acceſſionem breviorem facit: Contra ſi corpus ſit calidum & humidum, denſi habitus, Somnus eſt inutilis, tunc enim neque refectione, neque humectatione opus eſt, imo eo ſuperveniente cauſæ morbificæ reſolutio impeditur, & ſtatus cum declinatione protrahitur: Sic ſentiendum eſt pro diverſitate febris; Si enim humor

humor magis peccet quantitate quam qualitate, qualis eſt pituitoſa, melancholica, aut tertiana notha, tunc ſomnus non prodeſt ſed nocet: Contra ſi peccet humor, & qualitate plus vrgeat quam quantitate, vt febris bilioſa orta ex ſincera bile, quo tenuitate, caliditate, acrimonia premit ac virtutem fatigat, tunc ſomnus proficuus: Idem pronuntiandum eſt de poſtrema parte incrementi, quam principii naturam repræſentare certum eſt. *Notandum* 2. hanc doctrinam non ſolum de temporibus particularibus cujuſcunque acceſſionis, ſed de vniverſalibus eſſe intelligendam; In principio enim, quia oppreſſa eſt natura, minus convenit ſomnus, magis in augmento, & multo magis in ſtatu, & maxime in declinatione, eius enim ope vires reficiuntur, humoris reliquiæ coquuntur & abſumuntur: Hæc eſt cauſa ob quam longiſſimus ſomnus conceditur in declinatione, in principio admodum brevis, mediis temporibus mediocris: Quod ſi in ſtatu ſudor immineat, aut erumpat, ſummopere juvat Somnus, ſi præcedant concoctionis notæ: Somnus enim omnes evacuationes cohibet, excepto ſudore, quem magis provocat. *Zacutus Pr. h. p. 545. vide plura ibidem.*

LVIII. *Qualitatem victus* declarat *Hippocr. aph. 16. lib. 1. Victus humidus febricitantibus omnibus confert &c* nam cum febris ſit affectus calidus et ſiccus, ex lege contrariorum refrigerantia poſtulat & humectantia, nam ex *Galeno* lib. in.in. refrigeratio febribus potiſſimum competit, in illis ſi quidem calor ſolet eſſe noxius, non ſemper ſiccitas fatigat, quod *Hippocr. ipſe lib. de morbis* variis in locis præcipit, vbi febrem quam citiſſime refrigerare jubet: Hoc cum omnibus conſtet, non refrigerantis ſed ſolius humidi meminit aphor. dicto, quod non adeo planum ſit humectationem febribus convenire: Per victum humidum intelligere poſſumus vel humectantem, vel liquidum & ſorbilem: humectans maxime febribus convenit, tum quia ſiccitatem emendat, quam febrilis calor accelerat, tum quia calorem præter naturalem temperat, eſt enim ſiccitas lima caloris, humiditas autem eandem retundit; Liquidus & ſorbilis ab eodem ſemper præſcribitur, aſtipulante *Galeno*, tum quia faciliime in ventriculo concoquitur, tum quia facilius in reliquum corpus & penitiores venas ſubit, calor enim innatus ab extraneo labefactatus imbecillius concoquit, nec eſt fatigandus cibis ſolidioribus, ne ſi crudiores remanſerint corrumpantur, febremque deinceps augeant; vnde cavendum à carnibus aſſis aut elixis, quæ etſi forſan humidæ potentia eſſe poſſint, earum tamen ſubſtantia durior eſt quam vt à febricitantium imbecillo calore concoqui commode poſſit: vnde carnium juſcula carnibus ipſis præferri debent: Quamvis autem ſemper ſorbilis cibus eſſe debeat, non tamen ſemper refrigerans eſſe debet & humectans, nam ratione cauſæ, quæ febri conjuncta eſt, aut alterius morbi, aut ſymptomatis, interdum calidus, interdum ſiccus eſſe debet, vt in pituitoſis febribus; & quartanis piper conceditur; tum ſi febris cum hydrope, dolore colico, vel obſtructione adſit, in hac non humectantibus & refrigerantibus, ſed calidis aperientibus vtendum erit, ex *Galeno comment.* in dictum aphoriſmum. *Primiroſius lib. de Febribus p. 153.*

DIAPHORETICA.

(Vide *Alexipharmaca & Sudorifica.* 1.)

SYLLOGE.

Quomodo agant. 1.
Abſorbentia. 2.
Fluxile ſerum reddentia. 3.
Coagulationem ejus impedientia. 4.
Externis nunquam res abſolvitur. 5.
Non eadem vbique conveniunt. 6.
Temperatiora, aliquando validiora ſint. 7.
Aliquando noxia ſunt. 8.
Vbi ſerum deficit, & nimis redundat, vitanda. 9.
Vſum impedientia. 10.
Acida, ſulphureorum vim juvant. 4.

I. Differunt inter ſe diaphoretica & ſudorifica gradibus, priora per ἄδηλον διαπνοὴν latim diſcutiunt halituoſa excrementa, eandemque tranſpirationem promovent & ſanguinem ventilant: poſteriora & hoc ipſum præſtant, ſed roſcido ſudore conſpicuum magis effectum relinquunt: Operantur vero quatenus fundunt ſanguinem, ac ſeri à ſanguine ſeceſſum procurant, vt halituum ſpecie per cutis poros expelli poſſit.

II. Tum 1. *abſorbendo, & quod ſerum ligat & fixius reddit* reſolvendo, vti ſunt alkalinæ naturæ fixiora, terrea, v. g. antimonium diaphor. conchæ, c. c. vſtum, lapis bezoar. bolus Armena, bezoardicum ioiner. &c. hæc inſigniter fermentationem humorum præcipitant, & διαχώρησιν prohibent, & inſenſibilem tranſpirationem liberam ſuique juris reddunt.

III. Tum 2. *fluxile illud reddendo*, ſive rarefaciendo, & fermentationem ſanguini novam inducendo: ſic 1. ſalia lixiva & nitroſa, ſal abſinth. card. ben. centaur. min. quæ & abſorbent & ſimul fluxilitatem ſero fœnerant. ſic 2. volatilia quoque. ſpir. c. c. viperarum, eboris, potentiſſime ſudorem pellunt, ſive halituoſum vehiculum & volatilitatem præbendo, uti ſunt 1. aquea, ut aquæ diſtillatæ variæ, & inprimis ſimul volatilitate quadam gaudentia decocta; item 2. ob aquoſam & gummoſam ſubſtantiam facile reſolubilia, vt rob ebuli, ſambuci, &c. præcipue vero 3. ſale volatili cum ſulphure penitius commixto pollentia, amaricantia reſinoſa, &c. ſic carduus bened. opium, camphora, l. gajacum, & è compoſitis theriaca, mithrid. & reliqua claſſe 1. recenſita: hæc torpiduſculi ſeri motum promovent, & naturam hortantur ut ſuperfluum diſcutiat, pori aperiantur, ac vigoretur maſſa ſanguinea: Et hæc appr ime locum habent in ῥευματισμῷ, ſeu in fluxu ſanguinis & ſeri quocunque, v. g. in inflammationibus pleuræ, fluxionibus articulorum &c. vnde conveniunt in pleuritide, quæ ſæpe vno quaſi eminentiori ſudorifero jugulatur ſtatim in principio: arthritide quæ omnium maxime juvatur iiſdem ſudoribus, tumoribus inguinum, tonſillarum, axillarum & ſimilibus, leipothymia, ſyncope, tum ſolitaria, tum hyſterica, variolarum & aliorum exanthematum eruptione ceſſante.

IV. Tum 3. *ea coagulum abiens ſerum incidendo*, & hoc ipſo quoque ſanguinis tenuitatio-

nemptomovendo; Præſtant illud inprimis *acida*, & ſuo modo, diverſo ſcil. reſpectu, *alkalina* quoque: hinc acetum inter ſudorifera quoque, non minus ac acida alia, referuntur merito. Obſervatio enim eſt non vilipendenda, acidorum acceſſione ſulphurea medicamenta longe præſentius agere & ſudorem ciere magis quam ſibi relicta, exemplo ſit vel ſola miſtura ſimplex, nec enim ſpiritus theriacalis per ſe, nec ſpiritus tartari tam prompte ſudorem movent quam hiſce maritatus vitrioli ſpiritus, vtriuſque activitatem promovet: Sic etiam tinctura bezoardica citra ſpiritus ſalis vel alius acidi acceſſum minus ſudoris movendis apta eſt: Abiens vero in coagulum ſanguis, groſſus magis, viſcidus, craſſus & glutinoſus evadit, vnde acida incoctionem hanc remorantur, ſulphurque domando, & rarefactionem, quantum in ipſis, impediendo, ſecretionem tunc ſeroſi humoris, & ejuſdem halituoſitatem hoc pacto promovent: Vnde conveniunt hæc, & primæ claſſis diaphoretica, pro diverſitate indicantium ſeligenda, in ipſis quoque febribus variis, imprimis etiam in lue venerea, ſcorbuto, elephantiaſi, & ſimilibus, vbi ſanguis glutinoſior longe gravitatem membrorum & dolorem importat neceſſario: Maximam quoque hæc ipſa hac claſſe contenta vim habent grumoſitatem ſanguinis tollendi: unde & mixtura ſimplex ipſa in palpitatione cordis non contemnendum habet uſum, item in ſcabie & plurimis aliis malis: Verbo, in quibusvis maſſæ ſanguineæ vitiis, à qualitate & motu vitioſis oriundis exceſſibus, ebullitionibus, deſpumationibus &c. diaphoretica ſunt inſtar omnium, fermentum reſtaurant & deprimunt.

V. Impellentia autem interna opus habent externis, unde non ſatis eſt aſſumere diaphoreticum medicamentum quodcunque, ſed opus eſt ad minimum calore ambientis aucto, & tecto corpore, vt & pori dilatentur magis & humores fundantur; Solis vero externis nunquam res abſolvitur, niſi vbi in ſpatiis intercutaneis materia magis hæret: eo enim caſu externe impellentia melius proficiunt: Sic etiam vbi tumor particularis membrum aliquod extercet & defatigat, eadem ex vſu ſunt.

VI. Nec tantum in abundantia & repletione humorum, ac ſanguinis impuritatibus valent, verum etiam torpidos & quieſcentes humores agiles reddunt magis & vividos; inprimis vero ſeroſis humoribus reſolvendis, attenuandis, & evacuandis per poros apta ſunt: Vnde fixitas vel volatilitas medicamentorum, & ſanguinis ſtatus diverſus variat eorundem vſum: Sunt qui ſolo antimonio diaphoretico utuntur ſemper, ſunt qui ſpir. c. c. ad cœlum vſque evehunt, ſunt qui tinctura bezoardica, maxime camphorata ad quævis tantum non abutuntur: Singuli hi peccant, in primis vero poſteriores, nec enim camphorata omnes æque ferre poſſunt, ſaltim in tanta doſi, vnde ſanguis maxime rareſit: Camphora locum eximium habet in motus ſanguinis vigoratione promovenda, non item vbi nimis rarefactus eſt & ebullit, vnde vigiliæ, ſitis, calor, majori vnde præſtat minus camphorata vti tinctura bezoardica, vel ſaltem aliam quoque ad maoum habere mitiorem.

VII. Vbicunque ergo reſolutio virium timetur, & fræno potius eget ſanguis quam ſtimulo, temperatiora omne abſolvunt punctum ac præferenda ſunt, & contra, Sic inprimis *Hofmannus* obſervat lib. de febr. in febre quadam epidemia, cum ſudore colliquativo conjuncta, bolum Armenam & terram ſigillatam vnice profuiſſe. Si vero eandem ad motum & fermentationem ſanguinis cienndam velit ſolam vſurpare, ne turpiter ſe dederit quam maxime.

VIII. Vbi præcipitatione magis opus quam diſcuſſione, minus cogendi ſunt ad ſudorem ægrotantes, imo ſudor nimis coactus minus prodeſt, etiam in continuis: Hinc peccant illi enormiter in praxi, qui in tertianis vel quartanis dato pulvere febrifugo ante paroxyſmum ægrum continuo ad ſudandum impellunt, & tantum non cogunt, vnde phthiſeos metum & alia ſymptomata non levia aliquoties orta obſervavimus: hinc in expellendis variolis, in feb. quoque malignis nunquam conſultum eſt ad ſudandum ægros fortius impellere, ibi ſeri proportio nimis abſumitur, ſanguis ipſe ad ebullitionem magis cietur, & naturæ bene agentis conatus intempeſtive præcipitatur, adeoque præſtat diaphoreſin continuare, & tempus naturæ concedere quam eandem peſſundare cogendo; præſtat eandem ſequi, ducere non pellere: quod non præſtat ſudor mador id præſtat tenuis.

IX. Vbicunque ſerum deficit minus conveniunt; ſin nimis excedit itidem minus locum habent: vti enim deficiens illud magis exhauriunt hidrotica, ita ſuperfluum ſola ſuperare & evacuare nequeunt: hinc v. g. in maniacis, & aliis etiam cholericis maxime valet regula jam data: hinc vel temperatiora eo caſu ſolum ſeligenda, vel non ſine aqueis vehiculis ſerum ſubſtantialiter augentibus propinanda; quod ipſum de ſiccioribus etiam valet in genere: hinc in hydropicis magis proſunt diuretica & purgantia quam diaphoretica.

X. In morbis pituitoſis, & vbi primæ viæ humoribus vitioſis abundant, iique quaſi impacti ſunt, minus locum habent: Hinc magis univerſalia quaſi ſunt purgantia & vomitoria, quibus præmiſſis, & partibus potioribus ablatis craſſioribus & viſcoſis, à diaphoreticis hinc tenuius reſtitans commodius evacuatur. Hinc in febribus quidem omnibus eximie proſunt diaphoretica, attamen in intermittentibus id ſedulo eſt obſervandum, præcipue in quotidiana: Hinc in ſcabie ipſa quoque id notandum, & in cachexia inprimis ſtant poſt principiu tuitam, ſeu ſerum coagulatum & craſſius [illegible] coagulent, humores turbent, & impuritates guinis, quas tollere debent, augeantur mag *Wedelius de ſ.ſa. Fac. p.*170.

DIVRETICA.

SYLLOGE.

Natura & diſtributio penes vſum. 1.

Quæ cruori craſſo & tenaci *conveniunt.* 2.

Quæ ſanguinis compagi nimis laxæ *conveniunt.* 3.

Salinis *quando locus.* 4.

Sulphureis *quando vtendum.* 19.

Penes effectum diſtinctio. 5.

Non omnibus promiſcue affectibus & humoribus conveniunt. 6. a

Quibus affectibus præſertim conveniunt. 6.

Quomodo humorem pituitoſum & ſeroſum expellunt. 6. b

Vt plurimum præire debens hidroticorum vſus. 7.

Vim

Vim habent ſeroſos humores à ſanguinis maſſa ſecernendi. 7. a
Totum corpus eorum ope exhauriri poteſt. 8.
Præparationem humorum non ſemper prærequirunt,
Ac ante declinationem morbi poſſunt dari. 9.
Non omnibus eadem competunt. 10.
Cruditates non ſemper eorum uſum prohibent. 13.
Purum ſit corpus ante eorum exhibitionem. 11.
Succeſſus ſunt dubii. 12.
Vſus debet eſſe continuus, ſi effectus deſideratur. 17.
Cum cibis non miſcenda. 14.
Seminum frigidorum *vis eſt in cortice.* 15.
Mel & ſaccharum eorum vim augent. 16.
Cantharidum *tuta præparatio.* 18.
Salium volatilium *efficacia.* 20. b
Tartaro *pauca præparatio debetur.* 21.
Aſari radices quomodo evadant diuretica. 22.
Quædam blanda ſunt, quædam vehementia. 20.
Vehementiora *quando in uſum ducenda.* 20. a

I. PLurium morborum origines ob ſeri ſecretionem haud rite peractam contingunt: quoad hanc vero, cum diverſimoda ſint delicta, utplurimum vel in defectu vel in exceſſu peccatur; namque interdum latex ſeroſus in cruoris ſinu nimis pertinaciter hæret, &, è contra, nimis cito elabitur, atque hoc reſpectu ſanguis, ſeri incontinens, ipſum arteriarum oſculis, pluribus in locis, & fere ubique exſpuit: adeoque in viſcera aut habitum corporis deponens, aſcitem aut anaſarcam producit, & modo ad renes immoderate ablegans Diabeten infert: Sanguis ſeri nimis retinens, utplurimum vel à febre efferveſcens compagem ſuam, particulis ſimul craſſioribus incoctis, & complicatis, nimis ſtrictam habet, ita ut particulæ tenuiores non facile erumpant: Vel iſte ſale & ſulphure ſcorbuticis refertus, admodum viſcidus ac tenax evadit, proinde ut ſeroſitates à reliquorum amplexibus ægre elabantur: Cum ita variis modis ſeroſi laticis à ſanguine deceſſus impeditur aut pervertitur, etiam medicamenta diuretica diverſæ indolis ac operationis exiſtunt, quæ tamen diſtingui poſſunt, & 1. quoad Finem, juxta quod maſſam ſanguineam, vel renes vel utraque ſimul reſpiciunt; 2. quoad Materiam, quo reſpectu ſunt vel Sulphurea, vel Salina: Atque hæc rurſus varia exiſtunt, juxta quod particulæ ſalinæ in Fixitatis, Fluoris aut Volatilitatis ſtatu ſunt, vel inſuper Nitroſæ aut Alkaliſatæ ſunt. 3. quoad Formam medicamenta hæc diverſimoda habentur, Potus, Pulverum &c. *Willis.*

II. Si quando cruor à ſale fiſo cum ſulphure & terra ſimul incoctis, & mutuo combinatis adeo craſſus & tenax evadit, ut particulæ aquoſæ à reliquis haud facile ſecedant, Diuretica quæ compagem ejus laxent & ſerum fundant ejuſmodi ſint oportet quæ ſale volatili vel acido pollent: tales namque particulæ combinationes à ſale fixo initas potiſſimum diſſolvunt: quandoquidem vero hæc diatheſis [illegible] & febri & ſcorbuto communis eſt, in priori [illegible] Diuretica maxime propria ſunt, tum acida vegetabilium temperata, item ſal nitri, ſpir. ſalis marini, vitrioli &c. tum ſale volatili prædita, uti ſpir. c. c. ſalis Armon. ſal ſucc. viperar. In diathesi Scorbutica, cum urina & pauca & craſſ[illegible], herbarum ſucci, & præparata tum ac[illegible], [illegible] acida, egregii ſunt uſus; item ſal & ſpir. urinæ, ſalis Ammon. tart. &c. *Idem.*

III. Interdum ſanguis ſerum intra compagem ſuam non diu ſatis retinet, quin vel fluxionibus, ſeu potius coagulationibus obnoxius, illud hic, illic in magna copia affatim deponens, catarrhus aut tumores variis in locis excitat: Vel ſanguis habitualiter debilis ſimulque εὔκρατος, ſcil. in acorem vergens, quo ad particulas ſuas craſſiores ad coagulandum aptus eſt; proinde ut tenuiores inter circulandum ubivis ablegatæ, ac in partes imbecilliores decumbentes, affectus modo cephalicos, aut thoracicos, modo aſciten aut anaſarcam inducant; atque à ſimili cauſa Diabeten exoriri credimus: Enimvero plures difficiles morbi, qui viſcerum dyſcraſiis perperam imputantur, ab hac cauſa oriuntur: nempe quod ſanguis male temperatus, & coagulationibus obnoxius, cum circulationis filum integrum continuare nequeat, ſerum, promte nimis abſcedere aptum, variis in locis deponit: Diuretica his in caſibus exhibenda ſunt ejuſmodi, quæ ſanguinem haud fundant, ſed coagulationes ejus tollant, uti ſunt ſale fixo, volatili, ac etiam alchaliſato prædita: inſuper quæ renum fermentum corroborant aut reſtituunt, uti ſulphurea quædam ac ſpirituoſa. Ad hos fines Diuretica ſulphurea, & mixta, ſalea herbarum lixiviales, pulveres teſtacei, ſal & ſpiritus urinæ &c. mille pedes, radices raphani ſylveſtris, ſemen apii, nux moſchata, terebinthina ejuſque præparata, ſpiritus vini, quorum omnium virtus non eſt ſanguinem fundere, & ſeroſitates è maſſa ejus præcipitare (hæc acida imprimis faciunt, ac in iſtis caſibus diureſin ſæpe impediunt) ſed cruoris coagulationes diſſolvere, proinde ut compages ejus mixtionem integram recuperans, & per vaſa expeditius circolata, ſerum ubivis extravaſatum aut depoſitum reſorbeat, & demum renibus amandandum tradet: Quo ritu juxta utroſque hos fere oppoſitos medendi fines Diuretica cujuſque generis operentur infra oſtendemus.

IV. Quod ſpectat ad *Diuretica Salina*, ſciendum Sales quoſcomque diverſi ſtatus ſimul commiſſos, ſe mutuo prehendere & mox ſimul conjungi, dumque ita combinantur, particulas alias a mixtura ſolutas in partes ſecedere aut avolare: Hoc cernitur quando Sal fluidus ſive acidus fixo, ſive alkaliſato. item, quando fluidus, aut fixus volatili, ſive acri committitur: Ab utraque hac ſalium affectione, ſolutionum & præcipitationum quarumcunque res omnis dependet: Quare cum ſanguis & humores corporis noſtri plurimo ſale; eoque ab uno ſtatu in alterum varie immutati, proindeque diatheſin morbidam inferre ſolito abundet: cumque inſuper Diuretica Salina diverſimoda, nempe Sale fiſo, fluido, nitroſo, volatili, alchaliſato, et cetera exiſtant, magna ſemper Medici diſcretione & judicio opus erit, ut particulæ ſalinæ in medicamento ab iſtis in corpore noſtro diſcrepent; Quo ritu hoc fieri debeat, ſingulas Diureticorum ſalinorum ſpecies percurrendo deſignabimus.

Inter *Diuretica Sale acido* imbuta, Spiritus ſalis aut nitri: item ſuccus limonum & oxalidis; vinum album Rhenanum & Pomaceum, primæ apud vulgus notæ ſunt, & intentionem iſtam ſæpius perficiunt: Sola etenim hæc ſanguinem fundunt, ac in ſeroſitates præcipitant, uti cum acidum lacti ebullienti inſtillatur: Attamen hoc non pariter omnibus, nec etiam quibuſvis ex

æquo contingit: In conſtitutione ſana Sal cruoris partim fixus, & partim nitroſus, partimque volatilis exiſtit: Item in Scorbuticis & hydropicis quibuſdam iſte plerumque fixus evadit: Quamobrem in ſingulis his caſibus diuretica, ſale acido prædita, cum fructu exhibentur: In affectibus autem catarrhoſis, & in quibuſdam hydropicis & ſcorbuticis, cum in cruoris ſtatum ſanguinis particulæ ſalino fixæ evehuntur, ac volatiles deprimuntur (uti crebro evenit) remedia acetoſa obeſſe potius quam prodeſſe ſolent; quatenus ſanguinem, à craſi recta degenerem, magis pervertunt: quinimo his medicamenta ſale fixo aut volatili prædita potius ex vſu erunt: E. g. ℞. *Tartar. alb. ſelecti cryſtall. miner. ana.* ʒiß. *Ocul. cancri* ʒj. *F. Pulvis, Dozis à* ʒß. *ad* ℈ij. in vehiculo idoneo, repetendu 6. vel 8. quaque hora.

2. Medicamenta *Sale fixo* ſive *Lixiviali* prædita vrinas movere, ex medicina vulgari & empirica, pro ſanandis hydropicis adhiberi ſolita, ſatis manifeſto liquet: quippe vſitatum eſt in anaſarca, & nonnunquam in Aſcite, cum viſcera aut carnes aquarum aggeſtione plurimum intumeſcunt, lixivium è cineribus abſynthii, vel geniſtæ, vel ſtipitibus fabarum, cum vino albo factum propinare; vnde frequenter accidit mictionem valde copioſam ſuccedere & morbum tolli: Obſervavi tamen medicamentum illud in quibuſdam minime Diureticum extitiſſe, atque diatheſin hydropicam auxiſſe potius quam ſanaſſe, quorum ratio ſi inquiritur, ex ſuperioribus conſtat Sales lixiviales neque lac neque ſanguinem fundere ſive præcipitare, & propterea ex propria virtute Diuretica non eſſe: verumtamen effectus iſte nonnunquam ſequitur, quatenus ſal fixus copioſe aſſumptus, ſalis acidi & coagulativi in ſanguine præpollentis energiam deſtruit, proinde ut cruor cum antea nimis fundi aptus, & ſeri incontinens, illud in quibuſvis locis extruderet, ſalis fixi adventu craſin debitam recuperet, & propterea ſerum extravaſatum reſorbens, & ad renes continenter deferens, *διούρησιν* copioſam inferat. E. g. ℞. *Sal. Tart. vel abſynth.* ℥j. *corall. ad albed. calcin.* ʒiß. *nuc. moſch.* ʒß. *f. Pulvis, doſis ad* ℈ij.

3. Ob eandem rationem ac Sal fixus, etiam interdum *volatilis* in ſanguinis dyſcraſia acetoſa ad movendas vrinas cum fructu adhibetur. vid. in quantum hujus particulæ in cruorem admiſſæ ſalis fluidi in eo præpollentiam deſtruunt, proinde ſanguis, mixtionem debitam recuperans, atque coagulatione & catarrhis immunis factus, ſeri quicquid extravaſatum eſt reſorbeat, & quod ſuperfluum eſt Renibus per ureteres amundandum tradat: Huic Diureticorum claſſi, non tantum ſal volatilis purus putuſq; ex animalibus aut mineralibus per deſtillationem elicitus, verum & viventium & vegetabilium partes integrales, (cujuſmodi ſunt inſectorum & vegetabilium acres pulveres & extracta) accenſeri debent.

4. *Nitrum* quoddam ſalis genus eſſe conſtat, diverſum tamen eſt ab alio quovis ſale, neque acidum, neque fixum aut volatile, ſed quaſi in medio inter vtrumque ſtatum exiſtit: In tantum de ſale volatili participat, vt dum conficitur cum cineribus elixiviari & ſali fixo conjungi debeat, vt concretionem quandam adipiſcatur: porro cum liquatur, à ſulphure quovis injecto, mox inflammatur & avolat: Cæterum cum ſale in tantum communicat, vt in crucibulo liquationem diuturnam, & fortan perpetuam, ab ſpirituum aut particularum diſpendio quovis notabili toleret: Revera Nitrum illud eſt quo plantæ omnes vegetant, animalia quæque vivunt & reſpirant, atque flamma, ſive ignis omnis ſublunaris, accenditur & ſuſtentatur. Id vero ſatis innoteſcit Salem Nitri ſanguinem refrigerare, & vrinas potenter movere, attamen vtriuſque effectus ratio non ita liquido patet; quippe tantum abeſt Nitrum particulas frigorificas in ſe continere, vt è contra nihil magis igniparum ſit: Nec minus mirari ſubeſt quomodo hic, cujus natura in tantum ignea eſt, ſanguinem ita diluat, inque aquoſitates pro diureſi cienda fundat: Ego vero credo Nitrum eatenus conferre, & qua ſal eſt, tum fixo tum volatili nonnihil affinis, & quatenus τὸ ζώπυρον exiſtit: Quoad prius, obſervavimus Nitrum (prout etiam Salia fixa & volatilia) lacti impoſitum, coagulationem ejus impedire vel tollere; pariter item huic, non minus quam illis, ſanguis adhuc calens affuſus, à coagulatione & diſcoloratione præſervatur: Quare ſi quidem Nitri particulæ intus ſumptæ ſanguinis mixtionem integram ſervant, aut reſtituunt, prout quidem illæ fuſiones & coagulationes ejuſdem, à quibus æſtus & ſi hura ſæpiſſime oriuntur, præcavebunt aut tollent. verum inſuper Nitrum, quatenus igniarium eſt, intus ſumptum ſanguinem efflagrantem refrigerat & vrinas movet, in quantum cruoris flammam, prius turbidam atque fuliginis interſperſam, adventu ſuo plus accendens, eam claram magis ac puram, proindeque mitiorem reddit: cumque ita ſanguis, dum clarius a nitro ardeſcit, in compage ſua plus laxatur, particulæ ſeroſæ craſſioribus facilius extricantur & vberius abſcedunt.

5. *Pulveres Teſtaceos & Lapides* quoſdam, ſale Alkaliſato ſive petrificante præditos, quandoque *διούρησιν* promovere notum eſt, quippe in magnis Iſchuriis pulvis è teſtis ovorum, è chelis aut oculis cancrorum, nonnullis præſentaneo remedio fuit: Quorum operandi modus & ratio ſi inquiratur, facile conſtat pharmaca hæc ſanguinem non fundere, neque ſenſibiliter *præcipitare*; Itaque dicendum erit hæc in dyſcraſia ſanguinis & humorum acetoſa interdum Diuretica extitere, quatenus ſales acidos combinatione ſua ligant & compeſcunt, proinde vt cruor, fuſionibus & coagulationibus immunis, ſerum extravaſatum reſorbeat & ad renes transferat. *Willis.*

Helmontius in Tract. de Lithiaſi c. v. 1. ct. 7. Diuretica ratione effectus ſic diſtinguit, 1. quæd in Vrinam corroſivo acuunt veneno, vt Cantharides: 2. alia aciditatem provocant, ac relinquunt urinorio & ſtranguriam excitant, quales ſunt cereviſiæ recentes: 3. Sunt quæ vrinam reddunt abſterſivam, vt acidulæ, vitriolum martis, lapis cancrorum, itemque herbæ paſſim gaudentes etymo Diureticorum, continentque ſingulæ alkali volatile, vel ſaltem iſtud ſubter digerendum acquirūt: 4. quædam ſtimulant Archei ſegnitiem, & in eo vim expulſivam augent, cujuſmodi ſunt raphanus, aſparagus &c. 5. nonnulla grato odore lotium renesque reficiunt, vt macis, nux myriſtica, terebinthina, maſtix, juniperus &c. quaſi renes odore conſolati ſui memores officii fierent; 6. ſunt etiam quæ ex alkali lixiviali ſub digeſtione migrant in acredinem, vias

vrinæ

vrinæ abſtergentem, inſtar ſaponis, excretricem ſtimulant, incidunt adnatas ſordes; cujuſmodi ſunt quæ teſtis & lapidibus cineribuſque appropriaturum colligantur, quæque ſolo lithontripticorum vel ſaxifragorum nomine digna videntur, præcipue ſi in gradum volatilitatis ſint deducta: Septimo, Eſt demum Diureticorum genus quod parva quantitate lotij copiam è toto corpore profundit, vt millepedes, & quæcunque nitrum volatile continent, quæque renes torpidos ex proprio ac excitant: Octavo, Eſt & genus quod ſedandis Renum doloribus eſt vtile, hæſitantes confortat, quale eſt in croco, rhabarbaro & caſſia, vi ſolutiva prius orbatis. Nos addimus etiam illa quæ non ſolum vi abſterſiva, ſed & reſolutiva ſordes Tartareas, tam ex hypochondrijs quam renibus protrudunt, incidunt & expellunt; Sic ſpiritus ſalis marini, vitrioli ſtriati, nedum diuretici ſunt, ſed & inſuper tartarum reſolvunt, & per meatus vrinarios educunt. Cum ergo magna ſit eorum diverſitas, non quælibet ex his competunt quæ quævis cuilibet applicari poſſunt affectui & cauſæ morbificæ, ſed accuratius ſingulorum natura examinanda: Sic propriè dictis, quæ vrinam reddunt abſterſivam, adnataſque incidunt ſordes, & excretricem acredine ſua excitant, commodè vtimur in hydrope: non autem illa hic adhibeantur quæ largam ſuppeditant aquoſitatem: Sic competunt propriè dicta vbi in hypochondriis & toto venoſo genere hærent humores craſſi tartarei: eos enim attenuare, reſolvere, abſtergere & per vrinam emittere valent: Cauſa etiam morbifica probe examinanda; copiam enim ejus per alia excretioni; loca minuamus, nedum ad venas anguſtas ruit & eas obſtruat: Si acres, ſalini & alii acerbi in corpore præſtu ſint humores, illorum acredo prius mitiganda vel contemperanda vel ſpecificis digeſtivis, vel alijs appropriatis præcipitantibus, nè reliquas in tranſitu afficiant partes: Si denique meatus etiam vrinarij, & alia adjacentia ... ala, vel exulcerata, vel inflammata ſint, aut ſimili ab ... vitio, non commodè per Diuretica humores vitioſi in corpore reſtagnantes ad partes has affectas & debiles moventur, niſi vlcerum materia cum clyſteribus tum catharticis ſubducta ſit. Visceribus obſtructione obſeſſis niſi diuretica ejuſdem ſint indolis, quæ vna aperiant & humores abſtergant, majus à ... otis ſunt conciliatura damnum, & viſceribus coctionis ſæpe damnum imprimunt, vt poſtmodum cachexia ſubſequatur; vide exemplum apud *Horſtium in Epiſt. Med. ſ.* 8. *Fr. Hofmannus m. m. lib.* 1 *cap.* 12.

VI. In illis affectibus maxime conveniunt *Diuretica* qui fixas habent radices, fundatas in *Scorijs Tartareis*, *Salinis*, in quibus ſenſim & paulatim cauſa morbi occaſionalem per meatus vrinarios evacuare vtile eſt. Sic in hypochondriacis, Scorbuticis, tartareos iſtos humores, & ſalia illa ſylveſtria, fermento ſcorbutico tincta ex digeſtionibus depravatis nata, commodius ſenſim atque ſenſim per Diuretica aperitiva, antiſcorbutica prius, quæ ſimul ſalium excitatorum vim ſaturant, quam per modi Sudorifera aut Purgantia ſolum è corpore eliminamus: *Fredericus Hofmannus m. m. lib.* 1. *cap.* 12.

V I. *a.* Notandum non omnia promiſcue *Diuretica* in quovis Affectu, aut Humore, cum ægri commodo per vrinas evacuando conducere, ſed in diverſis affectibus & humoribus peccantibus diverſa vſurpanda: Alia certe Bili, alia Pituitæ peccanti, ac per vrinas educendæ conducunt Diuretica, Nam Bili conducunt Succus citri, Emulſio hordei, fraga, Spiritus ſalis, Sal Tartari Vitriolatum &c. Pituitæ autem, inter Chimica, Sal volatile vrinæ, & alias omne, olea ſtillatitia baccarum juniperi, ſuccini &c. quin & Acida modo ad Bilem commendata, quoniam pituitam non minus alterant, imo per vrinas propellunt Acida, quam Aromatica & Sale volatili conſtantia, uti quoque hoc unica nobis conſtat experientia: Poſteriora tamen utplurimum obſervantur præſtantiora, & ſanitati reſtituendæ aptiora, poſtquam non tantum pituitam corrigunt, verum bilem quoque in naturali ſuo ſtatu conſervant: Acida vero pituitam licet incidant, & ad urinas propellant, Bilem tamen ſimul infringunt, atque à naturali ſtatu abducunt & hactenus nocent. *Franciſcus Sylvius de le Boë Tractat.* 6. §. 251.

V I. *b.* Qua ratione Vrinas movent *Diuretica*, & cum ipſis *humorem pituitoſum ac ſeroſum* expellunt, cum plurimum inter ſe differant tum ſapore, tum odore, tum alijs qualitatibus ſenſibilibus? Hoc ut facilius pateat, Sciendum nos hic propriè loqui de ijs Diureticis quæ humores ſeroſos ac pituitoſos in corpore redundantes educunt, quo circa prius conſideranda illius redundantiæ cauſa, quæ raro unica, ſed ſæpenumero multiplex exiſtit: Redundant enim in maſſa ſanguinea ſerum & pituita, vel quia non ſeparantur ab ipſa, vel quia tanta copia producuntur ut ſufficienter ab ipſa ſecerni ac excerni non poſſint: Si à ſanguinis maſſa non ſeparantur ſerum vel pituita, id non tam Renum quam ipſius ſanguineæ maſſæ vitio accidere arbitror, quin omne in Renibus obſervabile aliquando vitium ab eadem ſanguinea maſſa plerumque deducendum, rarius à primario ipſorum vitio, ab externo frigore, vel calore inprimis tunc deducendo: Secretio autem ſeri ac pituitæ à Sanguine deficit plerumque ob intimiorem, quam decebat, partium ſanguinis conjunctionem ac vnionem, vnde tunc non tantum minus vrinæ ſolet ſecerni ac excerni, ſed & minus contentorum una cum vrina, vbi in corpore redundant, & omnia bene ſe habent, ſecerni excernique ſolitorum. Intimior autem illa partium ſanguinis vnio, ob quam nec ſerum, nec alia cum ipſo ſecernenda ſecerni poſſunt aut excerni, accidit, ex meis præjudiciis, Propter Acidum, aliquando & rarius, propter ſalſum lixivum potius in corpore humano exiſtens, vnde arctior intimiorque omnium ſanguinis partium conjunctio ac vnio: *Idem Franciſcus Sylvius de le Boë Tractat.* 6. §. 263. *&c.* Vide *plura ibidem juxta Illius hypotheſes.*

VII. Vtrum *Diuretica præcedere debeant Sudoriferorum vſum quæritur?* Sciendum autem quod interdum ſine provocatione vrinæ poſſit Sudor provocari, præſertim quando humores ſolum in vaſis extremis continentur: Sed longe tutius eſt ſi Diuretica præcedant, primo, Quoniam Medico certo non conſtat vtrum humores ſeroſi in vaſis majoribus retineantur, an ſolum in extremis: Secundo, Quia facilius eſt vrinam provocare quam Sudorem, & ſemper a facilioribus eſt inchoan-

æquo contingit: In conſtitutione ſana Sal cruoris partim fixus, & partim nitroſus, partimque volatilis exiſtit: Item in Scorbuticis & hydropicis quibuſdam iſte plerumque fixus evadit: Quamobrem in ſingulis his caſibus diuretica, ſale acido prædita, cum fructu exhibentur: In affectibus autem catarrhoſis, & in quibuſdam hydropicis & ſcorbuticis, cum in fluoris ſtatum ſanguinis particulæ ſalino fixæ evehuntur, ac volatiles deprimuntur (uti crebro evenit) remedia acetoſa obeſſe potius quam prodeſſe ſolent; quatenus ſanguinem, à craſi recta degenerem, magis pervertunt: quinimo his medicamenta ſale fixo aut volatili prædita potius ex vſu erunt: E. g. ℞. *Tartar. alb. ſelecti cryſtall. miner. ana.* ℨiß. *Ocul. cancri* ℨj. *F. Pulvis, Dozis à* ℨß. *ad* ℈ij. in vehiculo idoneo, repetendo 6. vel 8. quaque hora.

2. Medicamenta *Sale fixo* ſive *Lixiviali* prædita vrinas movere, ea medicina vulgari & empirica, pro ſanandis hydropicis adhiberi ſolita, ſatis manifeſto liquet: quippe vſitatum eſt in anaſarca, & nonnunquam in Aſcite, cum viſcera aut carnes aquarum aggeſtione plurimum intumeſcunt, lixivium è cineribus abſynthii, vel geniſtæ, vel ſtipitibus fabarum, cum vino albo factum propinare; vnde frequenter accidit mictionem valde copioſam ſuccedere & morbum tolli: Obſervavi tamen medicamentum illud in quibuſdam minime Diureticum extitiſſe, atque diarrhœſin hydropicam auxiſſe potius quam ſanaſſe, quorum ratio ſi inquiritur, ea ſuperioribus conſtat Sales lixiviales neque lac neque ſanguinem fundere ſive præcipitare, & propterea ex propria virtute Diuterica non eſſe: verumtamen effectus iſte nonnunquam ſequitur, quatenus ſal fixus copioſe aſſumptus, ſalis acidi & coagulativi in ſanguine præpollentis energiam deſtruit, proinde ut cruor cum aorea nimis fundi aptus, & ſeri incontinens, illud in quibuſvis locis extruderet, ſalis fixi adventu craſin debitam recuperet, & propterea ſerum extravaſatum reſorbens, & ad renes continenter deferens, διούρησιν copioſam inferat. E. g. ℞. *Sal. Tart. vel abſynth.* ℨij. *corall. ad albed. calcin.* ℨiß. *nuc. moſch.* ℨß. *f. Pulvis, doſis ad* ℈ij.

3. Ob eandem rationem ac Sal fixus, etiam interdum *volatilis* in ſanguinis dyſcraſia acetoſa ad movendas vrinas cum fructu adhibetur. vid. in quantum hujus particulæ in cruorem admiſſæ ſalis fluidi in eo præpollentiam deſtruunt, proinde ſanguis, mixtionem debitam recuperans, atque coagulatione & catarrhis immunis factus, ſeri quicquid extravaſatum eſt reſorbeat, & quod ſuperfluum eſt Renibus per ureteres amundandum tradat: Huic Diureticorum claſſi, non tantum ſal volatilis purus putuſq; ex animalibus aut mineralibus per deſtillationem elicitus, verum & viventium & vegetabilium partes integrales, (cujuſmodi ſunt inſectorum & vegetabilium acres pulveres & extracta) accenſeri debent.

4. *Nitrum* quoddam ſalis genus eſſe conſtat, diverſum tamen eſt ab alio quovis ſale, neque acidum, neque fixum aut volatile, ſed quaſi in medio inter vtrumque ſtatum exiſtit: In tantum de ſale volatili participat, vt dein conficitur cum cineribus elixiviari & ſali fixo conjungi debeat, vt concretionem quandam adipiſcatur: porro cum liquatur, à ſulphure quovis injecto, mox inflammatur & avolat: Cæterum cum ſale fixo in tantum communicat, vt in crucibulo liquatum fuſionem diuturnam, & forſan perpetuam, abſque partium aut particularum diſpendio quovis notabili toleret: Revera Nitrum illud eſt quo plantæ omnes vegetant, animalia quæque vivunt & reſpirant, atque flamma, ſive ignis omnis ſublunaris, accenditur & ſuſtentatur: Id vero ſatis innoteſcit Salem Nitri ſanguinem refrigerare, & vrinas potenter movere, attamen vtriuſque effectus ratio non ita liquido patet; quippe tantum abeſt Nitrum particulas frigorificas in ſe continere, vt è contra nihil magis igniparum ſit: Nec minus mirari ſubeſt quomodo hic, cujus natura in tantum ignea eſt, ſanguinem ita diluat, inque aquoſitates pro diureſi cienda fundat: Ego vero credo Nitrum eatenus conferre, & qua ſal eſt, tum fixo tum volatili nonnihil affinis, & quatenus τὸ ζώπυρον exiſtit: Quoad prius, obſervavimus Nitrum (prout etiam Salia fixa & volatilia) lacti impoſitum, coagulationem ejus impedire vel tollere; pariter item huic, non minus quam illis, ſanguis adhuc calens affuſus, à coagulatione & diſcoloratione præſervatur: Quare ſi quidem Nitri particulæ intus ſumptæ ſanguinis mixtionem integram ſervant, aut reſtituunt, prout quidem illæ fuſiones & coagulationes ejuſdem, à quibus æſtus & iſchuria ſæpiſſime oriuntur, præcavebunt aut tollent: verum inſuper Nitrum, quatenus igniarium eſt, intus ſumptum ſanguinem efflagrantem refrigerat & vrinas movet, in quantum cruoris flammam, prius turbidam atque fumis interſperſam, adventu ſuo plus accendens, eam elatam magis ac puram, proindeque mitiorem reddit: cumque ita ſanguis, dum clarius a nitro ardeſcit, in compage ſua plus laxatur, particulæ ſeroſæ craſſioribus facilius extricantur & vberius abſcedunt.

5. *Pulveres Teſtaceos & Lapides* quoſdam, ſale Alkaliſato ſive petrificante præditos, quandoque διούρησιν promovere notum eſt, quippe in magnis Iſchuriis pulvis è teſtis ovorum, è chelis aut oculis cancrorum, nonnullis præſentaneo remedio fuit: Quorum operandi modus & ratio ſi inquiratur, facile conſtat pharmaca hæc ſanguinem non fundere, neque ſenſibiliter præcipitare; Itaque dicendum erit hæc in dyſcraſia ſanguinis & humorum acetoſa interdum Diuretica exiſtere, quatenus ſales acidos combinatione ſua ligant & compeſcunt, proinde vt cruor, fluxionibus & coagulationibus immunis, ſerum extravaſatum reſorbeat & ad renes transferat. *Willis.*

Helmontius in Tract. de Lithiaſi c. v. ſect. 17. Diuretica ratione effectus ſic diſtinguit, 1. quædam Vrinam corroſivo acuunt veneno, vt Cantharides: 2. alia aciditatem provocant, ac relinquunt in lotio & ſtranguriam excitant, quales ſunt cereviſiæ recentes: 3. Sunt quæ vrinam reddunt abſterſivam, vt acidulæ, vitriolum martis, lapis cancrorum; itemque herbæ paſſim gaudentes etymo Diureticorum, continentque ſingulæ alkali volatile, vel ſaltem iſtud ſubter digerendum acquirũt: 4. quædam ſtimulant Archei ſegnitiem, & in eo vim expulſivam augent, cujuſmodi ſunt raphanus, aſparagus &c. 5. nonnulla grato odore lotium reneſque reficiunt, vt macis, nux myriſtica, terebinthina, maſtix, juniperus &c. quaſi renes odore conſolari ſui meiores officii fierent; 6. ſunt etiam quæ ex alkali lixiviali ſub digeſtione migrant in acredinem, vias

vrinæ abſtergentem, inſtar ſaponis, excretricem ſtimulant, incidunt adnatas ſordes; cujuſmodi ſunt quæ teſtis & lapidibus cinctibuſque appropriatorum colliguntur, quæque ſolo lithontripticorum vel ſaxifragorum nomine digna videntur, præcipue ſi in gradum volatiliſatis ſint deducta: Septimo, Eſt demum Diureticorum genus quod parva quantitate lotij copiam è toto corpore profundit, vt millepedes, & quæcunque nitrum volatile continent, quæque renes torpidos ex proprietate excitant: Octavo, Eſt & genus quod ſedandis Renum doloribus eſt vtile, hæſitantes confortat, quale eſt in croco, rhabarbaro & caſſia, vi ſolutiva prius orbatis. Nos addimus etiam illa quæ non ſolum vi abſterſiva, ſed & reſolutiva ſordes Tartareas, tam ex hypochondrijs quam renibus protrudunt, incidunt & expellunt; Sic ſpiritus ſalis marini, vitrioli ſtriati, nedum diuretici ſunt, ſed & inſuper tartarum reſolvunt, & per meatus vrinarios educunt. Cum ergo magna ſit eorum diverſitas, non quælibet ex his competunt quæ quævis cuilibet applicari poſſunt affectui & cauſæ morbificæ, ſed accuratius ſingulorum natura examinanda: Sic propriè dictis, quæ vrinam reddunt abſterſivam, adnataſque incidunt ſordes, & excretricem acredine ſua excitant, commodè vtimur in hydrope: non autem illa hic adhibeantur quæ largam ſuppeditant aquoſitatem: Sic competunt propriè dicta vbi in hypochondriis & toto venoſo genere hærent humores craſſi tartarei: eos enim attenuare, reſolvere, abſtergere & per vrinam emittere valent: Cauſa etiam morbifica probe examinanda; copiam enim ejus per alia excretioni; loca minuamus, nedum ad venas anguſtas ruens obſtruat. Si acres, ſalini & alii acerbi in corpore præſto ſint humores, illorum acredo prius mitiganda vel contemperanda, vel ſpecificis digeſtivis, vel alijs appropriatis præcipitantibus, nè reliquas in tranſitu afficiant partes: Si denique meatus etiam vrinarij, & alia adjacentia vaſa, vel exulcerata, vel inflammata ſint, aut ſimili laborent vitio, non commodè per Diuretica humores vitioſi in corpore reſtagnantes ad partes haſce affectas & debiles moventur, niſi vlcerum materia cum clyſteribus tum catharticis ſubducta ſit. Viſceribus obſtructione obſeſſis niſi diuretica ejuſdem ſint indolis, quæ vna aperiant & humores abſtergant, majus ægrotis ſunt conciliatura damnum, & viſceribus coctionis ſæpe damnum imprimunt, vt poſtmodum cachexia ſubſequatur; vide exemplum apud *Horſtium in Epiſt. Med. ſ. 8. Fr. Hofmannus m. m. lib.* 1. *cap.* 12.

VI. In illis affectibus maxime conveniunt *Diuretica* qui fixas habent radices, fundatas in *Scorijs Tartareis, Salinis*, in quibus ſenſim & paulatim cauſam morbi occaſionalem per meatus vrinarios evacuare vtile eſt. Sic in hypochondriacis, Scorbuticis, tartareos iſtos humores, & talia illa ſylveſtria, fermento ſcorbutico tincta ex digeſtionibus depravatis nata, commodius ſenſim atque ſenſim per Diuretica aperitiva, antiſcorbutica prius, quæ ſimul ſalium excitatorum vim ſanitant, quam per nuda Sudorifera aut Purgantia ſolum è corpore eliminamus: *Fridericus Hofmannus m. m. lib.* 1. *cap.* 12.

V I. *a.* Notandum non omnia promiſcue *Diuretica* in quovis Affectu, aut Humore, cum ægri commodo per vrinas evacuando conducere, ſed in diverſis affectibus & humoribus peccantibus diverſa vſurpanda: Alia certe Bili, alia Pituitæ peccanti, ac per vrinas educendæ conducunt Diuretica, Nam Bili conducunt Succus citri, Emulſio hurtici, fraga, Spiritus ſalis, Sal Tartari Vitriolatum &c. Pituitæ autem, inter Chimica, Sal volatile vrinæ, & alias omne, olea ſtillatitia baccarum juniperi, ſuccini &c. quin & Acida modo ad Bilem commendata, quoniam pituitam non minus alterant, imo per vrinas propellunt Acida, quam Aromatica & Sale volatili conſtantia, uti quoque hoc unica nobis conſtat experientia: Poſteriora tamen ut plurimum obſervantur præſtantiora, & ſanitati reſtituendæ aptiora, poſtquam non tantum pituitam corrigunt, verum bilem quoque in naturali ſuo ſtatu conſervant: Acida vero pituitam licet incidant, & ad urinas propellant, Bilem tamen ſimul infringunt, atque a naturali ſtatu abducunt & hactenus nocent. *Franciſcus Sylvius de le Boë Tractat.* 6. §. 2.1.

V I. *b.* Qua ratione Vrinas movent *Diuretica*, & cum ipſis *humorem pituitoſum ac ſeroſum* expellunt, cum plurimum inter ſe differant tum ſapore, tum odore, tum alijs qualitatibus ſenſibilibus? Hoc ut facilius pateat, Sçiendum nos hic propriè loqui de ijs Diureticis quæ humores ſeroſos ac pituitoſos in corpore redundantes educunt, quo circa prius conſideranda iſtius redundantiæ cauſa, quæ raro unica, ſed ſæpenumero multiplex exiſtit: Redundant enim in maſſa ſanguinea ſerum & pituita, vel quia non ſeparantur ab ipſa, vel quia tanta copia producuntur ut ſufficienter ab ipſa ſecerni ac excerni non poſſint: Si à ſanguinis maſſa non ſeparantur ſerum vel pituita, id non tam Renum quam ipſius ſanguineæ maſſæ vitio accidere arbitror, quin omne in Renibus obſervabile aliquando vitium, ab eadem ſanguinea maſſa pleruмque deducendum, rarius à primario ipſorum vitio, ab externo frigore, vel calore inprimis tunc deducendo: Secretio autem ſeri ac pituitæ à Sanguine deficit plerumque ob intimiorem, quam decebat, partium ſanguinis conjunctionem ac vnionem, vnde tunc non tantum minus vrinæ ſolet ſecerni ac excerni, ſed & minus contentorum una cum vrina, vbi in corpore redundant, & omnia bene ſe habent, ſecerni excernique ſolitorum. Intimior autem illa partium ſanguinis vnio, ob quam nec ſerum, nec alia cum ipſo ſecernenda ſecerni poſſunt aut excerni, accidit, ex meis præjudiciis, Propter Acidum, aliquando & rarius, propter ſalſum lixivum purius in corpore humano exiſtens, vnde arctior intimiorque omnium ſanguinis partium conjunctio ac vnio: *Idem Franciſcus Sylvius de le Boë Tractat.* 6. §. 263. *&c.* Vide *plura ibidem juxta Illius hypotheſes.*

VII. Vtrum *Diuretica præcedere debeant Sudoriferorum vſum quæritur?* Sciendum autem quod interdum ſine provocatione vrinæ poſſit Sudor provocari, præſertim quando humores ſolum in vaſis extremis continentur: Sed longe tutius eſt ſi Diuretica præcedant, primo, Quoniam Medico certo non conſtat vtrum humores ſeroſi in vaſis majoribus retineantur, an ſolum in extremis: Secundo, Quia facilius eſt vrinam provocare quam Sudorem, & ſemper a facilioribus eſt inchoan-

choandum. *Fridericus Hofmannus meth. Med. lib. 1. cap. 12.*

VII. *a.* Obiter notandum, quemadmodum non ſemper mox conſequitur Sudor vſurpationem Sudoriferorum, ita non ſemper mox conſequi vrinæ copioſæ, atque humoribus vitioſis plenæ excretionem, vbi aſſumpta ſunt Diuretica: Cujus rei ratio eſt manifeſta, vbi namque ad ſecretionem, hinc & excretionem non ſunt apti vel diſpoſiti humores vitioſi, ibi præcedere debet illi requiſita eorundem Præparatio, hoc eſt, blanda ſeparatio & ſecretio, qua perfecta facile contingit eorundem ſecretio: Pleraque autem Diuretica non minus ad excretionem præparant, ſecernuntque humores vitioſos, quam ipſos excernunt expelluntque: *Franciſcus Sylvius de le Boë method. Med. libro ſecundo cap. 12.*

VII. *b.* Diuretica vim habent egregiam Humores vitioſos ſanguinis maſſæ penitius immiſtos ab eadem ſecernendi, atque ad excretionem qualemcumque præparandi: quocirca ſeligenda ſemper ſunt inter Diuretica quæ inſuper vim habent corrigendi humorem peccantem: Vt nunc vulgo nota prætercam, laudo hic magnopere *Spiritum Salis & Nitri dulcem*, Bili acriori, & incendium augenti, vt & Pituitoſæ glutinoſæ corrigendis convenientiſſimum, ſimulque Diureticum. *Idem Appendic. Tractat.* 10. §. 832.

VIII. Inter evacuationis modos maximæ vtilitatis eſt *Diureſis*, vſu enim illius & præſidio tales ſæpe curantur morbi quos nec purgatio, nec venæ ſectio, nec alia eradicare potuiſſet evacuatio: Eſt & hæc vniverſalis, & inter κοινὰς κοινότητας à *Galen. lib. de artis Medic. cap.* 99. refertur; & quamvis primo gibbam epatis partem, renes, veſicam, & his inſervientia vaſa purget, & humorem aquoſum & ſeroſum evacuet, conſequutione tamen quadam etiam reliquas corporis partes, ac vniverſum genus venoſum & arterioſum purgare poteſt: Nec tantum eam ſeri partem quæ vehiculi inſtar alimentum ad partes deduxit, & functa officio ſuo ad meatus vrinarios tendens expellitur, ſed ſimul cum ſero tartareos ſalſos ac alios acres expurgat humores: Hac viſcera à multis impuritatibus quibus ſcatent liberantur; ſupervacanei, tartarei humores inciſi & attenuati exhauriuntur, tota maſſa ſanguinea in integrum reſtituitur, firmaque & temperata corporis conſtitutio redditur: Hinc ab ejuſmodi vacuatione, præmiſſis præmittendis, plurimi ſolent curari affectus. *Frideric. Hufmannus m. m. lib. 1. cap. 12.*

IX. Tempus morbi quo *Diureſis* inſtituenda eſt vel vniverſale eſt, vel particulare; Communiter inquiunt humores prius eſſe præparandos; Nec convenire in principio morbi, nec in augmento, quando materia adhuc cruda potius agitaretur quam evacuaretur, ſed in declinatione, raro in ſtatu: Verum hæc ſententia de Diureticis in genere & indifferenter ſumptis intellecta maxime fallit; Dantur enim Diuretica Digeſtiva juxta, quæ fermenta viſcerum roborando excrementa morboſa in vijs obvia potenter reſolvunt, obſtructiones reſerant, humores craſſos attenuant, acidos conbibunt, ebullitionem ſanguinis compeſcunt; & vrinam reddendo abſterſivam tartaream mucilaginem expellunt, qualia ſunt Tinctura aperitiva *D. Moebij*, Spiritus Martis ſtriatus, Arcanum Tartari ſoluti, Sal Martis aperitivum diureticum &c. Hæc ſane in omni morbi, præſertim chronici, tempore, præmiſſis præmittendis, & intermediatis cordialibus confortantibus, ſummo cum ſanitatis emolumento, & ægrotum εὐφορίᾳ exhiberi poſſunt: Hujus autem indolis quæ non ſunt, ſed quæ vrinam copioſe ſaltem eliquant, & attenuatoriam vim aquoſitati copulatam habent, imprimis fortiora calida, nonniſi concocta aut digeſta materia, & vbi morbificæ materiæ impetus ac furor ſedatus eſt conveniunt: Illa autem cruda etiam adhuc materia convenire poſſunt, authore ipſo *Galeno*, qui ante coctionem exhibet decoctum apij & anethi, 1. *ad Glaucon. cap.* 9. Nam crudos humores concoquunt, & illorum faciunt à maſſa ſanguinea ſeparationem, & per vrinam expulſionem, Naturæ ſequacem reddunt cauſam morbificam, & ſiunt æmula naturæ: Hinc etiam videmus poſt eorum vſum in febribus, tam continuis quam intermittentibus, vrinam crudam fieri coctam, & calorem febrilem aliaque ſymptomata remittere: Vbi notandum tamen ex *Galeno method. Med. cap. vltim.* ſi materia adſit copioſa in primis vijs, licere prius vti ſubductorijs: quo in caſu & mihi placet vt diuretica & ſolventia ſimul miſceantur. *Idem ibidem.*

X. Infantibus, pueris, gravidis & puerperis ejuſmodi Diuretica tuto exhiberi poſſunt quæ vi abſterſiva ex alkali conſtant, & blanda ſua acredine viarum vrinalium ſordes incidunt & repurgant, qualia lapis percarum, oculi cancri, lapis Judaicus, nephriticus, ſpongiæ, oſſicula fructuum & eorum cineres. Corpora calida & ſicca non diutius nec vehementius decoctis diureticis calidis ad diureſin ſunt cogenda, cum ex eorum vſu hepatis inflammatio; febris & totius corporis extenuatio ſequi poſſit: Contra obeſi, frigidi, cutem mollem & laxam habentes, humoreque aquoſo ac tenuibus ſuccis redundantes, ad diureſin maxime ſunt habiles. *Idem ibidem.*

XI. Nunquam eſt agendum Diureticis, præcipuè vehementibus, in paſſionibus renum aut veſicæ ex multo ſucco pendentibus, antequam purgatum totum corpus ſit, revulſumque vomitu quoad poſſit, & ad inteſtina derivatum, idque faciendum pharmacis mitibus & malignæ qualitatis expertibus (non catenus vt tractoriæ nihil habeant:) Quia quæ vehementer expurgantia ſunt, vrinam etiam movent & menſtruas purgationes: & vel hac ratione abortus faciunt, vt meritò videbatur *Averroï*: Nam ſi pleno adhuc corpore malis ſuccis diureticum detur, idque debile aut moderatum ſit, certè confluere faciet in affectas vias excrementa, & congeri oppilarique, ac proinde minus exire: Sin autem detur vehemens, vt hanc etiam oppilationem poſſit diſrumpere, habebit hoc etiam facultatem exulcerandi, quâ ventriculum & inteſtina exulcerabit antequam affectum locum attingat, irritabitque ita ſupernum infernumque ventrem, pariter & dolore excrementa ad ventrem convocabit, acciderque vt quod tanquam diureticum dabatur, per accidens vomitorij & dejectorij vires gerat, ſed cum magno hominis malo; cum non facultate tractoria purget, ſed exulceratoria corrumpat. *Valleſius l.5. Epid. pag.* 480.

XII.

XII. Ego poſtquam expertus ſum omnium generum medicamenta curſu 29. annorum, vix animadverti, quod Diuretica, quæ per vrinam promptè tranſeunt, evacuent excrementa plus ſolito more: Et ſciant Lectores non dari quæ ita purgent per vrinam ſicuti dantur quæ purgant per alvum. Quia illud dicitur diureticum quod per vrinam movet, non video tamen quod Diureticum ſecum ferat purgamenta: Aquæ enim thermales vocantur Diureticæ, quia ipſæ tranſeunt: imò rarò inveniuntur diuretica quæ omnino & ex toto evacuentur per vrinam: ſi enim quis ſumat decem libras aquarum thermalium, & per vrinam exeant novem vel decem libræ, illa erunt diuretica optima: non ſic dicimus de pharmacis, quia ℈ß dacrydij evacuabit centum ſcrupulos & vltra excrementorum: Idem dicimus de alijs, aſparagi enim odor tranſit per vrinam, ſed parum vel nihil aliorum excrementorum fert; imo cantharis, quæ valentiſſimè lotium movet, excitat ardores propellendo ſolum aliquas guttas vrinæ, & non vrinam copioſam vel alia excrementa: Eſſet ſanè felicitatis noſtræ munus ſi in officinis haberentur diuretica, quæ non ſolum ſe ipſa, ſed alia plura excrementa in venis contenta per vrinam vacuarent, quia expeditè omnia mala quæ in venis continentur ſuperarent: *Sanctorius Art. parv. c. 89. partic. 8. & cap. 94. part. 7.*

XIII. Qui vtuntur *Diureticis* in ijs qui abundant, cruditatibus, vt plurimum ægros lædunt, quia ſæpenumero magis poteſt cruditas in prohibendo, quam in indicando: dicimus ſæpe, & non ſemper, quia dum vrina in ſupernis partibus detinetur & omnino ſupprimitur, etſi cruditas magna ſit, nihilominus ad potentiſſima diuretica, qualia ſunt cantharides, confugimus. *Sanctorius meth. l. 15. c. 10.*

XIV. *Diuretica cum cibis miſceri non debent:* Ego juſcula ex radicibus, herbis, aliiſque aperitivis non quidem rejicio, non tamen in ipſo prandio, ſed per horam vnam aut alteram ante paſtum ea exhibeo: Si enim alijs cibis commiſceantur, verendum ne chylum indigeſtum ſecum rapiant & ad epar ducant: Quanta eorum vis ſit oſtendit *Pigraus lib. 10. cap. 20.* de acidulis Spadanis loquens, vt quicquid obviam habuerint ſecum rapiant, imò ſemina aniſi condita integra: Civis quidam *Friburgenſis* iſchuria correptus, ingenteſque dolores per aliquot dies paſſus, multiſque fruſtra aſſumptis, tandem, expurgato prius corpore, gammaros contuſos cum granis alkekingi contuſis ſumpſit, quibus vrina adeo commota fuit, vt acini granorum alkekingi cum vrina ſimul excernerentur, idque non ſine maximo dolore & cruciatu. *Fab. Hildanus Cent. 3. Obſ. 72.*

XV. De Seminibus frigidis notandum Diureticam vim in corticibus maximè conſidere, nam medolla humectat & nutrit. *Heurnius meth. ad Prax. l. 1. p. m. 110.*

XVI. Ex *Galeno* diſcendum, cum ſcopus fuerit movendi vrinas, remedia ſaccharo aut melle eſſe excipienda: Ideo ait Aſclepiades remedium ex cichorio aut endivia (ratione jecoris præſcripta) vrinas movere, quia melle exceptum: Idem de ſaccharo eſto judicium. *Saxonia Palell. Pract. part. 2. cap. 2.*

XVII. Continuus Diureticorum vſus, vt ſi mane, meridie & veſperi viurpantur, eorum vim & efficaciam auget. *Ioh. Walæus meth. Med. p. 71.*

XVIII. *a.* Tutiſſimum per infuſionem *Cantharides* vſurpandi modum aperiam: Scrupulus vnus cantharidum in pulverem redactus infundatur ℥iij. vel iv. vini Rhenani, vel ſpiritus vini, ſtetque in infuſione per aliquot dies, deinde per chartam bibulam filtretur, vt ex ſubſtantia cantharidum nihil admiſceatur: Ex colato liquore cochlear vnum ſeptem alijs, ſeu vini, ſeu cereviſiæ admiſceatur, Et ex hoc mixto primo die vnum, altero duo cochlearia, & ſic deinceps propinentur: In gonorrhœa virulenta, lotij ſuppreſſione & calculo felicem hujus præparatæ potionis eventum expertus eſt Domin. D. *Iac. Franc. Kotzone*, *Thomas Bartholinus Centuria quinta Obſervation, 82.* Sal primum eſſe diureticum rectè ſcribunt Chimici, hinc cantharides potentiſſimè movent vrinam, & gaudent ſale acri volatili cauſtico, in vrina liquabili, quod in vaſa raptum, in renibus & veſica hinc adeo ſtimulat, vt & erodat & mictum cruentum efficiat. *Wedelius.*

XIX. Diureticorum familiæ non tantum Salina, aſt inſuper *ſulphurea* quædam & ſpirituoſa, quatenus effectum iſtum ſæpe producunt, jure accenſentur: Pleraque Laticea, vel imprimis Terebinthina, ex ijſque præparata, olea juniperi, nucis moſchatæ, ceræ, aliorum pinguium ſtillatitia intus ſumpta, in pleriſque vrinam copioſam, & violaceo odore imbutam cient: Novi in hydropicis quibuſdam, & ſe abuticis, ſpiritum vini, & aquas ardentes, quin & vinum generoſum vberius epotum *diureſin* promoviſſe, quorum omnium ratio eſt, quod cum ſanguis debilis, aut aceſcens, vel ob fermentationis defectum, vel ſalis acidi & coagulativi dominium, haud ſatis vegete & æquabiliter circulatur, vt ſerum ſuperfluum vſque intra ſe contineat, donec illud renibus tradat, prædicta remedia, quatenus cruoris mixtionem integram conſervant, aut vacillantem reſtituunt, ad *diureſin* promovendam conducunt. *Willis.*

XX. Inter Diuretica vero obſervo duplicia commendari à Scriptoribus, alia quidem *Blandiora*, & nullam vim corpori afferentia; alia *Violenta* magis, quaſi humores noxios haud inveniant in corpore in quos agant, & vim ſuam exſerant, quin & obtundant, noxam corpori afferant, quin ſanguinem purum, & quandoque cum ipſa Animam expellant vna cum vrinis, ideoque periculoſa & mihi ſuſpecta, quibus nec temere nec frequenter vtendum arbitror, Inter hæc ſunt 1. *Scorpio*, cujus vſti cinis ex vino, etiam ſecundum veteres, ad vrinam movendam exhibetur: 2. *Millepedes*, quorum ſuccum expreſſum cum vino exhibent: 3. *Cantharides*, quarum vſus ſatis frequens eſt in Gonorrhœa virulenta, (*earum præparationem* vide §. 18.) 4. *Vermiculi maiales* dicti, nigricantes, valde fœtentes & potentiſſimè vrinam moventes in Podagra. *Sylvius de le Boë m. m. lib. 2. cap. 12.*

XX. *a.* Sed notandum hæc poſteriora Diuretica non tam convenire humoribus in ſanguine, alibive hærentibus, per vrinas educendis, quam ipſi vrinæ jam ſecretæ ſecernendæ, atque excernendæ: adeo vt blanda Diuretica ſint magis univerſalia, & paſſim vſurpanda; Poſteriora magis particularia, & in certis affectibus convenientiora; Unſteriora

choandum. *Fridericus Hofmannus meth. Med. lib. 1. cap. 12.*

V I I. *a.* Obiter notandum, quemadmodum non ſemper mox conſequitur Sudor vſurpationem Sudoriferorum, ita non ſemper mox conſequi vrinæ copioſæ, atque humoribus vitioſis plenæ excretionem, vbi aſſumpta ſunt Diuretica: Cujus rei ratio eſt manifeſta, vbi namque ad ſecretionem, hinc & excretionem non ſunt apti vel diſpoſiti humores vitioſi, ibi præcedere debet illi requiſita eorundem Præparatio, hoc eſt, blanda ſeparatio & ſecretio, qua perfecta facile contingit eorundem ſecretio: Pleraque autem Diuretica non minus ad excretionem præparant, ſecernuntque humores vitioſos, quam ipſos excernunt expelluntque: *Franciſcus Sylvius de le Boë method. Med. libro ſecundo cap. 12.*

V I I. *b.* Diuretica vim habent egregiam Humores vitioſos ſanguinis maſſæ penitius immiſtos ab eadem ſecernendi, atque ad excretionem qualemcumque præparandi: quocirca ſeligenda ſemper ſunt inter Diuretica quæ inſuper vim habent corrigendi humorem peccantem: Vt nunc vulgo nota prætercam, laudo hic magnopere *Spiritum Salis & Nitri dulcem*, Bili acriori, & incendium augenti, vt & Pituitoſæ glutinoſæ corrigendis convenientiſſimum, ſimulque Diureticum. *Idem Appendic. Tractat.* 10. §. 832.

V I I I. Inter evacuationis modos maximæ vtilitatis eſt *Diureſis*, vſu enim illius & præſidio tales ſæpe curantur morbi quos nec purgatio, nec venæ ſectio, nec alia eradicare potuiſſet evacuatio: Eſt & hæc vniverſalis, & inter κοινὰς κενώσεις à *Galen. lib. de artis Medic. cap. 99.* refertur; & quamvis primo gibbam epatis partem, renes, veſicam, & his inſervientia vaſa purget, & humorem aquoſum & ſeroſum evacuet, conſequutione tamen quadam etiam reliquas corporis partes, ac vniverſum genus venoſum & arterioſum purgare poteſt: Nec tantum eam ſeri partem quæ vehiculi inſtar alimentum ad partes deduxit, & functa officio ſuo ad meatus vrinarios tendens expellitur, ſed ſimul cum ſero tartareos ſalſos ac alios acres expurgat humores: Hac viſcera à multis impuritatibus quibus ſcatent liberantur; ſupervacanei, tartarei humores inciſi & attenuati exhauriuntur, tota maſſa ſanguinea in integrum reſtituitur, firmaque & temperata corporis conſtitutio redditur: Hinc ab ejuſmodi vacuatione, præmiſſis præmittendis, plurimi ſolent curari affectus. *Frideric. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 12.*

I X. Tempus morbi quo *Diureſis* inſtituenda eſt vel vniverſale eſt, vel particulare; Communiter inquiunt humores prius eſſe præparandos; Nec convenire in principio morbi, nec in augmento, quando materia adhuc cruda potius agitaretur quam evacuaretur, ſed in declinatione, raro in ſtatu: Verum hæc ſententia de Diureticis in genere & indifferenter ſumptis intellecta maxime fallit; Dantur enim Diuretica Digeſtiva juxta, quæ fermenta viſcerum roborando excrementa morboſa in vijs obvia potenter reſolvunt, obſtructiones reſerant, humores craſſos attenuant, acidos combibunt, ebullitionem ſanguinis compeſcunt; & vrinam reddendo abſterſivam tartaream mucilaginem expellunt, qualia ſunt Tinctura aperitiva *D. Moebij*, Spiritus Martis ſtiatus, Arcanum Tartari ſoluti, Sal Martis aperitivum diureticum &c. Hæc ſane in omni morbi, præſertim chronici, tempore, præmiſſis præmittendis, & intermediatis cordialibus conſortantibus, ſummo cum ſanitatis emolumento, & ægrotum εὐφορίᾳ exhiberi poſſunt: Hujus autem indolis quæ non ſunt, ſed quæ vrinam copioſe ſaltem eliquant, & attenuatoriam vim aquoſitati copulatam habent, imprimis fortiora calida, nonniſi concocta aut digeſta materia, & vbi morbificæ materiæ impetus ac furor ſedatus eſt conveniunt: Illa autem cruda etiam adhuc materia convenire poſſunt, authore ipſo *Galeno*, qui ante coctionem exhibet decoctum apij & anethi, 1. *ad Glaucon. cap. 9.* Nam crudos humores concoquunt, & illorum faciunt à maſſa ſanguinea ſeparationem, & per vrinam expulſionem, Naturæ ſequacem reddunt cauſam morbificam, & fiunt æmula naturæ: Hinc etiam videmus poſt eorum vſum in febribus, tam continuis quam intermittentibus, vrinam crudam fieri coctam, & calorem febrilem aliaque ſymptomata remittere: Vbi notandum tamen ex *Galeno method. Med. cap. vltim.* ſi materia adſit copioſa in primis vijs, licere prius vti ſubductorijs: quo in caſu & mihi placet vt diuretica & ſolventia ſimul miſceantur. *Idem ibidem.*

X. Infantibus, pueris, gravidis & puerperis ejuſmodi Diuretica tuto exhiberi poſſunt quæ vi abſterſiva ex alkali conſtant, & blanda ſua acredine viarum vrinalium ſordes incidunt & repurgant, qualia lapis percarum, oculi cancri, lapis Judaicus, nephriticus, ſpongiæ, oſſicula fructuum & eorum cineres. Corpora calida & ſicca non diutius nec vehementius decoctis diureticis calidis ad diureſin ſunt cogenda, cum ex eorum vſu hepatis inflammatio; febris & totius corporis extenuatio ſequi poſſit: Contra obeſi, frigidi, cutem mollem & laxam habentes, humoreque aquoſo ac tenuibus ſuccis redundantes, ad diureſin maxime ſunt habiles. *Idem ibidem.*

X I. Nunquam eſt agendum Diureticis, præcipue vehementibus, in paſſionibus renum aut veſicæ ex multo ſucco pendentibus, antequam purgatum totum corpus ſit, revulſumque vomitu quoad poſſit, & ad inteſtina derivatum, idque faciendum pharmacis mitibus & malignæ qualitatis expertibus (non eatenus vt tractoriæ nihil habeant:) Quia quæ vehementer expurgantia ſunt, vrinam etiam movent & menſtruas purgationes: & vel hac ratione abortus faciunt, vt meritò videbatur *Averroï*: Nam ſi pleno adhuc corpore malis ſuccis diureticum detur, idque debile aut moderatum ſit, certè confluere faciet in affectas vias excrementa, & congeri oppilarique, ac proinde minus exire: Sin autem detur vehemens, vt hanc etiam oppilationem poſſit diſrumpere, habebit hoc etiam facultatem exulcerandi, quâ ventriculum & inteſtina exulcerabit antequam affectum locum attingat, irritabitque ita ſupernum infernumque ventrem, pariter & dolore excrementa ad ventrem convocabit, accidetque vt quod tanquam diureticum dabatur, per accidens vomitorij & dejectorij vires gerat, ſed cum magno hominis malo; cum non facultate tractoria purget, ſed exulceratoria corrumpat. *Valleſius l. 5. Epid. pag. 480.*

XII.

XII. Ego poſtquam expertus ſum omnium generum medicamenta curſu 29. annorum, vix animadverti, quod Diuretica, quæ per vrinam promptè tranſeunt, evacuent excrementa plus ſolito more: Et ſciant Lectores non dari quæ ita purgent per vrinam ſicuti dantur quæ purgant per alvum. Quia illud dicitur diureticum quod per vrinam movet, non video tamen quod Diureticum ſecum ferat purgamenta: Aquæ enim thermales vocantur Diureticæ, quia ipſæ tranſeunt: imò rarò inveniuntur diuretica quæ omnino & ex toto evacuentur per vrinam: ſi enim quis ſumat decem libras aquarum thermalium, & per vrinam exeant novem vel decem libræ, illa erunt diuretica optima: non ſic dicimus de pharmacis, quia ℈ß dacrydij evacuabit centum ſcrupulus & vltra excrementorum: Idem dicimus de alijs, aſparagi enim odor tranſit per vrinam, ſed parum vel nihil aliorum excrementorum fert; imò cantharis, quæ valentiſſimè lotium movet, excitat ardores propellendo ſolum aliquas guttas vrinæ, & non vrinam copioſam vel alia excrementa: Eſſet ſanè felicitatis noſtræ munus ſi in officinis haberentur diuretica, quæ non ſolum ſe ipſa, ſed alia plura excrementa in venis contenta per vrinam vacuarent, quia expeditè omnia mala quæ in venis continentur ſuperarent: *Sanctorius Art. parv. c. 89. partic.* 84. *&* *cap.* 94 *part.* 7.

XIII. Qui vtuntur *Diureticis* in ijs qui abundant cruditatibus, vt plurimum ægros lædunt, quia ſæpenumero magis poteſt cruditas in prohibendo, quam in indicando: dicimus ſæpe, & non ſemper, quia dum vrina in ſupernis partibus detinetur & omnino ſupprimitur, etſi cruditas magna ſit, nihilominus ad potentiſſima diuretica, qualia ſunt canthatides, confugimus. *Sanctorius meth. l.* 15. *c.* 10.

XIV. *Diuretica cum cibis miſceri non debent.*: Ego juſcula ex radicibus, herbis, alijſque aperitivis non quidem rejicio, non tamen in ipſo prandio, ſed per horam vnam aut alteram ante paſtum ea exhibeo: Si enim alijs cibis commiſceantur, verendum ne chylum indigeſtum ſecum rapiant & ad epar ducant: Quanta eorum vis ſit oſtendit *Pigraus lib.* 10. *cap.* 20 de acidulis Spadanis loquens, vt quicquid obviam habuerint ſecum rapiant, imò ſemina aniſi condita integra: Civis quidam *Friburgenſis* iſchuria correptus, ingenteſque dolores per aliquot dies paſſus, multiſque fruſtra aſſumptis, tandem, expurgato prius corpore, gammaros contuſus cum granis alkekingi contuſis ſumpſit, quibus vrina adeo commota fuit, vt acini granorum alkekingi cum vrina ſimul excernerentur, idque non ſine maximo dolore & cruciatu. *Fab. Hildanus Cent.* 3. *Obſ.* 72.

XV. De Seminibus frigidis notandum Diureticam vim in corticibus maximè conſidere, nam medulla humectat & nutrit. *Heurnius meth. ad Prax. l.* 1. *p. m.* 110.

XVI. Ex *Galeno* diſcendum, cum ſcopus fuerit movendi vrinas, remedia ſaccharo aut melle eſſe excipienda: Ideo ait Aſclepiades remedium ex cichorio aut endivia (ratione jecoris præſcripta) vrinas movere, quia melle exceptum: Idem de ſaccharo eſto judicium. *Saxonia Pialect. Pract. part.* 2. *cap.* 23.

XVII. Continuus Diureticorum vſus, vt ſi mane, meridie & veſperi vſurpantur, eorum vim & efficaciam auget. *Ioh. Walaus meth. Med. p.* 71.

XVIII. *a.* Tutiſſimum per infuſionem *Cantharides* vſurpandi modum aperiam: Scrupulus vnus cantharidum in pulverem redactus infundatur ℥ iij. vel iv. vini Rhenani, vel ſpiritus vini, ſtetque in infuſione per aliquot dies, deinde per chartam bibulam filtretur, vt ex ſubſtantia cantharidum nihil admiſceatur: Ex colato liquore cochlear vnum ſeptem alijs, ſeu vini, ſeu cerevisiæ admiſceatur, Et ex hoc mixto primo die vnum, altero duo cochlearia, & ſic deinceps propinentur: In gonorrhoea virulenta, lotij ſuppreſſione & calculo felicem hujus præparatæ potionis eventum expertus eſt Domin. D. *Iac. Franc. Kozzone*, *Thomas Bartholinus Centuria quinta Obſervation.* 82. Sal primum eſſe diureticum rectè ſcribunt Chimici, hinc cantharides potentiſſime movent vrinam, & gaudent ſale acri volatili cauſtico, in vrina liquabili, quod in vaſa raptum, in renibus & veſica hinc adeo ſtimulat, vt & erodat & mictum cruentum efficiat. *Wedelius.*

XIX. Diureticorum familiæ non tantum Salina, aſt inſuper *ſulphurea* quædam & ſpirituoſa, quatenus effectum iſtum ſæpe producunt, jure accenſentur: Pleraque Laticea, vti imprimis Terebinthina, ex ijſque præparata, olea juniperi, nucis moſchatæ, ceræ, aliorum pinguium ſtillatitia intus ſumpta, in pleriſque vrinam copioſam, & violaceo odore imbutam cient: Novi in hydropicis quibuſdam, & ſcorbuticis, ſpiritum vini, & aquas ardentes, quin & vinum generoſum vberius epotum *diureſin* promoviſſe, quorum omnium ratio eſt, quod cum ſanguis debilis, aut aceſcens, vel ob fermentationis defectum, vel ſalis acidi & coagulativi dominium, haud ſatis vegete & æquabiliter circulatur, vt ſerum ſuperfluum vſque intra ſe contineat, donec illud renibus tradat, prædicta remedia, quatenus cruoris mixtionem integram conſervant, aut vacillantem reſtituunt, ad *diureſin* promovendam conducunt. *Willis.*

XX. Inter Diuretica vero obſervo duplicia commendari à Scriptoribus, alia quidem *Blandiora*, & nullam vim corpori afferentia; alia *Violenta* magis, quaſi humores noxios haud inveniant in corpore in quos agant, & vim ſuam exſerant, quin & obtundant, noxam corpori afferant, quin ſanguinem purum, & quandoque cum ipſo Animam expellant vna cum vrinis, ideoque periculoſa & mihi ſuſpecta, quibus nec temere nec frequenter vtendum arbitror, Inter hæc ſunt 1. *Scorpio*, cujus vſti cinis ex vino, etiam ſecundum veteres, ad vrinam movendam exhibetur: 2. *Millepedes*, quorum ſuccum expreſſum cum vino exhibent: 3. *Cantharides*, quarum vſus ſatis frequens eſt in Gonorrhœa virulenta, (*earum præparationem* vide §. 18.) 4. *Vermiculi maiales* dicti, nigricantes, valde fœtentes & potentiſſime vrinam moventes in Podagra. *Sylvius de le Boë m. m. lib.* 2. *cap.* 12.

XX. *a.* Sed notandum hæc poſteriora Diuretica non tam convenire humoribus in ſanguine, alibive hærentibus, per vrinas educendis, quam ipſi vrinæ jam ſecretæ ſecernendæ, atque excernendæ: adeo vt blanda Diuretica ſint magis univerſalia, & paſſim vſurpanda; Poſteriora magis particularia, & in certis affectibus convenientiora; Poſteriora

hæc, ſicut aliquando ſanguinem purum propellunt, loco humorum a ſanguine, alibive peccantium, ita merito pro periculoſis habentur medicamentis, adeoque nonniſi magna & continua, prudentique cautione adhibita vſurpandis: Poſſunt tamen vbi fruſtra ſunt adhibita *blandiora*, vrgetque malum grave, nonnunquam etiam, ſed prudenter exhiberi: attendendo ſemper ad effectum, qui quamdiu eſt bonus continuandum in eorum vſu, quamprimum vel minima obſervatur noxa, ceſſandum ab vlteriore vſurpatione. *Idem.*

XX. *b.* *Salia volatilia* diutine, etiam vna cum alimentis aſſumpta, pituitam deducunt ad renes, ac educunt cum vrina; quippe quæ non tantum pituitam glutinoſam incidunt ac emendant, ſed ejuſdem partem ad vrinæ vias propellunt, ac ſedimenti forma expellunt, quod tamen paulatim in vrinis deficit, atque eo ipſo pituitæ maximam partem correctæ ac ſuperatæ ſignum præbet indubitatum, quod vel idcirco in juniorum gratiam hic monendum, quia non deſunt ſeniores, qui cum in ſalium volatilium præſtantiorum præparatione minus verſati, tum proinde in eorundem viribus obſervandis minus aſſueti, eadem non ſine aliqua invidiæ ſuſpicione ſufflaminant; Sic culpant multi ea quæ ignorant & labore manuatio addiſcere nolunt. *Franciſcus Sylvius de le Boë Practic. libro primo cap.* 34.

XXI. Primas inter Diuretica teneat *Tartarus* cum progenie ſua, ſitque ſelectior, & quaſi per ſe cryſtallizatus fuerit: quid obſtat quo minus lotus ſaltem (ceu diu ſecureque etiam cum rubro ſplendidiore conſuevimus) detur? citra vllam hactenus (per quorundam nimiam ſatagentiam invectam Depurationem ſubtiliſſimam partem ceu reſidua multorum diſſolutionibus inſerviens aqua docet) manifeſte, vix autem arenoſitates (cum ipſe Tartarus coquendo corallia ſimiliaque ſolvat) in ſolidum ſubtrahentem; aut ſi omnino quippiam fæculenti quid (volatili tamen ſale refertiſſimum) vegeatur, ſemel tantum conſiderateque depuratus, vti communiter *Acidi Tartari* nomine venit, citra vanas candoris, cremoris ac cryſtallorum (reipſa indifferentium) affectationes, aut ſeparatas repoſitiones. *D. Ludovici Pharmac.* 386.

XXII. *Radices Aſari crudi*, quamvis magna cum anxietate vomitum cieant, in aqua autem, non in vino, incoctæ, mutantur in deoppilans diureticum, & tardarum febrium remedium, quod occultatum in eo aroma prodit: Ad hoc tanquam ad ſacram anchoram confugiebat *D. Ohesmius* in febribus diuturnis ab hypochondriorum inveteratis obſtructionibus dependentibus. *Frid. Hofmannus m.m. l.* 1. *cap.* 12.

EMMENAGOGA.

(Vide *Menſium Suppreſſio Lib.* 12.)

SYLLOGE.

Reſpiciunt vel vias. 1.
Vel ſanguinem ipſum quaſi coagulatum. 2.
Vel ipſius rarefactionem promovent. 3.
Vel ſtimulant & vtrumque expediunt. 4.
Vel ipſum ſanguinem reſtaurant. 5.
Gravidis non danda. 6.
Non omnia promiſcue danda. 7.
Ordo ſervandus in vſu remediorum. 8.

I. Menſes moventia reſpiciunt vel *vias*, quas vtique liberas eſſe decet in tota republica microſcomica, qualia ſunt tum aperientia omnia, exceptis acidis & nitroſis, quæ ſcilicet intentioni alteri ſunt contraria, niſi eadem ita dirigantur vt ſub aliorum dominio actionem eorundem juvent: maxime huc faciunt *Balnea*, quæ & calore blando & inſigni humectandi energia vias quam optime expediunt; Sic etiam *ſuffimenta* poros laxantia & mucum detrahentia alia huc pertinent; vti v. g. commendat *Timæus* in conſiliis ſuffitum è pomo colocynthidos vtero per infundibulum exceptum, cui remedio poſt balnea locus: Adeoque experientia emmenagoga nihil aliud notant quam aperientia vterina ſpecificata.

II. Vel *Sanguinem ipſum*, cujus vti ſtatum menſes vnice denunciant, ita ipſi etiam illius omnino conditionem ſequuntur: Illa vero emmenagoga ſunt eximia quæ motum ſanguinis promovent, quod in ſpecie duplici fit ratione, vel primo impedimenta ſanguinem quaſi figentia & coagulantia auferunt, quæ duo ſunt *humores acidi & pituitoſi, ſeu ſerum coagulatum*; Inter illa ſunt v. g. Martialia, Crocus aperitiv. ſulphuratus, cum ſalibus, Pulvis cachecticus *Quercetani*, Pulvis ſtomach. ejuſdem: Imo ſunt qui crudam limaturam Martis vel Solis eadem intentione propinant, vt aciditatem conſtringentem abſorbeant & reprimant: Præcipue vero conveniunt Martialia quæ humectandi poteſtate vna pollent, vt tinctura Martis pomata, & cydoniata, quæ inſignia: Tinctura Martis tartarea, & ſimilia, vt vna & ſiccitas reſpiciatur & fermentatio ſanguinis deficiens promoveatur, aliaque quæ ſerum in coagulum abiens, ſeu pituitam liquant, fundunt, reſolvunt & attenuant, amaricantia & quæ alia ſunt partium tenuium;

III. Vel ejuſdem *rarefactionem* promovent & ſtimolant, vt excitatis ac exaltatis particulis ſulphureis & ſalinis volatilibus activior fiat, & lentore ſuo torpido exuto amplius occupet ſpatium qualitate & motu; quo pertinent omnia balſamica, volatilia & media, tam *ſulphurea*, v. g. crocus, myrrha, baccæ lauri, ſabina; item olea deſtillata ſabinæ, cinnamomi, meliſſæ, croci &c. quam *Salina*, ſalia fixa & volatilia, tinctura tartari, borax, ſal artemiſ. l. & vitriol. &c. ſpirit. ſal. armoniaci, c. c. ſal ſuccin. volatile, Hinc regula practica eſt vtrique intentioni appropriata. *Quæ vrinam cient, plerumque etiam promovent menſes.*

IV. *Vel ſtimulant & vtrumque expediunt*: pertinent huc ipſa quoque purgantia, quatenus non ſolum cauſam antecedentem, humores viſcidos, lentos attenuant & educunt, adeoque aperiunt & vias reſpiciunt, Verum etiam ſanguinis rarefactionem & fermentationem juvant, vt ſæpe ipſo die quo ſumpta redeat fluxus; Et inter alia quoque aloë huc facit, vnde *Frid. Hofmannus* refert habuiſſe ſe ancillam, cui nulla

nulla alia ratione promoveri potuerint menſes quam vſu ſtilli. *Ruſ.*

V. Vel *Ipſum ſanguinem reſtaurant, reficiunt*, ad eoque fluxilem reddunt, quo pertinent analeptica & victus plenior: abſurdum enim fuerit ſi quantitate deficiat motum ejuſdem promovere. Hoc vti fœminæ ſcrofioſæ & fluxilio egent ſanguine, ad turgeſcentiam ſcilicet apriore, & hoc ipſo plethoram ſeroſam acquirunt, ſic huic quoque omnino proſpiciendum.

VI. Gravidis non danda, hinc meretriculis ſemper caute præſcribenda, quæ prætendunt obſtructionem menſium, licet enim, niſi diſpoſitio adſit ad abortum fruſtra ſæpe decoctum ſabinæ &c. hauriant, attamen in caſu dubio, vltra martialia & aperientia moderata ad evidendum non eſt; Non danda item gravidis nimis calida, ſanguinis rarefactionem vrgentia; vti enim gravidæ tali rarefactione & fermentatione præter naturam, ſeu febribus ardentibus correptæ, vt plurimum menſes præter naturales, & conſequenter abortum pati ſolent, ita longe minus medicamentis id intentendum, quæ ipſa quoque eſt ratio quod ipſis purgantia minus conveniant.

VII. Non ſola aperientia, non ſola pellentia ex vſu ſunt promiſcue. Enormiter ſæpe peccant Medici qui decocta emmenagoga, imo olea diſtillata, juniper. ſabin. ſpirit. ſal. ammoniac. & ſim. toto die & indifferenter propinant, ſpecifica hæc putantes, cum tamen illa maxime pro talibus ſint habenda quæ huic vel illi indicationi ſpecialiori ſatisfaciunt.

VIII. Optimum ergo eſt præmittere aperientia, ſubjungere pellentia, tum interna, tum externa; hinc ante conſuetum tempus, per vnam vel alteram ſeptimanam propinantur aperientia, humectantia, digeſtiva, præparantia, Imo ipſa purgantia & v. ſ. in quibus cardo rei vertitur, alio tempore non inſtituenda: quod ſi fiat, fruſtranea, & inefficax omnis curatio. *G. W. Wedelius de ſ. m. F. c. pag. 189.*

FRICTIONES.

SYLLOGE.

Non conveniunt in crudi ſucci abundantia. 1.
Suſpectæ in morbis calidis & frigidis. 2.
Totum corpus an vacuent. 3.
Scalptus frictionis vicem gerit. 4.

I. Videri alicui poſſit in ijs qui crudorum ſuccorum copiam collegere, Frictio incommoda, quia ſcribit *Galen.* 4. de tu. valetud. In ijs quibus bonus ſanguis paucus, abundant autem crudi ſucci, neque ſanguinem mittendum, neque purgandum, neque motu aut balneo vtendum: ac proinde neque Frictione, cum & ipſa ſuccos moveat: Et ob id quod interdicat balneum, cui eædem vires quæ Frictioni, cum vtrumque verſus cutem trahat: *Gal.* item 8. meth. c. 4. curans febres ex obſtructione ortas, prohibet abſtergere cutem ante totius vacuationem, ne abſtertio crudа trahat ad cutem, vnde major oriretur obſtructio; quod idem ex frictione eventurum: At *Gal.* contrarium ſentit; lib. enim de ſ. m. c. 6. de hoc affectu ſic ait, Eos qui ſic affecti ſunt ſanguinis miſſione evacuare non convenit, ſed frictionibus mediocriterque excalfacientibus vnctionibus & ea Ac 12. meth. c. 3. eos qui ob ſuccorum crudorum redundantiam in ſyncopen incidunt, multa fortique totius frictione curat: balneum tamen iiſdem denegat, quod etſi ſimilem frictioni vim habeat, diſcrepat tamen quod liquet potius ſuccos, quam incidat attenuetque, Frictio contra: Hinc fit vt balneum fluxiones faciat, fluentibus ijs qui liquati ſunt humoribus, crudorum faciens diſtributionem, quod Frictio non facit, vtpote attenuans magis quam liquans: quare cum humectatione eſt opus, balneo vtitur magis *Galenus* cum apertione obſtructionum, magis Frictione: Quid, quod trahit etiam frictio verſus cutem? Quare obſtructiones etiam augebit? Diximus Frictionem vt trahit, ita attenuare: cumque trahat minus quam balneum, & extenuet magis, eſt illa in hoc affectu multo vtilior: atque præter dicta, ſi quid forte, extractis crudis ſuccis, obſtructionis faceret, emendaretur inunctione olei mediocriter calfacientis coquentisve: ita vt Frictio & Inunctio alternatim debeant fieri, nequaquam balneum, Sed neque Exercitatio, quippe quæ a penitiſſimis partibus facit crudorum diſtributionem: In febribus ab obſtructione vitamus abſtergentia cutem ante totius evacuationem, quia in eo affectu magna mali pars, & quam ante ipſam febrem præſcindi oportet, eſt cutis obſtructio, & interim licet vti magnis evacuationibus: At in hoc affectu, de quo ſermo, minimum malum eſt ad cutem, ſedem habens præcipue in viſceribus: Syncope prohibet fieri magnas vacuationes, quare ad Frictiones cogimur confugere. *Valleſius lib.* 8. *contr. c.* 7.

II. Frictiones in morbis calidis & acutis, qualis eſt Pleuritis, ſemper mihi fuere ſuſpectæ: Sanguinem enim & humores ab ijs incaleſcere, acriores fieri, & proinde majori cum impetu ad partem affectam ruere certum eſt; In morbis frigidis, velut apoplexia, epilepſia, paralyſi & ſim. locum habere poſſe videntur: quia tamen inde etiam ſanguis & humores incaleſcunt, ac inſtar vehiculi crudos frigidoſque humores ad partem affectam ducunt, caute ijs vtendum, maxime initio morbi, & materia adhuc fluente. *Fabritius Hild Cent.* 5. *Obſ.* 10.

III. A Frictione multa vniverſum corpus non minui, neque vacuari *Gal.* 4. *aph.* 2. aperte tradit: Eſt tamen veriſſimum quoad externas partes & cuti finitimas totum exhauriri, quoad ejus pertingere vis poteſt, vt idem explicavit 14. *method. c.* 7. atque ipſe *Hipp.* 6. *Epid.* dum ſcripſit, Frictionem, circuitum multum, corpus calefacere & exſiccare, atque ob id exinanire vires: Et quidem cum per eam incaleſcant venæ & arteriæ, paulatimque ob id excitetur calor & evocetur, aliquomodo totum corpus, ſaltem per accidens, vacuare tenendum eſt: Negavit ergo *Gal.* à frictione vniverſum corpus minui, ſcilicet modo quo vacuant pharmaca dejectoria, quorum comparatione ibi loquitur. *Rubeus in cap.* 14. *l.* 2. *Celſi.*

IV. Scalptus multis morbis vtilis eſt, ad cutem enim ex viſceribus convocat & inde diſcutit: brevi, vtilitates gerit dictæ Frictionis. *Valleſius in Epid. pag.* 686.

GLANDES.

SYLLOGE.

Nimia longitudo inutilis. 1.
Non ex ſolis inteſtinis vacuant. 2.

I. NOtandum inutilem eſſe Glandium vulgarem extenſam longitudinem; cum expultricem non irritent niſi qua parte tangunt podicem aut recti inteſtini extremum: ideo ſatius eſt minorem affingere longitudinem, & ea craſſitie effingere quæ digiti utriusque acuti effigiem æmuletur: *Mercatus ex Rondeletio.*

II. Si Glandes è fortioribus medicamentis componantur, etiam è venis meſaraicis, imo univerſo corpore evacuare poſſunt; teſtaturque experientia, qua conſtat glandibus ex elleboro factis eadem quæ à ſumpto contigiſſe. *Rondeletius.*

GRUMOS SOLVENTIA.

SYLLOGE.

Spectant vel impeditum ſanguinis circulum. 1.
Vel coagulum ipſum. Acida ſanguinem concretum reſolvunt. 2.

I. GRumos ſanguinis diſſolventia media quaſi ſunt inter diaphoretica & diuretica; app[l]icatius enim hic *H.Saxonia* canonem, qui *Prælect.Pract.part.2.cap.* 38. §. 3. quæ lapidem, *inquit*, molliunt, eadem grumos ſanguinis attenuant: Vti enim ipſa *grumefactio* dicit 1. *Sanguinem extravaſatum*, i. e. ad certum aliquod τὸ & ſpatium extra vaſa, circulatione impedita, illapſum, ſive in fieri id actu ſit, ſive in facto, 2. *Coagulationi proximum*, quippe qui extra proprium ſuum elementum & ſphæram putreſcit, corrumpitur & immotus perſtat, ita quæ hunc ipſum concretum ſolvunt & fundunt, ut vel in vaſa recipiatur, vel, ſi redire ad priſtinum genium aptus non eſt amplius, diſſipetur & evacuetur, duobus potiſſimum, modis agendi eundem horum medicamentorum ἐνέργεια abſolvitur, Reſpiciunt enim vel *impeditum ſanguinis motum ac circulum*, ſive ſponte ſua in partem debiliorem, certam ac definitam irruat, ut in inflammationibus; Seu valorum ruptione & injuria externa extra vaſa deturbetur & alicubi colligatur, Et talia ſunt præcipuè *diaphoretica* omnia, tum *volatilia*, tenuitate partium gaudentia, quæ fluxiliorem reddunt ſanguinem, & ut in ordinem redeat, motu concitatiori & ſubtiliatione ac rareſactione majore præſtita efficiunt; Tum *balſamica*, myrrha, zedoar. tum *fixa*, antimon. diaphor. hinc tinctura bezoardica, ſpirit. c. c. miſtura ſimplex, antimon. diaphoret. zedoar. opium &c. optima ſunt hoc ipſo caſu, & præſentaneam opem afferunt. Et hæc proinde tum priore caſu in omni inflammationum genere, pleuræ, hepatis &c. vulneribus recentibus, caſu ab alto recens facto, abſceſſibus fientibus &c. quatenus hoc modo ipſa [illegible] & concretio prohibetur & quaſi in h[illegible] [illegible]ocatur, In ordinem enim redacto circulo co[illegible]tio non amplius eſt metuenda.

II. Vel *Coagulum ipſum* jam magis conſiſtens & quaſi factum; quo ſpectant ſub nephriticis ſ[illegible]ta reſolventia varia, ſive *ſulphurea*, uti ſperma ceti egregium eſt reſolvens; quo nomine etiam in aſthmate inſigniter prodeſt. ſive *ſalina*, tum *acida*, ut ſunt acetum ſimplex & ſcyllit. oxymel ſcyll. ſuccus limon. ſpir. vitrio[l]. Adeoque immota ſtat theſis noſtra, *Acida ſanguinem coagulatum reſolvunt*, unde notavi peculiariter hic poteſt, ut penitius hæc diſcutiamus, acida non tam convenire primo gradu, ſanguine [illegible]cet extravaſato in fieri, vel alicubi cum rheumatiſmo irruente, niſi intentione ſecundaria, & ſub dominio volatilium, tunc enim coagulationem magis promovent, quod vulgo vocant repellere; quam altero, ubi vel extravaſatio, & coagul[um] jam factum eſt, vel rupto vaſe ruptove exci[d]it, ita res eſt adhuc clarior (ad[e]oque & diſtinguendum inter coagulare omnem in fieri & in facto) Tum *alkalia*, & *alkalina*, l. pides cancror. & alia di[ure]tica & lithontriptica, & quæ ob hoc ipſum alkali plantæ traumaticæ audiunt, earumque ſuccus, decoctum eſſentia &c. Unde quoque patet cur in pleuritide, juxta ipſum *Helmontium*, eadem ſpecifica judicentur quæ grumis ſanguinis alias conveniant, ut oempe eatenus materia re olvatur, quo per expectorationem poſſit excerni. Conveniunt hæc in caſu ab alto, unde pulvis ad caſum *Auguſtan.* celebris eſt: Sic etiam ſangu[is] [hirc]i, ut de lapid. cancror. nihil dicamus, eſt antipleuritic[u]s, reſolvens grumos & calculum, ob ſ[a]l volatile inprimis quo inſtructus eſt. *Gr. W. Wedel*[i]*us de ſ. m. Fac. p.* 185.

HÆMORRHOIDUM APERTIO.

SYLLOGE.

Latentes quomodo evocandæ. 1.
Earum apertio in pueris & adoleſcentibus inutilis. 2.
Hirudines ex arteriis potius trahunt quam venis. 3.
Recens captæ in [u]ſum duci poſſunt. 4.
Digitis apprehenſæ admovendæ. 5.
Cauda non ſemper amputanda. 6.
Vi non avellendæ. 7.
Malignitatem non relinquunt. 8.
Quærenda ora vaſorum ut iis admoveantur. 9.
E profundo aliquando eliciunt ſanguinem. 10.
Craſſum etiam hauriunt. 11.
Anum ſubiens quo modo educenda. 12.
An natura per admotas hirudines illi fluori aſſueſcat da. 13.
Quæ hæmorrhoides aperiendæ. 14.
Ejuſmodi vacuatio non omnibus æque regionibus & naturis conducit. 15.
An in affe[ct]ibus uteri referanda. 16.
Au[t] ſcalpello aperiendæ. 17.
An [l]iene aliquid educant. 18.
In ardentibus malignis quomodo proſunt. 19.

I. Qui-

I. QVidam cum hæmorrhoidum dolore ex intervallis vexaretur, ceſſaretque ſemper ad humoris nigri expulſionem, hujus vacuationis defectu in melancholiam incidit. Cum nulla auxilia retardatam vacuationem provocarent, & ter incaſſum admotæ eſſent hirudines quod ab externis venulis ſugerent, Ego ſuperveniens eas iterum affigere conſulo, ſed admota prius cucurbitula quæ totum anum comprehenderet, Tanti momenti fuit hæc inventio vt venarum orificiis, quæ intus latebant, eminentibus, largum ſequeretur ſanguinis effluvium, vnde vacuatu humore peccante æger reſtitutus: *Zacutus. M.P. pag. 6. Prax. Adm. lib. 2. Obſ.* 83.

II. Venæ ſedales in pueris & adoleſcentibus, vt exiles, necdum à melancholico ſanguine dilatatæ, ſi aperiantur parum craſſi ſanguinis educere ſolent. *Fortis conſult. 8. cent. 3.*

III. Obſervatione eſt dignum Hirudines plus ſanguinis ex arteriis quam ex venis ſugere, adeoque etiam minus extrahere debere. *Barbette Chirurgia Part. 1. cap. 17.*

IV. Hirudines nonnulli mox captas ſpongia aut panno aſpero à ſordibus detergunt, & in aquam conjiciunt puriſſimam, eamque poſt effuſionem crebro recenti permutant, locoque alimenti aliquid ſacchari adjiciunt: Ego tamen experientia didici ſtatim poſt capturam ſi exprimantur, & in tepida aqua ſpongia à ſordibus depurentur, ſine vlteriori apparatu innoxias planè fuiſſe, nec alia ſymptomata intuliſſe: modo ex purioris aquis deſumantur, nec ſint virulentæ. *Hennius Tract. de Hirudinibus.*

V. Nonnulli eas arundini, vel cannæ fiſtuloſæ, aut vitro oblongo immittunt, vt caput ſolum promineat, atque ſic applicant, verum quia hic modus operoſior eſt, & ſæpe non procedit ob earum lubricitatem, corporum earum nunc craſſiorem, nunc graciliorem extenſionem, ideoque linteo eas comprehendere, manuque admovere facilius eſt. *Idem.*

VI. Notandum non ſemper opus eſſe iis caudas amputare, quippe venæ alicui majori & eminentiori applicitæ, v. g. hæmorrhoidalibus, jugularibus, aut brachii pedumque vaſis majoribus, morſu ſuo eadem ſic aperire, & ſanguinem attrahere poſſunt, vt poſt caſum, cum repletæ fuerint, ſanguis ἀθρόος poſtea fluat, ſic vt nonnunquam emplaſticis eum ſiſtere opus ſit. *Idem.*

VII. Poſtquam ſanguinis ſatis attraxerint, niſi ſponte decidant, cinis aut ſal earum capitibus aſpergatur quibus deguſtatis mox cadunt: Non autem vi abripiendæ, ne affixa relinquant capita, quæ cauſa ſunt vulnerum inſanabilium: quod accidit, Plinio teſte, Meſſalino, Patritio Romano. *Idem.*

VIII. Avicenna & alii volunt vt loco demorſo cucurbitula applicetur, & de ſanguine loci paſtum detrahatur, vt plagæ malignitas corrigatur: At quia hirudines noſtræ nihil tale videntur habere, haud opus illa cucurbitularum appoſitione: Interim tamen qui pro majori ſecuritate locum demorſum aqua ſalſa vel aceto eluere velit, ei hoc integrum eſto: Ego teſtari poſſum me eas aliquoties applicaſſe, nec poſt illarum decidentiam quicquam mali aut virulentiæ ſenſiſſe, præter pruritum qui paulò poſt abit. *Idem.*

IX. Si venis ani applicari debent, prius inferior ſedes foveatur decocto chamom. malvæ altheæque mollientibus, Et poſtea locus venarum hæmorrhoidalium fricetur, quippe ſic apparebunt oſcula venarum, quarum ſingulis ſingulæ applicentur hirudines. Zacutus l. 1. hiſt. Med. Pr. quò venarum ſedis oſtiola emineant admovet cucurbitulam quæ totum anum comprehendat: *Idem.* Si forſitan extractus per hirudines aliquando ſubtilis & rubeus apparet, ſicuti & ego ſæpenumero vidi, arbitror hoc evenire ex miniſtri inſcitia qui ad ora venarum eas non applicuerit, ſed potius inani circuitu, ad ejus circulum: Neceſſe eſt anum invertare & cum cucurbitulis hæmorrhoidas extra, vt eas videas extrahere, quod ſanè non omnibus tonſoribus notum eſt: Cognoſco autem miniſtrum rectè egiſſe quoties hirudine cum forcipe inciſa ſanguinem multum effundit; Sin autem rubeus & ſubtilis eſt, ſcio tonſorem erraſſe: Poſt autem craſſum extractum ſubtilem denuo ſubſequi non abs re erit. *I. Baptiſta Theodoſius Epiſt.* 27.

X. Græci, Galenus & Oribaſius hirudines ſanguinem duntaxat cutaneum attrahere dicunt: Avicenna & Arabes è profundo corporis educere dicunt; ſtatuuntque ſanguinis extractionem ab iis factam profundiorem eſſe extractione quæ fit cum ventoſis: Verū ii authores facile inter ſe conciliari poſſunt, ſi diſtinguatur inter locū cui hirudines applicantur: Si enim vaſis majoribus, in brachio, fronte, cruribus, aut exuberantibus hæmorrhoidibus admoveantur, videmus tam copioſum ſanguinem interdum evacuari, vt pro eo ſiſtendo ad cauſticorum & emplaſticorum vium ſit deveniendum, & aliquando cachexia & hydrops ſubſequatur: Tantum vero ſanguinis nonniſi ex toto fluere certum eſt: Secus ſe res habet ſi admoveantur vbi non adeo patentes ſunt venæ, ſed exiliores & ſubcutaneæ. *Henrnius.*

XI. Quidam eas Cutaneum ſolum ſanguinem attrahere relicto craſſiori cenſent, vt Mercurialis, quod vulnus inflictum adeo anguſtum ſit vt ſolum tenuior pars exire poſſit: At, ex Zacuto lib. 1. hiſt. Princ. 4. graviter deceptus fuit, nam præterquam quod in morbis à craſſo humore ſubortis, hirudinibus parti affectæ impoſitis vtebatur antiquitas, foramen ab iis, (imprimis grandioribus) factum tam amplum eſt, vt per id ſordes emanent craſſiſſimæ, & copioſa ſæpe fiat ſanguinis miſſio, quam ſiſtere plurimis interdum eſt opus auxiliis adſtringentibus.

XII. Quidam cum ano hirudines ſibi imponendas curaret, vna Chirurgi digitos ſubterfugiens altius penetravit: Ego ſtercus bovinum ſiccum, modicè calidum, aſperſo prius cimicum pulvere, (caſtorium etiam optimum) ano admovere impero, cujus fumo, & clyſtere ex foliis cæpæ ſucco confecto, ipſa ſemimortua eſt ejecta cum fæcibus. *Zacutus l. 1. Obſ. 7. Hiſt. Princ. Med.*

XIII. An hirudines Hæmorrhoidibus applicandæ & Natura per hanc viam ſe exonerare aſſuefacienda? Hanc quæſtionem eleganter tractat Sennertus l. 3. Pract. p. 2. ſ. 2. c. 12. citatque imprimis victorem Triocavellium, qui Pract. l. 9. c. 14. hanc operationem diſſuadet, quod ejus non meminerit aliquis Græcorum vel Arabum, Et Gal. 4. aph. 25. apertiſſimè conſulat non eſſe aſſuefaciendum evacuationi per hæmorrh. quæ periculo non vacet: quippe ſi nigra fluant, vtilis ſit quidem ea vacuatio: ſi verò tenuior & clarior ſanguis, vel etiam copioſius excernatur, ſit inutilis: Sicut ſe obſervaſſe ſcribit Triucavellius ſanguinem ex ani venis ab hirudinibus elicitum, plerumque eſſe clarum non nigrum, præter-

tum cum eædem ſponte non intumeſcant, aut antea doleant: At contrarium ſtatuit Aquapendens, qui aſſerit etiam in iis, quibus nunquam ſanguis per venas ani fluxerit, neque tumidæ fuerint, nihilominus per hirudines appulſas evacuationem debere tentari, vt pote in melancholia, pleuritide, capitis dolore, febribus, liene affecto, renum vitiis, aliiſque plurimis: confirmat ſententiam Aquap. 1. authoritate Gal. 4. aphor. 25. qui ſcribit ſanguinem ſupra excretum, qualiſcunque fuerit, eſſe malum: infra vero & per hæmorrhoides bonum: cum natura multum talem accumulaverit ſanguinem: ſi igitur vacuatio ſit moderata & cum euphoria: 2. Experientia, quæ oſtendit naturam ſæpe per eas corpus à multis morbis liberare, quæ imitanda: 3. In hunc vſum vaſa illa naturaliter ſunt conſtructa, vt quod noxium in corpore redúdat per eadem evacuetur. 4. Quod evacuatio à naturâ vel Medico facta, quoties materia noxia adfuerit, ſit bona nec improbanda: 5. Quia ſi non liceret ſanguinem melancholicum per hæmorrhoides tollere, tum neque eſſe ſecadam venam. 6. Naturam eſſe morborum medicatricem, adeoque imitandam, quam ſæpius has ad ſuperflua evacuanda aperire videamus, proinde & arte id moliri commodiſſimum eſſe: *Heurnius p. 44.*

XIV. Interim hoc maxime attendendum quænam hæmorrhoides per ſanguiſugas aperiendæ, Et qui humores aut vbinam peccent? Si enim in venà cavà humores peccant, externas hæmorrhoides, ante etiam fluere non conſuetas, modo intumeſcant, aperire conducibilius eſt: Eædem tamen aperiri quoque poſſunt, ſi tumeant, vel fluere ſint conſuetæ, licet humores vitioſi in ramis venæ portæ deliteſcant, ob conſenſum nimirum & *ἀναςόμωσιν* hæmorrh. internarum & externarum: quamvis tum, ſi commodè fieri poſſit, internas aperire melius conducat, ſive turgeant ſive non, ob rationes ab Aquap. adductas: Externæ vero non aperiantur niſi tumeant, cum naturæ conatus per hanc viam quippiam extrudendi deficiat: *Idem.* Haberne vero diſcrimen internarum & externarum hæmorrhoidum fundamentum? omnino, Si ſanguinem craſſum ab hæmorrhoidalibus demere volueris, vt vena porta exoneretur, verſus coccygem, & magis introrſum ad inteſtinum, hirudines admovebis: Si venam cavam duntaxat deplere cogites, à lateribus podicis & verſus perinæum, ac ſuperficie tenus ſanguinem educes. *Riolanus Anthropogr.*

XV. Interim tamen naturarum & regionum diverſa conſtitutio, *Aquap.* monente, hic perpendenda: Nam majori cum commodo in Italia, & locis Meridionalibus, vt pote quorum incolæ ſanguinem magis calidum & aduſtum habent, hæmorrhoidum fit apertio, & ob id earum fluxui magis ſunt obnoxii quam Septentrionales, quorum ſanguis frigidior, & hæmorrhoides minus familiares: Licet experientia probet hic locorum cœcas & tumentes ſatis frequentes eſſe, iis præſertim qui affectibus hypochondriacis & ſcorbuto obnoxii ſunt; quas proinde pro humoris fœculenti & melancholici, ad inferiores partes decumbentis evacuatione neceſſe eſt aperire. *Idem.*

XVI. Obſervandum quod vterus cum venis hæmorrhoidalibus magnum habeat conſenſum: quia ex retentis menſtruis & lochiis, totaliter non expurgatis, hæc valde intumeſcunt. In vteri tamen affectibus eas non neceſſario aperiendas eſſe apparet: quia ſanguis hac in parte redundans per propria vaſa expurgari poteſt, & multò tutius: licet enim faciles venæ iſtæ aperiantur, difficulter tamen rurſus claudi poſſunt, Et [illegible] non ſuccedunt poſſunt illa propriis [illegible] excer[illegible]. *Walæus meth. Med. p.* [illegible]4.

XVII. Zacutus l. 3 Pr. adm. obſ. 59. ſedulo monet hæmorrhoides cæcas dolorificas, tumentes & inflammatas minime ſcarificandas eſſe, ne ſequantur immedicabilia vlcera & fiſtuloſa: Nec etiam phlebotomo aperiendas, ne irreparabilis ſequatur ſanguinis fluxus, ad interitum hominem ex[illegible] porte ducens; Exemplo allato [illegible] melan[illegible] & *D. Iohannis Auſtriaci Caroli* [illegible]. *Imperat.* filii, qui ambo admoto hæmorrhoidibus ſcalpello, & larga ſequuta hæmorrhagia, intra paucos horas obierunt: hirudines ſecuriores commendans Medici tamen non incelebres ab apertione cum ſcalpello non abhorrent: Inter quos Maſſarias, Sylvius, P. Argellata, Matthæus Martini: Fe[illegible] tamen acu[illegible] & plagam minutiſſimam eſſe decet, ne largior contingat ſanguinis evacuatio quam quæ naturæ conv[illegible]niat aut facile compeſci poſſit: Severinus præfert hamuloſum pericarpium dipſaci, ſeu cardui [illegible] quem vulgo nominant Cardo, ad quod globuli plumbi fruſtum accommodatur, quo certius impulſu pulſet. *Heurnius.*

XVIII. Quod in Lienis affectibus eas ſemper aperire conceſſum non ſit, ita patebit In Lie[illegible]s affectibus vel ex ipſo vi[illegible]ere vel ex [illegible]cinia vaſis humores ducimus. Si [illegible]ere, tunc fruſtra eſt valvarum horum apertio, valvulas enim habent quæ impediunt effluxum ſanguinis [illegible]: quicquid ſanguinis his educitur, illud omne provenit [illegible]x arteria cœliaca, nihil ex [illegible] plene; ſin [illegible] vicinia evacuare animus eſt, etiam non ſemper venarum harum apertio prodeſt, [illegible] melancho[illegible] in toto corpore craſſo illo ſucco & [illegible] abundant; Poſteriores apperitu deſtituuntur, vltimi [illegible] habent: Illis du[illegible]bus, quia totus ramus ſplenicus, & arteriæ cœliacæ eſt obſtructus, nihil emolumenti exinde paratur, Poſtremis [illegible] non raro multum levaminis: nam dum hæc vaſa aperiuntur [illegible] poſt arteria cœliaca abundantem ſuum ſanguinem per illa expurgare, & Lien de ſuo pondere mult[illegible] hunc expurgatum deponere *Walæus m. m. p.* [illegible] Qui inde inter[illegible] vltimis melancholici po[illegible]e quidem aperiri, verum abſque omni neceſſi[illegible] uicus enim *ait* vomitus plus facit quam [illegible] repertæ hæ apertiones: Verum cum natura ſponte ſua ſæpe hæmorrhoides ſummo cum ſanitatis emolumento reſeret, cur non & imitatrix ars id [illegible] tentare debet? natura enim hiſce ape[illegible]s ſæcem ſang[illegible]nis deponere ſolet, quaſi aliqua purgatione [illegible], quæ per intervalla rediens non ſolum a morbis melancholicis, ſed & aliis periculoſiſſimis præſervat. Lienem induratum ſanat. 6. Epid. 6. 8. At [illegible] ſolvit. 6. aph. 11. 21. 2c. & omnis humorum abundantia illius vi repurgatur &c. *Hofmannus meth. Med. lib. 1. cap. 16. p. 242.*

XIX. In Ardentibus & malignis *Aquapendentius* ait vecuationem per hæmorrh. magis conferre [illegible] v. [illegible] in brachio, eo quod Cavæ [illegible] in quibus materia peccans hæret, ſic [illegible]ſum: Addimus nos, dum ex arterus [illegible] bus, [illegible] inde mi[illegible] ſubleva[illegible] it. *Robinkſius de Febr. pag. 74.* vide §.

HEPA-

HEPATICA.

(Vide *Hepatis affectus lib.*8.)

SYLLOGE.

Reſpiciunt vel Hepatis vaſa, ductus & poros. 1.
Vel Bilem, quæ aut reſtauranda. 2.
Aut temperanda. 4.
Aut tonum ejus. 5.
Dulcia quæ & quomodo juvant. 3.
Martialia quomodo utilia. 6.
Aperientium nimius uſus nocet. 7.
Adſtrictoria non ſemper locum habent. 8.
Syruporum abuſus nocet. 9.

I. Hepatica medicamenta reſpiciunt, tum ejus *vaſa*, ductus & poros, In concreto, ſimul reſpectu habito ad *vaſa Lymphatica* & *veſicam biliariam*, Tum *Bilem*, quam ſegregat & tranſcolat, Tum *tonum* ſeu *villos, fibras & parietes*: *Ductus* potiſſimum reſpiciunt *Aperientia*, maxime enim & præ omnibus aliis viſceribus id obſtructionibus eſt obnoxium, ob copioſiſſima quibus gaudet vaſa, adeoque præcipua hepatica ſunt quoque Aperientia: Huc quoque ſpectant *Diuretica*, quæ niſi ſiccior ſimul adſit intemperies, & ſi hæc adfuerit, dilutiora, hepati maxime conveniunt: Sic, ut quædam ſolum repetamus, conveniunt & *amara*, quæ viſcedinem bilis extergent, incidunt & attenuant 2. *partium tenuium* alia, ſive *aromatica*, ut calamus aromaticus, ſpica &c. ſive *acida*, ut hepaticum rubrum, ſpiritus minerales; ſive 3. *abſorbentia*, lixiva, & inprimis martialia: Hæc vero uſum habent eximium in obſtructionibus, mucilaginoſa nimis bile, ictero, hydrope, cachexia & ſimilibus.

II. *Bilem* porro reſpicientia, vel eandem *reſtaurant*, ſi iners ſit & *deficiat*; vel *excedentem* irruentemque reſtringunt, *exſuperantem* imminuunt, *effervefcentem*, & urentem quaſi mitigant: Quæ Bilem *reſtaurant*, partim contraria ſunt fermentum ventriculi reſtaurantibus, & eadem fere quæ calorem ventriculi adaugent, nempe 1. *ſulphurea balſamica*, ut aromata omnia, item *ſpirituoſa*, ut vinum ejuſque ſpiritus. 2. partim eadem ſale volatili & ſimplici, & oleoſo acri pollentia, ſinapi, eryſimum, naſturtium, quæ eidem quaſi ſtimulum accedunt, Conſtat enim præcipue bilis 1. ex partibus oleoſis, ſulphureis, balſamicis. 2. ſalinis volatilibus, quæ utraque mucilagini cuidam aqueæ paucæ ſunt immerſa, & particulis aqueis limitata: Pertinent huc quoque *Dulcia*, quæ bilem adaugent, & quidem conſequendo partim *partes mucilaginoſas*, viſcoſas, unde & obſtructiones gignere eadem dicuntur; partim etiam *ſulphureas*, ſi in calidius & ſiccius corpus incidant. Et hæc conveniunt in anaſarca, aſcite quoque ex parte, cachexia seroſa, tumoribus laxis, & ubi alias rarefactione ſanguinis opus eſt, quæ enim intimius tunc rarefaciunt, illa & bilem exaltant: Proſunt porro phlegmaticis, nullo quaſi felle gaudentibus.

III. Cum Dulcium meminiſſe contigerit, videndum cur *Galenus* 8. de comp. med. K. T. Uvam paſſam hepati tota ſua ſubſtantia familiarem eſſe ſcribat, Et cur ſaccharatis id non æque tribuatur? Illa dulcium paſſulæ. cum hepate familiaritas locum dedit elect. de paſſulis, hepati roborando conveniontiſſimum ex *Riverio*, Ratio eſſe poteſt quod bilis fluxilitatem & inertiam temperent, & ſimul blande humectent, id vero ſaccharata non præſtant.

IV. *Bilem* vero *excedentem temperant* & *refrenant*, tum per accidens, *aperientia* quædam, cichoracea: Ubi notandum quædam dici refrigerantia, quæ tamen ſunt calida, exemplo horum ipſorum, quatenus nempe repagula laxant & ſimul blande abſtergunt, partim *evacuantia cholagoga*; tum per ſe 1. *Diluentia*, ſic ubi bilis peccat prodeſt ſerum lactis caprini cum pauxillo cinnam. &c. ſive anima rhabarb. una ſumatur, ſive clyſſus antimonii inſtilletur, quod utrumque nobis in uſu eſt felici; pertinent huc acidulæ, potiones &c: Hæc ipſa vero diluentia etiam vehiculu ſunt aperientibus, unde notandum in Ictero magis diluentia, in hydrope magis ſiccantia aperientia convenire, Et illa ipſa aperientia, una diluentia, lympham expediunt, & liberum reddunt ejus motum, ſerumque una reſtituunt, quod frænum eſt & dicitur bilis: 2. *Amara*, quæ & abſtergunt, & poros aperiunt bilis, ut ad inteſtinum magis cieatur & evacuetur, Nota eſt abſinthii, aloes & rhei vis. 3. *Acida*, huc ſpectat acidum Tartari, rubrum ſantal. ſive hepaticum rubrum Dresdenſe; hæc quippe partem bilis ſulphuream domant & obtundunt; volatilem vero ſalinam figunt & enervant: 4. *Terrea* & *abſorbentia*, inprimis nitroſa & alkalina, ſic & ipſa ſalia lixiva huc ſpectant; item teſtacea, corallia, perlæ, ſpecies & pulveres &c. item ipſa nervina, ſive cinnabarina, quæ in affectibus hepatis comperimus proficua, & dolorem hypochondrii dextri contumacem, cum lichenibus toto corpore erumpentibus, his potiſſimum feliciter curavimus, Notandum enim, teſte experientia, terrea & bilem, ſive bilioſos humores, præcipitare & abſorbere, & acidos ipſoſque ſeroſos: unde concludere abſolute non valet, ubicunque proſunt medicamenta alkalina, ibi peccat acidum; teſtatur enim experientia in plurimis ægris & affectibus terrea prodeſſe, ubi omnium conſeuſu acidum non peccat, ſed bilis regurgitat & ſpumeſcit, quam diſſociant, inhibent, & in ſuo motu præternaturali refrænant.

V. *Tonum* denique hepatis & *villos* roborant, tum 1. moderate Adſtringentia, Unde vulgatum apud Practicos gaudere id adſtrictoriis, Tum 2. *abſorbentia*, inprimis martialia, & ex his vitriolata; Tum 3. *temperiem quamvis exceſſivam* corrigentia, inprimis vero humidam, & conſequenter laxam; Hinc proſunt quoque *Mercurialia*, & Mercurius dulcis in ſpecie maxime laudatur, quo ipſo cum bezoartico martiali ſcribitur à Sennerto curatus derelictus hydropicus, non alia ratione quam quia Mercurius dulcis fluxile reddit ſerum, unde obſtructiones expedit, laxitatem ob alio diverſum ſerum, & commodioribus locis hinc excretum curat &c. Sic & *antimoniata*, quatenus egregie præcipitant & ſiccant conveniunt, diſcutiendo humores ſuperfluos.

VII. Sic *Martialia* inprimis id præſtant, unde & cautela circa eorum uſum apud *Gul. Gilbertum* lib. de magnete 1. cap. 15. qui *aes* dari præcipue martem in hepatis laxis & præhumidis malis, quia exiccat; item in chlunoſi, lienibus magnis, ubi ſcil. humor abundat; Negat autem maxime illud in ob-

ſtructionibus, & conſequenter in hydropicis & hepatis ſcirrho laborantibus, ictero, melancholia hypochondr. quibus propinari, *addit*, non ſine multorum certa pernitie; Item viget *Fallopius*, & *Conringius* 2. Hermet. Medic. p. 236. ad aqua ſaltim tumidos, lienes ſcirrhoſos, quales ſunt plerumque, concedens. Nos vero moderabimur paulo hæc ita, Vbicunque adſunt obſtructiones viſcerum, hepatis & lienis, cum humore excedente, & hepate non nimis ſicco, ibi magis conveniunt martialia, in forma ſicca, vt crocus, pulvis cachecticus, flores martiales: Vbicunque vero vna ſiccitas adeſt & ſcirrheſcentia; ibi magis humida, vel ſaltim non ſine diluentibus: Sic etiam *Septalius*, aliique, idem de rhabarbaro ſcribunt, illud in ſicca intemperie potius eſſe mortem hepatis: Verum eadem valent de eo quod jam de martialibus diximus.

VII. Notandum vero continuo aperientium vſu lædi hepar: hinc errant illi qui meris incidentibus, acidis volatilibus, decoctis aperientibus obſtructiones vaſorum expellere conantur; quod & de purgantibus valet: Hinc vbi pororum adeſt obſtructio, aperiendum, ſed ita vt ne cum impetu id fiat, Exempla talia in hypochondriacis ſæpe viſuntur.

VIII. Notandum & adſtrictoria in hepatis affectibus non vbique locum habere: diximus quidem roborantia ſimul debere eſſe tonica, at dantur caſus vbi ab adſtringentibus cavendum, v. g. ſi ſcirrheſcit hepar, in ictero, obſtructionibus contumacibus, non æque proficua ſunt, Adſtrictoria vero nominamus quæ laxari viſcerum tonum prohibent: hinc quæ adſtringendi viribus pollent, faciant id cum tenuitate partium; quæ aperiunt, cum partibus terreis.

IX. Illud quoque obſervandum Syrupis non fidendum inter aperientia & hepatica: Dulcia enim facile lædunt hepar, quod bileſcant, vnde facile generantur obſtructiones. *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac.* 105.

HYPNOTICA, NARCOTICA.

(Vide *Anodyna.*)

SYLLOGE.

In eorum vſu patientis conſtitutio perpendenda. 1.
Morbi natura. 2.
Spirituum animalium tenor. 3.
Sanguinis & humorum ſtatus. 4.
Cautiones in eorum vſu. 5.
Ventriculo *ſunt inimica.* 6.
Initio paroxyſmi, aut prope criſin ne dentur. 7.
A venæ ſectione non exhibenda. 8.
Procul à cibo debent offerri. 10.
Nimia operatio quomodo cohibenda. 11.
Vſum eorum indicantia. 12.
In doſi non aberrandum. 13.
Pueris *tuto exhibitum laudanum.* 14.
Non conveniunt in ſimplici intemperie calida. 15.
Et vbi ſucci craſſi dominantur. 16.
Noxa inductæ emendatio. 17.
Admota *moram in parte ne trahant.* 18.
Quando removenda. 20. a
Inefficacia ſunt, vel non tuta, admota. 19.
Varianda ſunt pro temperamentorum diverſitate. 20. b
Senibus hypnotica quæ conveniunt. 22. a
Soporifera frigida in Pectoris mal*is vitanda.* 21.
Opiata pauca quantitate & ſenſim præbenda. 21. a
Narcoticum ſeu Anodynum ex Vitriolo. 21. b
Ad Opium & laudanum non deveniendum niſi cum diacodiata inſufficientia ſunt. 22. b
Opium *an ſit venenum.* 23.
Quomodo corrigendum. 24.
Laudanum *dextre exhibitum medicamentum ſecurum.* 25.
Opium Narcoticum eſt tutiſſimum ſi recte vſurpetur. 9.
Eſt tamen infeſtum cerebro. 26.
Pectori. 27.
In affectibus imi ventris non ſemper vtilia narc. 28.
A Laudano roborantur omnes facultates. 14.
Laudanum ſimpliciſſimum compoſitis præferendum. 29.
Opium compeſcit vitioſam humorum efferveſcentiam, hinc elevatos flatus. 22. c
Immediate ante cibum datum Laudanum efficacius operatur. 30.
Non danda narcotica pridie purgationis aut phlebotomiæ. 31. 40.
Valent in fluxione à capite in pulmones. 32.
Sequente die ſudor erumpit. 33.
Debilitati ſuccedenti quomodo ſuccurrendum. 34.
Fluxum humorum ſæpe citra ſomnum ſiſtunt. 35.
Pridie criſeos exhiberi poſſunt. 36.
Vomitus prævioſus aliquando ſuccedit. 37.
Aliquando vrinæ ſuppreſſio. 38.
Poſſunt exhiberi cum purgantibus. 39.
Quando purgans cavendum ne pridie exhibitur. 40.
Si cum catharticis dentur, illorum augeatur quantitas. 41.
Valent in Peſte. 42.
In febribus continuis. 43.
In Tertianis. 44.
In intermittentibus qua cautione exhibenda. 45.
Laudanum ſine hyoſciamo paretur. 46.
Opium à ſulphure liberetur. 47.

I. Circa rectum *Pharmaciæ Opiaticæ* vſum quatuor hæc ſequentia obſervanda, vid. priuſquam medicamen narcoticum exhibeatur perpendere oportet, 1. Cujuſmodi ſit patientis conſtitutio. 2. Qualis ſit morbus quo laborat. 3. in quo ſtatu ſpiritus animales reſpectu functionis tum animalis tum vitalis verſentur; 4. denique In qua conditione ſanguis aliique humores fuerint: Quoad prius, quando hypnoticum indicatur, videſis ne contraindicet Ægri temperamentum, corporis habitus vel indiſpoſitio, conſuetudo, vitæ genus, E. g. qui ſtatura mediocri, corpore firmo & quadrato, ſanguine calido, aſpectu vivido aut acri præditi ſunt, medicinam iſtam melius ferunt & ſæpius cum emolumento ſumunt, quæ inſuper multo ſecurius vtentur ſi prius eidem aſſueti fuerint: E contra autem ea minus convenit, imo interdum valde obeſt illis qui obeſi nimis vel admodum graciles,

ciles ſunt; inſuper qui aut rarioris texturæ ſpiritus facile diſſipabiles, aut temperamenti frigidioris carnes molles & flaccidas habent, atque indolis pigræ & indocilis, ex ſe hebetes & ſomnolenti exiſtunt, quibus ſcrupulus hic accedit, & reliquorum pondus auget ſi medicinam iſtam prius nunquam cepeti ſint.

II. *Morbi natura* propter vel contra Opiata magni interdum momenti eſt; In levioribus affectibus (juxta Septalium) adulatoris Medici eſt eadem in vſum ducere: Porro in quibuſdam magnis aut vetatur iſte, aut valde ſuſpectus habetur: In paralyſi, vertigine, incubo, apoplexia; item in orthopnoea, hydrope pectoris, abdominis, in membrorum ſtupore aut tremore, in febribus admodum malignis, inque intermittentium paroxyſmis, aut aliarum criſibus, narcotica ſæpiſſime interdicuntur: Porro in craſſi cum ſputo copioſo & craſſo, aſthmate, & in quibuſque aliis cum pulmonum oppreſſione affectibus thoracicis, inque paſſionibus hyſtericis, aliiſque convulſivis, rarius & non ſine cautela & prudentis Medici conſilio exhibenda ſunt: Veruntamen in cephalalgia immani, catarrhis, colica, pleuritide, febribus ordinariis, in vomitu, dyſenteria, in paroxyſmis nephriticis, arthriticis, & doloribus quibuſcunque pharmacia opiatica non modo conceditur, ſed ad ipſam quaſi ad panacæam Divinam accurritur.

III. At quoties hæc proponitur, inſuper conſiderare oportet in quo tenore ſpiritus animales cujuſque ditionis præſides fuerint, nam ſi pauciores vel oppreſſi jamjam concidunt, & vela ſua non ſatis explicant, nequaquam certe a pharmaco amplius minui aut conſterni debent; Quapropter dummodo facultates animales, quoad ſenſum vel diſcurſum nonclare vigent, aut ſatis vegete ſeſe exſerunt, aut cum pulſus & reſpiratio reciprocationum ſuarum vices nonniſi debiles, item celeres, aut etiam ſolito tardiores, impeditas & inæquales habent, aut denique ſi membra & partes motivas ſtupor & enervatio cum languore inſolito occupabit, pharmaciæ cuivis hypnoticæ omnino ſuperſedendum erit: Eandem vero in vſum ducere non hæſitabimus, ſi quando ob graviores affectus indicatur, ſimulque ſpiritus animales ſecundum hos alioſque reſpectus ſatis robuſti exiſtunt, aut etiam expanſi nimia, vel ſupra modum efferi ac feroces evadunt.

IV. Interea tamen ſanguinis & humorum ſtatus haud negligendus eſt, quippe interdum iniqua, aut improba horum conditio, Opiata prorſus vetat, aut nonniſi parcius & cum reſtrictione quadam ſumenda permittit; Sanguis eorum vſus contraindicat, quatenus vel quantitate vel qualitate, ſive in craſi ſua peccat, Quoad priorem, latex cruentus vel ſuperabundat, vel deficit, & vtroque reſpectu pharmaciam narcoticam excludit: primo enim ſi quando ſanguis copia turgens, ſimulque in febre ebulliens vaſa immaniter diſtendat, adeoque præcordia ad cum* ocyſſime, ne alicubi ſtagnet aut exundet, circompellendum cum ſyſtolæ vicibus celerrime repetitis ſumme ad laborant, tunc certe narcoticum exhibere, quo iſte cordis labor & nixus vltimi ad vitam tuendam neceſſarii præpediantur, veneficii potius quam Medici officium eſſet: quare in ſanguinis plethora phlebotomia Opiatorum vſui ſemper præmitti debet: Secundo, nec minus malum a Narcoticis imminet quoties in ſanguinis defectu, ſive penuria, vti poſt magnas hæmorrhagias, longas inedias, aut diuturnas ægrotationes exhibentur, quippe cum ſanguinis rivos perexiguus, & præ exiguitate vix continuus, ne fluor ejus interrumpatur, & proinde celler, cor pulſu admodum veloci agitatum velut nixibus duplicatis circumactionem ejus celerrimam molitur: Hinc obvium eſt concipere quantum opiata, quæ huic cordis molimini, tunc apprime neceſſario, ſufflamen ſive remoram imponunt, noxam inferant: Profecto ob hanc rationem videtur eſſe quod mulieribus, mox à puerperio, lochiis copioſe fluentibus, & quibuſvis a libera ſanguinis miſſione, aut immenſis hæmorrhagiis, ſomnum interdicimus, videl. ne cor, quibus ſanguinis rivum diminutum ocyus circumpellat, ſpiritus inter dormiendum revocati deſtituant: Porro interdum ſanguis qualitate, ſive in craſi ſua peccans, Opiatorum vſum contraindicat, quippe dum in cacochymia, aut febre, cruor recrementis plurimum refertus majori cordis nixu agitari & velocius circulari debet, nempe vt particulæ heterogeneæ ſubjugentur & cito evaporent, narcotici operatio interveniens, hæc præcordiorum molimina ſufflaminat, proindeque ſanguinis luſtrationem retardat & nonnunquam fruſtratur: Quod ſpectat ad alios humores recrementitios, intra ventriculum aut inteſtina accumulari ſolitos, etiam hos per vomitum aut ſeceſſum ſubduci & expurgari oportet priuſquam Opiatum propinatur: ſecus enim illic defixi pertinacius hærebunt: quippe fibræ ſplanchnicæ, a pharmaco ſtupefactæ, non uti prius irritatum, nec recrementis illis expellendis ſpaſmus excretorios facile ineunt, aut vegete perficiunt; quare, juxta vetus præceptum, ſi quid evacuandum fuerit, ante pharmaciam narcoticam evacuetur. *Willis ibidem.*

V. Circa Narcotica obſervandum ante eorum vſum Anodyna ſemper prius eſſe vſurpanda, Nam cum illa ſpiritus torpidos reddant, ſtuporem ſæpe, ſoporem, ſpiritus difficultatem, & interdum ipſam etiam mortem inducant, ſumma cautione in illorum exhibitione opus eſt: 2. ante vniverſalium vſum non vſurpanda. 3. Tutius eſt extra corpus applicare, & videre an eorum vſus ſufficiat antequam intra corpus adhibeantur, 4. Attendendum an vires tamdiu morbum ſuſtinere poſſint donec cauſa vigiliarum, vel doloris, ordinariis remediis tolli poſſit; nec prius ad ea accedendum antequam periculum aliquod ægro ex vigiliis vel dolore immineat. 5. ex *Sennerto* l. 1. p. 2. cap. 1. Pract. Au vires à morbo non valde dejectæ ſint, ſed ſaltem ob dolorem vel vigilias periclitari incipiant, Tunc tuto, reliquis nihil juvantibus, opiata licet offerre: Si vero non ſolum ob vigilias & dolorem æger periclitetur, ſed ab ipſo quoque morbo vires jam dejectæ ſint, vt fere de ægri vita dubitetur, tunc non facile exhibenda, quia mortem accelerant & ſoporem perpetuum inducunt. *Fridericus Hofmannus m. m. lib. 2. cap. 4.*

VI. Quotidianus & frequentior vſus fugiendus eſt; ne dum dolori ſuccurrere tentamus, alium introducamus affectum, aut coctionem ventriculi imminuamus: Nam ipſe obſervavi verum hoc eſſe quod ventriculi coctionem interturbant, ſpiritum enim fermentalem ejus obtundunt, vt vim fermentantem exerere nequeant, hinc cardialgiæ, ventriculi gravitas & compreſſiones cum angoribus inſequuntur. *Idem Ibidem.*

VII. In principio paroxyſmi, aut etiam criſi imminente exulent, Ex iis enim naturæ conatus &

motus invertitur, dum ſuffocatur calor naturalis, & impeditur ne calor ſebrilis expandatur, & materia morbifica expellatur. *Idem ibidem.*

VIII. Eorum vſus poſt venæ ſectionem valde noxius eſt, quia membra tunc valde langoentia ſunt & fere inſenſibilia, facile hæmorrhagia lethalis oriri poteſt, vide exemplum apud *Borellum centur*, 4. *Obſ.* 57.

IX. Quamvis Narcoticorum varia ſint genera, teſte Gal. 5. ſimpl. 18. dum quædam agunt manifeſta qualitate, ut cicuta, mandragora: quædam occulta, ſeu tota ſubſtantia, vt ſolanum ſomniferum, quæ in vſum adhiberi nunquam ſolent à Medicis: Tamen Opium, vt minus noxium, ſi correctum fuerit, præcipuum narcoticum eſt; Nos ſecurius illo vtimur ſic præparato, Cum juxta quorundam Medicorum ſententiam crudum vim habeat exulcerandi, prius exſiccandum, & ab humiditate ſua excrementitia (ſub qua exulcerandi vis deliteſcit) liberandum: Vbi tamen notandum eſt caute ignem eſſe adminiſtrandum, ne empyreuma contrahat, aut plane calcinetur, atque ſic ſulphur anodynum, quod in viſceribus ſuis habet reconditum, perperam deperdatur, Poſtmodum cum acero deſtill. extrahendum, quod ſal & ſulphur Opii extrahit: Spiritus enim vini ſaltem ſulphur extrahit, & ſal intactum relinquit, cum in ſale ſic robur ejus vitale, & beneficio aceti malignitatis tyrannis opportune ſimul domatur. *Fr. Hofmannus m. m p.* 439.

X. Poſt cibum è ventriculo lapſum, & ante exhibitionem alterias per tres horas, ne coctio turbetur, offerenda ſunt: Si tamen maxime neceſſitas vrgeat, etiam à cœna per huram concedi poſſunt; vaporibus cibi facilius deducentibus vim ſomniferam & anodynam ad cerebrum. *Fred. Hofmannus m.m.p.m.* 438.

XI. Quando nimia Opiatorum quantitas exhibita eſt, jubet *Platerus* leniens aſſumere: Verum ejus effectus eſt fruſtraneus, Wallæus quidem optimum eſſe inquit validum exhibere purgans, ſed metus etiam eſt ne ſubſiſtat propter motum humorum a narcoticis inhibitum: Nobis *Helmontii* arridet conſilium, qui Opiatorum noxas & incommoda optime debellat per lixivia *In Dunmviratu p.* 245. §. 31.

XII. Committunt Medici ejuſmodi exceſſus cum in aliis quoque remediorum generibus non paucis, tum vel maximè in iis vocatis anodynis quæ ex papaveris ſucco, vel alterci ſemine, vel mandragoræ radice, vel ſtirace, vel tali quopiam fiunt: nam & qui ægris gratificantur in eorum medicamentorum vſu modum excedunt; & qui intempeſtivè immodiceque ſunt animoſi, dum prorſus horum vſum refugiunt, doloribus ægros jugulant: Ergo veluti in omni totius vitæ tum habitudine, tum actione, ita hic quoque conſilium illud Sapientis, qui *Nequid nimis* dixit, amplectimur, habentes pro fine, quo tendamus, Ægri vtilitatem: Quippe ſi fas eſt, in remediis, quæ morbum ſanent, vtendo, quod optamus efficere, abſtinendum à ſopientibus medicamentis: Sin ex vigiliis & viribus reſolvendis ad mortis diſcrimen æger tendat, tum profectò tempeſtivè ejuſmodi medicamentis vtare: Scilicet ooo ignarus corporibus habitum nonnihil ex iis lædendum, læſionem tamen quam mortem potius eligendam. *Galenus* 12. *meth. Med. cap.* 1.

XIII. Quantitas ne ſit nimia, dolorem ſiſtere non obruere debemus: Opium crudum facit convulſiones & leipothymiam: Correctum itaque dari debet, vel in laudano Opiato, vel in Theriaca: hanc exhibent a ʒß. ad ℥j. ij. Quædam mulieres quolibet octiduo maxima cephalalgia laborant; hinc paulatim ad vſum illius aſſueſcunt, ita vt a ʒß. ad ℥vj. aſcendant: quod nemo ſanus temere imitari debet: Medicus contentus ſit ʒß. ʒj. Opii infima & vſitata dozis eſt gr. j. ij. magna gr. iij. iv. nimia gr. v. vj. Expertum & prudentem hæc volunt Medicum: In frigidis affectibus aut ſubjectis minus de Opiatis exhibeamus quàm in calidis: Hydropici vnius grani opii exhibitione moriuntur. *Walæus methodi medendi pag.* 153.

XIV. Diverſas contrariaſque operationes, per accidens tamen, aliquando producit Laudanum: dum enim dolores & ſomnum inducit, recurrit calor nativus, qui propter doloris vehementiam & vigilias diſperſus fuit, ad internas partes corporis: inde ſuas vires mox ita colligit æger, vt omnes facultates veluti in integrum reſtituantur, atque expultrix naturæ moleſta, & inimica expellat, quod ſequenti exemplo fiet manifeſtum: Cum aliquando puero decimeſtri herniam inteſtinalem feliciter ſecuiſſem, vulnuſque jam ad cicatricem eſſet deductum, ecce ſubitò ingentibus torminibus ventris corripitur, ita vt noctes dieſque ejularet: Cauſæ ignarus, (quam reticebant parentes) interea remedia neceſſaria adhibui; tandemque cum vires paulatim imminui, ad granum vnum laudani, cum paucâ confectione alkermes, ex lacte exhibui: Ea nocte ſat bene quievit: ſequenti die ecchymoſis in inguine ſano erumpere cœpit, quæ paulatim coxam ad genu pedemque vſque occupavit: Ab eo tamen tempore dolores & tormina ventris imminuta fuerunt: Et cum triduo pòſt eandem potiunculam ex làudano exhibuiſſem, omnino remiſerunt: ſed ecchymoſis illa alterum quoque crus, lumbos & os ſacrum occupavit, à qua brevi liberatus. *Fabritius Hild. cent. v. Obſ.* 60.

XV. Cautio ſit ne vtamur Narcoticis in ſimplici intemperie calida, vbi materia morbifica abeſt. *Heurnius meth. lib.* 3. *c.* 13.

XVI. Atque vbi craſſi & glutinoſi ſucci exuberant, alieniſſima in his ſint quæ torporem inferunt, modo abſit ab ægro periculum. *Idem l.* 3. *c.* 7. *Sennertus l.* 3. *Pract. p.* 2. *ſ.* 1. *c.* 2.

XVII. Quando nimia Opii quantitas exhibita eſt, jubet *Platerus* leniens aſſumere: verum hoc nihil poteſt, Optimum eſt ſi validum exhibeatur purgans: ſic enim humores incraſſati attenuantur; Nec eſt quod ſuper purgationem timeas, nunquam enim illa in hoc caſu à pharmacis fit. Duo Medici de cauſa mortis accuſabantur: alter validio purgante ſuperpurgationem excitaverat: alter hanc ſuperpurgationem ſiſtere volens exhibet narcoticum, æger mox moritur. *Walæus meth. Med. pag.* 194. Si quis torpor capiti, & læſio aliqua inducta videatur, corrigatur lotione cum decocto folior. betonicæ, malvæ, flor. chamomillæ: Et ſi præter opinionem æger profundius ac diutiùs dormiat, naribus admoveatur ſpongia: vel linteolum aceto acerrimo madidum, &c. *Senertus ibid.*

XVIII. Sedato dolore ac placatis vigiliis, illico removeantur, ne calidæ intemperiei frigida ſuperveniat: *Heurnius l.* 2. *c.* 7.

XIX. Notandum *Narcotica admota* non ſemper optatum effectum conſequi, vel periculum inducere: ideo Mneſidemus apud *Dioſcor.* opium præbebat olfaciendum, & *Rhaſis* auribus indebat, (quod

(quod tamen ſuſpectum, cùm bellum auditui indixerint) Si enim, 1. Fronti admoveantur, nec ſæpe renoventur, ibi incaleſcunt, ac caput magis calefaciunt, ideo ſomnus potiùs abigitur quam allicitur. 2. Os frótis ſolidum eſt, denſum, & à cerebro magis quam cætera oſſa ſemotum, hinc vires eò non permeant. Si ſuturæ coronali imponãtur, vires quidem exferẽt, ſed cerebro, quod plurimũ ibi ſubeſt, injuriam inferent.

XX. *a.* A narcoticis abſtinendum eſſe conſequemur his indicijs, 1. Cum æger in parte affecta tantum caloris, punctionis & doloris non ſentit quantũ antea. 2. Cum ad tactus judiciũ pars apparet tepidior quàm eſſet prius: 3. Cum color rubeus & citreus paulatim liveſcere & nigreſcere incipit. *Parens l. 6. c. 13.*

XX. *b.* Notatu dignum, *Hofmannum l. de Med. offic.* obſervaſſe quod Iris ſomnum conciliet, non vi narcotica, ſed ſubſtantia vaporoſa, quali conſtat quoque crocus, myrrha &c. Facium id autem in corporibus frigidis & humidis, non calidis ac ſiccis: In his enim cum calor nativus oppreſſus non poſſit vapores ad caput efferre, calida hæc illi ſuccurrunt, & genitis vaporibus ſomnum conciliant.

XXI. At vero vt Sopoſifera frigida in *Pectoris malis* nocent, humores incraſſando, & ad expectorationem ineptos reddendo, ita Iris in his malis egregiam præſtat operam. *Sim. Pauli quadrip. Botan. cl. 2. Tit. Iris.*

XXI. *a.* Cum facile peccare quis queat in vſurpando nimia quantitate Opio, prudentis Medici erit cãute ſe gerere in Opij Opiatorumq; exhibitione, atque iteratis potius vicibus, & ſingulis quidem parum vſurpare, quam cum ægrotorum periculo ſimul & ſemel multum præbere: cum præſertim idem, & quidem laudabilior effectus obtineri poſſit ex eodem Opiato partitis vicibus exhibito quam vnica. *Sylvius de le Boë Prax l. 1. c. 22. §. 113.*

XXII. Quamvis toto cœlo differant Opij vis narcotica ſtupefaciens, ac *Anodyni ex Vitriolo parati* vis pacativa, & naturalem duntaxat ſomnum inducens, non autem ſtuporem (quod probe notari velim ab omnibus praxim medicam cum laude aliquando inſtituere cupientibus) juvant tamen collatæ ſimul alterutrius aut vtriuſque naturæ explicationem: Et certe videtur Opij vis narcotica in animales ſpiritus extendi, Vitrioli autem vis pacativa in Bilem efferveſcentem, quam tunc putem vocari *Helmontio Furorem Archei*: Quærant interim omnes Anodynum illud vitrioli, & pro arcano ſummo habeant, quotquot ipſum invenerint, mirabilia namq; præſtat in varijs affectibus difficillimis curandis. *Idem §. 31.* Laudanum ſine opio, ex impuro illo vitrioli ſulfure, quod per lixivium in vitrioli diſſolutione præcipitatur, anodynum eſſe in colica *Trognij* aſſeruit; non tamen ſum expertus. *Th. de Mayerne Tract. m. ſ. de Laudano §. 26.*

XXII. *Opium* vim habet ſummam impediendi compeſcendique vitioſam Humorum acrium efferveſcentiam, tum in tenui inteſtino, tum in corde, tum alibi, ſine qua non ſolent excitari facile halitus noxij & acidiuſculi, quos oportet potentet tum concentrare, tum diſcutere ſpirituoſis, ſalinis, volatilibus & oleoſis intime artis ope vnitis. *Franc. Sylvius Prax. lib. 1. cap 34. §. 113.* Vide *ſimul. de Syncope lib. 17. §. 6.*

XXII. *a.* Memini *Mich. Neucrantzium*, Practicum celeberrimum, averſantem præpoſterum hypnoticorum vſum in ſenibus, feliciſſimo ſucceſſu ſpecies Diambræ & Diamoſchi, electuarijs ex conſerva anthos, meliſſæ & ſimilibus paratis, vt ijs moleſtas abigeret vigilias, remiſcuiſſe: Ratio autem hæc illius inſtituti eadem eſt quam de Iride dedit *Hofmannus*, quia ſempe moſchus & ambra fumoſa ſunt. *Idem ibidem.* Vigilias ſedat Opium & ſomnum ſuavem conciliat, modo non oriantur à nimia ſiccitate, quo caſu per ſe data non proſunt: ſed cum humectantibus optime, ita vt hoc modo & demulceatur cerebrum, & ſopiatur præcipue in ſenibus, & alias vbi à ſiccitate nimia, lymphæ defectu, acore, indiſpoſitione oriuntur: Vnde capitiluvia, pediluvia &c. huc ſpectant, vt & alia opiatorum vehicula, & illorum vim promoventia. *Wedelius de ſ. m. Fac. p. 205.* Elegans locus eſt apud *Heer Obſ. 2.* de Sene inſomnijs fatigato, cui hæc præſcribit, Si, *ait*, quoniam à vino, quod ipſe obſervavit, paulo largius ſumpto, moleſtia vel omnino, vel pene liberatum, ſomno altiore, inſomnia fugante ſc. quando vinum nec decore, nec tuto ea quantitate in dies à Religioſo ſumi poteſt, quid ſi ſuccedaneis eidem fini facientibus vtamur? Saoe aqua ſomnifera *Langij* ſæpe mihi feliciter vſurpata, dico de ſtillatitia ex vncia opij & capitibus duorum aliorum, tuto vſurpari poſſe videtur; Idem deſcribit *vngu. de Alabaſtro*, ſomno conciliando multis celebre pharmacũ, quod ego in dies in vſum duco: Eſt & pulv. in eo ſomnifer, itemq; pedum lotio, quod cum nervorum à cerebro propagines in tales deſinant, per aquam, incoctaq; el medicamina, mulcebris ad cerebrum tranſmiſſis, animos mulceri certum eſt: Quæ ſi diſplicuerint, ſpongia ſomnifera *Heurnij 2. met. c. 7.* tuto vti poſſumus, cum & illa amota facile ſopiti evigilent, aut ſi diuturnior illis ſomnus obrepſerit, alia ſpongia decocto ſerpilli macerata, cum majorana, apio & ſem. fœniculi aceto incoctis, naribus appoſita, facile ad vigilias revocentur: Tandem, meo conſilio & periculo, vltimu cœnæ hauſtu ſemi cochlear aquæ vitæ ſorbeat cum cereviſia vel vino; Sic ego mihi & ventriculo calorem blandum, & qui eum ſequitur cerebro ſuavem ſomnum concilio.

XXII. *b.* Quod ſpectat ad *papaveris albi capita cum ſeminibus*, è quibus Diacodium, item decocta, emulſiones, aliæque confectiones hypnoticæ parantur, facile conſtat hæc longe minus quam concretum opij ſuccum ſulphure narcotico prædita eſſe, quodque hujus illis ineſt multo puriùs atque innocentius exiſtere; quapropter remedia ex his compoſita ſæpius & ſecure magis exhibemus: Neque enim ad Laudanum fas ſit aſcendere, niſi quando præ ſymptomatum vehementia Diacodiata minus efficiunt: Porro, cum hæc virulentiæ in ſeminibus continent, non multa præparatione egent, quin ſimplici aut decoctione, aut infuſione, aut expreſſione facta in vſum Medicum adhibeantur: Opium vero raro admodum ſimplex & per ſe præſcribitur, ſed vario & diverſimodo apparatu corrigi & componi ſolet, quò Anodynum ſatis tutum evadit. *Willis Pharmac. Rat. p. m. 307.*

XXIII. In vſum, ad ſomnum provocandum, cæteris ſtiris, venit *Opium*, Illud populus exhorreſcit quaſi præſentaneum venenum, cum tamen ritè præparatum & conveniente dozi exhibitũ innoxium ſit & ſalutare medicamentum: venenum quidem eſſe veteres ſcriptis tradiderunt, ſed tantum quando nimia quantitate aſſumitur: At ſic nihil adeo eſt ſalutare quod pravo vſu noxiũ non evadat: nihil adeo noxium, quod non fieri poſſit ſalutare: Venenorũ autem varia ſunt genera, quædã talia ſunt tota ſubſtãtia, quę quocunq; modo, quavis dozi ſumãtur, interimũt: Alia quãtitate tantũ (alias prodeſſe poſſunt) vt Purgãtia, & quæ ea quantitate exhibentur vt naturam ſuperẽt

ſic lac concretum in ventriculo, ſuccus lactucæ, venena dicuntur: Sed inter ea quæ Somnifera dicuntur, Opium innocentiſſimum eſt: 1. Quia noſtrum Opium vtplurimum eſt Meconium Dioſcoridis, quod fit ex ſucco fol. & capitum papaveris, Opium vero eſt lacryma, Eſt autem Opium Meconiu longe inefficacius, ex Dioſcoride, vnde vt noceat majori dozi quàm Opium exhiberi debet. 2. Notandum ex *Gal.5. ſimpl.18.* Ex Narcoticis quædam humectare, vt cicutam, mandragoram, eaque noxia eſſe: alia ſiccare, eaque innoxie intus ſumi: Et 1. de ſymptom. cauſis ſcribit, Ea quæ refrigerant & humectant, non ſomnum, ſed coma, ſtuporem & catou facere; quæ verò exſiccant, vt Opium, minus noxia eſſe: Igitur ex ſententia *Dioſc.* & *Gal.* non adeo formidandũ eſt Opiũ modice ſumptũ. *Primiroſ de vul. Err l.4.c.44.*

XXIV. Antiqui, qui *Opium* frigiditate excedere & nocere putabant, calidis planè medicamentis, pipere, pyrethro, croco, caſtoreo, euphorbio & ſim. ad ejus correctionem vſi ſunt: verùm falſæ hypotheſi ad iſtam Opium corrigendi rationem adducti ſunt, & medicamenta non ſatis commoda præpararunt, Vt ſaltem de *Philonio Rom.* dicam, olim ſatis vſitato medicamento, experientia docuit ob tot medicamentorum calidorum admiſtionem vix poſſe degluttiri, quin fauces accendat & in ijs ardorem exciret: clyſteribus etiam, vel pondere ſeſquidragmæ admiſtũ, nonnullis ingentem ardorem in imo ventre & inteſtino recto excitaſſe. Hodie ſatis vſitatum eſt vt opium cum ſpir. vini, ſpec. diambr. aromat. rol. Vel ſimil. impragnato extrahatur; vel ſpirit. vini ejuſmodi extracto Opij addatur, vt & olea deſtillata, atq; alia cordialia, vt ex varijs Laudani op. præparationibus videre eſt: Reprehendunt quidam hanc Opij præpar. (vide *Schroderum Pharm. l.4. cl.2. c.394.*) quia fœtidum & venenoſum ſulphur, quod etiam poſt ignis examen ſupereſt in opio, in Spiritum vini æque deponat: imò ab hoc magis attenuatum malignitatem ſuam citiùs exſerat & in partes penitius inſinuet, Quibus addunt & hoc, quod vino vis quædam narcotica ineſt. Iſti igitur aliam opium præparandi & corrigendi rationem ineunt: Opium in exigua fruſtula concidunt, & in patellis aliquot ſuper levi cinerum, vel alio calore, tamdiu ſiccant donec ſulphur fœtidum exhalet, ac Opium ſuaviorem & gratiorem odorem ſpiret, ac digitis in pulverem teri poſſit: quod fere 6. vel 7. dierum ſpatio accidit, inde tincturam aceto deſtillato extrahunt: Acida autem, vt acetum, ſuccus citri & limonum ea de cauſa eligunt, quod ſicut acrimoniam humorum, ita & narcoticorum vim hebetant acida, ſpirituſq; narcoticos figunt ac ſupprimunt: vnde in ſoporiferis affectibus, veneniſq; ſoporiferis commodus eſt aceti vſus, ipſiuſque ebrietatis acetum & acida ſunt remedium: Dicam hic quod ſentio: Primò illam opij ſiccationem & levem quaſi toſtionem quod attinet, ſi (de quo tamen certò conſtare priùs debet) quædam heterogeneæ partes ſunt in opio, quarũ aliæ alijs magis ſunt noxiæ, torreatur ſanè, ne non obſtante, opium, ſed ita ne illud Sulphur Narcoticum, cujus vis experitur, diſſipetur & corpus inefficax relinquatur; Quæ per acida fit correctio, ſuſpecta eſt; licet enim hoc concedam acida Narcoticorum vim infringere & ſoporoſis affectibus prodeſſe, tamen id hic non expetitur, ſed vis ſoporifera quæritur, quæ, modo aliud incõmodi non ſubſit, omnino relinquenda integra, & ideo aceto non infringenda videtur. Ideo cur eam, quæ ſpir. vini aromat. impragnato fit, præparationem rejiciamus nondum video, quoniam per eam narcoticorum malignitas ſatis corrigitur: Neq; quicquam vis narcotica ſpirit. vini offendat: totus enim ſeparatur, & ad ſulphur illud, ſeu partem narcoticam à fæcibus & impuritatibus ſeparandam, eo vtimur: eoq; ſeparato, ſpecierum aromat. rol. quibus ſpiritus ille vini imbutus eſt, vis cum opio conjuncta manet, quæ malignitatem, quæ Opio ineſt, corrigit, & cor atq; alia viſcera roborat. *Sennert. Pr. l.1 p.2. c.1.*

Horſtius tom.2. p.561. Laudanum ſuum Opiatum componit ex opio cum aceto deſtillato extracto, addito extracto croci & magiſt. perlarũ cum ol. vitri. ili, quod exhibet ſub titulo *Laudani Opiati cum magiſterijs*, ad gr.8. pro ſumma dozi. Ab eo tempore, *inquit*, quo praxim exercere cœpi, nunquam non ad vſum opij ritè correcti, tanquam ad ſacram anchorã, in graviſſimis & vrgentibus morbis periculoſiſſimis confugere conſuevi, In febribus continuis, cum pervigilia & inquietudine, viribus ferè diſſipatis *Obſ.12. l.1. de febr.* In colicis doloribus vehementiſſimis, & hæmorrhagia narium contumaci, *Obſ. l.1 de feb.* In menſibus ſuperfluis, Dyſenteria, Articulorum doloribus, Odontalgia, Hyſtericis convulſionibus, Cancro occulto, Phrenitide, Melancholia, Mania, Magnis vulneribus & magnis Operationibus Chirurgicis: Imò etiam exterius in compeſcendo ſanguine arteriarum vulneratarũ. Vide *Obſ.7. l.10. Bartbol. Ep.46. Cent.3.*

XXV. *Laudanum Opij medicamentum* in vigilijs abigendis, & vacuatione immodica ſiſtenda, tum humorum naturalium tum inutilium, omnibus palmam præcipit. loco, ſi juſta obſervetur dozis & temporis occaſio, error committi poteſt nullus: Sin delitetur, contingere poteſt quod noviſſima ipſi imputetur imbecillitas: Interdum quædam immerentia fati titulum occupant ſupremi, licet magis in tempus mortis incidant, quam ipſam mortem accerſant; Ita in ardentibus & malignis febribus generoſi & heroici hujus medicamenti, juſta licet dozi, injuſto tamen tempore, in agone nempe exhibiti, malignitati fatalem obſervavimus adſcriptum deceſſum; quem ſors peretemerat conſilium perquiſiſſe cenſebatur. *Rolfinckius lib. de Febr. c.106.*

XXVI. Cum tædio fuerit noxarum minorum quas Narcotica vſpiam excitare ſolent, ſpecies omnes recenſere, hic tantum referre liber quæ mala ab improprio, aut intempeſtivo ejus vſu in Capite, quæque in Pectore, quæ item in Ventre imo quandoque accidunt: Quoad prius, ſatis vulgo notum eſt functiones Animæ principes, videl. memoriam, diſcurſum & ingenij acumen ſæpenumero a Narcoticis inſigniter lædi: frequens eorum vſus in multis hominibus memoriam debilitat: Novi quendam à Laudani dozi majori cum febricitaret aſſumpta, facultatem iſtam penitus amiſiſſe: Scio quoſdam ab huc pharmacu ingenij tarditatem, aut ſtupiditatem, aliudque amentiam contraxiſſe: Quod vero Opium a Turcis in magna quantitate impune, vel ſaltem abſque Vitæ periculo devoretur, ratio eſt, quoniam particulæ ejus, etiamſi ſpiritibus primo infeſtæ & venenoſæ, crebro tamen vſu tandem magis congruæ & familiares evadunt: quemadmodum obſervamus circa nicotianæ fumum per tubulum ore exceptum: cum enim primis diebus vertiginem, ac ſæpe vomitum, aut purgationem, quin imo ſudorem frigidum cum tremore & crebris animi deliquijs inferre ſoleat, poſtea tandem eum imperturbate, imo magna cum delectatione aſſumimus: Quod autem major Opij dozis illis animi fiduciam, adeoque vt intrepide pugnam ineant, & audaciam inſignem addat, in cauſa videtur eſſe quod pharmacum illud ſpiritus nonnihil ſtupefaciendo attonitos reddat, proinde vt ſenſibilium, vt vt terribilium occurſus immoti perferant. *Willis Pharmac. Rat. ſect.7. c.2.*

XXVII.

XXVII. Opiata præcordiis & Pectori inimica interdum exiſtere inde ſatis conſtat, quia pulſum & reſpirationem deprimunt & diminuunt, quandoque iterum vacillare & tandem penitus ceſſare faciunt: Quare in febribus ubi ſanguis inſigniter depravatus, cujus nullam aut non bonam habitum videtur, ſimulque iſte ſpiritus, regimini animali perpaucos tantum & debiles ſuppeditat, narcotica fere ſemper malefica & quaſi venena ſunt: Nam quamvis in peſte & febribus malignis, donec pulſus & reſpiratio vigent, Theriaca, Mithridatium & Diaſcordium, imo & Laudanum ſæpe cum fructu exhibeantur, attamen ſi quando in morbis iſtis, aliiſque in febribus haud multum malignis, functio vitalis languet, antidotis iſtis celebribus parce admodum, fortioribus vero Opiatis non omnino utendum erit: Porro in tuſſi laborioſa, phthiſi, pleuritide, empyemate, aliiſque morbis thoracicis, in quibuſcunq; vid. natura ad illud quod moleſtum eſt, ac pectus aggravat, ſubito expectorandum incitator magnoque ſuo molimine urget, ſimulque reſpirationis organa, ſpirituum copia ſatis uberi deſtituta, vacillant, atque ſuum opus ægre & difficulter peragunt, ab opio haud minus quam aconito abſtinendum erit: nam in tali caſu narcotica pondus amovendum augent ſiguntque, atque partium, quæ illud amoliri debent, vires minuunt. *Idem ibidem.*

XXVIII. Opiata intra coctionis viſcera, aliaſq; ventris imi partes operari, ijſque vario reſpectu ſæpe juvamina inſignia afferre compertum eſt, attamen illa regioni huic non adeo ſemper amica & benigna exiſtere, quin & magnam quandoque noxam inferre facile erit declaratu: Enimvero narcotica crebro aſſumpta facultati principi, ſc. alimentorum appetitui, (à quo nutritio omnis & vitæ radix dependet) nonnunquam valde injuria ſunt, utpote quæ hunc plerumque obtundunt, & non raro prorſus deſtruunt: Quippe cum ſpiritus tunicam ventriculi interiorem incolentes, à partibus opiaticis ſtupefiunt aut perimuntur, ita ut fibræ iſtæ nerveæ, quantumvis inanitæ, non amplius corrugentur, proinde fames omnis ceſſat, atque alimenta minime appetuntur: quin eadem ſtomacho oblata, quia moleſtiam potius quam delicias oblaturas ſunt, mox reſpuuntur: Porro ob eandem rationem ventriculi vis concoctrix ſæpe debilitatur, atq; tum hujus tum inteſtinorum motus excretorij pigreſcunt: nam commonis obſervatio eſt *Βρῴματα* & alvi ſegnitiem medicinæ Opiaticæ familiares effectus eſſe. *Idem. ibidem.*

XXIX. Simplicia Extracta ſæpe ſunt meliora compoſitis, præſertim non in unum & eundem ſcopum combinatis: Sic extractum opij, vel laudanum ſimpliciſſimum, ex ſolo opio factum, longe præferendum eſt, noſtra quidem ſententia, omnibus laudanis hinc inde proſtantibus, cum eſſentia ſpecierum diambræ, diamoſchi dulc. magiſt. perlarum &c. factis: ipſa enim hæc pro extemporaneo uſu longe felicius adduntur pro rei intentione & variatione circumſtantiarum. *G. W[illegible] elius Pharmacop. pag.* 126.

XXX. *Laudanum* immediate ante cibum ſumptum efficacius præſertim in doloribus arcendis, & in dyſenterijs non longe ante cibum prodeſt, & fortius exerit vires ſuas. *Th. de Mayerne Tr. de Laud. MS.*

XXXI. Nunquam detur pridie purgationis & phlebotomiæ, quia ſpiritus ſopit, & impedit ne ſanguis poſſit libere fluere: Narcotica enim omnia ſive intus aſſumpta, ſive per clyſteres injecta, ante purgationem nunquam exhibenda ſunt, quia medicamentum irritum reddunt. *Idem.*

XXXII. Detur in fluxione à capite ad pulmones, nam incraſſat materiam quæ expectorationem poſtulat; alias poſt ſuffocabitur æger. *Idem.*

XXXIII. Sæpe ſequenti die ſudorem movet potenter, eumque copioſum, præſertim circa caput & pectus, nonnunquam univerſalem, de quo monendi ſunt ægri. *Idem.*

XXXIV. Sæpe poſt expergefactionem pulſus eſt languidus, & debilis admodum æger; cui exhibito vino, vel aceto olfacto, atque eodem tobacco commicatis pulſibus eſt ſuccurrendum. *Idem.*

XXXV. Sæpiſſime circa ſomnum fluxum ſiſtit, dolores compeſcit, patreſque roborat: in quibuſdam primo die, in alijs poſt aliquot exhibitiones, aſſuefacta remedio natura. *Idem.*

XXXVI. Pridie futuræ criſeos centies exhibuimus feliciſſime, imo in plurimis nullis judicationis ſignis apparentibus. Exhibito remedio criſis ſequenti die ſubſequuta eſt, præſertim atque plurimum per ſudores. *Idem.*

XXXVII. Vomitus pituitoſus ſuccedit in ijs quibus cerebrum ſeſe in ventriculum exonerat, quia ſopita natura, & calor torpens coctioni & diſtributioni non incumbit; unde fit ut onuſtus ſarcina ventriculus poſtridie ſeſe ſubvertat; id quod, dubie tamen, dicendum eſt ægro. *Idem.*

XXXVIII. Poſtridie etiam mane ſæpiſſime ſubſiſtit urina, quæ cienda clyſtere appropriato, fotu parietariæ & chamom. cum butyro fixo, & ab umbilico applicatis ad pubem. *Idem.*

XXXIX. Poteſt exhiberi cum Purgantibus in affectibus magno cruciatu infeſtis: Dedi in colico dolore à bile, cum Mercurio dulci & Aquila rubra: Dom. N. febre continua & maligna laboranti cum vomitu bilioſo, tam profuſo ut poſtquam per 24. horas pluſquam quinquagies bilem rejeciſſet, irritis omnibus medicamentis & alimentis, dedi laudani grana xiv. (iv.) cocciarum minorum ℈. jß. Sedatus eſt vomitus, dormivit, poſt quinque horas dejecit, olida bile converſa ad inferiora. *Idem.* Vide §. 50. *tit, de Purgatione.*

XL. In Colico dolore cum diſpoſitione inflammatoria, ſi exhibeas aut injicias Narcoticum, cave à purgantibus die ſequenti; nam dum reſiſtant augent morbum, ut experientia didici Abbatis *S. Martini*; dormivit æger, ſedatus dolor abſque recidiva; & licet tarda fuerit operatio, nihilominus ſubducta fuit alvus quater aut quinquies, & educta æruginoſa; verum levis oborta ſalivatio. *Idem.*

XLI. Dum Narcotica cum catharticis exhibentur, catharticorum quantitas, augenda eſt, quia narcotica vis eorum retundit aculeum; ut ſi cui ſufficiat ʒß. cocciarum minorum, dentur ℈ij. vel ℈ijß: Exhibeatur autem cum validioribus diagridiatis & colocynthiacis, quibus Natura ad expurgationem poſſit ſollicitari: Et ſi ceſſaret medicamentum, clyſtere acriori evocetur: Et hoc diligenter erit tibi notandum quoties narcotica cum catharticis exhibere voles. *Idem.*

XLII. *In Peſte* ſummum remedium cardiacis admixtum, quod ſcilicet ejus vi congelantur ſpiritus arſenicales, cordi infeſtiſſimi, quaſi ligantur, & materia quæ dum in fluxu eſt perniciosiſſima, ſiſtatur ac pene immota maneat: unde fit ut natura recollectis viribus facilius ſibi applicet vim remedij & alexipharmacorum. Movet etiam in peſte ſudores, præſertim ſi cardiacis miſceatur. E. g. ℞. *Aquæ ſcabioſæ, ulmariæ, cardui bened. ſcordij, ana* ℥ i. *Elect. de ovo* ℈i. *Salis arteniſ. & cardui bened. ana. gr. viij. laudani gr. iß*

ſ. Potio exhibenda præſertim ſæviente phrenitide & febre ardente : Experientia in filia *Gueſnault* Pharmacopœi : Vide *Geſnerum* in Epiſtolis (*ſupra lib. 6. tit. de Febre Peſtilenti , & Peſte* §. 30. & 44.) qui Opio in peſte vitur pro ſudorifico : *Clariſſima* Doctor Medicus Peſte laborans, phreniticus, ſumme biliosus, ſumpto laudano mane ad ſe redibat, recurrente ſub veſperam malo, cui ab eodem remedio par accedebat levamen: Sanguis bis terve miſſus, data cardiaca, imprimis contra hierva : Circa xj. pulſus tremulus, omnia mortis ſigna ; Erupere pulicula res maculæ , ingens anthrax circa os ſacrum ; Datum laudanum, dormivit, & tandem convaluit; Sexies ſumpſit fere quotidie. *Idem.*

XLIII. In *Febribus continuis*, præſertim *ardentibus* , ad reſtinguendum æſtum , ſedandam ſitim , compeſcendam inquietudinem, conciliandum ſomnum, naturam roborandam , ejuſque motum criticum & conatum promovendum: Sæpe contingit ut vel ipſo, vel ſequenti die febris plane extincta non revertatur: Sed obſervetur nè pridie ſolemnium remediorum exhibeatur *Idem*.(Vide *ſupra* §.31. & 40.

XLIV. In febribus Tertianis corpore optime purgato, paulo ante paroxyſmum , aliquando prodeſt : An quod ſedato , aut potius veluti impedito motu cauſæ morbificæ , impedita & intercepta fuit anathymiaſis ad cor, ac proinde extincta aut conſopita cauſa ſine qua non ipſius paroxyſmi ? *Idem.*

XLV. Sed ſi exhibeatur in febribus intermittentibus , ad interturbandum morbi decurſum , poſtea exactiſſime repurgetur corpus. *Idem.*

XLVI. Non probatur Laudanum quod recipit hyoſcyamum, quia mentem turbat, & ſequenti die æque fatui ſunt , hebetes & vertiginoſi per aliquot horas. *Idem.*

XLVII. Nec placet illud quod ex Opio: à ſulfureo nidore vix repurgato componitur. *Idem.*

LAC AVGENTIA, MINVENTIA.

· SYLLOGE.

Lac augent , eadem quæ chylum. 1.
Quæ vias patulas reddunt. 2.
Quæ affluxum ad mammas promovent. 3.
Menſes cientia lac non augent. 4.
Lac imminuunt quæ vias emolliunt & laxant. 5.
Quæ reſtagnationem impediunt. 6.
Quæ affluxum ulteriorem impediunt. 7.
Pinguia mammis in reſtagnatione non admovenda. 8
Repellentia non æque locum habent. 9.
Repellentia Lac melius dorſo applicantur. 10.
Coagulatio lactis quovis modo prohibenda. 11.

I. **L**Ene videtur poſtulatum mulierculatum Lac facere , ſatis magnum tamen ſæpe ſi Medicus id præſtare velit : Lac autem quæ augent vel 1. *augent chylum* , ac partes ſanguinis ſeroſas chyloſioreſque, non tantum *alimentoſa* facile in ſuccum & ſanguinem convertibilia , vt ova ſorbilia , juſcula amygdalina , potus largior , ubera vaccina, rectius alimentis quam medicamentis jungenda, quia facile rancorem contrahunt ; ſed & *medicamentoſa* , quæ partes oleoſas cum aqueis communicant & immerſas habent , quod chylo maxime & lacti conforme eſt , quod quippe nihil aliud eſt quam partes oleoſæ ſubſtantificæ aquoſis remixtæ, ſemen cardui mar. &c. Hinc faciunt quoque huc oleoſa temperata alia , ſemen fœniculi , paſtinacæ &c.

II. Vel *vias patulas præſtant*, & reddunt poros liberos ut commode influere poſſint ; unde recte *Langius Miſcell. Curioſ. pag.* 46. diaphoretica & ſudorifica ſingula, blanda ſcilicet & temperata , effectum illum præſtare ait ; abſorbentia ſcilicet quæ coagulum impediunt , & potius alcalina ſua natura (uti Sal interpres eſt conjunctionis partium oleoſarum cum aqueis) commixtionem hanc procurant : Sic idem ceu arcanum commendat decoctum ex flor. ſambuci exſiccat. cum lacte vaccino factum, ceu probatiſſimum experimentum: Sic cryſtallus præparata , lumbrici terr. præparati , & præ omnibus lac Lunæ: Valer & vinca perv. quovis modo hauſta.

III. Vel affluxum ad mammas promovent, vti ſunt frictiones , fomenta ex decoctis : laudatur pimpinella recens inter mammas poſita ; E mineralibus cryſtallus, ac præ alijs, argentum vivum, experimento mulierculatum Patavinarum, quæ lactantes, cum primum lac amiſerint , à Pharmacopolis corticem avellanæ in hunc uſum à medulla cacavatum , & foramine anguſto fabrefacto , argento vivo plenum ſibi ipſis emant, obturato cera orificio, & collo appendant ut lac reſtituatur, quod ipſis ex voto ſuccedit ; Rationem modi agendi reddit duplicem *H. Saxonia Practic. Medic. pag.* 858. 1. Quod opinio ſit mulierculatum id faſcinationibus prodeſſe, & lac à faſcino ablatum hoc modo reſtitui , 2. Quod hydrargyrum vaporoſam in ſe habeat ſubſtantiam, & uſque adeo tenuium ſit partium vt non modo in tenuiores quaſque partes ſe inſinuare poſſit, verum etiam tophaceos tumores diſſolvat & digerat : unde arguit ideo prodeſſe deficienti lacti , quod valeat craſſum ſanguinem fundere & attenuare, qui ob ſui craſſitiem & lentorem venas mammarum & glandulas ingredi non poterat : Id ipſum cum fructu ſuaſimus : effectus vero hic recte adſcribitur Mercurio, quod fluxiliores reddat humores, ſerum & ſanguinem, unde ad motum cietur fortius, & in mammis ſecundum naturam lac colligitur.

IV. Menſes cientia Lac non augent, Sunt enim & indicationes contrariæ & motus oppoſiti. Ut ut vero in contrarium adduci poſſit quod , experientia teſte , ſimul ſtare poſſint menſium fluxus & lactis præſentia, & quædam , e. g. fœniculum , vtrumque expediant, ſi tamen theſis intelligatur de proprie dictis , penetrantioribus & pellentibus fortioribus, vera eſt & fundamentum in re habet.

V. *Lac minuentia* præſtant id vel *vias* 1. *molliendo & laxando*, Omne enim lac reſtagnans, nec exitum ſuctu inveniens, concreſcit, grumeſcit, vnde tenduntur mammæ, inflammantur & non raro ſupputantur: Hinc expertum eſt medicam. *Willaſij de feb. p.* 289. ubi lac air in mammis empl. è diachylo applicitis cito diſparuiſſe ; diach. ſimpl. feliciter vſi ſumus, relicto in medio foramine pro papilla, hinc lac vel profluit, vel conſumitur ſine dolore.

VI. Vel *reſtagnationem diſcutiendo & reſolvendo* , qua facta non ſolum interne conducunt bezoardica, ſudorifera , regreſſum in vaſa promovεntia & diſſipantia, verum etiam omnia quæ grumos impediunt & coagulum , idque præſtant , præter jam dicta , tum cum *ἐπίχριστα* emollientia , ut ſperma ceti, vnde ad tumorem mammarum in lactis copia nihil æque præſtare ſcribit *Timæus* quam Sparadr. *Mynſichti* de ſpermate ceti : tum *volatili ſulphure*.

ſulphure vel *ſale pollentia*, camphora, crocus, qui tamen parce adhibendus &c. tum *Salſa*, vnde ſolent pro coporiſto appendere crocum, ſal & ſalviam: *Tum amara*, quæ coagulationem impediunt & conſiſtentiæ lactis inimica ſunt, vnde quæ ſemen eadem lac imminuunt, mentha, cicuta, abſinthium: Sic & externe frictiones lenes non aſperæ, v.g. cum pelle moſtelæ, egregie diſſipant; ſic huc pertinent pectinationes cum eacutia factæ. Diſcutitur etiam lac experimento vulgato, ſi mulier ablactans infantem, quo citius vbera ſibi ſteriléſcant, in prunas lac emulget, & mox vbera flaccéſcunt: quod tamen indifferens eſt; in leviori caſu juvat, quod experti ſumus; in graviori, vt ſæpe omnia alia minus: Neque obſtat mulierculatum timor, inde nullum omnino lac redire, quod contra experientiam.

VII. Vel *affluxum, proventum ulteriorem impediendo*, qualia ſunt tum *adſtringentia*, uti ex pulvere myrtillor. ſolent ſacculum interpuncturm, in medio apertum applicare, & inungunt oleum myrtill. licet olea commodius omittantur: Tum *repellentia*, ſive *terrea* & *aquea*, uti è bolo alba communi, & cetuſſa cum aqua roſar. fit maſſa, & applicatur; ſive *acida*, vt acetum ſimplex vel Saturniſatum, ſive ſola applicata, ſive cum diſcutientibus mixta, vnde egregium experimentum *Morelli pag.* 567. ſpongia immerſa in decocto cumini vel coriandri cum aceto acerrimo, Pertinet huc oxycratum, ungu. roſat. catapl. è far. fabar. lentium, ſemine cumin. cum ſucco ſolani, plantag. aceto & oleo roſac. Aceti fecem commendat *Plinius*. Habent vero hæc uſum triplici caſu, ſive infantes ablactentur, quod toto die fit, & eo caſu facilius res ſuccedit; ſive moriantur, ubi difficilius; item apud magnates, aliaſve, quæ ipſæ lactare nolunt, præſervative, quo pacto ſæpe feliciſſime adhuibuimus emplaſtra.

VIII. Pinguia mammis in reſtagnatione lactis non adhibenda; non humectant enim ſolum magis, & influxum majorem cauſantur, verum etiam facile inflammationem, ſi qua non adeſt, procudunt & præſentem augent: unde quoties vidimus applicata iu dolore hoc a lactis copia, toties fere ſuppurationem conſequutam notavimus: Præſtant eo caſu diſcutientia, qualis eſt aqua calcis vivæ, quæ, ſi qua alia, inflammationem omnem avertit, & refrigerat, & diſcutit.

IX. Repellentia in mammis non æque locum habent, tum ob vicinam cordis, tum quia facile coagulationem & caſeationem lactis inducunt, & morum humorum fluxilium quaſi figunt & impediunt, ut minus in vaſa remeare, diſcuti vel effluere poſſit: hinc nonniſi in principio ſtatim, & mitiora, vel cum digerentibus mixta, applicanda.

X. Repellentia lac melius dorſo applicantur, ut nempe influxurus liquor avertatur potius quam ſi in mammis illud fiat, qui influit perperam detineatur; Sic hoc pacto experti ſumus emplaſtr. ex ſpermate ranarum, cum albi coctiana dorſo applicatum; anterius vero emplaſt. diachylum, optimo conſilio; ita enim quod influxurum eſt lac, impeditur quaſi in via, & quod influxit, exitum invenit: id quod alijs ſimilibus imitari quoque licet.

XI. Coagulatio lactis quovis modo prohibenda: Sin vero emolliri nequit & diſcuti, ſuppuratio promovenda: Hinc ſemper reſolventia immiſcenda, è ſemine apij, cumini, coriandri &c. hinc acidis admiſcenda incidentia: Hinc omnia quæ diximus locum habent cum adhuc intra naturæ dominium res eſt, ut ipſa ſibi applicare hæc remedia queat: Sin minus, nullum aliud remedium eſt quam ſuppuratio, quæ perficitur emollientibus penetrantioribus inprimis ex oleo lini, melle, farina lini, vitellis ovorum, terebinthina &c *Wedelius de f. m Fac. p.* 95.

LAC, LACTIS SERUM.

SYLLOGE.

Aliud atque aliud requirunt pro indicationum varietate 1.
An ſemper prohibendum ob conditiones aphor. 64. *vi* 1.
Lac & Serum quādo crudum vel coctū porrigenda 3.
Lactis in ventriculo ſiſtantes deſcenſus ut promovendus. 8.
Succedaneum in neceſſario illius uſu, ſi nocet. 9.
Panis non addendus. 10.
Si portio in meſenterio reſtitet quomodo excludenda. 11.
Aſininum *quando ſero, & viceſſim præferendum.* 4.
Aſinini uſum febris non ſemper prohibet. 12.
Præſtantia Lactis in pluribus affectibu. 12.b.
Serum *aſininum efficax in obſtructionibus.* 5.
Caprinum *replet caput* 6.
Deſtillatum an magis refrigeret. 7.
Seri *ciio permeantis conficiendi ratio.* 13.
In inflammationibus internis per acida non depurandum. 14.
Aliquando noxium. 15.
Pro diuturno uſu fiat dejectorium. 16.

I. Lactis uſus apud antiquos frequentiſſimus fuit: Sæpe enim ad leviter purgandum: non raro ad abluendum & attemperandum poſt purgationem, ſæpiſſime ad humorum acrimoniam corrigendam; & denique ad craſſe faciendum lacte utebantur: Et ſicuti ad purgationem omnium tenuiſſimum eligebatur, quale eſt aſininum, & in ſatis notabili quantitate exhiberi conſuetum fuit, ita ad craſſefaciendum craſſius præferebatur: In reliquis verò caſibus mediocritas ſubſtantiæ attendebatur, illud ſæpius coctione incraſſantes, aut varijs liquoribus, è contra tenuitatem ei comparantes: Nam & bubulo, & ovillo, & caprillo pro rei exigentia utebantur; Hac tamen diſtinctione, ut cum intentio erat purgandi, aut ſubluendi alvum, in maxima quantitate exhiberetur: nam aliquando ad congij menſuram dedit *Hipp.* In alijs verò caſibus rarò duas cotylas exceſſit, vt in ventriculo detineri & concoqui poſſet: Cum igitur in aph. ait, *Lac dare capite dolentibus malum &c.* de eo non intelligit quod purgationis gratia in notabili quantitate exhibetur, id namque, propriè loquendo, non eſt lac dare, ſed potius lacte purgare, qui dicendi modus *Hipp.* vſitatus fuit. *Martianus.*

II. Nec Lac hoc modo exhibitum ea incommoda affert quę lacti alio modo exhibito imputantur; & ratio eſt, quia non diu moratur in ventriculo, vt in caput vapores dimittere, aut flatus inducere valeat: & quia copioſius aſſumitur, corruptionis periculo non ſubjicitur (ab his enim lactis noxę dependent) Hocque fuiſſe *Hipp.* conſilium ex ipſius doctrina demonſtrari poteſt, quando lacte aſinino, aut caprillo diluto vtitur in omnibus caſibus in quibus à præcenti aphor. prohibetur, Eo enim in capitis vlceribus utitur 2. de *morb. v.* 158, Et in comitialibus 4. *acut. v.* 52. In febribus lacte aſinino purgationem inſtituit ſæpiſſime, In quotidiana a bile, & in febre interna cienue dicta 2. de morbis: In ardente 4 acut. in v. 10. In morbis quibus febris acuta conjuncta,

v. g. in Eryſipelate 2. de morbis: Nec negat ijs quibus hypochondria elevata murmurant, quando & hepaticis & lienoſis, etiam ad hydropem tendentibus aſininum præbet ad purgandum, *l. de int. affection. v. 113.* vlterius lac improbat ijs quibus larga ſanguinis evacuatio facta eſt, & tamen 4. *acut.* eos purgandos jubet lacte aſinino quibus ſanguinis copia effluxit. Cum igitur lacte purgationis gratia vtatur *Hipp.* in omnibus caſibus in quibus per præſentem aphoriſmum damnatur, aſſerendum eſt *Lac dare*, non ſignificare purgatorium, ſed quod refectionis aut alterationis gratia exhibetur: quod ex eo confirmatur, quia referens caſus in quibus vtiliter exhibetur, eos tantum recenſet qui refectione egent, Tabidos inquam, à febribus longis vexatos, & præter rationem extenuatos, quos lacte purgare nullo modo licet, aut ſaltem rarò. *P. Martianus comm. in aph. 64. ſect. 6.* Arbitrari fas eſt aphor. ita eſſe intelligendū, vt Lac evitetur vbi ſimul omnia illa ſymptomata cōvenerint, non autem cum eorum quodpiam reperitur, alioquin ni ita foret, vix vnquam lacti locus eſſet: quocirca lac malum erit in febre cui tota illa accidentium ſyndrome jungetur: quod ex ejuſdem aphor. vltimis verbis colligere eſt, *Sed convenienter etiam ad diuturnas febres & lentas præſcribitur, ſi nihil eorum quæ dicta ſunt adſit*: h. e. nec ſitim habeant, nec borborygmum, nec bilioſas excretiones. *Sinibaldus Anthroph. 22. lib. 3.*

III. *Aſininum lac* coctum præbebat *Hippocr.* in dyſenteriâ, vt facta per copiam purgatione, (magnam enim copiam initio fluxus exhibebat) partes firmiores redderentur, vnde fluxus compeſceretur: coctura enim mediante partes quædam lactis tenuiores & humidiores evaporant, quæ humectando fluxiliores reddere humores inde poſſent: Quod non in lacte modo, ſed etiam in ſero obſervatur inviolabiter ab *Hippocr.* Quoties enim exſiccatione eget, v. g. in fluxibus omnibus, in catarrho, & alijs hujuſmodi caſibus, & ſero & lacte ſemper coctis vtitur: crudis verò quando eſt intentio laxandi & & humectandi, & vbi alvum fluidam conſervare expedit: Quam diſtinctionem in ſero exhibendo cum negligant recentiores, qui eo non ſolum cocto, ſed & per filtrum bis velter trajecto indiſtinctè vtuntur, non eſt mirum ſi intento fine ſæpe fruſtrentur. *Martianus comm. in v. 72. ſect. 1. 7. Epid. & lib. de vict. acut. v. 10.*

IV. Cur *Hippocr.* qui Sero lactis vti adeo frequenter conſuevit, & ad purgandum & ad ſublinendum, nunquam tamen illud in febre ardente vſurpavit, etſi omnibus intentionibus ſatisfacere poſſe videatur quæ in hujus morbi curatione occurrunt? ℞. Hic lac dare *Hippocratem*, quia ſupponit in hac febre ichores bilioſos in ventrem decumbentes peccare, quo caſu nullum videtur excogitari poſſe remedium convenientius lacte aſinino: hoc enim purgante vi humores dictos, ad motum jam concitatos, facillimè educere poteſt, vniverſumque corpus æſtuans refrigerare, & ſuccos omnes mitigare & attemperare: & quoniam expedit poſt purgationem alvum laxatam firmiorem permanere, lac præcoquendum jubet, quod in omnibus fluxionum generibus *Hipp.* vſitatum fuit: Nec ex lacte læſionem vllam ob febrem timet, quia cum ratione copiæ citò deſcendat, putredinem a febrili calore contrahere non poteſt, quæ ægrotanti noxam inferat: quia ſi lac febrientibus dare prohibet 5. *aph. 64.* de eo intelligit quod nutritionis gratia ea quantitate datur quæ coqui in ventriculo poſſit: Verum cùm ſerum lactis idem præſtare poſſit, & tutius, propter febrem quæ vſum lactis prohibere videtur, cur hoc dimiſſo lac potiùs præbet? Id triplici ratione ab *Hipp.* factum eſſe probari poteſt, 1. Quia ſerum fortaſſe haud ita bilioſos humores educit quemadmodum pituitoſos: Nam etiamſi ſero potiſſimum ad abluendum & contemperandum vtatur *Hipp.* In pituitoſis tamen morbis longè frequentius eo vſus eſt quam in bilioſis, quamvis id novum quamplurimis futurum ſit: qui tamen ſi loca percurrant in quibus de ſero lactis exhibendo fit mentio, id veriſſimum invenient: Imo 1. *de morb. mul. ſ. 2. v.* tot. inter medicamenta pituitam ſubducentia ſerum lactis adnumeravit: Altera ratio eſt, Quia cum ſerum admodum ſit familiare humori peccanti, quem ichorem bilioſum vocat *Hipp.* timet ne aſſumptum ſerum in eum convertatur: hac enim ratione ſuccorum cognationes conſiderandas eſſe monebat *lib. de vet. Med. v. 434.* vt cavere poſſimus non tantum ea quæ ex propria natura nobis ſunt incommoda, ſed etiam quæ talia ſunt ob cognationem, ob quam in cognatum ſuccum facilè tranſmutantur: Tertia ratio, Serum non proponit in hoc caſu, quia ſupponitur eſſe æſtivum tempus, in quo ſerum majorem habet acrimoniam quam conveniat: Certum enim non omni tempore ſerum dare antiquos conſueviſſe: nam *Hipp.* de eo exhibendo nunquam verba fecit, quin conditionem appoſuerit quæ peculiare aliquod & idoneum tempus reſpiciat: *lib.* enim 2. *de morb. v. 158.* & aliis locis hanc conditionem apponit, Si Tempus anni ferat: caviſſe autem æſtivum, ob aſſignatam rationem, probabile eſt, nam de vere non poteſt dubitari neque de autumno: cum Eratolai filio circa æqui noctium autumnale dederit: Hyeme dediſſe perſuaderi poteſt, cum exhibuere conſueverit in morbis, in quibus pituita prævalet, quæ hyeme dominatur. *Idem comm. in v. 10. ſect. 4. lib. de vict. Acut.*

V. Serum lactis aſinini præ cæteris commendatur, non quod ſit frigidius, vt Recentiorum aliqui cenſent, ſed quod detergeat magis & evacuet, ratione cujuſdam acrimoniæ cujus particeps eſt: in quem vſum commendatur à *Meſuë* etiam in hydrope & obſtructionibus confirmatis.

VI. Serum caprinum, etiamſi refrigeret, humectat tamen; & quod magis refert, caput ipſum vſque adeo replet, vt deſtillationibus obnoxij ex vſu ſeri incurrant dolores articulares. *Saxonia Pr. Pr p. 1. c. 18.*

VII. Sero deſtillato quidam vtuntur in febribus quo magis refrigeret; In deſtillatione autem tenuiores partes aſcendere, craſſiores ſubſidere nemo eſt qui dubitet: Cæterum conſtat ex *Galeno* 10. *meth. c. 9.* non poſſe ſubſtantiam frigidam inveniri quæ tenuium ſit partium: Separa igitur quantum velis, ſemper partes tenuiores, & ſubinde calidiores habebis, ſi id quod egreditur, non id quod remanet, accipis: Has tamen tenues à nitro depuratas eſſe contendunt, ac proinde ſerum deſtillatum purgandi vim amiſiſſe: ſed porrigantur ſeri illius deſtillati heminæ quinque aut plures, quas non deſtillati porrigebant veteres, diſperceam niſi alvum ſolvat, imò tanto melius quantò melius ventrem penetrat, & ſua tenuitate abluit, detergit, repurgat: Audiatur *Libavius comment. Alchymiæ part. 1. lib. 3. cap. 18.* *Sic ergo in tres partes dirempta eſt lac, nempe aëream, cum qua eſt & ignea, quæ ſeparari poteſt deſtillatione: poſtea aqueam, & tandem terream, quam caſeam vocant ſicut aqueam Serum.* Ergo juxta eum, id quod priùs egreditur in deſtillatione, propriè ſerum dici nequit,

ſed

dicitur ſubſtantia aërea atque ignea: 2. loco ſerum conſpicitur, vltimò tandem relinquitur pars terrea ſeu caſeoſa: *S. Rod. caſtrenſis Tract. de Sero cap.* 8. Si Vulcani ope perfectiorem ſeparationem deſideras, advertas te ex ſulphure ferè nihil recepturum, evaneſcit enim ejus vis &c. At poſtquam calor ad aliam ſubſtantiam, quæ eſt Sal, accedit (quoniam diſſolutum eſt) facile ſublime petit, quod ſi operculum clauſum invenerit, ſublimatum manebit: Si verò in operculo ſit roſtrum, tenuis ſubſtantia egredietur, non tamen ſale deſtituta: quippe ſal ex fixo factus fuit volatilis: habebis igitur ex tua deſtillatione liquorem, tenuem quidem & perſpicuum, ſed volatili ſale gravidum, ineptum idcirco ad refrigerandum, magis tamen proficuum ad hydropes & alios frigidos affectus, nocuum verò non ſolum frigidis intemperaturis, ſed etiam ſiccis, quippe & calidus & exſiccans eſt. *Idem cap. vltimo.*

VIII. Quibus ob ſiccitatem Lac è ventriculo non egreditur, ſed fluitat & moleſtas anxietates ac flatus excitat, *Galeni* exemplo in curatione juvenis illius, (7. method. 6.) ſicca intemperie ventriculi laborantis, ſummo mane Balneum lacti præmittendum, vt humectato prius ventriculo totoque abdomine, lac facilius ac celerius diſtribuatur & deducatur: Statim itaque à balneo lac exhibebimus, & 4. aut 5. horis interjectis prandium concedemus. *Fortis conſult.* 84. *cent.* 3.

IX. Si fortaſſe Lac naturale, aut occulta proprietate aut qualitate manifeſta patientis naturæ minime arrideat; (quod primis diebus debet eſſe aſininum, vt quod magis refrigeret quam caprinum, xx. primis diebus: Sequentibus vero xl. caprinum,) Illi ſubſtituatur artificiale, primis pariter diebus magis refrigerans quam nutriens; reliquis vero refrigerans & nutriens: ℞. ſemin. melon. mundat. ℥j 4. ſemin. frigid. ana. ʒß. aqu. malvæ, cucurb. ana. ℥v. m. f. Emulſio: Poſtea ℞. ſemin. melon. mundat. ℥j. amygdal. dulc. n. xx. nucleor. pineor. n. xl. Iuris pullæ ℥x. m. *Idem Conſult.* 87. *cent.* 3.

X. Sumatur ſtatim mulctum, addito ſacchato, nullo vero modo cum buccella panis, ne in ventriculo diutius hærendo caput replendo lædat; cujus vſus continuetur ſupra dies quadraginta. *Idem centur.* 3. *conſult.* 29.

XI. Interim tamen ne ejuſdem lactis pars aliqua craſſior in meſenterio cogatur & hæreat, decimo quoque die aſſumat cremoris Tartari ʒj. in jure diſſoluti, quo vix illæ abſtergantur. *Idem ibid.*

XII. Certe divini aliquid in Lacte latet; id ante hac nunquam crediđiſſem, niſi id ſenſibus comperiiſſem apud illos quibbus ad podagræ truculentiam mitigandam & tandem eliminandam illud ſuaſi: Vidi his meis oculis, quaſi novos homines inde factos fuiſſe; nam legitimo ejus vſu habitum firmiorem, colorem nitidiorem, & virès robuſtiores plurimi acquiſiverunt: quinetiam ab illo ſymptomata hypochondriaca & nephritis auſerebantur, quod quibuſdam incredibile videbitur: Exempla rei hujus viva aliquot ſiſtere poſſem: Id tamen in cura hac ſummopere cavendum ne lac in grumos aut bilem convertatur. *Io. Iab. Wepferus in centur. Obſervat. Verzaſcha p.* 276.

XII. a Lac ab Hippocr. febricitantibus prohibetur, quia bileſcere & ad nidoroſam corruptionem deſciſcere poſſit: at idem Hippocr. 5. aph. 65. concedit iis qui non valde multum febricitant; quod tamen de putrida intelligendum, de ejus vſu enim in hecticis quis dubitat? Ideo tantum in acceſſione febrili erit ab eodem abſtinendum (Animo), & cæteris diebus præbendum: Nec obſtabunt obſtructiones, ſi quidem, vt ſiccæ, eas emolliendo auferre poterit, cum nec caſeoſam, nec butyroſam ſubſtantiam ipſis coacervandis contineat; vnde A[...]us ad tophos diſſ[...]en[...]os, & nephriticos p[...]andos Lac aſininum præbet; & potiſſimum cum idem in Quartanis (ab aduſtione) etiam abſque vlla hecticæ ſuſpicione, Lac aſininum aut caprinum, ab heminis tribus ad ſed purgationis cauſa propinet. *Fortis conſ.* 57. *Cent.* 2.

XIII. Debet ſerum lactis parari immediate antequam aſſumatur, & ex lacte educi recenter ab vbere extracto, coquendo dictum lac vnica ebullitione, & quamprimum bullire incipit, irrorando pauca quantitate ſucci limonum vel aceti, & ſubinde ab igne removendo, fiet enim ſtatim ſeri ſeparatio à Caſeoſa ſubſtantia, quod colatura & clarificatione cum albumine ovi limpidiſſimum evadit, & magna copia ſumi poteſt ſine ventriculi offenſa, ita ut non raro inſtar aquarum mineralium à nonnullis cum maximo fructu aſſumatur. *Riverius cent.* 1. *Obſ.* 98.

XIV. Ventriculo inflammato convenit ſerum, at non acidis depuratum; Acriora enim inflammationes exaſperant, ex Galeno xi. meth. 19. Immiſceantur ſuccus pomorum redolentium. *Fortis Conſult.* 86. *eiuſd. cent.* 2.

XV. Copioſum ſerum ſuſpectum habeo, cum omnes inutiles humiditates in venoſo genere tandem aut acceſcant aut ſalſæ fiant. *Idem Conſult.* 3. *Cent.* 1.

XVI. De *Sero* hoc monet *Hercules Saxonia*, quod ſi id quotidie in calidioribus affectibus, temperamentis &c. præbendum ſit, faciendum illud dejectorium aut diureticum, vel præbendum in modica quantitate, Nam, *ait*, vt ego ipſe experientia comprobavi, qui multum hujus accipiunt, atque illud retinent, in deterius collabuntur: Forte quia, ut & lac, vaporoſum eſt.

LENIENTIA.

(Vide *lib.* 1. *Alvus adſtricta.*)

SYLLOGE.

In omnis morbi initio vſurpanda. 1.
Quando aſſumenda. 2.
Quadam agunt per accidens. 3.
Quadam per ſe. 4.
An ſemper conveniant. 5. 1.
Cum cibo poſſunt dari. 6.
Purgantibus poſſunt commiſceri. 7.
Si non ſufficiunt Lenientia ad deturbanda excrementa primæ regionis purgantia danda. 8.
Aliquando emollientibus, aliquando detergentibus vtendum. 9.
Rore nocturno aſperſa Leniunt efficaciter. 10.
Per Prunorum decoctum *ratio laxandi alvum.* 11.

I. IN cujuſcunque morbi initio *Lenientibus* medicamentis vtendum, hoc tem[...] in[...]dicant nonnulli; 1. Quod corpora humana longe magis ſint repleta & impura quam *Hippocr.* ſecu-

lo 2. Inde niſi primæ viæ liberæ ſint, humores à longinquo educendi prohibebuntur exitu & magnas dabunt turbas. 3. conſequutione quadam vaſis cum jecur communicari, ſanguinem in iis contentum inficere, adeoque novos morbos gignere, vel jam exiſtentes augere poterunt: Semper ab eo exordiri oportet ſine quo alterum tuto exſequi non poſſumus: 4. Nihil vtilis habent ſubſtantiæ humores mucoſi, bilioſi in inteſtinis, & cœnoſa humiditas meſenterii & omenti obſidens glandulas: Ab vtili ſucco jam ſunt ſeparati, & coctionem nec deſiderant nec admittunt. 5. *Hippocrates* non contradicat 1. aph. 22. cum concocta medicari jubet non cruda; loquitur enim de humoribus in ſecunda & tertia ſolum regione exiſtentibus. *Alii* concedunt nonnunquam Lenientium vſum neceſſarium eſſe, non tamen ſemper, nec in quocunque ægro, aut quacunque forma. Indicatio adeſt purgandi, & validioribus medicamentis morbi radices amputandæ: Ignavia noſtra facit quod non curemus morbos magnos, quia nunquam nos expedimus à Lenientibus: Calumniam vt evitent Medici communiter nihil generoſi præcipiunt. 2. Crudo exiſtente corpore nihil movere, præcipue vitium infirmitate præſente, tutius eſt; 3. Venæ ſectionis major interdum adeſt neceſſitas. 4. multi audito nomine pharmaci, nauſeant, præcipue quæ in majori mole, vt Lenientia, exhiberi ſolent: *Diſtinctione adhibita*, ratione diverſarum circumſtantiarum Lenientia neceſſario primo præmittuntur loco: nonnunquam omitti queunt aut poſtponi, graves ſi enarratæ adſint cauſæ. *Rolfinkius method. Med. ſpec. p.* 450.

II. Lenientia in actu curationis, cum chronicus invadit morbus, ea adſumuntur ante præparantia, ad primas mundandas vias, horis matutinis: In actu præſervationis, ad alvum lubricam conſervandam, eodem exhiberi poſſunt tempore: Diſpiciendum an id fieri queat ante cibum, vel etiam non longe à cibo: Non ſtatim cibum ſupra medicamentum eſſe ingerendum teſtari videtur *Galenus* 2. *de Aliment. Facult. cap.* 31. de prunis alvum ſubducentibus verba faciens, *Perſpicuum eſt quod ad alvum dejiciendam confert poſt ſumptu vinum dulce adhibere, temporiſque aliquid interponere, non ſtatim autem poſt prandere: hocque omnibus qua alvum dejiciunt commune eſſe memoria eſt tenendum.* Verentur nonnulli virtutis laxativæ imminutionem, ſi vel ſtatim ſuper medicamentum cibus ingeratur, aut inter prandendum aut cœnandum medicamentum adſumatur, periculum eſt ne virtus medicamenti obtundatur, aut à ciborum permiſtione penitus corrumpatur, præſertim ſi cibi abſque delectu ingerantur, & medicamento ſint contrarii, vt duriores adſtringenteſve: Quemadmodum in permiſtione medicamenti purgantis dantur quæ ejus actionem intendunt, vt zinziber & ſal gemmæ agaricum, ita non dubium eſt inter alimenta reperiri quæ purgantia retundunt, eorumque actionem frangunt: 2. Ciborum verentur iidem corruptionem, aut ad minimum coctionem *diminutum*; corrumpuntur cibi, quia medicamenta naturæ ſunt inimica, eamque ad excernendum ſtimulant: Imperfecte coquuntur cibi, dum motu fermentationis turbant chylificationis actum, qui fit quiete, complexu & mora: Chylus præterea crudus communicatur lacteis ductibus, & primæ coctionis vitium communicatur ſecundæ: Alii extraordinarie vel paulo ante, vel immediate cum cibo Lenientia ſumi volunt: Perſuadere id videtur 1. natura ægri nauſe abunda, quæ ſola reſpuit. 2. natura medicamentorum, quæ cum validas vires non habeant, tarde ſuo funguntur officio: Hinc reſiſtere nequeunt calori ventriculi, niſi cibus ſimul vel ſuperveniens id impediat: 3. Verti etiam à famelico ventriculo in alimentum poſſunt:

Experientia autem teſtatur Lenientia, vt Pilulas aloeticas, dimidia hora ante prandium vel cœnam; media cœna vel prandio, imo etiam in fine vtriuſque ſumpta egregie facere officium, juſta doſi vna, duabus tribuſve vicibus continuata: Rationibus firmari poteſt actus ipſe, & a ſecus ſentientium argumentorum impetu defendi. *Idem.* Vide infra §.

III. Si de modo agendi & operandi quæratur, dicimus, illum non variare à purgantibus: Lenia nempe irritant, tum per accidens, tum per ſe: Per *accidens* id præſtant quæ fæcum conſiſtentiam diffiiciunt, compactionem impediunt, & fluxiles eaſdem reddunt, vnde facilius excernuntur, qualia ſunt 1. *Aquoſa, humida & potulenta*, vnde à potu copioſiore alvum tota die laxari obſervamus, ideo quibus alvus obſtructa eſt a fæcum & inteſtinorum ſiccitate, vtiliter conſulimus vt paulo largius adbibant, quod niſi faciant fruſtra ſunt omnia ſtimulantia: Sic ſerum lactis capr. præter nitroſam vim, aquea conſiſtentia ad alvum leniendam facit. 2. mucilaginoſa, pulpoſa, & humectandi ἐμπλαστικῶς, vndique & turbandi quandoque humores poteſtate pollentia, vti paſſulæ mai. & min. ſine acinis, quas cum fructu commendavimus in alvi contumaci obſtructione &c. 3. *pinguia*, hæc enim apprime quoque & parietes inteſtinorum lævigant, & excrementorum duritiem præpediunt, & ſi quæ adeſt tollunt; hinc butyrum, præcipue ante paſtum, alvum lenit, oleum amygd. d. vt taceamus ipſa quoque hæc pinguia gaudere partibus ſalinis ſtimulantibus. 4. *Salina* vnde ſal tartari alvum laxat, item tinctura tartari, quæ hinc ab *Hartmanno* in alvo obſtructa commendatur, vnde hæc quoque in clyſteres recipiuntur: tum acidulæ quædam, vt tartarus crudus, cremor ejus & cryſtalli, quæ egregie emolliunt & abſtergunt: tum *media*, vt ſal commune, item in ſpecie nitroſa, vnde nitrum crudum &c. ſæpe alvum eximie laxant; huc pertinent plantæ nitroſæ, ſaccharum &c. *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac. p.* 12.

IV. *Per ſe* id præſtant quæ naturam, licet mitius, ad excretionem ſollicitant, quod quidem & ſalina quædam ex jam dictis faciunt: præcipue vero hunc cenſum ſubeunt quæ acrimoniam ſalino ſulphuream poſſident, vti non ſolum aloë primas tenet, verum etiam omnia alia purgantia proprie dicta, minori doſi exhibita, Lenientia ſunt. *Idem.*

V. Et hæc conveniunt in quovis morbo, Non tamen opus eſt vt in omni morbo adhibeantur, & quidem primo loco, ante omnia reliqua, aſt in omni morbo adhiberi poſſunt, in quovis enim alvum apertam eſſe bonum eſt. *Idem.*

VI. Dari etiam poſſunt cum cibo, tum alimentoſa, tum quæ turbandi humores & ventriculum tantam vim non habent, ſed benigna ſunt & balſamica. *Idem.*

VII. Adjuvant hæc ipſa purgantia, vt cum prunis & paſſulis decoqui commode poſſint alia, adeo vt ſæpe lubricantia palmam reliquis anteferant, quale exemplum *Walæus* annotat m. m. p. 10 *Idem.*

VIII. Aſt educant quidem Lenientia fæces alvinas & primas vias evacuant, attamen humores in primis viis non ſolum indicant Lenientia, ſed eorundem;

dem reſtagnatio & Infarctus omnino quoque purgantia fortiora, ſeu proprie dicta requirunt. *Idem.*

IX. Eſt vbi emollientia & lubricantia magis conveniunt, Eſt vbi leniter detergentia & ſtimulantia: *Illa* ſcil. magis conveniunt vbi ventriculus ſibi conſtat, & ſiccitas inteſtinorum adeſt: *Hæc* vbi ſtimulus naturalis & expulſio naturæ deficit: *Illis* non obruendus ventriculus, facile enim ejuſdem tonus ita læditur. *Idem.*

X. Inter Lenientia numerandus *Ros* nocturnus, menſium mediorum, aut proximorum, delapſus ad quælibet mollioris materiæ, ſive eſculenta ſint, ſive potulenta, medicata vel ſecus: Is ejus eſt facultatis vt feliciter alvum moveat, quod & experientia comprobat, & authoritas confirmat; *Hippocrates*, qui potiones purgatorias ſub dio exponit 1. de m.m.n.123. & ſæpius l. de nat. mul.c.49. & l. de int. aff. 21. & 38. & 3. *de morbis*, admodum expreſſe, *Omnia*, inquit, *per* noctem ſub dio expoſita dabis febrienti, exceptis his quibus alvus plus quam convenit fluat: Conſentit *Dioſcorides* qui l. 2. c. 29. ad ventris officia provocanda gobium piſcem noctu ſub dio exponendum præcipit vorandum: *Archigenes* apud *Galenum* 9. κ. τ. c. 66. ſubdiales pharmacorum præparationes probavit: *Oribaſius coll.* 8. ſæpe cum ſolutivum quidpiam proponit, ſub dio ante exponendum præcepit. Multi ea collecto rore aquam deſtillatam commendant ad promovendam alvum: Nimirum maxime deterſivus atque extenuativus apparet Ros &c. *Severinus Chirurg. Trim. p.*18.

XI. Quidam melancholicus alvum habebat valde adſtrictam, ita vt interdum per ſex aut ſeptem dies non dejiceret, Cui incommodo medebatur ſumendo duabus horis ante cœnam pruna cocta cum eorum decocto, quibus addebat vini valde lymphati cyathum ſemis, cujus mediam partem ante pruna ſumebat, alterum iiſdem aſſumptis, & ſic alvus commode laxabatur, ac multo efficacius quam ex ſolis prunis fieri conſuevit: *Riverius cent.* 3. *Obſ.* 6

LIGATURÆ.

SYLLOGE.

In ſanguine ſiſtendo potius noxiæ quam vtiles. 1.
Vtendi ratio ex Hippocrate. 2.
Attractione non agunt. 3.

I. Ligaturis plerique vtuntur in curatione hæmorrhagiæ, hæmoptyſis &c. Hæ minus probantur licet à Gal. proponantur 5. meth. 6. Ligatura enim cum primum ſolvitur caput implet, parteſque omnes ex quibus ſanguis fluit: Sanguis enim ſub ligatura retentus, vinculo ſoluto, effrænis factus in imbecillem labitur locum: Idcirco Oribaſius Aetius, Avicenna ligaturis vtuntur ad ſomnum conciliandum, non aliam ob cauſam quam quod vinculo ſoluto caput ipſum repleatur. *Saxonia prælect. Pract. p.* 1. *c.* 24. Ligaturæ dolorificæ, quatenus dolorem inferunt, attrahere videntur: quatenus conſtringunt, ſanguinis eruptiones irritant: Quod Scribonius Largus ex Aſclepiade traduxit: *Ad ſanguinis eruptionem, ſive ex arteriis, ſive à pulmone, vel pectore, vel alia parte ea fuerit, oportet vetare artus conſtringere, quod plerique faciunt Medicorum, ignorantes quod incitatur ſanguinis eruptio muſculorum compreſſione: quandoquidem omnis conſtrictio in vtramq; partem exiget aque ſubjectam materiam: ſicut vtrem ſi quis medium laqueo conſtrinxeris, animadvertes in vtramque partem excludere ſubjectum liquorem: Et ſi ſuperforatus caſu fuerit, incitatione ejaculabitur quod in eo erat: Eadem ergo ratione cum ſanguis erupturus eſt, qui conſtringunt, vt magna artus exprimentes, ſanguinem venis ſubjectũ cogunt magis erumpi per vulnus: hujus rei argumentum eſt, ſi quis ſuper inguenim perſuſſerit venam in brachio, animadvertet magis incitari ſanguinem ex ea parte, quam ex inferiore loco, cum percuſſa eſt ve*[illegible] *Aug. Ferrerius caſtigat. Med. Pr. cap.* 27. Hi[illegible] ab epoto philtro ſanguis vndequaque erump[illegible], Chirurgi accitì ligaturis etiam fortioribus ſolito brachia, crura, manuumq; pedumque digitos tam arctè ſtringunt vt æger præ dolore laniaretur: Tam atroci remedio non proficiente, roganti ægro ſibi indolentius liceret mori, ſolvuntur à vicinis miſerantibus vincula, ſanguinis exitu nihilo ſecius aut ſegnius ſe moliente: Ita vt ab illo tempore, multò poſt ego Medicinam faciens, ab illa ligatura, vel potius carnificina ſemper abhorruerim, quicquid omnes Practici, ligaturas non experti, ſuadeant: *Hab Heers Obſerv. Med.* 13.

II. *Hippocr.* 2. de morb. mul. Ligaturis revulſionis gratia inductis lanam ſuccidam ſubſterni jubet, vt vinculum arctè quidem adſtringat, verum dolor ex conſtrictione caveatur: Ligaturis enim duplici intentione vtimur, 1. vt medicamenti dolore, quem inducunt, vel facultas topica excitetur, vel revulſio ab affecta parte ad alligatam partem fiat, quo caſu ligaturas doloroſas eſſe expedit: Aliquando vero iiſdem vtimur ad ſanguinis fluxum compeſcendum, & tunc procurandum eſt vt vinculum adſtrictum ſit, ita enim ſanguinis fluxus ſiſtitur; at dolor, quantum fieri poteſt, cavendus eſt, à quo ægri, à ſanguinis fluxu debilitati nimis lædi poſſent: In hunc igitur finem lanam mollem vinculis ſubſternit Hipp. Artificium vtile, & à nemine, quod ſciam, huc vſque vſurpatum. *P. Martianus comm. in v.* 32. *loc. cit.*

III. Attrahere Ligaturas dolorificas patet, quod pars ligatura intercepta tumeat, adeo vt etiam a copia irruentis ſanguinis inflammetur, & niſi relaxetur, gangræna ſupervenire queat: 2. declaratur deligationis venæ ſectionis præambulæ argumento: Si collum ligetur faſcia, venæ capitis intumeſcunt; dolor enim ligaturæ attrahere ad caput creditur. Attractionis modus adſcribitur dolori, calori, fugæ vacui: dolori quidem, quatenus dependet à ſuis cauſis, intemperie calida & inde nata ſolutione continui, hæc partem debilitat & repellendis à ſe humoribus impatem reddit, inde tumet pars conſtricta: At longè alia intumeſcentiæ hujus ratio: Ligaturæ ſanguinis è naribus fluentis motum ſiſtunt brachiis injectæ, non quod ratione doloris aut caloris attrahant, ſed quod ſanguinem ex arteriis reſumptum, ad cor per venas tendentem, quo minus tam citò ad dextrum ventriculum perveniat, retardent: Hoc in fundamento quieſcit vis Ligaturarum dum injiciuntur parti ſanæ, ſanguinem per venas ad affectam refluere in copia prohibent, & ſic pars affecta ab influxu liberatur. *Rolfinccius meth. med pag.* 442.

NARCOTICA.

(Vide *ſupra Hypnotica.*)

NEPHRITICA, CYSTICA.

(Vide *lib.3.Calculus renum, Et l.15. Renum affectus.*)

SYLLOGE.

Reſpiciunt vel reſolutionem coaguli ipſius. 1.
Vel acrimoniam ſalinam & membranoſi generis irritationem. 2.
Vel vias liberat. 3.
Nephrit. & Cyſtica eadem ſunt. 4.
Non ſunt confundenda nephritica. 5.
Acrimonia ſalina urgente reſolventia nocent. 6.
Renes humido gaudent, at non exceſſive. 7. 10.
Topica ubi admovenda. 8.
Vngu. refrig. vix ob oleum refrigerant. 9.

I. PRæſuppoſito 1. calculi materialem cauſam eſſe concrementum ſiccum, quod in ſtatu naturali cum vrina ſecedit, ſeu ſal tartareum, ex terreſtri & ſalina conſtans materia, licet & viſcoſus humor concurrere queat. 2. calculoſorum ſanguinē (adde arthriticorum & hypochondriacorum) abundare particulis ejuſmodi ſalinis & tartareis coagulabilibus, Dicimus Nephritica medicamenta eſſe tum quæ *reſolvunt*, tum *mitigant*, tum pellunt, adeoque reſpiciunt 1. *reſolutionem coaguli ipſius*, ſeu *limoſitatem ſanguinis* jam extra vaſa tendentem, in renibus ac veſica ſeparatam, neque excretam, ſive copia peccet, ſive deficiat expulſio ipſius naturæ, & acceſſu partium ſalinarum fixarum & volatilium in coagulum faciſcant terreæ, qualia ſunt, 1. *Abſtergentia*, tum aquea & diluentia, quæ ſerum copioſius ſuggerunt, ut eluttriari talia excrementa poſſint, qualia conveniunt in ſabuloſis affectibus, quando copioſum ſedimentum in vrina eſt, & calculus in fieri. 2. *Reſolventia ſulphurea* quæ intimius coagmentationem impediunt, & ne ibi materia ſubſiſtat efficiunt, ſive *temperatiora*, oleoſa, obtundentia, & acorem tollentia, ex ſpermate ceti & aliis aperientibus, quæ conveniunt in obſtructionibus quibusvis, iſchuria, calculo &c. ſive magis *activa*, ſanguinem quaſi fundentia, & ſerum præcipitantia ac liquantia in renes, vt inprimis ſunt terebinthinata, quæ vrinam, odore violaceo inficiunt, inſigni teſtimonio virtutis ipſorum huc exhibitæ, Oleum ſuccini &c. 3. *reſolventia ſalina* tum *acida*, incidentia & detergentia, vt acidum tartari, ſpiritus minerales acidi, inprimis ſpiritus ſalis, tum *ſaponaria*, & terrea alcalia, & lixiva abſorbentia, quæ vel ob ſal ſuum, quod in receſſu gerunt, vel inſigni abſorbendi humores ſalinos vi pollent, lapides cancrorum, ſalia plantarum, tinctura Tartari &c. vnde huc pertinent pleraque diuretica aperientia generoſiora, & lithontriptica: Patet hinc cur & acida & lixivioſa conveniant in calculo, vtraque ſcil. reſolvunt, glutinoſitatem corrigunt, & coagulum peregrinum deſtruunt, 4. *mixta*, quæ oleoſitate gaudent & terrena ſaxea ſubſtantia, vt grana cynosbati, alk k. oſſa meſpilorum, dactylorum &c. pulvis è ſperm. ceti, lapidib. cancrorum, ſale volatili ſuccini; item alia *grumeſcentiam tollentia* & coagulationem reſolventia, quæ & eo caſu conveniunt vbi ſanguinis grumi circa veſicam reſtitant.

II. *Acrimoniam ſalinam & membranoſi generis irritationem*, & ſunt temperantia, humectantia, refrigerantia, abſorbentia, ſive à ſale acri cauſtico læ-datur parenchyma, & meatus membranei ac nervei, vti ab aſſumptis cantharidibus notum eſt, in toſoa quaſi renes ac veſicam noxam omnem redundare: ſive a calculi coagmentati pondere & acutis ſpiculis, Talia ſunt 1. quæ communia ſunt quaſi vtrique, *aquea temperata & demulcentia*, non ſalina, dulcia & mucilaginoſa, vt tragac. g. arab. ceraſ. caſſiæ pulpa, paſſulæ, ſebeſten, conſervæ malvæ flor. commendata ab *Amato*, ſyr. dialth. *Fernelij* &c. 2. Ex parte etiam *oleoſa, aquoſa*, vt lac dulce, ſemina frig. papaver emulſiones, quæ vti ſolantur a cantharidibus orta ſymptomata, ita & inprimis demulcent & leniunt nimia quaſi tenſione laceras vias, & pollutionem nocturnam per accidens tollunt, ſtranguriam ſedant ab acrimonia ſeroſa ortam. 3. *Præcipitantia*, ſive *ſtyptica* ſimul ſint, vt in mictu cruento & aliis laxitatibus; Sive *nervina*, ſicut cinnabarina, pulveres ſpecifici temperatiores; ſic & martialia huc pertinent: hinc *Heurnius* ad Hippocr. aphor. 6.6. vbi cum renum & veſicæ dolores vel morbos in genere difficulter ſanari dixiſſet, comm[illegible]at in vlcere renum ſuis experimentis ſuccum chalybis, i. e. vinum martiale ex limatura, vino dulci & potenti immacerata factum. 4. *Acrimoniam bilioſam*, ſi ſe efferat, corrigunt *acida*, vt hepaticum rubrum, vnde juxta *Hippocr.* lib. de locis, *Acida & faciunt ſtranguriam & eandem ſedant*; Et hæc, vti jam innuimus, conveniunt ad mictus cruentos, diabeten, pollutionem nocturnam, ardorem vrinæ, imo in ipſo calculo, maxime etiam ad dolores, qui quaſi ſunt indicationum tyranni, ſimul eſt reſpiciendum. 5. Huc ſpectant ipſa etiam *Opiata* quoque, quæ inſignem in calculo habent vſum cum reſolventibus mixta, non quidem quod ipſa reſolvant primario, non quod vias expediant, ſed quod quietem naturæ concilient.

III. Reſpiciunt *vias impeditas & liberas*, non tam pellendo quam laxando, vt abituro ingrato hoſpiti pateat via & venia, qualia ſunt interne & externe *emollientia & paregorica*, lubricantia, humectantia, imprimis oleoſa, imprimis oleum amygdal. dulcium, item chamæmelum, cujus decoctum triplicatum ſimul reſolvit, vnde flore[illegible] in juſculo præſentaneè juvant cardialgiam, colicam, calculum; item juſcula pinguia; tanto præſentius enim proſunt quo magis vna reſolvunt; ſic arcanum quibuſdam ol. amygd. dulc. cum ſucco limon. Huc pertinet locus Walæi m.m. p.4. in doloribus nephriticis, *ait*, ſive purges, ſive venam ſeces, nihil agis; ſin vero exhibeatur terebinthina cum manna & oleo amygd. dulc. res facta erit. Sic & externe valent ſacculi emullientes & reſolventes, non omiſſis deſtillatis, quæ penetrandi vi gaudent, hinc & vngu. cataplaſm. clyſteres, balnea.

IV. Nodum vero in ſcirpo quærunt, & entia præter neceſſitatem multiplicant, qui ſeorſum νεφ[illegible] & κυστ[illegible] tractant, valent enim in vtr[illegible]ſque eædem cauſæ, ergo eadem etiam remedia, Notandum ergo quod dum renes alteramus, & iis applicamus remedia, ſemper ſimul reſpicienda ſit veſica, & vice verſa; item ne dum alteri prodeſſe volumus, alteri noceamus, quod præcipue in alterantibus activis magis valet, Poſſunt enim & ſeorſim affici, v.g. veſica ſcabie, renes vlceriius &c.

V. Nephritica non ſunt confundenda, non pellendum vbi reſolvendum, vel mitigandum; neq; mitigandum vbi reſolvendum. Errant in hoc ſæpiſſime tum Empirici, tum ipſi ægri, qui tentus fortioribus pellentibus quaſi ſimul & ſemel conantur exturba-

ræ hoſtem, quo præpoſtero conſilio, quando v.g. oleum balſ. ſulphur. oleum junip. terebinth. &c. exhibent, non raro vel mictum cruentum vel iſchuriam reportant: Præcipue vero pellentibus nullus locus eſt quando iis in locis hæret è quibus ſine noxa expelli non poteſt, vti ſi in vreteribus pedem figit: vnde præſtat reſolventibus vti, imo mitigantibus ſimul, vnde natura roborata expulſionem rei moleſtæ aggreditur & expellit.

VI. Notandum acrimonia ſalina vrgente fruſtra quaſi eſſe omnia reſolventia, hinc acida, acria omnia vitanda, imo vinum ipſum: Sic & vrinam pellentia non conveniunt renibus calculo dolentibus, vlceratis, mictu cruento, diabete, Eo enim caſu talia mitigantia, temperantia ac roborantia præſtant; non omiſſis tamen in vlceribus lenibus abſtergentibus & terebinthinatis temperatioribus, v. g. ad ſiccitatem coctis.

VII. Imo Renes gaudent humido, ſed non exceſſivo; hinc & calidiora vitanda ſunt omnia, quæ facile abſumptis partibus ſeroſioribus, & relictis craſſioribus, limoſam compagem magis compingunt, vt calculus facilius generetur: hinc & nimio potu, ſeu nimis humidis copioſe non onerandi ſunt, deficiente enim eorum munere facile hydrops oritur. *Wedelius.* Inſeſſu nunquam vtatur valde fervido; nec vltra dimidiam horam In illo moretur, nam ſi hic peccetur facile renum inflammatio & gangræna accerſitur; quod ante annum viro cuidam primario Lucernæ evenit: *Wepferus* Conſil. *M S. de Nephritide.*

VIII. Quæ renibus debentur topica, lumbis applicantur, quæ veſicæ, pubi & vmbilico; quę vreteribus, lateribus hypogaſtrij: Inprimis in vrina ſtimulanda obſervavimus commode olea deſtillata vmbilico applicata, ob cōſenſum per vaſa vmbilicalia. *Wedel.*

IX. Magis vero vſitata ſunt topica calefacientia quam refrigerantia, quæ v.g. in diabete è plantagine & aliis locum habent: Inprimis enim notandum paradoxon, Vnguentis refrigerantibus, quę v.g. ad *Pollutionem nocturnam*, ex vngu. refrigerante Galeni, roſato Meſues, ol. hyoſcyami &c. adhibentur, nunquam fidendum eſſe; olea enim calida ſunt ſua natura, & laxant magis quam adſtringunt. *G. W. Wedelius de ſ.m. Fac p.* 112.

X. Extra paroxyſmum nephriticum cavenda Tartari accretio & lapillorum augmentorum, quod non evitatur lithontripticis calidioribus, vtcunque lumminis laudibus extollantur; imo calculorum proventus ab hujuſmodi medicamentis promoveri, tandemq; malum incurabile redditū novi. *Wepferus l.c.*

OPHTHALMICA

(Vide *Oculorum affectus in genere lib.* 14.)

SYLLOGE.

Vel reſpiciunt oculum ipſum. 1.
Vel humores impuros. 2.
Vel eoſdem deficientes. 3.
Vel ſpiritus & nervos. 4.
Suppurantia in oculorum affectibus nocent. 5.
Opiata caute adhibenda. 6.
Oculi acriora ferunt. 7.
Mucilaginoſa non tenacia. 8.

I. OPhthalmica, quoad modum agendi, reſpiciunt vel *Oculum* ipſum, ſive quoad *tunicam adnatam* inflammatam, vt in ophthalmia; ſive quoad *corneam*, ſpecies viſibiles non intromittentem, offuſcatam, vlceratam, vulneratam; qualia ſunt tum *repellentia*, tum *abſtergentia*, ſive acriuſcula, vt pinguia, quorum inſtar omnium eſt pinguedo viperarum, ruta, vitriolum album, &c. ſive *aquea*, vt aquæ deſtillatæ; ſeu *terrea*, vt perlæ præpar. &c. quæ præter ophthalmiam, vt aquæ, in puſtulis, excreſcentiis, & adnatis tunicæ corneæ, vnguiculis, vlceribus aliiſque plerumque in ſenſus incurrentibus proſunt. *G. W. Wedelius de ſ.m. Fac. p.* 84.

II. Vel reſpiciunt *humores & vapores* impuros, & *habent*, tum interne tum externe, qualia ſunt diſcutientia, tum *interna*, quæ pleraq; cephalica ſunt, tum *externa* ſive à cauſa interna præcipue ortum fuerit malum, qualia conveniunt in ſuffuſione, viſus imbecillitate, & conſiſtentiam humoribus debitam conciliant, ſive ab externa, vt in vexatis ſeu ſugillatione.

III. Vel eoſdem *deficientes* reſtituunt, Sic *Burrhus* aquam chelidonii majoris extulit, *Heer* ſuccum veſicularum vlmi ſtatim oculo vulnerato inſtillatum: Conducunt præterea hoc caſu in cicatricibus, vnguiculis, vlceribus, pupillæ anguſtia, nyctalopia, myopia, viſus depravatione.

IV. Vel denique *Spiritus & nervos*, atq; tum hōs aperientia & reſeranti a, tum illos confortantia & reſtituentia, [illegible], interna & externa, quæ in gutta ſerena, viſus imbecillitate, a contuſionibus, percuſſione & vitio intrinſeco, paralyſi &c. ex vſu ſunt: Et hæc vix differunt à cephalicis, inprimis tenuium partium, ipſaq; volatilia, ſicut ſal volatile viperarum eo uſu externe commendat *Severinus*: Reliqua, ut adſtringentia, traumatica &c. ſuut communia, ut & revulſoria, ſicut Veſicantia.

V. Cavenda ſunt *ſuppurantia* quovis modo, vnde nec emollientia promiſcue conveniunt: Ophthalmiam graviorem vidi etiam per ſe in ſuppurationem abiiſſe.

VI. *Opiata* caute adhibenda, non quod ſenſum tollant partis, ſed ob acrimoniam, & quia ſpiritus fugant.

VII Oculi paulo *acriora* ferunt, cuidam Mercurius ſublim. loco ſacchari canar. inſperſum citra noxam, ſic & ſpiritus vitrioli incanie.

VIII. *Mucilaginoſis* delectantur oculi, tenacibus non item; hæc quippe dolorem cient, Illa conformia temperamento demulcent, defendunt, alterant. *Wedelius de ſ.m. fac alt. pag.* 85.

PRÆPARANTIA HVMORES.

(Vide *Aperientia & Alterantia.*)

SYLLOGE.

An ſemper neceſſaria ante purgationem, & qualis requiritur præparatio. 1.
Cum natura ab humoribus copia & qualitate ſimul peccantibus premitur, quomodo facienda. 2.
Vt cruditas humorum ab eorum diſgregatione pendet, ſic eorum concoctio a temperatura & vnione expectanda. 4.
Craſſa ab adustione aliter *præparanda quā cruda.* 5.
Præparatio per admota poteſt & debet fieri. 8.
Humores an & qui alterandi. 10.
Omni hora poſſunt exhiberi. 27.
Craſſi *quomodi præparandi.* 11.
Tenues *an præparatione egent.* 12.
Alterans quandoque eſſe debet validum ac qualitas alteranda. 13.
Alterationes ſenſim fiant. 14.
Inter alterans & alterandum ſit analogia. 15.
Concoctio non debet intercalari per laxantium exhibitionem. 16.

Humor bilioſus *an ſeper frigidis præparandus*. 23. 53.
Apozematum *abuſus & noxa*. 17.
Hordeatum apozematis non indendum. 18.
Laxativa quando noxia. 19.
Ante purgationem corpus fiat lubricum clyſtere potius quam Syrupis. 28.
Ab eorum uſu roborantibus utendum. 20.
Infuſa *Decoctis præſtantiora*. 21.
Aquæ *omnes* ſtillatitiæ *ventriculo noxia*. 22.
Chymica *Galenicis aperientibus præferenda*. 6. 24.
Alimenta aſſueta medicamenti vicos non tenent. 7.
Spiritus *&* oleum vitrioli *an prebentur in febribus*. 3.
Ex Tartaro *medicamenta, univerſalia non ſunt Digeſtiva*. 25.
Tartari Cryſtalli, *quando cremor exhibenda*. 29.
Fraus in confectione eorum. 33.
In Tartaro crudo *ſæpe plus virium quam ejus cremore*. 34.
Salis Tartari *efficacia*. 36.
Tartari vitriolati *correctio*. 37.
Quibuſnam id, & cætera è Tartaro, noxium. 38.
Salium volatilium *efficacia unde pendet*. 26.
Pituitam viſcidum optime præparant. 30. 54.
Bilis glutinoſitas eorum ope optime corrigitur. 32. 53.
Salis ſeu vitrioli martis *efficacia & correctio*. 32.
Chalybis *varia debetur præparatio pro natura humorum obſtruentis*. 39.
Ex eo vis adſtringendi, aperiendi, alvum ac vomitum ciendi quo modo elicienda. 40.
Minutiſſime terendus ut certius agas. 41.
Actio chalybeatorum *quomodo promovenda*. 35.
Purgantia an addenda. 43.
An cardiaca. 44.
Cautiones in uſu chalybeatorum. 45.
Nitrum *quomodo refrigeret*. 46.
Oxymelita & hydromelita *ſyrupis potiora*. 47.
Siccis herbis alia vires quam virentibus 48.
In pituitæ *correctione ſaccharum & ſaccharata nocent*. 49.
Præſertim in morbis bilioſis. 50.
Abſynthii *abuſus noxius*. 9.
Quando ad humorum coctionem utendum & ad ventriculi robur. 51.
Præparantia alia univerſalia alia particularia. 52.
Bilis *quomodo præparanda*. 53.
Pituita *quomodo præparanda*. 54.
Pituitæ ſalſa & ſeri correctio. 60.
Quomodo Cacochymia melancholica. 53.
Quomodo atrabilarii humores. 56.
Acrium varia eſt correctio juxta illorum differentiam. 57.
Cavendum ne dum unus humor alteratur, alii inde vitium capiant. 58.
Effervescentiam *nimiam in tenui inteſtino & corde compeſcentia*. 56. a
Pancreaticus *humor præparandus ante vacuationem* 59.
Sanguinis *fluiditatis nimia, aut conſiſtentia craſſiorum correctio*. 60.

I. Antiquiores Medici, quibus etiam neoterici plures adſtipulantur, uti Purgationem eccritivam, ita *humorum præparationem* iſti præviam, & quaſi neceſſariam ſtatuerunt: quapropter in libris Practicis quoties Pharmacia Cathartica præſcribitur, ea more ſolenni, & quadam quaſi pompa Præparantium cuilibet humori deſtinatorum ſeries longa proponitur; quorum uſus tametſi ſpecioſus admodum, minime utilis videtur, quia tales humores revera non exiſtunt, prout alibi clare oſtendimus: At vero cum purgatio non omni tempore, nec in qualibet corporis conditione conveniat, ad eam rite peragendam, tum opportunitas tum apparatus quidam requiritur: atque utraque hæc & primas vias, & maſſam ſanguineam reſpiciunt: *Quoad prius*, ſi quando ſtomachus, aut phlegmatis viſcoſi ſaburra aggravatur, aut bilis turgidæ æſtuatione moleſtatur, catharſis ſæpiſſime aut fruſtra aut perperam celebratur, niſi prius contenta iſthæc aut vomitorio exhibito evertantur, aut illorum aggravatio & effervescentia Digeſtivis emendentur: Quod vero ad *Sanguinem* ſpectat, Purgatio ſæpe intempeſtiva, quandoque item incongrua eſt, atque in neutro horum caſu Præparantia vulgo, ſed tantum Alterantia conveniunt, Quippe non humores iſti imaginarii verſus evacuationem diſponendi ſunt, verum ipſe ſanguis, vel à ſtatu turbido & confuſo ad ſedatum: vel a debilitate aut dyſcraſia ad vigorem & æquabile temperamentum reduci debet: Dum ſanguis febriliter æſtuans in mixtione ſua perturbatur, catharſis ſemper nocua deprehenditur, ideoque ab Hippocrat. & veteribus damnatur: nec minus dum maſſa ejus languida & debilis ad fermentationem debitam haud aſſurgit, pharmacia iſta interdicatur. Porro cum ſanguis ſupra modum bilioſus, aut aquoſus exiſtit, vel in Coagulationes aut Fuſiones nimis inclinatur, purgantia ut plurimum ejuſmodi deliquia, aut depravationem ejus non ſubmovent, verum ſæpius adaugent: Quin potius in iſtis caſibus remedia alterantia indicantur, quæ nempe Salium, Sulphuris ac Seri ſeparationes, aut combinationes iniquas deſtruant, aliaſque enormitates eorum tollant: *Willis*.

II. Aliquando ex humorum copia obruitur & ſuffocatur natura; aliquando ſolum ipſorum qualitate pungitur & irritatur, vel utrumque accidit, ut tum humorum copia, tum etiam illorum nociva qualitas obruat Naturam: Sic ſi una cum ſumma febrili effervescentia æger percipiat in variis partibus dolores vagos, varias etiam patiatur in facie aliiſque partibus caloris mutationes, ut nunc rubeat, nunc palleat aliqua faciei parte, ac denique anxietatibus maxime torqueatur; id quod dependet ex humore ſeroſo fermento febrili irritato, certe præter venæ ſectionem & purgationem etiam ſpecificis antifebrilibus, & antiarthriticis temperatis, diaphoreticis & diureticis, materiam qualitate infeſtam præcipitantibus, naturæ æmulis, cura erit incipienda, Et demum ſedatis dictis ſymptomatibus cauſa occaſionalis per purgationem eſt eradicanda & recidiva præcavenda. *Frid. Hofmann. m. m. l. 1. c. 7.*

III. I. B. *Sylvaticus* cont. 45. *Spiritus vitrioli* uſum in febribus rejicit, quia tenellas carnes colliquare & primigenio humido diſſoluto partis ſubſtantiam labefactare poſſit, t. quia Gal. & Dioſcor. erodentis & ſepticæ facultatis participes eſſe dicunt Vitriolum ideo periculoſum in morbo calido. ℞. Præparatione multæ partes Vitrioli à ſpiritu ſeparantur, Inde nec omnes effectus in ſpiritu videre eſt, qui conſpiciuntur in integro; & alii in ſpiritu deprehenduntur qui in præparato non animadvertuntur. Vomitus movet vitriolum, ſpiritus ſiſtit. Ita & ſulphur eſt φλόγιστον, ſpiritus ejuſdem ἀφλόγιστος, imo flammæ potius reſiſtit. Erodendi vim habet ſpiritus Vitrioli ſi ſolitarius detur, ſed illi commune id cum aliis ſuccis, aceto, ſucco citri &c. Acidulæ utiliter bibuntur, quæ à vitriolicis ſpiritibus efficaciam naciſcuntur: Tutò datur liquoribus convenientibus

ſentibus exceptus. Caliditas corrigitur, dum atomi ejus diſgregantur aquæ aut aliorum liquorum admiſtione, ea proportione vt centum atomi aq. intermiſceantur x. vel xij. ſpiritus. 2. Antiquitati medicamentum incognitum; imo *Gal. x. m. c. s. 11. & c. 9.* aquarū vitriolatarum vſum in febribus putridis ſuſpectum habet vſum, quia cuti admotæ aſtrictionem pororum cutis faciant & nimium corpori impertiant caliditatem: ℞ Vetuſtati quamvis incognitum, ideo nō rejiciendum: *Gal.* vitriolatas aquas improbat vſu externo, quod poros cutis conſtringant. 3. Tutiora ait dari medicamenta, ℞. Tutius eſt ſpir. vitrioli juſtâ ſi ſumatur menſurâ & ſi methodico propinetur diſcurſu; Profuiſſe in febribus infiniti teſtes, nocere pauci ajunt: Tutiora dari nondum evictum. 4. Aſtrictio minor in calcā ho quæ erat, eſt etiam in oleo, aſtringentia autem in putridis febribus nocent. ℞. Aſtrictio in ſpiritu tanta non eſt quæ noceat: nulla potius ineſſe videtur: acida non omnia adſtringunt; imò attenuant, detergunt, obſtructiones tollunt, alvum movent: fluxum alvi curat, non adſtringendo, ſed roborando & denſando: effectus ex denſatione quidem emergunt, adſtrictioni ſimiles, ſed non ſunt, adſtringentia & acida ſunt diverſa: Sed dato adſtringere, nihil inde periculi, nam partes incidentes, attenuantes & deobſtruentes longè potentiores ſunt. 5. Calcanthum eſt venenum, ex *Dioſcor.* ℞. Eſt venenum lato modo, quo omnia quantitate excedentia deleteria dicuntur &c. *Rolfinccius Ep. de Febr. c. 136. ubi plura adducuntur.* Indecenter adhibitus ſpir. vitrioli diutius, potius veneni quam medicamenti induit naturam: Humoribus per ſe jam effervescentibus accedens, non ſecus ac ſi oleum ſpiritum bili animalis cujuſdam cōmiſceas majores turbas ciet, citiorem q; vaporum aſcenſum procurat. *Idem Conſ. 2 l. 4. p. 405.*

IV. Non quælibet Alteratio crudos humores reddit, ſed ea tantum, ſi *Hipp.* conſulimus, quæ Diſgregationem inducere in iiſdem apta eſt: Sola enim Diſgregatio immediata cauſa cenſetur ob quam humores crudi fiant: Cum enim tripliciter peccare poſſint, vt docet *Hipp l. de N. h. v. 60.* in Quantitate, Qualitate, Et quia Diſgregantur invicem: nec vitium in ſola quantitate, nec ſimplex alteratio ſecundum qualitates cruditatem per ſe inducere apta ſunt, neutrum enim coctione corrigitur; humoribus enim ſi quantitate exſuperant aut deficiūt, ſola evacuatione aut repletione occurrendum, Quos enim morbos repletio facit, inanitio ſanat, contrarios repletio, ex *Hipp.* Sic nec vitium ſecundum qualitates crudos eos facit; quia, vt ait *Hipp l. de v. Med. Omnibus his liberatio hac eſt, vt frigiditate quidem affecti percaleſiant, ardere vero refrigerentur, atq; hac brevi accedunt & coctione nulla opus habent*: Cum ergo nec vitium in quantitate, aut qualitas cruditatem in humores per ſe introducat, neceſſe eſt aſſerere cruditatem humores contrahere tantummodo quia Diſgregantur ab invicem Quare, quia Concoctio contraponitur Cruditati, ideo concoctionem deſcribens *Hipp.* eam fieri permixtione temperatamq; mutuâ, quam coctură aſſeruit *l. cit. de vet. Med.* Per Diſgregationem vero humorum intelligimus, non exactam ſeparationem vnius ab alio, ita vt diverſa occupent loca, ſed diſſolutionem illius mixtionis, qua mediante conjunguntur & contemperantur ad invicem, eaq; diſſoluta vnuſquiſq; ſecundum proprias vires & qualitates agit: Hac igitur Diſgregatione mediante Cruditas in humores introducitur, qui dum ad priorem vnionem & concordiam reducuntur, Concoqui dicuntur. Ex quibus colligere licet non omnes morbos ab humorum exuberantiâ aut alteratione pendentes cruditatis aut coctionis ſignor præ ſe ferre, ſed eos tantummodo quibus Diſgregatio prędicta intercedit: Idq; nobis ſignificare voluit *Hipp. l. de vet. Med.* dum morbos enumerans qui per coctiones ſanantur, febres tantummodo numerat, tubercula ſive tumores, & deſtillationes: hi enim morbi humorum diſgregationem neceſſariò præſupponunt: fruſtra ergo Coctio in ijs morbis expectatur in quibus, cum nunquam humores crudi ſiunt, nec pariter concoqui poſſunt, & longè minus in humoribus ſanorum, quos præſervationis gratia purgare intēdimus. in his enim ſola viarum laxitudo attenditur, quod *Hipp.* intellexit *aph.* Corpora cùm quis purgare voluerit fluida facere oportet Quod præceptum ad praxim reducens, ante purgationem, & copioſiore potu & balneo, vel fomento toti corpori adhibito, hoc quidem maximè in purgationibus per inferiora; illis verò cum vomitus exciandus venit. *Marsianus comm in aph. 22. 1.* Cùm Diſgregationis plures cauſæ eſſe poſſint, omnes tamen ad tria capita reduci in *Hipp.* doctrina reperior 1. Cùm aliquis humor eo vſq; in corpore augetur vt cæterus copia longè ſuperet. 2. Cauſa eſt motus ſeu perturbatio & agitatio. 3. Alteratio magna ſecundum primas qualitates poſſimum: humores vero diſgregari propter exceſſum virius eorum ſecundum quantitatem, rationi conſonum eſt, ita vt qui cæteris prægſtat ijs alloci ari & contemperari recuſet: hanc Diſgregationis cauſam nobis indicat *Hipp. l. de Inſom. v. 31. Repletione enim*, inquit, *aliquâ intus facta, Secretio quadam contingit qua animam perturbat*, vbi per Secretionem, non vacuationem aliquam intelligit, ſed Diſgregationem dictam: At circa ejus cauſas notandum, has aliquando per ſe & primo morbum facere abſque Diſgregatione, aliquando eâ mediante, alioqui vna tantum eſſet morborum cauſa: prima ergo cauſa eſt exceſſus alicujus humoris in quanto. Per motū verò (quæ ſecunda cauſa) humores Diſgregari docet *Hipp. 4. de morb.* exemplo lactis, quo agitato, butyrum, ſerum & caſeus ſegregantur: Alterationem ſecundum qualitates eandem Diſgregationem efficere oſtenditur etiam exemplo lactis quod ſucco immiſſo conglobatur, non a frigiditate ſolum, quod vult *Hipp.* ſed a qualibet magna alteratione quæ ad ſubſtantiæ corruptionem procedat: ſic ab exceſſu caloris, abſque coagulo, inſpiſſatur lac: Quoties ergo humores ſecundum proprias qualitates ita alterantur, vt alteratio ad ſubſtantiæ deſtructionem tendat (hoc dictum ad differentiam ſimplicis alterationis, per quam humores à ſtatu naturali minime removentur) naturalis eorum vnio diſſolvitur, diſgregantur que ab invicem, ita vt etſi ſinguli in eodem loco permaneant, vnuſquiſque tamen juxta propriam naturam intemperatus redditur. *Idem l. de Nat. Hum. v. 272.*

Franc de le Boë Sylvius Cruditatis & Coctionis cauſas quærit in laxiori vel ſtrictiore humorum excrementitiorum cum ſanguine unione: Cruditatem Coctionem que Humorum, *ait Prax. lib 1. c. 55. §. 16.* Sanguinis maſſam conſtituentium, ipſique admiſtorum intelligunt Medici, quando in morborum, acutorum præſertim, examine accuratione de ipſis agunt, & vt illa ex voto cedat coctionem humorum tantopere ac merito exoptant: Quoties namque immediatè, aut per intermedios humores extra ſanguinis maſſam in corpore contentos, Bilem, Succum pancreaticum, Lympham & Pituitam inficiunt, afficiuntque malè ſanguis, toties vitalis effervescentia ipſi peculiaris alteratur ſimiliter, vitiaturque, & quidem ita, vt confeſtim plus minuſve turbetur naturalis & laxa Humorum, continuo ad eos

conducentium confuſio cum ſanguine, ſive arctius & intimius, ſive laxius & minus intime tunc ipſi junguntur. Quoties autem ſolito intimius arctiusque Sanguini junguntur Humores reliqui, toties vrinæ magis aqueæ prodeunt, minuſque tinctura ac contentorum cæterorum habentes, quas vocant *Crudas* ut cruditatis teſtes: Poſtquam vero vrinæ vicissim paulatim redduntur magis tinctæ, ac plus contentorum ferentes, laudantur vocanturque Coctæ, coctionem videl. plus minuſve cœptam promotamve ſignificantes: quod fit quoties humores notati, tanquam excrementitij & prius ſanguini arctius intimiusque vniti, ab eodem iterum ſenſim ſecernuntur, atque vna cum vrina ex parte excernuntur: quod homini bonum eſt ac vtile, ſicut alterum malum erat & noxium: Secundum naturam enim, & in ſtatu ſano, tinctura ſaltem aliqua vrinæ conciliatur citrina; nullum vero contentum, niſi aliquod in Diæta commiſſum erratum, vel à ſtatu ſanitatis perfecto deflectat plus minus hominis conſtitutio, vt pericuri in vrinis. Si quis autem attento animo expenderit omnes in corpore Humores ſanguini confundendos, vt & ſingulorum qualitates proprias, is facile nobis accedet, concedetq; arctiorem ipſorum cum ſanguine vnionem *Acido* deberi, ac proinde Succo Pancreatico, vel Lympha male affectis: contra eorundem vnionem cum ſanguine laxiorem, adeoque arctioris ſolutionem, à *ſalſo lixivo* & imprimis *volatili*, autoq; amaro, ac proinde Bile potentiore, ac dominium habente ſperandam expectandamque eſſe. Quam vera ſint quæ jam dixi, confirmat Experientia quotidiana, cum vnicuique ea quæ ſanos in ægritudines varias conjiciunt, eaſdemq; augent, & vice verſa ægris ſanitatem amiſſam reſtituunt, explorant, notum eſſe poſſit Acidorum, ſed excedente aciditate præditorum, vi coctionem illam in ſanguine impediri: Aromaticorum autem, atque in ſpecie Amarorum, aut Salium volatilium, ſed temperatiorum ope eandem promoveri ac obtineri. Vide *de Cruditatis ex vrinis l c.* §. 14 Vrina Aquea, quæ Cruditatis, h. e. coctionis in *ſanguinis humoribus* deficientis eſt ſignū, quoties fruſtra ſemelve venit, expectanda ſpontanea & à natura illa Coctio, toties arte promovenda eſt, & quidem medicamentis omnem humorum acrimoniam, & imprimis Acidam (vnde illa penitior humorum in ſanguinis maſſa permiſtio effici ſolet) blande temperantibus, atq; arctam Humorum vnitionem iterum ſolventibus: Præ omnibus alijs blande Acrimoniam omnem humorum, & Acidam quoque, temperant, Sulphura mineralium & metallorum fixa, & ad ſummam ſui perfectionem exaltata: Quibus proxime accedunt Salia volatilia oleoſa, & his Aromatica, quorum prudenter vſurpatorum vis captum humanum in multis ſuperante, non tantum naturæ humanæ convenientiſſima conciliatur in tenui inteſtino, atq; corde, humorū ſubcōtrariorū effervescētia, verum diſſolvitur iterū in ſanguine cōcretio & coadunatio præternaturalis Humorū acriorū, ſed prius ab ipſis moderatorum: Hæc magni in medicina facienda momenti loquor expertus &c. *Id.* §. 78. & 79.

V. *Trallianus l. 5 c. de diaria ab obſtruct.* non concedit oxymel pro præparandis humoribus craſſis per aduſtionem, ſed per cruditatem: Quæ enim ſunt craſſa per aduſtionem, redduntur tenuia ſi rebus liquidis diluas: hac ratione lutum aqua permiſtū tenue redditur, & bilis vitellina aſſatione reddita, potione frigida & humida, tenuis evadit & liquida: craſſa verò per cruditatem, aut humoris craſſi permiſtionem, qualis eſt bilis vitellina in tertiana notha, fiunt tenuia rebus calefacientibus, attenuantibus ſubſtantiæ craſſitiem, & incidentibus lentorem: quâ ratione pituitam viſcidam & craſſam oxymelite & rhodomelite incidimus & attenuamus. *Zacut. P. H. l. 4. c. 16*

VI. Veteres exhibebant tædioſa decocta, infuſa, apozemata longa: Recentiores delicatulis conſulentes, & per compendium curantes, præponunt hiſce digeſtivos pulveres, ex magiſterijs, ſalibus, eſſentijs variiſque præparatis: *Horſtius Tomo 2. p. 193.* in melancholia hypochondriaca, digeſtivi loco hoc præſcribit ℞. *Magiſt. corall. rub.* ℈j. *magiſt. lapid. ſpongiæ* ℈ß. *miſce* & detur in decocto raparum cum corticibus, vt earum ratione, propter amarorem, quem habent, decoctum valentius aperiat, penetret, incidat: *Hoeferus Herc. Med. l. 3. c. 3.*

VII. Errant qui dum pro alterantibus refrigerantibus dant ea quæ ſunt valde conſueta, vt eſt cichorea & lactuca, Errant, quia natura cum his talem conſuetudinem, amicitiam & familiaritatem contraxit, vt ab ijs nullum certamen, & per conſequens nullum beneficium ſit expectandum: Quoniam ijs aſſueti, dum ſani ſunt, integram lactucæ vel cichorij patinam quotidie comedunt: quare vaniſſimum eſt credere quod homines jam diu nutriti lactucâ & cichoreâ poſſint duobus vel tribus folijs refrigerari, *Sanctorius meth. lib. 4. c. 13.*

VIII. Totam maſſam ſanguineam, qualitate peccantem, alterantibus externis etiam immutare poſſumus: Hoc teſtantur epithemata & manuum lotiones. *Walaus m. m. p. 94. Hipp. 4. de v. ac.* jubet ad promovendam coctionem pannis contegere, quietem agere & inungere: Quidni autem quæcunque in parte inflammatâ & exulceratâ pus movere poſſunt, Et in venis putreſcentis materiæ concoctionem mutare, ſi quidem eadem alteratio eſt, & emendatio putredinis per ſubſtantiæ perfectionem à calore naturali rectè permiſcente oppoſita patibilia? Fomenta igitur moderatè calida, cum quadam humiditate, hanc promovent, & quæcunque naturalem calorem ſervant ſine diſſipatione, vt veſtes; admotiones manuum aut catulorum, ſimiliumve animalculorum recentium, quorum calor noſtro ſimilis; illitiones quoque moderati caloris, & balnea tepentia, ſeu moderatiſſimè calida: nam quæ apertè jam calida, non concoquentia ſed vacuantia ſunt: Inunctionibus itaque concoctorijs vti licebit: Conſtat verò quod ad eas partes præcipuè, in quibus maximè concoctiones aguntur, vt hypochondria & totum ventrem, ſed & ad totum corpus, quia & per omnes venas concoctio materiæ, ea qua febres pendent, plerunque celebratur: Concoquentia autem eſſe indicavimus quæ caloris moderati, vt chamæmelinum oleum, aut dulce amygdalinum, aut calidæ fomentum: Quod ſi infarctum pororum times (timere autem par eſt in illis præcipuè in quibus à refrigeratâ & denſatâ cute morbus incœpit ſed & febres putridas omnes: In illis enim prohibita ventilatio per obſtructiones plerumq; eſt) & nunquam non major ventilatio juvat, à putredinis incremento & malignitate præſervans, admiſcebis oleo aliquid eccathatricum, quodque extergendo poros deobſtruat (vt ego ſoleo) aliquid nitri, aut vſti ſalis: Si verò cutis non denſa ſolùm, ſed frigida etiam ſit, & in alto ignis conditus, miſcebis etiam ſulphur, vt calorem revocet: Quod ſi hypochondrijs times à concoctorijs inunctionibus laxitatem, permiſcebis aliquid melini, aut abſynthitis, aut nardini, vt coctio promoveatur & ſervetur partium robur. *Franc. Valleſius meth. Med. libro quarto cap. 2.* Procuratur concoctio nulla ratione melius quàm quiete: vt enim motus juvat diſtributionem, ita quies concoctionem: Inunctiones etiam concoquentes, & veſtes aut ſtragula, æqualiter corpora contegentia calorem naturalem

talem fovent & coctionem movent: Hinc fit vt multi ſolo decubitu in lecto, loco idoneo collocato, æqualiter ſtragulis contecti, a quamplurimis morbis liberentur, interim nulla alia re utentes quam bono victu: Atqui profectu, ſi morbus coctu contumax non eſt, id ſolum eſt ſatis: Si autem eſt, benefacit inunctionibus coquentibus, ut oleo chamæmelino ad corpus totum, aut ſaltem ad præcipuas concoctionis officinas: In hunc vſum ſoleo ego parare ceratum ex chamæmelino, cerâ & croco. *Idem comm. in l.4. de vict. acut. p.* 205.

IX. *Abſinthium* ſanguinem mundificare, bilem educere & vrinas movere, atque omnia pene corporis recrementa inſenſibiliter evacuare notum eſt: Nimium tamen ejus vſum uſum noxium eſſe hoc exemplo patet: Quidam verno & autumnali tempore ſolebat quotidie plurima folia integra devorare, ſine nauſea per plures dies: Tandem verno tempore nimium devorans incidit in alvi profluvium biliolum citra moleſtiam, quod per ſe ſedabatur: Autumno iterum ad id, ceu panacæam confugiens, eoque vt prius copioſe vſus, in vrinæ difficultatem incidit cum ſummo ardore inter excernendum: reddebat autem vrinam turbidam, craſſam, fœtidam & quidem ſæpius. Juſſus abſtinere intra paucos dies convaluit. *I. Vdalricus Rumlerus Obſ.* 41.

X. Sunt nonnulli Practici qui nunquam Alterant, ſed ſemper purgant: vt certi ſimus An Alteratio fieri debeat, ſequentia ponimus, Alterari debent Primo, Omnes humores alimentarij quando abundant: 2. Et Humores excrementitij (1) qui ſanguineæ maſſæ ita permixti ſunt vt ſegregari non poſſint, (2) In ardentibus febribus, maximo illo ſanguinis æſtu & motu, vitioſæ particulæ tam exactè cum bono commiſcentur ſanguine vt nullam ſegregationem concedant: Hinc abſurdum eſt in augmento, aut ſtatu harum febrium purgationem inſtituere. (3.) Quando excrementitij tantâ copiâ adſunt, vt abſque præſentiſſimo vitæ periculo educi non poſſint: 3. Alterationem reſpuunt illi humores excrementitij qui ſegregati ſunt à maſſa ſanguinea: *Walæus meth. Med. p.* 101.

XI. Craſſi humores fluere non poſſunt, Et ſunt vel viſcoſi, vel lenti, vel denſi; Lentor humorum noſcitur ex vrina, cum matulæ aliquid album pertinaciter adhæret: Corrigitur craſſities humorum acidis & calidis: Hinc omnis cura in multis febribus fruſtra fit & inſtituitur niſi medicamentis calida admiſceantur: Imò fieri poteſt vt Medicus aliquis in Tertiana longa, febricitanti ſuo nil niſi longa Apozemata refrigerantia præſcribens, voti compos fieri non poſſit: vetula accedens jubeat pro refocillatione vitium hauſtulum vini aſſumere, & æger reſtituetur: Melancholicis, qui ex ſolo pingui & oleaginoſo tactu noſci poſſunt, etiam calefacientia ſunt propinanda. *Idem pag.* 104.

XII. Præparatio ſemper neceſſaria eſt ante catharſin, præterquam in duobus caſibus, 1. Si materia turget. 2. Si tenuis eſt, qualis eſt biliosa & ſeroſa, quæ facillimè cedit cuilibet trahenti remedio: Sed revocatur in dubium, An tenues humores ſint præparandi, i. e. Incraſſandi: Humores enim vacuari non poſſunt niſi ſint concocti, ſed coctio incraſſat, ut docet *Ariſt.* 4. *met.* Coctio, *inquit Avic.* eſt Adæquatio quædam & reductio ad mediocritatem, Si igitur tenues ſunt concoquendi, reducendi erunt ad mediocritatem, igitur incraſſandi: Præterea humores tenues facilè eludunt vim medicamenti, quod cum operetur vaſa comprimendo, humores tenues facilè elabuntur: Sed contra tenuitas humorum requiritur ad vacuationem, ſponte enim tenues humores exeunt, nec reſiſtunt trahentibus pharmacis, vt docet *Gal.* 3. *progn.* 23. & *alijs loc.* Dicendum eſt ad purgationem idoneam tria hæc requiri, medicamentum efficax, debitâ menſura, tempore & modo exhibitum: 2. Debent viæ eſſe apertæ, alias aut nulla, aut moleſta evadit purgatio, 3. Humor debet eſſe diſpoſitus, talis eſt ſi nullam faciat pharmaco reſiſtentiam, vt ſi viſcidus non ſit, craſſus, glutinoſus, aut ſanguini aliiſve humoribus immiſtus, a quibus motus ejus impediatur: Itaq; humores tenues naturâ ſua facillimè expurgantur: ſed, vel ſanguini, vel alijs humoribus immiſti ſunt; vel viæ poſſunt eſſe clauſæ & obſtructæ: Itaque ſunt aperiendæ; dein humores vacuandi à reliquis ſunt ſeparandi: Duplex autem eſt Coctio; Vna in qua humores reducuntur ad benignũ, vt nutriant; Altera in qua redduntur apti ad expulſionem: Si de primâ loquamur, humores tenues concoquere oportet, vt redeant ad mediocritatem, ideo incraſſandi: Si de ſecũda, craſſi humores potius ſunt attenuandi, quia reſiſtunt motori: non autem tenues, quia facilè mobiles, vt docet *Gal. l. c.* Sed ſi tenues humores fuerint ſanguini permiſti, prius præparari debent: Cognoſcitur id primum miſſo ſanguine, ſi multi ichores fuerint ſeparati, 2. Quando ſunt ſecreti, fiunt pruritus, vlcuſcula, ſcabies, 3. Si vrina rubra ſit & craſſa, ſignum eſt humores tenues eſſe ſanguini permiſtos: Si verò ſit ceptiola, tenuis & clara, ſignum eſt eſſe ſecretos & præparatos. *Primiroſius l.* 2. *de Febrib. c.* 9.

XIII. An Alterans medicamentum vna vice æquè validum eſſe debeat ac illa qualitas quam mutare debet in corpore? R. Si ad locum affectũ pertingere poteſt, & quidem abſq; noxa aut læſione adjectarum partium, tunc omnino id licitum eſt. Ita Eryſipelas incipiens, quod vnicam tantum partem occupat, valido refrigerante ſtatim expellere poſſumus, & ventriculi ardorem ſimiliter: Aſt ſi non commodè, ſed confractis viribus ad partem affectam perducitur, & quidem cum læſione vicinarum partium, alterare convenit per repetitas vices. *I. Walæus m. m. p.* 93.

XIV. Alterationes pedetẽtim inſtituantur, ita vt non incipiamus a gradu ſummo, h. e. tertio: In quarto nonnunquam alteramus: Sed incipiamus à primo, & progrediamur ab hoc ad ſecundum: ab hoc ad tertium, ſi priores duo non profecerint: Alias natura ſummo gradui facile aſſueſceret, & poſtmodum levioribus non juvaretur. *Idem pag.* 95.

XV. Omnibus alterantibus omnia alterare non poſſumus, nam alteratio fit cõjunctione & perfectione: hinc ſi debent alterare medicamenta, neceſſe eſt vt alterandis humoribus permiſceantur, ſi permiſceri poſtulant: Debent humoribus eſſe ſimilia, non ratione qualitatum, Sic enim cõtraria eſſe debent, ſed reſpectu conſtitutionis: Ergo quæ Oleoſa ſunt in noſtro corpore, illa alterentur oleoſis: quæ Aquea, aquoſis quæ Salſuginoſa, ſalſuginoſis: Nec eſt quod calida calidis addamus, ſi ſalſuginoſa ſalſuginoſis addenda dicimus, dantur enim ſalſuginoſa quæ frigida ſunt, vt eſt Nitrum & Borrax. *Idem ibid.*

XVI. Dum concoctiones aguntur, retentiones excrementorum vtiles ſunt, & evacuationes noxiæ, vtpote quæ contrariæ ſunt concoctionibus: Quapropter cavere debemus eorũ praxim qui nunquam non clyſteribus & alijs auxilijs ſollicitantes evacuationes, cõcoctioni locum non dant. *Valleſius m. m. l.* 2. *c. vlt.*

XVII. Videndum ne Apozematum inſuavitas naturæ moleſtiam afferat & vehiculum impugnet: nam ſæpe accidit ut ingratum naturæ ſit re-

medium & plus incommodi afferat appetitum dejiciendo & ventriculum ſubvertendo, quàm commodi facultates ſuas imprimendo: quas ne quidem integras impertitur, cum à natura ob moleſtiam repulſam patiatur, nec eò perduci poſſit quò per vehiculum dirigebatur: Itaque veteres è tanta remediorum ſylvâ paucula ſelegerunt & revocarunt in vſum quæ ſuavitate naturam allicerent, & oblectatione vires ſuas imprimerent altius, dum naturæ familiari amplexu diſponerentur, inſuavia enim reſpuit natura, quod in alimentis videre licet: Præterea improbanda ſunt, quia præter rem ad delendas viſcerum obſtructiones (ad quas non refertur morbi cauſa, ſed ad obturationem & conſtipationem meatuum cutis, vnde fuliginoſorum excrementorum retentio, quam ſequitur putredo) parantur: Adde quod cum præcipuè vrinas moveant (hujus enim facultatis ſunt radices illæ aperitivæ, diureticæ idcirco vocatæ, capillares herbæ, ſemina frigida &c.) intempeſtivè adhibeantur in principio vel augmento febris (neque enim alijs temporibus à noſtris adhibentur, cum tamen nunquam niſi concoctâ materiâ, vel inclinante morbo, diuretica in his adminiſtrari debeant: accedit quod ridiculum eſt tanto labore ac ſumptu inſuave, ac incerti effectus parare remedium, cum facili decocto & levibus expenſis ea quæ à veteribus probata ſunt & recentioribus confirmata liceat cum ſumma ſecuritate & voluntate non modicâ vſurpare: Ijs ergo omiſſis vtendum mulsâ, oxymelite, apomelite &c. oxymeli vero ſolum commendatur vt putredini reſiſtens, craſſitudinem attenuans, lentorem extergens, ad cutem penetrans nec febrem accendens, nec radet inteſtina & tuſſes movebit aut nervos feriet, detractione ponderis aceti & additione mellis: In melancholicis & mulieribus, quibus eſt ὑπερχολὴς, mulsâ utendum; quæ ſi bileſcere videatur, paretur dilutiſſima ex aquis endiviæ, cichorij, ſcariolæ, vel detracto melle ſobſtitutoque ſaccharo, &c. *Angererius Ferrerius Caſtigat. cap.* 14.

XVIII. Qui magnam herbarum, radicum &c. quantitate in aqua hordei perfecte decocti incoqui præcipiunt, plane deſipiunt: nam hordeum perfectè decoctum ptiſana eſt, ſolidioremq; habet conſiſtentiam quã vt tot rerũ cõſiſtentiã admittat: At ſi levius ipſũ decoxeris, flatulentam aquã efficies; ſimul etiam decoctũ illud promiſcuum ad ſubeundam citò corruptionem reddet idoneum. *Idem cap.* 28. Hordei leve decoctum flatulentum eſſe negat *Martianus*.

XIX. Qui verò in acutis *Apozemata laxativa* continuant, vires enervant, & à vera medendi ratione plane deviant, quæ ab initio materiam minuere, deinde quæ obſtruant craſſa incidere, lentaque tergere & obſtructiones ipſas aperire jubet. *Idem ibid.*

XX. A longo *Apozematum* pituitam ſolventium vſus pituitæ, quæ plurima in corporibus mollibus, maximè fœmineis & cachecticis ſtagnabat, attenuatur primum, dein in aquam ſolvitur, quæ ſuo pondere imam ventris impletura capacitatem deſcendit: quod à catharticis incante adhibitis fieri videmus, vnde in eam molem venter attollitur vt hydropem præſentem omnes judicent: Quare ne ægri pituita craſſiori pleni hoc periculum adeant, periti Medici quotidie apozematum ſumptioni aliquid trochiſcor. de abſynthio, de capparibus, de eupatorio &c. præmittant: Solis ſyrupis nimis incidentibus hydropem quoſdam incurriſſe, notat *Averroës 7. Collig. Henric. ab Heers Spadacrenes cap. x. Heurnius meth. l.* 3. *c.* 7. *& lib.* 2. *c.* 17.

XXI. Nova at ſalutari ratione *infunduntur herbæ* in febribus, vbi obſtructio premit: nam facilius quam decocta aut diſtillata pervadunt in venas: Hæc autem infuſio eſt duplex, vna cum infunduntur in aquam ferventem, illicoque vas occluditur, ac cineribus tepentibus, aut furfuribus imponimus; ut calorem non exuat aqua; demum fit expreſſio fortis, Altera inefficacior eſt, cùm infundimus in aquam non ferventem & noctu detinentur in aquâ &c. *Heurnius meth. med. lib.* 1.

XXII. Omnes *aquæ diſtillatæ* frigidæ ſunt, vt etiam aqua diſtillata a calidiſſimo ſimplici, puta à calamentho, quod ſtimulat linguam veluti piper, non calefaciat, imò infrigidet: Et vidi inflammatos homines propter potum decocti ligni Indi, ab aqua calamenthi infrigidari ſummopere. *Montanus Conſult.* 42. Quantum fieri poteſt abſtineamus ab aquis ſtillatitijs tanquam ab ijs quæ maximè ventriculo ſunt infeſtæ. *Claudinus lib.* 2. *de ingr. c.* 6.

XXIII. Humor Bilioſus frigida præparantia poſtulat: adeo tamen hæc purgationi obſtant, vt aliquando ab ijs cavendum ſit, præſertim cùm purgandi tempus iostat: qua ratione in bilioſis etiam & acutis morbis occaſionem venari oportet exhibendi calida medicamenta, vt decoctum origani, pulegij &c. frigidis ergo ſyrupis vtemur ob acrimoniam humorum: attenuantibus autem & incidentibus vbi corpora tantum fluida reddere animus eſt, inſtante ſcilicet purgatione. *Mercatus de Præſid. Med.* Vide *infra* §. 53.

XXIV. Si quis ſupra vulgus ſapere doctus ad Præparationes Chymicas, medicamentaque magis efficacia, ideoque magis tuta, dummodo ritè tum adminiſtrentur, animum erexerit, commendabimus ipſi tum *Tincturas Extractaque*, tum Olea artificioſè confecta, tum *Salia volatilia*, & imprimis *oleoſa*, ea pleriſque animalium partibus arte paranda & convenienter vſurpanda: Quæ cum fere ſint vulgaribus medicamentis minus ingrata, aſſumantur quantitate longè minore, operenturque tum citiùs tum blandius, tum efficacius, exoptantur meritò ab ægris per ſe ſatis afflictis: Vt Medico gratioſi nomine gaudente videatur indignum, quin plane inhumanum, non velle, cum maxime poſſit, ægrorum infirmitati, faſtidio & nauſeæ gratiore medicamento ſuccurrere, quin malle afflictum afflictione nova continuò affligere: Quare iſtis moroſis Medicis præferendos exiſtimo benigniores, atque quovis modo ægrorum infirmitati naturali, & quandoque moroſitati, ſe ac medicamenta ſua accommodantes &c. *Fr. Sylvius Pract. l.* 1. *c.* 34. §. 103.

XXV. Vniverſalia & generalia digeſtiva Chimicorum concinnantur ex *Tartaro* 1. Cremor & Cryſtalli, 2. Magiſterium Tartari vitriolati, 3. Mixtura ſimplex: Vere talia non ſunt, Particularium Digerentium numero ea adſcribere tutius eſt: Non conveniunt in cacochymia Bilioſa, & humoribus ſalſis, acerbis atque acribus: In illis ebullitionem queunt augere & noxam parere: Proſunt magis melancholiæ cacochymicæ ſimplici, minus ponticæ, acri, quæ ignis ſeminaria in ſe habet: Quantum proficiunt ad craſſitiem incidendam, tantum fervidos & aduſtos ſuccos irritant & incendendo nocent: Pituitoſis quodammodo proſunt. *Rolfinccius meth. Gener. &c p.* 477.

XXVI. Cum ex hominis partibus omnibus levi artificio eliciantur Salia volatilia (quibus proinde illas conſtare concludo) nulli debet videri

minus

mirum ſi tam ſæpe inter Alterantia, hominumque humores depravatos Emendantia medicamenta commendem laudemque *Salia volatilia*, ſed blanda, Quibus etiam nunc primas merito tribuo in corrigendis emendandisque noxis ab Aëre quovis modo inquinato, aut Alimentis pravis corpori contento præſertim communicatis &c. *Fr. Sylvius de le Boë p.m.*407.

XXVII. Nequis fruſtra ſe torqueat exiſtimando cum multis, ratione minus quàm more motis, medicamenta omnia ventriculo tantùm cibis vacuo tutò aſſumi, cùm contrarium in multis deprehenderim verum, præſertim quoad Alterantia & corrigentia humores: Obſervavi namque millies alterantia, ſed blanda, quibus ſolis velim uti Medicos, ſæpe cum majori ægrorum commodo uſurpari paulò ante, aut poſt aſſumpta alimenta, quin unà cum ipſis, quàm tempore alio: Nec huic experientiæ contraria eſt ratio, ſic enim medicamenti vis blandè ſe admiſcet ac inſinuat non tantum Salivæ in ventriculo, ſed confluentium humorum Ternario in tenui inteſtino, quin ſanguini quoque univerſo ac cæteris humoribus omnibus in dextro cordis ventriculo, & cunctis arterijs veniſque: quo ipſo citius, facilius, feliciuſque abſolvitur quæſita ipſius, aut ipſorum, emendatio & correctio. *Franciſcus Sylvius Pract. l.1.c.*34.§.102.

XXVIII. Lubricum corpus fiet, ſi die quæ præcedit eam diem quo infuſo ſcenæ, vel ſyrupo uti voluerit, Enema ex decoctione veronicæ, in jure capi vel galli cum ſaccharo ſibi injici curabit: magis hic proderit quam ſi multis diebus ventriculum cum ſyrupis debilitet. *Iohann. Crato Conſil*, 37. *apud Scholtzium.*

XXIX. *Tartari cremor & cryſtallus* abſtergit, craſſos & tartareos humores incidit, atque obſtructiones aperit, alvum movet gratumque ſi ejus ℥ j. in juſculo carnis, vel aqua cocta butyro condita, cum gr. iij. iv. v. diagrid. vel extr. ſcammonij exhibeatur medicamentum, juſculum acido ſapore inficiens; *Cryſtalli* minus acidi, nec ita diuretici, ut *Cremor*, ideoque in corpore nondum purgato tutius exhibentur: doſis à ℈j. ad ʒj. *Sennertus Epiſt.* 28. *Cent.* 1.

XXX. *Pituitam viſcidam* incidunt tum Aromatica omnia & ſale volatili abundantia, tum Acida, & efficaciſſime Gummata Aromatica, Galbanum, Sagapenum, Ammoniacum, Bdellium, Opoponax, Maſtiche & ſimilia. *F. Sylvius de le Boë Appendic. Tr.*5.§.571. *Salia volatilia* diutine, etiam una cum alimentis aſſumpta, uſurpata valent ad *Pituitam viſcoſam* præparandam, quippe quæ non tantum eam incidunt ac emendant, ſed ejuſdem partem ad urinæ vias propellunt ac ſedimenti forma expellunt, quod tamen paulatim in urinis deficit, atque eo ipſo pituitæ maximam partem correctæ ac ſuperatæ ſignum præbet indubitatum. *Sylvius de le Boë Pract. l.* 1. *cap.* 30. Sanguinem glutinioſiorem, viſcidiorem ac tenaciorem nihil æque incidit ac emendat quam quodvis Sal volatile, diutine, quovis tempore, ac præcipue inter prandendum ac cœnandum cum vino &c. uſurpatum, longiori tempore; poſtquam omnis affectus chronicus & moram nectens, ab humore pituitoſo ſuam originem trahit, eundem ſaltem cauſæ ſuæ conjunctum habet, qui nulli remedio facilius, citius aut citius cedit quam volatili Sali ex arte uſurpato. *Idem cap.* 43. §. 17. & 18.

XXXI. Conſiſtentiam, hinc & glutinoſitatem Bilis, ut & aliorum humorum in corpore augeri ab auſterorum uſu frequenti, Eaſdem contra minui à continua volatilium ſalium, & acrium aromaticorum uſurpatione aliquot annorum obſervationibus ſum edoctus. *Idem cap.* 44.

XXXII. Cæteris omnibus remedijs palmam præcipit *Sal* ſeu *Vitriolum Martis*, quod obſtructiones aperit, viſcera roborat, calidam intemperiem emendat: doſis à gr.xij. ad xx. cum ſyr. conſerva &c. Saporis ingratitudo corrigitur reducendo in pil. cum mucil. tragac. Uſus ſit diuturnus, ideo magna quantitas paranda, quæ a Beguino & alijs comparari non poteſt: Facilem compoſitionem hic damus: ℞. Ol. vitrioli, aut ſulphuris ℔ß. ſpir. vini ℔j. ponantur in ſartagine nova & munda & aſſere contegantur: intra xv. dies fiet per ſe ſalina concretio, Soli poſtea exponenda, ut omnino exſiccetur, movendo interdum cum ſpatula ferrea: hyeme poterit exſiccari ſupra ignem leviſſimum aut in hypocauſto: Sal probe exſiccatum in phialâ vitrea recondatur, bene obturata; nam aëri expoſita facile humeſcit. Pilulæ ex eo factæ cum mucil. tragac. duriores fient addendo pulverem ipſius tragac. in phiala recondendo ne humeſcant: Per menſem & plures poteſt continuari remedij hujus uſus magna cum utilitate. *Riverius Pr l.*12 *c.*5.

XXXIII. Circa *Cryſtallum Tartari*, juniores Medici norent id majoris eſſe efficaciæ quàm vulgò creditur, quandoquidem illam in uſu practico rarò animadvertimus propter incuriam Pharmacopæorum & fraudem pſeudochymicorum, ſeu plebejorum illorum deſtillatorum qui chymica medicamenta Pharmacopæis vendunt, quorum nullum ferè ſincerũ eſt, ſed omnia adulterata: In curia Pharmacopœorum majori ex parte talis eſt ut cryſtallum Tartari à deſtillatoribus illis emere malint quam propriâ manu conficere (quamvis nulla medicamentorum præparatio in tota arte facilior reperiatur) quia viliſſimo pretio illis venditur, & nonniſi majori ſumptu ipſimet præparare poſſent: libra ſiquidem illius ſeptem vel octo aſſibus tantum ab illis impoſtoribus venditur: Ex hoc ſolo Pharmacopœi fraudem arguere deberent, damnum potiùs inde emergere videntes quàm lucrum aliquod ſi fideliter præparetur: Fraus verò in eo verſatur quod impoſtores illi parùm tartari & multum aluminis decoctis ſuis admiſcent: non quod Tartarum carius vendatur, ſed quod exiguam cryſtallorũ copiam præbeat, Alumen verò totum in cryſtallos abeat. Hinc Medici ſuo fine fraudantur, cùm alumen adſtringendi vi præditum ſit, aperiendi facultati, quæ ab ijs deſideratur, contraria: Aliud præterea damnum huic medicamento infertur, quod nimirum cryſtalli hujuſmodi eliciuntur per decoctiones factas in cacabis æneis, à quibus maligna æris qualitas medicamento imprimitur: Notiſſimum enim & vulgatiſſimum eſt pharmaciæ præceptum, Ne acida in vaſis æneis decoquantur, quia facilè penetrant, & quandam æris tincturam maxime noxiam attrahunt: At cryſtalli Tartari acidiſſimi ſunt, & à nonnullis *Acidum Tartari* nominatur, qui tamen error ut plurimum ab ipſis Pharmacopæis committitur: Et omnes ferè qui hos cryſtallos præparant manu propria vaſis æneis utuntur, ut viderim interdum apud quoſdam Pharmacopœos cryſtallos Tartari colore cœruleo infectos à viridi æris ex vaſe cupreo attracto: Medici ergo & conſcientiæ, & exiſtimationi, & ſaluti ægrorum conſulent ſi pharmacopeos cogant cryſtallum Tartari propria manu, & in vaſis vitreis, ferreis,

cerceis vitreatis conficere. *Riverius Pract. l. 11. c. 4.*

XXXIV. Etſi in uſu Tartari ſuum cuique judicium & experientiam relinquo; Vſu tamen longo comperi plus ineſſe aperientis & alvi ducæ facultatis quam in ejus cremore vel granolis, anxijs Chymicorum manibus & animis eductis: cum coctione, quæ in terrea ejus & ſalina parte conſedit maximè, & tot ablutionibus vis ejus purgativa plurimum tenues vaneſcat in auras: Juſculis ego incoqui præcipio herbas aperitivas, lieni vel jecori dicatas, cum cochleari tartari albi ſola lotione mundati & ſiccati. *Heers Obſ. 1. de Mayerne Tr. de Arthr.*

XXXV. Illud notandum *chalybeata medicamenta* (inter quæ eximium Elect. de chalybe *Augenij*) felicius operari ſi vinum diluatur aqua chalybeata ac alimenta in ea incoquantur. *Augenius.*

XXXVI. Sal Tartari maximam habet deobſtruendi vim, & Apozematis, Opiatis ac Pilulis aperientibus utiliter admiſceri poteſt: ſed præcipuus illius uſus eſt in Ptiſana laxante, quæ fit ex ſennæ ℥ij. in aq. frigidæ ℥viij. infuſis, cum ℈j. vel ʒß. ſalis Tartari, à quo Sennæ tinctura potenter extrahitur, ut Ptiſana hæc multò potentius purget quàm ptiſana vulgaris, Et ad multos dies continuata, omnes obſtructiones ſolvat, quo effectu non rarò quartanas contumaces hujus ptiſanæ uſu per xv. dies continuato radicitus curatas vidimus: Si ſalis Tart. metuatur acrimonia, corrigi poteſt ſpiritu vitrioli aut ſulphuris, ut pro ʒß. ſalis ſint guttæ xv. ſpiritus. *Riverius ibidem.*

XXXVII. Ex ſpiritu vitrioli cum ſale, aut ſpiritu tartari conficitur *Tartarum vitriolatum*, quod frigidos ac viſcoſos humores incidit, attenuat, cruditates coquit, obſtructiones aperit & materias adhærentes abſtergit; eaque omnia efficaciſſimè præſtat: Etenim ſi Tartarum vini per ſe conſideratum, vim aperiendi & abſtergendi non levem poſſidet: Si vitriolum ſeorſim id efficit, cujus efficaciam oſtendunt aq. naturales acidæ & vitriolatæ, in omnibus morbis ab obſtructionibus ortis utiliſſimæ, multo magis hoc Tartaro vitriolato concedendum eſt, ubi præparatum & optimè purificatum ol. tartari, per ol. vitrioli guttatim affuſum, non ſine excandeſcentiâ figitur, & in coagulum albiſſimum mutatur, Sed obſervandum quod ſi ad literam, juxta *Crollium*, paretur, nauſeabundum admodum ſit, & in delicatis ſæpe vomitum excitet, ob majorem copiam olei Tartari reſpectu ſpir. vitrioli: Ideo melius operatio inſtituitur quando partes æquales ſumuntur. *G. Horſtius Dec. 9. Probl. 5. ubi alia præparatio.*

XXXVIII. Adeo hodie *Cremor* & *Cryſtalli Tartari*, & *Tartarum Vitriolatum* ſunt vulgaria, ut à non paucis vix ulla medicamenta præſcribantur quibus hæc non admiſceantur. Imò à *Crollio* Tartarum vitriol. univerſale Digeſtivum appellatur: Et fateor ſane è Tartaro parata medicamenta in humoribus melancholicis craſſiſque incidendis & attenuandis, ideoque obſtructionibus aperiendis magnam vim habere: Cum verò ſæpe accidat ut in affectione Hypochondriaca bilis atra, humoreſque ſalſi & acerbi, atque omnino acres, & qui ignis ſeminaria quaſi in ſe continent, reperiantur: Talibus certè humoribus Tartarum vitriolatum, & hujuſmodi acria medicamenta non conveniunt, cùm eorum acrimoniam non retundant: ſed ea potius uſurpanda quæ pravas qualitates talium humorum temperent, & omnino contrariæ qualitates contrarijs opponendæ. *Sennertus Pr. l. 3. p. 3. c. 3.*

Quod ea uſu Tartari Vitriolati tam diua quandoque oriantur ſymptomata, ut vomitus, cardialgia &c. non ſali Tartari acceptum eſt referendum, ſed ſpiritui vitrioli ſæpius impuro. *Frid. Hofmannus Clavis Schrœd. p. 610.*

XXXIX. Medicamentorum Chalybeatorum virtus à concreti particulis vario modo reſolutis explicatis, & in actum exertis dependet: Enimvero Chalybs, ſive Ferrum, potiſſimum cõſtat ex ſale, ſulphure & terra; ſpiritu & aqua tenuiter admodum dotatur, priorum verò elementorum particulæ, præterritim ſulphureæ ac ſalinæ in mixto, unà cum terrâ combinatæ, fixæ prorſus ac inertes manent: verum ſolutæ, ac ab invicem divulſæ ἰσχυρῶς valde efficacis exiſtunt: Prædictæ particulæ duplici modo diſſolvuntur, vel ab arte, vel à natura, poſtquam intus aſſumuntur: corpus enim metallicum à ventriculi fermento, non ſecus ac à menſtruo Chymico corrodi & ſolvi ſolet: *Simpliciſſimus* Ferri parandi modus eſt corporis ejus in partes exiguas irregulares per *limaturam* diviſio, quæ totius mixti naturam retinent, continentque corpuſcula ſulphurea & ſalina cum alijs terreſtribus combinata: Limatura ferri intus ſumpta à ventriculi fermento, tanquam à menſtruo acido diſſolvitur, cujus indicia ſunt tum ructus ſulphureus & nidoroſus, velut à comeſtis ovis ad duritiem coctis, tum excrementi ſtercoracei nigredo, à chalybe intra coctionis viſcera diſſoluto; Particulæ activæ, tum ſulphureæ, tum ſalinæ, copioſè exiliunt, atque ſucco nutritio involutæ in ſanguinem evehuntur, quæ cum diverſa polleant virtute non rarò utræque velut junctis viribus in ægroti commodum conſpirant: Corpuſcula ſulphurea ſanguini illata, ipſi novum ac uberius ſulphuris penum addunt, propterea ut maſſa ejus, ſi antea pauperior & effœta fuerit, intra vaſa vehementius fermenteſcat, & ulterius in corde accenſa calorem magis intenſum, quin & colorem ſaturatiorem acquirat: Ita namque obſervare eſt de pleriſque leucophlegmatia, pica & malacia affectis, quibus vultus palleſcit, ſanguis frigidus & aquoſus exiſtit, à chalybis autem uſu brevi vultus floridior, cruor tincturâ & colore intenſioribus imbuatur: Porrò, à limatura ferri in ventriculo ſoluta etiam particulæ ſalinæ efferuntur, & non rarò tum in partes ſolidas, tum in humores uberem fructum erogant: nam iſtæ ſi quidem naturæ ſunt vitriolicæ & ſtypticæ, viſcerum fibras nimis laxas & debilitatas adſtringunt & corroborant, adeoque tonum pręſtandum reſtituunt: Cæterum particulæ iſtæ ſalinæ ſanguinis impetum inhibent, ab æſtu nimio, ſpumeaq; turgeſcentia reprimunt & in æquabili circulatione retinent: Inſuper (quæ maxima illarum utrius eſt) arteriarum oſcula nimis laxa, aperta & dehiſcentia contrahunt & anguſtant, proinde ut nec ſerum, nec latex ſanguineus exudet aut circuitus filum abrumpat: quapropter in hydrope & hæmorrhagijs remedia ſalinis ferri particulis imbuta celeberrimi ſunt uſus & efficaciæ; plures enim morbi ab hac causâ procedunt, in quantum arteriarum oſculis nimis patentibus, & vaſorum interſtitijs ſupra modum laxatis, ſerum aut latex ſanguineus erumpit: cujuſmodi affectibus particulæ chalybis vitriolicæ, & vaſa ſanguifera, & fibras nerveos conſtringendo & corroborando ſæpenumero medentur: Ad hunc modum limatura chalybis intus aſſumpta ſanguini & calcaria & fræna ſimul adjicere videtur; In quantum verò ab illiuſmodi medicamento Incitatio longe potentius exercitur quàm reſtrictio, idcirco illis tantùm quorum ſanguis valde craſſus ac frigidus eſt, uti ruſticis & valde robuſtis, exhiberi debet; In ſanguine præfervido & ſpirituoſo, ac viſceribus calidis, minimè con-

conveuit: Porro in delicatulis & teneriotis conſtitutionis hominibus periculum eſt ne chalybis porticulæ, cum ſatis diſſolvi nequeant, tanquam vitri ramenta, viſcerum membranis impingantur, iiſque pertinaciter adhærentes, vlcera & tormina lethalia producant, quod revera interdum accidiſſe novi: 2. *Poſt* limaturam ferri proximus ejus parandi modus ut *calcinando cum ſulphure*, nempe chalybis laminæ intenſiſſimè ignitæ magdaleon ſulphuris admovetur, vt metallum in globulos liqueſcat, qui denuo ad conſumptionem ſulphuris calcinati, ac mortario triti, in pulverem ſubtilem, qui cæruli eſt vſus, rediguntur: In hoc ferri præparato particulæ quidam ſulphureæ exhalant, cujus indicium eſt quod pulvis hic a liquore acido affuſo longè minus ebullit aut incaleſcit quam ferri limatura, attamen ab eodem ore aſſumpto nidor ſulphureus excitatur: Interim in præparato iſto particulæ ſalinæ nonnihil augeri videntur, novis à ſulphure flagrante metallo accreſcentibus, adeo vt vtriuſque generis particulæ activæ, nempe ſulphureæ ac ſalinæ, fere ad æquilibrium accedant: cumque hac ratione medicamentum hoc, laxata metalli compage, minutiſſimè pulverizari poſſit, longè præſtantioris vſus quam limatura ferri evadit: In pleriſque caſibus vbi chalybs in ſubſtantia exhiberi debet, prout in cachexiâ, picâ virginum & ſimilibus, hoc medicamento vti convenit. 3. *Tertio loco* ſuccedit *Chalybis præparatio cum Aceto*, nempe limatura chalybis toties irroratur cum aceto, & exiccatur, donec in pulverem impalpabilem reduci queat: In hac præparatione particulæ ſulphureæ longè plures, imò quoad maximam partem evaporant, paucioribus tantum relictis: interim ſalinæ, propter alias ab aceto accreſcentes, plurimum augentur, quæ cum particulis terrenis commiſcentur: Pulvis hic chalybeatus a liquore acido aſperſu parum aut vix omnino ſpumat aut ebullit, etiam ore aſſumptus nidorem ſulphureum vix vllum inducit: Quare in expediendis viſcerum obſtructionibus, aut ſanguinis reſtituendo fermento minus conducit: nihilominus in calidiori conſtitutione, in hæmorrhagiis, & affectione hypochondriaca majori ſucceſſu quam ſuperiora præparata exhiberi ſolet 4. *Succedit Rubigo ferri*, quæ corporis metallici extractum, ſive quinta eſſentia eſſe videtur: quippe in exacreſcentia iſta particulæ quædam cujuſque generis, nempe ſulphureæ, ſalinæ & terreſtres, à totius compage ſolutæ, inter ſe combinantur, & novum quaſi mixtum, imagis ſubtile & defæcatum conſtituunt: Quoniam in hoc concreto pauciores reſident ſulphuris particulæ, ideo non adeo potenter ſanguinem fermentat, aut viſcerum obſtructiones reſerat, vti chalybs cum ſulphure præparatus: attamen in calidioribus partium aut humorum dyſcraſiis intentiones à medicamento chalybeato requiſitas egregiè perficit. *Hæc de Ferri præparatis*, in quibus particulæ elementares cujuſque generis, in varia licet portione, comprehenduntur: reſtant alia in quibus particulæ ferè tantum vnius generis, nempe ſalinæ aut terreſtres, cæteris quoad maximam partem propulſis relinquunt, cujuſmodi imprimis ſunt *Vitriolum martis* ſive *Sal chalybis*, & crocus Martis, v. Pro conficiendo *Vitriolo martis* imprimis metallum à liquore valde acido & corroſivo exedi, & in partes elementares diſſolvi ſolet: inter diſſolvendum particulæ ſalinæ menſtrui aliis ferri ſalinis impinguntur, iiſque intimè combinantur, reliquis interim ſulphureis & terrenis ſepoſitis & à conſortio excluſis: deinde aqua communi ſolutioni iſti affuſa ſales vtriuſque generis combinati à liquore imbibuntur, eoque demum filtrato & evaporato in cryſtallos coguntur; hujuſmodi ſalificatio ſuccedit ſive cum ſpiritu vitrioli, oleo ſulphuris, aqua ſtygia, aliiſque ſtagmatis mineralium ſtillatitiis procedimut: quinimo ſal ammoniacus tantum deliquio ſolutus, ferrum eodem ritu diſſolvit & ad cryſtalliſandum diſponit: *Sal martis* ita præparatus ſaporem dulcem cum aſpera quadam ſtypticitate refert, & naturæ vitriolicæ in tantum participat vt à cuperoſa viridi haud multum differre videatur: Intus pro medicina ſumptus humores aliquatenus fermentat, atque fibras nervoſas potentius conſtringit; in cachexiis frigidis & phlegmaticis, quoniam nullæ exeruntur ſulphuris particulæ, hoc medicamen minus convenit: In calidioribus viſcerum dyſcraſiis, cum ſulphuris aduſti prædominio, necnon in ſanguinis & ſucci nervoſi effervеſcentiis vagis, ſcorbuticis & inæqualibus, illud per ſe, aut cum aliis remediis ſtimuli vice admixtum non rarò cum fructu adhibetur: attamen in conſtitutionibus teneriotibus, periculum eſt ne ab acrimoniâ ejus & conſtrictione nimiâ ventriculi tonus & fibræ lædantur. 6. vltimo loco ſuccedit *Crocus martis adſtringens*, per diuturnam ab igne calcinationem paratus: ſcilicet ferri limatura, ſcoriæ aut laminæ, in fornacis reverberio ita collocentur vt a flamma intenſa continuò lambantur: limatura hoc modo igni expoſita, primum aliquatenus rubeſcet, ac in glomeres duriuſculos concreſcet: poſt tres autem vel quatuor dies, ſubitò in acervum altiorem intumeſcens, ſummè levis, impalpabilis & coloris purpurei elegantiſſimi evadet: in hoc præparato particulæ ſulphureæ & ſalinæ, dum vi ignis à concreto abigi incipiunt, ſe mutuo apprehendunt, adeoque invicem combinatæ in glomeres accreſcunt: poſtea tamen particulis iſtis, tum ſalinis tum ſulphureis penitus profligatis, igneiſque in eorum locum ſuccedentibus, tota maſſa mole intumeſcens & velut ſpongioſa facta, leviſſima evadit: medicamentum ita paratum in quibuſdam caſibus vſus egregii, & nulli è chalybeatis ſecundi exiſtit: nimirum in omni ſeri ac ſanguinis extravaſatione aut eruptione nimia, prout in hæmorrhagiis externis internisve; in diarrhæâ, diabete, in catharro vehementi; etiam in aſcite aut hydrope incipiente nihil hoc remedio præſtantius novi: Sed dubium, ſi hoc medicamen particulis ſalinis & ſulphureis deſtitutum eſt, videtur nil niſi caput mortuum ſupereſſe? ℞ Efficacia pendet à particulis igneis terræ fixiſſimæ incluſis intra corpus erumpentibus: 2. particulæ terreſtres, ſalinis (quibus arctiſſimè tenebantur) deſtitutæ prorſus, iiſdem aut ſimilibus reuniri avidiſſimè capetunt: quare iſte Crocus martis corporibus noſtris immerſus, ſales quoſcunq; ſibi obvius arripit ac intimè devincit: adeoque dum particulas ſalinas quam plurimas velut ſpongia abſorbet, multas enormitates, à ſalium fluore potiſſimum obortas tollit: hac ratione juvant c. c. vſtum, ſpodium, antimonium diaphoreticum &c. *Thomas Willis Patholog. cerebri cap. xi.*

XL. Dubium eſt in quibuſnam partibus hæreat vis Stringendi, in quibuſnam vis Aperiendi & Laxandi; ne dum ſtringere volumus, potius laxemus & aperiamus: Varii varia ſentiunt, nos exiſti-

mamos vim apericotem chalybis non eſſe ſuperficialem, ſed intus reconditam, quæ nonniſi multis ignitionibus, & longa præparatione, quæ ſolvat illam ferri arctam compagem, elici poſſit; hinc ſtatuo primas illas infuſiones adſtringere, validas & ſæpe repetitas aperire; ſic lac & vinum chalybeatum adſtringunt, modo extinctio ſit moderata, nam copioſiori alvus turbatur ob majorem chalybis ſubſtantiam admiſtam: vis ſiquidem aperiens in vitriolica conſiſtit, quæ non ita facile educi poteſt: Ideoque ferrum vetuſtiſſimum ſæpius ignitum præfertur, quod facilius præparari poteſt & diſſolvi: Aceto quoque præparari ſolet & vino, acutiſſimiſque liquoribus vt educatur vis aperiens intus latens: Aqua autem & lac, aliique liquores blandi, nihil educere ex ferro valent, ideo adſtringunt, niſi multiplici ignitione vis ejus ab igne eliciatur: Sic minerales aquæ, ferreæ & vitriolatæ potentiſſimè aperiunt, quæ non ipſam ferri ſubſtantiam, ſed puriorem tantum illius partem & ſpirituoſam ab igne ſubterraneo admiſtam habent: Huic opinioni favet *Sennertus*, qui vult ſpiritum quendam coagulantem ineſſe chalybi, à quo liquores adſtringendi vim habent, vireſque has in vitriolica ſubſtantia conſiſtere: vnde concludit lac & vinum chalybeata adſtringere, ob Spiritum illum coagulantem, modò extinctio ſit moderata: nam copioſiori alvum turbari, ob majorem chalybis ſubſtantiam admiſtam; cum metalla, ſi copioſius ſumantur, noxia ſint; ſtatuit tamen minus adſtringere quam aperire: tum recentes extinctiones ſumendas, ac frequentioribus alvum potius moveat quam adſtringat. *Primiroſius lib. 2. de Febrib. cap. 1.*

XLII. Licet pondere ac gravitate nonnihil præſtare poſſit, nuſquam tamen placuit ea ratione præparare in magna ac ſenſibilia fruſta, etſi ab antiquis id vt ſecretum obſervatum: At mihi ſemper ſuſpectum medicamentum quod pondere ageret: nam cum hoc celeriter permeet meatus obſtructos, & protinus per ſeceſſum excernatur, ratione conſonum videtur potius rumpere ac permeare humores obſtruentes, quam eoſdem calore proprio, & medicamentorum, quibus admiſcetur, attenuere; neque abſtergere, cum præ nimia celeritate humores nullam poſſint recipere à virtutibus hujus medicamenti gratiam, quare ſæpe ſit vt à ſumpto hoc medicamento fœminæ in priſtinum ſtatum redeant meatibus & partibus obſtructis ab eo factis perviis: At quia fallax eſt ſalus illa, protinus in majores obſtructiones delabuntur, nam humores qui tunicis vaſorum adhærentes, locum medicamento tranſeunti dederunt; poſtea levi errore in victu accedente, aut creſcunt, aut cohærent iterum inter ſe, & denuo majus malum efficiunt. Qua quidem ratione placuit ſemper magis ea præparatio, in qua parum corpulentæ ponderoſæque ſubſtantiæ ſuperſit, plurimum verò abſterſionis, ac partium tenuium & calidarum vt his potius quam fallaci pondere finem conſequamur. *Mercatus de Indicat. Med. lib. 2. c. 7.*

XLIII. Non deſunt qui *electuar. ex chalybe* conficiant cum agar. pulpa tam. cath. ſenna, mechoac. &c. quæ praxis nullo modo admittenda, nam ſi Medici inſtitutum eſt roborare, obſtructa aperire, infarcta reſerare & ſudorem movere, incitis craſſis humoribus, ac dilatatis canalibus exercitii ope, cur contrarium motum procurabis citata alvo: Deinde ſumentes chalybem fatigantur exercitio excitato ſudore, cur ergo vacuatione per alvum in eadem die cruciabuntur? demum vis naturæ infertur, quæ ex hac motuum inæqualitate vehementer proſternitur: Satius ergo ſit vt pars craſſior humoris per intervalla per alvum expurgetur, quieſcere duobus diebus, in quibus medicamentum clemens poſſit offerri: Neque Galenus l. de ther. cap. 16. *Actius* tetrab. 3. ſerm. 3. cap. *Paulus* lib. 7. tit. de ferro, *Razes*, & alii qui ad abſumendos magnos lienes, contumaceſque obſtructiones eradicandas chalybe vſi ſunt, hunc cum purgantibus permiſcere conſueverunt. *Zacutus Pr. h. pag. 485.*

XLIV. *Chalybi* cardiaca videntur permiſcenda, nam inimicitiam habet cum partibus noſtris, & ex illo ventris dolor accidit, cephalalgia, oris ſiccitas & inflammatio: Ab *Avicenna* 64. tr. 1. cap. 48. inter venena numeratur: At id intelligendum de non correcto, neque tempeſtive aut modica quantitate ſumpto: Quare conſultius ſemper mihi viſum eſt cum eo permiſcere quæ ejus vim adaugeant, cum parte affecta habeant ſimilitudinem, & maleficam vim corrigere valeant, in quorum numero ſunt therisca, mithridatium, diarrh. abb. arom. roſat. &c. *Zacutus Pr. h. p. 485.*

XLV. Ante *chalybis* vſum debet eſſe belle expurgatum corpus, verno præſertim tempore, in quo curatio hæc commodius adminiſtratur, facultates optime valent & organa promptius ſunt diſpoſita: vel autumnali, ſi iam longo tempore curatio differri nequit; non æſtivo, nam etſi ob caliditatem medicamen citius diſtribuitur, vires tamen languent, & ab exercitio poteſt accendi febris: In hyeme humores ſunt concreti, canales adſtricti, & ob frigus ambiens exercitio non eſt locus: *Zacutus Pr. hiſt. p. m. 484.*

XLVI. *Salem Nitri* ſanguinem refrigerare, & vrinas potenter movere ſatis vulgo innoteſcit: attamen vtriuſque effectus ratio non ita liquido patet, quippe tantum abeſt nitrum particulas frigorificas in ſe continere, vt è contra nihil magis igniparum fuerit, vti cernitur in pulvere pyrio: atque ſi deſtilletur flamma potius quam vapor, aut fumus in recipiens prodire videtur: quinetiam ſtagma exſtillatum, inſtar ignis actualis corpora quæque appoſita exurit aut corrodit: Nec minus mirari ſubeſt quomodo hic, cujus natura in tantum ignea eſt, ſanguinem ita diluat, inque aquoſitates pro diureſi cienda fundat: Super his vt conjecturas noſtras proponam, dico Nitrum duplici reſpectu ad effectus iſtos producendos conferre, videl. & quatenus eſt Sal, tum fixo tum volatili nonnihil affinis, & quatenus τὸ ζώπυρον exiſtit: Quoad prius, obſervavimus Nitrum (prout etiam ſalia fixa & volatilia) lacti impoſitum, & coagulationem ejus impedire, vel tollere: pariter item huic, non minus quam illis, ſanguis, adhuc calens, affuſus à coagulatione & diſcoloratione præſervatur; Quapropter ſi quidem Nitri particulæ, intus ſumptæ, ſanguinis mixtionem integram, ſervant aut reſtituunt, proinde quidem illæ fuſiones, & coagulationes ejuſdem, à quibus æſtus & ischuria ſæpiſſime oriuntur, præcavebunt aut tollent: Verum inſuper Nitrum, quatenus igniarium eſt, intus aſſumptum ſanguinem efflagrantem refrigerat, & vrinas movet, in quantum ſcil. cruoris flammam, prius turbidam atque fumis interſperſam, adventu ſuo plus accèdens, eam claram magis ac puram, proindeque mitiorem reddit: cumque ita ſanguis, dum clarius à Nitro ardeſcit, in compage ſua plus laxatur, partiuli

culi

culæ ſcroſæ craſſioribus facilius extricantur, & vberius abſcedunt. *Willis.*

XLVII. *Oxymelitum & hydromelitum* vſus apud veteres in multò majore erat commendatione quam jam apud nos. Arabes, qui primi ſacchari vſum introduxerunt, in cauſa ſunt quod varia illorum genera immutata fuerint in ſyrupos, quorum magna farrago eſt: Quod verò aſſerunt pro horum vſu ſtabiliendo eos diutius conſervari poſſe, & palato gratiores eſſe, probatione eget: Sed extra omne dubium eſt omnes hydromelitis, & præcipuè oxymelitis ſpecies, maximè vero id quod melicratum nuncuparot (vbi aqua, mel, atque interdum acetum ſimul miſcentur) longè eſſe vtiliora, commodiora, imò magis idonea omnibus curandi intentionibus quam ſint ſyrupi: cum ſaccharum ſit Sal quidam dulcis non exiguo calore præditus, cui qualitas quædam obſtruens & glutinans jungitur, vnde minus aptum judicari poteſt ad præparationem, alterationem, mitigationem humorum, eorumque excretionem, cujus rei cauſa ſyrupi componuntur: Adde id in corporibus bilioſis & naturâ macilentis, vt & cætera dulcia, minimo negotio bileſcere, vnde plus damni quam vtilitatis talibus accidit. Objicies mellis dulcedinem, Admittemus id quidem, at hoc longè defæcatius & purius eſt, naturaque præditum magis aërea, cœleſti & ad quintam eſſentiam accedere quam ſaccharum, quod licet dulce & conditum ſit ſuperficie tenus, intrinſecus tamen acrimonia ſcatet & nigrore non mediocri, vt probè norunt & experiuntur illi qui in rerum interna & vitali anatome aliquem progreſſum fecerunt. Quod animadverſum & diligenter fuit obſervatum Galeno, & deinde ab Oribaſio Medic. collig. l. 5. c. 24. qui dum intendit oxymelitis facultates, quæ acidæ & vitriolatæ ſunt, præfert hydromeliti, quod ob dulcedinem temperamentis calidis & naturis fervidioribus minus congruit, eò quod in bilem faciliimè convertatur, *Cum melicrati facultas, ait, cætera omnia habeat quæ ad acutos morbos valent, in vno tamen duntaxat iis eſt contraria, quod ſupercalefacta in bilem convertatur: hanc ejus mutationem aceti permixtio cohibens, præſtantiſſimum efficit medicamentum, tantumque aceti melicrato addendum eſt, quantum ſatis ſit vt facultas in bilem convertendi corrigatur.* Oxymeliti idem ſpecificam vim adverſus affectus hypochondriacos & thoracicos adſcribit, cum opus eſt materiæ craſſæ & lentæ attenuatione & inciſione. Ex his patet quid Galenus & alii antiqui ſentiant de oxymelite acido & vitriolato, quoque potiores illi vires adſcriberent ad ſanitatem conſervandam & morbos curandos, quàm hydromeliti dulci; vt hinc colligere liceat ipſum oxymel ſyrupis anteponendum: *Plurimos prope vidi*, inquit Oribaſius *l. c. qui ex aceti ſcyllitici, atque etiam vini ſcyll. vſu, ad vitæ finem vſque ſani vixerunt. Quercetanus Pharmac. Dogma. c. 16.*

XLVIII. *Galenus* l. 6. de Med. Simpl. cap. de Plantagine, ait illius folia & radices ſiccas valere ad obſtructiones jecoris & renum aperiendas: plantago enim abſtergit & diſcutit ſicca, vt viridis aptimit: Hinc notetur error eorum qui vtuntur hyeme herbis ſiccis loco recentium, quæ natura & qualitatibus valde differunt. *Sanctorius met. vit. Errorum l. 13. cap. 3.*

XLIX. Monendi Medici juniores, vt in pituitæ glutinoſæ correctione caveant ſedulo ne multo vtantur *ſacchar*o, & valde *ſaccharatis* medicamentis, cum inde non tam emendetur ſolvaturque quam augeatur pituita, quin reddatur in dies glutinoſior. *Fr. Sylvius Pratt. l. 1. c. 34.*

L. Quoniam *ſaccharata* in morbis bilioſis non valde tuta ſunt, ideo ſucci purius præferri poſſent, ad ℥iij. vel iv. in diluto ex cichoraceis parato. *Fortis conſult. 54. cent. 3.*

LI. *Abſinthium Ponticum* adſtrictorium, amarum, acre, excalefaciens pariter & extergens, roborans & deſiccans, 6. ſimpl. 69. Galeno ſtatuente, id diſſimilium licet ſit partium calidum eſſe 1. exceſſu, ſiccum 3. Succum autem ejus longe quam herbam eſſe calidiorem: Obſervetur itaque ob partium diſcrepantiam, quæ apparet manifeſtiſſime, ne dum nimiis laudibus abſinthii vſum efferunt authores, nos ſuſque deque habeamus quo morbi tempore, quibus in morbis eo vtamur: Cum enim ſtypticitas ejus fortior ſit quam illius amaritudo, vt Avicennas habet l. 2. tract. 2. c. 2. circumſpiciendum cui propinabimus: *Medicina vero purgativa in via pervenienti ad ſtatum, ad rectificandam materiam & maturand. in ipſam. & ſuccurrendum nocumentis ejus ex ſingularibus eſt Abſinthium: verum poſt ſeptimum, & apparitionem digeſtionis, ita vt ſit Romanum quod ex ipſo bonum eſt; Et cum in feſtinas, cum eo moves humores, & non evacuas eos, cumque ſumitur, facit accidere anguſtiam, & triſtitiam, & nauſeam, dein revertitur ſuper eos cum ſua caliditate, & exſiccat eos, & cum ſtipticitate facit eos pigros.* Hactenus Avic. Quin & Gal. 6. de ſan. tuenda 14 iis quibus pituita ſcatet ventriculus, Abſinthii potionem adverſiſſimam ſcribit, v. quæ pituitæ ſium ipſorum ſuccum ventri affigat, cum detergendi vim non habeat quę adeo ſit æſtimanda: Contra 1. ad Glauc. 9. Abſinthii potionem ex aqua mulſa ſummum ſtomachi appellat remedium, vbi bilis infeſtaverit, ſi concoctionis adſint ſigna, quo tempore ac cum fiducia abſinthium adhiberi poſſe idem ibidem docet: Non itaque Abſinthio, niſi præſentibus hiſce ſignis, ob adſtringendi facultatem vnquam vtamur. *S. Pauli Quadripart. Botan. Claſſ. 2. Tit. Abſinthium.*

LII. *Præparantia* alia ſunt vniverſalia alia particularia: Illa vocamus, non ſtricte, quod omnibus omnino humoribus æq; conveniant, ſed quæ ſunt polychreſta & quæ ceu communia & frequentius occurrentia ſæpius in vſum vocari poſſunt: Talia vero ſunt *aperientia, antiſcorbutica, anticachectica, hepatica & ſplenitica* Frequentiores enim cauſæ quæ acnotantur purgantium vim, ne operentur ex voto, ſunt obſtructio vaſorum, humorum ſiccitas vel *miaſma* ſcorbuticum: Adeoq; nec Tartarus vitriolatus, nec cremor & cryſtalli Tartari vel ipſa Miſtura ſimplex, alio nomine quam hoc vniverſalia digeſtiva dici merentur vel debent, niſi quod inſigni gaudeant aſſerandi facultate, & pluribus indicationibus ſatisfaciant: *Particularia* vero ſunt *alterantia & aperientia*, vel incraſſantia tenuiter, ex ſingulorum remediorum quoad partes digeſtorum fontibus deprompta *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac. p. 128.*

LIII. *Bilis*, tum excrementitia naturalis, tum p. n. & partes ſulphureæ, oleoſæ ſanguinis excedentes, vno verbo, *cacochymia bilioſa*, quatenus caliditate peccat, Aqueis diluentibus, acidiuſculis & aliis temperatis digeritur: ſin viſcoſior ſit, etiam incidentibus, amaris, vt in ictero: Si tenuior, Acidiuſculis, & mucilaginoſi terreis: *Idem ibid.* Temperanda eſt Bilis & ratione ſuæ *acrimonia*, & ratione ſuæ *volatilitatis* auctarum: *Acrimonia Bilis Salina lixi-*

va temperatur potentiſſime ab Acidis & Auſteris: blandius ab Oleoſis & Spirituoſis, quibus tamen ſæpe tuto vti non licet, cum incendium bilis & ſanguinis facile augeant foveantque; niſi fixata prius fuerint *Olea*: Sola proin Bilis acrimoniam tuto temperantia fuerint *Acida* & *Auſtera*, & quidem inter vulgaria Acetoſa, Acetoſella, Plantago &c. Ex Chymicis laudo alumen, ipſiuſq; ſpiritum, vt & è Vitriolo, Sale Vulgari, nitro, ſulphure &c. acetum ſtillat. tam ſimplex quam cum aliis paratum: *Volatilitas bilis aucta* minui poterit per *figentia*, & imprimis laudata modo Acida & Auſtera, inter quæ primas forſan tenet Spiritus Nitri, cæteros ſpiritus Acidos omnes in figendo ſuperans. *Sylvius de le Boë Append. Tract. x.* §. 711.

Color Bilis ſecundum naturam eſt duplici nomine *Croceus*, collecta ſiquidem croci ad inſtar quodammodo *rubère* videtur, vt diluta flavere: Hic color p.n. mutatus obſervatur quoties *colore viridi* multifario, vel aliquando *coeruleo*, *atrove* donatur: Quoniam vero experientia longa & multiplici edoctus ſum omnem illam in colore *Bilis mutationem* pendere à *ſucco pancreatico*, *acrimonia acida*, ſed *multifaria* pendente, ipſiq; admiſta, nemo non videt ſignificare illum colorem, quovis modo mutatum non primarium, ſed ſecundarium, notatoque ſucco debitum *vitium in Bile*, atq; *Indicare ipſius correctionem*, aſt per *correctum eundem ſuccum*: Cum igitur Bilis adſcito colore illo naturali diverſo *Acrior* exiſtat, & quidem *acrimonia*, non propria & ſalina lixiva, ſed adventitia & aliena, *Acida* nempe, gradibus tamen pro coloris mutatione variante; *Indicatur* ſimul *corrigentis ſpecies*, tale nimirum quod *Acidum corrigere*, *frangere ac temperare* aptum eſt: Notum namque *Bilem Aruginoſam & intenſe Viridem*, manifeſta *Odore* ac *Torminibus Aciditatis ſuæ vitioſa* ſigna præbere: Sicut *Bilis atra* id manifeſtius adhuc evincit, facta in vaſe cupreo, ipſave terra notabili effervеſcentia, & plane ſimili ei quam Aquæ fortes cum iiſdem excitare ſolent: Quoad *Saporem Bilis*, notum eſt *Bilem amaram* eſſe ſecundum naturam, quę p.n. fit aliquando *ſapore vitriolato*, ſed cum amarore notabili conjuncto, qui paucus in vitriolo: Hic *Sapor Bilis vitriolatus* ſignificat multum *Acidum* ei admiſtum, ideoq; ejuſdem *Contemperationem* ac *Correctionem* indicat: *Bilis* autem *minus amara*, Indicat *defectum Amaroris*, & etiam *augmentum* cupit: Quoad *Odorem*, Naturalis vix exprimi poteſt; niſi dicamus *amaricantem*; hinc dicimus *Bilem aruginoſam* ſpirare ac redolere *Acidum*, cum revera ipſius odor & halitus naribus cum aëre inſpirato admiſtus ad fauces vſque penetret, ibidemq; guſtui *aciditatem ſuam acrem* manifeſtet, quod dicimus ipſum tunc redolere: *Ructuum* odor olidus, corruptæ aut corrumpenti adſcribitur Bili, ad *aruginoſa* naturam tum vergentis: *Acidum* autem *redolens*, vt ſignum eſt *humoris Pancreatici & melancholici Acidioris* admiſti, ita *ejuſdem Correctionem indicat* &c. Idem m.m. lib. 1. cap. 7.

L I V. Pituita, vt ſerum concretum eſt, ita attenuantia, calefacientia, reſolventia, ſeu fluxilem reddentia cum humectantibus requirit: Notandum vero nimis ſiccandum non eſſe, alias magis concreſcit: hinc præter aromatica & amaricantia acida, vt ſpir. vitrioli, egregie quidem conveniunt phlegmatis, non tamen omiſſis calefacientibus & humectantibus. *W. de lue ibid.*

L V. In *Cacochymia melancholica*, tum ſerum deficiens humectantibus reſtituendum, tum blandus ejuſdem vigor, abſorbendo humores acidos, auſteros, calefacientibus aromaticis reſtaurandus: Acida vero vti bilioſis & pituitoſis conveniunt, ita melancholicis nocent, ſulphur enim magis obtundunt: *Idem* (Vide tit. de Purgatione §. 24. *a.*

L V I. *Atrabilarii* vero *humores*, ſive partes ſulphureæ ſanguinis intenſiores, cum ſalibus acidis evectæ, & acrimonia excedentes, majori dilutione & temperatione egent, vnde nitroſa & abſtergentia aquea inter alia ſunt laudatiſſima; cumque viſcera malum hoc maxime foveant, depurantia ſanguinem, aperientia & abſorbentia inprimis inſigniter proſunt. *Idem.*

L V I. *a Effervеſcentia vtraque* in *Tenui inteſtino* & corde vitiata, & cum calore moleſto juncta, compeſcitur & ad moderatum gradum temperatumque reducitur, partim per *Acida* & *Auſtera*, ſed imprimis *Opiatis* juncta, quibus haud dubie præferenda ſunt *ſulphura mineralium metallorumque fixa*; quæ ſi quis habere non poſſit in gradu excellenti perfecta, conetur ſaltem illa ſuavia præparare, & nullum vomitum aut ſeceſſum amplius moventia; Solent enim ſulphura illa, quamdiu volatilia ſunt & combuſtilia, vomitum alvumq; ciere, quod hic noxium, quando nempe animus eſt nimiam Effervеſcentiam compeſcere, atq; ad mediocritatem laudabilem reducere; A purgantibus enim omnibus commoventur humores, ac promovetur Effervеſcentia, neutiquam compeſcitur: In defectu autem illorum *ſulphurum* ſufficienter fixorum, feliciter vtemur *Opiatis* cum acidis & auſteris junctis: Vnde & hoc quoque nomine conducit magis Extractum Opii cum aceto ſtillatitio quam vini ſpiritu paratum: poſtquam præparatione tali aptum redditur contemperandæ nimiæ ſanguinis effervеſcentiæ: Eandem Effervеſcentiam compeſcit plurimum *Emulſio hordei, ſeminum papav. albi,* imo amygdal. dulcium. *Franc. Sylvius Append. Tract. x.* §. 7.8.

L V I I. Quamvis multi non attendunt ad *peccantis Acidi* correctionem, quoniam confuſa fuit hactenus apud Medicos *Acrium* notitia & doctrina, vno *Acrimonia* nomine duntaxat ipſis noto, jam tamen duplici, ac quidem ſibi contrario, Acri, volentibus ſapere à me patefacto, & aliquot annis jam plurimorum experientia confirmato, attenditur magis à non paucis tum ad *Acris vtriuſque* vim & noxas quotidianas, tum ad ejuſdem correctionẽ optimam. *Fr. Sylvius Appendic. Tra.* 4. c. 5. §. 57. Quicquid præter ignem *Acre* mordaxq; obſervatur in rerum natura, id omne aut eſt *Spiritus Acidus*, aut *Sal lixivioſum*, vel, vt cum *Plinio* loquar, *Lixivium*, quippe quod ex rerum combuſtarum cineribus, vel ſpõte Aeris humidi, & aquei ope abit in lixivium, vel affuſa aqua elicitur, iterumque ad ſalis conſiſtentiam decoqui poteſt: quo acriore vtimur ad fonticulos cuti inurendos: Vbi obſervandum & Salem Lixivum, & ſpiritum Acidum inſignem, ab igne ſuam obtinere acrimoniam, cum vterque ex materia ſalina ignis acrioris vi paretur; Cum autem nullus in corpore accendi queat in corpore ignis tantus taliſq; quanto qualiq; opus eſt ad ſpiritus Acidi confectionem, non credendus eſt vllus in corpore proprie paratus ſpiritus Acidus, ſed à ſuis primario duntaxat temperantibus impedimentis, oleo puta & ſpiritu volatili ſeparatus & liberatus: *Acidus Spiritus* non raro ſatis purus in corpore obſervatus, etiam abſque vllius rei manifeſte Acidæ vſu vel abuſu: Ita in infantibus deprehenduntur dejectiones verſicolores; plerumque tamen varie vireſcentes & Acidum ſpirantes,

rantes, unde inſultus Epileptici, ab *Acido ſpiritu* cũ Bile in tenuibus inteſtinis efferveſcente, dubio procul originem ſuam ducente: Sic Dolores atrociſſimi in quavis corporis parte ſubinde inſtar fulminis ex improviſo oborti, vel alias acutiſſime lancinantes, certiſſimum præbent *Spiritus Acidi* in corpore ſeorſim exiſtentis, valde mobilis, & partes ſenſu præditas rodentis argumentum; Sic Oſſium caries eundem agnoſcit Acidum ſpiritum nimis purum in corpore exiſtentem, quod ex prævijs ſæpenumero doloribus intolerabilibus, & a ſola aciditate deducendis liquet: Acrimonia ſiquidem a Lixivio ſale oborta firmior permanet in eodem loco, partemque affectam videtur vrere, dum ſpiritus Acidus partem a ſe correptam repetitis lancinationibus impetere, aut lacerare, aut perforare judicatur: Eandem conjecturam meam confirmavit Saliva ſubinde tam Acida reddita, vt aliorum acidorum aſſumptorum ad inſtar dentes ſtupefaciat: Acidorum humorum materiam Glandulis præbet ſanguis arterioſus, in quo partes acidas exiſtere arguit tum ejuſdem è vaſis ſuis effuſi coagulatio in grumos, tum oſſium in Aneuriſmate ab arterioſo ſanguine facta corroſio & conſumptio: Temperatur *Acidi Spiritus acrimonia* præſertim a *Spiritu volatili* eundem ſibi facillime unitum demulcente; Ita vini ſpiritus cum talis ſpiritu cohobatus eundem ſic lenit, vt dulcis tunc vocetur artificibus: Temperatur eadem à pinguibus omnibus, ſed difficilius, niſi propter admiſtum pinguedini talem lixivium, cum ipſo coeuntibus: Quemadmodum enim nullo negotio penitiſſime junguntur *Spiritus Acidus* & *Volatilis*, atque lixivio ſali facile admiſcetur Oleum, ita è contra difficilius combinantur ſpiritus volatilis & Sal lixivium, omniumque difficillime ſpiritus Acidus & Oleum: *Idem Diſputationum Medic.* viij. §. 47. *& ſequ.*

Quamvis *Acrimonia* omnis ſenſum caloris producere videatur in partibus ſenſilibus, ex curatione tamen apparet diverſam occurrere *Acrimoniam*, & aliam quidem cum calore conjunctam, Aliam eodē deſtitutam: Et poſtquam non tantum duo innotuerunt nobis Acria, quæ in corpore quoque noſtro reperiuntur, ſed præterea ex illorum confluxu, propter alia ipſis conjuncta, *Efferveſcentia* obſervatur produci gemina, tum *calida*, tum *frigida*, non tantum ſenſui manifeſta, & ideo ab invicem diſtincta, ſed diverſis remediis cedens, atque ſic quoque invicem differens, Quæri poteſt merito, qualis calor moleſtus comitari ſoleat ſubinde, Exempli gratia, Fluxum menſtruum, an qui ortum habeat ab Efferveſcentia calida duntaxat, an etiam à frigida? An vero ab alterutro Acri abſq; tali Efferveſcentia peccante? Inſtitueretur neglecta quæſtione hac ipſiusq; dilucidatione ac determinatione curatio Empirica, temeraria, & non raro pernicioſa: Cum enim à diverſis cauſis produci poſſit calor ille, curandus erit quoq; pro cauſæ diverſitate diverſimode: Quod ſi quis arguat me docuiſſe *vtrumque Acre poſſe ab iiſdem leniri ac temperari medicamentis, tum ſpirituoſis, tum oleoſis, tum aqueis*, ac ideo parum referre quodnam peccet Acre, poſtquam eadem in vtroque caſu medicamenta ſunt vtilia: ℞ vtrumque quidem Acre temperari ab iiſdem medicamentis, attamen non æque cito ac potenter, poſtquam oleoſa tum facilius, tum citius, tum potentius temperant ſalem lixivum; Vti contra ſpirituoſa volatilia Spiritum Acidum: adeo vt quamvis vtiliter adhibeantur ſemper omnia vtrumque Acre temperantia, & imprimis quando deſunt ſigna quæ ſatis demonſtrent vtrum primario vel maxime tunc peccet, præſtat tamen, quoties cognoſci poteſt vtrum peccet, maxime vſurpare iſta medicamenta quæ iſti temperando conducunt præcipue: quod ſicut cognoſcitur aliquando ex ſignis & ſymptomatibus concurrentibus, ſic concluditur quoque non infrequenter ex adhibiti medicamenti operatione diverſa, h.e. ex Iuvantibus vel Nocentibus, ſecundum aureum Practicorum axioma: Calor igitur, e.g. à menſtruo ſanguine in viis, per quas effunditur, productus, habet aliquando, & quidem ſæpius, ortum ab Acido humore in vtero exiſtente, atque vna cum ſanguine prodeunte, ſive *nullam*, ſive *calidam inſtituat cum ipſo efferveſcentiam*: Si *nullam* inſtituat cum ſanguine menſtruo *Efferveſcentiam* humor Acidus in uteri ſubſtantia partim repertus, roſio potius moleſta quam verus in partibus affectis ſentietur calor; Quod ſi *calidam* cum ſanguine menſtruo inſtituat idem ſuccus *Acidus Efferveſcentiam*, tunc calor & rubor etiam excitabitur ſæpius, in partibus etiam externis: Et vtrumque obſervabitur quando notabiliter Acidum illud vel ſolum rodit, vel ſimul vrit: quoties autem cauſa peccans eſt blandior, vel magis fracta, toties minus diſtincte cognoſci poteſt qualiter peccet illud Acre. Exiſtimo igitur ſemper in Ardore, fluxum menſtruum comitante, peccare Acidum, cui aliquando copulatur ſanguis magis vel minus bilioſus, vnde diverſimode ſæpe tunc idem mutari ac ſentiri ardor. *Idem Prax. l.3.c.* .§.416.*& ſeq.* Temperatur *Acrimonia Acida* Oleoſis pluribus, Oleo ipſo, Lacte quovis, Iuſculis carnium, præſertim pinguibus, Emulſionibus ex varijs ſeminibus parandis, Amygdalis dulc. præſertim: Præterea dulcibus, ſaccharo, melle, paſſulis majoribus, & quandoq; ſpirituoſis, vel aliis quæ Acidum concentrant, qualia ſunt corallia, margaritæ: *Acrimonia lixivia & aromatica*, qualis in pipere, garyophyllis, eruca & ſimilibus occurrit, tum memoratis Oleoſis & dulcibus temperatur; tutius tamen ab iiſdem in totum, vel maxima ex parte abſtinetur. *Acrimoniam ſalſam*, qualis in Sale marino & foſſili, & ſalitis pleriſq; ineſt, corrigit *calx viva*, ex vſtis ſilicibus vel conchis parata, nulli Medico prudenti amplius metuenda, ſed lixivii forma in plurimis affectibus feliciſſime vſurpanda. *Idem Praxeos l. 1. c.6.* §. 11.12.13.*&* 14. *Vide plura lib.1. titulo de Aphthis.*

LVIII. Illud cavendum imprimis ne dum vni humori peccanti profuimus, alii noceamus: Quamvis enim nobis conſtet experientia medicamenta aſſumpta imprimis agere in humores peccantes, quoties ipſis corrigendis ſunt maxime convenientia, tamen conſtat quoque medicamenta pluribus humoribus diverſis alterandis apta, quodammodo etiam operari in non peccantes humores, vbi vel copia majori ſimul aſſumuntur, vel diutius vſurpantur: Quamvis proinde non ſemper mox noxa notabilis oriatur ex vſurpatione medicamentorum non uſque quaque humoribus peccantibus accommodatorum, eadem tamen ſenſim ſe promit attentis omnium, quæ ægris contingunt, mutationum obſervatoribus Medicis: qui mox vbi aliquid nociturum prævident, eidem prudenter provident, atque mutant medicamenta a quibus ſcopum ſibi propoſitum plene non vident ſperandum. *Idem Append. Tract.* 6. §.257.258.259.

LIX. *Succus Pancreaticus* in corpore abundantius indicat ſui Diminutionem, & quidem per Alvum; Vbi notandum, cum is ſit natura Subacidus, bonum eſſe ſi prius tantillum ad eductionem facilius præparetur, ipſius Aciditatem amplius temperando, & quodammodo concentrando, quod feliciſſime fit per ſalia volatilia, vſurpatis poſtmodum

hydragagis, cum per ſe ſit humor ſatis tenuis, limpidus & ſubacidus, ideoque ad ſeri conſiſtentiam proxime accedens, quamvis p. n. fiat ſubinde Glutinoſus, ad pituitæ naturam tunc magis degenerans. *Franc. Sylvius meth. Med. lib. 1. c. 16.*

L X. *Seri ſalſedo* ſi bene conjectem, qualem in ſale marino, gemmæ, ſimilibuſque obſervamos, ortum ducere videtur imprimis ex ſale lixivo, & ſpiritu, & ſpiritu acido ſatis puris commiſtis, exſuperante tamen tantillum ſpiritu acido: Hanc vero ſalſedinem contemperant *Gummi tragacantha, Arabicum, maſtiche, thus, ſtyrax calamita, hyoſcyami ſemen, cynogloſſa radix &c. vt & Pilulæ de ſtyrace, cynogloſſa, & arnogloſſo, ſive plantagine dicta*, quorum ope humores ſalſos ac ſeroſos temperari & corrigi conſtat per experientiam. *Idem Append. Tract. x. in fine.*

L X. *a* Peccant Humores varie, cum fluidi requirantur omnes ac ſinguli, quoties *Fluiditatem* illam, vel *Amittunt in totum*, aut ex *parte*, vel accipiunt ſolito & *debito majorem*: *Sanguis* in totum fluiditatem ſuam amittit, quoties *concreſcit* & *coagulatur in grumos*: Et quidem tum à *frigore externo* Aeris, Aquæ &c. tum ab *aſſumptis Acidis & Auſteris* præſertim, vel glutinoſis terreiſve, aliquandiu continuatis, tum ab *Animi mœrore*, aut *Terrore*, tum à *corporis ſegnitie & quiete*, tum denique à *ſomno* multo: Secundum autem cauſæ diverſitatem curanda diverſimode *ſanguinis fluiditas diminuta*: Vbi namque ab *externo aëris, aquave frigore* diminuta eſt ejus fluiditas, tum non tantum illa reſtituenda, ſed inſuper cauſa minuens, qua eſt ingreſſa, eadem foras eſt iterum expellenda via: Sic præter *Salia volatilia, & varia ex animalibus* petita, *oculos cancri, mumiam, ſperma ceti* &c. conveniunt quoque plantæ aromaticæ gratiores & acres, præſertim quæ ſudores ſimul propellere valent, atque vna noxa ab aëre &c. inducta: Vbi ab aſſumptis *Acidis* ſolito magis coagulatus, vſurpentur quæ tum *Acidum* inſtinguunt, concentrant ac enervant, tum coagulationem ipſam ſolvunt, ſic ſanguinem iterum fluidum præſtant: *Acidi vim infringunt*, creta, corallia, oculi cancri, margaritæ &c. *Coagulatum ſanguinem* fluidum faciunt *Aromatica*: *Vtrumque* feliciter præſtant *Salia volatilia*. Vbi ab *Auſteris* ſanguinis conſiſtentia eſt aucta, fluiditaſque diminuta, difficilius procedit ejus reſtitutio, Sed nulla huic vſui commendata ab vllo remedia cum *Salibus volatilibus* comparari poſſunt, quippe quæ tum *auſterum* potenter corrigant, tum *auſteri* effectum noxium feliciter tollant & curent: adde quod pleraque vſu recepta petita ſint ex animalibus, contineantque multum ſalis: Huc referenda *aromatica blandiora*: Vbi *à Glutinoſorum* abuſu minus fluidus eſt ſanguis, conducent 1. *Acida ſpirituoſa*. 2. *Aromatica acriora*. 3. ex vtriſque mixtis parata condimenta & medicamenta. 4. Salia volatilia. Vbi à *Terrenis*, perperam in *Pica* vſurpatis, aucta eſt ſanguinis conſiſtentia, difficilis eſt, nec niſi lente auxiliis cedens, etiam optimis; In quem finem hactenus reperi optima *Salia volatilia*: Vbi ab *Animi mœrore* aut *terrore* gravi ſanguis redditus eſt minus fluidus, tum ſolandus animus firmanduſque; tum vitium ſanguini introductum emendandum; quod quia ſimile eſt illi quod debetur Auſteris, corrigatur iiſdem. Si à *corporis quiete nimia* ſanguis redditus eſt ad motum ſegnior, *corporis motu* reparabitur illa noxa: Vbi à *Somno nimio*, corrigetur illud Vigiliis protractis; Dummodo mutationes illæ, corporis motus & vigiliarum, paulatim fiant non ſubito. *Sylvius de le Boë meth. Med. lib. 2.*

PVRGATIO.

SYLLOGE.

Citra coctionem & orgaſmum poteſt inſtitui. 1.
Quid per Coctionem *intelligendum.* 3.
Perfecta non ſemper expectanda. 4.
Caute purgandum abſentibus coctionis notis. 2.
Quid humorum Orgaſmus. 5. 8.
Turgent aliquando humores frigidi. 6.
Humores turgentes *an ſemper purgandi.* 7.
Initio morbi an purgandum. 9.
Minorantis *exhibendi tempus qui dignoſcatur.* 10.
Purgatio in omnibus morbis non neceſſaria. 11.
Corporis regionum diſtinctio. 12.
Humores extravaſatos *evacuat.* 13.
Non omnis inflammatio interna *eam prohibet.* 14.
An vires purgationi ſufficiant, exploratio ex pulſu. 15.
An idem virium robur requiratur ac ad venæ ſectionem. 16.
Purgandi indicatio ex vrinarum conditione. 17. 18. a
Quo morbi tempore purgandum. 18. b
Apparentibus coctionis notis non differenda. 19.
Qui humores facilius per alvum, Qui per ſudores & vrinas expellantur. 21. a
Melancholicus humor *dictus, qua ratione purgandus.* 24. a
Salſus humor ſtatim excludendus. 44.
Bilioſi, acres, quomodo purgandi. 45.
Non præoccupanda humorum concoctio. 18. a
Antevertenda quandoque critica evacuatio. 25. a
Bilis *non omnino excindenda, cum ſit vtilis humor.* 20.
Si purganda in metu cholera, diarrhœa &c. parva doſi danda medicamenta. 21.
Ad pituitæ viſcidioris *purgationem* Pilulæ ex gummis *vtiliſſima.* 22.
Humores Acidi *quomodo purgandi.* 23.
Quo anni tempore humores craſſi aut tenues purgandi. 24.
Diebus criticis an liceat purgare. 25.
Diebus imparibus pharmacum non dandum. 26.
An purgandum in Canicula. 27.
An Lunæ *ϕάσεις obſervanda.* 28.
Non Canis ſolum ortus ſed aliorum ſiderum ſpectandus. 29.
Purgatio Præſervativa *Luna decremento celebranda.* 30.
Humores fixiores quo Luna ſtatu purgandi. 31.
Qui Planetæ Lunæ conjuncti purgat. difficilem reddunt. 32.
Qui Lunæ ſtatus pro humorũ conditione notãdus. 33.
Aſtrorum conſideratio in præſervatione ſolum locum habet. 34.
Luna decreſcente potius purgandum quam creſcente. 35.
Indicia eorum qui facile aut vix purgantur. 36.
Lenes Purgationes reperita vni forti præferenda. 37.
Pharmacum movens non excludens noxium. 38.
Ad purgat. non properandum imparato corpore. 39.
Pharmaca quidam facile alii vix tolerant. 40.
Excrementorum redundantia interdum Purg. impedit. 41.

Vbi

Vbi ſimul vomitus neceſſarius, vnde incipiendum. 42.
Si per epicraſin purgandum citra intermiſſionem id ſiat. 108.
Quamdiu humores ſunt crudi Lenientibus eatenus locus eſt. 43.
Corporis gravitas eam indicat neceſſariam. 46.
Purgandum in augmento, & ſtatus omni parte in morbis diuturnis. 47.
Eodem die purgare licet & venam ſecare. 48.
In affectibus flatulentis non temere purgandum. 49.
Purgantium cum Narcoticis connubium. 50.
Mixta cum hidroticis feliciter operantur. 51.
Cum Lenientibus poſſunt miſceri. 52.
Purgatio vnde interdum impediatur. 53.
Purgatio per chirurgiam inſuſoriam. 54.
Facta per ventoſas 55.
Purgans vicibus partitis exhibitum. 56.
Frequens purgantium vſus noxius. 57.
Intempeſtivam Purgationem ſequuta. 64.
Fæcum ſiccitas eam impedit. 58.
Non ſemper vacuo ventriculo dandum purgans ſed aliquando cum cibo. 59. 60. a
Quibuſdam purgantia cum cibis danda. 63.
Non ſemper præcedere debet enema. 60.
Clyſter purgantis præmiſſus ejus evomitionem impedit. 61.
Eo aſſumpto vtiliter poteſt injici. 62.
Pituitæ mercurialia magis conferunt, Bili Antimonialia. 65.
Purgantis exhibendi tempus anceps. 66.
Vigente dolore non purgandum. 67.
Gravida per pilulas ante cibum datas melius purgantur quam alias formas. 68.
Purgantia temperamento accommodanda. 69.
Vbi bilis & pituita, quæ prior excludenda. 70.
Purgationis intempeſtivæ noxa. 71.
Purgans ex pluribus conſtans, accipiat quæ vno tempore a uni. 72.
Purgantia fortia ventriculo inimica. 73.
Corpus an movendum vt Purgatio ſuccedat. 74.
Potiones purg. frigida præbenda. 75.
Potus frigidus an purganti ſuperbibendus. 76.
Plene non alendum a purgatione. 77. 85.
Nauſeæ aſſumpto pharmaco ſedatio. 78.
Die purgationis a prandio abſtinendum. 79.
Juſculum an ſuperbibendum. 80. 86.
An inſulſum eſſe debet. 81.
An aſſumpto purgante ſuperdormiendum. 82.
Abſolutæ purgationis nota. 83.
Purgantia cum, ante & poſt cibum poſſunt dari. 84.
Cibus mox non ſuper ingerendus. 85.
Purgans purganti quando ſuperdandum. 87.
Fortiori exhibito frigida ſuperhauſta & ſtatim egeſta confert. 88.
Purgatio per inferna in præſervatione locum non habet ſecundum Hippocratem 89.
In chronicis affectibus crebra purgatio noxia. 90.
Alvi ſiccitas relicta quomodo corrigenda. 91.
Melancholicis & pituitoſis qualia purgantia. 92.
Purgans ſubſiſtens quomodo promovendum. 93.
Qui ſani per ſanitatem evacuationem deſiderant. 94.
Ventris conſideratio indicat qui facile aut difficulter purgationes tolerant. 95.
Purgantibus compoſitis medicamenta ſummè tenuium partium non addenda. 96.
Hyeme & æſtate quando vomitus aut Purgatio conducit. 97.
Simplicia compoſitis præferenda. 98.
An hypercatharſi theriaca. 99.
An Balneum à purgatione. 100.
Potiones clariſicatæ. 101. a
Pilulas *exhibendi modus.* 101. b
In quibus magis congruunt. 101. c
Ex gummatibus parata glutinoſos humores optime purgant. 101. d
In Pilulis Aloe *poteſt prætermitti.* 101. e
Purgantia non attrahunt determinatos humores. 102. 104. 113.
Cum electivè non trahant cur eorum delectus habetur. 103.
Pharmacorum facultas quomodo elicienda. 105.
Pharmaca multa praeſcribenda. 106.
Parva quantitas purgantium miſta aperientibus non purgat, ſed horum vim juvat. 107.
Metallica purgantia vix tuto in præſervatione vſurpantur. 109.
Vegetabilia chimica multa præparatione non egent. 110.
Aſſumpto purgante reſinoſo nihil frigidum ſuperbibendum. 111.
Purgantium fermentatio variat eorum dotes & vires, vide Purgantia. §. 1.
Purgantium vis vnde pendet, & à quibus obtunditur. 112.
Non æque omnes humores ab omnibus purgantur. 113.
Purgantia ſine purgandi fruſtrata non ſemper nocent. 114.
Bilis purgatio vere inſtituenda præcautionis gratia. 115.
Antimonium diaphoreticum purgantibus additum illorum vim auget. 102. b

I. QVæritur an vllo modo fieri poſſit Expurgatio *ante coctionem & citra turgentiam* bene cedat? Hic imprimis experientia recitabitur, Atteſtari vero ego poſſum ſæpe me nondum cocta, neq; vero turgentia, feliciſſimo ſucceſſu expurgaſſe: En exemplum vnũ pro multis: Magnus Rex Philippus per morbum vigeſimum ſuperavit, & ante nonum nullam habuit remiſſionem: pharmacum die quintâ accepit, ſuccis quidem non omnino firmatis, ſed neque turgentibus: quo maximè auxilio a morte liberatus eſt: Accepit vero die quinta, quia morbus, vt plurimi perniicioſorum ſolent, per dies pares maniſeſtè movebatur, habuit enim ſecundum graviorẽ primo, 4. vero, 6. & 8. difficillimos. De teſtimoniis hactenus, Cauſæ ſequuntur, ſine quibus nullius rei ſcientia haberi poteſt: Si certum eſt ſymptomaticas evacuationes aliquando eſſe vtiles, fiet vt & expurgationes ante concoctionem tales eſſe poſſint: Si enim eſt cum ipſa natura, nullo exterius provocante, incocta vtiliter expellit, ſit etiam, cum in id ipſum, quod ſponte facit, provocanti adminiculetur: Si vero ſine auxilio poteſt vacuare vtiliter, poſſit etiam vtilius artis opem ſentiens: nihil enim poteſt obſtare expurgationi ante concoctionem, quod non etiã, ac multo magis, obſtet evacuationi ſymptomaticæ: Neque vero cuipiam hoc meum teſtimonium erroris cauſa ſit, quod ego nihil aliud quam impoſſibile non eſſe, ac proinde fieri poſſe dixi, indiſtinctè fieri debere intelligenti, res exigit vt propoſita hæſitatione reſumpta meam ſententiam aperiam, quidque faciendum ſit apertè eloquar: Proponebatur Æger, cui pro virium ratione, & morbi ac ſucci ſpecie ſatis multum ſanguinis eſſet extractũ, neq; vlla eſſet turgentia, tamen vitioſorum

vigeret copia, & malignæ qualitatis immineret ſuſpicio: hoc caſu ego dixerim alias omnes conditiones ſtatus, quo ægrotus eſt, inſpiciendas: Quod ſi eæ expurgationi repugnent, ab ea omnino abſtinens, aut mittendo ſanguinem periclitabor, aut omnino neutrum faciendo, ſed proſpiciendo vtcunque facultati, & ſolis vtens enematis aut glandibus: Sin autem, etſi neque concoctio, neque turgentia ſit, tamen aliæ cõditiones non omnino deterrent, tentabo quidem expurgare ob vrgentiam, atque eo confidentius quo conditiones quæ invitant erunt plures: Si enim fieri poſſe, vt tales evacuationes proſint, & non lædant, indicatum eſt, conſtat ad artificem pertinere in quocunque ſingulari homine poſſe diſtinguere, an in hoc, & nunc, ſit profutura expurgatio, an læſura, idque per certas quaſdam conditiones, quas experimentum & ratio oſtenderit, faciendum: Quæ ſint ergo hæ conditiones dicamus, Inprimis hypochondria omni phlegmone libera, nam ſi tentata inflammatione medicamento ſolvere quis conetur, nil de eo quod intentum inflammatumque eſt adimet, ſed phlegmonen augebit, colliquationem faciet, atque inde mortem. Deinde febris moderata, Nam ſi ardente plurimum febre detur medicamentum, carnes calidæ illud trahunt, & ita evacuatur nihil, ſed augetur febris & cacochymia. Maximè autem obſtat inſignis ardor capitis & ſpiritualium: quia hæ partes cum ardent, trahunt facile ad ſe omnia, & quæ medicamentum commovet, abſorbent: Obſtat etiam maximè Alvi ſiccitas: quia humores aliorſum inclinare iudicat, & metus eſt ne commoti, neque evacuati, ſed rapti aliò, majoris noxæ cauſa fiant: Maximi etiam momenti eſt hominis naturam perpendere: quidam enim expurgantur facillimè, & ſinè ſymptomatis vllis, ac citra noxam, etſi purgentur paſſim: Quidam adeo ſunt difficiles, vt etſi purgentur peropportunè, corripiantur horrendis ſymptomatis, & lædantur in poſterum manifeſtè: Si igitur quis horum ſit qui in hypotheſi ponebatur, utcunque periclitandum eſt potiùs quam expurgando: Si vero ſit quiſpiam eorum qui facilè expurgentur, laboretque febre putridâ, cum malignitatis aliqua ſuſpicione, jam ſciſſa vena, bene vacuatus, turgentes quidem & errabundos ſuccos non habens, neque tamen omnino quietos, ſed velut fuſos & in ventrem inclinantes, quod indicet murmur hypochondriorum, aut dejectio liquidior, duplex aut triplex per diem (hoc enim etiam ad excretionem non parum invitat) ipſaque hypochondria laxa, neque inſigniter calentia ſint, neque verò per totum habitum carnes ardeant; neque tangenti magnus ardor occurrat in capite aut thorace, ſed ea, quæ ineſt febris, per totum habitum æqualiter fuſa ſit, aut ad humiliores partes inclinet, etſi nondum adſit coctio, dabo medicamentum expurgans, quia quod adeſt non adeo obſtat, & quod timetur, vrget; Indicatio autem vrgentiæ omnium eſt prima: Si verò phlegmonoſum aliquid ſubeſſe in ventre videatur, quamvis cacochymiam timeam, medicamentum non dabo, periclitabor potius, etiam virtute dubia, plusquã conſtitueram mittere ſanguinis: Perinde faciam ſi thorax aut caput, aut omnes carnes vehementer ardent, niſi de virtute magna deſperatio ſit: Si enim eſt, irrigabo caput oxyrrhodino; thoracem, aut etiam totum habitum hydrelæo, & potabo frigida: Scio, hic obſtrepent ſcioli, dicentes hanc eſſe vltimam indicationem, atque omnium poſtremo eſſe veniendũ ad attemperationem: Rectè ſane, cum liceat omnia prius facere, cum autem non, quæ maximè vrget eſt omnium prima: Evenit enim attemperatis hac ratione partibus ſuccedere alvi fluxum, quo & indicationi à cauſa ex accidenti factum ſit ſatis: Sin autem id non accidat, tamen ſublato intemperiei magno illo exceſſu, qui obſtabat, licebit nobis ad expurgationẽ redire. Et quamvis videamur feciſſe præpoſterè, feceſimus tutius: Ita ſi is, de quo loquimur, ægrotus, ſicca admodũ alvo ſit, à medicamento expurgante abſtinebo, quantumvis timeam humorũ naturam, niſi prius clyſteribus mollibus, nam ad hanc rẽ acres nõ faciunt, qui & noxas habent pharmacorũ & ſiccant potius alvum) & vſu ciborum leviũ, vt prunorum jure incoctorũ &c. alvus aliquantũ emollita ſit: conſtat autẽ quod ſi dictorũ duo obſtent, aut plura, illis omnino occurrendũ antequã detur pharmacũ, ac, ſi fieri poſſit, ſimul, velut ſi ſimul caput ardeat, & alvus ſiccata ſit, ſimul emollienda alvus, & caput irrigatione refrigerãdũ: Quod ſi nullatenus his auxiliis cedat affectio, ſed perſeveret ea ſymptomatum ſyndrome, nulla neq; vrgentiæ cauſa dandũ pharmacũ eſt, quia cum talibus datur, in ipſo purgationis die furore ac cõvulſione corripiuntur, & pereunt cum magna Medici nota: Quidvis ergo agendum potius: Multa ſunt in hac Arte, in quibus vrgentiæ cauſa ab Arte recedere Ars eſt &c. *Valleſius m.m. l. 4. c. 2.* Demonſtro, Succedere nonnunquam poſſe expurgationem citra Concoctionẽ aut Turgẽtiam: Eſt cum natura adminiculetur evacuationibus humorũ, neq; coctorum, neq; turgentium: igitur aſſertio eſt vera: Propoſitio monſtratur, nam fieri poteſt vt natura humorẽ incoctum ob malitiã velit expellere, & tamẽ propter multitudinẽ movere nõ poſſit: quo tẽpore conſtat futurum vt non turgeat ſuccus, cum is non poſſit à natura moveri; & ut natura adminiculetur evacuationi, cum illa nõ retineat. quia vult retinere, ſed quia non poteſt expellere: Quod ſi non admittis hypotheſin, conſidera ſæpe fieri vacuationes ſymptomaticas vocatas, in quibus natura expellit quę propter malitiã aut multitudinẽ non poteſt retinere; tamen quæ ita expelluntur, non ſemper turgent, cum imminent, illę excretiones: Conſtat igitur nunnunquã velle naturã expellere ante concoctionem, & tamẽ ſuccum non turgere: quo tempore adminiculabitur natura evacuationi, & ita rectè poterit ſuccedere expurgatio, & fortaſſe minimum evacuabitur vtilis ſucci, & noxii plurimum. *Idem lib. 7. controv. c. 13.*

Fulloni phrenitide laboranti propter dejectionem à thapſia, morbus 18. remiſit ſine ſudore evaneſcens: Magnum ſanè exemplum iis quibus non placet expectari ſemper ad expurgationes humorum concoctiones, ſed ob morbi magnitudinẽ & vrgentẽ neceſſitatem volũt dari aliquãdo pharmaca ſine illa: Quãquam ego ſimili incidente affectione (etſi alioqui nõ negem locũ habere aliquando expurgationem ſine concoctione) facere id nunquã tentarẽ, vt qui ſciam quod omnino ſit præter rationẽ, etſi caſu bene aliquando cedat, imitandũ non eſſe: Miror magnopere hunc vſu thapſiæ nõ eſſe conjectum in furorem & convulſionem: Febricitanti (inquit Hipp. l. de loc. caput ne purgato, ne furioſus fiat, calefaciunt enim caput pharmaca purgativa, atque ad caliditatem febrilem accedens ea quæ in medicamento eſt, maniam facit. *Idem lib. 7: Epid p. m. 875.*

II. Ego citra concoctiones aliquando dari pharmaca poſſe affirmo ob vrgentiam; non tamen niſi aliqua vergentis humoris in ventrem ſignificatio adſit, aut ſaltem nõ magna illius ab eâ viâ averſio; quãdoquidem poſcit Hipp. in iis purgationibus quæ inter initia faciendæ ſunt, & nondum cocto ſucco, vt ſaltem murmur hypochondriorum adſit: Ego murmuris loco quamcumq; vergentiã eſſe exiſtimo, vt ſi alvus ſit laxa & humida: Si verò præterquã quod nulla ſit coctionis nota, inferiores evacuationes ſint ad-

modum

modū ſuppreſſæ & ſucci aliò rapti, quā ò morbos videatur eſſe gravior, tā ò minus aulim expurgans dare, quia tanto certius videtur fore ut homo moriatur cum furore aut cōvulſione, aut interna inflammatione refrigerationis extremis. *Valleſius 5. Epid. p. m. 875.*

III. Angunt ſe hic miſerè multi in explicandis *aphor. 22. 1. & 29. 2. Concocta purgante medicamento purgante educenda, non cruda &c.* Verum, juxta noſtram ſententiam, res adeo abſtruſa non eſt: Arbitramur enim Hipp. per *Concocta*, nihil aliud intellexiſſe quam ea quæ a maſſa ſanguinea ſegregari poſſunt: Et in altero per verba *Incipientibus morbis ſi quid movendum videtur, move*, hoc cum monuiſſe ut ſtatim ab initio morbi purgemus, antequam vitioſi humores, mediante perpetuo cordis motu, cum tota maſſa ſanguinea confuſi & commixti ſint: Si enim rem hanc ulterius perpendere allubeſcit, videmus humores tunc demum ſegregari poſſe, cum 1. à natura victi & ſuperati ſunt: quemadmodum enim caro ad ignem culinarem poſitar ſpumam ſuam tum deponit cum ab omni igne per ollam ingreſſæ carnis ſubſtantiam attenuare incipit, ita ut, ea attenuata, purum ab impuro ſecerni poſſit: Pariter & hic calor noſter naturalis humores attenuat, & ad ſegregationem aptos reddit: 2. Cum vitioſa quædam materia, alicubi in corpore hærens, cum ſanguine nondum confuſa eſt, ut diximus: 3. Cum naturam humores attenuare & debellare conantem debitis auxiliis juvamus: Sic qui piſcem coquit, non ſē omnem igni committit, ſed quo citius ſpumare queat, affundit acetum, quo facto ſpuma citius apparet. *Walæus met. med. p. 35.*

IV. Humorum concoctio non ſemper expectanda, neque præmittenda eorum præparatio, antequam purgare corpus volumus: Nam ubi materia eſt mobilis, ad excretionem parata, ebulliens, quid opus eſt digeſtivis? E. unicum purgans exhibitum plerumque minùs ventriculo nocet quam toties repetitæ potiones digeſtivæ, quæ ventriculum reſolvunt & labefactant, ut auctis poſtea cruditatibus, major ad articulos, (loquitur de arthritide) affluxus fiat: Adde quod interim quādo cum digeſtivis occupati ſumus dolor creſcat, vires decreſcant, tempus perdatur, & poſtea non ſemper locus purgationi ſuperſit. *Sennertus l. de Arthrit. Vide Zacutum Pr. hiſt. l. 4. c. 16.*

V. Cruda non eſſe purganda ait Hippocr. ſed cocta, neque in principio, modo non turgeant: Vocem τὸ ὀργᾷν Gal. in comm. explicat tranſlatum ab animalibus in venerem concitatis, ad humores: veriſimile eſt non humores ſolum turgere, aut hinc inde moveri, ſed & naturæ impulſum accedere irritatę Nec ſolum turgere humores cenſendum, cum hac vel illac reciproce, vagabundo more, cum metu in partem principem irruendi, moventur, verum etiam cum ad certam vacuationi deſtinatam partem ignobiliorem, videlicet ventriculum & inteſtina vergūt, & ſupplice quaſi genu venerabundi, Medici implorant opem, muta voce, vel aloi intum eſcentiā & elevatione, vel ventres murmure, ſe onerari & moleſtā premi ſarcinā indicantes: Talia ſi contingant in continuis & ardentibus, omnino in principiis, nondum apparentibus coctionis ſignis, purgare licet, præeunte Coo 7. Epid. 1. 178. in hiſtoria P[illegible]onis filii, cui ardente febre correpto, cū magna in ſomnum propenſione, alvoque dura, glandem injecit ex felle: & alvo rurſum intumeſcente, medicamentum exhibuit ex cnico, cucumere ſylveſtri & meconio, bilioſis erumpentibus febris miteſcebat: *Vide Valleſium in comm. Rolfinccius lib. de febr. c. 87.*

VI. Sed expendere oportet *turgere* naturam poſſe, non ſolum a calidis, tenuibuſque ac malignis humoribus laceſſitā, ſed & à multis & à frigidis: quod docet Hipp. l. de morb. mul. Qui turgere fœminam refert pituitoſorum humorum copia: Quo fit ut ſæpe natura varias incipiat vacuationes, & ab inceptis mox deſiſtat, & impotens auxilium expoſcat & mōſtret: quibus adhuc non moventur inexorabiles Medici, ſed tantum ut ſymptomaticas damnant, futurum periculum prædicēces: præcaventes autem [illegible], cum ſæpius conſuluerit Hippocr. Quo natura vergit, eò oportere ducere: Quæ ſententia præter ſormam quem vacuationi aptum commonſtrat, quid etiam agendum ſit, natura, tanquam Medicorum magiſtra inſinuat. *Mercatus de Praſ. l. 1. c. 6.*

VII. Utrum autem *humores turgentes* ſemper ſint expurgandi, dubitat *Cardanus* cont. [illegible] 15. quod plura expurgationem illam impediant, videlicet aſſidua cruditas, uſus ciborum craſſiorum & tenacium, obſtructio, tenſio viſcerum, hypochondriorum ardor & inflatio, viſcerum inflammatio: quibus in caſibus purgationem ſuſtinere, non prævia præparatione, notas ex Galeno 1. aph. 24. Hæc tamen ſententia Hipp. & Gal. repugnat, qui humorem turgātem ſtatim, citra coctionem, purgari jubent; quod purgationis procraſtinatio vitæ periculum portendat, & tunc in accelerãda purgatione ſpes tota ſalutis repoſita ſit: Revera præſente crudorum copia in primis viis, cæteriſque propoſitis impedimentis, magna cum præmeditatione purgandum: Si tamen morbus maxime urgeat, ſatius eſt eo præſidio uti quam in vitæ diſcrimen ægrum conjicere: lætio enim quæ ex purgantibus imminet morti præferenda, ut 11. meth. 1. præcipit *Galenus.*

VIII. *Orgaſmi vocem non per humorum erroneum & incertum motum explicat Pr. Martianus comm. in aph. 22. 1. hoc fundamento innixus quod tunc temporis exhibito purgante concitantur magis, cum certo decubitus in quampiam partem periculo potius quam è corpore excluſioni: Quæ ſententia eo veriſimilior quod a præſtantiſſimis practicis obſervatum eiuſmodi humorum efferum motum ſanguinis miſſione potius ſedari quam purgatione: Vide tr. de ſang. miſſ. §. & Pharos Medicorum lib. 4. §. 29.* Audiatur vero *Martian.* verb. *Turgeat*, ſive ad corpus, ſive ad humores referas, humorū diſpoſitio indicatur, per quā, cum in nulla corporis parte ſint firmati modo in unā, modo in aliā de ſe ſignificationem præbent, quod quidem nomen deductum eſſe exiſtimo, non, ut Galenus cenſet, eo quod humor frequēter huc & illuc per corpus moveatur inſtar animalium ad coitum incitatorum; quia, etiamſi concedatur hoc verbo ὀργᾷν, ab animalibus ad coitum concitatis deſumptum eſſe, non tamen quatenus huc & illuc moventur, ſed quia eorum pudenda turgent, illis convenit; quod lib. 6. de hiſtor. anima. adnotavit Ariſtoteles cap. 18. qua voce uſus eſt *Theophraſtus* 1. de cauſ. plantarum, ut indicaret tempus qua plantæ germinare incipiunt, quia ipſis gemmæ turgent, & tamen plantæ huc & illuc non moventur: quo ſenſu uſurpavit quoque Hippocr. lib. de Fract. com. 3. t. 18. & lib. de Nat. pueri n. 20. Imo minime tutum videtur humores in corpore perturbatos, & modo ſurſum, modo deorſum, nunc ad illam partem concitatos, medicamento irritare, nam Hipp. 4. de morbis, mortis culpam reiiciens in Medicos, qui medicamenta exhibebant in diebus imparibus, rationem adducebat, quia eo die humor turbetur in corpore: Si quis enim, aiebat jam

turbatum adhuc magis perturbet medicamento immiſſo, nihil mirum ex talibus hominem perire: quod quidem periculum etſi tandem removeatur, purgatio tamen eo caſu ancepa admodum redditur: quoties enim humores dicto modo ſunt conturbati, cum Medico conſtare non poſſit ad quam partem impetũ facturi ſint, eo tempore quo ſumptum purgans agere incipit, nec viam eligere poterit per quam, juxta præceptũ, *quò natura vergit*, evacuatio fieri debeat, nec medicamenti quantitatem convenientem: præſcribere: quia major virtus in medicamento requiritur quando humores revelluntur in contrariũ, quam dum eorum inclinationi conceduntur: quare tale nomen *Turgentia* ipſis convenire potiùs cenſeo, quia quoties humores in parte minimè fixi ſunt, alicubi de ſe ſignificationem præbent, vnde ægris ipſis *Turgentia* ſenſum quendam in illa parte inferunt, ac ſi verè tumida eſſet: idq; ſæpe obſervatur in praxi, nam ſenſum iſtum percipientes ægri ſponte purgans à Medico petunt: ob hanc ergo ægrorum *Turgentia* opinionem, hoc nomen tranſlatum eſt ad eos omnes in quibus humores fixi minimè ſunt, ita vt facile à medicamento educi poſſint, & in hoc cum *Gal.* interpretatione convenimus: ſtante enim hac purgationis facilitate, etſi cruditatis adſunt indicia, purgatio tamen non prohibetur: quin, ſi alioqui neceſſaria videatur, eam moliri expediat: Vnde notandum *Hip.* non credidiſſe quoties adeſt *Turgentia* ſtatim purgandum eſſe, ob periculum ne materia in aliqua parte nobili firmetur; quia dum *4. aph.* 10. inquit, *In valde acutis eadem die medicari oportet, ſi turgeat, differre enim in his malum*, Si vbicunque turget ob præfatum periculum purgandum vellet, quia in omnibus morbis *Turgentia* apparente idem vigeret periculum, cujus gratia ſtatim ad purgationem veniendum eſſet, fruſtra dixiſſet *in valde acutis*, nec addidiſſet, *differre in his malum*, quæ quidem adſcripſit, vt indicaret in valde acutis tantummodo hujuſmodi celeritatem adhibendam eſſe: Quare in valde acutis eadem die purgandum eſt, non quod materia turgẽs prædictum periculum minetur, ſed quia morbus adeo celeriter movetur, vt ſi prima dies præterlabi permittatur purgandi occaſio auferatur, appoſuit verò conditionem, *Si turgeat*, tanquam Signum humoris minime fixi & qui medicamento facilè cedat; Cur verò in valde acutis deſideretur *Turgentia*, nequaquam vero in reliquis morbis, dummodo non adſit cruditas, ratio eſt, Quia ob morbi acutiem adeo periculoſum eſt pharmacum, vt niſi magna adſit purgationis facilitas ex parte humoris purgandi, quam *Turgentia* indicat, ab eo abſtinere ſatius ſit quàm ægrum in diſcrimen adducere: Eandem purgationis facilitatem neceſſariam exiſtimavit *Hipp.* in vtero gerentibus, ne difficultas purgationis aut puero, aut matri, aut vtrique perniciola redderetur, Et ideo 4 *aph.* 1. *Vtero gerentes ſunt medicanda à 5, ad 7. ſi Turgeat*: quæ quidem *Turgentia* ſi præfatum periculum minaretur, non illis menſibus tantum ad purgationem deveniendum eſſet, ſed in alijs etiam, quia maximo imminente malo melius eſt anceps experiri remedium quam nullum: Purgationis tandem facilitas neceſſaria eſt cum morbi magnitudo eam expoſcit, verum ægri vires non omnino ſunt firmæ: ideo *Hipp. 1. de morb. mul.* v. 232. in curatione cujuſdam morbi, ex puerperij ſuppreſſione ortum habentis, purgationem abſque *Turgentiâ* præſcribere non eſt auſus: Ibi enim, *Si vero ex partu non fuerit purgata, venter intumeſcit, & ſplen, & crura, & febris habet: pulſus debiles ſunt, & aliquando acuti, & aliàs attolluntur, aliàs deficiunt, & hæc incipiente morbo, & ſic habet; temporis autem progreſſu eave facies partes rubeſcunt: quum ſic habueris, leves cibos exhibete, & ſi Turgeat, pharmacum infra purgans bibendum dato &c.* Quoties igitur purgationis difficultas magnum aliquod incommodum poteſt afferre, Turgentia requiritur quæ purgationem faciliorem reddat, aliter verò nequaquam; Et ideo nullibi Turgentiæ mentionem in *Hipp.* doctrinâ pro purgatione invenies, præterquam in præfatis caſibus 1. In valde acutis, 2. In vtero gerentibus. 3. In gravibus morbis cum virium debilitate & cruditate vigente. Subjungit verò *Hipp. Plurimum verò non turget*. Quòd dictum non eſt ſimpliciter intelligendum, ita vt nos monitos velit rarò humores in morbis ita diſpoſitos eſſe vt turgere dici poſſint; quaſi, quod *Gal.* cenſet, ſæpius in parte quapiam firmati tandiu maneant, donec toto morbi tractu cocti tandem expellantur: Id enim nec ratione perſuadetur, nec percipitur ſenſu: quoties enim febres mineram habent venas, quod frequentiſſimum, quomodo dicere poſſumus tunc materiam in parte firmatam? Et quando apertiſſimè videmus humores ipſos varias corporis partea invadere, quod ſymptomatum varietas teſtatur, quæ quidem cum humores in aliqua particula ſunt fixi, ſtabilia ſunt & vniformia: præterea ſi rarò humores turgent, cur. *Hipp.* regulam nobis tradidit in purgationibus vtero gerentium, & eorum de quibus facta eſt mentio, vt Turgentiam attendamus? regulæ enim & præcepta conſtitui debent in ijs quæ frequenter, non in ijs quæ rarò eveniunt: Quare dicendum *Hipp.* ad præcedentia reſpicientem hæc protuliſſe: dixerat enim cruditate vigente non eſſe purgandum, niſi turgeat; inde vero ſubjungit, *Plurimum verò non Turget*: h. e. dum ſigna adſunt cruditatis, & ratio eſt in promptu, Si enim cruditatis ſigna in excrementorum tenuitate conſiſtunt, quæ tenuitas à materiâ in aliquâ parte firmata dependet, vix fieri poteſt cum ſignis cruditatis turgentiam adeſſe, quæ in contrariâ humorum diſpoſitione conſiſtit.

IX. *Cruda* nullo modo eſſe purganda, neque *in Principijs*, ait *Hipp. aph.* 22. 1. Quæ in eum ſenſum prolata ſunt, non vt morborum Principium excluderet, tanquam cæterorum temporum ineptiſſimum Purgationi, vt eſt communis opinio, quia tantum abeſt vt hæc fuerit *Hipp.* ſententia, vt totum oppoſitum docuerit & doctrina & exemplis: Notus eſt *aph.* *Inchoantibus morbis ſi quid videtur movendum, move: nam iiſdem vigentibus melius eſt quieſcere*: rationemque aſſignat, *Circa initia enim & fines omnia imbecilliora, in vigoribus vero fortiora.* Et magis peculiariter de purgatione loquens *lib. de Affect. verſ.* 29. *Circa ægrotos*, inquit, *conſiderare oportet ſtatim in conſtitutionis principio, quâ re opus habeant, & quales ſint, vt pharmaco purgentur, aut vt aliud quid tandem exhibeas quodcunque volueris: Si vero omiſſo principio, ad finem jam vergente morbo, exhibueris in delaſſato jam corpore, forte quidpiam prabere veriùs, periculum eſt ne magis delinquas quàm ſucceſſum conſequaris.* Ex quibus colligere licet non ſolum in principio non prohiberi purgation[illegible], ſed ex duobus temporibus, in quibus tantummodo permittitur, Initio inquam & Declinatione, illud maxime præferendum eſſe: Et hoc documentum de purgando in principio, ipſemet *Hippoc.* adeo obſervavit, vt vix purgationem in morbis acutis ab eo factam trâlacto principio invenies: Sic 4. Ac. in febra ardente die 4. purgandum

eſſe

eſſe jubet, & infra, id ante diem 5. faciendum eſſe ait: Ibidem purgationem inſtituit die 4. in curatione pleuritidis: 3. de *morb.* in Peripneumonia alvum 1. 4. aut 5. diebus ſubducendam eſſe ait, *l. de Aff. v.* 267. in febre bilioſa 3. aut 4. diem pro purgatione eligit: quo tempore pariter purgationem inſtituerat paulum ante in curatione febris continuæ: Et 3. de morbis pleuritico purgationẽ inſtituit priuſquã ſalivã craſſã exſpuere incipiat. Nomine autem Principij non intelligimus primum morbi initium, ſed totum illud tempus quod à vigore diſtinguitur, & a declinatione: hæc enim fuit temporum morborum diviſio *Hipp.* viitata, quam quidem ex pluribus locis licet colligere: apertiſſimè tamen nobis eam ſignificat eo aph. *Inchoantibus morbis ſi quid videtur movendum move; dum vero conſiſtunt melius eſt quieſcere: circa initia enim & fines omnia imbecilliora, circa vigores fortiora.* Quare principium in acut. morb. quiq; non admodum celeriter moventur, vſq; ad 7. diem aliquando extenditur, ita vt 6. etiam pharmacum dari poſſit: Hocq; annotare voluit, ne quis ex eo quod *Hippoc.* purgationem initio morbi adeo celebravit, ſtatim medicamentum eſſe exhibendum à principio exiſtimaret, quod multos facere video, qui ſtatim in prima viſitatione medicamentum ægrotanti præſcribunt, priuſquam ſæpe de natura morbi vllam cognitionẽ habere potuerint: ex quâ importuna curatione plura mala evenire ſolent, quæ poſtea errorem Medici manifeſtant, dum morbus ſe prodit de genere eorum qui purgationem ante v. ſ. non admittunt; quorum catalogum facit *Hipp. 4. ac. v.* 28. Quos ſi Ægyptiorum citata lex adſtringeret, frequentiſſime ob præproperam purgationem in judicium traherentur: Quod quidem periculum vt evitaret ipſe *Hipp.* medicamentum nunquam (exceptis repentinis & graviſſimis morbis) exhibere auſus eſt prius quam dies 3. morbi ſaltem elapſa eſſet, vt ex locis ſuperius citatis conſtat. Imo 4. *Ac. comm.* 4. de febris ardentis curatione hæc habet, *Si tibi purgandum commodum videatur non intra 3. dies purga ſed 4.* Cum igitur purgatio circa morborum initia adeo familiaris fuerit *Hipp.* non poſſumus dicere eum in hoc *aph.* morborũ principium maxime a purgatione excludere voluiſſe, dũ dixit, *Neque in principio*, ſed hæc protuliſſe, vt hoc etiam tempus, purgationi alioqui omnium aptiſſimum, incongruum demõſtraret vbicunque cruditatis ſigna apparent. Objicitur *aph.* 24. hujus ſect. *In acutis paſſionibus raro, etiam in principijs, medicamentis purgantibus vti oportet*, In quo inſinuat *Hipp.* rarò in principijs purgandum eſſe; inde confirmari ſententiam noſtram: ſtatuimus enim, ſi purgatio facienda eſt, in principio maximè convenire: quare ſi rarò in acutis purgandum ſit, ſoia illud, *raro*, faciendum eſt in principio, quod ab *aph.* 22. 1. non prohibetur: imo huic ſententiæ cõſentiens ſubjungit, *Neque in principio*, quaſi diceret, Etſi principium purgationi aptiſſimum ſit, quia eo tempore leviora ſunt pleraq; eorum quę purgationi adverſantur, cujuſmodi eſt febris vehementia, virium debilitas &c. tamen neq; eo tempore ſemper purgandum eſt in acutis, ſed admodum rarò & magna cum præmeditatione: Ratio eſt, quia cum non ſtatim j. aut ij. die liceat purgãs dare, ob rationes dictas, morbiq; acuti citò vehementiam contrahant, rarò evenit vt quo die purgatio conveniens eſſet febris talem magnitudinem non acquiſierit quæ purgationem ſuſpectam nõ reddat; ſcimus enim vehemẽtia febris urgente purgationes admodum periculoſas eſſe: *lib.* enim *de Pur...* ... *Hipp. Quicunq; a febribus fortibus corripiuntur, his purgatoria dare non oportet donec remiſerit febris: Sin minus, ſaltem non intra xiv. dies: carnes enim ipſorum & ventres cum calidi ſint, medicamentum aſſumunt & nihil depurgantur, & febris major fit, & color evertitur, & morbi Regij ſpecteram præ ſe fert &c.* Quoties ergo in acutis, febris a principio caloris eſt vehementis, eo calidâ purgatione penitus abſtinendum, etiam à principio. Qui vero leniter invadit morbus, antequam febris toris & vehementis caloris fiat, purgatio inſtitui poteſt, quod quia rarò in acutis evenit, qui ſtatim vehementes fiunt; Et eorum qui non adeo citò magnitudinem contrahunt, multi eas non habent conditiones quæ purgationem admittunt, hinc fit vt occaſio purgandi rarò in acutis morbis contingat: A principio igitur purgandum ſi reliqua conſentiant; quia illud tempus purgationi omnium aptiſſimum: non adeo tamen vt cum ſignis cruditatis id facere liceat, ideo ſubjunxit *Hipp. Neque in principijs*, Exceptionem tamen addidit, *Niſi Turgeat. Proſp. Martianus comm. in dictum aph.*

X. In initio morbi *purgationem minorativa* exhibere poſſumus, cum pulſus conſtãt ex magnis & parvis; ſed vbi eorum inæqualitas eſt: quo ſigno nullum certius vires onere preſſas oſtendit. *Mercat. de Pr.*

XI. Purgationis hac tempeſtate magnum videmus eſſe abuſum, & in hac infinitos committi errores, dũ nonnulli omnium morborum curam citra catharticorum vſum non poſſe inſtitui & abſolvi, adeoq; ægrotorum ſalutem in his ſæpe repetitis, nullis digeſtivis, reſolutivis, & aperitivis appropriatis præmiſſis poſitam eſſe arbitrantur: Sicq; cõtingit illegitime his adminiſtratis & reiteratis, neglecta virium ratione, morbos diuturnos fieri, ſpiritus exhauriri, appetentiam dejici, & cruditates augeri, à quibus mille incõmoda, vt recte monet *Valleſius l. 7. Ep.* Hos inconſideratos auſus in ſui tẽporis Medicis etiam taxat *Gal. l. 1. de hum. ſ. 1. com.* 12. Quod ſoloni de vacuando humore eſſent ſolliciti, nulla de partibus roborandis conſideratione facta, Sic enim ait, *Quo pacto cernere eſt commune Medicorum erratorum, qui in pleriſque affectionibus plerumq; committitur nã quod ſupervacuum eſt evacuant illi quidem, ſed tamen ne et quod vacuatum eſt perſimile gignatur nullo modo ſibi curãdum proponunt.* Vnde & *Poterius Cent. 1. cur.* 2. graviſſime in tales invehitur Medicos, ipſos vocãs Stercorarios non Medicos, Empiricis longe pejores, à circumforaneis, agyrtis, mimis & hiſtrionibus minus differentes. *Fred. Hoſmannus m. m. lib. 1. cap.* 7.

XII. Purgantia cõmuniter diſtinguuntur in illa quæ purgant primam corporis regionem, quam circa Jecur eſſe, & a ventriculo ad hepat vſque medium extendi, & omnes illas partes & vias quæ inter ventriculum & hepar interjacent complecti dicunt: Et illa quæ Secundam, quæ à medio hepatis ad habitum vſq; corporis porrigitur, & continet gibbam hepatis partem omneſque majores venas. Ac quæ Tertiam, quæ habitum corporis, i. e. muſculoſum genus, cum minoribus venis, membranis & reliquis comprehendit: At juſta eſt cenſura *Helmontij, lib. Demens Idea inſcripto*, §. 20. Scilicet, Prima regio eſt ventriculus & inteſtina cum omnibus vaſis ibi contentis: Secunda vbi fit circulatio ſanguinis, h. e. in omnibus venis & arterijs: Tertia vbi ſanguis eſt extravaſatus. *Ioh. Walæus m. m.*

XIII. Falſum eſt humores extravaſatos omnes evacuari non poſſe: De craſſis quidem hoc verum eſt, non de tenuibus, quorum ſignum eſt, ſi digito prementi cedant: vbicunque ergo fit circulatio ſanguinis, ibi etiam evacuare poſſum, In cavitatibus,

quæ quarta videtur regio, vtpote abdomine, pectore, cerebro, etiam convenit purgatio (idque docet experientia) licet hic non fiat circulatio ſanguinis. *Walæus meth. med p.* 39. *Gal.* 13. *meth.* 9. *l. art. med.* 95. & alijs locis admittit humores, qui ſunt extra venas, in corporis habitu, poſſe iterum ad venas remigrare, Res patet exẽplis, *Hipp.* 5. *aph.* 65. reprobat tumores repente evaneſcentes: Variolæ & morbilli ab ambientis frigiditate, denſatâ cute, repreſſoq; humore ad partes internas retrocedunt. Humor tenaciſſimè in partibus exterioribus impactus, à quo Talpa, Natta, alijque Venerei tumores oriri ſolent, validiſſimi purgantis vi, vt ſtibij, aut pulveris Vigonis, aut applicito Mercuriali vnguento evaneſcit.

XIV. *Hipp.* 26. *verſ. l.* 4. *ac.* ait *Inflammationes* exhibitâ initio purgatione irritari, nedum juvari: Quæ ſententia de inflammationum curatione vniverſaliter accepta plures in arte difficultates, ac in medendo abuſus non leves produxit, Cum certum ſit *Hipp.* ipſum ſæpe ſæpius in inflammationibus vſum ſle purgatione, vt remedio principali, de v. ſ. nulla mentione facta, ſic hoc eodem *libro ſ.* 4. *v.* 64. in pleuritide, ab initio, purgationem loco v. ſ. inſtituit, dolore infra ſeptum exiſtente, quæ tamen ſine inflammatione conſiſtere non poteſt: vt præteream loca innumera ex *lib. de morb. Aff. & alijs*, In quibus curationes morborum tractantur, vbi Inflammationes varias corporis particulas infeſtantes ſolâ purgatione curari docet: Huic difficultati reſpondeo cum Doct. *Valleſio*, Etiamſi inflammatio, quatenus multitudinem ſupponit, v. ſ. primatiò indicet, aliquando tamen plenitudini cacochymiam adeo prævalere, vt in hujus gratiam Purgatio præferenda ſit: Ideo cum dolor ad hypochondria vergens magnam ſubeſſe cacochymiam indicet, ideo v. ſ. dimiſsâ purgationem faciendam jubet: Pari ratione *l.* 2. *de morb.* Purgationem in pleuritide anteponit, ſi æger bilioſus, natura impurgatus, à morbo correptus ſit: eo enim caſu cacochymiam vigere neceſſe eſt: Idque evenire cenſendum eſt in alijs inflammationibus, quas purgatione curandas vbique voluit *Hipp.* Sive id eveniat ratione partis affectæ, quæ ſuſcipiendæ cacochymiæ ſit opportuna, v. g. vterus, In cujus inflammationibus purgationem ferè prætulit *Hippoc.* v. ſ. Sive evidentis cacochymiæ, vt de bilioſis dictum eſt, qui impurgati in morbum incidere: Nec timendum eſt in hujuſmodi caſibus incommodum, quod ex purgatione initio inflammationum evenire docet *l. c. Hippocr.* Quia quotieſcunque in acutis morbis (de quibus ibi ſermo) cacochymia viget, hæc vtplurimum bilioſa eſt, quæ ob humoris tenuitatem non adeo parti impingitur vt purganti penitus reſiſtat, vt facit ſanguis: quæ ſi tandem pharmaco non cedat, non ob id ſanæ partes colliqueſcunt, cum venoſum genus eodem humore ſcateat; in quem agens medicamentum partes ſanas non attingit, ſed cacochymiam à venis educendo revulſorium ſit remedium materiæ à quâ inflammatio ipſa fovetur, eâque eductâ, quæ parti infixa eſt, facilius & coquitur & digeritur: Quæ quidem revulſio per purgationem non habet locum in illis inflammationibus in quibus plenitudo viget, non cacochymia: quæ etiamſi in inflammatâ parte conſiſtat, ob tranſmutationem ſanguinis in bilioſum ſuccum à fervore inflammationis, nihilominus, quia in ea eſt conſtipatus, non cedit medicamento; Et humor, in venis conſiſtens, pro majori parte ſanguis eſt, in quem medicamentum agere non poteſt; ideo neceſſe eſt vt ad partes ſanas convertatur, eaſque colliquet, vt ait *Hipp.* Quoties igitur venoſum genus pravis non ſcatet humoribus, qui a medicamento trahi poſſint, & qui in inflammata parte conſiſtunt, in ea hæreant, vt ei minimè cedant, ea ſequi incommoda neceſſe eſt quæ eo loco citantur. Quorum quidem cognitio ex multis habetur, præſertim verò ex vrinis, quæ ſi tenues & crudæ fuerint, materiam parti infixam eſſe indicabunt, nec humores adeſſe in corpore qui à medicamento trahi poſſint, ac eo caſu à Purgatione abſtinendum erit: Nequaquam verò ſi craſſæ aut nebuloſæ, his enim præſentibus in qualibet inflammatione ad purgationem ab initio confugiendum eſt: Præſens igitur ſententia hoc modo recipienda, nec (vt quidam faciunt) in ejus vniverſalitate perſiſtendum, ita vt in qualibet inflammatione à Purgatione ſemper abſtineamus. Nec expoſitione hac recepi à *Hipp.* damnatur, quippe qui eam vniverſaliter pronuntiaverit, Exceptionem enim eam tacite ſub indicavit, dum ſententiæ rationem adſcripſit, *Non enim cedit affectio qua adhuc cruda eſt &c.* Quoties igitur humor in parte inflammatâ contentus talis eſt naturæ, vt medicamento cedat; aut humorem in reliquo corpore invenit quem trahat & educat, medicamentum aſſumptum partes ſanas non colliquat, nec morbus augetur. *P. Martianus comm. in l. c.*

XV. Vbi *vires ſunt debiles*, & tamen Purgatio eſt neceſſaria, Ego ſoleo vnum aureum & memoria dignum obſervare in praxi, ſc. tango arteriam pronè manentem, & tribus digitis ſoleo illam fortiter comprimere: quæ ſi non ſentit, jam eſt virtus languida, per viam reſolutionis, & non poteſt ſuſtinere medicamentum purgans. Si verò de induſtriâ auferatur vnus digitus, & a ſecundo digito ſequente non ſentitur pulſatio, tunc magis eſt debilis: Si verò è contra, ex tribus digitis fortiter arteriam pronam comprimentibus vnus auferatur ex quolibet latere, & ſecundus remanens ſentiat pulſationem, quamvis prioribus tribus non perſentiſſet pulſationem, tunc poteſt exhiberi purgans: nam virtus eſt gravata, non reſoluta. *Gal. l. de Pulſ. ad tyr. c.* 11. ponit aliud ſignum, Si enim plures ſunt pulſus magni quàm parvi: plures vehemẽtes quàm languidi, plures celeres quàm tardi; tunc virtus eſt debilis per viam gravaminis, & cõvenit purgãs: Si verò plures ſunt parvi quàm magni, plures languidi quam vehemẽtes, plures tardi quam celeres, tunc virtus eſt debilis per Reſolutionem, nec convenit Purgans. *Epiph. Ferdinandus hiſt.* 9.

XVI. Quibuſdam videtur non adeo magnum virtutis robur eſſe neceſſarium ad purgationem, ſicut ad v. ſ. ſed ſalvo aliorum judicio, credimus quod evacuatio valida per electivè purgantia vires robuſtiores præſupponat: propterea quod ſemel exhibitum ejuſmodi medicamentum non amplius ſit in poteſtate Medici, quod Ipſum etiam vim corpori adverſam habeat; & Quod non fiat abſque magna totius commotione ſpirituumq; diſſipatione. Quamvis etiã *aph.* 23. 1. vbi *Hipp.* ad animi deliquium vacuationem poſſe fieri ait ad Purgationem transferãnt, credimus tamen in ſolâ v. ſ. locum habere. Quis enim purgationem ad animi vſque deliquium ſine temeritate & vitæ periculo tentaret, cum polliceri nemo ſibi poſſit ſequuturam purgationem ad animi defectum, quæ tamen ad interitũ non tendat, quatenus purgantibus habenæ non poſſunt adhiberi quibus exceſſus eorũdem inhibeant? *Horſtius Inſt. Med. diſp.* 19. *qu.* 4.

XVII. Qua ratione Purgatio à principio fieri poteſt, quoties *Vrina* fuerint *craſſa* aut *nebuloſa*, etiamſi humorum non adſit concoctio, quæ tamen cum vrinarum tenuitate adeo ſuſpecta eſt, vt quoties vrinæ

ſuoe

ſunt tenues, ſignum eſt nihil materiæ morbificæ cum vrina excerni: vel quia in aliqua parte conculcata eſt, & adeo tenaciter fixa vt nulla ejuſdem portio inde ſegregari poſſit, quæ vrinæ permixta eam craſſiorem reddat: vel quia illius concoctioni intenta natura, eam adeo arctè continet vt nihil ab ea excidere p[illegible]ittat: Quia igitur humoris noxii nihil ſponte c[illegible]tu., ſignum eſt evidens eum adeo rebellem eſſe [illegible]ganti pharmaco cedere nullomodo debeat: E[illegible] ita verò quando vrina craſſa mingitur, ſignum [illegible] materiæ morbificæ portionem cum ea ex[illegible] indicat ejus reſiduum, etiamſi minimè concoctum, ita tamen diſpoſitum eſſe vt purganti pharmaco obedire debeat: Advertendum tamen eſt non ſemper quoties vrina craſſa eſt purgationem convenire: quia dum craſſitudo hæc ab inchoata coctione provenit, nullomodo purgare licet, ne concoctio incepta deturbetur; atque cognoſcimus, quia hæc à principio morbi non apparet, ſed poſterius, & ex tenui craſſior paulatim fit: In hac enim humorum diſpoſitione a purgatione abſtinendum eſt. At verò cum viget Turgentia, cruditas purgationem non prohibet, vt incoepta coctio facit: Et ideo cum a principio vrina tenuis fuerit, deinde paulatim craſſior fiet, tum coctionem inchoari ſignificat, vnde à purgatione abſtinendum, donec ſigna ſigna perfectæ coctionis appareant. Similiter qu[illegible] vrinarum craſſities ſupervenit in febribus vel ab humorum colliquatione, aut maligna putreſcentia, v[illegible] a ſimili præter naturali cauſa, neque eo ca[illegible] purgatio convenit. *Martianus comm. in aph.* 2[illegible].

[illegible]VIII. Prohibuit Hippocr. pharmaca dari q[illegible] concoctionis notæ in *Vrina* non ſunt, nunc [illegible] cauſas, exponens noxas quæ ex intempeſtiva p[illegible] nalcuntur, Nimirum ſi intempeſtive ven[illegible] moveas, vrina non coquetur, & judicationes ſuo [illegible]pore non fient, ſed vtriſq; ſublatis, concoctionib[illegible]quam, & judicationibus, febres producentur. Contra prorſus quam vulgus expectat Medicorum, [illegible] cum *vrinæ cruditas* durat plusquam vellent, [illegible] expurgant, putantes fore vt quæ tantam non ſuper[illegible], minorem factam materiam poſſit naturæ [illegible] ſuperare, & ante diem judicatorium curant vt æger expurgetur, ac proinde die ſexto pleri[illegible]que, vt ſcilicet indicationem melius exſequatur natura: Verum falluntur, tunc enim ſolum redditur evacuatione potentior natura ſupra reſiduum cum evacuatio recte agitur, & ſecundum artem, ut cum miſſione ſanguinis minuitur multitudo, aut expurgatur ob turgentiam, alioqui nihil eſt quod concoctiones & iudicationes magis poſſit impedire: Nam non evacuantur quæ evacuari oportet, ſed bonorum ſuccorum magna pars extrahitur, pravi commoventur ſolum, commotique interturbant retentio, quia ſublata neceſſe eſt concoctionem tolli; ſed & ſublata hac tollitur idonea expulſio & iudicatio; quia eſt facultatum naturalium ordo vt retentrix concoctrici miniſtret, & peracta concoctione ſuccedat expultricis opus, alioqui intempeſtive & tumultuarie, ac proinde citra confeſentiam agentur omni: Hinc facile intelliges (quod non pauci mirantur) cur cum tanti fecerint antiqui morborum judicationes, ac de illis tam multa ſcripſeront, tam paucæ noſtra tempeſtate occurrunt: Certe quia plerique intempeſtive purgantur, & intempeſtiva purgatio tollit tempeſtivas judicationes. *Vall:ſius comm in lib. de vict. Acut p.* 306.

XVIII. *b* Quoad tempora morborum vniverſalia, ſciendum *initio*, cum humor nondum eſt confuſus, evacuationem conceſſam eſſe, *In ſtatu* vero & *declinatione* raro, & nonniſi levibus medicamentis alvum movere licet: Si enim in *declinatione* validum exhibeas purgans, humores jam ſegregatos de novo confundes & ægro recidivam facies. *Waleus meth. Med. p. p.* 37.

XIX. Ex *Tralliano*, Vacuatio non eſt differenda vbi Concoctionis aliquæ notæ adſunt: craſſi enim humores ſupercoquuntur, & præ craſſitudine exquiſitioni fiunt inepti.

XX. Animadvertere cœpi in promiſcuum Medicorum trivialium errorem, dū Bilem omnem è corpore educi jubent: At inde id mali evenit quod ademto præcipuo coctionis condimento, omnem in cibo capiendo plurimi appetitum amittunt, dehinc cachectici, tandem hydropici demortui: Tres occubuere uni parenti filii, tandem maraſmo tentati, in quibus diſſectis nullum veſtigium bilis in veſicula inventum illæſis viſceribus: hinc culpam omnem in diagridiata conferi medicamenta crebrius adhibita. *Morbias ex Anonymo ſundam. Phyſiolog. c.* 36.

XXI. Vbi *Bilis* peccat, initio vacuantium parva ſit doſis, ne bilis per ſe valde fluxilis, ac quodammodo turgens, furorē concipiat & choleram morbū, diarrhœam ſaltē producat gravem: Niſi enim cōſtet humores pituitoſos & viſcidos ſimul redundare in corpore, ſemper in Bilis expurgatione tutius minore doſi vti cholagogis, & quidem ob ſuperpurgationis metū: Adde quod, licet nihil forte evacuent purgantia minore doſi exhibita, eadem iterari queunt, & aliis poſt aliquot horas, iidē quantitate parva denuo aſſumptis, præcedentium operatio promoveri: quod idem, ubi nulla urget neceſſitas, ſequenti tantum die fieri poteſt, poſtquam *Purgantia medicamenta non tantū vitioſos humores evacuandi, ſed eoſdē quoque alterandi ac emendandi, & ad eductionē commodā praeparandi vim habent.* Hoc autem præceptum ſedulo commendamus Medicis junioribus &c. *Fr. Sylvius Pract. l.* 1. *c. vij.*

XXI. *a* Quoties ſanguinis maſſa univerſa redūdat *Excremento Aqueo*, eo paulatim liberari debet, iterans ſæpius ejuſdem Evacuationibus tum per Alvum, tum imprimis per Sudores aut Vrinas, Dico imprimis per ſudores, quoniam Evacuatio omnis per Alvum corpus magis turbat debilitatque quum per ſudores, imprimis quando Aqua eſt evacuanda, quippe quæ ſponte Alvum petere non ſolet, aſt Renes & Cutis poros: Sicut enim *Bilis* nulla via evacuatur commodius quam per *Alvum & vomitū*, non item per urinas vel ſudores, ita *Humores Aquei* commodiſſime expelluntur per urinas & ſudores, non item per *vomitum* vel *Alvum*: Humores *autem Pituitoſi* & *Acidi* utraq; via gemina, tum per alvum & vomitum, tum per urinas & ſudores videntur commode poſſe ejici: Si quis dicti rationes ſcire aveat, ſequentes dabo & 1. quidem *Bilem* idcirco commodius, & facilius, & felicius per *Alvum & vomitum* educi, non item per urinas & ſudores, quia ipſa pura effunditur ac pervenit tantum ad tenue inteſtinum, non item ad cor & ſanguinem univerſum, unde facile tum ad ventriculum ſurſum, tum ad craſſum inteſtinū deorſum propelli poteſt, ac proinde evacuari: Eadem Bilis autem, quatenus ſanguinis maſſæ eſt miſta, unde ſecerni debet, ut per ſudores urinaſq; excernatur, ac è corpore expellatur, penitius illi adhæret, nec pura poteſt amplius ab illa maſſa ſejungi: Quoad *Humores aquoſos*, ſicuti maſſæ ſanguinis hæc confuſi potius ſunt quam intime permiſti, ita ſæ-

cile ab eadem poſſunt ſeparari, ut tam per urinas quam ſudores expellantur e corpore: Quia vero ſuperabundans ſecundum naturam in ſanguine aqua excerni ſolet cum urina, non item per Alvum, mirum non eſt ſi quoq; artificiose facilius expellatur eadem una cum urinis aut ſudoribus, quam per alvum aut vomitum: Etſi enim *Succus Pancreaticus*, ut & *Saliva* conſiſtentiam imac dantibus poſſint humorem, atque ſic quoque augere liquiditatem humorum ad Inteſtina confluentium, rarius tamen hac ratione & via notabilis contingit Aquoſæ ſanguinis partis evacuatio per Alvum ſpontanea, ſæpius autem per Urinas & ſudores: Sic quoque commodius & facilius inſtituitur ejuſdem Aquæ evacuatio artificialis per ſudores Urinaſve, quam per Alvum Vomitumve: *Pituita* vero *tenuior*, ea Saliva nimirum ortuor habens, non tantum facile poteſt tum per alvum tum per vomitum educi, ſeu inſuper quoque per urinas & ſudores, quia non ita difficulter a reliqua ſanguinis maſſa ſecerni poteſt. Quæ autem *viſcoſior* eſt & *glutinoſior*, illa nulla via educi poteſt commode, niſi latis fuerit inciſa & attenuata, unde licet tunc copioſius educi queat per alvum aut vomitum, non incommode tamen educi poteſt quoq; per vias urinæ ac Sudoris, qui tunc prodire ſolet magis craſſus & glutinoſus: certo argumento vias iſtas non ineptas eſſe Humori etiam viſcoſo expellendo: Deniq; *Succus Acidus*, quemadmodum ſui temperationem ac correctionem deſiderat prius quam ulla ejiciatur via, ita tunc commodiſſime poteſt excerni per Alvũ & vomitum, quatenus in ſucco Pancreatico abundans viam hic reperit breviſſimam: ſed poteſt nõ minus commode idem expelli per urinas & ſudores, quoniam quæ ipſum faciliſſime ac citiſſime corrigunt temperantq; talia volatilia, eundem ad urinæ ſudoriſque vias ſimul deducunt, cum ſint omnia & ſudorifica & diuretica. *Idem lib.iij cap.3.*

XXII. Ubi *Pituita viſcidior* occurrit, aqua impeditur purgantium quorumvis operatio, in hunc finem convenientiſſime *Pilul.* forma præſcribuntur Purgantia, quippe quibus *Gummi*, ſolvendæ incidendæque pituitæ viſcidæ præ aliis medicamentis omnibus aptiſſima, nec in liquore ullo facile ſolubilia, poſſunt facile adjiſceri: atq; una eademq; opera humores peccantes tum alterari, tum educi. E. g. ℞. *Gum. Ammon. vel Galbani &c. aceto præparati* ʒß. *maſtich. el.* ℈j *trochiſc. alhandal. reſin. ſcamm. ana. gr.xxv. m. f. Pil. xxv.* da v. aut vij. mane & hora poſt juſculum. *Idem ibidem.*

XXIII. *Acida Cruditas* curabitur exhibendo medicamenta Acidum ſpiritum temperantia vel concentrantia, Sedulo cavẽdo à purgantibus antequam temperati fuerint humores Acidi, & ad ſeri naturam deducti, quos tunc redundantes demum per hydragoga educi nihil obſtat. *Idem.*

Succus Pancreaticus cum à nobis Aciditate vitioſa peccare ſit dictus, atq; ideo alterationem non vacuationem indicet, fieri tamen poteſt ut ſimul copia peccet, cui evacuatio debetur: Verum enim vero hactenus mihi incompertum eſt medicamentum *Humoribus Acidis*, qua Acidis, evacuandis aptum: Quinimo conſtat per experientiam multiplicem, cũ difficultate, atq; ægrorum incommodo inſtitui Purgationem in iis, in quibus Acidus humor peccare obſervatur, propter tormina intolerabilia à purgãtibus excitata: Quapropter donec compertum ſit medicamentum humori Acido cum *ſucceſſu* educendo aptum, non auſim aut inſtituere in tali caſu Purgationem, aut illam aliis commendare: Novi equidẽ dari medicamenta Hydragoga, non tamen Acidos Humores evacuantia: Attamen non negaverim illorum, ſi prius temperentur, ipſorumque Aciditas mitigetur aut concentretur, inſtitui tunc poſſe per Hydragoga eductionem. *Idem Append. Tract.viij.* §. 132.

XXIV. Etſi ver & Autumnus ſint præcipua ad humorum vacuationes tempora, præſervationis gratia inſtituendas, non indifferenter tamen quemlibet vel vere vel autumno purgemus, ſed videamus quid cujuſq; natura & morbi ipſi conſueti indicent: Qui enim craſſis ſcatent humoribus, illi in principio veris ſunt vacuandi: ejuſmodi enim humores hyeme collecti veris tepore liquantur, unde niſi vacuentur facile per corpus diffundi poſſunt & graviores morbos cõcitare: Quibus vero tenues ac ſunt humores, in fine veris purgationem commodè ferunt, ne iſti humores ſuccedente æſtate accendantur, ebulliant & febres inducant: Imminente autumno humores acres, ſalſi, aduſti, ſcorbutici ſunt educendi, & quotquot deniq; propter humores Tartareos ægrotant, vacuari tunc temporis melius eſt. *Fred. Hofmannus m.m. lib.1. cap.7.*

XXIV. *a* Inter Humores à ſanguinis maſſa diverſos fit paſſim mentio *Humoris melancholici*, quem vulgo terrenæ pronuntiant naturæ: Quantum ego ex accurata & longa ægrorum à me curatorum obſervatione, atq; Humorum Affectus Melancholicos dictos producentium evacuatione laudabili, h.e. Affectus notatos feliciter curando facta, indicare potui, Duplices humores, à quibus Affectus illi pendebant tunc notavi, nõ parum inter ſe differentes, *Auſteros* puta & *Valde Glutinoſos Pituitoſos*, quibus partim correctis, partim a me eductis, curavi feliciter dictos Affectus: quapropter utrolq; *melancholici* humoris nomine indigitandos cenſui: Hæc autẽ diſtinctio haud eſt parvi pendenda à Medicis praxin facturis, quoniam illa neglecta vix unquam ex voto curabuntur melancholici: quinimo plane perſuaſus ſum ideo tam raro curari feliciter Affectos melancholicos, quia illam diſtinctionem non ſatis obſervarunt plerique Medici, Authoribus ſuis nimium addicti, atque eorum quæ in praxi contingunt negligentiores: Vel idcirco autem ad illam diſtinctionem attendendum eſt, quia in horum binorum humorum & Alteratione, & imprimis Evacuatione eadem non ſemper poſſunt utiliter uſurpari medicamenta: *Humores* namque *Auſteros* alterant optime & corrigunt *Salia volatilia*, & *plantæ* omnes *Aromaticæ blandiores*: *Glutinoſos* autem etiam *ſpiritus Acidi*, qui corrumpunt amplius & noxios reddunt *Auſteros*: *Auſteri humores evacuantur* feliciſſime per vulgo dicta *hydragoga*, *Glutinoſi* vero per *phlegmagoga*: Unde cuivis patet facile quantæ utilitatis, imo neceſſitatis ſit, ad medicinam rite faciendam hæc diſtinctio, quæ in affectibus melancholicis, tam cognoſcendis quam curandis locum affert magnum: ſicut agnoſcent quotquot in ipſorum curatione occupati conferent ea quæ ab aliis, & à me ſuper hac re ſunt dicta & ſcripta: Ergo duo genera Humorum melancholicorum, duo genera medicamentorum ipſos purgantium requirunt: Pituitoſis ergo, maxime glutinoſis, educendis conveniunt, *Myrobal. Indæ, Polypod. Epith. Epith. Senna, Ell. borus niger, Lapides Lazuli & Armenus.* Ad *Hydragoga* pertinent, *Soldanella, Ebuli & Sambuci bacca, ſemen, cortex medianus, Radix & Folia: Mechoacana, Jalappa, Iridis radix, Gratiola, Eſula Mezereum Elaterium, Gummi de Peru & Cryſtalli Lunæ. F. Sylvius m. m. l.2.c.7. & 9.*

XXV. Au

XXV. *An diebus Criticis licitum Purgare?* Dicimus, Si nihil indicatum ante fuit, licebit die 4. 7. 11. 14. & 20. purgare, & ſanguinem etiam abducere: nam non erunt hoc indicio critici: Sed ſi fuerint hi dies critici, notandum erit num illis diebus natura molitura ſit vacuationem vel non: Si eam moliatur perfectè, Medicus nihil agat: Sin imperfectam moliatur Criſin, Tu nota num id agat vomitu, ſudore, hæmorrhagia, narium, ſedis, vel vterina: Tunc ſanè leni vomitorio juvare licet vomitum, frictione ſudores, fotu aquæ calidæ, vel litudinibus hæmorrhagiam; nam hæc in noſtra manu ſunt ac ſiſti poſſunt, Sed ſi per ſeceſſum natura moveat imperfectam criſin, præſtiterit Medicum hunc non juvare motum, ne major quàm par ſit fiat vacuatio, cum ſemel hauſtum pharmacum revocari nequeat, nec illud amovere liceat: Naturæ enim is adeſt mos ut cunctanter interdum moveat, mox validè alvum excludat: Quare poſtridie potius erit pharmaco utendum, quo id quod reſtibile eſt à criſi excludatur: Sed ſi natura impedita die critico nullam moliatur Criſin, pepaſmo ſi mitigata fuerit materia, Medicus pharmacia vel v. ſ. vtatur, ſi certo ſçiat naturam id acturam non eſſe? Sed dices Hippocr. authore, critico die nihil movendum eſſe: ſed illi ſermo eſt de tali die in quâ natura movet, nam vires defatigatæ ſunt eo die ſymptomatum vj. *Heurnius l. de Febrib. c.* 14. Suadeo ne quis in ipſa criſi pharmacum ad confuſionem propinet: ſuperſede diem vnum aut alterum: id enim longè tutius: neſcis enim quonam abeat natura: quæ enim ſegneſcere videtur jam, ac languide excrementa excludere, hanc mox vivida quadam vi maximam ſuccorum copiam depoſuiſſe vidimus: Quod ſi quid irritamenti a pharmaco acceſſiſſet, in fluxum calamitoſum facile ſe laxaſſet. *Idem comm. in aph.* 20. *ſect.* 1. Matrona honeſta, obeſa, cum in die critico, imo apparentibus ſudoribus, ex Medici juſſu hauſtum capurgantem aſſumebat, obiit ad vel-petam. *Nicolaus* Fontanus *Reſponſ. & Cur. Medic. p.* 158.

XXV. *a* Conſultum arbitror quibuſcunque pars princeps parata eſt recipere, ſi fieri poſſit paulatim materiam detrahere, neque curare vt ſervetur tota ad vnam decretoriam evacuationem, quin potius ita vt fit ſæpe, arte judicationes antevertere. *Valleſius comm. in lib. de vict. acut. pag.* 203.

XXVI. Nec decet diebus imparibus pharmacum exhibere, id prohibente Hipp. l. 4. de morbis, *Quicunque jam a febre continua correpti pharmaco vſi ſunt in diebus paribus, hi nimirum Purgati nunquā ſunt. Qui vere in diebus imparibus medicamēto forti vſi ſunt, nimium purgati ſunt; multi verò etiā perierunt nimium purgatis: proinde priores Medici in hoc maximè peccarunt, neſcientes quod hac res ita ſe habeat: humor enim in corpore ægri magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum tranſmittente: & ſi quis jam turbatum, adhuc magis perturbes medicamento immiſſo, nil mirum eſt ex talibus hominem perire:* Quamobrem hujus quoque rei maxima providentia habenda eſt, nam plurima ex purgantibus accidunt mala, quæ proculdubio huic occaſioni reduci poſſunt: quâ quidem occaſione inſpectâ, facile vitari poſſunt. *Mercatus de Recte Praſ. vſu l.* 1. *c.* 6.

XXVII. *Influxus ſiderum* in corpora noſtra, ob circuitum totius terreni globi, & humidorum evaporationem magnam eſſe efficaciam innuere vide Cous 4. aphor. 5. *ſub cane & ante canem difficiles purgationes:* Non quidem tanta quanta in Græcia, noſtris in oris temperatioribus opus religione, aut a canis hujus latratu aut morſu cautione, attamen nō omnino ſuſque deque hæc habenda curioſitas, neq; veſtigia terenda *Fr. Bencij*, Medicorum in Italia illa ætate Principis, qui authore *Manardo* l. 2. Ep. 1. nihil vnquam cœleſte obſervavit, ſed quoties occaſio vigebat, in ipſis Solis Lunæque congreſſibus & purgationem & venæ ſectionem imperabat, lotium magis inſpiciens quam aſtrum, & venarum pulſationem potius quam ſtellarum configurationem obſervans; vnde evenit cum præſtantisſ cujuſdam viri curationis vna cum *Hyeronimo Manfredo*, Aſtrologo famoſiſſimo Bononiæ præceſſit, imminieretque ſimul & purgandi neceſſitas, & luminariū coitus, Aſtrologo reclamante, & ægrotanti mortem minitante, potione ad *Bencii* imperium exhibita, infirmum è gravi morbo convaluiſſe. *Rolfinkius lib. de Febribus capite* 85.

Anno 1643. ardente Syrio, circa initium Auguſti tres pueruli duorum aut trium annorum, à Medicis, quorum curæ commiſſi fuerant, purgati blandis medicamentis, eadem die convulſi perierunt: Horum duo laborabant catarrho in pectus illabente, tertius verò dyſenteria: Alii etiam pueruli ex catarrho in convulſiones inciderunt eo tempore, & eadem die obierunt: Fiunt autem hujuſmodi convulſiones epilepticæ colliquatis humoribus ab aëre calidiori: Hinc patet ſummā cautione vtendum eſſe in ægrorum purgatione, diebus canicularibus, juxta præceptum Hippocr. *Riverius centur.* 3. *Obſ.* 5. Hoc præceptum locum habet in regionibus ſimilibus Hippocr. regioni: nam præterquam quod habemus benigna & levia medicamenta quibus vtamur; qualia ſunt caſſia, catholicum, lac aſininum &c. Hic nullum tempus (Lutetiæ) ſalubrius magiſque temperatum (præſertim quū flant Eteſiæ) experimur, quàm dies caniculares: adeo vt experientia conſtet morbos Iunio & Iulio menſe natos, ſolvi ſolere menſe Auguſto & ſub canicula: Quare ſi in hoſce dies incidat morbus, non veremur ſæpe venam aperire & fortiora medicamenta imperare: verumtamen ſi exoriatur vehemens ardor & canicolaris, vt ſæpe in Galliā menſe Maio & Iunio, utemur conſilio Hippocr. tum in phlebotome, tum in purgationibus præſcribendis. *Hellerius comm. in aph.* 5. *ſect.* 3.

XXVIII. Vtrum tempore Plenilunii aut Novi lunis convenit Purgatio & V. ſ. vt Hipp. & Avic. ſuadent? ℞. Licet Galen. mutationem Lunæ, aliorumq; magnorum aſtrorum ortus & occaſus non obſervet, nō tamen proinde hæc indicatio prætermittenda, quæ magni momenti & graviſſimorū authorum experimento comprobata: Cum enim videamus Lunam & alia Aſtra magnam in his inferioribus mutationem producere, ſine aliqua notabili mutatione qualitatū primarum, quam inducant in aëre & corporibus noſtris, conſtat hinc negligendam non eſſe indicationē inde deſumptam: vnde colliges aliis temporibus, cū præſervationis cauſa, aut in miti morbo, volumus exercere vacuationem aliquam, ab eâ abſtinendū eſſe, dummodo non adſit vrgens aliquod, quod remedii celeritatē efflagitet. *Zacut. Introit. ad Pra. Prac.* 48. Multi plenilunia, conjunctiones, quadras alioſque Lunæ ſtatus in purgationibus aufugiunt: Si hujuſmodi obſervationes abſq; ægrotum detrimento fieri poſſunt, eorum ſtatuū ratio habeatur: Si morbus vrgeat & purgationis indicationes adſint, nihili fiant, cum experientia teſte, pharmaca in conjunctione, plenilunio, quavis quadrâ exhibita, nihil detrimenti attulerint. *Manelphus l.* 2. *de febr. p.* 297. Die novi-

lunium præcedente difficilem eſſe purgationē notavit in ſeipſu Nobil. Samuel *Camerarius* Principi Longavillano a Conſiliis, atque vltimis quartæ quadræ diebus vngues præ duritie vix reſccari, qui aliis diebus promptè forficibus cedant.

XXIX. Aeſtivo & hyemali tempore præſervatio non eſt inſtituenda; nam æſtate vires ſunt debiles attractæ à centro ad circumferentiam calore nativo ab externo: hyeme canales præ frigore ſunt adſtricti & concreti humores: Hinc Avic. 4. 1. In tempore ſupra modum calido aut frigido purgationem non admittit, nam cap. 5. l. c. Quando canis major exoritur, & cum nives in montibus conſident, non eſt purgationibus vtendum: Nam ſub cane & ante canē difficiles eſſe medicationes vult Hipp. ſect. 4. aph. 5. Verum non ſolum Canis, ſed & Lyræ. Arcturi. Hyadū & Plejadum ortus & occaſus Medicus conſideret, Solſtitia, Æquinoctia, Planetarum coitus, motus Lunæ, eclipſes & malos Planetarum aſpectus ſtudioſe obſervet, Non tamen ita ſuperſtitioſe vt nonnulli, qui Purgantia Luna ſigna zodiaci ruminantia ſubeunte propinare pro piaculo habent: Horum enim ſignorum partitio ſecundum humani corporis partes phantaſtica eſt, contra rationem & experientiam.

XXX. In Purgatione præſervationis gratia inſtituta, Lunæ decrementum eſt eligendum: Et licet in augmento Lunæ expeditior & facilior poſſit eſſe Purgatio, dum humores tunc fluxiles magis moventur ad vacuationem parati, tutior tamen non eſt: tū quod metus eſt ne humores commoti, aut præcipiti lapſu ruant in alvum, & ſuperveniat hypercatharſis, aut nimis ebullientes in aliquam confluant corporis partem: Tum quod creſcente Luna humorum motus ad circumferentiam corporis factus contrarius eſt illi qui à purgante excitatur: In decremento autē humores vergunt ad interiora & pharmaci motum ſequuntur: Nec obſtat Avic. 4. 1. c. 21. qui cucurbitulis non vtitur nec in principio, nec in fine menſis: nam ille plenilunium obſervat, & Cucurbitularum operatio à purgantis medicamenti actione plane eſt diverſa, dum illæ à centro ad circumferentiam, purgatio autem ab hac ad illud tendit.

XXXI. Notandum autē Lunæ quadratum ad Solem (modo non aliquis adſit Planeta maleficus) purgantia licet lenia fuerint, vehementius operari, ſine tamen diminutione virium: Id quod probe obſervādum in humoribus qui fixas egerunt radices, à purgantibus alias non facile exſtirpandas, etiam fortiſſimis: Idem in novi Lunio procedit.

XXXII. Ab omnibus contra medicamentis purgantibus eſt abſtinendum in Lunæ conjunctione, quadrato, aut ejus oppoſitione cum Iove, Marte aut Saturno: Cum enim in omni purgatione fermentatio quædam humorum præcedat, hanc Iupiter ob lenem ac tardam ejus operationem vel retardat, aut ad minimum etiam diminuit, In omnibus autē Mercurii violentis aſpectibus, quadrato ſcil. aut oppoſitioonibus, in Purgationibus inſtituendis fidendum nō eſt, quia facile inde ſymptomata concitantur capitis, vt vertigo, Epilepſia &c.

XXXIII. Si Luna fuerit in Trigono aut Sextili cū Venere, bonum erit humores ebullientes, ſcoriis ſulphureis tinctos ſubducere; Cum Sole frigidos & humidos, Et cum Iove, aduſtos & tartareos: Ratio eſt, quia Venus in ſua operatione frigida eſt & humida, inſervit dictis humoribus calidis ac ſiccis, medetur humoribus frigidis & humidis: Nec tamen hic Iupiter excludendos, calidus & humidus, imprimis in decremento Lunæ, ideoque & ipſe facit ad Tartareos humores excludendos.

XXXIV. Hæc omnia vigorem obtinent vbi præſervationis tantum gratia purgandum eſt, aſt vigente neceſſitate quovis tempore id agendum: Si enim morborum acutorum vigeat vehementia, aut adſit humorum turgentia, circa canem orta, quæ abſque ſang. miſſione aut purgatione curari nequit, certe non intermittenda: Non enim dixit Hipp. ſimpliciter non eſſe purgandum, ſed tantum Purgationem eſſe difficilem. *Frid. Hofmannus in m. l. 1. c. 7.*

XXXV. Dubitatur quoque an Purgandum potius ſit Lunā creſcente an decreſcente? Dic ſecurius eſſe Lunā decreſcente hoc opus moliri: Quia etſi creſcente ipſa humores fluxiles ſint, tamen motus hic ad cutem factus, contrarius eſt illi qui à medicamēto excitatur: Sed in decremento humores vergunt ad interna & pharmaci motum ſequuntur: Deinde quamvis in Plenilunio expeditior poſſit eſſe purgatio, tutior tamen non eſt: Metus enim eſt ne humores commoti, aut præcipiti lapſu ruant in alvum, & ſuperveniat hypercatharſis: aut nimis ebullientes in aliquam confluant corporis partem. *Zacutus.*

XXXVI. Quantitas medicamenti comprobanda experimento eſt, Varia enim eſt corporum proprietas & conditio: Interrogare ideo oportet num aliquando laborans medicamentum ſumpſerit, & an obedierit ſatis & pro votis, an obſtiterit purgationi alvus: Quod ſi nimis ad ventris ſolutionem facilem cognoveris eſſe, mollioribus agendum eſt medicamentes, aut in minori copia: Si verò nihil excrevisse, aut perquam parum, fortioribus, menſa medicamēti quantitate in ordine ad corpus temperatum: deinde quo præſens homo fuerit facilior aut difficilior ad ventris ſolutionem, ita medicamentum tenetur eſſe forte aut debile: At ſi nunquam purgatus fuerit homo, perdiſcere oportet quantum alvum habeat ſiccam aut humidam, vt inde ſumpta indicatione doſis medicamenti certius metiamur. *Mercatus Praſid. l. 1. c. 6.* Notandum quid ferat peculiaris cujuſq; natura: nam non omnes eadem vi remedium ferit, quædam enim corpora præpotentium quoque medicaminum potētiam contemnunt: alia quævis percipiunt: propterea ſemper à mollioribus auſpicanda curatio, quò & aſſueſcat remediis natura, & laborantis ſenſus exploretur. *Heurnius meth. l. 2. ad cap.* Si quis nunquam pharmacum purgans bibit, vt noſcas facilis an difficilis ſit ſolutionis, inquirendum an ab ingeſtis per ſanitatem alvus ſurſum vel deorſum commoveatur, & An ad repletionem aliquam profluvium alvi illi ſucceſſerit; Horum notitia neceſſaria eſt, Turpis enim calamitas, ait Hippocr. purgante dato hominem interire: Et medicamentorum exhibitio prima in tua poteſtate ſita, cætera fortunæ arbitrij ſunt. *Galen. l. de v. ſ. ad Eraſiſtr.* Si medicus ægroti naturam non novit, an nempe vel facile vel difficulter purgationi obediat, jubet *Spigelius* conſiderari ægri pedes, & ex longitudine eorum ad purgandum facilitatem: ex parvitate difficultatem colligere: quod quidem aliquid eſt; cum ſint imbecilliores: non vero hic tota veritas conſiſtit. Suadent alii conſiderare ægri halitum, quod ſi tenellus eſt & delicatus (niſi æger ſit melancholicus) facilem permittit purgationem: Optimum eſt interrogare ægrum, num in dies ſemel vel bis alvum deponat. ſi hoc affirmaverit, facilè alvus movebitur: Sin negaverit, difficulter. *Walæus meth. m. p. 47.*

XXXVII. Mirantur plurimi quod triduanas omnibus, vel quartiduanas præſcribam purgationes, cum diariâ hactenus pleriq; contenti fuerint: Dico tres vel quatuor lenes purgationes vni validæ præferendas: nam primo die purgabunt primam regionē, h. e.

ventri-

ventriculum & inteſtina: ſecundo hepar deplebunt, ipſiuſq; obſtructionē & infarctum expedient: Tertio, venas, quæ revera ſunt ſtabulum colluviei, morbos mortemque accerſentis, emundabunt; Hæc medendi ratio, viribus illæſis, imo lenta depletione roboratis, inveterata & callum ducentia vitia ſenſim demolitur; quæ vehementiora pharmaca ſumma vi, ſummaque perturbatione non excutiunt, & quæ antiqui vt immedicabilia reliquerunt. *H. ab Heer Spadacr. cap.* 10.

XXXVIII. A pharmacis non omnino levibus, quū expurgatio non procedit, meritò timetur ne commota excrementa, nec vacuata in partem aliquā nobilem ferantur, vbi deteriorem aliquam paſſionem faciant. *Valleſius l.5. Epidem.* Conſideratione dignū eſt, an fieri potuiſſet vt adoleſcens ex Euboeâ veniēs, qui (cum videretur purgatione per ſuperna indigere, bibit debilem radicem deorſum purgantem & 4. poſt purgationem die mortuus eſt, cum nihil purgatus fuiſſet) a potione debili enectus eſt, vehementiorem ſumens liberaretur: fortè enim ſi commota excrementa fuiſſent etiam vacuata, evaſiſſet: neque à pharmaci vehementia adeo periclitatus eſſet, quam ab agitatis retentiſque excrementis, vna cum ipſis pharmaco non exeunte. *Idem ibidem. pag.* 504. Purgantia minori doſi exhibita plus nocent quam proſunt, nihilque aliud agunt quam quod humores attenuent: qui attenuati, cum ob defectum juſtæ pharmaci *doſeos* excludi non poſſunt, per totu corpus ruunt, illudq; conturbant. *Walæus m.m. p.*34.

XXXIX. Errant quam maximè qui curationes ſemper inchoant à purgatione: Expurgatoribus illis nihil aliud in mentem ſubit quam vitiosa corpore pellere, quaſi manu ageretur, neque quippiam obſtare; non contenti ſunt illa minorativa, nunquam dimittendâ, expurgatione, quam in ipſo limine curationis perperam moliuntur, omni morbi tempore: quin & ſingulis diebus purganti medicamento abuterentur, ſi vellet æger pati ſingulis diebus, nulla concoctionis neq; alterius præparationis ratione habita: Nimirum hi omnia quę de concoctione philoſophati ſunt veteres cenſent meras nugas: Tantum ſpectant quæ ventre exeunt, eaq; quo ſunt deteriora, eo melius actum cum ægro putant, cum interim plurimorum corpora colliquent: Hi ſanè ferendi non ſunt. *Valleſius meth. m. l.*4. *c.*2.

XL. Eorum qui a pharmaco non purgantur, quidam non læduntur multum: quibus ſcil. nihil aliud actum eſt quam quod pharmacum, aut multum cōfectum cum alimentis eſt diſtributum & in nutrimentum ceſſit: aut non ſatis ad actum deductum deorſum exiit: Quidam læduntur valde, vt quibus excrementa ad partem aliquam interius affectam attracta ſunt, aut toto corpore commota, conturbataque. *Valleſius 5. Epid. p.* 502. Qui morbis quarundam partium ex materia vitioſa pendentibus laborant, juvantur pharmacis tunc maximè cum cacochymia totius corporis fovet affectiones quæ ſunt in parte: Cum vero jam ſucci in parte firmati ſunt, & reliquū corpus purum, particularibus auxiliis, & bono victu, & temporis beneficio fidendum potius eſt: corpora enim talium, vt pote ſana, male ferunt purgationes, quod impactum in parte eſt non cedit: quo fit vt multi horum lædantur pharmacis, quod facultas debilitetur & morbus non remittat. *Idem ib. p.*519.

XLI. Symmachi filius qui a bile ſurſ... abatur noctu quum dormiebat, & febris ipſum tenebat, Pharmacū autem hauſtum non continuit, neque purgatus eſt diebus ſex, neq; antequam moreretur. *Hipp. Epid.* Hic mihi videtur ob nimiam bilis redundantiam, & in ſuperiora lationem, purgari non potuiſſe, & hanc ipſam fuiſſe mortis cauſam, quod ſcilic. caput & cor bilis affatim occupaverit & locus remedio non fuerit: Sed qui fieri poſſit vt redundantia expurgationē impediat, nimias enim evacuationes videtur nata facere? Certe prohibens pharmacum retineri, cum hic igitur multitudine bilis dormiens ſuffocaretur (quod multam in caput ferri indicabat, & in ſupernis partibus, quæ circa thoracem caputque ſunt redundare) & pharmacum hauſtum non retinuerit, ac ne purgatus quidem ſit, conſonum eſt putare bilis redundantiam in ſuperna ventriculi parte, quæ ſupra ſeptum eſt, medicamentum retineri prohibuiſſe: ſublata vero retentione & tractione, expurgationem ſublatam eſſe: Quid ergo hoc caſu agendum fuerit Medico? Non certè fidendum vni forti pharmaco, ſed paulatim vacuandum, crebro repetita vomitione. *Valleſius comm. in c.l. p.*505.

XLII. Scio præſente morbo ſæpius Hippocr. humores purgare cōſueviſſe per regionem a loco affecto remotiſſimam: Sic lib.2. de morb. in morbo Siccatorio vocato, affectionis Hypochondriacæ ſpecie, evacuationem primo deorſum inchoat, inde verò ſurſum per vomitum eam perficit; cujus oppoſitum obſervaſſe in capitis affectibus conſtat. Nam primò vomitum facit, inde vero deorſum purgat, cujus diverſitatis ratio ex eo pendet, Quia evacuatio ab ea parte incipienda eſt quæ parti affectæ proximior eſt, ita vt morbis partes infra ſeptum tranſverſum infeſtantibus ab inferna purgatione inchoandum ſit; A vomitu verò ſi partes ſuperiores morbus obſideat: Id vero intelligendum eſt cum morbus vtraque vacuatione opus habet: Quæ curandi ratio ſicuti Hipp. eſt legitima, ita etiam rationabilis cenſenda eſt: Primum enim partes morbo proximiores evacuare oportet, tum quia, vt ſentit Celſus, lib.2. c.9. materia quæ in partibus ſedi affectæ proximioribus viget, maligníor eſt quam quæ in reliquo corpore abundat, vnde ſtatim per viam proximiorem educenda eſt, vt promptius evacuetur, & ne longo itinere educta totum corpus coinquinetur (hac enim ratione, præſertim quando vnica purgatio ſufficit, per proximiorem regionem faciendam nos docuit vbique Hippocr. præſertim verò eo aphor. *Dolores ſupra ſeptum tranſverſum qui purgatione egent, per ſuperiora purgari oportere ſignificat, quæ vero infra, deorſum*) Tum etiam ne contrarium operantea, materia a loco affecto remota, à medicamento agitata, ad partem laborantem attrahatur, indeq; morbus adeo increſcat, vt vel ægrum e medio tollat, vel in poſterum remediis non cedat: Hæc notare volui, quod totum oppoſitum obſervari videam à communiter practicantibus, Galeni præcepto inſiſtentibus, qui exiſtimavit revulſionem, quæ fit à remotiſſimis partibus, primo loco faciendam eſſe, inde derivationem à proximiori, & deniq; ad ipſiuſmet partis evacuationem deveniendum eſſe: Quod quidem præceptū quando in evacuatione quæ fit per ſ.m. Gal. concedatur, non inde ſequetur etiam in Purgatione obſervandum eſſe, ſi non alia ratione, ſaltem ob agitationem quam pharmacum in humoribus inducit, quam v.ſ. efficere non eſt apta: *Martianus comm. V.*248. *ſect.3. l.2. de morbis.*

XLIII. Hippocr. 1. aph. 22. cruda nec Purgari nec moveri debere ait: Per *Movere* quamlibet motionē nō comprehendit, cum eteretor enim ſtante humorum cruditate nec vena m ſecari, nec clyſterem injici poſſe, quod illius doctrinæ repugnat: Igitur, eam commotionem ſignificare voluit quæ a purganti medicamentorum facultate in humores inducitur, dum

placidè è corpore educuntur: quaſi propter ſubductionis levitatem talis evacuatio purgationis nomē non mereatur: Nec novum eſt hoc verbum *movere* reſtringi ad ſolam purgationem: eo enim ſignificato vſus Ariſtoteles 3. Politic. cap. 2. In Ægypto, *inquit*, poſt tertium diē movere licet Medicis, quod ſi prius, periculo id agunt ſuo: Et ſuaſiſſe hoc verbo potius vſus eſt quam alio, eo quod iis mos fuerit circa initia leviter purgare, quod noſtris temporibus receptū eſt: vnde Medici recentiores medicamenta hujuſmodi leves Purgationes efficientia, à fortioribus diſtinguentes, modò Lenientia, modò Minorantia dixerunt: Hipp. verò hæc eadem aliquando levia pharmaca, modo ſubducentia, modo humores laxantia nominavit, vt ex ipſius libris praxeos licet colligere: quos ſi perlegiſſent recentiores plerique, talia medicamenta illi ignota eſſe non jactaſſent, quo prætextu totam purgationis doctrinam pervertentes, rem eo deduxerunt vt circa purgationis materiam nullum præceptum nullaque diſtinctio obſervetur: Nā omnibus indiſtinctè ſuum minorativum ſtatim exhibent, eos reprehendentes qui convenienti diſtinctione ab his aliquando abſtinent. Cum igitur determinaverit Hippocr. Concocta & pharmaco fortiori & leviori purganda eſſe, ſubjungit; *non cruda*, Quod quia non magis ad verbum purgare quam ad movere refertur, indicat nobis cruditate vigente humores nec forti nec levi medicamento purgandos eſſe: Quod præceptum apertius confirmatur per ſententiam 4. Acut. vbi poſtquam determinavit eos non eſſe purgandos quibus in febribus vrinæ à principio ſunt tenues, rationem ſtatim ſubnectit, Si quid enim, *inquit*, circa ventrem commoveris, vrina non concoquitur, & morbus abſque criſi in longum tempus protrahitur: Niſi enim purgationem levioribus medicamentis factam hoc præcepto includere voluiſſet, dixiſſet potius; *Si enim* fortiter humores in corpore commoveris, &c. non *Si quid circa ventrem commoveris*, Quibus vniverſaliter omnem, quamvis leviſſimam commotionem, etiam circa ventriculum ſolum, comprehendit, ſubterfugiumque intercludit iis qui aſſerunt præcepta Hipp. circa purgationem non comprehendere eas evacuationes quæ levioribus medicamentis fiunt, quorum vires vltra primas regiones (vt ipſi ajunt) non tranſcendunt. *Pr. Martianus comm. in dictum aphor.*

XLIV. Humor ſalſus ſtatim eſt purgandus, ex *Galeno l. de Conſt. Art.* nec enim poteſt concoqui, nam coctio ſupponit cruditatem concoquendam, humor autem ſalſus coctus eſt, imo aduſtus, hinc ſtatim purgandi qui ſalſa diſtillatione laborant. *Epiph. Ferdinandus.*

XLV. Acrium humorum mediocris potius quam minuta debet eſſe purgatio, nam ex paulatinis acriū humorum excretionibus Dyſenterias ſæpe fieri contingit. *Mercurius de Indic. Medicn.*

XLVI. Adnotatione dignum eſt corporis gravitatem, ſive cum febre ſive abſque febre, indicare purgationem, quippe quæ bilis copiam atteſtatur, quæ in venas & articulos incubuerit & firmata fuerit, vt ait Hipp. lib. de affect. In carentibus tamen febre vris amaritudinem adjunctam deſiderat, vt quæ aliam cauſam alioqui habere poſſit: Hoc tamen mirum videbitur vulgaribus Medicis, qui vbi gravitatis ſenſum in febribus agnoſcunt, ſtatim ad venæ ſectionem deveniunt, exiſtimantes hoc eſſe ſignum certiſſimum plenitudinis, a Gal. edocti lib. de plenit. c. 2. Sed falluntur vtiq; vt Hipp. authoritate conſtat, & in dies confirmat experientia, & aperte cognovimus in febribus anno 1642. vagantibus, quorum præcipuum ſymptoma fuit totius gravitas, & potiſſimum ab initio: In iis verò bilis adeo dominabatur, vt non modo excreta omnia biliosa apparerent, vomitione, dejectiones & vrinæ, ſed & cætera omnia ſymptomata, vigiliæ, capitis dolores, deliria, oris amaritudo, imo & exanthemata, pleraque colore ſubflavo: vnde earum principale remedium cenſuimus a principio purgationem, venæ ſectione dimiſſâ. *P. Martianus comm. in v. 142 loc. cit.*

XLVII. Purgantia in iis morbis, in quibus natura judicare non ſolet, vti ſunt diuturnæ quędam febres, inflammationes quædam internę, lues venerea, morbus comitialis, vertigo abſque ſimiles, dari tutò poſſunt in augmento & ſtatu: Ideo non adhæreo illorū opinioni qui contendunt nunquam purgandum niſi in fine ſtatus & declinationis initio: Nam Galen. 1. ad Glauc. c. de Quartana, *Et ſi coctionis notæ apparuerint, tunc purgare oportet iis quæ humores atros exinaniendi vim habent, non ſemel tantum ſed & ſæpius, ſi fuerit neceſſarium.* lib. 13. meth. c. 15. agens de jecoris inflammat. *Procedente autem tempore, vbi phlegmonem concoquitur, etiam valentioribus vrinam moventibus in cibis vti licet; Sicut etiam per ventrem vacuare ſi jecinoris cavum afficitur &c. magiſq; in remiſſionibus, ac vndecius quam antea.* Avicenna in curatione Epilepſiæ hieram Hermetis quotidie bis exhibendā pręcipit: Dioſcor. annotegro bryoniæ radicis ℥j. comitialibus, vertiginoſis & attonitis potandā ſuadet; Poſtremo clariſſimi Medici in ſanatione luis Venereæ, ſi quando ſudores ex ligni Gajaci decocto provocari non poſſint, miſcent purgantia quotidie, vel alternis diebus magno ſucceſſu. *Ior. Augenius Epiſt. & Conſ. pag. 381.*

XLVIII. Iuvenis ſanguineus poſt venam ſectam & præparantes potiones, leve pharmacum ex rhabarbari diluto & diaphœnico cū ſyrupo fumariæ majoris, & de Sennâ paratū diluculo aſſumpſit: poſt duas horas immani ventris dolore oppreſſus eſt, qui bis excreto per alvū humore eſt lenitus: poſt vnā horam quinquies depoſuit copiosè, ſed ita ardore interno conflagrans vt viſcera ſibi exuri putaret: acceſſit deinde febris ardentiſſima, ſitis inexhauſta, dolor ilium ſæviſſimus, & ita truculentus vt reſpirationē & vocē interciperet; vocantur Medici, dolenti parti anodyna applicant, clyſteres lenientes imperant, cucurbitulas & alias diverſiones cruribus adhibent, omnia fruſtra, nam dolor intenſius ſævius vrgebat: Accedo ipſe, ſanguinē emittendum impero, nam vires vtcunque conſtabant: Reclamant omnes, Nam duo motus contrarii eodē die non ſunt celebrandi: Sed cū dolor immanis invaleſceret, coacta neceſſitate, me jubēte ſanguis extrahitur: hoc emiſſo dolor eſt mitigatus & febris eſt remiſſa: Audi Paulum l. 7. c. 6. *Si quocunque medicamēto ad alvum emolliendā aſſumpto quis non purgetur neq; vacuetur, nullo accedente periculo, nihil moliendū eſt: At ſi magnitudo morbi vrgent, aut æger vellicetur, diſtendatur & lancinatione expertus fuerit, clyſter ſtatim nec eſſuria injicitur: Sanè ſi quidem venter reſpondeat, corpore roſionē & velutí everſionem ſuſtinente, levare liberaliter inungendo oportet: vbi repletū eſt gravaturque, ſanguinis miſſio conducit, præſertim vbi multi compos ſanguinis homo fuerit, Oculos rubros habent & emiſſitios, non ex natura ſed ex medicamenti potione acquiſitos.* Firmat Avicenna 4. 1. c. 8. *Quod ſi Enema non juverit & mala ſuper venerint accidentia, extenſiones corporis, & oculi exierint extra, & fuerit motus ad ſuperiora, neceſſaria eſt minutio.* Z. Lut. Prax. Adm. l. 3. Obſ. 58.

XLIX. Circa rationē hoc apud pleroſque Medicos vſitatum eſt, in quibulvis ex flatu concitatis affectibus, purgantia indiſtinctè adhibere, vt paſſim cōſpicitur in melancholiâ hypochondriacâ, & in his qui

bra-

graves patiuntur capitis aut ventriculi ex flatu dolores, aut nauſeas & ſubverſiones & alia talia ſymptomata, In quibus, vt citra noxam purgare liceat, diſtinguere oportet an dolor, aut ſymptoma quodvis oriatur ex flatu, quem potius generet imbecilla facultas, mediocri adhuc exiſtenti in quantitate & ſubſtantia materia, quàm, licet mediocris exiſtat naturæ, nequit ipſa vndiq; conficere, ac flatus ab ea elatos diſcutere, quod potius ob ſui impotentiam fit, quam materiæ vitium: Quo quidem tempore erroneum maximè eſt purgantibus vti, & vetitum ab *Hipp. 4. ac. t. 115.* Nam ijſdem labaſcit vlterius ac diſſipatur facultas naturalis, quę deinceps præ impotentia ex quavis materia plures generat flatus, vt paſſim cernitur in hypochondriaca affectione, vbi neceſſum eſt facultates eſſe imbecillas, & humores levibus medicamentis inobedientes, ac vehementioribus quidem effrænes & maligniores fieri: Quo fit vt hujuſmodi laborantes ab his graviùs ſe habeant, tum quia hæc medicamenta, neque flatus purgant, neque morbum auferunt: tum verò quia virtutem proſternunt & aptiorem ad flatus gignendos efficiunt: verùm ſi flatus oriantur potiùs materiæ craſſioris vitio quam facultatis jactura, conſultiſſimum arbitror vti purgantibus: Quare ſi in ventriculo, aut alia parte, præ imbecillitate flatus generantur, tutius exiſtimo vti roborantibus & diſcutientibus quam expurgantibus. *Mercatus de Ind. med. l. 1. c. 6.*

L. Quorundam ingenioſa ſedulitas Narcoticorum cum Catharticis connubium excogitavit: nam licet in confeſſo ſit apud omnes, ex *Galeni* ſententia, ſomnum omnes evacuationes, præter eam quæ eſt ſudorum & ſeminis ſiſtere: & Narcotica purgantium operationem ſufflaminare, eoque eſſe hypercatharſeos remedium præſentaneum, vſu tamen compertum eſt poſt mitem ſomnum, à Narcoticis inductum, collecto per id tempus calore innato, humorum excluſionem, vi cathartici, narcotico combinati, ſubſequi feliciſſimam. *Alex. Deodati Valetudin. pag. 17.* In dolore ventriculi vehementi purgantia Narcoticis miſcet *Eludeus* apud *Foreſtum*, quo ſimul & dolor ſedetur & materia peccans educatur, ℞. *Diaphœnic* ℥ß. *Philon. Rom.* ℈ij. *cum aq. vel decocto chamom. f. potio.* In Colico item dolore *Riverius Prax. l. 10. c. 10.* hoc præſcribit, ℞. *aloës opt.* ℥ʲ. *laudan. opiat. gr. iv. diagrid. gr. vj. miſce f. pil. vj.* dentur hora commoda: dolorem poſt horam ſedant, & poſt humores vacuant. *Hipp. l. de int. aff.* proponit purgationem ex peplio & meconio.

LI. Diæta Sudorifico cathartica, eſt decoctum ſudores movens & per alvum ſimul evacuans: Medicorum recentium inventum eſt, & ante paucos annos vix vſitatum, neque tamen ſine ſpe fructus vberrimi excogitatum: cum hujus ope humorum partibus tenuioribus reſolutis per ſudores, reliquæ craſſiores, quæ alias ſolent pertinaciter reſtagnare in alvo & alijs partibus, hac ratione ſimul vtiliter eradicantur: Neque eſt quod diverſos & contrarios motus occlament, calor enim nativus, inſtrumentum facultatis excretricis, vnà cum facultate expultrice indifferenter ſe habet ad omnem motum ſitumve, & quâ datâ portâ vellicante, vel trahente medicamento, ad rei morbificæ expulſionem inſurgit, experientiâ confirmante. *P. Morellus meth. praſcr. form. rem. ſect. 1. c. 13.* Approbantium elenchum vide apud *Velſchium in Sylloge Obſ. 84.*

LII. Nonnulli negant Lenientia cum Purgantibus debere commiſceri, v. g. caſſiam cum agarico, Quia toto genere impotentiora ſint Lenientia Expurgantibus & tardioris actionis; proinde Lenientia quidam offerunt ſola: deinde purgantia ſeorſim, interpoſito ſcilicet intervallo quo ſibi videntur poſſe actionem in idem tempus deducere: At falluntur hi: Nam quę Lenientia tantum ſunt, cum non expurgēt, ſed lubrico & lenitate ſuccos deducant, non habent proprium operationis tempus: ſed ſi quid aliud eſt quod ventrem citò ad excretionem excitet, citò prætereunt emollientia: ſin minùs, tardiùs: proinde cum medicamentis purgantibus permiſta, pro virtute ipſorum citiùs aut tardiùs dejicientur, præibuntque emollientia vias, atq; ſuo lubrico leniet deducentia quæ expurgantia traxerint, quod vnum bonū ex horum permiſtione expectabatur. *Valleſius cont. l. 9. c. 4.*

LIII. Impeditur purgatio, vel quod medicamentum ratione ſoliditatis non eliquatur: vel quod calor nativus, ventriculi imprimis, adeo eſt debilis vt in illud nihil agat: vel ob eandem debilitatem expultrix ad humores movendos ſat fortis non eſt: Hinc colligitur ratio cur electivè purgantia, fortia, magna doſi exhibita, aliquando minùs purgent quam debilia, Quo enim medicamentum fortiùs eſt, eo fortiorem requirit calorem nativum à quo in actum deducatur: Alia ſubeſt ratio, quare multa purgantia & magna doſi exhibita minus aliquando quam pauca operentur; quia nempe obruuntur multitudine corrigentium & alterantium commixtorū: Nam quodlibet menſtruum extractioni deſtinatum, quantùm poteſt extrahit; & ita debet eſſe proportionatum & ſpecificum reſpectu materiæ extrahendæ: Jam, etiamſi v. g. integra vncia fol. ſennæ infuſa eſt, & ſi addideris multa corrigentia & alterantia, minorem habebis effectum quam ſi ℥ij. ſolum in vino infuſas hauſeris: atque hoc de infuſionibus & extractis intellige: Nihil enim vltra terminum ſuæ activitatis agit. *Hoëferus Herc. Med. l. 8. c. 2.*

LIV. Nuperus modus à recentioribus inventus purgantia per venas majores injiciendi, & circulationis beneficio cordi & toti corpori communicandi: Experimentum & adminiſtrandi modum *P. I. Sachs* in Oceano Microcoſmico dedit: Per fiſtulam ex oſſibus alaudarum factam, veſicæ bovinæ adaptatam, ex vna parte: Ex altera venæ medianæ, vel pedis extantiori inſertam, infunditur liquor purgans, veſicam comprimendo: Injecto liquore foramen clauditur: Sic ille cordi communicatur & purgatio brevi ſequitur.

LV. *Bertrandus Rozius apud Saler. c. 129.* cum ſemine vim & virtutem pharmaci transfudit in vxorem: Idem recordor Nob. cuidam *Aurelia* in Gallia contigiſſe: qui ſcorto poſt horam juſculum ferenti inter meretricios amplexus per coitum aſſumpto pharmaci efficaciam inſinuavit, vt ἄνω ϗ κάτω vehementer decies purgaretur. *I. Daniel Horſtius Obſ. Anatom. x.*

LVI. *Hipp. 7. Epid. ſ. 1.* Dyſentericum purgaturus lactis aſinini cotylas Atticas novem præbuit, non vna vice ſed pluribus, ita vt ſpatio duorum dierum totam quantitatem potaverit: Quod quidem factum, tum quia cum æger debilis eſſet, tantam copiam ſimul ferre non potuiſſet, exiguaque nihil ei conferre poterat: tum etiam quia hoc modo ſumptū facilius & melius purgat: Simili experimento ſcio Empiricum Purgantes potiones dare conſuevisse in ijs in quibus viſcerum obſtructiones febres producunt, & potiſſimum vbi vires eſſent debiles: Potionem enim conficiebat ex convenienti doſi diacatholiconis & ſyrup. roſat. ſol. & alijs hujus naturæ ad menſuram paulò majorem quàm ſit communis potio, qua nos vtimur, eamque exhibebat cochlea-

ri, inchoando ab aurora vſque ad meridiem, diſpartiis vicibus; purgatioque ſequebatur facilis, copioſa & abſque vlla moleſtia. *P. Martianus comm. in v. 72. loc. cit.*

De Purgatione per lac aſininum vide *Titul. de Lacte. lib. xi.*

De Purgatione infantium exhibito nutrici purgante, vide *lib. x.*

LVII. Purgationes vt interdum neceſſariæ ſunt, ſic vbi frequentes ſunt periculum afferunt, Aſſueſcit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cum omnibus morbis obnoxia maximè ſit infirmitas. *Celſus lib. 1. cap. 3.* Præter hæc quæ ſcribit *Celſus*, Purgantia humidum corpori detrahunt, quare corpus extenuatur, & ſenium acceleratur, & venter etiam ob ſiccitatem ſiſtitur: Quare *Galen. 3. aphor. 15. Si veritus quiſpiam ne multa in corpore excrementa cumulentur, purgationem bis, aut certè ſemel in menſe adhibeat, is præterquam quod corpus in malam conſuetudinem adducet, etiam ipſum labefactabit*, & *Avicen. l. 1. f. 3. doct. 2. c. 1. Medicina purgat & inveterat:* Quod potiſſimum verum eſt de medicamentis validioribus quibus ea ætate vtebantur, & noſtra ætate plerique vſurpant, dum antimonium &c. accipiunt: Neque valet quod dicunt eorum aliqui accipere ſe paucula tantum grana, Quia cum medicamentum neceſſe ſit tale eſſe vt ſuperet calorem intimum, non ſuperetur à calore, alioqui nihil purgaret; actioque fiat merito contrarietatis, ex *Ariſt.* neceſſe quoque eſt inferre maximam eſſe inter hujuſmodi medicamenta & naturam contrarietatem: & quò pauciora grana id faciunt, eò magis adverſati: & ob id quò frequentior vſus eſt, eo magis naturam lędi. *Rubeus com. in l. c.* Nihil novi magis periculoſum in morbis omnibus chronicis, & melancholicis præſertim, quàm iteratis ſolutivis corpus expurgare; nam deſtruunt virtutum mineras: & licet primâ facie prius videantur prodeſſe, (nam fortaſſis ægri ab excrementis deonerati, hilariter vivunt) tamen temporis tractu res eſt in contrarium, nam magis ac magis corpora exſiccant, excaleſaciunt, torrent humores. *Ep. Ferdinandus hiſt. 36.* A purgantium vſu, etſi corpus ſit impurum, interdum abſtinendum: corpora enim quædam, etſi ad integrum menſem purgarentur, nunquam pura fiunt: Nonnunquam natura etiam impuro ſanguine ſuſtentatur, quod in cachecticis & phthiſicis vſu venit, quorum aliquando vita ad multos annos abſque purgantibus prorogatur. *Crato apud Scholtzium Epiſt. 13.*

LVIII. Ante purgationem, ſi morbus inducias & moram concedit, præparandus eſt humor & viæ aperiendæ: Sic accidit in febribus ardentibus, vti etiam in morbis melancholicis, fæces alvinas in inteſtinis nonnunquam ita exſiccari, vt viam prorſus educendis humoribus intercludant: hanc obſtructionem niſi clyſtere tollas, vel addito laxativo corrigas, fruſtra eſt quod agis. Munire etiam interdum opus eſt inteſtina, non quod humorum acrimoniam corrodentem metuamus, raro enim hoc fit, ſed quia pharmaca quædam cauſtica ſua vi eorum tunicas lędere poſſunt; Vitriol. Mars & alia. *Walæus m. medendi pag. 40.* Pharmacum verendum in his quibus alvus ſua ſponte admodum ſicca eſt, periculum enim eſt ne humores medicamento moti in aliam partem præter inſtitutum irruant, teniente plurimum alvi ſiccitate. *Mercatus de Indic. Med. cap. de Purgat.*

LIX. Optimum eſt ea diei parte purgans exhibere, in qua medicamenti vis infringi non poteſt; id quod eſt cum vacuo ſumus ventriculo: Exceptis pilulis reſinoſis, quibuſdam medicamentis quæ facilè in ventriculo concreſcunt, & ideo liquido, ceu ſolutivo quodam, opus habent (exhibita ſciu aliquando puerperæ gran. 16. reſinæ ſcammonij, quæ tamen ob eandem cauſam alvum ne minimum quidem laxarunt) & medicamentis lenioribus, quæ aliquam commeſtionem poſtulant, vti ſunt manna, caſſia &c. *Walæus meth med. p. 38.*

LX. *Hipp. l. de Hum. v. 4.* inter impedimenta Purgationis *Viſcerum vacuitatem* recenſet, ob quam medicamentum, purgandi gratia datum, ad ſe trahunt, vnde purgatio non procedit: Eadem ratione *lib. de Purg. v. 30.* Purgationem in febribus fortibus damnavit, quia carnes ipſorum, & ventres, quum caleant, medicamentum aſſumunt, & nihil depurgantur, quare quod ibi facit febrilis calor, hoc loco inanitioni tribuitur. Quibus inutilis diligentia quorundam Medicorum damnatur, qui veſperi inediam præſcribunt ijs qui mane medicamentum purgans ſumpturi ſunt: non animadvertentes contrarium ab *Hipp.* præcipi, qui corpora ad purgationem diſponi voluit plurimo cibo & potu: Ita enim humores à cibo & potu diffuſi, facilius cedunt medicamento; periculumq; evitatur ne viſcera inanita medicamentum ad ſe alliciant: Non nego tamen nimiam ſatietatem eſſe fugiendam, præſertim cum purgatio per inferiora facienda eſt, ne ventriculus repletus pharmacum difficilius ſuſtineat: Ait enim eodem *lib. Hippoc.* & inferiorum & ſuperiorum ventris partium repletionem prohibere purgationem: at quamvis ſatietas nimia purgationem prohibeat, longè tamen magis Inanitio. *Martianus comm. in l. c.*

LXII. Non tantum ante purgationem (quod videtur præcepiſſe *Hippoc. aph. 9. l. 2.* Corpora ſi quis purgare voluerit, fluida facere oportet, Cum autem pluribus modis corpus fluidum fieri poſſit, hic per clyſteres prævios non eſt aſpernandus) verum etiam poſt eam, ad reliquias humorum detergendas, quæ inteſtinis interdum adhærent, non inutile fuerit Clyſterem levem & detergentem pariter injicere; vt pręſtántiſſimi Medici ſuadent, Nam injectus clyſter inteſtina abluit, & relictam à medicamento vehementiori noxam adimit, præſertim ſi ejus generis fuerit quod Scammonium recipit; id enim inteſtinis acri ſua facultate noxam inferre ſolet, Et de omnibus alijs gravioribus eadem eſt ratio. *Primiroſius Error. Popul. l. 4. c. 20.*

LXII. *a.* Laudavi medicamenta Purgantia paulo poſt aſſumpta Alimenta ſubinde vſurpata, ſed quantitate minore, & ad paucas alvi dejectiones movendas; Non item eadem majore quantitate exhibenda, & ad copioſas dejectiones brevi expellendas: tunc enim vacuo ventriculo illa vellem in vſum revocari: Diſtinguendum proinde inter tum Purgantia, (tum ſudorifera,) minore quantitate vſurpata, quæque Alterantium vires explere poſſunt, quando nihil expellunt: atque eadem majori copia exhibita, quo brevi notabilem evacuationem abſolvant, Illa etenim nil impedit alimentis admiſceri, hæc non item. *Sylvius de le Boë Appendicis Tract. 4. §. 245.*

LXIII. Etſi, juxta *Æginetam l. 7. c. 6.* In omnibus efficacibus purgationibus medicamentum homini jejuno, & ei qui probe concoxit exhibere oportet: Notandum tamen in picrocholis, bilioſis naturis & ratis, quæ ob medicamenti acrimoniam, & humorum ad ventriculum confluxum in ſyncopeo aut cardialgiam labuntur, tutius eſſe ante ſump-

tum

tum phatmacum offerre alimentum; quod tamen in parva quantitate non multum faceſſat negotij facultati digeſtivæ, & os ventriculi maxime ſenſile roboret ac ſiſtat; vt brodium gallinæ, aut priſana cum ſucco granatorum: vel offerenda mica panis toſta vino irrorata, vt ſtatuit *Avic.4.1.6.1.§.1. G. Horſtius in Inſtitut.diſp.19.qu.8.*

LXIV. Quot pericula afferat Purgatio intempeſtiva oſtendit *Hippocrat. 4. acut. 44.* & *Galenus in comment.* Ego vidi ſæpe ex intempeſtiva purgatione, ante humoris coctionem, febres adauctas, ex ſimplicibus duplices, ex intermittentibus continuas, Quidam excarnis, gracilis, à ſyrupo alvum ſubducente, ad refrigerandum hepar, cum antea non febriret, in febrem incidit ardentem, quæ adeo in viſceta & ſolida graſſata eſt, vt in febrem colliquantem inciderit. *Zacutus Pr.adm.l.3. Obſ.70.* Quendam novi gracilem, qui ob prutitum moleſtum, ab humorum aduſtione excitatum, purgans ſumpſit, Eo irrito, ob defectum humorum, ſuratum & crurum dolorificæ convulſiones illi obortæ ſunt.

LXV. Si purganda Pituita craſſior, imprimis Colocynthis conducit, & ex ipſa parati Trochiſci alhandal, vt & Hermodact. ac Turbith gummoſum, addito Mercurio dulci: Nam, vt hoc notem, in Pituitoſis humoribus, & quidem *craſſa pituita*, conducunt omnia *Mercurialia*, non item in *bilioſis*, in quibus præferuntur merito *Antimonialia*, quæ tamen vbique commode vſurpari poſſunt. *Sylvius de le Boë Prax.lib.2.c.22.§.62.*

LXVI. Purgantium medicamentorum tempus ancipiti augurio & incerto captatur: Ignorat ſæpe Medicus naturæ motum & orgaſmum: vnde, quando ſua ſponte ad humorum noxiorum expulſionem accingitur, inſcio Medico ſi Purgans propinetur, etiam lenioris ordinis, in vitæ periculum præcipitatur æger: Decoctum foliorum ſennæ cum prunis, ſumpſit ad præſervationem ſolitam Matrona, vnde tantum ſucceſſit alvi profluvium vt in Dyſenteriam, tum populatem, degeneraverit, quæ triduò poſt eam jugulavit. Quanquam forte profluvium iſtud ſupervenisſet nullo ſumpto medicamento: poteſt tamen congeſta materia ad expulſionem concitari & cogi quum vel leviſſimum acceſſerit irritamentum. *T. Bartholinus cent.3.hiſt.93.*

LXVII. *Hipp.* purgationem prohibet ijs qui à doloribus valde moleſtantur, priuſquam dolor aut ſedetur, aut ſaltem remittatur: quia periculum eſt ne humores à pharmaco commoti, à doloris vehementia ad partem dolentem trahantur potiùs, quam à facultate medicamenti detrudantur ad alvum: Præceptum à pleriſque Medicorum in hominem perniciem neglectum, vbique tamen ab *Hippocr.* inviolabiter obſervatum, vt videre eſt *l. 1. de m. mul. ſ. 3. v. 148. l. 2. ſect. 3. v. 303. de int. aff. ſ.2. v. 29.* & pluribus alijs in locis: prius enim dolorem ſedat, inde verò purgationem facit. *Martianus comment.in v. 396.l.4.de vict.acut.*

LXVIII. Si gravidæ purgationem aliquam celerrimè purgantem præſcribat Medicus, naturæ vis abortum cauſabit; Purgant ignaviſſimè pilulæ: poſtea pulveres, tum electuaria; celerrimè omnium potiones: Date itaque decet mulierculis gravidis pilulas, aut pulveres leniores, non multo ante cibum. *Walæus m. m. p. 51.*

LXIX. Si quis melancholicum purgare vult, niſi admiſceat laxantia, finem ſuum non aſſequitur: Practicus quidam melancholico ter vel quater purgans exhibuit, nec tamen alvum vel minime movit; acceſſit vetula & ſuaſit vt folia ſennæ cum prunis decocta aſſumerentur. Qui pituitoſum vacuare cupit, pungentia addere neceſſum habebit: *Walæus m.m.p.50.* Nob. Matrona quinquagenaria, purgatione egens, a me conſilium petit; ſimul monet a validiſſimis catharticis ne vel minimum alvum moveri: fruſtra ſæpe tentatam purgationem ab alio Medico, qui, quæ jumento, vt aiebat, alvum ſollicitaſſent præſcripſerat; hirſuta erat, nigri capillitij, robuſta: Suaſi vt ante cœnam Electuar. Catholici, ℥j. cum ʒß. crem. Tartar. boli formâ ſumeret; ſub veſperam ſexies dejecit, nec in poſterum (pari ſemper eventu) alio vſa eſt cathartico.

LXX. Cum extra naturæ lineam & pituita & bilis abiere, nunquam valide bilis, neglecta pituita, elidi debet, nam ab ardore bilis tepeſcit pituita: Novimus quibus tota corporis oeconomia ad phlegma nutabat: à diuturno & multo vſu Rhabarbari & mannæ apoplexia objiſſe, nam ſeſe mutuò ſuccenturiant. Cuncta in magno mundo ſtricto gelu rigeſcerent, ni calore ignis foverentur; quod autem ignis in mundo, id in corpore Bilis. *Heurnius meth.l.2.c.25.*

LXXI. N. N. adventante vere corpus purgare volens, ſumpto medicamento furioſe purgante illico in pedem dextrum (ante debilem ex perpeſſo intenſo frigore) humorum facta eſt tranſlatio, qui malignitate & copia calorem partis debilem ſuffocando, repentinam gangrænam induxerunt. Hinc diſcas periculoſum eſſe corpora, humoribus impuris repleta, & vel a natura, ſeu ab ortu, vel accidente externo debilia facta, medicamentis aggredi agoniſticis. *Horſtius l.9.Obſ.25.* Presbyter quidam, licet ſanus, purgatione voluit vti, ſed ſtatim humores ejus adeo perturbati fuerunt, vt mors paucis ab illa diebus ſucceſſerit: Cum enim pravi humores abſunt, bonos perturbant hæc remedia. Vide *aph.262.* & *16.4. Borellus Obſ.45.cent.2.* Medicamenti expurgantis vſus, cum non eſt admodum tempeſtivus, habet periculum, inter cætera, inflammationis hypochondriorum, quod contigit *Lyciæ.* Quæ mortua eſt ex inflammatione lienis, & antequam inflammatio ea fieri inciperet, laborabat morbo fortè melancholico, aut abundabat excrementis, vt ſolent vtero gerentes: hanc verò, vt eventus declaravit, contigit tunc abundare malignis: Videbatur juvari purgatione, & vſa eſt elleboro, atque à priori quidem paſſione viſa ſanari poſtea in dictam inflammationem incidit: Non mirum, Nam medicamenti expurgantis vſus cum non eſt admodum tempeſtivus, qualis quidem in vtero gerente vix eſſe poteſt, habet periculum inter cætera inflammationis hypochondriorum: Nam quæcunque cauſa morbum aliquem, cum adeſt augere poteſt, eadem nondum præſentem nata eſt facere in corpore valde parato. *Valleſius Epid.l.2.ſect.2.*

LXXII. In componendis medicamentis videndum ex *Hipp.2.acut.t.11.* vt ſint purgantia ὁμοιότροπα, quæ æquali tempore, pari facultatum diſtinctiones patique vi ſuas exerceant facultates: vt non properet & antevertat vnum, & alterum cunctetur: ſic enim perturbationes & tumultus in ventre fiunt; humores excitabuntur & gravis ſymptomata gignent: Vt ſi dederis ad craſſos ſuccos ſennæ ſollicolos cum aniſo, & dauco, & ſi adjeceris expreſſioni ſyrupum ſolatum: hujuſmodi enim ſyrupus educit ſerum & craſſiorem materiam relinquit & contumaciorem reddit. *Heurnius comm.*

in t.11.l.2.vat. Veratrum & myrobalani ſe non compatiuntur, neque fit aliqua ſigillatio quæ neceſſaria eſt medicamentis purgantibus: præterea quæ inferunt corpori violentiam non debent diutius intra corpus retineri: Quare non ſunt miſcenda cum adſtringentibus, ſed potius cum alijs quæ violenter educunt foras. *Rondeletius meth. cur. l.1.c.41.* Vide *Valleſium contr, l.9.c.4.*

LXXIII. Ab Elleboro, aliiſque violentis purgantibus valde læditur ventriculus, præſertim ejus attractrix: Inde fit vt cum naturaliter trahere alimentum conveniebat, imbutus is mala qualitate medicamenti vitioſos humores, atque viribus medicamenti convenientes, ad ſeſe alliciat, & promptè his repleatur, quare niſi deinceps per intervalla rurſus expurgetur, multorum morborum hæc vitioſa ventriculi attractio cauſa eſt. *Crato apud Scholizium Conſ.3.*

LXXIV. *Walæus meth.med.p.* 40. in purgatione corpus moveri jubet: Omnis enim, *ait*, ſive quies, ſive ſomnus, etiam initio, purgationem impedit: Qui adeo fervidi ſunt, *addit*, vt ſtatim à ſumpto pharmaco vomere cogantur, illi poſt aſſumptionem ad dimidiam, vel integram horam decumbere poſſunt: Purgationem tamen in quibuſdam inhiberi ſcio ſi lectum deſerant, protinuſq; ejus effectum ſic intercipi; Culcitræ ſç.tepor ad phlegmatis fuſionem & colliquationem conducit, ejuſque, è corpore excluſionem.

LXXV. Non improbo qui purgatorias ſumpturi ſunt potiones, cum eas calefaciunt; ſic enim citius videntur ſuam operationem incipere & reduci ad actum: Sed tamen monendi ſunt non minùs commodè frigidas hauriri poſſe æſtivo tempore, in ſtomacho fervidiore: Plurima enim purgantia, quæ ſubeunt harum potionum compoſitionem, minus commode ferunt coctionem, & levi calore virtus earum exhalat, ſaltè ex parte retunditur: Sicut apparet in rhabarbaro, quod redditur ignavius ſi igni admoveatur; ſicuti docet ipſius extractum, quod primum fit infuſione, quæ tincturam vireſque elicit, poſtmodum lenta exſiccatione ad extracti conſiſtentiam reducitur: ſic aliquot drachmæ, quæ ad plurimas infuſiones ſatis ſunt, vix ad vnicam extracti dozin ſufficiunt, quia infuſionem exſiccando, virtus cathartica ſimul evaneſcit; Adde frigidam potionem & gratiorem eſſe & melius contineri à ventriculo. *Primiroſius de Vulg. Err.4.c.14.*

LXXVI. Frigidam aq. poſt ſumptum purgans ſtatim ſuperbibendam quorundam fuit ſententia: Idem in Septentrione introducere conatus eſt *Bourdelotius* Medicus Pariſienſis, quod exinde augeri promoverique medicamenti vim crederet, & impediri medicamentorum malignitatem: In ſententiam conſentire non potui, quod apud *Boreales* noſtros non ita ferveat ventriculus, vt ſumpto medicamento opus ſit refrigerio: Potius calidum potum ſuaderemus, quem ſolemus poſt horam vnam vel alteram exhibere, ſi ſegnior ſit medicinæ virtus: Alia faciendæ medicinæ ratio apud populos calidos ſiccoſq;, alia apud *Germanos, Suecos*, quorum calorem humor, præſertim ſcorbuticus, temperat: In calido igitur ſiccoq; ventriculo frigidæ potus forſan opportunus, vt diluatur medicamentum & fluxile reddatur: In his tamen ſatius eſſet medicamenta ipſa fluida propinare, quam dura: Eſt & alia cauſa cur medicamentis durioribus ſumptis potio debeat ſuperaddi: nempe vt vis eorum, per ſe vniverſalium, ad certam deſideratamque partem quaſi manu ducatur: Quo conſilio electivè purgantibus ſuperbibatur aqua hirundinum, ſi caput expurgandum, & ſic in cæteris, Quod Medicum magnæ experientiæ apud nos factitaſſe memini. *Bartholinus Cent.6.hiſt.45.* Vide *Primiroſium Error. Pop. l.4. c.15.*

LXXVII. Nihil peſtilentius aut calamitoſius quam abſoluto medicamenti penſo, genio indulgere: quia pepſis in vitio eſt & anadoſis, natura enim vim ſuſtinuit medicamenti vitioſi, vnde jam effœta eſt & ſegnis; quia etiam primo die ægri genium defraudaſti: Si itaque tunc cibum exhibueris, ſiſtetur alvus, ſequeturque vaſorum omnium confuſio; Et prima coctio mala non emendatur à ſecunda: A purgatione igitur minus dandum, dein plus, & id ſenſim. *I. Heurnius 2. de vict. acut.comm,13.3.*

LXXVIII. Qualiſcunque, à quocunque purgante medicamento nauſea excitetur, nucleum juglandis immediate poſt probe maſtica & extemplo evaneſcet. *Steeghius in Med. Pract.*

LXXIX. Antiquis vſitatum fuit prandium eo die prætermittere quo pharmacum aſſumebatur, aut clyſteri purgatorio corpus expurgabatur; quod ex plurimis *Hippocrat.* locis colligere eſt: Id quidem abſque ratione factum eſſe aſſerendum non eſt, ne ſçilicet ab aſſumpto alimento purgatio interrumperetur: nam ab aſſumpto alimento perfecta purgatio interrumpitur, quæ per ſubſequentem inediam perficitur: quamvis enim pharmacum à toto corpore humores educat, venter inferior tamen præ cæteris partibus magis evacuatur, etiamſi progreſſu temporis totum corpus æqualiter inanitum reddatur: Quare ſi à purgatione ſtatim cibus ingeratur, priuſquam inanitus venter trahat à corpore, exacta evacuatio prohibetur, in qua purgationis perfectio conſiſtit: vnde noſtri in hoc delinquunt, quia prandium in die purgationis exhibent; vt mirum non ſit ſi perfecta purgatio admodum raro ſequatur, etiamſi communiter repetatur medicamentum, non ſemel, ſed ſæpius, imò quamplures poſt purgationem gravius habent, quia cibus ventriculo adhuc languente & imbuto pharmaco, ingeſtus non concoquitur, ſed cruditatem parit, à qua ventriculus mane ſequenti redditur gravior: Quæ incommoda vt vitarent antiqui, in die purgationis vnicâ cibatione erant contenti, minus incommodum exiſtimantes jejunium hoc quam alimentum, quod minuat purgationem, aggravetque cruditatibus ventrem. Quod ſi aliquando aut ratione morbi, aut ægri virium, incommodum aliquod ex hac inediâ timerent, pharmaco potato ſorbitionem aliquam ſtatim exhibebant; quod jubet *Hippocrat. 2. Acutor. verſ. 31.* de pleuritide tractans, in qua ſuſpecta eſt inedia, tum ob vires, quas validas eſſe oportet ad excreandum, tum etiam quia exſiccatio, quam jejunium parit, expuitioni non parum advertatur. *Proſper Martianus comm. in v.68.l.1. Acutor.* Vide *Valleſium 5. Epid. p. m.455.*

LXXX. A quo inſtituto recedere incipientes Medici poſteriores, loco prandij juſculum quibuſdam exhibere coeperunt, vt totalem inediam caverent: Et hinc, ni fallor, emanavit vſus exhibendi juſculum poſt purgationem: Sed noſtri, juſculi retinentes vſum, inde horæ ſpatio interpoſito, prandium duplicato errore præbent, & ſæpe mediâ in purgatione: conſtat enim pleroſque à prandio adhuc purgari: Signum enim evidens tempore prandij purgationem abſolutam non fuiſſe. *Pr. Martianus ibidem.* Permittit ſane *Hippocrat.* mox ab accepto pharmaco cremorem ptiſanæ, ad deglutiendum bene pharma-

macum, vtque in fundum ventriculi deſcendat, quo loco,& ad actum melius transferatur, & minus angat, & minus evomatur, quàm ſi in ore fluitet, & ne quid pharmaci in gula hæreat. Conferet vero etiam hic potus mox ab accepto pharmaco, cum omnibil nutriat, vt poſſit æger melius totum diem tranſigere ſine cibo, & mox acceptus frangat molliatque malignas medicamenti vires: Purgatione autem in media, nihil boni præſtans, impedit & repugnat purgationi faciendæ, non autem datus mox ab accepto pharmaco. *Valleſius 2.de v.ac.p.59. Hipp.2.de v.ac.t.* 12. præſcribit poſt hauſtum purgantis medicamenti ptiſanam, quod omne pharmacum deleteriæ cujuſdam facultatis ſit particeps, ventriculoque & ejus ori infeſtiſſimum: Sic caſſiæ bolo devorato, exhibendum eſt juſculum aliquod ad confirmandum ſtomachi. Eſt enim Caſſia ventriculo ingrata, etenim ipſum ſubvertit & nauſeam parit: Bene ergo caſſiæ juſculum ſubjungimus, non vt ipſa tantum diluatur in fundo ventriculi, ne natura famelica inde nutrimentum capiat, ſed vt illud lentum caſſiæ eluatur, quod ſtomachi parietibus illinitur. Hinc conſtat quam præceptorum *Hippoc.* ſint ignari, qui non putant exhibendum juſculum ante quatuor horas à ſumpto medicamento: quod putent aliquam vim ſumpti medicamenti dilui & infringi; & juſculum illud infici qualitate pharmaci, atque ſic in venas attractum multum detrimenti afferre: Docet igitur *Hipp.* hoc *aph.* A purgantis potu ptiſanam ſuper ſorbendam: ſed vbi purgatio cœpit ab ea vult abſtineri, ne exulcerat pharmaci vis. *Heurnius comm in cit.loc.*

LXXXI. Die quo quis catharticum ebibit, à ſale, & juſculis, vel pauco ſale conditis abſtinendum puto duplici de cauſa, 1. quidem ne majora intendatur Sitis, quam purgati difficulter ferunt, juxta illud *Hipp.4.aph.19. Quicunque medicamento purgati non ſitiunt, non quieſcunt donec ſitiant:* 2. Ne hac ſuper purgatio, nam, vt alijs diebus, hoc etiam habetur emolumenti quod naturam ſopitam ſuſcitat, lubricamque alvum ſervat: Ita purgantis die verendum ne quaſi calcar addendo temere purgationem adaugeat. *Crucius de Quæſitis Cent.3.p.*259.

LXXXII. Aſſumpto autem purgante, vigilandum an dormiendum? Si qui purgans aſſumpſit ventriculo firmo præditus eſt, calido & vegeto, nulla ſomni ingruit neceſſitas: Si firmitas ventriculi deſit, Somnus concedendus, quia ex *Hippoc.6. Epid.ſ.6.text.4.* Sanguis in ſomno ad intra fugit, vnde partes internæ calidiores fiunt, hinc melius ad actum deducetur purgans; Objicitur *aph.4.14.* vbi ſumpto veratro motum, magis quam ſomnum & quietem, ſuadet *Hipp.* Dic loqui ibi de peculiari pharmaco, non de omni, ſcil. de albo veratro, quod vomitum ciet; vbi autem excitandus vomitus, magis confert motus quam ſomnus.

LXXXIII. Perfectam eſſe evacuationem cognoſcimus cum excrementa apparent præcedentibus contraria: v.g. Si pro derivatione bilioſi humoris alicui datur cholagogum medicamentum, quando poſt bilioſam excretionem pituitoſa apparent, jam purgationem abſolutam eſſe cognoſcimus: Quod cum ipſe aliquando in purgationibus obſervaverim, terminum evacuationis cum admiratione ægris prædixi. *Martianus comm. in v,73.l.de Humor.*

LXXXIV. Verentur nonnulli virtutis laxativæ imminutionem ſi vel ſtatim ſuper medicamentum cibus ingeratur, aut inter prandendum & cœnandum medicamentum aſſumatur; ob periculum ne virtus alimenti obtundatur, aut à ciborū permiſtione penitus corrumpatur: Atque vt in permiſtione medicamenti purgantis dantur quæ ejus actionem intendunt, vt zz. & ſal gemmæ, ita non dubium eſt inter alimenta reperiri quæ purgantia retundunt, eorumq; actionem frangunt. Ciborum verentur ij- d... corruptionem, aut ... nimium, coctionem ign... inturam: Corrumpunt ... cibi, quia medicamenta natu... inimici, eam... ; ad excernendum ſtimulant: In perfe... dum motu fermentationis turbant chy... cationis actum, qui fit q... e, complexu & mora: chylus præterea crudus comm...icatur lacteis duc...bi..., & primæ coctionis vitium ... ſecundæ. Ali extraordinarie, vel paulo ante, v... ediat... cum cibo Lenientia ſumi vol...: ... id videtur ægri naturæ nauſeabunda, quæ ſ... ... uit: 2. Natura medicamentorum, præcum validas vires non habeant, eadē officio fungantur: hinc reſiſtere nequeunt calori ventriculi, n... ciuns ſimul ... erveniens, id impediat: 3. Ve... etiam à f... ... ventriculo in alimentum poſſunt. Experientia ... ſtatur Lenientia, vt pilulas aloe... eas, dimidia hora ante prandium vel cœnam; medi... cœnā vel prandio, imo etiam in fine vtriuſque, ſumpta egregie facere officium, juſta dozi, vna, duabus, tribusve vicibus continuata. *Rolfincius meth. gen.l.5.ſ 1.c 9.* An non ipſe *Gal 13. meth. c.9.* in obſtructione ... ecoris, præcipue cavæ partis, cibos ... admiteet, & vti ... & mercurialem, & ... nium, & fliculam, in ò & nigri veratri cortic... *Et 1. de alim fac.* in ptiſanæ cremorem ſucci ſcam... onij paululum quid injicit: pro ſententiæ confirmatione *Hipp.* citans qui *l.de alim.* ait, In cibu medicamentum eſſe optimum: Imò *Hipp.2. de vict. ac.* ſorbi... ionibus medicamenta purgantia, & quidem fortia, qualia antiquorum erant, pleræque permiſcet, odoratis ſeminibus correcta. Quando ergo Medicorum eſt intentio vt medicamenta parum purgent, illa etſi valida ſint, ſtatim, ſeu parum ante cibum ſolidiorem exhibere poſſunt. *Gabelchoverus Cent.1. Cur.6.* Pilulæ cum cibo, ante cibum, & poſt cœnam optimè operantur: Potus in pilulis diſſolvendis illud non poteſt quod cibus, qui diutius in ventriculo moratur, & non tam citò ac ille egreditur. *Walæus. m.m.p.51.* Vide *Angelenum To 1.Epiſt.& Conſ.p.*42.

LXXXV. Monendus lector ne dum purgantia exhibet, aut cibis indiſtinctè & citra conſiderationem permiſceant, aut mox cibos exhibeat: Verendum namque eſt ne qui medicamento moventur vitioſus humor alimentis permiſceatur, mixtuſque venas eodem vitioſo ſucco repleat, Quo fit vt experientia jam probatum habuerim aſſumptis illis ſummo mane, ac ſuper eputo jure pulli leviter cocto, vtrumque rectè procedere; nimirum, vt & vires ſuas promptè communicent, & neque alimento vitioſos ſuccos permiſceant: Aliqua enim parte jus illud alimentum eſt, naturæ magis quam caſſia aut manna familiare; aliâ vero ex parte vehiculum eſt, vt medicamentum citius diſſolvatur & agat: Nec ſperandum eſt hoc jure vires medicamenti poſſe extingui, niſi ex his fuerit quæ corrumpendo agant. *Mercatus de Ind.Med cap.de Purgat.*

LXXXVI. Cæterum conſulenda eſt in hâc re laborantis natura: nam ſi plurimum ſiccarit ſicca, hoc juſculo vti licebit; Si vero humida, neque hoc, neque alio alimento, donec medicamentum operari deſierit: niſi peculiarem ventriculi conditionem id poſtulare viſum fuerit; ſi quidem in multis medicamentis bil

egit donec cibos ſumpſerint: alijs adeo avidè ventriculi facultes, vt facile hujuſmodi medicamenta conficiant; & velut alimentum commutent, in quibus non erit abs re aliquid alimenti admiſcere, tum vt natura id promptius ex familiaritate complectatur, tum verò vt natura in coquendo immoretur, & medicamentum eo tempore vires ſuas exerceat, ac mediante illa mora aliquid à ventriculo expellat: In alijs etiam alimentum miſcere oportet, his nimirum in quibus in animo eſt à meſaraicis & inteſtinis aliquid educere, vt avidius attracto illo medicamentoſo ſucco, facilius ejus vi, quod in ijs immoratur excerni poſſit: qood mire præſtare diximus juſculum illud leviter cōfectum: In alijs vero longe a paſtu conſultius eſt hujuſmodi medicaméta exhibere. *Idem ib.*

LXXXVII. Quum propinantur pharmaca levia, aut etiam mediocria, nonnunquam vtiliter ſuperbibitur pharmacum gratia acuendi ſegnem motum: verum quum valde bilioſa pharmaca, nunquam id licet facere. *Valleſius l. 5. Epidem.*

LXXXVIII. Maximum profecto remedium, vbi vehementius quàm oporteat medicamentum datum eſſe ſentitur, multa aqua confertim ingeſta, & antequam in fundo ventriculi reſideat, vomitum provocare. *Valleſius ibid.*

LXXXIX. Scio In præſervatione morborum, ſive partibus inferuis minentur, ſive ſupernis, infernas purgationes adeo caviſſe *Hipp.* vt neſciam an aliquem præſervationis gratia deorſum purgaverit, ſed perpetuo ſurſum, vt ex *l. de Inſomniis* & *3. de Diæta*, in quibus de morborum præſervatione agit, ſatis conſtat, Contra vſum recentiorum qui omnes præſervativas purgationes deorſum moliuntur: *Martianus lib. de Humor. v. 10.*

XC. Nihil pernitioſius in ægritudinibus chronicis quam multis Solutivis corpus macerare: quæ licet primo occurſu videantur proficere, tempore tamen deſtruunt, vires dejiciunt membrorum, præſertim naturalium, ſicut & nix ſuper ſegetes dum cadit, juvat nonnihil, ſed tandem quoque illas in totum deſtroit. *Montanus conſ. 21.*

XCI. Poſt omnem purgationem malvæ ſemen leviſſimè tritum duarum drachmarum pondere exhibere jubet *Aëtius*, humectat enim exſiccatam alvū.

XCII. Melancholicum qui vult purgare laxantia addat, aliàs ſine fruſtrabitur: qui Pituitoſum pungentia. *Walæus.*

XCIII. Purgatio ſi non ſequatur ſpatio 4. vel 5. horarum, præcipiatur motus: abſente febre dentur duæ vel tres pilulæ de aloë: jus ſalitum; tartari albi ſubtiliter triti ℥ß. cum jure: clyſter communis: *Gal.* & *Paulus* dant adſtringentia.

XCIV. *Galenus lib. de cur. rat. per ſangu. miſſ. cap. 7.* quadruplicem ponit differentiam Sanorum qui per ſanitatem vacuari poſtulant: Primi ſunt quos aliquot jam retro annis morbus aliquis per intervalla corripuit, Arthritis, Epilepſia, Paralyſis; Nephritis, malum Hypochondriacum &c. Mire enim in talibus antevertens per ſanitatem vacuatio morbum prohibet & vetat generari: Secundi ſunt quos inſignis & metuendus morbus tentavit, vt Lues venerea, Scabies inveterata, Elephantiaſis, Scorbutus, ſed propter adhibitam curationem firmatus non eſt: In his licet à præcipiti immedicabilis morbi periculo evaſerint, niſi tempeſtivis vacuationibus impetum humo i alio divertamus, & ſeminaria mali extra corpus pellamus, non leve periculum eſt ne denuo incidat, occupet & obtineat: Tertij, nec morbo aliquo ſæpe correpti ſunt, nec magno aut immedicabili, tentati, aliquo tamen habitu ſunt ad morbum diſpoſito, quem hæreditate contraxerunt, ſeminaria e. g. podagræ, phthiſeos, epilepſiæ, calculi &c. aut ipſa corporis ſtructura, valida cujuſpiam partis intemperatura eos conſtituit morbis obnoxios & pati faciles: Quarto ſanorum genere comprehenduntur illi quibus ſuppreſſa eſt conſueta aliqua vacuatio menſium, hæmorrhoidum, aut diuturni vlceris, vel reſtitet ſolitus fluxus; vel inſigne membrum eſt abſciſſum: Quæ quatuor hominum genera, ſi incolumitati vtræque ſuæ conſultum volunt, dum adhuc ſani ſunt, impendentes morbos antevertere oportet, expectando tamen aliquod plenitudinis vel morbi ſymptoma.

XCV. *Hipp. l. de vet. Medic.* jubet à Medico conſiderandos ventres longos & teretes; quia ex eorum inſpectione facile eſt intelligere qui ſunt apti ad validas purgationes: Quibus enim partes in abdomine contentæ fortes ſunt & bene conſtitutæ, tuto purgari poſſunt: Quibus contra graciles fuerint, periculoſe ſuſcipiunt medicamenta fortiora. *Riolanus Encheir. pag. 65.*

XVI. Purgantia compoſita nimis tenuium partium medicamenta, vt Camphoram, ne admittant, nam deducunt ad cor, & per abditiſſimas ventriculi partes purgans medicamentum quod eſt ex genere venenoſorum. *Rondeletius.*

XCVII. *Hipp. 1. de Sal. Diæta* Sex menſes hybernos vomendum eſſe ait: quia id tempus pituitoſius eſt æſtivo, & morbi circa caput ac regionem illam fiunt, quæ eſt ſupra ſeptum tranſverſum: quum vero æſtas & calor fuerit, infuſis vtendum, quia tempus iſtud æſtuoſum eſt & corpus bilioſus eſt, & lumbi genuaq; gravantur, quin & calores ſuboriuntur, & in ventre tormina fiunt. quare & corpus refrigerare, & quæ in ſublime elevantur, deorſum educere oportet. Hinc *Celſus* jubet pituitam quæ per hyemem in ventriculo generatur, vomitu rejici: veluti bilem quoq; æſtate ſurſum aſcendentem, deorſum revelli; nam & *Hipp.* ſupra ſeptum dolores purgatione per ſuperiora egere, infra per inferiora ſignificavit: *Idem 4. aph. 20.* lumbis & genubus dolentibus, & torminibus affectis, alvum dejici, morſuque ſtomachi & vertigine atque oris amarulentia infeſtatos, vomitu juvandos præcipit: Hinc conſtat hyeme vomendum, quia tunc abundat pituita: & æſtate vtendum cataclyſmatis, vt vt bilis per inferiora expurgentur. Contra omnino ſentit *4. aph. 4.* dicens per æſtatem partes ſuperiores vomitu, inferiores per hyemem medicamentis purgare, Et *ibid. aph. 6. & 7.* facile vomentes vomitione purgandos, minime tamen hyeme: difficulter verò vomentes, per inferiora, æſtatem reformidantes: Difficultatem dirimit *Gal. l. de Sal Diæta com. 15.* dicens, Quando igitur hyeme generatur in ventriculo pituita, author nobis eſt vt pituitam vomitibus expurgemus, & bilem æſtate innatantem retrahamus deorſum: Verum vniverſum corpus ſi purgare ſtatuas, æſtate per ventrem ſuperiorem, hyeme per inferiorem purgabis, vt eſt in aph. relatum. nam quæ in præſenti abundant, his medeberis purgatione, vt tamen per loca quò vergent purgationem inſtituas, ſi quidem ducenda ſunt, quò tendunt, per loca accommodata: At quibus ne augeantur velis obſiſtere, per cōtraria loca debes retrahere. *Mercatus de Ind. Med. l. 1. c. 9.*

XCVIII. Quantum fieri poterit, & morbi natura pertulerit, ſimpliciora adhibere convenit: nam præter hoc quod compoſitis medicamentis natura exhorreſcit, nocere ſæpe potius quàm juvare omnibus perſpicuum eſt: tum quia neque ex omnibus

vnica ſemper reſultat forma, quæ agere poſſit; neq; ſimplicia præ confuſione & cõtrariorum repugnantia ſuas poſſunt pandere vires: quo fit vt corpus moveant, vexent ac irritent, commotis humoribus inculpatis, aut peccantibus non expulſis. *Mercatus de Indic. Med. l.1.c.8.*

XCIX. Nota duplicem eſſe Theriacam, noviſſimam ſcil. & aliquot annorum, quæ fermentationem convenientem ſubiit: Illa narcoticam vim habet, & poſt pharmacum purgans exhiberi poteſt, quando ſuperflua ventris ſolutio adeſt, quatenus alterat molam complexionem calidam à pharmaco inductam, tenues humores incraſſat, partes laxatas conſtipat ac inſenſibiles ferè reddit: Hæc poſt aſſumptum pharmacum non convenit, quia virtutem corporis magis reſolveret, humores magis agitaret, amplius inflammaret, & motum ad inferiora impediret, quatenus ad cutim materiam reſolutam commovet. *Horſtius conciliat. Enucl. diff. 127.*

C. An Balneum à purgatione conveniat? Pro reſponſione notat Conciliator quod virtus balneandi, i. e. vt aliquis balneo vti poſſit, aut fortis ſit, aut imbecillis & proſtrata: In hac penitus à balneo quieſcendum, ne corporis virtus magis reſolvatur: In illâ, medicamentum purgans aut *ſuperfluè agit*, vbi Author cum calidis temperatis balneandum eſſe cenſet: ſiquidem quod hoc modo vis pharmaci revocetur alio: vel *quieſcit*, ceſſante penitus motu & agitatione purgationis, aut non ceſſante: Si prius, aut ſufficienter purgatus eſt æger, vbi fruſtra balneum inſtituitur: aut non ſufficienter purgatus eſt, vbi ſecunda, aut in principio tertiæ diei, balneum convenit, in iis qui eodem delectantur: hoc modo enim reliquiæ difficilium eductionum emolliuntur, viſcoſæ materiæ in iuncturis reſolvuntur, & quod in habitu corporis eſt diſcutitur. *Horſtius Concil. Enucl. diff. 128.*

CI. *a* Pro delicatioribus fiunt Potiones Clarificatæ, a recentioribus inventæ, quæ julepi formam referunt, ac guſtui parum ingratæ: In iis dupla purgantium quantitas præſcribitur, eò quod de eorum vi plurimum clarificatione amittitur, ita vt robuſtiora corpora nunquam ſufficienter evacuent, in hac præſertim regione: quæ ob intemperiem ſiccam humores minus fluidos minuſque purgantibus obſequentes efficit: At verò Lutetiæ, aliiſque regionibus multò humidioribus, felicius operantur: Harum hoc eſto exemplum ℞. Senn. mundat. ℥j. ſem. aniſ. ʒj. fol. cichor. & capill. ven. an. man. j. liquirit. ʒß. coqu. ad ℥x. In colat. infunde Rhabarb. el. ʒij. Caſſiæ rec. extr. & cathol. dupl. ana ℥j. Tamarind. contuſ. ʒß ſemin. coriand. ʒj. ſyrup. rutac. ℥j. colentur & clarificentur vt artis eſt, & fiat potio. *Riverius l. xi. c. 1. Pract.* Huc refer Syrupum Aureum, hodie vſitatiſſimum, & gratiſſimum, ex infuſione Sennæ cum ſucco limonum, cremore tartari & mannâ diſſolutis, factâ clarificatione cum ovi albumine.

CI. *b* Experimentum hoc è praxi nobis innotuit, cum enim obſervaſſemus in Pilulis purgantia commode dari, eas vero infidum ſæpe edere effectum, & vt plurimum vel non purgare penitus, vel ſunt tardioris operationis vel nimis, cum tamen interea totum hunc vel demus quaſi diem: hinc ſtratagema excogitavimus quo huic vitio ſuccurri poſſit, nempe deprehendimus conſultum eſſe partiri purgantes pilulas, vt ipſæ ſibi quaſi viam ſternant, nunc veſperi ſub lecti ingreſſum, ſi v. g. dozis integra ſint gr. xxiv. vel pilulæ xii. propinantes pilulas 3. vel 4. vel 5. hinc prout hæ ſe geſſerint, manè altero de reliquis decernimus: Si enim iam aliquæ ſedes cauſatæ fuerint, quod fit in mobilioribus, & quidem ſine vlla moleſtia, omitti poteſt reliqua pars, ſin minus omnis aſſumi: ſin medio modo, facile quoque erit hanc alteram dozin mutare, & propinare ſaltim iterum dimidiam partem; qui ſane modus eſt quam commodiſſimus & probatiſſimus. *Wedelius p. 118.*

CI. *c* Pilulæ facilius operantur, quoad habitum corporis, in obeſis, ſucculentis, toroſis, carnoſiſque, quia humidiores: E contrario vero in genere quicunque habent inteſtina ſicciora iis Pilulæ minus bene cedunt, quia egent reſolutione, vnde & in his pilulæ aloëticæ parum vel nihil operantur: quin obſervatum quoque fuit in cereviſiam bibentibus plus operari has ipſas quam vinum. At tamen ſi de humoribus ſit ſermo, non ſolum pituitoſis, verum etiam biliofis, cum mode in vſum cedunt, modo alias bene ordinentur: Minus etiam eædem ſenibus, vt pote ſiccioribus, id quod præcipue de vini continuato & grandioribus valet. *Wedelius de m. comp. ext. pag. 117.*

CI. *d* Ad concendum *humorem viſcoſum* & acrem cæteris omnibus prætero Pilulas ex Gummatibus parandas, cum & ipſæ glutinoſos humores ſolvant, & ad faciliorem ſui eductionem diſponant. E. g. ℞. Galbani aceto ſcyllit. ſoluti & iterum inſpiſſati ʒß. vitrioli martis ad albedinem calcinati ℈j. trochiſc. alhandal. ʒß. diagr. gr. xv. olei carvi gtt. vj. m. f. Pil. n. xxv. inaurandæ; Sumantur 5. aut 7. matutino tempore, ac ventriculo vacuo, ſuperbibendo poſt ſeſqui horam juſculum &c. *Sylvius de le Boë Prax. lib. 1. cap. 35. §. 16.*

CI. *e* Data opera omitto in pleriſque *Pilulis* à me præſcribendis *Aloën*, quoniam in multis cum moleſtia, & quandoque cum noxa, hæmorrhoides aperire ſolet: Exemplo ſint Hydragogæ ſequentes ℞. *Gumm. Sagapeni aceto aceto ſoluti & iterum inſpiſſati* ʒß. *Reſinæ Ialapæ* ℈j. *magiſter. G. Gettæ* ℈ß. *Olei baccar. Iunip. gutt. iij. m. f. Pilulæ n. xv.* Sumat æger v. aut plures, paucioreſve, prout difficilius aut facilius ipſi ſolvi poteſt alvus. *Idem Prax. l.1. cap. 35.*

CII. Quod Antimonium diaphoreticum deobſtruendi vim habeat verum eſt, ſed hoc non per ſe facit, verum aliis mixtum Purgantibus: Certum enim eſt Antimonium diaphoreticum, aliis ſociatum purgantibus, minorem illorum dozin majore compenſare virtute purgante, abſque vllis veneris torminibus, v. g. ſi radicis Gialappæ ℈ß. adjungas gr. iij. vel iv. antimonii diaphoretici, energia dozi æquabit ſcrupuli vnius radicis *Gialapæ. Frider. Hofmannus Clav. Schrod. pag. 306.*

CII. *a* Nullam in purgatione admittimus actionis determinationem, nec vllam concedimus Electionem: Nam primo ſi revera daretur talis humores purgandi electio cum ipſo purgante, ſequeretur pro evacuandis humoribus mixtis, vt pote bile & pituita, neceſſarium eſſe ut pharmacum pro vna dozi, ex integra dozi cholagogi. & integra etiam phlegmagogi fieret, e. g. ex Rhei ʒij. & trochiſcorum Agarici ℈ij. id quod abſurdum eſt, & nunquam fit, ſed ſufficit cujuſque domicilia dozis invicem commixta, Rhei ʒj. Agarici ℈j. Deinde morbi, & purgantia iis proficua, conſiderata vtcrius dictæ electioni repugnant. e.g. inter Cholagoga flores Antimonii albiſſimi: inter Phlegmagoga Colocyn-

this, inter melanagoga Caſſia: Et hoc fundamento morbus melancholicus nequaquam evacuatione florum Antimonii & colocynthidis curaretur, quod tamen contra rationem & experientiam, omni authoritati anteponendam, cum humor melancholicus, ut pote lentus, viſcidus & torpidus, non melius ac floribus antimonii, laxativa caſſia, & colocynthide pungente vel irritante educatur; Sic etiam in morbis melancholicis confectio Hamech magnopere laudatur, quæ præter ſennam nullum pharmacum melanagogum in compoſitione habet, & tamen, juxta illorum opinionem, melancholicis utile eſt: 3. Refragatur experientia, Conſule experientiſſimos Medicos Practicos, interroga ægros, & illos qui iis adſtant, omnes profecto uno ore dicent quod ſemper excrementa aquoſa, tenuia, fluxilia primo evacuentur, proxime phlegmatica, & demum craſſiora, vel flavedine, vel viriditate tincta aſſocientur à quovis pharmaco educta: Quin &, quod magis eſt, ſi ipſa pharmacopolia adeas, & in iis formulas à Medicis præſcriptas perſcruteris, videbis ſæpe celeberrimos Practicos uno eodemque medicamento in evacuandis plurimis & diverſis ægris uſos eſſe.

CIII. Unde tamen non ſequitur quodlibet purgans in quolibet affectu indifferenter uſurpari poſſe; Sic qui humores humectari debent poſtulant humectantia pharmaca, qualia ſyrupus roſar. ſolutivus, ſyrupus ſennæ, multiplices infuſiones violarum &c. Qui craſſi ſunt & incidendi, illi gialapam, mechoacannam albam, ſcammoneam &c. Nec obſtat rheum evacuare excrementaublioſa flava, crocum martis aperitivum melancholica nigricantia: flores item Antimonii croceo tingere colore: ergo etiam ſequi dicta purgantia elective talia purgare humores: ſciendum enim eſt hos colores non natura eſſe in humoribus, ſed illos à medicamentis provenire, quemadmodum flores Antimonii propter ſulphur ſuum humores tingunt, crocus & rheum urinam ſua flavedine exaltant: & ſi extra corpus quædam hanc vim habent ut rebus colorem quendam inducere poſſint, cur non ipſa purgantia reſoluta idem dent effectum? *Frid. Hofmannus m. m. lib.* 1 *cap.* 7.

CIV. Medicamenta Purgantia communiter Medici diſpergunt in cholagoga, melanag. phlegmag. & hydrag. Hæc ſententia illis adeo vera ac certa eſt, ut irrideant qui contradicat: At nec veterum authoritate, nec ratione, nec experientiâ nititur. 1. Nec Hippocr. nec Eraſiſtratus, nec Aſclepiades uſpiam horum electivè purgantium meminit: Galenus primum ea ſtatuit, forſan quod nimis illi tacitus naturæ conſenſus qualitatum occultarum placuerit: 2. Caret Ratione 1. quia morbi & purgantia iis proficua conſiderata prorſus huic ſententiæ repugnant E. g. inter melanagoga Caſſia: inter phlegmag. colocynthis: Ex hoc fundamento morbus melancholicus nequaquam evacuatione caſſiæ & colocynthidis curaretur, quod tamen contra rationem eſt. cum humor melancholicus, ut pote lentus, viſcidus & torpidus, non melius ac laxativa caſſia, & colocynthide pungente & irritante educatur: Sic etiam in morbis melancholicis conf. hamech magnopere laudatur, quæ præter Sennam nullum pharmacum in compoſitione habet, quod juxta illorum opinionem melanagogum eſt: Hydropicorum aqua in abdomine contenta [illegible]elicius Mercurio vitæ, quàm ſoldanella, quam mechoacanna evacuatur, & interdum feliciſſimè rhabarbaro & aloë 3. refragatur Experientia; conſule experientiſſimos Practicos, interroga ægros, & illos qui iis adſtant, Omnes uno ore dicent quod ſemper excrementa aquoſa, tenuia, vel flavedine vel viriditate tincta evacuentur a quovis pharmaco: Imò ſi formulas à celeberrimis Practicis præſcriptas perſcruteris, videbis uno eodemque medicamento eos uſos in evacuandis plurimis & diverſis ægris: Obii. Ergo Quodlibet purgans in quolibet affectu indifferenter uſurpari poſſe ♃. diſtinguendo inter qualitates manifeſtas & occultas: has relinquimus; illas in purgationibus attendendas eſſe ambabus largimur manibus: Sic qui humores humectari debent, illi poſtulant caſſiam & mannam; Qui craſſi ſunt & incidendi, illi non mannam deſiderant, ſed colocynthidem, ſed Ialapam, ſcammonium: Lenientia pharmaca purgant tenues humores; humida ſicciores; pungentia ignavos. Obii. porro, Cum rheum evacuet excrementa flava; chalybs, ſeu crocus martis aperitivus, nigricantia, hinc certè ſequitur rheum bilem elective purgare, quæ flava: & martem melancholiam, quæ nigricat? ♃. Sciendum hos colores non natura eſſe in humoribus, ſed illos à medicamentis provenire: Mercurius receſſus generat ex cæruleo viridantes: ab aſſumpto ſulph. magis & præter morem excrementa fœtent. *Valæus m. m. p.* 25.

CV. Pharmacorum vis purgatrix nunc in Reſinoſâ latitat parte, nunc in Sale; Hinc Rheum, Agar. Jalapa, Turbith, optimè extrahuntur Spiritu vini, Extractumque eorum optimè purgat: At ſi Colocynthidem, cujus vis a Sale, extrahere vis, fruſtra laburas, præſertim enim operatur in ſubſtantia: Sic Antimonium non infunditur in ſpiritu vini, ſed aceto diſtillato, Et ſi vinum infundas, quo generoſius, eo debilius extrahet: quò magis ad aciditatem & tartaream inclinet naturam, eò fortius): experiri poteris in vino Hiſpanico & Gallico. *Valæus p.* 29.

CVI. Pharmacorum copia inopes nos facit. Si omnem purgantium farraginem examines quam authores congeſſerunt, multa ex eorum claſſe exterminanda erunt, ita ut ad paucitatem ferme nos redactos viſuri ſumus: Sunt enim quædam ex illis quæ ob ignaviam, aut vehementiam prorſus uſurpanda non ſunt, vel raro & ſummo cum judicio: Ignava ſunt hyſſopus, terebinthina, epithymus, polypod. lap. Armenus, lazuli; quæ omnia ex catalogo purgantium expongenda; nec admittenda ſunt turpethum, hermodactili, licet alias ſatis famoſa & decantata: Succus violarum nihil facit. Nimis vehementia ſunt, elleborus niger, turbat enim totum corpus: periculum facies ſi funiculo ejus radicem imponas: Semen ricini Americani, elaterium; G. Gotte raro & quandoque tantum adhiberi poteſt: Ergo purgantibus vehementibus prorſus uti non licet ♃. in duobus caſibus id licitum eſſe, in hydrope nempe & melancholia. &c. *Walæus met. m. p.* 42.

CVII. Purgantia (ut longo experimento mihi notum) ſi in minori quantitate quam pro purgatione uſurpari ſolent, aperientibus medicamentis permiſceantur, ita ut virtus aperientium prævaleat, nullomodo alvum movent, i[illegible]ò eorum virtus, quia magnæ eſt activitatis, ad vias ſudoris aut urinæ aperientium facultate converſa, horum vim adeo intendit, ut medicamentum evadat tum ad aperiendum, tum ad ſudorem aut urinam movendam efficaciſſimum: Horum uſum me docuit Teutonicus quidam, qui eo pro ſecreto utebatur in curatione febrium quæ in longum tempus protrahuntur, cu-

jus

jus efficaciam & ipſe feliciſſimo ſucceſſu ſæpius ſum expertus, Ipſe Hippocr. 3. de morbis v. 422. Cnicum potioni aperienti & extenuanti ad Ictericos appuluit. *Proſper c: Martianus comm. in v. 214. l. 2. ſect. 2. de morbis.*

CVIII. Non placet in purgando per Epicraſin vulgarium uſus qui medicamenta purgantia 4. 5. aut etiam 7. quoque die, vel ſemel in hebdomada exhibent: Nam hac lege tantum extrahet medicamentum prima die quod in viis ductum continetur, & antequam ſecunda purgatio adveniat congregabitur in iiſdem viis idem excrementum; & eodem modo continget tertio & reliquis: quò fit ut non perveniat vis medicamenti ad partem affectam quā vacuare intendimus: quapropter expedit citra intermiſſionem purgare, ut ſaltem ſecunda, tertia, aut quarta purgatio locum affectum attingat: & mali materiam minuat: quâ purgationis lege plures ex graviſſimis affectibus facilius curantur quam quovis alio præſidio: Hinc in capitis, pectoris, pulmonum affectibus; in articularibus morbis, in inveteratis obſtructionibus, mania, & aliis, purgatio per epicraſin tutior & vtilior ſit cæteris omnibus: in quibus expedit ſingulis diebus, ſpatio 7. aut 8. aliquid medicamenti ſumere, vt paulatim & citra facultatis noxam, quod in penitioribus locis ſitum eſt & infarctum, facilè exhauriatur. *Mercatus de Præſid. c. 8.*

CIX. Metallica purgantia an ſatis tuto præſervationis cauſa vſurpari poſſunt? Mihi valde probatur *Claudii Deodati in Pantheo* Hygiaſtico l. 3. p. 63. 6. obteſtatio, vt à talibus, quoad ejus fieri poſſit, abſtineamus: Nam etſi debita, & ſatis conveniens præparatio accedere videatur, vix tamen, *inquit*, fieri poteſt quin perniciosæ quædam, & venenatæ qualitates, quibus dicta metallica abundant, præparantis & concinnantis ingenioſiſſimi chymici manum ſubterſugiat, ſicque intra corpus ſumpta, ſi non ſubito, temporis tamé progreſſu, ſuas exſerat vires, & clam furtimque vitæ noſtræ nectar deprædetur: Paucos enim, *ſubjicit*, huc uſque novimus, qui hiſce catharticis familiariter utentes, vel ad debitam & juſtam ſenectam pervenerint; vel non cachecticam corporis conſtitutionem contraxerint. *Doringius Epiſt. ad Sennertum 32. Cent. ij.* A purgantium è mineralibus uſu hactenus fere abſtinui, quamvis enim ſæpe multis profuit, tandem tamen aliquis offertur quem inſigniter lædunt: Memini Mercurii vitæ uſu hic a quodam hydropem feliciter curatum fuiſſe: At idem Thorgæ ejuſdem uſu quendam jugulavit: multo minus præſervationis gratia uſurpanda cenſeo: habemus enim mitiora è vegetalibus quibus idem præſtare valemus: Et talia occulte pravam aliquam diatheſin imprimunt, quæ progreſſu temporis ſeſe exſerit: Et præcipue ſi corpora non multis pravis humoribus ſcateant in quos agant. *Sennertus Epiſt. 34. cent. 2.*

CX. Vegetabilia non, vti mineralia, ad compages ſuas reſerandas longa præparatione ſemper opus habent, hæc enim ſæpius, dum mixtio integra eſt, fortius operantur: Nam quorum virtus in ſyſtaſi ſubtili & fugaci conſiſtit, haud magna encheireſi & apparatu chymico in Extracta, Magiſteria aut Quintes Eſſentias reduci debent: quia plurima illorum, uti rhabarb. manna, caſſia: ſenna, myrobalani &c. in pilulas aut pulveres redacta, aut liquore idoneo infuſa, aut decocta, & melius & facilius operantur: quæ, ſi nimio artificio vexentur, vim purgatricem aut penitus amittunt, aut pigre eam & cum moleſtia exercent: Vſitatum eſt ad eliciendas vegetabilium tincturas, liquorem, cui infundantur, tartari vel abſynthii ſalibus impraegnare, ita omnque ſaturatum colorem cito adipiſcuntur: Etſi morem hunc non improbo, quatenus ſales herbarum fixi cum ſuccis acidis ventriculi & inteſtinorum effervescunt, attamen dolum in eo latentem detegere licet, quippe tincturam iſtam ſaturatam ſales non eliciunt, ſed apparere faciunt: nam rhei, ſennæ, aut alius vegetabilis infuſioni jam factæ, & colatæ ſi ſalem tartari addideris, illico tinctura ſive color ejus multo ſaturatior evadet: Cujus ratio eſt, quod particulæ ſalino fixæ obturæ admodum liquoris poros intercidunt, proinde ut lucis radii inter tranſeundum plurimum refringantur: quapropter tinctura quævis, ob ſalem Tartari ſaturatior facta, infuſo ſpiritu vitrioli, cujus particulæ ſunt aculeatæ, ſine materiæ cujuſvis præcipitatione, mox clarior & tenuior evadet: At vero catharticorum vegetabilium nonnulla etiam præparatione chymica emendantur: nam è quibus ſale ac ſulphure refertis, particulæ activæ & benignæ a reliquis hebetioribus & malignis ſecerni, inque Extracta reſinoſa, aut alius generis compendioſa redigi poſſint, certe bono cum fructu horum analyſis & nova ſyntheſis inſtituatur: Quamobrem pro catharticis quibuſdam rite præparandis, cum ſpiritu vini partem ſulphuream & aliquotam ſalinam extrahimus, uti in magiſteriis reſinoſis Gialapæ, Scammonij, Mechoacę &c. Propter alia menſtruis ſalinis, ſcil. aceto deſtillato, aut aquis cum ſpiritu vitrioli vel ſale tartari exacuatis utimur, idque ſub duplici reſpectu, nimirum, vel ut particulis activis a materia terreſtri ſeparatis, pharmacum in minore mole, & forma elegantiore componatur: vel ut mixti qualitates efferæ quæque, aut virulentæ, eximi aut domari poſſint. *Willis.*

CXI. Novi tamen exempla eorum qui poſt aſſumptum, arbitrio Medici, ejuſmodi ſpiritum, peſſime potius habuerunt, inſignes ventriculi ac inteſtinorum roſiones, tremores artuum, corporis totius imbecillitatem & pluſquam biduanam anorexiam poſtea perpeſſi: Ratio quidem meo arbitrio eſt, quod partes ſpiritus purgatrices, per viam præcipitationis in ventriculo aut inteſtinis ad priſtinum reſinæ ſuæ habitum (ſi frigidus præſertim aliquis hauſtus ſuperbibitus fuerit) ſunt regreſſæ: hinc præcipitatæ tunicis inteſtinorum hærent, tormina, jacturam virium ſuſcitant, à quibus ſyncopas non raro, convulſiones ac tremores, & niſi mature abſtergantur, ferociaque eorum ſopiatur, hypercatharſes gignunt. *Idem ibidem.*

CXII. In purgantibus neceſſe eſt dari aliquem ſtimulum ſalino ſulphureum qui naturam ad excretionem ſollicitet, obſervamus enim ob Acidis obtundi purgantium vim, manifeſto indicio hoc modo infringi eorum ſtimulos ſalinos & ſulphureos: Sic helleborus, ſic colocynthis, imo ipſum antimonium, ſeu potius ejuſdem crocus & vitrum, ſpiritu vitrioli, aceto ſtillatitio corriguntur & mitigantur: Iiſdem purgantibus ſi adimamus partem reſinoſam, ſeu ſulphuream proprie dictam, & ſalinas particulas, etiam aliis quam per acida modis, omnis purgandi vis vel debilitatur vel emoritur: Sic reſina Gialapii v. g. proportione facta minus purgat quam in ſubſtantia datum, quia particulæ ſalinæ eluttriatæ ſunt & gommoſæ ſeorſim ſecedunt, par ratio eſt aliorum: Exemplum quoque ſit *antimonium*, in quo quamdiu ſalina, volatilis & ſulphurea vis remanet, tamdiu vomitorium eſt & purgans,

hac vero penitus ablata nullomodo purgat: hinc vitrum & crocus ejuſdem in infinitum quaſi vires purgandi obtinent; hinc ipſum ſulphur ejuſdem, licet ob partes ſalinas refractas minus, adhuc vomitum movet: Aſt antimon. diaphoreticum, ubi nitri acceſſione ſufficienti omnes illæ partes avolarunt & expulſæ ſunt, ſudoriferum potius eſt; & ad ℈ß. ℈j. & amplius ſumi poteſt, licet fuſorio igne adhibito denuo in regulum redire ſoleat. Notandum quoque quamdiu non expanſum eſt antimonium, nec particulæ ſalinæ mercuriales & ſulphureæ explicitæ, tamdiu quoque id non purgare: Hinc crudum id non æque præſtat, quin à nonnullis inter antepileptica interius etiam infantibus exhibetur. *G. W. Wedelius de m. S. Fac. pag.* 136.

CXIII. Omnia purgantia æque purgant omnes humores, ſed non omnes tam bene, ſeu, quod quaſi conſectarium eſt, qui humor magis abundat ille etiam magis evacuatur: Sunt tamen quæ magis ſerum irritant, ſunt quæ magis bilem, ſunt quæ magis alvi fæces, ſunt etiam quæ horum vitiis conſultius, non tam naturæ quam ob alias circumſtantias adhibentur: Sed conceſſo omnia ab omnibus evacuari purgantibus, bilem, ſerum, fæces inprimis, dicimus 1. Quæ bilem evacuant eadem & melancholiam purgare (melancholia enim nunquam eſt ſine bile, ſive acidis ſit obtuſa, ſive acrimonia quaſi ſublimata) uti v. g. ſenna, rheum, ſcammonium & helleborus, hanc inter ſe convenientiam habent ut ſenna à rhabarb. ſcammonium ab helleboro tantummodo gradibus differant: 2. Quæ Pituitam liquant & evacuant, eadem & ſerum educere, conceſſo, quod alibi innuimus, pituitam nihil eſſe quam ſerum concretum, ſive in fieri, ſive in facto; Sic agaricus & gummi guttæ, mechoac. & gialapium, colocynthis & elaterium gradibus invicem ſolum maxime diſtant & quaſi certant. *Idem p.* 140. Concludimus 1. quæcunque purgantia magis ſunt reſolubilia, ſeu reſinam habent reſolubiliorem, magis purgare ſerum, exemplo elaterii, g. guttæ, agar. mechoac. eſulæ. 2. Quæcunque minus ſunt reſolubilia, ſeu reſinam ſulphuream habent minus reſolubilem, illa bilem magis purgant, ut ſcammon. reſina gialapii &c. 3. Quæ medio modo ſe habent, ut inprimis ſena, rhabarb. & gialapium in ſubſtantia, & bilem & ſeroſos humores educere eſſeque magis panchymagoga. 4. Quæ leniter id exſequuntur, & irritant, fæces potiſſimum educere, ſive id fiat emolliendo, ut prunæ; ſive abſtergendo ſive aliis modis. *Idem pag.* 151.

CXIV. Occurrunt non pauci, etiam Practici, qui arbitrantur medicamenta Purgantia, quoties aſſumpta humores per alvum non expellunt, valde nocere, Quod effatum nunc à me ridetur, quod contrarium me docuerit experientia &c. Purgantia enim ſi rite, h. e. quantitate, tempore, modoque convenientibus exhibeantur, ſemper conducent, nunquam nocebunt ægris, quamvis mox nihil expurgent humorum peccantium, quippe quos tunc alterant, corrigunt, & ad ſequuturam poſtea evacuationem blandam præparat. *Sylvius Append. Tract.* 4. §. 234. Vide tit. de ſudorif. §.

CXV. Si verno tempore *Bilis* abundet in corpore, cum metus ſit ne ſuperveniente Solis æſtu in actum deducatur Bilis effuſio nimia è ſuo folliculo, hinc & affectus plures excitentur, à prudente Medico minuetur Bilis: & imprimis per *Alvum*: tanquam viam conſuetam modumque magis facilem: non item per vomitum, niſi in aſſuetis atque facile vomentibus, in quibus etiam Vomitus excitatur plerumque ab ipſis catharticis; quibus & tunc tutius quoque utimur quam vomitoriis; poſtquam humoribus bilioſis ſponte ſurſum vergentibus, etiam à blandis catharticis ſequitur vomitus blandior, qui ſæpe obſervatur vehementior ac violentior aſſumptis Vomitoriis, quæ majorem corpori vim inferunt, ipſumque gravius agitant, ſecus atque cathartica, quæ longe blandius vim ſuam exercent, Unde aliquando Vomitoria junguntur Catharticis: Nullus autem humor eſt in homine qui facilius educitur per vomitum ac ſeceſſum quam Bilis, cum ſit omnium maxime mobilis & volatilis, Cæteri vero Pituita, & Humor melancholicus, ſive Pancreaticus, minus mobiles & magis fixi, adeoque inteſtinis, aliiſque partibus tenacitate ſua, vel aciditate arctius adhærentes, ac ſegnius cedentes, atque educi apti. *Sylvius de le Boe m. m. lib.* 1. *c.* 15.

PURGANTIA.

SYLLOGE.

Purgantium fermentatio variat dosin & vires. 1.
Aloe *an ora vaſorum aperiat.* 2.
An totum corpus evacuet. 3.
Hepati an noceat. 4.
An a cibo exhibenda. 5.
An correctione egeat. 6.
An lavanda. 43.
In intemperie ſicca noxia. 44.
Agarici *correctio.* 40. 56.
Carthamus *vix purgat.* 10.
Caſſia *eſt purgans, non leniens.* 7.
Cautiones in exhibitione. 45.
An diuretica. 8.
Quibus noxia. 9.
Catholica *purgantia.* 27.
Colocynthidis *correctio.* 11.
Ebulus *vix purgat.* 20.
Elleborus *ſtimulo eget.* 12.
Minore quam par eſt dosi exhibetur. 13.
Epomphalia *non tuta.* 28.
Extracta *ſubſtantia an præferenda.* 22.
Cryſtalli Lunæ *vis & exhibendi ratio.* 48. b
Hieræ *magna non tuta.* 24.
Hydragoga *ut plurimum noxia.* 25.
Iris *vix purgat.* 20.
Ialapa *quomodo exhibenda.* 41.
Non debet dari quando humores ſunt in motu. 42. c
Uſus quam ſcammonii tutior. 42.
Ejus reſina quomodo uſurpanda. 46.
An in infuſo & decocto operetur.
Lapis Lazuli *an in cenſu purgantium.* 31.
Manna *quibus noxia.* 14.
Qua hora danda. 30.
An ſolum tenues humores vacuet. 29.
Circa uſum cautiones. 49.
Mechoacanna *purgans præſtantiſſimum.* 15.
Vinum ejus actionem impedit. 15.
Mercur. d. cum merc. vitæ mixtus quomodo fit catharticus. 51. a
Merc. dulc. uſu eſt tutus. 16. 50. a

Illus

Illius dotes. 51. b.c.
Mercurialibus jungenda alia cathartica. 51.
Cautiones in exhibitione mercurialium. 51.
Mercurialia omnibus non competunt. 52.
Mercurius vita ſenibus nocet. 53.
Mercur. præcipitati virulentia. 39.
Mercurius dulcis cur correſivo tutior. 50.
Myrobalani *non debent admiſceri fortibus purgantibus.* 17.
An confricanda oleo amygd. dulc. 56. a 33.
Pilulæ *lenes* Aloeticæ *quomodo ſumendæ.* 26.
Gummi Gotte *elegans præparatio & correctio.* 48. a
Ptiſanæ laxativæ *efficacia.* 37.
Pulvis Cornachini *tutus.* 23. 61.
Rhabarbari *temperies, Correctio.* 18.
Ejus vis purgans toſtione non perit. 33.
Caput ferri. 54.
Ejus ſubſtantia quam diluum magis purgat.
Sambucus *vix purgat.* 20.
Scammonium *juſculis dilutum admodum noxiū.* 33.
Optimum eſt purgans. 19. 55.
Legitima correctio. 55.
Quomodo exhibendum. 41.
Senna *quando tormina excitat.* 34.
Virum odoratum ejus correctivum. 35.
Vera correctio. 56.
Ventriculo non nocet. 36.
Turpethi *correctio.* 56. 40.
Infuſio roſatum *quo tempore paranda.* 58. b
A ſyrupo roſatum *hypercatharſis.* 56.
Syr & mel roſarum quando præparanda. 21.
Syrupus roſ. ex pluribus infuſionibus non refrigerat. 58. a
An leniens tantum, an purgans. 57.
Syrupus violatus *plurium infuſionum præferendus parato è ſuccis.* 59.
Vini abſynthitis *abuſus, Ubi de abuſu Purgantium & clysterum.* 60.
Vinum utiliſſimum ad potiones ex reſinoſis parandu. 47.
Pulveris Cornachini *emendatio.* 61.
Simplicia Extracta meliora compoſitis. 62.
Extracta pigriora ſunt. 63.
Circa Sennam & Rheum infundenda cautio. 64.
Potiones ex Electuariis paratæ certiores & tutiores quam quæ ex infuſis. 65.

I. P*Harmaca purgantia*, ſi ſola exhibeantur, non debent ſummam dozin tranſcendere: Quod ſi cum aliis exhibeantur, ſi quidem non fiat fermentatio, ne tunc quidem purgans ultra ſummam ſuam dozin exhibendum: Si autem fiat fermentatio, licet ſummam dozin tranſcendere, quia fermentatione vis purgantium reſtringitur. Sic pilul. Fœtidat. ſumma dozis eſt ʒiß. ubi euphorbium exhibetur ad gr. xv. cum tamen ſumma ejus dozis non excedere debeat gr. xij. Sed hæ pilulæ, niſi ſint fermentatæ non ſunt in hac dozi exhibendæ. Hiera Alexandri componitur ex aloë; agar. polypod. opopan. ſagapeno, veratro, colocynth. ſcammon. Dubitatur autem de Scammonio, Nam Alex. monet dum exhibetur purgans, nihil eſſe miſcendum loco ſtimuli, quale eſt Scammonium: nam purgans ob ſcammonium, ſeu ſtimulum, redditur inutile: Dum enim volumus purgare pituitam ſeu melancholiam, quæ materiæ cum difficultate purgantur, non prodeſt purgans cito ad ventrem deferri, ſed expedit ut diu moretur in ventriculo, ut efficacius agat & melius vis purgantis diſtribuatur: ℞. Si fiat fermentatio, poteſt ſcammonium miſceri cum medicamentis, & ſic Alex. hic miſcuit: Si autem non fiat fermentatio medicamenti, ſi exhibeatur ad materiam frigidam purgandum, cum Alexandro, nihil eſt miſcendum quod ſtimuli habeat rationem: Si autem purgans non fermentatum exhibeatur ad purgandum materiam calidam vel bilioſam, licet miſcere aliquid loco ſtimuli: cum enim purgans ſit calidum, prodeſt ut diu non moretur in ventriculo, ſed ſtatim deſcendat. *Capivaccius Pract. l. 1. c. 24.*

II. *Aloën* orificia venarum aperire Arabum pleriq; aſſerunt: Dioſcorides autem vim adſtringentem habere ait, & cum frigidâ potum ſanguinis excretiones cohibere: *Galen.* 6. ſimpl. ait eam glutinare: Dic *Aloën* extra admotam venarum orificia claudere, & ita ſanguinem undecunque fluentem ſiſtere: Intus vero ſumptam, ut in venas penetret, ſanguinem ciere: habet enim extra admota vim quandam denſandi, adſtringendi & glutinandi: Eadem, quia valde attenuat, ſanguinem fervidiorem reddit & quaſi fundit: *Dioſcor.* & *Plinius* eam in potu ſumptam ſanguinem profluentem compeſcere quidem ajunt, ſed loquuntur de ſanguinis expulſione quæ fit venâ aliqua apertâ: tunc enim externi medicamenti loco eſt, quæ orificio venæ aperto pota affluens illud claudit, non minus ut extra vulneri alicui applicata. Data opera omitto in pleriſque pilulis à me præſcribendis Aloën, quoniam in multis cum moleſtia, & quandoque noxa, hæmorrhoides aperire ſolet. *Fr. de le Boë Sylvius Pract. l. 1. c. 34. Sennertus Pract. l. 3. p. 2. ſ. 2. c. 13.*

III *Aloë* an totum corpus vacuat? *Gal.* 6. ſimpl. inter medicamenta ſtercoraria reponit: Idem lib. de Theriaca ad Piſon. cap. 4. totum corpus expurgare ait. Dic exiguâ quantitate ſumptam ex ventriculo & inteſtinis vacuare: In majori à toto corpore ducere. Dic 2. quod cum affectus capitis & ſuperiorum partium ferè per conſenſum ab inferioribus partibus oriantur, his expurgatis, caput & totum ab excrementis evadent immunia. *Zacutus Pharmac. c. 5.*

IV. Aloe an infenſa Hepati? *Plinius* l. 27. c. 4. *Paulus* l. 7. c. 4. & *Meſuë*, hepar juvare dicunt: *Avicenna* 14. 3. tr. 4. id lædere affirmant: Dic, Aloë lædit hepar calidum: Gal. 3. κ. τ. c. 2. ait infeſtiſſimam eſſe, etiam lotam, iis qui citra vitioſos humores calidâ & ſiccâ intemperie premuntur; *Idem.*

V. Aloë cibo ſumpto an poteſt exhiberi? Author. l. Gal. adſcripti de ſimpl. med. ſic ſcribit, *Aliiposſt coenā bina aut trina grana aloës, ciceris magnitudine devorant, quoniā corpus procurat, & eſcam non corrūpit.* Plinius l. 27. c. 4. *Si difficilius coquuntur cibi, bibitur à coena aloë, modico intervallo.* Contra Paulus l. 7. c. 4. & 6. aloën a cibo interdicit, quia impeditur aſſumpto cibo expurgatio; & quia eſcæ medicamentis mixtæ corrumpuntur. Dic, *Plinius* valde exiguâ copiâ dat ad firmandam & juvandam coctionē, & author l. de ſimpl. grana bina aut tria, quæ quantitas roborare ventriculū, non expurgare potis eſt: Si magna quantitate ſumatur, lædet & cibum corrumpet: *Zacutus ibid.*

VI. *Aloë* an correctione eget? authore *Paulo* l. 7. c. 4. non eget alio medicamento ſibi permixto, quod malitiam retundat, ſecurum enim eſt medicamentum, partes firmans; *Galenus* tamen 8. κ. τ. c. 2. maſtichen & cinnamomum addi jubet: Dic, In Aloe duplex eſt facultas, amara & adſtringens, hæc ſtomacho grata eſt, illa infeſta & eum ſubvertit, quam *Galenus* maſtiche & cinn. frænat. *Zacutus ibid.* De ea notat *Wedelius* 1. melius extrahi leniendi fine, aqueis quam ſpirituoſis. 2. melius operari dozi minori. 3. melius convenire zythopotis. *Hofmannus in ſclavi Schrod.* Sca-

ventriculis amicam eſſe ait, & quia ſint fri-gidiores, & quia laborent ſæpe acida cruditate, cui maxime reſiſtunt amara; at ab ea caven-dum vbi citra vitioſos humores intemperie ſicca laborant.

VII. Non ut pleriſque viſum eſt, *Caſſia* ideo alvum ſolvit quia mollis eſt & lubrica, ſed quia peculiari dote purgatoria pollet, qua utramque bilem & pituitam craſſam, non ex inteſtinis tan-tum, ſed etiam è toto infimo ventre copioſam detrahit; Ea ergo melancholicos atrabilarios frequenter uti expedit. *Enchir. Med. Pract. pag.* 233.

VIII. Non ſunt imitandi qui in Renum af-fectibus eorumque Squallore, phlogoſi, & in-flammatione veſicæ exhibent; quin licet ſit lene, eſt tamen diureticum medicamentum, humores quos ducit ad renes & veſicam convocans. *Zacu-tus Pharmac. c.* 2.

IX. Non detur his quibus vlcus eſt in reni-bus (*Caſſia*) & veſica: calculoſis tamen conve-nit, nam perenni vſu arenularum focum ſubdu-cit: In arthritide non temere danda illa, nam pars ejus in nutricatum abit, & ita laxas partes reddit & fluxionibus obnoxias. *Heurnius m. m. l.* 2. *c.* 22. His qui nimia venere vſi ſunt, & ob id ſuccis abundant crudis, ſumme adverſa eſt, quod flatuoſa ſit & torminoſa. *Mercatus l. de Ind. med. l.* 1. *c.* 6. *Caſſia* inflammato ventriculo nocet, ob laxitatem, nam laxatis meatibus facilius con-fluunt humores, ac initio debentur repellen-tia. *Saxonia Pral. Pract. p.* 2. *cap.* 8. Ardorem vrinæ ab ipſa augeri obſervavi *Horſtius lib.* 4. *Obſerv.* 34.

X. *Carthami* ſemen non tam purgat quam mo-vet flatus. *Walaus m. m. p.* 45.

XI. *Colocynthis* potenter expurgat, cerebrum præſertim; ſed vehemens eſt illius operatio & ſummo amarore infenſa: corrigitur utrumque in-fuſione in vrina: ſic enim amaritudinem exuit, & ferè inſipidum remedium evadit: Tum vehemen-tia illius ita infringitur ut ad ℨj. tutò exhiberi va-leat: ſicque excellens ad omnes capitis morbos, à cauſa frigida oriundos eſt remedium. *Riverius l.* 1. *c.* 15.

XII. Semper ubi *veratrum* ponitur in parva quantitate, illi miſcendum eſt vel dacrydium, vel aliud forte medicamentum, quod illud foras è cor-pore pellat; alioqui diutius manet in corpore, & il-lud conturbat gravemque noxam infert. *Rondele-tius cap. de Paralyſi.*

XIII. Niger innocens eſt: valet ad quarta-nas, affectus omnes melancholicos pituitoſos con-tumaces: Quidam eruditus Medicus ad quarta-nam exhibuit ʒß. & feliciſſimè liberavit ægrum; nam fruſtra, & ſine purgatione primum dederat drachmam & ℈ij. propinatur ex hydromelite; vel decocto polypodii, cum aniſo, cumino, laſere. *Heur-nius comm. in lib.* 2. *de vict. acut. t.* 11.

XIV. *Manna* ob flatuum vbertatem, & quod citò bileſcat, pichrocolis, & quibus interiora im-pensè uruntur, tutò propinari nequit. *Hollerius de morb. int. cap.* 41.

XV. *Mechoacanna* In febribus ſpuriis, compoſi-tis, erraticis, divinum medicamentum, bilioſa tam craſſos quam tenues: pituitam & tenuem & craſſam purgat: humores putridos expellit; flatus reſolvit & cutit: Mundificat hepar, obſtructiones demodo validè roborando: Obſtructiones, & quaſcunque obſtructionibus natas ægritudines ſanat: valet ad renum paſſiones à craſſis humoribus: ad uteri-nas, quæ à craſſis flatibus: ad omnem dyſpnœam: ad dolores inteſtinorum & ſtomachicos, valentet ven-triculum roborando & calefaciendo: Mundificat cerebrum & nervos: eximium ad podagram alioſ-que articulorum dolores: Tandem in eo reperiun-tur virtutes omnes quæ in Rhabarbaro & Agarico ſimul mixtis inveniuntur, quibus anteferendum. Re-quiritur verò ut ſit recens hæc radix, non lignoſa vel carioſa, ne quis ſine fruſtretur &c. *Gabelchoverus cent.* 1. *curat.* 13. *vbi plurima de ejus efficacia.* Pro-pinatur cum cerevíſia, vel immiſcetur conſervis, e-tiam electuariis ſolutivis: formantur inde etiam ca-tapotia: Infuſum parum aut nihil operium exerit: cavendum autem ne in prandio vinum hauriatur, quod non ſolum ejus facultates remoratur & hebe-tat, verum etiam omnino impedit atque pelſundat: idcirco cum nimium purgando vires dejicit, hau-ſtus vini, vel offa panis vino madefacta exhibetur. *Abr. Seiler in Epiſt. Scholtzii,* 9.

XVI. *Mercurij* dulcis vſu bimulus puer, nihil proficienſe ligni decocto, (ad gr. viij.) luem à nutri-ce contractam ſuperavit, narrante *Paulo Schlegelio*: hiſtoriam refert L. *Riverius* cent. 1. Obſ. 95. Alium ex infecta natum, à 15. partus die, Mercurii dulcis gr. ij. vel iij. cum ſaccharo & lacte, ad menſem aſſumptis, convaluiſſe author eſt S. *Formius* ad eundem Obſ. 26. Silentio tamen præterire nolo Senibus etiam ab hujus uſu quandoque inteſtinum prolabi: quibus humore pituitoſo plurimum ſcatentibus, quævis fortitan mercurialia non uſque commoda vel tuta *I. Rhodius cent.* 3. *Obſ.* 84. Mercurius ſi loco pur-gantis fuerit exhibitus, ſeceſſus generat ex cæruleo viridantes. *Samuel Cloſſæus apud Horſtium tomo* 2. *pag.* 545.

XVII. *Myrobalani* nunquam debent miſceri cum forti aliquo medicamento, quia illa violenta diutius in corpore manentia, ob vim myrobal. ad-ſtrictoriam, noxam in corpore inferunt aliquando gravem: quare debent potius miſceri ea purgantia cum aliis quæ citò expellunt è corpore. *Rondeletius cap.* 36. *l. t.*

XVIII. *Rhabarbarum* non tam calidum inve-nitur apud nos, quemadmodum Itali illud perhi-bent: fortitan diverſitas regionis in cauſa eſt. *Va-laus m. m. p.* 46. Legitimum & integrum Rhabarba-rum tolerat vehementem triturationem, laxum & rarum minimè: hoc enim valde tritum, ob calorem vehementem exagitatione contractum, vim purga-toriam amittit. Fortiter tritum fit vigoroſius ad ad-ſtringendum & incraſſandum, nam ex motu valido vis ignea exhalat purgatrix, remanet ſtyptica & ter-rea, ad roborandum efficax. *Zacutus Pharmacop. c.* 1. *de purgant.* Correctione modica eget ex cin-nam. ſcoenantho, ſi obſtructio adeſt, ut facile ſpargi per venas poſſit: Sociatur plerumque ſpica, ſed in iis qui vomunt ex facili, & in gravidis, aut ubi febrilis calor inæſtuat, ab ea abſtinendum. In morbo ſquali-do, ab uſu rhabarb. illico frigida & humida ſubnecti debent. *Heurnius meth. l.* 2. *c.* 22.

XIX. Scammonium anima eſt purgantium, & optimum omnium pharmacorum, modo cum iudicio vſurpetur, quia vehemens eſt, nec nimis calidum & ſiccum. *Valaus ibi-dem.* Optimè correctum eſt Scammonium in electar. de ſucco roſar. quo ego plerum-que utor cum ſcammonii neceſſitas incidit. Nunquam detur in juſculis, id enim pernicioſum. *Heurnius.*

XX. *Sam-*

XXI. *Sambucus, Ebulus, Iris* Excludenda ſunt à cenſu purgantium, licet enim non multum purgant, id tamen quod evacuant ſumma cum vehementia peragunt *Walæus*.

XXI. In infuſion *Roſarum* perficienda id notandam eam nunquam mente Majio abſolvi; nec ex novâ infuſione debere fieri ſyrup. aut mel: quoniam prius ſubſiſtit aliquantiſper, & poſtea ebullit tanquam muſtum. Si non expectatur donec ebullitio totaliter deſierit, quæ Junio abſolvitur, tormina facillimè excitabit: vel irritata natura, copioſiſſimas aliquando & periculoſiſſimas faciet dejectiones; unde Septalius animadv. 47. l. 3. ſyr. roſ. ſol. inter purgantia numerat, ex copioſa dejectione quæ facile ex hujuſmodi infuſione non perfecta provenit. Nec metuendum ne infuſio vetus invalida ſit, quia, ut expertus probavi, feliciter & ſine læſione alvum ſolvit. *Panarolus Pent.* 5. *Obſ.* 34. Non videtur nobis per ſe id præſtitiſſe quod ait Septalius l. c. adulteratus nonnunquam à Pharmacopœis, laborem crebræ infuſionis ſubire renuentibus, dacrydio. *Rolfinccius*. Pregnanti non detur ſuccus Roſar. quod grato odore ab utero captus, venas ejus plerumque aperiat *Heurnius*.

XXII. An Purgantia exhibenda in ſubſtantiâ, an in Extracto? Cùm portio tantum quædam in medicamentis hæreat, quæ purgat, non vero omnis ejus particula hanc vim in ſe habeat, omnino conſultum eſt ut arte Chemica utilem partem ab inutili, puram ab impura ſeparemus, mediante conveniente liquore purgatricem illam portionem extrahamus. Remanentiæ illæ quæ in extracto manent, prorſus non purgant licet vel ℥iij vel ℥iv exhibeas, exceptâ ſola colocynthide. Decoctum minus operatur quam Infuſum. Extractum magis quàm Infuſum: In Extracto enim nihil quam reſinoſa illa portio purgatrix eſt, in Infuſo adhuc multum de liquore: Huc experiri poteris ſi infuſo alicui aquam frigidam infuderis, præcipitabitur enim reſinoſa ſubſtantia, & liquor nullius efficaciæ ſupernatabit. *Wallæus m m. p.* 49. NB. In Extractis opus eſt aliquo ſegregativo & diſſolutivo. Exhibita eſt nuper puerperæ ℈i reſinæ ſcammonii, abſque ſucceſſu purgationis. *Walæus p.* 48. *&* 50. *m. m.* Cautione in compoſitione Ecchylomatum purgantium opus eſt, ne remiſceantur paucis purgantibus valida calfacientia & ſiccantia: nam dum parum alvum ciebunt, à leptomeria remedii metus erit, ne agitati ſucci & attenuati, nobilibus partibus imbibantur, & penitus illapſi validius obſtruant. *Heurnius m. ad Pr. l.* 2.

XXIII. Narrabat *A. Spigelius* pulveris uſum, quē in ſingulari libello commendavit *Marcus Cornacchinus*, Romæ ſub pœna damnationis ad triremes fuiſſe prohibitum, quod eum Medicus quidam plurimorum exitio olim exhibuiſſet, At quia ſuis quoque experimentis, in febribus maximè Tertianis, non tantum innocuum ſed & ſaluberrimum invenerit, vix aliam cauſam fingendam ſibi perſuadebat quàm quod ex arte ſtibium ab illo non fuiſſet præparatum, Nimirum cum diaphoreticum, nitri additamento, conficere vellet, in vitrum dubio procul imperitus redegit, unde deinceps cruciatus illi & ſtomachi ſubverſiones, cum animi deliquiis, convulſione aliiſque accidentibus lethiferis ſubortis: cæterum præſtantiæ medicamenti errantium infelicitas nihil derogare debuiſſet. *Velſchius Obſ.* 98.

XXIV. *Aëtius* miris encomiis vehit *Hieram Ruffi*, nam aſſirmat hanc pravas materias ſolum, intactis bonis, excludere, ventriculum firmare, appetitum redintegrare, flatus diſcutere. Sed ut ſententiam meam aperiam, non tutus mihi videtur uſus Hierarum Magnarum; hoc Uſu & Ratione doctus aſſero: Uſu, nam dum eas in Italia exhiberi vidi, a doctiſſimis alioqui Medicis, nunquam impunè & ſine trepidatione id factum novi, graviſſima enim ſymptomata patiebant: Ratione, nam colocynthidem accipiunt non ritè paratam, & cujus vis aromatum acceſſione non æquè miteſcit: quare, ſi qui his utuntur author ſum ut ejus loco utantur trochiſcis alhandal. *Heurnius de morb. cap. c.* 15.

XXV. *Hydragoga* pharmaca ferè infinita ſunt & periculi plena, nativa enim fœditate quadam Iecori partibuſque principibus bellum indixere: propterea nunquam bonis ægri rebus offeruntur, ni talia remixta illis fuerint quæ alia fœdam hanc injuriam eluere, ac nobilibus viſceribus robur aſpirare poſſint: langueſcit enim hepar fere ubi ab incurſu aquæ madeſcit. Quare ſuadet ratio, ac uſus id docet, cum ſyrupo de eupatorio Meſuæi ea eſſe propinanda &c. Leniora quæ ſunt, hominibus tuoſſibus dabuntur, & prægnantibus interdum, ſed non temere. Validiora, nec pueris, nec ſenibus aut prægnantibus offerenda, nam menſes evocant & plerumque fœtum præcipitant. Nec extenuatis aut bilioſis præſcribenda: nec febre aut acuto morbo correptis, & flagrante ab æſtu cœlo non conferunt: hæc enim robuſtis hominibus dicari debent, qui diu frigidis morbis implicati fuere, iiſque temperato frigidiorique aëre. *Heurnius meth. lib.* 2. *c.* 26. vide an.

XXVI. *Pilula Aloëtica*, ſive Francofurt. ſive aliæ, ut recte operentur in tres dozes tribus vicibus ita debent ſumi; prima ſcilicet ante, vel à parca cœna: altera ſubſequente die, mane, tertia, eodem die veſperi: Sic ut expertus ſum ego, & teſtatur Horſtius Tom. 2, obſ. 12. l. 2. non poſſunt non copioſe & ſuaviter evacuare, cum una dozis alteram quaſi pellat. *Hoëferus Herc. med. l.* 1. *c.* 5.

XXVII. Qui ſeſe ad Medicinam faciendam conferunt, id velim obſervent, Medicos qui per totas Gallias, (loquor & de Belgis) ad exercitationem Medicam ſe conferunt, maximam facere pecuniam ex his remediis qui uno ductu varios humores prolectant, & bonis ægrorum rebus id plerumq; faciunt, quare & fere tota eorū ars in eo conſiſtit: Propterea author ſum ut ſelecta medicamina, quæ præclare hac potentia dotata ſunt, quiſque prompte ad manum habeat, ſummo ſtudio nitatur. *Heurnius m. l.* 2. *c.* 25.

XXVIII. *Fernelius* Ungu. deſcribit quod illitum abdomini violenter purgat, Sed illius & ſimilium uix periculum facias citra famæ jacturam: inſerta namque muſculis & membranis vis purgatoria letbale ſæpe alvi profluvium ciet. *Enchir. Med. Pract. p.* 240. vide Hildanum l. de Dyſent. cap. 8.

XXIX. *Manna* etſi tenues humores evacuet, non tamen ab ea abſtinendum ubi humores ſunt præparati, qui ſunt in venis meſaraicis, præſertim ſi ſit junctus catarrhus cum febre. Vide ego ſæpe quod Manna licet tenues humores evacuet, aperit obſtructiones, & facta præparatione vidi citiùs fieri.

XXX. Datem vero ipſam in veſperà, imò felicius operatur, ut eſt mos Romæ ut libentius dent in nocte, & experiuntur feliciter operari, ſed ante cibum ſtatim, datur ab ℥iß ad ℥ij *Montanus Conſultat.* 43.

Ffff

hac vero penitus ablata nullomodo purgat: hinc vitrum & crocus ejuſdem in infinitum quaſi vires purgandi obtinent; hinc ipſum ſulphur ejuſdem, licet ob partes ſalinas refractas mitius, adhuc vomitum movet: Aſt antimon. diaphoreticum, ubi nitri acceſſione ſufficienti omnes illæ partes avolarunt & expulſæ ſunt, ſudoriferum potius eſt; & ad ℈ß. ℈j. & amplius ſumi poteſt, licet fuſorio igne adhibito denuo in regulum redire ſoleat. Notandum quoque quamdiu non expanſum eſt antimonium, nec particulæ ſalinæ mercuriales & ſulphureæ explicitæ, tamdiu quoque id non purgare: Hinc crudum id non æque præſtat, quin à nonnullis inter antepileptica interius etiam infantibus exhibetur. *G. W. Wedelius de m. S. Fac. pag.* 136.

CXIII. Omnia purgantia æque purgant omnes humores, ſed non omnes tam bene, ſeu, quod quaſi conſectarium eſt, qui humor magis abundat ille etiam magis evacuatur: Sunt tamen quæ magis ſerum irritant, ſunt quæ magis bilem, ſunt quæ magis alvi fæces, ſunt etiam quæ horum vitiis conſultius, non tam naturæ quam ob alias circumſtantias adhibentur: Sed conceſſo omnia ab omnibus evacuari purgantibus, bilem, ſerum, fæces inprimis, dicimus 1. Quæ bilem evacuant eadem & melancholiam purgare (melancholia enim nunquam eſt ſine bile, ſive acidis ſit obtuſa, ſive acrimonia quaſi ſublimata) uti v. g. ſenna, rheum, ſcammonium & helleborus, hanc inter ſe convenientiam habent ut ſenna à rhabarb. ſcammonium ab helleboro tantummodo gradibus differant: 2. Quæ Pituitam liquaor & evacuant, eadem & ſerum educere, conceſſo, quod alibi innuimus, pituitam nihil eſſe quam ſerum concretum, ſive in fieri, ſive in facto; Sic agaricus & gummi guttæ, mechoac. & gialapium, colocynthis & elaterium gradibus invicem ſolum maxime diſtant & quaſi certant. *Idem p.* 140. Concludimus 1. quæcunque purgantia magis ſunt reſolubilia, ſeu reſinam habent reſolubiliorem, magis purgare ſerum, exemplo elaterii, g. guttæ, agar. mechoac. eſulæ. 2. Quæcunque minus ſunt reſolubilia, ſeu reſinam ſulphuream habent minus reſolubilem, illa bilem magis purgant, ut ſcammon. reſina gialapii &c. 3. Quæ medio modo ſe habent, ut inprimis ſena, rhabarb. & gialapium in ſubſtantia, & bilem & ſeroſos humores educere eſſeque magis panchymagoga. 4. Quæ leniter id exſequuntur, & irritant, fæces potiſſimum educere, ſive id fiat emolliendo, ut pruna; ſive abſtergendo ſive aliis modis. *Idem pag.* 151.

CXIV. Occurrunt non pauci, etiam Practici, qui arbitrantur medicamenta Purgantia, quoties aſſumpta humores per alvum non expellunt, valde nocere, Quod effatum nunc à me ridetur, quod contrarium me docuerit experientia &c. Purgantia enim ſi rite, h. e. quantitate, tempore, modoque convenientibus exhibeantur, ſemper conducent, nunquam nocebunt ægris, quamvis mox nihil expurgent humorum peccantium, quippe quos tunc alterant, corrigunt, & ad ſequuturam poſtea evacuationem blandam præparat. *Sylvius Append. Tract.* 4. §. 234. Vide tit. de ſudorif. §.

CXV. Si verno tempore *Bilis* abundet in corpore, cum metus ſit ne ſuperveniente Solis æſtu in actum deducatur Bilis effuſio nimia è ſuo folliculo, hinc & affectus plures excitentur, à prudente Medico minuetur Bilis: & imprimis per *Alvum*: tanquam viam conſuetam modumque magis facilem: non item per vomitum, niſi in aſſuetis atque facile vomentibus, in quibus etiam Vomitus excitatur plerumque ab ipſis catharticis; quibus & tunc tutius quoque utimur quam vomitoriis; poſtquam humoribus bilioſis ſponte ſurſum vergentibus, etiam à blandis catharticis ſequitur vomitus blandior, qui ſæpe obſervatur vehementior ac violentior aſſumptis Vomitoriis, quæ majorem corpori vim inferunt, ipſumque gravius agitant, ſecus atque cathartica, quæ longe blandius vim ſuam exercent, Unde aliquando Vomitoria junguntur Catharticis: Nullus autem humor eſt in homine qui facilius educitur per vomitum ac ſeceſſum quam Bilis, cum ſit omnium maxime mobilis & volatilis, Cæteri vero Pituita, & Humor melancholicus, ſive Pancreaticus, minus mobiles & magis fixi, adeoque inteſtinis, aliiſque partibus tenacitate ſua, vel aciditate arctius adhærentes, ac ſegnius cedentes, atque educi apti. *Sylvius de le Boë m. m. lib.* 1. *c.* 15.

PURGANTIA.

SYLLOGE.

Purgantium fermentatio variat dozin & vires. 1.
Aloe *an ora vaſorum aperiat.* 2.
An totum corpus evacuet. 3.
Hepati an noceat. 4.
An a cibo exhibenda. 5.
An correctione egeat. 6.
An lavanda. 43.
In intemperie ſicca noxia. 44.
Agarici *correctio.* 40. 56.
Canthamus *vix purgat.* 10.
Caſſia *eſt purgans, non leniens.* 7.
Cautiones in exhibitione. 45.
An diuretica. 8.
Quibus noxia. 9.
Catholica *purgantia.* 27.
Colocynthidis *correctio.* 11.
Ebulus *vix purgat.* 20.
Elleborus *ſtimulo eget.* 12.
Minore quam par eſt dozi exhibetur. 13.
Epomphalia *non tuta.* 28.
Extracta *ſubſtantiæ an præferenda.* 22.
Cryſtalli Lunæ *vis & exhibendi ratio.* 48. b
Hieræ *magnæ non tuta.* 24.
Hydragoga *ut plurimum noxia.* 25.
Iris *vix purgat.* 20.
Ialapa *quomodo exhibenda.* 41.
Non debet dari quando humores ſunt in motu. 42. c
Uſus quam ſcammonii tutior. 42.
Ejus reſina quomodo uſurpanda. 46.
An in infuſo & decocto operetur.
Lapis Lazuli *an in cenſu purgantium.* 31.
Manna *quibus noxia.* 14.
Qua hora danda. 30.
An ſolum tenues humores vacuet. 29.
Circa uſum cautiones. 49.
Mechoacanna *purgans præſtantiſſimum.* 15.
Vinum ejus actionem impedit. 15.
Mercur. d. cum merc. vitæ mixtus quomodo ſit catharticus. 51. a
Merc. dulc. uſus eſt tutus. 16. 50. a

Illius dotes. 51. b.c.
Mercurialibus jungenda alia cathartica. 51.
Cautiones in exhibitione mercurialium. 51.
Mercurialia omnibus non competunt. 52.
Mercurius vita ſenibus nocet. 53.
Mercur. præcipitati virulentia. 39.
Mercurius dulcis cur corroſivo tutior. 50.
Myrobalani *non debent admiſceri fortibus purgantibus.* 17.
An confricanda oleo amygd. dulc. 56. a 33.
Pilulæ *lenes* Aloeticæ *quomodo ſumendæ.* 26.
Gummi Gotte *elegans præparatio & correctio.* 48. a
Ptiſanæ laxativæ *efficacia.* 37.
Pulvis Cornachini *tutus.* 23. 61.
Rhabarbari *temperies, Correctio.* 18.
Ejus vis purgans toſtione non perit. 35.
Caput ferit. 54.
Ejus ſubſtantia quam dilutum magis purgat.
Sambucus *vix purgat.* 20.
Scammonium *juſculis dilutum admodum nocivũ.* 33.
Optimum eſt purgans. 19. 55.
Legitima correctio. 55.
Quomodo exhibendum. 41.
Senna *quando tormina excitat.* 34.
Vinum odoratum ejus correctivum. 35.
Vera correctio. 56.
Ventriculo non nocet. 36.
Turpethi *correctio.* 56. 40.
Infuſio roſarum *quo tempore paranda.* 58. b
A ſyrupo roſarum *hypercatharſis.* 56.
Syr & mel roſarum quando præparanda. 21.
Syrupus roſ. ex pluribus infuſionibus non refrigerat. 58. a
An leniens tantum, an purgans. 57.
Syrupus violatus *plurium infuſionum præferendus parato è ſuccis.* 59.
Vini abſynthitis *abuſus, Ubi de abuſu Purgantium & clyſterum.* 60.
Vinum utiliſſimum ad potiones ex reſinoſis *parandas.* 47.
Pulveris Cornachini *emendatio.* 61.
Simplicia Extracta meliora compoſitis. 62.
Extracta pigriora ſunt. 63.
Circa Sennam & Rheum infundenda cautio. 64.
Potiones ex Electuariis parata certiores & tutiores quam quæ ex infuſis. 65.

I. **P***Harmaca purgantia*, ſi ſola exhibeantur, non debent ſummam dozin tranſcendere: Quod ſi cum aliis exhibeantur, ſi quidem non fiat fermentatio, ne tunc quidem purgans vltra ſummam ſuam dozin exhibendum: Si autem fiat fermentatio, licet ſummam dozin tranſcendere, quia fermentatione vis purgantium reſtingitur. Sic pilul. Fœtidar. ſumma dozis eſt ℨiß. vbi euphorbium exhibetur ad gr. xv. cum tamen ſumma ejus dozis non excedere debeat gr. xij. Sed hæ pilolæ, niſi ſint fermentatæ non ſunt in hac dozi exhibendæ. Hiera Alexandri componitur ex aloë; agar. polypod. opopan. ſagapeno, veratro, colocynth. ſcammon. Dubitatur autem de Scammonio, Nam Alex. monet dum exhibetur purgans, nihil eſſe miſcendum loco ſtimuli, quale eſt Scammonium: nam purgans ob ſcammonium, ſeu ſtimulum, redditur inutile: Dum enim volumus purgare pituitam ſeu melancholiam, quæ materiæ cum difficultate purgantur, non prodeſt purgans citò ad ventrem deferri, ſed expedit ut diu moretur in ventriculo, ut efficacius agat & melius vis purgantis diſtribuatur: ♃. Si fiat fermentatio, poteſt ſcammonium miſceri cum medicamentis, & ſic Alex. hic miſcuit: Si autem non fiat fermentatio medicamenti, ſi exhibeatur ad materiam frigidam purgandum, cum Alexandro, nihil eſt miſcendum quod ſtimuli habeat rationem: Si autem purgans non fermentatum exhibeatur ad purgandum materiam calidam vel bilioſam, licet miſcere aliquid loco ſtimuli: cum enim purgans ſit calidum, prodeſt ut diu non moretur in ventriculo, ſed ſtatim deſcendat. *Capivaccius Pract. l.* 1. *c.* 24.

II. *Aloën* orificia venarum aperire Arabum pleriq; aſſerunt: Dioſcorides autem vim adſtringentem habere ait, & cum frigidâ potum ſanguinis excretiones cohibere: *Galen.* 6. ſimpl. ait eam glutinare: Dic *Aloën* extra admotam venarum orificia claudere, & ita ſanguinem vndecunque fluentem ſiſtere: Intus vero ſumptam, ut in venas penetret, ſanguinem ciere: habet enim extra admota vim quandam denſandi, adſtringendi & glutinandi: Eadem, quia valde attenuat, ſanguinem fervidiorem reddit & quaſi fundit: *Dioſcor.* & *Plinius* eam in potu ſumptam ſanguinem profluentem compeſcere quidem ajunt, ſed loquuntur de ſanguinis expulſione quæ fit venâ aliqua apertâ: tunc enim externi medicamenti loco eſt, quæ orificio venæ aperto pota affluens illud claudit, non minus ut extra vulneri alicui applicata. Data opera omitto in pleriſque pilulis à me præſcribendis Aloen, quoniam in multis cum moleſtia, & quandoque noxa, hæmorrhoides aperire ſolet. *Fr. de le Boë Sylvius Pract. l.* 1. *c.* 34. *Sennertus Pract. l.* 3. *p.* 2. *ſ.* 2. *c.* 13.

III. *Aloë* ſolo totum corpus vacuat? *Gal.* 6. ſimpl. inter medicamenta ſtercoraria reponit: Idem lib. de Theriaca ad Piſon. cap. 4. totum corpus expurgare ait. Dic exiguâ quantitate ſumptam ex ventriculo & inteſtinis vacuare: In majori a toto corpore ducere. Dic 2. quod cum affectus capitis & ſuperiorum partium ferè per conſenſum ab inferioribus partibus oriantur, his expurgatis, caput & totum ab excrementis evadent immunia. *Zacutus Pharmac. c.* 5.

IV. Aloe an infenſa Hepati? *Plinius* l. 17. c. 4. *Paulus* l. 7. c. 4. & *Meſuë*, hepar juvare dicunt: *Avicenna* 14. 3. tr. 4. id lædere affirmant: Dic, Aloë lædit hepar calidum: Gal. 3. K. T. c. 2. ait infeſtiſſimam eſſe, etiam lotam, iis qui extra vitioſos humores calidâ & ſiccâ intemperie premuntur; *Idem.*

V. Aloë cibo ſumpto an poteſt exhiberi? Author. l. Gal. adſcripti de ſimpl. med. ſic ſcribit, *Aliu poſt coenã bina aut trina grana aloës, ciceris magnitudine devorans, quoniã corpus procurat, & eſcam non corrũpit.* Plinius l. 27. c. 4. *Si difficilius coquuntur cibi, bibitur a coena aloë, modico intervallo.* Contra Paulus l. 7. c. 4. & 6. aloën à cibo interdicit, quia impeditur aſſumpto cibo expurgatio; & quia eſcæ medicamentis mixtæ corrumpuntur. Dic, *Plinius* valde exiguâ copiâ dat ad firmandam & juvandam coctionẽ, & author l. de ſimpl. grana bina aut tria, quæ quantitas roborare ventriculũ, non expurgare potis eſt: Si magna quantitate ſumatur, lædet & cibum corrumpet: *Zacutus ibid.*

VI. *Aloë* an correctione eget? authore *Paulo* l. 7. c. 4. non eget alio medicamento ſibi permixto, quod malitiam retundat, ſecurum enim eſt medicamentum, partes firmans; *Galenus* tamen 8. K. T. c. 2. maſtichen & cinnamomum addi jubet: Dic, In Aloe duplex eſt facultas, amara & adſtringens, hæc ſtomacho grata eſt, illa infeſta & eum ſubvertit, quam *Galenus* maſtiche & cinn. frænat. *Zacutus ibid.* De ea notat *Wedelius* 1. melius extrahi leniendi fine, aqueis quam ſpirituoſis. 2. melius operari dozi minori. 3. melius convenire zythopotis. *Hofmannus* in clavi *Schrod.* Se-

venctriculis amicam eſſe ait, & quia ſint fri-.ores, & quia labntent ſæpe acida cruditate, .i maximc reſiſtunt am ra; at ab ea caven-.um vbi citra vitioſos humores intemperie ſicca laborant.

VII. Non ut pleriſque viſum eſt, *Caſſia* ideo alvum ſolvit quia mollis eſt & lubrica, ſed quia peculiari dote purgatoria pollet, qua utramque bilem & pituitam craſſam, non ex inteſtinis tantum, ſed etiam è toto infimo ventre copioſam detrahit; Ea ergo melancbolicos atrabilarios frequenter uti expedit. *Enchir. Med. Pract. pag.* 233.

VIII. Non ſunt imitandi qui in Renum affectibus eorumque Squallore, phlogoſi, & inflammatione veſicæ exhibent; quin licet ſit lene, eſt tamen diureticum medicamentum, humores quos ducit ad renes & veſicam convocans. *Zacutus Pharmac.* c. 2.

IX. Non detur his quibus vlcus eſt in renibus (*Caſſia*) & veſica: calculoſis tamen convenit, nam perenni vſu arenularum ſucum ſubducit: In arthritide non temere danda illa, nam pars ejus in nutricatum abit, & ita laxas partes seddit & fluxionibus obnoxias. *Heurnius m. m. l.* 2. *c.* 22. His qui nimia venere vſi ſunt, & ob idſuccis abundant crudis, ſumme adverſa eſt, quod flatuoſa ſit & torminoſa. *Mercatus l. de Ind. med. l.* 1. *c.* 6. *Caſſia* inflammatn ventriculo nocet, ob laxitatem, nam laxatis meatibus facilius confluunt humores, ac initio debentur repellentia. *Saxonia Pral. Pract. p.* 2. *cap.* 8. Ardorem vrinæ ab ipſa augeri obſervavi *Herſtius lib.* 4. Obſerv. 34.

X. *Carthami* ſemen non tam purgat quam movet flatus. *Walens m. m. p.* 45.

XI. *Colocynthis* potenter expurgat, cerebrum præſertim; ſed vehemens eſt illius operatio & ſummo amarore infenſa: corrigitur utrumque infuſione in vrina: ſic enim amaritudinem exuit, & fere inſipidum remedium evadit: Tum vehementia illius ita infringitur ut ad ℥j. tutò exhiberi valeat: ſicque excellens ad omnes capitis morbos, à cauſa frigida oriundos eſt remedium. *Riverius l.* 1. *c.* 15

XII. Semper ubi *veratrum* ponitur in parva quantitate, illi miſcendum eſt vel dacrydium, vel aliud forte medicamentum, quod illud foras è corpore pellat; alioqui diutius manet in corpore, & illud conturbat gravemque noxam infert. *Rondeletius cap. de Paralyſi.*

XIII. Niger innocens eſt: valet ad quartanas, affectus omnes melancholicos pituitoſos contumaces: Quidam eruditus Medicus ad quartanam exhibuit ℥ß. & feliciſſimè liberavit ægrum; nam fruſtra, & ſine purgatione primum dederat drachmam & ℥ij. propinatur ex hydromelite; vel decocto polypodii, cum aniſo, cumino, laſere. *Heurnius comm. in lib.* 2. *de vict. acut. t.* 11.

XIV. *Manna* ob flatuum vbertatem, & quod citò bileſcat, pichrocolis, & quibus interiora impensè uruntur, tutò propinari nequit. *Hollerius de morb. int. cap.* 41.

XV. *Mechoacanna* In febribus ſpuriis, compoſitis, erraticis, divinum medicamentum, bilioſos tam craſſos quam tenues: pituitam & tenuem & craſſam purgat: humores putridos expellit; flatus reſolvit & .ucit: Mundificat hepar, obſtructiones demendo validè roborando: Obſtructiones, & quaſcunque obſtructionibus natas ægritudines ſanat: valet ad renum paſſiones à craſſis humoribus: ad uterinas, quæ à craſſis flatibus: ad omnem dyſpnœam: ad dolores inteſtinorum & ſtomachicos, valenter ventriculum roborando & calefaciendo: Mundificat cerebrum & nervos: eximium ad podagram alioſque articulorum dolores: Tandem in eo reperiuntur virtutes omnes quæ in Rhabarbaro & Agarico ſimul mixtis inveniuntur, quibus anteferendum. Requiritur verò ut ſit recens hæc radix, non lignoſa vel carioſa, ne quis fine fruſtretur &c. *Gabelchoverus cent.* 1. *curat.* 13. *ubi plurima de ejus efficacia.* Propinatur cum cerevilia, vel immiſcetur conſervis, etiam electuariis ſolutivis: formantur inde etiam catapotia: Infuſum parum aut nihil virium exerit: cavendum autem ne in prandio vinum hauriatur, quod non ſolum ejus facultates remoratur & hebetat, verum etiam omnino impedit atque perfundat: idcirco cum nimium purgando vires dejicit, hauſtus vini, vel offa panis vino madefacta exhibetur. *Abr. Seiler in Epiſt. Scholtzii,* 9.

XVI. *Mercurij* dulcis vſo bimulus puer, nihil proficienſe ligni decocto, (ad gr. viij.) luem à nutrice contractam ſuperavit, narrante *Paulo Schlegelio*: hiſtoriam refert L. *Riverius* cent. 1. Obſ. 95. Alium ex infecta natum, à 15. partus die, Mercurii dulcis gr. ij. vel iij. cum ſaccharo & lacte, ad menſem aſſumptis, convaluiſſe author eſt S. *Formius* ad eundem Obſ. 26. Silentio tamen præterire nolo Scoibus etiam ab hujus uſu quandoque inteſtinum prolabi: quibus humore pituitoſo plurimum ſcatentibus, quævis fortitan mercurialia non uſque commoda vel tuta *I. Rhodius cent.* 3. *Obſ.* 84. Mercurius ſi loco purgantis fuerit exhibitus, ſeceſſus generat ex cæruleo viridantes. *Samuel Cloſſans apud Horſtium tomo* 2. *pag.* 545.

XVII. *Myrobalani* nunquam debent miſceri cum forti aliquo medicamento, quia illa violenta diutius in corpore manentia, ob vim myrobal. adſtrictoriam, noxam in corpore inferunt aliquando gravem: quare debent potius miſceri ea purgantia cum aliis quæ citò expellunt è corpore. *Rondeletius cap.* 36. *l.* 1.

XVIII. *Rhabarbarum* non tam calidum invenitur apud nos, quemadmodum Itali illud perhibent: forſitan diverſitas regionis in cauſa eſt. *Valaus m. m. p.* 46. Legitimum & integrum Rhabarbarum tolerat vehementem triturationem, laxum & rarum minimè: hoc enim valde tritum, ob calorem vehementem exagitatione contractum, vim purgatoriam amittit. Fortiter tritum fit vigoroſius ad adſtringendum & incraſſandum, nam ex motu valido vis ignea exhalat purgatrix, remanet ſtyptica & terrea, ad roborandum efficax. *Zacutus Pharmacop. c.* 1. *de purgant.* Correctione modica eget ex cinnam. ſcœnantho, ſi obſtructio adeſt, ut facile ſpargi per venas poſſit: Sociatur plerumque ſpica, ſed in iis qui vomunt ex facili, & in gravidis, aut ubi febrilis calor inæſtuat, ab ea abſtinendum. In morbo ſqualido, ab uſu rhabarb. illico frigida & humida ſubvecti debent. *Heurnius meth. l.* 2. *c.* 22.

XIX. Scammonium anima eſt purgantium, & optimum omnium pharmacorum, modo cum iudicio vſurpetur, quia vehemens eſt, nec nimis calidum & ſiccum. *Valaus ibidem.* Optimè correctum eſt Scammonium in electar. de ſucco roſat. quo ego plerumque utor cum ſcammonii neceſſitas incidit. Nunquam detur in juſculis, id enim perniſioſum. *Heurnius.*

XX. *Sam-*

XXI. *Sambucus, Ebulus, Iris* Excludenda ſunt à cenſu purgantium, licet enim non multum purgant, id tamen quod evacuant ſumma cum vehementia peragunt *Walæus*.

XXI. In infuſion *Roſarum* perficienda id notandum eam nunquam mente Majio abſolvi; nec ex novâ infuſione debere fieri ſyrup. aut mel: quoniam prîus ſubſiſtit aliquantiſper, & poſtea ebullit tanquam muſtum. Si non expectatur donec ebullitio totaliter deſierit, quæ Junio abſolvitur, tormina facillimè excitabit: vel irritata natura, copioſiſſimas aliquando & periculoſiſſimas faciet dejectiones; unde Septalius animadv. 49. l. 3. ſyr. roſ. ſol. inter purgantia numerat, ex copioſa dejectione quæ facile ex hujuſmodi infuſione non perfecta provenit. Nec metuendum ne infuſio vetus invalida ſit, quia, ut expertus probavi, feliciter & ſine læſione alvum ſolvit. *Panarolus Pent.* 5. *Obſ.* 34. Non videtur nobis per ſe id præſtitiſſe quod ait Septalius l. c. adulteratus nonnunquam à Pharmacopœis, laborem crebræ infuſionis ſubire renuentibus, dacrydio. *Rolfinccius*. Pręgnanti non detur ſuccus Roſat. quod grato odore ab utero captus, venas ejus plerumque aperiat *Heurnius*.

XXII. An Purgantia exhibenda in ſubſtantiâ, an in Extracto? Cùm portio tantum quædam in medicamentis hæreat, quæ purgat, non vero omnis ejus particula hanc vim in ſe habeat, omnino conſultum eſt ut arte Chemica utilem partem ab inutili, puram ab impura ſeparemus, mediante conveniente liquore purgantem illam portionem extrahamus. Remanentiæ illæ quæ in extracto manent, prorſus non purgant licet vel ℥iij vel ℥iv exhibeas, exceptâ ſola colocynthide. Decoctum minus operatur quàm Infuſum. Extractum magis quàm Infuſum: In Extracto enim nihil quam reſinoſa illa portio purgatrix eſt, in Infuſo adhuc multum de liquore: Hoc experiri poteris ſi infuſo alicui aquam frigidam infuderis, præcipitabitur enim reſinoſa ſubſtantia, & liquor nullius efficaciæ ſupernatabit. *Wallæus m. m. p.* 49. NB. In Extractis opus eſt aliquo ſegregativo & diſſolutivo. Exhibita eſt nuper puerperæ ℈i reſinæ ſcammonii, abſque ſucceſſu purgationis. *Valæus p.* 48. *&* 50. *m. m.* Cautione in compoſitione Eechylomatum purgantium opus eſt, ne remiſceantur paucis purgantibus valida calfacientia & ſiccantia: nam dum parum alvum ciebunt, à leptomeria remedii metus erit, ne agitati ſucci & attenuati, nobilibus partibus imbibantur, & penitus illapſi validius obſtruant. *Heurnius m. ad Pr. l.* 1.

XXIII. Narrabat *A. Spigelius* pulveris uſum, quem ſingulari libello commendavit *Marcus Cornacchinus*, Romæ ſub pœna damnationis ad triremes fuiſſe prohibitum, quod cum Medicus quidam plurimorum exitio olim exhibuiſſet, At quia ſuis quoque experimentis, in febribus maximè Tertianis, non tantum innocuum ſed & ſaluberrimum invenerit, vix aliam cauſam fingendam ſibi perſuadebat quàm quod ex arte ſtibium ab illo non fuiſſet præparatum, Nimirum cum diaphoreticum, nitri additamento, conficere vellet, in vitrum dubio procul imperitus redegit, unde deinceps cruciatus illi & ſtomachi ſubverſiones, cum animi deliquiis, convulſione aliiſque accidentibus lethiferis ſubortis: cæterum præſtantiæ medicamenti errantium infelicitas nihil derogare debuiſſet. *Velſchius Obſ.* 98.

XXIV. *Aëtius* miris encomiis vehit *Hieram Ruffi*, nam affirmat hanc pravas materias ſolùm, intactis bonis, excludere; ventriculum firmare, appetitum redintegrare, flatus diſcutere. Sed ut ſententiam meam aperiam, non tutus mihi videtur uſus Hierarum Magnatum; hoc Uſu & Ratione dictus aſſirmo: Uſu, nam dum eas in Italia exhiberi vidi, a doctiſſimis alioqui Medicis, nunquam impunè & ſine trepidatione id factum novi, graviſſima enim ſymptomata parebant: Ratione, nam colocynthidem accipiant non ritè paratam, & cujus vis aromatum acceſſione non æquè miteſcit: quare, ſi qui his utuntur author ſum ut ejus loco utantur trochiſcis alhandal. *Heurnius de morb. cap. c.* 15.

XXV. *Hydragoga* pharmaca ferè infinita ſunt & periculi plena, nativa enim fœditate quadam Icori partibuſque principibus bellum indixere: propterea nunquam bonis ægri rebus officiuntur, ni talia remixta illis fuerint qualia fœdam hanc injuriam eluere, ac nobilibus visceribus robur aſpirare poſſint: langet enim hepar ſere ubi ab incurſu aquæ madeſcit. Quare ſuadet ratio, ac uſus id docet, cum ſyrupo de eupatorio Meſuæi ea eſſe propinanda &c. Leniora quæ ſunt, hominibus mollibus dabuntur, & prægnantibus interdum, ſed non temere. Validiora, nec pueris, nec ſenibus aut prægnantibus offerenda, nam menſes evocant & plerumque fœtum præcipitant. Nec extenuatis aut bilioſis præſcribenda: nec febre aut acuto morbo correptis, & flagrante ab æſtu cœlo non conferunt: hæc enim robuſtis hominibus dicari debent, qui diu frigidis morbis impliciti fuere, idque tempestate frigidiorique aëre. *Heurnius meth. lib.* 2. *c.* 26. vide an.

XXVI. *Pilula Aloëtica*, ſive Francofur. ſive aliæ, ut recte operentur in tres dozes tribus vicibus ita debent ſumi; prima ſcilicet ante, vel a parca cœna; altera ſubſequente die, mane, tertia, eodem die veſperi: Sic ut expertus ſum ego, & teſtatur Horſtius Tom. 2. obſ. 12. l. a. non poſſunt non copioſe & ſuaviter evacuare, cum una dozis alteram quaſi pellat. *Hoſferus Herc. med. l.* 1. *c.* 5.

XXVII. Qui ſeſe ad Medicinam faciendam conferunt, id verum obſervent, Medicos qui per totas Gallias, (loquor & de Belgis) ad exercitationem Medicam ſe conferunt, maximam facere pecuniam ex his remediis qui uno ductu varios humores prolectant, & bonis ægrotum rebus id pleromq; faciunt, quare & fere tota eorū ars in eo conſiſtit: Propterea author ſum ut ſelecta medicamina, quæ præclare hac potentia dotata ſunt, quiſque prompte ad manum habeat, ſummo ſtudio nitatur. *Heurnius m. l.* 2. *c.* 25.

XXVIII. *Fernelius* Ungu. deſcribit quod illitum abdomini violenter purgat, Sed illius & ſimilium uix periculum facias citra famæ jacturam: inſerta namque muſcolis & membranis vis purgatoria lethale ſæpe alvi profluvium ciet. *Enchir. Med. Pract. p.* 240. vide Hildanum l. de Dyſent. cap. 8.

XXIX. *Manna* etſi tenues humores evacuet, non tamen ab ea abſtinendum ubi humores ſunt præparati, qui ſunt in venis meſaraicis, præſertim ſi ſit junctus catarrhus cum febre. Vide ego ſæpe quod Manna licet tenues humores evacuet, aperit obſtructiones, & facta præparatione vidi citius fieri.

XXX. Datem vero ipſam in veſperâ, imò felicius operatur, ut eſt mos Romæ ut libentius dené in nocte, & experiuntur feliciter operari, ſed ante cibum ſtatim, datur ab ℥iß ad ℥ij *Montanus Conſultat.* 43.

XXXI. *Lapidem Lazuli* venenis quidam annumerant: Græci ei vim modicè exedentem, cruſtas detergentem & exulcerantem tribuunt: Quos ſequutus Meſuè in eo ait eſſe vim adurendi, ulcerandi, putrefaciendi: *Fuchſius* in parad. nullum ex veteribus Græcis, atræ bilis purgandæ gratia exhibuiſſe opinatur, ut qui ſine magno nocumento ſumi nequeat: Verum enim vero non ſimpliciter inter venena numerari poteſt, ſed ex purgantium ſaltem fortiorum quę omni malignitate non carent numero eſt, & ab Arabibus & recentioribus in curatione morborum ab atra bile ortorum non infeliciter uſurpatus. Imò Meſues ei etiam vim tribuit confortandi, exhilarandi & juventutem conſervandi; *quâ de cauſa* Arabes in confectione Alkermes admiſerunt. *Sennertus.*

XXXII. Vis *Rhei* purgans toſtione non eximitur: fixior enim eſt quam ut levi toſtione in auram evaneſcat: præſtat ſi vim adſtrictoriam auctam velimus, rejecta prima decoctione, denuo id coquere, ac fortiſſima expreſſione elicere. *Schroderus in Pharmacop.*

XXXIII. *Rheum* in ſubſtantiâ magis purgat, roborat & deobſtruit quàm ejus dilutum: vis autem illa adſtringens juvat purgationem per compreſſionem: præterea vim catharticam diutius in viſceribus retinet, unde largior expurgatio: quare ubi exigua purgatio requiritur, ut in pueris, & his qui facilè diffluntur, & corporibus debilibus, utere diluto: Si validiorem & uberiorem poſtules, ſubſtantia quæ non modo bilem flavam, ſed & pituitā expurgabit: Nullum verò invenies præſtantius remediū pro obſtructionibus hepatis illius ſubſtantiâ, in pilulas, trochiſcos & pulverem redacta, aut etiam maſticata, Illius maſticare jubemus ℥j aut ℈iv cum paſſulis horula ante prandium, quo non ſolùm laxa ventriculi ſubſtantia firmatur, ſed & latera ejus deterguntur, ac quiquid in eo & meſenterio eſt excrementi, blande expurgatur ac jecur obſtructione liberatur. *Angeninus in Epiſt.*

XXXIII. *a. Myrobolana* à quibuſdam, qui ultra modum ſibi ſapere videntur, ſive in pulverem redigi, ſive ad decocta craciuſcule confringi debeant, oleo amygdal. dulc. fricari præcipiuntur. Sed me herele male agunt qui decoctioni deſtinata *myrobolana* oleo affricant, etenim impedit ſaltem oleum quominus affuſa aqua ſe myrobolanis inſinuare, eorúmque ſubſtantiam penitus permeare queat. *Zwelferus Pharm claſſ. 2.*

XXXIV. *Senna* blandum eſt medicamentum ſi aut in ſubſtantia, aut infuſo exhibeatur, non item ſi decoquatur, tunc enim tormina ſolet producere. Propter illa tormina ſolent ipſi aniſi, aliave carminantia ſemina addi, quin ſtipites abjici, cum ab iis præſertim credantur produci flatus & tormina: Quantum ego potui obſervare, ubi decoquitur Senna, videtur vis ejus intima elici, quæ non tantum pituitam magis & minus glutinoſam, ſed auſteros quoque acidoſque, adeóque ſumme melancholicos humores educat, quibus illa debentur Tormina; unde in quibus tales abundant humores auſteri & acidi, non ſatis prudenter exhibetur Senna, niſi ex parte ſaltem fuerint ipſi præparati temperatique. Hinc eſt quod in quibuſdam ſemper à Senna producantur tormina, quia humoribus ſcatent auſteris & acidis, quod non item evenit aliis, quando Pituitoſi duntaxat redundant humores, imprimis quando iidem ſunt minus glutinoſi. *Sylvius de le Boë meth. medendi lib. 2. cap. 7.* Illuſtr. Dom. de Mayerne correctionis ergo flores lavendulæ præſcribebat, Uſu verò compertum eſt tartari crudi adjectione, cremoris, cryſtallor. aut ipſo illius Sale, certius præcaveri tormina. Indoli humorum, à Senna prolectorum, craſſorum, viſcidorum, tenacium, qui vis commeatum nanciſcantur, imo dum à parte cui adhærebant abſcedunt eam ut ſic dicam abſtrahunt, & divellunt; imo à carminantibus additis ſuſcitantur flatus novi doloris cauſa. Notandum porro verum eſſe quod ait *Schroderus* in Pharmacopoea, Tormina excitari à Senna, ob crudiores ac magis terreſtres partes fortis expreſſione prolectas; id quod probant Extractæ, Si enim extractionem ex iiſdem foliis ſecundo reperas, gravia tormina excitari: Conqueſtus olim apud me eſt civis quidam Neocomenſis quod Potio à me purgans ipſi præſcripta nulla tormina excitaſſet, quamvis abunde dejeciſſet, ignavam ideo & inſufficientem judicans: Oblata illum purgandi neceſſitate, accuſationis memor, tortivum illi Sennæ decoctum præſcripſi, unde in levamen ſubortorum torminum me advocari curat: quibus ſedatis, ipſi edixi artificii eſſe Medici dolores ejuſmodi præcavere, non excitare, quod in illius poteſtate eſſe poſtmodum propria experientia agnovit. *Platerus* Tomo 2. prax. p. 506. *Sennam Agaricum Turpethum*, vim qua ventrem conturbant vino macerata ait amittere: *Trincavella* Sennam offendere dicit ventriculum, ideóque ovis paſſis, ventriculo amicis, emendat, & liquiritia ſiccitatis leniendæ gratia, *Claudinus* Sennam cum infunditur in vino odorato, non alio vult egere correctivo.

XXXV. Doſis *Sennæ* eſt à ℥i. ad ʒii, paraturque ex ipſius pulvere atque prunorum pulpa Electuarium non ingratum, & ſatis tutum, cujus doſis major aut minor poterit eſſe prout Sennæ plus aut minus fuerit additum: Non poſſunt autem cum illis conſentire qui putant ℈i ipſius ſufficere ad liquoris convenientis, decocti puta cujuſvis ℥xiii, imo xx. purgante vi imbuendas, quos falſi arguit, etiam prætractos Experientia, Idquidem certum eſt ſatis imprudenter à multis multum ſennæ atque rhei infundi in pauca liquoris cujuſvis quantitate, qua elici non poteſt ſæpius, non dicam omnis, ſed ne quidem media vel quarta ipſorum vis, ſed ſtulti dum vitant vitia in contraria.

XXXVI. Cum illis non ſentio qui exiſtimant *Sennam* perturbare ventriculum & imbecillum reddere: nam cum ſicca ſit, & amaritudinis nonnihil atque adſtrictionis habeat, manifeſtum eſt eam ventriculo prodeſſe. Quod verò (præſertim muliebria & pituitoſa corpora) epoto ſennæ infuſo torminibus vexantur, id humorum pituitoſorum vitio fit, non medicamenti, & interdum etiam propter viarum anguſtiam: præparanda igitur talia corpora. *Crato conſ. 3. apud Scholtzium & conſ. 55.* Quod tormina excitet, id ex abundantia pituitæ vitreæ, ſeu mucilaginis actis id evenire quidam volunt: verum rectius ſentire videntur qui id crudiori ac magis terreſtri Sennæ particulæ forti expreſſione prolectæ adſcribunt. *Schroderus Pharm. c. proprio.* Hinc videmus ejus extractum ab ejuſmodi effectu immune. *Fred. Hoffmannus.*

XXXVII. Salis Tartari præcipuus uſus eſt in *Piſana laxante*, quæ fit ex Sennæ ℥ij in aquæ frigidæ ℥viij infuſis cum ℈i vel ℈ß ſalis Tartari, à quo Sennæ tinctura potentee extrahitur: ut Ptiſana hæc multo potentius purget quam Ptiſana vulgaris. *Riverius Pract. l. 11. c. 4.*

XXXVIII. Illud non prætereundum quod *Actuarius* memoriæ commendavit, dignum ſanè ut omnes

omnes Medici præ oculis habeant, ſcil. quod *ſcammoniata* juribus & brodiis miſcēda nō ſint, ita enim inquit ille, Scammonium non certo juribus inferendum, quod experientia compertum eſt id cum ipſis conciliari non poſſe: quod hodierni Medici animadvertant ſuadeo, ut non ſcammonium, aut pilulas juribus eliquatas, in potu tradant, cum inde multis mors ſubſequatur, ut vidimus Venetiis, & Ferrariæ in *Samuele Avarbanelio*, qui ob epotas ſic pilulas vitam cum morte commutarent. *Amatus Luſitanus comm. ad cap* 171. *l*. 4. *Dioſcor.*

XXXIX. *Hydrargyrum Præcipitatum* citra delectum exhibent circumforanei, ad luis venereæ dolores diuturnos, hydropem, quartanam, melancholiam hypochondriacam & ad ejus generis affectus frigidos, idque 4. aut 6. gr. pondere, ex ovi luteo vel mithridatio & theriaca: ac ſtatim ut aſſumpſit aliquis, ex univerſo corporis ambitu omnis generis humores ſurſum ac deorſum prorumpunt, ſæpe tanto tamque violento impetu, præſertim ſi languidum corpus fuerit, ut exhauſtis ſpiritibus, fractiſque viribus, vel repente moriatur, vel quo die ſumpſerit, ſine viribus, ſine pulſu, ſine voce jaceat mortuo perſimilis. Os ejus contagione interdum inflammatur, ac gingivæ ulcera contrahunt putria & valde fœtida, fauceſque pleriſque ita intumeſcunt ut ad multos dies nihil prorſus deglutire poſſint: quin & nonnullis mens ita a ſede alienatur, ut exorta febre phrenitici tandem pereant. Itaque a catharticorum cenſu tanquam præſentiſſimum venenum rejiciatur ac publicis legibus exulet. *Palmar.* 1. *de morb. contag.*

XL. *Turbith* & *Agaricus* eminenter ad correctionem poſcunt ſi pituita craſſa vacuanda ſit: renuunt, ſi ichores pituitæ aut aliorum humorum excrementa, quæ in articulos fluunt, trahenda ſunt & à particulis avertenda.

XLI. *Scammonio* ſimillima habenda *Gialapa*, ceu æque ac id valde reſinoſa, adeo ut illæ cautelæ quas *Hofmannus* 1. de medic. officin. c. 34. obſervari vult in uſu Scammonii, minime negligendæ ſint novellis Practicis 1. inquit, Ne Scammoniata dentur iis quibus ventriculus (comprehendo inteſtina) eſt debilis, quales fere ſunt hypochondriaci, 2. Ne calidioribus & qui ad febres proni ſunt, valde enim turbat corpora. 3. Ne in ſpecie in illis qui faciles ſunt ad leipothymias, fortaſſis ratione oris ventriculi. 4. Prohibent etiam ne ſubſtantia detur in juſculo. Imo recordor accidiſſe ſæpius aliquot individuis ut pulveris Gialapæ ℈j, vel reſinæ grana vi. vel vij. hypercatharſin conciverint. Proſtant in officinis Hafnienſibus ſpecies Diagialapæ, quas feliciſſimo ſucceſſu alii Practici cotidie commēdant ægris, & tamen hoc medicamento, per tot annos probato, inauſpicato uſus eſt Vir Clar. N. Adeo verum, ut argute Hofmannus obſer. 5. de medic. offic. c. 34. Non omnia medicamenta ſubito prodere malitiam: cantharides v. g. in renibus demum exerūt vim ſuam exulceratoriam. Ita quamvis Scammonium, (addo ego Gialappam) non valde offendat fauces ſeu palatum, offendit tamē ventriculū, lupat, alia interiora: Revera habet quaſdā partes tenues & igneas, quaſdam terreas aduſtas (quas ego ſulphureas & ſalinas appellare ſum ſolitus) Et his quidem fortiter abſtergit, illis autem potentiſſime diſcutit, aperit, attenuat & attrahit: Sic Sennertus in Paralip. ad inſtit. decernit nec Rhabarbarum, nec folia Sennæ, nec Scammonium, vel alia tam facile præſtare ut hæmorrhoides in diſpoſitis fluant quam Aloe, i. e. Aloes malitia ſeſe primum prodit in ano aut recto inteſtino: Sic ſenibus, & qui procidentiam ani facile patiuntur, croci metallorum uſum eſſe effugiendum à Fauſtio doctus ſum, ceu cujus malitia ani ſphincteri infeſta eſt. Non ergo adeo nimis Gialappa, ut complures ſibi perſuadent: Ego vero magis magiſq; confirmor in hac ſententia Gialappam & Scammonium ejuſdē eſſe indolis & temperiei, quod Meſues quidem calid. & ſiccum 3. ſed *Tabernamont.* poſt *Dodonæum* iis quę moderate calida & ſicca ſunt annumerandum ſtatuit: minime ergo illis ſubſcribendum qui Gialappā in quarto gradu cal. & ſicc. an eſſe ſcribunt: Nō intercedo tamen quin ſuccus Gialappæ tumulus recens expreſſus, nondum arte ulla inſpiſſatus, longe calidior acriorq; radicibus Gialappæ in ſarcolas diſſectis & ſiccatis, quæ tota ſubſtantia, non qua calidæ, ſeroſos humores purgant: Sic ſuccus Iridis noſtratis expreſſus valde acris, adurit quaſi fauces hydropicorum, quale quid ne quidem in Iride Florentina ſiccata advertitur. Hinc *Hofm.* 1. de med. offic. c. 20. recentem Iridem ad 4. gradum cal. ac ſiccorum pervenire; ſiccam ſubſiſtere in primo, aut ultra ſecundum non aſcendere docet, quamvis alii eam cal. ſiccamque in 3. gradu pronuncient. Quæ itaque de caliditate Gialapæ prodita ſunt, ea de recenti, & in ſolo natali intelligenda ſunt non de ſiccata radice.

XLII. *a*. Sed ſi quis ex me ſciſcitaretur an *Gialappæ* an vero *Scammonii* uſum tutiorem arbitrarer? Ego *Gialappæ* eſſe pronuntiarē: Quippe illud Scammonium quod Antiochia, ex celeberrimo Syriæ emporio, & ex Aſia uſque petitur & ad nos defertur, plerumque *Dioſcor.* teſte l. 4. c. 171 tithymali ſucco adulteratum eſt, aut certe non uno modo colligitur, unde non mirum enormiſſime quandoq; illud, quandoq; etiam facili ductu, nulloque cruciatu bilem pituitamque evacuare, contra ſolidæ, exſiccatæ, reſina prægnantes radices Gialappæ ad nos ex America importantur, ex quibus nullo mangonio adulteratis; poſt deinde artificioſe magiſterium aut reſina præparatur: Solitus ſum ad ℈ß ad ℈j pulv. rad. in unum aut alterum cochlear aquæ cinnam. per noctem infundere ſuper cineres calidos, & citra colaturā diluere in hauſtulo ptiſanæ (cremoris hordei) ſive lacte paratæ. *S. Pauli Quadripart. Botan. p.* 473.

XLII. *b* *Gialapam* tamen inflammatoriam eſſe deprehendit. *Ill. Wepfer. Tract. de cicut. aq. p.* 224. prout in canibus oculis uſurpare licuit in ventriculo & inteſtinis, enim inflammationis evidentes notæ fuerunt. Gialapam autem lumbricos latos pre multis expellere primum cum, poſtea pluribus experimentis didici. *Wepfer. de cicut. aqu. p.* 224. Ex morte catellæ mihi patuit Mercurium dulcem mitius irritare ventriculum quam magiſterium Gialapæ, cum nō tam pertinaciter ventriculi & inteſtinorum tunicis adhæreat, nec inflammet, ut hoc efficere ſolet, & ſæpe propterea torminum & hypercatharſis author exiſtit, maxime ſi vis ejus non probe dilatetur. *Idem p.* 308.

XLII. *c*. Non debet adhiberi quando humores ſunt in motu, alias unico, vel etiam duobus granis excitabitur hypercatharſis, ut ea dozi nimia: ſic tali hypercatharſi extinctus eſt mercator Lipſienſis, qui ʒj Gialapæ ſumpſerat. *Ammannus Med. crit. p.* 49. Nec id periculi ſemper imminet, quippe qui in memetipſo ex eadem dozi felicem expurgationem expertus ſum in ſeri turgentia, à cujus ſubito impetu facies mire intumuerat, quæ intra horæ ſpatium omnino ſubſedit: Stimoli tamen loco potius uſurpari debet, & præſertim ejus Reſina.

XLIII. Lavandam eſſe *Aloen* docent *Dioſcor.* &

Serapio. 1. ad ſeparationem partis terreæ & arenoſæ, pro curandis oculorum affectibus. 2. ut auferatur virtus purgatoria, augeatur adſtrictoria, 3. ut purgatrix intendatur: At Lotionis epitheton impropriè dicitur de Aloë pura, Et quem in finem repetenda illa lotio, cum aqua, & facta à ſolis calore exſiccatio? quod enim virium ab aqua huic accedere poteſt, qua toties iteratis vicibus diſſolvi & iterum exſiccari debet, ſi alias ſatis pura & pellucida eſt? Si ſordibus inquinata, eam diſſolvendam eſſe & colandam concedimus, ut lucidior & purior fiat, at id commodius fit ſpiritu vini, qui ſimul reſinoſam partem & balſamicam extrahit, quam aqua quæ illam intactam relinquit peragitur, & tunc ſufficiet ſemel ſaltem illam diſſolvere & ſolutam inſpiſſare: Nam reiteratis illis ſolutionibus & inſpiſſationibus non melioratur Aloë, ſed deſtruitur potius more catharticorum omnium vegetabilium: mihi maxime probatur ille modus, ubi tritæ Socotorinæ ſuperfunditur repetitis vicibus vel ſuccus violarum, inſpiſſatus cum ſucco florum Perſicorum, vel ſuccus roſar. & permittitur ſuccus lento in calore exſiccari. Magis peccant qui liquorem in quo Aloës ſoluta eſt pars puriſſima abjiciunt, & fæculentem illud quod reſervant Aloen lotam vocant: Verum quidem eſt quod hæc minus purget quam non lota, quia ſcil. optima pars ab ea ſeparata eſt, relictis fæcibus cum pauxilla aliqua Aloës parte. *Sennertus in Paralipom. ad Inſtit. cap.* 13. Hæc illa reſidentia eſt quam rejicit Helmont, dum ablutione, inquit, reſiduum manere, quod ſui ad inteſtina adhæſione tormina & hæmorrhoides concitat: Aloë conſtat parte reſinoſa & aquea: Illa purgationi inutilis eſt, hæc idonea: quare ſi Aloën purgantem expetis, neglecta reſinoſa, aqueam collige in aqua ſolubilem, eamque à fæcibus ſequeſtratam. *Schroderus.*

XLIV. *Aloë* Senum ventriculis amica eſt, non ſolum quod ſenes ſint frigidiores (vim enim obtinet exſiccantem & calefacientem, verum etiam quia maxime propenſi ſunt ad cruditatem acidam generandam, quod & eorum ſudores acidi & alia docent. Acidæ vero cruditati maxime reſiſtunt amara, ideóque & putredini reſiſtunt: Interea tamen non temere iis qui citra vitioſos humores intemperie ſicca laborant, & calidum epar habent propinanda: imprimis reſinoſa pars ſpiritu vini extracta: habet enim hæc igneum quaſi calorem, valde attenuat & ſiccat, ſanguinemque fervidiorem reddit, ac viſcera ſanguificationi dicata non ſolum non roborat, ſed & fundendo quaſi ſanguinem, eorúmque nativæ conſtitutioni adverſando illis obeſt, venarumque orificia aperit. *Frid. Hofmannus Clavis Schroder. p.* 634.

XLV. A *Caſſia* cibus mox ſumatur ne in alimentum abeat, *Sanches.* Ardorem ejus tollunt oxyacanthæ baccæ, *Fontanonus* Flatus aniſum, *Heurnius.* Ventriculo & inteſtinis labefactatis eſt moleſta. *Idem.* Iudicium de fæcibus pervertit. *Dodonaus.* Nauſeam movet *Idem.* Hypochondriâcis nocet, quià ventriculo & inteſtinis noxia. Gravidis laxiora reddit acetabula. Vteri præfocationem arceſſit, ut & manna. *Dom. Sala.* Podagricis ligamenta debilitat. In affectibus vapidis correctio ejus parum fida ſeminibus mali citrii, niſi addantur ſpecies diarrh. Abb. *Prevotius.* Aliquando cataphoram inducit, & compoſitiones quas ingreditur, ob fumos quibus cerebrum replet. *Rondeletius.*

XLVI. Ex *Ialapa* paratam Reſinam ſi quis in mixturis purgantibus liquidis eſt præſcripturus, eam prius amygdalis dulcibus nonnihil ſubigere præcipias, ſecus enim vel parum aut nihil operabuntur, & ventriculo potius & inteſtinis tenacitate ſua reſinoſa adhærebunt, tormina & paſſiones colicas concitatura. *Th. Barthol. cent.* 5 *hiſt.* 69. Alias ebrio experimento compertum, inquit *Cl. Rolfincens* Diſſ. 1. cap. 5. de Tartaro, Gialappæ ſelectæ optimæ reſinoſæ ℈j. Colicos dolores, jam Icterum minantes, alvo ſoluta felicius expediiſſe, etiam clyſtere non præmiſſo, qui etiam non ſemper facit officium, cum fæces cupioſæ coeci & coli principium dextrum prope renem occupant. *Fr. Hofmann. m. in lib.* 5. *cap.* 8.

XLVI. Mirum quam facile Vinum penetrat ratione ſalis volatilis, quam integre ſæpe vegetabilium virtutes in menſtruum aut liquorem ponit. Hinc graviter monuiſſe memini D.D. *Ioh. Michaelem,* quoties potiunculæ alicui catharticæ corpora reſinoſa adderentur, meliorem fore eorundem extractionem ſi aliquid vini addideris: Ex eodem fundamento Mechoacanna melius in infuſo quam forma pulveris accipitur: infertque *Schroderus* lib. 4. Pharmac. §. 448. ſpiritum purgantem, ſeu infuſum ſcammonij, ſpiritu vini malvatici paratum, ſine vllo faſtidio aut moleſtia purgare. *I.D. Maior Tractatu de Cabinlis Sperlingianis.*

XLVIII. In decocti & infuſi forma uſus radicis *Gialapa* eſt vulgatiſſimus: cum autem vis ejus in reſina ſtabuletur, ejus autem menſtruum appropriatum ſit, nec vinum nec aqua, ſed ſolus vini ſpiritus, ideo an talia decocta & infuſa vigorem accipiant ab his radicibus, non immerito dubitari videtur. Nonnulli incommodo obviam ire putant, ſi Gialapium contuſum prius irroretur & maceretur in ſpiritu vini, ſic enim tinctura evocata feliciſ ſucceſſu miſcetur liquoribus aliis: Deinde vis purgādi, habitans maxima ex parte in reſina, vino & cereviſiæ poſt digeſtionem communicatur, Teſtatur experientia liquores hos alvum ſubducere: Non itaque tam ſtricto jure procedendum, ſed in decoctis & infuſis interdum, cum indicatum adeſt purgandi humoris pituitoſi & ſeroſi, eo utendum. *Rolfinkius meth. gen. p.* 507.

XLVIII. *a. Gummi Gotte* potens eſt hydragogum, minus quam Eſulæ radix, Mezereum & Elaterium vehemens. Vomitum quoque movens, datur à gr. ij. ad iv. & vi. quamvis aliqui parum prudenter ipſum ad ℈ß. exhibeant; Præparatio ipſius elegans & optima eſt ſi ſolvatur in ſpiritu vini rectificato, deinde affuſa aqua roſacea, vel alia, præcipitetur ad fundum, Pulvis eleganter flaveſcens vocatur Magiſterium, Eſtque tunc longe præſtantius medicamentum quam ſi crudum exhibeatur. *Sylvius de le Boë meth. med. l.* 2. *cap.* 9.

XLVIII. *b.* Inter pure Chymica laudatur merito *Luna,* ſive *Argentum,* cùm ſpiritu nitri ſolvitur, hinc in *Cryſtallos* redigitur: Potens eſt hydragogum & ſummum melanagogum. Doſis ad gr. iv. v. vi. Pilularum forma commodiſſime uſurpatur, cum valde amaricet. Laudatur non tantum in hydrope, verum in omnibus omnino affectibus melancholicis. *Idem* §. 20.

XLIX. *Manna* non detur cruda ſed cocta, quia flatibus redundat; ſed cum acribus, thymo, hyſſopo, ut actio ſit celerior, *Hofmannus.* In morbis, naturis temporibus anni calidis ſola ne detur, ſed

vel

vel cum ſero, aut liquore refrigerante. *Claudinus* Si vacuandi humores craſſi, addatur cremor Tartari, Oxymel ſimplex, *Capivaccius Montanus.* Cibus ne diu differatur, alioqui inefficax, quia in alimentum abit.

L. Damnant multi *Mercurium dulcem*, ſed cenſura nimis rigoroſa, non reſpondet hujuſmodi maledictis experientia, Puellæ rotularum ex mercurio dulci, &c. doses aliquot in ſcatula datæ ſunt ad lumbricos enecandos & expellendos: frater ſcatulam inveniens, dulcedine illectus, devoravit omnes, vomuit ex dozi nimia liberaliſſime, ex quo irriſionem duntaxat expertus eſt & nihil periculi. Exempla multa feliciſſimæ operationis enumerari poſſent alia, & Chymicorum teſtimonia. Videantur tantum innocentia & præconium hujus Mercurij in Epiſtola *Doringii* apud *Hildanum*, & *Riverii* obſervat. quam nomine *Calomelanos Turqueti* indigitaſſe ſtatuant. *Sigiſm. Graſſius miſc. cur. anno 72. Obſerv.* 56. Nonniſi in pilulis vel bolo exhibendum, nunquam in pulvere, quia dentibus & gingivis inimicus, 2. ſit bene præparatus, & non quidem ſæpius rectificatus, attamen ſublimatus & elotus, licet hæc ipſa lotio quoque parum vel nihil acris corroſivitatis oſtendat. 3. datur in impuritatibus ſanguinis, ſcabie, lue venerea, ploraulceribuſque aliis. 4. In affectibus ſeroſis, ut hydrope: mercurialia enim omnia maxime fluxile reddunt ſerum, & ejus coagulationem prohibent præ omnibus aliis, pituitamque liquant; unde etiam *Pilulæ Quercetani* laudem merentur. 5. In fluxibus ſeminis, ſeu gonorrhoea ſimplici & virulenta, ob eandem inter alia rationem, ulcus enim veſicularum ſeminalium, à quo malum fovetur, rumpit & expurgat, unde etiam ab ejus uſu fluxus videtur augeri. 6. In vermibus prodeſt. *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac, pag.* 145.

L. *a.* Ex Chymicis, quæ Pituitam educant, commendo omnia ex *Mercurio* tum *ſublimatione* tum *præcipitatione* parata medicamenta, quorum alia majore, alia minore dozi ſolent exhiberi. Nam ex *Sublimatis Corroſivus* dictus rarius ad unum granum, *Dulcis* vero etiam ad xxx. poteſt dari, Præcipitata vero, quo magis ſunt Acido ſpiritu &c. igne longo ac potenti fixata, eo majore quantitate aſſumi poſſunt; quo vero minus ſunt fixata, eo minore. *Mercurius ſublimatus*, Corroſivus dictus, à *Dulci* in hoc differt, quod illi admodum acri ac corrodenti novus addatur Mercurius crudus, cum ipſo teratur, ac iterum ſublimetur; qua ſublimatione nova, per accedentem ipſi ac conjunctum Mercurium recentem infringitur *Spiritus Acidus* in priore exiſtens, ac ita quidem ut omnis ejus Acrimonia videatur obliterata, ideóque *Dulcis* nomine gaudeat. Unde patet non ab ipſo mercurio pendere ſummam illam Corroſivi Mercurii rodendi vim & Acrimoniam, ſed ab Acido ſpiritu copioſe in ipſo concentrato, & cum ipſo ſurſum propulſo & ſublimato: Nam non tantum plus eſt Mercurii in dulci quam in corroſivo, ſed inſuper non tantum duplo vel triplo, ſed tricecuplo plus Mercurii dulcis quam corroſivi, & quidem tutius poteſt uſurpari: Unde quoque patet vim noxiam Mercurij Sublimati corroſivi, non eſſe ipſi Mercurio, ſed ſpiritui Acido, magna copia in ipſo concentrato, & in Acrimonia ſua permanenti adſcribendam, poſtquam ipſa per novum Mercurium additum, & ſimul ſublimatum dulceſcente, tricecuplo ad minimum blandior ſit tunc Medicina. *Sylvius de le Boë Appendicis Tractat. vj. §. 210. De ratione Mercurium dulcificandi, ſine Mercurii additione, vide ibidem* §. 215.

Mirum eſt nova Mercurij additione ac ſublimatione, obvolvi ac tegi, imo corrigi poſſe tantam & tam nocentem prioris acrimoniam, & auſteram, & urentem rodentemque, Vix enim potem aliquam reperiri invenium natura auſteritatem, quæ cum Sublimitati corroſivi Mercurij auſteritate queat conferri: Cumque Auſtera pleraque ſint terrea & ſapore obtuſo, hic Mercurius acerrimus ſimul exiſtit, & omnia pene conſumens; quo malim proinde abſtinere quam frequenter uti Medicos, de Ægrorum ſuorum ſalute multum ſollicitos. *Idem Meth. med. libr. 2. cap. 5. §. 26.*

L I. *Mercurius dulcis* à nonnullis quaſi Panaceæ loco habetur, commodiſſimus tamen ejus uſus eſt in Lue Venerea; Doſis a gr. xv. ad xxx. Scamonii præparati, vel Trochiſc. alhandal, aut alterius purgantis acuatur, ne in ventriculo aut corpore hæreat, & ſalivationem, atque alia pericloſa, quæ Mercurium ſequi ſolent, ſymptomata excitet, quod quandoque factum eſſe memini: Et omnino in genere de omnibus mercurialibus medicamentis tenendum, commodiſſimum eſſe ut quamprimum ſuam operationem perfecerunt è corpore exterminentur, Retenta enim ad priſtinam naturam redire, & peſſimorum ſymptomatum autores fuiſſe experientia docuit. *Sennertus Epiſt. 28. cent.* 1.

L I. *a. Mercurius dulc. ſeu panchyma. Quercet.* fortificatus cum mercurio vitæ, ut illius gr. xvj. capiant gr. ij. mercurii vitæ, catharticum optimum: Sed nota quod hæc mixtura diligenter ſuper marmore per aliquot horas ſit lævigandа, ſic enim vis vomitiva mercurii vitæ torpet, & cum Mercurio dulci tantum per inferiora blande purgat. *Hartmanus Prax. l. 1. cap* 4. §. 1.

L I. *b.* Nota quod *Mercurius dulcis* ſublimatus ad grana xvi. exhibitus, in corpore valde cacochymo plus purget quam in alio non ita cacochymo grana xxx. *Idem.*

L I. *c.* In exhibitione *mercurii* quomodocunque parati notandum 1. convenientiſſimam omnium exhibendi formam eſſe pilulas, Ne ſcil. mercurius nimia mora noxam palato adferat, movendo Ptyaliſmum & tonſillarum tumorem inferendo, attractis undique ad palatum humoribus tenuioribus propria quadam naturæ familiaritate. 2. Incorporaturus mercurium, ſemper conſultum puta addere guttam unam vel alteram olei ſulphuris, hoc enim ejus malignitatem compeſcit, & figit volatilitatem quæ ſurſum tendit, ac corrigit ſymptomata quæ infert. 3. Ut poſt ſumptum Mercurium ad ſummum horis duabus detur juſculum, & dimidia hora poſt cibus, quo ne diutius in ventriculo hæreat. 4. Ne ſæpe vel multum exhibeatur bilioſis, quia educendo ſeroſam humiditatem, ſtramen bilis, nocumento illis eſſe poteſt. 5. Ut exhibeatur cum terebinthina, aut extracto colocynth. ſequenti. ℞. *Colocynt. ab annis aliquot reſervata, ſine interioribus arillis & nucleis* ℔ ß. *Scammon. puri* ℥iv. *Inciſis tinctura extrahatur cum ſpir. vini non rectificato:* fæcibus *rejectis menſtruum tinctum cucurbita indatur, & per*

MB. ſpir. vini uſque ad mellis ſeu Pilul. conſiſtentiam extrahatur. Idem §. 20. 21. 22. 23. *&* 24. Mercurius dulcis 1. coonitis in Pilulis vel Bolo exhibendus eſt, nunquam in pulvere, quia dentibus & gingivis eſt inimicus. 2. Bene præparatus, & non quidem ſæpius rectificatus, attamen ſelectus & electus, licet hæc ipſa lorio quoque parum vel nihil acris corroſivitatis oſtendat. 3. Datur in impuritatibus ſanguinis, ſcabie, lue venerea, pſora ulceribuſque aliis, 4. In affectibus ſeroſis, ut hydropes; mercurialia enim omnia maxime fluaile reddunt ſerum, & ejus coagulationem prohibent præ omnibus aliis, pituitámque liquant, unde etiam Pilulæ *Quercetani* laudem merentur; 5. In fluxibus ſeminis, ſeu gonorrhoea ſimplici & virulenta, ob eandem inter alia rationem, vlcus enim veſicularum ſeminalium, à quo malum fovetur, rumpit & expurgat, unde etiam ab ejus uſu fluxus videtur augeri. 6. In vermibus, lumbricis teretibus & cucurbitinis &c. prodeſt. *Wedelius de J. m. Fac. p.* 145.

L I. *d.* Doſis eſt gr. v. vi, ℈ß. gr. xv. præſtabat vero eundem dare cum aliis ſtimulantibus, eſt enim paulo ſegnior, unde cum extracto panchymagogo, vel gialapio in bolo præbendus. *Idem ibid.* Quocunque modo paratus ſit Mercurius, cum majori ſucceſſu uſurpatur, certiúſque datur, ſi alii purganti jungatur, quo ad evacuationem facilius deducitur, quam ſi ſolus exhibeatur: quoniam humores pituitoſos inprimis, attenuat & incidit, atque ſic ad eductionem præparat. *Fr. Sylvius m.m. lib. 2. cap. 5. §. ult.*

L II.. *Mercurium vitæ* mirifice plurimi ad omnes vitioſos humores in ſtomacho, & omnibus corporis partibus, per os, alvumq; expellendos commendant, ideóque non ſolum ad luem Veneream, ſed & ad arthritidem, hydropem, febres intermittentes, delitia melancholica, alióſque morbos pluſimos eo utuntur. Caute tamen, ut & alia medicamenta mercurialia, uſurpandus, & nonniſi vbi corpos plurimis & craſſis humoribus abundat. In corporibus vero gracilibus, bilioſis, debilibus non exibeatur, Doſis à gr. 1. iv. v. *Sennertus Cent. 1. Epiſt.* 33. Pulveré iſtum nihil mercurii in ſe continere inde conſtat, quoniam hic ſalibus congelativis privatus priſtinam Argenti vivi ſpeciem reſumit, inque retorta totus colligitur: Pulvis iſte nimis atrociter vomitivus, ſi cum ſale marino calcinato teratur, & crebra ablutione edulcoretur, longe mitior, & ſatis tutus evadit. *Willis Pharm. p. m.* 66.

L III. De *Mercurio vitæ* notavi ſenibus ab hojus vſu quandoque inteſtinum prolabi: quibus humore pituitoſo plurimum ſcatentibus quævis mercorialia forſitan non uſque commoda vel tuta: Medicus itaque eorum vſum circumſpectus ineat, *Rhodius Cent. 3. obſ.* 84.

L IV. Quàm fumoſum ſit *Rhabarbarum*, ita ut facile caput feriat, imo vertiginem inducat palam eſt, ita ego virum Clar. novi, qui Rhabarbari crudi uſu quotidiano, cujus drachmam plus minus ſine ullo alio apparatu condocefactus erat jejunus mandere & deglutire, ut ſervaret ſibi laxam alvum, qui de vertigine, eáque immedicabili ſubinde conquerebatur, cujus mali unicam aut potiſſimam cauſam, aliis animalibus facultatibus integris, fuiſſe hariolor jugem Rhabarbari per aliquot annos uſum, ideo quia, ut dixi, Rhabarbarum valde fumoſum, quod ſali ac ſulphuri in eo valde volatilibus unice imputandum. *S Pauli Quadr. Botan. p.* 455

L V. Qui vano ac præpoſtero terrore percuſſi, à blandiſſimi ac tutiſſimi, potentis quamvis *Scammonii & Scammoniatorum*, uſu abhorrent, iiſque ægris hactenus metuunt, Rheo utantur: Præparatur ex tempore atque optimé Scammonium ſi conveniente doxi, ad gr. 12. vel 15. aut ad purgationem ſuſtinendam majore aut minore aptitudine, in mortario teratur & tantillum aq. convenientis, meliſſæ &c. affunditur, & lacteus liquor terendo electus lentè effundatur, atque nova aquas vis reliqua ſimiliter eliciatur, remanentibus in fundo fæcibus nigricantibus: hinc prædicto liquori aq. cinnam. vel fœnic. ʒij & ſyr. roſar. ſolut. itidem ℥j. aut iij. addantur, ſic hauſtulus fiet gratiſſimus. Qui ut facilius operetur, bonum erit dimidia poſt hauſtuli aſſumptionem horâ ægro cremor. Tart. ℈j. vel ʒß. ex juſculo præbere. Poſſunt etiam parari, & ad uſum ſervari Tabellæ gratiſſimæ ℞ cryſtall. Tartari ℥ ß. diagrid. ʒij ol. cinnam. gutt. vj ſacch. albi in aq. roſac. diſſol. ℥viij M. Infantibus dari poſſunt convenientiſſimé a ʒß. vel. ʒj. adoleſcentibus ad ʒij. *Fr. de la Boë Sylvius Pract. l. 1. c. 2.* Vide ejuſdem correctionem apud Poterium *Pharm.* lib. 1. ſect. 5. qui ad ℈j. exhibet. *Scammonium* variis corrigitur modis, 1. in malo cotoneo, & ſic Diacrydium appellatur:, Verum hæc præparatio vera & exquiſita Scammonii correctio dici nequit, cum pulpa cotonei mali addita ſtomachum duntaxat roboret, non vero Scammonii vim & violentiam directè infringat, Ideóque genuina præparatio in hoc conſiſtit ut ſubtiliſſime tritum expandatur tenuiter & æqualiter ſupra chartam bibulá aciculis pertuſam, & detineatur charta ſuper ſuffumigium ſulphuris pulveriſati: non ut Scammonium liqueſcere incipiat; alias enim fumus ſulphuris ipſum penetrare nequit, ſed potius ut abſque liquefactione lentiſſimo igne cum illo ſuffumigetur: quo diutius, eo melius iſtud præparabis & corriges. *Zwelferus in animadv. Pharm. Aug. p. m.* 165.

L VI. Quidam ob pituitæ copiam in ventriculo, dolores hujus partis citra febrem ex intervallis patiebatur. Ille medicamentorum impatiens ℥iij. *ſyr. roſar Perſic.* recentis, cum ℥iv. decoct. fol. ſennæ & polypod. ſumpſit: via quatuor horæ poſt ſumptum pertranſierunt, quando ſequuta perporgatione, febre intenſa, torminibus velut ſideratus repente interiit. Quare in hoc ſyrupo propinando, quando recens eſt, cautus ſis, & in minori quantitate offer. *Zacutus Pr. adm. l. 3. obſ.* 69. Vide *Septalium lib. 3. §.* 49.

L VII. *Syrupus ex ſucco roſarum, per infuſionem trinam* ad minimum, & fortem expreſſionem facto, nulli non cacochymiæ leniendo obviam it, præcipue autem bilioſæ *L. Septalius* lib. 3. Animadv. §. 49. non exiſtimat Syrup. roſar. ſolut. inter lenientia numerari debere, potiſſimum in bilioſis naturis & febribus. Obſervavit enim aut ſimplicem, aut cum ſero lactis ſumptum, tantam humorum evacuare copiam, quantam vix ventriculus & inteſtina capere poſſunt, unde ſemper arbitratus fuit reliquas etiam movere regiones: Multa accidunt inſperata, Non videtur nubis illud per ſe præſtitiſſe: adulteratus nonnunquam à Pharmacopoeis, laborem crebræ infuſionis ſubire renuentibus, dactydio. *Rolfinccius meth. Gen & part. p. m.* 461. Pro *Septalii* defenſione dic *Syrup. roſac.* medicamentum hydragogum eſſe, quod patet experientia, præſertim ſi ſolitarius exhibetur: Serum autem ducentium ea eſt natura ut reſeratis oſtiis vaſorum, eſtenis aliquando ſuccedat purgatio, ex natura ſcilicet humoris

flu. di,

fluidi, qui facilem nactus viam, ſponte qua data porta elabitur: hinc ad ſimplicem mannæ exhibitionem hypercatharſin accidiſſe certum eſt. Videatur *Fortis cent. 4. conſ. ult. 1. Tom.*

LVIII. *a.* Sunt qui cxx ℔. roſar. cum aqu. ℔. xxxij infundunt, & additis ſacchari ℔ xij. in ſyrupum percoquunt, cùm ingenti Roſarum profuſione, cum minori quantitate vim catharticam elicere liceat. Quod ſi quis non adeo Roſar. vim purgantem intendat, ſed potius reiteratis tot infuſionibus, cum tanta recentium roſarum mole peragendis, vim refrigerantem intenſiorem extorquere nitetur, is certe longe à propoſito aberrat, quo frequentius enim Roſæ infunduntur eo majori amaritudine inquinatior fuſio, amaritudo autem non frigoris ſed caloris ſoboles, ergo illa tantopere non refrigerabit: Taceo, quod non ſemel obſervatum, calores febriles à propinato hoc ſyrupo, tam frequentibus infuſionibus parato, non tantum non diminutos & refractos, ſed etiam intenſiores redditos eſſe, & ex ſimplici tertiana duplicem factam. *Zwelferus Pharmac. claſſe* 2. Id præſertim contingit a largiori ſeri excluſione, (hydragogus enim ille ſyrupus) quod bilis frænum.

LVIII. *b.* In *Infuſione Roſarum* perficienda, animadverti debet quod nunquam menſe Maio abſolvitur, & per conſequens ex nova infuſione nullomodo debent fieri neque *ſyrup. roſat.* ſol. neque *mel*, quoniam prius ſubſiſtit aliquantiſper, & poſtea ebullit tanquam muſtum, in quo obſervandum eſt nullo modo poſſe medicos ipſa ad conficiendum aut ſyrupum, aut mel uti, donec ebullitio totaliter deſierit, quæ menſe Iunio abſolvatur; nam tormina facillime excitabit, vel irritata Natura copioſiſſimas aliquando & periculoſiſſimas tentabit dejectiones &c. *Domin. Panarolus obſ. 34. Pentec. 5.*

LIX. Notat Meſüe cap. xt. ſimpl. *Violam* non multam coctionem ferre poſſe, q. dixerit tenuium eſſe & volatilium partium: Illud enim obſervandum quanto fragrantiores flores fructuſve ſint, tanto faciiius plerumq; ob ſulphur. & ſalia, in illis apprime volatilia, eorum fragrantiam evaneſcere: Nec alia quam hæc ratio eſt quod ſyrupus Violatus plurium infuſionum, ab uncia una uſque ad tres propinatus, magis alvum irritet, quam ſuccus ab unciis duabus ad quinque, longéque fragrantior ſit quam qui ex ſucco paratur, quo ſyrupo Pleuriticis nulla ratio convenientius pharmacum effingere unquam poteſt. *S. Pauli Quadr. Botan. Claſſ.* 2.

LX. Medicinæ candidatos commonefaciendos volo, ne vulgi in morem promiſcue omnibus individuis magnifice nimis *vinum Abſinthites* commendent, ſed iis ſolum qui ſtale habent, non ex nuda & ſola viſcerum intemperie, verum quibus ea ſcatent & referta ſunt lentiſque frigidiſque humoribus:. Mirari ergo jam deſinamus qui fiat ut maxima pars helluonum, liberaliter cotidie vel vinum abſinthites, vel vinum aduſtum ingurgitantium, plerumque ante obitum lente veluti liqueſiat, tabefacta vero ante annos moriatur. Quare moveat ſolum blande vinum Abſinthites ventrem, cum vel ſine Aloë & Centaurio, aliiſque abſtergentibus præparatum, non tamen uſque adeo tuta hæc ſimiliáque infuſa ex iis parata eſſe, præſertim ſenibus & ſicca conſtitutione corporis, reapſa experiemini: Has vero elegantiſſimas Hofmanni, & ipſius Galeni, rationes accipite: *De cautionibus* (cùm antea loquutus eſſet de correctionibus Aloës, inquit lib. t. de med. officin. c. 3.) *multo magis ſollicitum eſſe oportet*; Graviſſima harum eſt, & à *Gal.* tradita 7. m. m. x. *n. tom.* 2. *Ne detur* (quæ quoque de aliis impente ſi.. amibus & purgantibus medicamentis ego accipio) *ut qui ex anda intemperie ſine materia laborant; tales non indigent vacuatione, acdum medicamento tam ſer-ter ſiccante, quodque loco vacuationis tabem inducit. contra datur cum magno commodo frigidis & humidis.* Altera ex eodem eſt fonte, t. *de ſan. tu. c.* 11. *Ne Senibus detur, & quicunque quacunque de cauſa ſiccati ſunt, niſi neceſſitas urgeat: Neceſſitas illa eſt*, inquit Heliodorus, *cum abundant humores. Cai ego, Atque ſenes omnes ſunt excrementoſi? Præſtat igitur aliis uti, imprimis humectantibus, de quibus videatur Gal. ipſe. Tertia eſt ex* 3. *aph.* 15. *Ne ſit uſus ipſius nimiam creber, adeóque quotidianus ut quidam faciunt: aurea enim ſunt Gal. verba*, Evacuatio ſuperfluitatum (*inquit*) quæ fit per purgantia, valde indigentibus & ex longo tempore utilis eſt. Earum vero quæ quotidie generantur minor eſt quam pro medicamenti efficacia. Quod ſi voluerit quiſpiam bis in menſe ea vacuatione uti, veritus ne excrementorum multitudo cumuletur, præter id quod nocebit, trahat etiam corpus in malam conſuetudinem. *Exaudiant hoc illi qui per totos menſes utuntur vel longis decoctis, vel ſacculis purgantibus, ut enim corpus bene perpargatur, viſcera tamen miſere cruciantur?* Hæc ſibi dicta putabunt ij quibus cordi cutaque valetudo eſt: ſæpicule enim incautos contingit.

Propter vitam vivendi perdere cauſas h. e. intempeſtivo & præpoſtero purgantium ſiccantiumq; medicamentorum uſu antevertere & accelerare non intellectam obrepentem ſenectam: Etenim ni ſeceſſeremus, longævam vitam polliceri nobis liceret. Næ ergo veriorcum, Sæpe optimum medicamentum medicamento non uti, Natura morborum medicatrice? Et næ illi maxime ſunt morbidi qui ſubinde à pyxide capſuláque pendent Pharmacopolarum: Verum quis nautam, niſi ſtolidum, vidit ſtuppa cannabina cymbas reſarcire, aut picare ſolum, vbi illæ non dehiſcunt? Attamen corpus noſtrum, integra adhuc valetudine multis medicamentis, pilulis variis & c. ſtudioſe corrumpere pergimus, Nos cum oporteret, non ad conſuetudinem vivere, ſed ob modo dictas graviſſimas rationes ſolertium Chirurgorum inſtitutum ſequi, qui ſciſcunt in vulnerum medela id operæ eſſe dandum ut ea non nimis extergantur, ſi illa ex ſententia conſaneſcere aut cicatrice obduci debeant; Secus enim ſi quis faxit, enim una cum ſordibus purulentis, vulnerum ſpiſſum, lentum, glutinoſum illum ſanguinem, quique potentia proxima caro eſt, detergere, atque ita conſolidationem vulnerum in caute prohiberi. Qui ergo pilulis, & præſertim aloëticis, ſingulis vel alternis diebus, ſuperne alvum aut tenuia inteſtina ſollicitant; aut etiam inferne craſſa clyſteribus eluunt, næ illi ob Anatomiæ imperitiam multis incommodis multos mactant? Etenim cum vel perfectiſſima viſcerum naturalium concoctio, ſine prævia & decenti fermentatione abſolvi nequeat, fermentatio vero πνευματώδης ἢ φυσικὴ ſit, aut chylus mediante ea dicatur πνευματοῦσθαι, ſeu ſpiritualcere; aut concoquenda in ventriculo & inteſtinis per διάχυσιν reſolvantur etiam, ſive in ſpiritum ſive flatum, imò natura ſolers in hunc finem inteſtinis cæteris velut ſacculum inanem, Coecum dictum, aſſuerit, ut receptaculum naturale eſſet flatuum. ceu veſicula fellis bilis eſt, utique non illico poſtulandus eſt clyſter, ubi ſæpe etiam ſine ulla moleſtia,

venter murmurat, aut blande inteſtina noſtra moritari percipimus, motu illis maxime naturali, ſed falſo huc uſque pro non naturalibus flatibus habito &c. ne (ut cum Celſo loquar) *In ſecunda valetudine adverſa præſidia conſumantur.*) Notum quoque eſt Anatomes Doctores nos docere, quod præter proprias, ſive tunicas ſive membranas, inteſtina etiam naturaliter cruſtoſa, fungoſa & mucoſa ſubſtantia ſive ſuccingat, ſive obducat, ut alvi fæces lubricitate promotæ ex corpore promptius depellantur: Cujus utilitas quanta ſit tum demum intelligimus cum poſt diuturnas alvi defluxiones, in quibus pituita hæc una excreta eſt, veteris beneficia deſideramus: Anne ergo vim naturæ inferunt qui quotidie deſtricant hanc cruſtam, & inteſtina pilulis, aut clyſteribus abradunt? *Simon Pauli Quadripart. Botan. claſſ. 3. T it, centaur. min.*

LXI. Quæſitæ ſunt præparationes plurimæ, etiam in purgantibus, nominatim in Scammoniu, Gialapa, quas omnes anteit Magiſterium factum cum ſpiritus vini lib. vj. viij. x. ad ℔j ſcammonij vel gialapæ, citra additionem ſpiritus vitrioli, vel ſalis tartari quæ reſinam magis remorantur quam extrahunt, adfuſis. Revera hæc ipſa magiſteria cum extractis fere coincidunt, niſi quod cum magis globoſa ſint, & copia præpolleant, præter extractionem, quæ affinis eſt ſolutioni, etiam aqua ſimplici affuſa præcipitantur ad fundum, ſiquidem ſpiritus vini ſit rectificatiſſimus, nam & per ſe, eodem ſufficienter abſtracto ſubſidet: hinc ſunt depuratior pars ipſius purgantis, vel alterantis, adeoque ſelectior & purior reliquis: Patet hinc quid ſentiendum ſit de Scamonio ſulphurato: utut enim fatendum ſit omnino medicamentum, cujus gratia ita paratum fuit hactenus, ſcil. *Cerberum tricipitem* (ex ſcammonio ſulphurato, antimonio diaphoretico, & cremore Tartari, varia dozi pro lubitu mixtis) eſſe egregium in febribus aliiſque morbis, cujus uſum ſemper experti fuimus ſalutarem, ipſum tamen ſcammonium ſulphuratum commodius longe omittitur, & cum reſina, loco ejus recipienda, commutatur; Cujus rei hæ ſunt rationes. 1. quod experitur caſtratur, 2. quod non quæritur, retinetur: caſtratur vis purgativa, in ſale ſulphureo conſiſtens, unde recte *Helmontius*, quantum admittit aciditatis tantum amittere ait virtutis id ipſum ſcammonium, omne enim acidum purgationi in ſe contrarium (licet per accidens, ob acrimoniam conjunctam quidam etiam ab acidis laxentur, magis ἰνατέρωι) unde correctio non poteſt nominari, præcipue cum ſordes, quod erat argumentum, hoc modo remaneant, nec ſeparentur; Qui enim præparavit reſinam ſcammonii, obſervavit proculdubio arenas, corpora terrena, corpori humano non tantum non utilia quin noxia potius; Unde notavimus aliquoties ab exhibitione hujus medicamenti, *Pulveris Cornachini*, tormina enormia excitata: qui enim ſubigere poſſit corpus & ferre tam heterogenea? *G. W. Wedelius Pharmac. p.* 168.

LXII. Simplicia *extracta* ſæpe ſunt meliora compoſitis præſertim non in unum eundémque ſcopum combinatis, Sic laudanum ſimpliciſſimum, ex ſolo opio factum longe præferendum eſt, noſtra quidem ſententia, omnibus laudanis hinc inde proſtantibus, eſſentia ſpec. diambræ &c. factiſ, ipſa enim hæc pro extemporaneo uſu longe felicius adduntur pro rei intentione & variatione circumſtantiarum. Par quoque ratio eſt ſi maſſæ Pilularum cattahantur, unde inter alia ſit potiſſimum quod tam inſidum effectum vulgo edant ex hiſce talibus præſcriptæ pilulæ. Idem valet de quampluribus aliis vulgari combinationibus, in quibus τὸ ἀριθμὸν, quoad decentem miſcendi modum minus obſervatum deprehenditur. Præſtat ſcil. præparare quæ præparanda ſunt, & componere hinc pro lubitu, vel neceſſitate potius, ne farragine obruti ingredientum, vel dubii reddamur vel decipiamur. *G. W. Wedelius Pharmac. p.* 26.

LXIII. *Extracta Purgantia* pigriora ſunt: Poteſt quidem *reſina Scammonii vel Gialapa* cum ſpiritu vini ſolvi & in eſſentiam redigi, quod commodum ſatis, ſed paulo tamen calidius præbet medicamentum, att communiter Extracta magis ex purgantibus in uſu ſunt quam eſſentiæ. Quod vero Extracta cathartica pigriora ſint experimentis patet, hinc reſinæ Gialapæ ℈ß. licet æquet proportionaliter ad minimum ℈ij Gialapæ in ſubſtantia conſideratæ, non plus tamen purgat quam ℈j. gialapæ, Imo ſæpe ut plurimum nullum plane effectum edunt ea ſola reſina ſcammonij vel gialapæ præparatæ pilulæ, vel infidum, ſeu, vel non purgant omnino, vel fortius ac debebant. Quæritur quare id fiat, nec ſubſequatur effectus fortior, cum tamen quinta eſſentia quaſi, ſeu pars optima ſaltem ſint, & dicantur reſinæ extractaque? Vera hujus rei ratio in reſolutionis ratione conſiſtit. Scammonium, gialapa, rhabarb. ut ſic mixta purgant, quatenus ſulphur eſt diſperſum magis, adeoque facilius reſolvuntur, & conſequenter ſtimulum inteſtinis ad excernendum addunt: hæc ipſa vero reſolutio medicamenti fit à ſero præcipue, quod uti eſt alimentorum, ita & medicamentorum vehiculum: quando vero unitæ ſunt magis particulæ reſinulæ ſulphureæ, conglobantur, ægriuſque reſolvuntur, & quando reſolvuntur tamen, quod fit in corporibus ſalinis humoribus inprimis abundantibus, longe præſentius tunc ſalino ſulphureum ſuum ſtimulum explicant, & cum corpore communicant: hinc reſinæ purgantes optime dantur cum emulſionibus; hinc conſultum eſt extractum ſcammonij vel gialapæ cum gialappa iſta miſcere, quod toto die cum ſucceſſu facimus: Notabile etiam eſt præter reſinoſas partes in Gialapio v. g. latitare etiam gummeaa, quæ ſeorſim, quando præcipitatio fit, in conſpectum per evaporationem decantati liquoris veniunt, minus tamen purgantis: Hinc collige quid ſtatuendum de *Lavateri* illa ſententia, qui defenſ. *Galeni* p. 72. experientia ſe edoctum *ait*, ſimplicem purgantium infuſionem, ſi exhibeatur, plura efficere quam extracta ipſa, quod virtutem purgantem medicamentorum exiſtimaret magis in ſale hærere, quam in ſulphure vel mercurio: ſal enim nunquam cum ſpiritu vini miſceri, quamvis aliquid tincturæ ſucceſſu temporis ex eo eliciat. *Idem.*

LXIV. Satis imprudenter à multis multum Sennæ atque Rhabarbari infunditur in pauca liquoris quantitate, à qua elici non poteſt ſæpius non omnis, ſed nequidem media vel quarta ipſorum vis: Qui proinde certus eſſe cupit de quantitate tum liquoris, tum purgantis infundendi, attendet. 1. ad *ipſum liquorem*, an purus ſit, an alterius medicamenti purgantis, vim juvantis, aut impedientis vi imbutus. 2. An *Purgans* ſit potens, ac purgandi vi plenum, an eadem quavis de cauſa plus vel minus deſtitutum: Cum autem Medicus non poſſit ſcire quale ſit purgans quod uſurpabit Pharmacopœus, ſolent Medici prudentiores aliquanto plus purgantis præſcribere, quo ſi aliquantum id effu-

tum ſit, quantitate aliquando majore compenſetur illa jactura.

LXV. Sed alius non raro hic à Pharmacopœis committitur error, dum alii purgans infundunt in liquoris quantitate præſcripta, alii majore, atque ipſius vel partem tantum ſumunt, vel nimium evaporant, quin nonnunquam purgans exprimunt, aut idem omittunt: Unde quanta, & quam incerta ſit futura talis infuſi efficacia nemo non videt, Interim putant multi Pharmacopœi talia ſibi licere, quibus tamen tam Medicis quam ægris imponitur. Quamobrem cum impoſſibile ſit Medico cujuſvis Pharmacopœi mores ſingulares, quos ſæpe tegunt, noſſe, malui ego in mea praxi præſcribere aut Electuaria aut Pilulas quam Infuſiones: cum Potiones quoque concinnari poſſint ex diſſolutis liquore convenienti Electuariis, Et obſervavi me longe certius ac tutius præ aliis potuiſſe facere meis Ægris medicinam. *Sylvius de le Boë meth. med lib. ij c. 7.*

SALIVANTIA.

SYLLOGE.

Operantur aperiendo & dilatando poros faucium, palati &c. 1.
Fundendo, liquando, & incidendo humores ſeroſos. 2.
Salivatio mercurialis an vacuatio ſit univerſalis. 3.
Cauſam conjunctam evacuant & vicinam levant. 4.
Humoribus quiete peccantibus debentur. 5.
Mercurialis Salivatio internis & externis præſtatur. 6.
Qua forma in uſum ducenda. 8.
Revulſium affectuum ex ... 9.
Quæ loca inungenda. 10.
Tutum eſt remedium rite adminiſtratum. 11.
Excitandi ratio Sylviana. 12.

I. SUpponendum 1°. vacuationem hanc deberi ſero, ſive id lympham, ſive ſalivam, ſive ſputum, ſive pituitam aliove modo vocemus, 2. Glandulas eſſe ſeri receptacula, ſeu diverticula crebra, canaliculos, remoram, alveum, adeóque id ordinariè hoc medio partim colligi, partim excerni pro corporis uſibus; extraordinariè vero, id eſt, p.n. moras nectere, copioſius colligi, in coagulum vergere, & tumorem excitare. 3. In labiis & faucibus non ſolum infinitas miliares glandulas, ſed & majores poros plures reperiri, quæ partim mille poris in os hiant, & è ſe dimittunt liquorem, partim ramis ſeu ductibus, revera lymphaticis, ab uſu vero ſpeciali, vel nomine potius, ſalivalibus dictis, è quibus pro lymphæ ipſius quantitate; ſeu copia & abundantia, qualitate, tenuitate, fluxilitate vel coagulo, tenacitate & motu plus minus, ſubinde ſtillat in os liquoris, uſibus ſuis debiti, 4. adeoque os, ſeu palatum indifferens eſt ſpatium quod recipit liquorem ſtillantem, eumque diſpenſat vel deglutiendo, quod in menſtruum ſatiſcit ciborum, vel exſpuendo.

Hinc dicimus hæc per Salivam evacuantia, operari tum *aperiendo repagula, & dilatando poros*, ut magis hient & à ſe dimittant quod retinebant, qualia ſunt partim motu partim calore id præſtantia: hæc ſi vel ſolus lapillus ſub lingua agitetur; vel hæc ſola, lingua, copioſius quoque, & cum ſpuma quidem elicitur ſaliva; hinc in febribus ardentibus pro ſiti levanda ori inditur cryſtallus, ut frigore quidem actuali ſolet ardorem & calorem, qui exhauſit quaſi omnem roſcidum humorem, motu vero eundem continuo ad os ſollicitat. Hinc maſtiche huic negotio commodiſſima, quæ & roborat glandulas, & grato odore palatum alicit, & rotundis ſuis particulis moriationi huic aptiſſima, unde ſola granulata maſtiche commode ſæpe utimur, quæ intra paucas horas ad uncias aliquot, imo libram unam, ſi opus fuerit, ſputum elicit: imo quæcunque maſticantur, illa etiam motu ſuo ſalivam promovent ſi adeſt.

II. Tum *fundendo, liquando, & incidendo humores ſeroſos*, proximis circa faucium iſthmos reſtitantes, ut ad motum & exitum fiant aptiores, qualia ſunt calida & *ἀναλογ...* gaudentia: ſive *ſalina*, ut nitrum, lapis prunellæ, nitrum antimoniatum, & nitroſa in genere: Hoc enim inſtar regulæ notari poteſt nitroſa omnia, & in genere quoque ſalſa, ſerum maxime reddere fluxile unde hæc ipſa imprimus conveniunt ubi ſerum motu peccat: Sive *ſulphurea reſinoſa*, particulis ſalinis volatilibus acribus remixta, ſeu magis explicita, ſeu implicita, unde huc pertinet tabacum, pyrethrum, cubebæ, lignum S. ſeu tota ſicca ſeu liquida, aquoſa, ut decocta, vel ſpirituoſa, ut aquæ apoplecticæ, v. g. in aphonia &c. Tum *fundendo & proliciendo eoſdem humores* in tota maſſa ſanguinea, totoque adeo corpore, ut ad os appellant, ibidemque exitum inveniant, qualia in ſpecie ſunt *Mercurialia* variis modis adhibita. Horum equidem agendi modus in genere idem eſt, & coincidit omnino cum reliquis, quatenus nempe fluxile reddunt ſerum, & ad ea excretoria, nominatim fauces, ipſum provocant: In ſpecie vero in Mercurio reperiuntur partes ſalinæ, acetoſæ & ſulphureæ volatiles, quæ receptæ intimius à calore actuantur, & in ſero ſeu lympha vehiculum quaſi acquirunt, quod hinc ad motum magis incitant, ſecernunt & fundunt, ut irrequieto quaſi motu exitum ſibi quærat, eundemque in faucibus potiſſimum, ceu maxime glanduloſis, inveniat, Hinc Mercurius purgat & ſalivationem promovet (quod ipſi quaſi proprium, ſpecificum & peculiare eſt) dum volatile, ſeu fumoſam naturam adhuc poſſidet, non item ſi fixatus ſit in pulverem ſicciſſimum, quia calor, vel ſtomachi, vel etiam membrorum externorum, ſi his illinatur, videtur nonnihil de fumoſa ejus ſubſtantia ſolvere, quod ſenſim aſcendendo in tranſitu humores pituitoſos, viſceribus impactos, pigros & quietos inhærentes ad motum provocet & clementer incitet: quod ſi fluxiles ſemel ſint facti à calore ſtomachi, vaſorum meſaraicorum, hepatis, aut aliorum viſcerum & membrorum, juvantur & expelluntur: Neque id mirandum eſt, cum leni calore idem Protheus cum metallis libenter amalgametur, coeat & coaguletur, cur non vitali noſtro calori, longe teneriori communicatus, & delicatis carnibus aſſrictus, ad oſſa quaſi uſque penetret, & poris inſinuatus efficaciam ſuam manifeſte admodum prodat?

III. Hinc ſalivatio mercurialis in tantum auctuit, ut etiam è particularibus evacuantibus velut exluta, ad univerſalium claſſem elata fuerit; quod eatenus concedi poteſt, quatenus conſequutione quadam totum corpus ad has ſyrtes ſuas deponit virginem, unde Apophlegmatiſmus univerſalis dici poteſt, attamen nunquam ſecundum quid hanc claſſem ſubit, proinde etiam conſultum eſt ut atque

ſallvationis hujus uſum & executionem toti proſpiciatur pro re nata, vel purgantibus, vel venæ ſectione, vel, quod ſatius, utrique.

IV. Salivantia autem conjunctam cauſam evacuant, & viciniam levant, ſeu debentur præcipue ipſius oris illis vitiis in quibus ſerum reſtagnat ac quietem meditatur, ſive [illegible], ſive [illegible] leviorem: Sic idipſum fieri in dolore dentium, quem in finem empirici ſolent lapides artificiales dentibus imponere dolentibus; Unde ceu poriſma elicere poſſumus, apophlegmatiſmos & maſticatoria in odontalgia eſſe laudatiſſima: Sic ad gingivas ſcorbuticas, & tumentes glandulas eximium ſuum habent uſum, illa adhibita limitatione quam jam addamus: Sic porro, quod alterum axiomatis membrum erat, ſalivantia præcipue caput levant, Illa leniora ſunt, hæc fortiora.

V. Magis autem [illegible] & quieti ſeri copioſi debentur, quam motui extravaganti & ſero deficienti; Hinc conveniunt in omnibus frigidis capitis affectibus à pituitoſo humore, ubi nempe ſerum in coagulum abit & pituescit, aſt ſi acrimonia tenui & fluxilitate peccet, minus locum habent, præcipue ſi extravagetur. Hinc non conveniunt in diſpoſitione phthiſica, non in hecticis, quibus vel deficit vel infectum eſt: nonniſi caute in aſthmate, non in hæmoptyſi & catarrhis ſalſis ad pectus depluis; non in pica & diſpoſitione ad vomitum: uti enim vomitum præcedit ſalivatio ſpontanea, ita artificialis hæc afficere poteſt facile ventriculum, ut in actum deducatur imminens.

VI. Salivatio mercurialis in ſpecie internis & externis præſtatur; idque vel ſolo alterutro, vel utroque conjunctim. Omne id præſtat unicus mercurius, & quidem internis præparatus: pro mitiori quidem uſu & frequentiori mercurius dulcificatus ad ſcrupulum ſemis, gr. xv. imo juxta quoſdam ad ℈j vel ʒß propinatus in bolo vel pilulis: Pro violentiori vero & citiori præcipitatus rubet, ab acrimonia ſua nimia per aquam roſatam lotione facta liberatione, quo caſu & per alvum & vomitum ſimul operatur conſequi conſuevit: Extrinſecus vero id fit mercurio crudo, quovis modo mortificato, in primis vero uſitata eſt Inunctio mercurialis.

VII. Mercurialis ſalivandi fine, nec in maſticatoriorum forma, nec ſuffituum adhibenda, In emplaſtro vero & cingulo mitiora ſunt. Non ut *maſticatoriorum*, quia mercurius dentibus & oſſibus eſt inimicus, adeoque potentiſſimum quidem eſt maſticatorium, ſed non tutum, unde licet quidam ex mercurii dulcis ℈i cum maſtichis ʒi, & mellis q. ſ. faciant paſtillos maſticatorios, ſatius tamen eſt eos non imitari. Non in *ſuffitu*, quia in vaporem reſolutus nervis magis inimicus evadit, præterquam pro particulari uſu, uti v. g. ad ulcera venerea in membro virili Chirurgus tales ſuffitus in uſu adhuc ſunt. In *Emplaſtro* vero frequentiſſimo in uſu eſt, cum reſolvendi tum ſalivandi fine, utrumque enim præſtat mercurius, ſi mitius operatur, reſolvit tantum, ſi fortius, fundit & ſalivationem præſtat. Eo fine uſitatiſſimum Empl. *Vigonis* cum mercurio, aucto quantum lubet mercurii pondere, quod in gummatibus & tumoribus glandularum, ac dolore laudatiſſimum eſt, & tubercula frigidà eorundem alia diſcutit. In *Cingulo* vel minor vel major apparatus adhibetur. Ille ſi ſolum extinctus viſcido quovis cum goſſypio in cinguli modum ſuendo redigatur, hic, ſi alia adantur, quale eſt cingulum ſapientiæ *Rulandi*, innoxium medicamentum, ſi recte utentem habeat.

VIII. Uſus externus *Inunctionis* vel univerſalis magis eſt, vel determinatus. Sic quidam cervicem, ſpinam dorſi, pectus, brachia, abdomen, crura, volas manuum &c. inungere jubent, Aſt conſultius eſt potiſſimum duo loca eligere, pro Emplaſtris Nucham, pro Inunctionibus Articulos extremorum. Hinc & in curanda ſcabie interdum mercurialia commode inunguntur articulis carpi, ſub axillis & ſub genubus, Ex quo duo adhuc notamus 1. remedia ſcabiei & luis venereæ ſunt communia. 2. mercurialia ſæpe nullam movent ſalivam & tamen curant ſymptomata.

IX. *Mercurius* luis venereæ, hinc & rebellium aliorum [illegible]; utut enim tutior curandi hanc modus ſit per ſudationem, periculoſus per ſputationem, attamen ſi gravior ſit mali radix, evelli per hanc ipſam deſiderat, hinc ut morbis giganteis heroica debentur remedia, ita tum huic ſiphylidi κατ' ἐξοχὴν debetur, & quoad totum affectum, & quoad omnia quaſi ſymptomata, dolores, tumores glandularum &c. tum in aliis, mania, epilepſia, podagra, locum habet, poſtquam deprehenſum eſt per experientiam quoſdam lue infectos, & taliſmodi morbo correptos una adhibita ſalivatione ab utroque liberatos fuiſſe! Hoc ipſo tamen & alia non excluduntur, ſed inprimis ſalivatio præmiſſis univerſalibus, purgantibus ſudoriferis inſtituenda, injungi debent, Obſervavi podagricum ab inunctione mercuriali liberatum, durante ſalatio per tres annos continuos, poſt modum vero rediiſſe morbum ſed mitiorem. *Wedelius de s. m. Fac. p.* 213. In febribus locus ſi putridæ, benignæ (Peticularem tamen ſic ſanari à quibuſdam ait *Fonſeca* Conſult. 37. Tom. 2.) intermittentes: Per criticam ſalivationem ter vel quater Ardentes viſæ ſunt terminatæ ad ſalutem, Obſervavere alii in Quartana profuiſſe: Dolorē capitis contumacem, refractarium vidimus levi ſalivatione arte factâ reſtitutum. Vertiginem συμπαθικὴν per conſenſum hypochondriorum, diuturnam, per intervalla repetentem, nullis cedentem remediis, cenſuimus in hac factâ anchorâ pedem figere poſſe: voto reſpondit eventus: Maniacus hac ope reſtitutus; melancholicus affectus inde medelam ſibi promittere poteſt. Non unum ſed plures Epilepticos hac via liberavimus, bis tantum ſpes fefellit in malo hereditario & altè infiltrato. Arthritis auxiliares copias in actu præſervationis inde expectat; Scabies contumax, etiam benigna, illi cedit, Ulcera tibiarum diuturna, imò antiqua, prudenti inunctioni, & vel levi ſalivationi cedere experientia crebra teſtatur: ſpontaneæ ſolutiones, dictorum morborum dederunt occaſionem cogitandi de tali remedio. *Gu. Rolfinccius meth. Gener. pag.* 510. In uliginoſa Hollandiæ ptyaliſmus terminat plerumque, ceu fidiſſima criſis, febres etiam vehementiſſimas, utique Variolas internas, & interdum contumaciſſimos obſtructi Lienis affectus, quibus nonnunquam ejuſmodi ptyaliſmus excurrit ultra menſis curriculum. *Tulpius obſ.* 33. *l.* 3. Iuvenis Lugdunenſis, Dom. *Tambarrus*, annorum circiter 18. variolis prehenſus, ſuperveniente ubertimo ptyaliſmo, ad octiduum producto, feliciſſime illis defunctus eſt anno 1670. Genevæ.

X. Curatio per ſalivationem peccare videtur in leges ab *Aſclepiade* & *Galeno* promulgatas, nam neque eſt cita, neque tuta, neque jucunda: Non cita, quæ ſupra ultra dies xx. vagatur, Non tuta ratione materiæ & effectus: periculoſum eſt medicamentum mercurius, qui veneſicus, ut & medica-

menta

menta ex eo parata, Præcipitatus enim rubet eſt corroſivos. Symptomata ſequuntur gravia, in ore & faucibus ſalivationes, in palato eroſiones, cor anxietates ſentit, tanta profluvii alvi nonnunquam vehementia ut cruenta excernantur &c. Reſp. Deficere temporis curandi brevitatem conceditur, ſed feſtinatio nimia periculoſa eſſe ſolet: Non celeritati magis attendendum, quam ut quomodo oportet, perficiatur, neque defectuoſè. ἀσφάλεια duplex conſtitui poteſt, una ἁπλῶς, altera κατά τι talis: In curatione luis venereæ, & aliorum affectuum, non ſemper reſpicienda eſt ſecuritas abſoluta, ſed interdum cum periculo juncta; Qui ſecuritati nimis indulget deficit in generoſitate: difficillimum autem eſt invenire remedium generoſum quod nihil lædat & magnifice proſit. Periculoſum medicamentum eſſe Mercurium conceditur aliquomodo non ſimpliciter: aſſumptum crudum in ſubſtantia innoxie teſtantur plurimi: periculoſa eſſe omnia ex eo præparata, ſi debita accedat præparatio, negatur: Symptomata ſequantur graviſſima, Quid ita? Lues inveterata mitioribus, ut guaiaco, eradicari nequit: fauces, palatum, gingivæ, ventriculos, inteſtina patiuntur, ne totum pereat corpus, & ut aliæ partes, cujuſcunque ſint generi, à ſarcina liberentur. Plures morbi incurabiles fiunt ex accidenti 1. errore ægrotum generoſa præſidia non admittentium. 2. Medicorum, præ timiditate & imperitia generoſa præſidia non præſcribentium. Iucunditas nonnunquam poſt ponenda. *Idem ibid. p.* 106.

XI. Quemadmodum ſæpius cum ægrotorum commodo inſtituitur Salivatio ſpontanea & critica, ita decet prudentem medicum ſimilem nonnunquam inſtituere Artificialem. Fateor in Luis venereæ curatione Salivationem Hydrargyri ope inſtitui ſæpius, poſſet tamen, imo deberet in aliorum quoque affectuum rebellium curatione ſimiliter excitari, Scabie puta fœda, aliiſque affectibus ab humore glutinoſo & acri, ſanguini permiſto, & partibus pleriſque intime admiſto pendentibus, atque vulgatum remediorum vim eludentibus: Vſurpatur autem *Mercurius* quandoque crudus, quandoque prius cum ſulphure in *Cinnabarim*, vel cum ſalibus ſpiritibuſve acidis *Sublimatus* aut *Præcipitatus* Mercurius crudus frequentiſſime prius ſaliva, modiſve aliis extinctus, axungiis, butyro, unguentiſve admiſcetur, mox externe corpori inungitur, unde poſt repetitas diebus aliquot Inunctiones in aliis citius, ſerius in aliis commovetur Salivatio. Tutior ad Inungendum locus eligitur in partibus Artuum extremis, pedum plantis, manuumque volis; mox in ſubſequentibus articulationibus pedum & brachiorum, inde ſub genubus & in cubitis, Denique in inguine & ſub axillis, Tandem in ſpina dorſi, & præſertim ad regionem lumbarem, *Cavendo ne caput aut thorax inungatur, poſtquam inde periculum vitæ incurriſſe ægros eſt obſervatum. Inunctio* pauca ſolet inſtitui, & attendi ad mutationes in corpore hinc obvenientes, conturbationes ventris, motuſque humorum verſus fauces atque os. Servari autem debet ægri corpus in loco calido, ſatiſque operimentis tegi, quo ad ſudorem compoſitum cenſeatur corpus. Nam utile tunc quoque ſudorem blandum elici, quo ipſo videntur humores omnes, ac imprimis glutinoſi & pituitoſi ſolvi, & ad mercurii vim ſubeundam aptiores reddi: A frigore cogantur humores pituitoſi, fiuntque ad motum inepti, contrarium à calore expectandum. Continuandum quidem pro ægrorum robore aut debilitate quotidie aut diebus alternis in eadem Inunctione, donec incipiant intumeſcere Gingivæ, atque angi atque ardere fauces, cum foetore anhelitus: quod ſignum omnia ſequenti ſalivationi ſe accommodare, ipſamque eſſe in procinctu ut ſe manifeſtet, Tunc deſiſtendum ab inunctione ulteriore, ne ſalivatio ſequatur nimia, Ægrumque facile alias ſuffocatura. *Mercurio crudo* ad Salivationem excitandam utuntur etiam nonnulli intra corpus, quod efficitur ſi quotidie ad aliquot grana, vi. viii. x. aſſumatur, donec paulatim ſalivatio ſuccedat. Tunc autem abſtinendum ab ulteriore Mercurii uſu, niſi ſegnius procedat poſt dies duos, tres quatuorve ſalivatio, in quo caſu non tantum licet, quin decet quoque novum exhibere Mercurium. Vbi autem illa ſatis procedit, cavendum ab omni Mercurii uſurpatione ulteriore, a qua poſſent nimia quantitate ferri ad ſalivæ vaſa & faucium glandulas humores glutinoſi peccanteſque in corpore, atque in vitæ diſcrimen adduci, ac ſuffocationis periculum conjici ægri. Prudentia certe opus eſt in Mercurii uſurpatione, cum ab ipſo mire commoveantur, & ad fauces impetu propellantur ab ipſo humores pituitoſi glutinoſi, aliique ei admiſti per univerſam ſanguinis maſſam, imo corpus univerſum diſperſi. Poteſt autem tunc Mercurius crudus modis variis extingui, ſaliva, ſucco citri, aliiſve; mox cum agarico, rheo, aloe, ſcammonio, colocynthide, aliiſq; purgantibus additis in pilulas redigi, atque ſic parva dozi in dies exhiberi, donec ſe manifeſtet inſtans Salivatio: Vbi ſemper notandum optimum eſſe in loco, quin lecto eadem contineri ægrum, ut ſemiſudet, ſicque ſalivatio facilitetur. Non tantum Crudo externe ac interne uſurpato hydrargyro Salivatio excitatur, ſed eodem prius Coagulato ac variis modis præparato: Inter ipſius præparationes varias, poſtrema non eſt ipſius cum Sulphure cocti ſublimatio in *Cinnabarin*, quæ *ſuffumigii* modo uſurpatur. Fumus autem aut *toto corpore* excipitur, aut ſolum *ore*: Tali fumo per corporis poros penetrante ad interiora, humores ubivis exiſtentes, pituitoſi & glutinoſi acreſque paulatim ſolvuntur, & ad fluxum deducuntur, quæ paulatim ad glandulas oris ſalivares diriguntur, & Salivatio inſtituitur, quæ hac via perficitur fœlicius quando in partibus externis ulcera exiſtunt, quæ fumo viam concedunt magis patentem atque eo ipſo curantur citius, *Particulari fumo ore excepto* per infundibulum excitatur Salivatio: Quam ego Mercurio utendi rationem habeo pro omnium tutiſſima, & nihilominus in Affectibus non nimis inveteratis, adeóque curatu non difficillimis aptiſſima. Sic enim paulatim excitatur Salivatio moderata, ſine ullo ſuffocationis metu, tantum enim ſalivæ vicibus ſingulis elicitur, quantum videtur poſſe ferre commode quivis æger. Quin æſtate, aliâve aëris tempeſtate calida inſtituta, concedit ægris exitum, adeo ut vix, nec niſi ab hujus rei peritis deprehendi queat: parum nempe Cinnabaris, (cum maſtiche, thure, benzoino, myrrha, ſuccino, ladano, aliiſve junctæ) prunis quotidie aut diebus alternis injicitur, mox impoſito infundibulo fumus ore excipitur, leviſque Salivatio excitatur, quæ poſtea renovatur, niſi ſponte ipſa continuet. Ad ſalivationem excitandam uſurpatur quoque Mercurius tam *Sublimatus* quam *præcipitatus*: Præcipitatus autem ſeligendus minime fixus, Omnia enim Evacuantia ex mineralibus parata, quo redduntur præparatione ſua *magis fixa*, eo humores peccantes minus quavis via evacuant: Quo

autem eadem ſunt *minus fixa*, eoſdem evacuant amplius & copioſius, imo etiam vehementius. Eadem ubi ſunt *maxime volatilia*, humores facilius per Salivationem expellunt, dummodo minima una vice exhibeantur dozi. Cavendum autem ne confertim & magna copia feratur ad Salivares glandulas pituita, poſtquam periculom inde eſt Suffocationis, dum non tantum Glandulæ cooglomeratæ maxillares, tam ſoperiores quam inferiores iode replentur ac intumeſcunt, verum tota oris, faucium, nariumque tunica glanduloſa eadem pituita tunc impletur, ac diſtenta periculoſam, & noonunquam lethalem prodncit io faucibus anguſtiam homines ſuffocantem. *Sylvius de la Boë meth. med. lib. 1. c. 13.* Vide plura ibidem.

XII. Durante Salivatione ſicut difficile eſt aſſumere alimenta ſolidiora, ita ipſorum aſſumptio fere noxia eſt; quorum loco & Lac dulce, & Juſcula uſurpantur commodius & aptius, ut & cum pane cocta cereviſia, addito ſi placet pauco ſacchato. *Idem ibidem.*

SANGVINIS MISSIO.

SYLLOGE.

An in omni morbo & febre convenit. 1.
Non ſoli plethora debetur. 2.
Non omnis Cacochymia, imo nec maxima eam prohibet. 3. 12.
Plenitudo pituitoſa eam non facile fert. 4.
Melancholica tutius demitur. 5.
Cholericorum efferveſcentiam facere poteſt. 6.
Seroſa plenitudo per eam non demenda. 5. *a.*
An ob corruptionem ſanguinis inſtituenda 14.
Humor putridus an per eam educendus 37.
In cacochymia temere ne fiat 44.
Picochrolis ſæpe noxia 13.
Ex pulſu crebro & magno non ſemper plethora arguenda, nec neceſſitas liberalis & crebra ſanguinis miſſionis 30. *c.*
Sanguinis rubicundus color in ſuperficie quid indicet 65. *a.*
An ſanguinis rubor floridus malignitatis indicium 65. *c.*
An colores varii atteſtentur quatuor humoribus 65. *c.*
An ex colore putredinem liceat inferre 65. *d.*
An fibra albicantes ſanguinem pituitoſum indicent 65. *e.*
Mucus ſupernatans non ſemper pro pituita excrementitia habendus 66. 67.
Sanguis ſero deſtitutus non ſemper aduſtionis index 68.
An pars fundo proxima ob nigredinem melancholica ſit 65
Revulſiva *ſit copioſa* 8.
Revulſionis ergo quandoque unica vice mittendus ſanguis, quandoque pluribus 9.
Morbus præſens per proxima, imminens per diſtantiſſima factam ſ. m. deſiderat. 11. 41.
E directo facta cur magis juvat. 40.
Quando revellendum ad originem, ad diſtantiſſima, & ad contraria. 41.
Circulatio ſanguinis impedita, illius miſſionis ope reſtituitur. 5. *b*,
Orgaſmum humorum melius compeſcit quam purgatio. 7.
Revulſionis ergo in paroxyſmo poteſt inſtitui. 10.
Criticis vacuationibus apparentibus, exanthematis, parotidibus, bubonibus &c. poteſt celebrari. 12.
Sanguinis mixtionem & temperiem quando emendat. 17.
An coctio humorum expectanda. 18.
Inedia an ejus vices tenere poteſt. 34.
Debilitas virium ex pulſu debili an arguenda. 63.
Vires debiles non ſemper prohibent. 19.
Extenuatis poteſt vena ſecari. 12. 20.
Evacuatio ſymptomatica non prohibet. 21.
Nec ſemper dolor. 22.
Sanguinem ad centrum non revocat. 23.
In quolibet fluxu an vena ſecunda. 24.
Refrigeratis poteſt vena ſecari. 25.
Periculoſa ad morbos malignos in frigidis regionibus. 15.
Intempeſtiva febrem inducit. 35.
Temere facta cuidam noxia. 66.
An ſi iteranda plus ſecunda quam prima vice educendum. 51.
Quantitatis *juſta menſura an ex colore ſanguinis dijudicanda.* 26.
Meta juſtæ quantitatis. 27.
An ad animi deliquium mittere liceat. 28.
Moderata neceſſitas. 38.
Conjectura de robore virium ex habitu fallax. 42.
Crebrior & liberalior noxia. 16.
Parcior quibuſdam in caſibus noxia. 33.
An ob venerea nimia abſtinendum. Vide pag. 606. §. 6.
Senibus *poteſt mitti ſanguis.* 56. 45.
Sed caute. 57.
Pueris *acuto morbo laborantibus convenit.* 58.
Quibus ob Idioſyncraſiam infeſta eſt, omittatur. 59.
Regio *quantitatem moderatur.* 61.
An à conſuetudine indicatio deſumenda. 47.
An in ſtatu & vigore *morbi locum habeat.* 30. *a.*
An in declinatione. 30. *b.*
An in ſtatu morbi cum debilitate virium facienda. 32.
An in progreſſu iteranda. 30.
An licita menſibus erumpentibus per morbi decurſum. 36.
Menſibus actu fluentibus an convenit. 48.
Crebra noxia eſt ſi plurima illuvies in primis viis in ramis portæ. 46.
Ubi debilitas virium adeſt, minores venæ aperiendæ. 31.
Partitis vicibus quam ſimul & ſemel educere tutius. 33. *a.*
Non ſemper natura corruptum prius expellit. 39.
Inedia illam non debet ſubſequi. 50.
Leipothimia ſuccedere ſolita quomodo præcavenda. 29.
Quandoque die purgationis inſtitui poteſt. 45.
An purgatio ejus vices tenere poſſit. 52.
Unde auſpicandum data utrinſque neceſſitate. 53.
Quando purgationi præferenda. 54.
Non ſemper præmittendus eſt ille leniens aut clyſter. 55.
Si ſanguis è naribus fluat, non illico neceſſitas illius inferenda. 64.
Aſtrorum aſpectus eam non moderatur. 49.
Quavis hora licet educere ſanguinem. 62.
Cœlo ſereno felicius inſtituitur quam nubilo. 62.
Si cibus recens ingeſtus ſit differatur. 71.
Foramen ne ſit anguſtius. 72.

Lato

Lato foramine facta magis refrigerat quam anguſto 69. a.
Vena non aperienda juxta valvulam 73.
Nec prope anaſtomoſin cum arteria. 74.
In obeſis vena occulta qua arte veniat in conſpectum. 90.
Deliteſcens quomodo deprehendenda. 91.
Quantitas emiſſi ſanguinis quomodo dimetienda. 69.
Prima v. ſ. an aliqua prærogativa. 75.
An aliquid praſumendum. 76.
Quamdiu cibus differendus. 77.
Statim ab emiſſione potum aſſumere licet. 78.
Et ſomnum inire. 79.
Meatha pelvi indita ſanguinem è vena malleoli ſecta exire prohibuit. ○.
Si pragnantibus aut partu vena ſecanda præſens ſit Medicus. 92.
Nervi aut tendinis per errorem icti curatio. 93.
Sanguinis ab hirudinibus admotis fluoris nimii repreſſio. 102.
Venarum omnimoda præciſio utilis in multis morbis 103.
Anguſtior venæ apertio quomodo amplianda. 104. 105.
Vena occulta a nervo quomodo tacta diſtinguenda. 106.
Venarum in brachio *delectus inutilis.* 80.
Vena temporis *apertio ad quid utilis.* 86. *a.*
Vena frontis *impuro corpore non ſecanda.* 81.
De venarum hæmorrhoidalium *apertione vide ſupra tit. de Hæmorrhoidibus.*
Iſchiadica *caute ſecanda.* 86. *b.*
Jugularium *apertionis utilitas.* 94.
In earum apertione non ſubeſt periculum. 83.
Vena malleoli *apertio magis debilitat quam brachij.* 88.
Maminariæ *externæ ſectionis utilitas.* 95.
Narium *venæ an aperiendæ.* 85. 96. 99.
Apertio earum per hirudines periculoſa. 98.
Poplitea *qua arte inveniendu.* 87.
Raninæ *caute aperiendæ* 82.
Salvatellæ *ſectio qua ratione utilis.* 89.
Superſtitioſa non eſt illius apertio. 100.
In Lienis affectibus cur utilis. 101.
Vena qua inter indicem pollicemque progreditur apertio. 101. *a.*
Ejus quæ inter angulos oculorum excurrit. 101. *b.*
Hirudines ſi alicui parti admoventur, deficiens ne ſit numerus. 107.

I. VTrum in omni morbo & febre ſanguinem aliqua ratione mittere conveniat? Plurimæ ſunt v. ſ. utilitates, ob quas in omni febre & morbo commodo celebratur, quidam cum ratione venam incidunt, ut pars alimenti ſubtrahatur, natura enim impedita in conficiendis multis alimentis, tota in morbum convertitur, & cauſæ coctionem aggreſſa brevius illam ſuperat, hac ratione inedia & victus tenuitas tantopere commendatur. Sanguis etiam utiliter vacuatur deobſtruendi & putredinem inhibendi cauſa, 9. *meth.* 4. diſtingue tamen obſtructionis cauſam, ſi enim eam copia facit, s. m. eſt utilis; ſi ſuccorum qualitas, valet attenuantium uſus: commoda etiam eſt in diuturnis obſtructionibus hepatis, à craſſa viſcida & ægre mobili materia, quia v. ſ. humores agitans impactis in jecore humores motum accipiunt & pharmaco promptius [illegible]: Et licet attenuatio aperientibus perficiatur [illegible] nimis calida ſint, vehementer excalefaciunt: quare ſatius eſt ut motum expurgationi neceſſarium humori præſtemus, venæ ſectione uti quam calidioribus medicamentis. Sanguis etiam ſæpe mittitur tentandi cauſa, tantillo ſanguine extracto, ut noxios humor capellatur: In lepra ſanguis arenoſus, in quartana niger & craſſus, nam in quartana ſi tenuis & flavos exierit, & in melancholia, illico ſupprimendus. Refrigerat etiam s. m. quia calidam ſubſtantiam educit, plures ergo ſunt in omni morbo s. m. utilitates, ut nullus plene videatur in quo ejus uſus non ſit admittendus, ſi non vacuandi, ſaltem divertendi, refrigerandi, deobſtruendi, minorandi, commovendi, aut alimentum ſubtrahendi, ſin minus, tentandi gratia. *Zacutus pr. h p.* 570.

II. Quoniam venæ ſectio ſanguinis vacuandi cauſa adhibetur, ſanguis autem utilis naturæ eſt, utique probe hanc adminiſtrari conveniet, ſic ut quod inutile naturæ ſit emittat. Fit autem ſanguis naturę inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad unguem non ſervat, nec amplius nutrire ſicut prius, cum utilis eſſet, poteſt: vel cum ita multitudine crevit ut aut vires premat aut tum venas tum arterias, vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat. Ac in his quidem miſſio ſanguinis utilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum unum: in aliis ceu quo humorum vehementiorem impetum ad diverſam partem revocet, vel ad latera derivet. *Galenus 9. meth. c.* 11. Si materia vel deeſt, vel integra eſt, iſtud alienum eſt (Sanguinis detractio) at ſi vel copia ſui male habet, vel corrupta eſt, nullomodo melius ſuccurritur. Item viſcerum morbi, nervorumque reſolutio, & rigor, & diſtentio, quicquid denique fauces difficultate ſpiritus ſtrangulat, quicquid ſubito ſupprimit vocem: quiſquis intolerabilis dolor eſt & quacunq; de cauſa ruptum aliquid intus atque colliſum eſt. Item malus corporis habitus, omneſq; acuti morbi, qui modo non infirmitate ſed onere nocent. Fieri tamen poteſt ut morbus id quidem deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur: Sed ſi tamen nullum appareat aliud auxilium, perituruſq; ſit qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus in hoc ſtatu, boni Medici eſt oſtendere quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique quantus in hac ipſa re ſit metus, Et tum demum, ſi exigatur, ſanguinem mittere; Satius eſt enim anceps experiri auxilium quam nullum. Idque maxime fieri debet ubi nervi reſoluti ſunt, ubi ſubito aliquis obmutuit, ubi anginâ ſtrangulatur, ubi prioris febris acceſſio pene confecit, parémque ſubſequi veriſimile eſt, neque eandem ſuſtinere videmus ægri vires poſſe. *Celſus l.* 2. *cap.* 10.

III. Magna exeuntis ſanguinis corruptela maximæ penuriæ boni ſanguinis indicium: Quæ vulgares Medicos & indoctos plurimum movet, atque ad mittendum iterum atq; iterum, largius ac profuſius, invitat, peritos vero cautiores facit, quia tanta laborantis cacochymia ſemel debilitati, non habent unde reficiantur, interim aluntur ſuo, etſi pravo ſucco. Talia itaque per ſe prohibent fundi, quod ſi a petentibus vincantur, ſuadent mitti parciùs. *Valleſ. meth. med. l.* 2. *c.* 4. Videmus tamen interdum ſanguinis miſſionem convenire in integra & completa cacochymia, verum moderata ea ſit: inſtituatur per [illegible] & frequentatas repetitiones: intermiſceantur medicamenta alterantia, confortantia, victus [illegible], id quod etiam *Galenum* feciſſe ſcimus. Hoc medio Medicum quendam Regium Gallum ſibi ipſi cacochymiam mutaſſe ſcio, dum

nempe quindecies vel viceſies in anno ſanguinem emitteret. *Walæus meth. med. p.* 72. Licet dum in hac venarum cacochymia vena, ſecatur, omnes humores æquabiliter prodeant, & una eadémque ac ante reſtet humorum proportio; quoniam tamen detracta noxiis portione, quo natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, ſed alacriores plerumque evadunt, quod reliquum eſt facilius ferunt, in utrique negotio domant ac conficiunt. *Fernelius m. m. lib.* 2. *cap.* 4.

An in pura cacochymia, citra plenitudinem, ſanguinis miſſio poteſt eſſe ex uſu? Explico conclusionibus tribus quæſtionem: Venæ ſectio Revulſiva ſæpe utilis eſt in Cacochymia pura; quod conſtat in pleuritide & aliis inflammationibus merè bilioſis, in quibus commodè ſanguis emittitur, ne humores præcipiti lapſu ad partem inflammatam fluant, quæ calore & dolore ipſos ex diſtantiſſimis partibus attrahit vbertim. 2. Sanguinis miſſio Vacuativa in purâ cacochymia non convenit, ſcilicet ubi humores valde recedunt à natura ſanguinis: Non enim mittendus ſanguis ſi cacochymia magna ſit impermixta ſanguini, Si verò ſit parva, & ſanguini permixta, s. m. tunc utilis eſt. 3. In pura cacochymia, licet non ſit ſanguini permixta s. m. ventilativa ſæpe prodeſſe ſolet: hæc maximum præbet uſum, ac licet humores non vacuet, ſolam tamen tranſpirationem & refrigerationem procurat; nam vacuatis fuliginibus aduſtis ventilantur vaſa, & deobſtructis cavitatibus & meatibus internis putredo prohibetur. *Zacutus Prax. Hiſt. l.* 4. *c.* 15.

IV. Cur in *Pituitoſa plenitudine* tantopere mittere ſanguinem recuſamus, ſi per ulteriorem elaborationem pituita in ſanguinem verſa roborat vires & ſanguinis penuriam reſarcit? Hoc variis de cauſis accidit 1. Quia cum receptaculum pituitæ ſit os ventriculi, ſæpe illius jungitur læſio, ob quam, & cordis viciniam, ſequitur ſyncope, ut patet ex febre ſyncopali. 2. frigiditas pituitæ eſt valde naturæ adverſa. 3. cum melancholiam pituita vincat copia ſua, innatum calorem obtundit, extingvit & ſuffocat: cum enim pituita ſit humor crudus, & in vaſis copioſius abundet, prohibet acceſſum ſanguinis ad membra nutrienda, 4. cùm pituita tres cauſas obſtruendi obtineat, multitudinem, craſſitiem & lentorem, ob has cauſas orta obſtructione, prohibetur ſufficiens tranſpiratio aëris ad ſpiritus nutriendos, ex quorum defectu virium imbecillitas. *Thomas a Veiga* 1. *de diff. febr. comm.* 3.

V. In *melancholica plenitudine* plenius audaciuſque ſanguinem extrahere licet, 1. quia melancholici ſanguinem multum calidum habent, ad cujus ventilationem & vacuationem ſalubertima eſt v. s. 2. Is humor, licet ſit craſſus, non eſt lentus, quem lentorem cum habeat pituita, & vaſis plus adhæreat, non ita prompte cum ſanguine educitur. 3. Ad vacuationem ſanguinis humor etiam melancholicus vacuatur, quia eſt fæx ſanguinis, non autem pituita, aut alius crudus humor. 4. Melancholia naturalis magis eſt conveniens naturæ ſanguinis quam pituita, cum à calore temperato generetur, non autem pituita, cum à diminuto. 5. Sanguis melancholicus craſſus eſt, & neque inedia, neque balneo poteſt abſumi: debet ergo minutione vacuari, ut ait *Iacchinus* pr. c. 15. 6. Quia pituita, ſi diutiùs manet in corpore corrigi poteſt, & per ulteriorem coctionem in ſanguinem verti; Melancholia vero in ſanguinem tranſire nequit, diutiuſque in corpore manens ſ fiet atrabilis. *Zacutus Princ. med. Hiſt. lib.* 2. *hiſt.* 78.

V. *a.* Sanguis ipſe redundans potentiſſime ac citiſſime minuitur per ſanguinem è vaſis ſectis eductum, quod beneficium perperam expectatur à quibuſdam in aliis quoque humoribus redundantibus: Quamvis enim venæ ſectione *Serum* una cum reliquo ſanguine minuatur in corpore, non minuitur tamen eo reſpectu, quo redundat. Dicitur autem redondare *Serum* in corpore, quando ejus plus generatur & coacervatur in ipſo, quam ejus cum ſanguine reliquo deſiderabat proportio naturalis. Vbi proinde minuendum *Serum*, non credendum mox perinde eſſe an ſanguis ſimul minuatur, cujus proportio tunc mutata eſt, & ita quidem ut potius optare liceat poſſe augeri reliqua, præter *Serum*, ſanguinis partes, quam ut ſimul cum ipſo ſero minuantur: *Sylvius de la Boë Append. Tract.* 6. §. 156. *& ſequ.*

V. *b.* Si minus commode obſervetur *circuire ſanguis*, idque ex *Pulſu minus plene*, adeoque parvo ut *& reſpiratione anheloſa*, Venæ ſectionem omnino neceſſariam puto: Et has duas, à Pulſu & Reſpiratione deſumptas notas, omnibus & ſingulis commendo diligenter obſervandas cum in multis affectibus conſiderari debeant, & Venæ ſectionem indicent. Pulſus, *inquam*, parvus, & quidem oppreſſus, mollis tamen, ut & Reſpiratio anxia & anheloſa, primaria ſanguinis circa cordis ventriculos reſtagnantis, & ſuffocationis periculum minantis ſigna & indicia. *Idem Praxeos lib.* 2. *cap.* 22. §. 73.

VI. In magna bilis efferveſcentia v. a. prohibet Avicenna 4. 1. c. 20. *Vrina ſubtili & ignea*, h. e. valde bilioſa *exiſtente, cavendum eſt a phlebotomia.* Nam ſi fiat, timetur victoria bilis & illius efferveſcentia: quia extracto ſanguine, bilioſi humoris fræno, bilis excandeſcit. Hæc Avic. ſententia, à multis exploſa, Galeni doctrinæ conformis eſt: hic enim comm. in 6. Epid. ſ. 3. t. ult. *Impedimentum in cruentis ſpuentibus, tempus anni, pleuritis, bilis*, vbi per impedimentum intelligit prohibitionem v. s. Bilis ergo redundantia, in affectu etiam s. m. poſcente, venam ſecari prohibet. Idem 4. de ſan. tu. 4. ait quod *Quando humores recedunt à natura ſanguinis parum, audacter ſanguis mittendus eſt: Si verò magis diſtent, conſideratius agendum: Si vero valde, nullus omnino ſanguis mittendus eſt.* Idem 9. meth. cap. 5. recenſens indicationes quæ à v. s. dehortantur, abſtinet ab ea ubi os ventris amara bile redundat. Idem 2. ad Glauc. 2. In eryſipelate & herpete exquiſitis eam prohibet. Idem facit in Terciana exquiſita 1. ad Glau. 9. Id exequendum imperat in omni alio affectu qui eſt germen bilioſæ fluxionis, atque ubi bilis plurimum à natura ſanguinis recedit, In his enim vitium robur non adeſt, Eandémque ob cauſam inedia nocet, quia deficiente humido alimentali, exſiccata incandeſcunt corpora. Sic ſanguine extracto plus exſiccantur & inflammantur, humoréſque efferveſcunt: Eadem cauſa Gal. 1. ad Glauc. 14. ait in locis ſupra modum calidis verendam eſſe s. m. Idem docet 11. meth. 4. præſertim ſi ſanguis, ſit paucus, bilis verò plurima, nam licet humores promiſcuè effluant, eadémque proportione maneant in vaſis, ſequitur evidens noxa citra utilitatem, quia multa ſanguinis quantitas, pauca bilis educitur, & diſſolvitur virtus quæ humorem bilioſum regere debet, qui derelictus à regimine naturæ, deinceps efferveſcit & putret. Avicennæ autem intelligenda eſt ſententia cùm humor

bilioſus

bilioſus, vel in prima corporis regione, vel in ambitu corporis conſiſtit: venæ enim a.m. ope inanitæ, loco ſanguinis extracti rapiunt ea prima corporis regione, vel ex habitu corporis humorem bilioſum, cujus mixtione maſſa ſanguinea conſpurcatur acriorque fit: Quo caſu v. s. non refrigerat, ſed calefacit, cujus loco competit purgatio, vel ſaltem v. s. debet antecedere: Sic fieri febres ardentes, venis æſtivo tempore exiccatis, & acres humiditates ad ſe trahentibus, monent Hippocr. & Gal. 4. acut. 1. Et Tertianas ea bile in genere carnoſo congeſta ortum ducere ait 1. Epid. 2. comm. 20. Tunc enim, cum cacochymia in habitu corporis conſiſtat, venæ præ calore inanitæ & exſiccatæ, amplius vena ſecta inaniuntur, & acribus attractis ichoribus, effrænis fit calor, effervеſcitque bilis, cum metu ne in partem principem bilis furens, tenuis & calida irrequieto motu decumbat &c. *Zacutus Princ. med. hiſt. 63. lib. 1.*

VII. Præceptum Hippocr. aph. 22. 1. de Purgatione in turgentia materiæ, in praxi ordinaria non obſervatur, ſed potius apparente humorum orgaſmo ad s. m. tutius confugimus, ſicque facilius præcavemus ne humores commoti irruant in aliquam partem nobilem; qui à medicamento purgente magis exagitati promptius in eam præcipitari poſſent. *Riverius pract. l. 17. cap. 1.* Ex Galeno elici poteſt in Turgentia humorum concedi poſſe ſ. m. Quod ut intelligatur hæc præmitto. 1°. Humores turgentes non ſemper eſſe bilioſos, ſed interdum ſanguineos, accepto nunc ſanguine pro humore fervente, bilis æmulo: Sanguis autem hic turget quia celeriter & facile admodum movetur; ut etiam ab eo, ut & à bile puta, fieri morbos acutos; unde multa pericula imminent, quod facillimè in partes principes irrepere poſſit: 2. Præmitto in humorum *Turgentia* aliquando ſimul poſſe concurrere ſcopos mittendi ſanguinem, vitium ſcilicet materiæ ſanguineæ, morbi magnitudinem, virium robur, ætatemque florentem. 3. Quod ſi comparetur Purgatio cum s. m. in humorum turgentia, illa procul dubio accommodatior exiſtit & utilior: v. s. tamen tutior erit. Et quia ex Hippocr. 1. Epid. ita medicus ſeſe præſtare debet in morbis ut proſit, aut ne quid noceat, ideo aliquando v. s. purgationi ſubſtitui poterit: Objicies, Purgatio ducit tantum humores pravos. s. m. omnes, ideo ſubſtitui nequeunt ℞. 1. humores turgentes, diverſos à natura ſanguinis, ſimul etiam vacuari, ut qui ſint in motu. 2. v. s. ſubſtitui non ſemper ſed aliquando. Objic. 2. ubi turgent humores bilioſi ac à ſanguine diverſi, non ſubeſt peccatum ſanguinis, & proinde v. s. ſubſtituta non convenit: ℞. in ſimili humorum turgentia, non indiſcriminatim ſubſtituendam eſſe v. s. ſed tantum ubi adeſt febris vehementiſſima, quæ potius amicam v. s. poſcit, quam inimica purgantia, calida & febrem inducere apta. Quod autem febris vehemens requirat potius s. m. quam purgationem, in dubium non vocatur. Hinc has concluſiones elicio. 1. Si humores ſint cum ſanguine mixti, ſine dubio ſub illis convenit s. m. ut patet ex præſentia ſanguinis vitioſi. 2. Si humores Turgentes ſint diverſi à natura ſanguinis, ſed adſit febris magna, robur virium, ætas florens, s. m. mihi probatur; & eo magis quoniam in ſimili caſu ſemper aliquod etiam ſanguinis vitium ſubeſt. 3. Si humores diverſi à ſanguine turgeant, abſintque prohibentia purgationem, abſintque pariter indicantia s. m. tunc nullo pacto eſt ſecanda vena, ſed purgationi tantum inſiſtendum, tanquam ei quæ non leve præſtabit juvamentum, ac longe majus quam nocumentum. *Claudinus Reſpon. 2.*

VIII. Cum ratione vacui *Revulſio* fluxioni occurrat, ſequitur non quamlibet vacuationem id efficere, ſed eam tantum quæ magna ſit, ita ut per eam inanitio fiat, aut totius, aut partium locorum affectu adjacentium. Quod dictum ſit ob eos qui duabus aut tribus ſanguinis unciis extractis fluxionem avertere exiſtimant: Et eò efficacius id fieri credunt ſi hujuſmodi evacuatio per iteratas vices fiat: cum enim ab hujuſmodi evacuationibus non contingit vacuum, cujus gratia fluxio ad partem læſam prohibetur: qua ratione Revulſionem efficient? *Martianus 6. Epid. 5. v. 17.*

VIII. 4. An phlebotomia conveniat *Doloribus à flatibus concitatis*? Ex parvis erroribus principiorum ſequi in finibus maximos ferè perpetuum eſt. Mirum itaque non eſt ſi accepta hac propoſitione, Cacochymiæ deberi purgationem, alia multa ſi quantur falſa, ut mittendum non eſſe ſanguinem in doloribus à flatu concitatis, quia, inquiunt, hi à frigida & craſſa materia, & caloris innati debilitate fiant. Eſto, num ideo ſemper non mittendus ſanguis ubi calid. innatum imbecillũ eſt? ubi materia morbi frigida eſt; nunquam igitur mittendus ſanguis in febribus, nunquam in particularibus inflammationibus, nam in illis cal. innatum debile, extraneum validum, nunquam in nephritide, cujus materia frigida; nunquam in febre ex obſtructione à craſſis & viſcidis humoribus, natura frigidis. In illis tamen juvat s. m. etſi per accidens, in febre quidem ex craſſis humoribus, ut copia detracta aliquid evacuet ea venis, ea eo quod eras obſtructionem renovaret, & quo natura onere levata, reliquo dominetur. In nephritide, quo imminuta materia, quæ in venis eſt, minus facile renes & colon incendantur, phlegmoneque premantur: Adde quod ea aperta vena flatus aliarum partium aliquando minuantur, ob harum communitatem cum corpore toto, & tenuitatem ſpirituum, qui per omnes anguſtos meatus deferri poſſunt: Quare ad s. m. confugit *Hipp. 1. Epi. ſect. 5.* in flatuoſa ventoſitate, ut vertit *Cornarius*. In quo tamen affectu, ut & ingente dolore nephritico, cum Medici quidam coram ægris, doloribus exortis, & a. m. poſcentibus eam minime faciendam eſſe cõtenderent, aperte noverunt quam eſſet eorum ratio à veritate aliena. *Leon. Botallus de Curat. per. ſ. m. c. 9.* In melancholia hypochõdriaca flatuum ubertas eſt, ideóq; flatuoſa dicitur, at his opem ferri ſanguinis miſſione conſtat; in iis quippe æſtus eſt viſcerum, [illegible] vocat Hippocrates, quem temperat venæ ſectio, hinc ſublata cauſa flatuum genitrice, minor horum eſt proventus, at hi à frigida cauſa non ſemper originem ducunt.

IX. In Revulſione, qua quantitate ſanguis ſit emittendus. An nempe ſimul & ſemel, An vero repetitis vicibus eſt diſpiciendum? Et licet authores poſterius commendent, attamen docet ratio & experientia diſtinctionem quandam hic adhibendam eſſe. Nã primo una vice emittimus è venis majoribus in affluxu humorum ſine effuſione, concutiente evacuatione. Pluribus, è venis minoribus in affluxu cum effuſione, ut in nimio menſium fluxu, hæmorrhagia ni[...]. Deinde ſimul & ſemel tollimus cùm materia jã in partem influxa eſt, & in illa exiſtit: pedetentim vero cũ adhuc influit: Exemplum præbent angina, pleuritis &c. *Frid. Hofmannus m. m. l. 1. cap. 20.*

X. Quamvis communiter Revulſio in ipſo adhibeatur paroxyſmo, attamen etiam poſt eum utilis eſt, ut reliquiæ morbificæ prorſus tollantur, ne novus fieri poſſit. Sic in uteri ſuffocatione proveniente ex retentione ſanguinis, uti & in aliis affectibus, commodum ſuccurritur per ſanguinis miſſionem, tam in paroxyſmo neceſſitate urgente, atque caloris nativi propter copiam ſanguinis extinctione imminente, quam extra eundem, ut pote qua ſuperfluus ſanguis p.o. retentus evacuatur, ab utero alio transfertur & immiſſens ſpirituum & caloris ſuffocatio tollitur. *Gr. Hoſt. Probl. dec. 9. q. 3.*

XI. Ex Hippoc. lib. de nat. hum. v. 230. colligimus differentiam inter morbi præſentis curationem, & præſervationem imminentis, *Enitendum eſt ut ſectiones quam longiſſime à locis faciamus &c.* Quia in priori caſu v. s. à venis parti affectæ proximioribus molienda eſt: unde perpetuum fuiſſe Præceptori notavit *Gal. 6.* aph. 36. in morbis ſupra jecur, ex brachiis: infra vero, ab iis quæ in cruribus & malleolis ſanguinem mittere; cujus rationem adducit *Celſus* lib. 2. c. 9. *Neq; ignoro*, inquit, *quoſdam dicere quam longiſſimè ſanguinem inde, ubi lædit, eſſe mittendum, ſic enim averti materia curſum, at illo modo, in id ipſum quod gravat evocari. Sed id ipſum falſum eſt, proximum enim locum primo exhaurit, ex ulterioribus autem eatenus ſanguis ſequitur quatenus emittitur, ubi is ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, ne venit quidem.* Idem præceptum confirmavit Hippoc. de omni evacuatione loquens lib. de loc. ſect. 2. v. 285. *Cæterum morbi*, ait, *ea parte, qua proximi ſunt educendi ſunt, & qua parte ſingulis exitus quam proximus eſt extrahendi.* Quod tandem etiam in evacuatione quæ fit per medicamenta magis particulariter expreſſit aph. 18. ſect. 4. *Dolores ſupra ſeptū tranſverſum qui purgatione egent per ſuperiora purgari ſignificant, qua vero infra deorſum.* In præſervatione autē morborū, qui ſæpius invadere conſueverunt, quam longiſſime ab affecta parte ſanguinem mitti in præſenti ſententia docet Hipp. cujus rei duplicē aſſignat rationem; ne ſcil. magna mutatio derepēte in parte laborare ſolitâ fiat: nam ex tali mutatione plerumq; cōmoti humores, & parte ipſa amplius debilitatâ ad eam fluxiones cōmouentur, unde cōſueti morbi excitantur. Quod præceptum plurimi podagricorum non animadvertentes, dum præſervationis gratia aut venam ſibi ipſis ſecari jubent, aut pharmacum aſſumunt, ſilentes dolores ſæpe excitant. Alteram rationem adducit, ut per v. s. à locis diſtantibus factam conſuetudo removeatur, perquam humores ad partem affici ſolitam defluere ex quacunq; occaſione conſueverunt: Ex quibus patet Revulſionem, quæ à remotiſſimis fit partibus, in præſentium morborum curatione minimè convenire, niſi ſymptomaticas evacuationes ſiſtere opus ſit: tunc enim revulſio facienda eſt, juxta Hipp. conſilium 6. Epid. 2. 50. Revellere oportet ſi non quà oportet repant, *Pr. Martianus comm. in citat. locum pag. 17.*

XII. An *criticis vacuationibus* apparentibus, *Exanthematis* ſcil. *Parotidibus, Bubonibus* &c. Sanguinem licet mittere? Dicendum prius quid ſint Exanthemata & Abſceſſus, & unde oriantur. *Exanthemata* ſunt exiguæ prominentiæ in cute, aut maculæ rubræ vel pallidæ purpureæ vel ſubnigræ, interdum univerſam cutem obtegentes, interdum modo denſius modo rarius diſſeminatæ, modo latiores modo uniciores, modo cutis planitiem nullomodo excedentes. *Abſceſſus* dicitur, quicquid ex defluxu materiæ tranſmiſſæ in aliquam corporis partem, aut ei inhæret, aut tumorem excitat, ut Parotides, & Bubones ſub alis & in inguinibus, aut Carbunculi & id genus alia, ſub quo nomine Abſceſſus & Exanthemata cōprehenduntur, Nam & criticæ evacuationes per alvum, per vomitum, per veſicam, aterum &c, At hi abſceſſus per eruptionem, illi per depoſitionem dici ſolent, à quibus nullā indicationem mittendi aut non mittendi ſanguinis ſumemus, ſed à morbis & ſymptomatis ea ſubſequētibus. Exanthematum, & Bubonum, & Carbunculorū, & ſimilium abſceſſuum materia eſt ſanguis, corpori ſua mole vel vitio, vel utroque modo inutilis, quem natura judicationis modo, certo quodam tempore corpore extrudere nititur, id quod illa quandoq; ſine alieno auxilio perficit, quandoq; vero oppreſſa vincitur, egens ope artis. Erit igitur inutilis venæ ſectio Exanthematis, & aliis dictis abſceſſibus erumpentibus, aut paulo poſt, dum febris, & alia mala accidentia (ſi quæ ſint) ſolvi aut evidenter mitéſcere videntur, ſignificat enim id naturæ vires eſſe morbifica cauſa ſuperiores, quare ibi artifex animadvertere debet ne naturę conatus rectè inchoatos imprudenter infringat: Si vero dicti conatus vel prorſus inutiles, vel minus parum efficaces ſint, tunc naturam oneri ſuccumbere & à cauſa morbi ſuperati ſignificatur, cui crebro in tam periculoſo certamine, niſi ſuccurratur, victa jacet: Ergo ſicut illa non erat interpellāda dum ſe victricem oſtenderat, ita neque auxilio eſt deſtituenda cum aliquam præbet Medico ſuæ imbecillitatis & oppreſſionis ſignificationem: quæ ſententia *Hippocr.* eſt & *Galeni* 1. aph. 20. *Quæ judicantur & judicata ſunt integre* &c. item 2. aph. 12. *Quæ relinquuntur* &c. Dicat quis, Sæpe evenit ut imperfectæ criſes in plures dies protrahantur, adeo ut nec eo die quo exanthemata erumpunt, nec etiam poſtridie aliquid movendum eſſe videatur? Reſpondeo certam ſtatam & univerſalem regulam his dari minime poſſe, ſed prudentis eſſe Medici diſcernere quando primo die, vel ſecundo, vel tardius opitulandum naturę ſit, vel ea ſine auxilio relinquenda; cum ea indiga non ſit auxilii ſi die judicationis opus aggreſſa, morbum, ut diximus, deleat aut maxime extenuet; contra vero ſi aliter fiat. Adde quod ſanguinis miſſio etiam utilis ſit ubi, erumpentibus illis mala utcunq; inclinantur. Adeo ut ipſe non differam ſanguinem mittere (etiamſi ante illorum adventum fuerit alias miſſus) ſi lente videam inclinare febrem: citius enim & hi ſic curantur, ita ut illi (ſi convaliturus eſt æger) & citius & tutius. Dicamus ergo cum *Hippocr.* & *Galeno* Judicatoria quæ non judicant, eſſe exuperantis & perverſi humoris, naturam ad præcocem excretionem ſtimulantis judicativa. Indicat igitur illa tunc ſe opem poſcere, idque vena ſecta potius quam purgatione. Ratio enim in promptu eſt, eaque firmiſſima, cum in propoſitis caſibus morbi cauſa ſit in venis, non in inteſtinis recepta. Accedit quod purgatio, præterquam quod totum corpus perturbat, & impetum & motum humoris revocat ad principes aut internas partes; hinc Hippocr. 4. Acut. *Syſtropha diſſolvi non poſſunt ſi quis purgante medicamento aggreſſus fueris, nam in his vena ſectio præferenda fuerit* &c. quare ea tantum ex arte datur aut in principio febris, aut dum cocti ad excretionem parati ſunt humores. Sanguis vero (ſi morbi genus poſtulet, nec vires reclament) omni tempore mitti poteſt: Neque hic noſter conceptus de corpore evacuando in parotidibus, aut ægrum non levantibus exanthematis, novus eſt, neque à *Galeno* non confirmatus in explicatione horum

verborum

verborum *Hippoc.6. aph.9. Lata exanthemata non admodum pruriunt.* Objicies iterum quod venæ ſectione intro revocetur quod natura foras expellere cœpit, ſc. à circumferentia ad centrum? Reſpondeo id tantum accidere in ſuperfluis, & non arte factis ſanguinis effuſionibus (vide §.23.) At hac ratione per eos adducta non tam valide venæ ſectio hoc loco improbatur quam purgatio, quã illi nec impugnant, nec non interdum importune proponunt. Sed eſto rapiatur aliquid, quod tamen non fit, longe interim major eſt utilitas quæ ſequitur convenientẽ evacuationem materię onerantis, quam injuria quæ ex momento materiæ corruptæ, in magnam venam receptæ poſſet contingere. Sed exemplis rem confirmemus Robuſtum adoleſcentem putris & inſignis ſynochus corripuit, 3. die ſoluta eſt alvus diarrhoeæ modo, poſtridie febre & fluore alvi eodem vigore perſeverantibus rubra *Exanthemata* denſiſſima, leviterque eminentia, univerſam cutem occupant: luce ſequenti, quæ 5. erat à febris invaſione, cum omnia mala perſiſtere & adoleſcere videremus, ſanguinem mitti voluimus ad ℥xviij, a quo opere omnes in illo noxæ ſic declinare cœperunt ut biduum poſt nullum ſupereſſet earum veſtigium. Alteri adoleſcenti, in eodem morbi genere, ſed ſine alvi fluore, detrahi juſſimus libram unam ſanguinis: dies erat ægritudinis quartus, ſecundus ab eruptione exanthematum, quinta die a morbi initio ad conſueta obſequia reverſus eſt.

In curandis vero *Exanthematis ſine febre* orientibus, aut illam præcedentibus, qualia Lutetiæ æſtate anni 1575. in multis viſa ſunt, tum fœmininis tum adoleſcentibus ac ætate conſtantibus, nempe denſiſſima per totum corpus prominentia lata, dura, ſubrubra aut pallida, qualia ab urticarum contactu edi ſolent, alias cum alias ſine pruritu, cum nemo fere Medicorum ſit qui ſtatim non confugiat ad propoſitum auxilium: de his itaque dicere nihil nobis reſtat dicere, præterquam errorem eſſe corpora purgare priuſquam ſanguinem mittere, cum hictus affectus ab efferveſcentia & redundantia ſanguinis ut plurimum contingat, & ſi alvus ſicca eſt eluendam eſſe clyſteribus.

Quæ de Exanthematis in defecta criſi emergentibus dicta ſunt, eadem puta dicenda de *Parotidibus*, *Bubonibus* & aliis hujuſmodi *Abſceſſibus* præmature erumpentibus, nempe in iis expeditiſſimum eſſe ſanguinem è vena mitti, dum ſcil. illis prorumpentibus febris non inclinatur aut ingraveſcit, quod utiliſſimum eſſe in multis fuimus experti &c. *Leon. Botallus lib. de curatione per ſ.m cap.5.*

XII. Sanguinis miſſio Alvo fluente an conferat? *Si cuipiam ſanguinem auferre confert*, inquit, *Hippocr.*4. Acut. n.116. *Ventrem confirmare oportet, & ita auferre:* quo loco *Galenus* ait. *fluente alvo ſanguinem non detrahes: nam ſi poſt detractionem perſeverat fluor, virtutem proſternit.* Confirmat 1. de Art. Curat. ad Glauc. 14. *Si cum alvi profluvio febris acceſſerit, alia evacuatione opus non eſt, verum ipſa per ſe ſufficit, etiamſi non ſit pro multitudinis ratione: quicunque vero ab iis, tanquam majori evacuatione egentibus, vel ſanguinem ducere, vel ventrem movere auſi ſunt, in graviora pericula ægros præcipitarunt.* Sed quis inficiabitur inteſtina ejuſdem eſſe naturæ cujus ventriculus, cui illa continuantur? At ſi hoc, ut docet *Galenus* 7. m. m. omnibus intemperiebus patet, cur & inteſtina ipſa eiſdem patere minime convenit? Vexatur omnis pars corporis modo calida, modo frigida, humida aut ſicca intemperie, aut multipliciter ex iis compoſita, & inteſtina ab iis intacta inviolatáque manebunt? Si ſic, reliquum eſt ſymptomata cujuſque affectionis ſuam conſequi affectionem; At inter ſymptomata affectuum omnium maxime commune eſt functionis vitium: Multiplex autem eſt Inteſtinorum functio, ut aliarum partium, attrahendi ſcil. retinendi, coquendi, expellendi; quas omnes lædi neceſſum eſt à quacunque intemperie fuerint divexata, plus aut minus pro ratione vitii ſuſcepti, interdum unam magis aliam minus, ideóque ſi retentricem labefactari contingit a calida intemperie (quod frequentius evenit quam a frigida) quid prohibet quominus huic affectui occurramus ſ. m. veluti ei quæ a ſimili cauſa in alia corporis parte contigerit? Caretne vaſis inteſtina per quas ſubjiciantur humorum decurſu? patiuntur & illa inflammationes & gangrænas ab humorum affluxu? ſcatentne æſtuoſis & vellicantibus ulceribus? acerbiſſime doloribus affliguntur dum dyſenteria exercentur? Quoad *Galeni* argumentum, in controverſia poni non debet quod fluxu perſeverante vires concidant, eoque magis ſi ſupervacue ſanguis detractus, aut adhibita purgatio fuerit; ſed num hoc peculiare huic effectui, num & febris hoc facit? num dolor quilibet inſignis? Num, dices tam facile, cum per hæc in quibus nulla inſignis evacuatio cernitur, non tam celeriter vires exhauriantur quam per alvi fluorem. At quid in ſanguinis fluxu è naribus, utero, hæmorrhoidibus, pulmone, ventriculo &c. in quorum curatione ſanguis mitti jubetur a peritis & vulgaribus Medicis? Dices in iis tantum concedi ſ. m. revulſivam, qua exiguus modus detrahitur, ut ſcil. in adverſa parte parata via ſanguini qui in motu eſt, deſinat fluere qua cœpit: Hac ipſa ratione & nos dicimus ex brachiis eſſe mittendum ſanguinem in Alvi fluore concitato a calida intemperie, quæ nunquam habet humoris effluxum comitem, quo huic aliunde parato exitu, & eo ex parte detracto deſinat reliquum currere & gravare partem quam obſidere cœperat: hinc que eo partim diminuto, & in aliam partem revocatu, æquum eſt intemperiem, quæ fluoris cauſa erat, leviorem fieri: qua extenuata, neceſſe ſimul cum ea inclinari & quod ab eadem cauſa afficiebatur, ſuperfluam ſcil. alvi dejectionem.

Exemplis aſſertionem confirmemus Bilioſa, cruenta, ramentoſa dyſenteria, cum febre & jugi egerendi ſtimulo, ac acerbitate doloris, jam per menſium fere integrum *Polemarchum Brixiacum* adeo afflixerat ut de vita parum eſſet ſpei, ſic tamen levatus eſt a miſſione ℥vi ſanguinis ex baſilica dextra, ut præſens aucum fuerit auxilium, cum ipſomet die noxæ omnes evidenter inclinare cœperint, ac brevi valetudini fuerit reſtitutus. 2. In eodem morbi genere, cum tumore lienis, detractus ad ℥x. ex ſpleniti ide mirum in modum & ad ſalutem profuit uxori N. 3. Tormina & febris tridui ſpatio graviter torſerunt D.N. die 4. miſſo ſanguine ad ℥x. ſic mala remiſſa ſunt, ut poſtridie in totum fuerint reſoluta. 4. Graviſſime & periculoſiſſime N. habebat a febri & ramentoſa inteſtinorum difficultate, a quibus cu propemodum confectus eſſet, cum ſæpe Medicus alius inutiliter rheo purgaſſet, a me die xx. detractus ſanguis ad ℥x. evidenti juvamine: biduo poſt pingui ſemina & ſyrupo roſar. ſolut. quod medicamentum reſiduum mali ſubduxit. 5. Coquum Dom. N. prehenderat primo febris acerbiſſima, poſtridie inſignis dyſenteria; illico ex dextra baſilica detrahi juſſi circiter ℥xv. ſanguinis, ex quo nox

tranquillior fuit, poſtridie vero utrumque virium reſolutum. 6. Mirum inventum præſidium in D.N. quam longa & valida febris cum *alvus fluere, modo lienterico, modo dyſenterico, modo alterius generis, modo mixto*, jam ad extremum fere marcorem detruſerat: frequens fuerat purgatio ex rheo, data urinam moventia, adſtringentes fotus, litus adhibiti &c. propoſui ſanguinis miſſionem: Ibi miratus medicus remedii novitatem, ſtatim profluentem alvum, cibi faſtidium virium imbecillitatem, extremam maciem, tabidam febrim & deploratam valetudinis ſpem coram attulit: Attamen me jubente, tunduut baſilica dextra, ad ℥ix circiter ſanguinis putridiſſimi educuntur. Poſt ſex dies, quia fructua primæ miſſionis fuit eximius, ex altero brachio iterum miſſus, Et poſt dies alios decem, rurſus vena aperta, Sic ille poſt paucos dies morbo penitus liberatus eſt. 6. Febris, profuſa alvus, tam ſua vetuſtate quam vehementia jam pene oſſa carne denudaverant famulo N. in obſidione Rupellenſi, cum miſſione ſanguinis ter ad ℥viij repetita, & bis purgato corpore ex ſenna & ſyrupo roſac. laxat. ſanitati reſtitui. 7. Synochæ putridæ acceſſit alvi profluvium laborioſiſſimum, modo diarrhoeæ, modo lienteriæ ſpecie ad diem x. febre non remittente in N. utraque hæc affectio à s. m. bis repetita ſublata eſt die xi. A repetito purgantium uſu cum in pejua labi videretur, eo omiſſo ad ſolam s. m. me converti, quam bis iterum uſurpavi: ab harum prima magnopere omnis noxa in eo repreſſa eſt, à ſecunda penitus ſublata. 8. Famulum D.N. Lienteria non exigua diebus octo extorſerat, à qua manifeſte relevari viſus eſt miſſo ſanguine & poſtridie liberatua ſumpto ſennæ decocto cum momento infuſionis rhei. 9. Septuagenario diarrhoea dierum octo ſtimulato, & s. m. præ ſenio reformidanti, infuſum rhei inſtituimus, quo non juvante, ſanguinis miſſione ſalutem conſequutua eſt. Porro ut horum omnium, & permultorum aliorum, quos ex variis & gravibus alvi profluviis, tum recentibus tum vetuſtia, tum cum febre, tum ſine ea, Divina gratia liberavimua maximam illorum ſalutis cauſam in s. m. referimus. Ita ex adverſo multorum interitum ad dicti auxilii defectum referendum puto &c. *Idem cap.* 4.

XII. *c.* Multos *morbos a Cacochymia oriundos vena ſectione* feliciter *curari*, hoc eſt, ut ego interpretor, penes alia auxilia medica utiliter ipſam adhiberi, non diffiteor. Subtrahitur per eam enim vitioſorum humorum nonnihil, adeoque oneris parte natura liberatur, ut deinceps, & quod corrigi eſt habile facilius corrigat, & quod ad excretionem aptum, medicamento purgante adjuta promptiua repellat: Hoc autem emolumentum tum demum à v. s. expectandum eſt quando vel in exterioribus potiſſimum venis cacochymia redundat, vel per omnes æqualiter diffuſa eſt; Si enim in interioribus, ut remotioribus, ac majoribus ſubſiſtat, ſecta equidem vena nihil de cacochymia auferes, ſed naturam laudabiliore ſaltem ſanguine ſpoliabis: Quæ res an ex re ægri futura ſit quilibet intelligit: Adhuc, ſi cacochymia quatenus talis per ſe v. s. indicat, tunc in omnibus morbis à cacochymia oriundis erit adminiſtranda; At ſeces tu mihi venam in cacochymia bilioſa, quantas turbas excitaturus ſis eventu ipſo ſatis ſuperque doceberis. In cacochymia pituitoſa eandem ſi inſtitueris, tunc magis magiſque ipſam augebis, corpuſque in cachexiam, atque ex hac in hydropem præcipitabis: Maniacis quod v. s. ex uſu eſt, ideo fit quod fervidus eorum ſanguis per eam, partim refrigeratur, partim ne in caput tanto impetu vergat præpeditur. Sola v. s. repetita vitioſos humores, qui purgantibus tolli nequeant, educere velle rem ego puto periculi plenam eſſe, poteſt enim ſanguis per diuretica & hidrotica tutius meo judicio detrahi: *M. Doringius Epiſt.* 80. *cent.* 1. V. S. in cacochymia quod attinet, ego quidem eam nondum defendo; Hoc ſaltem moneo teipſum non ignorare, quod natura ſæpe vitioſos humores ad externas venas depellere ſoleat, unde in febribus frequenter v. s. bona cacochymiæ pars feliciter tollitur: Deinde & iſtud, quod *F. Platerus tr.* 1. *Pract. p.* 145. affert, ſæpiſſime repetita v. s. cacochymiam in Maniacis & Melancholicis ſublatam fuiſſe: *Sennertus Epiſt.* 85. Addo, mecum quæſo rationem ineas. An Practici ſæpius venam in cacochymicis quam plethoricis aperiant, Ego puto è decem quibus venæ aperiuntur, vix unum eſſe plethoricum, reliquos omnes cacochymicos: Et tamen hæc quotidie fiunt & Medicis ſuadentibus, neque ſemper malo cum ſucceſſu, Cauſam hujus rei hanc eſſe puto, Natura pro hominis ſalute ſollicita ſemper id agit ut è regia corporis via quicquid humorum vitioſorum eſt, vel ad primas vias, vel ad ambitum corporis depellat, & ita viſcera nobilia ſalva conſervet; Hinc vitioſis humoribus depulſis, oriuntur ſcabies & infinita tumorum ac tuberculorum genera: Antequam vero in ambitum corporis erumpat materia, hæret in venis artuum: unde vena aperta ſæpe vix quarta pars ſanguinis nomen meretur: Annon ergo conſultius videtur vena aperta cacochymiam illam è venis in artubus, quo à natura protruſa eſt, evacuare, quam purgatione ad interiora corporis iterum trahere, & niſi plane evacuatur, viſcera inquinare? *Idem Epiſtola* 92.

Plenitudinem inter omnes Medicos convenit eſſe ſanguinis ſinceri, i. e. alendo corpori accommodati exuperantiam; *Cacochymiam*, vitioſi humoris redundantiam, Purgationem vero vitioſi humoris in corpore exiſtentis convenientem excretionem & eductionem: quam plerique Medicorum, importunius certe quam verius contendunt non eſſe venæ apertione, ſed alvi ductione, vomitione, ſudoribus &c. moliendam, quin inquiunt, per hæc vitioſum tantum & corpori inutile excernitur, per illum vero etiam & quod eſt utile educitur, non ſecernente ſcil. natura per hanc utile ab utili, ſed ſinente promiſcue effluere quicquid eſt in venis permiſtum, æque bonum ac malum, unde major injuria quam beneficium, Sed ſi cacochymia in omne corpus diſtribuitur, ut omnes ſentiunt, certum eſt eam etiam ex parte contentam in venis totius corporis eſſe. Atqui, obſecro, vitiatus ſanguis qui in artubus eſt, qua arte quave ſpecie purgationis expugandua eſt? ſtultum eſt credere id fieri poſſe alvi excretione; ſtultius etiam vomitu aut excreatu, aut urinarum ductione, licet hæc omnia aliquando artuum affectibua conducant, per accidens tamen, detracta ſcil. per illa parte aliqua humoris qui cacochymiam, & conſequenter dictos affectus fovere & augere poſſet. Non enim ab artubus ad dicta emiſſaria humorum regreſſua conceduut niſi in lethalibus evacuationibus, ut in vehementi diabete fere totum ſerum, & in inſigni alvi fluore fere univerſus corporis humor effundi poteſt; Cacochymia igitur, cum non unico ſolo loco corporis hæreat, ſed univerſum fere ipſum obſideat, inde ab ejus variis partibus eruenda eſt, è venis ſcil.

quæ

quæ in eis contenta; cutis ſcarificatione, aut ſudoribus, aut inſenſibili tranſpiratione, ea quæ cuti adjacet, alvi excretione, quæ viſcera & circa ea eſt infita; vomitu quæ ventriculum, urinis quæ renes; munctione & ſternutatu quæ caput aut pulmones aggravarit: &, ut uno verbo dicam, à parte qualibet proprium onus exonerandum eſt, aut certe ab ea quæ maxime affectæ parti eſt proxima, ſeu magis idonea.

Ergo in *Cachexia*, quæ totius corporis eſt malus habitus, purgatio quidem neceſſaria eſt, at non ea ſolum quæ catharticis fit, ſed ea magis quam per ſectionem venæ molimur: repurgari enim ſanguinem poſſe ſecta vena effectus ipſe docet, cum ea multos cachecticos ex peſſimo corporis habitu in bonum reſtitui, & in hoc in multos annos continuari videmus. Nemo viſus unquam majore & contumaciore humorum colluvie ſcatere fratre meo, qui à paralyſi graviſſima, & convulſione alterius partis jam ab annis xxiv. præter ſpem fuit liberatus; qui ſtatim poſt maligna ſcabie obſeptus fuit, à qua cum nec purgationibus, nec balneis, nec litibus &c. liberari potuiſſet, ſanguinis miſſione, contra Medicorum ſententiam, ſæpius repetita, non ſolum ſcabie liberatus eſt ſed à meliorem habitum antecedente deductus eſt. Ipſe etiam cum ex quartana febre cachexia adeo urgeret, ut ab hydrope non parum timerem, certe nullo alio auxilio reſtitutus fui (quamvis prius tentaverim id efficere purgationibus, apozematis & vivendi ratione) quam ſæpe repetita venæ ſectione. Famulus meus *Henricus*, ter miſſo ſanguine à peſtilenti febre mea opera liber evaſit, ſed permanente febre languida, ſudorifica, ex qua in leucophlegmatiam ruere videbatur, quater illi miſi ſanguinem, ad libram unam ſingula detractione, ut ſpatio dierum circiter xx. liberatus ſit, jamque uxoratus vivat incolumis. Tanta erat ſanguinis colluvies ut nunquam ſimilem viderim, cum ex qualibet libra medica ſaltem unciæ decem eſſent ſeri; & pluſquam ſeſquiuncia craſſiſſimæ & tenaciſſimæ pituitæ ſupernatantis, & circiter dimidia uncia nigerrimi & corrupti ſanguinis ſubſidentis.

Alios etiam quampluirimos tractavimus, quibus tamen multi Medici dicebant ſanguinis miſſionem nulla ratione conducturam ſed purgationem, juxta ſententiam vulgatam quod Cacochymiæ debeatur purgatio, quæ vera eſt, niſi addetent, non autem ſanguinis miſſio: Non tamen ex adductis exemplis volumus induci ſingula corpora cachectica & impuri ſanguinis ſic eſſe tractanda; Impuritas enim humorum inteſtinis reſidentium, ſub Cachexiæ nomine comprehendi minime debet: At ut non intelligimus hæc exempla, & alia, eſſe habenda tanquam leges, ita neque par eſt ut ea tanquam inutilia, & ab arte aliena rejiciamus; præſertim cum videamus ab experimentis artem omnem prodire, & a ſingularibus ipſa univerſalia deduci. Quare oportet hanc noſtram ſententiam, *Galeno* repugnantem, ſi recipienda eſt, à præcipuis authoribus artis roborari & confirmari, *Galeno* ipſo, *Hippocrate* & aliis alicujus famæ: Qua in re quæſo *Galenus* videtur magis laborare adverſus *Eraſiſtratum*, quam in oſtendendo illum male credidiſſe in ſola plethora ſanguinis miſſionem convenire? Ipſe medendo hoc auxilio uſus eſt; 9. m. m. cap. 5. & lib. 11. cap. 15. Febres omnes putridas jubet curari miſſione ſanguinis, in quibus ſi aſſiduæ ſint, ut putrida ſynochus, imperat largiſſime detrahi, nam in iis putare plethoram tantum multitudine peccantem eſſe ſtultum eſt: Et dum dixit in iis etiam putridis febribus ſanguinem mitti poſſe, & 7. die & 20. & aliis longioribus, ſi reliquæ reſpondeant indicationes, putabatne hæc corpora eſſe plethorica? Præterea mulierem illam, de qua 6. *Epidem. comm.* 3. longo morbo confectam, & marceſcentem, putabatne eſſe plethoricam? Et ſi credebat vitioſis ſuccis oppreſſam, cur tentavit in priſtinam ſanitatem reſtituere venæ ſectione? nam in hac ter ſe miſiſſe ſanguinem dixit, diebus tribus continuis, non autem pharmaca exhibuiſſe. Præceptis idem confirmavit, ovo xi. m. m. cap. 5. *Si in calida & ſicca natura, cum ſucci vitio, febris fiat ob multos craſſos & glutinoſos humores, ſanguis mittendus eſt, quo vitioſus ſuccus facilius tranſpiret.* Amplius, *Si coarctatum corpus eſt, & exigui meatus denſati, & multi ſimul ac lenti humores ſubſint, in hujuſmodi cauſarum complexu copiſſe a ſanguinis miſſione convenit.* Et 9. meth. cap. 10. ait *inſignem ſangu. evacuationem periculoſam eſſe ſi confertim fiat, viribus imbecillis exiſtentibus cum humorum corruptela. in qua,* inquit, *oportet, ubi indicationes ſeu ſibi adverſantur, paulatim evacuare quod eſt vitioſum, & paulatim etiam quod eſt ſalubre pro eo reponere.* Quam curationis formam ad amuſſim ſic deſcribit *Celſus* lib. 3. c. 22. *Si malus corporis habitus eſt, quem cachexiam Græci vocant, primum abſtinendum eſt, deinde alvus ducenda, Si nihil reliqua proficiunt, ſanguis mittendus eſt, ſed paulatim quotidiéque.* Et capite de miſſione ſanguinis etiam aſſerit, *convenire in malo corporis habitu*, dicitque, *in ſanguinis abundantia vel eius corruptione nullo remedio melius ægro ſuccurri poſſe quam ſanguinis miſſione, imo ſecta donec purus exeat.* Iam *Rufum* audiamus, *Si melancholiæ*, inquit, *comites ſunt ventris dolor, & inflatio, & vitiatus corporis color*, prava concoctio, vomitus, ructus acidi, *flatuoſorum copia, curationem vena axillaris, aut ad parvum digitum manus ſiniſtra inciſione auſpicabimur*, Lucidius cacochymum corpus deſcribi nequit. Sed Lienoſos homines, ſive ſpleniticos ad hydropem propenſos, quis non cacochymos dixerit? at *Hippocr. lib. de Affect. num.* 21. dicit in his venam ſplenitidem frequenter eſſe aperiendam. Non igitur recte *Galenus* 5. m. reticuit dum remedia Cacochymiæ propoſuit, præſertim quod vix ullam diuturnam ægritudinem, quantumlibet minimam aut recentem gravem, reperies ſine cacochymia. Nam ægra corpora medico tempore vitioſis excrementis ſcatent. Adde quod omnia ferè corpora, in quibus mitti ſanguinem juſſit *Hippocrates*, ut ex exemplis cognoſci poteſt, cacochyma non plethorica ſunt judicanda. Si ergo ſanguis ſit inutilis, ut *Galenus* ait 9. m. m. 11. dum propriam qualitatem ad unguem non ſervat, nec amplius nutrire corpus, ut prius poteſt, non modo non eſſe contemnendam s. m. in cacochymia, ſed magnopere commendandam. Interim tamen ſic eam eſſe partiendam, ut per eandem crebro repetitam, ut *Galenus* & *Celſus* docent, id quod in venis eſt corruptum, paulatim ſine virium læſione magna parte exhauriatur, magna ex parte, inquam, quia totum eximi neque convenit neque fieri arte poteſt: At reſiduum, ut *Galenus* pluries dicit, facilius tranſpirat, aut excernitur naturæ munere, *Leon Botallus lib. de Curat per ſ. m cap.* 8.

XIII. Qui meatum choledocum ad ventriculi fundum habent implantatum, & ob id aſſidue bilem evomunt, nauſeam & oris amaritudinem patiuntur, & in perpetua ſunt afflictione, ex *Avicenna* mente

phlebotomandi non ſunt, quod extracto ſanguine bilis ad venas remeans ferveat amplius & ebulliat, Et maxime cum in his virium robur non adſit, cum ventriculi morſus patiantur ingentes, prehendantur cardiogmis, linquantur animo, crucientur ſiti, convellantur, rigeant, ſint inappetentes, nauſeabundi & frequenter ventriculi inflammatione corripiantur. *Zacutus.*

XIV. Sanguis naturæ filius exoptatiſſimus exiſtimatur, cujus ope omnes ſuas operationes perficit, & quem ei ſine damno vix ſubducere poſſumus: attamen ars poſtulat ut illi qui cum ipſo rem habere cupiunt, neque audaces neque meticuloſi, ſed prudentes & cordati, ad v. s. procedant non aliis quam hiſce 4. rationibus commoti. 1. ob Plethoram, ut natura nimio pondere liberetur, & naturalis calor à ſuffocatione præſervetur. 2. ad ſanguinem & ei admiſtos humores revellendos, cum nimio ſc. fluxu ad hanc aut illam partem properantes, curationem impediunt. 3. ad ſanguinem jam in partem delapſum alio derivandum, licet ibi fixam nondum habeat ſedem, neque extra venas vagetur. 4. ad refrigerandum, cum tanto ardore ſit inflammatus, ut neque medicamentis refrigerantibus, neque in tempore extingui poſſit. Sed putant nonnulli ſe his terminis nimium coarctari, cupientes ſanguinis corruptionem, æque ac quatuor jam enarratas rationes nos ad v. s. impellere, ut natura à portione corrupti exonerata, reliquum ſanguinem tanto melius corrigere & emendare poſſet, Verum hoc magnopere exoptarem. 1. Evacuationem hanc abſque virium tantopere neceſſariarum diſpendio fieri poſſe. 2. Vellem eos ad lectum ægrotantis aſſiſtentes, accurate indicare ad quem corruptionis gradum jam ſanguis devenerit, ut hinc ſciri poſſit quantum & quoties venæ ſectione ſit depromendus, quoniam v. s. in omni ſanguinis putrefactione non permittat, ſed tantum modo in illa, in qua nondum ad ſublimem gradum pervenit. 3. Oporteret illos manifeſte indicare quam ob cauſam majorem corruptionem purgatione, minorem vero v. s. curandam eſſe velint, cum huic æque ac iſti verum Cacochymiæ nomen tribuant: Monſtrent inquam ſecundum magis & minus differentia ſpecie differre, & ideo propter ſpecie differens indicare remedium.

XV. Vlterius procedunt alii, qui in omnibus febribus innoxium ſanguinem profundunt, neque petechias, neque peſtem, neque venenum excipientes: liberantes itaque ſe hoc modo à multo labore & moleſtia, quam alias multiplices febrium differentiæ Doctori exhibent. Sed quoniam veneni & malignorum humorum natura præcipue in eo conſiſtat ut continuo ipſum cor aggrediantur, & vires robuſtiſſimi cujuſque ſubito proſternant, & v. s. interim utrumque præſtet, non tantum vires diminuendo, ſed etiam malignitatem ad cor trahendo, & illud quod natura ad ejus ſublevationẽ emiſerat, ad ejus oppreſſionem rurſus impellendo; Non potui quin omnes hujus Artis peritos orem & admoneam, ut neque in Peſte, neque in aliis malignis febribus, nec etiam id omnibus accidentibus, quibus homines interne & externe veneno afficiuntur, ad v. s. procedant, præſertim ſi animi tranquillitatem & ſalutem ægri opem implorantis ament & ſerio illis cordi ſit: Galli, Itali, Hiſpani & Luſitani, acerrimi v. s. propugnatores, mihi regerent, naturam V. S. aërem quaſi haurire, & aliquo modo exonerari, ut tanto facilius reliquam malignitatem ejaculetur, atque hoc verum videtur, nam ſanguis aërem haurit, ut tanto melius ejus ſpiritus avolarent, & iſtis ſublevatur viribus quibus neceſſario indiget: Hiſce peractis natura ægri vitam morte commutat, & ex circumſtantium oculis lacrymas pellicere facillime novit. Non alias allegantes rationes porro ſuæ experientiæ innituntur, ſed utinam probe ei inniterentur, nam mane ejuſmodi ægros extra periculum verſantes, & poſtquam v. s. v. aut vj. uncias ſanguinis emiſiſſent, eos veſperi frigida rigidáque morte è medio ſublatos invenimus: Hinc igitur recte colligere poſſumus quid illi experientiam nominent, ſcilicet, Æger ſi forte fortuna mortem evadit, V. S. is honor tribuitur: ſed ſi mortem obierit, uti fit plerumque, malignitas in cauſa fuit: Experientiam igitur experientiæ oppono, maximas agens gratias Deo, ipſum iis omnibus, qui ſine invidia, paſſione, & ſine alterius ſervitute morbos recte conſiderant, multo certius & melius remedium exhibuiſſe & demonſtraſſe: Alii ut hac in re moderatiores videantur, V. S. initio morbi admittunt, antequam malignitas ſe externe manifeſtet, quod facile iis aſſentior ſi hoc fiat. 1. In calidis regionibus 2. in corpore pleno. 3. cum humores ad caput aſcendentes gravia ibi accidentia moveant. In tali caſu v. s. in manu aut in pede plurimum profuturam exiſtimo, Sed qui in cunctis corporibus, & ſine diſcrimine in hiſce frigidis humidiſque regionibus v. s. inſtituere volunt, illi certo certius experientur rem non proſpere ſucceſſuram. Imo vix rationem allegare poterunt quæ ab arte pro genuina agnoſcetur; præſertim cum ipſi libere & ingenue confiteantur talia aliquando occurrere tempora, in quibus tantopere ab ipſis laudatam v. s. inſtituere non audeant, potionibus ſudoriferis & refrigerantibus rem optione perficientes. *Barbette Chirurgiæ Part.1. cap.xi.*

XVI. Certum eſt contra plethoram, aut factam aut incipientem, ſanguinis miſſionem convenire, nullo enim alio remedio iſtius affectionis mala melius tolli aut præcaveri ſolent. Attamen hujus vacuationis neceſſitas quæ licet evitari debet, quia ſcil. exinde ſanguis fit magis ſulphureus & minus ſallus, proindeque homines fere quoſvis ad febricitandum & pingueſcendum diſponit: Porro v. s. magnum remedium, ſi ad parvas quaſque occaſiones proſtituatur, quando opus erit ad grandes affectus minus efficax evadet. Cui accedit quod, juxta vulgi obſervationem, quo familiarius quiſpiam phlebotomia utitur, eo crebrius hac indigebit; quia ſæpe ſanguine ad plethoram evitandã emiſſo, maſſa reliqua denuo citius ad plethoram aſſurget, longe ſecus ac quorundam fert opinio, qui verentur ne cruoris penus crebra s. m. abſumatur, quoniam è contra hoc modo fit quantitas ejus auctior, licet cralis deterior: ita namque cruor ſale balſamico, & contra putredinem præſervativo multum ſpoliatus, loco ejus ſulphure pinguifico & πυρετικῷ magis ſaturatur. *Willis Poſth. operis ſect.3.c.1.*

XVII. Phlebot. Sanguinis mixtionem & temperiem ſæpe emendare ſolet, ſed multiplici reſpectu, 1°. enim ſi quiddam heterogeneum maſſæ ejus confunditur, quod ſcil. nec recte ſubigi, nec facile ſecerni ac emendari poſſit, vena pertuſa ſanguis effluens materiæ iſtius portionem non raro multum ſecum convehit, proinde ut reliqua perdomari aut expelli queat. 2. Sanguis à temperie ſua deficiens, non raro per v. s. reſtituitur, cum enim maſſa ejus ſulphure, aut ſale fixo, vel ſimul utriſque exaltatis,

in actum,

in acrem, ſalſum, aut ſalino ſulphureum degeneraverit, cruoris portione detracta nova ſtatim ejus fermentatio oritur, & non raro particularum omnium ejuſmodi fit metatheſis, ut deinceps ſpiritus cum ſale volatili paululum energant & dominium ſuum recuperent, ſulphure & ſale fixo (uti par eſt) ſub jugo miſſis: Ob hanc rationem eſt quod s. m. non tantum in febribus, ſed inſuper in ſcorbuto, ictero, imo in phthiſi incipiente, magnum ſæpe juvamen infert, enimvero ſanguis poſt vaſa inanita, velut ſtomachus exoneratus, humores quoſvis ingeſtos melius coquit & aſſimilat, quodque heterogeneum eſt facilius ſecernit ac amandat. At vero ſi cruoris mixtio plurimum ſolvi, & peſſum ire incipit, uti in peſte ac febre malignis, à v. s. omnino abſtineatur, quippe ſanguine detracto, ſpirituum (quorum unice intereſt maſſam ſanguineam a putredine & corruptione vindicare) penus diminuitur, proinde ut ſtatim omnia in diſſolutionem exitialem tendant. Porro ſi dyſcraſia ſanguinis ejuſmodi fuerit, ut principiis nobilioribus, ſcil. ſpirito, ſale volatili, ac ſulphure depreſſis vel abſumptis, particulæ aquoſæ ac terreſtres præpolleant, ſanguis haud quaquam emitti, ſed tanquam vitæ theſaurus præſervari debet. quippe cum ſpirituum copiæ tantum exiguæ ſunt, illorum quodvis diſpendium functiones omnes vacillare facit, inque morbi partes cedit, quare in hydrope, cachexia, tabe, aliiſque, ubi principia activa ſumme deprimuntur affectibus, venam ſecare fere idem eſt ac hominem jugulare. In prædictis caſibus ubi ſanguinis craſis reſpicitur, determinatu obviam erit utrum v. s. conveniat necne, verum in quibuſdam aliis, uti in primis in *febre continua Putrida*, quando ſuper hoc cardine vita ac mors vertantur, maxima deliberatione opus eſt, conſiderare oportet *ſanguinis ſtatum, materiæ morbificæ tendentiam, & naturæ vires*: 1°. Si in febre putrida ſanguis pluſimum æſtuans calorem ingentem cum ſiti, vigiliis & faucium ardore excitabit, nullaque ſudoris copioſi, aut exanthematum eruptio apparet, aut brevi expectatur, v. s. plane indicatur ut eam ſit nefas omittere: Verum è contra, ſi in corpore languido febris lenta ac remiſſa, ſed continua, cum pulſu debili oriatur, ſanguinis detractioni parcatur, ejuſque per [illegible], urinam, & veſicationem expurgatio procuretur. Attamen in medio cruoris & febris ſtatu v. s. ex ſeſe indifferens, quoad alia determinetur. Itaque, 2°. perpendere oportet *materiæ morbificæ tendentiam*, ſive [illegible], quæ ſi in maſſa ſanguinea ſegnis, ac ad ſecernendum inepta maneat, adeoque (uti frequenter aſſolet) metatheſi, loco criſeos, in caput facta, cerebro & nervoſo generi minator, v. s. quia hæc mala præcaventur, tempeſtive adhiberi ſolet. Attamen ſi materies iſtæc cito in [illegible] concita, & vel intus ad viſcera imi ventris ruens, vomitationem immanem, aut affectus dyſentericos cieat. vel extus propulſa, variolas, morbillos, aliave exanthemata illatura videatur, talis quicunque naturæ impetus, ſi bonus, non perturbari, ſi malus non in pejus incitari per v. s. debet: nam in his caſibus ſanguinem mittere non modo periculoſum, at ſæpiſſime etiam ignominioſum exitit, 3. Circa v. s. in caſu dubio adhibendam, inſuper ad patientis vires attendatur, nam in conſtitutione ſana, ætate vegeta, morbo incipiente, & functionibus, cum vitali tum animali adhuc in ſtatu vivido aut mediocri exiſtentibus, s. m. niſi aliquid contraindicat, confidenter præſcribi debebit: attamen quando ſecus quoad conditiones iſtas habebit, haud temere ad evacuationem iſtam procedatur. *Idem.*

XVIII. *Avicenna* negat in morborum initiis v. s. faciendā, quia inciſā vena per initia noxij humores extenuentur, & per corpus univerſum impellantur, adeoque cum ſanguine puro permiſceantur, ut una cum ſalubri ſucco nihil peccantis humoris educatur, lib. 1. fen. 4. c. 20. Idem lib. 3. tr. 2. cap. 7. in curatione podagræ & iſchiadis s. m. initio diſſuadet, *Quia phlebotomia* inquit, *commovet humores & facit eos currere in corpus, & non extrahit illud quòd neceſſe eſt ut extrahatur.* Sic lib. 4. tr. 2. cap. 42. in curatione febris ardentis eandem eadem ob causā diſſuadet: Imo in ſanguinea quoque s. m. moderatam initio, copioſam verò poſt maturationem. Refellitur à Fernelio l. 2. meth. c. 15. 1°. Quia morbi magnitudo, quam ſolius ſanguinis exuperantia genuit, ſtatim ab initio v. s. requirit. 2. Accedit virium integritas ab initio, quæ data morbi indicatione, mox in principio ſanguinem mittendum ſuadet. 3. Quod etiam experientia conſtat, quatenus largâ s. m. febris ſynocha ſtatim in principio curatur. 4. Imò cùm coctio potius cacochymiæ debeatur, conſequens erit indicationem s. m. nullam contentæ materiæ per v. s. tollendæ coctionem expectare: quam ob cauſam, poſt humorum coctionem perfectam, potius purgationi quàm v. s. locus erit; quod pluribus demonſtrat Fernelius. Ad Avicennæ rationes reſpondetur, ad 1. negando s. m. humores extenuare, quatenus eadem ante & poſt v. s. manet humorum proportio in venis: Ad 2. Negatur quod v. s. commoveat humores, cùm non tam exagitare quam orgaſmum humorum ſiſtere ſoleat. Pro concluſione notandum, quod ſicut Fernelii aſſertionem veritati maximè contentaneam eſſe judicamus, ita opinionem Avicennæ non abſolute, ſed κατά τι accipiendam eſſe ſtatuimus: quatenus ille diſtinguit inter affectum in fieri & in facto, reſpectu particularium morborum: negátque facto jam morbo v. s. initio convenire, quatenus materia faciens arthritidem non amplius eſt in venis. Quod autem materia concocta m. s. concedat, ea ratione fit, quatenus natura jam liberior, nec in particulari affectu corrigendo amplius occupata, virium ratione conſtat, & ne nova fiat fluxio v. s. libenter admittit: Sic in ardentis febris initio v. s. diſſuadetur, quatenus aliud quid febris indicat: Sic in ſanguinea febri moderatam v. s. initio commendat: forte quo virtus, ex oppreſſione languidior, ſenſim refocilletur, quæ poſtea eò melius copioſam s. m. ſuſtinere poterit, cùm *maturatio febris*, hoc eſt, quando liberalior ventilatio caloris febrilis adfuerit. *Horſtius Inſtit. Med. diſput.* 18. *qu.* 8. Vide *Zacutum* prax. Hiſtor. l. 4. c. 15. *Claudinum* Reſponſ. 2.

XIX. An languentibus viribus interdum ſanguis mittendus? Difficultatem ſub diſtinctione dirimendam cenſeo: Nam aut humores Redundant, aut Moderati exiſtunt. His quidem minimè licet ſanguinem mittere: Illis verò etſi neque vaſa diſtendere, neque dirumpere, neque calorem nativum obruere poſſunt, tamen quia vires imbecillas premunt, venæ ſectione tantum minui ex his poteſt, ut ei quod reliquum manſerit natura facile dominetur, ne quis forſan humor putreſcat corrumpaturque: Atque licet hoc ſit authorum decretum, tutius tamen

extrabetur quod ſuperat (niſi fuerit admodum morbus vehemens) abſtinentia & ciborum parſimoniâ. *Mercatus l. 1. de Præſid. c. 2.* Non protinus à venæ ſectione abſtinendum ubi vires quomodocunque ſe offerunt imbecillæ : ſiquidem vires duobus modis tales eſſe poſſint, uno ſanè dum nibil adbuc patiantur in propriâ eſſentiâ, alio autem cùm ipſorum eſſentia comparitur, quod oppreſſione vel diſſolutione fit &c. Vires validæ dicuntur, vel jmbecillæ abſolute, vel ſecundum quid, quatenus tam carnoſa quàm ſpirituoſa ſubſtantia, cui inhærent, juſto modo conſtitura eſt, vel aliquid eorum deficit. *Horatius Augenius l. 4. de curat. per ſ. m. cap. 2. & lib. 3. cap. 14.* His poſitis, concludere licet viuium imbecillitatem v. s. non impedire, quatenus imbecillæ ſunt ſecundum quid, ut comprobatur in conſtitutione gracili admodum, non modica tamen ſanguinis copia redundante, cui vires reſpectu carnoſæ ſubſtantiæ languent : exemplo curatæ illius fœminæ apud Galenum 6. Epid. 3. 29. Sic etiam oppreſſæ vires, cum in ſuâ naturâ nihil patiuntur, s. m. plurimum juvantur : qua ratione Hippocr. 4. de vict. acut. & Galen. ibidem. Si ſanus repente obmuteſcat ex venarum interceptione & occluſione, mox ſanguinem mittendum eſſe cenſent. *Greg. Horſtius Quæſt. 6.*

XX. *Galenus 6. Epid. ſect. 3. comm. 29.* mulierem extenuatiſſimam cum appetitu proſtrato, diuturna menſtruæ ſuppreſſione laborantem copioſiſſimâ & & iterata ſanguinis miſſione curavit. Hippocr. imitatus, qui 5. Epid. num. 2. in Oeniadis virum tabeſcentem, & ab omni pharmacorum genere minime adjutum, ſecta vena in utraque manu, uſque dum exanguis redderetur, ab extrema macie liberavit. Hos ſequuti Benivenius l. de abdit. cap. 44. & Epiph. Ferdinandus hiſt. 69. Ille mulierem, anno integro remorantibus menſtruis ad ſummam deductam maciem, iterata ſanguinis miſſione ad priſtinam ſanitatem deduxit. Hic aliam catarrho cum febre hectica complicato, venæ ſectionis quoque ope reſtituit. In illis, cum extenuatio & macies, cauſam vitioſum ſanguinem, nigrum, atrabiliarium, nutritioni ineptum, venis arteriiſque conceptum cauſam agnoſceret, demendus ille fuit, quo recens ſubſtitueretur alibilis : partes enim improbum illum non alliciunt, ſed reſpuunt; non ſecus ac eſurientes oblatum cibum guſtui ingratum averſantur, vel oti admotum : ſic partes ſimili & familiari tantùm alimento delectantur. Avicenna quidem 4. 1. cap. 20. Phlebotomiam ſummè vetat in corporibus fortis macici, Audiendus autem eſt de macie nata ob defectum, ex ſanguinis & ſpirituum penuriâ ortam : talis adjectione non ſubtractione curatur. Ea lege in hecticis, aliiſque febribus marcidis & & tabificis, repudianda eſt v. s. quod inopiam ſupponat ille marcor. Nativa quoque macies & gracilitas, calidæ & ſiccæ intemperiei ſoboles, cujus præcipuum indicium eſt pinguedinis abſentia, venæ ſectionem reſpuit, quod in talibus non conſtet virium robur : dominatus enim caloris, pororum laxitas ſanguiniſque & ſpirituum tenuitas in cauſa ſunt, ut ſanguine miſſo facillime reſolvantur & exolvantur animo linquentes : De his Galenus 9. meth. 15. Si natura gracilis, temperatura autem calida, ſicca, maxime ex vacuationibus offenditur.

XXI. Prohibent a. m. ſymptomata quædam ut gentia, Dolor, Vigiliæ & Excretio immodica, Hæ vires dejiciunt : Evacuatio ſymptomatica omnis immodica, vires dejiciens, ut etiam critica, per nares, uterum, vel pleuritica prohibent. Parum ſubducta ad rem bene gerendam ſuor ratione, qui videntes guttam unam vel alteram in ardentibus febribus de naribus ſtillare, trophæum ſperantes, occaſionem phlebotomiæ adeſſe clamant : Si luculenta ſit hæmorrhagia, audacius hoc agunt, gravari naturam aſſerentes. Eo ipſo verò criticus naturæ impeditur motus. Alii in pleuritide videntes ſputa ſanguinea, mittendum ſanguinem urgent, ſed prohibetur eadem oraculo 6. Epid. 3. 44. *Impedimentum v. s. in ſputo ſanguinis, Pleuritis*, quæ in aliis hæmoptyſeos ſpeciebus utilis eſt. Uterina hæmorrhagia in pleuritide nonnullis habetur mittendi ſanguinis indicium, aliis impedimentum. In uxore Cleomenis Pleuritica 4°. die copioſi fluxerunt menſes [illegible] ſalutari, tantæ virtutis ut ceſſaret omnis dolor, tuſſis, reſpiratio difficilis. Alii diſtinguunt, Si menſtrui fluxus inſtet tempus, permittitur venæ ſectio : Si non expectetur, interim affectus urgeat, in artubus inferioribus, & tandem ſuperioribus inſtituenda. *Rolfinccius meth. Gen. lib. 4. ſect. 2. cap. 8.*

XXII. Dolor prohibet v. s. quia vires dejicit : Si tamen dolori juncta gravis inflammatio, imperatur potius, ex *Galen.* 1. aphor. 23. Alias noxia eſt uti in cardialgia vires proſternente, 1. ad Glauc. cap. 14. *Rolfinccius ibidem.* In dolore Nephritico & Colico à flatu valet ſang. miſſ. non per ſe, ſed per accidens, quò imminuta materià, quæ in venis eſt, minus facile Renes & Colon incendantur phlegmonéque premantur : Adde etiam quod ea aperta vena fluxus aliarum partium aliquando minuantur, ob communionem harum cum toto corpore, & ob tenuitatem ſpirituum qui per omnes anguſtos meatus deferri poſſunt : Quare ad ſang. miſſion. confugere *Hippocrat.* 2. Epid. 5. non eſt veritus in dolore ex flatu concitato, ſive flatuoſa ventoſitatum, [illegible], *inquit*, venæ ſectio ſolvit. In quo tamen affectu, ut & in ingenti dolore nephritico, nos multos Medicos, jamdiu medicinam facit antea noſcimus, qui dum id minime eſſe faciendum coram ægris, doloribus extortis contenderent, fieret tamen poſcentibus ægris, apertè noverunt quantum à verò aberrarent. *Botallus c. 9.*

XXIII. Videtur per venæ ſectionem ſanguinis à circumferentia ad centrum retroceſſus fieri, 1. Quia ne detur vacuum neceſſario fluxiles humores in locum vacuati ad centrum tendunt. 2. Hinc pallidæ & frigidæ externæ partes poſt v. s. apparent. 3. Sæpe cujuſdam partis internæ inflammatio augetur. 4. Id innuit *Galen.* 4. de tu. ſan. cap. 10. & 11. ubi ſtatuit à v. s. non ſtatim corpora replenda, ne venæ crudos ſuccos ad ſe rapiant. 5. Avic. ideo demorſis à ſerpente venam non ſecat, antequam venenum diſperſum ſit, ne vergat interius : Eodem fundamento Variolis egreſſis eam fieri vetat. Sic eandem fluidum ventrem ſiſtere ſtatuit, quod à venis minoribus ad cavam primò trahit, ex qua conſequenter fit per v. s. ſanguinis emiſſio. Contra nihil

antiquis

antiquius quàm fluentibus ad partes internas humoribus (præſertim ſanguineis, ad externas, ſectâ venâ, revulſionem inſtituere 1. Quatenus inanitæ venæ trahunt à plenioribus, & pleniores illis ſubſidio veniunt, copiâque gravatæ in vacuas prompte deponunt ſuum, ovus humoris fluxilis promptitudine non parum juvante, 2. In hepatis, pulmonum pleuræ inflammatione, aperta vena brachii, ab internis ad externa revellendum jubent Hipp. & Gal. 3. Ideo eo uſque ſanguis vacuandus in pleurit. donec colore deprehendatur etiam is qui ad locum affectum affluxus eſt 1.vict. acut.4. Quomodo ſæpius ſectâ venâ validior revulſio fieret, ſi ſemper à circumferentia de novo affluans fieret? 5. Quomodo Gal.4.de tu.ſan.c.5.diſſuadet v. s. iis quibus crudi & vitioſi ſucci partes internas obſident? Pro declaratione ulteriori notat Sylvat. cont. 37. quod in s. m. ſit ſupponendum in venis adeſſe copiam ſanguinis, vel convenientem, vel non. Si copia major quàm naturæ convenit, v.s. ſubtracto ſanguine, non datur aliquod vacuum ſed venæ ſubſident, ſicut in utre repleto, demptâ parte humores fieri videmus: Hinc concluditur quod ad centrum in v. s. ſanguis remigrare cogatur, ſi in eo loco exiſtentes venæ ſuâ naturali ſanguinis quantitate, aut ea toto, aut ex parte, priventur, Ad ambitum vero remeabit, vel quia à corporis mole, è vicinis ſpatiis in venas fluat; aut quoniam proximæ illi venæ inaniuntur, ſuccedente ei qui vacuatur portione aliqua ejus qui in venis continetur. Ad argumenta reſpondet, ad 1. Negatur conſeq. quia diminuto ſanguine venæ ſua ſponte concidant. Ad 2. Pallor perpetuus non eſt, qui fit, aut ob vacuationem nimiam, timorem, ſpirituum ad cor recurſum &c. Ad 3. augetur interdum phlegmone interna, non cauſa ſanguinis miſſi, ſed ob novum affluxum, qui neglecta revulſione gravius affligeret. Ad 4. conceditur, quia redundans cacochymia in primis viis prius tollenda, ne de novo ſanguis vitiuſus generetur. Ad 5. Avicennæ rationes potius contrarium probant: quia enim venenum naturæ inimicum, ideo inicto ſedulo cavendum ne motus naturæ ad pellendum venenum per v. s. impediatur. At ubi ſparſum eſt in corpus, copioſa etiam ſanguinis miſſione diminuitur, ſi ſcilicet indicans v. s. adeſt, ut ſic dempta parte ſanguinis vitioſi eo citius quod ſupereſt diſcuti queat. Sic etiam variolarum expulſio per ſanguinis motum alium non eſt impedienda, quod præſtare poteſt venæ ſectio, Sicut in alvo fluente quoque conceditur. *Horſtius Inſt. med Diſput. 18. q. 7.*

XXIV. Errant Medici qui *Galenum* ſequuti in quolibet *ſanguinis fluxu*, ſanguinem vena in oppoſita aut longiſſima parte ſecta revulſionis gratia mittunt, Dicam tamen ſanguine immodice & ſymptomatice fluente, ſanguinem ulterius mittere, præter Hippocr. inſtitutum eſſe, qui ut ſanguinem ad uterum immodice fluentem revellat, cucurbitulas ad utramque mammam apponi jubet, ſanguinem vero detrahi prohibet. 2. de morb. mul. verſ. 36.) & ſi per hujuſmodi vacuationem ægrotantes non inſigniter lædi conſpiciantur, quia ſanguinem pauca copia educimus, parum tamen, aut nihil inde utilitatis perſentire credo. Quid enim ad revellendum ſanguinem, ad aliquam partem irruentem, facere credimus ſanguin. miſſ. ad duas aut tres uncias? quæ vacuatio nedum motum in ſanguine facit. Quia igitur largam s. m. quæ revulſionem forte facere poſſet, virtus non tolerat, & exigua nihil commodi afferre poteſt, ideo ſatius exiſtimavit eſſe Hippocr. à ſanguinis detractione abſtinere, & ad alia remedia confugere! Obii. lib. de ſteril. verſic. 422. venam ſecari jubet mulieri quæ non concipit, quando os uteri hiat, ac per conſequens menſtrua copioſius fluunt? ℞. caſus alius eſt, menſes enim adeo copioſe non fluunt ut fluxus dici poſſit: nec ea eſt virium debilitas quæ v. s. non admittat modicam; quam non in gratiam fluxus menſtrualis præcipit, ſed pro ſterilitatis curatione. Obi. 2. l. de Humor. & 1. de morb. cruenta ſpuentibus venam ſecat ℞. Ejus intentio non eſt revulſionem facere ſanguinis fluentis, ſed auferendi plenitudinem quæ venæ ruptæ unionem impedire poteſt, & avertendi imminentem ulceris inflammationem: non minus enim ſecat in ſputo ſanguinis, dum vena aliqua avulſionem perpeſſa modicum & ſubnigrum ſanguinem fundit, quam ubi rupta ſanguis confeſtim & magna copia exit: Aperte ſententiam profert, ſubjungens, *Et utatur diata à qua ſicciſſimus & ex ſanguiſſimus fiat*, Quæ palam faciunt non revulſionis gratia, ut fluentis ſanguinis curſum tollat, venam ſecare. *Martianus comm. in verſic. 36. lib. 2. de morb. mul.*

XXV. An v.s. Refrigeratis præſidio eſſe poteſt? Galenus l. de Rigore &c. ait *In affectu qui calefieri deſiderat, neminem ſanguinem mittere fuiſſe auſum.* Et 5. meth. c. 6. *Si vero horum nihil ſit, caterum hyems fuerit, regiove natura frigida; tum natura quoque hominis frigidior, iis per ſ. m. & totum corpus graviter refrigeratur, & accidunt nonnulla qua ad gravem perducunt refrigerationem ſymptomata.* Si regionis frigus, aut temporis prohibet, multo magis intemperies frigida: cum ſanguis non modo nutrimentum præſtet corpori, ſed calor quoque naturalis ex eo perſeverantiam obtineat; Idem tamen 8°. meth. 4. ſanguinem mittere feſtinanter præcipit in laborantibus Ephemera a cutis obſtructione, quam ſæpe parit occurrens frigus, Suadet ratio, quia obſtructio prohibet tranſpirationem, ab hac oritur redundantia ſuccorum multitudinis, à qua obſtructio & putredo. Sed rem oportet ita diſtinguere, Si affectio quam curamus frigida eſt, ut ſi quis e. g. intemperie frigida laborat, Solum calidis eſt agendum, & cavendum à s.m. quæ refrigerans eſt auxilium: At ſi affectio calida eſt, & refrigeratio tantum cauſæ antecedentis rationem habet, nihil nocebimus ſang. miſſ. febrem extinguentes: procatarcticæ enim cauſæ indicatio nulla eſt. Tamen cum refrigeratio lædit etiam viſcera, omnium maxime fugienda eſt s. m. *Valleſius contr. l. 7. c. 6.* Quæ contra a. m. afferuntur, de ea quæ fit ſolum vacuationis cauſa ſunt intelligenda; ac cautos reddunt ne frigidorum cruditas eo educto ſequatur, moderandamque quantitatem inſinuant: Adde probatæ Medicinæ parentes in morbo merè frigido ſang. miſſ. ſæpe exercuiſſe: In Hydrope, à retentione conſuetæ vacuationis, Hippocr. 4. acut. 11. Nam ubi calor à frigidiore ob copiam ſanguinis ſuffocatur, præſens auxilium eſt s. m. In palpitatione, affectu frigido, lib. de Rigore &c. c.5. in priapiſmo 14. meth. c.7. in ſuffocatione ab aqua frigida Dioſcor. l.6.c.4. *Paulus* lib.5. cap.66. *Zacutus Princ. med. hiſt. 8. l. 2.* In morbis contumacibus à materia frigida, prorſus, aut juſto parcius abſtinere à s.m. prudentis Medici non eſt, Cum certum ſit quamlibet corporis partem nutriri ab ea materia quæ in venis eſt: quæ quanto frigidior & craſſior fuerit, reliquum etiam eſt affectum, à dicta materia conciatum, graviorem &

contumaciorem reddit: quam materiam dicimus partim minuendam ſanguinis miſſione partim purgatione & attenuante victu; quo repurgata & renovata maſſa ſanguinis morbus curetur. *L. Botallus de ſ. m. cap.* 12. Vide §. 15. lib. 7. tit. de Habitua affect.

XXVI. Illud mihi ſuſpectum videtur mutationem coloris in ſanguinis detractione ſpectandam eſſe, nam quo tempore fluit difficulter cognoſcitur hujuſmodi coloris mutatio: cùm verò jam fluxit, inſpicere jam inutilius eſt: ſi quidem multoties bis térve ſanguine miſſo, quod in altâ putredinis minera reconditur, ultimo loco extrahatur, in parva tamen quantitate, ita ut parum prodeſſe poſſit, ulteriorem tamen s.m. etſi ſumme neceſſariam, laborans citra noxam tolerare nequeat: Quo fit ut ea quantitatis menſura mihi certior videatur, quæ ex conferentiâ & tolerantia præcipue deſumitur: ac quamvis ſtatim non appareat conferentia, hoc tamen habet egregium tolerantia, quod ſi remedium ex arte factum ſit, profuturum promittat, ac iteratum patiatur donec morbus virtuti cedat. *Mercatus de Praſ. l. 1. c. 2.* Medici tribus vaſculis excipere ſolent ſanguinem; cùm in ultimo decolorationem advertunt, impuriorémque, & ob deliquii periculum, mutationem coloris uſque quo purus egrediatur expectare non audent, pronunciant iterata ſectione, non unâ, ſed trinâ & quaternâ detractioni invigilandum eſſe: confirmantur in hac opinione, cum intuentur glutinoſam ſuperficiem in ſcutella, viſcidam & tenacem ſui: Verum hæc menſura fallax eſt: Sanguis ille decoloratior habetur pro ſanguine miſto cum chylo: Superficies glutinoſa chyloſa eſt. *Rolfinccius Meth. gen. lib. 4. ſect. 2. c. 10.*

XXVII. Quantitas mittendi ſanguinis prima fronte ea videtur ſtatuenda ut omnem abundantiam ſubtrahamus; verum non licet, unum enim hoc eſt quod obſervaſſe mihi videor, Exceſſum nempe factum fuiſſe, cùm tantum eſt emiſſum ut ſiniſter cordis ventriculus ſanguinem non amplius pellat in corpus, hincque ad dextrum cordis ventriculum accedere non poſſit. *Walæus meth. med. p. 78.*

XXVIII. Sunt quidam caſus in quibus *animi deliquium* evacuatione inducere expedit: Nam in maximis inflammationibus; in ardentiſſimis febribus, doloribuſque vehementiſſimis, antiqui ut author eſt Galenus, evacuationem eo uſque facere conſueverunt: Non quidem ut leipothymia eſſet menſura maximæ evacuationis, ut eſt communis opinio, fallax enim admodum fuiſſet hæc menſura, cum quidam minima occaſione animo deficiant, alii immodicas ſine animi deliquio ſuſtineant. At potius quia leipothymia prædictis caſibus ex propria naturâ occurrit: per hanc enim retractio fit ſanguinis & ſpirituum ad viſcera, unde maxima fit ab affectâ parte revulſio: corporis item habitus refrigeratur quam maximè, ſenſibuſque torpor inducitur. Hanc conferentiam in doloribus obſervavi, ut non poſſim ſatis explicare quam eximie eos tollat. Nob. mulier cum à vehementiſſimis capitis doloribus vexaretur, & omnia adminiſtrata eſſent irrita, dolor tandem ad eum exceſſum perveniebat, ut ob doloris acerbitatem in leipothymiam incideret, à qua cum non longè poſt ſublevata eſſet, ab omni doloris ſenſu libera erat, in eoque ſtatu perſeverabat donec idem dolor recurrens novum animi deliquium induceret quod doloris medela eſſet, Hinc cauſa mihi innotuit cur antiqui in maximis doloribus ad animi deliquium evacuationes facerent: Nam etiam Hippocr. in pleuritide 4. acut. v. 241. eam commendavit, *Si quidem dolor tendat ad claviculam &c. uſque acutus fuerit ducere oportet uſque ad animi deliquium*, Non exclusive, ut quidam interpretantur, Sed incluſive, inquit enim, *Si acutus fuerit dolor, ducere uſque ad animi deliquium*, hinc patet in gratiam doloris vehementiæ leipothymiam procurari, qua hæc dolorem tollere poteſt: Cum igitur animi deliquium, etiam abſque immodica evacuatione, omnibus caſibus occurrat, in quibus probatur, non erit neceſſarium evacuationem eo modo adminiſtrare, ne æger antequam facta ſit magna evacuatio, animo deficiat, ut Gal. animadvertit. Imo aliquando ita collocandus erit, ut per moderatam etiam evacuationem in leipothymiam incidat, quando ſcil. æger aut ob ætatem, aut aliam aliquam cauſam magnam ferre non poſſe timetur: idque aſſequemur ſi ſtanti aut ſedenti ſanguis mittatur. *Martianus comm. in verſ. 70. l. de Humor.*

XXIX. Incidit frequenter circa venæ apertionem, *Animi deliquium*, quod præſentibus imo & Medicis parum exercitatis majorem metum quam ægris damnum inferre conſuevit: Id tamen non artificis culpa accedit, ſed mollitie animi patientis, quæ nimis prompte ſpiritus in corpore perturbat, ac pene cohibet, ex quo exolvi animus videatur: parvo tamen momento id præcavetur, nempe ſi æger ſtratus jaceat, & liquorem aliquem, aquam puta, aut vinum ore contineat, dum vena pulſatur & ſanguis fluit: Si nihilominus prehendat, retento ſanguine pollice vulneri adhibito facies frigida aqua illico reſpergatur, ſi longius pergat, etiam & nares trahantur, quo ſoluto, abductoque pollice, ſanguinis quod ſat viſum fuerit prudenti artifici detrahatur, non autem cohibeatur, ut à nimium formidoloſis fieri ſæpe ſolet. Quod ſi ſedentem corripiat, eo modo ſubveniendum eſt quo ille potuiſſet præſervari: protinus is accubet thoro, vel leniter humi ſupine ſternatur, reſperſa facie frigida, ut dictum eſt, facile enim ejus adventum cognoſcet artifex ſi patientis vultum intueatur, aut pulſum obſervet, ille enim palleſcit, hic rithmum variat. Sed ut facile percipitur, & à tam levi occaſione concitatur, ita neque ægre diſſolvitur, neque non facile patiens ab eo correptus in priſtinos ſenſus reſtituitur. Licet in ejus acceſſu nonnullis terrificas totius corporis jactationes, palpebrarum & labiorum everſiones, & alia id genus advehat, quæ tamen cito evaneſcunt: quod equidem non fit in eo animi deliquio quod ſuperfluas inanitiones conſequitur. *Leon. Botallus de modo Incidenda vena* §. 20.

Multi venæ ſectionem & ſanguinis effuſionem bene tolerant, ſed dum ſolvitur ligatura, & vulnus occluditur in animi deliquium incidunt. His ſubvenies juſculo optimo ante venæ diviſionem exhibito, quod non ſemel obſervavi. *Petrus Pachequus Obſerv. Riverio commun.* 51.

XXX. In progreſſu morborum, febrium præſertim, locum non eſſe venæ ſectioni ſtatuit *Joubertus* 1. ob aphor. 23. 2. *Inchoantibus morbis ſi quid movendum videtur move*, quod Galenus de phlebotomia etiam intelligit. 2. Nullus illi locus ubi purgatio maxime requiritur, at vero cum morbo procedente febrilis intemperies in dies ſanguinem corrumpat, cumque fœculentum ſeroſum, & male coloratum reddat, manifeſtum redditur potius purgationem requiri. 3.

vires

vires ab ejuſmodi labe ſanguinis, morbique diuturnitate fractæ dehortantur. Ponamus autem ſanguinem labe infectum venæ ſectione quoq; vacuari, non tamen cum fructu fiet hoc, quod vna cum peccantibus humoribus ſanguis etiam bonus minuatur. Contra *Gandinus* etiam procedente morbo non ſemel venam pertundit: 1. Quia cacochymia, quam febrilis intemperies introducit (vigente febre) in ſanguinem, ſemper calorem præter naturam habet, qui v. ſ. non tantum alteratur, ſed etiam peccantis materiæ bona pars evacuatur: 2. Quoties cruditatis vitia ſeſe produnt, & novæ putredines, ſi vires non infirmæ, commode ſanguis detrahitur: quod licet procedente morbo iterum & tertiò fiat, neque ἄκαιρον, neque ἄλογον. 3. An non verum in omni v. ſ. commoveri intro omnia, apertiora fieri, diſſlari meliùs, quæ ad febrium curationem magni ſunt momenti. 4. Si cacochymiæ cauſa ſanguis initio detrahitur, cur non etiam procedente morbo? His poſitis *Gandinus* concludit in vtraque plethora, febrium genitrice, initio morbi, quod clauditur coctione ſanguinis, ex vitium conſenſu, vtiliter detrahi, non ſemel ſed iterum & tertio: largius in illâ quæ eſt ad vaſa, parciùs in altera, quæ gravis & infenſa viribus: in vtraque itidem parciùs inſtante morbi augmento, & largius primis morbi diebus; *Et paulo poſt.* Cum cacochymiæ ſint plores ſpecies, omnibus proprium accommodatumque remedium purgatio eſt, quâ impuritas ſubtrahitur & vacuatur citius, facilius, tardius, ægrius, pro corporis partium ſitu: attamen in venarum cacochymiâ multis de cauſis ſanguis mittitur, ita tamen vt quod ſ. m. non eſt detractū, ducatur purgatione. Hic tantum volo meminiſſe cacochymiæ febrilis, quæ vtiliùs multo demitur v. ſ. iterum atque iterum facta, quàm purgatione; quia aut tota educitur, aut ſaltem dum magnam partem impuritatis & vitiatæ materiæ elicuerimus, natura facilius reliquum coquet, profligabit, depellet; aut coctum potius depellendum Medico committet. Ad rationes *Iouberti reſp. 1. ad aph.* Inchoantibus morbis, ſi quid &c. cum ſuam limitationem admittere, quatenus tantum particulariter ejuſmodi principium intelligitur, vbi materia turget: cùm aliàs augmentum evacuationi magis accōmodatum eſſe videatur. Ad 2. Non ſequitur vbi purgatio requiritur nullum omnino ſ. m. locum dari: clarū id ſi cacochymiam in venis perpendimus. Ad 3. Vitium ratio ſemper haberi debet, quæ procedente morbo ſæpe quoque ſufficientes eſſe poſſunt. Ad 4. Proculdubio majus eſt commodum ex largius vacuato ſanguine corrupto, & vitij naturam extinguentis participe, quàm jactura ex poti, paucâ quantitate ex venis deductâ: quia hæc facile ſarcietur vbi ex venis detractum erit, quo non ſolùm ob impuritatem nutritionem labefactat, ſed quod ſenſim purum vitiabit & corrumpet. *Gregorius Horſtius Inſt. Med. diſp. 18. qu. 22.*

XXX. *a.* An in *ſtatu & vigore morbi* admittenda ſanguinis miſſio? in morbis quorum motus ſunt repentini & celeres, & mores acerbiores, & feri, celerrime & validiſſimis auxilijs eſt ſuccurrendum; primo igitur quoque tempore phlebotomia largior in ijs convenit: Vtilis etiam eſt moderata initio aliorum morborum, quibus alijs illorum temporibus poſſe conferre creditur, vt intertiana: Nec ſolum *initio* convenit, ſed & morborum *incremento*, verum non indiſcriminatim in omnibus morbis, nec omnibus temporibus: non enim ea opus eſt in qualibet levi inflammatione, vel dolore, vel exiguo quovis morbo, per ſe ſanabili, Neq; etiam æquum eſt credere, ſi initio dolorum lateris, gutturis oculorum, recte vena aperitur, ita & debere fieri primo inſultu rigoris tertianæ feb. &c. aut alterius morbi dantis inducias; ſed ſat fuerit in ſuo initio, dum fiet a prima vel ſecunda acceſſione, vel etiam tertia: Ideo recte a *Gal.* dictum, *l. de cur. r. per ſ. m. c. 10. Dierum numerum non eſſe attendendum, vt quidam ſcripſerunt, imo quocunque die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inveneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiamſi vel xx. is ab initio extiterit.* Et *9. m. m. cap.* 5. etiam ait, *Nullo non tempore mitti poſſe, verum quo maturius eo etiam melius,* In augmento eſſe vtilem vt nemo dubitat, ita in *ſtatu & vigore* vix quiſquam admittit, ſed ſane hoc contra hanc poſtremam *Gal ſententiam,* & contra rationem, cum vtiliſſima ſæpiſſime dicto tempore reperiatur, præſertim in iis morbis in quibus tanta vis conſpicitur, vt anceps illorum exitus habeatur: At nos non modo ſanguinem mittere non veremur in morbi vehementia, dum exanthemata erumpent, vel erumpunt, ſed neque etiam in ardentibus febribus, ſeu ſynochis, in quibus nec exanthemata, nec parotides, nec ſtillationes narium, neque aliud quidpiam præter febris magnitudinem apparet, & certe non infeliciter, ſed ſumma cum felicitate: Scio tamen id *Celſum* evidentiſſime deteſtari, etiam & negare debere fieri vltra diem primam aut ſecundam, Quod poſtremum ita vt verum eſt, dum apte ad eos affectus refertur de quibus *Celſus* ibi, qui ſunt illi qui ſtrangulant, in quibus vix vlla ſpes eſt ægros redimendi, ſi ſtrangulatiu ante diem tertium non manifeſte reſolvatur. Ita & illud fere manifeſte falſum, dum dicit, *Quod ſi vehemens febris vrget, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt, expectanda ergo remiſſio eſt.* Fateor equidem, ſi ſciamus futuram remiſſionem, vt videmus in intermittentibus, aut continuis quidem, ſed intermittētibus affinibus, expectari debere remiſſionem, quāvis etiam tunc nocere nunquam noverim, ſed potius juvare: Scio me dicere paradoxum, ſed tamen non recedere a rei ipſius ratione, ſed tantum à Medicorum ſuſceptis opinionibus, quas vt ego olim pro veris retinebam, ita vt illas, aut ſimpliciter falſas, aut magna ex parte à vero recedentes vſu artis recognoſco, & rationibus confirmo: Quum certum ſit febriles, imo & morboſos omnes impetus nullo alio auxilio tam facile extenuari, infringi & extingui poſſe quam eo ipſo à quo ab eorum initio opem recipere ſolent. At à quo majorem quam ab hoc, vnde *Galenus* impetuoſas has febres ſe ſæpiſſime jugulaſſe fatetur? Si dicas *Galenum* non id imperaſſe, in ipſo morbi vigore, difficilius hoc tibi erit probare quam mihi contrarium, cum dicat ille veluti miraculo quodam illas paulo poſt in multis fuiſſe extinctas, eo ipſo die ſcilicet, vel ſequenti; quod ego ſæpiſſime etiam obſervavi: Verum hæc tam ſubita reliquiarum evacuatio per ſudores non fuiſſet facta ſi morbus fuiſſet in ſuo principio, in quo materia inepta eſt ad expulſionem naturalem: At in ijs, in quibus reliquiæ morbi, triduum aut quatriduum poſt ſanguinis miſſionem naturali evacuatione expelluntur, vt in illis quibus *Galenus loco citat.* dicit ſe ſecundo aut tertio die detraxiſſe ſanguinem, qui die ſeptima ſudoribus copioſis liberati ſunt, veluti in ſervo & libero, quorum mentionem facit *Galenus libro nono method. medendi cap. 4.* in his nunquam nullus fuit in principio vel augmento morbi, ſed in alijs quibus poſtridie, vel ipſomet die criſis ſequuta, crede fuiſſe factum, vt dicta ratio docet, in ipſo impetu

& conſtantia morbi, in qua ſi ſuſpectus exitus videatur, totius eſt naturam adjuvare ope ſola miſſionis ſanguinis, non purgatione, quod equidem ego dum meo more ægros tracto, nunquam non efficio: verum vbi obſervo ſalutis ſigna, etiamſi magnos febris inſultus videam, ipſam pugnam totam naturæ committo; experientia enim didici eſſe veriſſimum id quod ait *Gal.3.de Criſ.c.2. Precedit enim excretiones criticas non mediocris in ægris perturbatio, cum alij difficulter ſpirent, vel delirent &c. vnde ſæpe videas eos qui illis aſſident, & inexpertos Medicos non amplius de ijs ſperare quam de ijs qui in foro ad necem judicantur:* Verum ſolus exercitatus Medicus diſcrimen horum poteſt cognoſcere, quum hæc ipſa mala ſymptomata æque lethales ac ſalubres criſes antecedant: Solus ergo prudens Medicus poteſt recte diſcernere quando in dicto impetu expediat naturæ ſuccurrere, & quando ſinere: Sed ſi petas, in ancipiti re quid præſtat facere, nempe vbi ſalubrem pugnam ab inſalubri vix eſt diſtinguere, Num ſatius abſtinere à ſ.m. an vero ea molienda? Certe totius erit moliri, quoniam convaliturо non nocebit, & alterum alioqui moriturum ſervabit; nec ſic faciendo (dum non pecces in alijs) *Hipp. aph.* 20. 1. repugnabis, *Quæ judicantur &c.* At quo tempore opportunius (ſi aufugit occaſio melior) quam dum natura in extremo eſt conflictu, in quo ſi ſuccumbat nulla amplius ſupereſt emergendi ſpes: Non eſt igitur quod moveamur *Celſi*, facundioris authoris quam eruditioris Medici ſententia, quam ſtatim, & recte, extenuat, dum addit, *Si non decreſcit, ſed creſcere deſiit, neque ſperatur remiſſio. tunc quoq; quamvis pejor, ſola tamen occaſio non omittenda eſt:* Certe hoc loco *Celſus* ſe Rhetorem potius quam Medicũ profitetur, Nam ſi eſt ægrum jugulare venam tundere dum vehemẽs febris vrget, quomodo tamen conſulit faciendum ſi non decreſcit febris? quid enim pejus febrienti poteſt contingere quam jugulari ab eo quod auxilij loco eſt, aut ſi aliquando eo loco poſſe eſſe vtile cenſet, cur tam abſolute illud dixit, *ægrum jugulare?* Amplius ſi in febre inſigni, in qua non ſperatur remiſſio, occaſio mittendi ſanguinis tantum eſt dum ea in ſuo ſtatu & vigore eſt (quod intelligit dum ait, *ſi non decreſcit ſed creſcere deſiit*) quomodo hæc occaſio pejor eſt? qua quæſo erit pejor, aut quomodo? implicare enim videntur hæc inter ſe contradictionem: Statuimus ergo cum ipſo *Celſo* debere ſanguinem mitti in ſtatu impetuque febris, ſi in ea non ſperatur remiſſio, quod nos facimus contra vulgarium Medicorum ſententiam; continuo in bucca habentium *aphor.* 20. 1. *Quæ judicantur &c.*

Miſimus igitur hac occaſione ſanguinem in ipſo magno morbi impetu in multis, vt in D.N. quem aſſidua, vehemens, & tertianæ finitima febris vrgebat, cum graviſſimo vomitu bilioſo, in ipſo exacerbationis tempore: Ad hunc vocatus die tantum quinto, circiter meridiem, quo tempore periculoſiſſime exacerbatur, Veritus ne vomitus inanis perſeverantia vena aliqua interna diſrumperetur, aut inflammatio agitatas partes adoriretur, aut vomendi ille irrequietus impetus & febris adeo ingraveſcerent vt remedijs poſtea nullus locus ſupereſſet; ideo ſtatim ad ℥xv. ſanguinis mitti jubeo, cujus auxilij tanta fuit opportunitas & efficacia, vt vna cum fluente ſanguine vomendi ſtimulus ceſſaverit in totum, & febris remiſſa, quæ ſenſim inclinans ad diem 7. percurata eſt: Præſtiti id non ſolum die ipſa exacerbationis, ſed etiam hora ſummæ afflictionis: Idem in obſidione Rupellarum præſtitimus in moltis per exercitum diſſeminatis, vehementiſſima, & maxime putrida febri, imo ſubpeſtilenti laborantibus: quorum omnium noſtrorum ægrotorum nemo certe interjit qui venæ ſectione ſit vſus.

Quare, vt ad rem redeam, dico iterum efficaciſſimum eſſe præſidium miſſionem ſanguinis, vrgente morbo, vbi exitus ſuſpectus eſt: Quo pertinet illud *Celſi lib.2.c.10. Mitti ſanguis debet vbi quis angina ſtrangulatur, & vbi prioris febris acceſſio pene confecit, paremque ſubſequi veriſimile eſt, neque eandem videntur ſuſtinere ægri vires poſſe*, Id quod intelligi debet & de intermittente & de aſſidua, exacerbationes habente, in vtraque enim id oportet fieri, & in quovis alio morbo (ſalute non deplorata) in quo major eſt ſuſpicio ingraveſcendi quam declinandi: Totum autem id tempus eſt vigoris aut ſtatus, ſecundum Medicos, dum morbus per ſpatium aliquod, in pari quodam certamine cum viribus corporis videtur conſiſtere; non quod aut non in ſe augeatur, aut aliqua ex parte minuatur, ſed id nobis eſt incognitum:

XXX. *b.* Et in morborum declinationibus num cenſendum erit hoc remedium inutile? putabant aliqui ſic eſſe, freti hac ratione, Naturam poſſe reſiduum vincere, quod minus eſt, ſi potuit maximum, quod erat in morbi conſiſtentia, ſuperare: Id certe plerumque viſum eſt, cæterum non raro etiam falſum juxta illud *Hipp. Quæ relinquũtur in morbis recidivas facere conſueverunt:* Dicunt hic aliqui non deberi has morborum reliquias miſſione ſanguinis ſed purgatione tolli; at nos contra, hac ſcil. magis quam illa; non tamen in omnibus morbis, ſed plurimis, Rationes vide §. 12. *Leon. Botallus l. de cur. per ſ.m.c.* 12.

X X X. *c.* Non ſola ſanguinis vbertas, neque partes extraneæ illi admiſtæ, vel elaſticæ impetum illi conciliant, vaſa illum continentia ſæpe circulationem inciant: Hiſtoria à *Williſio* allata Matronæ cujuſdam quam curandam habuerat, ſufficienter probat vaſa ſanguifera liquorem contentum motu ciere inſolito & vehementiori: Mulier illa diutius atroci colico dolore vexata fuit, quibus motus convulſivi ſe adjunxerunt, Præſcripta illi, ob pulſus magnitudinem ſ. m. è vena jugulari ad ℥iv, qui inſigni impetu erupit: Ipſa vero paucis poſt horis apoplexia correpta interijt; Cadavere aperto via iv. ſanguinis vnc. in toto corpore ſuperſtites deprehenſæ ſunt: adeo vt vix rationi conſonum ſit à tam exigua ſanguinis copia, tam validas & crebras impreſſiones factas fuiſſe tunicis nerveis interioribus cordis & arteriarum, vt adigerentur hæc vaſa ad ſanguinem adeo rapide circumducendum: ideoq; admodum veriſimile, eſt cor & vaſa ipſa ſanguinem impuliſſe, neutiquam ſanguine ipſo concurrente. Ex vehementia quoque quorundam animi pathematum, gaudij, iræ &c. inferre licet canales ſanguinis ex ſe hujus motum promovere, eo quod ſpiritus lucidi & tenſifici, plus ſolito commoti, vehementius irruunt è cerebro in canales nerveos, eos forte qui ramos in cor & vaſa ab hoc viſcere oriunda diffundunt, quo fit vt cordis conſtrictiones multo ſint crebriores & vehementiores: Simili in caſu temeritatis eſſet & imprudentiæ ad v. ſ. confugere, eamque æque frequenter inſtituere ac in inflammatorijs affectibus. *Gautier, Medicus Nivernenſis in Mercurio amœno anni* 1681.

XXXI. Si virtus non permittat vt vena brachij ſecetur, ait *Avicennas* in Phrenitide aperiendam eſſe venam frontis, E qua, vtpote minore, ſanguis in minore

copia effluit, vnde minor jactura & diſſipatio ſpirituum: Hoc documentum non ſolum in phrenitide, ſed in quolibet etiam morbo longo ſervandum, vt ſi vires non ſint admodum robuſtæ tutius ſit minores venas aperire: Non ſunt ergo reprehendendi Practici qui in diuturnis morbis ſecant ſalvatellam. *Capivaccius cap. de Phrenitide.*

XXXII. Si eveniat vt venæ ſectionem ſumma poſtulet neceſſitas, vires autem à principio morbi ad ipſum ſtatum, neglecta ea ab initio, ſummè languecant, quæritur quid tunc faciendum? Sciendum eſt quod ante omnia vires languidæ ſint examinandæ, vtrum ex oppreſſione, an vero ex reſolutione hoc malum oriatur: Si vires oppreſſæ, cum in ſua natura nihil patiantur, tamen ſanguinis miſſio non poſthabenda, ſed repetenda, licet ſtatim ab initio fuerit neglecta, Qua ratione *Hippocrat. 4. de rat. vict. in Acutis*, & *Galen. in commentar.* ex ſanguinis interceptione & venarum occluſione ſanguinem mittendum eſſe monent: Si vero vires fuerint reſolutæ, & ſecundum eſſentiam patiantur, malim cum *Sennerto de Febr.* in hoc caſu *Galenum* ſequi, qui ſuadet ea auxilia quæ cuſtodes corporis vires dejicere, medicoque calumniam conciliare poſſunt, omittere, & prognoſticis vti, quam ancipiti remedio virium reliquias cum vita tollere: Eſt enim contra ordinem medendi methodum exhauſtos ſpiritus vitales magis exhaurire: Et artis Medicæ dignitati magis contulimus, ſi in ejuſmodi caſu inſtemus confortantibus & expectemus opportunum venæ ſectionis tempus. *Hofmannus m. m. l. 1. c. 13.*

XXXIII. Intra fines moderatos error non levis momenti committitur, dum in quibuſdam caſibus ſanguis nimis parcè, inque alijs liberiore quam par eſt manu detrahitur, In febre ardente, pleuritide, peripneumonia, apoplexia alijſque magnis morbis, à ſanguinis turgeſcentia aut incurſu φλεγμονώδει oriundis, v. ſ. diminuta ſemper plus officit quam prodeſt, præterquam enim quod morbi cauſam antecedentem, ſc. plethoram non tollit, inſuper conjunctam, ſc. inflammationem, aut ſanguinis irruptionem augeri facit. Enimvero conſtans obſervatio eſt à cruore parcius detracto totam illico maſſam ejus inſignius effervеſcere, novaſque in partem affectam ῥοπὰς habere, Cujus ratio eſt, quod in magna plethora plures & ſanguinis & ſeri portiones in receſſus & anguſtias protruſæ illic reſidere coguntur, quæ poſt vaſa perpaululum inanita, in maſſam ſanguineam impetuoſè regurgitant, ipſamque valde exagitant, & huc illuc impetuoſius adigunt: quapropter hoc etiam reſpectu vaſa permultum depleri opus eſt, videlicet vt præter laticem priorem ab anguſtijs liberandum, etiam ſucco ab exilio reduci ſpatium concedatur, qui ſecus cruori minus congruè adveniens tumultuatur, ipſumque in effervеſcentias & eruptiones concitat: Hinc advertere licet quoſcunque ferè homines ſtatim à venæ ſectionis magis incaleſcere, qui tamen ſanguine ſufficienter evacuato, paulo poſtea temperatius habent. *Willis.*

XXXIII. *a.* Notandum tamen ſatius eſſe *parum Sanguinis* educi repetitis vicibus, quam ſimul ac ſemel multum ejuſdem evacuari: Ratio eſt, quod ſæpius obſerventur noxæ notabiles, imo ipſa mors ſupervenìſſe ægris ex copioſi ſanguinis emiſſione ſimul facta, nunquam ex eodem minore quantitate educto, licet iteratis ſanguinis miſſionibus eandem quantitas fuerit tandem extracta. *Franciſcus Sylvius de le Boë Praxeos lib. 3. cap. 4. §. 107.*

XXXIV. Sanguinis redundantia v. ſ. præſertim tollitur, Sed quæritur, annon & alijs medijs ejus abundantia tolli poſſit? *Wallæus*, inquit, *Si inedia eam conſumi ſinimus; Cum calor noſter innatus nunquam otioſus ſit, ſed ſemper aliquid poſtulet in quod agat, exinde fit vt ille deficiente confecto alimento, ipſum aggrediatur ſanguinem & illum abſumat: adeoque inedia ad plethoram abſumendam & tuto vſurpari poteſt.* Ita vero in ſententia *Eraſiſtratus* videtur tutiſſ, ſi *Galeno fides habenda.* Dicimus autem 1. Inedia quidem plethoram minui, ſed pedetentim non ſubitò, prout plurimi morbi acuti requirunt. 2. Ex inedia, quod notum, vim quandam naturæ inferri, Eſt enim variorum ſymptomatum ac morborum ſcatur. Pautorum ſæpe dierum ſpatio necare potis: Dum in illa vigor fermenti digeſtivi bene diſpoſiti, non habens objectum in quod agat, devaſtat & conſumit proprium ſtomachi alimentum, vnde in corpore ſano boni atque vtiles non ſolum abſumuntur humores, corpora exſiccantur & conſumuntur, verum etiam in corpore cacochymico & impuro moventur & vna agitantur corrupti humores, ac partem illorum in defectu alimenti boni natura aberrans tranſmittit ad ventriculum, qui inde non leviter perturbatur, & per conſenſum cerebrum & cor affliguntur, ita vt poſtmodum ſymptomata ſymptomatibus conglomerentur. *Frider. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 13.*

XXXV. *Avicenna Fen. 4. l. 1. c. 29. Sangu. miſſio multoties facit febrem & multoties facit putrefactionem &c.* Venæ ſectio ob ebullitionem ſpirituum facit febres Diarias, & debilitando naturam, ſi nimia ſit, putredinem excitat, debilitato calore innato generat becticam, ſi fiat in corporibus ſanguine indigentibus, gracilibus, calidis, ſiccis; Quidam valetudinarius, æſtate vigente, citra morbum, ſanguinem ſibi mittendum curat; qui gracilis, debilis, extracto ſanguine febrire cœpit, & de hepatis phlogoſi conqueſtus, Medicus virium defectum non advertens, non refrigerantium & expurgantium, tunc neceſſariorum, repetito ſanguinem detrahit; hinc ſanguine, in quo calor perſeverantiam obtinet, vacuato, magis excarnis eſt factus & tabida febre corruptus interijt. *Zacutus Prax. Admir. lib. 3. Obſervat. 53.*

XXXVI. Si medijs morbis, aut etiam inchoantibus, ſanguis ex vtero incipit fluere, tanti faciunt Medici commoditatem ejus regionis, vt ne ſi extra conſuetum tempus fluat, merè ſymptomaticè, audeant alia evacuatione vti, quæ præcipuè poſſit illi fluxioni obſtare: vnde evenit non rarò in curationibus morborum acutorum, non ſine magno periculo hærere: Velut cum initio pleuritidis, aut peripneumoniæ, aut ardentis febris, ſic incipiunt menſtrua, rari ſunt qui non prætermittant occaſionem mittendi ſanguinem ex venâ, aut vnde morbus acutus petit, mittere audeant, ſed ex talis, quicunque morbus ſit; allecti arbitror, commoditatibus ejus regionis, & periculis quæ ſolent accidere ſuppreſſis menſtruis, deterriti: Non decet autem peritos artis rem vllam tam Indiſtinctè accipere? Eſt ſanè ſanguinis, per vterum maximè, atque adeo ea ſola naturalis evacuatio, proinde mulieribus ad quamplurima vtilis; & cum magno incommodo plerumque retinetur: Non tamen ea æquè ſemper vtilitate agitur, ac proinde neque eodem periculo ſemper retinetur: Sed ferè evenit,

quod in alijs omnibus evacuationibus, Si bene fiunt, ſunt bonæ: ſi malè, malæ: Conſiderandum ergo, Non ſolum vnde fluat ſanguis, ſed an tempeſtive, h. e. quo tempore jam morbi criſis agi poſſit, & quo menſia conſuevit, An neutro horum, ſed morbo adhuc crudo & nõdum devoluto menſe; An devoluto quidem menſe, ſed morbo inepto judicationi: An hoc judicationi apto, ſed nondum exacto menſe: Primum enim ſi accidat, per opportunam cenſebis evacuationem, magnaq; felicitate in idem tempus concurriſſe menſtruam corporis evacuationem & ſolutionem morbi: Talem ergo, ſi integrè agatur, ſines: ſin minus, omni ratione juvabis: Nullam ergo ſecabis venam, aut certè ex crure; aliam vero evacuationem movebis nullã: Si autem neutro modo ſit evacuatio tempeſtiva, ne illius gratia hæreas, ſed mitte ſanguinem quantum & vnde morbus poſcit, id ſolum quantitati detrahens, quod caſu incidẽte fluxione videbitur ſuppleri poſſe: Itaq; ſi Pleuritis ſit, mitte ſanguinem ex cubito ejuſdem lateris, vt fluat ea vtero non curans: Nam is morbus cum vrgeat, tolli ſe cito poſtulat, evacuatio vero adeo intempeſtivà non poſtulat ſe ſervari: Sola regionis commoditas videbatur poſtulare: Ea renuẽtibus tam multis conditionibus non eſt magni momenti: Satis erit hac causâ non ſiſti vſu adſtringentium: ab his ergo abſtinebis, ſanguinem vero mittes vnde morbus poſtulabit: Si vero ea evacuatio ante cõſuetum menſis diem, tamen pro morbi judicatione opportunè ſuperveniat, judicationum tempeſtivarum regula ſervabitur; ſi integre fluat, ſinere; Sin minùs, juvare, nulla vero ratione prohibere, neq; aliò trahere, aut aliam evacuationem moliri: Quod ſi morbo intempeſtiva, legitimo vero menſis tempore venerit, ſi quidem morbus indifferens erit ad ſupernas aut infernas evacuationes, vt forte nephritis: aut ſine loco certo, ut febris, mittetur ea crure ſanguis, ſi ſit opus mittere: Sin autem morbus ſupernas poſtulet & vrgeat, licebit mittere alternare Medico, hinc & illinc, & dum ſupernè mittit, aliquâ arte infernè retinere, vt vinculis, aut cucurbitulis aut aliter &c. *Valleſius m.m.l.2.c.13.*

XXXVII. An humor putridus v. ſ. ſit evacuandus, nullam habet difficultatem apud eos qui in omni morbo v.ſ. conſulunt: Ego autem dico, ſi à *Gal.* placitis non ſit diſcedendum, nuſquam in ejus doctrina inveniri poſſe humorem hunc vena ſecta poſſe vacuari, ſed aut purgantibus pharmacis, aut per vomitiones, aut vrerica, aut hidrotica: videantur *c. 7.&8.l.11.m.med.* Quod ſi dixeris, quomodo ſanguis putridus evacuabitur in ſynocha. Aut etiam humores excrementitij à ſanguinis natura diſtantes, quando cum ſanguine fuerint permiſti? ℞. Putredinem ſanguinis in ſynocho poſſe conſiderari, vel quà ſanguis adhuc ſervat ſuam bonitatem; vel quatenus omnino propriam amiſit formam: In priori caſu, non eſt propriè loquendo putridus, etſi degenerare incipiat; quo in caſu licet ob multitudinem mittere ſanguinem & ob obſtructionem ab ea factam: In ſecundo caſu non licet, 1. Quia cum tali corruptione vires validæ non ſunt, 2. Quia multitudo in cacochymiam degeneravit; quam purgans corrigit; De humoribus autem permiſtis cum ſanguine idem eſto judicium: nam duobus modis conſiſtit hæc permiſtio cum ſanguine; aut cũ illius multitudine, aut citra eam: Prior venarum inciſionem admittit, non ratione miſcellæ, ſed ratione copiæ ſanguinis, quo vacuata copia, natura reliquum à putredine præſervet: Secunda minimè exigit hoc remedium, cum id ſolum ſit vacuandum quod naturæ facit negotium, at ſanguis ejuſcemodi nullum facit, quorſum igitur vacuandos? Cur ut vnciam vnam bilis permiſtæ excrementitiæ, apertâ venâ, deducas, placebit tibi vacuare libram vnam ſanguinis boni? Quantum hæc medendi ratio ab antiquorum ſententia diſtet, hoc præſertim poteſt teſtari, quod purgantia educunt vnum quempiam humorem peccantem è venis, hocq; propriè dicitur purgare, h.e. rem permiſtam ea multis eligere & puriorẽ reddere: Scio opinionem quorundam eſſe convenire ſemper v.ſ. vbi humores excrementitij cum ſanguine miſti ſunt, ſed ex dictis errare manifeſtum eſt; Nec minùs eos qui cum ſanguinem corruptum vident, vt bilioſum, æruginoſum, aut aliter inquinatum, gloriãtur multum ſe optime vacuaſſe & in dies v.ſ. repetere ſatagunt, haud ſecus quam publici quidam carnifices: At non ſic *Gal.* qui in malo ſanguine, vt pote genito ea caritate annonæ v.ſ. prohibebat; obſervans omnes fuiſſe mortuos quibus ſecta fuit vena, indicatione ſumpta ab humore putrido. *H. Augenius Tom.1.l.10.Epiſt.4.*

XXXVIII. Vt innumeras illas miſſiones ſanguinis, quæ ad xv. aut xx. procedunt, nunquam facio; ita illud præfabor nullum ferè eſſe morbum, cujus curationem à ſ. v. non inchoem, quia ea non præmiſſa, via vlli remedio locus eſt: Plenum enim corpus, neque alijs evacuationibus præbet vias fluxiles, neque medicamentis vllis præſtat commeatum; refrigeratum denſatur, calefactum inflammatur, nulli curationi eſt opportunum: vacuandum ergo corpus eatenus vt curationem reliquam ſine noxa ſuſtineat, non autem eatenus vt facultas in poſterum non ſufficiat, aut corpus commemoratas antea noxas incurrat. *Valleſius m.m.l.4.c.2.*

XXXIX. Illi qui putant in v. ſ. naturam validam ſemper vitioſum ſanguinem excernere, & bonum retinere; eò quod viderint in v.ſ. ad deliquium vſque inſtituta, prius ſanguinem emiſſum in vaſe ſegregari, vltimo vero effuſum ſemper vnum eundemque manere, illi inquam decepti ſunt: Poſterior enim ſanguis non ideo non ſegregatur quia bonus eſt, ſed quia ſtillatim & non rigorosè ac prior ille è vena proſilit: vterque & bonis & malis humoribus conſtat. *Walaus m. m. p. 31.*

XL. Renes alias pro centro corporis in longitudine ponunt, verum hoc melius refertur ad cor: Venæ ſectio ejuſdem lateris cum parte affecta melior eſt quam oppoſiti: Cauſa latet in arterijs non in venis. *Idem p. 81.*

XLI. Præſtant Revulſionum ſpecies diverſam inter ſe vtilitatem & gratiam: Nam ad *Originem revellere* his affectibus ea vſu eſt qui ex peculiari aliquo membro originem trahunt: Ad *Diſtantes* verò *Tractio* his qui ea toto corpore fomentum ſuſceptant: Ad *Contraria* vero vtriſque, Nimirum ad contrariam partem ei à qua fluit, Et ei ad quam fluit: Et tertiò id habet peculiare, vt præcautionis gratia maximum præſtet vſum; evocata natura, vt diximus, ad contrariam partem ei cui incubuit: Neque obſtat in præcautione & curatione eaſdem venas incidendas eſſe: ſi quidem hæc revulſio humorum motui & cõſuetudini, potius quàm affectui & humori debetur. *Mercatus de Ind. Med. l.1.c.4. vbi plenius de Revulſiva ſ. m. Derivativa &c.*

XLII. Habitus fallacem ad ſ.m. notam præbet; quare virium robur attentius inſpicere oportet & venas ipſas, à quibus melius quam ex ipſo corporis habitu virium robur eluceſcit: Id quidem docuit rimari *Celſus*, nam ſi latæ fuerint venæ, in habitu etiam pingui aut laborioſo, facilius m. ſ. corpora

ferunt:

ferunt: Sin verò tenues, quanquam gracilia ſint, gravius id genus vacuationis ferunt. *Idem ibidem.*

XLIII. Novimus N. mulierem quæ adeo aſſueverat Sanguinis miſſioni vt cogeretur quotannis in vere ſanguinem detrahere, alioquin non poterat ſana degere: atque eam conſuetudinem ad 80. vſque annum ſervavit & facile pertulit: tales tamen rari admodum reperiuntur. *Trincavellius l.2.c.10. Pract.*

XLIV. Quinquagenarius cacochymicus, maximis viſcerum obſtructionibus obnoxius, cùm impurgato corpore, abſque vlla neceſſitate & conſilio Medici, cephalicam dextram ſibi tundi curaſſet, eademque die convivio interfuiſſet, ſequenti die exortus eſt dolor circa locum inciſionis, obtuſus initio, quo ſenſim aucto & vehementiore facto, maxima ſeroſorum humorum ſequuta eſt affluxio, ita vt ab humero ad apices vſque digitorum incredibiliter tumeret, cum inflammatione & puſtulis vndique ſcatentibus, è quibus ſeroſus & acris humor copioſiſſimè effluebat, ita vt gangræna eſſet in propinquo; remediorum tamen efficacia liberatus eſt: Hinc conſtat quam periculoſum ſit in impuris corporibus quicquam movere. *Fabritius Hildanus Centur. 4. Obſervat. 71.* Vide *aliud exemplum ibidem Obſervat. 70.*

XLV. Ingerit hic ſeſe curatio haudquaquam ex trivio: Iuvenis ſanguineus poſt ſanguinis miſſionem & præparantes potiones leve pharmacum aſſumpſit: poſt duas horas immani ventris dolore oppreſſus eſt, qui bis excreto per alvum humore eſt levatus: poſt vnam horam quinquies copioſe dejecit, ſed ita ardore interno conflagrans vt viſcera ſibi exuri putaret: acceſſit deinde febris ardentiſſima, ſitis inexhauſta, dolor ilium ſævus adeo vt reſpirationem & vocem interciperet: Vocantur Medici qui multa fruſtra adhibent, nam dolor ſævius vrgebat, Accedo ipſe, ſanguinem emittendum impero, nam vires vtcunque conſtabant: reclamant omnes; nam duo motus contrarij eadem die non ſunt celebrandi: Sed cum dolor immanior invaleſceret, coacta neceſſitate, me jubente ſanguis extrahitur: hoc miſſo dolor mitigatus & febris remiſſa: Præceptum *Avicennæ* ſequutus ſum 4. r. *cap. 8. Quod ſi enema non inveris, & mala ſupervenerint accidentia, extenſiones corporis, & acuti exierint, & fuerit motus ad ſuperiora, neceſſaria eſt minutio.* Vide *Paulum lib. 7. cap. 6. Zacutus Prax. Adm. lib. 3. cap. 58.*

XLVI. Vena Porta in morboſo corpore cacochymiam continet, quam deplere per venæ ſectione multiplicem dubitatur an ſit tutum, ne refluens iſte ſanguis in venas majores circulationi dicatas, totam maſſam ſanguineam inficiat. *Riolanus Enchirid. Anatom.* Ne impuritas primarum viarum, ſanguine miſſo trahatur in venas, primu debet tolli: ſed hoc periculum non omnem ſanguinis miſſionem ſequitur, ſed tantom, pro veterum conſuetudine copioſam. *Augenius.*

XLVII. Sanguinis miſſio conſuetudinem parere poteſt: Sic Æthiopibus, quibus frequens frontis ſcarificatio, frons prurit ubi ſanguis redundat: Ita & ijs qui aſſuetis ſcapularum ſcarificationi & venæ ſectioni in cubito: aſſueſcit enim natura mandare ad partem affectam, quia pars inanita à toto trahit, & quia ad partem ſecari aſſuetam ſe exonerat.

XLVIII. Tempore menſtruæ purgationis vena ſecanda non eſt, ne naturæ motum impediamus aut præcipitemus: Hoc autem intelligendum dummodo illa vacuatio, ex lege naturæ, modum non excedat, aut diminuta ſit, vel ſimpliciter, vel habitâ ratione vigentis morbi: Si enim nimiâ copiâ ſanguis erumpat, tunc tuto ex venis brachij poteſt emitti: Deinde ſi tunc accidat morbus aliquis gravis, qui citiſſimam vacuationem poſcat, & ſuperiores partes premat, ex ſuperioribus partibus mitti poteſt, ut in pleuritide ſæva, ſuffocante anginâ: Nam ſi tunc è talo ſanguinem emittas, vel expectes naturæ motum, vt plenitudini vel acutiei morbi poſſit ſufficere, antequam moroſa illa vacuatio prodeſſe queat, æger ſuccumbet: Oportet ergo vrgentioris mali habita ratione, è ſuperiori propinquiorique parte ſanguinem mittere, impoſitis prius femoribus cucurbitulis, vel fricatis cruribus, vel ſanguine miſſo è talo, vt vtrique indicationi ſatisfiat. Rurſus ſi diminuta menſtrua purgatio ſit, & ad partes ſuperas reſtagnet, & ſputum aut vomitus ſanguinis ſubſequatur, tutiſſimum eſt venas tali tundere, juxta *aphoriſm. 5. 32.* Præterea, ſi fluens actu menſtruus ſanguis non ſit pro multitudinis ratione, qua ratione motum illum imperfectum ſupplere poſſumus niſi ſanguine miſſo? quod docet *Galen. 9. method. 5.* Licet enim fluente menſtruo, ſi morbus ſit placidus, mitis, ac ſignis ſinnatus ſecuris, temere motum naturæ interturbare nefas ſit, tamen ſi integer is non ſit, nec pro multitudinis ratione, ipſum complere oportet, ne ex procraſtinatione auxilij morbus ſumat incrementum. *Zacutus Prax. hiſt. lib. 3. cap. 9.*

XLIX. Quidam dies quoſdam infauſtos & infelices obſervant tum pro purgatione, tum pro venæ ſectione: Ego vero nihil conferre ejuſmodi obſervationes non rarò ſum expertus, & merito quidem: Primo, Quia Cœlum vniverſalis eſt cauſa, quæ non agit niſi cauſæ particulares bene diſpoſitæ fuerint: Secundo, Quia Aſtrologica judicia plurimum incerta ſunt, varia, ambigua, ſuoſque opifices illudentia, ob diverſitatem proximarum cauſarum: Idcirco in ægroto homine temere eam admittimus, cum plurimum vrgeat occaſio. *Horatius Augenius de Vena Sect. lib. 8. cap. 19.* Cum Lunæ decurſus magnâ ex parte damna ac detrimenta corporibus infirmis inferat, in diſputationem vocari poſſit, An in ea parte, quâ moratur Luna, incidenda? Nam in hac re plerique meticuloſi ſunt, nec tale quicquam tentare audent, etſi morbus vrgeat, atque ejuſmodi præſidium confeſtim expoſcat: Ego vero intrepide magnaque ſubſidij, morbique propulſandi fiducia maturè id aggrediendum judico: acuti enim celereſque morbi nullas admittunt inducias aut moras: Nec quis etiam deterreri debet, aut ab incepto deſiſtere, etiamſi adverſo aut maligno ſydere id tentari videatur: Sic in pleuritide, angina, pulmonis atque epatis inflammatione, neglecta aſtrorum anxia obſervatione, ac ſiderum aſpectu, maturè ad venæ ſectionem properandum, etiam in ea membri parte quam Luna occupat: *Levinus Lemnius l. de occ. natur. mirac. 4. c. 15.* vide *plura apud Arn. de Villanova, Guidonem, Ioubertum, Botallum, Heurnium, Claudinum &c.*

L. Errant qui inediam & venæ ſectionem ſimul adhibent, quod citra magnum ægri damnum & periculum fieri nequit: Admonuit enim *Galenus* indebitis intempeſtiviſque vacuationibus plus lædi ægros, quam convenientibus & tempeſtivis adjuvari, ob virium reſolutiones quæ vacuationibus illis ſuccedunt, Indebitæ autem & intempeſtivæ ſunt, & quæ poſt inedias adhibentur Quod *Galen.*

lib. de vena ſectionem contra *Eraſiſtrateos Romæ* degentes expreſſit. Nec obſtat quod *Hippocrat. lib. de vict. acut.* poſt venæ ſectionem inediam præcipit, neque enim plurium dierum inediam intelligit, ſed aliquot horas poſt venæ ſectionem abſtinendum cenſet: Eam autem inediam intelligimus, quæ vno die aut pluribus ſine cibo omnino ſteterit, vel diu cum exiguo victu perſeveraverit. In quibus neque ſ. m. neque purgationi locus eſſe debet. *Aug. Ferrerius Caſtig. cap.* 18.

L I. An vbi reiteratione ſanguinis opus eſt venæ ſectio ſecunda copioſior eſſe debet? Nam videtur *Galen. lib. 4. de ſanit. tuend.* ſecundam copioſiorem efficere: *lib.* autem *de Venæ ſectione* in reiteratione adjicere dimidium jubet; Multi intelligunt eſſe vacuandum dimidium reſpectu prioris: Ego verò ſupra priorem quantitatem adjiciendum eſſe dimidium: nimirum prima vice ℥ vj. eſſe detrahendas; ſecunda ix. quanquam adverſus eſt locus *lib. de vena ſectione cap.* 17. ubi *Galen.* prima detractione tres libras extraxit, deinde poſt horam libram unam: ſed illic res urgens, vt arbitror, coëgit priore detractione plus extrahere. Res tamen hoc modo venit expendenda, Nimirum, quod ubi nihil impedit, & neceſſitas plurimum non urget, ſatius eſt à pauca incipere quantitate: præſertim vbi vires ægri non habemus expertas: cæterum ubi eas cognoverimus, & ipſæ conſenſerint, urgente neceſſitate, plus oportet in prima vice extrahere, nonobſtante *Galeni* dicto quod præcipit ſecunda detractione dimidium addere. *Mercatus de Præſid. lib.* 1. *cap.* 2.

L I I. Mos eſt peritis Medicis, ubi utroque opus eſt auxilio, ſi laborans alterum pertimeſcat (licet primo fieri expediat) reliquo uti. Qua in re cautè accipienda *Pauli & Oribaſij ſententia*, ac *Galen. 11. method.* nec incautè vnum alteri ſubſtituendum, Docent hi, Quod ſi cuipiam detractus ſanguis non fuerit ob metum &c. oportere vel per urinas materiæ copiam evacuare, vel per meatuum recluſionem, vel febrem lenire aut refrigerare, aut alvum largius ducere. Quæ ſententia medicinalibus diſciplinis plurimum adverſatur, Si quidem dum in febribus ſanguis redundat, eum purgatione demere non licet, nec per urinas aut ſudores: talia enim noxia forent, non demptâ plenitudine, à cujus vacuatione incipit ſemper per *Galen.* Nec excuſare poteſt timor, nec efficere vt quæ nocitura ſunt non noceant, pleno exiſtente corpore: nam ſi purgamus, æqualem ſanguinis quantitatem relinquimus, Si ſudores aut vrinas movemus, nihil magis plenitudinem demimus: Niſi ſic explicemus *Galen.* ſcilicet primis diebus non miſſo ſanguine, ſtatim in alios degenerare humores quos purgare oporteat: At hoc conſilium *Galeni* non intelligitur, niſi quod purgatio fiat quo tempore debet fieri ſ. m. Nam in febribus & purgare, & ſudores & urinas movere neceſſum eſt, verum unum fieri non poteſt loco alterius & tempore: quare cogendus eſt æger ad ſ. m. cui ſi obſtiterit, indicto periculo, tutiùs eſt ad febris refrigerationem indicationem convertere; hirudinibuſque aut ſcarificationibus; quod ſi renuerit, tutius eſt diſcedere. Verùm in alijs morbis, vbi par eſt neceſſitas, quod laborans elegerit exſequendum eſt: cæterum citra alterum horum auxiliorum, ſudores aut vrinæ citra noxam moveri nequeunt; neceſſitatem enim purgationis aut ſanguinis miſſionis non excuſant: At in quibus ſanguis mittitur ob dolorē, caſum aut percuſſionē, tutò poſſumus loco miſſionis ſanguinis ſudores movere, quod ſua ſponte natura efficere ſolet maximo cum ſolatio. At ubi utroque auxilio opus eſt, & vtrumque laborans renuit, major eſt difficultas, tunc ſequendum *Aëtij conſilium lib.* 3. *ſ.* 4. *cap.* 17. *Quidam adeo formidoloſi ſunt & molleties fracti, vt neque nomen venæ ſectionis aut purgationis audire ſuſtineant, Non mentior tantum, ſed & fortunatus eſt nullum talem contingere, Et tamen ſi ad curandos ægros cogamur, prædicere oportet diuturnos dolores ijs affuturos, & vigilias, articulorum torturas, præſertim ſi craſſus & multus ſit ſanguinis influxus.* Abſtinentia igitur imperanda eſt, clyſteres moderate fortes injiciendi, admovenda epomphalia; vtendum alvo laxata vnguentis diſcuſſorijs & frictionibus &c. *Mercatus ibid. cap.* 7.

Galenus 4. de ſan. t. c. 4. ſic ait, *Si quis vel propter ætatem, vel timiditatem permittere ſe Medico ad ſanguinem vllo modo detrahendum nolit, huic dejicienda largius alvus eſt, aut ſi id quoque ſuſpectum habet, alia ratione educendum ſupervacuum eſt.* Ex quo patet quod vbi morbus ſ. m. poſtulaverit, ſi vires eam non ſuſtineant, aut per ætatem, aut alia ratione, tunc purgatione eſſe vtendum quæ bilem vtramque & pituitam evacuet, Satius enim eſt vt ſolus ſanguis redundet quam cum eo cæteri, Et pars inſuper plenitudinis demitur facta expurgatione, & promptius humores ventilantur, qui antea in venis conculcati diſſlari impediebantur: Quod ſi ex plenitudine & cacochymia permixtus eſt affectus, huic alvus largius ducenda quam ſi venæ ſectione daretur locus, ut nimirum ſola purgatio utriuſq; vacuationis uſui ſufficiat: quare quando affectus mixtus eſt ex plethora & cacochymia, & cum ſanguine peccant alij humores, tunc purgatio ſupplet vicem phlebotomiæ &c. *Zacutus Pr. Hiſt. p.* 569.

Si phlebotomia fieri nequeat, an purgatio ſola ejus vicem ſupplere poteſt, vel victus parſimonia, vel exercitium, frictiones aut ſudores? id credo fieri poſſe ſi nulla febris adſit, maxime per Orragoga, quæ ſerum è venis exhauriunt: ſic enim deplenis venis reliquum corpus extenuari poteſt, idque factitant exteræ nationes quæ detractionem ſanguinis timent. *Riolanus in Ench. Anatomicus Tom.* 1. *Epiſtol. p.* 77.

L I I I. Duo obſtant & impedimento ſunt quo minus facile cacochymia purgatione tollatur, Vnum quum liquidum corpus & ad expellendum expeditum minime eſt: Alterum quum noxius humor in purgandi vias neutiquam devergit; Liquidum corpus non eſt, in quo noxius humor immoderate craſſus aut viſcoſus ac minime profluens ineſt, vel in quo tanta jecoris aut inferiorum venarum obſtructio inſedit, vix vt via pateat per quam poſſit humor è venis per alvum derivari: Tum igitur noxius interclusus venæ ſectione demendus eſt, ne illic quaſi furore turgens & vijs interceptus in aliquam partem nobilem interrumpat, ſeque infigat, Alterum purgandæ cacochymiæ impedimentum eſt, quum pari affecta longe adeo à vijs purgationis ſepoſita eſt, vt in eas devolvi derivarique noxius humor nequeat: quo terum eventu & conditione vena dirigitur ampla & conſpicua, ea vtique incidenda erit, maxime ſi morbi ſymptomatiſque magnitudo premit: Ita ſi pituitoſa diſtillatio in fauces vel in pulmones irruens, ſi ſuffocationis inferr periculum, venæ ſectione tollitur. *Fernelius lib. de Vacuandi ratione cap.* 9.

Multo

Multo commodius ſuſcipitur ſanguinis miſſio ante Expurgationem quam hæc ante illam: hæc enim laxat vias, quo maxime corpus ad expurgandum eget: illa debilitat vires, quo nihil ad mittendum ſanguinem periculoſius: Rurſum, ſanguinis miſſioni non obſtat impuritas, expurgationi vero obſtat repletio: Inutilius igitur jam mutitur ſanguis expurgatus quam antequam expurgaretur, niſi contigerit expurgatione concitari ardorem novum in viſceribus (quod maxime evenit cum non antecesſit ſufficiens ſanguinis miſſio) tunc enim nihil conſultius quam ab expurgatione ſanguinem mittere: Alioqui cum utraque vacuatione eſt opus, miſſionem ſanguinis oportet antecedere dictas ob cauſas: Vnde rurſum evenit ut ſæpius miſſio ſanguinis ſola curationem perficiat quam ſola expurgatio, quia ſcil. eſt evacuatio ordine prior: à priori autem magis natum eſt ſuccedere quod poſterius, quam à poſteriori quod prius: Miſſo igitur ſanguine ſæpe ſponte naturæ expurgatur corpus alvi profluvio, vomitu aut ſudore ſuccedente: Expurgato autem corpore non ſolet ſuccedere fluxus ſanguinis niſi raro menſtruus, imo neque expurgari bene poteſt repletis canalibus: *Valleſius meth. med. lib. 2. cap. 3.*

Conſtat ſane quod in omni repletione vaſorum generis, præcipue plethorica, ſi primum vena inciſa corpus evacuaverimus, tum pharmacum poſtea datum inveniet venas & corporis meatus non ita refertos nec obſtructos, ut pharmaci vires, natura duce, impeditæ totam corporis molem penetrare poſſint, & mira facilitate noxios educere humores; ſi vero vaſa fuerint ſanguine aliiſve humoribus repleta, tum obſtructis circa hepar & meſenterium venis; pharmacum non ferenda alvi tormina, cruciatus & animi deliquia excitabit, ac venulas divellet, nihil quoque dignum evellet: Proinde *Hippocr.* in omnibus fere morbis acutis (4. acut.) in quibus humores non turgent, in phlegmone aliiſve internis viſcerum tumoribus & apoſtematibus, & in quibus morbis omnes humores æque ſervata eorum proportione augentur, virtute & ætate ægri conſentientibus, curam à venæ ſect. auſpicatur, At ſi tantum unus ex illis humoribus redundaverit, aut computruit, aut exigua fuerit ſanguinis boni ſubſtantia, aliorum humorum copia ſuperata, tum primum ab alvi dejectione evacuationem molitur: In hujus altercationis diſcuſſione, pharmaca, cum *Avicenna*, ea nominamus, quæ elective purgant, quorum virtus ultra hepar per univerſum corpus diſpergitur; At eorum quæ *Lenitiva* vocant, ac clyſteria ex his, & medicinarum obſtructiones aperientium & humores viſcoſos incidentium decocto confecta, horum inquam uſum ad eluendas ventriculi & inteſtinorum ſordes, ne his virtus pharmaci obruatur, & ratione vacui in venas phlebot. exhauſtas ſuccedant, ut his quoque obſtructi venarum meſenterii meatus aperiantur, ante v. ſ. & pharmaca fortia non repudiamus: Horum tamen omnium recta adminiſtratio ex prudentiſs. Medici judicio conjecturali dependet. *Ioh. Langius* Epiſt. 17. *l.* 1.

Quod diximus de præmittenda purgationi Venæ ſectione, habet imprimis locum quando urget affectus curandus, eſtque in mora periculum: Quando autem nihil urget, conceditur que Medico tempus ſufficiens ad omnia requiſita paulatim abſolvenda, non multum intereſt unde faciat ipſe curandi initium, an à ſanguinis miſſione, an à purgatione, humorumque peccantium evacuatione: quamvis ego exiſtimem, ni peculiares rationes diſſuadeant, ſemper tutius inchoari curam à miſſione ſanguinis, quoties ille venit ſimul educendus; Nunquam peculiares rationes diſſuadeant; Sic *cœlo exiſtente pluvioſo & humido*, quemadmodum tunc tutius & commodius inſtituitur purgatio quam venæ ſectio, ita præmittenda tunc Purgatio, Et contra *cœlo exiſtente Sereno* ſanguinis eductio inſtituitur felicius: qua de cauſa cœlum ſerenum optant obſervantque Medici prudentiores ad venæ apertionem: Sic quoties redundat in corpore aut pituita aut bilis multa, & ideirco plus urget purgatio quam ſanguinis eductio, ſatius eſt tunc præmittere purgationem, & quidem aliquando ſæpius, antequam vena ſecetur; quoniam ſupponitur non tam redundare tunc ſanguinem quam Humores alios. *Sylvius de le Boë praxeos l. 3. c. 4.*

LIV. Si humoribus, (ut ſæpius ſolet) vitium inſit ex plenitudinis & cacochymiæ permixtione, ut res maxime difficilis maturo eget conſilio: Exiſtimanda eſt primo humorum, cui in venis accreverunt, differentia, cum enim alterutra plethora præſit, ſanguis quidem largiter fundetur, donec ad mediocritatem reducatur, hoc unum ſubſidium gravatas vires facile citra jacturam levat & recreat, neque tunc ulla purgatio ex uſu eſt: Cæterum dum impurioni ſanguine venæ implentur, eſto ex plenitudine & cacochymia permixtum vitium, utrumque vacuationis genus deſiderat: Denique, ſi qui venas implet ſanguis calidior eſt, ac multa bile perfunditur, extrahendus protinus eſt, idque parcius & reſtrictius quam in ſimplici plethora, eo uſque ſolum donec plenitudinis pericula vitentur: quod verò adhuc ſupereſt, non venæ ſectione, ſed purgatione pelli deſiderat: quæ quidem poſt ſanguinis detractionem tutius fiet, tum quia refrigeratum eſt miſſo ſanguine corpus, tum vero quia metus perturbationis vel obſtructionis augendæ demptus jam eſt: *De melancholica & Pituitoſa plenitudine vide artic. 4.* & 5. Si (ut in quotidianis febribus & aliis pituitoſis affectibus videre licet) ſæpe cogit neceſſitas ſanguinem mittere, parcè quidem ac partitè id efficiendum eſt, prout vires & morbi diuturnitas permiſerint: Denique quæcunque plenitudo, pituitæ aut alterutrius bilis, aut miſcella alterius ſucci, conſpurcata, ſanguinis quidem detractionem ante expoſtulat, ea tamen quantitate quam cacochymiæ natura permiſerit, deinde alvus cienda eſt, ut noxius humor, qui ſupereſt, commodius expurgetur: Verum ſi major cacochymia appareat, attente rimari oportet an febris ab ea ſuccendatur, an ſecus: nam ſi primum, citra moram à ſ. m. eſt auſpicandum, ac purgationem, donec occaſio ſit, præmiſſa nimirum coctione (niſi humores turgeant) differre oportet, Si ſecundum, licebit quidem ſanguinem mittere (ſi quidem plenitudo, licet minor, etiam adeſt) largius tamen ac citius purgare; Denique eo parcius ſanguis mittendus eſt quo magis cacochymia invaluerit, quoniam in ea corporis & affecta conſtitutione parum firmæ eſſe ſolent vires: quà ratione, niſi venæ ſupra modum plenæ ſint, graveque periculum impendeat, aut rei ſors ſe habeat, ut mox diximus, ſanguinis mittendi vicaria erit levis expurgatio, eaque frequenter iterata, & maximè ſi æger v. ſ. perhorreſcat: At ſi ſors tulerit ut pares vires plenitudinis & cacochymiæ ſortiantur, non, ut nonnulli cenſent, indiſtinctè a quavis licet incipere, ſed conſiderare eo tempore expediet an hæc vaſorum plenitudo obſtructionem efficiat, quæ

quidem duplici ratione ſ. m. præire cogit: tum quia ante purgationem obſtructiones hujuſmodi auferre oportet, quod in caſu poſito ſ. m. commodius fiet: tum vero quia hæc obſtructio purgantibus obeſt medicamentis: namque obſtructione & plenitudine ſtantibus, vis medicamenti permeare nequit, præſertim cum expurgans medicamentum & calore & trahendi facultate humores exagitet & corpus perturbet; quod cum plethoricum ſit, in gravius diſcrimen decidit, quo fit ut v. ſ. præmitti omnino debeat, id etiam Gal. aſſerente l. 2. ad Glauc. c. ult. Qui ab eo ſumere exordium jubet ſine quo alterum tuto exequi non valemus, Neque id adhuc ſat eſt, ſed excogitare etiam expedit an ex hujuſmodi plenitudine & cacochymia febris ſuboriatur, hoc enim nobis certius præmittendi ſanguinem indicium præſtat, niſi quid ex his obſtiterit quæ Galenus recenſet, nam imminutâ plenitudine, quæcunque putrida, aut aliter inquinata ſuperſunt per convenientem regionem facilius deinceps haurire licebit: In aliis verò dum par eſt utrumque vitium, & febris non adeſt, haud abs re fuerit à quovis initium ſumere, dummodo alterum non ſit magis morbi cauſa quam reliquum, nam eo tempore à potiori morbi cauſa curationis principium ſumere oportet. *Mercatus de Præſid. lib. 1. c. 7.*

LV. Miſſio ſanguinis quantò maturior, tantò utilior, ac proinde initio prima & maxima ejus occaſio eſt: Quare errant quam maxime qui curationes ſemper inchoant à purgatione, hancque miſſioni ſanguinis præponere ſtudent. levi quacunque ſuſpicione cruditatum: Certè veriſſimum eſt crudorum abundantiam in ventre, impedimento eſſe miſſioni ſanguinis, quia à recens inanitis venis rapiuntur inde, rapta verò, aut in anguſtas impingentia vias, obſtructiones viſcerum faciunt, aut in latiores etiam deducta totum corpus crudis replent, & vitiant ſanguinem, aut faciunt utrumque: oportet vero haud dubiè hæc coqui, aut vacuari, antequam mittatur ſanguis: Qua cauſa illi, nulla alia ratione fidentes fieri poſſe ut cruda à ventre abſint, ſemper ante m. ſ. expurgant; cum tamen Hippocrati in ſatietate manifeſta (1. de vict. acut. 41. & 4. 36.) videretur ſatis diem unum ſine cibo tranſigere aut clyſtere uti: unde alii ferè jam omnes, nunquam non unam aut duas horas ante m. ſ. clyſtere inteſtina evacuare ſtudent, ne ſcil. fæcum tenues partes deductæ vitient ſanguinem: Quod etſi tolerabilius eſt quam purgando totum corpus plenis adhuc vaſis commovere, tamen præterquam quod ubi plena manifeſte inteſtina non ſentiuntur, neque pondus in illis ullum eſt, fruſtra tentatur, non caret noxâ, atque adeo aliquando maximâ: Multis enim à recens accepto medicamento non ſatis vacuatis; in ipſa miſſione ſanguinis turbatur alvus, & ante tempus animo linquuntur, quod ipſam miſſionem impedit & vires plurimum exolvit. Quâ causâ ego, niſi cum peculiaris & manifeſta neceſſitas illius incumbit. ut cum dictorum aliquid eſt, tali clyſtere non utor, atque ſi utendum eſt, non prope ipſam miſſionem, ſed multo ante; quò ſcil. motus quem ciet jam conquieverit, cum præcipuè ſoleat ſola ipſa ſ. m. ſuccos corporis commovere, qui non tarò ſponte in ventrem feruntur: Is ergo motus accedens priori, quem clyſter civerat, fit nimius, & ante finitam miſſionem ſanguinis dicta affert pericula: Quare ego multò conſultius puto, ubi facultatis debilitas non obſtat, mox a m. ſ. clyſtere uti, quo, re jam circa miſſionem bene geſtâ, quod per eam motum exagitatumque eſt, trahatur in inteſtina, per quæ & evacuetur: Quod ſæpe vidimus adeo feliciter cedere, ut vacuatus ſimul & expurgatus ſine pharmaco homo ſit, Conſtet autem virtus, ſi enim neque gravata manifeſte inteſtina ſint, neque virtus abunde firma, nullo, neque ante, neque poſt, clyſtere utar, ſola miſſione ſanguinis ea die contentus. *Valleſius meth. medic. lib. 4. cap. 2.*

LVI. Senilem ætatem non prohibere v. ſ. ſtatuit Galen. de cur. rat. per ſ. m. c. 13. Septuagenariis, *inquit*, modo dicti adſint pulſus, ſi affectus jubeat, venam ſecabis: ſunt enim quidam & in hac ætate multi ſanguinis, vireſque habent robuſtas: ſicut alii ſicci, & pauci ſanguinis, & facile areſcentes quavis percuſſa parte: Itaque non numero annorum ſolummodo animum advertes, quod quidam faciunt, ſed & corporis habitui: nam ſunt qui lx. ætatis anno v. ſ. non ferant, cum quidam qui lxx. nati ſunt annos perferant, verumtamen minus utique his detrahes, etiamſi eandem habere affectionem, quam florens corpus appareant: *Hæc Galenus*: Si igitur validus Senex pleuritide, peripneumonia, febre ardente, aut ejuſmodi morbis affligatur, dubium non eſt illi poſſe & debere mitti ſanguinem, cum vix abſque illis remediis ejuſmodi morbi unquam curari poſſint: quod ſi ad remedia perferenda non ſufficiunt, neceſſario illis fuerit pereundum, ſicque morbi omnes in ſenibus lethales forent: Vidi hominem cui annum agenti lxxiij. quater intra triduum vena ſecta fuit, & vacuatæ fuerunt ſanguinis unciæ ad minimum xxx. Rhazes quoque in ætate decrepitâ, quæ gravi pleuritide torquebatur, ſanguinem eduxit. *Primiroſius Error. Popul. l. 4. c. 23.* Adducendus hoc loco elegans *Celſi*, de ætatibus Antiqui primam ultimamque ætatem ſu- „
ſtinere non poſſe hoc remedii genus judicabant, „
Sed intereſt, non quæ ætas ſit, ſed quæ vires ſint: Er- „
go ſi juvenis imbecillus eſt male ſanguis emitti- „
tur; emoritur enim vis ſi quæ ſupererat, & hoc „
modo erepta eſt: At firmus puer, & robuſtus ſe- „
nex tuto curantur: Maxime tamen in his Medicus „
imperitus falli poteſt, quia ferè minus roboris il- „
lis ætatibus ſubeſt. „

LVII. Exorta inter duos Medicos lite, Junior ſenem ſeptuagenarium, cephalalgiâ laborantem phlebotomia curandum eſſe alta voce clamabat, pulſui magno & inflatis venis animum adhibens: Senior pulſum flatu plenum, & ſic fallacem eſſe prædicabat: At adſtantes junioris eloquentiâ ducti, conſentiunt: aperta vena, juniore pulſum tangente, cum aliquantulum ſanguinis emanaret, in ipſo v. ſ. actu æger animo deficiens emoritur. *Zacutus med. Princ. hiſtor. l. 1. hiſt. 5. Praxis admir. lib. 3. Obſ. 55.*

LVIII. Neque metuendum hoc genus præſidii in tenella ætate, præſente morbi magnitudine, cum ſæpius ego, ſecta quinetiam vena, ſ. m. præſcripſerim, & quidem primo ex ſalvatella ejuſdem lateris puero decem annorum, pleuritide graviſſima laboranti, qui hoc præſidio ſub veſperam ſequenti die fuit liberatus & omnino convaluit: Quo præſidio etiam uſus ſum in aliis pueris angina laborantibus, hac ratione adductus & propria experientia, quod quamplurimis pueris trium quatuor, vel quinque annorum, vulneratis aut ſaxo, aut cultello, vel aliquo alio inſtrumento, ſanguinis libra effluxerit aliquando: atque illi potiſſimum cui ex ſecta arteria

muſcu-

muſculi temporalis magna vis ſanguinis erupit: quem tamen juxta cum aliis ſanavi citra ullum in facultate auctrice detrimentum; quinimo ipſorum aliquos novi adhuc num ſuperſtites, robuſtos, pingues & carnoſos: ut propterea in morbis cum vitæ diſcrimine; præſente indicatione v. ſ. hoc præſidium non ſit formidandum. *Matchetti Obſervat.* 6. Sed omnem fidem ſuperat audacia junioris Chirurgi Pariſienſis: Neocomi Helvetiorum Medicinam dum facerem, Sed urbe ægrotorum cauſa abeſſem, puellus obeſus, optimæ conſtitutionis, decem ſeptimanas natus, ſed qui omnium indicio anniculus credebatur, pleuritide ſæva corripitur; Illius indicia dabant tuſſis vehemens, febris acuta, & quod cum in cunis reponebatur, aut ab iis efferebatur, ſub ulnis correptus, atque ubi vel leviter in latere dextro tangebatur, & poſtquam tuſſiverat, vehementiſſime ejulabat, cum difficili reſpiratione: Temerarius inquam, ſed felix Chirurgus, hirudines duas flexuræ brachii dextri admovet, atque circiter ſanguinis uncias duas eduxit; quod præſidium tantæ fuit efficaciæ, ut omnino liber a funeſtiſſimo morbo eadem die evaſerit. Sed quamvis ſemel atque iterum bene ceſſerit ſanguinis miſſio, ob robur ægrotantium, non tamen ſtatim in exemplum trahi debet: Climata frigidiora omnino non admittunt, Neque in calidioribus regionibus ſemper bene cedere ait *Victor Trincavella* de cur. affect. l. 2. cap. 10. qui refert Venetiis & Patavii Medicos quoſdam teneris infantibus venam aperuiſſe, at ſæpe malum eventum ſequutum: Quare ſicubi prudentia, hic certè ſummè neceſſaria eſt.

LIX. Ἰδιοσυγκρασία & ſingularis naturæ proprietas facit quod nonnulli facile quancunque ſ. m. nonnulli nec largam, nec mediocrem quidem ferant: imo ad ejus, vel levem mentionem expaveſcant & animum deſpondeant, præcipue illi qui alias facile λειποψυχοῦσι: meminit horum *Galen.* 1. aph. 23. Novi ſunt qui in ſumma ſanguinis mittendi neceſſitate, cum de operatione cogitabatur, tremebant artus, neſcii quid agebant, juſſi brachium extendere, attrahebant & contra, juſſi oculos avertere, aliter ſe gerebant; ita ut pileum faciei admovere cogerentur adſtantes, imo vix ſine animi deliquio negotium potuerit expediri; Id συγγενὲς familiæ Ducum de Biron in Gallia: Dux Bironius Mareſchallus Galliæ, febri ardente decumbens, cum tandem pertinaſus venæ ſectionem admitteret, incidit in animi deliquium, vir aſſuetus bello & famoſiſſimis regiis victoriis clariſſimus: Nobilis [illegible] conſentit in ſanguinis miſſionem, familiæ ſuæ hæreditaria ſucceſſione teſtificam: Vix ſanguis videbat lucem, accedens ſyncope ſpem nullius noxæ factam à Medicis eludit. *Guern. Rolfinccius meth. gener. l. 4. ſect. 2. c. 4.*

LX. D. N. dum Lutetiæ degeret, aliorum exemplo verno tempore ſibi venam tundi curavit, nullo licet morbo detineretur: ſed ſtatim capitis tremore correptus fuit, quo per annum laboravit: inanitione enim nimia, & non neceſſaria, (cum ſanguis nullus ſuperfluus in eo eſſet) natura debilitata valde fuerat. *P. Borellus centur. 2. Obſerv. 45.*

LXI. Qui quantitatem ſanguinis emittendi determinare habet in animo, Regionem, ceu ſignum virtutis & plenitudinis corporis conſiderare tenetur: In calidis locis, meridiei vicinis, minus æquiori animo fertur v. ſ. larga, quam in mediis climatibus: Galli, præſertim Pariſienſes, in febribus acutis largiſſimas habent in uſu: Licentioſam hanc profuſionem defendit *Riolanus* l. de circul. c. 26. In morbis à plethora, & Febribus continuis acutis, putridis ardentibus, non eſſe parcendum ſtatuit, ſed ſpatio xiv. dierum demi poſſe dimidium: Non poſſum, inquit, abſque commiſeratione ægrotum & Medici deteſtatione legere in obſervationibus *Plateri* hiſtorias ægrorum qui febribus ardentibus correpti fuere, abſque v. ſ. Cenſet etiam eos qui evaſere ſanitatem recuperaſſe, non ope Medici, ſed fati beneficio: In Variolis, morbillis, Petechiis, non exiſtimant v. ſ. retardare iſtam excretionem, vel impedire aut avertere: In aliis morbis [illegible], iiſque gravioribus, metus & periculi plenis, ut apoplexia, phrenitide, pleuritide, arthritide, podagra &c. animoſi ſunt utrique in venæ ſectiones heroicas: Frigidiores regiones, Septentrioni viciniores, tam largas ſanguinis depletiones æquo ferre non videntur animo, ſive febres ſint continuæ, acutæ, ſeu intermittentes, Docuit experientia, conſilio Gallorum Medicorum, Cum Sereniſſ. *Dux Longavillus*, Regis Galliæ, & *Panner*, Regii Suecici exercitus Generales, anno 1640. æſtate media caſtra metarentur ad Salveldiæ in Thuringia urbem, largas in Illuſtr. perſonis imperatas venæ ſectiones non reſpondiſſe ex voto. Quamvis largæ miſſiones ſanguinis confirmari queant in noſtris oris portentoſis exemplis ſpontanearum hæmorrhagiarum: uno ad ℔x. unius diei curriculo, adnotato a Rulando; altero ad ℔xv. in puero decem annorum, tertiana dupliei laborante, intra ſpatium unius menſis, notato a *T. Duno* miſcell. med. c. 11. in quibus tamen nullus funeſtus exitus, Tutius tamen eſt iiſdem non fidere & in medio conſiſtere. *Rolfinccius meth. gen. l. 4. ſect. 2. c. 11.* Haud abs re ſubjicere ea quæ *Zacutus* lib. Obſervat. de ſanguine Hiſpanorum & Germanorum tradit, cognitu & notatu digniſſima, In corporibus Hiſpanorum abundare ſanguinem craſſum, ſucculentum ac compactum, ut ſi febri continua corripiantur, ni larga ſanguinis miſſio interveniat, omnes moriantur: E contra Germanorum corpora conferta ſanguine crudo aquoſo, non bene firmo; Si in febribus ſanguis Hiſpano miſſus fluidus, aquoſus non concreſcat, indubium indicium, etiam idiotis cognitum, omnes mori, quia fibræ ejus ſint corruptæ ac diſſolutæ: In Germania autem, non tantum in morbis malignis, ſed & in ſalubrioribus, & valetudinariis, ſanguinem fluidum & aquoſum, eſſe expertem omnis periculi: Exin contingit ut Germani largiorem imprimis ſanguinis miſſionem difficulter ferant, quod eorum ſanguis minus ſpirituoſus, Cum teſtis experientia, ſi in ſanitatis ſtatu, præſervandi tantum cauſa, vena ſecetur, ſæpius ſanguine adhuc fluente in graves incidant leipothymias, multo magis id verendum in febribus continuis: Cum & Italorum Natura ab Hiſpanorum conſtitutione haud multum diſtet, Gallorum autem complexio ignea, hinc majori opus per v. ſ. eventilatione. *A. Thonerus Obſ. 33. lib. 1.*

LXII. Ridiculum eſt quod quidam a ſeptima hora ad duodecimam tantum ſanguinem emittant; Imo ait Galen. l. de ſang. miſſ. c. 10. Ne per noctem ſanguinem trahere verearis: Imo quocunque die ſcopos mittendi ſanguinem inveneris, facito; etiamſi is viceſimus ab initio extiterit, modo vires annuant. *Et cap.* 11. Quavis diei ac noctis hora venam pertundi jubet, modo per febres id fiat in paroxyſmorũ remiſſione. *Heurnius m. ad Pr. l. 3. c. 9.*

LXIII. Plurimum in morbis judicandis tribuunt venarum pulſui; qui ſi imbecilli exiguique fuerint, mortem plerumque denuntiant: ſin contra magni & pleniores, ſalutis ſpem afferunt: Nos tamen quendam vidimus, hominem corpulentum & ebrioſum, cujus pulſus, dum languens in lecto jaceret, ita parvus & exilis erat, ut cum à Medico percipi vix poſſet, facile crederes mortem inſtare, ni facies rubicundior, oculi, dentes, & venæ pleniores judicio præſentis Medici obſtitiſſent: Quare tanti mali cauſam diligentiùs perquirens, judico id ob nimiam ſaturitatem ſanguiniſque abundantiam fieri, nullumque opportunius adhiberi poſſe auxilium quam ſanguinis ipſius celerrimam miſſionem: Sed obſtabant cognati atque amici, verentes ne hujuſcemodi præſidium hominem celerius occideret: inſtanti tamen mihi, ac certam, ſi id fieri permitteret, ſalutem pollicenti, tandem acquieverunt: Quare accerſito ſtatim miniſtro ſanguis mittitur: nec mora, pulſus ſimul & vires tam celeriter redeunt ut feſtinantior adfuerit ipſa ſanitas quàm mors, quæ præ foribus excubare viſa eſt, adfutura crederetur: *Benevenius abdit. cap. 69.*

LXIV. Rectè *Fernelius* l. 2. de ſ. m. cap. 4. *Neque imperitorum more, ſi vel nares ſtillant ſanguinem, vel urina rubicunda ſeſe efferunt, protinus imperanda v. ſ. Etenim facile ſanguis prorumpit non ex plenitudine ſolum, quodque eam vacuationem moliatur natura, ſed aliis compluribus ex cauſis: Quibus enim exeſa ſunt venarum oſcula, quibus etiam viſcera, præſertimque jecur imbecillam vel ſcirrhoſam evaſit, iis ſanguis ſæpe fluit è naribus, haud ſecus atque hydropicis.*

LXV. Quando Cruor in patina refrixit, tunc illa qua in fundo reſidet particula multo nigrior apparet quam quæ exiſtit in ipſa ſuperficie ſumma, Equidem communis eſt ſententia nigricantem illum ſanguinem eſſe ſanguinem melancholicum, & hunc etiam tanquam exemplo uti ſolent monſtraturi melancholicum humorem (uti vocatur) una cum reliquis tribus ſanguinis intrare compoſitionem; At vero *Fracaſſatus* colorem iſtum nigricantem, exinde quod ſanguis qui eſt in fundo patinæ aeri non ſit expoſitus, non vero ex ulla melancholiæ miſtura eſſe contendit: Quod ut confirmet mutare ipſum colorem dicit, fierique clarum & rubrum ſi aeri exponatur. *Ex Actis Regiæ ſocietatis Angl. p. 153. Anni 1667.*

LXV. *a* Quia ſanguis qui per nares effunditur fluidus & rubore ſplendido ſaturatus apparet, vulgo creditur purior & ſincerior reliquo: rationem ſubdunt, quia per vaſa exiliſſima profunditur, quæ (inquiunt) craſſiorem ſanguinem non admittunt, Verum tota ſanguinis maſſa, cum omnibus, ex quibus conſtat, humoribus percolatur, ſaltem in hepate, ex omnium conſenſu (quod debuiſſent advertere Medici veteris hypotheſeos defenſores, qui etiam docent per hæmorrhoidas craſſiorem ſanguinem evacuari, & è vaſis capillaribus exilire) Si dicant à turgente & fermenteſcente vehementius ſanguine exilia illa vaſa dilatari, cur non dicunt idem de vaſis narium? Qui præterea ab hæmorrhoidibus effluit ſanguis, interdum non minus eſt ſplendidus & rubicundus quam qui è naribus ſtillat: Igitur nec rubor ſaturatus ſanguinis, nec vaſorum per quæ profunditur exilitas evincunt ſanguinem eſſe puriorem reliquo: Cauſam ſaturati ruboris facile inveniemus, ſi advertamus quæ contingunt ſanguini circa colorem, prout hoc vel illo modo fluit, è vaſis his aut illis: Sanguis qui ex arteria ſecta funditur, cæteris paribus ſplendidior & rubicundior eſt quam qui ex vena: Sanguis etiam undecunque guttatim ſtillans rubicundior eſt quam ſi per amplum foramen affatim exiliat: Sanguis in pelvim latam effuſus inſigniter rubet; ſi ex eadem vena & foramine fluens vaſe anguſto & profundo excipiatur, magis ad nigrum vergit: Denique ſi ſanguis mox extra ſua vaſa effuſus in loco frigido excipiatur, rubicundior evadit, ſi in calido nigrior; Sic ſanguis qui ex internis hæmorrhoidibus fluit, ſi in recto inteſtino retineatur, nigrior apparet; ſi ſtatim foras exiliat, rubicundior, niſi cauſa aliqua ſpecialis obſtet: Ex his evidenter colligitur ſanguinem quoties ſubito refrigeratur rubicundiorem evadere: quoties ſenſim refrigeſcit, nigriorem; citius autem refrigeratur quoties paucus effluit, quia ambienti frigido minus reſiſtit quam quando multus: citius refrigeratur quando excipitur pelvi lata quam vaſe anguſto & profundo; Ex his reliqua patent: Non igitur quia purior eſt ſanguis qui è naribus effluit ideo rubicundior apparet, ſed quia ſubito refrigeratur: Quid poſſit ad colorum varietatem celeritas aut tarditas refrigerationis, obſervare licet in chalybe cum temperatur, ſi enim candens, aut intenſe calida chalybis lamina per frigidum aerem celeriter admodum moveatur, ſubrubrum induit colorem; ſi minus celeriter, colorem qui ad flavum vergit; ſi adhuc minus celeriter, cœruleo colore tingitur; ſi tardiſſime, naturalem chalybis colorem recipit; prout enim corpora intenſe calida citius aut tardius refrigerantur, inſenſiles, ex quibus conſtant, particulæ, aliter atque aliter diſponuntur, & varie modificant lucem quam reflectunt, in qua modificatione conſiſtit color. Non ſola refrigerationis celeritas efficit ſaturatiorem refrigerationem ſanguinis, ſed etiam motus particularum aeris, quæ ſuperficiem ſanguinis lambendo, & extantes particulas deprimendo, eam magis lævem, denſam, ac terſam reddunt, ſicque efficiunt ut ejus rubor ſit ſplendidior, ob majorem lucis reflexionem: Sic lignum rubeo colore tinctum rubicundior apparet poſtquam eſt lævigatum expolitumque convenientis inſtrumenti preſſione: Ea de cauſa qui in ſummo vaſculi ſubniger erat ſanguis, ſi aëri exponatur ſaturatiorem & ſplendidiorem colorem induit, quia ſçil. ſparſæ & eminentes illius particulæ deprimuntur comprimunturque in pelliculam denſam, quæ plus lucis reflectit quam ſanguis idem cum ejus particulæ erant laxæ & minus cohærentes, quia tunc magna pars lucis in partium interſtitia penetrabat, nec reflectebatur, reliqua in partes molles incidens reſiliebat diminuto impetu. *Fr. Bayle Problem. Med.* 1.

LXV. *b* Ex præcedenti problemate facile intelligitur ſubitam mutationem à caliditate ad frigiditatem, & appulſum aëris, eſſe cauſas ruboris quo ſanguis effuſus ſplendet: Hinc ſequitur quoties rubet ſanguis, majorem & magis ſubitam mutationem ſubiiſſe, Quod bifariam contingit, aut quia ſanguis eſt fervidior, aut quia aër ambiens eſt frigidior; In pari itaque ambientis temperie, cæteris etiam paribus, ſanguinis rubor inſignis inſignem illius caliditatem teſtatur: fluidus itaque ſanguinis rubor non eſt certum malignitatis indicium: Si tamen horrenda ſymptomata febrem comitentur, qualia nonniſi putredo inſignis poteſt producere, cum hic ex colore ſanguinis non poſſit deduci ejuſdem putredo, gravia illa ſym-

promata

promate in malignum aliquid ſunt referenda. *Idem.*

L X V. *c* Ad probandum ſanguinis elementa eſſe quatuor vulgatos humores, ſanguinem ſcil. in ſpecie dictum, bilem, melancholiam, pituitam, nonnulli argumentum deſumunt ex varietate colorum in variis partibus ſanguinis in vaſculo refrigerati; Aſſerunt enim quod in parte ſuprema effloreſcit eſſe Bilem, quæ, ignea cum ſit, ſumma petit propter levitatem; quod ſequitur eſſe ſanguinem, qui calidus & humidus cum ſit, analogiam habet cum aëre infra illum conſiſtere melancholiam, quæ cum ſit natura terreſtris ad infimum locum ſua gravitate deſcendit: Pituitam, quæ aquæ naturam refert, ajunt miſceri cum melancholia, vt aqua cum terra facile permiſcetur: Colore ajunt adhuc magis ſe prodere memoratos humores, præcipue ſanguinem & melancholiam: illius manifeſtum indicium eſſe ruborem ſplendidum, hujus colorem ſubnigrum: Profecto qui ita ſentiunt præclare accommodant hæc phænomena ſuis hypotheſibus: At ex dictis evidens eſt ſupremam ſanguinis partem eſſe rubram, quia citiſſime refrigeratur, & immediate magis afficitur aëris appulſu, infimam vero eſſe ſubnigram, quia ſenſim refrigeratur, & aër nonniſi remote in ipſum agit: Quapropter ex arbitrio Chirurgi dependet, vt totus qui è ſecta quacunque vena profunditur ſanguis, intenſe ruber appareat, ſcil. ſi in lata pelvi excipiatur: Contra vero idem ſanguis totus ſubniger apparebit, ſi in vaſculum fluat anguſtum & profundum, aut ſi in loco calido ſinatur concreſcere, ſic ſanguis haberi fere tota poteſt melancholia, aut totus ſanguis in ſpecie dictus, prout hoc aut illo modo reſtrixerit: Itaque inane argumentum eſt à colore variatum partium ſanguinis in vaſculo refrigerati deſumptum, ad probandum ipſius elementa eſſe quatuor vulgatos humores. *Idem.* Vide ſupra §. 65.

L X V. *d* Nec ſemper ex *mutato colore* licet inferre eſſe mutatam ſubſtantiam aut corruptam, multa enim videmus corpora colorem mutare ſine ſenſibili præcipuarum facultatum detrimento, cum eaſdem quas antea edant actiones & cum eodem robore: Ac in liquoribus heterogeneis vix induci poteſt color à conſueto multum diverſus quin magnam ſubierint mutationem, præcipue ſi ex eorum genere ſint qui facillime alterantur, ob actionem mutuam partium ipſos conſtituentium, ſive partes illæ ad agendum in ſocias determinentur ab agentibus externis, ſive extraneorum corpuſculorum miſtione ad divortium concitentur, quibus modis tum ſanguis tum lac facillime mutantur, partium componentium varias hinc ſecretiones inde concretiones patiuntur; hinc ſecedit quod tenue eſt & magis fluidum, illic coit quod eſt magis craſſum: quæ omnia vix poſſunt contingere quin aliqua fiat in colore mutatio, vixque poteſt ſanguis talem ſubire mutationem quin hæc præceſſerint: Ea de cauſa an & quanta ſit putredo in ſanguine ex ejus colore indicari poſſe videtur: Porro color lividus aut niger, tum in ſanguine, tum in carnibus putredinem vel fientem vel factam deſignant, vt in gangræna & ſphacelo licet obſervare; Et quamvis pus ſit ſoboles ſanguinis, aut carnis certo modo putreſcentium, non tamen ante illa in pus mutantur quam in ſaniem ſublividam abierint: Putredo conſiſtit in partium ab invicem diſſolutione, vt diffluant, aut vt proxime ſint aptæ ad diffluendum: Putredo, inquam, proprie dicta, quæ in animalium corporibus fit: Partium ejuſmodi diſſolutio nigrorem habet neceſſario comitem, diſſipatis partibus quæ lucem fortius aut vberius reflectunt, aut iiſdem mollioribus factis: Cum itaque ſanguis apparet niger, non ſolum in fundo vaſculi, ob cauſas in præcedentibus (§. 65. a) recenſitas, ſed etiam in ipſa ſuperficie, vbi ob propriam conſtitutionem ex ſubita refrigeratione & aëris appulſu debuiſſet eſſe ruber, certo ſignificatur ſubeſſe quandam putredinem: Si præterquam quod nigrior eſt ſanguis, adhuc non concreſcat, diffuſa per totam maſſam putredo ſignificatur, corruptis fibris quarum ope ſanguis concreſcit: Si in ſuperficie ſanguis appareat hic ruber, illic ad lividum vergat, hic ad pallidum, illic ad citrinum &c. magna ad putreſcendum diſpoſitio ſignificatur: Nec enim poteſt illa colorum varietas contingere quia multa & aliena, & diverſa ſint ſanguinis maſſæ permiſta, quæ dum mutuo invicem agunt, ſanguinis maſſam corrumpunt; Innumera ſunt circa colorem & conſiſtentiam ſanguinis inquirenda, quorum notitia eſt ſumme neceſſaria ad morbos & cauſas morbificas dignoſcendas. *Idem Probl. 6.*

L X V. *e* Quando ſanguis è vena ſecta in aquam effunditur, pars illa quæ toti maſſæ ruborem conciliat, a reliquis ſeparatur, & aquæ permiſcetur, reliquum, aut ejus magna pars, in fibras plerumque albicantes concreſcit: In ejuſmodi fibras abire putant aliqui quod in ſanguine pituitoſum eſt, aut ipſam pituitam: Pituitam eſſe continuo ſanguini permiſtam negari non poteſt, cum etiam in ſanis pituitoſum aliquid perpetuo è cerebro ſtillet in fauces, indeque in ventriculum: At filamenta illa in aqua concreſcentia eſſe meram pituitam vix adducor vt credam, ſed potius putarim eam eſſe ſanguinis partem quæ in ſolidarum partium ſubſtantiam ſit abitura; eſt enim vtraque alba: Argumento eſt etiam quod quibus firmiores ſunt carnes, copioſioreſque, & corpus robuſtius, in iis copioſior eſt fibroſa illa ſanguinis portio: In macilentis, in quibus ſanguis eſt acrior, aut corruptus, minor eſt illarum fibrarum copia: Itaque ex fibris illis albicantibus nullatenus inferri poteſt ſanguinem eſſe pituitoſum, ſed eum habere majorem aut minorem conſiſtentiam, prout fibræ illæ magis aut minus abundant: Ex colore præterea illarum fibrarum inferri poteſt an ſanguis ad conſtitutionem bilioſam, pituitoſum aut melancholicam vergat: Sic olim *Hippocrates* ex pannis menſtruatæ mulieris, abſterſa parte ſanguinis rubra, an ſanguis eſſet bilioſus &c. cognoſcebat: *Idem Problem. 7.*

L X V I. *Mucaginem* rubicundiori ſanguini ſupernatantem non putamus ſemper eſſe pituitam excrementitiam, ſed potius partem ſanguinis crudam è chylo elaboratam, non dum autem ſatis coctam, & ad eam, quam habere debebat, perfectionem deductam, quæ autem repetita ſanguinis circulatione adhuc debeat perfici: *Ariſtoteles* ipſe iſtam muccaginem vocat partem ſanguinis crudam & incoctam: *Harvæus* lib. de gener. anim. p. [illegible] ait iſtam partem in calidioribus & robuſtis animalibus, veluti equis, bobus, & hominibus vivida quoque conſtitutione præditis, reperiri & ſupernatare inſtar gelatinæ cujuſdam cervinæ ſeu albuminis ovi craſſioris: Eum autem non pro crudiore

& frigidiore ſanguinis parte æſtimat, ſed pro magis ſpiritali, quum in ſanguine coagulato floridæ & rutilanti parti ſupernatet, & abundet potiſſimum in hominibus calidæ temperaturæ, robuſtis & toroſis, prodeatque in venæ ſectione majori cum impetu: Interdum hanc gelatinam ſubſtratam vidimus parti rutilanti: Verum ex diligenti per multos annos ſanguinis emiſſi inſpectione, nosſolummodo obſervavimus quod iſta mucago in patte viventibus, bonaque temperatura præditis non deprehendatur, crebrius autem in iis qui crapulæ indulgent, & viſcerum calore debiliore ſunt præditi; inde in phlegmaticis & ſenibus fere ſemper obſervatur: E venis capitis nunquam talem muccaginem effluentem vidimus, crebrius è venis brachii; E pedum autem venis crebettime & in majori copia: In iis etiam interdum deprehenditur qui optimæ ſunt conſtitutionis, ratio autem eſt, quod iſti ex vehementia appetitus bene comedant, & interdum plusquam vt natura omne ſtatim in bonum alimentum vertere queat, vnde pars manet crudior, quæ autem ſuccedente crebriore per cor circulatione, imprimis ſi ſimul parcior diæta ſubſequatur, in bonum mutatur ſanguinem: vt adeo certum ſit hanc gelatinam eſſe partes chyli nondum ſatis in cordis officina coctas. *Moebius Fundam. Phyſiolog. cap. 13. p. 222.*

L X V I I. Sanguis omni protſus pinguedine, vel ea ex parte carens, non magnopere commendabilis eſt: Ejus copia carnoſa, vnctuoſitas pinguia, & macies emaciata corpora conſtituit: Hæc judicium noſtrum confirmare poſſunt, quoties poſt v. ſ. ex ſanguine ſigna ſunt ſumenda: Quæ enim ſuperior ejus pars male plurimis pituita ſanguinis, adeoque vitioſa portio habetur, ſæpe optimus ſanguis eſt: Hoc igne dignoſci poteſt, nam pinguedo ſi ſit, flammam excitat; ſi vero phlegma tunc crepare ſolet. *Barbette Anatom. Practic. cap. 13.*

L X V I I I. Sangnis venæ ſectione depromptus ſæpius poſt aliquod horarum ſpatium valde ſiccus, & omni ſero deſtitutus apparet, quod plerumque nimio ſuo calori aut aduſtioni adſcribitur; At vacillat maxime hæc ratio, quod ſi enim eadem die, eadem vena, aut etiam alia aperiatur iterum, in ſanguine educto ſeri magna ſatis copia reperietur: Cauſa adeoque vera in Motu ſanguinis circulari, imprimis vero in vaſis lymphaticis quærenda eſt, quæ tunc temporis ſerum & humiditatem attrahunt, & ſanguinem ſicciorem reddunt. *Idem ibidem cap. 14.*

L X I X. Sed hoc exoptandum quod illi qui venam ſecant, circa ſanguinis vncias, quas ægro detrahunt, accuratiorem conjecturam facere poſſent, ne loco ſex aut octo vnciarum præſcriptarum, xij. xvj. xviij. imo xxij. vnciæ reperiantur: Sed vt turpiſſimus hic error avertatur, cuperem ſtanneas aut æreas pelves concinnari, in quibus vnciæ eſſent ſignatæ, ſed Chirurgi rerum periti iis minime indigent, proba ſcientes ſanguinem in ſeipſo multo ponderoſiorem eſſe quam externe appareat. *P. Barbette Cherurg. Part. 1. cap. x.*

L X I X. *a* Quare *lato vena foramine* ſ. m. magis refrigerat *quam anguſto*, nulla pari ſanguinis quantitate? Quia profuſo per latum foramen ſanguine magis ſubita fit in corpore mutatio: quia ſcil. major fit ſanguinis ad cor refluentis ſubductio, vnde minor ſequitur ſanguinis in totum corpus influxus à corde, hinc ſingularum partium perfrigeratio: Adde quod celerem illam ſanguinis ſubductionem ſequitur triſtis in corde ſenſatio, illius proinde anguſtia, minor ſanguinis efferveſcentia, ejus prohibita expanſione, quæ omnia in corde & toto corpore calorem minuunt: Adde quod celeri & confertim facta vacuatione ſanguinis, magis promovetur tranſpiratio quam lenta: Hinc concludo v. ſ. lato venæ foramine factam magis refrigerare, non quia craſſior ſanguis effunditur, ſed quia cito effluit: Sanguis enim craſſus æque profunditur per anguſtum foramen ac per magnum (cum nemo negaverit per venas capillares totum ſanguinem percolari, vnde nunquam tam exiguum fiet foramen, quin ejus latitudo non ſuperet amplitudinem venarum capillarium) ſed tardius, quod ſubtiliori etiam commune eſt: Miror eos qui aliter ſentiant non advertiſſe in ſua hypotheſi, tenuiorem ſanguinem eſſe fervidiorem, quo proinde per anguſtum foramen emiſſo, & craſſo retento, magis deberet corpus refrigerari, quam cum craſſus & minus calidus effunditur. *Fr. Bayle probl. 3.*

L X X. Ipſus obſervavi ſimplex decoctum menthæ criſpæ ita ſanguinis motum circularem ſtitiſſe, vt ne gutta quidem illius ex pede ſtillaret, quamvis ſcalpellum myrtiformem, tertium vel quartum ſatis profunde in pede maxime conſpicuos ſaphenæ ramulus Matronæ adegiſſet Chirurgus vt provitarentur menſes, Cui famula loco ſimplicis aquæ pediluvium paraſſet, in quod aliquot faſciculos menthæ conjecerat: Iubebatur autem parare aliud ex ſimplici aqua, cui Hera pedes vltra malleolos immerſit, tunc iterum vena ad malleolum inciſa ſanguis profiluit: *S. Pauli Quadr. Botan. p. 396.*

L X X I. Etſi neceſſitas vrgeat, ſi cibus receos ingeſtus, parumper v. ſ. differatur donec recens ingeſtorum ſuccus in ſanguinem tranſierit; vaſa enim inanita chymum nonmodo crudum, ſed non raro ſanguini incongruum aut improportionatum in ſe corripient, vnde non ſolum motus ejus perturbator, verum & flamma vitalis nonnunquam obrui periclitatur, Novi quoſdam à V. S. paulo poſt potum pleniorem, aut liquoris vinoſi ingeſtionem adhibita, in leipothymias terribiles incidiſſe, quæ perquam diu, donec ſpiritus vitalis ſeminbrutus denuo emergeret, perduraverunt. *Willis.*

L X X I I. Quamprimum ſanguinis detrahendi quantitas determinatur, proxima tunc cura eſſe debet vt facto orificio largiori, idem æqualiter mixtus tempore citiſſimo effluat: ſecus enim ſi ex foramine exiguo, aut ſtillatim, aut cum virgula minuta exibit, maſſa ſanguinea fermenteſcens in partes ſecedet, quodque ſubtilius & magis ſpirituoſum eſt erumpet, portione craſſiori & fæculenta pone ſubſiſtente: Hinc obſervare eſt ſi quando ſanguis ex orificio amplo, cum fluento pleniori emiſſus, digito appoſito parum ſiſtatur, & paulo poſtea effluere ſinatur, cruor ſecunda vice exiens priori multo purior & ſplendidior evadet: quia nimirum in effluxus intervallo particulæ ſubtiliores, craſſioribus extricatæ, & ſimul agglomeratæ, ſeſe ad

evolandum accinxerunt: quapropter ſi *Hipp.* præceptum, pro ſanguine ad coloris mutationem emittendo obſervandum fuerit, procurare oportet iſte vi cum pleno, & non interrupto fluento citiſſime emittatur. *Willis.*

LXXIII. Qui venam ſecant, obſervare debent valvularum ſitum, apertio enim fieri debet procul ab illis: ſi enim ad ipſam valvulam vena feriatur, citè non profluit ſanguis, aut nullo modo, imo aliquando oriuntur thrombus. *Challovius Tract. de Origine & motu ſanguinis.*

LXXIV Cureturne vena ſecetur prope anaſtomoſin ejus cum arteria; nam ſi hoc fit, ſanguis per totum coccineus impetuoſe exiliet, ejuſque effluxus non facile ſiſtitur, nec vaſis orificium cito occluditur. *Willis.*

LXXV. Primam Sanguinis miſſionem aliqui tanti faciunt ut nonniſi magnis caſibus eam adhiberi velint, quod exiſtiment a magnis morbis poſſe, perinde ac inſolitum primumque remedium, liberare hominem: Cum tamen contra graviſſimi Medici ſcribant magis pati homines ab his quæ inſueta ſunt: Sic *Galen.* 14. *method. cap.* 8. non miſit ſanguinem ſeni, tumore linguæ calido laboranti, quia non erat aſſuetus. Itaque, ajunt, qui venæ ſectionem non eſt expertus, modo vires crebra vacuatione nondum ſint læſæ, eum alacrius & levius illam laturum quam inexpertum: Sed vulgarium hominum ſententiam videtur juvare quod ſcribit *Hippocras.* ..*aphor.* 26. de prima menſium eruptione, & primo coitu, nam inquit *Celſus lib.* 2. *cap.* 1. *Si qua genera morborum in infantia acciderunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in fœmina, primis menſtruis finita ſunt, ferè longa ſunt*: Ita de Epilepſia loquens, *Eam inquit, ſi remedia non ſuſtulerunt in pueris, veneris: in puellis menſtruorum initio tollit. Plinius* quoque *lib.* 8. *cap.* 24. ait, Multa genera morborum primo coitu ſolvi, primoque fœminarum menſe: aut, ſi id non contingat, longinqua fieri, maximeque comitialem: Accedit ad hæc *Hipp.* authoritas, 3. *Epidem. ſect.* 2. *ægr.* 12. *de Virgine Lariſſæa* ſcribens, gravi morbo laborante, ait ſexto die judicatam fuiſſe, nec reperiiſſe, quod certe rarum ac mirum fuit: Sed hoc adſcribit menſibus, qui tunc primum, cum febrem haberet, & jam judicata eſſet, illi erupere; cum alioqui morbus debuiſſet repetere. Itaque non omnino vanum quod de prima ſanguinis miſſione vulgo dicitur. *Rubeas in c.* 10. *lib.* 2 *Celſi.*

LXXVI. Ante v. ſ. horæ mediæ intervallo adſumendum juſculum, ex conſilio *Hippoc. lib. de vlcer. Liberalius autem, aut parcius pranſo & poto venam ſecanda, & leviter calefacto.* Arabes quidam volunt os ventriculi pauco cibo muniendum ac roborandum, præcipue in iis qui ſtomachum debilem, vel os ſenſus acutioris obtinent, aliaque ſunt imbecilles: reſolvitur ab exhauſto ſanguine calor innatus, & bilioſi ſucci, dempto fræno, efferantur, unde deliquia imminent: Præbetur aut panis intinctus in ſucco granatorum, vel aqua ſimplex cum ſaccbar. & ſucco limonum ex calida intemperie imbecilli ventriculo, aut picrocholo: aquæ frigidæ hauſtum præbibunt, & ſic a deliquio, ad quod ob celeres animi motus ſunt proclives, ſe præſervant. Diſſentire videtur *Galenus comment. in lib. de Vlcer.* tanto tempore differre ſectionem ſuadens, quantum ſufficere videtur ad ciborum coctionem & ut excrementa alvi deſcendant. *Rhaſes lib. de v. ſ. Cucurb. &c.* Quoties in ſtomacho cibatium, *inquit*, fuerit non digeſtum, aut per inteſtina excretum, ſponte aut per clyſterem, nulla fiat minutio, ne aliquid attrahatur de eo quod in inteſtinis & ſtomacho eſt, ad epar & meatus ejus, crudum adhuc. Alij incommodum ciborum uſum afferunt, negantes vigere argumentum à virium jactura deſumptum: Non debilitantur omnia a ſanguinis depletione ægrotantium corpora, vel reſolvuntur: Sublevantur ſub plenitudinis vel cacochymia pondere gravata: Aquæ etiam potum rejiciunt ante v. ſ. cum *Avicenna* doceat in eo qui phlebotomatur ſupra vel poſt potum aquæ frigidæ, timeri hydropem propter raptum aquæ in venas. Veritas ſuadere videtur ſtare à partibus commendatorum juſculorum: reficere natura poſſunt in actu præſervationis & curationis: Stationem horum defendere poſſunt ſubſpia &c. Hauſtulus aquæ vel cerevitiæ ſolus, vel poſt ovum ſorbile, nullius noxæ ferax eſt: Ad rationes reſpondeam 1. Non eſſe levem eſſe virium facturam in non aſſuetis & infirmis. 2. Pateret uſus juſculorum, ſuleporum, buccellæ panis vino imbutæ & nullum inferre cruditatis periculum. *Avicenna* loquitur de immoderatu aquæ hauſtu. *Rolfinccius ibid c.* 6.

LXXVII. A recentioribus quibuſdam Medicis diſſeritur quamdiu poſt v. ſ. a cibo abſtinendum ſit. *Galenus* poſt detractum juveni, ſynocho abſque putredine laboranti ſanguinem, duabus horis paululum nutrimenti dedit: Alij dixerunt hora una aut altera à ſanguine miſſo alimentum licere offerre, nec multum: Sed hæc res in conjectura Medici ſita eſt, pro emiſſi ſanguinis copia & virium ægrotantis robore: nam per duas horas *Galenus* moratus eſt, quia copioſe admodum ſanguinem miſit, unde vires imminutæ ſunt & ſpiritus, ita ut animo linqueretur, itaque non erat gravandus tunc cibo ventriculus: Nos autem qui multo parcius mittimus, nec adeo calorem, ſpiritus & vires imminuimus, quod tamdiu moremur nihil eſt: quare hora ſatisfuerit, ubi minus libra ſanguis eſt detractus: dimidia, ubi minus ſelibra: partes enim parum exhauſtæ, & pauci exhauſti ſpiritus, & parva facta eſt humorum agitatio: Accedere etiam corporis habitus debet, magis minuſve ſanguine abundantis, magiſq; & minus denſi. *Rubeus.*

LXXVIII. Quidam cavent ne poſt venam ſectam æger potum ſumat, ſed illum non eſſe noxium, at ſalutarem probat *Amatus Luſitanus*, qui jubet ſtatim aliquid aquæ frigidæ hauriri: Ob venas enim inanitas ſtatim in corpus diſtribuitur, & facilius, citius ac tutius corpus refrigerat.

LXXIX. Medici quidam ſomnum à venæ ſectione prohibent, quia credunt ſanguinem redire ad cor, quod tamen non eſt perpetuo verum, niſi forſan immodica fuerit ſanguinis vacuatio, aut timiditas quæ ſyncopen inducere poſſit: Deinde reditum illum ſanguinis eſſe pernicioſum nulla ſuadet ratio; nam ſolet in ſomno ſanguis redire in præcordia, magna cum naturæ recreatione: In ægris autem qui inſomnes noctes duxerunt, quanto cum beneficio ſomnus accedat omnes norunt, vires enim reparat, humores morbificos coquit, unde ſæpe illius cauſa ad remedia veniendum: Si igitur paulo poſt ſanguinis miſſionem veniat, bonus erit & ut Signum, quia indicat naturam jam oppreſſam recreatam eſſe & naturales functiones perficere: Et ut cauſa, quia ſomno ſuccedente, quod reliquum eſt humoris morbifici natura concoquit: Revera

nocet ſomnus in viſcerum internorum inflammationibus, acceſſionum initijs, morbis peſtilentibus; in alijs vero morbis cur non liceat non video: Scribit *Gal.* ſomnos accedentes criſeos firmitatem indicare; nam contingit interdum ægrum à criſi integram diem dormire, ſi ante diu inſomnis fuerit, magno naturæ ſolatio: imo & in ipſa criſi contingit interdum ægrum dormire: Si igitur poſt alias vacuationes ſomnus ſuccedens juvat, quidni etiam poſt v. ſ. ... dormienti ſi ſalutariter ſanguis mitti poteſt ... nocebit Somnus ſtatim poſt venæ ſectionem ... *Gal. meth. 9. c. 14.* videtur in bonis habere quod ... æger in ſomnum profundum delapſus ſit: Si ... quis, prohiberi ſomnum ne faſcia ſolvatur, id ... eſt, nam diligenti adſtantium cura, & probe facta ... ligatione id prohiberi poteſt. *Primiroſius de Vulg. Err. l. 4. c. 26.*

LXXX. Sæpe quærunt ægri quæ vena brachij aperienda ſit, quia audierint aliquid de diſtributione venarum in brachio, quarum vnam capiti, aliam jecori deſtinant, tertiam faciunt ancipitem, vtrique corporis cavitati proficuam: Eam opinionem recentiores Medici ante claram Anatomiæ cognitionem invexerunt, pluriqne Medici ſequuntur; Certum autem eſt venas omnes brachij, cum ab eodem ramo prodeant, ab ijſdem partibus vacuare, Et quæ capiti dicatur non minus de jecore vacuat quam quæ baſilica dicitur; quamvis cephalica, quia ramulum aliquando à capite recipit, hujus affectibus magis prodeſſe credatur: vtraque tamen æque internorum viſcerum morbis opitulatur & æque de venâ cavâ detrahit ſanguinem; fruſtraque hæc potius quam illa eligitur, ſanguinem enim omnes ab eodem fonte hauriunt: Placuit hæc opinio *Veſalio Anatom. lib. 3. cap. 8. Bauhino in Theatro, Fallopio, Bartholino, Horſtio Tractat. de Scorbuto, & alijs. Primiroſius ibidem cap. 25.* Novorum decretorum ſi conſulatur norma, venarum delectum circulatorius ſanguinis tollit motus: nulla hic ordinis prærogativa, communi omnes venæ fruuntur fato: ſanguis per truncum venæ cavæ ſemper aſcendit, apertiſque venis brachij vel pedis curſum ſuum non immutat: ſed qui detrahitur, manat ab illa ſectæ venæ parte quæ eſt infra vulnus inflictum, illiuſque venæ ſurculi in extremitatibus manus & pedis ſanguinem arterioſum iterum recipiunt: Non deplentur ergo partes affectæ directè: Nullus fructus directè ſperari poteſt ea apertione venæ brachij, vel manus, Cephalicæ, in affectibus capitis, quamvis illa cōjūgatur ſurculo ſingulari cum jugulari externa: Nullus uſus apertionis Baſilicæ in affectibus thoracis, vt pleuritide, quantumvis jungatur thoracicæ ſubi axillis. *Rolfinccius ib. c. 15. & l. de febr.* Perinde eſt quam venam ſeces, modò ſit conſpicua: hac tamen cautela adhibita, ſi partes inferiores laborent, ſecetur vena inferior; Si ſuperiores, ſuperior: Renes alias pro centro corporis in longitudine ponunt, verum hoc melius refertur ad cor: v. ſ. ejuſdem lateris cum parte affecta melius eſt quam oppoſiti; Cauſa latet in arterijs non in venis. *Walaus meth. m. p. 80.*

LXXXI. Venæ Frontis ſectionem proponit *Hipp. 5. aphor. 68.* ſed ante diligenter corpus expurgandum, alias noxia poteſt evadere, cum ſit locale remedium: vir 30. annor. diuturnis capitis doloribus, & epilepticis paroxyſmis vexatus, ea conſilio barbitonſoris ramum illum venæ frontis, qui in aliquibus nonnihil ad ſiniſtram vergit, paſſus eſt ſib incidi nulla præcedente corporis præparatione: Quid fit: Oculus eo momento motum amiſit, fixus, immobilis & clauſus permanſit, inflammatio in eo exorta, dolor capitis exacerbatus, aphonos tandem factus, vixque reſtitutus à Medicis *Baſileenſibus.* Vinculo ſcilicet collo injecto (alias conſpicua non fieret vena) atque arctè conſtricto, ſanguis ex inferioribus, per jugulares, vi ſurſum attractus, ad caput & oculum decubuit: Vinculum itaque tam in ſectione venæ frontis, quam linguæ, cautè injiciendum & conſtringendum. *Hildanus Cent. 5. Obſerv. 18.*

LXXXII. Venæ Sublinguales, ſive Raninæ, ſæpius inciduntur vtiliter in morbis faucium & capitis: Solus *Aurelianus l. 1. acut. c. 12.* improbavit, quod caput impleant & fluxus ſiſti nequeat: Verum eſt in quibuſdam adeo copioſe fluxiſſe ſanguinem vt difficillimè ſiſti potuerit, quod obſervatum in *P. Capucino. Riolanus Enchir. l. 5. c. 5.* Concionatoribus, ſi tonſillarum inflammatione laborant raninas non debemus incidere, frequenter enim inde balbuties ſequitur. *Walaus m. m. p. 158.*

LXXXIII. Antiqui in angina deſperata venas Iugulares aperiebant, Quod remedium, licet à recentiorum quamplurimis etiam comprobatum, noſtris fere temporibus obſolevit, quod periculoſum cenſeatur, ob ſanguinis fluxum, qui difficile cohiberi poteſt ob venarum amplitudinem. Verum experientia docuit non ita periculoſam eſſe hanc operationem ſi debitè adminiſtretur, Primò enim caput ægri ad latus inclinari debet, quantum fieri poteſt, vt mentum ferè humerum attingat, inde vena aperienda ſine ligatura, anguſto foramine, ſecundum illius longitudinem (ſic enim facilius coaleſcit) & extracta ſanguinis q. ſ. caput reducendo ad ſitum naturalem ſanguis plerumque ſponte cohibetur: Securitatis tamen cauſa admovendum Emplaſtr. *Galeni* ex pillis leporinis, aloë, thure & ovi albumine confectum, ſic fluxus certò cohibetur, De ejus efficacia, vide *Trallianum lib. 1. cap. 1. Zacutum Prax. Admir. lib. 1. Obſervat. 89.* & alios. *Lazarus Riverius lib. 6. cap. 7. & lib. 1. cap. 2.* Centies Iugulares aperiendas curavi, non tantum innoxiè, ſed & fœliciter; nec operoſe magis aut periculoſe quam cæteræ venæ ſecantur. *Renatus Moreau ad Th. Bartholinum Cent. 1. Epiſt. 81.* Vide *Riolani Enchirid. p. 132.*

LXXXIV. Rara venæ ſectio in Dorſo, quia partim craſſior ibi cutis, partim venæ obſcuriores, partim denique quia majori emolumento videntur aperiri venæ, ſive jugulares, ſive brachij, quæ communi trunco junguntur: Sunt tamen qui ſuadeant ſectionem, præſertim in affectibus capitis: In tetano aliiſque convulſionibus, & epilepſia, ſecari venam quæ in prima dorſi vertebra conſpicitur clara, author eſt *Rondeletius lib. 1. method. curat. cap. 27.* Nec aliter ſenſit *Mercatus Practic. lib. 1. cap. 15.* in convulſione ex craſſis viſcidiſque humoribus orta. Obſcura ea vena nec cuivis patula ob exilitatem &c. *Thomas Bartholinus Centur. 4. Hiſtor. 33. Hippocrat. lib. de Viſu* venas Dorſi exurit & pungit: Id remedium proponit *Alexand. Benedictus libro primo capite quinto:* Gattinaria in hæmorrhagia aperire conſulit.

LXXXV. Plurimi Medici venas Narium ſcalpello & hirudinibus aperire jubent, ſed neuter modus tutus: Nam cum viſu non pareant Chirurgus facile peccare poteſt; nec vulnus ita obligari poteſt vt in venis ſub cutaneis: Nec tutum hirudines naribus impo-

imponere, cum facile penitius irrepere & pertinaciter hærere queant, ut non facile extrahi, ac magnæ hæmorrhagiæ cauſa eſſe queant: Dat exemplum *H. Saxonia l. 1. Pract. c. 2. Sennertus Pract. l. 1. p. 1. c.* . Videatur *apud Zacutum lib. 1. hiſt. Med. Princ.* . hiſtoria hirudinis ad cerebrum per nares irrepentis. Vtiliter tamen admotas ſanguiſugas venis ... vidi anno 1666. adoleſcenti phrenitide laboranti. Caudam, mediante linteo aſpero, apprehenſam, non ante dimittat Chirurgus quam alhæſas ſenſerit, ſic abſque periculo in vſum veniunt: hæmorrhagia nimia ſi ſuccedat, facile cohibetur aſperſione pulverum &c. quod extremis naribus applicentur non in intimis ſedibus.

LXXXVI. *a.* Apud nos non ſecantur venæ *inferni femoris* ſupra genu, quas tamen aperiri in *Luſitania* ſcribit *Lazarus Sotus l. 1. anim. c. 4. §. 61.* Ad intercipiendam fluxionem arthriticam in pedes, & minuendas varices ſecabantur olim, ait *Aëtius*, & *Platerus* commendat ad varices: confirmari poteſt ex *Galenus lib. 2. ad Glaucon. Riolanus Enchir. l. 5. cap. 5.*

LXXXVI. *b.* *Iſchiadica*, quæ reperitur in malleolo externo ſecari non debet niſi cum maxima loci perſpicientia, ob arteriam, nervum & tendinem proximos. *Idem.*

LXXXVII. Venæ *Poplitea* ſectio, olim vſitata, jam obſolevit, commode tamen ſecaretur ſi in doliolo aquæ calidæ immergeretur tibia ſupra genu, & fricaretur, vt fit in ſectione venarum pedis: Reperitur & tuto ſecatur infra cavum poplitis, ad initium gemellorum muſculorum. *Idem.* Vide *Severinum Med. Effic. p. 62.*

LXXXVIII. *Avicenna 4 1. c. 20.* aſſerit phlebotomiam venarum pedis magis debilitare virtutem eâ quæ fit in venis manus: Nec refert quod ſuperiores venæ magis elaboratum & ſpirituoſum ſanguinem continent, ex cujus vacuatione exhauſtis ſpiritibus citius vires fatiſcunt: nam in ſectione Tali plures debilitantes concurrunt cauſæ: Primo, Quia divertit ſanguinem à fonte caloris. Secundo, Quia partes inferiores ſunt frigidæ, oſſeæ, nervoſæ, exſangues, vnde penuriam extracti ſanguinis amplius perſentiunt. Tertio, Celebratur in balneo aquæ calentis, vnde ſpiritus vireſque magis reſolvuntur. Quarto, Ex ambitu ſanguis ob gravitatem præceps ruit. *Zacutus l. 2. Princ. Med. c. 126.*

LXXXIX. *a.* In utero gerentibus per ſuperiores venas ſanguinem eduxit tota antiquitas: *Lazarus Riverius* tamen innoxiam inferiorum eſſe apertionem didicit ab experientia. *Rolfinccius lib. de Febr. pag. 270.*

LXXXIX *b.* Secantur in ſumma manu, inter digitum minimum & annularem, venæ quædam parvæ, Salvatellæ dictæ, quia ægri ab alijs auxilijs non adjuti, ſanguine ab his venis extracto, ab ægritudine ſalvantur: dextra in morbis jecoris, Siniſtra in affectibus lienis: Conferunt cum vtilitate ſumma in productis venoſi generis morbis, febre ardente, tertiana & erraticis: In oculorum morbis, qui à partium interiorum ſqualore & viſcerum calida intemperie ferè dimanant: In gravidarum vomitu, à bilioſo acrique humore: In obſtructione epatis, cutaneis & melancholicis affectibus, ſordidis ulceribus &c. Dummodo celebrentur prius vniverſales vacuationes: Hæc doctrina impugnatur, Primo, Quia hæ venæ rami ſunt cephalicæ, cui ſociam ſe dat ramus baſilicæ: quare in affectibus jecoris vel lienis earum ſectio nihil videtur prodeſſe, aut minus quàm facta in cubito. Secundo, Nullibi de ijs mentionem facit *Galenus*, aut ſaltem dubius anceplque, ac ex aliorum mente: Tertio, Ex ijs venis nihil effluit mentione dignum, quia parvæ, exiles, à viſceribus diſſitæ: ℞. Etſi rami quarum ſunt propagines majorem habeant cum epate & liene (per vaſorum communionem) conſenſum, tamen majorem eſſe ſympathiam & cognationem. Deinde *Galen.* ait ſectionem ſalvatellarum non æque juvare ac ſectionem baſilicæ, ſcilicet initio morbi; at in fine eſt exercenda quando jam remota fuerit plenitudo, quia exiguo humori, intus manenti, exigua vacuatio, ad partem valde diſtantem ſummè prodeſt, Ex hac enim ſectione facultas viſcerum excitatur ad expellendum, ventilatur jecur & internæ partes refrigerantur: Tantæ efficaciæ cauſam quidam aſſignant, quia ſic revulſio fit ad diſtantiſſima: At eſſet exercenda ſectio morbi initio, nam tunc fluxio major huic & revulſionis major adeſt neceſſitas, in progreſſu autem morbi tantum celebratur: Alij dicunt quod minus ſpirituum effundatur quam in alijs venarum ſectionibus, ac tenuem tantum ſanguinem extrahi: Ad vacuationem tenuis vel craſſi ſanguinis, & ad diſſolutionem paucorum ſpirituum non ita conferre tenuitatem venæ, quam tenuitatem vel amplitudinem ſciſſuræ: quare facilius erit ex vena cubiti interna tenuem ſanguinem educere, & paucos ſpiritus reſolvere facta anguſta ſciſſione, ſicut facile facto amplo foramine, injectaque in balneum manu, ex ſalvatella craſſum ſanguinem educere. *Valleſius*, ait Manum dextram eſſe emunctorium Eparis, Siniſtram Lienis: Excrementa enim ab intimis partibus ſuapte natura confluunt in hæc loca: hac ratione ſqualido qui ſunt prædiri epate in volis manuum cruſtoſam ſcabiem & fiſſuras patiuntur: Et quia quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia ducenda ſunt, ex *Hippocrat.* Ideo laborante epate dextra tundenda ſalvatella; Liene, ſiniſtra: Hæc opinio non valet, Primo, Solum partes principes emunctoria habent, è quarum numero non eſt Lien. Secundo, Emunctorium eſt pars ignobilis, manus nobilis: à *Galen. lib. 1. de vſu. part. cap. 4.* dicitur Organum organorum: Tertiò, Emunctoria debent eſſe propinqua membris quorum excrementa emungunt; ſic cerebrum glandulas habet vicinas &c. At manus à partibus principibus diſtant: Quarto, Emunctoria debent habere compoſitionem excipiendis fluxionibus aptam, ſubſtantiam ſcilicet laxam & adenoſam, manus autem diſſimilem omnino habent: Quinto, Cum hæc viſcera nimis æſtuant, excrementa potius in labia, os & nares tranſmittunt. Standum ergo *Paulo libro tertio capite 49.* qui addit id contingere ob majorem cum epate naturalem cognationem: Nec mireris huc nos confugiſſe, cum multi reperiantur in partibus conſenſus quorum cauſa non ſatis patet, qualis eſt labij inferioris ad diaphragma; ſic titillatis plantis pedum ridemus, quod ad tenuitatem cutis referri non poteſt, quæ ibi craſſa eſt: Sic cauterium in aurium extremitatibus, vel retro ipſas factum Iſchiadicis plurimum prodeſt. Conſenſus deprehenditur, quia cum viſcera illa malè habent ſtatim manus afficiuntur:

Quare ex ſtructura manus diſpoſitionem epatis conantur arguere *Avicenna* & *Rhaſis*. *Zacutus lib.1. Hiſt.* 54. *Pr. Medic*,

XC. Vt vera in ijs qui carnoſiores ſunt, ac latentes venas habent (ideo non tam commodè & certo pertunditur,) commodè ſemper dividi poſſit, inſpargitur vtiliter, vbi ſemel & primum pertuſa eſt, ac bene coaluit, abraſa cruſta, parum pulveris illius fuliginis, quem vulgò *Kynrois* numinant, ac infricatur: Sic remanet litura cærulea, eo in loco in quo diviſa fuit, quæ nunquam evaneſcit: Eâ infrictione fit levis morſus, quo tamen nihil prætérea incommodi conciliatur: Hic modus in *Livonia* obſervatur a Chirurgis: *Solenander ſect.* 5. *Conſ.* 15. §. 1. *Zacutus Cucurbitula utitur.* Vide *Prax. Adm. l.* 2. *Obſervat.* 57.

XCI. Habebat hoc Chirurgus quidam *Aſcanienſis* in uſu, ſi venæ tundendæ altius laterent, guttam aquæ fleauræ brachij, vel potius ipſi venæ loco imponeret, atque ubi gutta illa conſiſteret, ibi ſecaret, ſeu phlebotomum imprimeret, Sicque fœliciſſimè ſuccedebat opus: Idem & alij obſervant. *Ph. Salmuth Cent.* 3. *Obſervat.* 77. Vena ſecanda deliteſcens in conſpectum veniet affixa magna cucurbitula parti cum multa flamma.

XCII. In puerorum morbis & vtero gerentium bene conſulit ſibi Medicus & ægris, ſi quo tempore ſanguis mittendus eſt, ipſe præſens eſt: quibus enim demandatur hæc operatio, illi animoſiores largiſſimè ſanguinem effluere permittunt; quod ſi quid ſiniſtri accidat, ſtatim Medico adſcribitur, etſi artificis error ſenſui evidenter pateat: *Phrygius comment. in ægr.* 8. *Epid. Hippoc. pag.* 147.

XCIII. Nervi vel tendinis puncti, per imperitiam Veniſecæ curationem, vide *tit. de Convulſione.*

XCIV. Vena *Iugularis* in jumentis, quoties ſanguis eſt mittendus, fere ſemper pertundi ſolet: mirum quod non ita mos obtinuit in homine, cum hujus canalis amplus ac eminens, & facillime & tutiſſime omnium ſecari poteſt, quippe nec arteriam habet ſociam, & procul à nervo omni incedit: Porro ex hoc vaſe, æque ac alio quovia pertuſo, ſanguinis evacuatio univerſalis fit à toto corpore, ſimulque optima derivatio ejus à capite, proinde ut cruoris ſerique ſtagnationes, aut aggeſtiones omnea illinc expediantur. *Willis.*

XCV. *Externa mammaria* ſecabantur ab *Hippocrat.* in partium thoracicarum inflammationibus & doloribus: Nunc vero quia ſunt obſcuræ, deſijt iſthæc operatio, Cujus loco applicari poſſunt hirudines, vel cucurbitulæ cum ſcarificatu. *Riolanus Encheir. p.*231.

XCVI. Anno 1674. frequens apud nos Ictetua, Quidam curabant ſibi venam aperire in apice naſi ad citius profligandum fœdum faciei colorem, quod quidem riſu excepi prima fronte, cum inuſitatum apud nos, Inveni tamen quod *Galenus* inciſionem hujus venæ commendat in continuo dolore capitis; & *Botallus l. Cur. rat. per ſanguin. miſſ.* aſſerit iooltoties ſe ſuaſu ac inſtituto Medici Empirici eam adminiſtraſſe invetuſtis oculorum affectibus, necnon in diuturnis cap. doloribus, utiliorem autem obſervaſſe in naſi rubore quam in ſupradictis affectibus: Ad Icteri autem curationem aliquoties curavi inſtitui, ſed dubio ſucceſſu, nam æque cito curabantur, ac priſtinum colorem recipiebant quibus aperiebatur, quam in quibus intermittebatur. *Car. Rayger. Miſcell. Cur. anni* 76. *Obſ.* 205.

XCVII. Vena Iugularis interna, amplior externa, ſub maſtoideo collum aſcendit, & circa ejus medium in tres ramos ſcinditur, quorum craſſior vertebras petens cranium ſubit: ſecundus colli latera perrepiat & ſub maxilla diſtribuitur, tertius in linguam abit & Ranulares ſive Sublinguares profert, quarum apertio in affectibus cerebri mirabiliter prodeſt. *Riolanus Encheir p.*232.

XCVIII. Aliquando aperiuntur venæ narium per ſcalpellum, denique ſolent aperiri per Hirudines ſed hunc modum minime probo: Cuidam *Patritio* hic *Patavii* aliquando febre ardente laboranti vna hirudo ad nares apposita, aſcendit in caput, & miſer patiens fuit extinctus nimia ſanguinis miſſione, quem hirudo trahebat, nullo enim modo vel necari, vel extrahi amplius poterat, Et ego abhorrebam, Videram enim antea Venetijs ſemel accidiſſe. *Hercules Saxonia.* Magna cautio eſt adhibenda in applicandis hirudinibus ad nares, ne pro libitu cuivis parti adhæreant: Accidit Romæ anno 1572. ut quidam Chirurgus voluerit cuidam hirudinem applicare, quæ cum putabatur adhæſiſſe parti interiori narium, paulo poſt penetravit uſque ad tunicas cerebri, & ibi jam diu commorata eſt, donec miſerum hominem interficeret, nihil proficientibus illis remedijs quibus ruſus ſtuduerunt illam retrahere. *Paulus Magnus.* Vidimus nos aliquando hirudinem, quam anteriori narium parti Chirurgus adaptare volebat, quæ per naſum ingrediens miniſtri incuria ad cerebrum penetrans, biduo hominem interfecit, cum nullo remediorum genere nec extrahi, nec necari poſſet *Zacutus.* Ejus tamen præſidij ope ſedatam vidimus Phrenitidem in adoleſcente *Helvetio* xiv. annorum, anno 1666. Sed in admotione hæc adhibeatur cautio, ut primo hirudo aſpero linteo apprehenſa non prius dimittatur quam firmiter adhæſiſſe extremitati naris conſtet: Secundo, Vt conſtringatur digito naris cui applicatur, quo aſcenſus illius & penetratio ulterior prohibeatur.

XCIX. Iuvenis angina laborans ex raninæ ſectione mortuus eſt, quia dum large ſanguis efflueret, nec per imprudentiam exſcrearet, ab eo extravaſato ſuffocatus eſt: Cavendum ergo ne dum talis venæ ſectio celebratur, rectus æger decumbat, ſed in anteriorem partem vergat, debili enim jam expultrice, ſanguis etiam paucus in aſperam arteriam remeans ſuffocare valet. *Dom. Panarolus Pentecoſt.* 1. *Obſervation.* 50. Venæ ſub lingua per longum aperiendæ, alias ſanguis difficulter ſupprimitur *Claudinus* Iuveni cum ob ardorem febris lingua intumuiſſet, & vena ſub lingua à Barbitonſore ſecta fuiſſet, loquelam amiſit. *Fabricius Hildanus Cent.* 6. *Obſervat.* 32. Ægyptij tam multum huic phlebotomiæ confidunt, vt pro arcano habeant eadem uti ad inflammationes quaslibet capitis, atque oculorum affectus, ruborem faciei, febrilem phrenitidem, vigilias, febres acutas, dum die critico natura criſin per hæmorrhagiam moratur; Tertianis quoque febribus utilem dicit I. de Partibus: *Severinus Med. Eff. pag.* 57. Vide *ibidem plura.*

C. Sal-

C. Salvatellæ apertionem ſuperſtitioſam eſſe multi credunt. Nihilominus *Hippoc.* ſecabat venas manus; atque iſtud remedium viris doctis non fuit improbatum, præſertim in morbis diuturnis & febre quartana, in conjunctione Solis & Lunæ, Quod vidi feliciter alijs, & mihi, ſucceſſiſſe in antiquis quartanarijs poſt varia remedia aſſumpta. *Riolanus Encheir. p.* 330.

C I. In Lienis affectibus *Salvatellæ* apertionem commendant, cujus rationem *Adr. Spigelius* 5. *Anatom. cap.* 7. hanc reddit, quod Lienis fervor ſic ventilari, & per ſucceſſionem arteriarum ſanguis effervescens ſecure evacuari nonnihil poſſit: adeoque hoc fieri per conſenſum κατὰ ἀναστόμωσιν ſanguinis arterioſi, qui propter anaſtomoſes arteriarum huic venæ ſectæ proximas vna effunditur, Et cum in Liene ſextuplo plures ſint arteriæ quam venæ, plurimum profecto adjumenti accedere ipſius affectibus neceſſe eſt, quod ex ijs vaſis, in quibus peccavit, ſanguis evacuetur: Sin *Spigelio* ſanguinis circulatio cognita fuiſſet, (quam prope attigiſſe videtur) certiorem rationem reddere in proclivi fuiſſet; quod ſcilicet in extremis artubus venarum cum arterijs major numerus anaſtomoſeon reperiatur: Vtilitatis ergo ejuſmodi ſanguinis miſſionis cauſa petenda ex arterioſi ſanguinis, aut proxime ex arterijs manantis, eductione.

CI. *a.* Olim *Spigelius* in ſemetipſo, aliiſque, incidit venam quæ inter indicem pollicemque excurrit ob hemicraniam pertinacem, præſenti remedio, ut refert. *Ioh. Rhodius Centur.* 1. *Obſervat.* 56.

CI. *b.* Ex mulieri cephalæa diu concuſſæ ſectam fuiſſe venam quæ per angulos oculorum excurrit, refert *Zacutus in Prax. Adm.* Hæc vena conſpicua evadit ſi collum modice, & axillas valide conſtringas: Proponitur ejus ſectio ab *Avicenna* 4. *in cap.* 20.

C I I. Nobil. mentagra laborioſa inquinato quum mane hirudinibus loco affecto impoſitis mane hirudinibus loco affecto impoſitis ſanguis ad ferme libram iij. erumpens nulla cura ſiſteretur, *Prevotius*, elotis vino albo adſtringente vulnuſculis, ungu. *Galeni* reſtringens ex bolo Armen. piliſque leporinis bono eventu imponi juſſit. *Rhodius Cent.* 3. *Obſ.* 71.

C I I I. Non ſimplex venarum ſectio vtilis, cæterum & earundem Abruptio ad pleraque vtilis eſt genera decurrentis humoris intercipiendi: Defluxus malignos qui ſunt ad nares præſectio venæ frontis vnice tollit, experimento in nonnullis facto: Quo fit vt non mirer antiquos Medicos decreviſſe vt cum oculi malis affectibus rubent, collacrymantur &c. vena quæ fronte attollitur, quæque per tempora viſuntur, præſcindantur ſcalpro ſubtus acie tranſadacto: *Aëtius* perpetuis oculorum lacrymis, & hemicranicis doloribus finiendis venas diſcidit frontis: Eas quæ pone aures veſtigini delendæ diſſecat Halyabbas. Sed & partium aliarum venarum exciſiones vtiles ſunt, Vlceribus pervetuſtis & difficilibus ſemel finiendis, crurum manuumque &c. Jam vero adminiſtratio ſic ordinanda eſt, vt primum appareat vena conſueta ad apertionem arte: mox acu recurva ferrea, vel argentea transfixa ſubtus, & attracta vena ſcalpro falcato ad eandem profunditatem impreſſo diſcindenda eſt, & vitato ad phlebotomen alteram vulgarem modo, ſangvis eſt detrahendus: plerumque autem ſic vas extat in gracili tenuique cute, ut aciculæ transfixus neceſſarius non ſit, ſed ſola ſcalpri, quam maxime ad mucronem recurvi adminiſtratio. Nos hac atque illa ratione Chirurgiam hanc factitare quotidie conſuevimus. *Severinus Med. Eff. p.* 67.

CIV. Si anguſtior venæ ſectio quam decet facta fuerit, ſuccurritur ampliatione vulneris; quemadmodum obturationi, aut ſtipationi ſubvenitur amotione ejus quod obturat aut ſtipat: Verum in emendanda anguſtia major requiritur induſtria quam ſi nullo pacto vena prius tacta fuiſſet; propterea quod inter cutem & venam ſanguis continuo diffunditur, qui cutem altius pellendo à vena diſiungit: Ergo ubi primum in hac cutis ad vulnus in tumorem aſſurgit, ea illicet pollice ſiniſtræ manus molliter premenda eſt, ut currentis ſanguinis impetus retundatur, & inſurgens tumor deprimatur; mox digitus ſenſim tantiſper retrahendus dum vulnus pateat, & operatrici manui, ſeu ferro præbeat operandi ſpatium: inde leviter & caute ſcalpellum in primam ſectionem immittendum, & inciſio tantum augenda quantum à juſto modo prior ſectio defecerit; Animadvertendum tamen in hac operatione eſt ne cutis tantum, (quod ſæpiſſime fit) ſine vena dilatetur, eo quod inanis eſſet & labor & dolor; Moderate igitur ferrum immittendum eſt uſque in ipſius vaſis capacitatem, vulnuſque ex arte ampliandum quantum ſat fuerit: Si vero a cutis recurſu ſanguinis effluxus prohibetur, hæc blande in eundem locum reducenda eſt, in quo erat dum vena percuſſa fuit, quo ejus, & venæ diviſio ſimul conveniant, ibique detinenda donec ex arbitrio ſanguis exierit. *Leon. Botallus de modo incid. vena* §. 11.

C V. Sed accidit etiam ut cutis, vel potius totum id quod ſupra venam eſt poſitum, venæ vulnus obtegat, quod tamen à ſua ſede non fuerit abductum; idque evenit dum in venam altiuſcule poſitam Chirurgus nimium oblique ferrum inſerit, nec cuſpidem attollit, ſed id per eandem viam, qua inſeruit, reducit; Quod dum accidit, ut ſanguis fluat, (ſi ſatis diviſa vena eſt) ſummo & perquam tenui ſpecillo, aut aciculæ capite intromiſſo, cutis ſublevanda eſt, aut vena eodem ſpecillo, vel acu leniter deprimenda, uſque dum ſanguis pro libitu emanaverit; nam eo modo, vel vena à cute, vel hac à vena parum diſiuncta via ſanguini traditur. *Idem* §. 12.

C VI. Cum vinculum membro datum eſt, & vena eo loco, quo reperiri ſolet, evidens non eſt, ſed altius ſub cute quicquam teres percipitur, de quo ambigas an vena ſit, ſtatim vinculum laxa; nam ſic & illa laxata concidet, nec digito amplius percipietur, niſi denuo reſtricto membro; Igitur, ſi id quod tetigeris, tam loco revincto quam reſoluto eandem ſpeciem referat, crede abſtinendum eſſe à ferro, cum id non vena ſit ſed tendo, vel muſculi caput, vel aliud præter venam: micant vero arteriæ utcunque pulſant ubi ſunt; per quod & locus & profunditas earum vel modice exercitato artifici declarantur. *Idem* §. 19.

C VII. In contumaci capitis dolore in ipſis temporibus x. aut xij. hirudines circulariter appoſuit *Zacut. Praxis Admir. lib.* 1. præſenti auxilio: Notandum monet *Riverius* x. aut xij. eum affigere, quo tota materia exhauriatur, non duas vel tres.

SCARIFICATIO.

SYLLOGE.

Remedium eſt tutum & efficax. 2.
Doloribus omnibus externis confert. 1.
Aurium ad multa utilis. 3.
In occipitio ſit mediocris non profunda. 4.
Malleolorum vel crurum vicaria eſt ſanguinis miſſionis, non cucurbitula ſcarificata. 5.
Venæ ſectionis vicaria ubi inſtituenda. 6.
Malleolorum periculoſa. 7.
Utilitas multiplex. 8.
Intempeſtivus uſus noxius. 9.
Profundius adminiſtrata paralyſin & mortem intulit. 10.
Iniquè ſuſpecta maleficij. 11.
Lumborum valde revellit à ſuperis partibus. 12.
Gladiolus ne nimis ſit acutus. 13.
Gangræna ſequuta. 14.

I. AD levandos dolores omnes qui partem extimam corporis occuparunt, uſui mirifico Scarificatum eſſe mea fide teſtificari poſſum: Ut è multis pauca narrem, illud primum eſto, quod in N. ſum expertus dolores cruris Syphilios qui diu noctuque longos menſes afflictaverant, atque hominem confecerant nullis medicamentis emoti, ſoli Scarificationis opera ceſſere. 2. *N. cui* ſummotum os cranij, multis ante diebus fuerat ortus circa bregma dolor acerrimus, eadem ratione levatus eſt. 3. *Sutori* calceolario gravem in perinæo dolorem ſcalpro diſcuſſimus: 4. *Bajulo* Opſoniario, qui ſecundum pedis plantam graviter afflictus fuerat. 5. *Ieſuitam*, ex digito pedis jam multos menſes dolentem irrequiete, nullum ex alijs ſubſidium naniſcentem, hac eadem ope levavimus ſic ut exinde nunquam acerbitas illa recurrerit. 6. *Ioſepho N.* cui ſic diſcuſſus in perinæo dolor, qui periculum apoſtematis indubie minabatur. 7. *Quidam* ſecundum lumbos dolens & miſerabiliter ejulans, ſentijt ex hac ipſa ſe peropportunum levamen. *Severinus Med. Eff. p.* 78.

II. Scarificatum multò confidentius ac frequentius exercebant antiqui quam nos, qui ejuſdem uſum non alijs in caſibus quam in privata quadam cucurbitularum adminiſtratione, & in gangrænarum curatione cognovimus: imperiti ſcilicet & inertes atque omnia tuta timentes, qui ditiſſimam opis artem & auxiliorum pleniſſimam in pauca & rara contraximus, quæ nihilominus levia ſunt & inefficacia: prompti ſemper cauſari quod veteres homines erant naturâ firmi & gravia ferre valentes, noſtrorum verò temporum invalidi & imbecilli ſunt omnes; degeneres autem nos pathognomonicus timor arguit: Ita fit ut pleriqne ſint qui vereantur ad patientes locos inſecare, attractionis, quam dicunt, metu; ſed continuò refellit hos. *Proſper Alpinus lib. 2. de Med. Ægypt.* eventu, qui felix & vacuus ferè ſemper novæ refuſionis, eſſe ſolet: *Seb. Travus Oribaſij* totam de Scarificatione ſententiam ſuam decernit ſi ad ſtatum deverſarit fluxio, etiamſi dictum morbi vigorem conſequuta fuerit acris acceſſio: Et nos ſub pleriſque languoribus corporis, in publicis incurabilium valetudinarijs, hanc frequentiſſimè factitare teſtificari noſtra fide poſſumus, neminem fuiſſe hominum, qui aut inutilem ſenſerit aut improſperam reclamarit. *Idem Chirurgia Effic. p.* 69.

III. A veteribus nulla facta ſcarificationum in auribus mentio: hanc adſerit *Iſaann. Theod. Minadeus diſput. 4. de cucurbit. &c.* additque delectari illos qui multo ſe impleverunt vino, unde in mentis alienationem feruntur, ſimiliter & eos quorum caput aliqua de cauſa gravatum eſt, auribus priùs tepida perſtrictis, blande abſque ulla aſperitate, eorum extrema ſcarificare, extrinſecus ſcilicet qua illarum continent orificia, non quidem profundis multum aut fœdis ſcarificationibus, ſed levioribus, ſic tamen ut inde ſanguinem ad unciam, aut ad majorem etiam menſuram educere poſſiot; quo quidem remedio non tantum ob eam quam facit vacuationem, quantum ob partis dolentis conſenſum cum capite dolor capitis remittit, cum aut tenuioris ſanguinis eſt ſoboles, aut à calida exhalatione ortum trahit: Hoc remedij hujus emolumentum omnes, ait ipſe, confirmant *Arabes, Cretenſes, Græci*, qui ſe vino hodie etiam excalefacere conſueverunt. In dentium doloribus acutiſſimis aurium ſcarificatus multum affert auxilij, imò venæ ſectionis locum, ſi iteretur, ſuſtinere poteſt: Virgines in quibuſdam Germaniæ locis, ad conciliandam formæ gratiam aures ſibi ſcarificari ſinunt, quo ſubtracto ſanguine facies dealbetur. *Gu. Rolfinccius meth. Gen. p.* 400. Vide *Proſp. Alpinum de Med Ægyptior. l. 3. cap. 2. Valleſium lib. 6. Epidem. p. m.* 701.

IV. Scarificatio in Occipitio ne ſit profundior: Ex *Avicenna* quidam ab admotâ cucurbitula cum ſcarificatione linguæ paralyſin incurrit: profundior ſcilicet ſcarificatio ramum nervi, qui a principio ſpinalis medullæ ad linguam it, pupugit.

V. Multi audent affirmare cucurbitulas ſcarificatas venæ ſectionis vicarium eſſe auxilium; quorum opinio erronea eſt & a veritate aliena. *Galenus* enim pro tollenda corporum plenitudine nullum cucurbitularum verbum fecit, ut noſtrorum multi cogitant, ſed ſolum venæ ſectionis atque crurum ſcarificationis meminit: quod ex 2. *aphor. comment.* 17. colligitur, *Evacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem: proxima autem huic illa eſt quæ fit per malleorum ſcarificationem*, Et *libr. de hirud. cucurb. ſcarif.* dixit, *Cucurbitulas in plethoricis corporibus non modo eſſe inutiles ſed etiam noxias*: Atque in *lib. de curat. per ſangu. miſſ.* docuit. Ante cucurbitularum adminiſtrationem totum corpus evacuatum eſſe oportere, illiſque vel cum ſcarificatione, vel ſine ea applicatis. *Idem lib. 2. aphor.* & *lib. 4. de ſanit. tuend.* alijſque multis in locis dixit apertiſſimè ſecundum locum a ſectione venæ crurum ſcarificationem obtinere: Et 13. *method.* ſcripſit, Si corpus fuerit plethoricum ſanguinem mittendum eſſe aut venâ inciſa, aut cruribus ſcarificatis. *Pr. Alpinus Med. Ægypt. l. 3. c. 3.*

VI. Circa locum cui adhibenda ſcarificatio hæc, Controverſia eſt, *Amatus* brachijs & cruribus adhibet: Ægyptij, referente *Alpino*, ſuram incidunt longis & profundis Scarificationibus, indeque citiſſimè & largiſſimè ſanguinem detrahunt, contusâ prius & verberatâ parte, omnem ut ſenſum amittat: *Galenus* ferè ſemper malleolorum meminit, i. e. partium malleolis proximarum: ſed inciſio harum quomodo cum fructu & tutò poſſit adminiſtrari difficile eſt intelligere, ob nervos multos & inſignes ibi inſitos: adde quod ſint aridæ & exangues:

gues: Ego exiſtimo, imprimis ex *Galeno*, nihil de ea re poſſe haberi certi, ut pote qui licet malleorum frequenter meminerit, tamen & crurum quoque, & brachiorum ſcarificationem proponit: Deinde ita ſtatuo, tum *Galeni*, tum prædictorum Medicorum authoritate motus, obiri poſſe ſcarificationem hanc, neceſſitate poſtulante, tum in cruribus tum in brachijs, & utramque quidem ad evacuationem totius facere; ſed illa tamen quæ in cruribus adminiſtratur, maximè evacuat plenitudinem ex ſuppreſſis menſibus & hæmorrhoidibus ortam: ea autem quæ in brachijs fit, plenitudinem citra has occaſiones coacervatam. *Claudinus de Ingr. lib. 2. c. 6.*

VII. Noſtra tempeſtate *Patavij* à duabus tantum inciſionibus malleoli aqua tam vehementer fluxit ut mulier protinus exſpiraverit: Subtracto etiam ſanguine caloris fomite, nonnunquam gangræna ſuccreſcit. *Iohann. Rhodius Centur. 3. Obſervat. 17.*

VIII. Ægyptij in pluribus affectibus cutem ſcarificare ſolent: In vehementiſſimis enim doloribus, præſertim vel ex copia, vel venefica qualitate ſenſibiles partes lædente: In fluxione paululum firmata, præmiſſa univerſali tum purgatione, tum vacuatione, partes dolore afflictas, vel proximas illis, altè ſcarificant, multumque ſanguinis emanare ſinunt: In ſingulis enim inflammationibus, diu perſeverantibus, ſolent partem inflammatam altè ſcarificare, veluti in pleuritide latus dolens, atque in peripneumonia pectus, dextrumque hypochondrium jecore inflammationem patiente, atque liene, ſiniſtrum; atque ſic de alijs inflammatis partibus facere ſolent, præſertim in magnis eryſipelatis, vel aliqua alia inflammata parte, ubi timetur ne in gangrænam degeneret vel in ſcirrhum abeat: In uſu frequentiſſimo habent in podagricis doloribus, ex ſanguinis defluxu obortis poſt univerſalem vacuationem: tumefactos digitos dolentes ſcarificare: ea enim ſcarificatione, modico defluxi ſanguinis vacuato, mirificè ijs conducit: Eodem itidem modo tum in tumoribus, tum in ulceribus ad cicatricem convenientibus, ſcarificatione utuntur: Ad omnes etiam cutis defœdationes, maculas puſtulaſque idem præſtare ſolent: Non minuſque etiam partem a ſcorpione ſauciatam, vel ab aliqua fera demorſam altè ſcarificant, multumque eo modo ſanguinis ab ea parte detrahunt. *P. Alpinus Med. Æg. c. 11. l. 3.*

IX. Vir robuſtus, encraticus, annor. 50. nulla corporis labe unquam affectus, menſtruatim ſcarificationem in dorſo inſtituebat, ac ſanguinem ad animi uſque deliquium effluere permittebat: hinc in catarrhos incidit qui collum obſidendo, nullo apparente tumore deglutiendi cibi & potus difficultatem afferebant, qui affectus per menſem duravit, ac poſt annum redijt, patientemque ſuffocavit: Hinc apparet ſcarificationum uſum importunum magnam noxam inferre morboſque frigidos. *O. Grembs Arb. ra. & int. p. 169.*

X. *Galenus 2. ad Glaucon. cap. 7.* triplicem facit ſcarificationis modum, levem, profundum & mediocrem; Quando humores ſunt craſſi, tenaces, compacti, aut in parte, aut in toto, profunda neceſſaria eſt; Incautus Chirurgus abſceſſum ex humore terreo ſuper ſpinam dorſi enatum perſanans, ita profundam ſcarificationem celebravit, ut nervis inciſis hominem a tumore liberarit, ſed paralyticum reddiderit. *Zacutus Prax. Admir. lib. 3. Obſervat. 65.* Alius ita profunde novacula acuta, cum ſcalpellum non eſſet ad manus, in coſtis ſcarificationem exercuit, ut ſequuta hæmorrhagia, nullis unquam auxiliis, nec cauterio ipſo coërceri poſſet, unde mors. *Idem Obſ. 66.*

XI. Scarificatio in genere quibuſdam valde ſuſpecta eſt, unde & *Grembs in A.R. & Int. lib. 3. cap. 1. §. 48.* improbat ſcarificationem, prætendens eſſe inter impedimenta vitæ longæ non parvam cauſam & illam pravam conſuetudinem venæ ſectionum & ſcarificationis, quæ adeo invaluit ut in quibuſdam familijs menſtruatim ſcarificationes, & bis in anno venæ ſectiones celebrentur, unde profundunt vitæ theſaurum; Verum experientia dicit contrarium, dantur enim ſexagenarij, imo novi & ſeptuagenarios qui à teneris unguiculis ſine ullo damno hoc præſidio uſi fuere: Nec verum eſt illum qui ſemel ſcarificaverit per totam vitam illud continuare neceſſe habere, niſi in vitæ periculum ſe præcipitare velit: Novimus quendam, inquit *D. Mœbius*, qui adhuc puer octo annorum crebrioribus ophthalmijs & oculorum fluxionibus obnoxius, ſuatu periti cujuſdam Medici ſcarificationibus per octo menſes bis uſus fuit, eaſque ad x. ætatis annum feliciter continuavit: Ceſſantibus autem hiſce affectibus ab hinc ceſſavit etiam ab ipſarum uſu abſque ulla morborum invaſione, & adhuc vitali veſcitur aura, cæteroquin ſatis ſanus & vegetus. *Fr. Hofmannus m. ra. l. 1. c. 18.*

XII. A Lumbis emergunt quamplurimæ venæ, quas non poteris evidenter intueri niſi cutim ab ea parte reſecueris: Proinde Scarificationes Lumborum ad revellendum a partibus ſuperis valde conferunt; & in nonnullis regionibus illæ venæ ſi appareant, phlebotomo, ſecantur, ſi credimus *Platero* in ſua Anatome. *Riolanus Anthropog. lib. 2, cap. 6.*

XIII. Gladiolo aut ſcalpello nimis acuto incidendum non eſt, quo aliquando cum eſſet uſus in puero Chirurgus, qui ea ratione ſe minore dolore opus facturum exiſtimavit, convulſionem excitavit inſignem: ſæpe enim aut membranæ ſub cute læduntur, aut nervi: prætereaquam quod neque ſanguis craſſus, ſed ſolum tenuis vacuatur, ut docet *Hippocrat. lib. de Medico*, qui ob id ait Scalpris utendum incurvis in ſummo, non valde anguſtis jubet, imo aliquando ſeroſi ac ſanioſi humores viſcidi & craſſi veniunt, unde periculum eſt ne in fiſſuris ſubſtent ubi arctè fuerint incuſſæ: Per tractum autem, quem Græci κατὰ συρμὸν vocant faciendam eſſe ſcarificationem, non κατὰ πληγὴν, i. e. percuſſionem oſtendit experientia & ſuadet ratio. *Rubeus in Celſum lib. 2. c. 11.*

XIV. In corporibus impuris, & cacochymia refertis, malignas ſæpe fieri defluxiones ad plures partes certum eſt: Cuidam hic infecto præcepi ut naribus & dorſo ſiccas applicaret cucurbitulas, ob capitis dolorem immanem; quod cum feciſſet, una juxta lumbos in tantam molem excrevit, ut ob tumorem & rubedinem ſummam cogeretur miniſter citra meum conſilium eam ſcarificare: Ulcus nunquam potuit ſaneſcere, imo humore virulento manante, excitatiſque veſicis tetro ſanguine plenis, gangræna oborta, altius per ſpinam repens, accedente convulſione hominem ad interitum duxit. *Zacutus Pr. Adm. lib. 3. Obſ. 67.*

SPLENETICA.

SYLLOGE.

Reſpiciunt vel humores acidos, auſteros. 1.
Vel lixivioſos acros, ſalinos. 2.
Vel limoſitatem ſanguinis tartaream & viſcidam pituitoſam. 3.
Martialia quomodo hypochondriacis proſint. 1.
Non omnibus ſine diſcrimine proſunt. 4.
Volatilia ſæpe nocent. 5.
Acida ſæpius conveniunt. 6.
Valida aperientia debentur ſpleni. 7.
Martialium vſus. 8.

I. VT Hepat ſulphur ſanguinis diſpenſat magis, ita Lien ſal ejuſdem & ſerum: Conveniunt vero ſplenetica cum hepaticis, & fere vna eademque ſunt; hinc itidem huc aperientia potiſſimum ſpectant, Reſpiciunt autem, vel *humores acidos, auſteros*, figentes ſanguinem, & melancholiam, torporem &c. inducentes, vti ſunt 1. *Aquea diluentia* & *mitigantia* quævis, inprimis nitroſa, acidulæ, ſerum lactis, quæ maximam virtutum partem, præter ſalia, mutuantur ab aqueis particulis. 2. *Lenia aromatica* & *amara*, recenſita ſub hepaticis. 3. *Lixiva fixa*, & *volatilia alkalia*, ſic ſal abſinthij, centaurij min. tinctura tart. ſpirit. ſalis armon. plantæ antiſcorbuticæ &c. huc pertinent; Sicut enim humores iſti acidi concentrant & figunt ſanguinem, ita hæc ipſa volatilia, ſalina & ſulphurea eundem expediunt, ſubtiliant & volatiliſant, vt ex amurca illa, ad quam eſt redactus, vigoretur denuo. 4. *Terrea*, ad alkalinorum naturam accedentia & reſolventia, Sic lapides cancrorum bullitos cum vino, & lixivioſum ſaporem indeptos extollit *Helmontius*: Sic *Glauberus* coralliorum pulverem hypochondriacis unice prodeſſe, quod acidum abſorbeat, aſſerit; ſic limaturа Martis, vel in ſubſtantia ſumpta prodeſt: Et omnium inſtar, hinc & panacea hypochondriacorum ſunt. 5. *Martialia*, quorum agendi ratio nulla alia eſt, niſi quod abſorbendo invertunt humores iſtos acidos, ſaturant, edulcant, & ad frugem reducunt, Nun aliter ac aqua fortis, & ſpiritus acidi quivis marti affuſi dulceſcunt, obtuſis eorum particulis & vitrioleſcentibus: Hæc ipſa hinc proſunt in melancholia hypoch. affectu hypochondr. doloribus hypochondriorum, cacheaia, initio hydropis, ſcorbuto, palpitatione cordis, ſyncope &c. Pertinent huc quoque *vitriolata* ipſa, tum alia per ſe proſtantia, tum inprimis ea marte regenerata, ut vitriolum Martis &c. quæ ſuo modo quoque abſorbent, roborant & ſaturant quoque acidos, ponticos humores.

II. Vel *humores lixivioſos, acros, ſalinos*, ſive ſeorſun magis eminentes, ſive ex prædominio cum acidis concurrant, Et talia quidem, præter diluentia aquea (quæ commonia quaſi ſunt) conſtituunt 1. *Acida*, quatenus volatilitatem ſeri quaſi figunt, & proſunt in hæmorrhagijs nimijs cachecticorum & ſcorbuticorum, ſicut hoc modo aliquos curavimus taliter affectos. 2. *Auſtera*, quæ idem quaſi concentrant, & rarefactionem nimiam impediunt, uti ſunt tinctura antiphthiſica *Grammani*, pulveres ſtyptici, & conveniunt in ſero fluxibiliori, in colliquativis fluxibus, ſudoribus immodicis, ubi & *opiatis* interdum locus eſt. 3. *Terrea*, quatenus & ipſa abſorbent & præcipitant, alias capoſita: è ſpleneticis vero aſplenum, ſcolopendrium &c. tum alias, tum in phlogoſi, anxietatibus & cardialgijs &c. hypochondriacorum conveniunt.

III. Vel *limoſitatem ſanguinis Tartaream & viſcidam pituitoſam*, majori vel minori ſeri quantitati immerſam, qualia ſunt præcipue 1, *Acida*, Vnde non eſt abſonum etiam ſpiritus minerales acidos in affectu hypochondriaco curando multum, ſi non omne, efficere quandoque, incidunt enim mucilaginem & attenuant, inprimis ſpiritus ſalis &c. Liberant hæc quoque primas vias ab inſigni mucilagine ſtomachum incruſtante, quam vel ad vrinam deducunt, vel ut per alvum cacat diſponunt. 2. *Alkalina & Enixa*, quæ hinc audiunt ſaponaria, & venarum amurcam, ut loquitur *Helmontius*, inſigniter auferunt & abſtergunt; tinctura tartari, arcanum ejuſdem, tartarus vitriolatus &c. 3. *Aromatica*, tum alia, tum inprimis carminativa, quæ intus & extus maxime ſolent ijs caſibus prodeſſe; imo utraque jam dicta in hoc tertio quaſi conſpirant, ut viæ ſanguinis ſint liberæ, & ſerum in officio ſuo non impediatur, unde & amara, & reliqua huc ſpectant: hæc etiam corrigunt μώλυνσιν illam, & ſpirituaſcentiam ac aëreſcentiam ſtomachi, ſeu chyli potius, deficientem, & inprimis ſcirrhos lienis avertunt, & in quartanis, atque hinc oriundis ejuſdem ſymptomatis unice proſunt: Fieri enim non poteſt, quin ſive fixato per acida nimis ſanguine, ſive non evolutis particulis chyli oleoſis, balſamicis, excrementa limoſa, craſſa, tartarea generentur: & hinc inde, præſertim vero in liene affigantur. 4. Huc ſpectant etiam *abſtergentia*, *diuretica* & *nephritica* quoque, certum enim eſt & in hypochondriacis ſecerni cum urina ſabuloſam arenoſam materiam, de tartarea ſanguinis limoſitate reſtantem: & calculoſos ac nephriticos pleroſque etiam ſimul hypochondriacos eſſe, & his ipſis etiam antihypochondriaca deberi.

IV. Ea his liquet tum in genere ſpecifica quævis, tum in ſpecie ſplenica ſive antihypochondriaca, non omnia in omnibus convenire; prout enim, vel auſteri acidique humores, vel lixivi, volatilea, mediique (quales imprimis reddunt ſudores colliquativos) vel limoſitas ſanguinis magis peccat, ita etiam variat horum applicatio, ut ſi quis ordine progrediatur, & promiſcue applicet, ægrum cumulet magis ſymptomatibus, quam levet.

V. Volatilia, tum alia, tum antiſcorbutica, ſpleneticis ſæpe, & ipſis ſcorbuticis nocent: patet hoc ex iam recenſitis, ſi enim hypochondriacus gaudeat ſanguine ſalinis, lixivis, & alkalinis atomis repleto; ſi ſero fluidiori & volatiliori laboret ſeu abundet; illa ſane non conveniunt, unde promiſcue antiſcorbutica applicare erratum eſt: Vidimus hinc ſæpe à ſpiritu cochleariæ, qui etiam ſaltim pro extractione reliquorum aperientium, v. g. Martis, fuerat adhibitus, omnia commoviſſe vix ſopita ſymptomata, calorem p. n. vigilias.

VI. *Acida* vero non raro conveniunt, adeoque non poteſt ſimpliciter dici, hypochondriacus eſt, ergo nulla acida danda: Pertinet huc *Lipſij* illud de ſpir. vitrioli encomium *Cent. 1. Epiſt.* 81. hic enim cum ob vitam ſedentariam limoſitatem ſanguinis collegiſſet maxima copia, unde etiam pituitam vitream dejecit, uti ſe vitrioli aceto, ſucceſſu non infelici: Temperata hinc & abſorbentia, ac diluen-

tia

tia commode quoque ijs adhibentur; hinc *Servius Inſtitut. Medic. c. 3.* Opportunius, *ait*, quandoque a nobis conſultum fuit hypochondriacis, refrigerantibus potius quam calefacientibus pharmacis, ſero lactis, acidulis, cæteriſque quibus hypochondriorum calor temperaretur: adeoque nec hæc quidem ſine activis, nec illa tamen ſine his temperatis applicanda ſunt. Vbique ſerum eſt attendendum, vt nec deficiat, nec ſalinis particulis nimis ſcateat.

VII. Validiora vero aperientia requirit ſplen quam hepar: aſſertum eſt *Galeni*, quod licet *Mercatus* oppugnet, & de externo ſaltem vſu id concedat, attamen verum eſt vbi vel fixati ſpiritus & ſanguis, vel limoſitas magis prædominatur; hinc melancholicis v. g. ſpiritus ſalis armoniaci commodiſſime etiam in potu datur.

VIII. Martialibus aſſumptis motus eſt imperandus, & fæces alvi conſiderandæ: motus quidem, vt torpidi humores excitentur, & medicamentum melius actuetur & deſcendat, ſed præcipue id valet de forma ſicca ſeu ſolida, niſi enim motus accedat, minus operantur: Fæces verò, quia excrementa tinguntur Martialibus, ut nigra ſecedant, ob evucatum vitriolum, indicio manifeſto factam fuiſſe eorumdem reſolutionem. Notandum vero hæc eſt ea non danda (in ſubſtantia & forma hac ſicca) niſi robuſto ventriculo, qui, vt ſi dicam, ferre ea & concoquere poſſit. *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac. p. 107.*

STILLICIDIVM.

SYLLOGE.

Topicum omnium efficaciſſimum. 1.
Prohibentibus attendendum. 2.
Thermæ calidæ quibus noxiæ. 3.
Stillic. frigida quomodo uſurpanda. 4.
Quibus partibus præcipue conveniunt. 5.
Quæ capitis pars ſubjicienda. 6.
Adminiſtrationis ratio. 7.
Somnus arcendus. 8.
Eo finito quæ admovenda. 9.

I. STillicidium, vulgo *Duccia & Gutta*, (male quibuſdam *Embroche* dicitur, quæ perfuſionem ſignificat ab ἐμβρέχω, madefacio) ea eſt medicamenti formula, quæ ex alto, pluviæ inſtar in partem aliquam liquidi fit humoris diſtillatio: Convenit vero inter omnes ſtillicidium excellere quamlibet aliam externi medicamenti formulam, ſecundum activitatem, & jure quidem, quoniam propter motum materiæ ab alto cadentis, cutis incaleſcit porique aperiuntur, & procedit major his impreſſio: Occaſio inſtituendi hujus remedij gemina fuit, vna affectus ob materiæ contumaciam, vel ſitum in alto; reſiſtentiæ ad alias formulas & modos agendi: altera partis ipſius cui remedium adhibendum diſpoſitio, quando ob oſſium obicem, ad affectum locum medicamenti vim pervenire non ſinit, niſi cum motu adminiſtretur; quomodo *Galenus 13. method. cap. 22.* in capite præcipue hanc adminiſtrandi rationem commendat. *Claudinus Appendicis cap. vlt.*

II. Prohibentia multiplicia ſunt, & primò plethora & cacochymia. 2. Vlcus & quælibet ſoluta unitas, imo & nonnunquam mala compoſitio partium: Sed ſpecialiter pro capite prohibetur ab affectu vertiginoſo, a catarrho ſuffocativo, a calido catarrho; quia cum merito hujus oporteat ut ſit refrigerans, illud cerebro ſua natura frigido maximum poſſet inferre nocumentum: Quo accedit quod facta agitatione ab hujuſmodi remedio in capite, catarrhus calidus, ſua natura fluxilis, majore præcipitio in partes ſubjectas decumbet, & ob id inſigne aliquod malum pariet. *Idem.*

III. De Aquis ſponte naſcentibus notandum, calidas, maxime ſulphureas, bituminoſas & aluminoſas, ut *Galenus lib. 6. de tu. valet. cap. 9.* Calidis capitibus, ſive caliditas cum ſiccitate, ſive cum humiditate juncta ſit, eſſe inimiciſſimas, ſulphureas quidem & bituminoſas, quia incendunt, humoreſque liquant; aluminoſas, quia anguſtos poros ſtipant. *Idem.*

IV. Eſt & illud notandum rariſſime ea quæ humectando poſſunt refrigerare per Stillicidij modum adhiberi; imò de frigidis illud nive ſ. ſciendum, etſi non humectent ſed ſiccent, ut Thermæ frigidæ, nunquam ijs ſolis vtendum ne calor innatus extinguatur, ſed ſemper cum his calidas, tubtripla ſaltem proportione eſſe immiſcendas. *Idem.*

V. Adhibentur Stillicidia partibus omnibus quæ aptæ ſunt vt ſupra ipſas cadat liquor, præcipue tamen capiti conveniunt, & partibus nervoſis atque articulis: hepar, lien, ventriculus &c. cum partes molles ſint, & ideo facile patiantur ab alijs remediorum formulis, ſtillicidijs tentandæ non ſunt, niſi in affectu contumaci & inveterato. *Idem.*

VI. Quoad Caput, ſunt qui diſtinguant in eo certas partes; nam adhibent ſtillicidia in catarrho frigido humidoque, ſurditate &c. Suturæ coronali; in paralyſi & ſpaſmo occipiti, ubi nervorum principium eſt, ſed dum durat fluxio (ſecus enim irroran partes reſolutas aut contractas.) In alijs capitis affectibus inveteratis, ut eſt hemicrania, partem ipſam obſeſſam & imbecillam pertundunt: Non male quidem illi meo judicio faciunt, ſed tamen ſemper facilius & promptius recipitur vis ſtillicidij ad ſuturam coronalem. *Idem.* In ſurditate in aurium regionem & temporum optime poteſt ſtillicidium excipi; Si enim cranium humanum inſpiciatur, ſutura lambdoidea ad apophyſin uſque maſtoiden produci conſpicitur. Temporum quoque ſuturæ cum illa coincidere, adeo vt ſtillicidiorum vis illa penetrare queat, & aurium intima ſubire.

VII. Adminiſtratur duplici ratione, vna eſt extra Balneum, & ab eo ſeparatim, altera cum ipſo Balneo, ita vt æger ſe in Balneum immergens ſimul ſtillicidium recipiat: Priori modo adhibentur omnia fere ſtillicidia arte facta: Poſteriorum ſunt qui in ſtillicidijs thermalibus priori præferunt; Sed præterquam quod videtur eſſe omnis operoſus, etiam parum vtilis eſſe experientia comprobatur. *Claudinus ibidem.*

VIII. Dum ſtillicidium adminiſtratur, omnimodo cavendum ne dormiat æger, quod facile fieri ſolet incaleſcente capite, & ſic vaporum multitudine ad cerebrum attracta: Peſſimam autem faciunt qui cantibus vehementibus excitant patientes, cum hi caput repleant: Colloquijs igitur, & alijs id modis tentandum eſt. *Idem.*

IX. Finito ſtillicidio pars ſiccanda, & abſtergenda linteolis non admodum calidis; ac vel inun-

genda oleo aliquo ejuſdem cum ſtillicidio facultatis, vel alio quopiam munienda quod conſervet qualitatem à ſtillicidio impreſſam: Vulgares pannum lineum deraſæ capitis parti applicant, & deinde tegumentum ſuperimponunt: Rectius fuerit apponere ceratum ſtillicidii naturæ & facultatibus accommodatum: ſic capiti frigido conveniet ceratum capitale Montaguanæ, de betonica &c. *Idem.*

STOMACHICA.

(Vide *lib.* 18. *de Ventriculi affectibus in genere.*)

SYLLOGE.

Reſpiciunt vel calorem. 1.
Vel fermentum ventriculi. 2.
Fermentum vigorantia. 3.
Excedens corrigentia. 5.
Externa qualia. 6.
Quæ calorem ſpectant & fermentum optime junguntur. 4.
Quædam calorifica nocent. 7.
Intemper. calidæ & ſiccæ quæ nocent. 8.
In alteratione cavendum ne alia viſcera lædantur. 9.
Non obruendus copia medicamentorum. 10.

I. RESpiciunt hæc 1. *Calorem*, labefactatum & roborandum, qualia inſtaurantia quidem varia, ea tamen generali ratione hac conveniunt quod ſulphure oleoſo, volatili, aromatico & ſuavi polleant, quæ ſub ſe comprehendunt, & ſunt 1. *aromatica*, vt aromata, rad. pimpinellæ, mentha &c. 2. *olea balſamica*, vt ambra, balſamum peruv. &c. gaudet enim hoc ipſum balſamica acredine, vnde in vomitu, in appetentia, &c. commendatur à *Riverio*. 3. *volatili ſale* prædita, imprimis oleoſo, piper, ſinapi, zz. 4. *Spirituoſa*, vt vinum, ſpir. vini, menthæ, junip. cortic. citri, &c. 5. *amara*, vt abſinth. comm. & pont. aloë, elix. propriet. 6. *carminativa*. 7. *leniter adſtringentia*, vt cinnam. maſtiche, pulv. peptici &c. 8. *nervina cephalica*, vt caſtoreum, marrubium, maximus enim ventriculi cum cerebro conſenſus: Atque hæc proſunt in anorexia, chylificatione læſa, ructu, ſingultu, cardialgia, vbi inprimis oleum garyophill. & carminantia conveniunt, coctione læſa, inflatione, vertigine ſympathica, aliiſque ventriculi à frigiditate oriundis ſymptomatis: *Calorem* vero *exceſſivum* eadem fere corrigunt quæ *fermentum* vitioſum.

II. vel *Fermentum* reſpiciunt, quod *menſtruum* ventriculi appello: Licet vero ad hujus reſtaurationem facientia multum conveniant & coincidant cum dictis, quatenus & illa acrimonia ſalina gaudent, attamen hoc ſaltim notandum, quod vt quæ ſulphureo principio referta ſunt magis balſamica oleoſa, magis reſpiciunt calorem debilem eundemque vegetant, Sic ſalina magis fermentum: Dantur enim caſus, vt calor ſic ſatis ſibi conſtet, impeditum tamen ſit fermentum, nec ſui juris, vt hinc abſolvi feliciter coctio nequeat, licet optimum ſit ut cauſæ hæ ſociæ, quæ ſtant pro una, ſimul attendantur: Hinc etiam videndum ne dum calorem roborare intendimus, fermentum deſtruamus quod potiſſimum fit ſpirituoſis, ut ſpiritu vini.

III. *Acuunt* nempe Fermentum, & inſtaurant iners & deficiens, omnia ſale vel acido vel volatili potiſſimum referta 1. *Acria* omnia, vt ſal commune, quod ad ſaporem quidem, ſed ad fermenti ſtimulum maxime prodeſt, item piperata, plantæ antiſcorbuticæ, radix ari, muſtarda Italorum &c. corrigunt hæc cruditatem acidam & humores viſcidos pituitoſos attenuant: 2. *Acida*, vt acetum: quod & potu & fotu conducit modice adhibitum, ſpiritus vitrioli, ſimplex & Veneris, quod eſurinum vocant chimici, ſpir. ſalis: ſunt qui ipſum fermentum panificum non inconſulto in pilulas reducunt, & pro ventriculi fermento vegetando propinant: corrigunt hæc cruditatem nidoroſam & pituitoſam. 3. huc refer tunicas ventriculi galliuæ, verum vix conſtans auxilium ab iis ſperandum, niſi forte per accidens, quatenus bilioſos humores pervertentes fermentum una abſorbent.

IV. Notandum quod optimo conſilio miſceantur, & ita diſponantur ſtomachica, vt & ad fermentum, & ad calorem habeatur reſpectus, quod fit mixtura vtrorumque, ſic ſpiritus ſalis dulcis, ſic elixir propriet. cum ſpiritu ſulph. maceratum conveniunt.

V. *Fermentum* vero *excedens* acrimonia, ſive ſalina, ſive bilioſa, quo & calida intemperies pertinet, corrigunt 1. tum *obtundendo*, *pinguia*, in bulimo, appetentia canina; tum *diluendo*, ut aquea; tum abſorbendo, vti *lixiva*, & præcipitantia terrea, quæ alkalina audiunt, ut lapides cancrorum, conchæ & teſtacea alia: Vbi notandum hæc ipſa quoque per accidens reſtringendo quaſi, & in ordinem redigendo præcipue acidum excedentem in ventriculo humorem, quandoque poſſe appetitum ciere & reducere, tum ſola, tum cum acidis mixta e. g. tragea ſtomachica *Quercet.* ſeu *Birckmanni*: Sic obſervavimus ſæpiſſime pulveres præcipitantes, v. g. vel ex ſolis conchis præparatis cum cinnabari nativa, excitaſſe appetitum. Attendenda enim eſt, tam proportio acoris in ventriculo p. n. ſe exſerentis; neque enim fermentum ventriculi legitime habet ſi exceſſive ſit acidum, tum vſus continuatio, omnia enim lixiva, omnia alkalina alias appetitum deſtruunt & fermentum enervant, unde in boulimo oleum tartari per deliquium, arcanum eſt. Sic a. *pervertunt fermentum*. 1. *dulcia*, quia mucilagine ſua ipſius acrimoniam ſalinam (ſcil. nimia quantitate ſumpta) obviſcant & obtundunt. 2. *acido ſalſa*, uti v. g. obſervatum eſt arcanum Tartari, laudatiſſimum alias medicamentum, frequentiori uſu appetitum dejeciſſe. 3. nitroſa omnia, illa quippe & calorem exſolvunt, & menſtruum ſalinum diſſolvunt, unde in nitroſorum uſu continuo reſpiciendum eſt ne turbas dent in corpore. 4. *Saturnina*, dulcia præcipue & terrea, vnde in ſacchari ſaturni, & inde præparatorum uſu cavendum ne lædatur ventriculus; 5. *lixivia vrinoſa* fortiora, vt ſpiritus ſalis armon. *Figunt* denique fermentum 3. & *obtundunt* opiata, quæ ventriculo ut tali non conveniunt, cujus prædominium niſi præpolleat, mane altero facile ſequitur vomitus, & ab opiatorum uſu dejicitur appetitus: Vti enim ventriculus ſulphure balſamico cocto & puro gaudet: ita ab immaturo, impuro, ingrato male habet; Conveniunt vero hæc recenſita in omni acredine exceſſiva, ſive cum

diarrhœa vel cholera ſit, necne item in cardialgia, vbi præter carminativa oleoſa, & anodyna temperatoria requiruntur; in cholera, ſingultu, ardore ventriculi, ſeu ſoda, &c.

V I. externa ſtomachica 1. debent eſſe *acida*, ut unguentum, acetum, 2. *aromatica* dicta, cum vino, ſive emplaſtri, ſive cataplaſmatis forma, Sunt que potiſſimum reſolventia & revellentia, ut in ſingultu, vomitu; item carminantia, tertia minus proſunt.

• V I I. Non obtundendus calor nimis calidis, quorum particulæ volatiles evaporant, reliqua vero craſſa terrena ſubſtantia ſubigi non poteſt; Sic raphanus ruſticanus convenit quidem moderata quantitate, ſed tantum robuſto ventriculo, debilem vero lædit: Sic apud *Platerum* Obſerv. p. 435. in defuncti Principis cadavere reperta fuit libra una zinziberis.

V I I I. In intemperie calida & ſicca vitanda ſunt acida, & uſurpanda acredinis expertia, vitandi etiam pulveres, niſi valde diluantur, alias adhæreſcunt: conveniunt vero mucilaginoſa: hinc ſpiritus vitrioli vel ſalis aſſumpti uſu crebro inducunt ſtomacho, ſpoliatus enim eſt nativa ſua fermentali viſcedine, unde facile ſequitur ejuſdem eroſio: contingit hoc præcipue in bilioſis, & qui vini potu nimis diſtenderunt prius tunicas ejuſdem, unde acrimonia plicis ejuſdem exſiccatis penitius inſinuatur.

I X. In alectatione cavendum ne alia viſcera lædantur, tum interne tum externe, & inprimis ne lædatur hepar, quod proxime accumbit, quod fit ſi mediocritatis terminos non excedamus.

X. Non obruendus ventriculus copia medicamentorum quorumvis, tum ſibi dicatorum, tum aliis, inde enim ut primum commodum, ita & primam labem ſentit. Sic & in Epiſcopo quodam Magiſterium perlarum fuit repertum, in aliis alia. *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac. pag.* 97.

X I. Vt in omnibus medicamentis, licet aliis partibus & affectibus determinatis, reſpiciendum eſt ad ventriculum, quomodo ea ferat, & ab iiſdem afficiatur: ita inprimis id quoque de ſalibus valet & accipiendum eſt: Laudantur equidem & præſcribuntur inter ſtomachica quoque *Salia lixiva*, uti v. g. ſal abſynthii & juniperi ingreditur pulverem ſtomachicum Birckmanni, Et alias eadem in imbecilitatibus ventriculi ſuum locum obtinent, ſed magis & fere tantum ſi acore extraneo inquinatum ſit fermentum, & cum aliis aromaticis; Vti enim hoc eſt ex omnium confeſſione ſalinum, Et ſi quæratur ad qualem claſſem ſalium, merito ad acidorum referendum, eſt enim in receſſu acidulum, exinde tamen non ſequitur quodvis, etiam fixius & exceſſivum, ventriculi actioni convenire, quin potius exinde ſequitur μάνωσις, nec ſpiritualcit chymus; Vnde acidum hoc in receſſu, volatile, vitale, utile audit: & licet aliquando nimio acore excedens appetitum augeat, vitioſus tamen ille eſt, nec evolutio hinc particularum commode fit; hinc eo ipſo in caſu, in appetitu canino & bulimo lixivioſa omnium optime proſunt: Sic curavimus aliquando hypochondriacum, qui ſatiari non poterat, oleo tartari per deliquium: *Media* vero *ſalia*, incidunt quidem & reſolvunt, aſt tono ventriculi, ſi diutius vſurpentur, & copioſius, adverſa evadunt; hinc tartarus vitriolatus, hinc arcanum tartari diutius & majori quantitate aſſumpta, tandem eundem lædunt: quo experimento facile patet 1. nec lixiva nec media ſalia majori, quam par eſt, quantitate, & uſu adhibenda; 2. colligere inde eſt non eſſe acidoſalinum eo ſenſu fermentum ventriculi, quod de natura ſit acidoſalſorum, ſed potius ſalinum eſſe, & inter ſalia ad acidum referri poſſe, licet non ita in abſtracto ipſa natura iſtud ſiſtat: Acida vero ſalia, vt ut nomine fere alio quam hoc veniant, ut talia, ventriculo grata ſunt: hinc acidum tartari fermentum ventriculi inſtaurat & roborat: hinc ſpiritus acidi eidem fini apprime inſerviunt: Aſt aliis acceſſoriis modificata minus id obtinent, unde alumen, vitriolum, ventriculum potius lædunt quam juvent, ob partes minerales metallicas adjunctas. *Idem Pharmac. p.* 184.

SVDORIFICA.

Vide *ſupra Alexipharmaca, Diaphoretica.*

SYLLOGE.

Cum cardiacis viribus conveniant. 1.
Differentia quoad materiam & facultates. 2. 4. c
Diætæ ſudorifica *efficacia, & ubi locum habet.* 3.
Morbi quidam ſudationem longam & iteratam requirant. 4.
Copiæ humorum & qualitati attendendum. 5.
Indiſtincte cuivis humori non competant. 4. c. 6.
Graciles facile tolerant. 7.
Qui humores per ſudores expelli poſſunt. 4. b
Virtus in quo conſiſtat. 8.
Quibusdam noxia. 15.
Sudores non movendi priusquam humores ſint diſpoſiti. 22.
Semel in die ſudor movendus. 4. a
Sudores pluribus vicibus movendi. 23.
In morbis acutis non ciendi. 24.
Non omnes ad ſudores cogendi. 25.
Sudor non diutius prorogandus. 26.
Abſterſio cutis provocat. 27.
Efficacia eorum ad reſtituendum ſanguini ſtagnanti motum. 39.
Sudorifica etſi ſudorem non movent, conducunt humorum præparationi. 22.
Tempus matutinum accommodatiſſimum eſt. 4. a
Sudor ſenſim incitandus. 26. a
Potus calens inter ſudandum ſumptus ſudorem promovet. 29.
Bezoarticum minerale *efficax hidroticum.* 29. a
Antimonium diaphoreticum *parum operatur.* 30.
Recenter debet eſſe paratum. 31.
Diæta Guajacina *qua vivuntur octavo quoque die ſunt purgandi.* 32.
Hidroticorum efficacia ad reſtituendum ſanguini ſtagnanti motum. 39.
Decocta ſudorifica quomodo impinguant. 33.
Male præmittitur bolus ex terebinthina. 34.
Salia *ſunt hidrotica.* 9.
Ligna *uſitata parum efficacia.* 10.
Sal & oleum Guajaci *ſunt fruſtranea.* 11.
Decoctorum vis a diæta annexa pendet. 12.
Guajacinum *quomodo parandum.* 14.
Prima decoctio ligni virtutem non ſatis elicit. 15.
China & Guajacum *ſimul non miſcenda.* 16.
Victus exquiſitus *non convenit cũ Chinæ decocto.* 17.
Lignum Saſſafras *caput petit.* 18.
Carduus benedictus *in ſubſtantia dandus.* 19.
Sudores per externa eliciendi ratio. 35.
Cante per ſpiritum vini *ciendus ſudor.* 36.

Radices aperientes *hidroticis parce addenda*. 57.
Hidroticum ſudorem non movens non ideo noxium. 38.

I. PHarmaca *Hidrotica*, quoad operandi vias & operationes cum Cardiacis pleriſque, ita vulgo dictis, magnam affinitatem habent, in tantum ut multa utriuſque generis uſus ſint communis ſive reciproci, cumque adeo potiſſimum quoad majorem aut minorem efficaciam differant, quoties à genere uno ad alterum tranſire incumbit, fere tantum opus erit dozin augere aut diminuere, & maxime idonea exhibendi tempora eligere. *Willis Pathol. Rat. p. m.* 194.

II. Quod ad variam materiæ tum ſpeciem tum apparatum ex quo medicamenta Hidrotica conficiuntur, illa ut plurimum mixti cujuſdam aut partes Integrales aut Elementares exiſtunt: Nempe aut concreta naturalia in tota ſubſtantia ſua, aut ſimplici aut extracta exhibentur, velut cum folia, radices aut ſemina, cardui, contrayervæ, angelicæ, aut ſimilium in pulvere, decocto, conſerva aut magiſterio ſumuntur: Vel Diaphoretica particulis hujus aut illius elementi, nempe ſpirituoſis, ſulphureis, aut ſalinis, vel ſimplicibus, vel quibuſvis aliis præpollentibus conſtant; veluti ſi ex carduo, aliove corpore vegetabili, minerali aut animali, aut ſal, aut ſpiritus, aut oleum extrahantur, & ſeorſim per ſe, aut cum aliis præparatis, in medicamenti formam redigantur: Singulas, aut ſaltem præcipuas harum ſpecies breviter perſtringemus. 1. Diaphoretica, quorum virtus in totius concreti particulis integralibus conſiſtit, inæqualiter miſta, etiam uno quodam elemento (vid. ſalino) præ cæteris eminenti pollere, eique virtutem ſuam potiſſimum debere videntur: Atqui ſal iſte, à quo vis *hidrotica* dependet, ſub duplici ſtatu occurrit, nam in quibuſdam concretis iſte Volatilis & acris vel amarus eſt: inque aliis Alkali ſatus & quodammodus fixus 1. In priori cenſu pleraque vegetabilia, à veteribus pro antidotis habita, uti folia ſcordii, cardui, ſcabioſæ, vincetoxici, flores calendulæ, chamomelis, rad. petaſitidos, zedoariæ, galangæ, &c. Item confectiones *Mithridatiu*, *Theriaca*, *Dioſcordii*, item *Gajaci*, *Buxi* aliorumque decocta ſimilia ponuntur: Cujuſmodi pharmaca, ventriculo ingeſta & diſſoluta, tincturam conſtituunt, cujus particulæ, ut pote calidiores & exoticæ ſpiritus animales exſuſcitant, unde præcordia vegetius actuata ſanguinem rapidius circumpellunt: Quin & ſanguinem in vaſis ſtomachicis ſcatentem ſubeunt & fermentant, ipſumque adeo dum verſus cor citatius per venas regeri faciunt, etiam in cauſa ſunt ut iſte per arterias in habitum corporis vehementer & ſudorifice propellatur. 2. Diaphoreticorum ſpecies altera, quæ dum ex miſti partibus integralibus conſtant, ſalem alkali præpollentem habent, ſunt lapides, & animalium de vegetabilium partes Oſſeæ vel Teſtaceæ, uti Bezoat, Margaritæ, Oculi & chelæ cancrorum & ſimilia, quorum virtus diaphoretica potiſſimum à ſale alkali procedit, quatenus nempe hujus particulæ Sali Acido tum in viſceribus tum in ſanguine interdum occurrentes, cumque eo effervescentes, proinde maſſam ſanguineam fundi, ejuſque ſeroſitates ſecerni, indeque ſudorem exſolvi faciunt. ij. Medicamenta hidrotica quæ poſt analyſin ſpagyricam particulis elementaribus aut his aut illis virtutem ſuam debent, è variis ſubjectis, & cum diverſimodo apparatu formata, potiſſime ſunt aut ſpirituoſa aut ſalina, aut utraque ſimul inter ſe, aut cum particulis aliquotis ſulphureis combinata: Nam quæ ſunt mere, aut magna ex parte ſulphurea, huic intentioni minus accommoda exiſtunt, quippe talia ut plurimum viſceribus infeſta ſæpe nauſeam, & non raro vomitum cient: Porro, quæ ob ſulphuris copiam oleoſa & pinguia ſunt, particulas ſuas intra ſanguinis maſſam non ita prompte inſinuant: Quo ritu & quali ſanguinis affectione, aut ſpirituum iſtæc altera diaphoreſin movent ſpeciatim diſquiremus: Et 1. ad Spirituoſa referimus *Aquas ardentes* & liquores quoſvis ſpiritu vinoſo præditos, cujuſmodi paſſim è vegetabilium fructibus, aut ſuccis ſemiocotatione maturatis, aut putrefactione reſolutis, arte chimica deſtillantur, uti ſunt *ſpiritus vini*, *baccarum juniperi*, *ſambuci*, *ceraſor. nig.* &c. hujuſmodi liquores vinoſi intus ſumpti, & quatenus ſpiritus animales erigunt, inque majorem expanſionem cient, & quatenus ſanguinem exagitant, & (velut olei ad flammam acceſſu) plus accendi faciunt, diaphoreſin movent. 2. Ad Diaphoreſin eiendam *Præparata Salina* varii generis, & diverſimodi ſtatus cum fructu præſcribuntur, quæ tamen non uti particulæ totius mixti, aut mere ſpirituoſæ, ſanguinem vel ob heterogeneitatem exagitant, vel inflammabilitatem accendunt, at ſolummodo in ſalinas ejus particulas agendo, quas dum in amplexus ſuos rapiunt, à combinatione cum aliis nimis ſtricta avellunt, proinde ut laxata ſanguinis compage, & pulſu aucto, ſeroſitates ſuperfluæ, aliaque recrementa facilius ſecedere, perque ſudorem amandari poſſint: Ad hunc centum ſales cujuſque fere ſtatus, præſertim vero *ſal Volatilis Fluidus*, *Fixus*, & *Nitroſus* referri debent, ex quibus ſingularibus, aut intra ſe compoſitis, Diaphoretica præcipuæ notæ componuntur, quæ intus ſumpta, atque talibus aliis, tum intra viſcera, tum intra maſſam ſanguineam ſcatentibus occurrentia, eoſque a particularum aliarum complexibus avocantia, ſanguinem reſerant ac rarefaciunt, proindeque ad diaphoreſin diſponunt: 1. Diaphoretica, quorum baſis ſunt miſti partes integrales, in quibus itidem ſal acris ſive volatilis præpollet, ſub hac ratione ad ſudorem provocandum ſæpe conferunt quatenus eorum particulæ in ſanguinem admiſſæ, cum immiſcibiles, ſimulque indomabiles fuerint, maſſam ejus exagitant, valde dividunt, ac quaſi in minutias diſtrahunt, proinde demum ut cruoris compage plurimum laxata, atque in effervescentiam acta, una cum pharmaci particulis, propter heterogeneitatem eliminandis ſeroſitates ſuperfluæ, atque ſanguinis recrementa ac corruptelæ foras rejiciantur: 2. medicamenta Sudorifica, è mixti partibus elementaribus parata, pro baſi habent, aut ſpiritum, aut Salem, modo ſimplicem, modo cum ſale altero, vel cum ſulphure combinatos, ad Diaphoretica, quorũ baſes ſunt ſpiritus cum particulis aliis elementaribus combinatis (E. g. ℞. mixturæ ſimpl. ℥j. detur in convenienti vehiculo) referuntur quæ ex ſpiritu, ſale fixo, aut ſulphure combinatis conſtant: cujuſmodi ſunt tinctura ſalis tartari & antimonii, quarum doſis ℈j. ad ℈ij. in aliquo liquore: Porro aquæ deſtillatæ, in quibus particulæ ſpirituoſæ aquoſis diluuntur, ad ſudores movendos ſæpe cum fructu exhiberi ſolent: Aquarum prædictarum doſes actuari poſſunt adjectione liquorum, aut ſalium Chymicorũ: Hujuſmodi medicamenta ſpiritu vinoſo prædita ſenibus, item temperamento frigidiori præditis, atq;

paralyſi, aut hydropi obnoxiis præcipue ac fere tantum conveniunt: In conſtitutione autem calida, cumque adeſt viſcerum æſtus, aut ſanguinis effervescentia febrilis, quatenus iſta rarefaciunt, & hunc plus nimis accendunt, obeſſe potius quam juvare ſolvent. Diaphoretica, quorum *baſis ſalina eſt*, prout variæ ſunt indolis, videl. (juxta quod Sal volatilis, fixus, acetoſus, aut nitroſus exiſtit) ita diverſimodi ſunt uſus & operationis, hinc in quibuſdam caſibus melius hæc, in aliis illa vel iſta adhibentur. 1. *Sal Fixus & Volatilis* maxime conveniunt iis quorum ſanguis ſeroſo humore plurimum ſcatet: Inſuper ſi quando ſuccus tum viſcera tum nervoſum genus irrigans in acorem vergit, prout habere ſolet in hydropicis, cachechymicis, & qui affectibus ſpaſmodicis obnoxii ſunt, medicamenta iſta ad ἱδρῶσιν ciendam utilius adhibentur: quin dum particulis humorum acido ſalinis occurrunt, cumque iis combinantur, ſanguinis compagem reſerant, ſimulque ob miſturam heterogeneam ejus maſſam exagitant, hinc ut ſeroſitates facilius ſecernantur & exterius per cutis poros adigantur. 2. Diaphoretica quæ pro baſi ſua ſalem nitroſum habent, in iiſdem fere caſibus ac ſuperiora ex ſale fixo & volatili conflata juvare ſolent, quatenus nimirū ſalis acidi præpollentias deſtruunt, adeoq; ſanguinis miſtionem diſponunt, ut dum effervescit ille ſerum & recrementa ejus facilius ſecerni & amendari queant: 4. Diaphoretica, quorum baſis eſt ſal acidus, præcipue contra ſalis fixi ac ſulphuris præpollentias valent, Si quando nimirum ob particulas ſalino fixas cum ſulphureis vel terreſtribus combinatas ſanguinis maſſa obſerata nimis & conſtricta evadat, ut ſeroſitates ſuas per ſudores amandandas haud facile dimittat (prout interdum in febribus continuis & affectione ſcorbutica fieri ſolet) Sal acidus à medicamine exhibito ſali fixo in corpore occurrens, inque amplexus ſuos rapiens, combinationes ejus iniquas tollit, proindeq; ſanguinem effervescentem reſerat ac in ἱδρῶσιν diſponit. 5. Diaphoreticorum claſſi quædam mere, aut maxima ex parte ſulphurea vulgo accenſentur, uti nimirum Balſama quædam naturalia, aliáque factitia, inſuper olea chymica, & imprimis Guaiaci, Buxi, Camphoræ, C. C. & Fuliginis, item lignorum ponderoſorum extracta reſinoſa, cum multis aliis, quæ ſudori ciendo licet per ſe parum efficiant, attamen aliis ſalinis conjuncta haud prorſus inutilia fore arbitror, quatenus in conſtitutione frigidiore & nimis phlegmatica, ſulphureo ſalina, haud minus quam ſpirituoſa, ſanguinem nimis aquoſum rarefaciunt & ad liberius evaporandum diſponunt. *Willis Pharmac. Rat. p. m. 296. & ſeq.*

III. *Diæta Sudorifica* baſes ſunt *liquorum decocta*, pro luis Venereæ & quorundam aliorum affectuum chronicorum, in ſanguine & humoribus altius radicatorum curatione. Enimvero pro morborum quorundam ſanatione ſudatio valde intenſa & crebra, videl. per longum tempus aſſidue requiritur, nēpe ut viſcerum & humorū non tantum impuritates & corruptelæ expurgentur, verum & tincturæ morbificæ iiſdem altius impreſſæ deleantur prorſus ſeu velut eradicentur: In hunc finem non ſatis erit pulverē, aut bolū ſudorificum per vices quaſdā exhibere, verum Diæta integra in hunc ſcopum inſtitui debet: quare potus omnis ſit decoctum, ſudorificum, poſt cujus duxin mane quoq; aſſumptum, adhibito inſuper balnei aut laconici calore, ſudatio copioſa provocetur: Deinde cum hac ratione, & cutis pori reſerantur, ſimulq; natura ad diaphoreſin inclinatur, toto pæne tota die ſanguinis & ſucci nervei recrementa per διαπνοὴν, idem potus aut ... continuatam evacuent. Hac methodo non tantum lues venerea ... & plerumque certiſſime curatur, ſed & alii quidam morbi Heremici interdum feliciter ſanantur. *Idem ibidem. pag. 102.*

IV. Humores qui per Sudorifera expelluntur ſunt vel tenues excrementitii Nitro ſulphurei, vel ſeroſi, iiſivloſi, acidi, fœtidi, copioſi, tingentes, pauci, particulares, univerſales. Saporis præſentia dictorum humorum ſæpe dat indicia; ſudores ſcorbuticorum febricitantium proprii hos ipſos probant: Sudores acidi ac fœtidi ex ... ſi ... elevati acida in ſenibus & hypochondriacis ſpleneticis frequentiſſimi. Serum enim copioſum facile ſale ſylveſtri volatili, ſcoriis tincto ſulphureis contaminatur: hæc aliena qualitas à ſero combibita multorum morborum fit occaſio, dum fermentales viſcerum proprietates corrumpit, partim inde irritat Archeum, qui myaroſin adſumens varias excludit affectiones. *F. Hofmannus m. m. p. 158.*

IV. *a. Tempus ſudoris promovendi* convenientiſſimum eſt matutinum, & quidem ſtomacho vacuo. Tunc enim & facilius & copioſius prodit ſudor, nec metus eſt ullius noxæ, quam merito metuimus ſi poſt aſſumpta nuper alimenta urgendus foret ſudor. Aliud enim eſt inter prandendum cœnandúmque, aut paulo poſt aſſumere prædicta Decocta, non quidem ad ſudorem movendum, ſed ad pituitam incidendam corrigendamque, atque humores acidos temperandos. Aliud autem ad ſudores mox expellendos, & quidem potenter, quemadmodum enim probo iſtud, ſic etiam hoc improbo. *Sylvius de le Boë Append. Tractat.* 4. §. 244. Vide §. 21.

IV. *b.* Utiliter per ſudores minuuntur vacuanturque Humores non omnes, ſed quidam tantum, non ſanguis, non bilis, ſed pituita quævis, ſerumq; omne tam aqueum quam ſalſum muriaticū, acidum & auſterum. Pituita vero glutinoſa, cum ſit ad motum minus apta, prius, vel ſimul, incidi debet, attenuari & fluida fieri, quo facilius queat per ſudores, aut cum ſudore foras propelli, ſic humor auſterus, acidusque præparari debet ad ſui per ſudores expulſionem: Notatos humores per cutis poros, adeóque ſudores propelli expellique patet ex ipſo ſudore, qui aliquando glutinoſus prodit, ſæpius aqueus & inſipidus, aliquando ſalſus muriaticus, aliquando etiam vel acidiuſculus vel auſteriuſculus, ſudorem amaricantem quoque, licet rariſſime, manare exiſtimo; quamvis nunquam obſervatum hoc à me aliiſque factum Arte, adeoque medicamentorum ope, ſed fuit is ſpontaneus. *Idem m. m. lib. 1. c. 21.*

IV. Humor *aqueus & inſipidus*, cum facile moveatur ac emoveatur, à quovis expelletur ſudorifero: *Humores* autem *glutinoſus* ab iis tantum quæ vim habent ſimul humorem talem *Incidendi & attenuandi*. *Humor ſalſus, muriaticus & acidus, auſterusve* cedit præſertim ſalibus volatilibus, & ipſorum motum ſequi ſolet ad corporis ſuperficiem. Adeo ut, quemadmodum de vomitoriis, num dicere quoque debeam de *Sudorificis, ipſa diverſa eſſe ſecundum humores quos educant*; Quod hactenus obſervatum non fuiſſe ſatis mirari non poſſum. *Idem ibid.* §. 8. *&c.* Inter *Sudorifera* nunc cranio, vulgo Radices *Apii, Bardanæ, Angelicæ, Fœniculi.*

Pimpinell. Zedoar. Gentiana, Contraierva, Imperator. &c. quæ omnes cum fint *Aromatica*, hactenus videntur ſudorem movere quatenus *Humorem pituitoſum, glutinoſum incidunt atque mobilem faciant*, atque ita eum quaqua verſum propellunt, adeoque ad cutis quoque poros: Quin eædem Radices quatum nonnullæ *amaricant*, aliæ aliter ſunt *acres*, *Acidum* quoque atque *Auſteram*, ut & *Salſum muriaticum*, plus minus temperant corriguntque, & ſic quoque Sudores promovent ab illis impeditos in multis morbis: Huc referri debent *Folia Cardui bened. ejuſque ſemen, capillus ven. ſcabioſa, flores papaver. erraт. ſambac. chamæm. centaur. min.* &c. ut & *Ligna Guajacum, Saſſafras, Iuniper. Quercinum, Buxinum* &c. quæ omnia ſimili modo juvant, poſtquam vel *Pituitam viſcoſam* incidunt, vel *humores Acidos, Auſteros*, ſalſoſque muriaticos alterant & corrigunt. Huc referri debent omnia *Salia volatilia C. C. Urina, Salis Armoniaci, Oſſium, Sanguinis, Ungularum, Cornuum*, quippe quæ idem præſtant, & modia omnibus juvant. Quin *Lapis Bezoar, & Orientalis & Occidentalis, Acidum infringat ac concentrant*, & potentius *Lapis de Porco*, cum valde amaricet, quod etiam teſtantur de *Lapide Bilis humana*, Idem dicendum de *Oculis Cancri, Corallis, Margaritis*; conchis & ſimil. quæ *Acido* peccante uſurpata non ſemel ſudorem movent: Hoc imprimis verum de *Opio*, cujus præſertim ratione ſudores movet omnia opiata, Opium ſi quidem ſuo amarore *Pituitam incidit, Humores acidos, auſteros* & ſalſos temperat, & ſic quoque ſudores promovet. *Terra Sigillata* in ſe continet quod omne *acre* temperat, cujus ratione ſudorem quoque promovere videtur. *Antimonium diaphoreticum* & *Bezoarticum minerale* quodvis, quatenus fixum eſt redditum, & quidem ratione ſui ſulphuris, *omne Acre temperat*, & ad mediocritatem reducit, & ſic quoque ſudorum propulſionem promovet, *Mercurius præcipitatus diaphoreticus*, ex Mercurio ſublimato corroſivo, in aqua decoctione ſoluto, per affuſum oleum Tartari, per deliquium paratum, præcipitato, & edulcato factus, Sudorem quoque movet Pituitam glutinoſam ſolvendo, Unde obſtructionibus quoque conducit. *Idem* §.14. & *ſeqq.*

V. Quoad quantitatem humorum qui educuntur per *hidrotica*, etiam εὐφορία valet ſenis noſtri, quam Medicus συνετὸς facile aſſequi poteſt, Et non ſæpe copia valet humorum, ſed illud quod lædit: cum ſodore, tanquam vehiculo, ſi extrudantur, res ſalva eſt, εἰ οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρονται ξυμφέρει. Hinc magnum errorem qui abſolutâ & plenam cacochymiam, ut pote in Hydrope, ſudoriferis expellere conantur: hoc quidem in lue venerea interdum conducit, verum in hoc caſu, & interdum tantum. *Frid. Hofmannus m. m. lib. 1. c. xi.*

VI. Sudoriferorum uſus ejuſmodi competit affectibus, quorum cauſam natura ſpontaneo ſæpe motu ad corporis habitum protrudit: Alioquin indifferenter tum ratione affectuum, tum ratione ipſorum ſudoriferorum ſudores non ſunt provocandi: Sin igitur humores tenues, aquoſi, nitroſulphurei, acidi, ſalſi &c. in corpore adſint, & à digeſtivis ad excretionem apti facti fuerint, aut alii qui facile à medicamentis poſſint attenuari, exuberent, facilis eſt ac tuta ſudoriferorum applicatio, correſpondente in primis morbi idea, viribus corporis, ac viſcerum internorum diſpoſitione. *Frid. Hofmannus m. m. lib. 1. cap. 11.*

VII. Obeſi temere non ſunt macerandi ſudoribus: Graciles, cutem mollem & laxam habentes ad ſudorem maxime ſunt diſpoſiti, *Vidus Vidius lib. 11. de Car. generat.*

VIII. Medicamenta ſudorifica pauca vera ſunt, & inter hæc excellit Opium. Quod enim Theriaca, quod Mithridatium ſudorem movent, hoc omne ab admixto faciunt Opio. Expertus ego ſum hæc duo Electuaria abſque opio præparata ſudorem protſus non moviſſe. *Walæus meth. med. p. 65. Goſaerius in Epiſtolis.*

IX. Præter Opium ſudores movent Salia, facultate nempe ſua fuſoria, verum depurata ea ſint neceſſe eſt; hinc Sal commune & gemmæ nihil ſe in eliciunt. Omnes herbæ quæ multum ſalis in ſe continent, multum etiam ſudoris eliciunt, utpote abſyoth. card. bened. dixit ʒij. alias inefficaces. *Idem.*

X. Commendantur quidem ad ſudores movendos, in lue venerea, ligna Guaiacum, Saſſafras, Salſaparilla, China & Saponaria, verum primum illud parum operatur, reliqua quatuor protſus nihil. *Idem.*

XI. Quod de ſale, oleo, extracto ligni Gaiaci glorientur, meræ ſunt nugæ: & memini ego magnatem aliquem à nugivendulo egregiè deceptum fuiſſe, ut pote: qui ex centum libris hujus ligni olei non plus quam ℥j elicere potuit. *Idem.*

XII. Error eſt recentiorum qui ad fluxiones decoctionibus ea aquâ utuntur, cum conſtet quæcunque ſub forma potus aſſumuntur, etſi facultate ſint ſicca, humiditatem ſemper augere in corpore, præſertim ſi inter cibum aſſumantur. Deceptos autem fuiſſe Medicos prædeceſſores noſtros conjicio à Diætâ, *preſcribi ſolita iis qui decoctis hidroticis utuntur*: Qui cùm obſervaſſent nonnullos à diuturnis deſtillationibus vexatos ex Guajaci decocto, aut Salſæparillæ, aut ſimilium quæ pro curatione Gallicæ luis aſſumpſerant, ab iiſdem fuiſſe ſanatos, decocta ea lignis & radicibus exſiccantibus, quibus nullus antea in hunc finem uſus fuerat, deſtillationum curationi tradiderunt: iiſque curatio feliciter ſucceſſit, quouſque exactam illam Diætam expectaſſato pane, cum paſſulis, ad ſtatetam limitato, à vini potu omnino abſtinentes obſervarunt: Verum poſtquam noſtri ægrorum querelis indulgentes, & carnes, ova, vinumque exhibere cœperunt, rarò admodum inde curari deſtillationes obſervatum eſt. Argumentum evidens, non à decocti facultate, ſed ab exſiccanti diæta catharros in illis curatos fuiſſe: Quod tamen non animadvertentes, difficultatémque curationis in morbi contumaciam referentes, ab hujuſmodi decoctis abſtinere adhuc neſciunt, imo iiſdem ſæpius repetitis, hypocauſtiſq; adjunctis, quibus humiditatem ad cutem violentia trahunt, ſudoribus miſeros ægros cruciant, & quod pejus eſt, ſæpe ſæpius humores adurendo, viſcerumque naturalem temperiem pervertendo, catarrhos, ex ſui naturamites & placidos, acres & ſalſos reddunt. Non conſiderantes contrariam penitus viam pro ejuſdem humiditatis eductione Hippocr. 1. de morb. mulier. ſect. 3. v. 183. uſum fuiſſe &c. *Proſper Martianus comm. in dictum locum.*

XIII. Sæpe obſervavi melancholicos, quibus epar æſtuabat, nimio Guaici uſu elephanticos factos. Alios qui calidiori eſſent epare, niſi diluriſſimum potum ſumerent, eùmq; ea ligno, longè à cortice remoto concinnatum, lſterum aliáq; mala ſævilſima ſibi peperiſſe. *H. ab Heers obſ. 21. ubi hiſtoria juvenis qui à repetito uſu decocti Gaiacini leproſus evaſit.*

XIV. In

XIV. In decocto *L. Gaiaci* parando eò potiſſimum reſpiciendum ut oleaginei atque acidi ſpiritus, ratione ſuæ tenuitatis alias ſecundum communem pharmacopœorum coctionem facillimè exhalantes, quâ arte id fieri poteſt conſerventur, utpote cùm horum beneficio vis ſudorifica potiſſimum Gaiaco inſit, quæ præſtantior redditur ſi ex foecibus calcinatis Sal ſpagyricè extractus eidem commiſceatur. *Gr. Horſtius Decad. 2. qu. 9.*

XV. Errant longe qui decoctione prima vires Ligni exhaurire ſe poſſe arbitrantur. Itaque ſecundum decoctum primo interdum fortius eſt. *Crato apud Scholtzium Epiſt. 158.*

XVI. *China & Guaiacum* cum diſſimilem habeant naturam, ſimul miſcenda non ſunt: quod potiſſimum colligo ex utriuſque decoctionis duratione. Chinæ quippe decoctum non durat ultra horas 24. quin ſtatim putreſcat, at ligni Gajaci perdurat uſque ad octo dies: Dices decoctum ligni & radicis unum eſſe, & non amplius quam die, uno illo eſſe utendum, ſic impediri periculum putredinis, ♃ hoc quidem admiſerim, ſed non fit propterea quia ſuſpecta ſit hujuſmodi permiſto, quia decoctum Chinæ facile putreſcens ſuam exercet operationem: at ſi admiſceatur aliquid quod mutet naturam hujus decocti, mutabitur etiam ejuſdem operatio, quæ ſemper connexa eſt cum propria decoctionis natura: Deinde verò dicerem experientiam docere invicem non ſeſe compati hæc duo pharmaca: volui certe in gratiam quorundam Medicorum admittere, & certe nunquam inveni bene contuliſſe. *Hor. Augenius Tom. 2. l. 2. p. 379.*

XVII. *Chinæ decoctum* non etiam poſtulat in victu exquiſitâ rationem quam ligni Gaiaci aut Salſæ decoctû exigit. Nam Indi & Hiſpani negotiis etiam extra domum incumbunt dum hoc putant decoctum, & quidvis obviam comedunt, etiam piſces, Nos verò in Italia nunquam tantam noſtris concedimus ægris licentiam, quia non permittimus exire domo, nec piſces edere, nec alia ſanorum alimenta; licet exquiſitum abhorreamus vivendi modum, quem etiam atque etiam in Gajaco commendamus. *Idem ibidem.*

XVIII. Lignum Saſſafras multis affectibus conveniret niſi plus ſatis exhalaret in caput. *Bened. Silvat. conſ. 38. cent. 1. & conſ. 87. cent. 3.*

XIX. *Carduus benedictus* plus in ſubſtantia operatur quam in decocto, ubi ℥v. conveniunt detur pulv. ʒj. *Walæus meth. m. p. 67.*

XX. Mirum Practicos *Syrupum* illum qui *S. Ambroſii* dici ſolet, non adhibere, quippe qui nervos atque univerſum corpus magna vi, largóque ſudore peccantibus levat humoribus: hunc ego multis ſæpe exhibui, ubi ſcil. nec Salſa, nec China, neq; lignum S. ſudorem ullo modo provocare potuerant: hoc verò uno remedio jam large ſudarunt, plane ut convaluerint. Quod mihi quidem accidit, qui Præclaro cuidam, xxv. dies bis in die ſalſam patillam cum exhibuiſſem, nec alio quovis modo ſudorem elicere poſſem, hoc demum ſyrupo tantum ſudoris emanavit, malum ut omne evanuerit. Idque ipſum in curandis aliis mihi quoq; fœliciter accidit. Sumatur milium, quod probe decorticatum, deinde in olla in qua ſit aquæ q. ſ. bulliat quoad coquendo tumeſcat & crepet: unde poſt ſeptem octóve unciæ ejuſmodi decocti ſumantur, quæ tribus quatuórve unciis vini Græci miſceantur, quam potionem calidam quidem totam ſumat æger in aurora, ſudorem expectans, &c. *Scholtzius conſ. 5.*

XXI. Perſuaſum mihi ſemper habui optimum eſſe conſilium ſemel tantum in die laburantes ſudare; Eos namque bis die ad ſudorem cogere grave eſſe & periculoſum ſæpe experientia monſtravit, cum labore & reſolutione facultas plurimum labatur, cujus in ſudoribus opus habemus ad humores tenuandos fundendos ac expellendos; præſertim cum hujuſmodi actiones propius pertineant ad naturam quam ad medicamenta: Quo fit ut ejus defectu ſæpius laborantes nihil aut parum ſudent, idque potius ex utili quàm inutili materia prorumpat, defectu facultatis non valentis nobis adminiculari. *Mercatus de Indic. med. l. 1. c. 5.*

XXII. Corpus tribus modis ut *Sudori reddatur pronum*, parari debet: 1°. diminuta humoris quantitate 2. univerſum corpus molle ac laxum reddendo & poros aperiendo, 3. craſſos humores adeo tenuando ut per quoſvis anguſtos meatus facile permeent: Docendum tamen quâ viâ id commode fiat, ſi quidem fruſtra plures miſerè torquentur ſudorificis apparatibus & cooperimentis, quibus plus fatigatur facultas, quam ut quid utile illa præſtare poſſint. Atqui medicamenta quæ id efficiunt eadem eſſe oportet quæ & ſudores provocant, quæ quidem calore & humiditate humores calfaciant: hæc tamen intereſt differentia quod ſumptis his medicamentis, ſolum præparandi gratia, laborantes nullomodo ſunt cogendi ad ſudorem, ſed aut ad quietem aut ad ſomnum, citra ſudorificum apparatum: quibus equidem hac lege utor, quod exhibita mane decocti alicujus l. q. ſupra teporē calidi, eam ſummo mane laboranti porrigo, ac ſudare interdico: ſimilemq; potionem, multo poſt levem cœnam iterum exhibeo, & ſequenti die ſummo mane ſudatorium præbeo, laboranteni tegumentis ad ſudorem præmuniendo. *Mercatus de Præſid. medic. uſu.*

Priuſquam ad ſui per ſudorem expulſionem apti ac diſpoſiti fuerint humores in corpore peccantes, cum ægrorum damno & noxa urgetur ſudor, qua vel nullus prodibit, aut nonniſi violentus, unde neceſſario debilitabitur æger. Hoc quoties conatur Medicus, toties teſtatur ſimul ſe imperitum eſſe in Arte. Hoc incommodum non ita difficulter cavebit Medicus operi ſuo attentus. Si 1. ex ſymptomatibus præſentibus, atque diæta prægreſſa, verum humorum virium eruerit; Si 2. (ubi ſudorifica medicamenta illi ſuperando apta erunt) talia ſelegerit quæ deſideratum effectum producere poſſint. Si 3. ſudorem valde non urſerit, verum blande agendo, ad ſudorem fovendum corpus rite ſatiſque diſpoſitum fuerit obſervaverit, & à ſudoriferorum iſtorum uſu ulteriorem humorum præparationem ac emendationem expectaverit: Si namque uſurpaverit talia ſudorifera quæ humori peccanti corrigendo emendandoque accommodata fuerunt, quamvis nullus prodeat Sudor, proficiet tamen in humorum vitioſorum emendatione, atque ad ſudorem poſtea facilius eliciendum præparatione. Sudorifera enim, humoribus vitioſis alterandis emendandiſque apta, ſemper cum fructu uſu uſurpantur, ſi corpus tegumentis non valde nimiúmque operatur, *Sylvius de le Boë Appendicis Tract. 4. §. 225. & ſeqq.*

XXIII. In provocandis ſudoribus mirum naturæ artificium ars æmulatur: illa enim nuſquam ſemel per ſudorem in febribus & aliis morbis evacuat, ſed ſæpius ac per intervalla, quod longa obſervatione comprobatum eſt ſenſim ſcil. attenuata pituitæ ac flavæ bilis parte, in halitúſq; majore ex parte cōverſa. Ergo ut naturæ impoſſibile, vel difficile totā ſimul

attenuare materiam quæ peccat, ut in unicum ſudorem prorumpat. Sic Ars à natura exemplum ſumere debet, *Idem c.12.*

XXIV. Diſſidet tamen Ars à natura in hujuſmodi vacuatione, quia hæc nuſquam tuto & ad ſalutem ſudores molitur, niſi in acutis, ut qui ea humoribus fiant tenuibus, & qui adhuc ulterius tenuari facile poſſunt ac in halitus facile converti. Ars vero nũquam ſudores movere jubet niſi in difficillimis ac longis morbis, etſi ea craſſa fiant materia. Ratio eſt, quia medicamenta quæ ſudores movent morbi acuti omnino renuunt, nam cum plus juſto calidi ſint, ab iis medicamentis, quæ etiam calida ſunt, plurimum exaſperantur. *Idem ibidem.*

XXV. Qui pulmones habent calidos, illi tenues obtinent humores, & proinde ad ſudorem proclives ſunt, ita Phthiſicos ſudoribus continuis ferme diffluere videmus, & in tantum debilitari ut Medicus neceſſe habeat ſudores impedire. *Walaus meth. med. pap.66.* Errant qui ſudores in hydropicis cient uſu decocti Guaiacini; Potius enim ex lapide aquam elicueris quam ex jecore arefacto aut refrigerato ſudorem. *Enchir. med. Pract.*

XXVI. Male rebus conſulunt ſuis qui continuando ſudorem ægrum quatuor vel quinque horarum ſpatio ſudare jubent, ſufficit hora una vel altera ad ſummum. Cavendum ne carnes colliquentur nimia *διαφορήσει*, & ita cùm multùm prodeſſe ſtudemus, plus noceamus. Tyrannici conſilij eſt committere ut corpus digeratur ſudore & anima deficiat languore: Tantum ſudori indulgeatur quantum citra languorem natura ferre poteſt: argumentũ hujus pulſus plenus & ſui juris. *Rolfinc. meth. p.576.*

De Diæta hidrocatharctica vide tit. de Purgatione §.51.

XXVI. *a.* Conſtat experientia quotidiana, aſſumptis crebrius ſudoriferis, ſed benignis, ægroque mediocriter nec nimium tecto, Sudorem, qui prius non prodibat, ſenſim prorumpere, & quidem cum magno ægri commodo. Quinimo ſi à frigore externo coarctati ſint in corporis ſuperficie pori, aut ibidem coagulati potius humores pituitoſi, eoſdem obſtruentes, atque ſic ſudorem impedientes, aſſumptis ſudoriferis ex incidentibus paratis, diſſolvetur iterum eadem pituita, ſolvetur obſtructio, aperientur pori, atque ſudori poſtea ſecuturo parabitur denuo via. *Sylv. de le Boë Appen. Tract.7.* §.311.

XXVII. *Galenus* 8. meth. c.8. diariam ex meatuum conſtipatione curaturus, ad ſudoris provocationem abſterſionem commendat, quod placitum eſſe verum ex eo fit manifeſtum, quia ſi ſudor abſtergatur, mole ſua corporis ſpiracula non obſtruendo, novi provocat adventum. Deinde abſterſio fit cum frictione, quæ evocat calorem, aperit poros, & humores à centro ad circumferentiam trahit. *Paulus* contra lib.2. cap.47. Sudores in criſi erumpentes excipiendos eſſe affirmat, quamdiu ſatis vacuatum fuerit: adjuvare enim, *ait*, calore mediocri & quiete, adeo ut neque abſtergantur, quoniam alius quoque alium elicit &c. *Et infra*, Cum vero ſudores largius eruperint, tunc abſtergendo levandoque operimenta, levare convenit, etenim laſſant ſupramodum excidentes, ut in ſyncopen frequenter perducant &c. Si ergo detergendus eſt ut non provocetur, ut provocetur detergendus non eſt, nam ſudor calore ſuo cutis ſpiracula retinet aperta, & ad habitum humores trahit: Concilia dicendo, *Paulum* multam & duram frictionem inhibere, quæ ex ipſius mente, corporis molem deprimit, reſolvit, debilitat, corpora denſiora & ſudori inepta reddit, *Galenum* de molli & leni audiendum.

XXVIII. Potus defectus ſudoris motum impedit, quatenus deſideratur ſæpe in ſanguine pars aquea, quæ ſalias & pituitoſas diluat, & vehiculi loco ipſis ſit ad ſudorem educendum. Unde manifeſtum fit quorundam erratum ſatis grave, dũ ægris ſuis, etiam ubi ſudorifera ipſis præbuerunt, & ſudor erumpere non vult, aut nequit, potum denegant, etiam calens juſculum: hinc non raro animo penè linquuntur, & præ humiditatis defectu deficiunt; cum contra ſi potus illis moderatus, ac præſertim calidiuſculus exhibeatur, obſervenrur facilius & copioſius ſudare ægri. Hoc monitum practicum, tanquam millies cum ſummo ſucceſſu expertus, omnibus ac ſingulis commendo Medicinam aliquando facturis. *Idem Append. Tract.2.* §.308.

XXVIII. *a.* Sudorem cum prolicere ſtudeo, ſtragulis ægrum obruere jubeo, ac lacinjam laneam ſincipiti alligari, quæ quidem capitis obtectio ad ſudorem ciendum plus proficit quam quis facile crediderit. *Sydenham obſervat. in Acut. p.152.*

XXIX. Non tantum intra corpus aſſumpta medicamenta, quin & *Potus calens* affatim hauſtus ſudorem movent & emovent, verum externa quoq; plurima, Sic ſolus aër arte calefactus, & Balneum ſiccũ conſtituens in hypocauſto, vel ad ignem luculentum ſedendo ſudorem potenter elicit; atque ubi Humiditas aquea in corpore redundat, ſic ſatis facile ac feliciter per ſudores expellitur, uno item *humor auſterus*, vel *acidus*, vel *ſalſus muriaticus*; quamvis humor glutinoſus poſſit quoque ſic & attenuari & expelli per ſudores, dum modo ſatis diu continuentur, ne humor idem igne ſolutus, & quaquaverſum propulſus coaguletur denuo in vaſis capillaribus, ibiq; obſtructionem pariat, & mala plurima eam conſequentia. *Sylv. de le Boë meth. med. lib.* 1. *c.*11. §.27.

XXIX. *a.* *Bezoarticum minerale* præparatur ex butyro antimonii, cui affunditur ſpirit. nitri vel aqua ſtygia. Vbi obſervandum quod dum liquores acerrimi cõmittuntur, mox ſales ſibi invicem occurrentes ſtricte cõbinantur, interim particulæ ſulphureę, quæ uberi copia ſuppetunt, prorſus excluſæ avolant, atq; ſalina quædam corpuſcula ſecum auferentes, calorem & fumum valde tetrum cient: dein his abactis, ſalinæ relictæ cũ aliquotis antimonii terreis ſtrictius cõbinantur, demumq; ignem paſſæ, ut ſulphur emeticum penitus exhalet, atque ſalium aculei corroſivi deſtruantur, Diaphoreticum inſigne conſtituunt, in quantum ſcil. medicamenti ſales diverſimodi, corporis noſtri ſalibus occurrunt, quibus dum uniuntur, ſanguinis & humorum compages laxantur ut recrementi ſeroſi exitus pateſcat: Doſis ℈j ad ʒj. *Willis Pharmac. Rat. p.m.* 208.

XXX. *Antimonium Diaphoretici* nomine quamvis inſigniatur, neſcio cujuſmodi ejus particulis hæc virtus tribui poſſit, atq; talem effectũ ab hoc pharmaco ſæpius fruſtra expectavimus. Pro ſiſtendis ſeri aut ſanguinis fluxionibus non raro cum fructu adhibetur, eo quod hæc terra propriis ſalibus orbata, alienos (quibus forte in corpore occurrit) acidos ſales imbibit: qualem energiam crocus martis, per reverberii ignem paratus à ſimili cauſa obtinere videtur. *Idem ibidem.*

XXXI. *Antimonium diaphoreticum*, ad promovendam expulſionem, ſpeciebus de Hyacintho, pulveri rubro Pannonico & aliis recte adhibetur, Notandum vero id rite & recens præparatum eſſe debere, inveteraſcens enim ad ſui naturam & vim emeticam redit. Unde conſulo illis pulveribus nunquam miſcendum Antimonium, niſi

quo

quo tempore eo uti velis, ſervato ſcil. utroque ſemper ſeparatim. *Ign. Franc. Tittermair. conſ. lib. 1. cap. 7.*

XXXII. Medici memores ſint eos qui *Guaiacina* vacant *Diætæ*, ſi non octavo vel decimo repurgentur die, ac niſi alvus ſemel quotidie reſpondeat, ſymptomata incurrere graviſſima. *Heer de Acidulis pag.* 100.

XXXIII. Paradoxon iſtud pro endoxo plerique jam habent, *guaiaci, ſalſæ, ſaſſafras, chinæ & ſimilium decocta impinguant*, Quod *Horat. Guarganius* in ſuis Reſp. medic. pag. 235. hic explicat, iſta decocta attenuant quidem, & exſiccant pravos & excrementios humores, Bonos vero & utiles intactos relinquunt, Extantibus igitur & emaciatis nullum damnum inferunt. Cum enim macies & extenuis habitus à mala nutritione proficiſcatur, mala autem nutritio ob acres & ſalſos humores, qui dulcem & utilem ſanguinem abſumunt, ac pinguem agglutinari prohibent fiat, conſectarium eſt vitioſis iſtis ſuccis per decocta prædicta conſumptis, corpora viciſſim recte nutriri ac impinguari. Hæc *Guarganius*. Nota eſt Arcæi phthiſicus per decoctum Ligni curandi ratio, à quo iſtos non tantum non læſi, ſed impinguari inſuper contendit.

XXXIV. Sunt qui ſimul cum decocto hidrotico præbent *bolum ex terebinthina* & yva &c. verum nobis non placet duos eodem tempore excitare motus, Potius itaque formetur Bolus ex pulvere c.c. viperino & ſale appropriato. *Fortis cent. 1. conſ. 65.*

XXXV. Triplici modo ignis beneficio utimur in movendis per externa media ſudoribus, 1°. ægrū in domunculum chartaceam collocando, & in illa obtect. ſpirit. vini incendendo. 2. Structa domuncula ex ligno, in qua prunæ candentes, vel chalybis aut lateres igniti idem ac ſpirit. vin. faciunt: verum moleſti nimis ægrotis hi duo modi ſunt; & licet Medicus illis per tres horas in ergaſtulo permanere præcipiant, vix tamen mediam vel quartam conſumunt. 3. Paratur, ciſta lignea funibus latis penſilis (quemadmodum lectuli conducibiles militum in caſtris fieri conſueverunt *Lict de Camp*) In hoc æger cubet, & ſub illo, & ad pedes, & ad caput ponatur ignis, qui ſurſum calorem ſuum mandans, ægrum & Medicum voti participes facit. *Walæus meth. m. p.* 56. Excogitavi aliud inſtrumentum, follem nimirum, ſed longo tubo donatum, in cujus medio ſit globus rotundus, qui igniri debet: tranſmiſſus per hunc globum & calefactus aër, homini in lecto decumbenti & laxiori, ſed undique clauſa ſubucula incluſo, commodiſſime & citra leipothymias periculum large ſudorem provocat. *I. Van Horne Micrctech. p. 2. §. 5.* Vide Severinum Effic. Chirurg. p. 205. 206. 270. *ubi plures figuræ ſugutoriorum &c.*

XXXVI. In ſudoris citatione per ſpir. vini accenſum cautione opus eſt ſumma. *Philippus, Lantgravius Haſſiæ*, in ſtupha excito capite ſudans, Medicum jubet iterato accendere vini ſpiritum ſcutella terrea exceptum, cum ſudor moras necteret; Lotichius Medicus ordinarius ſe excuſat, regerens non eſſe tutam feſtinationem, periculum imminere accenſionis nimiæ: Impatiens moræ Princeps jubet miniſtrum hoc officium facere: Quid fit? improvida manus liberalitate nimia accenditur omnis in ſtupha fuligo, Princeps flammæ impatiens, cùm nulla eſſet poſtica parte feneſtra neque janua, nec repagula collo circumlocata tam cito removeri poſſent, aſſeres diſrumpit & ſe foras prorumpit, paucis illiſo capite, totus flammæ involutus: Inde pauco dierum ſpatio animam exhalavit, immaturo funere Medicos & ægros cautiores reddens. *Rolfincius meth p.* 578.

XXXVII. Notandum circa radices apud quoſdam Practicos quæ vocantur *aperientes*, cum provocantibus ſudorem, ut in variolis, aliquando permiſceri (forte quo attenuentur humores, & felicius faciliusve in ſudorem vaporemve reſolvantur) quod certe faciendum doſi minori ad ℥ij vel iij ad ſummum, alias humores attenuatos ducent ad vias urinæ, ſudores minuentis, quo ſcopo Arabes ipſas permiſcent lentium decocto. *Morellus de form. rem cap. 1.*

XXXVIII. Non parvi pendendum eſt quod eodem medicamento & corrigi & expelli queat humor in corpore peccans, quod mirum negari à quibuſdam, & quidem in praxi quotidie occupatis, qui proinde nonniſi vulentes ignorant quod facile poſſent obſervare: Occurrunt enim non pauci qui ex præjudicio valde craſſo arbitrantur, non tantum purgantia, ſed ipſa quoque *Sudorifera*, quoties aſſumpta humores per alvum vel Sudores non movent, valde nocere, atque in grandia pericula conjicere ipſos ægros. Hoc ipſorum effatum, ſicut olim me habuit ſollicitum, ita nunc à me ridetur, tanquam inane, poſtquam contrarium me ſæpenumero docuit experientia: Nihil ergo falſius, ne dicam ſimul nocentius ægris excogitatum quam nocere imprimis Sudorifera, quoties illis aſſumptis non prodit Sudor. Fateor equidem ſi aſſumpto Sudorifero æger ſtragolis multis operiatur, & diu ſub illis contineatur, angi & male habiturum ipſum, ex ſtragulis magis quam aſſumpto medicamento; ſed illud non eſt adſcribendum ipſi medicamento ſudorifero, ſed præpoſtero ejuſdem uſui & malæ adminiſtrationi: *Sylvius de le Boë Appendicis Tract. 3. §. 219. & ſeq.* Sudorifera ergo ex incidentibus & attenuantibus parata, & partitis vicibus exhibita, tum ipſos humores ſudore propellendos, ubi exiſtunt viſcidi; tum alios ipſi admiſtos, & itidem viſcidos, tum & alias in corporis poris & ſuperficie coagulatos ſolvunt, incidunt & ad ſudorem ſequuturum ſenſim omnia diſponunt. *Idem Tractat. 7. §* 220.

XXXIX. Sanguini ſtagnanti, & in vaſis ſuis ſubſiſtenti, deſideratus reſtituitur motus feliciſſime ſudoriferis, aliquando venæ ſectione: Illorum ope non tantum fluidior mobiliorque fit ſanguis, ſed inſuper actu movetur idem, magis magiſque rarefactus a volatili ſale iiſdem inexiſtente ſanguinémque ſola ſua mota ſenſim plus minus ab acido ſuo ſpiritu concreſcentem iterum ſolvente ac proinde agitante: hinc ſudori comes ſolet eſſe pulſus & frequentior & major, dum enim ad dextrum cordis ventriculum pertingit ſudoriferorum ſal volatile, ibidémque amplius potentiuſque rareſcit ſanguis, ac non tantum ſponte ſibi quærit exitum, verum cordis ventriculum amplius expandendo, ipſum & ad frequentiorem & ad validiorem ſui contractionem, ſanguinémque ideo priùs in motu ſuo paulatim deficientem, ſuſcitat, commovet, & quaquaverſum à corde promovet. *Idem Pract. l. 1. c. 34. §. 29.*

SVPPOSITORIA.

S Y L L O G E.

Qualia eſſe debeat. 1.
Excedens longitudo inutilis. 2.

I. SUppoſitoria nec acriora nec frequentiora locum habent, Non *acriora*, facile enim irritant venas hæmorrhoidales ut reſerentur, cum maxime ſenſilis ſit illa pars: Vnde licet ex alumine quoque crudo poſſint fieri, attamen cum acriora illa ſint, caute & provide ſunt applicanda, Par ratio eſt aliorum. Non *frequentiora*, aſſueſcit enim natura, & ſphincter hinc evadit pigrior, ut nonniſi ſollicitatus excretionem urgeat, quod ipſum de clyſteribus quoque valet: Vidimus id aliquoties in infantibus, quibus in obſtructione alvi continuata ſuppoſitoria pigritiem quaſi per accidens magis auxerunt, quatenus hinc torpidior ſenſus redditus videbatur, ſubinde novam efflagitare applicationem. *Wedelius Pharmac.pag.*145.

II. Teretia conficiuntur inſtar candelarum, dodrantali longitudine, unde à ſimilitudine candelas vocant. Ea autem longitudo inutilis eſt plane, cum facultatem expultricem non irritent glandes niſi qua parte tangunt podicem aut recti inteſtini extremum, ea autem pars ſenſibilis maxime. Fiant ergo potius ad Glandis majoris ſimilitudinem, craſſitiemque digiti utrinque acuti, quo facilius ingerantur & egerantur. *Rondeletius p.m.* 876.

SVPPVRANTIA.

Non omnibus Tumoribus competunt.

SUppurantia Tumoribus ſanguineis conveniunt, qui ſunt *radicant* eorundem, ſi quidem ſanguis extravaſatus in pus mutatur. Qui vero tumores ab his recedunt minus eadem poſtulant, ſive collectio ſanguinis tanta & in tumorem non fiat, adeóque diſcuti vel in vaſa remeare poſſit, unde in Eryſipelate (7. aph.20.) eadem non ſine noxa quis adhibuerit. Sic in malignis Tumoribus & venenatis vix feliciter operantur, atrabilariis vero præcipue, ut in cancroſis, non conveniunt: Sic etiam minus in partibus natura debilibus; ſic non in Internis partibus, ſicubi extravaſatio fiat, locum habent, ſed ibi tantum reſolvendum eſt, v.g in pleuritide, adeoque ſuppurantia tantum externe propria; interne vero maturantia quidem & humores coquentia, non item ſuppurantia proſunt. Apprime vero locum habent in furunculis, abſceſſibus, & tumoribus qui in hos abeunt, ex ſanguinis confluxu, vel tamen non ſine ſanguine, ut in glanduloſis tumoribus, qui difficulter etiam ſuppurantur. *G. W. Wedelius de ſ.m. Fac.p.* 68.

THORACICA, PNEVMONICA.

(Vide *lib.*14. *Pectoris affectus in genere.*)

S Y L L O G E.

Reſpiciunt vel vias. 1.
Vel humores. 2.
Vel expanſionem impeditam. 3.
Materia. 4.
Incidentia & incraſſantia non confundenda. 5.
Nec bechica cum reſolventibus addenda. 6.
Adſtringentia reſolventibus addenda. 7.
Nimis exſiccantia vitanda. 8.
Vitanda nimis laxantia. 9.
Eclegmatis fermentationem nimiam inducentia non addenda. 10.

I. THoracica reſpiciunt vel *vias*, aëri admittendo & emittendo neceſſarias, quas expediunt, & bronchia pulmonum ab infarctu liberant, uti ſunt tum *incidentia* & *attenuantia.* Sale volatili ſimplici, ut *arum*, *ſyr.* de *eryſimo Lobel.* vel oleo balſamico pollentia, ut *mel*, quæ conveniunt in humoribus craſſis, viſcidis, lentis, pituitoſis, adſtmate, tuſſi crepera; Tum lenientia & lævigantia, ſyrupi, lohoc &c. quæ in raucedine inprimis ex uſu ſunt, & tuſſi quoque in genere.

II. Vel *Humores* ſive *craſſos*, qualia dicta incidentia & detergentia, ſive *tenues*, *acres*, *ſalſos* deſtillantes, uti ſunt terrea, mucilaginoſa, opiata, bolus Armena, maſtiche, thus, theriaca, quæ in catarrhis ſalſis, tenuibus, hæmoptyſi &c. conveniunt; Seu *ad putrilaginem & ulcus declinantes* uti ſunt putredini reſiſtentia, balſamica, terrea, præcipitantia, nunquam omiſſis lævigantibus, & pro renata traumaticis, conſolidantibus, quorum uſus in phthiſi.

III. Vel *expanſionem præpeditam*, idque tum aliis caſibus, tum inprimis ubi affluxus irruptioque humorum inflammationem & abſceſſum intentat, quo caſu præter univerſalia, *diaphoretica*, in ordinem ſanguinem redigentia, conveniunt *reſolventia* & coagulationem diſſicientia, uti ſunt antipleuritica pleraque, plerumq; antimoniata, item in caſu ab alio proficua. Hæc ipſa ſæpe natura aliam monſtrant viam, ut quod ordinarie per tuſſim expectoratur, per alvum ſoleat deponi. In ſingulis vero his expectoratio nunquam negligenda, ſed in omnibus etiam ſua laus hanc promoventibus manet.

IV. Materiam conſtituunt, ut diximus, 1. *volatilia acria* ſale volatili pollentia, ut radix ari, ſcylla marina, ſinapi, eryſimum; item *amara*, ſcordium. 2. *Sulphure blando volatili vel oleoſo conſtantia*, ut radix iridis, fœniculi, helenij, ros ſolis, ſemen aniſi, ſaſſafras, ſuccinum, benzoe, olea deſtillata. 3. *dulcia & roſcida mucilaginoſa*, ſacch. candum, ſyrupi, lohoc omnis generis, mel, liquiritia, quæ duæ claſſes bechica maxime abſolvunt, non omiſſis reſolventibus quandoque. 4. *reſolventia*, & partim leviter exſiccantia, partim expectorationem promoventia: ut lapides cancrorum, ſperma ceti, dens apri, antimonium diaphoreticum, gummi ammon. ſuccinum, aquæ aſthmaticæ, chærefolium. 5. *terrea* præcipitantia, abſorbentia. conſolidantia, ut ſcabioſa, tuſſilago, veronica, antimonium diaphoreticum, *Antihecticum Poterii.* Pertinent huc & 6. *mucilaginoſa temperatiora*, althæa, coſta, jujubæ, ſebeſten, gummi Arabic. tragac. bolus Armen. Reliqua, ut 7. *aquea diluentia*, & 8. *adſtringentia* ex dictis patent, & quædam eorum communia ſunt. Item 9. *Opiata*, diacodion &c.

V. In affectibus *Pulmonum ordo thoracicorum*, incraſ-

incraſſantium & incidentium non eſt confundendus nec invertendus, id eſt, non danda ſunt incraſſantia ubi viſcoſi, tenaces, pituitoſi peccant humores, nec incidentia & attenuantia, ſicubi tenues, ſalſi, & acres diſtillant.

VI. Nec bechica cum reſolventibus, miſceri tamen pro re nata commode queunt, e.g. in pleuritide & aſthmate magis reſolventia, in tuſſi, phthiſi, magis bechica conveniunt. Qui vero pleuriticos ſolis bechicis, imprimis linctibus, curare præſumit, ægrum interimet, qui aſthmaticum, periculo non minus exponet.

VII. In affectibus pectoris non adſtringendum ſine reſolventibus, ut nempe 1. ſanguini grumoſo ſimul propiciatur, ut in hæmoptyſi, id præſtant lapides cancrorum, licet ſecundaria ſolum dozi recepta: idem utrumque expediunt corallia, bolus Arm. terra ſigill. 2. ut tonus pulmonum, qui laxior naturaliter eſſe debet, h. m. attendatur, neque expanſio impediatur.

VIII. Nimis quoque exſiccantia in thoracicis vel vitanda, vel cum humectantibus miſcenda, v. g. antimonium diaphoret. antihecticum Poter magis exſiccant, ut & ſulphura ipſa, commune, flores, ſulphur. antim. purum. Hinc etiam plantæ pectorales recentes, quando magis humectandum & abſtergendum eſt, v. g. in phthiſi & alias magis proſunt; ubi vero conſolidandum, ut in hæmoptyſi, magis ſiccæ.

IX. Vitanda item nimis laxantia, tum interne tum externe: illa enim & tonum debilitant, & ventriculum dejiciunt ac inappetentiam ipſi conciliant: unde bechicis linctibus in magna copia & continuo uti non eſt conſultum. Hæc vero magis ampliando & dilatando ad affluxum recipiendum magis diſponunt; unde in unguentis pectoralibus cautio etiam eſſe debet. *G. V. Wedelius de ſ. med. facult. p. 89.*

TOPICA REMEDIA.

SYLLOGE.

Univerſalium uſum an ſemper prærequirant. 1.
Repellentibus *licet uti in affectibus à cauſa externa & ubi materia craſſa.* 2.
Remigrare faciunt humores invaſa. 3.
Quandiu repellendum. 4.
Reſolventium *uſus à quo indicetur.* 5.
Emplaſtica iis non addenda. 6.
Adſtringentia addita eorum vim augent. 13.
Emplaſtra *ex volatili conſtare debent materia.* 7.
Sint magna. 8.
Non detinenda donec ſponte cadant. 9.
Gummatis malacticis addendum acetum. 12.
Fotus *per veſicas quidam inutiles.* 10.
Inunctiones *ne obſtruant quomodo præcavendum.* 14.
Spina, febris cauſa fuere. 11.
Pulveres *nunquam aſpergendi niſi præcedat litus.* 15.
Topica cuti admota ad interna penetrant. 16.
Diutius parti ne adhæreant. 17.
Refrigerantia *ne immodica ſint.* 18.
Olea per infuſionem parata diaphoreſin impediunt. 19.
Unguenta ad refrigerandum minus apta. 20.
Minus adſtringunt. 21.
Ubi laxantia minus conveniunt. 22.
In quibuſdam affectibus vitanda. 23.
Epithemata quibus affectibus magis congrua. 24.
Quibus inepta. 25.
Emollientia tumoribus atrabilariis non conveniunt.
Pulverum uſus in affectibus imi ventris. 27.

I. CAvendum ne cum Medicorum vulgo perpetuo à corporis vacuatione, citra ullam diſtinctionem ordiamur: Ideo ſciendum quadruplices eſſe noſtri corporis affectus, neque in omnibus oportere eam providentiam aut admittere aut exquirere: Si quidem nonnunquam intemperatura habitus parti accedens alimentum viciat citra humoris adventum: cujus ratione ſolis alterantibus perficitur citra vacuantium adminiſtrationem: quinimò in eiſdem diſtemperaturis ſæpe purgantia officere eſt compertum, ſicut & ſanguinem mittere. Secundò, ſæpe evenit ut humoris fæx & vapor parti impreſſus advenientem humorem conſpurcet & vitiet: requirit hoc affectionis genus, non corporis ſani agitationem aut purgationem, ſed deobſtructionem & diſcuſſionem materiæ parti affixæ, per evaporantia ſudorificáque ac deobſtruentia auxilia: occurrit enim frequenter hujuſmodi affectus ſpecies in multis periodicis morbis ac febribus; namque relinquitur fæculentum quoddam, corpore jam puro purgatóque, podagrico in pede, nephritico in rene, aſthmatico in pectore, tertianario aut quartanario in loco originis, conſervans periodum lentæ ſed diuturnæ febris, non enim quod ablata cauſa relinquitur, ſemper purè contraria alteratione abigitur, manet quidem non raro ſucci portio membro immerſa, quam niſi digerentibus diſſipaverit Medicus, fruſtra alterantia admovebit: In quibus purgationes ut plus ſæpe incommodi afferunt quam utilitatis, ita Topica manifeſto auxilio ſunt: Tertiò fit ſæpius ut partis affectio materialis ſit, pendeátque non à toto, ſed a ſuperiori aliquo membro, ut thoracis morbus à capitis vitio: In quo affectus genere præcedat providentia oportet, non tamen totius, ſed partis fluxionem primo mandantis: Quare neque audiendi ſunt qui ut capitis purgationem regolarius videantur egiſſe, totum corpus prius purgantibus citra ullam indigentiam conturbant: Supereſt ſola quarta differentia materialis affectus, pendéntſque a toto, quæ jure optimo purgatione corpus, aut ſanguine evacuatum ante localium adhibitionem expoſtulat. Hinc conſtat vera dixiſſe Gal. 1. κατὰ τόπ. 8. de Alopeciâ loquens, Particularem affectionem, ſi levis ſit, ſolis ad laborantem particulam remediis curari &c. *Mercatus de Ind. Med. l. 2. c. 1.* Cum dicimus faciendum hoc ante illud, non ita audiendum quaſi abſtinendum ab hoc omnino ſit, uſque dum illud ſit perfectum: hoc modo maximè peccatur in acutis. v. g. Non ſunt apponenda localia antequam toti corpori ſit proſpectum: neque utendum attemperantibus antequam vacuatum, quid ergo? in phrenitide, aut inflammatione epatis nihil capiti aut hypochondriis admovebimus antequam exquiſitiſſimè ſit miſſus omnis ſanguinis? certè antequam mittatur ſanguis nihil recte admovetur capiti aut epati, tamen neque integra perfectaque ſanguinis evacuatio expectanda ad admotionem repercutientium, ſed inchoatâ ſemper curatione ab illis quæ ſecundum artem debent eſſe priora, licet hæc interponere & ſimul facere &c. *Valleſius met. med. lib. 3. cap. 2.*

Sanè præceptiones practicæ nunquam univerſim accipiendæ ſunt, ſed temperandæ urgentiæ indicatione. Nam & illud quoque affirmat Galenus vacuādum eſſe corpus antequam ad topica veniamus, nunquam tamen in inflammatione aliqua periculoſa abſtinemus donec omnes ſanguinis miſſiones ſint prægreſſæ, ſed una aut altera prægreſſa admovere incipimus quæ videntur expedire. Ita ſæpe in iiſdem inflammationibus internis, cum revulſioni non ſatis cederent, & timerem ne phlegmonis magnitudine anticiparent mori, alternate utens miſſione ſanguinis. ſecundum rectitudinem, & ſcarificatione ab admotis parti cucurbitulis, plurimos mihi videor mirifice morti eripuiſſe, cum alii Medici cunctari juberent, & methodum, non ſemper utilem obſervarent. *Idem 6. Epid.* Corporis cacochymiam adeo reformidavit *Galenus 6.* per loca. v. ut parti affectæ Localia remedia adhibere prohibuerit in cacochymis corporibus, niſi prius purgationibus & clyſteribus atque inedia corrupti humores expurgati fuerint; ne in partem licet leviter affectam irruentes, calorem innatum ejuſdem ſuffocent, & morbus partis, alioqui ſalutaris, lethalis evadat. *Fortis conſult.99.cent.4.*

Si in parte affecta materia peccans ſit in aliqua exigua quantitate, tunc nullum eſt inconveniens ut pars corroboretur; quia roborata parte, id exiguum quod relinquitur, à natura facile reſolvitur. Sic Gal. 14. meth. 9. ait Initio cancri eſſe repellendum ad partes principes excrementum, ſi modicum ſit: quia niſi ſubito repellatur, humor melancholicus ſtatim diſtendit venas, quibus extenſis cancer redditur incurabilis. *Ibid.* cap.17. loquens de Herpete, ait, Si modicum excrementi repellatur ad partes principes, hoc modicum non lædere, quia à viſceribus reſolvitur. *Sanctorius de Remed.inv.c.15.*

II. Novem ſunt caſus quando Repellentia non conveniunt, 1. cum humor fluit ad emunctoria: 2. cum materia eſt venenoſa, 3. in motu critico: 4. ubi adeſt plethora vel cacochymia; 5. cum pars eſt adeo debilis ut immineat periculum extinctionis caloris, 6. ubi fluit materia ad partem vicinam principi. Audio his temporibus Medicum rationalem parti externæ gutturis in angina apocrouſtica applicare: à qua medendi methodo niſi abſtineat, verendum ne aliquam juguler. 8. Dum materia eſt fixa. 9. Cum tumor factus eſt per congeſtionem. Duo alii ponuntur caſus à Guidone, qui poſſunt rejici; alter eſt dum affectus fit ſolum à cauſa externa, alter dum fluit materia craſſa, primus eſt vaniſſimus, quia in vulneribus illico utimur repellentibus, ſecundus reluctatur Galeno, qui 14. meth.17. ait Repellentium alia eſſe frigida & humida, accommodata humoribus bilioſis: alia frigida & ſicca, quæ fortiora, quia adſtringunt, convenientia pituitoſis & craſſis: confirmatur ex Gal. 6. de med. local. c. ult. ubi in achoribus ſubflavis utitur repellentibus potius refrigerantibus, ſi ex pituita, adſtringentibus: *Sanctorius meth. l. 3. cap. 3.* Repellentium vires non ſolum ſe protrahunt ad calidorum tenuiumque humorum ex fluxione affectus, ſed & adverſus frigidas affectiones & fluxiones pugnant. Sic enim oedemata curare præcipit Galenus 2. art. cur. ad Glauc. adhibitis nimirum initio repellentibus, licet hujuſmodi affectus non fiant ex humore tenui & calido, quales repellentia expoſcere millies ab eo proclamatum eſt *Mercatus c.9.*

III. At ea eſt Repellentium efficacia ut quod in ſpatia non naturalia à venis jam excidit, in eaſdem iterum reſumi efficiant. Id autem poſſibile eſſe probant 1°. puerorum exanthemata, quæ crebro repercuſſu frigidi aëris repente occultantur, 2. authoritas Galen. art. med. c. 85. *Sed exinanita loca trahunt ad ſeipſa:* Inflammatio eparis & lienis ſecto cubito ſanatur, licet in epate cogatur è porta ſanguis per poros carneos diſpergi: In his qui ex achoribus, ſcabie & morbo Gallico fœdati inunguntur, mirabile dictu quam repente craſſæ illæ puſtulæ, tumores, nodi, per vaſa ad os expuenda mandentur: monſtrat & id ecchymoſis curatio, quæ repellentibus majori è parte finitur: ubi indubium ſanguinem eſſe extravenatum, cúmque ope Repellentium ad eaſdem recurrere. *Idem ibidem.*

IV. Medicus in repellendo ne euſque perſiſtat donec univerſa retrocedat quæ fluxit materia, ſed aut aliis commiſceat præſidiis, aut alio utatur: periculoſum enim & grave eſt plurimum in refrigerandis partibus perſiſtere; nam aut ſæpe mutatur affectus in alium ſpecie deteriorem, aut particula moritur. *Idem ibidem.*

V. Quidam ita religioſe miſtionem Reſolventium obſervant, tranſacto morbi principio, adaugéntque creſcente, donec ſolis in ſtatu utantur, ut nullo accidente, nullaque denuo ſuperveniente neceſſitate ſuaderi poſſint aliud fieri expedire, à morbi tempore ad id ſemper ſumpta indicatione: Quo quidem monſtratur ipſos perperam intellexiſſe Galenum; qui licet indicationem a tempore non ſolum receperit ſed & magnifecerit, id tamen ad dignoſcendos affectus, naturas, ſtatumque efficit, Inter curatrices vero, ceu toto genere alienas, non recenſet. Sicuti curanda nobis non eſt prægreſſa cauſa, ſed præſens corporis affectio, ita nec tempus morbi, ſed conditio ad curationis intentionem examinanda eſt. Quod ſi aliquando aliter fecerit Galenus, id vulgo concedit, quod ſine curationis peccato poteſt, eo quod interceſſio agnitionis ad curationem fecit, Sic initio inflammationis, quia judicatur ex eo tempore fluxus vehementia, intelligitur repellentium occaſio, non quidem principij ratione, ſed fluxionis: ea enim ſi morbo inclinante redeat, repetenda eſſe repellentia ſuadet: Paucis, Repellentium & Reſolventium uſum meritus eſt juxta fluxionis aut fluxi humoris indigentiam &c. *Idem ibidem.*

VI. Noviſſe expedit eos plurimum errare, fucata quadam ratione deceptos, qui diſcuſſoriis auxiliis utuntur multa cera, & aliis emplaſticis medicamentis commiſtis, exiſtimantes ob fixionem vehementius agere, ignorantes totum reſolutionis negotium fieri per cutis poros, quos ipſi validis medicamentis occludunt. *Idem c.10.*

VII. Burrhus, Medicus Italus, omnia ſua emplaſtra ex volatili materia fingit, adeo ut unguentum pridie illitum, poſtridie vix appareat uſquam: damnatque Medicos quod craſſa illa corpora in emplaſtri formas compingant, quæ pororum anguſtias in ægris nequeant ſubire.

VIII. In Tumoribus obfirmatis emolliendis commendantur luta thermalia, ea tamen cautione, ut 1. liberali imponantur manu, neutiquam parca. 2. diutius in parte immorentur, minimum quatuor horis mane, totidémque veſperi, 3. ampliori ſpatio non partem tantum affectam, ſed vicinas infra & ſupra regant. Par ratio ſit in in Emplaſtris, quæ ut emolliant induratas partes, non per lacinias ſed fuſius applicantur, hoc

artificio

artificio circumforaneos nonnullos miracula videmus præſtare in Tumorum curatione: quum tamen trita remedia & nota lippis tonſoribuſque Emplaſtra ad uſum ſuum revocent, variato applicandi modo, quippe Emplaſtrum non brachio v. g. circumdant, ſed verſa vice brachium emplaſtris involvunt. Ita amphoræ emplaſtris inductæ & incruſtatæ, hominem impoſitum tumoribus laborantem, feliciter ſanaſſe ſe ait I. Dom. Sala. *Th. Bartholinus centur. 4. hiſt. 9.*

IX. *Ariſtoteles* 1. ſect. probl. 46. vult Cataplaſmata permutari ex certis intervallis, quamvis iiſdem prorſus viribus ſint, ſi debeant ſanare: quia natura contemnit conſueti pharmaci vires. Quod tradit de Cataplaſmatis, intelligitur de omni locali, & de omni medicamento: quia hæc omnia agunt ideo quia ſunt contraria: quando ergo ob conſuetudinem fiunt ſimilia, amplius agere non poterunt quia ab aſſuetis non fit paſſio. Hinc errant qui in affigendis ceratis dicunt tamdiu parti affectæ affixa eſſe detinenda donec ſponte cadant: Adverſantur præterea Galeno & Avicennæ, qui uno ore dicunt naturam non eſſe medicamentis intrinſecis vel extrinſecis faciendam conſuetudinariam. *Sanctorius meth. l. 4. c. 5.*

X. Inter Topica ſatis celebris eſt uſus Fomentationum, quæ fiunt ex liquore quodam aut decocto multorum ſimplicium, quod plurimi veſica includunt: at ſic inutilis redditur prædictus apparatus; virtus enim ſimplicium per veſicam in corpus non ſubit, ſed ſolus calor operatur: unde ſi pars quæpiam ſolum calefacienda, valet ejuſmodi fotus, quicunque liquor includatur, ut & ad mulcendum dolorem humoréſque digerendos: Sed ſi obſtructiones ſolvendæ, aut aliquid molliendum, filtris pannis lineis vel laneis potiùs utendum. *Primiroſius de vulgi Err. lib. 4. cap. 46.*

XI. Cuidam curru excuſſo varia, qualia contuſis, ſupervenìunt accidentia inter ea brachii motus impeditus: Paraplegiæ metu ſpina inungitur inunctionibus fortioribus, emplaſtris quoque calidioribus admotis febrem incutit; qua tamen brevi liberatur intermiſſis illis topicis, ad ſenſum autem ſe percepiſſe ajebat quomodo calorem inde (in vaſis maximis ibi excurrentibus) ſenſerit. Poſt aliquot ſeptimanas ad topica redeunt, repetit & febris: unde poſtmodum fortioribus illis abſtinere oportuit & aqua appropriata uti, qua reſtitutus eſt. *Phil. Salmuth. centur. 1. obſerv. 79.*

XII. Graviter peccatur cum emplaſtra malactica è galbano, ammoniaco, opopanace, reſina & aliis ſqualidis comparantur, & aceto multo diluuntur, ſic enim tenuant, incidunt, diſcutiunt non molliunt. *Hollerius.*

XIII. Addita digerentibus adſtringentia eorum juvant penetrationem: per adſtringentia, autem non fortia intelligenda, ut galla, acacia, & ſimilia cutem conſtipantia, ſed moderatiſſima, ut maſtix, roſa &c. quæ per quandam expreſſionem juvant ad majorem penetrationem. Averrois experimento id confirmarat, accipiendo coxium & ex una parte oleo communi inungendo; ex alia oleo roſaceo, tunc citius penetrabit roſaceum quam commune roſaceum, tamen habet moderatam vim adſtringendi. *Sanctorius Art. Parv. cap. 95.*

XIV. Injunctiones admodum oleoſæ obſtruunt & infarciunt meatus, niſi parum ſpiritus vini ipſis addatur, Vel ante inunctionem partis ſquilla recenter per medium inciſa frictiones fiant, ad faciliorem medicamentorum penetrationem. *Fortis.*

XV. Hoc pro certiſſimo theoremate habendum eſt, nunquam Pulverem aliquem inſpergendum ſupra partem aliquam, niſi præcedente inunctione, aut perfuſione alicujus humoris viſcidi ut retineatur, niſi in capite, ubi capilli pulverem conſpergendum ſatis retinent. Sic ad membrorum contuſiones utimur pulveribus ex adſtringentibus in principio, ad fluxum inhibendum, iiſque non ſolum in parte contuſa ſed & in partibus vicinis, at præeunte unctione olei adſtringentis, ut roſ. myrtill. cydonior &c. Poſſunt etiam retineri pulveres ſi albumen ovi fortiter agitatum ſupra partem adhibeatur. *Rondeletius p. m. 977.*

XVI. Uſus Cutaneorum venarum eo tendit omnis, ut quod alimentum cutis & ſubjacentium partium ſuperfluum eſt à nutritione, ad cavæ ramos majores & truncum revehant ipſum. Hoc dum fit, vis topicorum carpis applicitorum, moleculas & atomos ſuos per poros cutaneos trajicientium, ſanguini, imo ipſi cordi poteſt communicari: Quarundam venenorum ea eſt vis, & tanta potentia, ut fraudulenter cuti, vel leviter admota & aſtricta leth[illegible] cordi communicare queant virus: Virus hoc ad cor defertur per venas ſanguinem ad cor revehentes. *Rolfinccius Diſſertat. Anatom. pag. 1034.* Non audiendi ſunt Medici magis ſubtiles quam periti, Vnguentorum, Emplaſtrorum, Linimentorumque omnium uſum rejicientes, quoniam non videtur ipſis probabile per cutim, pinguedinem, membranas & abdominis muſculos contenta ambientes, pinguia & oleoſa penetrare poſſe: Quod quamvis vel impoſſibile, vel ſaltem difficile videatur, teſtatur tamen experientia quotidiana internos curari indies affectus abdominis ſolo unguentorum linimentorumve uſu. Quamvis autem ſufficiat oleorum & oleoſorum penetrationi per cutim cæteráſque partes probandæ effectus eorum laudabilis, poſſunt tamen quoque viæ determinari per quas penetrent oleoſa uſque ad ventris interiora, Pori nempe cutis, à quibus tranſitus eſt ad venas, & conſequenter ad cor: Cum enim partes corporis omnes è variis particulis, tanquam minimis naturalibus, ideoque atomis una junctis textiſque conſtructæ ſint; haud probabile eſt ipſas, cum varie ſint figuratæ, ita exacte ubique ſibi eſſe appoſitas, quin paſſim tranſitus ſit per ipſas corporibus fluidis, ac præſertim volatilibus: quod & obſervavit *Hippocrates* quando univerſum corpus pronuntiavit pervium, & obſervare poſſunt quivis tum oſſa, tum cartilagines, tum partes alias perſpicientes, atque poroſas notantes, imprimis quando perſpicillis & microſcopiis eaſdem conſiderant, & cum arte factis, panneis laneis & lineis, utut denſiſſimis, tamen ſimul perviis, conferunt & poros ubique nunc ampliores, nunc anguſtiores agnoſcunt vel concludunt in rebus omnibus naturalibus. *Sylvius de le Boë Praxeos lib. 3. c. 3. §. 105.*

XVII. Multi in alterantibus extrinſecis ſæpe falluntur, ut unguentis, emplaſtris, cataplaſmatis &c. dum ea permittunt debito diutius adhærere partibus affectis, nec vident conſuetudinem

reddere topica calori partium ſimilia, redditaque ſimilia nullas amplius habere alterandi facultates: & ratio eſt manifeſtiſſima, quia alterantia univerſa tamdiu alterant quamdiu ſunt diſſimilia. Hinc *Galenus* 3. de Tempor. dicit lactucam aſſimilatam non refrigerare. Ariſtoteles 1. ſect. Probl. 46. oſtenſurus conſuetudinem vires alterantium auferre, quærit cur Cataplaſmata mutari debeant? Sicuti ea, *ait*, quæ ventriculo mandamus, ſi medicamenta exiſtunt, temporis intervallo non amplius medicamenta ſunt, ſed alimenta, ad eundem modum cataplaſmata conſueta ſuo non funguntur munere: Quod de cataplaſmate ait Philoſophus, de omnibus alterantibus intrinſecis & extrinſecis eſt intelligendum. *Sanctorius meth. V. E. libro* 4. *cap.* 13.

XVIII. Refrigerentia moderata ſint, potentia potius quam actu hac facultate pollentia: actu namque frigida poroſitates denſant, humores incraſſant, ſanguinémque in partem inflammatam impingunt & affigunt. Rhaſes utebatur ſucco endiviæ depurato, quem & nos ad ℥iv. in decocto malvar. violar. & hord. poſſumus exhibere. *Fortis conſult.* 86. *cent.* 2.

XIX. Etſi Olea per infuſionem parata propter unctuoſitatem cuti illita poros ipſius obſtruere videantur, tamen huic rei fotus præmitti poſſunt, qui ante inunctiones uſurpandi, uti & illa quæ penetrationem ipſorum adjuvare poſſunt. *M. Doringius apud Hildanum Epiſt.* 79.

XX. *Unguenta* minus refrigerant, reſpective ſcilicet, ſeu frequentius calefaciendi quam refrigerandi fine præſcribuntur, & per conſequens refrigerantibus quoque, v. g. unguento refrigeranti *Galeni*, Roſato *Meſue*, non æque & per omnia fidendum, ob adjunctam quippe oleoſitatem. *Wedelius de med. comp. ext. pagina* 184.

XXI. Eadem minus adſtringunt, ex generali illa inductione quod oleoſa & pinguia omnia relaxent, unde impropriè magis ſunt adſtringentia: Hinc & præter Unguent. Comitiſſæ, quod inunctum lumbis, in pollutione nocturna; pubi, in menſium fluxu &c. commendatur, pauca in officinis ſunt adſtringentia unguenta; Et quæ hoc fine adhibentur, magis roborante aromatica vi in dyſenteria, abortus metu, vomitu, cholera, proſunt quam alia. *Idem*

XXII. Eadem ubi laxitas vitanda minus conveniunt, hinc quod jam de ſtomachicis diximus, valet etiam de articulis, in podagricis quippe & arthriticis unguinoſa tranſpirationem impediunt, affluxum majorem cient & loco affecto facile humores impingunt, adeóque conſultius omittuntur. Quin & in pulmonum affectibus, utut laxent materiam bronchiis inhærentem, attamen facile affluxum majorem ipſis inferunt, unde eo caſu reſolventia magis proſunt, ut ungu. rub. potabile: Hinc quæ viſcera adſtrictione gaudent, per ungu. laxari, ut ventriculus; quæ vero laxitate gaudent, nimis laxari tenuuntur. *Idem.*

XXIII. Eadem *cancro* minus conveniunt, quia emollientibus acrimonia illa acido ſalina magis exacerbatur & diſſeminatur, hinc tumores non cancroſi in cancroſos degenerant. *Hæmorrhoidibus* nocent, (vide lib. 8.) *Inflammationibus, vide lib.* 10. hinc in anginoſis non promiſcue, uti in libellis practicorum fit, locum habent *Ulceribus* laxis v. g. labiorum, ſi quidem ſordities his facile promovetur. Notabile tamen eſt id potiſſimum intelligendum 1. de pure pinguibus oleoſis, in primis vulgaribus unguentis. 2. non immutatis & ſibi relictis; cæteroquin enim notum eſt ungu. de lithargyrio in ambuſtis & aliis eſſe laudatiſſimum: Verbo, quicunque affectus læduntur pinguibus, læduntur etiam unguentis. *Idem.*

XXIV. Notandum quæcunque partes magis læduntur à frigidis, ut ventriculus, hepar, lien, calida epithemata fere deſiderare: & vice verſa; In ſpecie ſunt quidam qui & capiti ſola tepida ſemper admovere jubent, verum experientia teſtatur contrarium, id quod frequentius hinc obſervatur, ut ſcil. capiti toto die applicentur frigida. *Wedelius de med. comp. ext. p.* 170.

XXV. Quicunque item affectus, & partes affectæ ab actuali humiditate læduntur, intenduntur, exaſperantur, illis *Epithemata* minus conveniunt: hinc non conveniunt in *ambuſtis*, ibi quippe demulcentia, linimenti forma conſultius ordinantur quam pura aqua: Non in *eryſipelate & inflammationibus* aliis; licet enim ſint qui linteamina aquis refrigerantibus madida expreſſa fotus quadam ſpecie applicant in iiſdem, attamen non æque tutum id eſt, ob repulſionis metum, præſertim ſi eryſipelas fuerit in facie: ſed regulæ inſtar in praxi notandum. *In omni eryſipelate vero topica ſicca (pulveres eryſipelatodes Ludovici*, Mynſichthi &c.) *præſtant humidis.* Hinc quoque exulant conſultius in *exanthematibus, variolis, morbillis, petechiis* &c. Unde eo caſu quoque non æque ſolemus epicarpia humida, ſive ſacculos & epithemata ad pulſus, cor applicare, quin nec ad frontem facile, pro dolore, v. g. capitis ſymptomatico mitigando. Hinc non conducunt in catarrhis, coryza &c. uti enim his nocent balnea, ita & epithemata, quaſi loturæ particulares, ſerum magis commovendo. Hinc minus proſunt initio, ſed poſt & cum aliis, velut omnia quaſi externa hæcce reſpective potius in ſubſidium, & ſi plus largiri volumus, in ſocietatem internorum acceſſi debent potius quam prædominium, in quo quidem in utroque exceſſu peccatur. *Wedelius de med. compoſ. p.* 172.

XXVI. Non conveniunt Emollientia tumoribus atrabilariis, qui acrimonia gaudent ſalina, inſtar Mercurij ſublimati; unde aureum monitum eſt *Galeni* 5. de ſimpl. m. fac. cap. 9. *Cancrum & cancroſos tumores ab emollientibus medicinis exaſperari.* Magis enim hoc modo dilatantur pori; ut & affluxus humorum procuretur, & acrimonia corroſiva latius expandatur, cum neque diſſlari queat, neque coqui, ſeu ad *πέψιν* deduci, adeóque tunc putredinis auctrix eſt & patens mollificatio. Vide *Wierum* obſerv. pag. 95. *V. Wedelius de ſ. m. fac. p.* 32.

XXVII. Supra pectus non ſolemus *Pulveres* apponere ut ſupra ventrem, inunctione tamen prius facta ex oleis convenientibus. Efficaciores enim ſunt Pulveres inſperſi quam in formam linimenti redacti, vel cerati, quoniam parantur ex odoratis, & odorata coctione exolvuntur, niſi in diplomate decoquantur. Pulveres autem calidiores, aut minus calidi fieri poſſunt pro ratione intemperiei & ſpiſſitudinis partium hypochondriorum; nam qui obeſi ſunt partes valde ſpiſſas habent, quare oportet medicamentum & fortius & tenuius eſſe, quo facultas medicamenti ad partem

affectam

affectam pervenire poſſit; qui vero extenuato ſunt corpore pulveres minus calidos, ſed magis adſtringentea deſiderant, quia impediunt diſſipationem nativi caloris. *Rondeletius Operum pag. 973.*

VESICATORIA.

SYLLOGE.

Quos humores & unde educunt. 1.
Quibus affectibus præſertim dicantur. 2.
Non omnibus affectibus & naturis conveniunt. 3.
Veſicæ excitatæ in febribus malignis non occludendæ. 4.
Cantharides ſine extremitatibus uſurpandæ. 5.
Non pondere ſed numero præſcribantur. 6.
Urinaria veſica infeſta ſunt. 7.
Gangræna ſequuta curatio. 8.
Dolor relictus quomodo ſedandus. 9.
Mors ſequuta veſicatorii admotionem & venæ ſectionem eodem die factam. 10.
Eorum calor ad interiora non pertingit. 11.
Acetum an eorum vires infringit. 13.
Veſicatorium per cucurbitulas. 12.
Per unam vel alteram hebdomadam effectum edens. 14.
Ampla eſt eorum utilitas. 15.
In affectibus capitis ſoporoſis, catalepſi &c. toti ſyncipiti deraſo admodorum efficacia. 16.

I. HUmores mediate per veſicatorium excreti partim è cutis poris & glandulis, partim ex arteriolarum oſculis, partim e fibrarum nervearum finibus exſtillant. E venarum oſculis ſucci recens excepti forſan aliquantulum, attamen haud multum regeri poſſe videtur. 1. *Cutis*, duplici conſtans tunica, admodum poroſa, item *glandulis* numeroſiſſimis cum adipe, nec non vaſorum & fibrarum finibus in ea terminatis, & varie inter ſe contextis denſiſſime conſita, quare dum poris ejus, cuticula per veſicatorium adempta, denudatur, & fibræ nerveæ vellicatæ glandulas & poros conſtringunt & intorquent, humor ſeroſus in utriſque contentus copioſe exprimitur. Porro cum pori alii in alios ſint pervii, ſerum haud tantum ex loco veſicato effluit, ſed nonnunquam in loculos ita primo inanitos, ſeri portio è locis vicinis adveniens ſuccedit, & exinde mox foras exudat: quamobrem in hydrope anaſarca affectis, ulcuſcula per veſicatorium excitata aquas undequaque in magna copia elutriant, ac è tota vicinia, imo interdum è longinquo educunt: 2. *Arteriarum* oſcula circa locum veſicatum diſcooperta & vellicata, non tantum ſeri portionem ex ſitu ordinario iis allatam evomunt, verum latex ſeroſus, in tota maſſa ſanguinea pharmaci ſtimulis imbutus, exinde uberius a cruore ſecernitur, & quaque circulationis vice major ejus copia per eadem arteriarum oſcula continue irritata excernitur: quinetiam una cum ſero ita velut ſtagnante, & proinde à toto ſanguine in cutis ulcuſcula ablegato, recrementa alia, ipſaque interdum materies morbifica copioſe abſcedunt, perque eadem emiſſaria foras amandantur, atque ob hanc rationem in febribus malignis, imo in putridis quibuſque judicatu difficilibus, cum ſanguinis recrementa & corruptelæ ad ſecernendum ineptæ, præcordiia aut cerebro minantur, Veſicatoria eam continue & ſenſim elutriantia, juvamen ſæpe eximium præſtant: cui accedit quod eadem inſuper ſanguinem, quoad ſales degenerem, aut depravatum, alterant ac reſtituunt, quin & compagem ejus aperiendo, aut ſubtiliando, verſus *ſuppurias* diſponunt: Quare non tantum in ſtatu ſanguinis febrili, verum & alias vitioſo aut cacochymico, hoc remedii genus non raro adprime convenit. 3. Veſicatoria è *Nervis, fibriſque nerveis* humorem quendam evacuare, & proinde in affectibus ſpaſmodicis prodeſſe, & ratio & experientia ſatis comprobant. Enimvero liquorem cerebri, ac ſyſtematis nervoſi irriguum, particulis heterogeneis interdum ſcatere alibi demonſtravimus: Porro obſervatione crebra & familiari conſtat, liquoris iſtius impuritates & recrementa, una cum latice aquoſo è nervis fibriſque nerveis, quandoque fluore oborto ſponte exudare, atque vel in maſſam ſanguineam reſtagnantia, per urinam aut ſudorem, vel in viſcerum cavitates depoſita per vomitum aut ſeceſſum amandari. Quapropter cum veſicatorio applicato nervorum & fibrarum nervearum extremitates alicubi denudantur, & ſumme irritantur, ſtatim humor propter earundem extremitates ſcatens expuitur, quin & totus idcirco latex, intra ductus ipſorum longa ſerie conſitus commovetur, & à ſtagnatione vindicatur, ſimúlque particulæ heterogeneæ, latice iſto nerveo commiſtæ, ubique agitatæ, & à cerebro derivatæ, verſus emiſſarium recens apertum ſenſim prolabuntur, ac demum foras amandantur. *Willis.*

II. Ex his colligere licebit ad quos morbos ſanandos hoc remedii genus præſertim conducat: omo propter evacuationem ejus ex *poris & glandulis cutaneis*, quoties in his partibus, aut in earum vicinia, humor ſeroſus, ſalſus, acris, aut alio modo infeſtus aggeritur, & à circulatione ſanguinea excluſus, ibidem pertinaciter hærebit, certe ejuſdem foras educendi nulla promptior aut facilior datur via quam per veſicatorium, ſuper, aut infra locum affectum applicando. Quare non tantum ab *Anaſarca*, ac à quibuſque *cutis defœdationibus* aut eruptionibus indicatur, ſed inſuper a *doloribus*, ſive *arthriticis*, ſive *ſcorbuticis* alicubi in exteriori corporis habitu, aut membro quodam defixis veſicatorium requiritur. 2. Reſpectu *Sanguinis*, tum à materia quavis heterogenea ac morbifica ſenſim expurgandi, tum ab indole nimis acida aut ſalſa, aut alias vitiata, in rectam temperiem alterandi, veſicatoria ſemper in *febribus malignis* adhibentur; imo in *putridis quibuſque mali moris*, ac *judicatu difficilibus* præſtantiſſimi ſunt uſus: Propterea item in *ſcorbuto*, *leucophlegmatia*, *pica virginum*, etiam in quacunque alia cacochymia iſtud remedii genus opem ſæpe inſignem præſtat. Porro non tantum ipſius ſanguinis emendandi gratia, verum inſuper quoties ipſe depravatus corruptelas ſuas partibus aliis ſuffundit, adeoque in capite, thorace, imo ventre, aut membris morbos primo inducit, eorumque paroxyſmos excitat, Veſicatoria paſſim cum fructu adhibentur. Quare in *cephalagiis*, *vertigine* & *affectibus ſoporoſis* tritum hoc & vulgare remedium eſt, nec minus in *catarrho*, & *quavis defluxione*, ſive in *oculos*, *nares*, *palatum* aut *pulmones*, unuſquiſque vel è plebe, Medico inconſulto cantharidas pro te-

vulſotio ſibimet ipſi præſcribit: Fateor me ſæpius *Tuſſi immani*, cum ſputo copioſo & craſſo (cui originaliter ſum obnoxius) correptum, à nullo alio remedio pluſquam à Veſicatoriis juvamen recepiſſe, itaque ſoleo, dum iſte affectus urget, primo ſuper vertebris cervicis, deio ulcuſculis ibi ſanatis, intra aures, ac poſtea, ſi opus videbitur, medicamenta ſuper homoplatas [illegible] applicare, ita namque ſeroſa illuvies è ſanguinis compage ſoluta exundans, à pulmone derivatur, quin & cruoris mixtio, quatenus hoc modo ſales ejus enormes deſtruuntur, craſin ſuam citius recuperat. 3. Reſpectu *Humoris è nervoſo genere* ipſoque cerebro evacuandi, aut derivandi, epiſpaſtica in *affectibus ſoporoſis*, *ſpaſmodicis & dolorificis*, prout communiſſimi ſunt uſus, ita maximum ſæpe juvamen conferre ſolent; Ecquis unquam *lethargo*, *apoplexia*, aut *epilepſia* correptus fuit, quin ſtatim familiares in corium ejus cantharidum applicatione deſævierunt? In *motibus convulſivis* ſtupendis veſicatoria magna cum ſucceſſu in pluribus ſimul corporis partibus applicavi, in eaque ſubinde in locis recentibus reiterando ſupra menſem continuavi: Quin & *dolores in partibus membranoſis fixi* & acerrime diſcruciantes ſine hac adminiſtratione raro curantur: Enimvero interdum humores, & particulæ morbificæ, quæ penitus radicatæ catharticis, aut medicamentis per diaphoreſin, aut diureſin operantibus nequicquam cedunt, per veſicatoria, tanquam remedia ἐγχείρητα, h. e. manus morbo injicientia, radicitus evelli videntur. *Idem.*

III. Attamen hoc remedium, etſi generaliſſimũ, in quibuſdam morbis & conſtitutionibus non ita facile & feliciter operari ſolet, Etenim nephritici, & ſtranguriæ frequenti ac gravi obnoxii, applicationem ejus vix unquam impune ferũt, quare taliter affectis, veſicatoriis non niſi in febribus malignis, aut morbis cephalicis acutis, propter majus malum evitandum uti licebit. Quod ſpectat ad varia hominum temperamenta & conſtitutiones, quorum reſpectu veſicatoria plus aut minus conveniunt, aut commodo eſſe ſolent, ſuper his triplex hoc diſcrimen notabile occurrit. Primo quidam hujus pharmaci uſum fere ſemper bene tolerant, atque ulcuſcula ab eo in cute excitata, ichorem ſatis copioſum ſine dyſuria, aut magna loci veſicati inflammatione exudant, & dein ſponte ſanantur, cujuſmodi effectus tantum in ſanguine εὐκράτῳ ſuccedit, ubi ſcil. cum ſale & ſulphure modicis, ac rite conſtitutis, adeſt ſeri copia ſatis magna, cujus latex à reliquo ſanguine facile & paulo fuſius ſecedens, pharmaci particulas acriores imbibitas ſecum aufert, eaſque partim per locum veſicatum exudat, partimque per vias urinarias, abſque earum noxa foras convehit, propterea item in maſſa ſanguinea effectus utiles modo citati producuntur. Verum 2° pharmacum hoc aliis nec bene congruit, nec commode operatur, quippe locum cui applicatur admodum rubificat, ſeu potius cum dolore atroci & φλογώσει magna excoriat, ulcuſcula tamen ibidem facta, etſi patientem aliquamdiu diſcrucient, ichorem perexiguum, aut vix ullum profundunt porro his ita cum tormento veſicatis, ſtranguria ut plurimum atrox ſupervenit: Hujuſmodi moleſtus ſimulque infructuoſus veſicatorii uſus, hominibus temperamenti calidoris & bilioſi ſæpiſſime contingit, quarum nempe ſanguis ſale ac ſulphure copioſis, cum ſero modico alteris penitius incocto, prædirus eſt. Quapropter cum hujus latex, qui pharmaci particulas acriores auferre debuit, à reliquo cruore nec facile nec ubertim (ut eas è veſtigio eluat) abſcedit, particulæ iſtæ uſque in cute hærentes ſanguinem ipſum pertranſeuntem inficiunt, & quaſi veneuant, ipſumque proinde à circuitu præpeditum, circa vaſorum extremitates (unde inflammantur) aggeri ac ſtagnare faciunt. Porro latex ſeroſus demum per renes ſecretus, cum ex ſe paucus & acris, ac inſuper particulis à pharmaco aculeatus fuerit, veſicæ collum irritat & non raro acrimonia ſua corrodit. 3. Reſtat tertius, etſi rarior, *veſicatoriorum* caſus, in quibus ſcil. ulcuſcula in cute excitata, illico ſeroſum humorem in copia adeo immenſa profundunt, ut propediem neceſſe fuerit medicamenta repellentia, ac ora vaſorum occludentia ſedulo adhibere, ſecus à nimio aquarum effluxu vitium exolutio, & ſpirituum fatiſcentia inſequi periclitarentur: Hoc in quibuſdam adeo conſtanter eveniſſe novi, ut deinceps a cantharidum uſu, quantumcunque iis opus fuerit, abſtinere cogerentur. Cujus ratio videtur eſſe, quod ſanguis ſero ſalſo & acri plus debito præditus, compagem nimis facile diſſolubilem habeter, qua propter latex iſte ſeroſus, ex ſe acris & efferus, quamprimũ à pharmaci particulis ſanguinis cõpagem nimis facile diſſolubilem laxantibus incitatum, impetuoſe ſtatim è cruoris maſſa erumpens, qua data via per vaſorum ora, in locum veſicatum dehiſcentia, pleno quaſi torrente exundat. *Idem.*

IV. Præter hunc ſeri effluxum nimium, a prima veſicatorii applicatione excitatum, iſte nonnunquam in febribus malignis, aliiſque male aut minime indicatis ſero contingens, & aliquandiu perſiſtens, materiam morbificam penitus abſumit, & ægrotantem ab ipſis orci faucibus non raro liberat: In tali caſu poſtquam ulcuſcula primis diebus ichoris parum aut modicum profuderunt, tandem natura hac via criſin moliente, ex iiſdem ſeri illuvies ingens emaneat; adeoque per plures dies, imo ſeptimanas nonnunquam effluere pergit, donec æger pro deplorato prius habitus, ſanitatem integram recuperat: ulcuſcula ſua ubertim fluentia, prout non facile eſt, ita (priuſquam tota morbi minera abſumatur) non tutum eſt occludere: Quidam a febre maligna ægre convaleſcens, in variis corporis partibus loca veſicata ichorem copioſum quotidie cum eructantia haberet, poſt aliquod tempus iis omnibus (ſi quidem ipſi moleſtiæ ac tædio fuerunt) repercuſſoria fortiora applicuit, adeoque effluxum omnem illico cohibuit, Vix biduum ſcaturigines iſtæ ſiſtebantur, cum ille morbi recidivam paſſus, derepente ſpirituum languore & crebris deliquiis cum ſudore frigido & pulſu exili & debili afficeretur: cumque remediis nullis, ut ut cardiacis relevari potuit, intra triduum interibat, cujus cauſa videtur, quod materies maligna ſubito repercuſſa, in nervos cardiacos inciderat, quorum actione id propter impedita, functio vitalis cito defecit. *Idem.*

V. Dum extrinſecus Cantharides applicamus ad veſicas excitandas, utimur ſolo ventre, rejectis aliis & pedibus: hæc enim in cauſa ſunt ut venter non poſſit ita valide operari: nec periculum eſt ut partes extimæ lædantur ſolo ventre applicato. Ac ſi intro exhibentur, ut lotium provocent, ventrem exhibemus: ne vero detrimentum inferant, permiſcemus alas & pedes, quæ partes in cauſa ſunt ne venter ita noceat

veſicæ:

veſicæ: *Capivaccius Pract. l. 3. c. 19.* ubi veſicis exulcerandā cutis, extrema abjicienda, in quibus benignior facultas latet; *Th. Bartholinus Centur. 4. Epiſtol. 54.*

VI. Videant juniores Medici ne in præſcribendis medicamentis quæ cantharides recipiunt, in quantitate peccent; neque præſcripta Medicorum ſemper ſequantur: plerumque enim in dozi errorem committūr, quando ad paucas uncias fermenti, reliquorumque ſimplicium quæ veſicatorium ingrediuntur, drachmas aliquot, imò ad unciam unam & ſemis uſque pulveris cantharidum præſcribunt: & quia cantharides adeo leues ſunt ut quinquaginta via drachmam pendeant, facilè in pondere error committitur: hac de cauſa veſicatoria fere ſic præſcribo ℞ fermenti acris ℥ß. canthar. ſubtiliſſime tritarum n. vj. miſce in mortario, addendo parum aquæ betonicæ in formam cataplaſmatis.

VII. Cuidam tumore genu ex materia viſcida frigidaque laboranti, barbitonſor cataplaſma ex fermento & cantharidibus applicat, totumque genu exulcerat: hinc inter reliqua ſymptomata tantus ardor urinæ ſequutus eſt, ut ſine cruciatu & ejulatu ne guttulam quidem (guttatim autem & ſanguinolenta exſtillabat) emittere poſſet: ablato cataplaſmate, ardor urinæ reliquaque ſymptomata paulatim remiſere: In affectibus inveteratis, ut coxendice, ſic parari poterit ℞ fermenti acrioris ℥iij. pulv. euphorbii ℈j. piper. longi, pyreth. ana ℈ij. canthar. num. lx. miſce, in formam catapl. cum aq. vitæ q. ſ. Hac methodo ſi cantharides applicentur omni vacant periculo, etiam locis veſicæ propioquioribus appoſitæ. *Fabr. Hildanus Obſervat. 98 Cent. 6.*

VIII. Juvenis 22. ann. in melancholiam pronus febre maligna corripitur: Veſicantia quatuor coxis cruribuſque appoſita, quæ attractis humoribus venenoſis intra biduum in cruribus lethalem gangrænam excitarunt. *Iohann. Rhodius Centur. 3. Obſervat. 58.* Puellæ annor. duorum cum dimidio, laboranti febre maligna, veſicatorium emplaſtrum officinatum præſcriptum fuit, ad cujus vim augendam Pharmacopœus multo pulvere cantharidum ſinapizavit, unde cutis exuta eſt, & ſequenti die tota illa pars gangræna affecta fuit: Ad cujus curationem, celebratis ſcarificationibus, fotus admotus ex aq. vitæ; dein linim. ex ungu. Ægypt. in aq. vitæ ſoluto: Intra triduum eſchara ſeparata & ulcus reſiduum curatum ſequenti unguento, ℞. pingued. renum bovis ℥j. litharg. præparati & minii an. ℈j. ol. roſ. q. ſ. miſce. *Riverius Cent. 2. Obſervat. 86.*

IX. Quidam querebatur de dolore à veſicatorio excitato, ſed cum nullo anodyno potuiſſem illum ſedare, D. N. ſolo hydrælæo leniit: Ego mulierculam veſicatorij igne excarnificatam beavi ſic, & alias, ℞. cortic. ſecundi & viridis rami ſambuci cultello deraſi m. j. coquatur in oleo dulci cum pauca aqua ad conſumptionem aquæ: colaturæ adde ceræ parum, f. ungu. excellentiſſimum. *P. Pachequus ad Riverium Obſervat. comm. 12.*

X. Medicus quidam cum mane phlebotomiam imperaſſet, veſperi veſicantia brachiis applicari mandavit: media nocte dum jam veſicans opus ſuum aggrediebatur, ob dolorem & humorum confluxum, impetuoſiſſimè reſerata vena quæ mane ſecta fuerat, atque orificio ſumme dilatato, breviſſimo tempore tanta ſequuta eſt hæmorrhagia ut brevi ægro moriendum fuerit. *Panarolus Pent. 4. Obſ. 2.*

XI. Veſicatoria & Sinapiſmi licet calefaciant partem externam cui admoventur, ille tamen calor ad internas partes non penetrat: quod non intellexerunt qui putarunt veſicantia in febribus malignis cum delirio non habere locum: Ipſe *Gal. 2. de diff. feb. tit. ultimo*, dicit, Quod partes proximæ, quibus applicantur ſinapiſmi, calefiant quidem, ſed non remotæ, contra illos qui dicunt veſicantia calefacere interna viſcera. *Sanctorius lib. de Rem. Inv. cap. 16.*

XII. Veſicas ſolis Cucurbitis excito; quod meum inventum communico: Capio lati oris cucurbitam vitream illam ſtupâ ardente, ut fit, munitam, ubi libet applico: Cum per horæ quadrãtem hæſerit, detraho, novamq; cum flamma, quam poſſum maxima, ſtuppam appono: paulo poſt in junioribus & cutaneis (in ſenibus, aut denſa cute prædictis, tardius) veſiculæ ſurgunt, parvarum acicularum capitella vix æquantes: quibus omnibus horæ ſpatio coëuntibus, ſurgit veſica maxima & orificio cucurbitæ par: Tum ſi vas vitreum non habet foramen cerâ obductum (quo acu perforato flatu exeunte ſponte cadit) plerumque vitrum cultro percuſſum frango; alioqui veſicam, dum manu avellitur, lacerans dolorem ſævum excitat: Hinc educta ſemper magna aqu. copia, caulis folia, vel carnem muſculi bovini macram adligo, tandiu dum illa virore & furore amovendam ſe indicet: Hoc modo innoxiè & intra horarum ſpatium, certò certius ſurgunt veſicæ: cum omnia alia veſicantia poſt multas horas ſæpe ſpem noſtram eludant, morbumque vel procraſtinent, vel contumacem, aut etiam invictum reddant. *H. ab Heers Obſerv. 21.*

XIII. Acetum, quod communiter addi ſolet, an rectè admiſcetur? Pro negativa facit quod acetum partes ſalinas acres figit, & acrimoniam infringit, ut ſinapi aceto præmacerato utimur pro initio, quod ſine illo tolerari non poterat; cepe, allia, raphanus, acria cum aceto miſcēunt. E quo non inepte concludit *Martianus comm. in Hippoc. p. 182.* negative: Adde acetum repellere & refrigerare, quod contrarium eſt indicationi, maxime ubi malignitas ſimul concurrat. Decidi res facile poteſt ſi & quantitatem mediocrem aceti attendamus, & formam, qua adhibetur: hoc enim modo acrimonia ſua auget vim, neque, diſperſo per fermentum corpore cantharidum, adeo infringere vim earundem poteſt, quin corrigentis vim ſubit, unde in hac forma modicum aceti, licet mitiget medicamenti vim ex parte, non nocet: Omnium vero optime conficiunt veſicatoria ſi cantharides ſimpli cerato ex cera & terebinthina impaſtentur, vel Empl. veſicator. *Horſtij utamur. Wedelius de ſ. m. Fac. p. 99.*

XIV. In uſu habemus, ut revulſio & evacuatio fiat præſentior, adeoque fluxus diutius duret, miſcere hioc emplaſtri veſicatorii, una cum emplaſtro albo cocto, ſive de ſpermate ranarum, quod deſcendit & ſimul apertum ſervat fluxum, qua ratione ad unam vel alteram ſeptimanam ſervavimus aliquando apertum, pro indicantis urgentia; id vero tonſoribus difficile ſæpe eſt imprimere. *G. W. Wedelius ibid.*

XV. Veſicatoria qui rectè adminiſtraverit is difficilium plerumque morborum victoriam obtinebit: præſertim eorum qui fluxu humorum foventur, atque hi, ſi ſeroſi ſint & acres, (ichores Græci dicunt) multo maximè, propterea quod hi commodiſſime per poros cutis apertos effluunt: Quam ob cauſam ſi vel oculis, vel naribus, vel proximis partibus rebelle & contumax ſit vitium, inter alia omnia quæ providi Medici moliri conſueverunt, vix ego aliquid inveni præſtantius hoc remedij genere: Ita & ſi pectini, teſtibus, ſcroto, vel

memulæ, malæ ſint erodentis ſuccl eruptiones, quas confi mari diu periculum ſit, coxis, quæ viliores ſunt partes, & ad ſuſtinendum omnia firmiores, effluxum hac via commode dabunt: Ad hæc ſi collum, vel mammæ, vel umbilicus, vel venter, vel partes quæcunque aliæ laborent retiifico aliquo vel ulcere, vel ulcus minante tuberculo, Impoſitis ad exteriora, vel ad latera, quæ carnoſiora ſunt, veſicantibus, periculum avertere his tentandum eſt; Atque ut unam tibi normam præfigam maxime generalem, partes omnes laxæ & imbecillæ, majoris dignitatis, quas vitio quopiam formidabili teneri periculum ſit, probate ſatis hoc remedij genere ſublevabuntur: Præter hæc & ſi Peſtilentiæ germina quædam corporis partes, præcipue præſtantiores, infeſtent, non alienum à ratione fuerit eadem via eas defendendi, In univerſum attrahunt & revellunt, tum inducto ad partem dolore, tum cum excitatur, tum poſtquam excitatus eſt, humoris ad partem defenſam influentis ipſa vacuatione actuali. Revulſorium autem non tantum eſt veſicatorium genus, ſed & excellenter vacuatorium; ut cum vacuari ſæpe corporis pars aliqua doleat obſeſſa veteri tumore, inutiliaque multa Medici auxilia fuerit expertus homo, ad extremum hoc remedium debet procurari, quod mirum in modum aliquando ſolitum eſt juvare: Memini à me adoleſcentem ſic afflictum dolore Gallico in genu, ut contractionem cruris, & inceſſus privationem ſubjiſſet, hoc adminiſtrato auxilio & dolore & contractione protinus liberatum. *Severinus Chir. Trim.pag.* 55.

XVI. Ante xx. annos acceſſitus fui ad ægrum, duabus leucis procul à Matiſcono; Erat is *Baro a Pierrecles*; cui ſubito ſenſus omnes intercepti fuerant, antequam ſacra ſynaxi frui ipſi licuerit, ac Sacerdoti peccata exponere; Ibi quinque Medicos nactus ſum, poſtremus accedens: Conſultatio inſtituta fuit, atque ex iis quæ propoſuere colligere mihi licuit nullum prætermiſſum eſſe ab iis præſidii genus quo morbum ſuperarent, & cerebrum obſidione liberarent, Eo majori ſedulitate operi & curationi intentis quod ratum ipſis eſſet, niſi animæ prædictis auxiliis conſultum fuiſſet, interdictum fore ad beatam vitam iter: Vbi ex ſerie mihi dicendum fuit, cum auxilia uſu trita incaſſum adhibita eſſe animadverterem, hoc in medium attuli, ut ſçil. toti capiti deraſo Cataplaſma veſicatorium admoveretur; ſperans futurum ut efficacia huius remedii topici humores ſeroſi, qui me judice ſubſtantiam cerebri univerſam irrigabant, ad exteriora allicerentur, ac proinde cerebrum aut minus ab onere gravaretur, aut extricaretur: Cum deſperata res videretur, aſſenſum præbuere cæteri Medici: admotumque fuit veſicatorium, cujus adplicationi ſucceſſit ſperatus eventus: ægro enim hujus præſidii vi reſtituta loquendi libertas, judicii, memoriæ, auditus, cæterorumque ſenſuum, ſi viſum exceperis: Exultantibus ægri conſanguineis & amicis; ſolertiam vero meam ſuſpicientibus; ac ut thaumaturgum mirantibus: Peccatorum confeſſionem excepit Sacerdos, ac ægro, S. Euchariſtiam porrexit; rei domeſticæ conſuluit æger; ſed poſtmodum in priſtinum ſoporem, me prædicente, revolutus poſtridie placidiſſime interjit, *Ex communicatione Excell. & Clar. Domini Caroli Sponij, Medici Lugdunenſis.*

VOMITORIA.

SYLLOGE.

Vomitio vacuationum omnium præſtantiſſima. 1.
Non omnes admittunt natura. 2.
Peculiares humores non trahunt Emetica. 3.
Affectus purgationi non cedentes tollunt. 4.
Vomitus & Purgatio ſimul inſtitui poſſunt utiliter. 7.
Vomitoria & ſudorifera combinari poſſunt. 7. a.
Non bilis ſolum, ſed & alij humores exitum per os affectant. 7. b.
Modus dandi vomitorij Domini D. de Mayerne. 7. c.
Initio morborum purgantibus utiliora. 8.
Prudenter data purgantibus præferenda. 9.
Acres & corrupti humores vomitu non excludendi. 12.
Iuſta dozi præſcribenda. 22.
In majori dozi fortius operantur. 33.
Ventriculus vomitui non aſſueſaciendus. 5.
In moribundis non uſurpanda. 6.
Hyeme an æſtate vomendum 10.
Aliter obeſis, aliter gracilibus exhibenda. 11.
Alterantia & purgantia non præmittenda. 23.
Si ſanguinis miſſio ſimul neceſſaria, hæc illis præmittatur. 26.
Si ventriculo cibis pleno danda, qui porrigendi. 31.
Quando ſomnus arcendus vomitu facto. 32.
Vomitus ut facilior reddendus. 12.
Motus eum juvat. 14.
A vomitu quid agendum. 15.
Vomitoria omnia in ſubſtantia data nocent. 29.
Antimonium ritè correctum tutiſſimum. 16.
Ejus infuſio cum aceto deſtillato ſuſpecta. 17.
In vino. 18.
Liquoris quantitas efficaciam minuit vel auget. 19.
Præparati dozis. 21.
Aromata non addenda infuſioni vitri Antimonij. 38.
Ex Antimonio alia alijs tutiora. 34.
Syrupi Salis correctio. 27.
Vitrioli albi dozis. 20.
Aquæ bened. præſtantia. 24.
Elleboro albo quando locus. 25.
Oxymel de Peto emendatum. 28.
Vitriolatis quando ſuſpecta. 30.
Antimonialia bili, Mercurialia pituita excludenda magis conducunt. 34. a.
Sal vitrioli quomodo parandum. 36.
Vitrum Antimonij in ſubſtantia non tutum. 37.
Vitriolum crudum præparato tutius. 35.
Vitrioli Sal quodnam tutius. 39.
Aſari folia quam radix fortiora. 40.
Aquæ bened. vera deſcriptio. 41.
Croci metallorum præparatio. 42.
Antimonialiorum vera correctio. 43.
Mercurius vitæ tutum vomitorium. ibid.
Vitri Antimonij ſimpliſſima præparatio optima. 34. a.
Sapa vomitoria ex eo parata, elegans Emeticum 34.
Miva cidoniorum ſimplex, Vomitorium pueris conveniens. 44.

I. Ca-

I. CAcochymis Vomitio ſalubertima eſt, cum facilis & moderata contigerit, & purgationum omnium præſtantiſſima, noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit, & vacuat omnem quæ in ventriculi cavitate ejuſve tunicis hæret illuviem: Inprimis expurgat è præcordiorum membranis, è cavis jecoris & lienis & ex pancreate omnis generis ſuperfluos humores ſinceros elicit, quos alioqui nec hiera, nec aliud vehementiſſimum medicamen in alvum deturbare poteſt: In ventriculum enim ex his locis viæ breves ac expeditę magis quam in alvum directæ ſunt, per quas facilis eſt vomitio: Quanquam autem ab interioribus evellit, conſequutione tamen caput reliquumque corpus levat: Quocirca omnibus opitulatur affectibus qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, vomitioni crebræ, nauſeæ ac cibi faſtidio, ventriculo præcordiiſve diſtentis, ictero ac cachexiæ, febribus intermittentibus, hemicraniæ, vertigini, epilepſiæ, omnibuſque capitis affectibus qui præcordiorum ſympathia contracti ſunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effuſa impuritas protulit. *Fernelius m.m.l.3.c.3.*

II. Vomitoriorum etſi inſignis ſit efficacia, haud indiſcriminatim tamen ab omnibus admitti debent, Quippe in nonnullis ventriculi tonus nimis laxus & debilis eſt, & conſtitutio adeo tenera ut ab ijs ſtatim ſpiritus fatiſcant & vires exolvantur: Nonnulli etiam viſcera ſenſationis immodice pertinacis obtinent, qui licet difficulter evomant, vomitio tamen ſemel incepta haud facile ſedatur, quin & creberrimo vomendi nixu, uſque ad magna virium diſpendia, & non raro animi deliquia tentantur. *Willis P. R.p.m.* 57.

III. Sententiam illam quæ ſtatuit quædam vomitoria in bilem, alia in pituitam, aliaque in melancholiam agere, & humorem hunc vel illum à cæteris diſcretum & quaſi ſincerum elicere à veritate alienam, & fundamentis protſus nugatoriis nixam judicamus: Quod vero interdum materia viſcoſa & velut phlegmatica potiſſimum excernatur, in cauſa eſt quoniam ventriculi ſaburra, inconcuſſis bilioſi humoris receptaculis, fere tantum expurgatur: Verumtamen quando emulgentur vaſa choledocha, excretio maxima ex parte bilioſa evadit: Humoris atri vomitio à medicamenti tinctura ut plurimum dependet; egeſtam enim materiem vitriolica nigredine inficiunt. *Willis Pharm Rat p.*55. In contraria eſt ſententia *Sylvius de le Boë m.m.lib.*2.*c.*10.ad experientiam provocans, Obſervo, *ait*, alia Vomitoria Pituitam præſertim, alia vero Bilem, alia promiſcue quoſvis humores vitioſos per vomitum expellere, quod licet à paucis notatum ſit, debebat tamen omnino notari; Sic *flores Perſicorum* etiam per vomitum expellunt humores bilioſos ac ſeroſos. 2. *Aſarum bilem* quoque ſurſum evacuat. 3. *Turbith pituitam glutinoſam* per vomitum ejicit. 4. *Carthami ſemen* tum *pituitam*, tum *aquas* vomitu extrudit, 5. *Elaterium* aquam bilemque & per alvum & vomitu. 6. *Ebuli & ſambuci radix, cortex, ſummitates* recentes, ac *flores*, aquas per vomitum educunt: 7. *Gummi Gotte* aquas & bilem, Adde his radic. *Ialap* aquas vomitu expellentem non ſecus ac per alvum.

IV. Circa delectum Emeticorum, præcipua diſcriminis ratio eſt, ut in affectibus nonnullis mitiora exhibeantur, quæ ultra ventriculum nihil perturbent, & ſola ea quæ in cavitate ejus fluctuant, aut tunicis adhæreſcunt, leniter educant: In aliis fortiora conveniunt, ut ſpaſmo etiam viſceribus aliis impertito, quodcunque excrementitium in ijs ſtagnat, aut alicubi congeritur, è mioera commoveatur: Ea vero vacuatio ut violentior eſt quam quę per ſeceſſum, ita, ſi cum virium tolerantia peragatur, in nonnullis affectibus pluſquam purgatio decies reperita prodeſſe ſolet: hoc enim modo phlegma ponderoſum ſtomachi plicis coaleſcens, quod cathartica quævis prætetlaberentur, veluti ſcopis purgatur: Inſuper partes vicinæ, pancreas, meſenterium, lien, ipſumque jecur concuſſione valida commoventur, adeo ut obſtructiones in iis factæ, etiam ſanguinis & humorum ſtagnationes quæcunque, hoc remedij genere facillime amoveantur: fermenta extranea, ubivis in corpore genita, atque altiora morborum ſeminia, abſque vomitorijs adhibitis raro extirpantur, præcipue autem in cerebri & nervoſi generis affectibus Emeticorum uſus valde proficuus deprehenditur: Etenim hoc pharmaciæ genere non tantum ſtomachi & viſcerum ſordes, quæ chylum & ſanguinem inquinant, uberius abſtergentur, ſed etiam glandulæ quæ ſanguinis & ſucci nervoſi emunctoria ſunt, in viſceribus conſita emulgentur, vaſa choledocha, aliaq; excrementorum receptacula copioſius evacuantur, proinde ut eadem inanita ſerum & alia utriuſque humoris purgamenta & ſuperfluitates, ſecus in caput reſtagnare apta, promptius ſuſcipiant: Inſuper his, cum innumera arteriarum oſcula, ſub cruſta villoſa in ventriculum dehiſcant, hæc à vomitorio inſigniter vellicata, humores quoſque vitioſos ac malignos in ſanguine ſcatentes, ibi per vomitum excernendos, protundunt; atq; ob hanc potiſſimum rationem eſt quod morbi Herculei ab emeticis optime, & vix ſine iis curantur: hæc enim pharmaca, ſi quidem naturæ activæ ac indomitæ fuerint, non tantum arterias vellicando humores ſuperfluos è maſſa ſanguinea exprimunt, ſed & venarum quæ illic innumeræ dehiſcunt, ductus ſubeundo, ſanguinem fundunt, ejuſque ſeroſitates aliaq; recremēta præcipitant ac ſecerni faciunt. *Willis Ph. Rat.p.*55.

V. Non eſt tutum Ventriculum violentis vomitoriis agitare: nec utile huic vacuationi aſſueſcere, *Cum nemo ſapiens ex olla coquinaria faciat matulam.* Præſtat hanc partem conſervare diligenter ejuſque tonum roborare quàm diſſolvere vomitu; niſi viam iſtam natura affectet atque vomendi facilitas adſit, ac præparatio veterum adhibita fuerit. *Riolanus Enchir. Anat.l.*2.*c.*23.*Celſus lib.*2.*c.*13. Vomitum ęgris non ſemper prodeſſe, ſemper ſanis nocere ait; quod verum noſtra pręſertim ętate, qua homines non multum vomitui aſſueti ſunt: Si quidem crebrior vomitus efficit ut natura aſſueſcat pravos humores ad ventriculum mittere: Licet enim à prandio id fieri conſulant, motus tamen ille cum ſit violentus, trahit ſemper aliquid: adde quod vis concoctrix redditur imbecillior, ac ſtomachi villorum tonus fit rarior & tenuior: Natura etiam in ſecunda valetudine huic vacuationi aſſueta, morbo deinde læſa, facillimè illam molitur, unde cibi retentrix vitiatur: pręterquam quod capiti nocet, pulmoni ac jecori. *Rubeus in Celſi cit. loc.*

VI. Imperitè faciunt, ne dicam impiè, qui, poſt multa remedia adminiſtrata, in moribundis, ac penè exolutis viribus, vomitoriis utuntur, tanquam extremis remediis, quæ quod ſupereſt vitæ ſuffocant & mortem ocyus accelerant: At Empirici & agyrtæ hoc faciunt & illis feliciter ſuccedit? Si numerares ægros quibus infeliciter propinarunt,

mentulæ, malæ ſint erodentis ſucci eruptiones, quas conſi mari diu periculuoſ ſit, coais, quæ viliores ſunt partes, & ad ſuſtinendum omnia firmiores, effluxuoſ hac via commode dabunt: Ad hæc ſi collum, vel mammæ, vel umbilicus, vel venter, vel partes quæcunque aliæ laborent terrifico aliquo vel ulcere, vel ulcus minante tuberculo, impoſitis ad exteriora, vel ad latera, quæ carnoſiora ſunt, veſicantibus, periculum avertere his tentandum eſt; Atque ut unam tibi normam præfigam maxime generalem, partes omnes laxæ & imbecillæ, majoris dignitatis, quas vitio quopiam formidabili teneri periculum ſit, probate ſatis hoc remedij genere ſublevabuntur: Præter hæc & ſi Peſtilentiæ gemmina quædam corporis partes, præcipue præſtantiores, infeſtent, non alienum à ratione fuerit eadem via eas defendendi, In univerſum attrahunt & revellunt, tum inducto ad partem dolore, tum cum excitatur, tum poſtquam excitatus eſt, humoris ad partem defenſam influentis ipſa vacuatione actuali. Revulſorium autem non tantum eſt veſicatorium genus, ſed & excellenter vacuatorium; ut cum vacuati ſæpe corporis pars aliqua doleat obſeſſa veteri tumore, inutiliaque multa Medici auxilis fuerit expertus homo, ad extremum hoc semedium debet procurari, quod mirum in modum aliquando ſolitum eſt juvare: Memini à me adoleſcentem ſic afflictum dolore Gallico in geno, ut contractionem cruris, & inceſſus privationem ſubjiſſet, hoc adminiſtrato auxilio & dolore & contractione protinus liberatum. *Severinus Chir, Trim. pag.* 55.

XVI. Ante xx. annos accerſitus fui ad ægrum, duabus leucis procul à Matiſcono; Erat is *Baro a Pierreclos*; cui ſubito ſenſus omnes intercepti fuerant, antequam ſacra ſynaxi frui ipſi licuerit, ac Sacerdoti peccata exponere; Ibi quinque Medicos nactus ſum, poſtremus accedens: Conſultatio inſtituta fuit, atque ea iis quæ propoſuere colligere mihi licuit nullum prætermiſſum eſſe ab iis præſidii genus quo morbum ſuperarent, & cerebrum obſidione liberarent, Eo majori ſedulitate operi & curationi intentis quod ratum ipſis eſſet, niſi animæ prædictis auxiliis conſultum fuiſſet, interdictum fore ad beatam vitam iter: Vbi ex ſerie mihi dicendum fuit, cum auxilia uſu trita incaſſum adhibita eſſe animadverterem, hoc in medium attuli, ut ſcil. toti capiti deraſo Cataplaſma veſicatorium admoveretur; ſperans futurum ut efficacia huius remedii topici humores ſeroſi, qui me judice ſubſtantiam cerebri univerſam irrigabant, ad exteriora allicerentur, ac proinde cerebrum aut minus ab onere gravaretur, aut extricaretur: Cum deſperata res videretur, aſſenſum præbuere cæteri Medici: admotumque fuit veſicatorium, cujus adplicationi ſucceſſit ſperatus eventus: ægro enim hujus præſidii vi reſtituta loquendi libertas, judicii, memoriæ, auditus, cæterorumque ſenſuum, ſi viſum exceperis: Exultantibus ægri conſanguineis & amicis; ſolertiam vero meam ſoſpicientibus; ac ut thaumaturgum mirantibus: Peccatorum confeſſionem excepit Sacerdos, ac ægro, S. Euchariſtiam porrexit; rei domeſticæ conſuluit æger; ſed poſtmodum in priſtinum ſoporem, me prædicente, revolutus poſtridie placidiſſime interjit, *Ex communicatione Excell. & Clar. Domini Caroli Sponij, Medici Lugdunenſis.*

VOMITORIA.

SYLLOGE.

Vomitio vacuationum omnium præſtantiſſima. 1.
Non omnes admittunt naturæ. 2.
Peculiares humores non trahunt Emetica. 3.
Affectus purgationi non cedentes tollunt. 4.
Vomitus & Purgatio ſimul initiis poſſunt utiliter. 7.
Vomitoria & ſudorifera combinari poſſunt. 7. a.
Non bilis ſolum, ſed & alij humores exitum per os affectant. 7. b.
Modus dandi vomitorij Domini D. de Mayerne. 7. c.
Initio morborum purgantibus utiliora. 8.
Prudenter data purgantibus præferenda. 9.
Acres & corrupti humores vomitu non excludendi. 12.
Iuſta dozi præſcribenda. 22.
In majori dozi fortius operantur. 33.
Ventriculus vomitui non aſſuefaciendus. 5.
In moribundis non uſurpanda. 6.
Hyeme an æſtate vomendum 10.
Aliter obeſis, aliter gracilibus exhibenda. 11.
Alterantia & purgantia non præmittenda. 23.
Si ſanguinis miſſio ſimul neceſſaria, hæc illis præmittatur. 26.
Si ventriculo cibis pleno danda, qui porrigendi. 31.
Quando ſomnus arcendus vomitu facto. 32.
Vomitus ut facilior reddendus. 12.
Motus eum juvat. 14.
A vomitu quid agendum. 15.
Vomitoria omnia in ſubſtantia data nocent. 29.
Antimonium ritè correctum tutiſſimum. 16.
Ejus infuſio cum aceto deſtillato ſuſpecta. 17.
In vino. 18.
Liquoris quantitas efficaciam minuit vel auget. 19.
Præparati dozis. 21.
Aromata non addenda infuſioni vitri Antimonij. 38.
Ex Antimonio alia alijs tutiora. 34.
Syrupi Sala correctio. 27.
Vitrioli albi dozis. 20.
Aquæ bened. præſtantia. 24.
Ellebore albo quando locus. 25.
Oxymel de Poto emendatum. 28.
Vitriolata quando ſuſpecta. 30.
Antimonialia bili, Mercurialia pituitæ excludendæ magis conducunt. 34. a.
Sal vitrioli quomodo parandum. 36.
Vitrum Antimonij in ſubſtantia non tutum. 37.
Vitriolum crudum præparato tutius. 35.
Vitrioli Sal quodnam tutius. 39.
Aſari folia quam radix fortiora. 40.
Aqua bened. vera deſcriptio. 41.
Croci metallorum præparatio. 42.
Antimoniatorum vera correctio. 43.
Mercurius vitæ tutum vomitorium. ibid.
Vitri Antimonij ſimpliſſima præparatio optima. 34. a.
Sapa vomitoria ex eo parata, elegans Emeticum 34.
Miva cidoniorum ſimplex, Vomitorium pueris conveniens. 44.

I. Ca-

I. Cacochymis Vomitio ſaluberrima eſt, cum facilis & moderata contigerit, & purgationum omnium præſtantiſſima, noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit, & vacuat omnem quæ in ventriculi cavitate ejuſve tunicis hæret illuviem: Inprimis expurgat è præcordiorum membranis, è cavis jecoris & lienis & ex pancreate omnis generis ſuperfluos humores ſinceros elicit, quos alioqui nec hiera, nec aliud vehementiſſimum medicamen in alvum deturbare poteſt: In ventriculum enim ex his locis viæ breves ac expeditę magis quam in alvum directæ ſunt, per quas facilis eſt vomitio: Quanquam autem ab interioribus evellit, conſequutione tamen caput reliquumque corpus levat: Quocirca omnibus opitulatur affectibus qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, vomitioni crebræ, nauſeæ ac cibi faſtidio, ventriculo præcordiiſve diſtentis, ictero ac cachexiæ, febribus intermittentibus, hemicraniæ, vertigini, epilepſiæ, omnibuſque capitis affectibus qui præcordiorum ſympathia contracti ſunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effuſa impuritas protulit. *Fernelius m.m.l.3.c.3.*

II. Vomitoriorum etſi inſignis ſit efficacia, haud indiſcriminatim tamen ab omnibus admitti debent, Quippe in nonnullis ventriculi tonus nimis laxus & debilis eſt, & conſtitutio adeo tenera ut ab ijs ſtatim ſpiritus fatiſcant & vires exolvantur: Nonnulli etiam viſcera ſenſationis immodice pertinacis obtinent, qui licet difficulter evomant, vomitio tamen ſemel incepta haud facile ſedatur, quin & creberrimo vomendi nixu, uſque ad magna virium diſpendia, & non raro animi deliquia tentantur. *Willis P. R.p. m.* 57.

III. Sententiam illam quæ ſtatuit quædam vomitoria in bilem, alia in pituitam, aliaque in melancholiam agere, & humorem hunc vel illum à cæteris diſcretum & quaſi ſincerum allicere à veritate alienam, & fundamentis prorſus nugatoriis niſam judicamus: Quod vero interdum materia viſcoſa & velut phlegmatica potiſſimum excernatur, in cauſa eſt quoniam ventriculi ſaburra, inconcuſſis bilioſi humoris receptaculis, fere tantum expurgatur: Verumtamen quando emulgentur vaſa choledocha, excretio maxima ex parte bilioſa evadit: Humoris atri vomitio à medicamenti tinctura ut plurimum dependet; egeſtam enim materiem vitriolica nigredine inficiunt. *Willis Pharm. Rat p.*55. In contraria eſt ſententia *Sylvius de le Boë m.m.lib.*2.*c.*10. ad experientiam provocans, Obſervo, *ait*, alia Vomitoria Pituitam præſertim, alia vero Bilem, alia promiſcue quoſvis humores vitioſos per vomitum expellere, quod licet à paucis notatum ſit, debebat tamen omnino notari; Sic *flores Perſicorum* etiam per vomitum expellunt humores bilioſos ac ſeroſos. 2. *Aſarum bilem* quoque ſurſum evacuat. 3. *Turbith pituitam glutinoſam* per vomitum ejicit. 4. *Carthami ſemen* tum *pituitam*, tum *aquas* vomitu extrudit, 5. *Elaterium* aquam bilemque & per alvum & vomitu. 6. *Ebuli & ſambuci radix, cortex, ſummitates* recentes, ac *flores*, aquas per vomitum educunt: 7. *Gummi Gotte* aquas & bilem, Adde his radic. *Jalap* aquas vomitu expellentem non ſecus ac per alvum.

IV. Circa delectum Emeticorum, præcipua diſcriminis ratio eſt, ut in affectibus nonnullis mitiora exhibeantur, quæ ultra ventriculum nihil perturbent, & ſola ea quæ in cavitate ejus fluctuant, aut tunicis adhæreſcunt, leniter educant: In aliis fortiora conveniunt, ut ſpaſmo etiam viſceribus aliis impertito, quodcunque excrementitium in ijs ſtagnat, aut alicubi congeritur, è minera commoveatur: Ea vero vacuatio uti violentior eſt quam quę per ſeceſſum, ita, ſi cum virium tolerantia peragatur, in nonnullis affectibus pluſquam purgatio decies reperta prodeſſe ſolet: hoc enim modo phlegma ponderoſum ſtomachi plicis coaleſcens, quod cathartica quævis præterlaberentur, veluti ſcopis purgatur: Inſuper partes vicinæ, pancreas, meſenterium, lien, ipſumque jecur concuſſione valida commoventur, adeo ut obſtructiones in iis factæ, etiam ſanguinis & humorum ſtagnationes quæcunque, hoc remedij genere facillime amoveantur: fermenta extranea, ubivis in corpore genita, atque altiora morborum ſeminia, abſque vomitorijs adhibitis raro extirpantur, præcipue autem in cerebri & nervoſi generis affectibus Emeticorum uſus valde proficuus deprehenditur: etenim hoc pharmaci ęgenere non tantum ſtomachi & viſcerum ſordes, quæ chylum & ſanguinem inquinant, uberius abſtergentur, ſed etiam glandulæ quæ ſanguinis & ſucci nervoſi emunctoria ſunt, in viſceribus conſita emulgentur, vaſa choledocha, aliaq; excrementorum receptacula copioſius evacuantur, proinde ut eadem inanita ſerum & alia utriuſque humoris purgamenta & ſuperfluitates, ſecus in caput reſtagnare apta, promptius ſuſcipiant: Inſuper his, cum innumera arteriarum oſcula, ſub cruſta villoſa in ventriculum dehiſcant, hæc à vomitorio inſigniter vellicata, humores quoſque vitioſos ac malignos in ſanguine ſcatentes, ibi per vomitum excernendos, profundunt; atq; ob hanc potiſſimum rationem eſt quod morbi Herculei ab emeticis optime, & vix ſine iis curantur; hæc enim pharmaca, ſi quidem naturæ activæ ac indomitæ fuerint, non tantum arterias vellicando humores ſuperfluos è maſſa ſanguinea exprimunt, ſed & venarum quæ illic innumeræ dehiſcunt, ductus ſubeundo, ſanguinem fundunt, ejuſque ſeroſitates aliaq; recrementa præcipitant ac ſecerni faciunt. *Willis Ph. Rat. p.* 55.

V. Non eſt tutum Ventriculum violentis vomitoriis agitare: nec utile huic vacuationi aſſueſcere, *Cum nemo ſapiens ex olla coquinaria faciat matulam.* Præſtat hanc partem conſervare diligenter ejuſque tonum roborare quàm diſſolvere vomitu; niſi viam iſtam natura affectet atque vomendi facilitas adſit, ac præparatio veterum adhibita fuerit. *Riolanus Enchir. Anat. l.*2.*c.*23. *Celſus lib.*2.*c.*13. Vomitum ęgris non ſemper prodeſſe, ſemper ſanis nocere ait; quod verum noſtra pręſertim ętate, qua homines non multum vomitui aſſueti ſunt: Si quidem crebrior vomitus efficit ut natura aſſueſcat pravos humores ad ventriculum mittere: Licet enim à prandio id fieri conſulant, motus tamen ille cum ſit violentus, trahit ſemper aliquid: adde quod vis concoctrix redditur imbecillior, ac ſtomachi villorum tonus fit rarior & tenuior: Natura etiam in ſecunda valetudine huic vacuationi aſſueta, morbo deinde læſa, facillimè illam molitur, unde cibi retentrix vitiatur: prętęrquam quod capiti nocet, pulmoni ac jecori. *Rubeus in Celſi cit. loc.*

VI. Imperitè faciunt, ne dicam impiè, qui, poſt multa remedia adminiſtrata, in moribundis, ac penè exolutis viribus, vomitoriis utuntur, tanquam extremis remediis, quæ quod ſupereſt vitæ ſuffocant & mortem ocyus accelerant: At Empirici & agyrtæ hoc faciunt & illis feliciter ſuccedit? Si numerares ægros quibus infeliciter propinarunt,

centum invenies mortuos pro duobus robuſtis ſervatis, qui fati ope, non medicamenti, ſervat fuere: Empirici prudentiores cum ad tales ægros vocantur, magnum vitæ diſcrimen pronuntiare ſolent; ideoque cautè aurum potabile, vel quid ſimile inſtaurativum virium exhibeot, donec natura quieſceos ab omni perturbatione reſurgat, Tumque opportuoitatem capiunt exhibendi vomitorium blandum, quod ſuſque deque humores ſeroſos vel ſimiles educit. *Riolanus Ench. Anat. l.2. c.23.*

VII. In vomitu ciendo maximi mihi momenti eſſe videtur conſuetudo & facilitas: nam, ſi hæc abeſt, longè majoris difficultatis eſt vomitu expurgari quam dejectione: quanquam non minoris utilitatis, imo longè majoris, etſi dejectio eſt tutior: Hinc fit ut Medici prudentes, & qui tuto curare maximè ſtudent, ſubductionibus alvi contenti plerunque ſint: Circulatores verò, qui ægrorum pericula contemnentes, magnum aliquid fortuito facere, honoris & gloriæ ſtudio volunt, vomitiones tentent violentiſſimas: Ego ut *ſponte ſimul dejicere & vomere* multum nunquam vellem, quia peſſimæ affectionis, choleræ inquam morbi, accidens eſt: tamen à pharmaco purgationes quaſdam ex utriſque temperatas, vomitionibus, inquam, quibuſdam & dejectionibus, non odi, imo vero ab illis ſpero bene, craſſis æque ac tenuibus vacuatis, ſuperiorique atq; inferiori ventre purgatis. *Valleſius m.m. l. 2. c. 5.*

VII. *a* Quinimo aliquando ſimul conjungi poſſunt *Vomitoria ſudoriferis*, nam nil nocet illa ſimul aſſumi & ſimul operari, poſtquam non ſunt motus ſibi contrarii, ſed diverſi, per vomitum & ſudorem: Nam imperite ac inepte Inteſtinorum fiſtula, una cum ventriculo ac Oeſophago cenſetur pro humani corporis centro, Cutis autem pori pro ejuſdem circumferentia: Si quod enim haberi poſſet ipſius centrum, id omnino dicendum foret Cor, à quo ſanguis ad partes ſingulas defertur, uti ſingulæ partes pro ejuſdem circumferentia, cum ab ipſis referatur ſanguis ad cor, idque ſecundum ſanguinis motum circularem: Quod ſi corporis humani centrum ſtatuatur cor, non minus Inteſtinorum fiſtula, in hac per quam ſe exonerant fellis folliculus & pancreas, atque ipſum os, in quod ac per quod ſe exonerant glandulæ ſalivares, atque ipſius aliquando ventriculus cum inteſtinis tenuibus, pro ejus circumferentia habenda, quam externa cutis, perquam ſudor expellitur, atque veſica urinaria, per quam urina excernitur: Hoc, non tantum probabile, ac vero ſimile, arguit Ratio, ſed verum probat Experientia, quæ tum alios, tum me quoque non ſemel confirmavit cum optimo ſucceſſu, & magno ægrorum commodo, expelli eodem tempore ac medicamento humores in corpore peccantes, tum per vomitum, tum per ſeceſſum, tum per ſudores ac urinas: Quod in non paucis affectibus utile docuit Experientia, certa, ſolidæ ſanæque Rationi conſentiens, id ipſum in peſte quoque fieri poſſe tuto ac feliciter nullus dubito. *Sylvius Append. Tract.2.* §.594. Vide lib.6. Titulo Peſtilens feb. §.48.

VII. *b* Ne quis putet Bilem tantum ſurſum ac per vomitum affectare viam: Experientia quotidiana nos docet, & Aquas Inſipidas, & Salſas, & Acidas, tum tenues, tum craſſas, imo Pituitam impenſe viſcidam ſponte vomitu excerni pluribus: quod ubi obſervatur fieri, dummodo nil obſtet, commodum eſt dictum naturæ ductum ſequi, h.e. motum humorum ſponte ſua ſurſum factum promovere: Sponte autem ſua, h.e. à Natura moveri puto ſurſum humores, quoties per ductum Pancreaticum, ac Bilarium, in tenue inteſtinum delati, atque pituitæ ex ſaliva perpetuo deglutita præſertim productæ, aut aſſumptis alimentis, medicamentis, veneniſve è ventriculo per pylorum delabentibus occurrentes, tam inter ſe quam cum his effervescentium excitant, & quidem talem ob quam ſurſum ad ventriculum propellantur, vel aliqua eaque minori majorive ſui parte, vel univerſi. *Idem. Tract.6.* §. 163.

VII. *c* Validiora vomitoria, delicatis præſertim corporibus & imbecillioribus ſtomachis dentur poſt cibum: At ſi copioſam vacuationem requiris in robuſto oſſibus, jejuno ſtomacho, præſertim antimonium, cujus vis cito retunditur: Humores tenaciores præpara incidentibus, aperientibus, præparantibus, oxymelite, ſyrupo acido, ex vitriolo aut ſulphure, balneo, fotu longo hypochondriorum per multos dies, mox da vomitorium, Poſt ſingulos conatus detur aliquid juſculi pinguis: Foveatur inter vomendum ſtomachus fotu relaxante, veſperi roborante, Noctu, ſi opus ſit, detur laudanum; poſtridie conſerva, tabella, vinum roborans: *Ex ſchedis Dom. Turquetide Mayerne.*

VIII. Antiqui vomitionibus frequentiſſimè utebantur, rariſſimè dejectionibus: atque Hippocr. præſervationis gratia nunquam uſus eſt purgatione per inferiora, ſed per vomitum ſemper, ut ex 3. de Diæta & l. de Inſomn. conſtat; quia enim nondum apparente morbo, non ita conſtare poteſt qualis humor maximè vigeat, per vomitum ideo purgat, quo non ſolum humor pharmaco conveniens educitur, ſed etiam quilibet alius quem in corpore abundare contingat. *Pr. Martianus comm. in v.153. l. de Nat. Hom.* Ideo quod ventriculus dat omnibus & ab omnibus accipit, ideo Hipp. vomitionibus in cujuſlibet partis imminenti morbo præſervationis gratia uſus eſt. *Idem comm. in v.136. lib. de Inſomn.*

IX. Vomitoria reſpuunt quidam, quia illis non ſumus aſſueti ut antiqui; ac ſi ævo noſtro nullus per vomitum indicetur morbus: nec reperiantur homines qui facillime, & ſponte, & à medicamentis vomant: unde obſervamus quotidie multos ægros, poſtquam diutius & incaſſum à Medicis rationalibus curati ſunt, tandem antimonio ſumpto, aut ſimili violento remedio ab Empirico dato, à contumaciſſimis morbis in totum ſanari: nec magis periclitari homines ab horum uſu quàm à noſtris benedictis communiter dictis: quæ etſi blanda ſint & levia, quandoque tamen & ipſa lethales ſuperpurgationes inducere obſervantur: Nam læſiones à medicamento provenientes, non ab ejus fortitudine dependent omnino, ſed ab inepto uſu: unde non minus ægrum lædit Medicus leve medicamentum præbens ei qui forte expoſcit, & deorſum purgat, cum ſurſum id facere debere, quá ille qui forte & ſurſum purgans dat illi, qui mitiori & infra ſubducente opus habet: Non nego tamen ſupernas purgationes longè moleſtiores eſſe in ipſo actu vomitionis, quá infra ducentes: unde ſæpe ægri ſibi ipſi mori videntur, ceſſata tamen evacuatione totum oppoſitum ſequitur, quandoquidem per vomitum purgati ſtatim melius habent, alacrioreſque & ad omnes operationes obeundas promptiores redduntur; non ſiticuloſi, bene appetunt & citiſſimè reficiuntur, cujus oppoſitum evenit inferne purgatis: Nihilominus Medici noſtri temporis jucúditaté omnibus præferentes, nullo habito reſpectu aut morbi aut temporis, aut alicujus rei, quamlibet purgationem, cum maxima artis jactura per inferiora moliun-

moliuntur. *Idem comment. in v. 231. libro tertio de morbis.*

X. *Hippocrat. 4. aphor. 4.* Medicari æſtate ſuperiores magis ventres, hyeme vero inferiores jubet: & *6. aphor. 6.* Graciles & facile vomentes purgandos per ſuperiora ait, cavendo hyemem: Suadet ratio, quia humor pituitoſus, hyeme abundans, naturaliter et gravis, deorſum inclinat, ergo per inferiora purgandus, juxta aphor. *Quo natura vergit &c.* Oppuſitum exaravit 3. de *Diæta n. 3.* vbi hyemalem diætam præſcribens, *Vtendum*, ait, *& vomitibus, ſi humidiores ſint, ter in menſe; Sin ſicciores, bis a cibis omnis generis.* Confirmat *lib. de Sal. Diæta*, *Sex menſibus hybernis vomere vtile eſt &c.* cui ſubſcribit *Celſus lib. 1. cap. 3.* Solve, dicendo *Hippocr.* ſententiam illam in aphor. haud ſimpliciter protuliſſe, ſed addita particulla μᾶλλον: quaſi neutiquam inficietur in æſtate etiam per inferna, & hyeme per ſuperna purgari poſſe. Vel dic, Si de univerſali purgatione agatur, ut ea quæ per elleborum fit, *Hipp.* alluetat, æſtate per ſuperiora, hyeme per inferiora eieri debere: Si de peculiari, hyeme per vomitum, æſtate per ſeceſſum promoveri debere; Ex mente *Gal. comm. in cit. aphor. Quoniam igitur in hyeme pituita in ventre gignitur, nobis conſulit vt eam vomitibus evacuemus, & bilem æſtate ſupra innatantem deorſum revellamus: Et tamen ſi vniverſum corpus purgare velis, æſtate per ventrem ſuperiorem, hyeme per inferiorem purgabis, vt in aphor. ſcriptum eſt. Etenim quæ jam redundant, ea eorum purgatio, quæ per ea loca, quò vergunt, adhibetur: ducenda enim illa ſunt quæ tendunt per loca accommodata: quæ autem prohibere velis ne augeantur, ea per loca contraria retrahere convenit. Sinibaldus Antiph. lib. 3.*

XI. Alia eſt obeſorum, alia gracilium conditio in vomitu ciendo: illi enim, quod pingues habeant humores & ad motum pigros, nonnihil icioni, & poſt inſignem ambulationem atque motum vomere debent; ita enim pituita, natura ſua lenta, & tenax incaleſcens, exercitio funditur atque ad excluſionem aptior redditur: Graciles contra, vt qui humoribus nequicquam abundant, ſi vomere debent, à cibis iiſque variis & omnigenis id efficere expedit juxta *Hippoc.* præceptum *l. de Sal. Diæta*, Et *3. de Diæta n. 4. Sinibaldus Antiph. 9. l. 3.*

XII. Cavendum ne nimis acres aut corruptos humores per vomitum expurgemus: nam ſenſus & præſtantia oris ventriculi ægre fert contactum vitioſæ materiæ, ni priùs admodum fuerit præparata, & aliis lenientibus & humidis medicamentis commixta. *Mercatus de Ind. Med. l. 1. c. 9.*

XIII. Aſſumpto vomitorio ſuperbibat æger cereviſiam, aut aliud juſculum probè butyratum, ſic enim facilius vomitus procedet. *Walæus method. med. pag. 60.*

XIV. Qui quieſcit & in lecto jacet vix dimidiam partem eius vomit quam ille qui ſe commovet. *Idem.*

XV. Poſt vomitum lac dulce cum pane candido exhibeatur: hoc enim œſophagum & ventriculum iterum demulcet. *Idem.*

XVI. Non moneat nos graviſſimorum Medicorum authoritas qui Antimonii uſum reformidant, cum interea aſaro non minus graui & violento utantur: quiſquis enim aſaro utitur ad vomitum concitandum, & antimonio uti poteſt, cum & gratius ſit remedium, & minore cum periculo, faciliuſque multò ventriculum ſubvertat, & à penitioribus partibus attrahat, præſertim ſi infuſio potiùs ſumatur quàm ſubſtantia: vis enim illius tunc altius ſubit, nec tantam ventriculo moleſtiam faceſſit, & in quibuſdam, imò ſæpiſſimè alvum movet: Eoque rite & debitè præparato quilibet vti poteſt, tutius & minori cum periculo quam aſaro, quicquid multi reclament, qui omnia tuta timent: Hoc validius Vitriolum album: utroque validior Nicotiana, quæ impente ac ſupramodum exagitat: Multos tamen novi qui ea infuſa, tum in ſubſtantia, ſatis commodè purgantur: *Primiroſius lib. 2. de Febrib. c. vlt.* Omnium Emeticorum præſtantiſſimum eſt Antimonium, & omnium magnæ vires labefactat: Non debet autem ipſius ſubſtantia dari, ſed ſola infuſio, quæ neque ex vitro, ſed ex ſolo croco metallorum optimè defæcato præparetur: Eſt enim hæc omnium antimonii præparationum tutiſſima, & vim quandam balſamicam poſt operationem viſceribus impertit: Vomitoria cætera quibus familiariter vtuntur, qui Galenici eſſe & dici volunt, ex azaro, floribus geniſtæ, elleboro albo & aliis hujuſmodi, præterquam quod ſunt ingrata & ineptè compoſita, multo peiora ſunt & validiora quam antimonium; id quod millies experientia probavi. *Idem lib. 3. c. 2.* Inter *Vomitoria* cæterius omnibus præterea hic *Antimonialia*, tum quia promiſcuè humores quoſvis evacuant feliciſſime, tum quia humanæ naturæ ſunt amiciſſima, modo peculiari omnes in homine humores ad ſtatum laudatiſſimum leniter deducendo: quæ vis an in aliis rebus ſimiliter occurrat dubito, in antimonio ipſam exiſtere novi: Cavendum autem ne nimia ſumantur quantitate &c. Nec enim nocent uſii ritè parata & minore quantitate uſurpata, quod millies experitua teſtor: quin ſemper tunc proſunt, noxios in corpore humores aut emendando, aut ad ſequuturam poſtea purgationem amplius præparando. *Fr. Sylvius Pract. l. 1. c. 23.*

XVII. Infuſio *Antimonii*, ſeu ejus vitri, cum aceto ſtillatitio illud commodum habet quod ipſa antimonii ſubſtantia ab acredine aceti abradatur, quæ abraſa fundum petit, quia gravior eſt: jam ſi ejuſmodi infuſum pro aliquot vicibus præparetur, priores portiones parum operabuntur: aſt cum ad fundum perventum fuerit, & ſi reſpectu priorum portionū hac eadem dozi præparare velit, ægro vel intolerabiles cruciatus, vel ipſam mortem cauſares *Wilæus p. 59.*

XVIII. Vinum Hiſpanicum valdè parum extrahit aut educit: optimè Gallicum aut Rhenanum, quia ad acredinem & tartaream naturam vergunt Rubrum vinum etiam melius extrahit quam album: Spiritus vini ex Antimonio nihil extrahit.

XIX. Fruſtra præcipitur dozis *infuſi croci metallorum*, aut *vitri Antimonii*: in liquoris enim quantitate cardo vertitur: Nullum recipiens recipit per modum imprimentis; ſed per modum receptivitatis ſuæ: Liquoris ſint ℥ii. ℥iiß. *Idem.*

XX. *Vitriolum album* me præſcriptum legiſſe memini ab Heurnio ad gr. ij. verum id nihil facit, requiruntur ℈ß. gran. xii. xvj *Idem.*

XXI. *Antimonium præparatum*, ſeu *Crocus metallorum*, ad gr. iv. viij. præſcribuntur; raro tamen ad hanc ultimam dozin aſcendimus, nec illo prorſus niſi in infuſo utimur. *Idem.*

XXII. Vomitoria iuſtam & exactam poſtulant dozin, parciori enim manu exhibita vim ſuam amittunt & per alvum purgant; Iuſtæ dozeos indicium eſt ſi flava & viridia evomantur: imperfectæ ſi tantum aquea & alba. colores autem illi non in humoribus fuerunt antea, ſed a medicamentis inducuntur; Sic infantes lac aſſumptum evo-

munt colnratum, cum tamen prius fuerit candidum. *Idem.*

XXIII. Noxium eſt vomitioni ſimul alterantia & purgantia præmittere: bis enim inteſtina lenta illa mucilagine ſpoliata jam ſunt: ita vt vomitorium poſtea eorum ſubſtantiam corrodat & maxima tormenta faciat: *Walæus pag.* 57. Alterantia quidem præmitti poſſunt, ſed non ex abſoluta neceſſitate: ipſa enim vomitoria propria vi humores fundere poſſunt. *Idem p.* 56.

XXIII. *a.* Notandum omnia ex mineralibus & metallis parata medicamenta, quo minus ſunt fixa eo potentius Vomitum ciere; ſicut magis fixa per alvum magis purgant: hinc amplius adhuc fixata ſudores imprimis movent: denique fixiſſima alterando duntaxat & roborando affectus ab humoribus ortos emendant & tollunt. *Sylvius de la Boë m. m. l.* 2. *c.* 16.

XXIV. Si colluvies viſcera gravat, præſertim ventriculum, lenes ex *Aqua benedicta* vomitus ſunt imperandi: Ejus enim hæc vis peculiaris eſt ut non tantum ſaburram eliminet, ſed etiam ventriculum ad concoquendum inſtiget, unde poſt aquæ benedictæ uſum, ſemper videmus appetitum, etiam dudum quaſi ſepultum, revocari & augeri. *Hartmannus Pr. Chym. p.* 185.

XXV. Cum *Antimonii* vires contemnit morbus, in auxilium evocatur Elleborus albus, modo validæ vires efflorefcant: Herophilus fortiſſimo duci æquabat, concitatis enim intus omnibus ipſum imprimis exire dicebat: Ideo erraſſe antiquos parciùs illud præbendo, cum celerius erumperet quod daretur largiùs: Sed dico illud accuratè præparandum eſſe, cùm, teſte *Oribaſio*, veteres ſæpe ab ejus uſu interierint quod mos præparandi eos lateret. *Heurnius method. lib.* 2. *cap.* 21. *vbi varia præparationes, (inter quas Electarium extollit) ac in exhibendo cautiones tradit.*

XXVI. Si ægri & morbi conditio utrumque auxilium poſtulaverit, venæ ſectionem & vomitorium, Tutum omnino eſt vt venæ ſectio Emetici exhibitionem præcedat: alias enim dum vaſa ſanguine diſtenta ſunt, periculum imminet ne ex violentis illis vomendi conatibus, vel rumpantur vaſa Pulmonum, vel cerebrum lædatur, affuſo cum impetu ſanguine atque effuſo, adeoque æger apoplexia correptus pereat. *Sydenham Tract. de Febr. pag.* 23.

XXVII. *Syrupus Emeticus Angeli Sala*, aliàs *Oxyſacchar vomitivum*, optime deplet ventriculum phlegmate craſſo obſeſſum. *Gregorius Horſtius Tomo ſecundo pagin.* 483. mulieri aſthmaticæ ℥ j. præbuit, unde aliquot libris phlegmatis craſſi ejectis liberata eſt: Timerent minus cordati Medici ne ſuffocarent ægrum, quaſi viæ reſpirationi dicatæ inter vomendum adhuc anguſtiores redderentur; ſed natura ſagax dat ſpatium reſpirandi, & tantum temporis admittit vomitus quantum videtur ad reſpirationem neceſſarium: Idem obſervandum in catarrho ſuffocativo: Eum ſyrupum in frequentiſſimo uſu habeo, nihilque in eo deſiderarem quam ut ſapor aceti eſſet mitior, de quo nonnulli ægri queruntur: iden ſæpe addo aliquid de julapio roſato vel ſyrup. de cinamomo. *Hoëferus Hercul. Medic. pagin.* 118. *Sala* à ℥ ij. ad ℥ vj. exhibet: *Horſtius* obſervavit tutò in adultis ℥ j. dari poſſe, vide *Ejus lib.* 7. *Obſervat.* 30.

XXVIII. Idem fere corrigendum in *Oxymel. de Peto Quercetani*, ubi etiam aceti quantitas major eſt, & Tabaci pro intentione vomitum ciendi minor: Ideo Tabaci pondus duplicandum cenſeo, doſis cochlearia ij. vel iij. per ſe, vel cum decocto aliquo pectorali; Probatur ab *Horſtio &c. Hoëferus.*

XXIX. Vomitoria in ſubſtantia omnia nocent. *Walæus.*

XXX. In omnibus *Vomitorijs vitriolatis* exhibendis ſedulo cavendum eſt ab aſthmate aliiſque pectoris affectibus. *Beguinus Tyroc. l.* 2. *c.* 17.

XXXI. Expedit humores ventriculo contentos plurimis ac variis commiſcere cibis, tum ut eos poſſit undique fixius complecti, tum vero ut cibis commixtos facilius pellere poſſit natura: verum cibaria hæc non quævis ſint oportet, ſed ſalſa, amara, acria, incidentia, tenuantia aut turgentia, quæ, ut vult *Galeni* 3. *de uſ. part.* biliosam habeant naturam & eius officio utantur, nimirum ut ventrem abſtergant & mundent, nam hæc omnia præter id quod expulſioni proſunt, humores etiam ipſos ad eandem parant: Contrarium tamen prorſus fieri debet in iis quibus cruditates in ventriculo abundant, tunc enim ſat eſt vbi potibus vomitum moventibus abſque ciborum ingeſtione, quæ in crudis ventriculis ſuſpecta & perniciosa ſæpe eſt. *Mercurialis de Indic. Med. c.* 5.

XXXII. Non *ſuperdormiendum* vomitoriis, præſertim corporibus exiſtentibus biliosis, ne per ſomnum bilis in cerebrum vehatur: ubi tamen æger ſatis vomuiſſe viſus fuerit, ſomnus concedi poterit. *Hartmanni in Crollium.*

XXXIII. Quod à nonnullis aſſeritur vomitorium in doſi quantumcumq; magna exhibitum, non fortius operari, quam ſi in modica ſaltem quantitate ſumeretur, à veritate omnino alienum eſt, Eiuſq; rei experimentum non ſine periculo tentandum: quippe ſi plures adſint medicaminis particulæ, fibras etiam plures imbuent, eaſque altius ſubeuntes, gravius laceſſent, adeo vt ſpaſmi immaniores & crebriores neceſſario conſequantur. *Willis Pharm. p. m.* 54.

XXXIV. *Vitrum Antimonii* fortiter operari ſolet, in cuius præparat. ſulphure ſuo magna ex parte, aut omnino ſpoliatur: doſis pulv. gr. iv. ad vj. Infuſ. in vino ℥ vj. ad ℥ x. *Flores* Antimonii, medicamentum ſunt atrociter vomitivum, quia in illius præparat. particulæ ſalinę & ſulphureæ, aquoſis & terreſtribus excuſſis aſcendunt, ac una combinantur, quare cum & corpus minerale plurimum refereretur & corpuſcula maxime activa (hebetioribus quę hæc obtundunt, depoſitis) ſimul coniunguntur, doſis gr. ij. iv. *Crocus metallorum* ſatis benigne operatur, & Emeticum maxime vſitatum eſt: datur in ſubſtantia à gr. iij. ad v. vinum infuſ. ab vnc. ß. ad vnc. iß. *Sulphur Antimonii*, longè mitius ac benignius operatur quam quodvis Antimonij præparatum, doſis gr. v. ad x. *Mercurius vitæ* nihil in ſe Mercurij continet, quoniam hic ſalibus congelativis privatus priſtinam argenti vivi ſpeciem reſumit, (paratur ex antimonii electi & Mercurii ſublimati ana.) *Willis ib p.* 68.

XXXIV. *a. Vitrum Antimonii* variis paratur modis, adeoque colore vario: præfertur tamen merito quod per ſe, atque ſine ulla additione alterius rei calcinatione, hinc & fuſione obtinetur: illud optimum eſt tum vomitorium, tum purgans per alvum, omnes humores peccantes feliciter evacuans: Infunditur tritum per noctem in liquore convenienti, vino Gallico, Rhenano, Canarienſi &c. cerevisia, aqua diſtillat. hydromelite, aceto, oxyſacchar. &c.

&c. *Franciſcus Sylvius de le Boë method. med. lib. 2. cap.* 10.

XXXIV. b Ex *Vitro Antimonii* paratur *Sapa vomitoria* cujus effectum ſæpiſſime ſuo expertus laudabilem,quod medicamentum eſt gratiſſimum, ad piperis, vel piſi mediocris quantitatem uſurpandum, in quovis liquore ægris accepto: Quemadmodum cum muſto paratur ex Antimonii vitro ſapa, ſic cum pomorum redolentium, pyrorum, prunorum, cydoniorum ac ſimilium ſucco inſpiſſato parari poſſunt Mivæ, Syrupi, Rob. & aliorum nominum medicamenta, humoribus quibuſvis per vomitum educendis aptiſſima, tutiſſima & gratiſſima: Et hoc præ aliis omnibus præſtat Vitrum Antimonii, quod majoris adhuc facerent multi ſi quantum in ipſo lateat virium rite noſſent. *Idem ibidem.*

XXXIV. c Inter vomitoria præ cæteris omnibus præfera *Antimonialia*, quoties *Bilis* præcipue peccat; Ubi *pituita* redundat, *Mercurialia* laudo, vel ſola vel aliis admiſta; quoniam præ cæteris pituitam etiam viſcidam educunt, quam inſuper incidunt. *Sylvius Append. Tract.*8. §. 160.

XXXV. *Dioſcor. Vitriolum* vomitum ciere ait, quod de crudo capiendum, prave enim paratum (Gillam vocant Chimici) vomitum functum motemque accerſit: Quidam ut ſtomachum halecibus ſalſis ſaburratum depleret, Gillam à ſe præparatam ſumpſit, eodemque die animam cum vomitiniano exſpuit: Ventriculus tribus in locis per foratus ad magnitudinem Taleri inventus: reſtabat tenuiſſima exterior tunica cui Gilla adhærebat & ipſam eroſerat. *Henr. ab Heers de Acid.p.* 28.

XXXVI. E fortioribus Vomitoriis quæ jam uſurpantur, *Sal* eſt *Vitrioli* ritè præparatum. è vitriolo ritè calcinato: Si eo in vitriolum calcinatum colorem obſcure purpureum nondum adipiſcatur, nihil aliud extrahes quam vitriolum ejuſdem coloris, non vero ſal album habebis: Sin excedas, adeo ut vitriolum nimis calcinando omnibus acidis ſpolies ſpiritibus, non multum ſalis, quod purget per vomitum, inde conficies: Sal martis, ex vitriolo martis rite paratum, meliorem obtinet vim: Mannæ cœleſtis voce donat *Quercetanus* in Tetrade aff. capitis: *A. Sala* in ternario Vumitorior. ad cœlum uſque evehit: Nota tamen ex *Zwelfero* in appendice ad Animadv. p. m. 7. hoc Sal improprie ſic dici, cum nihil aliud ſit quam ipſa vitrioli ſubſtantia ab omnibus impuritatibus & metallica ſeparatum ſubſtantia, cum vulgo parari conſueverit nulla prægreſſa calcinatione, ſed repetitis ſolutionibus, filtrationibus & coagulationibus, unde dici debeat vitriolum: album vomitivum, non ſal vitriolii. *Fr. Hofmannus m.m.p.* 112.

XXXVII. *Vitrum Antimonii* non exhibetur tuto in ſubſtantia, ſed ſecurior eſt ejus uſus vel in infuſo, vel per ſolius Nitri correctionem, quæ emendet ejus noxiam indolem: Nam quia nihil aliud eſt quam meta Saturni marchaſita, in ſe mercorium arſenicalem, & ſulphur externum auripigmentale habens, omnis venenatæ qualitati certe non eſt expers. *Frid. Hofmannus m.m.l.*1. *c.* 9.

XXXVIII. Notandum male in *infuſo Antimonii* addi aromata correctionis gratia, dum hac ratione & naturæ & medicaminis operantis conatus invertitur: Si enim ob hanc cauſam id infuſum propinetur ut vitioſos tum ex ventriculo tum partibus vicinis evacuet humores, operationes ſuas etiam ἄνω exercere debet: Cur autem aromatibus ventriculum roborando virtutem emeticam volumus infringere? Dum ab una parte ſtimulus additur naturæ ad expulſionem motæ, ab altera, vero compedibus tenetur ligata quaſi, & remora injicitur quominus id quod intendit efficere queat, Sicque natura in ſuis operibus interturbatur & fit ambigua; Si volumus ventriculum roborare, faciamus illud ipſum ſubducta per vomitum vitioſorum humorum ſaburra: Ideoque ſolius Nitri correctione vitri Antimonii vis venenata melius infringitur, monente *Zwelfero in appendice ad Animadverſiones.*

XXXVIII. *a Vitriolata vomitoria* imprimis *phlegma* ſive pituitam, & humores illi immerſos blande ſatis vacuant, *Sylvius m.m.l.*2. *c.*10.

XXXIX. *Sal Vitrioli* variis modis præſcribitur, ſcil. ex colcothare elixiviato, prius calcinato; juxta *Ang. Salam*; Et ex vitriolo albo crebris ſolutionibus & coagulationibus purificato, quod medicamentum Gilla Theophraſti vulgo appellatur, eſtque omnino tutiſſimum & paratu facillimum; attamen duo pharmaca priora inſigniter ſtyptica, &c, quatenus ignem paſſa, nonnihil corroſiva exiſtunt: poſterius autem ſatis benignum ſtomachi fibras leniter convellit & nonnihil corrugati facit, proinde, ut quod moleſti eſt excutiendi gratia, illæ demum ſpaſmos & vomendi nixus ineant, qui tamen cito pertranſeunt, & ventriculi perturbatio ſtatim compeſcitur: Sal Vitrioli ideo pluris æſtimatur quod tanto ultra ſtomachum commoveat, nec uti ſtibiata viſcerum ſpaſmos & ſanguinis inordinationes, aut ſpirituum deliquia inducit, illi tamen vitio vertitur quod ſegnius, & interdum vix omnino operatur, quare à vitriolato aſſumpto, & liquore poſſetico copioſe epoto ſæpe opus eſt vomitionem prona gutturi indita provocare, aut poſſetum carduatum, vel oxymel ſcylliticum propinare. *Willis Pharmac. rat. p.* 50. A quibuſdam Mannæ vomitoriorum titulum obtinuit, Notandum vero 1. quod vitriolata quidem emetica ſapore ingrato veneteo, fauces quaſi conſtringente polleant, quo nomine cum paulo diffuſioris ſint ponderis, minorem obtinere poſſunt gratiam. 2. convenire potiſſimum ubi ventriculi parietes laxiores ſunt: 3. in affectibus ob ſulphur anodynum blandum eo evibratum commendantur, vide *Langium* miſcell.cur. p.13. *G. W. Wedelius de ſ. m. fac. p.* 158.

XL. *Aſarum* magis in infuſo convenit, unde mitius evadit, in decocto vis volatilis magis abigitur, unde vomitorium fere eſſe deſinit, niſi levis ſit decoctio: Radicem quam folia mitiorem deprehendimus: Moriebatur hypercatharſi vir robuſtus qui cochlear unum foliot pulveris ſumpſerat, fruſtra datis antidotis. *Idem.*

XLI. *Aqua Bened. Rulandi* variæ circumferuntur deſcriptiones, aliis ex croco factam aſſerentibus, optima vero eſt ipſius authoris cent. 5. obſ. 95. Recipit enim crocum metallorum à lentis magnitudine ad piſi quantitatem, aquæ, vini, cereviſiæ, mulſæ vel liquoris morbo convenientè q. ſ. maceratur per noctem, vel urgente neceſſitate ebulliat: doſis colaturæ ad ℥ß. ad ij. *G. W. Wedelius de ſ. m. Fac.p.* 161.

XLII. Notandum vero *Crocum metallorum*, (quod & de aliis omnibus Emeticis antimonialibus volumus intellectum, ita enim adhiberi etiam poteſt vitrum, & quidem per ſe factam citra boracem) hic non ſumendum eum qui cum tartari additione fit, ſed ſolo cum nitro ana: ſive ſimultanea in mortario, addita pruna; ſive ſucceſſiva de-

tonatione, qui cum vitro antimonii coincidit: alter vero pigrior eſt, & ad hos uſus minus, ad collyria vero magis uſitatus. *Idem.*

XLIII. *Antimoniata* corriguntur & mitiora redduntur 1. *Infuſione*, inexhauſtæ enim ſunt virtutis, idque tum in aqueis, quæ debiliter ſalrem extrahunt, tum cum acidulis, ut vino, quod melius eſt, unde Aqua ben. *Rulandi.* 2. *Præcipitatione* cum ſalibus, qualis eſt Mercurius vitæ, vulgo ita dictus, cum tamen nihil plane de Mercurio reſipiat, commodum ſatis vomitorium, eſtque nihil aliud quam flores, ſeu præcipitatum potius antimonii, ſolutum cum ſalibus & devoratum, hinc aqua ſimplici liberatum & edulcatum: Notandum dozi non excedendum eſſe, neque enim ultra grana iij. niſi urgente neceſſitate dandus. 3. *Impregnatione* cum Tartaro, quæ correctio omnium eſt optima & tutiſſima, quatenus nempe citra ſal abſinthii ritè paratus crocus metallorum, vel loco ejus etiam flores; item vitrum antimonii cum cryſtallis tartari coquuntur, filtrantur, & cryſtalli inde emergentes propinantur ad gr. j. ij. iij. Et hoc apud ſelectiores practicos & chimicos hodie optimum & uſitatum eſt vomitorium, quod nunquam nos fefellit modo recte præparetur, in quo artificium non leve hæret; ſic enim acciditur quaſi vehementia, & virtus ſaltim recluſa, & cum tartaro conjuncta obtinetur quaſi in compendio, unde & infantibus eundem ſæpe tutiſſime adhibuimus. *Idem.*

XLIV. Paravi non ſemel Acidulum ſyrupum, vel potius *Mivam cydoniorum ex ſolo Succo* ad ſyrupi conſiſtentiam igne blando decocto; cujus effectum laudabilem, ac ſæpe valde differentem miratus ſum ſæpenumero: Hujus ſi cochieare dimidium infantibus, vel plus adultioribus exhibeatur, pituitam glutinoſam incidit, & nunc Tuſſi ex pulmonibus educit, nunc Vomitu è ventriculo, tenuique inteſtino, nunc Dejectione ab iiſdem partibus expellit; quodque maximi faciendum, Robur ſimul affert ægris, eoſdemque fœliciter reſtituit; adeo ut hoc uno remedio plures reſtituerim ægros à pleriſque medicamentis abhorrentes: Pituitæ autem imprimis conducit tum evacuandæ tum corrigendæ. *Sylvius de le Boë meth. med. lib. 2. cap. 10.*

VTERINA.

Vide *de Affectibus uteri in genere lib.* 18. *Et menſtrua ſuppreſſa lib. xi.*

SYLLOGE.

Reſpiciunt vel vaſa & vias. 1.
Vel ſanguinem. 2.
Vel nervoſam genus & uteri ſubſtantiam. 3.
Vel humores extravaſatos. 4.
Vterus dulcibus qualibet gaudet. 5.
Acida annexia. 6.
In gravidis volatilia pellentia cavenda. 7.
Aperientibus & adſtringentibus quomodo utendum. 8.
In gravidis quomodo adſtringendum. 9.
Adſtringentia qualia conveniunt. 10.
Purgantia menſes movent. 2.

I. HYſterica reſpiciunt vel *vaſa & vias* quæ exituro ſanguini debent patere, adeoque pertinent huc *aperientia*, & obſtructiones ceu remoras tollentia; *incidentia & expurgantia*, tum interna ſalina & ſulphurea; tum externa, balnea, clyſteres, ſuffitus, inceſſus, peſſi, aliaque abſtergentia.

II. Vel *contenta vaſorum*, ſeu *ſanguinem*: Sanguinis motus litoralis quaſi hic eſt extimus, quo alluitur, ad uterum, & lunaria, ſingulis enim menſibus eo fœminæ bene habentes exolvuntur: Litoralem hunc ſanguinis motum ad uterum reſpiciunt *Vterina*, tum Primo *Promoventia*, quæ fermentationem, turgeſcentiam & motum procurant, Sive *rareſaciendo & attenuando*, quæ ſpeciali nomine audiunt Emmenagoga, ut ſunt *volatilia oleoſa*, ſulphure volatili pollentia, v. g. ſabina, crocus, angelica, myrrha, camphora &c, *Salina*, ſal artemiſ. borax, & imprimis volatilia, cochlearia, ſpiritus ſal. armon. aliaque acria: *Amara*, ut inprimis aloë, ad pallidos colores hinc eximia elixir propriet. *Aromatica*, quæ ſimul glutinoſitatem humorum expediunt, ab infarctu oſcula vaſorum, ubi ſæpe contingunt obſtructiones, liberant, humoreſque pituitoſos, tartareos, mucilaginoſos eadem obviſcantes expediunt poroſque dilatant, & uno verbo vias liberas præſtant & patulas, naturamque ad excretionem blande ſollicitant: Vbi obiter notandum, Quæcunque menſes provocant illa etiam fœtus exitum accelerant. & molam pellunt; attamen non ſola ſtimulantia rem abſolvunt, ſed etiam confortantia balſamica, ut oleum ſuccini, cinnabarina, cinnamomum & varia ex his parata: Imo ſpectant huc ipſa *Purgantia*, quæ ſæpe eodem die quo aſſumuntur menſium fluxum acceſſunt, & ipſa enim tum ſtimulant & pellunt, tum ſanguini novam fermentationem addunt, *diaphoretica* præſertim volatilia: Sive *abſorbendo*, humores acidos, auſteros, ſtypticos abundantes, eundemque ſanguinem nimis figentes & concentrantes tollendo, uti ſunt fixa, non quidem æque omnia, neque enim lapides cancrorum, vel creta, conchæ, corallia, inter emmenagoga recenſentur, vel locum habent, ſed edulcantia eoſdem intimius, & ſaturantia, qualia præ omnibus ſunt martialia; Vnde qui feliciter mederi vult menſium obſtructionibus, omnium optime id præſtare poteſt martialibus, croco martis aperitivo, vitriolato, ſaccharino, pulvere cachectico *Quercetani* vel ſtomachali ejuſdem cum martialibus mixto, addito v. g. oleo cinnam. qui ſane intentioni huic laudatiſſime inſervit: Tum 2. *Refrenantia* & retardantia, ſeu ſeroſior nimis ſit & acris, bilioſus ſanguis, oſcula vaſorum reſerans & erodens, ſeu copioſe irruat ob rupturam aliaſque læſiones: *Excedentem* vero hanc *fermentationem* & turgeſcentiam inhibent tum *refrigerantia aquea*, quæ partes ſanguinis volatiles, ſalinas, ſulphureas abundantes temperant ac diluunt, Tum *terrea & ſtyptica*, quæ eaſdem præcipitant, diſgregant, & in motu retardant & ligant, plantago burſa paſtoris, corallia, hæmatites, & alia ex adſtringentibus huc repetenda, tum acida & auſtera, eaſdem infringentia & domantia, ut ſpir. vitrioli, ejus

ejus tinctura, violarum, roſar. Tinctura ſtyptica antiphthiſica *Garmanni*, quæ in menſibus immodicis officium facit, ipſaque *Opiata*, Et hæc conveniunt in menſium, lochiorum nimio fluxu, quin & ex parte fluori albo nimio.

III. Reſpiciunt *nervoſum genus* & ipſam uteri ſubſtantiam, ceu notum eſt eam eſſe membraneam, cum capite maximum habere conſenſum, & nervis maxime irrigari, talia ſunt nervina ſub cephalicis enumerata, ſulphure balſamico volatili pollentia, *ſpirituoſa*, ſuavia, ut meliſſa, roriſmar. ſalvia &c. caſtorium, ſuccinum, utraque ſale volatili oleoſo fœta &c. & præ omnibus aliis cinnabarina, Vti certum eſt experientia practica Cinnabarin nativam Hungaricam maxime ſolari affectus hyſtericos & motus uteri convulſivos, Item ſecundinæ humanæ præparata, ebur ſine igne, & ex c.c. parata aliaque: Ex quo patet canonem medico practicum Omnia cephalica eſſe quoque uterina, ſive in ſpecie omnes herbas cephalicas etiam uterum reſpicere, & vice verſa, hoc ſenſu potiſſimum valere, ob ſocietatem ſubſtantiæ, & convenientiam ac analogiam partium nervoſarum; Et hæc, inprimis *aromatica confortantia* ſunt uterina, & proſunt ſpecifice in ſuffocatione hyſterica, ejuſque variis gradibus, & conſequenter leipothymia, ſyncope &c. Probantur eadem in partu difficili, quatenus vel roborant matricem & nervos, ut cinnabarina; vel ſimul ſtimulant, ut oleum cinnam. ſuccini &c. item in hyſteralgia & fluore albo, quatenus in eo laxior ſanguinis compages, & ichor ſeroſus partibus oleoſus ſanguinis præponderans ob laxitatem & debilitatem fibrarum conjunctam excernitur, Vnde confortantia talia uterina, & oleoſa balſamica, v.g. roſmar. proſunt: Patet hinc cur ab Hippocr. acetum dicatur ὑστεραλγὲς, quia nempe nervis eſt inimicum, quia figit ſanguinem, ejuſque ſulphur & partes volatiles ſalinas deprimit & ſubjugat: alias enim ubi incidendi eſt intentio, vel ſulphur domandi, ut in amore inſano, menſibus immodicis, optime conveniet modo parce adhibeatur.

IV. *Humores extravaſatos* reſpiciunt, circa uterum reſtagnantes, & inde oriundos flatus, miaſmata putrida &c. quod quidem ſæpe contingit, & varia ſymptomata, & atrocia quidem illa ſæpe excitat, qualia ſunt Tum *Balſamica* putredini reſiſtentia, *amara & gummoſa* ac *reſinoſa*, aloë, myrrha, ſcordium, aſa fœtida, galbanum, eſſentia ſuccini, myrrhæ, aſæ fœt. elixir uterinum *Crollii* &c. Tum *reſolventia* grumoſitatem ſanguinis extravaſati, tum in fieri tum in facto, uti v.g. chæreſol. lapides canci. bezoarticum martiale, antimoniata & alia ſimilia, quicquid teſtitur egregie diſſipant, & ſymptomata convulſiva & hyſterica inde producta tollunt: Tum *diſcutientia*, *diaphoretica* & *ſudorifera* penetrantiora, ut tinctura bezoartica, ſpiritus tart. mixtura ſimplex, quæ ipſa quoque putrida miaſmata arcet, uti ipſa quoque diuretica uterum egregie mundificant: Tum inprimis *Carminativa*, unde *carminativa ſunt optima uterina*; & experimento practicorum, quæ colicæ debentur eadem & ſuffocationi hyſtericæ opem ferunt, ſemina carminat. zedoar. galanga, eſſentia carmin. cum elix. uterino, tinctura Tart. bezoarticum martiale, quæ in hyſteralgia & doloribus poſt partum inſignia ſunt & nobiliſſima: Et hæc proſunt in flatibus uterinis, quos inſtar flatuum ventris in cacochymica per uterum excretos obſervavimus, & inde, ac ab ibi reſtagnante ſanguine putrido productis ſuffocationibus hyſtericis; menſibus & lochiis dolorificis, cum anxietatibus, dorſi doloribus, torminibuſque &c.

V. Canon eſt Practicorum, *Dulcibus Vterus demulcetur*: Is vero non tam intelligendus de dulcibus actu talibus abſolute, quæ quidem ubi fermentatio ſanguinis inſtauranda eſt inſignem habent uſum, quatenus ejuſdem turgeſcentiam promovent; item in abortus periculo externe mel, panis mellitus cum vino Hiſpan. Attamen *ubi ſanguis refrenandus eſt*, ut in nimio ſanguinis fluxu, & in reliquis caſibus, potius nocent: Sic dulcia ſaccharata & mellita lædunt hyſtericas, turbas enim excitant, & ſymptomata conſopita revocant & exaſperant.

VI. *Acida*, quod ceu poriſma ex dictis conſequitur, & *dulcia*, nec ſemper vitanda, nec promiſcue danda; Inprimis id valet de aceto, illud enim ſulphureis particulis minus eſt inſtructum: quæ vero acida ſunt ſulphurea ſimul ut ſpiritus ſalis, nitri vel vitrioli cephalicus, utero magis ſunt amica, unde ſyrup. byzant. oxymel ſ. & ſcyll. ac reliqua acida uterum lædunt; hæc vero ſulphurea moderate, ubi licet, adhiberi queunt: Patet id etiam ex diæta, ſi fœmina menſes patiens acetaria vel alia acida comedit, illi ſiſtuntur: ſunt vid. tono uteri tum quoad turgeſcentiam ſanguinis, tum quoad ſubſtantiam nervoſam adverſa.

VII. In gravidis volatilia pellentia cavenda, unde ſi dubius occurrat caſus, ſuppreſſi ſint ſint menſes, vel mulier gravida, vix ultra martialia ſolemus aſcendere, quæ non nocent ſed ſimul roborant: alias ipſis attemperantia & adſtringentia, quoad vaſa uterina, Et ſpirituoſa, quoad vitale fœtus robur, ut balſamum embryonum conveniunt.

VIII. *Vbi aperiendum eſt, non ſola pellentia fortia conveniunt, ſed humectantia una non omittantur: Vbi adſtringendum non omittantur ſiccantia*, Hinc peccant Medici qui in menſium defectu ſolis oleoſis volatilibus utuntur, ol. junip. ſpir. ſalis armon. oleo ſabin. borace & aliis: hinc enim ſæpe meretriculæ, præſertim ubi diſpoſitio ad abortum non adeſt, ſabina & ſimil. fruſtra utuntur; Reſpiciendum nempe una eſt ad ſerum, quod æque ac ſanguis ad turgeſcentiam potiſſimum requiritur: Hinc plus ſemper præſtitimus humectantibus, ut tinctura martis tartariſata, tinctura martis pomata, infuſis & decoctis uterinis quam aliis.

IX. Non adſtringendum in non gravidis citra revulſionem, in gravidis autem citra fœtus reſpectum: v. g. ſi qua menſibus immodicis, quod ſæpe ex obſtructione vaſorum fit, & ſeorſim excuti meretur, laboret, v. ſ. præmiſſa melius conducunt adſtringentia: Sin gravida menſium fluxu corripiatur ſemper fœtus debilitas eſt reſpicienda.

X. In adſtringentibus quoque ſemper tonus uteri eſt reſpiciendus, tum quoad ſanguinem, tum quoad fibrarum laxitatem: Hinc in *fluore*

albo non tam ſola adſtringentia vulgaria proſunt quam aromatica cum his mixta, ex ſoremar. cheiri, ebore, caſtorio, magiſterio ocul. cancri, cum oleo aniſi, ſuccini, quod optimum, alias enim feliciter res non ſuccedit. *G. W. Wedelius de ſ. m. fac. pag.* 117.

VVLNERARIA.

SYLLOGE.

Interna vel ſunt natura alkalina. 1.
Vel balſamica. 2.
Non ſemper & vbique conveniunt. 3.
Simul ſunt reſolventia & grumos diſſolventia. 4.
Externa diverſimode agunt. 5.

I. TRaumatica vel interna ſunt vel externa, vtraque indicantur ab unitate ſoluta in genere, ſive ſint vulnera, ſive contuſiones, præcipue cum læſione partium interiorum, ſive vlcera, ſive rupturæ & orificia vaſorum aperta, caſus ab alto, hæmoptyſis, dyſenteria &c. in quibus omnibus apprime conveniunt: Præſuppoſito vero quod ſanguis ſit partium omniũ alimentum, neceſſe etiam eſt læſa unitate hoc ipſum fatiſcere, ac proinde ad hoc reſpiciendum ut ad conſolidationem partem læſam aptius diſponat: Potiſſimum vero duplicis ſunt generis, vel 1. *natura alkalina*, quod apud Helmontium reperias late diſcuſſum; Ille enim non inepte ſtatuit in quovis vulnere aciditatem omnis in carne putredinis indicem atque ſociam oboriri, hanc vero alkalia facile in ſe abſorbere & abſumere: hinc omnes potiones vulnerarias occultum alkali, & quidem volatile in ſe continere, ſi accidentibus ex corruptione acoris natis reſiſtere debeat, quatenus alkali quodvis omnem aciditatem quam attingit perimat, Et iterum herbas vulnerarias virtute cujuſdam innati alkali operari *l. à ſede animæ ad morb. tit.* 20. hinc & diuretica eſſe vulneraria ſcribit l. de *lithiaſi* cap. 5. §. Liceat hic applicare locum *Galeni* 2. aph. 17. de acore ſanguinis, vbi quod in vinis aceſcentibus, *ait*, accidit, tale quiddam & in ſanguinis alteratione contingere; Cum itaque in vulneribus & ſanguinis tonus alteretur, & ad eorum ſanationem neceſſario concurrat, hinc Traumatica ſunt quæ & acorem abſorbent, & ſanguinis tonum conſervant, quin & acres & ſeroſos humores temperant, & moderate detergunt, Talia vero apprime ſunt Alkalina jam dicta, v. g. lapides cancrorum, qui & in ſupra dictis vulneribus opem ferunt, & bulliti cum vino lixivioſum ſaporem acquirunt: Ita & antimonium diaphoreticum in ulceribus externis intra corpus optimo conſilio aſſumitur, ita & ipſum antihecticum Poterii hanc ob cauſam in phthiſi convenit, & plantæ traumaticæ dictæ, i. e. quæ vel nitroſa detergente gaudent facultate, vel adſtrictorium quid & terreum poſſident, ſanguinis tonum reſpiciunt reſiſtuntque putredini quam maxime, & ichores p. n. in ordinem redigunt.

II. Vel 2. *Balſamica* ſunt naturæ, & ſale ſuo volatili oleoſo, roborante ſimul & adſtrictorio ſanguinem vigorant Sic refert *Fevre, in tract. chimico*, quendam chirurgum in quibusvis vulneribus ſtatim propinaſſe nucem moſchatam, vt balſamica hujus vi vigoraretur ſanguis, & hinc ad conſolidationem omnia aptius diſponerentur; vtvt vero interna hæc non materialiter ad vulnus properent remotum, diſponunt tamen ſanguinem vt coire aptius longe poſſint diviſa.

III. Notandum Potiones vulnerarias minus convenire 1. in principio, durante adhuc affluxu, ne impellantur magis humores ad partem affectam, 2. minus in vulneribus capitis, quæ ſiccantia magis externe, interne vero abſorbentia nervina magis deſiderant, magis in artubus & aliis viſceribus læſis; reſolvunt enim ob eandem ſuam vim grumoſum ſanguinem, & firmant ejus tonum, 3. reſpiciendum etiam ſimul ad ventriculum, ne inde lędatur. *Idem.* Adde 4. impuram non debere eſſe primam regionem: *hac anno 1679. menſe Dec. curandam habui D. la Combe, uxorem Diverſitari, cui inſigne trium Regum Genevæ: hac vlcere uteri laborans, ex conſilio muliercularũ, me renuente, bis aſſumpſit potiones traumaticas, unde in febrem incidit; Injectionibus vero ex decoctis eadem vt pallentibus ſanata eſt.*

IV. Notabile eſt hęc traumatica eſſe ſimul reſolvẽtia ſeu grumos diſſolventia pleraque, utriuſq; generis, ut lap. cancrorum, ſarcocolla, myrrha, millefolium. *Id.*

V. Eadem hæc vtriuſq; generis, externe & immediate applicata faciunt inſigniter officium; Sic & ſulphura balſamica, ſulphuris in affectibus pectoris, cinnabaris nativa, ſulphur antimonii fixum &c. Ejuſdem commatis ſunt & externa traumatica, *Sarcotica*, quæ vel 1. *modice ſiccantia*, terreæ & ſalinæ, ſeu alkalinæ naturæ, ut ceruſſa, pompholix, lithargyr. quæ & leniter adſtringunt, ſimul & roborant, & impedimenta removent, & ſuperfluam humiditatem abſumunt, abſorbent, & parietes ac carnem firmant vt ſanæ ſimilis reddatur, nec luxuriet: Sic pulveres taliſmodi abſorbentes ſæpe vlcera contumacia, & coire renitentia, ob humiditatem nimiam & parietum laxitatem conſolidant, quod aliquoties obſervavi, Vnde regulæ inſtar eſſet poteſt *Vbicunque vlcera ſuperflua luxuriant humiditate, ibi ſiccantia modice, & firmantia apprime, & præ oleoſis & emplaſticis conveniunt*: Sic ſola linteamina carpta in vnguium & partium aliarum excarnium vulneribus ea uſu ſunt: Sic & lapidum cancrorum pulvis inſperſus; ſacch. canarienſe vulnera recentia ſanat, ſtatim enim quaſi condit carnes & partes læſas, ut de balſamico ſuo vigore non remittant, nec pus concipiant: Sola pompholyge inſperſa inſanabile ulcus curatum: Eſthiomenon continuo humore ſtillans: ſolo ceruſſę pulvere: Sic & in *vulneribus capitis* omnem abſolvunt paginam modice & temperate ſiccantia, & contra oleoſa omnia pinguia, vnguinoſa, & emplaſtra pinguia nullo modo conveniunt, niſi quis forſan, quæ ſimul nervina ſunt, ut balſamum de Peru eacipiat. ij. *Balſamica*, ſive ſint *gummata & reſinoſa ſimplicia*, ut hypericum, aloë, g. elemi, quod ad puncturas eximium, maſtiche, thus &c, Sive *olea*, tum *expreſſa*, ut oleum ſambuci viride, inſigne vomitorium, ſumptum, traumaticum externe: tum *cocta*, ut hyperici, rubium, tum *deſtillata*, ſimplicia, tartari fœtidum, quod potentiſſime conſolidat, & cum cera in empl. coqui facile poteſt; Oleum terebint: Item *balſama*, tum nativa, ut Indicum, de Tolu, tum artificialia ſive Emplaſtra; Empl. vero fere omnia in hoc conveniunt quod vulnera ab aëre defendant, & balſamica ſiccante una modice vi partem demulceant, ceu in ſpecie Empl. Saturnina eo nomine admodum ſunt celebria. *Wedelius de ſ. m. Fac. pag.* 72.

INDI-

INDICIS
MEDICO-PRACTICI,

LIBER VICESIMVS.

SIVE APPENDIX

DE MEDICI MVNERE.

SYLLOGE.

Famam legitimis viis conſequi ſtudeat. 1.

Ne ſe collaudet, aut rem parvam magnifaciat. 2.

Conſultationes *ne refugiat.* 6.

Contentiones in iis fugiat. 7.

Procul ab ægro & turba aſſideatiua fiaat. 8.

Ab ægro exactam confeſſionem exigat. 9.

Ægri lapſum ab adventitio ſtatu metiatur non nativo. 15.

Conſuetudo ſervanda an mutanda ſit videat. 16. 31.

Deploratos non deſerat. 23.

Cautus ſit in præſagienda ſalute aut morte. 24.

Vitæ anteactæ & idiocraſiæ rationem habeat. 36.

Ægrum moneat primo acceſſu de neceſſitate plurium remediorum. 38. b

Præſciat an medicamentum præſcriptum fuerit uſurpatum. 40.

Ægros de loco in locum transferat mutandi aëris cauſa. 44.

Non declaret medicamenta quibus utitur. 45.

In curatione plebejorum methodo non nimis inſiſtat. 46.

Metu calumniæ à generoſis remediis ne abſtineat, errata interim ſedulus obſervans. 47.

Abſque neceſſitate remedia ne immutet. 49. 99.

Simplicibus cum poteſt mederi, à compoſitis abſtineat. 30. 50.

Medicamentorum formæ ſæpe ſunt variandæ. 36. b

Citra neceſſitatem in uſum non ducat. 51. 70.

Ferietur aliquando ab eorum uſu. 69.

Criſin præveniat eorum ope. 66.

Curationes anacthodicas ne ſpernat. 12.

Galenica *medicamenta an tutiora* Paracelſicis. 18.

Chirurgi munere aliquando fungatur. 32.

Aliquando Pharmacopæi. 33.

Medicamenta quando mutare debet. 37.

Remedia duo ſimul ne præſcribat. 38.

Naturalibus aliquando utatur. 39.

Plebeja ne temnat. [illegible]

Chimicis citra a[illegible]*tatur.* 41.

Ea ne temnat. 17. b

E mineralibus petita ne rejiciat, ob efficaciam in contumacibus affectibus. 42.

Medicamentorum plurium farraginem ne condat. 29. 43.

Medicamentis occultarum qualitatum multam fiduciam non adhibeat. 27.

Obſoleta non præſcribenda, nec dubia, nec nova. 100.

Repugnantia ne miſceat. 101.

Vniverſalibus ne fidat. 102.

Videat quibus ægris & quantum gratificetur. 74.

An fallere ægrum liceat. 75.

Cum mente errantibus caute ſe gerat. 76.

Morbum ſimulantes detegere ſatagat. 77.

Morbum unum pro alio ſupponentes deprehendere curet. 78.

Pueri fraudis, in febre cibum clam ſumentis, detectio. 81.

Cũ Principibus perſonis timide agat & caute. 58. 82.

Animi morbos celatos detegere adlaboret. 83.

Mulieribus quatenus gratificandum. 3.

Officium erga torpentes in lecto. 14.

Officium in primo ad ægrum acceſſu. 59.

Non viſitet ægros niſi rogatus. 54.

Viſitationes ac ſint crebriores aut rariores. 57.

Soletur morbum impatienter ferentes. 60.

Doceat ægrum quo obſequentem habeat. 61.

De quibus ægri interrogandi. 62.

Propriam cujuſque naturam noſcere ſatagat. 86.

Multa debet interrogare & examinare quo veniat in morbi cognitionem 64. 86. a

Caveat ne ſimilitudines imponant. 63.

Morbi longi curationem difformem requirunt. 19.

Dum morbus eſt ignotus an nihil debet agere. 20.

Morbo eſſentiam ſæpe prodit prima ejus occaſio 21.

Incurabilium curam ne ſuſcipiat. 22.

Vbi obſcura eſt cognitio & loci, cui primo incumbendum. 35.

A fallaci Pulſus *caveat.* 53.

Criticas vacationes à ſymptomaticis rite diſtinguat, perpendens quæ ſiſtenda, quæ urgenda. 91.
An ægro morbi eventum ſcire deſideranti debeat prædicere. 84.
Non ſemper ſevera denegat quæ anxie expetat. 80. b
Symptomatibus ſæpe vacet neglecto morbo. 85.
Debili aut forti morbo, debilia aut fortia medicamenta an debeat opponere. 25.
Tentativa curatio an admittenda. 87. 88.
Morbum morbo an curare debeat. 90.
Famam ſibi pariet ſomnum ægris conciliando. 10.
Indicationem a cauſa magni præ cæteris faciat. 92.
Extremi morbi quomodo oppugnandi. 26.
Præceps ne ſit in judicio ferendo qualis ſit futurus exitus. 31.
Caveat ne dum uni humori conſulit, cæteris noceat. 88. b
Quando Experientia, quando Ratio illi magis neceſſaria. 89.
De morbo coram plebeis non diſſerat. 4.
Morbus unus idemque varia methodo curari poteſt. 5.
Fortuna interdum favet. 11.
Unus ſementem fecit alter meſſem colligit. 48.
Curationes morborum per tranſplantationem noſcat. 13.
Cenſus ægrorum in memoria ſubſidium. 34.
Peregrinatio medicamentorum cognitionis cauſa illi neceſſaria. 52.
Plurimos ægros ſimul curandos ne ſuſcipiat. 55.
De mercede an paciſci debeat. 56.
Nil temere ſuſcipiat, nec quicquam negligat. 67.
Errores confiteatur. 68.
Empiricorum interdum ſit imitator. 71.
A methodo generali interdum deflectat. 72.
Oeconomiam circa ægrum calleat. 73.
Ægro quando valedicendum. 79.
Ubi morbus protrahitur debet collegas adſciſcere. 80.
Feſtinandum lente in facienda medicina. 65.
Aſtrorum cura quatenus illi habenda. 17.
Climactericorum annorum habenda providentia. 97.
Curationes non aggrediatur in æquinoctiis & ſolſtitiis. 98.
Die decretorio ne evacuet. 94.
Naturæ motum die critico an juvare debeat. 95.
A partu an a morbo ſumendum morbi initium. 96.
Dies criticos quomodo numerare debeat. 93.
Si neceſſarius remediorum uſus, reluctantibus ægris vel adſtantibus prædicat omiſſionis periculum. 104.
Naturæ ſæpe multorum affectuum curatio committenda. 105.
In morbis obſcuris ad juvantia & lædentia præſertim attendas. 106.
Medicus Empiricus aliquando Theoretico præferendus. 107.

I. QVidam Medici opinione populari authoritatem & exiſtimationem Artis habent quidem, ſed nullo ſuo partam merito: Tales *Plato* ab ingenuis & liberis & nobilibus Medicis, Aſclepi de ſanguine natis, diverſos facit: Oſtendit hujus exiſtimationis cauſam Hippocr. l. de Præcept. quam ait referendam in homines locupletes & potentes, ſed ſtupidos & imperitos, qui opera fortuita à morbu liberati, famam illorum commendant: Vel divites avaros, qui mercedis loco falſis præconiis Medicos indoctos extollere conſueverunt: Vel eam exiſtimationem conſequuntur, quia morbos curarunt vel difficiles quidem, ſed acutos & ſalubres, qui licet naturæ bonitate evincantur, leviculo tamen alicui remedio exhibito tribuere conſueverunt, vel chronicos, qui jam ſint in declinatione: At felicem Medicum, ut vulgo dici ſolet, qui in declinatione morbi vocatur: Salmacida certè ſpolia, ſine ſanguine & ſudore præripit, & fructum victoriæ alienæ decerpit. *Zvvingerus l. de Præception. p.* 107.

II. Non improbos Medicos imitetur, qui famam, quam virtute nequeunt, fraude doloq; comparare nituntur: Dum ſuam operam & diligentiam ac felicitatem laudat, aliorum verò curas, ut malas & infelices reprehendere & accuſare non deſinit: Aut non quemvis morbum curandum ſuſcipit, ſed φθεγγώδεα tantum: Quæ verò hæc φθεγγώδεα? φθεγγώδης Hippocrati? φθέγγω loquor eſt: An ergo tum reſpectu Medici, tum ægri, morbus eſt φθεγγώδης virorum principum & opulentorum, quorum vel leviſſimæ affectiones, ob ſplendorem & potentiam graviſſimæ videntur? præſertim cum ſupra dixerit improbos Medicos ob morborum quorundam curatu facilium, ſed quos illi & verbis & ſtudio difficillimos eſſe ſimularunt, evehi, ita ut calliditate Medici morbus etiam leviſſimus reddatur φθεγγώδης, quando illum verbis tanquam periculoſiſſimum exaggerant; Ideo Celſus lib. II. c. 9. hiſtrionis eſſe ait Parvam rem attollere quo plus præſtitiſſe videatur: Vel certè hoc rumore ſeſe munientes, tanquam propugnaculo, ut ſi quid præter votum evenerit, non id imperitiæ ſuæ ſed morbi vehementiæ tribuatur: Per ſe vero morbus φθεγγώδης eſt is de quo, propter vehementiam & contumaciam multi multorum ſermones circumferuntur: Tales autem morbos improbi propter imperitiam non aggrediuntur, cum verus Medicus quoſvis morbos aggrediatur. *ibid. p.* 108.

III. Ubi fœminis morem gerendi occaſio naſcitur, conſideret prius an pertinio ad Coſmeticen (alias à Galeno & aliis, pro mulieribus Regiis deſcriptam, & per quam Medici aliqui interdum non parvam apud mulieres gratiam invenire ſolent) potius pertineat, quam ad pathologiam therapiamve: Tunc enim fœminis obedire non adeo magni refert: Sic Gal. 1. ſec. loc. Archigenem, quem honeſtiſſimum vocat virum, minimè damnat: Sed cum de ſalute agitur, ſcias Medicum eſſe debere, per Galen. atque Ficinum, tanquam Imperatorem, cavendo à ſceleſtis quibuſdam tum viris tum fœminis; ſoporem inducentia aut fœtus conceptionem interpellantia, aut jam conceptum perdentia, aut deleteria pharmaca flagitantibus: Lege *Plinium l.* 29. c. 1. & Tac. lib 12. & 4. Annal. Ob oculos habeat Ethnici Hippocr. Juſjurandum &c. *Crucius de Quaſ. pag.* 31. 4.

IV. Verum propter adſtantes Acroaſin facere, h. e. de morbo coram plebeiis & idiotis diſputare licet? In univerſum Acroaſis Medico indigna eſt. ſuſpicionem enim ægris præbet Medicum velle quidem, verum non poſſe curare; & idcirco loquacitate id velle ſupplere quod dexteritas præſtare nequeat. Revera arti Medicæ, per ſe ſatis eleganti & decoræ, quando ſuo munere rectè fungitur, non vide-

convenire extrinſecus petita acroaſeos φιλοπονία, ſtudium & diligentia, quæ hiſtoriam morborum & remediorum coram idiotis non ſine labore recenſet: Non enim diſſerendo, ſed remedia adhibendo curantur morbi: Proinde quod illic *Aiax* de ſeipſo inquit; *Melior ſit dexteru lingua*: Speciatim *Acroaſis* Poëtica Medico indigna, quæ ex Poëtis aut Rhetorica petitis vtitur: Hoc eodem *l. de Pr.* videtur concedere Medico λέγειν ἐκ παραφορῆς, per ſimilitudines; non per ſe, ſed vt ǫdiotis ita exigentibus poſſit ſatisfacere: Ipſe certe *Hippocr.* rariſſime Poëtarum vtitur teſtimonio; ſemel *lib. de artic.* *Homeri* authoritatem, de ea quæ bobus accidit luxatione adducit. *Loculeii* dicuntur tales Medici. *Zvvingerus ibid. pag.* 112.

V. Fieri poteſt vt duo Medici eandem prorſus ſequantur indicationem, & eadem intentione curent morbum eundem, vtantur vero medicamentis diverſis, ſed ejuſdem facultatis: nimirum cujuſcunque facultatis ſunt innumera medicamenta, & quivis vtitur ſuis: Fieri etiam poteſt vt ad eundem morbum vtantur duo Medici auxiliis diverſis, neque ejuſdem facultatis, quod non eadem intentione curationem ſuſcipiant, neq; tamen quiſpiam illorum erret, Nam fieri poteſt vt idem morbus diverſis viis ac methodis curetur: vt ſi velit quiſpiam phlegmonen reſolutione curare, atque alius maturatione: vtrovis enim modo ſæpe proceditur rectè: Quinetiam quæ reſolutione aut maturatione curata bene ſunt, aliquando ſi repercuſſione & induratione à principio ad finem eſſent curata, nihilo deterius ceſſiſſent; ac fortaſſe aliquando curata eſſent cum minori diſpendio: Aegrotum aliquando curavit Medicus ſanguinis miſſione; hunc ipſum abſque ea fortaſſe curaſſet alius, nihilo deterius: Verum hanc ob cauſam nihil periculoſius excogitari poteſt quàm duos Medicos accerſere ſeorſim, vt multi faciunt, quo vtriuſque devitent invidiam: nam ſæpe fit vt cum eorum quivis eum rectè curaret, ambobus ſeorſum tentantibus auxilia diverſa, perdatur ægrotus; quapropter conſulo vt in conſultationem vocentur ambo, vt in vnicam conveniant curandi rationem, aut eorum alteri tota curatio commendetur: Itaque dicit *Hipp. 6 Epid. 7. Multa ſunt quæ de quocunque rectè præcipi poſſunt: alia quidem eadem potentia, alia autem minime. Valleſius comm. in cit. loc. p.* 738.

VI. Conſultandi munere nullum inter Medicorum officia eſt illuſtrius, vt pote quo ſolo à doctis Medicis indocti diſcernuntur, qui non ſecus ac docti medicinam faciunt, rudique vulgo imponunt: Nullum quoq; quod majorem vtilitatem ægris afferat; *Claudinus de Ingr. ad inf. l. 1. c. 4.* Medicorum enim conſultatio magni ſemper fuit ad artem momenti: Sic enim ægri præceptis Medicorum redduntur obedientes; & ſi forte mors adveniat, nullus illorum calumniam incurret; Et, quod plus eſt, æger citius curatur & Medicorum mores, doctrina, ingenium, omnibus palam fiunt, *Zacutus Int. ad Pr. Præc.* 20. Neceſſitatem oſtendit *Hipp. l. Pr. Nec verò indecore ſe ille gerer Medicus qui in rei præſentis anguſtia circa ægrum aliquem, imperitia præſertim tenebras offundente, alios quoque accerſiri juſſerit, quo ex communi conſideratione res circa ægrum inquirantur ac cognoſcantur, & illi cooperatores fiant ad auxilii ferendi facultatem. Nam in affligentis invaſione, augeſcente affectione, ob conſilii inopiam, plurima ad rem præſentem opportuna effugiunt.* Non inutiliter ergo aut ſupervacuè Medicorum conſultationes ſunt inſtitutæ, Cum omni copiæ inopia inſit; vt enim Medicus & eruditione & experientia ſit inſtructus, remediorum quinetiam ſylva abundet, attamen & ipſe homo eſt, decipi, errare, labi poteſt, & in ſumma ἀνομοία aliquando etiam ἀνομοίας patitur, propter ſingularium, circa quæ verſatur, incomprehenſibilem varietatem; Ea propter, ea non pudet *Hipp. Fateri l. de Art.* humeri luxationem ad anteriora nunquam ſe vidiſſe. Item conatū ſuum irritum in femore reſtituendo, vt vel periculo ſuo edocti poſteri cautiores ſint. Et vulgo dicimus, In opere Medico duo lumina acutius videre vno. *Zvvingerus in l. Pr. p.* 110. Eo oraculo monet *Hipp.* vt Medicus gaudeat in curatione morbi graviſſimi ſæpe ſecū habere colloquutorem, mitti enim & diſertā concertatione elicitur veritas, Qui enim alios non vult cōvocare ad conſilium, is vult ſolus eſſe in præſepe equus: quare à domo & à curatione explodēdus: quoniam cognitio & curatio morborū res ſunt difficiles, quare oportet vt earum veritas ea multorum voto eluceſcat. Et doctiſſimus quiſque ſæpe obliviſcitur, & vnuſquiſque majorem adhibet diligentiam, circumſpiciens teſtes ignorantiæ ſuæ. *Zacutus ibid.*

VII. Conſultationes abſque contentione & altercatione fieri jubet *Hipp. l. Præc.* tum ratione Idiotarum, ne altercatio iſta Medicos illis deridendos propinet, & loco authoritatis, quam captare debēt, ignominiam ipſis & arti conciliet: Hoc videtur velle *Hip.* cum ait, *Ne deriſui ſeſe exponunt:* Tum ratione Medicorum, *Medicus verus,* inquit, *nunquam alterius ratiocinationi invideret,* Cauſam ſubjungit, *Impotēs enim videretur*; Invidia virtutis & felicitatis comes eſt, Ergo qui invidet, hoc ipſo ſe indignum Medicī appellatione oſtendit, neque ὁμότεχνον ἢ ἰατρὸν φιλόπονον, ſed fucatum atque perſonatum artificem vt qui exiſtimationis propriæ cauſa, eruditioni & ſucceſſibus aliorum invideat, quibus ob artis excellentiam meritò applaudere debebat: cumq; artis operibus alios ſuperare nequeat, malignè invideque opera illorū calumnietur: Itaq; & quoad affectum animi, & quoad effectum artis, impotentiam ſuam prodit, quod cùm meliora præſtare nequeat, aliorum vel conſilia malignè reprehendat, vel facta invide ſugillet. *Zvvingerus ib. p.* 110. Diſcordia inter conſultantes damnanda, quia privati odii pertinacia ſtimulat in publicū exitium, ac plerumque laborantium ſalutem præcipitat. Reſiſtendum quidem aliquando aliorum opinionibus, ſi ſalutares non videantur, ſub rationis tamen & experientiæ legibus: ſemperque cum candore eorum conſiliis acquieſcendum qui judicio, vſu, ratione & pluralitate prævalent. *Ranchinus Tract. de Conſult. cap.* 3.

VIII. Medicorum Conſilia ſeorſim ab ægris ineunda ſunt, quo liberius quiq; æque metuenda ac ſperanda, in mediū proponat: Non enim facile excutitur timor ab animo patiētis, vbi ſemel inſinuatus eſt: Seorsūq; à populo, vno auditore, vel ad ſummum altero, admiſſo, quibus curæ æger ſit; nam plebs; vel artis ignarus, ſemper aliquid habet quod Medicorum conſiliis temere addat vel minuat, vel damnet, omnia inde convitians, niſi fides ejus ambagibus, perinde atque ſapientiſſimo Medico adhibeatur: eoque magis, niſi præſidia inſtituta ſtatim morbum ſolverint. Præterea, ſi Medicorum aliquis nimia cupiditate gloriæ fuerit perfuſus, tunc fiet elatior atque protervior, vbi coronam audientium viderit, ea commutans quæ forte ab alio priùs dicta fuerint, & extollens quæ ipſe proponet, neque rationi quicquam cedens, ſed nugis prolixis tempus conterens: Interea plectuntur miſeri patientes citra culpam. *Botallus lib. de Medici & ægri mun. num.* 49.

Mmmm

IX. Ab ægris expectanda præſertim fidelis & vera relatio affectionum, cauſarum & ſympt. quibus infeſtantur: Pleriqueque (inquit *Celſus*) propria culpa pereunt, præcipuè mulieres, dum pudore perfuſæ ſecretiores corporis affectiones revelare non audent: Neceſſe igitur eſt vt liberè conquerantur: vt enim in confeſſione peccatorum occultatio vitiorum animæ mors eſt, Sic in corporearum affectionum relatione ſuppreſſio malorum vitæ & ſalutis ruina. *Ranchinus ibid. c.* 4.

X. Somni in Medicina beneficia complectitur elegans *Syneſii* ſententia, *Somnus Medicus*: Medicus ſomnus eſt morborum animi & corporis, ſive ſit ſpontaneus, ſive arte factus: Somnus enim arte citus Medico magnam fert exiſtimationem: Perſpectum id habuit *G. Palm*, Medicus olim *Noribergenſis*, quem dixiſſe ferunt, ſe hanc gratiam ambire apud ægros ſuos vt noctem illam, quæ exciperet ſuam vocationem, haberent quam quietiſſimam: Impetravit autem id ſyrupo papav. rhoead. quem in noctem illam præſcripſit: Stratagemate hoc & nos delectari ſæpe de ægris bene meremur, propinato magiſterio anodyno. *Rolfinccius lib. de Febrib. cap.* 133.

XI. Non eſt negandum quin occaſio plurimum aliquando in morbis faciat, & in Medico, ſed tamen non ita vt medicinæ artem fortuitam reddat: Ita in *Siculo* Medico *Gal.* 5.*del.c.* 7. cum in ipſo domus ingreſſu obviam habuiſſet quendam pelvim è cubiculo efferentem, continentem tenuem cruoris ſaniem, mox cubiculum ingreſſus proſpiciens ad feneſtram, hyſſopum ex aqua mulſa decoctum in olla conſideraſſet, ex illo occaſionem habuit cognoſcendi inflammationis in jecore indicium, quod confirmavit pulſus: Quæ occaſio magnum illi aditum & ad curationem, & ad laudem præbuit, non tamen vt melius curaret, niſi ex arte cognitio illi ſuppeditata fuiſſet: quemadmodum cum novit Imperatorem abſque febre eſſe, (*lib. de præcogn. Poſth. c.* 11.) ex pulſu, quo tum alii Medici laborare cum febre exiſtimaverant, ob inſignem tactum quo erat ipſe *Gal.* præditus, ſic vt minimas etiam quaſque pulſuum differentias apprehenderet, quem inſignem tactum appellat ibi bonam Fortunam: De talibus fortuitis multa habet *Hipp. lib.* 1. *de morb. Rubeus comm. in cap.* 1. *l.* 3. *Celſi medicina.*

XII. Sæpe multa eveniunt in morborum curatione quæ ad certam rationem fruſtra retuleris, ſæpeque, quia ſigna fallunt, & cauſæ occultæ ſunt, à conſueta medendi via deflectendum eſt, nec quicquid aut intentio animi, aut prudentia exigit protinus faciendum, judice *Celſo l.* 2. *c.* 10. Perpetua Medicorum lex jubet vt obſtructiones reſerentur per aperientia: Experientia tamen nonnunquam ſuadet vt adſtringentibus obſtructiones curentur: Notam ſibi mulierem mihi teſtatur *D. Iac. Ianus*, & menſium retentione detentam, quæ omnibus aperientibus fruſtra tentatis, tandem præter rationem aſſumptis corticibus granatorum provocavit menſtruos fluxus: De oculi rubore & inflammatione idem fidem fecit, non ſemel albumen ovi cum alumine miſtum, impoſitumque nuchæ, ruborem oculorum feliciter exterſiſſe & deleviſſe: aliis repellentia ejuſmodi exitio forent; nam attrahentia in nucha poſita magis probantur: niſi furſan adſtrictione iſta & frigore externo impeditus ſit plurium humorum ad oculos fluxus: Vidi ventriculo debiles cibis facilioris coctionis læſos, ſed duriores, ſalitos fumoque induratos ſine noxa aſſumpſiſſe: Occurrunt nobis quamplurimi quorum alvus obſtinata citius lenioribus medicinis ex manna moveretur quam purgantibus fortioribus; multa ſimilia occurrunt. *Th. Bartholinus Cent.* 4. *Obſervat.* 39.

XIII. Magnum naturæ pando myſterium: Tranſplantatio morborum ſtupendum eſt remedium quo ægritudines hujus vel illius transferuntur, vel in animal brutum, vel in alium hominem, vel in rem inanimatam. Superſtitioſa quidem plurimis videtur curatio; Sed ſi quidem naturalia adhibentur remedia, nulla concurrente ſuperſtitione, aut verbis, aut characteribus, aut geſtibus, quanquam non ſemper manca mortalium mens rationem aſſequatur, damnare non auſim quod experientia plures comprobatunt: In ſacris veſtigia quædam Tranſplantationis hujus obſervo, quanquam miraculoſæ, de agno apud *Moyſen*, & porcis in Evangelio. Primus is modus eſt Tranſplantationis morborum in animalia bruta: Nonnulli phthiſicos ſanant vacuato ex brachiis ægrorum ſanguine, & gallo gallinaceo propinato: *Flud* Anglus podagram cujuſdam in cane familiari, quo cum dormiebat, fertur tranſplantaſſe, qua deinde torquebatur canis certis periodis, quemadmodum ante dominus &c. Nos limites naturæ non figimus, nec prorſus damnamus quæ imperita ratio non percipit: quaſi vero menſuram vllius rei poſſit agere, qui ſui neſciat, vt ait *Plinius lib.* 2. *cap.* 1. *Th. Bartholinus Cent.* 3. *hiſtor.* 66. vbi *plurima alia exempla adducit ex P. Caſtello, Panarolo, Sitono, Schrodero, Verulamio, Salmuth, Loſelio, & propria.*

XIV. *Hippoc.* 6. *Epid.* 7. jubet, *Vbi opus eſt timidos è lecto pellere, & mutatione excitare torpentes ad ea quæ foris agunt*: Quod præceptum etſi videatur leve, nonnunquam eſt magni momenti, ne facultates torpeant & ægroti plurimum debilitentur: Nimirum morbi quidam ſunt difficilis judicationis, quorum ſolutionem ſi expectes antequam ægri è lecto ſurgant, illi certè langueſcunt, & facultates obliviſcuntur ſuorum munerum, & intereunt: Oportet ſæpe ita ægrotantes cogere vt lecto ſurgant, etiam nondum curatos integre, atque torpentes, ad ea quæ agunt ſerius excitare, h. e. cogere vt rebus agendis ſe inferant, etiamſi pigri ſint & demiſſi, & id faciant tardè ac ſegniter: evenit enim vt paulatim eam pigritiem deponant, & facultates velut reviviſcant, atque ita deinde morbos paulatim ſuperent, qui alioqui à iacentibus & otioſis, ac de ſua tantum miſeria cogitantibus nunquam ſuperarentur: In longis autem locum habet hoc præceptum, aut decidentibus ex acutis. *Valleſius comment. in cit. loc.* Vtilitatis præcepti dabo exemplum, anno 1670. *Dom. Theodorus Iacometus* Geneventis, ſeptuagenarius, morbo occupatus, per quadrimeſtre lecto affixus fuit; vegetæ erant omnes corporis & animi functiones, ſi ambulare licuiſſet: Tantæ diuturnitatis pertæſa vxor, plauſtro impoſitum rus dimittit: vix exacto triduo redit pedibus priſtinus vigor, jamque, pro ætate, ſaniſſimus degit; plauſtri ſuccuſſatio torporem pedum excuſſit, ſepultumque calorem nativum, in ἐνέργειαν ſuſcitavit, concurrente ad id aëris & loci mutatione.

XV. Labuntur rudiores Medici dum in exordiis ſuarum conſultationũ receſſum ab adv[illegible]itio ſtatu ſalubri cum primigenio confundunt: velut [illegible] expendũt ſigna temperamenti ægri ſine vlla di[illegible]ctione duplicis hujus receſſus: proponunt etiam ſigna temperamenti ab ortu naturæ comparati, & nequaquam perpendunt ſigna adventitii illius tempera-

peramenti, quo dum erant ſani fruebantur: Errant valde, quia vt plurimum primigenium temperamentum, vel primigenia conſtitutio, poteſt eſſe adeo remota à conſtitutione, & ab illo temperamento adventitio, quod æger recuperare deſiderat, ut non ſolum poſſit eſſe diverſa, verùm etiam contraria: quinimò talis poteſt accidere, qualis ſi adeſſet, vitam ægrotantis omnino deſtrueret. Hinc *Gal. l. de ſan. tu.* ait, In ſenibus & debilibus eſſe conſervandam conſuetudinem, quamvis deterrimam: Eodem jure eront transferendi ægri ad ſtatum adventitium, non deterrimum, ſed ſalubrem quo, dum nuper erant ſani fruebantur. Quid vetat hominem eſſe caloris feraciſſimũ à primordijs ſuæ generationis, qui tamen ob frigidorum aſſuetudinem ſibi frigidam naturam comparaverit? Qualem ergo naturam conſervare erit Medici officium, præſentem ſanam, vel vetuſtam primigeniam jamdiu amiſſam? Non Entis non ſunt indicationes &c. *Sanctorius meth. vit. Err. l. 4. c. 1.*

XVI. Vt temperata natura ſervari debet, intemperata mutari: Sic Conſuetudo vitioſa mutanda eſt, non tamen tempore ſenectutis aut morbi, ſed in iuventute & per ſanitatem, ſenſim quidem contraria adhibendo, & viciſſim quieſcendo à contrariorum vſu, vt natura recreetur: Hinc conſtat, quando ſit cõſuetudo naturæ anteponenda; quando vero non: Vel enim conſuetudo ſervat temperamentum originale, & tunc eandem ſervare eſt eandem naturam cuſtodire: Vel adſcititium inducit, ita vt partes ſecundum qualitates & ſecundum ſubſtantiam ſint immutatæ, & introductum temperamentum ſit habitus; nec præter conſuetudinem inductam ſit alia natura: Vel adhuc permanet antiquum temperamentum, & conſuetudine inductum in diſpoſitione duntaxat eſt: at tunc etiam, (quod majus videbitur) præferenda eſt conſuetudo, quia novitate vincit, & neque priſca natura, nec vires poſſunt conſervari, niſi ipſa conſuetudo conſervetur: nam quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora, inſuetis minus moleſtare ſolent: diſſueta verò vt plurimum noxia ſunt. *Rod. à Caſtro Med. Polit. l. 2. c. 13.*

XVII. Plerique Medici vitant omnes dies conjunctionum & oppoſitionum Lunæ: Alij addunt ſuperſtitioni multos alios aſpectus infelices: quos omnes conſtat in his diebus non inituros Curationes & initarum facturos intermiſſionem: Vituperat quidem *Hippoc.* 50. dies circa caniculam, & xx. circa ſingula ſolſtitia & æquinoctia, decem ante & totidem poſt; & ipſos ortus & occaſus *Pleiadum* & *Arcturi*, ſcil. *l. de Med. Purg.* & *l. de Aër. aq. & loc.* Mihi Medicum magis & prudens conſilium videtur cavere magnas & varias temporum intemperies, *Aſtrorum* cura depoſita: Neque ſanè puto veteres illos Medicos *Aſtra* nominaſſe, niſi vt mutationum temporum ſigna; Caniculam, æſtus fortis; *Arcturum* & *Pleiadas*, & quatuor puncta Zodiaci, repentinarum mutationum. Ipſas ergo mutationes aëris licet Medico per ſe obſervare, eaſque ſolas putare eſſe ſuæ artis: Lunæ illos aſpectus tunc ſolum caveo cum facere aut differre auxilia nihil intereſt: hoc ſolum tribuens aliorum opinioni, quam Minimam voco Indicationum. *Vall: ſius meth. m. l. 4. c. 1.* Vide *I. Langium l. 1. Epiſt.* 35.

XVII. a. Cum ſcripta veterum Medicorum, vt & recentiorum, ab iſtorum ore placitiſque pendentium teſtentur parum vel nihil fuiſſe verſatos pleroſque in Chimia, ſine qua nemo vnquam abſtruſam mineralium naturam & vires latentes aſſequetur ſatis, Illud dolendum tantam ignorantiæ illi craſſæ conjunctam eſſe in multis arrogantiam, & faſtum tantum, imo inſaniam, vt aliqui non erubuerint ſcriptis teſtari ſe, ritu pecorum euntes, qua itur, non qua eundum eſt, malle cum veteribus, quibus in mancipia ſe dederant, errare, quam cum recentioribus, ac præcipue chimiæ gnaris bene ſentire, ac horum ductu felicius curare: Indigna certe homine, indignior literato, indigniſſima Chriſtiano vox & ſententia. *Fr. Sylvius de le Boë Append. Tract. 2. §. 562.*

XVIII. Medicamenta quæ magna vi agunt, ſæpe ſymptomatis magis medentur quam morbis, ac plerumque aliquid malignitatis corpori imprimunt quæ paulo poſt demum ſeſe prodit: Noſtra fateor remedia ſæpe minus citò opem ferũt, & pluſculũ moleſtiæ in aſſumendo adjunctum habent: hæc tamen verè aſſeverare auſim, magis tuto ſemper adminiſtrari poſſe quàm *Paracelſicorum* illa in fornacibus & igne exuſta pharmaca: Ac niſi fallor quæ de militia Imperator crebro in ore habuit, etiam ad medicinam noſtram accommodari poſſunt, *σπεῦδε βραδέως, ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς ἰατρός*: Naturam certe vt dominam & magiſtram in omnibus imitari ſtudioſè oportet, cujus actiones, vt vulgo dici ſolet, omnes fiunt paulatim: Omne nimium naturæ inimicum. Non ſemel hoc audivi, dum *Baſileæ* fui, à fidedignis hominibus, Quotquot *Paracelſus* ille magnis morbis remediis ſuis *Vulcaneis* liberaverit, eos ferme omnes intra annum, aut ſaltem poſt interijſſe, vtut ſeſe egregiè ſanitati reſtitutos exiſtimaverint. *P. Monavius apud Scholtzium Epiſtol.* 194.

XIX. Multa ſunt in hac arte in quibus, vrgentia cauſa, ab arte recedere ars eſt: quod patet in morbis longis, his præcipuè qui ex acutis occidunt: plerumque difformes, vt non tam ſit vnus ſimplexque morbus, quam multi & varij, alij poſt alios decurrentes, per multos abſceſſus & recidivas. In talibus, neque curatio vniformis eſſe debet, neque vnum habere ductum: cùm enim neque tota morbi materia vnum motum à principio ad finem ſubeat, neque ad vnam criſin reſervetur tota, ſed multiplex variaque ſit, & multiplices varioſque motus ſubeat, neque tempora ita ægrotandi ſunt ſimplicia, ſed evenit parte jam cocta partem adhuc crudam eſſe, ac ſecundum alteram in initio hærere affectionem, ſecundum alterum inclinare: vnde fit vt ſæpe Medici de tempore vniverſali altercentur, & ij qui parum ſunt in artis operibus exercitati, & eam quam aut in auditoriis, libris, aut a præceptoribus mente conceperunt ideæ eam conſtitutionis morborum & temporum vniverſalium, in omnibus ægrotis ad amuſſim videre expectant, tum in pleriſque fallantur, tum etiam remedijs rarò inveniant locum opportunum, ne raro quidem, niſi in morbis ſuo genere ſimpliciſſimis & vniformibus, quales ſunt non adeo multi: In iis igitur qui multiplices ſunt, & velut mutuorum morborum aggeſtione fiunt: aut etſi generis vnius, tamen ex materia adeo heterogenea pendent, vt irregularis fiant conſtitutionis, curatio etiam debet eſſe talis, multiplex inquam aut difformis. Atque ita ſæpe poſt expurgationem ritè peractam, non ſine ratione reditur ad miſſionem ſanguinis: & cum ſtudere concoctioni cœperimus, rectè interponitur expurgatio: Et cum nondum tota peracta eſt, interponitur attemperatio, ſi non quæ totũ extinguat morbum, at quæ non ſinat, dũ Medicus aliud agit, intemperiem in ſummũ increſcere. Vsq; adeo nihil inutilius neq; periculoſius

quam unam ſemper ſtatamque formulam obſervare. *Valleſius m. m. p. 1207.*

XX. An cum morbus ignoratur nihil agendum? Etſi non conſtet morbus, non ceſſat tamen is corpora afficere: neque natura ipſum impugnare: Conſtat præterea debere ſecundum artem quædam agi; etiam cum non agnoſcitur, ſi quidem agnoſcendi occaſionem à juvantibus & nocentibus Ars jubet accipi: Agis igitur quæ juvent aut noceant, etiam ignorato morbi genere: Nam & *Hippocr.* ſcimus quædam tentandi gratia feciſſe: Non igitur ſemper conſultum eſt dum ſunt inconſtantes morbi, ſinere, ac multò minùs in acutis, quippe qui à principio multum diſſident, aut citò naturam corrumpentes, aut ad ſolutionem properantes: hi verò habent rapidam in alterutram partem mutationem, quare nonniſi magno cum periculo citra curationem dimittentur: In longis enim futuris, quia non cum tanta celeritate decertant natura & morbus, conſultum fortaſſe fuerit, ſi inconſtans morbus ſit, quam minimum negotium faceſſentes naturæ, ſinere uſque dum conſtet; Agnoſci verò poteſt acuties, aut longitudo, ignorata morbi ſpecie: ſpecies enim agnoſcitur ex propriis ſymptomatis: acuties ex eorum celeritate, eò q; quia parū permittatur facultati quieſcere, ſed magnitudo ſymptomatum citò urgeat; hoc verò fieri poteſt etſi nulla certa ſymptomatum propriorum ſyndromes conſtet: Quid enim prohibet incerta ſymptomata, neq; ulli ſpeciei propria contineri multumq; urgere? Quis ergo probet, citò periculis advenientibus, Medicum nihil agere, ſed ſinere ut ægrotus perinde ſe gerat ac priuſquam ægrotaret, atq; eodem prorſus victu utatur? Nemo ſane: Quomodo ergo *Hipp. l. 4. Ac.* jubet Inconſtantes febres, vſq; dum conſtiterint, ſinere, deinde idoneo victu & curatione uti, quaſi antequam conſtet, nihil neque in victu, neque in curatione permutandum ſit? Mihi quidem hoc non omnino probatur, quippe qui ſçiam plurimos à Medicis non malè curatos, ſanitati integræ reſtitutos eſſe antequam morbi ſpecies exactè noſceretur, qui, ſi eorum curam omnino depoſuiſſet, eſſent mortui: Et quid verbis opus eſt, Quoties in conventu peritiſſimorum Medicorum, multis diebus de morbi qui curatur, eſſentia controverterunt, & tamen interim, omnium cõſilio, agitur aliquid, quod periculum ſit in mora; neque morbus, quiſquis is ſit, permittat quieſcere? Primum ergo nunc dici expedit quæ methodus tenenda ſit (tenenda enim prorſus eſt aliqua, neque temere agendum quidvis) cum ignoratur morbi ſpecies: Eadem verò erit, ſive locus affectus, ſive morbi cauſa ignoretur: Inprimis quidem, etſi ignoretur, conſtitutio conſideranda eſt, etſi enim non exactè cognoſci, tamen tunc quoque aliquatenus poteſt: Inſtituendus ergo victus tantò craſſior, quantò longius videbitur homo ægrotare; & tantò tenuior, quantò acutius: verum quia exactè agnoſci id non poteſt, detur potius plus aliquid, ne in cognoſcenda conſtitutione erraveris, hoc enim eſt dare aliquid oberrata: Quoad auxilia, quantò morbum diuturniorem fueris ſuſpicatus, tantò magis expectare oportet, nihil, aut leve aliquid agẽdo: Tamen in prorſus acutis ne diem potes aliquando, ſine magno aliquo auxilio præterire: Eſt plus aut minus agendum, aut omittendum, prout morbus in hanc vel illam partem inclinabit: Agendi tamen aliquid, cum morbus ignoratur, hæ ſunt regulæ, Uti communibus, & occurrere ſymptomatis, & in occaſione prudenter tentare auxiliis, curare aut agnoſcere: Ita enim maximè obſervabis ſententiam *Hipp. Vt proſis, aut quàm minimè noceas*: Proderis enim proculdubio, cum omnia quæ p. n. exactè agnoſcens, æquale contrarium adhibueris: ſed etſi non agnoveris, & dubium proinde ſit auxilium, quam minimè lædes communibus vtens, & ſymptomatis noxijs occurrens, aut tentans moderatè ac prudenter: Voco communia auxilia, quæ multis morbis ſimul occurrunt: velut ſi quis tenetur dolore Ilis, ignoretur vero ſit coli, an renis & vreteris, nihil prohibet clyſtere vti, & vomitum ciere & fovere calidis: Porro ſi dubitca laboret homo quotidiana an tertiana duplici, quid prohibet mittere ſanguinem, vti aperientibus &c? Iamverò clyſteribus ſubducere fæces, & cavere horam invaſionis ad dandum cibum, hæc morbis omnibus communia ſunt: Porro ſymptomatis vrgentibus occurrere nullo non in morbo eſt vtile. Tentandi etiam cauſa licet quædam facere, vt ſi ignoretur calida ſit an frigida intemperies, licet admovere vtravis: Si enim proſint, cognita ſimul & curata ſit affectio: Sin minus, cognita quidem: prudenter tamen tentandum, quod quidem ſit nihil ſummum admovendo, & niſi res cedat tempeſtivè deſiſtendo: Itaque tot modis licet aliquid moliri cum morbus non agnoſcitur: verùm quia diximus, tantò magis licere ſine auxiliis tranſigere, & donec morbus conſtet expectare, quantò morbus longior eſt & minus vrget, conſtat quicquid agitur morbis incognitis, urgentię gratia agi: non quod optimum ſit ita agi, ſed quod vitari non poſſit. *Valleſius comm. in lib. 4. acut. p. 212.*

XXI. Si quando mecum ipſe diligentius conſidero quàm difficile ſit morbos internos, eorumque cauſas interiores aſſequi, in eam ſententiam facilè deſcendo *Hippocr. 2. Epid.* meritò ſcriptum reliquiſſe, In omnibus obſcuris morbis tractandis oportere Medicum diligenter inveſtigare primum morbi inſultum, h. e. Primam occaſionem vnde quis ægrotare cœperit: Illinc enim & morbi & cauſæ cognitio ut plurimum pendet: Ecce exemplum: Puerulum febris continua corripit, cum ſenſuum omnium hebetudine, inquietudine, implaciditate, nauſea continua; Morbus ſane acutiſſimus vna cum cauſa obſcurus admodum erat, niſi mihi de puerculi, & nutricis vita, & conditionibus diligenter percuntanti, à parentibus ſignificatum fuiſſet duobus diebus ante primum morbi inſultum à Chirurgo ſectam fuiſſe membranam, linguam cum partibus ſubjectis nectentem: Rurſus interrogarem num ab hoc opere ſtatim pronum ſitu averint infantem, atque num ſanguis ab ore fluxerit? vtrumque negatum, Vnde ſtatim conjeci ſanguinem è loco vulnerato in ventriculum delapſum, ibi putrefactum, morbi & ſymptomatom cauſam fuiſſe: nec fefellit opinio, nam dato oleo amygd. dulci, ſanguinis concreti purulentique notabilem copiam evomuit: injectoque ſimul clyſtere, ſtatim convaluit. *Zecchius Conſult. 46.*

XXII. Morborum incurabilium curam non ſuſcipiat *Med.* ita ſuadente *Hipp. l. de Arte num. 4. Medicina eſt morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, Et eorum qui à morbis victi ſunt curationem non aggredi, cum in confeſſo ſit quod Medicina tales ſanare non poteſt*: Confirmat *Celſus l. 5. c. 26. Eſt prudentis hominis primum eum qui ſervari non poteſt, non attingere: nec ſubire ſpeciem eius ut occiſi quem ſors ipſius peremit.* Morbi autem in triplici ſunt claſſe, Leves, quos natura ſanat, *Galen. 1. de Loc. c. 1.* Mediocres, qui à Medico tractandi, ac in lethales

abeant;

abeant; Hi vel Acuti, qui brevi interimunt; quia acutie vel malignitate naturam ſuperant: quando autem morbus prævalet nullus remedio locus: Vel Chronici, qui ſi diu perſeverent, ferè deſperati ſunt & ſuapte natura immedicabiles: Hi ſunt hæreditarij, vt nativa cæcitas, ſurditas, gibboſitas, dementia, lepra, Ithiaſis, articulorum dolores, defectus membrorum, Morbi Divini. Hectica ſenectutis, Maraſmus torridus, conſummatus Aſcites, arthritis nodoſa, phthiſis, vlceratus cancer, convulſio ex inanitione, ſphacelus: Ab his Medicus, famæ & artis gloriæ ſi conſulat, manum abſtinebit, aliàs curationem ſi tentet, ignominiam pro gloria reportabit. *Zacutus Intr. ad Pr. c.16.* Vide *Rod. a Caſtro Med. Polit. l.3.c.18.*

XXIII. Doctrina eſt *Galeni 11. meth. c.10. &c.* In morbis exitialibus, quorum ſummum vigorem mors excipit, nihil omnino agendum eſſe, ſed ſolum eâ Artis parte vtendum quæ Prognoſtica dicitur. Sed potius *Avicennæ* conſilium hac in parte ſequendum, is enim humanitatis & occultæ naturæ potentiæ memor, etiam deploratis, ipſis ita valentibus, adeſſe jubet, & ſi aliter non licet, ſimulatione ſaltem prodeſſe, *Ne*, vt dixit *Fen.6.4.tr.c.10. proportionemur ad paucitatem miſericordiæ: non deſiſtas a rationali cura quoniam aliqui ſanantur abſque ſpe aliqua mirabiliter.* Mira eſt naturæ corpora noſtra regentis vis, non penitus humano ingenio perſpecta, quæ ſæpe, cum nobis prorſus videtur morbo oppreſſa, jamque omnino extincta ſuccubuiſſe, vt ſe vlterius, quocunque modo illi ſubvenias, tueri non poſſit, ipſa tamen ſe, occulta quaſi facultate, reſumptis viribus erigit, & adverſus hoſtem iam exultantem de victoria denuo inſurgit, pugnaque redintegrata ſæpenumero vincit. Hoc cum ita ſit, ſæpeque adeo inſperati hujuſmodi eventus docuerunt nos quouſque adhuc aliquid ſpiritus in corpore noſtro reſtat, non eſſe certò de vita deſperandum: Ipſe etiam *Hippocrat.* non adeo certas in morbis vitæ & mortis prædictiones eſſe fatetur: iccirco non in vniverſum ægro, vt ut deſperata res habeatur, denegandum auxilium eſt. *Dietericbus Iatrei pag. 157.* Cavere ſibi ab ægrorum cura quos nulla ſalutis ſpes manet, non omni ex parte eſt nomen mali Medici ſubterfugere: imo interdum eſt impij famam ſubire, præſertim ſi te vel parentes vel affines obſecrent. Nam pium eſt (præſagio non omiſſo) quos mors, vel immedicabile corporis malum divexat, interea dum adhuc ipſe patientis animus integer eſt, ſolari, ſpe fovere, & affectum, quantum conceditur, remedijs mulcere. *Botallus lib de Medici munere numero 39.* Vide *Heers Obſervat. 5.*

XXIV. In Prognoſtico, niſi certiſſima & infallibilia ſalutis aut mortis indicia adſint, ſit Medicus ambiguus: in promiſſionibus moderatus: ſanitatis tamen potius ſemper ſpē præbeat, quam certam mortem prænunciet: Si enim a Medico deſtitutus, poſtea, (quod ſæpe fit) caſu vel natura reſtituatur, magnam incurrit infamiam: Et verò ſi ſanitatis ſpem præbuerit, & mors ſequatur, ignominia tanta non eſt, quia potuerunt incidere multa, errores, exceſſus, ac novus morbus, & facilior eſt a ſanitate ad mortem commutatio, quàm à morte ad ſalutem, quæ naturæ curſu eſt impoſſibilis. *A Caſtro Med. Polit. l.3.c.7.*

XXV. *Hippocr. l. de Loc. t.55. Medicamenta, ait, fortia a natura in debilibus morbis dare non oportet: neque pancitare medicamenti debilitas ipſi facienda eſt, ſed fortibus natura fortibus medicamentis vtendum eſt, debilibus vero pharmacis non fortibus: neque partiendum eſt medicamentum, ſed ſingulis ſecundum naturam, debilibus quidem debilia a natura, fortibus vero morbis fortis natura pharmaca exhibenda ſunt.* Nec diſcrepat quod habetur *l. de Arte, ex paraphraſi Heurnij, Nec adhuc conſtat virum à levioribus inſtrumentis validiores morbi tolli poſſint: quis autem dubitet quin validiſſimis validiſſimi morbi curari nequeant?* Rationi etiamnum conſonum videtur vt magnis fortibuſque morbis magna fortiaque medicamenta conveniant; levibus ac debilibus levia ac debilia: Inde eſt quod, *Galeno* arbitro, omnium difficillima indicatio exiſtit, *Quantum agendum*, quam ſi quis adipiſcatur calleatque, erit alter *Aeſculapius*: Eodem autem *l. de Loc.* commendat *Hippocr.* in debili etiam morbo fortius medicamentum, & in forti morbo medicamentum debile, ſi non ſuppetant vires, *Si quis, ait, in morbis quid permutaturus eſt, forti quidem ægro, debili autem morbo, tunc quidem confidenter fortiore quam morbus eſt, vtendum eſt medicamento: nam etiamſi quid de ſano abducat vna, nullum detrimentum eſt: Si vero morbum fortiorem ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis, quæ ipſum morbum ſuperent & abducant, verum ægrotum nihilo debiliorem reddant*: Vbi voce Permutationis curationem intelligere certum eſt. Solvitur apparens contradictio, dicendo quod cum omnis actio fiat ab exceſſu agentis ſupra paſſum, vt dicebat *Averroës*, ſequitur quod omnia medicamenta quæ præſentem ſtatum tranſmovent, vt inquit *Hippocr.* morbis fortiora eſſe debeant, Fortiorum autem debiliumve medicamentorum vſum non aliunde quam à viribus ægri *Hippocr.* determinat; quippe virtutis robore vigente fas putat medicamentum morbo longe fortius adhibere: quod licet etiam aliquid vtile detrahat, nullum detrimentum eſt, vt ipſe ait: Cæterum debili exiſtente ægro, ſi fortis ſit morbus, debilibus medicamentis agendum jubet, non tamen ita debilibus quin morbo ſint ſuperiora; quod liquet ex illis verbis, *Si vero morbum fortiorem, ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis, quæ ipſum morbum ſuperent & abducant*: Sed vltra non agant, ne ſcilicet quid etiam vtile detrahant atque imbecillitatem adaugeant, vt de ſubjungit *Hippocr. Verum ægrum nihilo debiliorem reddant.* Id ipſum ſignificaverat altera illa ſententia jam relata, *Nibilo autem minus oportet etiam debiles fortia medicamenta potare, ſed ſimiliter*, h. e. ſervata proportione inter medicamentum & ægri vires, adeo vt inter fortia minus forte eligatur, ita tamen vt morbum ipſum ſuperet, viribus autem nihil detrahat; quare nullibi ſibi diſſonat *Hippocr.* ſed vbique medicamentum quod ſit morbo ſuperius commendat, ea tamen conditione vt magis minuſve forte eligatur, prout fortis vel debilis erit æger: *Adde his*, Ejuſdem energiæ erit in corpore imbecilli medicamentum vt vnum, atque in corpore valido medicamentum ut duo: quanto enim fortius medicamentum per ſe magis aptum eſt agere, tantum robuſtum corpus eſt quoque magis aptum reſiſtere, unde diminutior ſequetur actio, & contra medicamentum debile quantum ex ſui natura minus poteſt ad agendum, tantum debile corpus, quia parum reſiſtit, eſt ad patiendum promptius, vnde & promptior ſuccedet operatio: Id docere videtur *Hippocr. lib. de Loc.* ubi medicamentum in

febribus reprobat quandocunque corpus eſt floridum & validum, ob id quod ægre purgatio conſequatur, ideoque monet expectandum eſſe ut prius debile reddatur. *Idem Antiph.4.l.3.*

XXVI. *Hippocr.* 1. *aphor.* 6. Extremis morbis extrema remedia opponi vult: Revera niſi cum morbo æquali contrariorum exceſſu pugnemus, nequaquam triumphum agemus: Omnis enim actio fit ab exceſſu agentis ſupra paſſum. 2. vero *aph.* 51. oppoſitum regiſtratur, *Plurimum ant repente evacuare, aut replere &c.* Confirmat 2. *aph.* 3. Nec tamen extrema inanitio eſt mulienda &c. Suadet ratio, nam Natura impune extrema & violenta non ſuſtinet: Dic 6.*ſect.*1.*aph.* extrema approbare remedia, ea tamen lege ut naturam non ſuperent neque tolerantiæ excedant limites: Vt enim hic extremi dicuntur morbi qui naturam ſumme quidem oppugnant at nondum expugnant, Ita extrema ea intelliguntur remedia quæ naturam afficiunt quidem at non conficiunt: Paucis extrema remedia intelligantur non ad vires ſed ad morbum relata: *Aphoriſ.autem* 51. *ſect.* 2. de immoderatis pharmacis atque extremis inanitionibus loquitur, quæ ut ſumme adverſantur morbo, ita viribus maxime infeſtæ ſunt, naturamque debellant, quod non eſt agendum ne Cadmia ſequatur victoria: Dic 2. non haberi apud *Hippoc.* quod Extremis morbis extrema competant remedia, ſed extremæ *διαίτης*; quaſi dicat, non quidem remedia eſſe debere extrema, ſed ipſas curationes, i. e. Medici operationes oportere eſſe morbis compares: ita tamen ut curationes nonniſi opportune præſtent remedia, & ea inprimis quæ naturam non deſtruant: Quomodo autem curatio & non remedium poſſit, extremũ eſſe hoc dioriſmo capias: Extremum erit remedium ſi in acutiſſima febre ſanguinis maxima copia vnico tractu hauriatur; unde naturam ſuccumbere periculum imminet: Extrema erit Curatio ſi in eadem febre, eadem quidem hauriatur copia, ſed vicibus interpolatis, ita ut vires conſiſtant nec præcipites ruant: Hinc *Trallianus*, Satius eſt paulatim & tuto evacuare, quam feſtinando perturbandoque vna cum morbo ægrum è medio tollere. *Sinibaldus Antiph. l.3.p.*148.

XXVII. Ego circiter annos xl. ægris curandis operam dedi, parum tamen aut nihil ſubſidii, ſive honoris ex hoc genere Proprietatum occultarum in morbis curandis ſum aſſequutus: *Galenus* quoque *l.de Ren.paſſ.* in hanc ire videtur ſententiam, licet alioquin magnus ſit dictarum proprietatum aſſertor: *Qui voles*, inquit, *eſſe præclarus Medicus iis medicamentis quæ ægros juvant à qualitate occulta raro uti debet.* Clarius profecto indicare non potuiſſet quam leviter iis confiderit, iiſque ſe non alias vſum quàm ſi de alicujus ſalute deſperaretur, vitaq; deploratus videretur ob morbi ingraveſcentis vehementiam, aut ſi cætera medicamenta à qualitate manifeſta operantia ægritudini curandæ ſatis eſſe non poterant: Ego quoque, *Galeni* authoritate, cranii humani pulverem Epilepticis ſæpe porrectum vidi: Pæoniæ ſemen aut radicem Epileptici collo appendi juſſi, non ante tamen quam purgationi aut vacuationi providiſſem, victus rationem, vt par erat, præſcripſiſſem: quæ omnia ægrotis miſeris inutilia erant, nihilque opis afferre videbantur: Nonnunquam etiam, qui Lupi ſtercus ventri illius alligatum qui coli dolore laborabat, aut potius prodeſſet experiri placuit, atque alia ſexcenta, quæ à totius ſubſtantię proprietate *Gal.* dicuntur operari, quę nihil adjumenti infirmis & male ſe habentibus attulerint: vnde facete quidem noſtræ tempeſtatis Medicus quidam, per jocum dicere ſolitus erat hujuſmodi proprietates merito occultas nominari, quia, *inquit*, raro accidit vt quiſpiam earum effectus ſive vtilitates percipere poſſit: Neque injuria ridiculi gravibus Medicis ij videntur, qui dum iſtis prorſus anilibus figmentis credunt, ſemianimes ægros eludunt, & de ſpe recuperandæ ſalutis dejiciũt: Atq; hic error, quod dolendum eſt, nondum planè innotuit: pleriq; enim adhuc Medici in ſummam ægrorũ perniciem medicamenta à totius ſubſtantiæ proprietate operantia, valetudine affectis temere propinant, vanæ oſtentationis, ſtudio potius quam vtilitatis ægrotorum, Quoniam, vt præ cæteris quid ſciiſſe videantur, rem inſuetam, & facultatis non notæ iis qui morbo opprimuntur male exhibent. *Gul. Puteanus l.de medic. purgant.facultat.c.*5.

XXVIII. Plebeiorum remedia non ſemper contemnenda; *ὀκνέειν ἰδιωτέων ἱστορέειν, ὅτι δοκέει ξυμφέρειν*, præcipit *Cous* inter alia Medico neceſſaria, quod eleganter reddidit *Hoeferus* in ſuo *Hercule p. m.* 77. Neminem pudeat, *inquit*, quantumvis literatum, aliquid addiſcere, quod ad artis ſuæ perfectionem & ornamentũ ſpectat, ſive illud ab anu ſeptuagenaria, ſive ab erudiriſſimo quoq; ſuggeſtum, modo non ſit ſuperſtitioſum. *I.Mich.Febr in M.C.anni 76.Obſ.*88.

XXIX. Circa plurium ſimplicium congeſtionem in compoſitione medicamentorum, obſervandum eſt quod *M. de Gradibus cap.* 1. *de Cephalæa*, ex mente *Avicennæ* monet, Multotica ex ſimplicibus variis, & multis non ſolutivis, compoſitionem fieri ſolutivam, & è contra: Evidenti ſane argumento quam ſæpe ex inconcinna ſimplicium confuſione, factaque medicamenti fermentatione, nova reſultet hujuſmodi compoſitionis forma, Medicorum ſcopo, & quod pejus, ægrorum ſaluti ex toto contraria.

XXX. Eo ſemper allaboremus vt fugiamus in medicamentorum compoſitione theriacalem illam & nauſeabundam variorum ſimplicium commiſtionem, quæ non eſt neceſſaria, eſt inutilis, incerta, periculoſa & ſumptuoſa: Natura paucis contenta ſimplicibus gaudet, & ſæpe vnica herbula appropriata morbus citius & felicius profligabitur quam prodigioſis iſtis compoſitionibus: Deus, inquit *Helmontius in Pharm.* ac *Diſpenſ.mod.* §.5. ex bonitatis & ſapientiæ ſuæ æternæ providentia abunde futuris neceſſitatibus prævidit: Ipſe fecit & dotavit ſimplicia ad deſtinatos vſus cunctarum neceſſitatum, Quanto enim plura ſunt componentia medicinæ, tanto minus certus ejus affectus componenti &c. Rectè ideo monet *Zvvelferus in appendice ad Animadverſ.* Vt ſimplicitate in re medica contenti, in congeſtione tot tantarumque diverſarum rerum, labore inutili ſuperſedeamus, & parciores nos præbeamus, atque vel vno ſimplici ſimpliciter, ad quod à Deo conditum eſt, vel ſaltem paucioribus medicinam faciamus, prout pauperes & ruſtici, quibus non raro à ſummo Medico, ex mera commiſeratione, remedia ſaluberrima revelantur, quibus magna in magnis præſtant morbis, quandoque in opprobrium Medicorum: Atque hinc factum eſt vt & doctiſſimi olim Medici, *Hipp.Galen.* & alij, raro operoſiores compoſitiones uſurparint, ſed unico, vel duobus, aut tribus ſimplicibus junctis mira effecerint. Vide *Sennertum de conſ.& Diſſ. c.*18. *P. Poterium in Pharm.Spagyr.l.*2.*c.*2.*& alios.*

XXXI. Dum in Hungaria Medicum agerem erat Illuſtr. Comes, aſſuetus toto vitæ ſuæ curſu vino me-

metaciſſimo: Huic detento laſſitudine & capitis dolore, ſpreta aliquantulum conſuetudinis lege, dedi id conſilii vt metaciſſimum deponeret, hauriretque tenuiſſimum vinum: Ille vt primum eſt executus, in talem laſſitudinem incidit, ut animo deficeſe videretur; unde conſilio mutato ad ſolitum uſum metaciſſimi me conſulente ſe tranſtulit, & illico renovatæ ſuut vires quæ ante fere erant collapſæ; Hinc malam conſuetudinem inveteratam eſſe ſervandam: *Sanctorius meth. vit. Err. l. 4. c. 9.*

XXXI. *a* Obſervavi non ſemel deceptos Thraſones, medicosque glorioſos, dum nonnulli collegarum ſuorum dicta vellicatui, determioarent audacter nunc variolas certo futuras, vel morbillos, quasdam maculas erumpentes, qoas alii dubitanter aſſeveratant: Sed ſatius eſt in re dubia Medicum, vel ſuspendere ſuum judicium, vel dubie dontaxat reſpondere; quam temere ac ſine olla certitudine aut conjectura ſatis ſolida, de quibusvis pronunciare talia, quæ aliter ſæpe numero contingentia plebi quoque ridendum propinant hominem ſuffenum, & malis artibus ad primatum imaginarium ſolide aſpirantem. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 3. §. 115. 116.* Vtique longa experientia & attenta opus eſt ad certo determinandum tum affectum ipſum, tum ejuſdem eventum. *Idem.*

XXXII. Indecorum non eſt Medico, qui manualem operam calleat, ubi Chirurgus non adſit qui rem rectè perficiat, ſi venam ſuderit, ac ſe præſente Chirurgus erraverit: vel repente laxata fractaque membra repoſuerit; vel ſanguinis hæmorrhagiam cohibuerit, quibus omnibus mora noxæ eſt; Nam & Chirurgicum opus una ea tribus medicinæ partibus eſt, à qua tantum abſtinuit Galenus, ubi eam vidit paſſim per omnes Empicorum ac plebejorum manus eſſe delatam: Cæterum, quemadmodum Medico indecorum ooo eſt (ubi neceſſitas poſtulat) manibus rem ipſam aggredi, ita & abſtinere dum morbus inducias, & locus Chirurgorum copiam ſuppeditat, decorum non eſt, mutuumque conſilium cum perito Chirurgo, de re Chirurgica inire æquum eſt: *Botallus l. de Medici & ægri munere §. 55.*

XXXIII. Vt qui Chirurgiam duntaaat docendo, ad ſordidum non deſcendit opus (niſi tamen ubi artifices deſint idonei) ſed miniſtris imperando artem exercet, hunc appellaverim nobilem & honore dignum, haud minus quam in aliis partibus verſatum: Idem judicandum ſentio de Pharmaceutica, qui enim docet rationem vtendi medicamentis, & eadem rectè componendi, artifex ſcientificus ac præſtans judicabitur: At qui ſolius quæſtus cauſa componit pharmaca, non eſt reipſa Medicus ſed miniſter: Sed qui componit, non quidem ob hunc duntaxat finem, ſed etiam ob alios ſupra enarratos, non miniſter, non pharmacopola, ſed verè archiectus eſt: vbi de hominum agitur vita, noo licet profecto medicamentorum compoſitiones unicuique obviam committere: quidam enim ſunt pharmacopœi admodam rudes, qui pro ſalutaribus maximè lethalia componunt pharmaca; & ſanè horum cauſa multò plures quam aut morborum violentia, aut Medicorum negligentia moriuntur &c. *Horatius Augenius Epiſtol. l. 8. Epiſt. 1.*

XXXV. Abs re non fuerit modum quem ipſe tenebam, dum ægris præſidia inſtituebam, ad quos loci diſtantia prohibebat acceſſum, deſcribere; Primum itaque in media chartæ ſummitate inſtantem diem notabam, ſeorſim à reliquis: paulò infra, brevibus, quæ neceſſaria, vel maximè ſcitu memoriave digna videbantur addebam, Vt hoc in exemplo, Mul. prægn. à 3. menſ. dec. 4. mar. h. 20. feb. ſyn. p. vom. gra. & alv. fl. Vel aliud exemplum, Senex 8. aug. h. 14. feb. tert. dup. rig. vom. & lat. dex. dol. tuſ. &c. Quæ mihi ſignificant, Mulier prægnans à tribus menſibus, decubuit 4. martii, hora xx. febre ſynocha puttida correpta, cum vomitu gravi & alvi fluore. 2. Senex die 8. Auguſti, hora xiv. febre tertiana duplici correptus eſt cum rigore & vomitu, & lateris dextri dolore & tuſſi &c. Quibus ſubjiciebam quæ mihi videbantur conferre præſidia. *Botallus l. de Med. mun. §. 47.*

XXXVI. *a* Vtraè duabus Indicatio præſtantior eſt, Affectus an Loci? Si è duobus alterum tantum agnoſcitur, ignorato reliquo, multo præſtat agnoſci Affectus ſpeciem, ex qua genus curationis remedii ſummum perſpicitur, licet ad individuaa differentias, quod conandum eſt, non deſcendatur: Novit aliquis laborare calore hominis viſcera, Num vero is calor hepar, an renes, an vero ventriculum occupet perſpectum non habet: Idem confeſtim admovere frigorificum remedium intelligit, licet qua, quantum, quale, nou ſatis cernat: Qui vero intelligens morbum ex capite pendere, ſecum non decernit mali naturam & morbi originem, num tumor in cauſa ſit, an intemperies, & calida ne an frigida magis, is ne genus quidem auxilii decernit, & conſilii inops, pendet animi, ſumma & maximè neceſſaria affectus cognitione deſtitutus: Si vero ambo illa Medico perſpecta ſunt, & in dubium revocatur utra cognitio plures præſter curandi indicationes & remediorum præſcripta? reſpondet Gal. lib. art. med. c. 94. inveniri cauſam morborum ſalubrem, partim quidem ea affectu, Species ex loco affecto: Quanta enim ſit remedii ob loci diverſitatem mutatio, manifeſtum eſt Medico conjectanti quantum curatio phrenitici à curatione pleuritici diſtet: Cumque ſpecies pauca & in genere doceat, locus multo plura & individua magis, efficitur quod Galenus afferat, quod utraque cognita imparem uſum curanti præbeat, majorem locus, affectus minorem. Itaque hæc eſt collatio inter genus & ſpecies, in quibus nulli dubium eſt genus anteire: nam quanto gravius eſt genus ignorare, (quia totum ignoratur) quam ſpecies, quâ ignorata ignoratur ſolum pars, tanto præſtantior eſt indicatio à morbo indicatione quæ a parte ſumitur. *Mercatus de Indic. Med. l. 2. c. 1.*

XXXVI. *b* In quibuſdam morbis maxima ægri viveodi modi habenda eſt ratio, alias difficilime curabuntur, ſicque multæ optimæ & admirandæ curæ factæ fuere. Quidam ſtercorum mundator, cum bonos nimium odores excepiſſet ægrotavit, à nollo autem curari cum poſſet, tandem ſolitis odoribus admotis curatus eſt: Sic Zacutus maris incolam in arena collocavit & ſepelivit, ut illum feliciter curaret: Medicus mihi notus ruſticum, quem alii deſeruerant, curavit, illi ruſticam vitam præcipiendo, legumina, panem ſecalinum &c. Quod autem regio in qua vivimus multas faciat in nos impreſſiones, quarum habenda eſt ratio, obſervavi, quod quemadmodum nos in navibus nauſeas patimur, quæ ceſſant ſi ad terram ſolidam revertamur: Sic unum maris incolam, Venetum ſcil. novi, qui equo inſidens nauſeas eaſdem quas non in mari patiebatur. *P. Borellus centur. 3. Obſerv. 60.* Strenuum militem novi, militiæ laboribus induratum, qui febre acuta prehenſus plures noctes

inſomnes duxerat, inſtanter rogat vxorem liceat ſibi ſuper ſtramine decumbere, futurum ſic ut facile ſomnus obrepat: monet me hæc de mariti deſiderio, cui annuens, paleam humi ſterni abeo, cui via incubuit ſomno alto premitur, quem paucis poſt diebus ſanitas conſequuta.

XXXVII. Vt Medicus noſcat quando mutanda ſint remedia, notet hæc, 1. Si adhibita aliquantulum juvant, ſignum eſt morbi naturam planè fuiſſe cognitam, nec illa eſſe permutanda, ſigna enim petuntur a juvantibus & lædentibus: Curationes, inquit Hipp. morborum naturas oſtendunt: & Celſus initio l. 3. In acutis, ait, morbis ſtatim mutanda eſſe remedia quæ non proſunt; In longis autem, non ita: Nam tamdiu in uſu remediorum perſiſtendum eſt, donec ſæpe operatione illorum fruſtrata, animadvertamus non fuiſſe probe cognitam morbi naturam. 2. Si ex remediorum adminiſtratione ſymptomata exacerbentur, ſignum eſt ea fuiſſe morbo contraria, & proinde mutanda: In chronicis ſcil. affectibus; nam in acutis exacerbatio ſymptomatum, ſi cum ſignis coctionis contingat, morbi ad criſin tendentis indicium eſt: Sic Antonius Muſa, Auguſti Medicus, cum animadverteret Cæſaris ſtomachicum dolorem calidorum uſu graviorem fieri, frigidis v[...]ſt, illumque ſanavit: Dicet quis aſſiduo vſu remedia fieri tandem naturæ familiaria, ſicque inutilia reddi: ℞. mutari quidem poſſe materias remediorum, ſed non medendi rationem. *Primiroſius Err. Popular. l. 4. c. 4.*

XXXVIII. *a* Duo remedia nunquam ſimul præſcribat & languenti electionem permittat, quia tunc vacillat, ac neutri fidit, Medicumque vt minus conſtantem accuſat. *A Caſtro l. 3. c. 6.*

XXXVIII. *b* Hipp. admonet Medicum lib. præcept. ut quando ad curandum ægrum accedit, plura remedia adminiſtranda proponat, nec uno tantum præſcripto diſcedat: *Vtile eſt*, ait, *eorum, quæ ægro offerenda ſunt, varietatem prædefinire: Non enim aſſeverare oportet quod vnum aliquod ſolum exhibitum proderit: cum omnes affectiones, ob multas caſuum circumſtantias ac mutationes, mora quadam diutiore hæreant.* Varia enim cum ſint morborum ſymptomata, variaſque ſubeant mutationes, per quas in longos morbos protrahi contingit, unico remedio propoſito occaſionem ſuſcipiet æger dubitandi ne eum Medicus ſpreverit, & non omnibus neceſſariis præſcriptis eum deſeruerit: Varia igitur proponat, neceſſaria vero tantum adhibeat: Ægrum interim admonendo morbos aliquando varias mutationes habere & diutius perdurare; unde plura remedia ſint adhibenda, eaque omnia, temporum occaſione, adminiſtraturum polliceatur, & ne in ſuſpicionem incidat fore ut Medicus eum deſerat. *P. Martianus comm. in v. 31. lib. Præception.*

XXXIX. Ad Naturalia remedia aliquando tranſeat, qualia plurima proponit Trallianus: Nam cum ſumus in naufragio, & verſamur in ancipiti; & maxime quando naturalia remedia non juvant, movendus eſt omnis lapis, dummodo in illis non ſit ſuperſtitio. *Epiph. Ferdinandus hiſtor. 43.*

XL. Si ordinato hodie remedio, cras accedens ſenſeris patientem melius habere, non illico utilitatem medicamento tribuas: quia fieri ſolet interdum vt neglexerint & non ſint uſi, & te irridebunt, dum tribuis ſucceſſum medicamento non exhibito. præſcias igitur ex Pharmacopœo an paratæ curaverint, aut aliter id reſcire tentabit. *A Caſtro. l. 3. c. 6. Med. Pol.*

XLI. Quidam remedia omnia *Chymice præparata* negligunt & reformidant; Alii contra ſupra modum extollunt: *Galenica* autem, i. e. veteri more præparata vilipendunt. Sed medium tenuere beati: *Ioh. Riolanus*, medicinæ elegantiſſimus interpres, dum Paracelſiſtarum machinas omnes juſſu ſcholæ Pariſienſis deleviſſet, rectè ſcribit Scholam hanc, quæ præſtantiſſimos Europæ Medicos habet, relinquere uſum Chymicorum, modo vetus medendi ratio, ſecundum Hipp. & Gal. præcepta maneat: Erat quidem ars illa temporibus Galeni ignota & inculta, non reſpuenda tamen: licuit enim poſteris, & licebit, arti jam probe conſtitutæ addere quædam ad vſum & ornatum. Veterum ſeparandi rationem, quam exoptabant, neceſſariamque exiſtimarunt, ars Chymica excellit: Nam variis modis pura ab impuris ſeparat, ſicque medicamentorum varias vires elicit, & aperit, quæ alias ſopitæ fuiſſent, nec à calore naturali vnquam educi potuiſſent, ut præcipuè apparet in mineralibus: præterea ſubſtantias terreſtres coquit, attenuat, malignas & venenatas, alienaſque qualitates alterat, aut prorſus tollit, virtutes auget: plus enim viriũ eſt & efficaciæ in aqua cinnamomi adverſus ſyncopen, alioſque affectus, quam in cinnamomo: Idem de oleis deſtillatis & extractis cenſendum eſt, Demum plurima naturæ magis familiaria efficit, variaſque vires in exiguam molem contrahit, ut in extractis, oleis, ſalibus &c. videre eſt: Cum igitur Medici officium ſit vt cito, tuto & jucundè curet, haud dubiè id melius faciet inſtructus Chymicis medicamentis, quorum efficacia major, citius operatur, quantitas minor, & præparationis elegantia ad jucunditatem faciunt: Dices majores noſtri ſine iis melius quam nos medebantur, & plurimi mira faciunt? ℞. Si eas perfecerunt curas, tardius tamen & minus jucunde: Deterrentur quidam ab eorum uſu, quod valentiſſima ſint, atque curent ſtatim vel occidant; quod ſint remedia deſperata; quæ cito quidem & jucunde opus perficiant, ſed non tutò, cum ſæpe labem in viſceribus relinquant, vix eluibilem. At hæ objectiones ex ignorantia artis ortum ducunt, & à quorundam nebulonum audacia, qui ſolum vehementiſſimis vtuntur, & præpoſtera operatione præparatis: non enim quælibet Chymica præparatio cuilibet medicamento convenit: Mercurio dulci utimur innoxie, eodem ſublimato aut præcipitato nonniſi cum vitæ diſcrimine: plurima ſunt Chymica valde benigna minimumque violenta: Eadem ſiquidem eſt materia medica Pharmacopœi Chymici & vulgaris, ex vegetalibus, animalibus, mineralibus, & omnibus tam benignis quàm violentis, quæ in vſum Medicum venire ſolent: Præparatio autem Chymica in violentis quæ noxia ſunt emendat aut tollit, ſecuriora ea gratioraque efficit: ſed ſæpe plurimi morbi violentiora poſtulant, qui mitiorum vim eludunt, validioribus uſi antiqui quam plurimi Chymici ſolent: Nec verum eſt a Chymicis omnia valentiſſimo ignis calore præparari, ſæpiſſime mitiſſimus calor adhibetur: Sed præterea ipſe Gal. docet igne valido pharmaca plurima acrimoniam & mordacitatem omnem deponere: Et certum eſt arte hac ſpagyrica & ferociſſima medicamenta edomari, & plurima alia venenata, ademptis deleteriis partibus, evadere cardiaca: In genere autem notandum, in remediis Chymicis, ſi quando peccatur gravius id

fieri

fieri quam in vulgaribus: Quod dictum ſit non ad artis Spagiricæ contemptum, ſed ob Empiricos multoſque alios, qui audacter nimis & ſine judicio remedia ex libris mendacibus deprompta uſurpant, & modo aliquid Chymice præparatum fuerit, etſi forte peſſime, nimis patienter illud laudant & admirantur. *Primeroſius Error. popul. l. 4. c. 2.*

XLII. Chymica plurimi reformidant, quia creduntur omnia eſſe metallica: Sed ſi veteres uſi ſunt chalybe, ære uſto, ære[illegible], aliiſque nullo modo, aut leviter ſaltem præparatis, cur vitio vertetur Galenicis ſi ea admittant, ſed eleganter præparata, ut minori cum noxa poſſint exhiberi? Marchius Epiſt. ult. l. 4. recte ſcribit graves chronicoſque morbos vix abſque metallicis ſuperari poſſe: eadem autem abſque Chymiæ cognitione non eſſe adminiſtranda: Et familiaris eſt uſus aquarum thermalium, quæ omnes vim metallicam in ſeſe poſſident: Objiciet forſan quiſpiam ea omnino eſſe venenata & inimica naturæ, nec in actum deduci poſſe? Quæ quanquam de pluribus vera ſint, non obſtat tamen quia bona fieri poſſint in contumacibus morbis, quibus extremæ debentur remedia: eſtque hæc omnium medicamentorum natura ut corpus noſtrum alterent: hinc contingit interdum ut Empirici temerarii morbos ab aliis relictos cum Medicorum dedecore curent: Si igitur veteres minus ſcrupuloſe iis integris utebantur, quàm felicia noſtra tempora, quibus ea tam eleganter præparare, ſolvere ſolemus, unde facilius a calore noſtro in actum deduci poſſunt: Sed conceſſo ea in actum reduci non poſſe, multa tamen ſunt quæ ſolo contactu juvant, ut pæoniam Gal. commendat collo appenſam; lapidem nephriticum brachio alligatum Monardes, ſola ſcilicet qualitatis diffuſione. Cum ergo certum ſit a Chymicis præparari mineralia, eorumque olea, eſſentias, tincturaſque extrahi, certum quoque eſſe debet poſſe commode & ſine periculo à calore noſtro edomari & tutius aſſumi. *Idem ib. c. 3.* Malignitatem ex fumis metallicis venenatis vix aliter quam remediis mineralibus curabimus: Puellus aurifabri cujuſdam aſthmate ferè deſperato laborabat, remediis appropriatis nihil proficientibus ſuſpicor ego mercurialis fumi malignitatem hunc morbum produxiſſe, revera puellus adſtiterat parenti argentea vaſa deauranti. Mox igitur gr. xii. Mercurii dulcis. ſemel atque iterum exhibeo, cujus beneficio puer ab imminenti ſuffocatione liberabatur. *Gregor. Horſtius lib. 7. obſerv. 25. Ubi alia præſtant exempla.* Vide Tit. de Præparationibus §. 24.

XLIII. Etſi plures plura in morbis compoſita habeant & commendent, parum tamen hæc mihi placent, cum ſæpiſſime duobus aut tribus ſimplicibus multo majora efficiamus, quam ſi totum Dioſcoridem ægro propinaremus: Accedit quod ipſi illi compoſitores ſæpe cauſam reddere nequeant cur hoc vel illud ingredientium addatur: Imo & multi è tot ſimplicibus confuſis reſultans temperamentum ignorant, quà re non modo ruditatem & ſtoliditatem oſtendunt, ſed etiam ſæpe morbum longius, imo & alium producunt & excitant: Verum hæc eſt perverſitas & inſania ſæculi noſtri ut potius ventrem & oculos pluribus ſine ratione confuſis repleri malint, quam paucis ſalubriter & ex arte curari. *Balthazar Scheider conſ. 260. apud Scoltzium.*

XLIV. *Celſi* monitum eſt l. 1. c. 3. Neque ex ſalubri loco in gravem, neque ex gravi in ſalubrem tranſitum ſatis tutum eſſe, idque in ſtatu ſano: nam de morbis alibi l. 2. c. 1. peſſimum ægro eſſe cœlum monet quod ægrum fecit: In peſtilentia, quæ loci vitio & hominum graſſatur, perutilis eſt loci mutatio: Galen. phthiſicos ad Tabias ablegavit, Plinius ad ſylvas: Quartanariis plurimis idem apud nos auxilii fuit: Cavendum ne ſubita fiat mutatio: Hinc optimo conſilio in noſocomiis Italiæ convaleſcentes in tectum primo demittuntur, quod planum ibi, præſertim Neapoli, ut aëri ſenſim aſſueſcant, antequam in publicum prodeant. Si loci mutatio impeditur, at aëris ſaltem procuranda, qui perflandus, temperandus & corrigendus odoribus vaporibuſque flagrantibus & alexipharmacis, ne uteriinx incluſa malignitas ægrorumque tabes aſtantibus ægroque ſit moleſta: Diligenter attendendum in quovis morbo, ne nimia ſuperſtitione clauſis feneſtris ægri inficiantur & intereant, qui alioqui ſervari poſſent. *Th. Bartholinus cent. 5. hiſt. 45.*

XLV. Medicus & Pharmacopœus nec ægro nec aſſiſtentibus medicamenta declarent, ſed tantum ſignificent purgandum eſſe, vel vomitum irritandum, vel clyſterem indendum; reticendum vero ex quibus hæc parentur: tum quia poſſunt alias citra Medici conſenſum aſſumi; tum quod ſæpe cognita in contemptum veniant, vel quia trita ac vulgaria, vel quia ineptus in arte ea aliquando damnaverit, vel quia vilis ſint pretii; ſic de quodam divite narrat Galenus parvi feciſſe præſidia quæ parvi vendebantur. *Botallus lib. de Med. mun. §. 41.*

XLVI. Iuxta vulgare proverbium Malo nodo malus cuneus eſt quærendus, Ita etiam imperitis & plebeis hominibus, qui methodum medendi contemnunt, & à multitudine remediorum abhorrent, ejuſmodi medicamenta offerenda ſunt quæ cauſam mali, vel ſaltem majorem ejus partem, quantum fieri poteſt, auferant: Alias mox, niſi res ex animi ſententia ſucceſſerint, Empiricos & ſagas accedunt, illorumque placitis longè diligentius, quam peritiſſimorum Medicorum auxiliis auſcultant. *W. Gabelchoverus Cent. 1. Obſ. 49.*

XLVII. Monet Hippocr. obſervanda eſſe ægrorum errata omnia, ſive ſint circa cibum & potum, ſive circa medicamenta aut alia exteriora: nam ſi propter errores malè habeant, culpa in Medicum rejicitur, dummodo id poſt aliquam adhibitam medelam contingat, & potiſſimum ſi potiones dedit inſuaves, aut pharmacum purgans præbuit. Hæc enim tanquam quid magnæ efficaciæ obſervari ſolent: Et ſi poſt prædictorum aſſumptionem aliquid mali contingat, cauſa in illud rejicitur, etiamſi ab ægri errore contigerit, idque frequenter noſtris temporibus uſu venit: quam calumniam ut devitent quamplures Medicorum, propriam exiſtimationem pluris facientes quam ægrorum ſalutem, nullum magnæ efficaciæ præſidium, aut quod alioqui adnotari poſſit præſcribunt: Nam ſi v. g. ſanguinem mittunt, ℥iij. vel iv. non excedunt: Si pharmacum exhibent, à manna, ſyrupo roſ. ſolut. ſimilibuſque non recedunt, eaque exhibent quantitate ut infra mediocritatem potius quam ſupra evacuent: Qua quidem medendi ratione Medici prædicti tuto ſibi ipſis caventes, miſeros ægros in vitæ diſcrimen ſæpe traducunt: Hoc autem faciendum non ſuadet Hippocr. nedum Chriſtiana religio: Sed dum hæc adminiſtrantur remedia, ægrorum errata diligenter obſervanda eſſe nos

admonet. *P. Martianus comm. in v. 114. l. de decenti ornatu.*

XLVIII. Plerumque Medici, etiam fideliſſimi & optimi, graviter injuria afficiuntur ab iis ægris, qui veluti ſcommatum meritorium quotidie novos Medicos adhibent: Res autem ita habet: Sæpe rationalis Medicus ægro medicamentum ex arte præſcribit, & per dies aliquot ea quâ fieri poteſt diligentia exhibet applicatque, abſque tamen ſucceſſu: ut enim ſemen terræ mandatum non illico germinat; nec ſtatim ſumptus cibus in ſanguinem abit, Sic quoque tempus requiritur antequam medicamentum vires ſuas edere poſſit: Interim ſi imperitus aliquis ægro medicamentum aliquod, etiam ineptiſſimum exhiberi, ac primò exhibitum tum demum vires ſuas exſerit, ita ut convaleſcat æger, tunc primus ſanitatis author infamiâ opprimitur, poſtremus laudibus ad cœlum extollitur, muneribusque ſplendidis afficitur. Ioh. *Birchmanus*, quondam Medicus Colonienſis longè celeberrimus, ægro; non ex infima familia oriundo, per dies aliquot remedia ea arte adhibuerat, parvo cum ſucceſſu: Quondam ſub multam noctem alius Medicus (Tilmannus) vocatur: Is, ut aliquid feciſſe videretur, Iulepum exhibet ex ſyrup. & aqu. diſtillatis, quo æger ita allevatus fuit, ut altera die cum D. Tilmannus ipſum denuo viſeret, ipſi decem florenos aureos offerret: diſcedenti ab ejus ædibus obviam factus D. *Birkmannus*, cui oſtendit munus, dicens, vide Domine Doctor, Tu ſementem feciſti, ego Meſſem: *G. Fabritius Hildanus Cent. v. Obſ. Lviij.*

XLIX. De medicamentis abſque neceſſitate non immutandis hi loci ſæpe occurrant, 1. *Senenæ*, Nihil æque ſanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio: 2. *Galeni*, Qui explorata contemnens, nova ſemper remedia tentat, flagitioſe facit: 3. *Hippocratis*, *aph.* 52. 2. Omnia ſecundum rationem facienti non eſt tranſeundum ad alia, ſi manet id quod ab initio viſum eſt: 4. *Celſi.* ſæpe pertinacia juvantis malum corporis juvit.

L. Circa eorundem Compoſitionem notetur locus Arn. *Villanovani*, Qui poteſt mederi ſimplicibus, doloſè & fruſtra quærit compoſita: Quia, Quo plura ſunt in medicina compoſita, eò incertior effectus. Demum, ciborum & potuum miſcellam damnat Hippocr. l. de ſal. diæta & de vict. Acutor. Ergo & pharmacorum mixtionem; Vel quia ſeditionem moventur, vel occultis & contrariis qualitatibus ſeſe in vicem retundunt, aut novas induunt: Revera in egregiis compoſitionibus ſita non eſt medicinæ eſſentia, ſed in opportunitate agendi.

LI. Iis nonniſi urgente neceſſitate utendum; ſic Hippocr. l. de vict. Acut. ne glandem quidem indit niſi refractaria ſit alvus: Negotium quippe auxilia Medica naturæ faceſſunt, ubi non adeo neceſſaria ſunt.

LII. Quum corporum conſtitutiones, & affectus animorum, ſecundum climata orbis, ac pro ſitus regionum, urbium & aquarum natura varientur, victus & remediorum rationem variare quoque neceſſe eſt: Ut cuique loco peculiaris eſt genius, ita quoque proprii ſunt locorum morbi, & ſua cuique medicamenta: Verum quum non tantum remediis domi, in pomœrio natis, morbi curentur, ſed crebro exoticis opus ſit, præſtat Medicum horum natale ſolum ſcrutari, quam domi in ſcholis, ut Medicos Alexandriæ, conſeneſcere, quam Sepla-ſiariis iſta concredere, quia horum defectum ſuccedaneis reſarciunt, quum veris præſtaret uti: Nec Galenus ut chalcitidem, a miſy & ſory, aliaque metalla dignoſceret, in Cyprum navigare tæduit: Qui deinde ob aſphaltum, Iudaici lacus bitumen, in Syriam Palæſtinam profectus, & in Lemnum quoque Inſulam appulit, ut quantum hircini ſanguinis Lemniæ terræ ſacerdos admiſceret ipſe præſens videret, & capiæ ſigno obſignari, & ut plura alibi tem[…]a nata exploraret, ex Aſia pedes per Thraciam & Macedoniam rediit: &c. *Langius lib. 1. Epiſt. Lxiij.*

LIII. Polydædala natura imprimit nonnunquam homini, non modo foris, figuras adventitias & perverſas, ſed diſtribuit etiam interiora pro libitu; aliter atque aliter diſpeſcens venas, arterias & nervos: N. habuit in manus ſuæ carpo tam exilem ac teretem arteriæ ramulum, ut ex ejus motu vix quicquam licuerit præſagire ſive de robore ſive imbecillitate cordis: ſed natura collocaverat in manus dorſo, inter pollicem ac indicem, arteriam quæ aliis communiter fertur per interiora carpi &c. *N. Tulpius Obſ. 45. lib. 3.* Similem naturæ *παρέκβασιν* obſervavi in Viro Rev. D. Meſtrezatio, Paſtore Eccleſiæ Tramelanenſis, cujus pulſum exploraturus carpo manum cum admoviſſem, moram nullum deprehendi: Sitam autem arteriam in cubiti flexu ipſe indicavit, valido pulſu micantem.

LIV. Medicus non debet accedere ad ægrotos niſi rogatus, quod præceptum maximè obſervandum, Nam ſi non requiſitus viſitet patientem, reddit ſe ſuſpectum aut nimiæ ambitionis aut quæſiti lucri: hiſce enim, non benevolentiæ tribuunt homines viſitationem: 2. Certus eſſe non potes de confidentiâ quam in Medicum habere oportere ægrum dicit Hippocr. 2. Prognoſt. 3. Æger non tenetur ad compenſationem ullam, quandoquidem de ejus animo Medico non conſtat an officium hoc ſibi præſtari voluerit, ab eo qui tacitè declaravit ſibi ſatisfactum eſſe ſi modo acceſſum ſuum patiens permitteret. 4. adhæc, aut notus erat & familiaris patiens, aut non: Si notus & te deſpexit, ideo fecit quia tua opera grata non erat; Si ignotus, inepta tua viſitatio: Etſi quid ſiniſtri acciderit, ſuſpicione non vacabis. 5. Viſitatio tua patientem gravabit, & morbum fortè augebit, dum teneri ſe putat ad perſolutionem ei quem non vocaverat: Sunt enim quidam adeo avari & ſordidi patientes, ut omnem opem medicam negligant dum pecuniæ metuunt &c. *A Caſtro Med. Pol. l. 3. c. 14.*

LV. Præcepta medica docent ab uno Medico multos ſimul curari non poſſe: eumque eſſe optimum artificem ac idoneum qui non diu ab eo recedit, ut Celſus docet l. 3. c. 4. & qui interdum apud ipſum pernoctat: Neque enim aliter poterit exactè conſiderare acceſſionum tempora, pulſuum differentias, & qua potiſſimum horâ imbecillis patiens ſit, ſubindeque cibandi horam convenientem, niſi aſſiduè ægro aſſideat: Demus autem bis de die viſitandos eſſe ægros, qui quæſo fieri poterit ut xl. aut centum etiam ægrotis uno die ſatisfieri queat, ſi modo tempus & horam decubitus mente tenere oportet, & curſum ac motum ægritudinis in ſequentibus diebus? quibus inſuper remediis hactenus uſus fuerit, & quibus in poſterum utendum: quem cibum aſſumpſerit? quibus ſymptomatis fuerit divexatus, quid ſingula portendant? &c. Quæ cum tam multa ſint ac difficilia,

Medi-

Medicus prudens ſemper vires ſuas metiatur, nec plus oneris humeris imponat quam ferre conſcientia poſſit, præſertim ſi plures periculoſis ægritudinibus eodem tempore laborent, qui crebrius inviſendi ſint: aut alioqui tales ſint affectus ut niſi frequenter ad patientem veniat multa & pernitioſa errata committi poſſint: At enim multo minus pluribus ſatisfacere poterit ſi cum Medicis aliis interfuturus una ſit, uam conſultationes tempus requirunt, & medica ſtudia: Itaque ſi plures curandi ſuſcipiantur, nemini poteſt ſatisfieri, ideoque multi pereunt. *A Caſtro ib. c.* 19.

LVI. Hipp. Præcept. lib. n. 4. Medicum de mercede paciſci Vult, Si, inquit, *n mercede paciſcendæ initium feceris, ægro cogitationem præbebis quod ipſum non ſis deſerturus: Sin non paciſcaris, quod ipſum negliges & quæ præſentem in rem commoda ſunt, non præſtaturus: Studium itaque adeſſe debet de conſtituenda mercede*: At idem eodem libro monet ut Medicus in exigenda mercede omnem deponat acerbitatem, & quandoque etiam gratis curet: quod erga Democritum præſtitit, ad quem, conducta navi, propriis ſumptibus navigavit, Athenienſibus præcipiens vt *Liberæ artis libera opera eſſe ſinerent*: Ab Artaxerxe argenti vim oblatam recuſavit *Perſarum Rex*, inquit, *nos accerſivit ignarus quod apud me major eſt ſapientiæ ratio quam auri.* Antinomiam ſic ſolvit à *Caſtro*, Monitum illud, ait, *A mercede incipias*, Spectat illos Medicos qui à Principe aliquo, ſeu Republica ad conditionem aliquam advocantur: Aut eos qui in alienam urbem, ut ibi Medicinam exerceant (Conducti vulgo dicuntur) proficiſcuntur, Quod ſane ex verbis illis colligitur *Cognitionem inducet quod non ipſo relicto abibis*: Aut de quibuſdam præcipuis viris ut oppido, de ſua ſalute ſollicitis, qui toto curationis tempore volunt Medicum quaſi ſibi addictum apud ſe habere, idque aut propoſito honoratio, aut etiam experentes ut ſummam ſignificet, volentes Medicum obligare ne ipſos negligat, & faciat quæcunque ſint officii: In quibus etiam ex pacto curationem adhibere non erit abs re, ut major fides illi adhibeatur, & vt obſequentiores fiant ægri, qui alioqui facile inchoata curatione ad alium tranſeunt: Addit Sinibaldus Antiph. l. 5. 11. Celebres Medicos eatenus honorarium conſpicuum & magnificum optare, quatenus id eorum exiſtimationem auget: flocci penduntur enim Medici illi qui minori pretio operam impendunt: Quid multa, adiit, fas eſt poſtulare mercedem, ita tamen, ut non ſit illa Medici finis, cui unica ægri ſalus eſſe debet, inquam viribus remiſque contendat. *Medicum de mercede non paciſci noxium eſt; Et è contra. paciſci de mercede, ægro ſalutare*: *Ægrum enim Medico diſſidere plurimum nocet curationi.* Hippocr. l. de Elegant. Serio monet ægrum ab affectibus propriis removendum eſſe; & præclare *Plato in Charmide Zamolxidis* illud celebrat, Vti oculi ſine capitis, Et caput ſine totius cura ſanari nequeunt; ita neque corpus ſine animo: adeoque primam curam animi, certis incantationum vocibus, h. e. præclaris vocibus inſtituendam eſſe, per quas animo ægri temperantia ingeneretur: Morbus autem cum ſit chronicus vel acutus, In chronico, qui dat inducias, de mercede paciſci confert toti curationi: Proinde non ob lucrum proprium, ſed ob ægri utilitatem paciſcendum eſſe oſtendit adducta ratio: In Acuto autem, qui non dat inducias, non vult Medicum Hippocr. lib. de Præcept. neque ratione *Sui ipſius*, ne cum morbi occaſio præceps ſit, dum mercedem captat, & ut æger ad meliorem mentem convertatur expectat, curandi opportunitatem amittat: Potiorem ſuæ exiſtimationis, & officii in ægro non relinquendo, rationem habeat quam proprii commodi: Neque ratione *Ægri* Satius enim eſt ingratum futurum conſervare humaniter: cum poſtea ingratitudinem ei Medicus ſua cum laude poſſit objicere, quam eundem ingratitudinis metu deſerere crudeliter. Ergo ſi Medicus de mercede jam ab initio paciſcatur, opinionem ægro præbebit quod eum non ſit deſerturus, mercede veluti hamo detentus: imo potius, quantò citius poterit curationem ad finem perducturus: Si non paciſcatur, Suſpicionem ægro injiciet quod eum vel ſic deſerturus, vel certè curationem ipſam longo tempore producturus, nec remedia opportuna fideliter adminiſtraturus; adeoque ex morbi longitudine majorem quæſtum, licet nullum pactum intercedat, captaturus. *Zvvingerus comm: in lib. Præcept. p.* 103.

LVII. Ingreſſus, ſeu acceſſus, vel viſitationes, ad ægrum pauciores frequentioreſve juſto eſſe non debent: Nam frequentior, vbi exiguis morbus premit, invitio, vel Medici imperitiam arguit, vel extorquendi æris cupiditatem: Parcior in morbis magnis, eadem & plura indicat quam frequentia ipſa: nimirum vel avaritiam, vel magnitudinis morbi notitiæ defectum, vel ſegnitiem: Quod ſi horum nullum adſit, cum corpora & morbos uno die varios motus pati ſciamus, fieri poteſt ut dum æger in meliori ſtatu eſt, eum tum inviſas: vel dum ille gravius vrgetur, vel vbi medium ſtatum degit: horum hercle nullum ſeorſim Medico quid agendum ſperandumque ſit indicat: Incertum igitur & præſagium, incerta ſimul & præſidia: Referre quidem Medico aſſiſtentes multa poſſunt, ſed & alia multa reticere ſolent quæ Medico pro curatione vel prognoſtico aliquid indicabunt. Cæterum in hac acceſſionum multitudine ſæpe errant Medici, dum nunquam apud ægrum ſunt otioſi, ſed ſemper aliquod præſidium præſcribunt; ſic dum officioſi videri volunt noxii maxime fiunt. *Botallus l. de Med. mun. art.* 32.

Viſitationum tamen freqnentiam Medico præcipit *Hipp. l. de elegantia*, ob morborum mutationes, *Ingreſſu*, ait, *ad ægrum crebro vtere; inquire diligenter, erroribus ob morbi mutationem obortis occurre; facilius enim cognoſces, ſimulque expeditior eris; inſtabilia enim ſunt quæ in humidis conſiſtunt, & idcirco facile & a natura & a fortuna tranſmutantur. ita quidem vt non obſervata mutationes futuræ, inter curandum ſæpe præoccupent & interimant, cum in promptu non habeat Medicus auxilium.* Medicus quippe cognoſcet melius ſi frequenter & diligenter viſitet, ſuccurretque ægro melius, Nam morbi materiales propter motum humorum inconſtantes ſunt, & propterea facilè tam à natura quam à caſu & principio externo mutari poſſunt. Et quidem natura movente, dum Medicus abeſt, & remedium non adeſt, non præviſus a Medico humoris motus inter curandum ægro nocebit: Nam ut maxime humor ſit inconſtans, attamen copioſius influens per id tempus quo Medicus abeſt, & ſedem figens in membro principe, mortem inferre poterit. Ante motum humoris ſingulis momentis obſervante, dum frequenter ægrum viſitat Medicus, eum citra damnum & expectare & excipere convenienter poterit; nam quod ſingulari obſervatione conſequenter facta deprehenditur, tanto facilius in integrum reſtitui po-

teſt, quo melius per experientiam fuerit cognitum *Zuvingerus in l. de Elegantia p.94.* Frequenti viſitatione vti Medicum jubet Hipp. quia, *inquit*, inſtabilia ſunt quæ in humidis conſiſtunt; q.d. Quæcunque ægris adveniunt, omnia ab humoribus ortum ducunt, quorum natura humida eſt & fluxibilis: vt mirum non ſit ſi & quæ ab his dependent inſtabilia ſint, facilemq; tranſmutationem tum à fortuna tum à natura recipiant: hoc ergo ſtante, frequentius viſitandum, vt ſi forte morbus tranſmutationem faciat, ipſis mutato conſilio opportunè occurri poſſit: Hac enim ratione occaſio præceps in medicina dici poteſt. *Martianus comm. in l.c. p.9.*

LVIII. Hoc unum eſt ex incommodis magnorum virorum, quibus licet Medici docti adſint, ii tamen generoſa remedia ſuis ægrotis plerumque adhibere non audent, ne occidiſſe niſi ſervaverint videantur: Id verò cum alicubi, tum Romæ paſſim licet cognoſcere, vbi Medicos doctrina atq; experientia Nobiles, qui, (vt dicere vnus ex illis conſueverat) non minus Cornelio *Celſo* vti, quam *C. Tacito* norunt, omnia circumſpicientes, non facilè videas (vt in plerisque eorum animadverti) generoſis validiſque remediis, initio præſertim morborum, vti: Neq; vero novum hoc eſt, nam ita etiam Galenus l. de Præcogn. ad Poſthumum c.11. Antonino Imperatori, è ſtomacho laboranti, quem frigido cibo gravari ſentiebat; interrogatus quid facto opus eſſet? reſpondit, Si quiſpiam alius eſſet qui hoc morbo laboraret, bibendum ipſi dediſſem, vt conſuevi, vinum pipere inſperſum: Vobis autem Regibus, quibus tutiſſima remedia Medici admovere ſolent, lanæ manipulum, nardino pigmento calido intinctum, ori ventriculi imponere ſatis fuerit. *Rubeus in Celſum p.15.* Hipp. l.1. de morb. multa recenſet quæ proſpere vel ſiniſtre in curandis ægris ſuccedunt, ut juniores Medici hinc diſcant quam accuratè remedia ægris adhibenda ſint, etiam ſalubria & probata: in perſona potiſſimū, vt dicebat Celſus, ſplendida: quamobrē aliquot novi clariſſimos & doctiſſimos Medicos maximā exiſtimationis partem amiſiſſe: *Idem in c.1. l.3. p.124.*

LIX. Medicus ad ægrum primo accitus, vbi eum ſpe ſalutis erexit, aliquid præter diætam ſtatim ordinabit, ne videatur nauta ex commentariolo, & nonniſi ex libro facere medicinam: potiſſimum vero ubi poſt alios Medicos fuit accerſitus: nam ſemper tum temporis de te aliquid majus ſperant quam alii hactenus præſtiterunt: propterea, cognitis prius ex aliis quæ ipſi antea adhibuerint, ad aliud remedii genus, quod tamen tibi videatur efficacius, te converte; ne ſi eadem repetas, inutiliter accerſitus videaris: Ac ſi morbus fuerit acutus, de ſanguinis miſſione, purgatione, cucurbitulis &c. cogitandum erit: Si chronicus, de balneo, potione ſudorifica, fontanella, chalybis vſu, aut ſtupefacientibus, ſi dolores, vel fluxiones, aut vigiliæ immodicæ vexant. Quod ſi morbus ex eorum genere eſt qui per diætam ſolam poſtulant curationem, eâ ordinatâ aliquid etiam medicamentorum adhibebis, eorum nempe quę nocere non poſſunt: & loco diætæ plurimum juvare valeant, ne te inertem dicant; & cum tu medicamenta ignoraveris, naturam morbum curaſſe affirment: Quod tum maximè præſtandum cum patiens ex iis fuerit quibus cum medicamentis res ſemper eſſe ſolet: ſunt enim quidam adeo valetudinis ſolliciti, vt niſi crebro pharmacis utantur, de vita actum putent: Et curationem quæ per alimenta fit vulgares non tribuunt Medico, ſed naturæ aut coquo, cum nullibi magis eluceat prudentia Medici: Nec tamen mihi placent qui, lucri cauſa, ſemper aliquid præſcribunt: nam regula eſſe debet vt ſi ſalus æque reſtitui poſſit ſine medicamentis ac cum illis, ab illis abſtineatur, præſertim iis quæ movere aut alterare poſſunt, tum vt impenſas vitet; tum ne natura debilitetur; tum denique quia multa mota nocent quæ immota non nocerent. *A Caſtro l.3. c.6.*

LX. Medici officium eſt non modo remedia adhibere, verum etiam impedimenta omnia removere: Impediunt autem plurimum animi affectus, tum alii, tum impatientia ægri curam præcipitari poſtulantis: Ergo Medicus huic malo ſubveniat conſolando ægrum & hortando, feſtinandum lentè, naturæque motum & progreſſum obſervandum: Ægri cogitatio iſta præceps & impatiens curationi non parum officit: nam ægri propter doloris ſenſum deſpondentes animum, hac ipſa timiditate morbum graviorem reddunt, & qui vi mali non poterant extingui, accedente animi perturbatione extinguuntur: Hùc Medici conſolatio non parum commodât, ſi proponit ægro artis præſidio naturam non immutari, ſed conſervari: hinc fructum potius confidentiæ quam damnum diffidentiæ ab eo reportabit: Æger enim quo majore vitæ cupiditate ducitur, eo facilius, quantumvis leviſſimis argumentis, perſuadetur vt præceptis pareat, & ſanitatem paulo poſt affuturam ſperare incipiat. Addet Medicus ſanitatem, quam ſtudet introducere, naturæ hominis familiarem eſſe; ideo non difficulter, ſi pareat, introduci poſſe: Morbum non cognoſci à primo ortu, & proinde cum radices in natura non egerit, faciliorem etiam fore expugnatu. *Zuvingerus in lib: Præceptionum pag.111.*

LXI. Plato primo de legib. Medici ingenui munus eſſe teſtatur docere ægrotantem, & non prius imperare quid ſit faciendum, quam docendo perſuaſerit id fieri expedire: Et vt quam maximè Empirici iccirco reprehendant Dogmaticos (vt 9. de legib.) cum non docere ſed ſanare ægrum oporteat: At non docent, vt doctum per ſe reddant, ſed propter aliud, vt edoctus promptiùs pareat: Memorabilis eſt vox Ariſtotelis ad Medicum, Medico more imperantem quæ facienda eſſent, *Parebo*, inquit, *lubens, ſed more Philoſophico: ſi non tantum vt credam verum etiam vt vera hæc eſſe ſciam demonſtrando effeceris. Zuvingerus in lib. de Precept. pag.83.*

LXII. Decem præcipua ſunt de quibus ægri ſunt interrogandi, ex Hipp. l. de affect. & Gal. 4. de ſan. tuend. c.4. 1. Quæ mala patiatur, & quomodo caput, hypochondria & cæteræ partes principes habeant: 2. Quot præceſſerint dies, à quibus ægrotat. 3. Quæ cauſa præceſſerit. 4. Quænam fuerit victus ratio. 5. An venter ſecedat necne: 6. An morbus ſit à pituita, vel à bile, an utriſque 7. An in principio, an augeſcit morbus. 8. An ſponte ſoleat pravum ſuccum aggregare: 9. An aliqua defierit evacuatio naturalis. 10. Sitne corpus otioſum an exercitatum. Adeo hæc omnia ſunt neceſſaria ut à Medico interrogentur pro ægrorum exacta ſalute, morborumque vera cognitione & curatione, ut ſine his vix vnquam rectè quis mederi poterit. *Epiph. Ferdinandus hiſtor. 55. & 61.* Videndum quæ interroges, vt ſcil. nihil omittas eorum quæ ad cognitionem morbi & cauſæ conferre poſſint; neque tamen ſis nimius; quodvis ubique citra delectum interrogando; ſed ita vt & ægrotus ipſe, & qui adſunt, intelligant te non longe abeſſe à notitia eorum quorum ſuſcipis curationem: Hinc fit vt bonam de te concipiant opinionem, & æger melius pareat, & agat confidentius. *Valleſius 6. Epid. 3.*

LXIII. Empirici & vulgares omnes utuntur in morbis tranſlatione à ſimilibus, ſimilibus utentes auxiliis ad affectiones quæ ſimiles eſſe videntur: Quæ res imperitis plurimum placet quia cum paucas affectionum differentias norint, quæ non ſunt manifeſte diverſa judicant eſſe omnino eadem; Bonus autem Medicus non ita, ſed ſimilitudines, ſunt maxime ſuſpectæ, utpote quæ imponunt & dubitandi anſam præbent, quod prima quidem fronte ſimilia ſimilibus videantur curanda: ſciant tamen illi multos morbos, ſpecie etiam ſimiles, contrarias curationes deſiderare, quod à cauſis contrariis nati ſint: Cauſæ ergo cognitio contraria efficit. h. e. errores illos & dubitationes tollit: Velut ſi duo homines laborent dolore colico, alter ex potu aquæ gelidæ, alter ex flatu, alter ex bile, Empiricus quidem eundem videns morbum, eadem admovebit, Rationalis vero contrarias agnoſcens cauſas, contraria: male itaque procedit qui ſolas ſimilitudines conſiderat, bene autem qui cauſas diſquirit: adeo profecto utilis eſt cauſæ cognitio, ut ſæpiſſime obſit, multo magis cauſæ ignoratio, quam ſpeciei morbi & loci affecti: multo enim minus ſuſcipere poteſt cauſæ cognitionem qui ignorat ſitne dolor a cauſa calida an frigida, quam qui ignorat ſitne colicus an nephriticus: Atque ad febrium curationem majoris eſt momenti contemplari humoris ſpeciem in exeuntibus, quam modum circuitus & reliquam figuram: Itaque ad agnoſcendam viam, ſeu methodum, qua morbus quivis curandus ſit, plurimum refert à cauſæ inventione incipere: Difficile tamen eſt ratiocinando cognoſcere vias, h. e. invenire methodos, ſiquidem difficilius eſt invenire quæ ſit affectio, quæ cauſa, qui locus affectus, quæ cujuſque hominis natura, & conſuetudo, hæc autem omnia habent proprias indicationes, ſeu inſinuationes faciendorum, quas omnes oportet conſiderare ſeorſum, ac deinde ad ſeſe mutuo conferre, atque contrarias & minores à contrariis & majoribus ſubtrahere, ſimiles vero operæ exequi, plus aut minus ut quævis indicatio potentior eſt aut debilior; Hinc enim naſcitur curatio omnis. *Valleſius in 6. Epid. p.772.*

LXIV. Si fieri poſſet ut Medicus ſingulorum hominum naturas noſſet exacte, id eſſet optimum atque utiliſſimum, ſed non poteſt, debet proinde conari ut quantum poſſit agnoſcat ejus naturam cujus curationem ſuſcipit: Et multa quidem ex iis quæ de temperamentorum notis tradita ſunt à Medicis cognoſcet, non tamen omnia: Proinde interrogare debet multa, & ipſe ægrotus debet dicere quæcunque per experientiam proprii corporis obſervaverit: ut, quibus ſoleat juvari, quibus lædi: qualibus affectionibus, quibus ſymptomatis corripi facile ſoleat: Nihil horum debet æger omittere, neque Medicus negligere; ſed hic interroget multa, ille reſpondeat libenter quæcunque circa ſeipſum obſervatione cognoverit. *Valleſius p.122. in lib. 2. Epidem.*

LXV. Hoc ſæpius inculco, feſtinandum lente in facienda medicina, h. e. Non differendam quidem curam neceſſariam, ſed in ipſa procedendum lente, & agendum blande, quibuſcunque tandem quis utatur medicamentis: Feſtinandum quidem aliquando in cura inſtituenda, ne occaſio nonnunquam præceps Medico elabatur: uſurpanda autem ſemper auxilia, non vi ac vehementer, ſed blande agentia, h. e. ſine virium ægri dejectione notabili: Unde ſi vena ægro ſecanda, & ſanguis educendus, ſatius eſt partitis vicibus, & quantum æger commode ferre poterit, evacuari ſanguinem, quam ſimul & ſemel cum ejuſdem inſigni debilitatione: Si humores bilioſi, pituitoſi, ſeroſi evacuandi, ſatis eſt per epicraſin & blandis medicamentis illos paulatim evacuari, quam adhibitis potentioribus, vel copia majore, in hypercatharſeos, adeoque vitæ periculum ægrum conjicere, quod nimis frequenter Thraſonicis Medicis accidere quotidiana docet experientia: Si rurſus Sudor veniat movendus, ſatius eſt ipſum lente, ac repetitis vicibus propelli, quam eodem vi propulſo ægrum ad languorem debilitare, quemadmodum id non ſemel imprudenter a quibuſdam ſciolis factum novi; Si Alterandi ſint humores in corpore vitioſi; ſatius itidem non ſimul ac ſemel, at per partes aſſumi medicamenta humores alterantia & corrigentia: ſic enim plus præſtare evincit experientia, quin ejuſdem rationes invenit Ratio: Si enim vel bilis, vel pituita, vel ſuccus pancreaticus quantitate peccet vitioſa: & talis effundatur continue in tenue inteſtinum, quicquid aſſumetur medicamenti, ut vitium illud qualecunque corrigat, debet illi peccanti humori admiſceri; at non admiſcebitur niſi parti in tenui inteſtino occurrenti; cui ſi multum medicamenti alterantis admiſcetur, illam nimium alterabit, & non tam temperabit quam contrariam ipſi qualitatem imprimet, atque ſic ab uno extremo conjicietur peccans humor in alterum, ſecundum proverbium.

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt

Quod ſi contra vice quavis minus medicamenti aſſumatur, humor ipſi occurrens alterabitur, atque ſic correctus per venas lacteas perget ad ſanguinem, dum alias vel in tenue inteſtinum propulſus, à novo medicamento iterum paulo poſt quantitate parva aſſumendo ſimiliter ſit temperandus: quin ea ratione omnis humor vitioſus paulatim ad priſtinam temperiem deducetur, & vitioſi generatio nova impedietur: Eſto igitur in Arte Medica Regula univerſalis, *Semper blande ac lente procedendum in omni cura Ægrorum rite ac ſecundum rationem ſanam Experientia indubitata innitentem inſtituenda. Sylvius de le Boë App. Tract.7. §.312.*

LXVI. An Medicus humorum Coctionem promovere, adeoque Criſin, ſeu ſtatam morbi ſolutionem antevertere poſſit, dubium? Hoc loco Criſin rejicere, omnemque naturæ conatum denegare in infirmitatibus, mea non eſt intentio, quatenus Criſis etiam eſt merum ac benignum naturæ opus ac munus, ſeu, ut, Valleſius 6. Epid. 5. Extinctio morbi affatim facta, cum perturbatione & evacuatione: Sed eo inclino ut nonnullos tantum Practicorum perſtringam, qui ſumma cum ægrotorum clade, & turpiſſima temporis jactura tam perperam ac frivole connivent per moras & ſua ſaccharata medicamina, morbo ſubminiſtrantes pabula, ut majora capiat incrementa: Cum incipientibus morbis ſi quid movendum videatur; movendum ſit, adeoq; Medico potius incumbendum ut morbos ante criſin ac ſine criſi curet: Natura criſin non facit niſi dum ſola totum onus bajulat ſtatis diebus: Vetus ergo Medicus, inquit Helmont l. de Febr. c. 13. §.18. Ante criſin morbum ſuperare debet, ſin ſecus egerit,

Medicæ artis auxilio nihil penitus adſcribi poterit: Si enim crisis, inquit *Clariſſ. Langius in Miſcellan. quæſt.* 4. in morborum curationibus expectanda, medicina profecto ſupervacaneum, ſeu inutile magiſterium erit, quia totum medendi negotium naturæ quaſi vnice, non vero Arti, nec ejus præfecto hac ratione committitur: Nec obſtat in noſtris regionibus multas fieri morborum ſolutiones, crises autem paucissimas, nam & hæ morborum ſolutiones fiunt per materiæ morbificæ, ſeu fermenti exotici, præcipitationem & totalem expurgationem a maſſa ſanguinea, ſive jam hoc fiat manifeſtè ſive obſcure; Hanc igitur medelam ſi ſtatim in principio Medicus moliretur, & ſolum negotium naturæ humeris bajulandum non relinquat, ocyſſime ſane finem faciet morbo: Satius ſemper adeo eſt morbi frugem in ſemine comprimere quam adultam demetere meſſem: Sic e. g. in febribus ardentibus, malignis, quid Medico putes in principio aut augmento eſſe agendum? an naturæ negotium committet, emulſionibus tantum ac julepis ventriculum demulcendo? An vero naſcenti huic morbo dexteritate petita occurrens contra fermentum febrile venenatum potius pugnet ſpecificis, anti-febrilibus & alexipharmacis materiam febrilem ac venenatam præcipitantibus, diaphoreticis & diureticis? Hoc dum facit, nonne ante criſin morbum ſuperat? Quamdiu enim maſſæ ſanguineæ fermentatio adhuc durat, cruditas adeſt, ſublata autem illa fermentatione Coctio advenit. *Fridericus Hofmannus method. medendi libro primo cap.* 7.

L X V I I. *Nihil ſine conſilio ſuſcipiendum, nec quicquam negligendum monet Hippocrates lib.* 6. *Epidem.* x. 25. Ad tria poſſe pertinere hanc ſententiam ait *Galenus* 1. Librorum lectionem, quod nihil eorum quæ apud bonos authores ſcripta ſunt contemni debeat: etſi prima fronte videantur minutula: Nec tamen temere cuipiam credendum, vt qui in aliorum verba jurant, ſed omnia examinanda. 2. Ad Prænotionem, Quod nulla, ne minima quidem ſigna ſint negligenda, ſed omnia conferenda in judicium; neque vlli fidendum temerè, ſi reliqua omnia repugnent: Itaque diligentem omnium obſervatorem eſſe debere eum qui rectè velit prædicere, neque temere aut judicare, aut prædicere: 3. Ad curationem, Quod qui rectè vult Curare nihil debeat omittere eorum quorum vſus eſt ſalutaris, quin ea omnia ſuo tempore exequatur: eſt enim occaſio præceps: ſed neque temerè, vt faciunt quidam audaciſſimi, tentandum quidvis, nam experimentum periculoſum: Hæc certe ſunt veriſſima, quibus addo ego monere *Hippocrat.* vt diligenter omnia quæ ægrotis accidunt obſervemus, neque omittamus quippiam eorum quæ ſponte, h. e. ſine cauſa manifeſta fiunt, nihil enim fit ſine cauſa, vt illa quidem (vt dicit *lib. de aliment.*) nobis quidem ſpontanea, naturæ verò ſunt non ſpontanea, hoc eſt cauſam aliquam habent latentem; quare & ſignificationem aliquam poterunt præſtare ſapienti. *Valleſius comment. in l. c.*

L X V I I I. Errores confiteri non erubeſcat Medicus, *Hippocratem* imitatus, qui à ſuturis ſe deceptum ait, More ſcilicet magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum habentium: nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt: Magno ingenio, magnáque nihilominus habituro, convenit, etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipuè verò in eo miniſterio quod vtilitatis cauſa poſteris traditur. *Celſus lib.* 8. *c.* 4.

L X I X. *Contraria paulatim adhibere jubet Hippocrat & interquieſcere:* Neque enim temere ſemper aliquid circa ægrum moliri oportet, ſed vbi contraria tempeſtivè adhibita ſint, quieſcere: Neque enim ſemper aliquid faciendum, ſed interquieſcendum non raro, vt facultas interim recreetur: Atqui cùm ſint hæ duæ partes Medicæ praxis, Contraria adhibere & Quieſcere, mihi hæc vltima videtur præſtantior: Cenſeo enim periculoſius incidere in Medicum qui neſciat quieſcere quàm qui neſciat contraria adhibere; Nam qui neſcit quieſcere, neſcit occaſiones contraria adhibendi, quare neque contraria adhibere: Qui neſcit contraria adhibere, tamen ſi prudens eſt, ſcit quieſcere; atque ſi prodeſſe non poteſt, tamen non obeſt: Præſtantiſſimus tamen Medicus eſt, eruditus pariter ac prudens, qui novit feſtinare lentè; pro ipſius morbi vrgentia auxiliis inſtare, atque in occaſione vti maxime opportunis, alioqui Quieſcere. *Valleſius lib.* 6. *Epidem.* 2. *comment.* 26. In morbis curandis, & in ſanitate cuſtodienda, non ſemper auxiliis vtendum, ſed oportet interdum quieſcere, h. e. nihil prorſus præter commodam victus rationem inſtituere: Sic fieri debet in his qui perfectè judicantur vel judicati ſunt, vt & in morborum ſtatu, *aph.* 8. *&* 20. *ſect.* 1. Medici, *ait Livius*, plus interdum quiete quam movendo & agendo perficiunt. *Diettericus Iatrei p.* 381.

L X X. Etſi ſymptomatis occurrendum, non qua ſymptomata ſunt, ſed qua cauſæ fiunt, vel impedientes curationem præſentiom, vel minantes nova majoraque mala, Peccant tamen qui quibuſvis occaſionibus ad remédia procedunt, nunquam inſolentiores quàm cum faciunt plurima: Vix æger de ſomno queritur, cum tempora & frontem abundanter illinunt: vix capitis dolorem nominavit, oxyrrhodino irrigant ſincipur; Si pluſculos dies morbus durat, vaſa ſerapiis exhauriuntur: non vnam dejectionem intermittit, quin clyſtere expurgante totus ejus venter diſtendatur, neque duas ſupra ſolitum fecit, quàm adſtringatur cataplaſmatis: Itaque omnibus quæ incidunt, ſtatim, nulloque judicio occurrentes, nihil boni naturæ permittunt facere, neque quò res vergat ipſi ſuſtinent expectare. Ego verò cum *Galeno* dixerim, Nullum remedium eſſe quod magnifice proſit quin aliqua ratione noceat. Proinde vt *Plato* de expurgatione dixit, Suſcipiendam non eſſe à viro ſanæ mentis niſi cum ſumma neceſſitas poſcit, Ita de minoribus illis dixerim, Suſcipienda non eſſe niſi cum eorum incidit non omnino levis neceſſitas: Veriſſimum enim illud Euripidis, Qui multa agit cum ceſſare liceret, ſtultus eſt. *Valleſius method. Med. lib.* 4. *cap.* 2.

L X X I. Haud dubie agenda ſunt multa ante integram cognitionem affectuum: Id verò manifeſtum eſt, ſi quidem à juvantibus & lædentibus frequens eſt argumentum ad cognitionem eorum de quibus dubitatur: Si enim omnem curationem antecederet cognitio perfecta, nullatenus poſſet morbus curatione argui: Tentamus verò non raro, Medicorum omnium conſilio, atque aliquando totam curationem transferimus in contrarium, nunc calida, nunc frigida adhibentes, vt videamus quibus maxime cedat affectio, & morbi

bi ſpeciem & cauſam, denique id de quo dubitatur, indicet ipſa curatio. Scio non defuturos qui objiciant cum rationali viæ inſiſtere cœperim, jam me ad Empiricum divertiſſe: Sed negari non poteſt alteram Medicinæ partem Experientiam eſſe, neque ejus difficultates methodo indigere: Vtinam non omnes Methodicorum & Empiricorum libri concidiſſent: non dubito quin ab illis plurimum juvaremur vbi aliquando Ratio deficit, *Valleſius method. Medendi libro tertio cap. vltim.* Experientia Medicis Methodicis, ſeu Dogmaticis vtilis eſt, quoniam ex hac Empiricorum experientia hiſtorica & ſingulari, occaſionem ſumunt indagandi rationem eorum, quæ ignota ſunt, vniverſalem: *Hippocrates lib. de Precept.* vel ab Idiotis Medicum diſcere debere pronuntiavit: Senſu enim non minus hi prædìti quam doctiſſimi quique, at ſenſus beneficio Medicinæ rudimenta inventa fuere, Ipſis ægris Empiria vtilis: vt enim quam maximè Empirici ſint imperiti, quoniam præceptorum cognitione carent, attamen hortor Medicos dogmaticos, ex conſilio *Hippocratis lib. de Precept.* propter ſalutem ægri, vt in morbis difficilibus illorum *τεχνὴν* h. e. experientiam non negligant: vt enim methodum dogmaticam, ex hiſtoriis ſingularium depromptam non habeant, habent tamen experientiam ſingularium, & curant aliquando morbos empiricâ analogiſmo, licet curæ ſuæ rationem per epilogiſmum methodicam ſive dogmaticam reddere nequeant. Purus certè Empiricus melior eſt, vel *Ariſtotel.* teſtimonio, puto Dogmatico, quod ille aliquos, licet ſine arte, hic nullos vnquam curat. *Zvvingerus in l. Hipp. de Prac. p. 113.*

LXXII. Multa ſunt in hac Arte in quibus, vrgentiæ causa ab Arte recedere, ars eſt: Nam cùm ſint in ea multa præcepta legitima & regularia, perpetua tamen nulla ſunt, Et qui vlla habet pro perpetuis & inviolabilibus, methodicus poteſt, Rationalis autem minimè: Nam rationalis non curat ex libello aut commentario, ſed vt in re quavis exercitata ratio dictat, & nullis ſe legibus, tanquam pragmaticis obligat. &c. Vſque adeo nihil inutilius, neque periculoſius quàm vnam ſemper ſtatamque formulam obſervare: quam parum circumſpecti, & plurimorum ignari, methodum vocant, quæ tamen non eo ſolum methodus eſt, quod brevis via, plus tamen ſatis eſt: Ars non poteſt in tam anguſto contineri, ratione opus eſt quæ perluſtret omnia, nam ipſorum caſuum mira varietas eſt. *Valleſius method. Med. l. 4. c. 2.*

LXXIII. Non ſolum Medici eſt medicamentis & medicinalibus omnibus inſtrumentis rectè vti, & quoad cibum & potum attinet victum inſtituere: ſed etiam omnium quæ coram ægro dicenda ſeu agenda ſunt, ab ipſo ſeu alio quopiam: & cubiculi, domus & lecti, & externorum omnium providentiam habere, atque omnia diſponere, vt maximè ad ægri gratiam & vtilitatem referantur: Hanc Providentiam vocat *Hippocr. Oëconomiam circa ægrum*, nomine profectò ſatis idoneo: Nam cum mitti ſanguinem, aut propinari pharmacum, aut emplaſtrum admoveri, aut tale quippiam facere jubet, Medicam artem: Cum vero feneſtras aut januas aperiri, aut claudi, lectum ægri huc aut illuc verti, hos haberi ab ingredientibus ſermones, hæc nunciari, hæc celari, Oëconomiam quandam videtur exercere: Et ſanè quanquam prima illa cura, & quæ ad medicinalia illa inſtrumenta pertinet, majoris ſit momenti, tamen hæc poſtrema non eſt omnino exigui: Certè multi, alioqui præſtantiſſimi, & ſuæ artis peritiſſimi Medici, quod ad hanc Oëconomiam exercendam male ſe comparent, adeo fiunt multis ægrotantibus ingrati, vt ob hoc ipſum evadant inutiles: Alij contra parum periti ità huic curæ ſeſe accommodant, vt perpauca, quæ alicujus ſunt momenti facientes, multis non parum vtiles eſſe videantur: Plurima ſunt ab *Hippocrate* ſcripta ad hanc Oëconomiam pertinentia. *Valleſius 6. Epidem. ſection. 2.* Omnia quæ & ad ipſum, ægrum, & ad Medicum, & ad Eos qui adſunt, & ad Externa pertinent, in gratiam ægri debent eſſe comparata: Gratificandumque eſt, quoad fieri poteſt, cibis, & potibus, & medicamentis, & cubiculo in quo decumbit, & iis quæ oculis objiciuntur, & ſermonibus quos audit, & odoribus & lectuli mollitie, ac denique omni alia re quæ non valde lædat: vſque adeo vt & ipſum Medicum velit *Hippocratis* ſeſe componere vt maximè ægris placeat, intrœat ſcilicet compoſite, & videat quos apud ægrum ſermones habeat, & decentem habeat vultum, & totius corporis figuram, & veſtibus induatur pretioſis & mundis, capillis bene tonſis, vnguibus expolitis, odoribus etiam vtatur: Libello de Medico ſcripſit *Hippocrates* multa ad hanc partem ſpectantia; ex quibus ego illud imprimis eligi ſuadeo, Medicum circa totam vitam eſſe probe compoſitum: quia maxime, *inquit*, ad opinionem & authoritatem comparandam conducit probis & honeſtis moribus præditum eſſe: Itaque ſi omnes hæ indulgentiæ, quibus ad ægrotantes vtimur, id poſſunt præſtare præcipuè, vt *Galen.* cenſet, vt diligant, & proinde nobis pareant, velut vnicis amicis, velut parentibus, velut Diis: nihil magis obedientiam parit quam authoritas, neque hanc quam probitatis opinio, vt *Hippocrates* dixit: Sed præter hanc vtilitatem, præſtant hæ gratiæ ægris aliam non exiguam: Exhilarant enim quædam, vt quæ ad Medici ornatum ſpectant, & ſermones, & ſpectacula, ipſorumque animos, vt minus mœrore langueſcant: Quædam etiam ipſas naturales facultates, velut munde parari cibos, potus, & ſuavitati aliquid condonare; etſi alioqui videatur non valde expediens: Certè his præceptis, non ad dicta, ſed ad lucrum, vtuntur multi: caveant autem, hortor, ne plus ſatis vtantur, & plurimum ſuis commodis ſtudentes, eorum qui ſe illis crediderunt ſalutem ſpernant. Sed hæc præcepta, vt alia omnia practica, prudentiâ indigent: Nam & Medici compoſitio ad gratiam comparata, quæ plurimum artis prodit, eum facere ſolet ridiculum & contemptibilem; quin etiam ſuſpectum, putantibus hominibus, id quod doctrinæ deeſt, ambitione illa ſuppleri; & eum qui tam multis rebus, fortè futilibus, ſtudeat, non admodum poſſe vtilibus præceptionibus eſſe intentum &c. *Idem ibidem ſect. 4.*

LXXIV. *Hippocrat. lib. 6. Epidem. 4. 8. Ægrotantibus gratia*: hoc eſt, laborantibus aliquid indulgendum: *Idem lib. 2. aphoriſmus 38.* Parùm deterior cibus ac potus, ſuavior tamen, melioribus quidem, ſed minus ſuavibus eſt præferendus: *Galenum in comment.* ſic interpretatur, *Non ob id ſolum id eſt faciendum vt ægro gratifice-*

tur, ſed etiam quia vtilius ipſi exiſtit: Nam quæcunque cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus amplexatur, & facilius concoquit: ſicut illa quæ diſplicent reſtringit, vnde & nauſea & fluctuationes ſubſequuntur &c. Videant autem, ait, *Valleſius loco citato*, quantum ſit id quod ſuavitatis cauſa permittant, quod ſanè *Hippocrates* ipſe definit: Sed & id ipſum quod per artem licet, videant quibus permittant, nam mores ægrotum conſiderandi; quidam enim adeo ſunt intemperantes vt ſi Medicus tantillum illis cócedat, ipſi ea occaſione ſint multò plus adjecturi.

LXXV. Licet Medico pleraque ſalutis ægroti cauſa fingere, pleraque diſſimulare, polliceri etiam multa quæ animum in bonam ſpem erigere ipſi poſſint: Neque id turpitudinis loco aut vitij vlpiam haberi poteſt: quin potius ſine vlla nominis ac famæ jactura, ſine vlla probitatis ac innocentiæ maculá licere interdum Medico, fallere dico, & veritatem obtegere, vt quod ſalutis ægri causâ facere inſtituit, & veritate non poteſt, dolo bono & arte quadam moliatur; Neque id quicquam illius prudentiæ, probitati, ſapientiæ, famæve obſtare, quia bonus dolus eſt, ſeu ſolertia quædam atque prudentia: veluti cum Medicus reluctantem ægrum & invitum, nihilque tale cogitantem, vel ſecat, vel vrit, vel cathartico purgat, vel afflicto læta renuntiat, aut triſtia celat: In quibus ſi aliquid mendacii ſubeſt, id certè officioſum eſt, & in gratiam infirmi excogitatum, & non nocendi, ſed proficiendi voluntate prolatum &c. Si itaq; prudenté ęgrû nacti ſimus, vera illi de morbi ſtatu pronuntiare licebit, vt de quo metus non ſit quod vera audiendo perterreatur, ſi modo id à Medico opportunè, leniter & ſine acerbatione fiat: aliàs ſi nuntiaverimus morbum in infelicem omnino exitum tendere, hominem quantumvis Philoſophum, & animo bene conſtitutum, magnopere conſternabimus ac in totum perdemus. Si verò fuerit timidus decumbens, vt plerique omnes eſſe ſolent, tunc diſſimulare multa ac tegere oportebit: imò omnia quibus ipſe meliori animo futurus ſit dicere: neque tamen, vt monet *Galenus libro ſexto Epidem.* 2. magnopere mentiaris: Quod ſi ob extremam laborantis formidinem ſalutem polliceri coactus fueris, egreſſus ſaltem aſſiſtentibus vera dicito. *A Caſtro Medic. Polit. libro tertio, capite nono.* Vide *Naudæum in Pentade Quæſtion.* 4.

LXXVI. Medicus ad Maniacos ſive phreniticos acceſſurus, aut vtcunque mente errantes & cum furore inſanientes; ſive eos qui cum riſu & hilaritate deſipiunt, prudentiſſimè ſe gerat, & nonniſi bene comitatus ad eos accedat, ac cum maxima cautéla pulſum tangat, miniſtro interea clanculum monito vt alterum brachium cautè retineat; ſolet enim per intervalla effrænis humor impetum facere, & laborantes impellere, vt quaſi feræ & immanes belluæ obvios dentibus, vnguibus & pugnis inſolenti rabie petulanter invadant, in ipſos Medicos impetum faciant, præſertim ſi ante tacite infenſi erant: *A Caſtro ibidem capite tertio.* Ad Maniacum aliquando accitus Parens b. m. D.D. *Andreas Bonesius*, metuens ille ſibi ab infida, quanquam amica compellatione (in aures quippe aliquid, ſed placidè, inſinuaturum ſe ajebat) acceſſit, ſed ſoluto loro quod pallium circa collum vinciebat; Multa verba Maniacus ad Parentem habuit, compoſitâ mente; ſed ſubito apprehenſum pallium protinus in minimas partes diſcerpſit.

LXXVII. Ægritudines quidam ſimulant, quorum fraudem detegere ad Medicum prudentem ſpectat: Servi morbum ſimulant ne munia à dominis impoſita ſubeant: Captivi, vt carceris aut torturæ acerbitatem effugiant aut differant: Milites & Nautæ, vt navigationis, expeditionisve alicujus pericula vitent: morosæ fœminæ, quò maritos ad benevolentiam flectant.

Anno 1588. quo ingens illa claſſis Olyſippone adverſus Angliam parabatur, ſcortum, quod viros principes & vxoratos ad ſuos pertrahebat amores, cum ob id relegaretur, ex lacte & ſanguine mixtura per lectum diffuſa abortum ſimulavit, & ejus reiteſtimonium petiit, quod à me obtinere non potuit. Refert *Gal. l.* huic rei dicato, quendam colica paſſione ſe torqueri finxiſſe, quem deprehendit tum ex vivendi ratione, ejuſmodi affectum minimè efficere aptâ; tum per ſolertiam ſibi peculiarem.

Morbi autem qui finguntur ſunt vtplurimum, animi defectio, apoplexia, vteri ſuffocatio, Sic quidam adeo arctè brachia conſtringunt vt pulſus aut non, aut vix percipiatur: altiùs vocati non reſpondent, ſi leviter pungantur aut vellicemus aures, vel digiti comprimantur, patienter id ferunt: Deprehenditur dolus interrogando an præceſſerit alimenti privatio, ſanguinis copioſa vacuatio, alvi fluor, vomitus aut ſudor immodicus, aut morbus aliquis, vel in loco calidiſſimo fuerit, aut prava qualitate affecto, vt ſi in anguſto conclavi adſint carbones ſemij-accenſi; vel ſi puſillanimis gravi pathemate affectus fuerit: Et ne à miniſtris fallacibus decipiatur, videat Medicus ne brachia vinculis ligata ſint; Verum ſi extrema frigida fuerint, & ſudor frigidus erumpat, præſertim circa caput, faciem & collum, ſi pulſus inſenſibiles ſint aut formicantes &c. ſi exigua ſit reſpiratio & frigida, ſi flos faciei abierit; ſi excrementa abierint; morbos nón eſſe ſimulatos ſignificant. Si verò non adſint, vt Medicus certius adhuc deprehendat dolum, interim dum ipſi tanquam mortui oculis inſtar dormientium clauſis jacent, ita vt verè attoniti videantur, proponere ac præparare debet validiora quædam medicamenta, imò vſtionem, digitos inſuper inflecti jubeat, acubus corpus altè perforari: his enim vel ſimulantem, vel ægrotantem deprehendet.

Alij tumores, bullas, & vlcera excitare norunt, vti tithymali ſucco, aqua ex cantharidibus aut veſparum decoctione cute abluta: aut thapſia admota, aut turpetho, vel pulvere taxi, quod mendicis familiare: Detegitur dolus, quia bullæ ac tumores, ab appoſitis medicamentis excitati, facile ſolis admotis refrigerantibus ſanantur: plagæ verò ſucco populi vel vnguento populeo; Secus accidit ſi tumores ſponte oriantur, quia non ſolum non reſident à refrigerantibus, ſed majores redduntur: Callidæ etiam mulieres vterigeſtationem ſimulare conſueverunt, ſed ſimulata percipitur, quia venter laxus eſt, lenis, & inæqualis. Nonnulli delirium ſimulant, quos ex habitu, & ex privatione indiciorum delirij vel melancholiæ noſces: quâ ratione Græci, objecto Telemacho filio ſarculo, cum eum Vliſſes pater prætериiſſet, elevato aratro inde minime inſanire cognoverunt: Nec deſunt qui ſuffitu ſulphuris, vel alterius rei faciem decolorant: vrinam verò croco aut rhabarbaro, atque ita icterici ſe fingunt: ſed abluta facie

aqua aliqua abſtergente, & alia inſpecta vrina, dolus deprehenditur.

Quicunque verò dolores ſimulant, ex eo quod leviores ferant, ficti doloris coarguuntur: qui enim verè laborant, magnitudine doloris agitati, in alium atque alium habitum ſe trajiciunt, quod non advertunt ij qui ſimulant. Præterea, qui morbo vehementi premuntur, quodvis auxilium perpeti paratiſſimi, vltro Medicos acceſſunt, & permittunt vt agant quod affectus poſtulat: Si verò leviter aut penitus non laborent, hujuſmodi auxilia refugiunt, rectè igitur faciet Medicus ſi hoc addat, ea quidem non conferre niſi graviter laborantibus: Interdum etiam accidit vt vulneratus, aut odio vulneratoris, aut ab ipſo mulctam pœnalem copiosè extorqueat, membri læſionem fingat; cui brachium, aut membrum illud ex improviſo comprimendum: aut emplaſtrum applicetur cum promiſſione certæ reſtitutionis: Sic igitur ſolent plurimi Medicos vulgares decipere, non ſine famæ diſpendio. Quidam triremibus adjudicati brachiorum læſionem ſunt commenti; idque ipſum incauti Chirurgi confirmarunt, de qua re fuerunt poſtea in judicium vocati, quoniam contrarium manifeſtè apparuit. *A Caſtro Medic. Polit. libro quarto cap.* 16.

Anno 1664. *Couvetum* vallis Tranſverſæ dictæ pagum, ſeptem horarum ſpatio *Neocomo Helvetiorum* diſtantem, mulierculæ cauſa accitus ſum, quæ baculo, potiùs virga ſeſquipedali, in brachio percuſſa fuerat à vicino, viro probo, crebrius a maledica laceſſito; tam impatienter injuriam tulit vt, quia vindictæ impar, lecto ſe affixerit, morti ex fame ſequuturæ ſe deſtinans, quò homicidij reus percuſſor capite plecteretur: Iam triduum abſque cibo exegerat, hyſtericas ſuffocationes, vltro, & cum lubebat ſibi accerſens: Saluti ille metuens me advocavit; Deprehendo vetulam in lecto, ſuffocatione hyſterica prehenſam, vultu pallido, ob prægreſſum jejunium, ſed pulſu ſat conſtanti & ordinato: nullum vibicis in brachio icto veſtigium extabat, nullus tumor: naribus ubjeci aſſulas ſulphuratas accenſas, quarum nidorem cum conſtanter ferret, flammâ extremas nares vſtulari permiſi; illa actiùs vrgentem noſcere cupida paulliſper diduxit palpebras, atque albi oculorum aliquid exhibuit, mox iterum claudens: Jubeo Chirurgum, clarâ voce, rutabulum prunis ignitum &, candens plantis pedum admovere, Timore ignis illa perculſa, evigilat cum oſcitatione & pandiculatione; poſtmodum rogat cur adeo injurius innocenti fuerim? Reſpondi ſic me ſolitum revocare in vitam ſimili fato mortuas: Res in cachinnum verſa & lætitiam percuſſoris, qui accepto à me de nequitiæ mulieris teſtimonio dimiſſit, & in vrbem deduci curavit. Vide *multa apud Paraum*.

LXXVIII. A Medicis non pauci obliquam opem poſtulant, ſimulantes ſe capitis dolore premi, vel æſtu nocturno, vel alio ſimili, cum nullum horum adſit, ſed pudendi vlcera, quæ fateri ſtultè non audent, cupientes duntaxat à Medico purgationem elicere, vel ſimul ſanguinem mitti, fieri hoc ſolo præſidio, citra partis affectæ curam ſe ſalutem conſequuturos. Cæterum peracto vno vel altero menſe, pleriqque horum non ſe Medicos fefelliſſe ſed ſemetipſos prodidiſſe intelligunt; Sunt quos interna libido vrit; aut operta ira; vexat alios timor ſecretus; alios tacita cura; quæ omnia morborum ſunt fomites ac cauſæ, Medicum latentes niſi referantur; quas ſi illi aperire non licet, ſaltem animi dolorem diſſimulare non eſt æquum: nam à multis fortè abſtinebit, vel alia præteriet Medicus, cum animum triſtem ſupra modum intellexerit; quod non efficiet ſi tantum adverſus præſentem, & ſibi manifeſtum affectum pugna eſſet ineunda. Patientem aliquando tractabam, quæribundum præ dolore thoracis intenſo ac febre: febris tamen nulla apparebat; doloris indicium a ſtatu patientis pendebat: aſſiduè querulus erat, ſuſpirioſus ac vigil; quatriduum in hac anxietate peregit; circiter horam ſecundam pomeridianam diei quartæ, criſis tacita morbi ex inſperato me præſente irrupit, quæ hominem liberavit: ſervus enim patientis Lugduno venit, qui cujuſdam litis victoriam reportavit, quam æger animo ancipiti ac tremebundo expectabat; En, inquit, mei morbi ſalutem, video ſane quaſi liberatus; nam hæc anceps expectatio huc atque illuc animum impellebat meum; & ſic nullo poſtea opere Medico eguit. *Leonardus Botallus lib. de Medic. method.* §. 60. & 61.

L X X I X. Ægrum vltra vigeſimum diem non viſitabit Medicus, ſi convaleſcit: niſi denuo rogatus, vt convaleſcentiæ etiam aſſiſtat: ita valedicere jam velle præ ſe ferens, nunquid ſuam præſentiam adhuc requirat explicabitur, & non decet Medicum prudentem & gravem ſuam dimiſſionem expectare. *A Caſtro libro tertio capite ſexto.*

L X X X. Quod ſi juvenis ſit Medicus, & vſque ad vigeſimum primum diem patiens neque ſalutem conſequatur, neque convaleſcat, vt ſimul alij Collegæ convocentur, inſinuet; nam vſque ad hunc dictum terminum libenter ſe concredunt patientes Medico, cui fidunt; deinceps diffidere incipiunt, & ſi quid mali contingat calumniantur; ſi enim intra primos dies quis moriatur, tribuitur viribus ægritudinis: poſtmodum ſi pereat erroribus adſcribitur Medicinæ. *Idem.*

L X X X I. Errores ægrorum qui deprehendunt & patefaciunt Medici, ſuæ exiſtimationi, vna atque ægrotantium ſaluti conſulunt: Miram quandam rem eſſe indicant adſtantes clam ſuſceptum cibum fuiſſe Medicum vere cognoſcere & enuntiare, obſtupeſcuntque propterea quaſi divinatricis cujuſpiam facultatis munus hoc eſſe ſibi perſuadentes, cum tamen ipſius artis Medicæ principia id doceant: Cum ægrotaret *Fabius Boëthi* (*Galen. lib. de Præcognit. ad Poſthum. cap.* 7.) & liber à morbo factus rurſus in morbum incidiſſet, deindeque ſoluta febre denuo febriret: & quæ palam exhibebantur, & qualitate idonea, & quantitate congrua eſſent, puerum aliquid clam comedere *Galenus* aſſeveranter enuntiavit, artificioque adhibito tandem detexit, Profecto *Hippocrat.* oraculo fretus, pueri recidivatum cauſam in cibum clam aſſumptum vere reducere debuit ac potuit: Secundo enim *aphoriſm. ſect.* 8. habetur, Si a morbo quiſpiam cibum aſſumens vires non recipiat, copioſiore alimento corpus onerari indicat, Si vero modice epulanti idem eveniat, vacuationis indigentiæ ſignum eſt: Tres enim ſunt caſus in quibus corpus non reſtauratur, Vbi non datur quantum oporteret, Vbi plus, & Cum corpus evacuatione indiget: Contemplanti itaq; *Gal.* pueri corpus nulla

vacuatione indigere, palamque cibos congrue illi exhiberi, facile fuit colligere plus illum comedere, quod tædii causa eſſet, ſed clam ſumptum: Id autem affirmare potuit *Galenus* obſervata pulſus mutatione ejuſque agitatione, non ex animi aliquo affectu procedente, vt in muliere, de qua *Galenus loco citat. cap. 6.* & ſervo, de quo *ibidem*, ſed vnum corporis exceſſum id facere collegit evidenter &c. Sed ſi quæ hac in re fecit *Galenus* conſideremus, non vnius ſolius artis Medicæ beneficio tale quid eum deprehendiſſe intelligemus, ſed communis naturæ auxilio, quod ad ejuſmodi aſtutias detegendas neceſſarium eſſe ille in libro de Ijs qui morbum ſimulant cognoſcendis conſtituit, etiam vſum fuiſſe. *I. Bapt. Sylvaticus Hiſtor. 4.*

LXXXII. Non eſt vt *Galenum* timiditatis aut negligentiæ accuſemus qui abſceſſus Filij Piſonis neceſſariam inciſionem ad feſtinam puris emiſſionem habendam tardaverit: Si quidem Piſonem Patrem tarditatis cauſam fuiſſe affirmavit: Solent Patres, Filiorum eximio amore correpti, eorum morbos plus juſto timere, de exhibendis medicamentis dubitare, inciſiones abhorrere, ejuſmodique neceſſaria auxilia, ſua authoritate in longum trahere: *Galenus* propterea prudens, ex inciſionis tarditate periculum imminere nullum animadvertens, Patri timenti temporis quidpiam condonare coactus eſt, maximo in Vrbe Roma viro: Se tamen de re hujuſmodi maxime neceſſaria ſollicitum fuiſſe admonuit; Patris ſcilicet timore & authoritate inciſionem tardante, morbi tempore è contra feſtinam. puris emiſſionem requirente: *Galenum* autem ab ea animi ſollicitudine liberarunt Imperatores ipſi, exhibito puero medicamento, h. e. theriaca (de ea enim ab ipſis dari ſolita ſermonem eo in loco *Galenus* inſtituerat) quæ ſua attenuante facultate collectum pus magis attenuaſſe potuit; ita vt cute ab emplaſtro ſuperimpoſito decenter emollita locum ipſa aperuerit natura: Hoc Medici ipſi obſervant frequenter *I. B. Sylvaticus Hiſtor. Medic. 1.*

LXXXIII. Vt morbus animi corpus ipſum in paſſionis conſenſum trahit, ſic & corpus animam viciſſim ad patiendum trahit: Animi propterea morbos, vt corpori infeſtos, cognoſcere ad Medicum pertinere fatetur quiſque vulgari prudentia hos cognoſci etiam ab his qui exiguam medicinæ ſcientiam adepti ſunt, *Galeni* fuit opinio *libro de Præcognit. ad Poſthumum*, vt ideo majori reprehenſione digni fuerint Medici illi Romani, qui mulieris amorem, & ſervi ſollicitudinem non deprehenderunt: Ille enim vocatus vt fœminam noctu vigilantem inſpiceret, & ex vna jacendi figura in aliam crebro ſe transferentem, vt ipſam ſine febre reperit, percunctatus eſt quæcunque ſigillatim illi contigiſſe poterant quæ vigilias feciſſent, Illa autem nihil interdum reſpondente, interdum ad ſomnum ſe componere fingente, *Galenus* duorum alterum ſecum ipſe colligit, vel atræ bilis vitio mulierem laborare, vel rei, quam fateri nollet, moëſtitia laborare: Cognoſcendi tandem amoris is fuit modus, Cognito prius nulla corporis parte mulierem affligi, ſed moleſtia tantum animi quadam perturbari, contigit vt quodam è theatro veniente, Pylademque ſaltantem conſpexiſſe narrante, ſtatim vultus mulieris & faciei color immutatus ſit; quod *Galenus* obſervans, brachio manum ſtatim admovit, pulſumque ſubito varijs modis agitatum invenit quod quidem animi perturbati indicium fuit: Idem quarto die ad ejuſdem Pyladis mentionem pulſum variis modis ſubſultaſſe obſervans, in eadem opinione magis eſt confirmatus: Servi autem atrienſis ſollicitudinem hac via deprehendit: moëſtitia ille afficiebatur quia rationem pecuniarum, quas adminiſtraverat, redditurus eſſet, cujus ſummæ non parum deeſſe ſciret; præ moërore vigilabat, animumque deſpondens tabeſcebat: Prius itaque ſenem ſervum illum nullo corporis morbo laborare Domino annuntiavit: Hic autem cum ex monito *Galeni* atrienſi diceret ſe id tantum argenti quod haberet reperiſſe, hic credens ſe adminiſtrationis ſuæ rationes non redditurum, triſtitiam ab animo depoſuit & priſtinum corporis habitum jam tabeſcentem tertio die recepit: Videbuntur ea fortaſſe leviora quam deceat & curioſa nimis, ſentio tamen ipſa eſſe & ſcitu digna & vtilitatis plena. Ad veram in arte Medica gloriam aſſequendam quanti referat certa & vera prædictio à multis demonſtratum: longe autem glorioſius & honorabilius eſſe etiamnum quæ animus occulte continet cognoſcere & patefacere inde conſtat, quod vaticinantes & Phyſiognomonicos, ac alios quoſque animi noſtri occulta deprehendentes, imitetur tunc peritus Medicus: Vtilitas propterea cognoſcitur manifeſte, quia citius, facilius & jucundius ſanitatem conſequuntur ægri, quos morbi cauſa à Medicis non recte cognita, & ab eis præ timore, pudore, celata ac ſimulata, pejorem in dies conditionem acquirere prorſus neceſſe eſt. *Ioh. Bapt. Sylvaticus Hiſtor. 3.*

An med. debet ægro morbi eventum prædicere?

LXXXIV. Id Ego & Collega N. nuper factitare cogebamur, Cum enim Nob. N. hoc à nobis anxie flagitaret, quippe qui ad jusjurandum Medicum & conſcientiam noſtram provocabat, mortemque ſe neutiquam expaveſcere animoſo dictitabat, quin ſe ſibimet de hac felicitate, quod ex ærumnoſa & calamitoſa vita hac tandem emigrare debeat, vnice gratulaturum profitebatur, de vita ipſum ſummopere periclitari, (ſi quidem diarrhœa vltra octiduum ab eo, vtpote ſexagenario ſex annis & majore, neglectui habita, ita demum exaſperata fuit, vt profuſo ſero bilioſo primum copioſiſſimo cum pituita vitida, mox bile inſtar æruginis vireſcente, inde ex nigro flaveſcente, tandem fæcibus limoſis excretis, vires mirum quantum collaberentur, noctes inquietæ redderentur, ſingultus vigeret, catarrhus ad pectus deſcenderet, vrina item ſupprimeretur, miteſcentibus interim doloribus arthriticis, levis paraphrenitis accederet) aperte quidem ſignificavimus, remedia tamen propterea, cum ſui, tum ſuorum ac noſtri cauſa ſtudioſe inculcavimus, Hoc cognito, quanta lætitiæ ſigna ediderit, quas gratias ob candorem hunc nobis egerit, ſcribere non licet: Gerebantur hæc triduo ante obitum: An recte egerimus? dubitant quibuſdam; At quomodo obteſtationes declinaſſemus, quomodo rationibus quas adducebat, Politicas & Theologicas, ſatisfeciſſemus? Cum igitur ipſum tam Heroico & impavido videremus animo, nihil diſſimulandum, ſed quod ægritudinis conditio perſua-

ſuadebat, palam & ſine fuco ipſi ſignificandam duximus. *Mic. Doringius Cent.1. Epiſt. Sennerti* 84. Medicum ægrotanti morbi eventum cognoſcere cupienti, mortem palam prædicere debere apud me dubium non eſt, Sunt enim rationes & Politicæ & Theologicæ, ob quas utile eſſe puto ægro morbi eventum cognitum eſſe: Neque cauſam habet Medicus cur ægrum, præcipue cordatum, vera ſcire cupientem, fallere debeat. *Sennertus Epiſt.* 85.

LXXXV. Sicut Navarchis, ita perinde & Medicis ſummæ loco prudentiæ eſt ſinus obliquate, ubi per ſævitiam tempeſtatis non licet rectum tenere curſum: Id quod in multorum morborum curatione ſæpius contingit. Quippe in inſido hoc, & æſtuoſo utique mari navigantibus tot tantæque interdum procellæ ſymptomatum ex improviſo ingruunt, ut amiſſo gubernaculo, velorumque & acus magneticæ uſu, nec curſum corrigere poſſint, nec ſiſtere navigia, ſed fluctuum impetu abrepti incumbentibus ventis quantum licet indulgere cogantur: hocque ut nauclero artia ſuæ honos conſtet & vectoribus vita: ubi igitur incrudeſcentibus ex inopinato accidentibus ægroti cujuſpiam ſalus in extremum deducta eſt diſcrimen, Medico eſt curam ſuam a deſtinato morbi ipſius in totum profligandi curſu prudenter deflectere ad maturius compeſcendum intervenientium furorem ſymptomatum, ne his intempeſtive neglectis, deficientibuſque ægrorum viribus, opportunitas inceptum opus perficiendi à fato præcidatur. *Gualterus Charleton Tractatu de Scorbuto capite* 14. §. 1.

LXXXVI. Falluntur, & diſcipulis ſuis, non minus quam ægris injurij ſunt Medici Doctores omnes, qui putant, docent ſaltem, curari poſſe ullos ex Arte morbos neglectis gravibus, ideoque urgentibus ipſorum ſymptomatis: quæ volunt omnia primariis morbis curatis ſponte ceſſare, poſtquam magno mortalium damno obſervamus in dies ob præfractam horum medicaſtrorum pertinaciam negligentiámque, à ſymptomatibus gravibus tolli tam ſæpe prius ægros, quam tolluntur ab ipſorum medicamentis morbi ſolum curati. Adde quod medicamenta ſymptomatibus quibuſvis tollendis minuendiſve convenientia, emendent corrigántque ſimul vitia humorum partiúmve ſolidarum à quibus pendent immediate iſta ſymptomata. Tolluntur ergo ſimul morbi dum tolluntur ſymptomata. Neque dubitamus cum Medicis nonnullis celebribus in morborum cenſum referre humorum vitia, quia non minus ad totius corporis & functionum integritatem requiruntur faciuntque partes contentæ quam continentes. *Franc. Sylvius Pract. lib. 1. cap.* 29. §. 75. & 76.

LXXXVI. Cognoſcenda Medicis non tantum communis, ſed præcipue propria cujuſque natura (ἰδιοσυγκρασίαν vocant Græci) quam qui perſpectam habet, is demum vere medetur, penetravit quippe ad naturæ penetralia. *Tulpius Obſer. lib.* 1. *cap.* 23.

Ne quis praxin temere, at prudenter exercere diſcat, ſuadeo omnibus ut *ubique & in medicamentis praſcribendis, & in diæta conſtituenda conſiderent quid uniuſcuiuſque ægri Naturn ferre poſſit, quid ferre recuſet.* Hoc autem nonniſi per experientiam ſedulam & accuratam poteſt addiſci. Interrogandi ſcilicet Ægri qualia alimenta commode ferant, qualia ipſis moleſtiam creent, qualia inſuper incommoda à ſingulis Alimentis noxiis patiantur, Neque enim eodem modo afficiuntur ſinguli a ſingulis. Fateor equidem Medicum multorum annorum praxi, ac diligenti obſervatione in multis facta peritiam conſequi, ſecundum quam præter propter judicare poterit de multis alimentis, huic aut illi vitioſæ corporis conſtitutioni noxiis, accidet tamen in dies ut Medicus, alias peritiſſimus, fallatur nihilominus in pluribus, aliter in uno quam altero ægro, ſimili corporis ægritudini prædito evenientibus. Sic e. g. evenier plurimis affectibus melancholicis & hypochondriacis laborantibus qui lac dulce ferre nequeunt, quod ab ipſo tenſa habeant hypochondria, dum nonnullis nulla inde accidet noxa, quod ſola duntaxat conſtare poreſt experientia, & ſingulari obſervatione, quo ſcientia non pertingit, in univerſalibus hærens. *Francif. Sylvius de le Boë Praxeos Append. Tract.* 5. §. 214.

LXXXVI. *a.* Alterum & hoc monendum, ut Medicus, quoties aliquid ſingularis obſervat in ſuis ægris, ab his aut illis alimentis male habentibus, toties ſedulo ſcrutetur & inveſtiget ſymptomatis illius cauſas veras, quo illis, quantum poſſibile accurate inventis, facilius ac felicius iiſdem ſuccurrere queat malis; Nam nihil æque ægris commendat Medicum quam inventio cauſæ latentis, ejuſdemque curatio artificioſa, cæteris Medicis inacceſſa. Quoties namque accidit practicis ut affectus rebelles ipſis occurrant, quorum dum exempla non babent in ſuis authoribus Medicis ex libris tantum docti, nec illorum cauſas veras eruere didicerunt, hæret illis aqua, nec curantur ægri donec alii vocentur in rerum arduarum examine exercitati, qui, ſolertia ſua illos eruant, & ſæpe non tantum feliciter, ſed & facile curent ægros pro incurabilibus habitos, quod quantum ad famam Medico conciliandam faciat, nemo non videt. *Idem.*

LXXXVI. *b.* Variari poſſunt medicamentorum formæ, tum pro ægrorum moroſorum aut delicatorum lubitu, tum pro ſimplicium diverſitate, tum pro ſingulorum operatione magis vel minus felice, & quidem ſecundum ipſorum ſubjectorum diverſitatem. Notum enim in uno homine non tantum unum medicamentum, ſed una forma exhibitum felicius operari quam aliud, vel forma alia: Ad quam rem Medicum imprimis attendere oportet, quo & ſuis ægris placeat, & felicius faciliuſque curet. *Fr. Sylvius Append. Tract.* 6. §. 247.

LXXXVI. *c.* Non ſemper ægris ſevere deneganda quæ natura ſumme appetit. Si quidem videmus nonnullos haud prius ex quartana, & aliis morbis chronicis convaleſcere quam illorum appetitui ſatisfiat: Mulier ulcere maligno circa fauces laborabat, cibum & potum nonniſi magno cum labore poterat deglutire; quamvis minime gravida hæc vel illa appetebat, halecea, carnes & piſces

ſale & fumo induratos, alioſque concoctu difficiles cibos, quæ quamvis dura ſine difficultate degluticbat; amygdalatum, hordeatum, us carnium abhorrente ſtomacho neqnaquam adeoque ſæpiſſime totum triduum à cibo & potu abſtineret donec appetitus ille vitioſus ſimul recurreret. Præterea quamvis quod appetebat morbo contrarium eſſe, eo tamen ſine noxa veſcebatur: quicquid autem reſpuebat licet idoneum, nauſeam, imo paroxyſmos febriles inducebat. *Hildanus obſ. 37. cent. 1.* Ideoque latius explicandus Hippoc. aphor. Paulo deterior cibus &c.

LXXXVII. Non rara, imo frequentiſſima eſt, apud *Hippocratem* cura quæ *Tentativa* vulgo nuncupatur: Ita ſane ab ineunte lateris dolore, ut pleuritidem detegat, ſiccis utitur fomentis: 6. Epid. ſect. 7. tit. 1. *Hos ita preſſos nihil juvit manifeſto eorum quæ Tentavi, neque alvi perturbatio nec vena ſectio.* Loquebatur autem de conſtitutione quadam tuſſiculoſa, in qua rheumatiſmus multificariam cum ſævis ſymptomatibus affciebat: Lib. de Locis In aurium dolore jubet calida infundi medicamina; & ſi dolor ab his non ſedatur, ad frigefacientia confugi, & inde ſubdit, *Et ſemper non ſanantem variare oportet modum, & ſi quidem prius reddideris malam, ad contrarium te converte,* Ideo lib. de Arte. *Quæcunque ob id quod non ſatis noſcantur agri, mala perpetiuntur, ea non ad Medicos curantes ipſos tanquam ad ipſorum authores referenda ſunt, ſed ad naturam ipſius agri, itidemque ipſius morbi. Sinibaldus Hippocr. Antiphon. lib. 2. antiph. 1.*

LXXXVIII. Tentativam curationem eſſe celebrandam in plurimis morbis doctiſſimè *Trallianus* edocuit lib. 2. cap. 1. Et *Galenus* eam confirmat quando morbus indiget vacuatione, vires autem eam non patiuntur, ut in melancholia ſæpiſſimè accidit; pro cujus morbi medela maxima debet eſſe de ſanguine mittendo providentia, quoniam corpus humectationem requirit: Si tamen ſuſpicio ſit quod in univerſi corporis venis ſanguinis melancholici adſit abundantia, tunc tentative ſanguinem mittendum eſſe imperat. 3. de loc. cap. 7. cúmque ita jubet emitti ut ſi inciſa vena pravus nigérque ſanguis extrahatur, exire permittatur, Si vero vero purus, ſupprimatur. Similem curationem exequendam imperat in Quartana 1. ad Glauc. 11. qua correpti calore ſanguinis indigent, quo impoſterum craſſus fæculentúſque humor coqui poſſit: Et maxime quum in morbo diuturno metus ſit ne extracto ſanguine vires deficiant: Quare in his morbis à craſſo humore ſubortis, ſanguinis miſſio nihil mediocre facit, ſi quidem ſi convenit, juvat juvamento maximo; Si vero neceſſario, non eſt, tunc eis eſt nociva valde, in quantum debilitat, & in quantum educit contrarium melaocholiæ. Sic Idem 6. aphor. 31. cum Inter eum & alium Medicum diſſentio eſſet circa localium impoſitionem in juvene lippitudine laborante, illius conſilio balneum (fomentum, lavacrum, ſeu particulare balneum intellige) tentandi gratia fuit applicitum. Auxilium ſane curatorium & diagnoſticum nam ſi adhibito fomento dolor augetur, ſignum maximum quod in corpore lateat humorum redundantia, inſigni vacuatione curanda: Si contra contingit, fomentis uſus eſt accommodis valde. *Zacutus m. P. H. p. m. 96.*

LXXXVIII. *a.* Medicus interdum falli poteſt ac ægrum perperam curare, maxime quando præjudiciis excæcatus & turgens, non ſatis attendit ad Juvantia & lædentia, quin mavult perire ſuum ægrum quam mutare ſuam ſententiam, utut erroneam, & Ægri ſtatu in dies in deterius vergente confutatam. *Franciſcus Sylvius Prax. libro primo, cap.* 30. §. 19. Vide §. 68.

LXXXVIII. *b.* Illud cavendum ne dum uni humori peccanti proſumus, alii noceamus, quamvis enim nobis conſtet experientia, *Medicamenta aſſumpta imprimis agere in humores peccantes*, quoties ipſis corrigendis ſunt maxime convenientia, tamen conſtat quoque eadem experientia *Medicamenta plurimis humoribus diverſis alterandis apta, quodammodo etiam operari in non peccantes humores, ubi vel copia majori ſimul aſſumuntur, vel diutius uſurpantur.* Quamvis proinde non ſemper mox noxa notabilis obſervetur ea uſurpatione medicamentorum non uſque quaque humoribus peccantibus accommodatorum eadem tamen ſenſim, ſe promit, attentis omnium, quæ obægris contingunt, mutationum ſervatoribus Medicis, qui mox ubi aliquid nociturum prævident, eidem prudenter provident; atque mutant medicamenta à quibus ſcopum ſibi propoſitum plene non vident ſperandum. *Idem Tract. 6.* §. 257.

LXXXIX. Quemadmodum in omnium Artium ſcientia, Ratio ſcil. & Experientia, admodum neceſſariæ ſunt, ita & in methodo una ſine altera eſſe nequit; Ratio quid agendum ſit indicat, Experientia quæ Ratione inventa ſunt confirmat, & docet ex arte exacte operari: Non omnia tamen aut ſola Experientia aut Ratione inveniuntur: Galen. 3. m. m. 1. Etiamſi quædam ſola Ratio inveniat, alia Experimentum producat, ſemper tamen, quantum fieri poterit, Experientia & Ratio, veluti fulcra quædam, quibus Medicina firmatur, conjungenda ſunt: ita ut in Theorematibus, vel Medicamentis Ratione exploratis, Experientia ſequatur, Ratio contra in illis quæ ſunt Experimento inventa, ſubſequa ſit. 2. meth. cap. 6. Sic autem illæ connectantur ut mutuo inter ſeſe firmentur, mutuámque fidem viciſſim accipiant, nec poſſit dari vera Ratio quæ contradicentem habeat Experientiam, nec contra; Ambo ſcil. vera ſint, ut & illa quæ ab hiſce recte inventa ſunt: ubi vero illæ pugnaverint, neceſſe eſt aut inartificioſam fuiſſe Experientiam, aut oppoſitam Rationem tantum apparenter veram, qua ſtandum non eſt, nec propter eam à ſenſibus & Experientia recedendum. Ideóque Ratio ſine Experientia nulla eſt, & Experientia ſine Ratione invalida, & hæc citra illam fallax & captioſa: Quamvis inter utramque palma admodum ambigua ſit: Experientia enim paucas admodum affectiones, & eas quæ crebro & frequenter eveniunt cognoſcit. Ratio autem non minus raris, quas nunquam vidit, quam frequentibus opem fert, ut pote quæ omnium naturas, differentias & cauſas diſcurſu ac ratiocinio inveſtigat, vel ſcientifica cognitione, vel ſaltem artificioſa conjectura, certa tamen & ad ſcientiam proxime accedente comprehendit. Præterea Experientia nonniſi ea acquirit quæ ſæpe ſimili modo contigere, & cum omnium membro-

rum

rum affectiones ſimplices & compoſitæ, tam ſimilarium quam organicarum partium, in concurſus redigi nequeant, impoſſibile eſt ut omnium comparetur Experientia, ſed frequentium tantum; ideóque plurium morborum nec cognitionem nec curationem illa ipſa aſſequitur vel attingit: Quid quod frequentium morborum nonnulli plerumque invadunt ſine concurſu ſymptomatum, nec niſi conjectura & tentativa curatione poſſint dignoſci, unde ſola Ratio hac via procedendo poteſt quam quærit notitiam comparare, Experientia autem non illa tentantis remedij potentiam agnoſceos, eam cum ſequente opere jungit & confert, indéque facile conjicit, quantum & Nocentibus morbi cognitionem aſſequitur & totam curationem inſtituit, minime vero Experientia, quæ vires auxiliorum ignorans, nullo delectu quodvis ad curationem adhibet, ita ut ſi à primo res non eveniat, neſciat quo tranſeundum, ſed caſu & fortuna ad alterius opem confugit. Utut tamen ſit, Rationem hic & ſimilia nobis dictare, tamen ſit, Rationem hæc & ſimilia nobis dictare, tamen & Experientia admodum neceſſaria eſt, utpote quæ ordine naturæ illam merito præcedit, cum non poſt Rationem Medicina, ſed poſt medicinam Ratio ſit inventa, licet Ratio propter dignitatem Experientiæ non cedat, Interim ne Ratio claudicet, alteri quoque cruri, Experientiæ nimirum, innitatur, quæ vel ſola ſæpe ſufficit: Quæ enim claræ, inquit Sennertus Inſt. lib. 5. p. 1. cap. 22. ſub ſenſus noſtros cadunt, nihil dubium, nihil anceps relinquunt, verum ubiquædam illos fugiunt Rationem illis ſuperinducere conandum eſt, ſic tamen ut non procul, nec confuſa & infinita colligamus, & longe demonſtrationum principia deducamus: Et cum id quod Experientia inventum eſt Ratione comprobari poteſt, id proculdubio longe certiſſimum eſt: Verum ubi Ratio adverſatur, Experientiæ potius inhærendum, quæ tamen ſit Medici peritì, certa & indubitata; nam ſi ſit incerta & mala, ad totius hominis interitum vergit, unde dixit Hipp. 6. Epid. ſ. 29. Nihil temere Experiatur Medicus. *Frid. Hofmannus m. m. lib. 1. c. 5.*

X C. Cùm morbus ſuperveniat interdum alteri morbo ut remedium, An natura tantum expectari debet, an verò arte procurandus? Celſus lib. 5. c. 28. ſect. 4. minime procurandum eſſe innuit, cùm ſcribit eſſe fortuitum medicamentum Sacro igni accedentem uno die febrem, qui humorem noxium abſumat: qua in re ſequi Hippocr. viſus eſt, qui verba faciens de hujuſmodi morborum permutationibus, dicebat l. 1. de morbis, Talia in morbis fieri nulla Medicorum inſcitia aut ſapientia, ſed ſponte & fortuito ſucceſſu: Tamen quia ars imitatur naturam, idcirco quod natura facit, id fieri à Medico etiam debet. Ab ea ſudores ciente, evacuante per alvum, aut hæmorrhoidas, aliàque ſimiliter efficiente, rectitudinémque dum juvat ſervante, didicit facere Medicinam Medicus. Quare in hac difficultate dicendum eſt ſucceſſionem morborum à Medico procu[illegible]ndam eſſe, ut prior morbus tollatur: Hinc Hip[illegible] 6. aphor. 15. ait longo alvi profluvio laboranti, ſi vomitus ſuperveniat morbum ſolvere, ubi Galenus inquit. Hoc unum eſſe exemplum eorum quæ rectè a natura geruntur, quod utique Medicus imitari oportet, Sed ſi ita ſe res habet, cur Celſus febrem quæ ſanat Sacrum ignem appellat medicamentum fortuitum, & ſcribit Hipp. talia fieri fortuito ſucceſſo? ℞. id eſſe quia periculoſum eſt febrem excitare; nam ſi in corpus cacochymum inciderit, periculum eſt ne mali moris fiat: ſi in corpus purum, ne corrumpat humores, aut in hecticam tranſeat: Ideo magna cautela procedendum eſt, ac potius eo remedio fortuito quam arte facto utendum: nam filio Numenii apoplexia laboranti, febris ſuperveniens pernicioſa fuit. *Rubeus comm. in Celſi l. c. p.* 210. Non idem judicium eſt de abſceſſibus qui aliorum medela ſunt de quibus Hippocr. 6. Epid. ſect. 3. ut Hæmorrhoidibus, fiſtulis, aliiſque abſceſſibus, *Quibus* inquit, *in morbus facti decubitus liberant, eoſdem ſi ante fiant prohibent.* Nimirum abſceſſus qui quum ſuperveniunt ſolent morbos tollere, iidem ſi fieri anticipent liberent, aut etiam ſi fieri non anticipent, fiant tamen arte & à Medico: Hac cauſa multis quibus à magnis morbis malè timemus, curamus hæmorrhoidas fluere; Aliis etiam crura fricamus fortiter, non aliam ob cauſam quam ut fiant podagrici: quod quidem eſt morbum morbo curare, aut morbo à morbo præſervare. Verùm non indiſtinctè pro quovis morbo quivis abſceſſus procurandus, ſed pro quocunque is qui tali morbo utiliter ſolet ſuccedere. Velut ſi quis ſuperiori anno ab Epilepſia liberatus eſt ſuperveniente podagra; nunc à podagra ſe ſentiat valde liberum; tentetur verò incubo, aut vertigine, aut omnino capitis gravitate, prudenter facies ſi pedes frictione & labore laceſſiveris ut à capite avertas. *Valleſius 6. Epid. ſect. 3. p. m. 659.*

XCI. Maxima pars morborum materialium curationis eſt in ea conſultatione, Quæ Evacuationes promovendæ. Quæ cohibendæ, Quæ ſinendæ tantum. Quæ conſultatio non tam ſimplex eſt, ut videtur quibuſdam, qui multorum inexperti facile enunciant Nullas Evacuationes Symptomaticas utiles eſſe, ſed omnes noxias, unde ſtatim fit ut ſint omnes cohibendæ, ſin minus nullæ juvandæ: Itaque hi vix invenire poſſunt ullas evacuationes ſpontaneas quas oporteat promovere: Nam eas quæ ante concoctionem fiunt, non promovebunt, ut pote ſymptomaticas, & ut ipſi putant, ſemper noxias; quæ poſt concoctionem multò minùs, quas ſinere oportet ex Hippocr. An ergo morbi omnes expectant judicationem perfectam? & an nulla eſt bona quæ perfecta non ſit, ſed omnis imperfecta ſtatim eſt mala & lædens? At vere Gal. (cui hac in parte nullus Medicorum repugnavit) quatuor Judicationum differentias uſurpat, 1. Optimam perfectámque, 2. Bonam & imperfectam. 3. Peſſimam & repente interimentem. 4. Malam & noxiam, ſed non interimentem

Nimirum vacuationes ſymptomaticæ, & quæ nondum concoctis morbis fiunt, eſſe poſſunt peſſimæ & interimentes: aut lædentes quidem, ſed non adeo: aut etiam juvantes, etſi non optimæ: quia earum quædam vires ſolvendo & corpora colliquando, de propria verò morbi materia vacuando nihil, aut minùs quam ut levare ullo modo poſſint, ad interitum trahunt: Quædam minuendo quidem morbi materiam juvant aliquid, verum neque facile neque intra proprios morbi fines, ſed vix tandem, ac per abſceſſus liberant: quo reſpiciens Hippocr. talia omnia ſolet dicere aut mortem, aut difficile judicium ſignificare: conſtat vero hoc non eſſe lædere, ſed juvare minus quam ſi eſſent perfectè judicantes: nam ſæpe qui per tales evacuationes cum diffi-

cultate liberantur, niſi ullæ tales accidεrent moreſerentur, hoc vero haud dubiè eſt eligibilius: Chæriorem, qui tam graviter ægrotans, cum habuerit perpetuo dejectiones bilioſas, exiguas & ſinceras, liberatus eſt intra xx. dies, quis dubitet fuiſſe moriturum ſi cum eadem malignitate habuiſſet nullas? alioqui fuiſſet in eo utendum perpetuò alvum ſiſtētibus, quo nihil excogitari poſſet illi perniciosius, quia quæ ob malignitatem à natura non retinebantur, repercuſſa & cohibita in ſuperna iruiſſent aut intra hepar & magnas venas ſuppreſſa, ac malignius corrupta, hominem interemiſſent: Contra ergo facere oportuit, attemperare, ut ſinceritas illa excrementorum domaretur, & clyſteribus extergentibus alvum eluere, ut quæ ibant exiguæ dejectiones, fluerent aliquanto largius, & quæ bilioſæ, minus hæterent inteſtinis, & hærentes roderent: dandus ergo erat exitus iis quæ, etſi intempeſtivè, nec expectata coctione, tamen quæ ob acrimoniam retineri non poterant, à natura pellebantur. Errant enim ſi qui putant nulla quæ intempeſtive exeunt, pelli à natura, ſed vi morbi quaſi regurgitare, aut quaſi liquata fundi omnia: namque concocta & ſecreta ſunt excrementa pellit natura, retentrice, quæ cōcoctrici ante ſubſerviebant, jam tunc, quaſi peracto opere, cedente expultrici: ſed antequam concoquantur quæ adeo acria ſunt aut maligna, ut irritationem ferre natura non poſſit, cogunt expultricem inſurgere ante tempus, quod nihilominus naturę opus eſt, etſi irritatæ nimis: quæ vacuatio cohibenda ſemper non eſt, ſed aliquando etiam juvanda, ut quæ retinerentur periculoſius, facilius exeant. Quid ergo? Omnes vacuationes ſpontaneæ juvandę erunt etſi ſymptomaticæ & intempeſtivæ, quia ſunt naturæ opera? Minimè, nam neque omnes utiles eſſe diximus: plurimæ enim earum ſunt exolventes & ſyncopales; atque plurimis Medicis, quas cohibere oporteret, augere ſtudentibus, mortui brevi ſunt ſudando, dejiciendo, aut fluente affatim ſanguine; Quod non immerito evenit, nam cum natura in ipſo judicationis tempore, & coctione peracta ac ſecretione, pellit, ut ordinate, ita & moderatè id facit: pellitque morbi cauſam ſeorſum à bono ſucco, cum modico ejus, & ſpirituum diſpendio: tamen cum incocta & malè ſecreta cogitur per irritationis vehementiam expellere, velut præcipitatur, deponitq; cum malis bona, ſimulque aliquando vitam exhalat, hæc cum fieri incipiunt, niſi quis frænet impetum & obſiſtat, atq; revulſionibus, refrigerationibus, adſtrictionibus &c. occurrat, non vacarit culpa, quod mori ſiverit. Quid ergo evenit ex dictis? Evacuationes omnes ſymptomaticas h.e. intempeſtivas, quæque ante judicationis tempus perfectæ, ſuccis nondum ſatis coctis aguntur, hac quidem cauſa malas eſſe, h.e. malam ſignificationem præbere, quia aut tantam excrementorum copiam, aut adeo malam qualitatem indicant ut expultricem ante conſuetum naturæ tempus pellere cogant: aut tantam retentricis imbecillitatem, ut excrementa neque ſolito plura, neq; maligniora, retinere uſq; ad naturale pellendi tempus non poſſit, non tamen proinde omnes eas lædere, ſed quaſdam etiam juvare aliquatenus. Igitur quæ lędunt, tolli ſe indicant; quæ juvant, ſervari aut augeri.

Diſtinguere igitur opus eſt evacuationes noxias ab utilibus, ut ſcias quas debeas cohibere & quas ſecus. Hippocr. certè conferentia & tolerantia diſtinguit: conferre enim dicitur quod morbum minuit; benę tolerari, quod facultatem non debilitat. Conſtat ergo vel ex ipſis notionibus, illam fore optimam evacuationem quæ morbum tollat & facultatem non debilitet: Illam peſſimam quæ debilitet, aut etiam proſternat vires & morbum augeat: Mediocres vero quæ inter has erunt: & quibusvis boni quam mali inerit, eſſe ponendas in bonis, etſi aliquatenus etiam malæ ſint: quibus plus mali, in malis, etſi boni aliquid habeant: Certe morbum omnino, ac ſecure tollere non poſſunt, niſi quæ optimæ judicationes ac perfectæ ſunt; quas modo nullatenus vocamus ſymptomaticas, etſi genere p.n. ſint, ut fluxus ſanguinis è naribus: Omnino non debilitate facultatem ne hæ quidem poſſunt, Nulla enim tam naturalis & omnibus numeris abſoluta vacuatio eſt, cumqua nulla fiat ſpirituum effuſio & exolutio virium; nam & ab optimis judicationibus manent homines debiliſſimi, & à peſſimi ſucci vacuatione, cum fit affatim, moriuntur hydropici: Sine ulla igitur exolutione virium nullæ evacuationes fiunt, morbum omnino nullæ tollunt præter perfectas judicationes, quæ & ipſæ fiunt cum exolutione, etſi minima; aliæ omnes ſymptomaticæ ſunt, & conferentiam ac tolerantiam minorem habent, tamen utriſque evenit eſſe in illis differentiam magnam majoris & minoris: nam quædam earum morbum minuunt aperte, quædam nihil, quædam etiam augent: hæc in ægris experimur quotidie: quibuſdam eodem tono manet, aliis increſcit, ita & ab alvi fluxu, vomitu &c. Quædam etiam evacuationes manifeſtum poſt ſe languorem relinquunt, quædam minimum, aut manifeſtè nullum, quædam etiam videntur vires auxiſſe, quamquam id in eſſentia fieri non poteſt, ſed ob depoſitam aggravationem: Igitur illæ evacuationes, quæcumque ſint, & quocumque tempore fiant, quæ plus detrahant facultati quam morbo, cohibendæ ſunt: Quod ſi vires valde proſternant, cohiberi etiam debent, etſi morbum æque tollunt; Evenit enim aliquando mori hominem concedentibus ſimul facultate & morbo, tanquam bello Cadmico. Quæ autem plus detrahunt morbo quam viribus, aut atque ſuppetente tamen virtute, ut ſpes ſit fore, ut homo, etſi debilis, evadat ſanus, ſinendæ ſunt: ſinendæ, inquam, ne ſi, utilitate capti, augemus, debilitate plus aucta hominem proſternamus: augendæ verò tunc ſolum, cùm minuentes bene morbum, facultati officium exiguum, neque tamen ipſæ ſatis abunde fluunt pro multitudinis ratione, ſeu pro indigentia, Alioquin nullæ quidem augendæ, ſed ſinendæ tantum ſunt. Verum quoniam Conferentia & Tolerantia poſteriora eſſe videntur ipſis evacuationibus, atque fieri poterit, ut ſi judicium de utilitate & noxa ferendum ab ipſis expectetur, ſerius quam expediat auxiliemur, neceſſe eſt ſcire qua ratione poſſimus mox atque incipiunt prænoſſe quales futuræ ſint, ut ſecundum id præjudicium de cohibendis, ſinendis aut cogendis decernamus. Id verò non poteſt aliunde capi quam ex conditionibus quæ bonas aut malas vacuationes ſolent comitari.

Quamprimum igitur evacuatio aliqua inſignis ægroto accidit, conſiderare debes regione[illegible] conveniens ſit, an non, idque an ſimplici[illegible] in hoc morbo: Dico autem ſimpliciter, ut ſanguini vacuando, uterus, & poſt hunc hæmorrhoides: Vacuandæ bili & pituitæ, ventriculus & gula, & poſt hunc alvus: expurgandis tenibus & ventoſo generi, urina. Non ſimpliciter, ſed huic morbo, ſunt quædam commoda, & vomitus ſanguinis incommoda evacuatio eſt; per ſuppreſſiones

a utem

autem menſtruorum, non adeo: Itaque multò magis laborabis vomitum ſanguinis cohibere in viro, cui nulla evacuatio ſanguinis conſueta defuit, quam in muliere cui menſtrua defecerunt in hac enim ſine aliquantum fluere, deinde etiam ſiſtes: Alvus commoda eſt evacuationi, tamen in pleuritide & aliis thoracis morbis, non ita: proinde in his morbis expurgationi ex alvo non ita ſtudebis vt in putridis febribus: Eodem modo alias omnes vacuationes conſidera, eas quæ per vias a natura illis aſſignatas aguntur præferens reliquis, & in his cuique morbo accommodatas (*De vacuatione qua per vterum contingit inchoantibus aut mediis morbis, vide ſuo loco.*) Cujus regionis commoditate peccare ſæpe ſolent Medici fluentibus menſtruis: Eodem autem modo peccabunt in alia quacunque vacuatione, ſi ſolius regionis rationem habeant: nam ex quacunque poteſt bene & male exire.

Ergo poſt regionem conſiderandum eſt morbi tempus, quod concoctione materiæ præcipuè diſtinguitur: videndum ergo an concocta jam ſatis ſit, an nullatenus, an aliquantum: Nam evacuationes quæ per morbos fiunt, quo fiunt citius, eo ſunt deteriores: quo poſterius, reliquis bene procedentibus, eo meliores: Atque ea cauſa, cum eſt quod poſtulet inchoatas evacuationes promovere, non expectata perfecta concoctione, tamen cum aliqua audacius id agimus quam per eruditatem ſummam: Conſideranda etiam eſt dies; ſi quis enim ſudare incipiat 3. 5. 7. aut aliqua ſequentium decretoriarum, eligibilius & melioris ſpei eſt quam ſi 6. aut 8. aut 10. Nimirum in diebus decretoriis bonæ meliores, & malæ minus malæ eſſe conſ eveniunt: at jure hac conſideratione magis audebimus ſudores, & fluxus ſanguinis, & evacuationes alias ſanguinis quaſcunque his diebus promovere quam aliis.

Conſideranda deinde qualitas, an ſcil. talia evacuentur qualia oportet: ſi enim pro morbi materia excernantur ex ventre pinguia, aut cruenta, aut ramentoſa, aut pro fetoſa humiditate exudetur pingue & craſſum, nullus eam evacuationem juvare ſtudeat, ſed ſiſtere, vt quæ haud dubiè, morbo nulla ex parte imminuto, facultates plurimum dejiciet: Ita etiam per morbos pituitoſos, vt v. g. hydropis genera, dejectiones bilioſas, vt febrem ardentem, aut phrenitidem pituitoſæ, nullius commodi eſſe poſſunt, eoque attemperandæ aut ſiſtendæ magis quam juvandæ ſunt, Poſthæc quantitas impetuſque debet conſiderari, quia à copioſis & rapidis timemus virtuti; à minimis & lentis, ne nihil proſint.

Igitur hac conſideratione affluentes & impetuoſas evacuationes nunquam juvabimus, ne ſi aliæ conditiones omnes optimæ ſint, ſed cum maxime ſinemus, cohibebimus autem cum aliis conditionibus aliquid deerit, vt ſi die incommoda aut regione, aut qualitate: cohibebimus vero tanto majori aut minori conatu, quanto plura aut pauciora evacuationem damnabunt.

Debiliter autem tentatas, ſi alia omnia atteſtentur, juvabimus ſemper; erunt enim tales judicatoriæ, neque integræ: Sed & cum quædam repugnant, ſi alia plura annuunt, promoveri non raro tales debent: veluti ſi per febrem bilioſam, die aliqua decretoria alvus incipiat bilem fundere, non affatim, & alioqui Medicus ex bile multa pendere morbum timeat, ea bilis per ventrem effuſio ſiſti non debet, quin potius invitat ad expurgationem, etiam ſi cocta ſatis materia non ſit, quia ea diſpoſitio præcipue cum quodam murmure hypochondriorum proxima turgentiæ eſt: Atque ita videas Hippocr. ad expurgationem dicere ſolere, nunc, vt 4. de rat. vict. 64. Si materia turgeat; nunc, ut 7. Epid. 106. requirere humorum vergentiam in regionem convenientem: hanc autem vergentiam humorum, vt te moveat magis, non ex ſemel, ſed ex pluties tentata evacuatione cognoſces: vt ſi ſæpe per hunc morbum tentatos ſudores, aut ventris fluxus, aut mictus copioſos videris, ea tibi conſideratio, vbi alia majoris momenti non prohibuerint, talis evacuationis promovendæ cauſa fuerit.

Porro præter has conditiones, quæ communes ſunt omnibus evacuationibus, conſiderare oportet in ſingulis earum generibus, differentias bonas ac malas, quæ invenienda ſunt per capita ab Hippocr. multis in locis, præſertim in lib. Prognoſt. Ergo quæcunque vacuatio incidet; his omnibus in conſiderationem adhibitis, atque eas quæ majoris momenti ſunt majoris faciens, præjudicabis quæ augenda cohibendave ſit: Quod ſi multæ variæque conſiderationes te reddiderint conſilii inopem, tantiſper ſine, neque juvans, neque prohibens, donec conferentiæ ac tolerantiæ notæ ſe incipiant exhibere: Oportet autem te tunc, velut in re dubia, eſſe diligentem, atque ægrum viſitare, & notas omnes bonæ aut malæ tolerantiæ animadvertere. Velut ſi conſultus an expediat ægrum qui ſudare incipit, pannis contegi ac ſudare, an contra ſudorem prohiberi, *vide ſupra p 626.* Dictæ ergo ſunt notæ evacuationum, quæ cum ſponte incipiunt ſunt a Medico promovendæ: Alioqui dum concoctiones aguntur, retentiones excrementorum vtiles ſunt, & evacuationes noxiæ, utpote quæ contrariæ ſunt concoctionibus: Quare cavere debemus eorum praxim qui nunquam non clyſteribus & aliis auxiliis ſollicitantes evacuationes, concoctioni locum non dant. *Valleſius meth. Med. l. . cap. vltim. quod pene totum hic damus, quia quæſtio hæc eſt de apicibus artis, nec alibi accuratius & dilucidius reperias evolutam.*

XCII. Illud dico generatim, Hippocr. & omnes, qui in magno pretio fuerunt Medicos, indicationem cauſæ ſequi conſueviſſe multo audacius quam vulgares Medicos, qui plerumque præſentibus territi ſymptomatis, illiſque occurrentes, morbos pleroſque producunt, & vix niſi leviſſimos perſanant: Oneſianacti, Apoplectica paſſione laboranti, quæ in melancholicum morbum abiit, ſupervenit alvi dejectio diu perſeverans, multis albis mucoſis prodeuntibus, venam aperuit Hippocr. helleborum propinavit, lac vaccinum exhibuit, prius vero aſininum, quod contulit, & dejectiones ſedavit: aquam in potu ab initio dedit &c. Hic Medicus vulgaris miſſione ſanguinis interdiceret, timens evacuationum multitudinem; & expurgationes caveret, ne excrementa undique traherentur in ventrem: fluxione alioqui laborantem: interim admoveret ſiccantia & adſtringentia, & totum victum eo dirigeret: Hippocrates vero multo magis timens copiam ſanguinis & vitioſorum humorum, qui toto corpore redundabant: ac certo ſciens niſi hæc tollerentur alia omnia adhiberi fruſtra, neq; ſine noxa, miſit primo ſanguinē: deinde expurgatione vſus eſt, & poto lactis aſinini primum, cui ob multum ſerum vis eſt expurgandi, deinde vaccini ad renutriendum & deambulationibus &c. *Valleſius 7. Epid p. m. 841.*

XCIII. Cum Hippocr. in enumeratione Dierum Criticorum in morbis vulgarem vſum ſit ſequutus, primum diem appellans totum illud tempus ex quo æger laborare cœpit vſque ad occaſum ſolis, reliquos vero ſubſequentes accipiens à Solis exortu terminantes in occaſum, ab ejus computandi modo non eſt recedendum. Quando quidem ſi Galen. quamlibet diem ex xxiv. circiter horis conſtituit, nec a Præceptore edoctus, neque ab experientia permotus id fecit, ſed quia alia ratione cauſam dierum Criticorum aſſignare non potuit: Cæterum, quia hæc a Galeno deſumpta computandi ratio fere communiter obſervatur, ut abuſus iſte in tanti momenti (ſi fieri poteſt) à Medica facultate removeatur, ſuper hanc rem aliquantiſper immorandum eſt.

Primum ergo demonſtrabimus hanc Gal. computationem non eſſe ad mentem Hipp. qui quamlibet diem, prima excepta, ab ortu ſolis inchoare ſolitus fuit: Deinde vero Hippocr. computationis veram rationem afferre tentabimus, cauſam aſſignantes cur prima dies, etiamſi non integra ſit, pro integra computari debeat: Primum igitur aggrediamur. Si Hipp. ſingulorum dierum enumerationem fieri voluiſſet, diem ab ea hora ſemper inchoando in qua cœpit æger laborare, neceſſe ei erit horam referre in qua morbus à principio invaſit, cum ex hac tota computandi ratio originem habeat.

Sed nullibi in recenſendis ægrorum hiſtoriis de hora invaſionis morbi mentionem fecit: argumentum evidentiſſimum id ſcire non eſſe neceſſarium, cum ſatis ſit non ignorare an interdiu, an noctu, aut veſperi inceperit morbus, an mane an meridie: eo quod dierum computatio fieri debet, non ab ea hora diem inchoando in qua invaſit morbus, ſed ab eo tempore in quo verè dies naturalis incipit: Idque ab eo obſervatum inviolabiliter conſtat, quia in recenſendis iis quæ ægris per dies ſingulos contigere, & matutinum tempus & veſpertinum ſub eodem numero, quatenus vnica dies, tantum adnumeravit, non diei partem præcedentis finem, alteram verò ſubſequentis principium, vt Galeniſtæ faciunt: Id videre eſt in hiſtoria Philiſci 1. Epid. n. 1. regiſtrata, vbi inquit, 3. mane uſque ad meridiem viſus eſt à febre liber, ad veſperam febris acuta &c. Idem notare eſt in vxoris Epicratis hiſtoria, nec non & Dromeadis uxoris ibidem deſcriptis: Similiter in enarratione morbi Phrenitici, de quo 3. Epid. ſ. 3. & Servi in caupona lib. 4. v. 126. & adhuc clarius in hiſtoria Pithionis l. 3. ſ. 3. v. 134. & aliis multis in libris Epid.

Quas quidem hiſtorias ſi deſcriberent iſti, quamlibet diem dividerent in duas partes, priorem cum præcedenti die copulantes, veſpertinum vero tempus diei ſubſequentis initium facerent, quod quidem ab Hippocrate factum nullibi invenies, qui ſemper matutinum tempus & veſpertinum ſub eodem numero collocavit, principium diei, ut dictum eſt, ab ortu ſolis conſtituendo ſemper, & deſinentis in occaſum: An dicent Hippocratis ægros omnes in ortu Solis ægrotare cœpiſſe, ut inde dierum enumerationem inchoaverit? ridiculum certè eſt hoc, cum experientia demonſtret morbos admodum raro matutino tempore inchoare.

Cum igitur Hippocr. hanc dierum diviſionem in enumeratione nunquam obſervaverit, certum eſt computandi rationem dierum per horas xxiv. quam Galenus excogitavit, & ſequuta eſt poſteritas, purum figmentum eſſe, & ab Hippocr. doctrina rejiciendum: eamque computandi rationem ſervandam eſſe quam Hippocr. ſequutus eſt, Primum diem appellantes totum illud tempus quod à primo morbi inſultu & occaſum ſolis intercedit; Secundam & reliquas omnes ab ortu Solis inchoantes uſque ad ſequentem noctem, juxta vulgarem conſuetudinem, quæ diem communiter ab ortu Solis ad occaſum uſque conſtituit.

Nec credendum Hippocr. in ſcribendo ita negligentem fuiſſe ut in re tanti momenti, ſi diverſa à communi conſuetudine computatio dierum facienda eſſet, eam non expreſſiſſet: Cum igitur talis fuerit Præceptoris dierum enumeratio in morbis, ſupra quam toto & prædicendi & curandi ratio fundatur, etiamſi vera illius cauſa ignoretur, probabiliorem quam fieri poteſt afferre tentabimus, à Galeni fundamentis minimè recedentes, qui 3. de diebus decretor. dierum Criticorum rationem reddere ſtudens, eam ad Solis peragrationem per Zodiaci ſigna in morbis Diuturnis reduxit, in Acutis vero ad Lunæ motum: Sive modo ejus actio proveniat à Signis quæ proprio motu percurrit: ſive a luminis diverſitate, quod à Sole recipit; ſive ab utriſque ſimul concurrentibus, id determinare non eſt noſtri inſtituti, cum ſatis ſit ſcire à motu Lunæ acutorum morborum mutationes, per quaternarios & ſeptenarios procedere.

Verum etiamſi ratione præfati Lunæ motus, in ſtatutis quibuſdam diebus & horis, criſes & cæteræ morborum permutationes fieri deberent cum hoc vel illud punctum attingit, ſæpe tamen rationabile tempus pervertitur, ita ut aliquando anticipent, aliquando retardentur, idque potiſſimum evenit ratione acceſſionum, quæ rarò cum præfato Lunæ motu coincidunt: Certum eſt enim criſes fieri in die majoris acceſſionis, unde videmus (quod etiam Hipp. adnotavit) eos morbos imparibus diebus judicari qui imparibus moventur: in paribus vero, quorum exacerbationes in diebus paribus contingunt, & in tempore earum peculiari: Quæ enim ſurſum fiunt criticæ excretiones, in acceſſionis principio: Quæ vero infernè, aut per ſudorem, remiſſo ejuſdem ſummo vigore contingunt.

Si igitur à paroxyſmorum varietate Criſis tempus peculiare dependet, invenienda eſt cauſa repetitionis paroxyſmorum in ſtatutis quibuſdam horis: quia hæc eadem cum præfato Lunæ motu, & criſes & cæteras morborum mutationes conſtituet. At certè hæc alia eſſe non poteſt quam Solis motus qui diem ipſum conficit & metitur, dum à primo mobili ab ortu in occaſum raptus, xxiv. horarum ſpatio totam mundi machinam perluſtrat: Hoc enim motu mediante non modo dies à nocte diſtinguitur, ex quorum diverſitate humana corpora, & ſublunaria omnia tam variè afficiuntur, ſed etiam ad quatuor mundi cardines accedens, alterationem in hæc inferiora producit, quatuor anni temporibus proportione reſpondentem, unde effectum eſt, ut ſicuti in vere ſanguis abundat maxime, æſtate bilis, autumno melancholia & hyeme pituita, ita matutino tempore ſanguis naturaliter movetur; bilis meridie, melancholia veſperi, & noctu pituita, quod omnibus receptum eſt: Quare cum nihil aliud ſit initium acceſſionis quam principium motus humoris, qui peculiariter morbum facit aut fovet,

fovet, neceſſe eſt affirmare, unde principium morbifici humoris motus advenit, illud paroxyſmorum principium & authorem fore: Nam cur Tertianæ febris, e. g. acceſſio, tertio die repetens, determinata hora invadat, ea eſt ratio, quia Sol ad meridianum accedens bilem, Tertianæ febris materiam, conturbat; quæ cum parata ſit ad febrilem calorem ſuſcipiendum, occaſione illius agitationis acceſſionis initium præſtat: Quod ſi non ſemper in meridie Tertianæ paroxyſmi invadunt, nec ſemper eadem hora repetunt, cum modo anticipent, modo poſtponant, id inobedientiæ materiæ tribuendum eſt, quia, ſive ratione copiæ, ſive ejuſdem qualitatis, ſive alterius humoris permiſtione, vel non ſtatim moventi cauſæ obtemperat, vel properat celerius.

Si ergo Criſis tempus à tempore acceſſionis moderatur, acceſſionique cauſa eſt præfatus Solis motus, quatenus per eum Sol hunc vel illum cardinem mundi attingens acceſſiones hac vel illa hora movet, ſequitur multoties antequam Luna ad punctum illud perveniat, cujus virtute fit criſis hac vel illa die, virtute Solis qui horam acceſſionum, & ex conſequenti ipſius criſis metitur ac diſponit, contingere judicationes: Ita ut non ſit neceſſe ad criſim, v. g. ſeptimo contingentem dies omnes integros ex xxiv. horis concurrere: cum ſatis ſit ſeptem diebus Solem ſuper terram exiſtentem, vim propriam in humores exercuiſſe, ut criſis, aut quævis alia mutatio in die ſeptima dicatur: Ergo, dicet quiſpiam, non à motu Lunæ ſed potius Solis Criſis excitabitur, ſi antequam Luna ad locum criſis perveniat, virtute Solis judicatio ſequatur? Huic reſpondeo criſin hoc vel illo die fieri, à motu Lunæ pendere, quæ etiamſi ad punctum exactum, in quo criſis excitari debet, nondum pervenerit, eam tamen diſpoſitionem in corpore & humoribus ipſis, uſque ad illud tempus introduxit, ut actione Solis adveniente criſis fieri poſſit.

Quare virtus Solis eſt Criſin hac vel illa hora excitare, Lunæ autem hac vel illa die: Aſtra enim in hæc inferiora agunt, non ſubito & derepente; nec tunc ſolum cum hoc vel illud punctum attingunt, ſed multo prius ad certam diſtantiam agere incipiunt: V. g. dum orbe vel radio ad punctum illud perveniunt, inde verò efficacius quo magis illi puncto appropinquantur, ubi ſumma viget eorum efficacia: Quare cum duorum Aſtrorum virtutes ad unicam actionem concurrunt, non eſt neceſſe utriuſque vires ſupremas, quæ in puncto aſpectus conſiſtunt (Partilem Aſtrologi appellant) convenire ſimul, cum unius efficacia cauſa eſſe poſſit ut quælibet diſpoſitio ab altero introducta ad effectum producendum ſufficiat: Ex quo fit ut actio quæ à Sole provenit, ſæpe criſin, aut quamlibet aliam affectionem in corpore producat, etiamſi Luna, quæ ad actionem illam concurrit, nondum ad locum pervenerit à quo illius actio dependet: Et ideo, ut proximè dicebam, non eſt neceſſe omnes dies integros eſſe ex xxiv. horis: ut e. g. Si quis die Dominico circa xx. horam laborare incipiat, etſi Luna ante horam xiv. diei Sabbathi ſequentis medio motu non perveniat ad punctum illud quod ſeptimæ diei initium præſtat, quod quidem eſt quando Luna radio vel orbe locum attingit qui quadrato aſpectu punctum illud reſpicit, in quo erat tempore invaſionis morbi cujus virtute criſes fiunt, variæque mutationes in morbis contingunt: nihilominus virtute Solis, qui humores ſtatis quibuſdam horis movet & vigere facit, effectus ſeptimæ diei ab ortu ejus incipiunt: cum ſatis ſit diſpoſitio quam Luna, loco aſpectus appropinquans, corporibus introducit; Ita ut ſi morbus cum ſanguinis prædominio fuerit, etiam mane diei Sabbathi, qua hora ſanguis virtute Solis magis viget & movetur, criſis per hæmorrhagiam fieri poſſit.

Quoties igitur quis a morbo corripitur, dum Sol eſt ſuper terram, totum illud tempus uſque ad occaſum pro die prima computare oportet; eo quod Sol occidens diei finem & noctis principium facit, quæ duo & natura & viribus penitus inter ſe contraria exiſtunt: Ex quo fit ut quæcunque ſubſequenter eveniunt, nihil cum præcedenti die habeant, ſed ſpectent ad ſubſequentem, cujus tempus illud para exiſtit: idque Solis facultate evenit, qui ſuas vires continenter ſingulo die exercet eaſque abſolvit, poſtquam pervenit ad occaſum: alioſque denuo effectus producere incipit cum alterius diei initium præbet: idque ex eo conſtat, quia ſi dies quieta eſſe debet, nox præcedens plerumque quieta eſt: ſi laborioſa, moleſta: Unde hinc argui poteſt, in noctium computatione, præcedentem cum die ſubſequenti computandam eſſe: Quamvis Hippocr. hanc rem non determinaverit, eſt tamen probabile, quando & in Geneſi diem a nocte inchoare docemur, dum inquit Author, Et factus eſt veſperi dies unus. *Proſper Marſianus comm. in v. 162. l. 4. vill. Acutor.*

Hippocratis more dies criticos ſupputandos cenſeo, qui naturales non artificiales intelligit: Si Gal. more, criſes interdum fiunt in 6. interdum 8. ideo errant qui eum ſequuntur, & ſæpe occidunt; quod Medico celebri accidit, qui 14. die mane cucurbitulas ſcapulis mane applicari juſſit, cum ſcarificatione, & hoc modo criſin per urinam imminentem cohibuit, unde æger xxi. die morbi obiit, dum xiv. criſim jam apparentem compeſcuit. *Dom. Panarolus Pent. 4. Obſervat. 5. De modo numerandi dies Criticos peculiarẽ librum ſcripſit Petrus Caſtellus Medicus Romanus. & comm. in 1. ſect. aphor.*

XCIV. Licet in die decretorio nec fiat nec expectetur Criſis, tamen à ſ. m. & purgatione abſtinere debet Medicus: quamvis enim in ea criſis non fiat, apparet tamen mutatio aliqua, etſi occulta: quod experimento conſtat in cranii fracturis & affectionibus aliis: quam ſane mutationem Medicus advertere debet: argumento eſt, quod in illis diebus multo graviora ſymptomata ægris obveniant; Neque ab hac ſententia recedas ſi videas Hipp. in Epidemicis paſſim 4. 7. 14. & 20. die ſ. m. & purgationem exercentem, Et Gal. 4. acut. 76. qui non ſolum 5. die ſed 4. pharmacum concedit: Item 9. meth. 5. ſ. m. omni morbi tempore imperat, quia non numero dierum ſed uni virium robori attendendum ſit: Si enim eorum mens perpendatur, invenies eos iſtas vacuationes cogente neceſſitate celebraſſe: Neque mireris Gal. qui quarto die pharmacum obtulit, nam hic dies inter eos qui frequenter judicant non recenſetur, rarò enim Criſis 4. die accidit, cum, referente Gal. 3. criſ. c. 4. Archigenes totâ vitâ bis tantum id obſervaverit. *Zacutus Intr. ad praxim. Præc. 42.*

XCV. Videtur cum natura die critico tentat efficere vacuationem aliquam; ſed non integrè, licere Medico eam perficere: quia cum ſic irritata, & poſita in motu, meatus aperti, illius motus videtur eſſe juvandus, ſimile quid faciendo quo expeditius & facilius compleatur vacuatio. Ex adverſo ceſſan-

dum videtur, quia ſolet natura remiſſe & imperfecte incipere: quod ſi eo tempore Medicus aliquid operetur, irritando vel juvando immodicè, nocebit, nam naturam præcipitabit, ♃. Quando criſis fuit indicata, Medicus non debet die critico, nec proximo, vacuare, ſed ſolum, ex Avicenna 2. 4. tr. 2. c. 7. victus rationem inſtituere, quia motu contrario turbabit naturam: Si vero die decretorio non expectetur criſis, quia indicata non fuit, (*urgente neceſſitate*) poterit magno auxilio uti: Si vero natura incipit judicationem, agit tamen ignave & imperfectè, ipſam irritare, & leni aliquo auxilio opem ferre opus eſt: In die vero, qui decretorium ſequitur, quum jam certi ſumus de naturæ motu, magna auxilia adhibere oportet, quo actio die decretorio incepta compleri poſſit: Hoc modo intelligenda Avic. ſententia 2. 4. tract. 2. c. 64. cum ait, Et quando abbreviatur Evacuatio, poſtquam inceperit, oportet ut juvetur &c. *Idem ibidem.*

XCVI. Sicuti abſurdum eſſet enumerationem dierum in morbis, à die cauſæ procatarcticæ incipere, non ab eo in quo primum invaſit morbus: Ita inconveniens eſt in morbis a Partu ortum ducentibus, dierum computationem inchoare à die partus, non à die invaſionis morbi: Hoc tamen faciendum ea ſententia 3. Progn. prolata, ubi Hippocr. mulieribus à partu judicationes fieri ait, colligit Galenus, quem ſubinde Medici omnes ſequuti Hipp. ſibi ipſi manifeſtè contrarium & omnino inconſtantem faciunt; quandoquidem totum oppoſitum obſervaſſe conſtat in recenſendis morbis puerperarum, in quibus nonquam à die partus, verum à die invaſionis febris, dierum enumerationem ſemper inchoavit. Id paret ex hiſtoriis Epicratis uxoris, 1. Epid. 3. Philini uxoris, ibid. Uxoris Dromeadæ: Et certè nulla ratio perſuadet ut computatio à die partus fiat, à quo ſæpe mulieres nihil mali per plures dies patiuntur: inde vero tranſactis aliquando xx. diebus, febris ſupervenit acuta, cujus computatio, ſi à die partus fieret, quaternariorum ratio non eſſet habenda, qui xx. die tranſacta, juxta Hipp. doctrinam, conſiderari non debent; nam primus quaternarius in xxiv. diem incideret: Ab Hippocr. doctrina igitur adeo abſurda computandi ratio rejiciatur, atque ſententiæ loco Progn. citato explicationem invenire tentemus: Quæ, ni fallor, eſt hujuſmodi, Conſtitutiones morborum ut nos doceret Hippocr. ordine enumeravit dies in quibus eorum judicationes contingere ſolent: boſque duplicis naturæ eſſe adnotavit, quando alii ad acutos morbos, alii ad chronicos pertinent: Verum quia de quartana febre aliquis dubitare poſſet, quippe quæ peculiari quodam typo movetur, ſubjunxit, eodem dierum ordine & enumeratione quartanarum etiam febrium conſtitutiones procedere: Nunc pariter, quia morbi ex partu contingentes aliquomodo ab aliis differre videntur, ne quis exiſtimaret eas diverſo modo procedere, ſubjungit. *Juxta eandem rationem* (computandi ſcil. dies per quaternarios, ſeptenarios & quadragenarios, ibi explicatos) *fiunt etiam judicationes morborum ex partu contingentium.* Quo ſenſu adeo aperta & vera ſeſe offert ſententia, ut ſumma admiratione digni ſint qui, Galeni authoritate obcæcati, in tanta claritate caligaverunt. *Martianus comm. in cit. locum.*

XCVII. Quod ſinglis ſeptem & novem annis homo certam mutationem ſubeat, experientia comprobatum eſt: Dicuntur anni hi Climacterici, quaſi gradarii & ſcanſilea, per quos ad ſenectutem gradus facimus: In hiſce annis diſſuadet Graviua apud Horſtium tomo 2. p. 492. uſum medicamentorum magnorum & ſolennium; vel, ut Mermannus ait, Therapiam magnam: Sicut enim in diebus Criticis Medici prudentes nihil movent, ſed naturam agere ſinunt: Ita in his annis, cum ipſamet natura ſoleat plerunque magni aliquid moliri, Medico quieſcendum. *Hoëferus Hercul. Med. lib. 2. cap. 1.*

XCVIII. Curationes quas aggredi vetat hyems, incipio circa 12. diem aprilis, quia illud tempus judicatur aptiſſimum ab Hipp. qui lib. de Aere &c. ſcribit circa æquinoctia & ſolſtitia non eſſe adhibenda valida remedia, ſaltem per 10. dies antea & poſtea, fugienda enim eſt inæqualitas Martii, etiam in temperatis regionibus: quod animadvertere debent Medici, ubi tempore veris curationes inſtituunt. *Fonſeca Conſult. 64. tom. 1.*

XCIX. Mutatio medicamentorum crebrior ignorantiam vel diffidentiam Medici arguit; Hæc duplici ſenſu intelligi poteſt, vel quoad methodum, vel quoad medicamenta, Prius præcipitantiam notat & ea via deviare Medicum, quod viam non norit: Neque enim apud Medicum, valet illud Comici, *Quid ſi ſic tentem, ſi hac non ſuccedit, alia tentandum eſt via*: Neque nunquam mutanda, neque ſemper hæc ipſa, imo inde fit ut multa præſcribat Medicus, pauca uſurpentur: Ipſa vero medicamentorum mutatio, in ſimilem unum eundemque ſcopum, omnino & licita eſt, & copiam rerum & verborum apud eundem reperiri inſinuat: Hinc uti opprobrium eſt Medico idem ſemper propinari, Medicum nihil ſcire ulterius, omnem ſuppellectilem, licet ſatis certam, fuiſſe impenſam, unde tranſeunt facile ægri ad agyrtas, ita & in horas mutare conſilium & medicamenta, nuſquam enim eſt qui ubique eſt: *Wedelius De med. compoſ. extemp p. 24.*

C. Medicamenta obſoleta non præſcribenda: ſane ſeculorum decurſu ſplendor medicinæ certis quaſi formulis fuit in officinis incluſus, quibus ſolis & ſemper quaſi fuerunt uſi, magis confidentes magiſtris quam ſibi, unde nulla medicinæ acceſſio: merito ergo plurima ſunt obſoleta: Repurgandum hoc Augiæ ſtabulum eſt, id quod & de aliis ſimplicibus valet in genere, ſimplici credulitate & tranſcriptione apud Botanicos expoſita publico: auſim dicere via centeſimum encomium experimento firmatum: Par ratio eſt inuſitatorum, tum quoad vetuſtiora illa, tum quoad recentiora: hinc uti non ab Orco quaſi revocanda ſunt monachorum v. g. placita & arcana, ut illis fidamus, ita nec mera ſingularia, officinis etiam ſelectioribus inaudita, crepemus: quo quidem in genere ordinationis practici juniores nó raro ſolent peccare, & periculum famæ, ſi male ceciderit alea, ſubire: Valet hic omnino illud Hippocr. nec *temere* nec *timide*: dubia præſcribuntur, exemplo Opiatorum ſæpe in pleuritide, in initio, purgantia fortiorave emetica in phthiſicis, trochiſci de auripigmento loco ſuffimenti in iiſdem affectibus, elect. de arſenico in aſthmate: Sic & alia in hunc cenſum veniunt mercurialia, antimoniata, & quæ hinc nonnunquam leguntur generoſæ curæ, vel cum grano ſalis accipiendæ, vel non facile imitandæ: Quæ item non explorata ſunt, non citra rationem facile, ut vocant, in hoc vel illo ægro cum diſcrimine probanda; Dubia vero medicam. duplici ratione dici poſſunt, vel quoad præparationem, unde quo anno, quomodo, &c. paratæ ſint, in bene conſtitutis officinis ſolet annotari, vel quoad effectum. *Idem.*

CI. Quæ

CI. Quæ ſe invenunt contrarietate manifeſta ne miſceat Medicus. Hujus rei in ſpecie exempla præbent duo, in quibus tamen facilis eſt lapſus, v.g. non vitriolata cum nitroſis, vt in liquida, ita & in ſolida forma ſunt miſcenda, vt enim in priori fit inde aqua fortis, ita in hac idem odor ſtatim emergit, id quod præcipue in compoſitis eſt obſervandum, ne eodem ex fundamento vitriolum Martis cum nitro vitriolato miſceamus, perinde enim eſt ſub alia ſaltim forma: Sic aluminoſa quoque cum alkalibus non conjungenda, id quod in pulveribus febrilibus facile obvenit: vnde cavendum eſt ne magiſterio aluminis ingrediente recipiamus ſal abſinthii vel ſimile aliud. *Wedelius de comp. med. ex. p.* 124.

CII. An autem *Vngu. Vniverſalia*, vti de lapide *Butleri* ſcribitur (Vide *Fr. Hofmanni Cl. Pharm. l. 2. c. 65.*) ipſum ſolo quaſi linguæ contactu plurimos, ſi non omnes, morbos ſanaſſe, vna cum paucis, ſaltem adhibitis circumſtantiis: Nos non negamus illud *Helmontii* effatum, odores habere immediatū cum ſpiritibus contactum, & multum poſſe in excitando Archæo: Verum vero hac ipſa illinitione cum lapillo tali ex ente veneris &c. ille ipſe Archeus ita confortari poſſit, vt omnes cauſas occaſionales à ſe avertuncare queat, magnum eſt & vix concedendum poſtulatum. *Wedelius de med comp. ex. p.* 184.

CIII. An ex venenis & venenatis medicamenta ſalutaria elicere poteſt & debet? Non negarim ex venenatis creditis ſalutaria medicamenta parari poſſe, & male nobiſcum actum fuiſſe ſi non licuiſſet nobis Febri maligna, vltra ſeptennium his in oris graſſante, medicamenta ex antimonio & Mercurio parata exhibere, imò quampluribus hæc, præ alijs ex herbis & radicibus concinnata, ſalutifera & ſæpe citam opem tuliſſe, omnes qui hic medicinam facimus, experti ſumus: Verum non nego tum hæc, tum alia, quæ virulenta creduntur, in præparando peritam & ſtrenuam manum poſtulare: deinde aſſenſum præbeo *Sennerto Pr. l. 6. p. 1. c. 2.* quoſdam qui medicamenta per ſe venenata nimis incaute & temere exhibent, eo non ſatis firmiter probare quod talia medicamenta innoxia ſint, quia eo, quo exhibita fuerunt, die, vel ſequentibus aliquot diebus nihil noceant, cum ab ijs vitioſa diſpoſitio corpori imprimi poſſit, quæ longo demum tempore ſe exſerat. *Wepferus Tr. de Cicuta aq p.* 313.

CIV. Quotieſcunque Medicus generoſum aliquod remedium neceſſarium judicaverit, toties reluctantibus ægris, vel adſtantibus, periculum præſens & grave conteſtari; dilationis vel omiſſionis noxam oſtendere, ac tandem conſecuturum damnum obluctantibus adſcribere debet; quo tertiſſi ſalutem, & mali futuri metu obſecundent, qui probe ac petite ſuadenti parere nolunt: Qui autem hæc præcepta negligit Medicus, non tantum *Aegros ſuos*, verum ſimul ſemetipſum negligit: *Aegros*, quatenus dolorem aut moleſtiam aliquam refugientes, non vrgentur majori damno ab ipſis Medicis, nec proinde coguntur quaſi ad obſequium ipſis neceſſarium: *Semetipſum* negligit Medicus, quatenus re poſtea male cedente, culpa in eum omnis devolvitur, arguiturque aut *imperitiæ*, vtpote non prævidentis damna futura: aut negligentiæ, vt pote non providentis majori fervore atque contentione ad officium revocare ægros, ob ferendam moleſtiam ſemper excuſabiles. *Sylvius de le Boë Prax. lib. 2. cap. 12. §. 69.*

CV. Mihi nonnunquam ſubiit cogitare, nos in morbis depellendis haud ſatis lente feſtinare, tardius vero nobis eſſe procedendum, & plus Naturæ ſæpenumero committendum quam mos hodie obtinuit; Errat enim, ſed neque errore erudito, qui Naturam artis adminiculo vbique indigere exiſtimat: Nam que id ſi fieret, parcius humano generi ea proſpexiſſet, quam poſtulat ſpeciei conſervatio: Cum ne minima ſit proportio inter morborum ingruentium frequentiam, & facultates quibus pollent homines ad eoſdem fugandos, vel ijs ſæculis quibus medendi ars maxime caput extulit, & à quamplurib⁹ exculta eſt: Aliis in morbis quid hoc protecerit neſcio, illud ſatis ſcio ea diligenti obſervatione mihi auſtipulante, quod in Febre in qua Stupor vigebat, dictum ſymptoma poſt vſurpatas vacuationes generales, venæ ſectionem & Enemata, ſolo tempore fœliciter ſolebat vinci. *Sydenham Obſ. in Acut. p.* 331.

CVI. Vbi morbi ſpecies obſcura eſt, tamen ad curationem quod attinet, Indicatio à *Iuvantibus & Lædentibus* ſumenda nobis relinquitur, cujus ope viam paulatim præſentantes ægrum in tuto poſſimus collocare, modo ne plus ſatis properemus: qua quidem feſtinatione nihil ego quicquam exitialius eſſe exiſtimo, nec re vlla alia ægrotantium plures vita ſpoliari: Neque pudet fateri me non ſemel in febribus curandis, vbi nondum conſtaret quid mihi eſſet agendum, nihil prorſus agendo & mihi & ægro conſuluiſſe optime, Dum enim morbo invigilarem, quo eum opportunius confodere valerem, Febris vel ſponte ſua ſenſim evanuit, vel in eum ſe typum redegit, vt jam mihi innoteſceret quibus armis eſſet debellanda: Sed, quod dolendum, ægrotum plurimi haud ſatis gnari quod perinde ſit Medici periti quandoque nihil agere, atque alio tempore efficaciſſima adhibere remedia, probitatis atque fidei fructum hunc capere nolunt, ſed vel negligentiæ, vel ignorantiæ id imputant, cum Empiricorum inſulſiſſimus quilibet medicamenta medicamentis adjicere æque novit, atque ſolet magis quam Medicorum prudentiſſimus. *Idem p.* 376.

CVII. Malim vti Medico Empirico, i. e. ſecundum Experientiam praxim exercente, quam Theoretico, & ea ſuis ratiociniis & figmentis medicinam faciente; Docuit enim Exper. jampridē omnes accuratos eorum, quæ circa Artem noſtram accidunt, obſervatores, longe feliciores eſſe in Praxi Medicos Empiricos quam Theoreticos, quique ex libris Medici ſunt, aut ſuis ſpeculationibus, homines in ſua dementia tanto miſeriores, quod tam multos ſecum reddant miſeros: Sed ſeſquipedalibus verbis & ampollis vult decipi mundus. *Fr. Sylvius de le Boë Prax. l. 2. cap.* 23.

F I N I S.

INDEX RERVM
EXTRAORDINEM ALPHABETICVM
COLLOCATARVM.

Prior numerus paginam indicat, Poſterior articulum.

A.

ABORTUS *partu naturali magis periculoſus.* Pag. 1.
A majorum remediorum uſu non ſemper excitatur. ibid.
Imminentis ſignum. ibid. 2.
Cauſa ſnus varia. 2. III. VIII.
Abſceſſus *quid.* 904. XII.
Abſceſſuum generatio poſt febres. 249. XXXV.
Abſceſſus ab inflammatione cauſa. 417. VI.
In lumbis latentis ſigna. 5. XI.
Abdominis hydropem mentientes. 7. XXV.
Abſorbentia *medicamenta quæ* 825. II. 776. II.
Abſtinentia *a cibo & potu dotes.* 35. I.
Vini arthriticos ſanavit. ibid.
Abſynthii *vis* 411. LXXXI. 696. XXII.
Famem accerſit. 218. I.
Pontici vires. 861. I. I.
Abuſus noxa. 855. IX.
Acetoſitas eſurina. 700 LIV.
Acetum. 816. XXI.
Aceti vis. 489. XI. 732. I.
Nervis nocet. 744. XXXIV. XXXV.
Acrium vires infringit. 23. XV.
Cur nocet utero. 957. III.
An frigidum. 46. VI. 78. XXIV.
Melancholicis an nocet. 475. XXXVIII.
Lienoſis convenit. 382. XXX.
Stillat. plumbum ſolvit. 133. I.
Antidotus Peſtis vi & acida omnia. 260. XXIII.
Acetaria. 816. XXII.
Acida *bilem obtundunt.* 744. XXXV.
Dulcorant amara. 187. XX.
Sanguinem congelant. 676. XXXVI.
Sanguinem coagulant. 559. I.
Quomodo ſiſtunt ſanguinem. 321. VII.
Fere omnibus morbis conveniunt, exceptis thoracicis. 17. I.
Sudoris eruptionem juvant. 826. IV.
Sanguinem coagulatum reſolvunt. 834. II.
Narcotica infringunt. 842. XXIV.
Vis in coctione ventriculi promovenda. 694. VII.
Diverſitas. 198. XXXVII.
Calida an frigida. 769. V.
Correctio. 862. LVII.
Acidi humores quomodo purgandi. 872. XXIII.
Acidum obtundit ſulphur. 787. I.
Sanguinem coagulatum reſolvit & reſolutum coagulat. 788. I.
Bezoarticis junctum efficacius. ibid.
Putredinis cauſa in corpore. 958. I.
Acidus ſuccus ſanguinis conſiſtentiam conciliat. 268. XLVI.
Acidum *peccans in corpore multorum morborum cauſa.* 19.
Vim ejus infringentia. 512. III. XIX.
In corpore varii effectus. 863. LVII.
Acidi ſucci *obſtructiones fovens.* 824. LIV.
Aciditas *ſæpe caloris effectus.* 381. XXXVI.
Acida *in vaſis aneis non decoquenda.* 857. XXXIII.
Acidum tartari *quid.* 857. XXXIII.
Acor *cauſa cruoris extravaſati.* 563. XV.
Acidularum *potus convenit hepati calidiori.* 56. III.
Nocent nervoſo generi. ibid.
Hydropicis noxia. ibid.
Acidula Iweldulenſes. 150. XIV.
Acidularum B. Virginis facultas. 33. XXVIII.
Aconitum 688. XXVIII.
Acre *duplex in humoribus.* 862. LVII.
Acrimonia *humorum vel ſalſa eſt, vel acida.* 19. LIV. XIII.
Acroaſis *Medica.* 964. IV.
Adſtringentia *Medicamenta.* 144. XXXI.
Adſtringentia & Siſtentia differunt. 227.
Ægri *an deſerendi.* 9.
Ægyptiorum *mos circa purgationem.* 876. XLIII.
Ægilops *non ſemper eſt fiſtula.* 9. VI.
Avis *efficacia in morbis pulmonis.* 550. XL.
Puritas neceſſaria ægro. 819. XXX.
Ægyptiis *peſtis epidemia.* 255. IV.
Affectuum *per conſenſum diverſitas.* 82. LX.
Agarici *correctio.* 891. XI.
Abito *quis affectus.* 413. XCII. b.
Albumen ovi *vinum evanidam reſtituit* 823. XLVIII.
Alvum laxat. 812. VII.
Alkalina *ſi juvant non ideo inferendum peccare acidum.* 817. IV.
Allium. 218. LXXX.
Vis in colica. 116. V.
Alliorum uſus. 263. XXXV.
Flatus diſcutit. 122. XLVIII.

Aloe. 891. 4. xliii. 883. ii. 887. ii. 579. ii. 895. vi.
Iecori inimica. 380. xix.
Præparatio. 892. xliii.
Senibus amica. ibid. 44.
Alteratio *humorum.* 855. x.
Quid & quotuplex. 770. viii.
Alumen *tectum in cryſtallos abit.* 857. xxxiii.
Alvus adſtricta *quomodo capiti nocet.* 76. xii.
Siſtentia. 114. vii.
Duriſſima a lenibus commota. 10. i.
Varia cauſa. ibid.
Amara *an quædam frigida.* 769. vii.
Corruptionem arcent. 760.
Ambra *eſt fumoſa.* 841. xxii.
Epilepticos juvat. 78. xxix.
Amygdalæ *rancidæ nocent.* 819. xxvi.
Amara ſuibus & gallinis venenum. 605. i.
Amygdalæ *ſive Tonſillæ.* 634. iv.
Amylum. 323. xvii.
Anagallis, *Corallium vocatur Tralliano.* 40. lviii.
Anatomia *cavillatoria.* 79. xxxvii.
Anginæ *peripneumonia ſæpe eſt ſocia.* 15. ix.
Anguium *decoctum.* 576. i.
Anguſtia *quotuplex.* 420.
Animi exolutio, *differt à deliquio & ſyncope.* 640. xxi.
Aniſi *ſemen.* 405. li.
Decoctum efficacius oleo: 118. xxi.
Annellatio. 794. xii.
Anni conſtitutionis *ratio habenda in morbis.* 562. ix.
Anodynum *ex vitriolo.* 841. xxii.
Antidoti *magna ob opium ſudorem movent.* 38. xli.
Cerebro affecto quando juvant. 25. xxx.
Famem tollunt. 26. ii.
Antifebrilia *quomodo agant.* 249. xxxvii.
Antimonium. 715. iii. 689. xxxvii.
Humanum corpus purificat non ſecus ac aurum. 733. ix.
Visu morbis ab atra bile. 385. li.
Peſtis alexiterium. 268. xlvii.
Ad purgationem quomodo turpandum. 417. xi.
Antimonii flores, vitrum. 472. xiv.
Vitrum. 954. xxxv.
Diaphoretici vis. 643. xxvii.
Antimon. diaphor. 766. xxxii. 383. xxxiv. 572. lx. 940. xxx.
Antimonialia natura amica. 612. v.
Puri reſiſtunt. 557. xlvii.
Optime mundant ſanguinem. 673. xxxv.
Puris noxam optime emendant. 7. xxxii.
Hepar juvant. 837. vii.
Aquoſus humor *per urinam aut ſudorem potius quam per alvum educendus.* 872. xxi.
Aquæ benedictæ *efficacia.* 44. ii. 954. xxiv. 955. xli.
Vis in Apoplexia. 22. iv.
Aqua carnium ſtillatitia. 616. ii.
Febrifuga Riverii. 207. xxv.
Aquæ frigidæ *potus.* 234. xii.
Aqua hordei. 823. xlix.
Aqua apoplectica vis. 25. xxix.
Cephalica ſæpe noxia. 86. xl.
Aqua diſtillata frigida quibus noxia. 218. xlviii.
Aqua calcis viva. 439. xxxiii.
Nocera. 324. xxxii.
Villenſis. 324. xxii.
Beata Virginis. ibid.
Brandulenſis. ibid.
Maſini. 324. xxxiii.
Engaddena. ibid.
Vallis Solis ibid.
Aquarum vitriolat. uſus in hæmoptyſi. 324. xxxiii.
Sulphurea caput implent. 324.
Theriacalis Stapediana. 130. xv.
Magnanimitatis. 477. iii. 478. ii.
Spadana. 753. x.
Aluminoſa. 756. xxix.
Provinciales. ibid.
Aqua ſtillatitia noxia, 856. xxii.
Aqua auribus inimica. 402. xxxii.
Aqua minus quam vinum excrementitia. 43. lxxiv.
Capiti frigida ſuperfuſa quomodo juvat. 87. lii.
Aqua frigida potio. 227. ii.
Frigida vis in doloribus. 485. iii.
Aqua frigida ſiſtit ſanguinis fluxiones. 784. i.
An ventrem ſolvit. 818. xxiii.
An decoquenda. ibid. xxiv.
Quæ optima. 817. xxiii.
Cur vorax. ibid.
Quomodo eſt biliosa. 817. xxiv.
Putreſcens vireſcit. 247. xxxiv.
An humelles. 814. xiii.
Quæ optima. 816. xxiv.
An coquenda. 824. i.
Aquæ *ſalſæ.* 31. iii.
Tepida ante cibum ſumpta vis. 60. xvii.
Frigida uſus in doloribus. 123. lii.
Aqua ophthalmica. 497. xviii.
Pulli gallinacei. 114. xvii.
Spermatis ranarum. 176. x.
Aqua vita noxa. 699. xlv. ii.
Probitas quomodo examinanda. 250. xxxviii.
Capiti noxia. 75. ix.
Periculoſa. 606. xii.
Aphor. 9. Epid. 16. *explicatio.* 165. v.
Apium. 169. xvi.
Apoplexia *ex niſu in fæcibus excernendis.* 12. xi.
Apoplecticis unde vita diſcrimen. 20. i.
Non ſtatim ſepeliendi. 26. xxxiii.
Appetitos *facultas princeps.* 843. xxviii.
A narcoticis tollitur. ibid.
Apozematum *noxa.* 855. xvii.
Abuſus. 189. xxx. 856. xvi.
In hydropem ducit. 216. xl.
Appetentia *quomodo excitatur.* 218. i.
Aqua ſomnifera *Langii.* 841. xxii.
Arcanum Corallinum. 609. x.
Duplicatum. 400. xxviii.
Archeus *furens quomodo reprimendus.* 704. vi.
Arenulæ *rubra in urinis.* 59. xii.
An ſemper calculi ſigna. ibid.
Excreta non ſemper à renibus. 486. vii.
Argentum vivum *intus aſſumptum.* 131. ii.
Aromatum *uſus.* 623. ii.
Aromaticorum virtus. 632.
Arſenicum *exitioſum medicamentum.* 69. iii.
Intus non ſumendum. 600. xvi.
Appenſum antidotus. 261. xxxii.
Arteria *ſciſſa an coaleſcat.* 779. i.
Frontalis. 779. ii.

Rupta vix conſolidantur. 13.IV.
Arthritis, *nephritis, affectio hypochondriaca, affectus congeneres.* 780.I.
Arthritis *à podagra quomodo diſtinguenda.* 27.
Morbus eſt acutus, podagra chronicus. ibid.
Cur recidiva, ut podagra, non obnoxia. ibid.
Cur incurabilis. 41.LVIII.
Articuli *non roborandi in arthritide.* 39.XLVIII.
Eorum debilitas in quo conſiſtat. ibidem.
Aſarum. 955.xl.
Aſininæ *carnis eſus.* 427.V.
Aſſueta *non alterant.* 854.VII.
Aſtrologiæ *incertitudo.* 917.xlix.
Atra bilis *quid.* 862.lvi.
Præparatione maxima eget. 377.II.
Attrahentia *medicamenta.* 142.XIV.
Auris *vehementia fert remedia.* 645.X.
Auris lobi conſenſus cum toto. 794.XII.
Aurum foliatum. 763.XV.
Eſt cardiacum. ibid.
Mercurij noxam reprimit. 451.xli. 449.xlviii.
Diaphoretici vis. 497.XVII.b.
Auſtera *concretionis in corpore ſunt cauſa.* 59.XV.
Autumnales morbi *à vernalibus differunt.* 180. XXXIII.
Axungia humana *præſtans anodynum.* 40.li.
Azari *vis diuretica.* 832.XXII.

B.

Balneum *inſigne vacuatorium.* 784.II.
Villenſe. 324.XXIX.
Ex urina. 576.II.
Ex ligno juniperino. 38.xliii.
E pice liquida. 430.XIII.
Frequentia oculis nocet. 455.V.
Balſamus ſulphuris. 718.XVII. 710.VIII. 517.xli. 555. XXXVII. 595.XX. 695.XX.
Efficacia. 7.XXXII. 100.VIII.
Eſt hidroticus. 249.XXXVII.
Terebinthinatus. 145.VI. 417.VI.
Peruvianus. 146.XIII. 153.XXXII.a. 172.xlvi.
Saturni. 176.IX.
Artus roborans. 40.lvi.
Bezoar lapis. 763.X. II. CXCV.
Occidentalis. 261.XXVII.
Bezoarticum minerale. 940.XXIX. XIX. 26.IV.
Bilis *ex quibus conſtat.* 837.II.
In ſtatu naturali conſervanda. 829.VII.
Alterantia. 862.liii.
Mutationes variæ. 862.liv.
Color naturalis. 862.liii.
Non naturalis. ibidem.
Sapor. ibidem.
Odor. ibidem.
Non eſt inutilis: 871.XX.
In ventriculo exiſtens lateribus dolorem facit. 564.XXI.
Tunicis inteſtinorum ſe inſinuat. 122.xlix.
Bilis & pituita appetitum tollunt. 393.I.
Biſtortæ. 758.XVI.
Bochetum rhei. 406.liv.
Bolus Armena *in ulceribus.* 723.xl.
Vera non reperitur. 261.XXIX.
Boreas *catarrhos ciet.* 325.
Brachio *uno affecto vena potius in pede ſecanda quam altera.* 49.
Bronchotomia. 15.IX.
Braſſicæ *eſus cur podagricos juvat.* 42.lxx.
Bubones *non ſunt luis ſignum diagnoſticum.* 54. XIII.
Bufonum *pulvis.* 760.
Siccus appenſus collo. 682.lxxv.
Exſiccatus. 733.II.
Butyrum *in bilem abit.* 553.XXVII.
Butyri *antimonij vis.* 13.IV. 485.II. 100.VIII.

C.

Cachexia *à lymphat. vaſorum vitio.* 57.IX.
Cadmæa *victoria.* 966.XXVI.
Calculo *non ſunt obnoxij qui alvum habent lubricam.* 58.IX.
Omnes ſolvuntur in ſpiritu acido ſalis aut nitri. 59.XV.
Veſicæ ſigna ſunt dubia. 65.VII.
Calculoſi quando cachectici fiunt. 57.VIII.
Ex bile. 389.XIII.
Materialis cauſa. 850.I.
Calida *alia ſulphurea, alia ſalina.* 769.V.
Calida quædam refrigerans. 837.IV.
Calidæ *potus.* 229.VII. 729 XIV.
Calomelanos *Turqueti.* 893.L. 207.XXV.
Calor *per ſomnum ad interna non fertur.* 194.XIV.
Calvitium. 10.
Camphora. 763.XIV. 605.I. 634.XXIX.
Eſt calida. 75.VII.
Cæterorum medicamentorum vehiculum. 257.X.
Caput ferit. ibid. 257.IX.
Camphorata non omnes ferunt. 826.VI.
Camphora geſtatio arcet pediculos. 458.I.
Cancrorum *fluviatilium vis diuretica.* 831.XIV.
Cancer *ulcus quid.* 70.III.
Repulſus a mammis tranſit ad uterum. 70.V.
Signa. 73.XXII.
Cancri *origo.* 484.X.
Canis *rabidi ſigna.* 360.VIII.
Cannabis *ſemen.* 390.XIV.
Cantharides. 606.II. 587.XII.
Cantharidum infuſum. 831.XVIII.
Vis diuretica. 831.XVIII.XXI.
Correctio. 313.IX.
Quomodo exhibenda. 368.XIII.
Veſicæ inimica. 949.lxxi.
Quomodo venerem movent. 778.II.VI.
Remedium ad epotas. 777.VI.
Capitis *lavandi ratio.* 497.XVII.
Morbi plures ex cauſis calidis quam frigidis. 75.IX.
Purgantia inimica. 76.XV.
Laboranti quomodo ſuccurrendum ex circulat. ſanguinis. 77.XXI.
Subjacet externis injurijs. 164.XII.
Capparæ. 615.VIII. 399.XI.
Carabe. 587.XI.
Cardiaca *aliquando perniţioſa.* 214.XXXI.
Carduus benedictus. 939.XIX.
Carminantia *plurima ſunt diaphoretica.* 789.V.
Sunt uterina. 954.IV.
Bilem acriorem reddunt. 789.III.
Caro ſuillæ *inſalubris.* 724.xliv.
Carnium nauſea cauſa. 393.II.
Salitarum eſus. 263.XXXIV.
Carpo xdmota *cur febrem tollunt.* 79.XXXVII.
Catharmus. 888.X.

Caſſia diuretica eſt. 58.III.IX.
Quibus noxia. 32.XXIV.
Vis 473.XVII. 472.XVII.4. 892.xlv. 881.lxxx. 888.IX. 579.X.
Flatus generat. 817.IX.
Caſtoreum cum diagridio pituitam è capite ducit. 430.I.
Opii nocumenta tollit. 46.
Vis in affectibus uteri. 88.lvii.
In affect. hypochondriaca. 386.lvi.
Caſtratio nocet intellectui. 407.LVIII.
Temere non inſtituenda. ibid.
Vtilis in lepra. 441.XIII.
Cataplaſmata. 944.VIII.
Veſicatorium. 945.VII.
Anodynum. 39.XLVII. 40.LIII.
In arthritide. 43.LXXVII.
Stomachicum. 730.XXII.
Revellens. 265.XLIV.
Catarrhorum fons an cerebrum. 81.LIII. 786.I.
Suffocativi cauſa. 164.VI.
An a cerebro. 105.XIII.
Catarrhus ſuffocativus. 9.
Catarrhoſi infantes errore nutricum. 397.III.
Catheter major minori melius ſubit. 424.XIV.
Cauſæ ſpecifica invenienda ad inventionem remedij. 241.
Cauteria ex cryſtallis Lunæ. 799.XLIV.
Cauſticum Hildani. 705.
Cauterium potentiale optimum ex calce viva & ſapone. ibid. 4.VI.
Ejus commoda & incommoda. 4.VI.X.
Actuale ex auro. 9.VII.
Celſus Chirurgiæ peritiſſimus. 96.XXVI.
Cepa. 218.I.
Cephalalgia in ecchymoſin deſinens. 161.VIIII.
Cephalica medicamenta quo modo agant. 98.VI.
Omnia ſunt uterina. 957.III.
Ceræ uſus internus. 155.XLVII.
Ceratum lienem molliens. 439.XXXIII.
Prevotij contra Cancrum. 73.XXII.
Cerebri ſubſtantia qualis. 88.lVIII.
Operculo ſuo denudatum. 93.IX.
Opium infeſtum. 842.XXVI.
Non eſt fons catarrhorum. 719.XV.
Cerevisia. 823.xlIX.
Ceruſſa antimonii. 722.XXXV.
Antimonialis diaphoretica. 717.IX.
Chalybs aliquando adſtringit, aliquando laxat. 860.xli.
Anatome. 858.XXXIX.
Præparatio. ibid.
Obſtructiones reſerat. 379.X.
Vis in obſtructionibus. 383.XXXI. 390.XV. 111.VII.
Præparatio ad obſtructiones. 858.XXXV.
Chalybeatorum uſus.
Chamædrys & Centaurium minus vim habent antiſpaſmodicam. 44.III.
Chamomilla vulgaris Romana temperatior. 58.III.
Vis 850.III.
Chiapinius Vitellius aceti uſu macer factus. 488.I.
China China cortex. 207.XXIV.
China radix. 449.XXXV. 448.XXXIII.
Cuſo ſit efficta. 235.XX.
Chylus vix permeans cauſa doloris colici. 1XI.XXXIV.
Chymicorum medicamentorum noxa. 38.XLII.
Cicatrix in gena vitanda. 5.XIV.
Cicatrices impediunt fluxiones. 420.I.
Cichorium hepati amicum. 393.II.
Cichorij ſylv. vires in arthritide. 34.XXXV.
Cicuta. 661.XXXV. 691.XLIV. 774.VIII.
Tutum narcoticum. 39.II.
Cingulum Sapientiæ Rulandi. 898.VII.
Cinnabaris. 689.XXXVII.
Nativa. 774.XI.
Cinnabarinorum vis. ibid. 781.II.
Hepati amica. 837.IV.
Efficacia in affectibus uterinis. 957.III.
Circulatio ſanguinis. 540.I. 560.IV.
Notitia maxime utilis. 259.XVI.
Ex conſenſu pedum cum capite confirmata. 79. XXXVII.
Impedita cauſa. 417.VI.
Circulatum aperiens Fortis. 458.XXVII.
Clyſteres. 579.XII.
Clyſteres purgantibus potionibus quando præferendis XI.VI.
Clyſteres inteſtinis peregrini. 775.XX.
Britannicus. 804.X.
Adſtringens. 216.XXXVIII.
Ex aqua bened. 573.lx.
Hydragogus. 343.xlix.
Coagula parce exhibenda. 321.IX.
Leporis. ibidem.
Coaleſcentia. 490.
Cochlearum eſus. 158.XII.
Cochleæ tuſæ humorem extrahunt. 87.LIII.
Coctio humorum quotuplex. 855.XII.
Fit per externa & interna. 854.VIII.
Materia febrilis quid. 195.XXI.
Cœcum inteſt. flatuum receptaculum. 802.X.
Coſé vel Caffé. 616.II.
Colicus dolor a vini uſu ſæpe inducitur. 123.li.
Colica diatheſis. 117.XII.
Collyrium quid. 499.XXX.
Colocynthis. 818.XXXIX. 888.XI.
Colorum ſpeculatio difficilis. 127.
Varietas. 922.lxv.
Compreſſio vaſorum. 490.
Concoctio morbi quid. 412.lxxxv.
Conditum adſtringens. 224.
Confectio alkermes. 763.XXVI. 766.XXXIII. 143.XXI. 149.IX. 473.XXI.
Anacardina noxia. 800.V.
Hameeh. 476.xli.
Lætificans Raſis. 476.xl.
Conſerva roſar. rub. 557.XLII.
Conſtipatio vaſorum. 490.
Conſuetudo quando ſervanda. 813.XII.
Mala ſervanda. 967.XXXI.
Vis. 814.XV.
Cor fragans ſuaviter in mortuo. 762.VIII.
In melancholia patitur. 472.XXII.
Cordis & cerebri conſenſus maximus. 76.X.
Cor & ſanguis ſunt cauſa ſocia. 789.I.
Corallina. 414.XCIX.
Corallum nil facit ad ſanguinis generationē. 460.IX.
Corallia qua vi agunt. 313.XXIV. XXV.
Vis. 776.XI. 175.III. 440.V.
Vis in malignis febribus. 244.XXI.
Coriandrum eſt calidum. 546.XXII.
An caput petat. 78.XXXIII.
Corporis centrum ubi quærendum. 952.VII.
Vbique pervium. 945.XVI.

Corpora impura caute movenda. 917.xliv.
Iam accubitus juxta ægrum ſanitati confert. 197.xxx.
Cornu Monocerotis. 764.xix.
Cervi. 764.xvi. 17.xviii.
Capræ. 620.xv.
Cranium *non ubique duplex.* 99.xlvi.
Vis in Epilepſia. 966.xxvii.
Craſſi humores. 572.liv.
Cremor Tartari. 858.xxxviii. 857.xxix.
Dosis. 377.xii. 388.v. 384.xxxix.
Crocus. 415.cix.
Vis in Ictero. 390.xiv.
Crocus Martis. 111.vii.
Feces tingit & ructus ciet. 385.liii.
Aperitivus. 437.xxvii.
Adſtringens. 758.15. 859.xxxix.
Crocus metallorum. 805. xliv. 891. xli. 954. xxxiv.
Cryſtalli Lunæ *potens hydrogogum.* 892.xlviii.
Cryſtallus *quomodo ſit ſolubilis.* 64.i.
Cryſtalli Tartari. 858.xxxviii. 857.xxix. xxviii.
Cucumerum *eſus.* 127.vi. 429.viii.
Cucumeris agreſtis *radix.* 367.ix.
Cucurbitula *ſincipiti admota in apoplexia.* 25. xxv.
Culinariæ *artis initium unde.* 820.xxxiii.
Cutanearum venarum *vis.* 945.xvi.
Cutis *ſuſcipit interiorum excrementa & cohibet.* 723.xli.
Cynogloſſum *valet contra veneficia.* 691.xliii.

D.

Decocta *an ſiccare queant.* 105.xiv.
Decoctio *ſudorifica.* 229.iii.
Decoctum *Guajaci.* 739.xiv.
China. 739.xvi.
Cephalica non hidrotica capiti noxia. 80.xli.
Dentium dolor *capitis doloris cauſa.* 85.xxiv.
Deobſtruentia ſalia. 493.xiii.
Depilatoriorum *natura.* 73.i.
Deplorati *an deſerendi.* 965.xxiii.
Deſpumatio *febrilis.* 200.i.
Diacorallium *Tralliani.* 40.lviii.
Diæta ſola ad curationem non ſufficit. 820.xxxiv.
Hidrocatharctica. 877.li.
Diacuminum. 572.lviii.
Diaphœnicum. 121.xliv.
Diaphragma. 165.ix. xxiii.
Diarrhœa *Peſtis ſymptoma lethale.* 254.ii.
A nimis incidentibus aliquando excitatur. 555. xxxiv.
Menſium fluxum deficientem ſupplet. 478.iii.
Diaſcordium. 195.xvii. 316.xxxvii.
Διαδοσις ὑδερωδής. 964.ii.
Diſgregatio humorum *cauſa cruditatis.* 853.iv.
Diuretica *in veſica calculo quando locum habeat.* 67.xx.
Vt plurimum hidrotica ſunt & viciſſim. 417. 26.
Sunt emmenagoga. 580.xiii.
Diureſis eſt vacuatio univerſalis. 830.viii.
Doloris *ſedativa.* 775.xxii.
Curatio per cucurbitulas. 807.xli.iii.
Per rationem victus. 815.xviii.
Vagi ſæpe ſpaſmodici. 44.iv.
Vtcrini in ſincipite maxime ſunt. 88.lvii.
Aſtatn. 903.viii.
Cauſa a variis humoribus. 133.i.
Dorſi venæ ſectio. 926.lxxxiv.
Dulcium *abuſus noxius.* 824.lv.
Vſus. 957.v.
Obſtructiones faciunt. 837.ii.
Inflant lienem. 414.v.
Viſceribus an nocent. 158.xi.
Sulphurati miſta fermentationem cient. 533. xxvi.
Non unius ſunt generis. 540.vii.
Hepati nocent. 541.ibid.
Acidis temperanda. 555.cxxxv.
Noxa in febribus. 196.xxvi.
Vſus in aperientibus. 777.xx.

E.

Ebeni *decoctum.* 710.xxvi. 131.xvii.
Eboris *vis in affectione hypochondriaca.* 385.xlix.
Ebullitio *in febre.* 190.xxxiii.
Ebulus. 889.xxi.
Ecſtaſis. 505.lxxiii.
Edulia *pituitoſiſſima quid Hippocr.* 434.vii.
Effervescentia *in tenui inteſtino & corde.* 862.lvi.
Alia à calido, alia a frigido. 863.lvii.
Effervescentiam humorum cohibentia. 19.
Elaterium. 367.ix.
Elect. *purgans in arthritide.* 34.xxx.
De Ovo. 763.xxvii.
De chalybe Augeni. 858.xxxv.
Elixir proprietatis. 557.xlv.
In obſtructionibus vis. 383.xxxiii.
Elleborus. 888.xii.xiii.
Emplaſtra. 944.viii.
Lumbis admota diu non geſtanda. 2.ix.
Pus in pectore concluſum eliciens. 4.iv.
Abſorbens pus. 6.xv.
Magnetici arſenicalis vis. 53.vi.
Nucha admotorum vis. 78.xxxv. x24.
An geſtanda quoad ſponte decidant. 79.xxxvi.
Ex cicuta. 439.xxxiii.
Diaphoreticum. 662.xlii.
Diaſaponis. 373.xlix.
Oſſa contuſa cranij ſanans. 93.viii.
Carminans Sylvij 439.xxxv.
Empl. de ſpermate ceti. 417.vi.
Empyreuma quid. 127.i.
Emulſiones. 212.xxi. 664.xvii. 703. liv. lxxxv. 758.xiv.
Fermentationem humorum promovent. 385.lii.
Lithontriptica experta. 67.xix.
Ex amygdalis. 819.xxvii.
Abuſus noxius. 819.xxix.
Epicraſis. 185.viii. 813.x.
Epilepſia *in nephritidem tranſiens.* 6.xvi.
Puerilis præcipua cauſa. 405.lii.
Epomphalia purgantia. 148.iv.
Equitationis *utilitas in morbis.* 123.xlix.
Eryſimi *vis in colica.* 116.v.
Eſcharotica. 757.i.
Evacuantia *ex mineralibus non nimis fixa eſſe debent.* 899.xi.
Euſtalia. 496.xvi.

Euphorbium. 718.xiii.
Præſtantia in carie oſſium. 8.ii. 87.liii. 512.405.
Examthema *quid.* 904.xii.
Excrementorum *viridis color in infantibus.* 404. xlvii.
Exorciſtæ. 401.xxix.
Expurgatio ſanguinis. 714.iii.
Externus admota *alterant interius.* 854.viii.
Extractum colocynthidis. 472.xvi.
Rhabarbari. 860.lxxv.
Extracta purgantia. 889.xxii.
Simplicia ſæpe præſtant compoſitis. 843.xxxix.
Colocynthidis. 50.iv.893.li.
Purgantia pigriora. 896.lxiii.
Extremæ partes *multis gaudent vaſis.* 247.xxxiv.

F.

Faces *accenſa geſtata à peſtis contagio præſervant* 264.xl.
Facies *repellentia non admittit.* 100.x.
Fæces *nigra à ſumptis Martialibus.* 933.viii.
Nigricant ab aſſumpto ferro. 858.xxxix.
Fæculæ exiguæ *efficacia.* 172.xli.
Faſciatio *infantium ſtrictior cur noxia.* 397.iii.
Febris *remediis non cedens quomodo curanda.* 273.
Diaria artificio excitata. 180.ii.
Medela cur difficilis. 189.xxxiii.
Continua conſtituno. 198.xxxviii.
Maligna cur ſæpe parum æſtuant. 241.
Febris in apoplexia. 25.xxvi.
Arte an excitanda. 107.xxvi.
Fellei meatus *obſtructio cauſa durioris alvi.* 116. viii.
Fel *Lucii piſcis.* 508.xcix.
Femoris *interni vena.* 917.lvi.
Fermentum febrile. 180.ix.
Fermentatio humorum natura organum. 189.xxxiv. 193.vii. 200.
Fermentum ventriculi. 934.ii.
Fermentum felleum. 774.
Viscoſum omnium fere morborum origo. 771.
Ferri *præparatio.* 858.xxxix.
Fibræ ſanguinis *quid.* 923.lxv.
Ficuum *eſus.* 680.lvi.
Flagellatio *venerem excitans.* 606.ix.
Flatuum *in hypochondriacis cauſa.* 379.xiii. 374.i.
Flatus in hypochondriacis caloris ſoboles. 474. xxviii. 492.xi.
Generatio. 788.i. 789.v.
Florentiæ *capitis vulnera cur plurimum lethalia.* 96. xxvii.
Flores ſulphuris. 134.xxi. 533.xxi.
Antimonii. 532.xviii. 954.xxxv.
Perſicorum. 951.iii.
Fluor *ſymptomaticus.* 140.v.
Fœnugræcum. 805.xxxviii.
Fonticulorum *vis in obſtructionibus viſcerum.* 493. xiv.
Fotus. 486.xxiii.
Siccus cerebrum roborans. 78.xxx.
Fracaſtorius *apoplecticus obiit.* 25.xxv.
Frictiones. 78.xxxii.
Frigida *actu admota quomodo juvant in arthritide.* 37.xl.
Frigida potio. 196.xxiv.
In febr. 219.ii.v.
Nocumenta. 210.i.
Frigus extremorum *quid ſignificet.* 243.xxii.
In malignis febribus. ibidem.
Frigoris interni capitis cauſa. 38.lix.
Fructuum *eſus.* 822.xlii.
Horas inſalubres. 819.xxxvi.
Acidi quando noceat. ibidem.
Horæi nive refrigerati ſalubres. 819.xxvii.
Fuligo *cerebro excipitur naribus attracta.* 402.ii.
Fumus candelarum *nocet ſtudioſis.* 553.xxiii.
Fungi *facile in cancrum abeunt.* 737.xxxi.
Fungi in fimetis. ibidem.

G.

Gagates. 169.xvi.
Gaiacum *lignum.* 248.xxxv. 449. 175.xlviii.
Uſus in colica. 118.xvi.
Uſus in omni febre noxius. 277.xxviii.
Lepram peperit. 427.iv.
Gangræna *manuum, ex immerſione in frigidam.* 210.i.
Gargariſmos *in angina.* 17.xxvii.
Gelatinæ. 367.xxxviii.
Gemmarum *vis in malignis febribus.* 244.xxi.
Gialapæ *reſina.* 898.lxiii.
Gibboſitas *vitio nutricis orta.* 409.lxxvi.357.iii.
Gilla vomitiva. 955.xxxv.xxxix.
Glandularum *differentia.* 607.i.
Fortia purgantia non ferunt. 413.xciii.
Aliæ an afficiantur in peſte quam lue venerea. 54.xiii.
Seri receptacula. 897.i.
Gluten *firmiſſimum ex caſeo & calce conficitur.* 69. xxvi.
Gonorrhœa *ſteriles reddit mulieres.* 313.xi.
A fluore quomodo diſtinguatur. ibidem
Virulenta cauſa. 315.xxv.
Gracilitas *corporis quid ſignificet.* 401.xxix.
Gramen *diſſolvit calculos.* 389.xiii.
Granata. 567.xxxvii.
Graveolentium *noxa.* 640.v.
Gravidarum *morbi cur periculoſi.* 1.
Alvum habent adſtrictam. 10.i.
Gravitas *corporis bilis dominantis ſignum.* 876.xlvi.
Grumi *ſangu. ſubſiſtentis ſignum.* 519.i.
Grumeſcit ſanguis à quibus cauſis. 863.lx.
Gummi animæ *ſuffitu roborat cerebrum.* 18.xxix.
Gummata optime ſolvunt pituitam. 872.xxii.
Aromatica pituitam incidunt. 857.xxx.449.xxvii.
Gummi Gotte. 892.xlviii.

H.

Habitus corporis *ſuum habet regimen peculiare.* 318.viii.
Hæmorrhoides *an craſſiorem ſanguinem effundant.* 474.xxvii.a.
Hæmatites *lapis.* 321.vii.
Halecis *uſus in hydrope.* 373.xlviii.
Hauptmanni *pathologia animata.* 459.xiii.
Hecticę febris *ſigna.* 233.i.
Helleborus. 471.xv. 475.v.
Hepaticum rubrum. 314.xvii.

Hepar

Hepar lupinum. 158.xii.
Helleborus albus. 954.xxv.
Vim habet exurentem. 221.
Vis ejus. 715.iii.
Hepar *calidius hidroticorum uſu laditur.* 57.vi.
Herbis *ſiccis alia facultates quam virentibus.* 861. xlviii.
Hermodactyli *qui veri.* 32.xxiii.
Hiera *quando danda.* 121.xi.
Magna non tuta. 889.xxiv.
Hirundinis *nidi vis.* 15.vii.viii.
Hirudinum *capita relicta in cute ulcer. difficilius periunt.* 835.vii.
Hippanorum *ſanguis eſt fibroſus.* 921.lxi.
Hiſpidula. 411.lxxxii.
Hordeati *conficiendi ratio.* 198.xxxix.
Horroris *cauſa.* 200.i.
Humores *maligni ad interiora potius quam exteriora vergunt.* 239.iii.
Humor glanduloſus quomodo vitiatur. 608.i.
Salſus muriaticus. 664.xix.
Pituitoſus valde viſcidus eſt melancholia. 456. lxxx.
Humorum arctior cum ſangu. cõjunctio unde. 854.iv
Acidorum cauſa. 863.lvii.
Extravaſati vacuari poſſunt. 869.xiii.
Acidi quando purgandi. 872.xxxiii.
Humores ad cutem effuſi intro non revocandi. 317.i.
Extravaſati. 15.v.
Acutos *purgant hydragoga.* 19.
Cauſa. ibid.
Correctio. ibid.
Vitioſos natura ad extrema trudit. 29.xi.
Efferveſcentia. x21.iii.
Hydragoga. 889.xxv.
In febribus noxia. 187 xiii.
Hydrargyrum *lac auget.* 844.iii.
Fluxiles reddit humores. 844.iv.
Efficax in morbis etiam non venereis. 145.vii.
Semper redit ad priſtinam formam. 688.xxxiii.
Salivationem cur promovet. 721.xxx.
Hydrocele *inunctione Mercuriali curata.* 57.x.
Hydromelitis *vires.* 856.xvii.861.xlvii.
Hydropici *vomitoriis non irritantur.* 367.x.
Extinguuntur ab Opiatis. 840.xiii.
Hyoſciamus. 774.viii.
Calida eſt temperie. 691.xlv.
Optimum narcoticum. 39.li.
Hypercatharſis *quomodo contingit.* 375.i.
Hypochondriaci *plerique nephritici.* 932.iii.
Hyſtericis *cur tremit cor.* 517.

I.

Ialapæ *reſina.* 892.xlvi.xlviii.
Ichores. 71.iii.
Ichor *Celſi.* 741.xv.
Ichor e juncturis. 723.xxxix.
Icterus *niger cum ſcorbuto convenit.* 388.vi.
Iecur, *caninum ſpecifice rabiei medetur.* 360.viii.
An ſanguinis officina. 364.i.
Ignis *nervis inimicus.* 4.iii.
Ileus *verus.* 391.v.
Imbecillitas *in febribus duplex.* 219.lii.
Inediæ *effectus.* 915.xxxiv. 322.xx. 323.xxii.
Infans *cur ſubito fit mucilentus.* 401.xxix.
Inflammatio *aliquando uno die perficitur.* 560.iv.
In ſuppuratum abeuntis ſigna. 416.iv.
Interna ſigna. 198.xxxxiv.
Infuſiones *purgantes infida.* 897 lxv.
Infuſio roſarum. 889.xxi.
Inguinum *apertio ad eductionem puris imo ventre concluſi.* 6.xx.
Injectiones *in ulcera ad cavitatem internam penetrantia cavenda.* 5.xi.
In veſicam quomodo facienda. 709.iii.
Inſtaurantia *alimenta.* 816.xxii.
Intemperiei *aliquando magis quam cauſa attendendum.* 572.lv.
Calida calida proſunt. 75.v.
Inteſtina *pinguedine interius carent.* 153.xxxviii.
Inteſtinorum tunica cruſtoſa. 856.ix.
Periſtalticè motus inverſi cauſa. 391.v.
Inunctio Mercurialis. 899.ix.
Iris. ibid.xxi.
Eſt ſomnifera. 841.xx.
Iſchiadica vena. 927.lxxxvi.
Iulep *aceroſum.* 236.i.
Hypnoticum. 265.xliv.
Iugularis vena. 928.xciv.
Apertio. 431.ix.
Iuncturæ *rigidæ.* 723.xxxix.
Iuniperini *ligni vires.* 38.xliii.
Ius parvæ pullæ. 234.viii.

L.

Lactis *generatio.* 467.xiv.
Vſus in podagra. 35.xxxvi.
Dotes. ibidem. *Partes.* ibidem.
Quibus nocet. ibidem.
In Catarrho uſus. 110.i.
In Iſchiade. 422.xiv.
Concretio quomodo fiat. 653.
Vſus apud antiquos. 845.i.
Lac an in febribus conveniat. 821.xli.
Lactis ſerum nutrit. 232.vii.
Aſininum in obſtructionibus prodeſt. 492.xii.
Lactea vala *cum emulgentibus communicant.* 473. xvii.
Lac ſulphuris. 557.xliii. 555.xxxvii.
Lactuca. 816.xxi. 824.liii.
Lacrymæ. 174.iv.
Lapis Cyaneus. 763.xxvi.766.xxxiii.
Pretioſi an cardiaci. 763.xxviii.870.xxxi.149.ix.
Lapidis hæmatitis vis. 19.
Lapis medicamentoſus Crollii. 714.ii.
Pyrites. 736.xxiv.
Lappæ maj. radix *eſt diuretica.* 32.xxvi.
Laryngotomia. 15.ix.
Laudanum. 617.vi.663.
Laudanum *quod optimum.* 843.xxix.
Laudani uſus. 400.xxv.607.
Vis in arthritide. 39.
In clyſteribus. 546.xx.
Liquidum. 122.xlix.ſ.
Lavendulæ *liquor ſtillatitius.* 616.i.
Lecti *abſtinentia in quibuſdam febribus.* 224.
Lectio *vehemens.* 663.v.
Lenientia *iterata idem quod purgans præſtant.* 56. xli.
Lien *valida aperientia requirit.* 931.vii.
Melancholiæ non eſt receptaculum. 389.xii.
Vſus ad coctionem ventriculi. 694.vi.

Lienoſis cur tremit cor. 519.
Lien an exſcindi poſſit. 435.xvii. 434.xi.
Fortia fert medicamenta. 438.xxx.
A flatibus tumet. 439.xxxvi.
Lienoſorum differentia. 436.xiii. 435.ibid.
Ligaturis ſolutis caput impletur. 849.
Somnum conciliant. ibid.
Lignum Heracleum. 167.ii.
Limaces ſumme ſiccant. 158.xii.
Lingua avis quid. 489.xvi.
Cervina. 437.xxvii.
Linimenta è pice liquida. 430.xiii.
Simplex. 176.
Adſtringentia an dentur. 766.vii.
Lini olei uſus. 373.xlvii. 323.xxvii.
Lignitia. 700.lii.
Liquores à putredine quomodo præſerventur. 760.
Liquor nerveus. 88.lxi.
Nutritius varie vitiatur. 129.viii.
Lithotomia renum. 63.xlii.
Lixiviorum internus uſus tutus. 863.liii.
Uſus. 440.v.
Lixivioſa lædunt ventriculum. 568.xii.
Lotiones capitis. 78.xxxiv
Lubricantia ventriculo nocent. 10.ii.
Lucio Aptoni pinguedo nimia detracta inciſione. 448.iii.
Ludovicus Magnus ſervatus ope ſangu. miſſionis. 677.xli.
Lues venerea ex bubonibus ſolis non arguenda. 54. xiii.
De Lue temere ne pronuntiet Medicus. 110.xii.
Germanis præſertim noxia. 443.iii.
Pituita eſt genitrix. 449.xxxvii.
Lumbi. 457.ii.
Lumbricorum vis nervina. 781.ii.
Vivi admoti ſummum anodynum. 773.ii.
Terreſtres. 152.xxvi.
Catalepſis cauſa. 102.i.
Lupi inteſtina. 121.xliii.
Stercus. 966.xxvii.
Lympha etſi tenuis facile craſſeſcit. 776.x.
Coagulatio morbos facit. 145.vi.

M.

Macilentiæ puerorum cauſa. 401.xxix.
Maculæ purpureæ in peſte extinctis unde. 253.i.
Peſtilentium cauſa. 266.
Magnetis arſenicalis vis. 100.viii.
Malignarum febrium plures cauſæ. 241.
Signa. ibid.
Malignitatis febr. natura qua. 240.i.
Magiſteria. 763.xxv.xxviii.
Malleolorum ſcarificatio. 930.vi.
Malvæ quis morbus. 100.xi.
Malum Punicum. 321.vii. 399.xxii.
Mammariæ venæ. 928.xcv.
Mandragora. 774.ix.
Ebur emollit. 435.xviii.
Manna. 888.xiv. 889.xxix.
Eſt hydragoga. 532.xxix.
Doſis & vires. 124 liv.
Quomodo exhibenda. 892.xlix.
Qua hora danda. 11.iv.
Vomitoriorum. 954.xxxix.
Manus & pedes magis quam cæteræ partes abundant excrementis tertiæ coctionis. 250.xli.
Margaritarum vis in malignis febribus. 244.xxi.
Præparatio. 766.xxxi.
Magiſterium ventriculum corroſit. ibidem.
Marrubium. 595.xx. 664.xii.
Maſtiche ſalivationem ciet. 897.i.
Martialium vis. 952.i.
Uſus. 933.viii.
Aperiunt & adſtringunt. 757.iii.
Qua vi agunt. 776.xi.
Hepar juvant. 837.vii.
Mechoacanna. 892.xlvii. 888.xv.
Meconium ab opio quomodo differt. 842.xxiii.
Infantium. 44.xlix.
Medicorum meticuloſitas morbos inſanabiles facit. 321.viii.
Incurabilium curam non ſuſcipias. 964.xxii.
Medicus aliquando ſit audax. 548.iii.
Medici ſtercorarij. 869.xi.
Medicamenta alimentis optime commiſcentur. 447. xxvi.b.
Alimentis non confundenda. 777.xxi.
Cura neceſſitatem non utendum. 895.ix.
Gradus & manſiones. 767.ii.
Temperata. ibidem.i.
Vacuo ventriculo danda. 414.xcviii.
Chimicorum laus. 965.xli. 969.xlii.
Simplicia compoſitis præſtant. 969.xliii.
Inefficacia cur aliquando periculoſa. 68.xxvi.
Melancholia pituita eſt viſcidior. 507.xcvii.
Melancholicus ſuccus eſt pancreaticus. 632.
Melancholica cacochymia. 862.liv.
Melancholico humori adſtringentia adverſa. 141. vii.
Melancholici triplices. 836.xviii
Affectus cur vix curantur. 872.xxiv.
Humoris præparatio. 872.xxiv.
Meliceria. 723.xxxix. 741.xv.
Melilotus. 590.iv.
Mellis qualitates. 149.xl.
Melones. 822.xlii.
Indi ægris concedunt. 819.xxvi.
Melupepo. 818.ibid.
Memoria non ſemper a frigido læditur. 476.i.
Meninx dura ſecari an poſſit. 96.xxviii.
Menthæ criſpæ vis. 924.lxx.
Mercurialis herba. 805.xxxix.
Mercurius calidus an frigidus. 447.xxvi.d.
Diaphoreticus. 143.xxii.
Mercurialia fluxile reddunt ſerum. 89.i.
Venerem minuunt. 314.xvii.
Optima phlegmagoga. 449.xxxvii.d. 453.lvi.
Mercurij vulgaris damna. 33.xxviii.
Mercurius Crudus aſſumptus. 12.x.
Salivationem movet. 197.ii. 898.vii.
Vermium venenum. 459.iii.
Noxa emendatio. 722.xxxvii.
In corpore delitiſcens quomodo deprehendatur. 89.lxii.
Peſtis alexicacos. 262.xxxii.
Ad ſalivationem excitandam varia præparatio. 899.ix.
Dulcis vitæxo xxx.314.xvii.491.5.888.xvi.894.lx
Efficax deobſtruens.837.6.893.i. Præparatio.ibid.
Mercurius ſublimatus, præcipitatus. 893.i.
Præcipitatus, 9.iv.

Præcipi-

Præcipitatus diaphoreticus. 938. iv.
Mercurius vitæ. 954. xxxiv. 894. lii. liii. 367. x.
Medicamentum eſt antimoniale. 379. viii. 450. xxxvii.
Corallinus. 450. xxxvii.
Mercurius quo fixior eo minus vomitum aut ſalivationem movet. 450. xxxvii.
Crudus. 450. xl. 448. xxviii. 414. c9.
Meridiatio. 700. lvii.
Meridionalium *ſanguis eſt aduſtus.* 836. xv
Mettillorum *ſyrupus.* 114. xvi.
Metalla aut mineralia *quomodo evadunt vomitoria aut cathartica.* 954. xxiv.
Metalla decoctis vim largiuntur. 457. lxxv.
Methodici. 700. lvi.
Minoratiua. 250. xxxvii.
Miliaria a ſorwite febrili differt. 190. xxxv.
Millepedum *vis diuretica.* 831. xx.
Mineralia *purgantia.* 885. cx.
Minorantia *medicamenta antiquis cognita* 870. xliv
Miſturæ. 605. xxii.
Miſtura ſimplex. 788. 726. iv.
Moibani *antidotum.* 691. xliii.
Mineralia quid. 102. vi.
Morbi *maiores qui.* 700. lv.
In difficilibus omnia tentanda. 423. I.
Omnes ex fermento vitioſo. 771.
Acuti qui. 117. xxix.
Magni qui. 253. ii.
An ſemper v. ſ. & purgationem poſcat. 253. ii.
Sicci ſignum. 218. xliv.
Morborum tranſplantatio. 962. xii.
Morbi à fumis orti odorata reſpuunt. 75. viii.
Alii in fieri, alii facti. 318. xiii.
Vetuſti recentes faciendi. 79. xxxvi. 720. xxv.
In incognito quid agendum. ibid.
Multi catarrho perperam aſſignantur. 304. v.
Prima origo inveſtiganda. 964. xxi.
Ignoti ſuſcipienda curatio. 964. xx.
Incurabiles. 965. xxii.
Popular. differentiæ unde deſumendæ. 181. xi.
Morbus ſiccatorius. 380 xvii.
Moſchus *eſt fumoſus.* 841. xxii.
Moſchata *rarefaciunt ſanguinem.* 788. vi.
Mucilagines. 767. xxxviii.
Mucilaginoſa *maxime humectant.* 769. vii.
Mucilago *ſanguinis ſupernatans.*
Mulierum *morbi ardua curationis.* 577. i.
Muſcæ *admota venenum extrahunt.* 36.
Muſculus crotaphita *ſecari an poſſit.* 95. xxiv. 705. lxiv.
Muſculi abdominis *craſſam habent membranam.* 7. xxiv.
Muſculorum *uſus.* 486. xxvi.
Mentha. 606. i.
Muſcus pyxidatus. 665. xxv.
Muſtelæ *pellis vis.* 845. vi.
Myrobalani. 888. xvii.
Myrobalani *condita.* 697. xxxii.
In bilioſis morbis nocent. 187. xxi.
Myrthus *calculum expellit.* 61. xxxi.
Myſi. 708. xiv.

N.

Narcoſis *quid.* 774. x.
Narcotica *appetitum tollunt.* 934. v.
Vim habent alexiteriam. 261. xxx.
Non ſunt frigida. 773. viii.
Vis. 217. xlii.
Calida. 38. xli.
Dextre uſurpata non nocent. 39. li.
Quomodo lædunt. ibidem.
Correctio. ibid.
Oculis admoveri poſſunt. 40. li.
Cur aliquando non juvant. 73. xxiii.
Juncta purgantibus. 121. xlv.
Prius depurgationis non data. 122. xlix.
Narium *excrementa non ſunt à cerebro.* 81. xlvi
Narium *vena.* 938. xcviii.
Naſturtium. 617. vii.
Venenis reſiſtit. 640. xli.
Nautea *à ſumptio purgante.* 880. lxxviii.
Nephritica & cyſtica *eadem ſunt.* 850. iv.
Nephritici *etiam hypochondriaci.* 776. vi.
Nephritis *in arthritidē ſæpe trāſit & viciſſim.* 63. xliii
Nervina *medicam.* 773. v. 781. ii.
Nervus opticus *evolvi poteſt.* 509. civ.
Nervi *puncti ſigna.* 50. ii.
Nicotianæ *vis.* 507. xci. 170. xxii.
Nitrum. 182. vi. 615. ix.
Nitrum quid. 828. iv
An refrigerat. ibid. 860. xlvi.
Salia volatilia figit. 260. xxiii.
Præparatio. 213. xxii.
Spiritus potenter figit. 862. liii.
Diſcutit flatus. 788. ii.
Nitri vis in calida intemperie. 87. xlix.
Venerem extinguit. 314. xvii.
Nitroſa ventriculo nocent. 934. v.
Serum reddunt fluxile. 897. ii.
Nix *admota colicam ſedavit.* 773. iii.
Nuclei Perſicorum *feles & gallinas necant.* 605. i.
Nux moſchata. 149. xiii.
Nux vomica. 763. xxvii.

O.

Obſtructio. 490. 493. xv. 220.
Febrium parens. 185. vii.
Obſtructiones viſcerum quid indicet. 776. xii.
Occluſio. 490.
Oculorum cancr. *vires.* 665. xxi. xxii.
Oculi *gaudent mucilaginoſis.* 769. vii.
Impetiginoſi. 496. xiv. b
Odorata *nimis cerebro nocent.* 81. i.
Odorata *coctione exolvuntur.* 700. liii.
Oletum *uſus.* 816. ii.
Olea *cibum dant corruptioni obnoxium.* 237. viii.
Olea ſtillatitia *efficacius reſolvunt.* 39. xlix.
Cheirini vis in arthritide. 40. liv.
Arſenici vis. xlii. lxv.
Amygdal. 215. xxxv.
Amygd. d. vis in ſolvendis alvi fecibus. 117. viii. 120. xxxvii.
Oleum lini. 324. xxvii.
Amygd. d. *vis.* 11. vi.
Sambuci viride eſt emeticum. 858. ix.
Vitellorum ovorum. 775. xxiii.
Oleum oculis inimicum. 504. lxviii. 515. i.
Vlceribus. 155. liii.
Succini. 172. xlvi.
Bregmati illitum febrem intulit. 81. li.
E ſcarabæis Iucanicis. 180. ii.
Hepatis muſtelæ piſcis. 508. xcix. b
Oleor. aromaticorum vis. 649. xiv. xv.

Index Rerum.

Garyophyllorum. 221.
Corticis citri vis. 639. xiv.
Tartari vinum aceſcens corrigit. 699. xlvii.
Vitrioli noxa. 699. l.
Olivarum *eſus.* 219. li.
Opium. 711. i.
Vis. 19.
Præcipuum narcoticum. 840. ix.
Correctio. ibidem.
Crudum vim habet exulcerandi. ibid. 840.
Non eſt venenum. 842. xxiii. 841. xxiii.
Meconio tutius. ibid.
Eſt calidum. ibid.
Præſtantia. 774. xiii. xiv.
Eſt ſudoriferum. 774. xviii.
Plus valet interne quam ext. 773. vii.
Eſt hidroticum. 938. 4. viii. 38. xli.
Aphrodiſiacum. 778. ii.
Vim antidotorum juvat. 261. xxx. 265. xliv.
Præſens ægris affert juvamen. 265. xliv.
Penitus tritum evadit inutile. 46. vii.
Sumptum poſtridie vomitum movit. 663. iv.
Opiata innoxia. 711. i.
Quo dulci acre temperant. 737. xxx.
Sunt cardiaca. 787. i.
Sunt cariatinantia. 789. v.
Orgaſmus humorum *quid.* 867. viii.
Oſſa *quando exſquammanda.* vi2. ii.
Vivum. 512. iii.
Triquetrum. 173. xlix.
Caries cauſa. 863. lvii.
Ova *ſiſtendi facultatem habent.* 812. vii.
Ova quale nutrimentum dant. 822. xliv.
Vitelli vis. 19.
Oxalidis *ſuccus.* 196. xxiii.
Oxycratum *humorum orgaſmum ſedat.* 113. iv. 172. xliii.
Oxymel. 229. viii. 187. 15. xix. 856. xvii. 861. xlvii.
Vires. 854. v.
Quando convenit in obſtructionibus. 954. xxviii.
De Peto. 954. xxvii.
Oxyſacchar. Salæ.

P.

Pæonia. 172. xlii.
Palati *excrementa non veniunt à cerebro.* 81. xlvi.
Panchymagogum Quercetani. 893. li.
Panis gratatus. 815. xix.
Panis impinguat. 489. xv.
Papaveris ſub. *flores.* 572. lix.
Paralyſis *ex colica.* 12. lvi.
Inducta à nimio uſu aperientium. 111. v.
Paregorica medic. 773. iv.
Paroxyſmorum *reditus cauſa.* 200. i.
Paſtilli Andronis, *Polyda.* 32. viii.
Pectus *per vomitum expurgatur.* 531. iv.
Per urinæ vias. 598. xi.
Pectori nocent opiata. 843. xxvii.
Pediculi *deglutiti cauſa mortis.* 389. viii.
Pedum *cum alvo conſenſus* 11. viii.
Pedum *& capitis conſenſus.* 79. xxxvi.
A frigore probe muniendi. ibid.
Pedum *plantis ſuppoſita quomodo ſanguinis circulationem juvant.* 249. xxxvi.
Pellis agninæ vis *in contuſionibus capitis.* 92. v.
Peponis *uſus in febribus.* 818. xxvi.
Peripneumoniæ *cauſa.* 251.
Peritonæum *in hydropicis craſſeſcit.* 569. xx. 370. xxviii.
Perſarum *capita duriſſima.* 96. xxv.
Perſpicilla *viſum quomodo juvant.* 505. lxxviii.
Peſtis *oſſearia.* 756. i.
Inflammationis ſoboles. 253. i.
Specifica natura ignota. 262. xxxiii.
A peſtilenti febre qui differat. 265. xlvi.
Peſtilens venenum impugnat Acidum noſtri corporis. 261. xxiii.
Conſiſtit in ſale lixivo. ibid.
Remedia impugnantia illi potius ſimilia eſſe debent quam corpori noſtro. 253. xiv.
Petechiæ *quid.* 250. xxxvii.
Non ſemper malignitatis indices. 257. viii.
Petroſelinum. 169. xvii. 219. l.
Philonium Roman. *ſumme cal.* 841. xxiv.
Phlegmones *generatio.* 417. vi.
Phthiſici *in hydropem proni.* 369. xvi.
Sudori obnoxii. 626. viii.
Picæ *cauſa in puellis & gravidis.* 26. v.
Pilulæ. 579. xl. 883. c. ci.
In juſculis non diſſolvenda. 895. xxxix.
Ex gummis. 872. xxii.
Francofurtenſes. 883. xxvi.
Quercetani ex mercurio dulci. 893. l.
Phlegmagoga polychreſta. 507. xcvii.
Iliaca Rhaſis. 604. iii.
Pinguium *eſus macreſacit.* 464. ii.
Pinguia ubi lædunt, lædunt unguenta. 916. xxxiii.
Pinguedo *à pituita in ſanguine quomodo dignoſcenda.* 923. lxvii.
Pinguia ignis pabula. 127. i.
Famem obtundunt. 26. i.
Inflammationibus eryſipelatoſis obſunt. 39. xliv.
Piper *in inflammatione uſurpatum.* 316. ii.
Piſcium *eſus.* 822. xliii.
Piſces ſaliti. 219. li. 680. lvi.
Piſorum *juſculum in nephritide.* 62. xxxii.
Pituitæ *alteratio.* 852. liv.
Eſt ſerum concretum. ibid.
Vitrea dolorem quomodo inferat. 118. xx.
Pituita *in ventriculo ad quid utilis.* 12. xiii.
Plantago. 623. viii.
Sicca non reprimit. 861. xlviii.
Pleuriticorum *ſanguis.* 255.
Pleuritis a peripneumonia qui differt. 252.
Plumbum *ulceribus malignis utile remedium.* 71. xiv.
Plumbex *bracte à topho admota illum diſcuſſit.* 42. lxix.
Utilitas in ulceribus malis. 71. xiv.
Podagræ *ſedes.* 27.
Eſt morbus Tartareus. 35. xxxvi.
Diæta potius cedit quam remediis. 42. lxxii.
Podagræ *quando non curanda.* 6. xvi.
Poplitex venæ. 927. lxxvii.
Poplitex venæ *ſectio.* 457. i.
Porca. 322. xviii.
Potus *corpori quid præſtat.* 817. xxiv.
Nive refrigeratus. 819. xxvii.
Multo tamen minus vivaces. 813. ix.
Febricitantia. 218. xlv. xlvi.

Porro

Potio cholagoga leniens. 156.
Clarificata. 883. ci.
Præcipitatio *humorum quid.* 770. lxxi.
Præcipitato corroſivo *ad purgandum abſtinendum.* 378. viii.
Præcipitatum. 450. xxxvii.
Perniciosum purgans. 891. xxxix.
Pixides *ſyſtematis nervoſi.* 171. xxx. b
Pruna *ad alvum laxandam quando ſumenda.* 10. i. v.
Prunella. 212. xvii.
Ptiſana. 824. lvi.
Doses. 815. xix 816. xxiii. 821. 40.
Laxativa. 890. xxxvii. 858. xxxvi.
Poma *admodum flatuoſa.* 518. x.
Pueri *abſceſſibus abdominis obnoxii.* 7. xxv.
Puer theriacæ uſu mortuus. 763. xxiv.
Pulicum *morſus.* x73.
Pulmones *calidos habentes in ſudores proni ſunt.* 940. xxv.
Pulſus *fallacia.* 162. ii. 923. lxiii.
Obſtructionum qualis. 776. v.
Parvus cum ſanguinis copia. 437. xxv.
Pulvis *Cornachini.* 889. xxiii. 896. lxi.
Pyrius. 745. i.
Pulveres peptici. 700. lii.
Pulveres arthritici quomodo juvant. 41. lxiii.
Purgans *quodvis quoſvis humores educit.* 19.
Purgantia ſunt aphrodiſiaca. 778. ii.
Corrigunt humores. 871. xxi.
Creber uſus noxius. 895. lx.
Sunt diuretica & emmenagoga. 830. xi.
Purgatio per fermentationem fit. 246. xxxi.
Purgantia ſunt egregia aperientia. 776. x.
Hepati noxia. 56. iv.
Urgente dolore non danda. 58. ii.
Qualis eorum actio. 76. xiii.
Quomodo retinenda ne vomitu ejiciantur. 116. vii.
Nunquam uſus Hippocr. ad præſervationem ſed vomitorio. 952. viii.
Additum antimonium diaphor. eorum vim auget. 883. cii.
Nimia naturæ inimica. 476. xxxix.
Purgatio quotuplex. 714. iii.
Per alvum magis turbat, quam per urinam aut ſudores facta. 871. xxi.
Minorativa, eradicativa. 185. viii. 86. x.
Coacta. 186. viii.
Intempeſtiva noxa. 193. v.
Minorativa. 869. ix.
Per epicraſin optima. 507. xcvii.
Purgationes mercuriales ſacra anchora. 500. xxxvii.
Puris *materia.* 637. xii. a
Pus *cito educendum.* 3. i.
Quando ante perfectam ſuppurationem educendum. 3. ii.
Non totum una vice educendum. 4. 5.
Eſt optimum ſuppuratorium. ibid.
Diuturna ejus ſtillatio in locis adenoſis unde. 6.
Diffuſi in unum locum convocatio. 5. xi.
Mature non eductum alio viam ſibi facit. 5. xiii.
Quando medicamentis abſorberi poteſt. 6. xv.
Latentis ſigna. 7. xxxi.
Putredo *ſuam habet maturitatem.* 6. xix.

Q.

Qualitatibus *primis non nimis tribuendũ.* 770. viii.
Quartana *autumni ſoboles.* 201. v.
Quæſtio *aliter practice aliter theoretice decidenda.* 20. i.
Quies *in lecto coctionem humorum juvat.* 855. viii.
Quinta eſſentia *ex bezoarticis.* 764. xxiii.

R.

Ranina vena. 728. xcvii. 927. lxxxii.
Raphanus ruſticanus. 935. vii.
Rapici *remedium Galenicum.* 360. viii.
Infecti ſignum. 360. viii.
Ranarum *eſus in hectica.* 235. xvii.
Ranunculi *uſus.* 47. xiii.
Raparum *uſus.* 19. 531. xiii.
Rapa domat humorem melancholicum. 377. iii.
Decoctum in præparatione humorum. 854. vi.
Raphanus ſylveſtris. 130. ii.
Ratio & tonſio *quid conferant capiti.* 77. xxi.
Ravanellus. 137. xi.
Regiones corporis *quæ.* 869. xii.
Reguli antimonii *vires ad externos uſus.* 42. lxv.
Remedia *eadem valens in curatione & præſervatione.* 198. xi.
Selectiſſima quatuor. 777. xiv.
Renum *dolor a ventriculo.* 701. lxiv.
Prolapſus. 435. xvii.
Reſinæ *purgantes cum emulſionibus danda.* 896. lxiii.
Remediorum mutatio. 968. xxxvii.
Reſolventia *admota quomodo juvant in podagra.* 38. xlv.
Reſpiratio. 556. xl.
Rhabarbarum. 579. ix. 187. xxi. 890. xxxi. xxxii. 888. xviii. 894. liv.
Non ſemper anima hepatis. 838. vi.
Rheumatiſmo *laborantium ſanguis.* 253. i.
Rhyadis *cauſa.* 9. iii.
Rigoris *cauſa.* 230. vi.
Febrilis cauſa. 209. i.
Rore *madefacta alvum laxant.* 849. x.
Rorella *ſive* Ros ſolis. 556. xxxviii.
Roriſmarini *ligni uſus.* 80. xli.
Roſtrum corvinum. 316. iv.
Rubigo *ferri.* 859. xxxix.
Ructuum *odor.* 862. liii.

S.

Saccharum. 762. ii. 49. xii. 567. xxxvi.
Calefacit. 861. xlvii.
Obſtruit. 861. xlix.
Utero inimicum. 736. xviii.
Saccharatorum abuſus. 762. ii.
Noxia ægris. 814. lv. 819. xxvi.
Pituitam augent. 604. xvi.
Intendunt ſitim. 613. iii.
Infeſta hypochondriacis & hyſtericis. 111. vi.
In bilioſis morbis non tuta. 388. ix.
Saccharum Saturni *virilitatem adimit.* 157. xxxi.

Index Rerum.

Sacculus *anodynus.* 49. I.
Sal *fortiter fundit.* 423. XIII.
Ventrem adſtringit & laxat. 11. III.
Trahendi vi pollet. 373. V.
Ægris an concedendum. 821. XI.
Primum diureticum. 831. VIII.
Nunquam cum ſpiritu vini miſcetur. 896. lXIII.
Partes oleoſas aqueis conjungit. 944. II.
Salina optima aperientia. 760.
Salſuginoſa quædam frigida. 855. XV.
Salſa an alvum moveant. 11. III.
Utilia ad ſanitatem. 12. XIII.
An nutriant. 464. I.
Sal *chalybis.* 859. XXXIX.
Martis. 859. XXXIX. 857. XXXII.
Prunellæ. 141. VII. 213. XXII.
Tartari. 858. XXXV. 491. V.
Viperinus. 764. XX.
Lixivo acida contraria. 512. III.
Lixivioſum quomodo temperandum. 378. III.
Lixivum cauſa doloris arthritici. 40. II.
Sal Volatilis efficacia. 649. XIV. 425. XIX. 429. XI.
Salis volatilis acris correctio. 138. XIV.
Salium volatilium vis. 205. XV. 856. XXIV. 857. 26. XXX.
Salia volatilia oleoſa Acidum *domant.* 10. I.
Vires in apoplexia. 24. XX.
In aff. hiſteric. 386. lVI.
In affect. hypochondriaca. 586. lVI.
Menſes movent. 26. V.
Viendi ratio. 26. V.
Vis in pituita correctione. 377. III.
Vſus. 247. XXXIV.
Vires. 832. XX.
Salia volatilia habent ſulphur oleoſum. 781. II.
Concretum ſanguinem reſolvunt. 602. XXXV.
Coctione evaneſcunt. 610. III.
Saliva. 607. I.
Salivatio *quibus familiaris* 607. I.
Excitata a ſalibus volatibus. 34. XXX.
Salſæ *vis in affectibus capitis.* 81. XlV.
Vis in tumoribus duris & tophis. 42. lX.
In impetigine fera. 317. II.
Vis in tumoribus duris. 438. XXXIII.
Salvatellæ *ſectio in oal. jecoris intemperie.* 131. XV.
Salſa *ſerum reddunt fluxile.* 897. II.
Sanguis *vitæ ſedes.* 759. I.
Sanguis & ſerum duo humores alimentares. 769. VII.
Sanguinis duæ partes. 787. I.
An aliquando ſit frigidus. 208. XXXI.
Iuxta anni tempora indolem mutat. 201. V.
Conſtitutio alia vere alia autumno. 189. XXXIII.
Inſignis vacuatio quando ad hydropem ducit. 365. V.
Pleuriticorum qualis. 674. XXXII.
Laxior compages cauſa Diabetis. 138. XIV.
Lutens emiſſus. 388. I.
Icheroſus quid ſignificat. 388. IV.
Sanguis *redundans ſæpe abortus cauſa.* 2. V. VI.
Innoxie gravidæ e talo miſſus. 2. VII.
Transfuſio. 9.
Flatulenti in capite ſigna. 25. XXIII.
In malignis pravis coloris. 247. XXXIV.
Sanguis lue venerea infectorum ſale abundat. 248. XXXV.
A quibus coagulatus. 832. II.
Rutilus & ſero deſtitutus ſæpe mali ominis. 250. XXXIX.
Concretionis cauſa. 788. II.
Coagulationem impedientia. 632. 559. I.
Immodicum fluxum cur febris ſequitur. 180. IV.
Corruptio in pus quomodo præcavenda. 665. XX.
Coagulationis præcautio. 665. XXI.
Ebullitionem excrementorum ſecretio ſequitur. 319. XIII.
Diatheſis acetoſa. 771.
Circulum reſtituentia. 834. I.
Fluiditas quot modis vitiatur. 804. lX.
Non ſpiritnaſcens quæ mala invehat. 774.
Quæ ob ſulphur nimis evectum. ibid.
Sang. miſſio non facienda inſtante criſi. 184. IX.
Autumno periculoſa. 189. XXXIII.
In Cacochymia citra neceſſitatem facta noxia. 50. III.
Sanguinem *mittere & purgare eadem die licet.* 15. XVI.
Larga effuſio minus nocet quam aliorum humorum. 28. 6.
Miſſio craſſis nocet ſi ætatis florem ſunt prætergreſſi. 252.
In cubicio facta minus debilitat ægrum quam ſedenti. ibidem.
Santalorum *decoctum.* 552. XXI.
Sapo *humorum efferveſcentiam ſedat.* 77. III. 709. XIV.
Sarmentorum vitis *recentium decoctum.* 123. III.
Satietas hypochondriorum. 490. I.
Saturnus *veneri inimicus.* 314. XVII.
Sanguinis humani elixir. 548. II.
Scalptus *frictionis ſpecies.* 839. I.
Scammonium. 874. V.
Præparatio. 893. lXI.
Scarificatio *gangrænam præcaet.* 316. III.
Scorbutus *affectioni hypochondr. affinis eſt.* 610. IV.
Scorbutici ſudori obnoxii. 626. XIII.
Scopa *ventriculum eluens.* 730. XVII.
Scorpio. 688. XXXII.
Scopio eſt diureticus. 831. XX.
Scyllæ *vis.* 592. IV.
Sectio *cutis capitis in apoplexia.* 25. XXIV.
Ferro facta non ſemper fluxionem accerſit. 7. XXX.
Secundinæ *portionis reſitantis ſignum.* 2. IV.
Semen *quid.* 314. XVII.
Imminuentia. ibid.
Semina *mai. frigida nonfrigida.* 196. XXVII.
Exſiccant. 533. XXIII.
Ob corticem diuretica ſunt. 831. XV.
Senes *ſuperfluitatibus ſcatent.* 712. VI.
Seona. 700. LIII.
Sericum *tinctum noxium aſſumptum.* 766. XXXIII.
Seri *ſalſedo unde.* 864. LX.
Serum *lactis caput replet.* 846. VI.
Serum *frænum bilis.* 781. III.
Sero malignitas præſertim inhæret. 809. XVII.
Setacei *præſtantia in ægylopis curatione.* 811. IV.
Siccitas *inhibet putredinem.* 553. XXII.
Simplicia *quadam diverſas partes habent.* 649. XVI.
Sinapi. 211. II.

Sina-

Index Rerum.

Sinapiſmi. 432. xiv.
Efficacia. 38. xliv.
Sitis *ante paſtum hydropis prænuntia.* 56. iii.
Solani furioſi *infaſio famem aufert.* 26. ii.
Somnus *calorem ad interiora non trahit.* 100. ix.
Ocreatis pedibus capias car & nocet. 79. xxxvii.
Aquæ vitæ uſa conciliatus. 84. xxvii.
A v. ſ. cur prohibetur. 8,9. iv.
Productioris noxa. 821. xxxvii.
Sorbitiones *attractoria.* 195. x. 199. xlii.
Spermatis Ceti *efficacia.* 834. ii.
Sphincter *an nunquam totus reſecandus.* 18. iv.
Spina ventoſa. 513. viii.
Spiritus vitales *quomodo extinguuntur.* 9.
Spiritus minerales differentes non vſurpandi. 511. i.
Antepilepticus Hartmanni. 546. xxiv.
Faligmis. 767. xxxvii.
Vitri. 389. xiii. 121. xliii.
Dulcis. ibidem.
Koſaram. 649. xvi.
Spiritus ſalis vis. 117. xii.
Spiritus ſalis. 128. iv.
Salis armon. 171. xxx.
Spiritus ſalis dulcis, & Nitri vires. 830. vii.
Spiritus vitrioli. 852. iii.
Spiritus vitriolis ſulphuris. 187. xxii.
Spir. vitrioli vſus in febr. 196. xxiv.
Genitalibus nocet. 314. xvii.
Efficacia. 853.
An noxius. 393. iii.
Spiritus vitrioli Martis. 383. xxxii.
Spiritus vitrioli Veneris. 700. lx.
Spiritus ſalis efficacia in reſolvendo. 39. xlvii. 48.
Cephalici Anhaltini vis. 48. xxiii.
Terebinthina vis. 58. vii.
Sp. Salis armoniaci vires. 41. lxv. 386. lvi.
Vrinæ volatilis vires. 41. lxv.
Vitrioli in nephritide. 61. xxv.
Spiritus vini abuſus noxius. 767. xxxvii.
Spirituum vrinoſorum vis. 767. xxxvii.
Spongia bedegar *roborat renes.* 61. xxxi.
Spongia hypnotica Heurnii. 841. xxii.
Stryges. 401. xxix.
Statice. 313. viii.
Stercus ſuillum. 180. vi.
Sternutatorium *vaporoſum.* 78. xxxi.
Stillicidium *frigida.* 427. iv.
Stomatica *medic.* 511. ii.
Studioſi *cur tabidi fiant.* 553. xxiii.
Studioſis *enervatio corporis nocet.* 122. xlix.
Subſidentia vaſorum. 490.
Succi herbarum *quomodo depurandi.* 811. vi.
Pancreaticus qualis. 863. liv.
Acidus ventriculi. 647. vii.
Nutritius. 85. lxii.
Sudor *vi non impellendus.* 26. iv. 826. ix.
Sudorifera *humores vitioſos corrigunt.* 26. iv.
Sudorifica ſanguinem attenuant. 417. vi.
Summa febrium remedia. 187. xxiii.
Sudorifica purgantibus juncta. 317. ii.
Suffitus *capitis an proſint.* 78. xxix.
Vires. 401. xxix.
Sulphurea *mineralium & metallorum fixa.* 205. xv.
Sulphurea ſalinis adverſantur. 781. ii.
Sulphur hydrargyri antidotus. 130. xv.
Sulphuris *metallici fixi vis.* 19.
Sulphur minerale figit ſal volatile. 260. xxiii.
Sulphur conſtat oleo & acido ſpiritu. 785. xvi.
Suturæ *coronalis & ſagittalis concurſus quomodo inveniendus.* 794. xiii.
Symptomati *quando ſuccurrendum.* 217. xliii.
Syncopes *imminentis ſigna.* 112. xvi.
Syrupi *calidiores dilati flatus gignunt.* 117. xi.
Syrupus S. Ambroſii. 939. xx.
Syrupi dulces hypochondriacis nocent. 378. v.
Syrupi valent in menſibus obſtructis. 777. xx.
Syrupi myrtini vis. 321. vi.
Syrupus ex ſucco roſar. 894. lvi. lvii. 895. lviii. lix.
Syrupus Prædicatorum. 592. ii.
Sambucus. 889. xxi.
Sanorum *quatuor genera.* 882. xciv.
Sapa *vomitoria.* 955. xxxiv.
Saltorum *vſus vtilis in peſte.* 262. xxxiv.
Salia *ſunt hidrotica.* 938. ix.
Sal vitrioli. 955. 36. xxxix.
Sal Tartari. 890. xxxiv.
Salvatellæ *ſectio.* 915. xxxi. 275. xii. 929. c. ci. 917. lxxxix.
Sanguinis miſſ. *neceſſitatis præcipua ſigna.* 902. v.
Vtilitates variæ. 901. i.
Sanguis ſeroſus. 924. lxviii.
Quomodo fit natura inutilis. 901. ii.
Sāgu. in ſuperficie glutinoſus chyloſus eſt. 912. xx.
Sanguinis ſaturatus ruber vnde. 822. lxv.
Floridus ruber, an malignitatis ſignum. ibidem.
An ex quatuor humoribus conſtet. 923. lxv.
Varii calores. ibid.
Saponaria *medicamenta.* 932. iii.
Saſſafras *eſt vaporoſum.* 939. xiii.
Scabies *& lues ven. eodem modo curantur.* 898. viii.
Scammonium. 891. xxxviii.
Senna. 890. xxxiv.
Siderum *conſideratio in purgantis exhibitione.* 874. xxx.
Singultus *in peſte correpto, exitiis ſignum.* 264. xl.
Somnus *in quibuſdam morbis nocet.* 926. lxxix.
Sulphur antimonii. 954. xxxiv.
Symptomatica vacuationes aliquando vtiles. 865.
Syrupus emeticus. 954. xxvii.

T.

Tabaci *fumus.* 753. xi. 803. x.
Vſus an noxius. 81. xlvii.
Extracti vis. ibid. xlviii.
Tabaci fumus. 165. vi.
Nocet ventriculo. 530. c.
Iuvat cerebrum frigidum humidum. ibidem.
Fraus, ſi in eo parando. ibidem.
Fumus eſt purgatorius. 803. xxxiv.
Serum efficaciter ducit. 33. xxii.
Ex eo clyſter. 118. ibid.
Tartarus *inſigne diureticum.* 832. xxi.
Præparatio & vſus. 858. xxxiv.
Vires. 856. xxv.
Tartarum vitriolatum. 858. xxxvii.
Emeticum. 12. ix.
E Tartaro medicamenta quibus conveniunt. 383. xxxv.
Vitriolatum. 111. ix.
Tartarea *materia arthritidis parens.* 43. lxxiv.
Terebinthina Cypria *cerebro nocet.* 488. xiv.
Vis in arthritide. 40. lviii.
Terebinthinæ Venetæ *dotes.* 121. xxxix.

Sulphur antimonii. 954. xxxiv.
Symptomatica vacuationes aliquando utiles. 865.
Syrupus emeticus. 954. xxvii.

T.

Terebinthina vis in præſervatione à calculo & podagra. 58. vii. 62. lxxii.
Terra ſigillata vis. 938. iv.
Terrea *bilem & acida domant.* 837. iv.
Terror *quæ mala invehat.* 632.
Thée. 712. ix.
Theriaca. 883. xcix.
Theriaca. 726. xxi.
Theriaca. 764. 21. xxii. 763. xxiv. 774. xviii.
  Optima antidotus. 689. xxxv.
  An pueris danda. 414. civ.
  In affectibus cerebri quando ſuſpecta. 25. xxx.
  Vus in malignis febribus. 244. xx.
  Vires. 688. xxxii. 687. xxiv.
Thermæ *quibus noxia.* 41. lxii.
  Uſus in arthritide. 43. lxxvi.
Thermæ ſcabiem quomodo curant. 524. xxix.
Thymus *glandula.* 639. xii.
In Tincturis *ſæpe fraus.* 323. xxv.
Tinctura vitrioli martis ſaturniſata. 315. xxiv.
  Martis aperitiva vitriolata. 400. xxviii.
  Saturnina. 314. xvii.
  Corallorum. 323. xxv.
Tinctura bezoartica camphorata. 826. vi.
Tophorum in articulis *cauſa.* 36. xxxvii. 106. xxv. 781. viii.
  Diſſolutio. 41. lxiv.
Tormentilla. 738. xvi.
Tragopogum. 664. x.
Transfuſio ſanguinis. 469. xi.
Tranſpiratio *libera ad ſanitatem confert.* 814. xiv.
Trochiſci *viperini.* 764. xx.
Turbith *correctio.* 891. x.
Turcæ *opium innoxie ſumunt.* 842. xxvi.
Tumores *qui non faſtigiantur.* 5. xii.
Turgens *materia quæ.* 140. v.
Turgeſcentia humorum. 193. iv. 868. viii.
Tuſſis *a frigore quomodo excitatur.* 270.
  A verme excitata. 664. xii.
  In ingreſſu lecti urgens. 664. xviii.

V.

Vacuationes *coctionem turbant.* 855. xvi.
Venarum raninarum *ſectio in angina.* 14. iii. iv.
  Iugularium *in angina.* 14. v.
  In apoplexia. 21. xxii.
Vena ſecta conſolidatio quomodo impedienda. 155. xii.
Veronicæ *vis contra calculum.* 58. viii. 124. iv.
Venæ *ſanguinem reſorbent.* 96. xxxv.
Veneni *peſtilentis natura.* 260. xxiii.
Venenum in acido conſiſtit. 513. iii.
Venereorum *uſus.* 173. i. 610. x.
Venter *numiſmata liquat.* 132. i.
Ventriculus *ob alvum duram læditur.* 12. ii.
Ventriculi *rimam ſubeuntis permiſtes.* 28. iv.
Veratrum *dare eſt vomitum ciere Hippocr.* 104. iv.
Vermiculorum *majalium vis diuretica.* 851. xx.
Vermes *an omnium morborum cauſa.* 459. xiii.
  Generatio. 458. i.
  Capitis doloris cauſa. 85. xxx.
  Malignorum morborum plerumque cauſa. 677. xxxviii.
Vermiculi in facie. 806. v.
Verrucæ *tibiis equorum adnaſcentes.* 640. v.
Veſalius *Carolum Philippi Hiſpan. Regis Filium ſanavit.* 95. xviii.
Veſicatoriorum *uſus in arthritide.* 43. lxxvi.
Veſica urinaria *expurgari poteſt per inteſtina.* 709. i.
Ueſica urinaria conformatio rara. 65. vi.
Vulnerata conſolidatur. 65. vii.
Victus *humidus qui.* 825. lviii.
Vini *noxa.* 173. iii.
  Non omne calefacit. 89. lxiv.
  Noxa in colica biliosa. 120. xxxii.
  Uſu ſolutus calculus veſica. 65.
  Vus in colica. 116. v.
  Nocet iis quibus acidus humor in ventriculo. 125. ii.
  Non æque nocet bilioſis. ibid.
  In acutis conceſſum. 575. lxxi.
  Uſus in febribus. 823. xlix.
  Dulce obſtructiones facit. 158. xi. 531. ix.
  Gravidis noxium. 3. xv.
  Potens famem tollit. 26. ii.
  Uſus in phthiſi. 557. xlvii.
  Non exſiccat. 818. xxvi.
  Eſt cardiacum. 245. xxiii.
  Purgantium vim juvat. 892. xlvi.
  Coctioni carnis obeſt. 699. xlvi.
  Catarrhos ciet. 712. vii.
  In affectibus frigidis valet. 451. v.
  An humectet. 724. xliii.
  In inflammationis metu cavendum. 744. xxiii.
  Calidum an humidum. 769. vii.
  Solutivum in podagra. 34. xxxiv.
  Tartarea materia abundat. 43. lxxiv.
  Aſſuetis non eſt prohibendum. 43. lxxv.
  Albi, nigri qualitates. 110. i.
  Auſterum aliquando alvum ſolvit. 682. lxxiii.
  Abſynthites. 895. ix.
  Guajaci. 121. xlvi.
  Nigrum. 434. viii.
  Malacenſe. 220. lvii.
  Salſum. 11. iii.
  Solutivi abuſus. 11. iv.
Viola. 895. lix.
Viperæ *venenum.* 390. xiv.
  Morſus viperæ lethifer. 687. xxi.
Vlcus *acidi effectus.* 15. v.
Vlceris *interni remedia.* 3. i.
  Automata prævenienda. 4. viii.
  Inveteratum non curandum. 6. xvi.
  Vlcerum ora præſertim curanda. 720. xxv.
Vlmi *veſica.* 510. cxiv.
Vipera *ſale volatili abundat.* 429. xi.
Uſus. 427. xi. 429. xi.
Uſus internus. 806. ii.
Vitium *onere preſſarum ſignum ex pulſu.* 869. ix.
Viſcera *imi ventris cur obnoxia obſtructionibus.* 491. viii.
Viſcera quæ magis obſtruuntur. 776. iv.
Virus *abolitus medicamentis reſtituitur.* 509. civ.
Vita *ad tempus ſepulta quomodo redit.* 26. xxxiii.
Vitalitas *ab aëre nitroſo pendet.* 520. xl.
Vitrioli *vis.* 324. xxxii.
  An ac ſtomachum. 750. xxix.
  Eſt errhinum. 787. x.

Index Rerum.

Vitriolum Martis. 859.xxxix.857.xxxii.
Vmbilici *dignitas.* 117.xiii.
Vnguenta *non nimis eſſe debent mollia.* 720.xxv.
Adſtringentia an deneur. 769.vii.
De Alabaſtre. 741.xxii.
Comitiſſa. 758.xii.
Ferrarienſium Medicorum in lienis duritie. 438.xxxiii.
Pilos evecans. 73.iii.
Citrinam. 100.vi.
Nutritam. 494.xv.
Reſinam. 538.xv.
Volatilium *abuſus noxius.* 788.iii.
Vomitoria. 170.xxiii.
Vomitus viridiam. 117.
Vomitus vomitu curatur. 731.xxv.
Non convenit in affectibus capitis bilioſis. 46.i.
Vrinæ *qua purgationem indicat.* 855.xii.
Vrinam cientia pleraque ſunt emmenagoga. 832.iii.
Vrina cruda qua. 854.iv.
Rubra aliquando à frigore. 121.xlii.
Vrina craſſa alba quid ſignificeat. 32.xxvi.
Propria potus ad arthritidis præſervationem. 34.xxxiii.
Calculoſorum quando inſpicienda. 62.xxxix.
Nigra in lienoſis. 438.xxix.
Rubra non ſemper à calore. 364.iii.
Vrina rubra. 595.xxiii.701.lxi.
Mala in intermittentibus febribus. 208.xxxiv.
Viridis. 689.xxxv.
Vrtica. 412.lxxxv.
Saccus. 323.xxvi.
Vrticatio. 524.xxxv.
Vſtionis præſtantia. 717.ix.d.
Veteo *magnas coaſeaſas cam venis hæmorrhoidali-bus.* 836.xvi.
Dulcibus gaudet. 731.ii.837.iii.
Vulnera *capitis levia cur aliquando lethalia.* 93.vii.
Facta à ferro difficilius ſanantur quam ab ære. 680.lix.
Magnitudo nado æſtimanda. 50.iii.
Vacuatio *ad animi deliquium quando facienda.* 912.xxviii.
Venatum *totalis ſectio.* 929.civ.
Venarum delectas in brachio ad ſ. m. inutilis. 926.lxxx.
Ventriculus *dat omnibus & ab omnibus accipit.* 952.viii.
Vinum *in venenis an concedendum.* 261.xxviii.
Vitrum Antimonii. 954.xxxiv.
Vomitoria ſudorificis *commiſceri poſſunt.* 268.xlviii.
Vomitoria vitriolata. 954.xxx.

Sequentia ad Indicis literam *T.* pertinentia, prelum evaſere.

FINIS.